SANCTI AURELII

AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI OPERUM

TOMUS DECIMUS,

CONTINENS OPUSCULA POLEMICA CONTRA PELAGIANOS,

Post Lovaniensium Theologorum recognitionem correcta denuo ad manuscriptos codices Gallicanos, Vaticanos &c. nec non ad editiones antiquiores & insigniores.

OPERA ET STUDIO MONACHORUM
Ordinis S. Benedicti è Congregatione S. Mauri.

PARISIIS,

Excudebat FRANCISCUS MUGUET Regis, Cleri Gallicani & illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis typographus.

M D C X C.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

IN TOMUM DECIMUM
PRÆFATIO.

POST Donatistas celeberrimâ illâ Catholicorum in Carthaginensi collatione victoriâ penitus afflictos atque eversos, Ecclesia novum continuò insurgentem in se debellandum hostem habuit, qui jam non Christianæ societatis, ut illi, corpus, sed ipsammet animam, Salvatoris videlicet gratiam qua Christiani sumus, impetebat. Hujus longè pessimæ hæreseos, quam Pelagianam & Cælestianam de auctorum ejus nomine dictam nemo nescit, historiam ad primævos scriptores recognitam hîc repræsentare, nostrarum partium esse arbitramur, neque aliud vice præfationis quidquam exspectari à nobis commodius, quàm ut brevi rerum Pelagianarum narratione ad lectionem Augustini, postremo isto volumine adversùs hanc hæresim decertantis, studiosorum animos comparemus.

I. *Pelagii hæresiarchæ patria, vitæ institutum, & mores.*

PELAGIUS hæresis princeps, vulgò dicebatur Brito: quod illi cognomen [a] Augustinus, ut ab illo distingueretur, ejus æquali, quem Pelagium Tarenti appellabant, inditum esse credidit. Eodem ipsum cognomine Prosper [b] in chronico ad annum 413. & Gennadius ad veteres codices emendatus, vocant. Dicitur quoque ab Orosio, [c] *Britannicus noster*; à Mercatore, [d] *gente Britannus*. Denique Prosper in carmine de Ingratis auctorem hæresis Pelagianæ notat his verbis:

> [e] *Dogma quod antiqui satiatum felle draconis*
> *Pestifero vomuit coluber sermone Britannus.*

Et multo infrà in Semipelagianam impietatem dicit,

> [f] *Auctorem comitare exclusa Britannum.*

Idemque in epigrammate adversùs quemdam Augustini obtrectatorem:

> [g] *Aut hunc*, ait, *fruge sua æquorei pavere Britanni.*

Præter quàm quòd suo in Collatorem opere, ubi inimicos gratiæ quosdam in Britanniis deprehensos memorat, hos [h] *solum suæ originis occupasse* scribit. Atque adeo idem si fuerit Pelagius, quem dicit Hieronymus [i] *Scotorum pultibus prægravatum*: hoc ipsum quod in homines natali ejus solo finitimos quadrabat, ei adtribuit. Qua ratione de eodem in alio loco, [k] *Habet*, inquit, *progeniem Scoticæ gentis, de Britannorum vicinia.* Quibus verbis nihil aliud significat, nisi illum gente Scotum, seu Hibernum, videri; quando & innata essent ipsi Scoticæ, id est, Hibernicæ regionis vitia, & ortum è finitima Britannia duxisset. Ipsum autem humilibus parentibus natum prodit [l] Orosius, quippe cui natales ait non dedisse, ut honestioribus disciplinis erudiretur, ob idque ad conficiendos libros subsidiariis indiguisse operæ comitibus, qui sermonem ei suum commodarent.

Is tum [m] Augustino, tum [n] aliis à quibus memoratur, solet *Pelagius monachus* appellari: unde colligas eum hoc vitæ genus non modò professum fuisse, verùm etiam titulum, quo vocaretur, clariorem nullum habuisse, atque clericali dignitate neutiquam cohonestatum. Hinc ejus hæresim Augustinus [o] non ab episcopis, non à presbyteris, vel quibuscumque clericis, sed à quibusdam pseudomonachis invectam affirmat. Illum Orosius disertis verbis [p] *ho-*

[a] Epist. 186. cap. 1.
[b] Infrà Append. pag. 73. b. & 63. a.
[c] Apolog.
[d] Infrà Append. pag. 63. d.
[e] Ibid. 67. c.
[f] Cap. 34.
[g] Append. pag. 222. d.
[h] Pag. 196. a.
[i] Pag. 77. f.
[k] Pag. 78. c.
[l] Apolog. cap. 26.
[m] Hic pag. 212. b. & lib. de hæresib. hær. 88.
[n] Append. pag. 63. d.
[o] Hic pag. 224. a.
[p] Append. pag. 80. d.

minem laicum dicit, queriturque locum ipsi in Jerosolymitano consessu datum inter presbyteros. Et Zosimus papa eidem Pelagio, quem erroris falsò insimulari existimabat, initio favens, eum [a] *laicum virum ad bonam frugem longa erga Deum servitute nitentem* nuncupavit. Utrùm verò monachum in Anglia apud Bangorenses, vel in Italia induerit Pelagius, statuere hîc non magni refert: neque operæ pretium est, alia quæ apud Usserium videre licet, Anglicorum scriptorum de eodem commenta recensere. At omnibus ferè persuasum fuit, illum, quo tempore Johannes Chrysostomus ab adversariis exagitabatur, monachum egisse in Oriente; atque eumdem illum esse, de quo Vir sanctus ad Olympiadem litteris anno, ut videtur, 405. in exsilio apud Arabissum in Armenia datis scribebat in hæc verba: *De Pelagio monacho dolore vehementi affectus sum. Quot igitur quantisque ii qui forti animo steterint, coronis digni sunt, perpendas velim: cùm viros tanta curâ & studio tantâque tolerantiâ viventes abduci videamus.* Procul dubio Pelagius ille, ab iis, qui Johannis innocentiam tuebantur, defecerat: neque aliud caussæ erat, cur ejus lapsum miseraretur sanctus episcopus. Quod enim ad Pelagianam hæresim spectat, Chrysostomum, qui diem anno 407. obiit, de illa quidquam umquam audivisse, tametsi fortè illam sensim jam tum insinuaret ejus parens, nemini videatur veri simile. Quin etiam Pelagium hæresiarcham hoc ipso anno 405. quo Johannes Pelagii monachi defectionem querebatur, versatum fuisse Romæ, facilè jam persuadetur, post quàm ex [b] Mercatore observatum est, hæresim illum suam Romæ Rufino quodam Syro propinante imbibisse tempore Anastasii papæ. Quippe ex eadem urbe, in qua teste Augustino *diutissimè vixit*, non ante annum ferè 410. secessit: nam & ad id temporis spatium revocanda est illa, quam [c] se Pelagius Paulino episcopo ante duodecim ferè annos scripsisse, in litteris ad Innocentium papam jam defunctum directis memorabat.

Romæ longissimum temporis spatium cùm esset versatus, in multorum cognitionem insinuaverat se se: ac primùm existimationem in ea urbe sibi pepererat minimè vulgarem. Hinc ipse quoque [d] noscere illum cœpit Augustinus: ita ut, cùm probaretur plurimis illius vita, eum in primis suis adversùs ipsius errores opusculis numquam ferè sine honore ac laude nominaverit. Sic illum quodam loco, [e] *bonum ac prædicandum virum*, ab iis qui eum nossent, vocitari testatur: alio autem, [f] *virum* esse, ut auditione quidem acceperat, *sanctum, & non parvo provectu Christianum.* Alibi gratiæ adversarios generaliter ita prædicat: [g] *Cùm sint*, ait, *castâ vitâ moribusque laudabiles, nec dubitent facere, quod illi diviti pro consequenda vita æterna consilium requirenti..... præcepit Dominus, si vellet esse perfectus, venderet omnia quæ habebat, & daret pauperibus, thesaurumque transferret in cælum.* De quibus rursum Honorato scribit: [h] *Nec tales sunt, quos facilè contemnas; sed continenter viventes, atque in bonis operibus laudabiles.* Pelagium certè carum admodum habebat Paulinus episcopus Nolensis, ut pote quem insignem Dei servum existimabat. Illius adhortatione duo juvenes, Timasius & Jacobus, repudiatis quæ sæculum eis promittebat, se spemque suam omnem Deo voverant. Quapropter multorum episcoporum litteras postmodum in medium eo consilio protulit, ut eximiis laudibus quibus eum illi decorabant, imputatæ sibi hæreseos notam elueret: [i] *quasi eum*, inquit Augustinus, *hæc perversa sentire, omnes qui vehementes & quodam modo ardentes ad bonam vitam exhortationes ejus audiebant, facilè scire potuerint.* Idem gloriabatur [k] se in amicis viros sanctos complures numerare.

Sed post quàm semel germanam fidem deseruit, quidquid illi pietatis inesse videbatur, in dies defecit, aut omnino evanuit. Ab Orosio ad annum 415. aut 416. conscribente apologiam, *novus magister ministerque mensarum* appellatur. Tum ab eodem dicitur ἀναμάρτητος, qui *venire sibi posse perfectionem vitæ immaculatæ manducanti, bibenti, dormientique confirmet.* Infrà quoque perstringitur quasi ob temulentiam hisce verbis: *post multam crapulam novissimè expergefactus.* Et cùm eum schemate gigantis descripsisset idem Orosius in hunc modum: *Stat immanissimus superbiâ Goliath carnali potentiâ tumidus, omnia per se posse confidens, caput, manus, totum insuper corpus plurimo apparatu vestitus:* ut hominis, quem etiam de facie noverat, speciem ac formam suis omnibus coloribus effingeret, huic rudiori tabellæ subinde novas lineas adjecit, & quodam loco, *Sed tibi*, inquit, *specialis inde portandi oneris fortasse fiducia est, quòd balneis epulisque nutritus latos humeros gestas, robustamque cervicem, præferens etiam in fronte pinguedinem.* Verùm haud scimus, an ipsum eunuchum simul & luscum fuisse designet, cùm ait:

[a] Append. pag. 100. d.
[b] Append. pag. 63. d.
[c] Hic pag. 246. c.
[d] Pag. 216. b.
[e] Pag. 73. c.
[f] Pag. 71. d.
[g] Pag. 54. c.
[h] Epist. 140. cap. 37.
[i] Hic pag. 218. b.
[k] Pag. 219. c.

Noster hic mutilus, lævis in fronte, μονόφθαλμος. Denique qua ratione Pelagius vitam suam instituat, asserit ignotum esse nemini. Neque à fide alienum putaverimus, eumdem illum ab Hieronymo nominari, [a] *Albinum canem, grandem & corpulentum, & qui calcibus magis possit sævire quàm dentibus.*

[a] Append. pag. 78. c.

Isidori Pelusiotæ, viri peccatorem in desideriis animæ suæ laudare ac palpare nescii exstat ad Pelagium monachum epistola in hanc formam: [b] Cani effusi sunt in Ephraim, & ipse ignoravit, vitiosis nimirum affectionibus juvenescens. Eo modo tibi quoque ingens " annorum turba canitiem invexit, & tamen rigidum atque inflexum animum habes, ex alio " monasterio in aliud subinde migrans, atque omnium mensas perscrutans atque explorans. " Quam ob rem si tibi carnium nidor atque obsoniorum condimentum curæ est, iis qui magi- " stratus gerunt potiùs blandire, atque urbium caminos vestiga. Neque enim homines eremi- " tæ facultates eas habent, ut te, quemadmodum tibi gratum est, excipere valeant. Hoc autem epistolium si Pelagio hæresiarchæ missum est, oportet illud ante vulgatam ejus hæresim scriptum; atque adeo non multo post quàm ex Africa anno, ut postea dicturi sumus, 411. profectus est. Et certè quam morum depravationem animadvertebat in Pelagio Isidorus, ea non leve argumentum subministrat, quo persuasum habeamus, id ante quàm Romæ moraretur, ubi in magna apud probos quosque existimatione vixit, neutiquam contigisse.

[b] Lib. 1. epist. 314.

II. Prima Pelagii scripta veneno hæreseos jam imbuta.

TESTATUM reliquit [c] Gennadius, Pelagium priùs quàm in hæresis notam incurrisset, scriptiones aliquot bonas edidisse, tres videlicet libros *de Trinitate*, studiosis qui Ecclesiæ super ea re dogmata discere cuperent, perutiles; ac librum unum *Eulogiarum*, ad componendos hominis Christiani mores in primis accommodatum. Ibi varia Scripturarum testimonia sub diversis titulis distributa proponebat, nimirum Cypriani more ac instituto, cujus iste [d] opus ad Quirinum suo isto ad Romanum libro imitari, immo explere se velle prædicabat: beatum tamen illum Martyrem [e] cum debito semper honore commemorans. Erat hicce liber, sicut & alia Pelagii opera, [f] latinè scriptus. At illum Augustinus, non *Eulogiarum*, sed [g] *Capitulorum*, nec non alio loco [h] *Testimoniorum* librum appellat: qua posteriore titulatione fuisse ab auctore prænotatum asserit [i] Orosius. Dubium non est, Pelagium, cùm hunc librum confecit, nondum in suspicionem erroris incidisse; id enim disertè tradit Gennadius: sed hæreticus certè jam tum erat; quando quidem varios ex eodem libro locos [k] ei Præsules in Diospolitana synodo objecere. Idem quoque facit [l] Hieronymus; atque illi in primis crimini dat, quod eo in libro, quo se imitatorem, immo expletorem operis beati martyris Cypriani esse profitetur, doctrinæ sancti illius antistitis contraria placita proponat, maximè verò in eo quòd *posse hominem sine peccato esse, & Dei mandata facilè custodire si velit*, titulo centesimo asseveret; cùm è contra, titulo tertii libri sui quinquagesimo quarto Cyprianus ponat, *Neminem sine sorde & sine peccato esse.*

[c] Append. pag. 63. a.
[d] Ibid. pag. 85. a.
[e] Hic pag. 480. d.
[f] Pag. 194. a.
[g] Pag. 195. a. 219. f.
[h] Pag. 480. d.
[i] Apolog.
[k] Hic pag. 192. a. 194. b &c.
[l] Append. p. 84. & 85. a.

In fidei professione, quam Innocentio papæ anno 417. inscripsit, ut sese probet catholicum, prolixam epistolam ante duodecim ferè annos, sicque circiter annum 405. ad Paulinum Nolanum antistitem, sui tum temporis amantissimum, à se datam [m] citat: contenditque nihil propè aliud quàm Dei gratiam & auxilium hac in epistola commendari; nec non illic declarari, nos nihil omnino boni facere posse sine Deo. Qui verò illam perlegerat Augustinus, ab eo naturæ vires ac possibilitatem ubique prædicari, & penè ibi tantùm Dei gratiam constituere, affirmat; vixque ullam Christianæ gratiæ mentionem illic ab eo fieri nisi perfunctoriè, ac ne illam omnino prætermisisse videatur; quin immo non apparere prorsus, an aliud quid per eam gratiam intelligi velit, quàm remissionem peccatorum & Christi doctrinam. [n] Nuntiat ipsi Paulino Augustinus, extare Pelagii litteras ad eumdem Paulinum scriptas, ubi dicit, *se non debere existimari sine gratia Dei defendere liberum arbitrium, cùm possibilitatem volendi atque operandi, sine qua nihil boni velle atque agere valeremus, à Creatore nobis insitam diceret*: ut videlicet hæc intelligatur doctore ipso gratia Dei, quæ paganis & Christianis, impiis & piis, fidelibus atque infidelibus communis est. Has porrò litteras diversas à superioribus non esse, haud illibenter assentiemur.

[m] Hic pag. 146. c.
[n] Epist. 186. c. 1.

Ad hæc Pelagius purgandi sui caussâ epistolam quamdam ad Constantium episcopum

[a] Hic pag. 246. c.

[a] proferebat, in qua tametsi breviter, sed planè tamen, ut aiebat, Dei gratia auxiliumque ab se fuerat cum libero hominis arbitrio conjunctum. Hanc epistolam reperire nequiverat Augustinus: sed si ceteris auctoris sui scriptionibus absimilis non erat, non habebat etiam ipsa Christianæ gratiæ, quam ab eo Catholici postulabant, veram confessionem.

[b] Pag. 102. a. — [c] Append. pag. 87. b. c. — [d] Hic pag. 200. c. — [e] Append. pag. 87. c. — [f] Ibid. — [g] Pag. 72. b.

Præterea factum se à sanctis quibusdam viris anno 416. certiorem [b] asserit Augustinus, apud se esse libros exhortatorios vel consolatorios ad quamdam viduam, cujus nomen ibi desiderabatur, conscriptos, quos illi ante quatuor ferme annos se tamquam Pelagii libros habere cœpisse affirmabant, nec umquam utrùm ejus essent, ab aliquo se audisse dubitari. Eorumdem Hieronymus [c] meminit; ex quibus & geminam sententiam, alteram quidem superbiæ Pharisaicæ, alteram verò pudendæ assentationis profert. Utraque inter articulos, quos Pelagio in Palæstina synodo præsules [d] objecerunt, relata est: quam eorum objectionem, negando reperiri locos in scriptis suis, ac eosdem tamquam ineptias devovendo, elusit declinavitque. Hos porrò duos locos [e] abdicare vel inter discipulos suos consueverat: neque illum super ea re urgere Augustino visum est: attamen Pelagii re vera illos esse, idque ex stilo manifestè deprehendi, contendit [f] Hieronymus. Ad hoc ipsum opus pertinere eum suspicamur Pelagii libellum, quem [g] Marius Mercator habere se in manibus, & ad Livaniam viduam sermonem continere exhortatorium, testabatur.

[h] Hic pag. 71. d. 73. d. 213. c. — [i] Append. pag. 70. c. — [k] Hic pag. 73. c. 261. d. 263. b. — Cassiod. lib. de institut. divin. litt. cap. 8. — [l] Hic pag. 213. c.

Variis [h] insuper operum suorum locis Augustinus incertam quamdam in Paulinas epistolas Pelagii commentationem citat. Hanc ille Romæ, ante [i] Urbis ab Alarico Gotthorum rege anno 410. vastationem composuerat, inque eorum ediderat gratiam, de quorum amicitia præsumebat. Multas illuc adversùs peccatum originale congesserat argumentationes: [k] quas tamen, ne tam apertâ perduellione contra Ecclesiæ fidem insurgere videretur, non ex sua ipsius persona, sed ex aliena, tamquam adversantis objectiones proponebat. Commentarium illum Pelagii non injuriâ putant eumdem ipsum esse, qui etiam nunc exstat inter opera Hieronymi, erroribus re ipse Pelagianis refertus. Nam quod ad locum præcipuum, ab Augustino quidem relatum, sed nostra ætate in eo commentario desideratum, aut ipse postea Pelagius expunxit, aut id potiùs factum à Cassiodoro, qui expositionem quamdam epistolarum sancti Pauli, illâ unâ demtâ quæ est ad Hebræos, sub *annotationum* nomine commemorans, eas tanto in pretio habitas dicit, ut Gelasio papæ tribuerentur: quæ tamen ut peracutæ erant ac brevitate sua gratissimæ, ita Pelagiani erroris insperso veneno inficiebantur: se autem, pro sua virili, purgandæ epistolæ ad Romanos operam dedisse; quò ad idem quoque in aliis præstandum exemplo esset. Attamen multis adhuc locis dogmata Pelagiana exhibet, quæ Cassiodoro prætermissa fuisse mirum videatur: enim verò annotationem illic ad Rom. 9. 16. legere est eamdem illam, quam alicubi [l] citat Augustinus. Primasium ex hoc commentario non pauca desumsisse, fonte interim, unde illa duceret, non indicato, ab eruditis observatum est.

III. Origo hæresis Pelagianæ. Hanc Pelagius Romæ proferre incipit, quæ brevi longè latèque diffunditur.

[m] Append. p. 74. d. 75. d. 78. d. — [n] Pag. 63. — [o] Ibid. d. — [p] Hic pag. 234. b. — [q] Hier. Epist. 66.

PELAGIANA hæresis originem ex Oriente primam traxit, [m] ab Origene Adamantio, ut volunt, præcipuè autem à [n] Theodoro Mopsuestiæ episcopo proseminata. Hanc [o] Rufinus quidam natione Syrus Anastasio Romano pontifice, id est, circiter annum Christi 400. Romam primus invexit: & ut erat argutus, ait Mercator, se quidem ab ejus invidia muniens, per se proferre non ausus, Pelagium gente Britannum monachum tunc decepit, eumque ad prædictam apprime imbuit atque instituit impiam vanitatem. Huc facit, quod in Carthaginensi concilio affirmabat Cælestius, *sanctum* [p] *Rufinum presbyterum Romæ qui mansit cum sancto Pammachio*, peccatum originale præsente se atque audiente negavisse. Sunt qui Rufini hujus nomine Aquileiensem illum, toto Christiano orbe celebrem, intelligant: attamen Romæ numquam in convictu Pammachii fuisse Rufinum Aquileiensem, neque eum tempore Anastasii papæ in Urbe commoratum esse, asseverare licet. Hinc alii contendunt, debere intelligi Rufinum alium ex [q] Hieronymo cognitum, qui anno circiter 399. in Occidentem venit, missus ab eo Mediolanum ad Venerium. Nihilo minùs tamen Hieronymus iis, quos primos hæresis Pela-

gianæ auctores nominat, satis apertè Rufinum Aquileiensem annumerat; nec ambiguè illam hæresim in *discipulo Origenis* [a] *Grunnio*, quo nomine quandoque in eumdem Rufinum ludit, jam jugulatam fuisse pronuntiat. Plerique etiam putant Pelagium esse, cujus [b] præcursorem, saltem in carpendis suis ipsius scriptis, Grunnium fuisse dicit; & in quem alio [c] quoque loco tamquam in heredem Rufiniani adversùm semet odii insurgit. Verùm ad ea non est difficilis responsio; quia eos omnes qui Origeni non cum ipso palàm adversarentur, Pelagiani erroris magistros compellare non dubitabat Hieronymus. Porrò ejusdem Rufini Aquileiensis ecclesiasticam historiam post ortum Pelagianæ hæresis Augustinus citavit, neque illam ullâ umquam approbationis improbationisve notâ affecit.

[a] *Append. pag.* 78. d. [b] *Pag.* 77. c. [c] *Præfat. lib.* 6. *in Ezech.*

Verùm ne à proposito longiùs divertamur: jam ex ipsis Pelagii scriptionibus observatum nobis est, illum jam inde ab anno 405. pravos gessisse animo sensus, ejusque omnino mentem jam tum corruptam fuisse, cùm in Urbe morabatur. Testatur quoque Augustinus, eumdem ibi [d] sermonibus & contentionibus adversùs gratiam, in quibus versari solebat, notissimum evasisse; ita ut Romanos, [e] inter quos tam diu vixerat, illius sensus & dogmata, quamquam ea timidè ac secretò traderet, non laterent: qui præterea Cælestium, cujus erat exploratior impietas, ejus esse discipulum sic noverant, ut fidelissimum ac firmissimum possent de hac re testimonium perhibere. Per id verò temporis hæc inter alias se dedit occasio, ut hæresim suam Romæ detegeret in colloquio quodam, [f] ubi cùm Episcopus qui tum aderat, retulisset ex Augustini Confessionibus verba illa, "*Da quod jubes, & jube quod vis:* Pelagius ferre, inquit Augustinus, non potuit, & contradicens aliquantò commotiùs, penè cum eo qui illa commemoraverat litigavit." Nimirum Deo volente certis quibusdam casibus se ipse prodebat. Nam alioqui mirus erat dissimulandi artifex, & qua ratione errores suos catholicis verbis involveret, oppidò gnarus. Discipulos suos, qui apertiùs loquerentur, summittebat; [g] ut quemadmodum eorum dicta exciperentur explorans, illa deinde vel approbaret, vel improbaret, prout id sibi magis conducere videretur.

[d] *Hic pag.* 263. a. [e] *Pag.* 156. d. e. [f] *Pag.* 851. b. [g] *Append. pag.* 75. b. 76. g. 87. d.

Ejus error brevi tempore tam longè latèque fluxit, ut Augustinus in [h] quodam è primis illis scriptis, quibus eidem studuit occurrere, sectatores illius plures jam esse asserat, quàm credere ipse potuisset; ab iisque etiam alios, ubi non redarguuntur, in suam sectam abduci; ac demum hæresim in dies tantum incrementi capere, ut non facilè quis pervideat, quò res postmodum sit eruptura.

[h] *Epist.* 157. *ad Hilar. n.* 22.

Erat adhuc Romæ [i] Pelagius, cùm illum Augustinus adversùs Dei gratiam disputare, certior factus est. Id enim à viris fide longè dignissimis cognovit: & quidem permolestè tulit sanctus Doctor; ne quid tamen Pelagio imposuisse diceretur, scribere in illum priùs noluit, quàm vel ipsum coràm esset allocutus, vel saltem ejusmodi erroris in quopiam è scriptis ejus testimonia deprehendisset. Venit ille re ipsa in Africam, atque ad oram ipsammet Hipponensem appulit: at contigit hoc temporis illinc abesse Augustinum. Adventus iste Pelagii in Africam circiter annum 410. quo Roma capta est, collocatur: quo re vera tempore longiorem paulò fuisse suam ab Hipponensi urbe absentiam, eamque hominum in se querimonias excitasse, [k] non tacet Augustinus. Neque est vero dissimile, Pelagium unà cum Cælestio, cujus ex Urbe egressum [l] Mercator in annum circiter 409. refert, Româ exiisse; cumque eodem suo discipulo in Siciliam, quæ eorum hæresis germina quædam [m] sub annum 413. palàm emisit, se primùm recepisse; tum inde postea in Africam simul transfretasse. Ceterùm Pelagius hæresim suam [n] Hippone-regio nequaquam aperuit: quia & citiùs quàm putabatur, inde profectus est. Is Carthaginem postea se contulit, qua in urbe eum semel aut iterum anno Christi 411. vidit Augustinus, sed in iis, quæ ad collationem cum Donatistis habendam adtinebant, tum occupatissimus. Ad hoc idem tempus respicere illa credimus Augustini verba: [o] "Ante parvum, ait, tempus à quibusdam transitoriè colloquentibus, cursim mihi aures perstrictæ sunt, cùm illic apud Carthaginem essemus, non ideo parvulos baptizari, ut remissionem accipiant peccatorum, sed ut sanctificentur in Christo. Qua novitate permotus, & quia opportunum non fuit ut contrà aliquid dicerem, & non tales homines erant, de quorum essem auctoritate sollicitus, facilè hoc in transactis atque abolitis habui: & ecce jam studio flammante defenditur, ecce scribendo etiam memoriæ commendatur; ecce res in hoc discriminis adducitur, ut hinc etiam à fratribus consulamur; ecce contrà disputare atque scribere co-

[i] *Hic pag.* 216. b. [k] *Epist.* 124. n. 2. [l] *Append. pag.* 69. c. d. [m] *Epist.* 156. & 157. [n] *Hic pag.* 216. c. [o] *Pag.* 77. d.

[a] Hic pag. 216. c.

gimur. Carthagine abiens Pelagius [a] mare trajicere properavit; idque forsitan animo proficiscendi in Ægyptum; si modò quam epistolam ad eum scripsit Isidorus Pelusiotes, huic tempori adtribuenda videatur. Sed in Palæstinam pòst paulò transisse creditur, ubi perdiu moratus offensionem Hieronymi sibi concitavit. Hinc fortè est, quòd Hieronymus præfatione libri in Ezechielem sexti, anno, ut opinamur, 412. compositi, vexari se ab Rufiniani erroris atque odii successoribus queritatur.

IV. *Cælestius Pelagii discipulus accusatur à Paulino, idemque à Carthaginensi concilio anno 412. condemnatur.*

[b] Hic pag. 263. a. [c] Epist. 157. n. 22. [d] Hic pag. 216. c. d. [e] Lib. de hæresib. hær. 88. [f] Garnerius in Merc. [g] Append. pag. 221. d. [h] Ibid. pag. 64. a. [i] Commonit. c. 34. [k] Append. pag. 64. a. [l] Pag. 63. b.

DOCTRINA [b] illa pestifera, quam Romæ Pelagius tradere cœperat, in Africam perlata, tametsi hanc provinciam non tam latè occupavit, altéque pervasit, sectatores ibi [c] quosdam statim reperit, qui ubicumque poterant, hæc sui erroris nova semina spargerent. Illic [d] per ora eorum, qui Pelagii discipuli ferebantur, dogmata ista fervebant: ita ut unus ex eis Cælestius Carthagine ad ecclesiasticum judicium perduceretur, & reportaret dignam sua perversitate sententiam. Fuit hic discipulorum Pelagii, cùm temporis ordine, tum nominis celebritate facilè princeps, qui magistri sui vestigiis tam diligenter institit, ut eorum hæresis sectatores [e] ex æquo Pelagiani vel Cælestiani dicerentur. Immo Cælestius videtur ipso Pelagio notiorem famam ac latiùs propagatam in Oriente consecutus. Quæ patria ejus esset, non reperitur: si quidem vero propius existimamus, Pelagium ipsum esse, quem, ut suprà diximus, Albinum canem Hieronymus appellabat. E Campania oriundum conjectat [f] Vir eruditus ex illo versu Prosperi, quem non de Juliano, sed de Cælestio interpretatur:

[g] *Aut huic Campano gramine corda tument.*

Natu nobilis [h] fuit, sed naturæ vitio eunuchus utero matris editus; quo forsitan fit, ut *prodigiosus* [i] à Vincentio Lirinensi dicatur. Idem aliquandiu in foro versatus est, eam ob caussam, nisi fallimur, dictus à Mercatore [k] *auditorialis scholasticus.* Pòst verò meruit in monasterio: & inde, [l] teste Gennadio, ante quàm se Pelagio adjunxisset, atque adhuc adolescens, ad parentes suos epistolas in libellorum formam tres conscripsit, omnibus divinæ studentibus caritati utiles; ut pote quæ tantùm ad virtutem accenderent, nec pravæ illius doctrinæ, quam postea palàm professus est, quidquam saperent.

[m] Pag. 75. e. [n] Hic pag. 367. 368. &c. [o] Pag. 434. a. [p] Pag. 144. d. [q] Pag. 62. d. [r] Pag. 130. b. [s] Pag. 433. f. [t] Pag. 258. d.

Hieronymus adversarios suos verbis deprimere solitus, Cælestii sicut & magistri ejus Pelagii stilum ac ingenium admodum elevat. Et de Cælestio quidem hunc in modum loquitur: [m] *Unus discipulorum ejus, immo jam magister & totius ductor exercitûs, & contra Apostolum vas perditionis, per solœcismorum, & non ut sui jactitant syllogismorum, spineta decurrens.* Quæ paucula tamen restant [n] ex hujus scriptis, ea subtili eum fuisse ingenio, nec non in philosophicis cavillis ac tricis exercitato declarant. Vocat illum Augustinus [o] *hominem acerrimi ingenii, qui profectò si corrigeretur, plurimis profuisset.* Pelagius quoque ab eodem sancto Antistite dicitur [p] esse *acutissimus.* Et quid de ingeniis illorum senserit, hæc inter cetera clarè demonstrant: [q] *Hanc absurditatem*, inquit, *talia ingenia non videre, quis credat?* Item alio loco: [r] *Ne amicis nostris, quorum fortissima & celerrima ingenia, non in perversum, sed in directum currere volumus, facere existimemur injuriam.* Alibi rursus: [s] *Illa ingenia, quamvis nefando errore pervasa, non tamen contemtibilia.* Præterea de præceptore ac discipulo ita pronuntiat: [t] *Quid inter istum* Pelagium *& Cælestium in hac quæstione distabit, nisi quòd ille*, nempe Cælestius, *apertior, iste occultior fuit; ille pertinacior, iste mendacior; vel certè ille liberior, hic astutior?* Cælestius ergo cùm & animo ad audendum parato esset, & promto argutoque ingenio; [u] contra traducem peccati primus, ut fertur, scripsit, anno fortè 402. & multos, [x] inquit Mercator, incredibili loquacitate amentiæ suæ participes & complices fecit, ausus palàm publicéque Pelagii errores passim disseminare per populos.

[u] Append. pag. 65. c. [x] Pag. 64. b.

Is anno Christi 412. agebat Carthagine; qua etiam in urbe jam [y] ad presbyterii honorem subrepere cœperat: verùm cùm hæresim non dissimulanter prædicaret, deprehensus fuit, & apud Aurelium episcopum accusatus. Mox ergo in concilium Carthagine habitum, cui [z] Aurelius quidem cum aliis episcopis bene multis interfuit, abfuit verò Augustinus, arcessito Cælestio, libelli judicibus accusationis ipsi intentatæ capita continentes,

[y] Epist. 157. n. 22. [z] Hic pag. 204. d.

nentes, oblati ſunt duo, quorum alter *libellus minor* dicitur. Stabat contra Cæleſtium ex [a] adverſa parte Paulinus quidam, ille haud dubiè, qui Ambroſii vitam ſcripſit Auguſtini rogatu; quam ipſe in Africa, Johanne præfecto prætorio, (hanc verò dignitatem Johannes annis 412. 413. & 422. geſſit,) ſcriptam ab ſe teſtatur. Hic in libro quodam [b] de hæreſibus vocatur diaconus, defenſor, ac procurator Eccleſiæ Mediolanenſis: & Mercator prodit diſertis verbis, quòd [c] « Cæleſtius per libellum à quodam Paulino diacono ſanctæ memoriæ Ambroſii Mediolanenſis epiſcopi ſit accuſatus, tamquam « hæretica capitula quædam non ſolùm ipſe doceret, ſed & per provincias conſpirantes ſibi « diverſos, qui hæc per populos diſſeminarent, miſiſſet. »

Capitula [d] ex Cæleſtii doctrina hæc in libello afferebantur. I. *Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus fuiſſet.* II. *Quòd peccatum Adæ ipſum ſolum læſit, & non genus humanum.* III. *Quòd parvuli qui naſcuntur, in eo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* IV. *Quòd neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgat.* V. *Quòd lex ſic mittit ad regnum cælorum, quomodo & Evangelium.* VI. *Quòd & ante adventum Domini fuerunt homines impeccabiles, id eſt, ſine peccato.* Promſit hæc Mercator de concilii geſtis, quorum exemplaria in manibus habebat: ubi tamen ab ipſius Mercatoris exſcriptoribus omiſſum ſuſpicamur ſeptimum, quod alio [e] loco exhibet, capitulum Cæleſtii, quo is docuit, *Infantes, etiam ſi non baptizentur, habere vitam æternam.* Nam Cæleſtio capitula numero ſeptem objecta fuiſſe à Paulino, ſignificat idem auctor, cùm ait, [f] *de ſuprà ſcriptis capitulis ſeptem paribus ſynodi patres reſtitiſſe Cæleſtio*, id eſt, de ſeptem capitulis Cæleſtii alia fuiſſe contra ipſum pari numero confecta. Iſthîc etiam illud deſideratur capituli ſexti corollarium, quod cùm in Cæleſtio Africana ſynodus, teſte Oroſio, [g] deteſtata jam fuiſſet, non deſinebat Pelagius in Jeroſolymitano conventu idem adhuc præfractè dicere, ſcilicet, *Hominem poſſe eſſe ſine peccato, & facilè Dei mandata ſervare, ſi velit.* Porro ad capitulum ſecundum & ad tertium Cæleſtius in ſynodo Carthaginenſi reſpondens, errores iſtos [h] neque confiteri auſus eſt, neque rurſus voluit inficiari, ſed ejuſmodi quæſtiones in utramque partem diſputari poſſe dixit; cùm plurimos, ut aiebat, ex ordine preſbyterorum, atque in his maximè Rufinum ſancti Pammachii convictorem noſſet, qui originis peccatum negarent. Addidit tamen, ſe ſemper dixiſſe, infantes egere baptiſmo, ac debere baptizari. Quin etiam [i] *libello breviſſimo*, redemtione ipſis etiam parvulis opus eſſe, eamque ob cauſſam neceſſarium iis baptiſmum conceſſit, catholicum videlicet hocce dogma negare coram Chriſtianis veritus: ſed tamen ex Adamo in parvulos tranſiſſe peccatum, aut remiſſionem alicujus in eis peccati apertiùs exprimere noluit. De hoc haud dubiè loquitur libello Zoſimus, cùm [k] priorem quemdam libellum in Africa datum à Cæleſtio, fidei ejus documentum præbere ſcribit, quod ab eo damnando prohibere judices debuiſſet. Tum verò Zoſimus nondum perſpectas habebat horum hæreticorum fraudes: neque profectò ipſa viderat ſynodi acta; quando quidem etiam dicit, [l] nihil ibi liquidò judicatum. Etenim ex iiſdem actis patebat, [m] auditum illum frequenter, confeſſum, & convictum, tandem cùm in hæreticis illis dogmatibus, quorum inſimulatus fuerat, obſtinata mente perſtaret, meritò damnatum eſſe, & eccleſiaſtica communione privatum. Cæleſtius à ſynodi ſententia provocavit ad apoſtolicam ſedem: cujus quidem provocationis, præter Zoſimum in litteris ad Africanos epiſcopos, ubi de illius [n] *appellatione priſtina* commemorat, teſtes ſunt [o] Paulinus, [p] Mercator, & [q] Facundus. Addit Mercator, eumdem ipſum mox, appellatione neglecta, Epheſum Aſiæ urbem contendiſſe, ibique auſum eſſe per obreptionem locum preſbyterii petere.

Errores Cæleſtii qui apud Carthaginem ſectabantur, ejus condemnatione deterriti ſunt, quo minùs [r] Eccleſiæ fidem, quam fundatiſſimam cernebant, impugnare auderent, niſi tantùm ſermonibus, aut querelis potiùs, quas in vulgus diſſimulanter & muſſitando ſpargebant. Quare non injuriâ Patres concilii Carthagine anno 416. habiti affirmant, [ſ] epiſcopali judicio exciſum fuiſſe hoc tantum ab Eccleſia vulnus, nimirum Pelagianam hæreſim; idque judicium *ante ferme quinquennium* ſuper Cæleſtii nomine Carthagine agitatum, atque adeo circiter initium anni 412. Illud Auguſtinus quoque collocat [t] poſt habitam cum Donatiſtis collationem; aut ſaltem non antè factum quàm illa iniretur, ſa-

[a] Ibid.
[b] Append. pag. 64. d.
[c] Pag. 69. c.
[d] Ibid. c.
[e] Pag. 64. b. c.
[f] Pag. 69. c.
[g] Pag. 80. c. & 64. c.
[h] Hic pag. 254. a.
[i] Pag. 35. F. 70. c. 262. a 557 d. & Epiſt. 157. n. 22.
[k] Append. pag. 99. d.
[l] Pag. 98. g.
[m] Pag. 69. f. & Epiſt. 157. n. 22. & 2. Retract. 33.
[n] Pag. 104. c.
[o] Pag. 102. g.
[p] Pag. 69. f.
[q] Fac. lib. 7. c. 3.
[r] Epiſt. 157. n. 22.
[ſ] Append. pag. 91. c.
[t] Hic pag. 216. c. d.

tis apertè ſignificat. Ad idem etiam concilium fortè reſpiciebat, quæ [a] Photio viſa eſt, hæreſis Pelagianæ hiſtoria, dum hoſce hæreticos Theophili Alexandrini atque Innocentii Romani pontificis tempore ejectos Eccleſiâ tradit: niſi fortè loco Theophili, legendum ſit Theodori Antiocheni. Quippe diem obiit Theophilus anno Chriſti 412. aliis conciliis, in quibus condemnati illi fuere, nondum habitis.

V. Pelagianos ſacris concionibus primùm, tum poſtea ſcriptis libris impugnat Auguſtinus. Scribit in eoſdem ad Marcellinum opuſcula duo, aliud de baptiſmo parvulorum, aliud de Spiritu & littera: nec non inter id temporis epiſtolam ad Honoratum de gratia novi Teſtamenti.

CONCILIO contra Cæleſtium coacto, uti ſuprà vidimus, Auguſtinus minimè aderat: verùm cùm poſtea Carthaginem veniſſet, ejuſdem geſta recenſuit. Neque tamen in id argumenti confeſtim [b] ſcribere eſt aggreſſus: ſed tum ipſe, tum alii catholici antiſtites, & publicis concionibus, & familiaribus colloquiis, pro ſua quiſque parte Pelagianos errores convellere moliebantur. Huc omnino ſpectant Auguſtini Sermones CLXX. CLXXIV. CLXXV. [c] aliique vel hoc tempore vel aliquanto pòſt habiti: ſi quidem in iis placita Pelagianorum, quamvis nominatim illos non appellet, funditus evertit. In Sermone CLXXVI. adversùs eoſdem diſputans, [d] Nemo, ait, vobis ſuſurret doctrinas alienas. Hoc » Eccleſia ſemper habuit, ſemper tenuit; hoc à majorum fide percepit &c. Quiſque » ergo quod poteſt, Fratres, loquatur pro eo qui loqui pro ſe non poteſt. Pro magno » commendantur epiſcopis patrimonia pupillorum, quantò magis gratia parvulorum? Pu- » pillum tuetur epiſcopus, ne mortuis parentibus ab extraneis opprimatur: clamet plus » pro parvulo, cui timet ne à parentibus occidatur.

Poſtea verò quàm Pelagianam hæreſim aliquamdiu viva voce eſſet aggreſſus, ſtilo quoque adversùs illam decertare compulſus eſt. Nam idem ille Marcellinus, qui collationi Carthaginenſi ab Honorio imperatore datus fuerat moderator, cùm homines ex illa hæreſi [e] quotidie diſputatores moleſtiſſimos pateretur, ſancto Doctori per litteras quæſtiones eorum ac difficultates proponens, ut ſibi ſolutionem earum ſignificaret, obſecrabat. Hæ porrò quæſtiones potiſſimùm ſpectabant ad infantium baptiſmum: circa quem & novam quorumdam ex illis abſurditatem nuntiabat, qua faterentur, [f] *etiam in parvulis per baptiſmum remiſſionem fieri peccatorum; non tamen eos originaliter, ſed in vita jam propria, poſtea quàm nati ſunt, peccatum habere cœpiſſe*, dicerent. Admonebat quoque, [g] novum prorſus atque inauditum ſenſum illos affingere hiſce Apoſtoli verbis: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Et urgebat, ut eos redargueret, qui prædicabant, *Adam, etiam ſi non peccaſſet, fuiſſe moriturum; nec ex ejus peccato quidquam ad ejus poſteros propagando tranſiſſe;* & *quòd in hac vita ſint, fuerint, futurique ſint filii hominum nullum habentes omnino peccatum.* Cùm ergo hujuſmodi quæſtionibus jam uſquequaque ferventibus animos multorum infirmos perturbari cerneret Auguſtinus, non modò amiciſſimi viri rogatu, ſed etiam ſollicitudine ſuæ erga Eccleſiam caritatis adductus, libros *de peccatorum meritis & remiſſione* conſcripſit. Sic enim eos in [h] Retractationibus nuncupat: alibi [i] autem, *de baptiſmo parvulorum;* quo etiam titulo eoſdem laudat [k] Hieronymus. Et quidem è quæſtionibus à Marcellino propoſitis præcipua hæc erat; neque argumentum aliunde validius ullum quàm ex parvulorum baptiſmo peti poterat, ad oſtendendum, quod adversùs Pelagianos tuebatur, originale peccatum. Id operis eidem Marcellino dicavit: unde fit ut quandoque ſuos ad Marcellinum libros vocet, aliam inſcriptionem nullam adjiciens.

Libro primo probat mortem hominis, non neceſſitate naturæ conſecutam eſſe, ſed merito peccati: tum etiam peccato Adæ totam ejus ſtirpem obligatam; atque ob id baptizari parvulos, ut originalis peccati remiſſionem accipiant. Legerat [l] unius cujuſdam ex Pelagianis librum, ea continentem quæ ab hujus operis exordio uſque ad caput 34. libri primi refellit. In libro ſecundo docet primùm, hominem in hac vita ſine peccato eſſe poſſe per Dei gratiam & liberum ipſius hominis arbitrium. Poſtea monſtrat,

[a] *Append. pag.* 66. f.
[b] 2 *Retract.* 33.
[c] *Hic pag.* 1388.
[d] *Cap.* 2.
[e] *Hic pag.* 205. d.
[f] *Pag.* 35. f. g.
[g] *Pag.* 6. d.
[h] 2. *Retract.* 33.
[i] *Hic pag.* 263. b. *Epiſt.* 139. *n.* 3.
[k] *Append. pag.* 87. f.
[l] *Hic pag.* 36. a.

non esse tamen quemquam in hac vita sine ullo prorsus peccato. Tertiò, ideo non esse, quia nemo est qui tantum velit, quantum res exigit, dum vel latet quod justum est, vel non delectat facere. Quartò demum loco, nullum prorsus, excepto uno Mediatore Christo, esse, vel fuisse, vel futurum esse hominem ab omni peccato immunem. Paucis pòst diebus quàm superiores duos libros absolvisset, expositiones Pelagii in Paulum nanctus, in iis argumentationem quamdam novam adversùs originale peccatum reperit, quam ipsi in mentem non venerat posse excogitari à quoquam: quæ quidem à Pelagio non ex sua persona, sed tamquam ex aliena ponebatur. Quia verò priores duo libri ad modum erant legitimum perducti, & jam certo fine conclusi, idcirco nihil illis addendum ratus, epistolam de hac re propriam ad eumdem Marcellinum scribere satius putavit, quam tertii libri instar duobus primis annexuit.

Libellum à Cælestio synodo Carthaginensi oblatum haud obscurè indicat in libro 2. Verùm clariùs profitetur [a] alio loco, se post illud episcopale judicium, quo Cælestius excommunicationem meruerat, scripsisse hoc opus, anno videlicet Christi 412. Non tamen aut Pelagium, aut Cælestium, aut alium ex adversariis quempiam nominat in primis libris, spe nimirum ductus eos ad sanam fidem hac moderatione revocandi. Quin etiam in tertio libro, cùm illa redarguit, quæ Pelagius in suis commentariis contra peccatum originale protulerat, eum non dubitat honorificentiùs appellare.

[a] 2. Retract. 33.

Laudat [b] Hieronymus Augustini ad Marcellinum, eum qui postea, ut ait, sub invidia tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis (Donatistis scilicet anno 413.) innocens cæsus est, duos libros *de infantibus baptizandis*; & tertium ad eumdem *contra eos qui dicunt, posse hominem sine peccato esse, si velit, absque Dei gratia.* Dicta ex primo libro quædam [c] retorquere in Augustinum ipsum nitebatur Julianus.

[b] Append. pag. 87. f.

[c] Hic pag. 655. d. 701. d. 909. e.

Porrò dum epistolam illam ad Marcellinum duobus *libris de baptismo parvulorum* [d] *adjungendam* scriberet sanctus Doctor, simul etiam *tunc in manibus habebat librum*, seu [e] epistolam *ad Honoratum*, de quæstionibus ab eo propositis quinque; quibus sextam ipse, ut novos hæreticos gratiæ Dei inimicos impugnaret, quæstionem injecit, *de gratia Testamenti novi.* Hanc illic præcipuâ curâ & diligentiâ discussit, atque ad eam reliquas omnes revocavit.

[d] Epist. 139. n. 3.

[e] Epist. 140.

Huic epistolæ aliud opus contra Pelagianos itidem Marcellino nuncupatum [f] subjungit Augustinus. Nam quia in libro de peccatorum meritis & remissione secundo dixerat, fieri posse ut sit homo sine peccato, si voluntas ejus non desit, ope adjuvante divina; nec tamen jure inde colligi, hominem ullum, excepto Christo, tam perfectæ justitiæ in hac vita vel fuisse, vel esse, vel futurum esse: rescripsit Marcellinus, id sibi mirum videri, nec satis capere se, quonam modo ea res, cujus nullum exstet exemplum, fieri tamen posse prædicetur. Hoc ergo Augustinum impulit, ut novum opus, *de Spiritu & littera*, ut vocavit, ad illum dirigeret. Principio quidem [g] innumera, quæ neque exstitere, neque exstabunt umquam, tamen maximè esse possibilia, illic demonstrat. Verùm cùm reponere posset Marcellinus, exempla illa in miraculorum ac operum divinorum numero censenda esse, justitiæ verò perfectionem in homine ad opus ipsius hominis pertinere: hoc Augustinus quidem agnoscit, sed simul eam perfectionem opus esse divinum contendit. Hinc occasione accepta de adjutorio gratiæ Dei disputare pergit: atque illa exponens Apostoli verba, *Littera occidit, Spiritus autem vivificat*; ostendit non solas figuratas dictiones, neque legis cerimonias, quæ Christi adventu fuerunt antiquatæ, per *occidentem litteram* intelligere beatum Paulum, sed sanctissima quæque præcepta, & quæ piè inviolatéque serventur dignissima, si tantùm eorum ex lege cognitionem, non autem ad ea exsequenda vim illam & caritatem habeamus, quæ nobis per Dei Spiritum & gratiam infunduntur. Et hæc caussa fuit, cur libro *de Spiritu & littera* titulum fecerit: quo in libro contra inimicos gratiæ divinæ qua impius justificatur, se acriter [h] disputasse dicebat.

[f] 2. Retract. 37.

[g] Hic pag. 85. 86. &c.

[h] 2. Retract. 37.

VI. Augustinus anno 413. Carthagine contra Pelagianos concionatur. Rescribit Pelagio. Doctrinam de gratia Dei contra ejus hæresim confirmat litteris suis ad Anastasium & Paulinum.

POSTEA [i] quàm suos ad Marcellinum contra novam hæresim libros ediderat Augusti-

[i] Hic pag. 205. d.

nus, Carthaginem aliquando profectus, ea in urbe ipsum diem natalem Johannis baptistæ celebravit: ac proinde non anno 412. quo quidem apud Cirtam, urbem Carthagine centum plus minùs leucas distantem, in concilio ibidem habito [a] XVIII. Kalendas Julias aderat. Igitur beati Præcursoris festo Carthagine habuit [b] sermonem ad populum: atque inter cetera, [c] inquit, quæ dicenda videbantur, ad baptismum parvulorum » sermo deductus est, & quia jam prolixus erat, & de illo terminando cogitabatur, non tan- » ta dicta sunt de tanta quæstione, quanta in periculo tanto à sollicitis dici debuerunt. Etenim qui sibi [d] persuaderi errores Pelagii circa peccatum originale passi fuerant, ii latiùs in dies eadem dogmata proseminare, ac sibi adjungere quàm plurimos omni ope moliebantur; ita ut de Orientalibus comminarentur Ecclesiis, quòd nisi hæc tenerent, earum possent judicio condemnari. Parum [e] erat, quia differerent & disputarent impias quasdam novitates; & catholicos doctores conabantur arguere, quòd aliquid novum dicerent: neque antiquæ fidei defensoribus tantummodo temere obsistere, sed eos insuper appellare hæreticos, minimè dubitabant.

[a] Epist. 141. [b] Serm. 293. [c] Serm. 294. cap. 1. [d] Hic pag. 205. c. [e] Serm. 294. cap. 19. & 20.

Itaque sanctus Doctor, ut errores è pectoribus eorum, qui se se illis seducendos præbuerant, penitus evelleret, auctore Aurelio episcopo Carthaginensi, ea de re statuit denuo concionari V. Kalendas Julias. Contigit autem celebrari eo die martyris Guddentis memoriam: sed erudiendis fidelibus, quàm laudando martyri vacare, satius existimavit. Quare perlecto Christi Domini ad Nicodemum sermone, in basilica Majorum, sive ut alii legunt, Majore, vel Majorini, quæstionem de baptismo parvulorum tractandam suscepit, ac primùm redarguit Pelagianorum commentum illud, quo dicebant, *Parvulos, etsi non baptizentur, merito innocentiæ, eo quòd nullum habeant omnino, nec proprium, nec originale peccatum, habituros salutem & vitam æternam; sed propterea baptizandos esse, ut intrent etiam in regnum Dei.* Tum impetivit eorumdem effugium, qui dum urgerentur Apostolicâ sententiâ, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*; hanc *ideo dictam* respondebant, *quia primus peccavit Adam, & qui postea peccaverunt, illum imitando peccaverunt.* Postea ad eorum refellendas cavillationes perrexit, quarum aliam sic proponebant: *Si de peccatore peccatores nati sunt; quare non de baptizato jam fideli, cui remissa sunt universa peccata, justi nascuntur?* Aliam autem: *Si Adam*, inquiebant, *nocet his qui non peccaverunt; ergo & Christus prodesse debet etiam his qui non crediderunt.* Ad extremum pro perpetuo Ecclesiæ in ea quæstione consensu, Cypriani martyris, quem antiquum episcopum sedis hujus nominat, insigne testimonium ex ipsius ad Fidum epistola, sumto in manus codice recitavit. Sermonem postmodum clausit, patientiam erga novos hæreticos primis illis temporibus ab Ecclesia exhibitam commendans in hæc verba: Impetremus ergo, si » possumus, à fratribus nostris, ne nos insuper appellent hæreticos; quod eos talia dispu- » tantes nos appellare possimus forsitan, si velimus, nec tamen appellamus. Sustineat eos ma- » ter piis visceribus sanandos, portet docendos, ne plangat mortuos. Nimium est quò » progrediuntur, multum est, vix ferendum est, magnæ patientiæ adhuc ferri: non abu- » tantur hac patientiâ Ecclesiæ, corrigantur, bonum est. Ut amici exhortamur, non ut » inimici litigamus. Detrahunt nobis, ferimus: canoni non detrahant, veritati non detrahant, » Ecclesiæ sanctæ pro remissione peccati originalis parvulorum quotidie laboranti non contra- » dicant. Fundata ista res est. Ferendus est disputator errans in aliis quæstionibus non diligenter » digestis, nondum plena Ecclesiæ auctoritate firmatis; ibi ferendus est error: non tantum » progredi debet, ut etiam fundamentum ipsum Ecclesiæ quatere moliatur. Non expedit: » adhuc fortè nostra non est reprehendenda patientia: sed debemus timere ne culpetur etiam » negligentia. Sufficiat caritati vestræ, habete ad illos, qui nostis illos; habete cum illis » amicè, fraternè, placidè, amanter, dolenter: quidquid potest faciat pietas; quia po- » stea diligenda non erit impietas.

Huic eidem tempori, quo sic Pelagianorum animos amicè ac fraternè tractandos judicabat pius episcopus, haud injuriâ tribuas quamdam Pelagii ad Augustinum ipsum epistolam, cui hæc data responsio legitur. [f] GRATIAS ago plurimùm, quòd me litteris tuis ex- » hilarare dignatus es, & certum facere de salute vestra. Retribuat tibi Dominus bona, » quibus semper sis bonus, & cum illo æterno vivas in æternum, Domine dilectissime » & desideratissime frater &c. [g] Magno tum desiderio tenebatur cum præsente Pelagio colloquendi: quippe quem data qualibet occasione, contra gratiam qua justi efficimur,

[f] Epist. 146. [g] Hic pag. 218. d. e

aperta contentione conari jam audierat. Et quamquam suis eum Pelagius litteris exquisitè dilaudasset : ipse tamen, quantâ par erat urbanitate rescribens, sic ab ejus laudatione temperavit, ut etiam illum, quoad sine ipsius offensione aut quæstionis ullius commotione licuit, de Dei gratia rectè sapere admonuerit. Hoc rescriptum ipse nobis conservavit Augustinus, cuidam alii opusculo suo insertum, ubi verba rescripti ejusdem singula exponens, nihil caussæ fuisse monstrat, cur id pro se Pelagius in Diospolitana synodo recitaret.

Mirum verò est, cur illic Pelagium, ne tantisper læsisse eum videretur, de quæstione ad Dei gratiam pertinente commemorare noluerit sanctus Doctor : hanc enim tunc temporis etiam non rogatus contra nascentem hæresim perlibenter tractabat in litteris ad amicos directis. Sic Anastasio cuidam scribens, [a] sedulò egit, ut persuaderet, justitiam non per legem, sed per gratiam, neque per servilem timorem, sed per liberam caritatem impleri. Qua de re cum eo se delectatum loqui significat, [b] propter quosdam, ait, qui nimiùm arrogant humanæ voluntati, quam lege data putant ad eam implendam sibi « posse sufficere, nullâ super doctrinam legis gratiâ sanctæ inspirationis adjutam. Ubi Pe- « lagianorum adhuc nomini, ut in primis suis contra eos scriptis solebat, parcendum existimavit.

[a] Epist. 145.
[b] Ibid. n. 8.

In epistola quoque Paulino episcopo Nolano sub illud tempus reddita, ubi ad illius [c] quæstiones ex Apostolo propositas venit, hanc ipse caussam arripuit ad explicandum dogma prædestinationis : de quo mox tam perspicuè tamque graviter statuit, ut eam ipsam epistolam esse, in quam postea Semipelagiani tumultuati sunt, haud ægrè tibi ipse persuaderes, nisi hos Augustinus, non cuivis ad Paulinum epistolæ, sed ei [d] nominatim, quæ *contra Pelagianos* edita fuerat, contradixisse memoraret, id est, haud dubiè, [e] epistolæ ad eumdem anno Christi 417. scriptæ.

[c] Epist. 149. n. 18. & seq.
[d] Hic pag. 852. d.
[e] Epist. 186.

VII. Pelagius anno 413. aut 414. Demetriadi virgini venenum suæ hæresis propinat. Hieronymum calumniis appetit, permolestè ferens errores ab eo suos confutari. Pelagianos Siculos refellit Augustinus.

QUAM Demetrias velatione sua universis admirationem adtulerat, ea virorum omnium qui tum in Ecclesia præcellebant, linguam & calamum provocavit. His si quidem non injuriâ persuasum erat, quidquid sibi facultatis divinitus fuerat concessum, utiliùs collocari nequaquam posse, quàm si præceptis illam informarent, nec non in tam generoso proposito confirmarent. Quales autem aliorum, quæ perierunt, epistolæ fuerint, ex ea quæ adhuc exstat [f] Hieronymi ad eamdem virginem data, judicare licet. Scripsit eam ille anno 413. aut 414. intermissa tantisper commentatione in Ezechielem, ad cujus caput 43. jam tum pervenerat. In his porrò quæ Hieronymus Demetriadi multa præscribit, id ei magnopere inculcat, Innocentii pontificis adhærescere fidei, ac eorum casses declinare, qui Anastasii papæ auctoritate jam profligati, surgere denuo, & clanculùm doctrinæ suæ virus per Orientem spargere moliebantur. Haud pauca sunt, quæ inducant, ut signari ab eo Pelagianos fateamur : tametsi non aliam ibi, quàm quæ Origenistarum fuit, de exstantia animarum ante corpora hæresim adtingat. Eadem occasione [g] Augustinus Probæ aviæ, & Julianæ matri Demetriadis litteris suis gratulatus est.

[f] Hieron. epist. 8.
[g] Aug. epist. 150.

Insignium horumce virorum vocibus suam quoque Pelagius adjungere, ac sibi tam nobilis argumenti tractatione gloriam comparare decrevit : neque tamen lucubrationi suæ proprium adscripsit nomen; aut saltem [h] ab exemplo, quod aliquantò pòst perlatum est ad Augustinum, à quo & libri titulo censetur, illud aberat. Agnoscit anno 417. ipsemet Pelagius [i] ab se ad virginem Demetriadem conscriptas in Oriente litteras. De quibus & anno 415. agens [k] Orosius, eas jam Pelagio adtribuit : unde etiam verba aliquot refert, quæ legere est in epistola cujus exordium est, *Si summo ingenio* &c. Exstat hæc in appendice post Augustinianas : ubi similiter quidquid ex ipsius Pelagii ad Demetriadem epistola citat Augustinus, reperire licet. Ea quidem cùm ornatè eleganterque scripta est, tum egregias pietatis regulas complectitur; verùm superbiâ istâ infectas, quæ fuit propria Pela-

[h] Epist. 188. cap. 2. n. 4. & cap. 3. n. 14.
[i] Hic pag. 246. e.
[k] In apolog.

gii, quæque certissimum pietati parit interitum. Eamdem magno in pretio fuisse apud Pelagianos, Orosius [a] satis apertè significat illis verbis: *In epistola tua illa lucubratissima.* Et Augustinus, cùm de hac ipsa expostularet, [b] Pelagianorum *scripta propter acrimoniam atque facundiam legi à plurimis* testabatur. Addit Orosius Pelagium in ea conscribenda stilo ac sermone usum fuisse aliorum, Juliani forsitan seu Aniani pseudodiaconi Celedensis, qui idcirco à sociis erroris copiosissimè pascebatur, teste [c] Hieronymo, ut alienæ blasphemiæ verba frivola subministraret. Hinc fortè data occasio, ut epistola Juliano adscriberetur à Beda. Epistola hæc Augustino non ante annum 416. visa est. Quippe cùm ipse, [d] an ante concilium Diospolitanum, quod sub anni 415. finem celebratum est, an verò postea scripta fuerit, ambigere se significet.

Quò animum referret Pelagius in hoc edendo opere, facilè quidem ex illis præfationis ejus verbis intelligitur: *Quoties mihi de institutione morum & sanctæ vitæ conversatione dicendum est, soleo primò humanæ naturæ vim qualitatemque monstrare, & quid efficere possit ostendere, ac jam inde audientis animum ad species incitare virtutum*, &c. Idem tamen ut ostenderet, quemadmodum dicebat ipse, quàm à neganda Christi gratia longè abesset, suæ ad Demetriadem epistolæ testimonium adhibebat. Certè quidem [e] fatetur Augustinus, sibi ejus lectione penè persuasum fuisse, veram ab illo Dei gratiam agnosci: tametsi auctorem in multis ibi locis sibi ipsum contradicere appareret. Verùm lectis postea aliis scriptionibus Pelagii, in quibus clariùs mentem aperiebat, non difficili negotio deprehendit, gratiæ ab illo vocabulum elevandæ tantummodo invidiæ caussâ usurpari, neque aliud quidquam in illius ore sonare hanc vocem, nisi vel institutam à Deo naturam, vel doctrinam, vel ad summum remissionem peccatorum, aut exemplum Christi. Hoc igitur comperto, Augustinus & Alypius, [f] qui Demetriadem sua exhortatione ad sanctimoniam virginalem profitendam adduxerant, ad se in primis spectare judicarunt, eam quoque, ut contraria gratiæ Dei dogmata devitaret, admonere. Id autem præstiterunt epistolâ ad Julianam ejus matrem circiter exeuntem annum 417. datâ: ubi cùm è Pelagiana scriptione protulissent hunc præcipuè locum Christianæ humilitati & gratiæ planè contrarium: [g] *Nam corporalis nobilitas atque opulentia, tuorum intelliguntur esse, non tua; spiritales verò divitias nullus tibi præter te conferre poterit. In his ergo jure laudanda, in his meritò ceteris præferenda es, quæ nisi ex te & in te esse non possunt.* [h] Et nos
» quidem, inquiunt illi, de sanctæ virginis disciplina & humilitate Christiana, in qua nu-
» trita & educata est, hoc existimamus, quòd illa verba cùm legeret, si tamen legit, in-
» gemuit, & pectus humiliter tutudit, ac fortassis & flevit, Dominumque, cui dicata est,
» & à quo sanctificata est, fidenter oravit, ut quomodo illa non sunt verba ipsius, sed alte-
» rius, ita non sit talis & fides ejus. De hoc ergo ejus affectu utrùm non fallamur, inde nos
» fac potiùs rescribendo certiores.

Pelagianæ ejusdem epistolæ locis variis reconditum virus commonstrat etiam Beda. Nempe quòd ibi legere est, *Multos Philosophorum castos* fuisse, *patientes, modestos* &c. atque *hominibus alienis à Deo, ista quæ Deo placent* animi *bona* non aliunde adfuisse, *nisi de naturæ bono.* Tum etiam illos *exemplo suo sibi invicem ostendere, cùm omnium natura una sit, omnia* ista virtutum ornamenta *in omnibus esse posse, quæ vel omnia in omnibus, vel singula inveniuntur in singulis.* Deinde quòd *si etiam sine Deo homines ostendunt, quales à Deo facti sunt;* inde intelligere liceat, *quid Christiani possint, quorum in melius per Christum instaurata natura est, & qui divinæ quoque gratiæ juvantur auxilio.* Præterea quòd *Job aperiens occultas naturæ divitias, & in medium proferens ex se quid omnes possimus ostendit.* Et quòd *hac injuriâ vindicanda* natura est, *ne ejus vitio ad malum videamur impelli, qui nec bonum sine voluntate faciamus, nec malum, & quibus liberum est unum semper ex duobus agere, cùm semper utrumque possimus.* Quòd ideo *alii judicaturi sint, alii judicandi, quia cùm omnes idem possimus, diversa faciamus.* Quòd *non à justo Deo, aut ille puniri meruisset, aut hic eligi, nisi uterque utrumque potuisset: hocque etiam de Esaü & Jacob geminis intelligendum sit; ac sciendum solam voluntatis esse caussam, cùm in eadem natura merita diversa sunt.* Quòd *neque alia nobis caussa difficultatem bene vivendi facit, quàm longa vitiorum consuetudo.* Tandem quia *nec impossibile aliquid potuit imperare, qui justus est; nec damnaturus est hominem pro eo quod vitare non potuit, qui pius est.* Hæc ad excutiendum [i] decerpsit aliquot pòst sæculis Beda.

[a] In apolog.
[b] Epist. 188. cap. 3. n. 13.
[c] Epist. 202. inter August. cap. 2.
[d] Hic pag. 240. b. c.
[e] Pag. 246. f.
[f] Epist. 188. n. 1. & 2.
[g] Ibid. n. 4.
[h] Ibid. n. 9.
[i] Bed. lib. 1. in Cant. cant.

Porrò quo tempore Pelagius virulentum illud poculum Demetriadi miscebat; eodem etiam dabat operam, ut errores suos in Palæstina propagaret. Illuc eum vertente anno 411. quando, ut dictum est suprà, ex Africa navigavit, devectum putant. Ac primò, cùm cuperet cum claris ac sanctis quibusque viris videri amicitiâ conjunctus; familiaritatem fortè cum Hieronymo aliquam inierat. Id sanè sancti Viri verba ista indicant: [a] *ne veterem lædere videamur necessitudinem.* Verùm cùm Hieronymus, quo jam latiùs serpentem cohiberet illius hæresim, nihil omitteret; conati sunt Pelagiani ipsius ulcisci generositatem iis calumniis, quibus se ab illis petitum, sæpe conqueritur. Nam quando quidem indubitatum est anno 415. Pelagium egisse in Palæstina, absurdum nemini videatur, eum cum alio quodam ab Hieronymo designatum fuisse, cùm circiter annum 416. loquebatur in hæc verba. [b] Hîc tacet, alibi criminatur: mittit in universum orbem epistolas biblinas, priùs auriferas, nunc maledicas, & patientiam nostram de Christi humilitate venientem malæ conscientiæ signum interpretatur: ipseque mutus latrat per Albinum canem, grandem & corpulentum, & qui calcibus magis possit sævire, quàm dentibus; habet enim progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia. Quæ non malè quadrant in Pelagium, ut pote Britannum; & quem [c] alio loco videtur Hieronymus Scotum vocare voluisse: tametsi quem sibi superiorem habuerit Pelagius, ut ejus canis nuncuparetur, videmus neminem; nisi si quis velit verba illa, *Hîc tacet* &c. referri oportere ad Johannem episcopum Jerosolymitanum, qui re ipsâ tam malè de Hieronymo meruerat; ut jure cum eo sic ille expostularet.

[a] Append. pag. 78 g.
[b] Ibid. b.
[c] Pag. 77. c. f.

Neque Hieronymus his semper se limitibus continuit, ut errores qui secretò illic à Pelagio discipulis tradebantur, viva tantùm voce argueret: sed permotus catholicorum quorumdam precibus, primò suam ad Ctesiphontem epistolam, in qua disputationem de hac re pollicebatur uberiorem, scripsit anno fortè 414. nam eam [d] *nuper* ab illo editam Orosius in Jerosolymitano conventu testabatur. Neque multùm distulit, ut pollicitationi suæ satisfaceret: quippe tribus contra Pelagianos libris, quos dialogorum formâ composuit, jam manus in extremo Julio anni 415. admoverat. Et ipsâ quidem epistolâ [e] ad Ctesiphontem, renovatas opiniones superiorum hæreticorum ac Philosophorum, quod ad ἀπάθειαν & ἀναμαρτησίαν, exprobrat Pelagio, ejusque has potissimùm sententias impugnat, quibus ille pronuntiabat, *Posse hominem sine peccato esse, si velit:* quamvis ad decipiendos homines huic sententiæ adderet, *non absque Dei gratia:* cùm ita Dei gratiam poneret, ut eam ad liberum arbitrium & ad præcepta legis referret. Porrò, *Eos qui absque legis scientia sint, peccata vitare non posse*, dicebat. Deinde, *Liberum arbitrium destrui, si alterius ope indiget, ac semper ei auxilium Dei est necessarium:* proinde, *Unumquemque suo arbitrio regi.* Postremò, *Facilia Dei esse mandata.* Hortatur autem Hieronymus, ut publicè prædicet, quod secretò discipulis loquitur. Nam ECCLESIÆ, ait, VICTORIA EST, vos apertè dicere quod sentitis.

[d] Pag. 80. f.
[e] Pag. 74. d. 75.

Ipso, ut videtur, anno 414. epistolam contra Pelagianos Siculos scripsit Augustinus. Anno si quidem 415. Hieronymus tres libros ad Marcellinum ab eo jam [f] *dudum* editos fuisse, *nuper* verò confectum librum ad Hilarium, affirmabat: nec secus [g] hac de re Orosius eodem anno 415. loquebatur. Ibi Augustinus varia jam se scripsisse de gratia tradit. Huic epistolæ caussam dedere, quæ in Sicilia movebantur à Pelagianis quæstiones. Certè quidem testabatur anno circiter 416. [h] Hieronymus, non in Occidente solùm, verùm etiam in Oriente, præcipuè verò in Sicilia & Rhodo insulis gliscere Pelagianam luem, eam corrumpere plerosque, atque eò latiùs in dies crescere, quòd cùm ab auctoribus ejurarentur publicè ejus dogmata, clanculùm tamen ea traderentur. De Rhodo quidem, quid ibi gestum fuerit, ignoratur: de Sicilia autem id ex Augustino compertum, [i] multos in ea insula fuisse qui errarent, quique alios in errorem mitterent; atque inventum ibidem ipsius, ut dicebatur, Cælestii quemdam librum, quem sibi refellendum sumsit sanctus Antistes. Infestabat hoc virus potissimùm [k] Siracusas, qua in urbe, eadem quæ Carthagine in Cælestio damnata fuerant, docebantur. Sed & his alia quædam Siracusani adjiciebant, quæ tametsi videri possint à Pelagianorum erroribus aliena, tamen ab eodem oriebantur superbiæ fonte, unde illis commentitiæ sanctitatis affectatio manabat. Etenim isti statuebant, *Divitem manentem in divitiis suis, regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit: Nec debere* quemquam *jurare omnino.*

[f] Pag. 87. e. f.
[g] Pag. 80. c.
[h] Pag. 78. d.
[i] Hic pag. 167. b.
[k] Epist. 156. & 157.

Ergo Hilarius Hipponensium quorumdam, qui Siracusis ad sua revertebantur, opportunitate usus, illis ad Augustinum epistolium dedit, in quo, quæ doctrinæ capita tumultum cierent, perscripserat; simulque rogabat, ut sibi per litteras, quid esset de his credendum, significaret. Hunc Augustinus in responso suo filium salutat; sibique, quòd fuerit de valetudine ejus factus certior, gratum testatur accidisse: quo nimirum indicat non obscurè, illum jam antea sibi fuisse cognitum. Unde haud quaquam temere fecisse videbimur, si hunc esse dixerimus eumdem illum Hilarium, qui postea sancto episcopo epistolam contra Semipelagianos misit, ubi se ipsius præsentiæ deliciis potitum aliquando, & salubribus uberibus nutritum fuisse profitetur. Difficultatibus ab illo propositis, quantum res quæque postulabat, articulatim respondit Augustinus prolixiori epistolâ, quæ & ab [a Hic pag. 204. e.] eo [a] nonnumquam libri nomine donatur. Illic testatur, [b] eorum qui Pelagianos errores [b Epist. 157. n. 22.] sectarentur, opinione majorem esse numerum, neque scire se, an non ad eos ex Ecclesiæ corpore, in quo spe correctionis usque tum fuerant tolerati, resecandos tandem coactura esset ipsa necessitas. Cælestium quoque ibidem nominat, & de ejus à synodo Carthaginensi condemnatione commemorat; quia scilicet verebatur sanctus Doctor, ne fortè ab ipso in Sicilia hujusmodi turbæ moverentur. Tamen earum illum auctorem non fuisse, videtur postmodum edoctus: quando quidem proximo pòst anno ipsum in Sicilia non agere, ex opinione communi tradit. Hanc Augustini epistolam cùm secum in Palæsti- [c Append. pag. 80. c.] nam tulisset Orosius, [c] exhibuit in Jerosolymitano conventu, & Johanne, qui præside- [d Hic pag. 204. e.] bat, annuente perlegit. Eadem rursus apud [d] Diospolitanam synodum laudata fuit.

VIII. Augustinus anno 415. Timasium & Iacobum revocat ab erroribus Pelagii, cujus & librum ab iis sibi traditum refellit opere de natura & gratia. Aliud opus contra Pelagianas definitiones Cælestio tributas scribit, dictum de perfectione justitiæ hominis.

[e Epist. 179. n. 2.] Inter Pelagii discipulos non minimùm addicti eidem fuere Timasius & Jacobus, [e] adolescentes honestissimo loco nati, & liberalibus disciplinis instituti, qui ipsius hortatu, omni spe [f Epist. 186. cap. 1. n. 1.] sæculari abjecta se se totos divino servitio mancipaverant. Ii prava illius dogmata [f] studiosissimè sectantes, eò quoque progressi erant, ut contra gratiam, qua Christiani sumus, palàm disputarent. Verùm ab hac eos pernicie Deus liberavit operâ monitisque Augustini: [g Epist. 168. & hic pag. 217. d.] jamque [g] *spiritu claritatis qui in ipso erat*, ut iidem loquuntur, edocti errorem expuerant, [h Epist. 179. n. 10.] cùm librum quemdam, quem [h] affirmabant esse Pelagii, sancto Doctori tradiderunt, eum obnixè, ut illi responderet, obtestantes. Igitur intermissis aliis suis occupationibus Augustinus librum magna cum animi adtentione perlegit: cujus & locum in quadam epistola sua refert, ipso ex loco monstrans, hanc illius fuisse, quam tamen in Diospolitana synodo pòst agnoscere noluit, opinionem, quòd non nemo inveniatur, ac nomina- [i Ibid. n. 8.] tim Abel, qui [i] *ita hîc vixit, ut nihil omnino peccaverit.*

Pelagius ut naturam hominis contra Dei gratiam defenderet, quidquid in ratiocinando habebat facultatis aut virium, in hoc opere adhibebat. Cùm objiceret sibi quod qui- [k Hic pag. 132. d.] dam dicunt, [k] levia quædam peccata ipsâ multitudine, quòd sæpe irruant, non posse cuncta vitari; negabat *debere argui, ne levi quidem correptione, si vitari omnino non* [l Pag. 135. c.] *possunt.* Et pugnabat, [l] *naturam per peccatum debilitatam vel mutatam non esse*: alioqui [m Pag. 137. a.] [m] *materiam peccati esse vindictam, si ad hoc peccator infirmatus est, ut plura peccaret.* Immo [n Pag. 136. f.] [n] *posteros Adæ non solùm illo non esse infirmiores, sed etiam plura implevisse præcepta, cùm* [o Pag. 152. f.] *ille unum implere neglexerit.* Contendebat quoque, [o] *fieri non posse, ut cuicumque jam baptizato sit caro contraria.* Ibi tamen sibi ipse quæstionem illam celebrem proponebat, [p Pag. 131. c.] [p] numquid gratiam Dei excluderet, cùm diceret *hominem posse hîc esse sine peccato*: & id non nisi *per Dei gratiam* fieri posse consentiebat. Augustino quidem non parum voluptatis adtulit hæc Pelagii tam aperta confessio: verùm sub gratiæ voce aliquam latere æquivocationem non multò pòst deprehendit, tandemque ex iis quæ sequebantur, com- [q Pag. 216. e.] perit, illum per gratiæ nomen nihil intelligere [q] præter naturam sui juris, seu cum libero arbitrio creatam, cui quidem velut obiter, idque satis obscurè, legis adjutorium

remissionemque

remiſſionemque peccatorum nonnumquam adjungebat; veram autem Chriſti gratiam non modò ipſum agnoſcere, ſed etiam plurima proponere cum eadem omnino pugnantia, neque aliò quàm [a] ad fidem ejus è Chriſtianorum animis expungendam pertinentia. Opiniones ſuas perverſas nonnullis Scriptorum quorumdam eccleſiaſticorum, atque adeo ipſiuſmet Auguſtini teſtimoniis adſtruere moliebatur. Teſtatur [b] Innocentius papa ſe librum illum evolviſſe, in quo reperit multa blaſphema, nihil quod placeret, nihil pené quod non penitus „ diſpliceret, à quovis damnandum atque calcandum, cui ſimilia, niſi qui iſta ſcripſerat, ne- „ mo alter in mentem reciperet atque ſentiret. Hoc opere Pelagium epiſtolæ Hieronymi ad Cteſiphontem reſpondere conatum eſſe, [c] arbitratur clariſſimus ſcriptor Pelagianæ hiſtoriæ.

Auguſtinus porrò officii ſui eſſe duxit, opus iſtud refellere, de quo etiam à Timaſio & Jacobo interpellabatur. Hac de cauſſa grandem librum *adversùs Pelagii hæreſim*, [d] (his enim verbis hoc ipſo anno 415. utitur,) compoſuit; quem & dicavit illis adoleſcentibus, à quibus Pelagii ſcriptionem acceperat; ut videlicet, ſi quid adhuc pravæ doctrinæ eorum animis adhæreſceret, id radicitus exſtirparet. Ibi tamen Pelagii nomine abſtinuit, [e] veritus ne hoc ille in ſui contumeliam accipiens, medicis manibus ſe ſe præberet minùs tractabilem; nec non [f] faciliùs, ut ait ſanctus Doctor, ſe exiſtimans profuturum, ſi ſervatâ amicitiâ, adhuc ejus verecundiæ parceret, cujus litteris jam parcere non deberet. Atqui eum poſtea [g] pænituit, quòd cùm dolorem facere timeret, nihil ſuâ illâ moderatione contulerit, niſi ut tumorem augeret. Hoc opus inſcripſit *de natura & gratia*, quòd ibi [h] gratiam defendat, non quidem contra naturam, ſed per quam natura & liberatur, & regitur. Ibidem Pelagii pronuntiatum illud, *Hominem poſſe eſſe ſine peccato, & mandata Dei facilè cuſtodire, ſi velit*, condemnari ab Auguſtino, teſtatur [i] Oroſius. Veterum auctoritates à Pelagio adductæ examinantur; his etiam non prætermiſſis, quæ Xiſti Romani pontificis & martyris nomine ab eo laudatæ fuerant. Necdum enim deprehenderat ſanctus Doctor, illa ethnici cujuſdam philoſophi eſſe: quod poſtmodum ex epiſtolæ Hieronymi ad Cteſiphontem, ut putamus, lectione intellexit. Tandem eâ diligentiâ ventilaſſe Pelagii librum [k] dicitur, ut ad ſingulos apices reſponſa reddiderit. Ipſo anno 415. Hieronymum atque Oroſium Auguſtiniani hujuſce opuſculi, tamquam inchoati quidem, nondum tamen abſoluti, mentionem facere, [l] alibi obſervamus. Auguſtinus Evodio, ut id exſcribendum curaret, extemplo [m] permiſit. Id ipſum ſequenti anno, cum ipſius Pelagii libro conjunctum, Johanni epiſcopo Jeroſolymitano, ut inde iſtius hæreſiarchæ mentem perſpiceret, [n] tranſmiſit; rogans illum etiam ut utrumque ad Pelagium dirigeret. Similiter eaſdem illas diſputationes anno 416. dedit [o] ad Innocentium papam deferendas.

Quamvis autem non liceret Auguſtino revocare in dubium, quin ſcriptio illa ſibi à Timaſio & Jacobo tradita Pelagii eſſet: eam tamen ſine cautione numquam memorat, gnarus videlicet hunc eſſe eo ingenio, ut, ſi non aliâ viâ ſe ſe expedire poſſet, illam inficiari minimè dubitaret. Eam itaque Auguſtinus non citat in libro de gratia & peccato originali, in quo libro damnandas Pelagii opiniones ex operibus, quæ ille in ſua ad Romanum antiſtitem epiſtola agnoſcebat, oſtendit; non verò ex iis quæ ſibi vel ante quàm recognoſci potuiſſent, ſubrepta, vel etiam planè falſòque afficta querebatur: nam & ſimiliter acceptâ eadem epiſtolâ Zoſimus papa [p] fidem nimis temere ſcriptis quibuſdam Timaſii atque Jacobi teſtimonio habitam dicit. In iſtos duos animum Julianus gerebat infenſum, [q] & adoleſcentes ex monachis diſſolutos eoſdem per injuriam vocitabat.

Hunc in annum referre viſum eſt alteram Auguſtini lucubrationem contra Pelagianas quaſdam ratiocinationes, comprehenſas [r] in chartula, quæ ſic prænotata erat: *Definitiones, ut dicitur, Cæleſtii.* Hanc de Sicilia chartulam fratres quidam, id eſt, catholici adtulerant: dederant autem Auguſtino Eutropius & Paulus epiſcopi, [ſ] iidem illi qui non multo poſt appulſum Oroſii in Africam, videlicet ante medium ipſum annum 415. ſancto Doctori commonitorium de diverſis hæreſibus obtulerunt. Codicillus iſte varia ratiocinia complectebatur, brevia illa & preſſa, quæ eò pertinebant, ut ſtatueretur, *Hominem hîc ſine peccato eſſe poſſe.* Cumque illis congeſta erant de Scripturis teſtimonia, ſcilicet quædam quibus *probaretur*, uti auctor inquiebat, *præceptum eſſe homini ut abſque peccato ſit:* alia quibus oſtendi volebat, *quòd Dei mandata non modò impoſſibilia non ſint, verùm ne gravia quidem:* alia poſtremò quaſi iis, quæ à catholicis adversùs Pelagianos proferri ſolerent, teſtimoniis contraria. Aſſerit Auguſtinus perbreves iſtas ratiocinationes ab Cæleſtii inge-

[a] Epiſt. 186. cap. 1. n. 1.
[b] Epiſt. 183. inter Aug. n. 5.
[c] Henr. Noris lib. 1. hiſt. Pelag. cap. 6.
[d] Epiſt. 169. cap. 4. n. 13.
[e] Epiſt. 186. cap. 1. n. 1.
[f] Hîc pag. 216. f.
[g] Pag. 218. a.
[h] 2. Retract. 42.
[i] Append. pag. 80. c.
[k] Hîc pag. 217. b. c.
[l] Pag. 126.
[m] Epiſt. 169. cap. 4. n. 13.
[n] Epiſt. 179. n. 5. & 10.
[o] Epiſt. 177. n. 6.
[p] Append. pag. 100. c.
[q] Hîc pag. 551. b. c.
[r] Pag. 167. a. b.
[ſ] Pag. 165.

nio, quantum è ſcripto alio, cujus certiſſimus is auctor erat, conjectando licebat aſſequi, haud quaquam abhorrere. Eaſdem autem reſponſis & ipſe perbrevibus diſſolvit, docens perfectionem plenitudinemque juſtitiæ illam, qua homo ſine ullo prorſus peccato ſit, nec ſine gratia poſſibilem per vires naturæ, præſertim jam vitiatæ, nec umquam eſſe præſentis hujus vitæ. Attamen cenſet illis non nimis reluctandum, qui quoſdam gratiæ divinæ auxilio vitam vixiſſe omnino inculpatam atque à peccato planè liberam affirmarent. Quod certè poſt canones adversùs hanc opinionem in Carthaginenſi concilio anni 418. ſancitos non dixiſſet.

IX. *Conſeſſus Ieroſolymis anno 415. à Iohanne epiſcopo habitus, in quo cum Pelagio coràm diſputat Oroſius. Pelagio Iohannes plus æquo favens, Oroſium paulo pòſt inſimulat blaſphemiæ: quam ille criminationem ſcripto apologetico ab ſe propulſat. De Hieronymi dialogis contra Pelagianos.*

Cùm ex Africa hoc anno ſolviſſet Paulus Oroſius, in Palæſtinam circiter medium eumdem annum appulit. Is preſbyter auditâ Auguſtini famâ, [a] ex ultimis Hiſpaniis ad eum diſcendi cupiditate venerat: quem ille ad Hieronymum, ut hunc de animæ origine conſuleret, à ſe tranſmiſit. Quemadmodum autem Auguſtinum debellandis Pelagianis occupatum reliquerat, ita Hieronymum reperit eidem quoque bello implicatum. Quando ergo Pelagius tantos tamque celebres in Eccleſia viros feciſſe ſibi adverſarios jam noſcebatur, quin occaſione doctrinæ ipſius multùm fuerit in Palæſtina tumultuatum, dubitaverit nemo: nec aliunde profectò colloquium Jeroſolymitanum, de quo hîc agendum nobis eſt, ortum habuit: quod ut iniretur, operam dediſſe inſtitiſſeque videntur [b] Jeroſolymitanæ Eccleſiæ preſbyteri. Initum autem fuit [c] quadraginta & ſeptem diebus ante Encæniorum ſollemnitatem, hoc eſt, die 29. aut 30. Julii. Si quidem omnia huc faciunt, ut feſtum illud non aliud exiſtimemus fuiſſe, quàm eccleſiæ Reſurrectionis dedicationem, quæ quotannis magno cum apparatu [d] die 13. aut 14. Septembris celebrabatur. Ventum eſt in diſputationem præſente Johanne Jeroſolymorum epiſcopo, qui ſolus ex epiſcoporum ordine, quemadmodum ex Oroſii relatione intelligere licet, iſthîc interfuit. Preſbyterorum tantùm erat conſeſſus, in quibus numerabantur Oroſius, Avitus, Vitalis ac Paſſerius. Aderat quoque ignotus quidam interpres, numero haud dubiè adſcribendus falſorum horumce fratrum, qui, teſte Oroſio, ex adverſo latere conſedebant. Præter hos omnes memoratur etiam Dominus ex duce. Hic ille Dominus, ſicut & Paſſerius preſbyter, multum ſibi nominis tum in rebus quæ ad Deum, tum in his quæ ad ſæculum ſpectant, fide ſua atque experientiâ pepererant: qui quia & græcè & latinè ſciebant, ab Jeroſolymitanis ſacerdotibus, ut conſeſſui tamquam interpretes adeſſent, invitati fuerant, atque ab iiſdem illuc adducti, ipſomet Johanne conveniente.

Inductus à preſbyteris Oroſius ſeceſſum Bethleemiticum, ut Jeroſolymam veniret, reliquit: ingreſſuſque in locum conventûs, jubente epiſcopo ſedit. Verùm id eo in conventu peccatum eſt, quòd notarium, qui quæ gererentur, in tabulas referret, nullum adhibuere. Oroſium ſtatim rogarunt univerſi, *ut ſi quid ſuper hæreſi, quam Pelagius & Cæleſtius* contra Dei gratiam *ſeminarant, in Africa geſtum eſſe cognoſceret, fideliter ac ſimpliciter indicaret.* Oroſius igitur Cæleſtium à concilio Carthaginenſi damnatum fuiſſe declaravit; mentionemque libri de natura & gratia, quem hoc tempore commentabatur Auguſtinus, injecit. Unde intelligas, ab illo hunc ante non multos dies receſſiſſe. Idem addidit, habere ſe in manibus epiſtolam, [e] quam nuper in Siciliam miſerat ſanctus Epiſcopus; quam & juſſus recitare Oroſius, paruit.

His actis Johannes Pelagium introduci poſtulavit: aſſenſum eſt à conſeſſoribus, tum propter Epiſcopi venerationem, tum propter refutationem Pelagii, quam pleniorem hinc fore atque utiliorem ſperabant. Ingreſſum Pelagium omnes una voce interrogarunt, eaſne docuiſſet opiniones, quas confutaſſet Auguſtinus epiſcopus. Quibus ille confeſtim reſpondit in hæc verba: [f] *Et quis eſt mihi Auguſtinus?* Qua reſponſione in ſanctum hunc epiſcopum, cujus ore Dominus toti Africæ ſanitatem unitatis extincto Donatiſtarum ſchiſmate indulſerat, uſque adeo injurioſâ, offenſi quotquot aderant, cum non è conventu ſolùm, ſed etiam

[a] Epiſt. 169. n. 13.
[b] Append. pag. 80. a. b.
[c] Pag. 81. d.
[d] Niceph. lib. 8. c. 50. & Menolog. græc.
[e] Epiſt. 157. ad Hilar.
[f] Append. pag. 80. c.

ex omni Ecclesia pellendum conclamarunt. Tum verò Johannes, quem extrudere debuisset, eum jussit sedere inter presbyteros, hominem laicum atque insuper in crimine hæreseos deprehensum. Et præterea quò liberiùs injuriam Augustino illatam ipsi ignosceret, eamdem in se recipere professus est : [a] *Augustinus ego sum* , inquit. Cui ab Orosio statim repositum : *Si Augustini personam sumis , Augustini sequere sententiam.* [a] Append. pag. 80. d.

His ita gestis sciscitatus est Johannes , an quæ legerentur ex epistola Augustini, Pelagium peterent , an alium quempiam : simulque adjecit , si Pelagius impugnaretur , posse eos, quæ in illo reprehenderentur, declarare. Hîc annuentibus reliquis ita Orosius : *Pelagius mihi dixit ; dicere se hominem posse esse sine peccato , & mandata Dei facilè custodire , si velit.* Ad quæ Pelagius universis audientibus respondit : *Hoc & dixisse me , & dicere , negare non possum.* Tunc Orosius , *Hoc in Cælestio* , inquit , *Africana synodus detestata est: hoc Augustinus episcopus scriptis suis , sicut audistis , exhorruit ; hoc in ipsius nunc Pelagii scriptis sua* [b] *responsione condemnat : hoc & beatus Hieronymus , cujus eloquium universus Occidens , sicut ros in vellus , exspectat , (multi enim jam hæretici cum dogmatibus suis ipso oppugnante supplosi sunt ,) in epistola sua , quam nuper ad Ctesiphontem edidit , condemnavit ; similiter & in libro quem nunc scribit , collata in modum dialogi altercatione confutat.* Johannes verò auribus ad hæc omnia obturatis , illos inducere conabatur , uti apud se judicem tamquam Jerosolymitanum antistitem , accusandi Pelagii actionem ipsi susciperent. Cui sæpius ab universis responsum : *Nos accusatores hujus non sumus ; sed quid fratres tui , patres nostri , senserint & decreverint super hac hæresi , quam nunc laicus vulgo prædicat , intimamus ; ne Ecclesiam tuam præsertim , ad cujus sinum convolavimus , te ignorante conturbet.* Johannes interea , ut eos ad agendam accusatoris personam pelliceret , instare pergebat , docendi simulatione varia ratiocinia in medium proferens , in quibus quædam esse , quæ ab Origene mutuatus esset , animadvertebant complures. At unum hoc ab illis responsum tulit : *Nos filii Ecclesiæ catholicæ sumus ; non exigas à nobis Pater , ut doctores super doctores esse audeamus , aut judices super judices. Patres quos universa per orbem Ecclesia probat , quorum communioni nos adhærere gaudemus , damnabilia hæc esse dogmata decreverunt : illis probantibus nos obedire dignum est.* [b] Id est, libro de natura & gratia.

Pluribus adhuc disputare perseveravit Johannes : quid autem disputando dixerit , Orosius non exprimit. Volebat sanè eumdem Orosium , quasi is naturam hominis malam atque peccandi necessitati obnoxiam à Deo conditam esse diceret , perstringere. Idem ille verò antistes , quid coram se in Jerosolymitano conventu non pridem esset actum , [c] rogatus in synodo Diospolitana , retulit inter alia , Pelagium acriter hæreseos ea de caussa postulatum , quòd diceret , *quoniam potest homo , si voluerit , esse sine peccato. Et de hoc* , inquit , *interrogantibus nobis eum , respondit : Non dixi , quoniam recepit natura hominis ut impeccabilis sit ; sed dixi , quoniam qui voluerit pro propria salute laborare & agonizare , ut non peccet , & ambulet in præceptis Dei , habere eum hanc possibilitatem à Deo.* Prosequitur Johannes: *Tunc quibusdam susurrantibus & dicentibus , quòd sine Dei gratia diceret Pelagius posse hominem perfici* , id est , *esse posse hominem sine peccato ; culpans* , inquit , *super hoc etiam intuli , quia & apostolus Paulus multùm laborans , sed non secundùm suam virtutem , sed secundùm gratiam Dei , dixit , Ampliùs omnibus illis laboravi , non autem ego , sed gratia Dei mecum* &c. & *alia multa similia diximus* , inquit , *de scripturis sanctis.* Cùm autem iis quæ à Johanne dicebantur , nondum sibi satisfactum esse obstrependo significarent , tum Pelagius , *Et ego* , ait, *sic credo : anathema sit , qui dicit absque adjutorio Dei posse hominem ad profectum omnium venire virtutum.* Agnoscit ipsemet [d] Orosius , Pelagium dixisse , *posse hominem esse sine peccato , non sine adjutorio Dei.* Inde subjunxisse episcopum , *Si sine adjutorio Dei hoc hominem posse diceret , pessimum & damnabile erat.* Cúmque dehinc sciscitatus fuisset quidnam præterea Pelagio objectarent , anve Dei negarent auxilium ; se Orosium illico respondisse , *Anathema ei qui negat adjutorium Dei : ego certè non nego ; præcipuè cùm è contrario in hæreticos confutarim.* [c] Hic pag. 220. b. [d] Append. pag. 81. b.

Orosius latinè loquebatur , Græcè Johannes , sic ut neuter neutrum intelligeret , sed uterque opus haberet interpretis. Porrò qui hasce partes obeundas susceperat , homo Orosio incognitus , nequaquam officium implebat suum. Enimverò alia alio , quàm dicta fuerant , sensu reddebat ; alia aliis dictis mutabat , denique nonnulla omittebat : atque ita responsiones Orosii pleraſque omnes aut corrumpebat , aut supprimebat : qua tamen in re peri-

tiam ejus magis Orosius desiderat, quàm fidem. Illius autem frustrationes Passerius & Avitus presbyteri, nec non Dominus ex duce animadvertebant. Quapropter cùm interprete tam parum commodo tamque parum æquo judice uti se intelligeret Orosius, palàm professus est, latinum esse hæreticum, se itidem latinum, hæresim denique latinis partibus magis notam ejusdem linguæ judicibus reservandam: Johannem minùs idoneum judicem videri, quòd cùm accusatorem ageret nemo, ipsemet se se ad judicandum ingereret. Orosio suffragati complures liberè testati sunt, non posse eumdem & advocatum esse, & judicem. Multis demum ultro citroque actitatis, Johannes ipse pronuntiavit, quosdam ad Innocentium Romanum pontificem cum epistolis destinandos, ut quidquid ille decerneret, universi judicium ejus sequerentur: debere interim Pelagium silentium sibi impositum observare, adversarios autem ab insultatione ejus ceu convicti jam confusique temperare. Huic sententiæ assensere omnes, gratiisque Deo redditis, ac pace invicem data, ut eam certiore testimonio confirmarent, orationi se dederunt; solutusque postremò est totus conventus.

Exactis postea quadraginta septem diebus, cùm primo Encæniorum die Orosius de more ad Johannem deducendum venisset, pro amica salutatione exceptus ab illo fuit hisce verbis: *Quare ad me venis, homo qui blasphemasti?* Ad quæ perculsus Orosius, ac nullius criminis sibi conscius, illum rogavit, cujusmodi blasphemiam, quandonam ac quo teste prolatam sibi impingeret. *Ego te*, subjunxit Episcopus, *audivi dixiße, quia nec cum Dei adjutorio poßit eße homo sine peccato.* Hîc Orosius presbyterorum aliorumque omnium qui tunc aderant, testem conscientiam appellans, se quidquam umquam dixisse hujusmodi pernegavit. Et certè si verbis istis in Jerosolymitano conventu fuisset usus, nequaquam Johannes commissurus erat, quin eum statim corriperet, ac simul paternè admoneret, ne in posterum orationem adeo periculosam sibi pateretur excidere. Neque ullo pacto erat audiendus, cùm post exactos totos quadraginta septem dies ejus blasphemiæ eum accusaret, quam ab illo proferri non alius quisquam animadverterat: ita ut idem & accusator & judex esset ejus criminis, cujus unicum se testem posset allegare; tametsi homo latinè ignarus, dicti latinè prolati nequaquam pro teste idoneo habendus esset; nec ei quidquam aliud affimare liceret, nisi ita se ex ore interpretis didicisse. Id quidem, postea fortè corruptus, [a] dixisse videtur interpres, ac postulasse, ut sibi qui mendacio suo fidem facerent, testes præberent. Paret etiam, testimonio suo criminationem confirmasse Pelagium, quem illa haud dubiè Orosii verba respiciunt: *Conabor exquirere, hi qui ita nos respondiße aßerunt, qualiter ipsi interrogaße videantur*, &c. *Ait enim à nobis eße responsum* &c.

[a] *Append. pag.* 82. a.

Orosio satis non fuit, contra Johannis criminationem verbis reclamasse: sed insuper innocentiam suam stilo propugnare sibi necessarium duxit: gavisusque etiam est, oblatam sibi occasionem impietatis Pelagii in lucem proferendæ; [b] ratus non sine divina providentia factum, ut hæreticorum procacitate malum jam æquo patientiùs toleratum detegere cogeretur, & simul non errorem modò impugnare, quod hactenus Aurelio, Augustino, atque Hieronymo sufficere visum fuerat, sed ipsas quoque hæreticorum personas. Enimverò cernebat Pelagium ac Cælestium hæresis suæ virus palàm ubique spargere, nec non sacram sedem Ecclesiæ Jerosolymitanæ, in quam irrepserant, usque adeo tenere obsessam, ut potentiæ suæ terrore veros fideles, ne ad illam recurrerent, prohibere se posse confiderent: se ipsum verò, qui contrà pugnaret, pelli ex Ecclesia, in cujus sinu aleretur fovereturque hæreticus, qui instar Goliath, famulos Dei ad pugnam jam diu provocaret, ignavam eis timiditatem exprobrans. Scriptum itaque in apologiæ formam vulgavit, quod Sacerdotibus, (hoc enim eos titulo *beatissimi Sacerdotes*, numquam non compellat,) inscripsit. Neque nos dubitaverimus, quin intelligendi sint Jerosolymitanæ Ecclesiæ presbyteri, in quibus & hi potissimùm, qui colloquio interfuerant. Principio strictim totius colloquii ordinem narrat, ac Johannis accusationem diluit. Hinc occasione arrepta fusiùs sententiam suam explicandi, ac Pelagii, quem persæpe nominat, errorem impetendi, satis longam de impeccantia & de gratiæ adjutorio disputationem instituit, eamque non parum consentaneam menti & scriptis Hieronymi, cum quo de hac re quin contulerit, nulli dubitamus. Fatetur quidem illic hominem divinâ gratiâ adjutum vitam agere posse ab omni prorsus peccato puram, verùm id nec factum umquam, nec futurum aliquando, contendit; nec enim eum hominis statum esse, in hac scilicet, qua vivit, corruptione.

[b] *Pag.* 79. b. c. &c.

Augustinus de oborta illa inter Johannem & Orosium discordia non tacet; [a] & adversùs hunc atque alios quosdam illum antistitem in Diospolitana synodo expostulasse memoriæ prodit. Instante autem ipsa synodo Diospolitana, quonam tunc statu essent res Pelagianorum apud Palæstinam, non ex apologetico solo Orosii, sed ex Hieronymi quoque adversùs eosdem dialogis oportet discere, in quibus videlicet is ad [b] *cunctas* eorum *quæstiunculas* hoc ipso tempore respondebat.

Dialogo igitur primo de hoc tractavit Hieronymus, [c] quod à Pelagio scriptum audierat, *Posse hominem sine peccato esse, si velit, & facilia Dei esse præcepta.* Et id quidem Pelagius sic dictum volebat, ut subaudiretur, *cum Dei gratia:* sed Dei gratiam ad conditionis referebat beneficium, quia liberi arbitrii conditi sumus. Nec aliter ad singulas res quas gerimus, adesse Dei adjutorium consentiebat, nisi quòd nobis *hæc semel dati liberi arbitrii gratia conservetur.* Præterea exstitisse aliquos re ipsa sine peccato contendebat, ut Job, Zachariam & Elizabeth. Et è Scripturæ locis, quibus præcipitur ut homo non peccet, sitque perfectus, argumentabatur hunc in modum: *Aut possibilia Deus mandata dedit, aut impossibilia: si possibilia, in nostra est potestate ea facere si volumus; si impossibilia, nec in hoc rei sumus, si non facimus quod implere non possumus.* Tandem statuebat, hominem *in hoc etiam corpore exsistentem posse cunctas habere virtutes.* His autem confutatis Hieronymus ad examen vocat sententias aliquot de Pelagii libro, quem ille Capitulorum inscripserat: quarum & nonnullæ similiter in Orosii apologia perstrictæ sunt, & pleræque Diospolitanis postea judicibus oblatæ.

In secundo dialogo, qui Pelagianorum personam agit, objectat, *invidiam referri ad Deum, si tales homines condidit, ut oblivione, & ignorantiâ, & peccato carere non possint:* neque dari posse *testimonium novi Testamenti, ubi error, & ignorantia, & impossibilitas mandati teneatur in crimine.* Nam quod afferri soleret ex Apostolo, Video aliam legem in membris meis &c. ac similia, *eum non ex sua persona hæc dicere, sed ex persona generis humani, quæ vitiis subjacet ob carnis fragilitatem, ex persona peccatoris.* Illa quoque Danielis verba, Peccavimus, iniquè egimus &c, sic accipienda, ut *& Daniel, & omnes prophetæ, non pro se qui sancti erant, sed ex persona populi sint locuti.*

In tertio dialogo contendit rursùm Pelagianista, & *naturam accusari*, & *culpam referri ad Deum*, & *liberum arbitrium tolli*, nisi fateamur, hominem baptismo Christi semel justificatum *posse in sempiternum justitiam custodire, ac per hoc omne vitare peccatum.* Joviniani jam damnatum errorem hîc suscitari, queritur Hieronymus: qui etiam præfatione admonuit, illud esse Origenis dogma; Impossibile esse, humanam à principio usque ad mortem non peccare naturam; & rursùm esse possibile, cùm se aliquis ad meliora converterit, ad tantam fortitudinem pervenire, ut ultrà peccare non possit. Denique capitula duo ex scriptis Pelagii ad viduam, Pharisaicæ superbiæ tumorem referentia, perstringuntur. Atque hinc sensim sermo delabitur ad quæstionem de originali peccato: sed eam ab Augustino egregiè tractatam recordatur Hieronymus, ac dialogum claudit in hæc verba: Scripsit dudum « VIR SANCTUS ET ELOQUENS EPISCOPUS AUGUSTINUS ad Marcellinum, « qui postea sub invidia tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis innocens cæsus est, duos libros « de infantibus baptizandis contra hæresem vestram &c. Unde supersedendum huic labori « censeo, ne dicatur mihi illud Horatii, In silvam ne ligna feras. Aut enim eadem dice- « mus ex superfluo; aut si nova voluerimus dicere, à clarissimo ingenio occupata sunt me- « liora. «

Adversarios hîc nominatim appellare [d] noluit, ut ea ratione omnibus probaret, se non odisse homines, sed errores; neque aliquorum infamiam quærere, sed errantium dolere vicem. Itaque Pelagii nomen à præfatione operis, ubi nunc in excusis legitur, omnino removendum; cùm illud nec eo loci habuerit umquam vetus codex noster Corbeiensis. Opus Diospolitanam synodum, cujus in eo nulla fit mentio, exiguo tempore præcessit: quando quidem apud conventum Jerosolymis in fine Julii anni 415. habitum, Orosius Hieronymum eidem conscribendo operi per id temporis incumbere testabatur.

[a] Hic pag. 213. e. f.
[b] Hieron. præfat. ad dialog. adversus Pelag.
[c] Append. pag. 82. b. c. & seq.
[d] Hier. præfat. ad dialog. advers. Pelag.

X. *Pelagius ab Herote & Lazaro accusatus perducitur ad Diospolitanæ synodi judicium: illo judicio damnatur Pelagiana hæresis, hæresiarcha ipse Pelagius absolvitur.*

JOHANNIS Jerosolymitani adversùs Orosium criminatio, sicut & ipsius Orosii apologia, qua is episcopum illum verbis tractabat asperioribus, nec non [a] societatem cum Pelagio, nisi resipisceret, habere se nolle renuntiabat, nequaquam poterant eas turbas non excitare, quibus quidquid pactum decretumque in conventu Jerosolymitano fuerat, de silentio videlicet atque induciis utrinque servandis, quoad Romanus pontifex caussam dijudicasset, convelleretur. Nihil igitur mirum, si Pelagium hæresis nomine apud Palæstinos antistites haud ita multo pòst denuntiatum reperiamus. Ejus accusatores fuerunt Heros & Lazarus, Galli episcopi, hic Aquensis, Arelatensis ille, sed suis tunc sedibus pariter pulsi. Hos Zosimus papa, quo tempore Pelagii ac Cælestii contra eosdem calumniis fallendum se se præbebat, durissimè prorsus habuit. At Prosper in chronico ad annum 412. Herotem virum sanctum appellat, B. Martini discipulum, qui, ait, cùm Arelatensi „ oppido episcopus præsideret, à populo ipsius civitatis, insons, & nullis insimulationibus „ obnoxius, pulsus est. Ex ipso autem socium ejus Lazarum, cujus remansit obscurior memoria, discere nos oportere dicit [b] Baronius: quia quos calumnia par involvit, eosdem decorasse æqualem virtutem putandum sit; cùm non nisi bonos consueverint odisse mali, & hæretici vexasse catholicos. Eosdem sanè Augustinus [c] sanctos fratres & coëpiscopos, ac rursum alio [d] loco bonos fratres vocat. Et fatetur quidem aliquam [e] de illis apud Diospolitanum concilium habitam à Johanne Jerosolymitano querimoniam: sed illam ad eorum præjudicium nihil valere, neque ullius momenti visam esse patribus concilii, defendit. Iidem à præsulibus concilii Carthaginensis [f] sancti fratres & consacerdotes nominantur.

Quid porrò in caussa fuerit, cur illi duo Galli episcopi anno 415. versarentur in Palæstina, curve tam acriter in Pelagium insurgerent, ignoramus: nisi quòd scribit Augustinus, [g] eos perversâ doctrinâ, quam ejus in disputationibus deprehenderant, offensos fuisse. Errores illi in libellum retulerunt, ex Pelagii & Cælestii libris collectos, sed redactos tamen, [h] ut fatebantur, in compendium, eo quòd locos integros excerpere sibi non licuisset. His adjecere tum eos articulos, quorum caussâ damnatus à concilio Carthaginensi fuerat Cælestius, tum etiam illos quos Hilarius è Sicilia ad Augustinum miserat. Scriptum idiomate [i] latino huncce libellum obtulere [k] Eulogio, quem antistitem aliis tredecim Diospolitanæ synodi episcopis, ipsimet etiam Johanni Jerosolymitano semper præponit Augustinus. Atque inde est, quòd episcopus Cæsareæ ac totius provinciæ Palæstinæ metropolitanus fuisse meritò censeatur. Res ad concilium *Palæstinum*, quo id nomine Augustinus vocitat, delata est: quin verò idem concilium fuerit, quod apud Diospolim urbem Palæstinæ, in Scripturis [l] Lyddæ vocabulo cognitam, habitum esse [m] scribit Hieronymus, nemo ambigit. Docet revelationis reliquiarum Stephani martyris historia, quo tempore illæ retectæ sunt, nimirum circiter diem 20. Decembris anni 415. Johannem ejus rei nuntium Lyddæ [n] seu Diospoli, ubi concilio intererat, accepisse. Idem enim 18. die nondum ad concilium profectus adhuc erat Jerosolymis, quò memorata beati Protomartyris ossa die 25. vel 26. (nam variant codicum lectiones) transtulit. Quapropter commodiùs quàm vigesimo vel circiter assignari concilium non potest.

Huic autem præsentes fuere episcopi quatuordecim, videlicet [o] Eulogius, Johannes, Ammonianus, Porphyrius, Eutonius, Porphyrius alius, Fidus, Zoninus, Zoboennus, Nymphidius, Chromatius, Jovinus, Eleutherius, & Clematius. Quin Eulogius ac Johannes, alter Cæsareæ, alter Jerosolymis, sederint, non dubitatur. Autumant similiter è Porphyriis duobus alterutrum celebrem illum Gazæ antistitem esse, qui anno tantùm 420. diem obiit. In historia prædictæ translationis legere est, Johannem ad eam peragendam assumsisse secum alios duos episcopos, Eutonium seu Hestonium Sebastensem, & Eleutherium Jerichontinum. Ephesinæ synodo adfuit Fidus episcopus Joppensis. Jovinum autem illum credere forsan liceat, quem Palladius ante annum 420. ad Ascalonis episcopatum cooptatum fuisse tradit. Nec etiam alius fortè Zoboennus fuit ab illo hujus nominis, qui dicitur apud Sozomenum Eleutheropolis antistes, quique Turboni, à quo circiter annum 386. sedes istius loci tenebatur, potuit succedere.

[a] Oros. in fine apolog.
[b] Bar. ad an. 417.
[c] Hic pag. 191. d.
[d] Pag. 219. b.
[e] Pag. 213. c.
[f] Epist. 175. inter Aug. n. 1.
[g] Hic pag. 219. b.
[h] Pag. 207. c. d.
[i] Pag. 192. b.
[k] Pag. 196. c.
[l] Act. 9. 32.
[m] Epist. 102. inter Aug. n. 2.
[n] Lucian. de revelat. S. Steph. in append. tom. 7.
[o] Hic pag. 507. & 517. c.

Pelagius præsentem se concilio stitit: Heros autem ac Lazarus eò venire, [a] propter gravem alterius ægritudinem, non potuerunt. Aberat similiter Orosius: nec omnino quisquam aderat, qui partes actoris obiret in Pelagium, ut & pravum ejus sensum aperiret, & eum ad explicandam mentem adigeret, ac demum si quid esset in ejus doctrina ambiguitatis, distingueret. Id sanè mirum videatur, nec sine occulta quadam conspiratione factum, quam tametsi Augustinus ignorare non potuerit, tamen memoriæ tradendam non putavit. Vidimus certè quàm infensum se adversariis Pelagii declaraverit Jerosolymæ civitatis episcopus: quod quidem & eventus funestos, uti videbimus, peperit, & in ipsa quoque synodo jam erupit. Johannes enim ab episcopis rogatus, [b] ea quæ præsente se in conventu Jerosolymitano gesta fuerant exponeret; orationem, quæ ex parte ab Augustino refertur, habuit, qua non modò Christi gratiam admitti à Pelagio contendebat, verùm etiam in Herotem & Lazarum, in Orosium, & in quosdam alios invehebatur.

[a] Hic pag. 191. d. 214. d.
[b] Pag. 212. f. 213. d.

Pelagius verò Johannis præsidio & favore non contentus, ut existimationem suam apud judices amplificaret, complures sanctissimos viros sibi junctos amicitiâ jactitavit, multasque [c] antistitum, à quibus eximiè prædicabatur, protulit epistolas. Harum nonnullas curavit in synodo recitari, in quibus & Augustini una fuit.

[c] Pag. 218. b.

Atqui tandem aliquando necesse fuit legi libellum, in quo Heros & Lazarus sententias Pelagii perscripserant. Interpretis operâ utebantur judices [d] latinæ dictionis ignari: at Pelagius ad sibi objecta responsiones [e] eloquio græco reddebat. In his quæ de libello recitata sunt, & objecta Pelagio, illud est primum, [f] quod in libro suo [g] quodam scribit, *Non posse esse sine peccato, nisi qui legis scientiam habuerit.* Quo recitato Synodus dixit: *Tu hoc edidisti, Pelagi?* At ille respondit: *Ego quidem dixi, sed non sicut illi intelligunt: non dixi, non posse peccare, qui scientiam legis habuerit; sed adjuvari per legis scientiam ad non peccandum, sicut scriptum est, Legem in adjutorium dedit illis.* Hoc audito Synodus dixit: *Non sunt aliena ab Ecclesia, quæ dicta sunt à Pelagio.*

[d] Pag. 193. e.
[e] Pag. 194. b.
[f] Pag. 192. a.
[g] Lib. Capitulorum. V. Append. pag. 84. a. b.

Adjecit episcopalis Synodus, & ait, [h] *Legatur & aliud capitulum.* Et lectum est in eodem libro suo posuisse Pelagium, *Omnes voluntate propria regi.* Quo lecto Pelagius respondit: *Et hoc dixi propter liberum arbitrium, cui Deus adjutor est eligenti bona; homo verò peccans, ipse in culpa est, quasi liberi arbitrii.* Quo audito episcopi dixerunt: *Neque hoc alienum est ab ecclesiastica doctrina.*

[h] Hic pag. 194. b.

Item recitatum est, [i] quod in libro suo Pelagius posuit, *In die judicii iniquis & peccatoribus non esse parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos.* Respondit Pelagius: *Hoc secundùm Evangelium dixi, ubi dicitur de peccatoribus, Illi ibunt in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam: & si quis aliter credit, Origenista est.* Synodus dixit: *Alienum non est ab Ecclesia.*

[i] Pag. 196. a.

Objectum est & illud Pelagio, [k] tamquam in suo libro scripserit, *Malum nec in cogitationem venire.* Respondit: *Hoc non ita posuimus; sed diximus, debere studere Christianum, ne malè cogitet.* Episcopi approbarunt.

[k] Pag. 197. f.

Recitatum est & aliud, [l] quod in suo libello scripsit, *Regnum cælorum etiam in veteri Testamento promissum.* Ad quod Pelagius: *Hoc & per Scripturas probari possibile est; hæretici autem in injuriam veteris Testamenti hoc negant. Ego verò Scripturarum auctoritatem secutus dixi, quoniam in propheta Daniele scriptum est, Et accipient sancti regnum Altissimi.* Qua ejus accepta responsione, Synodus dixit: *Neque hoc alienum est à fide ecclesiastica.*

[l] Pag. 198. c.

Post hæc objectum est, [m] quòd Pelagius in eodem libro scripserit suo, *Posse hominem, si velit, esse sine peccato:* & quòd scribens ad viduam adulatoriè dixerit: *Inveniat apud te pietas, quæ nusquam invenit, locum: inveniat ubique peregrina in te sedem justitia: veritas quam jam nemo cognoscit, domestica tibi & amica fiat: & lex Dei quæ ab omnibus propè hominibus contemnitur, à te sola honoretur.* Et iterum ad ipsam: *O te felicem & beatam, si justitia, quæ in cælo tantùm esse credenda est, apud te solam inveniatur in terris.* Et in alio ad ipsam libro, post orationem Domini & Salvatoris nostri, docens quemadmodum debeant sancti orare, ait: *Ille ad Deum dignè elevat manus, ille orationem bonâ conscientiâ effundit, qui potest dicere, Tu nosti, Domine, quàm sanctæ & innocentes & mundæ sint ab omni molestia & iniquitate & rapina, quas ad te extendo manus; quemadmodum justa & munda labia, & ab omni mendacio libera, quibus offero tibi deprecationem, ut mihi miserearis.* Ad hoc Pelagius respondens ait: *Posse quidem hominem sine peccato esse & Dei*

[m] Pag. 200. b.

mandata custodire, si velit, diximus; hanc enim possibilitatem Deus illi dedit: non autem diximus, quòd inveniatur aliquis ab infantia usque ad senectam qui numquam peccaverit; sed quoniam à peccatis conversus, proprio labore & Dei gratiâ possit esse sine peccato; nec per hoc tamen in posterum inconversibilis. Reliqua verò quæ subjecerunt, neque in libris nostris sunt, neque talia umquam diximus. His auditis Synodus dixit: *Quoniam negas te talia scripsisse, anathematizas illos qui sic tenent?* Pelagius respondit: *Anathematizo quasi stultos, non quasi hæreticos; si quidem non est dogma.* Deinde judicaverunt episcopi dicentes: *Nunc quoniam propria voce anathematizavit Pelagius incertum stultiloquium, rectè respondens, hominem cum adjutorio Dei & gratia posse esse sine peccato, respondeat & ad alia capitula.*

a Pag. 204. c. Tum objecta sunt Pelagio, [a] quæ in doctrina Cælestii discipuli ejus referuntur inventa. *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum. Quoniam Lex sic mittit ad regnum, quemadmodum Evangelium. Quoniam ante adventum Christi fuerunt homines sine peccato. Quoniam infantes nuper nati in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quoniam neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat.* Hæc ita objecta sunt, ut etiam apud Carthaginem ab Aurelio & ab aliis cum ipso episcopis dicerentur audita atque damnata. Deinde objecta & alia quædam capitula, commemoratione nominis Augustini interpositâ, quæ ipsi de Sicilia missa fuerant, cùm ibi fratres catholici hujusmodi quæstionibus turbarentur, quibus per librum ad Hilarium scriptum idem ipse responderat. Ista sunt autem: *Posse hominem sine peccato, si velit, esse. Infantes, etsi non baptizentur, habere vitam æternam. Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, neque regnum Dei posse eos habere.* Ad hæc sibi objecta Pelagius ita respondit: *De posse quidem hominem sine peccato esse, dictum est superiùs: de eo autem quòd fuerint ante adventum Domini homines sine peccato, dicimus & nos, quoniam ante adventum Christi vixerunt quidam sanctè & justè, secundùm scripturarum sanctarum traditionem. Reliqua verò & secundùm ipsorum testimonium à me dicta non sunt, pro quibus ego satisfacere non debeo: sed tamen ad satisfactionem sanctæ synodi, anathematizo illos qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt.* Post hanc ejus responsionem Synodus dixit: *Ad hæc prædicta capitula sufficienter & rectè satisfecit præsens Pelagius, anathematizans ea quæ non erant ejus.*

b Pag. 206. c. Objectum est Pelagio, [b] quòd diceret, *Ecclesiam hîc esse sine macula & ruga.* Ad hoc respondit: *Dictum est à nobis, sed ita, quoniam lavacro ab omni macula & ruga purgatur Ecclesia, quam velit ita Dominus permanere.* Ad quod Synodus dixit: *Hoc & nobis placet.*

c Pag. 207. d. Deinde objecta sunt de libro Cælestii, [c] quid in unoquoque capitulo contineatur, magis secundùm sensum, quàm secundùm verba: quæ quidem ille latiùs exsequitur; sed tunc subjicere omnia, qui libellum adversùs Pelagium dederunt, se non potuisse dixerunt. Ergo in primo capitulo libri Cælestii hoc scriptum esse posuerunt: *Quoniam plus facimus, quàm in Lege & Evangelio jussum est.* Ad quod Pelagius respondit: *Hoc quasi nostrum posuerunt; dictum est verò à nobis secundùm Apostolum de virginitate, de qua Paulus dicit, Præceptum Domini non habeo.* Synodus dixit: *Hoc & Ecclesia recipit.*

d Pag. 208. a. Hinc objiciuntur Pelagio alia Cælestii capitula capitalia. In tertio capitulo [d] scripsisse Cælestium: *Gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege ac doctrina.* Et iterum, *Dei gratiam secundùm merita nostra dari; quia si peccatoribus illam det, videtur esse iniquus:* & his verbis intulisse, *Propterea & ipsa gratia in mea voluntate posita est, sive dignus fuerim, sive indignus. Si enim per gratiam omnia facimus; quando vincimur à peccato, non nos vincimur, sed Dei gratia, quæ voluit nos adjuvare omni modo, & non potuit.* Et iterum ait: *Si gratia Dei est, quando vincimus peccata; ergo ipsa est in culpa, quando à peccato vincimur, quia omnino custodire nos aut non potuit, aut noluit.* Ad ista Pelagius respondit: *Hæc utrùm Cælestii sint, ipsi viderint qui dicunt ea Cælestii esse; ego verò numquam sic tenui, sed anathematizo qui sic tenet.* Synodus dixit: *Recipit te sancta Synodus ita verba reproba condemnantem.*

e Pag. 209. c. Cùm de quinto capitulo libri Cælestii Pelagio fuisset objectum, [e] quòd *affirment, unumquemque hominem omnes virtutes posse habere & gratias; & auferant diversitatem gratiarum, quam Apostolus docet:* Pelagius respondit, *Dictum est à nobis, sed malignè & imperitè reprehenderunt:*

reprehenderunt: non enim auferimus gratiarum diversitatem; sed dicimus donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere, omnes gratias, sicut Paulo apostolo donavit. Ad hoc Synodus dixit: *Consequenter & ecclesiastico sensu & ipse sensisti de dono gratiarum, quæ in sancto Apostolo continentur.*

In sexto capitulo Cælestii libri positum [a] objectum est, *Filios Dei non posse vocari, nisi omni modo absque peccato fuerint effecti.* Unde secundùm ipsum dictum est, neque apostolum Paulum esse filium Dei, qui dixit, Non quòd jam acceperim, aut quòd jam perfectus sim. In septimo capitulo, *Oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem.* In decimo capitulo, *Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio; quoniam in propria voluntate habet unusquisque aut facere aliquid, aut non facere.* In duodecimo capitulo, *Victoriam nostram non ex Dei esse adjutorio, sed ex libero arbitrio.* Quod inferre dictus est his verbis: *Nostra est victoria, quoniam propriâ voluntate arma suscepimus; sicut è contrario nostrum est, quando vincimur, quoniam armari propriâ voluntate contemsimus.* Et de apostolo Petro posuit testimonium, *divinæ nos esse consortes naturæ.* Et syllogismum facere dicitur: *Quoniam si anima non potest esse sine peccato, ergo & Deus subjacet peccato, cujus pars, hoc est, anima, peccato obnoxia est.* In tertio-decimo capitulo dicit: *Quoniam pænitentibus venia non datur secundùm gratiam & misericordiam Dei, sed secundùm merita & laborem eorum, qui per pænitentiam digni fuerint misericordiâ.* His recitatis Synodus dixit: *Quid ad hæc quæ lecta sunt capitula dicit præsens Pelagius monachus? Hoc enim reprobat sancta Synodus, & sancta Dei catholica Ecclesia.* Pelagius respondit: *Iterum dico, quia hæc & secundùm ipsorum testimonium non sunt mea; pro quibus, ut dixi, satisfactionem non debeo: quæ verò mea esse confessus sum, hæc recta esse affirmo: quæ autem dixi non esse mea, secundùm judicium sanctæ Ecclesiæ reprobo, anathema dicens omni contravenienti & contradicenti sanctæ catholicæ Ecclesiæ doctrinis. Ego enim in unius substantiæ Trinitatem credo, & omnia secundùm doctrinam sanctæ catholicæ Ecclesiæ: si quis verò aliena ab hac sapit, anathema sit.*

[a] Hic pag. 214. g.

Synodus [b] dixit: *Nunc quoniam satisfactum est nobis prosecutionibus præsentis Pelagii monachi, qui quidem piis doctrinis consentit, contraria verò Ecclesiæ fidei reprobat & anathematizat, communionis ecclesiasticæ eum esse & catholicæ confitemur.*

[b] Pag. 215. c.

Atque hoc pacto terminatus est ille conventus: quem Hieronymus [c] miserabilem synodum Diospolitanam vocat, in ea procul dubio nihil aliud considerans, nisi offensionem bene multorum ex imperitioribus, qui rem ipsam penitus cùm penetrare non valerent, hoc unum erant observaturi, eum scilicet qui hæreseos postulatus fuerat, ab orientalibus episcopis pro catholico admissum. Et re ipsa non sibi defuit Pelagius, quin inde partibus suis commodum atque auctoritatem accerseret, [d] opiniones suas episcopis quatuordecim approbatas prædicaret, demum adversarios suos jactitaret pudore suffusos. Attamen id non prohibuit, quo minùs de hoc concilio numquam non in meliorem partem Augustinus judicaverit. Patres synodi [e] pios appellat judices & catholicos; qui numquam Pelagium, nisi damnasset errores suos, insontem declarassent. Quocirca [f] ipso quidem, quantum ad conspectum hominum adtinet, velut absoluto hæresiarchâ, omnia tamen illa dogmata quibus hæresis proserpebat, damnata palàm fuisse asserit. Hinc [g] quatuordecim illos antistites contra Julianum doctrinæ catholicæ testes citat. Addit præterea, Pelagianam hæresim tunc [h] Pelagii linguâ, tamquam prostrati gladio detruncatam omnino cecidisse, quando eam ipse suæ damnationis timore damnavit: & illum [i] absolutionem suam fallendo furatum esse; aut veriùs, [k] nequaquam absolutum Pelagium, sed id quod ore tenere se professus est. Innocentius papa illius concilii judicium [l] neque culpare, neque rursum approbare se posse, declaravit. Prosper verò de eo [m] non aliter atque Augustinus loquitur: idem tamen agnoscit exhibitam Pelagio indulgentiam, quæ justos limites non nihil excedere videretur.

[c] Epist. 202. inter Aug. n. 2.
[d] Hîc pag. 219. c.
[e] Pag. 194. a. 508. c.
[f] Pag. 223. b. & 549. a.
[g] Pag. 507. f.
[h] Pag. 554. d.
[i] Pag. 259. f.
[k] Pag. 260. f. & tom. 5. pag. 1511. d.
[l] Append. pag. 94. f.
[m] Pag. 67. g.

X I. Pelagius hæresis suæ post Diospolitanam synodum retinentissimus, varias scriptiones anno 416. pervulgat. Eamdem hæresim adversùs Augustini & Hieronymi dissertationes tutatur Theodorus Mopsuestenus. Pelagiani cujusdam Romæ blasphemia.

QUANTUMLIBET adjumentum speraret Pelagius sibi accessurum ex Diospolitano judicio; tamen ejus acta, quæ publica fieri ejus [a] intererat, si quidem illis verè purgatus fuisset, in lucem edere, atque ad Romanum pontificem aliosque primarios antistites transmittere adeo non maturavit, ut etiam, quoad potuit, [b] ne vulgarentur, moram injecerit. Eorumdem publicationem prævertit epistolâ vanitatis plenissimâ, quam passim disseminari omni studio curabat. Hac jactitabat inter alia, id quod dixerat, [c] *Posse hominem sine peccato esse, & Dei mandata facilè custodire, si velit*, quatuordecim episcoporum sententiâ comprobatum: *Quæ sententia*, inquiebat ille, *contradictionis os confusione perfudit, & omnem in malum conspirantem societatem ab invicem separavit.* Sicque divinâ gratiâ, quam in Synodo confiteri coactus fuerat, silentio prætermissâ, restabat, ut sola gloriaretur velut victrix humana superbia. Addebat hîc & vocem istam, [d] *facilè*; cujus mentio nulla in Synodi gestis: quippe nescimus quo pacto contigerat, ut eam, etsi Pelagii maximè illa esset, suo in libello Heros & Lazarus prorsus omitterent. Et certè quidquid super ea quæstione in Synodo dictum fuerat, id omnino repugnabat fictitiæ isti facilitati, immo & eam verbis conceptis excludebat. Rescribebat hac epistolâ Pelagius cuidam presbytero ex amicis, à quo benignè admonitus fuerat, caveret ne quis per ejus occasionem se se à corpore Ecclesiæ separaret.

[a] *Epist.* 183. *inter Aug. n.* 3.
[b] *Hic pag.* 220. c.
[c] *Pag.* 219. c.
[d] *Ibid.* g.

Chartulam [e] quoque tunc pervulgavit apologeticam, in qua scilicet gestorum Palæstinorum auctoritate pro defensione contra adversarios utebatur. Illic enim [f] ad Gallorum episcoporum se objecta respondisse, seque omnino purgatum esse venditabat. At gestorum veritatem ab eo in quibusdam obscuratam & corruptam fuisse, [g] Augustinus demonstrat. Pelagius ipsi Augustino per Charum quemdam, civem quidem Hipponensem, Orientalem autem diaconum, memoratam defensionis suæ chartulam misit, nullis [h] adjunctis tamen ad ipsum litteris. Quocirca sapientissimus antistes, cùm animi sui in illius purgationem cogitata scripto explicare peroptaret, quippe qui statim judicavit, Pelagium, eo tantùm quòd suis responsis orthodoxas opiniones præ se tulisset, à Palæstina synodo absolutum; id tamen exsequi auctoritate scriptionis, quæ vel negari poterat, vel ab autographo discrepans inveniri, non est ausus. Pelagii scriptionem illam idem Augustinus in [i] litteris Innocentio papæ hoc anno 416. directis, simulque epistolam ad Pelagium (quæ hactenus desideratur) à se hac occasione scriptam commemorat.

[e] *Pag.* 191. a. 221. c. & 222. c.
[f] *Epist.* 179. *n.* 7.
[g] *Hic pag.* 222.
[h] *Pag.* 191. a.
[i] *Epist.* 177. *n.* 15.

His etiam temporibus suos de libero arbitrio libros Pelagius in lucem emisit. Quippe illos composuit [k] post Diospolitanam synodum, [l] de cujus gestis gloriabatur in iisdem libris; & non multo ante epistolam, quam idem sub anni 417. exordium ad Romanum pontificem Innocentium scripsit. In illa prædictum opus, tamquam certum fidei suæ testimonium laudabat. [m] *Legant etiam*, inquiebat ipse, *recens meum opusculum, quod pro libero nuper arbitrio edere compulsi sumus; & agnoscent quàm iniquè nos negatione gratiæ infamare gestierint, qui per totum penè ipsius textum operis perfectè atque integrè & liberum arbitrium confitemur & gratiam.* Verumtamen liquidò apparebat, nihil eum aliud sentire de gratiæ auxilio, quàm id quod in Palæstino concilio damnasse videbatur: quemadmodum Augustinus ostendit allatis indidem variis locis, quorum uno quodam [n] totum dogma Pelagii omnino diligenter expressum continetur. Quidquid verò ibi [o] pro gratia videbatur dicere, id omne ad naturam & legem referri nullo negotio poterat: ita ut ipsas quoque orationes ad nihil aliud adhibendas opinaretur, nisi ut nobis doctrina divinâ revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione & actione perficiat. Et existimari poterat, auxilium gratiæ tamquam ex abundanti concedi [p] velle, cùm illic *ideo dari hominibus* diceret, *ut quod facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam.*

[k] *Epist.* 186. *n.* 34.
[l] *Hic pag.* 259. f.
[m] *Pag.* 248. c.
[n] *Pag.* 232.
[o] *Pag.* 248. d. c.
[p] *Epist.* 186 *n.* 35.

Opus hoc Pelagius partitus fuerat [a] in quatuor libros, quorum editione occurrebat dialogis Hieronymi. Nam de his dialogis ad Augustinum Julianus: [b] *De quo opere*, inquit, *tu dicis, Pelagium Scripturarum ab eo oppressum molibus, arbitrium liberum vindicare non posse: verum illi operi à catholico viro, qui pulsatus fuerat, obviatum est.* At Hieronymus epistolam suam, eam fortè quæ ad Ctesiphontem est, iisdem libris petitam à Pelagio dicit: [c] *Tamen multum egimus, ut dum epistolæ meæ respondere conatur, apertiùs se proderet, & blasphemias suas omnibus patefaceret.* Additque, *Quidquid enim in illa miserabili synodo Diospolitana, dixisse se, denegat, in hoc opere profitetur.* Ubi jam eos libros, quorum auctorem cum Pelagio Anianum superiùs indicaverat, illi magis qui res & cogitata sua blasphema, quàm huic qui stilum & verborum suorum nænias, ad eos conficiendos contulisset, merito jure adsignat. De istis Pelagii libris constat Augustinum, [d] nisi post accepta synodi Diospolitanæ gesta, nihil comperisse: sed eosdem tamen ad Augustinum [e] priùs, & posteriùs ad Hieronymum pervenisse liquet.

[a] Hic pag. 228. c. d.
[b] Pag. 1182. a.
[c] Epist. 202. inter Aug. n. 2.
[d] Hic pag. 259. c. d.
[e] Epist. 202. n. 2.

Horum porrò SS. Doctorum contra Pelagianam hæresim opuscula non ita longo pòst tempore vidit Theodorus Mopsuestiæ in Cilicia episcopus, cui nimirum ejusdem hæresis [f] progenitori aut magistro inter ceteros præcipuo Pelagiani collabentium rerum suarum statum denuntiare haud dubiè maturarunt. Iste igitur ut laboranti hæresi subsidio veniret, libros [g] quinque adversùs originalis peccati assertores condidit. Ibi hujus doctrinæ auctorem ex Occidente oriundum, sed in Oriente tum versantem, libros de recèns ab se excogitata hæresi (sic enim ipse loquitur) compositos emisisse narrat, ab eoque integras Ecclesias iisdem illius opinionibus imbutas. Haram hunc à Theodoro appellari, apud Photium legimus, corrupto scilicet nomine Hieronymi, in quem unum referri valent adjunctæ ibidem contra fictitiæ illius hæreseos auctorem calumniæ: alia scilicet de conficto per eum [h] quinto Evangelio; quia is Evangelii cujusdam Nazarænis usitati meminerat in dialogorum opere: alia de rejecta veteris Testamenti versione Septuaginta interpretum, ab eo qui Hebraicæ linguæ minimè à puero assuetus, neque aliis ad discendum Scripturarum sensum magistris nisi Hebræis quibusdam abjectæ sortis usus, propriam sibi editionem cudere aggressus esset.

[f] Append. pag. 63. c.
[g] Photius biblioth. cod. 177.
[h] Hic pag. 1181. f.

Secta verò illius, ait ex Theodoro Photius, *summa capita hæc ferè sunt: Homines naturâ, non voluntate peccare: naturâ, inquam, non eâ quâ præditus ab initio conditusque est Adam; eam enim bonam & bonum Dei opus esse asserunt, sed eâ quam post peccatum adeptus sit, quando per prævaricationem atque peccatum, malam pro bona, mortalemque pro immortali commutavit. Hac quippe ratione naturâ quoque improbos effectos*, &c. *Alterum deinde caput ex illo deductum, Infantes, tametsi recèns natos, peccati immunes non esse, cùm ob Adæ prævaricationem natura in peccatis constituta ad omnes ejus posteros peccatrix, ut ipsi loquuntur, natura propagetur..... Sanctum ad hæc baptisma sacrique corporis communionem in peccatorum remissionem etiam ipsis infantibus collata hæc præbere*, &c. *Neminem præterea mortalium esse justum. Quartum, ne Christum quidem Deum, assumtâ nimirum peccatis infectâ naturâ, sceleris purum esse* &c. *Quintum, Matrimonium vel certè congrediendi cupiditatem, & seminis missionem, omniaque similia, quibus successione genus humanum propagatur, asserunt esse opera perversæ naturæ, in quam per peccatum lapsus Adam, naturæ mox vitio malorum omnium examen in se susceperit.* Quinti hujus capituli calumniam ipsene Theodorus primus commentus fuerit, haud facilè dixerimus: eam Augustinus cùm postea audisset Pelagianos intentare catholicis, ab his depellendam suscepit opere de nuptiis & concupiscentiâ. Alteram similiter quarti capituli non semel [i] in suis contra Julianum libris diluere compulsus est.

[i] Pag. 654. c. 1176. b. 1180. f.

Aliquot ex istis Theodori libris excerpta cùm afferret Mercator, hoc titulo primum prænotavit: *Theodori Mopsuesteni episcopi de secundo codice libri quarti, folio decimo, contra sanctum Augustinum defendentem originale peccatum, & Adam per transgressionem mortalem factum catholicè disserentem.*

Haud multo post vulgatam synodi Diospolitanæ famam eum Augustinus Sermonem habuit, cujus in fragmento, quod etiamnum superest, de Pelagii absolutione differit in hæc verba: [k] Illum nemo dicat absolutum esse ab episcopis: absoluta est, sed confes- « sio, quasi correctio ipsa est absoluta; quia ea quæ dixit ante episcopos, catholica vide- « bantur; quæ autem scripsit in libris suis, episcopi qui absolverunt, nescierunt: & forsi- «

[k] In Tom. 5. pag. 1511. d.

„ tan correctus est ; desperare enim de homine non debemus, qui fortè fidei catholicæ „ adjungi maluit, & ad ejus gratiam auxiliumque confugit ; fortè hoc factum sit : tamen „ non hæresis est absoluta, sed homo hæresim negans. Ex quibus verbis sat manifestò cognoscitur, neque Augustino visos adhuc esse libros illius de libero arbitrio, neque à Zosimo in gratiam sive in condemnationem ejusdem Pelagii scriptum ; quin immo nec ab ipso Innocentio hac de re quidquam pronuntiatum.

Narrat sanctus [a] Doctor eodem loco, Urbanum, qui ex presbytero ecclesiæ illius, in qua tum ipse verba faciebat, fortasse Hipponensis, Siccensium consecratus fuerat episcopus, Romæ cum Pelagiano quodam disputasse ; cúmque illum vi Dominicæ orationis urgeret, nos Deo ne nos in tentationem inferat, incassum supplicare demonstrans, si quidem in potestate sit nostra, non peccare, & omnes peccatorum tentationes solis voluntatis nostræ viribus superare ; respondisse ad hoc Pelagianum : *Rogamus Deum ne nos inferat in tentationem, ne aliquid mali patiamur, quod non habemus in potestate ; ne ruam de equo, & ne frangam pedem, ne latro me interficiat, & si quid hujusmodi ; hæc enim non habeo in potestate : nam vincere tentationes peccatorum meorum, si volo, & possum, nec Dei adjutorio possum.* Fatetur Augustinus hoc responsi horrorem sibi non mediocrem incussisse, ad quas etiam Pelagianas voces non minùs universa concio inhorruit.

XII. *Hieronymi scriptiones aliquot ab Orosio in Africam afferuntur, ac simul Herotis & Lazari litteræ de caussa Pelagii. Carthaginensis synodus Innocentio contra Pelagianam hæresim scribit. Idem præstat Milevitana. Idem & quinque conjunctim episcopi. De Augustini epistolis ad Hilarium, & ad Iohannem.*

PAULUS Orosius, quem Augustinus ad Hieronymum anno superiore miserat, hoc præsenti revertit in Occidentem, eóque [b] primus omnium aliquas Stephani martyris reliquias importavit : quæ porrò quo apparatu exceptæ fuerint, quotve prodigia Deus earum occasione ediderit, iste non idoneus est dicendi locus. Orosius certè jam inde à Veris initio è Palæstina profectus est : quando quidem ad [c] reditum jam tum accingebat se se, cùm beati Protomartyris ossa retecta sunt ; tanto ille patriæ desiderio tenebatur. Extra dubium est, Hieronymum eodem illo bajulo direxisse ad Augustinum [d] epistolam, „ quæ sic incipit : Virum honorabilem fratrem meum, filium dignationis tuæ, Orosium „ presbyterum, & sui merito, & te jubente suscepi. Ubi quidem, quòd ejus duobus libris, nimirum de anima, deque epistola Jacobi, non responderit, se temporum infelicitate excusat : quonam autem modo sit erga ipsum affectus, ita exprimit. Mihi autem, inquit, „ decretum te amare, te suspicere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere. Cer„ te & in Dialogo [e] quem nuper edidi, tuæ beatitudinis, ut dignum fuerat, recordatus sum : „ magisque demus operam, ut perniciosissima hæresis de ecclesiis auferatur ; quæ semper si„ mulat pænitentiam, ut docendi in ecclesiis habeat facultatem ; ne si apertâ se luce prodiderit, foras expulsa moriatur. Reperitur haud multo pòst citatus [f] ab Augustino hic ille dialogus : unde meritò credas, ad ipsum id operis ab Orosio allatum fuisse.

Idem litteras [g] illuc detulit ab Herote & Lazaro, quæ Pelagium ac Cælestium excogitati nefarii detestandique dogmatis postulabant. Pelagium [h] testabantur agere Jerosolymis, ibique nonnullos decipere : quamvis ei sagacissimi quique, à quibus ejus sensus indagari potuerant, ac maximè omnium Hieronymus, fortiter reluctarentur. Neque profectò iidem, ut judicare est, præteribant Diospolitanæ synodi historiam : quippe qui Pelagii [i] caussam apertissimè ventilabant. Istorum litteræ ab Orosio exhibitæ sunt [k] Proconsularis provinciæ episcopis, qui consuetam ac sollemnem synodum, diversis de caussis congregatam, id temporis in ipsa urbe Carthagine habebant, fortè circiter mensem Junium. Provinciales enim synodi videntur, aut hac anni tempestate, aut circa autumnum celebrari per Africam solitæ. Quod verò ad annum reditûs Orosii, quin is 416. fuerit, nobis per totam historiæ seriem dubitare haud quaquam licet. Ipsa etiam responsio Innocentii ad epistolam memoratæ synodi, mense Januario anni 417. data inferiùs demonstrabitur.

Convenerant ad hanc synodum sexaginta octo episcopi, quorum omnium perscripta

[a] Tom. 5. pag. 1509. a.
[b] Marcellin. in chron.
[c] Aviti epist. de reliquiis S. Stephani, in append. tom. 7.
[d] Epist. 172. inter Aug.
[e] Dialog. 3. adversus Pelag.
[f] Epist. 180. n. 5.
[g] Epist. 175. n. 1.
[h] Epist. 176. n. 4.
[i] Epist. 186. n. 2.
[k] Epist. 175. n. 1.

ſunt nomina ; nec magni negotii res erit, eorum epiſcopatus propè omnes ex Collatione cum Donatiſtis eodem loco anno 411. habita cognoſcere. Horum antiſtitum celeberrimi ſunt ii, Aurelius Carthaginenſis, Vincentius fortè Culuſitanus, Theaſius Membreſitanus. Illic recitatis Herotis ac Lazari litteris, Præſules [a] æquum eſſe exiſtimarunt, ut quidquid epiſcopali auctoritate valebant, valerent defendendæ jam Eccleſiæ cauſſæ. Itaque acta, [b] quibus ante ferme quinque annos judicatus fuerat Cæleſtius, legi juſſa ; & quamquam ejus damnatio ſententiâ in eum tempore illo dictâ manifeſtè conſtaret : nihilo minùs tamen, eumdem rurſum, (quamvis & ad preſbyterii honorem in Aſia, ut ferebatur, jam ſubrepſiſſet,) ipſumque cum eo Pelagium, niſi hæreſim cujus auctores erant apertiſſimè anathemarent, anathemari debere cenſuerunt : hanc videlicet ſeveritatem rati opus eſſe ſanandis ingeniis multorum, quos illi vel jam corruperant, vel etiam in poſterum poterant corrumpere. Enim verò [c] plena jam erant omnia pugnacibus hominibus, qui adversùs Dei gratiam indeſinenter diſputando & infirmos animos parumque eruditos abriperent, & perpetuis contentionibus in fide quoque firmiores defatigarent. Cui malo ut omni ex parte obviàm iret Carthaginenſe concilium, rem quoque judicavit ad Innocentium papam deferri oportere : quò [d] ſcilicet eorum decretis etiam Apoſtolicæ ſedis adhiberetur auctoritas. Hoc autem eo cupidiùs exoptabant, quòd jactitarent nonnulli, [e] non modò geſtis Palæſtinis purgatum eſſe Pelagium, ſed etiam ejus rationibus manus dediſſe Romanum antiſtitem. Certè quidem Poſſidius [f] auctor eſt, Pelagianos perfidiam ſuam Apoſtolicæ ſedi perſuadere molitos eſſe, ob idque Africanas ſynodos inſtantiſſimâ egiſſe operâ, ut Innocentio primùm, deinde Zoſimo demonſtrarent, quantopere deteſtanda eſſet, atque à catholicis omnibus condemnanda illa factio. Cùm ergo ſperarent Africani præſules, fore ut Innocentii pontificis Romani [g] auctoritati de ſanctarum ſcripturarum auctoritate depromtæ faciliùs cederent hæretici ; nec non in [h] tentatione adeo gravi cuperent certiores ex Pontificis reſponſis fieri, utrùm ſuam ipſorum ſententiam reperiret ſuæ ipſius conſentire ſententiæ, atque adeo utramque ex eodem fonte depromtam eſſe conſtaret : ea propter eidem Innocentio Synodus epiſtolam Herotis ac Lazari, unà cum actis concilii alterius Carthaginenſis, quibus anno 412. damnatus fuerat Cæleſtius, miſit : propriam quoque addidit, epiſcoporum omnium nominibus munitam, quâ ipſum illi, ut paſtoralibus ſibi compateretur viſceribus, ſimulque perpenderet quàm peſtiferum & exitiale Chriſti ovibus Pelagianum dogma eſſet, obſecrabant ; atque ad extremum damnationis ſententiam ferebant in hæc verba : « Etiamſi Pelagius Cæleſtiuſque correcti ſunt, vel ſe iſta numquam ſenſiſſe dicunt, & quæcumque ſcripta contra eos prolata fuerint, ſua eſſe negant, nec eſt quemadmodum de mendacio convincantur : generaliter tamen quicumque dogmatizat & affirmat, humanam ſibi ad vitanda peccata & Dei mandata facienda ſufficere poſſe naturam, & eo modo gratiæ Dei, quæ ſanctorum evidentiùs orationibus declaratur, adverſarius invenitur ; & quicumque negat parvulos per baptiſmum Chriſti à perditione liberari, & ſalutem percipere ſempiternam, anathema ſit. » De ceteris autem, quæ Pelagio Cæleſtioque objiciebantur, Pontificis relinquunt arbitrio, ut quidquid perlectis Dioſpolitanæ ſynodi geſtis, expedire videbitur, ipſemet ſtatuat.

Numidarum antiſtitum ſynodus provincialis in urbe Milevo congregata, ubi reſcivit quid à Carthaginenſis provinciæ epiſcopis geſtum fuiſſet, eorum exemplo decrevit [i] epiſtolam ad Innocentium ſcribere ; quâ poſtea quàm ei poſuit ob oculos, quàm pernicioſa eſſet hæreſis ea, quæ orationis ab adultis, ab infantibus baptiſmi neceſſitatem auferret, ipſum rogat atque obteſtatur, ut ſi minùs Pelagii ac Cæleſtii ſaluti conſulere valeret, eos à nefariis ſuis placitis avocando, ſaltem eoſdem condemnando aliis proſpiceret. Epiſcopi complures eam obſignarunt, quorum nomina ad ſexaginta unum in ipſa fronte recenſentur. Horum inſigniores habentur ii, Silvanus Zummenſis, qui tum Numidiæ primas, Aurelius Macomadienſis, Alypius Thagaſtenſis, Auguſtinus Hipponenſis, Severus Milevitanus, Fortunatus Cirtenſis, Poſſidius Calamenſis.

Perlatæ ſunt Romam utriuſque ſynodi epiſtolæ per quemdam Julium epiſcopum, cujus diœceſim ſitam fuiſſe in Africa, vel hinc intelligamus licet, quòd per eumdem reſcripſit Innocentius, & ſimul Aurelio in peculiari epiſtola illum ſe ei reſtituere dixit.

Baronius eidem iſti Milevitano concilio adſcribit octo ſeu novem canones in Pelagianos, qui canones, ut infrà dicturi ſumus, nonniſi anno 418. in ſynodo Carthaginenſi conditi

[a] Epiſt. 186. n. 2.
[b] Epiſt. 175. n. 1.
[c] Epiſt. 177. n. 3.
[d] Epiſt. 175. n. 2.
[e] Epiſt. 177. n. 2.
[f] In vita Aug. c. 18.
[g] Epiſt. 176. n. [illegible]
[h] Epiſt. 177. n. 19.
[i] Epiſt. 176. inter Aug.

ſunt. Verùm in hoc ille ſecutus eſt ſynodi Milevitanæ, acta dicamus, an actorum confuſionem. Illorum quippe exordium ad primam Milevitanam ſynodum anno 402. habitam, proindeque longo tempore ante ortos Pelagianos, pertinet. Quæ verò ſubſequuntur ea tribuuntur in collectione Africana diverſis aliis conciliis: excepto tamen canone 23. quem quidem nuſpiam alibi reperias.

[a] Epiſt. 177. Præter ſynodicas conciliorum Carthaginenſis & Milevitani epiſtolas, [a] Præſules quinque Africani, ſcilicet Aurelius, Alypius, Auguſtinus, Evodius, ac Poſſidius, aliam communi nomine eidem ſcripſere Innocentio epiſtolam, tamquam amico, [b] *familiarem*, qua totam Pelagii cauſſam uberiùs & enucleatiùs exponebant apud illum, & qua ratione [c] idem Pelagius abſolvi ab Orientalibus potuiſſet, ſi tamen hoc factum fuerat, (neque dum enim acceperant ſynodi Dioſpolitanæ acta,) ediſſerebant. Docebant etiam, ipſius Innocentii præſertim intereſſe, huic tanto malo mederi; propterea quòd in Urbe plurimi eſſent dogmatis Pelagiani ſectatores, [d] qui ſi cognoverint, inquiunt illi antiſtites, „eumdem librum quem illius vel putant eſſe vel norunt, epiſcoporum catholicorum auctoritate, & maximè Sanctitatis tuæ, quam apud eum eſſe majoris ponderis minimè dubitamus, ab eodem ipſo anathematum atque damnatum, non eos ulteriùs exiſtimamus auſuros, loquendo contra gratiam Dei, quæ revelata eſt per paſſionem & reſurrectionem Chriſti, pectora fidelia & ſimpliciter Chriſtiana turbare. Addebant accerſendum eſſe Romam ipſum Pelagium, ut diligenter, an veram Chriſti gratiam agnoſcat, ex eo quæratur; ſin minùs, id ſaltem cum eo per litteras agendum: quò in poſterum ſine ullo Eccleſiæ ſcrupulo & ſine latibulo ambiguitatis abſolutus, poſſit fidelibus de ſua ipſius correctione lætandi præbere materiam. Librum quoque nunc memoratum, quem à Timaſio & Jacobo Auguſtinus acceperat, unà cum ejuſdem per Auguſtinum confutatione, ad Innocentium mittebant: adnotatis in eodem Pelagiano libro deterrimis quibuſque locis, ut eis Pontifex animum adverteret. Ad hunc etiam direxere Auguſtini ad Pelagium epiſtolam, qua ſcilicet ipſi ad ea, quæ purgationis ſuæ ſcripta poſt concilium Dioſpolitanum ei miſerat, reſpondebat. Rogabant igitur Innocentium, ut iſtam epiſtolam curaret reddendam Pelagio, rati nimirum hunc ad eam perlegendam debitâ illius dignitati veneratione adductum iri. Teſtati ſunt interim, utrùm ad conſummatam perfectionem in hac præſenti vita perveniri poſſit, an tantummodo in futura, nolle ſe quidquam definire: dum tamen omnino certum maneat, quiſquis quandocumque perfectionem hanc fuerit conſecutus, non potuiſſe illam niſi gratiæ beneficio adipiſci.

[b] Epiſt. 186. n. 2.
[c] Epiſt. 177. n. 2.
[d] Ibid. n. 15.

Contigit eo tempore, ut Palladius quidam mare trajecturus, cùm Hippone-regio eſſet in procinctu ad conſcendendam navem, ab Auguſtino commendationem epiſtolarem ad epiſcopum nomine Hilarium peteret. [e] Eâ arreptâ occaſione Auguſtinus antiſtitem illum his de rebus certiorem factum voluit, quæ recèns in Africa geſtæ fuerant adversùs hæreſim Pelagianam, cujus & præcipua capita ipſi paucis aperit, eo conſilio, ut is quoque pro munere ſuo, iis hominibus, qui fortè hujuſmodi veneno eſſent imbuti, proſpiceret. Hilarium hunc non alium quàm Narbonenſem, cui Zoſimus anno 417. ſcripſit, cur nos opinemur, [f] aliàs diximus.

[e] Epiſt. 178.
[f] Not. ad epiſt. 178.

Satis etiam veri ſimile fit, ad hoc ipſum tempus pertinere Auguſtini epiſtolam Johanni Jeroſolymitano ſcriptam. Jam tum enim, cùm eam ſcriberet, [g] miſſam ſibi à Pelagio, geſtorum Palæſtinorum vice, chartulam ab ipſo conſcriptam ſuæ defenſionis acceperat; ipſa verò acta Palæſtina nondum viderat. Igitur quamquam ſanctus Epiſcopus antea litteras dediſſet ad Johannem, à quo reſponſi nihil tulerat; nanctus tamen quemdam Dei ſervum cui nomen Lucæ, proficiſcentem in Palæſtinam, ac inde brevi reverſurum, iteratò has ad illum ſcripſit. Earum argumentum eſt unus Pelagius, cui Johannem admonet ſic dilectionem exhibeat, ne interim exiſtimari poſſit ab eo deceptus. Huic ſimul tranſmittit & ſcriptum à Pelagio de viribus naturæ librum, & ſuum de natura & gratia, quem priori iſti refellendo lucubravit: ut quàm prava, quámque periculoſa eſſent hæreſiarchæ illius placita, Johannes cognoſceret. Demonſtrat illum in ſuo libro planè diverſa tradidiſſe ab iis, quæ ab ſe in Dioſpolitano concilio reſponſa aſſereret in chartula defenſionis ſuæ. Petit denique à Johanne, ut vera ejuſdem concilii acta ad ſe dirigat, non uni ſibi, ſed aliis quoque plurimis epiſcopis, à quibus illa etiam expeterentur, gratum facturus.

[g] Epiſt. 179. n. 7.

XIII. Ineunte anno 417. Innocentius Africanis episcopis respondens, Pelagium & Cæleſtium damnatâ eorum doctrinâ anathematizat. De Geſtis Dioſpolitanæ ſynodi librum edit Auguſtinus, cujus extrema parte Pelagianorum in Hieronymum ſeditionem memorat. Idem epiſtolam contra Pelagianos ſcribit ad Paulinum.

TRIBUS memoratis epiſtolis, concilii Carthaginenſis, concilii Milevitani, & quinque epiſcoporum, Innocentius papa totidem [a] alias reſcripſit ipſo anno 417. eadem Januarii die 27. conſignatas; quæ ab Julio epiſcopo in Africam omnes allatæ ſunt. Credunt [b] eas ab Innocentio non niſi poſt coactam Synodum perſcriptas eſſe: cùm apud pontifices Romanos tunc temporis non eſſet in more poſitum, ut de rebus tanti momenti ſcriberent, niſi priùs, non ſolùm clericos ſuos, ſed etiam finitimos epiſcopos, cum iis quoque, qui tum Romæ verſabantur, ad concilium vocarent.

[a] *Epiſt.* 181. 182. & 183. *inter Aug.*
[b] *Garner. in Mercat. tom.* 1. *pag.* 194. 1.

Paſſim eruditionem, zelum, ac vigilantiam laudat Africanorum antiſtitum: quippe qui non modò Eccleſiarum ſibi creditarum curam gererent, verùm etiam alias omnes pia ſollicitudine complecterentur. [c] Utrumque concilium eo præſertim nomine honorificentiſſimè prædicat, quòd Apoſtolicam ſedem conſuluiſſent; cujus non parum extollit dignitatem auctoritatemque. Acta [d] Dioſpolitanæ ſynodi quorumdam laicorum operâ jam tum acceperat: at vix ullam eorum rationem habebat; tum quia deſiderabat in reſponſis Pelagii ſinceritatem, tum etiam quia eadem illa acta ſine ullis Pelagii Epiſcoporumve à quibus is abſolutus fuerat, litteris, reddita ſibi fuerant: quod erat in cauſſa, cur ipſe partim de veritate actorum dubitaret, partim judicaret Pelagium abſolutioni, quam venditabat, parum admodum confidere. Itaque nulla hujuſce judicii ratione habita, Africanorum præſulum ſecutus relationes, [e] Pelagium ac Cæleſtium Eccleſiæ communione ſegregatos declaravit, ut pote ſancti illius corporis ſocietate, immo verò [f] omni catholicorum commercio indignos. Eos pariter eâdem pœnâ damnat, qui pari contumaciâ illorum errores tueri præſumſerint. Porrò in litteris ad quinque epiſcopos dicit, futurum ſperare ſe, ut Pelagii damnatio ad ſanam fidem revocet eos omnes, qui vel in Urbe eſſent, (ſi tamen eſſent, non enim illud audere ſe nec affirmare, cùm id de ſe nemo profiteretur, neque rurſus inficiari, propter multitudinem civium,) vel Jeroſolymis, vel in quacumque demum orbis regione verſarentur.

[c] *Epiſt.* 181. *n.* 1. & 182. *n.* 1. & 2.
[d] *Epiſt.* 183. *n.* 3.
[e] *Epiſt.* 182. *n.* 6.
[f] *Ibid. n.* 3.

Hanc Auguſtinus ſæpe in Julianum citat ſententiam Innocentii: qui [g] ſanctus Vir, ait, quid potuit Africanis reſpondere conciliis, niſi quod antiquitus Apoſtolica ſedes & Romana cum ceteris tenet perſeveranter Eccleſia? quique, ut mox idem obſervat, nihil aliud de hac re ſapuit, quàm quod Cyprianus, Hilarius, Ambroſius, aliique percelebres præſules Eccleſiæ, poſterior iis tempore, prior loco. Ac rurſum alibi: [h] Ad omnia, inquit, nobis ille reſcripſit eo modo, quo fas erat atque oportebat Apoſtolicæ ſedis antiſtitem. Cúmque concionem ad populum Carthaginenſem haberet IX. Kal. Octobris die Dominico, qui dies in annum 417. incidebat, juſſit redargui contradicentes, & reſiſtentes ad ſe adduci: [i] Jam enim, ait, de hac cauſſa duo concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam; inde etiam reſcripta venerunt: cauſſa finita eſt; utinam aliquando finiatur error.

[g] *Hic pag.* 503. g.
[h] *Epiſt.* 186. *n.* 2.
[i] *Ser.* 131. *n.* 10.

[k] Gennadius narrat, Innocentium ſcripſiſſe decretum occidentalium & orientalium Eccleſiis adversùs Pelagianos datum, poſt quem ſucceſſor ejus papa Zoſimus latius promulgavit. Quibus verbis quid intelligat, nos quidem ingenio non aſſequimur. Pelagianæ hiſtoriæ ſcriptor [l] in ea eſt ſententia, ut putet, quoquo modo voces illas interpretemur, dicendum non eſſe, decretum aliud à tribus epiſtolis de quibus nos ſuprà, Innocentium condidiſſe; ad quarum epiſtolarum formam Zoſimus decretum, quod per totam vulgavit Eccleſiam, concinnavit. Atque haud ſcimus, an non jungat Poſſidius [m] utriuſque Pontificis ſtatuta, cùm dicit, utrumque Pelagianos, datis litteris & ad Africanas Occidentis, & ad Orientis Eccleſias, anathematizandos & devitandos ab omnibus catholicis cenſuiſſe.

[k] *Gennad. lib. de ſcript. eccleſ. c.* 43. *caſtigatus ad mſ. Corb.*
[l] *Henr. Noris lib.* 1. *c.* 11.
[m] *Poſſid. c.* 18.

Cùm litteras quinque episcoporum nomine ad Innocentium scripsit Augustinus, ei nondum (uti observavimus) in manus venerant acta concilii Diospolitani: unde Johannem Jerosolymitanum, ut illa sibi mitteret, obsecrabat: quæ quidem ab illo-ne, an ab Innocentio, an ab alio quopiam acceperit, obscurum est. Id solùm constat, exeunte anno 416. vel 417. ineunte, haud ita multo post eam molestiam, qua Pelagiani Hieronymum exagitarunt, eadem acta in manus ipsius incidisse. In eis non sine summa voluptate reperit, quod persuasum numquam non habuerat, Pelagium ideo tantùm absolutum fuisse, quòd in specie catholicæ fidei professionem edidisset. Quo sanctus Doctor omnino inductus est ad scribendum in illud argumenti, ut planum faceret, eos à quibus judicio dimissus fuerat, placita ac doctrinam illius neutiquam approbasse. Confecto super ea re libro, (tametsi ab ipso nonnumquam [a] liber *de gestis Palæstinis* appelletur,) titulum fecit *de gestis Pelagii*; sive quia jam vulgo receptum erat, ut illa dicerentur gesta Pelagii [b] purgationisque ipsius, quibus se ille purgatum jactitabat; sive quia agendum hoc libro erat de ipsis gestis, quæ idem ille priùs emiserat breviata & corrupta, id est, de chartula defensionis suæ, quam vice gestorum, tamquam eorum [c] breviationem quamdam, spargi in vulgus curaverat; ita ut eam ob caussam Possidius eumdem librum *Contra gesta Pelagii* jure nuncupaverit. Dicavit hoc opus Aurelio episcopo Carthaginensi. Illic singula errorum capita Pelagio apud Palæstinam synodum objecta, cum ejusdem ad illa responsis, minutatim excutit: deinde examinat, nulla-ne de conversione ejus aut innocentia dubitatio relinquatur; quod sanè creditu non ita pronum esse ostendit: & probat denique, hominem Synodi sententiâ sic fuisse absolutum, ut ipsa nihilo minùs hæresis, ob quam in judicium venit, incunctanter damnata fuerit. Pelagii nomen, quod in opere de natura & gratia tacuerat, hîc apertè profert: [d] At nunc „ si Pelagius, inquit, Deum cogitat, si non est ingratus ejus misericordiæ..... gratiùs ac„ cipiet litteras nostras, quando expresso nomine ulcus sanandum potiùs aperimus, quàm il„ las, ubi cùm dolorem facere timeremus, tumorem, quod nos pænitet, augebamus. Numquam ibi utitur epistolis ad Africanos antistites ab Innocentio scriptis; unde quis fortè conjicere possit, tum eas ad ipsum perlatas nondum fuisse: sed nec ibidem earum, quas Africani ad Innocentium miserant, litterarum meminit.

[a] Hic pag. 259. c.
[b] Pag. 219. c. & Epist. 177. n. 15.
[c] Hic pag. 222. c.
[d] Pag. 217. g.

In ejusdem operis [e] fine Augustinus injurias memorat, beato Hieronymo à cuneo perditorum hominum, qui Pelagio favebant, illatas. In hac seditione diaconus unus necatus, ædificia monasterii incensa, ipse Hieronymus firmissimæ turris beneficio vix eorum crudelitati subductus. Quin etiam [f] sanctæ virgini Eustochio, & Paulæ ejus nepti, trucidatis sub earum oculos domesticis, extrema omnia ferro & igne intentarant. Quo tam atroci facinore animi omnium, qui id famâ usquequaque volitante didicerunt, graviter vulnerati sunt.

[e] Pag. 217. a.
[f] Append. pag. 90. d. c.

Hieronymus litteris per Aurelium episcopum, eumque, [g] ut putant, Carthaginensem, transmissis de hoc apud Innocentium questus est: à quo eâdem illâ viâ responsum tulit. Idem quoque Pontifex virginis Eustochii querelis ad se delatis, ejus injurias sibi dolorem ac molestiam peperisse respondit: scripsitque Johanni Jerosolymitano epistolam admodum severam, in qua satis indicabat, illum à culpa minimè alienum sibi videri: & quamquam Hieronymus & Eustochium quemquam nominatim non expressissent; testatur tamen auctorem, unde profecta illa sint, [h] sibi non esse incognitum; quibus haud dubiè Pelagium designatum voluit. Obscurum non est, Præsules Numidiæ eventum illum, si fama ejus ad illos pervenisset, silentio non transituros fuisse tum, cùm [i] de Hieronymi contra Pelagium in Oriente conflictu Innocentio narrarent: neque etiam creditu proclive est, Innocentium, si rumor ejus jam Romæ atque in Africa pervagatus fuisset, de eo in suis responsionibus taciturum: atque ita commodiùs quàm ad exitum anni 416. referri non potest. Illud satis credibile est, epistolas in eam rem ab Innocentio datas Johanne jam vitâ functo pervenisse in Palæstinam. Zosimus enim die 21. Septembris anni 417. scribens ad Africanos, [k] Praylium diu antè suffectum in Johannis demortui locum fuisse docet. Innocentius ipse post collata illa in Ecclesiam beneficia migravit ad superos: cujus obitum hoc anno die 12. Martii contigisse, [l] manifestum est.

[g] Baron. ad an. 416.
[h] Append. pag. 90. e.
[i] Pag. 92. c.
[k] Pag. 100. a.
[l] In præfat. tom. 2. ad epist. 185.

E vivis excesserat sanctus ille Pontifex, [m] *beatæ memoriæ* titulo jam tum exornatus; nec tamen quidquam adhuc Zosimus in Pelagianorum gratiam egerat, cùm Augustinus Paulino episcopo prolixiorem epistolam contra Pelagianos per Januarium misit. Hac totâ in

[m] Epist. 186. n. 2.

disputando

disputando de Christi gratia distinetur, non eâ tantùm voluptate illectus, [a] quam ex ejus crebra mentione capiebat; sed eo potissimùm quod audierat, Nolenses inter [b] clericos aut cives inveniri, qui adversùs eam certarent, quique peccatum originis ita oppugnarent, ut per summam insaniam [c] libertatis usum infantibus etiam adhuc materna alvo clausis, cum boni malive electione, adeoque merita & peccata propria tribuerent: quorum etiam aliqui in errore mentem sic obfirmarant, ut dicerent se à Pelagio, qui peccatum originale negantes anathematizaverat, citiùs discessuros, quàm ab sua sententia avocari se paterentur. Quid porrò de istis sibi narratum esset, aut quinam essent ii, [d] Januarium Paulino declaraturum pollicetur: ipse verò non aliter indicat, quàm illos [e] magna & acuta ingenia vocando. Erat fortè eorum ex numero Julianus: quem tametsi Nolæ tum temporis fuisse non constat; haud longè tamen ab ea urbe morabatur; isque in Pelagianorum laqueos [f] jam dudum inciderat.

[a] *Epist. 186. n. 39.* [b] *Ibid. n. 29.* [c] *Ibid. n. 12. 13. &c.* [d] *Ibid. n. 14.* [e] *Ibid. n. 13.* [f] *Hic pag. 503. f.*

Augustinus Africanorum antistitum ad Innocentium epistolas, unà cum Innocentii responsis mittit Paulino; ut qui profitendæ Dei gratiæ studiosus esset, quod ejus satis commonstrabant scriptiones, armis quoque ac præsidiis, quibus eam ab adversariorum molitionibus defenderet, instrueretur. Non pauca etiam è Diospolitana synodo ei transscribit: ac meminit ibidem librorum, quos de libero arbitrio Pelagius [g] nuperrimè ediderat. Postea Semipelagiani quædam in illa epistola [h] improbarunt, neque ob aliud quidem, nisi quòd eorum errores de prædestinatione ac perseverantia convelleret.

[g] *Ep. 186. n. 27. & 34.* [h] *Hic pag. 852. d.*

Per hujus quoque anni æstatem librum ad Dardanum scribens, in illo [i] adversùs Pelagianam hæresim, quamvis ejus nomine abstinuerit, præcipuâ mentis intentione vigilabat.

[i] *Lib. 2. Retract. c. 49.*

XIV. Romam venit Cælestius, & fidei suæ libellum Zosimo porrigit. Innocentem putat Zosimus, ac super ejus caussa ad Afros antistites scribit, eumdem tamen interim non absolvens.

PELAGIUS ac Cælestius ubi damnatos se ab Apostolica sede totaque simul Ecclesia Africana audivere, actum esse de sua ipsorum fama, si damnatio illa vim obtineret, haud difficili negotio intellexerunt. Et hæc procul dubio caussa fuit, cur Pelagius Innocentio sui purgandi gratiâ scriberet, Cælestiusque Romam se se ipse conferret. Quantumvis sibi malè conscii, rebantur tamen non ita se dolis ac fraudibus destitui, immo nec forsan ab amicis usque adeo Romæ deseri, quin Romanæ Ecclesiæ [k] fucum facere valerent; ac non paucos etiam ex Urbe clericos in suas, uti sperabant, partes & nefarias opiniones pellicerent. Vulgatum in primis [l] fuerat, à Sixto Romano presbytero, qui postea in pontificem est cooptatus, non parum adjuvari gratiæ adversarios: quorum placita jam tum quoque Julianus Eclanensis in Campania episcopus fovebat.

[k] *Hic pag. 256. c. 433. f.* [l] *Epist. 191. n. 1.*

Cælestius porrò ex Africa post quàm anno 412. à Carthaginensi concilio excommunicatus fuerat discedens, [m] properaverat Ephesum; ubi etiam ausus erat, teste Mercatore, presbyterii locum per obreptionem petere. Et certè quidem Africani præsules ad se famâ perlatum esse, [n] anno 416. scripserunt, ipsum in Asia ad presbyterii dignitatem evectum: isque præterea [o] presbyter à Zosimo, cui in hoc quoque convenit Nestorius, appellatur. Idem [p] post aliquot annos relictâ Epheso Constantinopolim profectus, hac in urbe, quemadmodum olim in Africa fecerat, impietatis suæ dogmata proseminare aggressus est. Quod ubi primùm detexit Atticus ejusdem civitatis episcopus, eum inde magno studio ac diligentiâ expulit: adversùs quem etiam litteras ad episcopos in Asiam, Thessalonicam, & Carthaginem misit. Illum tunc Romam similiter scripsisse, non legimus; idque procul dubio non aliam ob rem, quàm quia cum Romano pontifice Johannis Chrysostomi caussâ ab se alienato necdum in gratiam redierat. Volunt Atticum ex auctoritate concilii eam in rem coacti hoc ipsum præstitisse: id enim solis conciliis ex disciplina ususque Ecclesiæ concessum, ut ad provincias, qualis erat Asia, publicas epistolas darent. Quid verò, si dicamus, Atticum ad Ephesinum tantùm antistitem scripsisse; Eò quidem referre nihil vetat, quod Augustinus anno 421. aut 422. litteris [q] consignabat, nimirum Constantinopoli profligatum fuisse ab exercitu Christi Cælestium: quæ tamen in Pelagianorum legatos esse ibidem [r] facta narrantur, ea non putamus nisi aliquot pòst annis contigisse.

[m] *Append. pag. 69. f. g.* [n] *Epist. 176. inter Aug. n. 4.* [o] *Append. pag. 98. c.* [p] *Pag. 69. f. g.* [q] *Hic pag. 554. c.* [r] *Append. pag. 68. b.*

Pulsus igitur Constantinopoli Cælestius, [s] Romam, ubi Zosimus Innocentio successe-

[s] *Pag. 70 a.*

rat, sine mora advolat. Adit [a] Pontificem, falsas, ut jactitabat, purgaturus suspiciones, quas Apostolicæ sedi de se injectas querebatur. Latum in Africa contra se judicium obscuritatis arguebat: Paulinum accusatorem suum vocabat ad Apostolicum tribunal; vel etiam, (quod fortè significant ea verba, [b] *provocat accusantem*,) paratum se adversùs cujuslibet accusationes caussam tueri prædicabat. Testatur ipse Paulinus, provocatum fuisse ad Apostolicam sedem, ibi insimulatum se fugæ ac deserti vadimonii, [c] sibique Carthagine IV. Nonas Novembris à Basilisco Romanæ Ecclesiæ subdiacono denuntiatam sui Zosimo sistendi necessitatem. Zosimus quoque asseverat, Cælestium ad se, ut ex [d] appellatione pristina judicium subiret, venisse. Ad hæc, Cælestius libellum fidei suæ obtulit, [e] eumque gestis ecclesiasticis allegavit. In eo primùm quidem, quantum libebat, in singulos excurrens Symboli articulos, ducto ab ipsa Trinitate unius Deitatis exordio, ad usque mortuorum resurrectionem, quibus in capitibus eum nemo reprehendebat, fidem suam minutatim explicabat: ubi autem ad ea quæ vocabantur in controversiam, pervenerat; [f] *Si quæ verò*, aiebat, *præter fidem quæstiones natæ sunt, de quibus esset inter plerosque contentio; non ego quasi auctor alicujus dogmatis, definita hoc auctoritate statui, sed ea quæ de Prophetarum & Apostolorum fonte suscepi, vestri Apostolatûs offerimus probanda esse judicio; ut si fortè ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepsit, vestrâ sententiâ corrigatur.* Qua ratione suam de gratiæ adjutorio mentem exposuerit, ignotum est: quod autem ad originis peccatum, fatebatur quidem infantes in remissionem peccatorum baptizandos esse; culpam tamen generatione transmitti negabat, eamque opinionem & à catholica fide abhorrere, & injuriâ Creatorem afficere contendebat. Nam verba ejus ista sunt: [g] *Infantes autem debere baptizari in remissionem peccatorum, secundùm regulam universalis Ecclesiæ & secundùm Evangelii sententiam, confitemur: quia Dominus statuit regnum cælorum non nisi baptizatis posse conferri; quod quia vires naturæ non habent, conferri necesse est per gratiæ libertatem. In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes, non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur: quod longè à catholico sensu alienum est. Quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine: quia non naturæ delictum, sed voluntatis esse monstratur. Et illud ergo confiteri congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur: & hoc præmunire necessarium est, ne per mysterii occasionem, ad Creatoris injuriam, malum ante quàm fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam.*

[a] Append. pag. 98. c. & seq. [b] Pag. 99. b. [c] Pag. 103. f. [d] Pag. 104. c. [e] Hic pag. 244. a. 245. f. 255. c. [f] Pag. 264. a. b. [g] Pag. 255. d. e. f.

Erat eo tempore Zosimus negotiis implicatus multis majoribus: hujus tamen decisionem differre in aliud tempus noluit; ne diutius Africam, quam futurus [h] itineris à Cælestio Romam suscepti & ferendi super ea re judicii exitus sollicitam habebat, exspectatione suspensam detineret. (Ergo Cælestium Romæ versari per Africam increbuerat.) Itaque die ad hanc rem constituto Zosimus beati Clementis, ubi consessum haberet, basilicam elegit; ut auctoritas hujusce tanti Pontificis, qui fidem suam martyrio consecrarat, qua religione in hujus caussæ judicio agendum esset, exemplo suo demonstraret. Constat præter [i] clericos Ecclesiæ Romanæ, varios quoque ex diversis regionibus presbyteros, vel episcopos, quos uno [k] sacerdotum nomine complectitur Zosimus, consessui adfuisse.

[h] Append. pag. 98. c. [i] Hic pag. 433. e. [k] Append. pag. 99. d.

Quidquid [l] ad eam usque diem actum in Cælestii caussa fuerat, illic excussum est. Introductus etiam eò Cælestius, ac ejus quo fidem suam testabatur, lectus libellus: de quo postea Pelagiani jactabant, non paucos è Romanis clericis ab illius opinionibus non abhorruisse; [m] *sententiâ suâ gestis*, inquiebant, *catholico dogmati adfuerant.* Et verò hæc illa professio Zosimo visa est catholica, non quòd, quæ dogmata Cælestii continebat, ipse approbaret; sed quòd Apostolicæ sedis judicium amplecti, paratissimum se iste prædicaret. [n] In homine „ acerrimi ingenii, ait Augustinus, qui profectò si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas „ emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus catholicus „ dictus est, quia & hoc catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit, „ non ea certissimè definire, sed detecta ac demonstrata respuere.

[l] Pag. 98. f. [m] Hic pag. 433. e. [n] Pag. 434. a.

Cùm igitur fidem suam ad eum modum Cælestius dedisset; ratus tamen non est Zosimus, ejus libellum sibi debere sufficere; [o] sed variis interrogationibus subinde hominis animum exploravit, eademne quæ scripto expresserat, in pectore sentiret: de sinceritate responsionum ipsius Deo, qui mentium arcana solus introspicit, relinquens judicandum.

[o] Append. pag. 98. f.

Ille verò quæ in oblato libello exposuerat, etiam linguâ [a] repetitis crebrò professionibus roboravit. Videbat quidem Zosimus hominem pravæ doctrinæ [b] veneno tumescere, verùm ei tamquam phrenetico leniora remedia, ut redderetur pacatior adhibenda esse existimabat. Ex iisdem illis interrogatis, quibus istum Zosimus urgendum putavit, nonnulla [c] refert Paulinus: inter quæ & illud commemorat, numquid universos damnaret errores eos, quos ipsi communis rumor adtribueret. [d] *Illa omnia damnas, quæ jactata sunt de nomine tuo?* Ad quod Cælestius id responsi dedit: *Damno secundùm sententiam beatæ memoriæ præcessoris tui Innocentii.* Quin etiam, [e] *se omnia, quæ sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.* Sed tamen instante Zosimo, [f] ut ea quæ illi à diacono Paulino fuerant objecta, damnaret, damnare noluit. Interrogatus quoque fuit de his, [g] quæ in eum Herotis & Lazari litteræ, à Carthaginensi synodo Romam destinatæ, objectabant. Ille verò horum alterum sibi ne conspectum quidem, nisi obiter; alterum, Herotem videlicet, quòd secus de se opinatus esset, satis sibi fecisse, respondit.

[a] Append. pag. 99. g.
[b] Hic pag. 256. a. b. c.
[c] Append. 103. a. b.
[d] Hic pag. 435. c.
[e] Pag. 256. b.
[f] Ibid. & append. pag. 103. c.
[g] Append. pag. 98. g.

Quamquam illud, quod præ se ferebat Cælestius, in sanctam sedem obsequium, Zosimum induceret ut mitiùs cum illo ageret: is tamen ipsum [h] excommunicationis vinculis quibus innodatus erat, absolvendum esse, non existimavit. At ejus judicium cautionis caussâ duobus mensibus ampliavit, ut nimirum per id spatii, tum Cælestio redire ad sanam mentem liceret, tum Africanis, quibus illius caussa magis erat comperta, rescribere. Verùm se magis præcipitem in caussa Herotis & Lazari præbuit; quippe quos absentes & episcopatu & communione privavit, sive Cælestii criminationibus, sive Patrocli tum temporis sedem Arelatensem pro Herote occupantis querimoniis permotus.

[h] Hic pag. 256. c.

Constituto in eum modum quod ad Cælestium adtinebat, id Aurelio ceterisque Afris antistitibus per litteras significavit, quibus sanctos illos præsules subirato animo ob præcipitatum Cælestii judicium perstringit. Litteræ Zosimi ad Africanos hac de re datæ Consules consignatos habent, non mensem, nec diem. Cùm autem negotium Cælestii deinceps reperiatur cum Pelagii negotio conjunctum, satis credibile videatur, id non multo ante XI. Kal. Octob. quo die Zosimus ad eosdem scripsit de Pelagio, contigisse. Nam ex hujus diei nota, Cælestii caussam jam inde à mense Junio aut Julio peractam colligere, ut ante hunc diem jam duos constitutos menses effluxisse asseramus, nequaquam necessum est. Quando quidem epistola illa XI. Kal. Octob. data, nonnisi ob novum emergentem casum missa fuit. Sin autem concessum spatium exactum jam fuisset, dubio procul aut Cælestium in communionem restituisset Zosimus, quod nequaquam in epistola sua reticuisset; aut saltem exposito, quamobrem necdum eum restituisset, id postulasset merito apponi sibi. Quod enim dicit, [i] Ubi Heros? ubi Lazarus? ubi illi adolescentes &c. his verbis significatum noluit, eos ex Palæstina intra duos menses Romam venire debuisse, cùm ipsis Timasioque & Jacobo non esset quidquam cum Cælestii negotio commune: sed vult eosdem, quemadmodum in litterarum serie satis explicat, id futurum providere oportuisse, ut ad Romanum tribunal Pelagii caussa deferretur; adeoque ipsos in culpa esse, quòd eò non venissent intentatam ab se accusationem prosecuturi. Videtur etiam jungendum Zosimi litteris mandatum illud, [k] quo Paulinum, ad caussam apud se dicendam vocari jubebat: quod quidem nonnisi IV. Nonas Novembris Paulino Carthagine fuit viva voce denuntiatum à Basilisco hypodiacono, quem idem Pontifex cum actis earum rerum, quæ Romæ super Cælestio gestæ fuerant, miserat: quæ videlicet [l] acta in Africam ab se dirigi, in epistola sua ipsemet significat.

[i] Append. pag. 100. e.
[k] Pag. 103. f.
[l] Pag. 98. f.

XV. *Pelagii epistola & fidei professio, destinatæ quidem ad Innocentium, sed Zosimo redditæ. Hic Pelagii quoque ambiguis verbis sibi patitur imponi, ejusque gratiâ in Africam scribit.*

Postquam igitur Zosimus pro Cælestio scripserat in Africam, is litteras à Praylio accepit Jerosolymitano post Johannem episcopo, qui Pelagii caussam quàm studiosissimè commendabat. Pelagius ipse suam quoque epistolam, qua hæresis crimen ab se depelleret, addiderat; adjuncta & fidei professione, in qua sincerè, quid crederet, quidve respueret, declarare se prædicabat. Utramque dirigebat [m] ad Innocentium, ut pote quas obitu ejusdem Pontificis nondum audito scripserat: verùm cùm in illius locum jam suffectus fuisset Zo-

[m] Hic pag. 244. b. 261. b.

simus, huic utique illæ redditæ sunt. Interiit quidem Pelagiana isthæc epistola; sed ex variis locis, quos Augustinus ex eadem producit, intelligitur, Pontifici eum exponere, [a] *Duo esse de quibus eum homines infamare conantur: unum, quòd neget parvulis baptismi sacramentum, & absque redemtione Christi, aliquibus cœlorum regna promittat: aliud, quòd ita dicat, posse hominem vitare peccatum, ut Dei excludat auxilium, & in tantum libero confidat arbitrio, ut gratiæ repudiet adjutorium.* Ibi cùm dixisset, [b] *numquam se vel impium aliquem hæreticum audisse, qui hoc de parvulis diceret;* deinde subjecit atque ait, *Quis enim ita Evangelicæ lectionis ignarus est, qui hoc non modò affirmare conetur, sed qui vel leviter dicere, aut etiam sentire possit? Deinde quis tam impius, qui parvulos exsortes regni cœlorum esse velit, dum eos baptizari & in Christo renasci vetat.* Rursumque post interpositum ex Evangelio testimonium, adjunxit dicens, *Quis ille tam impius est, qui cujuslibet ætatis parvulo interdicat communem humani generis redemtionem, & in perpetuam certamque vitam renasci vetet eum, qui natus sit ad incertam?* Quibus tametsi clarè explicatéque profiteri originis peccatum videretur, non tamen ipsi deerant ambages quædam, quarum ope verba illa ad hæresim suam accommodabat. Nam de ista quæstione ita solitus erat respondere quærentibus: [c] *Sine baptismo parvuli morientes, quò non eant, scio; quò eant, nescio.* Et quod super eadem re in Diospolitana synodo ad objecta sibi [d] catholicè responderat, detortis interpretationibus rescindebat.

[a] Hic pag. 244. b.
[b] Pag. 261. c.
[c] Pag. 262. d.
[d] Pag. 260. a.

Quod ad negatæ gratiæ crimen, post multas in accusatores suos querimonias, sic diluere nitebatur: [e] *Ecce*, inquit, *apud Beatitudinem tuam epistola ista me purget, in qua purè atque simpliciter ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino adjuvatur semper auxilio.* Deinde post quædam interposita de naturali potestate ad peccandum & non peccandum, adjungebat dicens: *Quam liberi arbitrii potestatem dicimus in omnibus esse generaliter, in Christianis, Judæis, atque Gentilibus: in omnibus est liberum arbitrium æqualiter per naturam, sed in solis Christianis juvatur à gratia. In illis nudum & inerme est conditionis bonum: in his verò qui ad Christum pertinent, Christi munitur auxilio. Illi ideo judicandi atque damnandi sunt, quia cùm habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possent, & Dei gratiam promereri, malè utuntur libertate concessa: hi verò remunerandi sunt, qui bene libero utentes arbitrio merentur Domini gratiam, & ejus mandata custodiunt.* Hac rursùm confessione gratiæ Pelagius adversariis suis non faciebat satis: tum quia gratiæ illic nomine intelligere poterat, ut solebat, legem atque doctrinam; tum quia quamlibet gratiam intelligeret, eam tamen manifestò dicebat secundùm merita dari. Postea verò ille [f] ad suæ fidei libellum, & ad varias, quas diversis temporibus ediderat, commentationes remittebat. Atque ea sunt, quæ nobis ex illa ejus epistola servavit Augustinus.

[e] Pag. 244. d. & seq.
[f] Pag. 245. d. 246. c.

Jam in suo illo [g] libello fidei Pelagius Cælestium imitatus, ea capita, quorum nemo illum postulabat, multis disputat, de universis fidei articulis ab ipsa Trinitatis unitate ad usque carnis resurrectionem differens: atque ubi ad baptismi quæstionem venit, [h] *Baptisma*, inquit, *unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, asserimus esse celebrandum:* quæ verba nihilo minùs ipsum ad originalis culpæ confessionem non adstringebant. Sic neque exprimebat qualem gratiam agnosceret necessariam, cùm paulò pòst diceret: *Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos semper Dei egere auxilio; & tam illos errare, qui cum Manichæis dicunt, hominem peccatum vitare non posse, quàm illos qui cum Joviniano asserunt, hominem non posse peccare.* &c. Enim verò ex iis quæ Augustinus de Pelagianorum fraudibus ac paralogismis tradit, intelligimus illam fidei expositionem, in qua nihil esse prorsus videtur nisi orthodoxum, januam omnibus eorum erroribus patefacere. Ipsam coronide admodum catholicâ, si quidem ea sincera fuisset, claudebat. *Hæc est fides, Papa beatissime*, inquiebat, *quam in Ecclesia catholica didicimus, quamque semper tenuimus & tenemus: in qua si minùs peritè aut parum cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & sedem tenes.* Pelagius quoties haberi catholicus volebat, hanc illam jactabat fidei professionem. Atque haud scimus an de hac ipsa interpretandus veniat Hieronymus, cùm in præfatione ad quartum suum librum in Jeremiam, scripta, ut videtur, anno 416. ante quàm violentias Pelagianorum expertus esset, quando quidem de illorum tantùm calumniis queritur, asserit hæreticos illos, ut imperitos decipiant, passim [i] expositionem suæ fidei prædicare, neque tamen illam ostendere.

[g] Append. pag. 96.
[h] Pag. 97. b.
[i] Pag. 78. f.

Accepta autem Pelagii ſcripta Zoſimus [a] in conſeſſu publico juſſit recitari, eaque mirum in modum approbavit. Ex his quippe, liquidò purgare ſe Pelagium, ac fidem ſuam tanta perſpicuitate exponere, ut locum malignis interpretationibus nullum relinqueret, judicabat. Idem etiam omnibus qui audierunt, viſum. Quod ſanctorum, ait Zoſimus, virorum, qui aderant, gaudium fuit? Vix fletu quidam ſe & lacrymis temperabant, tales etiam abſolutæ fidei infamari potuiſſe. Hoc ſanè ſtilo litteras ad Aurelium alioſque Afros antiſtites ſuper ea re XI. Kal. Octob. dedit, adjunctis & Pelagii ſcriptis. Hìc magis etiam ſtomachabundè, quàm in ſuperiore epiſtola, Herotem & Lazarum dictis proſcindit. Multis ſimiliter, quòd Africani, & duorum horumce præſulum litteris, & Timaſii Jacobique teſtimoniis fidem accommodaſſent, conqueritur.

[a] *Append. pag.* 100. a.

Utramque hanc Zoſimi de Pelagio ac Cæleſtio epiſtolam ex Vaticanæ bibliothecæ manuſcripto depromtam vulgavit Baronius. Viſum quibuſdam eas cum ſubdititiis ſcriptionibus numerandas, quaſi cum Auguſtino minùs illæ conſentirent; quamvis re vera cum eo nihil magis conſentiat. Fatendum tamen eſt, his famæ Zoſimi non perinde conſultum; quippe quæ planiſſimum faciant, eum Cæleſtii verbis pleniſſimam fidem præbuiſſe: quemadmodum apud ſe expoſtulaſſe [b] Africanos epiſcopos ipſe declarat. Et ea ſanè de cauſſa Pelagiani, poſt quàm à Zoſimo fuere condemnati, [c] prævaricationis eum accuſarunt: quod etiam crimen objecerunt Romanis omnibus [d] clericis, quos dogma catholicum, quod in memoratis conſeſſibus defenderant, turpiter deſerere clamitabant. Verùm cùm idem Pontifex, quam imprudens admiſerat, culpam deinceps correxiſſet, voluit Auguſtinus eam modeſto velare ſilentio. Quod itaque in illo, quem ut primum epiſcopum obſervabat, dignum aliqua laude exiſtimavit, id palàm propoſuit: cetera, quantum in ipſo fuit, excuſavit. Neque tamen inficiatur, Zoſimum initio [e] verbis fraudulentis Pelagianarum profeſſionum, ac Cæleſtii præſertim ſimulatione illa, qua ſe is & inſtrui velle, & Innocentii decretis conſentire profitebatur, deluſum fuiſſe: immo hoc factum S. Doctor non obſcurè ſignificat variis locis.

[b] *Pag.* 104. f.
[c] *Hìc pag.* 103. g. 681. d.
[d] *Pag.* 433. e.
[e] *Pag.* 256. d. e. 263. a. 434. a. 681. d.

XVI. Africanum concilium CCXIV. epiſcoporum Carthagine habitum reſcribit Zoſimo. Innocentii ſententiam in Pelagium & Cæleſtium dictam defendit: Zoſimumque, ut novum de Cæleſtio examen habeat, monet.

AFRICANI præſules acceptâ quam Zoſimus papa miſerat in Cæleſtii favorem epiſtolâ, eum litteris ſuis obteſtati ſunt, eò uſque res, [f] quo in ſtatu erant, relinqueret, dum pleniùs de ejuſdem Cæleſtii cauſſa, qui primùm quidem [g] apud ipſos accuſatus fuerat, edoceretur. Litteræ datæ ſunt ab epiſcopis ſive ob eam rem Carthaginem vocatis, ſive in ea urbe fortè fortunâ repertis; ex quibus tamen conſtitiſſe verum concilium ex eo intelligitur, quòd ad illorum litteras reſpondens Zoſimus epiſtolam ſuam Aurelio ac ceteris qui [h] in concilio Carthaginenſi adfuerunt, inſcribat. Veri ſanè quàm ſimillimum eſt, ſtatim atque allata fuit prior illa Zoſimi pro Cæleſtio epiſtola, Aurelium epiſcopis locorum minùs diſſitorum, putà provinciæ Proconſularis, Numidiæ, ac Byzacenæ, ſignificandum curaſſe, ut ad habendam ſecum deliberationem de re tanti momenti convenirent: atque ubi viciniores advenere, Zoſimo confeſtim ſcripſiſſe, ut Romam ipſæ eorum, ſi fieri poſſet, ante pervenirent litteræ, quàm conceſſi ab illo duo menſes eſſent exacti.

[f] *Append. pag* 104. f. g.
[g] *Ibid.*
[h] *Ibid.* b.

Acceſſerunt ergo deinde ceteri præſules, à quibus tandem concilium illud ducentorum quatuordecim epiſcoporum coaluit, quod ante quàm Cæleſtius à Zoſimo damnaretur, habitum fuiſſe [i] tradit Proſper. Hoc ipſum Auguſtinus non uno loco [k] vocat concilium Africanum, eo forſitan quòd è pluribus quidem provinciis conſtabat, licèt non ex omnibus; quo id ab inſequentis anni concilio plenario ac generali diſtinguit. Videtur autem ineunti Novembri aſſignandum, quia [l] Marcellinus ſubdiaconus, à quo ejuſdem conſulta ad Pontificem delata ſunt, profectionem VI. Idus illius menſis præparabat. Fieri tamen poteſt, ut propter rei tractandæ gravitatem & dirigenda in Urbem acta, productum aliquanto diutius fuerit. In hac ſynodo facta ſunt decreta & conſtitutiones, quas poſtea [m] orbis univerſus, Roma, nec non imperatores Honorius & Arcadius ſunt amplexi. Hæc decreta materiam ſuppeditarunt octo ſeu novem Africanis contra Pelagianos canonibus,

[i] *Pag.* 102. f.
[k] *Hìc pag.* 256. d. f. 263. a. & *Epiſt.* 215. n. 2.
[l] *Append. pag.* 104. b. f.
[m] *Pag.* 202. c. 68. c.

qui antea Milevitanæ perperam adſcripti ſynodo, jam generalis Carthaginenſis anno 418. Kalendis Maiis celebratæ eſſe cognoſcuntur. Decretis ſuis Synodus [a] præfixit epiſtolam ad Zoſimum, in qua ſic ad eum Patres alloquebantur: Conſtituimus in Pelagium atque Cæleſtium per venerabilem epiſcopum Innocentium de beatiſſimi apoſtoli Petri ſede prolatam manere ſententiam, donec apertiſſima confeſſione fateantur, Gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm ad cognoſcendam, verùm etiam ad faciendam juſtitiam, nos per actus ſingulos adjuvari, ita ut ſine illa nihil veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.

[a] Append. pag. 176. c.

Addebant, non ſufficere hominibus tardioribus, [b] quòd ſe generaliter Innocentii litteris conſentire dixiſſet Cæleſtius; ſed apertè eum debere anathematizare, quæ in ſuo libello prava poſuerat; ne ſi id non feciſſet, multi parum intelligentes magis in libello ejus illa fidei venena à ſede Apoſtolica crederent approbata propterea quod ab illa dictum erat eum libellum eſſe catholicum, quàm emendata propter illud quod ſe papæ Innocentii litteris conſentire ipſe reſponderat. Illic etiam Africani præſules judicium [c] Innocentii de ſynodo Dioſpolitana in mentem Zoſimo revocarunt: & dederunt operam, ut eidem [d] profeſſionis fidei à Pelagio Romam directæ fallacias & dolos aperirent; ſimulque diluerent [e] omnes hæreticorum cavillationes; ut ſcilicet illos non minùs ratione, quàm ſacra ſua auctoritate revincerent. Cùm porrò eos notaſſet Zoſimus, quaſi temere Cæleſtii delatoribus crediſiſſent: ipſum illi viciſſim oſtendebant, paulò celeriùs [f] Cæleſtii verbis fidem accommodaſſe. Tandem quidquid [g] apud ipſos ſuper Cæleſtii cauſſa factum antea fuerat, exponebant Pontifici; & geſta ea de re tunc, ſive præſente eodem Cæleſtio, ſive abſente confecta, mittebant. Quare epiſtolæ eorum [h] volumen productius ſibi viſum, non diſſimulat Zoſimus.

[b] Hic pag. 434. c.
[c] Pag. 256. c.
[d] Pag. 263. a.
[e] Append. pag. 86. c.
[f] Pag. 104. f.
[g] Pag. 70. b.
[h] Ibid.

Videntur præterea illi antiſtites, [i] Paulinum diaconum, qui Romam venire juſſus erat, accuſationis in Cæleſtium ante ſex annos ab ipſo intentatæ cauſſam dicturus, excuſaſſe apud Pontificem, atque illum fortè, ne eò proficiſceretur, prohibuiſſe; quia nempe Cæleſtii cauſſa nihil jam ad Paulinum, ſed ad Eccleſiam univerſam pertinebat: quemadmodum ſuo libello, quem ad Zoſimum VII. Idus Novembris miſit, idem Paulinus ſignificat. Nec eſt pariter dubium, quin de celebranda proximo anno poſt paſchalia feſta ex omnibus Africæ provinciis ſynodo generaliore ac plenaria decretum: quod videlicet menſe Maio peractum eſt.

[i] Pag. 103. d.

Atque hæc ſunt, quæ reperire licuit de Africano illo percelebri concilio, ac de poſterioribus litteris ab eo [k] per Marcellinum ſubdiaconum miſſis: cúmque Zoſimo Pontifice permulta ſuper hoc negotio ſcripta, [l] cùm Romà in Africam, tum ex Africa Romam cucurrerint; nihil tamen ſupereſt ex omnibus iis, quæ ad Zoſimum ab Africanis epiſcopis fuere directa. Et meritò quidem dolemus, periiſſe egregia illa monumenta, quibus illorum in defendenda Chriſti gratia, propugnandoque Innocentii decreto, generoſitas conſignabatur: cujus laudis partem non minimam Auguſtini ingenio & ſollertiæ debitam eſſe, certum eſt.

[k] Pag. 104. f.
[l] Hic pag. 433. f.

XVII. *Anno 418. Zoſimus Africani concilii Patribus reſpondet. Plenarium totius Africæ concilium Carthagine rurſus habitum novem canones edit in Pelagianos.*

AD primas Africani concilii litteras nullum ſeorſim reſponſum Zoſimus, hieme forſitan prohibente, dediſſe videtur; neque concilii Patribus, [m] niſi XII. Kal. Aprilis, poſt acceptas alteras eorum poſteriores litteras, adeoque unicam pro duabus, eamque ſatis brevem epiſtolam reſcripſiſſe. In ea magnificis verbis extollit dignitatem ſuam; & quòd de Cæleſtii cauſſa cum Africanis per litteras communicare placuit, hoc gratiæ apponi ſibi ab ipſis poſtulat. [n] Cùm tantum, inquit, nobis eſſet auctoritatis, ut nullus de noſtra poſſit retractare ſententia; nihil egimus, quod non ad veſtram notitiam noſtris ultro litteris referremus, dantes hoc fraternitati &c. Eos tamen certiores facit, ſe ſe omnia eodem in ſtatu, quemadmodum rogatus ab ipſis fuerat, reliquiſſe. Innuere autem videtur, ſibi propoſitum, quid hîc facto opus eſſet, iterum deliberare.

[m] Append. 104. f. g.
[n] Ibid. d.

Epiſtola hæc III. Kalend. Maii [o] pervenit in Africam, quo tempore Præſules Carthagi-

[o] Ibid. g.

nem novum contra Pelagianos concilium celebraturi conveniebant; quod quidem in basilica Fausti anno 418. die 1. Maii habitum, atque ex provinciis Byzacena, Mauritania Sitifensi, Tripolitana, Numidia, Mauritania Cæsariensi, & Hispania, congregatum in veteribus exemplaribus prænotatur; in eoque sedisse Aurelium, cum primate Byzacenæ Donatiano Teleptensi, & aliis ducentis tribus episcopis, legitur. Photius [a] ducentos viginti quatuor præter Aurelium & Donatianum numerat. Quin autem hoc ipsum plenarium [b] totius Africæ fuerit, in quo Augustinus se atque alios antistites quidpiam adversùs Pelagianam hæresim breviter constituisse testatur, nullus est ambigendi locus. In eo certè octo sive novem illos canones, qui Milevitano adscripti concilio legebantur, quos & Baronius à synodo in ea urbe anno 416. congregata sancitos existimavit, condiderunt. Enim verò eos huic concilio, præter Africanam collectionem, vetustissimum [c] Gandavense exemplar adsignat, & codex canonum Ecclesiæ Romanæ, & ipse pariter, qui ejus acta legit, Photius. Istorum etiam canonum tertius, quartus, & quintus à Cælestino papa [d] Carthaginensis concilii nomine citantur. Præter hæc, Milevitanæ synodi ad Innocentium epistola omnino mentionem non fecit horum canonum: quos tamen ad eum, ut ejusdem auctoritate confirmarentur, mittere debuisset. Quin immo hæc synodus nihil aliud à Pontifice petiit, nisi ut errores Pelagianorum duos, originale peccatum & gratiæ necessitatem impugnantes damnaret: cùm tamen illorum canonum tres postremi etiam eos anathemate percellant, qui verba Johannis, & Jacobi, Dominicæque orationis ab germano intellectu detorquerent, ut ne inde agnosceremus justos quosque hac in vita peccatis non carere. Quid quòd antistites illi quinque, à quibus post Milevitanam synodum Innocentio scriptum fuit, haud quaquam omnino vetant, [e] ne quis hominem dicat posse cum gratiæ adjutorio esse in hac vita sine peccato, modò tantam perfectionem justitiæ nemo sibi arroget? id quippe iterum ad examen esse revocandum censent. Rursus eamdem illam quæstionem Augustinus in libro de gestis Pelagii aliquantò pòst elucubrato, annumerat iis, [f] quas non adversùs hæreticos disputari, sed pacificè inter catholicos examinari oporteat.

Quod ad numerum horum canonum, quibus confixam esse à concilio Carthaginensi Pelagianam hæresim, in confesso est, cùm antè in collectione Africana non nisi octo legerentur, duo scilicet primi de peccato originali, tres medii de gratiæ adjutorio, tresque ultimi de impeccantia; nonum antiquissimi codices exhibent tertio loco insertum, quo ii condemnantur, qui parvulis hinc sine baptismo migrantibus medium aliquem felicitatis locum extra cælorum regnum ac dæmonum contubernium adsignarent. Photius huncce canonem agnoscit, eique sedem eamdem adtribuit. Neque deest Augustini testimonium, affirmantis [g] « novellos hæreticos Pelagianos justissimè conciliorum catholicorum & sedis Apostolicæ damnatos auctoritate, eo quòd ausi fuerint, non baptizatis parvulis dare salutis & quietis locum etiam præter regnum cælorum. « Sic verò sub anni 419. finem loquebatur sanctus Doctor: atque adeo veri simile fit, Africanum concilium superioris anni de hoc Pelagianorum effugio Zosimum fecisse certiorem, idque & ab Afris in hoc plenario concilio anni 418. & ab illo Pontifice in sua epistola Tractoria, anathemate affectum fuisse.

De utroque illo Africæ concilio Prosper in carmine de Ingratis:

Tu caussam fidei flagrantiùs Africa nostræ
Exsequeris, tecumque suum jungente vigorem
Juris apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, GEMINOQUE *senum celeberrima* COETU
Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur.

Et paulò pòst in Augustini laudes effusus prosequitur:

An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat? quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo,
Accensum vero de lumine. Nam cibus illi,
Et vita, & requies, Deus est, [h] &c.

[a] Pag. 108. a.
[b] Epist. 215. n. 2.
[c] Append. pag. 106. not. c.
[d] Pag. 135. c. f.
[e] Epist. 177. n. 16. & 18.
[f] Hic pag. 221. b.
[g] Pag. 367. a.
[h] Append. pag. 58. d.

XVIII. *Pelagianos ſancita lege multat Honorius imperator. Eoſdem Zoſimus decretoriâ tandem damnat ſententiâ, quæ ab Eccleſia univerſa ſuſcipitur.*

SOLUTO concilio [a] Auguſtinus cum aliquot epiſcopis ad reliquas decidendas cauſſas delectus, remanſit Carthagine: qua in urbe, donec [b] in Mauritaniam Cæſarienſem proficiſceretur, ubi quidem XVI. Kal. Octob. agebat, negotia illum varia, nec parum urgentia detinuerunt, habueruntque occupatiſſimum. Tum [c] verò cum haud mediocriter bini nuntii per quàm læti recrearunt: alter de lege ab Honorio in Pelagianos lata, alter de condemnatis à Zoſimo papa iiſdem hæreticis.

[a] Hic pag. 227. no. b. [b] Epiſt. 193. n. 1. [c] Hic pag. 229. a. & 260. g.

Exſtat hodieque [d] lex illa Honorii, die 30. Aprilis anni 418. Ravennæ data. Hac lege Imperator edicit, ut Cæleſtius & Pelagius Româ, (modò iſthîc agerent, ſi quidem erat Pelagius id temporis in Palæſtina,) primitus pellantur; deinde ut quiſque compertos hæreſis eorum ſectatores magiſtratibus deferat, & reis tandem exſilii pœna irrogetur. Imperiale edictum juſſione ſua proſecuti ſunt [e] præfecti prætorio, Junius Quartus Palladius Italiæ, Monaxius Orientis, & Agricola Galliarum. Jubent ii Pelagium ac Cæleſtium, juxta decretum Imperatoris, ex Urbe ejici; omneſque iſtorum erroris convictos, facultatibus ſuis ſpoliari, ac perpetuo multari exſilio.

[d] Append. pag. 105. [e] Pag. 106. b.

Pelagiani, qui pro arbitratu legem divinam interpretabantur, imperialem quoque ad ſuos ſenſus [f] pertrahebant. Nam quantumvis perſpicua hæc eſſet, jactare non erubuit Julianus, eam pro ſe potiùs ab Imperatore redditam: cui Auguſtinus, debere ergo illum eamdem publicis poteſtatibus allegare, feſtivè reponebat.

[f] Hic pag. 554. a. b.

Ea ſanè lex petita fuerat, quando quidem non nuda conſtitutio dicitur, ſed reſcriptum, & reſponſum. Nam de illa Auguſtinus: *Si pro vobis potiùs*, inquit, *ab Imperatore reſponſum eſt.* Eam Africanorum precibus conceſſam declarare videtur antiquus codex canonum Eccleſiæ Romanæ hacce inſcriptione: *Sacrum reſcriptum acceptis ſynodi ſuprà ſcriptæ geſtis.* Præcedit autem illic ſynodus Carthaginenſis anni 418. quæ quidem cùm die 1. Maii celebrata ſit, uno die poſterior eſt reſcripto; at facili errore ſynodus anni 418. cum ea quæ 417. habita erat, confundi potuit.

Qui Honorii legem die 30. Aprilis ſancitam Zoſimi judicio priorem opinantur, ii non parum momenti hanc habuiſſe ad illud à Pontifice eliciendum exiſtimant. Aliunde verò cernebat Zoſimus fideles Romanos [g] una voce, uno ardore pro veritate catholica adversùs Pelagii errores decertare: quos profectò ejus dogmata, quia inter eos diu vixerat, latere non poterant; quique Cæleſtium ejus eſſe diſcipulum ſic noverant, ut fideliſſimum & firmiſſimum poſſent de hac re teſtimonium perhibere. Præterea nonnulli Urbis catholici, poſt Africani concilii reſcripta, curarunt ut in Pontificis notitiam perferrentur quædam ex Pelagii dictis ac ſcriptis, ut puta ejuſdem in Paulum commentarios, ad quorum quidem commentariorum errores Cæleſtii damnationem [h] refert Mercator. Cùm verò ex adverſa parte qui hæreſim tuerentur, ibi non deeſſent, moleſtiſſimo diſſcidio Roma divellebatur, atque ut Honorii verbis loquamur, [i] ſciſſis in partes ſtudiis aſſerendi, materia impacatæ diſſenſionis inducta erat. Inter alios Conſtantius [k] quondam vicarius Præfectorum, tunc autem Chriſti ſervus, Romæ habitans, ſuum pro Dei gratia ſtudium illuſtravit in retundendis Pelagianorum conatibus; quorum factione multa perpeſſus, ſanctorum confeſſorum catalogo adſcribi meruit. Ad hoc ipſum tempus fortè referendum, [l] quod ea Juliani criminatio veri continet, qua catholicos ſeditionum Romæ excitatarum accuſabat.

[g] Pag. 256. c. [h] Append. pag. 70. c. [i] Pag. 105. e. [k] Pag. 102. e. [l] Hic pag. 1066. a.

Cùm igitur eo loco res in Urbe eſſent, Zoſimus Cæleſtium ex Africani concilii monitis iterum examinare decrevit, ac tandem [m] ex ejus ore clara perſpicuaque reſponſa exprimere, ut dubium poſthac non remaneret, vel eum errores ejuraſſe, vel perfidum impoſtorem eſſe habendum. At ille huic examini ſe ſe committere nequaquam auſus, [n] non tantùm vadimonium deſeruit, ſed etiam ex Urbe aufugit. Eo non comparente, nihil jam Zoſimum [o] detinere potuit, quo minùs ſententiam illam, quam & hæreticorum pertinacia, & utilitas Eccleſiæ ab eo exigebat, pronuntiaret. Ergo quam [p] paululùm intermiſerat, juſtæ ſeveritatis rationem protulit: Africani concilii decreta [q] probavit, roboravitque

[m] Pag. 434. d. [n] Append. pag. 70. b. [o] Hic pag. 434. e. f. [p] Pag. 435. a. [q] Append. pag. 68. c. 102. f. 195. f.

ravitque; ac [a] præcessoris sui judicium secutus, Pelagium & Cælestium repetita [b] auctoritate damnavit; eos [c] ad pænitentium ordinem, si quidem errores suos detestarentur, redigens; sin autem id recusarent, omnino anathemate percellens. Scripsit hac de re [d] & specialiter ad Afros, & universaliter ad omnes totius Christiani orbis episcopos litteras, easque longè [e] amplissimas, quarum aliquot fragmenta Augustinus, Prosper, ac Cælestinus papa referunt. Errores [e] quorum accusatus à Paulino Cælestius fuerat, ibi exponebat; & nihil omittebat eorum, quæ cùm ad Cælestii discipuli, tum ad Pelagii ejus magistri caussam pertinebant. His etiam litteris, si Viro erudito credimus, [f] Pelagianorum errorum catalogum ex Augustini ad Paulinum epistola excerptum inseruit. Ibidem Johannis [g] Chrysostomi honorificam faciebat mentionem. Culpam originis [h] validissimè adstruebat: nec dubitaverimus eam Zosimi scriptionem esse, in qua [i] novellos hæreticos, quòd infantibus non baptizatis locum quietis ac felicitatis extra cælorum regnum concederent, Apostolicæ sedis damnavit auctoritas. Isthîc etiam docebat, [k] nullum tempus intervenire, in quo divino non egeamus auxilio; nosque in omnibus actibus, caussis, cogitationibus, motibus, ex Dei præsidio, non ex naturæ viribus, omnia exspectare debere. Idem varios locos [l] ex Pelagii in Paulum commentario ipsis litteris suis inter alia ejus damnabilia comprehendit. Hos locos exscribit Mercator, eosque testatur omnino insertos fuisse Zosimi epistolæ, quam Tractoriam vocat.

Eadem illa epistola [m] ad orientales Ecclesias, in Ægyptum, Constantinopolim, Thessalonicam, & Jerosolymam, immo & per totum orbem missa, ab omnibus catholicis antistitibus subscripta fuit. Quocirca jure merito litteris proditum est, episcoporum 214. in Africano concilio [n] editam contra inimicos gratiæ Dei constitutionem totum mundum amplexum esse, ac [o] per totum mundum hæresim Pelagianam fuisse damnatam: quod Honorius quoque [p] mense Junio an. 419. datâ ad Aurelium sanctione significat, Pelagianos videlicet ab universis justa sententiæ examinatione damnatos affirmans. Zosimum sanè constat imperasse, ut eadem epistola ab Italiæ præsulibus subscriberetur: si quidem [q] ab eo Julianus episcopus, quòd illi subscribere detrectasset, damnatus & dignitate abdicatus est.

Tum verò cùm Romani clerici, quos prævaricationis perinde atque Zosimum deinceps Pelagiani accusavere, in præsidis sui sententiam propensis animis concederent; Sixtus presbyter, ille ipse quem [r] caussæ suæ præcipuum defensorem jactabant gratiæ adversarii, [s] primus omnium eis anathema in populo frequentissimo pronuntiavit; deque hac re sedulò [t] scripsit ad eos, apud quos se Pelagiani de ipsius amicitia efferre solerent: neque suis tantummodo litteris alienissimum ab hæresi animum declarare, verùm etiam illius sectatores ad ipsam ejurandam terrore legum imperialium cœpit impellere.

Quamvis autem Zosimus in suis litteris die 21. Martii datis animum remissum & ad Pelagianos damnandos parum adhuc propensum præ se ferat: Augustinus tamen decretoriam illius contra eosdem epistolam inter Africanum anni 417. concilium & plenarium anni 418. sic ponit, ut hoc ultimo concilio priorem esse significet, aut saltem illud secutam adeo celeriter, ut ejus inductu data dici nequeat. Quod, [u] ait, papæ Zosimo de Africano concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad universos totius orbis episcopos missum, & quod posteriore concilio plenario totius Africæ contra ipsum errorem breviter constituimus..... misimus vobis.

Zosimo de Pelagianorum damnatione, quemadmodum par erat, gratulati sunt præsules Africani, quorum ex epistola hanc in rem conscripta unum istud à Prospero excerptum est, quod & Cælestinus citat. [x] Illud verò, inquiebant illi, quod in litteris tuis, quas ad universas provincias curasti esse mittendas, posuisti, dicens, Nos tamen instinctu Dei, (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur,) ad fratrum & coëpiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus: sic accepimus dictum, ut illos qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quàm quod universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? Et tamen instinctu Dei factum esse, fideliter sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti. Ideo utique, quoniam præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Ut nec nostrum

a Hic pag. 504. a. 681. d.
b Pag. 434. g.
c Pag. 263. d. & epist. 190. n. 22.
d Ibid.
e Append. pag. 70. b. c.
e Ibid. a.
f Pag. 89.
g Pag. 113. c.
h Epist. 190. n. 23.
i Hic pag. 367. a.
k Append. 133. d.
l Pag. 70. d. 71. d. Epist. 190. n. 22.
m Append. pag. 70. c. 71. d.
n Pag. 202. c.
o Pag. 102. f.
p Pag. 109. d.
q Pag. 71. d.
r Epist. 191. n. 1.
s Epist. 194. n. 1.
t Epist. 191. n. 2.
u Epist. 215. n. 2.
x Append. pag. 176. c. & 133. c.

» deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus, » magis illius valere non dubitemus auxilium.

XIX. Pelagianorum damnationem subscribunt episcopi omnes, præter octodecim, qui & depositi secessionem faciunt, ac generale concilium postulant.

ZOSIMUS decretoriâ sua epistolâ in Pelagianos, ab universis episcopis non modò ut hæresim rejicerent, petebat, sed etiam ut ejus proscriptionem subscriptionibus ipsi suis comprobarent. Hanc re ipsa epistolam [a] narrat Mercator missam per totum orbem, subscriptionibus sanctorum patrum esse roboratam. Id quoque indicare putatur Prosper, cùm dicit, [b] ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armatas antistitum; deinde, in eorumdem excidium unam [c] cunctorum sacerdotum manu scriptam sententiam; ipsorum denique dogmata damnata fuisse conciliis [d] mundique manu. Certè quidem illud ipsum Pelagiani conquesti sunt in hæc verba: [e] *Simplicibus episcopis, sine congregatione synodi, in locis suis sedentibus, extorta subscriptio est.*

Ea occasione Julianus [f] & reliqui complices ejus, ait Mercator, subscribere detre» ctantes, consentaneosque se nolentes iisdem patribus (qui subscripserant) facere, non » solùm imperialibus legibus, sed & sacerdotalibus statutis depositi atque exauctorati, ex » omni Italia deturbati sunt; ex quibus plurimi resipiscentes & à prædicto errore corre» cti, regressi sunt supplices ad sedem Apostolicam, & suscepti suas Ecclesias receperunt. Julianus autem ejusque complices procul dubio erant [g] octodecim illi Pelagianæ factionis antistites, qui non multo pòst litteras ad Rufum Thessalonicensem miserunt. Nestorius ad Cælestinum papam scribens in gratiam Pelagianorum, nominat [h] Julianum, Florum, Orontium, Fabium episcopos: queis [i] Persidium ac Marcellinum addit Ephesina synodus. Igitur compellati illi fuere, ut cum Ecclesia universa Pelagium ac Cælestium damnarent, nec non Zosimi subscriberent epistolam. Illi verò id se facturos [k] negarunt, causati videlicet, fas non esse, absentes ac inauditos, quique libellis suis errores sibi impositos proscripsissent, infami sententiâ afficere. Hac de re Julianus dedit [l] epistolas ad Zosimum duas, quarum altera quæ ejus abdicatione prior apparet, ille ipse forsitan [m] libellus fidei est, qui nostra ætate ex Veronensi codice prodire cœpit, plurimorum episcoporum, nempe istorum octodecim qui se Juliano conjunxerant, nomine scriptus. Primis tribus partibus fidei professio non multùm à Pelagiana & Cælestiana suprà memoratis discrepans continetur: fatentur tamen per Adam omnes mori; sed peccatum originale, quod ipsi naturale vocitant, planissimè rejiciunt. Pelagium quoque ac Cælestium abundè fidem suam, rejectis qui sibi falsò imponebantur erroribus, probasse existimant. In extremis partibus, ubi rationem reddunt, [n] cur hæresiarchas illos damnare nolunt, quòd videlicet auditi ipsi non fuissent, hanc in rem iisdem locis, quibus antè Zosimus in Africanos, abutuntur, tamquam hoc pacto mutatam ei sententiam exprobrantes. Dicunt se, [o] tametsi & muneris sui & Christianæ caritatis sit, quos reos esse non viderent, hos tueri velle, tamen medios, sicuti promiserant, manere, ut eosdem neque inauditos damnent, neque absentes defendant. Pontificem, si quidpiam in his [p] quæ de doctrina sua & fide ad eum scribunt, minùs prober, id sibi significare posse dicunt: at verò si injuriâ urgeantur, se statuisse nullis vexationibus quantumlibet violentis cedere: ac præterea ad plenariæ synodi judicium se provocare, Pontifici declarant.

Zosimus porrò professione fidei prorsus Pelagiana haud quaquam contentus esse poterat. Quapropter constat Julianum ejusque socios ecclesiasticâ sententiâ ab eodem dictatâ pontifice, quem idcirco Juliani [q] damnatorem vocabat Augustinus, de gradu dignitateque dejectos fuisse. Relata fuit in tabulas hæc sententia; quando quidem in Ephesina synodo [r] acta depositionis Pelagii, Cælestii, Juliani, Persidii, Flori, Marcellini, Orontii & sociorum, lecta & confirmata fuere.

Post hanc etiam, uti nobis videtur, condemnationem suam Julianus epistolam aliam, cujus excerpta legere est [s] apud Mercatorem, Zosimo scripsit: ubi quosdam ex erroribus in Cælestio damnatis specie tenus reprobat, quos apertè postea docere non est veritus. Ante quàm in manus Pontificis epistola hæc perveniret, per totam penè Italiam nonnul-

[a] Append. pag. 71. d.
[b] Pag. 195. f.
[c] Pag. 171. d.
[d] Prosp. de Ingrat. cap. 9.
[e] Hic pag. 492. e.
[f] Append. pag. 71. d.
[g] Hic pag. 412. c.
[h] Append. pag. 129. e.
[i] Pag. 135. c.
[k] Pag. 113. a. c.
[l] Hic pag. 880. f.
[m] Append. pag. 110. b.
[n] Pag. 113. b.
[o] Ibid. d.
[p] Ibid. a. d.
[q] Hic pag. 504. a.
[r] Append. pag. 135. c.
[s] Pag. 115 b. & seq.

lorum à Juliano deceptorum studio circumlata erat, & cum permultis tamquam egregium quoddam opus communicata. Aliam quoque idem Julianus confirmandis iis, qui Pelagianorum partes sectabantur, Romam sub anni 419. exitum misit. Illic [a] profitebatur se cum Manichæis, id est, Catholicis, tum temporis non communicare. Et re ipsa dissidium ab eis cum Ecclesia factum [b] testatur Augustinus. Ii [c] presbyteros suos atque episcopos aliquantisper habuerunt: verùm cùm ea factio semper tenuis admodum infirmaque fuerit, sacris ædibus in quas convenirent destituebantur. Quocirca eorum plerique non dubitabant in ecclesias Catholicorum venire, & unà communionem accipere: isti tamen & ceteris factionis suæ horrori erant, & sicubi deprehendebantur à Catholicis, puniebantur severissimè.

[a] Hic pag. 413. b. [b] Ser. 181. n. 3. [c] Append. 65. b. c.

Etsi autem factiosi se cum [d] Catholicis, quos Manichæos per injuriam nominabant, communicare nolle jactarent: nullam tamen operam aut industriam prætermisere, ut excommunicationis pœnam à se ipsis amoverent. Hi sanè ad imperatorem Honorium [e] adiere, à quo judices ecclesiasticos, qui negotium ad examen revocarent, postularunt, caussati se per dolum & fraudem condemnatos. Verùm illorum molitiones Valerius Comes auctoritate sua fregit, obstititque ne tempus ac locus examinandæ rursus eorum caussæ ab Imperatore assignaretur. Ac meritò quidem Honorius, cùm de antiqua catholica fide dubitari nollet, nequaquam novas disceptationes fidei inimicis concedendas esse ratus est, verùm eos legum potiùs ac disciplinæ severitate coërcendos. Atque ita Ecclesiæ auctoritati suam junxit, & Julianum aliosque, quibus episcopatum [f] Zosimus ademerat, ejiciendos ex Italia curavit. Quo tempore id factum fuerit, nondum liquidò apparet: neque fortè contigit ante annum 419. quo Imperator sanctione nova [g] propositis abdicationis atque exsilii pœnis universos antistites ad comprobandam subscriptionibus suis damnationem hæresiarcharum adstrinxit: quod dicit à se constitutum ad quorumdam episcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravas eorum disputationes vel tacito consensu adstruunt, vel publica oppugnatione non destruunt.

[d] Hic pag. c. 430. [e] Pag. 878. d. e. [f] Append. pag. 71. d. e. [g] Epist. 201. inter Aug.

Negatam sibi concilii copiam multùm questi sunt Pelagiani: eamque [h] denegationem in victoriæ suæ argumentum trahere voluerunt. Julianus certè diffidentiam [i] Catholicis quodam modo insultabundus, ob recusatam sibi suisque audientiam, objectabat. Respondit Augustinus, eorum caussam [k] ab episcopis competenti habito judicio abundè discussam, alio examine haud indigere: [l] deinde apertam nimis esse hæresis Pelagianæ perniciem; & hæreses plerasque sine generalium synodorum convocatione fuisse damnatas: at ipsos orbem catholicum, quem pervertere nequeant, conari saltem commovere; necnon quâ superbiâ volunt, non in Deo, sed in se gloriari, hanc etiam captare gloriam, ut propter illos Orientis & Occidentis synodus congregetur: similes hac in re [m] Maximianistis, qui se ad agendam in Carthaginensi collatione caussam suam admitti petebant, nihil aliud cupientes, nisi exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari, & inde videri aliquid apud eos quibus contemtibiles erant, quòd inire cum Catholicis sinerentur examen.

[h] Hic pag. 555. d. [i] Pag. 430. c. [k] Pag. 493. a. 555. b. [l] Pag. 492. f. & seq. [m] Pag. 555. c.

XX. *Pelagii fallacias libris de gratia Christi & de peccato originali editis retegit Augustinus. Idem ad Optatum scribit, ad Mercatorem, & ad Sixtum.*

PELAGIANA hæresi cum suis auctoribus à Zosimo jam condemnatâ, cùm Carthagine adhuc post plenarium anni 418. concilium ageret Augustinus, conscripsit in ejusdem hæresis auctores libros duos, in quibus, quidquid Africani antistites in litteris ad Zosimum, quarum jacturam dolemus, ad retegendas Cælestii vel Pelagii fraudes afferebant, reperiri posse opinamur. His libris occasionem præbuit colloquium Piniani, Albinæ ejus matris, conjugisque Melaniæ cum Pelagio, habitum fortè in Palæstina: nam ille quidem anno 415. ibi versabatur, & anno 417. Jerosolymitanus episcopus Praylius Romam unà cum ipso atque in ipsius gratiam litteras misit: Albina autem, Pinianus, & Melania inde anno 419. per Hieronymi litteras Augustinum salutarunt. In eo colloquio egerant illi cum Pelagio, ut errores omnes, quorum insimulabatur, calamo proscriberet. Qua de re Pelagius ipsis responderat primùm, [n] à se *anathemari, qui vel sentit, vel dicit, gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non solùm per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam.* Tum se, [o] *& baptisma unum tenere, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majo-*

[n] Pag. 229. b. [o] Pag. 245. c.

ribus diceret esse celebrandum : & cùm ulteriùs interrogaretur; *infantes in remissionem peccatorum percipere baptismum*, ore proprio confessus erat. Ipsis etiam [a] recitavit libellum, quem Romam ad Innocentium miserat: deque hoc apud eosdem [b] questus est, quòd in Cælestii damnatione, non quidem à Zosimo, nec enim id jam ad ejus aures pervenisse crediderimus, sed ab Innocentio Afrisque episcopis esset comprehensus: at è contrario suam à Diospolitana synodo innocentiam declaratam fuisse gloriabatur.

Veteratoris hujus dolos & ambiguitatum nodos neque Pinianus, neque præsentes matronæ pervidere valuerunt. Quapropter eo modo, quo in votis habebant, [c] loquentem illum audivisse, ipsis quidem gratissimum accidit: non ausi tamen in re tanta ingenio suo credere, Augustinum tamquam oculatissimum consulere de illius verbis maluerunt. Datis igitur communi nomine litteris eidem sermonem, quem cum Pelagio contulerant, significavere; quid super eo sentiret, sciscitantes. Harum litterarum perlator sanctum Præsulem, ut jam dictum antea, reperit [d] Carthagine: ubi quamvis negotiis multò quàm alibi densioribus occuparetur, non tamen responsum distulit diutius, nec minus reddidit, quàm volumina duo, *de gratia Christi* unum, alterum *de peccato originali.* In his quænam esset Pelagii vera mens circa hoc utrumque caput, ex illis ipsis operibus docet, quæ hæresiarcha ille sui purgandi caussâ in epistola ad Innocentium citabat; maximè verò ex ejus libris de libero arbitrio, in quibus quoniam Pelagius Ambrosii per quàm honorificam faciebat mentionem, ac ejus fidem eximia commendatione prædicabat, illi Augustinus in utriusque voluminis sui calce ejusdem antistitis varia opponit testimonia.

Primo quidem volumine ostendit Pelagium gratiam vel in natura & libero arbitrio, vel in lege ac doctrina collocare; prætereaque ipsum velle gratiâ solam voluntatis & actionis possibilitatem, ut vocabat, non ipsam voluntatem & actionem adjuvari; & illam insuper adjuvantem gratiam secundùm merita dari, atque ad id solum juvare homines, ut præcepta faciliùs possint implere. Itaque locos omnes opusculorum ejus, quibus ille gratiam disertè à se commendatam jactitabat, de lege ac doctrina, seu de divina revelatione ac de Christi exemplo, quæ ad doctrinam æquè revocantur, aut de peccatorum remissione interpretari posse demonstrat; neque apparere omnino an verè Christianam gratiam, id est, [e] adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ caritatis agnoscat Pelagius. Quem etiam in quæstione de originali peccato ac de parvulorum baptismate nihil re ipsâ à discipulo ipsius Cælestio dissentire, secundo volumine ostendit: post cujus medium refellit novam illam adversùs originale peccatum argumentationem, fortè à Theodoro Mopsuesteno [f] excogitatam: *Ergo*, objectabant adversarii, *malum sunt nuptiæ, & non est opus Dei homo quem generant nuptiæ.* Hoc rursùm in volumine, quæstionem de originali vitio non earum esse, in quibus præter fidei periculum errare contingit, quod Pelagiani, ne hæretici dicerentur, volebant, sed eam ad fidei caput pertinere, demonstrat. Isthîc etiam narrat [g] quæ sub Zosimi pontificatu Romæ circa Pelagium ac Cælestium fuerant gesta, & quo tandem pacto uterque damnationis sententiâ notatus esset. Quin & hisce duobus voluminibus [h] libellum à Cælestio Pontifici oblatum junxit, additis omnibus iis quæ illud idem negotium spectabant; atque haud scimus an non decretoriam quoque Zosimi epistolam, ad quam [i] Albinam, Pinianum, & Melaniam remittit, annectendam curaverit.

Inter id temporis alia sancto Præsuli occasio, ut novis susceptis laboribus amorem erga Ecclesiam suum testatiorem faceret, oblata est à Zosimo papa, [k] qui tum ipsum, tum alios aliquot episcopos, Cæsaream Mauritaniæ ob ecclesiasticam aliquam necessitatem proficisci, missis ea de re litteris compulit. Cùm ergo Carthagine [l] digressus est, hinc in Mauritaniam Cæsariensem perrexit; in cujus provinciæ urbe primaria, Cæsarea videlicet, quæ & regioni nomen dedit, die 20. Septembris hujus ipsius 418. anni versabatur. Illic verò licèt rebus aliis occupatus, epistolam ad Optatum episcopum de animæ origine, Muresse episcopo suadente, Renato autem monacho vehementer instante, dare compulsus est: quam tamen se relictâ jam urbe Cæsareâ scripsisse significat verbis illis, [m] *cùm in suprà dicto oppido remoraremur.* Hac in epistola sedulò monet, sic tractetur perplexa illa quæstio, ut integra sit in primis fides, qua credimus neminem nasci ex Adam, nisi vinculo damnationis obstrictum, neminem inde liberari, nisi renascendo per Christum: & caveatur nova Pelagiana hæresis, toto jam Christiano orbe damnata, quæ adversùs Dei gra-

[a] Hic pag. 253. b.
[b] Pag. 256. d.
[c] Pag. 255. c.
[d] Pag. 229. a.
[e] Pag. 246. d.
[f] Suprà n. XI.
[g] Hic pag. 255. g & seq.
[h] Pag. 244. a.
[i] Pag. 263. a. b.
[k] Epist. 190. n. 1. & Possid. c. 14.
[l] Epist. 193. n. 1.
[m] Epist. 190. n. 1.

tiam disputando, antiquissimæ fidei molitur fundamenta convellere. Mittit quoque Optato exemplum recentium litterarum, sive quæ specialiter ad Afros, sive quæ universaliter ad omnes episcopos in illius hæresis damnationem datæ sunt à Zosimo papa: in quibus litteris ipsa etiam Pelagii contra peccatum originale argumentatio inter alia dicta ejus damnabilia referebatur. Tandem ex litteris iisdem Zosimi, quæ hactenus desiderantur, fragmentum huic epistolæ suæ sanctus Doctor inseruit.

Augustinus Hipponem reversus, [a] litteras illic reperit à Mercatore sibi directas: librum [a] Epist. 193. n. 1. quoque ejus labore adversùs Pelagianos compositum, quem ille sancto Doctori considerandum probandumque mittebat. Jam aliæ ejusdem litteræ ad ipsum Carthagine agentem, ante quàm Cæsaream iret, allatæ fuerant, quibus quidem nihil responsi redditum querebatur Mercator paulùm asperè & cum indignatione quadam: at id gratissimè accepit Augustinus, quòd isthæc indignatio sibi videretur non esse simultatis initium, sed indicium caritatis. Cùm itaque Albini Ecclesiæ Romanæ acolythi se se tunc obtulisset occasio, huic responsionem dedit ad Mercatorem perferendam. Eò jam adducti erant Pelagiani, [b] ut *infantes confiterentur per eos à quibus baptizandi offeruntur, credere:* at excipiebant, [b] Ibid. n. 3. (quemadmodum significaverat Mercator,) *non ita credere in remissionem peccatorum, tamquam & illis remittantur; sed hanc remissionem credere fieri in aliis, quæ non fit in eis.* Verùm hoc ipso quod parvulos in baptismo quadam ratione credere fatentur, facere non posse adversarios, quin originale in eis peccatum admittant, contendit Augustinus. Deinde monstrat, [c] eosdem ex Enochi & Eliæ ante obitum translatione, sive ex fidelium vivorum ad [c] Ibid. n. 5. & seq. Christi adventum raptu, frustra argumentari, ut mortem pœnam peccati non esse suadeant. Quod ad quæstionem resurrectionis, [d] an aliqui scilicet verè ex ista mortalitate ad immor- [d] Ibid. n. 13. talitatem sine media morte transituri sint, de hoc edoceri ab aliis cupit: quia plus amat discere, quàm docere. Nam ut discamus, inquit, invitare nos debet suavitas veritatis; ut autem doceamus, cogere necessitas caritatis.

Idem ille Albinus superioris epistolæ portitor, [e] illam quoque breviorem duarum ad [e] Epist. 191. Sixtum detulit, qua huic Romano tum presbytero, postea autem pontifici, gratulatur Augustinus, quòd adversùs Pelagianos, quibus ipsum favere rumor fuerat, defensionem gratiæ Dei susceperit: hortaturque curam adhibere pergat, non solùm ut ii coërceantur, qui errorem sive liberiùs garrire adhuc, sive secretiùs insusurrare non cessant, sed etiam doceantur sanenturque illi, qui etsi præ timore taceant, eum fortè animo fovere non desinunt.

Haud multo post Albini profectionem Firmo presbytero Romam ex Africa remeanti dedit prolixiorem ad eumdem Sixtum epistolam; quam aliquot pòst annis dicebat, [f] eo [f] Hic pag. 852. c. tempore à se scriptam, quo adversùs Pelagianos acerrima conflictatione certabatur. Horum ibi effugia & subtiliora quæque contra Dei gratiam argumenta dissolvit: qualia hæc erant, [g] primùm, *Auferri liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adjutorio* [g] Epist. 194. n. 3. & seq. *Dei habeamus.* Deinde, *Injustum esse, in una eademque mala caussa, hunc liberari, illum puniri:* ac proinde, *gratiam quam* in Palæstina synodo *confessus est Pelagius sine ullis præcedentibus meritis dari, ipsam humanam esse naturam in qua conditi sumus.* Præterea, *Excusaturos se homines, qui nolunt rectè & fideliter vivere, dicentes, Quid nos fecimus, qui malè viximus; quando quidem gratiam unde bene viveremus, non accepimus?* Ad hæc, *Personarum acceptorem fieri Deum, si in una eademque caussa super alios veniat misericordia ejus, super alios verò maneat ira ejus.* Itaque, *Nondum natorum ideo alium odisse*, puta Esaü, *alium* scilicet Jacob, *dilexisse, quia eorum futura opera prævidebat.* Nam *Deus*, inquiebant, *in eis quos hinc aufert, prævidet quemadmodum victurus esset quisque, si viveret; & ideo quem nequiter novit fuisse victurum, sine baptismo facit emori, sic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, sed quæ facturus fuit.* Refellit quoque eosdem hæreticos contra peccatum originale sic arguentes: *Quomodo*, aiebant, *peccatum transit in filios fidelium, quod in parentibus non dubitamus dimissum esse per baptismum.* Et hìc rursum explodit quod Mercator indicaverat ab illis excogitatum effugium, ut dicerent, *Parvulos veraciter quidem per ora gestantium respondere, in remissionem se credere peccatorum, non tamen quia sibi remittantur, sed eis in quibus inveniuntur.* His funditus eversis Augustinus rogat, ut sibi Sixtus, & quæ alia Pelagiani adversùs catholicam fidem excogitabunt, & quæcumque adversùs eos ipse pro fide catholica disseret, nota facere non omittat.

In epistola ad Asellicum hoc fortè 418. exeunte anno data, observat Pelagianam hære-

[a] Epist. 196. n. 7. sim in Judaismum quodam modo incidere: [a] hujus verò impietatis assertores acerrimos, Pelagium & Cælestium, recenti judicio etiam catholica communione privatos, in sua adhuc, propter cor impænitens, damnatione persistere.

XXI. *Augustinus librum de nuptiis & concupiscentia primum mittit Valerio. Episcopi anno 419. jubente Honorio Pelagianorum damnationem subscribunt. Augustino de jugulata Pelagiana hæresi gratulatur Hieronymus. Vincentii Victoris placita quædam Pelagiana hisque deteriora confutantur.*

DUM Augustinus profanas Pelagianorum novitates scriptis confutabat, eorumdem conatus Valerius Comes auctoritate sua & gratiâ apud Principem comprimebat. Hac quippe ratione, ne concilium ab illis post suam ipsorum damnationem expetitum concederetur, efficaciter obstitit: quod Comitis in Ecclesiam obsequium in ejus laude ponit [b] sanctus Antistes. At hæretici, quò potentis hominis patrocinium eriperent Ecclesiæ, atque à Catholicorum doctrina eum absterrerent, [c] litterarum ei quiddam scripserunt, quo Augustinum originale peccatum asserendo nuptias damnare significabant. Calumniam illam Valerius fide robustissima præditus exploserat irriseratque: Augustinus tamen doctrinam Ecclesiæ contra ejusmodi criminationem sibi defendendam esse putavit. Hac igitur de caussa primum composuit duorum librorum, quos *de nuptiis & concupiscentia* inscripsit. In hoc quæ sint nuptiarum bona demonstrat, hæc distinguens à concupiscentia, quam omnino esse malum, non de natura nuptiarum veniens, sed nuptiis ex antiquo peccato allatum; eoque nihilo minùs malo conjugalem pudicitiam bene uti ad liberorum procreationem asserit. Propter hanc autem concupiscentiam fieri, ut etiam de legitimis nuptiis filiorum Dei nascantur filii sæculi, qui peccati vinculo, licèt ab eo liberatis parentibus, obstricti sunt, atque sub diaboli potestate captivi, nisi eâdem similiter Christi gratiâ liberentur. Exponit quomodo concupiscentia in baptizatis maneat actu, non reatu. Baptismi autem sanctitate non hunc tantummodo originalem reatum, sed peccata alia & omnia prorsus hominum mala auferenda esse docet.

[b] Hic pag. 281. a. 878. c.
[c] Pag. 277. 281. a.

Librum hunc primum post damnationem [d] Pelagii Cælestiique conscripsit, anno ineunte 419. aut exeunte 418. quo anno 418. epistolas à Valerio tres, [e] unam per Vindemialem episcopum, & duas per Firmum presbyterum, per quem Sixti litteræ simul allatæ sunt, recepit. Plura verò de Valerio se Firmi relatu didicisse, Augustinus responsione sua, cum eodem data libro, testatur: atque inter hæc fortè, illud etiam quod se auditione accepisse postea [f] recolebat, ex eodem Firmo comperit, puta Pelagianos de ipso scripsisse ad Valerium, quòd nuptias peccatum originale asserendo damnaret: quod adversùs originalem culpam commentum novum refellere jam [g] alibi hoc anno 418. cœperat. Istum librum à se inter ecclesiasticas, ut ait, [h] curas, non sine molestia propter longitudinem & quæstionis difficultatem elaboratum, ut Valerio Comiti potissimùm dicaret, multæ rationes impulerunt. Hinc tamen Julianus occasionem arripuit jactandi, eum non alio consilio illud scripsisse [i] ad militarem Virum, nisi ut ab ipso impotentiæ contra adversarios precaretur auxilium. Ad quod Augustinus: Non impotentiæ, inquit, contra vos precamur auxilium; sed pro vobis potiùs, ut ab ausu sacrilego cohibeamini, Christianæ potentiæ laudamus officium. Exceperunt eumdem librum obviis manibus Catholici: quæ res Pelagianorum querelas expressit, atque exacerbato publica hac approbatione Juliani animo, pluribus utrinque scriptis caussam præbuit.

[d] Pag. 415. g.
[e] Pag. 278.
[f] 1. Retract. 53.
[g] Hic pag. 270. a.
[h] Pag. 300. d.
[i] Pag. 961. c. d.

Nescimus an ejusdem Valerii Comitis instantiæ accepta referenda sit altera Honorii contra Pelagianos data sub hoc tempus constitutio, an potiùs curis ac precibus Bonifacii Romani jam episcopi. Nempe Zosimo sub anni 418. exitum defuncto, ejus in locum, non sine quadam populi Romani de constituendo episcopo dissensione, (quam quidem Julianus [k] divinæ ultioni ob damnatos ab Romana Ecclesia Pelagianos impudenter tribuebat,) suffectus est Bonifacius. Is summo studio gratiæ Christi adversarios, cùm auctoritate sua apostolica, tum [l] edictis Imperatorum, debellavit. Hujus ergo forsitan diligentiæ adsignanda epistola Honorii Aurelio episcopo V. Idus Junias an. 419. scripta. [m] Honorius ibi significat, à se constitutionem, quam anno superiore dederat adversùs Pelagium atque Cælestium, [n] novissimè

[k] Pag. 681. c. f.
[l] Append. pag. 195. f.
[m] P. 109. d.
[n] Epist. 201. inter Aug.

renovatam esse; simulque sancitum, ut quisquis eos, ubicumque terrarum agerent, sciens non denuntiaret aut expelleret, ipsemet in exsilium pelleretur. Huc addit, esse antistites, qui eorumdem hæreticorum prava dogmata non palàm oppugnare atque evertere studerent, immo ea tacitè quodam modo approbare viderentur. Ac proinde ab Aurelio universos admoneri oportere sui officii, nec non omnes episcopos ad subscribendam Pelagii atque Cælestii damnationem adigi, sub iis pœnis, ut recusantes dignitate sua exuantur, expellantur è suis urbibus, & à communione in perpetuum resecentur. Hujus epistolæ ad Aurelium contra Pelagianos ab Honorio datæ [a] meminit Photius.

[a] Append. pag. 108. b.

Epistola autem distinguenda videtur à constitutione, quam Aurelio simul mittebat Honorius, & quâ subscribendi rationem distinctiùs præcipiebat. Id intelligere est ex Aurelii [b] litteris ad episcopos Byzacenæ provinciæ atque Arzugitanæ Kalendis Augusti hac de re datis: in his si quidem satis apertè constitutionem imperatoriam ab epistola sibi directa secernit, quam epistolam & ad eosdem deferri curat; eosque omnes, tam videlicet qui condemnationem illam in plenario totius Africæ concilio anni proximè elapsi jam subscripserant, quàm quibus eidem interesse non licuerat, ad subscribendum cohortatur; ne in quoquam ipsorum vel negligentiæ, vel dissimulationis, aut occultæ cujusdam propensionis in hæresim suspicio ulla resideat.

[b] Pag. 109. f. & seq.

Eadem porrò epistola ab Imperatore similiter inscripta est [c] Augustino; quippe cui honores minimè sedi suæ Hipponensi debitos propria virtus promerita fuerat. Et sanè ipsi potiori jure, quàm alii cuiquam, id convenit, quod hac epistolâ profitetur Honorius: *In quo*, ait, id est Pelagio damnando & Cælestio, *secuta est Clementia nostra judicium Sanctitatis tuæ, quo constat eos ab universis justa sententiæ examinatione esse damnatos.* Etsi enim Africanorum antistitum [d] ardor magnum momentum ad victoriam de Pelagianis ab Ecclesia reportatam contulerit: ejus tamen præcipua laus debetur diligentiæ scientiæque Augustini, de quo [e] Prosper,

[c] Ibid. d.

[d] Pag. 68. b.

[e] Ibid. c.

Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria major,
Majus opus, totum præstantius imbuit orbem.

Hic ille antistes, jure merito [f] PRÆCIPUA PORTIO DOMINI SACERDOTUM dictus, [g] cujus ductu catholica acies inimicos gratiæ Dei vicit, in quorum excidium unam cunctorum sacerdotum manu sententiam scripsit. Et hoc quidem sensu gloriosum illud crimen Augustino Julianus exprobrabat, eum [h] CAPUT HORUM, quæ in Pelagianos acta querebatur, ET CAUSSAM MALORUM exstitisse.

[f] Pag. 164. c.

[g] Pag. 171. d.

[h] Hic pag. 993. c.

Ob tam insigne Augustini in Ecclesiam meritum, Hieronymus post devictos eosdem hæreticos ipsi scribens sub annum fortè 418. testatur, [i] venerationem in eum suam & dilectionem, quæ jam antè planè cumulata videbatur, tanto nihilo minùs auctam esse cumulo, ut ne unam quidem horam sine illius mentione durare possit. Tum eas, quas Romæ passa fuerat fidei caussa, difficultates procul dubio indicans, addit, ipsum contra flantes ventos ardore fidei perstitisse. Tandem subjungit eximiam illam sancti Viri laudationem: Macte virtute, in orbe celebraris: Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei " venerantur atque suspiciunt; & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur. "

[i] Epist. 195. inter Aug.

Hac in re sanè Alypius gloriæ Augustini particeps fuit, à Juliano per injuriam [k] appellatus *vernula peccatorum ejus*. Hinc anno 419. in [l] epistola utrique inscripta idem Hieronymus, Testem, ait, invoco Deum, quòd si posset fieri, assumtis alis columbæ, vestris amplexibus implicarer, semper quidem pro merito virtutum vestrarum, sed nunc maximè quia COOPERANTIBUS ET AUCTORIBUS VOBIS HÆRESIS CÆLESTIANA JUGULATA EST. Eisdem in fine Albinæ, Piniani, Melaniæ, & Paulæ junioris nomine salutem dicit: hanc autem epistolam [m] Hieronymi, qui subsequente anno migravit ad superos, ultimam nobis restare putant.

[k] Hic pag. 877. f.

[l] Epist. 202. inter Aug. Vide præfat. tom. 2.

[m] Baron. ad an. 419.

Inter illud tempus quæstionem perplexam de animarum origine, quam ab Hieronymo explicari sibi Augustinus expetierat, cùm temere tractandam in se recepisset Vincentius Victor, juvenis ex Mauritania Cæsariensi, catholicæ doctrinæ rudis atque expers, in errores Pelagianos quosdam & iis pejores impegit. Nam inter alia dicebat, [n] *Quòd anima meruerit esse peccatrix, ante omne peccatum.* Contendebat, *Infantes ante quàm baptizentur, morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum.* Præterea,

[n] Hic pag. 354. d.

quos Dominus prædestinavit ad baptismum, prædestinationi ejus eripi posse, & ante defungi, quàm in eis fuerit, quod Omnipotens prædestinavit, impletum. Ad hæc, *Aliquos eorum, qui sine baptismo Christi ex hac vita emigraverint, interim non ire in regnum, sed in paradisum; postea verò in resurrectione mortuorum etiam ad regni cælorum beatitudinem pervenire.*

Victorem Augustinus sub hujus anni 419. finem quatuor libris refutavit. Ac erranti quidem juveni, quamvis idem [a] deterius saperet quàm Pelagius, id patrocinari posse vidit, quod in operis sui exordio modestè atque humiliter profitebatur, [b] in judicando de suo opere, non credere se sibi, nec propriam sententiam tueri, si improbabilis deprehenderetur; sed sibi cordi esse, proprio judicio damnato, meliora & veriora sectari. Ea porrò modestia, quam sinceram fuisse eventus comprobavit, bonam in eo mentem denotabat; ac simul faciebat, ut opinando fidei adversa catholicæ, non tamen à fide catholica recederet. [c] Iste quippe animus, inquit Augustinus, etiam in dictis per ignorantiam non catholicis, ipsâ est correctionis præmeditatione ac præparatione catholicus. Quapropter juvenilem quidem arrogantiam eâ vehementiâ, quâ par fuit defendi fidem, coërcuit sanctus Doctor: sed interim tamen lenitatis quantum licuit, adhibere curavit: quod nimirum juvenem non præproperè detestandum, sed adhuc docendum putaret; nec damnari, sed emendari cuperet. Neque profectò spes eum fefellit; nam responsum [d] accepit à Victore, quo se is demum errores abjecisse testabatur.

[a] *Pag.* 382. f.
[b] *Pag.* 370. d.
[c] *Pag.* 385. 386. a.
[d] 2. *Retract.* 56.

Prodierunt circiter anni ejusdem 419. finem, cùm epistolæ Pelagianorum duæ, una Romam, altera Thessalonicam missa, tum Juliani contra librum primum de nuptiis & concupiscentia volumina quatuor. Hæc volumina duplici opere, uno ad Valerium, alio ad Claudium directo; illas autem epistolas libris ad Bonifacium scriptis, quemadmodum confutaverit Augustinus, jam narraturi sumus.

XXII. Augustinus anno 420. librum de nuptiis & concupiscentia secundum, necnon quatuor ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum libros conscribit.

Liber ad Valerium Comitem primus circiter anni 419. exordium scriptus vix in lucem prodierat, cùm Julianus episcopus Pelagianus, qui Christianorum quorumque animos ejus lectione in [e] odium hæresis commoveri intelligebat, quatuor contra eum grandes libros evulgavit. His ille Augustini librum, ut sibi quidem blandiebatur, omnino revincebat: quamvis ejus partem [f] nec quartam adtingeret, contentus quæ infirmiora videbantur exagitare. At se futuræ adversarii expostulationi satis occurrisse existimabat præfatione sua, qua [g] professus erat, se silentio, quæ ad rem probandam nihil conferrent, prætermisisse. Veritatis [h] præsidio destitutus, confugiebat ad convicia, quibus passim quatuor suos libros perfundebat. Augustinum & catholicos omnes Manichæorum nomine designabat. Detrahebat [i] etiam nonnullis, qui à Pelagiana secta se se ad Ecclesiam receperant: sed Valerium Comitem [k] tractabat honorificentiùs. Hos ille libros Turbantio [l] ejusdem sectæ episcopo nuncupavit.

[e] *Hic pag.* 415. d. 480. a.
[f] *Pag.* 497. c.
[g] *Pag.* 879. a. b. c.
[h] *Pag.* 498. b.
[i] *Pag.* 680. f.
[k] *Pag.* 878. d.
[l] *Pag.* 568. a. 875. a.

Eodem quoque tempore epistola [m] Romam auctore, ut ferebatur, Juliano missa est, per quam, quos posset, ut cum Augustino loquamur, suos aut inveniret, aut faceret; nimirum quotquot in magna illa civitate posset, seducere studens, metu horroreque errorum eorum, quos Catholicis Manichæorum nomine traductis imponebat. Ibidem [n] audientiæ, hoc est, synodi, quam Pelagiana factio flagitabat, recordatur. Videtur autem Julianus vana quadam de caussa voluisse illam [o] abnegare: Augustinus verò sincera-ne sit, an ficta ejusmodi abnegatio, parum curans, Juliano ut suam esse hanc epistolam inficietur concedit.

[m] *Pag.* 412. c.
[n] *Pag.* 430. c.
[o] *Pag.* 880. f.

Quod porrò in eadem scriptum est, [p] ab suis ipsorum inimicis ea, quæ Augustinus eorum adversarius sparserat, in veritatis odium excepta fuisse, id similiter in epistola Pelagianorum octodecim episcoporum ad Thessalonicensem antistitem directa legebatur. Unde sub idem tempus eam quoque scriptam fuisse, conjectare licet. Hac illi Rufum Thessalonicensi tum Ecclesiæ præfectum ad suas partes allicere tentabant, ejus videlicet atque aliorum orientalium antistitum societatem adversùs impiam Manichæorum hæresim, toto Occidente susceptam, poscentes. In eo quippe sita erat omnis illorum industria, ut Catholicis horribili hæresi, quam

[p] *Pag.* 415. d. & 480. a.

quam omnes cum illis pariter exsecrabantur, impactâ, proprios errores obtegerent, atque naturâ, lege, liberoque arbitrio commendatis, gratiam condemnarent. Hanc epistolam ipse Julianus [a] citat. [a] Hic pag. 1024. g.

Fecit Romanorum [b] catholicorum vigilantia atque sedulitas, ut utraque hæc epistola in Bonifacii papæ manus veniret. Hic illas Augustino curavit deferendas per Alypium; quem inde colligunt in Italiam id temporis profectum esse: cujus quidem itineris caussam ignoramus: constat verò illum [c] & Romam, & Ravennam petiisse. [b] Pag. 413. a. [c] Pag. 301. b.

Is Ravennæ Valerium Comitem invisit, à quo & accepit litteras, quibus ille Augustino gratias ob librum de nuptiis & concupiscentia sibi transmissum agebat: simulque eum admonebat, quosdam locos inesse, quos impeterent hæretici; rogabatque ut Alypium super iisdem locis audiret. Eidem Alypio Ravennâ posthac Romam profecto Valerius chartulas quasdam misit. Continebantur hisce chartulis excerpta ex primo quatuor librorum Juliani, [d] quæ quispiam ad libitum, nonnullis etiam mutatis, collegerat. Poscebat Valerius, ut ab Augustino eadem illa excerpta quantocius refellerentur. [d] Pag. 873.

Romæ porrò Alypius brevi [e] admodum spatio commoratus, in contubernio vixit Bonifacii, qui eum & excepit amicissimè & singulari familiaritate dignatus est. Quocirca se se Alypius, atque eadem occasione Augustinum, huic pontifici artissimo amicitiæ nodo devinxit. Ipsi Bonifacius duas antè memoratas epistolas idcirco dedit, quoniam [f] in iis Augustini nomen calumniosè expressum reperit. Rediit ergo Alypius in Africam duabus hisce epistolis, ac suprà dictis excerptis onustus. [e] Pag. 411. a. b. [f] Pag. 413. b.

Hæc Augustinus excerpta [g] ex opere Juliani collecta esse, statim persensit, optasset-que ipse illis non antè respondere, quàm integrum opus, unde fuerant desumta, conspexisset: verùm judicavit maturandam interim ad illa responsionem, ut Valerio Comiti satis faceret. Quam ob rem librum alterum Valerio sub eadem inscriptione, *de nuptiis & concupiscentia* nuncupatum celeriter edidit: in quo dogma catholicum de originali malo sic vindicat ab adversarii calumniis, ut id à Manichæorum errore procul abesse demonstret. Hunc ideo priori libro subjungimus anni tantùm interjecto spatio, quòd eum Augustinus confestim post acceptas de priore illo gratiarum actiones composuerit, nec videatur veri simile, ut ei gratias ageret, Valerium totos duos annos exspectasse. [g] Pag. 301. d. 880. 881.

Præterea libros quatuor [h] *contra duas epistolas Pelagianorum*, quæ sibi à Bonifacio per Alypium allatæ fuerant, elucubravit: ita ut primo libro epistolam, quam Julianus Romam misisse dicebatur; tribus sequentibus aliam, quæ octodecim episcoporum nomine Thessalonicam directa erat, redargueret. In primo libro hæreticum sensum in fidei professione Pelagiana, quæ Catholicis opponebatur, latentem retegit. In secundo calumniam prævaricationis in Pelagii ac Cælestii damnatione admissæ depellit à Romanis clericis; & gratiæ nomine nec fatum asseri à Catholicis, nec personarum acceptionem Deo tribui demonstrat. In tertio exponit quid verè Catholici dicant de legis utilitate, quid de baptismi effectu ac virtute, de utriusque Testamenti discrepantia, de Prophetarum Apostolorumque justitia & perfectione, de appellatione peccati in Christo, quid postremò de præceptorum in futura vita impletione doceant. In quarto libro aperit insidias Pelagianorum in quinque doctrinæ eorum capitibus latentes, in laude scilicet creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrii, & laude sanctorum. Istud opus ipsi Bonifacio, honorifica mentione, quam apud se de eo Alypius fecerat, permotus dicavit; rogans ut illud non tam discendi, quam examinandi & emendandi gratiâ evolveret. Principio operis, [i] ubi Pelagianorum injuriosam adversùm se agendi rationem recolit, Spero, ait, de Domino Deo nostro, quòd non sine mercede quæ in cælis est, illi me lacerant dente maledico, quibus me pro parvulis.... oppono. [h] Pag. 409. [i] Pag. 413. b.

XXIII. Memoratos libros in Italiam Alypius circa initium anni 421. defert. Constantius edictum dat in Pelagianos. Alios sex libros in Iulianum Augustinus conscribit.

QUATUOR illos libros [k] detulit ad Bonifacium, secundum quoque de nuptiis & concupiscentia portavit ad Valerium [l] idem Alypius: quem proinde manifestum est iterum exeunte anno 420. aut 421. ineunte trajecisse in Italiam. Augustinus quippe ipse ad excerpta [k] Pag. 922. c. [l] Pag. 877. f. 895. c.

ex Juliano ſibi miſſa reſpondit continuò, eâ diligentiâ & celeritate, per quam judicare non liceat, committere illum potuiſſe, ut eam reſponſionem tardiùs ad Valerium dirigeret. Porrò Pelagiani transmarinam hanc Alypii profectionem eo infamare modo ſtuduerunt, ut eamdem ſuſceptam adversùs illos fuiſſe facilè arbitremur. Et certè videbimus iſtos hæreticos ſub idem tempus inſectatum eſſe Conſtantium imperatorem.

[a] Pag. 888. d. Exprobrat igitur Auguſtino Julianus, eum [a] *vociferari cum feminis, cunctiſque calonibus, & tribunis, quibus octoginta aut ampliùs equos totâ Africâ ſaginatos collega tuus,* [b] Pag. 918. f. inquit, *nuper adduxit Alypius.* Infrà autem idem gloriatur in hunc modum: [b] *Ampliſſimam eſſe noſtri negotii dignitatem, ut ipſa rerum conſideratio & appenſio indicat, quas tuemur, ita etiam veſter pavor, qui contra noſtrorum ſanguinem, pecuniarum effuſione, hereditatum largitate, equorum tranſmiſſione, populorum ſeditione, poteſtatum corruptione pugnan-* [c] Pag. 1066. a. *tes, & fidem veſtram, quæ à nobis impugnatur, erubeſcitis profiteri,* &c. Rurſum alibi: [c] *Cur tantis totam Italiam factionibus commoviſtis? Cur ſeditiones Romæ conductis populis excitaſtis? Cur de ſumtibus pauperum ſaginaſtis per totam penè Africam equorum greges, quos proſequenti Alypio tribunis & centurionibus deſtinaſtis? Cur matronarum oblatis hereditatibus poteſtates ſæculi corrupiſtis, ut in nos ſtipula furoris publici arderet? Cur diſſipaſtis Eccleſiarum quietem? Cur religioſi Principis tempora perſecutionum impietate maculaſtis?* Hanc verò Juliani tantam in accuſando vehementiam atque impudentiam Auguſtinus caſtigat prudentiſſimis hiſce ver- [d] Pag. 888. d. bis: [d] Aut calumniaris, inquit, aut neſcis quid loquaris: & ideo aut mendax, aut temerarius iſta loqueris. Quid te autem nequius, ſi hæc ipſe finxiſti? quid ſtolidius, ſi fingentibus credidiſti? Jam verò quòd etiam ſcribere auſus es, neque veritus ne ad ea loca libri pervenirent tui, quæ terrâ marique tranſeuntem ſeu venientem collegam meum Alypium ſuſceperunt, ubi legi apertiſſima tua falſiloquia ſine tua irriſione vel potiùs deteſtatione non poſſunt, cui, non dico impudentiæ, ſed dementiæ comparatur?

Novam profectò iracundiæ cauſſam Juliano præbuerat edictum, quod in Pelagianos ſub hoc ipſum tempus dedit Conſtantius, ad id concedendum fortè Alypii legatione rogatuque adductus. Hunc imperatorem mortem hoc anno 421. obiiſſe conſentiunt chronographi, cùm ſex tantùm menſes imperaſſet, ſeptimo juxta Olympiodorum inchoato. Proſper & Idacius ejus inaugurationem anno 420. ponunt: Theophanes anno 421. VI. Idus Februar. Cum Theophane facit codex Theodoſianus, in quo legibus à die 10. Martii an. 421. ad 28. Julii datis nomen Conſtantii adſcribitur. Harum prima ſcripta eſt ad Voluſianum: [e] Append. pag. 126. b. ex qua Cæleſtium tunc temporis in Urbe egiſſe cognoſcimus. Ibi teſtatur [e] Conſtantius, edictum nonnullum in antiquas recenteſque hæreſes jam ſe tuliſſe; attamen quotidie ſibi nuntiari, eaſdem ſerpere latiùs: quocirca ut motus quos parere illa diſſidia poſſent, evitentur, renovare ſe eadem juſſa, velleque, ut habita diligenti inquiſitione adverſariorum veræ fidei, ſtatim ii Româ exturbentur, atque hinc procul amandentur, ac Cæleſtius in primis: quibus propria ſubſcriptione adjungit, Voluſiani intereſſe, ut edictum iſtud curet obſervandum. Voluſianus ergo, Conſtantio ut obſequeretur, decretum & ipſe promulgavit, quo Cæleſtium divinæ fidei & quietis publicæ perturbatorem Româ atque omni finitima regione pellebat, proſcriptionis pœnâ iis, à quibus occultaretur, intentatâ. Edictum [f] Pag. 108. c. [f] Conſtantii ad Voluſianum de pellendo Cæleſtio memorat Photius.

Verumtamen non propterea Cæleſtium animus defecit: is enim aliquot pòſt annis [g] Pag. 195. g. [g] Cæleſtino Romano pontifice in Urbem anno 424. aut paulò ſeriùs venit, audientiam poſtulans, haud aliter ac ſi cauſſa ejus nondum fuiſſet diſceptata.

[h] Pag. 412. a. Cùm autem gratiæ inimici [h] non deſinerent fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas Chriſti oves aditus undecumque rimari; faciebat Auguſtinus quidquid pro ſui parte muneris poterat, ut eorum rabiem vel omnino ſanaret, vel à lædendis aliis repelleret. Quapropter haud quaquam ſatis ei fuit, excerptis ex Juliani opere ſibi miſſis libro ad Valerium poſteriore reſpondiſſe: ſed poſtea integrum illius opus beneficio Claudii epiſcopi nanctus, novam plenioremque eidem reſponſionem edere animum induxit. Id aliunde laboris neceſſariò ſuſcipiendum videbatur; quia diligentiùs inſpecto Juliani opere deprehenderat, excerpta quæ ſibi miſerat Valerius, in nonnullis diſcrepare ab autographo: unde meritò verebatur, ne ipſum vel Julianus, vel alius quiſpiam ad ea reſponſionem cum opere ipſo comparans, impoſturæ reum ageret: quod re ipſa crimen ſancto Doctori injurioſiſſimè impingere non omiſit adverſarius.

Alteram hanc Juliani refutationem cùm Augustinus proximè post quatuor suos libros ad Bonifacium ponat; hinc eam anno 421. aut paulò pòst editam affirmare licet. In ea Hieronymi meminit tamquam vitâ jam functi: unde sicut nihil caussæ videmus, cur illam multo seriùs anno præsenti collocemus, ita constat etiam citiùs omnino statui non posse; cùm anno tantùm 420. die 30. Septembris obierit Hieronymus. Quantum porrò studii, quantum diligentiæ & laboris hîc adhibuerit Augustinus, non obscurè ipse indicat, [a] *opus* istud suum *tantum tamque elaboratum* appellans. Nec immeritò sanè hac [b] aliquis occasione pronuntiat, sanctum Doctorem, qui in ceteris ab se adversùs Pelagianos editis libris mirabilis est, in hoc opere penè divinum apparere.

Principio profitetur, convicia & probra, quæ in ipsum Julianus congerebat, haud à se contemni, tamquam ad se nihil pertinerent: quando inde sibi & lætitiæ & mæroris materia magna præberetur; lætitiæ quidem, propter uberem illam quam in cælis sperabat mercedem; mæroris autem, ipsius Juliani caussâ, quem non poterat non [c] diligere, quidquid in ipsum ille diceret. Cùm verò Julianus eos, qui peccatum originale asserebant, Manichæorum nuncupatione afficeret; in clarissimos quosque Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum hanc recidere criminationem ostendit Augustinus; eamque habet primi libri pars prima materiam. Altera pars in hoc versatur, ut Manichæos temerariis aliquot ipsiusmet Juliani dictis plurimùm adjuvari demonstret. In secundo libro Pelagianas quinque contra originale peccatum argumentationes convellit auctoritate præcedentium Ecclesiæ doctorum, episcoporum videlicet illustriorum decem, Irenæi, Cypriani, Reticii, Olympii, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, Basilii, Johannis Constantinopolitani, & Innocentii: adjuncto quoque testimonio presbyteri Hieronymi, viri sancti & per quàm eruditi. Cúmque probè sciret nihil frontis habere adversarium, qui haud dubiè illos omnes celeberrimos viros eodem similiter errore captos dicere non erubesceret; idcirco singulis illius quatuor libris deinceps singulos totidem suos opponit, dicta illius omnia excutiens, iis tantùm prætermissis, quæ nodum quæstionis nullum haberent. Ac tertio quidem libro probat præsertim, malam esse concupiscentiam, quamvis bonæ sint nuptiæ & à Deo institutæ. Illo malo bene uti pudicos conjuges, meliùs non uti continentes fideles. Ab hoc malo longè diversum esse id quod Manichæus ex altera substantia quadam Deo coæterna permixtum nobis deliravit. In quarto docet virtutes infidelium veras non esse: atque inter alia obiter ostendit, quomodo gratia non secundùm merita detur, nec tamen in fatum sit referenda. In quinto observat, multitudinem Christianam scire, peccati merito fieri, ut imago Dei & tantos hîc in parvulis patiatur cruciatus, & si absque baptismo iidem intereant, à regno Dei excludatur. Deinde probat perizomata à parentibus primis ob pudorem ex peccato venientem assumta. Peccatum præcedentis peccati pœnam esse posse. Ex eadem massa damnationis alios esse gratìs electos, alios vasa iræ factos. Concupiscentiam semper esse malam, in illis etiam qui ei non consentiunt. Verum sine concubitu esse conjugium. Carnem Christi à ceterorum hominum carne peccati differre, &c. In sexto libro peccatum originale monstrat ex baptismo parvulorum, ex verbis Apostoli, ex baptizandorum exorcismo & exsufflatione. Oleæ ac oleastri exemplo convenienter explicari, quomodo ex parentibus regeneratis & justis nascantur filii peccatores & regenerandi. Peccatum originale in primis parentibus voluntarium, ac nobis quidem alienum proprietate actionis, nostrum tamen esse contagione propaginis, &c.

Huic operi suo proximè subjungit *Enchiridion* ad Laurentium, post mortem Hieronymi, quem ibi [d] beatæ memoriæ exornat elogio, à se compositum: cujus libri quamvis generaliorem titulum *de fide, spe, & caritate*, esse voluerit; in tradenda tamen gratiæ Christianæ doctrina maximam partem impendit.

[a] *Hic pag. 495. Retract. 2. 61.*
[b] *Henr. Nor. lib. 1. hist. Pelag. c. 21.*
[c] *Hic pag. 519. e.*
[d] *Enchirid. cap. 87.*

XXIV. Pelagiani casso conatu Orientales Ecclesias pertentant. Pelagius in Syria, & Iulianus in Cilicia, damnantur. Quónam factiosi adhuc in hæresi pertinaces evaserint.

AGGRESSI sæpe sunt Pelagiani, Orientem non secus atque Occidentem turbis miscere: maximè verò post Zosimi judicium, à quo provocare ad generalem synodum, numquam ad annum usque 431. destiterunt. Ex eorum ergo, qui sede exturbati fuerant,

episcoporum suorum numero, quosdam misere Constantinopolim, ubi erroris sui impietatem dissimulantes, se caussamque suam falsa specie obduxerunt. Verùm in ea civitate beato Johanni Chrysostomo Atticus successerat, [a] illius fidei dignus æmulator, [b] qui hoc in casu scientiâ suâ simul ac episcopali virtute adhibitâ, eorum legationem rejecit, antiquam illis Ecclesiæ fidem opponens; eosdemque tam acriter insecutus est, ut ne consistendi quidem in urbe licentiam daret. Idem acta, quæ adversùs eos confecerat, [c] Romam direxit. In his legatis numeratur Cælestius ab iis, qui de hoc tempore accipiendum putarunt illud, quod Augustinus tradit, [d] ipsum apud Constantinopolim ab exercitu Christi debellatum: quod factum alii nihilo minùs ad eam Cælestii ab Constantinopolitana Ecclesia ejectionem, [e] quæ Zosimi judicium præcessit, referendum arbitrantur.

a Append. pag. 130. d.
b Pag. 68. b.
c Pag. 130. c.
d Hic pag. 554. d.
e Suprà n. XIV.

Præterea Julianus unà cum aliis septemdecim Pelagianis, qui sibi nomen episcopale assumebant, [f] Thessalonicam, ut antè jam nobis observatum, ad Rufum hujus urbis episcopum scripsere, ut eum, si quo pacto possent, ad suas partes traducerent. Qua porrò is ratione exceperit illorum epistolam, nescimus: at illud habemus pro comperto, eumdem Rufum ab Ecclesiæ unitate numquam recessisse. Quòd si Pelagiani quidpiam errori suo commodum ab ipso obtinuissent, neutiquam sibi temperasset Julianus, quin id palàm prædicaret. Erat alioquin ipse Thessalonicensis antistes præ ceteris devinctus Apostolicæ sedi, necnon ad subscribendam sententiam Romanorum pontificum hoc nomine obstrictus, quòd eidem ab ipsis alii in Illyrico Metropolitani subjicerentur.

f Hic pag. 412. c.

Procul dubio non commisere iidem hæretici, quin Ephesinam quoque Ecclesiam, ubi Cælestius ob diutinam in ea commorationem variis fortè necessitudinibus gaudebat, pertentarent: & videbatur sanè hæc illa Ecclesia, quæ per imprudentiam hæresiarcham istum in presbyterorum consortium cooptaverat, suscipiendæ ipsius defensioni præ cunctis aliis magis obnoxia. Nihilo minùs tamen non tempori ulli commodiùs, quàm isti hosce Prosperi versus aptaveris:

> [g] *Prætereo quanto fuerit bene mota tumultu*
> *Clara Ephesos, non passa suis consistere tectis*
> *Vasa iræ, & morbi flatus, & semina mortis.*

g Append. pag. 68. b.

Quonam anno suum illud in Pelagianos odium istæ omnes Ecclesiæ professæ fuerint, minimè liquet: hoc tamen videri potest non ante anni 421. exitum accidisse; quando Augustinus in suo contra Julianum opere, scripto, uti putamus, eodem 421. anno aut paulò pòst, nullam ejus rei fecerit mentionem, quamvis ad id occasio invitaret; solúmque Cælestii apud Constantinopolim debellati, quod ante annum 418. contigerat, recordatus fuerit.

Neque sancto huic episcopo, neque Prospero innotuit alia Ecclesiæ orientalis pro fidei caussa contra Pelagium ipsum synodica declaratio. Etenim cùm eumdem hæresiarcham, qui circumventis episcopis in Diospolitana synodo absolutus fuisse videbatur, accusatores sui apud aliam persequerentur synodum, cui Theodotus episcopus Antiochenus præsidebat, non potuit ille versipellis coram eo conventu latitare, sed hæreseos convictus è sanctis Jerosolymorum locis exturbatus est. Mercator adeo memorabilis eventi [h] testis unicus, Theodoti ac Praylii Jerosolymitani antistitis epistolas hac de re ad urbis Romæ episcopum datas citat. Fuere profectò Pelagii tunc accusatores illi ipsi celeberrimi, Heros & Lazarus, qui soli id muneris in istum obire voluerant, quosque tacitis eorum nominibus paulò antè Mercator indicaverat. Atque adeo videntur Pelagium, ubi primùm eis licuit, apud Theodotum persequi debuisse. Hinc putat Johannes Garnerius, [i] Theodotum ac Praylium memoratas litteras jam inde ab 417. anno, obitu Innocentii nondum comperto, scripsisse adversùs illum hæresiarcham. Verùm tametsi fieri potuerit, ut episcopatum jam ipso anno 417. gereret Theodotus: nihil tamen credere nos compellit, Praylium eodem ferme tempore de Pelagio scripsisse in utramque partem. Vidimus si quidem, [k] eum hoc ipso anno ad episcopalem dignitatem evectum, illius gratiâ litteras ad Romanum pontificem dedisse; quæ Romam mense tantùm Septembri pervenerant. Quapropter locari aliquanto seriùs potest Theodoti concilium, sive post damnationem Pelagii per Zosimum anno 418. promulgatam, sive etiam post obitum Hieronymi, qui in 30. Septembris an. 420. incidit; quia non commisisset Hieronymus, quin optatissimum ejusmodi nuntium, si adhuc in vivis fuisset, Augustino significaret.

h Pag. 72. a.
i Garn. in Mercat. pag. 25. & 209.
k Suprà n. XV.

Cùm pertineret ad Antiochensem patriarchatum Cilicia, ibi quoque in provinciali sy-

nodo damnati fuere Pelagiani. Quin etiam famosus ille Theodorus Mopsuestiensis, qui hujus hæreseos parens audiebat, qui eamdem edito in Hieronymum & Augustinum opere defenderat, qui denique Juliano aliisque præcipuis ejusdem patronis paulò antè perfugium præbuerat, [a] adversùs Julianum ipsemet in eodem concilio anathema pronuntiavit. [a *Append. pag.* 116. f.] Id Mercator prodit factum esse post Juliani abscessum è Cilicia: quò nimirum ille, Occidentem anno fortè 421. relinquens, exarato mari, & lustrato, [b] inquit Mercator, [b *Ibidem.*] Oriente, id est, Asiâ minore, se se cum erroris & exsilii sociis receperat. Nec deest, [c] qui [c *Garn. in Mercat. pag.* 219.] commorationem illam Juliani apud Theodorum, & mala inde in omnem circùm regionem profecta caussam habendæ huic in Cilicia synodo dedisse opinetur. Theodorum adierat Julianus, teste Mercatore, ut ad propugnandam Pelagianam hæresim vires ab ipso novas sumeret, utque ex magisterio ejusdem velut instructior, aliud contra Augustinum opus aggrederetur. Neque dubium est, quin idem ipse Theodoro, ad edendos libros in peccati originalis assertores, si fortè ab eo non jam ante aliquot annos, ut [d] observavimus, editi erant, auctor incitatorque fuerit. [d *Suprà n.* X.]

Pulsus Jerosolymis Pelagius quò perfugerit, ignotum est: neque ejus posthac in historiæ monumentis reperitur ulla mentio. Erat is alioqui ætatis jam sat provectæ, ut mærori, quem pro sua animi superbia ex omnium in se offensione atque odio capere debebat, non admodum diu superesset. Ceterùm hæresis ejus sectatores cùm se se & damnatos ab Occidente & ab Oriente repudiatos intelligerent, ii [e] magnam partem ad saniora consilia redierunt, errores suos ejurarunt, relicto cui inhæserant Juliano Pelagium damnarunt, ac sedis [e *Append. pag.* 71. *et* 73. a.] Apostolicæ clementiam imploraverunt. Indulgentiam erga eos adhibendam rata Ecclesia, suscepit redeuntes, atque etiam illos in suas sedes restituit. Julianus anno circiter 420. scribens, desertores quosdam Pelagiani dogmatis ad fidem catholicam reversos, tacitis eorumdem nominibus, arguebat. Possidius quoque, qui circa annum 432. gesta Augustini litteris consignabat, [f] plurimos à Pelagianis rediisse, ac rectæ fidei veritate in dies magis magisque de- [f *Possid. cap.* 18.] testandi erroris tenebras superante, redire etiam tunc, testabatur. Ex iis, quos reduces pia mater Ecclesia complexa est, unum cognoscimus [g] Turbantium, cui Julianus primum [g *Hic pag.* 875. a. b. 960. c.] suum opus in Augustinum inscripserat; quem & sanctum vocitabat & magno virtutum splendore conspicuum. Hunc Augustinus in secunda Juliani refutatione fratrem appellat; quia illi haud dubiè, quemadmodum & aliis, restituta fuerat episcopalis dignitas.

Julianus autem, & qui cum illo in hæresi mentem obfirmarunt, cùm eos, ubicumque apparerent, ut cum Augustino [h] loquamur, ubique diffusus Christi debellaret exer- [h *Pag.* 554. c.] citus, quisque quò potuit se se recepit. Neque vero absimile est, istorum aliquos commoratos esse in Galliis, ubi sub hoc tempus diversi episcopi suspicionem, quòd Pelagianis erroribus addicti essent, de se præbuerunt: quando Valentinianus III. [i] septimo Idus [i *Append. pag.* 126. f.] Julias anni 425. edixit, ut iidem episcopi de abdicandis intra viginti dies hisce erroribus interpellarentur à Patroclo Arelatensi; quod nisi facerent, aliis in eorum locum suffectis, ipsi solum vertere cogerentur. Nonnulli quoque in Britanniam intulere suam hæresim: ibi si quidem Pelagianus quidam nomine Agricola, Severiani episcopi Pelagiani filius, Ecclesias Hiberniæ dogmatis sui suasione corrumpebat tempore Cælestini papæ, [k] qui eò Germanum [k *Pag.* 118. c.] episcopum Antissiodorensem misit, ut deturbatis hæreticis Britannos ad catholicam fidem dirigeret. Severianum huncce quidam malè confundebant cum Severo Sulpitio, de quo quidem Gennadius scriptum reliquit, quòd is *in senectute sua à* [l] *Pelagio deceptus* fuerit: sed [l *Sic vet. cod. Corb.*] continenter addit, eum *agnoscentem loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuisse, ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret.* Britannis quoque Pelagii dogmata Honorii & Theodosii ætate tradebat Fastidius episcopus, cujus liber ad Fatalem viduam inter subdititia Augustini [m] opera exstat, illius hæresiarchæ sententiis verbis- [m *Tom.* 6. *append. pag.* 183.] que deturpatus. Porrò missâ ex Britanniis legatione certiores facti episcopi Gallicani Pelagianam pestem ibi latiùs serpere, habuerunt numerosam synodum, in qua delectus est, cum [n] Lupo Trecensi, Germanus Antissiodorensis episcopus: qui ad opprimendam illic hæ- [n *Append. pag.* 128. f. *& seq.*] resim semel & iterum trajecit; primùm quidem tunc cum Lupo episcopo, anno 429. postea autem cum ejusdem Lupi discipulo, Severo Trevirensi, anno 447.

Quò evaserit Julianus, quámque incassum ipse & ejus collegæ Nestorii temporibus novos conatus ac molitiones in Oriente apud Ephesinæ synodi patres adhibuerint, [o] alio [o *Hic pag.* 868.] loco dicturi sumus. Quod ad Cælestium, qui cùm Romam circiter annum 424 repe-

tiisset, uti suprà narravimus, Italiâ jussu Cælestini papæ exterminatus fuit, is [a] Nestorium cum Juliano aliisque ejusdem factionis episcopis convenit Constantinopolim: ibi Theodosium secundum imperatorem, quò sibi concilium concederetur, interpellarunt: Nestorius verò in eorum gratiam Cælestino scripsit. At cùm Theodosio libellum adversùs illos anno 429. obtulisset Mercator, ipsis imperatum est ex urbe excedere. Ab hinc quid factum fuerit Cælestio, nusquam reperimus.

[a] *Append. pag.* 69. c. 129. c. 130. 135.

XXV. *Adrumetini monachi super quæstione de gratia & libero arbitrio inter se dissident circiter annum 426. Eos Augustinus libro in idem argumentum conscripto ad concordiam adducit.*

ALIQUANTO post damnatos à Zosimo papa, postque ejectos Occidente Pelagianos obortum est inter Adrumetinos monachos dissidium de prolixiore ad Sixtum epistola, felix profectò fortunatumque, quod binos libros Ecclesiæ tam necessarios, unum *de gratia & libero arbitrio*, alterum *de correptione & gratia* peperit, puta circiter annum Christi 426. Non enim est, cur memoratos libros vel ultra hoc tempus differamus, quando recensentur in Retractationibus circa annum 427. editis; vel priùs collocemus, quia postremum ibidem locum occupant.

Erat Adrumetum eo tempore civitas in Byzacena Africæ provincia celebris. Ibi cœnobium incolebatur à monachis, in quibus Florus [b] quidam patriâ Uzalensis numerabatur. Hic iter caritatis instinctu cùm in patriam comite Felice Adrumetino item monacho suscepisset, dum ibi diversaretur, quædam Augustini opuscula reperit, nempe [c] epistolam ad Sixtum, quam & dictante eodem Felice cum bona Uzalensium monachorum venia transscripsit. Floro postea Uzali Carthaginem profecto, Felix ad proprium monasterium rediit, secum sancti Doctoris librum ferens. Atqui cùm illud idem opus, Valentino abbate inscio, fratribus legere cœpisset, eorum quinque vel non multo plures sensum auctoris non assecuti, ac medicinam in morbum vertentes, magnas turbas in cœnobio excitavere; contendentes videlicet, ab aliis, qui doctrinam hanc rectiùs intelligebant, ita defendi gratiam, ut liberum arbitrium abolerent, nosque negarent in extremo judicio secundùm sua cujusque opera judicandos. An autem ea scriptio Augustini esset, quosdam apparet subdubitasse. Floro Carthagine reverso tumultus denuo recruduit: in illum tamquam vulnerum, quæ ab hoc libro passi erant, auctorem insurrexere, turbas monasterii omnes ac dissidia illi accepta referentes; eo quòd ejusdem verba, cùm quæstiones ita difficiles conabatur exsoluere, haud quaquam caperent: ipse quippe germanam & catholicam fidem sectabatur.

[b] *Hic pag.* 746. *epist.* 216. *n.* 2. *& seq.*
[c] *Pag.* 711. *ep.* 214. *n.* 2.

Hoc dissidium toto illo tempore intra monachos se se continuerat, [d] rem ignorante Valentino: sed ratus est Florus officii sui esse, hujus illum admonere. Abbas autem, quin ea lucubratio verus Augustini fetus esset, atque orthodoxam doctrinam exhiberet, in dubium non revocavit. Satis quippe noverat sancti Doctoris stilum, sapientiamque illam angelicam quæ ejus in scriptis relucebat. Videbat hoc eodem in libro Christianam gratiam fulgentiore ac vehementiore dicendi copiâ commendatam, quàm ut de auctore ejus sibi liceret ambigere. Illum igitur cum voluptate perlegit, & lumen solatiumque, quod suavissimæ sancti Viri monitiones humilibus infundunt animis, non sine magna veneratione percepit. Simul quoque operam dedit, ut impias illas quæstiones ignorantia quorumdam è suis fratribus natas comprimeret: decrevitque aliquos mittere ad episcopum Uzalensem Evodium, qui ab eo documenta ad librum Augustini probè intelligendum necessaria ad se referrent. Sanctus ille antistes, de contentionibus, queis illi inter se super libero arbitrio divinaque justitia digladiabantur, certior factus, ad Valentinum abbatem ejusque monachos rescripsit epistolam, quâ eosdem alloquitur in hæc verba. [e] Honorabiles fratres retulerunt nobis, quia nescio quæ ibi quæstiones inter vos natæ sunt de libero » arbitrio & de justitia Dei. Laudamus quidem studium vestrum, sed nolumus esse contentiosum. » Contentio enim perturbationem excitat, sed studium pietatem requirit. Liberi » arbitrii plenissimum affectum habuit homo primò procreatus, Adam dico: sed ubi sauciatum » est ipsum liberum arbitrium, infirmatum est. Ergo est in homine nunc liberum arbitrium, » sed sauciatum. Inde dictum est: Infirmatus est in egestate vigor meus; &, Lumen

[d] *Pag.* 746. *ep.* 216. *n.* 2. *& seq.*
[e] *Evod. epist. ad Adrumet.*
Psal. 30. 11.

oculorum meorum non est mecum. Ad hoc recuperandum missus est medicus Salvator Christus, ut salvaret quod perierat, & curaret quod vitiatum fuerat. (Et post alia:) Legant ergo, inquit, sancti Dei majorum dicta, sicut jam dixi, qui habent divini muneris pium affectum: & quando non intelligunt, non citò reprehendant, sed orent ut intelligant. Hoc Evodianæ epistolæ fragmentum habemus à Jacobo [a] Sirmondo, qui nobis indicasse contentus, eamdem reperiri in codice Trevirensis abbatiæ S. Maximini, prætermisit cetera, non indigna, ut ait, luce omnia, nisi quòd parum emendata. Porrò quibus Augustini liber non fecerat satis, ii nec Evodii responsione sibi satis factum declaravere: nam ipsummet convenire Augustinum, apud se statuerunt; tametsi ei consilio suus ipsorum abbas refragaretur. Hic præterea incassum eis mederi conatus est ope sancti cujusdam presbyteri nomine Sabini, qui librum eisdem nitida interpretatione explicavit. Quare cùm ille jam nullum aliud remedium cognosceret, ipsorum profectioni, ne per repulsam augerentur in eis vulnera, vel invitus consensit, atque etiam pecuniâ ad iter necessariâ instruxit: litteras tamen nullas dedit ad Augustinum; ut ne ipsemet, perinde atque illi, circa veritatem doctrinæ ejus anceps fluctuare videretur.

Psal. 37. 11.
[a] Histor. prædestinat. cap. 1.

Itaque libertatis adversùs gratiam defensores liberè ac [b] *inordinata profectione*, id est, contra monasticæ disciplinæ ordinem, iter aggressi sunt, scriptionem de qua disceptabatur, secum ferentes: nec plures iidem quàm duo nominantur, [c] Cresconius, & Felix, alius hic forsitan ab eo qui memoratam scriptionem in Adrumetinum monasterium adtulerat: qui tamen & ipse videtur cum illis unà profectus, quando ejusdem comites [d] appellantur. Illis profectis, alii fratrum in monasterio quiete ac pace gavisi sunt. Quamquam autem isti nullis [e] instructi erant ad Augustinum litteris; tamen quia se monachos ex Adrumetina congregatione ferebant, eos sanctus Episcopus excepit, majorem in iisdem simplicitatem advertens, quà ut doli fraudisve posset habere suspectos. Hi ergo narraverunt ei, [f] gratiam sic prædicari à quibusdam suis fratribus, ut ab iis negetur liberum arbitrium, affirmeturque nos ex nostris operibus judicandos non esse: ab aliis autem cum gratia simul agnosci & liberum hominis arbitrium, & justitiam Dei qua reddet unicuique secundùm opera ejus. Iidem insuper Florum quasi dissidii, quo eorum congregatio divellebatur, auctorem insimulabant.

[b] Pag. 746. ep. 216. n. 1.
[c] Pag. 711. ep. 214. n. 1.
[d] Pag. 746. ep. 216.
[e] Pag. 714. ep. 214. n. 5.
[f] Epist. 214. n. 1.

Docuit monachos Augustinus, illisque suam ad Sixtum epistolam exposuit. Per eosdem quoque ad Valentinum & fratres in Adrumetino conventu ipsius convictores scripsit [g] epistolam, qua difficillimam illam [h] de voluntate & gratia quæstionem discutiebat. Valentinum autem [i] rogabat, Florum ad se mitteret, id scilicet animo conjectans, quod res erat, adversùs illum ideo tumultuari alios, quòd non assequerentur quæ diceret. Optasset quidem Augustinus, varia instrumenta quæ ad historiam Pelagianæ hæreseos pertinebant, per Cresconium ac Felicem transmittere: sed illi moram ad eadem exscribenda non dabant, [k] maturantes reditum ad monasterium, ut ibi Pascha, quod anno 427. in diem 3. Aprilis incidebat, cum suis fratribus, sublatâ jam dissidiorum caussâ, in perfecta animorum consensione celebrarent. Eo quidem illorum consilio adductus fuit sanctus Episcopus, ut memoratam epistolam ad Valentinum illis ante Pascha traderet: nihilo minùs tamen eosdem ultrà [l] dictum festum, quo illos magis contra Pelagianam perniciem communiret, apud se retinuit: cujus moræ caussam autumant præbuisse alium Felicem, qui scilicet ad Augustinum paulò tardiùs, non nisi post comites suos pervenit; & à quo credibile est, sanctum Doctorem verum disputationis hujusce statum didicisse. Inter hanc ergo eorum longiorem moram Augustinus, non modò suam ad Sixtum epistolam iisdem monachis legit, verùm etiam Carthaginensis synodi, ac Milevitanæ, nec non quinque episcoporum ad Innocentium litteras, cum singulis Pontificis ad easdem responsis; epistolam quoque Africani concilii ad Zosimum, & Zosimi rescriptum ad universos totius orbis episcopos missum; denique canones concilii plenarii totius Africæ contra Pelagianam hæresim constitutos: quibus omnibus libri etiam à Cypriano de oratione Dominica editi, quo quidem beatus ille Martyr gratiam Dei mirificè commendat, lectionem addidit; nihil prætermittens, quo minùs eosdem, neque libero arbitrio, neque gratiæ necessitate negatis, sanos in fide ac firmos efficeret.

[g] Epist. 214.
[h] Pag. 714. ep. 215. n. 2.
[i] Epist. 214. n. 6.
[k] Epist. 214. n. 5.
[l] Epist. 216. n. 1. & seq.

Præterea verò compellente eâ, [m] quâ in fratres suos Vir sanctus fervebat, caritate, librum super hoc ipso argumento elucubravit, cui titulum indidit, *de gratia & libero*

[m] Hic pag. 717. b.

arbitrio ad Valentinum & cum illo monachos. Ibi demonstrat primùm ex Scripturis, & hominem libero arbitrio verè præditum esse, & eum tamen sine gratiæ adjutorio nihil boni posse agere. Postea probat gratiam non secundùm merita dari; & explicat qua ratione vita æterna, quæ bonis operibus redditur, verè sit gratia. Deinde ostendit, nec scientiam legis, nec naturam, nec solam remissionem peccatorum esse gratiam illam quæ per Christum datur; sed hac Christi gratiâ fieri, ut lex impleatur, ut natura liberetur, ut ne [a Pag. 732. a.] peccatum dominetur. Expugnat perfugium Pelagianorum, quo excipiebant, [a] *gratiam, etsi non secundùm merita bonorum operum detur, tamen dari secundùm merita bonæ voluntatis, quæ præcedit, credentis & orantis.* Incidit in quæstionem, cur Deus jubet, quod ipse daturus est; anve jubeat aliqua, quæ non possumus. Caritatem, sine qua præcepta non implentur, non in nobis nisi ex Deo esse convincit. Docet operari Deum in cordi- [b Pag. 736. d. 741. c.] bus hominum ad inclinandas eorum voluntates [b] quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique aliquando occulto, semper tamen justo. Ad extremum, gratuitæ gratiæ nec meritis redditæ exemplum haberi luculentum in iis parvulis qui salvantur, dum alii quorum cum illis una caussa est pereunt.

[c Pag. 744. d.] Hortatur Adrumetinos, [c] ut librum hunc suum assiduè repetant: ac si quidem doctrinam illius capiant, Deo gratias agant: sin autem in eo aliquid obscuri offendant, ejus intelligentiam piis precibus satagant obtinere: in primis à se repellant scientiam illam contentiosam ac zelum amarum, quam tantopere Jacobus apostolus detestatur. Illis adhuc lectionem [d Pag. 750. a.] ejusdem libri majorem in modum commendat, [d] in alio, quem postea ad eosdem mo- [e Pag. 714. ep. 215. n. 2.] nachos direxit: confidens [e] fore divinâ opitulante gratiâ, ut illo diligentiùs evoluto, penitiusque intellecto, dissensiones omnes, quæ inter ipsos de hac re erant obortæ, consopirentur. Idem hoc opus Cresconio & ipsius comitibus legit, ac deferendum in cœnobium suum dedit, adjunctis reliquis instrumentis ad Pelagianorum condemnationem spectantibus, quæ isthuc mittenda existimavit. Tradidit simul & secundam epistolam ad Valentinum ejusque fratres, quos ibi de Floro ad se mittendo compellat in hæc verba: [f Epist. 215. n. 8.] [f] Si quid de vobis mereor, veniat ad me frater Florus.

XXVI. *Liber alius ad eosdem Adrumetinos mittitur, de correptione & gratia nuncupatus.*

[g Pag. 746. ep. 216. n. 1. & seq.] AUGUSTINI librum ac epistolas [g] summa cum veneratione Valentinus accepit: & quamquam fratrum quorumdam suorum imperitiâ contigerat, ut ipse aliique à culpa immunes ab eo simul objurgati viderentur; tamen quòd illorum curiositas fructus adeo felices peperisset, sibique doctrinæ tam utilis tamque jocundæ adtulisset cognitionem, multùm gavisus est. Non commisit profectò idem Valentinus, quin ad illum proficisci Florum juberet, datis etiam litteris, quibus quidquid in monasterio suo gestum fuerat, sancto Antistiti exponebat, cum fidei suæ, quam & Flori esse affirmabat, professione. Ibi quoque rogabat, ut monasterio suo pacem & ab ejusmodi contentionum procellis tranquillitatem à Deo precibus obtineret. Illud ad extremum adjiciebat, quæ Florus ad ejusdem sui monasterii regulam disciplinamque constituendam ab ipso peteret, ne gravaretur præcipere.

Florus hoc iter suscepit lubens, seque unà cum aliquot aliis contulit ad sanctum Antistitem: qui ubi fidem de libero arbitrio & gratia catholicam in eo deprehendit, nec non ex Valentini epistola pacem inter fratres jam ferme compositam, eorumque in veritate consensionem & in caritate flagrantiam cognovit, lætitiâ minimè mediocri perfusus est. Vir sanctus oppidò gaudebat, quòd divina misericordia nequitiam diaboli in servorum suorum provectum mirabili bonitate vertisset; ita ut artes ipsæ quibus humani generis [h Pag. 750. a.] hostis eorum nonnullos [h] subvertere molitus erat, nocerent nemini, & multorum eruditioni conducerent, eorum scilicet qui Floro obstiterant, verborum ejus sensum non assequentes. Nam postea errorem suum correxisse iidem videntur. Et hinc factum est, ut [i Pag. 717. ep. 214.] Augustinus, qui in epistola ad Valentinum prima, [i] hoc in monasterio quosdam esse, qui re vera liberum negarent arbitrium, quasi rem certam posuerat; quique postea, forte [k Pag. 717. b.] alterius Felicis relatu edoctus, ea de re quodam modo [k] hæsitabundus locutus fuerat, dicens quosdam esse, qui sic gratiam defenderent, ut negarent liberum arbitrium, aut qui

qui hoc negari existimarent, quando illa defenditur: hinc factum igitur, ut in Retractationibus, post acceptam Valentini responsionem & auditum Florum, diceret elucubratum à se librum eorum caussâ, [a] qui cùm defenditur Dei gratia, putantes negari liberum [a] Hic pag. 711.
arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, asserentes eam secundùm merita nostra dari.

Accepit quoque Augustinus, idque forsitan ex eodem Floro, in [b] Adrumetino mo- [b] Pag. 747. Retract. lib. 2. c. ult.
nasterio reperiri quemdam, qui objectaret: [c] *Ut quid nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle & operari* [c] Pag. 752.
Deus operatur in nobis? Ergo præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus qui nobis præsunt, & ut faciamus orent pro nobis: non autem nos corripiant & arguant, si non fecerimus. Quomodo meo vitio non habetur, quod non accepi ab illo, à quo nisi detur, non est omnino alius unde tale ac tantum munus habeatur? Falsa illa consecutio, qua hic monachus gratiæ doctrinam in invidiam adducere nitebatur, Augustinum impulit, ut eamdem doctrinam adversùs eos [d] qui liberum arbitrium non secundùm gratiam, sed contra eam de- [d] Pag. 759. b.
fendebant, nova ipse emissa lucubratione tueretur. Hic ille liber est, ab eo prænotatus, *de correptione & gratia*; quem iisdem *Valentino & cum illo monachis* inscripsit: tametsi in eo non impugnarentur illi, [e] ut pote quorum rectum esset cor in Deum; nam & ille ipse, [e] Pag. 752. c.
à quo fuerat ita objectatum, poterat ab opinione discessisse. Certè quidem profitetur sanctus Doctor, non se adversùs Adrumetinos, sed adversùs eos agere, qui cùm nihil nisi terrenum sapiant, nolunt se ob mala quæ perpetrant, à gratiæ prædicatoribus reprehendi; vel saltem adversùs ipsas humanas cogitationes, quæ quorumdam mentibus incurrere possent. Quin etiam in disputationis serie illos impetit, qui nondum baptismo erant regenerati.

In hoc maximè libro Augustinus prædestinationis fundamenta, quæ hactenus [f] non [f] Pag. 852. b.
tam clarè ac distinctè proposuerat, liquidiùs explicare cœpit. Unde qui Massiliæ hoc mysterium impugnabant, infensissimi erant huic operi: quod è contrario multum solatii ac luminis Prospero ceterisque gratiæ defensoribus afferebat. Principio libri ponit catholicam fidem de lege, de libero arbitrio, de gratia: & docet gratiam Christi eam esse, quâ solâ homines liberantur à malo, & sine qua nullum operantur bonum, ipsâ non solùm monstrante, sed etiam præstante ut id cum dilectione agant. Correptionem hominum malorum, qui hanc gratiam non acceperunt, nec injustam esse, cùm sua voluntate mali sint; nec inutilem, tametsi fatendum est non nisi per Deum fieri ut prosit. Perseverantiam in bono magnum re vera esse Dei donum: tamen qui non accepto hocce dono fuerit sua voluntate relapsus in peccatum, eum non correptione tantùm, sed si usque ad mortem in malo permanserit, etiam æterna damnatione dignum esse. Cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, esse inscrutabile. Ex prædestinatis nullum perire posse: ac proinde perseverantiam, quam non omnes accipiunt qui hîc filii Dei appellantur, iis omnibus dari qui verè filii sunt præscientiâ & prædestinatione Dei. Occurrit quæstioni de Adamo, quomodo ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit. Ostendit tale primùm ipsi datum esse adjutorium, per quod posset, ac sine quo non posset permanere si vellet, non quo fieret ut vellet: nunc verò per Christum dari, non solùm sine quo permanere non possumus, etiam si velimus, verùm etiam tantum ac tale, quo fiat ut velimus. Prædestinatorum, quibus proprium est hujusmodi donum, probat certum esse numerum, neque augendum, neque minuendum: & cùm ignotum sit, quis ad eum numerum pertineat, quis non pertineat, medicinalem correptionem adhibendam esse omnibus peccantibus, ne vel ipsi pereant, vel alios perdant. Concludit tandem, neque gratiâ prohiberi correptionem, neque correptione negari gratiam.

XXVII. Leporius monachus Galliis ob dogmata fidei Incarnationis & divinæ gratiæ contraria exturbatus, per Augustinum in Africa ad emendationem adducitur.

ASSERIT in superiore [g] illo libro Augustinus, usque tunc repertum esse neminem tam [g] Pag. 766. f.
cæcum tamque ignarum in fide, ut dicere auderet, Christum de Spiritu-sancto & virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene vivendo & sine peccato

bona opera faciendo meruisse, ut esset Dei filius. Verùm tamen hoc ipsum Cassianus [a] quibusdam adtribuit, quorum è præcipuis erat Leporius: qui quidem Leporius in emendationis suæ libello rem confitetur satis apertè. Hæc igitur palinodia, quæ potissimùm ad Augustini laborem ac diligentiam referenda est, omnino videtur memorato libro posterior; prior autem ultimo in Julianum opere: si quidem isto in opere [b] hunc errorem, ob verba quædam Juliani, quæ huc pertinere aliquo modo videbantur, Pelagianis tam incunctanter objectat sanctus Doctor, ut ipsum hujus additæ per eosdem impietatis factum aliunde certiorem, par sit existimare.

a Append. pag. 127. b.

b Hic pag. 1179. b.

Leporius monachum in Galliis professus, vitæ [c] puritate inter alios eminebat: verùm idem virtutem suam non adjutorio divino, sed libero tantùm arbitrio propriisque viribus adscribebat, doctrinam Pelagianam secutus, quâ & imbutum fuisse eum ab ipsomet Pelagio, indicare videntur illa verba Cassiani: [d] *ex Pelagii institutione vel potiùs pravitate descendens.* Quin etiam idem hic in præcipitium multo perniciosius ruit. Etenim recensitus est inter præcipuos duces eorum, qui per id tempus è Pelagianæ [e] hæreseos principiis & antiquam Ebionitarum impietatem renovarunt, & Nestorianæ jecerunt fundamenta. Inter alia, cùm dicerent isti, *solitarium hominem Jesum Christum sine ulla peccati contagione vixisse*; eò progressi erant, ut assererent, *homines si velint, sine peccato esse posse, absque adjutorio Dei.* Exinde in majorem insaniam prorumpentes dicebant, *Jesum Christum hunc in mundum non ad præstandam humano generi redemtionem, sed ad præbenda bonorum actuum exempla venisse.* Scribit Cassianus, emersisse hanc pestem ætate sua, *& maximè Beligarum urbe*, vel ut alia lectio habet, *ex maxima Veligarum urbe.* An autem Belicam designatam voluerit, an verò legere oporteat, *ex maxima Belgarum urbe*, quod nomen Augustæ Trevirorum conveniret, aliorum judicium esto. Atqui eodem affirmante Cassiano constat, Leporium in Galliis hanc eamdem hæresim vel primum, vel primos inter defendisse. Facundus quoque memoriæ prodidit [f] eamdem illum doctrinam tradidisse in Galliis, quam postea in Oriente Nestorius disseminavit.

c Append. pag. 127. f.

d Ibid. e.

e Ibid. b. c.

f Fac. lib. 1. c. 4.

Errores suos Leporius evulgaverat scriptâ epistolâ, quæ graviter offendit orthodoxos & ingentia scandala peperit. Cassianus, qui poterat jam inde ab anno 415. in Provincia versari, profitetur [g] se illum, ut resipisceret, admonuisse: idem quoque præstitere [h] alii è Galliis eruditi viri, sed frustra. Quapropter monachum errantem [i] pro suæ arrogantiæ merito corripientes episcopi Gallicani, Proculus & Cylinnius, impia illius dogmata damnaverunt. Ille Galliis exturbatus trajecit in Africam cum aliquot erroris sociis: ubi Africanorum quorumdam antistitum, sed Augustini præsertim operâ, divino affulgente lumine, à cæcitate sua liberatus, errorem agnovit, ejusque perniciem summa cum detestatione abdicavit. Nam non solùm in Africa eum cum gravi dolore ac piâ quadam impudentiâ confessus est: sed etiam, quia in Galliis vulgatus fuerat suus ille error, ibi quoque emendationem suam voluit palàm apparere. Quocirca libellum isthuc misit gemitibus pænitentiæ suæ plenissimum: pristina deliramenta tam magnificè, ut Cassiani verbis dicamus, condemnans, ut non minùs penè admiranda sit correctio illius, quàm illibata multorum fides. Ea occasione Proculo & Cylinnio episcopis Augustinus scripsit cum Aurelio, Florentio, & Secundino communem epistolam, in qua eos quoque qui cum Leporio trajecerant, cum eodem correctos & sanatos esse renuntiant.

g Append. pag. 127. e.

h Ibid g.

i Epist. 219. inter Aug. n. 1. & 2.

XXVIII. Contra Pelagiani erroris reliquias quasdam in Vitali deprehensas afferuntur sententiæ de gratia duodecim ad catholicam fidem pertinentes.

PERNICIEM multo majorem Ecclesiæ, apud Gallias præsertim, creavit surculus alius hæresis Pelagianæ, qui tanto latiùs diffudit se se, atque altiores radices egit, quanto is prima fronte apparuit minùs injuriosus in Christi Salvatoris gratiam, quam haud parum quoque amplificare videbatur. Hujus initia quædam prodierunt cum novo dogmate Vitalis, viri aliunde catholici, qui cùm esset in [k] Carthaginensi eruditus Ecclesia, præcipuam quamdam doctrinæ Cypriani ejus urbis episcopi venerationem debebat: à qua illum tamen temere discedere conquerebatur Augustinus. Et Vitalem quidem [l] hæreticum Pelagianum esse sanctus Doctor non credebat: sed minimè tam orthodoxum esse audierat, ut nihil illius ad

k Epist. 217. n. 2.

l Ibid. n. 25.

eum transiisset vel in eo relinqueretur erroris. Pelagiani quippe omnia, [a] ut eidem scribit, " ad fidelem piamque vitam hominum pertinentia ita tribuunt libero voluntatis arbitrio, ut " habenda ex nobis, non à Domino putent esse poscenda: tu autem, si ea, quæ de te audio, " vera sunt, *initium fidei*, ubi est etiam initium bonæ, hoc est, piæ voluntatis, *non vis donum* " *esse Dei, sed ex nobis nos habere* contendis *ut credere incipiamus*; cetera autem religio- " sæ vitæ bona Deum per gratiam suam jam ex fide petentibus, quærentibus, pulsantibus " donare consentis. Vitalis deinde ad Paulum apostolum, ubi docet, Deum in nobis operari velle & perficere, sic respondebat: [b] *Per legem suam, per scripturas suas Deus operatur ut velimus, quas vel legimus vel audimus; sed eis consentire vel non consentire ita nostrum est, ut si velimus, fiat; si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus.* Neque absimiliter interpretabatur Psalmistam, idcirco putans dictum, à Domino gressus hominis dirigi, ut viam ejus velit, [c] quia *ejus doctrinam suasione præcedente, subsequente consensione sectatur; quod libertate naturali si vult facit, si non vult non facit, pro eo quod fecerit præmium vel supplicium recepturus.*

[a] Ibid. n. 29.
[b] Ibid. n. 1.
[c] Ibid. n. 4.

Hunc Vitalis errorem, quem ipsum amplexi sunt qui vocantur Semipelagiani, epistolâ ad eumdem scriptâ inde potissimùm refellit Augustinus, quòd Ecclesia preces apud Deum fundat pro infidelibus, ut convertantur, & gratiarum actiones pro iisdem ad fidem conversis rependat; nec non pro fidelibus adhibeat orationes, ut in eo quod esse cœperunt, ejus munere perseverent: neque enim tam corruptum putabat hominis hujus animum, ut eas improbaret. Utitur quoque Cypriani libro in orationem Dominicam, & item alio de mortalitate. Proponit eidem duodecim sententias de gratia, quæ totam quæstionem dirimebant, ut pote quarum [d] singulæ planum facerent, gratiâ Dei præveniri hominum voluntates, & per hanc eas potiùs præparari, quàm propter earum meritum dari. Hæ sententiæ sunt: [e] 1. Nondum natos nihil egisse in vita propria boni seu mali, nec secundùm " merita prioris alicujus vitæ, in hujus vitæ venire miserias, sed secundùm Adam carnaliter " natos contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere, nec liberari à supplicio mortis " æternæ, quod trahit ex uno in omnes transiens justa damnatio, nisi per gratiam renascan- " tur in Christo. 2. Gratiam Dei nec parvulis nec majoribus secundùm merita dari. 3. Ma- " joribus ad singulos actus dari. 4. Non omnibus hominibus dari; & quibus datur, non solùm " secundùm merita operum non dari, sed nec secundùm merita voluntatis eorum quibus " datur: quod maximè apparet in parvulis. 5. Eis quibus datur, misericordiâ Dei gratuitâ " dari. 6. Eis quibus non datur justo judicio Dei non dari. 7. Quòd omnes adstabimus an- " te tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit, non secun- " dùm ea quæ si diutius viveret gesturus fuit, sive bonum, sive malum. 8. Etiam parvulos se- " cundùm ea quæ per corpus gesserunt, recepturos bonum vel malum; id est, tempore " quo in corpore fuerunt, quando per corda & ora gestantium crediderunt vel non credi- " derunt, quando baptizati vel non baptizati sunt &c. 9. Felices esse mortuos, qui in Do- " mino moriuntur, nec ad eos pertinere quidquid acturi fuerant, si tempore diuturniore " vixissent. 10. Eos qui corde proprio credunt in Dominum, sua id facere voluntate ac libe- " ro arbitrio. 11. Pro eis qui nolunt credere, nos qui jam credimus, recta fide agere, cùm " Deum oramus ut velint. 12. Pro eis qui ex illis crediderunt, tamquam de beneficiis, rectè " atque veraciter & debere nos Deo agere gratias & solere. Quæ quidem dogmata ad nu- " merum duodenarium se ideo redigere dicit, ut & faciliùs memoriæ mandentur, & distinctiùs teneantur: hæc autem omnia ad fidem veram & catholicam pertinere, certissimum esse catholicis Christianis. Demum in extrema parte epistolæ addit, cum eodem Vitali, si persistat in errore, aliter agendum esse, ne alios in errorem mittat, id est, contumacem ab Ecclesiæ corpore resecandum.

[d] Ibid. n. 25.
[e] Ibid. n. 16.

Epistola hæc ad Vitalem videri potest Adrumetinorum dissensione ac libris ad eam componendam editis posterior. Is nempe circa eamdem cum illis quæstionem laborans, existimavit non aliter posse liberum hominis arbitrium & Dei justitiam servari, nisi dicatur, & fidem & divinæ suasioni consensionem esse à nobis, id est, ex propria voluntate; ita ut quisque pro eo quod ex libertate naturali fecerit, præmium vel supplicium sit recepturus. Quoniam autem in libro de gratia & libero arbitrio capite 7. & sequentibus contrarium ab Augustino assertum erat, id est, ex Dei dono ipsam fidem ac bonam voluntatem venire, hoc fortè permotus Vitalis apertiùs contradicere cœpit, & Pauli ac Psalmistæ te-

ſtimoniis in eodem libro capite 16. adhibitis reſpondere. Porrò verſiculum Pſalmi 36. quem in memorato libro tantummodo indicaverat Auguſtinus, urget hîc explicatque contra Vitalem; tum etiam ipſum ex Eccleſiæ precibus pro incredulis, quod argumentum in eodem libro leviter tetigerat, operoſiùs refellit.

XXIX. Auguſtini extrema ætate Semipelagiani Maſſilienſes in dogma prædeſtinationis inſurgunt. Id Auguſtinus propugnat libris ad Proſperum & Hilarium de prædeſtinatione ſanctorum & de dono perſeverantiæ.

HAC ultima ſua ætate ſuſcepit Auguſtinus aliud contra ſecundam Juliani reſponſionem opus, quod ad extremam uſque vitam proſecutus, imperfectum nobis reliquit; de quo imperfecto opere agemus infrà propriâ in illud admonitione: jam verò dicturi ſumus, qua Deus occaſione beatum Antiſtitem, quem in gratiæ ſuæ defenſorem elegerat, ad prædeſtinationis dogma, priùs quàm hinc ipſe migraret, aſſerendum induxerit: quod ſanè dogma, [a] ex eo quod Pelagius in Palæſtina ſynodo vel invitus conceſſerat, gratiam non ſecundùm merita dari, neceſſariò ſequebatur.

Erant ergo Maſſiliæ aliiſque in locis Galliarum non pauci, qui ſibi ex imperitia perſuaderent, [b] quidquid ſuis in Pelagianos libris de vocatione electorum ſecundùm Dei beneplacitum ſcripſerat Auguſtinus, id totum à Patrum opinione atque Eccleſiæ ſententia abhorrere. Illud idem ſanctis juxtà ac peccatoribus negligentiam teporemque injicere: quia quoque modo ſe egerint, non poſſet aliud erga eos, quàm Deus definivit, accidere. Ac proindè ut maximè vera eſſet illa doctrina, non tamen evulgandam eſſe: quippe quæ, cùm nequaquam eſſet neceſſaria, effectus traheret admodum periculoſos, necnon cohortantium incitamenta vana caſſaque redderet. Quæ ſua erat à catholico illo dogmate, unde conſecutiones tam odioſas colligebant, abalienatio, eos in celebres Semipelagianorum (quippe hoc nomen merito ſuo conſecuti ſunt) errores impulit. Nam [c] illi priùs meliora & magis orthodoxa ſentiebant: ſed certis regulis ac fundamentis deſtituti, modò huc, modò illuc mentem atque opinionem transferebant. Viſum illis, [d] initium fidei & in finem perſeverantiam ſic eſſe in noſtra poteſtate, ut non ſint dona Dei; aut à Deo nonniſi talem [e] dari perſeverantiam, à qua poſſit homo ſua voluntate deficere. Nec deerant etiam, [f] qui à Pelagianis ſemitis adeo non declinabant, ut nullam aliam gratiam, quàm rationem liberumque arbitrium homini nihil priùs merenti à Creatore datum, agnoſcere viderentur. Nihilo minùs tamen, qui amplectebantur hoſce errores, viri erant inter ceteros clari, qui virtutum omnium ſtudio, ac probitatis qua fulgebant opinione, magnam ſibi auctoritatem apud ſimpliciores quoſque paraverant. Sed nulli recipiendis Pelagianorum impiis placitis magis obnoxii ſunt, niſi ab ſe ipſis ſibi caveant, quàm iſti; nec ferè reperiuntur, qui Dei beneficiis abutantur faciliùs, illis intumeſcendo & ſibi ipſis accepta referendo, quàm qui pluribus ab eo fuere cumulati. Maſſilienſium Chriſti ſervorum, hoc eſt, monachorum, magnam partem peſtis iſta corripuerat: neque ullus eſt qui ignoret, Johannem Caſſianum, à quo iſthîc monaſterium conſtitutum fuerat, hunc eumdem errorem propagaſſe ſcriptis ſuis, ac potiſſimùm Collatione tertia-decima, quam ſub annum 426. [g] in lucem emiſit, uno videlicet anno, poſt quàm Valentinianus Gallicanos epiſcopos, qui Pelagii dogmata ſectarentur, abdicari expellique juſſerat. Ad hæc, auctoritatis non minimum eidem errori hinc accedebat, quòd eorum, à quibus defendebatur, nonnulli [h] ſummo ſacerdotii honore, id eſt, epiſcopatu nuper obtento præeminebant. Hilarius quoque ipſe epiſcopus Arelatenſis, qui [i] Honorato circa finem anni 428. ſucceſſerat, in ceteris doctrinæ Auguſtini ſectator & admirator, in iis tamen quæ ad prædeſtinationem ſpectant, angebatur, ac nonnihil in querelam trahebat, ſuperque hoc cogitata ſua cum ſancto Doctore conferre cupiebat.

Virorum tam illuſtrium, tamque in Eccleſia & pietate & dignitate præſtantium auctoritas eorum errorem cùm ſibimetipſis, tum aliis magis periculoſum reddebat: debita enim eiſdem veneratio & rudes in imitationem pertrahebat, & ſimul peritiorum linguas inutili ſilentio cohibebat; ita ut vix reperiretur ullus, qui vel ipſos admoneret, vel errori quem docebant, occurreret, præter [k] paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores. Horum è numero fuere Proſper, & Hilarius quidam, alius ab epiſcopo Arelatenſi; cùm ille

[a] Hic pag. 843. f. g.
[b] Pag. 779. epiſt. 225. n. 2.
[c] Epiſt. 225. n. 6.
[d] Hic pag. 844. f.
[e] Pag. 786. epiſt. 226. n. 4.
[f] Pag. 782. epiſt. 225. n. 4.
[g] Append. pag. 165. not. a.
[h] Epiſt. 225. n. 7.
[i] Hic pag. 783. not. a.
[k] Pag. 782 ep. 225 n. 7.

ordinis eſſet [a] laicorum. Hic certè conſuetudinis Auguſtini deliciis [b] potitus aliquando fuerat, doctrinæque ejus ſalubri lacte nutritus: ac proinde licèt id temporis, ut credibile eſt, patriâ & conſanguineorum conſpectu frueretur; ſe tamen tamquam extorrem reputabat. Videtur autem ab Auguſtini convictu eo conſilio diſceſſiſſe, ut fratris ſui conjugali vinculo alligati ſalutem procuraret. Hoc nutu divino factum fuiſſe probavit eventus. Etenim præter ab eo ſuſceptam gratiæ defenſionem in Galliis, ipſius frater de conſenſu uxoris continentiam amplexus eſt, quam uterque ſe ad extremum uſque ſpiritum perfectè ſervaturos Deo voverunt. Nihil autem, noſtra quidem opinione, prohibet, quo minùs Hilarium hunc exiſtimemus eumdem eſſe, qui circiter annum 414. è Sicilia epiſtolam Auguſtino de erroribus Pelagianorum ſcripſit. Præter quàm quod animo torquebatur ille ob amiſſam ſancti Doctoris præſentiam, ſummo quoque dolore ipſum afficiebat, quòd non ſolùm dogmata tam manifeſta, quæ idem Sanctus tradiderat, reſpuerentur, ſed etiam ab iis qui illa minimè caperent, reprehenderentur. Quocirca etſi venerationem, quam ex eccleſiaſtica conſuetudine viris ejuſmodi ſuperioris ordinis laici debent, religiosè exhiberet; tamen oblata occaſione non tacebat, ſed catholicam doctrinam pro datis ſibi à Deo viribus tuebatur.

[a] Pag. 787. ep. 226. n. 9.
[b] Ibid. n. 10.

Proſper autem, qui Auguſtino in defendendæ gratiæ munus ac laborem ſucceſſit, Aquitanus erat, [c] ſermone ſcholaſticus, hoc eſt, egregiè litteratus, & omnino [d] vir tum moribus, tum eloquio & ſtudio clarus, nec ſancti Antiſtitis notitiâ indignus: quamvis ſe ipſe tantùm ex ordine laicorum fuiſſe quodam modo indicet, ubi profitetur minimè ſe parem auctoritati memoratorum Semipelagianorum, à quibus multùm & vitæ meritis, & ſummo ſacerdotii honore ſuperatur. Auguſtinum numquam viderat, ſed tantummodo officioſis ſalutaverat litteris, quas per Leontium diaconum direxerat, per quem & ſancti Antiſtitis acceperat reſponſionem. Verùm tamen & Auguſtini lectione & Dei revelatione doctus perverſiſſimum [e] eſſe, negatâ prædeſtinatione ac præveniente gratiâ dicere, quòd initium ſalutis ex eo qui ſalvatur, non ex eo ſtet qui ſalvat, quódque voluntas hominis divinæ gratiæ pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem: ſpretis aliorum adverſis conatibus, non modò hac in fide perſtitit, ſed & eamdem contra impugnantes propugnavit, tum ſancti Doctoris operibus atque illic allatis Scripturarum teſtimoniis uſus, tum argumentis quæ per ſe ipſe à poſitis per Auguſtinum fundamentis ducebat; pugnans videlicet validis ratiociniis, & nervoſis illis aſſertionibus, quibus idem ipſe, juxta Gennadii quoque adteſtationem, pollebat.

[c] Ex Gennad.
[d] Hic pag. 787. epiſt. 226. n. 10.
[e] Pag. 782. ep. 225. n. 6. & 7.

Inter prima hujus diſputationis exordia [f] Maſſilienſes aliquantiſper maluerunt vitium imputare ſuæ tarditati, quàm dogma à ſe non intellectum damnare: immo fuere inter eos nonnulli, qui Auguſtinum conſultum vellent, rogatumque ut lucidiorem atque apertiorem ſuper hoc expoſitionem ederet. At verò contigit Dei miſerentis nutu, ut Maſſiliam per id temporis deferretur liber de correptione & gratia, quo libro monachis Adrumetinis ad eadem ipſa, quæ Maſſilienſibus faceſſebant negotium, tam plenè reſpondebatur, tamque abſolutè, ut idem liber ad componendas, quæ in Galliis excitatæ erant, contentionum turbas conſcriptus videretur. Verùm conſpecto libro, qui apoſtolicam Auguſtini doctrinam ſequebantur, ipſi quidem novum inde lumen & majora ad eam defendendam præſidia traxerunt: alii autem, quorum mentes error antè occupaverat, caligine propria impediti, nihil aliud illic, niſi offenſionis adhuc & ardentioris in veritatem odii materiam invenerunt. Opinionem ſuam [g] vetuſtatis nomine defendentes, prædeſtinationis dogma notâ novitatis inurebant. Locos Pauli huc pertinentes dicebant à nemine umquam ſic intellectos: cúmque rogarentur, quonam ipſi modo exponi eos vellent; nullum re vera, qui placeret, ſenſum ſibi occurrere fatebantur: ſed de his taceri jubebant, quorum altitudinem nullus adtigiſſet. Sententias Auguſtini ex operibus ante Pelagianam hæreſim ab eo compoſitis producebant, tamquam ſuæ ipſorum opinioni planè congruentes. Quin etiam quæ idem ex adverſa parte ſibi oppoſuit in libro de correptione & gratia, hæc omnia pro ſe iſti magna contentione replicabant. At plurimùm ipſis diſplicebat inſtitutum ibidem diſcrimen inter gratiam quæ Adamo data fuerat, & quæ nobis nunc datur. Denique prædeſtinationis exemplum nolebant ſumi ex parvulis, de quibus nempe alia priùs fuiſſet opinio ipſius quoque Auguſtini in libris de libero arbitrio.

[f] Pag. 779. ep. 225. n. 2.
[g] Ibid. n. 3.

Cùm autem illorum, quibus ſpiritus Pelagianæ impietatis ſic illudebat, auctoritate premerentur veritatis defenſores; compulſi ſunt ab ſancto Antiſtite poſcere, ut ſuam ipſe

auctoritatem illis objiceret. Hac de re duas ad ipſum epiſtolas ſcripſit Hilarius: quarum priore, quæ excidit, fortaſſe referebatur odioſa illa prædicandæ prædeſtinationis formula, [a] quam ex adverſariis objectavit ſibi Auguſtinus. Poſteriore verò Hilarius poſt quàm de adverſariorum querelis egit, [b] Quidquid, ait, pro ea gratia, quam in te puſilli cum magnis miramur, volueris aut valueris, gratiſſimè accipiemus, tamquam à nobis cariſſimâ & reverentiſſimâ auctoritate decretum. Ac ſignificat ſe Proſperum quoque impuliſſe ad ſcribendum proprias in eamdem rem litteras, quas ei cum ſuis conjunctim dirigit. Exſtant etiamnum hæ Proſperi litteræ, quarum ille exordio teſtatur ſe ſancto Doctori non ſolo ſalutandi eum, ut in priore quadam epiſtola fecerat, ſtudio, ſed etiam fidei, qua Eccleſia vivit, affectu ſcribere. [c] Excubante enim, inquit, pro univerſis membris corporis Chriſti vigilantiſſimâ induſtriâ tuâ, & adversùs hæreticarum doctrinarum inſidias veritatis virtute pugnante, nullo modo mihi verendum putavi, ne oneroſus tibi aut importunus eſſem in eo, quod ad multorum ſalutem, ac perinde ad pietatem tuam pertinet; cùm potiùs reum futurum eſſe me crederem, ſi ea quæ valde pernicioſa eſſe intelligo, ad SPECIALEM PATRONUM FIDEI non referrem. Et poſt expoſitam, quæ in illis [d] Pelagianæ pravitatis reliquiis inerat, non mediocrem virulentiam, ſubjicit: Speramus non ſolùm tenuitatem noſtram diſputationum tuarum præſidio roborandam, ſed etiam ipſos, quos meritis atque honoribus claros caligo iſtius opinionis obſcurat, defæcatiſſimum lumen gratiæ recepturos.

Auguſtinus, quamquam moleſtè ferebat, quòd catholico dogmati divinis teſtimoniis tam multis tamque manifeſtis confirmato quiſquam adhuc adverſari auderet; Proſperi tamen & Hilarii, virorum, uti diximus, laicorum, quos ipſe [e] filios cariſſimos appellat, horum ergo & ſtudio & pia erga errantes ſollicitudine permotus, duos ipſorum nomini, id eſt, *ad Proſperum & Hilarium* ſcripſit libros, utroſque [f] in vetere Noallienſi codice, in Pratellenſi ac Metenſi, & ab ipſo Proſpero *de prædeſtinatione ſanctorum* nuncupatos: ſed poſterior tamen jam olim, titulo forſitan per amanuenſes mutato, *de dono perſeverantiæ* vocitatur.

Priore libro monſtrat, donum Dei eſſe non ſolum incrementum, ſed initium quoque fidei. Hac de re ſe aliter ſenſiſſe aliquando, & in opuſculis à ſe nondum epiſcopo ſcriptis erraſſe, non diffitetur: at poſtea convictum ſe indicat hoc præcipuè teſtimonio, *Quid autem habes, quod non accepiſti?* quod teſtimonium de ipſa etiam fide accipiendum probat. Fidem docet inter alia numeranda eſſe opera, quibus Dei gratiam præveniri negat Apoſtolus. Gratiâ duritiam cordis auferri; & ad Chriſtum venire omnes, qui à Patre docentur ut veniant: quos autem docet, miſericordiâ docere; & quos non docet, judicio non docere. Locum ex ſua ipſius epiſtola 102. objectatum, poſſe rectè ſalvo gratiæ & prædeſtinationis dogmate explicari. Obſervat quid inter gratiam interſit ac prædeſtinationem. Porrò prædeſtinatione Deum ea præſciviſſe, quæ fuerat ipſe facturus. Prædeſtinationis adverſarios, qui ad incertum voluntatis Dei deduci ſe nolle dicuntur, miratur malle ſe ſuæ ipſorum infirmitati, quàm firmitati promiſſionis Dei committere. Eoſdem hac auctoritate, *Si credideris, ſalvus eris*, abuti commonſtrat. Gratiæ ac prædeſtinationis veritatem relucere in parvulis qui ſalvantur, nullis ſuis meritis diſcreti à ceteris qui pereunt: non enim inter eos diſcerni ex præſcientia meritorum, quæ ſi diutius viverent, fuerant habituri. Præclariſſimum verò exemplum prædeſtinationis & gratiæ eſſe ipſum Salvatorem, qui ut Salvator & Filius Dei unigenitus eſſet, nullis præcedentibus vel operum vel fidei meritis comparavit. Prædeſtinatos vocari certa quadam electorum propria vocatione; eoſque ante mundi conſtitutionem eſſe electos, non quia credituri præſciebantur & futuri ſancti, ſed ut tales eſſent per ipſam electionem gratiæ.

Poſterioris libri prima parte probat perſeverantiam illam, quâ in Chriſto perſeveratur uſque in finem, eſſe donum Dei. Hoc enim à Deo irriſoriè peti, ſi à Deo dari non creditur: atqui Dominica oratione nihil penè aliud poſci quàm perſeverantiam, juxta Cypriani expoſitionem; quâ quidem expoſitione ipſi gratiæ inimici victi ſunt, ante quàm nati. Perſeverandi gratiam non ſecundùm accipientium merita, ſed aliis miſericordiâ dari, aliis juſto ejus judicio non dari docet. Cur ex adultis ille potiùs quàm iſte vocetur, quemadmodum & ex duobus parvulis cur iſte aſſumatur, ille relinquatur, inſcrutabile. Inſcrutabilius autem, cur ex duobus piis, huic perſeverare donetur, non illi: ſed iſtud tamen certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe. Prædeſtinationis myſterium Dominicis verbis de Tyriis & Sidoniis, ſi eadem apud illos, quæ apud Chorozain, ſigna

[a] *Hic pag.* 853. g.
[b] *Pag.* 787. *ep.* 226. *n.* 10.
[c] *Pag.* 779. *ep.* 225. *n.* 1.
[d] *Pag.* 782. *ep.* 225. *n.* 6. & 9.
[e] *Pag.* 790. a.
[f] *Pag.* 819. *in admonit. & Append. pag.* 213. d *& Tom.* 1. *pag.* 63. *not. poſt Retract.*

facta essent, pænitentiam acturis, monstrari observat. Exemplum parvulorum ad prædestinationis & gratiæ in majoribus veritatem firmandam valere ostendit: atque ad locum libri sui de libero arbitrio tertii ab adversariis malè huc relatum respondet. Altera postea parte libri refellit quod illi aiunt, prædestinationis dogma utilitati exhortationis & correptionis esse incommodum. Asserit contrà, prædestinationem utiliter prædicari, ut homo non in se ipso, sed in Deo glorietur. Quæ autem ab istis adversùs prædestinationem objectantur, eadem non absimiliter vel adversùs Dei præscientiam, vel adversùs gratiam illam, quam ad cetera bona (excepto initio fidei & perseverantiæ perfectione) necessariam esse consentiunt, posse torqueri. Prædestinationem quippe sanctorum nihil aliud esse, quàm præscientiam & præparationem beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Verùm prædestinationem congrua ratione prædicari jubet; ac non eo modo, ut apud imperitam multitudinem redargui ipsâ suâ prædicatione videatur. Postremò illustrissimum prædestinationis exemplum nobis propositum ob oculos Dominum Jesum commendat.

Hîc observant, rem ab Augustino libris illis duobus contra adversarios tractatam [a] tantâ luce atque energiâ, ut non tam ingenii vires intendisse, quàm divino afflante Spiritu locutus fuisse videatur. Tam eximium opus, eorum quæ post Retractationes perfectè absolvere ipsi licuit, fortè ultimum, eximia peroratione Vir sanctus exornavit, summam illic animi sui modestiam consignatam relinquens extremis hisce verbis. [b] Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent ut eorum ille sit doctor « interior, à cujus facie est scientia & intellectus. Qui verò errare me existimant, etiam at- « que etiam diligenter quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent. Ego autem « cùm per eos, qui meos labores legunt, non solùm doctior, verùm etiam emendatior fio, « propitium mihi Deum agnosco: & hoc per Ecclesiæ doctores maximè exspecto, si & in « ipsorum manus venit, dignanturque nosse quod scribo. «

Rerum ab Augustini obitu per tempora eidem vicina gestarum in Pelagianorum reliquias, scilicet sub pontificibus Romanis [c] Cælestino, [d] Sixto, [e] Leone, [f] Gelasio, [g] Hormisda, [h] Felice IV. & [i] Bonifacio II. monumenta insigniora exhibentur in Appendice, adjunctis Prosperi [k] contra eosdem hæreticos Apologeticis pro beato gratiæ Defensore.

[a] Rivius lib. 4. c. 10. n. 5.
[b] Hic pag. 858. e.
[c] Append. pag. 130.
[d] Pag. 136. c.
[e] Ibid. d.
[f] Pag. 138. c.
[g] Pag. 145. b.
[h] Pag. 157. a.
[i] Pag. 161. a.
[k] Pag. 163. & seq.

EX AUGUSTINI LIBRO DE HÆRESIBUS AD QUODVULTDEUM.

Hæresis 88.

PELAGIANORUM est hæresis, hoc tempore omnium recentissima, à Pelagio monacho exorta: quem magistrum Cælestius sic secutus est, ut sectatores eorum Cælestiani etiam nuncupentur. Hi Dei gratiæ, quâ prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, & qua eruimur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus, atque in regnum ipsius transferamur, propter quod ait, *Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo*; & qua diffunditur caritas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur; in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata. Cùm si hoc verum esset, frustra Dominus dixisse videretur, *Sine me nihil potestis facere.* Denique Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret; sed infideli calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam. Dicendo utique, ut faciliùs possint, voluit credi, etiamsi difficiliùs, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa divina. Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantùm ipso adjuvante per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus: non autem ad hoc per donum Spiritûs sui, ut quæ didicerimus esse fa-

Ephes. 1. 5.
Colos. 1. 13.
Iohan. 6. 65.
Rom. 5. 5.
Gal. 5. 6.
Iohan. 15. 5.

cienda, faciamus. Ac per hoc divinitus nobis dari ſcientiam confitentur, quâ ignorantia pellitur: caritatem autem dari negant, quâ piè vivitur: ut ſcilicet cùm ſit Dei donum
1. Cor. 8. 1. ſcientia, quæ ſine caritate inflat, non ſit Dei donum ipſa caritas, quæ ut ſcientia non inflet, ædificat. Deſtruunt etiam orationes, quas facit Eccleſia, ſive pro infidelibus & doctrinæ Dei reſiſtentibus, ut convertantur ad Deum; ſive pro fidelibus, ut augeatur in eis fides, & perſeverent in ea. Hæc quippe non ab ipſo accipere, ſed à ſe ipſis homines habere contendunt, gratiam Dei qua liberamur ab impietate, dicentes ſecundùm merita noſtra dari. Quod quidem Pelagius in epiſcopali judicio Palæſtino damnari metuens, damnare compulſus eſt; ſed in poſterioribus ſuis ſcriptis hoc invenitur docere. In id etiam progrediuntur, ut dicant, vitam juſtorum in hoc ſæculo nullum omnino habere pecca-
Ephes. 5. 27. tum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, ut ſit omnino ſine macula & ruga: quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ toto terrarum orbe clamat ad Deum,
Matth. 6. 12. *Dimitte nobis debita noſtra.* Parvulos etiam negant, ſecundùm Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere. Sic enim eos ſine ullo peccati originalis vinculo aſſerunt naſci, ut prorſus non ſit quod eis oporteat ſecunda nativitate dimitti: ſed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius tranſlati, non iſta renovatione ab aliquo malo obligationis veteris abſoluti. Nam etiamſi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, ſed tamen æternam & beatam quamdam vitam ſuam. Ipſum quoque Adam dicunt, etiamſi non peccaſſet, fuiſſe corpore moriturum, neque ita mortuum merito culpæ, ſed conditione naturæ. Objiciuntur eis & alia nonnulla: ſed iſta ſunt maximè, ex quibus intelliguntur etiam illa vel cuncta, vel penè cuncta pendere.

CONTENTA

CONTENTA IN DECIMO TOMO.

CONTENTA IN APPENDICE.

PRIMA PARTE,

SECUNDA PARTE,

TERTIA PARTE,

IN LIBROS
DE PECCATORUM MERITIS ET REMISSIONE,
LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT XXIII.

VENIT etiam necessitas, quæ me cogeret adversùs novam Pelagianam hæresim scribere; contra quam priùs, cùm opus erat, non scriptis, sed sermonibus & conlocutionibus agebamus, ut quisque nostrûm poterat, aut debebat. Missis ergo mihi à Carthagine quæstionibus eorum, quas * rescribendo dissolverem, scripsi primùm libros tres, quorum titulus est, *de peccatorum meritis & remissione:* ubi maximè disputatur de baptismate parvulorum propter originale peccatum; & de gratia Dei qua justificamur, hoc est, justi efficimur: quamvis in hac vita nemo ita servet mandata justitiæ, ut non sit ei necessarium pro suis peccatis orando dicere, *Dimitte nobis debita nostra.* Contra quæ omnia sentientes illi novam hæresim condiderunt. In his autem libris tacenda adhuc arbitratus sum nomina eorum, sic eos faciliùs posse corrigi sperans: immo etiam in tertio libro, quæ est epistola, sed in libris habita propter duos, quibus eam connectendam putavi, Pelagii ipsius nomen non sine aliqua laude posui; quia vita ejus à multis prædicabatur: & ejus illa redargui, quæ in suis scriptis non ex persona sua posuit, sed quid ab aliis diceretur exposuit; quæ tamen postea jam hæreticus pertinacissimâ animositate defendit. Cælestius verò discipulus ejus jam propter tales assertiones apud Carthaginem in episcopali judicio, ubi ego non interfui, excommunicationem meruerat. In secundo libro, quodam loco, *Hoc quibusdam*, inquam, *in fine largietur, ut mortem repentina commutatione non sentiant*, servans locum diligentiori de hac re inquisitioni. Aut enim non morientur, aut de vita ista in mortem, & de morte in æternam vitam celerrima commutatione tamquam in ictu oculi transeundo, mortem non sentient. Hoc opus sic incipit: *Quamvis in mediis & magnis curarum æstibus.*

* *Vide suprà in Præfat. n. V.*

Matth. 6. 12.

Cap. 31.

S. AURELII



S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE PECCATORUM MERITIS
ET REMISSIONE,
ET DE BAPTISMO PARVULORUM,
AD MARCELLINUM LIBRI TRES. *

* Scripti anno Christi 412.

LIBER PRIMUS.

Refellit eos qui dicunt, Adam, etiamsi non peccasset, fuisse moriturum; nec ex ejus peccato quidquam ad ejus posteros propagatione transiisse. Mortem hominis probat consecutam non necessitate naturæ, sed merito peccati: tum etiam peccato Adæ totam ejus stirpem obligatam esse docet, ostendens parvulos ob id baptizari, ut originalis peccati remissionem accipiant.

Caput I.

QUAMVIS in mediis & magnis curarum æstibus atque tædiorum, quæ nos detinent à [a] peccatoribus derelinquentibus legem Dei, licet ea quoque ipsa nostrorum etiam peccatorum meritis imputemus: studio tamen tuo, Marcelline carissime, quo nobis es gratior atque jucundior, diutius esse debitor nolui, atque ut verum A dicam, non potui. Sic enim me compulit, vel ipsa caritas qua in uno incommutabili unum sumus in melius commutandi, vel timor ne in te offenderem Deum, qui tibi desiderium tale donavit, cui serviendo illi serviam qui donavit: sic, inquam, me compulit, sic duxit & traxit ad dissolvendas pro tantillis viribus quæstiones, quas mihi scribendo indixisti, ut ea caussa in animo meo paulisper vinceret alias, donec aliquid efficerem, quo me bonæ tuæ voluntati B & eorum quibus hæc curæ sunt, etsi non sufficienter, tamen obedienter deservisse constaret.

[a] Fortè à Donatistis in Catholicos tum temporis grassantibus. Vide Aug. epist. 133. & 134.

CAPUT II. Adam si non peccasset, non fuisse moriturum.

2. QUI dicunt Adam sic creatum, ut etiam sine peccati merito moreretur, non pœnâ culpæ, sed necessitate naturæ; profectò illud quod in Lege dictum est, *Qua die ederitis, morte moriemini*; (Gen. 2. 17.) non ad mortem corporis, sed ad mortem animæ quæ [a] in peccato fit, referre conantur. Qua morte mortuos significavit Dominus infideles, de quibus ait, *Sine mortuos sepelire mortuos suos*. (Matth. 8. 22. Luc. 8. 60.) Quid ergo respondebunt, cùm legitur hoc Deum primo homini etiam post peccatum increpando & damnando dixisse: *Terra es, & in terram ibis*? (Gen. 3. 19.) B Neque enim secundùm animam, sed quod manifestum est, secundùm corpus terra erat; & morte ejusdem corporis erat iturus in terram. Quamvis enim secundùm corpus terra esset, & corpus in quo creatus est animale gestaret; tamen si non peccasset, in corpus fuerat spiritale mutandus, & in illam incorruptionem quæ fidelibus & sanctis promittitur, sine mortis [b] periculo transiturus. Cujus rei desiderium nos habere non solùm ipsi sentimus in nobis, C verùm etiam admonente Apostolo cognoscimus, ubi ait: *Etenim in hoc ingemiscimus, habitaculum nostrum, quod de cælo est, superindui cupientes, si tamen induti, non nudi inveniamur. Etenim qui sumus in hac habitatione, ingemiscimus gravati, in quo nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale à vita*. (2. Cor. 5. 2.) Proinde si non peccasset Adam, non erat exspoliandus corpore, sed supervestiendus immortalitate, & incorruptione, ut absorberetur mortale à vita, D id est, ab animali in spiritale transiret.

CAPUT III. Aliud esse mortalem, aliud esse morti obnoxium.

3. NEQUE enim metuendum fuit, ne fortè si diutius hîc viveret in corpore animali, senectute gravaretur, & paulatim veterascendo perveniret ad mortem. Si enim Deus Israëlitarum vestimentis & calceamentis præstitit, quòd per tot annos non sunt obtrita, (Deut. 29. 5.) quid mirum si obedienti homini ejusdem potentiâ præstaretur, ut animale [c] ac mortale habens corpus, haberet in eo quemdam statum, quo sine defectu esset E [d] annosus, tempore quo Deus vellet, à mortalitate ad immortalitatem, sine media morte venturus? Sicut enim hæc ipsa caro quam nunc habemus, non ideo non est vulnerabilis, quia non est necesse ut vulneretur: sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse ut moreretur. Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali, etiam illis qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam. Neque enim Enoch & Elias per tam longam ætatem senectute marcuerunt. (Gen. 5. 24. Enoch & Elias adhuc vivunt. 4. Reg. 2. 11.) F Nec tamen credo eos jam in illam spiritalem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit: nisi quia isti fortasse nec his cibis egent, qui sui consumtione reficiunt; sed ex quo translati sunt, ita vivunt, ut similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ & ex collyride panis sine cibo vixit: (3. Reg. 19. 8.) aut si & his sustentaculis opus est, ita in paradiso fortasse G pascuntur, sicut Adam priùs quàm propter peccatum exinde exire meruisset. (Sentit Paradisum adhuc superesse. Quid Adæ præstiterit ciborum in Paradiso usus.) Habebat enim, quantum existimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.

CAPUT IV. Gen. 3. 19. Mors etiam corporis ex peccato.

4. PRÆTER hoc autem quod puniens Deus dixit, *Terra es, & in terram ibis*, quod nisi de morte corporis quomodo intelligi possit ignoro; sunt & alia testimonia quibus evidentissimè appareat, non tantùm spiritûs, sed etiam corporis mortem propter peccatum meruisse genus humanum. Ad Romanos Apostolus dicit: *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam. Si ergo spiritus ejus qui suscitavit Iesum à mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Christum Iesum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem spiritum ejus in vobis*. (Rom. 8. 10.) Puto quòd non expositore, sed tantùm lectore opus habet tam clara & aperta sententia. *Corpus*, inquit, *mortuum est*, non propter fragilitatem terrenam, quia de terræ pulvere factum est, sed *propter peccatum*. quid amplius quærimus? Et vigilantissimè non ait, mortale; sed *mortuum*.

CAPUT V. Mortale, mortuum, ac moriturum.

5. NAMQUE ante quàm immutaretur in illam incorruptionem, quæ in sanctorum resurrectione promittitur, poterat esse mortale, quamvis non moriturum: sicut hoc nostrum potest, ut ita dicam, esse ægrotabile, quamvis non ægrotaturum. Cujus enim caro est, quæ non ægrotare possit, etiamsi aliquo casu priùs quàm ægrotet occumbat? Sic & illud corpus jam erat mortale; quam mortalitatem fuerat absumtura mutatio in æternam incorruptionem, si in homine justitia, id est, obedientia, permaneret: (Justitia hominis, obedientia.) sed ipsum mortale non est factum mortuum nisi propter peccatum. Quia verò illa in resurrectione futura mutatio, non solùm nullam mortem, quæ facta est propter peccatum, sed nec mortalitatem habitura est, quam corpus animale habuit ante peccatum, non ait, *Qui suscitavit Christum Iesum à mortuis, vivificabit & mortua corpora vestra*; cùm suprà dixisset, *corpus mortuum*: sed, *vivificabit*, inquit, *& mortalia corpora vestra*: ut scilicet jam non solùm non sint mortua, sed nec mortalia, cùm animale resurget in spiritale, & mortale hoc induet immortalitatem, & absorbebitur mortale à vita. (1. Cor. 15. 44. 53. 2. Cor. 5. 4.)

CAPUT VI. Quomodo corpus mortuum ob peccatum.

6. MIRUM si aliquid quæritur hac manifestatione liquidius. Nisi fortè audiendum est, quod huic perspicuitati contradicitur, ut mortuum corpus secundùm illum modum hîc intelligamus, quo dictum est, *mortificate membra vestra quæ sunt super terram*. (Col. 3. 5.) Sed hoc modo corpus propter justitiam mortificatur, non propter peccatum: ut enim operemur justitiam, mortificamus membra nostra quæ sunt super terram. Aut si putant ideo additum, *propter peccatum*, ut non intelligamus quia peccatum factum est, sed ut peccatum non fiat, tamquam diceret, Corpus quidem mortuum est, propter non faciendum peccatum. (Rom. 8. 10.) Quid sibi ergo vult, quod cùm adjunxisset, Spiritus autem vita est; addidit, *propter justitiam*? [e] Sufficerat enim si adjungeret vitam spiritûs, ut etiam hîc subaudiretur prop-

[a] Amerbachiana editio & Erasmiana, *quæ in peccato fit*. Casalinus codex MS. *quæ peccato fit*: omissâ particulâ *in*.

[b] MSS. Belgici duo & unus Vaticanus, *sine mortis supplicio transiturus*.

[c] Gallicani quatuor MSS. optimæ notæ & duo Belg. *ut animale hoc mortale habens corpus*. Nonnulli alii, *animale hoc est mortale* &c.

[d] In antè editis, *annosum*. At in MSS. propè omnibus legitur, *annorum*. In tribus aliis, *annosus*.

[e] Am. & Er. *Sufficeret enim*. Lov. *sic adjungere*.

ter non faciendum peccatum: ut sic utrumque propter unam rem intelligeremus, & mortuum esse corpus, & vitam esse spiritum, propter non faciendum peccatum. Ita quippe, etiamsi tantummodo vellet dicere, *propter justitiam*, hoc est, propter faciendam justitiam, utrumque ad hoc posset referri, & mortuum esse corpus, & vitam esse spiritum, propter faciendam justitiam. Nunc verò & mortuum dixit esse corpus propter peccatum, & spiritum esse vitam propter justitiam; diversa merita diversis rebus adtribuens, morti quidem corporis, meritum peccati; vitæ autem spiritûs, meritum justitiæ. Quocirca si, ut dubitari non potest, *spiritus vita est propter justitiam*, hoc est, merito justitiæ: profectò *corpus mortuum propter peccatum*, quid aliud quàm merito peccati intelligere debemus aut possumus, si apertissimum Scripturæ sensum non pro arbitrio pervertere ac detorquere conamur? Huc etiam verborum consequentium lumen accedit. Cùm enim præsentis temporis gratiam determinans diceret, mortuum quidem esse corpus propter peccatum, quia in eo nondum per resurrectionem renovato, peccati meritum manet, hoc est necessitas mortis; spiritum autem vitam esse propter justitiam, quia licèt adhuc corpore mortis hujus oneremur, jam secundùm interiorem hominem cœpta renovatione in fidei * justitiam respiramus: tamen ne humana ignorantia de resurrectione corporis nihil speraret, etiam ipsum quod propter meritum D peccati in præsenti sæculo dixerat mortuum, in futuro propter meritum justitiæ dicit vivificandum; nec sic ut tantùm ex mortuo vivum fiat, verùm etiam ex mortali immortale.

* f. justitia.

Caput VII. Vita corporis speranda, præcedente jam vitâ spiritûs.

7. Quamquam itaque verear, ne res manifesta exponendo potiùs obscuretur, apostolicæ tamen sententiæ lumen adtende. *Si autem Christus*, inquit, *in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam.* Rom. 8. 10. Hoc dictum est, ne ideo puta- E rent homines vel nullum, vel parvum se habere beneficium de gratia Christi, quia necessariò morituri sunt corpore. Adtendere quippe debent, corpus quidem adhuc peccati meritum gerere, quod conditioni mortis obstrictum est; sed jam spiritum cœpisse vivere propter justitiam fidei, qui & ipse in homine fuerat quadam morte infidelitatis exstinctus. Non igitur, inquit, parum vobis muneris putetis esse collatum, per id quòd Christus in vobis est, quòd F in corpore propter peccatum mortuo, jam propter justitiam vester spiritus vivit; nec ideo de vita quoque ipsius corporis desperetis. *Si enim spiritus ejus qui suscitavit Christum à mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum ejus in vobis.* Ibidem 11. Quid adhuc tantæ luci fumus contentionis offunditur? Clamat Apostolus: Corpus quidem mortuum est in vobis propter peccatum, sed vivificabuntur etiam G mortalia corpora vestra propter justitiam, propter quam nunc jam spiritus vita est, quod to-

Morte infidelitatis Adæ spiritus exstinctus fuit.

A tum perficietur per gratiam Christi, hoc est, per inhabitantem spiritum ejus in vobis; & adhuc reclamatur? Dicit etiam quemadmodum fiat, ut [a] vita in se mortem mortificando convertat. *Ergo fratres*, inquit, *debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Ibidem 12. Quid est aliud, quàm hoc: Si secundùm mortem vixeritis, totum morietur; si autem secundùm B vitam vivendo mortem [b] mortificaveritis, totum vivet?

Caput VIII.

8. Item quod ait, *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum:* quid aliud quàm de morte corporis intelligi potest; quando ut hoc diceret, de resurrectione corporis loquebatur, eamque instantissima & acerrima intentione suadebat? Quid est ergo quod hîc ait ad Corinthios, *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in* 1. Cor. 15. 21. C *Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur:* nisi quod ait etiam ad Romanos, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors?* Rom. 5. 12. Hanc illi mortem; non corporis, sed animæ intelligi volunt, quasi aliud dictum sit ad Corinthios, *Per hominem mors*, ubi omnino animæ mortem accipere non sinuntur, quia de resurrectione corporis agebatur, quæ morti corporis est contraria. Ideo etiam sola mors ibi per hominem facta com- D memorata est, non etiam peccatum; quia non agebatur de justitia, quæ contraria est peccato, sed de corporis resurrectione, quæ contraria est corporis morti.

Caput IX. Peccatum propagatione, non imitatione tantùm transiisse in omnes.

9. Hoc autem apostolicum testimonium in quo ait, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*, conari eos quidem in aliam novam detorquere opinionem, tuis litteris intimasti; sed quidnam illud sit; quod in his verbis opinentur, tacuisti. Quantum E autem ex aliis comperi, hoc ibi sentiunt, quòd & mors ista quæ illic commemorata est, non sit corporis, quam nolunt Adam peccando meruisse, sed animæ quæ in ipso peccato [c] fit: & ipsum peccatum non propagatione in alios homines ex primo homine, sed imitatione transisse. Hinc enim etiam in parvulis nolunt credere per baptismum solvi originale peccatum, quod in nascentibus nullum esse omnino contendunt. Sed si Apostolus peccatum illud commemorare F voluisset, quòd in hunc mundum, non propagatione, sed imitatione intraverit; ejus principem, non Adam, sed diabolum diceret, de quo scriptum est, *Ab initio diabolus peccat.* 1. Johan. 3. 8. De quo etiam legitur in libro Sapientiæ, *Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Sap. 2. 24. Nam quoniam ista mors sic à diabolo venit in homines, non quòd ab illo fuerint propagati, sed quòd eum fuerint imitati, continuò subjunxit, *Imitantur autem eum qui sunt ex parte ipsius.* Ibid. 15. Pro- G inde Apostolus cùm illud peccatum ac mortem commemoraret, quæ ab uno in omnes propagatione transisset, eum principem posuit, à quo

[a] Editi, *ut vitam.* Aptiùs Vaticani MSS. *ut vita*, id est, spiritus mortificando corpus, reddat spiritale ac vivum. In Sigirannensi codice legitur, *ut vita in se mortem vivificando mortificando convertat.*

[b] Gallicani quatuor & quidam Belgici MSS. *mortem vivificaveritis.*

[c] Editi, *fit.* At MSS. *fit.* Ex his codex Sigiran. *qua ipso peccato fit.* Vide suprà cap. 2.

propagatio generis humani sumsit exordium.

10. Imitantur quidem Adam, quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum Dei: sed aliud est quod exemplum est voluntate peccantibus, aliud quod origo est cum peccato nascentibus. Nam & Christum imitantur sancti ejus ad sequendam justitiam. Unde & idem Apostolus dicit, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Sed præter hanc imitationem, gratia ejus illuminationem justificationemque nostram etiam intrinsecùs operatur, illo opere de quo idem prædicator ejus dicit, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Hac enim gratiâ baptizatos quoque parvulos suo inserit corpori, qui certè imitari aliquem nondum valent. Sicut ergo ille in quo omnes vivificantur, præter quòd se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritûs occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis: sic & ille in quo omnes moriuntur, præter quòd eis qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificavit in se omnes de sua stirpe [a] venientes. Hinc omnino, nec aliunde, Apostolus dicit, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransivit, in quo omnes peccaverunt.* Hoc si ego dicerem, resisterent isti, meque non rectè dicere, non rectè sentire clamarent. Nullam quippe in his verbis intelligerent sententiam cujuslibet hominis, [b] nisi istam quam in Apostolo intelligere nolunt. Sed quia ejus verba sunt, cujus auctoritati doctrinæque succumbunt, nobis objiciunt intelligendi tarditatem, cùm ea quæ tam perspicuè dicta sunt, in nescio quid aliud detorquere conantur. *Per unum*, inquit, *hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Hoc propagationis est, non imitationis: nam si imitationis, per diabolum diceret. Quod autem nemo ambigit, istum primum hominem dicit, qui est appellatus Adam. *Et ita*, inquit, *in omnes homines pertransiit.*

1. Cor. 11. 1.
Gratia intrinsecùs operans.
1. Cor. 3. 7.
Parvulis in baptismo latenter gratia infunditur.
Contagium originalis peccati.
a Rom. 5. 12.
b
Intelligendi tarditatem Pelagiani Catholicis objiciunt.

CAPUT X.

11. DEINDE quod sequitur, *In quo omnes peccaverunt*, quàm circumspectè, quàm propriè, quàm sine ambiguitate dictum est. Si enim peccatum intellexeris, quod per unum hominem intravit in mundum, in [c] quo omnes peccaverunt: certè manifestum est, alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantùm peccant, quorum peccata sunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt; quando omnes ille unus homo fuerunt. Si autem non peccatum, sed ille unus homo intelligitur, in quo uno homine omnes peccaverunt, quid etiam ista est manifestatione manifestius? Nempe legimus justificari in Christo qui credunt in eum, propter occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritalis, qua quisquis hæret Domino unus spiritus est, quamvis eum & imitentur sancti ejus: legatur mihi tale aliquid de iis, qui sanctos ejus

c
Actualis & originalis peccati distinctio.
Omnes in Adam unus homo fuimus. V. infrà lib. 3. c. 7. & lib. 2. de nuptiis c. 5. & epist. 186 n. 21. & Serm. 165. n. 7.
In solo Christo justificamur.

A imitati sunt, utrùm quisquam dictus sit justificatus in Paulo aut in Petro, aut in quolibet horum, quorum in populo Dei magna excellit auctoritas; nisi quòd in Abraham dicimur benedici, sicut ei dictum est: *Benedicentur in te omnes gentes:* propter Christum qui semen ejus est secundùm carnem. Quod manifestiùs dicitur, cùm hoc idem ita dicitur: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Dictum autem quemquam divinis eloquiis, peccasse vel peccare in diabolo,
B cùm eum iniqui & impii omnes imitentur, nescio utrùm quisquam reperiat: quod tamen cùm Apostolus de primo homine dixerit, *In quo omnes peccaverunt*, adhuc [d] de peccati propagine disceptatur, & nescio quæ nebula imitationis opponitur.

Gal. 3. 8.
Rom. 5. 12.
d

12. Adtende etiam quæ sequuntur. Cùm enim dixisset, *In quo omnes peccaverunt*; secutus adjunxit, *Usque ad legem enim peccatum in mundo fuit:* hoc est, quia nec lex potuit auferre pec-
C catum, quæ subintravit ut magis abundaret peccatum; sive naturalis lex, in qua quisque jam ratione utens, incipit peccato originali addere & propria; sive ipsa quæ scripta per Moysen populo data est. *Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* * *Peccatum autem non deputabatur, cùm lex non esset.* Quid est, *non deputabatur*, nisi ignorabatur, & pec-
D catum esse non putabatur? Neque enim ab ipso Domino Deo tamquam non esset habebatur, cùm scriptum sit, *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.*

Ibidem 13.
Lex auferre peccatum non potuit.
Gal. 3. 21. & 22.
* Rom. 5. 13.
Rom. 2. 12.

13. SED *regnavit*, inquit, *mors ab Adam usque ad Moysen:* id est, à primo homine usque ad ipsam etiam legem quæ divinitus promulgata est, quia nec ipsa potuit regnum mortis auferre. Regnum enim mortis vult intelligi, quando ita dominatur in hominibus reatus peccati, ut
E eos ad vitam æternam, quæ vera vita est, venire non sinat, sed ad secundam etiam, quæ pœnaliter æterna est, mortem trahat. Hoc regnum mortis sola in quolibet homine gratia destruit Salvatoris, quæ operata est etiam in antiquis sanctis, quicumque ante quàm in carne Christus veniret, ad ejus tamen adjuvantem gratiam, non ad legis litteram, quæ jubere tantùm, non adjuvare poterat, pertinebant. Hoc namque occultabatur in vetere Testamento pro temporum
F dispensatione justissima, quod nunc revelatur in novo. Ergo in omnibus *regnavit mors ab Adam usque ad Moysen*, qui Christi gratia non adjuti sunt, ut in eis regnum mortis destrueretur: [e] *etiam in eis qui non peccaverunt in* [f] *similitudinem prævaricationis Adæ*, id est, qui nondum sua & propria voluntate sicut ille peccaverunt, sed ab illo peccatum originale traxerunt: *qui est forma futuri*; quia in illo constituta est forma condemnationis futuris posteris, qui ejus propagine crea-
G rentur, ut ex uno omnes in condemnationem nascerentur, ex qua non liberat nisi gratia Sal-

CAP. XI. Rom. 5. 14.
Regnum mortis quid apud Apostolum.
Antiqui sancti non pertinebant ad legis litteram, sed ad gratiam Christi venturi.
e Ibidem.
Ibidem.

[a] In plerisque MSS. *venturos.*

[b] Hîc additum in pluribus MSS. *hæc dicere*: in excusis, *qui diceret hæc.* Glossema, quo carent nonnulli MSS.

[c] Græcè legitur ἐφ' ᾧ, quod genere non concordat cum nomine ἁμαρτία, posito ibi ad significandum peccatum. Confer lib. 4. contra duas epist. Pelag. c. 4.

[d] Probæ notæ MSS. *adhuc cùm de peccati propagine disceptatur, nescio qua nebula* &c.

[e] Ita codex S. giran. Alii verò MSS. *ergo in eis.* Editi, *ergo & in eis.*

[f] MSS. nonnulli, *in similitudine.*

* Confer epist. 157. n. 19. vatoris. Scio * quidem plerosque Latinos codices (A) sic habere: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen in eos qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, quod etiam ipsum, qui ita legunt, ad eumdem referunt intellectum; ut in similitudinem prævaricationis Adæ peccasse accipiant, qui in illo peccaverunt, ut ei similes crearentur, sicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores, ex morituro morituri, damnatoque [a] damnati. Græci autem codices, unde in Latinam linguam interpretatio facta est, (B) aut omnes aut penè omnes, id quod à me primò positum est, habent.

Rom. 5. 15. 14. *Sed non*, inquit, *sicut delictum, ita & donatio. Si enim ob unius delictum multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in multos abundavit*: non *magis multos*, id est, multò plures homines, neque enim plures justificantur quàm condemnantur; sed *multò magis abundavit.* Adam quippe ex uno delicto suo reos genuit: Christus autem etiam (C) quæ homines delicta propriæ voluntatis ad originale in quo nati sunt addiderunt, gratiâ suâ solvit atque donavit, quod evidentiùs in consequentibus dicit.

Caput XII. Unum peccatum omnibus commune. Ibidem 16. 15. Verum illud diligentiùs intuere, quòd ait, ob unius delictum multos mortuos. Cur enim ob unius illius, & non potiùs ob delicta sua propria, si hoc loco intelligenda est imitatio, non propagatio? Sed adtende quod sequitur: *Et non sicut per unum peccantem, ita est & donum. Nam* (D) *judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Nunc dicant, ubi locum habeat in his verbis illa imitatio. *Ex uno*, inquit, *in condemnationem*: quo uno, nisi delicto? Hoc enim explanat, cùm adjungit, *Gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Cur ergo judicium ex uno delicto in condemnationem, gratia verò ex multis delictis in justificationem? Nonne si nullum est originale delictum, non solùm ad justificationem gratia, (E) sed etiam judicium ad condemnationem ex multis delictis homines ducit? Neque enim gratia multa delicta donat, & non etiam judicium multa delicta condemnat. Aut si propterea ex uno delicto in condemnationem ducuntur, quia omnia delicta quæ condemnantur, ex illius unius imitatione commissa sunt: eadem caussa est, cur ex uno delicto etiam ad justificationem duci intelligantur, quia omnia delicta quæ justificatis remittuntur, ex illius unius imitatione commissa sunt. (F) Ibidem. Sed hoc videlicet non intelligebat Apostolus, cùm dicebat, *Iudicium quidem ex uno delicto in condemnationem, gratia verò ex multis delictis in justificationem?* Immo verò nos intelligamus Apostolum, & videamus ideo dictum judicium ex uno delicto in condemnationem, quia sufficeret ad condemnationem etiamsi non esset in hominibus nisi originale peccatum. Originale peccatum ad damnationem sufficit. Damnationis gradus. Quamvis enim condemnatio gravior sit eorum, qui originali delicto etiam propria conjunxerunt, (G) & tantò singulis gravior, quantò graviùs quis peccavit: tamen etiam illud solum quod originaliter tractum est, non tantùm à regno Dei separat, quò parvulos sine accepta Christi gratia defunctos intrare non posse ipsi etiam confitentur; verùm (A) & à salute ac vita æterna facit alienos, quæ nulla esse alia potest præter regnum Dei, quò sola Christi societas introducit.

16. Ac per hoc ab Adam, in quo omnes peccavimus, non omnia nostra peccata, sed tantùm originale traduximus: à Christo verò, in quo omnes justificamur, non illius tantùm originalis, sed etiam ceterorum quæ ipsi addidimus peccatorum remissionem consequimur. Ideo *non sicut per unum peccantem, ita est & donum.* Caput XIII. (B) Nam judicium quidem ex uno delicto, si non remittitur, id est, originali, in condemnationem jam potest ducere: gratia verò ex multis delictis remissis, hoc est, non solùm originali, verùm etiam omnibus ceteris ad justificationem perducit.

17. *Si enim ob unius delictum mors regnavit per unum, multò magis qui abundantiam gratiæ & justitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum Iesum Christum.* Ibid. 17. (C) Cur ob unius delictum mors regnavit per unum, nisi quia mortis vinculo tenebantur in illo uno in quo omnes peccaverunt, etiamsi propria peccata non adderent? Alioquin non ob unius delictum mors per unum regnavit, sed ob delicta multa multorum per unumquemque peccantem. Nam si propterea ceteri ob alterius hominis delictum mortui sunt, quia illum in delinquendo præcedentem subsequentes imitati sunt: ille quoque & multò magis ob alterius delictum mortuus est, (D) quem diabolus delinquendo ita præcesserat, ut ei delictum etiam ipse suaderet: Adam verò nihil suasit imitatoribus suis; & multi qui ejus imitatores dicuntur, eum fuisse & tale aliquid commisisse vel non audierunt, vel omnino non credunt. Quantò ergo rectiùs, sicut jam dixi, diabolum principem constituisset Apostolus, à quo uno peccatum & mortem per omnes transiisse diceret, si hoc loco non propagationem, sed imitationem dicere voluisset? Multò enim rationabiliùs Adam (E) dicitur imitator diaboli, quem suasorem habuit peccati, si potest quisquam imitari etiam illum qui nihil tale suasit, vel omnino quem nescit. Quid est autem, [b] *qui abundantiam gratiæ & justitiæ accipiunt*, nisi quòd non ei tantùm peccato in quo omnes peccaverunt, sed eis etiam quæ addiderunt, gratia remissionis datur; eisque hominibus tanta justitia donatur, ut cùm Adam consenserit ad peccatum suadenti, non cedant isti etiam cogenti? Et quid est, *multò ma-* (F) *gis in vita regnabunt*, cùm mortis regnum multò plures in æternam pœnam trahat; nisi intelligamus eos ipsos in utroque dici qui transeunt ab Adam ad Christum, id est, à morte ad vitam, quia in vita æterna sine fine regnabunt, magis quàm in eis mors temporaliter & cum fine regnavit?

18. *Itaque sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita & per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ.* Ibid. 18. (G) Hoc unius delictum, si imitationem adtendamus, non erit nisi diaboli. Sed quia manifestum est, de Adam, non de diabolo dici; restat intelligenda, non imitatio, sed propagatio peccati. * Nam & quod ait de Christo, *per unius justificationem*: magis hoc expressit, quàm si per unius * Caput XIV.

[a] Remigianus codex & Belgici quidam MSS. *damnandi.*

[b] Editi, *quod* MSS. verò, *qui.*

justitiam diceret. Eam quippe justificationem A dicit, qua Christus justificat impium, quam non imitandam proposuit, sed solus hoc potest. Nam potuit Apostolus rectè dicere, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi:* numquam autem diceret, Justificamini à me, sicut & ego sum justificatus à Christo. Quoniam possunt esse, & sunt, & fuerunt multi justi homines & imitandi, justus autem & justificans nemo nisi Christus. Unde dicitur, *Credenti in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam.* Quisquis ergo B ausus fuerit dicere, Justifico te: consequens est, ut dicat etiam, Crede in me. Quod nemo sanctorum rectè dicere potuit, nisi Sanctus sanctorum: [a] *Credite in Deum, & in me credite:* ut quia ipse justificat impium, credenti in eum qui justificat impium, deputetur fides ad justitiam.

Nemo nisi Christus justificat. 1. *Cor.* 1. 11.
Rom. 4. 5.
Iohan. 14. 1. a

CAPUT XV. Confirmat ex propagatione peccatum esse, quemadmodum & justitiam ex regeneratione.

19. NAM si sola imitatio facit peccatores per Adam, cur non etiam per Christum sola imitatio justos facit? *Sicut enim*, inquit, *per unius* C *delictum in omnes homines ad condemnationem, sic & per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ.* Proinde isti, *unus* & *unus*, non Adam & Christus, sed Adam & Abel constitui debuerunt. Quoniam cùm multi nos in hujus vitæ tempore præcesserint peccatores, eosque imitati fuerint qui posteriore tempore peccaverunt; ideo tamen volunt isti, non nisi Adam dictum, in quo omnes imitatione peccaverint, quia primus hominum ipse peccavit. Ac per D hoc Abel dici debuit, in quo uno omnes similiter homines imitatione justificentur, quoniam ipse primus hominum justè vixit. Aut si propter quemdam articulum temporis ad novi Testamenti exordium pertinentem, Christus est positus propter imitationem caput justorum: Judas ejus traditor caput poni debuit peccatorum. Porrò si propterea Christus unus est in quo omnes justificentur, quia non sola ejus imitatio justos facit, sed per spiritum regenerans gratia: E propterea & Adam unus est in quo omnes peccaverunt, quia non sola ejus imitatio peccatores facit, sed per carnem generans pœna. Ob hoc etiam dictum est, *omnes* & *omnes*. Neque enim qui generantur per Adam, iidem ipsi omnes per Christum regenerantur: sed hoc rectè dictum est, quia sicut nullius carnalis generatio nisi per Adam, sic spiritalis nullius nisi per Christum. Nam si aliqui possent carne generari, non per Adam, & aliqui generari spiritu non F per Christum, non liquidè *omnes*, sive hîc, sive ibi dicerentur. Eosdem autem omnes postea multos dicit; possunt quippe in aliqua re omnes esse qui pauci sunt: sed multos habet generatio carnalis, multos & spiritalis; quamvis non tam multos hæc spiritalis, quàm illa carnalis. Verumtamen quemadmodum illa omnes habet homines, sic ista omnes justos homines: quia sicut nemo præter illam homo, sic nemo præter istam justus homo: & in utraque multi. *Sicut enim per* G *inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam unius hominis justi constituentur multi.*

Quomodo & *omnes* per Adam peccatores, & *omnes* per Christum justi. *V. infrà ad cap.* 28.
Rom. 5. 19.

20. *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum.* Hoc ad originale homines addiderunt jam propria voluntate, non per Adam: sed hoc quoque solvitur sanaturque per Christum; quia *ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia:* * *ut quemadmodum regnavit peccatum in mortem*, etiam quod non ex Adam traxerunt homines, sed sua voluntate addiderunt; *sic & gratia regnet per justitiam in vitam æternam.* Non tamen aliqua justitia præter Christum, sicut aliqua peccata præter Adam. Ideo cùm dixisset, *quemadmodum regnavit peccatum in mortem*; hîc non addidit, per unum, aut per Adam: quia suprà dixerat etiam de peccato illo, quod subintrante lege abundavit; & hoc utique non est originis, sed jam propriæ voluntatis. Cùm autem dixisset, *sic & gratia regnet per justitiam in vitam æternam*; addidit, *per Iesum Christum Dominum nostrum:* quia generante carne illud tantummodo [b] trahitur, quod est originale peccatum; regenerante autem spiritu, non solùm originalis, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.

Ibid. 20.
* *Ibid.* 21.
Solum originale peccatum generatione contrahitur.

21. POTEST proinde rectè dici, parvulos sine baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros. Multùm autem fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apostolo, *Iudicium ex uno delicto in condemnationem.* Et paulò pòst, *Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem.* Quando ergo peccavit Adam non obediens Deo, tunc ejus corpus, quamvis esset animale ac mortale, gratiam perdidit, qua ejus animæ omni ex parte obediebat. Tunc ille exstitit bestialis motus pudendus hominibus, quem in sua erubuit nuditate. Tunc etiam morbo quodam ex repentina & pestifera corruptione concepto factum in illis est, ut illa in qua creati sunt stabilitate ætatis amissa, per mutabilitates ætatum irent in mortem. Quamvis ergo annos multos postea vixerint, illo tamen die mori cœperunt, quo mortis legem, qua in senium veterascerent, acceperunt. Non enim stat vel temporis puncto, sed sine intermissione labitur, quidquid continua mutatione sensim currit in finem, non perficientem, sed consumentem. Sic itaque impletum est quod dixerat Deus, *Qua die ederitis, morte moriemini.* Ex hac igitur inobedientia carnis, ex hac lege peccati & mortis, quisquis carnaliter generatur, regenerari spiritaliter opus habet, ut non solùm ad regnum Dei perducatur, verùm etiam à peccati damnatione liberetur. Simul itaque peccato & morti primi hominis obnoxii nascuntur in carne, & simul justitiæ vitæque æternæ secundi hominis sociati renascuntur in baptismo: sicut & in Ecclesiastico scriptum est, *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* Sive autem à muliere, sive ab Adam dicatur, utrumque ad primum hominem pertinet: quoniam, sicut novimus, mulier ex viro est, & utriusque una caro est. Unde

b CAPUT XVI. Infantes non baptizati lenissimè quidem, sed tamen damnantur. *V. Enchirid. c.* 93. *& lib.* 5. *cont. Iulian. c.* 11. Pœna peccati Adæ. Gratia corporis amissa.
Gen. 2. 17.
Eccli. 25. 33.

[a] Editi, *Creditis.* At MSS. *Credite*, ut solet Augustinus juxta Græc.

[b] In Enchiridio multis pòst annis edito scripsit Augustinus cap. 46. non improbabiliter dici, parvulos parentum non solùm primorum, sed etiam suorum de quibus ipsi nati sunt, peccatis obligari, eosque ante regenerationem teneri illâ divinâ sententiâ, *Reddam peccata patrum in filios.* Magister sentent. lib. 2. c. 33. ostendit Augustinum hæc dixisse non asserendo, sed diversorum opiniones referendo. Dixit sanè eâ regulâ & moderatione, quam servari jussit in lib. 6. de Genesi ad lit. c. 9. nimirum *ut in profundo Scripturæ sensu magis præstaret diligentiam inquirendi, quàm affirmandi temeritatem.*

Matth. 19. 5. & illud quod scriptum est, *Et erunt duo in carne una. Igitur jam non duo*, inquit Dominus, *sed una caro.*

Caput XVII. Non esse infantibus personale peccatum tribuendū.

22. Quapropter qui dicunt parvulos ideo baptizari, ut hoc eis remittatur quod in hac vita proprium contraxerunt, non quod ex Adam traduxerunt, non magno molimine refellendi sunt. Quando enim secum ipsi paululùm sine certandi studio cogitaverint, quàm sit absurdum nec dignum disputatione quod dicunt, continuò sententiam commutabunt. Quòd si noluerint, non usque adeo de humanis sensibus desperandum est, ut metuamus ne hoc cuipiam persuadeant. Ipsi quippe ut hoc dicerent, alicujus alterius sententiæ præjudicio, nisi fallor, impulsi sunt: ac propterea cùm remitti baptizato peccata necessariò faterentur, nec fateri vellent ex Adam ductum esse peccatum, quod remitti fatebantur infantibus, ipsam infantiam coacti sunt accusare: quasi accusator infantiæ hoc securior fieret, quò accusatus ei respondere non posset. Sed istos, ut dixi, omittamus, neque enim sermone vel documentis opus est, quibus innocentia probetur infantum, quantum ad eorum pertinet vitam, quam recenti ortu in se ipsis agunt, si eam non agnoscit sensus humanus, nullis adminiculis cujusquam disputationis adjutus.

Caput XVIII. Refellit eos qui baptizari parvulos volunt non in peccati remissionem, sed ad obtinendum regnum cælorum. V. infrà c. 20. & lib. de peccato orig. c. 18. 19. 20. 21. & Ser. 294.

23. Sed illi movent, & aliquid consideratione ac discussione dignum videntur afferre, qui dicunt parvulos recenti vita editos visceribus matrum, non propter remittendum peccatum percipere baptismum, sed ut spiritalem procreationem [a] non habentes creentur in Christo, & ipsius regni cælorum participes fiant, eodem modo filii & heredes Dei, coheredes autem Christi. A quibus tamen cùm quæritur, utrùm non baptizati & non effecti coheredes Christi, regnique cælorum participes, habeant saltem beneficium salutis æternæ in resurrectione mortuorum, laborant vehementer, nec exitum inveniunt. Quis enim Christianorum ferat, cùm dicitur ad æternam salutem posse quemquam pervenire, si non renascatur in Christo, quod per baptismum fieri voluit, eo jam tempore quo tale sacramentum constituendum fuit regenerandis in spem salutis æternæ? Unde dicit Apostolus, *Non ex operibus justitiæ quæ nos fecimus, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* (Tit. 3. 5.) Quam tamen salutem in spe dicit esse, cùm hîc vivimus, ubi ait, *Spe enim salvi facti sumus, Spes autem quæ videtur non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* (Rom. 8. 24.) Sine ista ergo regeneratione salvos in æternum posse parvulos fieri, quis audeat affirmare, tamquam non pro eis mortuus sit Christus? Etenim *Christus pro impiis mortuus est.* (Rom. 5. 6.) Isti autem qui, ut manifestum est, nihil in sua propria vita impiè commiserunt, si nec originaliter ullo impietatis vinculo detinentur, quomodo pro eis mortuus est qui pro impiis mortuus est? Si nulla originalis sunt peccati ægritudine sauciati, quomodo ad medicum Christum, hoc est, ad percipiendum sacramentum salutis æternæ, suorum currentium pio timore portantur, & non eis in Ecclesia dicitur, Auferte hinc innocentes istos, non est opus sanis medicus, sed malè habentibus: non venit Christus vocare justos, sed peccatores. (Lucæ 5. 31.) Numquam dictum est, numquam [b] dicitur, numquam omnino dicetur in Ecclesia Christi tale commentum.

Caput XIX.

24. Ac ne quis existimet ideo parvulos ad baptismum afferri oportere, quia sicut peccatores non sunt, ita nec justi sunt: quomodo ergo quidam meritum hujus ætatis à Domino laudatum esse commemorant, ubi ait, *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum?* (Matth. 19. 14.) Si enim hoc non propter humilitatis similitudinem, quòd humilitas parvulos faciat, sed propter puerorum vitam laudabilem dictum est, profectò & justi sunt. Non enim rectè aliter dici potuit, *Talium est regnum cælorum*, cùm esse non possit nisi justorum. Sed fortè hoc quidem non congruenter dicitur, quòd parvulorum vitam laudaverit Dominus dicens, *Talium est regnum cælorum*: cùm verax sit ille intellectus, quòd humilitatis similitudinem in parva ætate posuerit. Verumtamen forsitan hoc tenendum est quod dixi, propterea parvulos baptizari debere, quia sicut peccatores non sunt, ita nec justi sunt. Sed cùm dictum esset, *Non veni vocare justos*, quasi ei responderetur, Quos ergo vocare venisti? continuò subjunxit, *sed peccatores in pænitentiam.* Ac per hoc, quomodo si justi sunt, ita etiam si peccatores non sunt, non eos venit vocare, qui dixit, *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Et ideo baptismo ejus qui eos non vocat, non tantùm frustra, verùm etiam improbè videntur irruere, quod absit ut sentiamus. Vocat eos igitur medicus, qui non est opus sanis, sed ægrotantibus, nec venit vocare justos, sed peccatores in pænitentiam. Et ideo quia suæ vitæ propriæ peccatis nullis adhuc tenentur obnoxii, originalis in eis ægritudo sanatur in ejus gratia qui salvos facit per lavacrum regenerationis.

Infantes ut fideles, ita & pænitentes dicuntur.

25. Dicet aliquis: Quomodo ergo & ipsi vocantur in pænitentiam? Numquid [c] tantillos potest aliquid pænitere? Huic respondetur, Si propterea pænitentes dicendi non sunt, quia sensum pænitendi non habent, nec fideles dicendi sunt, quia similiter sensum credendi nondum habent. Si autem propterea rectè * fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodam modo profitentur, cur non priùs etiam pænitentes habentur, cùm per eorumdem verba gestantium diabolo & huic sæculo renuntiare monstrantur? Totum hoc in spe fit vi sacramenti & divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Ecclesiæ. Ceterùm quis ignorat quòd baptizatus parvulus, si ad rationales annos veniens non crediderit, nec se ab illicitis concupiscentiis abstinuerit, nihil ei proderit quod parvus accepit? Verumtamen si percepto baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, justificatos præsentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines & Deum,

* V. infrà c. 20. & 27. & lib. 3. c. 2. & epist. 98. n. 10. & Ser. 294. n. 14.

Peccata sola inter Deum & homines separant.

[a] Corbeiensis & alii duo MSS. *procreationem habentes*: omissâ negante particulâ.

[b] In MSS. *numquam dicatur.*

[c] Sic Vatic. cod. Alii verò cum excusis, *tantillus.*

quæ solvuntur Christi gratiâ, per quem mediatorem reconciliamur, cùm justificat impium.

Caput XX. Johan. 3. 3.

26. Terrentur autem isti sententiâ Domini dicentis, *Nisi quis natus fuerit denuò, non videbit regnum Dei.* Quod cùm exponeret, ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cælorum.* Et propterea conantur parvulis non baptizatis innocentiæ merito salutem ac vitam æternam tribuere, sed quia baptizati non sunt, eos à regno cælorum facere B alienos: nova quadam & mirabili præsumtione, quasi salus ac æterna vita possit esse præter Christi hereditatem, præter regnum cælorum. Habent enim videlicet quò confugiant, atque ubi delitescant, quia non ait Dominus, *Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu*, non habebit vitam, sed ait, *non intrabit in regnum Dei.* Nam si illud dixisset, nulla hinc dubitatio posset oboriri. Auferatur ergo dubitatio: jam Dominum audiamus, non suspiciones conjecturasque mor- C talium: Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de sacramento lavacri dicentem, sed de sacramento sanctæ mensæ suæ, quò nemo rite nisi baptizatus accedit: *Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* Quid ultrà quærimus? Quid ad hoc responderi potest, nisi pertinacia pugnaces nervos adversùs constantiam perspicuæ veritatis intendat?

Ad mensam Domini nemo rite nisi baptizatus accedit. Johan. 6. 54.

27. An verò quisquam etiam hoc dicere au- D debit, quòd ad parvulos hæc [a] sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis hujus & sanguinis in se habere vitam: quia non ait, Qui non manducaverit, sicut de baptismo, Qui non renatus fuerit: sed ait, *Si non manducaveritis*, velut eos alloquens qui audire & intelligere poterant, quod utique non valent parvuli? Sed qui hoc dicit, non adtendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine corpore & sanguine filii hominis vitam habere non possint, E frustra etiam ætas major id curat. Potest enim, si non voluntatem, sed verba loquentis adtendas, eis solis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur: quia non ait, Qui non manducaverit, sed, *Si non manducaveritis*. Et ubi est quod eodem loco de hac ipsa re ait, *Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita?* Secundùm hoc enim etiam ad nos pertinere illud sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus quando ista dicebat; quia non possumus dicere ad sæ- F culum nos non pertinere, pro cujus vita Christus suam carnem dedit. Quis autem ambigat sæculi nomine homines significatos esse, qui nascendo in hoc sæculum veniunt? Nam sicut alibi ait, *Filii sæculi hujus generant & generantur.* Ac per hoc etiam pro parvulorum vita caro data est, quæ data est pro sæculi vita; & si non manducaverint carnem filii hominis, nec ipsi habebunt vitam.

Johan. 6. 52.

Luca 20. 34.

28. Hinc est etiam illud, *Pater diligit Filium, & omnia dedit in [b] manu ejus. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* In quo igitur horum genere ponemus infantes: in eorum qui credunt in Filium, an in eorum qui sunt increduli Filio? In neutro, ait aliquis, quia cùm adhuc credere non possunt, nec increduli deputandi sunt. Non hoc [c] indicat Ecclesiastica regula, quæ baptizatos infantes fidelium numero adjungit. Porrò si isti qui baptizantur, propter virtutem celebrationemque tanti sacramenti, quamvis suo corde atque ore non agant quod ad credendum confitendumque pertineat, tamen in numero credentium computantur: profectò illi quibus sacramentum defuerit, in eis habendi sunt qui non credunt Filio; atque ideo si hujus inanes gratiæ de corpore exierint, sequetur eos quod dictum est, non [d] habebunt vitam, sed ira Dei manet super eos. Unde hoc, quando eos clarum est peccata propria non habere, si nec originali peccato teneantur obnoxii?

Johan. 3. 35.

29. Bene autem non ait: *ira Dei veniet super eum*: sed, *manet super eum.* Ab hac quippe ira, qua omnes sub peccato sunt, de qua dicit Apostolus, *Fuimus enim & nos aliquando naturaliter filii iræ, sicut & ceteri*, nulla res liberat, nisi gratia Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum. Hæc gratia cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta esse caussa potest, injusta non potest. *Numquid enim iniquitas apud Deum? absit.* Sed priùs sanctarum scripturarum auctoritatibus colla subdenda sunt, ut ad intellectum per fidem quisque perveniat. Neque enim frustra dictum est: *Judicia tua sicut abyssus multa.* Cujus abyssi altitudinem veluti expavescens, exclamat Apostolus, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Præmiserat quippe sententiam miræ profunditatis, dicens, *Conclusit enim Deus omnes in incredulitate, ut omnibus misereatur.* Cujus profunditatis veluti horrore percussus, *O altitudo*, inquit, *divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm inscrutabilia judicia ejus & investigabiles viæ ejus? Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius illius fuit, aut quis prior dedit illi, [e] & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum, amen.* Valde ergo parvum sensum habemus ad discutiendam justitiam judiciorum Dei; ad discutiendam gratiam gratuitam, nullis meritis præcedentibus non iniquam, quæ non tam movet cùm præstatur indignis, quàm cùm æquè indignis aliis denegatur.

Caput XXI. Ephes. 2. 3. Inscrutabile, cur infantes alii destituantur baptismo, alii non. Rom. 9. 14. Per fidem ad intellectum perveniendum. Psal. 35. 7. Rom. 11. 33.

30. Nam & hi quibus videtur injustum, ut parvuli sine gratia Christi de corpore exeuntes,

[a] Hanc sententiam ab Apostolica sede, cùm de hac ipsa re ageretur, adhibitam contra Pelagianos fuisse, scribit Augustinus epist. 186. ad Paulinum n. 28. & 29. Adhibuit nimirum Innocentius Papa in epistola ad Patres Milevitani concilii, quæ inter Augustinianas est 182. Verba Innocentii quæ huc spectant, transtulit Augustinus in librum 2. ad Bonifac. c. 4. Præterea Gelasius Papa post Augustini obitum eadem ex sententia Pelagianos, episcopis per Picenum scribens, redarguit, eâque *neminem exceptum* esse docuit. Fulgentius porrò à Ferrando diacono rogatus quid existimandum de salute juvenis Æthiopis, qui instante morte baptizatus, priùs decesserat, quàm Eucharistiam percepisset, ostendit & ex multis Scripturæ locis, & ex Augustini Sermone ad Infantes, *tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi ante quàm panem illum comedat & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.* Confer lib. 3. de peccatorum meritis c. 4. & Tractat. 26. in Johan.

[b] Editi, *in manus.* At MSS. juxta Vulgat. *in manu.*

[c] Sic MSS. Editi verò, *judicat.*

[d] In MSS. *non videbunt vitam.*

[e] In plerisque MSS. *ut retribueretur ei.*

non

non solùm regno Dei, quò & ipsi fatentur nisi per baptismum renatos intrare non posse; verùm etiam vitâ æternâ & salute priventur; quærentes quomodo justum sit, ut alius ab originali impietate solvatur, alius non solvatur, cùm eadem sit utriusque conditio: ipsi respondeant secundùm suam sententiam, quomodo idemtidem justum sit, ut huic præstetur baptismus, quò intret in regnum Dei, illi non præstetur, cùm sit utriusque par caussa. Si enim movet, cur ex his duobus, cùm ex æquo ambo sint originaliter peccatores, alius ab hoc vinculo solvitur, cui conceditur baptismus; alius non solvitur, cui talis gratia non conceditur: cur non pariter movet, quòd ex duobus originaliter innocentibus, alius accipit baptismum, quò in regnum Dei possit intrare, alius non accipit, ne ad regnum Dei possit accedere? Nempe in utraque caussa ad illam exclamationem reditur, *O altitudo divitiarum!* Ex ipsis deinde baptizatis parvulis, dicatur mihi, cur alius rapitur, ne malitia mutet intellectum ejus, & alius vivit, impius futurus? (Sap. 4. 11.) Nonne si ambo raperentur, ambo in regnum cælorum ingrederentur? Et tamen non est iniquitas apud Deum. (Rom. 9. 14.) Quid, illud quem non moveat, quem non in tanta altitudine exclamare compellat, quòd alii parvuli spiritu immundo vexantur, alii nihil tale patiuntur, alii etiam in uteris matrum, sicut Jeremias, sanctificantur; (Jerem. 1. 5.) cùm omnes, si est originale peccatum, pariter rei sint; si non est, pariter innocentes sint? Unde ista tanta diversitas, nisi quia inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus?

Caput XXII. Refellit eos qui putant animas ob delicta alibi commissa, in corpora meritis suis convenientia detrudi, in iisque magis minúsve affligi.

31. An fortè illud jam explosum repudiatumque sentiendum est, quòd animæ priùs in cælesti habitatione peccantes, gradatim atque paulatim ad suorum meritorum corpora veniant, ac pro antè gesta vita magis minúsve corporeis pestibus affligantur? Cui opinioni quamvis sancta scriptura apertissimè contradicat, quæ cùm gratiam commendaret, *Nondum*, inquit, *natis, nec qui aliquid egerant boni aut mali, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quòd major serviet minori*: (Rom. 9. 11.) nec ipsi tamen qui hoc sentiunt, evadunt hujus quæstionis angustias, sed in eis coartati & hærentes similiter, *O altitudo*, exclamare coguntur. Unde enim fit, ut homo ab ineunti pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes ceteras provectior aptiorque consurgat, & tamen eo loco sit, ubi ei prædicari gratia Christiana non possit? (Rom. 10. 14.) *Quomodo* enim *invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* (Nulla salus ei cui Christus prædicatus non est.) Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis & facinoribus coopertus, ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hîc fuerit, laudabiliter hîc vivat? Ubi duo isti tam diversa merita contraxerunt, non dico, ut iste credat, ille non credat, quod est propriæ voluntatis; sed ut iste au-

A diat quod credat, ille non audiat; hoc enim non est in hominis potestate: ubi, inquam, hæc tam diversa merita contraxerunt? Si in cælo egerunt aliquam vitam, ut pro suis actibus propellerentur [a] vel laberentur in terras, congruisque suæ antè actæ vitæ corporeis receptaculis tenerentur: ille utique meliùs ante hoc mortale corpus vixisse credendus est, qui eo non multùm meruit prægravari, ut & bonum haberet ingenium, & concupiscentiis ejus mitioribus urge- B retur, quas posset facilè superare: & tamen eam sibi gratiam prædicari non meruit, qua sola posset à secundæ mortis pernicie liberari. Ille autem pro meritis deterioribus, sicut putant, graviori corpori implicitus, & ob hoc cordis obtusi, cùm carnis illecebris ardentissima cupidine vinceretur, & per nequissimam vitam peccatis pristinis, quibus ad hoc venire meruerat, adderet pejora terrena; aut in cruce tamen audivit, *Hodie mecum eris in paradiso*; (Luca 23. 43.) aut alicui cohæ- C sit Apostolo, cujus prædicatione mutatus, & per lavacrum regenerationis salvus effectus est: ut ubi abundavit peccatum, superabundaret gratia. Quid hinc respondeant, omnino non video, qui volentes humanis conjecturis justitiam Dei defendere, & ignorantes altitudinem gratiæ, fabulas improbabiles texuerunt.

32. Multa enim dici possunt de miris vocationibus hominum, sive quas legimus, sive quas experti sumus, quibus eorum opinio subvertatur, D qui credunt ante ista corpora sua, quasdam proprias vitas gessisse animas hominum, quibus ad hæc venirent, pro diversitate meritorum diversa hîc experturæ vel bona vel mala. Sed terminandi hujus operis cura non finit in his diutius immorari. Unum tamen, quod inter multa mirabile comperi, non tacebo. Quis non secundùm istos, qui ex meritis prioris vitæ ante hoc corpus in cælestibus gestæ animas terrenis corporibus magis minúsve gravari opinantur, af- E firmet eos ante istam vitam sceleratiùs immaniúsque peccasse, qui mentis lumen sic amittere meruerunt, ut sensu vicino pecoribus nascerentur, non dico tardissimi ingenio, nam hoc de aliis dici solet, sed ita excordes, ut etiam [b] cirrati ad movendum risum exhibeant cordatis delicias fatuitatis, quorum nomen ex Græco derivatum Moriones vulgus appellat? (b Moriones fatuitatis delicias cordatis exhibētes. Morio quidam suæ patientissimus, Christi injuriæ ultor acerrimus.) Talium tamen quidam fuit ita Christianus, ut cùm esset omnium injuriarum suarum mira fatuitate pa- F tientissimus, injuriam tamen Christi nominis vel in se ipso religionis qua imbutus erat, sic ferre non posset, ut blasphemantes videlicet cordatos, à quibus hæc ut provocaretur audiebat, insectari lapidibus non desisteret, nec in ea caussa vel dominis parceret. Tales ergo prædestinari & creari arbitror, ut qui possunt, intelligant, Dei gratiam & Spiritum qui ubi vult spirat, (Iohan. 3. 8.) ob hoc omne ingenii genus in filiis misericordiæ non præterire, itemque omne ingenii genus in G gehennæ filiis præterire, *ut qui gloriatur in Domino glorietur.* (1. Cor. 1. 31.) Illi autem qui pro meritis vitæ superioris accipere [c] quasque animas diversa terrena corpora affirmant, quibus aliæ magis, aliæ

[a] Abest *vel laberentur* à nonnullis MSS.

[b] Am. Er. & quinque MSS. *curati*. Alii verò MSS. cum editione Lov. *cirrati*. In margine codicis Sigiram. scriptum antiquâ manu, *vel cerriti, id est furiosi*. Ducitur vox à Cerere, in cujus sacris furore correpti mentis non satis compotes erant.

[c] Am. & nostri omnes MSS. *accipere quasquas animas*: atque ex iisdem plures habent, *diversa in terra corpora*.

minùs graventur, & pro eisdem meritis humana ingenia variari, ut acutiora sint quædam, & alia obtusiora, proque ipsius vitæ superioris meritis divinam quoque gratiam liberandis hominibus dispensari, quid de isto poterunt respondere? Quomodo ei tribuent & teterrimam vitam superiorem, ut ex hoc fatuus nasceretur; & tam bene meritam, ut ex hoc in Christi gratia multis acutissimis præferretur?

33. Cedamus igitur & consentiamus auctoritati sanctæ scripturæ, quæ nescit falli nec fallere; & sicut nondum natos ad discernenda merita eorum aliquid boni vel mali egisse non credimus, ita omnes sub peccato esse, quod per unum hominem intravit in mundum, & per omnes homines pertransiit, à quo non liberat nisi gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum, minimè dubitemus. * Cujus medicinalis adventus non est opus sanis, sed ægrotantibus; quia non venit vocare justos, sed peccatores: in cujus regnum non intrabit nisi qui renatus fuerit ex aqua & spiritu, nec præter regnum ejus salutem ac vitam possidebit æternam. Quoniam qui non manducaverit carnem ejus; & qui incredulus est Filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Ab hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hac ira Dei, cujus naturaliter filii sunt, qui etiam si per ætatem non habent proprium, trahunt tamen originale peccatum, non liberat nisi Agnus Dei qui tollit [a] peccata mundi, non nisi Medicus qui non venit propter sanos, sed propter ægrotos, non nisi Salvator, de quo dictum est generi humano, *Natus est vobis hodie Salvator*: non nisi Redemtor, cujus sanguine deletur debitum nostrum. Nam quis audeat dicere, non esse Christum infantium salvatorem nec redemtorem? Unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati? Unde redimit, si non sunt per originem primi hominis venumdati sub peccato? Nulla igitur ex nostro arbitrio, præter baptismum Christi, salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit scriptura divina, humanis omnibus ingeniis præferenda.

*Caput XXIII.

a

Lucæ 2. 11.

Christus etiam infantium salvator & redemtor.

34. Optime Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quàm salutem, & sacramentum corporis Christi, nihil aliud quàm vitam vocant. Unde, nisi ex antiqua, ut existimo, & apostolica traditione, qua Ecclesiæ Christi insitum tenent, præter baptismum & participationem mensæ Dominicæ, non solùm [b] ad regnum Dei, sed nec ad salutem & vitam æternam posse quemquam hominum pervenire? Hoc enim & Scriptura testatur, secundùm ea quæ suprà diximus. Nam quid aliud tenent, qui baptismum nomine salutis appellant, nisi quod dictum est, *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*: & quod Petrus ait, *Sic & vos simili formâ baptisma salvos facit.* Quid aliud etiam, qui sacramentum mensæ Dominicæ vitam vocant, nisi quod dictum est, *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*: &, *Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita*: &, *Si non manducaveritis carnem filii hominis & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis?* Si ergo ut

Caput XXIV. Baptismus salus, Eucharistia vita vocatur à Punicis Christianis. Antiqua & apostolica traditio. b

Tit. 3. 5.

1. Pet. 3. 21.

Johan. 6. 51.

Ibidem 52.

Ibidem 54.

A tot & tanta divina testimonia concinunt, nec salus nec vita æterna sine baptismo & corpore & sanguine Domini cuiquam speranda est, frustra sine his promittitur parvulis. Porrò si à salute ac vita æterna hominem nisi peccata non separant, per hæc sacramenta non nisi peccati reatus in parvulis solvitur: de quo reatu scriptum est, *neminem esse mundum, nec si unius diei fuerit vita ejus.* Unde est & illud in Psalmis: *Ego enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea me* B *in utero aluit.* Aut enim ex persona generali ipsius hominis dicitur, aut si propriè de se David hoc dicit, non utique de fornicatione, sed de legitimo connubio natus fuit. Non itaque dubitemus etiam pro infantibus baptizandis sanguinem fusum, qui priùs quàm funderetur, sic in sacramento datus est & commendatus, ut diceretur, *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Negant enim illos liberari, qui sub peccato esse nolunt fateri. C Nam unde liberantur, si nulla servitute peccati tenentur obstricti?

Job 14. 4. Psal. 50. 7.

Matth. 26. 28.

35. *Ego*, inquit, *lux in sæculum veni, ut omnis qui crediderit in me, non maneat in tenebris.* Hoc dicto quid ostendit, nisi in tenebris esse omnem qui non credit in eum, & credendo efficere ne maneat in tenebris? Has tenebras quid nisi peccata intelligimus? Sed quodlibet aliud intelligantur hæ tenebræ, profectò qui non credit in Christum, manebit in eis: & utique D pœnales sunt, non quasi nocturnæ ad quietem animantium necessariæ. * Proinde parvuli, si per sacramentum quod ad hoc divinitus institutum est, in credentium numerum non transeant, profectò in his tenebris remanebunt.

Johan. 12. 46.

Parvuli nisi baptizentur, in tenebris manent.

*Caput XXV. Parvulos mox natos illuminari quidam perperam colligebant ex Evangelio.

36. Quamvis eos nonnulli mox natos illuminari credant, sic intelligentes quod scriptum est, *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quod si ita est, multùm mirandum est, quomodo illuminati ab E unico Filio, quod erat in principio Verbum Deus apud Deum, non admittantur ad regnum Dei, nec sint heredes Dei, coheredes autem Christi. Hoc enim eis nisi per baptismum non præstari, etiam qui hoc sentiunt, confitentur. Deinde jam illuminati, si ad consequendum regnum Dei nondum sunt idonei; saltem ipsum baptismum, quo ad hoc idonei fiunt, læti suscipere debuerunt: cui tamen eos videmus cum magnis fletibus reluctari, eamque ignorantiam in illa æta- F te contemnimus, ut sacramenta quæ illis prodesse novimus, in eis etiam reluctantibus compleamus. Cur enim & Apostolus dicit, *Nolite pueri esse mentibus*; si jam lumine illo vero quod Verbum Dei est, eorum mentes illuminatæ sunt?

Johan. 1. 9.

1. Cor. 14. 20.

37. Itaque illud quod in Evangelio positum est, *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ideo dictum est, quia nullus hominum illuminatur nisi illo G lumine veritatis, quod Deus est: ne quisquam putaret ab eo se illuminari, à quo audit ut discat, non dico, si quemquam magnum hominem, sed nec si angelum ei contingat habere doctorem. Adhibetur enim sermo veritatis extrinse-

Deus quomodo omnem hominem illuminet.

Aliter Deus, aliter homo docet.

[a] Vetus S. Amandi codex, *peccatum mundi.*

[b] Editi, *non solùm non ad regnum*: repetita negante particulâ, quæ posteriore loco abest à MSS.

cùs vocis ministerio corporalis, verumtamen *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* [1. Cor. 3. 7.] Audit quippe homo dicentem vel hominem vel angelum; sed ut sentiat & cognoscat verum esse quod dicitur, illo lumine intus mens ejus adspergitur, quod æternum manet, quod etiam in tenebris lucet. Sed sicut sol iste à cæcis, quamvis eos suis radiis quodam modo vestiat, sic ab stultitiæ tenebris non comprehenditur.

[Sol sapientiæ ubique lucet, sed à stultis non videtur.]

38. Cur autem, cùm dixisset, *quod illuminat omnem hominem;* addiderit, *venientem in hunc mundum;* unde hæc opinio nata est, quòd in exortu corporali ab utero matris recentissimo illuminet mentes nascentium parvulorum: quamvis in Græco ita sit positum, ut possit etiam intelligi lumen ipsum veniens in hunc mundum: tamen si hominem venientem in hunc mundum, necesse est accipi, aut simpliciter dictum arbitror, sicut multa in Scripturis reperiuntur, quibus etiam detractis nihil sententiæ minuatur; aut si propter aliquam distinctionem additum esse credendum est, fortasse hoc dictum est, ad discernendam spiritalem illuminationem ab ista corporali, quæ sive per cæli luminaria, sive quibusque ignibus illuminat oculos carnis; ut hominem interiorem dixerit venientem in hunc mundum, quia exterior corporeus est, sicut hic mundus; tamquam diceret, Illuminat omnem hominem venientem in corpus, secundùm illud quod scriptum est: *Sortitus sum animam bonam, & veni in corpus incoinquinatum.* [Sap. 8. 19.] Aut ergo sic dictum est, si distinctionis alicujus gratiâ dictum est, *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* tamquam dictum esset, Illuminat omnem interiorem hominem; quia homo interior cùm veraciter fit sapiens, non nisi ab illo illuminatur qui est lumen verum: aut si rationem ipsam, qua humana anima rationalis appellatur, quæ ratio adhuc velut quieta & quasi sopita, tamen insita & quodam modo inseminata in parvulis latet, illuminationem voluit appellare, tamquam interioris oculi creationem; non resistendum est, tunc eam fieri, cùm anima creatur, & non absurdè hoc intelligi, cùm homo venit in mundum. Verumtamen etiam ipse, quamvis jam creatus oculus, necesse est in tenebris maneat, si non credat in eum qui dixit, *Ego lux in sæculum veni, ut omnis qui credit in me non maneat in tenebris.* [Johan. 12. 46.] Quod per sacramentum [a] baptismatis in parvulis fieri non dubitat mater Ecclesia, quæ [b] cor & os maternum eis præstat, ut sacris mysteriis imbuantur; quia nondum possunt corde proprio credere ad justitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. [Rom. 10. 10.] Nec ideo tamen eos quisquam fidelium fideles appellare cunctatur, quod à credendo utique nomen est: quamvis hoc non ipsi, sed alii pro eis inter sacramenta responderint.

[Caput XXVI. Concludit peccato originis omnes obnoxios.]

39. Nimis longum fiet, si ad singula testimonia similiter disputemus. Unde commodius esse arbitror, acervatim cogere, quæ occurrere potuerint, vel quæ sufficere videbuntur, quibus appareat Dominum Jesum Christum non aliam ob caussam in carne venisse, ac formâ servi acceptâ factum obedientem usque ad mortem crucis, [Philip. 2. 8.] nisi ut hac dispensatione misericordissimæ gratiæ omnes, quibus tamquam membris in sub corpore constitutis caput est ad capessendum regnum cælorum, vivificaret, salvos faceret, liberaret, redimeret, illuminaret, qui priùs fuissent in peccatorum morte, languoribus, servitute, captivitate, tenebris constituti, sub potestate diaboli principis peccatorum: ac sic fieret mediator Dei & hominum, per quem post inimicitias impietatis nostræ, illius gratiæ pace finitas, reconciliaremur Deo in æternam vitam, ab æterna morte quæ talibus impendebat erepti. Hoc enim cùm abundantiùs apparuerit, consequens erit ut ad istam Christi dispensationem, quæ per ejus humilitatem facta est, pertinere non possint, qui vitâ, salute, liberatione, redemtione, illuminatione non indigent. Et quoniam ad hanc pertinet baptismus, quo Christo consepeliuntur, ut incorporentur illi membra ejus, hoc est fideles ejus: profectò nec baptismus est necessarius eis, qui illo remissionis & reconciliationis beneficio, quæ fit per mediatorem, non opus habent. Porrò quia parvulos baptizandos esse concedunt, qui contra auctoritatem universæ Ecclesiæ, procul dubio per Dominum & Apostolos traditam, venire non possunt: concedant oportet eos egere illis beneficiis mediatoris, ut [c] abluti per sacramentum caritatemque fidelium, ac sic incorporati Christi corpori, quod est Ecclesia, reconcilientur Deo, ut in illo vivi, ut salvi, ut liberati, ut redemti, ut illuminati fiant: unde nisi à morte, vitiis, reatu, subjectione, tenebris peccatorum? quæ quoniam nulla in ea ætate per suam vitam propriam commiserunt, restat originale peccatum.

[Caput XXVII. Congerit testimonia Scripturarum.]

40. Hæc ratiocinatio tunc erit fortior, cùm ea quæ promisi testimonia multa congessero. Jam suprà posuimus: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* [Luca 5. 32.] Item cùm ad Zacchæum esset ingressus: *Hodie*, inquit, *salus domui huic facta est, quoniam & iste filius est Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere & salvare quod perierat.* [Luca 19. 9.] Hoc & de ove perdita & relictis nonaginta-novem quæsita & inventa; hoc & de drachma quæ perierat ex decem. [Luca 15. 4. & 8.] Unde *oportebat*, ut dicit, *prædicari in nomine ejus pænitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierusalem.* [Luca 24. 47.] Marcus etiam in fine Evangelii sui Dominum dixisse testatur, *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* [Marci 16. 15.] Quis autem nesciat, credere esse infantibus baptizari, non credere autem, non baptizari? Ex Johannis autem Evangelio quamvis jam nonnulla posuerimus, adtende etiam ista. Johannes Baptista de illo: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* [Iohan. 1. 29.] Et ipse de se ipso: *Qui de ovibus meis sunt, vocem meam audiunt, & ego novi illas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do illis, & non peribunt in æternum.* [Iohan. 10. 27.] Quia ergo de ovibus ejus non esse incipiunt parvuli, nisi per baptismum; profectò si hoc non acci-

[a] Vox *baptismatis* abest ab aliquot MSS.

[b] In editis omissum, *& os.* Exstat in melioribus MSS. In ceteris autem corruptè legitur *correctos;* aut *corde recto maternum eis præstat:* ibique in quibusdam additur, *affectum*, vel *sinum.*

[c] Editiones Am. Er. & Lov. *ut oblati.* Antiquiores verò ac plerique MSS. *ut abluti.*

piunt, peribunt: vitam enim æternam, quam suis dabit ovibus, non habebunt. Item alio loco:

Johan. 14. 6.

Ego sum via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me.

41. Hanc doctrinam suscipientes Apostoli, vide quanta contestatione declarent. Petrus in prima epistola:

1. Petri 1. 3.

Benedictus, inquit, *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi* [a] *secundùm multitudinem misericordiæ suæ, qui regeneravit nos in spem vitæ æternæ, per resurrectionem Iesu Christi, in hereditatem immortalem & incontaminatam, florentem, servatam in cælis, vobis qui in virtute Dei conservamini per fidem in salutem paratam palàm fieri in tempore novissimo.* Et paulò pòst:

Ibidem. 7.

Inveniamini, inquit, *in laudem & honorem Iesu Christi, quem ignorabatis, in quem modò non videntes creditis, quem cùm videritis, exsultabitis gaudio inenarrabili, & honorato* [b] *gaudio percipientes testamentum fidei, salutem animarum vestrarum.* Item alio loco:

1. Petri. 2. 9.

Vos autem, inquit, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus in adoptione, ut virtutes enuntietis ejus, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.* Et iterum:

1. Pet. 3. 18.

Christus, inquit, *pro peccatis nostris passus est, justus pro injustis, ut nos adducat ad Deum.* Item cùm commemorasset in arca Noë, octo homines salvos factos:

Ibidem. 21.

Sic & vos, inquit, *simili formâ baptisma salvos facit.* Ab hac ergo salute & lumine alieni sunt parvuli, & in perditione ac tenebris remanebunt, nisi per adoptionem populo Dei fuerint sociati, tenentes Christum passum justum pro injustis, ut eos adducat ad Deum.

42. Ex epistola etiam Johannis hæc mihi occurrerunt, quæ huic quæstioni necessaria visa sunt.

1. Iohan. 1. 7.

Quòd si in lumine, inquit, *ambulaverimus, sicut & ipse est in lumine, societatem habemus invicem, & sanguis Iesu Christi filii ejus purgabit nos ab omni delicto.* Item alio loco:

1. Iohan. 5. 9.

Si testimonium, inquit, *hominum accipimus, testimonium Dei majus est; quia hoc est testimonium Dei,* [c] *quod majus est: quia testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium* [d] *in semetipso. Qui non crediderit Deo, mendacem facit eum; quia* [e] *non credidit in testimonium quod testificatus est de Filio suo. Et hoc est testimonium, quia vitam æternam dedit nobis Deus; & hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, non habet vitam.* Non solùm igitur regnum cælorum, sed nec vitam parvuli habebunt, si Filium non habebunt, quem nisi per baptismum ejus habere non possunt. Item alio loco:

1. Iohan. 3. 8.

In hoc, inquit, *manifestatus est Filius Dei, ut solvat opera diaboli.* Non ergo pertinebunt parvuli ad gratiam manifestationis Filii Dei, si non in eis solvet opera diaboli.

Paulus diligens gratiæ Dei prædicator.

43. Jam nunc adtende in hanc rem Pauli apostoli testimonia, tantò utique plura, quantò plures epistolas scripsit, & quantò diligentiùs curavit commendare gratiam Dei adversùs eos qui [f] operibus gloriabantur, atque ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non erant subjecti.

Rom. 10. 3.

In epistola ad Romanos:

Rom. 3. 21.

Iustitia, inquit, *Dei in omnes qui credunt. Non enim est distinctio: omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei; justificati gratis per gratiam ipsius, per redemtionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus* [g] *propitiatorium per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ ejus propter* [h] *propositum præcedentium peccatorum in Dei patientia, ad ostendendam justitiam ipsius in hoc tempore, ut sit justus & justificans eum qui ex fide est Iesu.* Item alio loco:

Rom. 4. 4.

Ei qui operatur, inquit, *merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Ei verò qui non operatur, credit autem in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam. Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus:*

Psal. 31. 1.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Item paulò pòst:

Rom. 4. 23.

Non est autem scriptum, inquit, *propter illum tantùm, quia deputatum est illi* [i]; *sed & propter nos, quibus deputabitur credentibus in eum qui excitavit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Et paulò pòst:

Rom. 5. 6.

Si enim Christus, inquit, *cùm infirmi essemus adhuc juxta tempus, pro impiis mortuus est*: Et alibi:

Rom. 7. 14.

Scimus, inquit, *quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. Quod enim operor, ignoro: non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Si autem quod nolo hoc facio, consentio legi, quoniam bona* [k]. *Nunc autem non jam ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum. Scio enim quia non habitat in me, id est, in carne mea bonum: nam* [l] *velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo, ego hoc facio; jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Invenio igitur legem mihi volenti facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum.* Dicant qui possunt, homines nasci non in corpore mortis hujus, ut possint etiam dicere, non eis necessariam gratiam Dei per Jesum Christum, qua liberentur de corpore mortis hujus. Item paulò pòst:

Rom. 8. 3.

Quod enim impossibile erat [m] *legis, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum misit in similitudine car-*

[a] Sigiramnensis codex, *qui secundùm multitudinem misericordiæ suæ regeneravit nos.*

[b] Hoc loco à nonnullis MSS. abest *gaudio.*

[c] *quod majus est*, non habetur hîc in Gallicanis MSS. Exstat quidem in Latino textu Vulgatæ editionis, sed à Græco abest. Plures ex iisdem MSS. prætereunt & illud, *quia testificatus est de Filio suo.*

[d] Lov. *testimonium Dei.* Hinc verò abest vox *Dei*, nostris in MSS. & in editis Am. & Er. nec est in Græco textu Johannis.

[e] Sola hîc editio Lov. *non credit.* Græcè est οὐ πεπίστευκεν.

[f] Hîc in excusis nulla necessitate additum, *de.*

[g] Lov. *propitiatorem.* Editi alii & MSS. *propitiatorium*: ut omnes rursum libri cum Lov. in lib. de spiritu & lit. cap. 13. Græcè est ἱλαστήριον.

[h] Editi, *propter remissionem.* At MSS. constanter ferunt, *propter propositum*: nec aliter ipsi editi loco quem nunc indicavimus libri de spir. & lit. Eamdem lectionem sequitur Ambrosiaster.

[i] Hîc in editis additum, *ad justitiam.* Abest à MSS. necnon à Græco textu Apostoli.

[k] Adjectum etiam hîc verbum, *est*: quod in MSS. & in Græco reticetur.

[l] Editi, *nam bonum velle.* Non repetitur hoc loco *bonum* in MSS. nec apud Apostolum.

[m] In editis dandi casu, *legi.* At in MSS. *legis*: juxta Græc. τοῦ νόμου. Sic August. in Serm. 152.

nis peccati, & de peccato damnavit peccatum in A *carne.* Dicant qui audent, oportuisse nasci Christum in similitudine carnis peccati, nisi nos nati essemus in carne peccati.

1. Cor. 15. 3. 44. Item ad Corinthios: *Tradidi enim vobis in primis*, inquit, *quod & accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas.* Item 2. Cor. 5. 14. ad eosdem Corinthios in secunda: *Caritas enim Christi compellit nos, judicantes hoc, quoniam* [a] *si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt,* B *jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Itaque nos à modò neminem novimus secundùm carnem: & si noveramus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus. Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt* [b] *omnia nova. Omnia autem ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis. Quemadmodum? quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta eorum, & ponens in nobis verbum* C *reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo reconciliari Deo.* 2. Cor. 6. 2. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso. Cooperantes autem & rogamus, ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis. Dicit enim, Tempore acceptabili exaudivi te, & in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Ad hanc reconciliationem & salutem si non pertinent parvuli, [c] quis eos quærit ad bap- D tismum Christi? Si autem pertinent, inter homines [d] mortuos sunt, pro quibus ille mortuus est; nec ab eo reconciliari & salvari possunt, nisi dimissa non reputet delicta eorum.

Gal. 1. 3. 45. Item ad Galatas: *Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino Iesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eximeret nos de præsenti sæculo maligno.* Gal. 3. 19. Et alio loco: *Lex transgressionis gratiâ* [e] *proposita est, donec veniret semen cui promissum est; dispositum per Angelos in manu me-* E *diatoris. Mediator autem unius non est: Deus verò unus est. Lex ergo adversùs promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.*

Ephes. 2. 1. 46. Ad Ephesios etiam: *Et vos cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundùm sæculum mundi hujus, secundùm principem potestatis aëris, spiritus ejus qui nunc* F *operatur in filiis diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ facientes voluntatem carnis, & affectionum, & eramus naturaliter filii iræ, sicut & ceteri. Deus autem qui dives est in misericordia, propter multam dilectionem qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cujus gratiâ sumus salvi facti.* Ibidem 8. Et paulò pòst: *Gratiâ*, inquit, *salvi facti estis per fidem; & hoc non ex vobis, sed Dei donum est: non ex operibus, ne fortè quis extol-* G *latur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Et paulò pòst: *Qui eratis*, inquit, Ibidem 12. *illo tempore sine Christo, alienati à societate Israël, & peregrini testamentorum & promissionis, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo: nunc autem in Christo Iesu, qui aliquando eratis longè, facti* [f] *estis propè in sanguine Christi. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens inimicitias, in carne sua legem mandatorum decretis evacuans, ut duos conderet in se in unum novum hominem, faciens pacem, & commutaret utrosque in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis qui eratis longè, & pacem his qui propè, quia per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem.* Item alibi: *Sicut veritas* Ephes. 4. 22. *est in Iesu, deponere vos secundùm priorem conversationem veterem hominem, eum qui corrumpitur secundùm concupiscentias deceptionis. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, eum qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Et alibi: *Nolite contristare Spiri-* Ibidem 30. *tum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemtionis.*

47. Ad Colossenses etiam ita loquitur: *Gra-* Col. 1. 12. *tias agentes Patri idoneos facienti nos in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum & transtulit in regnum Filii caritatis suæ, in quo habemus redemtionem in remissione peccatorum.* Et alio loco: *Et estis:* inquit, *in illo* Col. 2. 10. *repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis: in quo etiam circumcisi estis circumcisione non manufacta, in exspoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & consurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis. Et vos, cùm essetis mortui delictis & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans nobis omnia delicta, delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quòd erat contrarium nobis, tollens illud de medio, & affigens illud cruci, exuens se carnem, principatus & potestates exemplavit fiducialiter triumphans eos in semetipso.*

48. Et ad Timotheum, *Humanus*, inquit, 1. Tim. 1. 15. *sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet primo Christus Iesus omnem longanimitatem, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Item dicit: *Vnus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum* 1. Tim. 2. 5. *homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemtionem pro omnibus.* In secunda etiam ad eumdem: *Noli ergo*, inquit, *erubescere testimonium Domini* 2. Tim. 1. 8. *nostri, neque me vinctum ejus, sed collabora Evangelio secundùm virtutem Dei salvos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante sæcula æterna, manifestata autem nunc per adventum Domini nostri Iesu Christi, evacuantis quidem mortem, illuminantis autem vitam & incorruptionem per Evangelium.*

49. Ad Titum etiam: *Exspectantes*, inquit, *illam beatam spem & manifestationem gloriæ magni* Tit. 2. 13. *Dei, & salvatoris nostri Iesu Christi, qui dedit se-*

[a] Plerique MSS. omittunt *si*: quæ particula etiam apud Græcos non in omnibus codicibus legitur.
[b] Hoc loco MSS. non habent, *omnia*; nec est in Græcis bibliis, nec in Latinis Corbeiensibus.
[c] Duo MSS. *quid eos quærit.*
[d] Am. Er. & MSS. *mortui sunt.*
[e] Sic MSS. Editi verò, *posita est.* Et infrà, *disposita per angelos.* Vide expositionem epistolæ ad Gal. tom. 3. part. 1.
[f] In editis, *facti autem.* Abest *autem* à MSS.

metipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret nos sibi populum abundantem, A
Tit. 3. 4. *æmulatorem bonorum operum.* Et alio loco: *Cùm autem benignitas & humanitas illuxit salvatoris Dei nostri, non ex operibus justitiæ, quæ nos fecimus, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus-sancti, quem ditissimè effudit super nos per Iesum Christum salvatorem nostrum, ut justificati ipsius gratiâ heredes efficiamur secundùm spem vitæ æternæ.*

50. Ad Hebræos quoque epistola, quamquam nonnullis [a] incerta sit, tamen quoniam legi quosdam huic nostræ de baptismo parvulorum sententiæ contraria sentientes, eam quibusdam opinionibus suis testem adhibere voluisse, magisque me movet auctoritas Ecclesiarum Orientalium, quæ hanc etiam in canonicis habent, quanta pro nobis testimonia contineat, advertendum
B
Hebr. 1. est. In ipso ejus exordio legitur: *Multis partibus, & multis modis olim Deus locutus est patribus in Prophetis; postremò in his diebus locutus est nobis in* C *Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit & sæcula. Qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus, gerens quoque omnia verbo virtutis suæ, purgatione peccatorum à se facta, sedet ad*
Hebr. 2. 2. *dexteram majestatis in excelsis.* Et post pauca: *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia justam accepit mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Et alio loco:
Ibidem 14. *Propterea ergo quia pueri communicaverunt sanguini & carni, & ipse propemodum eorum participavit,* D *ut per mortem evacuaret eum, qui potestatem habebat mortis, id est, diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam rei erant servitutis.*
Ibidem. 17. Et paulò pòst: *Vnde debuit*, inquit, *secundùm omnia fratribus similis esse, ut misericors fieret, & fidelis princeps sacerdotum eorum, quæ sunt ad Deum*
Hebr. 4. 15. *propitiandum pro delictis populi.* Et alibi: *Teneamus*, inquit, *confessionem: non enim habemus* [b] *sacerdotem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; etenim expertus est omnia secundùm similitudi-*
Hebr. 7. 25. *nem sine peccato.* Et alio loco: *Intransgressibile*, inquit, *habet sacerdotium: unde & salvos perficere potest eos, qui adveniunt per ipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro ipsis. Talem enim decebat habere nos principem sacerdotum, justum, sine malitia, incontaminatum, separatum à peccatoribus, altiorem à cælis factum, non habentem quotidianam necessitatem, sicut principes sacerdotum, primùm pro suis peccatis sacrificium offerre, dehinc pro populi: hoc enim semel fecit offerens se.* Et alio F
Hebr. 9. 24. loco: *Non enim in manu fabricata sancta introivit Christus, quæ sunt similia verorum, sed in ipsum cælum, apparere ante faciem Dei pro nobis; non ut sæpius offerat semetipsum, sicut princeps sacerdotum intrat in sancta, in anno semel cum sanguine alieno. Ceterùm oportebat eum sæpius pati à mundi constitutione: nunc autem semel in extremitate sæculorum ad remissionem peccatorum per sacrificium suum manifestatus est. Et sicut constitutum est hominibus semel tantùm mori, & post hoc judicium: sic & Christus semel oblatus est, ut multorum peccata portaret; secundò sine peccatis apparebit eis, qui eum sustinent ad salutem.*

51. Apocalypsis etiam Johannis has laudes Christo per canticum novum testatur offerri: *Dignus es accipere librum, & aperire signacula ejus,* Apoc. 5. 9. *quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, de omni gente, & lingua, & populo, & natione.*

52. Item in Actibus Apostolorum, inceptorem vitæ Petrus apostolus dixit esse Dominum Jesum, increpans Judæos quòd occidissent eum, ita loquens: *Vos autem sanctum & justum inhonorastis,* Act. 3. 14. *& negastis, & postulastis hominem homicidam vivere & donari vobis: nam inceptorem vitæ occidistis.* Et alio loco: *Hic est lapis reprobatus à vobis ædi-* Act. 4. 11. *ficantibus, qui factus est in caput anguli. Non est enim aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri nos.* Et alibi: *Deus patrum sus-* Act. 5. 30. *citavit Iesum, quem vos interfecistis suspendentes in ligno. Hunc Deus principem & salvatorem exaltavit gloriâ suâ, dare pænitentiam Israël & remissionem peccatorum in illo.* Item alio loco: *Huic* Act. 10. 43. *omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per manum illius omnem credentem in eum.* Item in eodem libro apostolus Paulus: *Notum ergo sit vobis*, inquit, *viri fratres,* Act. 13. 38. *quoniam per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari, in hoc omnis credens justificatur.*

53. Hoc tanto aggere testimoniorum, cujus adversùs veritatem Dei elatio non prematur? Et multa quidem alia reperiri possunt, sed & finiendi hujus operis cura non negligenter habenda est. De libris quoque veteris Testamenti multas contestationes divinorum eloquiorum adhibere in hanc sententiam supervacaneum putavi, quando quidem in illis quod occultatur sub velamento velut terrenarum promissionum, hoc in novi Testamenti prædicatione revelatur. Et ipse Do- Utilitas librorum veteris Testamenti. minus librorum veterum utilitatem breviter de- E monstravit & definivit dicens, oportuisse impleri quæ de illo scripta essent in Lege & Prophetis Lucæ 24. 44. & Psalmis, & hæc ipsa esse, quòd oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pænitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem. Et Petrus dicit, quod Act. 10. 43. paulò ante commemoravi, huic omnes Prophetas testimonium perhibere, remissionem peccatorum accipere per manum ejus omnem credentem in eum.

54. Verumtamen commodius est, etiam ex ipso vetere Testamento testimonia pauca depromere, quæ vel ad supplementum, vel potiùs ad cumulum valere debebunt. Ipse Dominus per Prophetam in Psalmo loquens ait: *Sanctis qui* Psal. 15. 3. *sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in illis.* Non merita illorum, sed *voluntates meas.* Nam illorum quid, nisi quod sequitur? *Multi-*

[a] Sic Latinis ætate sua incertam testatur sæpe Hieronymus in Commentariis ad Isaiæ caput 6. & 8. ad cap. 8. Zachar. ad 26. Matth. & in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum cap. 16. ad Paulum, & cap. 70. ad Gaium, &c. à Græcis verò susceptam olim tamquam Pauli, in epist. 129. ad Dardanum scribit: *Illud*, ait, *nostris dicendum est, hanc epistolam quæ scribitur ad Hebræos, non solùm ab ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retrò ecclesiæ Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli apostoli suscipi.* Hìc veteris codicis Corbeiensis auctoritate corrigimus editiones, quæ hactenus ferebant, *sed ab omnibus retrò ecclesiis Græci sermonis scriptoribus*, vel *ecclesiis & Græci sermonis scriptoribus.* V. Aug. lib. 16. de Civitate Dei c. 22. & de doctrina Christiana lib. 2. c. 8.

[b] Editio Lov. *pontificem.* Habebant editiones aliæ cum nostris MSS. *sacerdotem.* In Græco idem est hìc verbum ἀρχιερεύς, quod locis proximè citatis ex Heb. 2. & 7. ubi *principem sacerdotum* legimus.

Rom. 5. 20.

plicatæ ſunt infirmitates eorum: ſupra quòd infirmi A erant. Ad hoc & lex ſubintravit, ut abundaret delictum. Sed quid adjungit? *Poſtea acceleraverunt*: multiplicatis infirmitatibus, hoc eſt, abundante delicto, alacriùs medicum quæſierunt, ut ubi abundavit peccatum, ſuperabundaret gratia. Denique, *Non congregabo*, inquit, *conventicula eorum de ſanguinibus*: quoniam multis ſacrificiorum ſanguinibus, cùm primùm in tabernaculum vel in templum congregarentur, convincebantur potiùs peccatores, quàm mundabantur. Non B ergo jam, inquit, de ſanguinibus congregabo conventicula eorum. Unus enim ſanguis pro multis datus eſt, quo veraciter mundarentur. Denique ſequitur: *Nec memor ero nominum illorum per labia mea*: tamquam [a] innovatorum. Nam nomina eorum erant priùs, filii carnis, filii ſæculi, filii iræ, filii diaboli, immundi, peccatores, impii: poſtea verò, filii Dei, homini novo nomen novum, canticum novum [b] cantanti novum, per Teſtamentum novum. C Non ſint ingrati homines gratiæ Dei, puſilli cum magnis, à minore uſque ad majorem. Totius Eccleſiæ vox eſt: *Erravi ſicut ovis perdita*. Omnium membrorum Chriſti vox eſt: *Omnes ut oves erravimus, & ipſe traditus eſt pro peccatis noſtris.* Qui totus prophetiæ locus apud Iſaiam eſt, quo per Philippum ſibi expoſito, ſpado ille Candacis reginæ in eum credidit. Vide quotiens hoc ipſum commendet, & tamquam ſuperbis neſcio quibus, vel contentioſis idemtidem inculcet: D *Homo*, inquit, *in plaga, & qui ſciat ferre infirmitates, propter quod & avertit ſe facies ejus, injuriata eſt, nec magni æſtimata eſt. Hic infirmitates noſtras portat, & pro nobis in doloribus eſt, & nos exiſtimavimus illum in doloribus eſſe, & in plaga, & in pœna: ipſe autem vulneratus eſt propter peccata noſtra, infirmatus eſt propter iniquitates noſtras. Eruditio pacis noſtræ ſuper eum, in livore ejus ſanati ſumus. Omnes ut oves erravimus, & Dominus tradidit illum pro peccatis noſtris. Et ipſe quo-* E *niam malè tractatus eſt, non aperuit os, ut ovis ad immolandum ductus eſt, & ut agnus ante eum qui ſe tonderet fuit ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. In humilitate ſublatum eſt judicium ejus: generationem ejus quis enarrabit? quoniam tolletur de terra vita ejus, ab iniquitatibus populi mei ductus eſt ad mortem. Dabo ergo malos propter ſepulturam ejus, & divites propter mortem ejus, ob hoc quòd iniquitatem non fecerit, nec dolum ore ſuo, Dominus vult purgare illum de plaga. Si dederitis vos ob delicta* F *veſtra animam veſtram, videbitis ſemen* [c] *longæ vitæ. Et vult Dominus auferre à doloribus animam ejus, oſtendere illi lucem, & figurare per ſenſum, juſtificare juſtum bene ſervientem pluribus, & peccata illorum ipſe ſuſtinebit. Propterea ipſe hereditabit complures, & fortium partietur ſpolia, propter quod tradita eſt anima ejus ad mortem, & inter iniquos æſtimatus eſt, & ipſe peccata multorum ſuſtinuit, & propter iniquitates eorum traditus eſt.* Adtende etiam illud ejuſdem Prophetæ, quod de ſe com- G pletum, lectoris etiam functus officio in ſynagoga ipſe recitavit: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, evangelizare* [d] *pauperibus miſit me, ut refrigerem qui in preſſura cordis ſunt, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum.* Omnes ergo agnoſcamus, nec ullus exceptus ſit eorum, qui volumus corpori ejus hærere, per eum in ovile ejus intrare, ad vitam & ſalutem, quam ſuis promiſit, perpetuam [e] pervenire: omnes, inquam, agnoſcamus eum, qui peccatum non fecit, & peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut à peccatis ſeparati cum juſtitia vivamus; cujus cicatricibus ſanati ſumus, infirmi cùm eſſemus, * tamquam pecora errantia.

(Left margin: Sacrificiis veteris Teſtamenti convincebantur peccatores potiùs quàm mundabantur. — Pſal. 118. 176. — Iſaia 53. 6. — Act. 8. 27. — Iſaia 53. 3. — Chriſtus lectoris officio functus. — Luca 4. 17. — Iſai. 61. 1.)

(Right margin: 1. Pet. 2. 22. & 24. — * Omiſſum hîc aliquid videtur.)

CAPUT XXVIII. Colligit omnes egere morte Chriſti, ut ſalventur.

55. QUÆ cùm ita ſint, neminem umquam eorum, qui ad Chriſtum acceſſerunt per baptiſmum, ſana fides & ſana doctrina putavit exceptum à gratia remiſſionis peccatorum, nec eſſe poſſe alicui præter regnum ejus, æternam ſalutem. Hæc enim parata eſt revelari in tempore noviſſimo, hoc eſt, in reſurrectione mortuorum, pertinentium non ad mortem æternam, quæ ſecunda mors appellatur, ſed ad vitam æternam; quam promittit non mendax Deus ſanctis & fidelibus ſuis; cujus vitæ participes omnes non vivificabuntur niſi in Chriſto, ſicut in Adam omnes moriuntur. Quemadmodum enim omnes omnino pertinentes ad generationem voluntatis carnis non moriuntur, niſi in Adam in quo omnes peccaverunt: ſic ex his omnes omnino pertinentes ad regenerationem voluntatis ſpiritûs, non vivificantur niſi in Chriſto, in quo omnes juſtificantur. Quia ſicut per unum omnes ad condemnationem, ſic per unum omnes ad juſtificationem. Nec eſt ullus ulli medius locus, ut poſſit eſſe niſi cum diabolo, qui non eſt cum Chriſto. Hinc & ipſe Dominus volens auferre de cordibus malè credentium iſtam neſcio quam medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quaſi merito innocentiæ ſint in vita æterna, ſed quia non ſunt baptizati, non ſint cum Chriſto in regno ejus, definitivam protulit ad hæc ora obſtruenda ſententiam, ubi ait: *Qui mecum non eſt, adverſùm me eſt.* Conſtitue igitur quemlibet parvulum: ſi jam cum Chriſto eſt, ut quid baptizatur? Si autem, quod habet veritas, ideo baptizatur, ut ſit cum Chriſto; profectò non baptizatus non eſt cum Chriſto: & quia non eſt cum Chriſto, adversùs Chriſtum eſt; neque enim ejus tam manifeſtam debemus aut poſſumus infirmare vel immutare ſententiam. Unde igitur adversùs Chriſtum, ſi non ex peccato; neque enim ex corpore & anima, quæ utraque Dei creatura eſt. Porrò ſi ex peccato, quod in illa ætate niſi originale & antiquum? Una eſt quippe caro peccati, in qua omnes ad damnationem naſcuntur; & una eſt caro in ſimilitudine carnis peccati, per quam omnes à damnatione liberantur. Nec ita dictum eſt omnes, velut quicumque naſcuntur in carne peccati, iidem ipſi omnes mundari intelligantur per carnem ſimilem carnis peccati; *non enim omnium eſt fides*: ſed omnes pertinentes ad generationem connubii carnalis, non naſcuntur niſi in carne peccati; & omnes pertinentes ad

(Right margin: 1. Pet. 1. 5. — 1. Cor. 15. 22. — Rom. 5. 18. — Parvuli non baptizati in dãnatione erunt cum diabolo. — Matth. 12. 30. — Quomodo omnes per Adam ad condemnationem, & omnes per Chriſtum ad juſtificationem. — 2. Theſſ. 3. 2.)

[a] Duo MSS. unus Belgicus, alter Vaticanus, *tamquam mundatorum*, *tamquam innovatorum*.

[b] Plerique MSS. carent his verbis, *cantanti novum*. fortè deleto ibi *novum*, lectio hæc melior erit, *canticum novum cantanti per Teſtamentum novum*.

[c] Noſtri omnes MSS. habent, *longiſſima vita*.

[d] Am. Er. & Gallicani MSS. *evangelizare humilibus miſit me, ut refrigerent qui*. Unus è Vatic. cod. *ut refrigerent hi qui*. Alius, *ut refrigerentur qui*.

[e] In omnibus noſtris MSS. *pertinere*.

generationem connubii spiritalis, non mundantur nisi per carnem similem carnis peccati: hoc est, illi per Adam ad condemnationem, isti per Christum ad justificationem. Tamquam si * dicamus, verbi gratiâ, una est obstetrix in hac civitate, quæ omnes excipit, & unus est hîc litterarum magister, qui omnes docet: neque ibi intelligi possunt omnes, nisi qui nascuntur; neque hîc omnes, nisi qui discunt: non tamen omnes qui nascuntur, litteras discunt. Sed cuivis claret, quod & illic rectè dictum est, omnes excipit, præter cujus manus nemo nascitur; & hîc rectè dictum est, omnes docet, præter cujus magisterium nemo discit.

** Vide suprà c. 15. & lib. de nat. & grat. c. 41. & de nupt. & concup. lib. 2. c. 27. & lib. 4. cont. Julian. c. 8. & lib. 6. c. 24. & lib. de prædest. SS. c. 8. & epist. 217. c. 6. n. 19.*

Nemo cum Deo reconciliatur nisi per Christum.

56. Consideratis autem omnibus divinis testimoniis, quæ commemoravi, sive singillatim de unoquoque disputans, sive acervatim multa congestans, vel quæcumque similia non commemoravi, nihil invenitur nisi quod universa Ecclesia tenet, quæ adversùs omnes profanas novitates vigilare debet, omnem hominem separari à Deo, nisi qui per mediatorem Christum reconciliatur Deo, nec separari quemquam nisi peccatis intercludentibus posse. Non ergo reconciliari nisi peccatorum remissione, per unam gratiam misericordissimi salvatoris, per unam victimam verissimi sacerdotis: ac sic omnes filios mulieris, quæ serpenti credidit, ut libidine corrumperetur, non liberari à corpore mortis hujus, nisi per filium virginis, quæ Angelo credidit, ut sine libidine fetaretur.

Genes. 3. 6. *Lucæ 1. 38.*

Caput XXIX. Bonum conjugii quid.

57. Bonum ergo conjugii non est fervor concupiscentiæ, sed quidam licitus & honestus illo fervore utendi modus, propagandæ proli, non explendæ libidini accommodatus.[a] [Voluntas ista, non voluptas illa, nuptialis est.] Quod igitur in membris corporis mortis hujus inobedienter movetur, totumque animum in se dejectum conatur adtrahere, & neque cùm mens voluerit exsurgit, neque cùm mens voluerit conquiescit, hoc * est malum peccati, [b] in quo nascitur omnis homo. Cùm autem ab illicitis corruptionibus refrenatur, & ad sola generis humani supplementa ordinatè propaganda permittitur; hoc est bonum conjugii, per quod ordinata societate nascitur homo. Sed nemo renascitur in Christi corpore, nisi priùs nascatur in peccati corpore. Sicut autem bono uti malè, malum est: sic malo bene uti, bonum est. Duo igitur hæc, bonum & malum, & alia duo, usus bonus & usus malus, sibimet adjuncta quatuor differentias faciunt. Bene utitur bono, continentiam dedicans Deo: Malè utitur bono, continentiam dedicans idolo. Malè utitur malo, concupiscentiam relaxans adulterio: Bene utitur malo, concupiscentiam restringens connubio. Sicut ergo melius est bene uti bono, quàm bene uti malo, cùm sit utrumque bonum: ita *qui dat virginem suam nuptum, bene facit; & qui non dat nuptum, meliùs facit.* De qua quæstione multo uberiùs & multo sufficientiùs in duobus libris, uno *de bono conjugali*, altero *de sancta virginitate*, quantum Dominus dedit, pro mearum virium exiguitate disserui. Non itaque per nuptiarum bonum defendant concupiscentiæ malum, qui carnem & sanguinem prævaricatoris adversùs carnem & sanguinem Redemtoris extol-

* Originale peccatū in libidine venerea statuere videtur. *Confer lib. 1. de nuptiis & concup. c. 25.*

Boni & mali usus quatuor differentiæ.

1. Cor. 7. 38.

[a] Sententia hæc abest ab omnibus MSS.
[b] Unus è Vatic. MSS. *cum quo nascitur.*

lunt: non erigantur in [c] superbiam erroris alieni, de quorum parvula ætate nobis dedit Dominus humilitatis exemplum. Solus sine peccato natus est, quem sine virili complexu, non concupiscentiâ carnis, sed obedientiâ mentis virgo concepit. Sola nostro vulneri medicinam parere potuit, quæ non ex peccati vulnere germen piæ prolis emisit.

Caput XXX.

58. Jam nunc scrutemur diligentiùs, quantum adjuvat Dominus, etiam ipsum Evangelii capitulum ubi ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum Dei.* Qua isti sententiâ nisi moverentur, omnino parvulos nec baptizandos esse censerent. *Sed quia non ait*, inquiunt, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non habebit salutem vel vitam æternam; tantummodo autem dixit, non intrabit in regnum Dei: ad hoc parvuli baptizandi sunt, ut sint etiam cum Christo in regno Dei, ubi non erunt si baptizati non fuerint: quamvis & sine baptismo si parvuli moriantur, salutem vitamque æternam habituri sint, quoniam nullo peccati vinculo obstricti sunt.* Hæc dicentes, primò numquam explicant isti, qua justitia nullum peccatum habens imago Dei separetur à regno Dei. Deinde videamus utrùm Dominus Jesus, unus & solus magister bonus, in hac ipsa evangelica lectione non significaverit & ostenderit, non nisi per remissionem peccatorum fieri, ut ad regnum Dei perveniant baptizati: quamvis rectè intelligentibus sufficere debuerit, quod dictum est, *Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei:* &, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Cur enim nascatur denuo, nisi renovandus? unde renovandus, nisi à vetustate? qua vetustate, nisi in qua vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, ut evacuetur corpus peccati? Aut unde imago Dei non intrat in regnum Dei, nisi impedimento prohibente peccati? Verumtamen ut proposuimus, totam ipsam circumstantiam evangelicæ lectionis ad rem de qua agitur pertinentem, intentè quantum possumus diligenterque videamus.

Johan. 3. 5.

Baptismum ad quid infantibus necessarium volunt Pelagiani.

Rom. 6. 6.

59. *Erat autem homo*, inquit, *ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Judæorum: hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei, Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Jesus, & dixit ei, Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus, Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? Numquid potest in uterum matris suæ iterum introire & nasci? Respondit Jesus, Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu* [d], *non potest introire in regnum Dei. Quod natum est de carne, caro est, & quod natum est de spiritu, spiritus est. Non mireris, quia dixi tibi, Oportet vos nasci denuo: Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis; sed non scis unde veniat, aut quò vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Jesus, & dixit ei, Tu es magister in Israël, & hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non credidistis; quomodo si*

Johan. 3. 1.

[c] Omnes MSS. *in superbia.*
[d] Apud Am. Er. & MSS. additur hîc, *sancto.*

dixero

dixero vobis cælestia, credetis? Et nemo adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui in cælo est. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum; sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quia in Deo sunt facta. Huc usque est ad rem, de qua quærimus, pertinens totus sermo ille contextus: deinceps in aliud narrator abscedit.

Num. 21. 9.

CAPUT XXXI.

59. CUM ergo Nicodemus ea quæ dicebantur non intelligeret, quæsivit à Domino quomodo possent ista fieri. Videamus quid Dominus ad hoc respondeat. Profectò enim si ad interrogata respondere dignabitur, quomodo possunt ista fieri: hoc dicturus est, quomodo possit fieri regeneratio spiritalis venientis hominis ex generatione carnali. Notatâ itaque paululùm ejus imperitiâ, qui se ceteris de magisterio præferebat, & omnium talium incredulitate reprehensâ, quòd testimonium non acciperent veritatis; addidit etiam, se illis terrena dixisse, nec eos credidisse, quærens vel admirans quomodo essent cælestia credituri. Sequitur tamen & respondet, quod alii [a] credent, si illi non credunt, ad illud quod interrogatus est, quomodo possint ista fieri: *Nemo*, inquit, *adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo.* Sic, inquit, fiet generatio spiritalis, ut sint cælestes homines ex terrenis; quod adipisci non poterunt, nisi membra mea efficiantur, ut ipse adscendat qui descendit; quia nemo adscendit, nisi qui descendit. Nisi ergo in unitatem Christi omnes mutandi levandique concurrant, ut Christus qui descendit ipse adscendat, non aliud deputans corpus suum, id est, Ecclesiam suam, quàm se ipsum; quia de Christo & Ecclesia veriùs intelligitur, *Erunt duo in carne una*; de qua re ipse dixit, *Itaque jam non duo, sed una caro*: adscendere omnino non poterunt: quia *nemo adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo.* Quamvis enim in terra factus sit filius hominis, divinitatem tamen suam qua in cælo manens descendit ad terram, non indignam censuit nomine filii hominis, sicut carnem suam dignatus est nomine filii Dei, ne quasi * duo Christi ista accipiantur, unus Deus, & alter homo: sed unus atque idem Deus & homo; Deus, quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; homo, quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Ac per hoc per distantiam divinitatis & infirmitatis filius Dei manebat in cælo, filius hominis ambulabat in terra: per unitatem verò personæ, qua utraque substantia unus Christus est, & filius Dei ambulabat in terra, & idem ipse filius hominis manebat in cælo. Fit ergo [b] credibiliorum fides ex incredibilioribus creditis. Si enim divina substantia longè distantior atque incomparabili diversitate sublimior, potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam, ut una persona fieret, ac sic filius hominis qui erat in terra per carnis infirmitatem, idem ipse esset in cælo per participatam carni divinitatem: quanto credibiliùs alii homines sancti & fideles ejus fiunt cum homine Christo unus Christus, ut omnibus per ejus hanc gratiam societatemque adscendentibus, ipse unus Christus adscendat in cælum, qui de cælo descendit? Sic & Apostolus ait: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum est corpus, ita & Christus.* Non dixit, ita & Christi, id est, corpus Christi, vel membra Christi: sed, *ita & Christus*; unum Christum appellans caput & corpus.

Iohan. 3. 13.

Christus caput & corpus.

Gen. 2. 24. Marc. 10. 8.

* Error qui postea in Nestorio damnatus est.

Iohan. 1.

Christus quo personæ unitatem & in cælo manebat, & in terra deambulabat.

Unus Christus quomodo adscendat in cælum

1. Cor. 12. 12.

Caput & corpus unus Christus.

CAPUT XXXII.

60. MAGNA hæc miraque dignatio, quæ quoniam fieri non potest nisi per remissionem peccatorum, sequitur, & dicit: *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis; ut omnis qui crediderit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quid tunc in deserto factum sit, novimus: serpentum morsibus multi moriebantur; tunc populus peccata sua confitens, per Moysen deprecatus est Dominum, ut hoc ab eis virus auferret: ac sic Moyses ex præcepto Domini exaltavit in deserto æneum serpentem; admonuitque populum, ut illum exaltatum quisquis à serpente morderetur adtenderet: hoc facientes continuò sanabantur. Quid est exaltatus serpens, nisi mors Christi, eo significandi modo, quo per efficientem id quod efficitur significatur? A serpente quippe mors venit, qui peccatum, quo mori mereretur, homini persuasit. Dominus autem in carnem suam non peccatum transtulit, tamquam venenum serpentis: sed tamen transtulit mortem; ut esset in similitudine carnis peccati pœna sine culpa, unde in carne peccati & culpa solveretur & pœna. Sicut ergo tunc, qui conspiciebat exaltatum serpentem, & à veneno sanabatur, & à morte liberabatur: sic nunc, qui conformatur similitudini mortis Christi per fidem baptismumque ejus, & à peccato per justificationem, & à morte per resurrectionem liberatur. Hoc est enim quod ait, *ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quid igitur opus est, ut Christi morti per baptismum conformetur parvulus, si morsu serpentis non est omnino venenatus?

Iohan. 3. 14.

Serpens in deserto exaltatus Christum in cruce pendentem figuravit.

Gen. 3. 1.

Parvuli etiam ipsi serpentis morsu venenati.

Iohan. 3. 16.

CAPUT XXXIII.

61. DEINDE sic consequenter dicit: *Deus sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Periturus erat ergo parvulus nec habiturus vitam æternam, si per sacramentum baptismi non crederet [c] in unigenitum Dei Filium, dum interim sic venit ut non judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum: præsertim quia sequitur, & dicit, *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judi-*

Iohan. 3. 16.

Ibid. 18.

[a] In MSS. *credant.*
[b] Sic MSS. At editi, *credibilior fides.*

[c] Editi, *non crederet unigenitum*: omissa præpositione *in*, quæ hîc exstat in MSS.

catus est; quia non credidit in nomine unigeniti Filii Dei. Ubi ergo parvulos ponimus baptizatos, nisi inter fideles, sicut universæ ubique Ecclesiæ clamat auctoritas? Ergo inter eos qui crediderunt; hoc enim eis adquiritur per virtutem sacramenti & offerentium responsionem: ac per hoc eos qui baptizati non sunt, inter eos qui non crediderunt. Porrò si illi qui baptizati sunt, non judicantur; isti quia carent baptismo, judicantur. Quod verò adjungit, *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem.* Unde, *Lux venit in mundum*, nisi de suo dicit adventu, sine cujus adventûs sacramento quomodo parvuli esse dicuntur in luce? Aut quomodo non & hoc in dilectione tenebrarum habent, qui quemadmodum ipsi non credunt, sic nec baptizandos suos parvulos arbitrantur, quando eis mortem corporis timent? *In Deo* autem dicit *facta opera ejus*, qui *venit ad lucem*; quia intelligit justificationem suam non ad sua merita, sed ad Dei gratiam pertinere. *Deus est enim*, inquit Apostolus, *qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.* Hoc modo ergo fit omnium ex carnali generatione ad Christum venientium regeneratio spiritalis. Ipse hoc aperuit, ipse monstravit, cùm ab eo quæreretur, quomodo possent ista fieri; nemini humanam argumentationem in hac caussa liberam fecit: [a] non alienentur parvuli à gratia remissionis peccatorum. Non aliter transitur ad Christum; nemo aliter potest Deo reconciliari & ad Deum venire, nisi per Christum.

Ibidem 19. — Ibid. 21. — Philip. 2. 13.

CAPUT XXXIV. Baptismi forma, seu ritus. Exorcismus.

62. Quid de ipsa forma sacramenti loquar? Vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum parvulum afferret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? Ipse certè mihi fuerat responsurus pro eodem parvulo quem gestaret, quia pro se ille respondere non posset. Quomodo ergo dicturus erat eum renuntiare diabolo, cujus in eo nihil esset? Quomodo converti ad Deum, à quo non esset aversus? credere [b] inter cetera remissionem peccatorum, quæ illi nulla tribueretur? Ego quidem si contra hæc eum sentire existimarem, nec ad sacramenta cum parvulo intrare permitterem: ipse autem in hoc qua fronte ad homines, qua mente ad Deum se ferret ignoro; nec volo aliquid gravius dicere. Falsam igitur vel fallacem tradi parvulis baptismatis formam in qua sonaret [c] atque agi videretur, & tamen nulla fieret remissio peccatorum, viderunt aliqui eorum nihil exsecrabilius ac detestabilius dici posse atque sentiri. Proinde quod adtinet ad baptismum parvulorum, ut eis sit necessarius, redemtione ipsis etiam opus esse concedunt, sicut cujusdam eorum libello brevissimo continetur: qui tamen ibi remissionem alicujus peccati apertiùs exprimere noluit. Sicut autem mihi ipse litteris intimasti, fatentur jam, ut dicis, etiam in parvulis per baptismum remissionem fieri peccatorum. Nec mirum: non enim redemtio alio modo posset intelligi. *Non tamen originaliter*, inquiunt, *sed in vita jam propria, postea quàm nati sunt, peccatum habere cœperunt.*

Duplex de parvulis error.

63. Quamobrem vides quantum jam distet inter eos, contra quos in hoc opere diu jam multúmque disserui, quorum etiam unius legi librum ea continentem, quæ ut potui refutavi. Inter istos ergo, ut dicere cœperam, qui omnino parvulos ab omni peccato & originali & proprio puros & liberos esse defendunt, & istos qui eos jam natos propria putant contraxisse peccata, à quibus eos credunt per baptismum oportere purgari, quantum intersit vides. Proinde isti posteriores intuendo Scripturas, & auctoritatem totius Ecclesiæ, & formam ipsius sacramenti, bene viderunt per baptismum in parvulis peccatorum fieri remissionem: sed originale [d] esse, quidquid illud in eis est, vel nolunt dicere, vel non possunt. Illi autem priores in ipsa natura humana, quæ ab omnibus ut consideretur in promtu est, bene viderunt, quod facile fuit, ætatem illam in sua jam vita propria nihil peccati potuisse contrahere: sed ne peccatum originale fateantur, nullum esse omnino peccatum in parvulis dicunt. In his ergo quæ [e] singula vera dicunt, priùs inter se ipsi consentiant, & consequenter fiet ut à nobis nulla ex parte dissentiant. Nam si parvulis baptizatis remissionem fieri peccatorum concedant illi istis; parvulos autem, ut ipsa natura in tacitis infantibus clamat, suæ vitæ [f] propriæ nullum adhuc contraxisse peccatum concedant isti illis; concedent utrique nobis, nullum nisi originale restare, quod per baptismum solvatur in parvulis.

CAPUT XXXV. In parvulis non esse peccatum propriæ vitæ.

64. An verò & hoc [g] quæritur, & de hoc disputaturi & tempus ad hoc impensuri sumus, ut probemus atque doceamus, quomodo per propriam voluntatem, sine qua nullum vitæ propriæ potest esse peccatum, nihil mali commiserint infantes, qui propter hoc vocantur ab omnibus innocentes? Nonne tanta infirmitas animi & corporis, tanta rerum ignorantia, tam nulla omnino præcepti capacitas, nullus vel naturalis vel conscriptæ legis sensus aut motus, nullus in alterutram partem rationis usus, hoc multò testatiore silentio quàm sermo noster proclamat atque indicat? Valeat aliquid ad se ipsam persuadendam ipsa evidentia: nam nusquam sic non invenio quod dicam, quàm ubi res de qua dicitur, manifestior est quàm omne quod dicitur.

65. Vellem tamen, quisquis hoc sapit, diceret, quod peccatum viderit vel putarit infantis recentis ab utero, cui redimendo fatetur jam baptismum necessarium, quid mali in hac propria sua vita per animum proprium corpusve commiserit. Si fortè quòd plorat tædioque est majoribus: mirum si hoc iniquitati, non infelicitati potiùs deputandum est. An quòd ab ipso fletu nulla sua ratione, nulla cujusquam prohibitione compescitur? At hoc ignorantiæ est, in qua profundissima jacet, qua etiam matrem, cùm post exiguum tempus valuerit, percutit iratus, &

[a] Editi, *ut non alienentur*. Particula *ut* abest à MSS.
[b] Plures MSS. *credere præterea*. Mox editiones Am. & Er. *in remissionem peccatorum*, adjecta illic præpositione, quæ abest à MSS. & meritò expuncta fuit per Lovanienses.
[c] Sic MSS. At editi, *sonaret quod utique agi videretur.*
[d] Ita Vaticanus cod. & Sigiramnensis. Alii verò plerique MSS. *sed ut originale esse*. Editi, *sed ut originale esset*. Paulò pòst in iisdem editis legebatur, *vel videre non possunt*. Sed abest *videre* à MSS.
[e] Sigiramnensis codex solus, *quæ singuli vera dicunt.*
[f] In plerisque MSS. *proprium.*
[g] Sic omnes MSS. At editi, *quæsituri.*

ſæpe ipſas ejus mammas, quas dum eſurit, exſugit. Hæc non modò feruntur, verùm etiam diliguntur in parvulis, & hoc quo affectu, niſi carnali, quo etiam riſus jocuſque delectat, acutorum quoque hominum ipſa quaſi abſurditate conditus: qui ſi eo modo ſentiretur, ut dicitur, non jam illi tamquam faceti, ſed tamquam fatui riderentur? Ipſos quoque [a] fatuos videmus, quos vulgò moriones vocant, ad cordatorum delicias adhiberi, & in mancipiorum æſtimatione pretioſiores eſſe cordatis. Tantum valet carnalis affectus etiam minimè fatuorum in delectatione alieni mali. Nam cùm homini jocunda ſit aliena fatuitas, nec ipſe tamen talis eſſe voluiſſet; & ſi ſuum parvulum filium, à quo garriente talia pater lætus exſpectat & provocat, talem præſciret futurum eſſe cùm creverit, nullo modo dubitaret miſerabiliùs lugendum eſſe quàm mortuum. Sed dum ſpes ſubeſt incrementorum, & ingenii lumen acceſſurum creditur ætatis acceſſu, fit ut convicia parvulorum etiam in parentes, non ſolùm injurioſa non ſint, verùm etiam grata atque jocunda ſint. Quod quidem prudentium nemo probaverit, ut à dictis vel factis hujuſmodi non tantùm non prohibeantur, cùm prohiberi jam poſſunt, verùm in hæc etiam concitentur ſtudio ridendi & vanitate majorum. Nam plerumque illa ætas jam patrem matremque agnoſcens, neutri eorum audet maledicere, niſi ab altero eorum, aut ab utroque vel permiſſa vel juſſa. Verùm hæc eorum ſunt parvulorum, qui jam in verba prorumpunt, & animi ſui motus qualibuſcumque linguæ [b] promptare jam poſſunt. Illam potiùs recentium natorum profundiſſimam ignorantiam videamus, ex qua ad iſtam non permanſuram balbutientem fatuitatem, tamquam ad ſcientiam locutionemque tendentes, proficiendo venerunt.

Moriones in deliciis cordatorũ.

Parvulorũ verbera & convicia, grata ſunt & jocunda.

Caput XXXVI. De infantium ignorantia, & unde ſit.

66. Illas, inquam, conſideremus tenebras mentis utique rationalis, in quibus & Deum prorſus ignorant, cujus ſacramentis etiam cùm baptizantur obſiſtunt: in has quæro unde & quando ſubmerſi ſint. Itane verò eas hîc contraxerunt, & in hac vita ſua jam propria per nimiam negligentiam obliti ſunt Deum, prudentes verò & religioſi vixerunt vel in uteris matrum? Dicant iſta qui auſi fuerint, audiant qui voluerint, credant qui potuerint: ego autem puto, quòd omnes quorum mentes non obnubilat defendendæ ſuæ ſententiæ pervicacia, hæc ſentire non poſſunt. An nullum eſt ignorantiæ malum, & ideo nec purgandum? Et quid [c] agit illa vox, *Delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris?* Etſi enim damnabiliora peccata ſunt, quæ ab ſcientibus committuntur: tamen ſi ignorantiæ peccata nulla eſſent, hoc non legeremus quod commemoravi, *Delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris.* In illas igitur ignorantiæ denſiſſimas tenebras, ubi anima infantis recentis ab utero, utique anima hominis, utique anima rationalis, non ſolùm indocta, verùm etiam indocilis jacet; quare, aut quando, aut unde contruſa eſt? Si [d] natura eſt hominis ſic incipere, & non jam vitioſa eſt iſta natura; cur non talis creatus eſt Adam? Cur ille capax præcepti, & valens uxori & omnibus animalibus nomina imponere? Nam & de illa dixit, *Hæc vocabitur mulier: & quodcumque vocavit Adam animam vivam, hoc eſt nomen ejus.* Iſte autem neſciens ubi ſit, quid ſit, à quo creatus, à quibus genitus ſit, jam reus delicti, nondum capax præcepti, tam profunda ignorantiæ caligine involutus & preſſus, ut neque tamquam de ſomno excitari poſſit, ut hæc ſaltem demonſtrata cognoſcat; ſed exſpectetur tempus, quo hanc neſcio quam velut ebrietatem, non per unam noctem, ſicut quælibet graviſſima ſolet, ſed per aliquot menſes atque annos paulatim digerat: quod donec fiat, tam multa quæ in majoribus punimus, toleramus in parvulis, ut numerari omnino non poſſint: hoc tam magnum ignorantiæ atque infirmitatis malum, ſi in hac vita [e] jam nati parvuli contraxerunt, ubi, quando, quomodo magna aliqua impietate commiſſa repentè tantis tenebris involuti ſunt?

Pſal. 24. 7.

Gen. 2. 23 & 19.

67. Dicet aliquis: Si hæc natura pura non eſt, ſed vitioſæ primordia, quia talis non eſt creatus Adam; cur Chriſtus longè excellentior, & certè ſine ullo peccato natus ex virgine, in hac tamen infirmitate atque ætate procreatus apparuit? Huic propoſitioni reſpondemus: Adam propterea non talem creatum, quia nullius parentis præcedente peccato, non eſt creatus in carne peccati. Nos ideo tales, quia illius præcedente peccato, nati ſumus in carne peccati. Chriſtus ideo talis, quia ut de peccato condemnaret peccatum, natus eſt in ſimilitudine carnis peccati. Non enim hîc agitur de Adam, quod pertinet ad corporis quantitatem, quia non parvulus factus eſt, ſed perfecta mole membrorum: poteſt enim dici, etiam pecora ſic creata, nec tamen eorum peccato factum eſſe, ut ex eis pulli parvuli naſcerentur; quod quale ſit nunc non quærimus: ſed agitur de illius mentis quadam valentia uſuque rationis, quo præceptum Dei legemque mandati & docilis Adam caperet, & facilè poſſet cuſtodire, ſi vellet. Nunc autem homo ſic naſcitur, ut omnino non poſſit, propter horrendam ignorantiam atque infirmitatem, non carnis, ſed mentis; cùm omnes fateamur in parvulo non alterius, ſed ejuſdem ſubſtantiæ cujus in primo homine fuit, hoc eſt, rationalem animam degere. Quamquam etiam ipſa tanta carnis infirmitas, neſcio quid, quantum arbitror, pœnale demonſtrat. Movet enim, ſi primi illi homines non peccaſſent, utrùm tales eſſent filios habituri, qui nec linguâ, nec manibus, nec pedibus uterentur. Nam propter uteri capacitatem fortaſſe neceſſe fuerit parvulos naſci. Quamvis, cùm exigua ſit pars corporis coſta, non tamen propter hoc Deus parvulam viro conjugem fecit, quam ædificavit in mulie-

Caput XXXVII. Si Adam non talis eſt creatus quales naſcimur, cur Chriſtus expers peccati infans natus eſt & imbecillis.

In infantibus pœnalis eſt etiã carnis infirmitas.

[a] Tres Gallicani MSS. loco *fatuos*, habent *cirratos*. Vide ſuprà cap. 22.

[b] Hîc editi ac MSS. nonnulli addunt, *ſignis*. Alii quidam MSS. *indiciis*. Neutrum habent antiquiores codices, quia eleganter ſubauditur, *motibus*. Ex iiſdem MSS. huc revocamus verbum *promptare*, pro quo in antè excuſis erat *promptitare*. In Patiſienſi Auguſtinianorum codice legitur, *promitare*.

[c] Lov. ex nonnullis MSS. *ait*.

[d] Apud Lov. *Si natura eſt*. Et in principio capitis 37. *Si hæc natura pura non ſunt*.

[e] Melioris notæ MSS Corbeienſis, Remigianus, Sigiramnenſis, & alii quidam; *ſi in hac vita non nati parvuli contraxerunt*.

rem : unde & ejus filios poterat omnipotentia A Creatoris mox editos grandes protinus facere.

Caput XXXVIII. Ignorantia, & infirmitas infantis.

68. Sed ut hoc omittam, poterat certè, quod multis etiam pecoribus præstitit, quorum pulli quamvis sint parvuli, neque accedentibus corporis incrementis etiam mente proficiant, quoniam rationalem animam non habent, tamen etiam minutissimi & currunt, & matres agnoscunt, nec sugendis uberibus curâ & ope admoventur alienâ, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate nove- B runt. Contrà homini nato nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum habiles, & nisi ope nutrientis admotis labris papillæ uberis ingerantur, nec ubi sint sentiunt, & juxta se jacentibus mammis magis possint esurientes flere, quàm sugere. Proinde infirmitati mentis congruit hæc omnino infirmitas corporis: nec fuisset caro Christi in similitudine carnis peccati, nisi caro esset ista peccati, cujus pondere rationalis anima sic gravatur; sive & C ipsa ex parentibus tracta sit, sive ibidem creata, sive desuper inspirata, quod nunc quærere differo.

Caput XXXIX. Quatenus evacuetur peccatum per baptismũ in parvulis, similiter & in adultis, & quid inde consequatur.

69. In parvulis certè gratiâ Dei, per baptismum ejus qui venit in similitudine carnis peccati, id agitur, ut evacuetur caro peccati. Evacuatur autem, non ut in ipsa vivente carne concupiscentia conspersa & innata repentè absumatur, & non sit; sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato. Nam si post baptismum vixerit, at- D que ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit. Nam nec grandibus hoc præstatur in baptismo, nisi forte miraculo ineffabili omnipotentissimi Creatoris, ut lex peccati, quæ inest in membris repugnans legi mentis, [a] prorsus penitus exstinguatur, & non sit: sed ut quidquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum est, cùm eidem concupiscentiæ subjecta mente serviret, totum aboleatur, ac velut factum non fuerit, habeatur; ipsa verò, soluto reatûs vinculo, quo per [b] illam diabolus animam retinebat, & interclusione destructa, qua hominem à suo Creatore separabat, maneat in certamine, quo corpus nostrum castigamus & servituti subjicimus, vel ad usus licitos & necessarios relaxanda, vel continentiâ cohibenda. Sed quoniam divino Spiritu, qui multo meliùs quàm nos omnia generis humani novit vel præterita, vel præsentia, vel futura, talis vita humana præcognita atque prædicta est, ut non justificetur in conspectu Dei omnis vivens; fit ut per ignorantiam vel infirmitatem non exsertis adversùs eam totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus, tanto magis & crebriùs quanto deteriores, tanto minùs & rariùs quanto meliores sumus. Sed quoniam de hac quæstione in qua quæritur, utrùm possit, vel utrùm sit, fuerit, futurusve sit homo sine peccato in hac vita, excepto illo qui dixit, *Ecce venit princeps mundi, & in me nihil inveniet*, aliquanto diligentiùs disserendum est; iste sit hujus voluminis modus, ut illud ab alio quæramus exordio.

Right margin: tur nisi ab omni tis. Nemo nisi ineffabili miraculo ab omni prorsus mala concupiscentia hic liberatur. a — b — 1. Cor. 9. 27. — Psal. 142. 2. — Peccata ex ignorantia & infirmitate. — Johan. 14. 30.

[a] Ex MSS. hîc adjecimus, *prorsus*.
[b] Am. & Er. *quo illam*: omisso *per*. Paulò post in iisdem editis, & apud Lov. *qua hominem à suo Creatore* &c.

LIBER SECUNDUS.

Disputat Augustinus contra eos qui dicunt, quòd in hac vita sint, fuerint, & futuri sint homines nullum habentes omnino peccatum: qua de re propositis quatuor quæstionibus docet primò, hominem in hac vita sine peccato esse posse per Dei gratiam & liberum ipsius arbitrium. Postea probat non esse tamen quemquam in hac vita degentem sine ullo prorsus peccato. Tertiò, ideo non esse, quia nemo est qui tantum velit, quantum res exigit, dum vel latet quod justum est, vel facere non delectat. Quarto loco, nullum prorsus, excepto uno Mediatore Christo, vel esse, vel fuisse, vel futurum esse hominem ab omni peccato immunem.

Caput I. Quid hactenus peractum, quidve hoc libro tractandum.

De baptismo parvulorum, Marcelline carissime, quòd non solùm eis ad regnum Dei, verùm etiam ad salutem vitamque æternam adipiscendam detur, quam sine Dei regno, & sine Christi salvatoris societate, in quam nos suo sanguine redemit, habere nullus potest, priore libro satis, ut arbitror, disputavimus. In hoc autem, vivat-ne aliquis in hoc sæculo, vel vixerit, victurusve sit sine ullo omnino peccato, excepto uno Mediatore Dei & hominum homine Christo Jesu, qui dedit semetipsum redemtionem pro omnibus, quantâ ipse donat diligen- F tiâ vel facultate, differendum enodandumque suscepi: cui disputationi si se identidem aliqua necessitate vel opportunitate inseruerit quæstio E de baptismo vel peccato parvulorum, mirandum non erit, nec defugiendum ut eis locis ad omnia quæ responsionem nostram flagitant, sicut valemus respondeamus.

1. Tim. 2. 5.

Caput II. Libero arbitrio quidam nimium tribuunt.

2. Hujus autem quæstionis solutio de hominis vita sine ulla subreptione vel præoccupatione peccati, propter quotidianas etiam nostras orationes maximè necessaria est. Sunt enim quidam tantum præsumentes de libero humanæ voluntatis arbitrio, ut ad non peccandum nec adjuvandos nos divinitus opinentur, semel ipsi naturæ nostræ concesso liberæ voluntatis arbitrio. Unde fit consequens, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem, hoc est, ne tentatione vincamur, vel cùm fallit & præoccupat nescien-

Ignorantia & infirmitas.

tes, vel cùm premit atque urget infirmos. Quàm ſit autem noxium, & ſaluti noſtræ, quæ in Chriſto eſt, perniciosum atque contrarium, ipſique religioni qua imbuti ſumus, & pietati qua Deum colimus, quàm vehementer adverſum, ut pro tali accipiendo beneficio Dominum non rogemus, atque in ipſa oratione Dominica, *Ne nos inferas in tentationem*, fruſtra poſitum exiſtimemus, verbis explicare non poſſumus.

Matth. 6. 13.

Caput III. Quomodo Deus nihil præcipit impoſſibile.

3. Acute autem ſibi videntur dicere, quaſi noſtrûm hoc ullus ignoret, quòd *ſi nolumus, non peccamus; nec præciperet Deus homini, quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati.* Sed hoc non vident, quòd ad nonnulla ſuperanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus eſt voluntatis, quas nos non perfectè in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam veridicè dici voluit, *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Tales itaque nos futuros Dominus prævidens, quædam ſalubria remedia contra reatum & vincula peccatorum etiam poſt baptiſmum dare ac valere dignatus eſt, opera ſcilicet miſericordiæ, cùm ait, *Dimittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis.* Quis enim cum aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ de hac vita emigraret, manente illa ſententiâ, quòd *quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus;* niſi poſt paululum ſequeretur, *Sic loquimini, & ſic facite, tamquam per legem libertatis incipientes judicari. Judicium enim ſine miſericordia illi qui non facit miſericordiam. Superexaltat autem miſericordia judicio?*

Pſal. 142. 2. Opera miſericordiæ remedia ſunt ad abolenda peccata. Luca 6. 37. Iacob. 2. 10. Ibid. 12.

Caput IV. Concupiſcentia quatenus in nobis.

4. Concupiscentia igitur tamquam lex peccati manens in membris corporis mortis hujus, cum parvulis naſcitur, in parvulis baptizatis à reatu ſolvitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione perſequitur: parvulos non baptizatos reos innectit, & tamquam iræ filios, etiam ſi parvuli moriantur, ad condemnationem trahit. In grandibus autem baptizatis, in quibus jam ratione utentibus quidquid eidem concupiſcentiæ mens ad peccandum conſentit, propriæ voluntatis eſt, deletis peccatis omnibus, ſoluto etiam reatu, quo vinctos originaliter detinebat, ad agonem interim manet, non ſibi ad illicita conſentientibus nihil omnino nocitura, donec abſorbeatur mors in victoriam, & pace perfectâ nihil quod vincatur exſiſtat. Conſentientes autem ſibi ad illicita reos tenet, & niſi per medicinam pænitentiæ & opera miſericordiæ per cæleſtem ſacerdotem pro nobis interpellantem ſanentur, ad ſecundam mortem damnationemque perducit. Propter hoc & Dominus orare nos docens, inter cetera monuit ut dicamus, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Manet enim malum in carne noſtra, non naturâ in qua divinitus creatus eſt homo, ſed vitio quò voluntate prolapſus eſt, ubi amiſſis viribus, non eâ qua vulneratus eſt, voluntatis facilitate ſanatur. De hoc malo dicit Apoſtolus: *Scio quoniam non habitat in carne mea bonum.* Cui malo non obedire præcipit, cùm dicit: *Non ergo regnet pec-*

Baptizatis non ipſa concupiſcentia, ſed ſolus in eam conſenſus nocet. 1. Cor. 15. 54. Matth. 6. 12. & 13. Orationis Dominicæ tres ultimæ petitiones. Rom. 7. 18. Rom. 6. 12.

A *catum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus.* Si ergo his deſideriis concupiſcentiæ carnis illicita voluntatis inclinatione conſenſimus, ad hoc ſanandum dicimus, *Dimitte nobis debita noſtra:* adhibentes remedium ex opere miſericordiæ, in eo quod addimus, *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Ut autem non ei conſentiamus, deprecamur adjutorium dicentes, *Et ne nos inferas in tentationem:* [vel [a] ſicut nonnulli codices habent, *ne nos inducas in tentatio-* B *nem.*] Non quòd ipſe Deus tali tentatione aliquem tentet; *Nam Deus intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat:* ſed ut ſi fortè tentari cœperimus à concupiſcentia noſtra, adjutorio ejus non deſeramur, ut in eo poſſimus vincere, ne abſtrahamur illecti. Deinde addimus quod perficietur in fine, cùm abſorbebitur mortale à vita: *Sed libera nos à malo.* Tunc enim nulla erit talis concupiſcentia, cum qua certare, & cui non conſentire jubeamur. Sic ergo totum hoc C in tribus beneficiis poſitum breviter peti poteſt: Ignoſce nobis ea in quibus ſumus abſtracti à concupiſcentia, adjuva ne abſtrahamur à concupiſcentia, aufer à nobis concupiſcentiam.

Matth. 6. 12. — 2 — Iacobi. 1. 13. — 2. Cor. 5. 4. — Matth. 6. 13.

Caput V. Voluntas hominis eget ope Dei. V. lib. de nat. & grat. c. 26.

5. Ad peccandum namque non adjuvamur à Deo: juſta autem agere vel juſtitiæ præceptum omni ex parte implere non poſſumus, niſi adjuvemur à Deo. Sicut enim corporis oculus non adjuvatur à luce, ut ab eadem luce clauſus averſuſve diſcedat, ut autem videat adjuvatur ab ea, D neque hoc omnino niſi illa adjuverit, poteſt: ita Deus, qui lux eſt hominis interioris, adjuvat noſtræ mentis obtutum, ut non ſecundùm noſtram, ſed ſecundùm ejus juſtitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illo avertimur, noſtrum eſt; & tunc ſecundùm carnem ſapimus, tunc concupiſcentiæ carnis ad illicita conſentimus. Converſos ergo Deus adjuvat, averſos deſerit. Sed etiam ut convertamur, ipſe adjuvat: quod certè oculis corporis lux iſta non præſtat. Cùm ergo E nobis jubet dicens, *Convertimini ad me, & convertar ad vos;* noſque illi dicimus, *Converte nos Deus ſanitatum noſtrarum*, & *Deus virtutum converte nos:* quid aliud dicimus, quàm, Da quod jubes? Cùm jubet dicendo, *Intelligite ergo qui inſipientes eſtis in populo;* & nos illi dicimus, *Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua:* quid aliud dicimus, quàm, Da quod jubes? Cùm jubet dicendo, *Poſt concupiſcentias tuas non eas;* noſque dicimus, *Scimus quia nemo poteſt eſſe continens, niſi* F *Deus det:* quid aliud dicimus, quàm, Da quod jubes? Cùm jubet dicendo, *Facite juſtitiam:* noſque dicimus, *Doce me juſtificationes tuas:* quid aliud dicimus, quàm, Da quod jubes? Item cùm dicit, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur:* à quo debemus petere cibum potumque juſtitiæ, niſi ab illo qui eſurientibus eam & ſitientibus promittit ejus ſaturitatem?

Zach. 1. 3. Pſal. 84. 5. Pſal. 79. 8. Da quod jubes. V. l. 10. Conf. c. 26. Pſal. 93. 8. Pſal. 118. 73. Eccli. 18. 30. Sap. 8. 21. Iſa. 56. 1. Pſal. 118. 12. Matth. 5. 6.

6. Repellamus itaque ab auribus & mentibus G noſtris eos qui dicunt, accepto ſemel liberæ voluntatis arbitrio, nec orare nos debere, ut Deus nos adjuvet, ne peccemus. Talibus enim tenebris nec Pharisæus ille cæcabatur, qui quamvis in hoc erraret, quòd ſibi addendum ad juſtitiam nihil putabat, ſeque arbitrabatur ejus plenitu-

Luca. 18. 11. Phariſæus in quo peccarit cùm gratias Deo ageret.

[a] Hæc prætereunt omnes ferè MSS.

dine saturatum; Deo tamen gratias agebat, A quòd non esset sicut ceteri homines, injusti, raptores, adulteri, sicut ille publicanus, quòd bis in sabbato jejunaret, quòd omnium quæ possidebat, decimas daret. Nihil sibi addi ad justitiam jam petebat: sed tamen ex iis quæ habebat, gratias Deo agendo, ab illo se accepisse omnia fatebatur: & tamen improbatus est, & quia veluti saturatus nihil de alimentis justitiæ jam rogabat accipere, & quòd eam publicano esurienti ac sitienti se velut insultans præferre gestiebat. B Quid ergo illis fiet, qui etsi fateantur se non habere, vel non plenam habere justitiam; tamen à se ipsis habendam, non à suo Creatore, ubi horreum ejus & fons ejus est, deprecandam esse præsumunt? Nec ideo tamen solis de hac re votis agendum est, ut non subinferatur [a] adnitendo etiam nostræ efficacia voluntatis. *Adjutor* enim *noster Deus* dicitur, nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur. Quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in C quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis. Cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantum, illum autem [b] non tantum; istum illo, illum isto modo; penes ipsum est & æquitatis tam secretæ ratio, & excellentia potestatis.

Dei gratiæ adjungendus voluntatis nostræ conatus.

a Psal. 16.9.

CAPUT VI.

7. Nam qui dicunt esse [c] posse in hac vita hominem sine peccato, non est eis continuò incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui D hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel misericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus. Sed alia quæstio est, utrùm esse possit; alia, utrùm sit; alia, si non est cùm possit esse, cur non sit; alia utrùm qui omnino nunquam ullum peccatum habuerit, non solùm quisquam sit, verùm etiam potuerit aliquando esse vel possit. In hac quadripartita propositione quæstionum si à me quæratur, utrùm homo sine E peccato possit esse in hac vita, confitebor posse per Dei gratiam & liberum ejus arbitrium: ipsum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est, ad Dei dona pertinere non ambigens, nec tantùm ut sit, verùm etiam ut bonum sit, id est, ad facienda mandata Domini convertatur: atque ita Dei gratia non solùm ostendat quid faciendum sit, sed adjuvet etiam ut possit fieri quod ostenderit. Quid enim habemus quod non accepimus? Unde & Jeremias dicit, *Scio, Do-* F *mine, quia non est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos.* Hinc & in Psalmis cùm quidam dixisset Deo, *Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis*: continuò non de se præsumsit, sed optavit ut faceret: *Utinam*, inquit, *dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas: tunc non confundar, dum inspicio in omnia mandata tua.* Quis autem optat quod in potestate sic habet, ut ad faciendum nullo indigeat adjumento? A quo autem id optet, quia non à for- G

Quatuor de justitiæ perfectione quæstiones.

I. Quæstio, an homo sine peccato possit esse in hac vita.

1. Cor. 4.7.

Jerem. 10. 23.

Psal. 118. 4.

tuna, vel à fato, vel à quolibet alio præter Deum, in consequentibus satis ostendens: *Itinera mea*, inquit, *dirige secundùm verbum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas.* Ab hujus exsecrandæ [d] dominationis servitute liberantur, quibus Dominus Jesus [eum [e] recipientibus] dedit potestatem filios Dei fieri. Ab ista horrenda dominatione liberandi fuerant, quibus dicit, *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* His atque hujusmodi aliis innumerabilibus testimoniis dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat quod jubet, impossibile aliquid esse. Ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adjutus à Deo.

Ibidem. d e Johan. 1. 12. Johan. 8. 36.

8. Si autem quod secundo loco posueram, quæratur utrùm sit, esse non credo. Magis enim credo Scripturæ dicenti, *Ne intres in judicium cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et ideo misericordiâ Dei opus est, quæ superexaltat judicio, quæ illi non erit qui non facit misericordiam. Et quod Propheta cùm diceret, *Dixi, pronuntiabo adversùs me delictum meum Domino, & tu dimisisti impietatem cordis mei*: continuò subjunxit, *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Non ergo omnis peccator, sed omnis sanctus: vox enim sanctorum est, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Unde in ejusdem Apostoli Apocalypsi, illa *centum quadraginta & quatuor millia* sanctorum, *qui se cum mulieribus non coinquinaverunt, virgines enim permanserunt; & non est inventum in ore eorum mendacium, quia* * *irreprehensibiles sunt*; profectò ideo irreprehensibiles sunt, quia se ipsos veraciter reprehenderunt: & ideo non est inventum in ore eorum mendacium, quia si dicerent se peccatum non habere, se ipsos deciperent, & veritas in eis non esset; & utique mendacium esset, ubi veritas non esset: quoniam justus cùm in sermonis exordio accusator sui est, non utique mentitur.

CAPUT VII. 2. Quæstio, an aliquis homo sine peccato in hac vita. Ps. 142. Jacobi. Psal. 31. 1. Johan. 1. 8. Apoc. 14. 4. * al. sine macula. Prov. 18. 17.

9. Ac per hoc in eo quod scriptum est, *Qui natus est ex Deo, non peccat, & non potest peccare, quia semen ejus in ipso manet*: & si quid aliud eo modo dictum est, multùm falluntur minùs considerando Scripturas. Non enim advertunt, eo quosque fieri filios Dei, quo esse incipiunt in novitate spiritûs, & [f] renovari in interiorem hominem secundùm imaginem ejus qui creavit eos. Non enim ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur: sed renovatio incipit à remissione omnium peccatorum, & in quantum quisque spiritalia sapit, qui jam sapit [g]. Cetera verò in spe facta sunt, donec etiam in re fiant, usque ad ipsius corporis renovationem in meliorem statum immortalitatis & incorruptionis, qua induemur in resurrectione mortuorum. Nam & ipsam Dominus regenerationem vocat, non utique talem qualis fit per baptismum, sed in qua etiam in corpore perfi-

1 Johan. 3. 9. Coloss. 3. 10. f Renovatio & incrementis. g Resurrectio regeneratio. Matth. 19. 28.

[a] Locum hunc sic à Martino Lipsio castigatum putant Lovanienses. Nam pro *adnitendo*, legebatur in primis editionibus, *ad bene vivendum*: cui editionum lectioni duo tantùm MSS. unus è Belgicis, alter è Vaticanis suffragantur. Alii duo Vaticani habent, *ad agendum & vivendum.* Duo Belgici, *ad vivendum*: & sic Gallicani, exceptis Beccensi & uno Parisiensi Augustinensium majoris conv[illegible] est, *adnitendo.*

[b] In omnibus MSS. *illum autem tantum*: omisso *non.*
[c] Omnes rursum nostri MSS. hîc omittunt *posse.*
[d] Unus è Vaticanis MSS. *domina.*
[e] Id abest à MSS. Vide infrà cap. 23.
[f] Lov. & aliquot MSS. *renovare interiorem hominem.*
[g] Post *qui jam sapit*, in editis adjectum fuerat, *in tantùm renovatur.* Id verò non exstat in MSS.

cietur quod nunc spiritu inchoatur. *In regeneratione*, inquit, *cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim sedes judicantes duodecim tribus Israël.* Nam in baptismo quamvis tota & plena fiat remissio peccatorum, tamen si continuò tota & plena etiam hominis in æternam novitatem mutatio fieret, non dico & in corpore, quod certè manifestum est adhuc in veterem corruptionem atque in mortem tendere, in fine postea renovandum, quando verè tota novitas erit: sed excepto corpore, si in ipso animo qui est homo interior, perfecta in baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus, *Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem.* Profectò enim qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus: & in quantum nondum est renovatus, in tantum adhuc in vetustate est. Proinde ex hoc quòd adhuc in vetustate sunt, quamvis jam baptizati, ex hoc etiam adhuc sunt filii sæculi. Ex hoc autem quòd in novitate sunt, hoc est, ex plena & perfecta remissione peccatorum, & quantumcumque illud est quod spiritaliter sapiunt, eique congruos mores agunt, filii Dei sunt. Intrinsecùs enim exuimus veterem hominem, & induimus novum: quoniam ibi deponimus mendacium, & loquimur veritatem, & cetera quibus Apostolus explicat quid sit exui veterem hominem, & indui novum, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Et hoc ut faciant, jam baptizatos fidelesque adhortatur: quod adhuc monendi non essent, si hoc in baptismo jam perfectè factum esset: & tamen factum est, sicut & salvi facti sumus. *Salvos* enim *nos fecit per lavacrum regenerationis.* Sed alio loco dicit, quemadmodum hoc factum est. *Non solùm*, inquit, *sed etiam nos ipsi primitias habentes spiritûs & ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemtionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.*

2. Cor. 4. 16.

Filii Dei, qui congruos novitati mores agunt.

Ephes. 4. 22.

Tit. 3. 5.

Rom. 8. 23.

CAPUT VIII. Perfectio quando.

10. ADOPTIO ergo plena filiorum in redemtione fiet etiam corporis nostri. Primitias itaque spiritûs nunc habemus, unde jam filii Dei re ipsa facti sumus: in ceteris verò spe sicut salvi, sicut innovati, ita & filii Dei; re autem ipsa quia nondum salvi, ideo nondum plenè innovati, nondum etiam filii Dei, sed filii sæculi. Proficimus ergo in renovationem justamque vitam per quod filii Dei sumus, & per hoc peccare omnino non possumus, donec totum in hoc transmutetur, etiam illud [a] quod adhuc filii sæculi sumus: per hoc enim & peccare adhuc possumus. Ita fit, ut & qui natus est ex Deo, non peccet: & si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipiamus, & veritas non sit in nobis. Consumetur ergo quod filii carnis & sæculi sumus, & perficietur quod filii Dei & spiritu renovati sumus. Unde idem Johannes, *Dilectissimi*, inquit, *nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus.* Quid est hoc, *sumus & erimus*, nisi quia sumus in spe, erimus in re? Nam sequitur, & dicit, *Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Nunc ergo & ei similes esse jam cœpimus, primitias habentes spiritûs; & adhuc dissimiles sumus, per reliquias vetustatis. Proinde in quantum similes, in tantum regenerante spiritu filii Dei: in quantum autem dissimiles, in tantum filii carnis & sæculi. Illinc ergo peccare non possumus: hinc verò si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus: donec totum transeat in adoptionem, & non sit peccator, & quæras locum ejus, & non invenias.

1. Johan. 3. 9.

1. Johan. 1. 8.

1. Johan. 3. 2.

Psal. 36. 10.

CAPUT IX. Objectio Pelagianorum, Quare justus non gignat justum.

11. FRUSTRA itaque nonnulli etiam illud argumentantur, ut dicant, *Si peccator genuit peccatorem, ut parvulo ejus reatus originalis peccati in baptismi acceptione solvatur; etiam justus justum gignere debuit.* Quasi ex hoc quisque carnaliter gignat quod justus est, & non ex hoc [b] quod in membris ejus concupiscentialiter movetur, & ad usum propagandi lex peccati mentis lege convertitur. Ex hoc ergo gignit quod adhuc vetustum trahit inter filios sæculi, non ex hoc quod in novitatem promovit inter filios Dei. *Filii* enim *sæculi hujus generant & generantur.* Inde & quod nascitur tale est, quia & *quod nascitur de carne, caro est.* Justi autem non sunt nisi filii Dei. In quantum autem sunt filii Dei, carne non gignunt; quia [c] spiritu & ipsi, non carne nati sunt. Sed ex hoc carne gignunt, quicumque eorum gignunt, ex quo nondum in novitatem perfectam totas vetustatis reliquias commutarunt. Unde quisquis filius de hac parte nascitur vetusta & infirma, necesse est ut etiam ipse vetustus sit & infirmus: idcirco oportet ut etiam ipse in aliam generationem per remissionem peccati spiritu renovetur. Quod si in eo non fit, nihil ei proderit pater justus; spiritu enim justus est, quo eum non genuit: si autem fit, nihil ei oberit etiam pater injustus: iste enim gratiâ spiritali in spem novitatis æternæ transitum fecit; ille autem mente carnali totus in vetustate permansit.

V. infrà cap. 25. & lib. 1. de nupt. c. 18. & lib 6. cont. Jul. c. 5.

Luca 20. 34.

Johan. 3. 6.

CAPUT X. Conciliat Scripturas.

12. NON igitur contrarium testimonium est, *Qui natus est ex Deo, non peccat*, ei testimonio quo jam natis ex Deo dicitur, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Quamdiu enim homo quamvis totus spe jam, & jam in re ex parte regeneratione spiritali renovatus, adhuc tamen portat corpus quod corrumpitur & aggravat animam; quid quò pertineat, & quid unde dicatur, etiam in uno homine distinguendum est. Nam, ut ego arbitror, non facilè cuiquam Scriptura Dei tam magnum justitiæ perhibet testimonium, quàm tribus famulis ejus, Noë, Daniel, & Job, quos Ezechiel propheta dicit ab imminente quadam iracundia Dei solos posse liberari: in tribus utique illis viris tria quædam hominum liberanda genera præfigurans, in Noë, quantum arbitror, justos plebium præpositos, propter [d] arcæ tamquam Ecclesiæ gubernationem; in Daniele, justos continentes; in Job, justos [e] conjugatos: & si quis est fortè alius intellectus, de quo nunc

1. Johan. 3. 9.

1. Johan. 1. 8.

Ezech. 14. 14.

In Noë, Daniel, & Job tria hominum genera figurata.

[a] Editi, *illud per quod.* Abest *per* à MSS.
[b] Hîc etiam in excusis additum, *potiùs.*
[c] Sola editio Lov. *ex spiritu & ipsi non carne nati sunt.*

[d] Plures MSS. *propter aquam & arcæ gubernationem.* Confer enarrationem in Psal. 132. n. 5.
[e] In MSS. *conjugales.*

non est necesse disquirere. Verùm tamen quantâ isti justitiâ præeminuerint, & hoc prophetico, & aliis divinis testimoniis satis apparet. Nec ideo quisquam sobrius dixerit ebrietatem non esse peccatum, quæ tamen subrepsit tanto viro: nam
Gen. 9. 21. Noë, sicut legimus, fuit aliquando ebrius; quamvis absit ut fuerit ebriosus.

13. Daniel verò post orationem quam fudit
Dan. 9. 20. Deo, de se ipse dicit: *Cùm orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo meo.* Propterea, nisi fallor, per suprà memoratum
Ezech. 28. 3. Ezechielem cuidam superbissimo dicitur, *Numquid tu sapientior quàm Daniel?* Neque hîc dici potest, quod quidam contra orationem Domini-
Elusio Pelagianorum. cam argumentantur: *Quia etsi orabant eam,* inquiunt, *sancti & perfecti jam Apostoli, nullum omnino habentes peccatum, non tamen pro se ipsis, sed pro*
Matth. 6. 12. *imperfectis & adhuc peccatoribus dicebant, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ut per hoc,* inquiunt, *quòd dicerent nostra, in uno esse corpore demonstrarent, & illos adhuc habentes peccata, & se ipsos qui jam carebant omni ex parte peccato.* In Daniele certè hoc non potest dici, qui, ut credo, tamquam propheta prævidens hanc aliquando præsumtionem futuram, cùm in oratione sæpe dixisset, *peccavimus:* non ita nobis exposuit, cur hoc dixerit, ut ab illo audiremus, Cùm orarem, & confiterer pec-
a cata [a] populi mei Domino Deo meo: nec adhuc distinctione confusa, ut esset incertum, propter unius corporis societatem si diceret, Cùm peccata nostra confiterer Domino Deo meo: sed omnino tam distinctè, tamquam de ipsa distinctione satagens, eamque maximè vehementerque commendans, *peccata,* inquit, *mea, & peccata populi.* Quis huic evidentiæ contradicit, nisi quem plus delectat defensare quod sentit, quàm quid sentiendum sit invenire?

Nec Job caruisse peccato. Job 9. 2. 14. Job autem post tam magnum de illo justitiæ testimonium Dei, quid dicat ipse videamus. *In veritate,* inquit, *scio quia ita est. Quemadmodum enim justus erit homo ante Dominum? Si autem*
Ibid. 19. *velit contendere cum eo, non poterit obedire ei.* Et paulò pòst, *Quis,* inquit, *judicio ejus adversabitur? Quòd si fuero justus, os meum impiè loquetur.* Iterum
Ibid. 28. paulò pòst, *Scio,* inquit, *quia impunitum me non dimittit. Quia sum impius, quare non sum mortuus? Quod si purificatus nive, & mundatus fuero mundis manibus, sufficienter in sordibus me tinxisti.* Item
Job 13. 26. in alio suo sermone: *Quia conscripsisti,* inquit, *adversùs me mala, & induisti me juventutis meæ peccata, & posuisti pedem meum in prohibitione, servasti omnia opera mea, & in radices pedum meorum inspexisti, qui veterascunt sicut uter, vel sicut vesti-*
Job 14. 1. *mentum à tinea comestum. Homo enim natus ex muliere parvi est temporis, & plenus iracundiâ, & sicut flos cùm floruit & decidit, discessit sicut umbra, non manet. Nonne & hujus curam fecisti venire in judicium tuum? Quis enim erit mundus à sordibus? Nemo, nec si unius diei fuerit vita ejus.* Et paulò
Ibid. 16. pòst: *Dinumerasti,* inquit, *omnes necessitudines meas, & nihil te latuit de peccatis meis: signasti peccata mea in folliculo, & annotasti si quid invitus commisi.* Ecce & Job confitetur peccata sua, & in veritate se dicit scire, quia non est justus quisquam ante Dominum. Et ideo iste hoc in veritate scit,

A quia si nos dixerimus non habere peccatum, ipsa 1. Johan. 1. 8.
veritas in nobis non est. Proinde secundùm modum conversationis humanæ, perhibet ei Deus tam magnum justitiæ testimonium: ipse autem se metiens ex regula illa justitiæ, quam sicut potest conspicit apud Deum, in veritate scit quia ita est. Et adjungit, *Quemadmodum enim justus erit homo ante Dominum? Si enim velit contendere cum eo, non poterit obedire ei:* id est, si judicandus ostendere voluerit, non in se inveniri posse quod
B damnet, non poterit obedire ei: amittit enim etiam illam obedientiam, qua obedire possit præcipienti confitenda esse peccata. Unde quosdam increpat dicens, *Quid vultis mecum judicio conten-* Jerem. 2. 29.
dere? Quod ille præcavens, *Ne intres,* inquit, Psal. 142. 2.
in judicium cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ideo etiam dicit Job, *Quis enim judicio ejus adversabitur? Quòd si fuero justus, os meum impiè loquetur:* hoc est enim, Si me justum dixero contra judicium ejus, ubi
C perfecta illa justitiæ regula me convincit injustum, profectò impiè loquetur os meum, quia contra Dei veritatem loquetur.

15. Fragilitatem quoque ipsam, vel potiùs damnationem carnalis generationis ostendens ex originalis transgressione peccati, cùm de peccatis suis ageret, velut eorum caussas reddens, dixit hominem natum ex muliere parvi esse temporis, & plenum iracundiâ: qua iracundiâ, nisi qua sunt omnes, sicut dicit Apostolus, Ephes. 2. 3. Damnatio carnalis generationis ob originale peccatum.
D *naturaliter,* hoc est, originaliter *iræ filii?* quoniam filii sunt concupiscentiæ carnis & sæculi. Ad ipsam iram pertinere etiam mortem hominis consequenter ostendens. Cùm enim dixisset, *parvi est temporis, & plenus iracundiâ:* addidit Job 14. 1.
etiam, *Et sicut flos cùm floruit & decidit, discessit sicut umbra, non manet.* Cùm autem subjungit, *Nonne & hujus curam fecisti venire in judicium tuum? Quis enim erit mundus à sordibus? Nemo, nec si unius diei fuerit vita ejus:* hoc utique dicit, Cu-
E ram hominis brevis vitæ fecisti venire in judicium tuum. Quantumlibet enim brevis fuerit vita ejus, etiam si unius diei esset, mundus à sordibus esse non posset, & ideo justissimè in judicium tuum veniet. Illud verò quod ait, *Dinumerasti omnes necessitudines meas, & nihil te latuit de peccatis meis: signasti peccata mea in folliculo, & annotasti si quid invitus commisi:* nonne satis apparuit etiam illa peccata justè imputari, quæ non delectationis illecebrâ committuntur, sed
F caussâ devitandæ molestiæ alicujus, aut doloris, aut mortis? Nam & hæc dicuntur quadam necessitate committi, cùm omnia superanda sint amore & delectatione justitiæ. Potest etiam quod dixit, *Et annotasti si quid invitus commisi:* ad illam vocem videri pertinere, qua dictum est, *Non enim* Rom. 7. 15.
quod volo ago, sed quod odi hoc facio.

16. Quid quòd ipse Dominus, qui ei perhibuerat testimonium, cùm etiam Scriptura, hoc est, Dei Spiritus dixerit, *in omnibus quæ contige-* Job 1. 22.
G *runt ei, non eum peccasse labiis suis ante Dominum;* postea tamen cùm ei loqueretur, increpans locutus est, sicut ipse Job testis est dicens, *Quid adhuc* Job 39. 31. sec. LXX.
ego judicor monitus, & increpationes Domini audiens? Nemo autem justè increpatur, nisi in quo est aliquid quod increpatione sit dignum. * Et ipsa * Caput XI.

[a] Hîc apud Am. Er. & Lov. perperam additum, *mea &:* quod quidem meritò aberat à MSS.

increpatio

increpatio qualis est, quæ ex Domini Christi A persona intelligitur? Enumerat illi divina opera potestatis suæ sub hac sententia increpans, ut eum dicere appareat: Numquid potes hæc tanta quæ possum? Quò autem pertinet, nisi ut intelligat Job, (* etiam hoc ei divinitus inspiratum, ut præsciret Christum ad passionem esse venturum,) intelligat ergo quàm debet æquo animo tolerare quæ pertulit, si Christus in quo peccatum, cùm propter nos homo factus esset, omnino nullum fuit, & in quo Deo tanta potentia B est, nequaquam tamen passionis obedientiam recusavit? Quod puriore cordis intentione Job intelligens responsioni suæ addidit, *Auris auditu* [a] *audiebam te priùs, & nunc ecce oculus meus videt te: ideo vituperavi me ipsum, & distabui, & æstimavi me ipsum terram & cinerem.* Quare sibi ita in hoc tam magno intellectu displicuit? Neque enim opus Dei, quo erat homo, rectè illi poterat displicere; cùm etiam ipsi Deo dicatur, *Opera manuum tuarum ne despexeris.* Sed profectò C secundùm illam justitiam qua se noverat [b] justum, se vituperavit atque distabuit, æstimavitque se terram & cinerem; mente conspiciens Christi justitiam, in cujus non tantùm divinitate, sed nec in anima nec in carne ullum potuit esse peccatum: secundùm quam justitiam quæ ex Deo est, etiam Paulus apostolus illud suum quod secundùm justitiam quæ ex lege est, fuit sine querela, non solùm damna, verùm etiam stercora existimavit.

* f. nam. Job prævidit Christum ad passionem venturum.
Job 42. 5.
Psal. 137. 8. Humilitatis ratio in perfectis.
Philip. 3. 7.

CAPUT XII. Nemo justus in omnibus.

17. NON igitur præclarum illud testimonium D Dei, quo laudatus est Job, contrarium est ei testimonio quo dictum est, *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: quia non id persuadet, prorsus in illo nihil fuisse, quod vel ab ipso veraciter, vel à Domino Deo rectè reprehenderetur; quamvis jam justus, & verax Dei cultor, & ab omni opere malo se abstinens, non mendaciter diceretur. Hæc enim de illo verba sunt Dei: [c] *Animo advertisti in puerum meum Iob?* E *Non enim est illi homo similis super terram, sine querela, justus, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo.* Primis verbis ex hominum qui sunt in terra comparatione laudatur. Proinde omnibus qui tunc in terra justi esse potuerunt, excellebat. Non ergo ipse propterea nullum peccatum omnino habebat, quia in profectu justitiæ ceteros anteibat. Deinde adjungitur, *sine querela*, de cujus vita nemo justè quereretur: *justus*, qui tanta morum probitate profecerat, ut F nullus ei esset æquandus: *verus Dei cultor*, quippe etiam suorum peccatorum verax humilisque confessor: *abstinens se ab omni opere malo*, mirum si ab omni etiam verbo & cogitatu malo. Quantus quidem Job fuerit ignoramus: sed novimus justum, novimus etiam in perferendis horrendis tribulationum tentationibus magnum: novimus non propter peccata, sed propter ejus demonstrandam justitiam illa omnia fuisse perpessum. Verumtamen hæc verba quibus à Domino laudatur, G possent etiam de illo dici, qui condelectatur legi Dei secundùm interiorem hominem, videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ: præsertim quia dicit, *Non quod volo facio bonum, sed quod odi malum, hoc ago. Si autem quod odi malum hoc facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Ecce & iste secundùm interiorem hominem alienus est ab omni opere malo, quia illud non operatur ipse, sed quod in carne ejus habitat malum: & tamen cùm illud ipsum quod condelectatur legi Dei, non habeat nisi ex gratia Dei, adhuc liberationis indigens clamat, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Psal. 142. 2.
Job 1. 8.
Job non propter peccata afflictus. V. infra cap. 16.
Rom. 7. 15.
Ibidem. 24.

18. SUNT ergo in terra justi, sunt magni, fortes, prudentes, continentes, patientes, pii, misericordes, temporalia mala omnia propter justitiam æquo animo tolerantes. Sed si verum est, immo quia verum est, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus*; &, *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: non sunt sine peccato; nec quisquam eorum tam arroganter insanit, ut non sibi pro suis qualibuscumque peccatis Dominica oratione opus esse arbitretur.

CAPUT XIII. Perfecta justitia humana imperfecta est.
1. Iohan. 1. 8.
Psal. 142. 2.

19. Nam de Zacharia & Elizabeth, qui nobis sæpe in hujus quæstionis disputationibus objiciuntur, quid dicamus, nisi quod evidenter Scriptura testatur, eminenti justitiâ fuisse Zachariam in principibus sacerdotum ad offerenda veteris Testamenti sacrificia pertinentium. Legimus autem in epistola quæ ad Hebræos [d] scribitur, quod testimonium in libro superiore jam posui, solum Christum esse principem sacerdotum, qui non haberet necessitatem, sicut illi qui sacerdotum principes dicebantur, sacrificium pro suis primùm offerre peccatis quotidie, deinde pro populi. *Talem enim decebat*, inquit, *habere nos principem sacerdotum, justum, sine malitia, incontaminatum, separatum à peccatoribus, altiorem à cælis factum, non habentem quotidianam necessitatem, sicut principes sacerdotum, primùm pro suis peccatis sacrificium offerre.* In hoc sacerdotum numero Zacharias, in hoc Phinees, in hoc ipse Aaron, à quo iste ordo exorsus est; fuit, & quicumque alii in illo sacerdotio laudabiliter justéque vixerunt; qui tamen habebant necessitatem sacrificium primitus pro suis offerre peccatis, solo Christo exsistente, cujus venturi figuram gestabant, qui hanc necessitatem sacerdos incontaminabilis non haberet.

Luca 1. 6. Zacharia & Elizabeth.
d Suprà lib. 1. c. 27.
Hebr. 7. 26.

20. Quid autem de Zacharia & Elizabeth laudabile dictum est, quod non in eo comprehendatur, quod de se Apostolus, cùm in Christum nondum credidisset, professus est? Dixit enim se *secundùm justitiam quæ in lege est, fuisse sine querela*: hoc & de illis ita legitur, *Erant autem ambo justi ante Deum incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* Quia ergo quidquid eis inerat justitiæ, non erat ad homines simulatum, ideo dictum est, *ante Deum.* Quod autem de Zacharia & ejus conjuge scriptum est, *in omnibus mandatis & justificationibus Domini*: hoc ille breviter dixit, *in lege.* Non enim alia lex illi, alia istis fuit ante Evangelium; sed una atque eadem, quam legimus per

Philip. 3. 6.
Luca 1. 6.
V. lib. de gratia Chr. c. 48.

[a] In omnibus MSS. *intelligebam te priùs.*
[b] Sic Am. Er. & plerique MSS. At Lov. *injustum.*
[c] In editis, *An non advertisti.* At in MSS. *Animo advertisti.* Græcè est, προσέσχες τῇ διανοίᾳ σου.
[d] Sic MSS. Editi verò, *inscribitur.*

Moysen datam patribus eorum, secundùm quam A etiam sacerdos erat Zacharias & vice sua sacrificabat. Et tamen Apostolus, qui simili tunc justitiâ præditus fuit, sequitur, & dicit, *Quæ mihi lucra fuerunt, hæc propter Christum damna esse duxi: verumtamen & arbitror omnia damnum esse propter eminentem scientiam Domini nostri Iesu Christi, propter quem omnia non solùm detrimenta credidi, verùm etiam stercora existimavi esse, ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed eam quæ est per* B *fidem Christi, quæ est ex Deo, justitiam in fide, ad cognoscendum eum & virtutem resurrectionis ejus & communicationem passionis ejus, conformatus morti ipsius, si quo modo occurram in resurrectionem mortuorum.* Tantum ergo longè est, ut propter illa verba Zachariam & Elizabeth credamus sine ullo peccato perfectam habuisse justitiam, ut nec ipsum Apostolum ejusdem regulæ summitate arbitremur fuisse perfectum, non solùm in illa legis justitia, quam similem istis habuit, quam C inter damna & stercora deputat in comparatione eminentissimæ justitiæ, quæ in fide Christi est; verùm etiam in ipso quoque Evangelio, ubi & tanti Apostolatus meruit principatum: quod dicere non auderem, nisi ei non credere nefas ducerem. Ubi etiam sequitur, & adjungit, *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim; sequor autem, si* [a] *comprehendam, in quo & apprehensus sum in Christo Iesu. Fratres, ego me ipsum non arbitror apprehendisse: unum autem, quæ retrò oblitus, in ea quæ* D *antè sunt extentus, secundùm intentionem sequor, ad palmam supernæ vocationis Dei, in Christo Iesu.* Ipse se confitetur nondum accepisse, nondum esse perfectum ea plenitudine justitiæ, quam adipisci dilexit in Christo; sed adhuc secundùm intentionem sequi, & præterita obliviscentem in ea quæ antè sunt extendi: ut noverimus etiam ad ipsum pertinere illud quod ait, *Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de* E *die in diem:* quamvis jam esset perfectus viator, etsi nondum erat ipsius itineris perfectione perventor. Denique tales vult secum in isto cursu comites rapere, quibus continuò subjungit, & dicit, *Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus; & si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis revelabit: verumtamen, in quod pervenimus, in eo ambulemus.* Ambulatio ista, non corporis pedibus, sed mentis affectibus & vitæ moribus geritur, ut possint esse perfecti justitiæ possessores, qui recto F itinere [b] fidei de die in diem in sua renovatione proficientes, jam perfecti facti sunt ejusdem justitiæ viatores.

Philip. 3. 7. — Paulus principatum Apostolatûs meruit. — Ibidem 12. — 1. Cor. 4. 16. — Philip. 3. 15. — Perfectus viator.

CAPUT XIV.

21. SIC itaque omnes, quicumque in hac vita divinarum scripturarum testimoniis in bona voluntate atque actibus justitiæ prædicati sunt, & quicumque tales vel post eos fuerunt, quamvis non eisdem testimoniis prædicati atque laudati, vel nunc usque etiam sunt, vel postea quoque futuri sunt, omnes magni, omnes justi, G omnes veraciter laudabiles sunt, sed sine peccato aliquo non sunt: quoniam Scripturarum testimoniis, quibus de illorum laudibus credimus, hoc etiam credimus, non justificari in conspectu Dei omnem viventem; ideo rogari, ne intret in judicium cum servis suis; & non tantùm universaliter fidelibus omnibus, verùm etiam singulis esse orationem Dominicam necessariam, quam tradidit discipulis suis.

Psal. 142. 2.

CAPUT XV. Objectio Pelagianorum. Matth. 5. 48.

22. AT enim, *Dominus ait, Estote perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est: quod non præciperet*, inquiunt, *si sciret fieri non posse quod præcipit.* Non nunc quæritur utrùm fieri possit, si istam perfectionem ad hoc accipiunt, ut sine ullo sit quisque peccato, cùm hanc agit vitam; jam enim suprà respondimus, posse fieri: sed utrùm aliquis faciat, hoc nunc quærimus. Neminem autem esse qui tantum velit, quantum res exigit, antè præcognitum est, sicut Scripturarum, quæ suprà commemoravi, testimonia tanta declarant. Et tamen cùm dicitur cujusque perfectio, qua in re dicatur videndum est. Nam ex Apostolo testimonium paulò antè posui, ubi se fatetur in acceptione justitiæ quam desiderat, nondum esse perfectum: & tamen continuò dicit, *Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus:* quod utrumque non diceret, nisi in alia re perfectus esset, in alia non esset. Velut si jam sit quisquam sapientiæ perfectus auditor, quod nondum erant illi quibus dicebat, *Lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis:* eis quippe & illud ait, *Sapientiam loquimur inter perfectos;* utique [c] perfectos auditores volens intelligi: potest ergo fieri, sicut dixi, ut jam sit aliquis sapientiæ perfectus auditor, cujus nondum sit perfectus & doctor: potest perfectus esse justitiæ cognitor, nondum perfectus effector: potest perfectus esse ut diligat inimicos, qui nondum est perfectus ut sufferat. Et qui perfectus est in eo quòd omnes homines diligit, quippe qui etiam ad inimicorum dilectionem pervenerit; quæritur utrùm jam sit in ista dilectione perfectus, id est, utrùm quos diligit, tantum diligat, quantum illa incommutabilis regula veritatis diligendos esse præscribit. Cùm ergo legitur in Scripturis cujusque perfectio, qua in re dicatur, non negligenter intuendum est: quoniam non ideo quisque prorsus sine peccato esse intelligitur, quia in aliqua re dicitur esse perfectus. Quamquam & in hoc possit ita dici, ut non quia jam non est quò proficiat, sed quia ex maxima parte profecit, hoc nomine dignus habeatur: sicut in doctrina Legis dici potest quisquam perfectus, etiam si eum aliquid adhuc latet; sicut perfectos dicebat Apostolus, quibus tamen ait, *Et si quid aliter sapitis, id quoque vobis Deus revelabit; verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus.*

Perfectio secundùm quiddam. — 1. Cor. 3. 2. — 1. Cor. 2. 6. — Perfectus in justitia rectè dicitur, qui multùm in ea profecit. — Philip. 3. 15.

CAPUT XVI. Cur Deus præcipit quod scit non observandum.

23. NEQUE negandum est hoc Deum jubere, ita nos in facienda justitia esse debere perfectos, ut nullum habeamus omnino peccatum. Nam nec peccatum erit, si quid erit, si non divinitus jubetur ut non sit. *Cur ergo jubet*, inquiunt, *quod scit nullum hominum esse facturum?* Hoc modo etiam dici potest, cur primis illis hominibus jusserit, qui duo soli erant, quod sciebat eos non esse facturos? Neque enim dicendum est, ideo jussisse, ut nostrûm aliquis id faceret, si illi non facerent: hoc enim, ne de illa scilicet arbore ci-

[a] In editis, *si quo modo.* Abest *quo modo* à MSS. neque in Latinis bibliis Corbeiensibus vulgatæ versionis reperitur, neque in Græcis.

[b] Vox *fidei* abest ab omnibus Gallicanis MSS.

[c] Am. & Er. *perfectiores auditores.*

bum sumerent, nonnisi illis solis Deus jussit; quia A sicut sciebat quid justitiæ facturi non erant, ita etiam sciebat quid justitiæ de illis erat ipse facturus. Eo modo ergo jubet omnibus hominibus ut non faciant ullum peccatum, quamvis sit præscius neminem hoc impleturum, ut quicumque impiè ac damnabiliter ejus præcepta contemserint, ipse faciat in eorum damnatione quod justum est: quicumque autem in ejus præceptis obedienter & piè proficientes, nec tamen omnia quæ præcepit implentes, sicut sibi dimitti volunt, B sic aliis peccata dimiserint, ipse faciat in eorum mundatione quod bonum est. Quomodo enim dimittenti dimittitur per Dei misericordiam, si peccatum non est? aut quomodo non vetatur per Dei justitiam, si peccatum est?

Objectio Pelagianorum.

2. Tim. 4. 7.

24. *Sed ecce*, inquiunt, *Apostolus dicit, Bonum certamen certavi, fidem servavi, cursum consummavi, superest mihi corona justitiæ: quod non diceret, si haberet ullum peccatum.* Immo verò respondeant quomodo potuit hæc dicere, cui adhuc restabat C ipsius passionis, quam sibi jam impendere dixerat, tam magna conflictatio, tam molestum ac grande certamen. An ad ejus consummandum cursum parum adhuc deerat, quando illud deerat ubi erat futurus acrior & crudelior inimicus? Quòd si ideo talibus verbis certus securusque gaudebat, quia de victoria futuri certaminis certum eum securumque jam fecerat, qui eamdem passionem jam illi revelaverat imminere; non re plenissima, sed spe firmissima hæc dixit, & quod D futurum esse præsumsit, tamquam factum fuerit indicavit. Si ergo his verbis etiam hoc adderet, ut diceret, Nullum habeo jam peccatum: hoc quoque illum intelligeremus non de rei factæ, sed de rei futuræ perfectione dixisse. Sic enim ad ipsius cursûs consummationem pertinebat nullum habere peccatum, quod isti putant, cùm hæc diceret, jam in illo fuisse completum; quemadmodum ad ipsius cursûs consummationem pertinebat etiam in certamine passionis adversarium E superare, quod etiam ipsi necesse est fateantur, cùm hæc diceret, adhuc in illo fuisse complendum: hoc ergo totum nos dicimus tunc fuisse adhuc perficiendum, quando jam de Dei promissione præfidens totum ita dicebat tamquam fuisset effectum. Ad ipsius quippe cursûs consummationem pertinebat, etiam quòd peccata dimittebat debitoribus suis, atque ita sibi ut dimitteretur orabat: qua Domini pollicitatione certissimus erat, in illo fine, quem adhuc futu- F rum jam fidendo dicebat impletum, nullum se habiturum esse peccatum. Nam, ut alia omittam, miror si cùm verba illa dicebat, per quæ istis visus est nullum habuisse peccatum, jam fuerat ab illo ablatus ille stimulus carnis, de quo à se auferendo Dominum ter rogaverat, responsumque acceperat, *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Huic tanto viro perficiendo necessarium fuit, ut ab illo angelus satanæ non auferretur, à quo propterea colaphi- G zabatur, ne magnitudine visionum extolleretur: & audet quisquam, quemquam vel putare vel dicere positum sub onere hujus vitæ ab omni omnino mundum esse peccato?

Stimulo carnis ad mortem usque non caruit apostolus Paulus.

2. Cor. 12. 9.

25. Sint licèt homines tantâ excellentes justitiâ, ut ad eos de columna nubis loquatur Deus, qualis *Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus, & Samuel in his qui invocant nomen ejus*; cujus magnæ laudes pietatis & innocentiæ in Scriptura veridica prædicantur, ab ineunte pueritia, ex quo eum mater votum solvens in templo Dei constituit, & servum Domino dedicavit: etiam de talibus scriptum est, *Tu propitius eras illis, & vindicans in omnes affectiones eorum.* In filios quippe damnationis vindicat iratus: in filios autem gratiæ vindicat propitius, dum quem diligit corripit, & flagellat omnem filium quem recipit. Nulla autem vindicta, nulla correptio, nullum Dei flagellum debetur nisi peccato, excepto illo qui in flagella paratus est, ut experiretur omnia secundùm similitudinem sinè peccato, ut esset sanctus sanctorum sacerdos interpellans etiam pro sanctis, qui non mendaciter etiam de se quisque dicunt, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Unde & ipsi qui contra hæc disputant, cùm sint castâ vitâ, moribusque laudabiles, nec dubitent facere, quod illi diviti pro consequenda vita æterna consilium requirenti, cùm se respondisset jam omnia legis implevisse mandata, præcepit Dominus, si vellet esse perfectus, venderet omnia quæ habebat & daret pauperibus, thesaurumque transferret in cælum: nemo tamen eorum audet dicere, se esse sine peccato. Quod, sicut credimus, non fallaci animo dicunt: si autem mentiuntur, eo ipso incipiunt vel augere, vel habere peccatum.

Psal. 98. 6.

Ibidem. 8.

Deus & iratus vindicat & propitius.

Prov. 3. 12.

Nulla vindicta debetur nisi peccato. V. suprà cap. 12.

Matth 6. 12.

Pelagii mores laudabiles.

Matth. 19. 20.

CAPUT XVII.

3. Quæst. cur nemo sit in hac vita sine peccato.

26. Jam ergo quod loco tertio posui videamus. Cùm, [a] voluntatem humanam gratiâ adjuvante divinâ, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit, possem facillimè ac veracissimè respondere, quia homines nolunt: sed si ex me quæritur, quare nolunt, imus in longum. Verumtamen etiam hoc sine præjudicio diligentioris inquisitionis breviter dicam. Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementiùs volumus, quanto certiùs quàm bonum sit novimus, eoque delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates: qua ut non adjuventur, in ipsis itidem caussa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ; sive contra ipsam suam superbiam judicandi [b] & erudiendi, si filii sint misericordiæ. Unde Jeremias cùm dixisset, *Scio Domine, quia non est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos:* continuò subjunxit, *Corripe me Domine, verumtamen in judicio & non in furore tuo.* Tamquam diceret, Scio ad correptionem meam pertinere, quòd minùs abs te adjuvor, ut perfectè dirigantur gressus mei:

a

Peccati caussæ duæ, ignorantia & infirmitas.

Ierem. 10. 23.

b

In hominibus caussa est ut non adjuventur à Deo.

[a] Editi auferendi casu, *voluntate humana*. Castigantur ex MSS. qui magno consensu ferunt, *voluntatem humanam.*

[b] Vaticani tres, & nostri omnes Gallicani MSS. habent, *judicandi, ut eruditi filii sint misericordiæ.* Sed alteri tamen, quæ omnium editionum superiorum est, lectioni adstipulatur Fulgentius lib. 1. ad Monimum c. 28. quem Fulgentii locum non in excusis tantùm, sed etiam in antiquissimo Corbeiensi codice diligenter exploravimus.

verumtamen hoc ipſum noli ſic mecum agere, tamquam in furore quo iniquos damnare ſtatuiſti, ſed tamquam in judicio, quo doces tuos non ſuperbire. Unde alibi dicitur, *Et judicia tua adjuvabunt me.*

Pſal. 118. 175.

Adverſùs ſuperbiam divina medicina.

27. Nullius proinde culpæ humanæ in Deum referas cauſſam. Vitiorum namque omnium humanorum cauſſa ſuperbia eſt. Ad hanc convincendam atque auferendam talis medicina cælitus venit: ad elatum hominem per ſuperbiam, Deus humilis deſcendit per miſericordiam, gratiam claram manifeſtamque commendans in ipſo homine, quem tanta præ participibus ſuis caritate ſuſcepit. Neque enim & ipſe ita Verbo Dei conjunctus, ut ipſa conjunctione unus filius Dei & idem ipſe unus filius hominis fieret, præcedentibus ſuæ voluntatis meritis fecit. Unum quippe illum eſſe oportebat: eſſent autem & duo, & tres, & plures, ſi hoc fieri poſſet, non per Dei proprium donum, ſed per hominis liberum arbitrium. Hoc ergo præcipuè commendatur, hoc in ſapientiæ atque ſcientiæ theſauris in Chriſto abſconditis, quantum exiſtimare audeo, præcipuè docetur & diſcitur. Ideo quiſque noſtrûm bonum opus ſuſcipere, agere, implere, nunc ſcit, nunc neſcit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non ſuæ facultatis, ſed divini muneris eſſe vel quòd ſcit, vel quòd delectatur: ac ſic ab elationis vanitate ſanetur, & ſciat quàm verè non de terra iſta, ſed ſpiritualiter dictum ſit, *Dominus dabit ſuavitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Tanto autem magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus ſummum atque incommutabile bonum, & auctor qualiumcumque bonorum omnium. Ut autem diligatur Deus, *caritas* ejus *diffuſa eſt in cordibus noſtris*, non per nos, ſed *per Spiritum-ſanctum qui datus eſt nobis.*

Gratia in Chriſto claruit.

Quî fiat ut juſtitia nunc magis minùſve delectet, nunc non delectet. *V. infrà c.* 19. *& l. de nat. & grat. c.* 27. *&* 28. *& de corrept. & grat. c.* 9. *Pſal.* 84. 13.

Rom. 5. 5.

CAPUT XVIII. Voluntas bona à Deo.

28. SED laborant homines invenire in noſtra voluntate, quid boni ſit noſtrum, quod nobis non ſit ex Deo: & quomodo inveniri poſſit ignoro. Excepto enim quod Apoſtolus ait, cùm de bonis hominum loqueretur, *Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autem & accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Ipſa etiam ratio, quæ de iis rebus à talibus quales ſumus, iniri poteſt, quemlibet noſtrûm quærentem vehementer anguſtat, ne ſic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur; rurſus ne liberum ſic aſſeramus arbitrium, ut ſuperba impietate ingrati Dei gratiæ judicemur.

1. *Cor.* 4. 7.

V. lib. de grat. Chr. c. 47. *& de grat. & libero arb. c.* 1.

Effugium Pelagianorum.

29. Namque illud Apoſtoli quod commemoravi, ſic defendere quidam voluerunt, ut dicerent, *ideo quidquid etiam bonæ voluntatis habet homo, Deo tribuendum eſſe, quia & hoc in illo eſſe non poſſet, ſi homo ipſe non eſſet: cùm verò ut ſit aliquid atque ut homo ſit, non habeat niſi à Deo, cur non auctori Deo tribuatur etiam quidquid in illo eſt bonæ voluntatis, quod non eſſet, niſi eſſet in quo eſſet?* Sed hoc modo etiam illud dici poteſt, malam quoque voluntatem Deo auctori tribuendam: quia nec ipſa eſſe poſſet in homine, niſi homo eſſet in quo eſſet; ut autem homo ſit, Deus auctor eſt: ita & ejus [a] malæ voluntatis, quæ niſi hominem haberet ubi eſſet, eſſe omnino non poſſet, quod nefas eſt dicere.

30. Quapropter niſi obtineamus, non ſolùm voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis eſt, quibus & malè uti malus poteſt; ſed etiam voluntatem bonam, quæ jam in eis bonis eſt, quorum eſſe uſus non poteſt malus, niſi ex Deo nobis eſſe non poſſe, neſcio quemadmodum defendamus quod dictum eſt: *Quid enim habes quod non accepiſti?* Nam ſi nobis libera quædam voluntas ex Deo eſt, quæ adhuc poteſt eſſe vel bona vel mala; bona verò voluntas ex nobis eſt: melius eſt id quod à nobis, quàm quod ab illo eſt. Quod ſi abſurdiſſimè dicitur, oportet fateantur etiam bonam voluntatem nos divinitus adipiſci. Quamquam voluntas mirum ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere, ut nec bona nec mala ſit. Aut enim juſtitiam diligimus, & bona eſt; & ſi magis diligimus, magis bona, ſi minùs, minùs bona eſt: aut ſi omnino non diligimus, non bona eſt. Quis verò dubitet dicere voluntatem nullo modo juſtitiam diligentem, non modò eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona eſt, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo; reſtat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo: alioquin neſcio, cùm ab eo juſtificamur, quo alio munere ipſius gaudere debeamus. Et hinc ſcriptum arbitror, *Paratur voluntas à Domino.* Et in Pſalmis, *A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet.* Et quod Apoſtolus ait, *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.*

Liberum arbitrium quod huc atque illuc liberum flectitur. Bona quædam, quorum uſus eſſe non poteſt malus.

1. *Cor.* 4. 7.

Voluntas omnis aut bona, qua juſtitiam diligit, aut mala, qua non diligit.

Prov. 8. 35. *Pſal.* 36. 23. *Philip.* 2. 13.

31. Quocirca quoniam quòd à Deo nos avertimus, noſtrum eſt, & hæc eſt voluntas mala; quòd verò ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante atque adjuvante non poſſumus, & hæc eſt voluntas bona: quid habemus quod non accepimus? Si autem accepimus, quid gloriamur, quaſi non acceperimus? Ac per hoc, *ut qui gloriatur, in Domino glorietur*, quibus hoc Deus donare voluerit, ejus miſericordiæ eſt, non meriti illorum: quibus autem noluerit, veritatis eſt. Juſta namque peccatoribus pœna debetur, quoniam *miſericordiam & veritatem diligit Dominus Deus:* & *miſericordia & veritas occurrerunt ſibi:* & *univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.* Et quis explicet, quàm crebro hæc duo conjuncta divina ſcriptura commemoret? Aliquando etiam mutatis nominibus, ut gratia pro miſericordia ponatur: unde eſt, *Et vidimus gloriam ejus, gloriam tamquam Unigeniti à Patre, plenum gratiâ & veritate.* Aliquando pro veritate judicium: ſicut eſt, *Miſericordiam & judicium cantabo tibi, Domine.*

1. *Cor.* 1. 31. Gratia aliis ex miſericordia datur, aliis ex veritate non datur. *Pſal.* 83. 12. *Pſal.* 84. 11. *Pſal.* 24. 10. *Iohan.* 1. 14. *Pſal.* 100. 1.

32. Quare autem illos velit convertere, illos pro averſione punire: quamquam & in beneficio tribuendo nemo juſtè reprehendat miſericordem, & in vindicta exercenda, nemo juſtè reprehendat veracem; ſicut in illis evangelicis operariis, aliis placitam mercedem reddentem, aliis etiam

Gratia cur non omnibus, vel non ſemper ſanctis detur. *Matth.* 20. 9.

[a] Lov. *ita & ejus malam voluntatem, quæ niſi hominem haberet in quo eſſet, eſſe omnino non poſſet, ad auctorem Deum eſſe referendum.* Ultima iſthæc verba, *ad auctorem Deum* &c. expunximus, revocatâ huc illâ lectione, *ita & ejus malæ voluntatis*, ſubaud. *Deus auctor eſſet:* quam quidem reperimus in editis Am. & Er. & in omnibus MSS. codicibus, è quibus tamen nonnulli, poſt *malæ voluntatis*, perperam addunt *initium:* necnon infrà cum Am & Er. *ad auctorem Deum eſſe referendum.* In editione quadam Pariſienſi anni 1644. ſic legitur, *ita & quidquid eſt malæ voluntatis, quæ niſi hominem haberet* &c.

non placitam largientem, nullus justè culpaverit: consilium tamen occultioris justitiæ penes ipsum est. * Nos quantum concessum est sapiamus, & intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam sanctis suis alicujus operis [a] justi aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non à se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, & suavitatem qua det fructum suum terra eorum.

*CAPUT XIX. Per gratiā & cognitio boni & delectatio.

33. Cùm autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quàm ut aperiat quod latebat, & suave faciat quod non delectabat? quia & hoc ab illo esse deprecandum, ejus gratiâ didicimus, dum antea lateret; ejus gratiâ dileximus, dum antea non delectaret: *ut qui glorietur, non in se, sed in Domino glorietur.* Extolli quippe in superbiam, propriæ voluntatis est hominum, non operis Dei: neque enim ad hoc eos compellit aut adjuvat Deus. Præcedit ergo in voluntate hominis appetitus quidam propriæ potestatis, ut fiat inobediens per superbiam. Hic autem appetitus [b] etiam si non esset, nihil molestum esset; & cùm hoc voluit homo, sine difficultate noluisset: secutum est autem ex debita justa pœna tale vitium, ut jam molestum esset obedire justitiæ. Quod vitium nisi adjuvante gratiâ superetur, ad justitiam nemo convertitur; nisi operante gratiâ sanetur, justitiæ pace nemo perfruitur. Cujus autem gratiâ vincitur & sanatur, nisi illius cui dicitur, *Converte nos Deus sanitatum nostrarum, & averte iram tuam à nobis?* Quod & si facit, misericordiâ facit, ut dicatur, *Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.* Et quibus non facit, judicio non facit. Et quis dicet illi, Quid fecisti, cui misericordia & judicium pia sanctorum mente cantatur? Idcirco etiam sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis tardiùs sanat, ut in his eos minùs quàm implendæ ex omni parte justitiæ sufficit, delectet bonum, sive cùm latet, sive cùm etiam manifestum est: ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus, non justificetur in conspectu ejus omnis vivens. Nec in eo ipso vult nos damnabiles esse, sed humiles, commendans nobis eamdem gratiam suam: ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse quod ejus est: qui error multùm est religioni pietatique contrarius. Nec ideo tamen in eisdem vitiis nobis permanendum esse existimemus, sed adversùs ipsam maximè superbiam, propter quam in eis humiliamur, & nos vigilanter conemur, & ipsum deprecemur ardenter, simul intelligentes & quòd sic conamur, & quòd sic deprecamur, dono illius nos habere: ut in omnibus non ad nos respicientes, sed sursum cor habentes, Domino Deo nostro gratias agamus, & cùm gloriamur, in illo gloriemur.

Auxilium gratiæ necessarium.
Psal. 84. 5.
Psal. 102. 10.
Misericordiâ datur, vel judicio non datur.
Psal. 142. 2.
Contra superbiam in primis vigilandum.

34. QUARTUM jam illud restat, quo explicato quantum adjuvat Dominus, sermo quoque iste tam prolixus tandem terminum sumat, utrùm qui omnino numquam ullum peccatum habuerit, habiturúsve sit, non solùm quisquam natorum hominum sit, verùm etiam potuerit aliquando esse, vel possit. Hunc prorsus nisi unum mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum, nullum vel esse, vel fuisse, vel futurum esse, certissimum est. Unde jam multa diximus de baptismo parvulorum, qui si nullum peccatum habent, non solùm sunt homines innumerabiles sine peccato, verùm etiam fuerunt, & erunt. Porrò si veraciter illud constitit, unde secundo loco egimus, neminem esse sine peccato, profectò nec parvuli sine peccato sunt. Ex quo conficitur, & si quisquam in hac vita esse potuisset, qui virtute ita perficeretur, ut ad tantam plenitudinem justitiæ perveniret, qua nullum haberet omnino peccatum, fuisse tamen eum antea peccatorem, unde in istam novitatem [c] vitæ converteretur, non esse dubitandum. Etenim in secundo illo loco aliud quærebatur, aliud in hoc quarto propositum est. Nam in illo, utrùm aliquis in hac vita ad perfectam, quæ prorsus sine ullo peccato est, vitam perveniret per gratiam Dei, studio voluntatis, hoc requirebatur: in hoc autem quarto, utrùm esset in filiis hominum, vel esse potuisset, aut posset, qui non ex peccato ad justitiam perfectissimam perveniret, sed nullo omnino umquam peccato esset obstrictus, hoc quæritur. Ideo si illa vera sunt, quæ tam multa de parvulis diximus, nec est in filiis hominum quisquam, nec fuit, nec erit, excepto uno mediatore, in quo nobis propitiatio & justificatio posita est, per quam finitis inimicitiis peccatorum reconciliamur Deo. Non itaque ab re est, quantum præsenti caussæ sufficere videtur, ab ipso exordio generis humani pauca repetere, quibus adversùs quædam, quæ movere possunt, legentis animus informetur.

CAPUT XX. Ad 4. Quæstionem respondet, nullum excepto Christo, fuisse, vel esse posse, qui nullum habeat peccatum.
Suprà cap. 7.

35. POSTEA quàm illi primi homines, vir unus Adam, & ex illo Eva uxor ejus, accepto Dei præcepto servare obedientiam noluerunt, justa eos pœna ac debita consecuta est. Sic enim comminatus fuerat Dominus, quòd ea die qua vetitum cibum ederent, morte morerentur. Proinde quia utendi ad escam omni ligno quod in paradiso erat, acceperant potestatem, in quo etiam lignum vitæ plantaverat Deus; ab illo autem solo eos prohibuerat, quod appellavit scientiæ boni & mali, quo nomine significaretur experientiæ consequentia, & quid boni custoditâ, & quid mali essent transgressâ prohibitione sensuri: rectè profectò intelliguntur ante malignam diaboli persuasionem abstinuisse cibo vetito, atque usi fuisse concessis, ac per hoc & ceteris, & præcipuè ligno vitæ. Quid enim absurdius, quàm ut credantur ex aliis arboribus alimenta sumsisse, non autem etiam ex illo quod & similiter permissum fuerat, & utilitate præcipua per ætatum [d] labem mutari, quamvis animalia corpora, atque in mortem veterascere non sinebat, tribuens hoc corpori humano de suo corpore beneficium, & mystica significatione demonstrans, quid per sapientiam, cujus figuram gestabat, conferretur animæ rationali, ut alimento ejus vivificata nequaquam in labem mortemque nequitiæ verte-

CAPUT XXI. Adam & Eva.
Gen. 2. 9. & 16.
Lignum scientiæ boni & mali cur sic appellatum.
Adam ante lapsum usus ligno vitæ.
Lignum vitæ typus sapientiæ.

[a] Editi, *justitiam.* Castigantur auxilio MSS. Vaticani unius & Sigiramnensis.
[b] In MSS. nonnullis deest *etiam.*
[c] Vox *vitæ* abest à Gallicanis omnibus MSS.
[d] Sola editio Lov. *per ætatum lapsum mutari.*

Prov. 3. 18

Paradisus corporalis & spiritalis.

retur? Meritò enim de illa dicitur, *Lignum vitæ est amplectentibus eam.* Sicut hæc arbor in corporali, sic illa in spiritali paradiso: ista exterioris, illa interioris hominis sensibus præbens vigorem, sine ulla in deterius temporis commutatione vitalem.

Obedientia homini vehementer cõmendata à Deo.

Serviebant igitur Deo, vehementer sibi commendata pietate obedientiæ, qua una colitur Deus. Quæ per se ipsa quanta sit, quámque sola sufficiat ad tuendam rationalem sub Creatore creaturam, non potuit excellentiùs intimari, quàm ut à ligno prohiberentur non malo. Absit enim ut bonorum Creator qui fecit omnia, *& ecce bona valde*, mali aliquid in illius etiam corporalis paradisi fertilitate plantaret.

Gen. 1. 31.

Sed ut ostenderetur homini, cui esset sub tali Domino utilissima servitus, quantum esset solius obedientiæ bonum, quam solam de famulo exegerat, cui obedire non propter ipsius dominatum, sed propter [a] servientis utilitatem potiùs expediret; ab eo ligno sunt prohibiti, quo si uterentur non prohibiti, nihil mali omnino paterentur: ut quod illo post prohibitionem utentes passi sunt, satis intelligeretur quòd eis hoc non intulerit arbor cibo noxio perniciosa, sed tantùm obedientia violata.

Caput XXII. Status hominis ante peccatum.

36. Hanc ergo priùs quàm violassent, placebant Deo, & placebat eis Deus, & quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversùm se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo justitiæ, ut quia eorum anima famulum corpus à Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus ejus obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum sine ulla resistentia famulatum. Hinc & nudi erant, & non confundebantur. Animam quippe rationalem naturali verecundiâ nunc pudet, quòd in carne, in cujus servitutem jus potestatis accepit, nescio qua infirmitate efficere non potest, ut se nolente non moveantur membra, & se volente moveantur.

Membra genitalia cur pudenda vocentur.

Quæ propter hoc in quovis casto, meritò appellantur pudenda, quòd adversùs dominam mentem, quasi suæ sint potestatis, sicut libitum est, excitantur: idque solum juris in his habent frena virtutis, ut ad immundas & illicitas corruptiones ea pervenire non sinant. Hæc igitur carnis inobedientia, quæ in ipso motu est, etiam si habere non permittatur effectum, non erat in illis primis hominibus, quando nudi erant, & non confundebantur. Nondum quippe anima rationalis domina carnis inobediens exstiterat Domino suo, ut pœnâ reciprocâ inobedientem experiretur carnem famulam suam cum sensu quodam confusionis & molestiæ suæ, quem sensum certè ipsa per inobedientiam suam non intulit Deo. Neque enim Deo pudendum est aut molestum, si nos ei non obedimus, cujus in nos summam potestatem nullo modo minuere valemus: sed nobis pudendum est, quòd imperio nostro caro non servit; quia hoc fit per infirmitatem quam peccando meruimus, vocaturque peccatum habitans in membris nostris.

Rom. 7. 17. & 23.

Peccatum habitans in membris nostris.

Sic est autem hoc peccatum, ut sit pœna peccati. Denique postea quàm est illa facta transgressio, & anima inobediens à lege sui Domini aversa est, habere cœpit contra eam servus ejus, hoc est, corpus

A ejus, legem inobedientiæ; & puduit illos homines nuditatis suæ, animadverso in se motu, quem antè non senserant: quæ animadversio apertio dicta est oculorum; neque enim oculis clausis inter illas arbores oberrabant.

Gen. 3. 7. Oculorum apertio in primis parentibus quid.

Sic & de Agar scriptum est, *Aperti sunt oculi ejus, & vidit puteum.*

Gen. 21. 19.

Tunc illi homines pudenda texerunt: quæ Deus illis membra, ipsi verò pudenda fecerunt.

Caput XXIII. Naturæ corruptio per peccatum, & renovatio per Christum.

37. De hac lege peccati nascitur caro peccati, expianda per illius sacramentum, qui venit B in similitudine carnis peccati, ut evacuetur corpus peccati, quod & corpus mortis hujus appellatur: unde miserum hominem non liberat nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Sic enim ab eis transitum fecit in posteros ista lex initium mortis, quemadmodum labor quo cuncti homines laborant in terra, quemadmodum in feminas parturitio cum doloribus. Hæc enim, cùm de peccato arguerentur, Dei sententiâ meruerunt, quæ non in eis solis, sed C etiam in successoribus eorum, in aliis magis, in aliis minùs, tamen in omnibus videmus impleri.

Justitia primi status in paradiso.

Cùm itaque primorum illorum hominum fuerit prima justitia obedire Deo, & hanc in membris adversùs legem mentis suæ legem concupiscentiæ non habere:

Justitia post lapsum.

nunc post eorum peccatum nata ex eis nostra carne peccati, pro magno obtinetur ab his qui obediunt Deo, desideriis ejusdem concupiscentiæ non obedire, & crucifigere in se carnem cum passionibus & concupiscentiis; D ut sint Jesu Christi, qui hoc in sua [b] cruce figuravit, quibus per gratiam suam dedit potestatem filios Dei fieri. Non enim omnibus hominibus dedit, sed quotquot receperunt eum, ut Deo renascerentur spiritu, qui sæculo nati erant carne. Sic enim de his dictum est: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, non ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.*

Johan. 1. 12.

Caput XXIV. Incarnatione Verbi quod rebis collatum sit beneficium.

E 38. Secutus autem addidit: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis:* tamquam dicens, Magnum quidem hoc in his factum est, ut Deo nascerentur ex Deo, qui priùs nati fuerant ex carne sæculo, quamvis creati ab ipso Deo: sed longè mirabilius factum est, quòd cùm istis naturæ fuerit nasci de carne, beneficii verò nasci ex Deo, propter hoc impertiendum beneficium, ille qui de Deo naturaliter natus est, nasci etiam [c] misericorditer de carne dignatus est: hoc F est enim, *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Per hoc, inquit, factum est, ut nati de carne caro, postea nascendo de spiritu spiritus essemus, & habitaremus in Deo: quia & Deus natus de Deo, postea de carne nascendo caro factus est, & habitavit in nobis.

Nativitas Christi de carne in quo nostræ similis & dissimilis.

Verbum enim quod caro factum est, in principio erat, & apud Deum Deus erat. Verumtamen ipsa participatio illius in inferiora nostra, ut nostra esset in superiora illius, tenuit quamdam & in G carnis nativitate medietatem: ut nos quidem nati essemus in carne peccati, ille autem in similitudine carnis peccati: nos non solùm ex carne & sanguine, verùm etiam ex voluntate viri & ex voluntate carnis, ille autem tantùm ex car-

[a] In MSS. vel est *clientis*, vel *luentis*.

[b] Gallicani omnes MSS. *in sua carne figuravit.*

[c] Abest *misericorditer* à MSS.

ne & ſanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo natus eſt. Et ideo nos in mortem propter peccatum, ille propter nos in mortem ſine peccato. Sicut autem inferiora ejus, quibus ad nos deſcendit, non omni modo coæquata ſunt inferioribus noſtris, in quibus nos hîc invenit: ſic & ſuperiora noſtra, quibus ad eum adſcendimus, non coæquabuntur ſuperioribus ejus, in quibus eum illic inventuri ſumus. Nos enim ipſius gratiâ facti erimus filii Dei, ille ſemper naturâ erat filius Dei: B nos aliquando converſi adhærebimus impares Deo, ille numquam averſus manet æqualis Deo: nos participes vitæ æternæ, ille vita æterna. Solus ergo ille etiam homo factus manens Deus, peccatum nullum habuit umquam, nec [a] ſumſit carnem peccati, quamvis de [b] materna carne peccati. Quod enim carnis inde ſuſcepit, id profectò aut ſuſcipiendum mundavit, aut ſuſcipiendo mundavit. Ideo virginem matrem, non lege carnis peccati, id eſt, non concupiſcentiæ car- C nalis motu concipientem, ſed [c] pia fide ſanctum germen in ſe fieri promerentem, quam [d] eligeret creavit, de qua crearetur elegit. Quanto magis ergo caro peccati baptizanda eſt propter evadendum judicium, ſi baptizata eſt caro ſine peccato propter imitationis exemplum?

Fidelium etiam filii baptizandi.

Caput XXV.

39. Quod autem ſuprà * reſpondimus adverſùs eos qui dicunt, *Si peccator genuit peccatorem, juſtus quoque juſtum gignere debuit*: hoc etiam his reſpondemus, qui dicunt, de homine baptizato D natum jam velut baptizatum haberi debuiſſe. *Cur enim non*, inquiunt, *in lumbis patris ſui potuit baptizari, ſi ſecundùm epiſtolam quæ ad Hebræos ſcripta eſt, in lumbis Abrahæ Levi potuit decimari?* Hoc qui dicunt, adtendant non propterea Levi poſtea non fuiſſe decimatum, quia jam fuerat decimatus in lumbis Abrahæ; ſed quia ſic ordinatus eſt honore ſacerdotii, ut acciperet decimas, non præberet: alioquin nec ceteri fratres ejus, qui ei præbebant, decimarentur, quia & E ipſi in lumbis Abrahæ à Melchiſedech jam fuerant decimati.

* Cap. 9.

Objectio Pelagianorum.

Hebr. 7. 9.

Occupatio.

40. Sed ne quis dicat, propterea rectè potuiſſe Abrahæ filios decimari, quamvis jam fuiſſent in lumbis patris ſui decimati, quia decimatio talis res erat, quæ in unoquoque homine [e] ſæpe fuerat facienda, ſicut Iſraëlitæ annis omnibus, immo ex fructibus omnibus decimas totâ vitâ ſuâ crebras ſolent præbere Levitis; baptiſmum autem tale ſacramentum eſſe quod ſemel datur, & ſi F jam hoc acceperat quiſque, cùm in patre ſuo eſſet, nonniſi baptizatum fuiſſe deputandum, cùm de illo qui baptizatus fuerat gigneretur. Qui hoc dicit, (ne diu diſputem,) circumciſionem reſpiciat, quæ ſemel fiebat, & tamen in ſingulis ſingillatim fiebat. Sicut ergo tempore illius ſacramenti de circumciſo qui naſceretur, circumcidendus fuit: ſic nunc de baptizato qui natus fuerit, baptizandus eſt.

41. At enim Apoſtolus ait, *Filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt: & ideo*, inquiunt, *fidelium filii jam baptizari minimè debuerunt.* Miror hoc dicere, qui negant peccatum ex Adam originaliter trahi. Si enim hanc Apoſtoli ſententiam ſic accipiunt, ut credant de fidelibus ſanctificatos filios naſci, cur eos etiam ipſi baptizari oportere non dubitant? Cur denique nolunt fateri de parente peccatore aliquod peccatum originaliter trahi, ſi de ſancto aliqua ſanctitas trahitur? Et contra noſtram quidem non eſt aſſertionem, etiam ſi ex fidelibus ſancti propagantur, quòd eos dicimus, ſi non baptizantur, pergere in damnationem, quibus & ipſi regnum cælorum intercludunt, quamvis eos dicant non habere ullum vel proprium, vel originale peccatum. Aut ſi eis indignum videtur ut ſancti damnentur, quomodo eſt dignum ut à regno Dei ſancti ſeparentur? Illud potiùs adtendant, quomodo non de peccatoribus parentibus trahatur aliquod peccatum, ſi de ſanctis aliqua ſanctitas trahitur & immunditia de immundis? Utrumque enim dixit, qui dixit, *Alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.* Explicent etiam quomodo juſtum ſit, ut ſancti ex fidelibus & immundi ex infidelibus nati, pariter tamen, ſi baptizati non fuerint, regnum Dei non permittantur intrare. Quid ergo illis iſta ſanctitas prodeſt? Nam ſi damnari faterentur immundos ex infidelibus natos, ſanctos autem filios fidelium in Dei quidem regnum intrare non poſſe, niſi fuerint baptizati, non tamen damnari, quia ſancti ſunt, eſſet qualiſcumque diſtinctio: nunc verò natos de ſanctis ſanctos, & de immundis immundos, æqualiter dicunt, & quia peccatum non habent, non damnari, & quia baptiſmum non habent, à Dei regno ſeparari. Hanc abſurditatem talia ingenia non videre quis credat?

1. Cor. 7. 14.

Nati ex alterutro parente fideli mundi dicuntur ab Apoſtolo.

V. Gelaſii in Opuſculo cont. Pelag.

42. Noſtræ autem, immo ipſius Apoſtoli ſententiæ, qui dixit, *Ex uno omnes ad condemnationem, & ex uno omnes ad juſtificationem vitæ*: quàm non ſit contrarium hoc quod ait, cùm de alia re ageret, *Alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt*, paululùm adtende. * Non unius modi eſt ſanctificatio: nam & catechumenos ſecundùm quemdam modum ſuum per ſignum Chriſti & orationem [f] manûs impoſitionis puto ſanctificari: & quod accipiunt, quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quàm cibi quibus alimur, quoniam [g] ſacramentum eſt. Verùm & ipſos cibos, quibus ad neceſſitatem ſuſtentandæ hujus vitæ alimur, ſanctificari idem Apoſtolus dixit, per verbum Dei & orationem, qua oramus, utique noſtra corpuſcula refecturi. Sicut ergo iſta ciborum ſanctificatio non efficit, ut quod in os intraverit non in ventrem vadat & in ſeceſſum emitta-

Rom. 5. 16. & 18.

* Caput XXVI. Sanctificatio multiplex.

Sacramentum catechumenorum.

1. Tim. 4. 5.

[a] Loco, *nec ſumſit carnem peccati*: plerique MSS. habent, *nec cum carne peccati*; fortè pro, *neque carnem peccati*, ſubaud. *habuit.*

[b] Editi, *de natura carnis peccati.* Sorbonici codices duo, & unus Caſalenſis abbatiæ, *de materia carnis peccati.* Vetuſtiſſimus autem Corbeienſis ceterique Gallicani MSS. necnon tres Vaticani, & quot à Lovanienſibus viſi ſunt, Belgici quatuor ferunt, *de materna carne peccati.* Confer lib. 5. contra Julian. c. 9. & librum 10. de Geneſi ad lit. c. 18. & 20.

[c] In MSS *ſed ipſa fide.*

[d] Am. & Er. *quam elegerat creavit.*

[e] Plures MSS. *in unoquoque anno fuerat facienda*: omiſſo *ſæpe*, quod ceteri quoque prætereunt: & infrà pro *ex fructibus*, habent omnes, *ex frugibus.*

[f] Remigianus MS. *& orationem & manûs impoſitionem.*

[g] Accipiebant catechumeni ſacramentum ſalis, qua de re exſtat concilii Carthaginenſis III. canon 5. Id rurſum Auguſtinus in lib. de catechizandis rudibus cap. 26. *ſacramentum* appellat & *ſpeciem benedictione ſanctificatam*: qui etiam lib. 1. Confeſſ. c. 11. de ſuo ipſius catechumenatu loquens, *Et ſignabar jam*, ait, *ſigno crucis ejus, & condiebar ejus ſale.*

tur per corruptionem, qua omnia terrena solvuntur, unde & ad aliam escam quæ non corrumpitur, nos Dominus exhortatur: ita sanctificatio catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum in regnum cælorum, aut ad peccatorum remissionem. Ac per hoc & illa sanctificatio, cujuscumque modi sit, quam in filiis fidelium esse dixit Apostolus, ad istam de baptismo & de peccati origine vel remissione quæstionem omnino non pertinet. Nam & conjuges infideles in conjugibus fidelibus sanctificari dicit eo ipso loco ita loquens: *Sanctificatur enim vir infidelis in uxore, & sanctificatur mulier infidelis in fratre. Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Non, opinor, quisquam tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, ut ob hoc existimet etiam maritum non Christianum, quia Christiana fuerit uxor ejus, neque jam baptizari oportere, & ad peccatorum remissionem jam pervenisse, & in regnum cælorum esse intraturum, quia sanctificatus dictus est in uxore.

Johan. 6. 27. — *V. infrà lib. 3. c. 11. & Ser. 29. 4.* — *1. Cor. 7. 14.*

CAPUT XXVII.

43. Quisquis verò adhuc movetur, quare baptizentur qui jam de baptizatis nascuntur, hoc breviter accipiat. Sicut generatio carnis peccati per unum Adam ad condemnationem trahit omnes qui eo modo generantur, sic generatio spiritûs gratiæ per unum Jesum Christum ad justificationem vitæ æternæ ducit omnes qui eo modo [a] prædestinati regenerantur. Sacramentum autem baptismi profectò sacramentum regenerationis est. Quocirca sicut homo qui non vixerit, mori non potest, & qui mortuus non fuerit, resurgere non potest: ita qui natus non fuerit, renasci non potest. Ex quo conficitur, neminem in suo parente renasci potuisse non natum. Oportet autem, ut si natus fuerit, renascatur: quia *nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Oportet igitur ut sacramento regenerationis, ne sine illo malè de hac vita exeat, etiam parvulus imbuatur: quod non fit nisi in remissionem peccatorum. Quod etiam ipso loco Christus ostendit, cùm interrogatus quomodo possent ista fieri, commemoravit quid Moyses fecerit in exaltatione serpentis. Cùm itaque per baptismi sacramentum morti Christi conformentur infantes, eos à serpentis morsu fatendum est liberari, si à Christianæ fidei regula nolumus aberrare. Quem tamen morsum non in sua vita propria, sed in illo cui primitus inflictus est, acceperunt.

Johan. 3. 3.

Objectio Pelagianorum.

44. Neque illud fallat, quòd nec parenti post conversionem obsunt propria peccata: *Quanto enim magis*, inquiunt, *filio ejus obesse non possunt?* Sed qui hoc sentiunt, non adtendunt, quia sicut parenti per hoc quòd spiritu renatus est propria peccata non obsunt, ita qui de illo natus est, nisi eo modo renascatur, quæ à parente tracta sunt, oberunt. Quia & innovati parentes, non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt; & filii ex parentum reliqua vetustate toti vetusti, & in peccati carne propagati, damnationem veteri homini debitam sacramento spiritalis regenerationis & renovationis evadunt. Illud namque præcipuè propter quæstiones quæ de hac re motæ sunt, vel moveri adhuc possunt, adtendere ac meminisse debemus tantummodo peccatorum omnium plenam perfectamque remissionem baptismo fieri; hominis verò ipsius qualitatem non totam continuò commutari: sed spiritales primitias in bene proficientibus de die in diem novitate crescente commutare in se quod carnaliter vetus est, donec totum ita renovetur, ut animalis etiam infirmitas corporis ad firmitatem spiritalem incorruptionemque perveniat.

CAPUT XXVIII. *Lex peccati dicta peccatum.*

45. Hæc autem lex peccati, quod etiam peccatum appellat Apostolus, cùm dicit, *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus*, non sic manet in membris eorum qui ex aqua & spiritu renati sunt, tamquam non sit ejus facta remissio, ubi omnino plena & perfecta fit remissio peccatorum, omnibus inimicitiis interfectis, quibus separabamur à Deo: sed manet in vetustate carnis tamquam superatum & peremtum, si non illicitis consensionibus quodam modo reviviscat, & in regnum proprium dominationemque revocetur. Ab hac autem vetustate carnis, in qua est lex ista peccati vel peccatum jam remissum, usque adeo spiritûs vita discernitur, in cujus [b] novitate baptizati per Dei gratiam renascuntur, ut parum fuerit Apostolo dicere, tales non esse in peccato, nisi etiam diceret, in ipsa carne illos non esse, antè quàm ex hac mortali vita migrarent. *Qui enim in carne sunt*, inquit, *Deo placere non possunt: vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* Verumtamen sicut ipsa carne quamvis corruptibili bene utuntur, qui membra ejus ad opera bona convertunt, in qua carne non sunt, quia non secundùm eam sapiunt neque vivunt; sicut denique etiam morte, quæ primi peccati pœna est, bene utuntur, qui eam pro fratribus, pro fide, pro quacumque vera & sancta justitia fortiter & patienter impendunt: sic illa etiam lege peccati, quod jam remissum in vetustate carnis manet, bene utuntur conjugati fideles, qui ex eo quòd sunt in Christi novitate, dominari sibi libidinem minimè patiuntur; ex eo autem quòd adhuc trahunt Adæ vetustatem, regenerandos immortaliter filios mortaliter generant cum ea propagine peccati, qua illi qui renati sunt obnoxii non tenentur, & qua illi qui nascuntur renascendo solvuntur. Quamdiu ergo manet lex [c] concupiscentialiter in membris, manente ipsâ reatus ejus solvitur; sed ei solvitur, qui sacramentum regenerationis accepit renovarique jam cœpit. Ex [d] illa autem manente concupiscentiæ vetustate quod nascitur, renasci indiget ut sanetur. Quia parentes fideles & nati carnaliter & renati spiritaliter, filios carnaliter genuerunt; filii verò antè quàm nascerentur, renasci quomodo potuerunt?

Rom. 6. 12. — *Concupiscentia quomodo in baptizatis peremta ejus maneat.* — *Rom. 8. 8.* — *In carne esse.* — *Reatus concupiscentiæ, manente ipsa, per baptismum solvitur.*

46. Nec mireris, quòd dixi, manente concupiscentialiter lege peccati reatum ejus solvi per gratiam sacramenti. Sicut enim facta & dicta & cogitata iniqua, quantum ad ipsos motus animi & corporis pertinet, jam præterierunt & non sunt;

Confer lib. 6. cont. Julian. c. 8.

[a] Duo ex Vaticanis MSS. *qui eo modo prædestinantur.*
[b] Gallicani omnes MSS. *in cujus novitatem.*
[c] In editis, *lex concupiscentialis.* Sed infrà in posterioribus tantùm editionibus legitur, *concupiscentiali lege.* Utroque loco ex MSS. restituimus *concupiscentialiter*: quod adverbium adhibuit suprà cap. 9.
[d] Gallicani omnes MSS. & duo è Vaticanis, *Ex illo.*

ſunt; eis tamen præteritis & non tum exſiſtentibus reatus eorum manet, niſi peccatorum remiſſione ſolvatur: ſic contrà in hac non jam præterita, ſed adhuc manente lege concupiſcentiæ, reatus ejus ſolvitur, & non erit, cùm ſit in baptiſmo plena remiſſio peccatorum. Denique ſi continuò conſequatur ab hac vita emigratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, ſolutis omnibus quæ tenebant. Sicut ergo non eſt mirum, præteritorum dictorum, factorum, atque cogitatorum reatum manere ante peccatorum remiſſionem: ſic contrà non debet eſſe mirum, manentis concupiſcentiæ reatum præterire poſt peccatorum remiſſionem.

Caput XXIX. Omnes prædeſtinati per unū mediatoré Chriſtum & per unā eamdemque fidem ſalvantur. V. epiſt. 157. ad Hilariū. n. 14.

47. Quæ cùm ita ſint, ex quo per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, uſque in finem carnalis hujus generationis & corruptibilis ſæculi, cujus filii generant & generantur, nullo exſiſtente homine de quo in hac vita conſtituto veraciter dici poſſit, quòd nullum habeat omnino peccatum, excepto uno Mediatore, qui nos Creatori noſtro per remiſſionem reconciliat peccatorum: idem ipſe Dominus noſter hanc ſuam medelam nullis generis humani temporibus ante ultimum futurum adhuc judicium denegavit eis, quos per certiſſimam præſcientiam & [a] futuram beneficentiam ſecum regnaturos in vitam prædeſtinavit æternam. Namque ante nativitatem carnis infirmitatemque paſſionis & virtutem reſurrectionis ſuæ, earum rerum futurarum fide eos qui tunc fuerant, informabat ad hereditatem ſalutis æternæ, quarum rerum præſentium fide informavit eos, qui cùm gererentur aderant, atque impleri prædicta cernebant, quarum etiam præteritarum fide qui poſtea fuerunt, & nos ipſos, & qui deinde futuri ſunt, informare non ceſſat. Una ergo fides eſt quæ omnes ſalvos facit, qui ex carnali generatione [b] ſpiritaliter renaſcuntur, terminata in eo, qui venit pro nobis judicari & mori judex vivorum & mortuorum. Sed hujus unius fidei pro ſignificationis opportunitate per varia tempora ſacramenta variata ſunt.

Parvulorum quoque ſalvator Chriſtus. Lucæ 2. 11. Matth. 1. 21.

48. Idem ipſe itaque Salvator eſt parvulorum atque majorum, de quo dixerunt Angeli, *Natus eſt vobis hodie ſalvator:* & de quo dictum eſt ad virginem Mariam, *Vocabis nomen ejus Ieſum, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum:* ubi apertè demonſtratum eſt, eum hoc nomine, quo appellatus eſt Jeſus, propter ſalutem quam nobis tribuit, nominari: Jeſus quippe, Latinè Salvator eſt. Quis eſt igitur qui audeat dicere Dominum Chriſtum tantùm majoribus non etiam parvulis eſſe Jeſum? qui venit in ſimilitudine carnis peccati, ut evacuaret corpus peccati, in quo infirmiſſimo nulli uſui congruis vel idoneis infantilibus membris, anima rationalis miſerabili ignorantiâ prægravatur. Quam planè ignorantiam nullo modo crediderim fuiſſe in infante illo, in quo Verbum caro factum eſt, ut habitaret in nobis, nec illam ipſius animi infirmitatem in Chriſto parvulo fuerim ſuſpicatus, quam videmus in parvulis. Per hanc enim etiam,

Chriſtus etiā infans ignorantiā caruit & animi infirmitate.

A cùm motibus irrationabilibus perturbantur, nulla ratione, nullo imperio, ſed dolore aliquando vel doloris terrore cohibentur: ut omnino videas illius inobedientiæ filios, quæ movetur in membris repugnans legi mentis, nec cùm vult ratio, conquieſcit: verùm & ipſa ſæpe vel dolore corporis, tamquam vapulando compeſcitur, vel paveſcendo, vel tali aliquo animi motu, non tamen voluntate præcipiente, comprimitur. Sed quia in eo erat ſimilitudo carnis peccati, mutaB tiones ætatum perpeti voluit ab ipſa exorſus infantia, ut ad mortem videatur etiam ſeneſcendo illa caro pervenire potuiſſe, niſi juvenis fuiſſet occiſus. Quæ tamen mors in carne peccati inobedientiæ debita redditur, in ſimilitudine autem carnis peccati obedientiæ voluntate ſuſcepta eſt. Ad eam quippe iturus eamque paſſurus, hoc ait: *Ecce venit princeps mundi hujus, & in me nihil inveniet: ſed ut ſciant omnes quia voluntatem Patris mei facio, ſurgite, eamus hinc.* His dictis C perrexit ad indebitam mortem, factus obediens uſque ad mortem.

Chriſti caro ſeneſcendo, ad mortem etiam ventura fuiſſe videtur. *Iohan. 14. 30.*

Caput XXX. Objectio Pelagianorum.

49. Quapropter illi qui dicunt, *Si primi hominis peccato factum eſt ut moreremur, Chriſti adventu fieret ut credentes in eum non moreremur:* & addunt quaſi rationem, dicentes, *Neque enim prævaricatoris tranſgreſſio plus nobis nocuit, quàm incarnatio vel redemtio profuit Salvatoris:* cur non potiùs hoc adtendunt, hoc audiunt, hoc ſine [c] dubitatione credunt, quod Apoſtolus ſine amD biguitate locutus eſt, *Quia per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum? Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Neque enim aliunde, quàm de corporis reſurrectione dicebat. Omnium ergo corporis mortem factam per unum hominem dixit, & omnium corporis reſurrectionem in vitam æternam per unum Chriſtum futuram eſſe promiſit. Quomodo ergo *plus nobis nocuit ille peccando, quàm iſte profuit redimendo;* cùm per illius E peccatum temporaliter moriamur, per iſtius autem redemtionem non ad temporalem vitam, ſed ad perpetuam reſurgamus? Noſtrum ergo corpus mortuum eſt propter peccatum, Chriſti autem corpus ſolùm mortuum eſt ſine peccato; ut fuſo ſanguine ſine culpa, omnium culparum chirographa delerentur, quibus debitores qui in eum credunt, à diabolo antea tenebantur. Et ideo, *Hic eſt*, ait, *ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.*

1. Cor. 15. 21. *Matth. 26. 28.*

Caput XXXI. Cur non ſimul per baptiſmum cum peccatis mors etiam ipſa aboleatur. V. epiſt 157. ad Hilariū. n. 19. & Ser. 299. n. 10.

F 50. Poterat autem etiam hoc donare credentibus, ut nec iſtius experirentur corporis mortem: ſed ſi hoc feciſſet, carni quædam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo. Sic enim homines mortem iſtam timent, ut non ob aliud felices dicerent eſſe Chriſtianos, niſi quòd mori omnino non poſſent. Ac per hoc nemo propter illam vitam, quæ poſt iſtam mortem beata futura eſt, per virtutem etiam contemnendæ ipſius mortis ad Chriſti gratiam feſtinaG ret, ſed propter removendam mortis moleſtiam delicatiùs crederetur in Chriſtum. Plus ergo gratiæ præſtitit, plus fidelibus ſuis ſine dubitatione donavit. Quid enim magnum erat, videndo non

[a] Editi, *& juſtiſſimam beneficentiam.* Contrà noſtri omnes MSS. Gallicani, Vaticani, Belgici, *& futuram beneficentiam*, vel *beneficientiam.*

[b] Ita in omnibus MSS. At in editis legebatur, *qui ex carnali generatione in ſpiritalem renaſcendo ſalvantur.*

[c] In MSS. *ſine diſceptatione.*

mori eos qui crederent, credere se non moriturum? Quanto est majus, quanto fortius, quanto laudabilius, ita credere, ut se speret moriturus sine fine victurum? Denique hoc quibusdam in fine largietur, ut mortem istam repentina commutatione non sentiant, sed simul cum resurgentibus rapiantur in nubibus obviàm Christo in aera, & sic semper cum Domino vivant. Et rectè illis, quia non erunt jam posteri qui propter hoc credant, non sperando quod non vident, sed amando quod vident. Quæ fides est enervis & debilis, nec fides omnino dicenda, quando quidem fides ita definita est: *Fides est* [a] *sperantium substantia, convictio rerum quæ non videntur.* Unde etiam in eadem, ubi & hoc scriptum est, ad Hebræos epistola, cùm consequenter enumerasset quosdam, qui Deo fide placuerunt: *Secundùm fidem*, inquit, *mortui sunt hi omnes, cùm non accepissent promissiones, sed longè eas videntes & salutantes, & confitentes quia hospites & peregrini sunt super terram.* Et paulò pòst eamdem fidei laudem ita conclusit: *Et omnes*, inquit, *testimonium consecuti per fidem, non tulerunt promissiones Dei: pro nobis enim meliora providerunt, ne sine nobis perfecti perficerentur.* Hæc laus fidei non esset, nec omnino, ut jam dixi, fides esset, si homines in credendo præmia visibilia sequerentur, hoc est, si fidelibus merces immortalitatis in hoc sæculo redderetur.

V. l. 2. Retr. c. 33. & epist. 193. ad Mercatorem.

[a] Hebr. 11. 1.

Ibidem 13.

Ibidem. 39.

51. Hinc & ipse Dominus mori voluit, *ut*, quemadmodum de illo scriptum est, *per mortem evacuaret eum, qui potestatem habebat mortis, id est, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam rei erant servitutis.* Hoc testimonio satis etiam illud monstratur, & mortem istam corporis principe atque auctore diabolo, hoc est, ex peccato accidisse, quod ille persuasit, neque enim ob aliud potestatem habere mortis verissimè diceretur: unde ille qui sine ullo peccato vel originali vel proprio moriebatur, dixit, quod paulò ante commemoravi, *Ecce veniet princeps mundi*, id est, diabolus, qui potestatem habebat mortis, *& in me nihil inveniet*, id est, peccati, propter quod homines mori fecit. Et quasi diceretur ei, Quare ergo moreris? *Sed ut sciant omnes*, inquit, *quia voluntatem Patris mei facio, surgite, eamus hinc:* id est, ut moriar non habens mortis caussam de peccato sub auctore peccati, sed de obedientia & justitia factus obediens usque ad mortem. Et hoc ergo illo testimonio demonstratum est, & quòd timorem mortis fideles vincunt, ad agonem ipsius fidei pertinere, qui profectò defuisset, si mox esset credentes immortalitas consecuta.

Hebr. 2. 14.

Mortis potestatem & imperium, cur diabolus habere dicatur.

Johan. 14. 30.

Caput XXXII

Cur Christus post resurrectionem præsentiam suam mundo subduxerit.

52. Quamvis itaque multa Dominus visibilia miracula fecerit, unde ipsa fides velut quibusdam primordiis lactescentibus germinaret, & in suum robur ex illa teneritudine coalesceret, (tanto est enim fortior, quanto magis jam ista non quærit:) tamen illud quod promissum speramus, invisibiliter voluit exspectari, ut justus ex fide viveret, in tantum ut nec ipse qui die tertio resurrexit, inter homines esse voluerit, sed eis demonstrato in sua carne resurrectionis exemplo, quos hujus rei testes habere dignatus est, in cælum adscenderit, illorum quoque se oculis auferens, nihilque tale cujusquam eorum carni jam tribuens, quale in carne propria demonstraverat; ut & ipsi ex fide viverent, ejusque justitiæ, in qua ex fide vivitur, præmium quod postea erit visibile, nunc interim per patientiam invisibiliter exspectarent. Ad hunc intellectum credo etiam illud esse referendum, quod ait de Spiritu-sancto: *Non potest ipse venire, nisi ego abiero.* Hoc enim erat dicere, non poteritis justè vivere ex fide, quod de meo dono, id est, de Spiritu-sancto habebitis, nisi à vestris oculis hoc quod intuemini abstulero, ut spiritaliter cor vestrum invisibilia credendo proficiat. Hanc ex fide justitiam identidem, loquens de Spiritu-sancto, ita commendat: *Ille*, inquit, *arguet mundum de peccato, de justitia, & de judicio: de peccato quidem, quia non crediderunt in me: de justitia, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me.* Quæ est ista justitia, qua eum non viderent, nisi ut justus ex fide viveret, & non respicientes quæ videntur, sed quæ non videntur, spiritu ex fide spem justitiæ exspectaremus?

Johan. 16. 7.

Ibid. 8.

53. Qui autem dicunt: *Si peccato mors ista corporis accidisset, non utique post remissionem peccatorum, quam Redemtor nobis tribuit, moreremur:* non intelligunt quomodo res, quarum reatum, ne post hanc vitam obsint, Deus solvit, tamen eas ad certamen fidei sinit manere, ut per illas erudiantur & exerceantur proficientes in agone justitiæ. Posset enim & alius hoc non intelligens dicere, Si propter peccatum dixit Deus homini, *In sudore vultus tui edes panem tuum, & spinas & tribulos pariet tibi terra:* quare & post remissionem labor hic permanet, & hæc dura & aspera parit etiam terra fidelium? Item si propter peccatum dictum est mulieri, *In gemitu paries:* cur etiam post peccatorum remissionem feminæ fideles eosdem dolores in parturiendo patiuntur? Et tamen constat propter peccatum, quod admiserant, illos à Deo primos homines hæc audisse atque meruisse: nec resistit his verbis divini libri, quæ posui de labore hominis & de parturitione mulieris, nisi qui prorsus alienus à fide catholica eisdem litteris adversatur.

Caput XXXIII. Objectio Pelagianorum.

Genes. 3. 17.

Ibid. 16.

54. Verum quia & tales non desunt, quemadmodum eis hac quæstione proposita respondemus, dicentes, ante remissionem esse illa supplicia peccatorum, post remissionem autem certamina exercitationesque justorum: ita & illis quos de morte corporis similiter movet, respondere debemus, ut eam & peccato accidisse fateamur, & post peccatorum remissionem, ut magnus timor ejus à proficientibus superetur, ad certamen nobis relictam esse non dedignemur. Si enim parva virtus esset fidei, quæ per dilectionem operatur, mortis metum vincere, non esset tanta Martyrum gloria, nec Dominus diceret, *Majorem hac caritatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis.* Quod in epistola sua Johannes ita dicit: *Sicut ille animam suam pro nobis posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere.* Nequaquam igitur in morte pro justitia subeunda vel contemnenda laudaretur præcipua patientia, si mortis non esset magna multúmque

Caput XXXIV. Cur remisso peccato pœna adhuc exigatur.

Johan. 15. 13.

1. Johan. 3. 16.

[a] Lov. *sperandorum.* At Am. Er. & nostri MSS. constanter habent *sperantium.* Sic ab Augustino citatur in Tract. 79. in Johan. n. 1. & Tract. 95. n. 2. Græcè est ἐλπιζομένων, quod cùm sit verbum medium, ab aliis activè accipiebatur, ab aliis passivè.

dura molestia. Cujus timorem qui vincit ex fide, magnam ipsius fidei comparat gloriam justamque mercedem. Unde mirandum non est, & mortem corporis non fuisse eventuram homini, nisi præcessisset peccatum, cujus etiam talis pœna consequeretur; & post remissionem peccatorum eam fidelibus evenire, ut in ejus timore vincendo exerceretur fortitudo justitiæ.

Ad recuperandam justitiam peccato amissam laboribus & molestiis enitendum.

55. Caro enim quæ primò facta est, non erat caro peccati, in qua noluit homo inter delicias paradisi servare justitiam. Unde statuit Deus, ut post ejus peccatum propagata caro peccati, ad recipiendam justitiam laboribus & molestiis eniteretur. Propter hoc etiam de paradiso dimissus Adam, contra Eden habitavit, id est, contra sedem deliciarum: ut significaret quòd in laboribus, qui sunt deliciis contrarii, erudienda esset caro peccati, quæ in deliciis obedientiam non servavit antequàm esset caro peccati. Sicut ergo illi primi homines postea justè vivendo, unde meritò creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati, non tamen in illa vita meruerunt ad paradisum revocari: sic & caro peccati, etiam si remissis peccatis homo in ea justè vixerit, non continuò meretur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati.

Primi parentes salvati. V. lib. de nat. & gratia c. 21. & epist. 164. c. 3. n. 6. & lib. de hæresibus n. 25.

56. Tale aliquid nobis insinuatum est de patriarcha David in libro Regnorum, ad quem Propheta cùm missus esset, eique propter peccatum quod admiserat, eventura mala ex iracundia Dei comminaretur, confessione peccati veniam meruit, respondente Propheta, quòd ei flagitium facinusque remissum sit: & tamen consecuta sunt quæ Deus fuerat comminatus, ut sic humiliaretur à filio. Quare & hîc non dicitur, Si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, cur dimisso peccato quod erat minatus implevit? nisi quia rectissimè, si dictum fuerit, respondebitur remissionem illam peccati factam, ne homo à percipienda vita impediretur æterna; subsecutum verò illius comminationis effectum, ut pietas hominis in illa humilitate exerceretur atque probaretur. Sic & mortem corporis & propter peccatum Deus homini inflixit, & post peccatorum remissionem propter exercendam justitiam non ademit.

** David.* *2. Reg. 12. 13.*

Caput XXXV.

57. Teneamus ergo indeclinabilem fidei confessionem. Solus unus est qui sine peccato natus est in similitudine carnis peccati, sine peccato vixit inter aliena peccata, sine peccato mortuus est propter nostra peccata. *Non declinemus in dexteram aut in sinistram.* In dexteram enim declinare, est se ipsum decipere dicendo se esse sine peccato: in sinistram autem, per nescio quam perversam & pravam securitatem se tamquam impunè dare peccatis. *Vias enim quæ à dextris sunt novit Dominus*, qui solus sine peccato est, & nostra potest delere peccata: *perversæ autem sunt quæ à sinistris*, amicitiæ cum peccatis. Tales etiam illi [a] viginti annorum adolescentuli figuram novi populi præmiserunt, qui in terram promissionis intrarunt, qui nec in dexteram nec in sinistram dicti sunt declinasse. Non enim viginti annorum ætas comparanda est innocentiæ parvulorum: sed, ni fallor, hic numerus mysticum aliquid adumbrat & resonat. Vetus enim Testamentum in quinque Moysi libris excellit, novum autem quatuor Evangeliorum auctoritate præfulget, qui numeri per se multiplicati ad vicenum perveniunt: quater enim quini, vel quinquies quaterni, viginti sunt. Talis populus, ut prædixi, eruditus in regno cælorum per duo Testamenta, vetus & novum, non declinans in dexteram superba præsumtione justitiæ, neque in sinistram secura [b] delectatione peccati, in terram promissionis intrabit: ubi jam peccata ulteriùs nec nobis donanda optemus, nec in nobis punienda timeamus, ab illo Redemtore liberati, qui non venumdatus sub peccato, redemit Israël ab omnibus iniquitatibus ejus, sive propriâ [c] cujusquam vitâ commissis, sive originaliter tractis.

Prov. 4. 27. *Ibidem.*

Caput XXXVI.

58. Non enim parum paginarum divinarum auctoritati veritatique cesserunt, qui etsi noluerunt litteris suis apertè exprimere, parvulis remissionem necessariam peccatorum, redemtionem tamen eis opus esse confessi sunt. Alio quippe verbo, etiam ipso de Christiana eruditione depromto, nihil aliud omnino dixerunt. Nec dubitandum [d] est his qui divina scripta fideliter legunt, fideliter audiunt, fideliter tenent, quòd ab illa carne quæ priùs [e] voluntate peccati facta est caro peccati, deinceps per successionem transeunte in omnes proscriptione iniquitatis & mortis caro sit propagata peccati, excepta una similitudine carnis peccati, quæ tamen non esset, nisi esset & caro peccati.

An anima ex t. aducc.

59. De anima verò, utrùm & ipsa eodem modo propagata, reatu qui ei dimittatur obstricta sit: (neque enim possumus dicere, solam carnem parvuli, non etiam animam indigere Salvatoris & Redemtoris auxilio, alienamque ab ea esse gratiarum actione quæ in Psalmis est, ubi legimus & dicimus, *Benedic anima mea Dominum, & noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos, qui redimit de corruptione vitam tuam*:) an etiam non propagata, eo ipso quo carni peccati aggravanda miscetur, jam ipsius peccati remissione & sua redemtione opus habeat, Deo per [f] summam præscientiam judicante, qui parvuli ab isto reatu non mereantur absolvi, etiam qui nondum nati nihil alicubi propriâ suâ vitâ egerunt vel boni vel mali: & quomodo Deus etiam si non de traduce animas creat, non sit tamen auctor reatûs ejusdem, propter quem redemtio sacramenti necessaria est & animæ parvuli: magna * quæstio est, aliamque disputationem desiderat, eo tamen quantum arbitror moderamine temperatam, ut magis inquisitio cauta laudetur, quàm præcipitata reprehendatur assertio. Ubi enim de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumtio, nihil faciens in partem alteram declinando.

Psal. 102. 2.

** Hanc tractat in ep. st. 166 & 190. & lib. 3. de origine animæ, & lib. 3. de libero arb. c. 21.*

In rebus obscuris ubi Scripturæ non adjuvant, cavêda judicandi temeritas.

[a] Respicere videtur in locum Num. c. 14. ubi omnibus qui à viginti annis & suprà numerati sunt, morti in deserto obeundæ addictis, decrevit Deus ceteros in terram promissionis introducere ætate juniores, qui Josue c. 23. v. 6. & 8. laudantur non declinasse à lege, nec ad dexteram nec ad sinistram.

[b] Gallicani quatuor & tres Vaticani codices, *dilectione peccati.*

[c] Sic omnes Gallic. MSS. At editi, *cujusque.* Hac fortè voce uti noluit Aug. ob eorum errorem, qui propriæ vitæ peccata homini cuique etiam infanti tribuebant. V. suprà lib. 1. c. 17. 22. 34. & 35.

[d] Am. Er. & MSS. *Nec dubitandum esse.*

[e] Editi, *voluptate.* Tres MSS. *volunta e.*

[f] Belgici MSS. & duo ex Gallicanis, *per suam præscientiam.*

Scripturæ claræ in his quæ ad salutē necessaria sunt.

Et si enim quodlibet horum, quemadmodum demonstrari & explicari possit, ignorem: illud tamen credo, quòd etiam hinc divinorum eloquiorum clarissima auctoritas esset, si homo id sine dispendio promissæ salutis ignorare non pos- A set. Habes elaboratum, utinam tam commodum quàm prolixum, pro meis viribus opus, cujus prolixitatem fortasse defenderem, nisi id vererer facere defendendo prolixius.

LIBER TERTIUS,

Seu AD EUMDEM MARCELLINUM EPISTOLA,

In qua Augustinus Pelagii circa quæstionem de peccatorum meritis & de parvulorum baptismo errores, sive nonnullas contra peccatum originale, quas ille suis in Paulum expositionibus insperserat, argumentationes redarguit.

CARISSIMO filio MARCELLINO AUGUSTINUS episcopus servus Christi servorumque Christi, in Domino salutem.

CAPUT I.

DE quæstionibus quas mihi proposueras, ut ad te aliquid scriberem adversùs eos qui dicunt Adam etiamsi non peccasset, fuisse moriturum, nec ex ejus peccato quidquam ad ejus posteros propagando transisse, maximè propter baptismum parvulorum, quem more piissimo atque materno universa frequentat Ecclesia, & quòd in hac vita sint, fuerint, futurique sint filii hominum nullum habentes omnino peccatum, jam duos prolixos absolveram libros: quibus mihi visus sum, non quidem omnibus omnium occurrisse in hac caussa motibus animorum, quod vel à me, vel à quoquam utrùm fieri possit ignoro, immo fieri non posse non dubito; sed tamen egisse aliquid, quo de his rebus à majoribus traditæ fidei defensores contra novitates eorum qui aliter sentiunt, non inermes usquequaque consisterent. Verùm post paucissimos dies legi Pelagii quædam scripta, viri ut audio sancti, & non parvo provectu Christiani, quæ in Pauli apostoli [a] epistolas expositiones brevissimas continerent: atque ibi comperi, cùm ad illum venisset locum, ubi dicit Apostolus, *per unum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem, atque ita in omnes homines pertransisse*, quamdam eorum argumentationem qui negant parvulos peccatum originale gestare: quam fateor in illis tam longis voluminibus meis non refelli; quia in mentem mihi omnino non venerat, quemquam posse talia cogitare, vel dicere. Quapropter quoniam illi operi, quod jam certo fine concluseram, nihil addere volui; & ipsam eisdem verbis quibus eam legi, & quid mihi contra videatur, huic epistolæ inserendum putavi.

Pelagius existimatus vir sanctus Ejus expositiones in Paulum. a *Rom. 5. 12.*

CAPUT II. *Objectio Pelagii. V. ser. 294. c. 17.*

2. SIC ergo illa argumentatio posita est: *Hi autem*, inquit, *qui contra traducem peccati sunt, ita illam impugnare nituntur: Si Adæ*, *inquiunt*, *peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo & Christi justitia etiam non credentibus prodest; quia similiter, immo & magis dicit per unum salvari, quàm per unum antè perierunt.* Huic ergo, ut dixi, argumento in illis duobus libris, quos ad te scripsi, nihil respondi, neque id mihi prorsus redarguendum proposui. Nunc ergo priùs illud adtende, B quemadmodum cùm dicunt, *Si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocet, & Christi justitia etiam non credentibus prodest*, absurdissimum utique & falsissimum judicant, ut Christi justitia etiam non credentibus prosit, unde putant confici, nec primi hominis peccatum parvulis non peccantibus nocere potuisse, sicut & Christi justitia prodesse ullis non credentibus non potest. Dicant itaque, Christi justitia quid baptizatis parvulis prosit: dicant omnino quod volunt. Profectò C enim, si se Christianos esse meminerunt, aliquid prodesse non ambigunt. Quodlibet igitur prosit, prodesse, sicut etiam ipsi asserunt, non credentibus non potest. Unde coguntur parvulos baptizatos in credentium numero deputare, & auctoritati sanctæ ubique Ecclesiæ consentire, quæ fidelium eos nomine non censet indignos, quibus justitia Christi etiam secundùm istos prodesse non nisi credentibus posset. Sicut ergo eorum per quos renascuntur, justitiæ spiritus responsione D sua trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt: sic eorum per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vitâ propriâ contraxerunt. Et sicut eos vitæ spiritus in Christo regenerat fideles, sic eos corpus mortis in Adam generaverat peccatores: illa enim carnalis generatio est, hæc spiritalis: illa facit filios carnis, hæc filios spiritûs: illa filios mortis, hæc filios resurrectionis; illa filios sæculi, hæc filios Dei; illa E filios iræ, hæc filios misericordiæ; ac per hoc illa peccato originali obligatos, ista omnis peccati vinculo liberatos.

Parvuli credentium & fidelium numero putati.

3. Postremò ad id quod intellectu perspicacissimo assequi non valemus, auctoritate divina consentire cogamur. Bene quòd ipsi nos admonent, justitiam Christi nisi credentibus prodesse non posse, & prodesse aliquid parvulis confitentur: unde, ut diximus, necesse est eos baptizatos in credentium numero sine ulla tergiversatione F constituant. Consequenter igitur, si non baptizentur, inter eos qui non credunt, erunt; ac per hoc nec vitam habebunt, sed ira Dei manet super eos; quoniam *qui non credit Filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum*: & judicati sunt; quoniam *qui non credit, jam judicatus est*: & condemnabuntur; quoniam *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui autem non cre-*

Johan. 3. 36. Ibid. 18. Marci 16. 16.

[a] Pelagii in Paulum commentarios citat Mercator in Commonitorio. c. 2. & sententias illius ibidem profert multas, quæ totidem ferè verbis leguntur in commentariis nomine Hieronymi falsò publicatis.

diderit, condemnabitur. Jam nunc videant isti, quâ justitiâ tentent vel conentur asserere, non ad vitam æternam, sed ad iram Dei pertinere, & divinitus judicari atque damnari homines qui sine peccato sunt; si quemadmodum proprium, ita nullum in eis est etiam originale peccatum.

4. Jam ceteris, quæ Pelagius insinuat eos dicere, qui contra originale peccatum disputant, in illis duobus prolixi mei operis libris satis, quantum arbitror, dilucidéque respondi. Quod etsi quibusdam vel parum vel obscurum videbitur, dent veniam, & componant cum eis, qui fortasse illud non quia parum est, sed quia nimium, reprehendunt: & qui ea, quæ pro natura quæstionum dilucidè dicta existimo, adhuc non intelligunt, non mihi calumnientur pro negligentia vel pro meæ facultatis indigentia, sed Deum potiùs pro accipienda intelligentia deprecentur.

CAPUT III. Pelagius laudatus à nonnullis. a

5. VERUMTAMEN nos non negligenter oportet adtendere, istum, sicut eum qui noverunt loquuntur, [a] bonum ac prædicandum virum, hanc argumentationem contra peccati propaginem, non ex propria intulisse persona, sed quid illi dicant qui eam non approbant intimasse, nec solùm hoc quod modò proposui eique respondi, verùm etiam cetera quibus me in illis libris jam respondisse recolui. Nam cùm dixisset, *Si Adæ*, inquiunt, *peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo & Christi justitia etiam non credentibus prodest*; quod in iis quæ respondi, cernis quàm non solùm non [b] expugnet quod dicimus, sed etiam nos admoneat quid dicamus: secutus adjunxit, *Deinde aiunt, Si baptismus mundat antiquum illud delictum, qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato: non enim potuerunt ad posteros transmittere, quod ipsi minimè habuerunt. Illud quoque accedit*, inquit, *quia si anima non est ex traduce, sed sola caro, ipsa tantùm habet traducem peccati, & ipsa sola pœnam meretur: injustum esse dicentes, ut hodie nata anima non ex massa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum. Dicunt etiam*, inquit, *nulla ratione concedi, ut Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena.*

Argumenta contra peccatum originis, quæ Pelagius in commentario suo proponit. b

6. Videsne, obsecro, quemadmodum hoc totum Pelagius, non ex sua, sed ex aliorum persona indiderit scriptis suis, usque adeo sciens hanc nescio quam esse novitatem, quæ contra antiquam Ecclesiæ insitam opinionem sonare nunc cœperit, ut eam ipse confiteri aut verecundatus, aut veritus fuerit. Et fortè hoc ipse non sentit, quòd sine peccato nascatur homo, cui fatetur necessarium esse baptismum, in quo fit remissio peccatorum: & [c] quòd sine peccato damnetur homo, quem necesse est non baptizatum in non credentibus deputari; quia utique scriptura evangelica fallere non potest, in qua apertissimè legitur, *Qui non crediderit, condemnabitur*: postremò quòd sine peccato imago Dei non admittatur ad regnum Dei; quoniam *nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei*: atque ita vel in æternam mortem sine peccato præcipitetur, vel quod est absurdius, extra regnum Dei habeat vitam æternam; cùm Dominus prædicens quid suis in fine dicturus sit, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi*, manifestaverit etiam quid sit ipsum regnum quod dicebat, ita concludens, *Sic ibunt illi in ambustionem æternam, justi autem in vitam æternam.* Hæc ergo & alia quæ istum sequuntur errorem, nimiùm perversa & Christianæ repugnantia veritati, credo quòd vir ille tam egregiè Christianus omnino non sentiat. Sed fieri potest, ut etiam istorum argumentis, qui contra peccati traducem sentiunt, adhuc fortasse ita moveatur, ut audire vel nosse quid contra eos dicatur, exspectet: & ideo quid illi dicant, qui contra peccati traducem sentiunt, nec tacere voluit, ut quæstio discutienda insinuaretur, & à persona sua removit, ne hoc etiam ipse sentire judicaretur.

c

Marci 16. 16.

Iohan. 3. 5.

Matth. 25. 34.

CAPUT IV.

7. EGO autem etsi refellere istorum argumenta non valeam, video tamen inhærendum esse iis quæ in Scripturis sunt apertissima, ut ex his revelentur obscura; aut si mens nondum est idonea, quæ possit ea vel demonstrata cernere, vel abstrusa investigare, sine ulla hæsitatione credantur. Quid autem apertius tot tantisque testimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidissimè apparet, nec præter Christi societatem ad vitam salutemque æternam posse quemquam hominum pervenire, nec divino judicio injustè posse aliquem damnari, hoc est, ab illa vita & salute separari? Unde fit consequens, ut quoniam nihil agitur aliud, cùm parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, id est, Christi corpori membrisque socientur; manifestum sit eos ad damnationem, nisi hoc eis collatum fuerit, pertinere. Non autem damnari possent, si peccatum utique non haberent. Hoc quia illa ætas [d] nullâ in vitâ propriâ contrahere potuit, restat intelligere vel si hoc nondum possumus, saltem credere, trahere parvulos originale peccatum.

d

8. Ac per hoc si ambigui aliquid habent verba apostolica, quibus dicit, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit*, possuntque in aliam duci transferrique sententiam: numquid & illud ambiguum est, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei?* Numquid & illud, *Vocabis nomen ejus Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum?* Numquid etiam illud, *Quia non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus*; hoc est, quia non est necessarius Jesus eis qui non habent peccatum, sed eis qui salvandi sunt à peccato? Numquid etiam illud, *Quia nisi manducaverint homines carnem ejus*, hoc est, participes facti fuerint cor-

Rom. 5. 12.

Iohan. 3. 5.

Matth. 1. 21.

Matth. 9. 12.

Iohan. 6. 54.

[a] Gallicani omnes MSS. omittunt *bonum*: retentâ nihilo minùs in plerisque præpositione *ac*, vel sic mutatâ, ut in quibusdam legatur, *ad prædicandum virum.*

[b] Plures MSS. *non expugnent quod dicimus, sed etiam nos admoneant* &c. ac paulò pòst, *Illud quoque addunt*, pro *accedit.*

[c] Particula *&* abest à MSS. Sed exstat in editis, quorum antiquiores duo, Am. & Er. sic habet, *& quod sine baptismo damnetur homo*: & infrà, *postremò quod sine baptismo imago Dei* &c. malè, ac reluctantibus utroque loco MSS. qui cum Lov. constanter ferunt, *sine peccato.*

[d] Editi, *nullum in vita propria.* Gallicani verò sex MSS. *nullâ in vita propria.* Nempe ut duplex error excludatur, affingens infantibus peccatum vitæ propriæ, aut ante corpus, aut in corpore actæ. Hinc in epist. 217. ad Vitalem n. 16. *Nec secundùm merita*, inquit, *prioris alicujus vitæ, quam nullam propriam singuli habere potuerunt.* Vide suprà lib. 1. cap. 22.

poris ejus, *non habebunt vitam?* His atque hujusmodi aliis, quæ nunc prætereo, testimoniis divina luce clarissimis, divina auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solùm in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, sacramento baptismatis imbuuntur? Nonne veritas sine ulla dubitatione testatur, eos non ob aliud ad Jesum, hoc est, ad salvatorem & ad medicum Christum piis gestantium **B** manibus ferri, nisi ut per medicinam sacramentorum ejus possint à peccati peste sanari?* Quid ergo cunctamur Apostoli verba, de quibus fortè dubitabamus, etiam ipsa sic intelligere, ut his congruant testimoniis, de quibus dubitare non possumus?

Jesus etiam infantium Jesus est.

* *Hinc incipit Caput V. in edit. Am. & Er.*

9. Quamquam toto ipso loco, ubi per unius peccatum multorum condemnationem, & per unius justitiam multorum justificationem Apostolus loquitur, nihil mihi videatur ambigui, nisi **C** quod ait, *Adam formam futuri.* Hoc enim re vera non solùm huic sententiæ convenit, qua intelligitur futuros ejus posteros [a] ex eadem forma cum peccato esse generatos; sed etiam in alios & alios intellectus possunt hæc verba deduci. Nam & nos aliud inde aliquando diximus, & aliud fortasse dicemus, quod tamen huic intellectui non sit adversum: & ipse Pelagius non uno modo id exposuit. Cetera verò quæ ibi dicuntur, si diligenter advertantur atque tractentur, sicut **D** in primo duorum illorum libro utcumque conatus sum, etiam si subobscurum pariunt rerum ipsarum necessitate sermonem, non tamen poterunt alium sensum habere, nisi per quem factum est, ut antiquitus universa Ecclesia retineret, fideles parvulos originalis peccati remissionem per Christi baptismum consecutos.

Rom. 5. 14.

V. suprà lib. 1 c. 11. & epist. 157. & lib. 2. de nuptiis c. 27. & lib. 6. cont. Julian. c. 4.

Ostendit veteres nihil dubitasse de originali infantium peccato.

CAPUT V.

Cyprianus epist. 64. ad Fidum. V. Aug. epist. 166. & lib. 2. de nuptiis c. 29. & lib. 2. cont. Julian. c. 3. & lib. 4. ad Bonifac. c. 3. & Ser. 294. b

10. UNDE non immeritò beatus Cyprianus satis ostendit, quàm hoc ab initio creditum & intellectum servet Ecclesia: qui cùm parvulos à **E** materno utero recentissimos jam idoneos ad percipiendum Christi baptismum assereret, quoniam consultus fuerat, utrùm hoc ante octavum diem fieri deberet: quantum potuit, conatus est, eos demonstrare perfectos; ne quis [b] quasi pro numero dierum, quia octavo antea circumcidebantur infantes, eos adhuc perficiendos existimaret. Sed cùm magnum eis defensionis patrocinium præstitisset, ab originali tamen peccato eos immunes non esse confessus est: quia si hoc negaret, **F** ipsius baptismi caussam, propter quem percipiendum eos defendebat, auferret. Potes ipsam epistolam memorati martyris de baptizandis parvulis legere, si volueris: neque enim potest deesse Carthagini. Verùm in hanc etiam nostram, quantum præsenti quæstioni satis visum est, pauca inde transferenda arbitratus sum, quæ prudenter adtende. *Quantum verò*, inquit, *ad caussam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem quo nati sunt constitutos, baptizari* **G** *non oportere, & considerandam esse legem circumcisionis antiquæ, ut intra octavum diem eum qui natus est baptizandum & sanctificandum non putares;* **A** *longè aliud in concilio nostro visum est. In hoc enim quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit; sed universi potiùs judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam. Nam cùm Dominus in Evangelio suo dicat, Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare: quantum in nobis est, si fieri potuerit, nulla anima perdenda est.* Advertisne quid dicat, quemadmodum sentiat, non tantùm carni, sed animæ quoque infantis exitiabile esse atque mortiferum, sine illo salutari sacramento exire de hac vita? Unde si jam nihil aliud diceret, intelligere nostrum fuit, sine peccato animam perire non posse. Sed vide paulò pòst defendens innocentiam parvulorum, quid tamen de illis apertissimè fateatur. *Ceterùm si homines*, inquit, *impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos & provectos & majores natu possent impedire peccata graviora. Porrò autem si etiam gravissimis delictoribus & in Deum multùm antè peccantibus, cùm postea crediderint, remissa peccatorum datur, & baptismo atque gratiâ nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recèns natus nihil peccavit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso faciliùs accedit, quòd illi remittuntur non propria, sed aliena peccata.*

Luc. 9.

11. Vides quantâ fiduciâ ex antiqua & indubitata fidei regula vir tantus ista loquatur? Qui hæc documenta certissima ideo protulit, ut illud quod erat incertum, unde consuluerat ille cui rescribit, & unde concilii decretum constitutum esse commemorat, ut scilicet etiam ante octavum diem ex quo die natus esset infans, eum, si afferretur, baptizare nemo dubitaret, per hæc firmamenta probaretur. Neque enim hoc tunc quasi novum aut quasi aliqua cujusquam contradictione pulsatum, concilio statuebatur seu firmabatur, quòd obstricti originali peccato tenerentur infantes: sed cùm illic alia consultatio versaretur, & disceptaretur, propter legem carnalis circumcisionis, utrùm eos & ante octavum diem baptizare oporteret; ideo ei qui hoc negabat, nemo consensit, quia jam non consulendum nec disceptandum, sed firmum certumque habebatur, animam saluti æternæ perituram, si hanc vitam sine illius sacramenti consecutione finiret: quamvis ab utero recentissimi parvuli solo reatu essent peccati originalis obstricti: quare illis etsi multo facilior, quòd alienorum, sed tamen esset necessaria remissio peccatorum. His certis illa incerta de octavo die quæstio dissoluta est, atque in concilio judicatum, homini nato, ne in æternum pereat, omni die [c] debere succurri: cùm etiam de ipsa carnali circumcisione ratio redderetur, quòd umbra esset futuri: non quò intelligeremus etiam baptismum octavo ex quo natus est homo die dari oportere, sed nos in Christi resurrectione spiritaliter circumcidi, qui tertio quidem post diem passionis, in diebus tamen hebdomadarum, quibus tempora provolvuntur, octavo, hoc est, post sabbatum primo die à mortuis resurrexit.

[a] Am. & Er. *& eadem formâ.*
[b] Nonnulli MSS. *ne quis ipso numero dierum.*

[c] Editi, *licere succurrere.* At omnes MSS. Gallici, Belgici & Vaticani, *debere*: tametsi ex illis quidam habent *succurrere.*

CAPUT VI.

12. ET nunc nescio cujus [a] novæ disputationis audaciâ quidam nobis facere conantur incertum, quod majores nostri ad dissolvenda quædam quæ nonnullis videbantur incerta, tamquam certissimum proferebant. Quando enim primitus hoc disputari cœperit, nescio. Illud tamen scio, quòd etiam sanctus Hieronymus, qui hodieque in litteris Ecclesiasticis tam excellentis doctrinæ famâ ac labore versatur, ad quasdam solvendas in suis libris quæstiones, etiam hoc certissimum adhibet sine ulla disceptatione documentum. Nam in eo quod in Jonam prophetam scripsit, cùm ad eum venisset locum, ubi commemorantur etiam parvuli jejunio castigati: *Major*, inquit, *ætas incipit, & usque ad minorem pervenit. Nullus enim absque peccato, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus, & numerabiles anni vitæ illius. Si enim stellæ mundæ non sunt in conspectu Dei, quanto magis vermis & putredo, & ii qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxii?* Hunc doctissimum virum si facilè interrogare possemus, quàm multos utriusque linguæ divinarum scripturarum tractatores & Christianarum disputationum scriptores commemoraret, qui non aliud, ex quo Christi Ecclesia est constituta, senserunt, non aliud à majoribus acceperunt, non aliud posteris tradiderunt? Ego quidem quamvis longè pauciora legerim, non memini me aliud audivisse à Christianis, qui utrumque accipiunt Testamentum, non solùm in catholica Ecclesia, verùm etiam in qualibet hæresi vel schismate constitutis; non memini me aliud legisse apud eos, quos de his rebus aliquid scribentes legere potui, qui scripturas canonicas sequerentur, vel sequi se crederent, credive voluissent. Unde nobis hoc negotium repentè emerserit nescio. Nam ante [b] parvum tempus à quibusdam transitoriè colloquentibus, cursim mihi aures perstrictæ sunt, cùm illic apud Carthaginem essemus; *non ideo parvulos baptizari, ut remissionem accipiant peccatorum, sed ut sanctificentur in Christo.* Qua novitate permotus, & quia opportunum non fuit ut contrà aliquid dicerem, & non tales homines erant de quorum essem auctoritate sollicitus, facilè hoc in transactis atque abolitis habui. Et ecce [[c] contra Ecclesiam] jam studio flammante defenditur, ecce scribendo etiam memoriæ commendatur, ecce res in hoc discriminis adducitur, ut hinc etiam à fratribus consulamur, ecce contrà disputare atque scribere cogimur.

Hieron. super 3. cap. Ion.

Iob 25. 4.

Iob 14. 5.

Consensus omnium circa peccatum originale.

CAPUT VII. Joviniani error.

13. ANTE paucos annos Romæ quidam extitit Jovinianus, qui sanctimonialibus etiam ætate jam provectioribus nuptias persuasisse dicitur, non illiciendo quò earum aliquam ducere vellet uxorem, sed disputando virgines sanctimonio [d] dicatas nihil ampliùs fidelibus conjugatis apud Deum habere meritorum. Numquam tamen ei hoc commentum venit in mentem, ut asserere conaretur sine originali peccato nasci hominum filios. Et utique si hoc adstrueret, multo procliviùs vellent feminæ nubere, fetus mundissimos parituræ. Hujus sanè scripta, nam & scribere ausus est, cùm fratres ad Hieronymum refellenda misissent, non solùm in eis nihil tale comperit, verùm etiam ad quædam ejus vana refutanda hoc tamquam certissimum de hominis originali peccato, unde utique nec ipsum dubitare credebat, inter multa sua documenta depromsit. Id agentis hæc verba sunt: *Qui dicit se*, inquit, *in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Eligat adversarius è duobus quod vult, optionem ei damus. Manet in Christo, an non manet? Si manet, ita ergo ambulet ut Christus. Si autem temerarium est, similitudinem virtutum Domini polliceri, non manet in Christo, quia non ingreditur ut Christus. Ille peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus, qui cùm malediceretur, non remaledixit, & tamquam agnus coram tondente, sic non aperuit os suum; ad quem venit princeps mundi istius, & invenit in eo nihil; qui cùm peccatum non fecisset, pro nobis peccatum eum fecit Deus. Nos autem, juxta epistolam Iacobi, multa peccamus omnes, & nemo mundus à peccatis, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus. Quis enim gloriabitur castum se habere cor, aut quis confidet mundum se esse à peccatis? Tenemurque rei in similitudinem prævaricationis Adam. Unde & David dicit, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis concepit me mater mea.*

Hieronymus lib. 2. contra Iovinianum, paulo post initium.

1. Iohan. 2. 6.

Isaia 53. 9

Iohan. 14. 30.

2. Cor. 5. 21.

Iacobi 3. 2.

Iob 14. 5.

Psal. 50. 7.

14. Hæc non ideo commemoravi, quòd disputatorum quorumlibet sententiis tamquam canonica auctoritate nitamur; sed ut appareat, ab initio usque ad præsens tempus quo ista novitas orta est, hoc de originali peccato apud Ecclesiæ fidem tantâ constantiâ custoditum, ut ab eis qui dominica tractarent eloquia, magis certissimum proferretur ad alia falsa refutanda, quàm id tamquam falsum refutari ab aliquo tentaretur. Ceterùm in sanctis canonicis libris viget hujus sententiæ clarissima & plenissima auctoritas: clamat Apostolus, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Unde nec illud liquidè dici potest, quòd peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit, cùm Scriptura dicat, *in quo omnes peccaverunt.* Nec sic dicuntur ista aliena peccata, tamquam omnino ad parvulos non pertineant: si quidem in Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illâ insitâ [e] vi qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt: sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quidquid erat in futura propagine, vita unius hominis continebat.

Disputatorum quorumlibet sententiæ non tamquam auctoritas canonica.

Rom. 5. 12.

Peccatum originale quomodo alienum. Omnes in Adam unus homo fuimus.

CAPUT VIII.

15. NULLA, inquiunt, *ratione conceditur, ut Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena.* Remittit, sed spiritu regeneratis, non carne generatis: imputat verò non jam aliena, sed propria. Aliena quippe erant, quando hi qui ea propagata portarent, nondum erant: nunc verò carnali generatione jam eorum sunt, quibus nondum spiritali regeneratione dimissa sunt.

16. *Sed si baptismus*, inquiunt, *mundat antiquum illud delictum, qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato. Non enim potuerunt ad posteros transmittere, quod ipsi minimè habue-*

[a] Gallicani quinque MSS. *novâ*.

[b] Anno, credimus, 411. cùm apud Carthaginem Collatio cum Donatistis haberetur. Quo tempore Pelagium à se visum testatur Augustinus infrà in lib. de gestis Pelagii c. 22.

[c] Abest *contra Ecclesiam* ab omnibus propè MSS.

[d] Er. & Lov. *sanctimonia*: corruptè. V. Enar. in Psal. 99. n. 13.

[e] Editi, *insita in qua*. Castigantur ex MSS. qui tamen hîc sic dissentiunt, ut alii ferant, *insita vis est in qua*; alii, *insita vi in qua*; alii tandem, *insita vi qua*.

Unde errores.

runt. Ecce unde plerumque convalescit error, cùm homines idonei sunt his rebus interrogandis, quibus intelligendis non sunt idonei. Cui enim auditori, vel quibus explicem verbis, quomodo mortalia vitiosa primordia non obsint eis, qui aliis primordiis immortalibus inchoati sunt; & tamen obsint eis, quos iidem ipsi, quibus jam non obsunt, ex eisdem vitiosis primordiis generaverint: quomodo id intelligat homo, cujus tardiusculam mentem impedit & suæ sententiæ præjudicium, & pervicaciæ gravissimæ vinculum? Verumtamen si adversùs eos mihi esset caussa ista suscepta, qui omnino parvulos baptizari prohibent, aut superfluò baptizari contendunt, dicentes eos ex fidelibus natos, parentum meritum necessariò consequi: tunc deberem ad hanc opinionem convincendam laboriosiùs fortassis & operosiùs excitari. Tunc si mihi apud obtusos & contentiosos, propter rerum naturæ obscuritatem, difficultas refellendi falsa & persuadendi vera resisteret, ad hæc fortè quæ in usu atque in promtu essent exempla confugerem: vicissimque interrogarem, ut quia eos moveret, quomodo peccatum quod mundatur per baptismum, maneat in eis quos genuerint baptizati; ipsi explicarent, quomodo præputium quod per circumcisionem aufertur, maneat in eis quos genuerint circumcisi; quomodo etiam palea quæ opere humano tantâ diligentiâ separatur, maneat in fructu qui de purgato tritico nascitur.

Similitudo à præputio circumcisorum, & paleâ frumenti petita.

CAPUT IX.

17. His & talibus forsitan utcumque conarer exemplis persuadere hominibus, qui mundationis sacramenta superfluò filiis mundatorum crederent adhiberi, quàm recto consilio baptizatorum parvuli baptizentur; [a] quámque fieri possit, ut homini habenti utrumque semen, & mortis in carne, & immortalitatis in spiritu, non obsit regenerato per spiritum, quod obest ejus filio generato per carnem; sitque in isto remissione mundatum, quod sit etiam in illo simili remissione, velut circumcisione, velut trituratione ac ventilatione, mundandum. Nunc verò, quando quidem cum eis agimus, qui confitentur baptizatorum filios baptizandos; quanto meliùs sic agimus, ut dicamus, Vos qui asseritis, de hominibus à peccati labe mundatis sine peccato nasci filios debuisse, cur non adtenditis, eo modo vobis posse dici, de Christianis parentibus Christianos nasci filios debuisse? Cur ergo eos Christianos fieri debere censetis? Numquid in eorum parentibus corpus Christianum non erat, quibus dictum est, *Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi?* (1.Cor.6.15.) An fortè corpus quidem Christianum de Christianis parentibus natum est, sed non Christianam animam accepit? Hoc verò multo est mirabilius: namque utrumlibet de anima sentiatis, quia profectò cum Apostolo non eam creditis antè quàm nasceretur aliquid egisse boni aut mali; aut de traduce adtracta est, & similiter ut corpus de Christianis Christianum, anima etiam Christiana esse debuit; aut à Christo creata, vel in Christiano corpore, vel propter Christianum corpus, Christiana debuit seu creari seu mitti. Nisi fortè dicetis, Christianos homines Christianum corpus gignere potuisse, & ipsum Christum animam Christianam non potuisse procreare.

A Cedite itaque veritati, & videte quia sicut fieri potuit, quod & vos fatemini, ut de Christianis non Christianus, de membris Christi non membrum Christi; atque ut occurramus etiam omnibus, qui licèt falsò, tamen quocumque religionis nomine detinentur, de consecratis non consecratus; ita etiam fieri, ut de mundatis non mundatus nascatur. Quid respondebitis, quare de Christianis non Christianus nascatur, nisi quia non facit generatio, sed regeneratio Christianos? B Hanc igitur vobis reddite rationem, quia similiter à peccatis nemo nascendo, sed omnes renascendo mundantur. Ac per hoc de hominibus ideo mundatis, quoniam renatis, homo qui nascitur [b] renascatur, ut etiam ipse mundetur. Potuerunt enim parentes ad posteros transmittere, quod ipsi minimè habuerunt; non solùm sicut frumenta paleam, & præputium circumcisus: sed etiam, quod & vos dicitis, fideles infidelitatem in posteros trajiciunt; C quod non est jam illorum per spiritum regeneratorum, sed quo in carne generati sunt, mortalis seminis vitium. Nam utique quos parvulos per sacramentum fidelium fideles faciendos esse judicatis, infideles natos ex parentibus fidelibus non negatis.

CAPUT X.

Anima ex traduce.

18. At enim, *si anima non est ex traduce, sed sola caro, ipsa tantùm habet traducem peccati, & ipsa sola pœnam meretur:* hoc enim sentiunt, *injustum esse* dicentes, *ut hodie nata anima non ex massa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum.* D Adtende, obsecro te, quemadmodum circumspectus vir Pelagius, (nam ex ejus libro hæc quæ modò posui verba transscripsi,) sensit quàm in difficili de anima quæstione versetur. (*Pelagius.*) Non enim ait, quia anima non est ex traduce: sed, *si anima non est ex traduce:* rectissimè faciens de re tam obscura, de qua nulla in scripturis sanctis certa & aperta testimonia possumus invenire, aut difficillimè possumus, cunctanter loqui potiùs quàm fidenter. E Quapropter ego quoque huic propositioni non præcipiti assertione respondeo: Si anima non est ex traduce, ergo quæ ista justitia est, ut recèns creata & ab omni delicto prorsus immunis, ab omni peccati contagione penitus libera, passiones carnis diversosque cruciatus, & quod est horribilius, etiam dæmonum incursus in parvulis sustinere cogatur? (*Ex pœna peccatum probatur.*) Neque enim aliquid horum caro sic patitur, ut non ibi anima potiùs quæ vivit ac sentit, pœnas luat. F Hoc enim si justum ostenditur, sic etiam ostendi potest qua justitiâ in carne quoque peccati subeat originale peccatum, baptismatis sacramento & gratiæ miseratione mundandum. Si autem illud ostendi non potest, neque hoc posse arbitror. Aut ergo utrumque occultum feramus, & nos homines esse meminerimus; aut aliàs aliud de anima opus, si necesse videbitur, cautelâ sobriâ disputando moliamur.

CAPUT XI.

19. Nunc tamen illud quod ait Apostolus, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum,* (Rom.5.12.) G *& per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt:* sic accipiamus, ne tot tantisque apertissimis divinarum scripturarum testimoniis, quibus docemur præter Christi societatem, quæ in illo & cum illo fit, cùm sacramentis ejus imbuimur, & ejus membris incorporamur

[a] Er. & Lov. *quamquam.* Emendantur ex MSS.

[b] Sic Am. & MSS. At Lov. *renascitur.*

incorporamur, vitam salutemque æternam adipisci neminem posse, nimis insipienter atque infeliciter repugnare judicemur. Neque enim alio sensu dictum est ad Romanos, *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, atque ita in omnes homines pertransiit*: [1. Cor. 15. 21.] quàm illo quo dictum est ad Corinthios, *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum; sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur.* Nemo quippe ambigit, hoc ibi de corporis morte dictum, quoniam de resurrectione corporis magna Apostoli intentione quæstio versabatur: & ideo videtur ibi de peccato tacuisse, quia non erat quæstio de justitia. Hîc autem ad Romanos utrumque posuit, [a] & utrumque diutissimè commendavit, peccatum in Adam, justitiam in Christo; & mortem in Adam, & vitam in Christo: quæ omnia verba sermonis Apostolici, quantum potui satisque visum est, in primo, ut jam dixi, duorum illorum libro perscrutatus aperui.

20. Quamquam etiam ibi ad Corinthios locum ipsum de resurrectione diu tractatum sic in fine concluserit, ut nos dubitare non sineret, mortem quoque corporis merito accidisse peccati. [Ibidem 53.] Cùm enim dixisset, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem corruptibile hoc indutum fuerit incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem, tunc fiet*, inquit, *sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. Vbi est mors [b] victoria tua? ubi est mors aculeus tuus?* [Ibidem 56.] Deinde subjecit, *Aculeus autem mortis est peccatum, virtus verò peccati lex.* Quia ergo, sicut Apostoli apertissima verba declarant, eo absorbebitur mors in victoriam, quo corruptibile & mortale hoc induet incorruptionem & immortalitatem, id est, [Rom. 8. 11.] quo vivificabit Deus & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis: manifestum est & hujus mortis corporis, quæ resurrectioni corporis contraria est, aculeum fuisse peccatum: [Aculeus mortis quis.] aculeum autem quo mors facta est, non quem mors fecit: peccato enim morimur, non morte peccamus. Sic itaque dictum est, aculeus mortis, quomodo lignum vitæ, non quod hominis vita faceret, sed quo vita hominis fieret: & quomodo lignum scientiæ, per quod scientia fieret hominis, non quod per suam scientiam [c] fecerit homo. Sic ergo & aculeus mortis, quo mors facta est, non quem mors fecit. Sic enim dicimus, & poculum mortis, quo aliquis mortuus sit, vel mori possit, non quod moriens mortuusve confecerit. Aculeus itaque mortis peccatum est, [d] peccati punctu mortificatum est genus humanum. Quid adhuc quærimus cujus mortis, utrùm animæ, an corporis? utrùm primæ qua nunc omnes morimur, an secundæ qua tunc impii morientur? Nulla caussa est exagitandi quæstionem, nullus tergiversandi locus, Apostoli verba quibus id agebat, interrogata respondent: *Cùm mortale hoc*, inquit, *induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. Vbi est mors victoria tua? ubi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis est peccatum, virtus verò peccati lex.* De resurrectione corporis agebat, qua absorbebitur mors in victoriam, cùm mortale hoc induerit immortalitatem. Tunc ipsi morti insultabitur, quæ in victoriam [e] resurrectione corporis absorbebitur. Tunc ei dicetur, *Vbi est mors victoria tua? ubi est mors aculeus tuus?* Morti ergo corporis hoc dicetur. Hanc enim absorbebit victoriosa immortalitas, cùm mortale hoc immortalitatem induetur. Morti, inquam, corporis hoc dicetur: *Vbi est victoria tua*, qua omnes sic viceras, ut etiam Dei Filius tecum confligeret, teque non vitando, sed suscipiendo superaret? Vicisti in morientibus, victa es in resurgentibus. Victoria tua qua absorbueras corpora morientium, temporalis fuit: victoria nostra, qua in corporibus absorpta es resurgentium, æterna constabit. *Vbi est aculeus tuus?* hoc est, peccatum, quo puncti & venenati sumus, ut [f] te etiam in nostris corporibus figeres, & ea tam longo tempore possideres? *Aculeus autem mortis est peccatum, virtus verò peccati lex.* Peccavimus in uno omnes, ut moreremur in uno omnes: accepimus legem, non ut emendatione finiremus peccatum, sed ut transgressione augeremus. *Lex* enim *subintravit ut abundaret peccatum*, [Rom. 5. 20.] & *conclusit Scriptura omnia sub peccato.* [Galat. 3. 22.] Sed *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum*, [1 Cor. 15. 57.] ut *ubi abundavit peccatum, superabundaret gratia*, [Rom. 5. 20.] atque *ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus*, [Gal. 3. 22.] & vinceremus mortem per immortalem resurrectionem, & aculeum ejus peccatum per gratuitam justificationem.

CAPUT XII.

21. NEMO itaque de hac re fallatur & fallat. Omnes adimit atque aufert iste sanctæ scripturæ sensus manifestus ambages. Quemadmodum ab origine trahitur mors in corpore mortis hujus, sic ab origine tractum est peccatum in hac carne peccati; propter quod sanandum, & propagine adtractum, & voluntate auctum, atque ad ipsam carnem resuscitandam, medicus venit in similitudine carnis peccati; qui non est opus sanis, sed ægrotantibus; nec venit vocare justos, sed peccatores. [Marc. 2. 17.] Proinde quod ait Apostolus, cùm fideles moneret ut se ab infidelibus conjugibus non disjungerent: *Sanctificatus est enim vir infidelis in uxore, & sanctificata est mulier infidelis in fratre; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*: [1. Cor. 7. 14.] aut sic est accipiendum, quemadmodum & nos * alibi, & Pelagius cùm eamdem ad Corinthios epistolam [g] tractaret, exposuit, quòd exempla jam præcesserant, & virorum quos uxores, & feminarum quas mariti lucrifecerant Christo, & parvulorum ad quos faciendos Christianos voluntas Christiana etiam unius parentis evicerat: aut si, quod magis verba Apostoli videntur sonare & quodam modo cogere, aliqua illic intelligenda est sanctificatio, qua sanctificabantur vir & mulier infidelis in conjuge fideli, & qua sancti nascebantur filii fidelium, sive quia in

* Lib. 1. de sermone Domini in monte, c. 16.

[a] Hic MSS. quidam addunt, *& utrumque exposuit.*

[b] MSS. hoc loco & infrà post, *Tunc ei dicetur*, habent, *Vbi est mors contentio tua?* Sed tamen secundo loco cum editis, *Vbi est mors victoria tua?*

[c] Nonnulli MSS. *faceret.*

[d] Aliquot MSS. *peccato punctum,*

[e] Sic MSS. Editi verò, *resurrectionis.*

[f] Editi, *ut etiam in nostris corporibus fieres.* Corriguntur subsidio veterum MSS.

[g] Adi commentarios in Paulum inter Hieronymi opera tom. 8. qui vel ad Pelagium vel ad aliquem ex ipsius discipulis pertinent.

menstruo cruore mulieris, à concubitu continebat, quicumque vir vel femina id in lege didicerat; nam hoc Ezechiel inter illa præcepta ponit, quæ non figuratè accipienda sunt: sive propter aliam quamlibet, quæ ibi apertè posita non est, ex ipsa necessitudine conjugiorum atque filiorum sanctitatis aspergine: illud tamen sine dubitatione tenendum est, quæcumque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, nisi Christiana & ecclesiastica institutione [a] sacramentis efficiantur fideles. Nam nec conjuges infideles, quamlibet sanctis & justis conjugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ à regno Dei separatos in damnationem venire compellit; nec parvuli de quibuslibet sanctis justisque procreati, originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati; pro quibus tanto impensiùs loqui debemus, quanto pro se ipsi minùs possunt.

Ezech. 18. 6.

Præceptū de menstruata muliere non adtingenda, non est figuratè accipiendum.

a Sacramentorum necessitas.

Caput XIII. Epilogus.

22. Id enim agit illa disputatio, contra cujus novitatem antiqua veritate nitendum est, ut infantes omnino superfluò baptizari videantur. Sed apertè hoc non dicitur, ne [b] tam firmata salubriter Ecclesiæ consuetudo violatores suos ferre non possit. Sed si pupillis opem ferre præcipimur, quanto magis pro istis laborare debemus, qui destitutiores & miseriores pupillis etiam sub parentibus remanebunt, si eis Christi gratia denegabitur, quam [c] per se ipsi flagitare non possunt.

b Sollicitos esse oportet ut baptizentur infantes.

c

d

23. Illud autem quod dicunt, sine ullo peccato aliquos homines jam ratione [d] utentes, in hoc sæculo vixisse vel vivere: optandum est ut fiat, conandum est ut fiat, supplicandum est ut fiat; non tamen quasi factum fuerit [e] confidendum. Hoc enim optantibus & conantibus & digna supplicatione deprecantibus, quidquid remanserit peccatorum, per hoc quotidie solvitur, quod veraciter in oratione dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quam orationem quisquis cuilibet homini sancto & Dei voluntatem scienti atque facienti, præter unum Sanctum sanctorum, dicit in hac vita necessariam non fuisse, multùm errat, nec potest omnino illi ipsi placere quem laudat: si autem se ipsum talem putat, ipse se decipit, & veritas in eo non est; non ob aliud, nisi quia falsum putat. Novit ergo ille medicus, qui non est opus sanis, sed ægrotantibus, quemadmodum nos curando perficiat in æternam salutem: qui & ipsam mortem, quamvis peccati merito inflicta sit, non aufert in hoc sæculo eis, quibus peccata dimittit, ut etiam [f] cum ejus timore superando suscipiant pro fidei sinceritate certamen: & in quibusdam etiam justos suos, quoniam adhuc extolli possunt, non adjuvat ad perficiendam justitiam, ut dum non justificatur in conspectu ejus omnis vivens, actionem gratiarum semper indulgentiæ ipsius debeamus; & sic ab illa prima caussa omnium vitiorum, hoc est, à tumore superbiæ sancta humilitate sanemur. Hanc epistolam dum [g] dispositio mea brevem parturit, liber prolixus est natus, utinam tam perfectus, quàm tandem aliquando finitus.

Matth. 6. 12.

1. Joan. 1. 8.

f

Psal. 142. 2.

g

[a] Editi, *& sacramentis.* Copulativam particulam hoc loco non habent MSS.
[b] In MSS. *tam firma.*
[c] Nonnulli MSS. *pro se.*
[d] Hîc in excusis additur, *propriæ voluntatis.* Sed non est in MSS.
[e] Lov. *confitendum.*

[f] Nonnulli MSS. *ut etiam ejus timorem superando*: rectè, tametsi alteram lectionem præferri velint Lovanienses. Vide suprà lib. 2. c. 34.
[g] Editi, *disputatio magna.* Gallicani omnes MSS. *disputatio mea.* Consentiunt Vaticani, uno tantùm excepto, in quo legitur *dispositio mea*: quod aptius videtur.

IN LIBRUM DE SPIRITU ET LITTERA,

Libri II. Retractationum Caput XXXVII.

h

Ad quem [h] scripseram tres libros, quorum titulus est, *De peccatorum meritis & remissione*, ubi diligenter disputatur etiam de baptismo parvulorum, rescripsit mihi se fuisse permotum, quòd dixerim, fieri posse ut sit homo sine peccato, si voluntas ejus non desit, ope adjuvante divina; quamvis nemo tam perfectæ justitiæ in hac vita vel fuerit, vel sit, vel futurus sit. Quæsivit enim quomodo dixerim posse fieri, cujus rei desit exemplum. Propter hanc ejus inquisitionem scripsi librum, cujus est titulus *De spiritu & littera*, pertractans apostolicam sententiam, ubi ait, *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* In quo libro, quantum Deus adjuvit, acriter disputavi contra inimicos gratiæ Dei, qua justificatur impius. Cùm autem agerem de observationibus Judæorum, à quibusdam escis secundùm veterem legem abstinentium, dixi, *Quarumdam escarum cerimoniæ*, quod nomen non est in usu litterarum sanctarum: ideo tamen mihi congruens visum est, quòd à carendo appellatas cerimonias, quasi carimonias, memoriâ tenebam, eo quòd observantes careant his rebus à quibus abstinent. Quòd si est origo alia hujus nominis quæ abhorret à vera religione, secundùm hanc ego non sum locutus, sed secundùm istam quam suprà memoravi. Hic liber sic incipit: *Lectis opusculis, quæ ad te nuper elaboravi, fili carissime Marcelline.*

2. Cor. 3. 6.

Rom. 4. 5.

Cap. 21.

[h] Marcellinum Tribunum, cui acceptæ referendæ sunt tam multæ aliæ Augustini lucubrationes, subsequenti etiam operi occasionem præbuisse docet, mota quæstione ex libris de peccatorum meritis & remissione, quos videlicet libros suprà diximus editos anno Christi 411. Hisce autem libris in Retractationibus subjicitur opus *de spiritu & littera*, non proximo quidem, sed quarto pòst loco, scriptum haud dubiè circa finem ejusdem anni 412. seu aliquantò ante cædem Marcellini, quæ anno 413. mense Septembri contigit. Citatur hoc idem opus in libro de fide & operibus c. 14. & in libro 3. de doctrina Christiana c. 33.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE SPIRITU ET LITTERA,
AD MARCELLINUM
LIBER * UNUS.

* Scriptus sub finem anni 412.

Marcellino scribente se permotum eo, quod in superiori opere legisset; fieri posse ut sit homo in hac vita sine peccato, si velit, adjutus à Deo; nec ullum tamen usquam in hominibus tam perfectæ justitiæ exemplum exstare: hanc Augustinus occasionem arripit disputandi contra Pelagianos de adjutorio gratiæ Dei, ostenditque non in eo nos divinitus adjuvari ad operandam justitiam, quòd legem Deus dedit plenam bonis sanctisque præceptis; sed quòd ipsa voluntas nostra, sine qua operari bonum non possumus, adjuvetur & erigatur impertito spiritu gratiæ, sine quo adjutorio doctrina legis littera est occidens, quia reos potiùs prævaricationis tenet, quàm justificat impios. Inde ad propositam quæstionem, quam solvere incipit in principio libri, rediens iterum in fine, demonstrat multa esse nemine diffitente possibilia cum Dei auxilio, quorum nullum usquam exstet exemplum: atque ita sine exemplo esse in hominibus perfectam justitiam, & tamen impossibilem non esse concludit.

Caput I. Occasio scribendi hujus libri.

Lectis opusculis, quæ ad te nuper elaboravi, fili carissime Marcelline, de baptismo parvulorum, & de perfectione justitiæ hominis, quòd eam nemo in hac vita vel assecutus, vel assecuturus videatur, excepto uno Mediatore, qui humana perpessus est in similitudine carnis peccati, sine ullo omnino peccato: rescripsisti te moveri eo, quod in posteriore duorum libro fieri posse dixi, ut sit homo sine peccato, si voluntas ejus non desit B ope adjuvante divina, & tamen præter unum in quo omnes vivificabuntur, neminem fuisse vel fore in quo hîc vivente esset ista perfectio. Absurdum enim tibi videtur dici, aliquid fieri posse cujus desit exemplum, cùm sicut credo non dubites, numquam esse factum, ut per foramen acûs camelus transiret, & tamen ille hoc quoque dixit Deo esse possibile: legas etiam duodecim [a] millia legiones angelorum pro Christo, ne pateretur, pugnare potuisse, nec tamen fa- C ctum: legas fieri potuisse, ut semel gentes exterminarentur à terra quæ dabatur filiis Israël, Deum tamen paulatim fieri voluisse: & alia sexcenta possunt occurrere, quæ fieri, vel potuisse, vel posse fateamur, & eorum tamen exempla quòd facta sint proferre nequeamus. Unde non ideo negare debemus, fieri posse ut homo sine peccato sit, quia nullus est hominum, præter A illum qui non tantùm homo, sed etiam naturâ Deus est, in quo id esse perfectum demonstrare possimus.

1. Cor. 15. 22. Aliquid posse fieri, tametsi factum sit numquam.

Matth. 19. 24.

Matth. 26. 53.

Deut. 31. 3.

Judic. 2. 3.

Caput II.

2. Hic fortasse respondeas, ista quæ commemoravi facta non esse, & fieri potuisse, opera esse divina; ut autem sit homo sine peccato, ad opus ipsius hominis pertinere, idque opus esse optimum, quo fiat plena & perfecta & ex omni prorsus parte absoluta justitia: & ideo non esse credendum, neminem vel fuisse, vel esse, vel fore in hac vita qui hoc opus impleverit, si ab homine impleri potest. Sed cogitare debes, quamvis ad hominem id agere pertineat, hoc quoque munus esse divinum, atque ideo non dubitare opus esse divinum. *Deus est enim qui operatur in vobis*, ait Apostolus, *& velle & operari pro bona voluntate.*

Philip. 2. 13.

Error eorum qui dicunt vivere hîc hominem sine peccato, minùs perniciosus.

3. Proinde non multùm molesti sunt, & instandum est eis, ut si possunt, ostendant ita esse, qui dicunt vivere hîc hominem, sive vixisse sine ullo omnino peccato. Nam si testimonia Scripturarum, quibus existimo definitum, nullum hominem hîc viventem, quamvis utatur libero arbitrio, inveniri sine peccato, sicuti est, *Ne intres in judicium cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, & cetera talia quisquam docere potuerit aliter accipienda quàm sonant, & demonstraverit aliquem vel aliquos sine ullo hîc vixisse peccato, qui non ei,

Psal. 142. 2.

[a] Georgianus MS. præterit, *millia*: nec est in Evangelio; quod tamen sic iterum citat Augustinus infrà cap. 35.

non solùm minimè adversatus, verùm etiam plurimùm gratulatus fuerit, non mediocribus invidentiæ stimulis agitatur. Quin etiam si nemo est, aut fuit, aut erit, quod magis credo, tali puritate perfectus, & tamen esse, aut fuisse, aut fore defenditur & putatur; quantum ego judicare possum, non * multùm erratur, nec perniciosè, cùm quadam quisque benevolentiâ fallitur: si tamen qui hoc putat, se ipsum talem esse non putet, nisi re vera ac liquidò talem se esse perspexerit.

* Confer l. 4. ad Bonif. c. 10.

Error negantium gratiam necessariã gravior & acerrimè confutandus.

4. Sed illis acerrimè ac vehementissimè resistendum est, qui putant sine adjutorio Dei per se ipsam vim voluntatis humanæ vel justitiam posse perficere, vel ad eam tendendo proficere: [a] & cùm urgeri cœperint, quomodo id præsumant asserere fieri sine ope divina, reprimunt se, nec hanc vocem audent emittere, quoniam vident quàm sit impia, & non ferenda. Sed aiunt, ideo ista sine ope divina non fieri, quia & hominem Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio, & dando præcepta ipse docet quemadmodum homini sit vivendum; & in eo utique adjuvat, quòd docendo aufert ignorantiam, ut sciat homo in operibus suis quid evitare, & quid appetere debeat, quo per liberum arbitrium naturaliter insitum, viam demonstratam ingrediens, continenter & justè & piè vivendo ad beatam eamdemque æternam vitam pervenire mereatur.

Gratia Pelagianorũ nihil aliud quàm datum a Deo liberum arbitrium & legis doctrina.

Caput III. Gratia vera donum Spiritus sancti quo fit in animo delectatio & dilectio boni.

5. Nos autem dicimus humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam qua ei præcipitur quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum-sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio dilectioque summi illius atque incommutabilis boni, quod Deus est, etiam nunc cùm adhuc per fidem ambulatur, nondum per speciem: ut hac sibi velut arrâ datâ gratuiti muneris inardescat inhærere Creatori, atque inflammetur accedere ad participationem illius veri luminis; ut ex illo ei bene sit, à quo habet ut sit. Nam neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via: & cùm id quod agendum & quò nitendum est cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur. Ut autem diligatur, caritas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per arbitrium liberum quod surgit ex nobis, sed per Spiritum-sanctum qui datus est nobis.

2. Cor. 5. 7.

Rom 5. 5.

Caput IV. Doctrina legis sine vivificante spiritu, littera est occidens.

6. Doctrina quippe illa, qua mandatum accipimus continenter rectéque vivendi, littera est occidens, nisi adsit vivificans spiritus. Neque enim solo illo modo intelligendum est quod legimus, *Littera occidit, spiritus autem vivificat*; ut aliquid figuratè scriptum, cujus est absurda proprietas, non accipiamus sicut littera sonat, sed aliud quod significat intuentes, interiorem hominem spiritali intelligentiâ nutriamus: quoniam *sapere secundùm carnem mors est, sapere autem secundùm spiritum vita & pax.* Velut si quisquam multa quæ scripta sunt in Cantico canticorum, carnaliter accipiat, non ad luminosæ caritatis fructum, sed ad libidinosæ cupiditatis affectum. Non ergo solo illo modo intelligendum est quod ait Apostolus, *Littera occidit, spiritus*

2. Cor. 3. 6.

Rom. 8. 6.

2. Cor. 3. 6.

A *autem vivificat*: sed etiam illo, eoque vel maximè, quo apertissimè alio loco dicit, *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Et paulò pòst ait: *Occasione accepta peccatum per mandatum fefellit me, & per illud occidit.* Ecce quid est, *Littera occidit.* Et utique non figuratè [b] aliquid dicitur, quod accipiendum non sit secundùm litteræ sonum, cùm dicitur, *Non concupisces*: sed apertissimum saluberrimumque præceptum est, quod si quis impleverit, nullum
B habebit omnino peccatum. Nam hoc ideo elegit Apostolus generale quiddam, quo cuncta complexus est, tamquam hæc esset vox legis ab omni peccato prohibentis, quod ait, *Non concupisces*: neque enim ullum peccatum nisi concupiscendo committitur: proinde quæ hoc præcipit, bona & laudabilis lex est. Sed ubi sanctus non adjuvat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, caritatem diffundens in cordibus nostris, profectò illa lex,
C quamvis bona, auget prohibendo desiderium malum: sicut aquæ impetus si in eam partem non cesset influere, vehementior fit obice opposito, cujus molem cùm evicerit, majore cumulo præcipitatus violentiùs per prona provolvitur. Nescio quo enim modo, hoc ipsum quod concupiscitur, fit jucundius dum vetatur. Et hoc est quod fallit peccatum per mandatum, & per illud occidit, cùm accedit etiam prævaricatio, quæ nulla est ubi lex non est.

Rom. 7. 7.

Rom. 5. 5.

Caput V. Quid hic tractandũ. 2. Cor. 3. 6.

D 7. Sed totum ipsum apostolicæ epistolæ locum, si placet, consideremus, & sicut Dominus adjuverit pertractemus. Volo enim, si potuero, demonstrare illud quod ait Apostolus, *Littera occidit, spiritus autem vivificat*, non de figuratis locutionibus dictum, quamvis & illinc congruenter accipiatur; sed potiùs de lege apertè quod malum est prohibente. Quod cùm ostendero, profectò manifestiùs apparebit, bene vivere donum esse divinum: non tantùm quia homini Deus dedit liberum arbitrium, sine quo nec malè nec be-
E ne vivitur; nec tantùm quia præceptum dedit, quo doceat quemadmodum sit vivendum: sed quia per Spiritum-sanctum diffundit caritatem in cordibus eorum, quos præscivit ut prædestinaret, prædestinavit ut vocaret, vocavit ut justificaret, justificavit ut glorificaret. Hoc autem cùm apparuerit, videbis, ut existimo, frustra dici illa tantùm esse possibilia sine exemplo, quæ Dei opera sunt; sicut de cameli transitu per foramen acûs commemoravimus, & quæcumque alia sunt apud nos
F impossibilia, apud Deum autem facilia: & ideo non inter hæc humanam deputandam esse justitiam, quòd non ad Dei, sed ad hominis opus pertinere debeat; cujus perfectio si est in hac vita possibilis, nullam esse caussam cur sine exemplo esse credatur. Hoc ergo frustra dici, satis elucebit, cùm & ipsam humanam justitiam operationi Dei tribuendam esse claruerit, quamvis non fiat sine hominis voluntate: & ideo ejus perfectionem etiam in hac vita esse possibilem, ne-
G gare non possumus; quia omnia possibilia sunt Deo, sive quæ facit sola sua voluntate, sive quæ cooperantibus creaturæ suæ voluntatibus à se fieri posse constituit. Ac per hoc quidquid eorum non facit, sine exemplo est quidem in ope-

Rom. 5. 5.

Rom. 8. 29.

Matth. 19. 24.

Justitia opus Dei, non sine hominis voluntate.

Marc. 10. 27.

[a] Sic MSS. At editi, *Sed cùm.*

[b] Gallicani omnes MSS, omittunt, *aliquid dicitur.*

tibus factis; ſed apud Deum & in ejus virtute A habet cauſſam qua fieri poſſit, & in ejus ſapientia quare non factum ſit: quæ cauſſa etiam ſi lateat hominem, non ſe obliviſcatur eſſe hominem, nec propterea Deo det inſipientiam, quia non plenè capit ejus ſapientiam.

8. Adtende igitur Apoſtolum ad Romanos explicantem, ſatiſque monſtrantem quod ſcriptum ſit ad Corinthios, *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat*, (2. Cor. 3. 6.) ſic magis accipiendum, quemadmodum ſuprà diximus; quoniam legis littera quæ docet B non eſſe peccandum, ſi ſpiritus vivificans deſit, occidit: ſciri enim facit peccatum potiùs quàm caveri, & ideo magis augeri quàm minui, quia malæ concupiſcentiæ etiam prævaricatio legis accedit.

CAPUT VI. Abundantia delicti per legem.

9. VOLENS ergo Apoſtolus commendare gratiam, quæ per Jeſum Chriſtum omnibus gentibus venit, ne Judæi adversùs ceteras gentes de accepta lege ſe extollerent, poſtea quàm dixit peccatum & mortem per unum hominem intraſſe in genus humanum, C & per unum hominem juſtitiam & vitam æternam, illum Adam, hunc Chriſtum apertiſſimè inſinuans, ait: (Rom. 5. 20.) *Lex autem ſubintravit ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia: ut quemadmodum regnavit peccatum in mortem, ſic & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Deinde opponens (Rom. 6. 1.) ſibi ipſe quæſtionem, *Quid ergo dicemus*, inquit? *Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Abſit.* D Vidit enim à perverſis perverſè poſſe accipi quod dixerat, *Lex ſubintravit ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia:* tamquam dixerit, propter abundantiam gratiæ prodeſſe peccatum. Hoc diluens, reſpondit, *Abſit:* atque ſubjecit, *Qui mortui ſumus peccato, quomodo vivemus in eo?* Hoc eſt, cùm id præſtiterit gratia, ut moreremur peccato, quid aliud faciemus, ſi vivemus in eo, niſi ut gratiæ ſimus ingrati? Neque enim qui laudat beneficium medicinæ, prodeſſe morbos dicit & vulnera, E à quibus illa hominem ſanat: ſed quanto majoribus medicina laudibus prædicatur, tanto magis vituperantur & horrentur vulnera & morbi, à quibus liberat quæ ita laudatur. (Gratia. Lex.) Sic laus & prædicatio gratiæ vituperatio & damnatio eſt delictorum. Demonſtranda enim fuerat homini fœditas languoris ejus, cui contra iniquitatem ſuam nec præceptum ſanctum & bonum profuit, quo magis aucta eſt iniquitas quàm minuta; quando quidem lex ſubintravit, F ut abundaret delictum; ut eo modo convictus atque confuſus, videret non tantùm doctorem ſibi eſſe neceſſarium, verùm etiam adjutorem Deum, à quo ejus itinera dirigantur, (Pſal. 118. 133.) ne dominetur ei omnis iniquitas, & confugiendo ad opem divinæ miſericordiæ ſanetur: atque ita ubi abundavit delictum, ſuperabundet gratia, non peccantis merito, ſed ſubvenientis auxilio.

10. Conſequenter eamdem medicinam in paſſione & reſurrectione Chriſti myſticè demonſtratam G oſtendit Apoſtolus, dicens: (Rom. 6. 3.) *An ignoratis, quoniam quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti ergo ſumus illi per baptiſmum in mortem, ut quemadmodum ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati fuimus ſimilitudini mortis ejus, [a] ſed & reſurrectionis erimus: hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut evacuetur corpus peccati, ut ultrà non ſerviamus peccato. Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato. Si autem mortui ſumus* B *cum Chriſto, credimus quia ſimul vivemus cum illo; ſcientes quia Chriſtus ſurgens à mortuis jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur. Quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quòd autem vivit, vivit Deo. Ita & vos exiſtimate vos mortuos eſſe peccato, vivere autem Deo in Chriſto Jeſu.* Nempe ſatis elucet myſterio Dominicæ mortis & reſurrectionis figuratum vitæ noſtræ veteris occaſum, & exortum novæ, demonſtratamque iniquitatis abolitionem renovationemque C juſtitiæ. Unde igitur hoc tantum beneficium homini [[b] per litteram legis] niſi per fidem Jeſu Chriſti?

CAPUT VII. Bona opera ex quo fonte manent.

11. HÆC cogitatio ſancta ſervat filios hominum, in protectione alarum Dei ſperantes, ut inebrientur ab ubertate domûs ejus, & [c] torrente voluptatis ejus potentur: (Pſal. 35. 8.) quoniam apud ipſum eſt fons vitæ, & in lumine ejus videbimus lumen: qui prætendit miſericordiam ſuam ſcientibus eum, & juſtitiam ſuam iis qui recto ſunt corde. Neque D enim quia ſciunt, ſed etiam ut ſciant eum, prætendit miſericordiam ſuam: nec quia recti ſunt corde, ſed etiam ut recti ſint corde, prætendit juſtitiam ſuam, qua juſtificat impium. (Rom. 4. 5.) Hæc cogitatio non [d] effert in ſuperbiam; quod vitium oritur, cùm ſibi quiſque præfidit, ſeque ſibi ad vivendum caput facit. (Superbia.) Quo motu receditur ab illo fonte vitæ, cujus ſolius hauſtu juſtitia bibitur, bona ſcilicet vita; & ab illo incommutabili lumine, cujus participatione anima rationalis quodam modo accenditur ut ſit etiam ipſa factum E creatumque lumen: ſicut erat Johannes *lucerna ardens & lucens*; (Iohan. 5. 35.) qui tamen unde luceret agnoſcens, *Nos*, inquit, *de plenitudine ejus accepimus*: (Iohan. 1. 16.) cujus, niſi illius utique in cujus comparatione Johannes non erat lumen? Illud enim *erat verum lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* (Iohan. 1. 9.) Proinde cùm dixiſſet in eodem Pſalmo: *Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te, & juſtitiam tuam his qui recto ſunt corde.* (Pſal. 35. 11.) F *Non veniat*, inquit, *mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatorum non* [e] *moveat me: ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.* Hac quippe impietate, qua tribuit ſibi quiſque quod Dei eſt, pellitur in tenebras ſuas, quæ ſunt opera iniquitatis. Hæc enim planè ipſe facit, [f] & ad hæc implenda ſibi eſt idoneus. Opera verò juſtitiæ non facit, niſi quantum ex illo fonte atque ex illo lumine percipit, ubi nullius indigens vita eſt, & ubi G non eſt commutatio, nec momenti obumbratio. (Iacobi 1. 17.)

12. Ideo Paulus apoſtolus, qui cùm Saulus priùs (Paulus unde dictus.)

[a] Editi, *ſimul &*. At MSS. *ſed &*: juxta Græc. ἀλλὰ καί.
[b] Id præterit Belgicus codex S. Amandi.
[c] Gallic. & Vatic. MSS. *& torrentem voluptatis potent.*
[d] Sic plerique MSS. Alii tres MSS. *non aufert in ſuperbiam.* Editi verò, *non affert ſuperbiam.*
[e] Editi, *moveant*. At MSS. *moveat*: & ex his plures loco *peccatorum*, habent *peccatoris*.
[f] Sic MSS. Editi autem, *facit ipſe qui ad hæc implenda.*

Act. 13. 9. * V. l. 8. Confess. c. 4. 1. Cor. 15. 9.

vocaretur, non * ob aliud, quantum mihi videtur, hoc nomen elegit, nisi ut se ostenderet parvum, tamquam [a] minimum Apostolorum, multùm contra superbos & arrogantes, & de suis operibus præsumentes, pro commendanda ista Dei gratia, fortiter atque acriter dimicans: quia re vera in illo evidentior & clarior apparuit, qui cùm talia operaretur vehementer Ecclesiam Dei persequens, pro quibus summo supplicio dignus fuit, misericordiam pro damnatione suscepit, & pro pœna consecutus est gratiam, meritò pro ejus defensione [b] clamat atque concertat, nec in re profunda & nimis abdita non intelligentium, & verba sua sana in perversum sensum detorquentium curat invidiam; dum tamen incunctanter prædicet donum Dei, quo uno salvi fiunt filii promissionis, filii beneficii divini, filii gratiæ & misericordiæ, filii testamenti novi. Primùm quod omnis ejus salutatio sic se habet: *Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino Iesu Christo.* Deinde ad Romanos penè ipsa quæstio sola versatur, tam pugnaciter, tam multipliciter, ut fatiget quidem legentis intentionem, sed tamen fatigatione utili ac salubri; ut interioris hominis magis exerceat membra, quàm frangat.

Paulus pro gratia fortiter dimicat.

Rom. 1. 7. 1. Cor. 1. 3. Gal. 1. 3.

CAPUT VIII.

Observatio legis.

13. INDE sunt quæ suprà commemoravi. Inde est quòd Judæum arguit, eumque dicit Judæum cognominari, & nequaquam id quod profitetur implere. *Si autem tu*, inquit, *Judæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem [c], & probas * distantia, instructus ex Lege, confidis te ipsum ducem esse cæcorum, lumen eorum qui in tenebris, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non adulterandum, adulteras? qui abominaris idola, sacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei per vos blasphematur in gentibus, sicut scriptum est. Circumcisio quidem prodest, si legem custodias: si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. Si igitur præputium justitias legis custodiat, nonne præputium ejus in circumcisionem reputabitur, & judicabit quod ex natura est præputium legem [d] perficiens, te qui per litteram & circumcisionem prævaricator legis es? Non enim qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio; sed qui in abscondito Judæus est, & [e] circumcisio cordis in spiritu, non litterà, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Hîc manifestavit quemadmodum dixerit, *gloriaris in Deo.* Nam utique si verè talis Judæus gloriaretur in Deo, eo modo quo postulat gratia, quæ non operum meritis, sed [f] gratuitò datur, ex Deo esset laus ejus, non ex hominibus. Sed ita gloriabantur in Deo, velut qui soli meruissent legem ejus accipere, secundùm illam vocem Psalmi, qua dictum est, *Non fecit sic ulli genti, & judicia sua non manifestavit eis.* Quam tamen Dei legem suâ justitiâ se arbitrabantur implere, cùm magis ejus prævaricatores essent. Unde illis iram operabatur, abundante peccato, quod ab scientibus perpetrabatur. Quia & quicumque faciebant quod lex jubebat, non adjuvante spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore justitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere: potiúsque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat Deus malle, si fieri posset impunè, committere. Circumcisionem autem cordis dicit, puram scilicet ab omni illicita concupiscentia voluntatem: quod non fit litterâ docente & minante, sed spiritu adjuvante atque sanante. Ideo laus talium non ex hominibus, sed ex Deo est, qui per suam gratiam præstat unde laudentur, de quo dicitur, *In Domino laudabitur anima mea:* & cui dicitur, *Apud te laus mea:* non quales illi sunt qui Deum laudari volunt quòd homines sunt, se autem quòd justi sunt.

* τὰ διαφέροντα.

Rom. 2. 17.

Isai. 52. 5.

Judæorum gloriatio qualis.

Psal. 147. 20.

Rom. 4. 15.

Timor pœnæ.

Circumcisio cordis.

Psal. 33. 3. Psal. 21. 26.

Pelagiani in quo Deum nostræ justificationis auctorem agnoscunt.

14. *Sed laudamus*, inquiunt, *& Deum nostræ justificationis auctorem in eo quod legem dedit, cujus intuitu noverimus quemadmodum vivere debeamus.* Nec audiunt quod legunt, *Quia non justificabitur ex lege omnis caro coram Deo.* Potest enim fieri coram hominibus, non autem coram illo qui cordis ipsius & intimæ voluntatis inspector est, ubi videt, etiamsi aliud faciat qui legem timet, quid tamen mallet facere, si liceret. Ac ne quisquam putaret hîc Apostolum ea lege dixisse neminem justificari, quæ in sacramentis veteribus multa continet figurata præcepta, unde etiam ipsa est circumcisio carnis, quam die octavo accipere parvuli jussi sunt; continuò subjunxit quam legem dixerit, & ait, *Per legem enim cognitio peccati.* Illa igitur lex est, de qua postea dicit, *Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Nam quid est aliud, *Per legem enim cognitio peccati?*

Rom. 3. 20.

Levit. 12. 3.

Rom. 3. 20. Rom. 7. 7.

CAPUT IX. Justitia Dei manifestata per legem & prophetas.

15. Hîc fortè dicat illa humana præsumtio, ignorans Dei justitiam, & suam volens constituere, meritò dixisse Apostolum, *Quia ex lege nemo justificabitur:* ostendit enim tantummodo lex quid faciendum, quidve cavendum sit, ut quod illa ostenderit voluntas impleat, ac sic homo justificetur, [g] non per legis imperium, sed per liberum arbitrium. Sed ô homo adtende quod sequitur: *Nunc autem*, inquit, *sine lege justitia Dei manifestata est, testificata per legem & prophetas.* Parumne insonat surdis? *Justitia*, inquit, *Dei manifestata est.* Hanc ignorant qui suam volunt constituere: [h] huic nolunt esse subjecti. *Justitia*, inquit, *Dei manifestata est*: non dixit, justitia hominis, vel justitia propriæ voluntatis; sed *justitia Dei*, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cùm justificat impium. Hæc testificatur per legem & prophetas: huic quippe testimonium perhibent lex & prophetæ. Lex quidem, hoc ipso, quòd jubendo & minando & neminem justificando satis indicat, dono Dei justificari hominem per adjutorium spiritûs: prophetæ autem, quia id quod prædixerunt, Christi implevit adventus. Nam hinc sequitur & adjungit, dicens, *Justitia autem Dei per fidem Iesu Christi*, hoc est, per fidem qua creditur in Christum. Sicut autem

Rom. 3. 21.

Ibidem 21.

Rom. 10. 3.

Rom. 3. 22.

[a] In MSS. plerisque, *tamquam minimus.*

[b] Hîc editi addunt, *præcipuè:*

[c] Editi, *voluntatem ejus.* Abest *ejus* à MSS. & à Græco textu Apostoli.

[d] Sic omnes MSS. At editi, *legem consummans.*

[e] Editi cum quibusdam MSS. *& circumcisione cordis spiritu.*

[f] Tres MSS. *gratuita.*

[g] Plerique MSS. verbis istis carent, *non per legis imperium, sed per liberum arbitrium.*

[h] Soli editi, *& huic.*

ista fides Christi dicta est non qua credit Chri- A stus: sic & illa justitia Dei non qua justus est Deus. Utrumque enim nostrum est; sed ideo Dei & Christi dicitur, quòd ejus nobis largitate donatur. Justitia ergo [a] Dei sine lege, non sine lege manifestata est. Quomodo enim per legem testificata, si sine lege manifestata? Sed justitia Dei sine lege est, quam Deus per spiritum gratiæ credenti confert sine adjutorio legis, hoc est, non [b] adjuto à lege. Quando quidem per legem ostendit homini infirmitatem suam, ut ad ejus B misericordiam per fidem confugiens [c] sanaretur.

Prov. 3. 16. sec. LXX.

De sapientia quippe ejus dictum est, quòd *legem & misericordiam in lingua portet*: legem scilicet, qua reos faciat superbos; misericordiam verò, qua justificet humiliatos.

Rom. 3. 22. & 23.

Justitia ergo *Dei per fidem Jesu Christi in omnes qui credunt. Non enim est distinctio: omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei*, non gloriâ suâ.

1. Cor. 4. 7

Quid enim habent, quod non acceperunt? Si autem acceperunt, quid gloriantur, quasi non acceperint? Egent C itaque gloriâ Dei, & vide quid sequatur:

Rom. 3. 24.

Justificati gratis per gratiam ipsius. Non itaque justificati per legem, non justificati per propriam voluntatem: sed *justificati gratis per gratiam ipsius*; non quòd sine voluntate nostra fiat, sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem, ut sanet gratia voluntatem, & sanata voluntas impleat legem, non constituta sub lege, nec indigens lege.

Caput X. Quomodo justo non posita est lex.

1. Tim. 1. 8. & 9.

16. *Justo* enim *lex non est posita*: quæ tamen D *bona est, si quis eâ legitimè utatur.* Hæc duo Apostolus velut inter se contraria connectens, monet movetque lectorem ad perscrutandam quæstionem atque solvendam. Quomodo enim *bona est lex, si quis ea legitimè utatur*; si etiam quod sequitur verum est, *Sciens hoc, quia justo lex non est posita?* Nam quis legitimè utitur lege nisi justus? At ei non est posita, sed injusto. An & injustus, ut justificetur, id est, ut justus fiat, legitimè lege

Gal. 3. 24.

uti debet, qua tamquam pædagogo perducatur E ad gratiam, per quam solam quod lex jubet possit implere?

Gratia gratis justificans.

Rom. 11. 6.

Per ipsam quippe justificatur gratis, id est, nullis suorum operum præcedentibus meritis: *alioquin gratia jam non est gratia*: quando quidem ideo datur, non quia bona opera fecimus, sed ut ea facere valeamus, id est, non quia legem implevimus, sed ut legem implere possimus.

Matth. 5. 17.

Ille enim dixit, *Non veni solvere legem, sed implere*:

Johan. 1. 14.

de quo dictum est, *Vidimus gloriam ejus, gloriam tamquam Unigeniti à Patre,* F *plenum gratiâ & veritate.*

Rom. 3. 23.

Hæc est gloria de qua dictum est, *Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei.*

Ibid. 24.

Et hæc est gratia de qua continuò dicit, *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Injustus ergo legitimè lege utitur, ut justus fiat; quod cùm factus fuerit, eâ jam non utatur tamquam vehiculo cùm pervenerit, vel potiùs ut suprà

Gal. 3. 24.

dicta similitudine Apostoli utar, tamquam pædagogo cùm eruditus fuerit. Quomodo enim justo lex non est posita, si & justo est necessaria, non G qua injustus ad justificantem gratiam perducatur, sed qua legitimè jam justus utatur? An fortè, immo verò non fortè, sed certè, sic legitimè utitur lege jam justus, cùm eam terrendis imponit injustis, ut cùm & in ipsis cœperit insolitæ concupiscentiæ morbus incentivo prohibitionis & cumulo prævaricationis augeri, confugiant per fidem ad justificantem gratiam, & per donum spiritûs suavitate justitiæ delectati pœnam litteræ minantis evadant? Ita non erunt contraria, neque inter se duo ista pugnabunt, ut etiam justus bona lege legitimè utatur, & tamen justo lex posita non sit: non enim ex ea justificatus est, sed ex lege fidei, qua credidit nullo modo posse suæ infirmitati ad implenda ea, quæ lex factorum juberet, nisi divinâ gratiâ subveniri.

Lex fidei.

Rom. 3. 27.

17. Ideo dicit, *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei.* Sive gloriationem dixerit laudabilem, quæ in Domino est, eamque exclusam, id est, non ut abscederet pulsam, sed ut emineret expressam. Unde & exclusores dicuntur quidam artifices argentarii.

Exclusores.

Psal. 67. 31.

Hinc est & illud in Psalmis: *Ut excludantur ii qui probati sunt argento*, hoc est, ut emineant qui probati sunt eloquio Domini. Nam & alibi dicitur: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum.*

Psal. 11. 7.

Sive gloriationem vitiosam de superbia venientem commemorare voluerit, eorum scilicet, qui cùm sibi justè videntur vivere, ita gloriantur, quasi non acceperint: [d] eamque non per legem factorum, sed per legem fidei dicit exclusam, id est, ejectam & abjectam; quia per legem fidei quisque cognoscit, si quid bene vivit, Dei gratiâ se habere, & ut perficiatur in dilectione justitiæ, non se aliunde consecuturum.

Caput XI. Pietatem esse sapientiam.

18. Quæ cogitatio pium facit, quia pietas est vera sapientia: pietatem dico quam Græci θεοσέβειαν vocant: ipsa quippe commendata est, cùm dictum est homini, quod in libro Job legitur, *Ecce pietas est sapientia.*

Job 28. 28.

Θεοσέβεια porrò si ad verbi originem Latinè expressam interpretaretur, Dei cultus dici poterat, qui in hoc maximè constitutus est, ut anima ei non sit ingrata. Unde & in ipso verissimo & singulari sacrificio, Domino Deo nostro agere gratias admonemur.

Sacrificiū novi Testamenti.

Erit autem ingrata, si quod illi ex Deo est, sibi tribuerit, præcipuéque justitiam, cujus operibus velut propriis & velut à semetipsa sibimet partis, non vulgariter tamquam ex divitiis aut membrorum forma aut eloquentiâ, ceterisque, sive externis sive internis, sive corporis sive animi bonis, quæ habere etiam scelerati solent, sed tamquam de iis quæ propriè sunt bona bonorum quasi sapienter inflatur. Quo vitio repulsi à divinæ stabilitate substantiæ, etiam magni quidam viri ad idololatriæ dedecus defluxerunt. Unde idem Apostolus in eadem epistola, in qua vehemens defensor est gratiæ, cùm se dixisset esse Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitorem, & ideo quod ad ipsum pertineret, promtum esse & his qui Romæ essent evangelizare: *Non enim confundor*, inquit, *de Evangelio; virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primùm & Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, Justus autem ex fide vivit.*

Apostolus vehemens defensor gratiæ.

Rom. 1. 14.

Hæc est justitia Dei, quæ in Testamento veteri velata, in novo revelatur: quæ ideo justitia Dei dicitur, quòd impertiendo eam justos facit; sicut

Justitia Dei dicta quam Deus facit.

[a] Hoc loco MSS. omittunt *Dei.*
[b] Am. Er, & plerique MSS. *non adjutus à lege.*

[c] Editio Lov. *sanetur.*
[d] Editi, *non acceperint eam: quam.* Castigantur ex MSS.

(Psal. 3. 9.) Domini est salus, qua salvos facit. Et hæc est fides, ex qua & in [a] quam revelatur, ex fide scilicet annuntiantium, in fidem obedientium: qua fide Jesu Christi, id est, quam nobis contulit Christus, credimus ex Deo nobis esse, pleniusque futurum esse quòd justè vivimus; unde illi ea pietate, qua solus colendus est, gratias agimus.

CAPUT XII. Cognitio Dei per creaturas.

19. Nec immeritò se Apostolus ex hoc articulo convertit ad eos cum detestatione commemorandos, qui vitio illo, quod superiùs memoravi, leves & inflati, ac per se ipsos velut per inane sublati, ubi non requiescerent, sed fracti dissilirent, in figmenta idolorum tamquam in lapides deciderunt. Quia enim commendaverat pietatem fidei, qua Deo justificati grati esse debemus, velut contrarium quod detestaremur (Rom. 1. 18.) subinferens: *Revelatur enim*, inquit, *ira Dei de cælo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem in injustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ejus à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas,* [b] *ut sint inexcusabiles: quia cognoscentes Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Vide quemadmodum non eos dixerit veritatis ignaros, sed quòd veritatem in iniquitate detinuerint. Quia verò occurrebat animo, ut quæreretur, unde illis esse potuerit cognitio veritatis, quibus Deus legem non dederat; neque hoc tacuit unde habere potuerint: per visibilia namque creaturæ pervenisse eos dixit ad intelligentiam [c] invisibilium Creatoris. Quoniam re vera, [d] sicut magna ingenia quærere perstiterunt, sic invenire potuerunt. Ubi ergo impietas? *Quia videlicet cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Eorum propriè vanitas morbus est, [e] qui se ipsos seducunt, dum videntur (Gal. 6. 3.) sibi aliquid esse, cùm nihil sint. Denique hoc tumore superbiæ sese obumbrantes, cujus pedem sibi non venire deprecatur sanctus ille [f] cantor, (Psal. 35. 12. & 10.) qui dixit, *In lumine tuo videbimus lumen:* ab ipso lumine incommutabilis veritatis aversi sunt, (Rom. 1. 21.) *& obscuratum est insipiens cor eorum.* Non enim sapiens cor, quamvis cognovissent Deum; sed insipiens potiùs, quia non sicut Deum glorificaverunt, (Iob 28. 28.) aut gratias egerunt. *Dixit* enim *homini, Ecce pietas est sapientia*: ac per hoc *dicentes se esse* (Rom. 1. 22.) *sapientes*, quod non aliter intelligendum est, nisi hoc ipsum sibi tribuentes, *stulti facti sunt.*

20. Jam quæ sequuntur quid opus est dicere? Per hanc quippe impietatem illi homines, illi inquam homines qui per creaturam Creatorem cognoscere potuerunt, quò prolapsi, cùm Deus (Iacobi 4. 6.) superbis resistit, atque ubi demersi sint, meliùs

A ipsius epistolæ consequentia docent, quàm hîc [g] commemoratur à nobis. Neque enim isto opere hanc epistolam exponendam suscepimus, sed ejus maximè testimonio demonstrare quantum possumus nitimur, non in eo nos divinitus adjuvari ad operandam justitiam, quòd legem Deus dedit plenam bonis sanctisque præceptis; sed quòd ipsa voluntas nostra, sine qua operari bonum non possumus, adjuvetur & erigatur impartito spiritu gratiæ, sine quo adjutorio doctrina (Lex sine gratia.)
B illa littera est occidens, quia reos potiùs prævaricationis tenet, quàm justificat impios. (2. Cor. 3. 6.) Nam sicut illis per creaturam cognitoribus [h] Creatoris ea ipsa cognitio nihil profuit ad salutem, *quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, dicentes se esse sapientes:* (Rom. 1. 21.) ita eos qui per legem [i] cognoscunt quemadmodum sit homini vivendum, non justificat ipsa cognitio, quia *volentes suam justitiam constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* (Rom. 10. 3.)

CAPUT XIII. Lex operum & lex fidei.

C 21. Lex ergo factorum, id est, operum, per quam non excluditur illa gloriatio, & lex fidei, (Rom. 3. 27.) per quam excluditur, quo inter se differant, operæ pretium est considerare: si tamen valemus advertere atque discernere. [k] Citò enim quisque dixerit legem operum esse in Judaïsmo, legem autem fidei in Christianismo, propterea quia circumcisio ceteraque opera talia legis sunt, quæ Christiana jam disciplina non servat: sed quantum fallat ista discretio, jam diu quidem est ut
D molimur ostendere, & acutis ad dignoscendum, tibique potissimùm ac talibus fortasse jam ostendimus: verumtamen quoniam res magna est, non incongruenter in ea manifestanda pluribus etiam atque etiam testimoniis immoramur. Ipsam enim dicit legem ex qua nemo justificatur, quam dicit subintrasse ut abundaret delictum, (Rom. 5. 20.) quam tamen ne quisquam ob hoc imperitus argueret & sacrilegus accusaret, defendit eam, dicens, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit: sed* (Rom. 7. 7.)
E *peccatum non cognovi nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione itaque accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Dicit etiam, *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum* (Rom. 7. 12.) *& justum & bonum; sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem.* Ipsa est ergo littera occidens, quæ dicit, *Non concupisces:* de qua item dicit quod paulò antè commemoravi, *Per legem enim cognitio peccati. Nunc* (Rom. 3. 20.)
F *autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata per legem & prophetas, justitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes qui credunt. Non enim est distinctio: omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei: justificati gratis per gratiam ipsius, per redemtionem quæ est in Christo Iesu: quem proposuit Deus* [l] *propitiatorium per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ ejus, propter propositum præcedentium peccatorum in Dei patientia, ad ostendendam justitiam ipsius in hoc tempore, ut sit justus & justi-*
G *ficans eum qui ex fide est Iesu.* Deinde subinfert (Ibidem 27.) unde nunc agimus: *Vbi est ergo gloriatio tua?*

[a] Editi, *& in qua*. Emendantur ex MSS.
[b] Editi, *ita ut*. Abest *ita* à MSS. & à Græco.
[c] Sola editio Lov. *invisibilis Creatoris*.
[d] In MSS. *sic magna*.
[e] Lov. *quo*. Am. & Er. *quia*; minùs bene.
[f] Omnes MSS. *cantator*.

[g] In MSS. *commemorantur*.
[h] Nostri omnes MSS. omittunt, *Creatoris*.
[i] Hîc editi addunt, *Dei*.
[k] Lov. cum nonnullis MSS. *Rectè enim*.
[l] Tres è Vaticanis MSS. *propitiatorem*.

Exclusa

Excluſa eſt. Per quam legem? factorum? Non, ſed per legem fidei. Lex ergo iſta factorum ipſa eſt quæ dicit, *Non concupiſces:* quia per illam cognitio peccati eſt. Volo igitur ſcire, ſi quis mihi dicere audeat, utrùm lex fidei non dicat, *Non concupiſces.* Si enim non dicit, quid cauſſæ eſt cur non in ea poſiti ſecuri atque impunè peccemus? Hoc enim & illi putaverunt Apoſtolum dicere, de quibus ait: *Et ſicut dicunt nos quidam dicere, faciamus mala, ut veniant bona, quorum* [a] *judicium juſtum eſt.* Si autem dicit etiam ipſa, *Non concupiſces:* ſicut [b] tam multa præcepta evangelica & apoſtolica teſtificari & clamare non ceſſant; quare lex factorum etiam ipſa non dicitur? Neque enim quia non habet opera veterum ſacramentorum, circumciſionis videlicet atque ceterorum, ideo non ſunt opera quæ habet in ſacramentis ſuis huic tempori congruis; aut verò de operibus ſacramentorum quæſtio fuit, quando mentio legis ob hoc fiebat, quia per ipſam cognitio peccati eſt, & ideo ex ea nemo juſtificatur; unde non per illam excluſa eſt gloriatio, ſed per legem fidei, ex qua juſtus vivit. Sed numquid & per iſtam non fit cognitio peccati, cùm & ipſa dicat, *Non concupiſces?*

Rom. 3. 8.

Lex operũ. Lex fidei.

Exodi 20. 17.

Sap. 8. 21.

22. Quid igitur intereſt, breviter dicam. Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit, *Non concupiſces:* iſta dicit, *Cùm ſcirem quia nemo eſſe poteſt continens niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum; adii Dominum, & deprecatus ſum.* Ipſa eſt illa ſapientia quæ pietas vocatur, qua colitur Pater luminum, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum. Colitur autem ſacrificio laudis [c] actioniſque gratiarum, ut cultor ejus non in ſe ipſo, ſed in illo glorietur. Ac per hoc lege operum dicit Deus, Fac quod jubeo: lege fidei dicitur Deo, Da quod jubes. Ideo enim jubet lex, ut admoneat quod faciat fides; id eſt, ut cui jubetur, ſi nondum poteſt, ſciat quid petat: ſi autem continuò poteſt, & obedienter facit, debet etiam ſcire quo donante poſſit. *Non enim ſpiritum hujus mundi accepimus*, ait idem ipſe conſtantiſſimus gratiæ prædicator; *ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Quis eſt autem ſpiritus mundi hujus, niſi ſuperbiæ ſpiritus? Quo cor inſipiens obſcuratum eſt eorum, qui cognitum Deum non ut Deum gratias agendo glorificaverunt: nec alio ſpiritu decipiuntur etiam illi, qui ignorantes Dei juſtitiam & ſuam juſtitiam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. Unde mihi videtur magis eſſe fidei filius, qui novit à quo ſperet quod nondum habet, quàm qui ſibi tribuit id quod habet: quamvis utrique horum præferendus ſit, qui & habet & novit à quo habet; ſi tamen non ſe credat eſſe quod nondum eſt; ne incidat in vitium illius Phariſæi, qui quamquam Deo gratias ageret ex iis quæ habebat, nihil tamen petebat dari ſibi, tamquam nihilo indigeret ad augendam perficiendamve juſtitiam. His igitur conſideratis pertractatiſque pro viribus quas Dominus donare dignatur, colligimus non juſtificari hominem præceptis bonæ vitæ niſi per fidem Jeſu Chriſti, hoc eſt, non lege operum, ſed fidei; non litterâ, ſed ſpiritu; non factorum meritis, ſed gratuitâ gratiâ.

Jacob. 1. 17.

2. Cor. 10. 17.

1. Cor. 2. 12.

Paulus cõſtantiſſimus gratiæ prædicator.

Rom. 1. 21.

Rom. 10. 3.

Fidei filius.

Lucæ 18. 11.

CAPUT XIV.

Decalogus quoque occidit, niſi adſit gratia.

23. QUAMVIS itaque, illos quibus circumciſio perſuadebatur, ita corripere atque corrigere videatur Apoſtolus, ut legis nomine eamdem circumciſionem appellet, ceteraſque ejuſmodi legis obſervationes, quas tamquam umbras futuri jam nunc reſpuunt Chriſtiani, id tenentes quod per illas umbras figuratè promittebatur: tamen legem ex qua neminem dicit juſtificari, non tantùm in illis ſacramentis quæ habuerunt promiſſivas figuras, verùm etiam in illis operibus vult intelligi, quæ quiſquis fecerit, juſtè vivit: ubi eſt & illud, *Non concupiſces.* Atque ut hoc quod dicimus fiat planius, ipſum decalogum videamus. Certè enim legem Moyſes miniſtrandam populo accepit in monte, ſcriptam in lapideis tabulis digito Dei: hæc decem præceptis conſtringitur, ubi nihil de circumciſione mandatum eſt, nihil de victimis pecorum, quæ nunc à Chriſtianis non immolantur. In illis igitur decem præceptis, excepta ſabbati obſervatione, dicatur mihi quid non ſit obſervandum à Chriſtiano, ſive de non faciendis colendiſque idolis aliiſque ullis diis præter unum verum Deum, ſive de non accipiendo nomine Dei in vanum, ſive de honore parentibus deferendo, ſive de cavendis fornicationibus, homicidiis, furtis, falſis teſtimoniis, adulteriis, re [d] aliena concupiſcenda. Quid horum quiſquam dixerit Chriſtianum non debere ſervare? An fortè non iſtam legem quæ in illis duabus tabulis ſcripta eſt, litteram occidentem appellat Apoſtolus, ſed illam circumciſionis aliorumque veterum jamque abolitorum ſacramentorum? Sed quomodo putabimus, cùm in ea ſit, *Non concupiſces: per quod mandatum*, quamvis *ſanctum & juſtum & bonum, fefellit me*, inquit, *peccatum, & per illud occidit?* Quid enim aliud eſt, *Littera occidit?*

Exodi 31. 18.

Deut. 9. 10. Exodi 20.

2. Cor. 3. 6.

Rom. 7. 11.

24. Quamvis evidentiùs eo ipſo loco ad Corinthios, ubi ait, *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat;* non aliam velit intelligi litteram, quàm ipſum decalogum in illis duabus tabulis ſcriptum. Sic enim dicit: *Quoniam eſtis epiſtola Chriſti miniſtrata per nos, ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Confidentiam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quia idonei ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti, non* [e] *litteræ, ſed ſpiritùs. Littera enim occidit, ſpiritus autem vivificat. Si autem miniſtratio mortis in litteris figurata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non poſſent intendere filii Iſraël in faciem Moyſi, propter gloriam vultûs ejus quæ evacuatur, quare non magis miniſtratio ſpiritûs erit in gloria? Si enim miniſtratio damnationis* [f] *gloria eſt, multo magis abundabit miniſterium juſtitiæ in gloria.* Dici de his verbis multa poſſunt, ſed poſtea fortaſſe opportuniùs. Nunc autem adverte quam dicat litteram quæ occi-

2. Cor. 3. 2.

[a] Plerique MSS. *quorum damnatio juſta eſt.*
[b] MSS. non habent *tam*: neque id infrà, *& apoſtolica.*
[c] Omnes ferè MSS. *actionibuſque gratiarum.*
[d] Tres Vat. MSS. *re alia non concupiſcenda.*

[e] Sic MSS. genitivo caſu, juxta Græcum. Editi autem hîc, *non litterâ ſed ſpiritu:* qui tamen infrà in cap 17. & 20. cum antiquis codicibus & cum Græco conſentiunt.
[f] Lov. *in gloria eſt.*

dit, cui velut è contrario vivificantem spiritum
ingerit. Ea certè est ministratio mortis in lit-
teris figurata lapideis, & ministratio damnatio-
Rom. 5. 20. nis; quia lex subintravit, ut abundaret delictum.
Porrò autem præcepta ipsa tam sunt utilia fa-
cienti atque salubria, ut nisi quis ea fecerit,
vitam habere non possit. An verò propter unum
præceptum quod ibi de sabbato est positum, di-
ctus est decalogus littera occidens, quoniam
quisquis illum diem nunc usque observat sicut
littera sonat, carnaliter sapit; sapere autem se-
Rom. 8. 6. cundùm carnem mors est; & illa novem præce-
pta quæ sic rectè observantur ut scripta sunt,
non ad legem operum ex qua nemo justificatur,
sed ad legem fidei ex qua justus vivit, pertinere
putanda sunt? Quis tam absurdè sentiat, ministra-
tionem mortis in litteris figuratam lapideis, non
dici ex omnibus decem præceptis, sed ex uno so-
lo quod ad sabbatum pertinet? Ubi ergo poni-
Rom. 4. 15. mus, *Lex iram operatur; ubi enim non est lex,*
Rom. 5. 13. *nec prævaricatio*: &, *Usque ad legem peccatum in*
mundo fuit; peccatum autem non deputabatur, cùm
lex non esset: & illud quod jam totiens commemo-
Rom. 3. 20. ravimus, *Per legem cognitio peccati*: maximéque il-
Rom. 7. 7. lud ubi evidentiùs expressit unde agitur, *Concupi-*
scentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces?

25. Quem totum locum adtende, & vide utrùm
quidquam propter circumcisionem vel sabbatum,
vel quid aliud umbratilis sacramenti, ac non
totum propter hoc dicat, quòd littera prohi-
bens peccatum non [a] vivificat hominem, sed
potiùs occidit, augendo concupiscentiam, &
iniquitatem prævaricatione cumulando, nisi li-
beret gratia per legem fidei quæ est in Christo
Rom. 5. 5. Jesu, cùm diffunditur caritas in cordibus nostris
per Spiritum-sanctum qui datus est nobis. Cùm
Rom. 7. 6. enim dixisset, *Ut serviamus in novitate spiritûs, &*
non in vetustate litteræ. Quid ergo dicemus, inquit?
Lex peccatum est? Absit: sed peccatum non cognovi,
nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex
diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta pec-
catum per mandatum operatum est in me omnem con-
cupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.
Ego autem vivebam aliquando sine lege, adveniente
autem mandato peccatum revixit. Ego autem mortuus
sum, & inventum est mihi mandatum quod erat in vi-
tam, hoc esse in mortem. Peccatum enim occasione accep-
ta per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Ita-
que lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & ju-
stum & bonum. Quod ergo bonum est factum est mihi
mors? Absit. Sed peccatum ut appareat peccatum,
per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat super
modum peccans peccatum per mandatum. Scimus
enim quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum,
venumdatus sub peccato. Quod enim operor, ignoro:
non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud
facio. Si autem quod nolo hoc facio, consentio legi,
quoniam bona. Nunc autem non jam ego operor il-
lud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim
quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bo-
num. Velle enim adjacet mihi, perficere autem bo-
num non. Non enim quod volo facio bonum, sed
quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo ego

A *hoc facio, jam non ego operor illud, sed quod habi-*
tat in me peccatum. Invenio ergo legem volenti mihi
facere bonum, quoniam mihi [b] *malum adjacet. Con-* b
delector enim legi Dei secundùm interiorem homi-
nem: video autem aliam legem in membris meis re-
pugnantem legi mentis meæ, & [c] *captivantem me in* c
lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo,
quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei
per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse
mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.

B 26. Apparet igitur litteræ vetustatem, si de-
sit novitas spiritûs, reos facere potiùs cognitio-
ne peccati, quàm liberare à peccato. Unde &
alibi scriptum est, *Qui apponit scientiam, appo-* Eccle. 1. 18.
nit & dolorem: non quia ipsa lex malum est, sed
quia mandatum bonum habet in littera demon-
strante, non in adjuvante spiritu: quod man-
datum si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, Mandatum non fit, si fit solo timore pœnæ.
serviliter fit, non liberaliter; & ideo nec fit.
NON ENIM FRUCTUS EST BONUS, qui
C de caritatis radice non surgit. Porrò autem si
adsit fides quæ per dilectionem operatur, inci- Galat. 5. 6.
pit condelectari legi Dei secundùm interiorem Rom. 7. 22.
hominem, quæ delectatio non litteræ, sed spi-
ritûs donum est; etiam si alia lex in membris
adhuc repugnat legi mentis, donec in novita-
tem, quæ de die in diem in interiore homine au-
getur, tota vetustas mutata pertranseat, libe-
rante nos de corpore mortis hujus gratiâ Dei
per Jesum Christum Dominum nostrum.

D 27. HÆC gratia in testamento vetere vela- CAPUT XV.
ta latitabat, quæ in Christi Evangelio revelata Gratia in vetere testamento latens, in novo revelatur.
est dispensatione temporum ordinatissima, sicut
Deus novit cuncta disponere. Et fortasse ad il-
lud ipsum ejus latibulum pertinet, quòd in eo
decalogo, qui datus est in monte Sina, hoc so- Exod. 20.
lùm [d] præcepto figurato occultatum est, quod d
ad sabbatum pertinet. Sabbatum autem [e] dies e
sanctificationis est. Nec vacat, quòd inter om-
nia opera quæ fecit Deus, illic primò sanctifi- Gen. 2. 3.
E catio sonuit, ubi ab omnibus operibus requievit:
unde nunc non est differendi locus. Verumta- Levit. 23. 7. Sabbati observatio quid significabat.
men, quod rei de qua agitur satis esse arbitror,
non frustra illo die populus ab omni opere servili
abstinere præceptus est, quo significatur pecca-
tum, nisi quia non peccare sanctificationis est,
hoc est, muneris Dei per Spiritum-sanctum:
quod in lege, quæ duabus lapideis tabulis con-
scripta est, solum inter cetera in umbra figuræ
positum est, in qua Judæi sabbatum observant;
F ut hoc ipso significaretur tempus tunc fuisse oc-
cultandæ gratiæ, quæ novo testamento fuerat f
per Christi passionem, tamquam [f] scissionem ve- Matth. 27. 51.
li, revelanda. *Cùm enim transierit*, inquit, *ad* 2. Cor. 3. 16.
Christum, auferetur velamen.

28. *Dominus autem Spiritus est, ubi autem Spiri-* CAPUT XVI.
tus Domini, ibi libertas. Hic autem Spiritus Dei, Spiritus sanctus cur dictus sit digitus Dei.
cujus dono justificamur, quo fit in nobis ut non
peccare delectet, ubi libertas est; sicut præter 2. Cor. 3. 17.
hunc Spiritum peccare delectat, ubi servitus, à g
G cujus operibus abstinendum [g] est: hic Spiritus- Rom. 5. 5.
sanctus per quem diffunditur caritas in cordibus Rom. 13. 10.
nostris, quæ plenitudo legis est, etiam digitus

[a] Ita MSS. At editi, *non justificat.*
[b] Editi, *velle malum adjacet.* Abest *velle* à MSS. & à textu Apostoli.
[c] Sic omnes propè MSS. At editi, *& captivum me in legem peccati ducentem, quæ est* &c.

[d] Lov. & pauciores MSS. *præceptum figuratè.*
[e] Vox *dies* hoc loco non est in MSS.
[f] In editis, *scissione.*
[g] Hîc editi addunt, *id est spiritaliter sabbatizandum*: quod à MSS. abest.

[Lucæ 11. 20. Exodi 31. 18.] Dei in Evangelio dicitur. Unde quia & illæ tabulæ digito Dei conscriptæ sunt, & digitus Dei est Spiritus Dei per quem sanctificamur, ut ex fide viventes per dilectionem bene operemur, quem non moveat ista congruentia ibidemque [a] distantia? Dies enim quinquaginta computantur [Exodi 12. 3.] à celebratione Paschæ, quæ occisione figuratæ ovis per Moysen fieri præcepta est, in significationem utique futuræ Dominicæ passionis, usque ad diem qua Moyses legem accepit in tabulis digito Dei conscriptis: similiter ab occi- [Isaiæ 53. 7.] sione & resurrectione illius qui sicut ovis ad immolandum ductus est, quinquaginta diebus com- [Act. 2. 1.] pletis, congregatos in unum fideles digitus Dei, hoc est, Spiritus-sanctus implevit.

CAPUT XVII. Legis Mosaicæ & novæ comparatio.

29. IN hac mirabili congruentia illud certè plurimùm distat, quòd ibi populus accedere ad locum ubi lex dabatur, horrendo terrore prohibetur: hîc autem in eos supervenit Spiritus-sanctus, qui eum promissum exspectantes in unum [Exodi 19. 13. & 16. Act. 2. 1.] fuerant congregati. Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus est, hîc in cordibus hominum. Ibi ergo lex extrinsecùs posita est, qua injusti terrerentur: hîc intrinsecùs data est, qua justifica- [Rom. 13. 9.] rentur. Nam, *Non adulterabis, non homicidium facies, non concupisces, & si quod est aliud mandatum*, quod utique in illis tabulis scriptum est, *in hoc*, inquit, *sermone recapitulatur*, in eo quòd *diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem legis* [Rom. 5. 5.] *est caritas*. Hæc non in tabulis conscripta lapideis, sed *diffusa est in cordibus nostris per Spiri-* [Rom. 8. 7.] *tum-sanctum qui datus est nobis*. Lex ergo Dei est caritas. Huic *prudentia carnis non est subjecta, neque enim potest*: sed ad hanc prudentiam carnis terrendam cùm in tabulis scribuntur opera caritatis, lex est operum, & littera occidens prævaricatorem: cùm autem ipsa caritas diffunditur in corde credentium, lex est fidei, & spiritus vivificans dilectorem.

30. Vide nunc quemadmodum consonet ista discretio illis apostolicis verbis, quæ paulò antè [2. Cor. 3. 3.] ob aliud commemorata & diligentiùs pertractanda distuleram. *Manifestati*, inquit, *quoniam estis epistola Christi, ministrata per nos, scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*. Ecce quemadmodum ostendit, quia illud extra hominem scribitur, ut eum forinsecùs terrificet; hoc in ipso homine, ut eum intrinsecùs justificet. Carnales autem tabulas cordis dixit, non carnalis prudentiæ, [Ibid. 13.] sed tamquam viventis sensumque habentis, in comparatione lapidis qui sine sensu est. Et quod paulò pòst dicit, quòd non poterant intendere filii Israël usque in finem vultûs Moysi, & ideo eis per velum loquebatur, hoc significat, quia littera legis neminem justificat, sed velamen positum est in lectione veteris testamenti, donec ad Christum transeatur, & auferatur velamen, id est, transeatur ad gratiam, & intelligatur ab [b] ipso nobis esse justificationem, qua faciamus quod jubet. Qui propterea jubet, ut [b] in nobis deficientes ad illum confugiamus. Ideo vigilantissimè cùm dixisset, *Confidentiam talem habemus per* [Ibid. 4.] *Christum ad Deum*: ne nostris hoc viribus tribueretur, continuò commendavit unde agitur, dicens, *Non quòd idonei sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non litteræ, sed spiritûs. Littera enim occidit, spiritus autem vivificat*.

CAPUT XVIII. Vetus lex mortem, nova justitiam ministrat.

31. PROINDE quia *lex*, sicut alibi dicit, *prævaricationis gratiâ posita est*, id est, littera ista extra hominem scripta; propterea eam & ministrationem mortis & ministrationem damnationis appellat: hanc autem, id est, [c] novi testamen- [Gal. 3. 19. 2. Cor. 3. 7.] ti, ministrationem spiritûs & ministrationem justitiæ dicit, quia per donum spiritûs operamur justitiam, & à prævaricationis damnatione liberamur. Ideo illud evacuatur, hoc manet: quoniam terrens pædagogus auferetur, cùm timori successerit caritas. *Ubi* enim *spiritus Domini, ibi* [2. Cor. 3. 17.] *libertas*. Hanc autem ministrationem non ex meritis nostris, sed ex misericordia esse sic dicit: *Propter quod habentes ministrationem hanc, sicut mi-* [2. Cor. 4. 1.] *sericordiam consecuti non infirmemur, sed abjiciamus occulta confusionis, non ambulantes in astutia, neque dolo adulterantes verbum Dei*. Hanc astutiam & dolum hypocrisim vult intelligi, [d] quâ volunt justi superbi videri. Unde & in illo Psalmo, quem ad hujus ipsius gratiæ testificationem commemorat idem Apostolus: *Beatus*, inquit, *cui non im-* [Rom. 4. 8. Psal. 31. 2.] *putavit Dominus peccatum, neque est in ore ejus dolus*. Hæc est humilium sanctorum confessio, non se jactantium esse quod non sunt. Et paulò pòst, *Non enim nosmetipsos*, inquit, *prædicamus, sed Ie-* [2. Cor. 4. 5.] *sum Christum Dominum* [e] , *nos autem servos vestros per Iesum: quia Deus qui dixit de tenebris lumen clarescere, claruit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ gloriæ ejus in faciem Christi Iesu*. Hæc est scientia gloriæ ejus, qua scimus ipsum esse lumen, quo tenebræ nostræ illuminantur. Et idipsum adtende quemadmodum inculcet: *Ha-* [Ibid. 7.] *bemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut eminentia virtutis sit Dei, & non ex nobis*. Et paulò pòst cùm eamdem gratiam uberiùs in Domino Jesu Christo commendans, usque ad illud veniret indumentum justitiæ fidei; quo induti non nudi inveniamur, & propter hoc ingemiscimus [2. Cor. 5. 2.] [f] mortalitate prægravati, habitaculum nostrum quod de cælo est superindui cupientes, ut absorbeatur mortale à vita, vide quid adjungat: *Qui* [Ibidem 5.] *autem operatus est nos*, inquit, *in hoc ipsum Deus qui dedit nobis pignus spiritûs*. Et post pauca intulit, *ut* [Ibid. 21.] *nos simus justitia Dei in ipso*. Hæc est illa justitia Dei non qua ipse justus est, sed qua nos ab eo [g] facti.

CAPUT XIX. Fides Christiana de adjutorio gratiæ.

32. NEMO ergo Christianorum aberret ab hac fide, quæ sola Christiana est; neque quisquam, cùm verecundatus fuerit dicere, per hos ipsos fieri nos justos, non hoc in nobis operante gratiâ Dei, quia videt hoc à fidelibus & piis [h] ferri non posse, cùm dicitur, ad hoc se convertat ut dicat, ideo sine operatione gratiæ Dei nos justos esse non posse, quia legem dedit, quia doctrinam instituit, quia bona præcepta mandavit. Illa enim sine adjuvante spiritu procul dubio est

[a] Sic MSS. At editi, *ibidemque eadem subsistentia*.
[b] Lov. & nonnulli MSS. *ut à nobis*. Duo codices, *ut nobis*.
[c] Apud Lov. *id est, novum testamentum*.
[d] Editi & quidam MSS. *quia*.

[e] Hic in editis additur *nostrum*. Abest à MSS. & à Græco.
[f] Omnes propè MSS. *mortaliter prægravati*.
[g] Hic in recentioribus quibusdam editionibus additum, *justi*.
[h] Ita in omnibus MSS. At in editis, *credi non posse*.

littera occidens: cùm verò adeſt vivificans ſpiritus, hoc ipſum intus conſcriptum facit diligi, quod foris ſcriptum lex faciebat timeri.

Prophetia Jeremiæ de novo teſtamento.

a Jerem. 31. 31.

33. Inſpice [a] hoc paululùm & in eo teſtimonio quod per Prophetam de hac re præclariſſimum edictum eſt: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Iuda teſtamentum novum, non ſecundùm teſtamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut* [b] *educerem eos de terra Ægypti: quia ipſi non perſeveraverunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc teſtamentum eſt, quod ordinabo domui Iſraël. Poſt illos dies, dicit Dominus, dabo leges meas in cor illorum, & in mente eorum ſcribam eas: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit unuſquiſque civem ſuum & unuſquiſque fratrem ſuum, dicens, Cognoſce Dominum: quia omnes cognoſcent me, à minore uſque ad majorem eorum; quia propitius ero iniquitati eorum, & peccata eorum non memorabor ultrà.* Quid ad hæc dicimus? Nempe in veteribus libris aut nuſquam aut difficile præter hunc propheticum locum legitur facta commemoratio teſtamenti novi, ut omnino ipſo nomine appellaretur: nam multis locis hoc ſignificatur & prænuntiatur futurum, ſed non ita ut etiam nomen legatur expreſſum. Conſidera igitur diligenter, quam differentiam inter duo teſtamenta, id eſt, vetus & novum, Deus eſſe teſtatus ſit.

34. Cùm dixiſſet, *Non ſecundùm teſtamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti*: vide quid adjunxit, *Quia ipſi non perſeveraverunt in teſtamento meo.* Vitio eorum deputat quòd in teſtamento Dei non permanſerunt; ne lex, quam tunc acceperunt, culpanda videatur. Ipſa eſt enim, quam non venit Chriſtus ſolvere, ſed implere. Non tamen per eamdem legem juſtificatis impiis, ſed per gratiam: hoc quippe agit vivificans ſpiritus, ſine quo littera occidit. *Si enim data eſſet lex quæ poſſet vivificare, omnino ex lege eſſet juſtitia: ſed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.* Ex hac promiſſione, hoc eſt, ex Dei beneficio ipſa lex impletur, ſine qua promiſſione prævaricatores facit; vel uſque ad effectum mali operis, ſi etiam repagula timoris concupiſcentiæ flamma tranſſcenderit, vel certè in ſola voluntate, ſi timor pœnæ ſuavitatem libidinis vicerit. Quod enim ait, *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus:* ipſius concluſionis utilitas dicta eſt. Nam *Concluſit* ad quos uſus, niſi quemadmodum * alibi dicit, *Prius quàm autem veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ poſtea revelata eſt?* Lex ergo data eſt, ut gratia quæreretur: gratia data eſt, ut lex impleretur. Neque enim ſuo vitio non implebatur lex, ſed vitio prudentiæ carnis: quod vitium per legem demonſtrandum, per gratiam ſanandum fuit. *Quod enim impoſſibile erat* [c] *legis, in quo infirmabatur per carnem, miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtitia*

Matth. 5. 17.

Gal. 3. 21.

* ſ. & ibi. Ibidem. 23.

Lex. Gratia.

Rom. 8. 3.

A *legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum.* Unde & in iſto prophetico teſtimonio, *Conſummabo*, inquit, *ſuper domum Iſraël & ſuper domum Iuda teſtamentum novum:* quid eſt, *Conſummabo*, niſi implebo? *non ſecundùm teſtamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti.*

Jerem. 31. 31.

CAPUT XX. Lex vetus. Lex nova.

35. ERGO illud vetus erat, quia hoc novum eſt. Unde igitur illud vetus, hoc novum, cùm lex B eadem impleatur per teſtamentum novum, quæ dixit in vetere, *Non concupiſces? Quia ipſi*, inquit, *non perſeveraverunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus.* Ergo propter veteris hominis noxam, quæ per litteram jubentem & minantem minimè ſanabatur, dicitur illud teſtamentum vetus; hoc autem novum, propter novitatem ſpiritûs, quæ hominem novum ſanat à vitio vetuſtatis. Denique adtende quod ſequitur, & vide quanta luce fiat perſpicuum, quod ſibi C fidentes nolunt homines intueri: *Quia hoc teſtamentum eſt*, inquit, *quod ordinabo domui Iſraël. Poſt dies illos dicit Dominus, dabo leges meas in cor illorum, & in mente eorum ſcribam eas.* Ecce eſt unde Apoſtolus ait, quod ſuprà commemoravimus, *Non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis; quia non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi.* Nec ob aliud arbitror in eo loco Apoſtolum voluiſſe commemorare teſtamentum novum, (ibi quippe ait, *Qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti, non* D *litteræ, ſed ſpiritûs,*) niſi quia iſtam intuebatur prophetiam, cùm diceret, *Non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus:* quoniam hîc dictum eſt, *In cordibus eorum ſcribam eas*, ubi nominatim promiſſum eſt teſtamentum novum.

Exodi 20. 17. Jerem. 31. 32. Ibidem. 2. Cor. 3. 3. Ibidem. Ibidem. Jerem. 31.

CAPUT XXI. Lex ſcripta in cordibus.

36. QUID ſunt ergo leges Dei ab ipſo Deo ſcriptæ in cordibus, niſi ipſa præſentia Spiritûs-ſancti, qui eſt digitus Dei, quo præſente diffunditur caritas in cordibus noſtris, quæ plenitudo legis eſt, & præcepti finis. Nam quia veteris E teſtamenti promiſſa terrena ſunt, licèt (exceptis ſacramentis, quæ umbra erant futurorum, ſicut eſt circumciſio, & ſabbatum, & aliæ dierum obſervationes, & quarumdam eſcarum * cerimoniæ, & multiplex ſacrificiorum ſacrorumque ritus, quæ vetuſtati [d] carnalis legis jugoque ſervili congruebant,) talia [e] contineat præcepta juſtitiæ, qualia nunc quoque obſervare præcipimur, quæ maximè duabus illis tabulis ſine figura adumbratæ ſignificationis expreſſa ſunt, ſicuti eſt, *Non* F *adulterabis, non homicidium facies, non concupiſces, & ſi quod aliud eſt mandatum* quod *in hoc ſermone recapitulatur, Diliges proximum tuum ſicut te ipſum:* tamen quia in eo, ſicut dixi, promiſſa terrena & temporalia recitantur, quæ bona ſunt hujus corruptibilis carnis, quamvis eis ſempiterna atque cæleſtia ad novum ſcilicet teſtamentum pertinentia figurentur; nunc ipſius bonum cordis promittitur, mentis bonum, ſpiritûs bonum, hoc eſt, intelligibile bonum, cùm dicitur, *Dabo leges meas* G *in mente eorum, & in cordibus eorum ſcribam eas.* Unde ſignificavit eos non forinſecùs terrentem legem formidaturos, ſed intrinſecùs habitan-

* 2. Retr. cap. 37.

Exodi 20. 14. Rom. 13. 9.

Jerem. 31. 33.

[a] Editi, *Inſpice in hoc.* Abeſt *in* à MSS.

[b] Hîc editio Am. & duo tantùm è Vaticanis codicib. *ut ejicerem eos.* Sed infrà quotiens iſtud teſtimonium repetitur, cum illis conſtanter in eo verbo conveniunt ceteri MSS. Vatic. & Gallic.

[c] Lov. *legi.* Editi verò alii & MSS. *legis*: juxta Græc.

[d] Am. Er. & plerique MSS. *carnali lege.*

[e] Sic MSS. At editi, *contineant.*

tem ipsam legis justitiam dilecturos.

Caput XXII. Merces æterna. Ierem. 31. 33. Psal. 72. 28. Psal. 35. 10. Iohan. 17. 3.

37. Deinde addidit & mercedem: *Et ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Hoc est illud quod [a] Deo ait ille, *Mihi autem adhærere Deo bonum est. Ero*, inquit, *illis in Deum, & ipsi erunt mihi populus.* Quid hoc bono melius, quid hac felicitate felicius, vivere Deo, [b] vivere de Deo, apud quem est fons vitæ, & in cujus lumine videbimus lumen? De hac vita dicit ipse Dominus, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum:* id est, te & quem misisti Jesum Christum unum verum Deum. Hoc enim & ipse promittit dilectoribus suis, dicens, *Qui diligit me, mandata mea custodit; & qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & ostendam me ipsum illi:* utique in forma Dei, in qua æqualis est Patri; non in forma servi, in qua se & impiis [c] ostendet. Tunc enim fiet quod scriptum est, *Tollatur impius, ut non videat gloriam Domini.* Quando ibunt sinistri in ignem æternum, justi autem in vitam æternam. Quæ vita æterna, sicut commemoravi, definita est ea esse, ut cognoscant unum verum Deum. Hinc dicit & Johannes, *Dilectissimi filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Hæc similitudo nunc incipit reformari, quamdiu homo interiùs renovatur de die in diem secundùm imaginem ejus qui creavit eum.

Iohan. 14. 21. Isaia 26. 10. Matth. 25. 46. Iohan. 17. 3. 1. Iohan. 3. 2. 2. Cor. 4. 16. Colos. 3. 10.

Caput XXIII. Reformatio quæ nunc agitur, collata cum perfectione futuræ vitæ. 1. Cor. 13. 11.

38. Sed ad illius eminentiæ perfectionem quæ tunc futura est, quid hoc, aut quantum est? Si quidem Apostolus ad illa ineffabilia qualecumque adhibens de notis rebus exemplum, parvulam ætatem virili comparavit ætati. *Cùm essem*, inquit, *parvulus, quasi parvulus loquebar, quasi parvulus sapiebam, quasi parvulus cogitabam: cùm autem factus sum vir, deposui ea quæ parvuli erant.* Cur autem hoc dixerit, consequenter ostendens, *Videmus*, inquit, *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.*

Caput XXIV. Æterna merces novi testamenti propria per prædicta per Prophetam. Ierem. 31. 34.

39. Proinde etiam per hunc Prophetam, cujus testimonium pertractamus, hoc additur: ut in eo merces, in eo finis, in eo perfectio felicitatis, in eo beatæ æternæque vitæ summa consistat. Cùm enim dixisset, *Et ero illis in Deum, & ipsi erunt mihi populus:* continuò addidit, *Et non docebit unusquisque civem suum & unusquisque fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum: quia omnes cognoscent me, à minore usque ad majorem eorum.* Nunc certè jam tempus est testamenti novi, cujus per Prophetam facta est promissio per hæc verba, quæ ex illa prophetia commemoravimus: cur ergo adhuc dicit unusquisque civi suo & fratri suo, Cognosce Dominum? An fortè non dicitur, cùm Evangelium prædicetur, & ejus ipsa sit prædicatio, ut hoc ubique dicatur? Nam unde se Apostolus gentium dicit esse doctorem, nisi quia hoc fit quod ipse ait, *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Cùm ergo nunc ista prædicatio usquequaque crebrescat, quomodo tempus est testamenti novi, de quo Propheta dixit, *Et non docebit unusquisque civem suum & unusquisque fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum; quia omnes cognoscent me, à minore usque ad majorem eorum:* nisi quia ejusdem testamenti novi æternam mercedem, id est, ipsius Dei beatissimam contemplationem promittendo conjunxit?

1. Tim. 2. 7. Rom. 10. 14. Ierem. 31. 34.

Quomodo omnium erit illa merces.

40. Quid ergo est, *omnes à minore usque ad majorem eorum:* nisi omnes pertinentes spiritaliter ad domum Israël, & ad domum Juda, hoc est, ad filios Isaac, ad semen Abrahæ? Ipsa est enim promissio, qua ei dictum est, *In Isaac vocabitur tibi semen. Non enim qui filii carnis, hi filii Dei; sed filii promissionis deputantur in* [d] *semen. Promissionis autem verbum hoc est, Ad hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Non solùm autem, sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri. De nondum enim natis, neque qui aliquid operati fuerant boni aut mali, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori.* Hæc est domus Israël, vel domus Juda propter Christum, qui venit ex tribu Juda. Domus filiorum promissionis [e] hæc est, non operum propriorum, sed beneficii Dei. Hoc enim Deus promittit, quod ipse facit: non enim ipse promittit & alius facit, quod jam non est promittere, sed prædicere. Ideo *non ex operibus, sed ex vocante*: ne ipsorum sit, non Dei; ne merces non imputetur secundùm gratiam, sed secundùm debitum, atque ita gratia jam non sit gratia, cujus vehemens defensor est atque assertor minimus Apostolorum, qui plus omnibus illis laboravit, non ipse autem, sed gratia Dei cum illo. *Omnes enim*, inquit, *agnoscent me: Omnes*, domus Israël & domus Juda. *Neque enim omnes qui ex Israël, hi sunt Israël:* sed omnes quibus dicitur in *Psalmo pro susceptione matutina*, hoc est, pro luce nova, testamenti scilicet novi, *Vniversum semen Iacob magnificate eum, timeat eum omne semen Israël.* Universum omnino semen, prorsus omne semen promissorum atque vocatorum, sed eorum qui secundùm propositum vocati sunt. *Quos* enim *prædestinavit, illos & vocavit, quos autem vocavit, illos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.* * *Ideo* [f] *ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, non ei tantùm quod ex lege est*, id est, quod ex vetere testamento venit ad novum; *sed & ei quod ex fide est*, non sibi [g] præmissa lege. *Ex fide* autem *Abraham*, id est, imitatores fidei Abraham: *qui est pater omnium nostrûm, sicut scriptum est, Quia patrem multarum gentium posui te.* Omnes ergo hi prædestinati, vocati, justificati, glorificati cognoscent Deum gratiâ testamenti novi, à minore usque ad majorem eorum.

Rom. 9. 7. Rom. 4. 4. Apostolus vehemens defensor gratiæ. 1. Cor. 15. 9. Ierem. 31. 34. Rom. 9. 6. Psal. 21. 24. Rom. 8. 28. & 30. * Rom. 4. 16.

Lex scripta in cordibus & merces æternæ contemplationis pertinet ad testamentum novum.

41. Sicut ergo lex factorum scripta in tabulis lapideis, mercesque ejus terra illa promissionis, quam carnalis domus Israël cùm ex Ægypto liberata esset, accepit, pertinet ad testamentum vetus: ita lex fidei scripta in cordibus, mercesque ejus species contemplatio-

[a] Editi, de Deo. Abest de à MSS.
[b] In editis Er. & Lov. deerat, *vivere de Deo.* Apud Am. repetebatur, *vivere Deo:* prætermisso, *de.*
[c] Am. Fr. & plerique MSS. *ostendebat.*
[d] Sic MSS. juxta Græc. *εἰς σπέρμα.* At editi, *in semine.*

[e] Sex MSS. *hoc est non operum propriorum.*
[f] Editi, *Ideoque.* At MSS. non aliter quàm Apostolus.
[g] Editi, *promissa lege.* Sed qui hic manifesto errore recedunt à MSS. cum iis postea conveniunt n. 46. ubi repetitur a *præmissa sibi lege.*

nis, quam ſpiritalis domus Iſraël ab hoc mundo liberata percipiet, pertinet ad teſtamentum novum. [1. Cor. 13. 8.] Tunc fiet quod dicit Apoſtolus, *Sive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia evacuabitur*, illa ſcilicet parvulorum ſcientia in qua hîc vivitur, quæ ex parte eſt per ſpeculum in ænigmate: propter hanc enim neceſſaria eſt prophetia, cùm adhuc præteritis futura ſuccedunt; propter hanc linguæ, id eſt, multiplicitas ſignificationum, cùm ex alio atque alio aliud atque aliud admonetur, qui nondum æternam lucem perſpicuæ veritatis mente purgatiſſima contemplatur. [Ibid. 10.] *Cùm autem venerit quod perfectum eſt*, & totum hoc *quod ex parte eſt* fuerit *evacuatum*, tunc [a] quod aſſumta carne carni apparuit, oſtendet ſe ipſum dilectoribus ſuis: tunc [Iohan. 17. 3.] erit vita æterna, ut cognoſcamus unum verum Deum; [1. Iohan. 3. 2.] tunc ſimiles ei erimus, quoniam tunc cognoſcemus ſicut & cogniti ſumus. [1. Cor. 13. 12.] Tunc [Ierem. 31. 34.] *non docebit unuſquiſque civem ſuum, aut fratrem ſuum, dicens, Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent eum, à minore uſque ad majorem eorum.* [Minores & majores in beatis quinam.] Quod multis modis intelligi poteſt. Sive quia & illic quiſque ſanctorum tamquam ſtella ab ſtella differt in gloria. [1. Cor. 15. 41.] Nec ad rem quidquam intereſt, utrùm *à minore uſque ad majorem*, ſicut dictum eſt, an ſi à majore uſque ad minorem diceretur: quod ſimiliter nihil intereſt, etiam ſi minores intellexerimus, qui tantummodo credere, majores autem qui etiam intelligere, quantum in hac vita poteſt, lumen incorporeum atque incommutabile valuerunt. Sive minores, tempore poſteriores; majores autem tempore priores intelligi voluit. Simul enim promiſſam Dei contemplationem accepturi ſunt omnes; [Heb. 11. 40.] quia & illi pro nobis meliora providerunt, ne ſine nobis perfecti perficerentur. Et ideo velut priores reperiuntur minores, quia minùs dilati ſunt; ſicut in illo evangelico denario per ſimilitudinem dicitur, [Matth. 20. 8.] quem priùs accipiunt qui poſteriùs venerunt ad vineam. Sive quolibet alio modo, qui me in præſentia forſitan fugit, minores majoreſque accipiendi ſunt.

CAPUT XXV. Diſtantia veteris & novi teſtamenti.

42. ILLUD tamen, quantum potes, diligenter adtende, quod tanto molimine conor oſtendere: cùm teſtamentum novum Propheta promitteret, [Ierem. 31. 32.] non ſecundùm teſtamentum quod priùs factum eſt populo Iſraël ex Ægypto liberato, nihil eum de ſacrificiorum vel quorumque ſacramentorum commutatione dixiſſe, quamvis & ipſa ſine dubio fuerat ſecutura, ſicut ſecutam videmus, quod multis aliis locis eadem prophetica ſcriptura teſtatur: ſed tantummodo iſtam commendaſſe diſtantiam, quòd leges ſuas daturus eſſet Deus in mentem eorum, qui pertinerent ad hoc teſtamentum, & eorum [b] ſcripturus in cordibus; unde Apoſtolus ſumſit, [2. Cor. 3. 3.] *non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*: ſempiternamque mercedem juſtificationis hujus, non terram de qua pulſi ſunt [Ioſue 12.] Amorrhæi & Chettæi, & aliæ gentes quæ ibi commemorantur, ſed ipſum Deum, [Pſ. 72. 28.] cui adhærere bonum eſt, ut bonum Dei quod diligunt, Deus ſit ipſe quem diligunt; inter quem & homines niſi peccata non ſeparant, quæ non niſi per eamdem gratiam dimittuntur. Unde cùm dixiſſet, *Omnes enim cognoſcent me, à minore uſque ad majorem eorum:* mox addidit, [Ierem. 31. 34.] *Quia propitius ero iniquitati eorum, & peccata eorum non memorabor ultrà.* Per legem ergo factorum dicit Dominus, [Exodi 20. 17.] *Non concupiſces*: per legem fidei dicit Dominus, [Iohan. 15. 5.] *Sine me nihil poteſtis facere.* Agebat enim de bonis operibus, hoc eſt, de palmitum fructibus. Cùm igitur hæc appareat diſtantia veteris & novi teſtamenti, quòd lex ibi in tabulis, hîc in cordibus ſcribitur, ut quod ibi forinſecùs terret, hîc delectet intrinſecùs, ibique fiat prævaricator per occidentem litteram, hîc dilector per vivificantem ſpiritum: non ideo dicendum eſt, quòd Deus adjuvet nos ad operandam juſtitiam atque operetur in nobis & velle & operari pro bona voluntate, [Philip. 2. 13.] quia præceptis juſtitiæ forinſecùs inſonat ſenſibus noſtris; [1. Cor. 3. 7.] ſed quia intrinſecùs incrementum dat, diffundendo caritatem in cordibus noſtris per Spiritum-ſanctum, [Rom. 5. 5.] qui datus eſt nobis.

CAPUT XXVI. Quæſtio in locum Apoſtoli, de gentibus quæ naturaliter faccere legem, eamque habere ſcriptam in cordibus dicuntur.

43. VIDENDUM eſt autem quomodo dicat Apoſtolus, [Rom. 2. 14.] *Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, hi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*: ne videatur non eſſe certa diſtantia novi teſtamenti, quòd leges ſuas Dominus in cordibus populi ſui ſe ſcripturum eſſe promiſit, quando quidem hoc gentes naturaliter habeant. Pertractanda igitur hæc quæſtio, quæ non mediocris exorta eſt. Dicet enim aliquis, Si Deus hinc diſcernit à vetere teſtamento novum, quòd in vetere legem ſuam ſcripſit in tabulis, in novo autem ſcripſit in cordibus: fideles novi teſtamenti unde diſcernuntur à gentibus, quæ habent opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, quo naturaliter quæ legis ſunt faciunt; quaſi jam illo populo vetere potiores, qui legem accepit in tabulis, & novo populo priores, cui hoc præſtatur per teſtamentum novum, quod his natura jam præſtitit?

[Reſpondetur, intelligendum de fidelibus novi teſtamenti.]

44. An fortè eas gentes commemoravit Apoſtolus, ſcriptam in cordibus habere legem, quæ ad novum pertinent teſtamentum? Ad hoc enim unde venerit, intuendum eſt. Primò Evangelium commendans, ait: [Rom. 1. 16.] *Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt, Iuſtus autem ex fide vivit.* Deinde loquitur de illis impiis, quibus propter ſuperbiam nec cognitio Dei profuit, quia non ſicut Deum [Rom. 1. 21.] glorificaverunt, aut gratias egerunt. Inde tranſit ad eos qui judicant & agunt talia, [Rom. 2. 1.] qualia condemnant, nimirum propter Judæos, qui de lege Dei gloriabantur; quamvis adhuc eos nominatim non exprimat, & [c] ideo dicit, [Ibidem. 8.] *Ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci: gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco. Non eſt enim perſonarum acceptio apud Deum. Quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege & peribunt; & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.* His verbis hoc unde agitur

[a] In tribus MSS. *qui.* In quinque, *Verbum quod.*
[b] Sic MSS. At editi, *ſcripturas.*

[c] Duo MSS. *& in eo dicit.*

Ibidem 11. ſubjungit, & dicit, *Cùm gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt:* & cetera quæ jam ſuprà commemoravi. Proinde non videtur alios hîc ſignificaſſe ſub nomine gentium, quàm eos quos nomine Græci ſuprà ſignificabat, cùm diceret, *Judæo primùm & Græco.* Porrò ſi Evangelium *virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti, Judæo primùm & Græco;* & *iræ & indignatio & tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm & Græci, gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco;* iſte autem Græcus nomine gentium ſignificatus eſt naturaliter quæ legis ſunt facientium, & quæ ſcriptum habent opus legis in cordibus ſuis: profectò ad Evangelium pertinent gentes, quibus lex in cordibus ſcripta eſt; eis quippe credentibus virtus Dei eſt in ſalutem. Quibus autem gentibus bene operantibus gloriam & honorem pacemque promitteret, extra Evangelii gratiam conſtitutis? Quia enim perſonarum acceptio non eſt apud Deum, & non auditores legis, ſed factores juſtificantur; ideo ſive Judæus ſive Græcus, hoc eſt, quilibet ex gentibus crediderit, ſalutem in Evangelio pariter habebit. *Non enim eſt diſtinctio*, ſicut poſtea dicit: *Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei, juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Unde autem factorem legis Græcum juſtificari diceret, ſine gratia Salvatoris?

Rom. 1. 16. — *Rom.* 2. 8. — *Ibidem* 11. & 13. — *Rom.* 3. 23.

45. Neque enim contra ſe ipſum diceret, quod ait, *factores legis juſtificabuntur;* tamquam per opera, non per gratiam juſtificentur: cùm dicat gratìs juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis, nihil aliud volens intelligi in eo quod dicit, *gratìs*, niſi quia juſtificationem opera non præcedunt. Apertè quippe alibi dicit, *Si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia.* Sed ſic intelligendum eſt, *factores legis juſtificabuntur*, ùt ſciamus eos aliter non eſſe factores legis, niſi juſtificentur: ut non juſtificatio factoribus accedat, ſed ut factores juſtificatio præcedat. Quid eſt enim aliud, juſtificati, quàm juſti facti, ab illo ſcilicet qui juſtificat impium, ut ex impio fiat juſtus? Si enim ita loqueremur, ut diceremus, homines liberabuntur; hoc utique intelligeretur, eis qui jam homines eſſent accedere liberationem: ſi autem diceremus, homines creabuntur; non utique intelligeretur eos creari qui erant, ſed ipſa creatione homines fieri. Ita ſi dictum eſſet, factores legis honorabuntur; non rectè acciperemus niſi honorem illis qui jam eſſent factores legis accedere: cum verò dictum eſt, *factores legis juſtificabuntur;* quid aliud dictum eſt quàm, juſti juſtificabuntur? factores enim legis utique juſti ſunt. Ac per hoc tantumdem eſt ac ſi diceretur, factores legis creabuntur, non [a] qui erant, ſed ut ſint: ut ſic intelligerent etiam Judæi legis auditores, indigere ſe gratiâ [b] juſtificatoris, ut poſſint eſſe factores. Aut certè ita dictum eſt, *juſtificabuntur*, ac ſi diceretur, juſti habebuntur, juſti deputabuntur: ſicut dictum eſt de quodam, *Ille autem volens ſe juſtificare*, id eſt, ut juſtus haberetur & deputaretur. Unde aliter dicimus, Deus ſanctificat ſanctos ſuos: aliter autem [c], *Sanctificetur nomen tuum.* Nam illud ideo, quia ipſe illos facit eſſe ſanctos, qui non erant ſancti: hoc autem ideo, ut quod ſemper apud ſe ſanctum eſt, ſanctum etiam ab hominibus habeatur, id eſt, ſanctè timeatur.

Factores legis, non per opera, ſed per gratiam juſtificantur. — *Rom.* 2. 13. — *Rom.* 3. 24. & 28. — *Rom.* 11. 6. — *Rom.* 2. 13. — *Rom.* 4. 5. — *Luc.* 10. 29. — Aliter ſanctificantur ſancti, aliter ſanctificatur nomen Dei. *Matth.* 6. 9.

46. [c] Si ergo gentes commemorans, naturaliter quæ legis ſunt facientes, & ſcriptum habentes opus legis in cordibus, illos intelligi voluit qui credunt in Chriſtum; quia non ſicut Judæi præmiſſa ſibi lege veniunt ad fidem: non eſt cur eos conemur diſcernere ab iis quibus Dominus per Prophetam promittens teſtamentum novum, dixit leges ſuas ſe ſcripturum in cordibus eorum; quia & ipſi per inſertionem, quam oleaſtro præſtitam dicit, ad eamdem oleam, hoc eſt, ad eumdem Dei populum pertinent: potiùſque concordat prophetico etiam hoc apoſtolicum teſtimonium: ut hoc ſit pertinere ad teſtamentum novum, legem Dei habere non in tabulis, ſed in cordibus ſcriptam, hoc eſt, in intimo affectu juſtitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur. *Quia ex fide juſtificat gentes Deus:* Quod *Scriptura prævidens, prænuntiavit Abrahæ, dicens, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes:* ut per hanc promiſſionis gratiam olivæ inſereretur oleaſter, & fierent fideles gentes filii Abrahæ *in ſemine Abrahæ, quod eſt Chriſtus*, ſectantes ejus fidem, qui non accepta in tabulis lege, nondumque habens ipſam circumciſionem, *credidit Deo, & deputatum eſt illi ad juſtitiam.* Ac ſic tale erit hoc quod de ejuſmodi gentibus dixit Apoſtolus, quòd *opus legis ſcriptum habeant in cordibus ſuis:* quale eſt illud ad Corinthios, *non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Ita enim fiunt de domo Iſraël, cùm præputium eorum in circumciſionem deputatur, eo quòd juſtitiam legis non præciſione carnis oſtendunt, ſed cordis caritate cuſtodiunt: quoniam *ſi præputium juſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium ejus*, inquit, *in circumciſionem deputabitur?* Et propterea in domo veri Iſraël, in quo dolus non eſt, participes ſunt teſtamenti novi, quia dat Deus leges in mentem ipſorum, & in cordibus eorum ſcribit eas digito ſuo, Spiritu-ſancto, quo ibi diffunditur caritas, quæ legis eſt plenitudo.

Rom. 2. 14. — Quomodo locus Apoſtoli cum loco Prophetæ concordat. *Jerem.* 31. 33. — *Rom.* 11. 24. — *Gal.* 5. 6. — *Gal.* 3. 8. — *Gen.* 22. 18. — *Gal.* 3. 16. — *Gen.* 15. 6. — *Rom.* 4. 3. — *Rom.* 2. 15. — 2. *Cor.* 3. 3. — *Rom.* 2. 26. — *Johan.* 1. 47. — *Rom.* 5. 5. — *Rom.* 13. 10.

CAPUT XXVII. Legem fieri naturaliter, idem quòd ſecundùm naturam gratiâ reparatam.

47. Nec moveat, quòd *naturaliter* eos dixit, *quæ legis ſunt facere*, non ſpiritu Dei, non fide, non gratiâ. Hoc enim agit ſpiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti ſumus, inſtauret in nobis. Vitium quippe contra naturam eſt, quod utique ſanat gratia: propter quam Deo dicitur, *Miſerere mei, ſana animam meam, quoniam peccavi tibi.* Proinde naturaliter homines quæ legis ſunt faciunt: qui enim hoc non faciunt, vitio ſuo non [d] faciunt. Quo vitio lex Dei eſt deleta de cordibus: ac per hoc, vitio ſanato, cùm illic ſcribitur, fiunt quæ legis ſunt naturaliter: non quòd per naturam negata ſit gratia, ſed potiùs per gratiam reparata natura. *Per unum* quippe *hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt:* & ideo quia *non eſt diſtinctio, egent gloriâ Dei, juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Qua gratiâ [e] in interiore homine reno-

Rom. 2. 14. — *Pſal.* 40. 5. — *Rom.* 5. 12. — *Rom.* 3. 23.

[a] Editi, *quia erant.* At MSS. *qui erant*, vel *qui jam erant.*
[b] In editis, *juſti juſtificatoris.* Abeſt *juſti* à MSS.
[c] Editi, *Sic ergo.* Meliùs MSS. *Si ergo.*

[d] Editi, *vitioſè faciunt.* At MSS. quinque, *vitio non faciunt.* Tres, *vitio ſuo non faciunt.* Ceteri, *vitioſè non faciunt.*
[e] Particula *in* abeſt à pleriſque MSS.

vato justitia scribitur, quam culpa deleverat: & hæc misericordia super genus humanum per Christum Jesum Dominum nostrum. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* (1. Tim. 2. 5.)

(Etsi Apostolus illic de infidelibus intelligatur, non tollitur data differentia novi testamenti.)

48. Si autem hi qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi justificat gratia; sed in eorum potiùs, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justéque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectéque laudamus: quamquam si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur: (V. lib. 4. cont. Iulian. c. 3.) * (* Caput XXVIII. Imago Dei non omnino deleta in infidelibus.) verumtamen quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde meritò dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere; si hoc est quod dictum est, quia *gentes quæ legem non habent*, hoc est, legem Dei, *naturaliter quæ legis sunt faciunt*, & quia hujusmodi homines *ipsi sibi sunt lex*, & *scriptum opus legis habent in cordibus suis*, id est, non omni modo deletum est, quod ibi per imaginem Dei cùm crearentur impressum est: etiam sic illa differentia non perturbabitur, qua distat à vetere testamentum novum, eo quòd per novum scribitur lex Dei in corde fidelium, quæ per vetus in tabulis scripta est. Hoc enim illic scribitur per renovationem, quod non omni modo deletum est per vetustatem. Nam sicut ipsa imago Dei renovatur in mente credentium per testamentum novum, quam non penitus impietas aboleverat; nam remanserat utique id quod anima hominis nisi rationalis esse non potest: ita etiam ibi lex Dei non ex omni parte deleta per injustitiam, profectò scribitur renovata per gratiam. Nec istam inscriptionem, quæ justificatio est, poterat efficere in Judæis lex in tabulis scripta, sed solùm prævaricationem. Nam & ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid [a] anima rationalis & sentit & facit: sed pietas quæ in aliam vitam transfert beatam & æternam, legem habet immaculatam, convertentem animas, ut ex illo lumine renoventur, fiatque in eis, *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.* Unde aversi [b] obsolescere meruerunt: renovari autem nisi gratiâ Christianâ, hoc est, nisi Mediatoris intercessione non possunt. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemtionem pro omnibus.* A cujus gratia si alieni sunt illi, de quibus agimus, qui secundùm illum modum, de quo superiùs satis diximus, *naturaliter quæ legis sunt faciunt*; quid eis proderunt *excusantes cogitationes, in die qua judicabit Deus occulta hominum*, nisi fortè ut mitiùs puniantur? (Peccata venialia.) Sicut enim non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. Verumtamen sicut in regno Dei velut

(Rom. 2. 14. — Psal. 18. 8. — Psal. 4. 7. — 1. Tim. 2. 5. — Rom. 2. 14. &c.)

[a] Omnes ferè Gallic. MSS. *animal rationale.*
[b] Editi, *absolescere.*

stella ab stella in gloria differunt sancti; sic & in damnatione pœnæ sempiternæ tolerabilius erit Sodomæ quàm alteri civitati, & erunt quidam duplo ampliùs quibusdam gehennæ filii: ita nec illud in judicio Dei vacabit, quòd in ipsa impietate damnabili magis alius alio minúsve peccaverit. (1. Cor. 15. 41. — Luc. 10. 12.)

49. Quid ergo hinc Apostolus efficere voluit, quòd jactantiam cohibens Judæorum, cùm dixisset, *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*; continuò subjecit de his, qui *legem non habentes, naturaliter quæ legis sunt faciunt*: si non illi sunt intelligendi, qui pertinent ad gratiam Mediatoris, sed illi potiùs, qui cùm Deum verum vera pietate non colant, habent tamen quædam opera bona in vita impia? An fortè hoc ipso probandum credidit, quod suprà dixerat, quia *non est personarum acceptio apud Deum*; & quod postea dixit, quia *non Iudæorum est Deus tantùm, sed & gentium*: quòd quantulacumque legis opera naturaliter insita non invenirentur in eis, qui legem non acceperunt, nisi ex reliquiis imaginis Dei; quam non contemnit, cùm in eum credunt, apud quem non est acceptio personarum? Sed quodlibet horum accipiatur, constat gratiam Dei promissam esse testamento novo etiam per Prophetam: eamdemque gratiam in eo definitam, ut scribantur leges Dei in cordibus hominum, perveniantque ad eam cognitionem Dei, ubi non docebit unusquisque civem suum vel fratrem suum, dicens, Cognosce Deum, quia omnes cognoscent eum à minore usque ad majorem eorum. Hoc donum Spiritus-sancti est, quo diffunditur caritas in cordibus nostris: caritas non quælibet, sed caritas Dei de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, ex qua justus in hac peregrinatione vivens, ad speciem quoque perducitur post speculum & [c] ænigma, & quidquid erat ex parte, ut facie ad faciem cognoscat, sicut & cognitus est. Unam enim [d] petiit à Domino, & hanc requirit, ut inhabitet in domo Domini per omnes dies vitæ suæ, ad hoc ut contempletur delectationem Domini.

(Rom. 2. 13. — Rom. 2. 11. — Rom. 3. 29. — Gratia novo testamento promissa per prophetam. Ierem. 31. 33. — Rom. 5. 5. — 1. Tim. 1. 5. — 1. Cor. 13. 12. — Psal. 26. 4.)

(Caput XXIX. Justitia dono Dei.)

50. Nemo itaque glorietur ex eo quod videtur habere, tamquàm non acceperit; aut ideo se putet accepisse, quia littera extrinsecùs, vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur insonuit. Nam *si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Porrò autem si non gratis mortuus est, adscendit in altum, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus: inde habet, quicumque habet. Quisquis autem inde se habere negat, aut non habet, aut id quod habet auferetur ab eo. *Unus* enim *Deus qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*: quod non ad aliquam differentiam dictum est, tamquam aliud sit *ex fide*, & aliud *per fidem*; sed ad varietatem locutionis. Alio quippe loco cùm de gentibus diceret, hoc est, de præputio: *Prævidens*, inquit, *Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus.* Itemque cùm de circumcisione loqueretur, unde erat ipse: *Nos* inquit, *naturâ Iudæi, & non ex gentibus peccatores, scientes quia non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christum Iesum credimus.* Ecce & præputium dixit justificari ex

(1. Cor. 4. 7. — Gal. 2. 21. — Psal. 67. 19. Ephes. 4. 8. — Luc. 8. 18. & 19. 26. — Rom. 3. 30. — Gal. 3. 8. — Gal. 2. 15.)

[c] Apud Lov. *& ænigmata.*
[d] Nonnulli MSS. *petit.*

fide,

fide, & circumcisionem per fidem, si tamen circumcisio justitiam [a] fidei teneat. Sic enim (Rom. 9. 30.) *gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, justitiam autem quæ ex fide est*: impetrando eam ex Deo, non ex semetipsis præsumendo. *Israël verò persequens legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? quia non ex fide, sed tamquam ex operibus*: id est, tamquam eam per semetipsos operantes, non in se credentes operari Deum. (Philip. 2. 13.) *Deus est enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate.* Ac per hoc (Rom. 9. 32.) *offenderunt in lapidem offensionis.* Nam quid dixerit, *quia non ex fide, sed tamquam ex operibus*: apertissimè exposuit, dicens, (Rom. 10. 3.) *Ignorantes enim Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti.* Et adhuc dubitamus quæ sint opera legis, quibus homo non justificatur, si ea tamquam sua crediderit sine adjutorio & dono Dei, quod est *ex fide Iesu Christi*? & circumcisionem ceteraque talia suspicamur, quia etiam de his sacramentis aliis in locis talia quædam leguntur? Sed [b] hîc utique non circumcisionem tamquam suam justitiam volebant constituere: quia & ipsam Deus præcipiendo constituit. Nec de illis operibus hoc intelligi potest, de quibus Dominus eis dicit, (Matth. 15. 3. Marci 7. 9.) *Rejicitis mandatum Dei, ut traditiones vestras statuatis*: (Rom. 9. 31.) *Quia persequens*, inquit, *legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit Israël.* Non dixit, persequens traditiones suas, id est, consectans. Hæc ergo sola distantia est, quia ipsum, (Exodi 20. 17.) *Non concupisces*, & cetera mandata ejus sancta & bona sibi tribuebant: quæ ut possit homo facere, Deus operatur in homine per fidem Jesu Christi, qui finis est ad justitiam omni credenti; id est, [c] cui per spiritum incorporatus factusque membrum ejus, potest quisque illo incrementum intrinsecùs dante, operari justitiam: de cujus operibus etiam ipse dixit, (Iohan. 15. 5.) quia *sine me nihil potestis facere.*

51. Ideo quippe proponitur justitia legis, quòd (Levit. 18. 5. Rom. 10. 5.) qui fecerit eam, vivet in illa, ut cùm quisque infirmitatem suam cognoverit, non per suas vires, neque per litteram ipsius legis, quod fieri non potest, sed per fidem concilians justificatorem perveniat, & faciat, & vivat in ea. Opus enim quod qui fecerit, vivet in eo, non fit nisi à justificato. Justificatio autem ex fide impetratur: de qua scriptum est, (Rom. 10. 6.) *Ne dixeris in corde tuo, quis adscendit in cælum? hoc est Christum deducere: aut quis descendit in abyssum? hoc est Christum à mortuis reducere. Sed quid dicit? Prope te est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est*, inquit, *verbum fidei quod prædicamus: quia si confitearis in ore tuo quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* In tantum justus, in quantum salvus. Per hanc enim fidem credimus, quòd etiam nos Deus à mortuis excitet: interim spiritu, ut in novitate ejus gratiæ (Tit. 2. 12.) temperanter & justè & piè vivamus in hoc sæculo; pòst etiam carne nostra ad immortalitatem resurrectura, quod [d] est meritum spiritûs, qui eam in resurrectione sibi congrua, hoc est, in justificatione præcedit. (Rom. 6. 4.) *Consepulti enim sumus Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, sic & nos in novitate vitæ ambulemus.* Fide igitur Jesu Christi impetramus salutem, & quantum nobis inchoatur in re, & quantum perficienda exspectatur in spe. *Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* (Iohel. 2. 32. Rom. 10. 13.) *Quàm multa multitudo*, ait Psalmista, (Psal. 30. 20.) *dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti autem sperantibus in te!* Ex lege timemus Deum, ex fide speramus in Deum: sed timentibus pœnam absconditur gratia. Sub quo timore anima laborans, quando concupiscentiam malam non vicerit, nec timor ille quasi custos severus abscesserit; per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod jubet, atque [e] inspirata gratiæ suavitate per Spiritum-sanctum faciat plus delectare quod præcipit, quàm delectat quod impedit. Ita multa multitudo dulcedinis ejus, hoc est, lex fidei, caritas ejus conscripta in cordibus atque diffusa, perficitur sperantibus in eum, ut anima sanata non timore pœnæ, sed amore justitiæ operetur bonum.

CAPUT XXX.

52. Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit: sed magis liberum arbitrium statuimus. (Rom. 3. 31.) Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur [f] nisi libero arbitrio: sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ [g] à vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio. Ac per hoc, sicut lex non evacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur: ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, qua justitia liberè diligatur. Omnia hæc quæ velut catenatim connexui, habent voces suas in scripturis sanctis. Lex dicit, (Exodi 20. 17.) *Non concupisces.* Fides dicit, (Psal. 40. 5.) *Sana animam meam, quoniam peccavi tibi.* Gratia dicit, (Iohan. 5. 14.) *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.* Sanitas dicit, (Psal. 29. 3.) *Domine Deus meus exclamavi ad te, & sanasti me.* Liberum arbitrium dicit, (Psal. 53. 8.) *Voluntariè sacrificabo tibi.* Dilectio justitiæ dicit, (Psal. 118. 85.) *Narraverunt mihi injusti delectationes*, [h] *sed non sicut lex tua, Domine.* Ut quid ergo miseri homines aut de libero arbitrio audent superbire antequàm liberentur, aut de suis viribus, si jam liberati sunt? Nec adtendunt in ipso nomine liberi arbitrii utique libertatem sonare. (2. Cor. 3. 17.) *Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas.* Si ergo servi sunt peccati, quid se jactant de libero arbitrio? (2. Pet. 2. 19.) *A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.* Si autem liberati sunt, quid se jactant velut de opere proprio, & gloriantur quasi non acceperint? An ita sunt liberi, ut nec illum velint habere Dominum, qui eis dicit, (Iohan. 15. 5.) *Sine me nihil potestis facere*: &, (Iohan. 8. 36.) *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis?*

CAPUT XXXI. Fides an sit in nostra potestate.

53. Quæret aliquis, utrùm fides ipsa, in qua salutis vel ad salutem connexionis hujus, quam commemoravi, esse videtur exordium, in nostra

[a] Plerique MSS. *justitiam Dei teneat.*
[b] In quatuor MSS. *sed hi utique.*
[c] Apud Lov. deest *cui*: & ejus loco apud Er. legitur, *qui.*
[d] Quinque MSS. *quod ei meritum spiritus comparat.*
[e] Omnes propè MSS. *inspirata.*
[f] Aliquot MSS. *sine libero arbitrio.*
[g] Sic Am. Er. & plerique MSS. At Lov. *sanatio animæ abolitione peccati.*
[h] Editio Lov. hîc addit, *suas.*

constituta sit potestate: quod faciliùs videbimus, [A] si priùs quid sit potestas aliquantò diligentiùs perspexerimus. Cùm enim duo quædam sint, velle & posse, unde nec qui vult continuò potest, nec qui potest continuò vult; quia sicut volumus aliquando quod non possumus, sic etiam possumus aliquando quod nolumus: satis [a] evolutis ipsis etiam vocabulis resonat, quòd ab eo quod est velle, voluntas; ab eo autem quod est posse, potestas nomen accepit. Quapropter sicut qui vult habet voluntatem, ita potestatem qui potest. [B] Sed ut potestate aliquid fiat, voluntas aderit. Neque enim dici solet quispiam [b] potestate fecisse, si quid fecit invitus. Quamquam, si subtiliùs advertamus, etiam quod quisque invitus facere cogitur, si facit, voluntate facit: sed quia mallet aliud, ideo invitus, hoc est, nolens facere dicitur. Malo quippe aliquo facere compellitur, quod volens evitare vel à se removere, facit quod cogitur. Nam si tanta voluntas sit, ut malit hoc non facere quàm illud non pati; [C] cogenti procul dubio resistit, nec facit. Ac per hoc, si facit; non quidem plena & libera voluntate, sed tamen non facit nisi voluntate: quam voluntatem quia effectus consequitur, non possumus dicere potestatem defuisse facienti. Si enim cogenti cedens vellet facere, nec posset; ei voluntatem adfuisse licèt extortam, sed potestatem defuisse diceremus. Cùm verò ideo non faciebat, quia nolebat; erat utique potestas, sed voluntas deerat, quamdiu cogenti reluctando non fecit. [D] Hinc est quòd etiam illi qui cogunt, vel qui suadent, solent dicere, Quod habes in potestate, quare non facis, ut hoc malo careas? Et qui omnino facere non possunt, quod ideo coguntur ut faciant, quia posse creduntur, solent excusando respondere & dicere, Facerem, si esset in potestate. Quid igitur ultrà quærimus, quando quidem hanc dicimus potestatem, ubi voluntati adjacet facultas [c] faciendi? Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit; si [E] non vult, non facit.

Velle. Posse.

Invitus facere quomodo quis dicitur.

An fides in potestate sit.

54. Adtende jam illud quod excutiendum posuimus, utrùm fides in potestate sit? De hac enim fide nunc loquimur, quam adhibemus cùm aliquid credimus, non quam damus cùm aliquid pollicemur; nam & ipsa dicitur fides. Sed aliter dicimus, Non mihi habuit fidem: aliter, Non mihi servavit fidem. Nam illud est, Non credidit quod dixi: illud, Non fecit quod dixit. Secundùm hanc fidem qua credimus, fideles sumus [F] Deo: secundùm illam verò qua fit quod [d] promittitur, etiam Deus ipse fidelis est nobis. Hoc enim dicit Apostolus, *Fidelis Deus, qui non vos permittat tentari super id quod potestis.* De illa itaque fide quærimus, utrùm in potestate sit, qua credimus Deo, vel credimus in Deum. Hinc enim scriptum est, *Credidit Abraham Deo, & deputatum est illi ad justitiam*: &, *Credenti in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam.* Vide nunc utrùm quisque credat, si noluerit; aut non credat, si voluerit. Quod si absurdum est: quid est enim credere, nisi consentire verum esse quod dicitur? consensio autem utique volentis est: profectò fides in potestate est. Sed, sicut Apostolus dicit, *Non est potestas nisi à Deo.* Quid igitur caussæ est, cur non & de ista nobis dicatur, *Quid enim habes, quod non accepisti?* Nam & [e] ut credamus, Deus dedit. Nusquam autem legimus in scripturis sanctis, Non est voluntas nisi à Deo. Et rectè non scriptum est, quia verum non est: alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas nisi ab illo: quoniam mala voluntas jam sola peccatum est, etiam si desit effectus, id est, si non habeat potestatem. Porrò cùm voluntas mala potestatem accipit implere quod [f] intendit, ex judicio Dei venit, apud quem non est iniquitas. Punit enim etiam isto modo; nec ideo injustè, quia occultè. Ceterùm iniquus puniri se ignorat, nisi cùm manifesto supplicio senserit nolens, quantum mali sit quod perpetravit volens. Hoc est quod de quibusdam Apostolus ait, *Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis illorum, ut faciant quæ non conveniunt.* Hinc & Dominus Pilato, *Non haberes in me*, inquit, *potestatem, nisi data esset tibi de super.* Sed cùm potestas datur, non necessitas utique imponitur. Unde cùm David Saülis occidendi potestatem accepisset, maluit parcere, quàm ferire. Unde intelligimus malos accipere potestatem ad damnationem malæ voluntatis suæ, bonos autem ad probationem bonæ voluntatis suæ.

Fides duplex.

1. Cor. 10. 13.

Gen. 15. 6. Rom. 4. 3. & 5.

Fides in potestate, quia nullus credit nisi voluerit.

Rom. 13. 1.

1. Cor. 4. 7.

Omnis potestas, sed non omnis voluntas à Deo.

Rom. 9. 14.

Rom. 1. 24.

Iohan. 19. 11.

1. Reg. 24. 7. & 26. 9.

Caput XXXII. Quæ fides laudanda.

55. Cum ergo fides in potestate sit, quoniam cùm vult quisque credit: & cùm credit, volens credit; deinde quærendum est, immo recolendum, quam fidem tanta conflictatione commendet Apostolus. Non enim quodlibet credere bonum est: nam unde est illud, *Fratres, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritum* [g] *qui ex Deo est?* Nec in laudibus caritatis quod dictum est, *Omnia credit*, sic accipiendum est, ut caritati cujuspiam derogemus, si non quod audierit, statim crediderit. Quid quòd eadem caritas admonet, non facilè de fratre mali aliquid esse credendum, & cùm tale aliquid dicitur, hoc ad se magis [h] judicat pertinere ne credat. Postremò ipsa caritas quæ omnia credit, non omni spiritui credit: ac per hoc, omnia quidem credit, sed Deo; quia non dictum est, Omnibus credit. Nulli itaque dubium est, eam fidem ab Apostolo commendari, qua creditur Deo.

1. Iohan. 4. 1.

1. Cor. 13. 7.

Rom. 4. 5.

Fides eorum qui sub lege sunt, alia à fide filiorum.

56. Sed adhuc aliquid discernendum est: quoniam & illi qui sub lege sunt, & timore pœnæ justitiam suam facere conantur, & ideo non faciunt Dei justitiam, quia caritas eam facit, [i] quam non libet nisi quod licet, non timor, qui cogitur in opere habere quod licet, cùm aliud habeat in voluntate, qua mallet, si fieri posset, licere quod non licet: & illi ergo credunt Deo; nam si omnino non crederent, nec pœnam legis utique formidarent. Sed non hanc fidem commendat Apostolus, qui dicit, *Non enim accepistis spiritum*

Rom. 8. 15.

[a] MSS. *satis elucet ipsis:* ex his quidam, *satis elucet, & ipsis.* &c.
[b] Vaticani duo, & tres Gallicani MSS. *voluntate fecisse.* Hanc lectionem prætulerunt auctores recentioris cujusdam editionis Lov. an. 1647.
[c] In duobus MSS Vatic. deest, *faciendi.*
[d] Apud Lov. *promittit.*
[e] Lov. *Nam & hoc ut credamus.* Abest *hoc* ab editis Am. & Er. necnon à MSS. quinque Vaticanis, à Belgicis duobus, & Gallicis propè omnibus.
[f] Ita plures MSS. Editi verò, *intenditur.*
[g] Tres è Vaticanis MSS. *utrùm ex Deo est.*
[h] In editis, *indicat.*
[i] Editi, *qua non libet.* At MSS. *quam non libet.* Sic loqui solet Augustinus.

servitutis iterum in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater. Timor ergo ille servilis est: & ideo quamvis in illo Domino credatur, non tamen justitia diligitur, sed damnatio timetur. Filii verò clamant *Abba, pater*, quarum duarum vocum una est ex circumcisione, altera ex præputio, Judæi primùm & Græci: *quoniam unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Cùm autem clamant, aliquid petunt: & quid petunt, nisi quod esuriunt & sitiunt? Et hoc quid est, nisi quod de illis dictum est, *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur?* Huc ergo transeant qui sub lege sunt, ut ex servis filii fiant: nec sic tamen, ut servi esse desistant; sed ut tamquam filii Domino & patri liberaliter serviant, quia & hoc acceperunt: *dedit* enim *potestatem* ille Unicus, *filios Dei fieri credentibus in nomine ejus:* eosque admonuit petere, quærere, pulsare, ut accipiant, & inveniant, & aperiatur eis: addens increpationem, & dicens, *Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* Cùm ergo virtus peccati lex inflammaverit aculeum mortis, ut occasione accepta peccatum per mandatum operetur omnem concupiscentiam, à quo petenda est continentia, nisi ab illo qui novit bona data dare filiis suis? An fortè nescit insipiens, quòd nemo esse possit continens, nisi Deus det? Hoc ergo ut sciat, ipsâ indiget sapientiâ. Cur itaque non audit Patris sui Spiritum dicentem per Apostolum Christi, vel ipsum Christum qui dicit in Evangelio suo, *Petite, & accipietis?* loquentem etiam in Apostolo suo, & dicentem, *Si quis vestrùm indiget sapientiâ, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur illi; postulet autem in fide, nihil hæsitans?* Hæc est fides, ex qua justus vivit: hæc est fides, qua creditur in eum qui justificat impium: hæc est fides, per quam excluditur gloriatio; sive ut * abscedat qua in nobis inflamur, sive ut emineat qua in Domino gloriamur: hæc est fides, qua impetratur largitas spiritûs, de quo dicitur, *Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus.* Ubi quidem quæri adhuc potest, utrùm spem justitiæ dixerit, [a] qua sperat justitia, an qua speratur ipsa justitia: quoniam justus ex fide vivens, sperat utique vitam æternam; itemque fides esuriens sitiensque justitiam renovatione de die in diem interioris hominis proficit in ea, & sperat in ea satiari in vita æterna, ubi fiet id quod in Psalmo de Deo dicitur, *Qui satiat in bonis desiderium tuum.* Hæc est fides, qua salvi fiunt, quibus dicitur, *Gratiâ salvi facti estis per fidem; & hoc non ex vobis, sed Dei donum est: non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Postremò hæc est fides, quæ per dilectionem operatur, non per timorem; non formidando pœnam, sed amando justitiam. Unde ergo ista dilectio, id est, caritas per quam fides operatur, nisi unde illam fides ipsa impetravit? Neque enim esset in nobis, quantacumque sit in nobis, nisi diffunderetur in cordibus nostris, per Spiritum-sanctum qui datus est nobis. Caritas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur; & Domini salus, qua nos salvos facit; & fides Jesu Christi, qua nos fideles facit. Hæc est justitia Dei, quam non solùm docet per legis præceptum, verùm etiam dat per spiritûs donum.

Timor servilis. — Rom. 1. 9. — Rom. 3. 30. — Matth. 5. 6. — Iohan. 1. 12. — Matth. 7. 11. — 1 Cor. 15. 56. — Rom. 7. 8. — Sap. 8. 21. — Matth. 7. 7. — Iacobi 1. 5. — Rom. 1. 17. — Rom. 4. 5. — Rom. 3. 27. — * V. suprà c. 10. n. 17. — Galat. 5. 5. — 2. Cor. 4. 16. — Psal. 102. 5. — Ephes. 2. 8. — Fides per dilectionē non per timorem operatur. — Galat. 5. 6. — Rom. 5. 5. — Rom. 3. 21. — Psal. 3. 9. — Gal. 2. 16.

CAPUT XXXIII. Voluntas credendi unde.

57. Sed consequens est paululùm quærere, utrùm voluntas illa qua credimus, etiam ipsa Dei donum sit, an ex illo naturaliter insito libero adhibeatur arbitrio. Si enim dixerimus eam non esse donum Dei, metuendum est ne existimemus invenisse nos aliquid, quod Apostolo increpanti & dicenti, *Quid enim habes, quod non accepisti? si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* respondere possimus, Ecce habemus voluntatem credendi, quam non accepimus: ecce ubi gloriamur, quòd non acceperimus. Si autem dixerimus, etiam hujusmodi voluntatem non esse nisi donum Dei, rursus metuendum est, ne infideles atque impii non immeritò [b] se veluti justè excusare videantur, ideo non credidisse, quòd dare illis Deus istam noluit voluntatem. Nam illud quod dictum est, *Deus est enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate:* [c] jam gratiæ est, quam fides impetrat, ut possint esse hominis opera bona, quæ operatur fides per dilectionem, quæ diffunditur in corde per Spiritum-sanctum qui datus est nobis. [d] Si credimus ut impetremus hanc gratiam, & utique voluntate credimus, de hac quæritur unde sit nobis. * Si naturâ, quare non omnibus, cùm sit idem Deus omnium creator? Si dono Dei, etiam hoc quare non omnibus, cùm omnes homines velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire?

1. Cor. 4. 7. — Philip. 2. 13. — * Confer l. 1. de peccator. mer. c. 18. — 1. Tim. 2. 4.

Liberum arbitrium media vis.

58. Priùs igitur illud dicamus, & videamus utrùm huic satisfaciat quæstioni, quòd liberum arbitrium naturaliter adtributum à Creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest: & ideo [e] nec istam voluntatem qua credit Deo, dici potest homo habere quam non acceperit; quando quidem vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cùm crearetur accepit. Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel malè utentes justissimè judicentur. Quod cùm fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verùm se ipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contemserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est: vinceretur autem, si non inveniret quid de contemtoribus faceret, aut ullo modo possent evadere quod de talibus ille constituit. Qui enim dicit, verbi gratiâ, Volo ut hi omnes servi mei operentur in vinea, & post laborem requiescentes epulentur, ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat: videtur quidem quicumque contem-

Voluntas Dei semper invicta.

[a] In MSS. *quam sperat justitia.*
[b] Er. & Lov. *sed veluti.*
[c] Lov. *gratia est.* Editi alii, *gratiæ est*; sic etiam MSS. sed in his constanter pro *quam fides*, legitur *quod fides.*
[d] Vaticani aliique omnes ferè MSS. *Sed credimus.*
[e] Sola ferè editio Lov. *& ideo ne.*

serit, contra voluntatem domini sui facere; sed tunc eam vincet, si & pistrinum contemnens effugerit: quod nullo modo fieri potest sub Dei po-
Psal. 61. 12. testate. Unde scriptum est, *Semel locutus est Deus*, hoc est, incommutabiliter: quamquam & de unico Verbo possit intelligi. Deinde subjungens quid incommutabiliter sit locutus: *Duo hæc*, inquit, *audivi, quoniam potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique secundùm opera sua.* Ille igitur reus erit ad damnationem sub
a potestate ejus, qui contemserit ad [a] credendum
b misericordiam ejus. Quisquis autem [b] crediderit, eique se à peccatis omnibus absolvendum, & ab omnibus vitiis sanandum, & calore ac lumine ejus accendendum illuminandumque commiserit, ha-
Opera bona ex gratia. bebit ex ejus gratia opera bona, ex quibus etiam secundùm corpus à mortis corruptione redimatur, coronetur, bonisque satietur, non tempo-
Ephes. 3. 20. ralibus, sed æternis, suprà quàm petimus & intelligimus.

59. Hunc ordinem tenuit Psalmus, ubi dici-
Psal. 102. 2. tur, *Benedic anima mea Dominum, & noli oblivisci omnes retributiones ejus: qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos, qui*
c [c] *redimit de corruptione vitam tuam, qui coronat te in miseratione & misericordia, qui satiat in bonis desiderium tuum.* Et ne fortè hæc tanta bona hujus vetustatis, hoc est, mortalitatis deformitas
Ibidem 5. desperaret: *Renovabitur*, inquit, *sicut aquilæ juventus tua.* Tamquam diceret, Hæc quæ audisti, ad novum hominem & ad novum pertinent testamentum. Recole mecum eadem ipsa paulùlum, obsecro te, & inspice delectabiliter laudem misericordiæ, hoc est, gratiæ Dei. *Benedic*, inquit, *anima mea Dominum, & noli oblivisci omnes retri-*
d *butiones ejus*: non [d] ait, tributiones, sed *retributiones ejus*; quia retribuit bona pro malis. *Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis*: hoc agitur in baptismatis sacramento. *Qui sanat omnes languores tuos*: hoc agitur in hac vita fidelis hominis,
Galat. 5. 17. dum caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem, ut non quæ volu-
Rom. 7. 23. mus faciamus; dum alia lex in membris repu-
Ibidem 18. gnat legi mentis; dum velle adjacet, perficere autem bonum non: qui languores vetustatis, si perseverante intentione proficimus, de die in
Gal. 5. 6. diem crescente novitate sanantur, ex fide quæ
Psal. 102. 4. per dilectionem operatur. *Qui redimit de corruptione vitam tuam*: hoc fit in ultima resurrectione mortuorum. *Qui coronat te in miseratione & misericordia*: hoc fit in judicio, ubi cùm rex justus
Prov. 20. 8. & 9. Matth. 16. 27. sederit in throno redditurus unicuique secundùm opera ejus, quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à pec-
In judicio Dei miseratio & misericordia. cato? Ideo illic necessarium fuit commemorare miserationem & misericordiam Domini, ubi jam exigi debita & reddi merita sic possent videri, ut nullus esset misericordiæ locus. Coronat ergo in miseratione & misericordia, sed etiam sic secundùm opera. Segregabitur enim ad dexteram,
Matth. 25. 35. cui dicatur, *Esurivi, & dedisti mihi manducare*:
Iacobi 2. 13. quoniam *judicium sine misericordia*, sed *illi qui non*

A *fecit misericordiam. Beati autem misericordes, quo-* Matth. 5. 7.
niam ipsorum miserebitur Deus. Jam verò cùm sinistri ierint in ambustionem æternam, justi au- Matth. 25. 46.
tem in vitam æternam, Quia *hæc est*, inquit, *vita* Johan. 17. 3.
æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: illa cognitione, illa visione, illa contemplatione satiabitur in bonis animæ de- Psal. 102. 5.
siderium. Hoc enim solum ei sat est, ultrà non habet quod appetat, quò inhiet, quod requirat. Nam desiderio hujus satietatis ardebat, qui Do-
B mino Christo ait, *Ostende nobis Patrem, & sufficit* Johan. 14. 8.
nobis. Cui responsum est, *Qui me* [e] *vidit, vidit* c
& Patrem. Quia ipsa est vita æterna, ut cogno- Johan. 17. 3.
scant unum verum Deum te, & quem misisti Jesum Christum. Sed si ille qui vidit Filium, vidit & Patrem: profectò qui * videt Patrem & Filium, videt & Spiritum-sanctum Patris & Filii. *Hic fortè frà fonis, vidit.
Ita nec arbitrium liberum tollimus, & benedicit Psal. 102. 2.
anima nostra Dominum, non obliviscens omnes retributiones ejus: nec ignorans Dei justitiam, Rom. 10. 3.
C suam vult constituere; sed credit in eum qui ju- Rom. 4. 5.
stificat impium, & vivit ex fide, donec ad speciem perducatur; fide scilicet quæ per dilectio- Galat. 5. 6.
nem operatur. Quæ dilectio diffunditur in cordibus nostris, nec per sufficientiam propriæ voluntatis, nec per litteram legis, sed per Spiritum- Rom. 5. 5.
sanctum qui datus est nobis.

CAPUT XXXIV. Voluntas credendi à Deo.

60. Hæc disputatio, si quæstioni illi solvendæ sufficit, sufficiat. Si autem respondetur, cavendum esse ne quisquam Deo tribuendum pu-
D tet peccatum, quod admittitur per liberum arbitrium, si in eo quod dicitur, *Quid habes, quod* 1. Cor. 4. 7.
non accepisti? propterea etiam voluntas qua credimus, dono Dei tribuitur, quia de libero existit arbitrio, quod cùm crearemur accepimus. Adtendat, & videat, non ideo tantùm istam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est; verùm etiam quòd visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, si-
E ve extrinsecùs per evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiam justificantem credendo confugiat, sive intrinsecùs, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit V. lib. 1. ad Simplicianum q. 2.
cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere potest [f] quodlibet libero arbitrio, si nul- f
la sit suasio vel vocatio cui credat; profectò &
F ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. Quæ res 1. Cor. 4. 7.
non solùm non infirmat quod dictum est, *Quid enim habes quod non accepisti*: verùm etiam confirmat. Accipere quippe & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo: ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei est: accipere autem & habere utique acci-
G pientis & habentis est. Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coartet, cur

[a] Editi, *ad credendam*. Castigantur ex MSS.

[b] Locum hunc ad codices Vaticanos duos, ad Sorbonicum & alios quosdam Gallicanos MSS. redintegramus. Nempe in antè editis corruptè legebatur, *crediderit ei, qui se à peccatis omnibus absolvendum, & ab omnibus vitiis sanandum, & calore ac lumine ejus accendendum illuminandumque non contemserit.*

[c] Plerique MSS. *redimet.*

[d] MSS. *Non adtributiones.* Ex his proximo loco emendantur editi, in quibus legebatur, *qui retribuit*, pro *quia.*

[e] Editi, *Qui me videt, videt & Patrem.* At MSS. constanter *vidit*: juxta Græc.

[f] Er. & Lov. *quolibet libero arbitrio.* At Am. & plerique MSS. *quodlibet libero arbitrio.* Unus è Vaticanis cod. *quodlibet liberum arbitrium.*

illi ita [a] suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita; duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placeat: *O altitudo divitiarum!* &, *Numquid iniquitas apud Deum?* Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat ne inveniat præsumtores.

Rom. 11. 33. *Rom. 9. 14.*

CAPUT XXXV. Conclusio operis.

61. CONCLUDAMUS igitur librum aliquando, cujus tanta prolixitate utrùm aliquid egerimus, nescio: non apud te, cujus fidem scio; sed apud animos eorum propter quos me scribere voluisti: qui non contra nostram, sed (ut mitiùs loquar, & non dicam illius qui in suis Apostolis est locutus,) certè contra tanti Apostoli Pauli, non unam sententiam, sed tam vehementem, tam intentam vigilemque conflictationem malunt suam defensitare sententiam, quàm eum audire *obsecrantem per miserationem Dei*, & dicentem, *per gratiam Dei quæ data est illi, non plus sapere præter quàm oportet sapere, sed sapere ad temperantiam, unicuique sicut Deus partitus est mensuram fidei.*

Rom. 12. 1.

Redit ad quæstioné Marcellini.

62. Tu autem quid mihi proposueris, & quid tam longo disputationis hujus opere effecerimus adverte. Movit te certè quemadmodum dictum fuerit, fieri posse, ut sit homo sine peccato, si voluntas ejus non desit, ope adjuvante divina; quamvis nemo tam perfectæ justitiæ in hac vita fuerit, vel sit, vel futurus sit. Sic enim hoc ipsum in illis priùs ad te conscriptis libris proposui: Si » à me quæratur, inquam, utrùm homo sine pec» cato possit esse in hac vita: confitebor posse per » Dei gratiam, & liberum ejus arbitrium: ipsum » quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est, » ad Dei dona pertinere non ambigens; nec tan» tùm ut sit, verùm etiam ut bonum sit, id est, ad » facienda mandata Domini convertatur; atque ita » Dei gratia, non solùm ostendat quid faciendum » sit, sed adjuvet etiam, ut fieri possit quod osten» derit. Tibi autem absurdum visum est, sine exemplo esse rem quæ fieri potest. Hinc exorta est hujus libri quæstio, ac per hoc ad nos pertinebat ostendere, fieri posse aliquid quamvis desit exemplum. Hinc ex Evangelio & ex Lege quædam posuimus in sermonis hujus exordio, sicut de cameli transitu per foramen acûs, & de duodecim millibus legionum Angelorum, qui potuerunt si vellet pugnare pro Christo, & de illis gentibus quas Deus dicit potuisse se à facie populi sui semel exterminare: quæ omnia facta non sunt. His addi possunt etiam illa quæ leguntur in libro Sapientiæ, quàm multa posset nova tormenta Deus [b] exercere in impios ad nutum sibi serviente creaturâ, quæ tamen non exercuit. Potest & de monte illo, quem fides in mare transferret: quod tamen nusquam factum, vel [c] legimus, vel audivimus. Quisquis enim horum aliquid Deo dixerit esse impossibile, vides quàm desipiat, quámque adversùs fidem Scripturæ ejus loquatur. Multa alia hujusmodi possunt occurrere vel legenti vel cogitanti, quæ possibilia Deo negare non possumus, quamvis eorum desit exemplum.

Lib. 2. de peccat. merit. cap. 6. *Matth. 19. 24.* *Matth. 26. 53.* *Deut. 31. 3.* *Judic. 2. 3.* *Sap. 16. 24.* *Marc. 11. 23.*

Objectio.

63. Sed quia dici potest, illa opera esse divina, justè autem vivere ad nostra opera pertinere: suscepi ostendere etiam hoc opus esse divinum; & hoc egi libro isto loquaciùs fortasse quàm sat est: sed contra inimicos gratiæ Dei etiam parum mihi dixisse videor; nihilque me tam multum dicere delectat, quàm ubi mihi & Scriptura ejus plurimùm suffragatur, & id agitur, ut qui gloriatur in Domino glorietur, & in omnibus gratias agamus Domino Deo nostro sursum cor habentes, unde à Patre luminum omne datum optimum & omne donum perfectum est. Nam si propterea non est opus Dei, quia per nos agitur, vel quia illo donante nos agimus: nec illud est opus Dei, ut mons transferatur in mare; quia per fidem hominum fieri posse Dominus dixit, & hoc ipsorum operi adtribuit, dicens, *Si habueritis in vobis fidem tamquam granum sinapis, dicetis monti huic, tollere & mittere in mare, & fiet, & nihil impossibile erit vobis.* Certè *vobis* dixit, non mihi aut Patri: & tamen hoc nullo modo facit homo, nisi illo donante & operante. Ecce quemadmodum sine exemplo est in hominibus perfecta justitia, & tamen impossibilis non est. Fieret enim, si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantæ rei. Esset autem tanta, si & nihil eorum quæ pertinent ad justitiam nos lateret, & ea sic delectarent animum, ut quidquid aliud [d] voluptatis dolorisve impedit, delectatio illa superaret: quod ut non sit, non ad impossibilitatem, sed ad judicium Dei pertinet. Quis enim nesciat, non esse in hominis potestate quid sciat, nec esse consequens, ut quod appetendum cognitum fuerit appetatur, nisi tantum delectet, quantum [e] diligendum est? Hoc autem sanitatis est animæ.

2. Cor. 10. 17. *Jacobi 1. 17.* *Marc. 11. 23.* *Luc. 17. 6.* *Matth. 17. 20.*

CAPUT XXXVI. Præceptum dilectionis quando implebitur.

64. SED fortasse quispiam putaverit, nihil nobis deesse ad cognitionem justitiæ, quòd Dominus verbum consummans & brevians super terram dixit in duobus præceptis totam legem prophetasque pendere; nec ea tacuit, sed verbis apertissimis promsit. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & diliges proximum tuum tamquam te ipsum.* Quid verius, his impletis impleri omnino justitiam? Verumtamen qui hoc adtendit, etiam illud adtendat, quàm in multis offendamus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere, vel non displicere quod facimus; & postea per Scripturam ejus, sive certa & perspicua ratione commoniti, cùm didicerimus quod ei non placeat, pænitendo precamur ut ignoscat. Plena humana vita est documentis talibus. Unde autem minùs novimus quid ei placeat, nisi quia & ipse minùs notus est nobis? *Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quis verò existimare audeat, cùm eò ventum fuerit, quod ait, *ut cognoscam sicut & cognitus sum*, tantam Dei dilectionem fore contemplatoribus ejus, quanta fidelibus nunc est: aut [f] ullo modo hanc illi tamquam de proximo comparandam? Porro si quanto major notitia, tanto erit major dilectio: profectò nunc quantum deest dilectioni, tantum perficiendæ justitiæ deesse credendum est. Sciri

Isa. 10. 23. *Rom. 9. 28.* *Matth. 22. 40.* *Jacobi 3. 2.* Ignorantiæ peccata. *1. Cor. 13. 12.* *Ibidem.*

[a] Plures MSS. *ita suadeat*: omisso, *ut persuadeatur*. Et quidam, *ita suadeat ut persuadeat*.

[b] MSS. *exserere*: & infrà *exseruit*, pro *exercuit*.

[c] Nondum in ejus manus venerat Eusebius versus à Rufino, qui in ipsius historiæ libro 7. c. 24. Gregorium Neocæsareæ Ponti antistitem prodit id miraculi effecisse, ut mons sive rupes loco moveretur: cujus etiam facti meminit Beda lib. 3. comment. in Marc. c. 11.

[d] Editi, *voluptas sive dolor*. At MSS. *voluptatis dolorisve*.

[e] Belgici duo MSS. *delectandum est*.

[f] Editi, *aut illo modo*: minùs bene.

enim aliquid vel credi, & tamen non diligi po- A
test: diligi autem quod neque scitur neque cre-
ditur, non potest. At si credendo ad tantam di-
lectionem sancti pervenire potuerunt, qua certè
Johan. 15. 13. majorem in hac vita esse non posse Dominus ipse
a testatus est, ut animam suam pro fide [a] vel pro
fratribus ponerent: cùm ab hac peregrinatione,
2. Cor. 5. 7. in qua per fidem nunc ambulatur, perventum
erit ad speciem, quam nondum visam speramus,
Rom. 8. 25. & per patientiam exspectamus, procul dubio &
ipsa dilectio non solùm supra quàm hîc habemus, B
Ephes. 3. 20. sed longè supra quàm petimus & intelligimus
erit: nec ideo tamen plus esse poterit, quàm
ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente.
Neque enim restat in nobis aliquid quod addi pos-
sit ad totum; quia si restabit aliquid, illud non
b erit totum. Proinde hoc [b] primum præceptum
Matth. 22. 37. justitiæ, quo jubemur diligere Deum ex toto
corde, & ex tota anima, & ex tota mente, cui
est de proximo diligendo alterum consequens, in
1. Cor. 13. 12. illa vita implebimus, cùm videbimus facie ad fa- C
V. lib. de perfectione just. c. 8. ciem. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum
est, ut admoneremur quid fide exposcere, quò
Phil. 3. 13. spem præmittere, & obliviscendo quæ retrò sunt,
in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ac
per hoc, quantum mihi videtur, in ea quæ perfi-
cienda est justitia MULTÙM IN HAC VITA
ILLE PROFECIT, qui quàm longè sit à per-
fectione justitiæ, proficiendo cognovit.

Justitia hujus vitæ sine peccato qualis poni possit.
65. Sed si dici potest quædam justitia minor
huic vitæ competens, qua justus ex fide vivit, D
Rom. 1. 17. quamvis peregrinus à Domino, & ideo per fidem
2. Cor. 5. 7. ambulans, nondum per speciem: non absurdè dici-
tur etiam ad istam pertinere ne peccet. Neque
enim, si esse nondum potest tanta dilectio Dei,
quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur,
jam culpæ deputandum est. Aliud est enim totam
c nondum [c] assequi caritatem, aliud nullam sequi
cupiditatem. Quamobrem debet homo, quam-
vis longè minùs amet Deum, quàm eum potest
amare conspectum, nihil tamen appetere illici- E
tum: sicut etiam in his quæ adjacent sensibus cor-
poris, potest oculus nullis tenebris delectari,
quamvis non possit in fulgentissima luce defigi.
Verùm ecce jam talem constituamus animam hu-
manam in hoc corruptibili corpore, quæ etsi non-
dum illa supereminentissima perfectione carita-
tis Dei omnes motus terrenæ libidinis absorbue-
rit atque consumserit, attamen in ista minore
justitia ad illicitum aliquid operandum eidem li-
bidini nulla inclinatione consentiat: ut ad illam F
Deut. 6. 5. vitam jam immortalem pertineat, *Diliges Domi-
num Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima
Rom. 6. 12. tua, & ex tota virtute tua*; ad hanc autem, *Non
regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obedien-
Exodi 20. 17. dum desideriis ejus*: ad illam, *Non concupisces*; ad
Eccli 18. 30. istam, *Post concupiscentias tuas non eas*: ad illam,
nihil amplius quærere, quàm in ea perfectione
d persistere; ad istam, hoc quod [d] agit in opere
habere, & illius perfectionem pro mercede spe-
rare: ut per illam justus sine fine vivat in specie, G
quam in ista desideravit; per hanc autem justus
vivat ex fide, in qua illam certo fine desiderat.
[e] (His constitutis peccatum erit hominis ex fide
viventis, aliquando alicui delectationi illicitæ
consentire: non tantùm in illis horrendis facino-
ribus & flagitiis perpetrandis, verùm etiam in
levioribus; ut vel aurem alicui voci quæ audien-
da non esset, vel linguam alicui quæ dicenda non
esset, accommodet; vel in ipso corde aliquid ita
cogitet, ut mallet licitum quod malè delectat,
& per præceptum scitur illicitum: etiam ista quip-
pe consensio est ad peccatum, quæ utique fieret,
nisi pœna terreret.) Tales justi ex fide viventes, f
[f] non opus habent dicere, *Dimitte nobis debita no-* Matth. 6. 12.
stra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? fal-
sumque esse convincunt, quod scriptum est, *Non* Psal. 142. 2.
justificabitur in conspectu tuo omnis vivens? & illud,
Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetip- 1. Johan. 1. 8.
sos decipimus, & veritas in nobis non est? & illud,
Quia non est homo qui non peccabit? & illud, *Non* 3. Reg. 8. 46.
est justus in terra qui faciet bonum & non peccabit? Eccle. 7. 21.
(utrumque enim hoc testimonium non de præ-
terito dicit, id est, peccavit, sed de futuro, id
est, *peccabit:*) & si qua alia in hanc sententiam
sancta scriptura commemorat. Sed quoniam hæc
falsa esse non possunt, illud esse consequens vi-
deo, ut qualemlibet vel quantamlibet in hac vita
potuerimus definire justitiam, nullus in ea sit ho-
minum qui nullum habeat omnino peccatum;
omnique homini sit necessarium dare ut detur il- Luca 6. 38.
li, dimittere ut dimittatur illi; & si quid habet
justitiæ, non de suo sibi esse præsumere, sed de
gratia justificantis Dei, & adhuc tamen ab illo
esurire & sitire justitiam, qui est panis vivus, & Matth. 5. 6.
apud quem est fons vitæ: qui sic operatur justi- Johan. 6. 51. Psal. 35. 10.
ficationem in sanctis suis in hujus vitæ tentatione
laborantibus, ut tamen sit & quod petentibus
largiter adjiciat, & quod confitentibus clemen-
ter ignoscat.

66. Sed inveniant isti, si possunt, aliquem sub Perfecta justitia cur hîc non inveniatur, non tamen impossibilis.
onere corruptionis hujus viventem; cui jam non
habeat Deus quod ignoscat: nisi tamen eum fa-
teantur non doctrinâ legis [g] datæ, sed etiam in-
fuso spiritu gratiæ, ut talis esset, adjutum; non g
cujuscemodi peccati crimen, sed ipsius impieta-
tis incurrent. Sanè quamquam talem, si testimo-
nia illa divina competenter accipiant, prorsus in-
venire non possunt: nullo modo tamen dicen-
dum, Deo deesse possibilitatem, qua voluntas sic
adjuvetur humana, ut non solùm justitia ista quæ Rom. 10. 10.
ex fide est, omni ex parte modò perficiatur in
homine, verùm etiam illa secundùm quam post-
ea in æternum in ipsa ejus contemplatione viven-
dum est. Quando quidem si nunc velit in quo-
quam etiam hoc corruptibile induere incorru- 1. Cor. 15. 53.
ptionem, atque hîc inter homines morituros eum
jubere vivere minimè moriturum, ut totâ peni-
tus vetustate consumtâ nulla lex in membris ejus Rom. 7. 23.
repugnet legi mentis, Deumque ubique præsen-
tem ita cognoscat, sicut sancti postea cognituri
sunt, quis demens audeat affirmare, non posse?

[a] In editis, *& pro fratribus.*

[b] Hîc in editis fuerat additum, *erit:* & infrà, post *alterum consequens*, legebatur, *quod in illa vita complebimus.*

[c] Aliquot MSS. *exsequi caritatem.*

[d] Quinque MSS. *quòd ait.* Fortè pro, *quò tendit*, vel *proficit*. V. lib. de perfectione justitiæ c. 13.

[e] Aliquid hîc perturbatum esse suspicamur. Nam ea quæ parenthesis complectitur, non satis cohærent cum verbis sequentibus: fortè collocanda sunt paulò suprà, scilicet ante illud, *Verùm ecce jam talem constituamus.*

[f] Sigiramnensis MS. solus omittit *non*: & infrà pro, *falsumque esse*; habet, *aut falsum esse.* In minore quadam Polemicorum editione Parisiensi an. 1644. omissa est similiter particula negans, & substitutum postea, *ne falsum esse convincant.* Nihil nos hîc mutavimus præter verborum interpunctionem.

[g] Quidam MSS. *datum.* Plerique alii, *datâ.*

Sed quare non faciat, quærunt homines: nec qui A quærunt, ſe adtendunt eſſe homines. Scio quòd (Rom. 9. 14.) ſicut impoſſibilitas, ita & iniquitas non eſt apud (Iacobi 4. 6.) Deum. Et ſcio quòd ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Et ſcio quòd illi, cui ne extolleretur datus erat ſtimulus carnis angelus ſatanæ qui eum colaphizaret, ſemel & iterum & (2. Cor. 12. 9.) tertiò deprecanti dictum eſt, *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Aliquid ergo eſt in abdito & profundo judiciorum Dei, ut etiam juſtorum omne os obſtruatur in laude ſua, & non aperiatur niſi in laudem Dei. Hoc autem aliquid quis poſſit ſcrutari, quis inveſtigare, quis noſſe? tam ſunt *inſcrutabilia judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius illi fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.* (Rom. 11. 33.)

IN SEQUENS OPUSCULUM

ADMONITIO.

LIBRO de natura & gratia *locum inter aliquot anni 415. ſcriptiones poſtremum adſignavit Auguſtinus in epiſtola 169. ad Evodium, vertente eodem anno 415. data:* Scripſi etiam, *ait*, grandem quemdam librum adversùs Pelagii hæreſim, cogentibus nonnullis fratribus, quibus contra gratiam Chriſti opinionem pernicioſiſſimam ille perſuaſerat. *Jam erat cœptus idem liber, ſed nondum perfectus, cùm Oroſius ex Africa navigavit in Palæſtinam, ipſo videlicet anno 415. verna tempeſtate: hic enim paulò poſt quàm illuc pervenit, in Jeroſolymitano conventu, cui præſens Pelagius adfuit, diſertis verbis affirmavit,* contra librum Pelagii beatum Auguſtinum, diſcipulis ipſius Pelagii prodentibus ac petentibus, pleniſſimè reſpondere. *Atque hoc ipſo tempore de lucubratione quadam Auguſtini loquebatur Hieronymus, quæ nondum ſibi viſa erat, quâ ille Pelagium nominatim impugnare ferebatur:* Alios quoque (*inquiens in dialog. 3. contra Pelagii hæreſim*) *libros* ſpecialiter tuo nomini cudere dicitur. *Quamquam Auguſtinus huic operi ſuo nomen Pelagii, cujus librum refellebat, non inſeruit, ne offenſus, uti Paulino epiſtolâ 186. n. 1. ſcribit, inſanabilior redderetur adverſarius. Nam ei ſe profuturum exiſtimabat, ſi ſervatâ amicitiâ adhuc ejus verecundiæ parceret, cujus litteris jam parcere non deberet. Sic nimirum in libro de geſtis Pelagii cap. 23. mentem ſuam expromit. Quo poſteriore loco proximè ſubjungit epiſtolam ſibi à Timaſio & Jacobo grati animi ſignificatione reſcriptam, ob acceptum volumen* de natura & gratia, *quo Pelagianæ diſputationi* ad ſingulos apices reſponſa reddita ſtupere *ſe teſtati ſunt.*

Id opus ſequenti anno, ipſumque unà Pelagii librum Iohanni Jeroſolymorum epiſcopo, ut novi hæreſiarchæ mentem Iohannes tandem intelligeret, tranſmiſit Auguſtinus, ſcriptâ ipſi hanc in rem epiſtolâ 179. Eoſdem libros, illum Pelagii, & hunc ſuum, anno itidem 416. ad Innocentium papam perferendos dedit, cum epiſtola 177. ad ipſum nomine quinque epiſcoporum directa, quibus Innocentius epiſtolâ 183. reſpondit. Huc pertinet in ipſa epiſtola 183. locus n. 5. at in epiſtola 177. locus n. 6. ubi cum laude nominantur Timaſius & Jacobus, religioſi & honeſti adoleſcentes, ſervi Dei, qui ipſius Pelagii exhortatione ſpem quam habebant in ſæculo reliquerant, & continentes Deo ſerviebant. *Iidem in epiſtola 179. n. 2.* adoleſcentes honeſtiſſimè nati, & inſtitutis liberalibus eruditi: *in libro de geſtis Pelagii cap. 23.* ſervi Dei, boni & honeſti viri *dicuntur.*

Julianus in opere ad Florum, ſcilicet imperfecti Operis libro 4. n. 112. citat librum ad Timaſium, & contra liberum arbitrium *eſſe, calumnioſè pronuntiat.*

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT XLII.

VENIT etiam tunc in manus meas quidam Pelagii liber, ubi hominis naturam contra Dei gratiam qua juſtificatur impius, & qua Chriſtiani ſumus, quanta potuit argumentatione defendit. Librum ergo quo huic reſpondi, defendens gratiam, non contra naturam, ſed per quam natura liberatur & regitur, *De natura & gratia* nuncupavi. (Cap. 64.) In quo verba quædam, quæ velut Xyſti Romani epiſcopi & martyris Pelagius poſuit, ita defendi, tamquam re vera ejuſdem Xyſti eſſent; id enim putaveram: ſed poſtea legi Xyſti philoſophi eſſe, non Xyſti Chriſtiani. Hic liber ſic incipit: *Librum quem miſiſtis.*

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI,

DE NATURA ET GRATIA,

AD TIMASIUM ET JACOBUM

CONTRA PELAGIUM,

LIBER * UNUS.

* Scriptus anno Christi 415.

Principiò ponitur quid de natura & gratia exploratum sit: Naturam scilicet ex Adæ prævaricatoris carne propagatam, quia jam non qualem Deus primitus condiderat, inculpabilem & sanam, gratiæ auxilio, quo & ab ira Dei redimatur, & ad justitiam perficiendam regatur, indigere. Naturæ pœnale vitium ad vindictam justissimam pertinere: ipsam autem gratiam non meritis reddi, sed gratìs dari; & qui non per eam liberantur, justè damnari. Mox Pelagii eidem naturæ contra gratiam patrocinantis liber, responsis ad singulos apices redditis, confutatur; inter alia præcipuè quòd posse esse hominem sine peccato, suadere cupiens, naturam per peccatum debilitatam & mutatam non esse contendat; alioquin materiam peccati (quod absurdum putat) vindictam fore, si ad hoc peccator infirmatus est, ut plura peccaret. Præterea quòd commemoratis justis cùm veteris tum novi Testamenti, quos peccato caruisse sentit, dicat possibilitatem non peccandi homini à natura inesse; eamque ideo gratiæ Dei tribuendam, quia illius naturæ Deus auctor est, cui ea non peccandi possibilitas inseparabiliter insita sit. Veterum denique, quas pro se Pelagius adducit, ac nominatim Hilarii, Ambrosii, ipsius quoque Augustini, sententiæ expenduntur.

CAPUT I. Occasio edendi hujus opusculi.

LIBRUM quem misistis, carissimi filii Timasi & Jacobe, intermissis paululùm quæ in manibus erant, cursim quidem, sed non mediocri intentione perlegi: & vidi hominem zelo ardentissimo accensum adversùs eos, qui cùm in suis peccatis humanam voluntatem debeant accusare, naturam potiùs accusantes hominum, per illam se excusare conantur. Nimis exarsit adversùs hanc pestilentiam, quam etiam litterarum sæcularium auctores graviter arguerunt, exclamantes: Falsò queritur de natura sua genus humanum. Hanc prorsus etiam iste sententiam quantis potuit ingenii viribus aggeravit. Verumtamen timeo ne illis potiùs suffragetur, qui zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam: ignorantes enim Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Quæ sit autem justitia Dei de qua hìc loquitur, consequenter aperit adjungens, Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti. Hanc itaque justitiam Dei, non in præcepto legis, quo timor incutitur, sed in adjutorio gratiæ Christi, ad quam solam utiliter legis velut pædagogi timor ducit, constitutam esse qui intelligit, ipse intelligit

Sallust. in prologo belli Jugurt.

Rom. 10. 2. & 3.

Justitia Dei quæ.

Gal. 3. 24.

A quare sit Christianus. Nam si per legem justitia, ergo Christus gratìs mortuus est. Si autem non gratìs mortuus est, in illo solo justificatur impius, cui credenti in eum qui justificat impium, deputatur fides ad justitiam. * Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei, justificati gratìs per sanguinem ipsius. Quicumque autem non putantur pertinere ad hos omnes, qui peccaverunt & egent gloriâ Dei, profectò nullam necessitatem habent ut Christiani fiant; quia non est opus
B sanis medicus, sed ægrotantibus: unde non venit ille vocare justos, sed peccatores.

Gal. 2. 21.

Rom. 4. 5.

* Rom. 3. 23.

Matth. 9. 12.

CAPUT II. Fides in Christum ad salutem necessaria: non est, ... homo ... illa potest justè vivere.

2. AC per hoc natura humani generis ex illius unius prævaricatoris carne procreata, si potest sibi sufficere ad implendam legem perficiendamque justitiam, de præmio debet esse secura, hoc est, de vita æterna, etiam si in aliqua gente aut aliquo superiore tempore fides eam latuit sanguinis Christi. Non enim injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ, si eis non est an-
C nuntiatum sacramentum divinitatis & humanitatis Christi, quod manifestatum est in carne. Quomodo enim crederent quod non audierunt, aut quomodo audirent sine prædicante? Fides enim ex auditu, sicut scriptum est, auditus autem per verbum

1. Tim. 3. 16.

Rom. 10. 14.

Psal. 18. 5. verbum Christi. Sed dico, inquit, Numquid non " audierunt? In omnem terram exivit sonus eorum, " & in fines orbis terræ verba eorum. Sed ante quàm hoc inciperet fieri, ante quàm denique usque ad fines totius orbis terræ prædicatio ipsa perveniat, quoniam non desunt adhuc ultimæ gentes, licèt ut perhibetur paucissimæ, quibus hoc nondum fuerit prædicatum; quid faciet humana natura, vel quid fecit, quæ vel antè non audierat hoc futurum, vel adhuc non comperit factum; nisi credendo in Deum, qui fecit cælum & terram, à quo & se factam naturaliter sentit, & rectè vivendo ejus impleat voluntatem, nulla fide passionis Christi & resurrectionis imbuta? Quod si fieri potuit aut potest, hoc & ego dico, quod de lege dixit Apostolus: Ergo Christus gratìs mortuus est. Si enim hoc ille dixit de lege, quam accepit gens una Judæorum; quanto justiùs dicitur de lege naturæ, quam accepit universum genus humanum; Si per naturam justitia, ergo Christus gratìs mortuus est? Si autem non gratìs Christus mortuus est, ergo omnis humana natura justificari & redimi ab ira Dei justissima, hoc est, à vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi.

Gal. 2. 21. Nec per legem nec per naturâ justitia.

CAPUT III. Natura sana condita, peccato est postea corrupta.

3. NATURA quippe hominis primitus inculpata & sine ullo vitio creata est: natura verò ista hominis, qua unusquisque ex Adam nascitur, jam medico indiget, quia sana non est. Omnia quidem bona, quæ habet in formatione, vita, sensibus, mente, à summo Deo habet creatore & artifice suo. Vitium verò, quod ista naturalia bona contenebrat & infirmat, ut illuminatione & curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum est; sed ex originali peccato, quod commissum est libero arbitrio. Ac per hoc natura pœnalis ad vindictam justissimam pertinet. * Si enim jam sumus in Christo nova creatura, tamen eramus naturâ filii iræ, sicut & ceteri: Deus autem qui dives est in misericordia, " propter multam dilectionem qua dilexit nos, & " cùm essemus mortui delictis, convivificavit nos " Christo, cujus gratiâ sumus salvi facti.

Natura pœnalis vindicta peccati. * f. Esti. 2. Cor. 5. 17. Ephes. 2. 3.

CAPUT IV. Gratia gratuita.

4. HÆC autem Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratìs datur, propter quod & gratia nominatur. Justificati, inquit, gratìs per sanguinem ipsius. Unde ii qui non per illam liberantur, sive quia audire nondum potuerunt, sive quia obedire noluerunt, sive etiam cùm per ætatem audire non possent, lavacrum regenerationis quod accipere possent, per quod salvi fierent, non acceperunt, justè utique damnantur: quia sine peccato non sunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis moribus addiderunt. Omnes enim peccaverunt, sive in Adam, sive in se ipsis, & egent gloriâ Dei.

Rom. 3. 24. Rom. 3. 23.

CAPUT V. Justitiæ erat damnari omnes.

5. UNIVERSA igitur massa pœnas debet: & si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injustè procul dubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur, non vasa meritorum suorum, sed vasa misericordiæ nominantur. Cujus misericordiæ, nisi illius qui Christum Jesum misit in hunc mundum peccatores salvos facere; quos præscivit & prædestinavit & vocavit & justificavit & glorificavit? Quis igitur usque adeo dementissimè insaniat, ut non agat ineffabiles gratias misericordiæ quos voluit liberantis; qui rectè nullo modo posset culpare justitiam universos omnino damnantis?

Rom. 9. 23. 1 Tim. 1. 15. Rom. 8. 29.

CAPUT VI.

6. HOC si secundùm Scripturas sapiamus, non cogimur contra Christianam gratiam disputare, & ea dicere quibus demonstrare conemur, naturam humanam neque in parvulis medico indigere quia sana est, & in majoribus sibi ipsam ad justitiam si velit posse sufficere. Acutè quippe videntur hæc dici, sed in sapientia verbi, qua evacuatur crux Christi. Non est ista desursum sapientia descendens. Nolo quod sequitur dicere, ne amicis nostris, quorum fortissima & celerrima ingenia non in perversum, sed in directum currere volumus, facere existimemur injuriam.

1. Cor. 1. 17. Iacob. 3. 15.

Pelagianorum ingenia fortissima & celerrima.

CAPUT VII. Aggreditur libri Pelagii refutationem.

7. QUANTO igitur zelo accensus est libri hujus, quem misistis, conditor, adversùs eos qui peccatis suis patrocinium de naturæ humanæ infirmitate perquirunt; tanto & multo ardentiore zelo nos oportet accendi, ne evacuetur crux Christi. Evacuatur autem, si aliquo modo præter illius sacramentum ad justitiam vitamque æternam perveniri posse dicatur: quod in libro isto agitur, nolo dicere ab sciente, ne illum qui eum scripsit, ne Christianum quidem habendum judicem; sed quod magis credo, à nesciente: magnis sanè viribus; sed eas sanas volo, non quales phrenetici habere consuerunt.

Parcit adhuc nomini Pelagii.

Distinctio Pelagii.

8. Nam priùs distinguit, *aliud esse quærere, an possit aliquid esse, quod ad solam possibilitatem pertinet; aliud, utrùm-ne sit.* Hanc distinctionem veram esse nemo ambigit: consequens enim est, ut quod est, esse potuerit; non est autem consequens, ut quod esse potest, etiam sit. Quia enim Dominus Lazarum suscitavit, sine dubio potuit: quia verò Judam [a] non suscitavit, numquid dicendum est, non potuit? Potuit ergo, sed noluit. Nam si voluisset, eadem etiam hoc potestate fecisset; quia & Filius quos vult vivificat. Sed hac distinctione vera atque manifesta quò tendat, & quid efficere conetur, advertite: *Nos*, inquit, *de sola possibilitate tractamus; de qua nisi quid certum constiterit, transgredi ad aliud, gravissimum esse atque extra ordinem ducimus.* Hoc versat multis modis & sermone diuturno, ne quis eum aliud, quàm de non peccandi possibilitate quærere existimet. Unde inter multa quibus id agit, etiam hoc dicit: *Idem iterum repeto, Ego dico posse esse hominem sine peccato. Tu quid dicis? Non posse esse hominem sine peccato? Neque ego dico*, inquit, *hominem esse sine peccato, neque tu dicis non esse hominem sine peccato: de posse & non posse, non de esse & non esse contendimus.* Deinde nonnulla eorum, quæ adversùs eos de Scripturis proferri solent, ad istam quæstionem non pertinere, in qua quæritur, possitne an non possit homo esse sine peccato, ita commemorat: *Nam nullus*, inquit, *mundus est à sorde; &, non est homo qui non peccet;*

Iohan. 11. 44. a Iohan. 5. 21. Iob 14. 4. sec. LXX. 3. Reg. 8. 46.

[a] Petrus Lombardus in 1. sent. dist 43. cap. ult. ut ostendat Deum multa posse facere quæ non vult, postea quàm illud ex Enchirid. c. 95. de Tyriis & Sidoniis dictum retulit, *Nec utique injustè Deus noluit salvos fieri, cùm possent salvi esse si vellet*: subjunxit continenter hunc ipsum locum præsentis libri, de Judæ secundùm animam suscitatione sic interpretatum: *Idem in libro*, inquit, *de natura & gratia: Dominus Lazarum suscitavit in corpore, numquid dicendum est, non potuit Iudam suscitare in mente? Potuit quidem, sed noluit.*

Eccle. 7. 21. Psal. 13. 1. Error Pelagii, culpâ carere qui talis fuit, quia aliud esse non potuit.

& non est justus in terra ; & , non est qui faciat bonum ; & cetera his similia , inquit , *ad non esse , non ad non posse proficiunt. Hujusmodi enim exemplis ostenditur , quales homines quidam tempore aliquo fuerint ; non quòd aliud esse non potuerint : unde & jure inveniuntur esse culpabiles. Nam si idcirco tales fuerunt , quia aliud esse non potuerunt , culpâ carent.*

CAPUT VIII. Dãnantur & ii qui justificari non potuerunt.

9. VIDETE quid dixerit. Ego autem dico , parvulum natum in eo loco ubi ei non potuit per Christi baptismum subveniri , morte præventum , idcirco talem fuisse , id est , sine lavacro regenerationis exisse , quia esse aliud non potuit. *Iohan. 3. 5.* Absolvat ergo eum , & aperiat ei contra sententiam Domini regnum cælorum. Sed non eum *Rom. 5. 12.* absolvit Apostolus , qui ait , Per unum hominem peccatum intravit in mundum , & per peccatum mors , & ita in omnes homines pertransiit , in quo omnes peccaverunt. Rectè ergo ea damnatione , quæ per universam massam currit , non admittitur in regnum cælorum , quamvis Christianus non solùm non fuerit , sed nec esse potuerit.

CAPUT IX.

10. SED , *non damnatur* , inquiunt : *quia in Adam peccasse omnes , non propter peccatum nascendi origine adtractum , sed propter imitationem , dictum est.* Si ergo ideo dicitur Adam auctor omnium , qui subsecuti sunt , peccatorum , quia primus peccator in hominibus fuit : cur non potiùs Abel , quàm Christus , ponitur caput omnium justorum , quia primus in hominibus justus fuit ? Sed de infante non loquor : juvenis vel senex in ea regione defunctus est , ubi non potuit Christi nomen audire ; potuit fieri justus per naturam & liberum arbitrium , an non potuit ? Si potuisse dicunt ; ecce quod est , crucem Christi evacuare , sine illa quemquam per naturalem legem & voluntatis arbitrium justificari posse contendere. Dicamus & hîc , Ergo Christus gratìs mortuus est : hoc enim omnes possent , etiam si mortuus ille non esset ; & si injusti essent , quia vellent , essent , non quia justi esse non possent. Si autem sine Christi gratia justificari omnino non potuit , etiam istum si audet absolvat secundùm verba sua: quia *si idcirco talis fuit , quòd aliud esse omnino non potuit , culpâ caruit :*

Justificari non potuit qui Christi nomen non audivit. *1. Cor. 1. 17.* Crucem Christi evacuare. *Gal. 2. 21.*

CAPUT X.

11. SED objicit sibi quasi ab alio dictum , & ait : *Potest quidem esse , sed per gratiam Dei , inquies.* Deinde velut respondendo subjungit : *Ago humanitati tuæ gratias , quòd assertionem meam , quam dudum oppugnabas , non modò non oppugnare , aut* [a] *confiteri solùm contentus non es , verùm etiam non refugis comprobare. Nam dicere , Potest quidem , sed per illud aut illud : quid aliud est , quàm non solùm consentire quod possit esse , verùm etiam quomodo vel qualiter possit , ostendere ? Nullus itaque magis alicujus rei possibilitatem probat , quàm qui ejus etiam qualitatem fatetur ; quia neque absque re esse qualitas potest.* His dictis iterum sibi objicit : *Sed tu , inquies , hoc in loco Dei gratiam , quando quidem eam non commemoras , videris abnuere.* Deinde respondet : *Egóne abnuo , qui rem confitendo , confitear necesse est & per quod res effici potest ; an tu , qui rem negando , & quidquid illud est per quod res efficitur procul dubio negas ?* Oblitus est , jam se illi respondere , qui rem non negat , cujus objectionem paulò antè proposuerat dicentis , *Potest quidem esse , sed per gratiam Dei.* Quomodo ergo illam , pro qua iste multùm laborat , possibilitatem negat , qui ei jam dicit , *Potest esse , sed per Dei gratiam!* Verumtamen quia isto dimisso , qui rem jam confitetur , agit adhuc adversùs eos , qui negant esse possibile hominem esse sine peccato , quid ad nos? Contra quos vult agat , dum tamen hoc confiteatur , quod IMPIETATE SCELERATISSIMA negatur , sine gratia Dei hominem sine peccato esse non posse. Dicit ergo , *Sive per gratiam , sive per adjutorium , sive per misericordiam , & quidquid illud est per quod esse homo absque peccato potest , confitetur , quisquis rem ipsam fatetur.*

CAPUT XI.

12. FATEOR dilectioni vestræ , cùm ista legerem , lætitiâ repentè perfusus sum , quòd Dei gratiam non negaret , per quam solam homo justificari potest : hoc enim in disputationibus talium maximè detestor , & horreo. Sed pergens legere cetera , primò ex datis similitudinibus cœpi habere suspectum. Ait enim : *Nam si dixero , Homo disputare potest , avis volare , lepus currere ; & non etiam per quæ hæc effici possunt commemoravero , id est , linguam , alas , pedes , num ego officiorum qualitates negavi , qui officia ipsa confessus sum?* Videtur certè , hæc eum commemorasse , quæ naturâ valent : creata sunt enim hæc membra hujusmodi naturis , lingua , alæ , pedes : non tale aliquid posuit , quale de gratia intelligi volumus , sine qua homo non justificatur ; ubi de sanandis , non de instituendis naturis agitur. Hinc jam ergo sollicitus cœpi legere cetera , & me non falsò comperi suspicatum.

De grat[ia] cùm disp[u]tatur , [non] de ea lo[qui]mur qu[æ] natura [per]tinet [insti]tutione [,] sed repa[ra]tione.

CAPUT XII. Scopus [...] narum [le]gis.

13. QUO prius quàm veniam , videte quid dixerit. Cùm tractaret quæstionem de differentia peccatorum , & objiceret sibi , quòd quidam dicunt , *levia quædam peccata ipsâ multitudine , quòd sæpe irruant , non posse cuncta vitari :* negavit *debere argui ne levi quidem correptione , si vitari omnino non possunt :* Scripturas utique non advertens novi Testamenti , ubi * dicimus hanc esse intentionem legis arguentis , ut propter illa quæ perperam fiunt , confugiatur ad gratiam Domini miserantis ; velut pædagogo concludente in eadem fide , quæ postea revelata est ; ubi & remittantur quæ malè fiunt , & eadem gratiâ juvante non fiant. Proficientium est enim via : quamvis bene proficientes dicantur perfecti viatores. Illa est autem summa perfectio cui nihil addatur , cùm id quò tenditur , cœperit possideri.

*f. dicimus. *Gal. 3. [..]*

Perfecti viatores.

CAPUT XIII. [b]

14. JAM verò illud quod [b] ei dicitur , *Ipse tu sine peccato es?* re vera non pertinet ad eam rem de qua vertitur quæstio. Sed quod dicit , *negligentiæ suæ potiùs imputari , quod non est sine peccato :* bene quidem dicit ; sed dignetur inde & orare Deum , ne illi hæc iniqua negligentia dominetur : quem rogabat quidam , quando dicebat , Itinera mea dirige secundùm verbum tuum , & non dominetur mihi omnis iniquitas : ne dum suæ diligentiæ quasi propriis viribus fidit , neque hîc ad veram justitiam , neque illic , ubi sine dubio perfecta desideranda est & speranda , perveniat.

Psal. 118. 133.

CAPUT XIV. Non om[n]ia scripta sunt.

15. ET illud quod ei à quibusdam dicitur , *nusquam esse scriptum his omnino verbis , posse esse hominem sine peccato* , facilè refellit , *quia non est ibi quæstio , quibus verbis dicatur quæcumque sententia.* Non ta-

[a] Am. Er. & aliquot MSS. *aut non confiteri solùm contentus non es.*

[b] Am. Er. & plerique MSS. hîc & c. 14. *quod eis.* Sic infrà c. 17.

men fortasse sine caussa, cùm aliquotiens in Scripturis inveniatur homines dictos esse sine querela, non invenitur qui sit dictus sine peccato, nisi unus solus de quo apertè dictum est, Eum qui non noverat peccatum. Et eo loco ubi de sacerdotibus [a] agebatur, Etenim expertus est omnia, secundùm similitudinem absque peccato: in illa scilicet carne, quæ habebat similitudinem carnis peccati, quamvis non esset caro peccati: quam tamen similitudinem non haberet, nisi cetera omnis esset caro peccati. Jam illud quomodo accipiendum sit, *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, & non potest peccare, quia semen ejus in ipso manet*; cùm ipse apostolus Johannes, quasi non sit natus ex Deo, aut eis loqueretur qui nondum nati essent ex Deo, apertè posuerit, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est; in libris quos de hac re ad Marcellinum scripsi, sicut potui, explicare curavi. Et illud quod dictum est, *non potest peccare*, pro eo dictum esse, ac si diceretur, non debet peccare; non improbanda mihi videtur hujus assertio. Quis enim insanus dicat debere peccari; cùm ideo sit peccatum, quia non debet fieri?

2. Cor. 5. 21. Hebr. 4. 15. 1. Johan. 3. 9. 1. Johan. 1. 8. L. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 8.

CAPUT XV. Jac. 3. 8. Corrumpit Pelagius Jacobi apostoli locum additâ interrogationis notâ.

16. SANE quod apostolus Jacobus ait, *Linguam autem nullus hominum domare potest*: non mihi videtur ita intelligendum, ut exponere voluit, *quasi per exprobrationem dictum, tamquam diceretur, Ergóne linguam nullus hominum domare potest? tamquam objurgans & dicens, Domare feras potestis, linguam non potestis? quasi facilius sit linguam domare, quàm feras*. Non puto quòd iste sit sensus hoc loco. Si enim hoc sentiri vellet de facilitate domandæ linguæ, cetera sequerentur in bestiarum comparatione: nunc verò sequitur, *inquietum malum, plena veneno mortifero*; utique nocentiore, quàm bestiarum est atque serpentum: nam illud carnem interficit, hoc verò animam. Os enim quod mentitur, occidit animam. Non ergo quasi id esset facilius, quàm mansuefactio bestiarum, sanctus Jacobus illam sententiam pronuntiavit, aut ea voce voluit pronuntiari: sed potiùs ostendens quantum sit in homine linguæ malum, ut à nullo homine domari possit, cùm ab hominibus domentur & bestiæ. Neque hoc ideo dixit, ut hujus in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur: sed ut ad domandam linguam divinæ gratiæ poscamus auxilium. Non enim ait, Linguam nullus domare potest: sed, *nullus hominum*: ut cùm domatur, Dei misericordiâ, Dei adjutorio, Dei gratiâ fieri fateamur. Conetur ergo anima domare linguam, & dum conatur, poscat auxilium: & oret lingua, ut dometur lingua, [b] domante illo qui dixit ad suos, Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Itaque præcepto facere commonemur, quod conantes & nostris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur.

Sap. 1. 11. Matth. 10. 20.

CAPUT XVI. Jac. 3. 10.

17. PROINDE & ipse cùm exaggerasset linguæ malum, inter hæc dicens, Non oportet, fratres mei hæc ita fieri: continuò monuit, consummatis his quæ hinc dicebat, quo adjutorio ista non fierent, quæ dixit fieri non oportere. Quis enim sapiens & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Quòd si zelum amarum habetis & contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari & mendaces esse adversùs veritatem. Non est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus pravum. Quæ autem de sursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordiâ & fructibus bonis, inæstimabilis, sine simulatione. Hæc est sapientia quæ linguam domat, de sursum descendens, non ab humano corde prosiliens. An & istam quisquam abrogare audet gratiæ Dei, & eam superbissima vanitate ponit in hominis potestate? Cur ergo oratur ut accipiatur, si ab homine est ut habeatur? An & huic orationi contradicitur, ne fiat injuria libero arbitrio, quod sibi sufficit possibilitate naturæ ad implenda omnia præcepta justitiæ? Contradicatur ergo eidem ipsi apostolo Jacobo admonenti & dicenti, Si quis autem vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei: postulet autem in fide nihil hæsitans. Hæc est fides, ad quam præcepta compellunt, ut lex imperet, & fides impetret. Per linguam enim, quam nullus hominum domare potest, sed sapientia de sursum descendens, in multis offendimus omnes. Non enim & hoc iste Apostolus alio modo pronuntiavit, sicut illud quod ait, *Linguam nullus hominum domare potest*.

Ibid. 13. Jac. 1. 5. Jac. 3. 2.

CAPUT XVII. Rom. 8. 7. In carne esse qui dicantur.

18. NEC illud quisquam istis pro impossibilitate non peccandi similiter objecerit, quod dictum est: *Sapientia carnis inimica est in Deum: legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt*. Sapientiam quippe carnis dixit, non sapientiam de sursum descendentem: & in carne esse, non eos qui nondum de corpore exierunt, sed eos qui secundùm carnem vivunt, significatos esse manifestum est. Non autem ibi est quæstio quæ versatur. Illud est quod exspecto ab isto audire, si possim, eos qui secundùm spiritum vivunt, & ob hoc etiam hîc adhuc viventes jam quodam modo in carne non sunt, utrùm gratiâ Dei vivant secundùm spiritum; an sibi sufficiant, jam data cùm creantur possibilitate naturæ, & sua propria voluntate: cùm plenitudo legis non sit nisi caritas, & caritas Dei diffusa sit in cordibus nostris, non per nos ipsos, sed per Spiritum-sanctum qui datus est nobis.

Rom. 13. 10. Rom. 5. 5.

Ignorantiæ peccata.

19. Tractat etiam iste de peccatis ignorantiæ, & dicit, *hominem prævigilare debere ne ignoret; ideoque esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit negligentiâ suâ, quod adhibitâ diligentiâ scire debuisset*: dum tamen omnia potiùs disputet, quàm ut oret & dicat, *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua*. Aliud est enim, non curasse scire, quæ negligentiæ peccata etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud, intelligere velle, nec posse, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit. Unde admonemur à Deo petere sapientiam, *qui dat omnibus affluenter*, utique his omnibus qui sic petunt & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda est.

Psal. 118. 73. Jac. 1. 5. Quibus petentibus detur à Deo sapientia.

[a] Omnes ferè MSS. *sacerdotibus sanctis*.

[b] Plures MSS. *domante io*.

CAPUT XVIII.

20. DIVINITUS *tamen esse expianda peccata commissa, & pro eis Dominum exorandum* fatetur, propter veniam scilicet promerendam: *quia id quod factum est, facere infectum*, multùm ab isto laudata *potentia* illa *naturæ & voluntas hominis* etiam ipso fatente, *non potest*: quare hac necessitate restat ut oret ignosci. Ut autem adjuvetur ne peccet, nusquam dixit, non hîc legi, mirum de hac re omnino silentium: cùm oratio Dominica utrumque petendum esse commoneat, & ut dimittantur nobis debita nostra, & ut non inferamur in tentationem; illud ut præterita expientur, hoc ut futura vitentur. Quod licèt non fiat, nisi voluntas adsit; tamen ut fiat, voluntas sola non sufficit; ideo pro hac re nec superflua nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid stultius, quàm orare ut facias, quod in potestate habeas?

Quam orationem Pelagius necessariam admiserit.

Stultum est orare ut facias quod in potestate habeas.

CAPUT XIX.

21. JAM nunc videte, quod ad rem maximè pertinet, quomodo humanam naturam tamquam omnino sine ullo vitio sit, conetur ostendere, & contra apertissimas scripturas Dei luctetur sapientia verbi, qua evacuetur crux Christi. Sed planè illa non evacuabitur, ista potiùs sapientia subvertetur. Nam cùm hoc ostenderimus, aderit fortasse misericordia Dei, ut & ipsum hæc dixisse pœniteat. *Primò*, inquit, *de eo disputandum est, quod per peccatum debilitata dicitur & immutata natura. Unde ante omnia quærendum puto*, inquit, *quid sit peccatum: substantia aliqua, an* [a] *omnino substantiâ carens nomen, quo non res, non exsistentia, non corpus aliquod, sed perperam facti actus exprimitur.* Deinde adjungit: *Credo ita est. Et si ita est*, inquit, *quomodo potuit humanam debilitare vel mutare naturam, quod substantiâ caret?* Videte quæso, quomodo nesciens nitatur evertere medicinalium eloquiorum voces saluberrimas. Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. Quid sanatur, si nihil est vulneratum, nihil sauciatum, nihil debilitatum atque vitiatum? Porrò si est quod sanetur, unde vitiatum est? Audis confitentem: quid desideras disputantem? Sana, inquit, animam meam. Ab illo quære, unde vitiatum sit, quod sanari rogat: & audi quod sequitur, Quoniam peccavi tibi. Hunc iste interroget, ab isto quærat quod quærendum putat, & dicat, O tu qui clamas, Sana animam meam, quoniam peccavi tibi, quid est peccatum? Substantia aliqua, an omnino substantiâ carens nomen, quo non res, non exsistentia, non corpus aliquod, sed tantùm perperam facti actus exprimitur? Respondet ille, Ita est ut dicis: non est peccatum aliqua substantia, sed tantùm hoc nomine perperam facti actus exprimitur. Et contrà iste, Quid ergo clamas, Sana animam meam, quoniam peccavi tibi? Quomodo potuit vitiare animam tuam quod substantiâ caret? Nonne ille mærore confectus vulneris sui, ne disputatione ab oratione averteretur, breviter responderet & diceret, Recede à me, obsecro: cum illo potiùs disputa, si potes, qui dixit, Non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus: non veni vocare justos, sed peccatores: ubi justos utique sanos, peccatores autem appellavit ægrotos.

1. Cor. 1. 17.

Negat Pelagius naturam humanam peccato depravatam aut corruptam.

Psal. 40. 5.

Matth. 9. 12.

CAPUT XX.

22. CERNITIS-ne quò tendat, & quò manus porrigat hæc disputatio? ut omnino frustra dictum putetur, Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Quomodo enim salvum faciet, ubi nulla est ægritudo? Peccata quippe, à quibus dicit Evangelium salvum faciendum populum Christi, substantiæ non sunt, & secundùm istum vitiare non possunt. O frater, bonum est ut memineris te esse Christianum. Credere ista fortasse sufficeret: sed tamen quia disputare vis, nec obest, immo etiam prodest, si firmissima præcedat fides; nec existimemus peccato naturam humanam non posse vitiari, sed divinis credentes scripturis peccato eam esse vitiatam, quomodo id fieri potuerit inquiramus. Quoniam peccatum jam didicimus non esse substantiam: nonne adtenditur, ut alia omittam, etiam non manducare, non esse substantiam? A substantia quippe receditur; quoniam cibus substantia est. Sed abstinere à cibo non est substantia, & tamen substantia corporis, si omnino abstinetur à cibo, ita languescit, ita valetudinis inæqualitate corrumpitur, ita exhauritur viribus, ita lassitudine debilitatur & frangitur, ut si aliquo modo perduret in vita, vix possit ad eum cibum revocari, unde abstinendo vitiata est. Sic non est substantia peccatum: sed substantia est Deus, summaque substantia, & solus verus rationalis creaturæ cibus; à quo per inobedientiam recedendo, & per infirmitatem non valendo capere quo debuit & gaudere, audis quemadmodum dicat: [b] Percussum est sicut fœnum, & aruit cor meum, quoniam oblitus sum manducare panem meum?

Matth. 1. 21.

Peccatum ... vitiare ... natura ...

Psal. 101. 5.

CAPUT XXI.

23. ADTENDITE autem quomodo adhuc se urgeat veri similibus rationibus contra scripturæ sanctæ veritatem. Dominus Jesus dicit, qui propterea Jesus vocatur, quia ipse salvum facit populum suum à peccatis eorum: dicit ergo Dominus Jesus, Non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus. Non veni vocare justos, sed peccatores. Unde dicit & Apostolus, Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. Et iste contra fidelem sermonem & omni acceptione dignum, dicit *non debuisse hanc ægritudinem contrahi peccatis, ne ad hoc esset ista pœna peccati, ut committerentur plura peccata.* Quæritur [c] etiam parvulis tantus medicus opitulator: & iste dicit, *Quid quæritis? Sani sunt propter quos medicum quæritis. Nec ipse primus homo ideo morte damnatus est: nam postea non peccavit.* Quasi aliquid postea de perfectione justitiæ ejus audierit, nisi quòd commendat Ecclesia & ipsum Domini Christi misericordiâ liberatum. *Ejus quoque posteros* iste dicit, *non solùm illo non esse infirmiores, sed etiam plura implevisse præcepta, cùm ille unum implere neglexerit:* quos posteros videt ita nasci, quomodo certè ille factus non est, non solùm præcepti incapaces, quod omnino non sentiunt, sed vix capaces papillæ cùm esuriunt: eos tamen in matris Ecclesiæ gremio cùm salvos gratiâ suâ facere velit, qui salvum facit populum suum à peccatis eorum, contradicunt homines, & quasi creaturam, quæ per illum condita est, meliùs illo inspicere noverint, voce non sana sanos esse pronuntiant.

Matth. 1. 21.

Matth. 9. 12.

1. Timoth. 1. 15.

Acta Clem...

[a] Plerique MSS. *omni substantiâ*.

[b] Editi, *Percussus sum*. At plures MSS. *Percussum est*. Sic porrò Aug. Enarrat. in eumdem Psalmum, Ser. 1.

[c] Sic MSS. At Editi, *Quæritur ergo parvulis*.

Caput XXII. Idem peccatum & pœna peccati.

24. *Materiam peccati* dicit *esse vindictam, si ad hoc peccator infirmatus est, ut plura peccaret.* Nec cogitat prævaricatorem legis quàm dignè lux deserat veritatis; qua desertus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat, ut ideo tantùm audiat vocem legis, quò admoneatur implorare gratiam Salvatoris. An nulla pœna est eorum, de quibus dicit Apostolus, » Quia cùm cognovissent Deum, » non sicut Deum glorificaverunt aut gratias ege» runt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & » obscuratum est insipiens cor eorum? Utique ista obscuratio vindicta & pœna jam fuit: & tamen per hanc pœnam, id est, per cordis cæcitatem, quæ fit deserente luce sapientiæ, in plura & gravia peccata collapsi sunt. Dicentes enim se esse » sapientes, stulti facti sunt. Gravis hæc pœna est, si quis intelligat, & ex hac pœna vide quò ie» runt: Et immutaverunt, inquit, gloriam incor» ruptibilis Dei in similitudinem imaginis corru» ptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Ista fecerunt ex peccati pœna, qua obscuratum est insipiens cor eorum. Et propter hæc tamen, quia licèt pœnalia, etiam ipsa » peccata sunt, adjungit & dicit, Propterea tradi» dit illos Deus in desideria cordis illorum in im» munditiam. Ecce quemadmodum Deus graviùs condemnavit, tradens illos in desideria cordis illorum in immunditiam. Videte etiam ex hac pœ» na quæ faciant: Ut contumeliis, inquit, afficiant » corpora sua in semetipsis. Et quia pœna est ista iniquitatis, cùm sit & iniquitas, evidentiùs com» mendat dicens, Qui transmutaverunt veritatem » Dei in mendacium, & coluerunt & servierunt » creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est bene» dictus in sæcula, amen. Propter hoc, inquit, tra» didit Deus illos in passiones ignominiæ. Ecce quotiens vindicat Deus, & ex eadem vindicta » plura & graviora peccata consurgunt. Nam fe» minæ eorum immutaverunt naturalem usum in » eum usum qui est contra naturam: similiter au» tem & masculi relicto naturali usu feminæ, exar» serunt in appetitum suum in invicem, masculi in » masculos deformitatem operantes. Atque ut ostenderet sic esse ista peccata, ut etiam pœnæ sint » peccatorum, etiam his adjunxit, Et mercedem » mutuam, quam oportuit, erroris sui in semetipsis » recipientes. Videte quotiens vindicet, eademque vindicta quæ pariat pulluletque peccata. Ad» huc adtendite: Et sicut non probaverunt, in» quit, Deum habere in notitia, tradidit illos Deus » in reprobam mentem, ut faciant quæ non con» veniunt, repletos omni iniquitate, cum circum» ventione, malitia, avaritia, plenos invidiâ, ho» micidio, contentione, dolo, malignitate, susur» rones, detractores, Deo odibiles, contumelio» sos, superbos, elatos, inventores malorum, pa» rentibus non obedientes, insipientes, incompo» sitos, sine affectu, sine misericordia. Hîc nunc iste dicat, *Non debuit sic vindicari peccatum, ut peccator per vindictam plura committeret.*

Rom. 1. 21.

Cordis cæcitas.

Caput XXIII. Non deserit Deus nisi dignos deseri.

25. Fortasse respondeat, Deum ad ista non cogere, sed dignos deseri tantùm deserere. Si hoc dicit, verissimè dicit: deserti quippe, ut dixi, luce justitiæ & per hoc contenebrati quid pariant aliud, quàm hæc omnia, quæ commemoravi opera tenebrarum, donec dicatur eis, si dicto obaudiant, Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus? Mortuos Veritas dicit, unde est & illud, Sine mortuos sepelire mortuos suos: mortuos ergo Veritas dicit, quos iste dicit lædi & vitiari non potuisse peccato, quia videlicet didicit peccatum non esse substantiam. Nemo ei dicit, *sic hominem factum, ut de justitia quidem posset in peccatum ire, & de peccato ad justitiam redire non posset*: sed ut in peccatum iret, suffecit ei liberum arbitrium, quo se ipse vitiavit; ut autem redeat ad justitiam, opus habet medico, quoniam sanus non est; opus habet vivificatore, quia mortuus est. De qua gratia omnino nihil iste dicit, quasi sola sua voluntate se possit sanare, quia eum potuit sola vitiare. Non ei dicimus, *mortem corporis ad peccatum valere*, ubi sola vindicta est; nemo enim peccat corpore moriendo: sed ad peccatum valet mors animæ, quam deseruit vita sua, hoc est, Deus ejus, quæ necesse est mortua opera faciat, donec Christi gratiâ reviviscat. *Famem & sitim & ceteras molestias corporales*, absit ut dicamus *necessitatem habere peccandi*, quibus molestiis exercitata vita justorum splendidiùs enituit, & eas per patientiam superando majorem gloriam comparavit; sed adjuta gratiâ Dei, adjuta spiritu Dei, adjuta misericordiâ Dei; non superba voluntate se extollens, sed humili confessione fortitudinem promerens. Noverat enim Deo dicere, Quoniam tu es patientia mea. De qua gratia & adjutorio & misericordia, sine qua bene non possumus vivere, nescio quare iste omnino nihil dicit: immo etiam velut sibi ad justitiam sufficientem, si [a] sola voluntas adsit, defendendo naturam, gratiæ Christi, qua justificamur, apertissimè contradicit. Cur autem soluto per gratiam peccati reatu ad exercitationem fidei mors corporis maneat, quamvis venerit de peccato, jam & hoc in illis ad sanctæ [b] memoriæ Marcellinum libris, ut valui, disserui.

Ephes. 5. 14.

Matth. 8. 22.

Ad peccandum nobis ipsi sufficimus, ad justitiam verò ut redeamus, non item.

Mors pœna est, non caussa peccati.

Nihil bonum sine gratia.

Psal. 70. 5.

L. 2. de pecc. merit. cap. 30 &c.

Caput XXIV. Christus mortuus potestate.

26. Quod verò *Dominum* dicit *sine peccato mori potuisse*: illi etiam nasci, potestas misericordiæ, non conditio naturæ fuit; sic etiam mortuus est potestate; & hoc est pretium nostrum, quo nos à morte redimeret. Et hoc istorum disputatio evacuare contendit, cùm ab eis ita natura humana defenditur, ut possit liberum arbitrium isto pretio non egere, ut à potestate tenebrarum & præpositi mortis in regnum Christi Domini transferantur. Et tamen quando Dominus ad passionem perrexit, Ecce, inquit, veniet princeps hujus mundi, & in me nihil inveniet: & utique nihil peccati, unde præpositus mortis jure suo ageret, ut perimeret. Sed ut sciant omnes, inquit, quia voluntatem Patris mei facio, surgite eamus hinc: id est, quia non morior necessitate peccati, sed obedientiæ voluntate.

Iohan. 14. 30.

27. Dicit [c] *nullum malum boni alicujus esse caussam.* Quasi pœna bonum sit, qua tamen multi emendati sunt. Sunt ergo mala quæ prosunt mira-

Etiam mala, Dei misericordia.

[a] Lov. *si voluntas sua adsit.* Editi alii & MSS. *sola.*

[b] Marcellinus tribunus obierat anno 413. mense septembri, *sub invidia tyrannidis Heraclianæ*, uti Hieronymus in lib. 3. contra Pelagianos scribit, *ab hæreticis innocens cæsus.* Hunc *spectabilis memoriæ virum* appellat Honorius in lege data die 30. Aug. an. 414. in lib. 16. cod Theod. 5 de hæret l. 55.

[c] In multis MSS. *nulli.*

profunt. bili misericordiâ Dei. Numquid ille boni aliquid passus est, qui dixit, Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus? Non utique: & tamen hæc ei conturbatio contra superbiam fuit medicinalis quodam modo. Dixerat enim in abundantia sua, Non movebor in æternum: & sibi tribuebat quod à Domino habebat. Quid enim habebat, quod non acceperat? Quare ostendendum ei fuerat unde haberet, ut reciperet humilis, quod superbus amiserat. Ideo, Domine, inquit, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. In qua ego abundantia mea dicebam, Non movebor, cùm hoc mihi esset abs te, non à me. Denique avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.

Psal. 29. 8. — 1. *Cor.* 4. 7.

CAPUT XXV. Errantium ferè omniũ ingenium. Cum hæreticis quibusdam non tam disputationibus quàm orationibus agendum.

28. HOC superbus animus omnino non sapit: sed magnus est Dominus, qui id persuadeat quomodo ipse novit. Nam procliviores sumus quærere potiùs quid contra ea respondeamus, quæ nostro objiciuntur errori, quàm intendere quàm sint salubria, ut careamus errore. Unde cum istis non tam disputationibus, quàm pro eis, sicut pro nobis, orationibus est agendum. Non enim hoc eis dicimus, quod sibi iste opposuit, *ut esset caussa misericordiæ Dei, necessarium fuisse peccatum.* Utinam non fuisset miseria, ne ista esset misericordia necessaria. Sed iniquitatem peccati tanto graviorem, quanto faciliùs homo non peccaret, quem nulla adhuc tenebat infirmitas, pœna justissima subsecuta est: ut mercedem mutuam peccati sui in semetipso reciperet, amittens sub se positam sui corporis quodam modo obedientiam, quam præcipuam sub Domino suo ipse contemserat. Et quòd nunc cum eadem lege peccati nascimur, quæ in membris nostris repugnat legi mentis; neque adversùs Deum murmurare, neque contra rem manifestissimam disputare; sed pro pœna nostra illius misericordiam quærere & orare debemus.

Gravitas peccati Adæ. — *Rom.* 7. 23.

CAPUT XXVI.

29. ADTENDITE sanè vigilanter quomodo dixerit: *Adhibet quidem huic etiam parti, si quando necessarium fuerit, misericordiam suam Deus; quia homini post peccatum ita subveniri necessum est, non quia Deus caussam hujusce necessitatis optaverit.* Videtisne quemadmodum non dicat necessariam misericordiam Dei ut non peccemus, sed quia peccavimus? Deinde subjungit, *Sed & medicus ad curandum jam vulneratum paratus esse debet; non debet autem ut sanus vulneretur optare.* Si ista similitudo rebus de quibus agimus congruit, certè vulnerari non potest natura humana peccato, quoniam peccatum nulla substantia est. Sicut ergo vulnere, verbi gratiâ, claudicans ideo curatur, ut sanato malo præterito, futurus dirigatur incessus: sic mala nostra non ad hoc solùm supernus medicus sanat, ut illa jam non sint, sed ut de cetero rectè ambulare possimus; quod quidem etiam sani non nisi illo adjuvante poterimus. Nam medicus homo cùm sanaverit hominem, jam de cetero sustentandum elementis & alimentis corporalibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat atque persistat, Deo dimittit; qui præbet ista in carne viventibus, cujus erant etiam illa, quæ dum curaret, adhibebat. Non enim quemquam medicus ex his rebus, quas ipse creaverit sanat; sed ex illius [a] opibus, qui creat omnia necessaria sanis atque vitiosis. Ipse autem Deus, cùm per mediatorem Dei & hominum hominem Jesum Christum, spiritualiter sanat ægrum vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, & cùm ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit si non deseratur, ut piè semper justéque vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic & homo etiam perfectissimè justificatus, nisi [b] æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere. Sanat ergo Deus, non solùm ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus.

Similitudo, qua intelligitur Dei gratiam faciendo cuivis operi bono necessariam. — 1. *Tim.* 2. 5. — Deus rectè eum justificatum, si non deseratur. *lib.* 2. *de peccat. mer.* c. 5. b

CAPUT XXVII. Peccatum peccato tollitur.

30. ACUTE sanè tractat & versat, & quantum sibi videtur redarguit atque convincit quod [c] eis dicitur, *etiam necessarium fuisse homini ad auferendam superbiæ vel gloriæ occasionem, ut absque peccato esse non posset. Absurdissimum quippe & stultissimum* putat, *peccatum fuisse ne peccatum esset, quoniam & ipsa superbia utique peccatum est:* quasi non & ulcus in dolore est, & sectio dolorem operatur, ut dolor dolore tollatur. Hoc si experti non essemus, & in aliquibus terris ubi ista numquam contigerant, audiremus, sine dubio utique deridentes, fortassis etiam verbis hujus uteremur & diceremus, Absurdissimum est dolorem necessarium fuisse, ne ulceris dolor esset.

31. *Sed Deus*, inquiunt, *potest omnia sanare.* Hoc utique agit, ut sanet omnia: sed agit judicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto. Procul dubio quippe firmissimum Apostolum volebat efficere, cui tamen dixit, Virtus in infirmitate perficitur: & non ei totiens oranti aufert nescio quem stimulum carnis, quem sibi dicit datum, ne magnitudine revelationum extolleretur. Cetera enim vitia tantùm in malefactis valent, sola autem SUPERBIA ETIAM IN RECTE FACTIS cavenda est. Unde admonentur illi, ne dona Dei suæ potestati tribuendo seseque extollendo graviùs pereant, quàm si nil operarentur boni, quibus dicitur, Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini: Deus enim est qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Quare ergo cum timore & tremore, & non potiùs cum securitate, si Deus operatur; nisi quia propter voluntatem nostram, sine qua bene non possumus operari, citò potest subrepere animo humano, ut quod bene operatur, suum tantummodo existimet, & dicat in abundantia sua, Non movebor in æternum? Ideo qui in voluntate sua præstiterat decori ejus virtutem, avertit paululùm faciem suam, ut qui hoc dixerat fieret conturbatus: quoniam ipsis est ille tumor sanandus doloribus.

Sanandi ordinem cælestis medicus non ab ægroto accipit, sed se ipso. 2. *Cor.* 12. 7. — *Philipp.* 2. 12. — Justis quid caussa timendi. — *Psal.* 29. 7.

CAPUT XXVIII. Deserit aliquantùm Deus, ne superbiamus.

32. NON itaque dicitur homini, *Necesse est peccare, ne pecces:* sed dicitur homini, Deserit aliquantùm Deus unde superbis, ut scias non tuum, sed ejus esse, & discas superbus non esse. Nam illud etiam Apostoli quale est, nonne ita mirabile, ut nisi quia ipse dicit, cui vera dicenti contradicere nefas est, non sit credibile. Quis enim nesciat fidelium, à satana venisse primam peccati suasionem, & quòd ille primus auctor sit

Gen. 3. 5.

[a] Sic omnes propè MSS. At editi, *operibus.* V. infrà cap. 70.
[b] Cisterciensis codex, *æterna.*

[c] Sigiramnensis cod. *quod ei dicitur.*

1. Tim. 1. 20.

omnium peccatorum? Et tamen quidam traduntur satanæ, ut discant non blasphemare. Quomodo igitur opus satanæ excluditur opere satanæ? Hæc atque hujusmodi intueatur, ne videantur ei nimis acuta, quæ acutulè sonant, & discussa inveniuntur obtusa. Quid quòd etiam similitudines adhibet, quibus magis admoneat quid ei debeat responderi? *Quid amplius dicam*, inquit, *nisi quia potest credi quòd ignes ignibus exstinguuntur, si credi potest quòd peccatis peccata curentur?* Quid si ignes exstinguere quisquam non potest ignibus, sed tamen possunt, ut docui, dolores curari doloribus? Possunt etiam, si quærat & discat, venenis venena depelli. Nam, si & advertit aliquando calores febrium quibusdam caloribus medicinalibus frangi, etiam ignes ignibus fortasse concedet exstingui.

Caput XXIX.

33. *Quonam modo*, inquit, *superbiam ipsam à peccato separabimus?* Quid enim hoc urget, cùm manifestum sit etiam ipsam esse peccatum? *Tam peccare*, inquit, *superbire est, quàm superbire peccare. Nam quære quid sit quodcumque peccatum, & vide si invenies aliquod sine superbiæ appellatione peccatum.* Hanc autem sententiam sic exsequitur, & sic probare conatur: *Omne*, inquit, *peccatum, nisi fallor, Dei contemtus est: & omnis Dei contemtus superbia est. Quid enim tam superbum, quàm Deum contemnere? Omne ergo peccatum & superbia est, etiam Scripturâ dicente, Initium omnis peccati superbia est.* Quærat diligenter, & inveniet in lege multùm discretum esse à ceteris peccatis peccatum superbiæ. Multa enim peccata per superbiam committuntur, sed neque omnia superbè fiunt, quæ perperam fiunt; certè à nescientibus, certè ab infirmis, certè plerumque à flentibus & gementibus. Et quidem superbia, cùm magnum sit ipsa peccatum, ita sine aliis per se ipsa est, ut etiam plerumque, ut dixi, non in peccatis, sed in ipsis rectè factis pede celeriore superveniat & obrepat. Sed ideo verissimè dictum est, quod iste aliter intellexit, Initium omnis peccati superbia: quoniam diabolum, à quo exstitit origo peccati, ipsa dejecit, & subsequente invidentiâ hominem stantem, unde ipse cecidit, inde subvertit. Nam utique jactantiæ januam, quà intraret, serpens ille quæsivit, quando ait, Eritis sicut dii. Ideo dictum est, Initium omnis peccati superbia, & initium superbiæ hominis apostatare à Deo.

Eccli. 10. 15.

Non omne peccatum superbia est.

Superbia quomodo omnis peccati initiũ.

Gen. 3. 5. Eccli. 10. 15. & 14.

Caput XXX.

34. Quid autem sibi vult quod dicit, *Deinde quomodo Deo pro illius peccati reatu subditus esse poterit, quod suum non esse cognoverit? Suum enim non est*, inquit, *si necessarium est. Aut si suum est, voluntarium est: & si voluntarium est, vitari potest.* Nos respondemus: Suum est omnino; sed vitium quo committitur, nondum omni ex parte sanatum est: quod quidem ut inolesceret, de non rectè usa sanitate descendit: ex quo vitio jam malè valens, vel infirmitate, vel cæcitate plura committit: pro quo supplicandum est, ut sanetur, & deinceps in perpetua sanitate vivatur; non superbiendum, quasi homo eadem potestate sanetur, qua potestate vitiatus est.

Caput XXXI. Superbiam ipsam cur Deus non citò sanet.

35. Et hæc quidem ita dixerim, ut altius Dei consilium me fatear ignorare, cur etiam ipsam superbiam, quæ & in rectè factis animo insidiatur humano, non citò Deus sanet; pro qua sananda illi piæ animæ cum lacrymis & magnis gemitibus supplicant, ut ad eam superandam & quodam modo calcandam & obterendam, dexteram conantibus porrigat. Ubi enim lætatus homo fuerit, in aliquo bono opere se etiam superasse superbiam, ex ipsa lætitia caput erigit, & dicit, Ecce ego vivo, quid triumphas? & ideo vivo, quia triumphas. Ante tempus enim fortasse de illa quasi victa triumphare delectat, cùm extrema ejus umbra illo meridie, quantum arbitror, absorbebitur: qui meridies Scripturâ dicente promittitur, Et educet sicut lumen justitiam tuam, & judicium tuum sicut meridiem: si fiat quod suprà scriptum est, Revela ad Dominum viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet: non sicut quidam putant, quòd ipsi faciant. * Nullos enim videtur attendisse, cùm dixit, Et ipse faciet; nisi eos qui dicunt, Nos facimus, id est, nos ipsi nos ipsos justificamus. Ubi quidem operamur & nos: sed illo operante cooperamur, quia misericordia ejus prævenit nos. Prævenit autem ut sanemur, quia & [a] subsequetur ut etiam sanati vegetemur: prævenit ut vocemur, subsequetur ut glorificemur: prævenit ut piè vivamus, subsequetur ut cum illo semper vivamus: quia sine illo nihil possumus facere. Utrumque enim scriptum est, &, Deus meus misericordia ejus præveniet me, &, Misericordia tua subsequetur me per omnes dies vitæ meæ. Revelemus ergo ad eum viam nostram confessione, non defensione laudemus. Si enim non est ipsius via, sed nostra, procul dubio non est recta. Revelemus eam confitendo; quia non eum latet, etiam si operire conemur. Bonum est autem confiteri Domino.

Quàm occultè insidietur superbia.

Psal. 36. 6.

Ibid. 5.

* Hic incipit Caput XXXII apud Am. & Er.

Psal. 58. 11.

a Gratia præveniens & subsequẽs.

Iohan. 15. 5.

Psal. 58. 11.

Ps. 22. 6.

Nihil rectum sine gratia.

Psal. 91. 2.

Caput XXXII. apud Am. & Er. XXXIII.

36. Ita enim quod ei placet dabit nobis, si quod ei displicet in nobis, displiceat & nobis. Avertet, sicut scriptum est, semitas nostras à via sua, & nostram faciet esse quæ sua est; quoniam ab ipso præbetur credentibus in eum, & sperantibus in eum ut ipse faciat. Ipsa est enim via justa, quam ignorantes qui zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam, & suam volentes constituere justitiam, justitiæ Dei non sunt subjecti. Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti, qui dixit, Ego sum via. In qua jam ambulantes tamen terruit vox divina, ne quasi de propriis in ea viribus extollantur. Nam quibus propter hoc ait Apostolus, Cum timore & tremore vestram ipsorum operamini salutem, Deus enim est qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate: eis propter hoc ipsum dicit etiam Psalmus, Servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore; apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa, cùm exarserit in brevi ira ejus super vos. Non ait, ne quando irascatur Dominus, & non vobis ostendat viam justam, aut, non vos introducat in viam justam: sed jam illic ambulantes sic terrere potuit ut diceret, ne pereatis de via justa. Unde, nisi quia superbia, quod totiens dixi, & sæpe dicendum est, etiam in ipsis rectè factis cavenda est, id est, in ipsa via justa, ne homo dum quod Dei est deputat suum, amittat quod Dei est, & redeat ad suum? Ideo, quo Psalmus iste concluditur, faciamus: Beati omnes qui confidunt in eo: utique ut ipse faciat, ipse ostendat,

Psal. 43. 19.

Rom. 10. 2.

Iohan. 14. 6.

Philip. 2. 12.

Psal. 2. 11.

Superbia etiam in rectè factis cavenda.

[a] Sigiram. & aliquot Vatic. MSS. *subsequitur.*

Psal. 84. 8. viam suam, cui dicitur, Ostende nobis Domine A misericordiam tuam: & ipse det salutem, ut ambulare possimus, cui dicitur, Et salutare tuum da nobis: ipse in eadem via deducat, cui dicitur, *Psal.* 85. 11. Deduc me Domine in via tua, & ambulabo in veritate tua: ipse ad illa, quò via ducit, promissa perducat, cui dicitur, *Psal.* 138. 10. Etenim illuc manus tua deducet me, & perducet me dextera tua: ipse ibi pascat recumbentes cum Abraham, Isaac, *Lucæ* 12. 37. & Jacob, de quo dictum est, Faciet eos recumbere, & transibit, & ministrabit eis. Non enim, cùm B ista commemoramus, arbitrium voluntatis tollimus, sed Dei gratiam prædicamus. Cui enim prosunt ista nisi volenti, sed humiliter volenti, non se de voluntatis viribus, tamquam ad perfectionem justitiæ sola sufficiat, extollenti.

Liberum arbitrium non tollitur, cùm gratia prædicatur.

CAPUT XXXIII. *apud Am. & Er.* XXXIV.

Esse sine ullo omnino peccato nondum æquat hominē Deo.

37. ABSIT autem ut ei dicamus, quod à [a] quibusdam contra se dici ait, *comparari hominem Deo, si absque peccato esse asseratur:* quasi verò angelus, quia absque peccato est, comparetur Deo. Ego quidem hoc sentio, quia etiam cùm fuerit C in nobis tanta justitia, ut ei addi omnino nihil possit, non æquabitur creatura Creatori. Si autem aliqui putant tantum nostrum futurum esse provectum, ut in Dei substantiam convertamur, & hoc efficiamur prorsus quod ille est: viderint quemadmodum adstruant sententiam suam; mihi hoc fateor non esse persuasum.

Beati non convertuntur in Dei substantiā.

CAPUT XXXIV.

38. JAM sanè hoc multùm faveo libri hujus auctori, quòd adversùs eos qui dicunt, *Rationabile quidem videtur esse quod asseris, sed superbum* D *est dici hominem absque peccato esse posse;* ita respondet, ut omnino si verum est, nullo modo superbum esse dicendum sit. Ait enim acutissimè atque verissimè: *In qua magis parte humilitas collocanda est? sine dubio falsitatis, si in ea quæ veritatis probatur esse superbia est.* Ac per hoc placet illi, & rectè placet, ut in parte veritatis, non in parte falsitatis magis humilitas collocetur. Ex quo est consequens, ut ille qui dixit, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos de- E cipimus, & veritas in nobis non est: verum dixisse minimè dubitetur, [b] ne caussâ humilitatis hoc falsum dixisse videatur. Propterea enim addidit, Et veritas in nobis non est: cùm fortè sufficeret dicere, Nos ipsos decipimus; nisi adtenderet quosdam putare posse, ideo dictum, nos ipsos decipimus, quia etiam de vero bono qui se laudat extollitur. Addendo itaque, Et veritas in nobis non est, manifestè ostendit, sicut F etiam huic rectissimè placet, hoc omnino verum non esse, si dixerimus quia peccatum non habemus: ne humilitas constituta in parte falsitatis, perdat præmium veritatis.

Nec modestiæ caussâ mentiendum.

Laus humilitatis in parte non est ponenda falsitatis.

1. *Johan.* 1. 8.

39. Porrò autem quòd Dei caussam sibi agere videtur, defendendo naturam; non adtendit quòd eamdem naturam sanam esse dicendo, medici repellit misericordiam. Ipse est autem creator ejus, qui salvator ejus. Non ergo debemus sic laudare creatorem, ut cogamur, immo [c] verè G convincamur dicere superfluum salvatorem. Naturam itaque hominis dignis laudibus honoremus, easque laudes ad creatoris gloriam referamus: sed quia nos creavit, ita simus grati, ut non simus, quia sanat, ingrati. Vitia sanè nostra quæ sanat, non divino operi, sed humanæ voluntati justæque illius vindictæ tribuamus: sed ut in nostra potestate fuisse ne acciderent confitemur, ita ut sanentur in illius magis esse misericordia quàm in nostra potestate fateamur. Hanc iste misericordiam & medicinale salvatoris auxilium tantùm in hoc ponit, ut ignoscat commissa præterita, non ut adjuvet ad futura vitanda. Hîc perniciosissimè fallitur: hîc, etsi nesciens, prohibet nos vigilare & orare ne intremus in tentationem, cùm hoc ne nobis accidat, in nostra tantùm potestate esse contendit.

CAPUT XXXV.

Quorumdam cur scripta peccata.

40. *Quorumdam* sanè *exempla, quos peccasse legimus*, non *ideo scripta* dicit, qui sanum sapit, *ut ad desperationem non peccandi valeant, & securitatem peccandi nobis quodam modo præbere videantur:* sed ut disceremus, vel pænitendi humilitatem, vel etiam in talibus lapsibus non desperandam salutem. Quidam enim in peccata prolapsi desperatione plus pereunt, nec solùm pænitendi negligunt medicinam, sed ad explenda inhonesta & nefaria desideria servi libidinum & sceleratarum cupiditatum fiunt; quasi perdant, si non fecerint, quod instigat libido, cùm eos jam maneat certa damnatio. Adversùs hunc morbum nimiùm periculosum & exitiabilem, valet commemoratio peccatorum etiam in quæ justi sanctique prolapsi sunt.

Desperatio in peccatis: perdere se putat, si quid non fecerit quò instigat libido.

An sancti mortui sint sine peccato.

41. Sed acutè videtur interrogare, *quomodo istos sanctos de hac vita abiisse credendum sit, cum peccato, an sine peccato?* Ut si responsum fuerit, cum peccato, putetur eos secuta damnatio, quod nefas est credere: si autem sine peccato dictum fuerit eos exisse de hac vita, probet hominem saltem propinquante morte fuisse sine peccato in hac vita. Ubi parum adtendit, cùm sit acutissimus, non frustra etiam justos in oratione dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Dominumque Christum, cùm eamdem orationem docendo explicuisset, veracissimè subdidisse, Si enim dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis Pater vester peccata vestra. Per hoc enim quotidianum spiritale quodam modo incensum, quod ante Deum in altare cordis, quod sursum habere admonemur, infertur, etiam si non hîc vivatur sine peccato, licet mori sine peccato, dum subinde veniâ deletur, quod subinde ignorantiâ vel infirmitate committitur.

Matth. 6. 12.

Quotidianum remedium orationis incensum.

Sine peccato nemo vivere, sed mori potest.

CAPUT XXXVI.

42. DEINDE commemorat eos, *qui non modò non peccasse, verùm etiam justè vixisse referuntur, Abel, Enoch, Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob, Jesus Nave, Phinees, Samuel, Nathan, Elias, Joseph, Elisæus, Micheas, Daniel, Ananias, Azarias, Misael, Ezechiel, Mardochæus, Simeon, Joseph cui desponsata erat virgo Maria, Johannes.* Adjungit etiam feminas, *Debboram, Annam Samuelis matrem, Judith, Esther, alteram Annam filiam Phanuel, Elizabeth, ipsam etiam Domini ac Salvatoris nostri matrem, quam* dicit *sine peccato confiteri necesse esse pietati.* Exceptâ itaque sanctâ virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cùm de peccatis agitur, haberi

Sancta virgo Maria sine ullo vixit peccato.

[a] Non probat id Pelagio objectari: quo quidem adversùs eum argumento utitur Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem: *Numquid*, ait, *præcepit mihi Deus ut essem quod Deus est, ut nihil inter me esset & Dominum creatorem, ut major essem angelorum fastigio, ut haberem quod angeli non habent? De illo scriptum est quasi proprium, Qui peccatum non fecit.*

[b] Am. Er. & quinque MSS. *nec.*

[c] Sigiramnensis. MS. *immo verò.*

volo

[a] Volo quæstionem: [a] unde enim ſcimus, quid ei A plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum? hac ergo Virgine excepta, ſi omnes illos ſanctos & ſanctas, cùm hîc viverent, congregare poſſemus, & interrogare utrùm eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus, utrùm hoc quod iſte dicit, an quod Johannes apoſtolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentiâ ſanctitatis, ſi hoc interrogari B potuiſſent, [b] nonne una voce clamaſſent, Si diximus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt? An illud humiliùs reſponderent fortaſſe, quàm veriùs? Sed huic jam placet, & rectè placet, *laudem humilitatis in parte non ponere falſitatis.* Itaque hoc ſi verum dicerent, haberent peccatum; quod humiliter [c] quia faterentur, veritas in eis eſſet: ſi autem hoc mentirentur, nihilo minùs haberent peccatum, quia veritas in eis non eſſet. C

Nullus præterea ſanctorum abſque peccato.

1. Iohan. 1. 8.

Laus humilitatis non eſt in parte ponenda falſitatis.

CAPUT XXXVII.

43. *Dicent forſitan*, inquit, *Numquid omnium potuit Scriptura commemorare peccata?* Et verum ei dicent, quicumque dicent: nec eum contra hoc aliquid validum video reſpondiſſe; quamvis videam tacere noluiſſe. Quid enim dixerit, quæſo adtendite. *Hoc*, inquit, *rectè poteſt dici de his, quorum neque bonorum, neque malorum Scriptura ſit memor: de illis verò quorum juſtitiæ meminit, & peccatorum ſine dubio meminiſſet, ſi qua eos peccaſſe ſenſiſſet.* Dicat ergo non pertinuiſſe ad juſtitiam D tantam illorum fidem, qui magna multitudine præcedentes & conſequentes cum laudibus Domini aſellum, etiam inter frementes quare hoc facerent inimicos, clamabant dicentes, Hoſanna * fili David, benedictus qui venit in nomine Domini. Audeat ergo dicere iſte, ſi poteſt, neminem fuiſſe in tanta illa multitudine, qui ullum haberet omnino peccatum. Quod ſi abſurdiſſimum eſt dicere, cur nulla peccata eorum Scriptura commemoravit, quæ tantum bonum fidei E ipſorum commemorare curavit?

V. epiſt. 179. ad Iohan. n. 8.

Matth. 21. 9.

** ſ. filio.*

44. Sed hoc etiam forſitan ipſe vidit, & ideo ſubjecit atque ait: *Sed eſto, aliis temporibus turbæ numeroſitate omnium diſſimulaverit peccata contexere: in ipſo ſtatim mundi primordio, ubi non niſi quatuor homines erant, quid*, inquit, *dicimus, cur non omnium voluerit delicta memorare? Vtrúmne ingentis multitudinis cauſſâ, quæ nondum erat; an quia illorum tantùm qui commiſerant meminit, illius verò qui nulla commiſerat meminiſſe non potuit?* [d] Adhuc F adjungit verba, quibus iſta ſententia uberiùs & planiùs adſtruatur: *Certè*, inquit, *primo in tempore Adam & Eva, ex quibus Cain & Abel nati ſunt, quatuor tantùm homines fuiſſe referuntur: peccavit Eva, Scriptura hoc prodidit; Adam quoque deliquit, eadem Scriptura non tacuit: ſed & Cain peccaſſe, ipſa æquè Scriptura teſtata eſt: quorum non modò peccata, verùm etiam peccatorum indicat qualitatem. Quòd ſi & Abel peccaſſet, & hoc ſine dubio Scriptura dixiſſet: ſed non dixit, ergo nec ille peccavit;* G *quin etiam juſtum oſtendit. Credamus igitur quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus adſtruere.*

Gen. 3. 6.

Gen. 4. 8.

CAPUT XXXVIII.

45. HÆC dicens, parum adtendit quod paulò antè ipſe dixerat, *jam exorta multitudine generis humani, turbæ numeroſitate potuiſſe Scripturam diſſimulare omnium peccata contexere.* Hoc enim ſi ſatis adtendiſſet, videret etiam in uno homine turbam & multitudinem peccatorum levium, vel non potuiſſe, vel ſi etiam potuit, non debuiſſe conſcribi. Ea quippe ſcripta ſunt, quibus & modus adhibendus fuit, & paucis exemplis ad multa neceſſaria lector inſtruendus. Nam cùm ipſos tunc homines, licèt adhuc paucos, quot vel qui fuerint, id eſt, Adam & Eva quot filios & filias procreaverint, & quæ illis nomina impoſuerint, Scriptura commemorare noluerit: (unde nonnulli parum conſiderantes quàm multa Scriptura tacitè prætereat, ipſum Cain cum matre concubuiſſe putaverunt, unde prolem quæ commemorata eſt procrearet, putantes illis filiis Adam ſorores non fuiſſe, quia eas Scriptura tunc tacuit, poſtea recapitulando inferens quod prætermiſerat, Adam filios & filias procreaſſe, nec tempus quo nati ſunt, nec numerum, nec vocabula oſtendens:) ita nec commemorandum fuit, ſi Abel, quamvis meritò juſtus appellatus eſt, paulò immoderatiùs aliquando riſit, vel animi remiſſione jocatus eſt, vel vidit aliquid ad concupiſcendum, vel aliquanto immoderatiùs poma decerpſit, vel pluſculo cibo crudior fuit, vel cùm oraret cogitavit aliquid, unde ejus in aliud avocaretur intentio, & quoties illi iſta ac ſimilia multa ſubrepſerint. An fortè peccata non ſunt, de quibus generaliter cavendis atque cohibendis admonemur præcepto Apoſtolico, ubi dicit, Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus? His quippe ne obediamus ad ea quæ non licent, vel minùs decent, quotidiana & perpetua conflictatione certandum eſt. Nam utique ex hoc vitio mittitur, vel dimittitur oculus, quò non oportet: quod vitium ſi convaluerit & prævaluerit, etiam adulterium perpetratur in corpore, quod in corde tanto fit citiùs, quanto eſt cogitatio celerior, & nullum impedimentum morarum. Hoc peccatum, id eſt, hunc vitioſæ affectionis appetitum qui magna ex parte frenarunt, ut non obedirent deſideriis ejus, nec exhiberent ei membra ſua arma iniquitatis, etiam juſti appellari meruerunt; & hoc, adjutorio gratiæ Dei. Verùm quia ſæpe in leviſſimis & aliquando incautis obrepit peccatum; & juſti fuerunt, & ſine peccato non fuerunt. Poſtremò ſi in Abel juſto caritas Dei, qua una verè juſtus eſt quicumque juſtus eſt, adhuc erat quo poſſet & deberet [e] augeri, quidquid minus erat, ex vitio erat. Et cui non minus ſit, donec ad illam ejus fortitudinem veniatur, ubi tota hominis abſorbeatur infirmitas?

Cain ex Eva matre genuiſſe, cur putatū à quibuſdā fuerit.

Gen. 5. 4.

Peccata juſtorum.

Rom. 6. 12.

Et juſtus quis eſſe, & ſine peccato non eſſe poteſt.

Si quid minus eſt caritatis, ex vitio eſt.

CAPUT XXXIX.

46. MAGNA planè ſententiâ concluſit hunc locum, cùm ait: *Credamus igitur quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus adſtruere, quod de cunctis etiam dixiſſe ſufficiat.* Contrà ego dico, nec omne quod legimus credere nos debere, propter

[a] Duo ex quinque Vaticanis MSS. *inde enim ſcimus quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quòd concipere* &c. Sic etiam legebat S. Thomas in 3. p. q. 27. a. 4.

[b] Per Lov. additum hîc *nonne* ex uno codice Belg. Sed abeſt à ceteris editis & MSS.

[c] Apud Er. & Lov. mutato verborum ordine legitur, *quod humiliter faterentur, quia veritas in eis eſſet.*

[d] Sic MSS. At Lov. *Adhæc*: & infrà *pleniùs*, pro *planiùs*

[e] Intellige, quo poſſet & deberet hac in vita augeri. *Neque enim*, ait lib. de ſpiritu & lit. c. 36. n. 65. *ſi eſſe nondum poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, jam culpæ deputandum eſt.* Vide lib. de perfectione juſtitiæ c. 6.

1. Thess. 5. 21. illud quod Apostolus ait, Omnia legite, quæ bona sunt tenete: & adstruere aliquid etiam quod non legimus, nefas non esse. Possumus enim aliquid bona fide testes adstruere quod experti sumus, etiam si fortè non legimus. Hîc fortasse respondet, *Ego cùm hoc dicerem, de scripturis sanctis agebam.* O utinam, non dico aliud quàm in illis litteris legit, verùm contra id quod legit, nihil vellet adstruere; fideliter & obedienter audiret quod scriptum est,
Rom. 5. 12. Per unum hominem » peccatum intravit in mundum, & per peccatum » mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo » omnes peccaverunt: & non infirmaret tanti medici gratiam, dum fateri non vult naturam humanam esse vitiatam. O utinam sicut Christianus legeret, præter Jesum Christum nullum esse
Act. 4. 12. nomen sub cælo, in quo oportet salvos fieri nos: & non possibilitatem naturæ humanæ ita defenderet, ut homo per liberum arbitrium etiam sine isto nomine salvus esse posse credatur.

CAPUT XL.
Christum ad quid necessarium nobis fuisse putavit Pelagius.

47. SED putat fortasse ideo necessarium esse Christi nomen, ut per ejus Evangelium discamus quemadmodum vivere debeamus, non etiam ut ejus adjuvemur gratiâ, quò bene vivamus. Vel hinc saltem confiteatur esse miserabiles tenebras in animo humano, qui scit quemadmodum debeat leonem domare, & nescit quemadmodum vivere. An & hoc ut sciat sufficit ei liberum arbitrium lexque naturalis? Hæc est sapientia verbi, qua evacuatur crux Christi.
1. Cor. 1. 17.
Ibid. 19.
Sed qui dixit, Perdam sapientiam sapientum; quia ista crux non potest evacuari, profectò istam sapientiam per stultitiam prædicationis, qua credentes sanantur, evertit. Si enim possibilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad cognoscendum quomodo vivere debeat, & ad bene vivendum sufficit sibi; ergo Christus gratis mortuus est, ergo evacuatum est scandalum crucis. Cur non etiam ego hîc exclamem? immo exclamabo, & istis increpitabo dolore Christiano: Evacuati estis à Christo, qui in natura justificamini, à gratia excidistis: ignorantes enim Dei justitiam, & vestram volentes constituere, justitiæ Dei non estis subjecti. Sicut enim finis legis, ita etiam naturæ humanæ vitiosæ salvator Christus est, ad justitiam omni credenti.
Gal. 2. 21.
Gal. 5. 11.
Ibid. 4.
Rom. 10. 3.

CAPUT XLI.

Rom. 3. 23.
48. QUOD autem sibi opposuit ab eis dici, contra quos loquitur, *Omnes enim peccaverunt*: manifestum est quòd *de his dicebat Apostolus qui tunc erant, hoc est, de Judæis & gentibus.* Sed planè illud quod commemoravi,
Rom. 5. 12. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per pec- » catum mors, & ita in omnes homines pertransiit, » in quo omnes peccaverunt: & antiquos & recentiores, & nos & posteros nostros sententia ista complectitur. Ponit etiam illud testimonium, unde probet cùm dicuntur *omnes*, non semper omnes omnino nullo prætermisso intelligi oportere.
Omnes quomodo accipiendum.
Rom. 5. 18. *Sicut per unius, inquit, delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Cùm per Christi,* inquit, *justitiam, non omnes, sed eos tantùm qui illi obedire voluerunt, & baptismi ejus ablutione purgati sunt, sanctificatos esse non dubium sit.* Non planè isto testimonio probat quod vult. Nam sicut dictum est: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, ut nullus prætermitteretur: sic & in eo quod dictum est, *per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*, nullus prætermissus est: non quia omnes in eum credunt & baptismo ejus abluuntur, sed quia nemo justificatur nisi in eum credat & baptismo ejus abluatur. Itaque *omnes* dictum est, ne aliquo modo alio præter ipsum quisquam salvus fieri posse credatur. Sicut enim uno litterarum magistro in civitate constituto, rectissimè dicimus, Omnes iste hîc litteras docet; non quia omnes cives litteras discunt, sed quia nemo discit, nisi quem ille docuerit: sic nemo justificatur, nisi quem justificaverit Christus.

V. suprà lib. 1. de peccatorum meritis c. 26.

CAPUT XLII.
Petest homo sine peccato esse sed auxiliante gratiâ.

49. *Sed esto*, inquit, *consentiam, quia omnes peccatores fuisse testatur. Dicit enim quid fuerint, non quòd aliud esse non potuerint. Quamobrem & si omnes homines peccatores*, inquit, *possent probari, definitioni tamen nostræ nequaquam id obesset, qui non tam quid homines sint, quàm quid possent esse defendimus.* Hîc rectè facit, aliquando consentire, quia non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens. Non tamen ibi esse quæstionem, sed in ipsa non peccandi possibilitate contendit, in qua nec nos adversùs eum certare opus est. Nam neque illud nimis curo, utrùm fuerint hîc aliqui, vel sint, vel esse possint, qui perfectam, cui nihil addendum esset, habuerint, vel habeant, vel habituri sint caritatem Dei; (ipsa est enim verissima, plenissima, perfectissimaque justitia:) quoniam id, quod voluntate hominis adjutâ per Dei gratiam fieri posse confiteor & defendo, quando vel ubi vel in quo fiat, nimiùm certare non debeo. Neque de ipsa possibilitate contendo, cùm sanatâ & adjutâ hominis voluntate possibilitas ipsa simul cum effectu in sanctis proveniat, dum caritas Dei, quantum plenissimè natura nostra sana atque purgata capere potest, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. Meliùs itaque Dei caussa agitur, (quam se iste agendo dicit defensare naturam,) cùm & creator & salvator agnoscitur, quàm cùm defensâ velut sanâ viribusque integris creaturâ opitulatio salvatoris inanitur.
Psal. 142. 2.
Possibilitas in sanctis simul cum effectu provenit.
Rom. 5. 5.

CAPUT XLIII.

50. VERUM est autem quod ait, *Quòd Deus tam bonus quàm justus talem hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset*: Quis enim eum nescit sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad justè vivendum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones in via reliquerunt, qui gravibus saucius confossusque vulneribus non ita potest ad justitiæ culmen adscendere, sicut potuit inde descendere: qui etiam si jam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur Deus impossibilia jubet: sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis. Jam nunc videamus unde possit, unde non possit. Iste dicit, *Voluntate non est, quod naturâ potest.* Ego dico, Voluntate quidem non est homo justus, si naturâ potest: sed medicinâ poterit, quod vitio non potest.
Lucæ 10. 30.
Deus non jubet impossibilia.

CAPUT XLIV.
Status quæstionis inter Pelagianos & Catholicos.

51. QUID ergo jam opus est in pluribus immorari? Veniamus interius ad caussam, quam in hac dumtaxat quæstione vel solam, vel penè solam cum istis habemus. Sicut enim ipse dicit, *ad quod nunc agit non pertinere ut quæratur, utrùm fuerint, vel sint aliqui homines in hac vita sine peccato,*

sed utrùm esse potuerint, sive possint: ita ego etiamsi A fuisse vel esse consentiam, nullo modo tamen potuisse vel posse confirmo, nisi justificatos gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum & hunc crucifixum. Ea quippe fides justos sanavit antiquos, quæ sanat & nos, id est, mediatoris Dei & hominum hominis Jesu Christi, fides sanguinis ejus, fides crucis ejus, fides mortis & resurrectionis ejus. Habentes ergo eumdem spiritum fidei, & nos credimus, propter quod & loquimur.

Antiqui justi eadem quâ nos Christi fide salvati.

1. Cor. 2. 2.

52. Iste verò objecta sibi quæstione, in qua re B vera intolerabilis videtur cordibus Christianis, quid respondeat adtendamus. Ait enim: *Sed hoc est quod multos movet, inquies, quòd non per Dei gratiam hominem sine peccato esse posse defendis.* Prorsus hoc est quod movet, hoc est quod objicimus. Rem ipsam dicit; hoc omnino ægerrimè sustinemus: hinc à Christianis talia disputari, eâ quam in alios & in ipsos habemus, dilectione non ferimus. Audiamus igitur quomodo se ab C objectione quæstionis hujus expediat. *O ignorantiæ cæcitas,* inquit, *ò imperitæ mentis ignavia, quæ id sine Dei gratia defensari existimat, quod Deo tantùm audiat debere reputari.* Si nesciremus quæ sequantur, his tantummodo auditis, falsa nos de illis, jactante famâ & quibusdam fratribus idoneis testibus asseverantibus, credidisse putaremus. Quid enim dici brevius potuit & verius, quàm possibilitatem non peccandi, quantacumque est vel erit in homine, nonnisi Deo debere D reputari? Hoc & nos dicimus, jungamus dexteras.

Caput XLV.

53. An audienda sunt cetera? Audienda planè, & corrigenda utique vel cavenda. *Nam cùm dicitur,* inquit, *ipsum posse, arbitrii humani omnino non esse, sed auctoris naturæ, Dei scilicet; ecqui fieri potest, ut absque Dei gratia intelligatur, quod ad Deum propriè pertinere censetur?* Jam cœpit apparere quid dicat: sed ne fortè fallamur, latiùs id explanat & clariùs. *Sed ut hoc manifestius,* inquit, E *fiat, paulò latiùs disputandum est. Dicimus enim cujusque rei possibilitatem, non tam in arbitrii humani potestate, quàm in naturæ necessitate consistere.* Exemplis etiam vel similitudinibus quid dicat illustrat: *Ut puta,* inquit, *loqui possum: quod loqui possum, meum non est; quod loquor, meum est, id est, propriæ voluntatis: & quia quod loquor, meum est, utrumque facere possum, id est, & loqui & non loqui: quia verò quod loqui possum, meum non est, id est, arbitrii mei atque voluntatis, necesse est me semper* F *loqui posse; & si voluero non posse loqui, non possum tamen non posse loqui, nisi fortè membrum illud adimam, quo loquendi impleri officium potest.* Multa quidem dici possent, quibus, si velit, homo adimat sibi possibilitatem loquendi, non ademto illo membro quo loquimur. Velut si aliquid fiat unde vox ipsa tollatur, loqui nemo poterit manentibus membris: non enim vox hominis membrum est: vexato sanè aliquo interiore membro fieri potest, non ademto. Sed ne verbo premere G videar, mihique contentiosè dicatur, Etiam vexare adimere est; possumus quidem id efficere & ore aliquibus vinculis sic clauso atque obserato, ut id aperire minimè valeamus, neque ut aperiatur in nostra sit potestate, cùm in potestate fuerit, ut clauderetur manente integritate & sanitate membrorum.

Confer lib. de gratia Christi c. 4.

54. Sed quid ad nos? Videamus quid exinde contexat: *Voluntatis enim arbitrio,* inquit, *at deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur.* Et hìc nonnulla quæstio est. [a] Per enim absurdum est, ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram quòd beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus, nescio qua & bona constrictione naturæ: nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare.

Caput XLVI. Necessitas non pugnat cum arbitrio voluntatis.

55. Adtendite etiam quæ sequuntur: *Hoc,* inquit, *& de auditu, odoratu, vel visu sentiri possibile est, quòd audire, odorari, videre potestatis nostræ sit; posse verò audire, vel odorari, vel videre potestatis nostræ non sit, sed in naturali necessitate consistat.* Aut ego non intelligo quid dicat, aut ipse. Quomodo enim in potestate nostra non est videndi possibilitas, si in potestate nostra est non videndi necessitas, quia in potestate est cæcitas, qua id ipsum videre posse nobis, si volumus, adimamus? Quomodo autem in potestate nostra est videre, si velimus, cùm etiam salva integritate naturæ corporis oculorumque nostrorum, nec volentes videre possimus, sive per noctem luminibus quæ forinsecus adhibentur ademtis, sive nos quisquam in tenebroso loco aliquo includat? Item si quòd audire possumus vel non possumus, in nostra potestate non est, sed in naturæ constrictione; quòd verò audimus vel non audimus, hoc est propriæ voluntatis; cur non adtendit, quanta audiamus inviti, quæ penetrant in sensum nostrum etiam auribus obturatis, sicuti est de proximo serræ stridor, vel grunnitus suis? Quamquam obturatio aurium ostendit, non in potestate nostra esse, apertis auribus non audire: facit etiam fortasse talis obturatio quæ ipsum sensum nostrum adimat, ut in nostra potestate sit etiam audire non posse. De odoratu autem [b] quod dicit, nonne parum adtendit, *non esse in nostra potestate posse odorari vel non posse, sed in nostra potestate esse,* hoc est, in libera voluntate, *odorari vel non odorari:* cùm inter odores graves & molestos quando constituti fuerimus, si quis nos illic manibus ligatis constituat, servata prorsus integritate ac salute membrorum velimus non odorari, nec omnino possimus; quia cùm spiritum ducere cogimur, simul & odorem quem nolumus, trahimus?

Caput XLVII.

56. Sicut ergo istæ similitudines falsæ sunt, ita & illud propter quod eas voluit adhibere. Sequitur enim & dicit: *Simili ergo modo de non peccandi possibilitate intelligendum est, quòd non peccare nostrum sit, posse verò non peccare non nostrum.* Si de integra & sana hominis natura loqueretur, quam modò non habemus; (Spe enim salvi facti sumus; spes autem quæ videtur non est spes; si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus:) nec sic rectè diceret, quòd non peccare nostrum tantummodo sit, quamvis peccare nostrum esset: nam & [c] tunc esset adjutorium Dei, & tamquam lumen sanis

Caput XLVIII.

Rom. 8. 24.

Gratiæ adjutorium in natura integra.

[a] Sic Am. & MSS. At Er. & Lov. *Perquam enim.*
[b] Plerique MSS. *quid dicit, nisi parum quod dicit adtendit?*

[c] In libris editis, *& ibi esset.*

oculis quo adjuti videant, se [a] præberet volentibus. Quia verò de hac vita disputat, ubi corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem; miror quo corde, etiam sine adjutorio medicinæ Salvatoris nostri, nostrum putet esse non peccare, posse verò non peccare naturæ esse contendat, quam sic apparet esse vitiatam, ut hoc majoris vitii sit non videre.

Sap. 9. 15.

CAPUT XLIX.

57. *Quia non peccare*, inquit, *nostrum est, possumus peccare & non peccare.* Quid si alius dicat, Quia nolle infelicitatem, nostrum est, possumus eam & nolle & velle? Et tamen eam velle omnino non possumus. Quis enim ullo modo velle esse possit infelix, etiam si [b] aliud vult ubi eum & nolentem infelicitas consequatur? Deinde, quia Dei multo magis est non peccare, num audebimus eum dicere & peccare posse & non peccare? Absit à nobis, ut Deum peccare posse dicamus. Non enim, ut stulti putant, ideo non erit omnipotens, quia nec mori potest, & negare se ipsum non potest. Quid est ergo quod loquitur, & quibus locutionum regulis conatur persuadere, quod non vult considerare? Adhuc addit & dicit: *Quia verò posse non peccare, nostrum non est; & si voluerimus non posse non peccare, non possumus non posse non peccare.* Intortè hoc dixit, & ideo subobscurè. Sed ita posset dici planiùs: Quia posse non peccare, nostrum non est; seu velimus, seu nolimus, possumus non peccare. Non enim ait, seu velimus, seu nolimus, non peccamus; sine dubio enim peccamus, si volumus: sed tamen velimus nolimus, habere nos asserit non peccandi possibilitatem, quam naturæ insitam dicit. Sed de homine sanis pedibus tolerabiliter dici potest, velit nolit habet ambulandi possibilitatem: confractis verò, & si velit, non habet. Vitiata est natura de qua loquitur. Quid superbit terra & cinis? Vitiata est, medicum implorat: Salvum me fac Domine, clamat: Sana animam meam, clamat. Quid intercludit has voces, ut defendendo quasi præsentem possibilitatem, futuram impediat sanitatem?

Omnipotentiæ Dei nihil adimit, quòd nec peccare, nec mori, nec se ipsum occidere potest.

2. Tim. 2. 13. *Eccli. 10. 9.* *Psal. 11. 2.* *Psal. 40. 5.*

CAPUT L.

58. ET videte quid adjungat, unde illud confirmari existimat. *Quia nulla*, inquit, *adimere voluntas potest, quod inseparabiliter insitum probatur esse naturæ.* Unde ergo illa vox: Ut non quæ vultis illa faciatis? Unde etiam illa: Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago? Ubi est possibilitas, quæ inseparabiliter insita probatur esse naturæ? Ecce homines non ea quæ volunt faciunt: & de non peccando utique agebat, non de volando, quia homines, non alites erant. Ecce homo quod vult bonum non agit, sed quod non vult malum hoc agit: velle illi adjacet, perficere autem bonum non adjacet. Ubi est possibilitas, quæ inseparabiliter insita probatur esse naturæ? Quemlibet enim in se transfiguret, si de se ipso ista non dicit Apostolus, hominem certè in se transfigurat. Ab isto autem ipsa humana natura inseparabilem nihil peccandi possibilitatem habere defenditur. Sed

Gal. 5. 17. *Rom. 7. 15.*

A his verbis id agitur, etiam à nesciente qui loquitur, non autem nesciente illo qui hæc loquenda incautis etiam Deum timentibus suggerit, ut evacuetur [c] Christi gratia, humanâ sibi ad justitiam suam quasi sufficiente naturâ.

Etiamà piis ac Deum timentibus gratia impugnatur.

CAPUT LI.

59. UT autem declinetur invidia, qua Christiani [d] pro salute sua clamant & dicunt, Quare sine adjutorio gratiæ Dei dicis hominem posse non peccare? *Ipsa*, inquit, *non peccandi possibilitas non tam in arbitrii potestate, quàm in naturæ* B *necessitate est. Quidquid in naturæ necessitate positum est, ad naturæ pertinere non dubitatur auctorem, utique Deum. Quomodo ergo*, inquit, *absque Dei gratia dici existimatur, quod ad Deum propriè pertinere monstratur?* Expressa est sententia quæ latebat, non est quemadmodum possit abscondi. Ideo Dei gratiæ tribuit non peccandi possibilitatem, quia ejus naturæ Deus auctor est, cui possibilitatem non peccandi inseparabiliter insitam dicit. Cùm vult ergo [e] facit, quia non vult non facit. C Ubi enim est inseparabilis possibilitas, ei accidere non potest voluntatis infirmitas, vel potiùs voluntatis adjacentia & perfectionis indigentia. Si ergo ita est, unde venit, Velle adjacet, perficere autem bonum non adjacet? Si enim iste qui hunc librum scripsit, de illa hominis natura loqueretur, quæ primo inculpata & [f] sana condita est, utcumque acceptaretur hoc dictum: quamquam inseparabilem habere possibilitatem, id est, ut ita dicam, inamissibilem, non debuit illa na- D tura dici, quæ vitiari [g] posset, & medicum quærere, qui cæci oculos sanaret, & videndi possibilitatem restitueret, quæ fuerat amissa per cæcitatem: quoniam cæcus puto quòd velit videre, sed non potest: si autem vult & non potest, inest voluntas, sed amissa est possibilitas.

Possibilitatem non peccandi quo sensu Pelagius Dei gratiæ tribuerit.

Rom. 7. 18.

CAPUT LII.

60. ADHUC videte quas moles conetur, [h] quà suam sententiam ducat, irrumpere, si valeret. Objicit enim sibi quæstionem, dicens: *Sed caro nobis secundùm Apostolum contraria est, inquies.* Deinde respondet: *Qui fieri potest, ut cuicumque bapti-* E *zato sit caro contraria, cùm secundùm eumdem Apostolum in carne non esse intelligatur? Ita enim ait: Vos autem in carne non estis.* Bene, quòd baptizatis dicit carnem contrariam esse non posse; quod utrùm verum sit, pòst * videbimus: nunc verò quia non potuit penitus se oblivisci esse Christianum, sed id licèt tenuiter recordatus est, recessit à defensione naturæ. Ubi est ergo inseparabilitas possibilitatis? An fortè nondum ba- F ptizati in natura hominum non sunt? Hîc prorsus, hîc posset [i] evigilare, & si advertat potest. *Quì fieri potest*, inquit, *ut cuicumque baptizato sit caro contraria?* Ergo non baptizatis potest caro esse contraria. Exponat quemadmodum; cùm sit etiam in ipsis illa ab eo multùm defensa natura: certè vel in eis concedit esse vitiatam, si jam in baptizatis ille saucius sanus de stabulo egressus est, aut sanus in stabulo est, quò eum curandum misericors Samaritanus advexit. Porrò si G vel istis concedit carnem esse contrariam, dicat quid contigerit, cùm sit utrumque, hoc est, &

Gal. 5. 17. *Rom. 8. 9.* * Capite proximo. *Luca 10. 34.*

[a] Legebatur, *se prabere.* Duorum Vaticanorum codicum auctoritate restituimus *se praberet.*
[b] Duo Vatic. MSS. *aliquid vult.*
[c] Aliquot Gallic. MSS. *ut evacuetur crux Christi.*
[d] Hîc editi addunt, *etiam.*
[e] Sic habet vetus codex Sigiramnensis. Editi verò, Am. Er. & Lov. *faciat*: iisque consentiunt alii MSS. quorum tres Vaticani sic postea prosequuntur, *quia cùm non vult non facit.*
[f] Editi & MSS. uno excepto Gallic. codice, *salva.*
[g] In editione Lov. hîc additum, *potuit.*
[h] Apud Lov. *qui*
[i] Sic aliquot MSS. At editi, *vigilare.*

caro & ſpiritus creatura unius ejuſdemque creatoris, procul dubio bona, quia boni: niſi quia hoc eſt vitium, quod propria inflictum eſt voluntate; & hoc ut in natura ſanetur, eo ipſo opus eſt ſalvatore, quo inſtituta eſt natura creatore. Hoc ſalvatore, eâque illius medicinâ, qua Verbum caro factum eſt, ut habitaret in nobis, ſi opus eſſe fateamur parvis & magnis, id eſt, à vagitibus infantum uſque ad canos ſenum; tota quæ inter nos eſt, hujus quæſtionis controverſia diſſoluta eſt.

Iohan. 1. 14.

Caput LIII.

61. Nunc jam videamus, utrùm & baptizatis legatur caro eſſe contraria. Ubi quæro, quibus dicebat Apoſtolus, Caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem; hæc enim invicem adverſantur, ut non ea quæ vultis faciatis? Ad Galatas, ut opinor, id ſcripſit: quibus dicit, Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & virtutes operatur in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei? Unde apparet eum Chriſtianis loqui, & quibus Deus tribuerat Spiritum: ergo etiam baptizatis. Ecce & baptizatis caro invenitur eſſe contraria, & non adeſſe poſſibilitas illa, quam inſeparabiliter inſitam dicit eſſe naturæ. Ubi eſt quod ait, *Quì fieri poteſt, ut cuicumque baptizato ſit caro contraria?* Quomodolibet intelligat carnem, quia re vera non natura ejus quæ bona eſt, ſed vitia carnalia carnis hoc loco nomine nuncupantur; ecce tamen etiam baptizatis caro contraria eſt: & quomodo contraria? ut non quod volunt faciant. Ecce adeſt voluntas in homine, ubi eſt poſſibilitas illa naturæ? Fateamur gratiam neceſſariam, clamemus, Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et reſpondeatur nobis, Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Gal. 5. 17. — Gal. 3. 5. — Rom. 7. 24.

De qua hîc Dei gratia diſſeratur.

62. Quando enim iſtis rectiſſimè dicitur, Quare ſine adjutorio gratiæ Dei dicitis hominem poſſe eſſe ſine peccato? non tunc de illa gratia quæſtio eſt, qua eſt homo conditus; ſed de iſta, qua fit ſalvus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Fideles enim orantes dicunt, Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo. Si adeſt poſſibilitas, ut quid orant? Aut à quo malo ſe liberari orant, niſi maximè de corpore mortis hujus? unde non liberat niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Non utique de ſubſtantia corporis, quæ bona eſt; ſed de vitiis carnalibus, unde non liberatur homo ſine gratia Salvatoris, nec quando per mortem corporis diſcedit à corpore. Et hoc ut diceret Apoſtolus, quid ſuprà dixerat? Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati quæ eſt in membris meis. Ecce quod vitium naturæ humanæ inobedientia voluntatis inflixit. Orare ſinatur, ut ſanetur. Quid tantum de naturæ poſſibilitate præſumitur? Vulnerata, ſauciata, vexata, perdita eſt: verâ confeſſione, non falſâ defenſione opus habet. Gratia ergo Dei, non qua inſtituatur, ſed qua reſtituatur, quæratur; quæ ab iſto ſola clamatur non eſſe neceſſaria, cùm tacetur. Qui ſi omnino nihil de gratia Dei diceret, nec eam quæſtionem ſolvendam ſibi proponeret, ut à ſe de hac re invidiam removeret, poſſet putari hoc quidem ſentire, quod veritas habet; ſed non dixiſſe, quia non ubique omnia dicenda ſunt: propoſuit de gratia quæſtionem; id reſpondit quod habebat in corde; definita quæſtio eſt, non quam volebamus, ſed ubi quid ſentiret, dubitabamus.

Matth. 6. 13. — Moriens impius à concupiſcentia non liberatur. — Rom. 7. 23.

Caput LIV. Infrà cap. 56.

63. Deinde multis verbis Apoſtoli conatur oſtendere, unde non eſt controverſia, *quòd caro ab illo ita ſæpe nominetur, ut velit intelligi, non ſubſtantiam, ſed opera carnis.* Quid hoc ad rem? Vitia carnis contraria ſunt voluntati hominis: non natura accuſatur, ſed vitiis medicus quæritur. Quid eſt quod interrogat, *Quis fecit homini ſpiritum?* & reſpondet ſibi, *Sine dubio Deus.* Et item interrogat, *Carnem quis creavit?* itemque reſpondet, *Idem credo Deus.* Interrogat tertiò, *Bonus eſt qui utrumque creavit Deus?* reſpondet, *Nulli dubium eſt.* Adhuc interrogat, *Et utrumque quod bonus auctor creavit, bonum eſt?* & ad hoc reſpondet, *Confitendum eſt.* Deinde concludit, *Si igitur & ſpiritus bonus eſt, & caro bona, ut à bono auctore condita, qui fieri poteſt, ut duo bona poſſint ſibi eſſe contraria?* Omitto dicere, quia tota hujus ratiocinatio turbaretur, ſi quis ab eo quæreret, Æſtum & frigus quis fecit? reſponderet enim, Sine dubio Deus. Non ego multa interrogo: ipſe concludat, utrùm aut iſta poſſint dici non bona, aut non appareant inter ſe eſſe contraria. Hîc fortè dicit, *Qualitates ſunt iſtæ ſubſtantiarum, non ſubſtantiæ.* Ita eſt, verum eſt; ſed qualitates naturales, & ad Dei creaturam ſine dubio pertinentes: ſubſtantiæ quippe non per ſe ipſas, ſed per ſuas qualitates, ſicut aqua & ignis, dicuntur ſibi eſſe contrariæ. Quid ſi ita ſunt caro & ſpiritus? quod quidem non affirmamus; ſed ut ratiocinationem ejus non neceſſaria illatione concluſam oſtenderemus, hoc diximus. Poſſunt enim & contraria non invicem adverſari, ſed ex alterutro temperari & bonam valetudinem reddere: ſicut in corpore ſiccitas & humiditas, frigus & calor, quorum omnium temperatione bona corporalis valetudo conſiſtit. Sed quòd contraria eſt caro ſpiritui, ut non ea quæ volumus faciamus; vitium eſt, non natura: gratia medicinalis quæratur, & controverſia finiatur.

64. Duo quippe iſta bona, à bono Deo condita, quomodo contra hujus ratiocinationem in non baptizatis hominibus poſſunt ſibi eſſe contraria? An & hoc eum dixiſſe pænitebit, quod affectu aliquo fidei Chriſtianæ locutus eſt? Cùm enim dixit, *Qui fieri poteſt, ut cuicumque jam baptizato ſit caro contraria:* ſignificavit non baptizatis carnem poſſe eſſe contrariam. Nam cur addidit, *jam baptizato*; cùm poſſet etiam hoc non addito dicere, *Qui fieri poteſt, ut cuicumque ſit caro contraria:* atque ad hoc probandum ſubjicere illam ratiocinationem ſuam, quia utrumque bonum eſt à bono conditum, & ideo non poteſt inter ſe eſſe contrarium? Si ergo non baptizati, quibus certè fatetur carnem eſſe contrariam, ſuis illum interrogationibus urgeant & dicant, Quis fecit homini ſpiritum? iſte reſpondebit, Deus. Itemque illi, Carnem quis creavit? reſpondet iſte, Idem credo Deus. Illi tertiò, Bonus eſt qui utrumque creavit Deus? & iſte, Nulli dubium eſt. Atque illi unum quod reſtat inquirant, Et utrumque quod bonus auctor creavit bonum eſt? iſte fatebitur. Tunc illi eum ſuo gladio jugulabunt inferentes concluſionem ejus & dicentes, Si igi-

Dialogiſmus.

tur spiritus bonus, & caro bona, ut à bono auctore condita, quî fieri potest, ut duo bona sibi possint esse contraria? Hîc fortè ille respondebit, Date veniam, quia non debui dicere, cuicumque baptizato carnem non posse esse contrariam, ut hoc modo vobis non baptizatis contrariam confiterer; sed sine ulla exceptione dicere debui, carnem nulli esse contrariam. Ecce quò se ipse compingit; ecce quæ loquitur, qui

Rom. 7. 24. non vult clamare cum Apostolo, Quis me libe- » rabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per » Jesum Christum Dominum nostrum. *Sed cur*, inquit, *clamem, jam baptizatus in Christo? Illi hoc clament, qui nondum tale beneficium perceperunt, quorum in se voces figurabat Apostolus: si tamen vel hoc dicunt.* Sed naturæ ista defensio, nec illos hac voce exclamare permittit. Neque enim in baptizatis natura est, & in non baptizatis natura non est. Aut si vel in illis vitiata esse conceditur, ut non sine caussa clament, Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? eisque subveniatur in eo quod sequitur, Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum: concedatur jam tandem aliquando humanam medico Christo indigere naturam.

Caput LV. Corpus mortis de vitio, non de substantia dictum.

65. Quæro autem, ubi natura istam perdiderit libertatem, quam sibi dari exoptat, cùm dicit, quis me liberabit? Non enim & ille substantiam carnis accusat, cùm dicit liberari se cupere de corpore mortis hujus; cùm etiam corporis, sicut animæ, natura Deo bono auctori tribuenda sit: sed utique de vitiis corporis dicit. Nam de corpore mors corporis separat: sed contracta ex illo vitia cohærent, quibus justa pœna debetur, quam etiam in inferno ille dives invenit. (Luc. 16. 23.) Hinc se non poterat utique liberare qui dicit, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? (Rom. 7. 24.) Ubicumque autem istam perdiderit libertatem, certè inseparabilis est possibilitas illa naturæ, habet posse per naturale subsidium, habet velle per liberum arbitrium, cur quærit baptismatis sacramentum? An propter commissa præterita, ut ea tantùm ignoscantur, quæ fieri infecta non possunt? Dimitte hominem, clamet quod clamabat. Non enim tantùm desiderat, ut per indulgentiam sit de præteritis impunitus, sed etiam ut sit de cetero ad non peccandum fortis & validus. Condelectatur enim legi Dei secundùm interiorem hominem, videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ: (Rom. 7. 22.) videt esse, non recolit fuisse; præsentibus urgetur, non præterita reminiscitur. Nec tantùm repugnantem videt, verùm etiam captivantem se in lege peccati, quæ est in membris ejus, non quæ fuit. Hinc est quod clamat, Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Sinatur orare, sinatur adjutorium medici potentissimi flagitare. Quid contradicitur? quid obstrepitur? quid miser misericordiam Christi petere prohibetur, & hoc à Christianis? (Marci 10. 46.) Nam & illi cum Christo ambulabant, qui cæcum lumen clamando petere prohibebant: sed etiam inter tumultum contradicentium audit ille clamantem: unde huic responsum est, Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

66. Porrò si ab istis vel hoc impetramus, ut nondum baptizati implorent auxilium gratiæ Salvatoris, non est hoc quidem parum adversùs illam falsam defensionem tamquam sibi sufficientis naturæ & potestatis liberi arbitrii: neque enim sibi sufficit qui dicit, Infelix homo, quis me liberabit? aut plenam libertatem habere dicendus est, qui se adhuc postulat liberari. * Verumtamen etiam illud videamus, utrùm illi qui baptizati sunt faciant bona quæ volunt, nullâ carnis concupiscentiâ repugnante. (* Caput LVI.) Sed quid hinc dicamus, ipse commemorat, ubi concludens hunc locum, *Vt diximus*, inquit, *illud quo continetur, Caro concupiscit adversùs spiritum, non de carnis substantia, sed de operibus sentire necesse est.* (Galat. 5. 17.) Hoc & nos dicimus, non de carnis substantia, sed de operibus dictum, quæ veniunt [a] de carnali concupiscentia, de peccato scilicet, de quo præcepit, ut non regnet in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus. (Rom. 6. 12.)

Caput LVII.

67. [b] Sed adtendat etiam ipse, jam baptizatis fuisse dictum, Caro concupiscit adversùs spiritum, « & spiritus adversùs carnem, ut non ea quæ vultis « faciatis. Et ne ab ipsa pugna desides faceret, & per hanc sententiam laxamentum peccandi dedisse videretur, adjungit, Quòd si spiritu ducimini, non adhuc estis sub lege. (Sub lege quis esse dicatur.) Sub lege est enim, qui timore supplicii quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber nec alienus à voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet si fieri posset non esse quod timeat, ut liberè faciat quod occultè desiderat. Ergo si spiritu, inquit, ducimini, non adhuc estis sub lege: utique lege quæ timorem incutit, non tribuit caritatem; quæ caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per legis litteram, sed per Spiritum-sanctum qui datus est nobis. (Rom. 5. 5.) Hæc est lex libertatis, non servitutis; quia caritatis utique, non timoris: de qua & Jacobus apostolus ait, Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis. (Jacob. 1. 25.) Unde & ille, non quidem jam lege Dei terrebatur ut servus, sed condelectabatur ei secundùm interiorem hominem: videt tamen adhuc aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Ita & hic, Si spiritu, inquit, ducimini, non adhuc estis sub lege. In quantum quisque spiritu ducitur, non est sub lege: quia in quantum condelectatur legi Dei, non est sub legis timore: quia timor tormentum habet, non delectationem. (1. Johan. 4. 18.)

Caput LVIII.

68. Proinde si rectè sentimus, sicut pro membris sanatis gratias agere, ita pro sanandis orare debemus, ut absolutissima cui nihil addi possit sanitate, perfecta Dei suavitate, plena libertate perfruamur. Non enim abnuimus humanam naturam posse esse sine peccato, aut ullo modo negare debemus perfici posse, quàm proficere non negamus, sed gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum: eo adjuvante fieri dicimus, ut justa & beata sit, à quo creata est ut sit. Facilè itaque refellitur, quod à quibusdam sibi dicit opponi, *Diabolus nobis adversatur.* Prorsus huic objectioni & eadem verba respondemus, quæ ipse respondit: *Resistamus illi, & fugiet. Resistite, inquit beatus Apostolus, diabolo, & fugiet à vobis.* (Jacobi 4. 7.) *Vnde animadvertendum est, quid pos-*

[a] Editi, *carnis*, MSS. Vaticani omnes & Gallicani, *carnali*.

[b] Sic MSS. At editi, *Nec adtendit*.

sit his nocere quos fugit, vel quam virtutem habere intelligendus sit, qui solis prævalere non resistentibus potest. Hæc & mea verba sunt: veriùs enim dici non potest. Sed hoc interest inter nos & istos, quòd nos etiam cùm diabolo resistitur, poscendum Dei adjutorium, non solùm non negamus, verùm etiam prædicamus: isti autem tantam tribuunt potestatem voluntati, ut pietati auferant orationem. Nam utique ut diabolo resistamus & fugiat à nobis, ideo precantes dicimus, Ne nos inferas in tentationem: ideo & admoniti sumus tamquam ab imperatore milites exhortante & dicente, Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.

Matth. 6. 13.

Marci 14. 38.

CAPUT LIX.

69. QUOD verò contra eos disputat, qui dicunt, *Et quis nolit sine peccato esse, si hoc in hominis esset positum potestate?* Rectè quidem disputat, hoc ipso eos confiteri non esse impossibile, quia hoc vel multi, vel omnes volunt: sed hoc unde sit possibile confiteatur, & pax est. Ipsa est enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, qua omnino iste nos orantes adjuvari ut non peccemus, nusquam dicere voluit. Quod si fortè latenter sentit, ignoscat aliter suspicantibus. Ipse enim hoc facit, qui cùm tantam de hac re patiatur invidiam, sentire id vult, & confiteri vel profiteri non vult. Quid erat magnum ut hoc diceret, cùm præsertim sibi hoc tamquam ex persona adversariorum oppositum tractare & aperire susceperit? Cur illic solam naturam defendere voluit, & quia homo ita creatus est, ut non peccare posset, si peccare noluisset, asseruit, ac per hoc quòd ita creatus est, eam possibilitatem ad gratiam Dei pertinere definivit, qua possibilitate si noluerit peccare, non peccat; & noluit aliquid dicere de eo, quòd ipsa natura gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum vel sanatur quia vitiata est, vel quia sibi non sufficit adjuvatur?

CAPUT LX. An aliquis hac in vita sine peccato. *V. infrà Admonitionem ad lib. de perfectione justitiæ. Psal. 142. 2.

70. UTRUM enim in hoc sæculo fuerit, vel sit, vel possit esse aliquis ita justè vivens, ut nullum habeat omnino peccatum, potest esse aliqua * quæstio inter veros piosque Christianos: posse tamen esse certè post hanc vitam quisquis ambigit, desipit. Sed ego nec de ista vita volo contendere. Quamquam enim mihi non videatur aliter intelligendum quod scriptum est, Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, & si qua similia: [a] utinam tamen possit ostendi, vel hæc testimonia meliùs aliter intelligi posse, vel perfectam plenamque justitiam cui prorsus nihil addendum sit, & herì fuisse in aliquo, dum in isto corpore viveret, & hodie esse, & cras futuram; dum tamen longè plures sint, qui cùm sibi usque ad ultimum vitæ hujus diem necessarium esse non dubitent, ut veraciter dicant, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: spem suam tamen in Christo atque in ejus promissionibus veràm, certam, firmam esse confidant. Nullo tamen modo nisi adjuvante gratiâ salvatoris Christi crucifixi, & dono Spiritûs ejus, vel quoslibet ad plenissimam perfectionem, vel quemquam ad qualemcumque provectum veræ piæque justitiæ pervenire, qui negaverint, nescio utrùm rectè possint in qualiumcumque Christianorum numero deputari.

Matth. 6. 12.

CAPUT LXI. Respondet ad catholicorũ scriptorum testimonia quæ Pelagius pro se protulerat.

71. AC per hoc & ea testimonia, quæ non quidem de scripturis canonicis, sed de quibusdam catholicorum tractatorum opusculis posuit, volens occurrere iis qui eum solum dicerent ista defendere, ita sunt media, ut neque contra nostram sententiam sint, neque contra ipsius. In quibus etiam nonnihil de libris meis interponere voluit, me quoque aliquem deputans, qui cum illis commemorari dignus viderer. Unde ingratus esse non debeo, & familiariore affectu nolim ut erret, qui hunc mihi detulit honorem. Prima enim quæ posuit, quia nomen ejus [b] qui ea dixit, non ibi legi, sive quia ille non scripsit, sive quia codex quem misistis, id aliqua fortè mendositate non habuit, pertractare quid opus est? Maximè quoniam me in hujusmodi quorumlibet hominum scriptis liberum (quia solis canonicis debeo sine ulla recusatione consensum,) [c] nihil movet quod de illius scriptis, cujus nomen non ibi inveni, ille posuit: *Oportuit magistrum doctoremque virtutis homini simillimum fieri, ut vincendo peccatum doceat hominem vincere posse peccatum.* Quomodo enim dictum sit, auctor hujus sententiæ viderit, qualiter possit exponere: dum tamen nos minimè dubitemus, peccatum Christum in se non habuisse quod vinceret, qui natus est in similitudine carnis peccati, non in carne peccati. Aliud ejusdem ita posuit: *Et iterum, Ut desideriis carnis edomitis, doceret non necessitatis esse peccare, sed* [d] *propositi ac voluntatis.* Ego desideria carnis (si non illicitarum concupiscentiarum hìc dicuntur) accipio, sicuti est fames, sitis, refectio lassitudinis, & si quid hujusmodi est. Per hæc enim quidam, quamvis ea sint inculpabilia, in culpas decidunt; quod ab illo Salvatore abfuit, etiamsi hæc in eo fuisse propter similitudinem carnis peccati, Evangelio teste videamus.

Lactant. lib. 4. divin. instit. cap. 24.

ibidem cap. 25.

CAPUT LXII. Hilarius in illud Mat. 5. Beati mundo corde.

72. BEATUS verò Hilarius, cujus verba hæc posuit, *Non enim nisi spiritu perfecti & immortalitate mutati, quod solis mundis corde dispositum est, hoc quod in Deo est immortale cernemus:* quid dixerit contra id quod dicimus, vel quid istum adjuvet, nescio, nisi quia posse esse hominem mundo corde testatus est. Quod quis negat? sed gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solâ arbitrii libertate. Item quod eum dixisse commemorat, *Quas Job litteras legerat, ut abstineret se ab omni re maligna; quia Deum sola mente vitiis non admixta venerabatur, Deum autem colere justitiæ proprium officium est:* quid fecisset Job dixit, non quid in hoc sæculo perfecisset, aut sine gratia Salvatoris, quem etiam prophetavit, vel fecisset, vel perfecisset. Abstinet enim se ab omni re mala, etiam qui habet peccatum, quod in se regnare non sinit, cui subrepit improbanda cogitatio, quam pervenire ad finem operis non permittit. Sed aliud est non habere peccatum, aliud non obedire desideriis ejus. Aliud est implere quod præceptum est, Non concupisces: & aliud est per quemdam abstinentiæ conatum saltem id agere quod item scriptum est, Post concupiscentias tuas non eas: nihil horum tamen scire se rectè posse sine gratia Salvatoris. Facere est ergo

Exodi 20. 16. Eccli. 18. 30.

[a] Editi, *ut tamen.* Emendantur ex MSS.
[b] Lactantius is est, ex quo testimonia prima petivit Pelagius.
[c] Ita Sorbonicus MS. At Am. Fr. & Lov. *non nihil movet.*
[d] Am. Er. & plures MSS. *sed proprie voluntatis.*

Facere & perficere justitiam.

justitiam, in vero Dei cultu cum interno concupiscentiæ malo interna conflictatione pugnare: perficere autem, omnino adversarium non habere. Nam qui pugnat, & adhuc periclitatur, & aliquando percutitur, etiam si non sternitur: qui autem non habet adversarium, plena pace lætatur. Et ipse esse sine peccato verissimè dicitur, in quo nullum habitat peccatum; non qui per abstinentiam mali operis dicit, Jam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum. *Rom. 7. 20.*

73. Nam & ipse Job de peccatis suis non tacet, & utique huic amico [a] vestro meritò placet, humilitatem nullo modo in falsitatis parte ponendam: unde id quod Job confitetur, quia verax Dei cultor est, procul dubio veraciter confitetur. Et ipse Hilarius cùm locum Psalmi exponeret, ubi scriptum est, Sprevisti omnes discedentes à justificationibus tuis, ait: *Si enim Deus peccatores sperneret, omnes utique sperneret; quia sine peccato nemo est. Sed spernit discedentes à se, quos apostatas vocant.* Videtis quemadmodum non dixerit, quia sine peccato nemo fuerit, tamquam de præteritis loquens, sed quòd sine peccato nemo sit; unde quidem, ut dixi, non contendo. Quisquis enim non cedit Johanni apostolo, qui nec ipse ait, Si dixerimus quia peccatum non habuimus; sed, non habemus: episcopo Hilario quomodo cessurus est? Pro gratia Christi clamo, sine qua nemo justificatur, tamquam sufficiente naturæ libero arbitrio. Immo ipse pro ea clamat: ei cedatur dicenti, Sine me nihil potestis facere.

Opponit Pelagio alium Hilarii locum in Psal. 118. 8. — *1. Johan. 1. 8.* — *Johan. 15. 5.*

CAPUT LXIII.

Ambrosius in Luc. c. 1.

74. SANCTUS autem Ambrosius re vera in eo loco quem iste commemorat, illis resistit qui dicunt hominem non esse posse sine peccato in hac vita. Ut enim ea diceret, accepit occasionem de Zacharia & Elizabet, quòd in Evangelio commemorati sunt ambulasse in omnibus justificationibus legis sine querela: numquid tamen negat gratiâ Dei fieri per Jesum Christum Dominum nostrum? Ex qua fide etiam ante ejus passionem justos vixisse non dubium est, qui præstat Spiritum-sanctum qui datus est nobis, per quem diffunditur caritas in cordibus nostris, qua una justi sunt quicumque justi sunt. Quem Spiritum memoratus Episcopus etiam precibus impetrandum admonet, (ita illi voluntas divinitus non adjuta non sufficit,) ubi in hymno suo dicit,

Opponit alia Ambrosii testimonia.

Votisque [b] præstat sedulis,
Sanctum mereri Spiritum.

75. Commemorabo & ego de hoc ipso opere sancti Ambrosii aliquid, ex quo iste commemoravit quod commemorandum putavit. *Visum est,* inquit, *mihi. Potest non soli visum esse, quod visum sibi esse declarat. Non enim voluntate tantùm humana visum est, sed sicut placuit ei qui in me,* inquit, *loquitur [c] Christus, qui ut id quod bonum est, nobis quoque bonum videri possit operatur. Quem enim miseratur, & vocat. Et ideo qui Christum sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Christianus, respondere, Visum est mihi. Quod cùm dicit, non negat Deo visum; à Deo enim præparatur voluntas hominum: ut enim Deus honorificetur à sancto, Dei gratia est.* Ecce quid iste sapiat, si verbis Ambrosii delectatur, quòd à Deo præparatur voluntas hominum; & nulla, vel non magna quæstio est, quis vel quando perficiatur, dum tamen sine gratia Christi idipsum fieri posse minimè dubitetur. Deindè quantum erat, ut adtenderet iste unum versum de Ambrosii verbis quæ posuit. Cùm enim ille dixisset, *Nam cùm Ecclesia ex gentibus, hoc est, ex peccatoribus congregata sit, quomodo ex maculatis immaculata potest esse, nisi primò per Christi gratiam, quòd abluta delicto sit; deinde, quòd per qualitatem non peccandi abstineat à delictis?* ille addidit, quod iste apparet cur addere noluerit. Ait namque ille, *Nec ab initio immaculata, humanæ enim hoc impossibile naturæ: sed per Dei gratiam & qualitatem sui, quia jam non peccat, fit ut immaculata videatur.* Hæc verba, iste cur non addiderit, quis non intelligat? Hoc agitur utique nunc in hoc sæculo, ut ad istam, quam omnes sancti cupiunt, immaculatissimam puritatem Ecclesia sancta perveniat, quæ in futuro sæculo neque aliquo malorum hominum sibi permixto, neque aliqua in se lege peccati resistente legi mentis, ducat mundissimam vitam in æternitate divina. Tamen adtendat iste quid secundùm Scripturas Ambrosius episcopus dixerit, *Nec ab initio immaculata, humanæ enim hoc impossibile naturæ.* Utique enim ab initio dicit, quo ex Adam nascimur. Nam & ipse Adam immaculatus procul dubio factus est: sed in eis qui sunt naturâ filii iræ, ducentes ex illo quod vitiatum est in illo, ab initio esse immaculatos, humanæ naturæ impossibile definivit.

In Luc. c. 1. n. 17. — *In Luc. c. 1 n. 10.*

CAPUT LXIV.

76. ITEM Johannes Constantinopolitanus episcopus, cujus posuit sententiam, *dicit peccatum non esse substantiam, sed actum malignum:* quis hoc negat? *Et quia non est naturale, ideo contra illud legem datam, & quod de arbitrii libertate descendit:* etiam hoc quis negat? Sed [d] nunc agitur de humana natura quæ vitiata est; agitur & de gratia Dei qua sanatur per medicum Christum, quo non indigeret si sana esset, quæ ab isto tamquam sana, vel tamquam sibi sufficiente voluntatis arbitrio, posse non peccare defenditur.

77. Quis item Christianus ignorat, quod beatissimum [e] Xystum Romanæ Ecclesiæ episcopum & Domini martyrem dixisse commemorat, *Quia libertatem arbitrii sui permisit hominibus Deus, ut purè & sine peccato viventes similes fiant Deo.* Sed ad ipsum arbitrium pertinet vocantem audire & credere, & ab eo in quem credit non peccandi adjutorium postulare. Nam utique cùm dicit, *similes fiant Deo:* per caritatem Dei futuri sunt similes Deo, quæ diffusa est in cordibus nostris, non naturæ possibilitate, nec libero arbitrio quod est in nobis, sed per Spiritum-sanctum qui datus est nobis. Et quod dicit idem martyr, *Templum [f] sanctum est Deo mens pura, & altare optimum est cor mundum & sine peccato:* quis nescit ad istam perfectionem perducendum cor mundum, dum

Rom. 5. 5.

[a] Vaticani quatuor & Gallicani MSS. *amico nostrò:* non malè, *Nam & nos*, ait Augustinus in epist. 186. ad Paulinum, n. 1. *non solùm diliximus, verùm etiam diligimus eum.* Meliùs tamen, *amicò vestro*, Timasii nimirum & Jacobi.

[b] Sola ferè editio Lov. *perstat.* Hymnus ille Ambrosianus à monachis Cisterciensibus canitur ad Tertiam Dominicâ Palmarum, & proximè sequentibus diebus.

[c] Quatuor Vaticani MSS. *loquitur Spiritus.*

[d] Editi, *Sed non id agitur de humana natura, quæ in hac vita est; sed agitur de gratia Dei.* Castigantur ex MSS.

[e] Verba illa, quæ velut Xysti Romani episcopi & martyris Pelagius ipse protulerat, didicit postmodum Augustinus Xysti sive Sexti esse philosophi Pythagoræi, ex lectione forsitan Hieronymi epist. ad Ctesiphontem, ubi is errorem hunc detegens, ejus caussam in Rufinum refert.

[f] Plures MSS. omittunt, *sanctum.*

interior

interior homo renovatur de die in diem, non tamen sine gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Item quod ait ipse, *Vir castus & sine peccato potestatem accepit à Deo esse filius Dei:* utique admonuit, ne cùm quisque factus fuerit ita castus & sine peccato, (quod ubi & quando in eo perficiatur nonnulla quæstio est, sed inter pios bene quæritur, inter quos tamen constat fieri posse, & sine mediatore Dei & hominum homine Christo Jesu fieri non posse:) tamen, ut dicere cœperam, prudenter Xystus admonuit, ne cùm fuerit quisque talis factus, & per hoc rectè inter filios Dei deputatus, putetur ipsius fuisse potestatis, quam per gratiam accepit à Deo, cùm eam non haberet in natura jam vitiata atque depravata, sicut in Evangelio legitur, (Iohan. 1. 12.) Quotquot » autem receperunt eum, dedit eis potestatem fi» lios Dei fieri: quod utique non erant per naturam, nec omnino essent, nisi eum recipiendo accepissent per ejus gratiam hujusmodi potestatem. Hæc est potestas, quam sibi vindicat fortitudo caritatis, quæ non est in nobis, nisi per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

CAPUT LXV. (Hieronymus in 5. cap. Matth.)

78. QUOD verò presbyter venerabilis Hieronymus dixit, in iis quæ illum dixisse commemorat, cùm exponeret quod scriptum est, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: *Quos non arguit conscientia ulla peccati;* & adjecit, *Mundus mundo corde conspicitur, templum Dei non potest esse pollutum:* hoc [a] utique agitur in nobis conando, laborando, orando, impetrando, ut ad illam perfectionem, in qua possimus Deum mundo corde conspicere, ejus gratiâ perducamur per Jesum Christum Dominum nostrum. Item quod ait à memorato dictum esse presbytero, (Lib. 1. contra Iovinianum.) *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona est:* quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam? Sed in rectè faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est [b] caritatis.

CAPUT LXVI.

79. REDI ergo ad apostolicam sententiam: (Rom. 5. 5.) Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis. A quo, (Ephes. 4. 8.) nisi ab illo qui adscendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus? Quòd autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ, sit quædam peccandi necessitas, (Quædam peccandi necessitas.) audiat homo, atque ut eadem necessitas non sit, discat Deo dicere, (Psal. 24. 17.) De necessitatibus meis educ me. Quia & in hujusmodi oratione certamen est adversùs tentatorem de ipsa contra nos necessitate pugnantem; ac per hoc opitulante gratiâ per Jesum Christum Dominum nostrum, & mala necessitas removebitur, & libertas plena tribuetur.

CAPUT LXVII. (Aug. lib. 3. de libero arbit. cap. 18.)

80. VENIAMUS ad nos: *Item*, inquit, *Augustinus episcopus in libris de libero arbitrio, Quæcumque ista caussa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla ergo peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo potest? Peccatur autem: caveri igitur potest.* (Responsionem similem) Agnosco, verba mea sunt: sed etiam ipse dignetur agnoscere superiùs cuncta quæ dicta sunt. (habes lib. 1. Retract. cap. 9.) De gratia quippe Dei agitur, quæ nobis per Mediatorem medicina opitulatur, non de impossibilitate justitiæ. Potest ergo ei caussæ, quæcumque illa est, resisti: potest planè. Nam in hoc adjutorium postulamus, dicentes, (Matth. 6. 13.) Ne nos inferas in tentationem: quod adjutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus. Potest peccatum caveri, sed opitulante illo, qui non potest falli. Nam & hoc ipsum ad cavendum peccatum pertinet, si veraciter dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. « Duobus enim modis etiam in corpore cavetur morbi malum, & ut non accidat, & ut si acciderit, citò sanetur: (Duobus modis, ut morbi, ita & peccata caventur.) ut non accidat, caveamus dicendo, Ne nos inferas in tentationem: ut citò sanetur, caveamus dicendo, Dimitte nobis debita nostra. Sive ergo immineat, sive insit, caveri potest.

81. Sed ut non tantùm illi, verùm etiam iis qui eosdem libros meos, quos iste legit, de libero arbitrio non legerunt, atque illis non lectis, hunc forsitan legunt, de hac re sententia mea satis appareat, ex ipsis libris commemorare me oportet, quod iste si sentiret atque in suis litteris poneret, nulla inter nos de hac re controversia remaneret. Continuò quippe post verba mea quæ iste commemoravit, quod occurrere poterat ipse subjeci, & quantum potui pertractavi, dicens, *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus.* Atque hinc adhibitis exemplis, etiam de infirmitate locutus sum, dicens, *Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non potest. Nam unde sunt illæ voces, Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum, hoc ago?* Atque aliis in hanc sententiam commemoratis testimoniis divinorum eloquiorum: *Sed hæc*, inquam, *omnia hominum sunt voces ex illa mortis damnatione venientium. Nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt.* Deinde paulò post: *Relinquitur ergo*, inquam, *ut hæc pœna justa de damnatione hominis veniat. Nec mirandum est, quòd vel ignorando non habet liberum arbitrium voluntatis ad eligendum quid rectè faciat, vel resistente carnali consuetudine, quæ violentiâ mortalis successionis quodam modo naturaliter inolevit, videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere. Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat quisque quo bene uti noluit, cùm sine ulla posset difficultate, si vellet: id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit; & qui rectè facere cùm posset noluit, amittat posse cùm velit. Nam sunt re vera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Cùm autem de libera voluntate rectè faciendi loquimur, de illa scilicet in qua homo factus est loquimur.* Hinc jam hominibus de ipsius ignorantiæ difficultatisque in prolem primi hominis trajectis vitiis atque transfusis, velut justam querelam deponentibus ita responsum

[a] Apud Lov. *hoc itaque*: minùs benè.

[b] Am. & Er. *est caritas*.

Lib. 3. de libero arbit. c. 19. est. *Quibus breviter*, inquam, *respondetur, ut quiescant, & adversùs Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor exsisteret: cùm verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam quòd invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras; neque illud quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare* B *contemnis.* Ita & exhortatus sum, quantum potui, ad rectè vivendum; & gratiam Dei non evacuavi, sine qua natura humana jam contenebrata atque vitiata illuminari non potest & sanari: de qua re cum istis tota vertitur quæstio, ne gratiam Dei quæ est in Christo Jesu Domino nostro, perversâ naturæ defensione frustremus. De qua natura item paulò pòst dixi, *Etiam ipsam naturam aliter dicimus, cùm propriè loquimur, naturam hominis in qua primùm in suo ge-* C *nere inculpabilis factus est; aliter istam, in qua ex illius damnati pœna* [a] *& ignari & carni subditi nascimur, juxta quem modum dicit Apostolus, Fuimus enim & nos naturaliter filii iræ, sicut & ceteri.* (a Ephes. 2. 3.)

CAPUT LXVIII.

82. Si ergo volumus [b] *animos ad rectè vivendum frigidos & pigros Christianis exhortationibus excitare & accendere*; primitus exhortemur ad fidem, qua Christiani fiant, & ejus nomini subjiciantur, sine quo salvi esse non possunt. Si autem jam Christiani sunt, & rectè vivere negli- D gunt; verberentur terroribus, & præmiorum laudibus erigantur: ita sanè, ut non solùm ad bonas actiones, verùm etiam ad pias orationes eos exhortari meminerimus, atque hac instruere sanitate doctrinæ, ut & illinc gratias agant, cùm instituerint bene vivere, quòd aliquid sine difficultate fecerint; & ubi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis & perseverantissimis precibus & misericordiæ promtis operibus facilitatem à Domino impetrare persistant. Sic autem pro- E ficientes, ubi & quando plenissimâ justitiâ perficiantur, non nimis curo: ubicumque autem & quandocumque perfecti fuerint, non nisi gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum perfici posse confirmo. Sanè quando liquidò cognoverint nullum peccatum se habere, non se dicant [c] habere peccatum, ne veritas in eis non sit: sicut in eis veritas non est, qui cùm habeant, non habere se dicunt.

CAPUT LXIX.

1. Tim. 1. 8. Nihil impossibile

83. Valde autem *bona sunt præcepta*, si le- F gitimè his utamur. Eo quippe ipso quo firmissimè creditur, *Deum justum & bonum impossibilia* A *non potuisse præcipere*; [d] hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia caritati: cui uni *Christi sarcina levis est*, aut ea una est sarcina ipsa quæ levis est. Secundùm hoc dictum est, *Et præcepta ejus gravia non sunt*: ut cui gravia sunt, consideret non potuisse divinitus dici, *gravia non sunt*, nisi quia potest esse cordis affectus cui gravia non sunt, & petat quo destituitur, ut impleat quod jubetur. Et quod dicitur ad Israël in Deu- B teronomio, si piè, si sanctè, si spiritaliter intelligatur, hoc idem significat: quia utique cùm hoc testimonium commemorasset Apostolus, *Propè te est verbum in ore tuo, & in corde tuo*, (quod [e] hic habet, *in manibus tuis*; in corde enim sunt spiritales manus:) *hoc est*, inquit, *verbum fidei quod prædicamus.* Conversus ergo quisque, sicut ibi præcipitur, ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, mandatum Dei non habebit grave. Quomodo C est enim grave, cùm sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, & ideo grave est: aut diligit, & grave esse non potest. Diligit autem, si quod illic admonetur Israël, conversus fuerit ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua. Mandatum, inquit, novum do vobis, ut vos invicem diligatis: &, Qui diligit proximum, legem implevit: &, Plenitudo legis, caritas. Secundùm hoc & illud di- D ctum est, *Si ambularent semitas bonas, invenissent utique semitas justitiæ leves.* Quomodo ergo dicitur, Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras: nisi quia utrumque verum est? Duræ sunt timori, leves amori.

(Deus præcipit, quia omnia facilia caritati. — d — Matth. 11. 30. 1. Johan. 5. 3. Confer. lib. de perfectione justitiæ, c. 10. — Deut. 30. 14. Rom. 10. 8. — e — Non est grave dilectionis mandatum. — Johan. 13. 34. Rom. 13. 8. Ibid. 10. — Prov. 2. 20. sec. LXX. — Psal. 16. 4.)

CAPUT LXX.

84. Caritas ergo inchoata, inchoata justitia est; caritas provecta, provecta justitia est; caritas magna, magna justitia est; *caritas perfecta, perfecta justitia est*: sed caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta; *quæ* E *tunc maxima est in hac vita, quando pro illâ ipsa contemnitur vita*: sed miror si non habet quò crescat, cùm de mortali excesserit vita. Ubicumque autem & quandocumque ita plena [f] sit, ut ei non sit quod adjiciatur; non tamen diffunditur in cordibus nostris, vel naturæ, vel voluntatis [g] opibus quæ sunt in nobis, sed per Spiritum-sanctum qui datus est nobis, qui & infirmitati nostræ opitulatur, & sanitati cooperatur. Ipsa est enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est cum Patre & Spiri- F tu-sancto æternitas, bonitas, in sæcula sæculorum, Amen.

(Caritatis gradus sicut & justitiæ gradus. — f — g)

[a] Hîc præterit, *& mortales*: quod ipse locus habet in lib. 3. de libero arbitrio, c. 19.

[b] Italico charactere hæc & alia inferiùs, quæ objecta esse videntur à Pelagio, notanda curavimus.

[c] Am. Er. & recentiores quædam Polemicorum editiones, *non habere peccatum*: manifesto errore.

[d] Unus è Vatic. MSS. *hoc admonemur.*

[e] *quod hic*: Vel Pelagii quem refellit, vel certè Deuteronomii librum indicat, qui secundùm LXX addit, *& in manibus tuis.* Confer. lib. 5. quæstionum in Deuteron. q. 54.

[f] Apud Lov. *plena fit.*

[g] Am. Er. & quinque MSS. *operibus.* Vide suprà cap. 26.

ADMONITIO

IN LIBRUM DE PERFECTIONE JUSTITIÆ HOMINIS.

HOc *Opusculum Augustinus in librorum suorum retractatione silentio præteriit, eo nimirum quòd pertineret ad seriem epistolarum, de quibus seorsim retractandis cogitabat. Nam exordium ejus in omnibus codicibus ducitur ab ista epistolari salutatione*, Sanctis fratribus & coepiscopis Eutropio & Paulo Augustinus: *tametsi cum hæc epistola locum apud omnes obtinuit, ut liber semper, non modò in iis voluminibus quæ exemplar illius continent, sed in veterum etiam qui illam citant scriptis, appelletur. Inter hos illustriores magisque in Augustini lectione versati, Possidius in indiculo cap. 4. & Fulgentius in libro 1. ad Monimum, cap. 3. hoc opus vocant* Librum de perfectione justitiæ hominis. *Consentiunt omnia ferè exemplaria calamo scripta: sed ex iis Audoënense, Pratellense, & quædam alia eidem titulo addunt hæc verba*, adversùs eos qui asserunt hominem posse fieri justum solis suis viribus. *In Remensis Ecclesiæ codice inscriptio hæc legitur:* Liber de definitionibus quæ dicuntur Cælestii. *Prosper in libro adversùs Collatorem, cap. 43. hortatur ad legendum, inter alios Augustini libros, eum quem scriptum dicit* ad Paulum & Eutropium sacerdotes contra Pelagii & Cælestii quæstiones.

Ex hoc autem loco Prosperi, ubi quædam ex opusculis Augustini contra Pelagianos, parum habitâ ordinis ratione recensuit, nemo rectè probaverit, librum de perfectione justitiæ hominis, aut libris de nuptiis & concupiscentia, aut sex primis contra Iulianum libris, quia ibidem priùs nominantur, tempore posteriorem esse. Enimvero in fine libri nondum eos reprehendere audet, qui justos sine ullo prorsus peccato exsistere in hac vita vel exstitisse aliquos affirmarent, quorum opinioni, quemadmodum in libro de spiritu & littera, cap. 2. & in libro de natura & gratia, cap. 42. & 60. ita hic Augustinus adhuc existimat non nimis reluctandum. Nihil ergo super ea re definitum hactenus erat, neque conditi adversùs illam opinionem tres Carthaginensis concilii, quod anno 418. habitum est, notissimi canones, sextus, septimus & octavus, quorum auctoritate illam deinceps ut perniciosum errorem caveri jubet, sicuti videre licet passim in libris contra duas epistolas Pelagianorum, præsertim libro 4. cap. 10. ubi ait: Illud jam tertium videamus, quod non minùs in istis omne Christi membrum & totum ejus corpus exhorret, quia contendunt esse in hac vita vel fuisse justos nullum habentes omnino peccatum. *Certè anno Christi 414. cùm epistolam 157. scriberet Hilario, respondens ad quæstiones quæ in Sicilia movebantur, eodem planè modo ac iisdem ferè verbis de ἀναμαρτησίᾳ loquitur, quibus in libri hujus conclusione.* Sed isti, *inquit in ipsa epistola, cap.* 2. utcumque tolerandi sunt, quando dicunt, vel esse, vel fuisse hîc aliquem, præter unum Sanctum sanctorum, qui nullum haberet omnino peccatum: illud verò quod dicunt, sufficere homini liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda, etiamsi Dei gratiâ & Spiritus-sancti dono ad opera bona non adjuvetur, omnino anathematizandum est & omnibus exsecrationibus detestandum. *His ad extrema verba subsequentis libri comparatis, nihil veri similius apparebit, quàm ipsum librum, quo definitiones Cælestii ex Sicilia pariter allatæ refelluntur, non longo post epistolam tempore conscriptum esse. Illum Possidius in indice proximè post librum de natura & gratia collocat, præmittitque libro de gestis Pelagii. Augustinus verò in epistola 169. quæ sub anni 415. finem ad Evodium data est, hujus quidem operis non meminit: verùm ibi significat se ad Orosii commonitorium respondisse, in quo ille commonitorio dicebat* Eutropium & Paulum episcopos, quoddam *etiam* commonitorium *eidem Augustino* jam dedisse de aliquantis hæresibus. *Sunt qui hoc non aliud, quàm litteras ab iis cum Cælestii definitionibus datas intelligant. Vt ut est, haud temere creditur eos, non multo post appulsum Orosii in Africam, scilicet ante medium annum 415. dedisse easdem definitiones, atque adversùs illas Augustinum, responsione Orosio priùs reddita, mox Eutropio & Paulo rescripsisse.*

Cælestius porrò, cujus nomen definitiones illæ præferebant, ante quàm Pelagianum dogma incurreret, scripsit ad parentes suos de monasterio, *ut Gennadius in libro de Scriptoribus ecclesiasticis testatur*, epistolas in modum libellorum tres, omnibus Deum desiderantibus necessarias. *Cælestio postea Pelagianam hæresim professo editus ab ipso est libellus, quo inter alia, per baptismum Christi, etiam parvulorum fieri redemtionem confessus est in Carthaginensi Ecclesia, episcopali judicio ibidem sub initium anni 412. habito, ut discimus ex epistola ad Innocentium papam, inter Augustinianas 175. n. 1. & 6. ex citata item epistola 157. n. 22. ex libro 1. de peccatorum meritis, cap. 34. & libro 2. cap. ultimo, ex libro de peccato originali, cap. 19. & ex libro contra Iulianum 3. cap. 3. Alius præterea, nomine quidem auctoris sui carens, sed qui perhibebatur esse Cælestii liber, in capitula distributus, memoratur in proximè secuturo libro de gestis Pelagii, cap. 13. 14. & 35. Exstabant denique anno 417. opuscula Cælestii plura sive libelli, quos in libro de gratia Christi, cap. 30. & 33. dicitur ipse Romæ gestis ecclesiasticis apud Zosimum allegasse. Quod autem Augustinus hîc in exordio libri de perfectione justitiæ hominis testatur à se visum opus Cælestii indubitatum, ex quo intelligebat illas definitiones seu ratiocinationes ab ejus ingenio non abhorrere, idem illud forsitan erat, quod Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem anno 413. aut 414. scripta citat in hæc verba:* Unus discipulorum ejus, *(Pelagii nimirum,)* immo jam magister & totius ductor exercitûs & contra Apostolum vas perditionis, per solœcismorum, & non ut sui jactitant, syllogismorum spineta decurrens, sic philosophatur & disputat. Si nihil ago absque Dei auxilio, & per singula opera ejus est omne quod gessero: ergo non ego qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium; frustraque dedit arbitrii potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit. Destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter non erit liberum, nisi fecero quod voluero. Ac per hoc, aut utor semel potestate quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium; aut si alterius ope indigeo, libertas in me arbitrii destruitur.

S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, AD EPISCOPOS EUTROPIUM ET PAULUM,

EPISTOLA *Sive* LIBER*

* Scriptus circiter finem anni 415.

DE PERFECTIONE JUSTITIÆ HOMINIS.

Datâ sibi chartulâ definitionum, quæ Cælestii esse dicebantur, Augustinus ratiocinationes primùm singulas, quibus ille, vel si quis alius erroris socius, perperam definiebat posse hominem hîc sine peccato esse, dissolvit brevibus responsis, docens perfectionem plenitudinemque justitiæ illam, qua homo sine ullo prorsus peccato sit, nec sine gratia possibilem per vires naturæ, præsertim vitiatæ, nec umquam esse præsentis hujus vitæ. Pergit inde ad auctoritates, quas eadem chartula de Scripturis corrogatas continebat, alias quibus homini præcipitur ut sit immaculatus & perfectus, alias quibus commemoratur non esse gravia Dei mandata, alias tandem quasi his, quæ à Catholicis contra Pelagianos proferri solerent, auctoritatibus contrarias.

SANCTIS fratribus & coepiscopis, EUTROPIO ET PAULO AUGUSTINUS. A

CAPUT I.

CARITAS vestra, quæ in vobis tanta est, & tam sancta, ut etiam jubenti servire delectet, petivit ut definitionibus quæ dicuntur Cælestii esse, respondeam. Sic enim prænotata est eadem chartula quam dedistis, *Definitiones, ut dicitur, Cælestii*: quæ prænotatio credo, quòd non illius, sed eorum B sit qui hoc adtulerunt de Sicilia, ubi Cælestius non esse perhibetur, [a] sed multi talia garrientes, (a 2.Tim.3.13.) &, sicut ait Apostolus, ipsi errantes, & alios in errorem mittentes. Ex illius tamen hæc esse doctrina, vel etiam quorumdam [b] sociorum ejus, & nos possumus arbitrari. Nam neque istæ breves definitiones, vel potiùs ratiocinationes, ab illius abhorrent ingenio; quod in opere alio ejus inspexi, cujus eum esse constat auctorem: & non frustra istos fratres qui hæc adtulerunt, in Sicilia C existimo audisse, quòd ipse docuerit ista vel scripserit. Vellem autem, si possem, ita obtemperare vestræ fraternæ benevolentiæ, ut etiam ego tam breviter responderem. Sed nisi & illa commemorem quibus respondeo, quis poterit quemadmodum responderim judicare? Conabor tamen, quantum valuero, adjuvantibus me apud Domini misericordiam etiam orationibus vestris, ut non ultra quàm necesse est meus sermo procurrat.

CAPUT II. Ratiocinatio prima.

1. *Ante omnia*, inquit, *interrogandus est qui negat hominem sine peccato esse posse, quid sit quodcumque peccatum, quod vitari potest, an quod vitari non potest. Si quod vitari non potest, peccatum non est: si quod vitari potest, potest homo sine peccato esse, quod vitari potest. Nulla enim ratio vel justitia patitur saltem dici peccatum, quod vitari nullo modo potest.* Respondemus, vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. In tantum enim sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet; dum caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem, ut non ea quæ vult homo faciat. (Gal. 5. 17.)

Ratiocinatio 2.

2. *Iterum quærendum est*, inquit, *peccatum voluntatis, an necessitatis est. Si necessitatis est, peccatum non est: si voluntatis est, vitari potest.* Respondemus quod suprà: & ut sanemur, invocamus eum, cui dicitur in Psalmo, De necessitatibus meis educ me. (Psal. 24. 17.)

Ratiocinatio 3.

C 3. *Iterum*, inquit, *quærendum est, quid est peccatum, naturale, an accidens. Si naturale, peccatum non est: si autem accidens est, & recedere potest, & quod recedere potest, vitari potest, & quod vitari potest, potest homo sine eo esse quod vitari potest.* Respondetur, naturale non esse peccatum: sed [c] naturæ, præsertim vitiatæ, unde facti sumus naturâ filii iræ, parum esse ad non peccandum (c Ephes. 2. 3.) voluntatis arbitrium, nisi adjuta sanetur gratiâ D Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

[a] Lov. *Sunt enim multi*: mendosè ac reluctantibus editis antiquioribus & omnibus MSS. In epistola 157. ad Hilarium paulò ante hoc opus data, cap. 3. n. 22. ubi Cælestium ac errorum ipsius à Carthaginensi concilio condemnationem memorat, veritus ne fortè in Sicilia ipse esset, qui catholicorum fidem perturbare conaretur: *Sed sive ipse sit*, ait, *sive alii consortes ejus erroris; plures enim sunt quàm sperare possumus, & ubi non redarguuntur, etiam alios ad suam sectam seducunt, & sic crebrescunt, ut nesciam quò sint erupturi*, &c.

[b] Sic omnes MSS. At editi, *sectatorum ejus*: non intoleranter, quando Cælestius evaserat *jam magister & totius ductor exercitûs*, ut loquitur Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem anno 413. aut 414. scripta.

[c] Editiones posteriores hîc addebant, *accidens*: sicque confirmato alio superiorum editionum errato, post *naturâ filii iræ*, ferebant, *parumque esse ad non peccandum*. Castigantur auctoritate MSS.

Ratiocinatio 4.

4. *Iterum*, ait, *quærendum est, quid est peccatum, actus, an res. Si res est, auctorem habeat necesse est; & si auctorem habere dicitur, jam alter præter Deum rei alicujus auctor induci videbitur: at si hoc dici impium est, confiteri necesse est peccatum omne actum esse, non rem. Si igitur actus est, immo quia verè actus est, vitari potest.* Respondemus, peccatum quidem actum dici & esse, non rem. Sed etiam in corpore claudicatio eadem ratione actus est, non res: quoniam res, pes ipse vel corpus vel homo est, qui pede vitiato claudicat; nec tamen vitare potest homo claudicationem, nisi habeat sanatum pedem. Quod etiam in interiore homine fieri potest, sed gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Ipsum sanè vitium quo claudicat homo, nec pes est, nec corpus, nec homo, nec ipsa claudicatio; quæ utique non est quando non ambulat, cùm tamen insit vitium quo fit claudicatio quando ambulat. Quærat ergo quod eidem vitio nomen imponat, utrùm rem velit dicere, an actum, an rei potiùs qualitatem malam, qua deformis actus exsistit. Sic & in homine interiore animus res est, rapina actus est, avaritia vitium est, id est, qualitas secundùm quam malus est animus, etiam quando nihil agit unde avaritiæ suæ serviat, etiam quando audit, Non concupisces, seque vituperat, & tamen avarus manet: sed per fidem renovatur, id est, sanatur, de die in diem, nec tamen nisi gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

Exod. 20. 17. 2. Cor. 4. 16.

CAPUT III. Ratiocinatio 5.

5. *Iterum*, inquit, *quærendum est, utrum-ne debeat homo sine peccato esse. Procul dubio debet. Si debet, potest: si non potest, ergo nec debet. Et si non debet homo esse sine peccato, debet ergo cum peccato esse; & jam peccatum non erit, si illud deberi constiterit. Aut si hoc etiam dici absurdum est, confiteri necesse est, debere hominem sine peccato esse, & constat eum non aliud debere quàm potest.* Respondetur eadem similitudine, qua superiùs jam respondimus. Cùm enim videmus claudum, qui sanari potest, rectè utique dicimus, Debet homo iste esse sine claudicatione; & si debet, potest. Nec tamen cùm vult continuò potest, sed cùm fuerit adhibitâ curatione sanatus, & medicina adjuverit voluntatem. Hoc fit in interiore homine, quod ad peccatum adtinet tamquam ejus claudicationem, per ejus gratiam qui venit non vocare justos, sed peccatores; quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.

Matth. 9. 13. & 12.

Ratiocinatio 6.

6. *Iterum*, ait, *quærendum est, utrùm-ne præceptum sit homini sine peccato esse. Aut enim non potest, & præceptum non est: aut quia præceptum est, potest. Nam cur præciperetur, quod fieri omnino non posset?* Respondetur, consultissimè homini præcipi, ut rectis passibus ambulet, ut cùm se non posse perspexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad sanandam peccati claudicationem, gratia Dei est per Jesum Christum Dominum nostrum.

Ratiocinatio 7.

7. *Iterum*, ait, *quærendum est, an velit Deus hominem sine peccato esse. Procul dubio vult, & procul dubio potest. Quis enim tam demens est, ut vel dubitet fieri posse, quod Deum velle non dubitat?* Respondetur: Si nollet Deus hominem sine peccato esse, non mitteret Filium suum sine pecca- A to, qui sanaret homines à peccatis. Hoc fit in credentibus & proficientibus renovatione interioris hominis de die in diem, donec fiat perfecta justitia tamquam sanitas plena.

Ratiocinatio 8.

8. *Iterum*, ait, *quærendum est, quomodo vult Deus hominem esse, cum peccato, an sine peccato. Procul dubio non vult esse cum peccato. Quanta hæc impietatis blasphemia sit, cogitandum est, ut dicatur hominem posse esse cum peccato, quod Deus non vult; & negetur posse esse sine peccato, quod Deus* B *vult: quasi aliquem ad hoc Deus creaverit, ut posset esse quod nolit, & non posset esse quod velit, & ut contra suam magis quàm ut secundùm suam exsisteret voluntatem.* Jam superiùs responsum est: sed addendum video, quòd spe salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus. Tunc ergo erit plena justitia, quando plena sanitas: tunc plena sanitas, quando plena caritas; ple- C nitudo enim legis caritas: tunc autem plena caritas, quando videbimus eum sicuti est. Neque enim [a] erit quod addatur ad dilectionem, cùm fides pervenerit ad visionem.

Rom. 8. 24. Rom. 13. 10. 1. Iohan. 3. 2.

CAPUT IV. Ratiocinatio 9.

9. *Iterum quærendum est*, inquit, *per quid efficitur homo cum peccato, per naturæ necessitatem, an per arbitrii libertatem. Si per naturæ necessitatem, culpâ caret: si per arbitrii libertatem, quærendum est à quo ipsam arbitrii libertatem acceperit; procul dubio à Deo. Deus autem quod dedit, certè bonum est,* D *negari enim non potest. Qua igitur ratione bonum probatur, si magis ad malum quàm ad bonum pronum est? Magis enim ad malum quàm ad bonum pronum est, si homo per illud potest esse cum peccato, & non potest esse sine peccato.* Respondetur, per arbitrii libertatem factum, ut esset homo cum peccato; sed jam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem. Unde ad Deum fides clamat, De necessitatibus meis educ me. Sub quibus positi, vel non possumus quod volumus intelligere, E vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere. Nam & ipsa libertas credentibus à liberatore promittitur. Si vos, inquit, Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. Victa enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura. Hinc alia scriptura dicit, A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Sicut ergo non est opus sanis medicus, sed malè habentibus: ita non est opus liberis liberator, sed servis, ut ei dicat gratulatio libertatis, Sal- F vam fecisti de necessitatibus animam meam. Ipsa enim sanitas est vera libertas, quæ non perisset, si bona permansisset voluntas. Quia verò peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas, & accipiatur [b] tanta libertas, in qua sicut necesse est permaneat beatè vivendi voluntas, ita ut sit etiam bene vivendi & numquam peccandi voluntaria felixque necessitas.

Psal. 24. 17. Iohan. 8. 36. 2. Pet. 2. 19. Matth. 9. 12. Psal. 30. 8.

Peccantes secuta est peccatum habendi dura necessitas.

Ratiocinatio 10.

10. *Proinde*, inquit, *Deus bonum hominem fecit,* G *& præter quàm illum bonum fecit, bonum ei insuper ut faceret imperavit. Quàm impium, ut confiteamur hominem malum esse, quod nec factus est, nec ei præceptum est;* [c] *& negemus eum bonum posse esse, quod factus est, & quod ei ut faceret imperatum est.* Re-

[a] Am. Er. & MSS. Vaticani & Gallicani, *Neque enim non erit.*
[b] Unus è Vatic. MSS. *tota libertas.*
[c] Am. Er. & omnes MSS. *si negemus.*

ſpondemus : Quia ergo non ſe ipſe homo, ſed (A) Deus bonum hominem fecit ; Deus eum, non ſe ipſe, ut ſit bonus reficit, dum volentem, credentem, invocantem liberat à malo, quod ſibi ipſe fecit. Hoc autem fit, dum gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum renovatur homo interior de die in diem, ut ad ſempiternam, non pœnam, ſed vitam reſurgat homo exterior in noviſſimo die.

Caput V. Ratiocinatio 11.

11. *Iterum*, ait, *quærendum eſt, quot modis conſtet omne peccatum duobus, ni fallor, ſi aut illa* (B) *fiant quæ prohibentur, aut illa non fiant quæ jubentur. Tam certè omnia illa quæ prohibita ſunt, vitari poſſunt, quàm quæ præcepta ſunt, perfici. Nam fruſtra aut prohiberetur aut juberetur, quod vel caveri vel impleri non poſſet. Et quomodo negabimus poſſe eſſe hominem ſine peccato, cùm confiteri neceſſe ſit, eum tam omnia illa quæ vetantur poſſe cavere, quàm quæ imperantur efficere?* Reſpondetur, multa eſſe in ſcripturis ſanctis divina præcepta, quæ omnia commemorare nimis operoſum eſt : ſed (C) Dominus qui verbum conſummans & brevians fecit ſuper terram, in duobus præceptis dixit Legem Prophetaſque pendere ; ut intelligeremus, quidquid aliud divinitus præceptum eſt, in his duobus habere finem, & ad hæc duo eſſe referendum : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & diliges proximum tuum tamquam te ipſum. In his, inquit, duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ. Quidquid ergo Dei lege prohibemur, & quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur & jubemur, ut duo iſta compleamus. Et fortè generalis prohibitio eſt, Non concupiſces ; & generalis juſſio, Diliges. Unde breviter & apoſtolus Paulus quodam loco utrumque complexus eſt. Prohibitio enim eſt, Nolite conformari huic ſæculo : juſſio autem, Sed [a] reformamini in novitate mentis veſtræ. Illud pertinet ad non concupiſcere, hoc ad diligere ; illud ad continentiam, hoc ad juſtitiam ; illud ad declinandum à malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiſcendo enim vetuſtate exſpoliamur, & novitate induimur diligendo. Sed nec quiſquam poteſt continens eſſe, niſi Deus det : & caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per nos ipſos, ſed per Spiritum-ſanctum qui datus eſt nobis. Hoc autem fit de die in diem in iis, qui volendo & credendo & invocando proficiunt, & præterita obliviſcentes in ea quæ antè ſunt extenduntur. Ad hoc enim lex iſta præcipit, ut cùm in his implendis homo defecerit, non ſe extollat ſuperbiâ tumidus, ſed ad gratiam confugiat fatigatus ; ac ſic eum lex terrendo, ad Chriſtum diligendum pædagogi perducat officio.

Rom. 9. 28. Matth. 22. 40. Ibidem 37. Exod. 20. 17. Deut. 6. 5. *Non concupiſces*, generalis eſt prohibitio: *Diliges*, generalis juſſio. Rom. 12. 2. Sap. 8. 21. Rom. 5. 5. Philip. 3. 13. Legis officium.

Caput VI. Ratiocinatio 12.

12. Iterum *quærendum eſt*, inquit, *quomodo non poteſt homo ſine peccato eſſe, voluntate, an naturâ. Si naturâ, peccatum non eſt : ſi voluntate, perfacilè poteſt voluntas voluntate mutari.* Reſpondemus, admonentes eſſe cogitandum quanta ſit iſta præſumtio, qua dicitur non ſolùm poſſe, (quod quidem adjuvante gratiâ Dei negandum non eſt,) ſed etiam *perfacilè poſſe voluntatem voluntate mutari :* cùm dicat Apoſtolus, Caro concupiſcit adversùs ſpiritum & ſpiritus adversùs carnem ; hæc (A) enim invicem adverſantur, ut non ea quæ vultis faciatis. Non enim ait, Hæc invicem adverſantur, ut quæ poteſtis facere, nolitis : ſed, ut non ea quæ vultis faciatis. Cur ergo concupiſcentia carnis, (quæ utique culpabilis atque vitioſa eſt, nihilque eſt aliud quàm deſiderium peccati, quod idem Apoſtolus præcipit, ne regnet in noſtro mortali corpore ; ubi ſatis oſtendit eſſe tamen in noſtro mortali corpore, quod permittendum non ſit ut regnet :) cur ergo iſta concupiſcentia (B) non mutata eſt eâ voluntate, quam voluntatem ſatis evidenter expreſſit Apoſtolus dicens, ut non ea quæ vultis faciatis ; ſi facilè poteſt voluntas voluntate mutari? Nec ſanè iſto modo naturam, ſive animæ, ſive corporis, quam Deus creavit, & quæ tota bona eſt, accuſamus : ſed eam dicimus propria voluntate vitiatam, ſine Dei gratia non poſſe ſanari.

Gal. 5. 17. Concupiſcentia carnis, nihil aliud quá deſiderium peccati. Rom. 6. 12.

Ratiocinatio 13.

13. *Iterum*, ait, *quærendum eſt, Si non poteſt homo ſine peccato eſſe, cujus culpa eſt, ipſiuſne hominis,* (C) *an cujuſlibet alterius : ſi ipſius hominis, quomodo culpa hominis eſt, ſi hoc non eſt quod eſſe non poteſt?* Reſpondemus, ideo eſſe culpam hominis, quòd non eſt ſine peccato, quia ſola hominis voluntate factum eſt, ut ad iſtam neceſſitatem veniret, quam ſola hominis voluntas ſuperare non poſſit.

Ratiocinatio 14.

14. *Iterum*, ait, *quærendum eſt, Si natura hominis bona eſt, quod nullus negare niſi Marcion aut Manichæus audebit, quomodo igitur bona eſt, ſi malo* (D) *ei carere non eſt poſſibile? Omne enim peccatum malum eſſe quis dubitet?* Reſpondemus, & naturam hominis bonam eſſe, & eam malo carere poſſe. Nam ideo clamamus, Libera nos à malo : quod non perficitur, quamdiu corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Sed hoc agitur gratiâ per fidem, ut aliquando dicatur, Ubi eſt mors contentio tua, ubi eſt mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum, virtus verò peccati lex. Quoniam lex prohibendo auget peccati cupiditatem, niſi diffundat Spiritus caritatem, quæ plena & perfecta tunc erit, cùm (E) videbimus facie ad faciem.

Matth. 6. 13. Sap. 9. 15. 1. Cor. 15. 55. Lex quare virtus peccati dicta.

Ratiocinatio 15.

15. *Et hoc*, inquit, *dicendum eſt : Certè juſtus eſt Deus ; negari enim non poteſt. Imputat autem Deus homini omne peccatum. Et hoc quoque confitendum puto, quia neque peccatum eſt, quidquid non imputabitur in peccatum. Et ſi eſt aliquod peccatum quod vitari non poſſit, quomodo juſtus Deus dicitur, ſi imputare cuiquam creditur, quod vitari non poſſit?* Reſpondemus, jam olim contra ſuperbos eſſe clamatum, (F) Beatus cui non [b] imputavit Dominus peccatum. Non enim imputat his qui fideliter ei dicunt, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et juſtè non imputat, quia juſtum eſt quod ait, In qua menſura menſi fueritis, in eadem remetietur vobis. Peccatum eſt autem, cùm vel non eſt caritas quæ eſſe debet, vel minor eſt * quàm debet ; ſive hoc voluntate vitari poſſit, ſive non poſſit : quia ſi poteſt, (G) præſens voluntas hoc facit : ſi autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit ; & tamen vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adjuvatur.

Pſal. 31. 2. Matth. 6. 12. Matth. 7. 2. * V. ſuprà lib. de ſpiritu & lit. c. 36. & lib. de nat. & grat. c. 38.

Cap. VII. Ratiocinatio 16.

16. Post hæc ille qui iſta conſcripſit, introducit perſonam ſuam quaſi cum altero diſpu-

a Editi, *renovamini*. At MSS. *reformamini* : juxta Græc. μεταμορφοῦσθε.

b In MSS. *imputabit*. Græcè eſt, λογίσηται.

a tantem, & facit se interrogari, & quasi ab interrogante sibi dici, [a] *Da mihi hominem sine peccato.* Et respondet, *Do tibi qui esse possit.* Et rursus ab interrogante dicitur ei, *Quis est?* Et respondet, *Ipse tu. Quòd si dixeris*, inquit, *ego esse non possum: respondendum est, cujus culpa est? Quòd si dixeris, mea: dicendum est, Et quomodo tua est, si esse non potes?* Iterum facit se interrogari & dici sibi, *Tu ipse sine peccato es, qui dicis hominem sine peccato esse posse?* Et respondet, *Quòd non sum sine peccato, cujus culpa est? Quòd si dixerit*, inquit, *tua est: respondendum est, Quomodo mea, si esse non possum?* Nos respondemus, nullum cum eis de his verbis esse debere conflictum: quia non est ausus dicere hominem esse sine peccato, vel aliquem, vel se ipsum, sed tantummodo esse posse, respondit; quod neque nos negamus. Quando autem possit, & per quem possit, hoc quæritur. Si enim modò est, non omni animæ fideli positæ in corpore mortis hujus orandum est, & dicendum, Dimitte nobis debita nostra: cùm jam in sancto baptismo universa fuerint dimissa præterita. Quisquis autem membris fidelibus Christi hoc non esse orandum, persuadere conatur, nihil aliud quàm se ipsum Christianum non esse profitetur. Porrò si per se ipsum potest homo esse sine peccato, ergo Christus gratis mortuus est: Non autem gratis Christus mortuus est: non igitur potest homo esse sine peccato, etiamsi velit, nisi adjuvetur gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Quod ut perficiatur, & nunc in proficientibus agitur, & omni modo implebitur, contentione mortis absumta, & caritate quæ credendo & sperando nutritur, videndo & obtinendo perfecta.

Matth. 6. 12.

Gal. 2. 21.

CAPUT VIII.

17. DEINDE instituit divinis testimoniis agere quod intendit: quod quale sit, diligentiùs advertamus. *Testimonia*, inquit, *quibus probatur, præceptum esse homini ut absque peccato sit.* Ad hoc respondemus: Non utrùm præceptum sit quæritur, quod valde manifestum est; sed hoc ipsum quod præceptum esse constat, utrùm in corpore mortis hujus possit impleri, ubi caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem, ut non ea quæ volumus faciamus. De quo corpore mortis hujus, non omnis liberatur qui finit hanc vitam, sed qui in hac vita susceperit gratiam, & ne in vanum suscipiat bonis operibus egerit. Aliud est enim, exire de hoc corpore, quod omnes homines dies vitæ hujus ultimus cogit; aliud est autem, liberari de corpore mortis hujus, quod sola Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum, sanctis & fidelibus ejus impertit. Post hanc autem vitam merces perficiens redditur, sed eis tantùm à quibus in hac vita ejusdem mercedis meritum comparatur. Non enim ad saturitatem justitiæ, cùm hinc exierit, quisque perveniet, nisi ad eam cùm hîc est, esuriendo & sitiendo cucurrerit. Beati quippe qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Gal. 5. 17.

Aliud exire, aliud liberari de corpore mortis hujus.

Vitæ æternæ merces nulli redditur, nisi qui ejus in hac vita meritum sibi comparaverit.

Matth. 5. 6.

2. Cor. 5. 6.

18. Quamdiu ergo peregrinantes à Domino per fidem ambulamus, non per speciem, unde dictum est, Justus ex fide vivit; hæc est nostra in ipsa peregrinatione justitia, ut ad illam perfectionem plenitudinemque justitiæ, ubi in specie decoris ejus jam plena & perfecta caritas erit,

Habac. 2. 4.

Justitia hujus vitæ tribus com-

[a] Vaticani MSS. *Das mihi.*

A nunc ipsius cursus rectitudine & perfectione tendamus, castigando corpus nostrum & servituti subjiciendo, & eleemosynas in dandis beneficiis, & dimittendis quæ in nos sunt commissa peccatis, hilariter & ex corde faciendo, & orationibus indesinenter instando; & hæc faciendo in doctrina sana, qua ædificatur fides recta, spes firma, caritas pura. Hæc est nunc nostra justitia, qua currimus esurientes & sitientes ad perfectionem plenitudinemque justitiæ, ut eâ postea saturemur. B Unde Dominus in Evangelio cùm dixisset, Nolite facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis; ne istum nostrum cursum fine humanæ gloriæ metiremur, non est in expositione justitiæ ipsius exsecutus, nisi tria ista, jejunium, eleemosynas, orationes; jejunio scilicet universam corporis castigationem significans; eleemosynis omnem benevolentiam & beneficentiam, vel dandi, vel ignoscendi; & oratione insinuans omnes regulas sancti desiderii: ut C quoniam in castigatione corporis frenatur concupiscentia, quæ non frenari, sed omnino esse non debet, nec erit in illa perfectione justitiæ, ubi nullum erit omnino peccatum; & sæpe in usu rerum etiam concessarum atque licitarum exserit immoderationem suam: in ipsa verò beneficentia qua justus consulit proximo, quædam fiunt quæ obsint, cùm prodesse putata sint; & aliquando per infirmitatem, vel cùm minùs [b] sufficit necessitatibus aliorum, vel parum in eis proficit, D quod benignitatis ac laboris impenditur, subrepit tædium, quo fuscetur hilaritas, in qua datorem diligit Deus; subrepit autem tanto magis, quanto minùs quisque, & tanto minùs, quanto magis profecerit: his atque hujusmodi consideratis, meritò in oratione dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si tamen quod dicimus, faciamus, ut vel ipsi etiam diligantur inimici: vel si quisquam adhuc in Christo parvulus hoc nondum facit; E pænitenti tamen quòd in eum quisque peccavit, & veniam petenti, ex intimo cordis ignoscat, si vult ut ejus orationem Pater cælestis exaudiat.

prehensa, jejunio, eleemosyna, & oratione.

Matth. 6. 1.

b

2. Cor. 9. 7.

Matth. 6. 12.

Inimico saltem pænitenti & veniam petenti ignoscendum. V. Enchirid. c. 71.

19. In qua oratione, si contentiosi esse nolumus, satis nobis propositum speculum est, ubi inspiciatur vita justorum, qui ex fide vivunt, & perfectè currunt, quamvis sine peccato non sint. Unde dicunt, Dimitte nobis; quia nondum quò curritur pervenerunt. Hinc dicit Apostolus, F Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim: fratres, ego me non arbitror apprehendisse; unum autem, quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus; id est, quotquot perfectè currimus, hoc sapiamus, quòd nondum perfecti sumus, ut illic perficiamur, quò perfectè adhuc currimus: ut cùm venerit quod perfectum est, quod ex parte est destruatur; id G est, non jam ex parte sit, sed ex toto; quia fidei & spei jam res ipsa, non quæ credatur & speretur, sed quæ videatur teneaturque succedet: caritas autem, quæ in his tribus major est, non auferetur; sed augebitur & implebitur, contemplata quod credebat, & quod sperabat indepta. In

Perfectos fideles hîc non esse sine peccato, ex oratione Dominica intelligitur.

Philip. 3. 12.

1. Cor. 13. 10.

Præceptum dilectionis

[b] Sic plures MSS. Alii cum editis, *sufficitur*.

In futura vita perfectè implebitur. qua plenitudine caritatis præceptum illud imple- A
bitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto
corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota men-
Deut. 6. 5. te tua. Nam cùm est adhuc aliquid carnalis con-
cupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, non
omni modo ex tota anima diligitur Deus. Non
Carnem concupiscere, est animam ipsam carnaliter concupiscere. enim caro sine anima concupiscit, quamvis caro
concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concu-
piscit. Tunc erit justus sine ullo omnino peccato,
quando nulla lex erit in membris ejus repugnans
Rom. 7. 23. legi mentis ejus, sed prorsus toto corde, totâ ani- B
Matth. 22. mâ, tota mente diliget Deum, quod est primum
summumque præceptum. Cur ergo non præci-
peretur homini ista perfectio, quamvis eam in
hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur,
si quò currendum est nesciatur. Quomodo au-
tem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur?
Ergo curramus, ut comprehendamus. Om-
nes enim qui rectè currunt, comprehendent:
non sicut in agone theatrico, omnes quidem cur-
runt, sed unus accipit palmam. Curramus cre- C
dendo, sperando, desiderando; curramus corpus
castigando, & eleemosynas in bonis dandis ma-
lisque ignoscendis, hilariter & ex corde facien-
do, & currentium vires ut adjuventur orando;
& sic audiamus præcepta perfectionis, ne cur-
rere negligamus ad plenitudinem caritatis.

CAPUT IX.

20. His præmissis, ea testimonia quæ posuit
iste cui respondemus, tamquam nos ea protule-
Deut. 18. 13. rimus, diligenter audiamus. *In Deuteronomio: Tu*
autem perfectus eris coram Domino Deo tuo. Item D
illic: Et non erit [a] *inconsummatus in filiis Israël.*
Matth. 5. 48. *Item Salvator in Evangelio: Estote perfecti, quia Pa-*
ter vester qui in cælis est, perfectus est. Item Apo-
2. Cor. 13. 11. *stolus ad Corinthios secundâ: De cetero fratres gau-*
Coloss. 1. 28. *dete, perfecti estote. Item ad Colossenses: Corripien-*
tes omnem hominem, & docentes in omni sapientia, ut
exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo.
Philip. 2. 14. *Item ad Philippenses: Omnia facite sine murmura-*
tione & hæsitatione, ut sitis irreprehensibiles & sim-
Ephes. 1. 3. *plices, sicut filii Dei immaculati. Item ad Ephesios:* E
Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Chri-
sti, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali,
in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante
mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati
Col. 1. 21. *in conspectu ejus. Item ad Colossenses: Et vos cùm*
essetis aliquando alienati & inimici [b] *sensu in ope-*
ribus malis, nunc autem reconciliati in corpore carnis
ejus per mortem ejus, [c] *exhibete vos sanctos & im-*
Ephes. 5. 27. *maculatos & irreprehensibiles. Item ad Ephesios: Ut*
exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non haben- F
tem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi,
1. Cor. 15. 34. *ut sit sancta & immaculata. Item ad Corinthios pri-*
mâ: Sobrii estote, & justi, & nolite peccare. Item
1. Pet. 1. 13. *in epistola sancti Petri: Propter quod succincti lum-*
bos mentis vestræ, sobrii, perfectè sperate in eam quæ
offertur vobis gratiam, quasi filii obedientiæ, non con-
figurati prioribus ignorantiæ vestræ [d] *concupiscentiis,*
sed secundùm eum qui vocavit vos sanctum, & ipsi
sancti in omni conversatione sitis; quia scriptum est, G
Levit. 19. 2. *Sancti eritis, quia ego sanctus sum. Unde & beatus*
Psal. 14. 1. *David dicit, Domine quis habitabit in tabernaculo*
tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui in-
greditur sine macula, & operatur justitiam. Et ali-

A *bi: Et ero immaculatus cum eo. Et alibi: Beati im-* Psal. 17. 24. Psal. 118. 1.
maculati in via, qui ambulant in lege Domini.
Item apud Salomonem: Diligit Dominus sancta
corda, * *accepti sunt autem illi omnes immaculati.* * Prov. 11. 20. sec. LXX.
Horum testimoniorum aliqua currentes exhor-
tantur, ut perfectè currant; aliqua ipsum finem
commemorant, quò currendo pertendant. In- Ingredi sine macula quis dicatur.
gredi autem sine macula non absurdè etiam ille
dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad ip-
sam perfectionem irreprehensibiliter currit, ca-
B rens criminibus damnabilibus, atque ipsa pecca- Peccata damnabilia & venialia.
ta venialia non negligens mundare eleemosynis.
Ingressum quippe, hoc est, iter nostrum quo ten-
dimus ad perfectionem, munda mundat oratio.
Munda est autem oratio ubi veraciter dicitur, Matth. 6. 12.
Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus: ut dum
non reprehenditur, quod non imputatur, sine
reprehensione, hoc est, sine macula noster ad
perfectionem cursus habeatur: in qua perfectio-
ne, cùm ad eam venerimus, jam non sit omnino
C quod ignoscendo mundetur.

Caput X. Quibus gravia sint vel non sint Dei præcepta.

21. Deinde iste adhibet testimonia, quibus
ostendat, non esse gravia divina præcepta. Quis
autem nesciat, cùm præceptum sit generale ca- 1. Tim. 1. 5.
ritas, (quia finis præcepti est caritas, & plenitu- Rom. 13. 10.
do legis est caritas,) non esse grave quod dili-
gendo fit, non timendo? Laborant autem in
Dei præceptis, qui ea timendo conantur imple-
re: sed perfecta caritas foras mittit timorem, & 1. Johan. 4. 18.
facit præcepti sarcinam [e], non solùm non premen-
D tem onere ponderum, verùm etiam sublevan-
tem vice pennarum. Quæ tamen caritas ut ha-
beatur, etiam tanta quanta in corpore mortis
hujus haberi potest, parum est nostræ voluntatis Rom. 7. 24.
arbitrium, nisi adjuvet gratia Dei per Jesum Rom. 5. 5.
Christum Dominum nostrum. Diffunditur quip-
pe in cordibus nostris, quod sæpe dicendum est,
non per nos ipsos, sed per Spiritum-sanctum qui
datus est nobis. Nec aliam ob caussam Scriptu- Gravia esse Dei præcepta, cur Scriptura commemoret.
ra commemorat non esse gravia divina præcepta,
E nisi ut anima quæ illa gravia sentit, intelligat se
nondum accepisse vires, quibus talia sint præce-
pta Domini qualia commendantur, levia scilicet
atque suavia, & oret gemitu voluntatis, ut im-
petret donum [f] facilitatis. Qui enim dicit, Fiat Psal. 118. 80.
cor meum immaculatum; &, Itinera mea dirige Ibid. 133.
secundùm verbum tuum, & ne dominetur mi-
hi omnis iniquitas; &, Fiat voluntas tua, sicut Matth. 6. 10.
in cælo & in terra; &, Ne nos inferas in tenta-
tionem; & cetera hujusmodi quæ commemora-
F re longum est, hoc utique orat, ut præcepta Præceptis liberi arbitrii gratiæ orationi consentit.
Dei faciat: quæ ut fierent, nec juberetur, si ni-
hil ibi nostra voluntas ageret; nec oraretur, si
sola sufficeret. Commendantur ergo non esse
gravia, ut cui gravia sunt, intelligat nondum se
accepisse donum, quo gravia non sint; nec ar-
bitretur ea se perficere, quando ita facit, ut gra- 2. Cor. 9. 7.
via sint. Hilarem enim datorem diligit Deus.
Nec tamen, cùm ea gravia sentit, desperando
frangatur: sed ad quærendum, petendum, pul-
G sandumque cogatur.

22. Audiamus ergo & in his testimoniis quæ
deinde posuit, Deum sua præcepta non gravia
commendantem. *Quòd Dei mandata*, inquit, *non*

a Deuter. 23. 18. sec. LXX. est, τελισκόμενος, *initiatus*. Nec tamen alio ex loco Deuter. sumtum id testimonium videtur.
b In omnibus MSS. *inimici sensus ejus in operibus malis*.
c Duo ex Vatic. MSS. *ut exhiberet vos*.

d Am. & plerique MSS. omittunt, *concupiscentiis*: cujus loco nonnulli codices habent *tenebris*: & quidam, *desideriis*.
e Hîc *levem* addunt Am. Er. & MSS. Gallic. ac Vatic.
f Lov. *facultatis*.

modò

Deut. 30. 9. *modò impossibilia non sint, verùm ne gravia quidem. In Deuteronomio: Et convertetur Dominus Deus tuus epulari in te super bonis, sicut epulatus est super patres tuos, si audieritis vocem Domini Dei vestri, custodire & facere omnia mandata ejus, & justitias, & judicia quæ scripta sunt in libro legis hujus: si conversus fueris ad Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Quia mandatum hoc, quod ego mando tibi hodie, non est grave, neque à te longè est. Non est in cælo, ut dicas, Quis adscendet in cælum, & accipiet illud nobis, & audientes faciemus? Non est trans mare, ut dicas, Quis transfretabit mare & accipiet illud nobis, & audientes faciemus? Iuxta te est enim verbum in ore tuo, in corde, & in manibus tuis facere illud. Item Dominus* *Matth. 11. 28.* *in Evangelio: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam. Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, & onus meum* *1. Iohan. 5. 3.* *leve est. Item in epistola sancti Iohannis: Hæc est caritas Dei, ut mandata ejus observemus, & mandata ejus gravia non sunt.* His auditis Legitimis & Evangelicis & Apostolicis testimoniis ædificemur *Rom. 10. 3.* ad gratiam, quam non intelligunt, qui ignorantes Dei justitiam & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Si enim non intelligunt illud ex Deuteronomio, quemadmodum apostolus Paulus commemoraverit, *Ibidem 10.* ut corde credatur ad justitiam, ore autem confessio fiat ad salutem; *Matth. 9. 12.* quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus: isto certè Johannis apostoli testimonio, quod ad istam sententiam ultimum posuit, ubi ait, *Hæc est caritas Dei, ut mandata ejus servemus, & mandata ejus gravia non sunt*, debent utique commoneri, caritati Dei non esse grave mandatum Dei; quæ non nisi per Spiritum-sanctum diffunditur in cordibus nostris, non per arbitrium humanæ voluntatis; cui plus dando quàm oportet, ignorant justitiam Dei: quæ tamen caritas tunc perfecta erit, cùm pœnalis timor omnis abscesserit.

Caput XI. Testimonia Scripturæ, quæ sibi à Catholicis objecta Cælestius aliis testimoniis conatur eludere. Primum testimonium.

23. Post hæc proposuit testimonia, quæ contra eos dici solent: nec ea solvit, sed commemorando quasi contraria, quæstiones artiùs illigavit. Ait enim: *Testimonia Scripturarum, quæ è diverso ponenda sunt his, qui arbitrii libertatem, vel non peccandi possibilitatem imperitè existimant se Scripturarum auctoritate posse destruere. Objicere enim solent*, inquit, *quòd sanctus Iob dixerit, Quis* *Iob 14. 4. sec. LXX.* *mundus est à peccato? Nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Deinde quasi respondet huic testimonio aliis testimoniis, quòd ipse Job *Iob 12. 4. sec. LXX.* dixerit, *Iustus enim vir & sine querela factus sum in derisum.* Non intelligens posse dici hominem justum, qui perfectioni justitiæ plurimùm accessit, ita ut ei proximus fieret: quod multos etiam in hac vita potuisse, in qua ex fide vivitur, non negamus.

Iob 13. 18. sec. LXX. 24. Hoc & illo testimonio confirmatur, quod iste consequenter adjunxit ab eodem Job dictum: *Ecce ego proximus sum judicio meo, & scio quia justus inveniar.* *Psal. 36. 6.* Hoc enim est judicium, de quo alibi dicitur, Et educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum velut meridiem. Denique non dixit, ibi sum; sed, *proximus sum*. Quòd si judicium suum illud intelligi voluit, non quo ipse [a] judicabit, sed quo in fine est judicandus, justi in illo judicio invenientur omnes, qui non fallaciter dicunt, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Matth. 6. 12.* Per hanc enim dimissionem justi invenientur; [b] eo quòd ea quæ hîc habebant peccata, eleemosynis deleverunt. Unde Dominus dicit, Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. *Luca 11. 41.* Denique hoc dicetur justis in regnum promissum ituris, Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: & cetera hujusmodi. *Matth. 25. 35.* Sed aliud est, esse sine peccato, quod de solo in hac vita Unigenito dictum est; aliud, esse sine querela, quod de multis justis etiam in hac vita dici potuit: *Esse sine peccato, & sine querela, quì differant.* quoniam est quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in ista humana conversatione, justa querela esse non possit. Quis enim justè queritur de homine, qui nemini malè vult, & quibus potest fideliter consulit, nec contra cujusquam injurias tenet libidinem vindicandi, ut veraciter dicat, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Matth. 6. 12.* Et tamen eo ipso quòd verum dicit, Dimitte, sicut & nos dimittimus; sine peccato se non esse declarat.

25. Inde est quod dicit, *Nihil iniquum erat in manibus meis, sed munda oratio mea.* *Iob 16. 18.* Hinc enim erat munda oratio, quia veniam non injustè petebat, qui veraciter dabat.

26. Et quod dicit de Domino, *Multas enim contritiones meas fecit sine caussa*: *Iob 9. 17.* non ait, nullas fecit cum caussa, sed, *multas sine caussa*. Non enim propter multa peccata ejus factæ sunt ei multæ contritiones, sed propter probationem patientiæ. *Job quare tanta passus.* Nam propter peccata, sine quibus, ut alibi confitetur, non fuit, pauciora se pati debuisse judicat. *Iob 6. 2.*

27. Item quod dicit, *Vias enim ejus custodivi, & non declinavi à mandatis ejus, neque discedam.* *Iob 23. 11. Custodire vias Domini quis dicatur.* Custodit vias Dei, qui non sic exorbitat, ut eas relinquat, sed in eis currendo proficit; etsi aliquando ut infirmus offendit aut titubat: proficit autem minuendo peccata, donec perveniat ubi sine peccato sit. Non enim aliter potest eo modo proficere, nisi custodiendo vias ejus. Declinat autem à mandatis Domini atque discedit apostata; *Declinare & discedere à viis Domini, quid.* non ille qui, etiamsi habeat peccatum, confligendi tamen cum eo perseverantiam non relinquit, donec eò perveniat ubi nulla cum morte contentio remanebit. In isto ergo conflictu induimur eâ justitiâ, qua hîc ex fide vivitur, & eâ quodam modo loricamur. Assumimus quoque judicium, quod etiam contra nos pro nobis facimus, quando peccata nostra accusando damnamus: unde scriptum est, Justus ipse sui accusator est in primordio sermonis. *Prov. 18. 17.* Hinc item dicit, *Iustitiâ vestitus eram, & circumdedi mihi judicium sicut chlamydem.* *Iob 29. 14.* Nam & ista vestis belli magis solet esse quàm pacis, ubi adhuc expugnatur concupiscentia, non ubi erit plena sine aliquo prorsus hoste justitia, novissima inimica morte destructa.

28. Quod autem iterum ait idem sanctus Job, *Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*: *Iob 27. 6. Non reprehendere nos cor nostrum* tunc nos in ista vita, in qua ex fide vivimus, non reprehendit cor nostrum, si eadem fi-

[a] Sic MSS. At editi, *judicavit.*
[b] Plerique MSS. *& quòd ea quæ hîc habebant peccata, eleemosynis diluerunt.*

quando dicatur. des [a] qua corde creditur ad justitiam, non ne-
a gligit reprehendere peccatum nostrum. Unde
Rom. 7. 15. dicit Apostolus, Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago. Bonum est enim non concupiscere, & hoc bonum vult ju-
Habac. 2. 4. stus, qui ex fide vivit: & tamen facit quod odit,
Eccli. 18. 30. quia concupiscit; quamvis post concupiscentias suas non eat: quod si fecerit, tunc verè ipse fecit ut cedat, ut consentiat, ut desiderio peccati
b obediat. Tunc eum cor ejus reprehendit; [b] quia ipsum reprehendit, non illud peccatum ejus, B quod habitat in membris ejus. Cùm verò non
Rom. 6. 12. sinit regnare peccatum in suo mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, nec exhibet membra sua arma iniquitatis peccato; inest quidem peccatum in membris ejus, sed non regnat, quia non obeditur desideriis ejus. Et ideo dum quod non vult agit, id est, non vult concupiscere &
Rom. 7. 16. concupiscit; consentit legi, quia bona est. Hoc enim vult & ipse quod lex; quia vult ipse non
Exod. 20. 17. concupiscere, & lex dicit, Non concupisces. In C hoc quoniam vult quod & lex vult, procul dubio consentit legi: concupiscit tamen, quia non est sine peccato; sed jam non ipse operatur illud, sed id quod in illo habitat peccatum. Ideo non eum reprehendit cor ejus in omni vita ejus; hoc est, in fide ejus, quia justus ex fide vivit: & ideo
Rom. 7. 18. fides ejus est vita ejus. Scit enim quia non habitat in carne ejus bonum, ubi habitat peccatum: sed non ei consentiendo vivit ex fide, qua invocat Deum ut adjuvetur pugnans contra pecca- D tum; quod ut omnino ibi non sit, adjacet ei velle, sed perficere bonum non adjacet. Non
Ibidem. facere bonum non adjacet, sed perficere. Nam in eo quòd non consentit, bonum facit; & in eo quòd odit concupiscentiam suam, bonum facit; & in eo quòd eleemosynas facere non cessat, bonum facit; & in eo quòd illi qui in eum peccat ignoscit, bonum facit; & in eo quòd petit sibi dimitti debita sua, & veraciter dicit quòd dimittit etiam ipse debitoribus suis, & orat ut ne E inferatur in tentationem, sed liberetur à malo,
Bonum quando perficietur. bonum facit: ei tamen perficere bonum non adjacet, quod tunc erit, quando illa concupiscentia quæ habitat in membris ejus, nulla erit. Non ergo eum reprehendit cor ejus, quando reprehendit peccatum quod habitat in membris ejus,
c & non habet [c] quam reprehendat infidelitatem ejus. Ita nec in vita sua, id est, in fide sua, à corde suo reprehenditur, & sine peccato non esse convincitur. Quod & ipse Job de se confi- F
Job 14. 16. tetur, ubi dicit, Nihil te latuit peccatorum meorum. Signasti iniquitates meas in sacculo, & annotasti si quid invitus transgressus sum. Testimonia ergo quæ posuit de verbis sancti Job, nos sicut potuimus, quemadmodum sint accipienda monstravimus: nec tamen ille solvit, quod eum-
Job 14. 4. sec. LXX. dem Job dixisse proposuit, *Quis enim mundus est à peccato? Nec infans cujus est diei unius vita super terram.*

Caput XII.

d
Psal 115. 2.
Secundum

29. *Iterum proponere solent*, inquit, *Omnis homo mendax.* Neque hoc contra [d] se ipsum à se G ipso propositum solvit: sed commemorando alia velut contraria testimonia, apud eos qui non intelligunt sanctam scripturam, divina eloquia in lite dimisit. Ait enim, *Quibus respondendum est, quod in Numerorum libro scriptum est: Homo verax. Et de sancto Iob legitur ita: Erat vir habitans in regione Ausitide, nomine Iob, verax, sine crimine, justus, Dei cultor, abstinens se ab omni re mala.* Miror quòd ausus est ponere hoc testimonium, ubi dictum est, *abstinens se ab omni re mala*, cùm hoc ab omni peccato vellet intelligi; cùm superiùs * dixerit, peccatum actum [e] esse, non rem. Reminiscatur ergo quia etiam si actus sit, res potest dici. Abstinet se autem ab omni re mala, qui peccato, sine quo non est, vel numquam omnino consentit, vel si aliquando premitur, non opprimitur; sicut luctator fortior, & si aliquando tenetur, non ideo perdit quo superior invenitur. Legitur sanè homo sine crimine, legitur sine querela: at non legitur sine peccato, nisi filius hominis, unus idemque Dei filius unicus.

30. *Item*, inquit, *apud ipsum Iob: Et miraculum tenuit veracis hominis. Item apud Salomonem de Sapientia: Viri mendaces non erunt illius memores, viri autem veraces invenientur in illa. Item in Apocalypsi: Et in ore ipsorum non est inventum mendacium; sine macula sunt.* Ad hæc & nos respondemus, admonentes quomodo dicendus sit homo verax per Dei gratiam atque veritatem, qui per se ipsum sine dubio mendax est. Unde dictum est, *Omnis homo mendax.* Hoc & testimonium sonat de Sapientia, quod ipse posuit: *Viri autem veraces invenientur in illa*: qui procul dubio non in illa, sed in se ipsis invenientur esse mendaces. Sicuti est, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Cùm diceret, tenebræ; non addidit, in Domino: cùm autem dixit, lux; addidit utique, in Domino: quia in se ipsis lux esse non possent; ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Illi verò in Apocalypsi propterea tales dicti sunt, quòd *non sit inventum in ore eorum mendacium*: quia non dixerunt se non habere peccatum; quod si dicerent, se ipsos deciperent, & veritas in eis non esset: porro si veritas in eis non esset, inveniretur in ore eorum mendacium. Quòd si propter invidiam, cùm essent sine peccato, dicerent se non esse sine peccato; hoc ipsum esset mendacium, falsumque esset quod dictum est, *Non est inventum in ore ipsorum mendacium.* Ideo ergo *sine macula sunt*; quia sicut ipsi dimiserunt debitoribus suis, sic illis Deo dimittente mundati sunt. Ecce nos, ut valuimus, exposuimus quomodo accipienda essent testimonia, quæ pro sua caussa commemoravit. Ipse autem quomodo sit accipiendum quod scriptum est, *Omnis homo mendax*, omnino non solvit; nec solvere poterit, nisi correcto errore, quo credit hominem sine adjutorio gratiæ Dei, per solam propriam voluntatem posse esse veracem.

31. Sic aliam quæ sequitur quæstionem proposuit, nec solvit: immo verò auxit, & difficiliorem reddidit, proponendo adversùm se [f] prolatum testimonium, *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*: & quasi contraria testimonia

[a] Am. Er. & MSS. *in qua*: particula *in* expuncta fuit per Lovanienses.
[b] Unus è Vat. MSS. omittit, *quia ipsum reprehendit.*
[c] Plures MSS. *quod reprehendat infidelitatem ejus.*
[d] Plerique MSS. *contra se ipsos à se ipso.*

[e] Am. Er. & omnes MSS. uno tantùm excepto, *peccatum actum malum esse.*
[f] Unus Vatic. cod. *propheticum.* Plures MSS. cum Am. & Er. *probatum.*

referendo, quibus ostenderet esse homines qui faciunt bonum. Quod quidem ostendit: sed aliud est, non facere bonum; aliud, non esse sine peccato, etiam si homo faciat multa bona. Quapropter ea testimonia quæ posuit, non sunt contra illud quod dicitur, non esse in hac vita hominem sine peccato. Ipse autem non ostendit quemadmodum dictum sit, *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Ait enim*, inquit, *sanctus David, Spera in Domino, & fac bonitatem.* (*Psal. 36. 3.*) Hoc præceptum est, non factum: quod præceptum non utique faciebant de quibus dictum est, *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Ait *etiam dixisse sanctum Tobiam, Noli timere fili, pauperem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bona.* (*Tob. 4. 23.*) Verissimè tunc erunt homini multa bona, cùm recesserit ab omni peccato. Tunc enim ei nulla erunt mala, ut non opus habeat dicere, Libera nos à malo. (*Matth. 6. 13.*) Quamvis & nunc omnis qui proficit, recta intentione proficiens, recedit ab omni peccato, & tanto inde fit longinquior, quanto plenitudini justitiæ perfectionique propinquior: quia & ipsa concupiscentia, quod est peccatum habitans in carne nostra, etsi manet adhuc in membris mortalibus, minui tamen non desinit in proficientibus. Aliud est ergo, recedere ab omni peccato, quod nunc in opere est; aliud, recessisse ab omni peccato, quod in illa perfectione tunc erit. Sed tamen & qui jam recessit, & qui adhuc recedit, non est negandus facere bonum. Quomodo ergo dictum est, *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*; quod ille proposuit, & non solutum reliquit; nisi quia populum quemdam Psalmus ille culpat, in quo nec unus erat qui faceret bonum, dum volunt remanere filii hominum, & non esse filii Dei, cujus gratiâ homo fit bonus, ut faciat bonum? De illo enim bono dictum hîc debemus accipere, quod ibi ait, Deus de cælo respexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. (*Ibid. 2.*) Hoc ergo bonum, quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat usque ad unum, sed in eo genere hominum, quod [a] prædestinatum est ad interitum. Super hos enim respexit Dei præscientia, protulitque sententiam.

Aliud recedere, aliud recessisse ab omni peccato.

Psal. 13. 3. Non est qui faciat bonum, de quibus intelligendũ.

Caput XIV. Testimonium Scripturæ quartum.

32. *Item dicunt*, inquit, *illud quod Salvator ait, Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus.* (*Luc. 18. 19.*) Hanc item propositionem omnino non solvit: sed opposuit velut ex adverso alia testimonia, quibus probaret esse & hominem bonum. Dixit enim *esse respondendum quod idem Dominus alibi ait, Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* (*Matth. 12. 35.*) *Et iterum, Qui solem suum oriri facit super bonos & malos.* (*Matth. 5. 45.*) *Et alibi scriptum est*, inquit, *Bona bonis creata sunt ab initio.* (*Eccli. 39. 30.*) *Et iterum, Qui sunt boni, erunt habitatores terræ.* (*Prov. 2. 21.*) Cui sic respondendum est, ut & illud intelligatur quomodo dictum sit, *Nemo bonus, nisi unus Deus.* (*Marc. 10. 18.*) Sive quia omnia quæ creata sunt, quamvis ea Deus fecerit bona valde, Creatori tamen comparata, nec bona sunt, cui comparata nec sunt: [b] altissimè quippe & proprio modo quodam de se ipso dixit, Ego sum qui sum. (*Exod. 3. 14.*) [c] Sic dictum est, *Nemo bonus, nisi unus Deus*: quemadmodum de Johanne dictum est, Non erat ille lumen (*Johan. 1. 8.*); cùm Dominus eum esse dicat lucernam (*Johan. 5. 35.*), sicut discipulos, quibus dixit, Vos estis lumen mundi; nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio (*Matth. 5. 14.*): sed in comparatione luminis illius, quod est verum lumen, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum (*Johan. 1. 9.*), non erat ille lumen. Sive quia ipsi etiam filii Dei comparati sibi ipsis quales in illa perfectione æterna futuri sunt, ita boni sunt, ut adhuc & mali sint. Quod de illis dicere non auderem, (quis enim audeat dicere malos esse, quorum pater est Deus:) nisi ipse Dominus diceret, Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se? (*Matth. 7. 11.*) Cùm ait utique, Pater vester; filios Dei jam esse monstravit, quos tamen adhuc malos esse non tacuit. (*V. lib. 2. cont. Julian. c. 8.*) Ille tamen non solvit, quomodo & isti boni sint, & *nemo sit bonus, nisi unus Deus*: unde est ille admonitus, qui interrogaverat quid boni faceret, ut illum quæreret cujus gratiâ bonus esset, cui bonum esse, hoc est ipsum esse; quia incommutabiliter bonus, & non potest omnino malus esse.

Deo bonũ esse est ipsum ejus esse.

Caput XV. Testimonium quintum.

33. *Item dicunt*, inquit, *Quis gloriabitur castum se habere cor?* (*Prov. 20. 9.*) Et ad hoc respondit multis testimoniis, volens ostendere posse esse in homine castum cor: nec tamen dicit quomodo accipiendum sit, quod proposuit contra se dici, *Quis gloriabitur castum se habere cor*, ne scriptura divina in hoc testimonio, & in his per quæ respondit, sibi ipsa adversaria videatur. Nos autem huic respondentes dicimus, ideo secutum esse, *Quis gloriabitur castum se habere cor?* quoniam præcessit, *Cùm rex justus sederit in throno.* (*Ibidem 8.*) Quantalibet enim justitiâ sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum, cùm rex justus sederit in throno, cujus cognitionem fugere delicta non possunt, nec illa de quibus dictum est, Delicta quis intelligit? (*Psal. 18. 13.*) *Cùm ergo rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato?* Nisi fortè isti, qui volunt in sua justitia, non in ipsius judicis misericordia gloriari.

34. Tamen etiam illa vera sunt, quæ respondendo subjecit, quod *Salvator ait in Evangelio, Beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt:* (*Matth. 5. 8.*) *Et quod David dicit, Quis adscendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundus corde.* (*Psal. 23. 3.*) *Et alibi, Bene fac Domine bonis & rectis corde.* (*Psal. 124. 4.*) *Item apud Salomonem, Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.* (*Eccli. 13. 30.*) *Item illic, Averte te à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.* (*Eccli. 38. 10.*) *Item in epistola Johannis, Si cor nostrum nos non reprehendat, fiduciam habemus ad Deum, & quæcumque petierimus, accipiemus ab eo.* (*1. Johan. 3. 21.*) Hoc enim agitur voluntate, credendo, sperando, diligendo, corpus castigando, eleemosynas faciendo, injurias ignoscendo, instanter orando, & proficiendi vires precando,

[a] In hunc locum Fulgentius lib. 1. ad Monimum c. 5. *Nihil aliud*, inquit, *accipiendum existimo in illo sancti Augustini sermone, quo ad interitum quosdam prædestinatos firmat, nisi ad interitum supplicii, non delicti; neque ad malum quod injustè admittunt, sed ad cruciatum quem justissimè patientur; nec ad peccatum quo primæ resurrectionis beneficium aut non accipiunt, aut amittunt, sed ad tormentum quod illis propria iniquitas male parit & æquitas divina bene retribuit.*

[b] Apud Lov. *altissimo.*

[c] Editi, *sicut*: minùs rectè.

veraciterque dicendo, Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus; &, Ne inferas nos in tentationem, sed libera nos à malo. Hoc prorsus agitur, ut cor mundetur, & peccatum omne tollatur; & quod [a] rex justus, cùm in throno sederit, occultum invenerit minúsque mundatum, ejus misericordiâ remittatur; ut Deo videndo totum sanum mundumque reddatur. *Jac. 2. 13.* Judicium enim sine misericordia, sed illi qui non fecit misericordiam. Superexaltat autem misericordia judicio. Quod si non esset, quæ spes esset? Quando quidem *cùm rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato?* Tunc ergo per ejus misericordiam justi plenè perfectéque mundati, fulgebunt in regno Patris sui sicut sol. *Matth. 13. 43.*

Ecclesia sine macula & ruga post resurrectionem.

35. Tunc [b] plenè atque perfectè erit Ecclesia non habens maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, quia tunc etiam erit verè gloriosa. *Ephes. 5. 27.* Cùm enim non tantùm ait, ut exhiberet sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, sed addidit, gloriosam: satis significavit, quando erit sine macula & ruga aut aliquo hujusmodi: tunc utique, quando gloriosa. Non enim modò in tantis malis, in tantis scandalis, in tanta permixtione hominum pessimorum, in tantis opprobriis impiorum dicendum est eam esse gloriosam, quia reges ei serviunt, ubi est periculosior majorque tentatio: sed tunc potiùs gloriosa erit, quando fiet quod idem ait Apostolus, *Col. 3. 4.* Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Cùm enim Dominus ipse secundùm formam servi, per quam se mediator conjunxit Ecclesiæ, non fuerit glorificatus nisi resurrectionis gloriâ, (unde dictum est, *Johan. 7. 39.* Spiritus non erat datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus;) quomodo dicenda est ante resurrectionem suam Ecclesia ejus esse gloriosa? *Ephes. 5. 26.* Mundat ergo eam nunc lavacro aquæ in verbo, abluens peccata præterita, & pellens ab ea dominationem malorum angelorum: deinde perficiens ejus sanitates, facit eam occurrere in illam gloriosam, sine macula & ruga. *Rom. 8. 30.* Quos enim prædestinavit, illos & vocavit; & quos vocavit, ipsos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit. *Luc. 13. 32.* In hoc mysterio dictum arbitror, Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor, id est, perficior. Dixit enim hoc ex persona corporis sui, quod est Ecclesia: [c] dies ponens pro distinctis ordinatisque temporibus, quod & in sua resurrectione significavit in triduo.

Corde rectus & mundus quî differant.

36. Puto autem interesse inter rectum corde, & mundum corde. Nam & rectus corde in ea quæ antè sunt extenditur, ea quæ retrò sunt obliviscens, *Philip. 3. 13.* ut recto cursu, id est, recta fide atque intentione perveniat, ubi habitet mundus corde. Sicut illa singula reddenda sunt singulis, *Psal. 23. 3.* ubi dictum est, *Quis adscendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundus corde.* Innocens manibus adscendet, & mundus corde stabit: illud in opere est, illud in [d] fine. Et illic magis intelligendum quod dictum est, *Eccli. 13. 30.* *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.* Tunc enim erit verè bona substantia, id est, veræ divitiæ, cùm transierit tota paupertas, id est, cùm [e] consumta fuerit omnis infirmitas. Nunc verò *avertat se homo à delicto,* cùm proficiendo inde [f] discedit, & renovatur de die in diem; *& dirigat manus* in [g] opera misericordiæ, & *ab omni delicto mundet cor suum;* [h] misereatur, ut quod restat, per veniam dimittatur. Hoc enim salubriter & sine vana inanique jactantia bene intelligitur, in eo quod dixit sanctus Johannes, *1. Johan. 3. 21.* *Si cor nostrum nos non reprehendat, fiduciam habemus ad Deum, & quæcumque petierimus, accipimus ab eo.* Hoc enim videtur isto loco admonuisse, ne cor nostrum nos in ipsa oratione & petitione reprehendat: hoc est, ne fortè cùm cœperimus dicere, Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus; compungamur non facere quod dicimus, aut etiam non audeamus dicere quod non facimus, & fiduciam petendi amittamus.

Caput XVI. Testimonium. Eccle. 7. 21. Job 1. 8.

37. Item sibi opposuit testimonium Scripturarum, quod eis dici solet, *Quia non est homo justus in terra qui faciat bonum, & non peccet.* Et quasi respondit aliis testimoniis, quia *Dominus de sancto Iob ait, Numquid considerasti servum meum Iob? Non enim est ei similis quisquam in terris, homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni malo.* Unde jam superiùs disseruimus. Nec tamen ipse ostendit nobis, quomodo & Job, si hæc verba ita intelligenda sunt, sine ullo peccato fuerit in terra, & verum sit quod scriptum esse dixit, *Non est homo justus in terra qui faciat bonum, & non peccet.*

Caput XVII. Testimonium. Psal. 142. 2. Luc. 1. 6.

38. *Item dicunt*, inquit, *Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et huic testimonio quasi respondit ad nihil aliud, nisi ut scripturæ sanctæ inter se litigare videantur: quarum concordiam nos debemus ostendere. Ait enim, *Quibus respondendum est, quod de sancto Zacharia & Elisabet Evangelista testatur, dicens, Erant autem Zacharias & Elisabet uxor ejus justi ambo in conspectu Domini, & incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* Qui justi ambo utique legerant inter ipsa mandata, quemadmodum sua peccata mundarent. Nam Zacharias, quod de omni sacerdote ex hominibus accepto in epistola ad Hebræos dicitur, *Hebr. 5. 1.* etiam pro suis peccatis utique hostias offerebat. Quomodo autem intelligendum sit quod dicitur, *sine querela,* jam *suprà satis, quantùm opinor, ostendimus. ** Cap. 10.* *Et beatus*, inquit, *Apostolus ait, Ut simus sancti & immaculati in conspectu ejus.* *Ephes. 1. 4.* Hoc agitur, ut hoc simus; si immaculati intelligendi sunt, qui omnino sine peccato sunt. *Immaculati ille qui dicantur.* Si autem immaculati sunt, qui sunt sine crimine; etiam in hac vita fuisse atque esse negare non possumus: quia non ideo sine ullo peccato est aliquis, quoniam non habet maculam criminis. Unde & Apostolus cùm ministros eligeret ordinandos, non ait, *Tit. 1. 7.* Si quis sine peccato; quod invenire non posset: sed ait, Si quis sine crimine; quod utique posset. Nec tamen iste ostendit, quemadmodum secundùm suam caussam debeamus accipere quod scriptum est: *Quoniam non justificabitur in conspectu tuo* *Ps. 142. 2.*

[a] Am. Er. & MSS. *& quod judex justus.*
[b] Sic MSS. Editi verò, *Tunc plena atque perfecta.*
[c] Editi, *Ecclesia Dei: ponens.* Emendantur à codice Vatic.
[d] Editi, *illud in fide:* malè ac dissentientibus MSS.
[e] Editi & MSS. præter unum è Vatic. habebant, *consummata,*
[f] Sic plures MSS. At Am. *discedat, & renovetur.* Lov. *discedit: & renovetur.*
[g] Plerique MSS. *in opere.* quidam codex, *in opus.*
[h] Unus ex Vaticanis MSS. *mundet cor suum, dum per opera misericordiæ meretur ut quod restat &c.*

In conspectu Dei quomodo nemo justificetur.

omnis vivens. Aperta quippe sententia est de superiore versu illustriùs declarata, *Non intres*, inquit, *in judicium cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Judicium timet, quia misericordiam desiderat, quæ superexaltat judicio. Hoc est enim, *Ne intres in judicium cum servo tuo*, noli me judicare secundùm te, qui es sine peccato: *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; quod de hac vita dictum sine difficili quæstione intelligitur; & quod ait, *non justificabitur*, ad illam perfectionem justitiæ retulit, quæ in hac vita non est.

CAPUT XVIII. Testimonium octavum.

1. Iohan. 1. 8. — 1. Iohan. 3. 9. — 1. Iohan. 5. 18. — 1. Iohan. 3. 5. — Ibidem 2.

39. *Item dicunt*, inquit, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et huic evidentissimo testimonio quasi contrariis testimoniis respondere conatus est, quòd *idem sanctus Iohannes in eadem epistola dicat, Hoc autem dico, fratres, ut non peccetis. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare. Item illic: Qui natus est ex Deo, non peccat, quia generatio Dei conservat eum, & malignus non tangit eum. Item illic*, inquit, *ubi de Salvatore ait: Quoniam ille apparuit, ut peccata tolleret. Omnis qui in eo manet, non peccat. Omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum. Item illic: Carissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est: & omnis qui habet spem hanc in eum, sanctificat se, sicut & ipse sanctus est.* Et tamen cùm hæc omnia testimonia vera sint, verum est & illud quod proposuit, & non solvit, *Quòd si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ac per hoc, secundùm id quòd ex Deo nati sumus, in eo qui apparuit ut peccata tolleret, id est, in Christo manemus, & non peccamus; hoc est autem, quòd homo interior renovatur de die in diem: secundùm autem quòd de homine illo nati sumus, per quem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, sine peccato non sumus; quia sine illius infirmitate nondum sumus, donec illa renovatione, quæ fit de die in diem, quoniam secundùm ipsam ex Deo nati sumus, infirmitas tota sanetur, in qua ex primo homine nati sumus, & in qua sine peccato non sumus: cujus reliquiis in homine interiore manentibus, quamvis de die in diem minuantur in proficientibus, *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quomodo enim verum est, *Omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum?* cùm secundùm visionem & cognitionem quæ erit in specie, nemo eum in hac vita videat atque cognoscat; secundùm autem visionem atque cognitionem quæ est in fide, multi sint qui peccent, certè ipsi apostatæ, qui tamen in eum aliquando crediderunt, ut de nullo eorum dici possit, secundùm visionem & cognitionem quæ adhuc in fide est, non vidit eum neque cognovit eum. Sed intelligendum arbitror, quia renovatio perficienda videt & cognoscit: infirmitas verò absumenda non videt, nec cognoscit eum: in cujus quantiscumque reliquiis interiùs constitutis, *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Cùm ergo per gratiam renovationis *filii Dei simus*, tamen propter reliquias infirmitatis *nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam, cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Tunc peccatum nullum erit, quia infirmitas nec interior nec exterior ulla remanebit. *Et omnis qui habet hanc spem in eum, sanctificat se, sicut & ipse sanctus est.* Sanctificat se, non per se ipsum, sed credendo in illum & invocando illum qui sanctificat sanctos suos: cujus sanctificationis perfectio, quæ nunc proficit & crescit de die in diem, omnes infirmitatis reliquias ablatura est.

1. Iohan. 1. 8. — Qui natus est ex Deo, non peccare quo sensu dicitur. — 2. Cor. 4. 16. — Rom. 5. 12. — 1. Iohan. 3. 6. — Omnis qui peccat quomodo non viderit nec cognoverit Deum.

CAPUT XIX. Testimonium nonum.

Rom. 9. 16. — 1. Cor. 7. 36. — Philem. 14. — Deut. 30. 15. & 19. — Eccli. 15. 14. & seq. — Isa. 1. 19. — Matth. 6. 10. & 13. — Luc. 11. 9.

40. *Item dicunt*, inquit, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quibus *respondendum esse* dicit, *quod idem Apostolus alibi de quodam ait, Quod vult faciat. Item*, inquit, *ad Philemonem de Onesimo: Quem ego volueram apud me detinere, ut pro te mihi ministraret; sed sine consilio tuo nihil volui facere, ut non quasi ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Item in Deuteronomio: Vitam & mortem dedit ante faciem tuam, bonum & malum, elige vitam ut vivas. Item apud Salomonem: Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui: adjecit ei mandata & præcepta; si voles præcepta, servabunt te, & in posterum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod vis porrige manum tuam. Ante hominem bonum & malum, vita & mors, paupertas & honestas à Domino Deo sunt. Item apud Isaiam: Et si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis; si autem nolueritis nec obaudieritis me, gladius vos comedet. Os enim Domini locutum est hæc.* Hîc verò, quantumlibet isti se obtegant, aperiuntur. Declarant enim se contra Dei gratiam vel misericordiam disputare, quam volumus impetrare cùm dicimus, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra: vel, Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Ut quid enim ista orando tanto gemitu petimus, si volentis hominis & currentis, non miserentis est Dei? Non quia hoc sine voluntate nostra agitur, sed quia voluntas non implet quod agit, nisi divinitus adjuvetur. Hæc est fidei sanitas, quæ nos facit quærere ut inveniamus, petere ut accipiamus, pulsare ut aperiatur nobis. Contra istam qui disputat, contra se ipsum claudit ostium misericordiæ Dei. Nolo plura dicere de re tanta, quia meliùs eam committo fidelium gemitibus, quàm sermonibus meis.

1. Cor. 7. 36. — Philem. 14. — Philip. 2. 13. — Deut. 30. 15. & 19.

41. Videte tamen obsecro quale sit, ideo volenti & currenti misericordiam Dei non esse necessariam, quæ illum etiam prævenit, ut curreret, quia de quodam ait Apostolus, *Quod vult faciat*: ibi ut arbitror, ubi sequitur & dicit, *Non peccat, si nubat.* Quasi pro magno habendum sit, velle nubere, ubi de adjutorio divinæ misericordiæ operosiùs disputatur. Aut verò etiam ibi prodest aliquid velle, nisi Deus providentiâ, qua gubernat omnia, marem feminamque conjungat. Aut quoniam *ad Philemonem scripsit Apostolus, ut non quasi ex necessitate bonum ejus esset, sed voluntarium*: quasi aliter sit voluntarium bonum, nisi cùm Deus operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Aut quia in Deuteronomio scriptum est, *Vitam & mortem dedit ante faciem hominis, bonum & malum*; & admonuit ut *eligeret vitam*: quasi & ipsa admonitio non de misericordia veniat; vel aliquid prodesset eligere vitam,

nisi Deus eligendi caritatem inspiraret, & ele-
Psal. 29. 6. ctam habere præstaret: de quo dictum est, Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in volun-
Eccli. 15. 16. tate ejus. Aut quia dictum est, *Si voles præcepta, servabunt te:* quasi non debeat Deo agere gratias, quia præcepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis hæc velle non posset. *Positis ante hominem igne & aquâ, quò vult* quidem *porrigit manum;* sed [a] altior est qui vocat altiùs quàm omnis humana cogitatio: quando quidem initium corrigendi cor fides est, sicut scriptum est,
Cant. 4. sec. LXX. Venies, & pertransies ab initio fidei: & quisque
Rom. 12. 13. ita eligit bonum, sicut unicuique Deus partitus
Iohan. 6. 44. est mensuram fidei: &, Nemo potest ad me venire, ait princeps fidei, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Quod de fide dictum esse qua in eum creditur, satis evidenter postea explanat,
Ibidem 64. ubi dicit: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, sed quidam sunt ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus, qui essent credentes, & quis eum traditurus esset, & dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest ad me venire, nisi fuerit ei datum à Patre meo.

42. Magnum autem aliquid pro sua caussa se invenisse arbitratus est apud Isaiam prophetam,
Isaiæ 1. 19. quia Deus dixit, *Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis; si autem nolueritis & non audieritis me, gladius vos comedet. Os enim Domini locutum est hæc.* Quasi non lex tota hujusmo-
Promissa Dei conditionata. di conditionibus plena sit: aut ob aliud superbis præcepta ista data sint, nisi quia lex prævarica-
Gal. 3. 19. tionis gratiâ posita est, donec veniret semen cui
Rom. 5. 20. promissum est. Unde subintravit ut abundaret delictum, & ubi abundavit delictum, superabundavit gratia: id est, ut acciperet homo præcepta, superbè de suis viribus fidens, in quibus deficiens & factus etiam prævaricator, liberatorem salvatoremque requireret; atque ita eum timor legis humilem factum, tamquam pædagogus ad
Psal. 15. 4. fidem gratiamque perduceret. Ita multiplicatis
Antiqui justi & ipsi per Christi gratiam salvati. infirmitatibus postea acceleraverunt, quibus sanandis opportunè Christus advenit. In cujus gratiam etiam justi antiqui crediderunt, eadem ipsâ gratiâ ejus adjuti, ut gaudentes eum prænoscerent, & quidam etiam prænuntiarent esse venturum; vel in illo populo Israël, sicut Moyses, & Jesus Nave, & Samuel, & David, & ceteri tales; vel extra ipsum populum, sicut Job; vel ante ipsum populum, sicut Abraham, sicut Noë, & quicumque alii sunt, quos vel commemorat vel
1. Tim. 2. 5. tacet scriptura divina. Unus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, sine cujus gratia nemo à condemnatione liberatur, sive quam traxit ex illo in quo omnes peccaverunt, sive quam postea suis iniquitatibus addidit.

CAPUT XX. 43. QUALE est autem, quod iste posuit in extremo: *Si quis dixerit, Potest fieri, ut homo vel verbo non peccet? Respondendum est,* inquit, *Si vult Deus, potest: vult enim Deus, ergo potest.* Item ait: *Si quis dixerit, Fieri potest, ut homo non in cogitatione delinquat? Respondendum est, Si vult Deus, potest: vult enim Deus, ergo potest.* Videte quemadmodum noluerit dicere, Si Deus adjuvet, potest;

A cui dicitur, Adjutor meus esto, ne derelinquas *Psal. 26. 9.*
me: non utique ad corporalia bona capessenda & mala cavenda, sed ad gerendam perficiendamque justitiam; propter quod dicimus, Ne *Matth. 6. 13.*
nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. *Adjuvatur nemo nisi qui & ipse aliquid agit.*
Nec adjuvatur, nisi qui & ipse aliquid agit: adjuvatur autem, si invocat, si credit, si secundùm propositum vocatus est: quoniam quos antè præscivit, & prædestinavit conformes imaginis Filii *Rom. 8. 29.*
sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus;
B quos autem prædestinavit, illos & vocavit; quos autem vocavit, illos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit. Currimus ergo, cùm *Cursus profectus est.*
proficimus, dum sanitas nostra in proficientibus currit: (sicut etiam cicatrix currere dicitur, quando bene vulnus diligenterque curatur:) ut ex omni parte perfecti sine ulla simus omnino infirmitate peccati; quod non solùm vult Deus, verùm etiam ut impleatur facit atque adjuvat. Et hoc nobiscum agit gratia Dei per Jesum Christum *Rom. 5.*
C Dominum nostrum, non solùm præceptis, sacramentis, exemplis; sed etiam Spiritu-sancto, per quem latenter diffunditur caritas in cordibus *Ibidem 5.*
nostris, [b] quæ interpellat gemitibus inenarrabilibus, donec in nobis perficiatur sanitas, & *Rom. 8.*
Deus [c] sicuti est, videndus æterna veritate monstretur.

44. QUISQUIS ergo fuisse vel esse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, *CAPUT XXI. Concupiscentia opera*
excepto uno mediatore Dei & hominum, qui-
D bus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est divinæ scripturæ, ubi Apostolus ait, Per unum hominem peccatum intravit in *Rom. 5. 12.*
mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Et necesse est, ut impia contentione asserat, esse posse homines, qui sine mediatore Christo liberante atque salvante sint liberi salvique à peccato; cùm ille dixerit, Non est opus sanis medi- *Matth. 9. 12.*
cus, sed malè habentibus: Non veni vocare justos, sed peccatores. Quisquis autem dicit, post
E acceptam remissionem peccatorum ita quemquam hominem justè vixisse in hac carne, vel vivere, ut nullum habeat omnino peccatum, contradicit apostolo Johanni qui ait, Si dixerimus, *1. Johan. 1. 8.*
quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Non enim ait, habuimus; sed, habemus. Quod si quisquam asserit de illo peccato esse dictum, quod habitat in carne mortali nostra secundùm vitium quod
F peccantis primi hominis voluntate contractum est, cujus peccati desideriis ne obediamus, Paulus *Rom. 6.*
apostolus præcipit; non autem peccare, qui eidem peccato, quamvis in carne habitanti, ad nullum opus malum omnino consentit, vel facti, vel dicti, vel cogitati, quamvis ipsa concupiscentia moveatur, quæ alio modo peccati nomen accepit, quòd ei consentire peccare sit, nobisque moveatur invitis: subtiliter quidem ista discernit, sed videat quid agatur de Dominica oratione, ubi dicimus, *Matth. 6. 12.*
G Dimitte nobis debita nostra: quod, nisi fallor, non opus esset dicere, si numquam, vel in lapsu linguæ, vel in oblectanda cogitatione, ejusdem peccati desideriis aliquantulùm consentiremus; sed tantummodo dicendum esset, Ne nos inferas *Ibidem 13.*

[a] Vetus codex Corb. hoc & altero loco, *altiùs.* Contrà alii quatuor MSS. utroque loco constanter habent, *altior.*

[b] Sola editio Lov. *qui.*

[c] Sic meliores MSS. At editi, *& Deus sicut videndus est.*

in tentationem, sed libera nos à malo. Nec Jacobus apostolus diceret, In multis offendimus omnes. Non enim offendit, nisi cui mala concupiscentia contra justitiæ rationem appetendo seu vitando, faciendum vel dicendum vel cogitandum aliquid, quod non debuit, sive fallens, sive prævalens persuadet. Postremò si excepto illo capite nostro, sui corporis salvatore, asseruntur vel fuisse, vel esse in hac vita aliqui homines justi sine aliquo peccato, sive numquam consentiendo desideriis ejus, sive quia pro nullo peccato habendum est, quod tantum est, ut hoc [a] pietati non imputet Deus, (quamvis aliter sit beatus sine peccato, aliter autem beatus cui non imputat Dominus peccatum,) non nimis existimo reluctandum. Scio enim quibusdam * esse visum, quorum de hac re sententiam non audeo reprehendere, quamquam nec defendere [b] valeam. Sed planè quisquis negat, nos orare debere, ne intremus in tentationem: (negat autem hoc qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem,) ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathemandum esse non dubito.

Iac. 3. 2.

Non ipsa in tentatio concupiscentia, sed consensus peccatum est.

Psal. 31. 2.

* V. L. de natura & grat. c. 63.

[a] Corbeiensis codex & unus ex Belgicis MSS. *pietate*.

[b] MSS. tres Gallicani & duo Vaticani, *audeam*.

ADMONITIO
IN LIBRUM DE GESTIS PELAGII.

A*Nno Christi 415. Pelagius apud Palæstinam hæresis postulatus, in judicium semel atque iterum adducitur. In primo quidem judicio, quod Johannes Jerosolymorum episcopus in presbyterorum conventu die 30. Julii habuit, nulla gesta confecta esse scribi. Augustinus in subsequente libro, n. 39. & n. 55. Tempus hujus conventûs ac diem licuit ab Orosio Hispano presbytero discere, qui conventui eidem interfuit, & ex ejus actis nonnulla memoratu digna litteris consignavit* * *in Apologia sua: ubi* multis *ex utraque parte* actitatis *tandem* Johannem episcopum novissimam sententiam protulisse *dicit*, ut ad beatum Innocentium papam Romanum fratres & epistolæ mitterentur, universis quod ille decerneret secuturis.

Alterum postea judicium cum gestorum conscriptione habitum fuit apud Diospolim Palæstinæ urbem, ab episcopis quatuordecim. Singulos episcopos suis ipsorum nominibus laudat Augustinus in libro 1. *contra Julianum, cap.* 5. *&* 7. *hoc ordine: Eulogium, Johannem, Ammonianum, Porphyrium, Eutonium, Porphyrium alium, Fidum, Zoninum, Zoboennum, Nymphidium, Chromatium, Jovinum, Eleutherium, & Clematium. Porro quin Eulogius ipse Cæsareensis episcopus ac provinciæ Palæstinæ primas fuerit, ambigit nemo: quippe cùm aliis tredecim episcopis, ipsimet etiam Johanni Jerosolymitano, constanter ab Augustino præponatur.*

* V. infrà Append. pag. 79.

Synodum Natali Dominico imminente celebratam intelligimus ex Luciani epistola * *de revelatione corporis Stephani martyris. Nam ubi narravit tres visiones anno* 415. *sibi divinitus ostensas, primam die* 3. *Decembris, secundam die* 10. *tertiam die* 17. *tumque se Johanni apud Jerosolymam rem nuntiasse, sibi verò ab Johanne jussum ut sepulcrum effossâ terrâ quæreret: testatur deinde se reperto sepulcro mox ad Johannem rursum adiisse*, cùm esset, *ait*, in Lidda, quæ est Diospolis, synodum agens. *Hoc nimirum in diem circiter* 21. *Decembris incidit: si quidem pergit Lucianus, Johannem assumtis secum aliis duobus episcopis, Eutonio Sebastensi, & Eleutherio Jerichentino, venisse, atque iis præsentibus martyris reliquias die* 26. *ejusdem mensis translatas fuisse.*

* Exstat in Append. tom. 7. p.

Pelagii caussam in synodo defendisse Annianus quidam diaconus Celedensis putatur, eruditis nonnullis de hoc diacono, quàm de Pelagio, facilius interpretantibus Hieronymum Alypio & Augustino epistolâ inter Augustinianas 202. *n.* 2. *scribentem*: Quidquid enim in illa miserabili synodo Diospolitana dixisse se denegat, in hoc opere profitetur. *Ubi* Diospolitanam synodum *Hieronymus* miserabilem *dixit, non ob aliud, opinamur, nisi quòd à Pelagio delusam ex actis cognosceret. Innocentius papa visis iisdem actis professus est, se* * non posse, *episcoporum* illorum nec culpare, nec approbare judicium. *Ceterùm Augustinus illos in subsequente libro c.* 3. pios judices, *& lib.* 1. *contra Julianum c.* 5. catholicos judices *vocat, qui Pelagium objectos sibi errores ejurantem, arbitrati catholicum, absolverunt: sæpe verò eosdem* 14. *antistites contra Julianum veritatis catholicæ testes citat.*

* Epist. 183. inter Aug. n. 4.

De Synodi gestis, præter auditum, nihil habere se significabat in epistolis 175. *n.* 4. *&* 177. *n.* 2. *ad Innocentium datis anno* 416. *Et Johannem Jerosolymitanum ut illa sibi transmitteret, enixè petebat epistolâ* 179. *n.* 4. *Sed ea penes ipsum erant, cùm epistolam* 186. * *ad Paulinum circa medium annum* 417. *scripsit. Hic itaque liber, post accepta gesta continuò editus, ad initium ejusdem anni* 417. *revocatur.*

* n. 31. & seq.

Etsi autem hoc opus in libro de peccato orig. c. 14. *vocetur*, De gestis Palæstinis; *quo id ipsum titulo designat Prosper in lib. cont. Collat. c.* 43. *tamen retinenda inscriptio*, De gestis Pelagii, *quæ & antiquis exemplaribus, & ipsi* * *Retractationi operis, ab Augustino recognita, præfigitur. Sic videlicet opus inscripsit, sive quòd jam vulgò receptum esset, ut gesta Pelagii* * *purgationisque ipsius dicerentur, quibus se ille purgatum jactabat; sive quòd hìc agendum esset de ipsis gestis, quæ idem ille prius emiserat breviata & corrupta. Hinc Possidius in indic. c.* 4. Contra gesta Pelagii *librum nuncupavit.*

* Lib. 2. Retract. ad cap. 47.

* L. de gest. Pelag. c. 29.

Ex eo libro Photius Diospolitanæ synodi notitiam cepit per quàm accuratam, & bibliothecæ suæ codici 54. * *commendavit. Atque hinc intelligas eum Augustini librum ex illis esse, quos* in græcum sermonem translatos *narrat Possidius in ejus vita cap.* 11. *Aurelium ipsum, cui liber scriptus est*, Carthaginis episcopum *Photius ibidem, & ante illum Prosper in lib. cont. Collat. c.* 43. *appellavit. Id si non docebat olim titulus, ambo ex libri lectione cap.* 11. *nullo negotio compererunt.*

* V. infrà Append. pag. 66.

Libri II. Retractationum Caput XLVII.

PEr idem tempus in Oriente, hoc est, in Syriâ Palæstina, Pelagius à quibusdam catholicis fratribus * ad episcopalia gesta perductus, eisque absentibus qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem Synodi non potuerunt occurrere, ab episcopis quatuordecim auditus est, ubi eum dogmata ipsa damnantem, quæ inimica gratiæ Christi adversùs eum de libello legebantur, catholicum pronuntiarunt. Sed cùm in manus nostras eadem gesta venissent, scripsi de his librum, ne illo velut absoluto eadem quoque dogmata putarentur judices approbasse; quæ ille nisi damnasset, nullo modo ab eis nisi damnatus exisset. Hic liber sic incipit, *Postea quam in manus nostras.*

* Herote & Lazaro.

S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

DE GESTIS PELAGII,

AD AURELIUM EPISCOPUM,

LIBER * UNUS.

* Scripta sub initium anni 417.

Singula errorum capita Pelagio apud Palæstinam Synodum objecta, cum ejusdem ad illa responsionibus, minutatim excutiuntur. Quamquam autem absolutionem à Synodo Pelagius consecutus sit, in eo tamen residere adhuc suspicionem hæreseos, monstrat Augustinus: ac denique hominem Synodi sententiâ sic esse absolutum, ut ipsa hæresis, propter quam in judicium venit, incunctanter damnata fuerit.

Prooemiū.

POSTEA quàm in manus nostras, A sancte papa Aureli, ecclesiastica gesta venerunt, ubi Pelagius ab episcopis quatuordecim provinciæ Palæstinæ catholicus est pronuntiatus, cunctatio mea terminum accepit, qua differere aliquid pleniùs atque fidentiùs de ipsa ejus defensione dubitabam. (* V. infrà cap. 32.) Hanc enim jam in quadam chartula, quam mihi ipse miserat, legeram. Sed quia ejus cum illa nullas * à se (* f. ad me.) datas litteras sumseram, verebar ne ali- B quid aliter in meis verbis inveniretur, quàm legeretur episcopalibus gestis: atque ita forsitan negante Pelagio, quòd ipse mihi illam chartulam miserit, quoniam facilè convinci uno teste non posset, ego potiùs ab iis qui ei neganti faverent, aut suppositæ falsitatis, aut (ut mitiùs dicam) temerariæ credulitatis arguerer. Nunc [a] ergo cùm ea pertracto quæ gesta testantur, jam quantùm mihi videtur, utrùm pro se ille sic egerit, dubitatione sublatâ, profectò & de ipsius C defensione, & de hoc opere nostro sanctitas tua, atque omnis qui legerit, faciliùs & certiùs judicabit.

Caput I.

2. PRIMUM itaque Domino Deo, rectori custodique [b] meo, ineffabiles ago gratias, quòd me de sanctis fratribus & coëpiscopis nostris, qui in ea caussa judices consederunt, opinio non fefellit. Responsiones enim ejus non immeritò approbaverunt, non curantes quomodo ea, quæ objiciebantur, in opusculis suis posuerit, sed quid D de his in præsenti examinatione responderit. Alia est enim caussa fidei non sanæ, alia locutionis incautæ. Denique in his quæ de libello, quem dederunt * sancti fratres & coëpiscopi nostri Galli, Heros & Lazarus (* Eulogio episcopo, infrà cap. 3.), qui propter gravem (sicut postea probabilius comperimus) unius eorum ægritudinem, præsentes esse minimè potuerunt, recitata sunt objecta Pelagio, illud est primum, quod in libro suo quodam scribit, *Non posse esse sine peccato, nisi qui legis scientiam habuerit.* (V. infrà Append. pag. 84.) Quo recitato Synodus dixit, *Tu hoc edidisti, Pelagi?* At ille respondit, *Ego quidem dixi, sed non sicut illi intelligunt: non dixi, non posse peccare, qui scientiam legis habuerit; sed adjuvari per legis scientiam ad non peccandum, sicut scriptum est, Legem in adjutorium dedit illis.* (Isai. 8. 20. sec. LXX.) Hoc audito, Synodus dixit, *Non sunt aliena ab Ecclesia, quæ dicta sunt à Pelagio.* Planè aliena non sunt, quæ respondit: illud verò quod de libro ejus prolatum est, aliud sonat. Sed hoc episcopi, Græci homines, & ea verba per interpretem audientes, discutere non curarunt; hoc tantùm intuentes, quid ille qui interrogabatur, sensisse se diceret, non quibus verbis eadem sententia in ejus libro scripta diceretur.

3. Aliud est autem, hominem per scientiam legis ad non peccandum adjuvari; & aliud est, non posse esse sine peccato, nisi qui scientiam legis habuerit. Cùm [c] enim videamus, exempli gratiâ, & sine tribulis areas triturari, quamvis adjuvent, si adsint, & sine pædagogis posse pueros pergere in scholam, quamvis ad hoc non sint inutilia pædagogorum adjumenta, & multos sine medicis ab ægritudine convalescere, quamvis manifesta sint adjutoria medicorum, & aliis cibis sine pane homines vivere, quamvis panis adjutorium valere plurimùm non negetur; & alia multa, quæ nobis tacentibus cogitanti facilè occurrunt: profectò admonemur adjutoriorum (Adjutoriorum duo genera.) genera esse duo. Alia quippe sunt, sine quibus illud ad quod adjuvant, effici non potest; sicut sine navi navigat nemo, nemo sine voce loquitur, nemo sine pedibus graditur, nemo sine luce intuetur,

[a] Sic veteres codices, Vaticanus & Colbertinus. Editi verò, *Nunc pertracto ergo quæ gesta testantur.*

[b] Colbertinus MS. *nostro.*

[c] Hic particulam *enim* ex MSS. adjecimus.

intuetur, & multa hujusmodi: unde est etiam illud, quòd nemo sine Dei gratia rectè vivit. Alia verò sunt adjutoria, quibus sic adjuvamur, ut etiam si desint, possit alio modo fieri propter quod ea requirimus: sicut illa sunt quæ commemoravi; tribula ad fruges terendas, pædagogus ad puerum ducendum, medicamentum [a] humana arte confectum ad recipiendam salutem, & cetera talia. Quærendum est igitur, ex quo duorum istorum generum sit legis scientia, id est, quomodo adjuvet ad non peccandum. Si eo modo, ut sine illa hoc non possit impleri; non solùm Pelagius verum respondit in judicio, sed etiam verum scripsit in libro: si verò eo modo, ut adjuvet quidem si adfuerit, possit tamen illud ad quod juvat, alio modo fieri, etiam si ista defuerit; verum quidem respondit in judicio, quod meritò episcopis placuit, *adjuvari hominem ad non peccandum legis scientiâ*; sed non verum scripsit in libro, *non esse hominem sine peccato, nisi qui scientiam legis habuerit*, quod indiscussum judices reliquerunt, Latini sermonis ignari, & ejus qui caussam dicebat, confessione contenti; præsertim ubi ex adverso nullus adstabat, qui verba libri ejus exponendo aperire interpretem cogeret, atque unde fratres non frustra moverentur, ostendere. Paucissimi quippe sunt legis periti: multitudinem autem membrorum Christi usquequaque diffusam, & legis tam profundæ ac multiplicis imperitam, simplicis fidei pietas & spes firmissima in Deo & caritas sincera commendat, quæ his donis prædita, gratiâ Dei se confidit à peccatis posse mundari per Jesum Christum Dominum nostrum.

CAPUT II.

4. AD hoc si fortè Pelagius responderet, hanc ipsam se dixisse scientiam legis, sine qua non potest homo liber esse à peccatis, quæ per doctrinam fidei neophytis atque in Christo parvulis traditur, qua etiam baptizandi catechizantur, ut Symbolum noverint; non quidem ista intelligi solet, quando habere quisquam scientiam legis dicitur; sed illa secundùm quam legis periti appellantur: verumtamen, si hæc verba, quæ pauca numero, sed magna sunt pondere, & more omnium Ecclesiarum fideliter baptizandis intimantur, scientiam legis nuncuparet, asserens de hac [b] se dixisse, *non esse sine peccato, nisi qui scientiam legis habuerit*, quæ necesse est tradatur credentibus, ante quàm ad ipsam remissionem veniant peccatorum; etiam sic circumdaret eum, non disputantium, sed vagientium baptizatorum multitudo innumerabilis parvulorum, qui non verbis, sed ipsa innocentiæ veritate clamarent, Quid est, quid est quod scripsisti, *non posse esse sine peccato, nisi qui scientiam legis habuerit?* Ecce nos grex magnus agnorum sine peccato sumus, & legis tamen scientiam non habemus. Nempe isti eum saltem, linguâ tacente, tacere compellerent, aut fortè etiam confiteri, vel nunc se ab illa perversitate * correptum, vel certè hoc se quidem & antè sensisse, quod nunc in ecclesiastico dixit examine; sed ejus sententiæ non se circumspecta verba posuisse, & ideo fidem suam esse approbandam, librum emendandum. Est enim, ut scriptum est, qui labitur in linguâ, & non in corde. [Eccli. 19. 16.] Quod si diceret, vel si dicat, quis eisdem verbis incautiùs negligentiúsque conscriptis non facillimè ignoscat, cùm sententiam, quam verba illa continent, non defendat, sed eam dicat suam, quam veritas probat? Hoc etiam pios judices cogitasse credendum est: si tamen hoc quod in libro ejus Latino est, diligenter interpretatum, satis intelligere potuerunt, sicut ejus responsionem Græco eloquio prolatam, & ob hoc facilè intellectam, alienam non esse ab Ecclesia judicaverunt. Sed jam cetera videamus.

* f. correctum.

CAPUT III.

5. ADJECIT enim episcopalis Synodus, & ait: *Legatur & aliud capitulum.* Et lectum est in eodem libro suo posuisse Pelagium, *Omnes voluntate propria regi.* Quo lecto Pelagius respondit: *Et hoc dixi propter liberum arbitrium, cui Deus adjutor est eligenti bona: homo verò peccans, ipse in culpa est, quasi liberi arbitrii.* Quo audito episcopi dixerunt: *Neque hoc alienum est ab ecclesiastica doctrina.* Quis enim condemnaret liberum arbitrium, vel negaret, cum quo Dei adjutorium prædicatur? Quapropter & sententia respondentis meritò episcopis placuit: & tamen illud quod in libro ejus positum est, *Omnes voluntate propria regi*, fratres qui noverant quid adversùs Dei gratiam isti soleant disputare, procul dubio debuit permovere. Sic enim dictum est, *Omnes voluntate propria regi*, tamquam Deus neminem regat, & frustra scriptum sit, "Salvum fac populum tuum, & benedic hereditatem tuam, & rege eos, & extolle illos usque in sæculum: [Psal. 27. 9.] ne remaneant utique, si voluntate propria sine Deo reguntur, velut oves non habentes pastorem; [Marci 6. 34.] quod absit à nobis. Nam procul dubio plus est agi, quàm regi: qui enim regitur, aliquid agit; & à [c] Deo regitur, ut rectè agat; qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur: & tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere, Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. [Rom. 8. 14.] Nec aliquid in nobis libera voluntas meliùs agere potest, quàm ut illi [d] se agendam commendet, qui malè agere non potest; & hoc cùm fecerit, ab illo se ut faceret, adjutam esse non dubitet, cui dicitur in Psalmo, Deus meus, misericordia ejus præveniet me. [Psal. 58. 11.]

6. Denique in illo libro, ubi illa capitula Pelagius scripsit, huic [e] positioni, qua dixit, *Omnes voluntate propria regi, & suo desiderio unumquemque dimitti*, subjecit aliquid de testimonio Scripturarum, quo satis appareat, non se sibi hominem regendum debere committere. Ait enim de hoc ipso [f] Sapientia Salomonis: *Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnium, ex genere terreno illius qui prior finctus est*: & cetera usque ad eum capituli finem, ubi legitur, *Unus ergo omnibus introitus ad vitam, & similis exitus: propter hoc optavi, & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ.* [Sap. 7. 1.] Nonne luce clariùs apparet, quemadmodum iste consideratâ miseriâ fragilitatis humanæ, non est ausus se re-

[a] In MSS. *humanitate confectum.*
[b] Ita Colbertinus codex. At plures editiones, *de hac re.* Editio Masiana, id est, Lovanii apud Bernardinum Masium an. 1647. confecta, *de hac oratione.*
[c] Eadem editio Mas. *& ideo regitur.*
[d] Editio Vigner. *ut illi se, & agenda commendet.* Melior lectio, quam sequimur, editionis Masianæ, quæ à vetere codice Colbertino confirmatur.
[e] In Colbertino codice, *propositioni.*
[f] Nonnulli MSS. *in sapientia.*

gendum sibi committere; sed optavit, & datus
1. Cor. 2. 16. est ei sensus, de quo dicit Apostolus, Nos autem sensum Domini habemus; & invocavit, & venit in eum spiritus sapientiæ? Hoc enim spiritu, non viribus propriæ voluntatis, reguntur & aguntur qui filii sunt Dei.

7. Nam & illud quod posuit de Psalmo in eodem Capitulorum libro, ut quasi probaret, *Omnes voluntate propria regi: Dilexit maledictum, &*
Psal. 108. 18. *veniet ei; & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo*: quis nesciat hoc vitium esse, non naturæ, sicut eam condidit Deus, sed voluntatis humanæ, quæ recessit à Deo? Verumtamen si non dilexisset maledictionem, & [a] voluisset benedictionem, & in hoc ipso voluntatem suam divinâ gratiâ negaret adjutam, ingratus atque impius sibi regendus dimitteretur, ut sine rectore Deo præcipitatus, non se à se ipso regi potuisse, pœnis experiretur. Sic etiam in illo testimonio, quod
Eccli. 15. 17 & 18. in eodem libro eidem titulo subdidit: *Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod vis porrige manum tuam; ante hominem bonum & malum, vita & mors, quod placuerit ei, dabitur illi*: manifestum est, quòd si ad ignem manum mittit, & malum ac mors ei placet, id voluntas hominis operatur; si autem bonum & vitam diligit, non solùm voluntas id agit, sed divinitus adjuvatur. Sufficit enim sibi oculus ad non videndum, hoc est, ad tenebras: ad videndum verò lumine suo non sibi sufficit, nisi illi extrinsecùs adjutorium clari
Rom. 8. 29. luminis præbeatur. Absit autem, ut ii qui secundùm propositum vocati sunt, quos præscivit, &
Prædestinati non suo ut pereant desiderio dimittuntur, sed tantùm reprobi. prædestinavit conformes imaginis Filii sui, suo ut pereant desiderio dimittantur. Hoc enim patiuntur vasa iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem: in quorum etiam ipsa perditione notas facit Deus divitias gloriæ suæ in vasa misericor-
Rom. 9. 22. Psal. 58. 11. diæ suæ. Propter hoc enim, cùm dixisset, Deus meus, misericordia ejus præveniet me: continuò
Ibidem 12. subjecit, Deus meus demonstravit mihi in inimi-
Rom. 1. 24. cis meis. Illis ergo fit quod scriptum est, Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Non autem fit prædestinatis, quos regit Spiritus Dei;
Psal. 139. 9. quoniam non inanis est vox eorum: Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori. Quando quidem & contra ipsa desideria sic oratum est,
Eccli. 23. 6. ut diceretur, Aufer à me concupiscentias ventris, & desiderium concubitûs ne apprehendat me. Præstat hoc Deus illis, quos subditos regit; non autem illis, qui se idoneos ad se ipsos regendos putant, & præfidenti cervice propriæ voluntatis illum dedignantur habere rectorem.

8. Quæ cùm ita sint, filii Dei qui hoc noverunt, & se Dei Spiritu regi & agi gratulantur, quomodo moveri potuerunt, cùm audirent vel legerent à Pelagio scriptum, *Omnes voluntate propria regi, & suo desiderio unumquemque dimitti?* Et tamen quia interrogatus ab episcopis, quid mali sonarent illa verba persensit, respondit que *hoc se dixisse propter liberum arbitrium*; continuò subjiciens, *cui Deus adjutor est eligenti bona, homo verò peccans, ipse in culpa est, quasi liberi arbitrii*: hanc quoque sententiam pii judices approbantes, quàm incautè, vel quo sensu illa in libro ejus verba sint posita, considerare vel quærere noluerunt, sufficere existimantes ita eum confessum

A esse liberum arbitrium, ut eligenti bona Deus esset adjutor, peccans verò esset in culpâ, ad hoc sibi sufficiente propria voluntate. Ac per hoc Deus regit, quibus adjutor est eligentibus bona. Et ideo bene regunt quidquid regunt, quoniam ipsi reguntur à bono.

9. Item recitatum est quod in libro suo Pelagius posuit, *In die judicii iniquis & peccatoribus non esse parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos*. Quod ideo fratres moverat, ut objiciendum
B putaretur, quòd ita dictum est, tamquam omnes peccatores æterno essent supplicio puniendi, non eis exceptis qui fundamentum habent Christum, quamvis superædificent ligna, fœnum, stipulam, de quibus dicit Apostolus: Si cujus opus 1. Cor. 3. 15.
exustum fuerit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Sed cùm respondisset Pelagius, *hoc secundùm Evangelium se dixisse, ubi dicitur de peccatoribus, Illi* Matth. 25. 46.
ibunt in supplicium æternum, justi autem in vitam
C *æternam*: nullo modo potuit Christianis judicibus evangelica & dominica displicere sententia, nescientibus quid in verbis de libro Pelagii prolatis moverit fratres, qui disputationes ejus vel discipulorum ejus audire consueverunt: quando his absentibus, qui libellum contra Pelagium sancto episcopo Eulogio dederunt, nullus urgebat, ut peccatores per ignem salvandos à pecca- Eulogius episcopus. V. l. 1. contr. Julian. c. 5.
toribus æterno supplicio puniendis aliqua exceptione distingueret, & eo modo intelligentibus
D judicibus cur fuerit illud objectum, si nollet distinguere, meritò culparetur.

10. Quod autem addidit Pelagius, *Et si quis aliter credit, Origenista est*. Hoc acceperunt judices, quod re vera in Origene dignissimè detestatur Ecclesia, id est, quòd etiam illi, quos Dominus dicit æterno supplicio puniendos, & ipse diabolus atque angeli ejus, post tempus licèt prolixum purgati liberabuntur à pœnis, & sanctis cum Deo regnantibus societate beatitudi-
E nis adhærebunt. Hoc ergo Synodus dixit, *alienum non esse ab Ecclesia*, non secundùm Pelagium, sed potiùs secundùm Evangelium, quòd tales iniqui & peccatores æternis ignibus exurentur; quales tali supplicio dignos judicat Evangelium; & quòd detestabiliter cum Origene sentiat, quisquis dixerit aliquando eorum finiri posse supplicium, quod Dominus dixit æternum. De illis verò peccatoribus, quos dicit Apostolus, exusto eorum opere, tamquam per ignem salvos futu- Origenis error de supplicio diaboli & damnatorum non semper duraturo.
F ros, quoniam nihil Pelagio de iis evidenter objectum est, nihil judicaverunt. Quapropter, qui dicit iniquos & peccatores, quos æterno supplicio veritas damnat, aliquando inde posse liberari, non inconvenienter eum Pelagius Origenistam vocat: sed rursus, qui nullum peccatorem in Dei judicio misericordiâ dignum existimat, quod vult ei nomen imponat, dum tamen & hunc errorem ecclesiastica veritate non recipi intelligat. Judicium enim sine misericordia fiet Jacobi 2. 13.
G illi, qui non fecit misericordiam.

11. Quomodo autem fiet hoc judicium, difficilè in scripturis sanctis comprehendi potest: modis enim multis significatur, quod uno modo futurum est. Namque aliquando dicit Dominus adversùs eos, quos in suum regnum non recipit,

[a] Colbertinus cod. *& noluisset*.

ostium se [a] clusurum, clamantibusque illis & dicentibus, Aperi nobis, in nomine tuo manducavimus & bibimus, & cetera quæ illos dicere scriptum est, se responsurum, Nescio vos, qui operamini iniquitatem. *Luca 13. 26.* Aliquando jussurum se commemorat, ut hi qui noluerunt eum regnare, sibi adducantur, & interficiantur coram illo. *Luca 19. 27.* Aliquando venturum se dicit cum Angelis suis in majestate sua, ut congregentur ante eum omnes gentes, & dividat eas, & alios ponat ad dexteram, quorum bona opera commemorans, [b] reportet in vitam æternam; alios ad sinistram, quibus bonorum sterilitatem imputans, eos æterno igne condemnet. *Matth. 25. 31.* Aliquando servum nequam & pigrum, qui pecuniam ejus neglexit impendere, *Luca 19. 22.* vel etiam hominem inventum in convivio non habentem vestem nuptialem, jubet ligatis manibus & pedibus mitti in tenebras exteriores. *Matth. 22. 11.* Aliquando susceptis quinque prudentibus, ostium contra stultas alias quinque virgines claudit. *Matth. 25. 10.* Hæc, & si quid est aliud quod in præsentia non occurrit, de judicio dicuntur futuro, utique non in uno vel quinque, sed in multis exercendo. Nam si unus esset, qui de convivio, quòd non habebat vestem nuptialem, in tenebras jussus est mitti; non continuò sequeretur, & diceret, Multi enim sunt vocati, pauci verò electi: *Matth. 22. 14.* cùm potiùs uno projecto atque damnato, multi in domo remansisse videantur. Sed de his omnibus nunc quantum satis est disputare perlongum est. Hoc tamen breviter possum dicere, sine præjudicio, (quod in pecuniariis rationibus dici solet) melioris discussionis, unum aliquem judicii modum, qui est inscrutabilis nobis, servatâ dumtaxat in præmiis & pœnis diversitate meritorum, multis per scripturas sanctas significari modis. Quod autem huic caussæ, de quâ nunc agitur, satis est, si dixisset Pelagius, omnes omnino peccatores æterno igne & æterno supplicio puniendos: quisquis id * judicium approbasset, in se ipsum primitus sententiam protulisset. *[* f. judicium.]* Quis enim gloriabitur se mundum esse à peccatis? *Prov. 20. sec. LXX.* Quia verò nec omnes dixit, nec quosdam, sed [c] indefinitè posuit, & hoc secundùm Evangelium se dixisse respondit: vera quidem sententia episcopali est confirmata judicio; sed adhuc [d] quid sentiat Pelagius non apparet, & post hoc etiam episcopale judicium non [e] imprudenter inquiritur.

Caput IV.

12. Objectum est & illud Pelagio, tamquam in suo libro scripserit, *Malum nec in co- gitationem venire.* Respondit autem: *Hoc non ita posuimus, sed diximus, debere studere Christia- num, ne malè cogitet*: quod, sicut decuit, episcopi approbarunt. Quis enim dubitat, malum cogitari non oportere? Et re vera in libro suo [f] quod ait, *malum nec cogitari*, si ita legitur, *nec cogitandum quidem*, hoc intelligi solet, malum nec cogitari debere quidem. Hoc autem qui negat, quid aliud dicit, quàm debere cogitari
G
A malum? Quod si verum esset, non diceretur in laude caritatis, Non cogitat malum. *I. Cor. 13. 5.* [g] *Non venire* tamen *in cogitationem* justorum atque sanctorum, ideo non tam probè asseritur, quia cogitatio vocari solet etiam cùm aliquid in mentem venit, etsi consensio non sequatur. Cogitatio verò quæ culpam contrahit, & meritò prohibetur, consensione non caret. Potuit ergo fieri, ut mendosum codicem legerent, qui hoc ita objiciendum arbitrati sunt, tamquam Pelagius di-
B xerit, *Malum nec in cogitationem venire*, id est, justis & sanctis in mentem non venire quod malum est. Quæ sententia profectò absurdissima est; cùm enim mala reprehendimus, nisi cogitata verbis enuntiare non possumus: sed illa, ut diximus, culpabilis appellatur cogitatio mali, quæ consensionem trahit.

Caput V.

13. Cum ergo & hanc Pelagii responsionem judices approbassent, recitatum est aliud, quod in suo libello scripsit, *Regnum cælorum etiam in*
C *veteri testamento promissum.* Ad quod Pelagius: *Hoc & per Scripturas probari possibile est: hæretici autem in injuriam veteris testamenti, hoc negant. Ego verò Scripturarum auctoritatem sequutus dixi; quoniam in propheta Daniele scriptum est, Et accipient sancti regnum Altissimi.* *Dan. 7. 18.* Qua ejus accepta responsione, Synodus dixit, *Neque hoc alienum est à fide ecclesiastica.*

14. Numquidnam ergo fratres nostros, ut etiam hoc inter cetera objicerent, sine caussâ
D verba ista moverunt? Non utique: sed veteris testamenti nomen modis duobus dici solet, uno modo secundùm divinarum scripturarum auctoritatem, alio secundùm loquendi vulgatissimam consuetudinem. *[Veteris testamenti nomē duobus modis dicitur.]* Paulus namque apostolus dicit ad Galatas: Dicite mihi, inquit, sub lege volentes esse, legem non audistis? *Gal. 4. 21.* Scriptum est enim, quòd Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, alterum de libera: quæ sunt in allegoriâ. Hæc enim sunt duo testamenta, unum quidem
E in servitutem generans, quod est Agar. Sina mons est in Arabia, quæ conjuncta est ei, quæ nunc est Jerusalem, servit enim cum filiis suis: quæ autem sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. Cùm ergo vetus testamentum ad servitutem pertineat, unde etiam dictum est, Ejice ancillam & filium ejus, non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac; *Ibidem. 30.* regnum autem cælorum ad libertatem: quomodo etiam regnum cælorum ad vetus pertinet testamentum? Sed
F quoniam, ut dixi, etiam sic solemus loqui, ut Scripturas omnes legis & prophetarum, quæ ante Incarnationem Domini ministratæ, auctoritate canonica continentur, nomine testamenti veteris nuncupemus; quis ecclesiasticis litteris vel mediocriter eruditus ignorat, ita Scripturis illis promitti potuisse regnum cælorum, sicut etiam illud testamentum novum, ad quod
G pertinet regnum cælorum? Certè enim in illis litteris apertissimè scriptum est: Ecce dies *Ierem. 31. 31.*

[a] In posterioribus tantùm editionibus, *clausurum*.
[b] Vigner. *reponat* fortè legend. *eos portet.*
[c] In MSS & in Velseriana editione, quæ nempe Marco Velsero & Antonio Velsero procurantibus prima omnium Augustæ Vindelicorum, anno 1611. prodiit, necnon in ea quæ per Franciscum Suarez concinnata est, legebatur, *sed nec indefinitè posuit.*
[d] Iidem MSS. & editio Vels. & Suar. *sed adhucne aliquid sentiat.* Fortè pro, *sed aliudne aliquid sentiat.*
[e] Sic Vels. Suar. & MSS. At posteriores editiones, *imprudenter.*

[f] Locus iste amanuensium vitio fædè corruptus in MSS. sic habebat: *Et re vera in libro suo ad malum cujus ita legitur, nec cogitandum, quod in hac intelligi solet.* Nihil mutatum in Velseriana editione, sed tantùm pro, *ad malum cujus*, apposita fuerat ad oram libri conjectura, *ad Melaniam*: quam nullo suffragante veteri codice posteriores quidam hujus libri editores temere in textum induxerunt.
[g] Hîc deerat *non*: & infrà pro, *ideo non tam*; legebatur priùs, *Deo notùm*: manifesto librariorum lapsû.

» veniunt, dicit Dominus, & consummabo domui Israël & domui Jacob testamentum novum, non secundùm testamentum quod disposui patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti. Hoc enim factum est in monte Sina. Tunc autem Daniel propheta nondum erat qui * dixerat, *Accipient sancti regnum Altissimi.* His enim verbis præmium, non veteris, sed novi testamenti prophetabat: sicut ipsum Christum venturum iidem Prophetæ prænuntiarunt, cujus sanguine dedicatum est testamentum novum: cujus testamenti ministri Apostoli facti sunt, dicente beatissimo Paulo, Qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non litterâ, sed spiritu. Littera enim occidit, spiritus autem vivificat. In illo verò testamento quod propriè vetus dicitur, & datum est in monte Sina, non invenitur promitti apertissimè, nisi terrena felicitas. Unde illa terra, quò est populus introductus, & per eremum ductus, terra promissionis vocatur, in qua pax & regnum, & ab inimicis victoriarum reportatio, & abundantia filiorum ac fructuum terrenorum, & si qua hujusmodi, hæc sunt promissa veteris testamenti: quibus etsi figurantur ad novum testamentum pertinentia spiritualia, tamen qui propter illa terrena suscipit legem Dei, ipse est heres veteris testamenti. Ea quippe secundùm vetus testamentum promittuntur atque tribuuntur, quæ secundùm hominem veterem concupiscuntur. Quæ autem illic ad novum testamentum pertinentia figurantur, novos homines quærunt. Neque nesciebat enim quid loqueretur tantus Apostolus, qui duo testamenta in ancilla & libera, allegorica significatione distincta esse dicebat, veteri filios carnis, novo filios promissionis adtribuens: Non qui filii carnis, inquit, hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semen. Filii ergo carnis pertinent ad terrenam Jerusalem, quæ servit cum filiis suis: filii autem promissionis ad eam quæ sursum est, liberam matrem nostram in cælis æternam. Unde perspicitur, qui ad regnum terrenum, & qui pertineant ad regnum cælorum. Istam distinctionem qui etiam illo tempore per Dei gratiam intelligentes, filii promissionis effecti sunt, novi testamenti heredes in occulto Dei consilio deputati sunt, etiamsi vetus testamentum [a] per temporum distributionem divinitus datum populo veteri congruenter ministraverunt.

f. diceret. — Dan. 7. 18. — 2. Cor. 3. 6. — Veteris testamenti heres. — Rom. 9. 8. — Gal. 4. 25. — In veteri populo heredes novi testamenti.

15. Quomodo ergo non meritò commoverentur filii promissionis, filii liberæ Jerusalem in cælis æternæ, cùm ista discretio apostolica atque catholica Pelagii verbis videretur auferri, & Agar quodam modo Saræ crederetur æquari? Ille igitur hæretica impietate scripturæ veteris testamenti facit injuriam, qui eam ex Deo bono, summo & vero, fronte sacrilegæ impietatis negat: sicut Marcion, sicut Manichæus, & si quæ alia pestis hoc sentit. Quapropter, ut de hac re quod sentio, qua possum brevitate complectar: sicut veteri testamento, si esse ex Deo bono & summo negetur; ita & novo fit injuria, si veteri æquetur. Sed cùm Pelagius respondisset, cur etiam dixerit in vetere testamento promitti regnum cælorum, Danielis prophetæ commemorans testimonium, qui sanctos accepturos regnum Altissimi, apertissimè prophetavit, non esse hoc alienum à fide catholica, meritò judicatum est, non secundùm illam distinctionem, qua in monte Sina promissa terrena ad vetus testamentum propriè pertinere monstrantur; nec tamen improbè, secundùm hanc loquendi consuetudinem, qua universæ scripturæ canonicæ ante incarnationem Domini ministratæ veteris testamenti appellatione censentur. Non enim aliud est regnum Altissimi, quàm Dei regnum; aut quisquam contendere audebit, aliud esse Dei regnum, aliud regnum cælorum.

CAPUT VI.

16. Post hæc objectum est, quòd Pelagius in eodem libro scripserit suo, *Posse hominem, si velit, esse sine peccato:* & quòd scribens ad viduam adulatoriè dixerit, *Inveniat apud te pietas, quæ nusquam invenit, locum: inveniat ubique peregrina in te sedem justitia: veritas quam jam nemo cognoscit, domestica tibi & amica fiat: & lex Dei quæ ab omnibus propè hominibus contemnitur, à te sola honoretur.* Et iterum ad ipsam: *O te felicem & beatam, si justitia, quæ in cælo tantùm esse credenda est, apud te solam inveniatur in terris!* Et in alio ad ipsam libro, post orationem Domini & Salvatoris nostri, docens quemadmodum debeant sancti orare, ait: *Ille ad Deum dignè elevat manus, ille orationem bonâ conscientiâ effundit, qui potest dicere, Tu nosti, Domine, quàm sanctæ, & innocentes, & mundæ sunt ab omni* [b] *molestia & iniquitate & rapina, quas ad te extendo manus, quemadmodum justa & munda labia, & ab omni mendacio libera, quibus offero tibi deprecationem, ut mihi miserearis.* Ad hoc autem Pelagius respondens ait: *Posse quidem hominem sine peccato esse, & Dei mandata custodire, si velit, diximus: hanc enim possibilitatem Deus illi dedit. Non autem diximus, quòd inveniatur aliquis, ab infantia usque ad senectam, qui numquam peccaverit: sed quoniam à peccatis conversus, proprio labore & Dei gratiâ possit esse sine peccato; nec per hoc tamen in posterum inconvertibilis. Reliqua verò quæ subjecerunt, neque in libris nostris sunt, neque talia umquam diximus.* His auditis Synodus dixit: *Quoniam negas te talia scripsisse, anathematizas illos qui sic tenent?* Pelagius respondit, *Anathematizo quasi stultos, non quasi hæreticos; si quidem non est dogma.* Deinde judicaverunt episcopi dicentes: *Nunc quoniam propria voce anathematizavit Pelagius incertum stultiloquium, rectè respondens; hominem cum adjutorio Dei & gratia posse esse sine peccato, respondeat & ad alia capitula.*

17. Numquid hîc poterant judices, vel debebant, incognita & incerta damnare, quando nemo contrà aderat, qui ea quæ ad viduam reprehensibilia scripta dicebantur, Pelagium scripsisse convinceret? Ubi profectò parum esset codicem ferre, & de scriptis ejus hæc legere, nisi & testes adhiberentur, si illa scripta sua esse, etiam cùm recitarentur, negaret. Verumtamen in his quoque fecerunt judices, quod facere potuerunt, interrogantes Pelagium, utrùm anathematizaret illos, qui talia sentiunt, qualia se negavit scripsisse, sive dixisse: quos [c] ubi se tamquam

[a] Editio Suar. *pro temporum distributione.*

[b] Posteriores editiones ex Antonii Velseri, ut putamus, conjectura, *ab omni malitia.*

[c] Editi, *quos ibi*, vel, *quos ille.* Colbertinus cod. *quos ubi.*

stultos anathematizare respondit, quid amplius de hac re judices, adversariis absentibus, quærere debuerunt?

18. An & illud fortasse tractandum est, utrùm rectè dictum sit, *non tamquam hæreticos, sed tamquam stultos anathematizandos qui ita sentirent, quoniam dogma non esset?* Sed ab hac quæstione non levi, ubi quæritur, quatenus sit definiendus hæreticus, rectè se in præsentiâ judices [a] abstinuerunt. Non enim, si quisquam, verbi gratiâ, dixerit aquilarum pullos paterno ungue suspensos & radiis solis oblatos, si oculis palpitaverint, tamquam adulterinos in terram, luce quodam modo convincente, dimitti, si fortè hoc falsum est, hæreticus judicandus est. Et hoc, quia in hominum doctorum litteris invenitur, famâque vulgatum est, nec stultè dici putandum est, etiam si verum non est; nec fidem nostram, propter quam fideles vocamur, aut [b] creditum lædit, aut creditum juvat. Porrò, si [c] ex hoc sensu quis contenderit, animas rationabiles inesse volucribus, ex eo quòd in eas revolvantur humanæ: tum verò tamquam hæretica pestis, ab auribus animoque pellenda est; agendumque & demonstrandum, etiam si hoc de aquilis verum est, sicut multa mira ante oculos nostros de apibus vera sunt, longè tamen ab hujusmodi irrationabilium animantium, quamvis mirabili sensu, distare rationem, quæ non hominibus & pecoribus, sed hominibus angelisque communis est. Multa verò etiam stulta dicuntur ab imperitis & vanis, nec tamen hæreticis; qualia sunt eorum, qui de alienis artibus, quas non didicerunt, temere judicant, aut immoderato & cæco affectu vel laudant quos diligunt, vel vituperant quos oderunt; & quidquid aliud in consuetudine sermonis humani, non statuto dogmate, sed passim, ut ad tempus occurrerit, per stultitiæ levitatem, vel ore profertur, vel stilo etiam litterisque committitur. Multos denique de his paululùm admonitos, talia dixisse mox pænitet: ita ea non placito quodam fixa retinebant, sed quasi undecumque rapta, & non considerata, profuderant. Vix est autem carere istis malis: & quis est, qui non labitur linguâ, & offendit in verbo? Sed interest quantùm, interest unde, interest postremò utrùm admonitus corrigat, an pertinaciter defendendo etiam dogma faciat, quod levitate, non dogmate dixerat. Cùm igitur omnis hæreticus consequenter & stultus sit, non autem omnis stultus continuò sit appellandus hæreticus; rectè judices incertum stultiloquium propria voce Pelagium anathematizasse dixerunt: quia & si hæresis esset, procul dubio stultiloquium esset. Proinde quid illud sit, generalis vitii nomine appellaverunt. Utrùm autem ex aliquo dogmate ista sint dicta, an verò non fixâ placitâque sententiâ, sed facilè emendabili vanitate, quoniam ille qui audiebatur, quoquo modo dicta essent, sua esse negaverat, discutiendum in præsentia non putarunt.

Eccli 19.16. Iacobi 3.2.

19. Nos sanè cùm hanc Pelagii defensionem in illa, quam priùs accepimus, * chartula legeremus, aderant quidam sancti fratres, qui se Pelagii libros exhortatorios vel consolatorios ad quamdam viduam conscriptos, cujus nomen [d] non est expressum, se habere dixerunt; & admonuerunt requirendum, utrùm illic ista quæ sua negavit, essent fortè conscripta; quoniam hoc & ipsi se ignorare asserebant. Tum verò cùm iidem libri ab exordio legerentur, quæsita, & inventa sunt. Affirmabant autem illi, qui protulerant codicem, ante quatuor ferme annos se istos tamquam Pelagii libros habere cœpisse, nec umquam utrùm ejus essent, ab aliquo se audisse dubitari. Considerantes itaque optimè nobis servorum Dei cognitam fidem de hac re non posse mentiri, restare videbatur, ut Pelagium potiùs in episcopali judicio crederemus fuisse mentitum, nisi fieri potuisse cogitaremus, etiam ante annos tam multos aliquid sub ejus nomine, non tamen ab illo fuisse conscriptum: neque enim isti eosdem libros ab ipso se accepisse, vel quòd ipsius essent, ab eodem audisse dicebant. Nam & mihi quidam fratres nostri nonnulla opuscula sub meo nomine in Hispaniam venisse dixerunt, quæ quidem ab iis, qui alia nostra legissent, non agnoscerentur; ab aliis tamen nostra esse crederentur.

* V. infra cap. 32.

20. Illud sanè quod Pelagius suum esse confessus est, adhuc latebrosum est: sed puto quòd in istorum gestorum consequentibus partibus elucebit. Ait enim: *Posse quidem hominem esse sine peccato, & Dei mandata custodire, si velit, diximus: hanc enim possibilitatem Deus illi dedit. Non autem diximus, quòd inveniatur aliquis, ab infantia usque ad senectam, qui numquam peccaverit: sed quoniam à peccatis conversus, proprio labore & Dei gratiâ possit esse sine peccato; nec per hoc tamen in posterum inconversibilis.* In his verbis, quam dicat Dei gratiam, prorsus latet: & judices quidem catholici nullam aliam intelligere potuerunt, nisi quam nobis plurimùm apostolica doctrina commendat. Hæc est enim, qua nos liberari posse speramus de corpore mortis hujus per Jesum Christum Dominum nostrum: * & [e] pro qua impetranda oramus, ne intremus in tentationem. Hæc gratia non est natura: sed qua subvenitur fragili vitiatæque naturæ. Hæc gratia non est legis scientia: sed ea est, de qua dicit Apostolus, Non irritam faciam gratiam Dei; nam si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est: & ideo non est littera occidens, sed spiritus vivificans. Scientia quippe legis sine gratia spiritûs, operatur in homine omnem concupiscentiam. Peccatum enim, inquit, non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Nec ista dicendo legem vituperat, immo etiam laudat, cùm dicit, Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum. Quod ergo bonum est, inquit, mihi factum est mors? Absit: sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Et iterum legem laudat, dicendo, Scimus enim quòd lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. Quod enim operor ignoro. Non enim quod

Gratiam subdolis verbis confitetur Pelagius.

Rom. 7.24.

* Caput VII.

[e] Matth. 6.13.

Gal. 2.21.

2. Cor. 3.6.

Rom. 7.7.

Ibidem 12.

Ibid. 14.

[a] In MSS. & prima editione Vess. ac Suar. *abstulerunt.*
[b] Editio sola Mas. *aut non creditum lædit.*
[c] Locus ex conjectura correctus. In prima editione & aliquot MSS. legebatur, *ex hoc senis (vel sentis) quod.*
[d] *Livaniam* nominat Mercator in Commonit. de Cælestio.
[e] Ita Colbertinus MS. Editi verò, *Sed pro qua.*

» volo, hoc ago: sed quod odi, illud facio. Si au- » tem quod nolo, hoc facio; consentio legi, quo- » niam bona est. Ecce jam legem novit, laudat, eique consentit, hoc est, eam bonam esse consentit: quoniam quod illa jubet, hoc & ipse vult; & quod illa vetat & damnat, hoc & ipse odit: & tamen quod odit, hoc facit. Inest ergo legis sanctæ scientia, nec tamen sanatur vitiosa concupiscentia: inest voluntas bona, & valet operatio mala. Hinc est quòd duabus legibus inter se colluctantibus, dum legi mentis lex repugnat in membris, & captivat sub lege peccati, à confitente exclamatur, & dicitur: Infelix ego homo, quis me liberabit de » corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum » Christum Dominum nostrum.

Ibid. 24.

Caput VIII.

21. Non ergo natura, quæ sub peccato venumdata & vitio sauciata redemtorem salvatoremque desiderat, nec legis scientia, per quam fit concupiscentiæ cognitio, non [a] evictio, liberat à corpore mortis hujus: sed gratia Domini per Jesum Christum Dominum nostrum. * Ista est non natura moriens, nec littera occidens, sed spiritus vivificans. Jam enim habebat iste naturam cum voluntatis arbitrio; nam dicebat, Velle adjacet mihi: sed non habebat naturam cum sanitate, sine vitio; nam dicebat, Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Jam habebat cognitionem legis sanctæ; nam dicebat, Peccatum non cognovi, nisi per legem: sed non habebat vires agendæ perficiendæque justitiæ; nam dicebat, Non quod volo hoc ago, sed quod odi hoc facio; &, Perficere bonum non invenio. Ideo nec voluntatis arbitrium, nec legis præceptum, unde liberaretur de corpore mortis hujus; quia utrumque jam habebat, aliud in natura, aliud in doctrina: sed gratiæ Dei poscebat auxilium, per Jesum Christum Dominum nostrum.

Rom. 7. 25. — * Caput IX. — *Ibidem 18.* — *Ibidem 7.* — *Ibid. 15. & 18.*

Cap. X. Gratiam in Ecclesia notissimam credidit Synodus confiteri Pelagium.

22. Hanc itaque gratiam, quam in catholica Ecclesia notissimam noverant, episcopi crediderunt Pelagium confiteri, cùm audirent eum dicere, *hominem à peccatis conversum, proprio labore & Dei gratiâ posse esse sine peccato.* Ego autem propter illum librum, quem mihi refellendum servi Dei dederunt, * qui discipuli ejus fuerunt, & cùm eumdem Pelagium valde diligerent, ejus esse dixerunt, ubi hac quæstione sibi proposita, quia hoc in eo jam plurimos offenderat, quòd adversùs Dei gratiam loqueretur, apertissimè expressit, *hanc se dicere Dei gratiam, quòd possibilitatem non peccandi natura nostra cùm conderetur, accepit, quoniam condita est cum libero arbitrio:* propter hunc ergo librum ego, plurimi autem fratres propter ejus disputationes, quas dicunt sibi esse notissimas, adhuc sumus de istorum verborum ejus ambiguitate solliciti, ne fortè quid in ea lateat, atque se hoc dixisse sine præjudicio sui dogmatis exponat postea discipulis suis, ita disserens: *Dixi quidem, proprio labore & Dei gratiâ posse hominem esse sine peccato; sed quam dicam gratiam optimè nostis, & legendo recolere potestis, quòd ea sit, in qua creati sumus à Deo cum libero arbitrio.* Atque ita dum eum credunt episcopi eam dixisse gratiam, non qua homines creati sumus, sed qua in novam creaturam adoptati, (hanc enim apertissimè gratiam divina scriptura commendat,) ignorantes hæreticum, tamquam catholicum absolverunt. Suspectum enim me facit etiam illud, quod cùm in eodem libro, cui respondi, apertissimè dixerit, *Abel justum numquam omnino peccasse:* modò ait, *Non autem diximus, quòd inveniatur aliquis, ab infantia usque ad senectam, qui numquam peccaverit; sed quoniam à peccatis conversus, proprio labore & Dei gratiâ possit esse sine peccato.* Abel quippe justum, non à peccatis conversum in cetera vita dixit factum esse sine peccato, sed *quòd peccatum nullum umquam fecerit.* Unde si ille ipsius liber est, profectò ex ipsa responsione emendandus est. Nolo enim eum dicere modò fuisse mentitum, ne fortè [b] quod in libro illo scripserit, se dicat oblitum: proinde cetera videamus. Ea quippe consequuntur in ecclesiasticis gestis, quibus, adjuvante Domino, possumus ostendere, etiam Pelagio, sicut nonnullis videtur, in illa examinatione purgato, & certè apud judices dumtaxat homines absoluto, hanc talem hæresim, quam & ulteriùs progredi & in pejus proficere nolimus, sine dubio esse damnatam.

* Timasius & Jacobus. — *Vide suprà lib. de natura & grat. c. 45 & seq.* — *V. lib. de natura & grat. c. 37.*

Caput XI. Capitula Cælestii objecta Pelagio, & ab ipso reprobata.

23. Hæc enim sequuntur objecta Pelagio, quæ in doctrina Cælestii discipuli ejus referuntur inventa. *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum. Quoniam Lex sic mittit ad regnum, quemadmodum Evangelium. Quoniam ante adventum Christi fuerunt homines sine peccato. Quoniam infantes nuper nati, in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quoniam neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat.* Hæc ita objecta sunt, ut etiam apud Carthaginem à sanctitate tua & ab aliis tecum episcopis dicerentur * audita atque damnata. Ubi quidem, ut recolis, ipse non fui, sed postea cùm venissem Carthaginem, eadem gesta recensui, ex quibus aliqua memini: sed nescio utrùm [c] eis hæc omnia teneantur. Quid autem interest, utrùm aliqua inibi non sint fortè commemorata, & ideo nec damnata, cùm constet esse damnanda? Deinde objecta sunt * & alia quædam capitula, commemoratione mei nominis interposita, quæ mihi de Sicilia missa fuerant, cùm ibi fratres catholici hujusmodi quæstionibus turbarentur, quibus per librum * ad Hilarium scriptum, qui ea mihi in epistola sua consulens miserat, satis sufficienter, ut mihi videtur, respondi. Ista sunt autem: *Posse hominem sine peccato, si velit, esse. Infantes, etsi non baptizentur, habere vitam æternam. Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, neque regnum Dei posse eos habere.*

* Confer lib. de peccato orig. c. 11. — * V. lib. de pecc. orig. c. 11. — * Aug. epistola 157. ad Hilarium scripta.

24. Ad hæc sibi objecta, sicut gesta testantur, Pelagius ita respondit: *De posse quidem hominem sine peccato esse, dictum est,* inquit, *superiùs: de eo autem quòd fuerint ante adventum Domini homines sine peccato, dicimus & nos quoniam ante adventum Christi vixerunt quidam sanctè & justè, secundùm scripturarum sanctarum traditionem. Reliqua verò & secundùm ipsorum testimonium à me dicta non sunt,*

[a] Mas. Vigner. & codex Rom. *non è vitio.*
[b] Colbertinus MS. *quid.*
[c] Editi, *ejus.* Colbertinus MS. *eis:* subaudi, gestis.

pro quibus ego satisfacere non debeo: sed tamen ad satisfactionem sanctæ Synodi, anathematizo illos qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt. Post hanc ejus responsionem Synodus dixit: *Ad hæc prædicta capitula sufficienter & rectè satisfecit præsens Pelagius, anathematizans ea quæ non erant ejus.* Videmus igitur, & tenemus, non solùm à Pelagio, verùm etiam à sanctis episcopis qui illi judicio præsidebant, mala perniciosissima hujusmodi hæresis esse damnata: *Adam mortalem factum,* quod ut plenius exponeretur quomodo dictum sit, additum est, *qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Quòd peccatum ejus ipsum solum læserit, & non genus humanum. Quòd Lex sic mittat ad regnum, quemadmodum & Evangelium. Quòd infantes nuper nati in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quòd neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat. Quòd infantes, etsi non baptizentur, habeant vitam æternam. Quòd divites baptizati, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non illis reputetur, neque regnum Dei possint habere.* Hæc certè omnia judicio illo ecclesiastico, anathematizante Pelagio, & episcopis interloquentibus, constat esse damnata.

25. His autem quæstionibus, & istarum sententiarum contentiosissimis assertionibus jam usquequaque ferventibus, multorum fratrum perturbabatur infirmitas. Unde coacti sumus sollicitudine caritatis, quam erga Ecclesiam Christi per gratiam Christi nos habere convenit, etiam ad beatæ memoriæ Marcellinum, qui eos quotidie disputatores molestissimos patiebatur, & me per litteras consulebat, de quibusdam istarum quæstionibus scribere, & maximè de baptismo parvulorum: de quo etiam postea, te jubente, in basilica [a] Majorum, gestans quoque in manibus epistolam gloriosissimi martyris Cypriani, & de hac re verba ejus recitans atque pertractans, ut error iste nefarius de quorumdam cordibus auferretur, quibus persuasa fuerant, quæ in his gestis videmus damnata, adjutus orationibus tuis, quantùm potui, laboravi. Hæc sunt, quæ nonnullis fratribus, quidam talia sentientes, ita persuadere conabantur; ut de orientalibus comminarentur Ecclesiis, quòd nisi hæc tenerent, earum possent judicio condemnari. Ecce quatuordecim [b] antistites orientalis Ecclesiæ, in ea terra cui Dominus præsentiam suæ [c] carnis exhibuit, Pelagium non absolverent, nisi ea tamquam fidei catholicæ adversa damnaret. Unde, si propterea est iste absolutus, quòd anathematizaverit talia; procul dubio illa damnata sunt: quod multo cumulatiùs atque clariùs in consequentibus apparebit.

Pelagiani Ecclesias orientales sibi favere mentiebantur.

26. Unde nunc duo illa videamus, quæ noluit anathematizare Pelagius; [d] qui etiam sua esse cognovit; sed ut illud, quod in eis offendebat, auferret, quomodo ea sentiret exposuit. *Posse quidem, inquit, hominem sine peccato esse, dictum est superiùs.* Dictum sanè, & nos meminimus: sed ideo mitigatum, & à judicibus approbatum, quòd addita est Dei gratia, quæ in illis capitulis tacebatur. De hoc autem altero quemadmodum responderit, diligentiùs intuendum est. *De illo autem,* inquit, *quòd fuerint ante adventum Domini homines sine peccato, dicimus & nos quoniam ante adventum Christi vixerunt quidam sanctè & justè, secundùm sanctarum scripturarum traditionem.* Non est ausus dicere, Dicimus & nos quoniam ante adventum Christi fuerunt homines sine peccato; cùm hoc illi de Cælestii dictis fuisset objectum; sensit enim quàm esset periculosum & molestum: sed ait, *Dicimus & nos quoniam ante adventum Christi vixerunt quidam sanctè & justè.* Quis hoc negaverit? Sed aliud est hoc, & aliud fuisse sine peccato: quia & illi sanctè justéque vivebant, qui veraciter tamen dicebant, Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. (1. Iohan. 1. 8.) Et hodie multi justè sanctéque vivunt, nec tamen in oratione mentiuntur, cùm dicunt, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. (Matth. 6. 12.) Hoc ergo judicibus placuit, quemadmodum se dicere asseveravit Pelagius; non quemadmodum objiciebatur dixisse Cælestius. Nunc ea quæ restant, pertractemus, ut possumus.

CAPUT XII.

27. OBJECTUM est Pelagio, quòd diceret, *Ecclesiam hìc esse sine macula & ruga.* Unde etiam Donatistæ diuturnum nobiscum habuerunt in nostra Collatione conflictum; sed illos de permixtione malorum hominum tamquam paleæ cum frumentis, propter areæ similitudinem potiùs urgebamus: qua similitudine etiam istis respondere possumus, nisi Ecclesiam in solis bonis vellent fortasse intelligi, quos nullum omnino asserunt habere peccatum, ut possit Ecclesia hìc esse sine macula & ruga. Quod si ita est, eadem repeto, quæ paulò antè memoravi: Quomodo sunt membra Ecclesiæ, de quibus verax clamat humilitas, Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est? (1. Iohan. 1. 8.) vel quomodo id quod eam Dominus docuit, orabit Ecclesia, Dimitte nobis debita nostra: (Matth. 6. 12.) si in hoc sæculo est Ecclesia sine macula & ruga? Postremò ipsi de se ipsis interrogandi sunt, utrùm necne fateantur aliqua se habere peccata. Quod si negabunt, dicendum est eis, quòd se ipsos decipiant, & veritas in eis non sit. Si autem peccatum se habere fatebuntur, quid aliud quàm de ruga sua vel macula fatebuntur. Non sunt ergo isti Ecclesiæ membra; quia illa est sine macula & ruga, hi autem cum macula & ruga.

28. Sed ad hoc objectum vigilanti circumspectione respondit, quam sine dubio catholici judices approbaverunt. *Dictum est,* inquit, *à nobis, sed ita, quoniam lavacro ab omni macula & ruga purgatur Ecclesia, quam velit ita Dominus permanere.* Ad quod Synodus dixit: *Hoc & nobis placet.* Quis enim nostrûm negat, omnium in baptismo peccata dimitti, & omnes fideles sine macula & ruga de lavacro regenerationis adscendere? Aut cui Christiano catholico non placet, quod & Domino placet, idque futurum est, ut Ecclesia permaneat sine macula & ruga? Quando quidem id nunc agitur Dei misericordiâ &

[a] Posteriores editiones, *Majorini,* At prima editio Vetus & Suar. cum MSS. *Majorum.* Consentit inscriptio citati Sermonis, nunc ordine 294. Tom. 5.

[b] Horum nomina recenset Augustinus in libro contra Julianum primo, cap 5.

[c] MSS. Rom. & Colbert: *sua incarnationis.*

[d] Iidem duo MSS. & Suar. *quia etiam.*

veritate, ut ad illam perfectionem, ubi sine macula & ruga in æternum mansura est, sancta Ecclesia perducatur. Sed inter lavacrum, ubi omnes præteritæ maculæ rugæque tolluntur, & regnum, ubi sine macula & ruga perpetuò manebit Ecclesia, tempus hoc medium est orationis, ubi necesse est dicat, Dimitte nobis debita nostra. Propter hoc objectum est eos dicere, *hic esse Ecclesiam sine macula & ruga*, * utrùm per hanc sententiam auderent prohibere orationem, qua diebus & noctibus veniam peccatorum jam baptizata sibi poscit Ecclesia. De quo medio tempore inter remissionem peccatorum quæ fit in lavacro, & permansionem sine peccatis quæ futura est in regno, cum Pelagio nihil est actum, nihil ab episcopis pronuntiatum: sed tantùm hoc quod breviter significandum putavit, non se ita dixisse, ut videbatur objectum. Cùm enim hoc ait, *Dictum est à nobis, sed ita:* quid voluit videri, nisi non ita, quemadmodum dixisse, ab his qui objecerant, credebatur? Quid tamen secuti sint judices, ut dicerent sibi hoc placere, id est, baptismum quo abluitur à peccatis, & regnum ubi permanebit sine peccatis sancta, quæ nunc mundatur, Ecclesia, satis quantùm existimo apparet.

* f. ut non.

Caput XIII.

29. Deinde objecta sunt de libro Cælestii, quid in unoquoque capitulo contineat, magis secundùm sensum, quàm secundùm verba: quæ quidem ille latiùs exsequitur; sed tunc subjicere omnia, qui libellum adversùs Pelagium dederunt, se non potuisse dixerunt. Ergo in primo capitulo libri Cælestii hoc scriptum esse posuerunt: *Quoniam plus facimus, quàm in Lege & Evangelio jussum est.* Ad quod Pelagius respondit: *Hoc quasi nostrum posuerunt: dictum est verò à nobis secundùm Apostolum de virginitate, de qua Paulus dicit, Præceptum Domini non habeo.* Synodus dixit: *Hoc & Ecclesia recipit.* Legi ego, quo sensu id Cælestius in libro suo posuerit: si tamen eum suum esse non negat. Dixit enim hoc, quò videlicet persuaderet, tantam nos habere per naturam liberi arbitrii non peccandi possibilitatem, ut plus etiam quàm præceptum est faciamus; quoniam perpetua servatur à plerisque virginitas, quæ præcepta non est, cùm ad non peccandum præcepta implere sufficiat. Quod autem à Pelagio responsum est, ut approbarent judices, non sic acceperunt, tamquam omnia Legis & Evangelii præcepta custodiant, qui virginitatem, quæ præcepta non est, insuper servant; sed ad hoc tantùm, quòd plus est virginitas quæ non est præcepta, quàm conjugalis pudicitia quæ præcepta est, & custodire istam, quàm illam, utique plus est: cùm tamen neutrum eorum habeatur sine gratiâ Dei; quando quidem Apostolus de hac re loquens ait, Volo autem omnes
" homines esse sicut me ipsum; sed unusquisque pro-
" prium donum habet à Deo, alius sic, alius au-
" tem sic. Et ipsi Domino cùm dixissent discipuli, Si hæc hominis est caussa cum uxore, non ex-
" pedit nubere, vel quod latinè meliùs dicitur, non
" expedit ducere: Non, inquit, omnes capiunt ver-
" bum hoc, sed quibus datum est. Hoc ergo episcopi Ecclesiam recipere pronuntiarunt, quòd plus sit virginitas perseverans, quæ præcepta non A est, quàm nuptiarum castitas, quæ præcepta est. Quo autem sensu illud Pelagius sive Cælestius dixerit, judices nescierunt.

1. Cor. 7. 25.

Ibidem. 7.

Matth. 19. 10.

Caput XIV. Capitula Cælestii capitalia.

30. Hinc jam objiciuntur Pelagio alia Cælestii capitula capitalia, & sine dubitatione damnanda, quæ nisi anathematizasset, cum his sine dubio damnaretur. In tertio capitulo scripsisse Cælestium, *Gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege ac doctrina.* Et iterum, *Dei gratiam secun-* B *dùm merita nostra dari, quia si peccatoribus illam det, videtur esse iniquus:* & his verbis intulisse, *Propterea & ipsa gratia in mea voluntate posita est, sive dignus fuerim, sive indignus. Si enim per gratiam omnia facimus; quando vincimur à peccato, non nos vincimur, sed Dei gratia, quæ voluit nos adjuvare omni modo, & non potuit:* Et iterum ait: *Si gratia Dei est, quando vincimus peccata; ergo* [a] *ipse est in culpa, quando à peccato vincimur, quia omnino custodire nos aut non potuit, aut noluit.* Ad ista Pela- C gius respondit: *Hæc utrùm Cælestii sint, ipsi viderint qui dicunt ea Cælestii esse; ego verò numquam sic tenui, sed anathematizo qui sic tenet.* Synodus dixit, *Recipit te sancta Synodus, ita verba reproba condemnantem.* De his certè omnibus, & Pelagii eadem anathematizantis manifesta responsio est, & episcoporum ista damnantium absolutissima judicatio. Utrùm ea Pelagius, an Cælestius, an uterque, an neuter illorum, an alii sive cum ipsis, sive sub nomine illorum senserint, sive D adhuc sentiant, sit dubium vel occultum: satis tamen hoc judicio declaratum est, esse damnata, & Pelagium simul fuisse damnandum, nisi hæc etiam ipse damnaret. Nunc certè post hoc judicium, quando contra hujusmodi sententias disputamus, adversùs damnatam hæresim disputamus.

31. Dicam etiam aliquid [b] lætius. Superiùs metuebam, cùm diceret Pelagius, *adjuvante gratiâ Dei posse esse hominem sine peccato*, ne fortè E eamdem gratiam possibilitatem diceret esse naturæ à Deo conditæ cum libero arbitrio, sicut in libro illo est, quem tamquam ejus * accepi, cui respondi, & eo modo nescientes judices falleret: nunc verò cùm anathematizat eos, *qui gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dicunt dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina;* satis evidenter apparet, eam illum dicere gratiam, quæ in Christi Ecclesia prædicatur, quæ subministratione sancti Spiritûs da- F tur, ut ad nostros actus singulos adjuvemur: unde & oramus semper adjutorium opportunum, ne inferamur in tentationem. Nec illud jam metuo, ne fortè ubi dixit, *Non posse esse sine peccato, nisi qui scientiam legis habuerit*, atque id ita exposuit, *ut ad non peccandum in legis scientia poneret adjutorium*, eamdem legis scientiam Dei gratiam velit intelligi. Ecce anathematizat qui hoc sentiunt: ecce nec naturam liberi arbitrii, nec legem atque doctrinam vult intelligi gra- G tiam, qua per actus singulos adjuvamur. Quid ergo restat, nisi ut eam intelligat quam dicit Apostolus, subministratione Spiritus-sancti dari? de qua dicit Dominus, Nolite cogitare quomo-
" do aut quid loquamini; dabitur enim vobis in

Supra cap. 6.

* Liber Pelagii à Jacobo & Timasio acceptus, cui respondi lib. de nat. & grat.

Gratia quænam Ecclesia prædicet.

Supra cap. 1.

Philip. 1.

Matth. 10.

[a] Colbertinus MS. *ipsa*.

[b] Editi, *latius*. Romanum exemplar magis concinnè, *lætius*: id est, quo metus & sollicitudo mea removeatur.

illa

» illâ hora quid loquamini: non enim vos estis » qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui lo» quitur in vobis. Nec illud metuendum est, ne (Suprà cap. 3.) fortè ubi ait, *Omnes voluntate propria regi*; idque exposuit, *ideo se dixisse, propter liberum arbitrium, cui Deus adjutor est eligenti bona*, etiam hîc per naturam liberi arbitrii & per doctrinam legis [a] adjutorem dixerit. Cùm enim rectè anathematizaverit eos, *qui dicunt gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege ac doctrina*: profectò Dei gratia vel adjutorium ad singulos actus datur, excepto libero arbitrio, vel lege atque doctrinâ; ac per hoc per singulos actus à Deo regimur, quando rectè agimus; nec frustra orantes dicimus, (Psal. 118. 133.) Itinera mea dirige secundùm verbum tuum, » ne dominetur mihi omnis iniquitas.

32. Sed quod ista sequitur, me rursum sollicitat. Cùm enim de quinto capitulo libri Cælestii huic fuisset objectum, quòd *affirment unumquemque hominem omnes virtutes posse habere & gratias, & auferant diversitatem gratiarum, quam Apostolus docet*: Pelagius respondit, *Dictum est à nobis, sed malignè & imperitè reprehenderunt. Non enim auferimus gratiarum diversitatem: sed dicimus donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere, omnes gratias, sicut Paulo apostolo donavit.* Ad hoc Synodus dixit, *Consequenter & ecclesiastico sensu & ipse sensisti de dono gratiarum, quæ in sancto Apostolo continentur.* Hîc dicet aliquis, Quid ergo sollicitat? An tu negabis omnes virtutes & gratias fuisse in Apostolo? Ego verò, si illæ accipiantur omnes, quas uno quodam ipse Apostolus commemoravit loco, quas & episcopos intellexisse arbitror, ut hoc approbarent, & pronuntiarent *sensu ecclesiastico dictum*, non eas dubito habuisse (1. Cor. 12. 28.) apostolum Paulum. Ait enim, Et quosdam qui» dem posuit Deus in Ecclesia, primò apostolos, » secundò prophetas, tertiò doctores, deinde vir» tutes, deinde donationes sanitatum, adjutoria, » gubernationes, genera linguarum. Quid ergo, dicemus quòd hæc omnia non habuerit apostolus Paulus? Quis hoc audeat dicere? Nam eo ipso quòd Apostolus erat, habebat utique apostolatum. Sed habebat & prophetiam. An non pro- (1. Tim. 4. 1.) phetia ejus est? Spiritus enim manifestè dicit, « quia in novissimis temporibus recedent quidam » à fide, intendentes spiritibus seductoribus, doctri- (1. Tim. 2. 7.) nis dæmoniorum. Ipse erat & doctor gentium in fide & veritate: & operabatur virtutes & sanita- (Act. 28. 5.) tes; nam mordentem viperam manu excussit il- (Ibid. 14. 9.) læsa, & paralyticus ad verbum ejus restituta continuò salute surrexit. Adjutoria quæ dicat, obscurum est; quoniam vis hujus verbi latè patet: quis tamen huic & istam gratiam defuisse dicat, per cujus laborem salutem hominum sic constat adjutam? Quid verò ejus gubernatione præclarius, quando & per eum Dominus tunc tot Ecclesias gubernavit, & per ejus epistolas nunc gu- (1. Cor. 14. 18.) bernat? Jam genera linguarum, quæ illi deesse potuerunt, cùm ipse dicat, Gratias Deo, quòd omnium vestrûm linguâ loquor? Quia ergo istorum omnium nihil apostolo Paulo defuisse credendum est, propterea responsionem Pelagii, *omnes gratias ei donatas esse dicentis*, judices approbaverunt. Sed sunt & aliæ gratiæ, quæ hîc commemoratæ non sunt. Neque enim, quamvis esset apostolus Paulus multùm excellens membrum corporis Christi, nullas plures & ampliores gratias accepit ipsum totius corporis caput, sive in carne, sive in anima hominis, quam creaturam suam Verbum Dei in unitatem personæ suæ, ut nostrum caput esset, & corpus ejus essemus, assumsit. Et re vera si esse possent in singulis omnia, frustra de membris corporis nostri ad hanc rem data similitudo videretur. Sunt enim quædam communia omnibus membris, sicut sanitas, sicut vita: sunt autem alia etiam singulis propria, unde nec auris sentit colores, nec oculus voces; propter quod dicitur, Si totum corpus oculus, (1. Cor. 12. 17.) ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Quod quidem non ita dicitur, tamquam impossibile Deo sit, & auribus præstare sensum videndi, & oculis audiendi. Quid tamen faciat in Christi corpore quod est Ecclesia, & quam diversitatem * Ecclesiarum velut per membra diversa, ut essent dona etiam singulis propria, significaverit Apostolus, [b] certum est. Quapropter, & qua caussâ hi qui illud objecerunt, auferri noluerint distantiam gratiarum, & qua caussâ episcopi propter Paulum apostolum, in quo dona omnia, quæ loco uno commemoravit, agnoscimus, id quod respondit Pelagius potuerint approbare, jam clarum est.

33. Quid est ergo, unde me de hoc capitulo sollicitum factum esse prædixi? Hoc videlicet, quod ait Pelagius, *Donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere, omnes gratias, sicut Paulo apostolo donavit.* Nihil essem de hac ejus responsione sollicitus, nisi quod adtinet ad hanc caussam, cujus maximè cura gerenda est, ne scilicet gratia Dei, nobis tacentibus & tantum malum dissimulantibus, oppugnetur. Cùm ergo non ait, Donare Deum cui voluerit; sed ait, *Donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere, omnes gratias*; non potui, cùm legerem, non esse [c] suspiciosus. Ipsum quippe gratiæ nomen, & ejus nominis intellectus aufertur, si non gratis datur, sed eam qui dignus est accipit. An fortè quis dicet, Apostolo me facere injuriam, quia eum gratiâ dignum fuisse non dico? Immo tunc facio, & illi injuriam, & mihi pœnam, si quod ipse dicit, non credo. An ille gratiam non ita definivit, ut eam sic, quòd daretur gratis, appellatam ostenderet? Nempe ipse dixit: Si autem gratia, jam non ex operibus; (Rom. 11. 6.) « alioquin gratia jam non est gratia. Unde item « dixit, Ei autem qui operatur, merces non impu- « tatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. (Rom. 4. 4.) Quisquis ergo dignus est, debitum est ei; si autem debitum est, gratia non est: gratia quippe donatur, debitum redditur. Gratia ergo donatur indignis, ut reddatur debitum dignis: ipse autem facit ut habeant quæcumque redditurus est dignis, qui ea quæ non habebant donavit indignis.

34. Hoc fortè dicet: Ego non ex operibus, sed ex fide dixi Apostolum dignum fuisse, cui tantæ illæ gratiæ donarentur; non enim opera, quæ bona antè non habuit, sed tamen fides ejus hoc meruit. Quid enim, putamus quòd fides non

* f. gratiarum.

[a] Nonnulli ex editis, *adjutorium*.
[b] Apud Suar. *incertum est*.

[c] Editi, *suspectus*: bene, si quidem suprà legeretur, *non potuit*: alioquin legend. *sollicitus*; aut juxta Colbertinum MS. *suspiciosus*.

operetur? Immo ipsa veraciter operatur, quæ A per dilectionem operatur. *Gal. 5. 6.* Quantumlibet autem opera infidelium prædicentur, ejusdem Apostoli sententiam veram novimus & invictam, Omne quod non est ex fide, peccatum est. *Opera infidelium. Rom. 14. 23.* Ideo verò sæpe dicit, non ex operibus, sed ex fide, nobis justitiam deputari, cùm potiùs fides per dilectionem operetur, ne quisquam existimet ad ipsam fidem meritis operum perveniri, cùm ipsa sit initium, unde bona opera incipiunt; *Fides initium unde bona opera incipiunt.* quoniam, ut dictum est, quod ex ipsa non est, peccatum est. B Hinc & Ecclesiæ dicitur in Cantico canticorum, Venies, & transies ab initio fidei. *Cant. 4. 8. sec. LXX.* Quapropter quamvis bene operandi gratiam fides impetret: *Fides donum gratiæ Dei.* ipsam certè fidem ut haberemus, nulla fide meruimus; sed in ea nobis danda, in qua Dominum sequeremur, misericordia ejus prævenit nos. *Psal. 58. 11.* An ipsam nobis nos dedimus, & ipsi nos ipsos fideles fecimus? Prorsus etiam hîc clamabo, Ipse fecit nos, & non ipsi nos. *Psal. 99. 3.* Nihil verò aliud apostolica doctrina commendat, ubi ait: Dico autem C per gratiam Dei, quæ data est mihi, omnibus qui sunt in vobis, non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad temperantiam, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei. *Rom. 12. 3.* Hinc est quippe & illud: Quid enim habes, quod non accepisti? *1. Cor. 4. 7.* Quando & hoc accepimus, unde incipit quidquid in nostris actibus habemus boni.

35. Quid est ergo quod idem dicit Apostolus, Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de cetero superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die D justus judex; *2. Tim. 4. 7.* si hæc non redduntur dignis, sed donantur indignis? Hoc qui dicit, parum considerat coronam reddi non potuisse digno, nisi gratia data esset indigno. Ait enim, Bonum certamen certavi: sed idem ipse ait, Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. *1. Cor. 15. 57.* Ait, Cursum consummavi: sed ipse idem ait, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. *Rom. 9. 16.* Ait, Fidem servavi: sed E ipse idem ait, Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem, *2. Tim. 1. 12.* id est, commendatum meum: nam codices nonnulli non habent *depositum*; sed quod est planius, *commendatum*. Quid autem commendamus Deo, nisi [a] quæ oramus ut servet, in quibus & ipsa est fides nostra? Nam quid aliud * apostolo Petro Dominus commendavit orando, unde illi ait, Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua; **f de apostolo. Luca 22. 32.* nisi ut ejus Deus servaret fidem, ne tentationi cedendo deficeret? Quocirca, ô [b] beate Paule, F magne gratiæ prædicator, dicam, nec timeam; (quis enim mihi minùs succensebit ista dicenti, quàm tu, qui ea dicenda dixisti & docenda docuisti?) dicam, inquam, nec timeam: redditur quidem meritis tuis corona sua, sed Dei dona sunt merita tua.

36. Redditur ergo debitum præmium Apostolo digno: sed ipsum apostolatum indebitum [c] gratia donavit indigno. An hoc me dixisse pænitebit? Absit: ejus enim testimonio ab hac in- G vidia defensabor, nec me quisquam vocabit audacem, nisi qui fuerit ausus ipsum vocare mendacem. Ipse clamat, ipse testatur, ipse ut in se Dei dona commendet; nec [d] in se ipso, sed in Domino glorietur, *1. Cor. 1. 31.* non solùm nulla se habuisse dicit merita bona, ut apostolus fieret; sed etiam mala merita sua dicit, ut Dei gratiam manifestet & prædicet. Non sum, inquit, idoneus vocari apostolus: *1. Cor. 15. 9.* quod quid est aliud, quàm non sum dignus? nam hoc plerique Latini codices habent. Hoc est nempe quod quærimus: nempe isto munere apostolatûs illæ omnes gratiæ continentur. Non enim decebat aut oportebat apostolum non habere prophetiam, aut non esse doctorem, aut non clarescere virtutibus, donationibusque sanitatum, aut adjutoria non præbere, aut Ecclesias non gubernare, aut linguarum generibus non excellere. Omnia hæc unum nomen apostolatûs amplectitur. Ipsum igitur consulamus: ipsum potiùs audiamus: dicamus ei, Sancte Paule apostole, Pelagius monachus dignum te dicit fuisse, *Pelagius monachus.* qui acciperes omnes gratias apostolatûs tui, tu ipse quid dicis? Non sum, inquit, dignus vocari apostolus? Itane, ut deferam honorem Paulo, Pelagio magis de Paulo credere audebo, quàm Paulo? Non faciam: me namque potiùs onerabo, quàm illum honorabo, si fecero. Audiamus etiam, cur non sit dignus vocari apostolus: Quia persecutus sum, inquit, Ecclesiam Dei. Si sensum sequeremur, quis non istum à Christo damnandum censeret potiùs quàm vocandum? Quis ita diligat prædicatorem, ut non detestetur persecutorem? Optimè ergo ipse atque veraciter, Non sum, inquit, dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Faciens igitur tantum mali, unde meruisti tantum boni? Audiant respondentem omnes gentes: Sed gratiâ Dei sum id quod sum. *Ibid. 10. Gratia indigno data.* Numquid aliter est gratia commendata, nisi quia est indigno data? Et gratia ejus, inquit, in me vacua non fuit. Hoc & aliis præcipit, ut etiam arbitrium voluntatis ostendat, ubi ait, Præcipientes autem & rogamus, ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis. *2. Cor. 6. 1.* Unde autem probat quòd gratia ejus in eo vacua non fuit, nisi ex eo quod sequitur, Sed plus omnibus illis laboravi? *1. Cor. 15. 10.* Proinde non laboravit ut gratiam acciperet, sed accepit ut laboraret: atque ita, unde ad accipienda debita præmia fieret dignus, gratiam gratìs accepit indignus. Nec ipsum sanè laborem sibi ausus est arrogare. Cùm enim dixisset, Plus omnibus illis laboravi: continuò subjecit, Non ego, sed gratia Dei mecum. O magnum gratiæ præceptorem, confessorem, prædicatorem. Quid est hoc? Plus laboravi, non ego? Ubi sese extulit aliquantùm voluntas, ibi continuò vigilavit pietas, & tremuit humilitas, quia se agnovit infirmitas.

37. Meritò, quod gesta indicant, etiam hoc usus est testimonio sanctus Johannes Jerosolymitanæ antistes Ecclesiæ, *Johannes episcopus Jerosolymitanus.* sicut interrogatus quæ apud illum [e] ante judicium gesta fuerint, coëpiscopis nostris, qui simul in illo judicio præsidebant, ipse narravit. Ait enim, tunc quibusdam susurrantibus, & dicentibus, quòd *sine Dei gratia* diceret Pelagius *posse hominem perfici*, id est, quod superiùs dixerat, *esse posse hominem sine peccato*: [f] *Culpans*, inquit, *super hoc etiam intuli, quia &*

[a] Ita Colbertinus cod. At editi, *nisi qui*; aut, *nisi quod*.
[b] Duo MSS. *ô benedicte Paule*.
[c] Editi plerique, *gratiæ*. Colbertinus. cod. & Suar. *gratia*.
[d] Editiones quædam *non in se ipso, sed in Domino gloriatur*.
[e] Conventu scilicet Jerosolymis habito in fine Julii anni 415. quem describit Orosius in Apologetico: hunc habes infrà in 2. parte Appendicis.
[f] Editi constanter, *Culpam*. Corrigendi ex illis verbis n. 55. *hos se dixerit culpasse Iohannes*.

1. Cor. 15. 10. Rom. 9. 16. Psal. 126. 1.

apostolus Paulus multùm laborans, sed non secundùm A *suam virtutem, sed secundùm gratiam Dei, dixit: Amplius omnibus illis laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum: & iterum, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei: & illud, Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam: & alia multa similia diximus*, inquit, *de scripturis sanctis. Illis autem non suscipientibus quæ dicebantur à nobis de sanctis scripturis, sed adhuc susurrantibus, dixit Pelagius, Et ego sic credo: anathema sit, qui dicit absque adjutorio Dei* B *posse hominem ad profectum omnium venire virtutum.*

Caput XV.

38. Hæc narravit episcopus Johannes, audiente Pelagio, qui utique posset honorificè dicere, Fallitur sanctitas tua, non bene meministi, non dixi ad ista testimonia, quæ de Scripturis commemorasti, *Ego sic credo*: quoniam non ea sic intelligo, quòd gratia Dei sic laboret cum homine, ut quòd non peccat, non volentis, neque currentis, sed miserentis sit Dei.

Caput XVI. * V. lib. 3. de peccat. merit. c. 1. Rom. 9. 16.

39. Sunt enim quædam expositiones episto- C læ Pauli, quæ scribitur ad Romanos, quæ * ipsius Pelagii esse dicuntur, ubi hoc quod scriptum est, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*: *non ex persona Pauli* asserit *dictum; sed eum voce interrogantis & redarguentis usum fuisse, cùm hoc diceret, tamquam hoc dici utique non deberet.* Non ergo, cùm episcopus Johannes planè istam sententiam [a] esse Apostoli agnovit, eamque ideo commemoravit, ne Pelagius sine Dei gratia non peccare quemquam putaret, & dixit respondis- D se Pelagium, *Et ego sic credo*; neque cùm hoc præsens audiret, respondit, Non sic credo. Oportet ut illam expositionem perversam, ubi hoc non sensisse Apostolum, sed potiùs redarguisse intelligi voluit, aut suam neget, aut corrigere atque emendare non dubitet. Nam quid- (Heros & Lazarus. Orosius.) quid dixit episcopus Johannes de absentibus fratribus nostris, sive coëpiscopis Herote ac Lazaro, sive de presbytero Orosio, sive de aliis [b] quorum ibi non sunt nomina expressa, credo quòd intelli- E gat ad eorum præjudicium non valere. Si enim præsentes essent, possent eum fortasse, absit ut dicam, convincere de mendacio, sed fortè commemorare, quid fortè fuisset oblitus, aut in quo eum fefellerit Latinus interpres, etsi non studio mentiendi, certè alienæ linguæ minùs intellectæ nonnulla difficultate: præsertim quia non in gestis [c] agebatur, quæ, improbi ne mentiantur, boni autem ne aliquid obliviscantur, utiliter instituta sunt. Si quis autem memoratis fratribus F nostris ex hoc aliquid quæstionis intulerit, eosque ad judicium episcopale vocaverit, sibi ut poterunt, aderunt: nobis hîc laborare quid opus est; quando ne ipsi quidem judices, post coëpiscopi nostri narrationem, aliquid inde pronuntiare voluerunt?

Caput XVII. 1. Cor. 15. 9.

40. Cùm ergo Pelagius præsens, ad illa testimonia Scripturarum dixisse se ita credere tacitus agnoverit, quomodo illud Apostoli testimonium paulò superiùs recolens, & inveniens eum dixisse, G Non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei, sed gratiâ Dei sum id A quod sum; non vidit, non se dicere debuisse, cùm ageretur de abundantia gratiarum, quas idem accepit Apostolus, *dignum fuisse qui acciperet*; cùm ipse se non solùm dixerit, sed & aliam caussam reddens, probarit indignum, & eo ipso gratiam verè gratiam commendaverit? Sed si fortè illud jam dudum à sancto Johanne narratum, cogitare vel meminisse non potuit; recentissimam suam responsionem respiceret, & quæ paulò antè de Cælestio sibi objecta anathemati- B zaverit, adverteret. Nempe etiam inter illa est, quod objectum est dixisse Cælestium, *Dei gratiam secundùm merita nostra dari.* Si ergo veraciter hoc Pelagius anathematizavit, quid est quod dicit, gratias omnes Apostolo secundùm meritum datas? An aliud est dignum esse accipere; aliud, secundùm meritum accipere? & potest aliqua subtilitate disputationis ostendere, dignum esse aliquem, sed non mereri? Verumtamen Cælestius, vel quis alius, cujus omnes superiores ana- C thematizavit sententias, nec de hoc verbo eum nebulas obtendere atque in eis latere permittit. Urget enim & dicit: *Et ipsa gratia in mea voluntate posita est, sive dignus fuerim, sive indignus.* Si (Suprà cap. 14. n. 30.) ergo rectè hoc à Pelagio veraciterque damnatum est, ubi dicitur, *Dei gratiam secundùm merita & dignis dari*: quo corde cogitavit, quove ore protulit quod ait, *Dicimus donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere, omnes gratias?* Quis non ista si (Ibid. n. 31.) diligenter adverterit, fiat de illius responsione D vel defensione sollicitus?

41. Cur ergo, ait aliquis, hoc judices approbaverunt? Fateor, ideo jam ipse ambigo: sed nimirum, aut breve dictum eorum audientiam & intentionem facilè subterfugit, aut aliquo modo id rectè posse accipi existimantes, cujus de hac re confessiones liquidas sibi habere videbantur, penè de uno verbo nihil ei controversiæ movendum putarunt. Quod & nobis forsitan contigis- E set, si cum eis in illo judicio sedissemus. Si enim pro eo quod positum est dignus, positum esset prædestinatus, vel aliquid hujusmodi, nihil certè scrupuli tangeret atque angeret animum: & tamen si dicatur, eum qui per electionem gratiæ justificatur, nullis quidem præcedentibus meritis bonis, sed destinatione dignum vocari, sicut electus vocatur, utrùm vel certè, vel minima offensione intelligentiæ dici possit, difficilè judicatur. Nam quantum ad me adtinet, ab hoc F verbo facilè transirem, nisi me liber ille, cui respondi, ubi omnino nullam dicit Dei gratiam, nisi naturam nostram cum libero arbitrio, * gratiam creaturam, de ipsius Pelagii sensu sollicitum redderet, ne fortè hoc verbum non de negligentia locutionis, sed de diligentia dogmatis curarit inserere. Jam ea quæ restant novissima, ita judices commoverunt, ut ante responsionem Pelagii damnanda censerent.

(Benignè interpretatur quod incautiùs à judicibus gestum in caussa Pelagii.)

(* f. gratis creatam.)

42. Nam in sexto capitulo Cælestii libri posi- G tum objectum est, *Filios Dei non posse vocari, nisi omni modo absque peccato fuerint effecti.* Unde se-

(Caput XVIII. Alia Cælestii capitu-)

[a] Editiones hîc omittunt *esse*: & postea *agnovit*, mutant in *cognovit*. Emendari debent auctoritate Colbertini MS. ut nimirum intelligatur, sententiam illam, *Non volentis* &c. à Johanne episcopo habitam esse pro sententia Pauli loquentis ex propria persona.

[b] Avito forsitan, Passerio, & Domino ex duce, quorum nomina quæ in gestis Diospolitanis expressa non erant, invenies in Apologetico Orosii, cap. 3.

[c] Editi plerique, *non in gestis agitatur*. Veriùs Suar. & Colbertinus cod. *agebatur*. Fortè legendum, *non gestis agebatur*: deleta præpositione *in*, ut infrà n. 55. Dicit Augustinus de iis quæ apud Johannem episcopum in Jerosolymitano consessu ante judicium Diospolitanum acta fuerant, ut perspicuum est ex cap. 14. n. 37.

la ab ipso Pelagio reprobata. cundùm ipsum dictum est, neque apostolum A Paulum esse filium Dei, qui dixit, Non quòd
Philip. 3. 12. jam acceperim, aut quòd jam perfectus sim. In septimo capitulo, *Oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem.* Cùm David
Psal. 24. 7. dicat, Delicta juventutis meæ ne memineris &
Levit. 4. ignorantiæ meæ: & cùm in lege sacrificia pro ignorantia sicut pro peccato offerantur. In decimo capitulo, *Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio, quoniam in propria voluntate ha-* B *bet unusquisque aut facere aliquid, aut non facere.* In duodecimo capitulo, *Victoriam nostram non ex Dei esse adjutorio, sed ex libero arbitrio:* quod inferre dictus est his verbis, *Nostra est victoria, quoniam propriâ voluntate arma suscepimus, sicut è contrario nostrum est quando vincimur, quoniam armari propriâ voluntate contemsimus.* Et de apostolo Petro posuit
2. *Pet.* 1. 4. testimonium, *divinæ nos esse consortes naturæ.* Et syllogismum facere dicitur: *Quoniam si anima non potest esse sine peccato, ergo & Deus subjacet pecca-* C *to, cujus pars, hoc est anima, peccato obnoxia est.* In tertio decimo capitulo dicit, *Quoniam pænitentibus venia non datur secundùm gratiam & misericordiam Dei, sed secundùm merita & laborem eorum, qui per pænitentiam digni fuerint misericordiâ.*

CAPUT XIX. Pelagii monachi responsio, & professio fidei suæ.

43. HIS recitatis Synodus dixit, *Quid ad hæc quæ lecta sunt capitula dicit præsens Pelagius monachus? Hoc enim reprobat sancta Synodus, & sancta Dei catholica Ecclesia.* Pelagius respondit: *Iterum dico, quia hæc & secundùm ipsorum testimonium, non* D *sunt mea; pro quibus, ut dixi, satisfactionem non debeo: quæ verò mea esse confessus sum, hæc recta esse affirmo: quæ autem dixi non esse mea, secundùm judicium sanctæ Ecclesiæ reprobo, anathema dicens omni contravenienti & contradicenti sanctæ catholicæ Ecclesiæ doctrinis. Ego enim in unius substantiæ Trinitatem credo, & omnia secundùm doctrinam sanctæ catholicæ Ecclesiæ: si quis verò aliena ab hac sapit, anathema sit.*

CAPUT XX. Absolutio Pelagii.

44. SYNODUS dixit: *Nunc quoniam satisfa-* E *ctum est nobis prosequutionibus præsentis Pelagii monachi, qui quidem piis doctrinis consentit, contraria verò* [a] *Ecclesiæ fidei reprobat & anathematizat, communionis ecclesiasticæ eum esse & catholicæ confitemur.*

CAPUT XXI. Purgatio Pelagii suspecta habetur.

45. SI [b] ista sint gesta, quibus amici Pelagii gaudent eum esse purgatum: nos, quoniam erga se nostram quoque amicitiam, prolatis etiam familiaribus epistolis nostris, atque in hoc judicio recitatis, quas insertas continent gesta, satis probare curavit, salutem quidem ejus in Christo F cupimus & optamus: de ista verò ejus purgatione, quæ magis creditur, quàm liquidò demonstratur, gaudere temere non debemus. Neque hoc dicens, judicum arguo vel negligentiam, vel conniventiam, vel quod ab eis longè abhorrere certissimum est; impiorum dogmatum conscientiam: sed eorum judicio pro merito approbato atque laudato, Pelagius tamen apud eos quibus ampliùs [c] certiúsque notus est, non mihi videtur esse purgatus. Illi enim tamquam de G ignoto judicantes, his præsertim absentibus qui contra eum libellum dederant, hominem quidem diligentiùs examinare minimè potuerunt: A hæresim tamen ipsam, si eorum sequantur judicium qui pro ejus perversitate certabant, penitus peremerunt. Illi autem qui bene sciunt quæ Pelagius docere consuevit, sive qui ejus disputationibus restiterunt, sive qui ex ipso errore se liberatos esse gratulantur, quomodo possunt eum non habere suspectum, quando ejus non simplicem confessionem præterita errata damnantem, sed talem confessionem legunt, quasi numquam aliter senserit, quàm isto judicio in ejus est re- B sponsionibus approbatum.

CAPUT XXII. Pelagius unde notus Augustino.

46. NAM, ut de me ipso potissimùm dicam, priùs absentis & Romæ constituti Pelagii nomen cum magna ejus laude cognovi: postea cœpit ad nos fama perferre, quòd adversùs Dei gratiam disputaret; quod licèt dolerem, & ab eis mihi diceretur, quibus crederem, ab ipso tamen tale aliquid, vel in ejus aliquo libro nosse cupiebam, ut si inciperem redarguere, negare non posset. Postea verò quàm in Africam venit, me absente, C nostro, id est, Hipponensi littore exceptus est, d ubi omnino, sicut [d] comperi à nostris, nihil ab illo hujusmodi auditum est: quia & citiùs quàm putabatur, inde profectus est. Postmodum ejus faciem Carthagine, quantum recolo, semel vel iterum vidi, quando curâ Collationis, quam cum hæreticis Donatistis habituri eramus, occupatissimus fui: ille verò etiam ad transmarina properavit. Interea per ora eorum, qui ejus discipuli ferebantur, dogmata ista fervebant: ita ut Cæ- Cælestius Carthagine damnatur. D lestius ad ecclesiasticum judicium perveniret, & reportaret dignam sua perversitate sententiam. Salubriùs sanè adversùs eos agi putabamus, si hominum nominibus tacitis, ipsi refutarentur & redarguerentur errores, atque ita metu potiùs ecclesiastici judicii corrigerentur homines, quàm ipso judicio punirentur. Nec libris igitur adversùs mala illa differere, nec popularibus tractatibus cessabamus.

CAPUT XXIII. Liber Pelagii Augustino traditus à Timasio & Jacobo, cum refutatus libro de natura & gratia.

47. CUM verò mihi etiam liber ille datus es- E set à servis Dei bonis & honestis viris Timasio & Jacobo, ubi apertissimè Pelagius objectam sibi à se ipso tamquam ab adversario, unde jam grandi invidiâ laborabat, de Dei gratia quæstionem non aliter sibi solvere visus est, nisi ut naturam cum libero arbitrio conditam, Dei diceret gratiam: aliquando, idque tenuiter, nec apertè, ei conjungens vel legis adjutorium, vel remissionem etiam peccatorum: tum verò sine ulla dubitatione mihi claruit, quàm esset Christianæ saluti venenum illius perversitatis inimicum. Nec sic ta- F men operi meo, quo eumdem librum refelli, Pelagii nomen inserui: faciliùs me existimans profuturum, si servatâ amicitiâ, adhuc ejus verecundiæ parcerem, cujus litteris jam parcere non deberem. Hinc est, quòd nunc molestè fero, in hoc judicio dixisse illum quodam loco, *Anathematizo illos qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt.* Suffecerat dicere, *qui sic tenent;* ut eum crederemus esse correctum: cùm verò addidit, G *aut aliquando tenuerunt;* primùm quàm injustè damnare immeritos ausus est, qui illo, quem sive aliis, sive ipso doctore didicerant, errore caruerunt? Deinde quis eorum, qui eum ista non so-

[a] Colbertinus MS. *Ecclesiastica fidei.*
[b] Idem cod. *Sed ista sint gesta.*
[c] Duo MSS. *artiúsque notus est.*

[d] Ita Suar. & Colbertinus MS. In prima editione Velser. omisso *comperi à*, legebatur *sicut nostris.* Hinc verò in posterioribus editionibus factum erat, *sicut nostis.*

lùm aliquando tenuisse, verùm etiam docuisse A noverunt, non meritò suspicetur, simulatè anathematizasse qui hæc tenent, cùm eodem modo anathematizare non dubitavit qui hæc aliquando tenuerunt, in quibus eum ipsum recordabuntur magistrum? Ecce, ut alios taceam, Timasium & Jacobum, quibus oculis, qua fronte conspiciet, suos & dilectores, & aliquando discipulos, ad quos librum * scripsi, ubi libro ejus respondi: qui certè quemadmodum mihi rescripserint, tacendum & prætereundum non putavi; sed exem- B plum litterarum subter annexui.

** Lib. de natura & gratia.*

Caput XXIV.

Epistola Timasii & Jacobi ad Aug. accepto libro de natura & gratia.

48. Domino verè beatissimo, & meritò venerabili patri episcopo Augustino, Timasius & Jacobus in Domino salutem. » Ita nos refecit » & recreavit gratia Dei ministrata per verbum » tuum, ut prorsus germanè dicamus, Misit ver- » bum suum, & sanavit eos, Domine beatissime » & meritò venerabilis pater. Sanè eâ diligentiâ » ventilasse sanctitatem tuam textum ejusdem li- » belli reperimus, ut ad singulos apices responsa C » reddita stupeamus, sive in his quæ refutare, de- » testari, ac fugere deceat Christianum; sive in il- » lis, in quibus non satis invenitur errasse; quam- » vis, nescio qua calliditate, in ipsis quoque gra- » tiam Dei credidit supprimendam. Sed unum est, » quod nos in tanto beneficio afficit, quia tardè » hoc tam præclarum gratiæ Dei munus effulsit. » Si quidem contigit absentes fieri quosdam, quo- » rum cæcitati ista tam perspicuæ veritatis illustra- » tio deberetur; ad quos, etsi tardiùs, non diffi- D » dimus propitio Deo eamdem gratiam pervenire, » qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agni- » tionem veritatis venire. Nos verò, etsi olim spi- » ritu [a] caritatis, qui in te est, docti subjectionem » ejus abjecerimus erroris, in hoc etiam nunc gra- » tias agimus, quòd hæc quæ antè credidimus, » nunc aliis aperire didicimus, viam facilitatis ube- » riore sanctitatis tuæ sermone pandente. Et alia » manu: Incolumem beatitudinem tuam, nostri- » que memorem, misericordia Dei nostri glorificet E in æternum.

Psal. 106. 20. *1. Tim. 2. 4.*

Caput XXV.

49. Si ergo & iste confiteretur, ita in hoc errore se fuisse aliquando, ut hominem præoccupatum, sed nunc anathematizare qui hæc tenent; quisquis ei non gratularetur, tenente jam illo viam veritatis, ipse amitteret viscera caritatis. Nunc verò parum est, quòd se non confessus est ab ea peste liberatum, sed anathematizavit insuper liberatos, qui eum sic diligunt, ut etiam ipsum cupiant liberari: in quibus & isti sunt, qui F benevolentiam suam erga illum significaverunt, his ad me datis litteris suis; nam & ipsum præcipuè cogitabant, cùm dicerent, hoc se affici, » quòd tardè illum librum scripserim? Si quidem » contigit, inquiunt, absentes fieri quosdam, quorum » cæcitati ista tam perspicuæ veritatis illustratio de- » beretur, ad quos etsi tardiùs, inquiunt, non dif- » fidimus propitio Deo eamdem gratiam pervenire. Nomen quippe vel nomina ipsi quoque adhuc tacenda putaverunt, ut vivente amicitiâ, error po- G tiùs moreretur amicorum.

Pelagium succensere non debere, si ex-

50. At nunc si Pelagius Deum cogitat, si non est ingratus ejus misericordiæ, qui eum ad episcoporum judicium propterea perduxit, ut hæc anathemata defendere postea non auderet, jamque detestanda & abjicienda cognosceret, gratiùs accipiet litteras nostras, quando expresso nomine ulcus sanandum potiùs aperimus, quàm * illas, ubi cùm dolorem facere timeremus, tumorem, quod nos pænitet, augebamus. Si autem mihi fuerit iratus, quàm iniquè irascatur adtendat, & ut vincat iram, tandem aliquando Dei postulet gratiam, quam in hoc judicio confessus est singulis nostris actibus necessariam; ut veram consequatur illo adjuvante, victoriam. Quid enim ei prosunt tantæ ejus laudes in epistolis episcoporum, quas pro se commemorandas, vel etiam legendas atque allegandas putavit, quasi eum hæc perversa sentire, omnes qui vehementes & quodam modo ardentes ad bonam vitam exhortationes ejus audiebant, facilè scire potuerint.

presso nomine tandem confutatus sit. ** subaud. accepit.*

De scriptis ad eum episcoporũ epistolis.

Caput XXVI.

51. Et ego quidem in epistola mea, quam protulit, non solùm ab ejus laudibus temperavi; sed etiam quantùm potui, sine [b] ejus commotione quæstionis, de Dei gratia rectè sapere admonui. Dixi eum quippe in salutatione, Dominum: quod epistolari more etiam non Christianis quibusdam scribere solemus; neque id mendaciter, quoniam omnibus ad salutem, quæ in Christo est, consequendam, debemus quodam modo liberam servitutem. Dixi dilectissimum: quod & nunc dico, etsi iratus fuerit, adhuc dicam; quoniam nisi erga eum dilectionem tenuero, illo irascente, ipse mihi magis nocebò. Dixi desideratissimum: quoniam valde cupiebam cum præsente aliquid colloqui: jam enim audieram contra gratiam, qua justificamur, quando hinc aliqua commemoratio fieret, apertâ eum contentione conari. Denique litterarum ipsarum brevis textus hoc indicat: nam cùm egissem gratias, quòd me scriptis suis exhilarasset, certum faciendo de sua salute ac suorum, quos utique si correctos volumus, etiam corporali salute salvos velle debemus; mox ei bona optavi à Domino retribui, non ad salutem corporis pertinentia, sed ea potiùs, quæ putabat esse, vel fortè adhuc putat, in solo arbitrio voluntatis & propria potestate posita, simul optans & propter hoc vitam æternam. Deinde quia litteris suis, quibus respondebam, talia quædam in me bona multùm benignéque laudaverat; etiam ibi petivi ab eo, ut pro me oraret, quo potiùs à Domino talis fierem, qualem me esse jam crederet: ut eum sic admonerem, contra quod ille sapiebat, ipsam quoque justitiam, quam in me laudandam putaverat, non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Hoc est totum, quod brevis illa epistola mea continet, eâque intentione dictata est: nam ita se habet.

Rom 9. 16.

Caput XXVII.

Caput XXVIII.

52. Domino dilectissimo, & desideratissimo fratri Pelagio, Augustinus in Domino salutem. Gratias ago plurimùm, quòd me litteris tuis exhilarare dignatus es, & certum facere de salute vestra. Retribuat tibi Dominus bona, quibus semper sis bonus, & cum illo æterno vivas in æternum, Domine dilectissime, & desideratissime frater. Ego autem, etsi in me non « agnosco præconia de me tua, quæ tuæ benigni- « tatis epistola continet: benevolo tamen animo « erga exiguitatem meam, ingratus esse non pos- «

[a] Sic Suar. Editi verò alii, *claritatis*. In eodem versu loco *subjectionem*, Florentinus cod. habet, *subsectionem*.

[b] Romanus MS. *ullius*. Colbertinus, *illius commemoratione*. Alius quidam cod. *commonitione*.

» sum : simul admonens, ut potiùs ores pro me, » quo talis à Domino fiam, qualem me jam esse » arbitraris. Et alia manu: Memor nostri incolu- » mis Domino placeas, Domine dilectissime, & » desideratissime frater.

Caput XXIX.

53. In ipsa quoque subscriptione quod posui, ut Domino placeat, magis hoc esse significavi in ejus gratia, quàm in sola hominis voluntate, quando id nec hortatus sum, nec præcepi, nec docui, sed optavi. Quemadmodum verò si hortarer, aut præciperem, vel docerem, pertinere hoc & ad liberum arbitrium demonstrarem, nec tamen Dei gratiæ derogarem: ita quia optavi, Dei quidem commendavi gratiam, non tamen arbitrium voluntatis exstinxi. Ut quid ergo in hoc judicio protulit hanc epistolam? secundùm quam si ab initio sapuisset, nullo modo fortassis, licèt à bonis fratribus, sed tamen perversitate disputationum ejus offensis, ad episcopale judicium vocaretur. Porrò autem, sicut ego rationem de hac mea epistola reddidi, ita de suis, si esset necesse, redderent quorum allegavit, dicentes vel quid putaverint, vel quid ignoraverint, vel qua ratione scripserint. Proinde Pelagius de quorumlibet sanctorum amicitia se jactaverit, quorumlibet de suis laudibus litteras legerit, quælibet purgationis suæ gesta protulerit, nisi ea quæ contra Dei gratiam, qua vocamur & justificamur, posuisse in [a] libris suis idoneorum testium fide probatur, confessus anathematizaverit, ac [b] deinde contra hæc ipsa scripserit & disputaverit, nequaquam his quibus pleniùs notus est, videbitur esse correctus.

Caput XXX. De epistola Pelagii quâ suos errores ab episcopis quatuordecim probatos fuisse gloriatur.

54. Jam enim, quæ post hoc judicium consequuta sint, quæ hanc suspicionem magis augeant, non tacebo. Pervenit in manus nostras nonnulla epistola, quæ ipsius Pelagii diceretur, scribentis ad amicum suum quemdam presbyterum, qui eum litteris, sicut eâdem epistolâ continetur, benignè admonuerat, ne per ejus occasionem se aliquis à corpore Ecclesiæ separaret. Ibi inter cetera, quæ inserere longum est, nec opus est, ait Pelagius, *Quatuordecim episcoporum sententiâ definitio nostra comprobata est, qua diximus, posse hominem sine peccato esse, & Dei mandata facilè custodire, si velit. Quæ sententia*, inquit, [c] *contradictionis os confusione perfudit, & omnem in malum conspirantem societatem ab invicem separavit.* Sive ergo istam epistolam Pelagius verè scripserit, sive sub ejus nomine à quocumque conficta sit, quis non videat, quemadmodum hic error & de judicio, ubi convictus atque damnatus est, tamquam de victoria glorietur? Sic enim posuit hæc verba, quemadmodum leguntur in libro ejus, qui Capitulorum vocatur, non quemadmodum objecta sunt in judicio, vel ejus etiam responsione repetita. Nam & illi qui objecerunt, nescio quâ incuriâ, minùs posuerunt verbum, de quo non parva est controversia. Posuerunt enim eum dixisse, *Posse hominem, si velit, esse sine peccato, & Dei mandata custodire si velit*: de facilitate nihil est dictum. Deinde ipse respondens ait, *Posse quidem hominem esse sine peccato, & Dei mandata custodire, si velit, diximus*: neque ipse dixit, *facilè*

A *custodire*; sed tantummodo, *custodire*. Ita alio loco inter illa de quibus me Hilarius consuluit, atque rescripsi, sic objectum est, *Posse hominem esse sine peccato, si velit.* Ad quod ipse ita respondit, *Posse quidem hominem sine peccato esse, dictum est superiùs.* Neque hîc ergo, vel ab eis qui objecerunt, vel ab ipso qui respondit, additum est, *facilè*. Superiùs etiam in narratione sancti Johannis episcopi ita commemoratum est: *Illis*, inquit, *instantibus & dicentibus, Quia hæreticus est, dicit*
B *enim, quoniam potest homo, si voluerit, esse sine peccato: & de hoc interrogantibus nobis eum, respondit, Non dixi, quoniam recepit natura hominis, ut impeccabilis sit; sed dixi, quoniam qui voluerit pro propria salute laborare, & agonizare, ut non peccet, & ambulet in præceptis Dei, habere eum hanc possibilitatem à Deo. Tunc quibusdam susurrantibus, & dicentibus, quòd sine Dei gratia, diceret Pelagius, posse hominem perfici: Culpans*, inquit, *super hoc etiam intuli, quia & apostolus Paulus multùm laborans,*
C *sed non secundùm suam virtutem, sed secundùm gratiam Dei, dixit, Ampliùs omnibus illis laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum*: & cetera quæ jam * commemoravi. 1. Cor. 15. 10. * Suprà cap. 14. n. 37.

55. Quid sibi ergo vult, quòd in hac epistola ita gloriari ausi sunt, ut non solùm possibilitatem non peccandi, sed etiam facilitatem, sicut in libro Capitulorum ejusdem Pelagii positum est, judicantibus quatuordecim episcopis se persuasisse jactarent, cùm totiens eadem objecta gestis atque
D repetita nusquam hoc habere inveniantur? Quomodo enim etiam ipsi defensioni & responsioni Pelagii non est hoc verbum contrarium, cùm & episcopus Johannes sic eum apud se respondisse dixerit, ut *eum vellet intelligi posse non peccare, qui voluerit pro salute sua laborare & agonizare*; & ipse jam gestis [d] agens, seque defendens, *proprio labore & Dei gratiâ*, dixerit, *hominem posse esse sine peccato*? Quomodo ergo facilè fit, si laboratur ut fiat? Puto enim omnem sensum homi-
E num nobiscum agnoscere, quòd ubi labor est, facilitas non est. Et tamen epistola carnalis ventositatis & elationis volat, & gestorum tarditate procuratâ, celeritate præcedens, in manus hominum prævolat, ut quatuordecim episcopis orientalibus placuisse dicatur, non solùm *posse esse hominem sine peccato, & Dei mandata custodire*, sed & *facilè custodire*: nec nominato Deo juvante, sed tantùm, *si velit*: ut videlicet tacitâ, pro qua vehementissimè pugnabatur, divinâ gra-
F tiâ, restet, ut sola in epistola legatur infelix, & se ipsam decipiens velut victrix, humana superbia. Quasi non hoc se dixerit culpasse Johannes episcopus, & velut giganteos montes adversùs supereminentiam gratiæ cælestis structos tribus divinorum testimoniorum tamquam fulminum ictibus dejecisse: aut verò cum illo etiam ceteri episcopi judices, vel mente, vel ipsis auribus ferrent Pelagium dicentem, *Posse quidem hominem sine peccato esse, & Dei mandata custodire, si velit,*
G *diximus*: nisi continuò sequeretur, *hanc enim possibilitatem Deus illi dedit*: (quod nesciebant illi, eum dicere de natura, non de illa, quam in apostolica prædicatione noverant, gratiâ): ac deinde

[a] Suar. & Colbertinus MS. *in litteris suis.*
[b] Romanus MS. *ac demum.*
[c] Colbert. MS. *contradictiones omnes.*

[d] *Jam gestis agens*, scilicet apud episcopos Synodi Diospolitanæ, qui priùs apud Johannem non confectis gestis ad sibi objecta responderat. V. suprà cap. 16.

conjungeret, *Non autem diximus, quòd inveniatur aliquis, ab infantia usque ad senectam, qui numquam peccaverit; sed quoniam à peccatis conversus, proprio labore & Dei gratiâ possit esse sine peccato.* [a] Quod etiam suâ sententiâ declararunt, dicentes, eum rectè respondisse, *hominem cum adjutorio Dei & gratia posse esse sine peccato*: quid aliud metuentes, nisi ne hoc negando, non possibilitati hominis, sed ipsi Dei gratiæ facere viderentur injuriam? Nec tamen definitum est, quando fiat homo sine peccato, quod fieri posse adjuvante Dei gratiâ, judicatum est: non est, inquam, definitum, [b] utrùm in hac carne concupiscente adversùs spiritum, fuerit, vel sit, vel futurus sit aliquis, jam ratione utens & voluntatis arbitrio, sive in ista frequentia hominum, sive in solitudine monachorum, cui non sit jam necessarium, non propter alios, sed etiam propter se ipsum dicere in oratione, Dimitte nobis debita nostra: (Matth. 6. 12.) an verò tunc perficiatur hoc donum, quando similes ei erimus, quando videbimus eum, sicuti est; (1. Iohan. 3. 2.) quando dicetur, non à pugnantibus, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; (Rom. 7. 23.) sed à triumphantibus, Ubi est mors victoria tua? ubi est mors aculeus tuus? (1. Cor. 15. 55.) Quod non inter catholicos & hæreticos, sed inter ipsos catholicos [c] fortasse pacificè requirendum est.

Caput XXXI.

56. Quomodo igitur credi potest, Pelagium, (si tamen hæc epistola ejus est,) & Dei gratiam, quæ neque natura est cum libero arbitrio, neque legis scientia, neque tantùm remissio peccatorum; sed ea quæ in singulis nostris est actibus necessaria, veraciter fuisse confessum, & veraciter anathematizasse quisquis contra ista sentiret; quando in epistola sua & facilitatem posuit non peccandi, de qua nulla in hoc judicio quæstio fuit, quasi judicibus etiam de hoc verbo placuerit, & gratiam Dei non posuit, quam confitendo & addendo, pœnam ecclesiasticæ damnationis evasit.

Caput XXXII. Fraudes Pelagii in referendis actis Palæstinis, in chartula defensionis suæ ad Augustinum.

57. Est & aliud quod silere non debeo. In chartula defensionis suæ, quam mihi per quemdam Charum [d] nostrum Hipponensem civem, orientalem autem diaconum, misit, fecit aliquid, quod aliter se habeat, quàm gestis episcopalibus continetur. Quod autem habent gesta, longè melius est ac firmius, & omnino enodatius pro catholica veritate contra illius hæresis pestem. Nam, cùm eamdem chartulam legerem, priùs quàm ad nos gesta venissent, nesciebam ea ipsa verba posuisse, quibus, cùm sibi adesset, usus est in judicio: pauca enim, & non multùm aliter se habent, de quibus non nimis curo.

Caput XXXIII.

* Molestè autem ferebam, quòd aliquarum sententiarum Cælestii, quas eum gestis anathematizasse perspicuum est, servasse sibi defensionem, potest videri. Nam earum quasdam suas negavit esse, dicens tantummodo, *pro eis non se debere satisfactionem*: anathematizare autem in eadem chartula noluit, quæ istæ sunt: *Adam mortalem esse factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, esset moriturus. Quòd peccatum Adæ solùm ipsum nocuerit, & non genus humanum. Quòd lex sic mittat ad regnum cælorum, quemadmodum & Evangelium. Quòd infantes nuper nati in illo statu sint, in quo fuit Adam ante prævaricationem. Quòd neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat. Infantes, etiam si non baptizentur, habere vitam æternam. Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuntiaverint, si quid boni videntur facere, non illis reputari, neque habituros illos regnum cælorum.* Ad ista quippe in chartula illa ita respondit: *Hæc omnia secundùm ipsorum testimonium à me dicta non sunt, nec pro eis debeo satisfactionem.* In gestis autem ad eadem ipsa ita loquutus est: *Secundùm ipsorum testimonium à me dicta non sunt, pro quibus ego satisfacere non debeo; sed tamen ad satisfactionem sanctæ Synodi anathematizo eos qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt.* Cur ergo non ita & in illa chartula scriptum est? Non multum, ut opinor, atramenti, nec litterarum, nec moræ, nec ipsius chartulæ, si ita fieret, impenderetur. Sed quis non credat id fuisse procuratum, ut tamquam pro gestorum illorum breviatione, ista charta usquequaque discurreret? ubi putaretur, non esse ablatam quamlibet earum sententiarum defendendi licentiam, quod ei tantummodo objectæ, nec ejus probatæ fuissent, non tamen anathematizatæ atque damnatæ.

58. Postea etiam de libro Cælestii capitula sibi objecta in eadem chartulâ multa congessit: neque his intervallis quæ continent gesta, duas responsiones, quibus eadem capitula anathematizavit; sed unam simul omnibus subdidit. Quod studio brevitatis factum putarem, nisi plurimum ad id quod nos movet, interesse perspicerem. Ita enim clausit: *Iterum dico, quoniam ista & secundùm eorum testimonium non sunt mea, pro quibus, ut dixi, satisfactionem non debeo; quæ autem mea esse confessus sum, hæc rectè me dicere affirmo; quæ autem dixi mea non esse, secundùm judicium sanctæ Ecclesiæ reprobo, anathema dicens omni contravenienti sanctæ & catholicæ Ecclesiæ doctrinis: similiter & his qui falsa fingentes, nobis calumniam commoverunt.* Hunc ultimum versum non habent gesta, sed nihil ad rem de qua solliciti esse debemus. Sint enim prorsus anathema & hi qui falsa fingentes, eis calumniam commoverunt. Sed cùm primùm legi: *Quæ autem dixi mea non esse, secundùm judicium sanctæ Ecclesiæ reprobo*: factum illud esse judicium Ecclesiæ nesciens, quoniam hîc tacitum est, & gesta non legeram, nihil aliud existimavi, quàm eum fuisse pollicitum hoc se de his sensurum esse capitulis, quod Ecclesia jam non judicasset, sed quandoque judicaret, & ea se reprobaturum, quæ illa jam non reprobasset, sed quandoque reprobaret; ut ad hoc pertineret etiam quod adjunxit, *anathema dicens omni contravenienti vel contradicenti sanctæ catholicæ Ecclesiæ doctrinis.* Verùm autem, ut gesta testantur, jam de his ecclesiasticum judicium ab episcopis quatuordecim factum erat, secundùm quod judicium se dixit ista omnia reprobare, & anathema dicere his, qui talia sentiendo, contra judicium veniunt, quod jam factum fuisse gesta indicant. Jam enim dixerant judices, *Quid ad hæc, quæ lecta sunt capi-*

[a] Romanus MS. *Qui etiam.*
[b] Res hæc post unum aut alterum annum definita fuit à Carthaginensi concilio can. 6. 7. & 8. Vide suprà Admonitionem in librum de perfectione justitiæ hominis.
[c] Hic *fortasse* addidimus ex Colbertino MS.
[d] Romanus MS. *vestrum.*

tula, dicit præsens Pelagius monachus? Hæc enim reprobat sancta Synodus, & sancta Dei catholica Ecclesia. Sed hoc qui nesciunt, & istam chartam legunt, putant aliquid illorum licitè posse defendi, tamquam non fuerit judicatum, catholicæ contrarium esse doctrinæ, paratumque se Pelagius dixerit, id de his rebus sapere, quod Ecclesia, non judicavit, sed judicaverit. Non itaque sic scripsit in ea, de qua nunc agimus chartula, ut agnosceretur quod habet gestorum fides, omnia scilicet illa dogmata, quibus eadem hæresis proserpebat, & contentiosâ convalescebat audaciâ, ecclesiastico judicio præsidentibus quatuordecim episcopis esse damnata. Quam rem, si ut est, innotescere timuit, se potiùs corrigat, quàm nostræ licèt seræ vigilantiæ qualicumque succenseat. Si autem hoc eum timuisse falsum est, & sicut homines suspicamur, ignoscat, dum tamen ea, quæ gestis, quibus auditus est, anathematizata & reprobata sunt, de cetero oppugnet; ne parcendo illis, non solùm hæc antea credidisse, sed credere videatur.

Caput XXXIV. Absoluto Pelagio hæresis ejus damnata.

59. Proinde istum librum, in tam gravi & grandi caussa non frustra fortasse prolixum, ob hoc ad tuam venerationem scribere volui, ut si tuis sensibus non displicuerit, auctoritate potiùs tuâ, quæ longè major est quàm nostræ exiguitatis industria, quibus necessarium existimaverit, innotescat, ad eorum vanitates contentionesque opprimendas, qui putant absoluto Pelagio, judicibus episcopis orientalibus illa dogmata placuisse, quæ adversùm Christianam fidem, & Dei gratiam qua vocamur & justificamur, perniciosissimè pullulantia, Christiana semper veritas damnat, & istorum etiam quatuordecim episcoporum auctoritate damnavit, quæ simul & Pelagium, nisi ab illo essent anathematizata, damnasset. Nunc jam, quoniam reddidimus homini curam fraternæ caritatis, & de illo ac pro illo nostram sollicitudinem fideliter promsimus, videamus quomodo breviter possit adverti, etiam illo, quod clarum, apud homines absoluto, hæresim tamen ipsam divino judicio semper damnabilem, etiam judicio quatuordecim episcoporum orientalium esse damnatam.

Caput XXXV.

60. Hæc est illius judicii postrema sententia. Synodus dixit: *Nunc quoniam satisfactum est nobis prosecutionibus præsentis Pelagii monachi, qui quidem piis doctrinis consentit, contraria verò Ecclesiæ fidei reprobat & anathematizat, communionis ecclesiasticæ eum esse & catholicæ confitemur.* Duo quædam satis perspicua de Pelagio monacho sancti episcopi judices suæ sententiæ brevitate complexi sunt: unum quidem *piis eum consentire doctrinis:* alterum autem, *Ecclesiæ fidei reprobare & anathematizare contraria.* Pelagius propter hæc duo *communionis ecclesiasticæ & catholicæ* pronuntiatus est. Quibus ergo verbis ejus interim, quantùm homines in præsentia de manifestis judicare potuerunt, utrumque claruerit, omnia breviter recapitulando videamus. In his enim sibi objectis, quæ sua non esse respondit, dictus est reprobare & anathematizare contraria. Breviter ergo totam istam caussam ita, si possumus, colligamus.

61. Quoniam necesse erat impleri quod prædixit apostolus Paulus, Oportet & hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis: post veteres hæreses, invecta etiam modò hæresis est, non ab episcopis, seu presbyteris, vel quibuscumque clericis; sed à quibusdam veluti monachis, quæ contra Dei gratiam, quæ nobis est per Jesum Christum Dominum nostrum, tamquam defendendo liberum arbitrium, disputaret, & conaretur Christianæ fidei [a] firmamentum evertere, de quo scriptum est, Per unum hominem mors, & per unum hominem resurrectio mortuorum: sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur: & in actibus nostris Dei adjutorium denegaret, dicendo, *ut non peccemus, impleamusque justitiam, posse sufficere naturam humanam, quæ condita est cum libero arbitrio; eamque esse Dei gratiam, quia sic conditi sumus, ut hoc voluntate possimus, & quòd adjutorium legis mandatorumque suorum dedit, & quòd ad se conversis peccata præterita ignoscit;* in his solis esse Dei gratiam deputandam, non in adjutorio nostrorum actuum singulorum. *Posse enim hominem esse sine peccato, & mandata Dei facilè custodire, si velit.*

1. Cor. 11. 19.

Hæresis Pelagiana à quibusdam veluti monachis fulcita.

1. Cor. 15. 21.

62. Ista hæresis cùm plurimos decepisset, & fratres, quos non deceperat, conturbaret: Cælestius quidam talia sentiens, ad judicium Carthaginiensis Ecclesiæ perductus, [b] episcoporum sententiâ condemnatus est. Deinde post aliquot [c] annos Pelagio, qui magister ejus perhiberetur, cùm ista hæresis fuisset objecta, ad episcopale judicium etiam ipse pervenit: recitatisque omnibus, quæ in libello contra eum dato Heros & Lazarus episcopi Galli posuerant; illis quidem absentibus, & de ægritudine unius eorum excusantibus, Pelagium ad omnia respondentem, quatuordecim episcopi provinciæ Palæstinæ, secundùm responsiones ejus alienum à perversitate hujus hæresis pronuntiarunt; eam tamen hæresim sine ulla dubitatione damnantes. Approbaverunt enim secundùm quòd ille ad ea quæ objecta sunt, respondebat, *adjuvari hominem per legis scientiam ad non peccandum, sicut scriptum est, Legem in adjutorium dedit illis.* Non tamen ex hoc eamdem legis scientiam illam Dei gratiam [d] esse approbaverunt, de qua scriptum est, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Nec ideo dixisse Pelagium, *Omnes voluntate sua regi, ut non eos regeret Deus:* respondit enim, *hoc se dixisse propter liberum arbitrium, cui Deus adjutor est eligenti bona; hominem verò peccantem ipsum esse in culpa, quasi liberi arbitrii.* Approbarunt etiam, *iniquis & peccatoribus in die judicii non esse parcendum, sed æternis eos ignibus puniendos.* Quoniam *hoc se* ille *secundùm Evangelium dixisse,* respondit, *ubi scriptum est, Isti ibunt in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Non autem dixerat, Omnes peccatores ad æternum pertinere supplicium, ut meritò contra Apostolum dixisse videretur, qui quosdam salvos ait futuros, sic tamen quasi per ignem. *Regnum cælorum* ideo approbaverunt *etiam in vetere Testamento esse promissum,*

Cælestius episcoporum sententiâ damnatus Carthagine.

Pelagius secundùm suas fraudulentas responsiones absolutus, hæresis verò ipsius damnata ab episcopis Palæstinis.

Isai. 8. sec. LXX.

Rom. 7. 24.

Matth. 25. 46.

1. Cor. 3. 15.

[a] Editio Suar. *fundamentum evertere.* Confer lib. de peccato orig. c. 23.

[b] Judicium istud Aurelio Carthaginiensi episcopo habitum est sub initium anni 412. ut intelligitur ex epistola ad Innocentium, quæ apud August. est 175. n. 1. & 6.

[c] Anno 415. Pelagius hæresis accusatus in judicium venit, celebratum apud Diospolim mense Decembri.

[d] Suar. & Colbertinus MS. *esse judicaverunt.*

quoniam

Dan. 7. 18. quoniam teſtimonium dedit de Propheta Daniele, ubi dictum eſt, *Et accipient ſancti regnum altiſſimi.* Hoc loco vetus Teſtamentum intelligentes ab illo appellatum, non illud ſolum quod factum eſt in monte Sina; ſed Scripturas omnes canonicas ante adventum Domini miniſtratas. *Poſſe* autem *hominem eſſe ſine peccato, ſi velit*, non ſic approbatum eſt, quomodo ab illo in libro ſuo poſitum videbatur, tamquam hoc in ſola poteſtate eſſet hominis per liberum arbitrium; hoc quippe arguebatur ſenſiſſe dicendo, *ſi velit*: ſed B quomodo nunc ipſe reſpondit; immo quomodo id breviùs & apertiùs judices epiſcopi ſua interlocutione commemoraverunt, hominem cum adjutorio Dei & gratia poſſe eſſe ſine peccato. Nec tamen definitum eſt, quando iſtam perfectionem ſancti aſſecuturi ſunt, utrùm in corpore mortis hujus, an quando abſorbebitur mors in victoriam.

Cæleſtii dogmata objecta Pelagio, tamquam ejus magiſtro. 63. Ex iis etiam, quæ Cæleſtium dixiſſe vel ſcripſiſſe, tamquam dogmata diſcipuli ejus, ſunt objecta Pelagio, ſua quædam & ipſe cognovit, C ſed aliter ſe, quàm objiciebantur, ſenſiſſe reſpondit. Hinc eſt illud, *Quòd ante adventum Chriſti vixerunt quidam ſanctè ac juſtè*: Cæleſtius autem dixiſſe perhibebatur, *quòd ſine peccato fuerint.* Item objectum eſt, dixiſſe Cæleſtium, *Eccleſiam eſſe ſine macula & ruga.* Pelagius autem dixit, *dictum à ſe quidem, ſed ita, quoniam lavacro ab omni macula & rugá purgatur Eccleſia, quam velit Dominus ita permanere.* Item illud dictum à Cæleſtio, *Quoniam plus faciamus, quàm in Lege & Evan-* 1 Cor. 7. 25. D *gelio juſſum eſt.* Pelagius autem *de virginitate ſe dixiſſe* reſpondit, *de qua Paulus dicit, Præceptum Domini non habeo.* Item objectum eſt, affirmare Cæleſtium, *Vnumquemque hominem poſſe habere omnes virtutes & gratias*; ac ſic auferri diverſitatem gratiarum, quam Apoſtolus docet. Pelagius autem reſpondit, *non ſe auferre gratiarum diverſitatem; ſed dicere, donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere, omnes gratias, ſicut Paulo apoſtolo donavit.*

E 64. Has ex nomine Cæleſtii quatuor ſententias non ſic approbaverunt epiſcopi judices, ſicut eas Cæleſtius ſenſiſſe dicebatur: ſed ſicut de his reſpondit Pelagius. [a] Viderunt enim, quòd aliud ſit ſine peccato eſſe, aliud ſanctè & juſtè vivere, ſicut etiam ante adventum Chriſti quoſdam vixiſſe Scriptura teſtatur. Et quamvis non ſit hîc Eccleſia ſine macula & ruga; tamen eam & lavacro regenerationis ab omni macula rugaque purgari, & eam ita velle Dominum perma- F nere: nam & ita permanebit, quia ſine macula & ruga utique in æterna felicitate regnabit. Et quòd perpetua virginitas, quæ præcepta non eſt, ſine dubio plus ſit, quàm conjugalis pudicitia, quæ præcepta eſt; quamvis in multis virginitas perſeveret, qui tamen non ſunt ſine peccato. Et quòd eas omnes gratias, quas loco uno commemorat, habuit apoſtolus Paulus: quas tamen eum dignum fuiſſe accipere, aut non ſecundùm me- G 1 Cor. 15. 9. rita, ſed potiùs ſecundùm prædeſtinationem aliquo modo intelligere potuerunt; ipſe enim dicit, Non ſum dignus, vel non ſum idoneus vocari Apoſtolus: aut eorum intentionem ſubterfugit verbum, quod Pelagius quemadmodum poſuerit, ipſe viderit. Hæc ſunt in quibus epiſcopi Pelagium pronuntiaverunt piis conſentire doctrinis.

[a] Ita Colbert. cod. At editi, *Videtur.*

65. Nunc ſimiliter recapitulando illa paulò adtentiùs videamus, quæ illum contraria reprobare & anathematizare dixerunt. In * hoc enim potiùs tota hæreſis iſta conſiſtit. Exceptis ergo illis, quæ in adulatione neſcio cujus viduæ in libris ſuis poſuiſſe dictus eſt, quæ ille *neque in libris ſuis eſſe, neque talia umquam ſe dixiſſe* reſpondit; *& eos qui talia ſaperent, non tamquam hæreticos, ſed tamquam ſtultos anathematizavit*: hæc ſunt quibus hæreſis illius dumeta quotidie pullulare, immo jam ſilveſcere dolebamus. *Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet. Quòd peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum. Quòd Lex ſic mittat ad regnum, quemadmodum & Evangelium. Quòd infantes nuper nati in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quòd neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgat. Quòd infantes, etſi non baptizentur, habeant vitam æternam. Quòd divites baptizati niſi omnibus abrenuntient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non eis reputetur, neque regnum Dei poſſint habere. Quòd gratia Dei & adjutorium non ad ſingulos actus detur; ſed in libero arbitrio ſit, & in lege atque doctrina. Quòd Dei gratia ſecundùm merita noſtra detur; & propterea ipſa gratia in hominis ſit poſita voluntate, ſive dignus * fiat, ſive indignus. Quòd filii Dei non poſſint vocari, niſi omnino abſque peccato fuerint effecti. Quòd oblivio & ignorantia non ſubjaceant peccato; quoniam non eveniant ſecundùm voluntatem, ſed ſecundùm neceſſitatem. Quòd non ſit liberum arbitrium, ſi indigeat auxilio Dei; quoniam propriam voluntatem habeat unuſquiſque aut facere aliquid, aut non facere. Quòd victoria noſtra ex Dei non ſit adjutorio, ſed ex libero arbitrio. Quòd ex illo, quod ait Petrus, divinæ nos eſſe conſortes naturæ, conſequens ſit, ut ita poſſit eſſe anima ſine peccato, quemadmodum Deus.* Hoc enim in undecimo capitulo libri, non quidem habentis auctoris ſui titulum, ſed qui perhibetur eſſe Cæleſtii, his verbis poſitum ipſe legi: *Quomodo quiſpiam*, inquit, *illius rei conſortium ſuſcepit, à cujus ſtatu & virtute eſſe extraneus definitur?* Ideo fratres qui hæc objecerunt, ſic eum intellexerunt, tamquam ejuſdem naturæ animam & Deum, & partem Dei dixerit animam: ſic enim acceperunt, quòd ejuſdem ſtatûs atque virtutis eam eſſe cum Deo ſenſerit. In extremo autem objectorum poſitum eſt: *Quòd pænitentibus venia non detur ſecundùm gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundùm meritum & laborem eorum, qui per pænitentiam digni fuerint miſericordiâ.* Hæc omnia, & ſi quæ argumentationes ad ea confirmanda interpoſitæ ſunt, ſua negantem, & anathematizantem Pelagium judices approbaverunt: & ideo pronuntiaverunt, eum contraria eccleſiaſticæ fidei reprobando & anathematizando, damnaſſe. Ac per hoc quomodolibet ea Cæleſtius poſuerit aut non poſuerit, vel Pelagius ſenſerit aut non ſenſerit, tanta mala tam novæ hujus hæreſis illo eccleſiaſtico judicio damnata gaudeamus, & Deo gratias agamus, laudeſque dicamus.

* f. In his.

* f. fuerit.

V. fragmentum ſermonis contra Pelagianos n. 5. Tom. 5 pag. 1511.

Pelagianorum sævitia in Dei servos & ancillas ad Hieronymi curam pertinentes. [a]

66. De his autem, quæ post hoc judicium ibi à nescio quo cuneo perditorum, qui valde in perversum perhibentur Pelagio suffragari, incredibili audaciâ perpetrata [a] dicuntur, ut Dei servi & ancillæ ad curam sancti Hieronymi presbyteri pertinentes, sceleratissima cæde afficerentur, Diaconus occideretur, ædificia monasteriorum incenderentur, vix ipsum ab hoc impetu atque incursu impiorum in Dei misericordia turris munitior tueretur; tacendum nobis potiùs video, & exspectandum quid illic fratres nostri episcopi de his tantis malis agendum existiment, à quibus eos dissimulare posse, quis credat? Impia quippe dogmata hujuscemodi hominum, à quibuslibet catholicis, etiam qui ab illis terris longè absunt, redarguenda sunt; ne ubicumque nocere possint, quò pervenire potuerint: impia verò facta, quorum coërcitio ad episcopalem pertinet disciplinam, ubi committuntur, ibi potissimùm à præsentibus vel in proximo constitutis, diligentiâ pastorali & piâ severitate plectenda sunt. Nos itaque tam longè positi, optare debemus his caussis talem illic finem dari, de quo non sit necesse ubilibet ulteriùs judicare; sed quæ nobis potiùs prædicare conveniat: ut animi omnium, qui illorum scelerum famâ usquequaque volitante graviter vulnerati sunt, Dei misericordiâ consequente sanentur. Unde jam hujus libri terminus iste sit, qui, ut spero, si sensibus tuis placere meruerit, adjuvante Domino, utilis erit legentibus, tuo quàm meo nomine commendatior, & tuâ diligentiâ plurimis notior.

[a] Huc spectat epistola 32. Innocentii Papæ ad Johannem Jerosolymitanum, incipiens: *Direptiones, cædes, incendia, omne facinus extremæ dementiæ, generosissimæ sanctæ virgines Eustochium & Paula deploraverunt in locis ecclesiæ tuæ perpetrasse diabolum*, &c. Epistola quoque ejusdem 33. ad Hieronymum, cujus initium est, *Numquam boni aliquid contentionem fecisse in Ecclesia, testatur Apostolus*. Exhibentur in Appendice pag. 90.

IN DUOS LIBROS
DE GRATIA CHRISTI
ET DE PECCATO ORIGINALI,
Ad Albinam, Pinianum, & Melaniam scriptos.

Libri II. Retractationum Caput L.

Postea quàm Pelagiana hæresis cum suis auctoribus ab episcopis Ecclesiæ Romanæ, priùs Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus conciliorum Africanorum litteris, convicta atque [b] damnata est, scripsi duos libros adversùs eos, unum *de gratia Christi*, alterum *de peccato originali*. Hoc opus sic incipit: *Quantum de vestra corporali & maximè spiritali salute gaudeamus*.

[b] Hinc fit, ut libri de gratia Christi & de peccato originali ad annum 418. referantur. Nam hoc anno Pelagiana hæresis ab ipso Zosimo damnata est, sub idem illud tempus, quo in eam hæresim ab Africanis episcopis Carthagine habitum est Concilium universale, quod Kalendis Maii anni ejusdem 418. consignatur. Ab isto Concilio remansit Augustinus Carthagine, fuitque diuturnior ipsius apud eamdem urbem commoratio, ut intelligitur ex Concilii Africani canone 94. seu ex codice canonum Ecclesiæ Africanæ, c. 127. nec non ex epistola 93. ad Mercatorem, n. 1. atque hoc interim spatio temporis, priùs quàm inde in Mauritaniam Cæsareensem proficisceretur, hos ad Albinam, Pinianum & Melaniam libros conscripsit: quos idcirco in Retractationibus collocat proximè ante gesta cum Emerito, quæ apud Cæsaream eodem ipso anno 418. die 20. Septembris confecta sunt. Julianus in suo ad Turbantium opere calumniosè carpebat locum libri de gratia Christi, qui ab Augustino in libro 4. contra Jul. c. 8. n. 47. vindicatur, ubi ejusdem primi libri sui *ad sanctum Pinianum*, ut vocat, titulum esse ait, *De gratia contra Pelagium*.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
DE GRATIA CHRISTI, ET DE PECCATO ORIGINALI,
CONTRA PELAGIUM ET CÆLESTIUM
LIBRI * DUO.

* Scripti anno Christi 418.

LIBER PRIMUS,
De Gratia Christi.

Pelagium gratiæ confessione fucum facere ostendit : quippe qui gratiam vel in natura & libero arbitrio ponat, vel in lege atque doctrina : qui præterea divinâ gratiâ solam voluntatis & actionis possibilitatem, ut vocat, non ipsam voluntatem & actionem adjuvari dicat ; & illam insuper adjuvantem gratiam à Deo secundùm merita hominum dari, atque ad id solùm juvare eos putet, ut præcepta faciliùs possint implere. Expendit Augustinus loca opusculorum ipsius, quibus ille Dei gratiam disertè à se commendatam jactabat ; & hæc de lege ac doctrina, seu de divina revelatione ac de Christi exemplo, quæ ad doctrinam æquè revocantur, aut de peccatorum remissione interpretari posse demonstrat ; nec apparere omnino, an verè Christianam gratiam, id est, adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ caritatis *agnoscat Pelagius : qui postremò Ambrosium, tantopere ab ipso laudatum, præclara quædam in commendationem divinæ gratiæ dicentem audire jubetur.*

CAPUT I.

QUANTUM de vestra corporali & A maximè spiritali salute gaudeamus, sincerissimi fratres, dilecti à Deo, [a] Albina, Piniane, & Melania, quia effari non possumus, vobis cogitandum credendumque committimus, ut ea de quibus nos consuluistis, potiùs jam loquamur. Festinante etenim perlatore inter occupationes nostras, multo apud Carthaginem quàm ubicumque alibi densiores, quantum Deus donare dignatus est, ut potuimus, ista dictavimus. B

CAPUT II.

2. SCRIPSISTIS mihi, cum Pelagio vos egisse, ut quæcumque adversùs eum dicerentur, scripto damnaret : eumque dixisse audientibus vobis, *Anathema qui vel sentit vel dicit, gratiam Dei qua Christus venit in hunc mundum peccatores* (1. Tim. 1. 15.) *salvos facere, non solùm per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam ; & qui hanc conantur auferre, pœnas* [b] *sortiantur æternas.* Quisquis hæc audit, & sensum ejus ignorat, quem in libris suis satis evidenter expressit, non illis quos dicit inemendatos sibi fuisse subreptos, aut omnino suos negat, sed in illis quos litteris suis quas Romam misit commemorat, omnino eum putat hoc sentire quod veritas habet. Quisquis autem quid in eis apertiùs dicat advertit, debet habere etiam ista verba suspecta. Quia & si gratiam Dei, qua Christus venit in mundum peccatores salvos facere, in sola remissione peccatorum constituat, potest huic sensui verba ista coaptare dicens, ideo eam per singulas horas, per singula momenta, & per actus singulos necessariam, ut sem-

Suspecta Pelagii professio de gratia ad singulos actus necessaria. b

[a] Editi, *Albine*. Vaticanus codex & nostri omnes Gallicani MSS. *Albina*. Convenit operis inscriptio in MSS. Retract. l. 2. c. 50. & Possid. indic. c. 4. *Ad Albinam* &c. Hæc socrus Piniani & Melaniæ mater fuit. Confer epistolam 124. ab Augustino iisdem in Africa anno 411. constitutis, & 126. ipsi Albinæ scriptam.

[b] Sic plures MSS. Editi verò, *sortiuntur*.

per in memoria retinentes & reminiscentes dimissa nobis esse peccata, non peccemus ulterius, adjuti non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis, quid sibi remissione peccatorum præstitum fuerit per actus singulos [a] recordantis. Item quoniam solent dicere, nobis in eo Christum ad non peccandum præbuisse adjutorium, quia justè ipse vivendo [b] justéque docendo reliquit exemplum: possunt etiam ad hoc ista verba coaptare, ut dicant, per singula momenta, per singulos actus necessariam nobis esse hujusmodi gratiam, id est, ut in omni conversatione nostra intueamur dominicæ conversationis exemplum. Pervidet autem fides vestra, à confessione gratiæ, de qua quæstio est, quàm sit distinguenda ista confessio: & tamen obtegi potest istorum ambiguitate verborum.

Caput III.

*Lib. de gestis Pelagii, c. 14.

3. Sed quid mirum? Quando quidem ipse Pelagius cùm episcopalibus * gestis sine ulla recusatione damnaverit eos, qui dicunt gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina; ubi putabamus ejus de hac re omnes tergiversationes esse consumtas; damnaverit etiam eos, qui docent gratiam Dei secundùm merita nostra dari: tamen in libris quos edidit pro libero arbitrio, quorum mentionem facit in epistola quam Romam misit, nihil aliud sentire monstratur, quàm id quod damnasse videbatur. Nam gratiam Dei & adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina: ut videlicet, cùm adjuvat Deus hominem, ut declinet à malo & faciat bonum, revelando & ostendendo quid fieri debeat, adjuvare credatur; non etiam cooperando & dilectionem inspirando, ut id quod faciendum esse cognoverit faciat.

Gratia Pelagiana.

4. Nam cùm tria constituat atque distinguat, quibus divina mandata dicit impleri, possibilitatem, voluntatem, actionem; possibilitatem scilicet, qua potest homo esse justus; voluntatem, qua vult esse justus; actionem, qua justus est: horum trium primum, id est, possibilitatem datam confitetur à creatore naturæ, nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere etiam si nolimus: duo verò reliqua, id est, voluntatem & actionem, nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit, ut nonnisi à nobis esse contendat. Denique gratiâ Dei, non ista duo, quæ nostra omnino vult esse, id est, voluntatem & actionem; sed illam quæ in potestate nostra non est, & nobis ex Deo est, id est, possibilitatem, perhibet adjuvari: tamquam illa quæ nostra sunt, hoc est, voluntas & actio, tam sint valentia ad declinandum à malo & faciendum bonum, ut divino adjutorio non indigeant; illud verò quod nobis ex Deo est, hoc [c] sit invalidum, id est, possibilitas, ut semper gratiæ adjuvetur auxilio.

Caput IV.

Pelagius lib. 3. pro libero arbitrio.

5. Sed ne quis forsitan dicat, nos vel non rectè intelligere quæ loquitur, vel malevolo animo in alium sensum quæ non ita dicta sunt vertere, ipsa jam verba ejus accipite. *Nos*, inquit, *sic tria ista distinguimus, & certum velut in ordinem digesta partimur. Primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, id est, posse, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit: duo verò reliqua, hoc est, velle & esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrii fonte descendunt. Ergo in voluntate & opere bono laus hominis est: immo & hominis, & Dei, qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit, quique ipsam possibilitatem gratiæ suæ adjuvat semper auxilio. Quòd verò potest homo velle bonum atque perficere, solius Dei est. Potest itaque illud unum esse, etiam si duo ista non fuerint: ista verò sine illo esse non possunt. Itaque liberum mihi est, nec voluntatem bonam habere, nec actionem: nullo autem modo possum non habere possibilitatem boni: inest mihi etiam si noluero, nec otium sui aliquando in hoc natura recipit. Quem nobis sensum exempla aliqua facient clariorem. Quòd possumus videre oculis, nostrum non est: quòd verò bene aut malè videmus, hoc nostrum est.* [d] *Et ut generaliter universa complectar, quòd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat: quòd verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est; quia hæc omnia vertere in malum etiam possumus. Vnde, quod propter calumniam* [e] *vestram sæpe repetendum est, cùm dicimus hominem posse esse sine peccato, & confessione possibilitatis acceptæ laudamus Deum, qui nobis hoc posse largitus est, nec est ibi ulla laudandi hominis occasio, ubi solius Dei caussa tractatur: non enim de velle, nec de esse, sed tantummodo de eo quod potest esse, disseritur.*

Caput V.

6. Ecce est totum dogma Pelagii in libro ejus tertio pro libero arbitrio, his omnino verbis diligenter expressum, quo tria ista, unum quod est posse, alterum quod est velle, tertium quod est esse, id est, possibilitatem, voluntatem, actionem, tanta curavit subtilitate distinguere, ut quandocumque legimus vel audimus, divinæ gratiæ adjutorium confiteri, ut à malo declinemus bonumque faciamus, sive in lege atque doctrina, sive ubilibet constituat, sciamus quid loquitur; nec erremus, aliter eum intelligendo quàm sentit. Scire quippe debemus, quòd nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo: tamquam hoc sit infirmum, quod Deus ipse posuit in natura; cetera verò duo quæ nostra esse voluit, ita sint firma, & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio; & ideo non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus, sed tantummodo adjuvet ut velle & agere valeamus. Contrà autem Apostolus, Cum timore, inquit, & tremore vestram ipsorum operamini salutem. Et ut scirent, quia non tantùm in eo quòd operari possint, (hoc enim in natura & in doctrina jam acceperant;) sed etiam in eo quòd operantur, divinitus adjuvantur, non ait, Deus est enim qui operatur in vobis posse, tamquam ipsi jam & velle & operari per se ipsos habeant; nec in his duobus adjutorio ejus indigeant; sed ait, Deus enim est qui operatur in vobis & velle & perficere; vel sicut in aliis & maximè Græcis codici-

Philip. 2. 12.

Ibidem.

[a] Editi Am. Er. & Lov. *recordantes.* Aptiùs MSS. *recordantis*, scilicet voluntatis: non enim aliò referri hoc potest, *quid sibi* &c.

[b] Am. & Er. *justéque dicendo.* fortè legendum, *justaque docendo.*

[c] Sola editio Lov. *hoc est possibilitas, tam sit invalidum, ut semper.*

[d] Omissa hîc alia exempla, quæ excutiuntur l. de nat. & gr. c. 47.

[e] Am. Er. & Victorinus MS. *nostram.*

* τὸ ἐνεργεῖν.

bus legitur, & velle &* operari. Videte si non Apostolus gratiæ Dei futuros adversarios sancto Spiritu tantò antè prævidit, & hæc duo, id est, & velle & operari, quæ iste ita nostra esse voluit, tamquam ipsa divinæ gratiæ non adjuventur auxilio, Deum in nobis dixit operari.

CAPUT VI.

7. NEQUE hinc Pelagius incautos fallat & simplices, vel etiam se ipsum, quoniam cùm dixisset, *Ergo in voluntate & opere bono laus hominis est:* velut correxit atque addidit, *immo & hominis, & Dei.* Non enim hoc propterea dixit, quia secundùm sanam doctrinam intelligi voluit, quòd & velle & operari Deus operetur in nobis: sed cur hoc dixerit, satis evidenter ostendit, continuò subjungendo, *qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit.* Hanc autem possibilitatem in natura eum ponere, de verbis ejus superioribus clarum est. Sed ne nihil de gratia dixisse videretur, adjunxit, *quique ipsam possibilitatem gratiæ suæ adjuvat semper auxilio:* non ait, ipsam voluntatem, vel ipsam operationem; quod si diceret, non abhorrere à doctrina apostolica videretur: sed ait, *ipsam possibilitatem*, illud videlicet ex tribus quod in natura locavit, *gratiæ suæ adjuvat semper auxilio:* ut scilicet in voluntate & actione non ideo laus sit & Dei & hominis, quia sic vult homo, ut tamen Deus voluntati ejus ardorem dilectionis inspiret; & sic operatur homo, ut tamen Deus cooperetur, sine cujus adjutorio quid est homo? sed ideo ad hanc laudem adjunxit & Deum, quia nisi natura esset, in qua nos condidit, qua velle & agere possemus, nec vellemus, nec ageremus.

8. Hanc autem naturalem possibilitatem quòd adjuvari Dei gratiâ confitetur, non est hîc apertum vel quam dicat gratiam, vel quatenus eâ naturam sentiat adjuvari: sed sicut aliis locis, in quibus evidentiùs loquitur, intelligi potest, non vult aliud accipi quàm legem atque doctrinam, qua naturalis possibilitas adjuvetur.

*CAPUT VII.

* Nam quodam loco ait, *Hîc nos imperitissimi hominum putant injuriam divinæ gratiæ facere, quia dicimus eam sine voluntate nostra nequaquam in nobis perficere sanctitatem: quasi Deus gratiæ suæ aliquid imperaverit, & non illis quibus imperavit, etiam gratiæ suæ auxilium subministret, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, faciliùs possent implere per gratiam.* Et tamquam explicaturus quam dicat gratiam, secutus adjunxit, dicens, *Quam nos non, ut tu putas, in lege tantummodo, sed & in Dei esse adjutorio confitemur.* Quis non hîc desideraret, ut ostendat quam velit intelligi gratiam? Propter hoc enim maximè de illo exspectare debemus, ut dicat hoc [a] quod dicit, non in lege tantummodo se gratiam confiteri. Sed nobis hac exspectatione suspensis, quid addiderit intuemini:

Gratia Pelagiana in interiori & multiformi mentis illustratione.

Adjuvat enim nos Deus, inquit, *per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat; dum diaboli pandit insidias; dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat.* Deinde sententiam suam quadam velut absolutione concludens, *Qui hæc dicit*, inquit, *gratiam tibi videtur negare? An & liberum hominis arbitrium, & Dei gratiam confitetur?* In his omnibus non recessit à commendatione legis atque doctrinæ, hanc esse adjuvantem gratiam diligenter inculcans, & hoc exsequens quod proposuerat, cùm diceret, *sed in Dei esse adjutorio confitemur.* Denique Dei adjutorium multipliciter insinuandum putavit, commemorando doctrinam & revelationem, & oculorum cordis adapertionem, & demonstrationem futurorum, & apertionem diabolicarum insidiarum, & [b] multiformi atque ineffabili dono gratiæ cælestis illuminationem: ad hoc utique ut divina præcepta & promissa discamus. Hoc est ergo gratiam Dei ponere in lege atque doctrina.

CAPUT VIII. Aliud lex, aliud gratia.

9. HINC itaque apparet, hanc eum gratiam confiteri, qua demonstrat & revelat Deus quid agere debeamus; non qua donat atque adjuvat ut agamus: cùm ad hoc potiùs valeat legis agnitio, si gratiæ desit opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio. Ubi enim non est lex, ait Apostolus, nec prævaricatio. *Rom. 4. 15.* Et, Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. *Rom. 7. 7.* *Exod. 20. 17.* Ac per hoc, usque adeo aliud est lex, aliud est gratia, ut lex non solùm nihil prosit, verùm etiam plurimùm obsit, nisi adjuvet gratia; & hæc ostendatur legis utilitas, quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, & ut concupiscentias malas superent adjuvandos.

Lex sine gratia quid potest.

Legis utilitas.

Jubet enim magis, quàm juvat; docet morbum esse, non sanat; immo ab ea potiùs quod non sanatur augetur, ut attentiùs & sollicitiùs gratiæ medicina quæratur. Quia littera occidit, spiritus autem vivificat. *2. Cor. 3. 6.* Si enim data esset lex quæ posset [c] vivificare, omnino ex lege esset justitia. *Gal. 3. 21.* In quantum tamen etiam lex adjuvet, adjungit & dicit, « Sed conclusit Scriptura omnia « sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi da- « retur credentibus. Itaque lex, inquit, pædagogus noster fuit in Christo Jesu. Hoc ipsum ergo superbis est utile, sub peccato artiùs manifestiúsque concludi, ne ad faciendam justitiam de liberi arbitrii quasi propriis viribus præsumatur; sed omne os obstruatur, & reus fiat omnis mundus Deo, *Rom. 3. 19.* « quia non justificabitur ex lege omnis « caro coram illo. Per legem enim cognitio pecca- « ti: nunc autem sine lege justitia Dei manifestata « est, testificata per legem & prophetas. Quomodo ergo sine lege manifestata, si per legem testificata? Non [d] itaque sine lege manifestata, sed sine lege justitia, quia justitia Dei est, id est, quæ nobis non ex lege fit, sed ex Deo: non quæ illo imperante cognoscendo timeatur, sed quæ illo donante diligendo teneatur, ut & qui gloriatur in Domino glorietur. *1. Cor. 1. 31.*

CAPUT IX. Ad quid lex adjuvet.

10. QUID ergo est, quòd iste legem atque doctrinam deputat gratiam, qua juvamur ad operandam justitiam, quæ ut multùm adjuvet, ad hoc adjuvat ut gratia requiratur? Nemo enim potest legem implere per legem. Plenitudo enim legis caritas. *Rom. 13. 10.* Caritas autem Dei non per legem diffusa est in cordibus nostris, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. *Rom. 5. 5.* Proinde per legem gratia demonstratur, ut lex per gratiam compleatur. Quid enim juvat Pelagium, quia diversis verbis eamdem rem dicit, ut non intelligatur in lege atque doctrina gratiam constituere, qua possibilitatem naturæ asserit adjuvari? Quantum

[a] Sigiramnensis MS. *quid dicit.*
[b] Am. & Er. *& multiformem & ineffabilem.*
[c] Am. Er. & codex Sigiramnensis, *justificare.*
[d] Sic MSS. Editi vero, *Non ita.*

autem existimo, ideo veretur intelligi, quia damnavit eos, qui dicunt gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina: & tamen latere se putat, cùm aliis atque aliis locutionibus versat significationem legis atque doctrinæ.

Caput X.

11. Et alio quippe loco, cùm diu asseruisset, non adjutorio Dei, sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem bonam, opposuit sibi ex Apostoli epistola quæstionem, atque ait, *Et quomodo,* inquit, *stabit illud Apostoli, Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere?* (Philip. 2. 13.) Deinde ut hanc oppositionem veluti solveret, quam videbat dogmati suo vehementer esse contrariam, secutus adjunxit: *Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis (quod* [a] *tu alibi negare non metuis,) suadet omne quod bonum est.* Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quàm legem atque doctrinam? In lege namque & doctrina sanctarum scripturarum futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quòd sapientia revelatur, ad doctrinam pertinet cùm suadetur omne quod bonum est. Et si inter docere & suadere, vel potiùs exhortari, distare aliquid videtur; etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibusque sermonibus vel litteris continetur: nam & sanctæ scripturæ & docent & exhortantur, & potest esse in docendo & exhortando etiam hominis operatio. Sed nos eam gratiam [b] volumus iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solùm promittitur, verùm etiam creditur & speratur; nec solùm revelatur sapientia, verùm & amatur; nec solùm suadetur omne quod bonum est, verùm & persuadetur. Non enim omnium est fides, qui audiunt per Scripturas Dominum regnum cælorum pollicentem; aut omnibus persuadetur quibuscumque suadetur, ut veniant ad eum qui dicit, Venite ad me omnes qui laboratis. Quorum autem sit fides, & quibus persuadetur, ut ad eum veniant, satis ipse demonstravit, ubi ait, Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Et paulò pòst, cùm de non credentibus loqueretur, Dixi, inquit, vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solùm vocari, verùm etiam esse Christianus.

Margin: Gratiam in lege atque doctrina ponit Pelagius. — Gratia quã confiteri debet, ut sit Christianus, ea est, quã non solùm suadetur, sed persuadetur bonum. 2. Thess. 3. 2. — *Matth.* 11. 28. — *Iohan.* 6. 44. — *Ibid.* 66.

Caput XI.

12. Quid autem dicam de revelatione sapientiæ? Neque enim facilè quisquam speraverit in hac vita posse pervenire ad magnitudinem revelationum apostoli Pauli: & utique in eis quid aliud credendum est ei revelari solere, nisi quod ad sapientiam pertineret? Et tamen dicit, In magnitudine revelationum mearum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut auferret eum à me: & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. (2. Cor. 12. 7.) Procul dubio si jam summa, & cui nihil esset addendum, caritas in Apostolo tunc fuisset, quæ omnino non posset inflari; [c] numquid necessarius esset angelus satanæ, quo colaphizante reprimeretur elatio, quæ in magnitudine revelationum posset exsistere? Quid est autem aliud elatio, quàm inflatio? Et utique de caritate verissimè dictum est, Caritas non æmulatur, non inflatur. (1. Cor. 13. 4.) Hæc itaque caritas adhuc etiam in tanto Apostolo de die in diem profectò augebatur, quamdiu homo ejus interior de die in diem renovabatur, (2. Cor. 4. 16.) perficienda sine dubio ubi jam non posset inflari. Tunc autem mens ejus adhuc erat ubi inflaretur magnitudine revelationis, donec impleretur solido ædificio caritatis: nondum enim perveniendo apprehenderat, quò proficiendo currebat.

Margin: V. lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum, c. 7.

Caput XII.

13. Ideoque nolenti perpeti molestiam, qua ejus cohiberetur elatio, ante quàm esset in eo caritatis ultima & summa perfectio, rectissimè dicitur, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur: (2. Cor. 12. 9.) *in infirmitate* scilicet, non ut ille putat, *carnis tantùm*; sed & carnis & animi: quia & animus erat in comparatione summæ illius perfectionis infirmus, cui, ne extolleretur, proinde stimulus carnis angelus satanæ intelligebatur datus: quamvis esset in carnalium vel animalium, nondum percipientium quæ sunt Spiritûs Dei, comparatione, firmissimus. (1. Cor. 2. 14.) Quocirca si virtus in infirmitate perficitur, quisquis se non fatetur infirmum, non perficitur. Hæc autem gratia qua virtus in infirmitate perficitur, prædestinatos & secundùm propositum vocatos ad summam perfectionem glorificationemque perducit. (Rom. 8. 28.) Qua gratiâ agitur, non solùm ut facienda noverimus, verùm etiam ut cognita faciamus; nec solùm ut diligenda credamus, verùm etiam ut credita diligamus.

Margin: Gratia facit ut faciamus.

Caput XIII.

14. Hæc gratia si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, ut altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solùm per eos qui plantant & rigant extrinsecùs, sed etiam per se ipsum qui incrementum suum ministrat occultus, (1. Cor. 3. 7.) ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verùm etiam impertiat caritatem. Sic enim docet Deus eos qui secundùm propositum vocati sunt, simul donans & quid agant scire, & quod sciunt agere. Unde ad Thessalonicenses sic Apostolus loquitur: De caritate autem fraternitatis non opus habetis vobis scribi; nam ipsi vos à Deo didicistis ut diligatis invicem. (1. Thess. 4. 9.) Atque ut probaret eos à Deo didicisse, subjunxit, Etenim facitis illud in omnes fratres, in universa Macedonia. Tamquam hoc sit certissimum indicium quòd à Deo didiceris, si id quod didiceris feceris. Isto modo sunt omnes secundùm propositum vocati, sicut scriptum est in Prophetis, docibiles Dei. (Iohan. 6. 45.) Qui autem novit [d] quidem quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundùm gratiam, sed secundùm legem; non secundùm spiritum, sed secundùm litteram. Quamvis multi, quod imperat lex, facere videantur timore pœnæ, non amore justitiæ: quam dicit Apostolus justitiam suam quæ ex lege est.

Margin: Quomodo doctrina possit dici gratia. — Qui per gratiam discit, agit omnino quidquid agendum didicit. — Justitia ex Deo, justitia ex lege.

[a] Vaticanus MS. *quod alibi negare non metuit.*
[b] Editio Am. & MS. Victorinus, *eam gratiam nolumus. Isti aliquando fateantur.* Er. *eam gratiam nolumus. Istam aliquando fateatur.*
[c] Vaticanus cod. *numquam.* fortè pro, *nequaquam.*
[d] Apud Lov. *quid est quod.*

ge eſt; tamquam ſit imperata, non data. Si autem data eſt, non dicitur juſtitia noſtra, ſed Dei: quia ſic fit noſtra, ut ſit nobis ex Deo. Dicit enim, Ut inveniar in illo non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed eam quæ ex fide eſt Jeſu, juſtitiam ex Deo. Tantum igitur inter legem diſtat & gratiam, ut cùm lex eſſe non dubitetur ex Deo, juſtitia tamen quæ ex lege eſt, non ſit ex Deo; ſed juſtitia quæ per gratiam conſummatur, ex Deo. Quia ex lege juſtitia dicitur, quæ fit propter legis [a] maledictum: juſtitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium; ut non ſit terribile, ſed ſuave mandatum, ſicut oratur in Pſalmo, Suavis es Domine, & in tua ſuavitate doce me juſtitiam tuam: id eſt, ut non formidine pœnæ ſerviliter cogar eſſe ſub lege, ſed libera caritate delecter eſſe cum lege. Præceptum quippe liber facit, qui libens facit. Et hoc modo quiſquis diſcit, agit omnino quidquid agendum didicerit.

Philip. 3. 9. — *Pſal. 118. 68.* — *Timor pœnæ.*

CAPUT XIV. *Qui per gratiam didicit, venit; qui non venit, non didicit.* *V. lib. de prædeſtinatione SS. c. 8.* *Iohan. 6. 45.*

15. DE iſto docendi modo etiam Dominus ait, Omnis qui audivit à Patre meo & didicit, venit ad me. Qui ergo non venerit, non de illo rectè dicitur, Audivit quidem & didicit ſibi eſſe veniendum, ſed facere non vult quod didicit. Prorſus non rectè dicitur de iſto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim, ſicut Veritas loquitur, Omnis qui didicit, venit: quiſquis non venit, profectò nec didicit. Quis autem non videat, & venire quemquam & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit: non autem poteſt niſi adjutum eſſe, ſi venit; & ſic adjutum, ut non ſolùm quid faciendum ſit ſciat, ſed quod ſcierit etiam faciat. Ac per hoc, quando Deus docet, non per legis litteram, ſed per Spiritûs gratiam; ita docet, ut quod quiſque didicerit, non tantùm cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et iſto divino docendi modo etiam ipſa voluntas & ipſa operatio, non ſola volendi & operandi naturalis poſſibilitas adjuvatur. Si enim ſolum poſſe noſtrum hac gratiâ juvaretur, ita diceret Dominus: Omnis qui audivit à Patre & didicit, poteſt venire ad me. Non autem ita dixit: ſed, Omnis qui audivit, inquit, à Patre & didicit, venit ad me. Venire poſſe in natura ponit Pelagius, vel etiam, ut modò dicere cœpit, in gratia, qualemlibet eam ſentiat, *quâ ipſa*, ut dicit, *poſſibilitas adjuvatur*: venire autem jam in voluntate & opere eſt. Non eſt autem conſequens, ut qui poteſt venire, etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit à Patre, non ſolùm poteſt venire, ſed venit: ubi jam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt.

Deus quomodo doceat per gratiam. — *Voluntatis & operationis adjutorium.*

CAPUT XV.

16. QUID ſibi ergo volunt exempla, niſi quia re vera nobis ejus ſenſum fecerunt, ſicut pollicitus eſt, clariorem; non ut ea ſentire debeamus, ſed ut id quod ipſe ſenſit, manifeſtiùs apertiùſque noſcamus? *Quòd poſſumus*, inquit, *videre oculis, noſtrum non eſt: quòd verò bene aut malè videmus, hoc noſtrum eſt.* Reſpondeat illi Pſalmus, ubi Deo dicitur, Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Quod & ſi de oculis mentis dictum eſt, inde utique procedit in hos oculos carnis, vel bene videre, vel malè: non quemadmodum dicuntur bene videre ſanis oculis intuentes, & malè lippientes; ſed bene videre ad ſubveniendum, malè videre ad concupiſcendum. Quamvis enim per hos exteriores oculos videatur & pauper cui ſubvenitur, & mulier quæ concupiſcitur; tamen ex interioribus ad malè vel bene videndum miſericordia vel libido procedit. Cur ergo dicitur Deo, Averte oculos meos, ne videant vanitatem? Cur petitur quod ad noſtram pertinet poteſtatem, ſi Deus non adjuvat voluntatem?

Pſal. 118. 37.

CAPUT XVI.

17. *Quòd loqui poſſumus*, inquit, *Dei eſt: quòd verò bene vel malè loquimur, noſtrum eſt.* Non hoc docet ille, qui [b] loquitur bene. Non enim vos eſtis, inquit, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. *Et ut generaliter*, inquit, *univerſa complectar; quòd poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius eſt qui hoc poſſe donavit, qui hoc poſſe adjuvat.* Ecce etiam hîc ſuperiorem repetit ſenſum, quòd illorum trium, id eſt, poſſibilitatis, voluntatis, actionis, non niſi poſſibilitas adjuvatur. Denique adjungens, ut impleat quod intendit: *Quòd verò bene*, inquit, *vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, noſtrum eſt.* Oblitus eſt quod ſuperiùs quaſi correxerat, ubi cùm dixiſſet, *Ergo in voluntate & opere bono laus hominis eſt*; adjunxit atque ait, *immo & hominis, & Dei qui ipſius voluntatis & operis poſſibilitatem dedit.* Cur etiam in his exemplis hoc non recordatus eſt, ut ſaltem in eorum fine diceret, Quòd poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius eſt qui hoc poſſe donavit, qui hoc poſſe adjuvat; quòd verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, & noſtrum eſt, & illius? Non hoc dixit: ſed, niſi fallor, videor mihi videre quid timuit.

b Matth. 10. 20.

CAPUT XVII. *Aperit metûs Pelagii cauſſam.*

18. CUM enim vellet oſtendere quare noſtrum ſit: *Quia hæc*, inquit, *omnia vertere etiam in malum poſſumus.* Illud ergo timuit, ut non diceret, & noſtrum eſt & Dei, ne ſibi reſponderetur, Si quòd bene agimus, loquimur, cogitamus, ideo eſt & noſtrum & Dei, quia ille nobis hoc poſſe donavit; ergo & quòd malum agimus, loquimur, cogitamus, & noſtrum eſt & Dei, quia illud poſſe ad utrumque donavit; atque ita, quod abſit, quemadmodum cum Deo laudamur in operibus bonis, ſic cum illo culpamur in malis. Poſſibilitas quippe illa, quam dedit, tam nos facit bona poſſe quàm mala.

CAPUT XVIII.

19. DE qua poſſibilitate Pelagius in libro primo pro libero arbitrio ita loquitur: *Habemus autem*, inquit, *poſſibilitatem utriuſque partis à Deo inſitam, velut quamdam, ut ita dicam, radicem fructiferam atque fecundam, quæ ex voluntate hominis diverſa gignat & pariat, & quæ poſſit ad proprii cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel ſentibus horrere vitiorum.* Ubi non intuens quid loquatur, unam eamdemque radicem conſtituit bonorum & malorum, contra evangelicam veritatem doctrinamque apoſtolicam. Nam & Dominus nec arborem bonam dicit poſſe facere fructus malos, nec malam bonos: & apoſtolus Paulus cùm dicit radicem malorum omnium eſſe cu-

Duæ radices, caritas, cupiditas. *Matth. 7. 18.* *1. Tim. 6. 10.*

[a] In editis, *legis mandatum*. Aptiùs ad antitheſim in MSS. Sigiram. & Caſal. *legis maledictum*: quo ſcilicet prævaricatori malum denuntiatur, ita ut ſit terribile mandatum.

[b] Sigiramnenſis MS. *qui loquuturis bene, Non enim vos eſtis, inquit.*

piditatem, admonet utique intelligi radicem bonorum omnium caritatem. Unde si duæ arbores A
bona & mala, duo sunt homines bonus & malus, quid est bonus homo nisi voluntatis bonæ, hoc est, arbor radicis bonæ? & quid est homo malus nisi voluntatis malæ, hoc est, arbor radicis malæ? Fructus autem harum radicum atque arborum, facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quæ bona de bona voluntate procedunt, & mala de mala.

Homo bonus & homo malus quis.

CAPUT XIX.

Arborem bonam vel malam quo sensu faciat homo.

20. FACIT autem homo arborem bonam, B quando Dei accipit gratiam. Non enim se ex malo bonum per se ipsum facit; sed ex illo & per illum & in illo qui semper est bonus: nec tantùm ut arbor sit bona, sed etiam ut faciat fructus bonos, eadem gratiâ necessarium est ut adjuvetur, sine qua boni aliquid facere non potest. Ipse quippe in bonis arboribus cooperatur fructum, qui & forinsecus rigat atque excolit per quemlibet ministrum, & per se dat intrinsecùs incrementum. Malam verò arborem homo facit, C quando se ipsum malum facit, quando à bono incommutabili deficit: ab eo quippe defectus est origo voluntatis malæ. Qui defectus non aliam naturam malam [a] initiat, sed eam quæ bona condita est vitiat. Sanato autem vitio nullum malum remanet; quia vitium naturæ quidem inerat, sed vitium natura non erat.

1. Cor. 3. 7.

Origo malæ voluntatis unde. a

CAPUT XX.

Radix bonorum caritas, malorum cupiditas.

21. ILLA ergo possibilitas, non ut iste opinatur, una eademque radix est bonorum & malorum. Aliud est enim caritas radix bonorum, D aliud cupiditas radix malorum; tantumque inter se differunt, quantum virtus & vitium. Sed planè illa possibilitas utriusque radicis est capax; quia non solùm potest homo habere caritatem, qua sit arbor bona, sed potest etiam cupiditatem, qua sit arbor mala. Sed cupiditas hominis quæ vitium est, hominem habet auctorem, vel hominis deceptorem, non hominis creatorem. Ipsa est enim concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi, quæ non est ex Patre, E sed ex mundo est. Quis autem nesciat, mundi nomine solere appellare Scripturam, à quibus habitatur hic mundus?

1. Iohan. 2. 16

Mundus in Scriptura dicti habitatores mundi.

CAPUT XXI.

22. CARITAS autem quæ virtus est, ex Deo nobis est, non ex nobis, Scripturâ teste, quæ dicit, Caritas ex Deo est, & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognovit Deum, quia Deus caritas est. Secundùm istam caritatem, meliùs intelligitur dictum: Qui natus est ex Deo, non peccat: &, quia non potest peccare. Quia caritas se- F cundùm quam natus ex Deo est, non agit perperam, nec cogitat malum. Cùm ergo peccat homo, non secundùm caritatem, sed secundùm cupiditatem peccat, secundùm quam non est natus ex Deo: quoniam illa possibilitas, ut dictum est, utriusque radicis est capax. Cùm ergo dicat Scriptura, Caritas ex Deo est: vel quod est amplius, Deus caritas est: cùm apertissimè clamet Johannes apostolus, Ecce qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur & simus: G iste audiens, Deus caritas est, quare adhuc usque contendit, quòd ex illis tribus tantummodo possibilitatem habeamus ex Deo, bonam verò voluntatem bonamque actionem habeamus ex nobis? Quasi verò aliud sit bona voluntas quàm

1. Iohan. 4. 7.

1. Iohan. 3. 9.

1. Cor. 13. 4. & 5.

1. Iohan. 3. 1.

Caritas bo-

[a] Vaticanus cod. *nuntiat*.

caritas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, na voluntas.
& à Patre datam, ut filii ejus essemus.

CAPUT XXII.

23. SED fortè, ut daretur nobis, præcedentia merita nostra fecerunt: sicut iste de gratia Dei sentit in eo libro, * quem ad sacram virginem scripsit, cujus etiam commemorationem fecit in litteris, quas Romam misit. Ibi enim interposito Jacobi apostoli testimonio, quo ait, *Subditi estote Deo, resistite autem diabolo, & fugiet à vobis:* subjungit & dicit, * *Ostendit quomodo resistere debeamus diabolo, si utique subditi simus Deo, ejusque faciendo voluntatem, divinam mereamur gratiam;* * *& faciliùs nequam spiritui, sancti Spiritus auxilio resistamus.* Ecce quàm veraci corde damnavit in ecclesiastico judicio Palæstino eos, qui dicunt gratiam Dei secundùm merita nostra dari. An adhuc eum id sentire & apertissimè prædicare dubitamus? Quomodo ergo verax fuit in episcopali examine illa confessio? An fortè jam istum scripserat librum, ubi apertissimè dicit gratiam secundùm merita nostra dari, quod in orientali synodo sine ulla recusatione damnavit? Confiteretur ergo sic se aliquando tenuisse, sed jam non tenere, ut de correctione ejus apertissimè gauderemus. Nunc verò cùm illi inter cetera & hoc fuisset objectum, respondit, *Hæc utrùm Cælestii sint, ipsi viderint, qui dicunt ea Cælestii esse: ego verò numquam sic tenui, sed anathematizo qui sic tenent.* Quomodo numquam sic tenuit, si hunc antè condiderat librum? Aut quomodo anathematizat eos qui sic tenent, si hunc librum postea condidit?

* Epistola ad Demetriadem, quæ extat in Appendice tom. ...
Iacob. 4. 7.
* Cap. 15.
* f. et.
Lib. 6. ...

24. Sed ne fortè respondeat, ita se hîc dixisse, *Dei faciendo voluntatem, divinam mereamur gratiam*, sicut fidelibus & piè viventibus additur gratia, qua resistant fortiter tentatori, cùm tamen gratiam etiam primitus accepissent, ut Dei facerent voluntatem: ne fortè ergo ita respondeat, alia de hac re verba ejus accipite. *Qui currit*, inquit, *ad Dominum, & ab eo se regi cupit, id est, voluntatem suam ex ejus voluntate suspendit; qui ei adhærendo jugiter, unus, secundùm Apostolum, cum eo fit spiritus, non hoc nisi de arbitrii efficit libertate.* Videte quantam rem dixerit non effici nisi arbitrii libertate; ac per hoc sine adjutorio Dei nos Deo existimat adhærere; hoc est enim, *non nisi de arbitrii libertate:* ut cùm adhæserimus eo non adjuvante, tunc jam quoniam adhæsimus, etiam adjuvari mereamur. * Sequitur enim & dicit, *Qua qui bene utitur*, id est, arbitrii libertate qui bene utitur, *ita se*, inquit, *totum tradit Deo, omnemque suam mortificat voluntatem, ut cum Apostolo possit dicere, Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus: ponitque cor suum in manu Dei, ut illud quò voluerit [b], ipse declinet.* Magnum profectò adjutorium divinæ gratiæ, ut cor nostrum quò voluerit Deus, ipse declinet. Sed hoc tam magnum adjutorium, sicut iste desipit, tunc meremur, cùm sine ullo adjutorio non nisi de arbitrii libertate ad Dominum currimus, ab eo nos regi cupimus, voluntatem nostram ex ejus voluntate suspendimus, eique adhærendo jugiter, unus cum illo efficimur spiritus. Hæc scilicet tam ingentia bona, non nisi de arbitrii, secundùm istum, efficimus libertate, ut his præcedentibus meritis sic ejus gratiam consequamur, ut cor nostrum

1. Cor. 6. 17.
* CAPUT XXIII.
Gal. 2. 20.
Prov. 21. 1.

[b] Apud Lov. hîc additum est, *Deus*.

quò

quò voluerit ipse declinet. Quomodo est ergo gratia, si non gratis datur? Quomodo est gratia, si ex debito redditur? Quomodo verum dicit Apostolus, Non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne fortè quis extollatur? Et iterum: Si autem gratia, inquit, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Quomodo, inquam, hoc verum est, si opera tanta præcedunt, quæ nobis adipiscendæ gratiæ meritum faciant, quo nobis non donetur gratuitò, sed reddatur ex debito? Ergóne ut perveniatur ad adjutorium Dei, ad Deum curritur sine adjutorio Dei; & ut Deo adhærentes adjuvemur à Deo, à Deo non adjuti adhæremus Deo? Quid homini majus, quidve tale poterit gratia ipsa præstare, si jam sine illa unus cum Domino spiritus effici potuit, non nisi de arbitrii libertate?

Ephes. 2. 8. — *Rom. 11. 6.*

CAPUT XXIV.

25. SED vellem ut iste diceret, utrùm rex ille [a] Assyrius cujus Esther sancta mulier exsecrabatur cubile, quando considebat in throno regni sui, & omni stolâ illustrationis suæ indutus erat, totus auro variatus lapidibusque pretiosis, & erat formidolosus valde, & elevata facie sua inflammata in claritate intuitus est eam, tamquam taurus [b] in impetu indignationis suæ; & timuit regina, & conversus est color ejus per dissolutionem, & inclinavit se super caput delicatæ suæ, quæ præcedebat eam: vellem ergo diceret iste nobis, utrùm rex ille ad Dominum jam cucurrerat, & ab eo se regi cupiverat, suamque voluntatem ex ejus voluntate suspenderat, & ei jugiter inhærendo unus cum illo spiritus factus erat, non nisi de arbitrii libertate? utrùm se totum Deo tradiderat, omnemque suam mortificaverat voluntatem, & cor suum in manu Dei posuerat? Puto non desipere, sed insanire hominem, quisquis de illo rege, qualis tunc erat, hæc senserit: & tamen convertit Deus & transtulit indignationem ejus in lenitatem. Quis autem non videat, multò majus esse, indignationem à contrario in lenitatem convertere atque transferre, quàm cor neutra affectione præoccupatum, sed inter utramque medium in aliquid declinare? Legant ergo & intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrinâ insonante forinsecus, sed internâ & occultâ, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed bonas etiam voluntates.

Esther 5. sec. LXX. — *Deus mirabili potestate operatur in cordibus bonas voluntates.*

CAPUT XXV.

26. DESINAT itaque jam Pelagius, & se ipsum & alios fallere, contra Dei gratiam disputando. Non propter illorum trium unum, id est, propter possibilitatem bonæ voluntatis atque operis, sed etiam propter voluntatem & operationem bonam erga nos gratia Dei prædicanda est. Nam illam possibilitatem ad utrumque valere definit: & tamen non ideo tribuenda sunt Deo etiam nostra peccata, sicut & propter eamdem possibilitatem vult tribuere bona opera nostra. Non ideo tantùm adjutorium divinæ gratiæ commendetur, quia possibilitatem adjuvat naturalem. Desinat dicere, *Quòd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat: quòd verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est.* Desinat, inquam, ista dicere.

Pelagiana gratia possibilitatis expeditur.

Non solùm enim Deus posse nostrum donavit atque adjuvat, sed etiam velle & operari operatur in nobis. Non quia nos non volumus, aut nos non agimus: sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus. Quomodo enim dicitur, *Quòd possumus bene agere, Dei est; quòd autem agimus, nostrum est?* cùm dicat Apostolus, orare se ad Deum pro eis, ad quos scribebat, ne quid mali faciant, & ut quod bonum est faciant. Non enim ait, Oramus ut possitis nihil mali facere; sed, ne quid faciatis mali: nec ut possitis bonum facere; sed, ut bonum faciatis. Quoniam de quibus scriptum est, Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei: profectò ut agant quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est. Quomodo dicit Pelagius, *Quòd bene loqui possumus, Dei est: quòd bene loquimur, nostrum est*, cùm dicat Dominus, Spiritus Patris vestri est, qui loquitur in vobis? Neque enim ait, Non vos estis qui dedistis vobis bene posse loqui: sed ait, Non vos estis qui loquimini. Nec ait, Spiritus Patris vestri est qui vobis dat, vel dedit posse bene loqui: sed ait, qui loquitur in vobis: non significans possibilitatis profectum, sed exprimens cooperationis effectum. Quomodo dicit liberi arbitrii elatus assertor, *Quòd possumus bene cogitare, Dei est: quòd autem bene cogitamus, nostrum est?* Cui respondet humilis gratiæ prædicator: Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobismetipsis; sed sufficientia nostra ex Deo est. Non enim ait, posse cogitare: sed, cogitare.

Phil. 2. 13. — *2. Cor. 13. 7.* — *Rom. 8. 14.* — *Matth. 10. 29.* — *Liberi arbitrii elatus assertor Pelagius.* — *2. Cor. 3. 5*

CAPUT XXVI.

Quæ vera gratia Pelagianæ gratiæ opposita

27. ISTAM Dei gratiam in divinis eloquiis manifestam etiam Pelagius manifestè fateatur, seque tamdiu contrà sensisse non operiat impudentissimo pudore, sed dolore saluberrimò aperiat; ut sancta Ecclesia non turbetur pervicaci ejus obstinatione, sed veraci correctione lætetur. [c] Cognitionem & dilectionem, sicut sunt discernenda, discernat. Quia scientia inflat, caritas ædificat. Et tunc scientia non inflat, quando caritas ædificat. Et cùm sit utrumque donum Dei, sed unum minus, alterum majus; non sic justitiam nostram super laudem justificatoris nostri extollat, ut horum duorum quod minus est, divino tribuat adjutorio, quod autem majus est, humano usurpet arbitrio. Et si consenserit, nos gratiâ Dei accipere caritatem; non sic sentiat, tamquam ulla merita bona nostra præcesserint. Nam quæ merita bona tunc habere poteramus, quando Deum non diligebamus? Ut enim acciperemus dilectionem qua diligeremus, dilecti sumus, cùm eam nondum haberemus. Hoc Johannes apostolus apertissimè dicit: Non quòd nos dilexerimus Deum, sed quia ipse [d] dilexit nos. Et alibi: Nos diligamus, inquit, quia ipse prior dilexit nos. Optimè omnino atque verissimè. Non enim haberemus unde illum diligeremus, nisi hoc ab illo, cùm prior nos diligeret, sumeremus. Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus? Aut quomodo bonum non facimus, si diligamus? Et si enim Dei mandatum videtur aliquando [e] non à diligentibus, sed à timentibus fieri: tamen UBI NON EST DILECTIO, nul-

1. Cor. 8. 1. — *Gratia propriè dicta donum caritatis.* — *Merita non præcedunt gratiam.* — *1. Johan. 4. 10.* — *Ibidem 19.*

[a] In Colbertino MS. *rex ille Assuerus.*
[b] Hic particula *in* restituitur ex MSS.
[c] Editi, *Cogitationem & electionem.* Castigantur auctoritate MSS.

[d] Hic in editis additur, *prior*: sed à MSS. & ab eo loco Johannis abest.
[e] Sigiramnensis MS. *à non diligentibus.*

lum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur: quia omne quod non ex fide est, peccatum est; & fides per dilectionem operatur. Ac per hoc gratiam Dei, qua caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet. Non quomodo iste, qui cùm dicit, *propterea dari gratiam, ut quod à Deo præcipitur, faciliùs impleatur*, quid de illa sentiat satis ostendit, scilicet, quòd etiam sine illa, etsi minùs facilè, fieri tamen quod divinitus præcipitur potest.

Rom. 14. 23. Gal. 5. 6. Rom. 5. 5.

CAPUT XXVII. Epist. ad Demetriad. c. 25.

28. IN libro quippe ad virginem sacram, quod & suprà commemoravi, cùm dicit, *Divinam mereamur gratiam, & faciliùs nequam spiritui, sancti Spiritus auxilio, resistamus*: significat profectò quid sapiat. Ut quid enim hoc verbum interposuit, id est, *faciliùs*? An verò non erat integer sensus, *ut nequam spiritui, sancti Spiritus auxilio, resistamus*? Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? Volens utique credi, tantas esse naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam sine auxilio Spiritus sancti, etsi minùs facilè, tamen aliquo modo nequam spiritui resistatur.

CAPUT XXVIII.

29. ITEM in primo libro pro libero arbitrio, *Cùm autem tam forte*, inquit, *tam firmum ad non peccandum liberum in nobis habeamus arbitrium, quod generaliter naturæ humanæ Creator inseruit, rursus pro inæstimabili ejus benignitate, quotidiano ipsius munimur auxilio.* Quid opus est hoc auxilio, si tam forte, tam firmum est ad non peccandum liberum arbitrium? Sed etiam hîc vult intelligi, ad hoc esse auxilium, ut faciliùs fiat per gratiam, quod etsi minùs facilè, tamen putat fieri præter gratiam.

CAPUT XXIX.

30. ITEM in eodem libro alio loco: *Ut quod per liberum*, inquit, *homines facere jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam.* Tolle *faciliùs*, & non solùm plenus, verùm etiam sanus est sensus, si ita dicatur, *Ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, possint implere per gratiam.* Cùm autem *faciliùs* additur, adimpletio boni operis etiam sine Dei gratia posse fieri, tacita significatione suggeritur. Quem sensum redarguit qui dicit, Sine me nihil potestis facere.

Johan. 15. 5.

CAPUT XXX.

31. EMENDET hæc omnia, ne si in rerum magnarum profunditate humana erravit infirmitas, etiam diabolica huic accedat errori, vel fallacia, vel animositas, sive negando quod sensit, sive defendendo quod perperam sensit, cùm id se non debuisse sentire commemorata perspicua veritate cognoverit. Istam quippe gratiam qua justificamur, id est, qua caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis, in Pelagii & Cælestii scriptis, quæcumque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri. Prorsus nusquam eos adverti, sicut agnoscendi sunt, agnoscere filios promissionis, de quibus dicit Apostolus, Non ii qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semen. Quod enim promittit Deus, non facimus nos per arbitrium seu naturam, sed facit ipse per gratiam.

Rom. 5. 5. Rom. 9. 8.

32. Nam ut de Cælestii opusculis interim taceam, vel libellis ejus, quos judiciis [a] ecclesiasticis allegavit, quæ vobis omnia, cum aliis quas necessarias existimavimus litteris, mittenda curavimus, quibus omnibus diligenter inspectis, possitis advertere, non eum ponere Dei gratiam, qua juvamur, vel ad declinandum à malo, vel ad faciendum bonum, præter naturale arbitrium voluntatis, nisi in lege atque doctrina; ita ut ipsas quoque orationes ad hoc asserat necessarias, ut ostendatur homini quid concupiscat & diligat; ut ergo hæc interim omittam, nempe ipse Pelagius & litteras nuper & libellum Romam fidei suæ misit, scribens ad beatæ memoriæ papam Innocentium, quem defunctum esse nesciebat. In his ergo litteris dicit, *esse de quibus eum homines infamare conantur: unum, quòd neget parvulis baptismi sacramentum, & absque redemtione Christi aliquibus cælorum regna promittat: aliud, quòd ita dicat posse hominem vitare peccatum, ut Dei excludat auxilium, & in tantum libero confidat arbitrio, ut gratiæ repudiet adjutorium.* Sed de baptismo parvulorum, quamvis eis dandum esse concedat, quàm perversè contra fidem Christianam & catholicam sentiat veritatem, non hîc locus est ut diligentiùs disseramus: nunc enim de adjutorio gratiæ quod instituimus peragendum est. Unde ad id quod proposuit, quid etiam hinc respondeat videamus. Ut enim omittamus ejus invidiosas de suis inimicis querelas, ubi ad rem ventum est, ita locutus est.

33. *Ecce*, inquit, *apud beatitudinem tuam epistola ista me purget, in qua purè atque simpliciter ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino adjuvatur semper auxilio.* Cernitis itaque, pro intellectu quem vobis Dominus dedit, hæc ejus verba solvendæ non sufficere quæstioni. Quærimus enim adhuc, quo auxilio liberum adjuvari dicat arbitrium, ne fortè, sicut solet, velit intelligi legem atque doctrinam. Si enim quæras cur dixerit, *semper*: poterit respondere, quia dictum est, Et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Deinde cùm de hominis conditione, & ad peccandum atque non peccandum naturali ejus possibilitate quædam interposuisset, adjunxit dicens: *Quam liberi arbitrii potestatem dicimus in omnibus esse generaliter, in Christianis, Judæis, atque gentilibus. In omnibus est liberum arbitrium æqualiter per naturam, sed in solis Christianis juvatur à gratia.* Iterum quærimus qua gratiâ? Et adhuc poterit respondere, lege atque doctrinâ Christianâ.

34. Deinde quamlibet sentiat gratiam, ipsis Christianis secundùm merita dari dicit: cùm eos qui hoc dicunt, jam in Palæstina, sicut suprà * commemoravi, sua illa præclara purgatione damnaverit. Nam verba ejus ista sunt: *In illis*, inquit, *nudum & inerme est conditionis bonum*: in eis dicit, qui Christiani non sunt. Deinde cetera contexens: *In his verò*, inquit, *qui ad Christum pertinent, Christi munitur auxilio.* Videtis adhuc incertum esse quo auxilio, secundùm ea quæ suprà diximus. Sed adhuc sequitur de his qui Chri-

[a] Libellum Romæ gestis ecclesiasticis à Cælestio allegatum dicit rursum infrà cap. 33. & lib. de peccato originali, cap. 2. & 5. &c. Gesta illa Cælestio, (ut in lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3. testatur) *præsente & respondente confecta* sunt sub Zosimo anno Christi 417. Vide Zosimi litteras in 2. parte Appendicis.

stiani non sunt, & dicit: *Illi ideo judicandi atque damnandi sunt, quia cùm habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possent, & Dei gratiam promereri, malè utuntur libertate concessa. Hi verò remunerandi sunt, qui bene libero utentes arbitrio merentur Domini gratiam, & ejus mandata custodiunt.* Nempe manifestum est, eum dicere gratiam secundùm merita dari, quamlibet eam, vel qualemlibet significet, quam tamen apertè non exprimit. Nam cùm eos remunerandos dicit, qui bene utuntur libero arbitrio, & ideo mereri Domini gratiam, debitum eis reddi fatetur. Ubi est ergo illud Apostoli, Justificati gratìs per gratiam ipsius? Ubi est & illud, Gratiâ salvi facti estis? Et ne putarent per opera, addidit, per fidem. Rursus ne ipsam fidem sine Dei gratia sibi putarent esse tribuendam: Et hoc, inquit, non ex vobis, sed Dei donum est. Nempe ergo illud unde incipit omne quod merito accipere dicimur, sine merito accipimus, id est, ipsam fidem. Aut si negatur dari; quid est quod dictum est, Sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei? Si autem sic dicitur dari, ut reddatur meritis, non donetur; quid est quod iterum dicit, Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut credatis in eum, verùm etiam ut patiamini pro eo? Utrumque enim donatum esse testatus est, & quòd credit in Christum, & quòd patitur quisque pro Christo. Isti autem libero arbitrio sic applicant fidem, ut fidei videlicet reddi videatur, non gratuita, sed debita gratia: ac per hoc jam nec gratia, quia nisi gratuita, non est gratia.

Rom. 3. 24. Ephes. 2. 8. Ibidem. Fides meriti initiū, nullis meritis nostris redditur. Rom. 12. 3. Philip. 1. 29.

Caput XXXII. * Exhibemus hic in 2. parte Appendicis.

35. Sed ab his litteris Pelagius ad fidei suæ * librum vult transire lectorem, cujus [a] vobis commemorationem fecit: in quo ea de quibus non interrogabatur, multa disseruit. Sed nos de quibus agimus cum illis, ipsa videamus. Cùm enim ab unitate Trinitatis usque ad resurrectionem carnis, quod ab illo nemo quærebat, disputationem quantam voluit terminasset: * *Et baptisma, inquit, unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, dicimus esse celebrandum.* Hoc certè vos & à præsente audisse dixistis: sed quid prodest, quòd eisdem verbis in parvulis, quibus & in majoribus, celebrari dicit baptismi sacramentum, cùm res à nobis, non sola verba quærantur? Plus est quod vobis ore proprio interrogantibus respondit, uti scribitis, *infantes in remissionem peccatorum percipere baptismum.* Non enim & hîc dixit, in verbis remissionis peccatorum; sed eos baptizari in ipsam remissionem confessus est: & tamen si ab eo quæreretis, quid peccati eis * credatur remitti, non eos aliquid habere contenderet.

* p. infra lib. de pecc. orig. c. 21. * f. credat.

Caput XXXIII. * p. supra cap. 30. n. 33.

36. Quis crederet, sub hac quasi manifesta confessione sensum latére contrarium, nisi eum Cælestius aperuisset? Qui in libello suo, * quem Romæ gestis ecclesiasticis allegavit, *parvulos & baptizari in remissionem peccatorum* confessus est, & negavit *ullum habere originale peccatum.* Sed nunc non de baptismate parvulorum, sed de adjutorio gratiæ potiùs, etiam in libello fidei suæ, quem Romam misit, quid Pelagius senserit adtendamus. *Liberum, inquit, sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos indigere Dei semper auxilio.* Ecce iterum quærimus, quo auxilio nos indigere

[a] Am. Er. & MSS. nobis.

A fateatur: & iterum invenimus ambiguum, quoniam potest respondere, legem se dicere doctrinamve Christianam, qua naturalis illa possibilitas adjuvetur. Nos autem illam gratiam in eorum confessione requirimus, de qua dicit Apostolus, Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & caritatis & continentiæ. Non est autem consequens, ut qui habet donum scientiæ, quo noverit quid agere debeat, habeat etiam caritatis, ut agat. 2. Tim. 1. 7.

Caput XXXIV.

B 37. Illos etiam, quos in eisdem litteris, quas misit ad sanctæ memoriæ papam Innocentium, libros suos vel scripta commemorat, legi, præter unam epistolam, quam se brevem misisse ad sanctum Constantium episcopum dicit: nec alicubi potui reperire, hanc eum gratiam confiteri, qua non solùm possibilitas naturalis voluntatis & actionis, quam dicit nos habere etiam si nec volumus nec agimus bonum, sed ipsa etiam voluntas & actio subministratione sancti Spiritûs adjuvatur.

Caput XXXV. Pelagii epistola ad Paulinum.

C 38. *Legant*, inquit, *illam epistolam, quam ad sanctum virum Paulinum episcopum ante duodecim ferè annos scripsimus, quæ trecentis fortè versibus nihil aliud quàm Dei gratiam & auxilium confitetur, nosque nihil omnino boni facere posse sine Deo.* Hanc ergo epistolam legi, & inveni eum penè per totam non immorari, nisi in facultate & possibilitate naturæ, & penè ibi tantùm Dei gratiam constituere: Christianam verò gratiam tanta D brevitate sola nominis commemoratione perstringit, ut nihil aliud videatur, quàm eam tacere timuisse. Utrùm tamen eam in remissione peccatorum velit intelligi, an etiam in doctrina Christi, ubi est & conversationis ejus exemplum, quod aliquot suorum opusculorum locis facit, an credat aliquod adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ caritatis, non apparet omnino.

Gratiæ Christi definitio.

Caput XXXVI. Pelagii epistola ad Constantium episcopum. * Cap. 34.

E 39. *Legant etiam*, inquit, *ad sanctum Constantium episcopum, ubi breviter quidem, sed planè libero hominis arbitrio Dei gratiam auxiliumque conjunxi.* Hanc epistolam, ut * superiùs dixi, non legi: sed si non est dissimilis ceteris, quæ mihi nota commemorat, non habet etiam ipsa quod quærimus.

Caput XXXVII. Pelagii epistola ad Demetriadem virginem, in Append. tomi 2.

40. *Legant etiam*, inquit, *quam ad sacram Christi virginem Demetriadem in Oriente conscripsimus, & invenient nos ita hominis laudare naturam,* F *ut Dei semper gratiæ addamus auxilium.* Istam sanè legi, mihique penè persuaserat, hanc illum gratiam, de qua quæstio est, confiteri: quamvis in multis ejus opusculi locis sibi ipse contradicere videretur: sed cùm in manus meas & alia venissent, quæ posteriùs latiùsque conscripsit; vidi quemadmodum potuerit etiam illic gratiam nominare, sub ambigua generalitate quid sentiret G abscondens, gratiæ tamen vocabulo frangens invidiam, offensionemque declinans. Nam in ipsius principio ubi ait, *Proposito insudemus operi, nec mediocritati diffidamus ingenii, quod credimus fide matris & merito virginis adjuvari:* gratiam qua adjuvamur ad aliquid agendum, mihi visus fuerat confiteri, nec adtenderam hanc eum ponere potuisse in sola revelatione doctrinæ.

Cap. 1. Gratiæ adjutorium à Pelagio positum in sola revelatione doctrinæ.

41. Item in eodem opere alio loco: *Quòd si* A
Cap. 3. *etiam sine Deo*, inquit, *homines ostendunt, quales à Deo facti sunt; vide quid Christiani facere possint, quorum in melius per Christum instaurata natura est, & qui divinæ quoque gratiæ juvantur auxilio.* Naturam in melius instauratam, remissionem vult in-
Cap. 17. telligi peccatorum: quod alio loco in hoc ipso libro satis demonstravit, ubi ait, *Etiam illi qui longo peccandi usu quodam modo obduruere, instaurari per pænitentiam possunt?* Auxilium verò divinæ gratiæ potest & hìc ponere in revelatione doctrinæ. B

CAPUT XXXVIII. Cap. 8.

42. ITEM alibi in eadem epistola: *Nam si etiam ante legem*, inquit, *ut diximus, ac multò ante Domini nostri & Salvatoris adventum, justè* quidam & sanctè vixisse referuntur: quanto magis post illustrationem adventûs ejus nos id posse credendum est, qui instaurati per Christi gratiam & in meliorem hominem renati sumus, qui sanguine ejus expiati atque mundati, ipsiusque exemplo ad perfectionem incitati justitiæ, meliores illis esse debemus, qui ante legem fuere.* Videte quemadmodum & hìc aliis C quidem verbis, sed tamen in remissione peccatorum & in exemplo Christi adjutorium gratiæ constituerit. Deinde subjungit & dicit, *Meliores etiam quàm fuerunt sub lege, dicente Apostolo, Peccatum vobis non dominabitur; non enim sub lege estis, sed sub gratia. Et quoniam hinc*, inquit, *sufficienter, ut puto, diximus, nunc perfectam instituamus virginem, quæ ex utroque semper accensa, & naturæ simul & gratiæ bonum morum sanctitate testetur.* Et in his verbis debetis advertere, ideo il- D lum quod dicebat, sic voluisse concludere, ut naturæ bonum intelligamus, quod cùm crearemur accepimus; gratiæ autem, cùm Christi intuemur exemplum: tamquam ideo peccatum non indultum fuerit eis qui sub lege fuerunt vel sunt, quia exemplum Christi sive non habuerunt, sive non credunt.

Gratia à Pelagio posita in remissione peccatorũ & in exemplo Christi. Rom. 6. 14.

CAPUT XXXIX.

43. HOC autem istum sapere, & alia ejus verba ostendunt, non in hoc libro, sed in tertio pro libero arbitrio, ubi ad eum loquens contra quem E disputat, quoniam ille posuerat verba Apostoli dicentis, Non quod volo ago: &, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & cetera quæ ibi dicuntur; iste respondit atque ait, *Hoc enim quod tu de Apostolo intelligere cupis, omnes ecclesiastici viri* in peccatoris & sub lege adhuc positi asserunt eum dixisse persona, qui nimia vitiorum consuetudine velut quadam teneretur necessitate peccandi, & quamvis bonum appeteret voluntate, usu tamen præcipitaretur in malum. In per-* F *sona autem*, inquit, *hominis unius, designat populum sub vetere adhuc lege peccantem; quem ab hoc consuetudinis malo dicit liberandum esse per Christum, qui credentibus sibi primò omnia per baptismum peccata dimittit, deinde imitatione sui ad perfectam incitat sanctitatem, & vitiorum consuetudinem virtutum vincit exemplo.* Ecce quomodo vult intelligi adjuvari eos, qui sub lege peccant, ut per gratiam Christi justificati liberentur, tamquam eis non sufficiat sola lex, propter nimiam peccandi consuetu- G dinem, nisi Christi accedat, non inspiratio caritatis per Spiritum-sanctum, sed intuendum & imitandum in doctrina evangelica virtutis ejus exemplum. Et certè maxima hìc erat caussa exprimendi, quam diceret gratiam, ubi locum ipsum de quo respondet, sic conclusit Apostolus, ut diceret: Infelix ego homo, quis me liberabit de " corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum " Christum Dominum nostrum. Hanc iste cùm constituat, non in virtutis ejus auxilio, sed imitationis exemplo, quid amplius de illo sperare debemus, ubicumque gratiæ nomen sub ambigua generalitate commemorat?

Rom. 7. 15. & 23.

* V. lib. 1. cont. duas epist. Pelag. c. 8. lib. 1. cont. Iulia. c. 3. 4. 5. 8. & l. de prædestinatione SS. c. 4.

Rom. 7. 24.

CAPUT XL. Epist. ad Demetriad. c. 25.

44. ITEM in eodem libro ad virginem sacram, unde jam etiam suprà disseruimus, ubi ait, *Subditi simus Deo, ejusque faciendo voluntatem, divinam mereamur gratiam, & faciliùs nequam spiritui, sancti Spiritus auxilio, resistamus.* In quibus ejus verbis certè manifestum est, ita eum velle nos adjuvari gratiâ Spiritus-sancti, non quia sine illo etiam per solam naturæ possibilitatem non possumus resistere tentatori, sed ut faciliùs resistamus. Quod tamen qualecumque & quantulumcumque adjutorium, eum credibile est in hoc constituere, quòd nobis additur scientia revelante Spiritu per doctrinam, quam vel non possumus vel difficilè habere possumus per naturam. Ista sunt quæ in libro, quem scripsit ad virginem Christi, advertere potui, ubi videtur gratiam confiteri: quæ profectò qualia sint, utique cernitis.

CAPUT XLI. Pelagii libri quatuor pro libero arbitrio.

45. *Legant*, inquit, *etiam recens meum opusculum, quod pro libero nuper arbitrio edere compulsi sumus; & agnoscent quàm iniquè nos negatione gratiæ infamare gestierint, qui per totum penè ipsius textum operis perfectè atque integrè & liberum arbitrium confitemur & gratiam.* Quatuor sunt libri operis hujus, & hos legi, & ex illis sumsi quæ tractanda & discutienda proposui, & ut potui pertractavi, ante quàm ad ejus has litteras, quæ Romam missæ sunt, veniremus. Sed in his etiam quatuor libris quæcumque pro gratia videtur dicere, qua juvamur ut declinemus à malo bonumque faciamus, ita dicit, ut nullo modo à verborum ambiguitate discedat, quam discipulis sic possit exponere, ut nullum auxilium gratiæ credant, qua naturæ possibilitas adjuvetur, nisi in lege atque doctrina: ita ut ipsas quoque orationes, ut in scriptis suis apertissimè affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, nisi ut nobis doctrina etiam divinâ revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione & actione perficiat. Ab illo enim suo manifestissimo dogmate non recedit omnino, ubi tria illa constituit, possibilitatem, voluntatem, actionem: & solam possibilitatem dicit divino adjuvari semper auxilio; voluntatem autem & actionem nullo Dei adjutorio existimat indigere. Ipsum verò auxilium, quo possibilitatem naturalem perhibet adjuvari, in lege constituit atque doctrina, quam nobis fatetur etiam sancto Spiritu revelari, propter quod & orandum esse concedit. Sed hoc adjutorium legis atque doctrinæ etiam propheticis fuisse temporibus: adjutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo: quod nihilo minùs ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis evangelica prædicatur: ut videlicet tamquam viâ demonstratâ, qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via: quamvis & ipsam viam contendat etiam solâ inveniri posse naturâ, sed faciliùs, si adjuvet gratia.

Orationes ad quid putarit Pelagius adhibendas.

Revelatio doctrinæ per Spiritum-sanctum agnoscitur à Pelagio.

Gratia propriè dicta quænam Pelagio.

CAPUT XLII.

46. Hæc ergo pro meo captu intelligere potui in Pelagii scriptis, quando nominat gratiam. Videtis autem, quòd qui ista sentiunt, ignorantes Dei justitiam, suam volunt constituere, & longè ab illa sunt, quæ nobis ex Deo est, non ex nobis, quam in scripturis [a] maximè sanctis canonicis advertere atque agnoscere debuerunt. Sed quia eas secundùm suum sensum legunt, profectò in illis nec aperta [b] contuentur. Utinam ergo saltem in catholicorum virorum scriptis, à quibus eas rectè intellectas esse non dubitant, quid sit de adjutorio divinæ gratiæ sentiendum, non negligenter adtenderent, nec suæ sententiæ amore nimio præterirent. Nam iste ipse Pelagius in illo ipso recenti opusculo suo, cujus se commemoratione defendit, id est, in tertio libro pro libero arbitrio, sanctum Ambrosium quemadmodum laudet, accipite.

Rom. 10. 3. Philip. 3. 9.

CAPUT XLIII. Ambrosius magnopere laudatus à Pelagio.

47. *Beatus*, inquit, *Ambrosius episcopus, in cujus præcipuè libris Romana elucet fides, qui scriptorum inter Latinos flos quidam speciosus enituit, cujus fidem & purissimum in Scripturis sensum, ne inimicus quidem ausus est reprehendere.* Ecce qualibus & quantis prædicat laudibus, quamlibet sanctum & doctum virum, nequaquam tamen auctoritati scripturæ canonicæ comparandum. Quem propterea sic iste commendat, quia videtur sibi in quodam loco librorum ejus eo teste uti, quo probet hominem posse esse sine peccato: unde nunc non agitur, sed agitur de auxilio gratiæ, quo ad non peccandum adjuvamur justéque vivendum.

CAPUT XLIV. Ambrosius Pelagio opponitur.

48. Audiat ergo illum venerabilem antistitem dicentem & docentem in secundo libro expositionis Evangelii secundùm Lucam *, cooperari Dominum etiam voluntatibus nostris. *Vides itaque*, inquit, *quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis; ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino. Et ideo juxta Apostolum, Sive manducatis, sive bibitis, omnia in Dei gloriam facite.* Videtis quemadmodum sanctus Ambrosius etiam illud quod solent homines dicere, Nos incipimus, & Deus perficit, his verbis abstulit, dicens, *Neminem quidquam vel incipere sine Deo.* Item in sexto libro ejusdem operis *, cùm de duobus illis fœneratoris unius debitoribus ageret: *Secundùm homines*, inquit, *plus fortasse offendit, qui plus debuerat: sed per misericordiam Domini caussa mutatur, ut ampliùs diligat, qui ampliùs debuit, si tamen gratiam consequatur.* Ecce apertissimè prædicat catholicus doctor etiam ipsam dilectionem, qua quisque ampliùs diligit, ad beneficium gratiæ pertinere.

* n. 84. ad Luc. 3. 22.

1. Cor. 10. 31.

* n. 25. ad Luc. 7. 41.

CAPUT XLV.

49. Ipsam denique pænitentiam, quam procul dubio voluntas agit, Domini misericordiâ & adjutorio fieri ut agatur, in [c] nono ejusdem operis libro * beatus dicit Ambrosius, ita loquens: *Bonæ lacrymæ, quæ culpam lavant. Denique quos Jesus respicit, plorant* [d]. *Negavit primò Petrus, & non flevit, quia non respexerat Dominus: negavit secundò, non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus: negavit & tertiò, respexit Jesus, & ille amarissimè flevit.* Legant isti Evangelium, & videant Dominum Jesum tunc intus fuisse, cùm à sacerdotum principibus audiretur: apostolum verò Petrum foris & deorsum in atrio cum servis ad focum nunc sedentem, nunc stantem, sicut veracissima & concordissima Evangelistarum narratione monstratur. Unde non potest dici, quòd corporalibus oculis eum Dominus visibiliter admonendo respexerit. Et ideo quod ibi scriptum est, Respexit eum Dominus: intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. Misericordiâ Dominus latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratiâ suâ visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movit & produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adjuvando adest voluntatibus & actionibus nostris: ecce quemadmodum & velle & operari operatur in nobis.

* Lib. 10. n. 89. ad Luc. 22. 61.

Quibus oculis Petrū Christus respexerit. Luc. 22. 61.

50. Item in eodem libro * idem sanctus Ambrosius, *Nam si Petrus*, inquit, *lapsus est, qui dixit, Et si alii scandalizati fuerint, ego non scandalizabor: quis alius jure de se præsumat? Denique David quia dixerat, Ego dixi in mea abundantia, non movebor in æternum: suam sibi jactantiam obfuisse profitetur, dicens, Avertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus.* Audiat iste tantum virum docentem, imitetur credentem, cujus doctrinam fidemque laudavit. Audiat humiliter, imitetur fideliter: non de se pertinaciter præsumat, ne pereat. Quid in eo pelago vult mergi Pelagius, unde per petram liberatus est Petrus?

* Lib. 10. n. 91 ad Luc. 22.

Matth. 26. 33.

Psal. 29. 7.

Ibid. 8.

CAPUT XLVI.

51. Audiat eumdem antistitem Dei in sexto * itidem libro ejusdem operis dicentem, *Cur autem non receperint eum, Evangelista ipse memoravit, dicens, Quia facies ejus erat euntis in Ierusalem. Discipuli autem recipi intra Samariam gestiebant. Sed Deus quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* O sensum hominis Dei, ex ipso haustum fonte gratiæ Dei! *Deus*, inquit, *quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Videte si non illud est propheticum: Miserebor cujus misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero. Et illud apostolicum: Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Quia ut dicit etiam nostrorum temporum homo [e] ejus, *Quem dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Numquid aliquis dicere audebit, nondum esse religiosum, *qui currit ad Dominum, & ab eo se regi cupit, & voluntatem suam ex ejus voluntate suspendit, & qui ei adhærendo jugiter, unus, secundùm Apostolum, cum eo fit spiritus?* At hoc totum tam magnum religiosi hominis opus, Pelagius *non* dicit *effici nisi arbitrii libertate.* Contrà autem beatus Ambrosius ipsius tam excellenter ore laudatus, *Dominus Deus*, inquit, *quem dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Ergo ut currat ad Dominum, & ab eo se regi cupiat, suamque voluntatem ex ejus voluntate suspendat, eique adhærendo jugiter unus, secundùm Apostolum, cum eo fiat spiritus; Deus quem vult religiosum facit: & hoc totum homo nisi religiosus non facit. Quapropter nisi à Deo fiat, ut hoc faciat, quis hoc facit?

* Apud Ambrosium lib. 7. n. 27. ad Luc. 9. 53.

Exodi 33. 19.

Rom. 9. 16.

Pelagii verba suprà cap. 22.

1. Cor. 6. 17.

CAPUT XLVII.

52. Sed quia ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discer-

[a] Ita MSS. At editi hoc verborum ordine, *in scripturis sanctis maximè canonicis*.
[b] Editi, *apertè*. Castigantur ex MSS.
[c] Hìc editi juxta vulgatam Ambrosiani hujus operis in decem libros distributionem, *in decimo*. At omnes MSS. *in nono*.
[d] In editis, *plorant delictum*. Hanc vocem nec MSS. addunt nec Ambrosius.
[e] Casalensis cod. *homo Dei*.

Liberi arbitrii & gratiæ Dei conciliandæ difficultas. V. lib. 4. contra Julianum. c. 8.

nendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri: potest Pelagius ita se latebris obscuritatis hujus involvere, ut etiam iis quæ à sancto Ambrosio conscripta posuimus, consentire se dicat; & ea se quoque sentire proclamet, semperque sensisse; atque ita singula conetur exponere, ut etiam ejus sententiæ convenire credantur. Quapropter quantum adtinet ad istam de divina gratia & adjutorio quæstionem, tria illa quæ apertissimè distinxit adtendite, posse, velle, esse, id est, possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo consenserit nobis, non solam possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem & actionem, id est, ut bene velimus & bene agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult & bene agit: si, ut dixi, consenserit, etiam ipsam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in qua nos suâ non nostrâ justitiâ justos facit, ut ea sit vera nostra justitia, quæ nobis ab illo est; nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur.

Quid à Pelagio exigatur in quæstione de gratia.

Rom. 7. 25.

CAPUT XLVIII. Sine peccato quomodo quidam in hac vita dici possint. V. lib. 2. de peccatorum merit. c. 13.

53. ILLUD autem propter quod sic laudavit sanctum Ambrosium, quia scilicet in scriptis ejus invenit ex laudibus Zachariæ & Elizabet, posse hominem in hac vita esse sine peccato: quamquam negandum non sit, si hoc velit Deus, apud quem sunt omnia possibilia, consideret tamen diligentiùs, quemadmodum dictum sit. Dictum enim est, quantum mihi videtur, secundùm quamdam inter homines conversationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum justè posset in accusationis & criminationis querelam vocare. Quam propterea in Dei conspectu Zacharias & ejus uxor habuisse referuntur, quia in ea homines nulla dissimulatione fallebant, sed ut apparebant hominibus, ita noti erant oculis Dei. Non autem dictum est hoc secundùm illam perfectionem justitiæ, in qua verè atque omni modo immaculati perfectique vivemus. Nam & apostolus Paulus dixit, secundùm justitiam quæ ex lege est, se fuisse sine querela; in qua lege etiam Zacharias sine querela conversabatur: sed hanc Apostolus justitiam in stercoribus & detrimentis deputavit, in comparatione justitiæ quam speramus, & quam nunc esurire ac sitire debemus, ut eâ quandoque saturemur in specie, quæ nunc

Luc. 1. 6.

Philip. 3. 6.

Ibid. 8.

Matth. 5. 6.

A est in fide, quamdiu justus ex fide vivit.

Rom. 1. 17.

CAPUT XLIX. Ambrosius in Isaiam. a

54. AUDIAT denique ipsum venerabilem antistitem, cùm exponeret [a] Isaiam prophetam, dicentem, *neminem in hoc mundo esse posse sine peccato.* Ubi nemo potest dicere, *in hoc mundo* eum dixisse, velut in dilectione hujus mundi. De Apostolo etenim loquebatur, qui dixit, Conversatio nostra in cælis est. Hunc ergo sensum memoratus episcopus explicans: *Perfectos*, inquit, *secum multos ait Apostolus in hoc adhuc mundo sitos, qui* B *si ad perfectionem veram respicias, perfecti esse non poterant. Quia ipse dixit, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Ita & immaculati sunt in hoc mundo, & immaculati erunt in regno Dei: cùm utique, si minutiùs excutias, immaculatus esse nemo possit, quia nemo sine peccato.* Illud ergo sancti Ambrosii testimonium, quo pro sua sententia Pelagius utitur, aut secundùm quemdam modum dictum est, C probabilem quidem, sed non minutiùs excussum: aut certè si ille vir sanctus atque humilis Zachariam & Elizabet summæ atque omni modo perfectæ justitiæ, cui nihil addi jam posset, fuisse existimavit, profectò sententiam suam minutiùs excutiendo correxit.

Philip. 3. 20.

1. Cor. 13. 12.

CAP. L. V. lib. de natura & grat. c. … * f. immaculatum.

55. ADTENDAT sanè iste in eodem ipso loco, unde hoc Ambrosianum testimonium, quod ei placebat, assumsit, etiam illud eum dixisse, quòd *ab initio esse* * *immaculatum, humanæ impossibile* D *sit naturæ:* ubi omnino illam naturalem possibilitatem, quam Pelagius non vult fideliter respicere peccato esse vitiatam, & ideo jactanter extollit, enervem infirmamque testatur venerandus Ambrosius: procul dubio contra istius voluntatem, sed non contra apostolicam veritatem, ubi legitur, Fuimus & nos aliquando naturâ filii iræ, sicut & ceteri. Ipsa est enim per peccatum primi hominis, quod ex libero ejus venit arbitrio, vitiata & damnata natura; cui sola per Me- E diatorem Dei & hominum & omnipotentem medicum divina subvenit gratia. De cujus adjutorio ad justificationem nostram, quo Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, quos prior dilexit, donans eis ut diligeretur ab eis, quia jam diu est ut differimus: deinceps incipiamus, quantum Dominus adjuverit, etiam de peccato, quod per unum hominem cum morte intravit in mundum, atque ita in omnes homines pertransiit, adversùs istos, qui in errorem huic F contrarium veritati apertiùs eruperunt, quæ satis esse videbuntur exprimere.

Ephes. 2. 3.

Rom. 8. 28. 1. Johan. 4. 19.

Rom. 5. 12.

[a] Non exstat hoc opus Ambrosii, quod rursum citat Augustinus in lib. de peccato originali, c. 41. lib. 1. de nuptiis & concup. c. 35. lib. 1. contra Julianum, c 4. & lib. 2. c. 8. ac lib. 4. contra duas epistolas Pelag. c. 11. Meminit ejusdem operis Ambrosius ipse lib. 2. in Lucam n. 56. ad cap. 2. 19.

S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA PELAGIUM ET CÆLESTIUM LIBER SECUNDUS, DE PECCATO ORIGINALI.

Ostendit Augustinus, Pelagium in quæstione de originali peccato ac de parvulorum baptismate, nihil re ipsa dissentire à discipulo ipsius Cælestio, qui peccatum originale confiteri nolens, vel etiam apertè negare ausus, Carthagine priùs, ac postea Romæ, episcopalibus judiciis damnatus est. Quæstionem enim istam non earum esse, ut hæretici iidem volebant, in quibus præter fidei periculum errare contingit: immo hunc eorum errorem ipsa omnino fidei Christianæ petere fundamenta. Refellit eos postea, qui originalis vitii dogmate nuptiarum bonitati detrahi, Deoque ipsi, hominis qui per nuptias generatur conditori, injuriam fieri contendebant.

Caput I.

Iam nunc diligenter advertite, de baptismate parvulorum quàm cautè debeatis audire homines ejusmodi, qui neque apertè illi ætati lavacrum regenerationis & peccatorum remissionis audent negare, ne hoc Christianæ aures ferre non possint; & tamen opinionem suam, qua putant peccato primi hominis carnalem generationem obnoxiam non teneri, tueri & defensare persistunt, quamvis eis baptismum videantur in peccatorum remissionem concedere. Nempe ipsi à Pelagio vos præsente scripsistis audisse, recitante vobis de libello suo, quem etiam Romam se misisse asserebat, quod *iisdem sacramenti verbis* dicant *debere baptizari infantes, quibus & majores.* Quis post illa verba putaret, eis de hac re ullam movendam esse quæstionem? aut cùm faceret, cui non calumniosissimus videretur, si non eorum manifesta verba legerentur, ubi negant parvulos trahere originale peccatum, omnesque sine ullo vitio natos esse contendunt?

Caput II. Cælestius in judicio Carthag. errorem damnare recusat. Libellus Zosimo datus à Cælestio.

2. Et Cælestius quidem in hoc exstitit errore liberior, usque adeo, ut neque in episcopali judicio apud Carthaginem damnare voluerit eos, qui dicunt, *Quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum; & quòd infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Et in urbe Roma in libello suo, quem beatissimo papæ Zosimo dedit, id asseveravit expressiùs, *quòd parvulorum neminem obstringat originale peccatum.* De gestis enim ecclesiasticis Carthaginensibus hæc ejus verba descripsimus.

Caput III. Pars actorum Carthaginensis judicii contra Cælestium.

3. Aurelius *episcopus dixit: Sequentia recitentur. Et recitatum est, Quòd peccatum Adæ ipsi soli obfuerit, & non generi humano. Et cùm recitatum esset, Cælestius dixit: Dixi de traduce peccati dubium me esse, ita tamen ut cui donavit Deus gratiam peritiæ consentiam; quia diversa ab eis audivi, qui utique in Ecclesia catholica constituti sunt presbyteri.*[a] *Paulinus diaconus dixit: Dic nobis nomina ipsorum. Cælestius dixit: Sanctus presbyter*[b] *Rufinus Romæ qui mansit cum sancto Pammachio: ego audivi illum dicentem, quia tradux peccati non sit. Paulinus diaconus dixit: Est aliquis alius? Cælestius dixit: Audivi & plures dicere. Paulinus diaconus dixit: Dic nomina ipsorum. Cælestius dixit: Non tibi sufficit unus sacerdos?* Et post aliqua alio loco. *Aurelius episcopus dixit: Reliqua libelli legantur. Et recitatum est, Quòd infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo fuit Adam ante transgressionem: usque in finem libelli minoris superiùs inserti.*

* Caput IV.

* *Aurelius episcopus dixit: Docuisti Cælesti aliquando, ut dixit diaconus Paulinus, quòd infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo fuit Adam ante transgressionem? Cælestius dixit, Exponat quid dixit, ante transgressionem. Paulinus diaconus dixit: Tu nega hoc te docuisse. Unum est è duobus, aut neget se docuisse, aut jam damnet istud. Cælestius dixit: Iam dixi, exponat quomodo dixit, ante transgressionem. Paulinus diaconus dixit: Nega te illa docuisse. Aurelius episcopus dixit: Rogo, quid*

[a] Paulinus ille, teste Mercatore in Commonitorio super nomine Cælestii, diaconus Ambrosii Mediolanensis episcopi fuit, & vitæ illius, hortante Augustino, scriptor, qui se versatum esse in Africa testatur, & vitam scripsisse Johanne præfecto prætorio, id est, anno 412. aut 413. aut 422. Judicium porrò de quo agitur, Carthagine habitum fuit sub initium anni 412 ex epistola ad Innocentium, inter Augustinianas 175. n. 1. & 6. Confer lib. de gestis Pelagii, cap 11. n. 23

[b] Mercator in Commonitorio adversùs hæresim Pelagii scribit, Rufinum quemdam natione Syrum sub Anastasii pontificatu Romam primum invexisse quæstionem contra traducem peccati. Is est, aliis quidem Rufinus Aquilegiensis, qui Pelagio, quod ad errorem de ἀναμαρτησίας, præivisse notatur ab Hieronymo in epist. ad Ctesiphontem: aliis verò Rufinus alter, ex 66. Hieronymi epistola notus, idem ille fortè qui peccati traducem rejicit in eo libro de fide, quem Jacobus Sirmondus nomine Rufini Palæstinæ provinciæ presbyteri publicavit. Certè Aquilegiensis vix, ac ne vix quidem credi possit, aut Romam ivisse pontifice Anastasio, aut ibi cum Pammachio mansisse.

collegerim ego ex [a] *hujus objectione, dico, Adam constitutus in paradiso, quòd antè dicatur inexterminabilis factus, postea per transgressionem præcepti factus sit corruptibilis. Hoc dicis, frater Pauline? Paulinus diaconus dixit: Hoc, Domine. Aurelius episcopus dixit: Status certè infantum hodie baptizandorum, utrùm talis sit, qualis fuit ante transgressionem Adæ, an certè de eadem origine peccati, de qua nascitur, transgressionis culpam trahat; hoc vult diaconus Paulinus audire. Paulinus diaconus dixit: Utrùm docuit hoc, an non, neget. Cælestius dixit: Jam de traduce peccati dixi, quia intra Catholicam constitutos plures audivi destruere, nec non & alios adstruere: licèt quæstionis res sit ista, non hæresis. Infantes semper dixi egere baptismo, ac debere baptizari: quid quærit aliud?*

4. Nempe cernitis sic Cælestium concessisse parvulis baptismum, ut in eos transire primi hominis peccatum, quod lavacro regenerationis abluitur, noluerit confiteri, quamvis & negare non ausus sit. Et propter hanc dubitationem suam non damnaverit eos qui dicunt, *Quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum; & quòd infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.*

Caput V. Libellus Cælestii Romæ gestis allegatus.

5. In libello autem quem Romæ edidit, qui gestis ibi ecclesiasticis allegatus est, ita de hac re loquitur, ut hoc se credere ostendat, unde hìc dubitare se dixerat. Nam verba ejus ista sunt: *Infantes autem*, inquit, *debere baptizari in remissionem peccatorum, secundùm regulam universalis Ecclesiæ, & secundùm Evangelii sententiam, confitemur: quia Dominus statuit regnum cælorum non nisi baptizatis posse conferri; quod quia vires naturæ non habent, conferri necesse est per gratiæ* * *libertatem.* Si nihil de hac re deinceps diceret, quis non eum crederet confiteri, etiam infantibus in baptismo originalia peccata dimitti, dicendo eos in remissionem peccatorum baptizari oportere? Hinc ergo est & illud quod scripsistis, sic vobis respondisse Pelagium, *quòd eisdem quibus & majores sacramenti verbis baptizantur infantes*; vosque fuisse lætatos, id quod cupiebatis audisse, & tamen adhuc de verbis ejus nos maluisse consulere.

Iohan. 3. 5.

* f. liberalitatem, vel largitatem.

Caput VI. Cælestius in eodem libello.

6. Attendite itaque quid Cælestius apertissimè dixerit, & ibi videbitis quid vobis Pelagius occultaverit. Cælestius quippe adjungit, & dicit: *In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes, non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur: quod longè à catholico sensu alienum est. Quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine: quia non naturæ delictum, sed voluntatis esse monstratur. Et illud ergo confiteri congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur, & hoc præmunire necessarium est, ne per mysterii occasionem, ad Creatoris injuriam malum ante quàm fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam.* Hunc sensum suum vobis aperire Pelagius vel timuit, vel erubuit, quem discipulus ejus palàm sine ullius obscuritatis ambagibus apud sedem apostolicam profiteri nec timuit, nec erubuit.

Discipulus magistro audacior.

Zosimus benignè excusatur.

7. Sed multùm misericors memoratæ sedis antistes, ubi eum vidit ferri tanta præsumtione
A præcipitem, tamquam furentem, donec si posset fieri, resipisceret, maluit eum sensim suis interrogationibus & illius responsionibus colligare, quàm districtâ feriendo sententiâ, in illud abruptum, quò jam propendere videbatur, impellere. Ideo autem non dixi, apertè ceciderat, sed propendere videbatur; quia superiùs in eodem libello suo de hujusmodi quæstionibus locuturus antè prædixerat: *Si fortè ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepsit, vestrâ sententiâ corrigatur.*

Caput VII.

B 8. Hanc ejus prælocutionem venerabilis papa Zosimus tenens, egit cum homine, quem falsæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea quæ illi à diacono Paulino fuerant objecta damnaret, atque ut sedis apostolicæ litteris, quæ à sanctæ memoriæ suo præcessore manaverant, præberet assensum. At ille noluit quidem diaconi objecta damnare: sed beati papæ Innocentii litteris non est ausus obsistere; immo *se omnia, quæ sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit*: atque ita
C velut phreneticus, ut requiesceret, tamquam leniter fotus, à vinculis tamen excommunicationis nondum est creditus esse solvendus. Sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessus est. Quoniam re vera, si deposita pervicaciæ vanitate, quod promiserat vellet adtendere, & easdem litteras, quibus se consensurum esse responderat, diligenter legeret, sanaretur. Sed postea
D quàm ex Africano episcoporum concilio rescripta directa sunt, quid fuerit consecutum, ut justissimè in eum sententia proferretur, cuncta legite, quia cuncta transmisimus.

Cælestius à Zosimo damnatus.

Caput VIII. Pelagius fefellit judicium Palæstinum, at Romanam ecclesiam fallere non valuit.

9. Unde etiam Pelagius, si se ipsum & sua scripta sine dolo cogitat, non rectè dicit, eâdem sententiâ se non debuisse teneri. Fefellit enim judicium Palæstinum; propterea ibi videtur esse purgatus: Romanam verò ecclesiam, ubi eum esse notissimum scitis, fallere usquequaque non
E potuit: quamvis & hoc fuerit [b] utcumque conatus: sed, ut dixi, minimè valuit. Recoluit enim beatissimus papa Zosimus, quid imitandus præcessor ejus de ipsis senserit gestis. Adtendit etiam quid de illo sentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum adversùs ejus errorem pro veritate catholica, studia consonantia concorditer flagrare cernebat: inter quos ille diu vixerat, & quos ejus dogmata latere non poterant: qui Cælestium ejus esse discipulum sic no-
F verant, ut fidelissimum & firmissimum possent de hac re testimonium perhibere. Quid ergo de Palæstinæ synodi gestis, quibus se Pelagius absolutum esse gloriatur, sanctus papa Innocentius judicarit, quamvis & in litteris ejus, quas nobis rescripsit, legere possitis, & commemoratum [c] cùm venerabili papæ Zosimo synodus Africana respondit, quod vestræ Caritati cum ceteris instructionibus misimus, tamen nec in hoc opere prætereundum videtur.
G

Prædicanda Romanorum fides. Rom. 1. 8.

Pelagius diu Romæ vixit.

Caput IX. * Epist. 177.

10. Cum enim nos in epistola, * quam ei quinque episcopi scripsimus, eorumdem gestorum Palæstinorum, quorum ad nos jam fama pervenerat, commemorationem fecissemus, dicentes,

[a] Sic MSS. At editi, *hujusmodi.*
[b] Sic MSS. Editi, *utrumque.*
[c] Am. & Er. *& commemoratum eum.* Meliùs Lov. & MSS. *cùm:* ut ipsum Innocentii de gestis Palæstinis judicium intelligatur *commemoratum* in litteris Africanæ synodi ad Zosimum. Hæ litteræ hactenus desiderantur.

in

Innocentii judicium de actis Palæſtinis.

* Epiſtola Innocentii inter Auguſtinianas 183. n. 3. & 4.

in Oriente, ubi degit, geſta eccleſiaſtica facta eſſe, quibus putatur eſſe purgatus, atque ad hoc inter cetera ille reſcriberet*: *Cùm ſint*, inquit, *aliqua in ipſis poſita geſtis, quæ objecta, partim ille vitando ſuppreſſit, partim multa in ſe verba retorquendo tota obſcuritate confudit, aliqua magis falſa, quàm vera ratione, ut ad tempus poterat videri purgavit, negando alia, alia falſa interpretatione vertendo. Sed utinam, quod optandum magis eſt, jam ſe ille ad veram catholicæ fidei viam ab illo ſuo errore convertat, & cupiat velitque purgari, conſiderans quotidianam Dei gratiam, adjutoriumque cognoſcens, ut videatur verè, & approbetur ab omnibus, manifeſta ratione correctus; non geſtorum judicio, ſed ad catholicam fidem corde converſo. Vnde non poſſumus illorum nec approbare nec culpare judicium, cùm neſciamus utrùm vera ſint geſta, aut ſi vera ſint, conſtet magis ſubterfugiſſe, quàm ſe tota veritate purgaſſe.* Videtis certè in his verbis, quemadmodum papa beatiſſimus Innocentius non tamquam de incognito loqui videatur. Videtis qualem tulerit de illius purgatione ſententiam. Videtis quid ſucceſſor ejus ſanctus papa Zoſimus recolere debuerit, ſicut recoluit, ut in eo ſui præceſſoris judicium remota cunctatione firmaret.

Caput X. Pelagium feſelliſſe Palæſtinam ſynodum.

11. Jam nunc diligenter adtendite, unde monſtretur, quòd Palæſtinos Pelagius fefellerit judices, ut alia taceam, in hac ipſa quæſtione de baptiſmate parvulorum: ne fortè cuipiam, in eo quod diximus, eum ſenſum, in quo liberior Cæleſtius fuit, vobis occultaſſe Pelagium, cùm & ipſe non aliter ſentiat, calumniari potiùs vel ſuſpicari, quàm certum aliquid comprehendiſſe videamur. Nempe jam ſuperiùs ſatis claruit, propterea Cæleſtium noluiſſe damnare quod dicitur, *Adæ peccatum ipſi ſoli obfuiſſe, non generi humano; & infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu eſſe, in quo Adam fuit ante prævaricationem*: quia videbat, ſi iſta damnaret, confirmare ſe in infantibus peccati ex Adam tranſitum. Hæc autem cùm fuiſſent objecta Pelagio, quòd ea cum Cæleſtio etiam ipſe ſentiret, ſine ulla retractatione damnavit. Quod licèt vos legiſſe ſciam: tamen quia non ſolis vobis hoc ſcribitur, ne pigeat lectorem ad ipſa geſta recurrere, vel ſi ea non habet, etiam cum labore perquirere, ipſa inde verba tranſſcribimus, quæ infrà ſcripta ſunt.

Caput XI. Pars Actorum judicii Palæſtini in cauſſa Pelagii.

12. *Synodus dixit: Nunc quoniam* [a] *anathematizaverit Pelagius incertum ſtultiloquium, rectè reſpondens, hominem cum adjutorio Dei & gratia poſſe eſſe* ἀναμάρτητον, *id eſt, ſine peccato, reſpondeat & ad alia capitula. Aliud capitulum in doctrina Cæleſtii diſcipuli Pelagii, ex eis quæ Carthagine à ſancto Aurelio Carthaginenſi epiſcopo cum aliis epiſcopis audita ſunt & commemorata: Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet. Quoniam peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum. Quoniam lex ſic mittat ad regnum, quemadmodum & Evangelium. Quoniam ante adventum Chriſti fuerint homines ſine peccato. Quoniam infantes nuper nati in eo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quoniam neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgat. Quoniam ſanctus epiſcopus Auguſtinus adverſus diſcipulos ejus in Sicilia reſpondit Hilario ad ſubjecta capitula, ſcribens librum in quo iſta continentur: Poſſe hominem ſine peccato eſſe, ſi velit: Infantes, etſi non baptizentur, habere vitam æternam: Divites baptizatos, niſi omnibus abrenuntient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputari illis, neque regnum Dei poſſe eos habere. Pelagius dixit: De poſſe quidem hominem ſine peccato eſſe, dictum eſt ſuperiùs. De eo autem quòd fuerint homines ante adventum Domini ſine peccato, dicimus & nos quoniam ante adventum Chriſti vixerunt quidam ſanctè ac juſtè, ſecundùm ſcripturarum ſanctarum traditionem: reliqua verò & ſecundùm ipſorum teſtimonium,* [b] *quia iſta non ſunt pro quibus ego ſatisfacere debeam, ſed tamen ad ſatisfactionem ſanctæ ſynodi, anathematizo eos, qui ſic tenent, aut aliquando tenuerunt.*

Epiſtol. 157. ad Hilarium.

Caput XII.

13. Ecce, ut alia omittam, videtis anathematizaſſe Pelagium eos, qui tenent, *quòd Adæ peccatum ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum; & quòd infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Quid ergo hîc aliud epiſcopi judices intelligere potuerunt, niſi eum confiteri, quòd peccatum ex Adam in parvulos tranſeat? Quod ne confiteretur Cæleſtius, hæc damnare noluit, quæ iſte damnavit. Proinde ſi oſtendero, etiam ipſum nihil aliud ſentire de parvulis, niſi quòd ſine ulla cujuſquam vitii contagione naſcuntur; quid inter iſtum & Cæleſtium in hac quæſtione diſtabit, niſi quòd ille apertior, iſte occultior fuit; ille pertinacior, iſte mendacior; vel certè ille liberior, hic aſtutior? Ille enim nec in Eccleſia Carthaginenſi damnare voluit, quod in Romana poſtea ſe tenere confeſſus eſt, & *corrigi paratum ſe eſſe* profeſſus eſt, *ſi ei tamquam homini error obrepſit.* Iſte autem & illud dogma damnavit tamquam contrarium veritati, ne ipſe à catholicis judicibus damnaretur; & id ſibi defendendum poſtea reſervavit, aut mendaciter damnans, aut callidè interpretans.

Cæleſtius apertior hæreticus: Pelagius occultior.

Caput XIII. Docet Pelagium eadem cum Cæleſtio ſenſiſſe de originali peccato etiam poſt Palæſtinũ judicium.

14. Sed video de me jam juſtiſſimè poſtulari, ut quod promiſi, utrùm & ipſe hoc ſentiat quod Cæleſtius, demonſtrare non differam. In primo libro recentioris operis ſui, quod ſcripſit pro libero arbitrio, cujus operis in litteris quas Romam miſit, commemorationem fecit: *Omne*, inquit, *bonum ac malum, quo vel laudabiles vel vituperabiles ſumus, non nobiſcum oritur, ſed agitur à nobis: capaces enim utriuſque rei, non pleni naſcimur, & ut ſine virtute, ita & ſine vitio procreamur: atque ante actionem propriæ voluntatis, id ſolum in homine eſt, quod Deus condidit.* Nempe cernitis in his Pelagii verbis, quòd dogma contineatur amborum, de parvulis ſine ullius vitii ex Adam contagione naſcentibus. Non itaque mirum eſt, quòd eos qui dicunt, *Adæ peccatum ipſi ſoli obfuiſſe, & non generi humano; & infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu eſſe, in quo fuit Adam ante prævaricationem*, Cæleſtius damnare noluit: ſed multùm mirum eſt, qua fronte Pelagius iſta damnaverit. Si enim, ſicut dicit, *malum non nobiſcum oritur*,

[a] In libro de geſtis Pelagii, c. 6. n. 16. *anathematizavit.* Fortè legend. *quum anathematizaverit.*

[b] In eodem libro, c. 11. n. 24. *& ſecundùm ipſorum teſtimonium à me dicta non ſunt, pro quibus ego ſatisfacere non debeo.* Eadem verba repetuntur ibidem c. 35.

& sine vitio procreamur, atque ante actionem propriæ voluntatis id solùm in homine est, quod Deus condidit: profectò peccatum Adæ ipsi soli obfuit, quia nullum in prolem transitum fecit. Non enim peccatum non est malum, aut peccatum non est vitium, aut peccatum Deus condidit. Dicit autem iste, *Malum non nobiscum oritur, & sine vitio procreamur, & hoc solum est in nascentibus, quod Deus condidit.* Ac per hoc cùm *peccatum Adæ ipsi soli obfuisse, non generi humano*, secundùm istam suam sententiam, verissimum putet, cur hoc damnavit Pelagius, nisi ut judices catholici fallerentur? Similiter etiam illud dici potest: Si *malum non nobiscum oritur, & sine vitio procreamur, idque solum est in homine nascente, quod Deus condidit:* procul dubio, *qui nascuntur infantes, in eo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem*, cui nullum malum vitiumque inerat, atque id solum in illo erat, quod Deus condiderat. Et tamen anathematizavit Pelagius, *qui tenent aut aliquando tenuerunt, in eo statu esse recentes ab ortu parvulos, in quo Adam fuit ante prævaricationem*, id est, sine ullo malo, sine ullo vitio, id solum habentes, quod Deus condidit. Ut quid ergo & hoc damnavit Pelagius, nisi ut catholica synodus falleretur, ne novus hæreticus damnaretur?

Caput XIV. Pelagius mentiendo & fallendo absolutionem in synodo Palæstina furatus est.

15. Quod autem scitis, & quod in eo etiam libro posui, quem de gestis Palæstinis ad venerabilem senem nostrum Aurelium scripsi; illa [a] ego responsione Pelagii, totam istam quæstionem consumtam esse gaudebam; confessusque mihi apertissimè videbatur, esse in parvulis originale peccatum; anathema dicendo eis, qui peccato Adæ ipsum solum, non etiam genus humanum crederent læsum, & in eo statu opinarentur esse parvulos, in quo ille homo primus ante prævaricationem fuit. Sed postea cùm legissem quatuor ejus libros, de quorum primo libro paulò antè commemorata verba descripsi, & invenissem hominem adhuc contra catholicam fidem de parvulis sentientem; plus mirari cœpi, tam impudens in ecclesiastico judicio & de tanta quæstione mendacium. Si enim eosdem libros antè jam scripserat, quomodo se dixit eos anathematizare, qui sic aliquando tenuerunt? Si autem postea illud opus * pollicitus est, quomodo anathematizavit qui sic tenent? Nisi ridiculè fortè dicturus est, eos se damnasse qui sic aliquando tenuerunt, & qui sic tenent; de tempore autem futuro, id est, eis qui sic fuerant retenturi, nec sibi, nec aliis præjudicare potuisse; & ideo non fuisse mentitum, quia postea deprehensus est sic tenere. Sed non hoc dicit, non solùm quia ridiculum est, sed quia verum esse non potest. In eisdem quippe libris, & contra peccati ex Adam in parvulos transitum loquitur, & de gestis Palæstinæ synodi gloriatur, ubi eos qui sic tenent, veraciter damnasse putatus est, & absolutionem suam fallendo furatus est.

* f. molitus.

Caput XV. Fraus & versutia Pelagii.

16. Quid enim ad rem, de qua nunc agimus, pertinet, quod discipulis suis respondet, *ideo se illa objecta damnasse, quia & ipse dicit, non tantùm primo homini, sed etiam humano generi pri-*
A *mum illud obfuisse peccatum, non propagine, sed exemplo:* id est, non quòd ex illo traxerint aliquod vitium, qui ex illo propagati sunt, sed quòd eum primum peccantem imitati sunt omnes, qui postea peccaverunt? Aut *quia dicit, ideo infantes non in eo statu esse, in quo fuit Adam ante prævaricationem, quia isti præceptum capere nondum possunt; ille autem potuit; nondumque utuntur rationalis voluntatis arbitrio, quo ille nisi uteretur, non ei præceptum daretur?* Quid hoc ad rem pertinet,
B quia verba sibi objecta sic exponendo, rectè se putat damnasse quod dicitur, *peccatum Adæ ipsi soli obfuisse, & non generi humano; & infantes qui nascuntur, in eo statu esse, in quo Adam fuit ante peccatum:* & tamen his damnatis non mendaciter tenere, quod in ejus postea conscriptis opusculis invenitur, *sine ullo malo, sine ullo vitio parvulos nasci; & hoc solum in eis esse, quod Deus condidit*, non vulnus quod inimicus inflixit?

Caput XVI.

17. Numquid hæc dicendo, verba propter
C aliud objecta aliter exponendo, id agit, ut se judices non fefellisse demonstret? Prorsus non id efficit: tanto enim fefellit occultiùs, quanto exponit ista versutiùs. Episcopi quippe catholici quando audiebant hominem anathematizantem eos qui dicunt, *Adæ peccatum ipsi soli obfuisse, non generi humano*, nihil aliud eum sapere existimabant, quàm id quod catholica Ecclesia prædicare consuevit: unde veraciter parvulos in peccatorum remissionem baptizat, non quæ imitan-
D do fecerunt, propter primi peccatoris exemplum; sed quæ nascendo traxerunt, propter originis vitium. Et quando audiebant anathematizantem eos qui dicunt, *infantes qui nascuntur, in eo statu esse, in quo Adam fuit ante prævaricationem*, nihil eum aliud dicere credebant, nisi eos qui parvulos putant nullum ex Adam traxisse peccatum, & secundùm hoc in eo statu esse, in quo fuit ille ante peccatum. Etenim hoc [b] illi objiceretur, non aliud, unde quæstio versaba-
E tur. Proinde cùm hoc iste sic exponit, ut dicat, infantes ideo non in eo statu esse, in quo Adam fuit ante peccatum, quia nondum sunt in eadem firmitate mentis aut corporis, non quòd in eos transierit ulla culpa propaginis, respondeatur ei: Quando tibi illa [c] damnanda objiciebantur, non ea catholici episcopi sic intelligebant: ideo cùm illa damnares catholicum te esse credebant. Propterea ergo, quod te illi sapere existimabant, absolvendum fuit: quod verò tu sapiebas, dam-
F nandum fuit. Non ergo tu absolutus es, qui damnanda tenuisti: sed illud absolutum est, quod tenere debuisti. Ut autem tu absolutus putareris, creditus es sentire laudanda, cùm te judices non intelligerent occultare damnanda. Rectè Cælestii socius judicatus es, cujus manifestas te esse participem. Et si in judicio tuos cooperuisti libros, tamen post judicium eos edidisti.

Caput XVII. Damnatio Pelagii.

18. Quæ cùm ita sint, profectò sentitis, in tam nefandi erroris auctores, episcopalia conci-
G lia, & apostolicam sedem, universamque Romanam Ecclesiam, Romanumque [d] imperium, quod Deo propitio Christianum est, rectissimè fuisse

[a] Sic MSS. At editi, *ergo.*
[b] Vaticanus cod. *hoc ibi objiciebatur.*
[c] Duo MSS. *illa damnata objiciebantur:* item paulò pòst, *qui damnata tenuisti.*

[d] Possidius in vita Aug. cap. 18. *Et hoc tale de illis Ecclesiæ Dei catholicæ prolatum judicium audiens & sequens etiam piissimus imperator Honorius, suis eos legibus damnatos inter hæreticos haberi debere constituit.* Has Honorii leges habes hîc in 2. parte Append.

commotum, donec resipiscant de diaboli laqueis. A Quis enim scit, ne fortè det illis Deus pænitentiam ad cognoscendam, & confitendam, & prædicandam etiam veritatem, damnandamque veraciter damnabilem falsitatem? Quoquo modo autem se habere isti velint, multis tamen misericordiâ Domini esse consultum, qui eos propterea sectabantur, quia catholicæ communioni videbant esse sociatos, dubitare non possumus.

Post Pelagii Cælestiique excommunicationem multi eorum sectatores conversi.

Pelagius apostolicam sedem fallere conatus.

19. Quomodo autem Pelagius obrepere tentaverit ad fallendum etiam apostolicæ sedis epi- B scopale judicium in hac ipsa quæstione de baptismate parvulorum, diligenter adtendite. In litteris enim, quas Romam misit ad beatæ memoriæ papam Innocentium, quoniam in corpore eum non invenerunt, & sancto papæ Zosimo datæ sunt, atque ad nos inde directæ, dicit *se ab hominibus infamari, quòd neget parvulis baptismi sacramentum, & absque redemtione Christi aliquibus cælorum regna promittat.* Sed non sic illis hæc objiciuntur, ut posuit. Nam neque parvulis negant ba- C ptismi sacramentum, nec absque redemtione Christi aliquibus cælorum regna promittunt. Itaque unde se queritur infamari, eo modo proposuit, ut facilè posset crimini objecto, salvo suo dogmate, respondere. * Objicitur autem illis, quòd non baptizatos parvulos nolunt damnationi primi hominis obnoxios confiteri, & in eos transisse originale peccatum regeneratione purgandum; quoniam propter accipiendum regnum cælorum tantummodo eos baptizandos esse con- D tendunt: quasi præter regnum cælorum habere nisi æternam mortem possint, qui sine participatione corporis & sanguinis Domini æternam vitam habere non possunt. Ecce quod eis objicitur de baptismo parvulorum: non quod ipse ita proposuit, ut possit suæ propositioni, quasi adversantis objectioni, secundùm sua dogmata respondere.

Pelagius statū quæstionis invertit.

* Caput XVIII.

20. Denique quomodo respondeat advertite, & videte latebras ambiguitatis falsitati præpara- E re refugia, offundendo caliginem veritati; ita ut etiam nos cùm primùm ea legimus, recta vel correcta propemodum gauderemus. Sed latiores disputationes ejus in libris, ubi se quantumlibet operiat, plerumque aperire compellitur, fecerunt nobis & ista suspecta, ut adtentiùs intuentes inveniremus ambigua. Cùm enim dixisset, *numquam se vel impium aliquem hæreticum audisse, qui hoc* quod proposuit *de parvulis diceret:* deinde subjecit atque ait, *Quis enim ita evangelicæ le-* F *ctionis ignarus est, qui hoc non modò affirmare conetur, sed qui vel leviter dicere, aut etiam sentire possit? Deinde quis tam impius, qui parvulos exsortes regni cælorum esse velit, dum eos baptizari & in Christo renasci* [a] *vetat.*

Pelagius latebras ambiguitatis parat falsitati refugia.

Caput XIX.

21. Frustra ista dicit: non inde se purgat. In regnum cælorum sine baptismo parvulos intrare non posse, nec ipsi aliquando negaverunt. Sed non inde quæstio est: de purgatione originalis peccati in parvulis quæstio est. Inde se pur- G get, qui non vult fateri, lavacrum regenerationis in parvulis habere quod purget. Et ideo cetera quæ dicturus est adtendamus. Post interpositum enim ex Evangelio testimonium, quòd nisi renatus ex aqua & Spiritu, regnum cælorum nullus possit intrare, unde illis, ut diximus, nulla fit quæstio; secutus adjunxit dicens, *Quis ille tam impius est, qui cujuslibet ætatis parvulo interdicat communem humani generis redemtionem?* Et hoc ambiguum est, qualem dicat redemtionem: utrùm ex malo ad bonum, an ex bono ad melius. Nam & Cælestius apud Carthaginem in libello suo confessus est redemtionem parvulorum, & tamen noluit confiteri ex Adam in eos transisse pecca- B tum.

Iohan. 3. 5.

22. Sed quid deinde iste subjungat, advertite: *Et in perpetuam*, inquit, *certamque vitam renasci vetet eum, qui natus sit ad incertam?* id est, *Quis tam impius est, ut vetet renasci ad perpetuam certamque vitam eum, qui natus sit ad incertam?* Hæc verba quando primitus legimus, credidimus eum incertam vitam istam voluisse dicere temporalem: quamvis nobis videretur magis eam mortalem dicere debuisse, quàm incertam, eo C quòd certa morte finiatur. Tamen quamdiu ducitur, quoniam momentis omnibus esse non dubitatur incerta; nihil aliud eum putavimus, quàm istam mortalem vitam maluisse dicere incertam. Ac per hoc quamvis æternam mortem parvulorum sine baptismatis sacramento ex hac vita migrantium apertè noluerit confiteri: tamen de illo sollicitudinem nostram quasi certa ratiocinatio solabatur. Dicebamus enim: Si perpetua vita, sicut confiteri videtur, nisi eorum D qui baptizati sunt non potest esse; profectò eos qui non baptizati moriuntur, mors perpetua consequetur. Quod nullâ justitiâ potest accidere his, à quibus in hac vita nulla peccata commissa sunt, nisi * originale peccatum.

Caput XX.

* f. nisi ob.

23. Sed postea non defuerunt fratres, qui nos admonerent, hoc ideo dicere Pelagium potuisse, quia de ista quæstione ita perhibetur solitus respondere quærentibus, ut diceret, *Sine baptismo parvuli morientes, quò non eant, scio; quò* E *eant, nescio:* id est, non ire in regnum cælorum scio; quò verò eant, ideo se nescire dicebat, [b] aut dicit, quia dicere non audebat in mortem illos ire perpetuam, quos & hìc nihil mali commisisse sentiebat, & originale traxisse peccatum non consentiebat. Itaque & ista ejus verba Romam pro magna ejus purgatione transmissa, tam sunt ambigua, ut possint eorum dogmati præbere latibula, unde ad insidiandum prosiliat hæreticus sensus, quando nullo exsistente qui valeat F respondere, tamquam in solitudine aliquis invenitur infirmus.

Caput XXI. De parvulis sine baptismo decedentibus Pelagii sententia.

b

Latibula Pelagii sub ambiguitate.

24. Jam verò in libro * fidei suæ, quem Romam cum ipsis litteris misit ad eumdem papam Innocentium, ad quem etiam epistolam scripserat, multo evidentiùs se ipsum tegendo nudavit, dicens, *Baptisma unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, dicimus esse celebrandum.* Non saltem dixit, eodem sacramento; quod quidem si dixisset, adhuc esset ambiguum: sed *iisdem*, inquit, G *sacramenti verbis*; tamquam infantibus remissio peccatorum verborum sonitu diceretur, non rerum ageretur effectu. Visus est tamen ad tempus, aliquid dicere quod fidei catholicæ conve-

* Exhibetur in 2. parte Appendicis.

[a] Editi, *putat*. Emendantur ex MSS.

[b] Non superfluò additum, *aut dicit*, quod expungendum putaunt Lovanienses: sed eo significatur, Pelagium à suo errore nondum fortè recessisse.

niret: sed illam sedem usque in finem fallere non prævaluit. Post rescripta quippe Africani concilii, in quam provinciam quidem doctrina illa pestifera serpendo pervenerat, sed eam non tam latè occupaverat altéque pervaserat, alia quoque ipsius in urbe Roma, ubi diutissimè vixerat, atque in his fuerat priùs sermonibus contentionibusque versatus, curâ fidelium fratrum prolata patuerunt, quæ litteris suis, quas conscripsit per orbem catholicum perferendas, papa Zosimus exsecranda, sicut legere potestis, adtexuit. Ubi Pelagius epistolam Pauli apostoli ad Romanos velut exponens, argumentatur & dicit: *Si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo & Christi justitia etiam non credentibus prodest.* Et cetera hujusmodi, quæ omnia Domino adjuvante in libris, quos scripsimus, de baptismo parvulorum, refutata & dissoluta sunt. Et ea quidem in ipsis quasi expositionibus non ex sua persona est ausus objicere; sed ibi hoc dicebat, ubi multis notissimus erat, & quid sentiret ac diceret, latere non poterat: quod in libris illis, de quorum primo quiddam suprà * commemoravi, non dissimulanter, sed apertissimè quantis potest disputandi viribus agit, ut natura humana in parvulis nullo modo ex propagine vitiata credatur; cui arrogando salutem, invidet [a] salvatorem.

Pelagius diutissimè Romæ vixit.

Lib. 3. cap. 1.

* *Suprà cap. 13.*

CAPUT XXII. Pelagius & Cælestius damnati.

25. HÆC cùm ita sint, cúmque jam constet dogma exstitisse pestiferum & hæreticum errorem, quem Domino adjuvante apertiùs jam devitat Ecclesia, duobus istis, Pelagio scilicet & Cælestio, aut in locum pænitentiæ redactis, aut si id recusaverint omnino damnatis, qui hujus perversitatis auctores vel perhibentur, vel etiam probantur; vel certè si auctores non sunt, sed hoc ab aliis didicerunt, assertores tamen atque doctores, per quos id latiùs reptaret & cresceret, & verbis & litteris suis, & competentibus indiciis, & famâ ex his omnibus surgente & crebrescente jactantur: quid restat, nisi ut quisque catholicus pro viribus, quas sumit à Domino, redarguat istam pestem, eique vigilanter obsistat; ut cùm respondendi necessitate, sine studio contentionis, pro veritate certatur, instruantur indocti, atque ita in Ecclesiæ convertatur utilitatem, quod est inimicus in perniciem machinatus, juxta illud Apostoli, Oportet & hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos?

1. Cor. 11. 19.

CAPUT XXIII. Quæstionem de peccato originali præter fidei periculum esse contendunt Pelagiani.

26. QUAPROPTER post multa, quæ adversùs istum errorem inimicum gratiæ Dei, quam per Jesum Christum Dominum nostrum pusillis magnisque largitur, scribendo disputare potuimus: nunc illud oportet excutere, quod, volentes hæreseos astutè invidiam declinare, asserunt, *istam præter fidei periculum esse quæstionem*: ut videlicet si in ea fuerint exorbitasse convicti, non criminaliter, sed quasi civiliter errasse videantur. Sic enim Cælestius apud Carthaginem gestis ecclesiasticis est locutus *: *Iam*, inquit, *de traduce peccati dixi, quia intra Catholicam constitutos plures audivi destruere, nec non & alios adstruere; licèt quæstionis res sit ista, non hæresis. Infantes semper dixi egere baptismo, ac debere baptizari: quid quærit aliud?* Ita hoc dixit, tamquam significare voluerit, tunc fuisse hæresim judicandam, si baptizari debere negaret infantes: nunc verò quo-

* *suprà cap. 4.*

A niam baptizandos fatetur, etiam si caussam baptismatis eorum non eam dicat, quam veritas habet, sed quæ ad fidem non pertinet; non se * arbitratur errare, & ideo non esse hæreticum judicandum. * Item in libello quem Romæ dedit, cùm fidem suam à Trinitate unius deitatis usque ad resurrectionem qualis futura est mortuorum, de quibus eum nullus interrogaverat, & unde illi nulla quæstio movebatur, quantum dicere libuit, explicasset; ubi ad id quod agebatur ejus B sermo pervenit: *Si quæ verò*, inquit, *præter fidem quæstiones natæ sunt, de quibus esset inter plerosque contentio: non ego quasi auctor alicujus dogmatis definita hoc auctoritate statui, sed ea quæ de Prophetarum & Apostolorum fonte suscepi, vestri Apostolatûs offerimus probanda esse judicio; ut si fortè ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepsit, vestrâ sententiâ corrigatur.* Nempe perspicitis, id eum egisse hac prælocutione præmissa, ut si quid in illo apparuisset erroris, non in fide, sed in quæ- C stionibus quæ sunt præter fidem, videretur errasse; ubi etsi corrigendus est error, non tamen tamquam hæresis corrigatur, & qui [b] correctus fuerit, ita dicatur errare, ut non tamen hæreticus judicetur.

* *fortè, non se criminaliter errare: deleto arbitratur.* * CAPUT XXIII. *apud Am. & Er.*

27. Sed multùm eum ista fallit opinio. Longè aliter se habent quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitratur, quàm sunt illæ in quibus salva fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, & sententia definitiva suspendi- D tur, aut aliter quàm est, humanâ & infirmâ suspicione conjicitur. Veluti cùm quæritur, qualis vel ubi sit paradisus, ubi constituit Deus hominem quem formavit ex pulvere; cùm tamen esse illum paradisum fides Christiana non dubitet: vel cùm quæritur, ubi sit nunc Elias vel Enoch, an ibi, an alicubi alibi; quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus vivere: vel cùm quæritur, utrùm in corpore an extra corpus in tertium cælum sit raptus Apostolus; E quamquam sit ista impudens inquisitio id scire volentium, quod se ille cui hoc præstitum est, salva utique fide, nescire testatur: vel quot sint cæli, in quorum tertium se raptum esse commemorat: vel utrùm elementa mundi hujus conspicabilis quatuor an plura sint: quid faciat solem lunamve deficere, his defectibus quos prædicere Astrologi certa temporum dinumeratione consuerunt: cur antiqui homines tam diu vixerint, quàm sancta scriptura testatur; & utrùm pro- F portione longioris ætatis filios sera pubertate gignere cœperint: ubi potuerit Mathusalem vivere, qui in arca non fuit, qui, sicut in plerisque codicibus & Græcis & Latinis numerantur anni, reperitur supervixisse diluvio; vel utrùm paucioribus, qui rarissimi inveniuntur, potiùs credendum sit, in quibus ita est numerus conscriptus annorum, ut ante diluvium defunctus fuisse monstretur. Quis enim non sentiat in his atque hujusmodi variis & innumerabilibus quæstioni- G bus, sive ad obscurissima opera Dei, sive ad Scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti ac definire difficile est, & multa ignorari salvâ Christianâ fide, & alicubi errari sine aliquo hæretici dogmatis crimine.

Quæstiones præter fidem, quæ, & earum exempla.

2. Cor. 12. 2.

[a] Editio Er. *invidet Salvatori*: minùs rectè.

[b] MSS. Casal. & Sigiram. *correctus non fuerit.*

CAPUT XXIV. Hæresis Pelagii & Cælestii ipsa fidei nostræ petit fundamenta.

28. SED in caussa duorum hominum, quorum per unum venumdati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis; per unum præcipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam; [a] quorum ille nos in se perdidit, faciendo voluntatem suam, non ejus à quo factus est; iste nos in se salvos fecit, non faciendo voluntatem suam, sed ejus à quo missus est: in horum ergo duorum hominum caussa propriè fides Christiana consistit. Unus est enim Deus, & unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Quoniam non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: & in illo definivit Deus fidem omnibus, suscitans illum à mortuis. Itaque sine ista fide, hoc est, sine fide unius mediatoris Dei & hominum hominis Christi Jesu, sine fide, inquam, resurrectionis ejus, quam Deus [b] omnibus definivit, quæ utique sine incarnatione ejus ac morte non potest veraciter credi; sine fide ergo incarnationis & mortis & resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justi essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratiâ justificari, veritas Christiana non dubitat: sive in eis justis quos sancta scriptura commemorat, sive in eis justis quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, vel ante diluvium, vel inde usque ad legem datam, vel ipsius legis tempore, non solùm in filiis Israël, sicut fuerunt Prophetæ, sed etiam extra eumdem populum, sicut fuit Job. Et ipsorum enim corda eâdem mundabantur mediatoris fide, & diffundebatur in eis caritas per Spiritum-sanctum, qui ubi vult spirat, non merita sequens, sed etiam ipsa merita faciens. Non enim Dei gratia gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo.

a Johan. 4.34. In caussa duorum hominum propriè fides Christiana. 1. Tim. 2.5. Act. 4.12. Act. 17.31. Sine fide Christi nullus umquam homo justificari aut salvari potuit. b

Rom. 5.5. Johan. 3.8. Fides Christi, donum omnino gratuitum. Rom. 5.14.

29. Quamvis ergo mors regnaverit ab Adam usque ad Moysen, quia non eam potuit vincere nec lex data per Moysen; non enim data est quæ posset vivificare, sed quæ mortuos, quibus vivificandis esset gratia necessaria, non solùm peccati propagatione & dominatione prostratos, verùm etiam ipsius legis addita prævaricatione convictos, deberet ostendere; non ut periret quisquis hoc in Dei misericordia etiam tunc intelligeret, sed ut per regnum mortis ad supplicium destinatus, etiam sibi ipsi per prævaricationem legis manifestatus, Dei quæreret adjutorium, ut ubi abundavit peccatum, superabundaret gratia, quæ sola liberat à corpore mortis hujus: * quamvis ergo nec lex per Moysen data potuerit à quoquam homine regnum mortis auferre: erant tamen & legis tempore homines Dei, non sub lege terrente, convincente, puniente, sed sub gratia delectante, sanante, liberante. Erant qui dicerent, Ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea me in utero aluit: &, Non est pax in ossibus meis à facie peccatorum meorum: &, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis: &, Spiritu principali confirma me: &, Spiritum-sanctum tuum ne auferas à me. Erant qui dicerent, Credidi, propter quod locutus sum. Eadem quippe & ipsi mundabantur fide, qua & nos. Unde & Apostolus dicit, Habentes autem eumdem spiritum fidei, secundùm quod scriptum est, Credidi, propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur. Ex ipsa fide dicebatur, Ecce virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. Ex ipsa fide de ipso dicebatur, Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas ad currendam viam, à summo cæli egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum cæli, & non est qui se abscondat à calore ejus. Ex fide ipsa ipsi dicebatur, Thronus tuus, Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui: dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis. Eodem spiritu fidei ab illis hæc futura videbantur, quo à nobis facta creduntur. Neque enim qui nobis ista fideli dilectione prophetare potuerunt, eorum ipsi participes non fuerunt. Et unde est quod dicit apostolus Petrus, Quid tentatis Deum, imponere jugum supra collum discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos potuimus portare, sed per gratiam Domini Jesu credimus salvi fieri, quemadmodum & illi: nisi quia & illi per gratiam Domini Jesu Christi salvi facti sunt, non per legem Moysi, per quam non sanatio, sed cognitio est facta peccati? Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata per legem & prophetas. Si ergo nunc manifestata est, etiam tunc erat, sed occulta. Cujus occultationem significabat templi velum, quod est ad ejus significandam revelationem Christo moriente conscissum. Et tunc ergo ista gratia unius mediatoris Dei & hominum hominis Christi Jesu erat, in populo Dei: sed tamquam in vellere pluvia, quam non debitam, sed voluntariam segregat Deus hereditati suæ, inerat latens; nunc autem velut siccato illo vellere, hoc est, Judaico populo reprobato, in omnibus gentibus tamquam in area cernitur patens.

Gal. 3.21. Usus legis. Rom. 5.20. Ibid. 7.25. * CAPUT XXV. Justi tempore legis exstiterunt, nec tamen erant illi sub lege, sed sub gratia. Psal. 50.7. Psal. 37.4. Psal. 50.12. &c. Psal. 115.1. 2. Cor. 4.13. Isaiæ 7.14. Psal. 18.6. Psal. 44.7. Act. 15.10. Rom. 3.20. Gratia novi testamenti sub veteri occultata. Velum templi. Matth. 27.51. Judic. 6.38. Vellus Gedeonis. Psal. 67.10.

CAPUT XXVI. Pelagius & Cælestius antiquos justos negant per Christum salvatos.

30. NON igitur, sicut Pelagius & ejus discipuli, tempora dividamus, dicentes, *primùm vixisse justos homines ex natura, deinde sub lege, tertiò sub gratia.* Ex natura, scilicet ab Adam tam longa ætate, qua lex nondum erat data. *Tunc enim*, aiunt, *duce ratione cognoscebatur Creator, & quemadmodum esset vivendum, scriptum gerebatur in cordibus, non lege litteræ, sed naturæ. Verùm vitiatis moribus*, inquiunt, *ubi cœpit non sufficere natura jam decolor, lex ei addita est, qua, velut luna, fulgori pristino detritâ rubigine redderetur. Sed postea quàm nimia*, sicut disputant, *peccandi consuetudo prævaluit, cui sanandæ lex parum valeret, Christus advenit, & tamquam morbo desperatissimo, non per discipulos, sed per se ipsum medicus ipse subvenit.*

31. Hæc disputantes, à gratia mediatoris justos excludere conantur antiquos, tamquam Dei & illorum hominum non fuerit mediator homo Christus Jesus; quia nondum ex utero virginis carne suscepta, homo nondum fuit, quando illi justi fuerunt. Quod si ita esset, nequaquam Apostolus diceret: Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum; sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur. Quando quidem illi antiqui justi,

1. Cor. 15.21.

a Am. Er. & MSS. *quoniam ille.*

b Editi, *hominibus.* Castigantur ex MSS.

secundùm istorum vaniloquia, sibi sufficiente natura, nec mediatore homine Christo indiguerunt, per quem reconciliarentur Deo: nec in eo vivificabuntur, ad cujus corpus & membra, secundùm id quòd propter homines homo factus est, non pertinere monstrantur. Si autem, quemadmodum per Apostolos suos Veritas loquitur, sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur; quia per illum hominem mors, & per istum hominem resurrectio mortuorum: quis audeat dubitare Christianus, etiam illos justos, qui* recentioribus generis humani temporibus Deo placuerunt, ideo in resurrectionem vitæ æternæ, non mortis æternæ esse venturos, quia in Christo vivificabuntur; ideo autem vivificari in Christo, quoniam ad corpus pertinent Christi; & ideo pertinere ad corpus Christi, quia & ipsis caput est Christus; ideo & ipsis caput esse Christum, quia unus mediator est Dei & hominum homo Christus Jesus? Quod eis non fuisset, nisi in ejus resurrectionem per ejus gratiam credidissent. Et hoc quomodo fieret, si eum in carne venturum esse nescissent, neque ex hac fide justè piéque vixissent? Nam si propterea illis non profuit incarnatio Christi, quia nondum facta erat: nec nobis prodest judicium Christi de vivis & mortuis, quia nondum factum est. Si autem nos per hujus nondum facti, sed futuri judicii fidem stabimus ad dexteram Christi: profectò illi per incarnationis ejus tunc nondum factæ, sed futuræ fidem membra sunt Christi.

1. Cor. 15. 22. & 21.

* f. remotioribus.

1. Cor. 11. 3.

Profuit patribus etiã nondum facta Christi incarnatio.

CAPUT XXVII. Abrahami exemplo probat veteres justos fidem habuisse incarnationis Christi.

32. NEQUE enim putandum est, quòd antiquis justis sola quæ semper erat, divinitas Christi, non etiam quæ nondum erat, ejus humanitas revelata profuerit. Illud enim quod ait Dominus Jesus, Abraham concupivit diem meum videre, & vidit, & gavisus est: si diem suum voluit suum tempus intelligi, testimonium profectò perhibuit Abrahæ, quòd fide fuerit incarnationis ejus imbutus. Secundùm hanc enim habet tempus: divinitas verò ejus omne tempus excedit, quia per illam universa facta sunt tempora. Quod & si quisquam de die sempiterno accipiendum putaverit, qui nullo finitur crastino, nullo prævenitur hesterno, hoc est, de ipsa æternitate, in qua coæternus est Patri: quomodo id verè concupisceret Abraham, nisi ejus nosset futuram mortalitatem, cujus quæsivit æternitatem? Aut si ad hoc aliquis horum verborum sensum coartat, ut dicat, nihil intelligendum in eo quod ait Dominus, Quæsivit diem meum, nisi, Quæsivit me, qui sum dies permanens, hoc est, lumen indeficiens: velut cùm dicimus vitam Filii, de qua loquitur Evangelium dicens, Sic dedit & Filio vitam habere in semetipso: non aliud ipsum, aliud ejus vitam; sed eumdem ipsum Filium intelligimus vitam, qui dixit, Ego sum via, veritas & vita: & de quo dictum est, Ipse est verus Deus & vita æterna: ut hanc ejus æqualem Patri divinitatem videre cupierit Abraham, nequaquam incarnatione ejus præcognita, sicut eum nonnulli etiam philosophi quæsiverunt, qui nihil de ejus carne didicerunt: numquid & illud, quod jubet Abraham, ponere manum servum suum sub femore suo, & jurare per Deum cæli, aliter quisquam rectè intellecturus est, nisi Abraham scisse, in qua venturus esset Deus cæli, carnem de illo femore propagari?

Johan. 8. 56.

Johan. 5. 26.

Johan. 14. 6. 1. Johan. 5. 20.

Gen. 24. 2. Abraham cur servum manu sub femore posita, jurare voluit.

CAPUT XXVIII.

33. Cujus carnis & sanguinis, quando ipsum Abraham benedixit, Melchisedech etiam testimonium Christianis fidelibus notissimum protulit, ut tanto pòst Christo diceretur in Psalmis, quod nondum factum, sed adhuc futurum, eadem tamen ipsa & patrum quæ nostra est, fides una cantabat: Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. In Adam quippe invenientibus mortem, per hoc prodest Christus quòd est mediator ad vitam. Non autem per hoc mediator est, quòd æqualis est Patri: per hoc enim, quantum Pater, tantum & ipse distat à nobis: & quomodo erit medietas, ubi eadem ipsa distantia est? Ideo Apostolus non ait, Unus mediator Dei & hominum Christus Jesus: sed, homo Christus Jesus. Per hoc ergo mediator, per quod homo: inferior Patre per quod nobis propinquior; superior nobis per quod Patri propinquior: quod apertiùs ita dicitur, inferior Patre, quia in forma servi; superior nobis, quia sine labe peccati.

Gen. 14. 19.

Psal. 109. 4.

Per quid Christus mediator.

1. Tim. 2. 5.

Phil. 2. 7.

CAPUT XXIX.

34. QUAPROPTER quisquis humanam contendit in qualibet ætate naturam non indigere medico secundo Adam, quia non est vitiata in primo Adam, non in aliqua quæstione, in qua dubitari vel errari salva fide potest, sed in ipsa regula fidei qua Christiani sumus, gratiæ Dei convincitur inimicus. Quale est autem, quòd ab istis illa quæ antè fuit, velut adhuc minùs malis moribus vitiata, hominum laudatur natura; neque respiciunt tantis tamquam intolerabilibus peccatis homines tunc fuisse submersos, ut excepto uno homine Dei & ejus conjuge, tribusque filiis & totidem nuribus, justo judicio Dei, sicut igne postea terra exigua Sodomorum, ita totus mundus diluvio deleretur? Ex quo tempore igitur per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt, profectò universa massa perditionis facta est possessio perditoris. Nemo itaque, nemo prorsus inde liberatus est, aut liberatur, aut liberabitur nisi gratiâ Redemtoris.

Gen. 7. 7. & 19.

Ibidem 19. 24.

Rom. 5. 12.

CAPUT XXX.

35. ET ante Abraham quidem utrùm aliquo corporali & visibili sacramento justi, vel eorum parvuli signarentur, Scriptura non exprimit. Ipse tamen Abraham signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei. Et sic accepit, ut deinceps etiam omnes parvulos domûs suæ circumcidere juberetur, recentissimos à visceribus matrum, octavo die nativitatis eorum, ut etiam hi, qui corde ad justitiam credere nondum possent, justitiæ tamen fidei signaculum sumerent. Quod sub terrore tanto est imperatum, ut diceret Deus, animam illam de suo populo perituram, cujus octavo die præputii circumcisio facta non fuisset. Hujus tam horribilis pœnæ justitia si quæratur, nonne istorum omnis de libero arbitrio & laudabili sanitate & puritate naturæ, quantumlibet arguta sit argumentatio, repercussa & confracta dissiliet? Quid enim mali, quæso, parvulus propria voluntate commisit, ut alio negligente & eum non circumcidente, ipse damnetur, damnatione tam severa, ut pereat anima illa de populo suo? Neque enim temporalis mortis terror

Rom. 4. 11. Gen. 17. 10. & 14.

Circumcisio parvulorum cur sub tanti supplicii terrore præcepta.

Rom. 4. 11. Gen. 17. 14.

Perire de populo suo.

In Scripturis quid. Gen. 25. 17. 1. Mac. 2. 69.

incuſſus eſt; cùm de juſtis, quando moriebantur, tunc potiùs diceretur, Et appoſitus eſt ad populum ſuum, vel, appoſitus eſt ad patres ſuos: quoniam deinceps homini nulla tentatio formidatur, quæ illum ſeparet à populo ſuo, ſi populus ejus ipſe eſt populus Dei.

Caput XXXI. Platonicorum opinio de vita animæ ante corpus, rejicitur.

36. Quid ſibi ergo vult, pro nullo propriæ voluntatis admiſſo, tanta damnatio? Neque enim ſicut nonnulli ſecundùm Platonicos opinantur, hoc uniuſcujuſque infantis animæ redditur, quod ante iſtam vitam ſua voluntate commiſit, cùm haberet ante hoc corpus vel bene vel malè liberum vivendi arbitrium: cùm Paulus apoſtolus apertiſſimè dicat, nondum natos nihil egiſſe boni vel mali. (Rom. 9. 11.) Unde ergo rectè infans illa perditione punitur, niſi quia pertinet ad maſſam perditionis, & juſtè intelligitur ex Adam natus, antiqui debiti obligatione damnatus, niſi inde fuerit, non ſecundùm debitum, ſed ſecundùm gratiam liberatus? Quam gratiam, niſi gratiam Dei, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum? Quem profectò inter cetera veterum ſacramenta etiam ipſa præputii circumciſio prophetavit. (Circumciſio, gratiæ Chriſti prophetia.) Dies enim octavus eſt in hebdomadarum recurſibus dies Dominicus, quo reſurrexit Dominus: & petra erat Chriſtus (1. Cor. 10. 4.); unde circumciſionis cultellus petrinus; & caro præputii, corpus peccati (Rom. 6. 6.).

Caput XXXII.

37. Mutatis proinde ſacramentis, poſtea quàm venit qui eis ſignificabatur eſſe venturus, non tamen mutato mediatoris auxilio, qui etiam prius quàm veniſſet in carne, antiqua ſua membra liberabat ſuæ incarnationis fide, & nos cùm eſſemus mortui delictis & præputio carnis noſtræ, convivificati ſumus Chriſto (Coloſſ. 2. 13. & 11.), in quo circumciſi ſumus circumciſione non manu facta, quam figurabat circumciſio manu facta; ut evacuaretur corpus peccati (Rom. 6. 6.), cum quo ſumus ex Adam nati. Damnatæ originis propagatio nos damnat, niſi mundemur ſimilitudine carnis peccati (Rom. 8. 3.), in qua miſſus eſt ſine peccato, qui tamen de peccato damnavit peccatum, factus pro nobis peccatum (Gal. 3. 13.). Unde dicit Apoſtolus: Obſecramus pro
» Chriſto, reconciliamini Deo: eum qui non no-
» verat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut
» nos ſimus juſtitia Dei in ipſo (2. Cor. 5. 20.). Deus ergo, cui reconciliamur, fecit eum pro nobis peccatum, id eſt, ſacrificium per quod dimitterentur noſtra peccata: quoniam peccata vocantur ſacrificia pro peccatis. (Chriſtus quomodo appellatus Peccatum.) Et utique ipſe pro peccatis noſtris immolatus eſt, nullum habens vitium, ſolus in hominibus quale quærebatur etiam tunc in pecoribus, quo ſignificabatur unus ſine vitio ad vitia ſananda venturus. Quocumque igitur die ſuæ nativitatis infans baptizetur in Chriſto, tamquam octavo circumciditur die: quoniam in illo circumciditur, qui tertio quidem ex quo crucifixus eſt, ſed octavo in hebdomadibus reſurrexit die. Circumciditur autem in exſpoliationem corporis carnis (Coloſſ. 2. 11.), id eſt, ut debitum, quod contagio carnalis generationis adtraxit, gratia ſpiritalis regenerationis abſolvat. Nullus enim eſt mundus à ſorde, (qua obſecro ſorde, niſi peccati?) nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram (Job 14. ſec. LXX.).

Caput XXXIII. Originale peccatum non facit nuptias malas.

38. Sic autem argumentantur, dicentes: *Ergo malum ſunt nuptiæ, & non eſt opus Dei homo quem generant nuptiæ?* Quaſi nuptiarum bonum ſit morbus concupiſcentiæ, in quo uxores diligunt, qui ignorant Deum, quod Apoſtolus prohibet (1. Theſ. 4. 5.); ac non potiùs pudicitia conjugalis, qua in bonos uſus ordinatè filios procreandi redigitur libido carnalis: (Pudicitia conjugalis bonum nuptiarum.) aut verò poſſit eſſe homo niſi opus Dei, non ſolùm qui de conjugio, verùm etiam qui de fornicatione, vel de adulterio procreatur. Sed in hac quæſtione, ubi quæritur, non cui rei creator, ſed cui ſalvator ſit neceſſarius, non intuendum eſt quid boni ſit in procreatione naturæ, ſed quid in peccato mali, quo certum eſt vitiatam eſſe naturam. Simul autem utrumque propagatur, & natura, & naturæ vitium; quorum eſt unum bonum, alterum malum. Illud de conditoris largitate ſumitur, hoc de [a] originis damnatione adtrahitur: illi eſt cauſſa bona voluntas Dei ſummi, huic mala voluntas hominis primi: illud indicat Deum creaturæ inſtitutorem, hoc indicat Deum inobedientiæ punitorem: denique idem ipſe Chriſtus propter illud creandum factor eſt hominis, propter hoc ſanandum factus eſt homo.

Caput XXXIV. Tria conjugii bona.

39. Bonum ergo ſunt nuptiæ in omnibus quæ ſunt propria nuptiarum. Hæc autem ſunt tria, generandi ordinatio, fides pudicitiæ, connubii ſacramentum. Propter ordinationem generandi ſcriptum eſt: Volo juniores nubere, filios procreare, matres-familias eſſe (1. Tim. 5. 14.). Propter fidem pudicitiæ: Uxor non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier (1. Cor. 7. 4.). Propter connubii ſacramentum: Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet (Matth. 19. 6.). De quibus in aliis opuſculis noſtris, quæ vobis non ſunt incognita, quantum Domino adjuvante potuimus, ſatis nos diſſeruiſſe meminimus (De bono conjugali, cap. 3. & ſequentibus.). Propter hæc omnia, honorabiles nuptiæ in omnibus, & thorus immaculatus (Hebr. 13. 4.). In quantum enim nuptiæ bonæ ſunt, in tantum faciunt plurimum boni etiam de libidinis malo: quoniam libidine non bene utitur libido, ſed ratio. Libido eſt autem [b] in illa, quam notat Apoſtolus, repugnante legi mentis, inobedientium lege membrorum (Libido. Rom. 7. 23.): ratio verò bene utens libidine, ipſa eſt in lege nuptiarum. Nam ſi nullum de malo bonum fieri poſſet, nec Deus ex adulterino concubitu hominem conderet. (De malo bonum.) Sicut ergo adulterii damnabile malum, quando & inde homo naſcitur, non imputatur Deo, qui certè in opere hominum malo facit ipſe opus bonum: ita quidquid eſt pudendum in membrorum illa inobedientia, de qua erubuerunt, qui poſt peccatum foliis ficulneis eadem membra texerunt (Gen. 3. 7.), non nuptiis imputatur, propter quas concubitus conjugalis non ſolùm eſt licitus, verùm etiam utilis & honeſtus; ſed imputatur peccato inobedientiæ, cujus hæc pœna eſt conſecuta, ut homo inobediens Deo, ſua quoque ſibi inobedientia membra ſentiret: (Unde in corporis noſtri membris verecundia.) de quibus erubeſcens, quòd non ad arbitrium voluntatis ejus, ſed ad libidinis incentivum velut arbitrio proprio moverentur, quæ pudenda judicavit, operienda curavit. Non enim confundi debuit homo de opere Dei, aut ullo modo fue-

[a] Omnes MSS. *de origine damnationis.*

[b] Ita Gallicani MSS. Editio Lov. omittit *in*: poſtea cum Am. & Er. ſic habet, *quam vocat Apoſtolus repugnantem legi mentis, inobedientium lege membrorum.* Non malè, ſi modò corrigas, *legem membrorum.*

rant creato erubeſcenda, quæ inſtituenda viſa A ſunt Creatori. Itaque nec Deo nec homini illa ſimplex nuditas diſplicebat, quando nihil erat pudendum, quia nihil præceſſerat puniendum.

Caput XXXV. Nuptiæ & ante peccatum.

Gen. 1. 28.

Dei benedictio quid in primis parentibus operata.

40. Essent autem procul dubio nuptiæ etiam non præcedente peccato, quia neque ob aliam cauſſam viro adjutorium, non alius vir, ſed femina facta eſt. Et illa Dei verba, Creſcite, & multiplicamini: non eſt damnandorum prædictio peccatorum, ſed fecundatarum benedictio nu- B ptiarum. His enim Deus ineffabilibus ſuis verbis, id eſt, divinis rationibus in ſuæ ſapientiæ, per quam facta ſunt omnia, veritate viventibus vim ſeminis indidit primis hominibus. Si autem peccato non fuiſſet dehoneſtata natura, abſit ut opinemur tales futuras fuiſſe nuptias in paradiſo, ut in eis ad prolem ſeminandam non [a] nutu voluntatis, ſicut pes ad ambulandum, manus ad operandum, lingua ad loquendum; ſed æſtu libidinis membra genitalia moverentur. Nec ſicut C nunc fit, virginitatis integritas ad concipiendos fetus vi turbidi [b] vitiaretur ardoris, ſed obſequeretur imperio tranquilliſſimæ caritatis: & eo modo non eſſet dolor & cruor virginis concumbentis, quomodo non eſſet etiam matris gemitus parientis. Hæc ideo non creduntur, quia in iſta mortalitatis conditione inexperta ſunt. In deterius quippe vitio mutata natura, non invenit primæ illius puritatis exemplum. Sed fidelibus loquimur, qui noverunt credere divinis eloquiis, D etiam nullis adhibitis expertæ veritatis exemplis. Quomodo enim nunc oſtendam ſine ullis parentibus de pulvere hominem factum, eique de ſuo latere conjugem? Et tamen quod oculus jam non invenit, fides credit.

Gen. 2. 7. & 21.

Caput XXXVI. Libido & labor pariendi ex peccato.

41. Sic ergo & primarum nuptiarum ſine libidinis paſſione tranquillitas, & motus genitalium ſicut aliorum membrorum, non ad effrenati caloris incitamentum, ſed ad voluntatis arbitrium, (quales nuptiæ perſeveraſſent, ſi peccati E non interveniſſet opprobrium,) nunc oſtendi non poteſt: ſed ex iis quæ divina auctoritate conſcripta ſunt, non immeritò credi poteſt. Sic enim modò non invenio ſine pruriente libidine concumbentem, ſicut non invenio ſine dolore & gemitu parturientem, ſine futura morte naſcentem: & tamen ſecundùm ſcripturarum ſanctarum veritatem, gemitus parturientis & mors hominis non fuiſſent, ſi peccatum non præceſſiſſet. Sic nec illud unde erubuerunt, qui membra illa F texerunt: quia & hoc in eiſdem ſanctis litteris præcedente peccato ſcriptum eſt conſecutum. Membra quippe illa niſi indecens motus oculis eorum, non utique clauſis, ſed in hoc non apertis, hoc eſt, non adtentis, animadvertenda nuntiaſſet; nihil in ſuo corpore, quod utique totum Deus laudabile fecerat, pudendum velandumque ſenſiſſent: quia niſi præiſſet facinus, quod inobedientia eſt auſa committere, non ſequeretur dedecus, quod verecundia vellet abſcon- G dere.

Gen. 3. 7.

Membra unde pudenda.

Caput XXXVII. Malum libidinis nuptiis non imputandum.

42. Clarum eſt igitur, hoc non eſſe nuptiis imputandum, quod etſi non eſſet, nuptiæ tamen eſſent: quarum bonum non aufertur iſto malo, ſed ab eis & hoc malum in uſum vertitur bonum. Verùm quia jam iſta conditione mortalium, nunc ſimul aguntur concubitus & libido; eo fit, ut cùm libido reprehenditur, etiam nuptialis concubitus licitus & honeſtus reprehendi putetur ab eis, qui nolunt diſcernere iſta vel neſciunt. Nec adtendunt illud eſſe nuptiarum bonum, unde glorientur nuptiæ, id eſt, proles, pudicitia, ſacramentum; illud autem non eſſe nuptiarum, ſed carnalis concupiſcentiæ malum, de quo erubeſcunt & nuptiæ. Sed quia ſine illo malo fieri non poteſt nuptiarum bonum, hoc eſt, propagatio filiorum; ubi ad hujuſmodi opus venitur, ſecreta quæruntur, arbitri removentur, filiorum quoque ipſorum, ſi jam inde aliqui nati ſunt, præcùm per ætatem ſentire iſta jam cœperint, præſentia devitatur: atque ita nuptiæ ſinuntur exercere quod licet, ut non negligant occultare quod dedecet. Hinc eſt quòd infantes etiam qui peccare non poſſunt, non tamen ſine peccati contagione naſcuntur, non ex hoc quod licet, ſed ex eo quod dedecet. Nam ex hoc quod licet, natura naſcitur; ex illo quod dedecet vitium. Naturæ naſcentis eſt auctor Deus, qui hominem condidit, & qui virum ac feminam nuptiali jure conjunxit: vitii verò auctor eſt diaboli decipientis calliditas, & hominis conſentientis voluntas.

Tria nuptiarum bona, proles, pudicitia, ſacramentum.

Originis vitium ex carnali concupiſcentia.

Caput XXXVIII. Nondum natus in radice damnatus.

43. Ubi nihil Deus fecit, niſi quòd hominem voluntate peccantem, juſto judicio cum ſtirpe damnavit: & ideo ibi quidquid etiam nondum erat natum, meritò eſt in prævaricatrice radice damnatum: in qua ſtirpe damnatâ tenet hominem generatio carnalis, unde ſola liberat regeneratio ſpiritalis. Ideo regeneratis parentibus, ſi tamen in eadem gratia perſeveraverint, procul dubio iſta propter remiſſionem peccatorum, quæ in eis facta eſt, non nocebit, niſi cùm eâ malè utuntur, non ſolùm in omnibus illicitis corruptelis, verùm etiam in ipſis conjugibus, quando non propagandi voluntate operam creandis filiis impendunt, ſed laſciviendi voluptate exſaturandæ cupidini inſerviunt. Quod propter vitandas fornicationes maritis & uxoribus ne fraudent invicem, niſi ex conſenſu ad tempus, ut orationibus vacent, ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium, concedit Apoſtolus. Evidenter quippe dum tribuit veniam, denotat culpam. Nuptialis autem concubitus, quem matrimoniales quoque indicant tabulæ, cauſsâ procreandorum fieri filiorum, per ſe ipſum prorſus, non in comparatione fornicationis, eſt bonus: qui tametſi propter corpus mortis, quod nondum eſt reſurrectione renovatum, ſine quodam beſtiali motu, de quo natura erubeſcit humana, non poteſt fieri; tamen ipſe concubitus non eſt peccatum, ubi ratio libidine utitur ad bonum, non ſuperatur ad malum.

Uſus matrimonii propter ſolam voluptatem non ſine venia culpa.

Caput XXXIX.

44. Obesset iſta carnis concupiſcentia, etiam tantummodo quòd ineſſet, niſi peccatorum remiſſio ſic prodeſſet, ut quæ *in eis eſt, & nato, & renato, nato quidem & ineſſe & obeſſe, renato autem ineſſe quidem, ſed non obeſſe poſſit. In tantum enim obeſt natis, ut niſi renaſcantur, nihil poſſit prodeſſe, [c] ſi nati ſunt de renatis.

*ſ. ineſt.

[a] Editi & MSS. *non naturâ voluntatis.* Emendantur hîc ex libro 1. de nuptiis & concup. c. 6.

[b] Victorinus MS. & Vaticanus, *incitaretur.*

[c] Vatic. MS. *quòd nati.* fortè leg. *etſi nati.*

[a] tis. Manet quippe in prole, ita ut [a] ream faciat, originis vitium; etiam si in parente reatus ejusdem vitii remissione [b] ablutus est peccatorum, donec omne vitium cui consentiendo peccatur, regeneratione novissima consumatur: id est, ipsius etiam renovatione carnis, quæ in ejus resurrectione futura promittitur, ubi non solùm nulla peccata faciamus, sed nec habeamus ulla desideria vitiosa, quibus consentiendo peccemus: ad quam beatam perfectionem hujus, quod nunc datur, sancti lavacri gratiâ pervenitur. Qua enim regeneratione spiritûs modò fit ut peccata omnia præterita remittantur, ejus merito fiet etiam regeneratio carnis in æternam vitam, qua in ipsa carne incorruptibiliter resurgente peccatorum omnium incitamenta sanentur. Sed ea salus adhuc in spe facta est, non tenetur in re; neque possidetur per præsentiam, sed exspectatur per patientiam. * Ac per hoc non solùm peccata omnia, quorum nunc remissio fit in baptismo, quæ reos faciunt, dum desideriis vitiosis consentitur atque peccatur; verùm etiam ipsa desideria vitiosa, quibus si non consentitur, nullus peccati reatus contrahitur, quæ non in ista, sed in alia vita nulla erunt, eodem lavacro baptismatis universa purgantur.

Plena per resurrectionem renovatio, baptismi est effectus.

** Caput XL.*

45. Reatus itaque vitii ejus de quo loquimur, in regeneratorum prole carnali tamdiu manebit, donec & illic lavacro regenerationis abluatur. Regeneratus quippe non regenerat filios carnis, sed generat; ac per hoc in eos non quod regeneratus, sed quod generatus est, trajicit. Sic igitur, sive reus infidelis, sive absolutus fidelis, non [c] generat absolutos uterque, sed reos: quomodo non solùm oleastri, sed etiam oleæ semina non oleas generant, sed oleastros. Sic itaque in damnatione hominem prima nativitas tenet, unde nisi secunda non liberat. Tenet ergo diabolus, liberat Christus: tenet deceptor Evæ, liberat filius Mariæ: tenet qui per conjugem venit ad virum, liberat qui de conjuge natus est, quæ non pertulit virum: tenet qui caussam libidinis intulit feminæ, liberat qui sine libidine est conceptus in femina. Omnes ille prorsus per unum tenere potuit, nec ab ejus dominatione liberat nisi unus, quem tenere non potuit. Denique ipsa Ecclesiæ sacramenta, quæ tam priscæ traditionis auctoritate [d] concelebrat, ut ea isti, quamvis in parvulis existiment simulatoriè potiùs quàm veraciter fieri, non tamen audeant aperta improbatione respuere: ipsa, inquam, sanctæ Ecclesiæ sacramenta satis indicant, parvulos à partu etiam recentissimos per gratiam Christi de diaboli servitio liberari. Excepto enim quòd in peccatorum remissionem, non fallaci, sed fideli mysterio baptizantur, etiam priùs exorcizatur in eis & exsufflatur potestas contraria; cui etiam verbis eorum à quibus portantur, se renuntiare respondent. Quibus omnibus rerum occultarum sacratis & evidentibus signis, à captivatore pessimo ad optimum redemtorem transire monstrantur; qui pro nobis infirmitate suscepta, alligavit fortem, ut vasa ejus eriperet: quia infirmum Dei non solùm est hominibus, verùm & angelis for-

Hominis liberatio ipsius captivitatis modo conveniens.

Exorcismus, exsufflatio & renuntiatio satanæ in baptismi cæremoniis.

Matth. 12. 29.

1. Cor. 1. 25.

A tius. Liberans itaque Deus pusillos cum magnis, in utrisque ostendit quod locuta est per Apostolum Veritas. Non enim solos ætate majores, sed etiam pusillos eruit à potestate tenebrarum, ut transferat in regnum Filii caritatis suæ. *Coloss. 1. 13.*

46. Nec quisquam miretur, & dicat, *Cur hoc creat bonitas Dei, quod possideat malignitas diaboli?* Hoc enim suæ creaturæ seminibus ex illa bonitate largitur, qua etiam facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & in- *Matth. 5. 45.*
B justos. Hac quippe bonitate etiam ipsa semina benedixit, vel benedicendo constituit: quam benedictionem naturæ laudabili culpa damnabilis non ademit. Quæ licèt per Dei punientis justitiam valuerit, ut homines cum peccati originalis vitio nascerentur: non tamen valuit, ut homines non nascerentur. Sicut in ipsis ætate majoribus quælibet vitia peccatorum non ex homine hominem tollunt; sed permanet Dei opus bonum, in quantiscumque malis operibus impio-
C rum. Nam etsi homo in honore positus, & non intelligens, comparatur pecoribus, eisque similis fit: non tamen usque adeo similis fit, ut pecus sit. Comparatur namque per vitium, non per naturam; non pecoris vitio, sed naturæ. Tantæ namque excellentiæ est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris: nec tamen ideo natura hominis in naturam vertitur pecoris. Ac per hoc Deus hominem
D damnat propter vitium, quo natura dehonestatur; non propter naturam, quæ vitio non aufertur. Bestias verò absit ut opinemur pœnæ damnationis obnoxias, quas justum est ut miseriæ sint expertes, quæ nec beatitudinis possunt esse participes. Quid ergo mirum est vel iniquum, ut immundo spiritui subdatur homo, non propter naturam, sed propter immunditiam suam, quam non ex opere divino, sed ex humana voluntate venientem in originis labe contraxit: cùm & ipse
E spiritus immundus, bonum sit, quòd spiritus; malum, quòd immundus? Illud quippe est ex Dei opere, hoc ex propria voluntate. Natura itaque fortior, id est, angelica, inferiorem naturam, id est, humanam, vitii societate subditam tenet. Ideo mediator angelis fortior, infirmus propter homines factus est: sic superbia captivatoris, redemtoris humilitate destruitur; ut qui super filios [e] hominis angelica fortitudine gloriatur, à Filio Dei suscepta humana infirmitate vin-
F catur.

Difficultas contra peccatum originis.

Psal. 48. 13.

Vitium hominis natura est pecoris.

2. Cor. 8. 9.

Caput XLI.

47. Sed jam etiam istum conclusuri librum, oportere arbitramur, ut Ambrosium antistitem Dei, cujus inter Latinæ linguæ scriptores ecclesiasticos præcipuè * Pelagius integerrimam fidem prædicat, sicut de gratia fecimus, ita & de peccato originali, in quo delendo ipsa gratia evidentiùs commendatur, calumniosæ istorum loquacitati respondere faciamus. In eo opere quod scripsit de resurrectione sanctus Ambrosius, *Lapsus*
G *sum*, inquit, *in Adam, de paradiso ejectus in Adam, mortuus in Adam:* [f] *quem non revocat nisi me in Adam invenerit, ut in illo culpæ obnoxium, morti debitum, ita in Christo justificatum.* Item scribens contra Novatianos ait, *Omnes homines sub peccato nasci-*

** V. lib. de gratia Christi c. 43.*

Ambrosii pro originali peccato sententiæ.

Lib. de fide resurrectionis

Lib. 1. de pœnitentia. c. 2. vel 3.

[a] Sic MSS. Sigiram. & Casal. Alii cum editis, *reatum faciat.*
[b] Duo MSS. *absolutus est.*
[c] Editi, *regenerat.* Meliùs hoc loco MSS. *generat.*
[d] Vatic. MS. *concelebrant:* non malè, cùm ad Pelagianos refertur.

[e] Vatic. cod. *filios hominum.*
[f] Sic MSS. At editi, *Quem revocaret:* minùs benè. Apud Ambrosium, *Quemodo revocet.*

mur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes le-
Psal. 50. 7. *ctum dicente David, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Ideo Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait,*
Rom. 7. 24. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Christi autem caro damnavit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit; ut in carne nostra esset justificatio per gratiam, ubi erat antè colluvio per culpam.* Item idem ipse cùm exponeret Isaiam prophetam loquens de Christo, *Ideo*, inquit, *& quasi homo per universa tentatus est, & in similitudine hominum cuncta sustinuit: sed quasi de Spiritu natus abstinuit à peccato. Omnis enim homo mendax; & nemo sine peccato, nisi unus Deus. Servatum est igitur, ut ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers est delicti, expers est etiam hujusmodi conceptionis.* Item cùm exponeret Evangelium secundùm Lucam: *Non enim virilis coitus*, inquit, *vulvæ virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus-sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partûs novitate non senserit, & cælesti majestate depulerit.*

Ambrosii opus in Isaiam, non exstat.

Hebr. 4. 15.

Psal. 115. 2.

Lib. 2. n. 56. ad illud cap. 2. Omne mascu- linum ada- periens vulvam.

48. His tamen verbis hominis Dei, quem tanto præconio ipse laudavit Pelagius, contradicit, & dicit, *sicut sine virtute, ita nos sine vitio procreari.* Quid igitur restat, nisi aut istum Pelagius suum damnet errorem, aut eum sic Ambrosium laudasse pæniteat? Sed quia ista secundùm catholicam fidem beatus Ambrosius, ut episcopus catholicus, est locutus; sequitur ut ab hac via fidei devius meritò Pelagius cum Cælestio discipulo suo catholicæ Ecclesiæ sit auctoritate damnatus, nisi eum non Ambrosium laudasse, sed contra Ambrosium sensisse pæniteat. Scio vos ea quæ ad ædificationem vel confirmationem fidei conscribuntur, insatiabiliter legere: verumtamen hic liber, quantumlibet sit ad hoc utilis, jam tandem aliquando finiendus est.

Suprà cap. 13.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTES LIBROS DE NUPTIIS ET CONCUPISCENTIA.

DUOS ad Valerium Comitem libros cùm recenseret Augustinus, eos responsioni ad Arianorum Sermonem, quæ post Gesta cum Emerito locata est, proximè subjunxit. Hæc porrò Gesta consignantur anno Christi 418. die 20. Septembris. Quapropter subsequentium librorum, saltem priorem aut hoc ipso anno 418. labente, aut incipiente 419. scriptum fuisse nulli dubitamus. Enim verò de priore isto libro ipse Augustinus in libro 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 5. dicit, Librum autem meum, contra quem se quatuor libellis respondisse commemorat, post damnationem Pelagii Cælestiique conscripsi. Quod ideo dicendum, *inquit*, putavi, quoniam iste dicit ab inimicis suis in odium veritatis dicta mea fuisse suscepta; ne ideo quisquam existimet, propter hunc librum meum inimicos gratiæ Christi novos hæreticos fuisse damnatos. *Quibus ex verbis facilè intelligas, priorem hunc librum, damnatis anno 418. Pelagianis, in lucem sub idem ferè tempus prodiisse.*

Liber, mox ut prodiit, palam reprehendi cœpit à Pelagianis, qui ejus lectione Catholicorum animos in odium illorum hæresis commoveri intelligebant. Inter eos Iulianus Pelagianæ hæresis sublevandæ studio ardens, quatuor libris unum illum Augustini statim aggressus est. De his Iuliani libris nonnulla decerpsit quispiam, & decerpta Comiti Valerio misit. Valerius Ravennâ Romam ad Alypium perferenda curavit, ut ipse in Africam reversus, præter litteras quibus gratias ob librum priorem sibi nuncupatum agebat idem Valerius, etiam excerpta illa quantocius refellenda Augustino traderet. Hæc Augustinus ex opere Iuliani collecta esse statim persensit: & quamquam magis vellet illis non antè respondere, quàm integrum opus unde fuerant desumta, accepisset, tamen sibi festinandum existimavit, ut Valerio Comiti satisfaceret. His ergo nullâ interpositâ morâ respondens, alterum sub eadem inscriptione de nuptiis & concupiscentia *librum composuit; quem anno Christi 420. adscribendum arbitramur: quippe cùm eum confestim post acceptas de priore libro gratiarum actiones scripserit sanctus Doctor, nec videatur veri simile, Valerium, ut hanc grati animi significationem testaretur, totos duos annos aut plures exspectasse.*

Valerius autem ille, quem Illustris *&* Comitis *titulo Augustinus exornat, negotiis publicis implicabatur, non forensibus illis quidem, sed bellicis. Unde non facilè adducimur, ut cum Viro erudito ipsum illum esse existimemus, qui fuit Comes rei privatæ anno 425. Consul an. 432. denique magister officiorum sub Theodosio juniore an. 435. Etenim nec ea munera pertinebant ad militiam, nec præfectis Theodosianis quidquam erat cum Honorianis commune.*

Libri II. Retractationum Caput LIII.

SCripſi duos libros ad illuſtrem virum Comitem Valerium, cùm audiſſem Pelagianos ei neſcio quid ſcripſiſſe de nobis, quòd ſcilicet nuptias damnaremus aſſerendo originale peccatum: quorum librorum titulus eſt, *De nuptiis & concupiſcentia.* Bonitatem quippe defendimus nuptiarum, ne putaretur earum eſſe vitium concupiſcentia carnis, & lex in membris repugnans legi mentis: quo malo libidinis bene utitur ad filios procreandos pudicitia conjugalis. Ut autem duo libri eſſent, primus venit in Juliani Pelagiani manus, & ſcripſit adversùs eum libros quatuor, ex quibus quidam nonnulla decerpſit, & Comiti Valerio miſit; ille verò ad nos: quæ cùm accepiſſem, alio libro ad eadem ipſa reſpondi. Hujus operis primus liber ſic incipit: *Hæretici novi, dilectiſſime fili Valeri.* Secundus autem ſic: *Inter militiæ tuæ curas.*

Rom. 7. 23.

EPISTOLA *

** Eſt CC. inter Auguſtinianas, tom. 2.*

AD VALERIUM COMITEM,

Cui Auguſtinus tranſmittit nuncupatum ipſi librum primum de nuptiis & concupiſcentia.

Domino illuſtri & meritò præſtantiſſimo atque in Chriſti dilectione cariſſimo filio VALERIO, AUGUSTINUS in Domino ſalutem.

CUM diu moleſtè haberem quòd aliquotiens ſcripſerim, & nulla tuæ ſublimitatis reſcripta meruerim, repentè epiſtolas tres tuæ benignitatis accepi, unam non ad me ſolum datam per coëpiſcopum meum Vindemialem, & non longè pòſt per compreſbyterum Firmum duas, qui vir ſanctus, nobiſque, ut ab illo ſcire potuiſti, familiariſſima caritate conjunctus, multa nobiſcum de tua excellentia colloquendo, & veraciter inſinuando, qualem te in Chriſti viſceribus noverit, non ſolùm eas quas memoratus epiſcopus, vel quas ipſe adtulit, ſed etiam illas quas non accepiſſe querebamur, litteras vicit. Et ideo de te narratio ejus ſuavior nobis erat, quia ea dicebat, quæ ipſe non poſſes, ne quidem me inquirente reſcribere, ne tuarum laudum, quod ſancta ſcriptura prohibet, fieres prædicator. Quamquam & ego verear hæc ad te ſcribere, ne ſuſpicionem adulantis incurram, Domine illuſtris & meritò præſtantiſſime atque in Chriſti dilectione cariſſime fili.

Prov. 27. 2.

2. Laudes itaque tuas in Chriſto, ſive magis in te laudes Chriſti, vide quid mihi delectationis & lætitiæ fuit audire ab illo, qui nec fallere me poſſet, propter fidem ſuam; & eas ignorare non poſſet, propter amicitiam tuam. Sed alia & ab aliis, etſi non tam multa vel certa, verumtamen audivimus, fides tua quàm ſit ſana & catholica, quàm pia exſpectatio futurorum, quæ Dei fratrumque dilectio, quàm non ſuperbè ſapias in excelſis honoribus, nec ſperès in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, & dives ſis in operibus bonis; quàm ſit domus tua requies ſolatiumque ſanctorum, & terror impiorum; quanta tibi cura ſit, ne quis inſidietur membris Chriſti, coopertus velamine nominis Chriſti, ſive in veteribus ejus, ſive in recentioribus inimicis; quámque ſis eorumdem inimicorum providus ſaluti, infeſtus errori. Hæc atque hujuſmodi, ut dixi, & ab aliis ſolemus audire: ſed nunc ea per ſuprà dictum fratrem plura & teſtatiora cognovimus.

1. Tim. 6. 17.

3. Porrò autem de pudicitia conjugali, ut eam quoque in te laudare & amare poſſimus, numquid audiremus, niſi ab aliquo interiore familiari tuo, qui vitam tuam, non in ſuperficie, ſed penitus noſſet? De hoc itaque tuo bono Dei dono, me quoque delectat familiariùs, & aliquanto diutiùs loqui tecum. Scio me non eſſe oneri tibi, ſi aliquid prolixum mitto, quod legendo diutiùs ſis nobiſcum. Nam & hoc comperi, quòd inter tuas multas magnaſque curas facilè ac libenter legas, noſtriſque opuſculis, etiam quæ ad alios conſcripſimus, ſi qua in manus tuas venire potuerunt, admodum delecteris: quanto magis quod ad te ſcribitur, ubi tamquam præſenti loquar, & advertere dignaberis adtentiùs, & accipere gratiùs? Ab hac ergo epiſtola perge ad librum, quem ſimul miſi, qui tuæ reverentiæ & cur conſcriptus ſit, & cur ad te potiſſimùm miſſus, ipſe ſuo principio commodiùs intimabit.

S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, DE NUPTIIS ET CONCUPISCENTIA AD VALERIUM COMITEM, LIBRI DUO.

LIBER * PRIMUS.

* Scriptus circiter initium anni 419.

Nuptiarum propria & naturalia bona exponit. In illis bonis non computandam carnis concupiscentiam probat: hanc enim omnino esse malum, quod non de nuptiarum natura venit, sed ex antiquo peccato nuptiis accidit: quo tamen malo nuptiæ bene utuntur ad liberorum procreationem. Propter hanc verò concupiscentiam fieri, ut etiam de legitimis nuptiis filiorum Dei, non filii Dei, sed filii sæculi nascantur, qui peccati vinculo, licèt ab eo per gratiam liberatis parentibus, obstricti sunt, atque sub diaboli potestate captivi, nisi eâdem similiter Christi gratiâ liberentur. Explicat quomodo concupiscentia in baptizatis maneat actu, non reatu. Baptismi sanctitate non hunc tantummodo originalem reatum, sed peccata alia & omnia prorsus hominum mala auferenda esse docet. Tandem concupiscentiæ malum à nuptiarum bonitate distinguendum esse, Ambrosii auctoritate confirmat.

Caput I. De hujus operis argumento.

HÆRETICI novi, dilectissime fili Valeri, qui medicinam Christi, qua peccata sanantur, carnaliter natis parvulis necessariam non esse contendunt, damnatores nos esse nuptiarum, operisque divini quo ex maribus & feminis Deus homines creat, invidiosissimè clamitant: quoniam dicimus eos, qui de tali commixtione nascuntur, trahere originale peccatum, de quo Apostolus ait, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*: (Rom. 5. 12.) eosque de parentibus qualibuscumque nascantur, non negamus adhuc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo, & per ejus gratiam de potestate eruti tenebrarum, in regnum illius, (Col. 1. 13.) qui ex eadem sexûs utriusque commixtione nasci noluit, transferantur. Hoc ergo quia dicimus, quod antiquissimâ atque firmissimâ catholicæ fidei regulâ continetur, isti novelli & perversi dogmatis assertores, qui nihil peccati esse in parvulis dicunt, quod lavacro regenerationis abluatur, tamquam damnemus nuptias, & tamquam opus Dei, hoc est, hominem qui ex A illis nascitur, opus diaboli esse dicamus, infideliter vel imperitè calumniantur. Nec advertunt, quòd ita nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari; sicut adulteriorum & fornicationum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari. Nam sicut peccatum, sive hinc, sive inde à parvulis trahatur, opus est diaboli: sic homo, sive hinc, sive inde nascatur, opus est Dei. Intentio igitur hujus libri hæc est, ut quantum nos Dominus adjuvare B dignatur, carnalis concupiscentiæ malum, propter quod homo, qui per illam nascitur, trahit originale peccatum, discernamus à bonitate nuptiarum. Hæc enim, quæ ab impudentibus impudenter laudatur, pudenda concupiscentia nulla esset, nisi homo antè peccasset: nuptiæ verò essent, etiam si nemo peccasset: fieret quippe sine isto morbo seminatio filiorum in corpore vitæ illius, sine quo nunc fieri non potest in corpore mortis hujus. (Rom. 7. 24.)

Caput II. Cur opus ad Valer. scripserit.

C 2. Cur autem ad te potissimùm de hac re scribere voluerim, tres maximæ caussæ sunt, quas breviter intimabo. Una est, quia donante Christo, magna tibi est observantia pudicitiæ conjugalis.

Altera, quia profanis istis novitatibus, quibus hîc disputando resistimus, tu potestate curando & instando efficaciter restitisti. Tertia, quoniam quiddam litterarum ab eis conscriptum in tuas manus venisse cognovi: quod licèt fide robustissima irriseris; bonum est tamen, ut etiam noverimus defendendo adjuvare quod credimus. Apostolus enim Petrus, *paratos nos esse* præcipit *ad* [a] *satisfactionem omni poscenti nos rationem de* [b] *fide & spe nostra*. Et apostolus Paulus, *Sermo*, inquit, *vester in gratia conditus sit sale, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere*. Ista sunt quæ me præcipuè compulerunt, ut in hoc volumine tecum haberem, qualem Dominus dignaretur donare, sermonem. Nam mihi numquam placuit cuiquam illustri viro, & tantâ quantâ es ipse sublimitate conspicuo, præsertim non otiosa dignitate jam fruenti, sed adhuc actibus publicis eisdemque militaribus occupato, aliquid meorum opusculorum legendum non à me petenti, non tam diligenter, quàm impudenter impingere. Si quid ergo tale nunc feci propter eas quas commemoravi caussas, dignanter ignosce, & benevolum animum ad ea quæ sequuntur intende.

1. Pet. 3. 15.

Coloss. 4. 6.

Caput III. Pudicitia conjugalis donū Dei.

1. Cor. 7. 7.

3. Donum Dei esse etiam pudicitiam conjugalem, beatissimus Paulus ostendit, ubi de hac re loquens ait: *Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum; sed unusquisque proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius verò sic*. Ecce & hoc donum esse dixit à Deo; etsi inferius quàm illa continentia, in qua omnes volebat esse sicut se ipsum, tamen donum à Deo. Unde intelligimus, cùm hæc præcipiuntur ut fiant, nihil aliud ostendi, quàm inesse nobis oportere ad hæc accipienda & habenda etiam propriam voluntatem. Cùm verò Dei dona esse monstrantur, à quo petenda sint, discitur, si non habentur; & cui sint agendæ gratiæ, si habentur; nostrasque voluntates ad hæc expetenda, sumenda, retinenda parum valere, nisi divinitus adjuventur.

De infidelium pudicitia difficultas. V. lib. 4. contra Julian. c. 3.

Rom. 14. 23.

4. Quid ergo dicimus, quando & in quibusdam impiis invenitur pudicitia conjugalis? utrùm eo peccare dicendi sunt, quòd dono Dei malè utantur, non id referentes ad cultum ejus à quo acceperunt? an fortè nec dona Dei putanda sunt ista, quando hæc infideles agunt, secundùm Apostoli sententiam dicentis, *Omne quod non est ex fide, peccatum est?* Quis autem audeat dicere donum Dei esse peccatum? Anima enim, & corpus, & quæcumque bona animæ & corporis naturaliter insita, etiam in peccatoribus dona Dei sunt; quoniam Deus, non ipsi ista fecerunt. De his autem quæ faciunt dictum est, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*. Cùm igitur faciunt hæc homines sine fide, quæ videntur ad conjugalem pudicitiam pertinere, sive hominibus placere quærentes, vel sibi vel aliis, sive in his rebus quas vitiosè concupiscunt, humanas molestias devitantes, sive dæmonibus servientes, non peccata coërcentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur. Absit ergo pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum fidem

Pudicus verus non nisi fidelis.

A connubii servat uxori.

Caput IV. Nuptiarū bonum naturale.

5. Copulatio itaque maris & feminæ generandi caussâ, bonum est naturale nuptiarum: sed isto bono malè utitur, qui bestialiter utitur, ut sit ejus intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis. Quamquam in nonnullis animalibus rationis expertibus, sicut in plerisque alitibus, & conjugiorum quædam quasi confœderatio custoditur, & socialis nidificandi sollertia, vicissimque ovorum dispertita tempora fovendorum, & nutriendorum opera alterna pullorum, magis eas videri faciunt agere, cùm coëunt, negotium substituendi generis, quàm explendæ libidinis. Quorum duorum illud est in pecore simile hominis, hoc in homine simile pecoris. Verùm quod dixi ad naturam pertinere nuptiarum, ut mas & femina generandi societate jungantur, & ita invicem non fraudent, sicut omnis societas [c] fraudulentum socium naturaliter non vult; hoc tam evidens bonum cùm infideles habent, quia infideliter utuntur, in malum peccatumque convertunt. Eo modo ergo & illam concupiscentiam carnis, qua caro concupiscit adversùs spiritum, in usum justitiæ convertunt fidelium nuptiæ. Habent quippe intentionem generandi regenerandos, ut qui ex eis sæculi filii nascuntur, in Dei filios renascantur. Quapropter qui non hac intentione, hac voluntate, hoc fine generant filios, ut eos ex membris hominis primi in membra transferant Christi, sed infideles parentes de infideli prole glorientur; etiam si [d] tanta sit observantia, ut secundùm matrimoniales tabulas non nisi liberorum procreandorum caussâ concumbant, non est in eis vera pudicitia conjugalis. Cùm enim virtus sit pudicitia, cui vitium contrarium est impudicitia, omnesque virtutes etiam quæ per corpus operantur, in animo habitent; quomodo vera ratione pudicum corpus asseritur, quando à vero Deo ipse animus fornicatur? Quam fornicationem sanctus ille Psalmus accusat, ubi dicit, *Ecce enim qui longè se faciunt à te, peribunt, perdidisti omnem qui fornicatur abs te*. Vera igitur pudicitia, sive conjugalis, sive vidualis, sive virginalis dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur. Cùm enim recto judicio præferatur nuptiis sacrata virginitas; quis non sobria mente Christianus etiam non univiras Christianas catholicas nuptas, non solùm vestalibus, sed etiam hæreticis virginibus anteponat? Tantum valet fides, de qua dicit Apostolus, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*: & de qua item scriptum est ad Hebræos, *Sine fide impossibile est placere Deo*.

Omnis societas naturaliter fraudulentum sociū refugit.

Gal. 5. 17.

Conjugalis pudicitia quæ vera.

Psal. 72. 27.

Virginitas & pudicitia non vera, nisi quæ veræ fidei mancipatur.

Rom. 14. 23.

Heb. 11. 6.

Caput V. Libidinis vituperatio non est damnatio nuptiarū.

6. Quæ cùm ita sint, profectò errant, qui cùm vituperatur libido carnalis, damnari nuptias opinantur, quasi morbus iste de connubio sit, non de peccato. Nonne illi conjuges primi, quorum nuptias benedixit Deus dicens, Crescite, & multiplicamini, nudi erant, & non confundebantur? Cur ergo ex illis membris confusio post peccatum, nisi quia exstitit illic indecens motus, quem, nisi homines peccassent, procul dubio nuptiæ non haberent? An fortè, sicut quidam

Gen. 1. 28.

Ibid. 2. 25.

Pudor in corpore humano unde.

[a] Sex MSS. *ad confessionem*. Quatuor, quibus consentit editio Am. *ad satisfactionem & confessionem*. Græcè est, πρὸς ἀπολογίαν, ad defensionem sive *excusationem*.

[b] Verbum *fide* hoc loco erat etiam in Bibliis aliquot manu scriptis. Abest nunc ab excusis Latinis, nec non à Græcis.

[c] Am. & Er. *fraudulentiam sociorum*.

[d] Nonnulli è Vaticanis MSS. *tanta sint observantia*.

existimant, quia id quod legunt parum diligen- A ter advertunt, cæci creati erant priùs homines, sicut canes; & quod est absurdius, non sicut canes crescendo, sed peccando adepti sunt visum? Absit hoc credere. Sed unde moventur qui hoc putant, illud est quod legitur, *Sumens de fructu ejus, edit, & dedit viro suo secum, & ederunt; & aperti sunt oculi amborum, & agnoverunt quia nudi erant.* Hinc est quòd parum intelligentes, opinantur antea fuisse illis oculos clausos, quòd eos tunc apertos divina scriptura testatur. Sed num- B quid & Agar ancilla Saræ, quando sitiente & plorante filio aperuit oculos suos, & vidit puteum, clausos priùs oculos habuit? Aut illi duo discipuli post resurrectionem Domini in via cum illo clausis oculis ambulabant, de quibus Evangelium loquitur, quòd *in fractione panis aperti sunt oculi eorum, & agnoverunt eum?* Quod ergo scriptum est de hominibus primis, *Aperti sunt oculi amborum:* intelligere debemus, adtentos factos ad intuendum & agnoscendum, quod novum in eo- C rum corpore acciderat: quod utique corpus patentibus eorum oculis & nudum quotidie subjacebat, & notum. Alioquin quomodo ad se adductis animalibus terrestribus & volatilibus omnibus, Adam clausis oculis nomina posset imponere, quod nisi discernendo non faceret, discernere autem nisi videndo non posset? Quomodo denique ipsa mulier ei demonstrata est, quando ait, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro* D *de carne mea?* Postremò si usque adeo quisquam fuerit contentiosus, ut hæc eum dicat non cernendo, sed palpando potuisse [a]: quid dicturus est, quod ibi legitur, mulier lignum, de quo fuerat cibum sumtura prohibitum, vidisse quàm esse speciosum oculis ad videndum? *Erant* itaque *nudi, & non confundebantur*; non quia non videbant, sed quia nihil unde confunderentur in membris senserant, quæ videbant. Non enim dictum est, Erant ambo nudi, & ignorabant; E sed, *non confundebantur.* Quia enim nihil præcesserat quod non liceret, nihil secutum fuerat quod puderet.

Adam & Eva non sunt cæci creati.

Gen. 3. 6. & 7.

Gen. 21. 19.

Lucæ 24. 31. & 35.

Apertio oculorum in primis parentibus quid.

Gen. 2. 23.

Gen. 3. 6.

Gen. 2. 25.

CAPUT VI. Carnis suæ inobedientia homini justè retributa.

7. IBI homo primitus Dei lege transgressa, aliam legem repugnantem suæ menti habere cœpit in membris, & inobedientiæ suæ malum sensit, quando sibi dignissimè retributam inobedientiam suæ carnis invenit. Talem quippe etiam serpens oculorum apertionem seducendo promiserat, ad aliquid videlicet sciendum, quod me- F liùs nesciretur. Tunc in se quippe sensit homo quid fecit: tunc à bono malum, non carendo, sed perpetiendo discrevit. Injustum enim erat, ut obtemperaretur à servo suo, id est, à corpore suo ei, qui non obtemperarat Domino suo. Nam quid est, quòd oculi, labia, lingua, manus, pedes, inflexiones dorsi, cervicis & laterum, ut ad opera sibi congrua moveantur, positum in potestate est, quando ab impedimentis corpus liberum habemus & sanum; ubi autem G ventum fuerit ut filii seminentur, ad voluntatis nutum membra in hoc opus creata non serviunt, sed exspectatur ut ea velut sui juris libido commoveat, & aliquando non facit animo volente, cùm aliquando faciat & nolente? [b] Hincne non erubesceret humani libertas arbitrii, quòd contemnendo imperantem Deum etiam in membra propria proprium perdidisset imperium? Ubi autem convenientiùs monstraretur inobedientiæ merito depravatam esse humanam naturam, quàm in his inobedientibus locis, unde per successionem subsistit ipsa natura? Nam ideo propriè istæ corporis partes naturæ nomine nuncupantur. Hunc itaque motum ideo indecentem quia inobedientem, cùm illi primi homines in sua carne sensissent, & in sua nuditate erubuissent, foliis ficulneis eadem membra texerunt: ut saltem arbitrio verecundantium velaretur, quod non arbitrio volentium movebatur; & quoniam pudebat quod indecenter libebat, operiendo fieret quod decebat.

Erubescentia de inobedientibus membris. Gen. 3. 7.

CAPUT VII. Libidinis malum non tollit nuptiarum bonum.

8. QUIA ergo nec isto adjuncto malo perire potuit nuptiarum bonum, putant imprudentes hoc non esse malum, sed pertinere ad illud bonum. Discernitur autem non solùm ratione subtili, verùm etiam vulgatissimo judicio naturali, quod & in illis apparuit hominibus primis, hodieque tenetur ab hominibus conjugatis. Quod enim illi postea propagatione fecerunt, hoc est connubii bonum: quod verò priùs confusione texerunt, hoc est concupiscentiæ malum, quod vitat ubique conspectum, & quærit pudendo secretum. Proinde nuptiæ quia etiam de illo malo aliquid boni faciunt, gloriantur: quia sine illo fieri non potest, erubescunt. Tamquam si quispiam pede vitiato, ad aliquod bonum etiam claudicando perveniat, nec propter claudicationis malum mala est illa perventio, nec propter illius perventionis bonum bona est claudicatio: ita nec propter libidinis malum nuptias condemnare, nec propter nuptiarum bonum libidinem laudare debemus.

CAPUT VIII. 1. Thess. 4. 3.

9. ISTE quippe est morbus, de quo Apostolus etiam conjugatis fidelibus loquens ait, *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, abstinere vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrùm suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in morbo desiderii, sicut & gentes quæ ignorant Deum.* Non solùm igitur conjugatus fidelis vase non utatur alieno, quod faciunt à quibus uxores alienæ appetuntur: sed nec ipsum proprium in concupiscentiæ carnalis morbo possidendum sciat. Quod non sic accipiendum est, tamquam prohibuerit Apostolus conjugalem, hoc est, licitum honestumque concubitum: sed ut iste [c] concubitus, qui nihil morbidæ libidinis haberet adjunctum, si non præcedente peccato in eo perisset libertatis arbitrium, quòd nunc id habet adjunctum, non sit voluntatis, sed necessitatis, sine qua tamen in procreandis filiis ad fructum perveniri non potest ipsius voluntatis. Quæ voluntas in connubiis fidelium non eo fine determinatur, ut transituri filii nascantur in sæculo isto, sed ut permansuri renascantur in Christo. Quod si provenerit, merces erit de conjugio plenæ felicitatis: si autem non provenerit, pax erit conjugibus bonæ voluntatis. Hac intentione cordis qui suum vas possidet, id est, conjugem suam;

Morbus concupiscentiæ in nuptiis, non fit voluntatis, sed necessitatis.

Quæ filiorum in matrimonio debeat esse voluntas.

[a] Hîc in editis additur, *cognoscere:* quod abest à MSS.
[b] Lov. & aliquot MSS. *Hinccine.*
[c] Posteriores quædam editiones, *sed ut iste sit concubitus:* ac paulò pòst, *quod nunc ideo habet adjunctum: ut non sit voluntatis:* malè ac reluctantibus MSS.

procul dubio non poſſidet in morbo deſiderii, ſicut gentes quæ ignorant Deum; ſed in ſanctificatione & honore, ſicut fideles qui ſperant in Deum. Illo quippe concupiſcentiæ malo utitur homo, non vincitur, quando eam inordinatis atque indecoris motibus æſtuantem frenat & cohibet, neque niſi propagini conſulens relaxat atque adhibet, ut ſpiritaliter regenerandos carnaliter gignat, non ut ſpiritum carni ſordida ſervitute ſubjiciat. Sic patres ſanctos ex Abraham & ante Abraham, quibus Deus quòd ei placuerint perhibet teſtimonium, uſos fuiſſe conjugibus neminem oportet dubitare Chriſtianum; quando quibuſdam etiam ſingulis plures habere conceſſum eſt, ubi ratio fuit prolis multiplicandæ, non variandæ appetitio voluptatis.

Concupiſcentiæ malo quis uti, & non vinci exiſtimandus.

Sancti patres quomodo olim conjugibus uſi.

CAPUT IX.

Cur viro plures aliquando uxores, nunquam autem feminæ plures viros habere permiſſum.

10. NAM ſi Deo patrum noſtrorum, qui etiam noſter eſt, illa numeroſitas conjugum propterea non diſplicuiſſet, ut copioſiùs ſe libido jactaret; ita etiam ſanctæ feminæ ſerviſſent pluribus ſingulæ: quod ſi aliqua faceret, quid eam niſi concupiſcentiæ turpitudo compelleret, ut plures viros haberet, quando iſta licentia plures filios non haberet? Verumtamen magis pertinere ad nuptiarum bonum, non unum & multas, ſed unum & unam, ſatis indicat ipſa prima divinitus facta conjugum copula, ut inde connubia ſumerent initium, ubi honeſtius adtenderetur exemplum. Progrediente autem genere humano, junctæ ſunt quibuſdam bonis viris bonæ feminæ, ſingulis plures. Unde apparet & illud dignitatis magis appetiſſe modeſtiam, & hoc fecunditatis permiſiſſe naturam. Nam & principatus magis naturaliter unius in multos, quàm in unum poteſt eſſe multorum. Nec dubitari poteſt naturali ordine viros potiùs feminis, quàm viris feminas principari. Quod ſervans Apoſtolus ait, *Caput mulieris vir:* &, *Mulieres ſubditæ eſtote viris veſtris:* & apoſtolus Petrus, *Quomodo Sara*, inquit, *obſequebatur Abrahæ, dominum illum vocans.* Quod licèt ita ſeſe habeat, ut natura principiorum amet ſingularitatem, faciliùs autem pluralitatem videamus in ſubditis: tamen plures feminæ uni viro nunquam licitè jungerentur, niſi ex hoc plures filii naſcerentur. Unde ſi una concumbat cum pluribus, quia non eſt ei hinc multiplicatio prolis, ſed frequentatio libidinis, conjunx non poteſt eſſe, ſed meretrix.

Natura principiorum ſingularitatem amat.

1. Cor. 11. 3. Coloſ. 3. 18. 1. Petri 3. 6.

CAPUT X.

Sacramentum nuptiarum.

11. QUONIAM ſanè non tantùm fecunditas, cujus fructus in prole eſt; nec tantùm pudicitia, cujus vinculum eſt fides; verùm etiam quoddam ſacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis, unde dicit Apoſtolus, *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam:* hujus procul dubio ſacramenti res eſt, ut mas & femina connubio copulati quamdiu vivunt inſeparabiliter perſeverent, nec liceat, exceptâ cauſsâ fornicationis, à conjuge conjugem dirimi. Hoc enim cuſtoditur in Chriſto & Eccleſia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio ſeparetur. Cujus ſacramenti tanta obſervatio eſt in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus, hoc eſt, in Eccleſia Chriſti, quibuſque fidelibus conjugatis, qui ſine dubio membra ſunt Chriſti, ut, cùm filiorum procreandorum cauſsâ vel nubant feminæ, vel ducantur uxores, nec ſterilem conjugem fas ſit relinquere, ut alia fecunda ducatur. Quod ſi quiſquam fecerit, non lege hujus ſæculi, ubi interveniente repudio ſine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia; quod etiam ſanctum Moyſen Dominus, propter duritiam cordis illorum, Iſraëlitis permiſiſſe teſtatur: ſed lege Evangelii reus eſt adulterii; ſicut etiam illa ſi alteri nupſerit. [a] Uſque adeo manent inter viventes ſemel inita jura nuptiarum, ut potiùs ſint inter ſe conjuges qui ab alterutro ſeparati ſunt, quàm cum his quibus aliis adhæſerunt. Cum aliis quippe adulteri non eſſent, niſi ad alterutrum conjuges permanerent. Denique mortuo viro cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium poteſt cum quo priùs adulterium fuit. Ita manet inter viventes [b] quiddam conjugale, quod nec ſeparatio, nec cum altero copulatio poſſit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis: ſicut [c] apoſtatæ anima velut de conjugio Chriſti recedens, etiam fide perditâ ſacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit. Redderetur enim procul dubio redeunti, ſi amiſiſſet abſcedens. Habet autem hoc qui receſſerit ad cumulum ſupplicii, non ad meritum præmii.

Epheſ. 5. 25.

Matrimonium indiſſolubile. Matth. 5. 32.

Pſal. 47. 2.

Lex ſæculi quoad divortiū alia à lege Evāgelii. Matth. 19. 8.

CAPUT XI.

Mutuum cõtinentiæ votum conjugium non dirimit.

12. QUIBUS verò placuerit ex conſenſu, ab uſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum continere, abſit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur: immo firmius erit, quo magis ea pacta ſecum inierint, quæ cariùs concordiúſque ſervanda ſunt, non voluptariis nexibus corporum, ſed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum eſt ad Joſeph, *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Conjunx vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manſerat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio. Erat quippe illa virgo ideo & ſanctiùs & mirabiliùs jocunda ſuo viro, quia etiam fecunda ſine viro, prole diſpar, fide compar. Propter quod fidele conjugium parentes Chriſti vocari ambo meruerunt, & non ſolùm illa mater, verùm etiam ille pater ejus, ſicut conjunx matris ejus, utrumque mente, non carne. Sive tamen ille pater ſola mente, ſive illa mater & carne, parentes tamen ambo humilitatis ejus, non ſublimitatis; infirmitatis, non divinitatis. Neque enim mentitur Evangelium, ubi legitur, *Et erant pater ejus & mater mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo.* Et alio loco: *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Ieruſalem.* Item paulò pòſt: *Et dixit mater ejus ad illum, Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* At ille ut oſtenderet habere ſe præter illos patrem, qui eum genuit præter matrem, reſpondit eis, *Quid eſt quòd me quærebatis? Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Et rurſum, ne hoc dicto parentes illos negaſſe putaretur, Evangeliſta ſecutus adjunxit, *Et ipſi non intellexerunt verbum quod locutus eſt ad illos, & deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſub-*

Matth. 1. 20.

Verũ conjugium inter Mariam & Joſeph.

Joſeph quomodo pater Chriſti.

Lucæ 2. 33.

Ibid. 41.

Ibidem 48.

Ibidem 49. & ſeq.

[a] Am. Er. & aliquot MSS. *Et uſque adeo.*
[b] Sic MSS. Editi verò, *manet quoddam vinculum conjugale.*

[c] Plures MSS. *apoſtata anima.*

ditus illis. Quibus subditus, nisi parentibus? Quis autem subditus, nisi Jesus Christus, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo? Cur ergo illis subditus, qui longè infra formam Dei erant, nisi quia semetipsum exinanivit formam servi accipiens, cujus formæ parentes erant? Sed cùm illo non seminante illa peperisset, profectò nec ipsius formæ servi parentes ambo essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione conjuges essent. Unde & series generationum, cùm parentes Christi connexione successionis commemorantur, usque ad Joseph potiùs, sicut factum est, fuerat perducenda; ne in illo conjugio, virili sexui utique potiori fieret injuria, cùm veritati nihil periret, quia ex semine David, ex quo venturus prædictus est Christus, & Joseph erat & Maria.

Philip. 2. 6.

Matth. 1. 16.
Luc. 3. 23.

In matrimonio Mariæ & Joseph omnia fuere conjugii bona.

13. Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum: fidem, quia nullum adulterium: sacramentum, quia nullum divortium. * Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati: ut hinc etiam doceret, omnem quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati; quando quidem sola quæ non inde nata est, non fuit caro peccati. Quamvis conjugalis concubitus qui fit intentione generandi, non sit ipse peccatum: quia bona voluntas animi, sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis voluptatem; nec humanum arbitrium trahitur subjugante peccato, cùm justè redigitur in usum generandi plaga peccati. Hujus plagæ quidam pruritus in adulteriorum & fornicationum & quorumlibet stuprorum atque immunditiarum fœditatibus regnat; in connubiorum verò [a] necessitudinibus servit. Ibi de domino tali turpitudo damnatur, hîc de pedissequo tali honestas verecundatur. Non est igitur hæc libido nuptiarum bonum, sed obscœnitas peccantium, necessitas generantium, lasciviarum ardor, nuptiarum pudor. Cur ergo non conjuges maneant, qui ex consensu concumbere desinunt; si manserunt conjuges Joseph & Maria, qui concumbere nec cœperunt?

* Caput XII.

Rom. 8. 3.

Omnis quæ de concubitu nascitur, caro peccati est.

Libido.

14. Hæc enim propagatio filiorum, quæ in sanctis patribus propter generandum & conservandum populum Dei, in quo prophetiam Christi præcedere oportuit, officiosissima fuit, nunc jam non habet illam necessitatem. Patet quippe jam ex omnibus gentibus spiritaliter gignendorum, undecumque carnaliter nati fuerint, copia filiorum. Et quod scriptum est, *Tempus amplectendi, & tempus continendi ab amplexu*; per [b] illud atque hoc tempus agnoscitur distributum. Illud quippe fuit amplectendi, hoc autem continendi ab amplexu.

Caput XIII. Ante Christum tempus nubendi, post Christum continendi tempus est.

Eccle. 3. 5.

15. Itaque & Apostolus cùm hinc loqueretur, ait, *Hoc autem dico, fratres; tempus breve est: reliquum est, & ut qui habent uxores tamquam non habentes sint, & qui flent tamquam non flentes,* A *& qui gaudent tamquam non gaudentes, & qui emunt tamquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. Volo vos sine sollicitudine esse.* Hæc omnia, ut exponendo aliquid hinc breviter dicam, sic existimo intelligenda. *Hoc*, inquit, *dico, fratres, tempus breve est:* non adhuc populus Dei propagandus est generatione carnaliter, sed jam regeneratione spiritualiter colligendus. *Reliquum est ergo, ut & qui habent uxores*, non carnali concu-B piscentiæ subjugentur; *& qui flent* tristitiâ præsentis mali, gaudeant spe futuri boni; *& qui gaudent* propter temporale aliquod commodum, timeant æternum judicium; *& qui emunt*, sic habendo possideant, ut amando non hæreant; *& qui utuntur hoc mundo*, transire se cogitent, non manere. *Præterit enim figura hujus mundi. Volo vos*, inquit, *sine sollicitudine esse:* hoc est, volo sursum cor in his quæ non prætereunt, vos habere. Deinde subjungit & dicit, *Qui sine uxore est, co-* C *gitat ea quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino: qui autem matrimonio junctus est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.* Atque ita quodam modo exponit quod suprà dixerat, *Qui habent uxores, tamquam non habentes sint.* Qui enim sic habent uxores, ut cogitent ea quæ sunt Domini, quomodo placeant Domino, nec in his quæ sunt mundi, cogitent placere uxoribus, tamquam non habentes sunt. Quod [c] facilius fit, quando & uxores tales sunt, ut eis mariti non D ideo placeant, quia divites, quia sublimes, quia genere nobiles, quia carne amabiles: sed quia fideles, quia religiosi, quia pudici, quia viri boni sunt.

1. Cor. 7. 29.

Ibidem 32.

16. Verum in conjugatis, ut hæc optanda atque laudanda, sic alia toleranda sunt, ne in damnabilia flagitia, id est, in fornicationes vel adulteria corruatur. Propter quod vitandum malum, etiam illi concubitus conjugum, qui non fiunt caussâ generandi, sed victrici concupiscen-E tiæ serviunt, in quibus jubentur non fraudare invicem, ne tentet eos satanas propter intemperantiam suam; non quidem secundùm imperium præcipiuntur, tamen secundùm veniam conceduntur. Sic enim scriptum est, *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite invicem fraudare, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; & iterum ad id-* F *ipsum estote: ne tentet vos satanas propter intemperantiam vestram. Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium.* Ubi ergo venia danda est, aliquid esse culpæ nulla ratione negabitur. Cùm igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui propriè nuptiis imputandus est, quid secundùm veniam concedit Apostolus, nisi quòd conjuges, dum se non continent, debitum ab alterutro carnis exposcunt, non voluntate propaginis, sed libidinis vo-G luptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc sunt laudabiles nuptiæ, quia & illud quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se. Neque enim etiam

Caput XIV. Intemperantia quædam conjugibus [illegible] ignoscenda.

1. Cor. 7. 3.

Usus matrimonii ob solam libidinis voluptatem non caret culpâ, [illegible] propter nuptias venialis.

[a] Aliquot MSS. *necessitatibus*.
[b] Quidam è Vaticanis MSS. *per utrumque hoc tempus*.

[c] Am. Er. & sex MSS. *quod ea felicitate fit*. Duo MSS. *quod ea facilitate fit*. Unus è Vaticanis MSS. à secunda manu, *quod facilè fit*.

iste

iste concubitus quo servitur concupiscentiæ, sic agitur, ut impediatur fetus, quem postulant nuptiæ.

CAPUT XV. In usu conjugis quid sine culpa, quid cum veniali culpa, quid cum mortali.

17. SED tamen aliud est, non concumbere nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam; aliud, carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non præter conjugem, quod veniałem habet culpam. Quia etsi non caussâ propagandæ prolis concumbitur, non tamen hujus libidinis caussâ propagationi prolis obsistitur, sive voto malo, sive opere malo. Nam qui hoc faciunt quamvis vocentur conjuges, non sunt, nec ullam nuptiarum retinent veritatem, sed honestum nomen velandæ turpitudini obtendunt. Produntur autem quando eò usque progrediuntur, ut exponant filios, qui nascuntur invitis. Oderunt enim nutrire vel habere, quos gignere metuebant. Itaque cùm in suos sævit, quos nolens genuit tenebrosa iniquitas, clara iniquitate in lucem promitur, & occulta turpitudo manifestâ crudelitate convincitur. Aliquando eò usque pervenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, ut etiam sterilitatis venena procuret; & si nibil [a] valuerit, conceptos fetus aliquo modo intra viscera exstinguat ac fundat, volendo suam prolem priùs interire quàm vivere; aut si in utero jam vivebat, occidi ante quàm nasci. Prorsus si ambo tales sunt, conjuges non sunt: & si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potiùs convenerunt. Si autem non ambo sunt tales, audeo dicere, aut illa est quodam modo meretrix mariti, aut ille adulter uxoris.

CAPUT XVI.

18. QUIA igitur nuptiæ tales esse non possunt, quales primorum hominum, si peccatum non præcessisset, esse potuerunt; sint tales quales sanctorum patrum fuerunt, ut pudenda carnis concupiscentia, quæ in paradiso nec ante peccatum fuit, nec post peccatum esse permissa est; quia necesse est in corpore mortis hujus ut sit, non ei serviatur, sed ipsa potiùs non nisi ad propagandam prolem servire cogatur. Aut quia hoc tempus, quod jam esse diximus continendi ab amplexu (Eccle. 3. 5.), non habet hujus officii necessitatem, adjacente undique in omnibus gentibus tanta fertilitate gignendorum spiritaliter filiorum; illud potiùs excellentis continentiæ bonum, *qui potest capere, capiat* (Matth. 19. 12.). Qui verò id capere non potest, *& si acceperit uxorem, non peccat* (1. Cor. 7. 28.): & femina *si se non continet, nubat* (Ibid. 9.). *Bonum est* enim *homini mulierem non tangere* (1. Cor. 7. 1.). Verùm quia *non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est* (Matth. 19. 11.); restat ut *propter* [b] *fornicationes unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque virum suum habeat* (1. Cor. 7. 2.): ac sic infirmitas incontinentiæ, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipiatur honestate nuptiarum. Quod enim ait Apostolus de feminis, *Volo igitur juniores nubere* (1. Tim. 5. 14.): hoc & de maribus dici potest, Volo juniores uxores ducere: ut ad utrumque sexum pertineat, *filios procreare*, patres & *matres-familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ.*

CAPUT XVII. Nuptialia bona.

19. IN nuptiis tamen bona nuptialia diligantur, proles, fides, sacramentum. Sed proles, non ut nascatur tantùm, verùm etiam ut renascatur: nascitur namque ad pœnam, nisi renascatur ad vitam. Fides autem, non qualem habent inter se etiam infideles zelantes carnem. Quis enim vir, quamlibet impius, vult adulteram uxorem? Aut quæ mulier, quamlibet impia, vult adulterum virum? Hoc in connubio bonum naturale est quidem, carnale tamen. Sed [c] membrum Christi conjugis adulterium conjugi debet timere, non sibi; & à Christo sperare fidei præmium, quam exhibet conjugi. Sacramentum verò, quod nec [d] separati nec adulterati amittunt, conjuges concorditer castéque custodiant. Solum est enim quod etiam sterile conjugium tenet jure pietatis, jam spe fecunditatis amissa propter quam fuerat copulatum. Hæc bona nuptialia laudet in nuptiis, qui laudare vult nuptias. Carnis autem [e] concupiscentia non est nuptiis imputanda, sed toleranda. Non est enim ex naturali connubio veniens bonum, sed ex antiquo peccato accidens malum.

CAPUT XVIII. Cur è sancto conjugio nascantur filii iræ.

20. PROPTER hanc ergo fit, ut etiam de justis & legitimis nuptiis filiorum Dei, non filii Dei, sed filii sæculi generentur: quia & ii qui generant, si jam regenerati sunt, non ex hoc generant ex quo filii Dei sunt, sed ex quo adhuc filii sæculi. Dominica quippe sententia est, *Filii hujus sæculi generant, & generantur* (Luca 20. 34.). Ex quo itaque sumus adhuc filii hujus sæculi, exterior homo noster corrumpitur (2. Cor. 4. 16.), ex hoc & hujus sæculi filii generantur, nec filii Dei nisi regenerentur fiunt (V. lib. 1. de peccatorum merit. c. 9.): sed ex quo sumus filii Dei, interior de die in diem renovatur. Quamvis & ipse exterior per lavacrum regenerationis sanctificatus sit, & spem futuræ incorruptionis acceperit, propter quod & templum Dei meritò dicitur: *Corpora vestra*, inquit Apostolus, *templum in vobis Spiritus-sancti est, quem habetis à Deo: & non estis vestri; emti enim estis pretio magno; glorificate ergo* [f] *& portate Deum in corpore vestro* (1. Cor. 6. 19.). Hoc totum non solùm propter præsentem sanctificationem, sed maximè propter illam spem dictum est, de qua idem alio loco dicit, *Sed & nos ipsi primitias spiritùs habentes, & ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemtionem corporis nostri* (Rom. 8. 23.). Si ergo redemtio corporis nostri, secundùm Apostolum, exspectatur; profectò quod exspectatur, adhuc speratur, nondum tenetur. Unde adjungit & dicit, *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus.* Non itaque per hoc quod exspectamus, sed per hoc quod toleramus, carnales filii propagantur. Absit ergo ut fidelis homo, cùm audit ab Apostolo, *Diligite uxores vestras* (Coloss. 3. 19.), concupiscentiam carnis diligat in uxore, quam nec in se ipso debet diligere, audiens alterum Apostolum, *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt: quisquis dilexerit mundum, non est caritas Patris in illo: quia omnia quæ in* (1. Iohan. 2. 15.)

[a] Aliquot MSS. *valuerint*; non malè, referendo ad *venena*.
[b] Editi, *fornicationem*. At MSS. *fornicationes*: juxta Græc.
[c] Unus è Vaticanis MSS. *Sed mens Christiani conjugis adulterium* &c.
[d] Lov. *nec separari, nec adulterari admittunt conjuges, qui concorditer castéque custodiunt.* Editi alii, Am. & Er. *nec separati nec adulterati amittunt conjuges, qui concorditer castéque custodiunt*: Castigantur veterum librorum auxilio, præsertim Gallicanorum Remensis, Sigiramnensis, & Michaëlini, ac trium Vaticanorum.
[e] Tres MSS. *pudenda concupiscentia.*
[f] Hîc in multis MSS. deest, *& portate* Abest & à Græcis.

mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi, quæ non est à Patre, sed ex mundo est. Et mundus transibit & concupiscentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut & Deus manet in æternum.

CAPUT XIX. Ita ex justis nascuntur peccatores, ut oleastri ex oleis.

21. Ex hac igitur concupiscentia carnis quod nascitur, utique mundo, non Deo nascitur: Deo autem nascitur, cùm ex aqua & spiritu [a] renascitur. Hujus concupiscentiæ reatum regeneratio sola dimittit: [b] ac per hoc generatio trahit. Ergo quod generatum est, regeneretur ut similiter, quia non potest [c] aliter, quod tractum est remittatur. Ut enim quod dimissum est in parente, trahatur in [d] prole, miris quidem modis fit, sed tamen fit. Hæc invisibilia & infidelibus incredibilia, sed tamen vera, ut haberent aliquod visibile exemplum, hoc in quibusdam arbustis divina providentia procuravit. Cur enim non credamus, propter hoc esse institutum, ut ex oliva nascatur oleaster? An credendum non est, in aliqua re quæ creata est ad usus hominum, Creatorem providisse & instituisse, quod ad generis humani valeret exemplum? Mirum est ergo quemadmodum à peccati vinculo per gratiam liberati, gignant tamen eodem vinculo obstrictos, quos eodem modo oporteat liberari: fatemur, mirum est. Sed quòd lateret fetus oleastrorum etiam in seminibus olearum, quando & hoc crederetur, nisi experientiâ probaretur? Proinde sicut gignitur ex oleastri semine oleaster, & ex oleæ semine non nisi oleaster, cùm inter oleastrum & oleam plurimum distet: ita gignitur & de carne peccatoris & de carne justi, [e] uterque peccator, quamvis inter peccatorem & justum plurimum distet. Gignitur autem peccator actu adhuc nullus, & ortu novus, sed reatu vetus: homo à creatore, captivus à deceptore, indigens redemtore. Sed quæritur quomodo trahi possit captivitas prolis, etiam de parentibus jam redemtis. Et quia non facili ratione indagatur, nec sermone explicatur, ab infidelibus non creditur: quasi & illud quod de oleastro & de olea diximus, ut generis dissimilis sit fetus similis, facilè aliqua invenit ratio vel explicat sermo. Sed hoc ab eo qui experiri voluerit, cerni potest: fit ergo in exemplo, unde & illud credatur quod cerni non potest.

CAPUT XX. Etiam infantes non baptizatos esse in diaboli potestate.

22. NON enim fides dubitat Christiana, quam novi hæretici oppugnare cœperunt, & eos qui lavacro regenerationis abluuntur, redimi de diaboli potestate; & eos qui nondum tali regeneratione redemti sunt, etiam parvulos filios redemtorum sub ejusdem diaboli esse potestate captivos, nisi & ipsi eâdem Christi gratiâ redimantur. Ad omnes namque pertinere non dubitamus ætates, illud de quo Apostolus loquitur beneficium Dei: *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii caritatis suæ.* (Col. 1. 13.) Ab hac igitur potestate tenebrarum, quarum est diabolus princeps, id est à potestate diaboli & angelorum ejus, quisquis erui cùm baptizantur negaverit parvulos, ipsorum Ecclesiæ sacramentorum veritate convincitur, quæ nulla hæretica novitas in Ecclesia

A Christi auferre vel mutare permittitur, regente atque adjuvante capite totum corpus suum, pusillos cum magnis. In veritate itaque, non in falsitate, potestas diabolica exorcizatur in parvulis: eique renuntiant, quia per sua non possunt, per corda & ora gestantium; ut eruti à potestate tenebrarum in regnum sui Domini transferantur. Quid ergo in eis est, per quod in potestate diaboli teneantur, donec eruantur inde per sacramentum baptismatis Christi? quid est, nisi peccatum? B Non enim aliud invenit diabolus, unde posset humanam suo juri mancipare naturam, quam bonam bonus auctor instituit. Nullum autem peccatum parvuli in sua vita proprium commiserunt. Remanet igitur originale peccatum, per quod sub diaboli potestate captivi sunt, nisi inde lavacro regenerationis & Christi sanguine redimantur, & transeant in regnum redemtoris sui, frustrata potestate captivatoris sui, & data potestate qua fiant ex filiis hujus sæculi filii Dei. (Johan. 1. 12.)

Exorcismus in parvulis, & renuntiatio diabolo.

CAPUT XXI. Ex bonis conjugii non contractum peccatum.

C 23. JAM nunc si quodam modo interrogemus bona illa nuptialia, unde ab eis potuerit peccatum in parvulos propagari; respondebit nobis operatio propagandæ prolis, Ego in paradiso magis felix essem, si peccatum non fuisset admissum. Ad me namque pertinet illa benedictio Dei, *Crescite & multiplicamini.* (Gen. 1. 28.) Ad hoc opus bonum diversi sexûs diversa membra sunt condita, quæ quidem ante peccatum jam erant, sed pudenda non erant. Respondebit pudicitiæ fides, Si peccatum D non fuisset, quid me in paradiso securius esse potuisset, ubi nec stimularet mea, nec alterius me libido tentaret. Respondebit etiam connubii sacramentum, De me ante peccatum dictum est in paradiso, *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* (Gen. 2. 24. Ephes. 5. 32.) Quod magnum sacramentum dicit Apostolus in Christo & in Ecclesia. Quod ergo est in Christo & in Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris atque uxoribus minimum, sed tamen E conjunctionis [f] inseparabilis sacramentum. Quid horum est in nuptiis, unde peccati vinculum transiret in posteros? Nempe nihil: & certè his tribus bonis perfectè se haberet bonitas nuptiarum, quibus bonis etiam nunc bonæ sunt nuptiæ.

Connubii sacramentum in Christo & Ecclesia magnum, in viris & uxoribus minimum.

CAPUT XXII. Libido & pudor ex peccato.

24. PORRÒ autem si interrogetur illa carnis concupiscentia, qua pudenda facta sunt, quæ priùs pudenda non fuerant; nonne respondebit, se in membris hominis post peccatum esse cœpisse? Et ideo legem peccati verbis apostolicis F nuncupatam, quòd hominem sibi subditum fecerit, quia Deo suo subditus esse noluit: seque esse de qua & primi conjugati tunc erubuerunt, quando pudenda texerunt, & nunc omnes erubescunt, quando ad concumbendum secreta conquirunt, neque hujus operis testes audent habere vel filios, quos inde genuerunt. Cui verecundiæ naturali Cynicorum error philosophorum mirabili impudentiâ reluctatus est: quando quidem hoc, quoniam licitum esset honestumque, cum conjuge palàm faciendum esse censebant. Unde meritò im- G munditia hujus impudentiæ caninum nomen ac-

(Rom. 7. 23. Lex peccati. Gen. 3. 7.)

Impudentia Cynicorum.

[a] Editi addunt, *sancto.*

[b] Editi, *quem generatio trahit.* Sex autem MSS. *ac per hoc generatio trahit:* nec aliter editi in hujus loci repetitione lib. 6. contra Julianum, c. 1. vel 3.

[c] Ita quinque MSS. quibus ceteri codices in lib. contra Julianum 6. c. 1. vel 3. consentiunt: tametsi MSS. plures hîc omisso *similiter,* habent sic, *regeneretur, (quia non potest aliter,) ut quod tractum est remittatur.* Editi autem, *regeneretur, quia non potest essi aliter, ut quod tractum est remittatur.*

[d] Hîc editi, *in prolem.* At lib. contra Julianum 6. c. 1. vel 3. habent cum MSS. *in prole.*

[e] Sic omnes MSS. At editi, *utrinque.*

[f] Er. & sex MSS. *inseparabile.*

cepit: ex hoc quippe Cynici nuncupati sunt.

CAPUT XXIII.

Rom. 6. 12.

25. HÆC omnino concupiscentia, hæc lex peccati habitans in membris, cui lex justitiæ vetat obedire, dicente Apostolo, *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, neque exhibueritis membra vestra arma iniquitatis peccato*: hæc, inquam, concupiscentia, quæ solo sacramento regenerationis expiatur, profectò peccati vinculum generatione trajicit in posteros, [a] nisi ab illo & ipsi regeneratione solvantur. Nam ipsa quidem concupiscentia jam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atque ut ea [b] perpetrent, à regina mente membra non dantur: ut si non fit quod scriptum est, *Non concupiscas*; fiat saltem quod alibi legitur, *Post concupiscentias tuas non eas*. Sed [c] quia modo quodam loquendi peccatum vocatur, quòd & peccato facta est, & peccatum si vicerit facit; [d] reatus ejus valet in generato: quem reatum Christi gratia per remissionem omnium peccatorum in regenerato, si ad mala opera ei quodam modo jubenti non obediat, valere non sinit. Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, cùm jam in regeneratis non sit ipsa peccatum: sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua; & manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum si vincit facit: sicut vocatur frigus pigrum, non quòd à pigris fiat, sed quòd pigros faciat.

Concupiscentia in regeneratis sine consensu non est peccatum.

Exod. 20. 17.

Eccli. 18. 30.

Peccatum quo sensu concupiscentia vocetur.

Quidquid per concupiscentiam nascitur, non immeritò subjugari diabolo propter peccatum.

26. Hoc generi humano inflictum vulnus à diabolo, quidquid per illud nascitur, cogit esse sub diabolo, tamquam de suo frutice fructum jure decerpat: non quòd ab illo sit natura humana, quæ non est nisi ex Deo, sed vitium quod non est ex Deo. Non enim propter se ipsam, quæ laudabilis est, quia opus Dei est; sed propter damnabile vitium, quo vitiata est, natura humana damnatur. Et propter quod damnatur, propter hoc & damnabili diabolo subjugatur: quia & ipse diabolus spiritus immundus est, & utique bonum quòd spiritus, malum quòd immundus; quoniam spiritus est naturâ, immundus est vitio: quorum duorum illud à Deo est, hoc ab ipso. Non itaque tenet homines, sive majoris, sive infantilis ætatis, propter quod homines sunt, sed propter quod immundi sunt. Qui ergo miratur quia creatura Dei subditur diabolo, non miretur: subditur enim creatura Dei creaturæ Dei, minor majori, quia homo angelo; nec tamen propter naturam, sed propter vitium, quia immundus immundo. Hic est fructus ejus ex antiqua immunditiæ stirpe, quam plantavit in homine, majores quidem pœnas ultimo judicio, quanto est immundior, ipse passurus: verumtamen & quibus in illa damnatione tolerabilius erit, huic sunt subditi velut principi auctorique peccati; quia nulla erit damnationis caussa, nisi peccatum.

Diabolus graviùs quàm homines punietur.

CAPUT XXIV.

Per libidinem traducitur peccatum.

27. QUAPROPTER natos non ex bono quo bonæ sunt nuptiæ, sed ex malo concupiscentiæ, quo bene quidem utuntur nuptiæ, de quo tamen erubescunt & nuptiæ, reos diabolus parvulos tenet. Quia cùm sint ipsæ honorabiles in omnibus ad eas propriè pertinentibus bonis, etiam si thorum habeant immaculatum, non solùm à fornicationibus & adulteriis, quæ sunt flagitia damnabilia, verùm etiam ab illis excessibus concumbendi, qui non fiunt caussâ prolis voluntate dominante, sed caussâ voluptatis vincente libidine, quæ sunt in conjugibus peccata venialia: tamen cùm venturum fuerit ad opus generandi, ipse ille licitus honestusque concubitus, non potest esse sine ardore libidinis, ut peragi possit quod rationis est, non libidinis. Qui certè ardor, sive sequatur, sive præveniat voluntatem, non tamen nisi ipse quodam quasi suo imperio movet membra, quæ moveri voluntate non possunt: atque ita se indicat non imperantis famulum, sed inobedientis supplicium voluntatis; nec libero arbitrio, sed illecebroso aliquo stimulo commovendum, & ideò pudendum. Ex hac carnis concupiscentia, quæ licèt in regeneratis jam non deputetur in peccatum, tamen naturæ non accidit nisi de peccato: ex hac, inquam, concupiscentia carnis, tamquam filiâ peccati, & quando illi ad turpia consentitur, etiam peccatorum matre multorum, quæcumque nascitur proles, originali est obligata peccato, nisi in illo renascatur, quem sine ista concupiscentia virgo concepit: propterea quando nasci est in carne dignatus, sine peccato solus est natus.

catum originale.

Hebr. 13. 4.

Peccata venialia in conjugibus.

Concupiscentia carnis, peccati filia & mater.

CAPUT XXV.

Concupiscentia remanet post baptismum; velut languor post sanatum morbum.

28. SI autem quæritur, quomodo ista concupiscentia carnis maneat in regenerato, in quo universorum facta est remissio peccatorum; quando quidem per ipsam seminatur, & cum ipsa carnalis gignitur proles parentis etiam baptizati; aut certè si in parente baptizato potest esse & peccatum non esse, cur eadem ipsa in prole peccatum sit: ad hæc respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. Quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen, donec sanetur omnis infirmitas nostra proficiente renovatione interioris hominis de die in diem, cùm exterior induerit incorruptionem. Non enim substantialiter manet, sicut aliquod corpus, aut spiritus: sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor. Non ergo aliquid remanet, quod non remittatur; cùm fit, sicut scriptum est, *propitius Dominus omnibus iniquitatibus nostris*: sed donec fiat & quod sequitur, *Qui sanat omnes languores tuos, qui redimit de corruptione vitam tuam*; manet in corpore mortis hujus carnalis concupiscentia. Cujus vitiosis desideriis ad illicita perpetranda non obedire præcipimur, ne regnet peccatum in nostro mortali corpore. Quæ tamen concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus & continentibus, accedente etiam senectute multo maximè. Qui verò ei nequiter serviunt, tantas in eis vires accipit, ut plerumque jam ætate deficientibus membris, eisdemque partibus corporis ad illud opus moveri minùs valentibus, turpiùs & procaciùs insanire non desinat.

2. Cor. 4. 16.

1. Cor. 15. 53.

Psal. 102. 3.

Rom. 6. 12.

Concupiscentia, in proficientibus minuitur in incontinentibus augetur.

CAPUT XXVI.

Quomodo concupi-

29. IN eis ergo qui regenerantur in Christo, cùm remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam hu-

[a] Apud Lov. & nisi.

[b] Aliquot MSS. perpetret.

[c] Lovanienses rejecerunt, *quia*: tametsi erat apud Am. Er. & omnes cod. c. MSS. Fortè legendum, *Sed qua*.

[d] Benignianus cod. *Verùm reatus*. Sed *Verùm* à posteriore manu substitutum est loco aliùs cujusdam vocabuli. Sunt libri qui habent, *facit reum: reatus ejus valet* &c. minùs bene.

[...scentia in baptizatis maneat actu, prætereat reatu.]

jus licèt adhuc manentis concupiscentiæ remittatur, ut in peccatum, sicut dixi, non imputetur. Nam sicut eorum peccatorum quæ manere non possunt, quoniam cùm fiunt prætereunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur, in æternum manebit: sic illius *, quando remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim, non habere peccatum, reum non esse peccati. Nam si quisquam, verbi gratiâ, fecerit adulterium, etiam si numquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentiâ remittatur. Habet ergo peccatum; quamvis illud quod admisit jam non sit, quia cum tempore quo factum est præteriit. Nam si à peccando desistere, hoc esset non habere peccata, sufficeret ut hoc nos moneret Scriptura, *Fili, peccasti? non adjicias iterum.* Non autem sufficit, sed addidit, *& de pristinis deprecare, ut tibi remittantur.* Manent ergo, nisi remittantur. Sed quomodo manent, si præterita sunt; nisi quia præterierunt actu, manent reatu? Sic itaque fieri è contrario potest, ut etiam illud maneat actu, prætereat reatu.

[* Subaudi, concupiscentiæ.]

[Peccatum nō habere, quid.]

[Eccli 21. 1.]

[Duobus modis manent & prætereunt peccata, actu & reatu.]

CAPUT XXVII.

[Concupiscentiæ desideria mala.]

30. AGIT enim aliquid concupiscentia carnis, & quando ei non exhibetur vel cordis assensus ubi regnet, vel membra velut arma quibus impleatur quod jubet. Agit autem, quid, nisi ipsa desideria mala & turpia? Non enim si bona & licita essent, eis obedire prohiberet Apostolus, dicens, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus.* Non enim ait, ad habenda desideria ejus; sed, *ad obediendum desideriis ejus:* ut quoniam sunt in aliis majora, in aliis minora, prout quisque in hominis interioris novitate profecerit, in hoc agonem justitiæ pudicitiæque servemus, ne illis obediamus. Ut tamen nec ipsa sint desideria, velle debemus, etiam si in corpore mortis hujus id obtinere non possumus. Hinc enim & alio loco idem Apostolus loquens velut ex suæ personæ introductione nos instruit, dicens, *Non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio:* id est, concupisco: quia & hoc nollet facere, ut esset omni ex parte perfectus. *Si autem quod nolo,* inquit, *hoc facio, consentio legi quoniam bona:* quia hoc & illa non vult, quod & ego nolo. Non vult enim ut concupiscam, quæ dicit, *Non concupisces:* & ego nolo concupiscere. In hoc itaque consentiunt, voluntas legis, & mea. Verùm quia concupiscere nolebat, & tamen concupiscebat, sed eidem concupiscentiæ nequaquam consentiendo serviebat, adjunxit atque ait, *Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum.*

[Rom. 6. 12.]

[Ut non sint velle debemus.]

[Rom. 7. 15.]

[Exodi 20. 17.]

[Rom. 7. 17.]

CAPUT XXVIII.

[Quis dicere possit, *Jam non ego operor illud.*]

31. MULTUM autem fallitur homo, qui consentiens concupiscentiæ carnis suæ, & quod illa desiderat decernens facere & statuens, putat sibi adhuc esse dicendum, *Non ego operor illud;* etiam si oderit quia consentit. Simul enim est utrumque, & ipse odit, quia malum esse novit; & ipse facit, quia facere statuit. Jam verò si & illud addat, quod Scriptura prohibet, dicens, *Neque exhibueritis membra vestra arma iniquitatis peccato,* ut quod facere statuit in corde, etiam corpore compleat; & ideo dicat, *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum,* quia cùm id decernit & facit, displicet sibi: tantum errat, ut nec

[Rom. 6. 13.]

[Rom. 7. 17.]

A se ipsum agnoscat; quando cùm ex toto ipse sit, & corde statuente & corpore implente, adhuc se ipsum esse non putat. * Qui ergo dicit, *Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum:* si tantummodo concupiscit, verum dicit; non si cordis consensione decernit, aut etiam corporis ministerio perficit.

[* CAPUT XXIX.]

32. Deinde adjungit Apostolus, *Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum: velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Hoc ideo dictum est, quia tunc perficitur bonum, quando desideria mala nulla sunt: sicut B tunc perficitur malum, quando malis desideriis obeditur. Quando autem sunt quidem, sed non eis obeditur; nec malum perficitur, quia non eis obeditur; nec bonum, quia sunt: sed fit ex aliqua parte bonum, quia concupiscentiæ malæ non consentitur; & ex aliqua parte remanet malum, quia vel concupiscitur. Ideo ergo Apostolus non ait facere bonum sibi non adjacere, sed perficere. Multum enim boni facit, qui facit quod scriptum est, *Post concupiscentias tuas non eas:* sed C non perficit quia non implet quod scriptum est, *Non concupisces.* Ad hoc ergo dixit lex, *Non concupisces,* ut nos in hoc morbo invenientes jacere, medicinam gratiæ quæreremus; & in eo præcepto sciremus & quò debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, & quò possit à nobis in illa immortalitate beatissima perveniri: nisi enim quandoque perficiendum esset, numquam jubendum esset.

[Rom. 7. 18.]

[Bonum quando perficiatur.]

[Eccli. 18. 30.]

[Exodi 20. 17.]

CAPUT XXX.

[Rom. 7. 19.]

33. DEINDE repetens Apostolus, ut ampliùs D commendet sententiam superiorem: *Non enim quod volo,* inquit, *facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo ego hoc facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Et sequitur: *Invenio ergo legem mihi, volenti facere, bonum; quoniam malum mihi adjacet:* hoc est, invenio legem mihi esse bonum, volenti facere quod lex vult: quoniam non ipsi legi quæ dicit, *Non concupisces;* sed mihi adjacet malum quod nolo, quia & nolens concupisco. *Condele-* E *ctor enim,* inquit, *legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis.* Ista condelectatio legi Dei secundùm interiorem hominem, de magna nobis venit gratia Dei. In ea quippe interior homo noster renovatur de die in diem, cùm in ea proficit perseveranter. Non enim timor est torquens, sed amor libens. Ibi sumus veraciter liberi, ubi non delectamur inviti.

[2. Cor. 4. 16.]

34. Verùm illud quod ait, *Video autem aliam* F *legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ:* ipsa est ista de qua loquimur concupiscentia, lex peccati in carne peccati. Quod autem dixit, *& captivantem me sub lege peccati:* hoc est, sub se ipsa, *quæ est in membris meis.* Aut *captivantem* dixit, captivare conantem, id est, ad consentiendum implendumque cogentem: aut potiùs, quod non habet controversiam, captivantem secundùm carnem, quam nisi teneret carnalis concu- G piscentia, quam legem peccati vocat, non utique in ea ullum illicitum desiderium, cui mens obedire non debeat, commoveret. Quòd autem non ait, captivantem carnem meam; sed, *captivantem me:* hinc factum est, ut sensus hîc alius quæreretur, & acciperemus *captivantem,* velut dixisset, captivare conantem. Sed cur non di-

[Concupiscentia quomodo captivabat Apostolum.]

[Rom. 7. 23.]

[Lex peccati Apostolo quid.]

ceret, *captivantem me*, ubi vellet intelligi carnem suam? An non dictum est de Jesu, cùm in monumento non fuisset caro ejus inventa, *Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum?* Num ideo non rectè dictum est, quia non dictum est, carnem, vel corpus Domini mei; sed, *Dominum meum?*

Iohan. 20. 2.

CAPUT XXXI.

35. QUAMQUAM paulò superiùs, & ipse Apostolus quomodo rectè potuerit de carne sua dicere, *captivantem me*, satis evidenter aperuit. Cùm enim dixisset, *Scio enim quia non habitat in me*: idipsum exponens adjunxit, & ait, *hoc est, in carne mea bonum.* Hæc ergo captivatur sub lege peccati, in qua non habitat bonum, hoc est, caro. Carnem autem nunc appellavit, ubi est morbidus quidam carnis affectus; non ipsam corporis conformationem, cujus membra non adhibenda sunt arma peccato, id est, eidem ipsi concupiscentiæ, quæ hoc carnale nostrum captivum tenet. Nam quantum adtinet ad ipsam corporalem substantiam atque naturam, in viris fidelibus, sive conjugatis, sive continentibus, jam templum Dei est. Attamen si omnino nihil carnis nostræ captivum teneretur, non quidem sub diabolo, quia & ibi facta est peccati remissio, ut peccatum non imputetur; quod propriè lex peccati vocatur; tamen sub ipsa lege peccati, hoc est, sub concupiscentia sua, nisi aliquantùm teneretur caro nostra captiva, quomodo esset verum quod ait idem Apostolus, *Adoptionem exspectantes, redemtionem corporis nostri?* In tantum igitur adhuc exspectatur redemtio corporis nostri, in quantum adhuc ex aliqua parte captivum est sub lege peccati. Unde & hic exclamans ait, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Ubi quid intellecturi sumus, nisi quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam? Cùm ergo idipsum corpus jam incorruptibile recipietur, plena erit liberatio à corpore mortis hujus: à quo non liberantur, qui sunt ad pœnam resurrecturi. Ad corpus ergo mortis hujus intelligitur pertinere, ut alia lex in membris repugnet quidem legi mentis, dum caro concupiscit adversùs spiritum; etsi mentem non subjuget, quia & spiritus concupiscit adversùs carnem: atque ita quamvis lex ipsa peccati captivum teneat aliquid carnis, unde resistat legi mentis; non tamen regnat in nostro licèt mortali corpore, si non obeditur desideriis ejus. Solent enim & hostes adversùs quos dimicatur, & inferiores esse in certamine, & victi aliquid tenere captivum: quod in nostra carne quamvis sub peccati lege teneatur, tamen in spe redemtionis est; quia ipsa vitiosa concupiscentia nulla omnino remanebit, caro autem nostra ab ea peste morboque sanata, & tota immortalitate vestita, in æterna beatitudine permanebit.

Rom. 7. 18. — Caro, carnis affectus. — Rom. 6. 13. — Rom. 8. 23. — Rom. 7. 24. — Sap. 9. 15. — Gal. 5. 17. — Rom. 6. 12. — Rom. 7. 25.

36. Subjungit autem Apostolus, & dicit, *Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Quod sic intelligendum est: *mente servio legi Dei*, non consentiendo legi peccati; *carne autem servio legi peccati*, habendo desideria peccati, quibus etsi non consentio, nondum tamen penitus careo. Denique quid post hæc intulerit, adtendamus: *Nulla ergo*, inquit, *condem-*

Rom. 8. 1.

A *natio est nunc his, qui sunt in Christo Iesu.* Etiam nunc, inquit, quando lex in membris repugnat legi mentis, & captivum aliquid tenet in corpore mortis hujus, nulla condemnatio est iis qui sunt in Christo Jesu. Audi quare: *Lex enim spiritus vitæ*, inquit, *in Christo Iesu liberavit me à lege peccati & mortis.* Liberavit, quomodo, nisi quia ejus reatum peccatorum omnium remissione dissolvit, ut quamvis adhuc maneat, & de die in diem magis magisque minuatur, in peccatum
B tamen non imputetur?

CAPUT XXXII. Lex peccati cum reatu in parvulis non baptizatis.

37. HÆC itaque remissio peccatorum quamdiu non fit in prole, sic ibi est lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus ejus cum illa sit, qui teneat æterni supplicii debitorem. Hoc enim trajicit parens in prolem carnalem, quod est ipse carnaliter natus, non quod spiritaliter est renatus. Quia idipsum quod carnaliter natus est, quamvis reatu soluto non impediat fructum ejus, tamen tamquam in
C semine olivæ latet, etiamsi propter remissionem peccatorum nihil [a] oleo nocet, ei scilicet vitæ, qua secundùm Christum, qui est appellatus ab oleo, id est, à chrismate, justus ex fide vivit. Hoc autem quod in parente regenerato, tamquam in oleæ semine, sine ullo reatu, quia remissum est, tegitur; profectò in prole nondum regenerata, velut in oleastro, cum reatu habetur, donec etiam illic eâdem gratiâ remittatur. Ex quo enim Adam ex olea tali, in qua nec se-
D men erat hujusmodi, unde amaritudo nasceretur oleastri, in oleastrum peccando conversus est; quia tam magnum peccatum fuit, ubi magna fieret in deterius mutatio naturæ; totum genus humanum fecit oleastrum: ita ut, (quemadmodum nunc in ipsis videmus arboribus,) si quid inde in oleam gratia divina convertit, ibi vitium primæ nativitatis, quod erat originale peccatum de carnali concupiscentia traductum & adtractum, remittatur, tegatur, non imputetur: [b] in-
E sit tamen, unde oleaster nascatur, nisi & ipse in oleam eâdem gratiâ renascatur.

a — Rom. 1. 17. — Peccato Adæ humanum genus oleastrum factum est. — b

CAPUT XXXIII. Psal. 31. 1.

38. BEATA itaque olea, cujus remissæ sunt iniquitates, & cujus tecta sunt peccata: beata, cui non imputavit Dominus peccatum. Sed illud quod remissum & tectum est & non imputatur, donec fiat in æternam immortalitatem plena mutatio, habet vim quamdam occultam, unde seminetur amarus oleaster, nisi & illic eâdem Dei agriculturâ remittatur, tegatur, non imputetur.
F Non erit autem omnino aliquid vel in carnali semine vitiosum, cùm eadem regeneratione, quæ nunc fit per sacrum lavacrum, usque in finem cuncta mala hominis purgante atque sanante, eadem caro per quam facta est anima carnalis, fiet spiritalis etiam ipsa, nullam legi mentis resistentem concupiscentiam carnis habitura, nihil carnalis seminis emissura. Sic enim accipiendum est quod
G ait idem Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid ejusmodi.* Sic, inquam, hoc accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sa-

Baptismo omnis peccatorum remissio; plenaque in resurrectione sanatio, accepta referri debet. — Ephes. 5. 25.

[a] Plures MSS. *nihil olea nocet.*

[b] Sic vetus cod. Benignianus. Editi verò, *unde tamen*: omisso *insit*.

nentur, non solùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posteriùs humanâ ignorantiâ vel infirmitate contrahuntur: non ut baptisma quotiens peccatur, totiens repetatur; sed quia ipso quod semel datur, fit, ut non solùm antea, verùm etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodesset vel ante baptismum pænitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet? In ipsa quoque oratione Dominica, quæ quotidiana est nostra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur, *Dimitte nobis debita nostra*, nisi ab eis qui baptizati sunt, diceretur? Itemque eleemosynarum largitas & beneficentia quantalibet, cui tandem ad dimittenda sua peccata prodesset, si baptizatus non esset? Postremò regni cælorum ipsa felicitas, ubi non habebit Ecclesia maculam aut rugam aut aliquid ejusmodi, ubi nihil reprehensionis, nihil simulationis erit, ubi non solùm reatus, sed nec concupiscentia erit ulla peccati, quorum erit, nisi baptizatorum?

Quotidiana mundatio. *Matth. 6. 12.*

CAPUT XXXIV. Baptismi sanctitate non solùm peccata, sed mala prorsus omnia tollenda. *Ephes. 5. 25.*

39. AC per hoc non solùm omnia peccata, sed omnia prorsus hominum mala, Christiani lavacri sanctitate tolluntur, quo mundat Ecclesiam suam Christus, ut exhibeat eam sibi, non in isto sæculo, sed in futuro, non habentem maculam aut rugam aut aliquid ejusmodi. Nam qui modò eam talem esse dicunt, & tamen in illa sunt; quoniam & ipsi fatentur se habere peccata, si verum dicunt, profectò quoniam mundi non sunt à peccatis, habet in eis Ecclesia maculam: si autem falsum dicunt, quia corde duplici loquuntur, habet in eis Ecclesia rugam. Si autem se dicunt habere ista, non ipsam: ergo se non esse membra ejus, nec se ad corpus ejus pertinere fateantur, ut etiam sua confessione damnentur.

Ecclesia nondum caret omni maculâ.

CAPUT XXXV. Carnis concupiscentiam, ve-

40. DE hac autem concupiscentia carnis, quam curavimus à nuptialibus bonis tam prolixa disputatione distinguere, propter novos hæreticos, qui cùm hæc reprehenditur calumniantur,

A quasi nuptiæ reprehendantur; ut scilicet eam tamquam bonum naturale laudando, suum pestiferum dogma confirment, quo asserunt prolem quæ per illam nascitur, nullum trahere originale peccatum: de hac ergo carnis concupiscentia, beatus Ambrosius Mediolanensis episcopus, cujus sacerdotali ministerio lavacrum regenerationis accepi, sic breviter est locutus, cùm exponens Isaiam prophetam, carnalem Christi nativitatem insinuaret. *Ideo*, inquit, *& quasi homo per universa tentatus est, & in similitudine hominum cuncta*

lue naturale bonum laudantes Pelagiani, refelluntur auctoritate B. Ambrosii.

B *sustinuit: sed quasi de Spiritu natus, abstinuit à peccato. Omnis enim homo mendax, & nemo sine peccato nisi unus Deus. Servatum est igitur ut ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers est delicti, expers est etiam hujusmodi conceptionis.* Numquidnam & sanctus Ambrosius nuptiarum bonitatem, ac non potiùs istorum hæreticorum, quamvis tunc nondum apparentium, vanitatem,

Hebr. 4. 15. Psal. 115. 11.

C hujus suæ sententiæ veritate damnavit? Quod ideo commemorandum putavi, quia Pelagius sic laudat Ambrosium, ut dicat: *Beatus Ambrosius episcopus, in cujus præcipuè libris Romana elucet fides; qui scriptorum inter Latinos flos quidam speciosus enituit, cujus fidem & purissimum in Scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere.* Pæniteat ergo eum, quòd sensit adversùs Ambrosium; ne pæniteat eum, quòd sic laudavit Ambrosium. Habes librum & molestiâ longitudinis,

Ambrosius à Pelagio laudatus, lib. 3. pro libero arbitrio.

D & difficultate quæstionis, quàm mihi fuit ad dictandum, tam tibi ad legendum negotiosum, quibus particulis temporum te invenire potuit aut potuerit otiosum. Quem profectò, quantum me Dominus adjuvare dignatus est, elaboratum inter ecclesiasticas curas meas, non tibi ingererem inter publicas tuas, nisi ab homine Dei qui te familiariùs novit audissem, quòd tam libenter legas, ut etiam nocturnas aliquas horas lectioni vigilanter impendas.

Valerius lectioni deditus.

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM

Augustinus in præfatione Operis imperfecti contra Iulianum.

SCRIPSI librum ad Comitem Valerium, cujus libri titulus est, *De nuptiis & concupiscentia*: eo quòd ad illum pervenisse cognoveram, dicere Pelagianos, damnatores nos esse nuptiarum. Denique in illo opere, nuptiarum bonum à concupiscentiæ carnalis malo, quo bene utitur pudicitia conjugalis, quali potui disputatione discrevi. Quo libro accepto, memoratus vir illustris misit mihi in chartula nonnullas sententias decerptas ex opere Juliani hæretici Pelagiani, (in quo opere libris quatuor respondisse sibi visus est illi uni meo, quem *de nuptiis & concupiscentia* me scripsisse memoravi,) missas sibi à nescio quo, qui eas, ut voluit, ex primo Juliani libro decerpendas curavit: quibus ut quantocius responderem, idem Valerius poposcit. Et factum est, ut sub eodem titulo etiam secundum librum scriberem, contra quem Julianus alios octo nimia loquacitate conscripsit.

Idem in epistola CCVII. *ad Claudium.*

Quisquis ergo & illum secundum librum meum ad Comitem idemtidem Valerium, sicut primum, conscriptum legit, noverit me in quibusdam non respondisse Juliano; sed ei potiùs, qui de libris ejus illa selegit, & non ita posuit, ut invenit, sed aliquantùm putavit esse mutanda; fortasse ut eo modo quasi sua faceret, quæ aliena esse constaret.

SANCTI AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
AD VALERIUM COMITEM
DE NUPTIIS ET CONCUPISCENTIA
LIBER * SECUNDUS.

* Scriptus anno Christi 420.

Sententias Juliani, ex primo librorum quatuor, quos ille contra librum de nuptiis & concupiscentia priorem ediderat, incerti auctoris manu decerptas, & sibi Comite Valerio curante allatas, refellit Augustinus posteriore hoc libro: catholicum dogma de originali malo vindicat ab adversarii calumniis & argutiis, atque in primis id à Manichæorum nefaria hæresi procul abesse demonstrat.

CAPUT I.

INTER militiæ tuæ curas & illustris personæ quam pro meritis gestas, actusque reipublicæ necessarios, fili dilectissime & honorande Valeri, tanto studio te adversùs hæreticos in eloquia divina flagrare, satis dici non potest, quanta mentis jocunditate delecter. Itaque postea quàm legi litteras sublimitatis tuæ, quibus de libro quem ad te scripsi gratias agis; sed & admones, ut per fratrem & coepiscopum meum Alypium audiam, quid de quibusdam locis ejusdem libri hæretici disputationis assumant; ad hoc scribendum excitatus sum. Et quia non tantùm relatu memorati mei fratris id didici, verùm etiam prolatas ab eo chartulas legi, quas post ejus de Ravenna profectionem Romam mittere ipse curasti: ubi adversariorum potui vaniloquia reperire, ad ea respondere, adjuvante Domino, quanta possum veritate & scripturarum divinarum auctoritate, proposui.

CAPUT II.

2. CHARTULA cui nunc respondeo, hoc titulo prænotatur: *Capitula de libro Augustini quem scripsit, contra quæ de libris pauca decerpsi.* Hîc video, eum qui tuæ præstantiæ ista scripta direxit, de nescio quibus ea libris, caussâ, quantum existimo, celerioris responsionis, ne tuam differret instantiam, voluisse decerpere. Qui autem sint isti libri cùm cogitarem, eos esse arbitratus sum, quorum * mentionem Julianus facit in epistola quam Romam misit, cujus exemplum simul ad me usque pervenit. Ibi quippe ait: *Dicunt etiam istas, quæ modò aguntur, nuptias à Deo institutas non fuisse, quod in libro Augustini legitur, contra quem ego modò quatuor libellis respondi.* Credo ex his libellis ista decerpta sunt: unde melius fortasse fuerat, ut universo [a] ipsi operi ejus, quod quatuor voluminibus explicavit, redarguendo &

* V. lib. 1. Operis imperfecti, c. 18.

A refellendo nostra laboraret intentio; nisi & ego responsionem differre noluissem; sicut nec tu transmissionem scriptorum, quibus respondendum est, distulisti.

3. Verba ergo de libro meo tibi à me misso tibique notissimo ista posuit, quæ refutare conatus est. *Damnatores nos esse nuptiarum operisque divini, quo ex maribus & feminis Deus homines creat, invidiosissimè clamitant: quoniam dicimus eos, qui de tali commixtione nascuntur, trahere originale*
B *peccatum; eosque, de parentibus qualibuscumque nascantur, non negamus adhuc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo.* In his verbis meis testimonium Apostoli quod interposui prætermisit, cujus se [b] premi magna mole sentiebat. Ego enim cùm dixissem, homines natos trahere originale peccatum; mox hoc intuli quod Apostolus ait: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: quo te-
C stimonio, ut diximus, prætermisso cetera ille contexuit, quæ suprà commemorata sunt. Novit enim quemadmodum soleant hæc verba apostolica, quæ prætermisit, accipere catholicorum corda fidelium: quæ verba tam recta & tantâ luce fulgentia tenebrosis & tortuosis interpretationibus novi hæretici obscurare & depravare moliuntur.

Lib. 1. de nuptiis & concup. c. 1.

Rom. 5. 12.

4. Deinde alia mea verba subtexuit, ubi dixi: *Nec advertunt, quòd ita nuptiarum bonum malo*
D *originali, quod inde trahitur, non potest accusari, sicut adulteriorum & fornicationum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari. Nam sicut peccatum, sive hinc sive inde trahatur, opus est diaboli: sic homo, sive hinc sive inde nascatur, opus est Dei.* Etiam hîc ea prætermisit, in quibus aures catholicas timuit. Nam ut ad hæc verba veniretur, suprà dictum erat à nobis: *Hoc ergo*

Lib. 1. de nup. & concup. c. 1.

[a] Id præstitit postea sex libris contra Julianum editis, cùm integrum illius opus accepisset, quod quidem Juliani opus quæsitum ut refutaretur, ad se tardiùs pervenisse in lib. 1. Operis imperfecti, c. 19. testatur.

[b] In excusis, *opprimi.*

quia dicimus, quod antiquissimâ atque firmissimâ catholicæ fidei regulâ continetur, isti novelli & perversi dogmatis assertores, qui nihil peccati esse in parvulis dicunt, quod lavacro regenerationis abluatur, tamquam damnemus nuptias, & tamquam opus Dei, hoc est, hominem qui ex illis nascitur, opus diaboli esse dicamus, infideliter vel imperitè calumniantur. His ergo nostris prætermissis, sequuntur illa nostra quæ posuit, sicut suprà scriptum est. In his itaque quæ prætermisit, hoc timuit, quia cuncta Ecclesiæ catholicæ pectora convenit, fidemque ipsam antiquitus traditam atque fundatam, clara quodam modo voce compellat, & adversùs eos vehementissimè permovet quod diximus, *quia nihil peccati esse in parvulis dicunt, quod lavacro regenerationis abluatur.* Omnes enim ad ecclesiam non propter aliud cum parvulis currunt, nisi ut in eis originale peccatum generatione primæ nativitatis adtractum, regeneratione secundæ nativitatis expietur.

* V. lib. 1. Oper. imperf. c. 64.

5. Deinde ad nostra superiora verba * revertitur, quæ nescio cur repetat. *Eos autem qui de tali commixtione nascuntur, dicimus trahere originale peccatum; eosque, de parentibus qualibuscumque nascantur, non negamus adhuc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo.* Hæc verba nostra & paulò antè jam dixerat. Deinde subjungit quod de Christo diximus, *qui de eadem sexûs utriusque commixtione nasci noluit.* Sed etiam hîc prætermisit quod ego posui, *ut per ejus gratiam de potestate eruti tenebrarum, in regnum illius, qui ex eadem sexûs utriusque commixtione nasci noluit, transferantur.* Vide, obsecro te, quæ nostra verba vitavit, tamquam inimicus omnino gratiæ Dei, quæ venit per Jesum Christum Dominum nostrum. Scit enim ab illa Apostoli sententia, qua dixit de Deo Patre: Qui eruit nos de potestate tenebrarum, » & transtulit in regnum Filii caritatis suæ, improbissimè & impiissimè parvulos separari: ideo procul dubio verba ista prætermittere quàm ponere maluit.

Colos. 1. 13.

6. Post hæc illud nostrum posuit, ubi diximus: *Hæc enim quæ ab impudentibus impudenter laudatur pudenda concupiscentia, nulla esset, nisi homo antè peccasset: nuptiæ verò essent, etiam si nemo peccasset; fieret quippe sine isto morbo seminatio filiorum.* Huc usque ille verba mea posuit. Timuit enim quod adjunxi, *in corpore vitæ illius, sine quo nunc fieri non potest in corpore mortis hujus.* Et hîc ut meam sententiam non finiret, sed eam quodam modo detruncaret, illud Apostoli testimonium formidavit, ubi ait, Miser ego homo, quis me » liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei » per Jesum Christum Dominum nostrum. Non enim erat corpus mortis hujus in paradiso ante peccatum, propter quod diximus, *in corpore vitæ illius* quæ ibi erat, *sine isto morbo seminationem fieri potuisse filiorum, sine quo nunc in corpore mortis hujus fieri non potest.* Ut autem ad istam commemorationem humanæ miseriæ & divinæ gratiæ veniret Apostolus, suprà dixerat: Video aliam » legem in membris meis, repugnantem legi men- » tis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ » est in membris meis. Post hæc autem verba exclamavit: Miser ego homo quis me liberabit de « corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum « Christum Dominum nostrum. In corpore igitur « mortis hujus, quale in paradiso ante peccatum [a] fuit, profectò non erat alia lex in membris nostris repugnans legi mentis nostræ: quia & quando nolumus, & quando non consentimus, nec ei membra nostra ut impleat quod appetit exhibemus, habitat tamen in eis, & mentem resistentem repugnantemque sollicitat: ut ipse conflictus, etiamsi non sit damnabilis, quia non perficit iniquitatem; sit tamen miserabilis, quia non habet pacem. Satis igitur admonuerim, sic istum verba mea velut refellenda sibi proponere voluisse, ut alicubi mediis detractis, sententias interrumperet; alicubi extremis non additis decurtaret: & cur hoc fecerit, sufficienter ostenderim.

V. lib. 1. Oper. imperf. c. 67.

Rom. 7. 24.

Rom. 7. 23.

CAPUT III. Responsio verbis decerptis ex Juliani præfatione.

7. Nunc ad ea quæ sicut voluit, nostra proposuit, quæ sua opposuerit, videamus. Sequuntur enim jam verba ejus; & sicut iste insinuavit qui tibi chartulam misit, priùs aliquid de præfatione conscripsit, procul dubio librorum illorum de quibus pauca decerpsit. Id autem ita se habet: *Doctores*, inquit, *nostri temporis, frater beatissime, & nefariæ quæ adhuc fervet seditionis auctores, ad hominum, quorum sanctis studiis uruntur, contumelias & exitium decreverunt per ruinam totius Ecclesiæ pervenire: non intelligentes quantum his contulerint honoris, quorum ostenderunt gloriam nisi cum catholica religione non potuisse convelli. Nam si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cælestianus & Pelagianus vocatur. Ne igitur vocentur hæretici, fiunt Manichæi; & dum falsam verentur infamiam, verum crimen incurrunt; instar ferarum, quæ circumdantur pinnis, ut cogantur in retia; quibus quoniam deest ratio, in verum exitium vana formidine contruduntur.*

V. lib. 1. Oper. imperf. c. 71.

8. Non est ita ut loqueris, quicumque ista dixisti; non est ita: multum falleris, vel fallere meditaris: non liberum negamus arbitrium; sed, Si vos Filius liberaverit, ait Veritas, tunc verè liberi eritis. Hunc vos invidetis liberatorem, quibus captivis vanam tribuitis libertatem. A quo enim quis devictus est, sicut dicit Scriptura, huic servus addictus est: nec quisquam nisi per gratiam liberatoris isto solvitur vinculo servitutis, à [b] quo est hominum nullus immunis. Per unum quippe hominem peccatum intravit in « mundum, & per peccatum mors, & ita in om- « nes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Sic est ergo Deus nascentium conditor, ut omnes ex uno eant in condemnationem, quorum non fuerit renascentium liberator. Ipse quippe dictus est figulus, ex eadem massa faciens aliud vas in honorem secundùm misericordiam, aliud in contumeliam secundùm judicium: cui cantat Ecclesia, Misericordiam & judicium. Non itaque sicut te atque alios fallens loqueris, *Si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cælestianus & Pelagianus vocatur:* ista quippe catholica fides dicit. Sed si quis ad colendum rectè Deum, sine ipsius adjutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium;

Johan. 8. 36.

2. Pet. 2. 19.

Rom. 5. 12.

Rom. 9. 21.

Psal. 100. 1.

V. lib. 1. Oper. imperf. c. ...

[a] Duo MSS. & editiones Polemicorum duæ, Parisiensis anni 1644. & Lovaniensis an. 1647. *ante peccatum non fuit, profectò non erat alia* &c. Duo è Vaticanis MSS. *ante peccatum profectò non erat, alia lex in membris nostris repugnat legi* &c. Hæc ipsa lectio erat in lib. 1. Operis imperfecti, c. 71.

[b] Sic Am. Er. & MSS. At posteriores editiones, *à qua.*

arbitrium; & quiſquis ita dicit Deum naſcentium conditorem, ut parvulorum neget à poteſtate diaboli redemtorem, ipſe Pelagianus & Cæleſtianus vocatur. Liberum itaque in hominibus eſſe arbitrium, & Deum eſſe naſcentium conditorem, utrique dicimus; non hinc eſtis Cæleſtiani & Pelagiani: liberum autem eſſe quemquam ad agendum bonum ſine adjutorio Dei, & non erui parvulos à poteſtate tenebrarum, & ſic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis; hinc eſtis Cæleſtiani & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen, unde vobis inditum eſt nomen; atque ut nefario vocabulo terreas imperitos, dicis, *Ne igitur vocentur hæretici, fiunt Manichæi?*

Coloſſ. 1. 13.

Catholicos originale peccatum aſſerentes, à Manichæis procul abeſſe.

9. Audi ergo breviter, quid in iſta quæſtione verſetur. Catholici dicunt humanam naturam à creatore Deo bono conditam bonam, ſed peccato vitiatam medico Chriſto indigere. Manichæi dicunt humanam naturam, non à Deo conditam bonam peccatoque vitiatam, ſed ab æternarum principe tenebrarum de commixtione duarum naturarum, quæ ſemper fuerunt, una bona & una mala, hominem creatum. Pelagiani & Cæleſtiani dicunt humanam naturam à bono Deo conditam bonam, ſed ita eſſe in naſcentibus parvulis ſanam, ut Chriſti non habeant neceſſariam in illa ætate medicinam. Agnoſce igitur in tuo dogmate nomen tuum, & Catholicis à quibus confutaris, deſine objicere & dogma & nomen alienum. Nam veritas utroſque redarguit, & Manichæos, & vos. Manichæis enim dicit: Non » legiſtis quia qui ab initio fecit hominem, maſ» culum & feminam fecit eos? & dixit, Propter » hoc relinquet homo patrem & matrem, & ad» hærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una: » itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod » ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. Ita quippe oſtendit & hominum conditorem, & conjugum copulatorem Deum, adversùs Manichæos, qui utrumque horum negant. Vobis autem dicit: Venit filius hominis quærere & ſalvare quod perierat. Sed vos egregii Chriſtiani reſpondete Chriſto: Si quod perierat quærere & ſalvare veniſti, ad parvulos non veniſti; iſti nec perierant, & ſalvi nati ſunt: vade ad majores, de verbis tuis tibi præſcribimus: Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Ita fit, ut Manichæus qui homini commixtam dicit eſſe naturam malam, velit inde ſaltem ſalvari à Chriſto animam bonam: tu verò in parvulis, cùm ſalvi ſint [a] corpore, nihil à Chriſto ſalvandum eſſe contendis. Ac per hoc Manichæus quidem naturam humanam deteſtabiliter vituperat; ſed tu crudeliter laudas. Quicumque enim tibi crediderint laudatori, infantes ſuos non offerent ſalvatori. Tam [b] ſcelerata ſentienti, quid tibi prodeſt non metuere [c] quod tibi fit ut ſalubriter metuas, & te hominem facit eſſe, non beſtiam, quæ circumdatur pinnis, ut cogatur in retia? Opus erat ut veritatem teneres, ejuſque ſtudio non timeres: nunc verò ita non times, ut ſi timeres, evaderes potiùs retia [d] maligni, quàm incurreres. Mater catholica te ideo terret, quia & tibi & aliis à te timet: & ſi per filios ſuos in aliqua poteſtate poſitos agit ut timeas, non id agit crudelitate, ſed caritate. Tu autem vir fortiſſimus timere homines, ignavum putas. Deum ergo time, & noli antiqua fidei catholicæ fundamenta conari tanta obſtinatione ſubvertere. Quamquam iſte tuus animus animoſus, utinam ſaltem in hac cauſſa homines timeret: utinam, inquam, ſaltem paveret ignaviâ, [e] quàm periret audaciâ.

Matth. 19. 4.

Luc. 19. 10.

Matth. 9. 12.

CAPUT IV.

Quomodo refutandæ adverſarii calumniæ.

10. VIDEAMUS & cetera quæ connectit. Sed quid faciam, utrùm ſingula ejus proponam, quibus reſpondeam; an eis prætermiſſis quæ catholica fides continet, ea ſola pertractem atque confutem, in quibus à tramite veritatis exorbitat, & hæreſim Pelagianam, tamquam venenoſa virgulta, fruticibus catholicis conatur inſerere? Hoc quidem certè brevius eſt: ſed proſpiciendum arbitror, ne quiſquam libro meo lecto, & non lectis omnibus quæ ab illo dicta ſunt, exiſtimet ea me proponere noluiſſe, ex quibus iſta ejus pendent, & ex quibus quaſi conſequenter vera eſſe monſtrantur, quæ falſa redarguo. Non itaque pigeat utraque huic opuſculo noſtro indita, & ea ſcilicet quæ ille dixit, & ea quæ ipſe reſpondeo, univerſa adtendere & conſiderare lectorem.

11. Quæ ſequuntur ergo, ita prænotavit, qui tuæ dilectioni chartulam miſit: *Contra eos*, inquit, *qui nuptias damnant, & fructus earum diabolo aſſignant.* Non igitur contra nos, qui neque nuptias damnamus, quas etiam in ordine ſuo debita prædicatione laudamus; nec earum fructus diabolo aſſignamus: fructus quippe nuptiarum homines ſunt, qui ordinatè inde generantur, non peccata cum quibus naſcuntur: nec ideo ſunt homines ſub diabolo, quia homines ſunt, ubi ſunt fructus nuptiarum; ſed quia peccatores ſunt, ubi eſt propago vitiorum. Diabolus enim culpæ auctor eſt, non naturæ.

12. Adtende & cetera, quibus ſe exiſtimat adversùs nos huic præmiſſo titulo conſonare. *Deus*, inquit, *qui Adam ex limo fuerat fabricatus, Evam conſtruxit è coſta, & dixit, Hæc vocabitur vita, quoniam mater eſt omnium viventium.* Non quidem ita ſcriptum eſt: ſed quid ad nos? ſolet enim accidere, ut memoria fallat in verbis, dum tamen ſententia teneatur [f]. Nec Evæ nomen, ut appellaretur vita, Deus impoſuit, ſed maritus. Sic enim legitur: Et vocavit Adam nomen uxoris ſuæ vita, quoniam ipſa mater eſt omnium viventium. Sed hoc fortaſſis ita intellexerit, ut Deus per Adam nomen illud Evæ impoſuiſſe credatur, tamquam per [g] prophetam. Nam in hoc quòd appellata eſt vita materque viventium, magnum

Gen. 2. 22.

Gen. 3. 20.

Evæ nomē vita, magnum eſt Eccleſiæ ſacramentum.

[a] Abeſt *corpore* ab omnibus propè MSS. Sed eſt in lib. 3. Operis imperfecti, c. 137.

[b] Benignianus cod. *ſceleratè.*

[c] Er. & Lov. cum poſterioribus edit. *non metuere. Quin tibi fit, ut ſalubriter metuas, & te hominem facis eſſe.* Meliùs Sigiramnenſis cod. *facit eſſe*: cum quo ceteri ferè omnes MSS. habent, *non metuere quod tibi fit*, pœnas videlicet, ſeu leges contra Pelagianos hæreticos jam ab Honorio imperatore conſtitutas, quarum terrore perculſos Romanos clericos *non erubuiſſe prævaricationis crimen admittere, ut pronuntiarent malam hominum eſſe naturam*, calumniabatur Julianus, ut videbimus in lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum, c. 3.

[d] Am. Er. & omnes MSS. *maligna.*

[e] Er. & poſteriores editiones addunt, *potiùs.* Non erat in MSS. nec ineleganter omittitur.

[f] Lov. aliæque deinceps editiones, *teneatur in libris.* Hocce additamento carebant veteres libri. V. lib. 4. Oper. imperf. c. 4.

[g] Am. Er. & plerique MSS. *per prophetiam.*

est Ecclesiæ sacramentum, unde nunc disserere A longum est, & suscepto operi non necessarium.
Ephes. 5. 32. Nam & illud quod dixit Apostolus, Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo
Gen. 2. 24. & in Ecclesia: ipse Adam dixit, Propter hoc „ relinquet homo matrem & patrem, & adhære- „ bit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Quod
Matth. 19. 4. tamen Dominus Jesus in Evangelio Deum dixisse commemorat: quia Deus utique per hominem dixit, quod homo prophetando prædixit. Ergo quæ sequuntur intuere: *Prima*, inquit, *appella-* B
Gen. 1. 28. *tione, cui operi parata esset, ostendit, & dixit, Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Quis enim nostrûm negat ad opus pariendi à Domino Deo creatore omnium bonorum bono præparatam fuisse mulierem? Adhuc vide quid adjungat: *Deus igitur*, inquit, *maris creator & feminæ convenientia generationibus membra formavit, & gigni corpora de corporibus ordinavit; quorum tamen efficientiæ* [a] *potentiâ operationis intervenit, omne quod est eâ administrans virtute quâ condidit.* Etiam hoc C esse catholicum confitemur. Et quod deinde subjungit: *Si igitur*, inquit, *non nisi per sexum fetus, non nisi per corpus sexus, non nisi per Deum corpus, quis ambigat fecunditatem Deo jure reputari?*

Pelagiana hæresis, nihil in progenitorum natura esse, ob quod homo nascens jure possideatur à diabolo.

13. Post hæc quæ veraciter & catholicè dicta sunt, immo in divinis libris veraciter scripta, non autem ab isto catholicè dicta sunt, quia non intentione catholici pectoris dicta sunt; jam propter quod ea dixit, Pelagiana & Cælestiana hæresis incipit introduci. Namque adtende quod D sequitur: *Tu verò*, inquit, *qui dicis, Eosque de parentibus qualibuscumque nascantur, non negamus adhuc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo: ostende ergo nunc, quid suum diabolus cognoscat in sexibus, per quod fructum eorum, ut dicis, jure possideat. Diversitatem sexuum? sed hæc in corporibus est, quæ Deus fecit. Commixtionem? sed non minùs benedictionis quàm institutionis privilegio vindicatur. Vox*
Gen. 2. 24. *enim Dei est: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* E
Gen. 1. 28. *Vox Dei est: Crescite, & multiplicamini, & replete terram. An fortè ipsam fecunditatem? Sed ipsa est instituti caussa conjugii.*

CAPUT V. 14. VIDES igitur quemadmodum nos interroget, quid suum diabolus cognoscat in sexibus, per quod sub illo sint, qui de parentibus qualibuscumque nascuntur, nisi renascantur in Christo: utrùm diversitatem sexuum dicamus ad diabolum pertinere, an commixtionem, an ipsam fecunditatem. Respondemus itaque, nihil horum: F quia & diversitas sexuum pertinet ad vasa gignentium, & utriusque commixtio ad seminationem pertinet filiorum, & ipsa fecunditas ad benedictionem pertinet nuptiarum. Hæc autem omnia ex Deo: sed iste in his omnibus noluit nominare concupiscentiam carnis, quæ non est à
1. Johan. 2. 16. Patre, sed ex mundo est; cujus mundi princeps dictus est diabolus: qui eam in Domino non invenit, quia [b] Dominus homo non per ipsam ad
Johan. 14. 30. homines venit: unde dicit etiam ipse, Ecce venit G princeps hujus mundi, & in me nihil [c] invenit: nihil utique peccati, nec quod à nascente trahitur, nec quod à vivente additur. Hanc iste noluit nominare in his omnibus, quæ commemoravit, naturalibus bonis, de qua etiam nuptiæ confunduntur, quæ de his bonis omnibus gloriantur. Nam quare illud opus conjugatorum subtrahitur & absconditur etiam oculis filiorum, nisi quia non possunt esse in laudanda commixtione, sine pudenda libidine? De hac erubuerunt *Gen. 3. 7.* etiam qui primi pudenda texerunt, quæ priùs pudenda non fuerunt, sed tamquam Dei opera [d] B [d] prædicanda atque glorianda. Tunc ergo texerunt, quando erubuerunt: tunc autem erubuerunt, quando post inobedientiam suam inobedientia membra senserunt. De hac erubuit etiam iste laudator: commemoravit enim sexuum diversitatem, commemoravit commixtionem, commemoravit fecunditatem; illam verò commemorare verecundatus est. Nec mirum si pudet laudantes, quod videmus ipsos pudere generantes.

Homo nascens subditur diabolo per peccatum.

15. Sed adjungit, & dicit: *Per quid igitur sub* C *diabolo sunt, quos Deus fecit?* Sibique veluti ex nostra voce respondet: *Per peccatum*, inquit, *non per naturam.* Deinde nostræ responsioni suam referens: *Sed ut non potest*, inquit, *sine sexibus esse fetus, ita nec sine voluntate delictum.* Ita verò, ita
Rom. 5. 12. est. Sic enim per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Per unius illius voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, quando omnes ille D unus fuerunt, de quo propterea singuli peccatum originale traxerunt. *Dicis enim*, inquit, *ideo illos esse sub diabolo, quia de sexûs utriusque commixtione nascuntur.* Dico planè, propter delictum eos esse sub diabolo: ideo autem expertes non esse delicti, quia de illa commixtione sunt nati, quæ sine pudenda libidine non potest etiam quod honestum est operari. Dixit hoc etiam beatissimæ memoriæ Ambrosius ecclesiæ Mediolanensis episcopus, cùm Christi carnalem nativitatem E ideo diceret expertem esse delicti, quia conceptus ejus utriusque sexûs commixtionis est expers; nullum autem hominum esse sine delicto, qui de illa commixtione conceptus sit. Nam ejus verba ista sunt: *Ideo*, inquit, *& quasi homo per universa tentatus est, & in similitudine hominum cuncta sustinuit: sed quasi de spiritu natus, abstinuit à peccato. Omnis enim homo mendax, & nemo sine*
Psal. 115. *peccato, nisi unus Deus. Servatum est igitur*, inquit, *ut ex viro & muliere, id est, per illam corporum* F *commixtionem, nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers est delicti, expers est etiam hujusmodi conceptionis.* Numquid etiam istum, ô Pelagiani & Cælestiani, audebitis dicere Manichæum? quod eum dicebat esse Jovinianus hæreticus, contra cujus impietatem vir ille sanctus etiam post partum permanentem virginitatem sanctæ Mariæ defendebat. Si ergo illum Manichæum dicere non audetis; nos cùm in eadem caussa, eadem sententiâ fidem catholicam defendamus, G cur dicitis Manichæos? Aut si & illum fidelissimum virum hoc secundùm Manichæos sapuisse jactatis, jactate, jactate, ut mensuram Joviniani

In Adam peccavimus omnes: unus homo fuimus.

Ambrosius in Isaiam.

Ambrosium Jovinianus Manichæum appellavit.

[a] Editi, *potentia Dei operationis intervenit.* Abest *Dei* à MSS. nec non à lib. 4. Operis imperfecti c. 5. Pendet sententia tota ab illis verbis, *Deus igitur.*

[b] Antiquissimus cod. Benignianus, *Deus homo.*

[c] Soli ferè editi, *inveniet.*

[d] Plures, sed recentiores MSS. *laudanda atque prædicanda:* misso, *atque glorianda.*

[a] perfectiùs impleatis: nos cum illo homine Dei patienter vestra maledicta & convicia sustinemus. Et tamen hæresiarches vester Pelagius fidem & purissimum in Scripturis sensum sic laudat Ambrosii, ut dicat, ne inimicum quidem ausum esse reprehendere. Quò ergo progressi fueritis adtendite, & vos ab ausibus Joviniani tandem aliquando cohibete. Quamvis ille nimis laudando nuptias, sanctæ illas virginitati adæquavit; & tamen nuptiarum fructibus ab utero etiam recentibus Christum salvatorem & de potestate diaboli redemtorem necessarium non negavit: quod vos negatis; & quia vobis pro eorum salute, qui nondum pro se loqui possunt, & pro fidei catholicæ fundamentis resistimus, Manichæos nos esse jactatis. Sed jam sequentia videamus.

V. lib. de grat. Chr. c. 43.

CAPUT VI.

16. RURSUS quippe interrogans dicit: *Quem igitur parvulorum confiteris auctorem? Deum verum?* [b] Respondeo, *Deum verum.* Deinde subjungit: *Sed malum ille non fecit.* Ac rursus interrogat, *utrùm diabolum parvulorum confiteamur auctorem.* Rursusque respondet, *Sed naturam hominis ipse non condidit.* Deinde quasi concludit atque infert: *Si mala commixtio, deformis & conditio corporum; & ideo corpora quoque malo à te deputantur auctori.* Cui respondeo, Malo auctori non deputo corpora, sed delicta, quorum causâ factum est, ut cùm in corporibus, hoc est, in Dei operibus, totum placeret, accideret tamen masculo & feminæ quod puderet, ut non esset commixtio qualis esse potuit in corpore vitæ illius, sed qualem videmus erubescentes in corpore mortis hujus. *Deus verò*, inquit, *divisit in sexu, quod in operatione conjungeret. Ab ipso igitur commixtio corporum, à quo est origo corporum.* Jam suprà respondimus, hæc ex Deo esse; sed non delictum, non membrorum inobedientiam per carnis concupiscentiam, quæ non est à Patre. Deinde dicit: *Tot ergo rerum bonarum, id est, corporum, sexuum, conjunctionum malos fructus esse non posse, nec homines ob hoc à Deo fieri, ut à diabolo, sicut dicis*, inquit, *legitimo jure teneantur.* Jam dictum est, non eos ideo teneri, quia homines sunt, quod naturæ nomen est, cujus auctor diabolus non est; sed quia peccatores sunt, quod culpæ nomen est, cujus diabolus auctor est.

1. Johan. 2. 16.

CAPUT VII. Concupiscentiam Pelagianos nominare pudet, laudare non pudet.

17. SED inter tot nomina bonarum rerum, id est, corporum, sexuum, conjunctionum, libidinem vel concupiscentiam carnis iste non nominat. Tacet, quia pudet: & mirâ (si dici potest) pudoris impudentiâ, quod nominare pudet, laudare non pudet. Denique vide, quemadmodum magis eam circumloquendo maluerit significare, quàm dicere. *Post quàm autem vir*, inquit, *naturali appetitu cognovit uxorem.* Ecce iterum dicere noluit, carnis concupiscentiâ cognovit uxorem: sed *naturali*, inquit, *appetitu*: ubi adhuc possumus intelligere ipsam voluntatem justam & honestam, qua voluit filios procreare; non illam libidinem, de qua iste sic erubescit, ut ambiguè nobis loqui malit, quàm perspicuè quod sentit exprimere. Quid est *naturali appetitu?* An non & velle esse salvum, & velle ipsos suscipere, nutrire, erudire filios, naturalis est appetitus, idemque rationis est, non libidinis? Sed quia hujus novimus intentionem, ideo non eum putamus his verbis, nisi libidinem membrorum genitalium significare voluisse. Nonne tibi videntur hæc verba folia esse ficulnea, sub quibus latet, quid aliud, quàm id quod pudet? Ita quippe iste sibi circumlocutionis hujus obstacula, sicut illi succinctoria consuerunt. [c] Contexat & dicat, *Post quàm autem vir naturali appetitu cognovit uxorem, dicit scriptura divina, Concepit Eva, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Cain. Sed quid*, inquit, *dicit Adam, audiamus: Adquisivi hominem per Deum. Unde constat opus Dei esse, quem per Deum adquisitum scriptura divina testatur.* Quis hinc dubitet? quis hoc neget, maximè catholicus Christianus? Opus Dei est homo: sed carnis concupiscentia, sine qua, si peccatum non præcessisset, tranquillæ voluntati obedientibus sicuti cetera membra genitalibus, seminaretur homo, non est à Patre, sed ex mundo est.

Naturalis appetitus non omnis malus, nec inhonestus.

Gen. 3. 7.

Gen. 4. 1.

1. Johan. 2. 16.

18. Verùm nunc, obsecro te, paulò adtentiùs intuere, quod nomen [d] invenerit, quo rursus operiret, quod erubescit aperire. *Genuerat enim eum*, inquit, *Adam potentiâ membrorum, non diversitate meritorum.* Quid dixerit, *diversitate meritorum*, fateor non intelligo: sed *potentiâ membrorum*, credo, illud voluit dicere, quod pudet evidenter dicere. Maluit enim dicere *membrorum potentiâ*, quàm carnis concupiscentiâ. Planè, etiam si non cogitavit, significavit aliquid, quod ad rem pertinere videatur. Quid enim potentius membris hominis, quando non serviunt voluntati hominis? Quæ tamen etsi frenentur temperantiâ vel continentiâ, usus eorum aliquantùm, motus tamen eorum non est in hominis potestate. Genuit ergo Adam filios hac, ut iste dicit, *membrorum* suorum *potentiâ*, de qua priùs quàm illos gigneret, erubuit post peccatum. Si autem non peccasset, non eos genuisset membrorum potentiâ, sed membrorum obedientiâ. Ipse quippe esset potens, ut eis subjectis voluntate imperaret, si potentiori & ipse subjectus eadem voluntate serviret.

CAPUT VIII.

Gen. 4. 25.

19. *Post aliquanta iterum dicit scriptura divina*, inquit, *Cognovit Adam Evam uxorem suam, & concepit, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Seth, dicens, Suscitavit mihi Dominus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Deinde addit, & dicit, *Ad documentum instituti coitûs, ipsum semen divinitas dicitur excitasse.* Non intellexit homo iste quod scriptum est: putavit enim ad hoc esse dictum, Suscitavit mihi Dominus semen aliud pro Abel, ut crederetur Deus illi excitasse libidinem coeundi, cujus motu excitaretur semen, ut gremio feminæ posset infundi. Nescit non esse [e] dictum, excitavit mihi semen: nisi, dedit mihi filium. Denique hoc Adam non dixit post coitum suum, quo semen emisit, sed post conjugis partum, quo filium Deo donante suscepit. Nam quæ gratulatio est, nisi fortè libidinosorum & suum vas in morbo concupiscentiæ, quod vetat Apostolus, possidentium, si semen extrema coeundi voluptate fundatur, nec sequatur con-

1. Thess. 4. 5.

[a] Aliquot MSS. omittunt, *perfectiùs*: cujus loco Benignianus scriptum è regione habet, *defectus*.
[b] Apud Lov. *Respondet.*

[c] Lov. *contexit & dicit.*
[d] Apud Lov. *nomen novum.*
[e] Hic in editis additur, *ob aliud.*

ceptus aut partus, ubi nuptiarum verus est fructus?

De vitio seminis trahitur originale peccatum.

20. Neque hoc ideo dixerim, quòd alius putandus sit præter summum & verum Deum, vel humani seminis, vel ipsius hominis creator ex semine: sed hoc tranquillâ de homine obedientiâ membrorum ad nutum voluntatis exisset, si peccatum non præcessisset. Neque nunc agitur de natura seminis, sed de vitio. Illa quippe habet auctorem Deum, ex isto autem trahitur originale peccatum. Nam si semen ipsum nullum habet vitium, quid est quod scriptum est in libro Sapientiæ (Sap. 12. 10.): Non ignorans quoniam nequam » est natio illorum, & naturalis malitia ipsorum, » & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum » in perpetuum; semen enim erat maledictum ab » initio? Nempe de quibuscumque dicat ista, de hominibus dicit. Quomodo est ergo cujuslibet hominis malitia naturalis & semen maledictum ab initio, nisi ad illud respiciatur (Rom. 5. 12.), quòd per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt? [a] Cujus autem hominis mala cogitatio non potest in perpetuum mutari, nisi quia per se ipsam non potest, sed si gratia divina subveniat; qua non subveniente quid sunt homines, nisi quod ait apostolus Petrus (2. Pet. 2. 12.), velut muta animalia procreata naturaliter in captivitatem & interitum? Unde uno loco Paulus apostolus utrumque commemorans, & iram Dei cum qua nascimur, & gratiam qua liberamur (Ephes. 2. 3.): Et nos omnes, inquit, aliquando » conversati sumus in desideriis carnis nostræ, fa- » cientes voluntatem carnis & affectionum, & era- » mus naturâ filii iræ, sicut & ceteri. Deus autem » qui dives est in misericordia propter multam di- » lectionem qua dilexit nos, & cùm essemus mor- » tui peccatis, convivificavit nos Christo, cujus » gratiâ sumus salvi facti. Quid est ergo malitia naturalis hominis, & semen maledictum ab initio, & procreati naturaliter in captivitatem & interitum, & naturâ filii iræ? Numquid in Adam natura ista sic condita est? Absit: sed quia in illo vitiata, sic per omnes jam naturaliter cucurrit & currit, ut ab hac perditione non liberet, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

CAPUT IX.

Gen. 9. 1.

21. QUID est ergo quod iste adjungit & dicit de Noë & filiis ejus, quòd *similiter benedicti sint ut Adam & Eva, dicente Deo, Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & dominamini ejus?* Quibus Dei verbis addit sua, dicens: *Voluptas ergo ista, quam tu diabolicam vis videri, jam in supradictis conjugibus habebatur, quæ ut institutione bona, ita etiam benedictione permansit. Non enim dubitatur, de hac ad Noë & ad filios ejus corporum commixtione dictum, cujus jam usus inoleverat: Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Non opus est eadem multis verbis repetere. De vitio hîc agitur, quo est depravata natura bona, cujus vitii auctor est diabolus; non de naturæ ipsius bonitate, cujus auctor est Deus: qui neque ab ipsa vitiata depravataque natura suam abstinuit bonitatem, ut auferret ab homine fecunditatem, vivacitatem, sanitatem, ipsamque substantiam animi & corporis, sensus atque rationem, alimenta, nutrimenta, incrementa; qui etiam facit oriri solem suum super bonos & malos, & pluit super justos & injustos (Matth. 5. 45.), & quidquid boni est naturæ humanæ à Deo bono, etiam in illis hominibus [b] qui non liberabuntur à malo.

22. Voluptatem tamen iste & hîc dixit, quia potest voluptas & honesta esse; non dixit carnis concupiscentiam vel libidinem, quæ pudenda est: sed in consequentibus aperuit verecundiam suam, nec dissimulare potuit ab eo, quod violenter ipsa natura præscripsit. *Et illud*, inquit, *& Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una* (Gen. 2. 24.). *Et post hæc Dei verba*, sua ipse subjungens, *Ut exprimeret*, inquit, *fidem operum, propheta prope periculum pudoris accessit.* O aperta prorsus & vi veritatis extorta confessio! Propheta ergo, ut exprimeret fidem operum, prope periculum pudoris accessit, quia dixit, Erunt duo in carne una, ubi commixtionem maris & feminæ intelligi voluit. Dicatur caussa, cur in exprimendis operibus Dei, propheta prope periculum pudoris accesserit. Itane verò humana opera pudenda esse non debent, sed planè glorianda, & divina pudenda sunt? Itane verò in eloquendis & exprimendis operibus Dei, non honoratur prophetæ vel amor vel labor, sed periclitatur pudor? Quid enim potuit Deus facere, quod ejus prædicatorem pudeat dicere? Et quod est gravius, pudeat hominem alicujus operis, quod non homo, sed Deus fecit in homine: cùm omnes opifices quanto possunt labore & industriâ id agant, ne de suis operibus erubescant? Sed profectò illud nos pudet, quod puduit primos illos homines, quando pudenda texerunt. Illa est pœna peccati, illa plaga vestigiumque peccati, illa illecebra fomesque peccati, illa lex in membris repugnans legi mentis, illa ex nobis ipsis adversùs nos ipsos inobedientia, justissimo reciprocatu inobedientibus reddita. Hujus nos pudet, & meritò pudet. Nam si hoc non esset, quid nobis esset ingratius, quid irreligiosius, si in membris nostris, non de vitio vel de pœna nostra, sed de Dei confunderemur operibus?

CAPUT X.

23. DICIT etiam iste multa frustra de Abraham & Sara, quomodo ex repromissione acceperint filium; & tandem concupiscentiam nominat: non tamen addit carnis, quia ipsa pudenda est. In concupiscentiæ autem nomine aliquando gloriandum est: quia est & concupiscentia spiritûs adversùs carnem (Gal. 5. 17.), est & concupiscentia sapientiæ (Sap. 6. 21.). Ait ergo: *Certè hanc concupiscentiam, sine qua nulla fecunditas est, malam naturaliter definisti: unde ergo per donum cæleste in senibus excitatur? Adstrue jam hoc, si potes, ad opus diaboli pertinere, quod Deum vides conferre pro munere.* Ita hoc dicit, quasi concupiscentia carnis illis antè defuerit, & hanc eis donaverit Deus: quæ procul dubio inerat in corpore mortis hujus; sed fecunditas defuit, cujus auctor est Deus, & ipsa donata est quando voluit Deus. Absit autem ut dicamus, quod nos putavit esse dicturos, Isaac sine concubitûs calore generatum.

CAPUT XI.

24. SED ipse jam dicat, quare interiret anima ejus de genere suo, si circumcisus die non esset octavo: quid ipse peccasset, quid offendis-

[a] Lov. & posteriores tantùm edit. *Cur autem.*

[b] Editi post *hominibus*, addunt *est*.

ſet Deum, ut de aliena in ſe negligentia tam ſe- A verâ ſententiâ puniretur, ſi nullum eſſet originale peccatum? De circumcidendis enim Deus ſic mandavit infantibus: Maſculus qui non circumcidetur carnem præputii ſui octavo die, diſperiet anima ejus de genere ſuo, quia teſtamentum meum diſſipavit. Dicat iſte, ſi poteſt, quomodo puer ille teſtamentum Dei diſſipavit, octo dierum, quantum ad ipſum propriè adtinet, innocens infans: & tamen nullo modo Deus vel ſancta ſcriptura id mendaciter diceret. Tunc er- B go diſſipavit teſtamentum Dei, non hoc de imperata circumciſione, ſed illud de ligni prohibitione, quando per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Et hoc in illo ſignificabatur expiari circumciſione octavi diei, hoc eſt, ſacramento Mediatoris in carne venturi: quia per eamdem fidem venturi in carne Chriſti, & morituri pro nobis, & tertio die, qui poſt ſeptimum ſabbati C fuerat futurus octavus, reſurrecturi, etiam juſti ſalvabantur antiqui. Traditus eſt enim propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram. Ex quo enim inſtituta eſt circumciſio in populo Dei, quod erat tunc ſignaculum juſtitiæ fidei, [a] ita ad ſignificationem purgationis valebat & in parvulis originalis veteriſque peccati, ſicut & baptiſmus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo eſt inſtitutus. * Non quòd ante circumciſionem juſtitia fidei D nulla erat; nam cùm adhuc eſſet in præputio, ex fide juſtificatus eſt ipſe Abraham, pater gentium quæ fidem ipſius fuerant ſectaturæ: ſed ſuperioribus temporibus omni modo latuit ſacramentum juſtificationis ex fide. Eadem tamen fides Mediatoris ſalvos juſtos faciebat antiquos, puſillos cum magnis; non vetus teſtamentum quod in ſervitutem generat, non lex quæ non ſic eſt data, quæ poſſet vivificare, ſed gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Quia ſicut credimus nos Chriſtum in carne veniſſe, ſic E illi venturum: ſicut nos mortuum, ita illi moriturum: ſicut nos reſurrexiſſe, ita illi reſurrecturum: & nos verò & illi, ad judicium mortuorum vivorumque venturum. Non ergo iſte humanam malè defendendo impediat à ſalute naturam: quia omnes ſub peccato naſcimur, & per unum ſolum, qui ſine peccato natus eſt, liberamur.

Gen. 17. 14.

Quodnam Dei teſtamentum infans recèns natus diſſiparit.

Rom. 5. 12.

Rom. 4. 25.

Circumciſio ad quid valuerit.

Ibid. 11.

* Apud Am. & Er. Caput XII.

Rom. 4. 10.

Eadem qua nos fide, veteres patres juſtificati.

Gal. 4. 24.

Gal. 3. 21.

Rom. 7. 25.

CAPUT XII.

25. *Iſta*, inquit, *corporum commixtio, cum calore, cum voluptate, cum ſemine, à Deo facta, & pro ſuo modo laudabilis approbatur, quæ aliquando etiam* F *amplum efficitur munus piorum.* Dixit, *cum calore*; dixit, *cum voluptate*; dixit, *cum ſemine*: non tamen dicere auſus eſt, cum libidine: quare, niſi quia nominare erubeſcit, quam laudare non erubeſcit? Munus autem piorum propagatio eſt fecunda filiorum, non commotio pudenda membrorum: quam non haberet in generandis filiis natura ſana, nunc autem habet eam natura vitiata. Ac per hoc & qui inde naſcitur indiget re- G naſci, ut ſit membrum Chriſti; & de quo naſcitur, ſi jam renatus eſt, indiget liberari ab ea, quæ in corpore mortis hujus eſt lege peccati. Quæ cùm ita ſint, quomodo adjungit & dicit, *Confitearis ergo neceſſe eſt, originale quod finxeras, interiiſſe peccatum?* Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides [b] credit antiquitus: ſed tu, qui hoc negas, ſine dubio es novus hæreticus. Sub diabolo autem ſunt, judicio Dei, omnes cum peccato generati, ſi non fuerint in Chriſto regenerati.

CAPUT XIII.

26. SED quia de Abraham loquebatur & Sara, ſubjunxit atque ait: *Quòd ſi dixeris, uſus in eis vigebat, & fetus non erat. Reſpondebo, quem conditor promiſit, conditor dedit, non concubitus, ſed Dei opus eſt qui naſcitur. Qui enim primum hominem fecit ex pulvere, omnes fabricatur ex ſemine. Sicut ergo tunc limus, qui aſſumtus eſt, materia, non auctor hominis fuit: ita nunc vis illa voluptatis, confectrix commixtrixque ſeminum, non explet operationis vicem; ſed de theſauris naturæ offert Deo, unde ille hominem dignetur operari.* Hæc omnia quæ dixit, excepto quod ait, à voluptate ſemina confici atque miſceri, rectè diceret, ſi in eis catholicum ſenſum defendere niteretur. Quia verò ſcimus, quid ex his moliatur efficere, profectò dicit etiam recta perversè. Illud itaque, quo excepto cetera vera eſſe non abnuo, ideo non eſt verum, quia voluptas illa concupiſcentiæ carnalis non conficit ſemina, ſed ea quæ jam ſunt in corporibus à vero Deo condita, à quo & ipſa conduntur corpora, non fiunt à voluptate, ſed excitantur & emittuntur cum voluptate. Utrùm autem utriuſque ſexûs ſemina in muliebri utero cum voluptate miſceantur, viderint feminæ quid in ſecretis viſceribus ſentiant: nos non decet inaniter uſque ad iſta eſſe curioſos. Libido tamen illa erubeſcenda, unde pudenda ipſa appellata ſunt membra, non fuit in corpore vitæ illius, quæ in paradiſo fuit ante peccatum, ſed cœpit eſſe in corpore mortis hujus retributâ inobedientiâ inobedientiæ poſt peccatum. Sine qua libidine poterat opus fieri conjugum in generatione filiorum, ſicut multa opera fiunt obedientiâ ceterorum ſine illo ardore membrorum, quæ voluntatis nutu moventur, non æſtu libidinis concitantur.

Gen. 2. 7.

Libido pudenda.

27. Adtende cetera. *Hoc etiam*, inquit, *Apoſtoli confirmat auctoritas. Cùm enim beatus Paulus de mortuorum reſurrectione loqueretur, ait: Inſipiens tu, quod ſeminas non vivificatur. Et infra: Deus autem dat illi corpus prout vult, & unicuique ſeminum proprium corpus. Si ergo Deus*, inquit, *humano ſemini, quod nemo negat vel prudentium vel piorum, proprium ſicut omnibus rebus corpus adtribuit, unde quemquam reum natum probabis? Tandem oro reſpicias, quibus laqueis peccati naturalis ſuffocetur aſſertio. Verùm age*, inquit, *tecum, precor, mitiùs. Mihi crede, etiam te Deus fecit: ſed quod fatendum eſt, gravis error infecit. Quid enim poteſt profanius dici, quàm quòd Deus hominem aut non fecerit, aut ut dicis diabolo fecerit, aut certè diabolus Dei ſit imaginem, hoc eſt, hominem fabricatus; quod non minùs ſtultum dignoſcitur eſſe, quàm impium? Ergo tam inops*, inquit, *tam inverecundus Deus eſt, ut non habuerit, quod in præmium ſanctis hominibus daret, niſi quod deceptis diabolus infudit [c] in vitio? Vis autem ſcire, quòd etiam in his qui ſancti non ſunt, hanc generationum potentiam Deus tribuiſſe probetur? Eo igitur tempore cùm Abraham metu perculſus gentis barbaræ, Saram quæ*

1. Cor. 15. 36. & 38.

Gen. 20. 2. & ſeq.

[a] Ex Benig. MS addimus *ita*: nec non particulam *in*, ante *parvulis*.
[b] Sic MSS. At editi, *credidit*.

[c] Lov. *initio*. At Am. Er & plerique MSS *in vitio*. Fortè pro, *in vitium*: quia præceſſit, *in præmium*.

uxor erat, sororem suam dixit, refertur Abimelech rex illius provinciæ abduxisse eam in noctis usum. Sed Deus, cui curæ erat honor sanctæ mulieris, in somnis Abimelech veniens regiam frenavit audaciam, comminatus interitum, si pergeret violare conjugium. Tunc Abimelech ait: Numquid Domine gentem ignorantem & justam perdes? Nonne ipsi dixerunt se germanitate conjunctos? Surrexit ergo manè Abimelech, & accepit mille didrachmas argenti, & oves, & vitulos, & pueros, & ancillas, & dedit Abrahæ, atque à se mulierem remisit intactam. Oravit verò Deum Abraham pro Abimelech: & sanavit Deus Abimelech, & uxorem, & ancillas ejus. Cur autem hæc tantâ prolixitate narraverit, accipe breviter in his quæ secutus adjunxit: *Deus*, inquit, *orante Abraham curavit potentia* [a] *dispensationis secreta, quæ amota est verendis vilium feminarum; quia clauserat Deus à foris omnem vulvam in domum Abimelech. Vide ergo*, inquit, *utrùm naturaliter malum dici debet, quod interdum aufert exasperatus Deus, redditque placatus. Ipse*, inquit, *facit & piorum filios & impiorum: quoniam quòd fiunt parentes, ad naturam pertinet, quæ Deo gaudet auctore; quòd autem impii sunt, ad studiorum pravitatem, quæ unicuique de libera voluntate contingit.*

CAPUT XIV.

28. His omnibus, quæ tam multa dixit, respondemus: nihil divinis testimoniis, quæ interposuit, esse dictum de pudenda libidine, quam dicimus non fuisse in corpore beatorum, quando nudi erant, & non confundebantur. (Gen. 2. 25.) Nam primum illud Apostoli de seminibus dictum est frumentorum, quæ priùs moriuntur ut vivificentur. Quam sententiam scilicet apostolicam, quo consilio nescio, noluit iste complere; nam eam huc usque commemoravit: Insipiens tu, quod seminas non vivificatur. (1. Cor. 15. 36.) Apostolus autem addit: nisi moriatur. Sed iste quantum existimo, quod de frumentis dictum est, de humano semine accipi voluit ab eis qui hæc legunt, & scripturas sanctas vel nesciunt, vel non recordantur. Denique non solùm istam sententiam decurtavit, ut non adderet, nisi moriatur: verùm etiam sequentia prætermisit, ubi aperuit Apostolus de quibus seminibus loqueretur. Ait enim Apostolus: Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum ferè tritici, aut alicujus ceterorum. His prætermissis, iste contexuit quod deinde dicit Apostolus: Deus autem illi dat corpus prout vult, & unicuique seminum proprium corpus: tamquam de concumbente homine dixerit Apostolus, Insipiens tu, quod seminas non vivificatur: ut intelligeremus non ab homine concubitu filios seminante, sed à Deo vivificari semen humanum. Sic enim fuerat prælocutus, quia *voluptas illa non explet operationis vicem, sed de thesauris naturæ offert Deo, unde ille hominem dignetur operari.* Et subjunxit testimonium, quasi hoc dixerit Apostolus: Insipiens tu, quod seminas non vivificatur: hoc est, non à te vivificatur, sed hominem de tuo semine Deus operatur: tamquam ab Apostolo media illa quæ prætermisit iste, non dicta sint, atque ita se habeat ejus sententia, velut de humano semine loqueretur: Insipiens tu, quod seminas non vivificatur, Deus autem illi dat corpus prout vult, & unicuique seminum proprium corpus. Denique post hæc Apostoli verba sic infert sua: *Si ergo Deus*, inquit, *humano semini, quod nemo negat vel prudentium vel piorum, proprium sicut omnibus rebus corpus adtribuit*: quasi Apostolus de humano semine in illo testimonio sit locutus.

29. De qua fraude quid adjuvaretur ejus intentio, cùm aliquanto adtentiùs cogitarem, nihil potui reperire, nisi quia testem voluit adhibere Apostolum, quo probaret Deum, quod & nos dicimus, de humanis seminibus hominem operari. Et cùm ei testimonium nullum occurreret, isto abusus est fraudulenter, timens utique, ne fortè si appareret Apostolum non de humanis seminibus, sed de frumentis illa dixisse, hinc admoneremur, unde refutaretur, non religiosæ voluntatis, sed libidinosæ voluptatis pudens nominator, & impudens prædicator. De ipsis quippe seminibus, quæ in agris agricolæ seminant, potest ipse redargui. Cur enim non credamus, Deum potuisse in paradiso concedere homini beato de suo semine, quod concessum videmus agricolis de tritici semine; ut eo modo illud sereretur sine ulla pudenda libidine, ad voluntatis nutum membris obsequentibus genitalibus; sicut hoc seritur sine ulla pudenda libidine, ad voluntatis nutum agricolarum obsequentibus manibus; honestiore in parentibus gignendorum desiderio filiorum, quàm est implendorum in arantibus horreorum: ac deinde Creator omnipotens incontaminabili ubique præsentiâ & creatrice potentiâ de seminibus hominum prout vellet, quod & nunc facit, operaretur in femina, sicut de seminibus frumentorum prout vult operatur in terra, beatis matribus sine libidinosa voluptate concipientibus, sine ærumnoso gemitu parientibus: quando quidem in illa felicitate & in corpore nondum mortis hujus, sed vitæ illius, non esset feminis in excipiendis seminibus quod puderet, sicut non esset in edendis fetibus quod doleret? Quisquis non credit, vel credi non vult, hominibus ante omne peccatum in illa paradisi felicitate versantibus hoc potuisse Dei voluntate & benignitate concedi, non optandæ fecunditatis laudator, sed pudendæ voluptatis amator est.

CAPUT XV. Gen. 20. 18.

30. ITEM aliud ex libro divino testimonium quod posuit de Abimelech, & Deo volente clausâ omni vulvâ in domo ejus ne mulieres ejus parerent, atque apertâ rursus ut parerent, quid ad rem pertinet? quid habet de illa pudenda libidine, de qua nunc quæstio est? Numquid ipsam Deus detraxit illis feminis, reddiditque cùm voluit? Sed pœna fuit ut parere non possent, beneficium verò ut parere possent more hujus corruptibilis carnis. Non enim tale beneficium Deus conferret corpori mortis hujus, quale non haberet nisi corpus vitæ illius in paradiso ante peccatum, ut & conceptus proveniret sine libidine pruriente, & partus sine dolore cruciante. Cur autem non intelligamus, quando quidem fuisse condicit Scriptura, à foris omnem vulvam

[a] Plerique MSS. *curavit potentia dispensationis secreta.* Deinde quidam, *quæ mota est*: nonnulli *quæ nota est*: sed plures omisso *quæ*, habent *ammota*, vel *admota*. Omnes denique MSS. *verecundis*. Fortè legendum, *curavit potentiam dispensationis secreta.* Nam eo sensu Julianus hîc paulò antè, *generationum potentiam* nominat, & *potentiam membrorum* suprà cap. 7. n. 18. nec non *dispensationem secretam* infrà lib. contra eumdem 5. c. 5.

clusam, aliquo dolore factum esse, ut non possent feminæ concubitum perpeti, qui dolor Deo succensente fuisset inflictus, miserante detractus? Nam si ad impedimentum ferendæ prolis esset libido detrahenda, viris esset detrahenda, non feminis. Femina enim posset voluntate concumbere, etiam desistente libidine qua stimularetur; si viro non deesset, qua excitaretur. Nisi fortè, quia scriptum est, & ipsum Abimelech fuisse sanatum, virilem dicturus est ei libidinem redditam. Quam profectò si amiserat, quid opus fuit eum divinitus admoneri, ut Abrahæ non misceretur uxori? Sed sanatum dicit, quia domus ejus ab illa peste sanata est.

Caput XVI.

31. Jam nunc illa tria videamus, quorum trium quodlibet dixerimus, nihil ait dici posse profanius: *quòd hominem Deus aut non fecerit, aut diabolo fecerit, aut certè diabolus Dei sit imaginem, hoc est, hominem fabricatus.* Horum trium primum & novissimum non dici à nobis, etiam ipse, si non sit excors aut nimiùm pervicax, confitetur. De illo quæstio est, quod secundo medioque loco posuit, ubi sic fallitur, ut à nobis hoc existimet dici, quòd diabolo Deus hominem fecerit, tamquam in hominibus quos Deus ex hominibus parentibus creat, hoc intendat, hoc curet, hoc sui operis ratione provideat, ut habeat diabolus servos, quos ipse sibi facere non potest. Absit ut hoc qualiscumque vel puerilis pietas suspicetur. Bonitate sua Deus facit homines, & primos sine peccato, & ceteros sub peccato, in usus profundarum cogitationum suarum. Sicut enim de ipsius diaboli malitia novit ille quid agat, & quod agit justum est & bonum, quamvis sit de quo agit injustus & malus, nec eum propterea creare noluit, quia malum futurum esse præscivit: ita de universo genere humano, quamvis nullus hominum sine peccati sorde nascatur, bonum ille qui summè bonus est operatur; alios faciens tamquam vasa misericordiæ, quos gratia discernat ab eis qui vasa sunt iræ; alios tamquam vasa iræ, ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Eat iste nunc, & adversùs Apostolum, cujus ista sententia est, argumentetur; immo adversùs ipsum figulum, cui respondere prohibet Apostolus, dicens, O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? Numquid ergo vasa iræ negat iste esse sub diabolo? aut quia sub diabolo sunt, alius ea quàm ipse facit, qui vasa misericordiæ facit? aut aliunde & non ex eadem massa facit? Hîc itaque dicat, Ergo Deus vasa diabolo facit: quasi nesciat Deus sic eis uti ad opera sua justa & bona, sicut ipso utitur diabolo.

Cur creare pergat homines Deus quos novit sub peccato nascituros.

Rom. 9. 23.

Ibidem 20.

Caput XVII.

32. An verò filios perditionis hœdos sinistræ partis diabolo pascit, & diabolo nutrit, & vestit, quia facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos? Sic itaque creat malos, quomodo pascit & nutrit malos: quia quod eis creando tribuit, ad naturæ pertinet bonitatem; & quod eis pascendo & nutriendo dat incrementum, non utique malitiæ eorum, sed eidem bonæ naturæ quam creavit bonus, bonum tribuit adjumentum. In quantum enim homines sunt, bonum est naturæ, cujus auctor est Deus: in quantum autem cum peccato nascuntur, perituri si non renascuntur, ad semen pertinent maledictum ab initio, illius antiquæ inobedientiæ vitio. Quo tamen bene utitur factor etiam vasorum iræ, ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ; ne meritis suis tribuat, si ad eamdem massam quisque pertinens gratiâ liberetur, sed qui gloriatur, in Domino glorietur.

Matth. 25. 31.

Matth. 5. 45.

V. lib. 3. Operis imperf. c. 142.

Sap. 12. 11.

Rom. 9. 23.

2. Cor. 10. 17.

Caput XVIII.

33. Ab hac fide apostolica atque catholica veracissima & fundatissima, cum Pelagianis iste discedens, non vult nascentes esse sub diabolo, ne parvuli portentur ad Christum, ut eruantur à potestate tenebrarum, & in regnum ipsius transferantur. Ac sic accusat Ecclesiam toto orbe diffusam, in qua ubique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab eis princeps mundi mittatur foras: à quo necesse est vasa iræ possideantur, cùm ex Adam nascuntur, si in Christo non renascantur, & in ejus regnum per gratiam facta vasa misericordiæ transferantur. Contra istam fundatissimam veniens veritatem, ne universam Christi Ecclesiam oppugnare videatur, quasi me unum alloquitur, & velut corripiens atque admonens dicit: *Etiam te Deus fecit, sed quod est fatendum, gravis error infecit.* Sanè quòd me Deus fecerit agnosco, & gratias ago: qui tamen cum iræ vasis perissem, si tantùm ex Adam me fecisset, & in Christo non refecisset. Quod cùm possessus Pelagiana impietate non credit, si in tanto malo in finem usque perdurat, non ipse, sed catholici videant, qualis & quantus eum error, non infecerit, sed planè interfecerit.

Coloss. 1. 13.

Iohan. 12. 31.

Caput XIX.

Respondet ad Juliani argumenta.

34. Adtende sequentia: *Quòd autem*, inquit, *filii ex conjugio suscepti naturaliter boni sunt, Apostolo dicente discamus, qui ait de improbis: Relicto naturali usu feminæ exarserunt in desideria sua, invicem masculi in masculos turpitudinem operantes. Ostendit ergo*, inquit, *usum feminæ & naturalem esse, & pro suo modo laudabilem: flagitium autem ex voluntate propria exerceri contra institutionis pudorem. Meritò itaque*, inquit, *& in bene utentibus genus concupiscentiæ modusque laudatur, & in turpibus excessus ejus punitur. Denique eodem tempore Deus Abrahæ & Saræ marcentia ævo membra vegetavit, quo in Sodomis ipsa igneo imbre punivit. Si igitur putas*, inquit, *accusandum membrorum vigorem, quoniam per ipsum Sodomitæ flagitiis* [a] *obliti sunt; accusabis etiam creaturam panis & vini, quoniam hinc quoque eos peccasse scriptura divina significavit. Dicit enim Dominus per Ezechielem prophetam, Verumtamen hæ iniquitates Sodomæ sororis tuæ, Superbia in saturitate panum & abundantia vini fluebant, ipsa & filii ejus, & manum pauperis & egentis non adjuvabant. Elige jam*, inquit, *utrum mavis, aut reputa divino operi commixtionem corporum, aut creaturam panis & vini similiter malam esse defini. Quod si feceris, apertè Manichæus esse convinceris. Concupiscentiæ autem naturalis qui modum tenet, bono bene utitur; qui modum non tenet, bono malè utitur. Quid dicis ergo*, inquit: * *Ita nuptiarum bonum malo originali, quod*

Rom. 1. 27.

Gen. 21. 1.

Gen. 19. 24.

Ezech. 16. 49.

* Aug. lib. 1. de nupt. & concup. c. 1.

[a] Am. Er. & aliquot MSS. *flagitiis obligati.* Sigiramnensis cod. *flagitiis obvoluti.* Casalensis, *flagitiis obruti.* Alii MSS. & Lov. *flagitiis obliti.* Dicendi modus Juliano familiaris: sic lib. contra ipsum 5. c. 7. *flagitiorum sordibus oblinatur.*

inde trahitur, non potest accusari; sicut adulteriorum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari? His sermonibus, inquit, *quod negaveras concessisti, quod concesseras sustulisti: & nihil magis laboras, quàm ut parum intelligaris. Ostende sine commixtione nuptias corporales: aut unum aliquod huic operi nomen imponito, & vel bonum, vel malum conjugium nuncupato. Spopondisti utique bona te definire conjugia: si conjugium bonum, si homo fructus conjugii bonus, si hic fructus opus Dei malus esse non potest, qui per bonum ex bono nascitur; ubi igitur originale malum, quod tot præjudiciis interemtum est?*

CAPUT XX.

35. AD hæc respondeo, non solùm filios ex conjugio, verùm etiam ex adulterio bonum aliquod esse, secundùm opus Dei quo creati sunt: secundùm autem originale peccatum, in [a] damnatione nasci ex Adam primo, non solùm si de adulterio, verùm etiam si de conjugio generentur, nisi in Adam secundo, qui est Christus, regenerentur. Quod autem ait Apostolus de improbis, Relicto naturali usu feminæ exarserunt in desideria sua in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes: non dixit usum conjugalem, sed naturalem, eum volens intelligi, qui fit membris ad hoc creatis, ut per ea possit ad generandum sexus uterque misceri. Ac per hoc, cùm eisdem membris etiam meretrici quisque miscetur, naturalis est usus, nec tamen laudabilis, sed culpabilis. Ab ea verò parte corporis, quæ non ad generandum est instituta, si & conjuge quisque utatur, contra naturam est & flagitiosum. Denique priùs idem Apostolus de feminis dixit: Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam: deinde de masculis in masculos turpitudinem operantibus, relicto usu femineo naturali. Non ergo isto nomine, id est, usu naturali, conjugalis est laudata commixtio, sed immundiora & sceleratiora flagitia denotata sunt, quàm si illicitè & feminis, sed tamen naturaliter uterentur.

Rom. 1. 27.
V. lib. 5. Operis imperf. c. 17. Feminæ usus quis naturalis.
Quis contra naturam.
Ibid. 26.

CAPUT XXI.

36. PANEM verò & vinum sic non reprehendimus propter luxuriosos & ebriosos, quomodo nec aurum propter cupidos & avaros. Quocirca commixtionem quoque honestam conjugum non reprehendimus propter pudendam corporum libidinem. Illa enim posset esse nulla præcedente perpetratione peccati, de qua non erubescerent conjugati: hæc autem exorta est post peccatum, quam coacti sunt velare confusi. Unde remansit posterioribus conjugatis, quamvis hoc malo bene & licitè utentibus, in ejusmodi opere humanum vitare conspectum, atque ita confiteri quod pudendum est, cùm debeat neminem pudere quod bonum est. Sic insinuantur hæc duo, & bonum laudandæ conjunctionis, unde filii generentur, & malum pudendæ libidinis, unde qui generantur, regenerandi sunt ne damnentur. Proinde pudenda libidine qui licitè concumbit, malo bene utitur: qui autem illicitè, malo malè utitur. Rectiùs enim accipit nomen mali quàm boni, unde erubescunt & mali & boni: meliúsque credimus ei qui dicit, Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum; quàm huic qui dicit hoc bonum, unde si confun- A ditur, confitetur malum; si autem non confunditur, addit impudentiam, pejus malum. Rectè igitur diximus: *Ita nuptiarum bonum malo originali quod inde trahitur non potest accusari, sicut adulteriorum malum bono naturali quod inde nascitur non potest excusari:* quoniam natura humana quæ nascitur vel de conjugio, vel de adulterio, Dei opus est. Quæ si malum esset, non esset generanda; si malum non haberet, non esset regeneranda: atque ut ad unum verbum utrumque B concludam, natura humana si malum esset, salvanda non esset; si ei mali nihil inesset, salvanda non esset. Qui ergo dicit eam bonum non esse, bonum negat conditæ creatorem: qui verò negat ei malum inesse, misericordem vitiatæ invidet salvatorem. Quapropter in hominibus nascentibus neque excusanda sunt adulteria per bonum quod inde à conditore bono creatum est, nec accusanda conjugia per malum quod ibi à misericorde salvatore sanandum est.

V. l. 5. Operis imperf. c. 142. 169. & 170.
Gen. 3. 7.
Rom. 7. 18.
V. lib. 5. Oper. imperf. c. 14...
V. ibid. c. 144. & 188.

CAPUT XXII.

C 37. *Ostende*, inquit, *sine commixtione nuptias corporales.* Non ostendo ego nuptias corporales sine commixtione: sed nec ipse ostendit eamdem commixtionem sine confusione. In paradiso autem si peccatum non præcessisset, non esset quidem sine utriusque sexûs commixtione generatio, sed esset sine confusione commixtio. Esset quippe in coëundo tranquilla membrorum obedientia, non pudenda carnis concupiscentia. Proinde conjugium bonum est, unde ordinatè D seminatus nascitur homo; & fructus conjugii bonus, quod est ipse qui ita nascitur homo: sed peccatum malum est, cum quo nascitur omnis homo. Deus quippe fecit & facit hominem: sed per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

Rom. 5. 12.

CAPUT XXIII.

38. *Novo*, inquit, *genere differendi, & catholicam* [b] *profiteris, & Manichæo patrocinaris, dicendo* E *nuptias & magnum bonum, & magnum malum.* Prorsus quid loquatur, ignorat, sive ignorare se simulat. Aut enim non intelligit, aut non vult [c] intelligi quid dicamus. Sed si non intelligit, præoccupatione impeditur erroris: si autem non vult quid dicamus intelligi, pervicaciæ vitium est, quo suum defendit errorem. Et Jovinianus, qui paucos ante annos novellam conatus est hæresim condere, Manichæis patrocinari dicebat catholicos, quòd adversùs eum sanctam virgini- F tatem nuptiis præferebant. Sed responsurus est iste, non se quod Jovinianus de indifferentia nuptiarum virginumque sentire. Nec ego dico, quòd isti hoc sentiant: verumtamen per Jovinianum catholicis Manichæos objicientem, non esse hoc novum, novi hæretici recognoscant. Nos itaque nuptias bonum dicimus esse, non malum. Sed sicuti Ariani Sabellianos nos esse criminantur, quamvis non dicamus unum eumdemque esse Patrem & Filium & Spiritum-sanc- G tum, quod Sabelliani dicunt; sed dicamus unam eamdemque esse naturam Patris & Filii & Spiritus-sancti, quod catholici dicunt: ita Pelagiani nobis Manichæos objiciunt, quamvis non dicamus esse malum nuptias, quod dicunt Manichæi;

Jovinianus catholicos olim Manichæos appellabat.
Ariani catholicos Sabellianos vocabant.

[a] Ita plures MSS. At editi, *in damnationem*.
[b] Hîc in editis additur, *te*. Abest à MSS.
[c] Apud Lov. *non vult intelligere*. Item infrà, *quid dicamus intelligere*.

chæi; ſed dicamus malum [a] primis hominibus, id eſt, primis conjugibus accidiſſe, & inde in omnes homines pertranſiſſe, quod dicunt catholici. Sed ſicut Ariani dum Sabellianos fugiunt, in pejus aliquid inciderunt; quia Trinitatis auſi ſunt non perſonas diſcernere, ſed naturas: ita Pelagiani dum Manichæorum peſtem in perverſum vitare conantur, de nuptiarum fructu ipſis Manichæis convincuntur pernicioſiora ſentire, credendo parvulos Chriſto medico non egere.

CAPUT XXIV.

39. *Definis*, inquit, *hominem, ſi de fornicatione naſcatur, reum non eſſe; ſi de conjugio, innocentem non eſſe. Huc enim pervenit quod dixiſti, bonum naturale de adulteriis poſſe ſubſiſtere, malum originale etiam de conjugio trahi.* Fruſtra omnino conatur apud intelligentem lectorem, quæ ſunt recta pervertere. Abſit enim ut dicamus, hominem, ſi de fornicatione naſcatur, reum non eſſe. Sed dicimus, hominem, ſive de conjugio, ſive de fornicatione naſcatur, bonum aliquid eſſe, propter auctorem naturæ Deum; malum aliquid trahere, propter originale peccatum. Quod ergo dicimus, *bonum naturale etiam de adulteriis poſſe ſubſiſtere, malum autem originale etiam de conjugio trahi*, non huc pervenit, quò ille conatur adducere, non naſci reum de adulteriis, nec innocentem de nuptiis: ſed ex utroque reum generatione factum, propter originale delictum; & utrumque regeneratione abſolvendum, propter naturæ bonum.

CAPUT XXV.

40. *Vnum ex his*, inquit, *verum eſt, alterum falſum.* Huic eadem brevitate reſpondeo: Immo utrumque verum eſt, neutrum falſum. *Verum eſt*, inquit, *quòd adulteriorum culpam homo qui inde naſcitur, non poteſt excuſare: quia quod adulteri fecerunt, ad vitium pertinet voluntatis; quod autem genuerunt, ad laudem ſpectat fecunditatis: quia ſi quis furtivum triticum ſerat, non naſcitur meſſis obnoxia. Vitupero itaque*, inquit, *furem, ſed laudo ſegetem. Innocentem pronuntio qui naſcitur ex generoſitate ſeminum, dicente Apoſtolo, Deus illi dat corpus prout vult, & unicuique ſeminum proprium corpus: condemno verò flagitioſum, qui ex propoſiti perverſitate peccavit.* (1. Cor. 15. 38.)

CAPUT XXVI.

41. AD hæc adjungit, & dicit: *Prorſus autem ſi malum de nuptiis trahitur, accuſari poſſunt, excuſari non poſſunt; & in diaboli jure opus earum fructumque conſtituis: quia omnis cauſſa mali, expers boni eſt. Homo autem*, inquit, *qui de nuptiis naſcitur, non criminibus, ſed ſeminibus imputatur. Seminum verò cauſſa in conditione corporum eſt: quibus corporibus qui malè utitur, boni meritum, non genus ſauciat. Liquidò igitur*, inquit, *claret, bonum non eſſe cauſſam mali. Si ergo*, inquit, *trahitur & de nuptiis originale malum, cauſſa mali eſt conventio nuptiarum: & neceſſe eſt malum eſſe, per quod & ex quo malus fructus apparuit, dicente Domino in Evangelio, Ex fructibus ſuis arbor agnoſcitur.* (Matth. 12. 33.) *Quomodo*, inquit, *tu audiendus putaris, qui dicis bonum eſſe conjugium, de quo nihil aliud quàm malum prodire definis? Conſtat igitur* [b] *rea eſſe conjugia, ſi peccatum inde originale deducitur; nec poſſe defendi, niſi fructus eorum innocens approbetur. Defenduntur autem, & bona pronuntiantur: fructus ergo approbatur innocuus.*

42. Ad hæc reſponſurus, priùs volo eſſe intentum lectorem, nihil agere iſtos, niſi ut ſalvator non ſit parvulis neceſſarius, quos peccata prorſus à quibus ſalventur negant habere. Hæc tanta perverſitas & tantæ inimica gratiæ Dei, quæ data eſt per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui venit quærere & ſalvare quod perierat, (Lucæ 19. 10.) inſinuare ſe nititur cordibus parum intelligentium, laude operum divinorum, hoc eſt, laude naturæ humanæ, laude ſeminis, laude nuptiarum, laude utriuſque ſexûs commixtionis, laude fecunditatis: quæ omnia bona ſunt. Nolo enim dicere, laude libidinis: quia eam & ipſe nominare confunditur, ut aliud aliquid, non ipſam, laudare videatur. Ac per hoc mala quæ acciderunt naturæ, non diſcernendo ab ipſius bonitate naturæ, non eam, (quia falſum eſt,) oſtendit ſanam, ſed ſanari non permittit ægrotam. Et ideo illud quod diximus, quòd *adulteriorum culpam, bonum quod inde naſcitur*, id eſt, *homo non poteſt excuſare*, verum eſſe concedit: & hoc, unde nulla inter nos quæſtio eſt, etiam ſimilitudine furis furtivum triticum ſeminantis, de quo bona utique meſſis naſcitur, adſtruit & confirmat ut poteſt. Illud autem alterum quod diximus, *Nuptiarum bonum malo originali quod inde trahitur, non poteſt accuſari*, non vult conſentire quòd verum ſit: quia ſi conſenſerit, non Pelagianus hæreticus, ſed Chriſtianus catholicus erit. *Prorſus*, inquit, *ſi malum de nuptiis trahitur, accuſari poſſunt, excuſari non poſſunt; & in diaboli jure opus earum fructumque conſtituis: quia omnis cauſſa mali, expers boni eſt.* Et ad hoc cetera adtexit, ut probet cauſſam mali bonum eſſe non poſſe; & ideo nuptias, quia bonum ſunt, cauſſam mali non eſſe; ac per hoc de illis peccatorem, qui neceſſarium habeat ſalvatorem, naſci omnino non poſſe: quaſi nos nuptias cauſſam dicamus eſſe peccati; quamvis homo qui ex illis naſcitur, non naſcatur ſine peccato. Nuptiæ inſtitutæ ſunt cauſâ generandi, non peccandi: propter quod illa eſt à Domino benedictio nuptiarum, Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. (Gen. 1. 28.) Peccatum autem quod inde à naſcentibus trahitur, non ad nuptias pertinet, ſed ad malum quod accidit hominibus, quorum conjunctione ſunt nuptiæ. Nam malum pudendæ libidinis & poteſt eſſe ſine nuptiis, & potuerunt eſſe nuptiæ ſine illo: ad conditionem autem pertinet corporis, non vitæ illius, ſed mortis hujus, ut nunc non poſſint eſſe nuptiæ ſine illo, quamvis ipſum poſſit eſſe ſine illis. Nam utique ſine nuptiis eſt pudenda carnis concupiſcentia, quando adulteria & quæque ſtupra atque immunda committit, longè contraria pudicitiæ nuptiarum; aut quando nulla iſta committit, quia homo nulla conſenſione permittit, & tamen ſurgit & movetur & movet, & plerumque in ſomnis ad ipſius operis ſimilitudinem & ſuæ motionis pervenit finem. Hoc ergo malum nec in ipſis nuptiis malum eſt nuptiarum: ſed habent illud in corpore mortis hujus paratum, etiam ſi nolunt, ſine quo non poſſunt implere quod volunt. Non igitur ab earum inſtitutione, quæ benedicta eſt, ad eas venit: ſed ab eo quod ex uno homine

Laude operum divinorum originale peccatum Pelagiani auferre conantur.

Nuptiæ naturâ & inſtitutione ſua non ſunt cauſſa peccati.

[a] Am. Er. & omnes MSS. *malum primum hominum primis conjugibus accidiſſe.*

[b] Sic MSS. hîc & in lib. 5. Operis imperfecti c. 23. Editi verò, *mala eſſe.*

Rom. 5. 12.

peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

Arbor bona & arbor mala in Evangelio. *V. l. 5. Operis imperf. c. 21.*

43. Quid est ergo quod ait, *Ex fructibus suis arbor agnoscitur*, quia hoc in Evangelio dixisse Dominum legimus? Numquid inde Dominus loquebatur, & non potiùs de duabus voluntatibus hominum, bona scilicet & mala, istam bonam, illam malam arborem dicens; quia de bona voluntate opera bona nascuntur, & mala de mala, nec possunt bona de mala, & mala de bona? Quòd si nuptias tamquam arborem bonam, secundùm istam quam commemoravit evangelicam similitudinem posuerimus: profectò è contrario fornicationem posituri sumus arborem malam. Quamobrem si homo ita dicitur fructus nuptiarum, tamquam bonus ex arbore bona, procul dubio nasci homo de fornicatione non debuit. Mala quippe arbor bonos fructus non facit. Porrò si dixerit, non illic arboris loco ponendum esse adulterium, sed naturam potiùs humanam, de qua nascitur homo: ita etiam hîc non erit arbor connubium, sed natura humana, de qua nascitur homo. Nihil proinde valet ad istam quæstionem similitudo illa evangelica: quia non sunt nuptiæ caussa peccati, quod trahitur à nascente, & expiatur in renascente; sed voluntarium peccatum hominis primi, originalis est caussa peccati. *Dicis iterum*, inquit, *Nam sicut peccatum, sive hinc, sive inde à parvulis trahatur, opus est diaboli; sic homo, sive hinc, sive inde nascatur, opus est Dei.* Et dixi hoc, & verissimè dixi: & si non Pelagianus, sed catholicus esset, nihil aliud & ipse in [a] Catholica diceret.

Matth. 7. 18.

Voluntarium primi hominis peccatum, originalis est caussa peccati.

CAPUT XXVII.

44. QUID est ergo quod quærit à nobis, *Per quid peccatum inveniatur in parvulo, utrùm per voluntatem, an per nuptias, an per parentes?* Sic enim loquitur, & tamquam ad omnia ista respondet, & à peccato quasi cuncta ista purgando, nihil vult remanere unde peccatum inveniatur in parvulo. Verba denique jam ipsa ejus adtende. *Per quid igitur*, inquit, *peccatum invenitur in parvulo? Per voluntatem? Nulla in eo fuit. Per nuptias? Sed hæc pertinent ad opus parentum, quos in hoc actu non peccasse præmiseras; sed quantum ex consequentibus apparet, non hoc verè concesseras. Ipsæ sunt igitur exsecrandæ*, inquit, *quæ caussam fecerunt mali:* [b] *sed illæ solæ opus indicant personarum. Parentes igitur qui conventu suo caussam fecere peccato, jure damnabiles sunt. Ambigi ergo*, inquit, *jam non potest, si tuam sequamur sententiam, conjuges æterno supplicio mancipari, quorum labore actum est, ut ad dominatum exercendum in homines diabolus perveniret. Et ubi est quod paulò antè hominem opus Dei dixeras? Quia si per originem malum in hominibus, per malum jus diaboli in homines; diabolum esse dicis auctorem hominum, à quo est origo nascentium. Si autem credis à Deo hominem fieri, & esse conjuges innocentes; vide quàm stare non possit trahi ex his originale peccatum.*

V. lib. 2. Oper. imperf. c. 35.

45. Ad omnia ista huic respondet Apostolus, qui neque voluntatem arguit parvuli, quæ propria in illo nondum est ad peccandum; neque nuptias in quantum nuptiæ sunt, quæ habent à Deo non solùm institutionem, verùm etiam benedictionem; neque parentes, in quantum parentes sunt, invicem licitè atque legitimè ad procreandos filios [c] conjugati: sed, Per unum, inquit, hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Quod isti si catholicis auribus mentibusque perciperent, adversùs fidem gratiamque Christi rebelles animos non haberent, neque conarentur inaniter, ad suum proprium & hæreticum sensum hæc apostolica verba tam dilucida & tam manifesta convertere, asserentes hoc ideo dictum esse, quòd Adam peccaverit primùm, in quo de cetero quisquis peccare voluit, peccandi invenit exemplum: ut peccatum scilicet non generatione ab illo uno in omnes homines, sed illius unius imitatione transiret. Cùm profectò, si Apostolus imitationem hîc intelligi voluisset, non per unum hominem, sed per diabolum potiùs in hunc mundum peccatum intrasse, & per omnes homines pertransisse dixisset. De diabolo quippe scriptum est, Imitantur autem eum, qui sunt ex parte ipsius. Sed ideo per unum hominem dixit, à quo generatio utique hominum cœpit, ut per generationem doceret isse per omnes originale peccatum.

46. Quid autem aliud indicant etiam sequentia verba apostolica? Cùm enim hoc dixisset, adjunxit: Usque enim ad legem peccatum in mundo fuit: id est, quia nec lex potuit auferre peccatum. Peccatum autem, inquit, non deputabatur, cùm lex non esset. Erat ergo, sed non deputabatur; quia non ostendebatur, quod deputaretur. Sicut enim alibi dicit, Per legem cognitio peccati. Sed regnavit, inquit, mors ab Adam usque ad Moysen: hoc est quod suprà dixerat, usque ad legem: non ut à Moyse deinceps non esset peccatum, sed quia nec per Moysen lex data regnum potuit mortis auferre, quæ non regnat utique nisi per peccatum. Regnum porrò ejus est, ut hominem mortalem in secundam etiam, quæ sempiterna est, præcipitet mortem. Regnavit autem: in quibus? Et in his, inquit, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. Cujus futuri, nisi Christi? Et qualis forma, nisi à contrario? Quod alibi etiam breviter dicit: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Sicut in illo illud, ita in isto istud: ipsa est forma. Sed hæc forma non omni ex parte conformis est: unde hinc Apostolus secutus adjunxit: Sed non sicut delictum, ita & donatio. Si enim ob unius delictum multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in multos abundavit. Quid est, multò magis abundavit, nisi quia omnes qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam moriuntur, propter ipsum autem Christum sine fine victuri sunt? Et non, inquit, sicut per unum peccantem, ita est & donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. Ex uno ergo, quid, nisi delicto? quia sequitur, gratia autem ex multis delictis. Dicant isti, quomodo ex uno delicto in

[a] Unus è Varicanis MSS. *& ipse catholicus diceret.* Sigiramnensis, *& ipse catholicè diceret.*

[b] In MSS. O *sed illa.*

[c] Apud Lov. *conjugatos.*

condemnationem, niſi quia ſufficit ad condemnationem etiam unum originale peccatum, quod in omnes homines pertranſiit? Gratia verò ideo ex multis delictis in juſtificationem, quia non ſolùm illud unum ſolvit, quod originaliter trahitur, ſed etiam cetera, quæ in unoquoque homine motu propriæ voluntatis adduntur. Si enim ob unius delictum mors regnavit per unum, multo magis qui abundantiam gratiæ & juſtitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum. Itaque ſicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita & per unius juſtificationem in omnes homines ad juſtificationem vitæ. Adhuc permaneant in vanitate mentis ſuæ, & dicant unum hominem non propaginem trajeciſſe, ſed exemplum præbuiſſe peccati. Quomodo ergo per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, & non potiùs per multa ſua cujuſque delicta: niſi quia etiam ſi illud unum ſit tantùm, idoneum eſt perducere ad condemnationem, etiam nullis additis ceteris; ſicut perducit parvulos morientes qui ex Adam naſcuntur, ſi in Chriſto non renaſcantur? Quid ergo à nobis quærit iſte, quod non vult ab Apoſtolo audire, *per quid peccatum inveniatur in parvulo, utrùm per voluntatem, an per nuptias, an per parentes?* Ecce audiat per quid, audiat & taceat, per quid peccatum inveniatur in parvulo: Per unius delictum, inquit Apoſtolus, in omnes homines ad condemnationem. Omnes autem dixit ad condemnationem per Adam, & omnes ad juſtificationem per Chriſtum: cùm utique non omnes eos qui moriuntur in Adam, transferat Chriſtus ad vitam: ſed omnes dixit atque omnes, quia ſicut ſine Adam nullus ad mortem, ita ſine Chriſto nullus ad vitam. Sicut dicimus de litterarum magiſtro, ſi in civitate ſolus eſt, Omnes iſte hîc litteras docet: non quia omnes diſcunt, ſed quia nemo niſi ab ipſo. Denique quos antè omnes dixerat, multos poſtea dixit, eoſdem ipſos tamen omnes multoſque ſignificans. Sicut enim, inquit, per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.

Ibid. 17.

Omnes quomodo per Chriſtum juſtificantur.

V. lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 28.

Rom. 5. 19.

47. Adhuc quærat, *per quid peccatum inveniatur in parvulo*. Reſpondeant ei paginæ ſanctæ: Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Ob unius delictum multi mortui ſunt: Judicium ex uno in condemnationem: Ob unius delictum mors regnavit per unum: Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem: Per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi. Ecce per quid delictum invenitur in parvulo. Jam credat originale peccatum: ſinat venire parvulos, ut ſalventur, ad Chriſtum. * Quid eſt quod dicit, *Non peccat iſte qui naſcitur, non peccat ille qui genuit, non peccat iſte qui condidit: per quas rimas inter tot præſidia innocentiæ, peccatum fingis ingreſſum?* Quid quærit latentem rimam, cùm habeat apertiſſimam januam? Per unum hominem, ait Apoſtolus; per unius delictum, ait Apoſtolus; per inobedientiam unius hominis, ait Apoſtolus. Quid quærit amplius? quid quærit apertius? quid quærit inculcatius?

Rom. 5. 12. *Ibidem 15.* *Ibidem 16.* *Ibidem 17.* *Ibidem 18.* *Ibidem 19.* *Marc. 10. 14.* **CAPUT XXVIII.* *Rom. 5. 12. &c.*

48. *Si peccatum*, inquit, *ex voluntate eſt, mala voluntas quæ peccatum facit: ſi ex natura, mala natura.* Citò reſpondeo, Ex voluntate peccatum eſt. Quærit fortè, utrùm & originale peccatum? Reſpondeo, prorſus & originale peccatum: quia & hoc ex voluntate primi hominis ſeminatum eſt, ut & in illo eſſet, & in omnes tranſiret. Sed quod ſecutus adjunxit, *Si ex natura, mala natura*: quæro ab illo, ut, ſi poteſt, reſpondeat, Sicut manifeſtum eſt, ex voluntate mala tamquam ex arbore mala, fructus ejus fieri omnia opera mala; ſic ipſam voluntatem malam, id eſt, ipſam fructuum malorum arborem malam unde dicat exortam. Si ex angelo, quid erat ipſe angelus, niſi bonum opus Dei? Si ex homine, quid erat ipſe homo, niſi bonum opus Dei? Immo quia voluntas mala angelo ex angelo, ex homine homini orta eſt, quid erant hæc duo ante quàm in eis iſta mala orirentur, niſi bonum opus Dei, & bona atque laudanda natura? Ecce ergo ex bono oritur malum, nec fuit omnino unde oriri poſſet, niſi ex bono: ipſam dico voluntatem malam, quam nullum præceſſit malum; non opera mala, quæ non ſunt niſi ex voluntate mala, tamquam ex arbore mala. Nec ideo tamen ex bono potuit oriri voluntas mala quia bonum factum eſt à bono Deo; ſed * quia de nihilo factum eſt, non de Deo. Quid ergo eſt quod dicit, *Si natura opus eſt Dei, per opus Dei opus diaboli tranſire non ſinitur?* Nonne opus diaboli, quando primùm in angelo, qui diabolus factus eſt, ortum eſt, in opere Dei ortum eſt? Quapropter ſi malum quod omnino nuſquam erat, in Dei opere oriri potuit; cur malum quod alicubi jam erat, per opus Dei tranſire non potuit, præſertim cùm ipſo verbo utatur Apoſtolus, dicens, Et ita in omnes homines pertranſiit? Numquid homines non ſunt opus Dei? Pertranſiit ergo peccatum per homines, hoc eſt, opus diaboli per opus Dei: atque ut alio modo idipſum dicam, [a] opus operis Dei per opus Dei. Et ideo Deus eſt ſolus immutabilis & potentiſſimæ bonitatis: qui & ante quàm eſſet ullum malum, bona opera fecit omnia, & de malis quæ in bonis ab eo factis orta ſunt, bene operatur per omnia.

Originale peccatum ex mala Adæ voluntate ortum.

Malum nõ niſi ex bono naturæ ortum.

Mala voluntas unde orta.

**V. lib. 5. Operis imperf. c. 31. 35. 38. &c.*

Rom. 5. 12.

49. *In uno*, inquit, *homine jure vituperatur intentio, & origo laudatur, quia duo ſunt quæ contrariis applicentur: in parvulo autem unum eſt, natura tantùm, quia voluntas non eſt. Illud ergo unum*, inquit, *aut Deo adſcribetur, aut dæmoni. Si natura*, inquit, *per Deum eſt, non poteſt in ea eſſe originale malum. Si à diabolo, nihil erit per quod homo divino operi vindicetur. Perfectè itaque Manichæus eſt, qui malum originale defendit.* Audiat potiùs adversùm iſta quod verum eſt. In uno homine jure vituperatur intentio, & natura laudatur, quia duo ſunt quæ contrariis applicentur: ſed etiam in parvulo, non unum eſt tantùm, id eſt, natura, in qua creatus eſt homo à Deo bono; habet enim & vitium, quod per unum in omnes homines pertranſiit, ſicut ſapit Apoſtolus, non ſicut deſipit Pelagius, vel Cæleſtius, vel

CAPUT XXIX.

Rom. 5. 12.

[a] In antè excuſis, *atque ut alio modo idipſum dicam, (quia diaboli opus, id eſt, peccatum per ipſum diabolum exortum, qui factura vel opus eſt Dei, per aliud opus Dei, id eſt, hominem pertranſiit,) opus operis Dei per opus Dei.* Gloſſema removimus auctoritate quatuor MSS. quibus exemplaria Operis imperfecti, lib. 5. c. 26. & 63. ſuffragantur.

eorum quicumque discipulus. Horum itaque A
duorum, quæ in parvulo esse diximus, unum ad-
scribitur Deo, alterum diabolo. Et quòd utrum-
que propter unum horum, id est, propter vitium,
subjicitur potestati diaboli, ideo non est incon-
gruum, quia non fit ipsius diaboli potestate, sed
Dei. Subjicitur autem vitium vitio, natura naturæ;
quia & in diabolo utrumque est: ut cùm dilecti &
Col. 1. 13. electi de potestate tenebrarum eruuntur, cui jure
subduntur, appareat quid donetur justificatis bo-
a nis [a] à Deo bono, bene operante & de malis.

50. Quod autem iste sibi quasi religiosè dicere
visus est, *Si natura per Deum est, non potest in ea
esse originale malum:* nonne religiosiùs sibi alius
b [b] videtur dicere, Si natura per Deum est, non
potest in ea oriri ullum malum? Et tamen fal-
sum est: hoc enim Manichæi asserere voluerunt;
& non creaturam Dei factam de nihilo, sed ip-
sam naturam Dei malis omnibus implere conati
Mali ortus & origo. sunt. Non enim ortum est malum nisi in bono,
nec tamen summo & immutabili, quod est na-
tura Dei, sed facto de nihilo per sapientiam Dei.
Est itaque per quod homo divino operi vindi-
cetur; quia non esset homo, nisi divino opere
crearetur: malum autem non esset in parvulis, nisi
voluntate primi hominis peccaretur, & origine vi-
tiata peccatum originale traheretur. Non ergo
sicut iste ait, *perfectè Manichæus est, qui malum
originale defendit:* sed perfectè Pelagianus est,
qui malum originale non credit. Neque enim
Exorcismus & exsufflatio parvulorũ, vetustissimus ritus. ex quo esse cœpit Manichæi pestilentiosa doctri- D
na, ex illo cœperunt in Ecclesia Dei parvuli ba-
ptizandi exorcizari & exsufflari, ut ipsis myste-
riis ostenderetur non eos in regnum Christi nisi
Col. 1. 13. erutos à tenebrarum potestate transferri: aut
c [c] in libris Manichæi legitur, quòd venerit filius
Luca 19. 10. hominis quærere & salvare quod perierat: aut
Rom. 5. 12. quòd per unum hominem peccatum in hunc
mundum intravit; & cetera ad eamdem senten-
tiam pertinentia, quæ suprà commemoravimus:
Exodi 20. 5. aut quòd reddit Deus peccata patrum in filios: E
Psal. 50. 7. aut quod in Psalmo scriptum est, Ego in iniqui-
» tatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea
Psal. 143. 4. in utero me aluit: aut, Homo vanitati similis
» factus est, dies ejus velut umbra prætereunt: aut,
Psal. 38. 6. Ecce veteres posuisti dies meos, & substantia
» mea quasi nihilum ante te; verumtamen univer-
» sa vanitas, omnis homo vivens: aut quod Apo-
Rom. 8. 20. stolus dicit, Omnis creatura vanitati subjecta
Eccle. 1. 2. est: Aut in libro Ecclesiastæ, Vanitas vanitatum,
» & omnia vanitas, quæ abundantia est homini in F
» omni labore suo quem ipse laborat sub sole? aut
Eccli. 40. 1. in libro Ecclesiastico, Jugum grave super filios
» Adam à die exitûs de ventre matris eorum, us-
» que in diem sepulturæ in matrem omnium: aut
1. Cor. 15. 22. quod dicit Apostolus, In Adam omnes moriun-
tur: aut quod dicit sanctus Job, ubi de peccatis
Job 14. 1. sec. LXX suis loquitur, Homo enim natus ex muliere,
» brevis vitæ & plenus iracundiæ, sicut flos fœni de-
» cidit, fugit autem sicut umbra, & non stabit;
» nonne & hujus curam fecisti, & hunc fecisti in- G
» trare in conspectu tuo in judicium? Quis enim
» erit mundus à sordibus? ne unus quidem, etiam
» si unius diei fuerit vita ejus super terram? Quas

A enim dixerit sordes, quia peccata intelligi vo-
luit, ipsa lectio indicat, ubi prorsus unde loqua-
tur apparet: unde est & illud apud prophetam
Zachariam, ubi aufertur à sacerdote vestis sor- Zachar. 3.
dida, & dicitur ei, Ecce abstuli peccata tua. 4.
Puto quòd ista omnia, & cetera hujusmodi, quæ
indicant omnem hominem sub peccato & male-
dicto nasci, non leguntur in tenebris Manichæo-
rum, sed in luce catholicorum.

51. Quid autem dicam de ipsis divinarum scri-
B pturarum tractatoribus, qui in catholica Ecclesia
floruerunt, quomodo hæc non in alios sensus co-
nati sunt vertere, quoniam stabiles erant in an-
tiquissima & robustissima fide, non autem novi-
tio movebantur errore. Quos si colligere & eo-
rum testimoniis uti velim, & nimis longum erit,
& de canonicis auctoritatibus, à quibus non de-
bemus averti, minùs fortasse videbor præsumsisse
quàm debui. Verumtamen ut omittam beatissi-
mum Ambrosium, cui Pelagius, sicut jam * com- * Suprà
C memoravi, tam magnum integritatis in fide per-
hibuit testimonium; qui tamen Ambrosius nihil
aliud defendit in parvulis, ut haberent necessa-
rium medicum Christum, nisi originale pecca-
tum: numquid & gloriosissimæ coronæ Cypria-
nus dicetur ab aliquo, non solùm fuisse, sed vel
esse potuisse Manichæus, cùm priùs iste sit pas-
sus, quàm illa in orbe Romano pestis apparuit?
Et tamen in libro de baptismate parvulorum,
ita defendit originale peccatum, ut propterea
D dicat, & ante octavum diem, si necesse sit, par-
vulum baptizari oportere, ne pereat anima ejus.
Quem tanto vult intelligi ad indulgentiam ba-
ptismi faciliùs pervenire, quanto magis ei dimit-
tuntur non propria, sed aliena peccata. Hos iste
audeat dicere Manichæos, & antiquissimam Ec-
clesiæ traditionem isto nefario crimine adsper-
gat, qua exorcizantur, ut dixi, & exsufflantur
parvuli, ut in regnum Christi à potestate tene-
brarum, hoc est, diaboli & angelorum ejus eru-
E ti, transferantur. Nos autem paratiores sumus
cum istis viris, & cum Ecclesia Christi in hujus
fidei antiquitate firmata, quælibet maledicta &
contumelias perpeti, quàm cum [d] Pelagianis cu-
juslibet eloquii prædicatione laudari.

52. *Ais iterum*, inquit, *& dicis, Nulla esset con-
cupiscentia, nisi homo antè peccasset; nuptiæ verò
essent, etiam si nemo peccasset.* Non dixi, *Nulla
esset concupiscentia*; quia est & glorianda concupi-
scentia spiritalis, qua concupiscitur sapientia: sed
F dixi, *Nulla esset pudenda concupiscentia.* Relegan-
tur verba mea, quæ etiam ipse posuit, ut quan-
tâ ab illo fraude commemorentur appareat. Sed
quo voluerit eam nomine appellet. Illa dixi
quòd non esset, nisi homo antè peccasset, de
qua erubuerunt in paradiso, qui pudenda texe-
runt, quam nemo negat, quoniam peccatum in-
obedientiæ præcesserat, ideo subsecutam. Qui
autem vult intelligere quid senserint, debet con-
siderare quid texerint. Succinctoria quippe sibi
G de foliis ficulneis, non vestimenta fecerunt;
quæ succinctoria Græcè περιζώματα nuncupan-
tur. Quid autem cooperiant perizomata, omni-
bus notum est: quæ nonnulli Latini campestria

[a] Sic MSS. At editi, *justificatis bonis à Deo, bona bene operante de malis.*
[b] Apud Lov. *videretur.*

[c] Editi, *Aut quando in libris.* Abest *quando* à MSS.
[d] Am. & Er. *quàm Pelagiani cujuslibet eloquii.*

sunt interpretati. Quis autem ignorat qui cam- A
pestrantur, quas partes corporis contegant? Has enim tegebant Romani juvenes, quando nudi exercebantur in campo, unde hoc genus tegminis tale nomen accepit.

Caput XXXI.

53. *Illæ ergo nuptiæ*, inquit, *quæ sine concupiscentia, sine motu corporum, sine necessitate sexuum, ut dicis, esse potuerunt, à te pronuntiantur laudabiles: ista verò conjugia quæ nunc aguntur, à diabolo inventa definis. Illa itaque*, inquit, *quæ institui potuisse somnias, bona deliberas: ista verò de quibus* B

Gen. 2. 24.

dicit scriptura divina, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una; profiteris mala diabolica, morbum postremò debere, non conjugium nuncupari. Non est mirum, si Pelagiani dicta nostra in sensus quos volunt detorquere conantur; quando & de scripturis sanctis, non ubi obscurè aliquid dictum est, sed ubi clara & aperta sunt testimonia, id facere consueverunt, more quidem hæreticorum etiam ceterorum. Quis enim diceret, *sine motu corpo-* C
rum, sine necessitate sexuum nuptias esse potuisse?

Gen. 1. 27.

Deus enim fecit sexus, quia masculum & feminam fecit eos, sicut scriptum est. Unde autem fieri posset, ut qui fuerant conjungendi, & ipsa conjunctione generaturi, sua corpora non moverent; quando quidem nullus fit hominis ad hominem corporalis accessus, si desit corporis motus? Non ergo hîc quæstio est de motu corporum, sine quo non possent omnino misceri; sed D
de pudendo motu genitalium, qui profectò non esset, & tamen seminatrix commixtio non deesset, si genitalia non libidini, sed voluntati sicut cetera membra servirent. An non etiam nunc in corpore mortis hujus imperatur pedi, brachio, digito, labro, linguæ, & ad nutum nostrum continuò porriguntur? Humori denique, quod est mirabilius, in vesica intus posito, cùm libet, & quando ejus copiâ non urgemur, imperatur ut profluat, & obtemperat: immo ipsis abditis E
visceribus & nervis, quibus idem humor continetur, imperatur ut eum propellant, exprimant, ejiciant, & si sanitas adest, sine difficultate serviunt voluntati. Quanto ergo faciliùs atque tranquilliùs obedientibus genitalibus corporis partibus & ipsum membrum porrigeretur, & homo seminaretur, nisi hominibus illis inobedientibus membrorum istorum inobedientia justo supplicio redderetur? Quod supplicium casti sentiunt, qui procul dubio mallent, si possent, F
jubente voluntate quàm pruriente voluptate filios seminare. Immundi autem qui propter istum morbum, non solùm meretrices, verùm etiam conjuges amant, de hoc supplicio carnis graviore supplicio mentis exsultant.

Caput XXXII.

54. Absit ergo ut dicamus, quod nos dicere iste confingit, *ista conjugia quæ nunc aguntur, à diabolo inventa.* Prorsus ipsæ sunt nuptiæ, quas ab initio Deus instituit. Hoc enim bonum suum ad hominum generationem institutum etiam G
damnatis hominibus non detraxit, quibus non detraxit etiam sensus carnis & membra, procul dubio munera sua, quamvis jam debitâ damnatione moritura. Istæ, inquam, sunt nuptiæ, de quibus dictum est, (excepto quod hîc figuratum est magno illo Christi & Ecclesiæ sacramento,)

Gen. 2. 24.

" Propterea relinquet homo patrem & matrem, &
" adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.

Hoc enim ante peccatum dictum est: & si nemo peccasset, sine pudenda libidine posset fieri[a]. Et nunc quamvis sine illa non fiat in corpore mortis hujus, ipsum est tamen quod non cessat fieri, ut adhæreat homo uxori suæ, & sint duo in carne una. Quamobrem etsi dicitur, nunc alias esse nuptias, alias verò si nemo peccasset esse potuisse, non secundùm earum naturam, sed secundùm quamdam in deterius mutatam dicitur qualitatem.

Nuptiæ quomodo nunc aliæ post peccatum.

Sicut alius dicitur, quamvis idem ipse sit homo, qui mutaverit vitam sive in melius, sive in deterius: aliud est enim justus, aliud peccator; quamvis idem ipse sit homo. Sic aliæ nuptiæ sine pudenda libidine, aliæ cum pudenda libidine: cùm tamen secundùm constitutionem suam, qua legitimè conjungitur mulier viro, & fides carnalis debiti ab [b] adulteriorum peccato servatur immunis, & hoc more legitimo filii seminantur, eædem ipsæ sunt nuptiæ, quas Deus instituit; quamvis diabolus non ipsas, sed homines ex quibus nuptiæ fiunt, antiqua peccati persuasione sauciaverit, inobedientiæ persuadendo peccatum, cui per divinum judicium inobedientia membrorum reciproca redderetur; in qua conjugati, quamvis erubuerint nuditatem suam, nuptiarum tamen à Deo institutam non omni modo potuerunt amittere bonitatem.

Caput XXXIII.

55. Hinc iste pergit ab eis qui conjunguntur, ad eos qui gignuntur, propter quos in hac quæstione tantis adversùs novos hæreticos disputationibus laboramus: & occulto Dei compulsus instinctu dicit aliquid, ubi totum istum nodum sua confessione dissolvit. Volens enim nobis majorem invidiam commovere, quia dicimus etiam de legitimis nuptiis sub peccato parvulos nasci: *Illos ergo*, inquit, *qui numquam nati sunt, bonos potuisse esse dicis: istos verò qui mundum impleverunt, pro quibus Christus mortuus est, diaboli opus & de morbo natos, & ab exordio reos definis. Probavi itaque*, inquit, *nihil te aliud agere, quàm ut Deum neges horum, qui sunt, hominum conditorem.* Ego quidem conditorem hominum omnium, quamvis omnes sub peccato nascantur, & pereant nisi renascantur, non dico nisi Deum. Vitium quippe inseminatum est persuasione diaboli, per quod sub peccato nati sunt, non natura condita qua homines sunt.

Libido morbus.

Libido autem pudenda non moveat membra, nisi quando volumus, & non est morbus. Non de illa erubescat etiam licitus & honestus conjugatorum concubitus, vitando conspectum & appetendo secretum, & non est morbus. Non prohibeat Apostolus in hoc morbo possideri uxores, & non est morbus.

1. Thess. 4. 5.

Quod enim Græcus habet, ἐν πάθει ἐπιθυμίας, alii Latinè interpretati sunt, in morbo desiderii vel concupiscentiæ, alii verò in passione concupiscentiæ, vel si quo alio modo in aliis atque aliis codicibus invenitur: sed passio in lingua Latina, maximè usu loquendi ecclesiastico, non [c] nisi ad vituperationem consuevit intelligi.

Passionis vox usu loquendi ecclesiastico.

[a] Hic post *fieri*, duo MSS. & nonnullæ editiones addunt, *in corpore vitæ illius.*
[b] Am. & Er. *ab adulterorum peccato.* Remensis MS. *peccatis.*

[c] Am. & omnes MSS. *non ad vituperationem:* omisso, *nisi:* quod Lovanienses ab Erasmo adjectum putant.

56. Quodlibet autem de pudenda concupiscentia carnis iste sentiat, de parvulis, pro quibus laboramus, ut salvatore indigere credantur, ne sine salute moriantur, adtende quid dixerit: verba ejus repeto. *Illos ergo*, inquit, *qui numquam nati sunt, bonos potuisse esse dicis: istos verò qui mundum impleverunt, pro quibus Christus mortuus est, diaboli opus, & de morbo natos, & ab exordio reos definis.* O [a] si nodum solvat etiam contentionis, quomodo nodum solvit istius quæstionis? Numquid enim se modò de majoribus ista locutum esse dicturus est? De parvulis agitur, de nascentibus agitur, de his nobis, quia rei ab exordio definiuntur à nobis, ab illo invidia commovetur, quia eos dicimus reos, pro quibus Christus mortuus est. Cur ergo pro illis Christus mortuus est, si non sunt rei? Inde prorsus, inde obtinebimus caussam, unde excitandam putavit invidiam. Ipse dicit, *Quomodo rei sunt parvuli, pro quibus Christus mortuus est?* Nos respondemus, Immo parvuli quomodo rei non sunt, pro quibus Christus mortuus est? Ista controversia judicem [b] quærit. Judicet ergo Christus, & cui rei mors ejus profecerit, ipse dicat. Hic est, inquit, sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Judicet cum illo & Apostolus, quia & in Apostolo ipse loquitur Christus. Clamat & dicit de Deo Patre: Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Puto quòd ita dicat Christum traditum pro omnibus nobis, ut in hac caussa parvuli non separentur à nobis. Sed quid opus est hinc satagere, unde jam nec iste contendit: quando quidem non solùm confitetur mortuum fuisse etiam pro parvulis Christum; verùm etiam inde nos arguit, quòd eosdem parvulos reos dicimus, pro quibus mortuus est Christus? Jam itaque Apostolus qui dixit, pro nobis omnibus traditum Christum, dicat etiam quare sit pro nobis traditus Christus. Traditus est, inquit, propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Si igitur, sicut iste & confitetur, & profitetur, & dicit, & objicit, in eis sunt & parvuli pro quibus traditus est Christus, & propter delicta nostra traditus est Christus; habent profectò & parvuli delicta originalia, pro quibus traditus est Christus: habet quod in eis sanet, qui, sicut ipse ait, non est opus sanis medicus, sed malè habentibus: habet cur eos salvos faciat, qui venit in mundum, sicut dicit apostolus Paulus, peccatores salvos facere: habet quod in eis remittat, qui sanguinem se fudisse testatur in remissionem peccatorum: habet propter quod eos quærat, qui venit, ut dicit, quærere & salvum facere quod perierat: habet quod in eis solvat Filius Dei, qui propterea venit, sicut dicit apostolus Johannes, ut solvat opera diaboli. Huic ergo parvulorum saluti inimicus est, qui eorum sic asserit innocentiam, ut sauciatis & vulneratis neget necessariam medicinam.

Christum & pro parvulis mortuum fatetur adversarius.

Julianus suo se gladio jugulat.

Matth. 26. 28.

Rom. 8. 32.

Rom. 4. 25.

Matth. 9. 12.

1. Tim. 1. 15.

Luc. 19. 10.

1. Johan. 3. 8.

Caput XXXIV.

57. Jam quod sequitur & adjungit, adtende. *Si* [c] *ante peccatum*, inquit, *per Deum creatum est unde homines nascerentur, per diabolum autem unde parentes commoverentur, adscribetur sine dubio sanctitas nascentibus & culpa generantibus. Quod quia manifestissimè nuptias damnat, amoveto hunc sensum precor de Ecclesiarum medio, & verè credito quia per Iesum Christum facta sunt omnia, & sine ipso factum est nihil.* Ita hoc dicit, quasi nos dicamus, per diabolum aliquid substantiæ creatum in hominibus. Persuasit malum diabolus tamquam peccatum, non creavit tamquam naturam. Sed planè naturæ persuasit, quia homo natura est, & ideo eam persuadendo vitiavit. Qui enim vulnerat, non creat membra, sed [d] vexat. Sed vulnera quæ corporibus [e] infliguntur, membra faciunt claudicare, vel ægrè moveri, non eam virtutem qua [f] justus est homo: vulnus autem, quod peccatum vocatur, ipsam vitam vulnerat, qua rectè vivebatur. Hoc autem [g] valde tunc majus atque altius diabolus inflixit, quàm sunt ista hominibus nota peccata. Unde illo magno primi hominis peccato, natura ibi nostra in deterius commutata, non solùm facta est peccatrix, verùm etiam [h] generat peccatores: & tamen ipse languor quo bene vivendi virtus periit, non est utique natura, sed vitium: sicut certè mala in corpore valetudo, non est ulla substantia vel natura, sed vitium: & licèt non semper, tamen plerumque malæ valetudines parentum ingenerantur quodam modo, & apparent in corporibus filiorum.

Johan. 1. 3.

Magnum primi hominis peccatum.

58. Hoc autem peccatum, quod ipsum hominem in paradiso in pejus mutavit, quia multo est grandius quàm judicare nos possumus, ab omni nascente trahitur, nec nisi in renascente remittitur; ita ut etiam de parentibus jam renatis, in quibus remissum atque tectum est, trahatur in reatum nascentium filiorum, nisi & ipsos, quos prima carnalis nativitas obligavit, secunda spiritalis absolvat. Cujus rei mirabilis, mirabile Creator in oliva & oleastro produxit exemplum, ubi non solùm ex oleastri, verùm etiam ex olivæ semine non nisi oleaster exoritur. Quapropter quamvis & in hominibus naturâ generatis, gratiâ regeneratis, sit ista carnalis concupiscentia repugnans legi mentis: tamen quia remissa est in remissione peccatorum, non jam illis in peccatum reputatur, nec nocet aliquid, nisi ejus motibus ad illicita consentiatur. Proles verò eorum, quia non per spiritalem, sed per carnalem concupiscentiam seminatur, velut ex illa oliva quidam nostri generis oleaster, sic inde reatum nascendo trahit, ut nisi renascendo liberari ab illa peste non possit. Quomodo ergo affirmat iste nos adscribere sanctitatem nascentibus, & culpam generantibus? cùm potiùs veritas monstret, etsi fuerit sanctitas in generantibus, originalem culpam inesse nascentibus, quæ non aboleatur nisi in renascentibus.

Peccatum Adami in omni nascente etiam de parentibus renatis trahitur. V. lib. 6. Oper. imperf. c. 15.

Olivæ & oleastri exemplum.

Caput XXXV. Concupiscentia in paradiso.

59. Quæ cùm ita sint, de ista carnis concupiscentia & de libidine imperiosa impudicis, domanda pudicis, pudenda tamen & pudicis & impudicis, sentiat iste quod libet; quia ei sicut vi-

[a] Plures MSS. *O sic nodum solvat.*
[b] Omnes MSS. *quærat.*
[c] Am. Er. & plures MSS. *Si autem.*
[d] Quidam MS. *sed vitiat.*
[e] Nonnulli MSS. *infiguntur;* & paulò pòst, *altius diabolus infixit.* Habetur *infixit* in libro etiam 6. Operis imperf. c. 7.
[f] Unus è Vaticanis MSS. *qua rectus est homo.*
[g] Hîc additur *valde* ex MSS. cujus loco apud Am. & Er. legitur *vulnus.* V. lib. 6. Operis imperf.
[h] In editis, *genuit.*

ante peccatum locare vix audeāt Pelagiani.

deo multùm placet : non eam laudare cunctetur, A quam nominare confunditur ; appellet eam, ſicut appellavit, membrorum vigorem, nec caſtarum aurium revereatur horrorem ; appellet membrorum potentiam, nec caveat impudentiam. Dicat, ſi non erubeſcit, in paradiſo ſi nemo peccaſſet, hunc ibi vigorem velut florem [a] virere potuiſſe ; nec opus fuiſſe ut tegeretur, quod ita moveretur, ut inde nemo confunderetur ; ſed parata conjuge ſemper exerceretur, numquam reprimeretur, ne aliquando [b] voluptas tanta tantæ B felicitati negaretur. Abſit enim ut illa beatitudo poſſet aut in loco illo non habere quod vellet, aut in ſuo corpore vel animo ſentire quod nollet: ac per hoc ſi motus libidinis voluntatem hominum præveniret, voluntas continuò ſequeretur; [c] uxor, quæ propter hoc numquam abſens eſſe debebat, ſive conceptura, ſive jam gravida, illico admoveretur ; & aut proles ſeminaretur, aut voluptas naturalis & laudabilis expleretur ; & periret ſemen hominis, ne appetitus tam bonæ C concupiſcentiæ fraudaretur : tantùm non ſe converterent conjuges in eum uſum, qui eſt contra naturam, ſed quotiens delectaret, membris ad hoc creatis & genitalibus uterentur. Verumtamen quid ſi & ille uſus contra naturam forſitan delectaret, quid ſi & in hanc voluptatem laudabilis illa libido adhinniret, utrùm ſequerentur eam, quoniam ſuavis eſſet ; an repugnarent, quoniam turpis eſſet ? Si ſequerentur, ubi eſt cogitatio qualiſcumque honeſtatis ? Si repugnarent, D ubi eſt pax tantæ felicitatis ? Hîc ſi fortè erubuerit, & dixerit tantam pacem felicitatis illius, tantumque ordinem in his rebus eſſe potuiſſe, ut numquam carnis concupiſcentia voluntatem illorum hominum præveniret ; ſed cùm ipſi vellent, tunc illa conſurgeret : tunc autem vellent, quando ad ſeminandos filios opus eſſet ; ita ut nullus ſeminis eſſet irritus jactus, nullus fieret concubitus, quem non ſequeretur conceptus & partus, ad nutum ſerviente carne, E ad nutum ſerviente libidine. Hoc ſi dicit, ſaltem conſideret nunc in hominibus non eſſe quod dicit. Et ſi non vult concedere vitium eſſe libidinem : dicat ſaltem per illorum hominum inobedientiam etiam ipſam vitiatam eſſe carnis concupiſcentiam ; ut illa quæ obedienter & ordinatè moveretur, nunc inobedienter inordinatéque moveatur : ita ut ipſis quoque pudicis ad nutum non obtemperet conjugatis, ſed & quando non eſt neceſſaria moveatur, & quando neceſſaria eſt, aliquando citiùs, aliquando tardiùs, [d] non eorum ſequatur nutus, ſed ſuos exſerat motus. Hanc ergo ejus inobedientiam inobedientes illi tunc homines receperunt, & in nos propagine transfuderunt. Neque enim ad eorum nutum, ſed utique inordinatè movebatur, quando membra priùs glorianda, tunc jam pudenda texerunt.

Parvulos ne crudeliter defendant Pelagiani.

60. Sed ut dixi, ſentiat de iſta libidine iſte quod libet, prædicet ut libet, laudet quantum libet, (ſicut enim multis locis ſignificat, multùm libet,) ut ejus ſi non uſibus, ſaltem laudibus Pelagiani oblectentur, quicumque eorum propoſito continentiæ [e] carnali conjugio non fruuntur : tantùm parvulis parcat, ut non eos laudet inutiliter, defendatque crudeliter ; ſalvos eſſe non dicat ; non ad laudatorem Pelagium, ſed ad ſalvatorem Chriſtum venire permittat. Nam ut jam liber iſte claudatur, quoniam ita ſermo illius terminatus eſt, qui in chartula quam miſiſti, ſcriptus eſt, ut diceret, *Verè credito, quia per Ieſum facta ſunt omnia, & ſine ipſo factum eſt nihil*: concedat Jeſum etiam parvulis eſſe Jeſum : & ut per eum facta omnia fatetur per id quod eſt Verbum Deus ; ita etiam parvulos ab eo ſalvos fieri fateatur per id quod eſt Jeſus, ſi vult catholicus eſſe Chriſtianus. Sic enim ſcriptum eſt in Evangelio, Et vocabunt nomen ejus Jeſum ; ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Ideo ergo Jeſum, quoniam Jeſus Latinè Salvator eſt. Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum, in quo populo ſunt utique & parvuli. Salvum autem faciet à peccatis eorum : ſunt ergo & in parvulis peccata originalia, propter quæ Jeſus, id eſt, Salvator poſſit eſſe & ipſorum.

Iohan. 1. 3.

Matth. 1. 21.

[a] Plures MSS. *vigere*. Nonnulli, *vivere*.
[b] Sic aliquot MSS. At editi, *voluntas tanta*.
[c] Editi, *uxorque propter hoc numquam abſens eſſe debebat, ſed ſive conceptura*. Caſtigantur ad MSS.
[d] Omnes propè MSS. hîc omittunt *non*.
[e] In MSS. *carne conjugum non fruuntur*.

ADMONITIO
IN SUBSEQUENTES LIBROS DE ANIMA ET EJUS ORIGINE.

*His quatuor libris materiam ſubminiſtravit Vincentius Victor, juvenis in Mauritania Cæſareenſi natus, & ex Rogatiſtarum factione (quæ Donatiſtarum ſciſſura erat partem quamdam Mauritaniæ circa urbem Cartennam occupans) ad catholicam Eccleſiam converſus: quem Victorem ferebant, Vincentii illius, qui poſt Rogatum factioni eidem præfuerat, magnam exiſtimationem hactenus * animo tenere, ut eam ob cauſſam ipſius nomen,* ſuum voluerit eſſe cognomen. *Hic igitur Victor cùm in quamdam Auguſtini ſcriptionem incidiſſet, qua ille ſe quidem ignorare fatebatur, an omnes animæ ex una Adami anima propagentur, an ſingulis quibuſque hominibus ſingulæ à Deo, ſicut ipſi Adamo, ſine propagatione dentur; ſed tamen ſcire dicebat, animam naturâ ſpiritum eſſe, non corpus: utrumque diſplicuit ex æquo Victori, & quòd Auguſtinus vir tantus de animæ origine quid tenendum ſit non ſine cunctatione doceret, præſertim propagationem animarum veri ſimilem eſſe ducens, & quòd animæ naturam aſſeveranter pronuntiaret incorpoream. Ergo adversùs Auguſtinum*

* Lib. 3. c. 2.

*hac de re conſcriptos duos libros Petro Hiſpano presbytero nuncupavit, placita hæreticorum Pelagianorum nonnulla, & alia iis * pejora continentes.*

* Lib. 2. c. 13. & 15.
* V. Aug. epiſt. 190. n. 1.
* Lib. 1. c. 1.
* Ibid. c. 20.

*Renatus monachus, qui Cæſareæ tunc erat, idem ille, ut videtur, qui * Auguſtino in eadem urbe autumno anni 418. exſiſtenti, Optati epiſcopi de animæ origine conſulentis epiſtolam exhibuerat: hic itaque ex ordine quidem laicorum, ſed fide admodum orthodoxa, deſcriptos diligenter eoſdem libros Victoris Cæſareâ Hipponem tranſmiſit * æſtiva tempeſtate: quos tamen exeunte tantùm autumno accepit Auguſtinus, anno ut putant 419. Mox ut illos legit ſanctus Doctor, primum ex quatuor ſubſequentibus libris* * ſine ulla dilatione conſcripſit *ad Renatum monachum: ſecundum deinde, epiſtolæ formâ, ad Petrum presbyterum: duos verò poſtremos ad ipſum Victorem, ſed aliquanto pòſt tempore, ut ex illis intelligitur verbis lib. 2. cap. 4.* Si autem Dominus voluerit, ut ad illum ipſum juvenem ſcribam, ſicut deſidero. *In Retractationibus hæc Auguſtini lucubratio proximè ſub opuſculis anni 419. recenſetur, quinto videlicet loco poſt Geſta cum Emerito, quæ apud Cæſaream anno 418. menſe Septembri confecta ſunt: pertinet itaque ad finem anni 419. ſeu ad initium 420. ſcripta poſt* * Pelagianos conciliorum catholicorum & ſedis Apoſtolicæ auctoritate *jam quidem* damnatos, *ſed* * nuperrimè: *quod anno Chriſti 418. feliciter contigerat.*

* Lib. 2. c. 12. n. 17.
* Lib. 1. c. 19. n. 34.

In 1. libro ad Renatum ſcripto, demonſtrat ſuam de animæ natura ſententiam, & de ejuſdem origine cunctationem injuriâ reprehendi à Victore. Iuvenilem coërcet hominis arrogantiam, quem in errores graves ac inauditos, dum quæſtionem ſolvendam ſuas vires excedentem ſuſcipere audet, prolapſum oſtendit; atque ipſum, ut ſtatuat animas non ex propagine fieri, ſed novas ſingulis naſcentibus à Deo inſufflari, Scripturarum teſtimonia conferre ambigua, nec ad eam rem ſatis idonea.

In 2. Petrum admonet, ne committat, ut libros de animæ origine à Victore ad ipſum ſcriptos laudando approbaſſe, aut quæ temere juvenis ille pronuntiavit fidei Chriſtianæ contraria, pro dogmatibus catholicis habere exiſtimetur. Errores. Victoris varios, eoſque graviſſimos notat, & verbis confutat paucis. Petro demum ipſi ſuadet, ut Victorem ad eos corrigendos adducat.

In 3. ad ipſum Victorem ſcripto, monſtrat quænam in ſuis Victor libris emendare debeat, ſi velit haberi catholicus: eaque ipſius placita & paradoxa, in ſuperioribus ad Renatum & ad Petrum libris jam confutata, hoc tertio libro perſtringit breviter, & ad undecim errorum capita revocat.

In 4. ad eumdem Victorem libro, primùm cunctationem ſuam de animarum origine immeritò culpari, ſeque ab ipſo, quia nihil hinc definire auſus ſit, injuriâ pecoribus comparari demonſtrat. Deinde verò quod incunctanter aſſeveravit, animam ſpiritum eſſe, non corpus, hoc temere etiam improbari à Victore, ut animam corpoream naturâ ſuâ, & ſpiritum ab ipſa anima in homine diſtinctum eſſe, inani conatu propugnet.

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT LVI.

EOdem tempore quidam Vincentius Victor in Mauritania Cæſareenſi invenit apud Hiſpanum quemdam presbyterum Petrum, nonnullum opuſculum meum, ubi quodam loco de origine animæ hominum ſingulorum, utrùm ex illa una primi hominis, ac deinde ex parentibus propagentur; an ſicut illi uni, ſine ulla propagatione ſingulæ ſingulis dentur, me neſcire confeſſus ſum: verumtamen ſcire animam non corpus eſſe, ſed ſpiritum. Et contra iſta mea ad eumdem Petrum ſcripſit ille duos libros, quos mihi de Cæſarea Renatus monachus miſit: quibus ego lectis, reſponſione mea quatuor reddidi, unum ad Renatum monachum, alterum ad presbyterum Petrum, & duos ad eumdem Victorem. Sed ad Petrum, quamvis habeat libri prolixitatem, tamen epiſtola eſt, quam nolui à tribus ceteris ſeparari. In iis autem omnibus in quibus multa neceſſaria diſſeruntur, defendi de origine animarum, quæ ſingulis hominibus dantur, cunctationem meam; & multos errores atque pravitates præſumtionis ejus oſtendi. Quem tamen juvenem non præproperè deteſtandum, ſed adhuc docendum, quanta potui lenitate tractavi, & ab eo reſcripta correctionis ejus accepi. Hujus operis liber ad Renatum ſic incipit: *Sinceritatem tuam erga nos.* Ad Petrum autem ſic: *Domino dilectiſſimo fratri & compresbytero Petro.* Duorum verò noviſſimorum ad Vincentium Victorem primus ſic incipit: *Quod mihi ad te ſcribendum putavi.*

S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, DE ANIMA ET EJUS ORIGINE LIBRI * QUATUOR.

* Scripti sub finem anni Christi 419.

LIBER PRIMUS AD RENATUM MONACHUM.

Acceptis à Renato duobus libris Vincentii Victoris, qui Augustini sententiam de animæ natura, & ejusdem de ipsius origine cunctationem improbabat, ostendit Augustinus, juvenem arroganter de se ipso sentientem, ut de re tam abdita decideret, in errores intolerandos incurrisse. Tum deinde Scripturarum testimonia, quibus probare se Victor existimabat, animas à Deo, non ex propagine fieri, sed novas singulis nascentibus insufflari, demonstrat ambigua esse, atque ad hanc ipsius opinionem confirmandam minimè idonea.

CAPUT I. Renatum rem sibi gratam fecisse, mittendo libros in eum scriptos.

1. SINCERITATEM tuam erga nos, A Renate frater carissime, & fraternam benevolentiam, ac mutuæ dilectionis affectum probatum quidem & antea tenebamus: verùm nunc probatiorem nobis amicâ diligentiâ demonstrasti, quòd mihi duos libros, ejus quidem hominis quem penitus ignorabam, nec tamen ideo contemnendi, Vincentii Victoris, (sic enim prænotatum ibi nomen ejus inveni,) proximè præterita æstate misisti: quamvis mihi, eò quòd absens fuissem, in autumni fine B sint redditi. Quomodo enim tu carissimus meus posses vel deberes in meam non perferre notitiam, cùm in manus tuas venissent cujuslibet hominis qualescumque litteræ, licèt ad alium scribentis, ubi tamen nomen commemoraretur & legeretur meum, ita ut contradiceretur verbis meis, quæ in quibusdam opusculis edidissem? Hoc itaque fecisti, quod sincerissimus & dilectissimus amicus meus facere debuisti.

CAPUT II. Imperiti juvenis contra se arroganter scribentis libros benigno & æquo animo suscipit.

2. SED hinc angor paululùm, quòd adhuc C tuæ sanctitati minùs quàm vellem cognitus sum: quando quidem putasti me sic accepturum, quasi tu mihi injuriam feceris, notum faciendo quod alius fecit. Quantum autem hoc absit ab animo meo, vide, ut ne ab illo quidem me passum injuriam conquerar. Cùm enim aliter quædam quàm ego saperet, numquidnam debuit reticere? Unde mihi gratum esse debet, quòd ita non tacuit, ut id etiam legere possimus. [a] Deberet quidem tantùm scribere potiùs ad me, quàm ad alterum de me: sed quòd mihi esset ignotus, non est ausus se mihi ingerere in meorum refutatione dictorum. Nec consulendum me putavit, ubi sibi videtur minimè dubitandum, sed planè cognitam & certam tenere sententiam. Obtemperavit autem amico suo, à quo se, ut scriberet, dicit esse compulsum. Et si quid inter disputandum, quod in meam contumeliam redundaret, expressit; non eum conviciantis voluntate crediderim, sed diversa sentientis necessitate fecisse. Ubi enim mihi animus erga me hominis ignotus est & incertus, melius arbitror meliora sentire, quàm inexplorata culpare. Fortassis enim amore mei fecit, sciens ad me pervenire posse quod scripsit; dum in eis rebus errare me non vult, in quibus se potiùs errare non putat. Et ideo debeo etiam ejus habere gratam benevolentiam, cujus me necesse est improbare sententiam: ac per hoc in eis quæ non rectè sapit, adhuc leniter corrigendus mihi videtur, non asperè detestandus; præsertim quia, sicut audio, nuper catholicus factus est, quod ei gratulandum

[a] Pleriquc MSS *Deberes quidem tantùm.*

Vincentius Victor ex Rogatistarum secta conversus.

est. Caruit enim Donatistarum vel potiùs Rogatistarum divisione & errore, quo antea tenebatur: si tamen catholicam veritatem sicut oportet intelligat, ut verè de illius conversione gaudeamus.

CAPUT III.

3. HABET enim eloquium, quo possit explicare quæ sentit. Unde cum illo agendum est, eique optandum ut recta sentiat, ne faciat esse delectabilia quæ sunt inutilia, & quæ diserta dixerit, vera dixisse videatur. Quamvis & in ipso eloquio habeat multa emendanda, & à nimia exundantia reprimenda. Quod in illo tibi quoque, ut viro gravi, sicut tua indicant scripta, displicuit. Sed hoc vel facilè corrigitur, vel sine detrimento fidei à levibus mentibus amatur, toleratur à gravibus. Habemus enim jam quosdam spumeos in sermone, sed in fide sanos. Non itaque desperandum est, etiam hoc in isto, (quamvis sit tolerabile, si permanserit,) posse tamen expurgari & temperari, atque ad integrum & solidum vel perduci, vel revocari modum: præsertim quia juvenis esse perhibetur, ut quod minùs habet peritia, suppleat diligentia; & quod cruditas loquacitatis eructat, ætatis maturitas decoquat. Illud est molestum & periculosum vel perniciosum, si cùm laudatur eloquentia, persuadeatur insipientia, & in pretioso poculo bibatur pestifera potio.

CAPUT IV. Errores in Vincentii Victoris libris contenti. Animam dicit à Deo, neque ex nihilo, neque ex ulla re creata factã esse.

4. UT enim jam incipiam demonstrare, quæ præcipuè sint in ejus disputatione vitanda: *Animam* dicit à Deo quidem factam, nec Dei esse partem sive naturam; quod omnino verum est: sed cùm eam *non vult ex nihilo factam fateri, & aliam nullam creaturam unde sit facta commemorat, atque ita illi dat auctorem Deum, ut* neque ex nullis exstantibus, id est, ex nihilo, neque ex aliqua re, quæ non est quod Deus est, *sed de se ipso eam fecisse credatur;* nescit eò se revolvi, quod declinasse se putat, ut scilicet nihil aliud anima quàm Dei natura sit; ac sic consequenter & de Dei natura fiat aliquid ab eodem Deo, cui faciendo materia de qua facit, sit ipse qui facit: ac per hoc & Dei sit natura mutabilis, & mutata in deterius ejusdem ipsius Dei ab eodem ipso Deo natura damnetur. Quod pro tua fideli intelligentia, quàm non sit opinandum, & quàm sit à corde catholico secludendum, longéque fugiendum, vides. Ita quippe anima vel de flatu facta, vel Dei flatus factus est ipsa, ut non de ipso sit, sed ab ipso de nihilo creata sit. Neque enim sicut homo quando sufflat, non potest de nihilo flatum facere, sed quem de isto aëre ducit, hunc reddit; ita Deo putandum est auras aliquas circumfusas jam fuisse, quarum exiguam quamdam particulam, spirando traheret, & respirando refunderet, quando in hominis faciem sufflavit, eique illo modo animam fecit. Quod & si ita esset, nec sic de ipso, sed de subjacenti re aliqua flabili posset esse quod flavit. Sed absit ut negemus omnipotentem de nihilo flatum vitæ facere potuisse, quo fieret homo in animam vivam: atque in eas contrudamur angustias, ut vel jam fuisse aliquid, quod ipse non esset, unde flatum faceret, opinemur; vel quod mutabile factum videmus, de se ipso fecisse credamus. Quod enim de ipso est, necesse est ut ejusdem naturæ sit cujus ipse est,

Anima quoniam mutabilis est, facta esse de Deo qui immutabilis est, non potest.

A ac per hoc etiam immutabile sit. Anima verò, quod omnes fatentur, mutabilis est. Non ergo de ipso, quia non est immutabilis sicut ipse. Si autem de nulla re alia facta est, de nihilo facta est procul dubio, sed ab ipso.

CAPUT V. Alius error Victoris: Animam esse corpus.

5. QUOD verò *eam non spiritum, sed corpus esse contendit:* quid aliud vult efficere, quàm nos non ex anima & corpore, sed ex duobus vel etiam tribus constare corporibus? Cùm enim spiritu, animâ, & corpore constare nos dicit, & omnia B hæc tria corpora esse asserit; profectò ex tribus corporibus nos putat esse compactos. In qua opinione quanta eum sequatur absurditas, illi potiùs quàm tibi demonstrandum puto. Verùm iste tolerabilis error est hominis, qui nondum cognovit esse aliquid, quod cùm corpus non sit, corporis tamen quamdam similitudinem gerere possit.

CAPUT VI. Error ex ejusdem libro secundo, Animam meruisse inquinari per carnem.

6. ILLUD planè quis ferat, quòd in secundo libro, cùm quæstionem difficillimam solvere C conaretur de originali peccato, quatenus ad corpus animamque pertineat, si anima non de parentibus trahitur, sed à Deo nova insufflatur; hanc ergo tam molestam & tam profundam nitens enodare quæstionem: *Meritò*, inquit, *per carnem, priscam reparat habitudinem, quam visa fuerat paulisper amisisse per carnem, ut per eam incipiat renasci, per quam meruerat inquinari.* Cernis nempe hominem ausum suscipere quod vires ejus excedit, in tam immane præcipitium deci- D disse, ut diceret inquinari animam meruisse per carnem; cùm dicere nullo modo possit, unde hoc meritum traxerit ante carnem. Si enim à carne incipit meritum habere peccati, dicat si potest, unde ante peccatum suum carne meruerit inquinari. Nam hoc meritum quo in carnem peccatricem missa est, ut inquinaretur ex illa, profectò aut ex semetipsa habuit, aut, quod vero multo ampliùs abhorret, ex Deo. Ex carne quippe meritum non potuit habere ante carnem, quo E merito inquinanda mitteretur in carnem. Si ergo à semetipsa hoc meritum habuit; quomodo habuit, quæ ante carnem nihil mali fecit? Si autem hoc meritum ex Deo dicitur habuisse; quis hoc audiat, quis ferat, quis dici impunè permittat? Non enim hoc loco quæritur, quid meruerit, ut judicaretur damnanda post carnem: sed quid meruerit ante carnem ita damnari, ut inquinanda mitteretur in carnem. Explicet hoc si potest, qui est ausus dicere, inquinari animam meruisse F per carnem.

CAPUT VII. Quæstionem difficilem ipse Victor implicat.

7. ITEM alio loco, cùm eamdem, qua se ipse implicuerat, velut explicandam proponeret quæstionem, tamquam ex persona adversariorum ait: *Cur, inquiunt, Deus animam tam injusta animadversione multavit, ut in corpus eam peccati* [a] *relegare voluerit, cùm consortio carnis peccatrix esse incipit, quæ peccatrix esse non potuit?* In hujus quæstionis tamquam scopuloso gurgite, debuit utique cavere naufragium, nec eò se com- G mittere, unde se non erueret transeundo, sed fortè redeundo, id est, pænitendo. Nam de præscientia Dei se nititur liberare, sed frustra. Præscientia quippe Dei eos quos sanaturus est, peccatores prænoscit, non facit. Nam si eas animas liberat à peccato, quas innocentes & mundas

Præscientia Dei ... est ... peccatorum ...

[a] In MSS. *religare.* Sic infrà cap. 12. *religari*, pro *relegari.*

implicuit* ipse peccato; vulnus sanat quod intulit A nobis, non quod invenit in nobis. Avertat autem Deus, & omnino absit, ut dicamus, quando lavacro regenerationis Deus mundat animas parvulorum, tunc eum mala sua corrigere, quæ illis ipse fecit, cùm eas nullum habentes peccatum peccatrici carni, cujus originali peccato contaminarentur, admiscuit. Quas tamen iste accusans dicit inquinari meruisse per carnem, nec potest dicere unde tantum mali meruerint ante carnem.

CAPUT VIII. Error Victoris, Animam meruisse fieri peccatricem.

8. HANC ergo quæstionem frustra se putans B de præscientia Dei posse dissolvere, adhuc se involvit, & dicit: *Anima si peccatrix esse meruit, quæ peccatrix esse non potuit, tamen neque in peccato remansit, quia in Christo præfigurata in peccato esse non debuit, sicut esse non potuit.* Quid est quod dicit, *peccatrix esse non potuit*, vel *in peccato esse non potuit*, nisi, credo, si non veniret in carnem? Neque enim potuit originali peccato esse peccatrix, aut quoquo modo in originali peccato esse, nisi per carnem, si de parente non trahitur. Videmus C ergo eam per gratiam liberari à peccato: sed non videmus unde meruerit hærere peccato. Quid est ergo quod dicit, *Si peccatrix esse meruit, non tamen in peccato remansit?* Si enim ab illo quæram, cur non in peccato remanserit, rectissimè respondebit, quòd eam Christi gratia liberaverit. Sicut ergo dicit, unde anima parvuli fuerit liberata peccatrix, sic etiam dicat unde meruerit esse peccatrix.

9. Sed quid dicit, cui hoc quod prælocutus est, contigit? Namque ut istam quæstionem sibi D proponeret, ait: *Alia substruuntur opprobria querulis murmurationibus oblatrantium, & excussi quasi quodam turbine, idemtidem inter immania saxa collidimur.* Hoc si ego de illo dicerem, forsitan succenseret. Verba sunt ejus: quibus præmissis proposuit quæstionem, in qua ipsa saxa quibus collisus naufragavit, ostenderet. Ad hoc enim perductus est, & tam horrendis cautibus [a] illatus, impulsus, infixus, ut eruere se nisi emendando quod dixit, omnino non possit; non valens osten- E dere quo merito anima sit facta peccatrix, quam dicere non timuit ante omne suum peccatum meruisse fieri peccatricem. Quis tam immane supplicium meretur sine peccato, ut in aliena iniquitate conceptus, ante quàm exeat de visceribus matris, jam non sit sine peccato? De hac autem pœna parvulorum animas, qui regenerantur in Christo, nullis eorum præcedentibus meritis gratuita liberat gratia: alioquin gratia jam non est gratia. Proinde iste homo valde intel- F ligens, cui displicet in tanta profunditate, & si non docta, tamen cauta nostra cunctatio, dicat si potest, in hanc pœnam quo pervenerit anima merito, de qua pœna liberat gratia sine merito. Dicat, ut quod dixit, aliquâ, si valuerit, ratione defendat. Non enim hoc exigerem, nisi ipse dixisset, quòd anima meruerit esse peccatrix. Dicat meritum ejus, utrùm bonum fuerit, G anne malum? Si bonum, quo merito bono venit in malum? Si malum, unde aliquod malum meritum ante omne peccatum? Item dico, Si bonum, non ergo eam gratìs, sed secundùm debitum liberat gratia, cujus præcessit meritum bonum: ac sic gratia jam non erit gratia. Si autem malum, quæro quod sit: an quod venit in carnem, quò non

Rom. 11. 6.

venisset, nisi apud quem non est iniquitas, ipse misisset? Numquam igitur nisi se in pejora præcipitans, hanc suam sententiam molietur adstruere, qua dixit quòd anima meruit esse peccatrix. Et de his quidem parvulis, quorum in baptismo diluitur originale peccatum, invenit qualitercumque quod diceret, quoniam præscientiâ Dei prædestinatis in vitam æternam nihil obesse potuisset, paulisper alieno inhærere peccato. Quod tolerabiliter diceretur, si non iste verbis suis implicaretur, dicens quòd meruerit anima esse peccatrix; unde se omnino non liberat, nisi hoc eum dixisse pæniteat.

CAPUT IX. Alius error, Parvulos sine baptismo mortuos posse pervenire ad regnum cælorum.

10. DE illis autem parvulis qui morte præveniuntur priùs quàm baptizentur in Christo, cùm respondere voluisset, ausus est eis promittere, non solùm paradisum, verùm etiam regnum cælorum: non inveniens quà exiret, ne Deum animas innocentes dicere cogeretur æterna morte damnare, quas nullo merito præcedente peccati, carni inserit peccatrici. Sed utcumque sentiens quid mali dixerit, sine ulla Christi gratia animas redimi parvulorum in æternam vitam regnumque cælorum, & in eis posse solvi originale peccatum sine baptismo Christi, in quo fit remissio peccatorum: videns ergo, in quam se profunditatem naufragosi gurgitis jecerit, *Sanè*, inquit, *pro eis oblationes assiduas, & offerenda jugiter sanctorum censeo sacrificia sacerdotum.* Ecce aliud unde numquam exiturus est, nisi eum dixisse pæniteat. Quis enim offerat corpus Christi, nisi pro eis qui membra sunt Christi? Ex quo autem ab illo dictum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei: & alio loco, Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam: nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo.

Item error, Pro parvulis ante baptismum mortuis offerendũ esse sacrificium corporis Christi.

Iohan. 3. 5. *Matth.* 10. 39. *Lucæ* 23. 43.

11. Unde & latro ille, non ante crucem Domini sectator, sed in cruce confessor, de quo nonnumquam præjudicium captatur, sive tentatur, contra baptismatis sacramentum, à Cypriano sancto inter martyres computatur, qui suo sanguine baptizantur, quod plerisque non baptizatis fervente persecutione provenit. Tanto namque pondere appensum est, tantumque valuit apud eum qui hæc novit appendere, quòd confessus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus. Tunc enim fides ejus de ligno floruit, quando discipulorum marcuit; [b] nisi cujus mortis terrore marcuerat, ejus resurrectione reviresceret. Illi enim desperaverunt de moriente, ille speravit in commoriente: refugerunt illi auctorem vitæ, rogavit ille consortem pœnæ: doluerunt illi tamquam hominis mortem, credidit ille regnaturum esse post mortem: deseruerunt illi sponsorem salutis, honoravit ille socium crucis. Inventa est in eo mensura martyris, qui tunc in Christum credidit, quando defecerunt qui futuri erant martyres. Et hoc quidem oculis Domini clarum fuit, qui non baptizato, tamquam martyrii sanguine abluto, tantam felicitatem statim contulit. Sed etiam nostrûm quis non consideret, quanta fide, quanta spe, quanta caritate mortem pro Christo vivente suscipere potuit, qui vitam in moriente quæsivit. Huc

Martyriũ pro Christo vicem supplet baptismi.

Cyprianus epist. ad Iubaianum. Vide lib. 4. *contra Donat. c.* 22. *& in Levit. q.* 84. *& lib.* 2. *Retract. c.* 18. *& 55.*

Latronis cum Christo crucifixi fides cum discipulorum defectione comparatur.

[a] Er. & Lov. *illisus*. Am. & MSS. *llatus*.

[b] Vaticanus MS. *ut cujus*.

accedit, quia non incredibiliter dicitur, latronem A qui tunc credidit, juxta Dominum crucifixum, aquâ illâ quæ de vulnere lateris ejus emicuit, tamquam sacratissimo baptismo fuisse perfusum. Ut omittam quòd eum, ante quàm damnaretur, baptizatum non fuisse, quoniam nemo nostrûm novit, nemo convincit. Verùm hæc ut volet quisque accipiat, dum tamen de baptismo non præscribatur Salvatoris præcepto, hujus latronis exemplo; & non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque cælo- B rum, quietis vel felicitatis cujuslibet atque ubilibet quasi medium locum. Hoc enim eis etiam hæresis Pelagiana promisit: quia nec damnationem metuit parvulis, quos nullum putat habere originale peccatum; nec sperat eis regnum cælorum, si non perveniunt ad baptismatis sacramentum. Iste autem cùm confiteatur parvulos originali obstrictos esse peccato, eis etiam regnum cælorum non baptizatis ausus est polliceri: quod nec illi ausi sunt, C qui eos asserunt sine ullo prorsus esse peccato. Ecce qualibus se laqueis præsumtionis innectat, nisi eum talia scripsisse pæniteat.

Caput X. Martyris Perpetuæ precibus frater Dinocrates septennis mortuus à damnatione liberatus scribitur.

12. De fratre autem sanctæ Perpetuæ Dinocrate, nec scriptura ipsa canonica est, nec illa sic scripsit, vel quicumque illud scripsit, ut illum puerum qui septennis mortuus fuerat, sine baptismo diceret fuisse defunctum: pro quo illa imminente martyrio creditur exaudita, ut à pœnis transferretur ad requiem. D Nam illius ætatis pueri, & mentiri, & verum loqui, & confiteri, & negare jam possunt. Et ideo cùm baptizantur, jam & Symbolum reddunt, & ipsi pro se ad interrogata respondent. Quis igitur scit, utrùm puer ille post baptismum persecutionis tempore à patre impio per idololatriam fuerit alienatus à Christo, propter quod in damnationem mortis ierit, nec inde nisi pro Christo moriturae sororis precibus donatus exierit?

Caput XI. Sacrificiũ corporis & sanguinis Christi pro non baptizatis offerri non potest.

13. Sed etiam si hoc isti concedatur, quod E salvâ fide catholicâ & ecclesiasticâ regulâ, nullâ ratione conceditur, ut pro non baptizatis cujuslibet ætatis hominibus offeratur sacrificium corporis & sanguinis Christi, tamquam per hujusmodi pietatem suorum ad regnum cælorum quò perveniant adjuventur: quid responsurus est de tot millibus infantum, qui nascuntur ex impiis, nec in manus piorum aliqua vel divina vel humana miseratione perveniunt, & de ista vita in illa tenerrima ætate, sine lavacro regenerationis F abscedunt? Dicat, si potest, unde istæ animæ sic peccatrices fieri meruerunt, ut à peccato saltem nec postea liberentur.

Urget Victorem.

Si enim quæram, quare damnari mereantur, si non baptizantur; rectè mihi respondetur, propter originale peccatum. Item si quæram, unde traxerint originale peccatum; iste respondebit, ex carne utique peccatrice. Si ergo quæram, unde damnari meruerint in peccatricem carnem, quæ nihil mali fecerant ante carnem; [a] hîc inveniat quid respondeat; & sic G damnari ad alienorum peccatorum subeunda contagia, ut nec baptisma regeneret malè generatos, nec sacrificia expient inquinatos. Ibi enim & de talibus hi parvuli nati sunt, sive adhuc usque nascuntur, ut eis nullo tali possit adjutorio subveniri. Hîc certè omnis argumentatio deficit. Non enim quærimus, unde animæ damnari meruerint post carnis consortium peccatricis: sed quærimus, unde animæ damnari meruerint ad subeundum carnis consortium peccatricis, nullum peccatum habentes ante carnis consortium peccatricis. Non est ut dicatur, *Nihil eis obfuit alieni peccati paulisper communicata contagio, quibus in Dei præscientia fuerat parata redemtio.* De his enim nunc loquimur, quibus ante baptismum de corpore exeuntibus redemtio nulla succurrit. Non est ut dicatur, *Eas quas baptisma non abluit, sacrificia pro eis crebra mundabunt, quod præsciens Deus, paululùm illas voluit alienis hærere peccatis, sine ullo exitio damnationis æternæ, & cum spe felicitatis æternæ.* De his enim nunc loquimur, quarum nativitas apud impios & ex impiis nulla talia potuerit invenire præsidia. Quæ quidem si adhiberi possent, procul dubio non baptizatis prodesse non possent: sicut nec illa quæ de libro Machabæorum commemoravit sacrificia pro peccatoribus mortuis, eis aliquid profuissent, si circumcisi non fuissent.

2. Machab. 12. 43.

14. Inveniat ergo, si potest, iste quid dicat, cùm ab illo quæritur, quid meruerit anima, sine ullo peccato, vel originali, vel proprio, sic ad subeundum alienum peccatum originale damnari, ut non ab illo valeat liberari: & videat quid eligat è duobus, utrùm dicat etiam eas animas morientium parvulorum, quæ hinc sine lavacro regenerationis abscedunt, & pro quibus nullum sacrificium corporis Dominici offertur, à nexu peccati originalis absolvi; cùm Apostolus doceat, ex uno ire omnes in condemnationem, quibus utique non subvenit gratia, ut per unum eruantur in redemtionem: an dicat animas non habentes ullum vel proprium, vel originale peccatum, & omni modo innocentes, simplices, puras, à justo Deo, cùm eas ipse non liberandas carni inserit peccatrici, æterna damnatione puniri.

Rom. 5. 16.

Caput XII.

15. Ego nihil istorum duorum dicendum esse confirmo; nec illud tertium, alibi peccasse animas ante carnem, ut damnari mererentur in carnem. Apostolus quippe apertissimè definivit, nondum in carne natos nihil egisse boni seu mali. Unde constat, parvulos, ut remissione indigeant peccatorum, non nisi originale contraxisse peccatum. Nec illud quartum, eas animas parvulorum sine baptismate moriturorum à justo Deo in carnem peccatricem relegari atque damnari, quas præscivit, si ad ætatem pervenissent, in qua libero uterentur arbitrio, malè fuisse victuras. Hoc namque nec iste ausus est dicere, in tantis angustiis constitutus: immo etiam contra istam vanitatem jam satis manifestè ac breviter est locutus, ubi ait, *Injustum Deum futurum fuisse, si non perfectis propriæ voluntatis operibus, vellet hominem judicare non natum.* Hoc enim respondit, cùm tractaret quæstionem adversùs eos qui dicunt, Cur Deus hominem faciebat, quem, ut pote præscius, sciebat futurum non bonum? Non natum enim judicaret, si propterea creare noluisset, quia non bonum futurum esse præscisset. Et utique sicut & huic visum est, de perfectis ejus operibus debuisset hominem judicare, non de præcognitis, nec fieri aliquando permissis. Nam si peccata, quæ si homo viveret

Rom. 9. 11.

[a] Isthæc verba, *hic inveniat quid respondeat*, nonnullis in MSS. transposita sunt post *expient inquinatos*;

commiſſurus eſſet, etiam non commiſſa damnantur in mortuo, nullum beneficium collatum eſt illi, qui raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus: quando quidem judicabitur ſecundùm eam, quæ in illo fuerat futura, malitiam; non ſecundùm eam, quæ in illo inventa eſt, innocentiam: & de nullo mortuo baptizato poterit eſſe ſecuritas; quia & poſt baptiſmum, non qualitercumque peccare, verùm etiam apoſtatare homines poſſunt. Quid ſi ergo qui baptizatus hinc raptus eſt, apoſtata erat futurus, ſi viveret; nullum-ne illi beneficium putabimus eſſe collatum, quod raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus; & propter Dei præſcientiam, non ſicut fidele membrum Chriſti, ſed ſicut apoſtatam judicandum eſſe cenſebimus? Quanto enim meliùs, ſi peccata nondum facta, nondum cogitata, ſed præcognita & futura puniuntur, projicerentur illi duo de paradiſo ante peccatum, ne in loco tam ſancto & beatifico peccaretur? Quid quòd ipſa exinanitur omnino præſcientia, ſi quod præſcitur non erit? Quomodo enim rectè dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum? Quomodo ergo puniuntur peccata quæ nulla ſunt, id eſt, quæ nec vitâ iſtâ nondum incipiente commiſſa ſunt ante carnem, nec morte præveniente poſt carnem?

Sap. 4. 11.

Caput XIII. Difficultas in ea ſententia quæ tenet animas non eſſe ex propagine.

16. Hoc itaque medium, ex quo anima miſſa eſt in carnem, quò uſque ſolveretur à carne, quoniam parvuli anima eſt, nec liberi arbitrii geſſit ætatem, non invenit unde damnaretur non percepto baptiſmo, niſi originale peccatum. Ex hoc peccato juſtè damnari animam non negamus: quia peccato ſupplicium lex juſta conſtituit. Sed ad hoc peccatum ſubeundum cur damnata ſit, quærimus, ſi non ex illa una trahitur, quæ in generis humani primo patre peccavit. Quamobrem ſi Deus non damnat innocentes, nec facit nocentes quos perſpicit innocentes; & ſi animas non liberat ſive ab originalibus, ſive à propriis peccatis, niſi in Eccleſia Chriſti baptiſmus Chriſti; & ſi animæ ante carnem nullum habuerunt omnino peccatum; & ſi peccata ante quàm committantur, & multo magis quæ numquam commiſſa ſunt, damnari juſtâ lege non poſſunt; nihil horum quatuor iſte dicat: &, ſi poteſt, explicet, parvulorum animæ, quæ ſine baptiſmo exeuntes in damnationem mittuntur, quo merito in carnem peccatricem quæ nihil peccaverunt, miſſæ ſunt, ut illic invenirent peccatum, propter quod meritò damnarentur. Porrò ſi quatuor iſta devitans, quæ ſana doctrina condemnat, id eſt, ſi non audens dicere, vel ſine ullo peccato exſiſtentes, à Deo fieri animas peccatrices, aut ſine Chriſti ſacramento in eis ſolvi originale peccatum, aut eas alicubi peccaſſe, ante quàm mitterentur in carnem, aut ea quæ numquam habuerunt in eis peccata damnari: ſi hæc nobis non audens dicere, quoniam non ſunt utique dicenda, dixerit parvulos non trahere originale peccatum, nec habere unde damnentur, ſi non accepto ſacramento regenerationis hinc exeant; in hæreſim Pelagianam ſine dubitatione damnabilem damnandus incurret. Quod ei ne contingat, quanto meliùs tenet de animæ origine cunctationem meam, ne audeat affirmare, quod nec humana ratione comprehendit, nec divina auctoritate defendit; ne cogatur inſipientiam profiteri, dum veretur ignorantiam confiteri.

Caput XIV. Oſtendit Scripturæ teſtimonia à Victore prolata non evincere, animas ſic à Deo fieri, ut non ex propagine.

17. Hic fortè dicat, ſententiam ſuam divina auctoritate defendi: quoniam ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis probare ſe exiſtimat, animas à Deo, non ex propagine fieri, ſed novas ſingulis inſufflari. Probet, ſi poteſt, & fatebor me didiciſſe ab illo, quod magna intentione quærebam. Sed quærat alia, ne fortaſſis inveniat: nam hoc iſtis teſtimoniis, quæ jam poſuit, non probavit. Omnia quippe quæ hîc adhibuit, ad aliquid certa ſunt; ad hoc verò, quod de animæ origine quæritur, demonſtrantur ambigua. Certum eſt enim Deum dediſſe hominibus flatum & ſpiritum, dicente Propheta, *Sic dicit Dominus qui fecit cælum, & fundavit terram, & quæ ſunt in ea, qui dat flatum populo ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam.* Hoc teſtimonium iſte in eam ſententiam vult accipi, quam defendit, ut quod ait, *dat flatum populo*, non ex propagine facere animas populo, ſed novas inſufflare credatur. Audeat ergo dicere non ipſum nobis dediſſe carnem, quia de parentibus origo carnis adtracta eſt. Et ubi ait Apoſtolus de frumenti grano, Deus illi dat corpus quomodo voluerit: neget, ſi audet, de tritico triticum naſci, & herbam ejus ex ſemine ſecundùm genus. Quod ſi negare non audet; unde igitur ſcit, quomodo dictum ſit, *dat flatum populo*: utrùm eum trahens de parentibus, an inſufflans novum?

Teſtimonium primum. Iſai. 42. 5.

1. Cor. 15. 38.

18. Unde etiam ſcit, utrùm repetitio ſententiæ ſit, *Qui dat flatum populo ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam*: ut de una re utrumque dictum intelligatur, & non animam vel ſpiritum quo natura vivit humana, ſed Spiritum-ſanctum ſignificare voluerit? Si enim flatu non poſſet ſignificari Spiritus-ſanctus, non Dominus poſt reſurrectionem inſufflaſſet diſcipulis, & dixiſſet, Accipite Spiritum-ſanctum. Neque ſcriptum eſſet in Actibus Apoſtolorum, Factus eſt ſubitò de cælo ſonus, quaſi ferretur flatus vehemens, & viſæ ſunt illis linguæ diviſæ ſicut ignis, qui & inſedit ſuper unumquemque eorum, & impleti ſunt omnes Spiritu-ſancto. Quid ſi hoc Propheta prænuntiavit, dicens, *Qui dat flatum populo ſuper eam?* & tamquam exponens quid dixerit flatum, repetivit atque ait, *& ſpiritum calcantibus eam?* Tunc enim evidentiſſimè factum eſt, quando impleti ſunt omnes Spiritu-ſancto. Aut ſi nondum dicendus eſt populus, centum-viginti homines, qui tunc in loco uno aderant; certè quando ſimul quatuor vel quinque millia crediderunt, & baptizati acceperunt Spiritum-ſanctum, quis dubitaverit ſimul populum accepiſſe Spiritum-ſanctum, & multitudinem quæ ambulabat in terra, id eſt, homines calcantes terram? Nam ille qui datur ad naturam hominis pertinens, ſive ex propagine detur, ſive novus inſuffletur, (quorum nihil affirmandum eſſe dico, donec alterutrum ſine ulla dubitatione clareſcat,) non datur calcantibus terram, ſed adhuc materno utero incluſis. Dedit ergo flatum populo ſuper terram, & & ſpiritum calcantibus eam, quando multi ſimul credentes, ſimul repleti ſunt Spiritu-ſancto. Et ipſe dat eum populo ſuo, etſi non ſimul omnibus, ſed ſuo cuique tempore, donec diſcedendo de hac vita, & ſuccedendo in hanc

Flatu ſignificatur interdum Spiritus-ſanctus. Iohan. 20. 22. Act. 2. 2. Act. 4. 31.

vitam, universus ejusdem populi numerus com-
pleatur: ut hoc sanctæ scripturæ loco non aliud
sit flatus, aliud spiritus; sed ejusdem sententiæ
repetitio. Sicut non est alius qui habitat in cælis,
& alius Dominus; nec aliud est irridere, & aliud
subsannare: sed eadem sententia repetita est, ubi
Psal. 2. 4. legitur, Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Do-
minus subsannabit eos. Vel cùm dictum est: Da-
Ibidem 8. bo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem
tuam fines terræ. Non utique aliud dixit here-
ditatem, aliud possessionem; nec aliud gentes,
aliud fines terræ: sed ejusdem sententiæ repetitio
est. Et innumerabiles inveniet hujusmodi locu-
tiones divinorum eloquiorum, si advertat quod
legit.

19. Quod autem Græcus dicit πνοὴν, hoc La-
tini variè interpretati sunt, aliquando flatum,
aliquando spiritum, aliquando inspirationem.
Nam hoc verbum habent codices Græci in isto
prophetico testimonio, de quo nunc agimus, ubi
dictum est, *Qui dat flatum populo super eam:* hoc
est, πνοὴν. Ipsum verbum est & ubi homo anima-
Gen. 2. 7. tus est: Et insufflavit Deus in faciem ejus fla-
tum vitæ. Sed ipsum verbum est & in Psalmo
Psal. 150. 6. ubi canitur: Omnis spiritus laudet Dominum.
Job 32. 8. sec. LXX. Ipsum est & in libro Job, ubi scriptum est: Adspi-
ratio autem omnipotentis est quæ docet. Noluit
dicere flatus, sed adspiratio, cùm in Græco sit
πνοὴ: quod etiam in illis verbis Prophetæ, de
quibus nunc disputamus. Et certè hoc loco, ne-
scio utrùm debeat dubitari Spiritum-sanctum esse
significatum. Agebatur enim de sapientia, unde
sit in hominibus: Quia non ex numero annorum,
sed Spiritus, inquit, est in hominibus; adspiratio
autem omnipotentis est quæ docet: ut intellige-
retur ista repetitione, non se de spiritu hominis di-
xisse, quod ait, Spiritus est in hominibus. Vole-
bat enim ostendere unde habeant sapientiam,
quia non à se ipsis; & repetendo id exposuit di-
cens, Adspiratio omnipotentis est quæ docet.
Item alio loco in eodem libro, Intellectus, in-
quit, labiorum meorum pura intelligit: Spiritus
divinus qui fecit me, adspiratio autem omnipo-
Job 33. 3. sec. LXX. tentis, quæ docet me. Et hîc quod ait, adspira-
tio vel inspiratio, in Græco est πνοὴ, qui in illis
Prophetæ verbis interpretatus est flatus. Quam-
obrem cùm temere negetur de anima hominis
Isai. 42. 5. vel de spiritu hominis esse dictum, *Qui dat fla-
tum populo super eam, & spiritum calcantibus eam;*
quamvis ibi & Spiritus-sanctus multo credibiliùs
possit intelligi: qua tandem ratione audebit ali-
quis definire, animam vel spiritum, quo natura
* Deest fortè, à Deo non ex propagine dari. nostra vivit, * loco illo voluisse significare pro-
phetam? Cùm profectò si apertissimè diceret,
Qui dat animam populo super terram, adhuc
quærendum esset, utrùm eam Deus ex origine
præcedentis generis ipse det, sicut ex origine
præcedentis generis, ipse tamen dat corpus, non
solùm homini aut pecori, sed etiam semini triti-
ci, aut alicujus ceterorum quomodo voluerit:
an verò novam, sicut homo primus accepit, in-
sufflet.

20. Sunt etiam qui hæc verba prophetica sic
intelligant, ut quod ait, *Dedit flatum populo super
eam*, id est, super terram, non nisi animam ve-
lint accipi flatum: quod verò adjunxit, *& spiri-*

A *tum calcantibus eam*, Spiritum-sanctum significa-
tum arbitrentur: illo scilicet ordine, quo & Apo-
stolus dicit, Non primùm quod spiritale est, sed 1. Cor. 15. 46.
quod animale, postea spiritale. Nam ex hac
prophetica sententia etiam elegans ille sensus
exsculpitur, quod ita dixerit, *calcantibus eam*, ut
vellet intelligi, contemnentibus eam. Qui enim
accipiunt Spiritum-sanctum, amore cælestium
terrena contemnunt. Hæ omnes sententiæ non
sunt contra fidem, sive utrumque, id est, & fla-
B tum & spiritum qui pertinet ad humanam natu-
ram, quisque intelligat, sive utrumque dictum
accipiat de Spiritu-sancto, sive flatum ad animam,
spiritum verò ad Spiritum-sanctum referat. Sed
si anima & spiritus hominis & hîc intelligendus
est, sicut non dubitandum est quòd eum Deus
det; ita quærendum est adhuc unde det, utrùm
ex propagine, sicut ipse quidem dat, sed tamen
ex propagine dat corporis membra; an verò
novum, neque propagatum singulis insufflando
C distribuat: quod non ambigua, sicut iste facit, sed
aliqua certissima volumus divinorum eloquiorum
auctoritate defendi.

21. Eadem ratione etiam quod dicit Deus, Testimonium 2. à Victore citatum.
Spiritus enim à me exiet, & omnem flatum ego feci:
de Spiritu quidem sancto accipiendum est quod Isai. 57. 16.
ait, *Spiritus à me exiet*; de quo & Salvator ait, Johan. 15. 26.
A Patre procedit: sed quod dictum est, *Omnem*
flatum ego feci, de omni anima dictum negari non
potest. Sed omne etiam corpus ipse facit: quòd
D autem ex propagine corpus humanum faciat,
nullus ambigit. Ac per hoc de anima, cùm eam
constet ab illo fieri, unde eam faciat, utrùm ex
propagine sicut corpus, an insufflando sicut pri-
mam fecit, adhuc utique requirendum est.

22. Adjecit etiam tertium testimonium, quia Testimonium 3.
scriptum est, *Qui fingit spiritum hominis in ipso.* Zach. 12. 1.
Quasi hoc negetur: sed unde eum fingat, hoc
quæritur. Nam & corporalem hominis oculum
quis nisi Deus fingit? Et puto quòd non extrà, * Subaudi, fingat.
E * sed in ipso; & tamen, ut certum est, ex pro-
pagine. Cùm ergo & spiritum hominis in ipso
fingat, quærendum est, utrùm nova insufflatio-
ne, an tractum ex propagine.

23. Novimus etiam Machabæorum juvenum Quartum testimonium.
matrem, fecundiorem virtutibus quando filii passi
sunt, quàm fetibus quando nati sunt, eos sic fuisse
adhortatam, ut diceret, *Filii, nescio quomodo pa-* 2. Mach. 7. 22.
ruistis in ventrem meum. Neque enim ego spiritum
& animam donavi vobis, nec singulis vobis vultus
F *& membra formavi: sed Deus qui fecit mundum &*
omnia quæ in eo sunt, fecitque hominum genus, &
omnium inquirit[a] *actum, ipse vobis spiritum & ani-*
mam reddet cum magna misericordia. Novimus hæc
quidem, sed huic quomodo suffragentur ad id
quod asserit, non videmus. Quis enim Christia-
norum neget Deum donare hominibus animam &
spiritum? Sed eodem modo existimo istum nega-
re non posse, Deum donare hominibus linguam,
aurem, manum, pedem, omnesque corporis sensus
G & omnium formam naturamque membrorum.
Quomodo enim hæc Dei dona esse negaturus est,
nisi se obliviscatur esse Christianum? Sed sicut
constat ex propagine ab illo hæc fieri atque do-
nari: ita quærendum est etiam, spiritus & anima
hominis unde ab illo efficiatur, à quo efficiente

[a] Legendum videtur, ortum. Græcus habet γένεσιν.

donatur, utrùm ex parentibus, an ex nihilo; an quod iste affirmat, sed omni modo cavendum est, ex aliqua flatûs ejus exsistente natura, non de nihilo creata, sed de ipso?

CAPUT XV. Utrùm anima non sit ex traduce, testimonia citata non demonstrant.

24. CUM igitur Scripturarum testimonia quæ commemorat, nequaquam doceant id quod persuadere conatur, (quod enim ad hanc quæstionem adtinet, omnino non exprimunt:) quid est quod dicit, *Animam ex flatu Dei constanter asserimus, non ex traduce, quia ex Deo datur?* Quasi corpus ex alio detur, quàm ex illo à quo creatur, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: (Rom. 11, 36.) quamvis non ex ejus natura, sed ex ejus opificio. *Neque ex nihilo*, inquit, *quia ex Deo proficiscitur.* Hoc planè non adhuc quærendum monemus, utrùm ita sit: sed prorsus verum non esse quod dicit, id est, quod anima nec ex traduce sit, nec ex nihilo; hoc, inquam, verum non esse sine dubitatione firmamus. Unum est enim è duobus, si ex traduce non est, ex nihilo est; ne ita sit ex Deo, ut naturæ sit Dei, quod omnino sacrilegum est credere. Sed adhuc utrùm non sit ex traduce, certa testimonia flagitamus aut quærimus: non qualia iste posuit, quibus hoc quod quærimus non ostenditur.

25. Qui utinam in tanta profunditate quæstionis, quamdiu quid dicat ignorat, imitaretur Machabæorum matrem: quæ cùm sciret de viro se filios concepisse, & à creatore omnium, sive secundùm corpus, sive secundùm animam & spiritum sibi creatos esse, ait tamen, *Nescio quomodo paruistis in ventrem meum.* (2. Mach. 7, 22.) Vellem iste diceret, quid ista nesciebat. Hæc enim quæ dixi, utique sciebat, quomodo secundùm corpus in ejus uterum venerint; quia de viro eos se concepisse dubitare non poterat. Confitebatur etiam, quia & hoc utique sciebat, quòd Deus illis animam & spiritum dederit, quòd ipse illis vultus & membra formaverit. Quid ergo nesciebat? An fortè quod nescimus & nos, utrùm animam & spiritum, quem Deus illis sine dubio dedit, de parentibus traxerit, an novum sicut homini primo insufflaverit? Sed sive hoc, sive aliud aliquid de naturæ humanæ institutione nesciebat, nescire se dicebat; non quod nesciebat, temere defendebat. Nec tamen iste huic diceret, quod [a] nobis dicere non erubuit: *Homo in honore positus non intellexit; comparatus est pecoribus insensatis, & similis factus est illis:* (Infrà lib. 4. cap. 2. Psal. 48, 13.) Ecce ista mulier dixit de filiis suis, *Nescio quomodo paruistis in ventrem meum:* nec tamen comparatur pecoribus insensatis. *Nescio*, dixit: & quasi quærerent ab ea, cur nesciret, adjunxit, *Neque enim ego spiritum & animam donavi vobis.* Ille ergo qui donavit, scit unde fecerit quod donavit, utrùm ex propagine adtraxerit, an novum insufflaverit: quod ego, inquit, nescio. *Nec singulis vobis vultus & membra formavi:* ille scit qui formavit, utrùm simul cum anima formaverit, an verò jam formatis animam dederit. Quo ergo modo, utrùm illo an isto in ejus ventrem venerint filii, nesciebat; & illud tamen sciebat, totum quod dedit redditurum esse qui dedit. Sed eligat iste in naturæ humanæ tam profundo abditoque secreto, quid mulier ista nescierit: tantùm non judicet mentientem, nec pecoribus insensatis comparet nescientem. Quid erat quod illa nesciebat, profectò ad naturam hominis pertinebat, quod tamen sine culpa homo nesciebat. Quapropter dico etiam ego de anima mea, nescio quomodo venerit in corpus meum, neque enim ego illam mihi donavi: scit ille qui donavit, utrùm illam de patre meo traxerit, an sicut primo homini novam creaverit. Sciam etiam ego si ipse docuerit, quandocumque voluerit. Nunc autem nescio, nec me pudet, ut istum, fateri nescire quod nescio.

[a] Quatuor MSS. *quod de nobis.*

CAPUT XVI. Quintum Scripturæ testimoniũ prolatum à Victore.

26. *Disce*, inquit, *ecce Apostolus docet.* Discam planè, si Apostolus docet: non enim nisi Deus per Apostolum docet. Sed quid est tandem, quod docet Apostolus? *Ecce*, inquit, *cùm Atheniensibus loqueretur, hoc constanter exposuit, dicens, Cùm ipse det omnibus vitam & spiritum.* (Act. 17, 25.) Quis enim hoc negat? *Sed intellige*, inquit, *quod ait Apostolus: det, inquit, non dedit; ad infinitum & juge tempus revocans, non de præterito & perfecto pronuntians. Et quod sine cessatione dat, semper dat: sicut semper est ipse qui dat.* Verba ejus posui, sicut in eorum quos misisti, secundo libro ejus inveni. Ubi primùm vide quò progressus fuerit, dum nititur affirmare quod nescit. Ausus est enim dicere, Deum non nunc solùm atque in isto tantummodo sæculo, sed per infinitum tempus sine cessatione, atque omnino semper animas nascentibus dare. *Semper*, inquit, *dat, sicut semper est ipse qui dat.* Quid Apostolus dixerit, quia satis apertum est, me intelligere, absit ut negem: quod autem iste dicit, debet etiam ipse intelligere contra fidem esse Christianam, atque ulteriùs cavere ne dicat. Cùm enim mortui resurrexerint, jam nemo nascetur: atque ideo tunc non dabit nascentibus animas, sed eas quas dat in isto sæculo cum corporibus judicabit. Non ergo semper dat, quamvis ipse semper sit qui nunc dat. Nec tamen quoniam beatus Apostolus non dixit, *dedit*, sed *det*; inde conficitur quod vult iste conficere, non eum ex propagine animas dare. Ipse quippe dat, etiam si de propagine dat. Quia & corporis membra, & corporis sensus, & corporis formam, & corporis omnino substantiam ipse hominibus dat, quamvis ex propagine det. Neque enim quia Dominus ait, Si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; (Matth. 6, 30.) nec ait, vestivit, sicut primum quando instituit; sed ait, vestit, quod & nunc facit; ideo negabimus lilia de origine sui generis procreari. Quid si ergo sic etiam anima & spiritus hominis & à Deo datur, quamdiu datur; & tamen ex propagine sui generis datur? Quod ego nec defendo, nec refello. Sed si defendendum est, vel refellendum, perspicuis, non ambiguis testimoniis id agendum esse commoneo. Nec propterea pecoribus insensatis sum comparandus, quia hoc me nondum scire pronuntio; sed potiùs cautis hominibus, quia non audeo docere quod nescio. Istum autem non ego vicissim, quasi rependens maledictum pro maledicto, pecoribus comparo; sed tamquam filium moneo, ut quod nescit, se nescire fateatur, neque id quod nondum didicit, docere moliatur: ne comparetur, non pecoribus, sed illis hominibus quos dicit Apostolus, volentes esse legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. (1. Tim. 1, 7.)

CAPUT XVII.

27. Nam unde est, quòd ita Scripturas, de quibus loquitur, non curat advertere, ut cùm legerit homines esse ex Deo, non eos etiam secundùm corpus, sed tantùm secundùm animam & spiritum ex Deo esse contendat? Quod enim ait Apostolus, *Ex ipso sumus: non vult* iste *ad corpus, sed tantùm ad animam & spiritum esse referendum.* Si ergo ex Deo non sunt corpora, falsum est quod scriptum est, Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Deinde ubi dicit idem Apostolus, Sicut enim mulier ex viro, ita & vir per mulierem: exponat nobis iste quam propaginem significare voluerit, animæ, an corporis, an utriusque? Sed non vult esse animas ex propagine. Restat ergo, ut secundùm ipsum atque omnes qui animarum propaginem destruunt, corpus tantùm masculinum & femininum significaverit Apostolus, dicens, Sicut enim mulier ex viro, ita & vir per mulierem: quia mulier ex viro facta est, ut etiam vir per mulierem postea nasceretur. Si ergo hæc Apostolus dicens, non etiam animas & spiritus, sed tantùm corpora utriusque sexûs volebat intelligi, cur continuò subjunxit, Omnia autem ex Deo: nisi quia & corpora ex Deo? Ita quippe ait, Sicut enim mulier ex viro, ita & vir per mulierem, omnia autem ex Deo. Eligat ergo iste unde sit dictum. Si de corporibus, profectò & corpora ex Deo sunt. Quid est ergo, quòd ubicumque iste in Scripturis legit, *ex Deo*, quando de hominibus agitur, non & corpora, sed tantùm animas & spiritus vult intelligi? Si verò quod dictum est, Omnia autem ex Deo; & de corpore utriusque sexûs, & de anima ac spiritu dictum est: ergo secundùm omnia est mulier ex viro. Mulier enim ex viro, vir per mulierem, omnia autem ex Deo. Quæ omnia, nisi de quibus loquebatur, id est, & ille vir ex quo mulier, & illa mulier quæ ex viro, & ille vir qui per mulierem? Neque enim ille vir per mulierem, ex quo viro mulier: sed vir qui natus est postea ex viro per mulierem, quemadmodum hodieque nascuntur. Ac per hoc si cùm ista diceret Apostolus, de corporibus loquebatur, procul dubio corpora utriusque sexûs ex Deo. Porrò si non vult esse ex Deo hominum nisi animas & spiritus; profectò etiam secundùm animam & spiritum mulier ex viro, & nihil jam relinquetur eis, qui contra animarum propaginem disputant. Si autem ita dividit, ut dicat mulierem ex viro esse secundùm corpus, ex Deo autem secundùm animam & spiritum; quomodo erit verum quod ait Apostolus, Omnia autem ex Deo, si mulieris corpus ita est ex viro, ut non sit ex Deo? Quapropter ut Apostolus potiùs verum loquatur, quàm iste Apostolo præferatur, mulier ex viro est, sive secundùm solum corpus, sive secundùm totum, quo constat humana natura: (nihil enim horum tamquam certum affirmamus, sed quid horum verum sit adhuc quærimus:) & vir per mulierem, sive ex [a] patre tota hominis natura ducatur, quæ per mulierem nascitur, sive sola caro, unde adhuc quæstio est: omnia tamen ex Deo, unde nulla quæstio est, id est, & corpus & anima & spiritus, & viri & mulieris. Et si enim non ex Deo nata vel tracta sunt, vel manarunt, ita ut ejus naturæ sint: tamen ex Deo sunt. A quo enim creata, condita, facta sunt, ab illo habent ut sint.

Act. 17. 28.
Rom. 11. 36.
1. Cor. 11. 12.
1. Cor. 15. 12.
Augustinus de traduce animæ nihil definire ausus.

28. *Sed dicendo*, inquit, *Apostolus, Et ipse det omnibus vitam & spiritum; deinde addendo, fecitque ex uno sanguine omne genus hominum: animam & spiritum originaliter retulit ad auctorem, corpus ad traducem.* Immo verò qui non vult temere animarum negare propaginem, ante quàm liquidò clareat, utrùm ita, an non ita sit, habet quod in istis verbis Apostoli intelligat, *ex uno* eum *sanguine* dixisse, ex uno homine, à parte totum significante locutionis modo. Si enim ipsi licet intelligere à parte totum quod scriptum est, Et factus est homo in animam vivam; ut illic intelligatur & spiritus, de quo Scriptura ibi tacuit: cur aliis non liceat sic accipere quod dictum est, *ex uno sanguine*; ut illic & anima & spiritus possit intelligi, quoniam homo significatus nomine sanguinis, non solùm constat ex corpore, verùm etiam ex anima & spiritu? Sicut enim qui propaginem defendit animarum, non hinc istum debet opprimere, quia de primo homine scriptum est, In quo omnes peccaverunt: non enim dictum est, In quo omnium caro peccavit; sed omnes dictum est, id est, omnes homines; cùm homo non sola sit caro: sicut ergo hinc iste non debet opprimi, quia fortè ita dictum est, omnes homines, ut secundùm solam carnem intelligerentur: sic iste non hinc debet premere defensores propaginis animarum, quia dictum est, *omne genus hominum ex uno sanguine*, tamquam propterea sola caro pertineat ad propaginem. Si enim hoc est verum, quod * isti asserunt, ut non sit anima ex anima, sed caro ex carne sit tantùm: ita dictum est, *ex uno sanguine*, ut non totus homo significaretur à parte, sed tantùm unius hominis caro: illud verò quod dictum est, In quo omnes peccaverunt, sola omnium hominum caro intelligenda est, quæ inde transfusa est, à toto partem significante Scripturâ. Si autem illud est verum, quòd totus homo ex toto homine propagatur, id est, corpus, anima & spiritus: ibi propriè dictum est, In quo omnes homines peccaverunt; hîc autem tropicè, *ex uno sanguine*, totum significatur à parte, id est, totus homo, qui ex anima constat & carne, vel potiùs, ut iste amat loqui, ex anima & spiritu & carne. Nam & ex parte totum, & ex toto partem divina eloquia significare consueverunt. Ex parte enim totum significatum est, ubi legitur, Ad te omnis caro veniet: quia ex carne intelligitur totus homo. Ex toto autem pars, cùm dicitur Christus sepultus, cùm sola ejus caro sepulta sit. Jam illud quod in hoc Apostoli testimonio positum est, quia *ipse dat omnibus vitam & spiritum*, secundùm superiorem disputationem puto quòd neminem moveat. Ipse enim dat: sed adhuc quærimus unde det, utrùm ex nova insufflatione, an ex propagine. Ipse quippe dare etiam carnis substantiam rectissimè dicitur, quam tamen dare ex propagine non negatur.

Act. 17. 25.
Gen. 2. 7.
Rom. 5. 12.
* f. ille asserit.
Psal. 64. 3.

CAPUT XVIII. Sextum Scripturæ testimonium.

29. Nunc videamus illud de Genesi testimonium, ubi facta mulier de latere viri, adducta est ad eum, & dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Hoc quippe putat iste, *quòd dicere debuerit Adam, anima ex anima mea, vel spiritus de spiritu meo, si etiam hoc de illo tractum esset.*

Gen. 2. 23.

Sed

[a] Editi, *ex parte*. Plerique MSS. *ex patre*; meliùs, quomodo suprà cap. 15. *de patre meo traxerit.*

Sed illi qui propaginem asserunt animarum, hinc se putant invictiùs suam munire sententiam, quia cùm scriptum sit, detraxisse Deum costam de latere viri, eamque ædificasse in mulierem, non est additum, quòd in ejus faciem sufflaverit flatum vitæ: ideo, inquiunt, quia jam de viro fuerat animata. Nam si non fuisset, nequaquam nos, inquiunt, sancta scriptura hujus rei cognitione fraudasset. Ad illud verò quod ait Adam, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; nec ait, spiritus vel anima, de spiritu meo vel de anima mea: sic ab eis responderi potest, quemadmodum superiùs demonstratum est, ut à parte totum intelligatur hoc dictum, *os & caro mea*; sed quæ animata fuerint detracta, non mortua. Neque enim, hoc omnipotentem facere potuisse, ideo negandum est, quia nullus hominum potest aliquid cum anima de humana carne præcidere. Nam quod Adam secutus adjunxit, Hæc vocabitur mulier, quia de viro suo sumta est: cur non ait potiùs, unde opinio confirmaretur istorum, quoniam de viro suo caro ejus sumta est? Hîc itaque illi qui contrà sentiunt, possunt dicere, quia non scriptum est carnem mulieris, sed mulierem de viro suo sumtam, totam debere accipi cum anima & spiritu. Nam etsi anima sexu caret, non tamen quando appellantur mulieres, exceptâ animâ eas necesse est intelligi. Alioquin non ita se admonerentur ornare: Non in tortis crinibus, aut auro, vel margaritis, aut veste pretiosa, sed quod decet, inquit, mulieres, promittentes pietatem per bonam conversationem. Utique pietas intus est in anima vel in spiritu, & tamen mulieres appellatæ sunt, etiam ut se intus ornarent, ubi nullus est sexus.

Gen. 2. 23. — Ibidem. — 1. Tim. 2. 9.

30. Cùm itaque isti sic inter se alternante sermone certaverint; ego inter eos sic judico, ut ne incognitis fidant, & temere audeant affirmare quod nesciunt, utrosque commoneam. Si enim scriptum esset, Insufflavit flatum vitæ in faciem mulieris, & facta est in animam vivam: nec sic esset jam consequens, ut non propagaretur ex parentibus anima, nisi etiam de filio eorum hoc scriptum similiter legeretur. Fieri enim potuit, ut membrum non animatum de corpore extractum indigeret animari, filii verò anima ex patre per matrem propaginis transfusione traheretur. Cùm verò tacitum est, occultatum est, non negatum; sed neque affirmatum. Ac per hoc sicubi fortè non tacitum est, clarioribus documentis est adstruendum. Unde nec illi qui defendunt animarum propaginem, ex eo quòd non sufflavit Deus in faciem mulieris, aliquid adjuvantur; nec illi qui eam negant, ideo quia non dixit Adam, *anima de anima mea*, debent sibi persuadere quod nesciunt. Sicut enim eadem non soluta, sed manente quæstione, potuit tacere Scriptura, quòd mulier Deo sufflante sicut vir ejus acceperit animam: sic eadem non soluta, sed manente quæstione, potuit tacere Scriptura, ut Adam non diceret, *anima de anima mea.* Ac per hoc si primæ mulieris anima ex viro est, à parte totum significatum est, ubi legitur, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; cùm tota ex viro, non caro sola sit sumta. Si autem non est ex viro, sed eam Deus insufflavit sicut viro; à toto pars significata est, ubi legitur, De viro suo sumta est: cùm caro ejus non tota sit sumta.

31. Quapropter cùm his testimoniis, quod ad hanc rem pertinet, utique ambiguis, non solvatur hæc quæstio; illud tamen scio, sic argumentari homines, qui ex hoc putant animam mulieris non esse de anima viri, quia non est dictum, *anima de anima mea*; sed, *caro de carne mea*: quemadmodum argumentantur Apollinaristæ, vel quicumque sunt alii, adversùs animam Domini; quam propterea negant, quia scriptum legunt, Verbum caro factum est. Si enim & anima, inquiunt, ibi esset, debuit dici, Verbum homo factum est. Sed istis propterea dicitur, carnis nomine solere Scripturam totum hominem nuncupare, sicut ibi, Et videbit omnis caro salutare Dei; non enim caro sine anima aliquid videre potest: quia plurimis aliis sanctarum scripturarum locis, non solùm carnem, verùm etiam animam humanam, id est, rationalem inesse homini Christo, sine ulla ambiguitate monstratur. Unde & isti, à quibus animarum propago defenditur, possent accipere à parte totum esse dictum, *Os de ossibus meis, & caro de carne mea*; ut illic intelligeretur & anima, quemadmodum Verbum carnem factum non sine anima accipimus: si quemadmodum alia testimonia docent habere humanam animam Christum, ita & isti aliquibus non ambiguis testimoniis propaginem adstruerent animarum. Pari vice igitur admonemus etiam hos, qui animarum propaginem destruunt, ut novas à Deo sufflari animas certis documentis asserant; & tunc illud quod dictum est, *Os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, non tropicè à parte totum, ut simul intelligatur & anima, sed propriè de sola carne dictum esse defendant.

Apollinaristarum argumentum ut Christum probent animâ caruisse. — Johan. 1. 14. — Isaia 40. 5. Luc. 3. 6. — Gen. 2. 23.

CAPUT XIX.

32. Quæ cùm ita sint, video librum istum jam esse claudendum. Omnia quippe, quæ mihi maximè necessaria videbantur, continet; quibus hi qui legerint, sciant se cavere debere, ne huic homini, cujus duos libros mihi misisti, in hoc consentiant, ut credant animas sic ex flatu Dei esse, ut non sint ex nihilo. Hoc enim qui credit, etsi verbis neget, re ipsa clamat animas Dei habere substantiam, & ipsius genus esse, non munere, sed naturâ. Nam de quo quisque naturæ suæ originem ducit, de illo naturæ suæ genus ducere negari sobriè nullo pacto potest. Iste autem ita sibi est ipse contrarius, ut *genus Dei esse animas* dicat, *non naturâ, sed munere*; & tamen *non factas ex nihilo, sed ex illo* dicat *originem ducere*: ac sic eas, quod priùs negaverat, ad Dei naturam revocare non dubitat.

33. Animarum autem novarum sine propagine insufflationem, defendi quidem minimè prohibemus, sed ab eis qui potuerint aliquid invenire, vel in canonicis libris, quod non sit ambiguum dissolvendæ huic obligatissimæ quæstioni; vel in ratiocinationibus suis, quod non sit contrarium catholicæ veritati: non à talibus qualis iste apparuit, qui non inveniendo quid diceret, & deliberationem suam nolendo suspendere, vires suas omnino non metiens, ne taceret, ausus est dicere, *inquinari animam meruisse per carnem, & esse meruisse animam peccatricem*; cujus nullum meritum, seu bonum seu malum, ante carnem potuit

Animarum propaginē refelli, & insufflationem defendi, non prohibet Augustinus.

invenire. Et *parvulis sine baptismo de corpore exeuntibus solvi posse originale peccatum, & offerendum pro eis sacrificium corporis Christi*, qui Christo non sunt incorporati per ejus sacramenta in ejus Ecclesia: *eosque sine lavacro regenerationis de hac vita emigrantes, non ad requiem tantùm ire, sed ad regnum cælorum posse etiam pervenire.* Et alia multa absurda, quæ omnia colligere, atque in isto libro digerere, longum visum est. Absit ergo ut animarum propago, si falsa est, à talibus refellatur; & animarum novarum insufflatio; si vera est, B à talibus defendatur.

Quos errores cavere debeant, qui animas dicunt non de parentibus trahi, sed à Deo novas insufflari.

34. Quamobrem quicumque volunt defendere, quòd dicuntur animæ novæ nascentibus insufflari, non de parentibus trahi, aliquid illorum quatuor quæ suprà commemoravi, caveant omni modo: hoc est, ne dicant, à Deo fieri animas peccatrices per alienum originale peccatum: ne dicant, parvulos, qui sine baptismo exierint, pervenire posse ad vitam æternam regnumque cælorum, originali peccato per quodlibet aliud re C soluto: ne dicant, animas peccasse alicubi ante carnem, & hoc merito in carnem peccatricem fuisse detrusas: ne dicant, peccata, quæ in eis inventa non sunt, quia præscita sunt, meritò fuisse punita, cùm ad eam vitam, ubi ea committerent, permissæ non fuerint pervenire. Nihil ergo istorum quatuor dicentes, quoniam quodlibet eorum falsum atque impium est; inveniant etiam Scripturarum de hac re certissima testimonia, & hanc sententiam suam, non solùm me non ve- D tante, verùm etiam favente & gratias agente, defendant. Si autem non inveniunt certissimam de hac re auctoritatem divinorum eloquiorum, & aliquid illorum quatuor per inopiam dicere compelluntur; cohibeant se, ne per ipsam inopiam etiam parvulorum animas non habere originale peccatum, secundùm Pelagianam hæresim olim damnabilem, nuperriméque damnatam, dicere

A compellantur. Melius est enim homini fateri se nescire quod nescit, quàm in hæresim vel damnatam incurrere, vel novam condere, dum temere audet defensare quod nescit. Alia hujus hominis falsa & absurda, in quibus non tam periculosè, verumtamen à tramite veritatis exorbitat, quoniam multa sunt, & ad ipsum etiam, si Dominus voluerit, aliquid de libris ejus volo scribere, ibi forsitan omnia, vel si omnia non potuero, plurima ostendam.

Caput XX.

35. Istum autem librum, quem ad te potiùs, qui curam & fidei nostræ & existimationis meæ, ut verus catholicus & bonus amicus, fideliter benignéque gessisti, quàm ad alium quemquam scribendum putavi, tu legendum dabis vel describendum quibus potueris, vel quibus dandum esse judicaveris. In quo istius juvenis præsumtionem ita reprimendam & redarguendam putavi, ut tamen eum diligam; nec damnari, sed emendari velim: atque ita proficere in domo magna, quæ est Ecclesia catholica, quò eum misericordia divina perduxit, ut sit in illa vas in honore sanctificatum, utile Domino, ad omne opus bonum semper paratum, & bene vivendo, & sana docendo. (1. Tim. 2. 20.) Porrò autem si ipsum oportet ut diligam, sicut facio; quantò magis te, frater, cujus erga me benevolentiam, & cujus catholicam fidem cautam & sobriam optimè novi. Unde factum est, ut eos libros qui tibi displicuerunt, & in quibus nomen meum aliter quàm velles positum comperisti, describendos mihique mittendos verè fraterna planéque sincera dilectione curares. Tantum ergo abest, ut hinc tuæ caritati succenseam, quia fecisti; ut potiùs, nisi fecisses, integro jure amicitiæ succensere deberem. Ago itaque uberes gratias. Quemadmodum autem acceperim factum tuum, hinc manifestiùs [a] indicavi, quòd hunc ad te librum, mox ut illos legi, sine aliqua dilatione conscripsi.

[a] Vaticanus MS. *judicabis.*

SANCTI AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI AD PETRUM PRESBYTERUM EPISTOLA, *ſeu*

DE ANIMA ET EJUS ORIGINE LIBER SECUNDUS.

Petrum admonet Auguſtinus, ne committat, ut libros de animæ origine à Vincentio Victore ad eum ſcriptos laudando approbaſſe, aut quæ temere ille ſcripſit fidei Chriſtianæ contraria, pro dogmatibus catholicis habere exiſtimetur. Errores Victoris varios, eoſque graviſſimos notat, & verbis confutat paucis. Petro demum ipſi ſuadet, ut Victorem ad eos corrigendos adducat.

DOMINO dilectiſſimo fratri & compreſbytero PETRO, AUGUSTINUS epiſcopus in Domino ſalutem.

CAPUT I. PERVENERUNT ad me duo libri Vincentii Victoris, quos ad ſanctitatem tuam ſcripſit, mittente mihi eos fratre noſtro Renato, homine quidem laico, ſed pro ſua fide & eorum quos diligit, B prudenter religioſéque ſollicito. Quibus lectis, vidi hominem in ſermone quidem, non ſolùm uſque ad ſufficientiam, verùm etiam uſque ad redundantiam profluentem; ſed in rebus, de quibus loqui voluit, nondum ſicut oportet inſtructum: quod ſi ei fuerit Domino donante collatum, poterit eſſe utilis pluribus. Habet enim non minimum facultatis, qua poſſit explicare atque ornare quæ ſentit, ſi priùs det operam recta ſentire. *Prava diſertè dicta valde ſunt noxia.* Valde quippe ſunt noxia prava diſerta; C quia hominibus minùs eruditis, eo quòd diſerta ſunt, videntur & vera. Quomodo autem eoſdem libros ipſe acceperis, neſcio: verumtamen ſi verum eſt quod audivi, diceris eis recitatis ita exſiluiſſe lætitiâ, ut caput juvenis illius ſenex, & laici preſbyter oſculatus, didiciſſe te quod ignorabas, gratias egeris. Ubi quidem non improbo humilitatem tuam, immo verò etiam laudo, quòd honoraſti doctorem tuum: nec hominem, ſed ipſam quæ tibi per illum loqui dignata eſt veritatem: D ſi tamen potueris demonſtrare, quid per illum veritatis acceperis. Vellem itaque reſcriptis tuis, quid te docuerit, me doceres. Abſit enim ut erubeſcam à preſbytero diſcere, ſi à laico tu non erubuiſti, prædicandâ & [a] imitandâ humilitate, ſi [a] vera didiciſti.

CAPUT II. 2. PROINDE, frater dilectiſſime, quid ab eo didiceris, noſſe cupio, ut ſi jam id ſciebam, gratuler pro te; ſi autem neſciebam, diſcam per te. Itane tu ignorabas duo quædam eſſe, animam & ſpiritum; ſecundùm id quod ſcriptum eſt, Abſolviſti ab ſpiritu meo animam meam? *Job 7. ſecundùm LXX.* Et utrumque ad naturam hominis pertinere, ut totus homo ſit ſpiritus & anima & corpus. Sed aliquando duo iſta ſimul nomine animæ nuncupari, quale eſt illud, Et factus eſt homo in animam vivam. *Gen. 2. 7.* Ibi quippe & ſpiritus intelligitur. Itemque aliquando utrumque nomine ſpiritûs dici, ſicuti eſt, Et inclinato capite tradidit ſpiritum: *Johan. 19. 30.* ubi & anima neceſſe eſt intelligatur. Et utrumque unius eſſe ſubſtantiæ. Puto quòd iſta jam ſciebas. Si autem neſciebas, non te aliquid quod magno periculo neſcitur, didiciſſe ſcias. Et ſi quid hinc ſubtiliùs diſputandum eſt, meliùs cum ipſo agitur, cujus jam novimus & eloquium: utrùm cùm dicitur anima, ita ut ſimul intelligatur & ſpiritus, utrumque anima ſit, ſpiritus autem aliquid animæ ſit; an, ſicut ei viſum eſt, à parte totum appelletur hoc nomine: ſive etiam utrumque ſpiritus ſit, pars verò ejus ſit quæ propriè dicitur anima; an & hoc à parte totum vocetur, quando ita dicitur ſpiritus, ut ſimul intelligatur & anima: ſic enim huic placet. Verùm iſta, ut dixi, & ſubtiliter diſſeruntur, & ſine ullo vel certè ſine magno periculo neſciuntur.

3. Itemque alios eſſe corporis, alios autem animæ ſenſus, miror ſi iſte te docuit; & tu homo id ætatis & honoris, ante quàm iſtum audires, unum atque idem putabas eſſe, quo album nigrumque diſcernitur, quod nobiſcum vident etiam paſſeres; & quo juſtum atque injuſtum dijudicatur, quod videbat [b] Tobias, etiam carnis luminibus perditis. *[b] Tobiæ 4.* Hoc ſi ita eſt, profectò quando audiebas vel legebas, Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in [c] mortem: *Pſal. 12. 4. [c]* non niſi carnis oculos cogitabas. Aut ſi hoc obſcurum eſt, certè

[a] Sic Am. & MSS. At Er. & Lov. *& imitanda humilitate didiciſſe.*

[b] In MSS. conſtanter eſt, *Tobis.*

[c] Editi, *in morte*, At MSS. *in mortem*: juxta Græc.

Ephes. 1. 18.

quando illud Apostoli recolebas, Illuminatos oculos cordis vestri: nos sub fronte & supra buccas cor habere credebas. Absit ut de te hoc sentiam. Neque hoc te igitur iste docuit.

4. At si fortè ante hujus doctrinam, quam modò te invenisse lætaris, animæ naturam Dei putabas esse portionem: hoc planè cum horrendo periculo falsum esse nesciebas. Et si ab isto didicisti, quòd anima portio Dei non sit; age Deo gratias quantas potes, quòd non ante quàm hoc didicisti, de corpore existi. Exisses enim magnus hæreticus, & blasphemator horrendus. Nullo modo tamen etiam id de te existimaverim, quòd homo catholicus, neque contemtibilis presbyter, animæ naturam portionem Dei sentiebas esse. Unde fateor dilectioni tuæ, timeo ne fortè hoc te iste docuerit, quod potiùs sit contrarium ei fidei quam tenebas.

CAPUT III.

5. SICUT enim non arbitror, te umquam in Catholica animam credidisse Dei esse portionem, vel ullo modo animæ & Dei eamdem esse naturam: ita metuo ne fortè consenseris huic homini, *quòd animam Deus non de nihilo fecerit, sed ita ex ipso sit, ut ab ipso emanaverit.* Hoc enim etiam verbum iste posuit inter cetera, quibus in hac quæstione ad immane præcipitium exorbitavit. At verò hoc si te docuit, nolo me doceas: immo etiam volo, ut quod didiceras, ipse dediscas. Parum est enim non credere neque dicere, quòd pars Dei sit anima. Neque enim & Filium vel Spiritum-sanctum partem Dei esse dicimus: & tamen dicimus Patrem & Filium & Spiritum-sanctum unius ejusdemque esse naturæ. Parum est ergo ut non dicamus animam esse partem Dei: sed hoc etiam opus est ut dicamus, non eam & Deum unius ejusdemque esse naturæ. Unde ille rectè quidem ait, *genus Dei esse animas, munere, non naturâ*, ac per hoc non omnium, sed fidelium: sed rursus ad id quod declinaverat devolutus est, & Deum atque animam ejusdem dixit esse naturæ; non quidem his verbis, sed apertâ manifestâque sententiâ. Cùm enim animam ita esse dicit ex Deo, ut eam nec ex alia natura, nec ex nihilo, sed ex semetipso creaverit; quid persuadere conatur, nisi id quod aliis verbis negat, animam scilicet ejusdem cujus Deus est, esse naturæ? Omnis quippe natura vel Deus est, qui nullum habet auctorem; vel ex Deo est, quia ipsum habet auctorem. Sed quæ habet auctorem Deum ex quo est, aliqua facta non est, aliqua facta est. Porrò quæ facta non est, & tamen ex ipso est, aut genita est ab illo, aut procedit ex illo: quæ genita est, Filius est unicus; quæ procedit, Spiritus-sanctus: & hæc Trinitas unius est ejusdemque naturæ. Nam hæc tria unum sunt, & singulum quodque Deus, & simul omnia unus Deus, immutabilis, sempiternus, sine temporis ullo initio sive termino. At verò illa natura quæ facta est, creatura nuncupatur: Creator autem Deus, illa scilicet Trinitas. Creatura ergo ita esse dicitur ex Deo, ut non ex ejus natura facta sit. Ex illo enim propterea dicitur, quia ipsum auctorem habet ut sit: non ita, ut ab illo nata sit, vel processerit; sed ab illo creata, condita, facta sit, partim ex nulla alia, id est, omnino ex nihilo, si-

Creaturæ quomodo ex Deo.

A cut cælum & terra, vel potiùs universæ mundanæ molis universa cum mundo concreata materia: partim verò ex alia jam creata atque exsistente natura, sicut vir ex limo, mulier ex viro, ex parentibus homo: creatura tamen omnis ex Deo, sed creante vel ex nihilo vel ex aliquo, non autem gignente vel producente de se ipso.

6. Si hæc cum catholico loquor, magis commonens quàm docens. Neque enim esse tibi arbitror nova, vel audita quidem & antea, non ta-
B men credita: sed, ut existimo, sic legis epistolam meam, ut hîc agnoscas etiam fidem tuam, quæ nobis in catholica Ecclesia, Domino donante, communis est. Si ergo hæc, ut dicere cœperam, cum catholico loquor; unde obsecro credis esse animam, non uniuscujusque nostrûm dico, sed primam primo illi homini datam? Si ex nihilo, & factam tamen insufflatamque à Deo: id credis quod ego. Si autem ex aliqua alia creatura, quæ unde anima fieret, tamquam mate-
C ries subjacebat artifici Deo, sicut pulvis unde fieret Adam, vel costa ejus unde Eva, vel sicut aquæ unde pisces & volucres, vel sicut terra unde animalia quæque terrestria: non est catholicum, non est verum. Quòd si neque ex nihilo, neque ex alia quacumque creatura, sed ex semetipso Deum, hoc est, ex natura sua fecisse, vel facere animas, quod absit, existimas: hoc quidem ab isto didicisti; sed non tibi gratulor, neque blandior, longè [a] cum illo à fide catho-
D lica exorbitasti. Tolerabiliùs enim; quod quidem falsum est, tamen, ut dixi, tolerabiliùs, ex aliqua alia creatura, quam quidem jam fecerat Deus, quàm ex Dei natura animam conditam crederes, ut quòd est mutabilis, quòd peccat, quòd sit impia, quòd etiam si impia perduraverit in fine, sine fine damnabitur, non ad Dei naturam cum horrenda blasphemia referretur. Abjice frater, abjice obsecro istam, non planè fidem, sed exsecrandæ impietatis errorem, ne ho-
E mo gravis seductus à juvene, & à laico presbyter, cùm istam catholicam fidem esse arbitraris, de numero fidelium, quod à te avertat Dominus, eximaris. Non enim sic tecum agendum est, ut cum illo; aut eâ veniâ tuus iste tam horrendus, quâ juvenis illius, licèt ab illo ad te transierit, error est dignus. Ille ovili catholico sanandus nuper * accessit, tu in catholicis pastoribus deputaris. Nolumus ita curetur quæ venit ab errore ad dominicum gregem, ut priùs pestifera con-
F tagione disperdat ovis ulcerosa pastorem.

** V. infra cap. 10.*

7. Quòd si dicis, Hoc me ille non docuit, nec huic errori ejus ullo modo, quamlibet diserti & ornati sermonis illectus suavitate consensi: ago ingentes Deo gratias. Sed quæro, unde illi caput exosculatus, ut dicitur, gratias egeris, te didicisse, quod usque ad auditam disputationem illius ignorabas: aut si falsum est, hoc te fecisse [b] atque dixisse, hoc ipsum peto nobis intimare digneris, ut inanis rumor tuis litteris refellatur.
G Si autem verum est, illa humilitate homini egisse te gratias: gaudeo quidem si te illud non docuit, quod superiùs quàm sit detestandum cavendumque monstravi: * & non reprehendo quòd gratus fueris tanta humilitate doctori, si aliquid aliud,

** CAPUT IV.*

[a] Editi, *longè quippe*. Abest *quippe* à MSS.

[b] Nonnulli codices, *atque didicisse*. Vaticanus & antiquissimus Remigianus, *aut si falsum est, hoc te fecisse, velim inanis rumor tuis litteris refellatur.*

disputante illo, verum atque utile didicisti: sed hoc quid sit inquiro; an fortè animam non spiritum esse, sed corpus? Non quidem magnum doctrinæ Christianæ arbitror esse detrimentum ista nescire: & si de corporum generibus subtiliter disputetur, hoc majore difficultate quàm utilitate perdiscitur. Si autem Dominus voluerit, ut ad illum ipsum juvenem scribam, sicut desidero, ibi sciet fortasse dilectio tua, etiam hoc quàm non te docuerit: si tamen id te ab illo didicisse lætaris. Sed ne quid fortè aliud sit, quod constat esse utile, & ad fidem [a] necessariam pertinere, peto rescribere non graveris.

8. Nam illud quod rectissimè & valde salubriter credit, judicari animas cùm de corporibus exierint, ante quàm veniant ad illud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari, atque in ipsa in qua hîc vixerunt, carne torqueri, sive gloriari; hoc itane tandem ipse nesciebas? Quis adversùs Evangelium tanta obstinatione mentis obsurduit, ut in illo paupere qui post mortem ablatus est in sinum Abrahæ, & in illo divite cujus [b] in inferno cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat? Sed numquid te docuit, quomodo anima sine corpore de digito pauperis aquæ stillam desiderare potuit; cùm ipse confessus sit, alimenta corporea non nisi propter fulciendas ruinas corruptibilis corporis sui animam quærere? Verba ejus ista sunt: *Numquid quia anima*, inquit, *aut cibum quærit aut potum, ad ipsam transire credimus pastum?* Et paulò pòst: *Unde intelligitur*, inquit, *& probatur, non ad animam pertinere ciborum sustentacula, sed ad corpus; cui etiam præter cibum procuratur simili ratione vestitus, ut illi necessarias videatur pasturæ suggestus, cui competit & ipsos habere vestitus.* Hanc ille sententiam suam satis evidenter expositam, nonnulla etiam similitudine illustrans, adjecit, atque ait: *Quid autem putamus inquilinum quemquam suæ habitationi prospicere? Nonne si eam senserit aut tecto tremere, aut nutare pariete, aut labare fundamine, destinas quærit, strues congerit, quibus imminentem possit ruinam sedulò diligenterque fulcire, ne sub periculo mansionis discrimen videatur [c] pendere mansori? Ita ergo & animam recognosce*, inquit, *carni suæ desiderare cibum, ex qua ipsum concipit sine dubio desiderium.* Hæc nempe ille juvenis sua sensa verbis luculentissimis & sufficientissimis explicavit, asserens non animæ requiri alimenta, sed corpori; curâ quidem illius, sed tamquam habitantis in domo, & moribundæ carnis imminentes ruinas provida refectione fulcientis. Et illud ergo explicet tibi, quid anima illa divitis ruiturum destinare cupiebat, quæ mortale corpus jam utique non habebat, & tamen sitiebat, & aquæ stillam de digito pauperis requirebat. Habet ubi se exerceat iste doctor senum: quærat, & inveniat, si potuerit, cui rei anima illa apud inferos humidum alimentum, vel tam exiguum mendicaret, cùm ruinoso habitaculo jam careret.

Caput V. Tertull. lib. de anima. Vide August. hæres. 86. & epist. 190.

9. Incorporeum sanè Deum esse quòd credit, gratulor eum hinc saltem à Tertulliani deliramentis esse discretum. Ille quippe sicut animam, ita etiam Deum corporeum esse contendit. A quo iste in hoc dissentiens, mirabiliora persuadere molitur, Deum incorporeum, non de nihilo facere, sed de semetipso flatum exhalare corporeum. O doctrinam cui omnis ætas aures subrigat, quæ homines annosos, quæ denique presbyteros mereatur habere discipulos! Legat, legat in concione quod scripsit, notos atque ignotos, doctos atque indoctos recitaturus invitet. Seniores cum junioribus convenite, quod nesciebatis discite, quod numquam audieratis audite. Ecce isto docente, non aliunde quod aliquo modo est, nec ex eo quod omnino non est, Deus flatum creat; sed ex eo quod ipse est, cùm sit incorporeus, corpus sufflat. Naturam ergo suam, ante quàm mutetur in peccati corpore, ipse mutat in corpus. An dicit, quòd ex sua natura non mutat aliquid, cùm flatum facit? Non ergo eum de se ipso facit: non enim aliud est ipse, aliud natura ejus. Quis hoc insanissimus opinetur? Quòd si dicit, ita Deum de sua natura facere flatum, ut ipse integer maneat: non inde quæstio est, sed utrùm quod non aliunde, nec de nihilo, sed de illo est, non hoc sit quod ille, id est, ejusdem naturæ & essentiæ. Nam & Filio genito integer manet; sed quia eum genuit de se ipso, non aliud genuit quàm id quod ipse est. Excepto enim quòd hominem assumsit, & Verbum caro factum est, alius est quidem Verbum Dei Filius, sed non est aliud: hoc est, alia persona est, sed non diversa natura. Et unde hoc, nisi quia non creatus ex alio, vel ex nihilo, sed natus ex ipso est; non ut melior quàm erat esset, sed omnino ut esset, & quod est ille, unde natus est, esset, hoc est, unius ejusdemque naturæ, æqualis, coæternus, omni modo similis, pariter immutabilis, pariter invisibilis, pariter incorporeus, pariter Deus; hoc omnino quod Pater, nisi quod Filius est ipse, non Pater? Si autem manet quidem ipse integer Deus, nec tamen de nullo, vel de alio, sed de se ipso diversum aliquid in deterius creat, & de incorporeo Deo corpus emanat; absit ut hoc catholicus animus bibat: non enim est fluentum fontis divini, sed figmentum cordis humani.

Dei Filius alius à Patre, non aliud.

Caput VI.

10. Jam verò quàm ineptè laboret, animam, quam putat esse corpoream, vindicare à passionibus corporis, disputans de animæ infantia, de paralyticis & oppressis animæ sensibus, de amputatis membris corporis absque animæ sectione, non tecum, sed cum illo potiùs agere debeo: illi quippe insudandum est, ut rationem reddat dictorum suorum; ne de opere juvenis velle fatigare videamur gravitatem senis. Quòd autem similitudines morum qui reperiuntur in filiis, non ex animæ semine venire disputat: consequens est quidem, ut hoc sentiant quicumque animæ propaginem destruunt; sed nec illi qui hanc adstruunt, ibi constituunt pondus assertionis suæ. Vident enim & filios parentum dissimiles moribus: quod ideo fieri putant, quia & ipse unus homo plerumque suis moribus alios mores dissimiles habet, non utique animâ alterâ acceptâ, sed vitâ in melius vel in deterius commutatâ. Ita dicunt, non esse impossibile, ut anima non habeat eos mores, quos habet [d] ille à quo propagata est; quando quidem ipsa una nunc alios, aliàs alios habere mores potest. Quare si hoc te credis ab isto didicisse, quòd

[a] Sic MSS. At editi, *necessarium*.
[b] Ita Sigir. & duo Belgici MSS. At editi, *infernus cruciatus*.
[c] In MSS. *pendere mansorio*.
[d] Aliquot MSS. *illa ex qua*.

Luc. 16. 22.

anima non sit ex traduce: utinam id verè didicisses; me tibi docendum libentissimè traderem. Sed aliud est discere, aliud videri sibi didicisse. Si ergo te didicisse arbitraris quod adhuc nescis; non planè didicisti, sed temere credidisti quod libenter audisti, & subrepsit tibi falsiloquium per suaviloquium. Quod non ideo dico, quia falsum esse jam certus sim, animas potiùs insufflari novas, quàm de origine parentum trahi; hoc enim adhuc ab eis qui docere id possunt, existimo requirendum: sed quia iste de hac re ita disseruit, ut non solùm eam, quæ adhuc discutienda est, non solveret quæstionem; verùm etiam talia diceret, quæ falsitatis non habeant dubitationem. Cùm enim vellet probare dubia, ausus est dicere sine dubio reprobanda.

Caput VII.

11. An verò tu reprobare dubitabis, quod cùm de anima loqueretur, *Non vis*, inquit, *animam ex carne peccati contrahere valetudinem, ad quam vicissim sanctificationem videas transire per carnem, ut per ipsam reparet statum, per quam perdiderat meritum? Aut numquid quia baptismo corpus abluitur, non transit ad animam vel spiritum, quod creditur conferri per baptismum? Meritò ergo per carnem, priscam reparat habitudinem, quam visa fuerat paulisper amisisse per carnem; ut per eam incipiat renasci, per quam meruerat inquinari.* Vide in his verbis, quantum iste tuus erraverit doctor. Dixit, *animam per carnem reparare statum, per quam perdiderat meritum.* Habuit ergo anima aliquem statum & aliquod meritum bonum ante carnem, quod vult eam reparare per carnem, quando caro lavacro regenerationis abluitur. Vixerat itaque alicubi ante carnem in statu & merito bono; quem statum & quod meritum perdidit, cùm venisset in carnem. Dixit, *eam per carnem reparare habitudinem priscam, quam visa fuerat paulisper amisisse per carnem.* Habuit ergo ante carnem habitudinem antiquam; hoc est enim *priscam*: & ista qualis esse potuit, nisi beata atque laudabilis habitudo? Quam reparari per sacramentum baptismatis asseverat; cùm eam nolit ex illa originem trahere [a] per propaginem, quam constat in paradiso aliquando fuisse felicem. Quomodo igitur alio loco *animam* se dicit *constanter asserere, non ex traduce, neque ex nihilo, neque per semetipsam, neque ante corpus?* Ecce isto loco vult animas ante corpus alicubi vivere tam beatè, ut eadem illis per baptismum beatitudo reddatur. Et tamquam sui rursus oblitus adjungit & dicit: *Ut per eam*, id est, per carnem, *incipiat renasci, per quam meruerat inquinari.* Superiùs meritum significaverat bonum perditum fuisse per carnem: nunc autem significat malum meritum, quo factum est ut veniret vel mitteretur in carnem, dicendo, *per quam meruerat inquinari.* Si enim meretur inquinari, non est utique meritum bonum. Dicat, quid peccavit ante quàm per carnem inquinaretur, ut per carnem inquinari mereretur. Dicat, si potest, quod nullo modo potest; quia invenire hîc quid verum dicat, omnino non potest.

Caput VIII.

12. Item aliquanto pòst ait: *Anima itaque si peccatrix esse meruit, quæ peccatrix esse non potuit, tamen neque in peccato remansit, quia in Christo præfigurata, in peccato esse non debuit, sicut esse non*
A *potuit.* Rogò te, frater, putasne ista saltem postea legisti & considerasti, & quid in recitante laudaveris, vel unde post recitationem gratias egeris cogitasti? Quid est, obsecro te, *Anima itaque si peccatrix esse meruit, quæ peccatrix esse non potuit!* Quid est *meruit*, & *non potuit*; cùm mereri hoc non potuisset, nisi peccatrix fuisset; non autem fuisset, nisi esse potuisset; ut ante omne malum meritum peccans, inde sibi meritum faceret, unde ad alia peccata, deserente Domino, perveni-
B ret? An ideo dixit, *quæ peccatrix esse non potuit*, quia nisi in carnem veniret, peccatrix esse non posset? Quid ergo meruit, ut eò mitteretur, ubi peccatrix esse posset, quò nisi venisset, alibi peccatrix esse non posset? Dicat, quid meruit. Si enim meruit esse peccatrix; aliquid jam peccaverat, unde mereretur iterum esse peccatrix. Sed hæc fortassis obscura esse videantur, aut obscura esse jactentur, cùm sint apertissima. Neque enim dicere debuit, *quòd anima meruerit*
C *peccatrix esse per carnem*, cujus nec bonum nec malum meritum reperire poterit ante carnem.

Caput IX.

13. Sed ad manifestiora veniamus. Cùm enim magnis coartaretur angustiis, quomodo animæ originalis peccati vinculo teneantur obstrictæ, si non ex illa trahunt originem quæ prima peccavit, sed eas puras ab omni contagione & propagatione peccati, peccatrici carni Creator insufflat; ne dicatur illi, quòd sic insufflando
D eas Deus efficit reas: primò de præscientia Dei hanc opinionem munire tentavit, *quòd eis præparaverit redemtionem.* In cujus redemtionis sacramento parvuli baptizantur, ut abluatur originale peccatum, quod de carne traxerunt; quasi facta sua Deus emendet, quòd eas insontes fecerat inquinari. Sed postea quàm ventum est, ut de illis loqueretur, quibus tali non subvenitur auxilio, & ante quàm baptizentur exspirant: *In hoc*, inquit, *loco non me quasi auctorem spondeo,*
E *sed aliquid de exemplo conjicio. Habendam dicimus de infantibus istiusmodi rationem, qui prædestinati baptismo, vitæ præsentis, ante quàm renascantur in Christo, præveniuntur occiduo. Legimus enim*, inquit, *de talibus scriptum: Raptus est ne malitia* Sap. 4. 11. *mutaret illius intellectum, aut ne fictio deciperet animam ejus. Propter hoc properavit de medio iniquitatis illum educere; placita enim Deo erat anima ejus: & consummatus in brevi, replevit tempora longa.* Quis istum dedignetur habere doctorem?
F Ergone parvuli, quos plerumque volunt homines baptizari, & dum curritur, antè moriuntur, si retardarentur in ista paululùm vita, ut baptizati continuò morerentur, malitia mutaret intellectum illorum, & fictio deciperet animam eorum; & ne hoc eis contingeret, subventum illis est, ut antè raperentur quàm baptizarentur? In ipso ergo baptismate mutarentur in pejus, & fictione deciperentur, si post baptisma raperentur. O admiranda atque sectanda [b] doctrina! Sed hoc de
G vestra prudentia, qui adfuistis, cùm recitaret, iste præsumsit, & de tua maximè ad quem scripsit, & cui recitatos libros tradidit, ut credituros vos esse confideret, de non baptizatis infantibus esse scriptum, quod de omnium sanctorum immaturis ætatibus scriptum est, cum quibus malè actum

[a] Sic tres MSS. Ceteri cum excusis, *per originem.*

[b] Hîc nonnulli MSS. addunt, *immo verò detestanda & exsecranda.*

stulti arbitrantur, si de hac vita celeriter rapti fuerint, nec ad annos quos homines pro magno divino munere sibi exoptant, pervenire potuerint. Quale est autem dicere, *infantes prædestinatos baptismo, vitæ præsentis, ante quàm renascantur in Christo, occiduo præveniri;* velut aliqua vis fortunæ, sive fati, sive cujuslibet rei, non permittat Deum quod prædestinavit implere? Et quomodo ipse illos rapit, quia placuerunt illi? An eos & ipse prædestinat baptizari, & ipse quod prædestinavit, non sinit fieri?

Caput X. 14. Sed adtende quid adhuc audeat, cui displicet in tanta hujus profunditate quæstionis cautior quàm scientior nostra cunctatio. *Ausim dicere*, inquit, *istos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum; non tamen ut cæleste inducantur in regnum: sicuti latroni confesso quidem, sed non baptizato, Dominus non cælorum regnum tribuit, sed paradisum;* (Luc. 23. 43.) *cùm utique jam maneret, Qui non renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto, non intrabit in regnum cælorum.* (Johan. 3. 5.) *Præcipuè quia multas esse mansiones apud Patrem suum Dominus profitetur,* (Johan. 14. 2.) *in quibus designantur merita multa & diversa mansorum: ut hic non baptizatus perducatur ad veniam, baptizatus ad palmam, quæ est parata per gratiam.* Cernis hominem, [a] paradisum atque mansiones quæ sunt apud Patrem, à regno separare cælorum, ut etiam non baptizatis abundent loca sempiternæ felicitatis. Nec videt, cùm ista dicit, ita se nolle baptizati cujuspiam parvuli mansionem à cælorum regno separare, ut ipsam Dei Patris domum, vel aliquas partes ejus inde separare non timeat. Neque enim Dominus Jesus in universitate creaturæ, vel in qualibet universitatis parte; sed in domo Patris mei, dixit, mansiones multæ sunt. Quomodo ergo erit in Dei Patris domo non baptizatus, cùm Deum patrem habere non possit nisi renatus? Non sit ingratus Deo, qui eum dignatus est à Donatistarum vel Rogatistarum divisione liberare, ut ipsam domum Dei Patris quærat dividere, & aliquam ejus partem extra regnum cælorum ponere, ubi non baptizati valeant habitare. Et quo pacto ipse regnum cælorum se intraturum esse præsumit, de quo regno in quanta vult parte domum ipsius regis excludit. Sed de latrone illo, qui juxta Dominum crucifixus speravit in Dominum etiam crucifixum, & de fratre sanctæ Perpetuæ Dinocrate argumentatur, quòd etiam non baptizatis dari possit indulgentia peccatorum & sedes aliqua beatorum: quasi quisquam, cui non credere nefas esset, huic indicaverit, quòd non fuerint baptizati. De quibus tamen in eo libro, * quem scripsi ad fratrem nostrum Renatum, pleniùs quid mihi videretur exposui: (Suprà l. 1. cap. 9. & 10.) quod tua dilectio poterit nosse, si non spreveris legere; nam ille petenti non poterit denegare.

Caput XI. 15. Æstuat tamen iste, atque horrendis suffocatur angustiis. Adtentiùs enim fortasse quàm tu quid mali dicat adtendit, præter Christi scilicet baptismum solvi in parvulis originale peccatum. Denique ut aliquatenus in hac caussa vel serò ad Ecclesiæ sacramenta confugiat, *Pro his sanè*, inquit, *oblationes assiduas, & offerenda jugiter sanctorum censeo sacrificia sacerdotum.* Habeto istum, si placet, etiam censorem, si parum fuerat habere doctorem, ut sacrificium corporis Christi etiam pro his offeras, qui Christo non sunt incorporati. Rem quippe tam novam, atque à disciplina ecclesiastica & à regula veritatis alienam, cùm libris suis auderet inserere, non ait, puto; non ait, existimo; non ait, arbitror; non ait saltem, suggero, vel dico; sed, *censeo:* ut scilicet si offenderemur novitate seu perversitate sententiæ, terreremur auctoritate censuræ. Videris tu frater, quomodo sustinere possis [b] istum docentem: Catholici tamen qui sanum sapiunt sacerdotes, quibus & te oportet adjungi, absit ut adquiescant istum audire censentem, quem potiùs optant resipiscentem ac dolentem, & quòd ista senserit, immo verò etiam scripserit, correctione saluberrima pænitentem. *Sed hoc*, inquit, *exemplo Machabæorum in prœlio cadentium adstruo faciendum, qui cùm furtim de interdictis offerrent, atque in ipso certamine cecidissent, à sacerdotibus,* (2. Mach. 12. 43.) ait, *invenimus hoc initum consilium fuisse, ut quorum animas ex vetito reatus obstrinxerat, sacrificiorum oblatio repararet.* Ita istud dicit, quasi pro incircumcisis illa oblata legerit sacrificia, sicut hæc nostra pro non baptizatis censuit offerenda. Circumcisio quippe fuit illius temporis sacramentum, quod præfigurabat nostri temporis baptismum.

16. Verumtamen iste in sui comparatione qualis posteriùs apparuit, tolerabiliùs adhuc errat. (Caput XII.) Nam velut pænituerit eum; (non quod debuit pænitere, id est, quòd ausus fuerit asserere non baptizatis relaxari originale peccatum, atque indulgentiam dari omnium peccatorum, ut in paradisum, hoc est, locum tantæ felicitatis mittantur, & beatas mansiones in domo Patris habere mereantur,) sed illud eum potiùs pænituerit, quòd eis minoris beatitudinis extra regnum cælorum concesserit sedes; adjunxit, atque ait: *Aut si fortè quispiam reluctetur, latronis animæ vel Dinocratis interim temporariè collatum paradisum; nam superesse illis adhuc in resurrectione præmium regni cælorum: quamquam sententia illa principalis obsistat, Quia qui non renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto, non intrabit in regnum cælorum: tamen teneat etiam meum in hac parte non invidentis assensum, modò misericordiæ præscientiæque divinæ & effectum amplificet & affectum.* (Infantibus non baptizatis post mortem paradisum; post resurrectionem regnum cælorum promittit Vincentius Victor.) Hæc verba in secundo ejus libro lecta descripsi. Numquid in hac caussa erroris audaciam, temeritatem, præsumtionem habere quispiam posset ampliorem? Ipse sententiam dominicam recordatur, ipse commemorat, ipse suis litteris interponit, ipse dicit, *quamquam sententia illa principalis obsistat, Quia qui non renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto, non intrabit in regnum cælorum:* & audet tamen suæ censuræ levare cervicem contra sententiam principalem. *Teneat*, inquit, *etiam meum non invidentis assensum:* qui dicit animas non baptizatorum temporariè mereri paradisum; propter has enim, latronem atque Dinocratem, tamquam præscribendo, vel potiùs præjudicando commemorat: in resurrectione autem in meliora transferri & regni cælorum percipere præmium: *quamquam sententia*, inquit, *principalis obsistat.*

[a] Lov. *Cernis hominem eas mansiones.* Am. & Er. *Cernis hominem atque mansiones:* & omittunt *paradisum*; quem tamen hîc, adjunctâ particulâ *atque*, repræsentant plerique & antiquiores MSS.

[b] Sic MSS. At editi, *ista docentem.*

Jam ergo ipse considera, quæso te, frater, quisquis cuipiam præbet assensum adversùs auctoritatem sententiæ principalis, quam sententiam merebitur principis?

17. Novellos hæreticos Pelagianos justissimè conciliorum catholicorum & sedis apostolicæ damnavit auctoritas, eo quòd ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis & salutis locum, etiam præter regnum cælorum. Quod ausi non fuissent, nisi negarent eos habere originale peccatum, quod opus esset absolvi per baptismatis sacramentum. Iste autem sicut catholicus dicit, parvulos originali obstrictos esse peccato, & tamen eos ab hujusmodi vinculo sine lavacro regenerationis absolvit, & post mortem in paradisum misericors mittit; post resurrectionem verò etiam in regnum cælorum misericordior introducit. Talis sibi Saül misericors visus est, quando pepercit regi, quem Deus præcepit occidi: sed meritò inobediens misericordia, vel misericors inobedientia reprobata atque damnata est: ut caveat homo, ne ab illo misericordiam mereatur homo, contra ejus sententiam à quo factus est homo. Intonat per os proprii corporis veritas: Si quis non fuerit renatus ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Atque ut ab hac sententia exceptos martyres faciat, quibus contigerit antè pro Christi nomine occidi, quàm Christi baptismate dilui, dicit alio loco, Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Et ne cuiquam qui non renatus fuerit Christianæ fidei lavacro, promittatur peccati originalis abolitio, clamat Apostolus, Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem. Contra quam condemnationem Dominus unum esse ostendens salutis auxilium: Qui crediderit, inquit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Cujus mysterium credulitatis in parvulis per eorum responsionem à quibus gestantur, impletur; ne si factum non fuerit, eant ex uno omnes in condemnationem. Et tamen contra tam manifestas voces, quas concinit veritas, procedit in medium magis vecors quàm misericors vanitas, & dicit, Non solùm non eunt in damnationem parvuli, etsi nullum eos Christianæ fidei lavacrum à vinculo originalis peccati absolvat; verùm etiam felicitate paradisi post mortem interim perfruuntur, post resurrectionem verò etiam regni cælorum felicitatem possidebunt. Hæc iste contra catholicam [a] fundatissimam fidem numquid dicere auderet, si quæstionem solvendam de animæ origine vires suas excedentem suscipere non auderet?

Vide epist. 190. ad Optatum n. 22.

1. Reg. 15. 9.

Inobediens misericordia & misericors inobedientia reprobatur.

Iohan. 3. 5.

Martyriũ vice baptismatis.

Matth. 10. 39.

Rom. 5. 18.

Marci 16. 16.

Caput XIII.

18. Horrendis est enim coartatus angustiis ab eis qui dicunt, *Cur Deus animam tam injusta animadversione multavit, ut in corpus eam peccati relegare voluerit; cùm consortio carnis peccatrix esse incipit, quæ peccatrix esse non potuit?* Utique enim dicunt, *Non potuit anima esse peccatrix, nisi eam Deus miscuisset carnis consortio peccatricis.* Qua ergo justitiâ id fecerit Deus, cùm iste invenire non posset; maximè propter æternam damnationem morientium parvulorum, quibus non baptizatis expiatum non fuerit originale peccatum: cur itaque Deus justus & bonus, par-

A vulorum animas, quibus præscivit non subventurum Christianæ gratiæ sacramentum, ab omni noxa propaginis liberas, mittendo in corpus quod ex Adam trahitur, vinculo peccati originalis obstrinxerit, atque isto modo reas æternæ damnationis effecerit, cùm invenire non posset; nec vellet dicere etiam ipsas ex illa una originem trahere peccatricem: maluit per naufragium miserabile exire, quàm temerarium cursum velis depositis, & remis suæ disputationis inhibitis, pro- B vida deliberatione frenare. Viluit quippe juveni senilis nostra cunctatio, quasi huic molestissimæ ac periculosissimæ quæstioni magis fuerit impetus eloquentiæ, quàm consilium prudentiæ necessarium. Et prævidit hoc etiam ipse, sed frustra. Nam hæc sibi velut ab adversariis propositurus objecta, *Ex hinc alia*, inquit, *substruuntur opprobria querulis murmurationibus oblatrantium, & excussi quasi quodam turbine, idemtidem inter immania saxa collidimur.* His prædictis quæstionem su- C prà dictam scopulosissimam sibi proposuit, ubi à fide catholica naufragavit, nisi refecerit pœnitendo quod fregit. Illum [b] ego turbinem atque illa saxa devitans, navem illis committere nolui: & de hac re ita scripsi, ut rationem potiùs * cunctationis meæ, quàm temeritatem præsumtionis ostenderem. Quod opusculum meum cùm apud te invenisset, irrisit, seque illis cautibus animosiore impetu quàm consultiore commisit. Sed quò eum præfidentia ista perduxerit, puto quòd D nunc videas: uberiùs autem ago Deo gratias, si & antea jam videbas. Cùm enim nollet cohibere præcipitem cursum, propter ancipitem excursum, miserabilem invenit incursum, asserens Deum parvulis sine Christiana regeneratione defunctis, & modò paradisum, & postea regnum conferre cælorum.

Caput XIV.

19. Scripturarum verò testimonia quæcumque posuit, quibus animas Deum non ex illius primæ propagine adtrahere, sed sicut ipsam E primam suas quibusque singulis insufflare, velut probare conatus est, ita sunt, quod ad istam quæstionem adtinet, incerta & ambigua, ut etiam aliter accipi, quàm ipse vult, facillimè possint. Quod jam in eo libro quem scripsi ad amicum nostrum, cujus commemorationem superiùs feci, satis, quantum existimo, demonstravi. Testimonia quippe ipsa quæ adhibuit, ubi legitur Deus animas vel dare, vel facere, vel fingere; unde illas det, vel unde faciat sive fingat, non ostendunt; utrùm F ex propagine illius primæ, an insufflando sicut illam primam. Iste autem ex eo ipso quòd legitur animas Deus dare, sive facere, sive fingere, jam putat animarum negatam esse propaginem: cùm Deus, câdem Scripturâ teste, etiam corpora det, sive faciat, sive fingat, quæ tamen ab illo ex [c] propagine seminis dari, fieri, fingi nemo ambigit.

20. Item quod scriptum est, *ex uno sanguine* Deum *fecisse omne genus hominum*; vel quod ait Adam, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro* G *de carne mea:* quia neque ibi dictum est, ex una anima; neque hîc, anima de anima mea; putat negari animas filiorum ex parentibus, vel illius mulieris ex viro: quasi verò si non ex uno san-

[a] Apud Lov. *fundatissimamque.*
[b] Editi, *Illum ergo.*

[c] Omnes MSS. *ex propaginis semine.*

guine,

guine, sed ex una anima diceretur, aliud quàm totus homo intelligeretur, nec corporis propagatio negaretur. Sic etiam si dictum esset, anima de anima mea: non utique negaretur caro, quam de illo exemtam fuisse constabat. A parte enim totum, sicut etiam à toto partem plerumque Scriptura significat. Nam certè si non ex uno sanguine, sed ex uno homine, illo loco scriptum esset, institutum esse genus humanum, unde iste adhibuit testimonium; non præjudicaret istis qui negant animarum propaginem; quamvis non sola anima, nec sola caro, sed utrumque sit homo. Responderent enim à toto partem, id est, ab homine solam hominis carnem, Scripturam significare potuisse. Sic ergo & ii qui defendunt animarum propaginem, illud quod dictum est, ex uno sanguine, per sanguinem scilicet hominem, id est, à parte totum significatum esse contendunt. Sicut enim videtur illos juvare quod dictum est, ex uno sanguine, nec dictum est, ex uno homine: sic videtur & istos juvare quod dictum est,

Rom. 5. 12.

Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt; nec dictum est, in quo omnium caro peccavit. Itemque sicut illos videtur juvare quod dictum est, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; quia pars est dicta, non totum: sic iterum istos, quod ibi continuò sequitur, Hæc vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumta est. Debuit enim dici, aiunt, quoniam de viro suo caro ejus sumta est; si non tota mulier, id est, cum anima, sed sola caro sumeretur ex viro. Porrò autem utrisque auditis, qui sine studio partium judicat, videt profectò, nec contra istos qui propaginem animarum defendunt proferenda illa testimonia ubi pars nominatur; quia potuit Scriptura significare illic à parte totum, sicut Verbum caro factum est, cùm legimus, non utique carnem solam, sed hominem totum intelligimus:

Iohan. 1. 14.

nec contra illos qui propaginem animarum destruunt, ista proferenda, ubi non pars hominis, sed totum commemoratur; quia potuit ibi Scriptura à toto partem significare, sicut sepultum confitemur Christum, cùm ejus caro sola sepulta sit. Ac per hoc propaginem animarum nec temere adstruendam, nec temere destruendam dicimus: sed admonemus, alia testimonia esse quærenda, quæ non inveniantur ambigua.

Caput XV.

21. Quamobrem quid te iste docuerit, & unde gratias egeris, nondum scio. Manet quippe illa quæstio sicut erat, in qua quæritur de animarum origine, utrùm illas Deus ex propagine illius unius, quam primo insufflavit homini; an ex flatu suo, sicut primo homini, det, faciat, fingat hominibus, quas eum dare, facere, fingere, fides Christiana non dubitat. Quam quæstionem iste cùm solvere conaretur, nec vires suas intueretur, destruens animarum propaginem, & asserens eas puras ab omni contagione peccati, non de nihilo, sed de se ipso insufflare Creatorem, & naturam Dei mutabilitatis opprobrio, quod necesse non fuerat, infamavit; & dum vult reddere rationem, ne Deus credatur injustus, si puras ab omni peccato animas, etiam illas quas Christianâ regeneratione non [a] redimit, vinculo peccati originalis innectit, ea dixit quæ te nolo docuerit. Tantum enim salutis & felicitatis non baptizatis parvulis tribuit, quantum nec Pelagiana hæresis potuit. Et tamen de tot millibus parvulorum, qui nascuntur ex impiis, & inter impios moriuntur, non quibus homines per baptismum, cùm velint, subvenire non possunt, sed de quibus baptizandis nemo potuit vel poterit cogitare, nec quisquam pro eis obtulit vel oblaturus est sacrificium, quod iste etiam pro non baptizatis censuit offerendum, quid diceret non invenit. De quibus si fuerit interrogatus, eorum animæ quid meruerint, ut illas Deus nec abluendas baptismo, nec expiandas Christi corporis & sanguinis sacrificio, & in æternum damnandas carni inserat peccatrici; aut omnino hærebit, & ei nostra cunctatio vel serò placebit, aut simul pro omnibus parvulis, qui toto orbe terrarum sine Christiano baptismate moriuntur, etiam eorum nominibus tacitis, quoniam nesciuntur in Ecclesia Christi, non incorporatis corpori Christi, offerendum corpus Christi esse censebit.

Caput XVI.

22. Absit à te, frater, ut hæc tibi placeant, absit ut ista vel didicisse gaudeas, vel docere præsumas: alioquin longè melior invenietur ipse quàm tu. Quia in exordio primi sui libri modestè atque humiliter prælocutus est, dicens, *Cùm tibi parere desidero, notam præsumtionis incurro.* Et paulò pòst: *Quando quidem*, inquit, *nec mihi ipse sim credulus, ea quæ dixero posse probari; studeamque semper etiam propriam sententiam non tueri, si improbabilis detegatur; & sit mihi cordi, proprio judicio damnato, meliora magis & quæ sint veriora sectari. Nam ut est optimi propositi laudandique consilii, facilè ad veriora transduci; ita improbi obstinatique judicii est, nolle citiùs ad tramitem rationis inflecti.* Hæc quippe ille si veraciter dixit, atque ut locutus est sentit, magnæ profectò spei animum gerit. Item in fine libri secundi: *Nec putes*, inquit, *ad invidiam tuam forsitan revocandum, quòd in tua dictorum meorum constituam potestate judicium. Ac ne fortè cujusquam curiosi lectoris obtutus, inter* [b] *illitas fibras elementorum vestigia remanentia sollicitent & offendant, contextam paginæ seriem pollice severo discerpe: meque hujus censionis* [c] *experte, puni, atramenta quæ indigna eloquia signaverunt; ne hac occasione & tuum erga me judicium, quo mihi vehementer indulges, & meæ quæ latebant ineptiæ rideantur.*

Infrà lib. 3. cap. 14.

Caput XVII.

23. Isto igitur cùm ille suos libros & initio præmuniverit, & termino communiverit, atque tuis humeris imposuerit onus religiosum correctionis & emendationis suæ: hoc apud te inveniat quod petivit, ut emendes eum justus in misericordia, & arguas eum; oleum autem peccatoris quo impinguetur caput ejus, absit à manibus atque oculis tuis, id est, assentatio indecens adulantis, & deceptoria lenitudo blandientis. Quòd si emendare negligis, cùm videas emendandum, adversùs caritatem facis: si autem tibi emendandus propterea non videtur, quia putas eum rectè ista sensisse; adversùs veritatem sapis. Et ideo ille melior, qui emendari est paratior, si non

Psal. 140. 5.

[a] Sic Germanensis cod. & Victorinus. Editi, *redemit.*
[b] In MSS *inter illicitas.*
[c] Am. & Er. *expertem puni.* Iidem cum Lov. *atramento quæ indigna eloquia significaverunt.* Nos ex MSS. plerisque *atramenta;* ex Germanensi codice, *signaverunt.*

defuerit emendator, quàm tu, si vel sciens irridenter contemnis errantem, vel nesciens pariter sectaris errorem. Omnia itaque in eisdem libris ad te scriptis & tibi traditis sobriè vigilanterque considera, & plura quàm ego invenies fortasse culpanda. Et quæcumque ibi sunt approbanda atque laudanda, si quid in eis re vera forsitan ignorabas, atque isto differente didicisti, evidenter profitere quid illud sit; ut de hoc te gratias egisse, non de his quæ illic improbanda tam multa sunt, omnes noverint, qui vel recitante illo B tecum simul audierunt, vel eosdem postea libros legerunt: ne in ejus ornato eloquio tamquam in pretioso poculo te invitante, etsi non bibente, venenum bibant, si tu quid inde biberis, & quid non biberis nesciunt, & propter laudem tuam omnia illic bibenda salubriter arbitrantur. Quamvis & audire, & legere, & quæ dicta sunt haurire

A memoriâ, quid est nisi bibere? Sed prædixit Dominus de fidelibus suis, quòd & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Ac per hoc qui cum judicio legunt, & secundùm regulam fidei approbanda approbant, & improbant improbanda; etiam si commendant memoriæ quæ improbanda dicuntur, nulla venenata sententiarum pravitate læduntur. Hæc me gravitatem & religionem tuam, sive mutua, sive prævia caritate monuisse vel commonuisse minimè pænitebit, Domino miserante, quomodolibet accipias, quod tibi prærogandum putavi. Agam verò ei uberes gratias, de cujus misericordia saluberrimum est fidere, si ab his pravitatibus & erroribus, quos ex libris hujus hominis ostendere his litteris potui, alienam atque integram fidem tuam, vel invenerit epistola ista, vel fecerit.

Marci. 16. 18.

Librorum improbatorum lectio quibus possit non obesse.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI,

DE ANIMA ET EJUS ORIGINE,

AD VINCENTIUM VICTOREM,

LIBER TERTIUS.

Vincentio Victori monstrat, quæ necesse est in suis de origine animæ libris emendet, si vult esse catholicus: eaque superioribus libris ad Renatum & ad Petrum jam refutata, hoc tertio ad Victorem ipsum scripto perstringit breviter Augustinus, & ad undecim errorum capita revocat.

Caput I.

QUOD mihi ad te scribendum A putavi, hoc priùs cogites fili dilectissime Victor volo, si te contemnerem, nequaquam id me fuisse facturum. Nec ideo tamen humilitate nostra sic abutaris, ut propterea te existimes approbatum, quia cernis non fuisse contemtum. Non enim sequendum, sed corrigendum te diligo: & quoniam nec corrigi posse despero, nolo mireris me contemnere non posse quem diligo. Si enim te ante quàm B nobis communicares, diligere debui, ut esses catholicus: quanto magis te jam communicantem diligere debeo, ne sis novus hæreticus, & ut sis talis catholicus, cui resistere nullus possit hæreticus. Quantum enim apparet ex donis ingenii, quæ jam tibi largitus est Deus, profectò sapiens eris, si te non esse credideris; atque ut sis, ab illo qui facit sapientes, piè, suppliciter, instanterque popósceris; & malueris errore non decipi, quàm errantium laudibus honorari. C

Caput II.

2. PRIÙS me in libris tuis titulus tui nominis pro te sollicitum reddidit. Cùm enim quis esset Vincentius Victor, ab eis qui te noverant, & fortè aderant, requisissem; audivi te fuisse Donatistam, vel potiùs Rogatistam, nuper autem communicasse Catholicæ. Et cùm gauderem tantum, quantum de his solemus, quos ab illo errore liberatos esse cognoscimus; immo verò etiam multo ampliùs, quòd ingenium tuum, quo delectabar in litteris tuis, videbam non re- D mansisse apud adversarios veritatis: additum est à referentibus, quod me inter illa gaudia contristaret, ideo te cognominari voluisse Vincentium, quòd Rogati successorem, qui hoc nomine appellatus est, adhuc tamquam magnum & sanctum virum animo teneas; & ob hoc illius nomen, tuum volueris esse cognomen. Nec defuerunt qui dicerent, etiam hoc à te fuisse jactatum, quòd ipse tibi nescio qua visione apparuerit, atque ad hos conficiendos libros, de quibus E tecum agere isto nostro opusculo institui, sic adjuverit, ut ea tibi scribenda, quantum ad res ipsas rationesque adtinet, ipse dictaret. Quod si verum est, jam te illa dicere potuisse non miror, quæ, si patienter auscultes admonitioni meæ, & eos libros catholica mente consideres atque pertractes, te dixisse procul dubio pænitebit. Ille quippe qui se, sicut eum prodit Apostolus, transfigurat in angelum lucis, in eum tibi est transfiguratus, quem tu fuisse vel esse tamquam lucis angelum credis. Et eo quidem modo minùs ad decipiendos catholicos valet, quando se non in lucis angelos, sed in hæreticos transfigurat: sed te ab eo falli jam catholicum nollem. Crucietur ergo te didicisse quæ vera sunt, quanto magis lætatus fuerat se tibi persuasisse quæ falsa sunt. Ut autem non diligas hominem mortuum, cujus dilectio tibi obesse potest, prodesse illi non potest; hoc [a] breviter intuearis admoneo; quòd utique ille non est sanctus & justus, si tu hæreticorum Donatistarum vel Rogatistarum laqueos evasisti: si autem illum sanctum & justum arbitraris, tu communicando catholicis interisti. Profectò enim te catholicum fingis, si animo illud es, quod erat ille quem diligis. Et nosti quàm terribiliter scriptum sit, quòd Spiritus-sanctus disciplinæ fugiet fictum. Si autem veraciter communicans, non te catholicum fingis: quid adhuc hæreticum mortuum sic diligis, ut ejus velis te jactare adhuc nomine, cujus jam non teneris errore? Nolumus te habere tale cognomentum, tamquam sis hæretici mortui monumentum. Nolumus talem titulum habere librum tuum, qualem falsum esse diceremus, si in ejus sepulcro legeremus. Non enim Vincentium Victorem scimus esse, sed victum: & utinam fructuosè, sicut te vinci volumus veritate. Astutè autem putaris & callidè, cùm libros tuos, quos credi cupis illo tibi revelante dictatos, appellas Vincentii Victoris, non tam Vincentium te quàm illum vocari voluisse Victorem, velut tibi revelando

Vincentii nomen unde Victor sibi sumserit.

2. Cor. 11. 14.

Sap. 1. 5.

Cognomēta hominū improborum non assumenda.

[a] In MSS. hoc breve.

quæ scriberes, vicisset errorem. Ut quid tibi ista, fili? Esto potiùs verus, non fictus catholicus, ne te fugiat Spiritus-sanctus, & nihil tibi possit prodesse Vincentius, in quem se ad te fallendum transfiguravit malignissimus spiritus: ejus quippe sunt illa, qualibet tibi fraude persuasa. Quæ si admonitus pia humilitate & catholica pace correxeris, errores fuisse judicabuntur studiosissimi juvenis, emendari potiùs quàm in eis remanere cupientis. Si autem pro eis tibi etiam contentionem, quod absit, persuaserit pervicacem; jam tamquam hæretica dogmata cum suo necesse erit auctore damnari, curâ scilicet pastorali & medicinali, priùs quàm per incautum [a] vulgus serpant dira contagia, cùm dilectionis non veritate, sed nomine, salubris negligitur [b] disciplina. [b]

CAPUT III. Recenset errores quos emendari cupit in libris Vincentii Victoris.

3. SI quæris quænam illa sint, poteris quidem legere mea scripta ad fratres nostros, Renatum Dei servum, & presbyterum Petrum, ad quem tu eadem ipsa, de quibus nunc agimus, scribenda existimasti, *ejus*, ut asseris, *voluntati petentis obtemperans*. Dabunt enim tibi ut legas procul dubio, si volueris, & ingerent etiam non petenti. Verumtamen etiam hîc, quæ maximè in eisdem libris tuis, & in fide tua emendari cupiam, non tacebo. Primum est, quòd *animam non ita vis à Deo esse factam, ut eam ex nihilo fecerit, sed ex semetipso*. Ubi non putas esse consequens, ut naturæ sit Dei: quia profectò quàm sit impium, & ipse cognoscis. Qua impietate ut careas, ita oportet ut dicas animæ auctorem Deum, ut ab illo facta sit, non de illo. Quod enim de illo est, sicut unigenitus Filius, ejusdem naturæ cujus & ille est. Ut autem anima ejusdem naturæ non sit cujus est ille, facta est quidem ab illo, sed non de illo. Aut ergo dic unde, aut fatere de nihilo. Quid est quod dicis, *eam particulam esse quamdam halitûs naturæ Dei?* Numquidnam ipsum halitum naturæ Dei, cujus halitus est ista particula, negas ejusdem cujus Deus est esse naturæ? Si negas, ergo de nihilo & istum halitum fecit Deus, cujus halitûs animam vis esse particulam. Aut si non de nihilo, dic unde illum fecerit Deus? Si de se ipso, ergo ipse est, quod absit, materies operis sui. Sed dicis, *Cùm de se ipso halitum vel flatum facit, ipse integer manet:* quasi non & ignis lucernæ integer maneat, cùm de illo altera accenditur, & tamen ejusdem, non alterius sit naturæ.

Primus error. *Suprà lib. 1. c. 4. & lib 2. c. 3.*

CAPUT IV.

4. SED, inquis, *cùm à nobis uter inflatur, non aliqua portio nostræ naturæ, vel qualitatis infunditur; cùm hic ipse spiritus, quo hausto uter impletus extenditur, sine aliqua nostri diminutione egeratur.* His verbis tuis adhuc addis & immoraris, & inculcas similitudinem quasi necessariam, qua intelligamus quomodo Deus sine suæ naturæ aliquo detrimento, & de se ipso animam faciat, & facta de ipso, non sit quod ipse. Dicis enim: *Numquid animæ nostræ est portio utris inflatio, aut homines fingimus cùm utres inflamus, aut detrimentum nostri in aliquo patimur, cùm flatus nostros in diversa partimur? Sed nullum patimur detrimentum, cùm ex nobis ad aliquid transmittimus flatum, & manente in nobis plena flatûs proprii qualitate & integra*

A *quantitate, nullum nos meminimus damnum ex utris inflatione sentire.* Ista similitudine, quæ satis elegans & congruens tibi videtur, quantum fallaris adtende. Deum quippe dicis incorporeum, non de nihilo à se factam, sed de se ipso animam sufflare corpoream: cùm flatum nos, licèt corporeum, subtiliorem tamen emittamus, quàm nostra sunt corpora; nec eum de anima nostra, sed de hoc aëre per viscera corporis exhalemus. Pulmones quippe anima, cujus nutu moventur
B etiam cetera corporis membra, ad hunc aërium spiritum ducendum atque reddendum, sicut folles movet. Præter enim alimenta solida & fluxa, unde est cibus & potus, hoc tertium nobis Deus alimentum circumfudit aurarum, quas ita carpimus, ut sine cibo & potu diu esse possimus, sine hoc autem alimento tertio, quod aura nobis, quæ undique circumsistit, spirantibus & respirantibus exhibet, nec exiguo temporis spatio possimus vivere. Sicut autem cibus & potus non
C solùm ingerendi, verùm etiam per meatus ad hoc institutos egerendi sunt, ne utroque lædant, vel non intrando, vel non exeundo: ita hoc tertium flabile alimentum, quia in nobis manere non sinitur, nec immorando corrumpitur, sed egeritur mox ut ingeritur; non alios, sed eosdem meatus, id est, os, aut nares, aut utrumque, & quà intraret, & quà exiret accepit.

5. In te ipso tibi proba ipse quod dico: emitte spiritum flando, & vide utrùm dures, si non
D receperis: recipe respirando, & vide quas patiaris angustias, si non rursus emiseris. Hoc igitur facimus, quando utrem, sicut dicis, inflamus, quod facimus ut vivamus: nisi quòd tunc paulò plus ducimus, ut paulò plus emittamus, ut spiritum flabilem, id est, ventum in utrem implendum & extendendum non quietè spirandi & respirandi, sed anhelandi impetu coartemus. Quomodo ergo dicis, *Nullum patimur detrimentum, & cùm ex nobis ad aliquid transmittimus flatum, &*
E *manente in nobis plena flatûs proprii qualitate & integra quantitate, nullum nos meminimus damnum ex utris inflatione sentire?* Apparet te, fili, si aliquando utrem inflasti, non advertisse quid egeris. Quod enim inflando amittis, statim recipiendo non sentis. Sed potes hoc facillimè discere, si hoc potiùs velis, quàm tua dicta, quia jam dicta sunt, non inflans utrem, sed inflatus ipse defendere, & auditores tuos, quos [c] veris rebus ædificare debes, inani strepitu ventosi sermonis
F inflare. In hac caussa non te ad magistrum mitto, nisi ad te ipsum. Emitte flatum in utrem, & os claude continuò, naresque detine, & sic saltem senti verum esse quod dico. Cùm enim cœperis angustias intolerabiles perpeti, quid cupies ore aperto naribusque recipere, si quando sufflasti, nihil te existimas amisisse? Vide in quo malo sis, nisi hauriendo resumas quod effundendo reddideras. Vide, illa insufflatio qualia damna & detrimenta fecisset, nisi ea respiratio reparasset.
G Nisi enim quod impenderis ad utrem implendum, ad te itidem alendum aditu patefacto redierit, quid tibi, non solùm unde illum inflare, sed unde tu possis vivere, remanebit?

[a] Victorinus codex, *vulnus*: minùs rectè. Nam alludit Augustinus ad illud Virgil. lib. 4. Georg. *Continuò ferro culpam compesce, priùs quàm Dira per incautum serpant contagia vulgus.*

[b] Am. Er. & MS. Pratellensis, *medicina*.

[c] Cistercienis MS. *quos non verbis, sed rebus.*

6. Hæc debuisti considerare, cùm scriberes; & non ista similitudine utrium inflatorum vel inflandorum introducere nobis Deum, aut ex alia natura quæ jam erat, sicut nos ex isto circumfuso aëre flatum facimus, animas flare; aut certè, quod & abhorret ab ista similitudine, & abundat impietate, Deum sine ullo quidem sui detrimento, sed tamen de sua natura mutabile aliquid vel proferre, vel quod est pejus, tamquam sui operis materies ipse sit, facere. Ut ergo aliquam de nostro flatu ad hanc rem adhibeamus similitudinem, id potiùs est credendum: quòd sicut nos non de natura nostra, sed quia omnipotentes non sumus, de isto aëre circumfuso quem trahimus & reddimus, cùm spiramus & respiramus, flatum facimus quando sufflamus, nec viventem nec sentientem, quamvis nos vivamus atque sentiamus; ita Deum non de sua natura, sed quia sic omnipotens est, ut possit creare quod vult, etiam ex eo quod omnino non est, id est, de nihilo flatum facere posse viventem atque sentientem; sed planè cùm sit immutabilis ipse, mutabilem [a].

Caput V. 4. Reg. 4. 34.

7. Quid autem sibi vult, quod huic similitudini addendum putasti [b] ad exemplum de beato Elisæo, quia flando in ejus faciem mortuum suscitaverit? Itane tu flatum Elisæi [c] factum fuisse putas animam pueri? Non usque adeo te à vero exorbitare crediderim. Si ergo anima illa quæ viventi ablata fuerat ut moreretur, eadem ipsa illi ut revivisceret reddita est; quid ad rem pertinet quod dixisti, *nihil Elisæo fuisse diminutum*, quasi ab illo aliquid transisse, unde viveret, credatur in puerum? Quod si propterea dictum est, quia flavit & integer mansit; quid opus erat ut hoc de Elisæo mortuum resuscitante diceres, quod de quovis flante & neminem suscitante dicere nihilo minùs posses? Incautè sanè locutus es, (cùm absit ut credas flatum Elisæi factum fuisse reviviscentis animam pueri;) quòd primùm Dei factum, ab istius Prophetæ facto hoc distare voluisti, quòd ille semel, iste ter flaverit. Dixisti quippe *Elisæum in faciem defuncti filii illius Sunamitis, ad instar primævæ originis insufflasse. Et cùm emortua membra*, inquis, *in vigorem pristinum redanimata, per halitum Prophetæ divina virtus accenderet, nihil Elisæo fuerit imminutum, per cujus flatum corpus emortuum redivivam animam recepit & spiritum: nisi quòd semel Dominus in faciem hominis insufflavit & vixit, tertiò Elisæus in faciem mortui adspiravit & revixit.* Sic sonant tua verba ista, quasi flandi tantùm numerus interfuerit, ut non quod fecit Deus, etiam Propheta fecisse credatur. Et hoc ergo emendandum est. Tam multum quippe interfuit inter illud opus Dei, & hoc Elisæi, ut ille flaverit flatum vitæ, quo fieret homo in animam viventem; iste autem flaverit flatum, neque sentientem neque viventem, sed aliquid significandi gratiâ figurantem. Denique ut puer iste reviviisceret, non eum animando Propheta fecit, sed eum amando ut hoc Deus faceret impetravit. Quòd autem illum ter sufflasse dicis, aut memoria, sicut fieri solet, aut mendositas codicis te fefellit. Quid plura? Non sunt tibi ad hoc adstruendum aliqua exempla & argumenta quærenda, sed potiùs emendanda & mutanda sententia. Noli ergo credere, noli ergo dicere, noli docere, *quòd non de nihilo, sed de sua natura fecerit animam Deus*, si vis esse catholicus.

Caput VI. Secundus Victoris error. Suprà lib. 1. c. 16.

8. Noli credere, nec dicere, nec docere, *Per infinitum tempus, atque ita semper Deum animas dare, sicut semper est ipse qui dat*, si vis esse catholicus. Erit enim tempus quando non dabit animas Deus, cùm tamen esse ipse non desinat. Poterat quidem sic accipi, quod aisti, *semper dat*, ut intelligeretur sine cessatione dare, quamdiu homines generant & generantur, sicut dictum est de quibusdam, Semper discentes, & ad veritatis scientiam numquam pervenientes: non enim sic accipitur quod hîc positum est, semper, velut numquam desinant discere; cùm procul dubio non discant, quando in hoc corpore destiterint vivere, vel cùm cœperint supplicio gehennalis ignis ardere: sed tu non permisisti sic accipi verbum tuum, cùm dixisti, *semper dat*; quando quidem id ad infinitum tempus revocandum putasti. Et parum hoc fuit: sed tamquam quæreretur abs te, ut apertiùs explicares quomodo dixeris, *semper dat*; addidisti atque dixisti, *sicut semper est ipse qui dat.* Hoc sana & catholica fides omnino condemnat. Absit enim ut credamus, quòd animas Deus semper dat, sicut semper est ipse qui dat. Sic enim semper est ipse, ut numquam esse desistat: animas autem non semper dabit, sed eas finito generationis sæculo, non jam nascentibus quibus dandæ sint, procul dubio dare cessabit.

2. Tim. 3. 7.

Caput VII. Tertius error. Suprà lib. 2. c. 7. Rom. 9. 11.

9. Noli credere, nec dicere, nec docere, *Animam meritum aliquod perdidisse per carnem, tamquam boni meriti fuerit ante carnem*, si vis esse catholicus. Nondum enim natos Apostolus nihil egisse dicit boni vel mali. Unde ergo anima potuit ante carnem habere meritum bonum, ubi nihil egerat boni? An fortè audebis eam dicere ante carnem bene vixisse, quam non potes ostendere vel fuisse? Quomodo ergo dicis, *Non vis animam ex carne peccati contrahere valetudinem, ad quam vicissim sanctificationem videas transire per carnem, ut per ipsam reparet statum, per quam perdiderat meritum?* Hæc dogmata, quibus putatur anima ante carnem habuisse aliquem statum bonum & meritum bonum, si fortè nescis, exceptis antiquis hæreticis, etiam recentiùs in Priscillianistis jam catholica damnavit Ecclesia.

Quartus error. Suprà lib. 1. c. 6. & lib. 2. c. 7.

10. Noli credere, nec dicere, nec docere, *Animam per carnem reparare habitudinem priscam & per illam renasci, per quam meruerat inquinari*, si vis esse catholicus. Ut enim omittam in eo quod dixisti, *Meritò ergo per carnem, priscam reparat habitudinem, quam visa fuerat paulisper amisisse per carnem, ut per eam incipiat renasci, per quam meruerat inquinari*, tam in proximo te ipsum tibi ipsi exstitisse contrarium; ut homo qui paulò antè dixeras, animam per carnem reparare statum per quam perdiderat meritum, ubi nullo modo potest nisi bonum meritum intelligi, quod vis utique per carnem in baptismate reparari; rursus eam diceres inquinari meruisse per carnem, ubi jam non potest bonum sed malum meritum intelligi: ut ergo id omittam;

[a] Hîc editi addunt, *facit.*
[b] Apud Lov. *putasti & exemplum.*
[c] Addimus *factum* ex MSS.

prorsus vel bonum, vel malum meritum credere habuisse animam ante carnem, catholicum non est.

Caput VIII. Quintus error. *Suprà lib. 1. c. 8. & lib. 2. c. 8.*

11. Noli credere, nec dicere, nec docere, *quòd anima meruerit esse peccatrix ante omne peccatum*, si vis esse catholicus. Valde enim malum meritum est, meruisse fieri peccatricem. Et utique tam malum meritum nullo modo habere potuit ante omne peccatum, præsertim priùs quàm veniret in carnem, quando meritum nec malum potuit habere, nec bonum. Quomodo igitur dicis, *Anima itaque si peccatrix esse meruit, quæ peccatrix esse non potuit, tamen neque in peccato remansit, quia in Christo præfigurata in peccato esse non debuit, sicut esse non potuit.* Adtende quid dicas, & desiste jam dicere. Quomodo enim meruit, & quomodo non potuit esse peccatrix? Quomodo, quæso te, peccatrix esse meruit, quæ malè non vixit? Quomodo, quæso te, peccatrix facta est, quæ peccatrix esse non potuit? Aut si, *non potuit*, ideo dicis, quia præter carnem non potuit: quomodo ergo meruit esse peccatrix, quo merito in carnem mitteretur; quando quidem ante carnem non potuit esse peccatrix, unde mali aliquid mereretur?

Caput IX. Sextus error. *Suprà lib. 1. c. 9. & 10. & lib. 2. c. 9. & 10.*

12. Noli credere, nec dicere, nec docere, *Infantes ante quàm baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum*, si vis esse catholicus. Exempla enim quæ te fallunt, vel de latrone qui Dominum est confessus in cruce, vel de fratre sanctæ Perpetuæ Dinocrate, nihil tibi ad hujus erroris sententiam suffragantur. *Lucæ 23. 43.* Latro quippe ille, quamvis potuerit judicio divino inter eos deputari, qui martyrii confessione purgantur, tamen etiam utrùm non fuerit baptizatus, ignoras. Nam ut omittam quod creditur, aquâ simul cum sanguine exsiliente de latere Domini, juxtà confixus potuisse perfundi, atque hujusmodi sanctissimo baptismate dilui: quid si in carcere fuerat baptizatus, quod & postea persecutionis tempore nonnulli clanculo impetrare potuerunt? Quid si & ante quàm teneretur? Neque enim propterea illi publicæ leges parcere poterant, quantum adtinet ad corporis mortem, quoniam divinitus remissionem acceperat peccatorum. Quid si jam baptizatus in latrocinii facinus & crimen incurrerat, & non expers baptismatis, sed tamquam pænitens accepit scelerum veniam quæ baptizatus admisit? quando quidem pietas tam fidelis, & Domino in animo ejus, & nobis in verbis ejus apparuit. Nam si eos, de quibus non scriptum est utrùm fuerint baptizati, sine baptismo de hac vita recessisse contendimus, ipsis calumniamur Apostolis, qui præter apostolum Paulum quando baptizati fuerint ignoramus. *Act. 9. 18.* Apostoli baptizati. Sed si ipsos baptizatos esse per hoc nobis innotescere potuit, quod beato Petro Dominus ait, Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet: *Johan. 13. 10.* quid de aliis, de quibus vel tale nihil legimus dictum, de Barnaba, de Timotheo, de Tito, de Sila, de Philemone, de ipsis Evangelistis Marco & Luca, de innumerabilibus ceteris: quos absit ut baptizatos esse dubitemus, quamvis non legamus? Dinocrates autem septennis puer, in quibus annis pueri cùm baptizantur, jam Symbolum red-

Dinocrates frater sanctæ Perpetuæ.

A dunt, & pro se ipsi ad interrogata respondent, cur non tibi visus fuerit baptizatus potuisse ab impio patre ad gentilium sacrilegia revocari, & ob hoc fuisse in pœnis, de quibus sorore orante liberatus est, nescio. Neque enim & ipsum vel numquam fuisse Christianum, vel catechumenum defunctum fuisse legisti? Quamquam ipsa lectio non sit in eo canone Scripturarum, unde in hujusmodi quæstionibus testimonia proferenda sunt.

Caput X. Septimus error. *Suprà lib. 2. c. 9.*

13. Noli credere, nec dicere, nec docere, *Quos*
B *Dominus prædestinavit ad baptismum, prædestinationi ejus eripi posse, & antè defungi quàm in eis fuerit quod omnipotens prædestinavit impletum*, si vis esse catholicus. Nescio enim quæ hîc potestas contra potestatem Dei casibus datur, quibus irruentibus quod ille prædestinavit fieri non sinatur. Hic error quanta errantem voragine impietatis absorbeat, exaggerare non opus est; cùm prudentem virum & corrigi paratum breviter admonuisse sufficiat. Tua quippe ista sunt verba: *Ha-*
C *bendam dicimus*, inquis, *de infantibus istiusmodi rationem, qui prædestinati baptismo, vitæ præsentis, ante quàm renascantur in Christo, præveniuntur occiduo.* Ergone prædestinati baptismo, vitæ præsentis, ante quàm ad eum perveniant, præveniuntur occiduo, & prædestinaret Deus quod futurum non fuisse præscivit, aut hoc futurum [a] non fuisse nescivit, ut ejus aut prædestinatio frustraretur, aut præscientia falleretur? Vides
D quanta hinc dici possent, nisi quod paulò antè dixi tenerem, ut hinc te breviter admonerem.

Octavus error. *Suprà l. 1. c. 9. & sup.*

14. Noli credere, nec dicere, nec docere, *De infantibus, qui priùs quàm renascantur in Christo, præveniuntur occiduo, scriptum esse, Raptus est ne malitia mutet illius intellectum, aut ne fictio decipiat animam ejus, propter hoc properavit de medio iniquitatis illum educere, placita enim erat Deo anima ejus, & consummatus in brevi explevit tempora longa*, si vis esse catholicus. Hoc enim ad
E illos omnino non pertinet, sed ad eos potiùs, qui baptizati & piè viventes, diu non permittuntur hîc vivere, non annis, sed sapientiæ gratiâ consummati. Iste verò error, quo putatur hoc de parvulis ante quàm baptizentur morientibus esse dictum, ipsi sacrosancto lavacro intolerabilem facit injuriam, si parvulus qui baptizatus rapi poterat, propterea priùs rapitur, ne malitia mutet illius intellectum, aut ne fictio decipiat animam ejus: quasi in eodem baptismo hæc esse malitia
F credatur, & fictio qua in pejus mutetur & decipiatur, si non antè rapiatur. Deinde quoniam placita erat Deo anima ejus, properavit de medio iniquitatis illum educere, ita ut nec paululùm remoraretur, ut quod in eo prædestinarat, impleret: sed contra suam prædestinationem [b] facere maluit, tamquam festinans, ne quod ei placuerat in non baptizato, exterminaretur in baptismo: tamquam moriturus infans ibi pereat, quò currendum est cum illo ne pereat. Quis ergo hæc
G verba scripta in libro Sapientiæ, de parvulis sine baptismate mortuis dicta esse crederet, diceret, scriberet, recitaret, si ea sicut oportuerat, cogitaret?

Caput XI.

15. Noli credere, nec dicere, nec docere, *Aliquas mansiones esse extra regnum Dei, quas esse*

a Am. Er. & plures MSS. *futurum fuisse nescivit*: omissâ negante particulâ. Sagiensis cod. *futurum fuisse præscivit.*

b Sigiramnensis cod. *faceret aliud.* Locus perplexus & fortè depravatus.

Nonus error. Suprà lib. 2. cap. 10.

Dominus dixit in domo Patris sui; si vis esse ca- A tholicus. Non enim ait, sicut hoc testimonium ipse posuisti, *Multæ mansiones sunt apud Patrem meum*: quòd si ita dixisset, non alibi essent intelligendæ quàm in domo Patris ejus: sed apertè ait, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*. (Iohan. 14. 2.) Quis itaque audeat aliquas partes domûs Dei separare à regno Dei; ut cùm reges terræ non tantùm in domo sua, nec tantùm in patria sua, sed longè latéque etiam trans mare regnare inveniantur; rex qui fecit cælum & terram nec in tota do- B mo sua regnare dicatur?

16. Sed fortè dicas, omnia quidem pertinere ad Dei regnum, quia regnat in cælis, regnat in terris, in abyssis, in paradiso, in inferno, (ubi enim non regnat, cujus ubique summa potestas est?) sed aliud esse regnum cælorum, quò fas non est accedere, nisi lavacro regenerationis ablutos (Iohan. 3. 5.), propter Dominicam veram fixamque sententiam; aliud autem esse regnum terrarum, vel aliarum creaturæ partium, ubi possunt esse C aliquæ mansiones domûs Dei, quamvis pertinentes ad regnum Dei, non tamen ad regnum cælorum, ubi excellentius & beatius est regnum Dei: ita fieri, ut nec aliquæ domûs Dei partes atque mansiones à regno Dei nefariè separentur; & tamen non omnes in regno cælorum [a] mansiones præparentur; atque in iis quæ in regno cælorum non sunt, possint feliciter habitare, quibus eas etiam non baptizatis Deus dare voluerit; ut in regno Dei sint, quamvis in regno cæ- D lorum, quia baptizati non sunt, esse non possint.

17. Hoc qui dicunt, videntur quidem sibi dicere aliquid, quia Scripturas negligenter adtendunt, & quomodo regnum Dei dicatur, unde oramus dicentes, [b] Veniat regnum tuum (Matth. 6. 10.), non intelligunt: quia regnum Dei dicitur, ubi cum illo fidelis familia ejus beatè & sempiternè tota regnabit. (b Regnum Dei bis intelligatur.) Nam secundùm potestatem quæ illi super omnia est, etiam nunc utique regnat. Quid E ergo est quod oramus ut veniat, nisi ut cum illo regnare mereamur? Sub ejus autem potestate etiam illi erunt, qui pœnâ æterni ignis ardebunt: numquidnam ob hoc etiam ipsos in regno Dei futuros dicturi sumus? Aliud est enim [c] regni Dei muneribus honorari, aliud regni Dei legibus coërceri. Ut autem tibi manifestissimè appareat, non esse regnum cælorum distribuendum baptizatis, & alias partes regni Dei dandas quibus tibi visum est, non baptizatis; ipsum Domi- F num audi, qui non ait, Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum cælorum; sed non potest, inquit, intrare in regnum Dei. (Iohan. 3. 3.) Nam verba ejus de hac re ista sunt ad Nicodemum: Amen, amen dico tibi, » nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Ecce non hîc dixit regnum cælorum, sed Dei. Et cùm respondisset Nicodemus » atque dixisset, Quomodo potest homo nasci, cùm » senex sit? numquid potest in ventrem matris suæ G » iteratò introire, & nasci? Eamdem Dominus sententiam planiùs apertiúsque repetens ait, » Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Ecce nec hîc dixit regnum cælorum, sed regnum Dei. Quod enim dixerat, Nisi quis natus fuerit denuo; hoc quid esset exposuit dicens, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Et quod dixerat, non potest videre; hoc exposuit dicendo, non potest introire. Illud tamen quod dixerat, regnum Dei, non alio nomine repetivit. Neque nunc opus est quærere atque disserere; utrùm regnum Dei regnumque cælorum cum aliqua differentia sit intelligendum, an res una sit duobus appellata nominibus: sufficit quòd non potest introire in regnum Dei, qui non fuerit lavacro regenerationis ablutus. Mansiones autem aliquas constitutas in domo Dei separare à regno Dei, quàm sit à veritate devium, puto quòd jam intelligas. Et ideo quod putasti, in aliquibus mansionibus, quas Dominus multas esse dixit in domo Patris sui, mansuros quosdam etiam non renatos ex aqua & Spiritu, ut fidem catholicam teneas, admoneo, si permittis, emendare non differas.

Caput XII. Decimus error. Suprà lib. 1. c. 11. & lib. 2. c. 11.

18. Noli credere, nec dicere, nec docere, *Sacrificium Christianorum pro iis qui non baptizati de corpore exierint, offerendum*, si vis esse catholicus. Quia nec illud quod de Machabæorum libris commemorasti sacrificium Judæorum, pro eis qui non circumcisi de corpore exierant, ostendis oblatum. (2. Mach. 12. 43.) In qua tua sententia tam nova, & contra Ecclesiæ totius auctoritatem disciplinamque prolata, verbo etiam insolentissimo usus es, dicens, *Pro his sanè oblationes assiduas & offerenda jugiter sanctorum censeo sacrificia sacerdotum*: ut te homo laicus sacerdotibus Dei nec discendo subderes, nec saltem simul quærendo misceres, sed censendo præponeres. Aufer tibi ista, fili: non sic in via, quam Christus humilis se ipsum esse docuit, ambulatur: nullus cum hoc tumore per angustam portam ejus ingreditur.

Caput XIII. Undecimus error. Suprà lib. 2. c. 12.

19. Noli credere, nec dicere, nec docere, *Aliquos eorum qui sine baptismo Christi ex hac vita emigraverint, interim non ire in regnum cælorum, sed in paradisum, postea verò in resurrectione mortuorum etiam ad regni cælorum beatitudinem pervenire*, si vis esse catholicus. Hoc enim eis dare nec Pelagiana hæresis ausa est, quæ opinatur parvulos non trahere originale peccatum: quos tu quamvis sicut catholicus cum peccato nasci fatearis, nescio qua tamen perversioris novitate opinionis, sine baptismate salutari, & ab hoc peccato cum quo nascuntur absolvi, & in regnum cælorum asseris introduci. Neque consideras, in hac caussa quanto deteriùs sapias quàm Pelagius. Ille quippe Dominicam sententiam pertimescens, qua non baptizati in regnum cælorum non permittuntur intrare, licèt eos quos ab omni peccato liberos credit, non illò audet parvulos mittere: tu verò sic contemnis quod dictum est, Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei (Iohan. 3. 5.); ut excepto errore, quo audes à regno Dei paradisum separare, quibusdam quos reos nasci, sicut catholicus, credis, sine baptismate mortuis, & illius reatûs absolutionem, & regnum cælorum non dubites insuper polliceri: quasi contra Pela-

[a] Am. Er. ac plerique MSS. *mansoribus præparentur*.

[b] Editi & Sigiramnensis MS. *Adveniat*: In quibus tamen postea sicut in ceteris MSS. *oramus ut veniat*.

[c] Am. Er. & plerique MSS. *Aliud est enim regnum Dei muneribus honorari, aliud regnum Dei legibus coërceri.*

gium in originali peccato adstruendo tunc esse possis catholicus verus, si contra Dominum fueris in destruenda ejus de baptismo sententia hæreticus novus. Nos te, dilectissime, non sic volumus hæreticorum esse victorem, ut error vincat errorem, &, quod est pejus, major minorem. Dicis enim: *Aut si fortè quispiam reluctetur, latronis animæ vel Dinocratis interim temporariè collatum esse paradisum, nam superesse illis adhuc in resurrectione præmium regni cælorum; quamquam sententia illa principalis obsistat, Quia qui non renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto, non intrabit in regnum cælorum; tamen teneat etiam meum in hac parte non invidentis assensum, modò misericordiæ præscientiæque divinæ & effectum amplificet, & affectum.* Hæc verba tua sunt, ubi te confiteris consentire dicenti, quibusdam non baptizatis sic temporariè collatum esse paradisum, ut supersit illis in resurrectione præmium regni cælorum, contra sententiam principalem, qua constitutum est, non intraturum in illud regnum, qui non renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto. Quam sententiam principalem timens violare Pelagius, nec illos sine baptismo in regnum cælorum credidit intraturos, quos non credidit reos: tu autem & originalis peccati reos parvulos confiteris, & tamen eos sine lavacro regenerationis absolvis, & in paradisum mittis, & postea etiam regnum cælorum intrare permittis.

Caput XIV. *Suprà lib. 2. c. 16.*

20. Hæc atque hujusmodi, si & alia forsitan in tuis libris adtentior & otiosior invenire potueris, sine ulla dilatione jam corrige, si animum catholicum geris, id est, si veraciter prælocutus es, dicens, *quòd tibi ipsi credulus non sis ea probari posse quæ dixeris; & quòd semper studeas etiam propriam sententiam non tueri, si improbabilis detegatur; & sit tibi cordi, proprio judicio damnato, meliora magis & quæ sunt veriora sectari.* Modò proba carissime, non te fallaciter ista dixisse, ut de tua indole non solùm ingeniosa, verùm etiam cauta, pia, modesta, gaudeat catholica Ecclesia, non de contentiosa pertinacia hæretica exardescat insania. Nunc est ut ostendas, quantâ post hæc bona verba quæ tua commemoravi, sinceritate pectoris dixeris, quod continuò subjecisti: *Nam ut est*, inquis, *optimi propositi laudandique consilii, facilè ad veriora transduci; ita improbi obstinatique judicii est, nolle citiùs ad tramitem rationis inflecti.* Esto igitur optimi propositi laudandique consilii, & facilè ad veriora transducere: nec sis improbi obstinatique judicii, ut nolis citiùs ad tramitem rationis inflecti. Si enim hæc liberaliter elocutus es, si non in labiis ista sonuisti, sed intus & germanitus in corde sensisti; in tuæ correctionis tanto bono etiam moras odisti. Parum quippe tibi fuit dicere, *improbi obstinatique esse judicii, nolle ad tramitem rationis inflecti*, nisi adderes *citiùs*: ut hinc ostenderes quàm sit exsecrandus, qui bonum hoc numquam facit; quando quidem qui tardiùs facit, tanta tibi videatur severitate culpandus, ut meritò improbi judicii obstinatique dicatur. Audi ergo te ipsum, tuque potissimùm & maximè eloquii tui fructibus utere, ut citiùs te ad rationis tramitem gravitate mentis inflectas, quàm te inde minùs eruditè parumque consultè lubrico ætatis averteras.

21. Nimis longum est, omnia quæ in tuis libris, vel potiùs in te ipso volo emendari, pertractare atque discutere, & saltem brevem tibi de singulis corrigendis reddere rationem. Nec ideo tamen te contemnas, ut arbitreris ingenium & eloquium tuum parvi esse pendendum. Nec sanctarum scripturarum memoriam in te parvam esse cognovi: sed eruditio minor est, quàm tantæ indoli laborique congruebat. Itaque te nec amplius quàm oportet tibi tribuendo vanescere volo, nec rursus te abjiciendo ac desperando frigescere. Utinam tua scripta tecum legere possem, & colloquendo potiùs, quàm scribendo, quæ sint emendanda monstrarem. Faciliùs hoc negotium peragerettur nostra inter nos sermocinatione, quàm litteris: quæ si scribenda esset, multis voluminibus indigeret. Verùm tamen ista capitalia, quæ certo etiam numero comprehendere volui, instanter admoneo, ne corrigere differas, & ea prorsus à fide & prædicatione tua facias aliena: ut quanta tibi facultas est disputandi, munere Dei utaris utiliter ad ædificationem, non ad destructionem sanæ salubrisque doctrinæ.

Caput XV. Repetit summatim errores Victoris, quos in ejus libris deprehenderat.

22. Sunt autem ista, de quibus, ut potui, jam disserui: sed breviter ea repetendo percurram. Unum est, *Quòd animam non ex nihilo, sed de se ipso Deum fecisse* dixisti. Alterum, *Per infinitum tempus, atque ita semper Deum animas dare, sicut semper est ipse qui dat.* Tertium, *Animam meritum aliquod perdidisse per carnem, quod habuerit ante carnem.* Quartum, *Animam per carnem reparare habitudinem priscam, & per eamdem carnem renasci, per quam meruerat inquinari.* Quintum, *Quòd anima meruerit esse peccatrix ante omne peccatum.* Sextum, *Infantes ante quàm baptizentur, morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum.* Septimum, *Quos Dominus prædestinavit ad baptismum, prædestinationi ejus eripi posse, & ante defungi, quàm in eis fuerit quod omnipotens prædestinavit impletum.* Octavum, *De infantibus qui priùs quàm renascantur in Christo, præveniuntur occiduo, scriptum esse, Raptus est ne malitia mutaret intellectum illius:* & cetera quæ in eam sententiam in Sapientiæ libro leguntur. (Sap. 4. 11.) Nonum, *Aliquas mansiones esse extra regnum Dei, earum quas Dominus esse dixit in domo Patris sui.* Decimum est, *Sacrificium Christianorum pro eis qui non baptizati de corpore exierint offerendum.* Undecimum, *Aliquos eorum qui sine baptismo Christi ex hac vita emigraverint, interim non ire in regnum, sed in paradisum; postea verò in resurrectione mortuorum, etiam ad regni cælorum beatitudinem pervenire.*

23. Hæc interim undecim multùm apertéque perversa, & fidei catholicæ adversa, nunc jam nihil cuncteris exstirpare atque abjicere ab animo, à verbo, ab stilo tuo; si vis ut te, non solùm ad altaria transisse catholica, sed verè catholicum esse gaudeamus. Nam hæc si pertinaciter singula defendantur, tot hæreses facere possunt, quot opiniones esse numerantur. Quocirca considera, quàm sit horrendum, ut omnes sint in uno homine, quæ damnabiles essent in singulis singulæ. Sed si tu pro eis nulla contentione pugnaveris, immo verò eas fidelibus verbis & litteris expugnaveris; laudabilior eris censor in te ipsum, quàm si quemlibet alium recta ratione reprehenderes;

Pertinacia hæreticum facit.

reprehenderes; & mirabilior eorum emendator, quàm si numquam illa sensisses. Adsit Dominus tuæ menti, & tantam spiritui tuo spiritu suo facilitatem humilitatis, lucem veritatis, dulcedinem caritatis, pacem pietatis infundat, ut victor tui animi esse malis in veris, quàm cujuslibet contradicentis in falsis. Absit autem ut te arbitreris, hæc opinando, à fide catholica recessisse, quamvis ea fidei sint adversa catholicæ; si coram Deo, cujus in nullius corde oculus fallitur, veraciter te dixisse [a] respicis, *non te tibi ipsi esse* B *credulum probari ea quæ dixeris posse; ac studere te semper etiam propriam sententiam non tueri, si improbabilis detegatur; eo quòd sit tibi cordi, proprio damnato judicio, meliora magis & quæ sint veriora sectari.* Iste quippe animus etiam in dictis per ignorantiam non catholicis, ipsâ est correctionis præmeditatione ac præparatione catholicus. Sed iste sit modus hujus voluminis, ubi requiescat paululùm lector, ut ad ea quæ sequuntur, ejus intentio ab alio renovetur exordio.

[a] Sic quinque MSS. Alii cum editis, *resipiscis*.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
DE ANIMA ET EJUS ORIGINE,
AD VINCENTIUM VICTOREM,
LIBER QUARTUS.

Primùm cunctationem suam de animarum origine immeritò reprehendi, Vincentio Victori demonstrat, & se ab eo, quia nihil hinc definire ausus est, injuriâ pecoribus comparari. Deinde verò quod incunctanter dixit, animam spiritum esse, non corpus, hoc temere etiam redargui à Victore, ut animam corpoream naturâ suâ, & spiritum ab ipsa in hominibus distinctum statuere conetur. Quem refellens Augustinus, postea quàm ea diligenter excussit, quibus probare ille nitebatur corpoream esse animam; ostendit hanc ipsam spiritum etiam vocari in Scripturis, quamvis re vera isto nomine propriè, id ipsius animæ, quo ratiocinamur & intelligimus, nuncupetur.

CAPUT I.

ACCIPE nunc jam etiam de me ipso quæ tibi dicere cupio; si possim, hoc est, si ille donaverit, in cujus manu sunt & nos & sermones nostri. Reprehendisti enim me bis numero, exprimens etiam meum nomen: & cùm te in principio libri tui imperitiæ tuæ admodum conscium & doctrinæ adminiculo destitutum, me verò ubi nominasti, doctissimum ac peritissimum dixeris; tamen quibus in rebus tibi visus es nosse, quod ego vel nescire me fateor, vel quamvis nesciam scire præsumo, libertate qua [a] oportebat, non tantùm senem juvenis, & episcopum laicus, verùm etiam hominem tuo judicio doctissimum & peritissimum non dubitasti reprehendere. Ego autem & me doctissimum ac peritissimum nescio, immo verò me non esse certissimè scio; & fieri C posse non ambigo, ut aliquid imperito & indocto cuipiam scire contingat, quod aliquis [b] doctus & peritus ignorat: & in hoc te planè laudo, quòd veritatem, etsi [c] non quam percepisti, certè quam putasti, homini prætulisti; ideo quidem temere, quia existimasti scire te quod nescis; sed ideo liberè, quia personam non reveritus, elegisti aperire quod sentis. Unde te intelligere oportet, quanto esse nobis debeat cura major, Dominicas oves revocare ab erroribus; si & ovibus turD pe est, vitia pastorum, si qua cognoverint, eisdem occultare pastoribus. O si illa reprehenderes mea, quæ justâ reprehensione sunt digna! Neque enim negare debeo, sicut in ipsis moribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint recto judicio, & nulla temeritate culpari. Ex quibus si aliqua ipse reprehenderes, illic & tibi fortassis ostenderem, qualem te esse,

[a] Aliquot MSS. *quæ non oportebat.*
[b] Am. Er. & plures MSS. *aliquis laicus doctus.*
[c] Editi, *etsi numquam percepisti.* Emendantur ex MSS.

in quibus non perperam reprehenderis, vellem; A neque tibi junior major, & præpositus subdito, correctionis exemplum, quanto humilius, tanto salubrius exhiberem. Sed ea in me reprehendisti, quæ non corrigere humilitas, sed partim fateri, partim defendere veritas cogit.

CAPUT II. Quæ Victor in Augustino reprehendenda putarit.

2. HÆC autem sunt: unum, quòd de origine animarum, quæ post primum hominem datæ sunt, vel dantur hominibus, non sum ausus aliquid definire, quia fateor me nescire: alterum, quòd animam scire me dixi spiritum esse, non B corpus. Sed in hoc altero duo reprehendisti; unum, quòd non eam crederem corpus esse; alterum, quòd eam spiritum crederem. Tibi enim videtur & corpus esse animam, & non esse spiritum. Audi igitur purgationem meam contra reprehensionem tuam, & ex hac occasione quæ me tibi purgo, in te ipso disce quæ purges. Recole verba libri tui, ubi me primitus nominasti. *Scio*, inquis, *plerosque & facilè peritissimos viros, insuper & consultos tenuisse silentium, aut nihil expressius elocutos, cùm definitionem disputationibus suis inchoata expositione subtraherent; sicuti nuper apud* C *te Augustini doctissimi viri prædicatique episcopi comprehensum litteris lectitavi: modestiùs quidem, ut reor, ac verecundiùs hujusce rei arcana rimantes, intra se ipsos tractatùs sui devorasse judicium, neque se posse ex hinc aliquid determinare professos. Sed mihi crede, satis superque videtur absurdum atque incongruum rationi, ut homo ipse expers sui sit, aut is qui rerum omnium creditur adeptus esse notitiam, sibi* D *ipsi habeatur ignotus. Quid autem differt homo à pecore, si nescit de sua qualitate naturaque disquirere atque differere; ut meritò in illum conveniat quod* Psal. 48.13. *scriptum est, Homo cùm esset in honore, non intellexit, assimilatus est jumentis, & comparatus est eis. Nam cùm Deus bonus nihil non ratione condiderit, ipsumque hominem animal rationale, intellectùs capacem, rationis compotem, sensuque vivacem, qui omnia rationis expertia prudenti ordinatione distribuat, procreaverit; quid tam inconvenienter dici* E *potest, quàm ut eum sola sui notione fraudarit? Et cùm sapientia mundi, quæ sese usque ad veri cognitionem supervacuâ quidem investigatione protendit, quia scire nequit per quem licet quæ sunt vera cognosci, aliqua tamen vicina, immo affinia veritati tentaverit super animæ natura dispicere: quàm indecens atque pudendum est, religiosum quemquam de hoc ipso aut nihil sapere, aut penitus sibi interdixisse ne sapiat.*

3. Ista tua nostræ ignorantiæ disertissima & luculentissima castigatio, omnia quæ ad naturam F hominis pertinent, sic te scire compellit, ut si eorum aliquid ignoraveris, non meo, sed tuo judicio pecoribus compareris. Quamvis enim nos [a] insignitiùs videaris adtingere, eo quod dixisti, *Homo cùm esset in honore, non intellexit*, quia in quo tu non es, honore sumus Ecclesiæ: tamen etiam tu in eo es honore naturæ, ut pecoribus præferaris, quibus secundùm tuum judicium comparandus es, si aliquid eorum quæ ad naturam tuam constat pertinere, nesciveris. Neque G enim eos adspersisti hac reprehensione tantummodo, qui hoc nesciunt quod ego nescio, hoc est, humanæ animæ originem, (quam quidem non penitus nescio, scio enim Deum flavisse in Gen. 2. 7. faciem primi hominis, factumque esse hominem in animam vivam; quod tamen nisi legissem, per me ipse scire non possem:) sed dixisti, *Quid autem differt homo à pecore, si nescit de sua qualitate naturaque disquirere atque differere?* Quod sensisse ita videris, tamquam de universa sua qualitate atque natura sic homo disquirere atque differere debeat, ut nihil eum sui lateat. Quod si ita est, jam te pecoribus comparabo, si mihi non responderis tuorum numerum capillorum. B Si autem quantumcumque proficiamus in hac vita, aliqua nos ad naturam nostram pertinentia nescire concedis, quæro id quantum quatenusque concedas; ne fortè & hoc ibi sit, quòd animæ nostræ non omni modo scimus originem: quamvis quod ad salutem pertinet fidei, divinitus animam datam, eamque non ejus cujus Deus est esse naturæ, remotis ambagibus noverimus. An fortè hactenus putas naturam suam cuique nesciendam, quatenus eam tu nescis; hactenusque C sciendam, quatenus eam tu scire potueris; ut si paulò ampliùs te quis nescierit, eum pecoribus compares, quòd scientior illo esse potuisti: atque ita si quis eam paulò plus te scierit, eâdem justitiâ te ille pecoribus comparabit? Dic ergo quatenus nobis naturam nostram nescire concedas, ut à pecoribus salva sit nostra distantia: & considera tamen ne plus à pecoribus distet, qui ejus aliquid nescire se scit, quàm qui se putat scire quod nescit. Natura certè tota hominis est D spiritus, anima & corpus: quisquis ergo à natura humana corpus alienare vult, desipit. Medici tamen qui appellantur anatomici, per membra, per venas, per nervos, per ossa, per medullas, per interiora vitalia, etiam vivos homines quamdiu inter manus rimantium vivere potuerunt [b] dissiciendo scrutati sunt, ut naturam corporis nossent: nec tamen nos, quia ista nescimus, pecoribus compararunt. Nisi fortè dicturus es, eos pecoribus comparandos, qui animæ naturam, non E qui corporis nesciunt. Non ergo ita præloqui debuisti. Neque enim aisti, *Quid differt homo à pecore*, si nescit de animæ suæ qualitate atque natura: sed aisti, *si nescit de sua qualitate naturaque disquirere atque differere.* Qualitas utique nostra & natura nostra cum corpore computatur, quamvis de his quibus constamus singillatim singulis differatur. Verùm ego quàm multa possim de hominis natura scientissimè disputare, si explicare velim, plura volumina implebo: multa me F tamen ignorare confiteor.

4. Tu autem quò vis pertinere, quod in superiore libro de flatu hominis disputavimus, utrùm ad animæ naturam, quia ipsa id agit in homine; an ad corporis, quod ab ea movetur ut id agat; an ad hujus aëris, cujus reciprocatu id agere declaratur; an potiùs ad omnia tria, ad animam scilicet quæ corpus movet, & ad corpus quod motu flatum recipit atque reddit, & ad auram istam undique circumfusam quæ in- G trando alit, relevat exeundo. Et tamen hoc litteratus homo atque facundus utique nesciebas, quando credebas, & dicebas, & scribebas, [c] ex conventu multitudinis congregatæ legebas, & in natura nostra nos utrem inflare, & in natura

[a] Editi, *insignius*. MSS. *insignitiùs*: vel *designantiùs*.
[b] Apud Er. & Lov. *disjiciendo*: mendosè.

[c] Sic MSS. At editi, *& de natura nostra utrem inflare, & naturam nostram in nos minùs nihil habere.*

nostra nos minùs nihil habere: cùm hoc unde faciamus, facillimè posses, non divinas & humanas paginas perscrutando, sed in te advertendo nosse cùm velles. Quomodo igitur tibi committam ut me doceas de origine animarum, quod me nescire confiteor; qui quod tuis naribus atque ore sine intermissione facis, unde facias ignorabas? Et præstet Dominus, ut à me commonitus, cedas potiùs quàm resistas tam in promtu positæ atque apertissimæ veritati: nec de utre inflando sic interroges pulmones tuos, ut eos adversùs me habere malis inflatos, quàm eis adquiescere te docentibus, & responsum tibi verum, non loquendo & altercando, sed spirando & respirando reddentibus. Proinde ignorantiam meam de origine animarum te corripientem atque objurgantem non molestè ferrem, immo insuper & gratias magnas agerem, si eam mihi, non solùm duris percuteres conviciis, sed veris etiam excuteres dictis. Si enim me posses docere quod nescio, non solùm te verbis, sed & pugnis cædentem deberem patientissimè sustinere.

Caput IV.

5. Nam fateor dilectioni tuæ, quantum adtinet ad istam quæstionem, unum de duobus valde cupio nosse, si possim, vel de animarum origine quod ignoro, vel utrùm pertineat ad nos hoc nosse cùm hîc vivimus. Quid si enim ex illis rebus est, de quibus nobis dicitur, Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita semper? (Eccli. 3. 21.) Verùm hoc nosse cupio, aut ab ipso Deo sciente quod creat, aut etiam ab aliquo docto sciente quod dicat, non ab homine nesciente quod anhelat. Infantiam suam quisque non recolit, & putas hominem nisi Deo docente posse cognoscere, unde in matris utero vivere cœperit; præsertim si usque adeo illum adhuc lateat humana natura, ut non solùm quid intus habeat, verùm etiam quid ad eam forinsecùs accedat, ignoret? Itane dilectissime, tu me docebis aut quemquam, unde homines nascentes animentur, qui nesciebas adhuc usque unde viventes sic alantur, ut illo alimento paululùm subtracto continuò moriantur? Tu me docebis aut quemquam, unde homines animentur, qui nesciebas adhuc usque unde utres, quando inflantur, impleantur? Utinam quemadmodum nescis unde origo sit animarum, sic ego saltem scirem utrùm mihi in hac vita sciendum esset. Si enim ex illis est altioribus, quæ inquirere scrutarique prohibemur; timendum est ne hoc, non ignorando, sed quærendo peccemus. Neque enim propterea non esse de illis altioribus putare debemus, quia non ad Dei naturam pertinet, sed ad nostram.

Caput V.

6. Quid quòd nonnulla in operibus Dei, quàm Deus ipse, in quantum cognosci potest, difficiliùs cognoscuntur? Nam didicimus Deum esse Trinitatem, quot autem animalium genera creaverit, saltem terrestrium, quæ in arcam Noë intrare potuerunt, adhuc usque nescimus (Gen. 7. 8.). Nisi hoc tu jam fortè didicisti. In libro etiam Sapientiæ scriptum est: Si enim tantum potuerunt valere, ut possent æstimare sæculum, quomodo ejus Dominum non faciliùs invenerunt? (Sap. 13. 9.) An quia hoc intra nos est, ideo non altius nobis est? Interior enim est animæ nostræ natura quàm corpus.

A Quasi verò corpus ipsum non faciliùs nosse potuit anima extrinsecùs per oculos ipsius corporis, quàm intrinsecùs per se ipsam. Quid enim est in intestinis corporis, ubi non est ipsa? Et tamen etiam quæque interna atque vitalia oculis corporis inquisivit, & quidquid ex eis discere potuit, per oculos corporis didicit. Et certè ibi erat, etiam quando illa nesciebat. Et cùm viscera intrinsecùs nostra non possint sine anima vivere, faciliùs ea potuit anima vivificare quàm nosse. An fortè ad ejus B cognitionem altius est corpus ejus, quàm ipsa; & ideo si velit inquirere atque disserere, quando semen hominis convertatur in sanguinem, quando in solidam carnem, quando ossa durari, quando incipiant medullari; quot sint genera venarum atque nervorum, quibus discursibus & amfractibus universum corpus illæ irrigent, illi alligent; utrùm in nervis deputanda sit cutis, utrùm in ossibus dentes; distant enim, quòd medullâ carent; & quid ab utrisque differant ungues, C quoniam his duritiâ similes sunt, præcidi autem & crescere, commune illis est cum capillis; quisnam sit usus venarum, non sanguinis, sed aëris, quas arterias vocant: hæc atque hujusmodi de natura corporis sui si anima nosse desideret, tuncne dicendum est homini, Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: si autem de sua origine quod nescit inquirat, non est altius neque fortius, quàm ut id possit apprehendere? Et absurdum existimas atque incongruum D rationi, ut nesciat anima, utrùmnam divinitus insufflata sit, an de parentibus tracta, cùm hoc jam præteritum non meminerit, & inter illa deputet, quæ irrevocabiliter, sicut infantiam, & cetera recentis ab utero ætatis oblita est, si tamen cum sensu ejus aliquo factum est quando factum est: nec putas absurdum atque incongruum, ut corpus sibi subditum nesciat, & quod non est de præteritis ejus, sed de præsentibus prorsus ignoret, utrùm venas moveat ut vivat in E corpore, nervos autem ut membris corporis operetur: & si ita est, cur nervos non moveat, nisi velit; pulsus autem venarum, etiam si nolit, sine intermissione agat: de qua parte corporis ceteris dominetur, quod ἡγεμονικὸν vocant, utrùm de corde, an de cerebro, an dispertitis de corde motibus, de cerebro sensibus, an de cerebro & sensibus & voluntariis motibus, de corde autem non voluntariis venarum pulsibus; & si de cerebro illa duo facit, cur sentiat etsi nolit, membra verò non F moveat nisi velit? Cùm igitur hæc in corpore nisi ipsa non faciat; cur nescit quod facit, vel unde facit? Nec ei turpe est ista quòd nescit; & turpe esse existimas, si nesciat unde vel quomodo facta sit, cùm se ipsa non fecerit? Anima verò, nulli sciunt, quomodo hæc, & unde agat in corpore; ideo ad illa altiora ac fortiora id pertinere non putas?

Quæstiones de corporis natura.

Arteriæ aëris venæ.

Eccli. 3. 22.

Caput VI.

G 7. At ego hinc tibi majorem moveo quæstionem, cur paucissimi noverint unde agant, quod omnes agunt. Fortasse dicturus es, Quia illi didicerunt artem anatomicam vel empiricam, quas medicinalis continet disciplina, quam pauci assequuntur: ceteri verò ista discere noluerunt, cùm potuissent si utique voluissent. Ubi omitto dicere, cur multi conentur discere ista, nec possint; quia tardo, quod multùm mirum est, impediun-

tur ingenio, ea discere ab aliis, quæ aguntur ab eis ipsis, & in eis ipsis. Sed hæc ipsa est maxima quæstio, cur arte non mihi opus sit, ut esse in cælo sciam solem, & lunam, & alia sidera; & arte mihi opus sit, ut sciam, quando digitum moveo, vnde incipiam, à corde, an à cerebro, an ab utroque, an à neutro; & doctore non egeam, ut sciam quid sit tam longè altius super me, ab alio autem homine discere exspectem, unde agatur à me quod agitur in me. Nam cùm in corde cogitare dicamur, & quod cogitamus, nullo alio homine sciente sciamus; ipsum tamen cor ubi cogitamus, nescimus in qua parte corporis habeamus, nisi ab alio discamus qui nescit quod cogitamus. Nec ignoro, cùm audimus, ut ex toto corde diligamus Deum, non hoc dici de illa particula carnis nostræ quæ sub costis latet; sed de illa vi qua cogitationes fiunt: quæ meritò appellatur hoc nomine, quia sicut motus non cessat in corde, unde se pulsus diffundit usquequaque venarum; ita non quiescimus aliquid cogitando versare. Verumtamen cùm omnis sensus ab anima insit & corpori, cur etiam in tenebris, & oculis clausis, sensu corporis qui vocatur tactus, membra forinsecus nostra numeremus; ipsius autem animæ interiore præsentiâ, qua cunctis quæ vivificat atque animat, præstò est, nulla intrinsecùs nostra viscera noverimus, non medicos empiricos, nec anatomicos, nec dogmaticos, nec methodicos, sed hominem scire arbitror neminem.

8. Et quisquis fuerit conatus hæc discere, non frustra ei dicitur: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Neque enim altiora sunt quàm potest nostra statura contingere, sed quàm potest nostra conjectura comprehendere; & fortiora quàm potest vis humani ingenii penetrare: & tamen non est cælum cæli, non dimensio siderum, non modus maris atque terrarum, non infernus inferior: nos sumus, qui nos comprehendere non valemus; nos modulum scientiæ nostræ altiores fortioresque superamus; nos non possumus capere nos, & certè non sumus extra nos. Nec ideo comparandi pecoribus, quia id quod sumus non penitus invenimus: & comparandos nos pecoribus putas, si quod fuimus obliti sumus, si tamen id aliquando noveramus. Neque enim nunc anima mea trahitur ex parentibus, aut insufflatur à Deo: utrumlibet horum fecerit, tunc fecit quando me creavit; non etiam nunc de me, vel in me facit: actum illud atque transactum est, nec præsens mihi est, nec recens. Ne id quidem scio, utrùm id scierim, oblitusque sim; an verò nec tunc quando factum est, id sentire ac nosse potuerim.

Eccli. 3. 22.

CAPUT VII.

9. ECCE modò, modò dum sumus, dum vivimus, dum nos vivere scimus, dum meminisse nos, & intelligere, & velle [a] certissimi sumus, qui nos naturæ nostræ magnos cognitores esse jactamus, quid valeat memoria nostra, vel intelligentia, vel voluntas, omnino nescimus. Amicus quidam meus jam inde ab adolescentia, Simplicius nomine, homo excellentis mirabilisque memoriæ cùm interrogatus esset à nobis, quos

Simplicii cujusdam insignis memoria.

A versus Virgilius in omnibus libris suprà ultimos dixerit, continuò, celeriter, memoriterque respondit. Quæsivimus etiam superiores ut diceret, dixit. Et credidimus eum posse retrorsum recitare Virgilium. De quocumque loco voluimus, petivimus ut faceret, fecit. De prosa etiam de quacumque oratione Ciceronis, quam memoriæ commendaverat, id eum facere voluimus, quantum voluimus sursum versùs secutus est. Cùm admiraremur, testatus est Deum, nescisse B se hoc posse ante illud experimentum: ita, quantum ad memoriam adtinet, tunc se ejus animus didicit; & quandocumque discere, nisi tentando & experiendo [b] non posset. Et utique antequàm tentaret, idem ipse erat: cur se igitur nesciebat?

10. Sæpe nos præsumimus aliquid memoriâ retenturos, & cùm id putamus, non scribimus; nec nobis postea cùm volumus venit in mentem, nosque pænitet credidisse venturum, vel litteC ris non illigasse ne fugeret; & subitò rursus, cùm id non quæramus, occurrit. Numquid nos non eramus, quando id cogitabamus? nec tamen hoc sumus quod fuimus, quando id cogitare non possumus. Quid est ergo, quòd [c] nescio quomodo subtrahimur negamurque nobis; itemque nescio quomodo proferimur ad nos, reddimurque nobis: quasi alii simus, & alibi simus, quando quærimus, nec invenimus quod in memoria nostra posuimus; neque nos ipsi ad nos ipsos veD luti alibi positos pervenire possimus, & tunc perveniamus quando invenimus. Ubi enim quærimus nisi apud nos? & quid quærimus nisi nos? quasi non simus in nobis, & aliquò recesserimus à nobis. Nonne adtendis, & exhorrescis tantam profunditatem? Et quid est hoc aliud quàm nostra natura, nec qualis fuit, sed qualis nunc est? Et ecce magis quæritur, quàm comprehenditur. Sæpe mihi propositam quæstionem putavi me intellecturum, si inde cogitarem; cogitavi, nec E potui: sæpe non putavi, & tamen potui. Vires itaque intelligentiæ meæ non sunt mihi utique cognitæ, & credo quia nec tibi.

Memoriæ fiducia.

11. Sed me contemnis forsitan confitentem, & propter hoc quoque pecoribus comparabis. Ego autem monere, vel si non dignaris, certè admonere non desino, ut agnoscas potiùs communem infirmitatem, in qua virtus perficitur: ne pro cognitis incognita præsumendo, ad veritatem pervenire non possis. Puto enim esse aliquid, F quod & tu intelligere quæris, nec potes, nec tamen quæreres, nisi te posse sperares. Ac per hoc & tu vires intelligentiæ tuæ nescis, qui naturæ tuæ scientiam profiteris, nec mecum ignorantiam confiteris. Quid dicam de voluntate, ubi certè liberum à nobis prædicatur arbitrium? Nempe beatissimus apostolus Petrus volebat pro Domino animam ponere: planè volebat; neque enim Deum id pollicendo fallebat: sed quantas vires haberet, voluntas ipsa nesciebat. Proinde G vir tantus, qui Filium Dei esse cognoverat, se latebat. Scimus nos itaque aliquid velle, seu nolle: sed voluntas nostra etiam cùm bona est, quantum valeat, quantas vires habeat, quibus

Ioh. 13. 37.

[a] Aliquot MSS. *certissimè scimus.*

[b] Lovanienses rejecerunt particulam negantem, quæ hîc tamen exstat in MSS.

[c] Editi, *Quid est ergo quod nescimus? Quomodo subtrahimur negamurque nobis. Itaque nescio*, &c. Quidam MSS. *Quid est ergo quod non sumus?* &c. Emendantur ad vetustissimū codicem Germanensem.

tentationibus cedat, quibusve non cedat, si A nos non fallimus, fili dilecte, nescimus.

CAPUT VIII.

12. VIDE igitur quàm multa non præterita, sed præsentia de natura nostra, nec tantùm quod ad corpus, verùm etiam quod ad interiorem hominem pertinet ignoremus, nec tamen pecoribus comparemur. Et tu, quia præteritam originem animæ meæ non omnino nescio, sed non plenè scio; nam scio mihi datam esse à Deo, nec tamen esse de Deo; tanto me convicio dignum putasti. Et quando possum de natura spiritûs & B animæ nostræ commemorare omnia quæ nescimus? Ubi potiùs exclamare debemus ad Deum, quod ille exclamavit in Psalmo: Mirificata est » scientia tua ex me; invaluit, non potero ad illam. Cur enim adjecit, ex me, nisi quia ex se ipso quàm incomprehensibilis esset Dei scientia conjiciebat, quando quidem se ipsum comprehendere non valebat? Rapiebatur Apostolus in tertium cælum, & audiebat ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, & utrùm in corpo- C re hoc illi accidisset, an extra corpus, nescire se dicit, nec à te comparari pecoribus pertimescit. Sciebat se spiritus ejus esse in tertio cælo, esse in paradiso, & utrùm esset in corpore nesciebat. Et utique tertium cælum & paradisus non erat ipse apostolus Paulus; corpus verò ejus & anima atque spiritus ejus ipse erat. Ecce sciebat magna, alta atque divina, quæ ipse non erat; & hoc nesciebat, quod ad naturam ipsius pertinebat. Quis in tanta occultarum rerum scientia, tantam sui D ipsius ignorantiam non miretur? Quis postremò crederet, nisi qui non fallit hoc diceret: Quid oremus sicut oportet nescimus? Ubi esse nostra maximè debet intentio, ut nos in ea quæ antè sunt extendamus: & me, si in eis quæ retrò sunt, aliquid de mea origine oblitus sum, pecoribus comparas, cùm audias eumdem Apostolum dicentem, Quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt » extentus, secundùm intentionem sequor ad pal- » mam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu?

Psal. 138. 6. — *2. Cor. 12. 4.* — *Rom. 8. 26.* — *Philip. 3. 13.*

CAPUT IX.

13. AN fortè etiam hoc quia dixi, Quid ore- E mus sicut oportet nescimus: irridendum me arbitraris, & irrationalibus similem animantibus judicas? Et fortè tolerabiliùs. Cùm enim recto sanoque judicio futura nostra præteritis præferamus, & oratio nobis non propter quod fuimus, sed propter quod erimus sit necessaria, multo est utique molestius nescire quid oremus, quàm quemadmodum exorti fuerimus. Sed veniat tibi in mentem ubi hoc legeris, vel relegendo recole: F & noli in me hujus convicii lapidem jacere; ne ad quem non vis, perveniat. Ille ipse quippe doctor gentium Apostolus dixit, Quid enim oremus sicut oportet, nescimus. Quod non tantùm verbo docuit, sed suo quoque demonstravit exemplo. Nam contra utilitatem & salutis suæ perfectionem nesciens orabat ut discederet ab eo stimulus carnis, quem sibi datum dixit, ne magnitudine revelationum suarum extolleretur. Et quia illum Dominus diligebat, non fecit quod ignoranter G petebat. Sed tamen ubi ait, Quid enim oremus sicut oportet, nescimus: mox adjunxit, Sed ipse » Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenar- » rabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid » Spiritus sapiat, quia secundùm Deum interpellat pro sanctis: id est, interpellare sanctos facit. Ille utique Spiritus, quem Deus misit in corda nostra, clamantem, Abba, Pater; & in quo clamamus, Abba, Pater: utrumque enim dictum, & accepisse nos Spiritum clamantem, Abba, Pater; & in quo clamamus, Abba, Pater; ut exponeretur quomodo dixit clamantem, hoc est, clamare facientem, ut ipso faciente clamemus. Doceat ergo & hoc me quando voluerit, si hoc mihi expedire novit, ut sciam unde secundùm animam originem ducam. Sed ille hoc me doceat Spiritus, qui [a] altitudinem Dei scrutatur; non homo qui spiritum nescit, unde uter inflatur. Absit tamen ut ego hinc te pecoribus comparem. Non enim hoc, quia non poteras, sed quia non adverteras, nesciebas.

Rom. 8. 26. — *2. Cor. 12. 8.* — *Gal. 4. 6.* — *Rom. 8. 15.*

Spiritus sanctus quo sensu dictus Deum pro nobis interpellare.

CAPUT X.

14. VERUM tu fortasse, quamvis altiora sint, quæ de animarum origine requiruntur, quàm est unde ducimus & reddimus flatum; tamen eadem altiora de scripturis sanctis te didicisse confidis, de quibus per fidem didicimus, quæ nulla possent humana ingenia vestigare. Nam longè utique præstantius est, nosse resurrecturam carnem ac sine fine victuram, quàm quidquid in ea medici scrutando discere potuerunt; quod nullo sensu anima percipit, cùm præsentiâ suâ vegetet cuncta quæ nescit: & longè est melius, nosse animam, quæ in Christo renata & renovata fuerit, in æternum beatam futuram, quàm quidquid de illius memoria, intelligentia, voluntate nescimus. Hæc autem quæ dixi præstantiora atque meliora, nullo modo nosse valeremus, nisi divinis crederemus eloquiis. His ergo eloquiis fidere te fortassis existimas, ne de origine animarum sententiam definitam proferre cuncteris. [b] Primùm si ita esset, non ipsi humanæ naturæ tribuere debuisti, quod scit homo de sua qualitate atque natura disquirere atque disserere, sed Dei muneri. Dixisti enim, *Quid differt homo à pecore, si hoc nescit?* Quid igitur opus est aliquid legere, ut hoc sciamus, si eo ipso quo à pecore distamus, jam hoc scire debemus? Sicut enim nihil mihi legis ut me vivere sciam, habet enim natura mea ut hoc nescire non possim: ita si & illud scire naturæ est, cur mihi de hac re profers quibus credam testimonia Scripturarum? Numquid soli distant à pecore qui eas legunt? Nonne ita creati sumus, ut distemus à pecoribus, & ante quàm ad aliquas litteras pervenire possimus? Quid est quæso quod tantum naturæ nostræ arrogas, ut eo ipso quo distat à pecore, jam norit de origine animarum disquirere atque disserere; & rursus eam sic facis hujus cognitionis expertem, ut hoc scire humanitus nequeat, nisi divinis testibus credat?

Præstantius est nosse carnem resurrecturam & sine fine victuram, quàm quidquid de ejus natura medici docere potuerunt.

CAPUT XI.

15. DEINDE & in hoc falleris. Nam divina testimonia, quæ ad istam quæstionem solvendam referre voluisti, non id aperiunt. Aliud est quod illa demonstrant, sine quo verè non possumus piè vivere, quòd scilicet animarum nostrarum Deum habeamus datorem, creatorem, formatorem. Sed quomodo id faciat, utrùm novas eas flando, an de parentibus trahendo, non exprimunt, nisi de illa una quam primo homini dedit. Lege diligenter quod scripsi ad fratrem nostrum Dei servum Renatum: ibi enim

Suprà lib. 1. cap. 14. & seq.

[a] Plures MSS. *altitudines Dei.*

[b] Plerique MSS. *proferre cuncteris primus. Si ita esset.*

quia id ostendi, non fuit necesse & hìc scribere. Velles autem me definire quod ipse definisti, ut in tales angustias contruderer, in quales ipse contrusus, adversùs catholicam fidem tot & tanta locutus es, ut ea si fideliter atque humiliter recolas atque consideres, videas profectò quantum tibi profuisset, si scisses nescire quod nescis; & quantum tibi prosit, si vel nunc scias. Nam si intelligentia tibi placet in natura hominis, quoniam re vera si eam non haberet, nihil, quantum ad animas pertinet, à pecoribus distaremus; intellige quid non intelligas, ne totum non intelligas; & noli despicere hominem, qui ut veraciter intelligat quod non intelligit, hoc se non intelligere intelligit. Unde autem dictum

Psal. 48. 13.

sit in sacro Psalmo, *Homo in honore cùm esset, non intellexit, comparatus est pecoribus insensatis, & similis factus est illis*: lege, & intellige, ut hoc opprobrium humiliter potiùs ipse caveas, quàm superbè alteri objicias. De his enim dictum est, qui istam vitam solam deputant vitam, secundùm carnem viventes, & post mortem nihil sperantes, veluti pecora: non de his, qui neque negant se scire quod sciunt, & confitentur se nescire quod nesciunt, & potiùs intelligunt infirmitatem suam, quàm de sua virtute confidunt.

16. Non itaque displiceat præsumtioni tuæ [a] juvenili meus senilis timor, fili. Ego enim, si hoc quod de animarum origine quærimus, nec Deo, nec aliquo spiritali homine docente, scire potuero, paratior sum defendere, quàm rectè etiam hoc Deus, sicut alia multa, nos scire noluerit, quàm temere dicere, quod aut ita sit obscurum, ut hoc non solùm ad aliorum intelligentiam perducere nequeam, sed nec ipse intelligam; aut certè etiam hæreticos adjuvet, qui propterea persuadere conantur ab omni noxa puras esse animas parvulorum, ne scilicet eadem noxa in auctorem Deum recurrat & redeat, quòd insontes animas, quibus nec lavacrum regenerationis subventurum esse præscivit, dando carni peccatrici, esse compulerit peccatrices, nullâ baptismatis gratiâ subventurâ, qua liberentur à damnatione perpetua. Quando quidem innumerabiles animæ infantum ante quàm baptizentur, de corporibus exeunt. Absit enim, ut hoc volens diluere, dicam quæ ipse dixisti: *Quòd anima per carnem meruerit inquinari, & esse peccatrix, nullum habens antè peccatum, quo rectè id meruisse dicatur.* Et *quòd etiam sine baptismo originalia peccata solvantur.* Et *quòd regnum quoque cælorum non baptizatis in fine tribuatur.* Hæc atque hujusmodi venena fidei nisi dicere timerem, fortasse de hac re definire aliquid non timerem. Quanto meliùs igitur non separatim de anima disputo & affirmo quod nescio; sed quod apertissimè Apostolum video docuisse, simpliciter teneo. Ex

Rom. 5. 18.

uno homine omnes homines ire in condemnationem qui nascuntur ex Adam, nisi ita renascantur in Christo, sicuti instituit ut renascantur, ante quàm corpore moriantur, quos prædestinavit ad æternam vitam misericordissimus gratiæ largitor: qui est & illis quos prædestinavit ad æternam mortem, justissimus supplicii retributor; non solùm propter illa, quæ volentes adjiciunt, verùm etiam si infantes nihil adjiciant, propter originale peccatum. Hæc est in illa quæstione definitio mea, ut occulta opera Dei habeant suum secretum, salva fide mea.

Prædestinatio ad æternam vitam & prædestinatio ad æternam mortem.

CAPUT XII.

17. NUNC jam, quantum Dominus donare dignatur, etiam ad illud debeo respondere, ubi de anima loquens, meum nomen iterasti, atque dixisti: *Non enim, sicut Augustinus peritissimus episcopus profitetur, incorpoream & eamdem spiritum esse permittimus.* Priùs itaque utrùm anima incorporea, sicut ego dixi, an corporea, sicut tu, existimanda sit, disputemus. Deinde utrùm etiam ipsa secundùm Scripturas nostras dicatur spiritus; quamvis etiam propriè spiritus nuncupetur, non universa, sed aliquid ejus. Ac primùm scire vellem, corpus quid esse, definias. Si enim non est corpus, nisi quod membris carnalibus constat; nec terra erit corpus, nec cælum, nec lapis, nec aqua, nec sidera, nec si quid hujusmodi est. Si autem corpus est quidquid majoribus & minoribus suis partibus majora & minora spatia locorum obtinentibus constat; corpora sunt etiam ista quæ commemoravi: corpus est aër, corpus est lux ista visibilis, & omnia sicut dicit Apostolus, corpora cælestia, & corpora terrestria.

1. Cor. 15. 40.

18. Sed utrùm aliquid tale sit anima, scrupulosissimè ac subtilissimè quæritur. Verumtamen tu, unde tibi maximè gratulor, Deum corpus non esse confirmas. Sed me rursus sollicitum facis, ubi dicis: *Si anima caret corpore, ut sit, sicut quibusdam placet, cassæ inanitatis, [b] aëriæ futilisque substantiæ.* His enim tuis verbis videris credere, omne quod caret corpore, inanis esse substantiæ. Quod si ita est, quomodo Deum audes dicere carere corpore, nec times ne sequatur inanis eum esse substantiæ? Porrò si & corpore caret Deus, quod jam confessus es; & eum inanis esse substantiæ, absit ut dicas: non ergo inanis substantiæ est, quidquid corpore caret. Et ideo qui incorpoream dicit esse animam, non est consequens ut eam velit videri inanis futilisque substantiæ: quia & Deum, qui non est inane aliquid, simul incorporeum confitetur. Vide autem quantum intersit inter id quod dico, & quod tu me existimas dicere. Ego enim nec aëriæ substantiæ animam dico; alioquin corpus esse confiteor. Aër quippe corpus est, secundùm omnes qui de corporibus cùm loquuntur, quid loquantur sciunt. Tu autem propter id quod incorpoream dixi animam, non solùm *cassæ inanitatis*, sed ob hoc *aëriam* me putasti eam dixisse *substantiam*: cùm & corpus eam non esse dixerim, quod est aër; & quod aëre impletur, inane esse non possit. Quod nec utres tui te admonere potuerunt. Quid enim aliud in eos, nisi aër, quando inflantur, artatur? Qui usque adeo inanes non sunt, ut eadem plenitudine etiam pondera sufferant. Quòd si fortè aliud tibi videtur esse flatus, aliud aër; cùm aër motus ipse sit flatus, quod & flabello agitato doceri potest: certè vasa quælibet concava quæ putas inania, ut plena esse cognoscas, ab ea parte qua implentur, deprime in aquam, & vide quòd nihil humoris possit intrare repellente aëre, quo plena sunt. Cùm autem ore sursum versùs collocantur, sive ex latere, tunc recipiunt liquorem,

[a] In MSS. constanter, *juvenali*.

[b] MSS. *aëria futilisque* (vel *subtilisque*) *substantia*.

si quis infunditur vel ingreditur, exeunte atque evadente aëre, quà exitus patet. Hoc præsenti facilius posset demonstrari facto quàm scripto. Sed non est hîc diutiùs immorandum, cùm sive intelligas aëris naturam esse corpoream, sive non intelligas, me tamen putare non debes vel aëriam dixisse animam, sed omnino incorpoream: quod & tu esse confiteris Deum, quem dicere non audes inane esse aliquid; sed negare non potes omnipotentis & immutabilis esse substantiæ. Cur ergo metuimus, ne sit cassæ inanitatis anima, si sit incorporea, cùm Deum incorporeum esse fateamur, nec eum cassæ inanitatis esse dicamus? Sic itaque potuit incorporeus incorpoream creare animam, quemadmodum vivens viventem, quamvis immutabilis mutabilem, & omnipotens longè imparem.

Caput XIII. Utrùm anima sit spiritus. 1 Thess. 5. 23.

19. Cur autem animam nolis esse spiritum, sed corpus eam velis esse, non video. Si enim propterea spiritus non est, quia distinctè Apostolus nominavit spiritum dicens, Et integer spiritus vester, & anima, & corpus: eadem caussa est, cur ea non sit corpus, quia distinctè nominavit & corpus. Si autem affirmas quòd & anima corpus sit, quamvis distinctè corpore nominato; permitte ut etiam spiritus sit, quamvis distinctè spiritu nominato. Multo enim magis tibi debet videri anima spiritus esse quàm corpus; quia spiritum & animam unius fateris esse substantiæ, unius autem substantiæ animam corpusque esse non dicis. Quo igitur pacto corpus est anima, cùm ejus & corporis sit diversa natura; & spiritus non est anima, cùm ejus & spiritûs sit una eademque natura? Quid quòd ista tua ratione etiam spiritum corpus esse cogeris dicere? Alioquin si spiritus corpus non est, & anima corpus est; non sunt spiritus & anima unius ejusdemque substantiæ. Tu autem utrumque, quamvis duo quædam sentias, unam fateris habere substantiam. Ergo & spiritus corpus est, si anima corpus est: neque enim aliter possunt unius ejusdemque esse naturæ. Proinde secundùm te, illud quod ait Apostolus, Spiritus vester, & anima, & corpus: tria sunt corpora; sed ex his duo, anima & spiritus unius naturæ sunt corpora; corpus autem illud, quod etiam caro dicitur, diversæ naturæ est. Et ex his tribus, ut opinaris, corporibus, quorum unum diversæ, duo verò sunt unius ejusdemque substantiæ, constat totus homo, una quædam res atque una substantia. Ista cùm asseras, non vis tamen ut duæ res unius ejusdemque substantiæ, id est, anima & spiritus habeant unum spiritûs nomen: cùm duæ res non unius ejusdemque, sed imparis diversæque substantiæ, id est, anima & corpus habeant unum, sicut putas, corporis nomen.

Caput XIV.

20. Sed hoc omitto, ne de nominibus inter nos sit potiùs controversia, quàm de rebus. Quisnam sit homo interior videamus, utrùm anima, an spiritus, an utrumque. Sed sicut te scripsisse video, interiorem hominem animam dicis. De hac enim loquebaris, cùm diceres: *Et gelante substantia* [a] *quæ comprehendi non poterat, efficeret corpus aliud intra corpus naturæ suæ vi & spiramine conglobatum, exindeque inciperet homo interior apparere, quem veluti in forma vaginæ corporalis inclusum, ad similitudinem sui delineavit exterioris hominis habitudo.* Deinde infers: *Flatus ergo Dei animam fecit, immo flatus ex Deo anima factus est, effigiata substantialis, & secundùm naturam suam corporea, & sui corporis similis, imaginique conformis.* Post hæc incipiens loqui de spiritu, *Hæc*, inquis, *anima quæ ex flatu Dei haberet originem, sine sensu proprio atque intellectu intimo esse non potuit, quod est spiritus.* Sicut ergo video, interiorem hominem vis esse animam; intimum, spiritum: tamquam & ipse interior sit animæ, sicut illa corpori. Ita fit, ut quemadmodum corpus per interiora [b] cava sua recipit aliud corpus, quod est anima, sicut putas; sic & anima credenda sit habere interiora inania, qua corpus tertium receperit spiritum: atque ita totus homo constet ex tribus, exteriore, interiore, intimo. Itane nondum respicis, quanta te absurdissima consequantur, cùm animam conaris asseverare corpoream? Deinde dic mihi: Quis eorum renovabitur in agnitionem Dei, secundùm imaginem ejus qui creavit illum? (Col. 3. 10.) Interior, an intimus? Apostolus quidem, præter interiorem & exteriorem, non video quòd sciat alium interioris interiorem, id est, totius hominis intimum. Sed elige quem volueris, qui renovetur secundùm imaginem Dei: quomodo hanc recipiet, qui jam sumsit exterioris imaginem? Si enim per membra exterioris cucurrit interior & gelavit: (hoc enim etiam verbo usus es, tamquam figmentum fusile fieret ex forma lutea, quæ de pulvere facta est:) quomodo eâdem manente formâ, quæ impressa illi est vel expressa de corpore, potest reformari ad imaginem Dei? An duas habebit imagines, à summo quidem Dei, ab imo autem corporis; sicut in nummo dicitur, Caput & [c] navia? An fortè dicis, quòd anima ceperit imaginem corporis, & spiritus capiat imaginem Dei, tamquam illa contigua corpori, & ille sit Deo; ac sic ad imaginem Dei homo ille intimus, non iste interior reformetur? Sed frustra hoc dicis. Nam si & ille intimus ita est per animæ omnia membra diffusus, ut illa per corporis; jam etiam ipse per animam cepit imaginem corporis, sicut illa eum forma formavit; ac per hoc non habet ubi capiat imaginem Dei, manente in se ista imagine corporis; nisi quemadmodum nummus, ut dixi, aliter ex inferiore, aliter ex parte superiore formetur. Ad ista te absurda quando de anima cogitas, carnalis cogitatio corporum, velis nolisve, compellit. Sed Deus, ut etiam ipse rectissimè confiteris, non est corpus: quomodo igitur capiat ejus imaginem corpus? (Corpus imaginem Dei non capit.) Obsecro te, frater, ut non conformeris huic sæculo, sed reformeris in novitate mentis tuæ, (Rom. 12. 2.) nec sapias secundùm carnem, quoniam mors est. (Rom. 8. 6.)

Caput XV.

21. Sed inquis, *Si anima caret corpore, quid est quod apud inferos dives ille cognoscit? Certè*, inquis, *noverat jam Lazarum*, [d] *non noverat Abraham:*

[a] Am. & Er. *quod*. MSS. *qua*, vel *quam*: fortè pro *quoniam*.
[b] Sic MSS. At editi, *concava*.
[c] Am. *nava*: mendosè. Illustrabit hanc vocem Macrobii locus lib. 1. Saturnalium c. 7. ubi de Jano scribit: *Cùm primus quoque æra signaret, servavit & in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera verò navis exprimeretur; quo Saturni memoriam etiam in posteros propagaret. Æs ita fuisse signatum, hodieque intelligitur in aleæ lusu; cùm pueri denarios in sublime jactantes, Capita aut navim* (legendum hîc videtur, *Caput aut navia*,) *lusu teste vetustatis exclamant.* Nostrates Gallicè, *Croix ou pile.*
[d] Particula negans abest à quibusdam MSS.

unde illi tanto antè tempore defuncti Abrahæ provenit agnitio? Hæc dicens, si agnitionem hominis provenire non putas sine corporis forma; ut noveris te ipsum, credo quòd assiduè speculum adtendis, ne si fueris oblitus faciem tuam, non te possis agnoscere. Rogo te, quem magis hominum novit homo quàm se ipsum, & cujus minùs potest faciem videre quàm suam? Quis autem potest cognoscere Deum, quem tu quoque incorporeum esse non dubitas; si præter corporis formam, sicut putas, non potest cognitio provenire, id est, si corpora possunt sola cognosci? Quis autem Christianus de tam magnis difficillimisque rebus disputans, animum in verba divina tam negligenter intendat, ut dicat, *Si incorporea est anima, necesse est careat formâ?* Oblitus
(Rom. 6. 17.) es, te formam legisse doctrinæ? Ergo corporea est forma doctrinæ. Oblitus es, scriptum esse de Christo Jesu, ante quàm hominem fuisset in-
(Philip. 2. 6.) dutus, quòd in forma Dei erat? Quomodo ergo dicis, *Si incorporea est anima, necesse est careat formâ*; cùm audias formam Dei, quem non esse corporeum confiteris; & ita loqueris tamquam forma nisi in corporibus esse non possit?

22. Dicis etiam, *Cessare illic nomina, ubi non distinguitur forma; & nihil illic agere appellationem nominum, ubi nulla est designatio personarum.* Hinc volens probare Abrahæ animam fuisse corpoream, quia dici potuit, Pater Abraham. Jam diximus, etiam ubi corpus nullum est, esse formam. Si autem appellationem nominum nihil putas agere, ubi non sunt corpora; numera ista
(Gal. 5. 22.) nomina, quæso te: Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia: & dic mihi utrùm res ipsas non agnoscas, quarum ista sunt nomina, vel sic agnoscas, ut aliqua lineamenta corporum videas. Ecce, ut alia taceam, dic mihi quam figuram, quæ membra, quem colorem caritas habeat; quæ certè, si ipse inanis non es, inane aliquid tibi videri non potest. *Cujus auxilium imploratum est*, inquis, *corporeus utique visus est atque formatus*. Audiant te homines, & Dei nemo imploret auxilium, quia nemo eum potest videre corporeum.

CAPUT XVI.

23. *Denique*, inquis, *membra illic animæ describuntur, ut verè sit corpus*: & vis, *per oculum totum caput intelligi*, quia dictus est levasse ocu-
(Lucæ 16. 24.) los suos; *per linguam fauces, per digitum manum*, quia dictum est, Mitte Lazarum, ut intinguat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam. Tamen ne per membrorum nomina de Deo tibi corporeo præscribatur, dicis *per hæc incorporeas intelligendas esse virtutes*: quia Deum rectissimè defendis non esse corporeum. Quid igitur caussæ est, cur nomina ista membrorum in Deo tibi corpus non faciant, in anima faciant? An verò quando de creatura hæc dicuntur, propriè accipienda sunt; quando autem de Creatore, tropicè atque translatè? Pennas itaque corporeas daturus es nobis; quoniam non Creator, sed creatura, id est, homo dicit, Si as-
(Psal. 138. 9.) sumsero pennas meas sicut columba. Porrò autem, si propterea linguam habebat dives ille corpoream, quoniam dixit, Refrigeret linguam meam: in nobis quoque adhuc in carne viventibus, manus habet ipsa lingua corporeas, quia scriptum est, Mors & vita in manibus linguæ. (Prov. 18. 21.) Puto etiam non tibi videri, vel esse creaturam, vel corpus esse peccatum: cur ergo habet faciem? An non audis in Psalmo, Non est pax ossibus (Psal. 37. 4.) meis, à facie peccatorum meorum?

24. Quòd verò *illum Abrahæ sinum* existimas *esse corporeum, & per ipsum* asseris *totum corpus ejus agnosci*: vereor ne in re tanta localiter atque irridenter, non seriò graviterque agere credaris. Neque enim usque adeo desiperes, ut arbitrareris corporeum unius hominis sinum ferre tot animas, immo, ut secundùm te loquar, *ferre tot corpora bene meritorum, quot illuc angeli sicut Lazarum perferunt*. Nisi opinaris fortasse illam unam animam solam, ad eumdem sinum pervenire meruisse. Si non jocaris, & errare pueriliter non vis, sinum Abrahæ intellige, remotam (Sinus Abrahæ quid.) sedem quietis atque secretam, ubi est Abraham. Et ideo Abrahæ dictum, non quòd ipsius tantùm sit, sed quòd ipse pater multarum gentium sit (Gen. 17. 5.) positus, quibus est ad imitandum fidei [a] principatu propositus; sicut Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob, se Deus vocari voluit, (Exodi 3. 6.) cùm sit innumerabilium Deus.

CAPUT XVII.

25. NEQUE me hæc ita differere existimes, tamquam negem fieri posse, ut anima mortui sicut dormientis, in similitudine corporis sui sentiat, seu bona, seu mala. Nam & in somnis quando aliqua dura & molesta perpetimur, nos utique sumus; & nisi evigilantibus nobis illa prætereant, pœnas gravissimas pendimus. Sed corpora esse credere, quibus hac atque illac quasi ferimur & volitamus in somnis, hominis est qui parum vigilanter de rebus talibus cogitavit: de his quippe visorum imaginibus, maximè anima probatur non esse corporea: nisi velis & illa corpora dicere, quæ præter nos ipsos tam multa videmus in somnis, cælum, terram, mare, solem, lunam, stellas, fluvios, montes, arbores, animalia. Hæc qui corpora esse credit, incredibiliter desipit: sunt tamen corporibus omnino simillima. Ex hoc genere sunt etiam, quæ [b] alia significantia divinitus demonstrantur, sive in somnis, sive in ecstasi: quæ unde fiant, id est, quænam sit velut materies eorum, quis indagare potest aut dicere? Procul dubio tamen spiritalis est, non corporalis. Namque hujusmodi species velut corporum, non tamen corpora, & vigilantium cogitatione formantur, & profunditate memoriæ continentur; & ex ejus abditissimis finibus, nescio quo mirabili & ineffabili modo, cùm recordamur prodeunt, & quasi ante oculos prolata versantur. Tam multas igitur & tam magnas corporum imagines, si anima corpus esset, capere cogitando vel memoria continendò non posset. Secundùm tuam quippe definitionem, *corporeâ substantiâ suâ corpus hoc exterius non excedit*. Qua igitur magnitudine, quæ nulla illi est, imagines tam magnorum corporum & spatiorum atque regionum capit? Quid ergo mirum, si & ipsa sibi in sui corporis similitudine apparet, & quando sine corpore apparet? Neque enim cum suo corpore sibi apparet in somnis, & tamen in ea ipsa similitudine corporis sui, quasi per loca ignota & nota discurrit,

[a] Editi, *principatum*. Castigantur ex MSS.

[b] Plures MSS. *qua aliqua significantia*.

discurrit, & læta ſentit multa vel triſtia. Sed puto quòd nec tu audeas dicere, figuram illam corporis atque membrorum, quam ſibi habere videtur in ſomnis, verum corpus eſſe. Nam iſto modo erit verus mons, quem ſibi videtur adſcendere; & corporea domus, quam ſibi videtur intrare; & arbor vera lignumque verum corpus habens, ſub qua ſibi videtur jacere; & aqua vera, quam ſibi videtur haurire; & omnia in quibus quaſi corporibus verſatur, corpora erunt, ſi & ipſa corpus eſt, quæ ſimili imagine inter cuncta B illa verſatur.

CAPUT XVIII. S. Perpetua viſa ſibi eſt in ſomnis cũ quodam Ægyptio in virum converſa luctari.

26. DE conſcriptis viſionibus martyrum dicendum tibi eſt aliquid: quoniam tu etiam inde teſtimonium adhibendum putaſti. Nempe ſancta Perpetua viſa ſibi eſt in ſomnis, cum quodam Ægyptio in virum converſa luctari. Quis autem dubitet, in illa ſimilitudine corporis animam ejus fuiſſe, non corpus, quod utique in ſuo feminæo ſexu manens, ſopitis ſenſibus jacebat in ſtratis, C quando anima ejus in illa virilis corporis ſimilitudine luctabatur? Quid hîc dicis? Verumne erat corpus illa viri ſimilitudo, an non erat corpus, quamvis haberet ſimilitudinem corporis? Elige quid velis. Si corpus erat, cur non ſervabat vaginæ ſuæ formam? Neque enim in illius feminæ carne virilia repererat genitalia, unde ita poſſet ſeſe coartando, &, ut tu loqueris, *gelando* formari. Deinde obſecro te, cùm corpus dormientis adhuc viveret, quando ejus anima luctabatur, in ſua vagina erat, utique omnibus D membris viventis incluſa, & in ejus corpore ſuam formam, de quo fuerat formata, ſervabat: nondum quippe artus illos, ſicut fit in morte, reliquerat; nondum membra ex membris formata ex formantibus cogente vi mortis extraxerat: unde igitur erat virile animæ corpus, in quo ſibi luctari cum adverſario videbatur? Si autem non erat corpus, & tamen erat aliquid ſimile corporis, in quo ſanè verus labor aut vera lætitia ſentiretur; jamne tandem vides, quemadmodum E fieri poſſit, ut ſit in anima ſimilitudo quædam corporis, nec ipſa ſit corpus?

27. Quid ſi tale aliquid apud inferos geritur, & in eis ſe, non corporibus, ſed corporum ſimilitudinibus animæ agnoſcunt? Cùm enim triſtia patimur, quamvis in ſomnis, etſi membrorum corporeorum ſit illa ſimilitudo, non membra corporea; non eſt tamen pœnæ ſimilitudo, ſed pœna: ſic etiam ubi læta ſentiuntur. Sed quoniam ſancta Perpetua nondum erat mortua, non F vis hinc tibi fortaſſe præſcribi: cùm valde ad rem pertineat, cujus eſſe naturæ exiſtimes illas ſimilitudines corporum quas habemus in ſomnis; & tota iſta cauſſa finita ſit, ſi eas & ſimiles corporibus, & non eſſe corpora confiteris. Verumtamen Dinocrates frater ejus mortuus erat: hunc vidit cum illo vulnere, quod vivus habuit, & unde eſt perductus ad mortem. Ubi eſt quod tantis conatibus laboraſti, cùm ageres de præciſione membrorum, ne ſimul concidi anima putaretur? G Ecce vulnus erat in anima Dinocratis, quod eam vi ſua, quando erat in ejus corpore, excluſit è corpore. Quomodo ergo ſecundùm tuam opinionem, *quando membra corporis præciduntur, ab ictu ſe ſubtrahit, & in alias partes denſando ſe colligit, ne aliqua pars ejus vulnere corporis amputetur*, etiam ſi dormienti atque neſcienti membrorum aliquid præcidatur? Tantam quippe illi tribuiſti vigilantiam, ut etiam viſis occupata ſomniorum; ſi plaga irruerit ignoranti, qua caro feriatur, ſe illa providenter perniciterque ſubducat, ne poſſit feriri atque vexari, ſive concidi: nec adtendis homo prudens, quòd ſi ſe anima inde ſubduceret, nec illa percuſſio ſentiretur. Sed inveni quod B potueris, quid inde reſpondeas, quomodo anima partes ſuas [a] abripiat & recondat introrſus, ne ubi præciditur ſeu percutitur corporis membrum, amputetur & ipſa atque vexetur. Dinocratem adſpice, & dic cur ejus anima non ſe ſubtraxerit ab eo corporis loco, qui mortifero vulnere vaſtabatur, ne in illa fieret quod in ejus facie etiam poſt mortem ipſius corporis appareret? An fortè [b] etiam tibi placet, ut iſtas potiùs C ſimilitudines corporum quàm corpora eſſe credamus; ut quomodo apparet quaſi vulnus, quod non eſt vulnus, ita quod non eſt corpus, quaſi corpus appareat? Nam ſi anima vulnerari poteſt ab eis qui vulnerant corpus, nihilne metuendum eſt, ne poſſit occidi ab eis qui occidunt corpus? Quod Dominus apertiſſimè fieri non poſſe teſtatur. Et tamen anima Dinocratis mori non potuit, unde corpus ejus eſt mortuum: & quaſi vulnerata viſa eſt, ſicut corpus fuerat vulneratum, quoniam corpus non erat, ſed habebat in D ſimilitudine corporis etiam ſimilitudinem vulneris: porrò autem [c] in non vero corpore vera miſeria fuit animæ, quæ ſignificabatur adumbrato corporis vulnere, de qua ſororis ſanctæ orationibus meruit liberari.

Matth. 10. 28.

28. Jam illud quale eſt, dicere quòd *anima formam de corpore accipiat, & cum incremento corporis protendatur & creſcat*; & non adtendere quàm monſtruoſa evadat anima juvenis ſive ſenis, ſi ejus brachium præcidatur infantis. *Contrahit* E *enim ſe*, ut dicis, *animæ manus, ne ipſa etiam cum manu corporis amputetur, & in alias ſe partes corporis denſando concludit.* Ac per hoc illud animæ brachium, quàm breve corporis fuit unde cœperat formam, tam breve ſervabitur ubicumque ſervetur; quia perdidit formam, cujus incremento poſſet pariter creſcere. Exit ergo anima juvenis aut ſenis, qui manum, cùm eſſet parvus, amiſit, habens quidem duas manus, quia una refugiens non eſt amputata cum corpore, ſed al- F teram juvenilem vel ſenilem, alteram verò ſicut primùm fuerat, infantilem. Tales animas, crede mihi, non forma corporis facit, ſed erroris deformitas fingit. Non mihi videris ab iſto errore poſſe erui, niſi Deo adjuvante diligenter conſideraveris viſa ſomniantium, & inde cognoveris eſſe quaſdam quæ non ſint corpora, ſed ſimilitudines corporum. Quamvis enim & ea quæ ſimilia corporibus cogitamus, ex eo genere ſint: tamen quod ad mortuos adtinet, aptior conjectura de dormientibus duci- G tur. Neque enim fruſtra eos, qui mortui ſunt, appellat ſancta ſcriptura dormientes, niſi quia eſt quodam modo conſanguineus lethi ſopor.

1. Theſſ. 4. 12.
Virg. Æneid 6.

CAPUT XIX.

29. PROINDE ſi anima corpus eſſet, & corporea eſſet figura in qua ſe videt in ſomnis, eo

[a] Apud Lov. *arripiat.*
[b] Plures MSS. *An fortè jam,*
[c] Er. & Lov. *Porrò autem ſi.* Abeſt *ſi* à MSS & ab Am.

quòd de corpore ejus fuisset expressa; nullus hominum membro corporis amputato, sicut eo caret, ita sine illo se videret in somnis, sed potiùs semper integrum, eo quòd animæ ipsius nihil fuerit amputatum. Cùm verò aliquando se integros videant, aliquando autem sicut sunt, ex quacumque parte truncatos; quid aliud ista res docet, nisi animam, sicut aliarum rerum quas sentit in somnis, ita & corporis, modò sic, modò sic, non veritatem, sed similitudinem gerere? Gaudium verò ejus sive tristitia, delectatio vel offensio, sive sit in corporibus, sive in corporum similitudinibus, vera est. Tu ipse nonne dixisti, verèque dixisti, *Alimenta & vestimenta non esse animæ, sed corpori necessaria?* Cur ergo aquæ stillam desideravit apud inferos dives? Cur Samuel sanctus post mortem, ut ipse quoque commemorasti, solito indumento vestitus apparuit? Numquid ille ruinas animæ, sicut carnis, per humoris alimentum reficere cupiebat? Numquid iste de corpore vestitus exierat? Sed in illo vera erat molestia, qua cruciabatur anima; non tamen verum corpus, cui quæreret alimenta. Et iste sic potuit apparere vestitus, ut non corpus esset, sed similitudinem corporis haberet & anima & habitus. Neque enim se anima sicut in membra corporis, ita & in vestimenta porrigit & coartat, ut etiam inde formetur.

Luca 16. 24.
1. *Reg.* 28. 14.

30. Post mortem verò quam vim cognitionis corruptibilibus exoneratæ corporibus animæ accipiant etiam non bonæ, ut vel pariter malas, vel etiam bonas valeant interioribus sensibus intueri & agnoscere, sive in ipsis non corporibus, sed similitudinibus corporum, sive in bonis aut malis affectionibus mentis, in quibus nulla sunt quasi lineamenta membrorum, quis valeat indagare? Unde est & illud, quòd patrem Abraham dives ille, cùm in tormentis esset, agnovit, cui figura corporis ejus non erat nota, cujus corporis similitudinem quamvis [a] incorporea potuit anima retinere. Quis autem rectè dicat, se aliquem hominem cognovisse, nisi in quantum potuit ejus vitam voluntatemque cognoscere, quæ utique moles non habet vel colores? Sic enim & nos ipsos certiùs quàm ceteros novimus, quia nobis conscientia nostra nota est & voluntas: quam planè videmus, & in ea tamen aliquam corporis similitudinem non videmus. Hanc in alio quamvis præsente non cernimus, etiam cujus absentis faciem novimus, recolimus, cogitamus. Nostram verò faciem eo modo nosse, recolere, cogitare non possumus, & tamen nos ipsos nobis magis quàm illum cognitum verissimè dicimus: ita clarum est, ubi sit potior hominis veriorque notitia.

Luca 16. 23.

CAPUT XX.

31. CUM ergo aliud sit in anima, quo corpora vera sentimus, quod facimus quinque sensibus corporis; aliud quo præter ipsos similia corporibus non corpora cernimus, ubi & nos ipsos non aliter quàm similes corporibus contuemur; aliud quo nec corpora nec similitudines corporum, sicut fidem, spem, caritatem, sine ullis coloribus & tumoribus eorumque similitudinibus, certiùs sanè firmiúsque conspicimus; ubi magis esse & quodam modo familiariùs habitare debemus, ubi renovari in agnitionem Dei secundùm A imaginem ejus qui creavit nos, nonne in hoc quod tertio loco posui? Ibi enim certè neque ullum sexum, neque ullam sexûs similitudinem gerimus.

32. Nam illa masculinæ vel femininæ animæ forma, membris virilibus muliebribusque distincta, si non corporis similitudo, sed corpus est, velis nolis est masculus, velis nolis est femina, quæcumque aut masculus apparet aut femina. Sed tamen [b] si secundùm tuam opinionem & corpus est anima, & vivum corpus est, & habet B mammas protumidas & propendulas, & non habet barbam, & habet vulvam & genitalia quæ habent feminæ corporis membra, & non est femina: egone non dicam vera constantiùs, & habet oculum, & habet linguam, & habet digitum, & habet cetera similia corporis membra, & hæc tota est corporis similitudo, non corpus: cùm hoc quod ego dico probet apud se quisque, cùm corpora imaginatur absentium; probet certè, cùm figuras & suam & alias suorum recolit som- C niorum: à te autem hujus monstri, ubi & verum est, & vivum est, & femineum est corpus, & femineus non est sexus, nullum in natura rerum proferatur exemplum?

Phœnix de sua morte renascitur.

33. Quod enim de phœnice loqueris, ad rem de qua agitur omnino non pertinet. Resurrectionem quippe illa significat corporum, non sexum destruit animarum: si tamen, ut creditur, de sua morte renascitur. Sed arbitror quòd tuum sermonem parum putaveris fore plausibilem, si non D multa de phœnice more adolescentium declamares. Numquid enim sunt in ejus corpore genitalia masculina & non est masculus, vel feminina & non est femina? Tu autem adtende quid dicas, quid adstruere, quid persuadere coneris. Animam dicis per cuncta membra diffusam gelando riguisse, & à vertice usque ad ima vestigia, à medullis intimis usque ad superficiem cutis, totam totius accepisse corporis formam: ac per hoc accepit in femineo corpore quidquid habent fe- E mineorum viscerum feminæ, & verum est hoc corpus, & hæc vera sunt membra, & tamen non est femina. Cur obsecro te, in vero & vivo corpore omnia sunt membra feminea, & non est femina? In vero & vivo corpore membra sunt omnia masculina, & non est masculus? Quis ista credere, dicere, docere præsumat? An quia non generant animæ? Ergo nec muli & mulæ sunt masculi & feminæ. An quia nec concumbere poterunt sine carneis corporibus animæ? Sed hoc F aufertur & his qui castrantur: & tamen cùm eis adimatur & opus & motus, non adimitur sexus, manente figurâ quantulacumque masculinorum membrorum. Nemo umquam masculum negavit eunuchum. Quid quòd apud te animæ etiam eunuchorum testes integros habent, & si cuiquam genitalia prorsus tota tollantur, tota in ejus anima, secundùm opinionem tuam, & omnino integra permanebunt? Novit enim se subtrahere, sicut dicis, cùm ea pars carnis cœperit exsecari; ut ea G forma quæ inde sumta est, quando illud unde sumta est amputatur, non pereat; sed quamvis infusa gelaverit, motu tamen celerrimo rapiatur, & interiùs recondatur, ut salva servetur: & tamen non sit masculus apud inferos, masculino-

[a] Sic Am. Er. & plures MSS. At Lov. *incorpoream*.
[b] Hìc addimus *si* ex MSS. & infrà restituimus *egone*, pro *ergone*.

rum genitalium secum [a] afferens totum, qui cùm illa in corpore non haberet, masculus fuit propter eorum solum locum. Falsa sunt hæc, fili: si non vis ut sit in anima sexus; non sit & corpus.

CAPUT XXI.

34. NON omnis similitudo corporis corpus est. Dormi, & videbis: sed cùm evigilaveris, vigilanter discerne quod videris. In somnis enim tibi velut corporeus apparebis: neque id corpus tuum, sed anima tua, nec verum corpus, sed similitudo corporis erit. Jacebit enim corpus tuum, ambulabit ipsa: silebit lingua corporis tui, loquetur illa: clausi erunt oculi tui, videbit illa: & utique viventia jacebunt tui corporis membra, non mortua. Ac per hoc nondum extracta est velut de vagina sua, gelata illa forma, sicut putas, animæ tuæ, & in ea tamen tota atque integra cernitur similitudo carnis tuæ. Ex hoc genere similitudinum corporalium, quæ non corpora sicut corpora apparent, sunt omnia quæ sanctos libros legens in propheticis etiam visionibus non intelligis: quibus significantur ea quæ geruntur in temporibus, vel præsenti, vel præterito, vel futuro. Falleris autem in eis, non quia sunt ipsa fallacia, sed quia non ea sicut accipienda sunt accipis. Ubi enim visæ sunt animæ martyrum, in eadem revelatione visus est & agnus quasi occisus, habens cornua septem: ibi equi, aliaque animalia, sicut oportuit figurata: ibi postremò & stellæ ceciderunt, & cælum plicitum est ut liber; nec tamen tunc concidit mundus. Ista itaque omnia si sapienter accipimus, quamvis dicamus visa veracia, non tamen vera dicimus corpora.

Visiones prophetica.

Apoc. 6. 9. Ibid. 5. 6. Cap. 6. & 9.

35. Prolixioris autem sermonis est, de isto genere similitudinum corporalium diligentissima disputatio, utrùm & angeli, seu boni, seu mali sic appareant, quando specie hominum, vel quorumlibet corporum apparent; an habeant aliqua vera corpora, & in ipsorum potiùs veritate videantur; an verò in somnis vel in ecstasi, in istis cernantur, non corporibus, sed similitudinibus corporum; vigilantibus autem vera cernenda, & si opus est, etiam tangenda ingerant corpora. Sed ista in hoc libro requirenda & pertractanda esse non arbitror. Nunc de anima incorporea satis dictum sit: quam si corpoream mavis credere, priùs tibi definiendum est quid sit corpus; ne fortè cùm de re ipsa inter nos constet, incassum de nomine laboremus. Quanta te tamen absurda secuta sint tale corpus in anima cogitantem, qualia sunt quæ ab omnibus eruditis corpora nuncupantur, id est, quæ per distantiam longitudinis, latitudinis, altitudinis, locorum occupant spatia, minora minoribus suis partibus, & majora majoribus, puto quòd jam prudenter advertas.

CAPUT XXII. Transit ad secundam quæstionē de anima, utrùm spiritus appelletur.

36. RESTAT ostendere quemadmodum, quamvis & propriè dicatur spiritus, non universa anima, sed aliquid ipsius, sicut Apostolus dicit, Et integer spiritus vester, & anima, & corpus: vel illud multo expressius in libro Job, Absolvi G sti animam meam ab spiritu meo: tamen & universa anima appelletur hoc nomine; quamvis multo magis hæc quæstio nominum videatur esse, non rerum. Cùm enim constet esse aliquid in anima, quod propriè spiritus nominetur, quo

1. Thess. 5. 23. Job 7. sec. LXX.

A excepto propriè nominatur & anima, jam de rebus ipsis nulla contentio est; præsertim quia illud etiam ego dico propriè vocari spiritum, quod & tu dicis, id est, quo ratiocinamur & intelligimus, quando ita distinctè ista dicuntur, quemadmodum Apostolus ait, Et integer spiritus vester, & anima, & corpus. Hunc autem spiritum etiam mentem videtur appellare, cùm dicit, Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. Nam ipsa sententia est: Et caro concu- B piscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem: ut quod ibi dicit, mentem; hoc intelligatur hîc spiritum dicere: non sicut tu existimas, *universam mentem vocari, quæ constat ex anima & spiritu*; quod ubi legeris, nescio. Mentem quippe nostram, nisi rationale & intellectuale nostrum dicere non solemus: ac per hoc quod ait idem Apostolus, Renovamini autem spiritu mentis vestræ; quid aliud dicit, nisi renovamini mente vestra? Sic enim spiritus mentis nihil est C aliud quàm mens, quomodo corpus carnis nihil aliud potest esse quàm caro: nam & hoc scriptum est, In exspoliatione corporis carnis; ubi carnem corpus carnis appellat. Dicit sanè & alio modo spiritum hominis, quem prorsus à mente discernit: Si enim oravero linguâ, inquit, spiritus meus orat, mens autem mea infructuosa est. Verùm nunc non de isto spiritu loquimur, qui est à mente distinctus. Habet iste suam eamdemque difficilem quæstionem: multis enim modis D atque in diversis significationibus scripturæ divinæ spiritum nominant: sed de quo nunc agimus, quo ratiocinamur, intelligimus, sapimus; constat inter nos sic eum etiam propriè spiritum nuncupari, ut non sit universa anima, sed aliquid ejus. Tamen animam etiam spiritum esse, si propterea negas, quia ejus intelligentia distinctè dicitur spiritus; poteris negare universum semen Jacob appellari Israël, quoniam excepto Judâ, etiam distinctè appellatus est Israël E in tribubus decem, quæ in Samaria tunc fuerunt. Sed quid opus est hîc diutius immorari?

Quid propriè in homine spiritus.

Rom. 7. 25. Gal. 5. 17.

Mens quid.

Ephes. 4. 23.

Spiritus mentis & corpus carnis quid.

Col. 2. 11.

1. Cor. 14. 14.

Confer lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 7. 8. & seq.

3. Reg. 12. 28.

CAPUT XXIII.

37. JAM nunc unde faciliùs ostendamus, adtende eam quæ anima est, etiam spiritum dici, cùm audis vel legis, Domino moriente, quod scriptum est, Et inclinato capite tradidit spiritum: ita vis intelligi, tamquam à parte significaverit totum, non quòd ea quæ anima est, possit & spiritus nuncupari. At ego ut possim expeditiùs probare quod dico, te ipsum testem citiùs & F commodiùs adhibebo. Sic enim spiritum definisti, ut pecora appareant non spiritum habere, sed animam. Irrationalia quippe ideo dicuntur, quòd vim non habeant intelligentiæ atque rationis. Unde cùm hominem ipsum admoneres suam nosse naturam, ita locutus es: *Nam cùm Deus bonus nihil non ratione condiderit, ipsumque hominem animal rationale, intellectûs capacem, rationis compotem, sensuque vivacem, qui omnia rationis expertia prudenti ordinatione distribuat, procreave-* G *rit.* His tuis verbis satis asseruisti, quod omnino verissimum est, hominem esse compotem rationis atque intelligentiæ capacem, quod utique non sunt animalia rationis expertia. Unde & testimonio divino, eos qui non intelligunt, pecoribus comparasti, non utique habentibus intel-

Iohan. 19. 30.

Psal. 48. 13.

[a] Editi, *auferens*. At omnes propè MSS. *afferens*: quo verbo monstratur contrarietas in dictis ipsius Victoris.

Psal. 31. 9. lectum. Quod & alio loco scriptum est, Nolite A
esse sicut equus & mulus, quibus non est intelle-
ctus. Quæ cùm ita sint, adtende etiam quibus
verbis spiritum definieris atque descripseris, cùm
illum ab anima distinguere intereris. *Hæc anima*,
inquis, *quæ ex flatu Dei habet originem, sine sensu
proprio atque intellectu intimo esse non potuit, quod
est spiritus.* Et paulò pòst: *Et quamvis anima*,
inquis, *animet corpus; tamen quòd sentit, quòd sa-
pit, quòd viget, spiritus sit necesse est.* Item pau-
lò pòst: *Aliud erit*, inquis, *anima, & aliud spiri-* B
tus, sapientia & sensus animæ. His verbis satis in-
dicas, quid esse spiritum hominis sentias, id est,
rationale nostrum, quo sentit atque intelligit
a anima; non sicut [a] sentitur corporis sensibus,
sed sicut est ille intimus sensus, ex quo est ap-
pellata sententia. Hinc autem pecoribus sine du-
bitatione præponimur, eo quòd sunt illa ratio-
nis expertia. Non habent itaque spiritum peco-
ra, id est, intellectum & rationis ac sapientiæ
sensum, sed animam tantùm. Nam & de illis di- C
Gen. 1. 20. & 24. ctum est: Producant aquæ repentia animarum vi-
ventium, & producat terra animam viventem.
Ut ergo plenissimè ac planissimè noveris, eam
quæ anima est, more divinorum eloquiorum
etiam spiritum dici, appellatur pecoris spiritus.
Et utique non habent pecora illum spiritum,
quem tua dilectio discernens ab anima definivit.
Unde manifestum est, quòd generali vocabulo
anima pecoris rectè potuit sic vocari, sicut legi-
Eccli. 3. 21. tur in libro Ecclesiastæ: Quis scit, spiritus filio- D
» rum hominis si adscendat ipse sursum, & spiritus
» pecoris si descendat ipse deorsum in terram? Item-
Gen. 7. 21. que in diluvii vastitate ita scriptum est? Et mortua
» est omnis caro, quæ movebatur super terram, vo-
» latilium, pecorum, & jumentorum, & ferarum,
» & omnis serpens qui movetur super terram, &
» omnis homo, & omnia quæcumque habent spiri-
» tum vitæ. Ubi remotis omnibus dubitationis am-
bagibus, generale nomen animæ esse intelligimus
spiritum. Cujus quidem nominis significatio tam E
Johan. 4. 24. latè patet, ut etiam Deus vocetur spiritus. Et iste
flatus aëreus, quamvis sit corporeus, appellatur in
Psal. 54. 9. Psalmo spiritus tempestatis. Quapropter & eam,
quæ anima est, etiam spiritum nuncupari, puto
quòd admonitus his, quæ commemoravi, divina-
rum testimoniis paginarum, ubi & anima pecoris,
cui non est intellectus, appellata legitur spiritus,
non negabis ulteriùs. Quocirca si & illa quæ de
anima incorporea disputata sunt, capis & sapis, non
est unde tibi displiceam, quòd eam me scire di- F
xi non corpus esse, sed spiritum: quia & corpus
non esse monstratur, & generali nomine spiritus
nuncupatur.

Caput XXIV. 38. Quamobrem si hos ad te libros im-
pensa dilectione conscriptos, repensa dilectione
sumis & legis; si in principio primi tui libri audis
* V. suprà lib. 2. cap. 16. & te ipsum, * *& studes*, sicut dixisti, *tuam sen-
tentiam non tueri, si improbabilis detegatur*: illa
præcipuè undecim cave, de quibus te in libro su-
V. suprà lib. 3. cap. ultimo. periore commonui. Ne *animam sic dicas ex Deo*, G
*ut eam non de nulla, nec de alia, sed de sua natura
creaverit*: aut *quòd per infinitum tempus, atque
ita semper animas det, sicut semper est ipse qui dat*:

A aut *animam meritum aliquod perdidisse per carnem,
quod habuerit ante carnem*: aut *animam per carnem
reparare habitudinem priscam, perque ipsam carnem
renasci, per quam meruerat inquinari*: aut *quòd
anima ante omne peccatum meruerit esse peccatrix*:
aut *infantes sine regeneratione baptismatis mortuos,
ad indulgentiam pervenire originalium peccatorum*:
aut *quos Dominus prædestinavit ad baptismum*,
[b] *prædestinationi ejus eripi posse, & antè defungi,
quàm in eis quod Omnipotens prædestinavit impleri*:
B aut *de his qui priùs quàm baptizentur exspirant,
dictum esse quod scriptum est, Raptus est ne malitia* Sap. 4. 11.
mutaret illius intellectum; atque ad hunc sensum
cetera pertinentia: aut *earum aliquas mansiones
extra regnum Dei esse, quas multas in domo Patris
sui Dominus dixit esse*: aut *sacrificium corporis &
sanguinis Christi pro his qui non baptizati de corpore
exierint offerendum*: aut *aliquos eorum qui sine
Christi baptismate moriuntur, in paradisum interim
recipi, ac postmodum & regni cælorum beatitudinem*
C *consequi.* Hæc præcipuè cave fili, nec cognomi-
nari Vincentius delecteris, si vis esse victor erro-
ris. Nec te quando aliquid nescis, existimes
scire: sed ut scias, disce nescire. Neque enim ali-
quid in occultis Dei operibus ignorando, sed
temere incognita pro cognitis adstruendo, &
falsa pro veris proferendo ac defendendo, pecca-
tur. Ignorantiam verò meam, utrùm animæ ho-
minum novæ fiant, an de parentibus, (quas ta-
men à creatore Deo non de ipsius substantia fieri
D dubitare fas non est,) aut non debere reprehen-
di, aut ab eo debere, à quo potest docente & au-
ferri: & habere in se animas corporum similitu-
dines incorporeas; ipsas autem non esse corpora:
& salva distinctione animæ & spiritûs, etiam uni-
versaliter animam spiritum nuncupari, puto quòd
persuaserim caritati tuæ. Si autem persuadere
non potui, utrùm tamen ea dixerim quæ per-
suadere [c] debuerint, qui legent potiùs judica-
bunt.

E 39. Si qua sanè alia, quæ plurima in tuis libris
emendanda mihi videntur, scire fortasse desideras;
venire tibi non sit onerosum, non tamquam dis-
cipulo ad magistrum, sed primævo ad grandæ-
vum, forti ad infirmum. Etsi enim non eos edere
debuisti, majore tamen & veriore gloriâ quisque
correctus sua confessione reprehenditur, quàm
cujuslibet errantis ore laudatur. Quamvis in eo-
rumdem recitatione librorum auditores & lauda-
tores tuos non omnes ista quæ sana doctrina im-
F probat, vel antè sensisse, vel ad ea tibi consen-
sisse crediderim: sed acie mentis ipso tuæ recita-
tionis impetu cursuque perstricta, hæc parum
advertere potuisse; aut certè etiam illos qui ad-
vertere potuerunt, non in te rerum liquidissi-
mam veritatem, sed verborum affluentiam &
ingenii facultatem indolemque laudasse. Ple-
rumque enim laudatur, prædicatur & amatur
eloquium in spe juvenis; etsi nondum habeat
maturitatem fidemque doctoris. Quapropter ut
G & tu rectè sapias, & alios non tantummodo de-
lectare possit, verùm etiam ædificare quod lo-
queris; curam te oportet gerere de sermonibus
tuis, remotis plausibus alienis.

a Sic Am. & MSS. At Er. & Lov *sentit.*
b MSS. prætereunt, *prædestinationi ejus eripi*: habentque, *posse antè defungi, nec in eis quod omnipotens &c.*
c Sic duo MSS. At editi, *debuerint.*

ADMONITIO

IN OPUS CONTRA DUAS EPISTOLAS PELAGIANORUM.

B*onifacio Romanam Ecclesiam post Zosimum gubernante, duæ Pelagianorum, quæ per Italiam secretò circumferebantur epistolæ, detectæ sunt Catholicorum quorumdam vigilantiâ, delatæque ad eumdem Bonifacium papam. Alteram Julianus, ut dicebatur, Romam miserat: alteram autem decem & octo velut episcopi, idem nimirum Julianus, & cum eo fortè Florus, Orontius, & ceteri ex Pelagianis in Ephesina synodo memorati, aliique Thessalonicam communi nomine, ad Rufum ejusdem loci episcopum direxerant. Utramque epistolam Bonifacius curavit Augustino mittendam per Alypium episcopum: qui Alypius ex Italia in Africam sub anni 419. finem reversus, non eas tantùm epistolas, sed etiam excerpta de Juliani libris quædam sibi à Valerio Comite missa, secum reportavit. Adversùs excerpta librum de nuptiis & concupiscentia secundum condidit Augustinus, anno fortè 420. ac sub idem haud dubiè tempus quatuor libros contra duas epistolas Pelagianorum elucubravit, Bonifacio papæ nuncupatos: quos subinde libros in Retractationum serie opusculis dicto anno 420. compositis proximè subjunxit.*

Iidem libri Alypio rursum in Italiam navigante delati sunt ad Bonifacium: nam de illis Julianus in libro 1. imperfecti operis n. 85. Sicut in his libris, *inquit*, quos nunc per Alypium ad Bonifacium misisti. *Qui de his quoque ibidem libro 2. n. 178. scribit*, Quod tam nefarium est, ut cùm à nobis in ea epistola, quam ad Orientem misimus, vobis fuisset objectum, tu in his libris, quos nuper ad Bonifacium misisti, negando à te propulsare coneris. *Quod verò ad eam epistolam adtinet, quæ Romam à Juliano missa ferebatur, cujus epistolæ verba hæc Augustinus in libro 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 2. adtulit*, Dicunt etiam istas, quæ modò aguntur, nuptias à Deo institutas non fuisse; quod in libro Augustini legitur, contra quem ego modò quatuor libris respondi: *illam Julianus suam esse inficiatur in libro 1. imperfecti operis n. 18.* Facit quoque, *inquit*, epistolæ mentionem, quàm à me ait Romam fuisse directam: sed per verba quæ posuit, nequivimus quo de scripto loqueretur agnoscere. Nam ad Zosimum quondam illius civitatis episcopum super his quæstionibus duas epistolas destinavi, verùm eo tempore, quo adhuc libros exorsus non eram. *Respondet Augustinus:* Hæc epistola non est ad Zosimum, *(id est, non ad eum nominatim scripta,)* sed ad eos seducendos, qui Romæ possent tali suasione seduci. Sed si eam non agnoscis, ecce non sit tua. *Suspicamur nos, Julianum dissimulandi ansam capere ex istis verbis:* quod in libro Augustini legitur, contra quem &c. *quæ fortè quispiam postea in margine adnotavit, atque inde alius in textum epistolæ transtulit.*

In I. libro subsequentis operis, epistolæ à Juliano, ut ferebatur, Romam missæ respondet Augustinus.

In II. & aliis deinceps alteram excutit Pelagianorum epistolam ad Rufum Thessalonicensem. Ostendit in primis catholicos, cùm à Pelagianis abhorrent, non in Manichæos incidere. Calumniam prævaricationis in Pelagii Cœlestiique sub Zosimo damnatione admissæ propulsat à Romanis clericis. Gratiæ nomine nec fatum asseri à catholicis, nec personarum acceptionem Deo tribui demonstrat.

In III. exponit contra Pelagianam hæresim quid verè Catholici dicant de legis utilitate, quid de baptismi effectu ac virtute doceant, quid de utriusque Testamenti discrepantia, quid de Prophetarum & Apostolorum justitia & perfectione, quid de appellatione peccati in Christo, quid postremò de præceptorum in futura vita impletione profiteantur.

In IV. denique insidias aperit, quæ reliqua parte epistolæ secundæ Pelagianorum, in quinque doctrinæ eorum capitibus latent, in laude scilicet creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrii, & laude sanctorum: atque ad finem libri profert Cypriani & Ambrosii testimonia pro catholica fide, quædam de originali peccato, alia de gratiæ adjutorio, ultima de præsentis justitiæ imperfectione.

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT LXI.

Sequuntur libri quatuor, quos contra duas epistolas Pelagianorum ad episcopum Romanæ Ecclesiæ Bonifacium scripsi, quia cùm in manus ejus venissent, ipse mihi eas miserat, inveniens in illis calumniosè interpositum nomen meum. Hoc opus sic incipit. *Noveram te quidem famâ celeberrimâ prædicante.*

SANCTI AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CONTRA DUAS EPISTOLAS PELAGIANORUM,

AD BONIFACIUM ROMANÆ ECCLESIÆ EPISCOPUM

LIBRI * QUATUOR.

* Scripti anno [illegible] aut paulò pòst.

LIBER PRIMUS.

Epistolæ à Iuliano, ut ferebatur, Romam missæ respondet Augustinus: ac primùm catholicam doctrinam vindicat ab illius calumniis, tum Pelagianorum hæreticum sensum in ea fidei professione, quam epistolæ auctor Catholicis opponebat, latentem retegit & refellit.

CAPUT I. NOVERAM te quidem famâ celeberrimâ prædicante,& frequentissimis atque veracissimis nuntiis quanta esses Dei gratiâ plenus acceperam, beatissime atque venerande papa Bonifaci. Sed postea quàm te etiam præsentiâ corporali frater meus vidit Alypius, acceptusque à te benignissimè ac sincerissimè, mutua miscuit dictante dilectione colloquia, tecumque convivens, & parvo licèt tempore, magno tibi junctus affectu, se simul & me refudit animo tuo, teque mihi reportavit in suo, tanto major in me tuæ sanctitatis est facta notitia, quanto certior amicitia. Neque enim dedignaris, qui non alta sapis, quamvis altiùs præsideas, esse amicus humilium, & amorem rependere impensum. Quid est enim aliud AMICITIA, quæ non aliunde quàm ex amore nomen accepit, & NUSQUAM NISI IN CHRISTO FIDELIS EST, in quo solo esse etiam sempiterna ac felix potest? Unde & acceptâ per eum fratrem, per quem te familiariùs didici, majore fiduciâ, ausus sum aliquid ad tuam beatitudinem scribere de his rebus, quæ hoc tempore episcopalem curam, si qua in nobis est, [a] ad vigilantiam pro grege Dominico stimulo recentiore sollicitant.

2. Novi quippe hæretici, inimici gratiæ Dei, quæ datur pusillis & magnis per Jesum Christum Dominum nostrum, etsi jam cavendi evidentiùs apertiore [b] improbatione monstrantur; non tamen quiescunt scriptis suis minùs cautorum vel minùs eruditorum corda tentare. Quibus utique esset respondendum, ne se vel suos in illo nefando errore firmarent, etiam si non metueremus, ne quemquam catholicorum veri simili sermone deciperent. Cùm verò non desinant fremere ad dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemtas oves, aditus undecumque rimari, communisque sit omnibus nobis qui fungimur episcopatûs officio, (quamvis ipse in [c] ea præemineas celsiore fastigio,) specula pastoralis, facio quod possum pro mei particula muneris, quantum mihi Dominus adjuvantibus orationibus tuis donare dignatur, ut pestilentibus & insidiantibus eorum scriptis medentia & munientia scripta prætendam; quibus rabies qua furiunt, aut etiam ipsa sanetur, aut à lædendis aliis repellatur.

Hæreticorum scriptis respondendum.

Romani ep. cæterùs præminentia.

3. Hæc autem quæ duabus epistolis eorum respondeo; uni scilicet quam dicitur Romam misisse Julianus, credo ut per illam, quos posset, suos aut inveniret, aut faceret; alteri autem quam decem & octo velut episcopi participes ejus erroris, non ad quoslibet, sed ad loci ipsius episcopum sua calliditate tentandum, & ad suas partes, si posset fieri, traducendum, ausi sunt Thessalonicam scribere: hæc ergo quæ istis, ut dixi, dua-

[a] Gallicani MSS. *si qua in nobis est vigilantia.*

[b] In iisdem codicibus, *improbitate.*

[c] Er & Lov. *in eo præemineas celsiore fastigio specula pastoralis.* Veriùs antiqua editio Am. & MSS. Gallic. ac Vatic. *in ea.... specula.*

bus epistolis illorum, ista disputatione respondeo, ad tuam potissimùm dirigere sanctitatem, non tam discenda quàm examinanda, & ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui. Indicavit enim mihi frater meus, quòd eas illi dare ipse dignatus es, quæ in tuas manus, nisi vigilantissimâ diligentiâ fratrum nostrorum filiorum tuorum, venire non possent. Ago autem gratias sincerissimæ in nos benevolentiæ tuæ, quòd eas me latere noluisti litteras inimicorum gratiæ Dei, in quibus reperisti nomen meum calumniosè atque evidenter expressum. Sed spero de Domino Deo nostro, quòd non sine mercede quæ in cælis est, illi me lacerant dente maledico, quibus me pro parvulis, ne fallaci laudatori Pelagio perditi relinquantur, sed veraci salvatori Christo liberandi offerantur, oppono.

CAPUT II. Juliani calumnia de sublato per peccatum Adæ libero in nobis arbitrio.

4. JAM itaque Juliani respondeamus epistolæ. *Dicunt*, inquit, *illi Manichæi, quibus modò non communicamus, id est, toti isti cum quibus dissentimus, quia primi hominis peccato, id est, Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo jam potestatem habeat bene vivendi, sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur.* Manichæos appellat catholicos, more illius Joviniani, qui ante paucos annos hæreticus novus, virginitatem sanctæ Mariæ destruebat, & virginitati sacræ nuptias fidelium coæquabat. Nec ob aliud hoc objiciebat catholicis, nisi quia eos videri volebat accusatores vel damnatores esse nuptiarum.

Pelagiani, ut olim Jovinianus, catholicos appellant Manichæos.

5. Liberum autem arbitrium defendendo præcipitant, ut de illo potiùs ad faciendam justitiam, quàm de Domini adjutorio confidatur, atque ut in se quisque, non in Domino glorietur. Quis autem nostrûm dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam; propter quod natura humana divinâ indiget gratiâ, dicente Domino, Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis: utique liberi ad bene justéque vivendum. Nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent, maximè omnes qui cùm delectatione peccant & amore peccati, hoc eis placet quod [a] eos libet. Unde & Apostolus, Cùm essetis, inquit, servi peccati, liberi fuistis justitiæ. Ecce ostenduntur etiam peccato minimè potuisse, nisi alia libertate, servire. Liberi ergo à justitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis: liberi autem à peccato non fiunt, nisi gratiâ Salvatoris. Propter quod admirabilis doctor etiam verba ipsa discrevit: » Cùm enim servi essetis, inquit, peccati, liberi fuistis justitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in his, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est: nunc autem liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Liberos dixit justitiæ, non liberatos: à peccato autem non liberos, ne sibi hoc tribuerent; sed vigilantissimè maluit dicere liberatos, referens hoc ad illam Domini sententiam, Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. Cùm itaque non vivant bene [b] filii hominum, nisi effecti filii Dei; quid est quòd iste libero arbitrio vult bene vivendi tribuere potestatem; cùm hæc potestas non detur nisi gratiâ Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum, dicente Evangelio, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri?

1. Cor. 1. 31. Liberum arbitrium non periit Adæ peccato. Quæ libertas periit. Iohan. 8. 36. Rom. 6. 20. Iohan. 8. 36. Rom. 7. 25. Iohan. 1. 12.

CAPUT III. Gratia non secundùm merita datur.

6. SED ne fortè dicant, ad hoc esse adjutos, ut haberent potestatem fieri filii Dei; ut autem hanc accipere mererentur, priùs eum libero arbitrio, nullâ adjuti gratiâ receperunt: hæc est quippe intentio qua gratiam destruere moliuntur, ut eam dari secundùm merita nostra contendant: ne fortè ergo hanc evangelicam sententiam sic dividant, ut meritum ponant in eo quod dictum est, Quotquot autem receperunt eum; ac deinde non gratìs datam, sed huic merito redditam gratiam in eo quod sequitur, Dedit eis potestatem filios Dei fieri: numquid si quæratur ab eis, quid sit, receperunt eum, dicturi sunt aliud, nisi crediderunt in eum? Ut igitur & hoc sciant ad gratiam pertinere, legant quod ait Apostolus: In nullo expavescatis ab adversariis, quæ quidem est illis caussa perditionis, » vestræ autem salutis: & hoc à Deo; quia vobis » donatum est pro Christo, non tantùm ut cre- » datis in eum, sed ut etiam patiamini pro eo. » Nempe utrumque dixit esse donatum. Item quod ait, Pax fratribus & caritas cum fide à Deo Patre & Domino Jesu Christo. Legant etiam quod ipse Dominus ait, Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Ubi ne quisquam putet aliud dictum esse, venire ad me, quàm credere in me; paulò pòst cùm de suo corpore & sanguine loqueretur, & scandalizati essent plurimi in sermone ejus, ait: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt; sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Deinde subjunxit Evangelista: Sciebat enim Jesus ab » initio, qui essent credentes, & quis traditurus » esset eum, & dicebat, Propterea dixi vobis, » quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei da- » tum à Patre meo. Sententiam scilicet iteravit » qua dixerat, Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Et hoc propter credentes & non credentes se dixisse manifestavit, exponens quod dixerat, Nisi Pater qui misit me, traxerit eum: idipsum aliis verbis repetendo in eo quod ait, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Ille quippe trahitur ad Christum, cui datur ut credat in Christum. Datur ergo potestas ut filii Dei fiant, qui credunt in eum, cùm hoc ipsum datur ut credant in eum. Quæ potestas nisi detur à Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio: quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberaverit; sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ vel occultus vel manifestus deceptor insevit, vel sibi ipse persuasit.

Fidem donum esse Dei. Philip. 1. 28. & 29. Ephes. 6. 23. Iohan. 6. 44. Venire ad Christum, credere est. Ibidem 64. &c. Ibidem 44. Trahi à Patre quis dicatur. Liberum arbitrium unde liberum in bono.

7. Non itaque, sicut dicunt nos quidam dicere, & iste audet insuper scribere, *omnes in peccatum*, veluti inviti, *carnis suæ necessitate coguntur*: sed si jam in ea ætate sunt, ut propriæ mentis utantur arbitrio, & in peccato sua voluntate retinentur, & à peccato in peccatum sua voluntate præcipitantur. Neque enim agit in eis etiam qui suadet & decipit, nisi ut peccatum voluntate

Concludit non asserere se imperium liberi arbitrium.

[a] Er. & Lov. *quod eis libet*. At Am. & MSS. *quod eos libet*. Hoc verbum accusativo jungere solet Augustinus.

[b] Sic MSS. Editi autem loco *filii hominum*, habent *homines*.

committant, vel ignorantiâ veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo & cæcitatis & infirmitatis. Sed hæc voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est. Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est, gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Ac per hoc bona voluntas quæ se abstrahit à peccato, fidelis est; quia justus ex fide vivit. Ad fidem autem pertinet credere in Christum. Et nemo potest credere in eum, [a] hoc est, venire ad eum, nisi fuerit illi datum. Nemo igitur potest habere voluntatem justam, nisi nullis præcedentibus meritis acceperit veram, hoc est, gratuitam de super gratiam.

Non potest homo boni aliquid nisi fidem per gratuitam gratiam acceperit.
Rom. 14. 23.
Habac. 2. 4.
Rom. 1. 17.
a

Caput IV.
Pelagiani præcipitatores liberi arbitrii.
V. lib. de gestis Pelagii c. 14.

8. Hoc isti nolunt elati & superbi, nec purgando defensores, sed extollendo præcipitatores liberi arbitrii. Qui non ob aliud nobis hæc dicentibus indignantur, nisi quia gloriari in Domino dedignantur. Timuit tamen Pelagius episcopale judicium Palæstinum: & cùm ei fuisset objectum, quòd diceret gratiam Dei secundùm merita nostra dari; negavit se dicere, & eos qui hoc dicerent, anathematizando damnavit. Nec aliud tamen defendere invenitur in libris, quos postmodum scripsit; fraudem se putans hominibus judicantibus fecisse mentiendo, aut nescio quomodo suum sensum verbis ambiguis obtegendo.

Caput V.
Altera Juliani calumnia, Nuptias non à Deo institutas dici.
* Loquitur de lib 1. de nuptiis & concup.
b

9. Sed jam videamus quod sequitur. *Dicunt etiam*, inquit, *istas quæ modò aguntur nuptias à Deo institutas non fuisse: quod in * libro Augustini legitur, contra quem ego modò quatuor libellis respondi. Cujus Augustini dicta inimici nostri in veritatis odium susceperunt.* His ejus calumniosissimis verbis breviter video respondendum: quia repetit ea postea, ubi vult ipse insinuare, quasi contra nostra [b] isti quid dicant. Ibi cum illo, quantum res postulare videbitur, Domino adjuvante certandum est. Nunc ergo respondeo, à Deo nuptias institutas, & tunc, quando dictum est, Propterea relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: & nunc, propter quod scriptum est, A Domino jungitur viro mulier. Neque enim aliud fit etiam nunc quàm illud, ut adhæreat homo uxori suæ, & sint duo in carne una. De ipsis quippe nuptiis, quæ nunc [c] fiunt, consultus est Dominus à Judæis, utrùm liceret quacumque caussa dimittere uxorem. Et isto commemorato testimonio legis adjunxit, Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Hoc testimonium legis adhibuit etiam apostolus Paulus, cùm viros moneret, ut ab eis diligerentur uxores. Absit ergo, ut in libro meo contra hæc testimonia divina iste aliquid legerit. Sed vel non intelligendo, vel magis calumniando, in alium sensum conatur detorquere quod legit. Librum autem meum, contra quem se quatuor libellis respondisse commemorat, post damnationem Pelagii Cælestiique conscripsi. Quod ideo dicendum putavi, quoniam iste dicit, ab inimicis suis in odium veritatis dicta mea fuisse suscepta: ne ideo quisquam existimet, propter hunc librum meum inimicos gratiæ Christi novos hæreticos fuisse damnatos. In eo autem libro defensio est potiùs, quàm reprehensio nuptiarum.

Gen. 2. 24.
Prov. 19. 14.
c
Matth. 19. 3.
Ibidem 6.
Ephes. 5. 25.
Liber 1. de nuptiis & concupiscentia scriptus post damnationē Pelagii.

Tertia calumnia, Damnari conjugalem congressum.

10. *Dicunt etiam*, inquit, *motum genitalium & commixtionem conjugum, à diabolo fuisse repertam: & propterea eos qui nascuntur innocentes, reos esse: & à diabolo fieri, non à Deo, quia de hac diabolica commixtione nascuntur. Hoc autem sine aliqua ambiguitate Manichæum est.* Immo sicut dicimus à Deo nuptias institutas propter ordinatam generationem filiorum; ita dicimus filiorum gignendorum seminationem sine motu genitalium & sine commixtione conjugum nec in paradiso, si filii gignerentur, esse potuisse. Sed utrùm talis eorum motus atque commixtio fuisset, si nemo peccasset, qualis nunc est cum pudenda libidine, hinc est quæstio: de qua diligentiùs postea, si Deus voluerit, disputabimus.

Filiorum in paradiso procreatio non sine sexuum commixtione fuisset.

Caput VI.
Pelagianorum consilium in laudanda conjugalis commixtionis innocentia.

11. Quid tamen isti velint, quid intendant, quò rem perducere moliantur, adjuncta istius verba declarant, ubi ait nos dicere, *propterea eos qui innocentes nascuntur reos esse, & à diabolo fieri, non à Deo, quia de hac diabolica commixtione nascuntur.* Cùm itaque nos nec diabolicam dicamus conjugum commixtionem, maximè fidelium, quæ fit caussâ generandorum qui postea regenerandi sunt, filiorum: nec homines ullos à diabolo fieri, sed à Deo in quantum homines sunt: & tamen etiam de conjugibus fidelibus reos nasci, tamquam ex oliva oleastrum, propter originale peccatum; & propter hoc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo; quoniam diabolus culpæ auctor est, non naturæ: contrà illi parvulos dicentes nullum trahere originale peccatum, & ideo non esse sub diabolo; quid efficere laborant, nisi ut illa Dei gratia evacuetur in parvulis, qua eruit nos, sicut dicit Apostolus, de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii caritatis suæ? Quando quidem parvulos negant esse in potestate tenebrarum, etiam ante Domini liberatoris auxilium; ita in eis laudantes opus creatoris, ut misericordiam destruant redemptoris. Quam nos quoniam & in majoribus & in parvulis confitemur, *hoc* dicit *sine aliqua ambiguitate esse Manichæum*: cùm sit antiquissimum catholicum, unde novum istorum dogma evertatur hæreticum.

Col. 1. 13.

Caput VII.
Quarta calumnia, Sanctos veteris Testamenti non à peccatis liberos dici.

12. *Dicunt*, inquit, *sanctos in vetere Testamento non caruisse peccatis, id est, nec per emendationem à criminibus fuisse liberos, sed in reatu à morte fuisse deprehensos.* Immo dicimus vel ante legem vel tempore veteris Testamenti à peccatis fuisse liberatos, non virtute propria; quia maledictus omnis qui spem suam ponit in homine; & in hoc sine dubio [d] maledicto sunt, quos etiam Psalmus divinus notat, Qui confidunt in virtute sua: nec vetere Testamento, quod in servitutem generat, quamvis certæ dispensationis gratiâ divinitus datum sit: nec [e] ipsa lege sancta & justa & bona, ubi scriptum est, Non concupisces; quoniam non est data quæ posset vivificare, sed prævaricationis gratiâ posita est, donec veniret semen cui promissum est: sed liberatos esse

Jerem. 17. 5.
d
Psal. 48. 7.
Gal. 4. 24.
Rom. 7. 12.
e
Exod. 20. 17.
Gal. 3. 21.
Ibid. 19.
Sancti veteris Testamenti

per

[a] Vaticani codices, *hoc est enim venire* &c.
[b] Sic MSS. At editi, *contra nostra ista quid dicant. Ubi cum illo.*
[c] Editi, *nunc quoque.* Abest *quoque* à plerisque MSS.
[d] In editis tantùm, *maledicti*: minùs bene.
[e] Apud Er. & Lov. perperam hîc addita particula *in*.

menti per Christum liberati. 1. Tim. 2. 5.

per sanguinem ipsius redemtoris, qui est unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Isti autem inimici gratiæ Dei, quæ data est pusillis & magnis per Jesum Christum Dominum nostrum, ideo dicunt antiquos homines Dei perfectæ fuisse justitiæ, ne Christi incarnatione, passione, resurrectione, cujus fide salvi facti sunt, credantur eguisse.

CAPUT VIII. Quinta calumnia, Paulum & ceteros Apostolos libidine pollutos fuisse dici.

13. *Apostolum etiam Paulum*, inquit, *vel omnes Apostolos dicunt semper immoderata libidine fuisse pollutos.* Quis hoc vel profanus audeat dicere? Sed nimirum [a] iste propterea sic calumniatur, quia contendunt id quod dixit Apostolus, Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum; velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio; & cetera talia, non eum dixisse de se ipso, sed nescio cujus alterius, qui illa pateretur, induxisse personam: propter quod locus ipse in ejus epistola diligenter considerandus est & scrutandus, ne in ejus aliqua obscuritate delitescat error istorum. Quamvis ergo latiùs hinc Apostolus disputet, & magno diuturnoque conflictu gratiam defendens adversùs eos, qui gloriabantur in lege: tamen ad rem pertinentia pauca contingimus. * Unde ait: Quia non justificabitur ex lege omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata per legem & prophetas: justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes qui credunt. Non est enim distinctio. Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei; justificati gratìs per gratiam ipsius, per redemtionem quæ est in Christo Jesu. Et iterum: Ubi est gloriatio [b]? Exclusa est. Per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis. Et iterum: Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini ejus [c], ut heres esset mundi, sed per justitiam fidei. Si enim qui per legem heredes sunt, exinanita est fides, & evacuata est promissio. Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Et alio loco: Lex autem subintravit, ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia. Item alio loco: Peccatum enim vobis non dominabitur; non enim estis sub lege, sed sub gratia. Itemque alio loco: An ignoratis fratres, scientibus enim legem loquor, quia lex dominatur homini in quantum tempus vivit? Mulier enim sub viro, vivo marito juncta est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, evacuata est à lege viri. Et paulò pòst: Itaque fratres mei, & vos mortui estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti; nunc verò evacuati sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritùs, & non in vetustate litteræ. His atque hujusmodi contestationibus doctor ille gentium satis evidenter ostendit, legem non potuisse auferre, sed potiùs auxisse peccatum, quod [d] auferat

a Rom. 7. 18. — Ps. Inde. Rom. 3. 20. &c. — Ibid. 27. & 28. — Rom. 4. 13. &c. — Rom. 5. 20. — Rom. 6. 14. — Rom. 7. 1. &c. — Ibidem 4. &c. — Lex jubet, Gratia juvat.

A gratia: quoniam lex jubere novit, cui succumbit infirmitas; gratia juvare, qua infunditur caritas. Ne quis enim propter hæc testimonia vituperet legem, & malam esse contendat, vidit Apostolus malè intelligentibus quid posset occurrere, & eamdem sibi ipse proposuit quæstionem: Quid ergo dicemus? inquit, Lex peccatum est? Absit: sed peccatum non cognovi nisi per legem. Hoc jam superiùs dixerat, Per legem enim cognitio peccati. Non ergo [e] ablatio, sed
B cognitio.

Ibidem 7. — Rom. 3. 20.

Apostolum ex sua & aliorum, qui sub gratia, non sub lege adhuc sunt, persona locutum esse.

14. Hinc autem jam incipit, propter quod ista consideranda suscepimus, introducere personam suam, & tamquam de se ipso loqui: ubi nolunt Pelagiani ipsum Apostolum intelligi, sed quòd in se alium transfiguraverit, id est, hominem sub lege adhuc positum, nondum per gratiam liberatum. Ubi quidem jam debent concedere, quòd in lege nemo justificatur, sicut alibi idem Apostolus dicit; sed ad cognitionem peccati, &
C ad ipsius legis prævaricationem valere legem, ut cognito auctoque peccato per fidem gratia requiratur. Non autem timent ista de Apostolo intelligi, quæ posset & de præteritis suis dicere, sed ea quæ sequuntur timent. Hic enim, Concupiscentiam, inquit, nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum est: ego autem vivebam aliquando sine
D lege: adveniente autem mandato peccatum revixit; ego autem mortuus sum. Et inventum est mihi mandatum quod erat in vitam, hoc esse in mortem. Peccatum enim accepta occasione per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum & justum & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mor-
E tem, ut fiat supra modum [f] peccator aut peccatum per mandatum. Hæc omnia, sicut dixi, potest videri Apostolus de sua vita commemorasse præterita: ut illud quod ait, Ego autem vivebam aliquando sine lege; ætatem suam primam ab infantia ante rationales annos voluerit intelligi: quod autem adjunxit, Adveniente autem mandato peccatum revixit, ego autem mortuus sum; jam se præcepti capacem, sed non efficacem, & ideo prævaricatorem legis ostenderet.

Gal. 3. 11. — Legis usus. — Rom. 7. 7. &c.

CAPUT IX.

F 15. Nec moveat quod ad Philippenses scripsit, Secundùm justitiam quæ in lege est, qui fuerim sine querela. Potuit enim esse intus in affectionibus pravis prævaricator legis, & tamen conspicua opera legis implere, vel timore hominum, vel ipsius Dei; sed pœnæ formidine, non dilectione & delectatione justitiæ. Aliud est enim voluntate benefaciendi benefacere, aliud autem ad malefaciendum sic voluntate inclinari, ut etiam faceret si hoc posset impunè permitti. Nam sic profectò in ipsa intus voluntate pec-
G cat, qui non voluntate, sed timore non peccat. In quibus interioribus suis talem se fuisse sciens Apostolus ante gratiam Dei, quæ per Jesum

Philip. 3. 6. — Voluntate peccat, qui solo timore non peccat.

a Sic MSS. At editi, *isti propterea sic calumniantur.* Mox in omnibus libris sequitur, *quia contendunt*: quod jam ad Pelagianos, quorum caussam Julianus calumniando agebat, referendum est.
b Pelagii de hac re verba profert in lib. de gratia Christi c. 39.
In excusis additur, *tua.* Abest à Vaticanis MSS. & à Græco.

c Hîc soli excusi addunt, *facta est.*
d Er. & Lov. *aufert.*
e Sic omnes MSS. At editi, *abolitio.*
f Editi, *peccans peccatum.* Omnes MSS. *peccator aut peccatum.* Græcè est, ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία.

Christum Dominum nostrum est, alibi hoc apertissimè confitetur. Scribens quippe ad Ephesios: *Ephes. 2. 1. & seq.* Et vos, inquit, cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundùm sæculum mundi hujus, secundùm principem potestatis aëris spiritûs ejus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & affectionum, & eramus naturaliter filii iræ, sicut & ceteri: Deus autem qui dives est in misericordia, propter multam dilectionem qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cujus gratiâ sumus salvi facti. Rursus ad Titum: *Tit. 3. 3.* Fuimus enim & nos, inquit, stulti aliquando & increduli, errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, abominabiles, invicem odio habentes. Talis Saulus fuit, quando secundùm justitiam quæ in lege est, sine querela fuisse se dicit. Nam quia non post hanc abominabilem vitam, ut esset sine querela, in lege profecerat, moresque mutaverat, evidenter his quæ sequuntur ostendit; quando quidem mutatum se non dicit ab his malis, nisi per gratiam Salvatoris. Adjungens enim hoc ipsum etiam hîc, sicut ad [a] Ephesios, ait, *Ibidem 4. & seq.* Cùm autem benignitas & humanitas illuxit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ nos fecimus; sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus-sancti, quem ditissimè effudit super nos, per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratiâ ipsius, heredes efficiamur secundùm spem vitæ æternæ.

16. Quod autem ait in hoc epistolæ loco ad Romanos, *Rom. 7. 13.* Peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem: congruit superioribus ubi dixit, *Ibidem 7.* Sed peccatum non cognovi, nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Et superiùs, *Rom. 3. 20.* Per legem cognitio peccati: hoc enim & hîc dixit, *Rom. 7. 13.* ut appareat peccatum: ut illud quod dixerat, *Ibid 8.* Sine lege enim peccatum mortuum est; non intelligamus nisi tamquam non sit latet, non apparet, penitus ignoratur, tamquam in nescio quibus ignorantiæ tenebris sit sepultum. *Peccatum quomodo mortuum, & quomodo revixerit.* Et quod ait, *Ibidem 9.* Ego autem vivebam aliquando sine lege: quid ait, nisi vivere mihi videbar? Et quod adjunxit, Adveniente autem mandato peccatum revixit: quid est aliud, quàm [b] eminuit & apparuit? Nec tamen ait, vixit: sed, revixit. Vixerat enim aliquando in paradiso, quando contra datum præceptum satis apparebat admissum: cùm autem à nascentibus trahitur, tamquam mortuum sit latet, donec repugnans justitiæ malum ejus prohibitione sentiatur, cùm aliud jubetur atque approbatur, aliud delectat atque dominatur: tunc peccatum quodam modo in notitia nati hominis revivisit, quod in notitia [c] primùm facti hominis aliquando jam vixerat.

CAP. X. *De Paulo intelligi, Lex spiritalis ...*

17. SED quod sequitur, non ita expeditum est, quomodo de Paulo possit intelligi. Scimus enim, inquit, quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum. Non ait, fui: sed, sum. Numquid ergo Apostolus, cùm hæc scriberet, carnalis fuit? *Rom. 7. 14.* An secundùm corpus hoc dicit? Adhuc enim erat in corpore mortis hujus, *Ibid. 24.* nondum facto [d] quod alibi dicit, Seminatur corpus animale, [e] surget corpus spiritale. *1. Cor. 15. 44.* Tunc enim ex toto se, id est, ex utraque parte qua constat, spiritalis homo erit, quando spiritale etiam corpus erit. Neque enim absurdum est, ut sit in illa vita etiam caro spiritalis; si potuit esse in hac vita, in his qui adhuc carnalia sapiunt, etiam spiritus ipse carnalis. Sic ergo ideo dixit, Ego autem carnalis sum: quia nondum spiritale corpus habebat Apostolus. Sicut posset dicere, Ego autem mortalis sum: quod utique non nisi secundùm corpus intelligeretur dixisse, quod nondum fuerat immortalitate vestitum. Item quod adjunxit, Venumdatus sub peccato: ne quisquam eum nondum redemtum Christi sanguine existimet, etiam hoc secundùm illud potest intelligi, quod ait, *Rom. 8. 23.* Et nos primitias habentes spiritûs, & ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemtionem corporis nostri. Si enim secundùm hoc se dicit venumdatum sub peccato, quòd adhuc non est redemtum à corruptione corpus ejus; vel venumdatum aliquando in prima transgressione præcepti, ut haberet corpus corruptibile quod aggravat animam: *Sap. 9. 15.* quid prohibet hîc Apostolum intelligi de se ipso dicere, quod ita dicit, ut etiam in ipso [f] possit intelligi; etiam si in sua persona non se solum, sed omnes accipi velit, qui se noverunt spiritali [g] delectatione cum carnis affectione sine consensione confligere?

18. An fortè metuimus ea quæ sequuntur: *Rom. 7. 15.* Quod enim operor, ignoro; non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio: ne fortè ex his verbis quispiam consentire carnis concupiscentiæ ad opera mala suspicetur Apostolum? Sed considerandum est quod adjungit: *Ibid. 16.* Si autem quod nolo hoc facio, consentio legi quoniam bona est. Magis enim se dicit legi consentire, quàm carnis concupiscentiæ. Hanc enim peccati nomine appellat. Facere ergo se dixit & operari, non affectu consentiendi & implendi, sed ipso motu concupiscendi. Hinc ergo inquit, consentio legi quoniam bona est: consentio, quia nolo quod non vult. Deinde dicit, *Ibidem 17.* Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Quid est, Nunc autem; nisi jam nunc sub gratia, quæ liberavit delectationem voluntatis à consensione cupiditatis? Non enim meliùs intelligitur, Non ego operor, nisi quia non consentit exhibere membra sua arma iniquitatis peccato. *Rom. 6. 13.* Nam si & concupiscit & consentit & agit; quomodo non ipse illud operatur, etiam si se operari doleat, & vinci graviter ingemiscat?

19. Jam illud quod sequitur, nonne unde loquatur, apertissimè ostendit? *Rom. 7. 18.* Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Si enim non exponeret adjungendo, hoc est, in carne mea, aliter fortasse acciperetur quod dixit, in me: Ac per hoc versat hoc idem repetens, &

[a] Editi, *sicut ad Titum.* Emendantur ex MSS.
[b] Vaticani MSS. *emicuit.*
[c] Sic MSS. At editi Am. Er. & Lov. *primi.* Et infrà Lov. tantùm, *jam vixerit.*
[d] Hîc Er. & Lov. addiderunt, *spiritali.*
[e] Editi, *surget.* MSS. *surgit*: juxta Græc. ἐγείρεται.
[f] Sic MSS. At editi, *posset.*
[g] Gallicani codices, *dilectione.*

Perficere bonum, quid sit.

» inculcans, Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non. Hoc est enim perficere bonum, ut nec concupiscat homo. Imperfectum est autem bonum, quando concupiscit, etiam si concupiscentiæ non consentit ad malum. Non enim quod » volo facio bonum, inquit, sed quod nolo malum » hoc ago. Si autem quod nolo ego hoc facio, jam » non ego operor illud, sed quod habitat in me » peccatum. Id repetivit inculcans, & tamquam tardissimos de somno excitans: Invenio ergo le» gem, inquit, mihi volenti facere bonum, quo» niam mihi malum adjacet. Illa ergo bonum est volenti facere, adjacet autem malum ex concupiscentia, cui non consentit qui dicit, Jam non ego operor illud.

Ibidem 19. & 20. — Ibid. 21.

Rom. 7. 22.

20. Apertiùs autem quod sequitur utrumque declarat: Condelector enim legi Dei secundùm » interiorem hominem; video autem aliam legem » in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, » & captivantem me [a] in lege peccati, quæ est in » membris meis. Sed quod dixit, captivantem me, potest movere, si nulla consensio est. Unde propter tria ista, duo scilicet de quibus jam disputavimus, quòd ait, Ego autem carnalis sum, &, venumdatus sub peccato, & hoc tertium, captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis, potest videri Apostolus eum describere qui sub lege adhuc vivit, nondum sub gratia. Sed sicut illa duo exposuimus, propter carnem adhuc corruptibilem dicta; sic & hoc potest intelligi, ut captivantem me, dixerit, carne, non mente; motione, non consensione: & ideo captivantem me, quia & in ipsa carne non est aliena natura, sed nostra. Sicut ergo exposuit ipse quid dixerit, Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum: sic [b] jam ex illius expositione hunc locum debemus accipere, tamquam dixerit, captivantem me, hoc est, carnem meam, in lege peccati quæ est in membris meis.

Ibid. 18.

Rom. 7. 24. & 25.

21. Deinde subjungit propter quod dicta sunt omnia: Miser ego homo, quis me liberabit de cor» pore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Chri» stum Dominum nostrum. Atque inde conclu» dit, Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne » autem legi peccati. Carne scilicet legi peccati, concupiscendo; mente autem legi Dei, eidem concupiscentiæ non consentiendo. * Nulla ergo » condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Jesu. Non enim damnatur, nisi qui concupiscentiæ carnis consentit ad malum. Lex enim spiritûs vitæ in » Christo Jesu liberavit te à lege peccati & mortis: ne scilicet consensionem tuam concupiscentia sibi vindicet carnis. Et ea quæ sequuntur, eumdem sensum magis magisque demonstrant: sed adhibendus est modus.

* Rom. 8. 1. — Ibidem 2.

c Cur locus Pauli de homine sub gratia constituto intelligendus sit.

22. Visum autem aliquando [c] etiam mihi fuerat, hominem sub lege, isto Apostoli sermone describi. Sed vim mihi fecerunt postea ista verba, quòd ait, Nunc autem jam non ego operor illud. Ad hoc enim pertinet illud quod ait & postea, Nulla ergo condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Jesu. Et quia non video quomodo diceret homo sub lege, Condelector legi Dei

Rom. 7. 20. — Rom. 8. 1. — Rom. 7. 22.

A secundùm interiorem hominem: cùm ipsa delectatio boni, qua etiam non consentit ad malum, non timore pœnæ, sed amore justitiæ, (hoc est enim condelectari,) non nisi gratiæ deputanda sit.

CAPUT XI. — Rom. 7. 24.

23. NAM & ubi ait, Quis me liberabit de corpore mortis hujus: quis neget Apostolum cùm hæc diceret, adhuc fuisse in corpore mortis hujus? A quo utique impii non liberantur, quibus eadem corpora ad tormenta æterna redduntur. Liberari ergo est à corpore mortis
B hujus, omni sanato languore concupiscentiæ carnis, non ad pœnam corpus recipere, sed ad gloriam. Huic loco & illud satis consonat: Etiam « nos ipsi primitias habentes spiritûs, & ipsi in no« bismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemtionem corporis nostri. Nimirum enim gemitu isto ingemiscimus, in quo dicimus, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Illud etiam ubi ait: Quod enim operor, ignoro: quid est aliud, quàm nolo, non appro-
C bo, non consentio, non facio? Alioquin contrarium est his, quæ superiùs dixit, Per legem cognitio peccati: &, Peccatum non cognovi nisi per legem: &, Peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Quomodo enim peccatum per legem cognovit, quod ignorat? Quomodo apparet peccatum, quod ignoratur? Sic ergo dictum est, ignoro, non facio, quia nulla consensione id ego ipse committo: quomodo dicturus est Dominus impiis, Non novi vos; quem procul dubio latere nihil
D potest: & sicut dictum est, Eum qui non noverat peccatum; quod est, non fecerat: neque enim non noverat quod arguebat.

Liberari à corpore mortis hujus, quid. — Rom. 8. 23. — Rom. 7. 24. — Ibidem 15. — Quid sit, Quod operor, ignoro. — Rom. 3. 20. — Rom. 7. 7. — Ibid. 13. — Matth. 7. 23. — 2. Cor. 5. 21.

24. His atque hujusmodi in ista scripturæ Apostolicæ circumstantia diligenter consideratis, rectè intelligitur Apostolus, non quidem se solum in sua persona, verùm alios etiam sub gratia constitutos significasse, sed secum nondum in illa constitutos pace perfecta, in qua absorbebitur mors in victoriam. De qua pòst dicit, Si au-
E tem Christus in vobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum; spiritus autem vita est, « propter justitiam. Si ergo Spiritus ejus qui susci« tavit Jesum ex mortuis, habitat in vobis; qui sus« citavit Christum Jesum à mortuis, vivificabit & « mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiri« tum ejus in vobis. Vivificatis igitur mortalibus corporibus nostris, non solùm ad peccandum consensio nulla erit, sed nec ipsa cui [d] non consentiatur carnis concupiscentia remanebit. Quam
F spiritui resistentem non habere in carne mortali, ille tantummodo homo potuit, qui non per ipsam ad homines venit. Et ideo Apostolos, quia homines erant, & corpus quod corrumpitur & aggravat animam, in hujus vitæ mortalitate portabant, absit ut dicamus, sicut iste calumniatur, *semper immoderata libidine fuisse pollutos*: sed dicimus à consensione pravarum libidinum liberos, de concupiscentia tamen carnis, quam mode-
G rando frenabant, tanta humilitate & pietate gemuisse, ut optarent eam non habere potiùs, quàm domare.

Concludit Apostolum ex sua & eorum qui sub gratia sunt persona locutum. — 1. Cor. 15. 54. — Rom. 8. 10. & 11. — d — Sap. 9. 15. — Apostoli de concupiscentia carnis gemuerunt.

[a] MSS. *captivantem me lege peccati*: & infrà, *captivantem me, hoc est, carnem meam, lege peccati*: omissâ constanter particula *in*, quæ & à Græco textu Apostoli abest.
[b] Gallicani MSS. *sic etiam*.

[c] Ita visum illi fuerat in expositione quarumdam propositionum epistolæ ad Romanos, proposit. 44. & 45. & in epistolam ad Galatas, c. 5. n. 47. & lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 1. n. 7. & 9.
[d] Huc particulam negantem revocamus ex MSS.

Caput XII. Sexta calumnia, nec Christum à peccatis liberum fuisse.

25. Proinde iste quod addidit nos dicere, A *Christum & à peccatis liberum non fuisse, sed carnis necessitate mentitum, & aliis maculatum fuisse delictis:* viderit à quibus audierit, vel in quorum litteris legerit; quod quidem fortasse non intellexit, & in sensus calumniosos malitiâ fallente convertit.

Caput XIII. Septima calumnia, in baptismo non remitti peccata omnia.

26. *Dicunt etiam*, inquit, *baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur.* Quis hoc adversùs Pelagianos, B nisi infidelis affirmet? Dicimus ergo baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere; nec *ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata.* Nam & istam similitudinem comperi, suæ illos adhibere calumniæ, tamquam hoc nos sentiamus atque dicamus.

Concupiscentia in renatis quo sensu peccatum dicatur. *Rom.* 8. 14.

27. Sed de ista concupiscentia carnis falli eos credo, vel fallere; cum qua necesse est ut etiam C baptizatus, & hoc si diligentissimè proficit, & Spiritu Dei agitur, pia mente confligat. Sed hæc etiamsi vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur: sicut scriptura manus cujusque dicitur, quòd manus eam fecerit. Peccata autem sunt, quæ secundùm carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur: quæ transacta etiam reos tenent, si non remittantur. Et ista ipsa carnis concupiscentia in baptismo sic D dimittitur, ut quamvis tracta sit à nascentibus, nihil noceat renascentibus. Ex quibus tamen, si filios carnaliter gignunt, rursus trahitur; rursusque est nocitura nascentibus, nisi eâdem formâ renascentibus remittatur, & insit nihil obfutura vitæ futuræ, quoniam reatus ejus generatione tractus, regeneratione dimissus est: & ideo jam non sit peccatum, sed hoc vocetur, sive quòd peccato facta sit, sive quòd peccandi delectatione moveatur, etsi ei vincente delectatione justitiæ E non consentiatur. Nec propter ipsam, cujus jam reatus lavacro regenerationis absumtus est, dicunt in oratione baptizati, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: sed propter peccata quæ fiunt, sive in ejus consensionibus, cùm ab eo quod libet vincitur quod placet, sive cùm per ignorantiam malum quasi bonum placet. Fiunt autem, sive operando, sive loquendo, sive quod facillimum atque celerrimum est, cogitando. A quibus omnibus F quis etiam fidelium gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Illud sanè quod in oratione sequitur, propter ipsam dicitur, Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Unusquisque enim, sicut „ scriptum est, tentatur à concupiscentia sua abstra- „ ctus & illectus; deinde concupiscentia cùm con- „ ceperit, parit peccatum.

Non propter concupiscentiam orant baptizati, *Dimitte nobis debita nostra. Matth.* 6. 12.

Prov. 20. 9.

Matth. 6. 13. *Jacobi* 1. 14.

Caput XIV. Crimina. Peccata venialia.

28. Hi omnes concupiscentiæ partus, & ipsius concupiscentiæ reatus antiquus, [a] baptisma- G tis ablutione dimissi sunt: & quidquid parit nunc ista concupiscentia, si non sint illi partus, qui non solùm peccata, verùm etiam crimina nuncupantur, pacto illo quotidianæ orationis ubi dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut dimittimus, & eleemosynarum sinceritate mundantur. Neque enim quisquam sic desipit, ut dicat ad baptizatos dominicum illud non pertinere præceptum, Dimittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis. Nullus autem in Ecclesia rectè posset ordinari minister, si dixisset Apostolus, Si quis sine peccato: ubi ait, Si quis sine crimine est. Aut si dixisset, Nullum peccatum habentes: ubi ait, Nullum crimen habentes. Multi quippe baptizati fideles sunt sine crimine, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantâlibet Pelagiani, quia hæc dicimus, adversùm nos inflentur & disrumpantur insaniâ: non quia aliquid peccati remanet, quod in baptismate non remittatur; sed quia [b] à nobis in hujus vitæ infirmitate manentibus quotidie fieri non quiescunt, quæ fideliter orantibus & misericorditer operantibus quotidie remittantur. Hæc est fidei catholicæ sanitas, quam sanctus ubique seminat Spiritus, non pravitatis hæreticæ vanitas & præsumtio spiritûs.

Lucæ 6. 37. Ordinandi debent esse sine crimine. *Tit.* 1. 6. 1. *Tim.* 3. 10. Multi sine crimine, nullus sine peccato.

Caput XV. Julianus suorum fidem, catholicorum [illegible] opponit. Antithesis prima, de libero arbitrio.

29. Jam itaque de cetero videamus, quemadmodum postea quàm nobis calumniosè putavit objicienda quæ credimus, & fingenda quæ non credimus, suam ipse vel Pelagianorum fidem profiteatur. *Contra hæc*, inquit, *nos quotidie disputamus, & ideo nolumus prævaricatoribus adhibere consensum, quia nos dicimus liberum arbitrium in omnibus esse naturaliter, nec Adæ peccato perire potuisse: quod scripturarum omnium auctoritate firmatur.* Hæc si quemadmodum oportet, non contra Dei gratiam diceretis; [c] non consensum prævaricatoribus adhiberetis, sed vestrum sensum corrigeretis. Hinc autem quantum potuimus, & quantum sufficere visum est, superiùs disputavimus.

Secunda, de nuptiis.

30. *Dicimus*, inquit, *has quæ nunc aguntur in orbe terrarum, à Deo nuptias institutas, nec reos esse conjuges, sed fornicatores & adulteros condemnandos.* Hoc verum & catholicum est: sed quod vos hinc vultis efficere, ut de commixtione masculi & feminæ, nihil peccati nascentes trahant, quod lavacro regenerationis expietur, hoc falsum est & hæreticum.

Tertia, de conjugali commixtione.

31. *Motum*, inquit, *genitalium, id est, ipsam virilitatem sine qua non potest esse commixtio, à Deo dicimus institutam.* Ad hoc respondemus, motum genitalium, &, ut verbo ejus utar, virilitatem, sine qua non potest esse commixtio, Deus sic instituit, ut nihil haberet pudendum. Non enim fas fuit, ut ejus erubesceret creatura de sui opere creatoris; sed inobedientia membrorum supplicio justo primis hominibus inobedientibus reddita est, de qua erubuerunt, quando foliis ficulneis pudenda texerunt, quæ priùs pudenda non fuerunt.

Gen. 3. 7.

Caput XVI. Perizomata quæ sibi Adam & Eva consuerunt.

32. Neque enim sibi tunicas, ut totum corpus tegerent post peccatum, sed succinctoria consuerunt, quæ nonnulli interpretes nostri minùs [d] diligentes tegmina interpretati sunt. Quod quidem verum est: sed generale nomen est tegmen, quo indumentum & operimentum omne possit intelligi. Et ideo debuit ambiguitas evitari, ut

[a] Hic in superioribus editionibus superfluò additum, *qui*. Non erat in MSS.

[b] Editi, *quia in nobis*. Gallicani MSS. *quia à nobis*. Vaticani, *quia nobis*: absque præpositione.

[c] Editi, *nec consensum*. Emendantur à MSS.

[d] In MSS. *diligenter*.

quemadmodum Græcus περιζώματα poſuit, quibus non teguntur niſi pudendæ corporis partes, ſic & Latinus, aut ipſum Græcum poneret, quia & ipſo jam conſuetudo utitur pro Latino, vel ſicut quidam ſuccinctoria, vel ſicut alii meliùs campeſtria nominarunt. Ex illo quippe hoc nomen eſt, quòd pudenda juvenes tegebant antiquo more Romano, quando nudi exercebantur in campo: unde campeſtrati appellantur [a] hodieque, qui eadem membra cingendo cooperiunt. Quamquam ſi ea quibus peccatum eſt, tegenda fuerant poſt peccatum; ne tunicis quidem indui debuerunt, ſed manum & os tegere, quia ſumendo & veſcendo peccarunt. Quid ſibi ergo vult, quòd accepto prohibito cibo, cùm fuiſſet præcepti facta tranſgreſſio, in illa membra adſpectus intenditur? Quæ ibi novitas ignota ſentitur, & ſe compellit adverti? quod apertione ſignificatur oculorum. Neque enim eis vel quando ille nomina pecoribus & volucribus imponebat, vel quando illa pulcrum lignum vidit & bonum, oculi non patebant; ſed aperti, hoc eſt intenti, ad intuendum facti ſunt: ſicut ſcriptum eſt de Agar ancilla Saræ, quòd aperuit oculos ſuos, & vidit puteum; quos clauſos utique non habebat. Ut ergo nuditatis ſuæ, quam quotidie profectò intuebantur, nec confundebantur, eos ſubitò ſic puderet, ut membra illa jam nuda ferre non poſſent, ſed ſtatim operire curarent; nonne & ille in motu aperto, & illa in occulto, contra ſuæ voluntatis arbitrium inobedientia illa membra ſenſerunt, quibus utique nutu voluntario ſicut ceteris dominari debuerunt? Quod meritò paſſi ſunt, quia & ipſi obedientes ſuo Domino non fuerunt. Erubuerunt ergo, ita ſe creatori ſuo non exhibuiſſe ſervitium, ut in* eis membris ex quibus eſſent filii procreandi, mererentur [b] amittere dominatum.

Apertio oculorum Adæ & Evæ.

Gen. 2. 20.

Gen. 3. 6. & 7.

Gen. 21. 19.

* f. in ea membra.

Pudor nuditatis.

33. Hoc pudoris genus, hæc erubeſcendi neceſſitas certè cum omni homine naſcitur, & ipſis quodam modo naturæ legibus imperatur, ut in hac re verecundentur etiam ipſa pudica conjugia; nec quiſquam tam malè turpiterque proficiat, ut quia cognovit Deum eſſe conditorem naturæ auctoremque nuptiarum, ideo etiam miſcendus uxori, ſi quis eum videat, non de his motibus erubeſcat, quæratque ſecretum, ubi non ſolùm alienorum, verùm etiam ſuorum omnium poſſit vitare conſpectum. Itaque ſuâ culpâ ſibi accidens malum, natura humana permittatur agnoſcere; ne cogatur, aut quod eſt impudentiſſimum, de his ſuis motibus non erubeſcere, aut quod eſt ingratiſſimum, de ſui creatoris operibus erubeſcere. Quo tamen malo, propter bonum generationis filiorum, bene utuntur pudica conjugia. Solius autem carnalis voluptatis cauſſâ libidini conſentire, peccatum eſt; quamvis conjugatis ſecundùm veniam concedatur.

CAPUT XVII. An libido ante peccatum in paradiſo eſſe potuerit.

34. SED conſtituite Pelagiani ſervata honeſtate ac fecunditate nuptiarum, ſi nemo peccaſſet, qualem velitis in paradiſo vitam illorum hominum cogitare, & unum de his quatuor rebus eligite. Procul dubio enim, aut quotienſcumque libuiſſet, totiens concubuiſſent; aut frenarent libidinem, quando concubitus neceſſarius non fuiſſet; aut tunc ad nutum voluntatis libido conſurgeret, quando eſſe concubitum neceſſarium caſta [c] prudentia præſenſiſſet; aut nulla ibi omnino exſiſtente libidine, ut cetera membra quæque ad opera ſua, ſic ad opus proprium etiam genitalia juſſis volentium ſine ulla difficultate ſerviſſent. Horum quatuor quod vultis eligite. Sed puto quòd duo priora reſpuetis, ubi libidini aut ſervitur, aut repugnatur. Namque illud primum tam præclara honeſtas; hoc autem ſecundum tam magna felicitas non vult. Abſit enim, ut tantæ illius beatitudinis decus, aut præcedentem ſemper ſequendo libidinem ageret turpiſſimam ſervitutem, aut ei reſiſtendo non haberet pleniſſimam pacem: abſit, inquam, ut carnis concupiſcentiam non opportunè ad generandum, ſed inordinata commotione ſurgentem, aut illi menti placeret conſentiendo ſatiare, aut illi quieti neceſſe eſſet diſſentiendo cohibere.

35. Duarum verò reliquarum quamlibet elegeritis, non eſt adversùs vos ulla contentione laborandum. Et ſi enim quartam nolueritis eligere, ubi eſt omnium [d] obedientium membrorum ſine ulla libidine ſumma tranquillitas, quoniam jam vos ei fecit veſtrarum diſputationum impetus inimicos: illud vobis ſaltem placebit, quod tertio loco poſuimus, ut illa carnalis concupiſcentia, cujus motus ad [e] poſtremam, quæ vos multùm delectat, pervenit voluptatem, numquam in paradiſo, niſi cùm ad gignendum eſſet neceſſaria, ad voluntatis nutum exſurgeret. Hanc ſi placet vobis in paradiſo collocare, & per talem concupiſcentiam carnis, quæ nec præveniret, nec tardaret, nec excederet imperium voluntatis, vobis videtur in illa felicitate filios potuiſſe generari, non repugnamus. Ad hoc enim quod agimus, ſufficit nobis quia nunc talis in hominibus non eſt, qualem in illius felicitatis loco eſſe potuiſſe conceditis. Qualis quippe nunc ſit, profectò omnium ſenſus mortalium, etſi cum verecundia, confitetur: quia & caſtos etiam nolentes, eamque temperantiâ caſtigantes, inquietudine inordinata importunaque ſollicitat, & plerumque ſeſe volentibus ſubtrahit, nolentibus ingerit: ut nihil aliud inobedientiâ ſuâ, quàm illius priſcæ inobedientiæ pœnam ſe eſſe teſtetur. Unde meritò de illa & tunc primi homines, quando pudenda texerunt, & nunc qui ſe utcumque hominem eſſe conſiderat, omnis pudens impudenſque confunditur, abſit ut de opere Dei, ſed de pœna primi veteriſque peccati. Verùm vos non pro religioſa ratione, ſed pro animoſa contentione, nec pro humano pudore, ſed pro veſtro furore, ne vel ipſa concupiſcentia carnis vitiata credatur, & ex ea trahi originale peccatum; talem prorſus qualis nunc eſt, in [f] paradiſum conamini diſputando revocare, eamque illic eſſe potuiſſe contendere, quam vel ſemper ſequeretur inhoneſta conſenſio, vel aliquando coërceret miſeranda diſſenſio. Nos autem non multùm curamus quid vos de illa ſentire delectet. Quidquid tamen hominum per illam naſcitur, ſi non renaſcatur, ſine dubitatione

Libido in paradiſo aut nulla, aut voluntatis nutui ſubſerviens.

Gen. 3. 7.

[a] Apud Lov. *hodie, qui*: omiſſo, *que*.
[b] Editi, *accipere dominatum*: Caſtigantur ex MSS.
[c] Sic MSS. At editi, *caſta pudentia*.

[d] Editi ſoli, *obedientia membrorum*.
[e] Editi, *ad eam poſtremam*. MSS. non habent, *eam*.
[f] Sic MSS. At editi, *in paradiſo conabimini*.

damnatur, & necesse est esse sub diabolo, si non A inde liberetur à Christo.

CAPUT XVIII. Quarta Juliani antithesis, quòd homo sit Dei opus &c.

36. *Homines*, inquit, *Dei opus esse defendimus: nec ex illius potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi; sed propria voluntate, aut bonum facere, aut malum: in bono verò opere à Dei gratia semper adjuvari, in malum verò diaboli suggestionibus incitari.* Ad hæc respondemus, Homines esse opus Dei, in quantum homines sunt; sed sub diabolo esse, in quantum peccatores sunt, nisi eruantur inde per eum, qui non ob aliud B factus est inter Deum & homines mediator, nisi quia ex hominibus non potuit * esse peccator. Nec ex Dei potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi; sed Deo deserente pro meritis ire in malum, & Deo adjuvante sine meritis converti ad bonum. Non enim est homo bonus si nolit; sed gratiâ Dei etiam ad hoc adjuvatur ut velit: quoniam non inaniter scriptum est, Deus est enim qui operatur in [a] vobis & velle & operari pro bona voluntate: &, Præparatur voluntas à Domino. C

** Intellig. ipse Christus.*

Philip. 2. 13.

Prov. 8. sec. LXX.

CAPUT XIX. Initium bonæ voluntatis, donum gratiæ.

37. Vos autem in bono opere sic putatis adjuvari hominem gratiâ Dei, ut in excitanda ejus ad ipsum bonum opus voluntate, nihil eam credatis operari. Quod satis ipsa tua verba declarant. Cur enim non dixisti, hominem Dei gratiâ in bonum opus excitari, sicut dixisti, *in malum diaboli suggestionibus incitari*; sed aisti, *in bono opere à Dei gratia semper adjuvari?* tamquam sua voluntate, nullâ Dei gratiâ bonum opus aggressus, in ipso jam opere divinitus adjuvetur, pro D meritis videlicet voluntatis bonæ; ut reddatur debita gratia, non donetur indebita: ac sic gratia jam non sit gratia; sed sit illud quod Pelagius in judicio Palæstino ficto corde damnavit, gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Dic mihi, obsecro, quid boni Paulus adhuc Saulus, volebat, ac non potiùs magna mala, quando spirans cædem pergebat ad vastandos horrenda mentis cæcitate ac furore E Christianos? Quibus meritis bonæ voluntatis Deus illum ab his malis ad bona, mirabili & repentina vocatione convertit? Quid ego dicam, quibus meritis, cùm ipse clamet, Non ex operibus justitiæ quæ nos fecimus, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit? Quid illud quod jam commemoravi dixisse Dominum, Nemo potest venire ad me, quod intelligitur, credere in me; nisi ei datum fuerit à Patre meo? Utrùm jam volenti credere pro meritis bonæ voluntatis F hoc datur: an potiùs ut credat, ipsa voluntas, sicut Sauli, de super excitatur, etiam si tam sit aversus à fide, ut credentes etiam persequatur? Ut quid enim nobis Dominus præcepit, ut oremus pro eis qui nos persequuntur? Numquid hoc oramus, ut eis pro bona eorum voluntate gratia Dei retribuatur, ac non potiùs ut mala in bonum voluntas ipsa mutetur? Sicut credimus, tunc à sanctis quos persequebatur, non inaniter oratum esse pro Saulo, ut ad fidem quam vastabat, voluntas ejus converteretur. Et illius qui- G dem conversio de super facta, manifesto etiam miraculo apparuit: quàm multi inimici Christi quotidie subitò Dei occultâ gratiâ trahuntur ad Christum. Quod verbum si non ex Evangelio

Rom. 11. 6.

Suprà lib. de gestis Pelag. c. 14.

Act. 9. 1.

Tit. 3. 5.

Venire ad Christum, est credere.

Iohan. 6. 66.

V. suprà cap 3.

Vis gratiæ.

Matth. 5. 44.

Act. 7. 59.

Act. 9.

[a] MSS. *in nobis.*

A posuissem, quanta de me propter hoc iste dixisset; cùm etiam nunc obluctetur non mihi, sed illi qui clamat, Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum? Non enim ait, duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, si jam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed B ut volentes ex nolentibus fiant.

Iohan. 6. 44.

CAPUT XX.

38. Hoc verum esse non conjecturâ suspicamur humanâ, sed evidentissimâ divinarum scripturarum auctoritate dignoscimus. Legitur in Paralipomenon libris: Et quidem in Juda facta est manus Dei, ut daret illis cor unum, ut facerent præceptum regis & principum in verbo Domini. Item per Ezechielem prophetam Dominus dicit: "Dabo eis cor aliud, & spiritum novum dabo eis, "& evellam cor eorum lapideum de carne eorum, C "& dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis "ambulent, & justificationes meas observent, & "faciant eas. Quid est autem quod Esther illa regina orat, & dicit, Da sermonem concinnum "in os meum, & verba mea clarifica in conspectu "leonis, & converte cor ejus in odium impugnantis nos? Ut quid ista in oratione dicit Deo, si non operatur Deus in cordibus hominum voluntatem? Sed fortè hoc mulier insipienter oravit. Videamus ergo utrùm inaniter præmissus fuerit D orantis affectus, & consecutus non fuerit exaudientis effectus. Ecce ingreditur ad regem. Ne multa dicamus: Et quia non ordine suo ingrediebatur, magna necessitate compulsa, intuitus est "eam, sicut scriptum est, velut taurus in impetu "indignationis suæ. Et timuit regina, & conver-"sus est color ejus per dissolutionem, & inclina-"vit se super caput delicatæ suæ, quæ præcedebat "eam. Et convertit Deus, & transtulit indigna-"tionem ejus in lenitatem. Jam sequentia com-E memorare quid opus est, ubi Deum complevisse quod illa rogaverat, divina scriptura testatur, operando in corde regis, quid aliud, quàm voluntatem, qua jussit & factum est, quod ab eo regina poposcerat? Quam Deus jam, ut fieret, exaudierat, qui cor regis, ante quàm mulieris sermonem poscentis audisset, occultissima & efficacissima potestate convertit, & transtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc est, à voluntate lædendi ad voluntatem favendi: secundùm illud Apostoli, Deus operatur in vobis & velle. F Numquid homines Dei qui hæc scripserunt, immo ipse Spiritus Dei, quo auctore per eos ista conscripta sunt, oppugnavit liberum hominis arbitrium? Absit: sed omnipotentis in omnibus & judicium justissimum, & auxilium misericordissimum commendavit. Sufficit enim scire homini, quòd non est iniquitas apud Deum. Jam quomodo ista dispenset, faciens alios secundùm meritum vasa iræ, alios secundùm gratiam vasa misericordiæ; quis cognovit G sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Si ergo ad honorem gratiæ pertinemus, non simus ingrati, tribuendo nobis quod accepimus. Quid enim habemus, quod non accepimus?

2. Par. 30. 12.

Ezech. 36. 26. & 27.

Esther 14. 13.

Esther 15. 9. & 10.

Philip. 2. 13.

Rom. 9. 14.

Ibid. 22.

Rom. 11. 34.

1. Cor. 4. 7.

CAPUT XXI. Quinta Juliani antithesis, de justis veteris Testamenti.

39. DICIMUS, inquit, *sanctos veteris Testamenti perfectâ hinc justitiâ ad æternam transisse vitam, id est, studio virtutis ab omnibus recessisse peccatis: quia & illi quos legimus aliquid peccasse, postea tamen eos emendasse cognovimus.* Quantælibet fuisse virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit nisi fides Mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit. Ipsorum enim vox est: Credidi propter quod locutus sum. (Psal. 115. 1.) Unde ait & apostolus Paulus: Habentes autem eumdem spiritum fidei, secundùm quod scriptum est, Credidi propter quod locutus sum; & nos credimus, propter quod & loquimur. (2. Cor. 4. 13.) Quid est, eumdem spiritum; nisi quem justi quoque illi habuerunt, qui ista dixerunt? Dicit etiam apostolus Petrus: Quid vultis jugum imponere gentibus, quod neque nos portare potuimus, neque patres nostri? Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus [a] salvi fieri, quemadmodum & illi. (Act. 15. 10. & 11.) Hoc vos non vultis inimici [b] huic gratiæ, ut eâdem gratiâ Jesu Christi salvi facti credantur antiqui: sed distribuitis tempora secundùm Pelagium, in cujus libris hoc legitur; & ante legem dicitis salvos factos esse [c] naturâ, deinde per legem, postremò per Christum, quasi hominibus duorum superiorum temporum, ante legem scilicet & in lege, sanguis Christi non fuerit necessarius: evacuantes quod dictum est, Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. (1. Tim. 2. 5.)

Distributio temporum Pelagiana.

CAPUT XXII. Sexta antithesis, de gratia omnibus necessaria & de baptismo parvulorum.

40. GRATIAM *Christi*, inquiunt, *omnibus necessariam & majoribus & parvulis confitemur; & eos qui dicunt de duobus baptizatis natum non debere baptizari, anathematizamus.* Novimus quomodo non secundùm Paulum apostolum, sed secundùm Pelagium hæreticum ista dicatis: parvulis videlicet baptismum necessarium, non propter remissionem peccatorum, sed tantummodo propter regnum cælorum. Datis enim eis extra regnum Dei locum salutis & vitæ æternæ, etiam si non fuerint baptizati. Nec adtenditis quod scriptum est: Qui [d] crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui autem non crediderit, condemnabitur. (Marc. 16. 16.) Propter quod in Ecclesia Salvatoris per alios parvuli credunt, sicut ex aliis ea quæ illis in baptismo remittuntur peccata traxerunt. Nec illud cogitatis, eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes corporis & sanguinis Christi, dicente ipso, Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. (Iohan. 6. 54.) Aut si evangelicis vocibus cogimini confiteri, nec vitam salutemque posse habere parvulos de corpore exeuntes, nisi fuerint baptizati; quærite cur compellantur non baptizati secundæ mortis subire supplicium, judicante illo qui neminem damnat immeritum; & invenietis quod non vultis, originale peccatum.

Pelagiani parvulis non baptizatis salutem & vitam promittunt æternam extra regnum Dei.

CAPUT XXIII. Septima antithesis, de baptismi effectu.

41. *Eos etiam qui dicunt*, inquit, *baptisma non omnia peccata delere, condemnamus; quia scimus plenam purgationem per ipsa mysteria conferri.* Hoc dicimus & nos: sed parvulos quoque per ipsa mysteria, primæ nativitatis & obnoxiæ successionis vinculis solvi, non dicitis vos. Propter quod de Ecclesia Christi, quæ hoc antiquitus tenet, oportet ut sicut alii hæretici segregemini & vos.

CAPUT XXIV. Juliani epistolæ conclusionem refellit.

42. JAM verò quòd ita concludit epistolam, ut dicat: *Nemo ergo vos seducat, nec se negent impii ista sentire. Sed si verum dicunt, aut audientia detur, aut certè isti ipsi episcopi, qui nunc dissident, damnent quæ suprà dixi cum Manichæis ista tenere, sicut nos ista damnamus quæ de nobis jactant; &* [e] *fit plena concordia: quòd si nolunt, scitote eos esse Manichæos, & ab eorum vos abstinete consortiis:* contemnendum est potiùs quàm refellendum. Quis enim nostrûm dubitat anathema dicere Manichæis, qui dicunt à bono Deo nec homines, nec nuptias institutas, nec legem datam, quæ per Moysen Hebræo populo ministrata est? Sed & Pelagianis non immeritò anathema dicimus, qui tam sunt inimici gratiæ Dei, quæ venit per Jesum Christum Dominum nostrum, (Rom. 7. 25.) ut eam dicant non gratis, sed secundùm merita nostra dari, ac sic gratia jam non sit gratia; (Rom. 11. 6.) tantumque constituunt in libero arbitrio, quo in profundum demersus est homo, ut eo bene utendo dicant hominem mereri gratiam: cùm nemo bene illo uti possit, nisi per gratiam, quæ non secundùm debitum redditur, sed Deo gratis miserante donatur. Parvulos autem ita contendunt esse jam salvos, ut [f] à Salvatore audeant negare salvandos. Et hæc exsecrabilia dogmata tenentes & seminantes, adhuc insuper flagitant audientiam, cùm damnati debeant agere pænitentiam.

---

[a] Hic editio Lov. *salvos fieri*. At in lib. de peccato originali c. 25. convenit cum edit. aliis & MSS.

[b] Sic MSS. At editi, *inimici gratia Christi*: omisso, *huic*.

[c] Ita Gallic. & Vatic. MSS. At editi, *per naturam*. Confer lib. de peccato orig. c. 26.

[d] Vaticani MSS. *Qui baptizatus fuerit credens.*

[e] Er. & Lov. *& fit*. Am. & MSS. *& fit.*

[f] Sic MSS. Editi verò, *ut Salvatori.*

LIBER SECUNDUS.

Epistolam Pelagianorum alteram, calumniis in Catholicos instar primæ refertam, quæ octodecim episcoporum nomine Thessalonicam ab ipsis missa est, excutiendam suscipit. Ac primò Catholicos haud quaquam incidere in Manichæorum errores, dum Pelagianorum dogmata detestantur, hæreticis iisdem inter se collatis ostendit. Calumniam prævaricationis in posteriore Pelagii Cælestiique sub Zosimo damnatione admissæ propulsat à Romanis clericis, ostendens Pelagiana dogmata numquam Romæ approbata, tametsi Zosimi clementiâ leniùs aliquamdiu actum sit cum Cælestio, ut ad corrigendos errores suos adduceretur. Gratiæ nomine nec fatum asseri à Catholicis, nec personarum acceptionem Deo tribui: quamvis re vera Dei gratiam non secundùm merita hominum dari dicant, & boni cupiditatem primam inspirari à Deo, ita ut omnino non incipiat homo ex malo in bonum commutari, nisi hoc in illo agat indebita & gratuita misericordia Dei.

CAPUT I.

JAM nunc aliam, non Juliani tantùm, sed ei communem cum plurimis Pelagianis episcopis, quam Thessalonicam miserunt, consideremus epistolam, eique, Domino adjuvante, respondeamus, ut possumus. Quod opus nostrum ne longius fiat, quàm caussæ ipsius necessitas postulat; quid opus est ea quoque refellere, quæ dogmatis eorum insidiosa venena non continent, sed tantùm in auxilium suum, vel pro catholica fide contra Manichæorum, sicut loquuntur, profanitatem, consensionem Orientalium episcoporum videntur exposcere; nihil aliud nitentes, nisi ut horribili hæresi objecta, cujus se adversarios esse confingunt, lateant inimici gratiæ in laude naturæ. Quis enim eis hinc commovit aliquando quæstionem? Aut cui catholicorum propterea displicent, quia damnant eos quos prædixit Apostolus recessuros à fide, cauteriatam habentes conscientiam, prohibentes nubere, ab-
" stinentes à cibis, quos immundos putant, nec
" putantes à Deo cuncta esse condita? Quis eos aliquandò negare compulit, quòd omnis creatura Dei bona sit, & nulla substantia sit quam non summus fecerit Deus, nisi ipse Deus qui non est ab aliquo factus? Non ista in eis, quæ constat esse catholica, reprehenduntur atque damnantur. Impietatem quippe Manichæorum nimiùm stultam & noxiam, non solùm fides catholica detestatur; verùm etiam hæretici omnes, qui non sunt Manichæi. Unde & isti Pelagiani hoc bene faciunt, Manichæis anathema dicere, & eorum erroribus contradicere. Sed faciunt duo mala, quibus & ipsi anathematizandi sunt: unum, quòd catholicos Manichæorum nomine criminantur; alterum, quòd etiam ipsi hæresim novi erroris inducunt. Neque enim quia Manichæorum morbo non laborant, propterea fidei sanæ sunt. Non unum pestilentiæ est genus, quemadmodum in corporibus, ita & in mentibus. Sicut ergo medicus corporis non continuò pronuntiasset à mortis periculo [a] liberum, quem negasset hydropicum, si alio lethali morbo perspexisset ægrotum: ita istis non ideo veritas gratulatur, quia Manichæi non sunt, si alio genere perversitatis insaniunt. Quapropter aliud est

1. Tim. 4. 1. & seq.

Pelagiani catholicos Manichæorum nomine criminantur.

A quod anathematizamus cum eis, aliud quod in eis. Detestamur enim cum eis, quod rectè displicet etiam ipsis; ita tamen ut detestemur in eis, unde rectè displicent ipsi.

CAPUT II.

Manichæorum & Pelagianorum hæreses sibi mutuo adversæ, atque à catholica Ecclesia reprobatæ.

2. MANICHÆI dicunt, Deum bonum non omnium naturarum esse creatorem: Pelagiani dicunt, Deum non esse omnium ætatum in hominibus mundatorem, salvatorem, liberatorem. Catholica utrosque redarguit, & contra Manichæos defendens Dei creaturam, ne ab illo instituta negetur B ulla natura; & contra Pelagianos, ut in omnibus ætatibus perdita requiratur humana natura. Manichæi carnis concupiscentiam non tamquam accidens vitium, sed tamquam naturam ab æternitate malam vituperant: Pelagiani eam tamquam nullum vitium, sed naturale sit bonum insuper laudant. Catholica utrosque redarguit, Manichæis dicens, Non natura, sed vitium est: Pelagianis dicens, Non à Patre, sed ex mundo est: ut eam velut malam valetudinem sanari C utrique permittant, desinendo illi tamquam insanabilem credere, isti tamquam laudabilem prædicare. Manichæi negant homini bono ex libero arbitrio fuisse initium mali: Pelagiani dicunt etiam hominem malum sufficienter habere liberum arbitrium ad faciendum præceptum bonum. Catholica utrosque redarguit, & illis dicens, Fecit Deus hominem rectum: & istis dicens, Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis. Manichæi dicunt, animam particulam Dei, naturæ malæ D commixtione habere peccatum: Pelagiani dicunt, animam justam, non quidem particulam, sed creaturam Dei, etiam in ista corruptibili vita non habere peccatum. Catholica utrosque redarguit, Manichæis dicens, Aut facite arborem " bonam, & fructum ejus bonum; aut facite ar- " borem malam, & fructum ejus malum; quod " non diceretur homini, qui naturam facere non potest, nisi quia peccatum non natura, sed vitium est: Pelagianis dicens, Si dixerimus E quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. His morbis inter se contrariis Manichæi Pelagianique confligunt, dissimili voluntate, simili vanitate; separati opinione diversa, sed propinqui mente perversa.

Eccle. 7. 30.

Johan. 8. 36.

Matth. 12. 33.

1. Johan. 1. 8.

[a] Codices Gallicani, *liberatum*.

3. Jam

Manichæi & Pelagiani quatenus errore conjuncti, quatenus ſeparati.

3. Jam verò gratiam Chriſti ſimul oppugnant, baptiſmum ejus ſimul evacuant, carnem ejus ſimul exhonorant; ſed etiam hæc modis cauſiſque diverſis. Nam Manichæi meritis naturæ bonæ, Pelagiani autem meritis voluntatis bonæ, perhibent divinitus ſubveniri. Illi dicunt, Debet hoc Deus laboribus membrorum ſuorum: iſti dicunt, Debet hoc Deus virtutibus ſervorum ſuorum. Utriſque ergo merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. (Rom. 4. 4.) Manichæi lavacrum regenerationis, id eſt, aquam ipſam dicunt eſſe ſuperfluam, nec prodeſſe aliquid profano corde contendunt: Pelagiani autem, quod in ſacro baptiſmate ad expianda peccata [a] dicitur, nihil opitulari infantibus nullum peccatum habentibus aſſerunt. Ac per hoc in parvulis baptizandis, quantum ad remiſſionem adtinet peccatorum, Manichæi viſibile deſtruunt elementum: Pelagiani autem etiam inviſibile ſacramentum. Manichæi carnem Chriſti exhonorant, partum virginis blaſphemando; Pelagiani autem carnem redimendorum carni redemtoris æquando. Propterea quippe natus eſt Chriſtus, non utique in carne peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati, (Rom. 8. 3.) quia ceterorum hominum naſcitur caro peccati. Manichæi ergo omnem carnem penitus deteſtantes, auferunt carni Chriſti perſpicuam veritatem: Pelagiani verò nullam carnem peccati naſci aſſeverantes, auferunt carni Chriſti propriam dignitatem.

Duo errores contrarii.

4. Deſinant itaque Pelagiani catholicis objectare quod non ſunt, [b] ſed ipſi potiùs feſtinent emendare quod ſunt: nec ideo ſe velint [c] haberi amabiles, quia odioſo Manichæorum adverſantur errori; ſed meritò ſe agnoſcant odibiles, quia ſuum non averſantur errorem. Poſſunt enim duo errores inter ſe eſſe contrarii, ſed ambo ſunt deteſtandi, quia ſunt ambo contrarii veritati. Nam ſi propterea ſunt diligendi Pelagiani, quia oderunt Manichæos; diligendi ſunt & Manichæi, quia oderunt Pelagianos. Sed abſit ut Catholica mater propter alterorum odium, alteros eligat amare: cùm monente atque adjuvante Domino debeat utroſque vitare, & cupiat utroſque ſanare.

CAPUT III.

Calumnia Pelagianorum adverſùs Romanæ eccleſiæ clericos.

5. QUIN etiam Romanos clericos arguunt, ſcribentes, *eos juſſionis terrore perculſos non erubuiſſe prævaricationis crimen admittere, ut contra priorem ſententiam ſuam, qua geſtis catholico dogmati adfuerant, poſtea pronuntiarent malam hominum eſſe naturam.* Immo verò Pelagiani ſpe falſa putaverant, novum & exſecrabile dogma Pelagianum vel Cæleſtianum perſuaderi quorumdam Romanorum catholicis mentibus poſſe; quando illa ingenia, quamvis nefando errore [d] perverſa, non tamen contemtibilia, cùm ſtudioſè corrigenda potiùs, quàm facilè damnanda viderentur, aliquanto leniùs, quàm ſeverior poſtulabat Eccleſiæ diſciplina, tractata ſunt.

Purgatio Zoſimi.

Tot enim & tantis inter Apoſtolicam ſedem & Afros epiſcopos currentibus & recurrentibus ſcriptis eccleſiaſticis, etiam geſtis de hac cauſſa apud illam ſedem Cæleſtio præſente & reſpondente confectis; quænam tandem epiſtola venerandæ memoriæ papæ Zoſimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere, ſine ullo vitio peccati originalis hominem naſci? (V. lib. de peccat. orig. c. 2. & 6.) Nuſquam prorſus hoc dixit, nuſquam omnino conſcripſit.

Cæleſtius vir acerrimi ingenii. Libellus fidei ipſius Zoſimo oblatus, quo ſenſu catholicus dictus.

Sed cùm hoc Cæleſtius in ſuo libello poſuiſſet, inter illa dumtaxat de quibus ſe adhuc dubitare & inſtrui velle confeſſus eſt, in homine acerrimi ingenii, qui profectò ſi corrigeretur plurimis profuiſſet, voluntas emendationis, non falſitas dogmatis approbata eſt. Et propterea libellus ejus catholicus dictus eſt, quia & hoc catholicæ mentis eſt, ſi qua forte aliter ſapit, quàm veritas exigit, non ea certiſſimè definire, ſed detecta ac demonſtrata reſpuere. Non enim hæreticis, ſed catholicis Apoſtolus loquebatur, ubi ait: Quotquot ergo perfecti hoc ſapiamus, & ſi quid aliter ſapitis, id quoque Deus vobis revelabit. (Philip. 3. 15.)

Cæleſtius conſentire ſe litteris Innocentii papæ, ſed fallaciter, profitetur.

Hoc in illo factum eſſe putabatur, quando ſe litteris beatæ memoriæ papæ Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota ſublata eſt, conſentire reſpondit. Et hoc ut plenius & manifeſtius in illo fieret, exſpectabatur, venturis ex Africa litteris, in qua provincia ejus aliquantò calliditas evidentiùs innotuerat.

Litteræ concilii Africani ad Zoſimum, quibus doli & fraudes Cæleſtii deteguntur.

Quæ Romam litteræ poſtea quàm venerunt, id continentes, non ſufficere hominibus tardioribus & ſollicitioribus, quòd ſe generaliter Innocentii epiſcopi litteris conſentire fatebatur; ſed apertè eum debere anathematizare, quæ in ſuo libello prava poſuerat; ne ſi id non feciſſet, multi parum intelligentes magis in libello ejus illa fidei venena à ſede Apoſtolica crederent approbata, propterea quòd ab illa dictum erat, eum libellum eſſe catholicum, quàm emendata, propter illud quòd ſe papæ Innocentii litteris conſentire ipſe reſponderat:

Cæleſtius ſubducit ſe Apoſtolicæ ſedis examini.

tunc ergo cùm ejus præſentia poſceretur, ut certis ac dilucidis reſponſionibus, vel aſtutia hominis vel correctio dileſceret, & nulli ambigua remaneret, ſe ſubtraxit & negavit examini. Nec differendum jam fuerat, ſicut factum eſt, quod aliis prodeſſet, ſi nimiùm perverſorum pertinaciæ dementiæque [e] non poſſet. Sed ſi, quod abſit, ita tunc fuiſſet de Cæleſtio vel Pelagio in Romana Eccleſia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipſis & cum ipſis papa Innocentius damnaverat, approbanda & tenenda pronuntiarentur, ex hoc potiùs eſſet prævaricationis nota Romanis clericis inurenda. Nunc verò cùm primitus beatiſſimi papæ Innocentii litteræ epiſcoporum litteris reſpondentis Afrorum, pariter hunc errorem, quem conantur iſti perſuadere, damnaverint: ſucceſſor quoque ejus ſanctus papa Zoſimus hoc tenendum eſſe, quod iſti de parvulis ſentiunt, numquam dixerit, numquam ſcripſerit; inſuper etiam Cæleſtium ſe purgare molientem ad conſentiendum ſuprà dictis ſedis Apoſtolicæ litteris crebra interlocutione conſtrinxerit: profectò quidquid interea lenius actum eſt cum Cæleſtio, ſervata dumtaxat antiquiſſimæ & robuſtiſſimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementiſſima ſuaſio, non approbatio exitioſiſſima pravitatis.

Cæleſtius cum Pelagio iterum excommunicatur.

Et quòd ab eodem ſacerdote poſtea Cæleſtius & Pelagius repetita auctoritate damnati ſunt, paululùm in-

[a] Vaticani MSS *datur.*
[b] In editis omiſſum, *ſed ipſi potiùs feſtinent emendare quod ſunt.* Habetur in MSS Gallic. & Vatic.

[c] Am. & MSS. prætereunt, *haberi.*
[d] Gallicani MSS. *pervaſa.*
[e] Unus è MSS. Vaticanis, *prodeſſe non poſſet.*

termiſſæ, jam neceſſariò proferendæ ratio ſeveritatis fuit, non prævaricatio priùs cognitæ vel nova cognitio veritatis.

Caput IV. Geſta in cauſſa Cæleſtii apud Zoſimum.

6. Sed quid opus eſt nos de hac re loquendo diutius immorari, cùm exſtent hinc atque inde geſta & ſcripta directa, ubi poſſint cuncta illa, quemadmodum acta ſint, vel cognoſci vel recognoſci? Interrogationibus enim ſancti * præceſſoris tui, & Cæleſtii reſponſionibus quibus ſe beati papæ Innocentii litteris conſentire profeſſus eſt, quis non videat quemadmodum ſit Cæleſtius colligatus, & vinculo ſaluberrimo obſtrictus, ne ulteriùs defendere auderet in baptiſmate parvulorum non dimitti originale peccatum? Venerabilis quippe Innocentii epiſcopi de hac re iſta ſunt verba ad Carthaginienſe concilium: *Liberum enim*, inquit, *arbitrium olim ille perpeſſus, dum ſuis inconſultiùs utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demerſus, nihil quemadmodum exinde ſurgere poſſet invenit: ſuaque in æternum libertate deceptus, hujus* [a] *ruinæ jacuiſſet oppreſſu, niſi eum pòſt Chriſti pro ſua gratia liberaſſet adventus, qui per novæ regenerationis purificationem omne præteritum vitium ſui baptiſmatis lavacro purgavit.* Quid iſtâ ſedis Apoſtolicæ ſententiâ clarius atque manifeſtius? Huic ſe Cæleſtius conſentire profeſſus eſt, quando cùm illi à ſancto * præceſſore tuo dictum eſſet, *Illa omnia damnas quæ jactata ſunt de nomine tuo?* ipſe reſpondit, *Damno ſecundùm ſententiam beatæ memoriæ præceſſoris tui Innocentii.* Inter cetera autem quæ de nomine ejus jactata fuerant, diaconus Cæleſtio Paulinus objecerat, quòd diceret, *peccatum Adæ ipſi ſoli obfuiſſe, & non generi humano; & quòd infantes nuper nati, in eo eſſent ſtatu, in quo Adam fuit ante peccatum.* Proinde ſi objecta Paulini, ſecundùm ſententiam beati papæ Innocentii veraci corde atque ore damnaret; quid ei remaneret deinceps unde contenderet, nullum eſſe ex præterita primi hominis tranſgreſſione in parvulis vitium, quod per novæ regenerationis purificationem ſacro baptiſmate purgaretur? Sed illud ſe reſpondiſſe fallaciter noviſſimo exitu oſtendit, cùm ſe ſubtraxit examini, ne ſecundùm Africana reſcripta ipſa omnino de hac quæſtione verba commemorare & anathematizare, quæ in libello ſuo poſuit, cogeretur.

Innocentius epiſt. apud Aug. 181. n. 7.

* Zoſimi.

* Zoſimo.

7. Quid illud quod idem Papa de hac ipſa cauſſa etiam Numidiæ reſcripſit epiſcopis, quia de utroque concilio & de Carthaginienſi ſcilicet & de Milevitano ſcripta ſuſceperat, nonne apertiſſimè de parvulis loquitur? Hæc enim ejus verba ſunt: *Illud verò, quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt. Niſi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint ſanguinem ejus, non habebunt vitam in ſemetipſis. Qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare, cùm prædicant hos habere, quod in eos credimus non niſi baptiſmate conferendum.* Quid ad hæc dicit ingratus, cui ſedes Apoſtolica jam ſua profeſſione quaſi correcto benigniſſima lenitate pepercerat? Quid ad hæc dicit? utrùm poſt hujus vitæ finem parvuli, etiam ſi dum vivunt non baptizentur in Chriſto, in vita æterna erunt, an non erunt? Si dixerit, erunt: quomodo ergo quæ de nomine ejus jactata ſunt, ſecundùm ſententiam beatæ memoriæ Innocentii ſe damnaſſe reſpondit? Ecce beatæ memoriæ Innocentius papa ſine baptiſmo Chriſti, & ſine participatione corporis & ſanguinis Chriſti vitam non habere parvulos dicit. Si dixerit, non erunt: quomodo ergo non accipientes æternam vitam, utique conſequenter æterna morte damnantur, ſi nullum trahunt originale peccatum?

Innocentius epiſt. inter Auguſtinianas. 181. n. 5.

Iohan. 6. 54.

8. Quid ad hæc dicunt iſti, qui ſuas calumnioſas impietates audent etiam ſcribere, audent & Orientalibus epiſcopis mittere? Tenetur Cæleſtius litteris venerabilis Innocentii præbuiſſe conſenſum: leguntur ipſæ memorati antiſtitis litteræ, ſcribentis non baptizatos vitam parvulos habere non poſſe. Quis autem negabit id eſſe conſequens ut mortem habeant, qui non habent vitam? Unde ergo in infantibus iſta miſerabilis pœna, ſi nulla originalis eſt culpa? Quomodo igitur ab iſtis fidei deſertoribus & oppugnatoribus gratiæ Romani clerici prævaricationis arguuntur ſub epiſcopo Zoſimo, quaſi aliud ſenſerint in damnatione poſteriore Cæleſtii & Pelagii, quàm quod ſub Innocentio in priore ſenſerunt? Quia utique cùm litteris venerabilis Innocentii de parvulis, niſi baptizarentur in Chriſto, in æterna morte manſuris, catholicæ fidei clareret antiquitas; profectò Eccleſiæ Romanæ prævaricator potiùs eſſet, quicumque ab illa ſententia deviaſſet: quod Deo propitio, quoniam factum non eſt, ſed ipſa conſtanter repetitâ Cæleſtii & Pelagii damnatione ſervata eſt; intelligant ſe iſti eſſe unde alios criminantur, & aliquando à fidei prævaricatione ſanentur. Malam quippe hominum eſſe naturam, non dicit catholica fides, in quantum homo à creatore primitus inſtitutus eſt; neque nunc quod in illa Deus creat, cùm homines ex hominibus facit, hoc eſt malum ejus; ſed quod ex illo vitio primi hominis trahit.

Caput V. Reſpondet ad Pelagianorum calumnias.

9. Jam nunc illa videnda ſunt, quæ in epiſtola ſua nobis objicientes, breviter poſuerunt, quibus hæc eſt noſtra reſponſio. Peccato Adæ periiſſe arbitrium liberum de hominum natura non dicimus: ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis diabolo; ad bene autem piéque vivendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis adjuta. Neminem niſi Dominum Deum dicimus naſcentium conditorem, nec à diabolo, ſed ab ipſo nuptias inſtitutas: omnes tamen ſub peccato naſci propter propaginis vitium; & ideo eſſe ſub diabolo, donec renaſcantur in Chriſto. Nec ſub nomine gratiæ fatum aſſerimus, quia nullis hominum meritis Dei gratiam dicimus antecedi. Si autem quibuſdam omnipotentis Dei voluntatem placet fati nomine nuncupare; profanas quidem verborum novitates evitamus, ſed de verbis contendere non amamus.

Liberum arbitrium ſine gratia ad peccandum valet, non ad bene vivendum.

1. Tim. 6. 20.

10. Unde autem hoc eis viſum fuerit nobis objicere, quòd fatum aſſeramus ſub nomine gratiæ, cùm aliquantò adtentiùs cogitarem; priùs eorum verba quæ conſequuntur inſpexi. Sic enim hoc nobis objiciendum putarunt: *Sub nomine*, inquiunt, *gratiæ ita fatum aſſerunt, ut dicant, quia*

[a] Am. Er. & plures MSS. *hujus ruina latuiſſet oppreſſu.* Lov. *hujus ruinâ jacuiſſet oppreſſus.* Confer Innocentii epiſt. apud Auguſt. tom. 2,

nisi Deus invito & reluctanti homini inspiraverit boni, & ipsius imperfecti, cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum possit arripere. Deinde aliquantò pòst, ubi ipsi quæ defendant, commemorant, quid de hac re ab eis diceretur, adtendi. *Baptisma*, inquiunt, *omnibus necessarium esse ætatibus confitemur: gratiam quoque adjuvare uniuscujusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere, quia personarum acceptio non est apud Deum.* Ex his eorum verbis intellexi, ob hoc illos vel putare vel putari velle, fatum nos asserere sub nomine gratiæ, quia gratiam Dei non secundùm merita nostra dicimus dari, sed secundùm ipsius misericordissimam voluntatem, qui dixit, Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero. Ubi consequenter adjunctum est, Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Posset etiam hinc quispiam similiter stultus fati assertorem Apostolum putare vel dicere. Verùm hîc se isti satis aperiunt. Cùm enim propterea nobis calumniantur, dicentes nos fatum gratiæ nomine asserere, quia non secundùm merita nostra dari dicimus Dei gratiam; procul dubio confitentur, quòd ipsi eam secundùm nostra merita dari dicunt: ita cæcitas eorum occultare ac dissimulare non potuit, hoc se sapere atque sentire, quod sibi objectum Pelagius in episcopali judicio Palæstino subdolo timore damnavit. Objectum quippe illi est ex verbis quidem discipuli sui Cælestii, quòd etiam ipse diceret, *gratiam Dei secundùm merita nostra dari.* Quod ille [a] detestans, vel quasi detestans, ore dumtaxat anathematizare non distulit: sed sicut ejus libri posteriores indicant, & istorum sectatorum ejus [b] nudat assertio, ficto corde servavit, donec postea, quod tunc metu texerat negantis astutia, etiam in litteras proferret audacia. Et adhuc non reformidant, nec saltem verecundantur episcopi Pelagiani litteras suas catholicis Orientalibus episcopis mittere, quibus nos assertores fati esse criminantur, quia non dicimus gratiam Dei secundùm merita nostra dari, quod Pelagius episcopos Orientales metuens, & dicere non ausus, & damnare compulsus est.

Col. 3. 25. Gratia datur secundùm Dei misericordissimam voluntatem.

Exod. 33. 19. Rom. 9. 15. Ibidem 16.

CAPUT VI. Fati criminatio retorquetur in adversarios.

11. ITANE verò, filii superbiæ, inimici gratiæ Dei, ô novi hæretici Pelagiani, quisquis dicit, gratiâ Dei omnia hominis bona merita præveniri, nec gratiam Dei meritis dari, ne non sit gratia, si non gratìs datur, sed debita merentibus redditur; fatum vobis videtur asserere? Nonne etiam vos ipsi qualibet intentione necessarium baptismum omnibus ætatibus dicitis? Nonne in hac ipsa epistola vestra istam de baptismo sententiam, & de gratia juxtâ posuistis? Cur non vos baptismus, qui datur infantibus, ipsa vicinitate commonuit, quid sentire de gratia debeatis? Hæc enim verba sunt vestra: *Baptisma omnibus necessarium esse ætatibus confitemur: gratiam quoque adjuvare uniuscujusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere, quia personarum acceptio non est apud Deum.* In his omnibus verbis vestris de gratia quod dixistis, interim taceo: de baptismate reddite rationem, cur illud dicatis omnibus esse ætatibus necessarium, quare sit necessarium parvulis dicite: profectò quia eis boni aliquid confert, & idem aliquid nec parvum, nec mediocre, sed magnum est. Nam etsi eos negatis adtrahere quod in baptismo remittatur originale peccatum: tamen illo regenerationis lavacro adoptari ex filiis hominum in Dei filios non negatis; immo etiam prædicatis. Dicite ergo nobis, quicumque baptizati in Christo parvuli de corpore exierunt, hoc tam sublime donum quibus præcedentibus meritis acceperunt? Si dixeritis, hoc eos parentum pietate meruisse: Respondebitur vobis, Cur aliquando piorum filiis negatur hoc bonum, & filiis tribuitur impiorum? Nonnumquam enim de religiosis orta proles in tenera ætate atque ab utero [c] recentissima prævenitur morte, ante quàm lavacro regenerationis abluatur; & infans natus ex inimicis Christi misericordiâ Christianorum baptizatur in Christo: plangit baptizata mater non baptizatum proprium; & ab impudica expositum, baptizandum casta fetum colligit alienum. Hîc certè merita parentum vacant, vacant vobis fatentibus ipsorum etiam parvulorum. Scimus enim vos non hoc de anima humana credere, quòd ante corpus terrenum alicubi vixerit, & aliquid operata sit vel boni vel mali, unde istam in carne differentiam mereretur. Quæ igitur caussa huic parvulo baptismum procuravit, illi negavit? An ipsi fatum habent, quia meritum non habent? aut in his est acceptio à Domino personarum? Nam utrumque dixistis, priùs fatum, acceptionem postea personarum: ut quoniam utrumque refutandum est, remaneat quod vultis adversùs gratiam introducere meritum. Respondete igitur de meritis parvulorum, cur alii baptizati, alii non baptizati de corporibus exeant, nec parentum meritis vel polleant vel careant tam excellenti bono, ut fiant filii Dei ex hominum filiis, nullis parentum, nullis [d] meritis suis. Nempe reticetis; & vos ipsos potiùs in eo quod nobis objicitis, invenitis. Nam si ubi non est meritum, consequenter esse dicitis fatum, & ob hoc in gratia Dei meritum hominis vultis intelligi, ne fatum cogamini confiteri; ecce vos potiùs asseritis fatum in baptismate parvulorum, quorum nullum esse fatemini meritum. Si autem in baptizandis parvulis, & nullum meritum omnino præcedere, & tamen fatum non esse conceditis; cur nos quando dicimus gratiam Dei propterea gratìs dari, ne gratia non sit, & non tamquam debitam meritis præcedentibus reddi, fati assertores esse jactatis? non intelligentes, in justificandis impiis, sicut propterea merita non sunt, quia Dei gratia est; ita propterea non esse fatum, quia Dei gratia est; ita propterea non esse acceptionem personarum, quia Dei gratia est.

Adoptionē parvulorū in baptismate agnoscebant Pelagiani.

Ut infans unus præ altero ad baptismi gratiam perveniat, non fit parentum merito, sed gratiâ Dei.

Col. 3. 25.

12. Fatum quippe qui affirmant, de siderum positione ad tempus quo concipitur quisque vel nascitur, quas constellationes vocant, non solùm actus & eventa, verùm etiam ipsas nostras voluntates pendere contendunt: Dei verò gratia non solùm omnia sidera & omnes cælos, verùm etiam

Fati nomine quid intelligatur.

[a] Vaticani codices, *Quod ille quasi detestans*: omisso, *detestans vel.*
[b] Editi, *nudata*. Emendantur ex MSS.
[c] Editi, *recentissimo*. Meliùs MSS. *recentissima*: referendo ad prolem.
[d] Gallicani MSS. *nullis propriis meritis: & vos ipsos*: omisso, *Nempe reticetis.*

omnes angelos supergreditur. Deinde fati assertores & bona & mala hominum fato tribuunt: Deus autem in malis hominum merita eorum debitâ retributione persequitur; bona verò per indebitam gratiam misericordi voluntate largitur; utrumque faciens non per stellarum temporale consortium, sed per suæ severitatis & bonitatis æternum altumque consilium. Neutrum ergo pertinere videmus ad fatum. Hîc [a] si respondetis, hanc ipsam Dei benevolentiam, qua non merita sequitur, sed bona indebita gratuitâ bonitate largitur, fatum potiùs esse dicendum: cùm hanc Apostolus gratiam vocet, dicens, Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur: nonne adtenditis, nonne perspicitis, non à nobis divinæ gratiæ nomine fatum asseri, sed à vobis potiùs divinam gratiam fati nomine nuncupari?

Ephes. 2. 8.

CAPUT VII. Refellit calumniam de personarum acceptione.

13. ITEMQUE, [b] acceptio personarum ibi rectè dicitur, ubi ille qui judicat relinquens caussæ meritum de qua judicat, alteri contra alterum suffragatur, quia invenit aliquid in persona quod honore vel miseratione sit dignum. Si autem quispiam duos habeat debitores, & alteri velit dimittere debitum, alterum exigere; cui vult donat, sed neminem fraudat: nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est. Alioquin eis qui parum intelligunt, potest acceptio personarum videri, ubi vineæ dominus operariis, qui unâ horâ illic opus fecerunt, tantum dedit, quantum illis qui pertulerunt pondus diei & æstus, æquales faciens in mercede, quorum tam magna distantia fuerat in labore. Sed quid respondit de hac veluti acceptione personarum adversùs patrem-familiâs murmurantibus? Amice, inquit, non facio tibi injuriam. Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade. Volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Nempe hîc tota justitia est: Hoc volo: Tibi, inquit, reddidi, huic donavi; neque ut huic donarem, tibi aliquid abstuli, aut quod debebam vel minui vel negavi. An non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sicut ergo hîc nulla est acceptio personarum; quia sic alius gratis honoratur, ut alius debito non fraudetur: sic etiam cùm secundùm propositum Dei vocatur alius, alius non vocatur, vocato datur gratuitum bonum, cujus boni est vocatio ipsa principium; non vocato redditur malum, quia omnes rei sunt ex eo, quòd per unum hominem peccatum intravit in mundum. Et in illa quidem operariorum similitudine, ubi unum denarium acceperunt, qui unâ horâ, & qui duodecies tantum laboraverunt, qui utique secundùm rationes humanas, sed vanas, pro quantitate laboris sui duodecim denarios accipere debuerunt, utrique in bono coæquati, non alii liberati, alii damnati sunt: quia & illi qui plus laboraverunt, & quòd sic vocati sunt ut venirent, & quòd sic pasti ut non deficerent, ab ipso patre-familiâs habuerunt. Ubi autem dicitur, Ergo cui vult miseretur, & quem vult obdurat; qui facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: bonum quidem immerito & gratis datur, quia ex eadem massa est cui [c] non datur; malum verò merito & debitum redditur, quia in massa perditionis malum malo non malè redditur; & ei cui redditur malum est, quia supplicium ejus est; ei verò à quo redditur, bonum est, quia rectè factum ejus est. Nec ulla est acceptio personarum in duobus debitoribus æqualiter reis, si alteri dimittitur, alter exigitur, quod pariter ab utroque debetur.

Acceptio personarũ non est, ubi iniquitas non est.

Matth. 20. 9.

Ibidem 13. &c.

Divina electio non habet personarum acceptionem, etiam si ex meritis non procedat.

Rom. 8. 28.

Rom. 5. 12.

Rom. 9. 18. & 21.

Non est acceptio personarum quòd gratia uni datur, alteri non datur.

14. Sed ut id quod dicimus alicujus exempli manifestatione clarescat, constituamus aliquos ab aliqua meretrice geminos editos, atque ut ab aliis colligerentur expositos: horum sine baptismo exspiravit unus, alius baptizatus. Quod hîc fatum fortunamve fuisse dicamus, quæ omnino nulla sunt? Quam personarum acceptionem, cùm apud Deum nulla esset, etiam si in istis ulla esse potuisset: qui utique nihil habebant, unde alter alteri præferretur, meritaque nulla propria, sive bona, quibus mereretur alius baptizari; sive mala, quibus alius sine baptismate mori? An aliqua parentum fuerunt, ubi fornicator pater, meretrix mater? Sed qualiacumque illa fuerint, non utique istis tam diversâ conditione morientibus ulla diversa, sed utrique communia. Si ergo nec fatum, quia nullæ stellæ ista decernunt; nec fortuna, quia non fortuiti casus hæc agunt; nec personarum, nec meritorum diversitas hoc fecerunt: quid restat, quantum ad baptizatum adtinet, nisi gratia Dei quæ vasis factis in honorem gratis datur; quantum autem ad non baptizatum, ira Dei, quæ vasis factis in contumeliam pro ipsius massæ meritis redditur? Sed in illo qui baptizatus est, gratiam Dei vos confiteri cogimus, & meritum ejus nullum præcessisse convincimus: de illo autem sine baptismate mortuo, cur ei defuerit sacramentum, quod & vos fatemini omnibus ætatibus necessarium, & quid isto modo in eo fuerit vindicatum, vos videritis, qui non vultis esse originale delictum.

Exemplo illustrat.

Nec fatum, nec fortuna, nec personarum, sed gratia Dei & ira.

15. Nobis in duobus istis geminis unam procul dubio habentibus caussam, difficultatem quæstionis cur alius sic, alius verò sic mortuus est, velut non solvendo solvit Apostolus: qui cùm & ipse de duobus geminis tale aliquid proposuisset, propter [d] quod non ex operibus, quia nondum operati fuerant aliquid boni vel mali, sed ex vocante dictum est, Major serviet minori: &, Jacob dilexi, Esaü autem odio habui: & hujus profunditatis horrorem usque ad hoc perduxisset, ut diceret, Ergo cujus vult miseretur, & quem vult obdurat: sensit continuò quid moveret, & sibi verba contradicentis, quæ apostolica auctoritate coërceret, opposuit. Ait enim: Dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit? Responditque istà dicenti: O homo tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem [e] massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Deinde

Quæstionem non solvendo solvit Apostolus.

Rom. 9. 11.

Ibidem 13.

Ibidem 19. &c.

Electio ex massa per...

[a] Particulam *si* restituimus ex MSS.
[b] Sic MSS. At editi, *Item, quæ acceptio &c.*
[c] Hîc particula negans restituitur Gallicanorum MSS. auctoritate.
[d] Sic MSS. At editi, *propter quos.*
[e] In MSS. *ex eadem consparsione.*

ditionis gratuita.

ſecutus, tam magnum abditumque ſecretum, quantum aperiendum eſſe hominibus judicavit, aperuit dicens: Si autem volens Deus oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam, adtulit in multa patientia vaſa iræ quæ perfecta ſunt in perditionem, & ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam. [a] Hoc eſt gratiæ Dei, non ſolùm adjutorium, verùm etiam documentum: adjutorium ſcilicet in vaſis miſericordiæ; in vaſis autem iræ documentum: in eis enim oſtendit iram, & demonſtrat potentiam ſuam, quia tam potens eſt bonitas ejus, ut bene utatur etiam malis; & in eis notas facit divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quoniam quod ab iræ vaſis exigit juſtitia punientis, hoc vaſis miſericordiæ dimittit gratia liberantis: nec beneficium quod quibuſdam gratìs tribuitur, appareret, niſi Deus aliis ex eadem maſſa pariter reis juſto ſupplicio condemnatis, quid utriſque deberetur, oſtenderet. Quis enim te diſcernit? ait idem Apoſtolus, homini tamquam de ſemetipſo & de ſuo proprio bono glorianti: Quis enim te diſcernit? utique ab iræ vaſis, à maſſa perditionis, quæ per unum omnes miſit in damnationem. Quis te diſcernit? Et tamquam reſpondiſſet, Diſcernit me fides mea, propoſitum meum, meritum meum. Quid enim habes, inquit, quod non accepiſti? Si autem & accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? hoc eſt, quaſi de tuo ſit, unde diſcerneris. Ergo ille diſcernit, qui unde diſcernaris impertit, pœnam debitam removendo, indebitam gratiam largiendo: ille diſcernit, qui cùm tenebræ eſſent ſuper abyſſum, dixit, Fiat lux, & facta eſt lux: & diviſit, hoc eſt, diſcrevit inter lucem & tenebras. Non enim cùm ſolæ eſſent tenebræ, quid diſcerneret invenit: ſed lucem faciendo diſcrevit; ut juſtificatis impiis dicatur, Fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ac ſic qui gloriatur, non in ſe ipſo, ſed in Domino glorietur. Ille diſcernit, qui de nondum natis necque qui aliquid egerant boni aut mali, ut ſecundùm electionem propoſitum ejus maneret, non ex operibus, ſed ex [b] ſe ipſo vocante dixit, Major ſerviet minori: atque idipſum commendans poſtea per Prophetam; Jacob, inquit, dilexi, Eſaü autem odio habui. Electionem quippe dixit, ubi Deus non ab alio factum quod eligat invenit, ſed quod inveniat ipſe facit: ſicut de reliquiis Iſraël ſcriptum eſt, Reliquiæ per electionem gratiæ factæ ſunt. Si autem gratiâ, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia. Propter quod profectò deſipitis, qui dicente veritate, Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt; vos dicitis, Ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum eſſe præſciebat, Jacob fuiſſe dilectum: atque ita contradicitis Apoſtolo dicenti, Non ex operibus: quaſi non poſſet dicere, Non ex præſentibus, ſed futuris operibus. Sed ait, Non ex operibus, ut gratiam commendaret: Si autem gratiâ, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia. [c] Præcedit

Ibid. 22. & 23.

Cur non omnes ex maſſa perditionis liberentur.

1. Cor. 4. 7.

Gen. 1. 2.

Epheſ. 5. 8.

2. Cor. 10. 17.

Rom. 9. 11.

Gen. 25. 23.

Mal. 1. 2.

Rom. 11. 5. & 6.

Electionem futuris operibus adſcribentes Pelagiani deſipiunt.

[a] Vaticani codices, *Hic eſt.*

[b] Apud Lov. *ſed ex ipſo*: omiſſo, *ſe*. Habetur in ceteris libris.

[c] Sic Vaticani & Gallic. MSS. Editi autem, omiſſis verbis, (*Præcedit namque, non debita, ſed gratuita*,) ferebant, *gratia utique, ut per illam fiant* &c.

[d] Gallicani MSS. omittunt, *redit ad vos*.

namque, non debita, ſed gratuita gratia, ut per illam fiant bona opera: ne ſi præceſſerint bona opera, tamquam operibus reddatur gratia, ac ſic gratia jam non ſit gratia.

16. Sed ut vobis auferretur omnis veſtræ caliginis latebra, propterea geminos tales propoſui, qui neque parentum meritis juvarentur, & ambo infantiæ primordio unus baptizatus, alter ſine baptiſmate morerentur; ne diceretis Deum, ſicut de Jacob & Eſaü contra Apoſtolum dicitis, opera eorum futura præſciſſe. Quomodo enim præſcivit ea futura, quæ illis in infantia morituris, quia præſcientia ejus falli non poteſt, præſcivit potiùs non futura? Aut quid prodeſt eis qui rapiuntur ex hac vita, ne malitia mutet intellectum eorum, aut ne fictio decipiat animam eorum, ſi peccatum etiam quod non eſt factum, dictum, cogitatum, tamquam commiſſum fuerit, ſic punitur? Quòd ſi abſurdiſſimum, inſulſiſſimum, dementiſſimum eſt, quoſlibet homines ex his peccatis, quorum nec reatum ex parentibus trahere, ſicut dicitis, nec ea non ſolùm committere, ſed nec ſaltem cogitare potuerunt, eſſe damnandos; [d] redit ad vos frater ille geminus baptizati non baptizatus, & tacitus quærit à vobis, unde fuerit à fraterna felicitate diſcretus, cur illa infelicitate punitus, ut illo in Dei [e] filium adoptato, ipſe non acciperet omnibus ætatibus neceſſarium, ſicut fatemini, ſacramentum; ſi quemadmodum nulla eſt fortuna vel fatum, vel apud Deum acceptio perſonarum, ita nullum eſt gratiæ ſine meritis donum, nullum originale peccatum. Huic prorſus infanti linguam veſtram vocemque ſubmittitis, huic non loquenti quid loquamini non habetis.

Pelagiani convincuntur in parvulis geminis, uno poſt baptiſma, altero ſine baptiſmatis gratia mortuo.

Sap. 4. 11.

17. JAM nunc videamus, ut poſſumus, hoc ipſum quod volunt præcedere in homine, ut adjutorio gratiæ dignus habeatur, [f] & cui merito ejus non tamquam indebita tribuatur, ſed debita gratia retribuatur; ac ſic gratia jam non ſit gratia: videamus tamen quid illud ſit. *Sub nomine*, inquiunt, *gratiæ ita fatum aſſerunt, ut dicant, quia niſi invito & reluctanti homini inſpiraverit boni, &* [g] *ipſius imperfecti, cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum poſſit arripere.* Jam de fato & gratia quàm inania loquantur oſtendimus: nunc illud eſt quod debemus advertere, utrùm invito & reluctanti homini Deus inſpiret boni cupiditatem, ut jam non ſit reluctans, non ſit invitus, ſed conſentiens bono, & volens bonum. Iſti enim volunt, in homine ab ipſo homine incipere cupiditatem boni, ut hujus cœpti meritum etiam perficiendi gratia conſequatur: ſi tamen hoc ſaltem volunt. Pelagius enim faciliùs dicit impleri quod bonum eſt, ſi adjuvet gratia. Quo additamento, id eſt, addendo faciliùs, utique ſignificat hoc ſe ſapere, quòd etiam ſi gratiæ defuerit adjutorium, poteſt, quamvis difficiliùs, impleri bonum per liberum arbitrium. Sed iſtis, quid in hac re ſentiant, non de illo auctore hujus hæreſis præſcribamus: permittamus eos cum ſuo libero arbitrio eſſe liberos & ab ipſo Pelagio;

CAPUT VIII. Boni etiam imperfecti cupiditas donũ gratiæ eſt; alioquin gratia ſecundùm merita daretur.

Diſcipuli Pelagii ex parte à præceptoris doctrina recedunt.

[e] Vatic. & Gallic. MSS. *in Dei filios adoptato*. Sic infrà l. 4. c. 2.

[f] In editis deerant illa verba, *& cui merito ejus non tamquam indebita tribuatur, ſed debita gratia retribuatur.* Exſtant in Vaticanis MSS. In Gallicanis verò hæc leguntur, *& cui merito ejus, non tamquam indebita, gratia retribuatur; ac ſic gratia* &c.

[g] Sic MSS. At editi, *& ipſam imperfecti cupiditatem.*

atque ista verba eorum, quæ in hac cui respondemus epistola posuerunt, potiùs attendamus.

18. Hoc enim nobis objiciendum putarunt, quòd *invito & reluctanti homini Deum dicamus inspirare*, non quanticumque *boni*, sed *& ipsius imperfecti cupiditatem*. Fortassis ergo ipsi eo modo saltem servant locum gratiæ, ut sine illa putent hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem; perfecti autem non faciliùs per illam posse, sed nisi per illam omnino non posse. Verùm & sic gratiam Dei dicunt secundùm merita nostra dari: quod in Oriente Pelagius Ecclesiasticis gestis damnari timendo damnavit. *Suprà lib. de gestis Pelagii c. 14.* Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni; ipsum cœptum erit meritum, cui tamquam ex debito gratiæ veniat adjutorium: ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed secundùm meritum nostrum dabitur. Dominus autem ut responderet futuro Pelagio, non ait, Sine me difficilè potestis aliquid facere: sed ait, Sine me nihil potestis facere. *Iohan. 15. 5.* Et ut responderet futuris etiam istis in eadem ipsa Evangelica sententia, non ait, Sine me nihil potestis perficere: sed, facere. Nam si perficere dixisset, possent isti dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis est; sed ad perficiendum, esse Dei adjutorium necessarium. Verùm audiant & Apostolum. Dominus enim cùm ait, Sine me nihil potestis facere: hoc uno verbo initium finemque comprehendit. Apostolus verò tamquam sententiæ Dominicæ expositor apertiùs utrumque distinxit, dicens, Quoniam qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet usque in diem Christi Jesu. *Philip. 1. 6.* Sed in scripturis sanctis apud eumdem Apostolum, isto unde loquimur, amplius invenimus. Loquimur enim nunc de boni cupiditate, quam si volunt à nobis incipere, à Domino perfici, videant quid respondeant dicenti Apostolo: Non » quia idonei sumus cogitare aliquid [a] quasi ex no- » bismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. *2. Cor. 3. 5.* Cogitare, ait, aliquid, utique bonum: minus est autem cogitare quàm cupere. *Aliud cogitare, aliud cupere.* Cogitamus quippe omne quod cupimus, nec tamen cupimus omne quod cogitamus; quoniam nonnumquam & quod non cupimus cogitamus. Cùm igitur minus sit cogitare quàm cupere; potest enim homo cogitare bonum, quod nondum cupit; & proficiendo postea cupere, quod antea non cupiendo cogitavit: quomodo ad id quod minus est, id est, ad cogitandum aliquid boni non sumus idonei tamquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; & ad id quod est amplius, id est, ad cupiendum aliquid boni sine divino adjutorio idonei sumus ex libero arbitrio? Neque enim & hîc Apostolus ait, Non quia idonei sumus cogitare quod perfectum est, tamquam ex nobismetipsis: sed cogitare, ait, aliquid; cui contrarium est nihil. Unde est illud Domini: Sine me nihil potestis facere. *Iohan. 15. 5.*

CAPUT IX.

19. SED nimirum quod scriptum est, *Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ*: *Prov. 16. 1.* non bene intelligendo falluntur, ut existiment cor præparare, hoc est, bonum inchoare, sine adjutorio gratiæ Dei ad hominem pertinere. *Scripturas [illegible] Pelagiani.* Absit ut sic intelligant filii promissionis, tamquam cùm audierint Dominum dicentem, Sine me nihil potestis facere: *Iohan. 15. 5.* quasi convincant eum dicentes, Ecce sine te possumus cor præparare: aut cùm audierint à Paulo apostolo, Non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: *2. Cor. 3. 5.* tamquam & ipsum convincant dicentes, Ecce idonei sumus ex nobismetipsis præparare cor, ac per hoc & boni aliquid cogitare. Quis enim potest sine [b] bona cogitatione ad bonum cor præparare? Absit ut sic intelligant, nisi superbi sui arbitrii defensores & fidei catholicæ desertores. Ideo quippe scriptum est, *Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ*: quia homo præparat cor, non tamen sine adjutorio Dei, qui [c] sic tangit cor, ut homo præparet cor. In responsione autem linguæ, id est, in eo quod præparato cordi lingua divina respondet, nihil operis habet homo, sed totum est à Domino Deo.

20. Nam sicut dictum est, *Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ*: ita etiam dictum est, Aperi os, & adimplebo illud. *Psal. 80. 11.* Quamvis enim nisi adjuvante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire: tamen nos aperimus illius adjumento & opere nostro; implet autem illud Dominus sine opere nostro. Nam quid est præparare cor, & os aperire, nisi voluntatem parare? Et tamen in eisdem litteris legitur, Præparatur voluntas à Domino: *Prov. 8. sec. LXX.* &, Labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. *Psal. 50. 17.* Ecce Deus admonet, ut præparemus voluntatem in eo quod legimus, *Hominis est præparare cor*: & tamen ut hoc faciat homo, adjuvat Deus; quia præparatur voluntas à Domino. Et, [d] Aperi os, ita dicit jubendo, ut nemo possit nisi ipse id faciat adjuvando, cui dicitur, Labia mea aperies. [e] Numquid istorum aliqui ita desipiunt, ut aliud os, aliud labia esse contendant, & mirabili vanitate hominem dicant os aperire, labia hominis Deum? Quamquam Deus illos & ab hac absurditate compescit, ubi ad Moysen famulum suum dicit, Ego aperiam os tuum, & instruam te quæ debeas loqui. *Exod. 4. 12.* In sententia ergo illa ubi dicitur, Aperi os, & adimplebo illud; quasi unum eorum videtur ad hominem pertinere, alterum ad Deum: In hac autem ubi dicitur, Ego aperiam os tuum, & instruam te; utrumque ad Deum. Quare hoc, nisi quia in uno istorum cooperatur homini facienti, alterum solus facit.

21. Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ non facit Deus ut faciat homo. *Nulla bona facit homo, quæ non facit Deus ut faciat homo.* * Proinde cupiditas boni non homini à Domino esset, si bonum non esset: si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summè atque incommutabiliter bonus est. Quid est enim boni cupiditas, ** Apud Am. & Er. CAP. IX.*

a Vaticani codices hîc addunt, *à nobis*.

b Apud Am. Er. & Lov. omissum erat, *sine*. Restitutum fuit apud posteriores aliquot editiones, quibus suffragantur MSS. Gallic. & Vatic.

c Am. *Quis te tangit? cor. Homo præparet cor.* Er. & Lov. *qui tangit cor, homo præparat cor.* In posterioribus aliquot editionibus sic ex conjectura correctum: *qui si tangit cor, homo præparat cor*: rectè quidem, sed alteram lectionem idcirco prætulimus, quòd auctoritate nostrorum omnium MSS. Gallic. & Vatic. confirmetur.

d Editi, *Et aperit os, ita jubendo*: omisso, *dicit*. Castigantur ad MSS.

e In MSS. Gallic. & Vatic. *An numquid isti adeo usque desipiunt*. Fortè legend. *Aut numquid*

[1. Johan. 4. 7.] [Boni cupiditas, caritas, quæ tota ex Deo.]

nisi caritas, de qua Johannes apostolus sine ambiguitate loquitur, dicens, Caritas ex Deo est? Nec initium ejus ex nobis, & perfectio ejus ex Deo; sed si caritas ex Deo, tota nobis ex Deo est. Avertat enim Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem ipsum: quoniam misericordia ejus præveniet me; [Psal. 58. 11.] & ipse est cui fideliter veraciterque cantatur, Quoniam prævenisti eum in benedictione dulcedinis. [Psal. 20. 4.] Et quid hîc aptiùs intelligitur, quàm ipsa de qua loquimur cupiditas boni? Tunc enim bonum concupisci incipit, quando dulcescere cœperit. Quando autem timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum; nec fit in corde quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impunè. [Timor pœnæ. Amor justitiæ.] Ergo benedictio dulcedinis, est gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet & cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis; in qua si nos non prævenit Deus, non solùm non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. [Benedictio dulcedinis, gratia Dei.] [Johan. 15. 5.] Si enim sine illo nihil possumus facere, profectò nec incipere, nec perficere: quia ut incipiamus, dictum est, Misericordia ejus præveniet me; [Psal. 58. 11.] ut perficiamus, dictum est, Misericordia ejus subsequetur me. [Psal. 22. 6.]

[CAPUT X. Secundùm cujus propositum vocentur electi.]

22. QUID est ergo, quòd in consequentibus, ubi ea quæ ipsi sentiunt commemorant, dicunt se confiteri, *gratiam quoque adjuvare uniuscujusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere?* Hoc quippe ita dicunt, velut homo à se ipso sine adjutorio Dei habeat propositum bonum studiumque virtutis, quo merito præcedente dignus sit adjuvari Dei gratiâ subsequente. Putant enim fortasse ita dixisse Apostolum: Scimus quia diligentibus Deum omnia [a] cooperatur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt: [Rom. 8. 28.] ut propositum hominis vellet intelligi, quod propositum tamquam bonum meritum sequatur misericordia vocantis Dei: ignorantes ideo dictum esse, qui secundùm propositum vocati sunt, ut Dei, non hominis propositum intelligatur, quo eos quos præscivit & prædestinavit conformes imaginis Filii sui, elegit ante mundi constitutionem. Non enim omnes vocati, secundùm propositum sunt vocati: quoniam multi vocati, pauci electi. [Matth. 20. 16.] [Secundùm propositū vocati.] Ipsi ergo secundùm propositum vocati, qui electi ante constitutionem mundi. De hoc proposito Dei dictum est & illud, quod jam commemoravi de geminis Esaü & Jacob, Ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori. [Rom. 9. 11.] Hoc propositum Dei & illo commemoratur loco, ubi ad Timotheum scribens ait: Collabora Evangelio secundùm virtutem Dei salvos nos facientis & vocantis vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante sæcula æterna, manifestata autem nunc per adventum Salvatoris nostri Jesu Christi. [2. Tim. 1. 8. &c.] Hoc est ergo propositum Dei unde dicitur: Omnia cooperatur in bonum iis qui secundùm propositum vocati sunt. [Rom. 8. 28.] Hominis autem propositum bonum adjuvat quidem subsequens gratia; sed nec ipsum esset nisi præcederet gratia. Studium quoque hominis quod dicitur bonum, quamvis cùm esse cœperit, adjuvetur gratiâ, non tamen incipit sine gratia: sed ab illo inspiratur, de quo dicit Apostolus, Gratias autem Deo, qui dedit idem studium pro vobis in corde Titi. [2. Cor. 8. 16.] Si studium quisque ut pro aliis habeat, Deus dat; ut pro ipso se habeat, quis alius est daturus?

[Nihil homini jubetur, quod à Deo non detur.] [* Apud Am. & Er. CAPUT X.]

23. * Quæ cùm ita sint, nihil in scripturis sanctis homini à Domino video juberi, propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab ejus bonitate, vel posci propter adjutorium gratiæ demonstrandum: nec omnino incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commutari, nisi hoc in illo agat indebita & gratuita misericordia Dei. De qua suam cogitationem recolens quidam, sicut legimus in Psalmis: Numquid obliviscetur, inquit, misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas? Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. [Psal. 76. 10. & 11.] Cùm ergo dixisset, nunc cœpi; non ait, hæc mutatio arbitrii mei: sed, dexteræ excelsi. Sic itaque Dei gratia cogitetur, ut ab initio bonæ mutationis suæ usque in finem consummationis qui gloriatur in Domino glorietur. [2. Cor. 10. 17.] Quia sicut nemo potest bonum [b] perficere sine Domino, sic nemo incipere sine Domino. Sed hic fit hujus voluminis terminus, ut legentis reficiatur intentio & ad sequentia reparetur.

[a] Am. Er. & nonnulli è Gallic. MSS. hîc & infrà, *cooperantur.*
[b] Sic MSS. At editi, *Quia sicut nemo potest bonum inchoare sine Domino, sic nemo perficere sine Domino.*

LIBER TERTIUS.

Pergit refutare cetera quæ calumniosè à Pelagianis in eadem epistola Thessalonicam missa objectantur; exponitque contra eorum hæresim quid verè Catholici dicant de Legis utilitate, quid de baptismi effectu & virtute doceant, quid de utriusque Testamenti, veteris ac novi discrepantia, quid de Prophetarum & Apostolorum justitia & perfectione, quid de peccati in Christo appellatione, cùm in similitudine carnis peccati de peccato damnasse peccatum dicitur, vel factus ipse peccatum; quid postremò de præceptorum in futura vita impletione profiteantur.

CAPUT I.

ADHUC ea sequuntur quæ calumniosè nobis objiciunt: nondum ea quæ ipsi sentiunt pertexere incipiunt. Sed ne prolixitas voluminum offenderet, hæc ipsa quæ objiciunt in duos libros partiti sumus; quorum superiore finito, qui totius hujus operis liber secundus est, hinc ordimur alterum, & eum tertium primo secundoque conjungimus.

CAPUT II. Pelagianorũ calumnia, de usu veteris legis.

2. *Legem veteris Testamenti nos* aiunt *dicere, non ob hoc datam fuisse, ut justificaret obedientes, sed ut* [a] *gravioris fieret caussa peccati.* Prorsus non intelligunt quid de lege dicamus: quia id quod dicit Apostolus, quem non intelligunt, dicimus. Quis enim dicat, non justificari eos qui sunt legi obedientes; quando nisi justificarentur, non possent esse obedientes? Sed dicimus lege fieri, ut Deus quid fieri velit, audiatur: gratiâ verò fieri, ut legi obediatur. Non enim auditores legis, ait Apostolus, justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Lex ergo auditores justitiæ facit, gratia factores. Quod enim impossibile erat [b] legis, ait idem Apostolus, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justitia legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum. Ecce quod dicimus: orent ut aliquando intelligant, non litigent ut numquam intelligant. Impossibile est enim legem impleri per carnem, hoc est, per carnalem præsumtionem, qua superbi ignorantes Dei justitiam, id est, quæ ex Deo est homini ut sit justus, & suam volentes constituere, tamquam per eorum non adjutum divinitus arbitrium lex possit impleri, justitiæ Dei non sunt subjecti. Ideo justitia legis in eis impletur, qui non secundùm carnem ambulant, id est, secundùm hominem ignorantem Dei justitiam & suam volentem constituere, sed ambulant secundùm spiritum. Quis autem ambulat secundùm spiritum, nisi quisquis [c] agitur Dei spiritu? Quotquot enim Dei spiritu aguntur, hi filii sunt Dei. Ergo littera occidit, spiritus autem vivificat. Nec littera malum est, quia occidit: sed malos prævaricatione convincit. Lex enim sancta, & mandatum sanctum & justum & bonum. Quod ergo bonum est, inquit, mihi factum est mors? Absit: sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum A mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum [d] peccator aut peccatum per mandatum. Ecce quid est, Littera occidit. Aculeus enim mortis est peccatum, virtus autem peccati lex. Auget quippe prohibendo peccati desideria, & inde occidit, nisi subveniendo vivificet gratia.

Catholica sententia de lege & gratia. *Rom.* 2. 13. *Rom.* 8. 3. & 4.

Legem impleri per carnem impossibile. *Rom.* 10. 3.

Secundùm spiritum quis ambulet.

Rom. 8. 14. 2. *Cor.* 3. 6. *Rom.* 7. 12. & 13.

1 *Cor.* 15. 56.

3. Ecce quod dicimus: ecce unde nobis objiciunt, quòd *sic legem* dicamus, *datam, ut gravioris sit caussa peccati:* non audientes Apostolum dicentem, Lex enim iram operatur; ubi enim B non est lex, nec prævaricatio. Et, Lex prævaricationis gratiâ [e] posita est, donec veniret semen cui promissum est. Et, Si data esset lex quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia: sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Hinc est quod vetus Testamentum ex monte Sina, ubi lex data est, in servitutem generat, quod est Agar. Nos autem, inquit, non sumus ancillæ filii, sed liberæ. Non sunt itaque liberæ C filii, qui legem acceperunt litteræ, qua possent non solùm peccatores, verùm etiam prævaricatores insuper demonstrari; sed qui spiritum gratiæ, quo lex ipsa sancta & justa & bona possit impleri. Ecce quod dicimus: intendant, & non contendant; illuminentur, & non calumnientur.

Rom. 4. 15. *Gal.* 3. 19. *Ibidem* 21. & 22. *Gal.* 4. 24. & 31. *Rom.* 7. 12.

CAPUT III. Calumnia de effectu baptismi.

4. *Baptisma quoque*, inquiunt, *non verè homines novos facere asserunt, id est, non plenam dare remissionem peccatorum, sed ex parte filios Dei* D *fieri, ex parte autem filios sæculi, id est, diaboli, remanere contendunt.* Mentiuntur, insidiantur, tergiversantur: non hoc dicimus. Omnes enim homines qui sunt filii diaboli, etiam filios sæculi; non autem omnes filios sæculi etiam filios diaboli dicimus. Absit enim ut filios diaboli dicamus fuisse sanctos patres, Abraham, Isaac, & Jacob, & alios hujusmodi, quando per nuptias generabant, & eos fideles qui usque nunc & deinceps adhuc generant. Nec tamen possumus Domi- E no contradicere dicenti, Filii sæculi hujus nubunt, & tradunt ad nuptias. Quidam ergo filii sæculi hujus sunt, & tamen filii diaboli non sunt. Quamvis enim diabolus sit auctor & princeps omnium peccatorum; non tamen filios diaboli faciunt quæcumque peccata. Peccant enim & filii Dei: quoniam si dixerint se non habere peccatum, se ipsos seducunt, & veritas

Aliud filii sæculi, aliud filii diaboli. *Lucæ* 20. 34. Non quævis peccata filios diaboli faciunt. 1. *Joan.* 1. 8.

[a] Editi constanter, *gravior.* Castigantur à MSS.

[b] Editi, *legi:* ac paulò pòst, *in similitudinem.* At omnes MSS. *legis*, & *in similitudine:* juxta Græc. τ νόμου, & ἐν ὁμοιώματι.

[c] Gallicani MSS. *nisi quisquis ambulat Dei spiritu.*

[d] Ita constanter MSS. At editi, *supra modum peccans peccatum.*

[e] Gallicani MSS. *proposita est.* Græcè est, προσετέθη.

in

in eis non est. Sed eâ conditione peccant, qua sunt filii adhuc hujus sæculi: qua verò gratiâ sunt filii Dei, non utique peccant; quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat. Filios autem diaboli infidelitas facit, quod peccatum [a] propriè vocatur, quasi solum sit, si non exprimatur quale peccatum sit. Sicut Apostolus cùm dicitur, si non exprimatur quis apostolus, non intelligitur nisi Paulus: quia pluribus est epistolis notior, & plus omnibus illis laboravit. Unde quod ait Dominus de Spiritu-sancto, Ipse arguet mundum de peccato: infidelitatem intelligi voluit. Hoc enim cùm exponeret ait, De peccato quidem; quòd non crediderunt in me. Et ubi ait, Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Non enim peccatum antea non habebant: sed ipsam voluit intelligi diffidentiam, qua nec præsenti & loquenti crediderunt, pertinentes ad eum de quo dicit Apostolus, Secundùm principem potestatis aëris, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ. Ergo in quibus non est fides, filii sunt diaboli; quia non habent in interiore homine, cur eis dimittatur quidquid [b] hominis vel infirmitate, vel ignorantiâ, vel omnino aliqua mala voluntate committitur. Illi autem filii Dei, qui utique si dixerint se non habere peccatum, se ipsos decipiunt, & veritas in eis non est, profectò, quod sequitur, cùm confitentur peccata sua (quod filii diaboli non faciunt, vel non secundùm fidem quæ filiorum Dei propria est faciunt,) fidelis est & justus qui dimittat eis peccata, & mundet eos ab omni iniquitate. Ut autem pleniùs intelligatur quod dicimus, audiatur ipse Jesus, qui filiis Dei utique loquebatur, dicens, Si autem vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cælis est, dabit bona petentibus se? Si enim filii Dei non essent, non eis diceret, Pater vester qui in cælis est. Et tamen eos malos esse dicit, & nosse bona dare filiis suis. Numquid inde mali, unde filii Dei? Absit: sed inde mali, unde adhuc filii sæculi, jam tamen filii Dei facti pignore Spiritus-sancti.

(1. Johan. 3. 9. — 1. Cor. 15. 10. — Johan. 16. 8. — Johan. 15. 22. — Ephes. 2. 2. — *Filii diaboli in quibus non est fides.* — 1. Johan. 1. 8. — Matth. 7. 11.)

5. Baptismus igitur abluit quidem peccata omnia, prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitatorum, sive originalia, sive addita, sive quæ ignoranter, sive quæ scienter admissa sunt: sed non aufert infirmitatem, cui regeneratus resistit, quando bonum agonem luctatur; consentit autem, quando sicut homo in aliquo delicto præoccupatur; propter illud gaudens in actione gratiarum, propter hoc autem gemens in allegatione orationum. Ibi dicens, Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? hîc dicens, Dimitte nobis debita nostra. Propter illud dicens, Diligam te Domine virtus mea: propter hoc dicens, Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Propter illud dicens, Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos: propter hoc dicens, Turbatus est præ ira oculus meus. Et innumerabilia, quibus divinæ litteræ plenæ sunt; quæ alternis [c] vicibus, vel exsultando de Dei bonis, vel mærendo de nostris malis, à filiis Dei dicuntur ex fide, quamdiu adhuc filii sunt etiam sæculi hujus pro vitæ hujus infirmitate: quos tamen Deus à filiis diaboli non solùm lavacro regenerationis, sed ipsius etiam quæ per dilectionem operatur, fidei probitate discernit; quia justus ex fide vivit. Hæc [d] autem infirmitas, cum qua usque ad corporis mortem defectu & profectu alternante contendimus, magnique interest quid vincat in nobis, regeneratione aliâ consumetur; de qua Dominus dicit, In regeneratione cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ; sedebitis & vos super sedes duodecim &c. Regenerationem quippe hoc loco, ambigente nullo, novissimam resurrectionem vocat: quam Paulus quoque apostolus & adoptionem & redemtionem nuncupat, dicens, Sed etiam nos ipsi primitias spiritûs habentes & ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemtionem corporis nostri. Numquid non per lavacrum sanctum regenerati, adoptati & redemti sumus? Et tamen restat regeneratio, adoptio, redemtio, quam in fine venturam nunc patienter exspectare debemus, ut tunc filii hujus sæculi ex nullâ parte jam simus. Quisquis igitur baptismati derogat, quod modò per illud percipimus, corrumpit fidem: quisquis autem jam nunc ei tribuit, quod quidem per ipsum, sed tamen postea percepturi sumus, amputat spem. Nam si à me quisquam quæsierit, utrùm per baptismum salvi facti fuerimus; negare non potero, dicente Apostolo, Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus-sancti. Sed si quæsierit, utrùm per idem lavacrum omni prorsus modo jam nos fecerit salvos; respondebo, non ita est. Idem quippe item dicit Apostolus, Spe enim salvi facti sumus: spes autem quæ videtur non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus. Salus ergo hominis in baptismate facta est, quia dimissum est quod [e] peccati à parentibus traxit, vel quidquid etiam propriè ante baptismum ipse peccavit: salus verò [f] ejus tanta pòst erit, ut peccare omnino non possit.

(*Baptismus omnia delet peccata, non tamen omnem sanat infirmitatem.* — Gal. 6. 1. — Psal. 115. 3. — Matth. 6. 12. — Psal. 17. 1. — Psal. 6. 3. — Psal. 24. 15. — Psal. 30. 10. — *Fides per dilectionē operans discernit filios Dei.* — Gal. 5. 6. — Rom. 1. 17. — Matth. 19. 28. — *Resurrectio, regeneratio dicta est.* — Rom. 8. 23. — *Baptismo tribuenda etiam perfecta in resurrectione ab omni malo liberatio.* — Tit. 3. 5. — Rom. 8. 24. & 25.)

CAPUT IV.

Calumnia de veteri Testamēto & antiquis justis.

6. Quibus ita se habentibus, ex his etiam illa quæ deinceps nobis objiciunt refelluntur. Quis enim catholicus dicat, quod nos dicere jactitant, *Spiritum-sanctum adjutorem virtutis in veteri Testamento non fuisse*: nisi cùm vetus Testamentum sic intelligimus, quemadmodum Apostolus dixit, à monte Sina in servitutem generans? Sed quia in eo præfigurabatur novum, qui hoc intelligebant tunc homines Dei, secundùm distributionem temporum, veteris quidem Testamenti dispensatores & gestatores, sed novi demonstrantur heredes. An verò illum ad Testamentum novum negabimus pertinere, qui dicit, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis? Aut illum qui dicit, Posuit super petram pedes meos, & direxit gressus meos, & immisit in os meum canti-

(Gal. 4. 24. — *Vetus Testamentum figura novi.* — *Sancti veteris Testamenti ad novum pertinent* — Psal. 50. 12. — Psal. 39. 3. & 4.)

[a] Ita Gallicani & Vaticani MSS. At editi, *proprium.*
[b] Vaticani MSS. *quidquid nomine infirmitatis, vel ignorantiæ.* Gallicani, *quidquid hominis infirmitate* &c. omisso priore *vel.*
[c] MSS. *alternis vocibus.*
[d] Editi, *Hæc est autem*: pauloque pòst, *donec regeneratione alia consumetur.* MSS. auctoritate removimus *est*, & *donec*. In eadem sententia Vaticani MSS. ferunt, *quid nunc vincat in nobis.*
[e] Sic MSS. At editi, *quod peccatum.*
[f] Editi, *salus verò hominis tanta esse poterit.* Emendantur à Vaticanis simul & Gallicanis MSS.

cum novum, hymnum Deo nostro? Vel illum ante Testamentum vetus, quod est à monte Sina, patrem fidelium, de quo dicit Apostolus,

Gal. 3. 15. & seq.

» Fratres, secundùm hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo irritum » facit aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt pro» missiones & semini ejus. Non dicit, & seminibus, » tamquam in multis; sed tamquam in uno, & se» mini tuo, quod est Christus. Hoc autem dico, » inquit, Testamentum confirmatum à Deo quæ » post quadringentos & triginta annos facta est lex » non infirmat ad evacuandam promissionem. Si » enim ex lege hereditas, jam non ex promissio» ne: Abrahæ autem per promissionem donavit » Deus.

7. Hîc certè si quæramus, utrùm hoc Testamentum, quod dicit confirmatum à Deo non infirmari à lege quæ post quadringentos & triginta annos facta est, utrùm novum, an vetus intelligendum sit: quis respondere dubitet, novum; sed in propheticis latebris occultatum, donec veniret tempus quo revelaretur in Christo? Nam si dixerimus, vetus; quid erit illud à monte Sina in servitutem generans? Ibi enim facta est lex post quadringentos & triginta annos: qua lege hoc Testamentum promissionis Abrahæ infirmari non posse confirmat; & hoc quod factum est ad Abraham, vult potiùs ad nos pertinere, quos vult esse filios liberæ, non ancillæ; heredes ex promissione, non lege; cùm dicit, Si enim » ex lege hereditas, jam non ex promissione: » Abrahæ autem per promissionem donavit Deus. Ut quòd facta lex est post quadringentos & triginta annos, ad hoc subintraverit, ut abundaret delictum; cùm per peccatum prævaricationis convincitur hominis superbia de sua justitia præsumentis: & ubi abundavit delictum, superabundavit gratia; per fidem [a] jam humilis hominis in lege deficientis & ad Dei misericordiam fugientis. Ideo cùm dixisset, Si enim ex lege he» reditas, jam non ex promissione, Abrahæ autem » per promissionem donavit Deus: tamquam ei diceretur, Ut quid ergo lex postea facta est? subjunxit atque ait, Quid ergo lex? Cui mox interrogationi reddidit, Prævaricationis gratiâ [b] pro» posita est, donec veniret semen cui promissum est. Hoc idemtidem ita dicit: Si enim qui ex lege » heredes sunt, exinanita est fides, & evacuata est » promissio: lex enim iram operatur: ubi enim » non est lex, nec prævaricatio. Quod ait in illo testimonio, Si enim ex lege hereditas, jam non ex promissione, Abrahæ autem per promissionem donavit Deus: hoc in isto ait, Si enim qui per legem heredes sunt, exinanita est fides, & evacuata promissio: satis ostendens ad fidem nostram pertinere, (quæ novi utique est Testamenti,) quod per promissionem donavit Deus Abrahæ. Et quod ait in illo testimonio, Quid ergo lex? atque respondit, Prævaricationis gratiâ proposita est: hoc in isto subdidit similiter, Lex enim iram operatur: ubi enim non est lex, nec prævaricatio.

Novum Testamentum vetere est antiquius, sed posterius revelatum.

Gal. 3. 18. — *Rom. 5. 20.* — *Gal. 3. 18.* — *Ibid. 19.* — *Rom. 4. 14.*

Filii promissionis & gratiæ sunt omnes ante & post Abraham justi.

8. Sive igitur Abraham, sive ante illum justi, sive post eum usque ad ipsum Moysen, per quem datum est Testamentum à monte Sina in servitutem generans, sive ceteri prophetæ post eum A & sancti homines Dei usque ad Johannem Baptistam, filii sunt promissionis & gratiæ secundùm Isaac filium liberæ, non ex lege, sed ex promissione heredes Dei, coheredes autem Christi. Absit enim, ut Noë justum, & prioris temporis justos, & quicumque ab illo usque ad Abraham justi esse potuerunt vel conspicui vel occulti, negemus ad supernam Jerusalem, quæ mater nostra est, pertinere; quamvis anteriores tempore inveniantur esse quàm Sara, quæ ipsius liberæ ma- B tris prophetiam figuramque gestat. Quanto evidentiùs ergo post Abraham, cui sic declarata est ipsa promissio, ut pater multarum gentium diceretur, quicumque Deo placuerunt, filii promissionis habendi sunt? Non enim ex Abraham & deinceps justorum generatio verior, sed prophetia manifestior reperitur.

Gen. 17. 4.

Veteris Testamenti filii qui. *Gal. 4. 24.*

9. Ad Testamentum autem vetus, quod est à monte Sina in servitutem generans, quod est Agar, illi pertinent, qui cùm acceperint legem C sanctam & justam & bonam, putant sibi ad vitam, litteram posse sufficere: & ideo qua fiant factores legis, divinam misericordiam non requirunt; sed ignorantes Dei justitiam & suam justitiam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Ex hoc genere fuit illa multitudo, quæ adversùs Deum in eremo murmuravit, & idolum fecit, & illa quæ jam in ipsa terra promissionis fornicata est post deos alienos. Sed hæc in ipso quoque vetere Testamento valde reprobata est D multitudo. Illi etiam, quicumque ibi erant, sola quæ ibi Deus pollicetur terrena promissa sectantes, & quid pro novo Testamento ea ipsa significent ignorantes, eorum adipiscendorum amore & amittendorum timore, Dei præcepta servabant; immo non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas metusque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, procul dubio invitus facit; ac per hoc in animo non facit: magis E vult enim omnino non facere, si secundùm ea quæ cupit & metuit, permittatur impunè. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui præcipit inspicit Deus. Tales erant filii terrenæ Jerusalem, de qua dicit Apostolus, Servit enim cum filiis suis, pertinens ad Testamentum vetus à monte Sina in servitutem generans, quod est Agar. Ex ipso genere fuerunt, qui Dominum crucifixerunt, & in eadem infidelitate manserunt. Inde sunt adhuc etiam filii eorum in F ingenti multitudine Judæorum, quamvis jam novo Testamento, sicut prophetatum est, per Christi sanguinem patefacto atque firmato, & à flumine ubi baptizatus magisteriumque professus est, usque ad terminos terræ Evangelio diffamato. Qui Judæi secundùm prophetias quas legunt per omnes sunt terras ubique dispersi, ut ex eorum quoque codicibus Christianæ non desit testimonium veritati.

Rom. 10. 3.

Qui Dei præcepta timore, non amore servat, non servat. *Gal. 5. 6.*

Gal. 4. 25. — *Ibidem 24.* — *Matth. 3. 16.*

Cur Judæi servati & per totum orbem dispersi.

Etiam lex vetus à Deo.

10. Et vetus igitur Testamentum Deus con- G didit: quia Deo placuit, usque ad plenitudinem temporis promissis terrenis tamquam in præmio constitutis promissa velare cælestia; & populo terrenis bonis inhianti, & propterea durum cor habenti, quamvis spiritalem, tamen in tabulis lapi-

[a] Gallicani MSS. *per fidem: jam hic monstratur humilitas hominis in lege deficientis &c.*

[b] Vaticani MSS. hîc & infrà, *posita est.*

Sacramenta veteris legis nunc ſola ſignificandi ratione præcepta.

deis legem dare. Exceptis quippe librorum veterum ſacramentis, quæ ſola ſignificandi ratione præcepta ſunt, (quamquam & in eis, quoniam ſpiritaliter intelligenda ſunt, rectè lex dicitur ſpiritalis:) cetera certè quæ ad pietatem bonoſque mores pertinentia, non ad aliquam ſignificationem ulla interpretatione referenda, ſed prorſus ut ſunt dicta, facienda ſunt: profectò illam Dei legem, non ſolùm illi tunc populo, verùm etiam nunc nobis ad inſtituendam rectè vitam neceſſariam nemo dubitaverit. Si enim Chriſtus nobis abſtulit illud graviſſimum multarum obſervationum jugum, ne carnaliter circumcidamur, ne pecorum victimas immolemus, ne ſabbato ſepteno dierum volumine redeunte ab operibus etiam neceſſariis quieſcamus, & cetera hujuſmodi, ſed ea ſpiritaliter intellecta teneamus, remotiſque umbris ſignificantibus in rerum ipſarum quæ ſignificantur luce vigilemus: numquid propterea dicturi ſumus, non ad nos pertinere quod ſcriptum eſt, ut alienum quodcumque perditum quiſquis invenerit, reddat ei qui perdidit: & alia multa ſimilia, quibus piè rectéque vivere diſcitur, maximéque ipſum decalogum, qui duabus illis lapideis tabulis continetur, excepta ſabbati obſervatione carnali, quæ ſpiritalem ſanctificationem quietemque ſignificat? Quis enim dicat non debere obſervare Chriſtianos, ut uni Deo religionis obſequio ſerviatur, ut idolum non colatur, ut nomen Domini non accipiatur in vanum, ut parentes honorentur, ne adulteria, homicidia, furta, falſa teſtimonia perpetrentur, ne uxor, ne omnino res ulla concupiſcatur aliena? Quis eſt tam impius, qui dicat ideo ſe iſta legis non cuſtodire præcepta, quia eſt ipſe Chriſtianus, nec ſub lege, ſed ſub gratia conſtitutus?

Decalogus ad vitam rectè inſtituendam etiam nobis datus. *Levit. 6. 3.* *Exodi 20.*

Diſcrimen inter filios vet. Teſt. & novi. *Cupiditas cupiditate non ſanatur.* *Filii novi Teſt.*

11. Verùm hæc planè magna diſtantia eſt, quòd faciunt iſta ſub lege poſiti, quos littera occidit, terrenam felicitatem vel cupiditate adipiſcendi vel timore amittendi: & ideo non verè faciunt; quoniam carnalis cupiditas, qua peccatum [a] commutatur potiùs vel augetur, cupiditate alia non ſanatur. Hi ad vetus pertinent Teſtamentum, quod in ſervitutem generat; quia facit eos carnalis timor & cupiditas ſervos, non evangelica fides & ſpes & caritas liberos. Sub gratia verò poſiti, quos vivificat Spiritus, [b] ex fide iſta faciunt, quæ per dilectionem operatur, in ſpe bonorum, non carnalium, ſed ſpiritualium, non terrenorum, ſed cæleſtium, non temporalium, ſed æternorum; præcipuè credentes in Mediatorem, per quem ſibi non dubitant, & ſpiritum gratiæ ſubminiſtrari, ut bene iſta faciant, & ignoſci poſſe cùm peccant. Hi pertinent ad Teſtamentum novum, filii promiſſionis, [c] regenerati Deo patre & libera matre. Hujus generis fuerunt antiqui omnes juſti, & ipſe Moyſes Teſtamenti miniſter veteris, heres novi: quia ex fide qua nos vivimus, una eademque vixerunt, incarnationem, paſſionem, reſurrectionemque Chriſti credentes futuram, quam nos credimus factam: uſque ad ipſum Johannem Baptiſtam quaſi præteritæ diſpenſationis limitem quemdam, qui Mediatorem ipſum non aliquâ umbrâ futuri, vel allegorica ſignificatione, vel ulla prophetica prænuntiatione venturum eſſe ſignificans; ſed digito demonſtrans ait, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi: tamquam dicens, Quem multi juſti videre concupierunt, in quem venturum ab ipſius humani generis initio crediderunt, de quo Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, de quo ſcripſit Moyſes, de quo lex & prophetæ ſunt teſtes; Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Ab hoc Johanne & deinceps cœperunt de Chriſto fieri præterita vel præſentia, quæ ab illis omnibus anterioris temporis juſtis credebantur, ſperabantur, deſiderabantur futura. Eadem igitur fides eſt, & in illis qui nondum nomine, ſed re ipſa fuerunt antea Chriſtiani, & in iſtis qui non ſolùm ſunt, verùm etiam vocantur, & in utriſque eadem gratia per Spiritum-ſanctum. Unde dicit Apoſtolus: Habentes autem eumdem ſpiritum fidei, ſecundùm quod ſcriptum eſt, Credidi propter quod locutus ſum; & nos credimus propter quod & loquimur.

Veteres ſancti, novi Teſtamenti filii. *Johan. 1. 29.* *Gal. 3. 16.* *Antiqui juſti etſi non nomine, re tamen Chriſtiani.* *2 Cor. 4. 13.* *Pſal. 115. 1.*

12. Aliter itaque dicitur jam obtinente loquendi conſuetudine vetus Teſtamentum, lex & prophetæ omnes, qui uſque ad Johannem prophetaverunt; quod diſtinctiùs vetus inſtrumentum, quàm vetus Teſtamentum vocatur: aliter autem ſicut Apoſtolica appellat auctoritas, ſive hoc nomen exprimens, ſive ſignificans. Exprimit enim, ubi dicit, Uſque in hodiernum diem, quamdiu legitur Moyſes, idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet: quod non revelatur, quia in Chriſto evacuatur. Sic enim utique vetus Teſtamentum ad Moyſi retulit miniſterium. Item dicit: Ut ſerviamus in novitate ſpiritûs, & non in vetuſtate litteræ: idipſum ſignificans Teſtamentum nomine litteræ. Item alio loco: Qui & idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti, non [d] litteræ, ſed ſpiritûs; littera enim occidit, ſpiritus autem vivificat. Et hîc per commemorationem novi, illud utique vetus intelligi voluit. Multo autem evidentiùs, quamvis non dixerit, aut vetus, aut novum, duo ipſa Teſtamenta diſtinxit, per duos filios Abrahæ, unum de ancilla, alium de libera: quod jam ſuperiùs commemoravimus. Quid enim expreſſius, quàm ut diceret, Dicite mihi ſub lege volentes eſſe, legem non audiſtis? Scriptum eſt enim, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera: ſed ille quidem qui de ancilla, ſecundùm carnem natus eſt; qui autem de libera, per repromiſſionem: quæ ſunt in allegoria. Hæc enim ſunt duo Teſtamenta, unum quidem in monte Sina in ſervitutem generans, quod eſt Agar. Sina enim mons eſt in Arabia, quæ conjuncta eſt huic quæ nunc eſt Jeruſalem: ſervit enim cum filiis ſuis. Quæ autem ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Quid clarius, quid certius, quid ab omni obſcuritate atque ambiguitate remotius promiſſionis filiis? Et paulò pòſt, Nos autem fratres, inquit, ſecundùm Iſaac promiſſionis filii ſumus. Item paulò pòſt: Nos autem fratres, non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ; qua libertate Chriſtus nos liberavit. Eligamus igitur utrùm antiquos juſtos ancillæ filios dicamus, an liberæ. Abſit autem ut ancillæ: ergo

Matth. 11. 13. *Aliud propriè Teſtamentum vetus, aliud inſtrumentum.* *2. Cor. 3. 14.* *Veteris Teſtamenti variæ appellationes.* *Rom. 7. 6.* *2. Cor. 3. 6.* *Gal. 4. 21. & ſeq.* *Ibidem 28.* *Ibidem 31.*

[a] Hic MSS. auctoritate addimus, *commutatur potiùs vel.*
[b] Sic MSS. At editi, *& fide.*

[c] Editi, *& regenerati à Deo.* Hæremus MSS.
[d] Sic MSS. juxta Græc. At editi, *non litterâ, ſed ſpiritu.*

a [a] si liberæ, ad novum pertinent Testamentum in Spiritu-sancto, quem vivificantem litteræ occidenti opponit Apostolus. Nam quo pacto ad gratiam novi Testamenti non pertinent hi, de quorum dictis & libris istos ejusdem gratiæ dementissimos & ingratissimos inimicos [b] refellendo convincimus? b

Testamentorum aliud cur vetus, aliud novū appelletur. Gal. 3. 17.

13. Sed dicet aliquis: Quomodo vetus appellatur, quod post quadringentos & triginta annos factum est per Moysen; & novum dicitur, quod ante tot annos factum est ad Abraham? Qui ex B hoc non litigiosè, sed studiosè movetur, intelligat primùm, quia cùm ex anteriore tempore dicitur vetus, ex posteriore autem novum; revelationes eorum considerantur in his nominibus, non institutiones. Per Moysen quippe revelatum est Testamentum vetus, per quem data est lex sancta, & justa, & bona, per quam fieret non abolitio, sed cognitio peccati; qua convincerentur superbi suam justitiam volentes constituere, quasi divino adjutorio non egentes, & rei facti litteræ C confugerent ad gratiæ spiritum, non suâ justitiâ justificandi, sed Dei, hoc est quæ illis esset ex Deo. Nam sicut idem Apostolus loquitur, Per legem » cognitio peccati: nunc autem sine lege justitia » Dei manifestata est, testificata per legem & pro» phetas. Lex quippe, eo ipso quo in ea nemo justificatur, testimonium perhibet justitiæ Dei. Quòd enim in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est, quia justus ex fide vivit. Sic ergo, cùm lex non justificat impium de prævaricatione D convictum, mittit ad justificantem Deum, atque ita justitiæ Dei perhibet testimonium. Prophetæ verò testimonium perhibent justitiæ Dei, prænuntiando Christum, qui factus est nobis sapientia à Deo & justitia & sanctificatio & redemtio: ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Erat autem occulta ista lex ab initio, cùm homines iniquos natura ipsa convinceret, aliis facientes quod sibi fieri noluissent. Revelatio autem novi Testamenti E in Christo facta est, cùm est manifestatus in carne; in quo apparuit justitia Dei, id est, quæ hominibus ex Deo est. Hinc enim ait: Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est. Ecce qua caussâ illud dicitur vetus Testamentum, quia priore; hoc autem novum, quia posteriore tempore revelatum est. Deinde, quia Testamentum vetus pertinet ad hominem veterem, à quo necesse est hominem incipere; novum autem ad hominem novum, quò debet homo ex vetustate F transire. Ideo in illo sunt promissa terrena, in isto promissa cælestia: quia & hoc ad Dei misericordiam pertinuit, ne quisquam vel ipsam terrenam qualemcumque felicitatem, nisi à Domino creatore universitatis putet cuiquam posse conferri. Sed si propter illam colatur Deus, servilis est cultus, pertinens ad filios ancillæ: si autem propter ipsum Deum, ut in æterna vita sit Deus omnia in omnibus, liberalis est servitus, pertinens ad filios liberæ, quæ est mater nostra G æterna in cælis; quæ priùs tamquam sterilis apparebat, quando perspicuos filios non habebat; nunc autem videmus quod de illa prophetatum

Rom. 7. 12. — Rom. 10. 3. — Rom. 3. 20. & 21. — Lex quomodo justitiæ Dei testimonium perhibet. Gal. 3. 1. — Quomodo Prophetæ. 1. Cor. 1. 30. & 31. Ierem. 9. 23. — Rom. 3. 21. Appellationū veteris & novi Testamēti rationes duæ. — Servilis Dei cultus: liberalis servitus.

A est: Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & exclama quæ non parturis; quia multi filii desertæ magis quàm ejus quæ habet virum: id est, magis quàm illius Jerusalem, quæ legis quodam modo vinculo maritata est, & servit cum filiis suis. Tempore igitur veteris Testamenti Spiritum-sanctum in eis, qui etiam tunc secundùm Isaac promissionis filii erant, non solùm adjutorem, quod isti suo dogmati sufficere existimant; verùm etiam largitorem dicimus fuisse virtutis, quod isti ne- B gant, libero eam potiùs arbitrio tribuentes, contradicentibus illis patribus qui sciebant ad Deum veraci pietate clamare, Diligam te Domine virtus mea.

Isai. 54. 1. — Conclusio. Spiritus sanctus etiam veteris testamenti tempore, sanctis omnibus, virtutis non tantùm adjutor, sed & largitor fuit. — Psal. 17. 2.

Caput V. Calumnia de Prophetarum & Apostolorum justitia.

14. Aiunt etiam, *quòd omnes Apostoli vel Prophetæ non plenè sancti definiantur à nobis, sed in comparatione pejorum minùs malos eos fuisse dicamus; & hanc esse justitiam cui Deus testimonium perhibet, ut quomodo dicit Propheta, justificatam Sodomam* C *comparatione Iudæorum, sic etiam nos criminosorum comparatione dicamus* [c] *sanctos aliquam exercuisse virtutem.* Absit ut ista dicamus: sed aut non valent intelligere, aut nolunt advertere, aut calumniandi studio dissimulant se scire quod dicimus. Audiant ergo, vel ipsi, vel potiùs ii quos idiotas & ineruditos decipere moliuntur. Nostra fides, hoc est, catholica fides justos ab injustis, non operum, sed ipsa fidei lege discernit: quia justus ex fide vivit. Per quam discretionem fit, ut homo ducens vitam sine homicidio, sine fur- D to, sine falso testimonio, sine appetitu rei ullius alienæ, parentibus honorem debitum reddens, castus usque ad continentiam ab omni omnino concubitu, etiam conjugali, eleemosynarum largissimus, injuriarum patientissimus, qui non solùm non auferat aliena, sed nec sua reposcat ablata, vel etiam venditis omnibus suis erogatisque in pauperes, nihil suum propriumque possideat; cum suis tamen istis velut laudabilibus moribus, si non in Deum fidem rectam & catho- E licam teneat, de hac vita damnandus abscedat. Alius autem, habens quidem opera bona ex fide recta quæ per dilectionem operatur, non tamen ita ut ille bene moratus, incontinentiam suam sustentat honestate nuptiarum, [d] conjugii carnalis debitum & reddit & repetit, nec sola propagationis caussâ, verùm etiam voluptatis, quamvis cum sola uxore, concumbit, quod conjugatis secundùm veniam concedit Apostolus; injurias [e] non tam patienter accipit, sed ulciscendi cupi- F ditate fertur iratus; quamvis, ut possit dicere, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, rogatus ignoscat: possidet rem familiarem, faciens inde quidem eleemosynas, non tamen quàm ille tam largas: non aufert aliena; sed quamvis ecclesiastico judicio, non forensi, tamen repetit sua: nempe iste qui moribus illo videtur inferior, propter rectam fidem quæ illi est in Deum, ex qua vivit, & secundùm quam in omnibus delictis suis se accusat, in omnibus bonis operibus Deum G laudat, sibi tribuens ignominiam, illi gloriam, atque ab ipso sumens & indulgentiam peccatorum & [f] dilectionem rectè factorum, de hac vita liberandus & in consortium cum Christo re-

Ezech. 16. 46. & seq. — c — Gal. 3. 11. — Infidelis cum laudabilibus moribus damnatur: fidelis minùs bene moratus salvatur. — Gal. 5. 6. — d — 1. Cor. 7. 6. — e — Matth. 6. 12.

[a] Ita Vaticani MSS. At editi, *ergo filii liberæ*: omisso, *si*.
[b] In MSS. *refellendos*.
[c] Ita MSS. At editi, *aliquos sanctos*.

[d] Vaticani MSS. *conjugi carnale debitum*.
[e] Editi, *injurias tamen non patienter accipit*. Emendantur ad MSS.
[f] Vaticani codices, *directionem rectè factorum*.

Fides sine operibus neminem salvat.

Gal. 3. 11.

gnaturorum recipiendus emigrat. Quare, nisi propter fidem? Quæ licèt sine operibus neminem salvat, (ipsa enim est non reproba fides, quæ per dilectionem operatur:) tamen per ipsam etiam peccata solvuntur; quia justus ex fide vivit: sine ipsa verò etiam quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur; Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Et fit propter hanc maximam differentiam, ut cùm, dubitante nullo, perseverans virginalis integritas conjugali castitate sit potior; tamen mulier etiam bis nupta catholica professæ virgini hæreticæ præferatur: nec ita præferatur, ut ista melior sit in Dei regno, sed ut illa ibi non sit omnino. Nam & ille quem velut melioribus descripsimus moribus, si adsit ei fides recta, superat illum alterum, [a] sed ambo illic erunt: si autem fides ei desit, sic ab illo superatur, ut ipse ibi non sit.

Rom. 14. 23.

Catholica mulier bis nupta, professæ virgini hæreticæ præfertur.

B

15. Cùm itaque justi omnes & antiquiores & Apostoli ex fide vixerint recta, quæ est in Christo Jesu Domino nostro; moresque tam sanctos cum fide habuerint, ut licèt non tam perfectæ virtutis in hac vita esse potuerint, quàm quæ post hanc vitam futura est, tamen quidquid peccati ex humana infirmitate subreperet, pietate ipsius fidei continuò deleretur: unde fieri potest, ut in comparatione iniquorum, quos damnaturus est Deus, justos eos fuisse dicendum sit; cùm per piam fidem tam in contrarium ab illis impiis sint remoti, ut clamet Apostolus, Quæ pars fideli cum infideli? Sed videlicet Pelagiani novi hæretici, [b] religiosi amatores & laudatores videntur sibi esse sanctorum, si non audeant dicere imperfectæ illos fuisse virtutis, cùm hoc confiteatur Vas electionis, qui considerans ubi adhuc esset, & quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, Non quia jam acceperim, ait, aut jam perfectus sim, fratres, ego me ipsum non arbitror apprehendisse. Et paulò pòst tamen, qui se negaverat esse perfectum, Quotquot ergo perfecti, inquit, hoc sapiamus: ut ostenderet secundùm istius vitæ modum esse quamdam perfectionem, eique perfectioni hoc quoque deputari, si se quisque noverit nondum esse perfectum. Quid enim perfectius, quidve excellentius in veteri populo sacerdotibus sanctis? Et tamen eis præcepit Deus sacrificium primitus pro suis offerre peccatis. Et quid sanctius in novo populo Apostolis? Et tamen præcepit eis Dominus in oratione dicere, Dimitte nobis debita nostra. Omnium igitur piorum sub hoc onere corruptibilis carnis & in istius vitæ infirmitate gementium spes una est, quòd advocatum habemus ad Patrem Jesum Christum justum, & ipse est exoratio peccatorum nostrorum.

C

2. Cor. 6. 15.

D

Sap. 9. 15.

Philip. 3. 12. & 13.

Ibid. 15.

Perfectio hujus vitæ.

E

Levit. 9. 7. & cap. 16. 6.

Matth. 6. 12.

1. Johan. 2. 1.

F

CAPUT VI.

16. [c] JUSTUM advocatum non habent illi, qui sunt à justis (etiam si sola ista esset differentia,) in contrarium longéque discreti. Quem justum advocatum absit ut dicamus, sicut ipsi calumniantur, *carnis necessitate mentitum*: sed dicimus eum in similitudine carnis peccati de peccato damnasse peccatum. Quod fortasse isti non intelligentes & calumniandi cupiditate cæcati, quàm diversis modis peccati nomen in scripturis sanctis poni soleat ignorantes, peccatum Christi affirmare nos jactant. Dicimus itaque Christum, & nullum habuisse peccatum, nec in anima, nec in carne; & suscipiendo carnem in similitudine carnis peccati de peccato damnasse peccatum. Quod subobscurè ab Apostolo dictum duobus modis solvitur: sive quia rerum similitudines solent earum rerum nominibus nuncupari, quarum similes sunt, ut ipsam similitudinem carnis peccati voluisse intelligatur Apostolus appellare peccatum: sive quia sacrificia pro peccatis peccata appellabantur in lege, quæ omnia figuræ fuerunt carnis Christi, quod est verum & unicum sacrificium pro peccatis, non solùm his quæ universa in baptismate diluuntur, verùm etiam his quæ pòst ex hujus vitæ infirmitate subrepunt; propter quæ quotidie universa in oratione ad Deum clamat Ecclesia, Dimitte nobis debita nostra: & dimittuntur nobis per singulare sacrificium pro peccatis, quod Apostolus secundùm legem loquens, non dubitavit appellare peccatum. Unde est etiam illud ejus multo evidentius, nec aliquo bivio cujusquam ambiguitatis incertum: Obsecramus pro Christo reconciliari Deo; eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso. Nam quod superiùs commemoravi, De peccato damnavit peccatum; quia non dictum est, de peccato suo, potest quispiam sic intelligere, ut dicat eum de peccato Judæorum damnasse peccatum; quia de peccato eorum, qui eum crucifixerunt, factum est ut sanguinem suum in remissionem funderet peccatorum: hoc [d] verò, ubi dicitur Deus ipsum Christum, qui non noverat peccatum, fecisse peccatum, non mihi convenientiùs videtur intelligi, quàm Christum factum sacrificium pro peccatis, & ob hoc appellatum esse peccatum.

Calumnia de peccato in Christo.

Rom. 8. 3.

G

A

Similitudines, rerum nominibus appellantur quarum similes sunt.

B

Sacrificia dicta peccata.

C

2. Cor. 5. 20. & 21.

D

Christus quo sensu factus peccatum.

17. QUIS autem ferat eos objicere nobis, *quòd post resurrectionem tales processus futuros esse dicamus, ut ibi incipiant homines, quæ hic noluerint, Dei mandata complere*: quoniam dicimus, ibi omnino nullum futurum esse peccatum, nec cum aliqua peccati cupiditate conflictum; tamquam ipsi audeant hoc negare? Sapientiam quoque & cognitionem Dei tunc perfici in nobis, & in Domino tantam exsultationem, ut ea sit plena & vera securitas, quis negabit, nisi tam aversus sit à vero, ut ob hoc ad eam pervenire non possit? Verùm hæc non erunt in præceptis, sed in eorum quæ hîc observanda sunt præmio præceptorum. Quorum quidem præceptorum contemtus illò non perducit ad præmium, sed hîc studium præcepta servandi gratia Dei tribuit. Quæ si quid etiam in eis præceptis minùs servatur, ignoscit, propter quod orando dicimus, &, Fiat voluntas tua: &, Dimitte nobis debita nostra. Hîc ergo præceptum est, ut non peccemus: ibi præmium, non posse peccare. Hîc præceptum est, ut desideriis peccati non obediamus: ibi præmium, ut desideria peccati non habeamus. Hîc præceptum est, Intelligite ergo qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite: ibi præmium est, plena sapientia & & perfecta cognitio. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, ait Apostolus, tunc autem

CAPUT VII. Calúnia de impletione præceptorum in futura vita.

E

Perfecta futuræ vitæ justitia non in præcepto erit, sed in præceptorum hîc observatorum præmio.

F

Matth. 6. 10. & 12.

Psal. 93. 8.

G

1. Cor. 13. 12.

[a] Sic MSS. At editi, *si ambo*: minùs benè.
[b] Editi, *religionis*. Castigantur ex MSS.

[c] Editi, *Istum advocatum*: mendosè & dissentientibus MSS.
[d] Sic MSS. At editi, *hoc verbo*.

facie ad faciem. Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Hîc præceptum est, [*Psal. 80. 2.*] Exsultate Deo adjutori nostro; &, [*Psal. 32. 1.*] Exsultate justi in Domino: ibi præmium est, exsultare perfecto & ineffabili gaudio. Postremò in [*Matth. 5. 6.*] præcepto positum est, Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: In præmio autem, Quoniam ipsi saturabuntur. Unde quæso saturabuntur, nisi quod esuriunt & sitiunt? Quis igitur ita, non solùm à divino, sed à sensu quoque abhorret humano, qui dicat in homine tantam esse posse justitiam, cùm ab illo esuritur & sititur, quanta erit, cùm ex illa saturabitur? [*Non potest tanta esse in hac vita justitia, quanta in futura.*] Quando autem esurimus sitimusque justitiam, si fides Christi vigilat in nobis, quid nos nisi Christum esurire ac sitire credendum est? [*1. Cor. 1. 30. & 31.*] Qui factus est nobis sapientia à Deo & justitia & sanctificatio & redemtio; ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Et quia modò in eum non videntes credimus, ideo sitimus esurimusque justitiam. Quamdiu enim sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fi- [*2. Cor. 5. 6.*] dem enim ambulamus, non per speciem. Quem cùm [a] viderimus, pervenientes utique ad speciem, exsultabimus gaudio inenarrabili: [*1. Pet. 1. 8.*] & tunc justitiâ saturabimur; quia nunc ei pio desiderio dicimus, Saturabor cùm manifestabitur gloria tua. [*Psal. 16. 15.*]

18. Quàm verò est, non dico impudens, sed insana superbia, nondum esse æquales angelis Dei, & putare se jam posse habere justitiam æqualem angelis Dei; nec intueri tam magnum & [b] sanctum virum, qui utique ipsam justitiæ perfectionem esuriebat atque sitiebat, quando magnitudine revelationum nolebat extolli; nec tamen, ut non extolleretur, arbitrio suo voluntatique commissus est, sed accepit stimulum carnis angelum satanæ, qui eum colaphizaret; [*Perfectio justitiæ & plena securitas hîc nec in Paulo fuit.*] [*2. Cor. 12. 7.*] propter quod Dominum ter rogavit, ut discederet ab eo; dixitque ei Dominus, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Quæ virtus, nisi ad quam pertinet non extolli? Et quis dubitat hoc ad justitiam pertinere? Hujus igitur justitiæ perfectione sunt prædιti angeli Dei, qui semper vident faciem Patris, [*Matth. 18. 10.*] ac per hoc totius Trinitatis, quia per Filium vident in Spiritu-sancto. Nihil est autem ista revelatione sublimius: nec tamen angelorum quisquam illa contemplatione lætantium necessarium habet angelum satanæ, à quo colaphizetur, ne illum tanta magnitudo revelationis extollat. Hanc perfectionem virtutis utique nondum habebat apostolus Paulus, nondum æqualis angelis Dei: sed inerat illi extollendi se infirmitas, quæ per angelum etiam satanæ fuerat comprimenda, ne revelationum magnitudine extolleretur. Quamquam itaque ipsum satanam elatio prima dejecerit: tamen summus ille medicus, qui bene uti novit etiam malis, de angelo satanæ adhibuit contra elationis vitium, salubre, quamvis molestum medicamentum; sicut fieri consuevit antidotum, [*θηριακή.*] etiam de serpentibus contra venena serpentum. Quid est ergo, Sufficit tibi gratia mea; [*2. Cor. 12. 9.*] nisi ne deficiendo succumbas sub colapho angeli satanæ? Et quid est, Virtus in infirmitate perficitur; nisi quia in isto loco infirmitatis hactenus perfectio potest esse virtutis, ut ipsa infirmitate præsente elatio reprimatur? Quæ utique infirmitas, futura immortalitate sanabitur. Quomodo est enim dicenda sanitas plena, ubi etiam de angeli satanæ colapho adhuc est necessaria medicina?

19. Ex hoc factum est, virtutem, quæ nunc est in homine justo, perfectam hactenus nominari, ut ad ejus perfectionem pertineat etiam ipsius imperfectionis & in veritate cognitio, & in humilitate confessio. [*Justitia hominis perfecta hîc esse quo sensu dicitur.*] Tunc enim est secundùm hanc infirmitatem pro suo modulo perfecta ista parva justitia, quando etiam quid sibi desit intelligit. Ideoque Apostolus & imperfectum & perfectum se dicit: [*Philip. 3. 12. & 15.*] imperfectum scilicet, cogitando quantum illi ad justitiam desit, cujus plenitudinem adhuc esurit ac sitit; perfectum autem, quòd & suam imperfectionem confiteri non erubescit, & ut perveniat bene procedit. Sicut possumus dicere perfectum esse viatorem, cujus bene promovetur accessio, quamvis non perficiatur intentio, nisi fuerit facta perventio. [*Perfectus viator.*] Propterea cùm dixisset, Secundùm justitiam, quæ in lege est, qui fuerim sine querela: [*Philip. 3. 6. &c.*] mox addidit, « Quæ mihi lucra fuerunt, hæc propter Christum « damna esse duxi: verumtamen & arbitror omnia « damnum esse propter eminentem scientiam Chri- « sti Jesu Domini nostri, propter quem omnia non « solùm detrimenta credidi, verùm etiam stercora « existimavi esse, ut Christum lucrifaciam, & in- « veniar in illo non habens meam justitiam quæ « ex lege est, sed eam quæ est per fidem Christi, « quæ est ex Deo justitia in fide. Ecce Apostolus « secundùm justitiam quæ ex lege est, sine querela se fuisse, non utique mendaciter dicit; & tamen hæc quæ illi lucra fuerunt, abjicit propter Christum, & damna, detrimenta, stercora existimat, non solùm hæc, sed & cetera omnia quæ suprà commemoravit; propter non qualemlibet, sed eminentem, sicut ipse dicit, scientiam Christi Jesu Domini nostri, quam procul dubio adhuc in fide habebat, nondum in specie. Tunc enim erit eminens Christi scientia, quando fuerit ita revelatus, ut quod creditur videatur. Unde alio [*Col. 3. 3.*] loco ita dicit, Mortui enim estis, & vita vestra abs- « condita est cum Christo in Deo. Cùm Christus « apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum « illo in gloria. Hinc & ipse Dominus, Qui dili- [*Johan. 14. 21.*] git me, inquit, diligetur à Patre meo, & ego « diligam eum, & manifestabo me ipsum illi. Hinc » Johannes Evangelista, Dilectissimi, inquit, filii [*1. Johan. 3. 2.*] Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus. « Scimus autem, quia cùm apparuerit, similes ei « erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Tunc « erit eminens Christi scientia. Nunc enim est quidem abscondita in fide, sed nondum eminens apparet in specie.

20. Abjicit ergo illa beatus Paulus præterita justitiæ suæ tamquam detrimenta & stercora, ut Christum lucrifaciat, & inveniatur in illo non habens suam justitiam, quæ ex lege est. [*Justitia quæ ex lege est, cur à Paulo contemta.*] [c] Quare suam, si ex lege est? Neque enim lex illa Dei non est: quis hoc nisi Marcion & Manichæus & aliæ similes pestes dixerunt? Cùm ergo lex illa Dei sit, justitiam suam dicit esse quæ ex lege est: quam justitiam suam noluit habere, sed projecit

[a] Sic MSS. Editi verò, *invenerimus*. Et paulò pòst, *quia nunc ex desiderio dicimus*.

[b] In excusis, *& spiritalem virum*.

[c] Hîc ex MSS. restituimus, *Quare suam, si ex lege est*.

ut stercora. Cur ita, nisi quia hoc est, quod etiam superiùs demonstravimus, eos esse sub lege, qui ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti? Putant enim se arbitrii sui viribus implere legem jubentem, & istâ implicati superbiâ, ad gratiam non convertuntur juvantem. Sic eos littera occidit, aut apertè etiam sibi reos, non faciendo quod præcipit; aut putando se facere, quod spiritali, quæ ex Deo est, non faciunt caritate. Ita remanent aut apertè iniqui, aut fallaciter justi; in aperta iniquitate evidenter elisi, in fallaci justitia insipienter elati. Ac per hoc miro [a] quidem modo, sed tamen vero, justitiam legis non implet justitia quæ in lege est, vel ex lege, sed quæ in spiritu gratiæ. Justitia quippe legis impletur in eis, sicut scriptum est, qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm spiritum. Secundùm justitiam verò quæ in lege est, se fuisse sine querela in carne, non in spiritu, dicit Apostolus; & justitiam quæ ex lege est, suam dicit fuisse, non Dei. Intelligendum est igitur justitiam legis non impleri secundùm justitiam, quæ in lege est, vel ex lege, id est, secundùm justitiam hominis; sed secundùm justitiam quæ est in spiritu gratiæ: ergo secundùm justitiam Dei, hoc est, quæ homini ex Deo est. Quod planiùs & breviùs ita dici potest: Justitiam legis [b] non impleri cùm lex jubet, & homo quasi suis viribus facit; sed cùm spiritus adjuvat, & hominis [c] libera, sed Dei gratiâ liberata voluntas facit. Legis itaque justitia est, jubere quod Deo placet, vetare quod displicet: in lege autem justitia est, servire litteræ, & extra eam nullum Dei adjutorium ad rectè vivendum requirere. Cùm enim dixisset, Non habens » meam justitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ » est per fidem Christi: addidit, quæ est ex Deo. Ipsa est ergo justitia Dei, quam superbi ignorantes, suam volunt constituere. Non enim propterea justitia Dei dicitur, quoniam Deus [d] eâ justus est; sed quia homini ex Deo est.

Rom. 10. 3.
Fallaciter justi, qui se putant facere, quod spiritali, quæ ex Deo est, non faciũt caritate.
Rom. 8. 4.
Philip. 3. 6.
Justitia hominis in lege sive ex lege.
Justitia Dei, seu quæ homini ex Deo, in spiritu gratiæ.
Justitia legis.
Justitia in lege.
Ibid. 9.

21. Secundùm hanc autem justitiam Dei, hoc est, quæ ex Deo nobis est, nunc fides operatur per dilectionem. Id [e] autem operatur, quomodo perveniat homo ad eum, in quem modò non videns credit; quem cùm viderit, tunc quod erat in fide per speculum in ænigmate, jam erit in specie facie ad faciem: tunc perficietur & ipsa dilectio. Nimis quippe insipienter dicitur, tantùm amari Deum ante quàm videatur, quantum amabitur cùm videbitur. Porrò si in hac vita, pio nemine dubitante, quanto ampliùs diligimus Deum, tanto sumus utique justiores; quis dubitet, piam veramque justitiam, cùm fuerit dilectio Dei perfecta, tunc perfici? Tunc ergo lex, ita ut nihil omnino desit, implebitur; cujus legis, secundùm Apostolum, plenitudo dilectio est. Ac per hoc cùm dixisset, Non habens meam ju» stitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ est per » fidem Christi, quæ est ex Deo justitia in fide: deinde subjunxit, Ad cognoscendum eum, & » virtutem resurrectionis ejus, & communicationem » passionum ejus. Hæc omnia nondum plena & A perfecta in Apostolo erant, sed tamquam in via positus ad eorum plenitudinem perfectionemque currebat. Nam quomodo jam perfectè cognoverat Christum, qui dicit alio loco, Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum? Et quomodo jam perfectè cognoverat virtutem ejus resurrectionis, cui restabat eam pleniùs tempore resurrectionis carnis experiendo cognoscere? Et quomodo jam perfectè cognoverat communicationem passionum ejus, nondum B pro illo passionem mortis expertus? Denique addit & dicit, Si quo modo occurram in resurrectionem mortuorum. Ac deinde ait, Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim. Quid ergo se confitetur nondum accepisse, & in quo nondum esse perfectum, nisi [f] in ea justitia, quæ ex Deo est, quam concupiscens noluit suam habere, quæ ex lege est? Hinc enim loquebatur, & ista fuit caussa ut hæc diceret, resistens inimicis gratiæ Dei, pro qua largienda crucifixus est Christus: ex quorum genere etiam isti C sunt.

Non esse perfectam in hac vita justitiam.
Gal. 5. 6.
1. Cor. 13. 12.
Rom. 13. 10.
Philip. 3. 9.
Ibid. 10.
Justitiâ in Apostolo hîc nondũ erat perfecta.
1. Cor. 13. 12.
Philip. 3. 11 & 12.

22. Nam ex quo loco suscepit hæc dicere, sic exorsus est: Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. Nos enim sumus circumcisio « qui spiritu Deo servimus; vel sicut nonnulli codices « habent, qui spiritui Deo, vel spiritui Dei servimus; « & gloriamur in Christo Jesu, & non in carne fidentes. Hinc manifestum est adversùs Judæos eum agere, qui carnaliter observantes legem, & suam justitiam volentes constituere, occidebanD tur litterâ, non vivificabantur spiritu; & in se gloriabantur, cùm Apostoli & omnes promissionis filii gloriarentur in Christo. Deinde subjecit: Quamquam ego habeam fiduciam in carne; si « quis alius in carne putat se fiduciam habere, magis ego. Et enumerans omnia quæ secundùm carnem habent gloriam, ad illud terminavit, ubi ait: Secundùm justitiam quæ in lege est, qui fuerim sine querela. Et cùm hæc sibi omnino damna & detrimenta & stercora fuisse dixisset, E ut Christum lucrifaceret, adjecit unde agitur: Et inveniar in illo non habens justitiam meam, « quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidem « Christi, quæ est ex Deo. Hujus ergo justitiæ perfectionem, quæ non erit nisi in illa eminenti scientia Christi, propter quam sibi dixit omnia damnum esse, nondum se accepisse confessus est, & propterea nondum esse perfectum. Sequor autem, inquit, si apprehendam, in quo & appre« hensus sum à Christo Jesu. Tale est, apprehendam F in quo & apprehensus sum: quale est, cognoscam sicut & cognitus sum. Fratres, inquit, ego me ipsum non arbitror apprehendisse: unum autem, « quæ retrò sunt, oblitus, in ea quæ antè sunt ex« tentus, secundùm intentionem sequor ad pal« mam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Ordo verborum est, unum autem sequor. De quo uno bene intelligitur & Dominus admonuisse Martham, ubi ait, Martha, Martha, sollicita es, & turbaris circa plurima; porrò unum est G necessarium. Hoc iste volens apprehendere, tamquam in via constitutus, sequi se dixit ad

Philip. 3. 2. & 3.
Ibidem 4.
Ibidem 6.
Ibidem 9.
Ibid. 12.
1. Cor. 13. 12.
Philip. 3. 13. & 14.
Unum necessarium.
Luc. 10. 41.

[a] In editis, quodam.
[b] Editi, legis Dei. Abest Dei à MSS.
[c] Editi, non libera. Ut non expungamus, nitimur auctoritate Gallicanorum omnium MSS. & Vaticanorum.

[d] Hîc additum eâ ex MSS.
[e] Sic MSS. At editi, id est, operatur.
[f] Editi, nisi ex ea: & infrà, gratia Christi. At MSS gratia Dei: & suprà, nisi in ea.

palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quis autem cunctetur, cùm hoc quod sequi se asseverat apprehenderit, tunc habiturum eum justitiam æqualem justitiæ sanctorum angelorum, quorum neminem utique ne magnitudine revelationum extollatur, satanæ angelus colaphizat? Deinde admonens eos qui possent illius justitiæ plenitudine jam se putare perfectos: Quotquot ergo, inquit, perfecti, hoc sapiamus: tamquàm diceret, Si secundùm hominis mortalis capacitatem pro hujus vitæ modulo perfecti sumus, ad ipsam perfectionem hoc quoque pertinere intelligamus, ut angelicâ illâ, quæ in Christi manifestatione nobis erit justitia, nondum nos perfectos esse sapiamus. Et si quid aliter sapitis, inquit, hoc quoque vobis Deus revelabit. Quomodo, nisi ambulantibus & proficientibus in via rectæ fidei, donec ista peregrinatio finiatur, & ad speciem veniatur? Unde consequenter adjunxit: Verumtamen, in id quod pervenimus, in eo ambulemus. Deinde concludit, ut caveantur illi, de quibus hic locus sermonis ejus sumsit exordium: Imitatores mei, inquit, estote fratres, & » intendite eos qui sic ambulant, sicut habetis » formam nostram. Multi enim ambulant, de qui» bus sæpe dicebam vobis, nunc etiam flens dico, » inimicos crucis Christi, quorum finis est interi» tus: & cetera. Illi ipsi sunt, de quibus incipiens dixerat, Videte canes, videte malos operarios, & sequentia. Omnes itaque sunt inimici crucis Christi, qui volentes constituere suam justitiam, quæ ex lege est, id est, litterâ tantùm jubente, non spiritu implente, justitiæ Dei non sunt subjecti. Si enim qui per legem heredes sunt, exinanita est fides. Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est, ergo evacuatum est scandalum crucis. Ac per hoc illi inimici sunt crucis ejus, qui per legem dicunt esse justitiam, ad quam jubere pertinet, non juvare. Gratia verò Dei per Jesum Christum Dominum in Spiritu-sancto, adjuvat infirmitatem nostram.

1. Cor. 12. 7. — *Philip. 3. 15.* — Ad hujus vitæ perfectionem pertinet, ut intelligamus nos nondum esse perfectos. — *Ibidem.* — *Ibidem 16.* — *Ibidem 17. &c.* — *Ibidem 2.* — *Rom. 4. 14.* — *Gal. 2. 21.* — *Gal. 5. 11.*

23. Quamobrem qui secundùm justitiam quæ in lege est, sine fide gratiæ Christi vivit, sicut se Apostolus sine querela vixisse commemorat, nullam veram putandus est habere justitiam: non quia lex vera & sancta non est; sed quia obedire velle litteræ jubenti, sine vivificante spiritu Dei, veluti ex viribus liberi arbitrii, justitia vera non est. Justitia verò, secundùm quam justus ex fide vivit, quoniam per spiritum gratiæ homini ex Deo est, vera justitia est. Quæ licèt non immeritò in aliquibus justis pro hujus vitæ capacitate perfecta dicitur, parva tamen est ad illam magnam, quam capit æqualitas angelorum. Quam qui nondum habebat, & propter illam quæ jam inerat, perfectum; & propter istam quæ adhuc deerat, imperfectum se esse dicebat. Sed planè minor ista justitia facit meritum, major illa fit præmium. Unde qui istam non sequitur, illam non assequitur. Quocirca post resurrectionem hominis, futuram negare justitiæ plenitudinem, & putare tantam futuram esse justitiam in corpore vitæ illius, quanta esse potest in corpore mortis hujus, dementiæ singularis est. Non autem illic incipere homines, quæ hîc noluerint Dei mandata complere, verissimum est. Erit enim perfectissimæ plenitudo justitiæ, non tamen hominum mandata sectantium, & ad eam plenitudinem proficiendo nitentium; sed in ictu oculi; sicut ipsa futura est resurrectio mortuorum: quoniam illa perfectæ magnitudo justitiæ, eis qui hîc mandata fecerunt; præmium dabitur, non & ipsa facienda mandabitur. Sed ita dixerim, mandata fecerunt, ut * ad ipsa mandata meminerimus pertinere orationem, in qua quotidie veraciter dicunt sancti filii promissionis, & Fiat voluntas tua: &, Dimitte nobis debita nostra.

Justitia nulla vera sine fide gratiæ Christi. — Perfecta hujus vitæ justitia facit meritum: perfectissima futuræ vitæ, fit præmium. — *1. Cor. 15. 52.* — *Matth. 6. 10. & 12.*

CAPUT VIII.

Tria præcipua hæresis Pelagianæ capita.

24. CUM igitur Pelagiani his atque hujusmodi veritatis testimoniis & vocibus urgentur, ne negent originale peccatum, ne gratiam Dei qua justificamur, non gratis, sed secundùm merita nostra dari dicant; ne in homine mortali, quamlibet sancto & bene agente, tantam dicant esse justitiam, ut ei non sit necessaria etiam post regenerationis lavacrum, donec istam vitam finiat, remissio peccatorum: ergo cùm urgentur, ne ista tria dicant, & per hæc homines qui eis credunt à gratia Salvatoris alienent, & elatos in superbiam in judicium diaboli præcipites ire persuadeant; immittunt aliarum nebulas quæstionum, in quibus eorum apud homines simpliciores, sive tardiores, sive sanctis litteris minùs eruditos, impietas delitescat. Hæ sunt nebulæ, de laude creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrii, laude sanctorum: quasi quisquam nostrûm ista vituperet, ac non potiùs omnia in honorem Creatoris & Salvatoris debitis laudibus prædicet. Sed neque creatura ita vult laudari, ut nolit sanari. Et nuptiæ quanto magis laudandæ sunt, tanto minùs eis imputanda est pudenda carnis concupiscentia; quæ non est à Patre, sed ex mundo est: quam profectò invenerunt in hominibus nuptiæ, non fecerunt; quia & illa in plurimis sine ipsis est, & ipsæ si nemo peccasset, sine illa esse potuerunt. Et lex sancta & justa & bona; nec ipsa est gratia, & nihil ex ea rectè fit sine gratia; quia non est data quæ posset vivificare, sed prævaricationis causâ posita est, ut convictos concluderet sub peccato, & promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Et liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet; ad justitiam verò, nisi divinitus liberatum adjutumque, non valet. Ac per hoc & sancti omnes, sive ab illo antiquo Abel usque ad Johannem Baptistam, sive ab ipsis Apostolis usque ad hoc tempus, & deinceps usque ad terminum sæculi, in Domino laudandi sunt, non in se ipsis. Quia & illorum anteriorum vox est, In Domino laudabitur anima mea. Et istorum posteriorum vox est, Gratia Dei sum id quod sum. Et ad omnes pertinet, Ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Et confessio communis est omnium, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.

Nebulæ Pelagianorum, & calumniarum capita quinque. — *1. Johan. 2. 16.* — *Rom. 7. 12.* — *Gal. 3. 21. 19. & 22.* — *Psal. 33. 3.* — *1. Cor. 15. 10.* — *1. Cor. 1. 31.* — *1. Johan. 1. 8.*

CAPUT IX.

Ostendit catholicorum sententiam [inter] Manichæorum & Pelagianorum mediam, ...

25. SED quoniam in his quinque rebus quas proposui, in quibus quærunt latebras, & de quibus connectunt calumnias, divinis documentis produntur atque convincuntur, excogitaverunt imperitos quos Manichæorum detestabili nomine potuerint deterrere, ne adversùs eorum perversissima dogmata aures accommodent veritati: quia scilicet Manichæi quinque istorum tria

* Sic Gall. & Vatic. MSS. At editi, *ut ipsa mandata meminerimus pertinere ad orationem.*

priora

tramque refellere.

priora blasphemando condemnant; dicentes, neque humanam creaturam, neque nuptias, neque legem à summo & vero Deo esse institutam. Non autem accipiunt quod veritas dicit, à libero arbitrio exordium sumsisse peccatum, & ex illo esse omne vel angeli vel hominis malum: quia mali naturam semper malam & Deo coæternam nimis à Deo exorbitantes credere maluerunt. Sanctos quoque patriarchas & prophetas, quantis possunt exsecrationibus insectantur. Ecce unde se putant hæretici novi, Manichæorum nomine objecto, vim subterfugere veritatis: sed non subterfugiunt. Insequitur quippe illa, & simul Manichæos Pelagianosque subvertit. Homo enim dum nascitur, quia bonum aliquid est, in quantum homo est, Manichæum redarguit, laudatque Creatorem: in quantum verò trahit originale peccatum, Pelagium redarguit, & habet necessarium Salvatorem. Nam & quòd sananda dicitur ista natura, utrumque repercutit: quia nec medicinâ opus haberet, si sana esset, quod est contra Pelagium; nec sanari posset omnino, si æternum atque immutabile malum esset, quod est contra Manichæum. Item quòd nuptiis, quas laudamus à Domino constitutas, concupiscentiam carnis imputandam esse non dicimus; & contra Pelagianos est, qui eam in laudibus ponunt; & contra Manichæos, qui eam malæ [a] alienæ naturæ tribuunt; cùm sit nostræ naturæ accidens malum, non Dei [b] disjunctione separandum, sed Dei miseratione sanandum. Item quòd dicimus legem sanctam, & justam, & bonam, non justificandis impiis, sed convincendis superbis, prævaricationis gratiâ positam; & contra Manichæos est, quia secundùm Apostolum laudatur; & contra Pelagianos, quia secundùm Apostolum, nemo ex lege justificatur: & ideo [c] vivificandis eis quos littera occidit, id est, quos lex bona præcipiens prævaricatione reos facit, spiritus gratiæ gratis opitulatur. Item quòd arbitrium [d] in malo liberum dicimus ad agendum bonum gratiâ Dei esse liberandum, contra Pelagianos est: quòd autem dicimus ab illo exortum, quod antea non erat malum, contra Manichæos est. Item quòd sanctos patriarchas & prophetas debitis in Deo laudibus honoramus, adversum est Manichæis: quòd verò & ipsis quamvis justis & Deo placentibus propitiationem Domini fuisse dicimus necessariam, adversum est Pelagianis. Utrosque igitur catholica fides, sicut & ceteros hæreticos, adversarios invenit, utrosque divinorum testimoniorum auctoritate & luce veritatis convincit.

Pelagiani Manichæorum nomine Catholicis objecto putant se subterfugere vim veritatis.

Rom. 7. 12.

Gal. 3. 19.

Ibid. 11.

2. Cor. 3. 6.

Caput X. Pelagiani latendi locum moliuntur adhuc injecta non necessariâ de animæ origine quæstione.

26. Addunt sanè ad latebrarum suarum nebulas Pelagiani, de origine animæ non necessariam quæstionem; ad hoc ut res manifestas, aliarum rerum obscuritate turbando, moliantur latendi locum. Aiunt enim, *nos animarum traducem cum peccati traduce contueri*. Quod ubi & quando in eorum, qui defendunt adversùs istos catholicam fidem, vel sermonibus audierint, vel litteris legerint; nescio. Quia etsi invenio à catholicis de hac re aliquid scriptum; nondum contra istos fuerat veritatis suscepta defensio, neque id agebatur ut eis responderetur. Sed hoc dico, tam manifestum esse secundùm scripturas sanctas originale peccatum, atque hoc dimitti lavacro regenerationis in parvulis, tanta fidei catholicæ antiquitate atque auctoritate firmatum, tam clara Ecclesiæ celebritate notissimum, ut quidquid de animæ origine cujuslibet inquisitione vel affirmatione disseritur, si contra hoc sit, verum esse non possit. Quapropter quisquis vel de anima, vel de quacumque re obscura id adstruit, unde hoc quod verissimum, fundatissimum, notissimum est, destruat, sive sit ille filius, sive inimicus Ecclesiæ, aut corrigendus est, aut cavendus. Sed hic sit hujus voluminis finis, ut aliud habeant quæ sequuntur exordium.

[a] Hîc *alienæ* additur ex MSS. Deerat apud Er. & Lov. At apud Am. legebatur, *alia*.

[b] Pro *disjunctione*, in excusis substitutum erat *distinctione*.

[c] Editi, *justificandis*. At MSS. *vivificandis*: quod meliùs respondet verbo *occidit*

[d] Editi, *arbitrium sui in malum liberum*. Abest *sui* à MSS. Gallic. & Vatic. inque ipsis omnibus legitur, *in malo*. Sic suprà lib. 1. c. 3. n. 6. dicitur *arbitrium liberum in malo* quidem, sed *non liberum in bono esse quod liberator non liberaverit*.

LIBER QUARTUS.

Post quàm conjectas in Catholicos criminationes diluit superioribus libris, hic jam Augustinus aperit insidias, quæ reliqua parte epistolæ secundæ Pelagianorum in quinque doctrinæ eorum capitibus latent, in laude scilicet creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrii, & laude sanctorum: penes quæ capita non magis Manichæis quàm Catholicis repugnare se Pelagiani malignè jactant: cùm illa quinque ad hoc referre noscantur, ut triplicem errorem suum obtrudant; nempe duo priora, ut negent originale peccatum; duo sequentia, ut gratiam statuant secundùm merita dari; quintum, ut sanctos in hac vita peccatum non habuisse dicant. Ostendit Augustinus utrasque hæreses, Manichæorum & Pelagianorum, hinc inde oppositas & pariter exosas fidei catholicæ, quâ profitemur primùm, bonam esse naturam à Deo bono conditam, sed eam tamen salvatore indigere propter originale peccatum, quod ex primi hominis prævaricatione in omnes pertransiit: tum deinde bonas esse nuptias, verè à Deo institutas; sed malam ipsam concupiscentiam, quæ nuptiis accidit ex peccato: bonam quoque esse Dei legem, sed ita ut peccatum ostendat solummodo, non tollat: liberum certè arbitrium naturæ hominis insitum esse; nunc tamen ita captivatum, ut ad faciendam justitiam non valeat, nisi cùm fuerit per gratiam liberatum: sanctos autem seu novi seu veteris Testamenti fuisse quidem verâ justitiâ præditos, non perfectâ tamen, nec tam plenâ, ut caruerint omni peccato. In fine profert Cypriani & Ambrosii testimonia pro catholica fide, quædam de originali peccato, alia de gratiæ adjutorio, ultima de præsentis justitiæ imperfectione.

CAPUT I.

POST hæc quæ tractavimus, quibusque respondimus, eadem repetunt, quorum redarguimus epistolam; sed diverso modo. Nam priùs ea proposuerunt nobis objicientes, quæ velut perperam sentiamus: postea verò quid ipsi sentiant exponentes, eadem à contrario reddiderunt; addentes duo quædam quæ non dixerant, id est, *Baptismum se dicere omnibus ætatibus necessarium*; &, *Per Adam mortem ad nos transisse, non crimina.* Quæ suo loco & ipsa tractanda sunt. Proinde quia superiore libro, quem modò explicavimus, quinque rerum eos obtendere obstacula diximus, in quibus eorum dogmata inimica gratiæ Dei & catholicæ fidei delitescant, laude scilicet creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrii, laude sanctorum: commodius esse arbitror, omnia quæ defendunt, quorum contraria nobis objiciunt, [a] generatim distinguere, & quæ illorum ad quid istorum quinque pertineant demonstrare, ut dilucidior & [b] brevior ipsâ distinctione possit esse nostra responsio.

Latebræ Pelagianorum quinque.

CAPUT II. 1. Laus creaturæ.

2. LAUDEM creaturæ, quod ad genus humanum adtinet, unde nunc quæstio est, his sententiis exsequuntur: *Quòd nascentium conditor Deus sit, filiique hominum opus sint Dei; & peccatum omne non de natura, sed de voluntate descendat.* Huic laudi creaturæ applicant, *Quòd omnibus ætatibus dicunt esse baptismum necessarium, ut* scilicet *illa creatura in Dei filios adoptetur, non quod aliquid ex parentibus trahat, quod sit lavacro regenerationis expiandum.* Huic laudi adjungunt, & *quòd Christum Dominum nulla dicunt macula peccati fuisse respersum, quantum adtinet ad ejus infantiam:* quia ejus carnem ab omni peccati contagione purissimam, non excellentiâ propriâ &
A gratiâ singulari, sed communione naturæ, quæ omnibus inest infantibus, asseverant. Eò pertinet etiam, quòd *de animæ origine* inserunt quæstionem, sic animæ Christi coæquare molientes omnes animas parvulorum, quas volunt esse similiter nullâ peccati maculâ aspersas. Propter hoc etiam dicunt, *Ex Adam nihil mali transisse per ceteros, nisi mortem: quæ non semper est malum,* inquiunt, *cùm & martyribus sit caussa præmiorum, & vel bonam vel malam dici faciat, non resolutio*
B *corporum, quæ excitabuntur in omni genere hominum, sed meritorum diversitas, quæ de humana libertate contingit.* Hæc scribunt in hac epistola de laude creaturæ.

2. Laus nuptiarum. Matth. 19. 4. Gen. 1. 28.

Nuptias verò secundùm Scripturas laudant, quia Dominus in Evangelio loquitur, *Qui fecit ab initio masculum & feminam fecit eos, & dixit, Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Quamvis hoc non in eo loco Evangelii, sed tamen in lege sit scriptum. Addunt etiam, *Quod ergo Deus*
C *conjunxit, homo non separet.* Quæ verba Evangelica agnoscimus.

Matth. 19. 6.

3. Laus legis. Rom. 7. 12.

In laude legis dicunt, *Veterem legem secundùm Apostolum justam & sanctam & bonam, custodientibus mandata sua, ac per fidem justè viventibus, sicut prophetis & patriarchis omnibusque sanctis, vitam potuisse conferre perpetuam.*

4. Laus liberi arbitrii. Isai. 1. 19.

In laude liberi arbitrii dicunt, *Liberum arbitrium non periisse, cùm loquatur Dominus per prophetam: Si volueritis & audieritis me, quæ bona*
D *sunt terræ edetis; si nolueritis & non audieritis, gladius vos comedet. Ac per hoc & gratiam uniuscujusque bonum propositum adjuvare, non tamen reluctanti studium virtutis immittere, quia personarum acceptio non est apud Deum.*

Rom. 2. 11.

5. Laus sanctorum.

Laude sanctorum sese contegunt, dicentes, *Bap-*

[a] Vaticani MSS. *gradatim distinguere.*

[b] Sic MSS. At editi, *& probabilior.*

Epheſ. 5. 26. *tiſma perfectè homines innovare. Si quidem Apoſtolus teſtis ſit, qui per lavacrum aquæ Eccleſiam de gentibus ſanctam fieri immaculatamque teſtatur. Sanctum quoque Spiritum mentes bonas in antiquis adjuviſſe temporibus, dicente Propheta ad Deum,* Pſal. 142. 10. *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam. Omnes quoque Prophetas & Apoſtolos vel ſanctos, tam novi quàm veteris Teſtamenti, quibus Deus teſtimonium perhibet, non in comparatione ſceleratorum, ſed regulà virtutum juſtos fuiſſe; in futuro autem tempore mercedem eſſe tam bonorum operum, quàm malorum.* B *Ceterùm neminem poſſe, quæ hìc contemſerit, illic mandata perficere; quia dixerit Apoſtolus,* 2. Cor. 5. 10. » *Oportet nos manifeſtari ante tribunal Chriſti, ut reportet unuſquiſque propria corporis, ſecundùm quod geſſit, ſive bonum, ſive malum.*

Quid his latebris Pelagiani tegant.

In his omnibus quidquid dicunt de laude creaturæ atque nuptiarum, ad hoc referre conantur, ut non ſit originale peccatum: quidquid de laude legis & liberi arbitrii, ad hoc, ut gratia non adjuvet niſi meritum, ac ſic gratia jam non ſit C gratia: quidquid de laude ſanctorum, ad hoc, ut vita mortalis in ſanctis videatur non habere peccatum, nec ſit eis neceſſarium pro dimittendis debitis ſuis precari Deum.

Caput III. Catholici naturam, nuptias, legem, liberum arbitrium, & ſanctos, ſic laudant, ut Pelagianos ſimul & Manichæos damnent.

3. Ista nefaria dogmata & damnabilia in hac tripartita diviſione quiſquis mente catholica exhorret, illius quinque partitæ latebras inſidiaſque deviter, atque ita inter utrumque ſit cautus, ut ſic declinet Manichæum, ne ſe inclinet in Pelagium; rurſuſque ita ſe ſejungat à Pelagianis, D ne conjungat Manichæis; aut ſi in alterutris jam tenetur, ne ſic ſe à quibuſlibet alteris [a] eruat, ut in alteros irruat. Videntur quippe inter ſe eſſe contrarii; quoniam quinque illa Manichæi vituperando ſe manifeſtant, Pelagiani laudando ſe occultant. Quapropter utroſque damnat atque devitat, quiſquis ſecundùm regulam catholicæ fidei ſic in hominibus naſcentibus de bona creatura carnis & animæ glorificat Creatorem, quod non vult Manichæus; ut tamen propter vitium, E quod in eos per peccatum primi hominis pertranſiit, fateatur & parvulis neceſſarium Salvatorem, quod non vult Pelagius: ſic diſcernit malum pudendæ concupiſcentiæ à bonitate nuptiarum, ut neque Manichæis ſimilis unde naſcimur culpet, neque Pelagianis ſimilis unde confundimur laudet: ſic legem per Moyſen ſanctam & juſtam & bonam à Deo ſancto & juſto & bono datam eſſe defendit, quod contra Apoſtolum negat Manichæus; ut eam dicat & peccatum oſtendere, F non tamen tollere, & juſtitiam jubere, non tamen dare, quod rurſus contra Apoſtolum negat Pelagius: ſic aſſerit liberum arbitrium, ut non ex natura neſcio qua ſemper mala, quæ nulla eſt, ſed ex ipſo arbitrio cœpiſſe dicat & angeli & hominis malum, quod evertit hæreſim Manichæam; nec ideo tamen poſſe captivam voluntatem, niſi Dei gratiâ, reſpirare in ſalubrem libertatem, quod evertit hæreſim Pelagianam: ſic laudat in Deo ſanctos homines Dei non ſo- G lùm ex manifeſtato in carne Chriſto & deinceps, verùm etiam ſuperiorum temporum, quos audent blaſphemare Manichæi; ut tamen de ipſis plus credat ipſis confitentibus, A quàm Pelagianis mentientibus. Sanctorum enim vox eſt, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. 1. Iohan. 1. 8.

Caput IV. De laude creaturæ, Pelagiani, Manichæi.

4. His ita ſe habentibus, quid prodeſt novellis hæreticis, inimicis crucis Chriſti & divinæ oppugnatoribus gratiæ, quòd à Manichæorum errore ſani videntur, & aliâ ſuâ peſtilentiâ moriuntur? Quid eis prodeſt, quòd in laude creaturæ dicunt, *Deum bonum naſcentium conditorem, per quem facta ſunt omnia, ejuſque opus eſſe filios hominum*, quos Manichæi dicunt opus eſſe principis tenebrarum; cùm inter utroſque, vel apud utroſque Dei creatura, quæ eſt in infantibus pereat? Utrique enim nolunt eam Chriſti carne & ſanguine liberari: illi quia ipſam carnem & ſanguinem Chriſti, tamquam hæc omnino in homine vel ex homine non ſuſceperit, deſtruunt; iſti autem, quia nullum malum ineſſe infantibus aſſerunt, unde per ſacramentum carnis hujus & ſanguinis liberentur. Jacet inter illos in parvulis humana creatura inſtitutione bona, propagatione vitiata; bonis ſuis confitens optimum conditorem, malis ſuis quærens miſericordiſſimum redemtorem; Manichæos habens bonorum ſuorum vituperatores, Pelagianos habens malorum ſuorum negatores, utroſque perſecutores. Et quamvis per infantiam loqui non valeat, ſpecie tamen tacita & infirmitate abdita impiam vanitatem utrorumque compellat, & illis dicens, Ab eo qui bona creat, credite me creari; & iſtis dicens, Ab eo qui me creavit, ſinite me ſanari. Manichæus dicit, Nihil eſt hujus infantis, niſi anima bona liberanda; cetera non ad Deum bonum, ſed ad principem tenebrarum pertinentia reſpuenda. Pelagianus dicit, Immo hujus infantis nihil eſt liberandum, quia totum oſtendimus ſalvum. Ambo mentiuntur: ſed jam mitior eſt carnis ſolius accuſator, [b] quàm qui in univerſum convincitur ſævire laudator. Sed nec Manichæus humanæ animæ ſubvenit, blaſphemando auctorem totius hominis Deum; nec Pelagianus humanæ infantiæ divinam [c] gratiam ſubvenire permittit, negando originale peccatum. Deus ergo miſeretur per catholicam fidem, quæ utramque redarguendo perniciem, infanti ſubvenit ad ſalutem; Manichæis dicens, Audite Apoſtolum clamantem, Neſcitis quia corpus veſtrum templum eſt in vobis Spiritus-ſancti? & Deum bonum creatorem credite corporum, quia non poteſt eſſe templum Spiritus-ſancti opus principis tenebrarum: Pelagianis dicens, In iniquitatibus conceptus eſt, & in peccatis eum mater ejus in utero aluit, quem conſpicitis parvulum. Quid eum tamquam ab omni noxa liberum defendendo, non permittitis per indulgentiam liberari? Nemo mundus à ſorde, nec infans cujus eſt diei unius vita ſuper terram. Sinite miſerum remiſſionem accipere peccatorum, per eum qui ſolus nec parvus nec magnus potuit habere peccatum.

Utrique à Catholicis redarguuntur. 1. Cor. 6. 19. Pſal. 50. 7. Iob 14. sec. LXX.

5. Quid eis igitur prodeſt, quòd dicunt, *Omne peccatum non de natura, ſed de voluntate deſcendere*; & Manichæis malam naturam dicentibus cauſſam eſſe peccati, hujus ſententiæ veritate reſiſtere: quando nolentes admittere originale

[a] Am. & Er. *alteri ſervet.* Lov. *alteris ſervet.* Caſtigantur ad MSS.

[b] In MSS. *accuſator, quia in univerſum* &c.

[c] In MSS *divinam medicinam.*

peccatum, cùm & ipſum ſine dubio de primi hominis voluntate deſcendat, faciunt reos parvulos de corpore exire? Quid eis prodeſt, *Baptiſmum omnibus ætatibus neceſſarium confiteri*; quod Manichæi dicunt in omni ætate ſuperfluum: cùm iſti dicant eſſe in parvulis falſum, quantum ad remiſſionem adtinet peccatorum? Quid eis prodeſt, *quòd carnem Chriſti*, quam Manichæi nullam vel ſimulatam fuiſſe contendunt, adversùs eos iſti non ſolùm veram, ſed *& ipſam animam nullâ peccati maculâ reſperſam fuiſſe* defendunt: cùm ſic ejus infantiæ ceteri ab eis coæquentur infantes, non impari puritate; ut & illa non videatur ſervare iſtorum comparatione propriam ſanctitatem, & iſti ex illa nullam conſequantur ſalutem?

6. In eo ſanè quod dicunt, *Per Adam mortem ad nos tranſiſſe, non crimina*, non habent adverſarios Manichæos: quia nec ipſi adſtruunt originale peccatum ex homine primo priùs puro & recto corpore ac ſpiritu, & poſtea per arbitrium liberum depravato, deinceps in omnes cum morte tranſiſſe & tranſire peccatum: ſed carnem dicunt ab initio malam de malo corpore, & à [a] malo ſpiritu & cum malo ſpiritu creatam; animam verò bonam, partem ſcilicet Dei, pro meritis inquinationis ſuæ per cibos & potum, in quibus antea colligata eſt, venire in hominem, atque ita per concubitum carnis vinculo colligari. Ac per hoc Manichæi conſentiunt Pelagianis, non crimen primi hominis tranſiſſe in genus humanum, neque per carnem, quam numquam fuiſſe dicunt bonam, neque per animam, quam perhibent cum meritis inquinamentorum ſuorum, quibus polluta eſt ante carnem, venire in hominis carnem. Sed Pelagiani quomodo dicunt, *ſolam mortem ad nos tranſiſſe per Adam?* Si enim propterea morimur, quia ille mortuus eſt; ille autem mortuus eſt, quia peccavit: pœnam dicunt tranſire ſine culpa, & innocentes parvulos injuſto [b] ſupplicio puniri, trahendo mortem ſine meritis mortis. Quod de uno ſolo mediatore Dei & hominum homine Chriſto Jeſu catholica fides novit, qui pro nobis mortem, hoc eſt, peccati pœnam ſine peccato ſubire dignatus eſt. Sicut enim ſolus ideo factus eſt hominis filius, ut nos per illum Dei filii fieremus: ita ſolus pro nobis ſuſcepit ſine malis meritis pœnam, ut nos per illum ſine bonis meritis [c] conſequeremur gratiam. Quia ſicut nobis non debebatur aliquid boni, ita nec illi aliquid mali. Commendans ergo dilectionem ſuam in eos, quibus erat daturus indebitam vitam, pati pro eis voluit indebitam mortem. Hanc ſingularem Mediatoris prærogativam Pelagiani evacuare conantur, ut hoc jam non ſit in Domino ſingulare, ſi Adam ita propter culpam mortem paſſus eſt debitam, ut parvuli ex illo nullam trahentes culpam, mortem patiantur indebitam. Quamvis enim bonis conferatur per mortem plurimum boni; unde nonnulli congruenter etiam de bono mortis diſputaverunt: tamen & hinc quæ prædicanda eſt niſi miſericordia Dei, quòd in bonos uſus convertitur pœna peccati?

Non ſola mors, ſed & peccatū per Adam in nos tranſiit.

Solus Chriſtus mortē ſine peccato pertulit.

7. Sed hoc ideo dicunt iſti, dum volunt ex verbis Apoſtoli in ſuum ſenſum homines detorquere. Ubi enim ait Apoſtolus, "Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit:" ibi volunt intelligi non peccatum pertranſiſſe, ſed mortem. Quid eſt ergo quod ſequitur, in quo omnes peccaverunt? Aut enim in illo uno homine peccaſſe dicit omnes Apoſtolus, de quo dixerat, Per unum hominem peccatum intravit in mundum: aut in illo peccato; aut certè in morte. Non enim movere debet, quia non dixit, in qua, ſed in quo omnes peccaverunt: mors quippe in Græca lingua * generis maſculini eſt. Quodlibet ergo eligant: aut enim in illo homine peccaverunt omnes, & ideo dictum eſt, quoniam quando ille peccavit, in illo erant omnes: aut in illo peccato peccaverunt omnes, quia generaliter omnium factum eſt; quod naſcentes tracturi erant omnes: aut reſtat ut dicant, quòd in illa morte peccaverint omnes. Sed hoc quemadmodum poſſit intelligi, non planè video. In peccato enim moriuntur omnes, non in morte peccant: nam peccato præcedente, mors ſequitur; non morte præcedente, peccatum. Aculeus quippe mortis eſt peccatum, id eſt, aculeus cujus punctione fit mors, non aculeus quo pungit mors. Sicut venenum ſi bibitur, appellatur poculum mortis, quòd eo poculo facta ſit mors; non quòd morte ſit poculum factum, aut à morte ſit datum. Quòd ſi propterea non poteſt illis verbis Apoſtoli peccatum intelligi, in quo omnes peccaverunt, quia in Græco, unde tranſlata eſt epiſtola, peccatum feminino * genere poſitum eſt: reſtat ut in illo primo homine peccaſſe omnes intelligantur; quia in illo fuerunt omnes quando ille peccavit, unde peccatum naſcendo trahitur, quod niſi renaſcendo non ſolvitur. Nam & ſic ſanctus [d] Hilarius intellexit quod ſcriptum eſt, in quo omnes peccaverunt: ait enim, *In quo, id eſt, in Adam omnes peccaverunt.* Deinde addidit: *Manifeſtum in Adam omnes peccaſſe quaſi in maſſa. Ipſe enim per peccatum corruptus, omnes quos genuit, nati ſunt ſub peccato.* Hæc ſcribens Hilarius ſine ambiguitate commonuit, quomodo intelligendum eſſet, in quo omnes peccaverunt.

Rom. 5. 12.

Quidlibet; In quo omnes peccaverunt.

1. Cor. 15. 56. Aculeus mortis quomodo peccatum.

8. Propter quid autem idem Apoſtolus dicit, nos per Chriſtum reconciliari Deo, niſi propter quod facti fuimus inimici? Et hoc quid eſt, niſi peccatum? Unde & Propheta dicit, Peccata veſtra ſeparant inter vos & Deum. Propter hanc ergo ſeparationem Mediator eſt miſſus, ut tolleret peccatum mundi, per quod ſeparabamur inimici, & reconciliati ex inimicis efficeremur filii. Hinc utique Apoſtolus loquebatur: hinc factum eſt ut interponeret quod ait, Per unum hominem intraſſe peccatum. Hæc enim ſunt ſuperiora verba ejus. "Commendat autem, inquit, ſuam caritatem Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt; multò magis juſtificati nunc in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum. Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus; multò magis reconciliati, ſalvi"

Rom. 5. 10. Iſai. 59. 2. Rom. 5. 8. & ſeq.

[a] Hîc Er. & Lov. omiſerunt, *malo.*
[b] Sic MSS. Editi autem, *injuſto judicio.*
[c] Aberat *conſequeremur* à MSS. ut lector ſubaudiret, *ſuſciperemus.*

[d] Interpretatio illa Pauli, quam Hilarii nomine citat, legitur in commentariis Ambroſio aliquando inſcriptis, qui Hilarii diaconi, ſectâ Luciferiani, patriâ Sardenſis, eſſe exiſtimantur.

» erimus in vita ipsius. Non solùm autem, sed & » gloriantes in Deo per Jesum Christum Dominum » nostrum, per quem & nunc reconciliationem ac» cepimus. Deinde subjungit: Propter hoc sicut » per unum hominem peccatum in hunc mundum » intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes » homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Quid tergiversantur Pelagiani? Si omnibus necessaria est reconciliatio per Christum, per omnes transiit peccatum, quo inimici fuimus, ut opus reconciliari haberemus. Hæc reconciliatio est in lavacro regenerationis & Christi carne & sanguine, sine quo nec parvuli possunt habere vitam in semetipsis. Sicut enim fuit unus ad mortem propter peccatum, sic est unus ad vitam propter justitiam. [1. Cor. 15. 22.] Quia sicut in Adam omnes » moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabun» tur: [Rom. 5. 18.] & sicut per unius delictum in omnes homi» nes ad condemnationem, ita & per unius justifi» cationem in omnes homines ad justificationem » vitæ. Quis adversùs hæc apostolica verba tantâ duritiâ nefandæ impietatis obsurduit, ut his auditis mortem sine peccato in nos per Adam transisse contendat, nisi oppugnatores gratiæ Dei, inimici crucis Christi? [Philip. 3. 18 & 19.] Quorum finis est interitus, si in hac obstinatione duraverint. Verùm hæc dixisse sufficiat, propter eorum illam versutiam serpentinam, [Versutia serpentina Pelagianorum.] qua volunt mentes corrumpere simplices, & avertere à catholicæ fidei castitate, veluti laude creaturæ.

[Caput V. De laude nuptiarũ.]

9. Porro autem de laude nuptiarum quid eis prodest, quòd adversùs Manichæos, qui nuptias non Deo vero & bono assignant, sed principi tenebrarum, isti verbis veræ pietatis obsistunt, dicentes, *Quia Dominus in Evangelio loquitur, Qui fecit ab initio masculum & feminam fecit eos: & dixit, Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* [Matth. 19. 4. &c.] Quid eis hoc prodest, per verum seducere ad falsum? Hoc enim dicunt, ut ab omni noxa liberi nasci credantur infantes, ac sic non eis opus sit Deo reconciliari per Christum, non habentibus ullum originale peccatum, propter quod reconciliatio necessaria est omnibus per unum, qui sine peccato venit in mundum: [a] sicut omnium factæ inimicitiæ sunt per unum, per quem peccatum intravit in mundum. Quod catholicè creditur, pro salvanda natura hominum salva laude nuptiarum: quia nuptiarum laus est justa copulatio sexuum, non iniqua defensio vitiorum. At per hoc cùm isti laudando nuptias, à Manichæis homines ad se ipsos volunt traducere; mutare illis morbum cupiunt, non sanare.

[De laude legis.]

10. Rursus in laude legis quid eis prodest, quòd contra Manichæos verum dicunt, quando ex hoc ad illud volunt ducere, quod falsum contra catholicos sentiunt? Dicunt enim, *Legem etiam veterem secundùm Apostolum, justam & sanctam & bonam fatemur,* [Rom. 7. 12.] *quæ custodientibus mandata sua, ac per fidem justè viventibus, sicut Prophetis & Patriarchis, omnibusque sanctis, vitam potuit conferre perpetuam.* Quibus verbis callidissimè positis legem contra gratiam laudant. Neque enim lex illa, quamvis justa & sancta & bona, omnibus illis hominibus Dei, sed fides quæ in Christo est, vitam potuit conferre perpetuam. Hæc enim fides per dilectionem operatur, [Gal. 5. 6.] non secundùm litteram quæ occidit, sed secundùm spiritum qui vivificat: [2. Cor. 3. 6.] ad quam Dei gratiam lex de prævaricatione terrendo tamquam pædagogus perducit, [Gal. 3. 24.] ut sic conferatur homini, quod conferre ipsa non potuit. Istis namque verbis eorum, quibus dicunt, *Legem Prophetis & Patriarchis omnibusque sanctis mandata ejus servantibus vitam potuisse conferre perpetuam:* respondet Apostolus, Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est. [Gal. 2. 21.] Si ex lege hereditas, jam non ex promissione. [Gal. 3. 18.] Si hi qui per legem heredes sunt, exinanita est fides, & evacuata est promissio. [Rom. 4. 14.] Quia autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est, [Gal. 3. 11. & 12.] quia « justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide; « sed qui fecerit ea, vivet in illis. « Quod ex lege testimonium commemoratum ab Apostolo propter vitam temporalem intelligitur, propter cujus amittendæ timorem faciebant homines legis opera, non ex fide; [b] quia transgressores legis eadem lege à populo jubebantur occidi. Aut si altiùs intelligendum est, propter vitam æternam scriptum esse, Qui fecerit ea, vivet in illis: ideo sic expressum est legis imperium, ut infirmitas hominis in se ipsa deficiens ad facienda quæ lex imperat, de gratia Dei potiùs ex fide quæreret adjutorium, cujus misericordiâ etiam fides ipsa donatur. Ita quippe habetur fides, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei. [Rom. 12. 3.] Si enim non à se ipsis habent, sed accipiunt homines spiritum virtutis & caritatis & continentiæ; unde dicit idem ipse doctor gentium, Non enim accepimus spiritum timoris, sed virtutis & caritatis & continentiæ: [2. Tim. 1. 7.] profectò accipitur etiam spiritus fidei, de quo dicit, Habentes autem eumdem spiritum fidei. [2. Cor. 4. 13.] Verum ergo dicit lex: Qui fecerit ea, vivet in illis. [Lev. 18. 5.] Sed ut faciat ea & vivat in eis, non lex quæ hoc imperat, sed fides est necessaria, quæ hoc impetrat. Quæ tamen fides, ut hæc accipere mereatur, ipsa gratis datur.

[Gratiam Dei legem ipsam intelligunt Pelagiani.]

11. Nusquam autem isti inimici gratiæ ad eamdem gratiam vehementiùs oppugnandam occultiores moliuntur insidias, quàm ubi legem laudant, quæ sine dubitatione laudanda est. Legem quippe diversis locutionum modis & varietate verborum in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam, ut scilicet à Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus, quo ea quæ facienda sunt noverimus; non inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus, [Gratia inspiratio dilectionis.] quæ [c] propriè gratia est. Nam scientia legis sine caritate inflat, non ædificat, secundùm eumdem Apostolum apertissimè dicentem, Scientia inflat, caritas verò ædificat. [1. Cor. 8. 1.] Quæ sententia similis est ei qua dictum est, Littera occidit, spiritus vivificat. [2. Cor. 3. 6.] Quale est enim, Scientia inflat; tale est, Littera occidit: & quale est, caritas ædificat; tale est, spiritus vivificat: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. [Rom. 5. 5.] Cognitio itaque legis facit superbum prævaricatorem: per donum autem caritatis delectat legis esse factorem. Non ergo legem evacuamus per fidem, sed legem statuimus: [Rom. 3. 31.] quæ terrendo ducit ad fidem.

[a] Sic MSS. Editi verò Am. & Er. *Sicut enim.* Lov. *Sic enim:* omisso, *omnium.*

[b] Editi, *quæ:* & infrà, *jubebat occidi.* Emendantur à MSS.

[c] Er. & Lov. *propria.* Am. & MSS. *propriè.*

Rom. 4. 15. Ideo quippe lex iram operatur, ut territo atque converso ad justitiam legis implendam, Dei [a] misericordia gratiam largiatur, per Jesum Christum Dominum nostrum: qui est Dei sapientia, de qua scriptum est, Legem & misericordiam in lingua portat: legem, qua terreat; misericordiam, qua subveniat: legem per servum, misericordiam per se ipsum: legem tamquam in baculo, quem misit Elisæus ad filium viduæ suscitandum, & non resurrexit; Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia; misericordiam verò tamquam in ipso Elisæo, qui figuram Christi gerens, mortuo vivificando magni sacramenti velut novi Testamenti significatione conjunctus est.

1. Cor. 1. 30. Prov. 3. sec. LXX. 4. Reg. 4. 31. Elisæi & baculi ejus allegoria. Gal. 3. 21.

CAPUT VI. De laude liberi arbitrii. *Isai. 1. 19. & 20.*

12. ITEM quòd adversùs Manichæos laudant liberum arbitrium, adhibentes propheticum testimonium, *Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ edetis; si autem nolueritis & non audieritis me, gladius vos consumet:* quid eis hoc prodest? quando quidem non tam contra Manichæos defendunt, quàm contra catholicos extollunt liberum arbitrium. Sic enim volunt intelligi quod dictum est, Si volueritis & audieritis me; tamquam in ipsa præcedente voluntate sit consequentis meritum gratiæ; ac sic gratia jam non sit gratia, quæ non est gratuita, cùm redditur debita. Si autem sic intelligerent quod dictum est, Si volueritis; ut etiam ipsam bonam voluntatem illum præparare confiterentur, de quo scriptum est, Præparatur voluntas à Domino: tamquam catholici uterentur hoc testimonio, & non solùm hæresim veterem Manichæorum vincerent, sed novam Pelagianorum [b] non conderent.

Prov. 8. sec. LXX.

13. Quid eis prodest, quòd in laude ipsius liberi arbitrii, *gratiam dicunt adjuvare uniuscujusque bonum propositum?* Hoc sine scrupulo acciperetur catholicè dictum, si non in bono proposito meritum ponerent, cui merito jam merces secundùm debitum, non secundùm gratiam redderetur; sed intelligerent & confiterentur etiam ipsum bonum propositum, quod consequens adjuvat gratia, non esse potuisse in homine, si non præcederet gratia. Quomodo enim est hominis bonum propositum sine miserante priùs Domino: cùm ipsa sit bona voluntas, quæ præparatur à Domino? Quod autem cùm dixissent, *gratiam quoque adjuvare uniuscujusque propositum bonum*, mox addiderunt, *non tamen reluctanti studium virtutis immittere:* posset bene intelligi, si non ab istis, quorum sensus notus est, diceretur. Reluctanti enim priùs [c] auditus divinæ vocationis ipsa Dei gratiâ procuratur, ac deinde in illo jam non reluctante studium virtutis accenditur. Verumtamen in omnibus quæ quisque agit secundùm Deum, misericordia ejus prævenit eum. Quod isti nolunt, quia non esse catholici, sed Pelagiani volunt. Multùm enim delectat impietatem superbam, ut etiam id quod cogitur confiteri à Domino datum, non sibi donatum videatur esse, sed redditum: ut scilicet filii perditionis, non promissionis, ipsi credantur se bonos fecisse, & Deus jam bonis à se ipsis effectis, pro isto eorum opere debitum præmium reddidisse.

Reluctantes Dei gratia prævenit, ut volentes fiant. Psal. 58. 11.

14. Ita namque illis tumor ipse aures cordis obstruxit, ut non audiant, Quid enim habes quod non accepisti? non audiant, Sine me nihil potestis facere: non audiant, Caritas ex Deo est: non audiant, Deus partitus est mensuram fidei: non audiant, Spiritus ubi vult spirat; &, Qui spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei: non audiant, Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo: non audiant quod Esdras scribit, Benedictus est Dominus patrum nostrorum, qui hoc dedit in cor regis, clarificare domum suam, quæ est in Jerusalem: non audiant quod per Jeremiam dicit Dominus, Et timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant, & visitabo eos, ut bonos eos faciam: maximéque illud per Ezechielem prophetam, ubi prorsus Deus ostendit nullis se hominum bonis meritis provocari, ut eos bonos faciat, id est, obedientes mandatis suis; sed potiùs hæc eis se retribuere bona pro malis, propter se ipsum hoc faciendo, non propter illos. Ait enim, Hæc dicit Dominus Deus, Ego [d] facio, non propter vos, domus Israël, sed propter nomen meum sanctum, quod profanastis in gentibus, quo intrastis illuc, & sanctificabo nomen meum magnum, quod profanatum est in gentibus, & profanastis in medio eorum; & scient gentes, quia ego sum Dominus, dicit Adonai Dominus, cùm sanctificatus fuero in vobis ante oculos eorum, & accipiam vos de gentibus, & congregabo vos ex omnibus terris, & inducam vos in terram vestram; & adspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris, & mundabo vos; & dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo in vobis; & auferetur cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum; & spiritum meum dabo in vobis, & faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis. Et post aliquanta per eumdem ipsum prophetam: Non propter vos, inquit, ego facio, dicit Dominus Deus; notum erit vobis: confundimini & erubescite de viis vestris, domus Israël. Hæc dicit Dominus Deus, In die quo mundabo vos ab omnibus iniquitatibus vestris, & constituam civitates, & ædificabuntur deserta, & terra exterminata [e] operabitur, pro eo quod exterminata est ante oculos omnis prætereuntis. Et dicent, Terra illa exterminata, facta est sicut hortus voluptatis, & civitates desertæ & exterminatæ & effossæ, munitæ sederunt. Et scient gentes quæcumque relictæ fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus ædificavi destructas, plantavi exterminatas. Ego Dominus locutus sum, & feci. Hæc dicit Dominus, Adhuc hoc inquiram domui Israël ut faciam eis: multiplicabo eos sicut oves homines, sicut oves sanctas, sicut oves Jerusalem in diebus festis ejus: sic erunt civitates illæ desolatæ, plenæ ovium hominum, & scient quia ego Dominus.

Testimonia Scripturæ pro gratia. 1. Cor. 4. 7. Johan. 15. 5. 1. Johan. 4. 7. Rom. 12. 3. Johan. 3. 8. Rom. 8. 14. Johan. 6. 66. 1. Esd. 8. 28. Jerem. 32. 40. & 41. Ezechielis loca de re locus insignis. Ezech. 36. 22. & seqq. Ibidem 32. & seqq.

15. Quid remansit pelli morticinæ, unde possit inflari, & dedignetur quando gloriatur, in

Ex istis verbis Ezechielis & ...

[a] Ita MSS. At editi, *Dei misericordiam gratia largiatur.*

[b] In editis omissa est particula negans, & mutatum *conderent* in *contererent.*

[c] Editi, *aditus divinæ vocationis.* Et paulò pòst, *spiritus virtutis accenditur.* Utroque loco ad MSS. castigantur.

[d] Editi, *Ego faciam, domus Israël:* omisso, *non propter vos:* quod tamen in MSS. & in Ezechiele habetur.

[e] Editi, *præparabitur.* At MSS. *operabitur.* Græcè est, ἐργασθήσεται. Et infrà ex hoc ipso loco Ezechielis Augustinus verbum idem passivè positum repetit, *& operabuntur & munientur.*

Domino gloriari? Quid ei remansit; quando quidquid dixerit se fecisse, ut eo præcedente hominis merito ab homine exorto, Deus subsequenter faciat quo dignus est homo, respondebitur, reclamabitur, contradicetur, Ego facio, sed propter nomen meum sanctum, non propter vos ego facio, dicit Dominus Deus? Nihil sic evertit Pelagianos dicentes, gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Quod quidem ipse Pelagius, & si non corrigendo, tamen orientales judices timendo damnavit. Nihil sic evertit hominum præsumtionem dicentium, Nos facimus, ut mereamur cum quibus faciat Deus. Respondet vobis non Pelagius, sed ipse Dominus, Ego facio, & non propter vos, sed propter nomen meum sanctum. Quid enim potestis facere boni de corde non bono? Ut autem habeatis cor bonum, Dabo, inquit, vobis cor novum, & spiritum novum dabo vobis. Numquid potestis dicere, Priùs ambulavimus in justificationibus ejus, & judicium ejus observavimus, & fecimus ut digni essemus, ut quibus gratiam suam daret? Quid enim boni faceretis homines mali; & quomodo ista bona faceretis, nisi boni essetis? Ut autem homines sint boni, quis facit, nisi ille qui dixit, Et visitabo eos, ut eos bonos faciam? Et qui dixit, Spiritum meum dabo in vobis, & faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis? Itane nondum evigilatis? Nondum auditis, Faciam ut ambuletis, faciam ut observetis, postremò, faciam ut faciatis? Quid adhuc vos inflatis? Nos quidem ambulamus, verum est; nos observamus, nos facimus: sed ille facit ut ambulemus, ut observemus, ut faciamus. Hæc est gratia Dei bonos faciens nos, hæc est misericordia ejus præveniens nos. Quid merentur deserta, & exterminata, & effossa; quæ tamen ædificabuntur, & operabuntur, & munientur? Numquid hæc pro meritis desertionis, exterminationis, effossionis suæ? Absit. Ista enim merita mala sunt, hæc munera bona. Redduntur itaque malis bona: gratuita ergo, non debita; & ideo gratia. Ego, inquit Dominus, Ego Dominus: Nonne te ista vox comprimit, ô humana superbia, quæ dicis, Ego facio, ut merear à Domino ædificari atque plantari? Nonne audis, Non propter vos ego facio: Ego Dominus ædificavi destructas, plantavi exterminatas: Ego Dominus locutus sum, & feci: non tamen propter vos, sed propter nomen meum sanctum? Quis multiplicat sicut oves homines, sicut oves sanctas, sicut oves Jerusalem? Quis facit ut civitates illæ desolatæ plenæ sint ovium hominum, nisi ille qui sequitur & dicit, Et scient quia ego Dominus? Sed quibus ovibus hominibus implet, sicuti est pollicitus, civitates, utrùm quas invenit, an quas facit? Psalmum interrogemus: ecce respondet, audiamus: Venite adoremus & procidamus ei, & ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia ipse est Deus noster, & nos populus pascuæ ejus, & oves manûs ejus. Ipse igitur facit oves, quibus desolatas impleat civitates. Quid mirum? Quando quidem illi unicæ ovi dicitur, hoc est, Ecclesiæ, cujus membra sunt omnes oves homines: Quoniam ego sum Dominus qui facio te. Quid

A mihi obtendis liberum arbitrium, quod ad faciendam justitiam liberum non erit, nisi [a] ovis fueris? Qui facit igitur oves homines, ipse ad obedientiam pietatis humanas liberat voluntates.

16. Sed quare istos homines oves facit, & istos non facit, apud quem non est acceptio personarum? Ipsa est quæstio, quam beatus Apostolus curiosiùs quàm capaciùs proponentibus ait, O homo tu quis es ut respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare sic B me fecisti? Ipsa est quæstio, quæ ad illam pertinet altitudinem, quam perspicere volens idem Apostolus, quodam modo expavit, & exclamavit: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Non itaque istam C scrutari audeant inscrutabilem quæstionem, qui meritum ante gratiam, & ideo jam contra gratiam defendentes, priores volunt dare Deo, ut retribuatur eis; priores utique dare quodlibet ex libero arbitrio, ut sit gratia retribuenda pro præmio: & sapienter intelligant, vel fideliter credant, etiam quod se putant priores dedisse, ab illo ex quo sunt omnia, per quem sunt omnia, in quo sunt omnia, percepisse. Cur autem iste D accipiat, ille non accipiat, cùm ambo non mereantur accipere, & quisquis eorum acceperit, indebitè accipiat, vires suas metiantur, & fortiora se non scrutentur. Sufficiat eis scire, quòd non sit iniquitas apud Deum. Cùm enim nulla merita invenisset Apostolus, quibus Jacob geminum apud Deum præcederet fratrem: Quid ergo dicemus, inquit? Numquid est apud Deum iniquitas? Absit. Moysi enim dicit, Miserebor, cui misertus ero; & misericordiam præstabo, E cui misericors fuero. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Grata sit ergo nobis ejus gratuita miseratio, etiam si hæc profunda insoluta sit quæstio. Quæ tamen eatenus solvitur, quatenus eam solvit idem Apostolus, dicens: Si autem Deus volens ostendere iram & demonstrare potentiam suam, adtulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, & ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. F Ira quippe non redditur, nisi debita, ne sit iniquitas apud Deum: misericordia verò etiam cùm præbetur indebita, non est iniquitas apud Deum. Et hinc intelligunt vasa misericordiæ, [b] quàm gratuita illis misericordia præbeatur, quòd iræ vasis cum quibus est eis perditionis caussa & massa communis, ira debita & justa rependitur. Hæc jam satis sint adversùs eos, qui per arbitrii libertatem destruere volunt gratiæ largitatem.

CAPUT VII. De laude sanctorum.

17. QUOD verò laude sanctorum, nolunt G nos affectu illius publicani esurire & sitire justitiam, sed vanitate illius Pharisæi tamquam saturatos plenosque ructare; quid eis prodest quòd adversùs Manichæos, qui baptisma destruunt, isti dicunt, *baptismo perfectè homines innovari*, atque ad hoc Apostoli adhibent testimonium,

Marginalia: Ezechielis probari gratiam gratuitam & efficacem. — V. lib. de gestis Pelag. c. 14. — Jerem. 32. 41. — Ezech. 36. 27. &c. — Meritis malis redduntur bona munera. — Psal. 94. 6. & 7. — Cur Deus alios oves facit, alios non facit. — Rom. 2. 11. — Rom. 9. 20. — Rom. 11. 33. &c. — Inscrutabilis quæstio. — Eccli. 3. 22. — Rom. 9. 14. &c. — Miseratio gratuita. — Ibidem 22. & 23. — Ira non redditur nisi debita. — Luce 18. 10.

[a] Gallicani MSS. *nisi ovis fuerit.* Vaticani MSS. *nisi liberatum fuerit.*

[b] Editi, *cùm gratuita.* Et infrà, *gratia largitorem.* Castigantur ex MSS.

Ephes. 5. 26. *qui per lavacrum aquæ Ecclesiam de gentibus san-* A
ctam fieri immaculatamque testatur; cùm superbo
sensu atque perverso contra orationes ipsius Ec-
clesiæ suas exserant disputationes? Hoc enim
propterea dicunt, ut credatur Ecclesia post san-
ctum baptismum, in quo fit omnium remissio
peccatorum, ulteriùs non habere peccatum: cùm
adversùs eos illa à solis ortu usque ad occasum
Matth. 6. 12. omnibus suis membris clamet ad Deum, Dimit-
te nobis debita nostra. Quid quòd etiam de se
ipsis in hac caussa si interrogentur, quid respon- B
1. Iohan. 1. 8. deant non inveniunt? Si enim dixerint se non
habere peccatum; respondet eis Johannes, quòd
Ecclesia hujus temporis non est fine macula & ruga. se ipsos decipiant, & veritas in eis non sit. Si au-
tem confitentur peccata sua; cùm se velint esse
Christi corporis membra, quomodo erit illud
corpus, id est, Ecclesia, in isto adhuc tempore
[a] perfectè, sicut isti sapiunt, sine macula & ru-
ga, cujus membra non mendaciter confitentur
se habere peccata? Quapropter & in baptismate
dimittuntur cuncta peccata, & per ipsum lava- C
Ephes. 5. 27. crum aquæ in verbo exhibetur Christo Ecclesia
sine macula & ruga. Quia nisi esset baptizata,
infructuosè diceret, Dimitte nobis debita nostra:
donec perducatur ad gloriam, ubi ei perfectiùs
nulla insit macula & ruga.

18. *Et Spiritum-sanctum* fatendum est *etiam an-
tiquis temporibus* non solùm *mentes bonas adjuvisse*,
quod & isti volunt; verùm etiam bonas eas fe-
cisse, quod nolunt. *Omnes quoque Prophetas &
Apostolos vel sanctos & Evangelicos & antiquos*, D
quibus Deus testimonium perhibet, *non in compara-
tione sceleratorum*, *sed regulâ virtutum justos fuisse*,
non dubium est; quod adversum est Manichæis,
qui Patriarchas Prophetasque blasphemant: sed
quod adversum est & Pelagianis, interrogati
omnes de se ipsis cùm in hoc corpore degerent,
1. Iohan. 1. 8. una voce concordissima responderent, Si dixe-
rimus quia peccatum non habemus, nos ipsos
seducimus, & veritas in nobis non est. *In futuro* E
autem tempore, negandum non est, *mercedem esse
tam bonorum operum quàm malorum*; *& nemini præ-
cipi*, *quæ hic contemserit*, *illic mandata perficere*:
sed [b] plenæ justitiæ saturitatem, ubi peccatum
esse non possit, quæ hîc à sanctis esuritur & siti-
tur, hîc sperari in præcepto, ibi percipi in præ-
mio, eleemosynis & orationibus impetrantibus,
ut quod hîc minùs impletum fuerit mandato-
rum, fiat impunitum per indulgentiam peccato- F
rum.

Insidiæ Pelagianorum. 19. Quæ cùm ita sint, desinant Pelagiani quin-
que istarum rerum [c] insidiosissimis laudibus, id
est, laude creaturæ, laude nuptiarum, laude le-
gis, laude liberi arbitrii, laude sanctorum, quasi
à Manichæorum tendiculis fingere se homines
velle eruere, ut possint eos suis retibus implicare:
id est, ut negent originale peccatum, & parvu-
lis invideant Christi medici auxilium; & ut di-
cant, gratiam Dei secundùm merita nostra dari,
Rom. 11. 6. ac sic gratia jam non sit gratia; & ut dicant san- G
ctos in hac vita non habuisse peccatum, [d] ac sic
Matth. 6. 12. evacuetur oratio quam sanctis tradidit qui non
habebat peccatum, & per quem sanctis orantibus
A dimittitur omne peccatum. Ad hæc tria mala
homines incautos & ineruditos quinque illorum
bonorum fraudulenta laude seducunt. De quibus
omnibus satis me existimo respondisse eorum
crudelissimæ & impiissimæ & superbissimæ vani-
tati.

Caput VIII. Testimonia veterum adversus Pelagianos. 20. Sed quoniam dicunt, *Inimicos suos dicta
nostra in veritatis odium suscepisse*, *& toto penitus
Occidente non minùs stultum quàm impium dogma esse
susceptum*, *& simplicibus episcopis sine congregatione
B synodi in locis suis sedentibus ad hoc confirmandum
subscriptionem queruntur extortam*; cùm potiùs eo-
rum profanas vocum novitates Ecclesia Christi 1. Tim. 6. 20.
& occidentalis & orientalis horruerit: ad cu-
ram nostram existimo pertinere, non solùm scri-
pturas sanctas canonicas adversùs eos testes adhi-
bere, quod jam satis fecimus; verùm etiam de
sanctorum litteris, qui eas ante nos famâ cele-
berrimâ & ingenti gloriâ tractaverunt, aliqua
documenta proferre: non quò canonicis libris à
C nobis ullius disputatoris æquetur auctoritas, tam-
quam omnino non sit quod melius seu verius ab
aliquo catholico, quàm ab alio itidem catholico
sentiatur; sed ut admoneantur, qui putant istos
aliquid dicere, quemadmodum de his rebus ante
nova istorum vaniloquia, catholici antistites elo-
quia divina secuti sint; & sciant à nobis rectam
& antiquitus fundatam catholicam fidem adver-
sùs recentem Pelagianorum hæreticorum præ-
D sumtionem perniciemque defendi.

21. Beatissimum, coronâ etiam martyrii glo-
riosissimum Cyprianum, nec Africanis atque oc-
cidentalibus tantùm, verùm & orientalibus Ec-
clesiis, famâ prædicante & scripta ejus longè la-
téque diffundente notissimum, etiam ipse hære- Pelagius Cypriani imitatus, librum scripsit testimoniorum.
siarches istorum Pelagius cum debito certè ho-
nore commemorat, ubi testimoniorum librum
scribens, eum se asserit imitari, *hoc se dicens fa-
cere ad Romanum*, *quod ille fecerat ad Quirinum.*
E Videamus ergo quid de originali peccato, quod Rom. 5. 12.
per unum hominem intravit in mundum, sense-
rit Cyprianus. In epistola de opere & eleemosy- Cypriani testimonium pro originali peccato.
nis ita loquitur: *Cùm Dominus adveniens sanasset
illa*, *quæ Adam portaverat vulnera*, *& venena ser-*
pentis [e] *antiqua curasset*, *legem dedit sano*, *& præ-* Iohan. 5. 14.
cepit ne ultra jam peccaret, *ne quid peccanti gra-
vius eveniret. Coartati eramus*, *& in angustum in-
nocentiæ præscriptione conclusi*: *nec* [f] *haberet*, *quid
fragilitatis humanæ infirmitas atque imbecillitas fa-
F ceret*, *nisi iterum pietas divina subveniens*, *justitiæ
& misericordiæ operibus ostensis*, *viam quamdam
tuendæ salutis aperiret*; *ut sordes postmodum quas-* Luc. 11. 41.
cumque contrahimus, *eleemosynis abluamus.* Hoc
testimonio duas istorum falsitates testis iste re-
darguit: unam, qua dicunt nihil vitiorum ex
Adam trahere genus humanum, quod sit curan-
dum sanandumque per Christum: alteram, qua
dicunt nullum post baptismum sanctos habere
peccatum. Rursum in eadem epistola: *Ponat*,
G inquit, *unusquisque ante oculos suos diabolum cum
suis servis*, *id est*, *cum populo perditionis ac mortis
in medium prosilire*, [g] *plebem Christi præsente ac
judicante ipso comparationis examine provocare*

[a] Sic MSS. At editi, *perfecta*.
[b] Editi, *sed planè istam saturitatem*, omisso: *justitiæ*. Restituitur locus ad MSS.
[c] Sic MSS. Editi verò, *invidiosissimis*.
[d] Gallicani MSS. *nec sit necessaria oratio*.

[e] Sic Am. Er. & MSS. Gallic. ac Vatic. At Lov. & nova editio Cypr. *antiqui*.
[f] Apud Er. & Lov. *habebat*. In libris aliis, *haberet*.
[g] Gallicani codices, *plebe*.

dicentem

dicentem, Ego pro istis quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis & cruoris redemi, sed nec regnum illis cæleste promitto, nec ad paradisum restituta immortalitate denuo revoco. Respondeant Pelagiani, quando fuerimus in immortalitate paradisi, & quomodo inde fuerimus expulsi, ut eò Christi gratiâ revocemur. Et cùm invenire nequiverint quid hîc pro sua perversitate respondeant, adtendant quemadmodum intellexerit Cyprianus quod ait Apostolus, In quo omnes peccaverunt: [Rom. 5. 12.] & Pelagiani hæretici novi de Manichæis veteribus hæreticis nulli catholico audeant irrogare calumniam, ne tam sceleratam etiam martyri antiquo Cypriano facere convincantur injuriam.

22. Hoc enim & in epistola, cujus de mortalitate titulus inscribitur, ita dicit: *Regnum Dei, fratres dilectissimi, esse cœpit in proximo, præmium vitæ, & gaudium salutis æternæ, & perpetua lætitia, & possessio paradisi nuper amissa, mundo transeunte jam veniunt.* Hoc rursus in eadem: *Amplectamur*, inquit, *diem qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos & laqueis sæcularibus exsolutos paradiso restituat & regno.* Item in epistola de patientia: *Dei sententia cogitetur*, inquit, *quam in origine statim mundi & generis humani Adam præcepti immemor & datæ legis transgressor accepit: tunc sciemus quàm patientes esse in isto sæculo debeamus, qui sic nascimur, ut pressuris isthic & conflictationibus laboremus.* [Gen. 3. 17. &c.] *Quia audisti*, » inquit, *vocem mulieris tuæ, & manducasti ex illa* » *arbore, de qua sola præceperam tibi ne manducares,* » *maledicta terra erit in omnibus operibus tuis. In tri-* » *stitia & gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ:* » *spinas & tribulos ejiciet tibi; & edes pabulum agri.* » *In sudore vultûs tui edes panem tuum, donec revertaris in terram de qua sumtus es: quoniam terra es,* » *& in terram ibis. Hujus sententiæ vinculo colligati omnes & constricti sumus, donec morte expuncta de isto sæculo recedamus.* Itemque in eadem: *Nam cùm in illa*, inquit, *prima transgressione præcepti firmitas corporis cum immortalitate discesserit, & cum morte infirmitas venerit, nec possit firmitas recipi, nisi cùm recepta & immortalitas fuerit; oportet in hac fragilitate atque infirmitate corporis luctari semper & congredi. Quæ luctatio & congressio non nisi patientiæ potest viribus sustineri.*

23. In epistola autem quam scripsit ad episcopum Fidum, cum sexaginta-sex coëpiscopis suis, à quo fuerat consultus propter circumcisionis legem, utrùm ante octavum diem baptizari liceret infantem, hæc caussa sic agitur, tamquam provisione divina tam longè futuros hæreticos Pelagianos jam catholica confutaret Ecclesia. Neque enim qui consuluerat inde dubitabat, utrùm nascentes traherent originale peccatum, quod renascendo diluerent: absit enim ut hinc aliquando fides Christiana dubitaverit: sed ille dubitabat, utrùm regenerationis lavacrum, quo non dubitabat solvendum originale peccatum, ante diem tradi deberet octavum. Ad quam consultationem respondens beatissimus Cyprianus: *Quantum verò*, inquit, *ad caussam infantum pertinet, quos dixisti, intra secundum vel tertium diem* [a] *quo nati sunt constitutos baptizari non oportere, & considerandam esse legem circumcisionis antiquæ, ut intra octavum diem eum qui natus est baptizandum & sanctificandum non putares, longè aliud in* [b] *concilio nostro omnibus visum est.* [Gen. 17. 12.] *In hoc enim quod putabas esse faciendum, nemo consensit: sed universi potiùs judicavimus nulli hominum nato misericordis Dei gratiam denegandam. Nam cùm Dominus in Evangelio suo dicat, Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare: quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est.* [Lucæ 9. 56.] Et paulò pòst: *Nec aliquis*, inquit, *nostrûm id debet horrere, quod Dominus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans à partu novus est, non ita est tamen, ut quisquam illum in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat osculari: quando in osculo infantis unusquisque nostrûm pro sua religione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modò formato & recèns nato quodam modo exosculamur, quando id quod Deus fecit amplectimur.* Item paulò pòst: *Ceterùm si homines*, inquit, *impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos & provectos & majores natu possent impedire peccata graviora. Porrò autem si etiam gravissimis delictoribus, & in Deum multo antè peccantibus, cùm postea crediderint, remissa peccatorum datur, & à baptismo atque gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recèns natus nihil peccavit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit; qui ad remissam peccatorum accipiendam, hoc ipso faciliùs accedit, quòd illi remittuntur non propria, sed aliena peccata?*

24. Quid ad ista dicturi sunt gratiæ Dei, non solùm desertores, sed etiam persecutores? quid ad ista dicturi sunt? Quo pacto nobis paradisi possessio redditur? Quomodo paradiso restituimur, si numquam ibi fuimus? Aut quomodo ibi fuimus, nisi quia in Adam fuimus? Et quomodo ad sententiam quæ in transgressorem dicta est pertinemus, si noxam de transgressore non trahimus? Postremò [c] baptizandos etiam ante diem censet octavum, ne per contagium mortis antiquæ prima nativitate contractum pereant animæ parvulorum; quomodo pereunt, si ex hominibus etiam fidelibus qui nascuntur, non tenentur à diabolo, donec renascantur in Christo, & eruti de potestate tenebrarum in regnum illius transferantur? [Col. 1. 13.] Et quis dicit nascentium, nisi renascantur, animas perituras? Nempe ille qui sic laudat creatorem atque creaturam, opificem atque opus, ut humani sensûs horrorem quo dedignantur homines recentes ab utero parvulos osculari, Creatoris ipsius interposita veneratione compescat & corrigat, dicens, in illius ætatis osculo recentes Dei manus esse cogitandas. Numquid ergo confitens originale peccatum, aut naturam damnavit, aut nuptias? Numquid quoniam nascenti ex Adam reo adhibuit regenerationis purgationem, ideo Deum negavit nascentium conditorem? Numquid quia metuens animas cujuslibet ætatis perire, etiam ante diem octavum liberandas esse sacramento baptismi cum collegarum concilio judicavit, ideo nuptias accusavit;

[a] Aliquot è nostris MSS. *quàm nati sunt.*
[b] MSS. Gallic. & Vatic. *longè aliud concilio nostro omni visum est.*
[c] Editi, *Postremò si baptizandos.* Abest *si* à MSS.

quando quidem in infante sive de conjugio, sive de adulterio, tamen quia homo natus est, recentes Dei manus dignas etiam osculo pacis ostendit? Si ergo potuit sanctus episcopus & martyr gloriosissimus Cyprianus peccatum originale in infantibus medicinâ Christi censere sanandum, salva laude creaturæ, salva laude nuptiarum; cur novitia pestilentia, cùm istum non audeat dicere Manichæum, catholicis qui ista defendunt, ut obtegat proprium, putat objiciendum crimen alienum? Ecce prædicatissimus tractator divinorum eloquiorum, ante quàm terras nostras vel tenuissimus odor Manichææ pestilentiæ tetigisset sine ulla vituperatione divini operis atque nuptiarum, confitetur originale peccatum, non dicens Christum ullâ peccati maculâ adspersum, nec tamen ei comparans carnem peccati in nascentibus ceteris, quibus per similitudinem carnis peccati mundationis præstet auxilium: nec originis animarum obscura quæstione terretur, quò minùs eos, qui Christi gratiâ liberantur, in paradisum remeare fateatur. Numquid ex Adam dicit in homines mortis conditionem sine peccati contagione transisse? Non enim propter corporis mortem vitandam, sed propter peccatum, quod per unum intravit in mundum, dicit per baptismum parvulis quamlibet ab utero recentissimis subveniri.

Manichæi Cypriano posteriores.

CAPUT IX. Cypriani testimonia de gratia Dei.

25. Jam verò gratiam Dei quemadmodum adversùs istos prædicet Cyprianus, ubi de oratione Dominica disputat, evidenter apparet. Ait enim: *Dicimus, Sanctificetur nomen tuum: non quòd optemus Deo ut sanctificetur orationibus nostris, sed quòd petamus ab eo ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Ceterùm à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit, Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum: id petimus & rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseveremus.* Et alio loco in eadem epistola: *Addimus quoque*, inquit, *& dicimus, Fiat voluntas tua* [a] *in cælo & in terra: non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quò minùs quod velit faciat? Sed quia nobis à diabolo obsistitur, quò minùs per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus & petimus ut fiat in nobis voluntas Dei. Quæ ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope ejus & protectione: quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentiâ & misericordiâ tutus est.* Item alio: *Fieri autem petimus*, inquit, *voluntatem Dei in cælo & in terra, quod utrumque ad consummationem nostræ incolumitatis pertinet & salutis. Nam cùm corpus è terra & spiritum possideamus è cælo, ipsi terra & cælum sumus, & in utroque, id est, in corpore & spiritu ut Dei voluntas fiat oramus. Est enim inter carnem & spiritum colluctatio, & discordantibus adversùs se invicem quotidiana congressio, ut non quæ volumus, ipsa faciamus, dum spiritus cælestia & divina quærit, caro terrena & sæcularia concupiscit. Et ideo petimus* [b] *inter duo ista ope & auxilio Dei concordiam fieri; ut dum & in spiritu & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata est, anima* [c] *servetur. Quod apertè atque manifestè apostolus Paulus sua voce declarat:* Caro, inquit, *concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem; hæc enim invicem adversantur, ut non quæ vultis, ipsa faciatis.* Et paulò pòst: *Potest & sic intelligi*, inquit, *fratres dilectissimi, ut quoniam mandat & docet Dominus etiam inimicos diligere, & pro his quoque qui nos persequuntur orare petamus, & pro illis qui adhuc terra sunt, & necdum cælestes esse cœperunt, ut & circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem conservando & redintegrando perfecit.* Itemque alio: *Hunc autem panem*, inquit, *dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto dum* [d] *abstenti & non communicantes à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.* Et aliquantò pòst in eadem: *Quando autem rogamus*, inquit, *ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè atque arroganter aliquid assumat, ne quis aut confessionis aut passionis gloriam suam ducat; cùm Dominus ipse humilitatem docens dixerit, Vigilate & orate, ne veniatis in tentationem; spiritus quidem promtus est, caro autem infirma: ut dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore & honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.* Item ad Quirinum, in quo opere se Pelagius vult ejus imitatorem videri, ait in libro * tertio: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Cui proposito testimonia divina subjungens, inter cetera posuit Apostolicum illud, quo istorum maximè ora claudenda sunt: *Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Item in epistola de patientia: *Est enim nobis*, inquit, *cum Deo virtus ista communis; inde patientia incipit, inde claritas ejus & dignitas caput sumit, origo & magnitudo patientiæ Deo auctore procedit.*

Matth 6 9. Levit. 19. 2. Matth. 6. 10. Gal. 5. 17. Matth. 5. 44. Matth. 6. 11. Ibidem 13. Matth. 26. 41. * Cap. 4. 1. Cor. 4. 7.

26. Numquid iste sanctus tam memorabilis Ecclesiarum in verbo veritatis instructor, liberum arbitrium negat esse in hominibus, quia Deo totum tribuit quòd rectè vivimus? Numquid legem Dei culpat, [e] quia non ex ipsâ justificari hominem significat; quando quidem quod illa jubet, à Domino Deo precibus impetrandum esse declarat? Numquid sub nomine gratiæ fatum asserit, quamvis dicat, in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit? Numquid, sicut isti, Spiritum sanctum adjutorem ita credit esse virtutis, tamquam ipsa virtus quæ ab hoc adjuvatur, oriatur ex nobis, quando nostrum nihil esse asserens, propter hoc Apostolum dixisse commemorat, Quid enim habes, quod non accepisti? virtutemque excellentissimam, hoc est, patientiam, non à nobis dicit incipere, ac deinde adjuvari Spiritu Dei; sed ab ipso caput, ab ipso originem sumere? Postremò nec propositum bonum, nec studium virtutis, nec mentes bonas sine gratia Dei incipere [f] esse in hominibus confitetur, cùm dicit, in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Quid tam in libero arbitrio constitutum, quàm

[a] Editi, *sicut in cælo.* Abest *sicut* à MSS.
[b] Apud Cyprianum, *petimus impensè inter duo ista.*
[c] Vaticani MSS. *anima reparetur.*
[d] Editi hîc & infrà constanter habent, *absentes.* At MSS. Gallic. & Vatic. semper, *abstenti*, ut apud Cyprianum.
[e] Editi, *quando non ex ipso.* Emendantur ad MSS.
[f] In editis, *incipere & esse.* Abest *&* à MSS.

Crimina quæ à corporis Christi communione removent.

quod lex dicit, non adorandum idolum, non mœchandum, non homicidium perpetrandum? Ista autem sunt atque hujusmodi crimina, quæ si quisquam commiserit, à corporis Christi communione removetur. Et tamen si beatissimus Cyprianus his non committendis existimaret nostram sufficere voluntatem, non sic intelligeret quod in oratione Dominica dicimus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; ut hoc nos petere asseveraret, ne intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur. Respondeant certè hæretici novi, quid bonorum meritorum præcedat in hominibus inimicis nomini Christiano. Non solùm enim non habent bonum, sed habent etiam pessimum meritum. Et tamen etiam sic Cyprianus intelligit, quod in oratione dicimus, Fiat voluntas tua in cælo & in terra: ut & pro ipsis, qui propter hoc [a] terra intelliguntur, oremus. Oramus ergo non solùm pro nolentibus, verùm etiam pro repugnantibus & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo, nisi ab illo de quo scriptum est, Præparatur voluntas à Domino? Discant ergo esse catholici, qui dedignantur, si quid mali non faciunt, & si quid boni faciunt, non in se ipsis, sed in Domino gloriari.

Matth. 6. 11. — Gratia ante merita bona. — Ibid. 10. — Prov. 8. sec. LXX.

CAP. X. Cypriani testimonia de justitiæ nostræ imperfectione.

27. ILLUD jam tertium videamus, quod non minùs in istis omne Christi membrum & totum ejus corpus [b] exhorret, quia contendunt esse in hac vita, vel fuisse justos, nullum habentes omnino peccatum. Qua præsumtione apertissimè orationi Dominicæ contradicunt, in qua omnia membra Christi, Dimitte nobis debita nostra, veraci corde & quotidianis vocibus clamant. Videamus ergo quid etiam ex hoc Cyprianus in Domino gloriosissimus senserit; quid ad instruendas Ecclesias, non utique Manichæorum, sed catholicorum, non solùm dixerit, verùm etiam litteris memoriæque mandaverit. In epistola de opere & eleemosynis: *Agnoscamus itaque fratres, inquit, dilectissimi, divinæ indulgentiæ salubre munus, [c] & emundandis purgandisque peccatis nostris, qui sine aliquo conscientiæ vulnere esse non possumus, medelis spiritalibus vulnera nostra curemus. Nec quisquam sic sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, ut innocentiâ suâ fretus medicinam non putet adhibendam esse vulneribus: cùm scriptum sit, Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccatis? Et iterum in epistola sua Iohannes ponat & dicat, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. [d] Si autem nemo esse sine peccato potest, & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus aut stultus est: [e] quàm necessaria, quàm benigna est divina clementia; quæ cùm sciat non deesse sanatis quædam postmodum vulnera, dedit curandis denuo sanandisque vulneribus remedia salutaria.* Rursus in eadem: *Et quoniam quotidie*, inquit, *deesse non potest quod peccetur in conspectu Dei; sacrificia quotidiana non [f] deerant, quibus possent peccata tergi.* Item in epistola de mortalitate: *Cum avaritia*, inquit, *nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est; cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua & molesta luctatio est: obsessa mens hominis, & undique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exsurgit libido; si libido compressa est, succedit ambitio; si ambitio contemta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam [g] zelus abscindit: cogeris maledicere, quod divina lex prohibet; compelleris jurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis [h] pectus urgetur, & delectat hic inter diaboli [i] gladios diu stare; cùm magis concupiscendum sit & optandum, ad Christum subveniente velociùs morte properare.* Item in ipsa: *Beatus*, inquit, *apostolus Paulus in epistola sua ponit & dicit, Mihi vivere Christus est, & mori lucrum: lucrum maximum computans jam [k] sæcularibus laqueis non teneri, jam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri.* Item de oratione Dominica, exponens quod petimus dicentes, Sanctificetur nomen tuum; ait inter cetera: *Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus.* Rursus in eadem, cùm exponeret quod dicimus, Dimitte nobis debita nostra: *Quàm necessariè autem*, inquit, *quàm providenter & salubriter admonemur, quòd peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur; ut dum indulgentia de Deo petitur, conscientiæ suæ animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique & Iohannes in epistola sua monet dicens, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & justus est [l] qui nobis peccata dimittat.* Meritò & ad Quirinum * de hac re absolutissimam sententiam suam proposuit, cui testimonia divina subjungeret, *Neminem sine sorde & sine peccato esse*: ubi etiam illa testimonia posuit, quibus confirmatur originale peccatum, quæ conantur isti in nescio quos alios novos sensus pravosque convertere: sive quod ait sanctus Job, Neminem esse sine sorde, nec cujus sit vita diei unius super terram: sive quod in Psalmo legitur, In facinore conceptus sum, & in peccatis me mater mea in utero aluit. Quibus testimoniis, propter eos etiam qui jam in ætate majori sunt sancti, quia nec ipsi sunt sine sorde atque peccato, adjunxit etiam illud beatissimi Johannis, quod multis & aliis locis sæpe commemorat: Si dixerimus quia peccatum non habemus: & cetera ejusdem sententiæ, quæ ab omnibus catholicis non tacentur adversùs istos, qui se ipsos decipiunt, & in eis veritas non est.

Matth. 6. 12. — Prov. 20. 9. — 1 Iohan. 1. 8. — Phil. 1. 21. — Matth. 6. 9. — Ibid. 12. — 1 Iohan. 1. 8. & 9. — * Lib. 3. cap. 54. — Iob 14. sec. LXX. — Psal. 50. 7. — 1 Iohan. 1. 8.

[a] Gallicani MSS. *qui propter hoc, quia carnaliter vivunt, terra intelliguntur.*

[b] Dogma illud Pelagianum jam damnatum fuerat à Concilio Africæ universali an. 418. V. infrà in 2. parte Appendicis.

[c] Editi, *ut emundandis*. At in MSS. & apud Cyprian. *& emundandis.*

[d] Hîc apud Cypr. additur: *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & justus est Dominus, qui nobis peccata dimittat.*

[e] In editis omissum erat, *quàm necessaria, quàm benigna est divina clementia, quæ.* Habetur in Gallic. MSS. & apud Cyprianum.

[f] Editi, *deerunt*. Castigantur ex MSS.

[g] Er. & Lov. *scelus*: mendosè.

[h] Gallicani MSS. *tot periculis & peccatis urgetur.*

[i] Sic in MSS. & apud Cyprianum. At Am. Er. & Lov. *inter diaboli laqueos.*

[k] Apud Cypr. *sæculi laqueis.*

[l] Apud Cypr. *justus est Dominus*, ut suprà in not. d.

28. Dicant, si audent Pelagiani, hunc hominem Dei Manichæorum errore perversum, quia ita laudat sanctos, ut tamen fateatur neminem in hac vita ad tantam perfectionem pervenire justitiæ, ut nullum habeat omnino peccatum, sententiam suam testimoniorum canonicorum perspicua veritate & divina auctoritate confirmans. Numquid enim negat *in baptismo universa peccata dimitti*, quia fatetur manere fragilitatem atque infirmitatem, unde nos dicit peccare post baptismum, & usque in hujus vitæ finem cum carnalibus vitiis indesinentem [a] habere conflictum? Aut ideo non meminerat, quid *de immaculata Ecclesia* dixisset Apostolus, quia præcepit neminem sic sibi de puro atque immaculato pectore debere blandiri, ut innocentiâ suâ fretus, medicinam non putet adhibendam esse vulneribus? [Ephes. 5. 27.] Puto quòd concedant novi hæretici huic homini catholico scire, *Spiritum-sanctum mentes bonas etiam antiquis temporibus adjuvisse*: immo etiam, quod ipsi nolunt, nec mentes bonas eos nisi per Spiritum-sanctum habere potuisse. Puto quòd *omnes Prophetas & Apostolos vel quoslibet sanctos, qui Domino quocumque tempore placuerunt, non in comparatione sceleratorum*, sicut nos isti dicere calumniantur, *sed regulâ virtutum*, sicut se dicere gloriantur, *justos fuisse* noverat Cyprianus, qui tamen dicit: Nemo esse sine peccato potest, & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est. Nec propter aliud intelligit scriptum, Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccatis? [Prov. 20. 9.] Puto quòd non ab istis docendus fuerat Cyprianus, quod optimè sciebat, *in futuro tempore mercedem esse bonorum operum, malorum autem supplicium, ceterùm neminem posse, quæ hîc contemserit, illic mandata perficere*: & tamen etiam ipsum apostolum Paulum, mandatorum divinorum non utique contemtorem, non ob aliud intelligit asseritque dixisse, Mihi vivere Christus est, & mori lucrum; [Philip. 1. 21.] nisi quia lucrum maximum computabat, jam post hanc vitam sæcularibus laqueis non teneri, jam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri. Sensit ergo beatissimus Cyprianus, atque in divinarum scripturarum veritate perspexit, etiam ipsorum Apostolorum quamvis bonam, sanctam, justamque vitam, nonnullos nexus sæcularium laqueorum fuisse perpessam, nonnullis peccatis & vitiis carnis obnoxiam; & ideo eos mortem desiderasse, ut his malis carerent, & ut ad illam, quæ ista non pateretur, nec jam in mandato facienda, sed in præmio percipienda esset, perfectam justitiam pervenirent. Neque enim cùm venerit quod oramus dicentes, Veniat regnum tuum, [Matth. 6. 10.] non erit in illo Dei regno ulla justitia: cùm dicat Apostolus, Non est enim regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium in Spiritu-sancto. [Rom. 14. 17.] Nempe ista tria inter cetera præcepta divina præcipiuntur. Hîc nobis præcipitur justitia cùm dicitur, Facite justitiam. [Isaiæ 56. 1.] Præcipitur pax cùm dicitur, Pacem habete inter vos. [Marc 9. 49.] Præcipitur gaudium cùm dicitur, Gaudete in Domino semper. [Philip. 4. 4.] Negent ergo Pelagiani hæc futura in regno Dei, ubi sine fine vivemus, aut usque adeo si videtur insaniant, ut justitiam, pacem, gaudium, qualia sunt hîc justis, talia & illic futura esse contendant. Quòd si & erunt, & non talia erunt; profectò eorum hîc in præcepto curanda est actio, illic in præmio speranda perfectio: ubi sæcularibus ullis laqueis non [b] retenti, nullisque peccatis & vitiis carnis obnoxii, (propter quod Apostolus, sicut hoc testimonium accepit Cyprianus, mori lucrum sibi esse dicebat,) [Philip. 1. 21.] perfectè diligamus Deum, cujus erit facie ad faciem contemplatio; [1 Cor. 13. 12.] perfectè diligamus & proximum, cùm manifestatis cogitationibus cordis nulla ullum de ullo mali ullius possit sollicitare suspicio.

[CAPUT XI. Ambrosii contra Pelagianos testimonia, & primùm de originali peccato.]

29. SED & jam gloriosissimo martyri Cypriano, ad istos cumulatiùs redarguendos beatissimum addamus Ambrosium: quoniam & ipsum Pelagius ita laudavit, ut ne ab inimicis quidem in ejus libris quod reprehenderetur, diceret inveniri. Quoniam ergo Pelagiani dicunt, non esse originale peccatum, cum quo nascantur infantes, & catholicis qui eis pro antiquissima Ecclesiæ fide resistunt, hæresis Manichææ crimen objiciunt: respondeat eis de hac re homo Dei catholicus, & ab ipso Pelagio in veritate fidei laudatus Ambrosius; qui cùm Isaiam prophetam exponeret, ait: [Expositio hæc in Isaiam non exstat.] *Idcirco Christus immaculatus, quia nec ipsa quidem nascendi solita conditione maculatus est.* Et alio loco in eodem opere, loquens de apostolo Petro: *Ipse se*, inquit, *obtulit, quod antè putabat esse peccatum, lavari sibi non solùm pedes, sed & caput poscens: quòd ilico intellexisset, lavacro pedum, qui in primo lapsi sunt homine, sordem obnoxiæ successionis aboleri.* [Iohan. 13. 9.] Item in eodem opere: *Servatum est igitur*, inquit, *ut ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem nemo videatur expers esse delicti; qui autem expers delicti est, expers est etiam hujusmodi conceptionis.* Item contra Novatianos scribens: [Lib. 1. de pœnit. cap. 3.] *Omnes homines*, inquit, *sub peccato nascimur. Quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente David: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* [Psal. 50. 7.] Item in apologia [*] prophetæ David: [* Cap. 11.] *Ante quàm nascamur*, inquit, *maculamur contagio, & ante usuram lucis originis ipsius accipimus injuriam, in iniquitate concipimur*: Item de Domino loquens: [Ibidem.] *Dignum etenim fuit, ut qui non erat habiturus* [c] *corporeæ peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium. Meritò ergo David flebiliter in se deploravit ipsa inquinamenta naturæ, & quòd priùs inciperet in homine macula quàm vita.* Item de arca Noë: *Per unum igitur*, inquit, *Dominum Iesum salus ventura nationibus declaratur, qui solus potuit justus esse, cùm generatio omnis erraret,* [d] *non ob aliud, nisi quia natus ex virgine generationis obnoxiæ privilegio minimè teneretur. Ecce*, inquit, *in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea*: [Psal. 50. 7.] *dicit is qui justus præ ceteris putabatur. Quem igitur jam justum dixerim, nisi* [e] *horum liberum vinculorum, quem naturæ communis vincula non teneant?* Ecce vir sanctus, Pe-

a In editis, *indesinenter*

b Editi, Am. Er. & Lov. *non erunt retenti*: & finitâ sententiâ in verbo *dicebat*, sic inde novam inchoant, *Perfectè diligamus*, vel ut apud Lov *diligemus*. Vaticani codices hoc loco non habent *erunt*; sed post *obnoxii*, addunt *erimus*. Neutrum est in Gallicanis MSS.

c Sic MSS. Editi verò, *corpore*.

d Editi omittunt, *non ob aliud*: & habent sic, *nisi esset natus ex virgine, qui generationis obnoxia privilegio* &c. Redintegratur locus ad Gallicanos MSS. In eo rursus variant codices lib. 2 contra Julian. c. 2.

e Gallicani MSS. *nisi solum liberum vinculorum, quem natura communis vincula non tenebant.*

lagii quoque testimonio in fide catholica probatissimus, Pelagianos negantes originale peccatum tanta manifestatione redarguit; nec tamen cum Manichæis vel Deum nascentium conditorem negat, vel nuptias quas Deus instituit & benedixit accusat.

Ambrosii testimonia de gratia Dei.

30. Pelagiani dicunt ab homine incipere meritum per liberum arbitrium, cui Deus subsequens gratiæ retribuat adjumentum. Etiam hîc eos refellat venerandus Ambrosius, dicens in expositione Isaiæ prophetæ: *Quia humana [a] cura sine divina ope imbecilla est ad medendum, Deum auxiliatorem requirit.* Item in * libro qui inscribitur, De fuga sæculi: *Frequens nobis*, inquit, *de effugiendo sæculo isto est sermo; atque utinam quàm facilis sermo, tam cautus & sollicitus [b] affectus. Sed quod pejus est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum [c] offusio mentem occupat, ut quod studeas vitare, hoc cogites animoque volvas. Quod cavere difficile est homini, exuere autem impossibile. Denique voti magis eam esse rem, quàm effectûs, testatur Propheta dicendo, Declina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam. Non enim in potestate nostra sunt cor nostrum & nostræ cogitationes, quæ improvisò offusæ mentem animumque confundunt, atque aliò trahunt quàm tu proposueris: ad sæcularia revocant, mundana inserunt, voluptaria ingerunt, illecebrosa intexunt; ipsoque in tempore, quo elevare mentem paramus, insertis inanibus cogitationibus ad terrena plerumque dejicimur. Quis autem tam beatus, qui in corde suo semper adscendat? Sed hoc sine auxilio divino qui fieri potest? Nullo profectò modo. Denique suprà eadem Scriptura dicit: Beatus vir cujus est auxilium ejus abs te, Domine, adscensus in corde ejus.* Quid apertius & sufficientius dici potest? Sed ne Pelagiani fortè respondeant, eo ipso quò divinum auxilium [d] poscitur præcedere hominis meritum; idipsum meritum esse dicentes, quia orando fit dignus cui gratia divina subveniat: adtendant quid idem vir sanctus dicat in expositione Isaiæ. *Et orare Deum*, inquit, *gratia spiritalis est. Nemo enim dicit Dominum Iesum, nisi in Spiritu-sancto.* Unde & exponens Evangelium secundùm Lucam, *Vides utique*, inquit, *quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino.* Numquid quoniam hæc dicit vir tantus Ambrosius, & gratiam Dei, sicut filio promissionis congruit, grata pietate commendat, ideo destruit liberum arbitrium? aut eam vult intelligi gratiam, quam diversis locutionibus Pelagiani nolunt nisi legem videri, ut videlicet non ad faciendum quod cognoverimus, sed ad agnoscendum quid faciamus, nos Deus adjuvare credatur? Si hoc istum hominem Dei sapere existimant, quid de ipsa lege dixerit, audiant. In libro * de fuga sæculi: *Lex*, inquit, *os omnium potuit obstruere, non potuit mentem convertere.* Item alio loco * in eodem libro: *Lex*, inquit, *factum damnat, non aufert malitiam.* Videant fidelem & catholicum virum Apostolo consentire dicenti, Scimus autem, quia quæcumque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur; ut omne os obstruatur, & reus fiat omnis mundus Deo; quia non justificabitur ex lege omnis caro coram illo. Ex eo enim Apostolico sensu illa sumsit & scripsit Ambrosius.

Ambrosii testimonia de præsentis justitiæ imperfectione.

31. Jam verò quoniam Pelagiani dicunt, justos in hac vita [e] vel esse vel fuisse, qui sine ullo peccato vixerint, in tantum ut vita futura, quæ in præmio speranda est, provectior & perfectior esse non possit: etiam hîc eis respondeat eosque refutet Ambrosius. Nam exponens Isaiam prophetam, propter id quod scriptum est, Filios genui & exaltavi, ipsi autem me spreverunt: suscepit de generationibus quæ ex Deo sunt disputare; atque in ipsa disputatione commemoravit testimonium Johannis, ubi ait, Qui natus est ex Deo, non peccat. Et eamdem quæstionem difficillimam tractans: *Cùm hoc in mundo*, inquit, *nullus sit qui immunis sit à peccato, cùm ipse Iohannes dicat, Si dicimus quia non peccavimus, mendacem facimus illum. Si autem ex Deo nati non peccant, & de his intelligimus qui in hoc mundo sunt innumeros, necesse est æstimemus, qui per lavacri regenerationem Dei gratiam consecuti sunt. Sed tamen cùm dicat Propheta, Omnia à te exspectant, ut des illis cibum in tempore: dante te iis colligent sibi; aperiente te manum tuam, universa implebuntur bonitate; avertente autem te faciem tuam turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum convertentur: emittes spiritum tuum, & creabuntur, & innovabis faciem terræ: possunt non de quocumque tempore videri dicta, sed de futuro, quo erit nova terra & novum cælum. Turbabuntur ergo, ut principium sumant, atque aperiente te manum tuam implebuntur universa bonitate; quæ non facilè hujus sæculi est. Nam de hoc sæculo Scriptura quid dicit? Non est qui faciat bonitatem, non est usque ad unum. Si igitur diversæ generationes sunt, & hic introitus in hanc vitam receptor est delictorum, in tantum ut spernatur etiam ipse qui genuit, alia autem generatio peccata non recipit; videamus ne qua sit post hujus vitæ curriculum nostra regeneratio, de qua dictum est, In regeneratione cùm sederit filius hominis in throno gloriæ suæ. Sicut enim regeneratio lavacri dicitur, per quam detersa peccatorum colluvione renovamur: ita regeneratio dici videtur, per quam ab omni corporeæ concretionis purificati labe, mundo animæ sensu in vitam regeneramur æternam; eo quòd purior quædam qualitas sit regenerationis, quàm lavacri istius, ut non solùm in actus ejus, sed ne in ipsas quidem cogitationes nostras aliqua cadat suspicio peccatorum.* Item alio loco in eodem opere: *Videmus*, inquit, *impossibile esse, ut perfectè quis immaculatus esse possit in corpore constitutus; cùm etiam Paulus imperfectum se dicat. Sic enim habet: Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus sim. Et tamen post paululum ait: Quicumque ergo perfecti sumus. Nisi fortè quia est perfectio alia in hoc mundo, alia post illud perfectum de quo dicit ad Corinthios: Cùm venerit quod perfectum est. Et alibi: Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Vt ergo perfectos secum multos ait Apostolus in hoc mundo sitos, qui, si ad perfectionem veram respicias, perfecti esse non*

Marginal references: [a] Cap. 1. — Psal. 118. 36. — Psal. 83. 6. — 1. Cor. 12. 3. — Lib. 2. in cap. 3. Lucæ n. 84. de Iesu baptizato. — * Cap. 3. — * Cap. 7. — Rom. 3. 19. & 20. — Isai. 1. 2. — 1. Iohan. 3. 9. — 1. Iohan. 1. 10. — Psal. 103. 27. &c. — Psal. 13. 1. — Matth. 19. 28. — Philip. 3. 12. — Ibidem 15. — 1. Cor. 13. 10. — Ephes. 4. 13.

[a] In editis pro *cura*, substitutum fuerat *natura*.
[b] In MSS. *effectus*.
[c] In iisdem MSS. *effusio*.
[d] Editi, *possit*. Emendantur à MSS.
[e] Sic MSS. At editi, *in hac vita ideo vel esse vel fuisse, quia sine ullo peccato vixerunt.*

1. Cor. 13. 12. poterant, quia ipse dixit, *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum: ita & immaculati sunt in hoc mundo, & immaculati erunt in regno Dei;* cùm utique si minutiùs discutias, immaculatus esse nemo possit, quia nemo sine peccato. Item in ipso, *Videmus*, inquit, *quia dum in hac vivimus vita, nos mundare debemus, & quærere Deum, & incipere ab emundatione animæ nostræ, & quasi fundamenta constituere virtutis, ut perfectionem purgationis post hanc vitam mereamur adipisci.* Itemque in ipso: *Gravatus autem*, inquit, *& ingemiscens quis non loquatur,*

Rom. 7. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Ita eodem magistro omnes varietates interpretationis absolvimus. Nam si omnis infelix qui se corporis implicatum molestiis recognoscit, utique omne corpus infelix: neque enim felicem illum dixerim, qui confusus quibusdam mentis suæ tenebris conditionem suam nescit. Illud quoque non absurdum ad intellectum accessit. Si enim homo qui se cognoscit, infelix est, infelices profectò omnes; quia unusquisque suam infirmitatem aut per sapientiam recognoscit, aut per insipientiam nescit.* Item in libro * de

* Cap. 3. bono mortis: *Operetur igitur*, inquit, *mors in nobis, ut operetur & vita, bona vita post mortem, hoc est, bona vita post victoriam, bona vita absoluto certamine: ut jam lex carnis legi mentis repugnare non*

Rom. 7. 23. *noverit, ut jam nobis nulla sit cum corpore mortis contentio.* Rursus in * eodem: *Ergo*, inquit, *quia*

* Cap. 11. *justi hanc remunerationem habent, ut videant faciem Dei, & lumen illud quod illuminat omnem hominem:*

Johan. 1. 9. *ab hinc induamus hujusmodi studium, ut appropinquet anima nostra Deo,* [a] *appropinquet oratio, adhæreat illi nostrum desiderium, non separemur ab eo. Et hic quidem positi, meditando, legendo, quærendo copulemur Deo: cognoscamus eum, ut possumus. Ex parte enim hic cognoscimus: quia hic imperfecta, illic perfecta omnia; hic parvuli, illic robusti.*

1. Cor. 13. 12. *Videmus*, inquit, *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Tunc revelata facie gloriam Domini speculari licebit, quam nunc animæ corporis hujus concretis visceribus involutæ, & quibusdam carnis hujus maculis & colluvionibus obumbratæ sincerè videre non possunt. Quis enim,*

Exod. 33. 20. *inquit, videbit vultum meum, & vivet? Et rectè: Nam si solis radios oculi nostri ferre non possunt, & si quis diutius è regione solis intenderit, cæcari solere perhibetur; si creatura creaturam sine fraude atque offensione sui non potest intueri; quomodo potest sine periculo sui vibrantem cernere vultum Creatoris æter-*

Psal. 142. 2. *ni, corporis hujus opertus exuviis? Quis enim justificatur in conspectu Dei; cùm unius quoque diei infans*

Iob 14. sec. LXX. *mundus* [b] *à peccato esse non possit, & nemo possit de sui cordis integritate & castimonia gloriari?*

Caput XII. Hæresis Pelagiana multò post Ambrosiū exorta.

32. Nimis longum erit, si omnia velim commemorare, quæ sanctus Ambrosius adversùs hanc hæresim Pelagianorum tanto pòst exorturam, non eis quidem respondens, sed prædicans catholicam fidem, atque in ea homines ædificans dixit & scripsit. Sed nec illa omnia commemorare potui vel debui, quæ gloriosissimus in Domino Cyprianus posuit in epistolis suis, quibus demonstretur, quàm sit hæc, quam tenemus, fides vera veréque Christiana atque catholica, sicut per scripturas sanctas antiquitus tradita, sic à patribus nostris, & usque ad hoc tempus, quo isti eam convellere tentaverunt, retenta atque servata, & deinceps propitio Deo retinenda atque servanda. Nam sic Cypriano & à Cypriano tradita hæc atque hujusmodi ex ejus literis testimonia prolata testantur: sic autem usque ad tempora nostra servata, ea quæ de his rebus antequàm isti ebullire cœpissent, Ambrosius conscripsit, ostendunt, & quòd eorum profanas novitates catholicæ aures quæ ubique sunt, horruerunt: sic porrò deinceps esse servanda, satis salubriter istorum partim damnatio, partim correctio declaravit. (Pelagiani partim dãnati, partim correcti.) Quodlibet enim mutire audeant adversùs sanam fidem Cypriani & Ambrosii, non eos puto in tam magnum prorupturos furorem, ut memoratos & memorabiles homines Dei audeant dicere Manichæos.

33. Quid est ergo quod rabiosa mentis cæcitate nunc jactant, *toto penitus Occidente non minùs stultum quàm impium dogma susceptum?* Quando quidem Domino miserante suamque Ecclesiam misericorditer gubernante, sic vigilavit catholica fides, ut non minùs stultum quàm impium dogma, quemadmodum Manichæorum, ita etiam non susciperetur istorum. Ecce sancti & docti viri famâ totius Ecclesiæ contestante catholici, & creaturam Dei, & nuptias ab illo institutas, & legem [c] ab eo per sanctum Moysen datam, & liberum arbitrium naturæ hominis insitum, & sanctos Patriarchas & Prophetas debitis ac congruis prædicationibus laudant; quæ omnia [d] quinque Manichæi, partim negando, partim etiam detestando condemnant; unde apparet istos doctores catholicos longè à Manichæorum sensibus alienos: & tamen asserunt originale peccatum, asserunt gratiam Dei super liberum arbitrium, omne antecedere meritum, ut verè gratuitum divinum præbeat adjutorium; asserunt sanctos ita justè in hac carne vixisse, ut eis esset necessarium, quo dimittantur quotidiana peccata, orationis auxilium, perfectamque justitiam, quæ non possit habere peccatum, in alia vita futuram eis, qui justè hîc vixerint, præmium.

34. Quid est ergo quod dicunt, *Simplicibus episcopis, sine congregatione synodi in locis suis sedentibus, extorta subscriptio est?* Numquid beatissimis & in fide catholica excellentissimis viris Cypriano & Ambrosio ante istos, adversùs istos extorta subscriptio est: qui eorum impia dogmata tantâ manifestatione subvertunt, ut quæ [e] contra eos manifestiora dicamus, vix nos invenire possimus? Aut verò congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: (Synodi congregatio ad hæreses damnandas non semper necessaria.) quasi nulla hæresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit: cùm potiùs rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit; multóque sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi exstiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandæ innotescere potuerunt. (V. lib. 1. contra Julianum c. 1. n. 5.) Verùm istorum superbia, quæ tantum se extollit adversùs Deum, ut non in illo velit, sed potiùs

[a] Hîc veteres libri restituunt, *appropinquet oratio.*
[b] Item hic ex MSS. additur, *à peccato.*
[c] *ab eo*, prætereirant adhuc editi: exstat in MSS.
[d] Sic MSS. At editi, *omnia iniquè.*
[e] MSS. *ut quæ iis manifestatiora dicamus.*

in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis ſynodus congregetur. Orbem quippe catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente pervertere nequeunt, ſaltem commovere conantur: cùm potiùs vigilantiâ & diligentiâ paſtorali poſt factum de illis competens ſufficienſque judicium, ubicumque iſti lupi apparuerint, conterendi ſint, ſive ut ſanentur atque mutentur, ſive ut ab A aliorum ſalute atque integritate vitentur; adjuvante paſtore paſtorum, qui ovem perditam & in parvulis quærit, qui oves ſanctas & juſtas gratìs facit, qui eas quamvis ſanctificatas & juſtificatas, tamen in iſta fragilitate atque infirmitate pro quotidianis peccatis, ſine quibus hîc non vivitur, etiam cùm bene vivitur, quotidianam remiſſionem & ut petant providenter inſtruit, & petentes clementer exaudit.

Pelagiani univerſalem ſynodum Orientis & Occidentis ambiunt.

ADMONITIO

IN LIBROS CONTRA JULIANUM.

*Lib. 1. n. 34. & lib. 2. n. 36.

IN his * libris Hieronymus presbyter laudatur tamquam vitâ jam functus. Porrò è vivis ille anno Chriſti 420. pridie Kalendas Octobris exceſſit. Hos ergo libros non ante annum 421. collocare licet. Enimverò ipſe Auguſtinus in Retractationibus poſt opus ad Bonifacium quod contra duas Pelagianorum epiſtolas anno 420. aut non multo ſeriùs editum eſt, ſubſequenti eos loco recenſuit.

In I. libro peccati originalis dogma, jam antè à ſe libro priore de nuptiis & concupiſcentia explicatum confirmaturus, oſtendit primùm Manichæi erroris criminationem, qua Catholicos, dogmatis iſtius defenſores afficere Iulianus nitebatur, in clariſſimos quoſque Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum, recidere: altera deinde parte libri demonſtrat, Manichæos temerariis aliquot ipſius Iuliani ſententiis plurimùm adjuvari.

In II. Pelagianorum contra originale peccatum argumentationes quinque convellit auctoritate præcedentium Eccleſiæ doctorum, epiſcoporum videlicet illuſtriorum decem, Irenæi, Cypriani, Reticii, Olympii, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Ambroſii, Baſilii, Iohannis Conſtantinopolitani, & Innocentii; nec non teſtimonio presbyteri Hieronymi, viri ſancti ac pereruditi.

Hinc jam ſingulis quatuor Iuliani libris Auguſtinus ſingulos totidem ſuos opponit, dicta illius omnia excutiens, iis tantùm prætermiſſis quæ nodum quæſtionis ullum non habent. Ac tertio quidem ſuo primum adverſarii librum ſic refellit, ut contra eum probet, quamvis Deus bonus hominum ſit conditor, bonæque ſint nuptiæ & ab ipſo inſtitutæ, malam tamen eſſe concupiſcentiam, qua caro contra ſpiritum concupiſcit. Hoc malo bene uti conjugium, meliùſque non uti continentiam. Malum autem iſtud non ex alia ſubſtantia Deo coæterna, ut Manichæus inſanit, nobis eſſe permixtum; ſed per Adæ inobedientiam exortum atque traductum, & per Chriſti obedientiam expiandum ſanandumque. Ex ipſis quoque Iuliani dictis malam oſtendit eſſe libidinem.

In IV. contra ſecundum librum Iuliani duo præſertim docet, unum quidem, virtutes infidelium veras non eſſe: alterum verò, malam eſſe concupiſcentiam, quod ipſis etiam gentilium ſententiis, præbente occaſionem Iuliano, commonſtrat. Circa medium libri paucis obiter oſtendit, quomodo gratia non ſecundùm merita detur, nec tamen in fatum ſit referenda: utque intelligendum quod Apoſtolus ait, Deum velle omnes homines ſalvos fieri.

In V. librum adverſarii tertium confutans, dicit cur novam hæreſim quæ originis peccatum negat, deteſtetur multitudo Chriſtiana, quia nimirum imaginem Dei tantos hic in parvulis cruciatus pati, & ſi abſque baptiſmo intereant, à regno Dei excludi novit. Perizomata à parentibus primis ob pudorem ex peccato venientem aſſumta probat. Peccatum poſſe eſſe præcedentis peccati pœnam. Ex eadem damnationis maſſa eſſe alios gratìs electos, alios vaſa iræ factos. Concupiſcentiam non ideo laude dignam, quòd per eam hominis inobedientia puniatur; ſed ſemper eſſe malam, in illis etiam, qui ei non conſentiunt. Quomodo intelligendum illud Apoſtoli, Ut ſciat unuſquiſque ſuum vas poſſidere. Verum ſine concubitu eſſe, quale Mariæ cum Ioſepho fuit, conjugium. Fruſtra Iulianum ex Ariſtotelicis categoriis contra originale peccatum argutari. Quid caro Chriſti à ceterorum hominum carne peccati diſtet. Manichæis minimè favere Catholicos, dum libidinis malum & originis vitium agnoſcunt; ſed Pelagianos potiùs, cùm de ea re quæ à peccato libera eſt dicunt peccata non naſci.

VI. tandem libro ad Iuliani quartum reſpondens, naſci hominem cum peccato confirmat ex baptiſmo parvulorum, ex Apoſtoli verbis, ex ritu exorciſmi & exſufflationis baptizandorum. Oleæ & oleaſtri exemplo convenienter exponi quomodo ex parentibus regeneratis ac juſtis naſcantur filii peccatores & regenerandi. Peccatum originale in primis parentibus voluntarium eſſe oſtendit, ac nobis quidem alienum proprietate actionis, noſtrum tamen contagione propaginis. Hujus peccati merito fieri, ut tantis ab infantia miſeriis adteratur genus humanum, utque parvuli ſine regenerationis gratia morientes excludantur à regno Dei. Quomodo concupiſcentia manet actu, præterit reatu. Pauli teſtimonia perversè à Iuliano expoſita revocat ad catholicum intellectum. Ezechielis poſtremò auctoritatem, qua ille abutebatur, ſecundùm legitimum ſenſum interpretatur.

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT LXII.

* Lib. 2. Retract. cap. 53.

INterea libri quatuor Juliani Pelagiani, quos suprà * commemoravi, venerunt etiam in manus nostras: in quibus comperi, illa quæ ex eis decerpserat, qui ea Comiti Valerio miserat, non omnia eo modo quo à Juliano dicta sunt, ad eumdem Comitem scripta, sed nonnulla eorum aliquantùm fuisse mutata. Scripsi ergo sex libros adversùs illos quatuor: sed meorum duo primi testimoniis sanctorum, qui fidem catholicam post Apostolos defenderunt, Juliani impudentiam redarguunt, qui tamquam Manichæorum dogma nobis objiciendum putavit, quia ex Adam trahi dicimus originale peccatum, quod per lavacrum regenerationis non solùm in majoribus, verùm etiam in parvulis solvitur. Quantum autem ipse Julianus quibusdam sententiis suis adjuvet Manichæos, in primi libri mei parte * posteriore monstravi. Ceteri autem nostri quatuor redduntur illius singulis singuli. Verùm in hujus tànti tamque elaborati operis quinto volumine, * ubi commemoravi deformem maritum conjugi suæ, ne deformes pareret, proponere in concubitu formosam solere picturam, nomen hominis qui hoc facere solebat quasi certum posui, cùm sit incertum, quia memoria me fefellit. Hoc autem Soranus auctor medicinæ scripsit regem Cyprium facere solere, sed nomen ejus proprium non expressit. Hoc opus sic incipit, *Contumelias tuas & verba maledica, Iuliane.*

* Cap. 8.

* Cap. 9.

---

* Epist. 207. tom. 2.

AUGUSTINI * EPISTOLA

AD CLAUDIUM EPISCOPUM.

Beatissimo fratri & coëpiscopo CLAUDIO AUGUSTINUS in Domino salutem.

* Librum primum de nuptiis & concupiscentia.

QUoniam mihi fraterno excitatus affectu Juliani quatuor libros, quos adversùs unum * meum scripsit, priùs quàm peterem, ipse misisti; nihil convenientius putavi esse faciendum, quàm ut ea quæ respondeo, tu potissimùm legens judices, utrùm rectè congruenterque responderim. Nam de his quatuor libris nonnulla decerpta scripserat nescio quis ad illustrem & religiosum virum Comitem Valerium, adversùs eumdem librum meum, quem me ad illum scripsisse cognoverat: quæ cùm in manus meas eodem sublimi viro curante venissent, illi primo non distuli secundum volumen adjungere, in quo illa omnia sicut potui refutavi. Sed nunc eosdem libros cùm diligentiùs inspicerem, comperi illum, qui nonnulla inde selegerat, non omnia ita posuisse, ut in his leguntur. Unde poterit videri Juliano, vel cuilibet illorum, me potiùs fuisse mentitum; quia utique non sicut hi quatuor libri, ita illa quæ de his excerpta, & memorato Comiti missa sunt, innotescere potuerunt. Quisquis ergo & illum secundum librum meum ad Comitem idemtidem Valerium, sicut primum, conscriptum legit, noverit me in quibusdam non respondisse Juliano; sed ei potiùs, qui de libris ejus illa selegit, & non ita posuit ut invenit, sed aliquantùm putavit esse mutanda; fortasse ut eo modo quasi sua faceret, quæ aliena esse constaret. Nunc autem veriora credens exemplaria, quæ tua sanctitas misit, ipsi auctori video respondendum, qui unum meum quatuor libris suis refellisse se jactat, & usquequaque spargere fidei venena non cessat. Aggressus sum igitur hoc opus in adjutorio Salvatoris pusillorum atque magnorum: & scio te ut id implerem orasse pro me, & pro iis quibus hujuscemodi labores nostros profuturos credimus & optamus. Adtende ergo jam responsionem meam, cujus principium hanc epistolam subsequetur. Vale in Domino memor nostri frater beatissime.

S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA JULIANUM HÆRESIS PELAGIANÆ DEFENSOREM LIBRI * SEX.

* Scripti anno Christi 421. aut paulò pòst.

LIBER PRIMUS.

Catholicam sententiam de originali peccato à se in primo libro de nuptiis & concupiscentia explicatam suscipit defendendam contra Iulianum, qui eam quatuor grandioribus libris insectari ausus, in ejus defensores Manichæorum nuncupationem conferre non vereatur. Hanc exsecrabilem criminationem in clarissimos quosque Patrum tam Græcorum quàm Latinorum recidere ostendit Augustinus, allatis in eam rem ipsorum testimoniis, cum responsione ad illa nominatim Basilii & Iohannis Chrysostomi loca, quæ suffragari sibi Iulianus putat. Extrema parte libri monstrat, Manichæorum hæresim temerariis quibusdam Iuliani ipsius sententiis plurimùm adjuvari.

Caput I.

a CONTUMELIAS tuas & verba A maledica, Juliane, quæ ardens [a] iracundiâ libris quatuor anhelasti, si me contemnere dixero, mentiar. Quomodo enim possum ista contemnere, ubi testimonium conscientiæ meæ cogitans, vel gaudere me video debere pro me, vel dolere pro te, & pro eis qui decipiuntur abs te? Quis autem contemnat sive exsultationis suæ materiam, sive mæroris? Nam unde partim lætamur, partim contristamur, nulla ratione contemnimus. Meorum quippe caussa gaudiorum est promissio Domini dicentis: Cùm » dicunt omne malum adversùm vos mentientes » propter me, gaudete & exsultate, quoniam mer» ces vestra multa est in cælis. Et rursus mei caussa mæroris est Apostoli affectus, ubi lego: Quis » infirmatur, & ego non infirmor? quis scandali» zatur, & ego non uror? Sed hæc pro tuo dogmate, quod veritatem putas, etiam tu potes dicere. Auferamus itaque de medio, si placet, ista communia, quæ dici ex utraque parte possunt: quamvis veraciter dici ex utraque parte non possunt.

Matth. 5. 11.

1. Cor. 11. 29.

2. Primùm abs te quæro, cur libro meo saltem specie tenus te respondisse glorieris, cùm tuis libris quatuor unius mei partem nec quartam reprehendendo tetigeris, eosque saltus in prætereundis meis disputationibus feceris, quasi omnino desperares utriusque operis, & mei scilicet & tui quemquam esse posse lectorem, qui ista deprehenderet. Denique etiam pauca ipsa, in quibus vix est, ut dixi, quarta pars voluminis mei, quæ velut infirmiora existimans, quatuor tuorum grandiorum voluminum strepitu, quasi quadrigarum impetu prosternere & conculcare molitus es, consideratione multo plurium ceterorum, quæ adtingere timuisti, inconcussa manere monstrantur: quod ostendere pe- B nè superfluum est. Admonendi enim sunt potiùs, qui hoc nosse desiderant, ut non eos pigeat utrumque legere, & quod scripsi, & quod respondere voluisti. Ita enim se res ipsa declarat atque indicat, ut nimiùm tardi sint, qui hoc à nobis postulent demonstrari.

3. Nunc ergo quia video te [b] veritate desertum, ad maledicta esse conversum, ita distribuam disputationem meam, ut ostendam priùs quantis & qualibus Ecclesiæ catholicæ doctoribus no- C mine Manichæorum intolerabilem facere non cuncteris injuriam, & cùm me appetis, in quos tela sacrilega jaculeris. Deinde monstrabo, quòd tu ipse sic adjuvas Manichæorum damnabilem & nefandæ impietatis errorem, ut nullum talem patronum nec in suis dilectoribus valeant invenire. Tertio loco, quantum breviter potuero, sententiis non meis, sed eorum qui fuerunt

Distributio operis.

[a] Vetus cod. Floriacensis, *quà in me ardens iracundiâ.*
[b] Er. & Lov. *à veritate desertum.* Am. & MSS. carent præpositione *à*. Sic Tacit. l. 3. *suis desertus*, pro *à suis*.

ante nos, & adversùs impios fidem catholicam defenderunt, inanes argutias tuas & elaborata argumenta convincam. Postremò quoniam si te non correxeris, necesse tibi erit etiam illos Ecclesiæ catholicæ oppugnare doctores, atque contendere nec ipsos in hac quæstione catholicam tenuisse veritatem, defendam contra te, Deo adjuvante, & ipsorum & nostram fidem: ubi etiam id poterit apparere, non solùm tu verbis tuis, quod secundo loco me demonstraturum esse promisi, sed ipsum dogma Pelagianum, quod commune est omnibus vobis, quantum adjuvet Manichæos.

CAPUT II. Controversia inter Augustinū & Julianū.

4. PRIMAM itaque partem distributionis meæ, quemadmodum exsequar, parumper adverte. Nempe inter nos, quantum adtinet ad intentionem libri mei, cui te respondisse quatuor tuis jactas, ista vertitur quæstio, quòd ego dico sic nuptias esse laudandas, ut nullo modo ad earum culpam vituperationemque pertineat, quòd omnes homines primorum illorum hominum peccato nascuntur obnoxii. Hoc enim qui negat, ipsa Christianæ fidei subvertere firmamenta conatur. Hinc quippe factum est, ut de nuptiis & concupiscentia librum scriberem: nuptiarum scilicet bonum discernens ab eo malo unde trahitur originale peccatum. Tu autem dicis nuptias sine dubitatione damnari, nisi quod ex eis nascitur, ab omni sit liberum obligatione peccati: propter quod libris quatuor te unum meum refutasse gloriaris. In quibus libris volens homines avertere à fide catholica fundatissima, & ad novitatem vestri erroris adducere, sæpe incutis legentium sensibus Manichææ pestis [a] horrorem: quasi malum naturale cum Manichæis sapiat, qui dicit infantes secundùm Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere, & ob hoc secunda indigere, ut per lavacrum regenerationis priùs peccati originalis remissione purgentur, & in Dei filios adoptati in regnum Unigeniti transferantur. Hoc de Manichæorum nomine & crimine faciebat etiam Jovinianus, negans Mariæ sanctæ virginitatem, quæ fuerat dum conciperet, permansisse dum pareret: tamquam Christum cum Manichæis phantasma crederemus, si matris incorrupta virginitate diceremus exortum. Sed in adjutorio ipsius Salvatoris, sicut spreverunt catholici velut acutissimum quod Jovinianus exseruerat argumentum, & nec sanctam Mariam pariendo fuisse corruptam, nec Dominum phantasma fuisse crediderunt, sed & illam virginem mansisse post partum, & ex illa tamen verum Christi corpus exortum: sic spernent vestra calumniosa vaniloquia, ut neque cum Manichæis adstruant mali naturale principium, & secundùm antiquam & veram catholicam fidem nullo modo dubitent Christum in evacuando chirographo paterni debiti liberatorem credere parvulorum.

Julianus Jovinianū imitatus Manichæismi notam catholicis impingit.

CAPUT III. Recenset veteres patres qui o-

5. SED tu qui tam crebrò nobis Manichæorum nomen opponis, quos & quales viros & quantos fidei catholicæ defensores tam exsecrabili criminatione appetere audeas, si evigilas intuere. Non quidem omnium de hac re sententias, nec omnes eorum, quos commemorabo, me congregaturum esse polliceor; quia nimis longum est, & necesse esse non arbitror: sed ponam pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere & cedere; si ullus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum pervicaciæ superaverit. Irenæus Lugdunensis episcopus non longè à temporibus Apostolorum fuit: iste ait, *Non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundùm similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatus à terra, omnia traxit ad se, & vivificavit mortuos.* Item idem ipse: *Quemadmodum adstrictum est*, inquit, *morti genus humanum per virginem, solvatur per virginem, æqua lance disposita, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccato per correptionem primogeniti emendationem accipiente, serpentis prudentiâ devictâ per simplicitatem columbæ, vinculis illis resoluti sumus, per quæ alligati eramus morti.* Videsne antiquum hominem Dei, quid de antiqua serpentis plaga sentiat? quid de similitudine carnis peccati, per quam sanatur plaga serpentis in carne peccati? quid de protoplasti peccato, per quod alligati fueramus?

riginale peccatum asseruerunt, quos nemo Manichæos ausit appellare.

Irenæus lib. 4. cap. 5.

Lib. 5. cap. 19.

6. Multo autem apertiùs [b] de eadem fide beatissimus martyr & episcopus Cyprianus: *Si homines*, inquit, *impedire aliquid* [c] *ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos & provectos & majores natu possent impedire peccata graviora. Porrò autem si gravissimis delictoribus & in Deum multùm antè peccantibus, cùm postea crediderint, remissa peccatorum datur, & à baptismo atque gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit. Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso faciliùs accedit, quòd illi remittuntur, non propria, sed aliena peccata.*

b Cyprianus, epist. 64. ad Fidum. c

7. Reticium ab Augustoduno episcopum magnæ fuisse auctoritatis in Ecclesia tempore episcopatûs sui, gesta illa ecclesiastica nobis indicant, quando in urbe Roma [d] Melchiade apostolicæ sedis episcopo præsidente, cum aliis judex interfuit, Donatumque damnavit, qui prior auctor Donatistarum schismatis fuit, & Cæcilianum episcopum Ecclesiæ Carthaginiensis absolvit. Is cùm de baptismo ageret, ita locutus est: *Hanc igitur principalem esse in Ecclesia indulgentiam, neminem præterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ nostræ facinora prisca delemus, ubi & veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus.* Audis antiqui criminis pondus, audis prisca facinora, audis cum sceleribus ingenitis hominem veterem: & audes adversùs hæc ruinosam construere novitatem?

Reticius episcopus.

Non exstat hoc opusculum.

8. Olympius Hispanus episcopus, vir magnæ in Ecclesia & in Christo gloriæ, in quodam sermone ecclesiastico: *Si fides*, inquit, *umquam in terris incorrupta mansisset, ac vestigia defixa tenuisset, quæ signata deseruit, numquam protoplasti mortifera transgressione* [e] *vitium sparsisset in germine, ut peccatum cum homine nasceretur.* Habesne aliquid, quod adversùs nos tibi dicere videaris, quod non

Olympius episcopus. Nec hujus quidquam exstat.

[a] Sic MSS. Editi autem, *errorem*.
[b] In MSS. *sed eadem fide*.
[c] Antiquissimus Floriacensis cod. *à consecutione gratiæ*.
[d] Vaticani codices *Melciade*. Alii MSS. *Miltiade*.
[e] Tres è Vaticanis MSS. *mortifera transgressione mortiferum vitium*.

etiam in iſtum dicere compellaris, vel potiùs in A iſtos? Una eſt enim omnium catholica fides, qui [Rom. 5. 12.] per unum hominem peccatum intraſſe in mundum, in quo omnes peccaverunt, uno corde credunt, ore uno fatentur, & veſtras novitias præſumtiones catholica antiquitate ſubvertunt.

9. Audi adhuc quod te poſſit ampliùs commovere, atque turbare, & utinam in melius commutare. Eccleſiæ catholicæ adversùs hæreticos acerrimum defenſorem venerandum quis igno- B ret [Hilarius epiſcopus.] Hilarium epiſcopum Gallum? Qui cùm de Chriſti carne ageret, adtende quid dixerit: [Rom. 8. 3.] *Ergo cùm miſſus eſt*, inquit, *in ſimilitudine carnis peccati, non ſicut carnem habuit, ita habuit & peccatum. Sed quia ex peccato omnis caro eſt, à peccato ſcilicet Adam parente deducta, in ſimilitudine peccati carnis eſt miſſus; exſiſtente in eo non peccato, ſed peccati carnis ſimilitudine.* Rurſus idem ipſe in expoſitione centeſimi duodevigeſimi Pſalmi, [In Pſal. 118. 175.] cùm ad id veniſſet quod ſcriptum eſt, Vivet anima mea, C & laudabit te: *Vivere ſe*, inquit, *in hac vita non reputat; quippe qui dixerat, Ecce in iniquitatibus* [Pſal. 50. 7.] *conceptus ſum, & in delictis* [a] *peperit me mater mea. Scit ſub peccati origine & ſub peccati lege eſſe ſe natum.* Sentiſne quid audias? quæriſne quid dicas? Hunc virum tantâ in epiſcopis catholicis laude præclarum, tantâ notitiâ famâque conſpicuum, de peccato originali aude, ſi quid tibi frontis eſt, criminari.

10. Sed adhuc audi alium excellentem Dei D diſpenſatorem, quem veneror ut patrem: in [1. Cor. 4. 15.] Chriſto enim Jeſu per Evangelium ipſe me genuit, & eo Chriſti miniſtro lavacrum regenerationis accepi. [Auguſtinus per Ambroſiũ converſus & baptizatus.] Beatum loquor Ambroſium, cujus pro catholica fide gratiam, conſtantiam, labores, pericula, ſive operibus ſive ſermonibus, & ipſe ſum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus. Hic vir cùm ſecundùm Lucam exponeret Evangelium: [Ambroſius lib. 1. in Luc. n. 36. Pſal. 113. 3.] *Iordanis*, inquit, *converſus eſt retrorſum: ſignificavit ſalutaris lavacri* E *futura myſteria, per quæ in primordia naturæ ſuæ, qui baptizati fuerint parvuli, à malitia reformantur.* [Lib. 2. n. 56.] Rurſus idem ipſe in eodem opere: *Non enim virilis coitus*, inquit, *vulvæ virginalis ſecreta reſeravit; ſed immaculatum ſemen inviolabili utero Spiritus-ſanctus infudit. Solus eſt enim per omnia ex natis de femina ſanctus Dominus Ieſus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partùs novitate non ſenſerit, & cæleſti majeſtate depulerit.* Itemque in eodem ipſo: [Lib. 4. n. 67. ad Luc. cap. 4. v. 38.] *Omnes*, inquit, *in Adam* [b] *mori-* F *mur, quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Illius igitur culpa, mors omnium eſt.* Alio item loco in eodem Evangelio: [Lib. 7. n. 73. ad Luc. cap. 10. 30.] *Cave ergo*, inquit, *ne antè nuderis, ſicut Adam nudatus eſt, mandati cæleſtis cuſtodià deſtitutus, & exutus fidei veſtimento, & ſic lethale vulnus accepit, in quo omne genus occidiſſet humanum, niſi Samaritanus ille deſcendens vulnera ejus acerba curaſſet.* Rurſus in opere ipſo, alio G loco: [Lib. 7. n. 234. ad Luc. cap. 15. 24.] *Fuit*, inquit, *Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Rurſus idem ipſe in apologia prophetæ David: [Lib. apologiæ David cap. 11.] *Ante quàm naſcimur*, inquit, *maculamur contagio, & ante uſuram lucis, originis ipſius excipimus injuriam; in iniquitate concipimur.* [Pſal. 50. 7.] *Non expreſſit*, inquit, *utrùm parentum, an noſtrà. Et in delictis unumquemque generat mater ſua. Nec hìc declaravit, utrùm in delictis ſuis mater pariat, an jam ſint aliqua delicta naſcentis. Sed vide ne utrumque intelligendum ſit. Nec conceptus exſors iniquitatis eſt, quoniam & parentes non carent lapſu: & ſi nec unius diei infans ſine peccato, multo magis nec illi materni conceptus* B *dies ſine peccato ſunt. Concipimur ergo in peccato parentum, & in delictis eorum naſcimur. Sed & ipſe partus habet contagia ſua, nec unum tantummodo habet ipſa natura contagium.* Idem ipſe in expoſitione libri Tobiæ: [Lib. de Tobia, cap. 9.] *Quis iſte*, inquit, *peccati eſt fœnerator, niſi diabolus, à quo Eva* [c] *mutuata peccatum, obnoxiæ ſucceſſionis uſuris omne genus defœneravit humanum?* Rurſus in eodem: [Ibid. cap. 23.] *Diabolus*, inquit, *Evam decepit, ut ſupplantaret virum, obligaret hereditatem.* Idem ipſe in expo- C ſitione Pſalmi quadrageſimi-octavi: [In Pſal. 48. v. 6.] *Alia eſt*, inquit, *iniquitas noſtra, alia calcanei noſtri, in quo Adam dente ſerpentis eſt vulneratus, & obnoxiam hereditatem ſucceſſionis humanæ ſuo vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus.*

CAPUT IV.

11. I NUNC, & mihi objice originale peccatum: diſſimula ab iſtis, finge te neſcire quid dicant; & ſanctæ Eccleſiæ tot [d] tantiſque doctoribus, qui vitâ optimè geſtâ debellatiſque ſuorum temporum erroribus, [e] glorioſiſſimè de hoc D ſæculo ante quàm vos ebulliretis exierunt, velut eis non viſis, in me impetum faciens, & velut neſciens quòd illi ſub meo nomine lacerentur, tamquam ſecurus inſulta. Crederem te, fateor, quid mali facias ignorare, nec impudentiæ, ſed imprudentiæ tuæ tribuerem, quòd hæc lumina civitatis Dei audes hoſtiliter inſectari, quæ ſectari fideliter debuiſti: crederem te, inquam, hoc tantum nefas committere neſcientem, niſi in eo libro, cui te reſpondiſſe vel exiſtimas, vel exiſtimari E cupis, apertiſſimum teſtimonium de ſancti Ambroſii diſputatione * poſuiſſem. [* Lib. 1. de nuptiis & concupiſc. cap. 35. Ex commentar. in Iſaiam.] An ibi non legiſti, quòd cùm Chriſti nativitatem de virginis partu ſuprà dictus inſinuaret epiſcopus, *Ideo*, inquit, *& quaſi homo per univerſa tentatus eſt, & in ſimilitudine hominum cuncta ſuſtinuit, ſed quaſi de Spiritu natus abſtinuit à peccato. Omnis enim homo* [Pſal. 115. 2.] *mendax, & nemo ſine peccato niſi unus Deus. Servatum eſt igitur ut ex viro & muliere, id eſt, per illam corporum commixtionem nemo videatur expers* F *eſſe delicti. Qui autem expers delicti, expers eſt etiam hujuſmodi conceptionis.* Si hæc ibi verba venerandi Ambroſii non legiſti, quomodo redarguendum librum, in quo ea ſunt poſita, ſuſcepiſti? Si autem legiſti, quid adversùm me furis, & illum in me primitus carpis? Quid nomen dilaniare niteris meum, & Ambroſium facis tacito ejus nomine Manichæum?

12. Cernis nempe cum quibus tua maledicta ſuſtineam, cernis cum quibus mihi ſit cauſſa com- G munis, quam nulla conſideratione ſobria pulſare calumniis & expugnare conaris? Cernis quàm tibi pernicioſum ſit, tam horribile crimen objicere talibus; & quàm mihi glorioſum, quodlibet

[a] Am. Er. & MSS. *concepit me.*
[b] Apud Ambroſium, *mortui.*
[c] Omnes MSS. *maculata peccato.* Concordant ipſi editi poſtea cap. 7. n. 32. ubi cum MSS. habent, *à quo Eva maculata.*
[d] Sic MSS. At editi, *tantoſque doctores.*
[e] Duo à Vatic. MSS. *glorioſiſſimi.*

A crimen audire cum talibus? Si cernis, cerne, & tandem tace: Pelagianam linguam tot linguis catholicis deprime, tot venerandis oribus proterva ora submitte. Si scholam Xenocratis sicut Polemo ex antelucano convivio temulentus intrasses, non tantâ quantâ in isto cœtu tot sanctorum deberes verecundiâ coërceri. Hîc enim certè tanto major debet esse verecundia, quanto verior addiscitur sapientia. Tanto ampliùs reverendi sunt tot memorabilium episcoporum quàm unius Xenocratis vultus, quanto Platone Xeno- B cratis doctore doctor istorum major est Christus. Ego certè beatæ memoriæ Memoris * patris tui non immemor, qui mecum non parvam inierat amicitiam colloquio litterarum, teque ipsum mihi carissimum fecerat, cùm te viderem in libris tuis non antelucano convivio temulentum, sed insano convicio turbulentum, introduxi te sedandum atque sanandum, non in alicujus philosophi auditorium, sed in sanctorum patrum pacificum C honorandumque conventum. Sit operæ pretium, obsecro te, adspice illos quodam modo adspicientes te, & mansuetè ac leniter dicentes tibi, Itane nos, fili Juliane, Manichæi sumus? Rogo quid respondebis? Quibus eos oculis intueberis? Quæ tibi argumenta succurrent? quæ Aristotelis categoriæ, quibus, ut in nos velut artifex disputator insilias, videri appetis elimatus? Quæ tuorum argumentorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in illorum conspectu exseri audebunt? D Quæ abs te arma non fugient nudumque destituent? An fortè dicturus es, neminem illorum te in isto crimine nominasse? Et quid facies, cùm tibi dixerint, Tolerabiliùs dente maledico nomina concideres nostra, quàm fidem nostram, cujus merito in cælo nomina ipsa scripta sunt nostra? An fortè dices eis, Nec fidem vestram ullo tali crimine violavi? Sed qua confidentiâ id dicere audebis, homo qui dicis Manichæum esse sensum, confiteri ex Adam trahere nascentes originale peccatum; E quod isti confessi atque professi sunt quod in [a] Christi Ecclesia suorum rudimentorum tempore didicerunt, quod Christi Ecclesiam suorum honorum tempore docuerunt, qui per Spiritum-sanctum tam multa peccata omnibus quos baptizare potuerunt, tam multis parvulis sola originalia remiserunt? Iterum te admoneo, iterum rogo, adspice tot ac tales Ecclesiæ catholicæ defensores atque [b] doctores: vide quibus tam gravem tamque nefariam irrogaris injuriam.

Polemo ex luxuriosa adolescentia insignis factus philosophus. *V. Valer. Max. l. 6. cap. 9. & Laert. lib. 4, de vit. philosophor.*

** V. Aug. epist. 101. & Mercatoris commonit. adversùs Pelag. & Iulian. hic in 2. part. Append.*

F 13. An ideo contemnendos putas, quia occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus à nobis Orientis episcopus? Quid ergo faciemus, cùm illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim G potuit ille vir sanctus Africanis respondere conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica sedes & Romana cum ceteris tenet perseveranter Ecclesia? Et tamen ejus successorem * crimine prævaricationis accusas, quia doctrinæ Apostolicæ & sui decessoris sententiæ noluit refragari. Sed de hoc interim taceo, ne animum tuum, quem sanare potiùs cupio quàm irritare, laudibus tui damnatoris exulcerem. Sancto Innocentio vide quid respondeas, qui nihil aliud de hac re sapit, quàm quod isti in quorum te conventum, si tamen prodest aliquid, introduxi: cum his etiam ipse considet, etsi posterior tempore, prior loco. De miseris parvulis ab originali malo, quod trahitur ex Adam, per Christi gratiam liberandis, unam cum eis tenet Christianam veramque sententiam: * qui omne [c] præteritum vitium, primi scilicet hominis, qui libero arbitrio est in profunda demersus, Christum dixit sui lavacro purgasse baptismatis: qui denique parvulos definivit, nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde, immo ipsi Domino, cujus ille antistes usus est testimonio, & dic unde imago Dei tam capitali supplicio puniatur, ut vitâ privetur; si peccatum à nascentibus originale non trahitur. Sed quid dicas, aut quid respondeas; qui etiam si beatum audeas Innocentium, non audebis tamen Christum dicere Manichæum?

Petrus Apostolorū primus.

Innocentii epistolæ ad Carthaginiense & Milevitanum concilia.

* Zosimū.

Romanus pontifex reliquis episcopis loco prior.

** Epist. 181. apud August. n. 7.*

c Epist. 182. n. 5. Iohan. 6. 54.

14. Non est ergo cur provoces ad Orientis antistites; quia & ipsi utique Christiani sunt, & utriusque partis terrarum fides ista una est; quia & fides ista Christiana est: & te certè occidentalis terra generavit, occidentalis regeneravit Ecclesia. Quid ei quæris inferre, quod in ea non invenisti, quando in ejus membra venisti? Immo quid ei quæris auferre, quod in ea tu quoque accepisti? Nam peccatum originale, quod in aliorum perniciem parvulorum negas, quacumque ætate sis baptizatus, aut ipsum tibi remissum est, aut & ipsum. Sed si verum est, quod audivimus, te infantulum baptizatum, etiam tu quamvis à tuis propriis peccatis innocens, tamen quia ex Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate traxisti, & in iniquitate conceptus es, profectò exorcizatus & exsufflatus es, ut à potestate erutus tenebrarum transferreris in regnum Christi. O fili malè ex Adam nate, sed bene in Christo renate, sacramenta quibus te peperit, tuæ matri conaris auferre. Numquid Manichæa fuit, quando isto modo te peperit, quo modo jam non vis ut pariat, & ingeris ei [d] nativitatis opprobria, ut in ea ceteris claudas, ex quibus ipse natus es, viscera pietatis? Dividis ei nomen viri sui, ut ad regenerandos parvulos tantummodo Christus sit, ad majores autem Christus Jesus; quia scilicet Jesus Salvator interpretatur: quod eum parvulis esse non vultis, qui nihil eos habere, unde illos salvos faciat, prædicatis.

Col. 1. 13.

15. Sed non tibi deerit magni nominis & famâ celeberrimâ illustris episcopus etiam de partibus Orientis, cujus eloquia ingentis merito gratiæ, etiam in linguam Latinam translata usquequaque claruerunt. Sedeat ergo cum istis patribus etiam sanctus Gregorius, & cum eis tuæ criminationis inanem patiatur invidiam: dum tamen cum eis contra novitiam pestem vestram,

Caput V. Orientales episcopi in originali peccato asserendo Occidentalibus consentiunt.

[a] MSS. *quod in sancta Ecclesia*: & infrà, *quod sanctam Ecclesiam suorum honorum tempore.*

[b] Sic omnes MSS. Editi autem, *atque rectores.*

[c] Am. Er. & plerique MSS. hîc & infrà, *præteriti vitium.*

[d] Omnes propè MSS. *vanitatis.*

Gregorius Nazianzenus.

medicinalem proferat & ipse sententiam. Audi ergo quid dicat: *Imago*, inquit, *Dei labem* [a] *corporeæ inundationis expurget, & conjunctam sibi carnem verbi Dei sublevet pennis. Et quamvis melius fuisset ne egere quidem hujuscemodi expurgatione, sed in illa prima dignitate permansisse, ad quam & refestinamus post præsentem* [b] *emendationem, & melius fuisset non excidere à ligno vitæ gustu amarissimo peccati: tamen in secundo loco expedit emendari & corrigi post lapsum, quàm in nequitiis permanere.*

Oratione in Natalem Christi, paulò post initium.

Itemque idem ipse: *Sicut in Adam omnes*, inquit, *mortui sumus, ita & in Christo omnes vivificemur. Cum Christo ergo nascamur, & cum Christo crucifigamur, & consepeliamur ei in mortem, ut cum ipso etiam resurgamus ad vitam. Necesse est enim nos perpeti utilem hanc & necessariam vicissitudinem: ut sicut ex bonis ad tristia devoluti sumus, ita ex tristibus ad meliora reparemur. Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit gratia: ut quos gustus ligni* [c] *vetiti condemnavit, Christi crux gratiâ largiore justificet.* Idem rursus: *Venerare*, inquit, *nativitatem, per quam terrenæ nativitatis vinculis liberatus es. Honora Bethleem pusillam & minimam, per quam tibi regressus ad paradisum patefactus est.* Itemque alibi de baptismo loquens: *Persuadeat*, inquit, *tibi de hoc quoque sermo Christi dicentis, Neminem posse introire in regnum cælorum, nisi renatus fuerit ex aqua & spiritu. Per hunc primæ nativitatis maculæ purgantur, per quas in iniquitatibus concipimur, & in delictis genuerunt nos matres nostræ.* Numquid & istum Manichæi sapere vel jacere venena dicturus es? Audis omnes uno corde, uno ore, una fide idipsum dicere, & hanc esse catholicam fidem non dissonante contestatione firmatam.

1. Cor. 15. 22.

Ibidem sub finem.

Johan. 3. 5.

16. An tibi parva in uno Gregorio episcoporum orientalium videtur auctoritas? Est quidem tanta persona, ut neque ille hoc nisi ex fide Christiana omnibus notissima diceret, nec illi eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi hæc ab illo dicta ex regula notissimæ veritatis agnoscerent. Sed si vis addimus huic & sanctum Basilium, immo velis nolis addendus est, maximè quia & tu de libro ejus, quem scripsit adversùs Manichæos, in quarto volumine hujus operis tui aliquid putasti esse ponendum, quod ad caussam peccati originalis per unum intrantis in mundum, & per omnes homines transeuntis omnino non pertinet. Ibi quippe agit, ne malum substantiale credatur, habens suam quamdam materiam, sicut sapiunt Manichæi. Dicit ergo, *non esse substantiam, sed* [d] *conversationem, quæ de sola voluntate contingat*, non his qui contagium mortis antiquæ prima nativitate traxerunt, sed *iis qui ægritudinem conversationis de voluntate propria collegerunt*, id est, jam majoribus ratione utentibus & arbitrio voluntatis. *Hanc conversationem ex accidenti venientem facillimè* dicit *posse ab ægrotantium voluntate separari.* Dicit etiam, *si evenisset malum, ita ut non valeret ulteriùs à voluntate removeri, id est quamvis accidisset, si ita accidisset ut separari ulteriùs à voluntate non valeret, meritò dici posset, substantiale quidem malum non esse, sed ipsam substantiam sine malitia quæ accidit, jam esse non posse. Si autem accessit*, inquit, *& principium accessionis non substantiam habuit, sed voluntatem, facilè potest malum à substantia separari, ut & subjecta voluntati substantia munda possit per omnia possideri, ita ut nullius mali vel signa remaneant.* Ista ita rectè dixit sanctus Basilius, ut etiam de ipso malo, quod per Adam intravit in mundum, & per omnes homines pertransiit, bene possit intelligi; quia & ipsum accessit naturæ humanæ. Non enim sic erat primitus condita; & principium accessionis non substantiam habuit, sed voluntatem, sive mulieris quæ à serpente seducta est, sive viri ejus qui seductæ ad peccandum consensit uxori. Sed quod ait, *facilè posse malum à voluntate vel à substantia separari*, non humanæ facile est voluntati, sed misericordiæ Dei. Quod adversùs Manichæos utique sufficit, qui putant esse impossibile mutari in bonum naturam mali. Ideo non ait sanctus Basilius, ipsam voluntatem hominis, sive substantiam vel naturam, malum à se posse facilè separare; sed *ab ea posse facilè separari*: sic verba sua librans, ut & Manichæos, contra quos agebat, refelleret, & contra divinam gratiam humanam superbiam non extolleret. Ille quippe omnipotens, cui secundùm Evangelium facile est, quod hominibus impossibile est, malum quod nobis accidit, vel ex primi hominis, vel ex nostra insuper voluntate, ita suæ gratiæ largitate consumet, *ut subjecta substantia voluntati*, quemadmodum commemorasti dixisse Basilium, *munda possit per omnia possideri, sic* omnino, *ut nullius mali vel signa remaneant.* [e] Fiet hoc, & ipsa spes est indubitata fidelium. Sed quando perficiatur, in promtu est catholicæ fidei. Tunc enim dicetur novissimæ inimicæ morti, Ubi est contentio tua, ubi est aculeus tuus?

Respondet ad locum Basilii à Juliano prolatum ex libro ejus contra Manichæos, qui non exstat.

Matth. 19. 26.

1. Cor. 15. 55.

17. Item quod commemoras dixisse Basilium; *Si castitas virtus est, corpus verò substantialiter malum esset, impossibile erat castum corpus inveniri; quia corpus turpitudinis, virtutis non fieret corpus; cùm autem sanctificatur, virtutis efficitur, & ita communicat virtus corpori corpusque virtuti, per quam & templum efficitur Dei. Unde si omne corpus fornicationis esset, impossibile utique erat castitatem in corporibus inveniri: tumque demum naturæ corporum possemus malum substantiale deputare. Si verò usque eo corporis merita processerunt, tantoque honore decoratum est, ac tale indumentum pudicitiæ suscepit, ut domus sui factoris esse mereretur, ac fieret thalamus Filii Dei, ut venientes Pater & Filius habitationem corporum eligere dignarentur: quomodo non exsecrabilis & ridendus Manichæi sermo convincitur?* Quid potuit dici verius & catholicæ regulæ congruentius? Dictum est enim adversùs Manichæos, putantes atque [f] affirmantes, de gente tenebrarum, quam malam naturam dicunt Deo bono coæternam, habere originem corpora, & esse etiam ipsa immutabilia mala: non adversùs eos, qui tenentes veram & verè Christianam fidem, nunc quidem corruptibile esse corpus, & aggravare animam confitentur; sed nec tale pri-

Respondet ad alterum locum ex eodem Basilii libro petitum.

Sap. 9. 15.

[a] Plures MSS. *labem corpoream mundatione expurget.* Nonnulli, *labem corporea mundationis expurget.*
[b] Aliquot MSS. *emundationem.*
[c] In MSS. *vetitus.*
[d] Plures ac probæ notæ MSS. *sed conversionem.* Et infrà, *ægritudinem conversionis.* Ac paulò pòst, *Hanc conversionem ex accidenti venientem.*
[e] Aliquot MSS. *Fit hoc.*
[f] In MSS. *atque firmantes.*

mitus conditum atque in paradiso constitutum, nec tale semper futurum, sed incorruptione atque immortalitate mutandum, & nunc jam esse incipere templum Dei, conjugali, vel viduali, vel etiam virginali pudicitiâ decoratum: quando etsi caro concupiscit adversùs spiritum, sic tamen spiritus concupiscit adversùs carnem, ut nec ipsius corporis membra exhibeat [a] iniquitatis arma peccato. [Gal. 5. 17.] [Rom. 6. 13.]

18. Sed audi quod ad rem præsentem spectat, quid de peccato primi hominis ad nos etiam pertinente dicat iste sanctus sine ulla ambiguitate Basilius. Quod etsi reperi interpretatum, tamen propter diligentiorem veri fidem, verbum è verbo malui transferre de Græco. In sermone de Jejunio, *Iejunium*, inquit, *in paradiso lege constitutum est. Primum enim mandatum accepit Adam: A ligno sciendi bonum & malum non manducabitis. Non manducabitis autem, jejunium est, & legis constitutionis initium. Si jejunasset à ligno Eva, non isto indigeremus jejunio. Non enim opus habent valentes medico, sed malè habentes. Ægrotavimus per peccatum, sanemur per pænitentiam. Pænitentia verò sine jejunio vacua est. Maledicta terra spinas & tribulos pariet. Contristari ordinatus es, numquid deliciari?* Et paulò pòst in eodem sermone, idem ipse: *Quia non jejunavimus*, inquit, *decidimus de paradiso. Iejunemus ergo, ut ad eum redeamus.* Hæc atque hujusmodi alia sancti Basilii si legisses, vel si lecta fideliter considerare voluisses, numquam profectò de litteris ejus ad offundendas nebulas ignorantibus, ea quæ nihil ad quæstionem quæ inter nos vertitur pertinent, in his tuis libris nescio qua mente posuisses. Audis quòd isto non indigeremus jejunio, si homo jejunii legem non fuisset in paradisi felicitate transgressus; & negas peccato illorum hominum obnoxios ceteros nasci? Audis adjunctum, Non enim sani indigent medico: & negas nos sanitatem, in qua creati sumus, peccato illorum hominum perdidisse? Audis sententiam, quæ prolata est in primum hominem peccatorem, Spinas & tribulos terra pariet tibi, ad nos etiam pertinere; & negas obnoxios esse peccato, quos eidem cernis obnoxios esse sententiæ? Audis ad paradisum nos, unde decidimus, redire debere; & negas ad nos eorum peccatum, qui soli tunc homines in paradiso fuerant, in quibus & nos fuimus, pertinere?

[Basilii testimonium pro peccato originali.] [Serm. 1.] [Gen. 2. 17.] [Matth. 9. 12.] [Gen. 3. 18.]

19. Quid hinc plura? Vide jam utrùm sufficiant tibi ex Orientis partibus duo isti tam insignes viri, & tam clara præditi sanctitate, & sicut fertur etiam [b] carne germani. Sed dic non sufficere. Habemus alios orientales episcopos quatuordecim, Eulogium, Johannem, [c] Ammonianum, Porphyrium, Eutonium, Porphyrium, Fidum, [d] Zoninum, [e] Zoboennum, [f] Nymphidium, [g] Chromatium, Jovinum, Eleutherium, Clematium, quos uno loco simul inventos in istum consessum introducere valeamus, illos ipsos qui Pelagio judices præsederunt, eumque ut homi-A nes, nullo ex altera parte urgente adversario putantes catholicum, tamquam catholicum pronuntiarunt. Nisi enim in eorum conspectu audituque damnasset eos qui dicunt, *quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum; & quòd infantes nuper nati in eo statu sint, in quo Adam fuit ante peccatum; & infantes etiam si non baptizentur, habere vitam æternam*; nullo modo inde nisi damnatus exisset. Quid enim vobis prodest, quòd nescio quas ansas atque uncos, arte B nescio cujus perplexitatis inseritis, ne simplicia pateant, & clara luceant? Quis enim non videat, quomodo ista illi judices accipere potuerunt, scilicet secundùm catholicam fidem, quæ ubique parvulos exorcizando & exsufflando de potestate eruit tenebrarum; non sicut exponuntur, vel potiùs componuntur à vobis? Et tamen dicere potuistis, *Adæ peccatum non propagatione, sed imitatione læsisse genus humanum; & infantes nuper natos non in eo statu esse, in quo fuit Adam ante* C *peccatum, quòd ille præcepti capax fuerit, isti adhuc non sint.* His nebulis illud judicium se putat illusisse Pelagius, vosque ad hoc nefas toto capite annuitis, & tot ab illo episcopos irrisos esse ridetis. Sed numquid, *infantes etiam si non baptizentur, habere vitam æternam*, ulla calliditate in aliud detorquere, vel ullis foliis ficulneis operire potuistis? Eos enim qui hoc dicunt, non potuit apud catholicos judices nisi damnare Pelagius: & quod sentiebat, damnavit coram hominibus, D damnari metuens ab hominibus. Nam si hoc non sentitis, nobis utique consentitis. Sed quia nobis non consentitis, illud sine dubitatione sentitis. Ac per hoc Orientales vos judices [h] damnant, à quibus Pelagius damnari timens, eos qui sentiunt ista damnavit, cum eis quos damnavit profectò damnandus, quia id quod negavit ore, corde servavit. Nam quod verbis ejus anathematur, in litteris ejus invenitur. Sed nunc cum illo non ago: tu quid dicis, cum quo mihi nunc E res est? Ecce adsunt tot judices Orientales: leguntur gesta ecclesiastica, quæ apud eos sunt habita. Legitur objectum esse Pelagio, *quòd dicat infantes etiam non baptizatos habere vitam æternam.* Legitur Pelagius eos damnasse, qui hoc dicunt: neque enim illos judices aliter potuisset evadere. Nunc ipse quid dicis? Habebunt vitam æternam parvuli, etiam si non baptizati ex hac vita emigraverint, an non habebunt? Si dixeris, habebunt: Pelagii tui te verba damna- F bunt, & illi omnes à quibus timuit ipse damnari. Si autem dixeris, non habebunt: quæro qua caussâ innocens imago Dei [i] vitæ privatione punietur, si nullum peccatum ex humana propagatione contrahitur? Si verò contrahitur, cur Manichæi dicuntur, qui hoc sentiunt, à quibus Pelagius damnatus fuisset, nisi hoc se sentire finxisset?

[V. lib. de gestis Pelag. c. 11. 33. & 35.] [Quomodo Pelagius concilium Palæstinum eluserit.] [Confer lib. de gestis Pelagii c. 11. 33. & 35.]

20. Tu interim habes in conspectu, non solùm Occidentis, verùm etiam Orientis episcopos. Nam qui nobis deesse videbantur, plures Orientis G invenimus. Omnes uno eodemque modo credunt,

[b Episcopi Diospolitanæ synodi.]

[a] Vetus cod. Floriacensis, *iniquitas*.

[b] Basilii germanus frater Gregorius Nyssenus, non ille Nazianzenus qui suprà laudatur ab Augustino.

[c] Duo è Vatic. MSS. *Ammonium*

[d] Editio Lov. *Zosinum*. Am. & Er. *Zozinum*. Vaticani MSS. *Zonium*. Gallicani omnes, *Zoninum*. Vide infrà cap. 7 n. 32.

[e] Editi, *Zoboenum*. MSS. *Zoboennum*: exceptis tribus ex Vatic. qui habent *Zoboemium*.

[f] Duo è Vatic. MSS. *Nymphindium*.

[g] Am. & Er. *Ebromatium*.

[h] Sic MSS. Editi verò, *damnent*. Et paulò pòst, *anathematizatur*.

[i] Duo Vatic. MSS. *æterna vitâ*.

Rom. 5. 12. per unum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertransisse, in quo omnes peccaverunt: qui modus hic est, ut peccato illius unius hominis primi omnes nasci credantur obnoxii. Si hoc qui dicit, Manichæus abs te dicitur: istos adspice, [a] istis erubesce, istis parce, vel tibi potiùs, ne rector & [b] habitator illorum tibi fortè non parcat. Si autem istos Manichæos esse non dicis, nec me poteris invenire cur dicas. Neque enim me ob aliud hoc esse dicis, nisi quia de peccato primi hominis, cui omnes carnalis nativitas obligavit, nec inde quemquam nisi spiritalis nativitas solvit, quod credunt credo, quod tenent teneo, quod docent doceo, quod prædicant prædico. Istis cede, & [c] non me cædes: adquiesce istis, & quiesces à me. Postremò si mihi per eos fieri non vis amicus, saltem peto, ne per me illorum efficiaris inimicus. Sed quomodo non efficieris, si in isto errore permanseris? Quanto ergo melius, ut his accedas, ab illo [d] recedes. Tantúmne apud te possunt Pelagius & Cælestius, ut à solis ortu usque ad occasum tot ac tantos catholicæ fidei doctores & defensores, antiquos & nostræ ætati contiguos, dormientes & manentes, non solùm deserere, verùm etiam Manichæos audeas appellare? Miror si hoc aliquando ex tuo poterit ore procedere, quod te tamen clamare pravitas tui compellit erroris. Sed mirum si in facie hominis tantum intervallum est inter frontem & linguam, ut in hac caussa frons non comprimat linguam.

Caput VI. Respondet ad Chrysostomi locum à Juliano prodictum. Homilia ad Neophytos.

21. Sed quid mussites, novi. Dic jam, dic, audiamus. In extremo tui operis de quo nunc agimus, id est, in quarti libri parte novissima. *Sanctus Iohannes*, inquis, *Constantinopolitanus negat esse in parvulis originale peccatum. In ea quippe homilia, quam de baptizatis habuit: Benedictus*, inquit, *Deus, qui fecit mirabilia solus, qui fecit universa, & convertit universa. Ecce libertatis serenitate perfruuntur qui tenebantur paulò antè captivi, & cives Ecclesiæ sunt qui fuerunt in peregrinationis errore, & justitiæ in sorte versantur qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantùm sunt liberi, sed & sancti: non tantùm sancti, sed & justi: non solùm justi, sed & filii: non solùm filii, sed & heredes: non solùm heredes, sed & fratres Christi: nec tantùm fratres Christi, sed & coheredes: non solùm coheredes, sed & membra: non tantùm membra, sed & templum: non tantùm templum, sed & organa Spiritûs. Vides quot sunt baptismatis largitates: & nonnulli deputant cælestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere: nos autem honores computavimus decem. Hac de caussa etiam infantes baptizamus, cùm non sint coinquinati peccato, ut eis* [e] *addatur sanctitas, justitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint.*

22. Itane ista verba sancti Johannis episcopi audes tamquam è contrario tot taliumque sententiis collegarum ejus opponere, eumque ab illorum concordissima societate sejungere, & eis adversarium constituere? Absit, absit hoc malum de tanto viro credere aut dicere. Absit, inquam, ut Constantinopolitanus Johannes de baptismate parvulorum, eorumque [f] à paterno chirographo liberatione per Christum, tot ac tantis coëpiscopis suis, maximéque Romano Innocentio, Carthaginiensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Nazianzeno Gregorio, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio. Alia sunt, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ catholicæ defensores, salva fidei compage non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem unde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Quisquis in Christiana fide vult labefactare quod scriptum est, Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum; sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: totum quod in Christum credimus auferre molitur. Omnino & parvulorum salvator est Christus; omnino, nisi ab illo redimantur, peribunt, quoniam sine carne ejus & sanguine vitam habere non possunt. Hoc sensit, hoc credidit, hoc didicit, hoc docuit & Johannes. Sed tu ejus verba in vestrum dogma convertis. Peccata dixit parvulos non habere, sed propria. Unde illos innocentes meritò nuncupamus, secundùm id quod ait Apostolus, nondum natos nihil egisse boni sive mali: non secundùm id quod ait, Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. Poterat etiam noster Cyprianus hoc dicere de parvulis quod Johannes: quando quidem ait, *quòd infans natus nihil peccaverit, & quòd ei remittantur non propria, sed aliena peccata.* Comparans ergo eos Johannes majoribus, quorum propria peccata dimittuntur in baptismo, dixit illos *non habere peccata*; non sicut verba ejus ipse posuisti, *non coinquinatos esse peccato*, dum vis utique intelligi, non eos peccato primi hominis inquinatos. Verùm hoc non tibi tribuerim, sed interpreti: quamquam in aliis codicibus eamdem interpretationem habentibus, non *peccato*, sed *peccatis* legatur. Unde miror si non aliquis ex numero vestro singularem maluit numerum scribere, ut illud acciperetur unum, unde dicit Apostolus, Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. Ibi quippe unum, non nisi [g] delictum vult intelligi; quo nolentes credi parvulos inquinatos, non eos peccata non habere, quod ait Johannes, ne intelligerentur propria; vel peccatis, sicut habet in aliis codicibus eadem interpretatio, sed *peccato non inquinatos* dicere maluistis, ut unum primi hominis peccatum veniret in mentem. Sed suspicionibus non agamus, & hic vel scriptoris error, vel varietas putetur interpretis. Ego ipsa verba Græca quæ à Johanne dicta sunt ponam: Διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καίτοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα: quod est Latinè, *Ideo & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes.* Vides certè non ab eo dictum esse *parvulos non coinquinatos esse peccato*, sive *peccatis*; sed *non habere peccata*: intellige propria, & nulla contentio est. At inquies, Cur non ipse addidit propria? Cur putamus, nisi quia disputans

Margin notes (right column): 1. Cor. 15. 21. & 22. — Peccata nō habere parvulos quo sensu dixerit Chrysostomus. — Rom. 9. 11. — Rom. 5. 19. — Epist. 64. ad Fidum. — Rom. 5. 16.

[a] Editi, *istos erubesce*. MSS. *istis*.
[b] Nonnulli è Belgicis MSS. *& arbiter illorum.*
[c] Am. Er. ac plures MSS. *& mihi cedes.*
[d] Editi, *recedas*. MSS. *recedes*, vel *recedis*.

[e] Hîc editi addunt, *detur vel.* Abest à plerisque MSS.
[f] Sic plures MSS. At editi, *à paterni chirographi liberatione.*
[g] Hîc *unum* addebant editi. In Floriacensi codice, *non nisi delictum vultis intelligi.*

in catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione [a] nullius pulsabatur, vobis nondum litigantibus securiùs loquebatur.

23. Nam vis audire quid etiam ipse de hac re apertissimè dixerit? Ecce etiam ipsum numero illi adjungo [b] sanctorum. Ecce inter meos testes, vel inter nostros constituo judices, quem putasti patronum tuum. Ecce & ipsum dicturus es Manichæum. Ingredere sancte Johannes, ingredere, & conside cum fratribus tuis, à quibus te nulla ratio & nulla tentatio [c] separavit. Opus est & tuâ, & maximè tuâ sententiâ: quoniam in tuis litteris iste juvenis invenisse se putat, unde tot tantorumque coëpiscoporum tuorum se arbitratur percellere & evacuare sententias. Quòd si verè tale aliquid invenisset, & quod ipse sentit, te sentire claruisset; numquam te unum, pace tua dixerim, tot & talibus præferre in ea caussa possemus, de qua numquam fides Christiana & Ecclesia catholica variavit. Sed absit, ut tu aliud saperes, & in ea tam præcipuus emineres. Dic ergo & tu aliquid, unde iste juvenis confundatur & revereatur, quia quærit maculam meam; & ignosce mihi, quia cùm illi de hac re quid sentias demonstravero, quæsiturus est & tuam. Dicit enim sensum esse Manichæum, credere parvulos indigentes esse Christi liberatoris auxilio, ut à damnatione liberentur, qua ex peccato primi hominis obligati sunt. Ac per hoc cùm te hoc sentire cognoverit, aut ipse se corriget ab errore Pelagii, aut & tibi crimen objiciet Manichæi. Sed ut conferamus ei verum beneficium, falsum ejus non curemus opprobrium.

Johannis Chrysostomi pro peccato originali testimonia.

24. Audi jam Juliane quid etiam Johannes cum ceteris catholicis doctoribus dicat. Ad Olympiam scribens: *Quando enim Adam peccavit*, inquit, *illud grande peccatum, & omne genus hominum in commune damnavit, de mærore pœnas luebat.* Item de resuscitatione Lazari *Flebat Christus*, inquit, *cur usque ad hoc mortalitas deliquisset, ut excussa de perennitatibus inferos adamaret. Flebat Christus, quòd eos qui immortales esse poterant, diabolus fecit esse mortales.* (*Homil. de Lazaro resuscitato. Iohan.* 11. 35.) Quid dici posset expressius? Quid ad ista respondes? Si Adam grandi peccato suo omne genus humanum in commune damnavit, numquid nisi damnatus parvulus nascitur? Et per quem, nisi per Christum, ab ista damnatione liberatur? Si & in Lazaro dicitur excussa de perennitatibus mortalitas inferos adamasse: quis mortalium non [d] ad istam culpam casumque pertineat, quo cecidit primus homo de vitæ perennitate, quam si non peccaret acceperat? Si diabolus omnes qui immortales esse poterant, fecit esse mortales; unde etiam parvuli moriuntur, si obnoxii peccato primi illius hominis non sunt? Numquid ergo, nisi per eum in quo omnes vivificabuntur, etiam parvuli de regno mortis eruuntur?

25. Tractat idem Johannes in sermone quodam hujusmodi quæstionem, cur bestiæ vel lædant homines, vel interimant, cùm sententia Domini manifesta sit, qua eas homini subdidit, (*Gen.* 1. 28.) A ut earum habeat potestatem. Quam quæstionem sic solvit, ut dicat, ante peccatum omnes bestias homini fuisse subjectas; quòd autem nunc hominibus nocent, pœnam primi esse peccati. Prolixa tractatio est, ideo huic operi non à me inseritur: sed aliquid tamen inde oportet ut ponam. (*Homilia* 9 *in Genes.*) *Timemus*, inquit, *bestias & pavemus: non contradico. Et à principatu decidimus: & hoc dico ipse etiam. Sed non hoc ostendit legem Dei esse mendacem: ab initio enim non ita res erant dispositæ; sed timebant*, B *& tremebant, & subjiciebantur domino. Et quoniam à fiducia decidimus, profectò & ab honore. Vnde hoc manifestum est? Adduxit bestias ad Adam, videre quid eas vocaret, & non resiluit Adam tamquam timens.* Et paulò pòst: *Hoc unum*, inquit, *signum, quòd non fuerint homini ab initio terribiles bestiæ; secundum aliud isto manifestius, quæ fuit ad mulierem per serpentem disputatio. Si enim essent terribiles hominibus bestiæ, non utique mulier viso serpente mansisset; non accepisset consilium, non ei* C *cum tanta sermocinaretur fiducia, sed statim ad ipsum & expavisset & resiluisset adspectum: nunc autem & disputat, & non timet. Nondum enim erat timor iste: sed quia peccatum ingressum est, ablata sunt ea quæ honoris erant.* Itemque post paululum: *Quamdiu quidem*, inquit, *habebat ad Deum fiduciam, terribilis bestiis erat; sed quia offendit, extremos etiam conservorum suorum jam pavet. Quòd si hoc non est*, inquit; *tu mihi ostende, ante peccatum quòd terribiles erant hominibus bestiæ: sed non* D *habebis. Si autem post tanta ingressus est timor; [e] & hoc tutelæ Domini est. Si enim mandato quod datum est, moto ab homine & soluto, honor qui ei datus erat à Deo, mansisset immobilis, non facilè resurrexisset.* Nempe manifestum est, sanctum Johannem hac disputatione monstrasse, illud quod per unum hominem [f] ingressum est, commune omnibus factum esse peccatum, quando quidem omnibus terror communis est bestiarum: quæ utique nec infantibus parcunt; quos pro- E fectò, secundùm istum tractatum Johannis, nullo modo læderent, sive terrerent, nisi essent veteris illius peccati obligatione constricti.

26. Dic Juliane, dic etiam istum, (quid enim jam dubitas dicere?) Manichæum, qui tantam naturæ, cujus innocentiam defenditis, fecit injuriam, & propagationem damnationis asseruit. Immo verò cohibe te ipsum, si quid tibi est sanabilis mentis, & corrige; & aliquando intellige, quomodo potuerit dicere Johannes, parvu- F los non habere peccata; non quòd peccato primorum hominum non teneantur obstricti, sed quòd sua nulla commiserint. Et hoc quidem in eadem ipsa homilia, si totam legisses, invenire potuisti: aut si legisti, nescio quemadmodum te potuit præterire: aut si præterire non potuit, miror cur te non correxerit; si tamen aliquid apud te valet Johannis auctoritas. Aut si illo sermone perlecto, eoque loco ejus quem commemoraturus sum, cognito atque perspecto, in opinione tua manendum putasti; ut quid inde verba quæ- G libet inseruisti operi tuo? An fortè ut nos [g] totum legere commoneres, & invenire unde tuas

[a] Sic Am. & MSS. At Er. & Lov. *nullus pulsabatur.*
[b] Duo MSS. *sanctum virum.* Unus, *sanctorum virorum.*
[c] Floriacensis MS. *separabit.*
[d] Idem Floriac. cod. *non istam culpam casumque pertineat.*

[e] Sic MSS. juxta Græc. At. Er. & Lov. *tutela Domini est:* omisso, *& hoc.*
[f] Hîc in editis additur *peccatum.* Abest à MSS.
[g] Apud Lov. *nos tecum legere.*

deprehenderemus

deprehenderemus & convinceremus insidias? Quid enim apertius, quàm id quod ibi dixit, *Venit semel Christus, & paternis nos cautionibus invenit adstrictos, quas conscripsit Adam. Ille initium obligationis ostendit, peccatis nostris fœnus accrevit.* Audisne hominem in fide catholica & eruditum & erudientem, distinguentem debitum paterni chirographi, quod hereditarium nobis inhæsit, ab eis debitis, quorum per nostra peccata fœnus accrevit? Audis quid parvulis in baptismo relaxetur, qui nondum propria debita contraxerunt, nec tamen à paterno chirographo immunes esse potuerunt? Verba quippe ejus non interpretata sic leguntur in Græco: Ἔρχεται ἅπαξ ὁ Χριστὸς, εὗρεν ἡμῶν χειρόγραφον πατρῷον, ὅτι ἔγραφεν ὁ Ἀδάμ. Ἐκεῖνος τὴν ἀρχὴν εἰσήγαγε τοῦ χρέους, ἡμεῖς τὸν δανεισμὸν ηὐξήσαμεν ταῖς μεταγενεστέραις ἁμαρτίαις. Quæ verbum è verbo interpretata sic se habent: *Venit semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis.* Numquid contentus fuit dicere, *paternum chirographum*; nisi adderet, *nostrum?* Ut sciremus ante quàm fœnus peccatis nostris posterioribus augeremus, jam illius chirographi paterni ad nos debitum pertinere.

Homilia ad Neophytos, tom. 2.

27. Lege etiam quemadmodum exponat idem ipse vir sanctus eumdem ipsum Apostoli locum, ubi scriptum est, Per unum hominem peccatum intravit in mundum. Ibi enim luce clariùs in hujus fidei catholicæ veritate versatur. Quod totum quia longum est huic operi intexere, pauca inde contingam. *Manifestum*, inquit, *quoniam non ipsum peccatum, quod ex legis transgressione, sed illud peccatum quod ex Adæ inobedientia, hoc erat quod omnia contaminavit.* Et paulò pòst: *Regnavit*, inquit, *mors ab Adam usque ad Moysen, & in eos qui non peccaverunt. Quomodo regnavit? In similitudine transgressionis Adæ, qui est forma futuri. Propterea & forma est Christi Adam. Quomodo forma est, aiunt? Quoniam sicut ille ex semetipso nascentibus, quamvis non manducaverint de ligno, factus est caussa mortis, quæ per cibum inducta est: ita & Christus iis qui ex ipso sunt, tametsi nihil justè egerint, factus est provisor justitiæ, quam per crucem nobis omnibus condonavit.* Alio loco in eodem sermone: *Ut cùm tibi dixerit Judæus*, inquit, *quomodo unius virtute Christi mundus salvatus est? possis ei dicere, quemadmodum uno inobediente Adam mundus damnatus est. Quamquam non sint æqualia gratia atque peccatum, neque paria sint mors atque vita, non æqualis Deus ac diabolus.* Item post paululum: *Sed non quemadmodum delictum*, inquit, *ita & gratia. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in multos abundavit. Quod enim dicit*, inquit, *hujusmodi est: Si peccatum valuit, & peccatum unius hominis; gratia, & Dei gratia, & non solùm Patris, sed etiam Filii, quemadmodum non ampliùs prævalebit? Multo enim hoc rationabilius. Nam alium pro alio damnari, non valde videtur habere rationem: alium autem pro alio salvari, & decentius magis & rationabilius apparet. Si igitur illud factum est, multo magis hoc.* Itemque alibi in consequentibus: *Judicium*, inquit, *ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. Hoc idem est*, inquit, *quod dicitur, quoniam quidem mortem & damnationem potuit peccatum inducere, gratia autem non unum illud tantummodo interfecit peccatum, sed etiam post illud introeuntia peccata.* Et paulò pòst de hoc ipso: *Quoniam ergo*, inquit, *plura introducta sunt bona, & non solum illud interfectum est peccatum, sed etiam omnia reliqua, ostendit dicens, Gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Et post paululum ait: *Primo enim dixit, quoniam si unius peccatum interfecit omnes, multo magis & unius gratia poterit salvare. Post hæc autem ostendit*, inquit, *quoniam non illud solum interfectum est peccatum per gratiam, sed etiam omnia reliqua: & non solùm peccata interfecta sunt, sed etiam & tributa justitia est. Et non tantum solùm profuit Christus, quantum nocuit Adam, sed multo ampliùs atque magis.* Post hæc in eodem cùm de baptismo ageret, interposuit verba Apostoli dicentis: *An ignoratis*, inquit, *fratres, quoniam quicumque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti ergo sumus illi per baptismum in morte. Quid est, in morte illius baptizati sumus? Ut & ipsi moriamur sicut & ille. Crux enim est baptisma. Quod ergo crux Christo & sepulcrum, hoc nobis baptisma factum est; tametsi non in eisdem ipsis. Ipse namque carne & mortuus est & sepultus: nos autem peccato in utroque. Quapropter non dixit, complantati morti: sed, similitudini mortis. Mors namque & hoc & illud, sed non eidem ipsi subjacet: sed hæc quidem carnis Christi, nostra autem peccati. Quemadmodum ergo illa vera, & hæc.*

Rom. 5. 12. — Chrysost. homil. 10. in epist. ad Rom. — Rom. 5. 14. — Ibidem 15. — Ibid. 16. — Rom. 6. 3.

28. Numquid dubitare jam poteris, sanctum Johannem tam longè esse à sensu vestro, quàm non recedit à sensu catholico? Numquid in ejus disputatione, qua exponit Apostoli locum huic quæstioni quæ inter nos vertitur perneceſſarium, ubi scriptum est, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & cetera quæ connexa sunt, [a] alicubi redolet quod vos dicitis, propter imitationem hoc esse dictum, non propter carnalem nativitatem? Nonne illo uno peccato contaminata dicit esse omnia, & sic illud distinguit à ceteris postea commissis introductisque peccatis, quæ vos dicitis ad imitationem, non ad propaginem pertinere, ut non illa tantùm, sed & hoc & illa per gratiam Christi dicat interfici? Nonne de baptismate Apostoli verba, ubi ait, Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte illius baptizati sumus; sic exponit, ut dicat ita eum peccato mori, qui baptizatur in Christo, sicut [b] carne est mortuus Christus; quia in morte Christi baptizari nihil est aliud quàm peccato mori? Cui ergo peccato parvulus moritur, si originale non traxit? An fortè non in morte Christi parvuli baptizantur? cùm Apostolus non dixerit, Quidam, sed, Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus. An quando baptizantur baptismate Christiano, dicturi estis quòd non baptizentur in Christo; ne vos episcopus Johannes sua definitione suffocet, qui dicit hoc esse baptismum eis qui baptizantur in Christo, quod crux & sepulcrum fuit Christo, ut quemadmodum ille mortuus est carne, sic & istos intelligamus mortuos esse peccato?

Rom. 5. 12. — Rom. 6. 3.

[a] Sic MSS. At editi, *alicui redolet.*

[b] MSS. Duo Gallic. & totidem Vat c. *carni est mortuus.*

Ecce cui viro, quàm magno Christianæ fidei atque hujus catholici dogmatis defensori, voluisti vestrum dogma supponere, quasi dixerit, *parvulos primi hominis non inquinatos esse peccato*; cùm dixerit, *eos non habere peccata*: quæ non eum intelligi nisi propria voluisse, ejus tam multa testimonia tamque manifesta declarant.

CAPUT VII.

29. Quid te igitur adjuvit, quòd Johannis Constantinopolitani, tamquam tibi suffragaretur, testimonium posuisti? An ut unum verbum quasi ab eo prætermissum, velut acuta calliditate captares, & tot verborum ejus quibus obruereris, tam ingentem tibi aggerem commoveres? in tantum improvidus & incautus, ut nec in ipsa homilia, ubi vix unum de quo malè intellecto decepti deciperetis, testimonium reperire potuisti, adverteres sanctum Johannem Constantinopolitanum satis evidenter expressisse, omnes homines exceptis debitis propriis paterni esse chirographi debitores. Et tamen postea quàm verba ejus interposuisti, quibus intentionem tuam putasti aliquid adjuvari, sequeris & dicis, *Cùm igitur liquidò clareat hanc sanam & veram esse sententiam, quam primo loco ratio, deinde Scripturarum munivit auctoritas, & quam sanctorum virorum semper celebravit eruditio, qui tamen veritati auctoritatem non suo tribuère consensu, sed testimonium & gloriam de ejus suscepere consortio, nullum prudentum conturbet conspiratio perditorum.* Hæc verba tua quò proficiunt, nisi ut appareat, vel quomodo de hac caussa scire neglexeris catholicorum sententias sermonesque doctorum; vel si eos nosse curasti, qua fraude coneris circumvenire nescientes? Nam de ratione & de sanctarum scripturarum auctoritate ut nunc interim taceam; hanccine sententiam, qua negatis peccato primi hominis obnoxios parvulos nasci, sanctorum virorum semper celebravit eruditio? Non hoc istis tot tantorumque sanctorum & eruditorum, quæ commemoravi, testimoniis indicatur: immo è contrario puto, quòd jam videas, quantum te opinio ista fefellerit; si tamen non dolo agis atque id antè jam noveras. Sed ut meliùs de te credam; si nunc primùm ista cognoscis, si de peccato primi hominis, quòd eo sint obligati, qui carnaliter generantur infantes, nec eo nisi spiritali regeneratione solvuntur, nunc primùm perspicis hoc didicisse & docuisse tot sanctos, quod & nos didicimus & docemus: muta jam istam mentem, obliviscere hujus erroris, & propemodum furoris, quo in tot ac tales patres Manichæum jacularis opprobrium. Si nesciens hoc fecisti, cur non miseram respuis imperitiam? Si sciens, cur non sacrilegam deponis audaciam?

30. Convinceris undique: luce clariora sunt testimonia tanta sanctorum. In quorum conventum te introduxerim conspice. Hìc est Mediolanensis Ambrosius, quem magister tuus Pelagius tanta prædicatione laudavit, ut diceret, *in libris ejus præcipuè fidem lucere Romanam, qui scriptorum inter Latinos flos quidam speciosus enituit, ita ut ejus fidem & purissimum in Scripturis sensum reprehendere nec inimicus auderet.* Hìc est & Constantinopolitanus Johannes, quem tu in numero eruditorum ac sanctorum excellentissimum in hac

Pelagii de Ambrosio elogium. V. lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, c. ult.

A ipsa tua, cui respondeo, disputatione posuisti. Hìc est Basilius, cujus te verbis ad id quod nunc agitur non pertinentibus, putasti aliquid adjuvari. Hìc sunt & ceteri, quorum te movere debeat tanta consensio. Non est ista, sicut stilo maledico scribis, *conspiratio perditorum*. In Ecclesia catholica doctrinæ sanæ studiis claruerunt; spiritalibus armis muniti & accincti strenua contra hæreticos bella gesserunt; [a] perfuncti fideliter suæ dispensationis laboribus in pacis gremio dor- B mierunt. *Unum dicis egressum*, me ipsum significans, *qui in se summam prælii sitam optat intelligi*. Ecce non ego unus, sed tot ac tanti sancti eruditique doctores, tibi pro me vel mecum, proque omnium nostrûm & tua ipsius, si sapis, salute respondent.

Infrà lib. 2. cap. 1.

31. Non tibi, sicut calumniaris, *solum populi murmur opponimus*: quamquam & ipse populus adversùs vos propterea murmuret, quia non est talis quæstio, quæ possit etiam cognitionem fuge- C re popularem. Divites & pauperes, excelsi atque infimi, docti & indocti, mares & feminæ noverunt, quid cuique ætati in baptismate remittatur. Unde etiam matres quotidie toto orbe terrarum non ad Christum tantùm, id est, ad unctum; sed ad Christum Jesum, id est, etiam Salvatorem cum parvulis currunt. Sed ecce, quò te introduxi, conventus sanctorum istorum non est multitudo popularis: non solùm filii, sed & patres Ecclesiæ sunt. Ex illo numero sunt, de quibus D prædictum est, Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. Ex qua filii [b] generati sunt, ut hæc discerent; ejus patres facti sunt, ut docerent.

Psal. 44. 17.

32. Quid est quod vos gaudere jactas, quòd ista veritas, quam tu errorem putas, vel putari cupis, *de tanta multitudine assertorem non potest invenire?* Quasi parva sit ejus assertio, quòd in hoc fidei firmissimo & antiquissimo fundamento ipsa toto orbe diffusa non à se discrepat multitu- E do. Si autem assertores eos flagitas, quorum aliquid etiam litterarum inveniri potest, illustrisque doctrina est: en adest assertorum ejus memorabilis & venerabilis consessus atque consensus. Sanctus Irenæus dicit, antiquam serpentis plagam fide Christi & cruce sanari, & quòd protoplasti peccato fuimus tamquam vinculis alligati. Sanctus Cyprianus dicit, perire parvulum, nisi fuerit baptizatus, quamvis ei non propria dimittantur, sed aliena peccata. Sanctus Reti- F cius dicit, veteris hominis, quo per lavacrum regenerationis exuimur, non tantùm vetera, sed ingenita esse peccata. Sanctus Olympius dicit, vitium de protoplasto in germine sparsum, ut peccatum cum homine nasceretur. Sanctus Hilarius dicit, ex peccato esse omnem carnem, præter illius, qui venit in similitudine carnis peccati sine peccato. Dicit, sub peccati origine & sub peccati lege natum esse, cujus vox est, Ego in iniquitatibus conceptus sum. Sanctus Ambrosius dicit, eos G qui baptizati fuerint parvulos in primordia naturæ suæ à malitia reformari. Dicit, solum ex natis de femina sanctum Dominum Jesum, nulla terrenæ contagia corruptelæ immaculati partûs novitate sensisse. Dicit, quòd in Adam omnes morimur, quia per unum hominem pec-

Summatim colligit superiorum Patrum de originali peccato sententias, jam allatas cap. 3. & seq.

[a] Am. Er. & MSS. *perfunctis*.

[b] Sic in omnibus MSS. At in editis, *regenerati*.

catum intravit in mundum, & illius culpa mors omnium est. Dicit, quòd in ejus vulnere omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus ille descendens vulnera ejus acerba curasset. Dicit, fuisse Adam, & in illo fuisse omnes; perisse Adam, & in illo perisse omnes. Dicit, nos contagio maculari ante quàm nascimur, nec humanum conceptum esse iniquitatis exsortem, quia concipimur, inquit, in peccato parentum, & in delictis eorum nascimur: sed & ipse partus habet contagia sua, nec unum tantummodo habet ipsa natura contagium. Dicit, diabolum fœneratorem, à quo Eva maculata obnoxiæ successionis usuris omne genus defœneravit humanum. Dicit, à diabolo Evam deceptam, ut supplantaret virum, obligaret hereditatem. Dicit, Adam ita morsu vitiatum esse serpentis, ut omnes illo vulnere claudicemus. Dicit, per corporum viri & feminæ commixtionem neminem expertem esse delicti; qui autem expers delicti est, id est Dominus Christus, etiam hujusmodi esse conceptionis expertem. (Suprà cap. 4.) Dicit tibi sanctus Innocentius, lavacro regenerationis præteritum vitium omne purgari, quod per illum accidit, qui libero arbitrio cadens, in profunda demersus est. Dicit, nisi manducaverint carnem Domini, & sanguinem biberint, vitam parvulos habere non posse. (Suprà cap. 5.) Sanctus Gregorius dicit, melius fuisse non excidere à ligno vitæ gustu amarissimo peccati, sed emendari nos debere post lapsum. Dicit, nos ex bonis ad tristia devolutos, & vult à tristibus ad meliora reparari; ut quos gustus ligni vetiti condemnavit, Christi crux gratiâ largiore justificet. Dicit, venerandam esse nativitatem, per quam terrenæ nativitatis vinculis liberamur. Dicit, regeneratione ex aqua & spiritu purgari maculas primæ nativitatis, per quas in iniquitatibus concipimur. Dicit tibi sanctus Basilius, nos ægritudinem contraxisse peccati, quoniam Eva noluit à ligno prohibito jejunare. Dicit postremò, nos de paradiso decidisse, quia non jejunavimus, atque ut illò redeamus, præcipit jejunemus. Dicunt tibi ore uno tot sancti episcopi, (Palæstinæ synodi præsules.) Eulogius, Johannes, Ammonianus, Porphyrius, Eutonius, Porphyrius [a] alius, Fidus, Zoninus, Zoboennus, Nymphidius, Chromatius, Jovinus, Eleutherius, Clematius: Nos Pelagium non absolvimus, nisi quia damnavit eos, qui dicunt parvulos etiam si non baptizentur habere vitam æternam. Jam tu responde, utrùm Deus justus nulli obnoxiam peccato imaginem suam privare vitâ possit æternâ?

33. Postremò sanctus episcopus Johannes dicit, quem tu honorabiliter commemorasti, quem tu sicut sanctum eruditumque laudasti, quem tu testimonium & gloriam de consortio veritatis suscepisse dixisti: (Suprà cap. 6.) etiam ipse dicit, Adam sic peccasse illud grande peccatum, ut omne genus humanum in commune damnaret. Dicit, in Lazari morte ideo flevisse Christum, quia de perennitatibus excussa mortalitas inferos adamavit; & quia eos qui immortales esse poterant, diabolus fecit esse mortales. Dicit, ante peccatum hominis omni modo bestias homini fuisse subjectas, postea quàm verò peccatum illud intravit, cœpisse à nobis bestias formidari: usque adeo peccatum illud primi hominis intelligi voluit ad omnes homines pertinere; ubi quis non videat esse consequens, ut nulla bestiarum parvulos læderet, nisi & ipsos illius peccati vinculo nativitas carnalis obstringeret? Dicit in eodem sermone, ex quo tu [b] incautis obrepere voluisti, quòd nos Christus invenerit & paterno chirographo nostro quod scripsit Adam, & posterioribus propriis debitis obligatos. Exponit Apostoli locum in quo tota ista caussa consistit, ubi scriptum est, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, (Rom. 5. 12.) & cetera huic sententiæ cohærentia. Nec in tam prolixa sua disputatione quod dicitis dicit, non propagatione generis hoc peccatum in omnes homines, sed imitatione transisse: immo è contrario quàm se res aliter habeat à coëpiscoporum suorum sententiis non dissentiendo demonstrat. Dicit enim, omnia peccato primi hominis esse contaminata: & ne hoc non generatione carnali, sed imitatione [c] morali factum putetur; dicit, Adam propterea dictum formam futuri, quia sicut ille ex semetipso nascentibus, quamvis non manducaverint de ligno, factus est caussa mortis, quæ per cibum inducta est; ita & Christus iis qui ex ipso sunt, tametsi nihil justè egerint, factus est provisor justitiæ, quam per crucem omnibus condonavit. Dicit, Judæum negantem virtute unius Christi mundum posse salvari, de ipsius primi hominis peccato refutandum, quo uno inobediente damnatus est mundus. Dicit, non valde videri habere rationem, ut alius pro alio damnetur, & tamen factum esse per Adam: unde magis persuadet esse credendum, quod decentius & rationabilius apparet, salvari alium pro alio; quod impletur in Christo. Quis autem non videat, si peccatum primi hominis non propagatione, sed imitatione per omnes homines pertransiit, neminem pro alio, sed suo damnari unumquemque peccato, quod non alius in eum generando transmisit, sed ipse imitando sua voluntate commisit? Dicit, per gratiam non illud unum tantummodo primi hominis, sed etiam post illud introeuntia interfecta esse peccata. Ubi satis utique distinguit peccata posteriora, quæ dici possunt imitatione commissa, ab illo uno quod propagatione pertransiit: & ostendit utraque interfecta esse per gratiam, ut secundùm Apostoli intentionem plus appareat profuisse regeneratio, quàm nocuerat generatio. Sic enim exponit quod dictum est, Et non sicut delictum, ita est & donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in justificationem. (Rom. 5. 16.) Quâ sententiâ, imitatio illa vestra, quod est novitium Pelagiani erroris machinamentum, Paulo apostolo scribente, & Johanne episcopo exponente subvertitur. Dicit etiam de ipso baptismo, exponens quod ait Apostolus, Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus, (Rom. 6. 3.) nihil esse aliud in morte Christi baptizari, quàm peccato mori, sicut ille mortuus est carne. Unde necesse est, ut parvuli aut in Christo [d] non baptizentur, aut si baptizantur, in morte ejus baptizentur; ac sic

[a] In excusis deerat, *Porphyrius alius*. Restituitur ex MSS. Pro Zonino, hic unus è quinque Vaticanis habet *Zorinum*: alii quatuor, *Zozinum*.

[b] Sic Floriacensis MS. Editi, *in cautius*.

[c] Editi, *mortali*. Aptiùs, nisi fallimur, codex Floriac. *morali*.

[d] Hîc particulam negantem restituimus ex MSS.

peccato ipsi quoque moriantur, & quia non habent proprium, ab alieni illius, id est, originalis, quod omnium commune factum est, contaminatione mundentur.

34. His tot ac tantis molibus virorum sanctorum doctorumque vallatus, adhuc *caussam nostram* putabis *nullum assertorem de tanta multitudine invenire potuisse?* An tantam consensionem sacerdotum catholicorum, *conspirationem* dicturus es *perditorum?* Nec sanctum Hieronymum, quia presbyter fuit, contemnendum arbitreris, qui Græco & Latino, insuper & Hebræo, eruditus eloquio, ex Occidentali ad Orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis atque in litteris sacris, usque ad decrepitam vixit ætatem: [a] omnesque vel penè omnes qui ante illum aliquid ex utraque parte orbis de doctrina Ecclesiastica scripserant legit, nec aliam de hac re tenuit promsitque sententiam. Qui cùm exponeret Jonam prophetam, apertissimè dixit, quòd *etiam parvuli peccato offendentis Adam tenerentur obnoxii.* Itane tuum sic amabis errorem, in quem juvenili confidentiâ & humano lapsu incautiùs decidisti, ut ab istis catholicæ unitatis & veritatis sacerdotibus, ex diversis orbis terrarum partibus tanta inter se fidei concordiâ congruentibus, in tam magna caussa, ubi Christianæ religionis summa consistit, non solùm dissentire, sed eos audeas Manichæos insuper nuncupare? Quod si non facis, nec mihi hoc justè facis, quem cernis in eadem caussa disputationibus meis, quibus adversùs me ferociter irritaris, illorum secutum fuisse vestigia. Si autem me solum tali aspergis opprobrio, non ob aliud, nisi quia de peccato primi hominis quod sentiunt sentio, quod tenent teneo, quod prædicant prædico; quis te non videat in me apertum jactare convicium, de illis occultum quidem, sed tamen simile habere judicium? Et tamen consideratis, ut alia taceam, vel Johannis episcopi verbis de nostro paterno chirographo quod scripsit Adam, quæ verba in eo sermone, unde quod voluisti protulisti, invenisse te credo; vel episcopi Ambrosii, quòd de commixtione maris & feminæ nullus potest expers esse peccati, quæ in meo libro legisti, sed in tuis adtingere timuisti; etsi coram hominibus sit dura frons tua, erubescit coram Deo mens tua.

Hieronymi laus & ejus testimoniū pro peccato originali.

In 3. c. Jonæ ad illud. Vestiti sūt saccis.

35. Ego quidem pro dilectione quæ mihi est erga te, quam Deo propitio quibuslibet conviciis absit ut de medullis mei cordis exstirpes, mallem, fili Juliane, ut juventute meliore atque fortiore te vinceres, & animositatem, (quid aliud quàm humanam?) qua cupis tuam, qualiscumque sit, quoniam tua jam facta est, prævalere sententiam, potentiore pietate superares: & sicut Polemo luxuriæ coronis sensim capite detractis eisque abjectis, manum pallio subdidit, os & vultum formavit ad verecundiam, ad extremum totum se illi, ad quem deridendum venerat, discipulum tradidit; sic & tu loquentibus tibi tot venerabilibus viris, maximéque episcopo Ambrosio in integritate catholicæ fidei etiam tui mali doctoris & deceptoris ore laudato, & episcopis Basilio & Johanne, quos tu quoque in sanctis [b] eruditis veridica adtestatione posuisti, tamquam coronas ebriosorum abjiceres laudes Pelagianorum, quibus tamquam magnus eorum defensor extolleris; & stilum, ut mitiùs dixerim, contumeliosum, non tamquam pallio pudoris absconderes, sed tamquam manu emendatiore confringeres; tuumque pectus veritate complendum, non Platonico Xenocrati, sed istis sacerdotibus Christianis, vel potiùs in eis ipsi Domino Christo, non velut qui nunc primùm veneris, traderes, sed velut qui recesseras, redderes. Quòd si tibi consilium meum displicet, age ut placet. Ego enim & si correctus fueris, quæ majora vota mea sunt, abundantiùs cumulatiúsque gaudebo: & si, quod abominor, in hac pravitate perманseris, ex opprobriis tuis fructuosum habebo, & pro me cælestis mercedis augmentum, & de te misericordis doloris aculeum.

Polemo Xenocratis oratione ad frugem honestatémque conversus V. Valer. Max lib. 6. c. 9.

36. SED quoniam jam ostendi, quot & quales & quantos viros fidei catholicæ defensores atque doctores falsos facias Manichæos: audi jam parumper, inerudita temeritate quantum veros adjuves Manichæos. Hoc enim me secundo loco disputationis meæ demonstraturum esse promisi. Manichæi, quod etiam te satis nosse indicasti, duas naturas, unam boni, alteram mali, ex diversis atque inter se adversis coæternisque principiis, vanitate sacrilega nefandi erroris inducunt. Contra quos catholica fides, Dei tantummodo sine initio naturam prædicat, summi scilicet atque incommutabilis boni, hoc est, illius ineffabilis Trinitatis: à quo summo, ut dictum est, atque incommutabili bono universam conditam dicit esse creaturam, naturasque omnes bonas, quamvis impares Creatori, quia ex nihilo creatas, ideoque mutabiles: ita ut omnino nulla natura sit, quæ non aut ipse sit, aut ab ipso facta sit; ut quantacumque aut qualiscumque natura sit, in quantum natura est, bonum sit.

Caput VIII. Apud Am. & Er. Cap. III. Exsequitur secundam operis hujus partem, qua ostendit quantum Julianus negato peccato originali adjuvet caussam Manichæorum.

37. Quærunt itaque à nobis, unde sit malum. Respondemus, ex bono, sed non summo & incommutabili bono. Ex bonis igitur inferioribus atque mutabilibus orta sunt mala. Quæ mala licèt intelligamus non esse naturas, sed vitia naturarum: tamen simul intelligimus ea, nisi ex aliquibus & in aliquibus naturis esse non posse; nec aliquid esse malum, nisi à bonitate defectum. Sed cujus defectum, nisi alicujus sine dubitatione naturæ? Quia & ipsa voluntas mala, non nisi alicujus voluntas est profectò naturæ. Et angelus quippe & homo naturæ sunt. Non enim potest esse nullius voluntas, quando est voluntas. Et tantum valent eædem voluntates, ut earum naturarum, quarum sunt, faciant qualitates. Nam si quæratur, qualis sit angelus vel homo malæ voluntatis: rectissimè respondetur, malus; magis accipiens qualitatis nomen ex voluntate mala, quàm ex natura bona. Quoniam natura est ipsa substantia & bonitatis & malitiæ capax: bonitatis capax est, participatione boni à quo facta est: malitiam verò capit non participatione mali, sed privatione boni, id est, non [c] cùm miscetur naturæ quæ

Malum unde ortū.

Malum nihil aliud quàm à bonitate defectus.

[a] Ibi Lovanienses Belgicis ex MSS. addiderant: *cujus nobis eloquium ab Oriente usque in Occidentem ad instar lampadis resplenduit.* Tum sequebatur: *Hic omnes vel penè omnes* &c. Sed absunt verba illa non modò ab antiquioribus editis, sed etiam à Gallicanis & Vaticanis MSS.

[b] Floriacensis MS. *in sanctis litteris eruditis.*

[c] Editi, *non commiscetur natura qua aliquid malum est:* paulòque pòst, *sed quia deficit à natura* &c. Emendantur à MSS.

aliquod malum eſt, quia nulla natura in quantum natura eſt, malum eſt; ſed cùm deficit à natura quæ ſummum atque incommutabile eſt bonum; propterea quia non de illa, ſed de nihilo facta eſt. Alioquin nec malam voluntatem habere poſſet, niſi mutabilis eſſet. Mutabilis porrò natura non eſſet, ſi de Deo eſſet, & non ab illo de nihilo facta eſſet. Quapropter bonorum auctor eſt Deus, dum auctor eſt naturarum: quarum ſpontaneus defectus à bono, non indicat à quo factæ ſunt, ſed unde factæ ſunt. Et hoc non eſt aliquid, quoniam penitus nihil eſt; & ideo non poteſt auctorem habere quod nihil eſt.

Creaturæ omnes mutabiles non quia à Deo, ſed quia de nihilo factæ.

38. Quapropter ſicut adverſatur catholicæ fidei Manichæus, hoc eſt, fidei [a] veritatis veræque pietatis, qui bonum & malum ſic inter ſe dicit eſſe contraria, ut non naturam cùm deficit à bono, dicat fieri [b] malam, ipſumque defectum ejus eſſe malum ejus, ſed potiùs ipſum malum dicat eſſe naturam, & quod eſt inſanius, ſine initio ſempiternam; eamque [c] appellat corpus & ſpiritum; corpus videlicet unde ſpiritus operetur, ſpiritum verò qui operetur ex corpore: ita hunc adverſarium fidei dici non poteſt quantum adjuvet, qui mala ex bonis oriri negat, & in eumdem ſenſum accipit quod ait Dominus, Arbor bona fructus malos non facit: cùm ille magiſter Deus, non utique naturam conſtituat arborem, ex qua fructus de [d] quo loquebatur, exſiſtat; ſed voluntatem ſeu bonam ſeu malam, fructus autem opera, quæ nec bona voluntatis malæ, nec mala poſſunt eſſe voluntatis bonæ. Hoc eſt enim quod ait, Arbor mala fructus bonos non facit, & arbor bona fructus malos non facit: tamquam diceret, Nec opera bona voluntas mala, nec mala opera facit voluntas bona. Nam ipſarum arborum, id eſt, ipſarum voluntatum ſi quærantur origines; quæ occurrunt, niſi naturæ, quas bonas Deus condidit? Ac per hoc ex bonis orta ſunt mala, non ex bonis voluntatibus opera mala, ſed ex bonis naturis voluntates malæ. Quid ergo ſic optat audire Manichæus, ſicut ex bonis mala eſſe non poſſe, ut quoniam negari non poteſt eſſe mala, nihil reſtet niſi ut ex malo ſint, ſi ex bonis naturis eſſe non poſſunt; ac ſic ſine initio habeant originem ſuam mala naturam mali, quæ ſine initio ſemper fuerit, & ſint duæ naturæ, una boni, altera mali? Neceſſe eſt enim ut aut nulla ſint mala, aut ex bonis naturis ſint, aut ex malis. Si diximus nulla eſſe mala, fruſtra dicimus Deo, Libera nos à malo. Si autem dixerimus non oriri mala niſi ex malis, Manichæa peſtilentia triumphabit, totumque vaſtabit, & ipſius Dei tamquam mutabilem naturam malæ naturæ commixtione violabit. Relinquitur ergo, ut mala ex bonis eſſe fateamur: quia ſi hoc negaverimus, ex malis erunt, & Manichæis utique ſuffragabimur.

Matth. 7. 18. Arbor bona vel mala, voluntas eſt.

Matth. 6. 13.

39. Tu itaque ubi dicis, *Cùm ſecundùm ſententiam Evangelii, ex fructibus ſuis arbor debeat agnoſci, hic audiendus putetur, qui dicit bonum eſſe conjugium, de quo nihil aliud quàm malum prodire definit*: vis utique arborem bonam conjugium deputari, de qua velut fructum malum naſci non vis hominem contagio peccati originalis obſtrictum: nec vides neceſſe tibi eſſe adulterium conſtituere arborem malam, ſi conjugium eſt arbor bona. Ac per hoc ſi de conjugio qui naſcitur, conjugii fructus eſt, & ideo debet eſſe ſine vitio, ne fructus malus naſcatur ex arbore bona: ſequitur ut qui de adulterio naſcitur, non debeat naſci ſine vitio, ne fructus bonus naſcatur ex arbore mala: quoniam Dominus nec à bona arbore fieri fructus malos, nec à mala bonos, divina auctoritate definit. Ut ergo hinc exeas, quia nec de adulterio dicis hominem naſci poſſe cum vitio, negabis adulterium eſſe arborem malam, ne ille qui ſecundùm te ſine vitio de adulterio naſcitur, contra definitionem Domini bonus fructus naſci de mala arbore videatur. Nega ergo etiam conjugium eſſe arborem bonam, & erraſſe te ut hoc diceres confitere. Sed dicturus es, non de adulterio naſci hominem, qui per adulterinum concubitum gignitur. Unde igitur? *De natura*, inquis, *humana, quæ in adulteris quoque Dei opus eſt, non ipſorum.* Cur ergo eodem modo non intelligis, nec de conjugio naſci hominem, qui per concubitum gignitur conjugalem; ſed de natura ſimiliter humana, quæ in conjugibus quoque Dei opus eſt, non ipſorum: atque ita bonitati non tribui nuptiarum, quod malum naſcentes trahunt de vitio naturæ; ſicut non tribuitur iniquitati adulteriorum, quod bonum naſcentes trahunt de inſtitutione naturæ? Tu autem intelligis arborem bonam, non quam Chriſtus intelligi voluit, id eſt, hominis voluntatem bonam, ſed ipſum opus Dei, id eſt, hominum vel nuptias, vel naturam. Et quia bona ſunt hæc opera Dei, malum inde non poſſe dicis exſiſtere, quia malum fructum bona arbor non poteſt facere. Ac ſic adversùs te ratiocinationem ſuam concludit pro ſuo dogmate Manichæus, quem verbis iſtis tuis ſic adjuvas, ut nihil magis optet audire, quàm mala ex bonis eſſe non poſſe. Hoc enim accepto, infert & dicit tibi, Si malum eſſe non poteſt ex bono, unde erit, niſi ex malo? Neque enim mala per ſe ipſa repentè auctore nullo exſiſtere potuerunt. Tu autem dicis malum ex bono eſſe non poſſe, ne contra Evangelii ſententiam arbor bona faciat fructus malos. Remanet, inquit, ut mali natura fuerit ſempiterna, quæ potuerit mala generare; quia ex bonis ea non poſſe fateris exſiſtere.

Vide lib. 2. de nupt. & concupiſc. cap. 26.

Occupatio V. lib. 2 de nupt. & concup. c. 25.

Matth. 7. 18.

40. Placetne tibi jam mutare ſententiam, quam non Manichæis favendo, ſed quid loquaris neſciendo, ad adjuvandam Manichæorum peſtilentiam protuliſti? Quomodo enim diceret Chriſtus, Aut facite arborem bonam & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam & fructum ejus malum, (quando quidem hoc dicebat hominibus, quos ipſe creaverat,) ſi ex ejus opere bono, quod eſt homo, malum non poſſet exſiſtere, ſicut tu ſapis, arborem bonam conſtituens bonum opus Dei, id eſt, nuptias hominum, vel naturam; & ideo dicens, malum inde naſci non poſſe, quia ſi ex bono malum naſci dixerimus, reſiſtemus, ut putas, ei qui dixit, Arbor bona fructus malos non facit: cùm ſcias ex angeli & hominis naturis bonis, quas nulli parentes mali genuerant, ſed Deus ſummè bonus de nullis parentibus fecerat, non fructus malos, ſed ipſas malas arbores exſtitiſſe, ex quibus fructus naſce-

Matth. 12. 33.

Matth. 7. 18.

[a] Quidam MSS. *fidei veritati, veræque pietati.*
[b] Plures MSS. *fieri malum.*
[c] Floriacenſis codex, *appellet.*
[d] Editi, *de qua*. Caſtigantur ad MSS.

rentur mali? Dominus autem Jesus & Manichæos A vincit, quia unus homo, hoc est, una natura potest utramque arborem facere; & te vincit, quia ex natura bona potest mala arbor exsistere. Ex quo falsum esse monstratur, quod in Manichæorum suffragium dicis, *mala ex bonis esse non posse*; ut nisi ex natura mali, quam nefarius illorum error inducit, non putentur mala esse potuisse.

41. Neque enim uno tantùm loco, ubi ex Evangelio arborem bonam commemorandam putasti, sed aliis etiam locis disputationis tuæ, ista B perversitate suffragatus es Manichæis: sicuti est illud, ubi rursus dixisti, *Trahi peccatum per naturam non potest, quia per opus Dei opus diaboli transire non sinitur.* Ad quod tibi ego respondeo, Quomodo in opere Dei opus diaboli manere sinitur, si per opus Dei transire non sinitur? Quis enim [a] dubitet pejus esse ut illic maneat, quam ut illinc transeat? Quæris fortasse, quomodo opus diaboli maneat in opere Dei. Noli alibi quærere, ipsum diabolum recole. Opus Dei est, natura uti- C que angelica: invidia verò opus est ipsius diaboli, quod opus & processit ex illo, & manet in illo. Vanum est igitur quod dixisti, *Opus diaboli per opus Dei non transire*, ubi perspicis & manere. Manichæus autem quantas tibi gratias agat, itane nondum respicis? nondum expergisceris? Laborat enim Manichæus, ut ostendat, ex bono Dei opere malum oriri non posse, ut, quod ipse vult, malum nisi ex malo esse non posse credatur. Hîc tu mirabilis ejus adjutor, *Per opus*, inquis, *Dei* D *malum transire non sinitur*: ut ille tota facilitate concludat, multo minùs inde oriri posse, per quod nec transire permittitur.

Caput IX.

42. Audi tale aliud, immo gravius, ubi Manichæis idemtidem suffragaris. *Evanuit*, inquis, *originale peccatum, quia non potest mali radix in eo quod donum Dei vocas locari.* Quod ego vide quàm manifesta veritate convincam. Nonne sensus hominis donum Dei est? Et tamen ibi locavit inimi- E cus ille seminator radicem mali, quando pecca-

Gen. 3. 6. tum homini serpentina fraude persuasit. Nisi enim radicem mali humanus tunc reciperet sensus, nullo modo malè suadenti accommodaretur assensus. Quid dicam de radice omnium malorum avaritia? Et ubi est hæc, nisi in hominis anima? Et quid est hominis anima, nisi donum Dei? Quomodo ergo tu dicis, nisi non considerando quid dicas, *radicem mali locari non posse in dono Dei?* Sed Manichæus, cui per istas inconsideratas sententias tuas plurimùm suffragaris, quid tibi dicat F adtende. Si esse rationalem creaturam, Dei donum est, & dicis locari non posse radicem mali in dono Dei; quanto probabiliùs dicitur, oriri non posse radicem mali ex dono Dei? Ac sic te suffragatore introducit Manichæus radicem mali ex illa quam non à Deo creatam, sed Deo coæternam fingit naturam mali. Quoniam si dixeris, ex libero arbitrio naturæ bonæ à Deo creatæ ortam mali radicem, (quod catholica veritas dicit:) illis verbis tuis te facillimè superat, ubi ais, G *radicem mali locari non posse in dono Dei*: quia & liberum arbitrium procul dubio est donum Dei. Ac per hoc cùm *mali radicem in dono Dei locari non posse* dixisti, Manichæo quod contra te diceret, tu dedisti. Quia si non potest in bono locari malum, quod tu dicis mihi; multo minùs potest oriri ex bono malum, quod ille dicit tibi. Ac sic concludet, non esse malum nisi ex malo: ubi victor videbitur sibi, & erit profectò, nisi & illi resistatur & tibi. Veritas ergo fidei catholicæ in his verbis vestris ideo vincit Manichæum, quia vincit & te ipsum. Nam si te non vinceret dicentem, *non posse in dono Dei locari radicem mali*: multo minùs Manichæum posset vincere dicentem, non posse ex dono Dei oriri radicem mali. Sed ut vincat ambos, nec aliunde oriri, nec alicubi esse posse dicit radicem mali, nisi ex natura & in natura rationali; cui esse naturam rationalem non est nisi donum Dei: sed quoniam à summo atque incommutabili bono de nihilo facta est, ut esset, quamvis mutabile, tamen bonum; deficere * à bono à quo facta est, hoc est ex illa, vel in illa radix mali: quia nihil est aliud malum, nisi privatio boni. * f. deficere posse.

43. Jam porrò ubi dicis, *Rerum ratio non sinit, ut de bono malum & de justo iniquum aliquid proferatur*; prorsus Manichæorum verba dicis. Hoc enim asserunt, non posse malum proferri nisi de malo; & ibi tota eorum nefanda secta consistit, quia priùs contendunt malum proferri non posse de bono. Quod si eis te auctore concesserimus, nihil nobis penitus remanebit, unde illorum nefaria dogmata redarguere valeamus. Hoc est autem, iniquum de justo; quod est, malum de bono. Catholica igitur fides, ut & tibi & illis resistat, hoc dicit, non prolatum esse malum nisi de bono, & iniquum nisi de justo. Quia priùs angelus & homo, de quibus ista prolata sunt, boni erant utique & justi. Non igitur resistimus Manichæis, nisi [b] & à te obtineamus, non esse mala orta nisi ex bonis: nec ea mala substantias esse, sed substantiarum vitia creatarum, quibus deficiunt à bono quoniam mutabiles sunt, eo quòd ex nihilo factæ sunt. Hæc est doctrinæ catholicæ sanitas, qua Manichææ pestilentiæ virus expellitur.

Diabolus bonus & justus creatus fuit.

44. Unde ille doctor meus, tui etiam mali doctoris ore laudatus Ambrosius, in eo libro quem de Isaac & anima scripsit: *Quid ergo est*, inquit, *malitia, nisi boni indigentia?* Et iterum ait, *Ex bonis igitur mala orta sunt. Non enim sunt mala, nisi quæ privantur bonis: per mala tamen factum est, ut bona eminerent. Ergo indigentia boni, radix malitiæ est.* Vides quàm vera catholicæ fidei ratione redarguat beatus Ambrosius Manichæos? Vides quemadmodum eos, quamvis in eadem disputatione non nominaverit, tamen ista sententiarum veritate ac brevitate convicerit? Ecce cui homini Dei propter originale peccatum, quod catholicus catholicè asseruit, objicis nomine Manichæorum instinctu maledici furoris opprobrium, qui contra suffragium, quod eis tu præstas, tam invictum ad eos debellandos catholicis disputatoribus præbet auxilium. Ille quippe adversùs Manichæos clamat, *Ex bonis mala orta sunt*: & adversùs eum pro Manichæis tu reclamas, *Necesse est malum esse, ex quo & per quod malus fructus apparuit*: &, *Per opus Dei opus diaboli transire non sinitur*: &, *In dono Dei radix mali locari non potest*: &, *Rerum ratio non sinit, ut de bono*

Ambrosius in libro de Isaac & anima, cap. 7.

[a] Editi, *putet pejus esse.* Duo ex quinque Vatic. MSS. *putet non pejus esse.* Alii tres cum aliquot Gallic. *dubitet pejus esse.*

[b] Ex Floriac. codice addimus, *& à te.*

malum, ac de justo iniquum aliquid proferatur. Hæc clamas pro Manichæis contra vocem catholicæ veritatis per sacerdotem Dei prolatam; ut si tu audiaris, Manichæi vincant, dicentes, ut alia taceam, *Si rerum ratio non sinit, ut de bono malum aliquid proferatur*; non ergo ex bonis, sicut dicit Ambrosius, sed, sicut nos dicimus, ex mali natura orta sunt mala. Ecce in quantam voraginem decidisti malè intelligendo Dominum dicentem, Arbor bona fructus malos non facit: cùm hoc non sit dictum de natura, vel de nuptiis, quas instituit Deus, sed de voluntate hominis bona, à qua non fiunt opera mala.

Matth. 7. 18.

45. Sed ne fortè vel tu, vel quispiam dicat, Quomodo de arbore quam facit homo, id est, voluntate bona non fiunt fructus mali; & de natura quam facit Deus, ipsa quæ faciat fructus malos, nascitur arbor mala: quasi aliquid melius faciat homo, unde non possit malus fructus exsistere; quàm est illud quod facit Deus, unde possit mala arbor exsistere? Ne quis ergo sic erret, audiat diligenter Ambrosium dicentem, *Quid est malitia, nisi boni indigentia? Non enim sunt mala nisi quæ privantur bonis; quia indigentia boni, radix malitiæ est.* Et hinc intelligat ideo esse arborem malam, voluntatem malam; quia defectus est à summo bono, ubi bonum creatum bono creante privatur, ut sit in eo radix mali nihil aliud quàm indigentia boni. Arbor autem bona ideo est voluntas bona, quia per ipsam convertitur homo ad summum atque incommutabile bonum, & impletur bono, ut faciat fructum bonum. Ac per hoc Deus auctor est omnium bonorum, hoc est & naturæ bonæ, & voluntatis bonæ, quam nisi Deus in illo operetur, non facit homo: quia præparatur voluntas à Domino.

Arbor bona voluntas bona.

Prov. 8. sec. LXX.

46. Sed jam ordinem dispositionis meæ video postulare, ut faciam Deo donante, quod tertio loco me facturum esse promisi, hoc est, ut catholicorum, qui fuerunt ante nos, episcoporum sententiis, quascumque rebus de quibus agitur congruentes potuero reperire, vitreas argutias tuas, & fragilia, quibus tibi multùm videris acutus & nitidus, argumenta confringam. Quod ab alio aggrediemur exordio, hîc istius libri prolixitate conclusa.

LIBER SECUNDUS.

Pelagianorum contra originale peccatum argumenta quinque convellit auctoritate ac sententiis catholicorum doctorum qui antè in Ecclesia claruerunt, episcoporum scilicet illustrium decem, Irenæi, Cypriani, Reticii, Olympii, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, Basilii, Johannis Constantinopolitani, & Innocentii; necnon presbyteri Hieronymi, viri sancti ac pereruditi.

Caput I. Quid hoc libro agreditur.

NUNC jam mihi aggrediendum est, quod tertio loco posui dispositionis meæ, ut sententiis episcoporum, qui scripturas sanctas ingenti gloriâ tractaverunt, tua Juliane, Domino adjuvante, machinamenta subvertam. Non ut eos ostendam secundùm catholicam fidem de originali sensisse peccato; hoc enim jam in primis hujus operis partibus feci, ut inde monstrarem, quot & quantis viris, Ecclesiæ sanctis clarisque doctoribus, Manichæorum crimen impingas; & cùm me cupis apud imperitorum decolorare judicia, eos qui catholicam fidem contra hæreticos defenderunt, hæresis nefariæ nomine accuses. Sed nunc argumenta ipsa vestra, quibus agitis ne hominum prima nativitas originali peccato credatur obstricta, eloquiis sunt redarguenda sanctorum. Quos oportet ut populi Christiani vestris profanis novitatibus anteponant, eisque potiùs eligant adhærere quàm vobis.

2. Hæc sunt certè velut capita argumentorum quasi formidanda vestrorum, quibus terretis infirmos, & minùs quàm contra vos expedit, sacris litteris eruditos. Dicitis enim, *nos asserendo originale peccatum, diabolum dicere hominum nascentium conditorem, damnare nuptias, negare in baptismo dimitti universa peccata, Deum crimine iniquitatis arguere, desperationem perfectionis ingerere.* Hæc quippe omnia consequentia esse contenditis, si credamus nasci parvulos peccato primi hominis obligatos, & ob hoc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo. *Diabolus enim creat,* dicitis, *si ex hoc vulnere creantur, quod diabolus naturæ, quæ primùm condita est, inflixit humanæ: & damnantur nuptiæ, si aliquid unde damnabiles generantur, habere creduntur: nec omnia peccata dimittuntur in baptismo, si aliquod in baptizatis conjugibus remanet malum, ex quo generentur mali. Quemadmodum autem non est iniquus Deus, qui cùm baptizatis remittat peccata propria, parvulum damnat, quia cùm ab illo crearetur, nesciens nec volens etiam ex illis parentibus, quibus remissa fuerant, traxit aliena? Nec virtus, cui vitiositas intelligitur esse contraria, posse creditur perfici; quia ingenerata vitia incredibile est posse consumi: quæ jam nec vitia deputanda sunt. Non enim peccat, qui non potest aliud esse quàm creatus est.*

Capita objectionum Pelagianorum contra originale peccatum.

3. Hæc si fideli diligentiâ quæreretis, nec ea quæ catholicæ fidei veritate atque antiquitate fundata sunt infideli oppugnaretis audaciâ; in ea quæ abscondita sunt sapientibus & prudentibus, & revelata sunt parvulis, nutriti Christi gratiâ veniretis. Multa enim multitudo dulcedinis Domini, quam profectò non invidit, & tamen abscondit timentibus eum, perfecit autem sperantibus, non in se ipsis, sed in eo. Nos ergo dicimus quod ea fides habet, de qua scriptum est, Nisi credideritis, non intelligetis: Nec diabolum, sed Deum verum & verè bonum, esse hominum conditorem, [a] munda etiam de immundis ineffabiliter operantem; quamvis hominum nemo mundus nascatur, & ideo donec mundetur Spiri-

Matth. 11. 25.

Psal. 30. 20.

Catholicorum sententia.

Isai. 7. 9. sec. LXX.

[a] Vaticani MSS. *munde.*

tu-sancto, sub spiritu immundo esse cogatur. A Nec quantamcumque immunditiam naturarum, ullum crimen esse nuptiarum: bonum quippe discernitur proprium nuptiarum à quolibet vitio naturarum. Nec ullius reatum remanere peccati, qui non eâ quæ in Christo fit regeneratione solvatur; quamvis infirmitas restet, contra quam in se ipso constitutam regeneratus si proficit pugnet. Nec iniquus est Deus, cùm peccatis sive originalibus sive propriis digna retribuit: magisque iniquus aut infirmus ostenditur, si jugum B (Eccli. 40. 1.) grave super filios Adam, à die sicut scriptum est, nativitatis eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium, sub quo jugo imago ejus adteritur, aut ipse nullo vel originali vel proprio præcedente peccato, aut quilibet alius ipso imponit invito. Nec perfectio est desperanda virtutis, per ejus gratiam, qui ex origine vitiatam mutare potest & sanare naturam.

CAPUT II.

4. AGGREDIAR igitur implere pollicitatio- C nem meam. Nec ista quinque argumenta vestra, ex quibus cuncta connectitis, quæ in hac quæstione adversùs catholicam fidem multipliciter disputatis, singillatim testimoniis sanctorum refutanda suscipiam: sed quantum potuerit eorum percuti & dejici, etiam cùm à me de litteris catholicorum episcoporum singula proferentur, tantum percutietur atque dejicietur, sive unum eorum, sive duo, sive plura, sive omnia, sicut valuerit quod proferetur. Veluti est illud in libro D (Ambrosius lib. de arca Noë.) quem de arca Noë conscripsit beatus Ambrosius, *Per unum*, inquit, *Dominum Iesum salus ventura nationibus declaratur, qui solus* [a] *non potuit justus esse, cùm generatio omnis erraret, nisi natus ex virgine generationis obnoxiæ privilegio minimè teneretur. Ecce*, inquit, *in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea*: (Psal. 50. 7.) *dicit is qui justus præ ceteris putabatur. Quem igitur jam justum dixerim, nisi horum liberum vinculorum, quem naturæ communis vincula non teneant? Omnes sub peccato, ab Adam in omnes regnabat mors. Veniat* E *solus justus in conspectu Dei, de quo jam non cum exceptione dicatur, Non peccavit in labiis suis; sed, Peccatum non fecit.* (Job 1. 22. 1. Pet. 2. 22.) Huic dic si audes, quòd diabolum fecerit hominum conditorem, qui utriusque sexûs commixtione nascuntur; quando quidem solum Christum, quia sit natus ex virgine, à vinculis obnoxiæ generationis excepit, omnibus ceteris ex Adam sub peccati obligatione nascentibus; quod utique peccatum diabolus semina- F vit. Hunc damnatorem redargue nuptiarum, qui sine peccato natum solum dicit virginis filium. Istum negatorem [b] percipiendæ criminare virtutis, qui asserit ingenerari vitia generi humano in ipso conceptionis exordio. Et dic ei, quod adversùs me in primo tuo volumine videris tibi satis [c] aptè acutéque dixisse, *Nec peccare eos omnino, qui peccare dicuntur: si quidem à quocumque creati sunt, secundùm id quod creati sunt, necesse habent vivere, nec suæ repugnare naturæ.* Hæc G

A omnia dic Ambrosio, sive de Ambrosio, quæ mihi tam superbè, tam contumeliosè, tam procaciter & petulanter objectas. (Nam his verbis suis infamare etiam baptismatis sacramentum, quòd in eo plena non fiat remissio peccatorum; & iniquum Deum facere, qui peccata in filiis damnat aliena, quæ in parentibus relaxavit; fortasse non potest dici: quoniam cùm hæc loqueretur, non de baptizatorum propagine loquebatur.) Porrò si sanctus Ambrosius non ex his erat, qui diabo- B lum faciunt hominum creatorem, vel nuptias damnant, vel incapacem virtutis naturam opinantur humanam; sed ex his potiùs, qui Deum summum ac summè bonum totius hominis, id est, totius animæ totiusque corporis agnoscunt & confitentur auctorem, & honorant in sui gradûs bonitate conjugia, nec hominem perfectè justificari posse desperant: hæc interim tria vestra argumenta tanti illius viri auctoritate subversa sunt; nec ulteriùs objicienda sunt nobis, qui de origi- C nali peccato ea dicimus, quæ dixit ille, qui neque hominis creationem diabolo adtribuit, neque nuptias condemnavit, neque justitiæ perfectionem in natura hominis desperavit.

CAPUT III.

5. DE duobus verò residuis argumentis vestris, quæ ad baptismum pertinent, mox videbimus quid ille vir senserit, & quomodo vos ingenti mole auctoritatis obtriverit. Dicit enim in libro (Lib. 1. de pænit. cap. 3.) contra Novatianos: *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes* D *lectum dicente David, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* (Psal. 50. 7.) *Ideo Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Christi* (Rom. 7. 24.) *autem caro damnavit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit, ut in carne nostra esset justificatio per gratiam, ubi erat antè colluvio per culpam.* Hîc sanè omnia simul vestra argumenta subversa sunt. Si enim omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est: E cur mihi ex hoc objicis, quòd dicam diabolum hominum creatorem; cùm hoc dicere me videas, quod ille dixit, qui hominum creatorem diabolum esse non dixit? Si quoniam hominis ortus in vitio est, ideo dicit David, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea; (Psal. 50. 7.) nec accusat vox ista nuptiale consortium, sed originale peccatum: cur me damnatorem dicis esse nuptiarum, quod dicere non audebis Ambrosium? Si quoniam omnes homines F sub peccato nascimur, & ipse ortus noster in vitio est, ideo Pauli caro corpus mortis erat; sicut ipse ait, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? jam tandem perspicis etiam se ipsum in his suis verbis voluisse intelligi Apostolum? Ipsius ergo interior homo cùm condelectaretur legi Dei, (Rom. 7. 22.) videbat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & propterea carnem suam (Ibidem 23.) corpus mortis esse dicebat. In ipsius ergo carne non habitabat bonum, propter quod non quod G volebat, faciebat bonum; sed malum quod oderat,

[a] Editi, *qui solus potuit justus esse.* Negantem particulam ex veteri codice Floriac. addidimus Alioquin eâ sublatâ legi debuisset infrà post *erraret, quòd natus ex virgine*: vel sicut in lib. 4. contra duas epistolas Pe'agianorum, c. 11. correximus, *non ob aliud, nisi quia natus ex virgine.* Porrò id Ambrosii testimonium in citato libro de Noë & arca nunc desideratur.

[b] Aliquot MSS. *perficienda.* Nec malè respondet superiori illi sententiæ Juliani: *Nec virtus, cui vitiositas intelligitur esse contraria, posse creditur perfici, quia ingenerata vitia incredibile est posse consumi.* Reliquimus *percipiendæ*, quòd ea lectio & communior sit, & magis ad illud quod paulò pòst legitur accommodata, *vel incapacem virtutis naturam opinantur humanam.*

[c] Am. Er. & propè omnes MSS. *altè acutéque.*

hoc

Psal. 1. 4.

hoc agebat. En tota vestra caussa impulsa, prostrata, contrita, & sicut pulvis quem projicit ventus à facie terræ, sic à cordibus eorum quos decipere cœperatis, si hæc voluerint deposito studio contentionis cogitare, projecta est. Numquid enim Paulus apostolus non erat baptizatus? aut aliquid ei vel originalium, vel propriorum, vel ignorantiæ, vel scientiæ remissum non fuerat peccatorum? Unde ergo talia loquebatur, nisi quia id quod dixi in libro meo, cui te respondisse gloriaris, omnino verum est? Lex quippe ista peccati, quæ in membris est corporis mortis hujus, & remissa est regeneratione spiritali, & manet in carne mortali: remissa scilicet, quia reatus [a] ejus solutus est sacramento, quo renascuntur fideles; manet autem, quia operatur desideria, contra quæ dimicant & fideles. Hoc est omnino quod funditus subruit hæresim vestram. Quod usque adeo videtis & timetis, ut non aliter ex his apostolicis vocibus exire conemini, nisi quanta * potestis contentione asseveretis, non illic ipsius Apostoli accipiendam esse personam, sed adhuc sub lege, nondum sub gratia positi cujuspiam Judæi, contra quem suæ malæ conversationis consuetudo pugnaret: quasi vis ipsa consuetudinis deponatur in baptismo, & non adversùs eam confligant etiam baptizati, tanto fortiùs atque vehementiùs, quanto magis placere student oculis ejus, cujus gratiâ adjuvantur, ne in tali certamine superentur. Quod si adtentè sine pervicacia considerare voluisses, profectò in ipsa etiam vi consuetudinis invenires, quomodo concupiscentia remittatur in reatu, & maneat in actu. Neque enim nihil in homine agitur, quando concupiscentiarum suarum, etiam quibus non consentit, stimulis inquietatur. Sed tamen non propter vim consuetudinis appellabat carnem suam corpus mortis Apostolus; sed propter quod rectissimè intellexit Ambrosius, quia omnes sub peccato nascimur, & ipse ortus in vitio est. Hujus vitii reatum jam sibi in baptismate fuisse dimissum dubitare non poterat, sed contra ejus inquietudinem pugnans, primùm ab eo vinci subjugarique metuebat; deinde licèt invictè, non diu pugnare, sed hostem non habere malebat, quando dicebat, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum: sciens ejus gratiâ nos sanari ab isto concupiscentiali motu, qui nos ab ejus originali reatu spiritali regeneratione sanavit. Hoc bellum quod in nobis ipsis adversùm nos ipsos gerendum suscepimus, experiuntur in se, neque negare possunt, libidinis acerrimi expugnatores, non impudentissimi laudatores.

Lex peccati quomodo & remissa est & manet.

* Lib. de gratia Christi, cap. 39. & infra cap. 8.

Concupiscentia remittitur in reatu, remanet in actu.

Caro corpus mortis cur dicitur.

Rom. 7. 24. & 25.

6. Denique dicit etiam victoriosissimus Cyprianus in epistola sua de oratione Dominica: *Fieri autem petimus voluntatem Dei in cælo & in terra: quod utrumque ad consummationem nostræ incolumitatis pertinet & salutis. Nam cùm corpus è terra, & spiritum possideamus è cælo, ipsi terra & cælum sumus, & in utroque, id est, in corpore & in spiritu, ut Dei voluntas fiat oramus. Est enim inter carnem & spiritum colluctatio, & discordantibus adversùs se invicem quotidiana congressio, ut non quæ volumus ipsa faciamus; dum spiritus cælestia & divina quærit, caro terrena & sæcularia concupiscit. Et ideo petimus inter duo ista ope & auxilio Dei concordiam fieri, ut dum & in spiritu & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata est anima servetur. Quod apertè atque manifestè apostolus Paulus sua voce declarat: Caro, inquit, concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem; hæc enim invicem adversantur sibi, ut non quæ vultis illa faciatis.* Vide quemadmodum instruat baptizatum populum doctor egregius: (quòd ad baptizatum enim pertineat oratio Dominica, quis Christianus ignoret?) ut humanam incolumitatem salutemque naturæ in hoc esse intelligant constitutam, non ut caro & spiritus, tamquam inter se naturaliter inimica, sicut Manichæus desipit, separentur; sed potiùs tamquam ex vitio discordiæ sanata concordent. Hoc est enim liberari à corpore mortis hujus, ut vitæ fiat, quod modò corpus est mortis, ipsa in eo morte moriente; fine discordiæ, non naturæ. Unde dicetur etiam illud; Ubi est mors contentio tua? Quod non in hac vita perfici, idem quoque testis est Martyr in epistola de mortalitate, ubi *apostolum Paulum propterea dicit concupiscere dissolvi, & esse cum Christo, ut nullis jam fieret peccatis & vitiis carnis obnoxius.* Quàm verò vigilanter adversùs illud dogma vestrum, quo in vestra virtute confiditis, hoc in oratione Dominica exponit? Sic enim docet, *petendum id potiùs à Domino, quàm de propriis viribus præsumendum, ut inter carnem ac spiritum non humana virtus, sed gratia faciat divina concordiam:* consonans omnino Apostolo dicenti, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

Cyprianus de oratione Dominica.

Gal. 5. 17.

Liberari à corpore mortis, quid sit.

1. Cor. 15. 55.

Lib. de mortalitate.

Lib. de Orat. dominica.

Rom. 7. 24. & 25.

7. His & sanctus Gregorius adtestatur dicens, *Anima namque cùm in laboribus fuerit & in angustiis, cùm hostiliter urgetur à carne, tunc ad Deum refugit, & cognoscit unde debeat auxilium poscere.* Ac ne quisquam in his verbis episcopi Gregorii hostiliter urgentem [b] carnem, tamquam ex contraria natura mali, secundùm Manichæorum insaniam suspicetur; etiam ipse vide quemadmodum suis fratribus & condoctoribus concinat, docens non ob aliud adversùs carnem spiritum concupiscere, nisi ut suo utrumque revocetur auctori post gravissimum in hac vita rei utriusque conflictum, in quo laborat omnium vita sanctorum. In libro quippe apologetico, *Illorum verò*, inquit, *verborum nondum facio mentionem, quibus intra nosmetipsos propriis vitiis ac passionibus impugnamur, & die noctuque ignitis stimulis corporis humilitatis hujus & corporis mortis urgemur, nunc latenter, nunc etiam palàm provocantibus ubique & irritantibus rerum visibilium illecebris, luto hoc fæcis cui inhæsimus, cœni sui fœtorem venis capacioribus exhalante; sed & lege peccati, quæ est in membris nostris, legi spiritûs repugnante; dum imaginem regiam, quæ intra nos est, captivam ducere studet: ut spoliis ejus cedat, quidquid illud est quod in nos beneficio divinæ ac primæ illius conditionis influxit: unde vix aliquis fortasse longâ se & districtâ regens philosophia, & paulatim nobilitatem animæ suæ recolens, naturam lucis quæ in se est humili huic & tenebroso luto conjuncta, revocet ac reflectat ad Deum: vel si certè propitio Deo agat, utrumque pariter revocabit; si tamen longa & assidua meditatione insuescat sursum semper adspice-*

Gregorius Nazianzenus.

Idem in apologetico primo de sua fuga.

[a] Hìc addimus *ejus* ex MSS.

[b] Editi, *urgeri*. Castigantur ad Gallicanos duos MSS.

re, & deorsum malè trahentem ac degravantem materiam sibimet adstrictam frenis artioribus sublevare. Agnosce fili Juliane consonas catholicas voces, & ab eis desine dissonare. Cùm dicit beatus Gregorius, *Intra nosmetipsos propriis vitiis ac passionibus impugnamur, & die noctuque ignitis stimulis corporis humilitatis hujus & corporis mortis urgemur:* baptizatus loquitur, de baptizatis loquitur. Cùm dicit, *lege peccati quæ est in membris nostris legi spiritûs repugnante:* baptizatus loquitur, de baptizatis loquitur. Christianorum est ista pugna fidelium, non infidelium Judæorum. Crede, si non pugnas; agnosce, si pugnas, & [a] istâ pugnâ rebellem quoque superbiam Pelagiani erroris expugna. Jamne discernis, jamne perspicis, jamne resipiscis, & in baptismate fieri omnium remissionem peccatorum, & cum baptizatis quasi civile bellum interiorum remanere vitiorum? Non enim talia sunt vitia, quæ jam peccata dicenda sint, si ad illicita opera spiritum concupiscentia non trahat & concipiat pariatque peccatum. Nec tamen extra nos sunt, quibus vincendis, cum in hoc certamine proficienter laboramus, instandum est: nostra sunt, passiones sunt, vitia sunt, frenanda, cohibenda, sananda sunt: sed dum curantur infesta sunt. Et si nobis ad meliora proficientibus, magis magisque minuuntur; tamen dum hîc vivitur, esse non desinunt. Discedente hinc animâ piâ peribunt, in resurgente corpore non redibunt.

Concupiscentia in baptizatis an & quando sit peccatum.

CAPUT IV.

Ambrosius lib. 1. de pænit. c. 3. Rom. 7. 24.

8. ERGO ad beatum redeamus Ambrosium. *Etiam Pauli caro*, inquit, *corpus mortis erat, sicut ipse ait, Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Ita intellexit Ambrosius, ita Cyprianus, ita Gregorius, ut de aliis interim taceam simili præditis auctoritate doctoribus. Huic morti dicetur in fine, Ubi est mors contentio tua? Sed regeneratorum est hæc gratia, non generatorum. *Christi enim caro*, quod adjungit Ambrosius, *damnavit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit*: nascendo non sensit in se, moriendo crucifixit in nobis. Lex itaque peccati repugnans legi mentis, quæ in tanti quoque Apostoli membris erat, remittitur in baptismate, non finitur. Ex hac lege carnis repugnante legi mentis nihil Christi corpus adtraxit; quia non ex illa virgo concepit. Ex hac lege carnis repugnante legi mentis eamdem legem prima nativitate nemo non traxit; quia nisi ex illa mulier nulla concepit. Et ideo venerandus Hilarius, *ex peccato esse omnem carnem* non cunctatus est dicere: sed numquid ideo negavit ex Deo? Quomodo dicimus, & ex carne carnem, & ex homine carnem; numquid etiam sic negamus [b] ex Deo? Ergo & ex Deo, quia creat; & ex homine, quia generat; & ex peccato, quia vitiat. Sed Deus qui genuit Filium sibi coæternum, quod in principio Verbum erat, per quod creavit omne quod non erat, etiam ipsum creavit hominem sine vitio, [c] non ex semine hominis per virginem natum, in quo regenerat hominem generatum, sanatque vitiatum, à reatu statim, ab infirmitate paulatim. Con-

1. Cor. 15. 55.

Hilarius sup. lib. 1. cap. 3.

A tra quam regeneratus, si jam ratione utitur, illo spectante atque adjuvante velut in agone confligit: quia virtus in infirmitate perficitur, dum contra hoc nostrum quod à justitia deficit, illo nostro quod ad justitiam proficit dimicatur; ut vincente profectu totum surgat in melius, non vincente defectu totum vergat in pejus. Parvulus verò, in quo adhuc rationis nullus est usus, voluntate quidem propria nec in bono est, nec in malo; quia [d] nullam in alterutrum cogitatio-
B nem versat, sed utrumque in illo consopitum vacat, & bonum naturale rationis, & malum originale peccati: sed annis accedentibus, evigilante ratione, venit mandatum, & reviviscit peccatum: quod adversùs crescentem cùm pugnare cœperit, tunc apparebit quid in infante latuerit; & aut vincit, & [e] damnabitur; aut vincitur, & sanabitur. Non tamen ideo malum hoc nihil nocuisset, etiam si priùs quàm in illo apparere cœpisset, parvulus hac exisset è vita: quia
C reatus ejusdem mali, non quo reum malum est, sed quo reum facit in quo est, sicut generatione contrahitur, ita nisi regeneratione non solvitur. Hoc est propter quod parvuli baptizantur, ut non solùm regni Christi fruantur bono, verùm & à malo regni mortis eruantur. Neque hoc fieri potest, nisi per eum, qui *peccatum [f] sua carne damnavit, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit; ut in carne nostra esset justificatio per gratiam, ubi erat antè colluvio per culpam.*

1. Cor. 12. 9.

Ambr. de pænit. lib. 1. c. 3.

D 9. His itaque beati Ambrosii verbis, nec diabolus bonitate hominem creavit, sed hominem malignitate vitiavit: nec concupiscentiæ malum nuptiarum abstulit bonum: nec in baptismatis sacramento peccati alicujus reatus relinquitur insolutus: nec injustus est Deus, qui eum damnat lege justitiæ, qui peccati lege fit reus, etiam si ex illa natus est, quæ parentem ejus propterea jam reum facere non potest, quia renatus est. Virtus porrò, quæ in infirmitate perficitur, quare, si hæc vera sunt, desperanda est; cùm per car-
E nem Christi, quæ damnat peccatum quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit, fiat etiam in carne nostra justificatio per gratiam, in qua erat antè colluvio per culpam? Ac per hoc quinque ista vestra, in quibus maximè terretis homines, argumenta, nec alios poterunt perturbare, nec vos, si credatis Ambrosio, Cypriano, Gregorio, aliisque catholicis sanctis clarisque doctoribus, immo verò etiam vobis ipsis,
F [g] legem peccati, quæ inest hominis membris repugnans legi mentis, qua caro concupiscit adversùm spiritum, etiam baptizatis sanctis ingerere pugnandi necessitatem, contra quid nisi contra malum? non substantiam, sed substantiæ vitium, Dei gratiâ nos regenerante non imputandum, Dei gratiâ juvante frenandum, Dei gratiâ remunerante sanandum?

CAPUT V.

10. SED ne fortè dicas, contra hoc potiùs pugnare baptizatos, quod sibi ipsi prioris vitæ
G mala consuetudine fecerunt, non contra id cum

a Sic MSS. At editi, *& in ista pugna.*

b Editi, *numquid etiam sic negamus, generamur ex Deo?* Abest *generamur* à MSS.

c Hîc MSS nonnulli, Floriacensis & Casalensis addunt, *non ex homine sine vitio.*

d Aliqua hîc in editis varietas: apud Am. & Er. *nulla alterutrò cogitatione versatur* Lov. *nulla in alterutro cogitatione versatur.* Emendantur à Floriacensi MS.

e Editi, *& dominabitur*: mendosè. Vide lib. 4. cap. 9.

f Er. & Lov. *peccatum in sua carne damnavit.* At Am. & MSS. carent particulâ *in.* Ambrosii sententia quæ hîc inculcatur, ista est: *Christi enim caro damnavit peccatum.*

g Vetus cod. Floriacensis hoc loco addit, *quoniam patebit & vobis ipsis.* Et infrà sic habet: *ingerens pugnandi necessitatem, contra quid nisi contra malum? non substantiam esse, sed substantiæ vitium.*

quo nati sunt: quamquam si hoc dicis, jam procul dubio cernis atque concedis, esse in homine aliquid mali, quod non ipsum, sed reatus qui ex illo contractus fuerat, auferatur in baptismo: tamen quia parum est ad hujus quæstionis absolutionem, nisi nobis ex peccato primi hominis ingeneratum esse monstretur, audi quid inde in alio loco expressius dicat sanctus Ambrosius in expositione Evangelii secundùm Lucam, cùm diversis modis, ab una tamen regula fidei non abhorrentibus, tractaret illum locum, ubi Dominus ait, in una domo dividi tres adversùs duos, & duos adversùs tres. *Possunt etiam videri*, inquit, *caro atque anima ab odore, tactu, gustuque luxuriæ separatæ in una domo se adversùs incursantia vitia dividentes, subjicientes se legi Dei, removentes se à lege peccati: quorum licèt dissensio per prævaricationem primi hominis* [a] *in naturam verterit, ut nequaquam sibi paribus ad virtutem studiis convenirent; tamen per crucem Domini* [b] *Salvatoris, tam inimicitiis quàm etiam mandatorum lege vacuatis, in societatis concordiam congruerunt, postea quàm Christus è cælo pax nostra descendens fecit utraque unum.* Rursus in eodem opere, cùm de spiritali atque incorruptibili loqueretur cibo. *Etenim ratio cibus mentis est*, inquit, *præclaraque alimonia suavitatis, quæ membra non oneret, neque* [c] *in naturæ pudenda, sed ornamenta convertat, cùm libidinum volutabrum commutatur in Dei templum, diversoriumque vitiorum sacrarium incipit esse virtutum. Quod utique tunc* [d] *facit, cùm caro in naturam regressa vigoris sui agnoscit altricem, atque ausu deposito contumaciæ, moderantis animæ conjugatur arbitrio: qualis fuit cùm inhabitanda paradisi secreta suscepit, ante quàm veneno pestiferi serpentis infecta sacrilegam famem sciret, divinorumque memoriam præceptorum animæ sensibus inhærentem edacitatis studio præteriret. Hinc peccatum manasse proditur, tamquam corpore animaque genitoribus, dum corporis natura tentatur, anima* [e] *malè sanæ compatitur. Quæ si appetentiam corporis refrenasset, in ipso ortu esset exstincta origo peccati; quam velut* [f] *virilis infusam corporis motu malè feta anima, etiam sui vigore corrupto, alienis gravis oneribus parturivit.*

Ambrosius in Lucam lib. 7. n. 141.

Luc. 12. 52.

Ephes. 2. 14.

Ibidem n. 142.

11. Hîc certè apertissimè atque satiatissimè ille tam excellenter tui doctoris ore laudatus doctor Ambrosius declaravit, & quid esset, & unde esset originale peccatum, & unde contigerit illa prima confusio, quæ inobedientia carnis fuit dissentientis ab anima, quam discordiam sanat Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum. Vides unde caro concupiscat adversùs spiritum, vides unde sit lex in membris repugnans legi mentis. Vides vertisse in naturam, animæ carnisque discordiam, & per has inimicitias nobis abundare miserias, non nisi Dei misericordiâ finiendas. Noli jam mihi adversari: nam si adhuc facis, cui vel quibus simul adverseris, advertis. *Me* nempe dixisti *nihil magis laborare, quàm ut non intelligar.* Et in quibusdam locis sensus meos ad tuum potiùs interpretaris arbitrium, abutens tardiusculis cordibus hominum, qui te non intelligunt tacere potiùs noluisse, quàm respondere potuisse uni meo, quatuor voluminibus tuis. Ecce fundit eloquentiæ lucidum ac perspicuum flumen Ambrosius: non est ubi hæreat lector, ubi caliget auditor. Manifestissimè dicit Apostolum ideo dixisse, Quis me liberabit de corpore mortis hujus, quia omnes sub peccato nascimur, & ipse ortus in vitio est. Manifestissimè dicit, Dominum Christum propterea fuisse sine peccato, quòd natus ex virgine vinculis obnoxiæ generationis naturæque communis minimè teneretur, & damnasse peccatum quod nascendo non sensit. Apertissimè dicit, quòd dissensio carnis & animæ per prævaricationem primi hominis in naturam verterit. Apertissimè dicit, carnem libidinum volutabrum diversoriumque vitiorum tunc mutari in Dei templum sacrariumque virtutum, cùm in naturam regressa vigoris sui agnoscit altricem, atque ausu deposito contumaciæ, moderantis animæ conjugatur arbitrio: qualis fuit cùm inhabitanda paradisi secreta suscepit, ante quàm esset veneno pestiferi serpentis infecta. Quid adhuc [g] adversùs me quos libros moliaris, inquiris? Illum adspice, adversùs illum aliquid aude, qui hæresis vestræ venenis ante quàm nascerentur, occurrit, & unde possent expelli, hæc antidota præparavit. Quæ si satis non sunt, adhuc audi.

Animæ carnisque discordia in naturam versa.

12. In libro de Isaac & anima idem dicit: *Bonus ergo rector malos equos restringit & revocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia: mali equi, iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas.* Numquid ait, Bonus rector bonos equos habet, malos non habet? Sed ait, *Bonos incitat, malos restringit & revocat.* Unde isti sunt equi? Nempe si eos substantias dicimus vel putamus, Manichæorum favemus vel hæremus insaniæ: quod ut absit à nobis, catholicè istos equos intelligimus vitia nostra, quæ legi mentis ex lege peccati resistunt. Non à nobis hæc vitia separata, alicubi alibi erunt, sed in nobis sanata nusquam erunt. Verumtamen quare non in baptismate perierunt? An nondum fateberis, quòd reatus eorum perierit, infirmitas manserit: non reatus quo ipsa rea fuerant, sed quo nos reos fecerant in malis operibus, quò nos traxerant? Nec ita eorum mansit infirmitas, quasi aliqua sint animalia quæ infirmantur: sed nostra infirmitas ipsa sunt. Nec in his equis malis iniquitatem nominasse putandus est illam, quæ deletur in baptismo: illa namque peccatorum quæ fecimus, fuit, quæ cuncta remissa sunt, atque omnino jam non sunt, quorum reatus manebat quando ipsa fiebant atque transibant. Istam verò legem peccati, cujus manentis reatus in sacro fonte remissus est, propterea vocavit iniquitatem, quia iniquum est, ut caro concupiscat adversùs spiritum: quamvis adsit in nostra renovatione justitia; quia justum est, ut adversùs carnem spiritus concupiscat, ut spiritu ambulemus, & concupiscentias carnis non perficiamus. Hanc quippe justitiam nostram inter

Ambrosius in lib. de Isaac & anima c. 8.

Concupiscentia post baptismum remanens quo sensu iniquitas dicta.

[a] Editi, *se in naturam verterit.* Et paulò pòst, *vertisse se in naturam.* Et infrà, *in naturam se verterit.* Quibus locis particulam *se* removimus auctoritate MSS.

[b] Antiquissimus cod. Floriac. & alii quidam MSS. *Domini Salutaris.*

[c] Idem cod. à secunda manu, *nec se in natura pudenda.*

[d] Item Floriac. cod. correctus, *tunc fit.*

[e] Editi, *malè sana.* At optimæ notæ codex Floriac. *malè sanæ*: id est, naturæ ipsius corporis.

[f] Sic MSS. At editi, *virili.*

[g] Sic MSS. Editi verò, *quod adversùs meos libros moliaris.*

bonos equos invenimus nominatam.

13. Audi adhuc quid dicat in libro quem scripsit de paradiso. *Fortasse*, inquit, *ideo dixit Paulus, Quæ non licet homini loqui, quia erat adhuc in corpore constitutus, hoc est, videbat istius corporis passiones, videbat legem carnis suæ repugnantem legi mentis suæ.* Itemque in eodem: *Cùm dicit*, inquit, *sapientiorem serpentem, intelligis quem loquatur, id est, illum adversarium nostrum, qui tamen habet sapientiam hujus mundi. Sed & voluptas atque delectatio bene sapiens dicitur; quia & carnis appellatur sapientia: sicut habes, Quia sapientia hujus carnis inimica est Deo. Et ad exquirenda delectationum genera astuti sunt, qui appetentes sunt voluptatum. Sive ergo*, inquit, *delectationem intelligas, quædam est divino adversa mandato, & inimica sensibus nostris. Unde sanctus* [a] *Paulus ait, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Qualem voluptatem dicat hoc loco iste doctor, in promtu est: quia ut intelligeremus, adhibuit Apostoli testimonium dicentis, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. Hæc est voluptas illa suscepta tua, quamvis & tu reprehendas ejus excessum. Ubi qualis sit, planè fateris: sed tantis verborum ornamentis eam moderatam defendis & laudas, quasi istum modum sibi ipsa constituerit, & non spiritus qui adversùs ejus impetum concupiscit. Adversùs quem fortiter stabat ille, qui clamabat, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Iste repugnantis impetus si laxetur, in quæ declinabit immunda? in quæ non pertrahet & præcipitabit abrupta? Verùm nunc, quod potiùs instat, ecce non secundùm vos quicumque Judæus, sed secundùm beatum Ambrosium de se ipso Paulus apostolus dicit, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. Rursus in eodem opere alio loco idem doctor: *Impugnatur*, inquit, *Paulus, & videt legem carnis suæ repugnantem legi mentis suæ, & captivantem se in lege peccati; nec de conscientia sua præsumit, sed per Christi gratiam confidit se à mortis corpore liberandum: & tu quemquam opinaris scientem non posse peccare? Paulus dicit, Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago: & tu arbitraris homini prodesse scientiam, quæ delicti augeat invidiam?* Itemque in ipso opere idem ipse episcopus ad omnes nos referens eloquium, caussamque communem sedulò agens: *Repugnat enim lex carnis*, inquit, *legi mentis, & laborandum nobis est ac desudandum, ut castigemus corpus & servituti redigamus, & quæ sunt spiritalia seminemus.*

Lib. de parad cap. 11. 2. Cor. 12. 4. — Ibid. c. 12. — Rom. 8. 7. — [a] Rom. 7. 23. — Lib. de paradiso, c. 12. n. 60. — Rom. 7. 23. — Ibid. 19. — Lib. de paradiso cap. 15.

14. In alio quoque libro suo, de sacramento regenerationis, vel de philosophia quem scripsit, ita loquitur: *Beata igitur mors quæ nos peccato eripit, ut reformet Deo. Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato. Numquid naturæ fine*, inquit, *justificatur à peccato aliquis? Non utique: quoniam qui peccator moritur, in peccato manet; ille autem justificatur à peccato, cui per baptismum peccata omnia remittuntur.* Habesne ad ista quod dicas? Videsne quemadmodum expresserit vir venerabilis, in baptismo fieri hominis mortem beatam, ubi

Ambrosii liber de sacramento regenerationis seu de philosophia, qui non exstat. — Rom. 6. 7.

A remittuntur peccata omnia? Sed adtende aliud, adtende quod non vis. *Advertimus*, inquit, *cujusmodi sit mors mystica: nunc consideremus cujusmodi sepultura esse debeat. Non enim satis est ut moriantur vitia, nisi* [b] *marcescat corporis luxus, & omnium vinculorum carnalium compago solvatur, omnis nodus corporei laxetur usûs. Nemo sibi blandiatur, quòd aliam figuram induerit, mystica præcepta acceperit, ad continentiæ disciplinam applicuerit animum. Non quod volumus hoc agimus, sed quod odio habemus hoc* B *facimus. Multa operatur in nobis peccatum. Nobis reluctantibus redivivæ plerumque voluptates resurgunt. Luctandum nobis est adversùs carnem. Luctatus est adversùs eam Paulus: denique ait, Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. Numquid tu*, inquit, *fortior Paulo? Nec tamquam sedulæ carni tuæ confidas, & te ei credas, cùm Apostolus clamitet: Scio enim quia non habitat in me, id est, in carne mea bonum: nam velle adjacet mihi,* C *perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo facio bonum: sed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo hoc ago, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Quantalibet feraris animi obstinatione, Juliane, quantalibet adversùs nos pervicaciâ pro Pelagiano errore consistas; tantâ per beatum Ambrosium circumvallaris rerum evidentiâ, tantâ verborum ejus manifestatione contunderis, ut profectò, si nulla te ratio, cogitatio, consideratio religionis, D pietatis, humanitatis, atque in te ipso advertendæ veritatis à pertinaci intentione revocaverit, ostendas quantum in malis humanis valeat, eò quemquam fuisse progressum, ubi manere non libeat, unde redire jam pudeat. Sic enim credo te affici, cùm ista legeris. Sed ô si pax Christi in tuo corde vincat, & bona pœnitentia de mala verecundia palmam ferat.

Ambrosius ib. item. — Rom. 7. 23. — Ibid. 18.

CAPUT VI.

15. SED jam nunc parumper adtende, quomodo ex ista lege peccati, cujus motum mortalitas etiam continentium cogitur ferre, cui E modum castitas nuptiarum laborat imponere, ubi concupiscentia carnis voluptasque, quam laudas, contra propositum voluntatis agit suos impetus, cùm excitatur, etiam si actus non peragit, cùm frenatur: adtende ergo paulisper, quomodo ex hac lege peccati omnem generari hominem, & ideo trahere originale peccatum, sanctus eloquatur Ambrosius in eo ipso de sacramento regenerationis, sive de philosophia libro suo. *Est*, F inquit, *domus quam sapientia ædificat, & mensa cælestibus referta sacramentis, in qua justus cibum divinæ voluptatis epulatur, suavem gratiæ potum bibens, si perpetuorum meritorum uberi posteritate lætetur. Hos filios generans David partus illos corporeæ commixtionis horrebat, & ideo mundari sacri fontis irriguo desiderabat, ut carnalem ac terrenam labem gratia spiritalis ablueret. Ecce*, inquit, *in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Malè Eva parturivit, ut partus relin-* G *queret mulieribus hereditatem, atque unusquisque concupiscentiæ voluptate concretus, & genitalibus visceribus infusus, & coagulatus in sanguine, in pannis involutus, priùs subiret delictorum contagium, quàm vitalis spiritûs munus hauriret.* Si te non deseruit qualiscumque saltem sensus humanus,

Ambrosius ibidem. — Psal. 50. 7.

[a] In MSS. *Unde sanctus ait:* omisso, *Paulus*.

[b] Am. Er. & aliquot MSS. *marcescant*.

vides quid de concupiſcentiæ voluptate, hac ipſa cui præbes impudentiſſimum patrocinium, pronuntiaverit, tui, quod ſæpe dicendum eſt, doctoris teſtimonio prædicatus, tam memorabilis doctor Ambroſius: quòd eâ quiſque concretus, eâ genitalibus viſceribus infuſus, eâ coagulatus in ſanguine; & in pannis, non utique laneis, aut lineis, aut hujuſcemodi talibus, qualibus jam nati obvolvuntur infantes, ſed pannis vitiatæ originis tamquam hereditariis involutus, priùs ſubeat contagium delictorum, quàm vitalis hujus aëris auram ſpirando percipiat: in quem velut immenſum fontem communis & non deſiſtentis alimenti, poſt occulta ſpiramenta viſcerum maternorum, qui naſcitur, funditur; in ortu ploraturus reatum, quem contraxit ante ortum. Ergone ex hujus concupiſcentiæ motu illi non erubeſcerent homines primi, quo & ipſi apparebant noxii, & eorum filii peccato parentum [a] prænuntiabantur obnoxii? Utinam ſicut illi erubuerunt eas partes corporis, in quibus libidinis inobedientiam ſentiebant, nudas relinquere; ita tu fidei catholicæ obediens erubeſceres erubeſcenda laudare.

Hereditarĩũ eſt originalis peccati malũ.

16. Quid autem etiam de ipſo ficulneorum tegmine foliorum in libro de paradiſo idem ipſe ſcripſerit doctor adverte. *Quod igitur gravius eſt*, inquit, *hac ſe Adam interpretatione ſuccinxit eo loci, ubi fructu magis caſtitatis ſe ſuccingere debuiſſet. In lumbis enim quibus præcingimur, quædam ſemina generationis eſſe dicuntur: & ideo malè ibi ſuccinctus eſt Adam foliis inutilibus, ubi futuræ generationis non fructum futurum, ſed quædam peccata ſignaret.* Hîc certè fruſtravit iſte vir ſanctus tam elaboratam diſputationem tuam nimiſque ſollicitam, ne poſt peccatum Adam & Eva oculis apertis lumbos præcinxiſſe credantur. Ut enim tanta ibi loquacitate laborares, contra ſenſus veniebas omnium, & eos [b] multiloquii ſtrepitu perſtringere cupiebas. Quid enim tam in promtu eſt, quàm ſuccinctoriis, vel præcinctoriis, quæ Græcè περιζώματα nuncupantur, lumbos hominum contegi vel præcingi, quas vulgus etiam munituras vocat? Neque hoc ille homo Dei, cujus te urgemus eloquio, tamquam obſcurum eſſet expoſuit: ſed quod omnes intelligebant, quid ſignificaret oſtendit. *In lumbis enim quibus præcingimur*, ait, *quædam ſemina generationis eſſe dicuntur, & ideo malè ibi ſuccinctus eſt Adam foliis inutilibus.* Quare malè? Sequitur & dicit, *ubi futuræ generationis, non fructum futurum, ſed quædam peccata ſignaret.* Habeſne ad iſta quod dicas? Ecce unde illa confuſio, ecce unde contextio & ſuccinctio foliorum, ecce unde in poſteris originale peccatum.

Lib. de paradiſo, cap. 13.

Perizomata quibus ſe Adam & Eva ſuccinxerunt, quæ ſint.

17. Sanctus verò Johannes Conſtantinopolitanus epiſcopus, quantum verecundia permittere potuit, totum illud primorum hominum erubeſcentium factum duobus verbis evidenter expreſſit dicens, *Foliis autem ficus erant cooperti, tegentes ſpeciem peccati.* Cui non appareat, quæ vel qualis peccati ſpecies à confuſis tegenda fuerat in regione lumborum, qui de ſui corporis nuditate non confundebantur ante peccatum? Obſecro, intelligite; immo verò permittite homines,

Johannes Chryſoſtomus.

[a] Sic MSS. At editi, *pronuntiabantur.*
[b] In MSS. *multiloquo ſtrepitu.*

quod vobiſcum intelligunt intelligere, & nolite nos cogere de pudendis penè [c] impudenter diutius diſputare.

18. Meritò idem beatus Johannes, etiam ipſe, ſicut & martyr Cyprianus, circumciſionem carnis in ſigno præceptam commendat eſſe baptiſmatis. * *Et vide quomodo Judæus*, inquit, *circumciſionem non differt propter comminationem, quia omnis anima quæcumque non fuerit circumciſa die octavo, exterminabitur de populo ſuo. Tu autem*, inquit, *non manufactam circumciſionem differs, quæ in exſpoliatione carnis in corpore perficitur, ipſum Dominum audiens dicentem, Amen, amen dico vobis, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non introibit in regnum cælorum?* Cernis quemadmodum circumciſionem circumciſioni, comminationem comminationi vir eccleſiaſticâ doctrinâ præditus comparavit? Quod ergo eſt octavo die non circumcidi, hoc eſt in Chriſto non baptizari: & quod eſt perire de populo ſuo, hoc eſt non intrare in regnum cælorum. Et tamen vos in baptiſmate parvulorum exſpoliationem carnis, hoc eſt, circumciſionem non manufactam, celebrari negatis; quia nihil eos, quo exſpoliari debeant, habere contenditis. Non enim eos fatemini mortuos in præputio carnis ſuæ, quo peccatum ſignificatur, maximè quod originaliter trahitur: per hoc enim eſt corpus noſtrum corpus peccati, quod evacuari dicit Apoſtolus per crucem Chriſti.

Cyprianus epiſt. 64. ad Fidum.
** Verba hæc apud Baſilium leguntur homilia 13. quæ exhortatio eſt ad baptiſmum.*
Gen. 17. 14.
Iohan. 3. 5.
Circumciſionis & baptiſmi cõparatio.
Præputiũ carnis.
Rom. 6. 6.

CAPUT VII.

Oſtendit Ambroſiũ de quinque illis articulis à Juliano poſitis rectè ſenſiſſe.

19. Sed nunc ſententiis epiſcoporum qui fuerunt ante nos, & hæc divina eloquia fideliter & memorabiliter tractaverunt, urgere te inſtitui. Proinde ad epiſcopum Ambroſium revertamur: qui cùm & homines, id eſt, & animas & corpora hominum, opus Dei eſſe non dubitet, & nuptias honoret, & in baptiſmo Chriſti prædicet omnia peccata dimitti, & Deum eſſe noverit juſtum, & capacem virtutis atque perfectionis per Dei gratiam humanam non neget eſſe naturam; quæ veſtra quinque facitis argumenta, contendentes nullum iſtorum quinque verum eſſe poſſe, niſi falſum ſit trahere naſcentes originale peccatum: tamen hoc ipſum, quod his quinque argumentis auferre conamini, ſic ille ubi opus eſt, in ſuis ſermonibus ponit, ut cuivis ſatis eluceat, quid catholica veritas ſoleat prædicare, quid profana novitas conetur evertere. An fortè ipſum quoque Ambroſium ſciſſe ac docuiſſe dubitabis, Deum eſſe hominum conditorem, & animæ & corporis? Audi ergo quid dicat in libro de philoſophia contra Platonem philoſophum, qui hominum animas revolvi in beſtias aſſeverat, & animarum tantummodo Deum opinatur auctorem, corpora autem diis minoribus facienda decernit. Ergo ſanctus Ambroſius, *Miror*, inquit, *tantum philoſophum, quomodo animam, cui poteſtatem conferendæ immortalitatis adtribuit, in noctuis includat, aut ranulis, feritate quoque induat beſtiarum: cùm in Timæo eam Dei opus eſſe memoraverit, inter immortalia à Deo factam; corpus autem non videri opus ſummi Dei aſſerit, quia natura carnis humanæ nihil à natura corporis beſtialis differt. Si ergo digna eſt quæ Dei opus eſſe credatur, quomodo indigna eſt quæ Dei opere veſtiatur?* Ecce non

1 Deum & animæ & corporis eſſe conditorem.
Plato ſolas animas à Deo conditas putans eaſque in beſtias revolvi, refutatur ab Ambroſio in libro de philoſophia.

[c] Floriac. MS. *penè impudentes.*

solùm animam, quod & illi dicunt, verùm etiam corpus, quod illi negant, contra Platonicos Dei opus esse defendit Ambrosius.

2. Bonas & honorabiles esse nuptias.

20. An tu dicturus es, quòd nuptiis ingerat crimen, quia & inde quod nascitur concupiscentiæ voluptate concretum, dicit subire contagium delictorum? Audi ergo de nuptiis Ambrosii sententiam in Apologia * sancti David.

* Cap. 11.

Bonum, inquit, *conjugium, sancta copula. Sed tamen qui habent uxores, ita sint ac si non habentes: ipse est thorus incoinquinatus; & nemo alterum fraudare debet eo, nisi fortè ad tempus, ut vacent orationi. Tamen secundùm Apostolum, non vacat orationi* [a] *quis eo tempore, quo usum corporeæ illius conventionis exercet.*

1. Cor. 7. 29. — Ibid. 5. — a

Audi & alteram in libro de philosophia: *Bona*, inquit, *continentia, quædam velut crepido pietatis. Namque in præcipitiis vitæ hujus labentium statuit vestigia; speculatrix sedula, ne quid obrepat illicitum. Mater autem vitiorum omnium incontinentia, quæ etiam licita vertit in vitium. Ideoque Apostolus non solùm à fornicatione nos retrahit, verùm etiam in ipsis conjugiis modum quemdam docet, & tempora præscribit orandi. Intemperans enim in conjugio, quid aliud nisi quidam adulter uxoris est?*

1. Cor. 7.

Maritus intemperans uxoris adulter est.

Cernis quemadmodum velit etiam inter se ipsa [b] verè honesta esse conjugia? Vides quemadmodum dicat, incontinentiam etiam licita vertere in vitium, ubi & licitum demonstrat esse connubium, & in ipso non vult incontinentiam fœdare quod licitum est? Advertis quomodo intelligere nobiscum debeas, in quo morbo desiderii noluerit Apostolus unumquemque vas suum possidere, sicut gentes quæ ignorant Deum? Tibi autem libido non nisi præter uxorem videtur esse culpabilis. Quid ergo de Ambrosio judicabis, qui intemperantem in conjugio adulterum quemdam appellat uxoris? Tune meliùs nuptias honoras, in quibus libidini licentiosissimum spatium præbuisti; ne fortassis offensa defensorem sibi alium provideret? Neque enim, quod ego commemoravi secundùm veniam conjugibus concedere Apostolum, (ubi procul dubio notatur, etsi ignoscitur, culpa,) saltem verbo tenus adtingere voluisti; aut quòd ab illo opere, ut orationi vacent, cessare conjuges admonentur, quod ego totum commemoravi, ausus es in tua responsione refricare: credo, formidans, ne tua videretur prævaricata defensio, si & te confitente appareret, quòd per libidinem, cui te patrocinari non pudet, etiam conjugum impediretur oratio. Ita cùm mihi pro illa respondere cuperes, sed Apostolo resistere non auderes, nec in aliam sententiam, sicut soletis, ipsum apostolicum testimonium detorquere potuisses, omnino inde tacere maluisti. Tu ergo meliùs honoras nuptias, quarum dignitatem tamquam omnino irreprehensibili volutabro carnalis concupiscentiæ decoloras; an ille, qui cùm dicat, non solùm licitum, sed etiam bonum conjugium sanctamque copulam, tamen cessante libidinis voluptate, tempora orandi ab Apostolo præscripta commemorat; atque ita non vult illi morbo deditos esse conjuges, unde trahitur originale peccatum, ut eos qui habent uxores, secundùm eumdem Apostolum, ita esse velit, ac si non habentes; nec vocare dubitat etiam uxoris adulterum intemperantem maritum, omne connubii bonum pensans non cupiditate carnis, sed fide potiùs castitatis; non morbo passionis, sed fœdere conjunctionis; non voluptate libidinis, sed voluntate propaginis? Nam mulierem viro non nisi generandi caussâ perhibet institutam, unde tam diu frustra, quasi quisquam hoc nostrûm negaret, disputandum putasti.

b — 1. Thess. 4. 4. — 1. Cor. 7. 6. — Ibid. 5.

Libidini patrocinatur Julianus.

Ibid. 29. — A — Conjugii bonum triplex.

Hæc enim sunt de hac re verba ejus in libro * de paradiso: *Si igitur viro*, inquit, *culpæ auctor est mulier, quemadmodum pro bono videtur adjecta? Verùm si consideres, quia Deo universitatis est cura, invenies plus placere Domino debuisse id in quo esset caussa universitatis, quàm* [c] *condemnandum fuisse illud in quo esset caussa peccati. Ideo quia ex viro solo non poterat humani esse generis propagatio, pronuntiavit Dominus, non esse bonum solum hominem esse. Maluit enim Deus plures esse, quos salvos facere posset, quibus donaret peccatum, quàm unum solum Adam, qui liber esset à culpa. Denique quia idem*, inquit, *utriusque auctor est operis, venit in hunc mundum, ut salvos faceret peccatores. Postremò nec Cain parricidii reum priùs quàm generaret filios, passus est interire. Ergo*, inquit, *propter generationem successionis humanæ debuit mulier adjici viro.*

* Cap. 10 — B — c — Gen. 2. 18. — C

21. Habes ecce Ambrosium doctorem meum, & à tuo [d] memorabiliter prædicatum, & opus Dei esse omnem hominem atque hominis carnem, & bonas esse nuptias in quantum sunt nuptiæ, non modò fatentem, verùm etiam defendentem. Jam verò quòd per originale peccatum sacro baptismati nihil deroget, superiùs * demonstravi, quando ejus posui verba, ubi dicit, illum justificari à peccato, cui per baptismum peccata remittuntur omnia. Justum porrò ille Deum ubi non prædicat, aut quis de hoc potest catholicus dubitare Christianus, quod penè & omnes impii confitentur?

d — 3. Baptismo peccata omnia remitti. — D — * Cap. 5. 14. — 4. Justum esse Deum.

CAPUT VIII.

22. QUINTUM illud restat, utrùm videatur Ambrosio humanam capacem justificationis & perfectionis esse naturam; nec ab hac sententia propterea revocetur, quia sæpe ac multis modis dicit omnem hominem sub peccato nasci, & esse ipsum ortum ejus in vitio. Verùm & hoc jam suprà * docui, ubi eum loco ipso paulò pòst dixisse memoravi, *à Christi carne damnatum esse peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit, ut in carne nostra esset justificatio per gratiam, ubi erat antè colluvio per culpam.* Ibi enim naturam demonstravit humanam, etiam istam, quæ sub peccato nascitur, & cujus ortus in vitio est, esse justificationis capacem: sed sanè per gratiam, quòd inimicum est vobis, eidem gratiæ crudelibus inimicis. Verùm si hoc parum est, rursus quid dicat, adtende in expositione Isaiæ prophetæ: *Videamus*, inquit, *ne qua sit post hujus vitæ curriculum nostra regeneratio, de qua dictum est, In regeneratione cùm sederit filius hominis in throno gloriæ suæ. Sicut enim regeneratio lavacri dicitur, per quam detersa peccatorum colluvione renovamur: ita regeneratio dici videtur, per quam ab omni corporeæ concretionis purificati labe, mundo animæ*

E — 5. Humanam naturam virtutis & perfectionis capacem. — * Cap. 5. — F — Gratiæ crudeles inimici. — In Isaiæ cap. 1. — Matth. 19. 28. — G — Regeneratio duplex.

[a] Er. & Lov. *qui eo tempore usum.* Emendantur ex MSS. & Ambrosiana editione.
[b] Sic præcipui MSS. At editi, *vera & honesta,*

[c] Floriac. MS. *quàm non condendum fuisse illud.*
[d] In antè excusis, *mirabiliter prædicatum.*

ſenſu in vitam regeneramur æternam. Nempe diſtinxit vir ſanctus & verax, juſtificationem vitæ hujus, quæ fit per lavacrum regenerationis, & illius perfectionem, cùm & noſtra corpora fuerint immortalitate renovata. Non itaque fuit Ambroſio, quamvis fateretur naſcentis originis vitium, juſtificationis deſperata perfectio. Quia ſicut eſt humana natura creatori Deo formabilis, ita ſanabilis redemtori.

23. Sed vos feſtinatis, & præſumtionem veſtram feſtinando præcipitatis. Hîc enim vultis hominem perfici, atque utinam Dei dono, & non libero, vel potiùs ſervo propriæ voluntatis arbitrio. A qua perfectione quidem longè vos eſſe ſentitis: ſed dolus eſt in ore veſtro, ſive peccatores vos eſſe dicatis, & juſtos credi velitis; ſive profiteamini perfectionem juſtitiæ, quam profectò in vobis non eſſe ſentitis. Juſtificatio porrò in hac vita nobis ſecundùm tria iſta confertur: priùs lavacro regenerationis, quo remittuntur cuncta peccata: deinde congreſſione cum vitiis, à quorum reatu abſoluti ſumus: tertiò dum noſtra exauditur oratio, qua dicimus, Dimitte nobis debita noſtra; quoniam quamlibet fortiter contra vitia dimicemus, homines ſumus; Dei autem gratia ſic nos in hoc corruptibili corpore adjuvat dimicantes, ut non deſit propter quod exaudiat veniam poſtulantes. Iſtam ſuper nos Dei miſericordiam, vobis neceſſariam non putatis; quoniam ex eo numero eſtis, de quibus in Pſalmo dictum eſt, Qui confidunt in virtute ſua. Sed quanto meliùs audimus Ambroſium in libro de fuga ſæculi dicentem: *Frequens nobis de effugiendo iſto ſæculo eſt ſermo: atque utinam quàm facilis ſermo, tam cautus & ſollicitus affectus. Sed quod pejus eſt, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offuſio mentem occupat, ut quod ſtudeas vitare, hoc cogites, animoque volvas. Quod cavere difficile eſt homini, exuere autem impoſſibile. Denique voti magis eam eſſe rem quàm effectûs, teſtatur Propheta dicendo, Declina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam. Non enim in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum, & noſtræ cogitationes, quæ improviſo offuſæ, mentem animumque confundunt, atque aliò trahunt quàm tu propoſueris; ad ſæcularia revocant, mundana inſerunt, voluptuaria ingerunt, illecebroſa intexunt, ipſoque in tempore quo elevare mentem paramus, inſertis inanibus cogitationibus, ad terrena plerumque dejicimur.* Hæc ſi vos non patimini: ignoſcite, non vobis credimus; ſed in his potiùs ſancti Ambroſii verbis quoddam ſpeculum, & hoc ſi proficimus, communis humanæ infirmitatis agnoſcimus. Vobis autem etiam ſi credamus, & dicamus, Orate pro nobis ut nec nos iſta patiamur; ita vos invenimus elatos & alta ſapientes, ut reſpondeatis nobis, non ſolùm iſta vos non pati, verùm etiam in hominis eſſe poteſtate, ne iſta patiatur, nec eſſe cauſſam cur ad hoc Dei poſcatur auxilium.

Juſtificatio in hac vita tribus peragitur.

Matth. 6. 12.

Pſal. 48. 7.

De fuga ſæculi, cap. 1.

Pſal. 118. 36.

24. Quanto ergo meliùs idemtidem audimus Ambroſium Dei gratiam confitentem, nec de ſua virtute confidentem, qui cùm hæc dixiſſet adjecit, *Quis autem tam beatus, qui in corde ſuo ſemper adſcendat? Sed hoc ſine auxilio divino qui fieri poteſt? Nullo profectò modo.* Denique, inquit, *ſuprà eadem Scriptura dicit: Beatus vir cujus eſt auxilium ejus abs te, Domine, adſcenſus in corde ejus.* Itemque idem ipſe in libro de ſacramento regenerationis: *Quis igitur eſt*, inquit, *qui carne utitur ad operandum, niſi anima? Ergo princeps & domina carnis naturaliter anima eſt, quæ domare carnem debet & regere. Ideoque Spiritûs-ſancti fulta præſidio, dicit in Pſalmo, Non timebo quid faciat mihi caro. Ipſa eadem dicit in Paulo, Sed caſtigo corpus meum, & ſervituti redigo. Caſtigat ergo Paulus quod ipſius eſt, non quod ipſe eſt. Aliud enim quod ipſius, aliud quod ipſe eſt. Caſtigat quod ipſius eſt, ut mortem in ſe laſciviæ corporalis juſtus operetur.* Numquid ſanctus Ambroſius quando iſta dicebat, non cum vitiis confligebat? non vitia vincebat? non exercitum quemdam variarum cupiditatum intra ſemetipſum, tamquam Chriſti miles egregius debellabat? non corpus proprium caſtigabat? Numquid non ſuperatis & oppugnatis diaboli operibus, opus Dei cum opere Dei, hoc eſt, anima cum carne pacem juſtitiæ requirebat, ut non in ſua virtute confidens, ſed ſicut ait, *Spiritûs-ſancti fulta præſidio diceret, Non timebo quid faciat mihi caro?* Ecce quomodo natura humana capax juſtificationis oſtenditur: ecce quomodo virtus in infirmitate perficitur.

Pſal. 83. 6.

Lib. de ſacramento regenerationis.

Pſal. 55. 5.

1. Cor. 9. 27.

Pſal. 55. 5.

2. Cor. 12. 9.

25. Sed audiamus de hac re etiam victorioſiſſimum martyrem Cyprianum in epiſtola de mortalitate, *Cum avaritia nobis*, inquit, *cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congreſſio eſt, cum carnalibus vitiis, cum illecebris ſæcularibus aſſidua & moleſta luctatio eſt. Obſeſſa mens hominis, & undique diaboli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſiſtit. Si avaritia proſtrata eſt, exſurgit libido: ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio: ſi ambitio contemta eſt, ira exaſperat, inflat ſuperbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abſcindit. Cogeris maledicere, quod divina lex prohibet, compelleris jurare, quod non licet. Tot perſecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur, & delectat hìc inter diaboli gladios diu ſtare, cùm magis concupiſcendum ſit & optandum, ad Chriſtum ſubveniente velociùs morte properare.* Abſit autem, ut ſanctum Cyprianum aut avarum exiſtimemus fuiſſe, quia cum avaritia; aut impudicum, quia cum impudicitia; aut iræ ſubditum, quia cum ira; aut ambitioſum, quia cum ambitione; aut carnalem, quia cum carnalibus vitiis; aut ſæculi hujus amatorem, quia cum illecebris ſæcularibus; aut libidinoſum, quia cum libidine; aut ſuperbum, quia cum ſuperbia; aut vinolentum, quia cum vinolentia; aut invidum, quia cum invidia confligebat. Immo verò ideo nihil eorum erat, quia his malis motibus partim de origine, partim de conſuetudine venientibus, fortiter reſiſtebat, non adquieſcens eſſe, quod eum eſſe cogebant. Nec ideo tamen in tam periculoſo laborioſoque certamine nullo telo feriebatur hoſtili; cùm dicat in epiſtola de eleemoſynis: *Ne quiſquam ſic ſibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, ut innocentia ſua fretus, medicinam non putet adhibendam eſſe vulneribus, cùm ſcriptum ſit, Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccatis. Et iterum in epiſtola ſua*, inquit, *Iohannes ponat & dicat, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non*

Cyprian. lib. de mortalitate.

Lib. de opere & eleemoſ.

Prov. 20. 9.

1. Iohan. 1. 8.

est. Si autem nemo esse sine peccato potest, & quisquis se inculpatum esse dixerit, aut superbus, aut stultus est; quàm necessaria, quàm benigna est divina clementia, quæ cùm sciat non deesse sanatis quædam postmodum vulnera, dedit curandis denuo sanandisque vulneribus remedia salutaria. O doctor præclarissime & testis gloriosissime, sic docuisti, sic a [a] monuisti, sic te audiendum imitandumque præbuisti. Meritò finitis aliis omnium cupiditatum certaminibus sanatisque vulneribus, cum extrema & omnium maxima vitæ hujus cupiditate, pro B Christi veritate pugnasti, & ejus in te gratiæ largitate vicisti. Secura est corona tua, victoriosa est doctrina tua, in qua & istos vincis qui confidunt in virtute sua. Ipsi enim clamant, Perfectio nobis virtutis à nobis est: tu autem reclamas, *Nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentiâ & misericordiâ tutus est.*

26. Audi & beatissimum Hilarium, ubi speret hominis perfectionem. Cùm enim loqueretur de pace evangelica, ubi Dominus ait, Pacem meam C do vobis: *Quia lex*, inquit, *umbra erat futurorum bonorum, idcirco per hanc præfiguratam significantiam docuit nos in hoc terreni & morticini corporis habitaculo mundos esse non posse, nisi per ablutionem cælestis misericordiæ emundationem consequamur, post demutationem resurrectionis terreni corporis nostri effectâ gloriosiore naturâ.* Rursus in eodem sermone: *Ipsis*, inquit, *Apostolis verbo licèt jam fidei emundatis atque sanctificatis non deesse tamen malitiam,* D *per conditionem communis nobis originis, docuit dicens, Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris.* Vides quemadmodum venerabilis catholicus disputator, nec in hac vita mundationem nostram neget; & tamen humanam b [b] perfectiorem speret, (id est, perfectioris mundationis) in ultima resurrectione naturam.

Iohan. 14. 27. Hilarius in Psal. 118. v. 18.

Ibid. ad v. 115.

Matth. 7. 11.

27. In quadam verò homilia de libro sancti Job adtende quid dicat, quemadmodum ipsius diaboli adversùs nos indefinens bellum ex hoc E fieri asserat, cùm ea mala quæ in nobis sunt, excitat contra nos; quod in nostram fieri utilitatem vult docere, convertente scilicet divinâ misericordiâ malitiam diaboli ad purgationem nostram. *Tanta enim & tam admirabilis*, inquit, *in nos misericordiæ Dei bonitas est, ut per quem in Adæ offensa generositatem primæ & beatæ illius creationis amisimus, per eum rursum id quod amisimus, obtinere mereamur. Tunc enim diabolus invidens* c [c] *nocuit, nunc autem cùm nocere nititur, vincitur. Mo-* F *vet enim per infirmitatem carnis nostræ omnia potestatis suæ tela, cùm ad lasciviam accendit, cùm ad ebrietatem illicit, cùm ad odia stimulat, cùm ad avaritiam provocat, cùm ad cædes instruit, cùm ad maledicta exacerbat. Sed cùm per firmitatem animi horum omnium subrepentia incentiva reprimuntur, emundamur à peccato per hujus victoriæ gloriam. Dictum enim ita est: Aut quomodo se emundabit natus ex muliere? Quia non exstante hoste, non erit bellum; cessante deinde bello,* G *victoria deerit. Collidentium autem adversùs nos vitiorum victoriâ non adeptâ, non erit emundatio ulla vitiorum: quia his insidiis corporis nostri piratâ vi-*

Homilia de S. Iob: sed non exstat.

Iob 25. 4.

A *cto, colluctantium adversùs nos passionum* d [d] *concertatione purgamur. Memores igitur*, inquit, *& conscii, illa ipsa corpora nostra omnium vitiorum esse materiem,* e [e] *per quam polluti & sordidi nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus, gaudeamus nobis esse hostem, in cujus concertatione quodam concertationis nostræ bello dimicemus.*

28. In expositione autem primi Psalmi idem doctor non dubitat dicere, naturam nostram, utique istam quæ de morbo morbum trahit, ad B peccandum ferri, ac sic ne peccemus, adversùs eam nos quodam modo fidei religione pugnare. *Plures enim sunt*, inquit, *qui cùm per confessionem Dei ab impietate discreti sint, non tamen à peccato per id liberi sunt, Ecclesiæ disciplinam non tenentes, ut avari, ebriosi, tumultuosi, protervi,* f *caces, superbi,* f [f] *simulatores, mendaces, rapaces. Et ad hæc quidem nos vitia naturæ*, inquit, *nostræ propellit instinctus: sed utile est nos à via ad quam ferimur abscedere, neque consistere illic adhibito de-* C *cedendi ex ea non moroso recursu. Et idcirco, Beatus est vir qui in via peccatorum non stetit: naturâ quidem in viam hanc ferente, sed ex via hac fidei religione referente.* Numquidnam istum putabimus accusatorem fuisse naturæ, quam condidit Deus? Non utique: non enim dubitabat homo catholicus, humanam Dei opus esse naturam; sed profectò vitia, cum quibus nascimur accusavit, Apostolicum illud tenens, Fuimus enim & nos naturâ D filii iræ, sicut & ceteri. Verumtamen hæc verba, quæ de sermone sancti Hilarii posui, si mea essent, quanta in me diceres, Manichæorumque nomen & crimen quanto buccarum strepitu ventilares? Nunc ergo ne tui stomachi follis indigesta maledictorum cruditate rumpatur, in hunc evome, si audes, calumniosas tuas vanitates, & insanias mendaces. *Ad hæc*, inquit, *nos vitia naturæ nostræ propellit instinctus.* Quæ ista natura est? Numquid gens tenebrarum, quam Manichæo- E rum fabula inducit? Absit. Catholicus loquitur, insignis Ecclesiarum doctor loquitur, Hilarius loquitur. Nostra ergo natura est primi hominis prævaricatione vitiata, non ab aliâ naturâ ullâ divisione separanda, sed ipsa sananda: cui diabolum à nobis constitui calumniaris auctorem, dum tu ei Christum invides salvatorem, & ejus hîc vitam, ita ut sine ullo sit omnino peccato, perfectam duci posse contendis.

In Psal. 1. v. 1.

Psal. 1. 1.

Ephes. 2. 3.

F 29. Sed audi quid etiam hinc te admoneat beatus Hilarius. Cùm enim exponeret Psalmum quinquagesimum-primum: *Spes*, inquit, *in misericordia Dei in sæculum & in sæculum sæculi est. Non enim ipsa illa justitiæ opera sufficient ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac justitiæ voluntate humanarum demutationum & motuum non reputet vitia. Hinc illud Prophetæ dictum est: Melior misericordia tua super* g [g] *vitas.* Videsne hominem Dei ex illo numero esse beatorum, G de quibus prædictum est, Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, neque est in ore ejus dolus? Confitetur enim etiam peccata justorum, magis eos asserens in Dei misericordia spem

Hilarius in Psal. 51. versus fin.

Psal. 62. 4.

Psal. 31. 2.

[a] Omnes propè MSS. loco *monuisti*, habent *eminuisti*. Utrumque ediderunt Am. & Er. hoc modo, *sic eminuisti vel monuisti.*
[b] Sic Am. & MSS. At Er. & Lov. *perfectionem.*
[c] Floriacensis cod. *invidens vicit.*
[d] Tres ex quinque Vaticanis MSS. *passionũ exercitatione purgamur.*
[e] Sic Vaticani quatuor MSS. cum Floriacensi, sed secunda manu correcto. At editi, *pro qua.*
[f] Apud Am. & Er. pro *simulatores*, legitur *æmulatores.*
[g] Sic MSS. At editi, *super vitam.*

ponere,

ponere, quàm de justitia sua fidere: & ideo non est in ore ejus dolus, immo in ore illorum omnium, quibus hujus veracis humilitatis vel humilis veritatis perhibet testimonium. Qui dolus abundat in ore vestro. Ubi enim virtus non est, & tanta jactantia est, hypocrisis est: & ubi hypocrisis, utique dolus. Prorsus quantum sancti de misericordia Dei quæ magna est, tantum vos de vestra quæ nulla est virtute præsumitis: & quantum ipsi adversùs ingenerata vitia bellum gerunt adjuti per Dei gratiam, tantum vos bellum geritis adversùs ipsam Dei gratiam. Sed utinam sicut vos vincit in suis; ita suos faciens, vos quoque ipsos vincat in vobis.

30. Itane in corde vestro dicere audetis, quòd cùm vos audiunt, accenduntur homines ad virtutem, cùm autem istos audiunt tantos ac tales viros, Cyprianum, Hilarium, Gregorium, Ambrosium, ceterosque sacerdotes Domini, desperatione franguntur, ac renuntiant studiis perfectionis? Hæccine monstra cogitationum adscendunt in cor vestrum, & non elidunt frontem vestram? Ergóne vos honoratis sanctos Dei, Patriarchas, Prophetas, Apostolos laude naturæ, & decolorant eos ista lumina Ecclesiæ vituperatione naturæ; quia eos dicunt in corpore mortis hujus, ut tenerent castitatis bonum, dimicasse contra ingenitum concupiscentiæ malum, per Dei gratiam priùs conflictatione vincendum, postea novissima regeneratione sanandum? Tu intelligis *Iudæum esse qui dicit, Non enim quod volo bonum hoc ago:* & hoc præclaro intellectu, *nec conversationis sordes in naturæ refundis invidiam; nec earum obscœnitates Apostolorum & sanctorum omnium consolaris injuriis:* & hæc mala quæ tu non facis, faciebat Ambrosius cum collegis suis eadem sentientibus, qui beatum Apostolum de se ipso dixisse intelligit, *Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago:* &, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ:* & cetera hujusmodi? Isti ergo sancti talia docendo, *suffodiunt*, sicut mihi objicis, *murum pudoris, & vos ob perfectionis prædicationem patimini invidiam? Sed te*, ut scribis, *plurimùm consolaris, quoniam laudis genus est, ei displicuisse qui Apostolis non pepercit.* Si ego Apostolis dicendo talia non peperci; ergo nec Ambrosius pepercit Apostolis, nec coëpiscopi ejus eadem sentientes. Si autem illi & ex Apostolis ista didicerunt, & secundùm Apostolos ista docuerunt; quid me unum appetis? Ipsos adspice, ipsos etiam atque etiam deposito paulisper tumore cervicis intuere. Itane tandem, juvenis confidentissime, consolari te debes, quia talibus displices, an lugere?

Rom. 7.19.

Ibidem 23.

CAPUT IX. Epilogus libri hujus secundi.

31. SED jam quid egerimus per totum istum librum, in summam sicut possumus breviter colligamus. Proposuimus hîc auctoritatis mole sanctorum, qui episcopi ante nos, non solùm sermone, cùm hîc viverent, verùm etiam scriptis, quæ posteritati relinquerent, fidem catholicam strenuè defenderunt; vestra argumenta confringere, quibus dicitis: *Si Deus homines creat, non possunt cum aliquo malo nasci: Si nuptiæ bonum sunt, nihil ex eis oritur mali: Si in baptismate peccata omnia remittuntur, non possunt nati de renatis trahere originale peccatum: Si justus est Deus, non potest in filiis parentum damnare peccata, cùm ipsis parentibus dimittat & propria: Si perfectæ justitiæ capax est humana natura, habere non potest vitia naturalia.* Ad hæc nos dicimus, & Deum esse hominum creatorem, hoc est, & animæ & corporis; & bonum esse nuptias; & per baptisma Christi omnia peccata dimitti; & justum esse Deum; & perfectæ justitiæ capacem humanam esse naturam: & tamen cùm hæc omnia vera sint, obnoxios nasci homines origini vitiatæ, quæ trahitur ex homine primo; & ideo ire in damnationem, nisi renascantur in Christo. Hoc autem probavimus catholicorum auctoritate sanctorum, qui & hoc asserunt, quod de originali peccato dicimus, & illa quinque esse vera omnia confitentur. Ac per hoc non est consequens, ut hoc falsum sit, quia vera sunt illa. Tales quippe ac tanti viri secundùm catholicam fidem, quæ antiquitus toto orbe diffunditur, & hoc, & illa vera esse confirmant; ut vestra fragilis, & quasi argutula novitas sola auctoritate conteratur illorum: præter quam quòd ea dicunt, ut se per eos loqui veritas ipsa testetur. Sed nunc auctoritate primitus eorum vestra est contumacia comprimenda, ut à præsumtionis impetu repercussi, & quodam modo sauciati, dùm tales homines Dei sic in fide catholica errare potuisse non creditis, ut aliquid dicerent, unde esset consequens, Deum non esse hominum creatorem, nuptias esse damnandas, in baptismo non omnium remissionem fieri peccatorum, Deum esse injustum, nullam spem nobis remansisse virtutis perficiendæ, quæ omnia vel aliquid eorum nefas est opinari: ausus præcipites refrenetis, & tamquam ex furore resipiscentes, incipiatis in qua nutriti estis, recolere & advertere & resumere veritatem.

32. Dicit beatus Ambrosius, Unum solum hominem mediatorem Dei & hominum, eo quòd sit natus ex virgine, nec senserit nascendo peccatum, generationis obnoxiæ vinculis non teneri. Omnes autem homines sub peccato nasci, quorum ipse ortus in vitio est: quia concupiscentiæ voluptate concreti, priùs subirent contagia delictorum, quàm vitalem de hoc aëre spiritum ducerent. Ipsamque concupiscentiam tamquam legem peccati in corpore mortis hujus, legi mentis usque adeo repugnare, ut adversùs eam, non solùm quicumque boni fideles, sed apostolicæ etiam virtutis magnitudo pugnaverit; ad hoc ut per Christi gratiam caro animæ subjugata, in concordiam revocetur: quorum duorum, quæ primitus sine peccato creata sunt, ex primi hominis transgressione facta discordia est. Et quis hæc dicit? Homo Dei, catholicus, & catholicæ veritatis adversùs hæreticos usque ad periculum sanguinis defensor acerrimus, sic tui doctoris testimonio prædicatus, ut diceretur, quòd *ejus fidem & in Scripturis purissimum sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere.* Qui creatorem Deum non solùm animarum, verùm etiam corporum, adversùs Platonicorum philosophorum asseveravit errorem. Qui nuptiarum bonum & caussâ propagandi generis humani divinitus institutum, & pudicitiâ conjugali sanctam ejus copulam prædicavit. Qui neminem dixit justificari à peccato, nisi cui fuerint per baptismum dimissa omnia peccata. Qui coluit justè justum Deum. Qui

Ambrosius suprà cap. 2.

Suprà cap. 3.

Suprà cap. 6.

Pelagii de Ambrosio elogium.

Suprà cap. 7.

Suprà cap. 8.

perfectionem hominis in virtute atque justitia A absit ut impediat desperando: sed eam tamen perfectionem cui nihil adjiciendum sit, in alia vita sperat, quæ implebitur resurrectione mortuorum; in hac autem vita humanam justitiam in quadam militia belloque constituit, non solùm adversùs æmulas aërias potestates; sed adversùs ipsas nostras cupiditates, per quas & illi exteriores inimici nos dejicere, vel penetrare moliuntur. In hoc bello & ipsam carnem adversariam gravem dicit, cujus utique natura sicut B primitus condita est, nobiscum concordissima permaneret, nisi primi hominis prævaricatione vitiata, suo nobiscum languore confligeret. In hoc bello ille vir sanctus monet nos sæculum effugere, & in ea fuga quanta sit difficultas, immo impossibilitas, nisi Dei gratia opituletur, ostendit. Dicit mortua quidem vitia per remissionem in baptismate omnium peccatorum, sed eorum nos curare debere quodam modo sepulturam. Et in hoc ipso opere talem describit cum vitiis mor- C tuis nos habere conflictum, ut non quod volumus agamus, sed quod odio habemus, hoc faciamus: multa in nobis peccatum nobis reluctantibus operari, redivivas plerumque resurgere voluptates: luctandum nobis esse adversùs carnem, adversùs quam luctatus est Paulus quando dicebat, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Præcipit ne carni nostræ confidamus, ne nos ei credamus, cùm Apostolus clamet, Scio quia non habitat in me, D id est, in carne mea bonum: velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Ecce quantam nos pugnam cum mortuis habere peccatis, ille strenuus Christi miles, & Ecclesiæ fidelis doctor ostendit. Quomodo enim peccatum mortuum est, cùm multa operetur in nobis reluctantibus nobis? Quæ multa? nisi desideria stulta & noxia, quæ consentientes mergunt in interitum & perditionem: quæ utique perpeti, eisque non consentire, certamen est, conflictus est, pu- E gna est. Quorum pugna, nisi boni & mali, non naturæ adversùs naturam, sed naturæ adversùs vitium, jam mortuum, sed adhuc sepeliendum, id est, omnino sanandum? Quomodo ergo mortuum dicimus hoc peccatum in baptismate, sicut etiam iste vir dicit, & quomodo habitare in membris fatemur, & multa operari desideria reluctantibus nobis, quibus non consentiendo resistimus, sicut etiam hic vir fatetur; nisi quia mortuum est in eo reatu quo nos tenebat, & donec F sepulturæ perfectione sanetur, rebellat & mortuum? Quamvis jam non eo modo appelletur peccatum, quo facit reum; sed quòd sit reatu primi hominis factum, & quòd rebellando nos trahere nititur ad reatum, nisi adjuvet nos gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, ne sic etiam mortuum peccatum rebellet, ut vincendo reviviscat & regnet.

Rom. 7. 23. — *Ibid. 18.* — Concupiscentia post baptismum quomodo mortua cùm excitet tot mala desideria. *1. Tim. 6. 9.* — Concupiscentia in renatis quomodo peccatum dicatur.

CAPUT X. *Iob 7. 1.*

33. In hoc bello laborantes, quamdiu tentatio est vita humana super terram, non ideo G sine peccato non sumus, quia hoc quod eo modo peccatum dicitur, operatur in membris repugnans legi mentis, etiam non sibi ad illicita consentientibus nobis: (quantum enim ad nos adtinet, sine peccato semper essemus, donec sanaretur hoc malum, si ei numquam consentiremus ad malum:) sed in quibus ab illo rebellante, etsi non lethaliter, sed venialiter, tamen vincimur, in his contrahimus unde quotidie dicamus, Dimitte nobis debita nostra. Sicut conjuges quando modum generationi necessarium caussâ solius voluptatis excedunt: sicut continentes, quando in talibus cogitationibus cum aliqua delectatione remorantur, non quidem decernentes flagitium, sed intentionem mentis, non sicut oportet, ne illò incidat, inde avertentes, aut si inciderit inde rapientes. De hac lege peccati, quæ alio modo etiam peccatum vocatur, quæ repugnat legi mentis, de qua multa beatus dixit Ambrosius, adtestantur etiam sancti, Cyprianus, Hilarius, Gregorius, aliique quàm plurimi. Qui ergo generatur in Adam, regenerandus in Christo, mortuus in Adam, vivificandus in Christo, ideo peccato est obstrictus originis, quia de malo nascitur, quo caro concupiscit adversùs spiritum; non de bono, quo spiritus concupiscit adversùs carnem. Quid ergo mirum est, si renasci debet homo ex illo malo natus, contra quod pugnat homo renatus, quo reus & ipse teneretur, nisi renascendo liberaretur? Non est hoc malum materies Dei creantis, sed vulnus diaboli eamdem materiem vitiantis. Non est hoc malum nuptiarum, sed primorum hominum peccatum, in posteros propagatione trajectum. Etiam hujus mali reatus, baptismatis sanctificatione remittitur. Deus autem justus, si tanta parvulis mala, quanta nunc dicere non sufficio, nihil peccati trahentibus irrogaret, magis appareret injustus. Justitiæ verò perfecta capacitas hominis non negatur, quia nec vitiorum omnium plenissima sanitas sub omnipotenti medico desperatur. Propter quam catholicam veritatem sancti ac beati & in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes, Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Johannes, Basilius, quibus addo presbyterum velis nolis Hieronymum, ut omittam eos qui nondum dormierunt, adversùs vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam: unde nemo eruit, nisi quem sine lege peccati repugnante legi mentis virgo concepit.

Veniales concupiscentiæ lapsus. *Matth. 6. 12.* — Cogitationes morosæ. *Confer de Trinit. lib. 12. c. 12. n. 18. & serm. 96. c. 6.* — *Gal. 5. 17.* — Deus injustus appareret, si parvulis nihil peccati trahentibus tanta mala irrogaret.

34. Quid est quod exsultas, & mihi [a] quasi victor insultas, *tamquam non invenirem quid facerem, quò confugerem, si judicum premerer potestate, si in medio eruditorum consisterem tecum, si veræ*, quam dicis, *rationis tuba*, à te scilicet magno tubicine inflata, *si auditorum arma circumstantium* & tibi faventium *concreparent?* Ita enim tibi ponis ante oculos nostrum in disputatione certamen, & te argumentante, me quid respondeam non habentem, fingis ut placet. Sic tecum vana & insana tui cordis imaginatio fabulatur, quasi me ante Pelagianos judices tecum constituas, quibus plaudentibus tibi liceat exaltare tamquam tubam vocem tuam, & prædicare contra catholicam fidem & contra gratiam Christi, qua pusilli cum magnis liberantur à malo, communem tibi & illis novitiæ hujus impietatis errorem. Tales judices in Ecclesia Dei, nec sine adversario ex parte altera stante potuit eruditor

[a] Am. Er. & plerique MSS. *& mihi, si in conspectu judicum essemus, quasi victor insultas.*

Pelagius in Diospolitana synodo non absolutus nisi suo damnato dogmate.

vester Pelagius invenire. De quo judicio, ipse quidem quantum ad hominum conspectum adtinet, velut absolutus, vestro tamen palàm damnato dogmate, egressus est. At ego, ubicumque sis, ubicumque legere ista potueris, te ante istos judices intus in tuo corde constituo; quos non amicos meos & inimicos tuos, aliquâ in meam partem gratiâ propendentes, aliquo abs te merito tuæ offensionis aversos, & ob hoc tibi adversos, in hac nostra disceptatione constitui cognitores. Nec eos qui numquam fuerunt aut non sunt, aut quorum sententiæ de hoc quod inter nos disputatur incertæ sunt, inani cogitatione confinxi: sed sanctos & in sancta Ecclesia illustres antistites Dei, non Platonicis & Aristotelicis & Zenonicis aliisque hujuscemodi, vel Græcis vel Latinis, quamquam & istis aliquos eorum, verùm omnes sacris litteris eruditos, nominatim sicut oportebat expressi; eorumque sententias, quantum sufficere videbatur, sine ulla editas ambiguitate digessi, ut in eis timeas, non ipsos, sed illum qui sibi eos utilia vasa formavit, & sancta templa construxit; qui tunc de ista caussa judicaverunt, quando eos nemo potest dicere perperam cuiquam vel adversari vel favere potuisse. Nondum enim exstiteratis, contra quos susciperemus de hac quæstione conflictum: nondum eratis, qui diceretis quod in libris tuis ponis, *quia de vobis multitudini mentiti fuerimus, & quòd Cælestianorum vel Pelagianorum nomine homines terreamus, & quòd terrore ab* [a] *hominibus extorqueamus assensum.* Certè ipse dixisti, *quòd omnes judices ab odio, amicitia, inimicitia, ira vacuos esse deceat.* Pauci tales potuerunt inveniri: sed Ambrosium aliosque collegas ejus, quos cum illo commemoravi, tales fuisse credendum est. Verùm & si tales non fuerunt in his caussis, quas ad se delatas & inter partes cognitas, cùm hîc viverent, suo judicio finierunt: ad hanc tamen caussam tales erant, quando de illa sententias protulerunt: nullas nobiscum vel vobiscum amicitias adtenderunt, vel inimicitias exercuerunt; neque nobis neque vobis irati sunt, neque nos neque vos miserati sunt. Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt; quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos judices aliquid agebamus, & apud eos acta est caussa nostra. Nec nos nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos sententias recitamus. Nondum vobiscum certabamus, & eis pronuntiantibus vicimus. [b]

Doctrinæ ecclesiasticæ per manus traditio.

35. Dicis, *me, si sub potestate judicum premerer*, quales tibi ipse componis, *non habiturum fuisse quid facerem, quò confugerem; cùm tuis argumentationibus unde occurrerem reperire non possem.* Ego planè haberem quid facerem, haberem quò confugerem: à Pelagianis enim tenebris ad hæc tam præclara catholica lumina provocarem; quod & nunc jam facio. Tu ergo responde quid facias, dic quò confugias. Ego à Pelagianis ad istos: tu ab istis ad quos? An quia *non numerandas, sed ponderandas* censes *esse sententias*, & addis, (quod quidem & ego verum esse consentio,) *ad aliquid inveniendum multitudinem nihil prodesse cæcorum*, etiam istos cæcos dicere audebis? Et *usque adeo permiscuit imis longus summa dies, usque adeo tenebræ lux, & lux tenebræ esse dicuntur, ut videant Pelagius, Cælestius, Julianus, & cæci sint Hilarius, Gregorius, Ambrosius? Sed qualiscumque homo sis, tamen quia homo es, videre mihi videor verecundiam tuam, (si tamen non in te spes est omnis emortua sanitatis;) & quodam modo audio vocem tuam. Respondes, Absit ut audeam cæcos istos viros vel cogitare, vel dicere. Eorum ergo appende sententias. Nolo esse plures, ut eas te pigeat numerare: sed non sunt leves, ut eas dedigneris appendere; immo tam sunt graves, ut te videam sub earum onere laborare. Numquid & de istis dicturus es, *me imbellem tibi opinionem consortis opponere, & velut consternatum metu,* [c] *conscios nominare?*

** Lucan. lib. 3. v. 138.*

36. Dicis, *in caussa judicandi, amoto strepitu turbarum, de omni ordine conversationis hominum, sive sacerdotum, sive administrantium, sive* [d] *præfectorum, ad discussionem talium rerum non sola nomina, sed eligendam esse prudentiam, & honorandam esse paucitatem, quam ratio, eruditio, libertasque sublimat.* Ita verò est, ut dicis: sed nec ego te ullius multitudinis numerositate perturbo; quamvis propitio Deo, de hac fide, cui contradicitis, catholica sanum sapiat etiam multitudo; in qua usquequaque plurimi, ubi possunt, quomodo possunt, sicut divinitus adjuvantur, vana vestra argumenta [e] confutant. Unde absit à me ista, quam mihi objicis, arrogantia, *ut me istam caussam contra vos, unum pro omnibus agere pollicerer.* Quod cùm tu inter Pelagianos facis, non erubescens dicere & scribere, *majoris tibi esse apud Deum gloriæ, destitutam veritatem tueri:* multùm abjecti & verè destituti sunt, multúmque [f] abs te pendent, si hanc intolerabilem arrogantiam esse non judicant, qua te etiam ipsis Pelagio scilicet & Cælestio, vestrûm omnium doctoribus anteponis; quasi & illi jam cesserint, & tu remanseris, qui destitutam tuearis, quam veritatem putatis. Verùm quia te delectat, non numerare multitudinem, sed appendere paucitatem; exceptis judicibus Palæstinis, qui hæresim vestram in absoluto Pelagio damnaverunt, quem timore compressum Pelagiana ipsa dogmata damnare coegerunt, decem episcopos jam defunctos & unum presbyterum tibi hujus caussæ opposui judices, qui de illa cùm hîc viverent judicaverunt. Si vestra consideretur paucitas, multi sunt; si multitudo catholicorum episcoporum, perpauci sunt. Ex quibus papam Innocentium & presbyterum Hieronymum retrahere fortasse tentabis: istum, quia Pelagium Cælestiumque damnavit; illum, quia in Oriente contra Pelagium catholicam fidem pia intentione defendit. Sed lege quæ dicat [g] in laudem beatissimi papæ Innocentii Pelagius, & vide utrùm tales facilè possis judices invenire. De illo autem sancto pres-

Pelagiana hæresis in absoluto Pelagio damnata per synodum Palæstinam.

Hieronymi laus.

[a] Sic MSS. Editi verò, *ab omnibus.*
[b] Apud Lov. *vincimus.*
[c] Duo MSS. *consocios nominare.*
[d] Vaticani omnes & plerique Gallicani MSS. *sive privatorum.* Editiones Am. & Er. cum aliis quibusdam Gallic. MSS. *sive prævaricatorum.*

[e] Floriac. MS. *confundunt.*
[f] Am. Er. & Belgici MSS. cum Gallicano Pratellensi, habent, *multúmque obstupendi.*
[g] MSS. *in laude.* Pelagius porrò in professione suæ fidei ad Innocentium, *Emendari cupimus à te*, ait, *qui Petri & fidem & sedem tenes.* Exhibetur infrà in 2. parte Appendicis, pag. 96. & 97.

bytero, qui secundùm gratiam quæ data est ei, sic in Ecclesia laboravit, ut eruditionem catholicam multùm in Latina lingua multis & necessariis litteris adjuvaret, non solet Pelagius jactitare, nisi *quòd ei tamquam æmulo inviderit.* Sed nolo ex hoc tibi videatur de istorum numero judicum retrahendus. Non enim ejus sententiam posui, quam tempore inimicitiarum contra vestrum tenuit & defendit errorem; sed quam posuit in scriptis suis, liber ab omni studio partium, ante quàm vestra damnabilia dogmata pullularent.

Pelagius de Hieronymo questus, quòd ei tamquã æmulo inviderit.

37. De reliquis sanè non habes omnino quod dicas. Numquid Irenæus, & Cyprianus, & Reticius, & Olympius, & Hilarius, & Gregorius, & Basilius, & Ambrosius, & Johannes, *de plebeia fæce sellulariorum*, sicut Tulliané jocaris, *in vestram invidiam concitati sunt?* Numquid *milites?* numquid *scholastici auditoriales?* numquid *nautæ, tabernarii, cetarii, coqui, lanii?* numquid *adolescentes ex monachis dissoluti?* Numquid postremò *de qualiumcumque clericorum turba* isti sunt, quos urbana exagitatos dicacitate, vel potiùs vanitate contemnis, *quia non possunt secundùm categorias Aristotelis de dogmatibus judicare?* Quasi tu, qui maximè quereris *examen vobis & episcopale judicium denegari*, Peripateticorum possis invenire concilium, ubi de subjecto & his quæ sunt in subjecto contra originale peccatum dialectica sententia proferatur. Isti episcopi sunt, docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversùs garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quæ tria [a] bona judici tribuisti, non potes invenire quod spernas. Si episcopalis synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facilè tot sedere. Quia nec isti uno tempore fuerunt: sed fideles & multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire judicat, ipse dispensat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus ab Oriente & Occidente congregatos vides, non in locum quò navigare cogantur homines, sed in librum qui navigare possit ad homines. Quanto tibi essent isti judices optabiliores, si teneres catholicam fidem; tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas catholicam fidem: quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumserunt, cujus lac & cibum parvis magnisque ministraverunt, quam contra inimicos etiam vos tunc nondum natos, unde nunc [b] revelamini, apertissimè ac fortissimè defenderunt. Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit. Ideo profanas voces vestræ novitatis expavit; & cauta ac sobria ex admonitione apostolica, ne sicut serpens Evam seduxit astutiâ suâ, sic & mens ejus corrumperetur à castitate, quæ est in Christo, catholicæ fidei [c] virginitate insidias vestri dogmatis subrepentis exhorruit; & tamquam caput colubri calcavit, obtrivit, abjecit. His igitur eloquiis & tanta auctoritate sanctorum, profectò aut sanaberis Dei misericordiâ donante, quod quantum tibi optem, videt qui faciat: aut si, quod abominor, in eadem quæ tibi videtur sapientia, & est magna stultitia, perduraveris; non tu judices quæsiturus es, ubi caussam tuam purges; sed ubi tot sanctos doctores egregios atque memorabiles catholicæ veritatis accuses, Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Gregorium, Basilium, Ambrosium, Johannem, Innocentium, Hieronymum, ceterosque socios ac participes eorum, insuper & universam Christi Ecclesiam, cui divinæ familiæ Dominica cibaria fideliter ministrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt. Adversùs hanc autem miserabilem, quam Deus à te avertat insaniam, sic respondendum esse video libris tuis, ut fides quoque adversùs te defendatur istorum; sicut contra impios & Christi professos inimicos etiam ipsum defenditur Evangelium.

Vide infrà lib. 6. c. 11.

Julianus queritur episcopale sibi examẽ & judiciũ denegari.

Quæ in judice spectanda.

2. Cor. 11.

[a] Aliquot MSS. *quæ tria bono judici.*
[b] Tres è quinque Vaticanis MSS. *refellamini.* Alii duo, *rebellamini.*
[c] Sic Am. & MSS. At Er. & Lov. *virginitati.*

LIBER TERTIUS.

Iulianus deinceps ea ratione ac diligentiâ confutandus, ut ad singulos quatuor ipsius libros seorsim respondeatur singulis totidem libris. Hoc itaque tertio suo Augustinus primum Iuliani librum refellit, id agens ut liquidò appareat, cùm Deus verus & bonus sit hominum conditor, bonæque sint nuptiæ & ab ipso institutæ, malam tamen esse concupiscentiam, qua caro contra spiritum concupiscit. Hoc malo bene uti pudicitiam conjugalem, meliúsque non uti eo continentiam sanctiorem. Malum autem istud non ex alia substantia quam non Deus condiderit, ut Manichæus insanit, nobis esse permixtum; sed per Adæ inobedientiam exortum atque traductum, & per Christi obedientiam expiandum atque sanandum: cujus mali obligatione implicat debita pœna nascentem, solvit indebita gratia renascentem. Ex ipsis quoque Iuliani dictis malam ostendi libidinem: quippe qui & remedia contra eam agnoscat, & ratione frenari eam velit, ac denique dicat gloriosa in ipsam à continentibus exerceri certamina.

CAPUT I.

JAM nunc, quia sine dubio tot tantorumque sanctorum, & in sacris litteris eruditorum, & in Ecclesiæ regimine tam clarâ memoriâ & laude pollentium auctoritati si non cesseris, nec adquieveris, sive contumeliosissimè sicut me, sive illos verecundiùs & mitiùs cum aliqua personarum acceptione tractaveris; tamen etiam ipsos errasse dicturus es; ita tibi dilecte fili Juliane,

Domino donante respondere debeo, & sic tuos A libros atque argumenta refellere, ut si possis, intelligas, malè tibi fuisse persuasum, quod aliis persuadere moliris; teque salubriter pæniteat incautæ ac temerariæ juvenilis progressionis & prolapsionis tuæ, non tantùm tibi tua correctione, verùm etiam pluribus profutura, cognoscentibus vobis atque fatentibus quàm non inaniter quámque veraciter tot & tanti Christianorum rectores doctoresque populorum hoc in Ecclesia Dei dixerint & docuerint, quod veri simili novitate B decepti cupiebatis evertere. Si autem, quod abs te Dominus avertat, vel sic tenebratum cor habueris, ut intelligere ista non possis; vel ex eo numero fueris, quos in sanctis Psalmis veritas notat dicens, Noluit intelligere, ut bene ageret; vel ex eo, de qualibus item scriptum est, Verbis non emendabitur servus durus, si enim & intellexerit, non obaudiet: nec sic erit iste infructuosus labor vel meus, vel aliorum fratrum, qui per Christi gratiam contra hunc errorem catholi- C cam defendunt fidem. Multo ampliùs enim erunt quos antiqua veritas vel instruat defensa, vel corrigat, si non defuerunt quos irrepens error [a] insolitus aut subverteret, aut moveret. Ac ne longum faciam, non omnia verba tua ponam, sed si Dominus adjuverit, tuarum velut acutarum argumentationum nihil non solutum destructumque dimittam.

Psal. 35. 4. Prov. 29. 19.

Juliani querela de judicibus qui Pelagii hæresim damnarũt.

2. De judicibus, *apud quos propterea* dicis *non potuisse vos agere caussam vestram, quia nemo de* D *rebus dubiis bene consultat, nisi qui ab odio, ira & amicitia vacuum pectus adtulerit; quales non fuisse* dicis, *qui de caussa vestra judicaverunt, quia priùs eam cœperunt odisse quàm nosse*, jam quidem superiore * libro respondi: Quia si tales judices, quales definivit, unde hoc dixisti, Sallustius, quæreretis: sancto Ambrosio & coëpiscopis ejus, qui de hac re ab odio vestri vel amicitia, vel ira, vel quod tu non posuisti, sed Sallustius posuit, misericordia pro vobis, vel contra vos, vacuum pe- E ctus habuerunt, quando de hac re veras tranquillasque sententias protulerunt, utique [b] cederetis. Quos nunc vobis parum est judices nolle, nisi etiam reos facere insuper audeatis. Sed obsecro te, quomodo caussam vestram qui damnaverunt, antè cœperunt odisse quàm nosse? [c] Qui eam procul dubiò quia noverant, oderant. Noverant enim vos dicere, nihil mali parvulos habere nascendo, quod purgari debeat renascendo. Noverant vos dicere, gratiam Dei secundùm F merita nostra dari: ut jam gratia non esset gratia, quia non gratìs daretur, sed secundùm debitum redderetur. Noverant vos dicere, hominem in hac vita posse nullum habere peccatum; ut non ei sit necessarium, quod in oratione Dominica tota dicit Ecclesia, Dimitte nobis debita nostra. Hæc in vobis noverant, & rectissimè oderant. [d] Denique ab eis vos correctos noverint, & amabunt. Quoniam non sicut dicis, *Si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse na-* G *scentium conditorem dixerit, Pelagianus & Cælestianus vocatur*: sed qui libertatem in quam vocati sumus, non gratiæ Dei tribuerit; & qui parvulorum liberatorem Christum negaverit; & qui cuiquam in hac vita justo aliquam in Dominica oratione petitionem, non propter ipsum dixerit necessariam; ipse hujus erroris accipit nomen, quia errore communicat crimen.

** Lib. 2. cap. ult.*

Sallust. de conjurat. Catilina, in oratione Cæsaris.

Rom. 11. 6.

Matth. 6. 12.

3. Jam verò Manichæorum crimine, quæ catholica lumina audeas, vel te nescias, vel nescire te fingas, infamare, non opus est hìc dicere. Sanè, ut dicis, si *pro vobis potiùs ab Imperatore responsum est*, cur non in medium prosilitis, & hoc ultro publicis potestatibus allegatis, vos esse monstrantes, quorum Christianus princeps approbavit fidem? Verùm si Dei legem non sicut sese habet, sed sicut vobis placet, intelligitis: quid mirum si & de lege Imperatoris hoc facitis? Sed hæc te aliàs exsecuturum pleniùs polliceris. Quod si feceris, aut redarguetur sicut insidiosum; aut contemnetur sicut inane, quod [e] feceris.

4. Quàm verò lauta & lepida est gratulatio tua, quòd *unum* dicis *egressum, qui in se summam prœlii sitam optat intelligi*; videlicet ut Pelagianis tu videaris David, ego autem Golias. Videris, si tu hoc induxisti pactum & placitum cum Pelagianis, ut si victus fueris, nihil ulterius illi audeant. Ego autem absit ut ad monomachiam vos provocem, quos ubicumque apparueritis, ubique diffusus Christi debellat exercitus; qui debellavit apud Carthaginem Cælestium, quando illic ipse non eram; & rursus Constantinopoli * tam longè à regionibus Africanis: qui debellavit in Palæstina Pelagium, ubi caussam vestram suæ damnationis timore damnavit: ibi enim omnino cecidit hæresis vestra. Et quia ille, cujus figura erat David, contra suos adversarios in suis omnibus militibus pugnat, errorem vestrum etiam Pelagii linguâ tamquam prostrati & jacentis gladio detruncavit. Nam quod tu dedignaris, *propterea vos novos hæreticos dici, quia omne malum quod peccatum definitur, asseritis non in natura, sed in sola voluntate consistere*, jam vobis Pelagius, immo per linguam Pelagii Dominus amputavit. Timens quippe ille damnari, * damnavit eos qui dicunt, infantes etiam si non baptizentur, habere vitam æternam. Qui ergo negatis esse in parvulo malum, quod baptismate diluatur; dicite quo merito parvulus non baptizatus æterna morte plectatur? Sed quid estis dicturi, nisi fortè Pelagio maledicturi? Qui tamen si vobis maledicentibus dicat, Et quid velletis ut facerem? An dicente Christo, Si non manducaveritis meam carnem, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis: dicturus fueram parvulum habiturum vitam, qui sine isto sacramento finisset hanc vitam? Puto quòd vos maledixisse homini pænitebit. Jam vos ergo totius pæniteat hujus erroris.

Cælestius Carthagine & Constantinopoli damnatus.

** V. in 2. parte Appendicis de synodo Constantinopolitana sub Attico habita an. 417.*

** Lib. de gestis Pelagii, c. 11. 33. & 35.*

Iohan. 6. 54.

5. Ne argumento miserrimo utamini, quo universi utuntur hæretici, quos à perniciosa licentia leges Imperatorum catholicorum premunt. Omnes quippe hujusmodi dicunt, quod ipse dixisti: *Laborare illam partem rationis inopiâ, quæ in disserendo cùm terrorem subrogat, nullum à prudentibus impetrat, sed cæcum à meticulosis extorquet assensum.* Novi quidem hæretici vos estis, sed

[a] Editi, *insolutus.* Omnes MSS. *insolitus.*
[b] Am. & MSS. *crederetis.*
[c] Sic MSS. At editi, *Quia eam procul dubio noverant, oderant.*

[d] Aliquot MSS. hìc addunt, *Hæc in vobis noverunt, & rectissimè oderunt.* Mox in editis, *Denique si ab eis.* Abest *si* à MSS.
[e] Sic MSS. Editi verò, *quod fateris.*

Vetus hæreticorum omnium vox.

istam pene omnium hæreticorum veterem vocem cum ceteris agnovistis atque tenuistis. Nec vos nec alios decipiatis, velut talem vocem habentes adversùm nos, qualem nos adversùm Donatistas, quos ad Collationem nobiscum venire per imperialia jussa compulimus: (illorum enim furor occupaverat Africam totam, nec prædicari à catholicis veritatem contra suum patiebantur errorem, violentis aggressionibus, [a] latrocinationibus, itinerum obsidionibus, rapinis, ignibus, cædibus multa vastantes, cuncta terrentes:) cum quibus apud episcopos, quos communes non habebamus, nihil agere poteramus: quod verò ante ferme centum annos majores nostri cum eis egerant, jam populorum memoria non tenebat. Hæc igitur necessitas compulit, ut saltem gestis nostra Collatione confectis, eorum contunderemus inverecundiam, & reprimeremus audaciam. Vestra verò apud competens judicium communium episcoporum modò caussa finita est: nec ampliùs vobiscum agendum est, quantùm ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini: quòd si nolueritis, à turbulenta vel insidiosa inquietudine cohibeamini. Similes autem potiùs estis Maximianistis, qui cupientes exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari, & ideo videri aliquid apud eos quibus contemtibiles erant, quia inire nobiscum finerentur examen; interpellantes eos & libellum dantes provocantesque contemsimus. Magis enim de certamine nominari desiderabant, quàm formidabant in certamine superari: nec sperabant victoriæ gloriam, sed famam requirebant Collationis, quia multitudinis non habebant. Si ergo putatis, ideo vos esse victores, quia non vobis datum est quale desideratis examen; Maximianistæ vos ad ista vaniloquia præcesserunt: quamvis dederit vobis Ecclesia catholica judicium, quale debuit, ubi caussa vestra finita est: illis autem nullum dare dignata est; quia non à nobis sicut vos, sed à Donatistis fuerant segregati. Si autem in Maximianistis videtis non esse consequens, ut qui conferre in aliquo judicio non sinuntur, putari debeant de veritate confidere: nolite ulteriùs hæc vana jactare; vobisque sufficiat, quòd vos Ecclesia catholica & maternâ lenitate sustinuit, & judiciariâ severitate, vel potiùs medicinali necessitate damnavit.

Collatio Carthaginensis cum Donatistis.

Maximianistæ collationem cũ catholicis expetierunt, sed rejecti sũt.

6. Sed ne superfluis immoremur, omitto tumultus maledictorum et conviciorum tuorum, sive quæ in principio congessisti operis tui, sive quæ per omnes eosdem quatuor libros penè nusquam spargere destitisti; ne gravibus hominibus neuter nostrûm disputator gravis, sed levis uterque litigator appareat. Videamus jam potiùs quid afferas, unde me, sicut promittis, ostendas homines & nuptias diabolo auctori tribuere.

CAPUT II.

[b] Respondet ad primam Juliani calumniam de loco lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 1.

7. CERTE redarguenda tibi mea verba proponis; quibus propositis velut respondens, persuadere conaris, *contra me ipsum locutum me fuisse: qui cùm propter meam defensionem dixerim, ab hæreticis novis dici nos damnatores esse nuptiarum, operisque divini, postea id abstulerim, dicendo* [b] *in semis unciis possideri hominem nascentem à Deo & à diabolo, vel potiùs totum à diabolo possideri, prorsus excluso Deo velut ab universa sua possessione, quod est homo.* Ubi est acumen tuum, quo tibi videris & categorias Aristotelicas assecutus, & aliam dialecticæ artis astutiam? Itane non adtendis hoc, quod mihi de parvulis objecisti, de quibuslibet majoribus malis hominibus utrique nostrûm objici posse ab aliquo adversario veritatis? Interrogo enim te, quid de nondum regenerato homine pessimo quocumque respondeas. Saltem istum confiteris esse sub diabolo, nisi renascatur in Christo: an & hoc negas? Si negas, qui sunt ergo quos Deus eruit de potestate tenebrarum, & transfert ad regnum filii caritatis suæ? Si autem confiteris, quæro utrùm in tali homine in potestate adhuc posito tenebrarum habeat Deus aliquam potestatem. Si dixeris, non habet: respondebitur tibi, Ergo Deus de sua possessione à diabolo exclusus est. Si dixeris, habet: respondebitur tibi, Ergo Deus & diabolus in semis unciis hominem possident: & tibi ab imperitis talis invidia concitabitur, qualem tu mihi, qui vis peritus putari, de parvulis ab ortu recentibus concitare voluisti. Ecce primum argumentum tuum quanta facilitate destructum est, dum adtendere negligis, sic esse homines sub diaboli potestate, ante quàm redimantur à Christo, ut tamen Dei potestati, non solùm hi, sed ne ipse quidem diabolus subtrahatur.

Coloss. 1. 13.

Nec homo peccator, nec diabolus Dei potestati subtrahuntur.

CAPUT III.

Ad secundam calumniam de baptismo parvulorum.

8. DE baptismi sanè quæstione, quàm vobis apud ignaros invidiosam mendaciis nostris factam fuisse conquestus es, vix dici potest, quàm eleganter existi, hanc à vobis amolitus invidiam, eo quòd parvulos baptizandos esse fateamini, quia *gratiam baptismatis* dicitis, *non pro caussis esse mutandam, quòd ipsa dona sua pro accedentium capacitate dispensat. Ideoque Christus qui est sui operis redemtor, auget*, inquis, *circa imaginem suam continua largitate beneficia, & quos fecerat condendo bonos, facit innovando adoptandoque meliores.* Hoccine est totum, cur vobis de baptismate parvulorum faciendam non existimatis invidiam; quasi quisquam nostrûm vos dixerit negare, baptizari parvulos oportere. Non eos dicitis non debere baptizari; sed pro magnitudine sapientiæ vestræ, res mirabiles dicitis: In sacramento Salvatoris baptizantur, sed non salvantur; redimuntur, sed non liberantur; lavantur, sed non abluuntur; exorcizantur & exsufflantur, sed à potestate diaboli non eruuntur. Hæc sunt sententiarum portenta vestrarum, hæc inopinata mysteria dogmatum novorum, hæc paradoxa Pelagianorum hæreticorum, mirabiliora quàm Stoicorum philosophorum. Ut enim hæc dicatis, timetis audire, Si salvantur, quid in eis ægrotabat? Si liberantur, quid in eis servitutis vinculo tenebatur? Si abluuntur, quid in eis latebat immundum? Si eruuntur, quo merito erant sub diaboli potestate, qui propria iniquitate non erant rei, nisi quia trahunt, quod negatis, originale peccatum? Et ad hoc negatis, non ut eos salvos, liberos, mundos, nulli hosti subditos asseratis; non enim aliquid eis opitulatur vestrum testimonium falsum, ante judicem verum: sed ut illis in mala vetustate

Paradoxa Pelagianorum de baptismo parvulorum.

[a] Am. ac MSS. Gallic. & Vatic *latrocinantibus.*
[b] Editi hîc & infrà, *in finis unciis.* Plures. MSS. Gallicani & & tres Vat. *in semis unciis.* Alii Vatic. duo, *in semunciis.*

remanentibus, vos novam sectemini vanitatem. Non enim vestra, sed illius est vera sententia, qui dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei. (Johan. 3. 5.)

9. Verùm vos excellentissimi amatores illius vitæ, quæ futura est æterna cum Christo, nullam pœnam putatis esse imaginis Dei, in æternum exsulare à regno Dei: cùm si parvam pœnam esse diceretis, non esset hæc vox beati amatoris illius regni, sed miseri contemtoris. Porrò autem, si quod huic sufficit caussæ, parvam saltem pœnam fatemini esse, quæ magna est, ut imago Dei non sinatur intrare in regnum Dei: obsecro aperite qualescumque oculos, & videte quâ justitiâ pœna ista infligenda sit parvulo, quem clausis oculis originali obnoxium negatis esse peccato. Omitto commemorare quæ mala in hac ipsa transitoria vita penè omnes patiantur infantes; & quomodo explicetur quod dictum est, (Eccli. 40. 1.) Grave jugum super filios Adam à die » exitûs de ventre matris eorum, usque in diem se- » pulturæ in matrem omnium. Quæ utique mala sub justo & omnipotente Deo non irrogarentur ejus imagini, quibus malis in virtute exerceri infantilis ætas non potest dici, si nulla ex parentibus mala merita traherentur. Hæc autem mala parvulorum, non ea quæ habere negantur à vobis, sed quæ perpeti cernuntur ab omnibus nobis, tu prætermittis omnino, nec respicis: [a] sed spatiaris tibi vir disertissimus, & exerces ingenium ac linguam tuam in laude naturæ. Natura ista in tantas & tam manifestas collapsa miserias, salvatorem, liberatorem, mundatorem, redemtorem Christum habet necessarium; non Julianum, non Cælestium, non Pelagium laudatorem. Quam quidem redimi non fatereris in parvulis, nisi quia hoc Cælestius apud Carthaginem gestis ecclesiasticis, ora Christiana non sustinens, fassus est. Ceterùm rogo te, quomodo potest intelligi ista redemtio, nisi à malo, redimente illo qui redimit Israël ab omnibus iniquitatibus ejus? (Psal. 129. 8.) Ubi enim redemtio sonat, intelligitur & pretium: & quod est hoc, nisi pretiosus sanguis agni immaculati Jesu Christi? (1. Pet. 1. 19.) De hoc autem pretio quare sit fusum, quid interrogamus alium? Redemtor ipse respondeat, dicat ipse mercator. (Matth. 26. 28.) Hic est, inquit, sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Pergite adhuc, pergite, & sicut dicitis, In sacramento Salvatoris baptizantur, sed non salvantur; redimuntur, sed non liberantur; lavantur, sed non abluuntur; exorcizantur & exsufflantur, sed à potestate diaboli non eruuntur: sic etiam dicite, Funditur pro eis sanguis in remissionem peccatorum, sed nullius peccati remissione mundantur. Mira sunt quæ dicitis, nova sunt quæ dicitis, falsa sunt quæ dicitis: mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus.

Caput IV.

10. Nonne ipse dixisti, *Administrationem corporis sic animo esse commissam, ut fructus operis fieret utrique communis, & vel virtutis exercitæ gaudia, vel [b] insolentiæ pœnas cum ejus quam hic non bene rexerat, carnis afflictione sentiret?* Responde igitur, quare in hac ipsa vita afflictione carnis anima crucietur infantis, cujus ei meritum, quia non bene rexerit carnem, adhuc non potest imputari? (Morbi infantium unde.) *Naturam* dicis *humanam in exordiis nascentium innocentiæ dote locupletem.* Fatemur sanè, quantum ad peccata pertinet propria: cùm autem etiam originali negatis obnoxios, respondete, quo merito tanta innocentia nonnumquam cæca, nonnumquam surda nascatur? Quod vitium etiam ipsam impedit fidem, Apostolo testante qui dicit, Igitur fides ex auditu. (Rom. 10. 17.) Jam verò quis ferat, quod ad ipsum spectat animum, imaginem Dei *innocentiæ*, sicut asseris, *dote locupletem*, fatuam nasci, si nulla ex parentibus mala merita in parvulos transeunt? An ita est quisquam vestrûm fatuus, ut fatuitatem nullum malum putet; cùm Scriptura dicat, Mortuum septem diebus, fatuum verò omnibus diebus esse lugendum? (Eccli. 22. 13.) Quis autem nesciat, quos vulgò moriones vocant, naturâ ita fatuos, ut quibusdam eorum penè sensus pecorum conferatur? (Moriones.) Et non vultis fateri genus humanum ex initio quo deseruit Deum, trahere damnatæ originis noxam his omnibus dignissimam pœnis, nisi ubi parcit ratione dispositionis occultæ inscrutabilis sapientia Conditoris. Qui nec ab ipsa universa massa perditionis abstinet sui operis bonum: ut ex malis vitiorum condat, licèt cum malis, in quantum bona est, rationalem mortalemque naturam, cujus nemo esse potest conditor, præter ipsum; & in generatione damnata, præbeat vasis misericordiæ regenerationis auxilium.

Caput V. Peccatum etiam originale à mala voluntate exortum.

11. Frustra itaque putas, *ideo in parvulis non esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest.* Hoc enim rectè dicitur propter proprium cujusque peccatum, non propter primi peccati originale contagium: quod si nullum esset, profectò nulli malo parvuli obstricti, nihil mali vel in corpore, vel in anima, sub tanta justi Dei potestate paterentur. Quod tamen & ipsum à mala voluntate priorum hominum sumsit exordium. [c] Ita nisi voluntas mala, non est cujusquam ulla origo peccati. Hæc si sapias, simpliciter & veraciter gratiam Christi erga parvulos confiteberis, nec cogéris res impiissimas atque absurdissimas dicere, aut baptizandos non esse parvulos, quod quidem postea estis fortasse dicturi, aut tam magnum sacramentum sic in eis esse ludibrium, ut in Salvatore baptizentur, sed non salventur; à liberatore rediamantur, sed non liberentur; lavacro regenerationis laventur, sed non abluantur; exorcizentur & exsufflentur, sed à potestate tenebrarum non eruantur; sit eorum pretium sanguis, qui in remissionem fusus est peccatorum, sed nullius peccati remissione purgentur. Hoc totum propterea, quia timetis dicere, Non baptizentur; ne non solùm facies vestræ sputis oblinantur virorum, verùm etiam capita sandaliis muliercularum commitigentur.

12. Nos certè caussam cur sub diabolo sit qui nascitur, donec renascatur in Christo, peccati (Infans sub diaboli potestate pro.)

[a] Sic plerique MSS. At Er. & Lov. *exspatiaris ibi*: omisso, *sed.*
[b] Unus è Vaticanis MSS. *vel insolertiæ.* quod non minùs bene alteri membro respondet, *vel virtutis exercitæ.*
[c] Post *sumsit exordium*, in editis additur, *Sicut voluntas mala ipsa est origo peccati, id est, à voluntate mala peccatum exortum est, & peccati origo voluntas mala est.* Hoc glossemate carent duo è quinque Vaticanis MSS. Tres verò alii pro, *Sicut voluntas mala*, ferunt, *Voluntas enim mala.* Floriacensis cod. *Quòd voluntas mala* &c.

pter originale peccatum.

ex origine dicimus esse contagium. Vos autem qui hoc negatis, ea saltem quæ aperta sunt intuemini; cur nonnulli etiam dæmonem patiantur infantes: nisi fortè & ipsos, aut esse, aut sub diabolo esse, negabitis; nec vos Evangelium commonebit, ubi forsitan propter vos interrogavit Dominus quod sciebat, ut pater pueri responderet, filium suum ab infantia sua à dæmonio tam gravi graviterque vexari, ut à Christi discipulis non posset expelli. Ecce ego, ut sint parvuli in diaboli potestate, caussam nuptias esse non dico, quod me dicere calumniaris. Nuptiæ quippe habent ordinem suum & benedictionem suam, bonumque suum nec subintrante peccato amittere potuerunt. Tu autem quare sit sub diabolo ille saltem infans, qui manifestissimè vexatur à diabolo, ita ut aliquando ipsa vexatione moriatur, responde si potes. Non vis enim, quemquam ullam pœnam pro alienis subire peccatis, ne hinc fiat credibile, etiam contagia peccatorum in nascentes ex gignentibus posse transire.

Luc. 9. 39.

CAPUT VI.

13. SED videlicet, ut egregius dialecticus, *non me patieris elabi, sed pressè interrogabis & breviter, In parvulis actionem ream, an naturam putem.* Et ad utrumque respondens, *Si actionem*, inquis, *ostende quid fecerint: si naturam, ostende quis eam fecerit.* Quasi & actio mala faciat nisi naturam ream. Actione quippe qui reus est hominis, homo est; homo autem natura est. Homines igitur, sicut peccati actione majores, ita minores majorum contagione sunt rei: isti ex eo quod faciunt, illi ex quibus originem ducunt. Quocirca in parvulis bonum est, quod homines sunt; quod omnino non essent, nisi eos ille qui summè bonus est creavisset. Malum verò si nullum ex origine traherent, numquam cum vitiis vel corporalibus nascerentur. Deus enim qui est animarum, ipse est etiam corporum conditor, qui utique humanæ in ipsa conditione naturæ vitia non infligit immeritæ. Neque enim de innumerabilibus parvulis, qui & in animo & in corpore cum tanta vitiorum varietate nascuntur, hoc dici potest, quod Dominus ait de illo qui cæcus natus est; non propter peccatum ipsius, vel parentum, id esse factum, sed ut manifestarentur opera Dei in illo. Multi quippe nec sanantur omnino, sed cum eisdem vitiis, sive qualibet ætate, sive in ipsa moriuntur infantia. Nonnullis etiam parvulis jam renatis, vel permanent cum quibus sunt nati, vel accidunt hujusmodi mala, absit ut dicamus indignè: sed hinc potiùs intelligamus eis ad alterum sæculum prodesse, quòd renascuntur: hujus autem sæculi dispositionem propter [a] vitium superbiæ hominis, per quod apostatavit à Deo, diversis malis hominum peragi in jugo gravi super filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.

Iohan. 9. 3.

V. Enchirid. cap. 66.

a Eccli. 10. 15.

Eccli. 40. 1.

CAPUT VII.

14. QUOD autem in hoc opere tuo, quomodo fiant à dialecticis syllogismi, unde quæstionem tibi nullus objecit, docere conaris; quantum tibi places, tantum gravibus lectoribus displices. Et quod est pejus, fingis me dicere quod non dico, concludere sicut non concludo, concedere quod non concedo, & concludis tibi ipse quod renuo. Quando enim ego negavi, *naturam hominum esse laudabilem*, in quantum homines sunt? Quando dixi, *ob hoc ipsum reos esse, quia sunt*; cùm profectò essent, nec rei essent, si nemo peccasset? Quando dixi, *fecunditatem esse reprobandam*; cùm ad benedictionem pertineat nuptiarum? Quomodo à te peterem ut hoc ipsum concederes, quod ipse non dixi?

15. Jam verò quod me dicis assumere, *Omnis commixtio corporum mala*; nihil minus est, quàm ut dicas, me etiam vini & aquæ accusasse commixtionem, quando nobis potio temperatur: quia & ibi corporum est sine dubitatione commixtio; & si omnem commixtionem corporum malam dixi, neque hanc utique prætermisi. Sed nec ipsam commixtionem sexûs utriusque reprehendi, si legitima atque nuptialis est. Sine hac enim non fieret hominum generatio, etiam nullo cujusquam præcedente peccato. Proinde illud aliud quod me dicere adjungis, *Filii autem de corporum commixtione nascuntur*, dico sanè: sed conclusio, quam velut meam inferre voluisti, non est mea. Non enim ego dico, *Nequam igitur filii, qui de mala operatione procedunt*: quando quidem ipsam conjugum operationem, quæ fit gignendorum gratiâ filiorum, non dico malam, sed potiùs bonam: quia bene utitur libidinis malo, per quod generantur homines bonum opus Dei; non sine malo, propter quod regenerandi sunt, ut liberentur à malo.

Commixtio sexuum etiam in paradiso futura erat.

16. Deinde contexis alterum syllogismum tuum; quoniam tuus est [b] & prior iste, non meus. Dicis ergo, *Caussa sexuum commixtio corporum*: & vis ut hoc concedam tibi. Ecce concedo. Pergis inde, & adjungis: *Si mala semper commixtio, deformis etiam conditio corporum in sexuum diversitate positorum.* Hoc si esset consequens, me non premeret, qui commixtionem nuptialem, id est, liberorum procreandorum caussâ, non solùm malam non dico, verùm etiam bonam dico. Huc accedit, quia & consequens non est, ut si semper est mala sexûs utriusque commixtio, propterea sit deformis etiam conditio corporum in sexuum diversitate positorum. Profectò enim si in tantum homines essent malo libidinis subjugati, ut remota honestate nuptiarum, omnes indifferenter ac passim canino more concumberent, non ideo deformis esset conditio corporum, cujus Deus auctor est, quoniam mala esset omnium hominum maris feminæque commixtio: sicut etiam nunc de adulterina commixtione utique mala, bonum est in corporum conditione opus Dei. Vides nempe, quàm dialecticè nihil dixeris, & nullâ quidem culpâ dialecticæ disciplinæ, tu quantum à tramite ejus exorbitaveris? Vides illius artis verbis ad hoc te uti, ut eis inflatus adtonitos facias imperitos, volendo videri esse quod non es. Quod & si esses, ad eum modum quo ista disputanda sunt, nihil esses. Sed planè nunc & ineptus & imperitus, tunc autem ineptus artifex esses. Et tamen dialecticorum quasi jaculis oneratus acutis, in certamen procedis, & jactas plumbeos pugiones, dicens, *Si mala semper commixtio, deformis etiam conditio corporum in sexuum diversitate positorum.* Nec videns quàm non sit consequens, quod pro argumento necessario posuisti, adjungis & dicis,

[a] Am. Er. & plerique MSS. *propter initium superbiæ.*

[b] Apud Lov. *ut prior iste.*

dicis, *Quod cùm negare nequiveris.* Quid eſt quod nequeo negare, homo inconſiderate? quid eſt quod nequeo negare? Hoc nempe, quod tu jam, ſi vel ſerò ſapis, non potes niſi negare: quia non utique ſi mala eſt commixtio adulterorum, propterea ex illis naſcentium conditio deformis eſt hominum. Illa quippe eſt hominum malè operantium de membris bonis: iſta verò Dei eſt benè operantis de hominibus malis. Quòd ſi dixeris, Etiam cùm fit adulterium, bona eſt per ſe ipſa commixtio, quia naturalis eſt, ſed eâ malè utuntur adulteri: cur non vis adquieſcere, ita poſſe eſſe libidinem malam, qua tamen bene utantur gignendi gratiâ conjugati? An poteſt bonorum eſſe uſus malus, & non poteſt malorum bonus? cùm inveniamus ipſo Satana quàm bene uſus fuerit Apoſtolus, tradens ei hominem in interitum carnis ut ſpiritus ſalvus eſſet in die Domini, & alios ut diſcerent non blaſphemare.

1. Cor. 5. 5. — 1. Tim. 1. 20.

CAPUT VIII.

17. QUOD verò ſuperaddis, & dicis, *Rei autem malæ Deus auctor eſſe non poteſt*, quomodo id dicis? [a] Meliùs enim loqui novit ipſe quàm tu, qui per Prophetam dicit, creare ſe mala. Deinde quomodolibet ſeſe habeat hæc ſuperadditio tua, quid ad me pertinet, cùm illud cui connectitur non conceſſerim; eo quòd inconſequens eſſe monſtraverim, ut deformis ſit conditio corporum, etiam ſi omnem commixtionem corporum vel utriuſque ſexûs malam eſſe concederem? Ut enim concedamus Deum nullius eſſe auctorem mali: numquid ideo non eſt auctor conditionis corporum, quam nullo modo malam eſſe conceſſi, quia nulla me ad hoc ſuperiùs conceſſa cogebant? Inanis ergo & ridenda tua remanſit illatio, qua concludis & dicis, *Omnia igitur corpora malo reputantur auctori.* Multo enim veriùs ita concluditur, ut dicamus: Si nec mala commixtio adulterorum facit eſſe malam conditionem corporum; aut ſi bona eſt & in adulteris ſexûs utriuſque commixtio, ſed eâ mali utuntur malè, quoniam multo magis ex hoc non poteſt corporum mala eſſe conditio; rectè igitur corpora Deo reputantur auctori. Nulla eſt itaque fovea, quam metuens quaſi revertar in viam, quò videris me velle revocare. Dic tamen quænam illa via ſit, & explica ratiocinationem tuam.

Iſai. 45. 7.

CAPUT IX.

18. DEUS, inquis, *bonus, per quem facta ſunt omnia, ipſe corporis noſtri membra formavit.* Hoc veriſſimum eſſe concedo. Sequeris & adjungis, *Qui autem corpora fecerat, diviſit & ſexum: diviſit in ſpecie, quod in operatione conjungeret; fecitque cauſſam conjunctionum diſſimilitudo membrorum.* Et hoc aſſentior. Deinde infers, *Ab ipſo igitur commixtio corporum, à quo eſt origo corporum.* Quis hoc negaverit? *Quod cùm* [b] *ingratis*, inquis, *conceſſeris, ſequitur tot rerum bonarum, corporum, ſexuum, conjunctionum, malos fructus eſſe non poſſe.* Et hoc verum dicis: horum enim bonorum fructus homo eſt, quod in quantum homo eſt, bonum eſt: quod autem in illo malum eſt, à quo ſanandus eſt per ſalvatorem, & liberandus per redemtorem, & abluendus per lavacrum, & eruendus per exorciſmum, & abſolvendus per ſanguinem qui in remiſſionem fuſus eſt peccatorum; non eſt fructus corporum, ſexuum, conjunctionum, ſed originalis veteriſque peccati. Sicut enim de prole adulterorum, ſi ego dicerem, tot malorum, id eſt, laſciviæ, turpitudinis, criminis, bonus fructus eſſe non potuit; rectè mihi reſponderes, hominem qui de adulteris natus eſt, non eſſe fructum laſciviæ, turpitudinis, criminis, quorum malorum auctor eſt diabolus; ſed corporum, ſexuum, conjunctionum, quorum bonorum auctor eſt Deus: ſic ego tibi rectiſſimè dico, malum cùm quo naſcitur homo, non eſſe fructum corporum, ſexuum, conjunctionum, quorum bonorum auctor eſt Deus; ſed primæ prævaricationis, cujus auctor eſt diabolus.

19. Abſit autem, ut quemadmodum calumniaris, dicamus *homines ad hoc à Deo fieri, ut à diabolo legitimo jure teneantur.* Quamvis enim & hoc divinæ ſit magis, quàm diabolicæ poteſtatis, ut immundo principi generatio immunda ſubdatur, niſi regeneratione mundetur: tamen non ad hoc Deus facit homines, ut familiam quodam modo diabolus habeat; ſed eâ bonitate, qua naturis omnibus præſtat ut ſint, qua etiam ipſum facit ſubſiſtere diabolum. Quam bonitatem ſi rebus ſubtraheret, continuò nihil eſſent. Sicut non ideo creat pecora in armentis & gregibus impiorum, ut dæmonibus immolentur, quamvis hoc eos noverit eſſe facturos: ſic etiam ubi generationem peccato cernit obnoxiam; ſecundùm pulcherrimum quem diſpoſuit ordinem ſæculorum, ſuam non abſtinet ab ejus conditione bonitatem.

Si bonitatem ſuam Deus rebus ſubtraheret, in nihilum redirent.

CAPUT X.

20. SED poſt hanc argumentationem, qua te fallis, & confeciſſe te aliquid arbitraris, ingeris ſolitum maledictum, ac deinde ſubnectis, *Quod forſitan dicam, Scripturarum, non ſyllogiſmorum debere teſtimonio comprobari, filios de corporum commixtione naſcentes, reputari divino operi:* quaſi qui hoc negaverit, poſſit eſſe Chriſtianus. Proinde rem, quam promtiſſimè confitemur & libentiſſimè prædicamus, velut habeat inter nos controverſiam, ita per Scripturarum teſtimonia conaris oſtendere; & laboras inaniter, non ut reſpondere nobis, ſed ut libros poſſis implere. Verumtamen quod dixiſti, *Ut exprimeret fidem operum Propheta, prope periculum pudoris acceſſit, quia dixit, Erunt duo in carne una:* ſatis te debuit admonere, nihil pudendum futurum fuiſſe in operibus Dei, niſi præceſſiſſet cur natura humana deberet de ſui meriti deformitate confundi.

Gen. 2. 24.

CAPUT XI.

21. DICIS etiam in laude libidinis, *hanc fuiſſe redditam Dei munere Abrahæ & Saræ ſenio confectis emortuiſque corporibus:* & invidioſa voce proclamas, *ut aſſeram ſi poſſum, ad opus diaboli pertinere, quod Deum videam interdum conferre pro munere.* Quaſi verò ſi claudum hominem reſuſcitet Deus, viventibuſque reſtituat, qui utique mortuus jam claudicare non poterat, etiam claudicationem debet videri pro munere contuliſſe. Ita ergo ſi reſtitutus eſt, qui fuerat in viridioribus, corporum vigor, ſic utique reſtitutus eſt, ut ſe habet conditio corporis mortis hujus. Non enim eos ad illum ſtatum revocari oportebat, in quo Adam fuit ante peccatum, ut poſſent ſine lege in membris quæ repugnat legi mentis, filios procreare.

Rom. 4. 19.

[a] Hic editi addunt, *cùm ſint quædam mala, quorum auctor eſt Deus:* tametſi hoc non habent MSS.

[b] Am. & MSS. *ingratus.*

a Rom. 4. 19. *Corpus Abrahæ quomodo emortuum.*

22. Quamvis [a] & ad hoc intelligendum sit emortuum fuisse corpus Abrahæ, ut non valeret de omni femina filios gignere, quæ parere posset. Dicitur enim facere hoc ætatis accessus, ut ex femina generare senex possit adolescentula, cùm jam de grandiore non possit, quamvis illa de juvene possit. Qui enim tam prolixo tempore tunc vivebant, procul dubio seriùs fiebant ita decrepiti, ut ad concubitum moveri omnino non possent: si tamen cuiquam viro sano potest id accidere per ætatem. Nam cùm hoc opus in manibus haberem, nuntiatus est nobis senex octoginta & quatuor agens annos, qui religiosè cum conjuge religiosa jam viginti quinque annos vixerat continenter, ad libidinem sibi emisse Lyristriam, qui utique pro modulo, quo isto tempore vivunt homines, gravioris senectutis est quàm fuerat Abraham in annis centum, adhuc victurus alios septuaginta. Unde prudentiùs creditur, fecunditatem quæ defuit, suis Deum famulis præstitisse. Duæ quippe caussæ dicuntur, propter quas parere Sara non poterat, & erat vulva ejus emortua: una sterilitatis, quæ ab ipsa inerat juventute; altera ætatis, non quia nonaginta annos agebat, sed quia jam destiterant ei fieri muliebria. Constat enim si mulierum menstrua secreta [b] cessaverint per ætatem, non eas jam posse concipere, etsi fecundæ fuerunt, ante quàm illa cessassent. Et ideo Scriptura noluit hoc tacere, ut augeretur miraculi gloria, quod erat Deus in eorum prole facturus. Quando autem suo viro ancillam dedit, de qua voluit, quia de se non poterat, suscipere filios; non ætate fuerat, sed sua sterilitate permota. Sic enim Scriptura loquitur: Sara autem uxor Abraham non pariebat illi. Et verba ejus ad virum ista sunt: Ecce conclusit me Deus, ut non pariam. Tunc autem si ætatem consideremus amborum, decrepiti essent, si nostri temporis homines essent. Erat enim Abraham annorum circiter octoginta-quinque, Sara autem annorum septuaginta-quinque. Scriptum est enim: Abraham autem erat annorum octoginta-sex, cùm peperit Agar Ismaël Abrahæ. Proinde ante annum fermè mixtus invenitur ancillæ, quando conceptus est Ismaël. Qui tandem conjuges in hac ætate generant temporibus nostris, nisi divinitus fiat tale miraculum? Et tamen illi poterant, si Sara sterilis non fuisset; quia & ille potuit de Agar, & illa nondum erat sic ætate progressa, ut ei cessarent fieri muliebria. Ad hoc ergo erat Abrahæ corpus emortuum, ut de Sara jam generare non posset, etiam si esset illa ita fecunda, ut tamen jam propinquaret ætati, qua cruor ille menstruis intervallis venire desisteret. Quibus enim jam omnino non fluit, eas ab auctoribus medicinæ definitum est non posse concipere. Quod si falsum esset, nullo modo dicere Scriptura curaret, Defecerunt autem Saræ fieri muliebria: cùm superiùs jam dixisset, Abraham autem & Sara seniores progessi in diebus suis. Pro modo ergo [c] temporis, cujus longè prolixiore spatio tunc vivebant, generare jam illa ætate non poterant, cùm esset Abraham centenarius, Sara nonagenaria; etiam si sterilis non fuisset, & ante annum concumberent, quando adhuc ei fluebant fortasse muliebria; & ideo adhuc concipere posset, si juvenis esset maritus; tunc autem non posset, propter corpus Abrahæ sic emortuum senectute, ut ex illius ætatis femina gignere non valeret; qui tamen & ipse de adolescentula valeret, sicut postea de Cethura valuit: quamvis & illic dici possit, fecunditatis munus in eodem perseverasse, quod acceperat ut nasceretur Isaac. Pro modo autem nunc temporis, quo longè breviore spatio vivunt homines, intra centum annos amborum conjugum generare posse dicuntur. Si verò in summam ducti amborum anni centenarium numerum excesserint, sic asseverantur non posse filios procreare, etiam si fecunda sit mulier, & fluentibus adhuc muliebribus possit ex juvene; ut jure fuerit etiam constitutum, ne quisquam jus liberorum haberet, nisi cùm amborum anni computati & simul ducti centum [d] transisse docerentur.

Senex 84. annorum Lyristriam sibi ad libidinē emit. — *Caussæ duę propter quas Sara parere non poterat.* — *Gen. 18. 11.* — *Gen. 16. 1.* — *Ibid. 2.* — *Ibidem 16.* — *Abrahæ corpus emortuum.* — *Gen. 18. 11.* — *Gen. 25.* — *Ætas conjugum qua generare possint.* — *Jus liberorum.*

Isaac miraculo conceptus.

23. Miraculum ergo Dei factum est, ut conciperetur Isaac, non parentibus ejus libidine reddita, sed fecunditate donata: nam illa esse poterat etiam in illis annis; hæc verò esse non poterat, tot impedientibus caussis. Quamquam & libido, sicut superiùs disseruimus, si emortuis membris senilibus munere Dei quodam modo reviviscentibus etiam ipsa revivisceret; conditionem profectò carnis corruptibilis sequeretur, ut esset in corpore mortis hujus, quæ in paradiso esse non posset ante peccatum in corpore vitæ illius. Secundùm conditionem autem pœnalis hujus corporis, munus fecunditatis nunc Deus unicuique largitur, non secundùm illam felicitatem, ubi nihil erat in carne, quod adversùs spiritum concupisceret, & concupiscente adversùs se spiritu frenaretur: quia in natura hominis ante peccatum pacem decebat esse, non bellum. In ea verò parte ratiocinationis tuæ frustra laborasti, tamquam dicere possemus, *Isaac sine concupiscentia carnis vel semine viri fuisse procreatum.* Hoc enim non dicimus: & ideo quidquid inde disputasti, prætereundo contemnimus.

Caput XII.

24. Quod autem tibi præclaro acumine visus es invenisse, ut diceres, *Etiam si diabolus crearet homines, nullâ culpâ suâ mali essent; & ideo jam nec mali essent, quia esse quisquam nisi quod natus est, non potest, nec ab eo justum est aliquid amplius flagitare quàm potest.* Solemus & nos adversùs Manichæos ista dicere, qui non vitiatam bonam dicunt esse naturam, sed sine initio & immutabiliter malam, quam secundùm suas fabulas opinantur malam. Natura verò humana secundùm catholicam fidem bona instituta, sed vitiata peccato meritoque damnata est. Nec mirum autem nec injustum est, quòd radix profert damnata damnatos, nisi cujus manus non defuit creantis, non desit & misericordia liberantis:

a Editio Lov. *Quamvis ad hoc intelligendum, sic emortuum* &c.

b In MSS. *siccaverint.*

c Apud Lov. addita hîc particula *nunc*: sed malè.

d Editi, *centum non transisse.* Particula negans abest à MSS. quo intelligamus jus liberorum eos conjuges qui liberis carerent, non antè habuisse, quàm ætatem illam excessissent. Hoc ipsi jure pœnis orborum liberabantur, ac poterant non secus atque illi quibus erant communes liberi, solidum capere ex suis invicem testamentis. Hinc Isidorus 5. orig. *Ius liberorum*, ait, *est conjugum sine liberis invicem pro loco pignorum hereditatis alterna conscriptio.* Ulpianus fragm. tit. 16. scribit, tum inter se conjuges solidum cepisse, cùm lege Papia finitos annos transissent, vir nimirum LX. uxor L. Porrò Augustinus habitam rationem putat ejus ætatis, ex qua liberos procreare deinceps non valerent.

quàm vos [a] miseris invidetis, cùm malum parvulos, à quo liberentur, non habere dicitis

Parvuli si non traherent originale peccatum, non justè excluderentur a regno Dei.

25. Sed certè vos qui miseram falsa defensione premitis, & perniciosa laude oppugnatis infantiam, quare nihil mali merentes tot in parvulis imagines Dei, si non baptizentur, non admittitis ad regnum Dei? Numquid ipsi sibi defuerunt, ut priventur regno, ut tam luctuoso puniantur exsilio; cùm id non fecerint, quod facere omnino non poterant? Ubi etiam ponis, quia & vitâ carebunt, quoniam non manducaverunt carnem, nec biberunt sanguinem filii hominis? Unde Pelagius, quod suprà commemoravi, eos qui dicunt, *infantes, etiam si non baptizentur, habere vitam æternam*, in ecclesiastico * judicio nisi damnasset, damnatus exisset. Qua justitiâ, quæso, à regno Dei, à vita Dei alienatur imago Dei, in nullo transgressa legem Dei? Nonne audis quemadmodum detestatur Apostolus quosdam, quos dicit alienatos à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis eorum? Tenebitur hac sententiâ non baptizatus parvulus, an non tenebitur? Si dixeritis, non tenebitur: Evangelicâ veritate, linguâ etiam Pelagii teste, vincemini atque puniemini. Ubi est enim vita Dei, nisi in regno Dei, quò nisi renati ex aqua & spiritu, intrare non possunt? Si autem dixeritis, tenebitur: fatemini pœnam, culpam dicite; fatemini supplicium, meritum dicite. Nihil in vestro dogmate reperitis, quod proferre possitis. Jam igitur aliquando, si ullus est Christianus sensus in vobis, etiam in parvulis propaginem mortis & damnationis agnoscite, debitâ justitiâ puniendam, gratìs gratiâ Dei liberandam. In quorum redemtione laudari Dei misericordia potest, in quorum perditione accusari Dei veritas non potest: quia universæ viæ Domini misericordia & veritas.

Johan. 6. 54. — ** Diospolitano.* — *Ephes. 4. 18.* — *Non est vita Dei extra regnum Dei.* — *Johan. 3. 5.* — *Psal. 24. 10.*

CAPUT XIII.

26. DIVIDIS, definis, disseris quasi medicinaliter de genere, & specie, & modo, & excessu concupiscentiæ; *hujus genus esse* asserens *in igne vitali, speciem in motu genitali, modum in opere conjugali, excessum in intemperantia fornicandi:* & tamen post istam totam quasi subtilem atque prolixam disputationem tuam, cùm te breviter & apertè interrogavero, cur ignis iste vitalis bellum in homine radicaverit, ut eo caro concupiscat adversùs spiritum, & spiritui necesse sit concupiscere adversùs carnem; cur vulnere feriatur mortali, qui voluerit igni consentire vitali; puto quòd ipsum libri tui atramentum erubescendo convertetur in minium. [b] En ignis vitalis, qui nostræ animæ, quæ vita est vera carnis, non solùm ad arbitrium non obsequitur, sed plerumque contra ejus arbitrium inordinatis & turpibus motibus excitatur, & nisi adversùs eum spiritus concupiscat, bonam vitam nostram ignis iste vitalis occidit.

Gal. 5. 17.

27. Post longam disputationem velut concludens, *Meritò igitur*, inquis, *concupiscentiæ origo definitur in igne vitali, quo collecto necesse est ut ei reputetur concupiscentia carnalis, per quem [c] constitit vita carnalis.* Ita hoc dicis, quasi probare possis, aut verò cujuscumque frontis sis, audeas suspicari, in prima hominum constitutione, priùs quàm culpam debita damnatio sequeretur, istam carnalem concupiscentiam aut exstitisse in paradiso, aut inordinatis, sicut eam nunc videmus, motibus pugnas adversùs spiritum fœdissimas edidisse. Deinde subnectis, & dicis: *Hujus itaque appetitus non in genere suo, non in specie, non in modo culpa est, sed in excessu: quia genus ejus & species ad conditoris operam pertinent, modus ejus ad arbitrium honestatis, excessus ad vitium voluntatis.* Quàm concinnè tibi verba inania sonuerunt; utique [d] homini qui non cogitas quid dicas. Si modus appetitus hujus ad arbitrium pertinet honestatis; cujus tandem honesti arbitrium conjugati velit hunc appetitum, nisi quando opus est, commoveri? & tamen quod vult non potest. Cujus honesti continentis arbitrium velit aliquando hunc appetitum moveri? & tamen quod vult non potest. Unde clamat homo, Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Cùm ergo in ipso motu pro nostræ voluntatis arbitrio non habeat ullum modum, in effectu autem non sit ipse moderatus, sed ei modum vigili certamine spiritus honestus imponat; quid est quod laudatis homines mali, & ad Deum non clamatis, Libera nos à malo?

Juliano non concupiscentia ipsa, sed excessus tantùm malus erat. — *V. lib. 2. de nupt. cap. 19.* — *Rom. 7. 18.* — *Matth. 6. 13.*

CAPUT XIV.

28. QUID te autem juvat quod dicis, *intercipi debilitate libidinem:* quasi non morte prorsus exstinguatur, quando jam homini, qui ab illa fuerit superatus & subjugatus, non certamen indicitur, sed victo redditur quod debetur? Hoc est amarius, hoc est ubi non intelligis contendentis propaginem mortis, quod quando sani sumus, tunc est iste motus insanus. *Aut in conjugibus*, inquis, *cum honestate exercetur, aut in castis virtute frenatur.* Itane verò, [e] ita tu expertus es? Ergone à conjugibus non frenatur hoc malum, vel hoc tuum bonum? Prorsus cùm libitum fuerit, sternunt se conjuges, & invadunt, quandocumque titillaverit; nec ad horam cubandi appetitus iste differtur, sed tunc videtur legitima corporum esse commixtio, quando istud naturale tuum bonum fuerit sponte commotum. Si talem duxisti vitam conjugalem, desine te tuis experimentis in disputatione committere, & de aliis potiùs quemadmodum sit ducenda, vel docenda, perquire. Miror tamen si adulterina saltem desideria non frenasti, nec frenanda sensisti. Si verò etiam pudicitia conjugalis, & propter immoderata in ipso quoque connubio volutabra libidinis, & propter damnabiles concupiscentias, ne præter conjugis naturalem usum aliquid perpetretur, frenat hanc pestem: quid est quod dicis, *In conjugibus cum honestate exercetur*; quasi honestus sit appetitus iste semper in conjuge, & nihil ei saltem secundùm veniam, sicut dicit Apostolus, concedatur? Quanto meliùs diceres, In conjugum moderatione cum honestate exercetur? An timuisti ne illic quoque intelligatur malum, cui etiam conjuges frenum curâ moderationis imponunt? Postremò nunc saltem jam continenter vivens agnosce in quadrigis illis Ambrosianis equum malum; & noli corde vel ore laudare, quem cogeris virtute frenare. *Quartum*, inquis, *à lasciviientibus perpetratur, id est,*

1. Cor. 7. 6. — *Lib. de Isaac & anima cap. 8. citatur suprà lib. 2. cap. 5.*

[a] Sic MSS. At editi, *miseri invidetis.*
[b] Editi, *Et ignis.* Meliùs MSS. *En ignis.*
[c] Sic potiores MSS. At Er. *per quam:* & cum aliis editis, *constituta est vita carnalis.*
[d] Am. & omnes MSS. *utique homo.*
[e] Floriacensis codex, *Itane verò ista tu* &c.

illius voluptatis excessus, & quia de insolentia, non de natura contingit, inquis, *jure damnatur.* De cujus quæso insolentia contingit? lasciviæ, an concupiscentiæ? Ne offendas susceptam, respondebis, lasciviæ. Sed omnes homines judicant lasciviæ non esse peccatum, nisi quia concupiscentiæ consentitur. Nullumne ergo malum est, cui consentiendo peccatur? At hoc malum inest in carne contra spiritum concupiscente, etiam si non sit in spiritu non consentiente, & contrà etiam concupiscente. Exclama ergo, Libera nos à malo: & noli malum falsæ laudis huic addere malo.

Matth. 6. 13.

Caput XV.

29. Diserte sanè inter lascivientes & continentes tamquam in medio pudicitiam constituis conjugalem, *quæ illos illicita commisisse indignatur, hos etiam licita* [a] *contemsisse miratur; ultimi limitis sortita regionem, ultra se proruentium exsecrata barbariem, supra se micantium venerata fulgorem, quæ verecundis manibus & confovet æstuantes, & laudat tali remedio non egentes.* Multùm delector eloquentissima veritate: sed obsecro te, nempe sicut dicis, & disertissimè ac verissimè dicis, propterea continentes laudat pudicitia conjugalis, quòd tali remedio non egeant, quo se ipsam perspicit eguisse, id est, ut secundùm Apostolum, qui se non continet, nubat: cur ergo quando ego istam concupiscentiam morbum esse dico, tu negas, qui tamen ei necessarium remedium confiteris? Si agnoscis remedium, agnosce morbum: si negas morbum, nega remedium. Rogo cede aliquando etiam per os tuum tibi loquenti veritati: nemo providet remedium sanitati.

1.Cor. 7. 9. Ubi remedium, ibi morbus.

Caput XVI. Nuptiæ in genere suo bonæ.

30. Illud etiam [b] rectè dicis, *examinatè non posse placere connubium, si mali comparatione laudatur.* Hoc verum est. Omnino enim in genere suo nuptiæ bonum sunt; sed ideo bonum quia fidem thori servant, quia prolis suscipiendæ caussâ sexum utrumque commiscent, quia impietatem separationis exhorrent. Hæc sunt bona nuptialia, quibus nuptiæ bonum sunt: quæ sæpissimè diximus esse potuisse, etiam si nemo peccasset. Post peccatum autem accessit eis, non de felicitate, sed de necessitate certamen, ut suo bono pugnent etiam ipsæ contra concupiscentiæ malum, ad nihil eam sinentes illicitum pervenire; quamvis ipsa in hæc, nunc remissioribus, nunc concitatioribus motibus, instigare non cesset, & ejus malo bene utentes in propagatione filiorum. Illud verò quis neget malum, nisi qui non audit Apostolum monentem, Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium: quando conjuges non prolis suscipiendæ, sed carnalis voluptatis explendæ victi cupiditate concumbunt: hoc non laudatur, sed ignoscitur in comparatione pejoris, intervenientibus & deprecantibus nuptiis.

1. Cor. 7. 6.

Caput XVII.

31. Post hæc autem ad exemplum Abrahæ & Saræ, nescio qua ratione reverteris, de quo jam satis respondisse me existimo. Sed nescio quid te fugerat, quod addere voluisti, cùm postea venisset in mentem. Humanum est, solet evenire: quid ergo illud est audiamus. Dicis, *factum fuisse propheticum, quod* [c] *nunc ostensum est in regione Africæ; pulcræ & sanctæ mulieris, quæ Ecclesiæ formam tenebat, tutum non esse vel conjugem, vel pudorem, & quia ibi divinitus intacta servata est.* Ne in omnibus tuis verbis frustra immorer, ad eum cui scribis, te convertis & dicis: *Orandus est hic Deus, frater beatissime Turbanti, consacerdos dilectissime, ut paribus etiam hac tempestate virtutibus Ecclesiam catholicam, Filii sui sponsam, maturam, fecundam, castam, decoram, à Manichæorum constupratione, in Africa vel ex Africa latrocinantium, eruere non moretur.* Hæc nostra potiùs oratio est adversùs Manichæos, & Donatistas, & alios hæreticos, vel quoslibet Christiani & catholici nominis inimicos in Africa constitutos. Contra vos autem, quia nobis estis pestilentia transmarina, Christo salvatore vincenda, ideone latrocinamur ex Africa, quia unum martyrem hinc opponimus Cyprianum, per quem probemus antiquam nos defendere fidem catholicam, contra vestri erroris vanam profanamque novitatem? O nefas! Defuerunt Ecclesiæ Dei quæ in Africa constituta est, defuerunt orationes tuæ, quando ista quæ oppugnas, Cyprianus beatissimus prædicabat? Quando ille dicebat, « Multo magis « à baptismate prohiberi non debet infans, qui « recèns natus nihil peccavit, nisi quòd secundùm » Adam carnaliter natus, contagium mortis anti- « quæ prima nativitate contraxit, ut ei remittan- « tur non propria, sed aliena peccata: quando hæc Cyprianus didicerat & docebat, defuit auxilium precum tuarum, quo Sara in regione Africæ servaretur intacta, & à Manichæorum constupratione, qui secundùm intellectum tuum, ante quàm Manichæi nomen Romanis sonuisset in terris, etiam ipsum deceperant Cyprianum, liberaretur Ecclesiæ pulcritudo? Vide quæ monstruosa & furiosa dicas contra antiquissimam catholicam fidem, non habendo quid dicas.

Epist. 64. ad Fidum.

l. lib. 2. de nupt. & conc. cap. 19.

32. Sed quantumlibet tergiverseris, ô hæresis Pelagiana, quæ contra muros antiquissimæ veritatis novas construis machinas, novas moliris insidias: *Pœnus disputator*, quod me contumeliosè tuus defensor appellat; Pœnus, inquam, disputator, non ego, sed Cyprianus Pœnus, * te hoc vulnere Pœnus immolat, & pœnam scelerato ex dogmate sumit. Quid si tot episcopos ex Africa nominassem, quot ex aliis orbis partibus nominavi? aut quid si in eis ipsis plures Afri essent? Unus hinc est, ceteri aliunde, quorum ab Oriente & Occidente consensione confoderis: & tamen tanta obstinatione cæcaris, ut non videas, te potiùs velle corrumpere antiquum Ecclesiæ decorem, id est, antiquam fidem; tamquam Saræ aniculæ pulcherrimæ castitatem. Si enim per sanctos antistites Dei, memorabilesque doctores, Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Ambrosium, Gregorium, Basilium, Johannem, Innocentium, & Hieronymum, constupraverunt Ecclesiam Manichæi; dic mihi Juliane quæ te peperit? Utrùm te casta, an verò meretrix, in lucem quam deseruisti, per uterum gratiæ spiritalis enixa est: an ut dogmata Pelagiana defendas, conjugis Christi & matris tuæ viscera, instinctu nefarii, non erroris, sed furoris infamas? Usque adeo enim contra vetustam pulcritudinem Saræ non invenit quid novitia de-

* Imitat. Virgil. lib. 12. Æneid.

[a] Floriacensis MS. *omisisse miratur.* Et in margine habet, *medii limitis.*

[b] Quatuor è Vatic. MSS. *recto dicis examine.*

[c] Am. Er. & MSS. *quod tunc.*

formitas mentiatur, ut tot episcoporum gloriosorum catholicorum in tanta suarum sententiarum manifestatione consensum, in quibus sunt qui Manichæi nec nomen audierunt, Manichæorum blasphemiâ criminetur.

33. *Sed ab hoc digressu, quò te impetus*, non ut dicis, *doloris*, sed, perditi pudoris *abstulerat*, *ad ea quæ institueras* [a] delira reverteris: & adhibito ex Apostolo testimonio, illud quod de Abrahæ & Saræ emortuis membris dixeras, confirmare conaris. (Rom. 4. 19.) Unde jam superiùs, quantum satis visum est, me disseruisse suffecerit. Quis autem Christianus ignoret, quòd *ille, qui primum hominem fecit ex pulvere, omnes fabricetur ex semine?* Sed ex semine jam [b] vitiato atque damnato, quod partim per veritatem remaneat in supplicio, partim per misericordiam liberetur à malo. Non igitur, ut putas atque concludis, *ullis laqueis tuis peccati naturalis suffocatur assertio.* Depravatam quippe primi transgressoris voluntate naturam, non tua defensio verbis inanibus purgat per novitium dogma vestrum, sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

CAPUT XVIII.

34. QUAMOBREM nec puto, sicut calumniaris, quòd *conjuges sine corporum calore generaverint:* nec puto quòd *hominem Deus non fecerit, aut diabolo fecerit, aut diabolus fecerit;* quia nec ipsi parentes possunt hominem facere, sed ex parentibus Deus: cujus potestati nec se ipsum diabolus subtrahit; quanto minùs naturam humanam, quam sibi per peccati meritum illo damnante subjecit? Quæ cùm ita sint, tu potiùs, etsi non *cultor*, quod esse me dicis, tamen quantumlibet eum accusare videaris, *diaboli* adjutor esse convinceris: (Julianus Augustinū diaboli cultorem appellat.) qui omnes parvulos ab eo malo, per quod tenentur à diabolo, sanari per Christum non debere contendis, cùm doctrinâ non sanâ sanos esse defendis. Ego autem secundùm sanam fidem, *ex eadem concupiscentiæ voluptate concretum etiam Isaac* dico, ex qua & homines ceteri, uno solo excepto ab hoc malo, per quem liberamur à malo. *Peccatorum quoque genitalibus manum divinæ providentiæ interesse* non nego. Attingit enim à fine usque in finem fortiter, & disponit omnia suaviter: (Sap. 8. 1.) & nihil inquinatum in eam incurrit: (Ibid. 7. 25.) & ideo etiam de immundis & contaminatis, quæ voluerit operatur, munda tamen ipsa & incontaminata persistens. Nec opus est, ut amfractibus longis, ea quæ concedo, mihi probare coneris: sed ad hoc responde, si potes, cur ipse Isaac nisi baptismatis Christi signo circumcisus die octavo fuisset, perisset anima ejus de populo suo. (Gen 17. 14. Circumcisio à morte liberabat æterna.) Explica, si potes, tantâ pœnâ quo merito plecteretur, nisi ab hac illo sacramento liberaretur. (Rom. 4. 19.) Emortuam vulvam Saræ ad emissionem seminis, & emortuum corpus Abrahæ ad generandum sicut juvenes generant, Deum vivificasse, negari non potest, ut proles de illa parentum nasceretur ætate: sed Isaac quantum ad propria peccata, etiam si ex adulteris nasceretur, innocens natus, quid meruerat, ut anima ejus de populo suo periret, nisi circumcisio subveniret? Noli evagari per multa obscura, perplexa, superflua: ad hoc unum apertum, simplex, necessariumque responde.

35. Interponis Apostoli testimonium, non ad quod ab illo positum est, sed ad quod ipse arbitraris. Unde nunc, quoniam non inde agimus, & longum & supervacaneum est disputare: tamen interponis ubi ait, *Et quomodo judicabit Deus mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tamquam peccator judicor?* (Rom. 3. 6.) Ac deinde subjungis, *Per hæc sua verba Apostolum ostendere, amisisse Deum auctoritatem judicandi, si modum non tenuit imperandi.* Si ergo sicut putas, *ad hoc ista dixit Apostolus, ut sese cohiberent, qui asserebant laudi Dei proficere peccata mortalium, eumque ideo impossibilia præcepisse, ut miserendi sibi materiam præpararet: & per hanc Apostolicam sententiam*, sicut existimas, *demonstratur, propterea rectè judicari homines, quia præcepta possibilia non fecerunt; injustè autem judicarentur, si ea non fecissent, quæ impossibilia juberentur:* quid de Isaac dicturus es, cui quidquam nec possibile, nec impossibile est imperatum; & tamen perditionis animæ suæ pœnâ feriretur, si octavo die non circumcideretur? An verò nec sic tandem respicis, illud primitus in paradiso datum possibile ac facile fuisse præceptum, quo contemto atque violato, omnes ex uno homine, tamquam in massa originis commune illud habere peccatum; & hinc esse jugum grave super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium? (Eccli 40. 1.) Et quoniam ex ista in Adam generatione damnata nemo liberatur, nisi regeneretur in Christo; propterea signum ejusdem regenerationis Isaac nisi accepisset, perisset: nec immeritò perisset, quia ex hac vita, quò per generationem damnatam damnatus intraverat, sine signo regenerationis exisset. Aut si non est ista caussa, dic alteram. Bonus est Deus, justus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: NON POTEST QUEMQUAM SINE [c] MALIS MERITIS DAMNARE, quia justus est. Nullum meritum malum octo dierum infans de propriis peccatis habebat; quare damnaretur, nisi circumcideretur, si ex origine non trahebat?

CAPUT XIX.

36. PERGE ad cetera, & vanis vaniora contexe: non scripturarum sanctarum eloquia, quæ commemoras, dico, sed ex his quæ conficere niteris. Quando quidem dicis, *Ex hoc intelligi debere perfectam ignorantiam justitiam nominari; quia dixit Deus ad Abimelech, qui cum Sara fuerat concubiturus, ignorans quòd uxor esset aliena, Et ego sciebam, quia in corde mundo fecisti hoc.* (Gen. 20. 6.) *Et ideo nascentium statum, generantium voluntate non lædi: quia etsi mala esset*, inquis, *tamen ad illorum nullo genere scientiam perveniret.* Cur ergo eos non nominas justos, si perfecta ignorantia justitiæ nomine nuncupanda est? Nihil est namque perfectius ignorantiâ parvulorum: nihil ergo vocetur & justius. Ubi est quod superiùs asserendum putasti, *Nec justos nasci parvulos, nec injustos, quod futuri sunt actibus suis; sed tantummodo infantiam innocentiæ dote locupletem?* An non verba tua sunt, ubi dicis: *Homo igitur innocentiâ quidem plenus, sed virtutis capax nascitur, aut laudem, aut reprehensionem ex proposito accedente meriturus?* Numquid

[a] Am. Er. & plures MSS. *deliberare.* Lov. *delirare.* Concinniùs Victorinus codex & quinque Vaticani, *delira.*

[b] Floriacensis MSS. *jam violato.*

[c] Hic apud Lov. omissum est, *malis.*

virtutem dicturus es non esse justitiam? Quomodo igitur infans nondum plenus est virtute, sed capax, cùm plenus sit ignorantiâ, quam dicis esse justitiam; nisi virtutem neges esse justitiam? Itane nondum evigilabis hac absurditate percussus, & te hoc dixisse pænitebit? Nam Domini verba vigilant, sed tu dormis. Neque enim ait regi, Sciebam quia cor habes justum; aut, quia cor habes mundum: cùm scriptum sit, Beati qui mundo sunt corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Tu autem istum Abimelech ad [a] peccatoris proponis exemplum. Sed sciebam, inquit Deus, quia in corde mundo fecisti hoc. Non omnia, vel quæcumque alia; sed hoc, in quo adulterii conscientiam non habebat.

Matth. 5. 8.

37. Miror tamen quod isto exemplo à te commemorato, quod non potes, conaris efficere; & non ibi vides quod non vis audire. Conaris enim ut credatur, orante Abraham, libido reddita esse mulieribus, quia scriptum est, Concluserat Deus à foris omnem vulvam in domo Abimelech, propter Saram uxorem Abrahæ. Hanc enim conclusionem sic vis intelligi, tamquam libido fuerit illis feminis Deo indignante detracta: cùm magis indicetur his verbis, aliquâ valetudine vulva conclusa, ut aut imprægnanda concumbere femina, aut parere imprægnata non posset: & non adtendisti, homo qui non vis judicio divino quemquam, non suis, sed alienis plecti posse peccatis, quomodo fieri potuerit ut Abimelech peccaret, quamvis nec ipse adulterino corde peccaverit, & Deus quantulumcumque peccatum ejus in mulieribus ad eum pertinentibus vindicaret. Vides contagionem transire peccati de viro in feminas, quibus miscebatur, vel quibus dominabatur: & in prolem de parentibus non vis, ex quorum seminibus propagatur. Considera igitur, quàm sit inscrutabilis altitudo judiciorum sapientiæ & scientiæ Dei; & garrire desine contra originalis secreta peccati.

Gen. 20. 18. Vulvam in domo Abimelech quomodo concluserit Deus.

Pœna ob alterius peccatum.

Rom. 11. 33.

CAPUT XX.

38. DEINDE incipis disputare de excessu concupiscentiæ, quem reprehensibilem dicis: quasi in ejus moderatione, cùm eâ bene utitur conjugatus, equus ipse qui malus est, & non potiùs sit ejus auriga laudandus. Quid ergo te adjuvant testimonia de Scripturis, quibus ostenditur, quemadmodum Deus vel prohibeat libidinis vel damnet excessum. Illud potiùs intuere, quidquid in quorumlibet flagitiorum turpitudine, quæ genitalibus membris perpetratur, horremus, concupiscentiam carnis, nisi teneatur, efficere ipsis motibus suis, quos in corporibus etiam castorum usque ad ingemiscendum effectum perducit in somnis.

Alludit ad verba Ambros. cap. 8. lib. de Isaac & anima.

39. Sic autem dicis, *Qua ratione quæreret justos in Sodomis Deus*, [b] *si illos tales natura faciebat?* tamquam nos dicamus, mentis excellentiore naturâ concupiscentiam carnis non posse frenari. Sed dicimus, usque adeo malum esse, ut repugnans expugnando vincatur, donec sicut vulnus in corpore, ita perfectâ curatione sanetur.

Gen. 18. 26.

40. Si autem putas, *Apostolum ex hoc laudasse libidinem, quia usum feminæ dixit esse naturalem, ubi ait, Quosdam relicto naturali usu feminæ, exarsisse in appetitum suum in invicem:* omnem profectò usum feminæ laudare compelleris; ac per hoc & ea quæ cum feminis committuntur stupra laudabis, quia & illic usus utique naturalis est: quamvis damnandus, quia legitimus non est; unde & filii non legitimi, sed naturales vocantur, qui inde nascuntur. Non itaque concupiscentiam carnis illo verbo laudavit Apostolus: sed naturalem appellavit usum, unde natura humana potest nascendo subsistere.

Rom. 1. 27.

Filii legitimi, filii naturales.

Naturalis usus feminæ quis.

41. Dicis, *etiam Sodomitas & in panis ac vini peccasse creatura:* atque ita vis intelligamus libidinem bonam, sed homines qui eâ malè utuntur, esse culpabiles; sicut bona est creatura panis & vini, quamvis eâ malè utendo peccetur. Ita enim non intelligis quid loquaris, ut non videas, creaturam panis & vini non concupiscere adversùs spiritum, sed ipsam potiùs inhonestè à malè utentibus concupisci, & eam forinsecus in nostrum corpus intrare. Qua ideo parciùs & restrictiùs est utendum, ne ipsa quoque concupiscentia, quod malum intus ac nostrum est, mentem corruptibili corpore ex abundantiore materia multo ampliùs aggravante, adversùs nos vehementiùs & invictiùs concitetur. Hoc igitur malo, quod indicat malum esse, sive qui adversùs illud dimicat, sive quem subjugat; & parens bene utitur, cùm pudicè filium gignit; & Deus, cùm providè hominem condit.

Cibi potusque parsimonia.

Caput XXI.

42. NUNC ergo considera, rogo te; nunc, inquam, ut te salubriter veritas vincat, depositâ vincendi cupiditate considera, utrùm nostræ, an tuæ sententiæ debeas adquiescere. Bene, quòd breviter admonere te dicis, *ut lectoris pectori hæreat, quod toto libro abs te gestum est.* Et quæ sit ipsa brevis admonitio, subinferens: *Concupiscentiæ naturalis qui modum tenet*, inquis, *bono bene utitur; qui modum non tenet, bono malè utitur: qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contemserit, bono meliùs non utitur: confidentiâ quippe suæ salutis*, inquis, *& roboris, contemsit remedia, ut gloriosa posset exercere certamina.* Ego verò sic ad tua ista respondeo: Concupiscentiæ carnalis qui modum tenet, malo benè utitur; qui modum non tenet, malo malè utitur; qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contemserit, malo meliùs non utitur: confidentiâ quippe divinæ opitulationis & muneris contemsit infima remedia, ut gloriosiora posset exercere certamina. In hac controversia de bene utendo isto, utrùm bono an malo, tota inter nos caussa versatur. In qua vellem quidem egregios judices non repudiares, quos tibi meis superioribus libris sanâ doctrinâ eruditos, sine ullo studio partium de hac caussa sententias protulisse monstravi. Sed quoniam, si te non correxeris, ipsorum quoque accusationem, vel, ut mitiùs dixerim, reprehensionem sine dubio præparabis; te potiùs utar judice, pro mea sententia contra tuam: non alicubi alibi, sed in eodem libro tuo; nec ejus alio, sed ipso loco. Dixisti enim, *sanctam virginitatem confidentiâ suæ salutis & roboris contemsisse remedia, ut gloriosa posset exercere certamina.* Quæro quæ remedia contemserit? Respondebis, nuptias. Quæro, Ista remedia contra quem morbum sunt necessaria? Remedium quippe à medendo, id est, à medicando nomen accepit. Simul itaque videmus ambo re-

Julianum propriis verbis convincit.

Remedium qui fatetur, morbum agnoscit.

[a] Floriacensis codex, *ad peccatores.*

[b] Lov. *nisi tales*: refragantibus editis aliis & MSS.

medium nuptiarum: cur tu laudas libidinis morbum, quo perveniri cernis ad mortem, si non ei resistat aut continentiæ retinaculum, aut conjugale remedium? Jam hoc & superiùs * egi tecum, ubi disertissimè pudicitiam conjugalem inter lascivientes & continentes ita posuisti, *quæ verecundis manibus & consovet æstuantes, & laudat tali remedio non egentes*. Eadem itaque repeto: Iterum audi quod illic tibi breviter dilucidéque » respondi. Quando ego istam concupiscentiam » morbum esse dico, quare tu negas, qui tamen ei » necessarium remedium confiteris? Si agnoscis re» medium, agnosce morbum. Si negas morbum, nega » remedium. Rogo cede aliquando etiam per os » tuum tibi loquenti veritati: nemo providet reme» dium sanitati.

* Cap. 15.

43. Quæ sunt autem *sanctarum virginum*, sicut appellas, *gloriosa certamina*, nisi quia non vincuntur à malo, sed vincunt in bono malum? Quæ non gloriosa ego, sed gloriosiora dicere malui. Habet enim palmam de hujus mali subjectione, quamvis minorem, pudicitia etiam conjugalis. Belligerat enim etiam ipsa contra carnalem concupiscentiam, ne limites thori nuptialis excedat: belligerat, ne definitum ex consensu conjugum orandi tempus irrumpat. Et si tantas vires habet ista pudicitia conjugalis, tantumque Dei donum est, ut faciat quod præscribunt tabulæ matrimoniales, in ipso quoque thoro conjugali conflictu fortiore belligerat, ne ultra quàm generandis filiis sat est, etiam ipsum conjugis corpus adtrectet. Talis pudicitia nec menstruatis, nec gravidis utitur feminis, nec ejus ætatis qua certum est eas jam concipere non valere: nec eam prorsus concumbendi vincit affectus, sed tunc relaxatur, cùm speratur generationis effectus. Si quid verò fit in conjuge, non quidem contra naturam, sed tamen quod tabularum matrimonialium limitem transeat, veniale apud Apostolum reperitur; quia nequaquam limes conjugalis carnis exceditur: sed tamen ut etiam ipse non excedatur, contra malum concupiscentiæ dimicatur. Quod usque adeo malum est, ut ei, ne noceat, pudicitiæ certamine resistatur.

Conjugatorum cōtra concupiscentiam pugna.

Conjugalis pudicitia perfecta quæ.

1. Cor. 7. 6.

44. Et tu, nisi fallor, in isto es certamine constitutus: & quia te fideliter pugnare existimas, vinci times. A quo quæso te vinci times? à bono, an malo? An fortè sic à me vinci times, ut adhuc malum neges, & tamquam bonum laudes à quo vinci times? Inter duos adversarios constitutus in magnas coartaris angustias, & me vis vincere per eloquentiam, & libidinem per continentiam: sed pugnando adversùs eam confiteris malum, laudando eam deseris veritatis bonum. Sed ego te vinco, & expugnatorem & laudatorem mali, constituens te ante judicem, non alium, sed te ipsum. Vis enim vincere concupiscentiam expugnatione ejus, me verò laude ejus: sed ego respondeo, Ut vincatur qui laudat, judicet qui [a] pugnat. Si enim malum est, cur laudat? Si bonum est, cur expugnat? Si autem nec bonum nec malum est, ut quid laudat? ut quid expugnat? Quamdiu igitur expugnator libidinis eris, tamdiu pro me contra te ipsum judex eris. An fortè adversùs libidinem non certabis, ne in isto quod mecum habes certamine superis, dicens tibi ipsi, Meliùs non pugno, quàm ostendo pugnando malum esse quod laudo? Noli obsecro te. Quid enim sum ego, quem pro magno desideras vincere? Vincat te potiùs veritas, ut tu libidinem vincas. Nam si adversùs eam pugnare destiteris, vinceris, vincieris, & ad immunda omnia pertraheris. Quod cùm sit horrendum malum, nec ad hoc quod desideras tibi proderit; etiam sic enim vinceris à me, immo ab ipsa quam prædico veritate. Sed [b] concupiscentiæ laudator & concupiscentiæ debellator etiam tuo judicio vinceris, cùm id malum laudas, de cujus debellatione glorieris. Si autem ne certamine dimicantis vincatur lingua laudantis, pugnare jam desinis; captivum concupiscentiæ, desertorem continentiæ vincam, non jam suo, sed judicio sapientiæ.

45. Caussa itaque nostra finita est. Quantumlibet enim laudes concupiscentiam carnis, quamdiu pugnas adversùs eam; cernis quàm verum de illa, nec nisi de illa dixerit apostolus Johannes, quòd non est à Patre. Nam si, ut dicis, *qui modum ejus non tenet, bono malè utitur*: etiam in malè utentibus bonum est ipsa. Quæ igitur est illa, quæ non est à Patre? An etiam ipsam, quomodolibet intelligas, laudare disponis? Porrò si malum est ipsa, ubi erit? quando erit? Quando quidem ista, etiam si malè quisque utatur, bonum erit: nec ipsa, ut dicis, sed ille erit malus, qui bono utitur malè. Ac per hoc frustra dixit Johannes, concupiscentiam carnis non esse à Patre: hanc enim tu bonam, & ob hoc à Patre esse contendis, etiam cùm eâ quisque malè utitur; quia bono malè utitur. Nec dicere poteris, Quando moderata est, à Patre est; quando immoderata est, non est à Patre: quia & tunc, ut dicis, bonum est, quo bono malè utitur malus. Sed ab his angustiis liberaberis, si credideris, non linguæ tuæ, sed pugnæ tuæ. Continentia est enim à Patre, qua non expugnaretur concupiscentia, nisi non esset à Patre. Hæc ipsa ergo, contra quam, si continenter vivis, acriter pugnas, non est à Patre. Non enim contra eam pugnares, nisi repugnaret: nec verò repugnaret tibi agenti quod donatur & amatur à Patre, si esset à Patre.

1. Johan. 2. 16.

46. Ex ista & cum ista nascitur homo, bonum Dei opus, non sine malo, quod trahit originis generationis, & sanat gratia regenerationis. Ac per hoc rectè à me dictum est, *Ita nuptiarum bonum malo originali quod inde trahitur non potest accusari, sicut adulteriorum & fornicationum malum bono naturali quod inde nascitur non potest excusari*. Bonum enim naturale dixi, quod mecum ipse collaudas; malum autem originale dixi, cujus motibus mecum repugnas, & cujus contra me laudibus pugnas. Non est malum quod natus es, sed cum quo natus es, & contra quod spiritaliter dimicas quia renatus es. Quod natus es, pertinet ad Dei conditionem, & parentum fecunditatem: contra quod autem dimicas quia renatus es, pertinet ad prævaricationem, quam diaboli astutia seminavit, unde te gratia Christi liberavit; ut priùs hoc malo bene utereris in conjuge, nunc illi adverseris in te; non jam reus ex illo, sicut eras natus, sed ab eodem reatu non erutus, nisi quia renatus, ut possis redemtus re-

Lib. 1. de nupt. & concup. cap. 1.

[a] Duo è Vatic. MSS. *qui expugnat*.

[b] Hîc ex Floriacensi MS. restituimus, *concupiscentiæ laudator &c.*

gnare cum Christo: si tamen ista hæresis non te faciat perire cum diabolo, sed, quod potiùs cupimus, confitearis malum, contra quod bellum geris, ut eo non * ita separato quasi alia natura sit, sed in te omni ex parte sanato, in perpetua pace læteris.

** f. non à te separato.*

Pharmacopola bestiã promittens quæ se ipsã comesset.

47. Non igitur *sum pharmacopolæ similis*, ut dicis, *qui promittebat bestiam, quæ se ipsam* [a] *comesset*. Sed observa, ne bestialis iste motus, contra quem videris in tua carne confligere, sicut te pervertit laudatus, sic te consumat postea relaxatus. Non enim, ut calumniaris, ego dixi *nuptias & magnum bonum, & magnum malum*, tamquam eo modo ipsa se comedat ista sententia: sed dixi in uno homine naturam bonam, vitium malum: quod esse tu ipse certè in adulteris confiteris, nec propter eorum vitium improbans naturam, nec propter eorum naturam approbans vitium. Bonum dixi nuptias, ex quibus es natus; malum autem non de nuptiis, sed de vitiata origine adtractum, contra quod geris bellum renatus.

Julianus Augustinũ Epicureum appellat.

48. Ridiculum est autem, quod me dicis, *Epicuri vias gradientem habenas omnes, quibus cupiditates frenantur, incidere*. Quid si ego laudarem corporis voluptatem? Hoc enim tu satis eloquenter facis, quod ineruditè atque impolitè faciebat Epicurus: quasi propterea sis ejus adversarius, quia disertè dicere non noverat ille, quæ dicis. Rursus, ut sentio, laboraturus es, quomodo te ostendas & laudatorem voluptatis esse, & Epicureum non esse. Sed noli laborare, ego te istâ curâ liberabo. Non es Epicureus, quia ille totum hominis bonum in corporis posuit voluptate, tu autem magnam partem humani boni ponere in virtute conaris, quam veram, id est, veræ pietatis ignoras. Dixit enim [b] homini Deus, Ecce pietas est sapientia. Et hæc unde homini, nisi ille det de quo scriptum est, Dominus sapientes facit cæcos: & de quo item legitur, Si quis indiget sapientiâ, postulet à Deo. Verùm si tu non es Epicureus, qui ex illo aliquam partem in voluptatis laude sumsisti: quanto minùs ego, qui de voluptate carnis hoc sentio, quod sentit Ambrosius; inimicam scilicet esse justitiæ, & quòd homo concupiscentiæ voluptate concretus, priùs quàm nascitur subeat contagia delictorum. Quod autem ad mores pertinet nostros, quemadmodum vivamus, in promtu est eis, cum quibus vivimus. Nunc de catholico agitur dogmate ac fide: perfidia non sit desertoris in te. Nam tua me non terret, velut lingua censoris. Fateor me docere homines, quod in apostolicis litteris didici, quia si dixerimus quòd peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Fateor me in populo & cum populo Dei pectus tundere, & veraciter dicere, Dimitte nobis debita nostra. Nec insultetis hinc nobis: inde quippe estis hæretici, quia hæc displicent vobis. Nos in Dei vera misericordia, vos in vestra falsa virtute confiditis. Vos gratiam Dei secundùm merita nostra dari dicitis; quod tamen nisi damnasset Pelagius, * à catholicis episcopis damnaretur: nos verò eam gratis dari, & propterea gratiam nuncupari, & ex illa esse omnia sanctorum merita confitemur, dicente Apostolo, Gra-

Iob. 28. 28. — *Psal. 145. 8.* — *Iac. 1. 5.* — *Ambros. lib. de parad. cap. 12. & lib. de philosoph. suprà citatus lib. 2. cap. 5. & 6.* — *1 Iohan. 1. 8.* — *Matth. 6. 12.* — ** V. lib. de gestis Pelagii, c. 14. & 5.* — *1. Cor. 15. 10.*

A tia Dei sum, quod sum. Ideo nos irridetis, & præ vobis alta cervice contemnitis. Facti enim sumus opprobrium iis qui abundant, & despectio superbis. Consilium quippe inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est.

Psal. 122. 4. — *Psal. 13. 6.*

49. In hac tamen re, unde nunc agimus, non video cur dicas, *me habenas omnes, quibus cupiditates frenantur, incidere*; qui omni virtute secundùm gratiam Dei, quæ datur hominibus, omnes cupiditates frenandas esse decerno. Sed abs te B quæro, utrùm bonæ an malæ sint istæ cupiditates, quas prædicas esse frenandas, & velut à me relaxentur, accusas? Puto enim non eas equorum vel quorumque animalium præter nos esse, sed nostras. In nobis sunt ergo malæ cupiditates, quas bene vivendo frenamus. Habenas igitur, quibus [c] non bonæ, sed malæ frenantur cupiditates, me præcidere criminaris. Harum est una concupiscentia carnis, ex qua & cum qua nascuntur, & propter quam renascuntur infantes. C Eo malo conjuges castos dico uti bene, adulteros malè: tu contrà eo bono adulteros dicis uti malè, castos conjuges bene: continentiam meliùs eo non uti, ambo dicimus; sed ego eo malo, tu eo bono. Ac per hoc, quamvis Deo nostra conscientia, conversatio verò etiam hominibus, inter quos vivimus, nota sit: tamen ambo continentiam profitemur: & si quod profitemur agimus, istam concupiscentiam profectò ambo frenamus, adversùs ejus repugnantes motus ambo D bellamus; ambo eam, si proficimus, debellamus. Verùm hoc interest, quòd ego dico me malum frenare, tu autem te bonum: ego dico mihi malum repugnare, tu tibi bonum: ego bello adversùs malum, tu adversùs bonum: ego cupio malum debellare, tu bonum. Unde putari potest, quòd istam concupiscentiam magis incitare laudando, quàm refrenare studeas continendo.

Iterum Julianus verbis suis capitur.

50. Gloriosa te per continentiam profiteris exercere certamina: contra quid rogo? Quid di-E cturus es, nisi contra carnis concupiscentiam? Sed utrùm amicam, an adversariam? Numquid nisi adversariam respondebis? Caro enim concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem. Hæc enim invicem adversantur, sicut Apostolus testis est. Fortassis ergo eam laudare te fingis, si pugnare non fingis. Nam quomodo fideliter simul agas duo ista, non video, ut & laudes velut amicam, & expugnes velut inimicam. Unum eorum credimus: sed elige quid cre-F damus. Si ex animo pugnas, non ex animo laudas. Si autem simpliciter agis in præconio, colludis in prœlio. Ego sanè quia inimicus tibi non sum, sicut inimicum tibi est illud quod habitat in carne tua malum, quamvis potissimùm cupiam, ut hoc malum & doctrinæ sanitate vituperes, & vitæ sanctitate debelles: tamen ex his duobus, quorum putari potes unum ex animo facere, alterum fingere; malim te fallaciter laudare concupiscentiam, quàm fallaciter expugnare. Tole-G rabiliùs enim lingua tua, quàm vita mentitur: tolerabiliùs sententia, quàm continentia simulatur. Fingis quippe laudem, qua sis adversarius sententiæ meæ; si non fingis castitatem, qua es adversarius concupiscentiæ tuæ. Ita fiet, ut nec

Gal. 5. 17.

Tolerabiliùs est lingua labi, quàm vitâ.

[a] Vaticani quinque & duo Gallic MSS. *comedisset*.
[b] Quinque Vatic. & Gallic. tres MSS. *Dixit homo Dei, Ecce pietas &c.*
[c] In MSS. deest, *non bonæ, sed*.

contra

contra me diutius proferas fallaciter verbum, si veraciter geris contra libidinem bellum. Sed sive unum horum fingas, sive utrumque, (quod nescio quemadmodum ex animo facias, id est, sine ulla simulatione, & pugnes contra quod laudas, & laudes contra quod pugnas:) ego tamen id quod est mitius de te credens, velut cum debellatore libidinis ago; & nuptias non dico malas, sed bene uti malo, quas tu dicis bene uti bono; bonum esse dicens concupiscentiam carnis, quam tamen in te debellando malum esse convincis. Quomodo autem cum illa, etiam qui eâ bene utuntur, belligerent conjugati, jam superiùs disputavi.

CAPUT XXII.

51. QUÆ cùm ita sint, & conjugium bonum est in quantum conjugium est, & homo sive de conjugio, sive de adulterio nascatur, in quantum homo est, bonum est; quia in quantum homo est, opus Dei est: & tamen quia cum illo & ex illo malo generatur, quo bene pudicitia conjugalis utitur, necessarium illi est, ut ab ejus mali nexu regeneratione solvatur. Quid ergo à me quæris, *ubi sit originale malum*; cùm in te ipso veriùs tibi loquatur libido, contra quam pugnas, quàm tu ipse, quando eam laudas? Quid quæris, *unde sit homo sub diabolo, quem Deus fecit?* Unde enim est in morte, quam Deus non fecit? *Quid ibi cognoscit*, inquis, *diabolus suum, si nec quod factum, nec unde factum est, ipse condidit?* Planè quod factum est, homo est; unde factum est, semen est hominis; utrumque bonum est: nihil horum diabolus condidit, sed vitium seminis ipse seminavit. Non ibi cognoscit suum bonum, quia non est ejus, quod ambo laudamus; sed cognoscit suum malum, contra quod ambo pugnamus: nec rectè laudatur ab altero nostrûm, contra quod ab utroque pugnatur. Vide sanè, quemadmodum quæras à me, *inter tot bona, unde sit in parvulis malum*; & taceas quod ego posui in eodem libro cui respondes, & inter ipsa verba quibus nunc respondes, quod ait Apostolus, (Rom. 5. 12.) "Per unum hominem peccatum intravit in "mundum, & per peccatum mors, & ita in om- "nes homines pertransiit, in quo omnes peccave- "runt. Hoc enim non vis ut audiant vel legant homines isto loco, ubi maximè opus erat, ne agnoscant fidem suam, & contemnant argumentationem tuam

CAPUT XXIII.

52. DEFINISSE me dicis, *Hominem, si de fornicatione nascatur, reum non esse; si de conjugio, innocentem non esse.* Hæc verò nimia est, & aperta calumnia. Immo definivi hominem, undecumque nascatur, secundùm catholicam fidem quam patres contra vos ante quàm nasceremini evidentissimè defenderunt, & innocentem esse per nullum proprium, & reum per originale peccatum: naturæ autem substantiam, cujus auctor est Deus, etiam in grandibus esse peccatoribus bonam; qui utique propter peccata etiam sua propria mali sunt, quæ illi malo cum quo nati sunt addiderunt. Cur autem timerem, * (V. infrà lib. 6. c. 7.) ne mihi objiceretur, ut dicis, *quia peccata omnium parentum omnibus filiis imputarem*: cùm etiam si hoc verum sit, (non quantum adtinet ad [a] utentes jam suæ voluntatis arbitrio, sed quantum adtinet ad nascentes,) nullo modo naturæ substantia malum esset, cujus auctor est Deus, sed ea quæ insunt ei vitia, contra quæ tu quoque, ut verbis tuis utar, *exerces gloriosa certamina?*

53. Sicut autem, quemadmodum dicis, *quando adulteri gignunt, nascitur homo de virtute seminum, non de turpitudine flagitiorum*: ita quando conjuges gignunt, nascitur homo de virtute seminum, non de honestate nuptiarum. Aut si hîc de utroque, & ibi de utroque: fructus autem nuptiarum est, quantum ad ipsas prorsus adtinet nuptias, non hominum generatio, qui possunt etiam de adulteris nasci; sed ordinata susceptio filiorum. (Nuptiarū fructus ordinata filiorum susceptio.) Cur ergo *sententiæ meæ pars falsissima est, qua dixi, Nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari*: cùm eo malo, contra quod pugnas, & bene usi fuerint conjugati ut nascereris, & hoc inde abs te tractum reum te teneret nisi renascereris? Itaque nec accusandi sunt conjuges qui bene utuntur malo, & regenerandi sunt filii ut liberentur à malo. Si enim nuptiarum bonum non esset nisi bonus usus boni, tunc mirandum esset, quomodo inde traheretur malum: cùm verò sit bonum nuptiarum bonus usus mali, quid mirum si de ipso malo, quo bene utitur bonitas nuptiarum, trahitur malum quod est originale peccatum? Illud mirabile est, quòd cùm essent Apostoli bonus odor Christi, trahebatur inde bonum, trahebatur & malum. (2. Cor. 2. 15. & 16.) Aliis enim erant odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem; cùm odor ille non esset usus mali, sed boni. Ideo quippe bonus odor erant Christi, quia bene utebantur gratiâ Christi. Falsum est igitur quod dixisti, *Si malum inde trahitur, accusari potest, excusari non potest*: quia trahitur inde originale malum, cùm trahatur inde etiam bonum, ordinata scilicet propagatio filiorum. Nec malum illud inde ideo trahitur, quia bonæ sunt nuptiæ; sed quia in bonis earum est etiam usus mali. Non enim copula nuptialis, sicut putas, propter carnis concupiscentiam, sed propter bonum quod de isto malo fit, instituta est. Quod quidem bonum sine isto malo fieret, si nemo peccasset. Nunc ergo sine isto malo esse non potest, sed non ideo malum est. Sicut è contrario, nullum malum sine aliquo bono esse potest, nec ideo bonum est. Opus enim Dei bonum est in natura, sine quo tamen esse non potest voluntas mala. Ac per hoc, sicut adulterium non potest esse sine bono naturæ, nec ideo bonum est: ita connubium non potest esse sine malo concupiscentiæ, nec ideo malum est. Quapropter etiam si tibi concedatur, *omnem caussam mali esse expertem boni*; nihil hinc refertur ad nuptias, quæ non sunt caussa mali. Neque enim concupiscentiæ malum nuptiæ fecerunt; sed quo bene uterentur, paratum invenerunt.

CAPUT XXIV.

54. *Non evadit*, inquis, *res illa supplicium, cujus participatione etiam alia trahunt reatum.* Hoc si de concupiscentia carnis sentis, non absurdè sentis. Hoc enim malo bene utuntur fideles conjugati, & ex hoc qui generantur reatum trahunt, ideoque & ipsi regenerandi sunt. Id autem malum non evadit supplicium: hoc est enim ejus supplicium, ut cum generatis, si regenerati non fuerint, puniatur; in regeneratis autem, cùm ex

[a] Sic aliquot MSS. Editi verò, *viventes*.

omni parte sanati fuerint, consumatur. *Si trahitur*, inquis, *& de nuptiis originale malum, caussa mali est conventio nuptiarum.* Quid si alius dicat, Si trahitur de natura voluntas mala, caussa mali est constitutio naturarum; nonne falsissimum est? Sic ergo & quod ipse dixisti; quamvis originale malum non de nuptiis trahatur, sed de carnali concupiscentia; contra quod malum & ipse confligis: quo malo conjugati bene utuntur, si solâ conjuges propagationis gratiâ misceantur; & si peccatum non præcessisset quod in omnes homines pertransiit, nec fuisset profectò malum quo bene uterentur, & tamen ut procrearent filios miscerentur.

55. De *arboribus* autem *bona & mala*, quantum erraveris, puto me satis demonstrasse in primo hujus operis * libro: & cùm eosdem nodos repetas, qui jam soluti sunt, non est superfluis immorandum. Quæris *per quid peccatum inveniatur in parvulis*; & enumeras multa bona, tacens de malo, contra quod pugnas: sed cùm taces, clamas. *Parentes*, inquis, *qui conventu suo caussam fecere peccato, jure damnabiles; quorum labore actum est, ut ad dominatum exercendum in homines diabolus perveniret.* Potes hoc & ipsi Deo dicere, non dico quia creat homines trahentes originale peccatum, quia id tu negas; sed quia nutrit & vestit innumerabiles impios, etiam quos novit in ipsa impietate mansuros: quod profectò si non fecisset, servos homines diabolus non haberet. Sed forsitan dicas, Deus in eis pascendis non adtendit nisi bonum, cujus ipse auctor est, quod homines sunt. Sic ergo & parentes in filiis gignendis non adtendunt nisi bonum, quod homines sunt, maximè nescientes quales futuri sunt. Nempe, quod etiam tu confiteris, peccatum nullum esset, si nulla præcessisset voluntas mala: quia & originale peccatum, (quod nos dicimus, vos negatis,) nullum esset utique, nisi naturâ ex primi hominis mala voluntate vitiatâ. Sed nulla esset etiam voluntas mala, si nulla præcessisset natura vel angelica, vel humana. Numquid propter hoc Deum caussam dicturus es peccatorum, quia voluntas ejus caussa est mutabilium naturarum? Sicut ergo creanti Deo non imputatur, quod rationales naturæ à bono deficiunt, sed quod bonum sunt: sic parentibus gignentibus & malo concupiscentiæ bene utentibus non imputandum est, quod cum eo malo filii nascuntur, sed quod bonum sunt. Non autem ideo, sicut putas, *à diabolo ducitur origo nascentium*, in quantum homines sunt, *quia dicitur à diabolo esse origo peccati, sine quo nullus nascitur hominum.* Neque enim quia origo mortis à diabolo est, ideo ab illo est origo mortalium.

* Cap. 8.

Peccatorū caussa non est Deus.

56. *Rimam* quæris *inter tot innocentiæ præsidia, qua potuerit intrare peccatum*: cùm tibi ostendat apostolus Paulus, non rimam, sed apertissimam januam, dicens, Per unum hominem peccatum „intravit in mundum, & per peccatum mors, & „ita in omnes homines pertransiit. Sed hæc tacens verba, dicis tua, *quia per opus Dei opus diaboli transire non sinitur*: cùm homines sint opus Dei, peccatum autem opus diaboli, quod dicit Apostolus in omnes pertransisse. Clamas, *Si natura per Deum est, non potest in ea esse originale malum*: quasi non alius religiosiùs sibi clamare videatur, Si natura per Deum est, non potest ex ea nasci ullum malum, aut non potest in ea esse ullum malum. Et tamen falsum est: quia nec oriri malum potest, nisi ex natura; nec ubi sit habet, si non fuerit in natura. Confiteor igitur opus Dei esse qui nascitur, etiam trahens originale malum; quoniam quod in illo Dei opus est, bonum est: quia bonum est opus Dei etiam cum malo, non solùm in parvulis, verùm etiam in quibuslibet ætatibus, hoc est, substantia, forma, vita, sensus, ratio, ceteraque omnia bona, etiam in quocumque homine malo. Quis autem operatur ut vivat homo, nisi in quo vivimus, movemur, & sumus? Id autem operatur occulto quodam opere beneficentiæ suæ, exceptis alimentis perspicuis quibus extrinsecùs sustinemur. Qui ergo operatur ut vivat homo, quamvis conversatione vitiosa; ipse operatur ut nascatur homo, quamvis origine vitiata.

Rom. 5. 12.

Malum nisi ex natura bona oriri non potest.

Act. 17. 28.

Caput XXV.

57. Quid est autem, quòd propositis aliis ex libro meo verbis meis fingis quòd dixerim, *Aliam fuisse nuptiarum institutionem ante peccatum Adæ, quæ sine concupiscentia, sine motu corporum, sine necessitate sexuum esse potuissent?* Detrahe nuptiis concupiscentiam qua caro concupiscit adversùs spiritum, detrahe malum contra quod pugnas gloriosa exercens continentiæ virtute certamina; & non opus est ut cetera detrahas, si nuptias quæris quales ante peccatum primorum hominum esse potuerunt. Sine motu enim corporum & sine necessitate sexuum quis umquam ullas nuptias cogitavit? Sed bellum quod in se casti sentiunt, sive continentes, sive etiam conjugati, hoc dicimus in paradiso ante peccatum nullo modo esse potuisse. Ipsæ ergo etiam nunc sunt nuptiæ, sed in generandis filiis tunc nullo malo uterentur, nunc concupiscentiæ malo bene utuntur. Quo malo sua bona non perdiderunt, in castitatis fide, in conjunctionis fœdere, in propaginis germine. Adhæreret ergo tunc etiam vir uxori ut gignerent filios; non tamen haberent in carne motum libidinis turbidæ, sed tranquillæ tantummodo voluntatis, [a] qua imperamus ceteris membris.

Bona nuptiarum tria.

58. Arguis me, quòd *eos parvulos qui mundum impleverunt, pro quibus Christus mortuus est, diaboli opus, & de morbo natos, & ab exordio reos definiam.* Parvuli opus diaboli substantialiter non sunt: sed opere diaboli originaliter rei sunt. Et ideo Christus, quod & ipse confiteris, etiam pro parvulis mortuus est; quia & ad ipsos pertinet sanguis, qui in remissionem fusus est peccatorum: à quo illos sanguine facitis alienos, cùm eos negatis trahere originale peccatum. Nec succenseas, quòd concupiscentiam dixi morbum, cui & tu confessus es provisum fuisse remedium. Exordium verò parvulorum, ex quo nascerentur, in Adam fuit; quo per peccatum vitiato atque damnato, alterum eis Christus, ex quo renascerentur, instituit.

Matth. 26. 28.

Caput XXVI.

59. *Si ante peccatum*, inquis, *per Deum creatum est unde homines nascerentur, per diabolum autem unde parentes commoverentur; adscribitur sine dubio sanctitas nascentibus, & culpa generantibus.*

[a] Am. *quam speramus in ceteris membris.* Er. & Lov. *quam spectamus in ceteris membris.* Emendantur ad MSS.

Quid dicis, *parentes commoverentur?* Si pietate voluntatis, qua optat filios quisque suscipere; & hoc per Deum institutum: si autem perturbatione libidinis, cui nec excitandæ nec auferendæ sufficit voluntatis arbitrium; naturæ vulnus est de prævaricatione, quam diabolus persuasit, inflictum. Rectè itaque à me dictum est,* *Fieret sine isto morbo seminatio filiorum in corpore vitæ illius, sine quo nunc fieri non potest in corpore mortis hujus.*

Libido vulnus naturæ.
* Lib. 1. de nuptiis, c. 1.

60. Quòd autem argumentaris, *ad bonum fecunditatis parvulos pertinere, quæ Dei benedictione ante morbum libidinis instituta est; non ad ipsum libidinis morbum,* [a] *si postea peccantibus accidit; atque ideo sanctitatem adscribendam esse nascentibus, & generantibus culpam:* non adtendis peccato illo magno universam in deterius mutatam fuisse naturam, unde fuerat propago ducenda. Sic enim posses dicere, Evam solam, non ceteras feminas dolores parturitionis sentire debuisse: quoniam benedictio qua dictum est, Crescite & multiplicamini; ex qua filii procreantur, antè facta est, quàm fuisset muliebris sexus illa maledictione punitus. Sed si hoc dixerimus, utique respondebitur, sicut ex peccato illo, ita ex maledicto in pejus totam mutatam fuisse naturam, unde trahitur originale peccatum & jugum grave super filios Adam.

Gen. 1. 28.

61. Non enim, sicut tu argumentaris, *Judæum sub lege positum describebat Apostolus dicentem, Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum: &, Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: &, Mihi malum adjacet: &, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ:* sed describebat humanam in hac corruptibili carne naturam, non opere Dei cum vitio primitus institutam, sed ex voluntatis arbitrio veniente primorum hominum vitio sauciatam. Cujus enim vox est, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Numquid Judæi? Absit: sed sine dubitatione Christiani. Ejus ergo voces sunt etiam illæ superiores, ex quibus hæc consequenter expressa est. Ipse enim dixit, Gratia Dei me liberabit de corpore mortis hujus per Jesum Christum Dominum nostrum; qui dicebat, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.

Confer. lib. de gratia Chr. c. 39. & lib. 1. cont. duas epist. Pelag. c. 8. 9. & 10.
Rom. 7. 18. 20. & 23.
Ibid. 24.

62. Sed ne fortè istam catechumeni existimes vocem lavacrum regenerationis adhuc sperantis, post quod lavacrum nullam legem peccati resistentem legi mentis, habiturus esset in membris, (quamquam tu ipse, [b] sicut de te vis credamus, adversùs hujus concupiscentiæ malum, per continentiæ bonum, gloriosa certamina post lavacrum regenerationis exerceas,) recole tamen quid scribat ad Galatas, certè homines baptizatos. Dico autem, inquit, spiritu ambulate, & concupiscentias carnis ne perfeceritis. Non ait, ne feceritis; quia eas non habere non poterant: sed, ne perfeceritis; id est, ne opera earum, consensu voluntatis impleatis. Caro enim, inquit, concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem. Hæc enim invicem adversantur; ut non ea quæ vultis faciatis. Vide si non hoc est ad Romanos: Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Deinde ad Galatas addit & dicit: Quòd si spiritu ducimini, non adhuc estis sub lege. Vide si non hoc est ad Romanos: Jam non ego operor illud: &, Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem: &, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus. Si enim non obediatur concupiscentiis, quas necesse est esse in carne peccati atque in corpore mortis hujus, non perficietur quod perfici vetat Apostolus dicens, Concupiscentias carnis ne perfeceritis. Ipsa quippe sunt opera, de quibus totum [c] mirè sequitur, & dicit, Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum servitus, & cetera. Si ergo non consentiatur concupiscentiis carnis, quamvis agantur motibus, non tamen perficientur operibus. Proinde cùm caro concupiscit adversùs spiritum & spiritus adversùs carnem, ut non ea quæ volumus faciamus; nec carnis perficiuntur concupiscentiæ, quamvis fiant; nec nostra perficiuntur bona opera, quamvis fiant. Sicut enim tunc perficitur carnis concupiscentia, cùm consentit ei spiritus ad opera mala, ut non concupiscat adversùs illam, sed cum illa: sic & bona opera nostra tunc perficientur, quando ita spiritui caro consenserit, ut adversùs eum etiam ipsa non concupiscat. Hoc enim volumus, cùm perfectionem justitiæ concupiscimus; [d] hoc intentione non intermissa velle debemus: sed quia id perficere in ista corruptibili carne non possumus, ideo dixit ad Romanos, Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Vel sicut habent codices Græci, Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non: id est, non mihi adjacet perficere bonum. Non ait, facere; sed, perficere bonum. Quia facere bonum, est post concupiscentias non ire: perficere autem bonum, est non concupiscere. Quod ergo est ad Galatas, Concupiscentias carnis ne perfeceritis: hoc è contrario est ad Romanos, Perficere autem bonum non invenio. Quia nec illæ perficiuntur in malo, quando eis non accedit nostræ voluntatis assensus: nec nostra voluntas perficitur in bono, quamdiu illarum cui non consentimus permanet motus. Ipse autem conflictus, in quo etiam baptizati velut in agone decertant, cùm caro concupiscit adversùs spiritum & spiritus adversùs carnem; ubi & spiritus facit bonum opus, non consentiendo concupiscentiæ malæ, sed non perficit, quia ipsa mala desideria non absumit; & caro facit malum desiderium, sed nec ipsa perficit, quia non sibi consentiente spiritu, & ipsa ad opera damnanda non pervenit: iste ergo conflictus non Judæorum, nec quorumlibet aliorum, sed planè Christianorum fidelium & bene vivendo in hoc certamine laborantium, breviter ostenditur ad Romanos, ubi ait, Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.

Gal. 5. 16.
Concupiscentias carnis perficere.
Ibid. 17.
Rom. 7. 20. & 22.
Gal. 5. 18.
Rom. 6. 12.
Gal. 5. 19.
Carnis concupiscentia quando perficiatur.
Rom. 7. 18.
Eccli. 18. 30.
Gal. 5. 16.
Facere & perficere bonum.
Rom. 7. 25.

63. Si ergo hæc est conditio in corpore mortis

[a] In editis, *qui postea*. In MSS *si postea*.

[b] Sic MSS. At Er. & Lov. *si quid de te tibi credimus*.

[c] Aliquot MSS. omittunt *totum mirè*. Alii solùm retinent *mirè*.

[d] Lovanienses hanc sententiam expunxerunt, *hoc intentione non intermissa velle debemus*: quæ tamen exstat in omnibus libris. Apud Am. Er. & tres Gallicanos MSS. assutum præferebat glossema sic, *Hoc intende* (vel *intendere*) *concupiscentiis carnis non perficiendis, & bonum perficere non invenio: hoc intentione non intermissa velle debemus.*

hujus, (quæ utique non fuit in paradiso, in corpore vitæ illius;) procul dubio satis evidenter apparet, unde trahant parvuli obligationem peccati cùm carnaliter nascuntur, quæ non solvitur nisi cùm spiritaliter renascuntur. Non enim hanc trahunt ex opere, quo humanam Deus naturam fecit; sed ex vulnere, quod naturæ humanæ hostis inflixit. Non hostis secundùm Manichæos prosiliens ex natura mali, quam non condidit Deus; sed hostis angelus quondam ex opere Dei bonus, ex opere suo factus malus. Qui se primum vulnerando prostravit, ut elisus eliderct, & per malam suasionem prævaricationis vulnus infligeret; unde genus humanum, etiam in his qui viam Dei ambulant, claudicaret.

Diabolus factus fuit à Deo bonus.

Lib. 1 de nuptiis & concup. cap. 1.

64. Et tamen succenses mihi, quia dixi, *Hæc enim quæ ab impudentibus impudenter laudatur, pudenda concupiscentia:* & iratus impudentiùs multa dicis, vos extollens, *tamquam* [a] *scripturis sanctis & rationi certissimæ congruentes, eo proposito non esse in natura malum defendatis, ut ad virtutum studia homines incitetis; inculcantes nullum culmen ita arduum esse virtutis, ut non ad illud adjuvante Deo mens queat fidelis evadere; atque ob hoc dicatis, non esse in carne mali necessitatem, ut erubescat unusquisque laudabiliter conditus, deformiter vivere, ac sic pudor turpi occurrat ignaviæ de commendatione nobilitatis ingenitæ:* & cetera hujusmodi, quæ satis eloquenter in vestra prædicatione jactasti, nos contrà deprimens, & dicens, *quòd dubium non sit eversionem sanctitatis, contaminationem pudicitiæ, morum labem nostris convenire, immo inesse dogmatibus: neque id esse me negaturum, qui ideo*, sicut dicis, *in naturæ invidiam malæ conversationis sordes refundo, ut peccantibus metum demam; quorum obscœnitates, Apostolorum & sanctorum omnium consolor injuriis, eo quòd vas aureum apostolum Paulum sæpè dixisse commemorem, Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio:* & cetera hujusmodi.

Rom. 7. 15.

65. Verumtamen vos laudans, nos arguens, adversùs concupiscentiæ malum pugnas, & pugnando confiteris, quod loquendo negas. Atque ita vis videri te culmen adscendisse virtutis, ut in ipso culmine, quò te existimas evasisse, cum persequente concupiscentia, tamquam in arce confligas, & quantumlibet ex loco superiore, tamen cum hoste interno dimicare non desinas. Nec erubescis concupiscentiam, quæ te ampliùs perdet sine dubitatione si vicerit, laudare adversùs eum, qui te perditum etiam cùm vincit inquirit: maximè quia in fine ejusdem libri tui dicis, *quòd non sit alia mei sensûs intentio, quàm ad inferendum virtutibus bellum in vitiorum sacramenta jurare, & ad excidium civitatis Dei, omni astu, omni furore conniti, adipiscendæ castitatis desperatione repugnantes turpitudini territare, mentiri me tantas obscœnæ libidinis vires, ut eam ratio regere ac frenare non possit, cui nec Apostolorum legio repugnaverit.* Hæc de me prorsus ipse mentiris. Ego enim non infero virtutibus bellum; sed vitiis, quantum adjuvor, infero, & inferendum esse proclamo. Quod si & tu facis, quid est quod laudas, cum quibus pugnas? Quomodo virtute hostes debellare te credam, quos verbo lacerare non audes? Si ambo concupiscentiam debellamus, quare non ambo vituperamus? Quam te jactas expugnare continentiâ, quare non vis damnare sententiâ? Mentiri me dicis tantas libidinis vires, ut eam ratio regere ac frenare non possit. Ecce ego non dico tantas libidinis vires, ut humana ratio divinitus accensa & adjuta eam regere ac frenare non possit: sed tu quare negas malum esse, quod si non frenetur occidit? Ecce ego voce qua possum, quod me negare asseris clamo; Apostolorum legionem repugnasse libidini, utique [b] repugnanti: tu qui nos fecisse Apostolis calumniaris & velut indignaris injuriam, cur & illorum & tuam exornas laudibus inimicam? Quis eam defendat, cui legio repugnavit Apostolorum, nisi hostis Apostolorum?

66. Itane habere tecum libido & amicitiam meretur & bellum, ut abs te & expugnetur in te, & defendatur adversùs me? Bellum vestrum latet, amicitia patet: ex hoc quod patet, suspectum facis esse quod latet. Quid enim vis credamus de bello quod geritis in operto, quorum amicitiam cernimus in aperto? Quomodo vis ut arbitremur adversùs aculeum te dimicare libidinis, cùm libros impleas laude libidinis? Verùm ecce vinco suspicionem meam: expugnare te credo quod laudas; sed laudare te doleo quod expugnas. Ex isto igitur & cum isto malo, quod à te quoque credimus expugnari, homo generatur, quem negas regeneratione salvari. Isto enim conjugati bene utuntur, quo continentes meliùs non utuntur. Porrò si malum est, [c] quo caro concupiscit adversùs spiritum, cui malo, sicut fateris, Apostolorum legio repugnavit; hoc utentes conjugati, procul dubio non bono bene utuntur, sed malo. Ex hoc igitur & cum hoc filii generati regenerandi sunt, ut liberentur à malo. Hoc enim originali malo etiam parentes illorum rei nati sunt, etsi ab hoc reatu renascendo sunt liberati. Quid autem vellemus ut gignerent, non unde renati, sed unde nati sunt, nisi quod & ipsi nati sunt? Reos ergo: quia & ipsi rei nati sunt, & generantes inde unde nati sunt, non aliud potuerunt generare quàm nati sunt. Unde autem renati, inde à reatu cum quo nati sunt liberati. Ac per hoc & illi quos reos [d] liberati generaverunt, eadem sunt regeneratione liberandi. Ex hoc enim malo rei nati sunt, quo bene utuntur renati, ut nascantur regenerandi. Contra quod malum si non pugnas, pugnantibus crede: si pugnas, adversarium confitere; & noli laudando morbum, habere amicum, quem pugnando experiris inimicum.

[a] Hic Lovanienses addiderunt, *qui*.
[b] Apud Lov. *utique pugnanti*.
[c] Victorinus codex, *quòd caro*.
[d] Am. Er. & Vaticani duo MSS. cum nonnullis Gallicanis, *quos reatu liberati generaverunt*.

LIBER QUARTUS.

Libro Juliani secundo respondet Augustinus, dicta ipsius, ut in primi libri confutatione fecit, singula excutiens; iis tantùm silentio prætermissis, quæ aliquem nodum quæstionis ad rem pertinentis non habent. Atque hîc duo præsertim probat, unum quidem, virtutes infidelium veras non esse: alterum verò, malum esse concupiscentiam, quod ipsis etiam gentilium sententiis, præbente occasionem adversario, commonstrat. Circa medium libri paucis obiter docet quomodo gratia non secundùm merita detur, nec tamen in fatum sit referenda; utque intelligendum quod Apostolus dicit, Deum velle omnes homines salvos fieri.

CAPUT I. JAM nunc ab alterius voluminis exordio cetera videamus, quibus librum meum refellere niteris, omittentes sicut instituimus ea quæ nodos non faciunt quæstionum, quibus solvendis curam [a] nos oportet impendere, nec immorando superfluis ipsa prolixitate operis à laborioso negotio deterrere lectorem. Superiore igitur libro satis egimus, quo rectè judicantibus appareret, cùm Deus verus & bonus sit hominum conditor, bonæque sint nuptiæ, quas & conditione atque copulatione utriusque sexûs instituit, & fecunditatis munere benedixit; malum tamen esse concupiscentiam carnis qua concupiscit adversùs spiritum, eoque malo bene uti pudicitiam conjugalem, meliúsque non uti continentiam sanctiorem: quod malum non ex alia substantia quam Deus non condidit, sicut Manichæus insanit, nobis esse permixtum; sed per inobedientiam unius hominis exortum atque traductum, & per obedientiam unius hominis expiandum atque sanandum; cujus obligatione implicat debita pœna nascentem, solvit indebita gratia renascentem. Hoc malum contra me laudando, adversarius meus videris: sed in te debellando, meus testis es: si autem non debellas, tuus hostis es. Proinde quia primo tuo libro sufficienter me respondisse existimo, quamvis ibi tota caussa finita sit: tamen ne ceteris tribus respondere non potuisse videamur, in cis etiam quàm vana dixeris intuere.

2. Propositis ex meo * libro verbis meis exsultas, quòd *teste Apostolo* dixerim, *donum Dei esse pudicitiam conjugalem*: quasi propterea laudaverit Apostolus malum quod tu laudas, quo caro concupiscit adversùs spiritum, quo malo utitur bene pudicitia conjugalis, sicut jam in libro superiore monstravi. Non itaque parvum donum Dei est, ita frenari hoc malum, ut ad nihil relaxetur illicitum, sed generationi tantùm regenerandorum serviat filiorum. Ejus quippe impetus non sua sponte moderatus est: à nullo namque illicito sese abstinet, si membra desiderio ejus inserviant. Ac per hoc ejus modus, non in ipso, cujus inquietus est motus; sed in refrenante ac bene utente laudatur.

[* Lib. 1. de nupt. & concup. cap. 3. 1. Cor. 7. 7. Gal. 5. 17.]

3. Itaque isto malo cùm bene utuntur conjugati fideles, à cujus reatu soluti sunt munere Salvatoris; profectò quicumque inde nascuntur ejusdem munere Creatoris, non sicut nobis objicis, *in regnum diaboli præparantur*; sed ab illo potiùs eruendi & in regnum Unigeniti transferendi. [b] Hæc enim est, & esse debet piorum conjugum intentio, ut regenerationi generatio præparetur. Si autem hoc malum quod in se ipsis parentes sentiunt, cui malo, ut tuis verbis utar, * *Apostolorum legio repugnavit*, non pertineret ad filios, sine illo utique nascerentur: nunc verò quando quidem cum hoc nascuntur, quid miraris, quia propter hoc renascuntur, ut ab ejus obligatione solvantur, & aut ex ista vita ab illo liberati rapiantur, aut in ista vita adversùs illud liberi prœlientur, victoresque in fine remunerentur?

[b Conjugum piorum quis finis & intentio.] [* Suprà lib. 3. n. 65.]

4. Quis autem nostrûm suspicatus est, *suum conjugum à diabolo fuisse repertum?* Quis *commixtionem corporum per malum prævaricationis* credidit *accidisse*; cùm sine his nuptiæ prorsus esse non possent? Sed malum quo bene utuntur, nullum esset, si nemo peccasset. Quod dixi, mihi objice, ut purgem. Nam si & quod non dixi, mihi objicis, quando finimus?

5. *Consequens* putas *esse*, *ut munus Dei noceat, si homo cum malo nascitur: nemo enim nisi Dei munere nascitur.* Audi ergo & intellige: Munus Dei nulli nocet, quo quisque est & vivit: sed concupiscentiæ malum non potest esse, nisi in eo quod est & vivit. Quapropter potest esse malum in munere Dei, sanandum alio munere Dei. Potest igitur in homine qui munere Dei est & vivit, malum esse generatione contractum, regeneratione sanandum. Nam utique nullus infans cum dæmone nasceretur, si non nasceretur; nec ideo mali hujus ipsa est caussa, quia nascitur. Nascitur ergo munere Dei, cum dæmone autem, judicio Dei sanè occulto, sed numquid injusto?

CAPUT II. 6. IN eo verò quod dixi, *etiam bonum conjugale, si non habetur, à Domino esse poscendum*: (quibus utique, nisi quibus est necessarium?) visus sum tibi dicere, *pro concumbendi viribus supplicandam.* Sed ego pro ipsa pudicitia conjugali dixi rogandum Deum, in qua est concumbendi non liber usus, sed licitus modus. Nam homo si concumbere non potest, potiùs non quærat uxorem: quando quidem apostolica sententia ubi ait, Si se non continet, nubat; remedium voluit esse nuptias, quod & ipse * confessus es, contra morbum concupiscentiæ, quod confiteri non vis, qui remedium confiteris. Hoc autem remedium est,

[Lib. 1. de nupt. cap. 3.] [1. Cor. 7. 8.] [* Suprà lib. 3. cap. 15. & 21.]

[a] Lovanienses renitentibus MSS. pro *nos oportet impendere, nec:* correxerant *non oportet impendere, ne.*

[b] Hoc etiam loco nullâ veterum librorum auctoritate à Lov. additum fuerat, *renascuntur.*

non ut ſit concupiſcentia, ſi non eſt; ſed ut non rapiat ad illicita, cujus motus infrenis eſt. Pertinet enim ad hoc quoque petitionis genus, quod in oratione Dominica dicimus, Ne nos inferas in tentationem: quoniam unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua, ſicut ait apoſtolus Jacobus. Convenit huic & quod dicimus, Libera nos à malo. Dicunt enim hoc de hac re conjuges, ut interim mente liberi à malo, bene utantur malo quod habent in carne: (ſciunt enim quia in carne eorum non habitat bonum:) ut omni poſtea corruptibilitate ſanata, nullum in eis quo utantur, remaneat malum. Quid eſt quod triumphas tamquam de hoſte victo? Internum potiùs vince quem laudas. Nam victoria de te mea, illo malo tecum pugnante, ſecura eſt. Neque enim dicere audebis, eum vinci qui verum dicit, ab eo qui falſum dicit. Ego autem concupiſcentiam contra quam pugnas, malum dico, tu bonum: ſed pugna tua malum fatetur, quod bonum lingua mentitur; augens mendacium alio mendacio, quo affirmas & à me illam dictam bonam. Neque enim concupiſcentiam carnis, quam Johannes apoſtolus dixit à Patre non eſſe, ego dicerem bonum: ſed bonum dixi pudicitiam eſſe conjugalem, quæ reſiſtit malo concupiſcentiæ, ne ad illicita rapiat cùm movetur.

Matth. 6. 13.
Iac. 1. 14.
Rom. 7. 18
1. Johan. 2. 16.

7. Verùm ſciens quàm inaniter argumentatus fueris, *pulſas*, ut dicis, *alterum definitionis meæ latus*, & inquis: *Si calor genitalis conjugalis honeſtatis miniſter ab immoderatis procurſibus tam ſtudio fidelium, quàm doni virtute retinetur, nec exſtinguitur per gratiam, ſed frenatur; probabilis eſt in genere ſuo & in modo ſuo, & ſolis accuſatur exceſſibus.* Hæc dicens, non adtendis conjugum conventionem cauſſâ generandi, ideo bonum eſſe laudabile, quia eo limes præfigitur licitus malo concupiſcendi. Cur enim non potiùs malum vocetur, quod fateris eſſe frenandum? Cur quæſo frenandum, niſi ne noceat? niſi ne ad illicita quæ deſiderat relaxetur? Et utique deſiderium mali malum eſt, etiam ſi ei non conſentiatur, donec eò veniamus ubi nec habeatur. Non igitur quid boni de concupiſcentia carnis fiat, ſed ipſa quid mali faciat, cogitandum eſt. Nam pudicitia conjugalis inhiantem concupiſcentiam ſive de illicito ſive de licito percipere voluptatem, frenat ab illicito, permittit ad licitum: hoc eſt bonum, non tamen ejus, ſed bene utentis bonum eſt. Quòd autem ipſa concupiſcentia facit, ſive ad licitum ſive ad illicitum indifferenter ardeſcere, utique malum eſt. Hoc itaque malo bene utitur pudicitia conjugalis, meliùs non utitur continentia virginalis.

8. *Si poſſet*, inquis, *calor genitalis malum eſſe naturaliter, exſtirpandus erat, non componendus.* Vide quemadmodum noluiſti dicere, quod ſuprà dixeras, *frenandus*; ſed maluiſti, *componendus*. Senſiſti enim quòd eum nemo frenaret, niſi cui repugnaret: & ob hoc mutato verbo, timore ipſo faſſus es malum, quod repugnat bono. Appellas etiam *calorem genitalem*, quia pudet appellare libidinem, ſive, ſicut eam divinus ſermo appellare conſuevit, carnis concupiſcentiam. Sic ergo loquere & dic: Si poſſet carnis concupiſcentia mala eſſe naturaliter, exſtirpanda erat, non componenda. Sic enim poſſunt, qui Latinè ſciunt, tardiores intelligere quid loquaris. Sed ita hoc dicis, quaſi non eam mallent exſtirpare, ſi poſſent, omnes qui propterea conjugantur, quia continentiæ laborem quo huic malo reſiſtitur, non ferunt; & ideo malunt eo bene uti, quàm meliùs omnino non uti. Sed ſi in corpore mortis hujus hoc malum neceſſarium eſt conjugatis, quia ſine illo fieri non poteſt bonum generationis; continentes exſtirpent concupiſcentiam carnis. Tu ipſe, tu qui loqueris, nec quid loquaris adtendis, exſtirpa libidinem de membris tuis. Non enim & tibi neceſſaria eſt; aut bona ſunt ejus deſideria, quibus ſi conſenſeris vel ceſſeris, interibis.

9. Porrò ſi malum eſt in te cui repugnas, quod oppugnas, quod cùm vincis expugnas; hoc malo meliùs non uteris, quo malo [a] bene utuntur, in quibus hoc bonum eſſe contendis; ubi profectò mentiris, aut falleris. Neque enim dicturus es, in conjugibus bonum eſſe libidinem, in ſanctis autem vel virginibus vel continentibus malum. Jam ſententiam tenemus tuam, ubi aiſti: *Concupiſcentiæ naturalis qui modum tenet, bono bene utitur; qui modum non tenet, bono malè utitur; qui autem etiam ipſum modum ſanctæ virginitatis amore contemſerit, bono meliùs non utitur. Confidentiâ quippe ſuæ ſalutis*, inquis, *& roboris contemſit remedia, ut glorioſa poſſet exercere certamina.* His verbis tuis ſine ambiguitate declaras, concupiſcentiam carnis [b] hoc eſſe in utriſque, id eſt, & conjugatis & continentibus. Quo enim conjugati bene utuntur, & continentes meliùs non utuntur, bonum tu dicis, ego malum: ſed in ſanctis virginibus & continentibus carnis concupiſcentia malum ſe eſſe manifeſtat, contra quam fateris eos *glorioſa exercere certamina*: procul dubio ergo non bono, ſed malo meliùs non utuntur. Hoc igitur utentes conjuges, nec ipſi utique bono, ſed malo bene utuntur. Proinde tota controverſia non remanſit, (ſi tamen remanſit aliqua,) niſi utrùm in eis qui continentiam Deo voverunt, bonum ſit iſta de qua diſputamus concupiſcentia carnis, an malum. Quod enim horum duorum repertum in his fuerit, hoc & in conjugibus apparebit: quoniam hoc illi bene utuntur, quo iſti meliùs non utuntur. Collige itaque totas vires acuti tui cordis, ac liberæ frontis, & aude reſpondere ſi potes, hoc bonum eſſe, cui, ſicut libro ſuperiore confeſſus es, *Apoſtolorum legio repugnavit*: mihi ſcilicet exprobrans, quòd *tantas* eſſe dixerim *libidinis vires, ut ei nec Apoſtolorum legio repugnaverit*: cùm potiùs pro cauſſa mea faciat, quia ei malo quod tu bonum dicis, *legio* non qualiumcumque ſanctorum, ſed ipſorum quoque *repugnavit Apoſtolorum*. Cui malo tantum licere poſſe, quis crederet, ut ſibi laudatorem etiam de ſuis expugnatoribus provideret? Abſit quidem, ut antiquorum aliquem vel Apoſtolorum, vel [c] quorumque ſanctorum: mirabiliter tamen, quia vel quemquam hæreticorum novorum, qui ſimul utrumque ſe eſſe profiteatur inexplicabilibus

Suprà lib. 3. cap. 21.
Continentiæ votum.
Lib. 5. cap. ult. n. 61.

[a] Vaticani duo & Gallicani tres MSS. nec non ad marginem editionis Am. *quo malo non utuntur.*
[b] Lovanienſes expunxerunt *hoc*, tamquam ſuperfluum. Exſtat tamen in ceteris ferè omnibus libris, & optimè refertur ad *bonum*.
[c] Sic Am. & MSS. At Er. & Lov. *vel quorumcumque ſanctorum: mirabiliter tamen, ſi vel quemquam hæreticorum.*

modis, expugnatorem ſcilicet defenſoremque libidinis; & conetur oſtendere manens in hæreſi Pelagiana, & ex animo ſe laudare quod ipſum ejus animum niſi expugnetur occidit, & ex animo expugnare quod ejus dogma niſi laudetur abſumit.

10. Rogo, ſi eſt in vobis ullus ſenſus humanus, num poteſt & malum eſſe peccatum, & bonum eſſe deſiderare peccatum? Quid enim agit in carne ſanctorum continentium iſta concupiſcentia, niſi peccandi deſideria; quibus non conſentientes *exercent*, ut confiteris, *glorioſa certamina?* Neque enim ſaltem connubii deſiderium in illa continentiæ profeſſione poteſt eſſe non malum. Quid ergo illic agit, ubi malum eſt quidquid agit; ac ſi ei conſentiatur, & peragit? Quid ibi agit hæc concupiſcentia, ubi nihil boni concupiſcitur ex illa? Quid ibi agit libido, ubi nihil boni libebit ex illa? Non importunè in conjugatis eſſe dicatur: ſi enim ſummum culmen obtinent pudicitiæ conjugalis, faciunt boni aliquid per illam, quamvis nihil faciant propter illam. In ſanctis autem virginibus & continentibus quid agit obſecro te; quid agit tua iſta ſuſcepta, quum deſipis; adverſaria, ſi ſapis; quid agit, ubi nihil boni agit ipſa, nihil boni agitur de ipſa? Quid agit in eis, in quibus quidquid ſecundùm ipſam concupiſcitur, malum eſt? Quid agit in eis, quos contra ſe compellit vigilare atque pugnare; & ſi quando ab eis ullum vel in ſomnis furatur aſſenſum, cùm evigilaverint, gemere & inter gemitus dicere, Quomodo impleta eſt anima mea illuſionibus? Quia cùm ſopitos deludunt ſomnia ſenſus, neſcio quomodo etiam caſtæ animæ in turpes labuntur aſſenſus; quæ ſi imputaret Altiſſimus, quis viveret caſtus?

Continentiam profeſſis non licet deſiderare conjugium.

Conjugalis pudicitiæ culmen, cùm nihil fit propter concupiſcentiam.

Pſal. 37. 8.

Alluſio ad Virgilium Æneid. 10.

11. Hoc ergo malum, quod non dicturus es bonum, niſi adversùs omnem veritatis tubam ſic obſurdueris, ut clames bonum eſſe concupiſcere malum, quod nec inter ſurdos dicere audebis: hoc, inquam, malum cur non exſtirpatur de continentium carne ſanctorum? Cur non *totum opere mentis aufertur?* Hoc enim dicis *fieri debuiſſe, ſi malum eſſet.* Et quia non fit in conjugatis, ubi ejus [a] modus eſt neceſſarius, ideo putas bonum: cùm videas, nec ibi fieri ubi modus ejus nullus eſt neceſſarius, & in quantum ineſt nocet, etſi non ad perdendum de ſorte ſanctorum, ſi non ei conſentiatur, tamen ad minuendam ſpiritalem delectationem ſanctarum mentium; illam ſcilicet de qua dicit Apoſtolus, Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem. Hæc delectatio profectò minuitur, quando etſi non ad explendam, certè ad oppugnandam carnalis concupiſcentiam voluptatis, bellantis animus occupatur, & ita exercet glorioſa certamina, ut à delectatione intelligibilis pulcritudinis ipſis certaminibus avocetur. Sed quia in iſta humana miſeria pejor hoſtis eſt cavenda ſuperbia, ideo nimirum non penitus exſtinguitur in carne continentium ſanctorum iſta concupiſcentia, ut dum pugnatur adversùs eam, periculorum ſuorum animus admoneatur, ne ſecurus infletur; donec humana fragilitas ad tantam perfectionem perveniat ſanitatis, ubi nulla putredo laſciviæ, nullus tumor ſuperbiæ formidetur. Sic virtus in infirmitate perficitur: quia & pugnare infirmitatis eſt. Quanto enim quiſque vincit faciliùs, tanto pugnat minùs. In ſemetipſo autem quis pugnaret, ſi nihil ex ſemetipſo eidem repugnaret? Et quid nobis repugnat ex nobis, niſi quod adhuc curatur ut ſanetur in nobis? Ergo in nobiſmetipſis ſola eſt infirmitas cauſſa pugnandi; & rurſus infirmitas admonitio eſt non ſuperbiendi. Proinde virtus qua hîc, ubi ſuperbiri poteſt, [b] non ſuperbiatur, in infirmitate perficitur.

Concupiſcentia cur in continentibus non penitus exſtinguatur.

Concupiſcentiæ lucta ſpiritalem delectationem & perfectionem minuit juſtitiæ.

Rom. 7. 22.

2. Cor. 12. 9.

Virtus quomodo in infirmitate perficitur.

Infirmitas admonitio eſt non ſuperbiendi.

12. Quamobrem hoc [c] conjuges bene utuntur, quo continentes meliùs non utuntur. Malum igitur [d] quo conjuges bene utuntur, & ineſt conjugibus quo bene utantur, ineſt & continentibus quo meliùs non utantur: ideo quippe ineſt, ut non extollantur. *Solis* ergo libidinis *exceſſibus accuſatur*, ſed ille à quo non refrenatur: nam ipſa per ſe ipſam rectiſſimè omnino ſuis ipſis motibus accuſatur, quibus ne excedat obſiſtitur. Non itaque ut dicis, *nihil ad innocentiam promovet modeſtia rei per ipſum genus nocentis.* Promovet quippe ad innocentiam non conſentire malo: nec ideo illud cui non conſentitur, non eſt malum; immo propterea ſine dubitatione malum eſt, quia non ei conſentire bonum eſt. Quid enim mali faceret, qui bonæ concupiſcentiæ conſentiret; cùm mali nihil faciat, etiam qui opere conjugali, non ſine ipſius malo ſeminat hominem, qui eſt Dei opus bonum? Nec *confectricem ſeminum libidinem* dixeris. Ille quippe creat hominis ſemen, qui hominem ex ſemine: ſed unde, intereſt. Quia mali hujus occulta ſunt & dira contagia: nec ex his hominibus qui malo carent, Deus vel ſemen vel homines creat; etiam ſi quidam ab ejuſdem mali noxa regeneratione ſoluti ſunt, ſicut ſolvendi ſunt qui inde naſcuntur.

Ipſa per ſe ipſam concupiſcentia ſuis ipſis motibus accuſatur.

13. Dixi ſanè, nec pænitet, de pudicitia conjugali, quæ mea verba poſuiſti, *quia cùm dona Dei eſſe iſta monſtrantur, à quo petenda ſunt diſcitur, ſi non habentur; & cui agendæ gratiæ, ſi habentur.* Aguntur enim gratiæ *non de origine*, ut dicis, *concupiſcentiæ*, cujus origo eſt primum malum hominis; ſed *de regimine*, quod verum dicis. Utrumque enim dicis, *vel regimine vel origine.* Ideo autem aguntur gratiæ de regimine concupiſcentiæ, quia repugnans vincitur. Quod autem repugnat voluntati bonæ, non eſt bonum, immo malum eſſe quis neget; niſi qui non habet voluntatis bonum, cui quod repugnat, fateatur malum?

Lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 3.

CAPUT III.

Ibidem.

14. INTERPONIS alia de libro meo, ubi cùm dixiſſem donum Dei pudicitiam eſſe conjugalem, & hoc Apoſtolo teſte docuiſſem; occurrentem deinde quæſtionem tacitus nolui præterire, quid dicendum ſit, cùm videntur etiam nonnulli impii pudicè cum conjugibus vivere. *Soletis* enim, *negantes Dei dona eſſe virtutes quibus rectè vivitur, & eas naturæ voluntatique humanæ, non gratiæ Dei tribuentes, hoc uti argumento, quòd eas nonnumquam habeant infideles*: ita conantes evacuare quod dicimus, neminem rectè vivere, niſi ex fide per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, unum Dei & ho-

[a] Tres è Vaticanis MSS. hîc & infrà, *motus.*
[b] Hic in editis malè additum, *ut.*

[c] Sic MSS. At Am. & Er. *Quamobrem quoniam hoc conjuges.*
[d] In editis hîc additur, *eſt.*

minum mediatorem; ubi vos ejus adversarios A apertissimè profitemini. Denique longè non eamus: si fortè fallor, ad ista responde. Ego dixi, *pudicum non veraciter dici, qui non propter Deum verum fidem connubii servat uxori.* Unde autem id ostenderem, pauló pòst adhibui, quod mihi visum est grande documentum. (Ibid. cap. 4.) *Cùm enim virtus sit*, inquam, *pudicitia, cui vitium contrarium est impudicitia, omnesque virtutes etiam quæ per corpus operantur, in animo habitent; quomodo vera ratione pudicum corpus asseritur, quando à vero Deo* B *ipse animus fornicatur?* Deinde ne quisquam vestrûm negaret animum infidelium fornicari, adhibui testimonium de scriptura sancta, ubi legitur, (Psal. 72. 27.) *Ecce enim qui longè se faciunt à te, peribunt; perdidisti omnem qui fornicatur abs te.* Sed tu qui *mea*, sicut dicis, *quæ mihi videntur acuta persequeris*, hoc totum tamquam mihi obtusum visum fuerit præteristi. Vide ergo quid horum negandum arbitreris. Virtutem esse pudicitiam conjugalem, promtissimè confiteris: omnes virtutes C etiam quæ per corpus operantur, in animo habitare non negas. Porrò infidelis animum fornicari à Deo ille potest negare, qui se palàm sanctarum scripturarum adversarium profitetur. Ex quibus omnibus hæc summa conficitur, ut aut in animo fornicante pudicitia vera esse possit; quod cernis quàm sit absurdum: aut in animo infidelis pudicitia vera esse non possit; quamvis hoc cùm assererem, te finxeris surdum. Non igitur, ut calumniaris, *studio vituperandi substantiam, dona* D *collaudo.* Non enim divinorum donorum capax esset, nisi bona esset humana substantia, cui vitia quoque ipsa bonitatis perhibent testimonium naturalis. Quid enim aliud in vitio rectè displicet, nisi quia detrahit vel minuit quod in natura placet?

15. Cùm ergo divinitus adjuvatur homo, non tantùm *ad capessendam perfectionem adjuvatur*, quod ipse posuisti, utique volens intelligi eum per se incipere sine gratia, quod perficit gratia: E sed potiùs quod Apostolus loquitur, ut qui in (Philip. 1. 6.) [a] vobis opus bonum cœpit, perficiat usque in finem. In quo enim vis *hominem*, sicut loqueris, *ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari*, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari: ac sic priorem dare, ut retribuatur illi; (Rom. 11. 35. & 6.) eoque modo gratia jam non sit gratia, quia non est gratuita. *Bonam* dicis *hominum naturam, quæ talis gratiæ opitulationem meretur.* Quod F gratanter audirem, si hoc propterea quia rationalis natura est diceres: neque enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum lapidibus aut lignis pecoribusve præstatur: sed quia imago Dei est, meretur hanc gratiam; non tamen ut ejus bona voluntas possit præcedere prætergratiam, ne vel [b] ipsam prior det, ut retribuatur illi, ac sic gratia jam non sit gratia, dum non datur gratuita, sed redditur debita. Quid est ergo, quòd secundùm modum vestrum, *effectum voluntatis humanæ dona cælestia me* crederas G *nuncupasse*; tamquam voluntas hominis sine Dei gratia moveretur ad bonum, ut ei debitus à Deo retribueretur effectus? Itane oblitus fueras, nos A cum Scriptura dicere contra vos, Præparatur voluntas à Domino; (Prov. 8. sec. LXX.) vel quòd in nobis Deus operetur & velle? (Philip. 2. 13.) O ingrati gratiæ Dei, ô inimici gratiæ Christi, & solo vocabulo Christiani? Nonne pro inimicis suis orat Ecclesia? Quid orat, obsecro? si ut eis suæ voluntatis retribuatur pretium, quid eis orat, nisi grande supplicium? Quod jam contra eos est, non pro eis: orat autem pro eis: non ergo quia est [c] illis voluntas bona, sed ut convertatur in bonam voluntas ma- B la: quoniam præparatur voluntas à Domino; &, Deus est enim, ut ait Apostolus, qui operatur in vobis & velle.

16. Sed acerbissimi gratiæ hujus inimici *exempla* nobis *opponitis impiorum, quos dicitis alienos à fide abundare virtutibus, in quibus sine adjutorio gratiæ, solum est naturæ bonum, licèt superstitionibus mancipatum, qui solis libertatis ingenitæ viribus, & misericordes crebrò, & modesti, & casti inveniun-* (Virtutes gentilium.) C *tur, & sobrii.* Hæc dicens ecce jam & illud quod gratiæ Dei tribueras, abstulisti, ipsum scilicet voluntatis effectum. Non enim aisti, velle eos esse misericordes, modestos, & castos, & sobrios, & ideo non esse, quòd nondum per gratiam fuerint consecuti bonæ hujus voluntatis effectum: sed si & esse voluerunt & sunt, jam in eis voluntatem & effectum voluntatis invenimus; quid remansit quod gratiæ reservemus in tam evidentibus, quibus dixisti eos abundare virtutibus? Quanto satiùs, si te impios ita laudare delectat, D ut non audiens dicentem Scripturam, Qui dicit impium justum esse, maledictus erit in populo, & odibilis in gentibus; (Prov. 24. 24.) etiam virtutibus veris eos prædices abundare: quanto, inquam, satiùs hæc ipsa in eis dona Dei esse fatereris, sub cujus occulto judicio, nec injusto, alii fatui, alii tardissimi ingenii & ad intelligendum quodam modo plumbei, alii obliviosi, alii acuti memoresve nascuntur, alii utroque munere præditi, & acutè intelligentes & tenacissimæ memoriæ thesauro co- (Dei judicium in variis hominum affectionibus & ingeniis.) E gnita recondentes; alii naturâ lenes, alii levissimis caussis irâ facillimâ ardentes, alii ad vindictæ cupiditatem inter utrosque mediocres; alii spadones, alii in concubitu ita frigidi ut vix omnino moveantur, alii libidinosissimi ut vix omnino teneantur, alii inter utrosque & moveri faciles & teneri; alii timidissimi, alii audacissimi, alii neutrum; alii hilares, alii tristes, alii ad nihil horum proclives: nec eorum quæ commemoravi aliquid instituto ac proposito, sed naturâ; unde F medici audent ista tribuere temperationibus corporum. Quod etsi probari, vel nulla exsistente, vel omni finita quæstione potuisset; numquid sibi quisque corpus condidit, & hoc ejus tribuendum est voluntati, quòd mala ista naturalia magis minúsve perpetitur? Nam prorsus ea non perpeti cùm hìc vivitur, nullo modo, nulla ratione quisquam potest. Nec tamen sive [d] maximis, sive minimis urgeatur, fas est ut dicat ei qui se finxit, quamvis omnipotenti, justo, & bono, Quare (Isaiæ 45. 9.) G sic me fecisti? Et de jugo gravi quod est supra filios primi Adam, nemo liberat nisi secundus Adam. (Eccli. 40. 1.) Quanto ergo tolerabiliùs illas, quas dicis in impiis esse virtutes, divino muneri potiùs,

[a] Am. & omnes MSS. *in nobis.*
[b] Nonnulli codices, *ipsa.*
[c] Quatuor MSS. *est in illis.*

[d] Am. & Er. *sive maximus, sive minimus*: mendosè. Nam hic alludit ad illud Horat. lib. 1. serm. sat. 3. *Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille, qui minimis urgetur.*

quàm

quàm eorum tribueres tantummodo voluntati: licèt ipsi hoc nesciant, donec si ex illo sunt prædestinatorum numero accipiant spiritum qui ex Deo est, ut sciant quæ à Deo donata sunt eis.

1. Johan. 4. 2.

Vera virtus nisi in justo esse non potest.

Rom. 1. 17.

17. Sed absit ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus. Absit autem ut sit justus verè, nisi vivat ex fide. Justus enim ex fide vivit. Quis porrò eorum qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam fortè tu solus, justum dixerit infidelem, justum dixerit impium, justum dixerit diabolo mancipatum? sit licèt ille Fabricius, sit licèt Fabius, sit licèt Scipio, sit licèt Regulus, quorum me nominibus, tamquam in antiqua Romana curia loqueremur, putasti esse terrendum. Verùm tu in hac caussa & si ad scholam Pythagoræ provoces vel Platonis, ubi eruditissimi atque doctissimi viri multò excellentiore ceteris philosophiâ nobilitati veras virtutes non esse dicebant, nisi quæ menti quodam modo imprimuntur à forma illius æternæ immutabilisque substantiæ, quod est Deus; etiam illic adversùs te, quantum donat qui nos vocavit, pietatis libertate clamabo: Nec in istis est vera justitia. [a] Justus ex fide vivit. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi: finis legis Christus ad justitiam omni credenti. Quomodo sunt verè justi, quibus vilis est humilitas veri justi? Quò enim propinquaverunt intelligentiâ, inde superbiâ recesserunt: quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Quomodo est in eis vera justitia, in quibus non est vera sapientia? Quam si eis tribuerimus, nihil erit caussæ cur non eos ad illud regnum pervenire dicamus, de quo scriptum est, Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum. Ac per hoc Christus gratìs mortuus est, si homines sine fide Christi [b] ad fidem veram, ad virtutem veram, ad justitiam veram, ad sapientiam veram, quacumque re alia, quacumque ratione perveniunt. Prorsus sicut de lege verissimè ait Apostolus, Si per legem justitia, ergo Christus gratìs mortuus est: ita verissimè dicitur, Si per naturam voluntatemque justitia, ergo Christus gratìs mortuus est. Si per doctrinas hominum qualiscumque justitia, ergo Christus gratìs mortuus est. Per quod [c] enim est vera justitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus namque ipse, quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum verus non admittitur justus: cùm & ipsum ejus regnum justitia sit, quemadmodum scriptum est, Non est regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium. Porrò si veram justitiam non habent impii; profectò nec alias virtutes comites ejus & socias, si quas habent, veras habent: [[d] quia cùm non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso mali his utentes efficiuntur injusti:] ac per hoc nec continentia sive pudicitia vera virtus est impiorum.

Confer lib. 5. de civitate Dei cap. 19. & 20. & lib. 19. cap. 25.

Rom. 10. 17. & 4.

Rom. 1. 21. & 22.

Sap. 6. 21.

Gal. 2. 21.

Si per naturam voluntatemque justitia, gratìs mortuus est Christus.

Rom. 14. 17.

1. Cor. 9. 25.

18. Tu verò tam malè accipis quod ait Apostolus, Nam qui in agone contendit, ab omnibus continens est: ut continentiam, tam magnam virtutem, de qua scriptum est, quòd nemo esse potest continens nisi Deus det; etiam choraulas & hujuscemodi turpes infamesque personas habebere contendas. Hi enim quando in agone decertant, ab omnibus continent, ut corruptibilem coronam accipiant: à cujus tamen vana cupiditate non continent. Hæc enim cupiditas vana ac per hoc prava, vincit in eis & frenat alias pravas cupiditates: propter quod dicti sunt continentes. Sed ut gravissimam faceres injuriam Scipionibus, continentiam quam in eis tanto eloquio prædicasti, dedisti & histrionibus: ignorans Apostolum, cùm exhortaretur homines ad virtutem, sic exemplum de vitiosa hominum affectione sumsisse, quemadmodum alio loco Scriptura, cùm ad amorem sapientiæ homines hortaretur, quærendam dixit esse sicut pecuniam. Numquid propterea sancta scriptura dicenda est laudasse avaritiam? Sed quia notum est, amatores pecuniæ quantis patienter laboribus doloribusque subdantur, à quantis se contineant voluptatibus, sive cupiditate augendi pecuniam, sive timore minuendi, quantâ lucrum sagacitate sectentur, & prudenter damna devitent, quàm timeant plerumque aliena diripere, & aliquando sua sibi ablata contemnant, ne repetendo & litigando plus perdant: rectè admoniti sumus sic amare sapientiam, ut eam nobis thesaurizare avidissimè cupiamus, atque ut nobis magis magisque adquiratur, nec aliqua ex parte minuatur, & perferamus molestias, & libidines refrenemus, & prospiciamus in posterum, & innocentiam beneficentiamque servemus. Quod cùm facimus, ideo veras virtutes habemus, quia verum est propter quod facimus, id est, hoc naturæ nostræ consentaneum est ad salutem & veram felicitatem.

Sap. 8. 21.

Cupiditas cupiditate aliâ pellitur.

Prov. 2. 4.

19. Non enim absurdè virtus definita est, ab eis qui dixerunt, Virtus est animi habitus, naturæ modo atque rationi consentaneus. Verum dixerunt, sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium nescierunt. Neque enim omnes homines naturali instinctu immortales & beati esse vellemus, nisi esse possemus. Sed hoc summum bonum præstari hominibus non potest, nisi per Christum & hunc crucifixum, cujus morte mors vincitur, cujus vulneribus natura nostra sanatur. Ideo justus ex fide Christi vivit. Ex hac enim fide prudenter, fortiter, temperanter, & justè, ac per hoc his omnibus veris virtutibus rectè sapienterque vivit, quia fideliter vivit. Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides quæ in Christo est vera promittit, nihil prosunt homini virtutes; nullo modo veræ possunt esse virtutes. An placet tibi ut veras virtutes avarorum esse dicamus, cùm lucrorum vias prudenter excogitant, cùm pro adquirendâ pecuniâ sæva atque aspera multa fortiter tolerant, cùm varias cupiditates quibus sumtuosè vivitur, temperanter sobriéque castigant, cùm abstinent ab alieno, & de suo sæpe [e] amissa contemnunt, quod

Virtutis definitio ex Cicerone, lib. 2. de inventione.

Immortalitatis & beatitudinis appetitus naturalis.

Rom. 1. 17.

[a] Editi, *qua justus*: Pratellensis codex, *quia justus*. In aliis MSS. nec legitur *qua*, nec *quia*.
[b] Vaticani MSS. omittunt, *ad fidem veram*.
[c] Floriacensis cod. *Per quod enim homini est vera justitia*.
[d] Id vetus Floriacensis codex præterit. Habent hîc loci Vaticani quinque MSS. At in editis locatum fuerat superiùs proximè post verba, *nec alias virtutes comites ejus & socias*: & finitâ sententiâ, post *efficiuntur injusti*, sequebatur, *si quas habent, veras non habent*. Ubi negante particulâ carent iidem codices Vatic. & Flor.
[e] Am. Er. & aliquot MSS. *amisse*.

videtur ad justitiam pertinere, ne jurgiis & judiciis plura consumant? Cùm enim agitur aliquid prudenter, fortiter, temperanter, & justè, omnibus quatuor virtutibus agitur, quæ secundùm tuam disputationem veræ virtutes sunt, si ad cognoscendum utrùm veræ sint, hoc tantummodo intuendum quod agitur, nec caussa quærenda est cur agatur: unde ne tibi videar calumniari, ipsa tua verba jam ponam; *Cunctarum*, inquis, *origo virtutum in rationabili animo sita est, & affectus omnes per quos aut fructuosè aut steriliter boni sumus, in subjecto sunt mentis nostræ, prudentia, justitia, temperantia, fortitudo. Horum igitur affectuum vis cùm sit in omnibus naturaliter*, inquis, *non tamen ad unum finem in omnibus properat: sed pro judicio voluntatis, cujus nutui serviunt, aut ad æterna, aut ad temporalia diriguntur. Quod cùm fit, non in eo quod sunt, non in eo quod agunt, sed in eo solo variant quod merentur. Nec nominis sui igitur*, inquis, *possunt, nec generis sustinere dispendium, sed solius quod appetiverunt præmii aut amplitudine ditantur, aut exilitate frustrantur.* Hæc ubi didiceris, nescio: jam tamen cernis, ut arbitror, consequens esse, ut vera sit virtus, avarorum prudentia, qua excogitant genera [a] lucellorum; & avarorum justitia, qua gravium damnorum metu faciliùs sua nonnumquam contemnunt, quàm usurpant aliquid alienum; & avarorum temperantia, qua luxuriæ, quoniam sumtuosa est, cohibent appetitum, soloque necessario victu tegumentoque contenti sunt; & avarorum fortitudo, qua, ut ait Horatius, Per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes; qua denique cognovimus quosdam irruptione barbaricâ, ad ea prodenda quæ habebant, nullis hostium tormentis potuisse compelli. Ergo virtutes istæ tali fine turpes atque deformes, & ideo nullo modo germanæ veræque virtutes, tibi tamen ita veræ videntur & pulcræ, *ut nec nominis sui possint, nec generis sustinere dispendium, sed solius quod appetiverunt præmii exilitate frustrentur*, id est, terrenorum commodorum fructu, non cælestium præmiorum. Nec aliud erit quàm vera justitia Catilinæ, comprehendere multos amicitiâ, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat: & fortitudo vera erit ejus, quòd frigus, famem, sitim ferre poterat: & vera patientia, quòd patiens erat inediæ, algoris, vigiliæ, supra quàm cuiquam credibile est. Quis hæc sapiat, nisi desipiat?

Horat. lib. 1. epistol. 1.

Sallust in Catil.

Vitia virtutibus affinia.

20. Sed videlicet homo eruditus eorum vitiorum veri similitudine falleris, quæ finitima videntur & propinqua virtutibus, cùm absint ab eis quàm longè absunt à virtutibus vitia. Nam sicut constantia est virtus, cui contraria est inconstantia: vitium est tamen ei quasi finitimum pertinacia, quæ constantiam videtur imitari. Quo utinam vitio careas, cùm hæc quæ dico, vera esse cognoveris; ne tibi in errore, velut amando constantiam, manendum pertinaciter arbitreris. Ita omnibus virtutibus non solùm sunt vitia manifestâ discretione contraria, sicut prudentiæ temeritas: verùm etiam vicina quodam modo, nec veritate, sed quadam specie fallente, similia; sicut ipsi prudentiæ non temeritas vel imprudentia, sed astutia: quod tamen vitium est, quamvis in scripturis sanctis & in bono accipiatur quod dictum est, Astuti ut serpentes; & in malo, quòd in paradiso erat serpens prudentissimus omnium bestiarum. Nec istorum vitiorum, quæ finitima virtutibus diximus, possunt omnium facilè nomina reperiri: verùm etsi non invenitur quemadmodum nuncupentur, cavenda sunt.

Matth. 10. 16.

Gen. 3. 1.

Virtutes à vitiis, non officiis, sed finibus discernuntur.

21. Noveris itaque, non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est: finis verò propter quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur. Quæ tu non adtendens, fines ab officiis separasti, & virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti. Ex quo te tanta absurditas sequitur, ut veram cogaris appellare justitiam, etiam cujus dominam [b] reperis avaritiam. Si quidem manus abstinere ab alieno, si officium cogites, potest videri esse justitiæ: sed cùm quæritur, quare fiat, & respondetur, ne plus pecuniæ litibus pereat; quomodo jam hoc factum veræ poterit esse justitiæ, cùm serviat avaritiæ? Quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quæ omnino quidquid facerent, propter illam vel adipiscendam facerent vel tenendam. Absit autem ut virtutes veræ cuiquam serviant, nisi illi vel propter illum cui dicimus; Deus virtutum converte nos. Proinde virtutes quæ carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt. Quæ autem nulli rei servire volunt, nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus: Deo serviunt in angelis, à quo donantur & angelis. Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.

V. lib. 5. de Civitate Dei, cap. 20.

Psal. 79. 8.

Veræ virtutes Deo servire debent.

22. Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus à quibus fiunt. Bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti: sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quàm Dei facit, non bene bonum facit: quia non bonus facit, quod non bona voluntate facit. Absit enim ut sit vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis, vel in se ipsa, non in Domino gloriatur. [c] Ac per hoc nec ejus fructus iste dicendus est; Arbor enim mala bonos fructus non facit: sed potiùs bonum opus est illius, qui etiam per malos bene facit. Quapropter dici non potest quantum te ista fallat opinio, qua dixisti, *omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuosè aut steriliter boni sumus.* Fieri enim non potest ut steriliter boni simus: sed boni non sumus quidquid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem ut Deus bonus, à quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat, & in ignem mittat arbores bonas. Nullo modo igitur homines sunt steriliter boni: sed qui boni non sunt, possunt

Matth. 7. 18.

Suprà n. 19.

Nemo steriliter bonus.

Matth. 3. 10.

[a] In MSS. *locellorum.*

[b] Editi, *repereris.*

[c] Hoc loco in antè excusis additum fuit, *Nec esse fructum ejus à quo fit bonum, nisi bona factum fuerit voluntate: sed Dei opus bonum, à quo etiam per malos fit bonum.* Item infrà post *dicendus est*, istud insertum erat, *quomodo* (vel *quando*) *arbor mala bonos fructus facere non possit.* Absunt omnino hæc à MSS.

sunt esse alii minùs, alii magis mali.

Rom. 2. 14. Quæ sunt apud Apostolum gentes naturaliter quæ legis sunt facientes. V. lib. de spirit. & litt. c. 26.

23. Unde & illi quos commemorare voluisti, *de quibus ait Apostolus, Gentes legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui habent opus legis scriptum in cordibus suis*; quid te adjuvent omnino non video. Per hos enim probare conatus es, etiam alienos à fide Christi, veram posse habere justitiam, eo quòd isti, teste Apostolo, naturaliter quæ legis sunt faciunt. Ubi quidem dogma vestrum, quo estis inimici gratiæ Dei, quæ datur per Jesum Christum Dominum nostrum, qui tollit peccatum mundi, evidentiùs expressisti: introducens hominum genus, quod Deo placere possit sine Christi fide, lege naturæ. Hoc est unde vos maximè Christiana detestatur Ecclesia. Sed quid vis esse istos? Utrùm veras virtutes habent, & steriliter boni sunt, quia non propter Deum; an etiam Deo ex his placent, atque ab illo vitâ remunerantur æternâ? Si steriles dixeris; quid ergo eis prodest, quòd secundùm Apostolum defendent eos cogitationes suæ, in die qua judicabit Deus occulta hominum? Si autem qui defendentur cogitationibus suis, eo quòd naturaliter opera fecerint legis, non sunt steriliter boni, & ob hoc inveniunt æternam mercedem apud Deum; procul dubio propterea justi sunt, quia ex fide vivunt.

Johan. 1. 17. & 29.

Rom. 2. 15.

Rom 14. 23.

24. Nam testimonium illud quod ex Apostolo posui, Omne quod non est ex fide, peccatum est: sicut tibi visum est accepisti, & exposuisti, non ut sapit, sed ut sapis. De cibis enim Apostolus loquebatur. Verùm cùm dixisset, Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide: hanc peccati speciem de qua agebat, generali voluit probare sententiâ, mox inferens, Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Sed ut hoc tibi de cibis tantùm intelligendum esse concedam: quid de alio dicturus es testimonio, quod idemtidem posui; nec inde aliquid disputasti, quia non invenisti quomodo in tuam posses detorquere sententiam, quod ad Hebræos scriptum est, Sine fide enim impossibile est [a] placere? Nempe ut hoc diceretur, de tota vita hominis agebatur, in qua justus ex fide vivit: & tamen cùm sine fide impossibile sit placere Deo, tibi virtutes sine fide sic placent, ut eas veras prædices, eisque bonos esse homines; & rursus, quasi te pænituerit laudis illarum, steriles pronuntiare non dubites.

Ibidem.

Hebr. 11. 6. a

25. Isti ergo qui naturali lege sunt justi, aut placent Deo, & ex fide placent; quia sine fide impossibile est placere: & ex qua fide placent, nisi ex fide Christi? quoniam sicut legitur in Actibus Apostolorum, In illo Deus definivit fidem omnibus, suscitans eum à mortuis. Ideoque dicuntur sine lege naturaliter quæ legis sunt facere, quia ex gentibus venerunt ad Evangelium, non ex circumcisione, cui lex data est; & propterea naturaliter, quia ut crederent, ipsa in eis est per Dei gratiam correcta natura. Nec per eos potes probare quod vis, etiam infideles veras posse habere virtutes: sunt quippe isti fideles. Aut si fidem non habent Christi, profectò nec justi sunt, nec Deo placent, cui sine fide placere impossibi-

Act. 17. 31.

A le est. Sed ad hoc eos in die judicii cogitationes suæ defendent, ut tolerabiliùs puniantur, quia naturaliter quæ legis sunt utcumque fecerunt, scriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, ut aliis non facerent quod perpeti nollent: hoc tamen peccantes, quòd homines sine fide, non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Minùs enim Fabricius quàm Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus: & minùs impius, quàm Catilina, Fabricius, non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimùm deviando. B

26. An fortè & istis qui exhibuerunt terrenæ patriæ Babylonicam dilectionem, & virtute civili, non vera, sed veri simili dæmonibus vel humanæ gloriæ servierunt, Fabriciis videlicet, & Regulis, & Fabiis, & Scipionibus, & Camillis, ceterisque talibus, sicut infantibus qui sine baptismate moriuntur, provisuri estis aliquem locum inter damnationem regnumque cælorum, C ubi non sint in miseria, sed in beatitudine sempiterna, qui Deo non placuerunt, cui sine fide placere impossibile est, quam nec in operibus, nec in cordibus habuerunt? Non opinor perditionem vestram usque ad istam posse impudentiam prosilire. *Erunt ergo*, inquis, *in damnatione sempiterna, in quibus erat vera justitia?* O vocem impudentiâ majore præcipitem! Non erat, [b] inquam, in eis vera justitia: quia non actibus, sed finibus pensantur officia.

27. D Sed facetè ac lepidè homo elegantissimus & urbanissimus, *Si dicatur*, inquis, *quia castitas infidelium castitas non est; eadem fronte dicetur, quia corpus paganorum corpus non sit, & oculi paganorum sensum non habeant intuendi, & frumenta quæ in paganorum nascuntur agris, frumenta non sint: & multa*, inquis, *alia quæ tantæ absurditatis sunt, ut risum possint intelligentibus commovere.* Non planè risum, sed fletum potiùs intelligentibus vester commovet risus, sicut mentibus amicorum E sanorum fletum commovet risus phreneticorum. Itane aut contra scripturas sanctas infidelis animum fornicari negas, aut esse in animo fornicante veram castitatem dicis; & rides, & sanus es? Unde, quomodo, qua ratione istud fieri potest? Prorsus nec illa est castitas vera, nec sanitas vestra. Prorsus, inquam, nec vera est castitas animi fornicantis, & vera insania est hominis dicentis hoc dedecus & ridentis. Nos autem absit ut dicamus, quòd corpus paganorum F corpus non sit, & cetera hujusmodi. Neque enim est consequens, ut si non est vera virtus qua gloriatur impius, non sit verum corpus quod operatur Deus. Sed planè possumus dicere, hæreticorum frontem non esse frontem, si non membrum quod fecit Deus, significare intelligamur frontis nomine, sed pudorem. Quid si non in eo ipso libro meo, cui respondisse te jactas, antè præstruerem, [c] ne in hac sententia, qua dicimus, Omne quod non est ex fide, peccatum est; etiam G illa intelligantur infidelium, quæ dona sunt Dei, sive in animi, sive in corporis bonis. Ibi enim sunt & ista quæ inaniter garris, corpus, & oculi, & membra cetera. In eo genere sunt etiam quæ in

Frontem hæreticorum non esse frontem.

c Rom. 14. 23.

[a] Editi hîc, *Deo placere*. Alibi tamen Am. & Er. consentientes antiquis MSS. sæpe omittunt *Deo*: ut intrà n. 25. & 32. neque hæc vox in Græco textu Apostoli exstabat.

[b] Am. & MSS. *Non erat igitur in eis.*

[c] Apud Lov. *nec.*

agris paganorum frumenta nascuntur, quorum Deus creator est, non pagani. An non tu ipse inter cetera etiam ista verba mea posuisti, ubi dixi : *Anima enim & corpus & quæcumque bona animæ & corporis naturaliter insita, etiam in peccatoribus dona Dei sunt; quoniam Deus, non ipsi ista fecerunt : de his autem quæ faciunt dictum est, Omne quod non est ex fide, peccatum est ?* Hanc brevem, sed utique apertam sententiam meam si mente tenuisses, puto quòd tam improbus non fuisses, ut nos posse dicere assereres, quia *corpus paganorum corpus non sit, & oculi paganorum sensum non habeant intuendi, & frumenta quæ in paganorum nascuntur agris, frumenta non sint.* Ut enim tibi tamquam de somno excitato eadem verba mea repetam, quæ tuæ memoriæ fortassis ut hæc diceres exciderunt, *Hæc etiam in peccatoribus dona Dei sunt; quoniam Deus, non ipsi ista fecerunt : de his autem quæ faciunt dictum est, Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Sed cùm insana dicis & rides, phrenetico es similis : cùm autem vera quæ dico abs te paulò antè commemorata, & huic ipsi operi tuo quo mihi respondere videris inserta, sic non adtendis, sic oblivisceris; non jam phreneticis, sed lethargicis compararis.

Lib. 1. de nupt. & concup. cap. 3.

28. *Mirari te* dicis, *quòd tam excellens*, meum videlicet, sicut irridenter loqueris, *non vidit ingenium, quantum vos in hoc quoque juverim, quia dixi, Aliis peccatis alia peccata vincuntur.* Continuò quippe subditis atque concluditis dicentes : *Perfacilè igitur studio sanctitatis, quod Deus adjuvat, potest homo carere peccatis. Si enim vincuntur*, inquis, *peccata peccatis, quanto magis possunt virtutibus peccata superari?* Quasi nos negemus, adjutorium Dei tantum valere, si velit, ut hodie nullas concupiscentias malas habere possimus, contra quas vel invictissimè dimicemus : & tamen non fieri, nec tu negas. Cur autem non fiat, quis cognovit sensum Domini? Non tamen parum scio, cùm scio, quæcumque illa caussa sit, quòd nec justi Dei sit iniquitas, nec omnipotentis infirmitas. Est igitur aliquid in ejus abdito altoque consilio, cur quamdiu vivimus in hac carne mortali, est in nobis contra quod mens dimicet nostra : est etiam propter quod dicamus, Dimitte nobis debita nostra. Sed ut tibi sic loquar tamquam homini homo, & talis homo cujus terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, nihil est in creaturis, quod adtinet ad institutarum divinitus merita naturarum, rationali mente præstantius. Unde fit consequens, ut mens bona magis sibi placeat, magisque se ipsa delectet, quàm quælibet alia creatura. Quàm verò periculosè, immo perniciosè sibi placeat, cùm per hoc tumescit typho & morbo inflationis extollitur, quamdiu non videt sicut videbit in fine summum illud & immutabile bonum, in cujus comparatione se spernat, sibique illius caritate vilescat, tantoque spiritu ejus impleatur, ut id sibi non ratione sola, sed æterno quoque amore præponat; multum est disputando velle monstrare. Sapit hæc qui fatigatus fame revertitur ad semetipsum, & dicit, Surgam, & ibo ad patrem meum. Unde itaque scimus, ne fortè quia hoc superbiæ malum tunc animum tentare non poterit, & contra quod decertemus omnino nullum erit, quando

Rom. 11. 34.

Cur Deus non auferat nobis omnem prorsus carnis concupiscentiam.

Matth. 6. 12.

Sap 9. 15.

Nulla creatura sic sibi placet, seque ipsa delectat, ut mens bona.

Luca 15. 18.

A tanta satiabitur visione & tanta inflammabitur caritate superioris boni, ut ad se ipsum sibi placendo deficere ab illius [a] dilectione non possit; ideo factum est in loco infirmitatis hujus, ne superbè viveremus, ut sub quotidiana peccatorum remissione vivamus? Propter quod superbiæ malum nec apostolus Paulus est arbitrio suo creditus : sed quia nondum venerat ad tantam participationem superioris illius boni, ut illic jam non posset extolli, hîc illi est angelus satanæ colaphizator, ne hîc ubi poterat extolleretur, appositus.

Superbiæ periculum.

2. Cor. 12. 7.

29. Sed sive ista caussa sit, sive alia quæ multo ampliùs me latet : tamen quod dubitare non possum, quantumlibet proficiamus sub hoc onere corruptibilis corporis, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Propter quod & sancta Ecclesia etiam in talibus suis membris, ubi maculam criminis & rugam non habet falsitatis, licèt contradicente superbiâ vestrâ, non desinit Deo dicere, Dimitte nobis debita nostra. Tu autem quantâ arrogantiâ & de vestræ præsumtione virtutis dixeris, *Perfacilè igitur studio sanctitatis, quod Deus adjuvat, potest homo carere peccatis :* ille non agnoscit, qui dogmata vestra non novit. Nam & studium sanctitatis sine adjutorio Dei vultis in hominis voluntate præcedere, quod merito Deus debeat adjuvare, non gratìs : & sic creditis hominem in hac ærumnosa vita posse carere peccatis, ut non in se habeat quare dicat, Dimitte nobis debita nostra. Quamvis aliquanto timidiùs id posuisse videaris; quia non dixisti, potest omnibus carere peccatis. Verùm nec quibusdam dicere voluisti; sed tamquam tibi ipse de nimia vestra præsumtione erubueris, ita sententiam temperasti, ut & vestrâ & nostrâ posset voce defendi. Nam si apud Pelagianos discutiatur, respondebitur ideo non dictum quibusdam, quia omnibus peccatis carere hominem posse dixisti : si autem apud nos, & hîc respondebitur ideo non dictum omnibus, quoniam quemlibet hominem volueris intelligi, pro quibusdam peccatis necesse habere veniam postulare. Sed qui scimus quid sentiatis, nescire non possumus quomodo ista dicatis.

1. Johan. 1. 8.

Ephes. 5. 27.

Matth. 6. 12.

B C D E (section letters)

30. *Si gentilis*, inquis, *nudum operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum est?* Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est; non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est : sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. Quod ut intelligas, quamvis jam satis inde fuerit disputatum; tamen quia magna res est, adhuc paulisper ausculta. Ecce eadem commemoro quæ ipse posuisti : *Si gentilis* qui non vivit ex fide, *nudum operuerit, periclitantem liberaverit, ægri vulnera foverit, divitias honestæ amicitiæ impenderit, ad testimonium falsum nec tormentis potuerit impelli,* quæro abs te, utrùm hæc opera bona bene faciat, an malè? Si enim quamvis bona, malè tamen facit; negare non potes eum peccare, qui malè quodlibet facit. Sed quia eum non vis, cùm facit ista, peccare; profectò dicturus es, Et bona facit, & bene. Fructus ergo bonos facit arbor mala : quod fieri non posse Veritas

Matth. 7. 18.

[a] Am. Er. plurésque Gallic. & Vatic. MSS. *delectatione.* Duo alii Vatic. *refectione.*

dicit. Noli præcipitare ſententiam, diligenter conſidera quid te reſpondere conveniat. An dicis hominem infidelem arborem bonam? Placet ergo Deo: neque enim bono poteſt non placere quod bonum eſt. Et ubi erit quod ſcriptum eſt, Sine fide impoſſibile eſt Deo placere? An reſpondebis, Non in quantum infidelis eſt, ſed in quantum homo eſt, arbor bona eſt? De quo ergo Dominus ait, Non poteſt arbor mala bonos fructus facere? Quando quidem quicumque erit, aut homo, aut angelus erit. Sed ſi homo in quantum homo eſt, arbor bona eſt; profectò & angelus in quantum angelus, arbor bona eſt. Hæc enim Dei ſunt opera, qui naturarum conditor eſt bonarum. Ac per hoc nulla erit arbor mala, de qua dictum eſt, quòd non poſſit facere fructus bonos. Quis infidelis ita infideliter ſapiat? Non itaque in quantum homo eſt, quod eſt opus Dei; ſed in quantum malæ voluntatis eſt, quiſque arbor mala eſt, & bonos fructus facere non poteſt. Vide itaque utrùm infidelem voluntatem audeas bonam dicere voluntatem.

Hebr. 11. 6. Occupatio. Matth. 7. 18. Arbor quænam bona vel mala. Occupatio.

31. Sed fortè dicturus es, Miſericors voluntas bona eſt. Rectè iſtud diceretur, ſi quemadmodum fides Chriſti, id eſt, fides quæ per dilectionem operatur, ſemper eſt bona, ita miſericordia ſemper eſſet bona. Si autem reperitur & miſericordia mala, qua perſona pauperis accipitur in judicio; propter quam poſtremò rex Saül meruit à Domino, & utique miſericorde, damnari, quia contra ejus præceptum captivo regi per humanum pepercit affectum: adtentiùs cogita, ne fortè miſericordia bona non ſit, niſi quæ hujus bonæ fidei fuerit. Immo reſponde, ut hoc ſine dubitatione perſpicias, utrùm bonam miſericordiam exiſtimes infidelem. Porrò ſi vitium eſt malè miſereri, procul dubio vitium eſt infideliter miſereri. Quòd ſi & ipſa per ſe ipſam naturali compaſſione opus eſt bonum; etiam iſto bono malè utitur qui infideliter utitur, & hoc bonum malè facit, qui infideliter facit: qui autem malè facit aliquid, profectò peccat.

Gal. 5. 6. Miſericordia non ſemper bona. Exodi 23. 3. 1. Reg. 15. 23. & 9.

32. Ex quo colligitur, etiam ipſa bona opera quæ faciunt infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius qui bene utitur malis. Ipſorum autem eſſe peccata, quibus & bona malè faciunt; quia ea non fideli, ſed infideli, hoc eſt, ſtultâ & noxiâ faciunt voluntate: qualis voluntas, nullo Chriſtiano dubitante, arbor eſt mala, quæ facere non poteſt niſi fructus malos, id eſt, ſola peccata. Omne enim, velis nolis, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Et ideo Deus iſtas arbores non poteſt diligere, & ſi tales permanſerint, diſponit excidere: quia ſine fide impoſſibile eſt placere. Sed ita hîc immoror, quaſi iſtas arbores non jam tu ipſe ſteriles pronuntiaveris. Quomodo igitur obſecro non aut jocaris in his diſputationibus, aut deliras, qui ſterilium fructus arborum laudas? Qui utique aut nulli ſunt, aut ſi mali ſunt, laudandi non ſunt: aut ſi fructus boni ſunt, profectò ſteriles arbores non ſunt, immo & bonæ ſunt, quarum fructus boni ſunt, & debent Deo placere, cui bonæ arbores non poſſunt niſi placere, falſumque erit quod ſcriptum eſt, Sine fide impoſſibile eſt placere.

Bona opera quæ faciunt infideles, Dei eſſe dona. Rom. 14. 23. Hebr. 11. 6. Occupatio.

33. Sed reſponſurus es, quid, niſi vana? Ego, inquis, *ſteriliter bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt, non ab eo vitam conſequuntur æternam.* Juſtus ergo Deus & bonus bonos eſt in mortem miſſurus æternam? Piget jam dicere, quàm multa te ſequantur inſana, talia ſentientem, talia dicentem, talia ſcribentem, in talibus me quòd ſimiliter non deſipiam velut cenſoriè reprehendentem. Sed breviter accipe, ne fortè cùm in rebus ipſis tantum erres quantum errari plurimùm poteſt, videar tecum certare de verbis. Aut ergo intellige quod ait Dominus, Si oculus tuus nequam eſt, totum corpus tuum tenebroſum erit; ſi autem oculus tuus ſimplex eſt, totum corpus tuum lucidum erit: & hunc oculum agnoſce intentionem, qua facit quiſque quod facit; & per hoc diſce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc eſt, ejus quæ per dilectionem operatur, totum quaſi corpus, quod illis, velut membris, operibus conſtat, tenebroſum eſſe, hoc eſt, plenum nigredine peccatorum. Aut certè quoniam ſaltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad ſalutem ſempiternam regnumque perducere: ſcito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, ſine Dei gratia quæ datur per unum Mediatorem Dei & hominum nemini poſſe conferri; per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum regnumque perduci. Omnia proinde cetera quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & ſine ullo facta peccato. [a] Quod ad me pertinet, hoc ſcio, quia non ea facit voluntas bona: voluntas quippe infidelis atque impia non eſt bona. Dicantur ſecundùm te hujuſmodi voluntates arbores bonæ, ſufficit quòd apud Deum ſteriles ſunt, ac per hoc non bonæ; ſint inter homines fructuoſæ, inter quos ſunt & bonæ, te auctore, te laudatore, ſi vis etiam plantatore: dum tamen illud velis nolis obtineam, quòd amor mundi, quo quiſque amicus eſt hujus mundi, non eſt à Deo; amorque fruendi quibuſcumque creaturis ſine amore Creatoris, non eſt à Deo: amor autem Dei quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo Patre per Jeſum Chriſtum cum Spiritu-ſancto. Per hunc amorem Creatoris, bene quiſque utitur etiam creaturis. Sine hoc amore Creatoris, nullis quiſquam bene utitur creaturis. Hoc ergo amore opus eſt, ut bonum beatificum ſit & pudicitia conjugalis, ut ſit ejus intentio quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, ſed in voluntate propaginis; ſi autem vicerit, & propter ſe ipſam non propter filios propagandos fieri aliquid extorſerit & voluptas, veniale peccatum ſit propter nuptias Chriſtianas.

Matth. 6. 23. & 22. Oculus, intentio eſt operantis. Sine amore Creatoris nemo bene utitur creaturis. Bonũ beatificum.

CAPUT IV.

34. NON autem dixi, quod interpoſitis aliis ex libro meo verbis me dixiſſe dixiſti, *Ideo filios eſſe ſub diaboli poteſtate, quia de corporum commixtione naſcuntur.* Aliud eſt enim dicere, [b] *qui de corporum commixtione naſcuntur*: aliud, *quia de corporum commixtione naſcuntur.* Non autem ibi cauſſa mali eſt, quia de corporum commixtione naſcuntur: neque enim etiam ſi natura humana primorum hominum peccato vitiata non eſſet, poſſent filii niſi de corporum commixtione ge-

[a] Gallic. & Vatic. MSS. *Quid ad me pertinet?*

[b] Hic reſtituitur qui ex MSS.

nerari. Sed ideo sub diabolo [a] sunt, qui de corporum commixtione nascuntur, ante quàm per spiritum renascantur; quia per illam nascuntur concupiscentiam, qua caro concupiscit adversùs spiritum, & adversùm se cogit concupiscere spiritum. *Gal. 5. 17.* Quæ pugna boni & mali nulla esset, si nemo peccasset. Sicut autem ante hominis iniquitatem nulla erat, ita post [b] infirmitatem nulla erit.

CAPUT V.

35. SED alia rursus mea verba proponis, & copiosissimè disputas: *Quoniam ex imparibus bonis compositi sumus, animum corpori debere dominari: quorum alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commemoras esse commune.* (*Sallustius in Prolog. Catil.*) *Et ideo id quod est melius, id est, animum virtute præditum* dicis *& membris corporis bene & cupiditatibus imperare.* Nec consideras, quòd cupiditatibus non sic imperatur ut membris. Cupiditates enim malæ sunt, quas ratione frenamus, contra quas mente pugnamus: membra verò bona sunt, quæ voluntatis movemus arbitrio, exceptis genitalibus, quamvis & ipsa ex Dei opere bona sint. Quæ ideo pudenda dicuntur, quia plus in eis movendis potestatis habet libido, quàm ratio: (*Pudenda unde dicta.*) quæ tamen [c] non finimus perpetrare quò provocat ipsa commotio, cùm membra cetera facili teneamus imperio. Quando autem malè utitur homo membris bonis, nisi quando consentit eis quæ in nobis habitant cupiditatibus malis? In quibus libido præ ceteris turpis est, cui nisi resistatur, horrenda immunda committit. Quo malo bene non utitur, nisi sola pudicitia conjugalis. Hæc autem libido ideo malum non est in belluis, quoniam non repugnat rationi, qua carent. (*Libido cur in belluis vitium non sit.*) Cur autem non creditis, hominibus in paradiso constitutis ante peccatum divinitus potuisse concedi, ut tranquilla motione & conjunctione vel commixtione membrorum sine ulla libidine filios procrearent; aut in eis saltem libido talis esset, cujus motus nec præcederet, nec excederet voluntatem? An vobis libido parum est quia placet, nisi & talis placeat, quæ nolentes etiam repugnantesque sollicitet? De qua Pelagiani quidem etiam litibus gloriantur, tamquam de aliquo bono: sed eam sancti gemitibus confitentur, ut liberentur à malo.

CAPUT VI.

36. *Ridendâ contrarietate me dixisse* calumniaris, *alios reos ex bono, alios sanctos ex malo opere:* quoniam dixi, *nuptiarum bonum homines infideles infideliter utendo, in malum peccatumque convertere; eoque modo concupiscentiæ malum convertere fidelium nuptias in usum justitiæ.* (*Lib. 1. de nupt. & concup. cap. 4.*) Ac per hoc non dixi, alios reos ex opere bono, sed ex opere malo, quo malè utuntur bonis; nec alios sanctos ex opere malo, sed ex opere bono, quo bene utuntur malis. Si non vis intelligere, aut si te fingis non intelligere; noli obstrepere volentibus & valentibus intelligere.

CAPUT VII.

37. *Si aliquis malus condi posset*, inquis, *numquam in bonum ablutione transiret.* Eo modo diceres, corpus quod mortale conditum est, fieri immortale non posse: & tamen ut illud, ita & hoc falsum diceres. Non enim Deus malum condidit, cùm hominem condidit: sed bonum quod ipse condidit, malum trahit ex peccato, quod ipse non condidit; & sanat hoc malum quod ipse non condidit, in bono quod condidit.

38. Cùm autem nos non dicamus, *dæmones instituisse connubium*, nec *seminalem sexûs utriusque mixtionem*, nec *diabolicum opus esse caussâ generandi concubitum conjugum*; quoniam hæc omnia Deus instituit, & possent esse omnia sine concupiscentiæ malo, si vulnus prævaricationis, unde sequeretur discordia carnis & spiritûs, inflictum non fuisset à diabolo: nonne te respicis, & de tua garrula loquacitate, [d] qua inania fabulatus es, erubescis; *quòd* scilicet *deprehendant dæmones in concubitu conjugatos, & tamquam in sua operatione deprehensos, non sinant generare filios regeneratione liberandos?* Quasi diabolus, si quod vellet faceret, non ipsos majores impios adhuc in ejusdem diaboli positos potestate, quando cognosceret disponere fieri Christianos, continuò suffocaret. (*Diabolus nihil potest, nisi quatenus Deus dat potestatem.*) Non est ergo consequens, ut parentibus regenerandos generantibus, & propter hoc concumbentibus, dæmones minaciter & terribiliter contradicant, sicut tibi ipse confingis: quia per vulnus à diabolo inflictum, in quo claudicat genus humanum, aliquid creante Deo gignitur, quod ex Adam transferatur ad Christum: cùm legio dæmonum nec porcos in potestate habere potuerit, nisi petentibus permitteret Christus; (*in Matth. 8. 31.*) & noverit etiam de ipsis, quas eum facere permittit, diaboli persecutionibus coronas suscitare Martyribus, utens bene omni genere malorum ad utilitatem bonorum. Sed in illis quoque conjugibus, qui filiorum regenerationem vel non cogitant, vel etiam detestantur, bonum opus est nuptiarum, generandi caussâ commixtio legitima sexuum, cujus operis fructus est ordinata susceptio filiorum: quamvis eo bono malè utantur, & in eo peccent, quòd de impia vel propaganda vel propagata prole gloriantur. Homines enim qualibet peccati contagione vel perpetratione polluti, in quantum homines sunt, bonum sunt: & ideo bonum est ut nascantur, quia bonum sunt.

39. Nec tamen *ut gignantur, ideo adulteria vel quæque stupra facienda sunt*: ad quam nos absurditatem putas posse compelli, quia nuptias de malo libidinis bonum prolis dicimus operari. Sed nullo modo ex hac nostra vera rectaque sententia illud perversum falsumque conficitur. Neque enim quia Dominus ait, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; (*Luc. 16. 9.*) ideo adhuc addere iniquitatem debemus, & furta rapinasque committere, ut plures pauperes sanctos misericordiâ largiore pascamus. Sicut ergo de mammona iniquitatis faciendi sunt amici, qui recipiant in tabernacula æterna: ita conjugibus de plaga peccati originalis gignendi sunt filii, qui in vitam regenerentur æternam. Et quemadmodum furta, fraudes, deprædationes adjiciendæ non sunt, ut per iniquitates auctâ pecuniâ plures amici justi inopes comparentur: sic adulteria, stupra, fornicationes, malo cum quo nati sumus, addenda non sunt, unde filii numerosiore stirpe nascantur. Aliud quippe est malo bene uti, quod jam inerat; & aliud est malum perpetrare, quod non erat: illud enim est de malo

[a] Sic MSS. At editi, *sub diaboli potestate.*
[b] Ad oram codicis cujusdam Gemblacensis scriptum est, al. *sanitatem.*
[c] In margine Floriacensis MS. annotavit quispiam, esse hic fortè addendum, *difficilè.*
[d] Vaticani MSS. *quàm inania.*

tracto ex parentibus voluntarium bonum facere; hoc verò malum à parentibus tractum aliis malis jam propriis & voluntariis aggerare. Sanè interest, quòd mammona iniquitatis cum laude indigentibus erogatur: carnalis autem concupiscentia laudabiliùs continentiæ virtute frenatur, quàm fructibus impenditur nuptiarum. Tam magnum est enim malum ejus, ut eo non uti, quàm bene uti sit melius.

Caput VIII.

40. Alia deinde mea verba proponis, & multùm adversùs ea [a] nihil dicis, replicans quædam quæ superiore disputatione consumta sunt: quæ si & ego repetere velim, quis erit finis? Inter quæ dicis etiam illud vestrum contra Christi gratiam, sæpe à vobis inaniter dictum; *quòd scilicet appellatione gratiæ, bonos fieri homines fatali necessitate dicamus*: cùm vobis ora obstruant, & linguas premant, qui loqui nondum valent. Cùm enim loquacissimè laboretis adstruere ac persuadere, quod Pelagius in Palæstinorum episcoporum cognitione damnavit, *gratiam Dei secundùm merita nostra dari*: nulla tamen merita potestis asserere parvulorum, per quæ discernantur qui eorum in Dei filios adoptantur, ab eis qui sine hujus gratiæ consecutione moriuntur.

41. Calumniaris me dicere, *Nihil studii exspectari ab humana voluntate debere*, *contra illud evangelicum quo ait Dominus: Petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis; omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* (*Matth. 7. 7.*) Ibi enim vos, ut video, ponere jam cœpistis merita gratiam præcedentia, quod est petere, quærere, pulsare; ut his meritis debita illa reddatur, ac sic gratia inaniter nuncupetur: tamquam gratia nulla præcesserit, & cor tetigerit, ut beatificum bonum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulsaretur ad Deum; frustraque sit scriptum, Misericordia ejus præveniet me: frustra etiam nos pro inimicis nostris jubeat orare, si non est ejus aversa & adversa corda convertere. (*Beatificum bonum. Psal. 58. 11. Matth. 5. 44.*)

42. Sed ponis apostolicum testimonium, *& ab eo dicis pulsantibus aperiri, qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire*: (*1. Tim. 2. 4.*) ut videlicet intelligamus, docentibus vobis, ideo non omnes salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolunt petere, cùm Deus velit dare; nolunt quærere, cùm Deus velit ostendere; nolunt pulsare, cùm Deus velit aperire. Sed hunc sensum vestrum infantes illi ipsa sua taciturnitate convincunt, qui nec petunt, nec quærunt, nec pulsant; immo etiam cùm baptizantur, reclamant, respuunt, reluctantur; & accipiunt tamen, & inveniunt, & aperitur eis, & intrant in regnum Dei, ubi sit eis [b] æternitatis salus & agnitio veritatis; longè pluribus infantibus in istam gratiam non adoptatis ab eo, qui vult omnes homines salvos fieri & in agnitionem veritatis venire. Quibus dicere non potest, Volui, & noluistis: (*Matth. 23. 37.*) quia si voluisset, quis eorum qui nondum habent voluntatis suæ arbitrium, voluntati ejus omnipotentissimæ restitisset? Cur ergo non sic accipimus quod dictum est, Qui omnes vult homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; quomodo & illud accipimus, quòd idem dixit Apostolus, Per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ? (*Quomodo vult Deus omnes salvos fieri. Rom. 5. 18.*) (hos enim omnes Deus vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, in quos omnes per unius justificationem gratia pervenit ad justificationem vitæ:) (*Vide lib. 1. de peccatorum meritis c. 28.*) ne dicatur nobis, Si Deus vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, sed ideo non veniunt, quia ipsi nolunt; cur tot millia parvulorum, qui non percepto baptismate moriuntur, non veniunt in regnum Dei, ubi certa est agnitio veritatis? Numquid aut homines non sunt, ut non pertineant ad id quod dictum est, omnes homines? Aut aliquis poterit dicere, Deus quidem vult, sed ipsi nolunt; qui nondum velle seu nolle ista noverunt; quando nec ii, qui parvuli baptizantur atque moriuntur, & per illam gratiam ad agnitionem veritatis quæ in regno Dei est certissima veniunt, ideo veniunt, quia ipsi renovari Christi baptismate voluerunt? Cùm ergo nec illi propterea non baptizentur quia [c] nolunt, nec isti propterea baptizentur quia volunt; cur Deus qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, tam multos in regnum suum, ubi est certa veritatis agnitio, qui nullo ei resistunt voluntatis arbitrio, patitur non venire?

43. Nisi fortè dicturus es, ideo parvulos non in eorum numero deputandos, quos Deus omnes vult salvos fieri, quia ea salute, quæ hîc intelligenda est, salvi sunt ipsi, nihil trahentes omnino peccati. (*Occupatio.*) Atque ita te intolerabilior sequetur absurditas. Isto enim modo benevolentiorem facis Deum omnibus impiissimis & sceleratissimis hominibus, quàm innocentissimis & purissimis ab omni labe peccati: quando quidem illos, quia vult eos omnes salvos fieri, vult etiam intrare in regnum suum: hoc est enim illis consequens, si salvi fuerint: sed qui nolunt, ipsi sibi obsunt. Immensum verò numerum parvulorum, qui sine baptismate moriuntur, suo regno adjici non vult, quos neque ulla peccata, sicut putatis, impediunt; &, quod nullus ambigit, ejus resistere voluntati contraria voluntate non possunt. Sic fit, ut esse Christianos omnes velit, quorum multi nolunt; non omnes velit, quorum est nemo qui nolit: quod abhorret à vero. Novit Dominus qui sunt ejus: (*2. Tim. 2. 19.*) & in eorum salute atque in suum regnum introductione certa est voluntas ejus. Sic ergo debet intelligi quod dictum est, Omnes homines vult [d] salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: (*1. Tim. 2. 4.*) quemadmodum intelligitur quod dictum est, Per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ. (*Rom. 5. 18.*)

44. Quod apostolicum testimonium si eo modo intelligendum putas, ut dicas omnes positos esse pro multis, qui justificantur in Christo: (*Occupatio.*) ([e] multi quippe alii non vivificantur in Christo:) respondebitur tibi, sic etiam illic ubi dictum est, Omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; omnes positos esse pro multis, quos ad istam gratiam vult venire. Quod multo convenientiùs propter hoc intelligitur di-

[a] Hîc Floriac. MS. addit, *dicendo*: Vaticani quinque, *disputans.*
[b] Plerique MSS. *æternitas salutis.*
[c] Sic MSS. At editi, *quia noluerunt, nec isti propterea baptizentur quia nolunt.*

[d] Am. Er. & MSS. *Omnes homines vult venire*: omissis intermediis verbis.
[e] Hac sententiâ carent aliquot MSS. & nonnulli loco *non vivificantur*, ferunt *non justificantur.*

ctum, quia nemo venit, nisi quem venire ipse vo-
Johan. 6. 44. & 66. luerit. Nemo potest venire ad me, inquit Filius,
nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Et, Nemo
potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre
meo. Omnes ergo qui salvi fiunt, & in agnitio-
nem veniunt veritatis, eo volente salvi fiunt, eo vo-
lente veniunt. Quia & [a] qui nondum sicut parvuli
utuntur voluntatis arbitrio, eo volente regeneran-
tur, quo creante generantur: & qui jam utuntur
voluntatis arbitrio, nisi eo volente ac subveniente
Prov. 8. sec. LXX. à quo præparatur voluntas, velle non possunt.

Occupatio. 45. Ubi si dixeris mihi, Cur ergo non conver-
tit omnium [b] nolentium voluntates? Responde-
bo, Cur non omnes morituros adoptat lavacro
regenerationis infantes, quorum adhuc nullas, &
ideo nec contrarias invenit voluntates? Si hoc
profundius esse perspicis, quàm ut abs te valeat
inveniri: utrumque utrique nostrûm profundum
sit, cur & in majoribus & in minoribus Deus velit
alteri & nolit alteri subvenire: dum tamen certum
Rom. 9. 14. & immobile teneamus, non esse iniquitatem apud
Deum, qua quemquam sine malis meritis dam-
net; & esse bonitatem apud Deum, qua multos
sine bonis meritis liberet: demonstrans in eis quos
damnat quid omnibus debeatur; ut hinc discant
quos liberat, quæ sibi pœna debita relaxetur, &
quæ indebita gratia condonetur.

Fato fieri quod merito non fit, Pelagianorum est sententia. 46. Hæc ut Christianis cordibus convenit
cogitare nescitis, & vos potiùs secundùm vestram
sententiam *fato ista* dicitis *fieri*. Vestra quippe,
non nostra sententia est, *fato fieri quod merito non*
fit. Et ne secundùm istam definitionem fato
V. lib. 2. contra duas epist. Pelag. c. 5. & 6. fiant hominibus, si meritis non fiant, quæcum-
que fiunt; ideo merita vel bona vel mala, quantum
potestis, asseritis, ne fatum sit consequens, si
merita negaveritis. Ac per hoc dicitur vobis, Si
ea quæ nullis meritis præstantur hominibus, fa-
to fieri jam necesse est, & ideo merita adstruen-
da sunt, ne fatum sit consequens, si merita non
sunt: fato baptizantur, fato intrant in regnum Dei
parvuli, quorum bona merita nulla sunt; &
rursus, fato non baptizantur, fato non in-
trant in regnum Dei parvuli, quorum mala me-
rita nulla sunt. Ecce pusilli qui fari nequeunt, vos
potiùs assertores fati esse convincunt. Nos autem
cùm vitiatæ originis mala merita esse dicamus,
gratiâ dicimus intrare parvulum in regnum Dei,
quoniam bonus est Deus; & alium merito non
intrare, quoniam justus est Deus; & in neutro
esse fatum, quoniam quod vult facit Deus. Sed
Psal. 100. 1. cùm sciamus ab eo, cui misericordiam & judi-
cium fideli voce cantamus, istum secundùm ju-
dicium damnari, illum secundùm misericordiam
liberari; cur istum potiùs quàm illum damnet aut
Rom. 9. 20. liberet, nos qui sumus qui respondeamus Deo?
Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Qua-
re sic me fecisti? An non habet potestatem fi-
gulus luti ex eadem massa originis vitiatæ atque
damnatæ facere aliud vas in honorem secundùm
misericordiam, & aliud in contumeliam secundùm
judicium? Ideo non utrumque in honorem; ne
hoc meruisse se existimet tamquam inculpata na-
tura: ideo non utrumque in contumeliam, ut
judicio [c] superexsultet misericordia. Ac per hoc

A nec damnatus ex debito de supplicio justè queri- *Jac. 2. 13.*
tur, nec liberatus gratìs de merito superbè glo-
riatur; sed potiùs humiliter gratias agit, quando
in illo à quo debitum exigitur, quid in eadem
caussa sibi donetur agnoscit.

47. Asseris me in alio libro meo dixisse, *Ne-*
gari liberum arbitrium, si gratia commendetur; &
iterum negari gratiam, si liberum commendetur ar-
bitrium. Calumniaris: non hoc à me dictum est,
sed propter ipsius quæstionis difficultatem videri
B hoc posse dictum est & putari. Non est multùm
ut ipsa verba mea ponam, unde videant qui hæc
legunt, quemadmodum scriptis meis insidieris, &
qua conscientiâ vel tardis, vel ignaris cordibus
abutaris, ut ideo te existiment respondere, quia
non vis tacere. In novissimis enim partibus pri-
mi libri mei ad sanctum Pinianum, cujus est ti-
tulus, [d] De gratia contra Pelagium: *Ista*, inquam, *Lib. de gratia Christi cap. 47.*
quæstio ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia
disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quan-
C *do defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia*
videatur; quando autem asseritur Dei gratia, libe-
rum arbitrium putetur auferri, & cetera. Tu autem
vir honestus & verax, abstulisti verba quæ dixi, &
dixisti quod ipse finxisti. Ego enim dixi, *istam*
quæstionem ad discernendum esse difficilem: non au-
tem dixi, non posse discerni. Multo minùs er-
go dicerem, quod me dixisse mentiris, *negari li-*
berum arbitrium, si gratia commendetur; & nega-
gari gratiam, si liberum commendetur arbitrium.
D Redde verba mea, & vanescet calumnia tua.
Repone suis locis, ubi dixi, *videatur*; ubi dixi,
putetur: ut appareat de re tanta quibus abs te frau-
dibus disputetur. Non dixi, *negari gratiam*; sed, *ut*
negari gratia videatur. Non dixi, *negari arbitrium*
liberum, vel auferri; sed dixi, *ut putetur auferri.*
Et promittis, *cùm libri ipsi ventilari cœperint, quòd*
abs te illa sententiarum mearum & nudabitur & con-
fodietur impietas. Quis [e] non exspectet sapientiam
differentis, qui fidem cognoverit mentientis?

E 48. Quid est autem quod loqueris, *Nihil per-*
tinere ad laudem gratiæ, si id donet suis, quod
peccata impiis largiuntur? Propter pudicitiam sci-
licet conjugalem, quam tibi habere videntur &
impii. Homo contentiose, virtus donatur vera per
gratiam, non quæ vocatur, & non est. Ut quid *Pudicitiæ & virginitatis discrimen.*
autem *pudicitiam & virginitatem* quasi ejusdem
generis jungis? Pudicitia res est animi, virginitas
corporis. Denique & illâ integrâ in animo per-
manente, potest ista de corpore violenter aufer-
ri; & cùm ista integra manet corpori, potest il-
F la in animo lascivâ voluntate corrumpi. Propter
quod ego non dixi, Verum conjugium, sive vi- *Lib. 1. de nupt. & conc. cap. 4.*
duitas, sive virginitas; sed, *Vera pudicitia, sive con-*
jugalis, sive vidualis, sive virginalis, dicenda non est,
nisi quæ veræ fidei mancipatur. Conjuges enim &
viduæ & virgines possunt esse, & pudicæ non esse, si
contaminata voluntate mœchantur, si spiritu im-
puro stupra perpetranda decernunt: in quibus
tamen veram pudicitiam dicis esse, etiam si animo
fornicentur; quod facere omnes impios eloquia
G divina testantur.

49. Quis autem nostrûm dicit, *conjugalium*
membrorum malum esse consertum, in quo nuptiæ

[a] Sic MSS. Editi verò, *Quia etsi nondum.*
[b] Vaticani MSS. & ferè omnes Gallicani, *volentium.*
[c] Am. & MSS. *superexaltet.*

[d] Aliquot MSS. *Pro gratia contra Pelagium.* Editi, *De gratia Dei contra Pelag.*
[e] Hîc negantem particulam prætereunt duo è Vatic. MSS.

bene

bene utuntur ad propagandos filios concupiscentiæ malo? Quæ concupiscentia malum non esset, si sola generandi caussâ ad licitum concubitum moveretur. Nunc verò cùm ei resistit conjugalis pudicitia, limes est mali; & ideo bonum est. Unde non *crimen ejus* (sicut calumniando loqueris) *impunitum fit per religionem*: quia nullius est criminis, quando per fidei bonum bene utitur libidinis malo. Neque hîc dici potest, ut putas, *Faciamus mala ut veniant bona*: quia ex nulla sui parte malum sunt nuptiæ. Non enim earum malum est, quod in hominibus quos parentes gignunt, non fecerunt, sed invenerunt. In primis autem conjugibus, qui ex nullis parentibus nati sunt, per peccatum accidit carnalis concupiscentiæ discordiosum malum, quo nuptiæ bene uterentur; non per ipsas nuptias, ut inde meritò damnarentur. Quid ergo quæris, *utrùm in conjugibus Christianis* [a] *conventuum voluptatem, pudicitiam, an impudicitiam nominem?* Ecce respondeo, non ipsa nominatur pudicitia, sed ejus mali usus bonus; quo usu bono fit, ut illud malum nec impudicitia dici possit. Impudicitia est enim ejusdem mali usus flagitiosus; sicut pudicitia virginalis, [b] nullus. Salvâ igitur pudicitiâ conjugali, malum de malo nascendo trahitur, quod renascendo purgetur.

Rom. 3. 8.

50. *Sed si propter hoc*, inquis, *libidinis malum, etiam de conjugibus Christianis proles criminosa profertur, sequitur ut pudicitia virginalis sit felicitatis illatrix: & quia in impiis invenitur*, inquis, *antecellunt infideles pudicitiæ virtute sublimes, Christianis libidinis tabe pollutis.* Non est ita ut dicis; multùm falleris. Nec libidinis enim tabe polluuntur, qui libidine bene utuntur; quamvis generent libidinis tabe pollutos, & ideo regenerandos: nec in impiis invenitur pudicitia virginalis, quamvis inveniatur virginitas carnis; quia vera pudicitia non potest [c] habitare in animo fornicante. Ac per hoc non anteponitur virginale bonum impiorum bono conjugali fidelium: sed conjuges bene utentes malo anteponuntur virginibus malè utentibus bono. Et ideo cùm fideles conjugati bene utuntur malo libidinis, non *apud eos* (ut calumniaris) *propter fidem exercetur impunitas criminis*, sed in eis propter fidem [d] vera non falsa virtus est castitatis.

In infidelibus virginitas carnis esse potest, non pudicitia virginalis.

51. Quid autem ad nos pertinet, quia Manichæos dicere affirmas, *Si quis homicidium conscientiâ formidante commiserit, reus est, quia timuit: si autem aliquod facinus exsultante perpetrarit audaciâ, velut credens se ex fide facere quod malè facit, evasit culpam?* Quod quidem numquam audivi dicere Manichæos. Sed quid ad nos, sive dicant, sive etiam ipsis calumnieris: cùm hoc catholica fides non dicat, quam tenemus, & cujus te pondere urgemus. Nos enim ea quæ videntur opera bona, dicimus non esse verè bona sine fide: quoniam opera verè bona necesse est Deo placere, cui sine fide quia impossibile est placere, profectò quod verè opus est bonum, sine fide non potest esse. Verumtamen illa opera quæ apertissimè mala sunt, non facit fides quæ per dilectionem operatur: quia dilectio proximi malum non operatur.

Hebr. 11. 6. Gal. 5. 6. Rom. 13. 10.

52. *Bona igitur concupiscentia naturalis*, inquis, erubescis enim dicere carnalis, *quæ cùm intra modum suum tenetur*, inquis, *nulla mali adspersione* [e] *turpatur.* Quomodo tenetur intra modum suum, quæso te; quomodo tenetur, nisi cùm ei resistitur? Cur autem resistitur, nisi ne impleat desideria mala? Quomodo est igitur bona?

CAPUT IX.

53. VENIS etiam ad verba illa libri mei, ubi dixi, *Nonne illi conjuges primi, quorum nuptias benedixit Deus, dicens, Crescite & multiplicamini; nudi erant, & non confundebantur? Cur ergo ex illis membris confusio post peccatum, nisi quia exstitit illic indecens motus, quem, nisi homines peccassent, procul dubio nuptiæ non haberent?* Hæc verba mea cùm videres secundùm Scripturas ita posita, ut quícumque eumdem locum libri Geneseos legit aut legerit, approbet sine dubitatione quod dixi; prolixa [f] contradicens disputatione multùm sudasti, sed non sincerasti. Perstitisti quippe in sententia tua prava; quamvis meam rectam ipso experimento probares non abs te potuisse convelli. In qua tua contradictione prætereo gestus & jactationes tuas, tamquam hominis anhelantis, & pervenire quò nititur non valentis, & in nebulis tamen quas perturbatus offundit, se pervenisse fingentis. Sed necessarios articulos sermonis tui, quantum me adjuvat Dominus, comprehendo atque confringo; ut totum corpus victum jacere conspiciat, qui & illa tua & hæc nostra perlegerit: præsertim quia illa quæ abs te multis modis repetuntur, etiam à nobis sæpe destructa sunt.

Lib. 1. de nupt. & concup. cap. 5. Gen. 1. 28. Gen. 2. 25.

54. Dicis hîc inter cetera, *In hoc quòd post peccatum primi homines erubescentes membra illa, in quibus est libido, texerunt, invenisse me unde persuaderem, Deum aëria constituisse conjugia.* Si ergo aëria essent conjugia sine libidine, aëria erunt te auctore corpora, quando libido non erit. An istam libidinem sic amatis, ut quomodo eam priùs ante peccatum in paradiso positis, ita etiam resuscitatis corporibus ingeratis? Ego autem non dico, ut me dicere affirmas, *naturale* [g] *non esse sine quo natura non est*: sed dico, naturale appellari vitium, sine quo nunc natura humana non nascitur, quæ tamen non sic instituta est ab initio. Ideoque & hoc malum non ab illa prima institutione naturæ, sed à primi hominis mala voluntate originem ducit: nec permanebit; sed aut damnabitur, aut sanabitur.

55. *Sententiam meam cimicem* dicis, *qui ut molestiam vivus, sic fœtorem præstat adtritus*: quasi verecunderis, ut loqueris, *vincendo me adterere*; vel *tamquam victus ad loca*, ut dicis, *cœnosa confugerim, exhorreas consequi atque perimere: quia videlicet partes disputationis tuæ, quibus adterendus vel perimendus sum, quoniam de pudendis loqui cogeris, velut quidam æditus pudor tuus à verborum*, sicut perhibes, *libertate submovit.* Quare non potiùs de bonis quæ laudas, liberè loqueris? Quare non est de opere Dei verborum libertas, si ejus intemerata permanet dignitas, nec aliquid ibi egit peccatum, unde potiùs incuteret pudorem, & verborum comprimeret libertatem?

56. SI *non sunt*, inquis, *nuptiæ sine libidine, &* CAP. X.

[a] Am. Er. ac plerique MSS. *conventum*: minùs rectè.
[b] Hîc in editis additur, *ejusdem mali usus.*
[c] In editis, *haberi.*
[d] Am. Er. & MSS. *propter fidem veram non falsa* &c.

[e] Editi, *turbatur.* Emendantur ex MSS.
[f] Editi, *contradicendi*: minùs bene.
[g] Vaticani quinque MSS. *naturale esse*: omissâ negante particulâ, quæ est in ceteris libris.

generaliter à vobis libido damnatur, damnatis & nuptias. Posses dicere, quia damnabitur mors, omnes damnandos esse mortales. Si autem libido de connubio esset, profectò ante connubium vel præter connubium nulla esset. *Non potest*, inquis, *dici morbus, sine quo non est connubium: quia potest esse connubium præter peccatum; morbus autem*, inquis, *ab Apostolo peccatum dicitur.* Sed respondetur tibi: Non omnis morbus peccatum dicitur. Iste autem morbus pœna peccati est, sine qua non potest esse humana natura, nondum ex omni parte sanata. Si autem propterea libido malum non est, quia sine illa non fit nuptiarum bonum: è contrario nec corpus bonum est, quia sine illo non fit adulterii malum. Hoc autem falsum est: sic ergo & illud. Quis autem nescit conjugatis Apostolum præcepisse, ut sciret unusquisque eorum suum vas possidere, hoc est, uxorem suam, non in morbo desiderii, sicut gentes quæ ignorant Deum. Qui ergo de hac re Apostolum legit, te negligit. Et non erubescis istum morbum, vel quod tu esse, quamvis pudibundus, fateris, istam libidinem introducere in paradisum, & tribuere conjugibus ante peccatum? Ideone tu non in cœno absconditus latitas, quia libidine carnis & sanguinis quasi paradisi flore roseo te coronas, & tamquam libenter tali colore perfusus, & erubescis & laudas?

1. Thess. 4. 4.

CAPUT XI.

Futurus erat conjugalis concubitus, etiam si nemo peccasset.

57. QUID quòd te tantum delectat loqui, ut quod confitemur & docemus, tamquam negemus, superfluâ prolixitate sermonis probare coneris? Quis enim negat futurum fuisse concubitum, etiam si peccatum non præcessisset? Sed futurus fuerat, sicut aliis membris, ita etiam genitalibus voluntate motis, non libidine concitatis; aut certè etiam ipsa libidine, (ut non vos de illa nimiùm contristemus,) non qualis nunc est, sed ad nutum voluntarium serviente. Verùm vos pro suscepta vestra tam fideliter laboratis, ut vim patiamini, nisi eam qualis nunc est, etiam in paradiso collocetis; non ibi de peccato dicentes talem factam, sed talem nullo peccante fuisse mansuram, cum qua in illa pace dimicaretur, aut ne dimicaretur, quotienscumque surgeret expleretur. O sanctas paradisi delicias! O frontem qualiumcumque episcoporum! O fidem qualiumcumque [a] castorum!

CAPUT XII.

58. SED volens ostendere, non omnia quæ teguntur, ex peccato erubescenda putari oportere, multùm inaniter multa commemoras, quæ in nostro corpore naturaliter tecta sunt; quasi post peccatum tecta sint, sicut illi homines, unde inter nos quæstio est, quæ ante peccatum nec pudenda, nec tecta fuerant, post peccatum pudenda texerunt. *Balbus*, inquis, *apud Tullium cum Cotta verè diligenterque disseruit. Unde ob hoc pauca ponis*, ut dicis, *ut oneres pudorem meum, non ea me intellexisse sub magisterio sacræ legis, ad quorum notionem gentiles solo rationis ductu pervenire potuerunt:* & ponis Balbi verba ex Ciceronis libro, per quæ nos doceas, quid senserint Stoici de animalium mutorum masculinis ac femininis diversitatibus, de partibus corporis genitalibus, & miris commiscendorum corporum libidinibus. Quæ tamen verba, vel Tulliana, vel cujuslibet alterius, ante quàm interponeres, cautissimè prælocutus es, *quòd ideo sub bestiarum occasione sexuum tangat effectum, quia propter honestatem hoc in hominis descriptione præteriit.* Quid est, *propter honestatem?* An in sexu hominis honestas confunditur, ubi Deus tamquam in excellentiore natura digniùs operatur? Sed docuerunt te Stoici disputare de occultis, nec docuerunt erubescere de pudendis. Adjungis deinde, *quomodo ipsum hominem oratione depingat*, ut dicis, *& quomodo differat alvi naturam stomacho esse subjectam, quòd cibi & potionis sit receptaculum: pulmones autem & cor extrinsecùs spiritum adducant: multa in alvo mirabiliter effecta, quæ constarent ex nervis; & quòd sit multiplex & tortuosa, arceatque & contineat, sive illud aridum sit, sive humidum quod receperit:* & cetera hujusmodi usque ad illud, *quemadmodum reliquiæ cibi depellantur, tum adstringentibus se intestinis, tum relaxantibus.* Cùm ergo posset etiam in bestiis ista describere, cur inde ad hominem transitum fecit, nisi quia ista pudenda non sunt; sicut nec in bestiis illa de sexuum genitalibus atque naturis, quæ tamen in homine pudenda sunt? eâ caussâ utique, qua primitus post peccatum foliis ficulneis adoperta sunt. Nam cùm in descriptione humani corporis usque ad illa extrema venisset, qua cibi reliquiæ depelluntur: *Quemadmodum*, inquit, *fiat, haud sanè difficile dictu est: sed tamen prætereundum, ne quid habeat injocunditatis oratio.* Non dixit confusionis, vel ne quid pudendum habeat oratio, sed *ne quid injocunditatis.* Alia sunt enim quæ horrorem ingerunt sensibus, quòd deformia sint; alia quæ pudorem mentibus, etiam si formosa sint: quia illa offendunt delectationem, commovent autem ista libidinem, vel libidine commoventur.

Lib. 2. de natura deorum.

59. Quid igitur te adjuvant hæc? *Quia ipse*, inquis, *opifex noster nullum suæ artis crimen agnovit, ut vitalia nostra tam diligenter occuleret.* Absit planè, ut artis suæ tantus artifex ullum agnoverit crimen. Sed cur ista texerit, jam paulò superiùs ipse dixisti, *ne* scilicet *vel intereant, vel horreant publicata.* Illa verò quæ foliis ficulneis texerunt conjuges primi, nec interibant utique, nec horrebant, quando nudi erant, & non confundebantur. Et nunc pudicitiæ cautio, potiùs ne libeat, quàm ne horreat illa species, eorumdem membrorum devitat adspectum. Frustra igitur testimonio Stoicorum juvandam putasti tuam esse susceptam, non sanè illis amicam, qui nullam particulam boni humani in corporis voluptate posuerunt. Denique elegerunt in pecoribus potiùs, quàm in hominibus, quod tu facis, laudare libidines. Eorum quippe opinioni convenienter ait quodam loco Tullius, *se non putare idem esse arietis & Publii Africani bonum.* Quâ magis sententiâ te oportuit admoneri, quid de humana libidine sentire deberes.

Gen. 3. 7.

Gen. 2. 25.

60. Sed si talibus litteris ut aliquid agamus, placet, quia & in ipsis reperiuntur nonnulla vestigia veritatis; interim quæ ipse posuisti, nihil adversùs nos valere, puto quòd jam debeas confiteri. Vide nunc utrùm ista quæ dicam, non evertant assertionem tuam. In libro tertio de Republica, idem Tullius *hominem dicit, non ut à matre, sed ut à noverca natura editum in vitam, corpore nudo, fragili, & infirmo; animo autem anxio*

Cicero lib. 3. de Repub.

[a] Michaëlinus codex & in aliis ad marginem pluribus MSS. *castrorum.*

ad moleſtias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen ineſſet tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii & mentis. Quid ad hæc dicis? Non hoc auctor iſte malè viventium moribus dixit effectum, ſed naturam potiùs accuſavit. Rem vidit, cauſſam neſcivit. Latebat Eccli. 40. 1. enim eum cur eſſet grave jugum ſuper filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium: quia ſacris litteris non eruditus, ignorabat originale peccatum. Si autem de libidine, quam defendis, bene ſentiret, non ei pronus in libidines animus diſpliceret.

61. Sed ſi hæc tamquam minora bona defendis, in quæ non debet à ſupernis animus inclinari, non quia libido vitium eſt, ſed quia infimum bonum; audi manifeſtiora quæ dicat in eodem ipſo libro de Republica tertio, cùm ageret de cauſſa imperandi. (Ibidem.) *An non*, inquit, *cernimus optimo cuique dominatum ab ipſa natura cum ſumma utilitate infimorum datum?* [a] *Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini iracundiæque & ceteris vitioſis ejuſdem animi partibus?* Jamne ſaltem docente iſto has, quas bonas eſſe defendis, (Ibidem.) vitioſas partes animi confiteris? Adhuc audi. Paulò pòſt enim: *Sed & imperandi, & ſerviendi*, inquit, *ſunt diſſimilitudines cognoſcendæ. Nam ut animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini: ſed corpori, ut rex civibus ſuis, aut parens liberis; libidini autem, ut ſervis dominus, quòd eam coërcet & frangit. Sic regum, ſic imperatorum, ſic magiſtratuum, ſic patrum, ſic populorum imperia civibus ſociiſque præſunt, ut corporibus animus: domini autem ſervos ita fatigant, ut optima pars animi, id eſt, ſapientia ejuſdem animi vitioſas imbecillaſque partes, ut libidines, ut iracundias, ut perturbationes ceteras.* Habeſne adhuc quod contra nos de ſæcularium litterarum auctoribus garrias? Sed ſi contra epiſcopos eloquiorum divinorum præclariſſimos tractatores, pro iſto (quem à te Deus avertat) errore quæſiturus es quid dicas, quove modo illorum ſanctitati reſiſtas; quid tibi erit Tullius, ut non eum in hac ſententia deſipuiſſe ac deliraſſe contendas? Tace ergo de illius generis libris, & noli nos inde aliquid contumelioſè docere conari, ne quorum te inaniter ſublevari credis, eorum teſtimoniis comprimaris.

Caput XIII.

62. Quid autem de motu feminæ, cujus & ipſam puduit, inaniter argumentandum putaſti? Non utique femina motum viſibilem texit: ſed cùm in eiſdem membris tale aliquid ſentiret occultiùs, quale vir ſenſerat; ambo texerunt, quod alterutrum videndo in alterutrum commoti ambo ſenſerunt, & vel unuſquiſque ſibi vel alter alteri erubuerunt. Sed loquens vana, *petis ut ignoſcant verecundæ aures, & congemiſcant potiùs, quàm indignentur neceſſitati tuæ.* Quare confunderis de Dei operibus diſputare? Quare petis ut ignoſcatur tibi? Nonne abs te veniæ poſtulatio etiam ipſa eſt libidinis accuſatio? *Sed ſi poterat*, inquis, *virile membrum & antea moveri, nihil ergo novitatis invexit delictum.* Poterat planè etiam antea moveri, ſed non erat [b] indecens, ut puderet; quoniam id movebat voluntatis imperium, non caro concupiſcens adversùs ſpiritum. In hoc enim exſtitit novitas pudenda, quam defendit impudenter novitas veſtra. Numquam verò ego *motum genitalium reprehendi* generaliter, quod tu dicis *dedicativè*: ſed illum motum reprehendi, quem facit concupiſcentia, qua caro concupiſcit adversùs ſpiritum: quam velut bonum cùm defendat error tuus, neſcio quemadmodum adversùs illam velut adversùs malum concupiſcat ſpiritus tuus.

63. *Si in fructu ligni illius*, inquis, *hæc fuit libido; à Deo facta monſtratur, & per hoc bona quoque ipſa defenditur.* Sed reſpondetur tibi: Non in fructu ligni fuit libido, & ideo bonum erat lignum; ſed mala eſt inobedientia libidinis, quæ adversùs hominis inobedientiam quam in ligno admiſit, Deo deſerente ſurrexit. Abſit enim ut Deus de ligno bono cuicumque ætati illorum hominum quocumque tempore beneficium tale conferret, ut haberent in membris adverſariam contra quam pudicitia dimicaret.

64. Novimus autem *Iohannem apoſtolum, non mundum iſtum, id eſt, cælum & terram, & omnia quæ in* [c] *eo ſubſtantialiter ſunt, qui mundus factus eſt à Patre per Filium, reprehendiſſe, cùm diceret, Omnia quæ in mundo ſunt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſæculi, quæ non eſt à Patre, ſed ex mundo eſt.* (1. Iohan. 2. 16.) Novimus hæc, noli nos doceas. Sed quam *concupiſcentiam carnis dixerit à Patre non eſſe*, tu volens exponere, *luxuriam intelligendam eſſe* dixiſti. Sed cùm abs te quæro, cui conſentiatur ut ſit luxuria, vel cui repugnetur ut non ſit, tua tibi ſuſcepta occurrit in faciem; utrùm adhuc laudanda, tu videris, cui conſentire luxuria eſt, cui repugnare continentia eſt. Ubi miror ſi deliberas, utrùm eam magis debeas cum luxuria vituperare, quæ fit per ejus aſſenſum; an eam laudare cum continentia, quæ illi ingerit bellum: in quo bello pudicitia eſt victoria continentiæ, luxuria victoria concupiſcentiæ. Tu autem judex incorruptus atque integer, cùm laudes continentiam, vitupereſque luxuriam: ſic tamen accipis perſonam concupiſcentiæ, (quam tu videris cur offendere timeas,) ut eam non erubeſcas cum ſua laudare adverſaria, nec audeas cum ſua vituperare victoria. Sed abſit ut quilibet homo Dei ſic te audiat vituperatorem luxuriæ, ut approbet concupiſcentiæ laudatorem; & ex tuo ſermone arbitretur bonum, quod in ſe ipſo experitur malum. Denique qui concupiſcentiam, quam pravè laudas, confligendo vicerit; luxuriam, quam rectè vituperas, non habebit. Quomodo autem Johanni apoſtolo obtemperamus, ſi concupiſcentiam carnis diligimus? Reſpondebis, *Non eſt ipſa quam laudo.* Et quæ illa eſt, quam Johannes dicit à Patre non eſſe? *Luxuria*, inquies. Sed luxurioſi non erimus, niſi iſtam quam laudas concupiſcentiam diligamus. Ac per hoc, Nolite diligere carnis concupiſcentiam, cùm dicebat, luxurioſos nos eſſe nolebat. Ab hac igitur abs te laudata carnis concupiſcentia diligenda prohibemur, quando à luxuria prohibemur: hæc autem quam diligere prohibemur, non eſt à Patre: hæc igitur concupiſcentia quam laudas, non eſt à Patre. Duo enim bona quæ à Patre ſunt, inter ſe pugnare non poſſunt: pugnant autem inter ſe continentia &

[a] Caſalenſis MS. *Cùm igitur.*
[b] Lov. perperam correxerunt, *decens ut puderet.* Mox autem quòd pro *quoniam*, poſuerunt *quando*: in hoc ſecuti ſunt Am. & Er.
[c] Quatuor MSS. *in eis.* Unus, *in ea.*

concupiscentia: quid horum à Patre magis velis esse responde. Video quas patiaris angustias: faves quidem concupiscentiæ, sed erubescis continentiæ. Vincat pudor tuus, eoque vincatur error tuus. Cùm igitur à Patre sit continentia, qua debellatur carnis concupiscentia; sume à Patre continentiam, cui rectâ fronte erubuisti; & vince concupiscentiam, quam perverso ore laudasti.

Caput XIV.

65. Quin etiam putasti, omnium sensuum voluptatem in auxilium convocandam, tamquam voluptas genitalium nec tanto patrono sibi sola sufficeret, nisi sociarum cuneus subveniret. *Consequens enim esse* existimas, *ut sensum videndi, audiendi, gustandi, olfaciendi, atque tangendi, non à Deo, sed à diabolo nobis fateamur esse collatum; si concesserimus eam concupiscentiam carnis, cui per continentiam repugnamus, non fuisse in paradiso ante peccatum, & ex illo accidisse peccato, quod* [a] *primum primo homini diabolus persuasit.* Sic ignoras vel ignorare te fingis, per quemlibet corporis sensum aliud esse sentiendi vivacitatem, vel utilitatem, vel necessitatem, aliud sentiendi libidinem. Vivacitas sentiendi est, qua magis alius, alius minùs in ipsis corporalibus rebus pro earum modo atque natura quod verum est percipit, atque id à falso magis minúsve discernit. Utilitas sentiendi est, [b] per quam corpori vitæque quam gerimus, ad aliquid approbandum vel improbandum, sumendum vel rejiciendum, appetendum vitandumve consulimus. Necessitas sentiendi est, quando sensibus nostris etiam quæ nolumus ingeruntur. Libido autem sentiendi est, de qua nunc agimus, quæ nos ad sentiendum, sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit. Hæc est contraria [c] dilectioni sapientiæ, hæc virtutibus inimica. Hoc malo, quantum adtinet ad ejus eam partem qua sibi sexus uterque miscetur, bene utuntur nuptiæ, cùm conjuges procreant filios per illam, [d] nihilque faciunt propter illam. Hanc si voluisses vel valuisses à sentiendi vivacitate, utilitate, necessitate discernere, videres quàm superfluò tam multa dixisses. Non enim ait Dominus, Qui viderit mulierem, sed qui viderit ad concupiscendum, jam mœchatus est eam in corde suo. Ecce sensum videndi à libidine sentiendi, si pervicax non sis, breviter apertéque discrevit. Illud Deus condidit, instruendo corpus humanum: illud diabolus seminavit, persuadendo peccatum.

Sentiendi vivacitas, utilitas, necessitas, & libido.

Matth. 5. 28.

Videndi libido.

66. Laudent ergo cælum & terram & omnia quæ in eis sunt homines pii, & ex his omnibus Deum, consideratione pulcritudinis, non ardore libidinis. Sicut auri decus aliter laudat religiosus, aliter avarus: iste cum pietate venerandi Creatorem, ille cum libidine possidendi creaturam. Movetur certè animus ad pietatis affectum, divino cantico audito: tamen etiam illic si sonum, non sensum libido audiendi desideret, improbatur; quanto magis si cantiunculis inanibus vel etiam turpibus delectetur? Ceteri tres sensus corpulentiores, & quodam modo [e] grossiores sunt, nec se foras projiciunt, sed interiùs quod ad eos pertinet agunt. Odor ab olfaciente discernitur, sapor à gustante, tactus à tangente plurima. Non enim

Audiendi libido etiã in divinis canticis improbatur.

A hoc est calidum & frigidum, quod lene & asperum, aut ista hoc sunt quod molle ac durum; & ab his omnibus distat quod dicitur leve seu grave. In his omnibus quando molesta vitantur, ut putores, amaritudines, æstus, frigora, & quæque aspera, & dura, & gravia, commoditatis provisio, non libido est voluptatis. Ea verò quæ his contraria commodè sumimus, si nihil eorum interest ad salutem, vel ad declinandam doloris laborisve molestiam, etiam si cum aliqua sumuntur
B delectatione cùm præstò sunt, tamen cùm absunt nullâ sunt desideranda libidine. Si autem desiderantur, non est bonum. In quibuslibet enim rebus talis domandus & sanandus est appetitus. Quis enim, quantuscumque sit carnalis concupiscentiæ castigator, si locum thymiamate intraverit odoratum, possit efficere ut ei non suaviter oleat, nisi nares claudat, aut intentione vehementi alienetur à corporis sensibus? Sed numquid cùm inde fuerit egressus, id domi suæ, vel qua-
C cumque pergit, desiderabit? aut si desideraverit, satiare debet istam libidinem, non frenare & contra concupiscentem carnem spiritu concupiscere, donec ad illam redeat sanitatem, qua nihil tale desideret? Minimum hoc quidem: sed qui minima spernit, sicut scriptum est, paulatim decidit.

Odorandi libido.

Eccli. 19. 1.

67. Alimentorum sustentaculis indigemus: si suavia non sint quæ ore sumuntur, nec sumi possunt, & nauseando sæpe respuuntur; & perniciosa sunt cavenda fastidia: non solùm ergo ci-
D bo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri; non propter exsaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem. Cùm ergo natura quodam modo poscit supplementa quæ desunt, non vocatur libido, sed fames aut sitis: cùm verò suppleta necessitate amor edendi animum sollicitat, jam libido est, jam malum est, cui cedendum non est, sed resistendum. Hæc duo, id est, famem & edendi amorem etiam Poëta discrevit, qui post maris jactationem, sociis
E Æneæ naufragis & peregrinis satis esse judicans tantum sumere alimentorum, quantum refectionis indigentia postularet, ait, Post quàm exemta fames epulis, mensæque remotæ. Cùm verò Æneas ipse ab Evandro rege susceptus est hospes, decentiùs arbitratus ampliores exhiberi epulas regias, quàm necessitas posceret, non satis fuit ut diceret, Post quàm exemta fames: sed addidit, & amor compressus edendi. Quanto magis nos discernere ac nosse debemus, quid neces-
F sitas refectionis, quid libido edacitatis exposcat, quorum negotium est contra concupiscentem carnem spiritu concupiscere, & condelectari legi Dei secundùm interiorem hominem, ejusque delectationis serenitatem nullis libidinosis delectationibus nubilare. Nam iste amor edendi non edendo, sed continendo est comprimendus.

Edendi libido.

Æneid. lib. 1.

Æneid. lib. 1.

Necessitas refectionis, & libido edacitatis.

68. Quis autem mente sobrius non mallet, si fieri posset, sine ulla mordaci voluptate carnali, vel arida sumere alimenta, vel humida, sicut
G sumimus hæc aëria, quæ de circumfusis auris respirando & spirando sorbemus & fundimus? Quod alimentum, cùm ore ac naribus sine cessatione sumamus, nec sapit, nec olet quidquam: nec ta-

[a] Floriacensis MS. omittit *primum*.
[b] Nonnulli MSS. *Utilitas sentiendi est, qua noxiis rejiciendis & utilibus appetendis consulit vitæ quam gerimus.*
[c] Am. Er. & MSS. Gallicani ac Vaticani, *delectationi sapientiæ.*
[d] Floriacensis MS. *nisi faciunt propter illam.*
[e] Apud Lov. *crassiores sunt.*

men ſine illo vel tantillo ſpatio temporis, ſicut tam prolixè ſine cibo & potu, poſſumus vivere: nec ejus indigentia ſentitur, niſi moleſtiâ, ſi ora nareſque claudantur, vel nutu voluntatis, quantum ſinit ipſa moleſtia, pauliſper pulmonum inhibeamus officium, quibus velut follibus alternante motu vitales flatus haurimus & reddimus. Quanto eſſet felicius, ſi ſpatioſis quidem intervallis, ſicut etiam nunc, vel quantumcumque ſpatioſioribus, ſine ulla ſaporis illecebroſa ſuavitate cibum perciperemus & potum, quo [a] tantam moleſtiam vel perniciem pelleremus. [b] Nam ſi in præſenti vita temperanter alimenta ſumentes, continentes vocantur & ſobrii, meritóque [c] laudi habentur; nec deſunt hujuſmodi, qui quantum natura petat, aut minus refectionis aſſumant, malentes, ſi modo [d] neceſſitati congruo falluntur, minus id ſumſiſſe quàm amplius: quanto magis in illa dignitate honeſtum modum fuiſſe credendum eſt ſumendorum alimentorum, quo & animali corpori neceſſaria præberentur, & modus naturalis nullatenus excederetur: ſicut in paradiſo primos homines vixiſſe credendum eſt?

Temperantia cibi & potus in paradiſo qualis futura.

69. Quamvis nonnulli, neque hi contemtibiles divini eloquii tractatores, nullo hujuſcemodi victu eos indiguiſſe potiùs opinentur, ut ea ſola in paradiſo voluptas vel alimonia exiſtimetur fuiſſe, qua delectantur & aluntur corda ſapientium. Sed ego cum eis ſentio, qui ſicut illud quod dictum eſt, » Maſculum & feminam fecit eos, & benedixit illos Deus, dicens, Creſcite, & multiplicamini, & implete terram, ſecundùm ſexum corporalem atque conſpicuum intelligunt dictum: ita etiam quod paulò pòſt ſequitur, » Et dixit Deus, Ecce dedi vobis omne fœnum ſativum ſeminans ſemen, quod eſt ſuper omnem terram, & omne lignum quod habet in ſe fructum ſeminis ſativi, vobis erit in eſcam, & omnibus beſtiis terræ, & omnibus volatilibus cæli, & omni ſerpenti repenti ſuper terram, quod habet in ſe animam vitæ; & omne fœnum viride in eſcam: non aliter accipiunt, niſi quia ille uterque ſexus his alimentis quibus & animalia cetera corporaliter utebatur, & habebat ex hoc victu ſuſtentaculum congruum, licèt modo quodam immortali, tamen animali corpori neceſſarium, ne indigentiâ læderetur; de ligno autem vitæ, ne ſenectute perduceretur ad mortem. Sed nulla ratione crediderim, in illo tantæ felicitatis loco, aut carnem concupiviſſe adversùs ſpiritum & ſpiritum adversùs carnem, atque in iſta conflictatione ſine interna pace vixiſſe; aut ſpiritum deſideriis non repugnaſſe carnalibus, ſed quidquid undecumque lidido ſuggeſſerat, turpi ſervitio peregiſſe. Remanet igitur, ut aut nulla ibi fuerit carnalis concupiſcentia, ſed ille fuerit vivendi modus, ut omnia neceſſaria congruis membrorum officiis ſine ullius motu libidinis implerentur; (non enim quia terra non libidine, ſed voluntate motis agricolarum manibus ſeminatur, ideo ſuos pariendos non concipit fetus:) aut, ne nimiùm videamur offendere homines, qui voluptatem corporis quomodocumque defendunt, ita ibi credatur carnalium ſen-

Gen. 1. 27.
Ibid. 29.
Uſus alimentorum & ligni vitæ in paradiſo.

A ſuum fuiſſe libidinem, ut omni modo rationali ſubdita voluntati, non aliàs adeſſet, niſi cùm per illam vel ſaluti eſſet corporis, vel ſtirpis propagini conſulendum; & tanta adeſſet, ut nulla ex parte mentem de ſupernarum cogitationum delectatione deponeret, nullus ſupervacuus ſive importunus motus eſſet ex illa, nihil niſi quod prodeſſet fieret per illam, nihil omnino fieret propter illam.

70. Nunc verò quàm ſe aliter habeat, qui dimicant adversùs eam, hi maximè ſentiunt. Ingerit ſe videntibus vel audientibus aliquid, quamvis propter aliud videant & audiant, ut etiam ſi tangendi non inde percipit voluptatem, ſaltem voluptariam cogitationem inter neceſſaria quæ ad eam non pertinent, motu obrepente furetur. In ipſis porrò cogitationibus, etiam quando nihil illecebroſum adjacet oculis, aut inſonat auribus, quæ non conatur etiam obſoleta atque ſopita recordationibus inquietis cum turpi delectatione refricare, & caſtis ſanctiſque intentionibus tumultu quodam ſordidæ interpellationis obſtrepere? Jam verò cùm ad uſum ventum fuerit neceſſariæ voluptatis, per quam reficimus corpora, quis verbis explicet, quemadmodum nos modum neceſſitatis ſentire non ſinat, & ipſum limitem procurandæ ſalutis, [e] in quæque ſi adſunt delectabilia rapiendo, abſcondat & tranſeat; putantibus nobis ſatis non eſſe quod ſatis eſt, dum libenter ejus provocationibus ducimur, exiſtimantes nos adhuc agere negotium valetudinis, cùm agamus potiùs cruditatis? Quid enim mali fecerimus, crapula [f] pænitenda teſtatur; quod metuentes, plerumque minùs, quàm eximendæ fami ſufficit, veſcimur: ita neſcit cupiditas, ubi finitur neceſſitas.

Sanctorum in hac vita cum ſeſuum libidine pugna & lucta.

Neſcit cupiditas ubi finitur neceſſitas.

71. Et hæc quidem veſcendi atque potandi tolerabilis eſt voluptas, quantâ poſſumus intentione vigilantibus nobis, ut faciliùs non impleat, quàm modum aliquando victûs ſufficientis excedat: contra cujus concupiſcentiam & jejunando & parciùs alimenta ſumendo pugnamus: eoque malo bene tunc utimur, quando per illam nonniſi quod ſaluti conducibile eſt agimus. Ideo autem hanc voluptatem dixi tolerabilem, quia vis ejus tanta non eſt, ut nos à cogitationibus ad ſapientiam pertinentibus, ſi in eas ſumus mentis delectatione ſuſpenſi, abrumpat & dejiciat. Nam ſæpe de magnis rebus inter epulas non ſolùm cogitamus, verùm etiam diſputamus, atque inter ipſos ciborum morſus & potionum glutus, nihilo remiſſiùs audiendo dicendoque colloquimur, & quod noſſe vel recolere volumus, intentiſſimè omnino ſi nobis legatur accipimus. Illa verò pro qua mecum tantis contentionibus litigas, etiam quando ad eam bona intentione, hoc eſt, cauſſâ propagandæ prolis acceditur; tamen in ipſo opere ſuo, quem permittit aliquid, non dico ſapientiæ, ſed cujuſlibet rei aliud cogitare? Nonne illi totus animus & corpus impenditur, & ipſius mentis quadam ſubmerſione illud extremum ejus impletur? Cùm verò vincit etiam conjugatos, ut non propagationis, ſed delectationis carnalis cupiditate miſceantur, quod Apoſtolus ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium ſe dixiſſe

1. Cor. 7. 6.

[a] Vatican. quinque MSS. *tantùm moleſtiam.*
[b] Floriacenſis vetus codex præterit hîc decem verſus, ita ut poſt *pelleremus*, proximè ſubjungat, *ſicut in paradiſo primos homines vixiſſe credendum eſt.*
[c] Apud Lov. tantùm, *laude digni habentur.*

[d] Sic MSS. At editi, *ſi modo neceſſitatis congruo.* fortè leg. *ſi in modo.*
[e] Editi Am. & Er. *in qua ſi adſunt.* Lov. *ſi qua adſunt*: omiſſo, *in quæque.* Caſtigantur ex MSS.
[f] Sic MSS. At editi, *pænitendo.*

testatur; ita hinc emergitur, & quasi in auras cogitationis post illum gurgitem respiratur, ut fiat consequens, quod verum ait quidam, & pœnitendi quæ est cum voluptate vicinitas. Quis ergo amator spiritalis boni, etiam solâ caussâ sobolis conjugatus, non mallet vel sine ista si posset, vel sine tam magna vi ejus filios procreare? Quod ergo mallent sancti conjuges in hac vita, puto nos hoc debere de illa paradisi vita, quæ multo melior erat, credere, si nihil melius inde possumus cogitare.

Pœnitendi cum voluptate vicinitas.

71. Obsecro te, non sit honestior philosophia gentium, quàm nostra Christiana, quæ una est vera philosophia, quando quidem studium vel amor sapientiæ significatur hoc nomine. Vide enim quid in Hortensii dialogo dicat Tullius; quæ magis verba te delectare debuerant, quàm Balbi Stoicorum partes agentis: quæ licèt vera, tamen de parte hominis inferiore, hoc est, de corpore fuerunt, & te nihil adjuvare potuerunt. Vide quid iste pro vivacitate mentis contra voluptatem corporis dicat. *An verò*, inquit, *voluptates corporis expetendæ, quæ verè & graviter à Platone dictæ sunt illecebræ esse atque escæ malorum? Quæ enim confectio est*, inquit, *valetudinis, quæ deformatio coloris & corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non evocetur atque eliciatur voluptate? Cujus motus ut quisque est maximus, ita est inimicissimus philosophiæ. Congruere enim cum cogitatione magna voluptas corporis non potest. Quis enim cùm utatur voluptate eâ, qua nulla possit major esse, adtendere animo, inire rationem, cogitare omnino quidquam potest?* [a] *Cujus autem tantus est gurges, qui dies & noctes sine ulla minimi temporis intermissione velit ita moveri suos sensus, ut moventur in summis voluptatibus? Quis autem bona mente præditus, non mallet nullas omnino nobis à natura voluptates datas?* Hæc ille dixit, qui nihil de primorum hominum vita, nihil de paradisi felicitate, nihil de corporum resurrectione crediderat. Erubescamus [b] interim veris disputationibus impiorum, qui didicimus in vera veræ pietatis sanctaque philosophia, & contra spiritum carnem, & contra carnem concupiscere spiritum. Sed hoc unde acciderit, Cicero nesciebat: & tamen carnis concupiscentiæ non favebat, quod tu facis; immo eam vehementer arguebat, quod tu non solùm non facis, sed facientibus vehementer irasceris: qui concupiscentias & spiritûs & carnis inter se belligerantes tamquam in bello timidus ambas laudare conaris, velut inimicam metuens habere, quæ potuerit alteram vincere. Quin age potiùs, ne formides, & lauda concupiscentiam spiritûs adversùs concupiscentiam carnis, tanto acriùs, quanto castiùs dimicantem: illam verò repugnantem legi mentis, sine pavore ullo eadem cui repugnat lege mentis condemna.

Cicero in Hortensio. Voluptates illecebræ atque escæ malorum.

a

b

Gal. 5. 17.

73. Aliud est consideratio pulcritudinis etiam corporalis, sive visibilis, sicut est in coloribus & figuris, sive audibilis, sicut est in cantibus atque modulis, quam considerationem, nisi rationale animal habere non potest: & aliud est commotio libidinis, quæ ratione [c] frenanda est. Johannes enim apostolus illam concupiscentiam non esse dixit à Patre, quæ concupiscit adversùs spiritum. Quam nemo potest bonam dicere, nisi cujus adversùs eam non amat concupiscere spiritus. Quòd si talis non est in motu & ardore genitalium, non adversùs eam concupiscat spiritus, ne adversùs donum Dei concupiscendo inveniatur ingratus: sed quidquid appetiverit detur, tamquam illi quæ ex Patre est; si autem non est quod detur, hoc potiùs petatur à Patre, non ut auferat vel comprimat, sed ut expleat concupiscentiam quam donavit. Quod sapere si desipere est; ut quid eam comparamus vino & cibo, & aliquid nobis dicere videmur, quia dicimus, *Nec vinum ebrietas, nec cibum condemnet* [d] *crapula, nec concupiscentiam infamet obscœnitas*; quando nec ebrietas, nec crapula, nec obscœnitas ulla committitur, si carnis concupiscentia spiritu adversùs eam concupiscente vincatur? *Excessus*, inquis, *ejus in culpa est.* Nec perspicis quod facillimè potuisses, si magis ipsam, quàm me vincere voluisses; ut non fiat malum excedendi, resistendum esse malo concupiscendi. Duo ergo mala sunt, quorum unum habemus, alterum facimus, si ei non resistimus quod habemus. [e]

c 1. Johan. 2. 16.

d

e

74. Jam verò & antea * diximus, propterea hoc non esse in pecoribus malum, quia in eis non concupiscit adversùs spiritum. Non enim habent rationem, qua libidines subjugent superando, fatigentve pugnando. Quis autem tibi dicit, *semper pecorum imitatione peccari?* Quam sententiam non tibi objectam tanta loquacitate refellere laborasti, ut superflua multa colligeres, quæ in pecoribus animadversa, etiam medicinæ disciplina sectatur. Sed ne propterea putaretur, non esse malum carnis concupiscentia, quia bonum est in pecore, ut eo se oblectet illa natura, cui non potest inesse concupiscentia sapientiæ: ideo dictum est bonum esse pecoris, cujus sine ulla repugnantia delectat spiritum; malum autem hominis, in quo concupiscit adversùs spiritum.

* Supra cap. 5. In pecoribus cur malum non est concupiscentia.

75. Convocasti etiam in auxilium turbam philosophorum, quasi susceptæ tuæ, si non possunt pecorum sollertiæ naturales, saltem doctorum hominum opitulentur errores. Sed quis non videat, doctrinæ te quæsisse jactantiam in commemorandis nominibus doctorum hominum sectisque diversis, quando perspicit quicumque versista tua legit, ad quæstionem quæ inter nos vertitur, hæc nullatenus pertinere? Quis enim audiat, quòd abs te commemorantur, *Thales Milesius unus è septem sapientibus, deinde Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Xenophanes, Parme-*

Caput XV.

a Sic Am. & MSS. At Er. & Lov. *Quis autem.*

b Am. & MSS. *interdum.*

c MSS. Belgici, Gallic. & Vatic. *frangenda est.*

d Crapulæ nomine sic uti solent interpretes Evangelii Lucæ 21. 34. & ecclesiastici scriptores, ipseque inter alios Benedictus in regula cap. 39. de mensura ciborum, scilicet pro stomachi noxa & indigerie, non à vino à quo est ebrietas, sed à cibo immodico creata. Hujus rei ignoratione turpiter hallucinatur Petrus Petitus in dissertatione quæ his diebus prodiit de Homeri nepenthe, cap. 15. ubi *Augustinum non invalidum potorem fuisse* perperam colligit ex eo loco Confess. lib. 10. cap. 31. *Ebrietas longè est à me &c. Crapula autem nonnumquam subrepit servo tuo.* Est autem crapula ex cibo alia gravior, quæ facilè à temperantibus vitatur; alia levior, qualis viro cuique sobrio subrepit interdum vel invito, cùm is *in modo necessitati congruo fallitur.* Hujus levioris peccati caussâ Dei misericordiam implorat Augustinus.

e Huc in antè excusis irrepserant verba illa, cùm fortè in margine quispiam ea scripsisset: *Ideo in pecoribus malum non est concupiscentia, quia non adversùs spiritum concupiscit, sed eorum potiùs oblectat spiritum. Concupiscentiâ enim sapientiæ carentia, carnali concupiscentiæ non resultant, & à bono vitæ rationalis aliena, hoc bonum habent quo delectantur.* Expunximus auctoritate antiquissimi codicis Floriacensis & MSS. trium ex Vaticanis.

nides, *Leucippus*, *Democritus*, *Empedocles*, *Heraclitus*, *Melissus*, *Plato*, *Pythagoræi*, unusquisque cum proprio dogmate suo de naturalibus rebus; quis, inquam, hæc audiat, & non ipso nominum sectarumque conglobatarum strepitu terreatur, si est ineruditus, qualis est hominum multitudo; & existimet te aliquem magnum, qui hæc scire potueris? Ecce quod appetis: quando quidem in his omnibus abs te coacervatim commemoratis, quod ad rem quæ inter nos agitur pertineat, nihil omnino dixisti. Nam prælocutus es ista dicturus, & aisti, *Omnes philosophi in scholis licèt aliud dissentes, tamen idola cum plebe venerantes, qui de naturalibus caussis aliquid excogitare conati sunt, inter multas* [a] *opinionis suæ vanitates, aliquas tamen* [b] *veritatis velut lamsere partes, qui per caliginem vani, huic tamen dogmati contra quod agimus, jure anteferri possunt.* Atque ut hoc probares, subdidisti ea quæ à me quoque modò commemorata sunt, philosophorum nomina physicorum cum opinionibus suis, quas de naturalibus caussis habuerunt: nec tamen commemorare omnes sive voluisti, sive potuisti. Qua in re homines imperitos [c] nullo doctorum dubitante fraudasti. Hoc enim demonstrare susceperas, *omnes philosophos, qui de naturalibus caussis aliquid excogitare conati sunt, jure posse huic dogmati, contra quod ageres, anteferri.* Cur ergo, ut de aliis plurimis taceam, cùm commemorasses Anaximenem ejusque discipulum Anaxagoram, tacuisti alterum ejus discipulum Diogenem, qui & à magistro & à condiscipulo suo in rerum naturæ opinione dissensit, propriumque dogma constituit? Quid si tale aliquid ipse sensit, ut nobis non esset anteponendus, quibus omnes qui de rerum natura philosophati sunt, anteponendos esse dixisti; atque ut hoc quasi ostenderes, te in commemorandis frustra nominibus & dogmatibus philosophorum insipienter inflasti? Ecce præteristi unum, quem vel ex magistro vel ex condiscipulo quos nominasti, juxtà adtendere debuisti. An fortè timuisti ne Diogenes Cynicus putaretur, aut ille etiam legentibus propter idem nomen occurreret, & veniret in mentem quòd melior te patronus libidinis fuerit, de qua exercenda non verecundabatur in publico? unde illa secta caninum nomen accepit. Tu autem defensorem quidem libidinis profiteris, sed de tua suscepta, quod fidem libertatemque patroni non decuerat, erubescis.

76. Verùm obsecro te, si philosophos nobis anteponere gestiebas, cur non potiùs eos commemorasti, qui de moribus, quæ pars ab eis philosophiæ vocatur Ethica, quam nos Moralem dicimus, sollertissimè disputarunt? Hoc enim tibi potissimùm congruebat, qui honestate quidem mentis inferius, tamen bonum hominis esse censes corporis voluptatem. Sed quis non quid prospexeris cernat? Ne scilicet in ipsa de voluptate quæstione unde tecum agimus, honestiores philosophi te obruerent, quos Cicero propter ipsam honestatem tamquam consulares philosophos nuncupavit; & ipsi Stoici maximè inimicissimi voluptatis, quorum testimonium ex persona Balbi apud Ciceronem disputantis, verum quidem, sed quod tibi prorsus nihil prodesset, interponendum putasti. Quòd autem nullum hominis bonum censeant corporis voluptatem cupiens abscondere, nulla de quæstione morali nomina & dogmata philosophorum, quod maximè ad rem pertinebat, si aliquid de philosophis probandum fuit, commemorare voluisti. Non enim te adversùs istos defenderet, non dico Epicurus, qui totum bonum hominis in voluptate corporis posuit, quia non quod ille tu sentis; sed Dinomachus: hujus quippe dogma tibi placuit. Nam ipse * conjungendam voluptatem arbitratus est honestati, ut quemadmodum honestas, ita voluptas per se ipsam appetenda videretur. Hanc ergo partem ubi de moribus disputatur, cùm tibi infensam cerneres, adtingere timuisti. [d] Nam ubi maximè controversia ista versatur, quanti & quales, & cujus apud gentes gloriæ philosophi tibi præferantur, vides: maximéque ipse Plato, quem Cicero * appellare non dubitat penè philosophorum deum; cujus nec tu nomen præterire potuisti, cùm de naturalibus, non de moralibus philosophorum nobis dogmata inferres sive præferres, qui corporis voluptates verè & graviter dixisse * perhibetur illecebras atque escas malorum.

Supr. cap. 12.

* Vide Cicer. lib. 5. de finibus & lib. 5. Tuscul.

* Lib. 2. de natura deorum, & lib. 4 ad Attic. epist. 16.

* Suprà cap. 14. n. 72.

77. Numquid autem quid de hominis conditione senserint quos nominasti philosophi, quia & hoc ad naturalem pertinet quæstionem, quod qualitercumque caussa poscebat, commemorandum putasti? Non utique fecisti, & rectè. Quid enim illi didicerant, vel quid locuti fuerant de primo homine Adam & ejus conjuge, de prima eorum prævaricatione, de serpentis astutia, de nuditate corporis ante peccatum sine confusione, & [e] cum confusione continuò post peccatum? Quid denique tale audierant, quale illud est quod ait Apostolus, "Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt?" Harum litterarum illi atque hujus veritatis expertes, quid de hac re sapere potuerunt? Verùm si de hominis conditione dogmata hominum à sacris litteris nostris abhorrentium nihil judicasti esse ponendum, & rectissimè judicasti: quanto minùs te quæ posuisti adjuvare potuerunt, quid de principiis mundi hujus visibilis senserint, unde inter nos nulla quæstio vertitur? Sed mens tua potiùs, tamquam magnum aliquid de philosophorum libris didiceris, jactantiæ vanitate subvertitur.

Rom 5. 12.

Philosophi in quibusdam Christianæ fidei appropinquarunt.

78. Videntur autem non frustra Christianæ fidei propinquasse, qui vitam istam fallaciæ miseriæque plenissimam non opinati sunt nisi divino judicio contigisse, tribuentes utique justitiam Conditori, à quo factus est & administratur hic mundus. Quanto ergo te meliùs veritatique viciniùs de hominum generatione senserunt, quos Cicero in extremis partibus Hortensii dialogi velut ipsa rerum evidentiâ ductus compulsusque com-

[a] Belgici MSS. & tres Vatic. cum duobus Gallic. *inter multas opiniones suæ vanitatis.*

[b] Am. *aliquas tamen veritatis, velut lanifera partes, qui per caliginem vani.* Er. & Lov. *aliquas tamen veritates, velut jam feri pares per caliginem vani.* Castigantur ad veteres libros Gallic. & Vatic nec ab his MSS. distabant Belgici, nisi quòd notatur, pro *lamsere*, legi in iis *jam sera*: legentium forsitan lapsu. Unus è Vaticanis habet *lambuere.*

[c] Apud Lov. *nulla doctorum dubitatione.*

[d] MSS non habent, *Nam*: neque novam sententiam inchoant nisi post *versatur*; ad verba, *Quanti & quales.*

[e] In MSS. Gallic. & Vatic. deest, *cum.*

memorat? Nam cùm multa quæ videmus & gemimus, de hominum vanitate atque infelicitate dixisset: *Ex quibus humanæ*, inquit, *vitæ erroribus & ærumnis fit, ut interdum veteres illi, sive vates, sive in sacris initiisque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore, pœnarum luendarum caussâ natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur: verumque sit illud quod est apud Aristotelem, simili nos affectos esse supplicio, atque eos qui quondam, cùm in prædonum Hetruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur, quorum corpora viva cum mortuis, adversa aduersis accommodata, quàm aptissimè colligabantur; sic nostros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis esse conjunctos.* Nonne qui ista senserunt, multò quàm tu meliùs grave jugum super filios Adam & Dei potentiam justitiamque viderunt, etiam si gratiam, quæ per Mediatorem liberandis hominibus concessa est, non viderunt? Ecce ego inveni quod tibi de illis gentilium philosophorum litteris possit jure præponi, te instigante, qui de illis nihil tale invenire potuisti, & ut me admoneres quod adversùs te invenirem, tacere noluisti.

Cicero in Hortensio.

Hetruscorum prædonum crudelitas.

CAPUT XVI.

79. QUID quòd de Apostoli testimonio pro te esse existimas, quod est contra te; & membra nostra, quæ utique ante peccatum nuda erant, nec confundebant eos quibus inerant, pudenda fuisse asseris, nesciens quid loquaris? Ego enim debui adhibere testimonium, quod ipse adhibuisti, ubi ait Apostolus, *Multo magis quæ videntur infirma esse corporis nostri, hæc necessaria sunt:* & cetera quæ pro nobis ipse posuisti. Sed operæ pretium est considerare, quomodo eò veneris, ut hæc diceres. *Iam igitur*, inquis, *tempus est ut ostendamus extra naturæ testimonium etiam aliqua auctoritate legis, sic nostra membra fuisse formata, ut alia verecundiâ, alia libertate gauderent. Ad quod confirmandum*, inquis, *gentium citetur magister, qui scribens ad Corinthios ait, Corpus nostrum non est unum membrum, sed multa.* Deinde, cùm apostolica verba subnecteres, quibus ille mirificè explicavit unitatem consensumque membrorum: *Et quia pauca*, inquis, *totius corporis membra nominaverat, atque pro sua honestate genitalia loca directè appellare nolebat.* Nonne his verbis tuis te ipse redarguis? Honestas ergo erat non appellare directè, quod Deus facere dignatus est rectè; & quod creare non puduerat ipsum judicem, pudebat enuntiare præconem? Quando istud ita esset, nisi quæ ille fecerat honesta condendo, nos fecissemus inhonesta peccando?

1. Cor. 12. 22.

Julianus pudorem memb: orũ ab exordio creationis insitũ fuisse putat.

1. Cor. 12. 14.

80. Inde subjungis de hac re apostolicum testimonium, quod ita scriptum esse commemoras. *Multo enim magis quæ videntur infirma esse corporis nostri, hæc necessaria sunt: & quæ putamus inhonorabiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorem circumdamus; & quæ verecunda sunt nostra, majorem honestatem habent: quæ autem sunt honesta nostra, nullo egent; sed Deus temperavit corpus, ei cui deerat abundantiore dato honore, ut non sit scissura in corpore, sed eadem ipsa pro se invicem cogitent membra.* Quibus dictis tamquam victor exclamas: *En verum intellectorem operis Dei, en fidelem sapientiæ ejus prædicatorem. Verecundiora*, *inquit*, *nostra majore honestate conteguntur.* Ad hoc certè unum verbum totam caussam tuam religandam putasti, quod Apostolum dixisse legisti, *verecundiora nostra.* Si autem legisses, *inhonesta nostra*, nullo modo utique hoc testimonium ponere auderes. Nullo modo enim Deus, & hoc quod est pejus, ante peccatum, aliquid faceret in membris humani corporis inhonestum. Disce ergo quod nescis, quia diligenter quærere noluisti. *Inhonesta* dixit Apostolus: sed nonnulli interpretes, in quibus & iste est, quantum arbitror, quem legisti, credo verecundati *verecundiora* dixerunt, quæ ille dixit *inhonesta*: quod probatur ex verbis in ipso codice scriptis, unde ista verba apostolica transtulisti. Quod enim abs te positum est *verecundiora*, in Græco legitur ἀσχήμονα. Quod autem sequitur, *majorem honestatem habent*, in Græco est εὐσχημοσύνην, quod integrè interpretatum est, *honestatem.* Unde apparet illa quæ ἀσχήμονα dicta sunt, *inhonesta* Latinè appellari. Postremò quod adjunctum est, *quæ autem sunt honesta nostra*, Græcus habet εὐσχήμονα. Unde manifestum est illa quæ ἀσχήμονα dicta sunt, *inhonesta* esse. Quamvis & nulla Græcorum consideratione verborum eo ipso debuisti admoneri, inhonesta esse illa quæ abundantiorem honestatem habent velaminis; quando ea quæ hoc opus non habent, honesta sunt dicta. Quid est enim, *Quæ autem honesta sunt nostra, non opus habent*: nisi illa inhonesta sunt, quæ opus habent? Honestas ergo adhibetur inhonestis, cùm rationalis naturæ sensu ipso verecundante velantur. Eorum quippe honestas & honor est velamentum, tanto abundantius, quanto magis inhonesta sunt. Quod profectò non diceret Apostolus, si corpus tale describeret, quale habebant homines, quando nudi erant & non confundebantur.

Ibid. 22. & seq.

81. Vide igitur quàm impudenter *ideo dicas homines fuisse primitus nudos, quia ad sollertiæ humanæ operam ut se tegerent pertinebat, quæ nondum in illis fuit.* Unde fit consequens, ut ante peccatum inertes, peccato autem factos credas esse sollertes. Quàm porrò multis inaniter dictis quasi eleganter acutéque concludis dicens, *Non igitur quia peccaverant, genitalia vel diabolica vel inhonesta fecerunt; sed quia pavitabant, in ea quæ primùm fuerant honestate permanentia membra texerunt.* Ad quod respondeo, diabolica quidem membra non esse, quantum ad eorum substantiam, figuram, qualitatemque pertinet, quam condidit Deus: sed si eadem membra in qua priùs fuerant honestate manserunt, cur ea dixit Apostolus inhonesta? Bene quòd ipse confessus es, illa membra fuisse priùs honesta: non enim aliud posses nisi blasphema opinione sentire. Quæ igitur Deus honesta fecerat, dixit Apostolus inhonesta. Caussam requiro: si hoc non peccato factum est, unde factum est? Quis honesta Dei opera dehonestavit, ut ea inhonesta sanctus Apostolus diceret? Utrùm habitudo, in qua est sollertia creantis; an libido, in qua est pœna peccantis? Nam etiam nunc quod Deus ibi facit, honestum est: quod origo contrahit, inhonestum. Et tamen ne sint scissuræ in corpore, contributum est divinitus sensui naturali, ut pro invicem sollicita sint membra: & quod dehonestavit concupiscentia, contegat verecundia.

1. Cor. 12. 23.

82. Sed dicis, *Cur audita voce Dei deambulantis in paradiso absconderunt se Adam & mulier ejus,* cùm

Gen. 3.

cùm perizomata illa sufficere potuissent, si de genitalium nuditate erubuissent? Quid est quod dicis, non inveniendo quod dicas; nec adtendis, quòd animo trepidante à facie Domini, abstrusiora latibula quæsierunt? Illa verò lumbis circumposita tegmina, motum qui ibi sentiebatur erubescendo velarunt. Si cùm nudi essent, non confundebantur; restat ut confusione se texerint. Confusionem inhonestatis esse, non dubium. Ideoque ibi dictum est, Nudi erant, & non confundebantur: ut appareat confusione factum, quòd postea pudenda texerunt. Hîc autem ubi se absconderunt in medio ligni paradisi, respondit Adam, Vocem tuam audivi deambulantis in paradiso, & timui, quia nudus sum. Illud manifesta confusio, istud occulta conscientia, qua delinquente intrinsecùs accidit manifesta confusio: illud ergo fecit pudor, hoc timor; illud erubescenda concupiscentia, hoc punienda conscientia; dementi scilicet similis, quando eum qui cordis cernebat interna, corporis occultatione fugiebat. Quid est autem quod ait Dominus, Quis nuntiavit tibi quia nudus es, nisi de ligno de quo præceperam tibi ne manducares, manducasti? Quid est gustato cibo prohibito nuditas indicata, nisi peccato nudatum quod gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratiâ non habebat in nudo corpore quod puderet, spoliatus gratiâ sensit quod operire deberet.

Gen. 2. 25. Gen. 3. 10. Ibid. 11.

83. *Fugienda*, inquis, *opinio est, quæ putat vel in membris hominum, vel in sensibus membrorum aliquid diabolum condidisse.* Quid nobis objicis vanas exorbitationes tuas? Non aliquid diabolus quod ad naturam hominis pertinet condidit: sed quod Deus bene condiderat, peccati persuasione violavit; ita ut illo vulnere quod factum est per duorum hominum liberum arbitrium, totum genus claudicaret humanum. Ecce circumstat sensus tuos miseria generis humani. Homo es, humani nihil abs te alienum puta; & in iis quæ non pateris, compatere patientibus. Quamvis & ipse, quantalibet terrena felicitate præpolleas, nullum sine bello intestino diem ducis: si tamen quod profiteris implere conaris. Sed in iis quæ meminisse jam non potes, parvulos intuere, quot & quanta mala patiantur, in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescant. Deinde jam grandes, etiam Deo servientes tentat error, ut decipiat; tentat labor aut dolor, ut frangat; tentat libido, ut accendat; tentat mæror, ut sternat; tentat typhus, ut extollat. Et quis explicet omnia festinanter, quibus gravatur jugum super filios Adam? Hujus evidentia miseriæ gentium philosophos nihil de peccato primi hominis sive scientes, sive credentes, compulit dicere, ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum caussâ nos esse natos, & animos nostros corruptibilibus corporibus, eo supplicio quo Hetrusci prædones captos affligere consueverant, tamquam vivos cum mortuis esse conjunctos. Apostolus autem amputat opinionem, quâ creduntur singulæ animæ pro meritis antè actæ vitæ diversis corporibus inseri. Quid igitur restat, nisi ut caussa istorum malorum sit aut iniquitas vel impotentia Dei, aut pœna primi veterisque peccati? Sed quia nec injustus, nec impotens est Deus: restat quod non vis, sed cogeris confiteri, quòd grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset.

Terent. heaut. act. 1. Sc. 1. Eccli. 40. 1.

LIBER QUINTUS.

Aggreditur librum Juliani tertium, docetque primùm cur novam hæresim, quæ peccatum originis rejicit, detestetur multitudo Christiana; quia nimirum videt imaginem Dei tantos hîc in parvulis cruciatus pati, & si absque sacramento regenerationis intereant, novit excludi à regno Dei. Perizomata à parentibus primis ob pudorem ex peccato venientem assumta fuisse probat. Peccatum posse esse præcedentis peccati pœnam: veluti cùm Deus impios tradit in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt. Ex eadem enim damnationis massa peccatores alios esse gratis electos & prædestinatos, quos per misericordem bonitatem adducit ad pœnitentiam, alios vasa iræ factos, quos secundùm justum judicium non adducit. Concupiscentiam non ideo laude dignam, quòd per eam hominis inobedientia puniatur: sed vitium esse, atque in eis etiam qui pravis ipsius motibus non consentiunt, semper malum. Quomodo intelligendum Apostoli dictum, Ut sciat unusquisque suum vas possidere, &c. *Verum sine concubitu esse, quale Mariæ cum Josepho fuit, conjugium. Frustra Iulianum ex Aristotelicis categoriis arguere contra peccatum ex parentibus traductum. Ostendit quid caro Christi à ceterorum hominum carne peccati distet. Manichæis minimè favere Catholicos, dum libidinis malum & originale peccatum agnoscunt, sed Pelagianos potiùs, cùm* De ea re quæ à peccato libera est *dicunt* peccata non nasci. *Passim verò monstrat, incassum niti adversarium, ut pro se aliquid ex ipsius sententiis quasi inter se contrariis eliciat.*

Caput I.

ORDO ipse postulat, quoniam primo secundoque respondimus, quid liber tuus tertius contineat deinde videamus: & respondeamus pestilentiosis laboribus tuis, quantum Dominus opitulatur, salubribus laboribus nostris; tenentes institutum modum, ut ea quæ non habent ad rem quæ inter nos agitur pertinentem controversiam, transeamus; ne qui hæc

nostra nosse voluerint, plus laboris & temporis in opere legendi, quàm in discendi utilitate consumant. Quid ergo opus est, ut aliquid adversùs ea dicam, quæ in principio posuisti libri hujus solita & vana, *de invidia quam vos sustinere pro veritate jactatis, & de paucitate velut prudentium quibus vos placere gaudetis?* Hæc enim & veterum & novorum omnium vox est hæreticorum, ipsa consuetudine jam sordidata atque [a] protrita. Et tamen necessitate compellitur talibus pannis indui tam magna etiam vestra superbia, quæ sic tenditur & inflatur, ut eos deformiùs dum gestit ostentare, disrumpat. Tuas etiam calumniosissimas contumelias non est necesse sæpius refutare, quibus me unum nominatim videris appetere; & in tot ac tanta catholica lumina, tacitis eorum nominibus, vel insanus insilis, vel cæcus offendis. Unde tibi duobus prioribus libris sic me respondisse arbitror, ut à nullo amplius requiratur.

Vox omnium hæreticorum.

2. Exaggeras quàm sit *difficilis paucisque conveniens eruditis sanctarum cognitio litterarum*: videlicet, *ut Deus* [b] *hominum, sicut universi conditor, & justus & verax ac pius, idem donorum suorum in homines cumulator probetur; quia una est*, ut fateris, *optima caussa studiorum bonorum, ut honoretur Deus*. Quem tamen sic honoras, ut parvulorum liberatorem neges per Christum Jesum, id est, Salvatorem, cujus eos baptismate sic ablui dicitis, ut non consequantur salutem, tamquam medico non indigeant Christo; humanæ originis venam sagaciter inspiciente, & eos sanos pronuntiante Juliano. Quanto melius nihil omnino didicisses, quàm per istam velut scientiam legis, in qua te turgidus jactas, non sanè duce Dei lege, sed vestra potiùs vanitate, ad hanc impiam præsumtionem inimicam fidei Christianæ & tuæ animæ pervenisses.

3. *Sententia*, inquis, *vestra tam deformis & vana est, quæ & Deo iniquitatem, & diabolo conditionem hominum, & peccato substantiam, & conscientiam sine scientia parvulis conatur adscribere.* Breviter respondeo: Sententia nostra nec deformis est; quia speciosum formâ præ filiis hominum salvatorem prædicat omnium hominum, ac per hoc etiam parvulorum: nec vana est; quæ non frustra, sed præcedente peccato dicit hominem vanitati similem factum, cujus dies sicut umbra prætereunt: nec Deo adscribit iniquitatem, sed potiùs æquitatem; quia non injustè tot & tantis malis, quæ sæpissime cernimus, etiam parvulus plectitur: nec diabolo conditionem hominum, sed humanæ originis depravationem; nec peccato substantiam [c], sed in primis hominibus actum, in eorum verò posteritate contagium: nec parvulis conscientiam sine scientia, in quibus nec scientia est, nec conscientia; sed scivit ille quid fecerit in quo omnes peccaverunt, & singuli malum inde traxerunt.

Psal. 44. 3.

Psal. 143. 4.

4. Tu autem [d] qui multitudinem præstruis idiotarum, quos appellas *simplices, qui aliis occupati negotiis, nihil de eruditione ceperunt, sola tamen fide ad Ecclesiam Christi pervenire curarunt, ne facilè obscuris quæstionibus terreantur, sed credentes Deum verum conditorem esse hominum, indubitanter quoque teneant quia pius est, quia verax, quia justus; atque hanc æstimationem de illa Trinitate servantes, quidquid audierint huic convenire sententiæ, amplexentur, atque collaudent: nec hoc eis ulla vis argumentationis evellat, sed detestentur omnem auctoritatem atque omnem societatem contraria persuadere nitentem*: si hæc ipsa tua verba consideras, adversùs te illos firmissimos reddis. Neque enim alia caussa est, cur novitatem vestram detestetur etiam multitudo Christiana, à cujus velut imperito judicio ad paucos vestros, quos videri cupis prudentissimos & doctissimos, provocas; nisi quia Deum & hominum conditorem, [e] & justissimum cogitant, & suorum tantos cruciatus conspiciunt parvulorum, ut sub Deo creatore optimo atque justissimo nullo modo imago ejus in illa ætate tanta mala pateretur, si non esset originale peccatum. Quorum si quisquam gestans parvulum filium, te sine clamore invidioso, & in parte ubi nullus audiret, compellaret, ac diceret, Ego ea mente, intelligentiâ, ratione, in qua sum factus ad imaginem Dei, tantum amo regnum Dei, ut hominis magnam judicem pœnam, si eò numquam possit intrare. Itane verò tu non homo de turba imperitorum, sed inter paucos prudentissimos regni illius amator, tanto utique ardentior quanto magis te flagrantissima paucorum societas in illud accendit, nec facit inde torpescere frigidior multitudo, responsurus es homini atque dicturus, Non solùm magna non est, sed nulla omnino pœna est imaginis Dei, numquam posse intrare in regnum Dei. Puto quòd nec uni homini, cujus nec vim nec testimonium formidabis, hoc dicere audebis. Te itaque sive respondente quodlibet, sive (quod magis à te exigeret, si non Christiana, certè humana verecundia) reticente, ingereret adspectibus tuis parvulum suum, dicens: Justus est Deus; quid mali est, quòd innocentem hanc ejus imaginem prohibet intrare in regnum ejus; si non hoc est peccatum, quod per unum hominem intravit in mundum? Puto quòd nulla tibi aderit sapientia, qua tibi videaris illo indocto homine doctior; sed si à te recesserit impudentia, illo infante remanebis infantior.

Rom. 5. 12.

CAPUT II.

5. SED procœmio terminato, quo imperitos admonitos removisti, & paucorum tibi aures eruditissimas præparasti, quid disputationis aggrediare videamus. Nescio quid enim satis acutum tibi venit in mentem, quod te in secundo libro tuo fugerat, cùm de membris pudendis, quæ post peccatum rationali verecundante naturâ ficulneorum adoperta sunt tegmine foliorum, multa dixisses; frustra refutare conatus quod ego dixeram, *Cur ergo ex illis membris confusio post peccatum, nisi quia exstitit illic indecens motus?* Quid igitur excogitasti, quod ita tibi placuit, ut nec finito volumine, ubi hanc quæstionem tam diuturna loquacitate versasti, jam hoc putares omittendum? *Scriptum esse* dicis, *Et fecerunt sibi vestimenta, aliamque interpretationem habere* commemoras *perizomata: & vestimenta* perhibes *totius*

Lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 5.

Gen. 3. 7.

Perizomata quibus primi pa-

[a] Er. & Lov. *pertrita*.

[b] Sic plerique MSS. Alii cum Am. & Er. *ut Deus hominum sicut universorum conditor.* Lov. *ut Deus sicut universitatis conditor*: omisso, *hominum*.

[c] Hîc Er. addit, *deputamus*. Lov. *deputat*. Am. cum nonnullis MSS. *deputari*. Abest à melioribus MSS. ut subaudiatur, *adscribit*.

[d] Lovanienses expunxerant, *qui*.

[e] Copulativa particula & omissa hîc apud Lov.

rentes texerunt, quæ fuerunt.

corporis indumentum intelligi posse, quod ad pudoris refertur officium. Ubi miror istum interpretem quem legisti, si Pelagianus non fuit, ex eo quod Græcus ait *perizomata*, *vestimenta* potuisse transferre. Verùm & hîc si pudor adsit, ad cujus officium vestimenta asseris pertinere, nequaquam persuadere conaberis homines primos peccato magistro ista pudoris officia didicisse, & in eis priùs duas quasi socias & amicas convenienter habitasse innocentiam & impudentiam. Quando enim nudi erant, & non confundebantur, inverecundi erant secundùm tuam disputationem, & à naturali pudoris sensu abhorrebant: sed videlicet ab ista pravitate peccando correcti sunt, & sensus reprobus prævaricationis factus est in eis doctor pudoris. Pudentes quippe fecit nequitia, quos impudentes justitia faciebat. Immo verò tua ista sententia ita est indecenter impudens & deformiter nuda, ut eam, quantalibet folia verborum consuas, operire non possis.

Horatius in arte poetica.

6. *A pictoribus me didicisse* derides, *quòd Adam & mulier ejus pudenda contexerint; & Horatianum illud decantatum audire me* præcipis, *Pictoribus atque poëtis quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.* Ego verò non à pictore inanium figurarum, sed à scriptore divinarum didici litterarum, quia illi primi homines ante quàm peccarent nudi erant, & non confundebantur. In quibus absit ut tanta innocentia tam impudens esset: sed nondum inerat quod puderet. Peccaverunt, adtenderunt, erubuerunt, operuerunt: & adhuc clamas, *Nihil illic indecens novumque senserunt.* Hanc planè impudentiam tuam nimis incredibilem, absit ut dicam, nullus te apostolus aut propheta, sed nec pictor docuit, nec poëta. Illi quippe ipsi, quibus quidlibet audendi, sicut eleganter dictum videtur, semper fuit æqua potestas; confunderentur tale aliquid ridendum fingere, quale tu credendum non confunderis disputare. Duas enim simul habitantes, quarum altera est optima, altera est pessima, velut inter se convenientes atque concordes, innocentiam scilicet atque impudentiam, nullus pictor pingere, nullus poëta canere auderet: nec eorum quisquam ita de sensibus desperaret humanis, ut etiam hoc sibi audendi æquam crederet potestatem, sed insanam potiùs vanitatem.

7. In eo verò quod aisti, *Si illi interpretationi quæ perizomata, id est, præcinctoria posuit, faveatur, latera magis dicam tecta fuisse quàm femora:* Primùm doleo, sic te abuti eorum ignorantiâ qui Græcè nesciunt, ut eorum qui sciunt judicium reveritus non sis. Sed commodius accidit, ut ipsa perizomata quæ leguntur in codicibus Græcis, tamquam verbum suæ linguæ mos Latinus usurpet. Proinde cùm [a] perizomate non femora, sed latera contegi potuisse asseverasti, puto quòd te etiam ipse risisti. Quis enim doctus vel indoctus ignoret, quas perizomata contegant corporis partes? quod nomen tegminis etiam in feminarum dotibus frequentari & æstimari solet, neque id alligari nisi zonâ quæ lumbos cingit. Interroga, & disce, quod te non credo nescire. Quamvis etiam si nescias, non usque adeo te arbitror, non humanum eloquium, sed humanum habitum velle pervertere, ut perizomata etiam super humeros levare coneris; aut eis ita latera illorum hominum fuisse contecta, ut genitalia totæque lumborum cum femoribus partes nudæ relinquerentur. Quid ergo te adjuvat, & non me potiùs, ex quantavis parte corporis superiore inferiora velata sint, ubi lex in membris repugnans legi mentis affectu sentiebatur amborum, & alterno excitabatur adspectu, inobedientium pravitatem suæ inobedientiæ novitate confundens?

Rom. 7. 23.

Quæ quanto turbulentiùs movebatur, tanto verecundiùs fieret, si caro cujus eam stimulabat adspectus, aliquanto spatiosiùs velaretur. Sive igitur à lumbis, sive à lateribus demissa sint tegmina; pudenda sunt tecta: quæ pudenda non essent, nisi legi mentis lex peccati [b] invidè repugnaret. Sed ubi manifesta res est, scripturæ divinæ sensui nostrum sensum addere non debemus: non enim hoc fit humanâ ignorantiâ, sed præsumtione perversa. Adam & mulier ejus, qui nudi erant ante peccatum, & non confundebantur, mox ut peccaverunt, quas partes corporis amicierint, perizomatum nomine satis evidenter expressum est.

Gen. 2. 25.

Videmus quid texerint: nimiæ insipientiæ est adhuc quærere, nimiæ impudentiæ adhuc negare quid senserint. Nam tu quoque cùm obstinatissimè contradicas, usque adeo judicasti nihil aliud humanis occurrere sensibus, nisi concupiscentialem motum erubescentes illos homines in genitalibus tegere voluisse; ut perizomata erigere ad latera conareris, aut operiens latus ubi peccatores nihil mali sensisse contendis, aut deformiter nudans, quod magis tegendum esse consentis.

CAPUT III.

Lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 6.

8. INSERIS alia de libro meo verba, ubi dixi, *carnis inobedientiam inobedienti homini dignissimè retributam; quia injustum erat, ut obtemperaretur à servo suo, id est, à corpore suo, ei qui non obtemperaverat domino suo:* & conaris ostendere, *hanc inobedientiam carnis potiùs esse laudabilem, si pœna peccati est:* & tamquam persona sit aliqua, quæ peccatorem scienter affligat, sic eam *velut ultricem sceleris, & in hoc Dei ministram*, tamquam magnum aliquod bonum cothurno sermonis exornas. Nec cogitas posse te isto modo laudare angelos malos, qui utique non sunt nisi prævaricatores atque impii, per quos tamen Deum meritas pœnas irrogare peccantibus, sancta scriptura testatur, dicens, Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram & tribulationem, immissionem per angelos malos.

Psal. 77. 49.

Lauda etiam istos, lauda eorum principem satanam, quia & ipse vindex peccati fuit, quando ei tradidit Apostolus hominem in interitum carnis.

1 Cor. 15. 4.

Valde enim disertus es contra gratiam Christi, & idoneus dicere panegyricum satanæ & angelis ejus, per quos multorum Deus judex atque ultor est peccatorum, retribuens eis secundùm opera sua, eos ipsos pessimos & damnabiles spiritus puniendorum supplicia faciens, qui bene justéque utitur & bonis & malis. Prædica igitur iniquissimas potestates, quia per ipsas mala retribuuntur malis: qui propterea concupiscentiam prædicas carnis, quia inobedientia retributa est

[a] Editi, *perizomata*. Castigantur ad Vaticanos & Gallicanos MSS.

[b] Quatuor è Vaticanis MSS. *itidem repugnaret*. Quintus, *ibidem*, Unus ex Belgicis, *ibidem*. Putant Lovanienses respicere Augustinum ad illud Jacobi cap. 4. 5. *Ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis.*

inobedientiæ peccatoris. Lauda iniquum regem Saülem, quia & ipse fuit pœna peccantium, Domino dicente, Dedi tibi regem in ira mea. Lauda dæmonium quod rex ipse patiebatur, quia & hoc pœna fuerat peccatoris. Lauda cæcitatem cordis quæ ex parte [a] Israël facta est. Nec tacetur [b] quare: Donec plenitudo, inquit, gentium intraret. Nisi fortè & istam pœnam negabis esse, quam, si lucis internæ amator esses, non solùm aliquam, sed valde magnam pœnam esse clamares. At ista cæcitas fuit in Judæis grande incredulitatis malum & grandis caussa peccati, ut occiderent Christum. Istam cæcitatem si pœnam fuisse negaveris, similem te perpeti etiam non confitens indicabis. Si autem pœnam quidem fuisse, sed peccati pœnam non fuisse contendis; interim fateris, quod unum aliquid & peccatum esse possit & pœna: si autem non est hæc pœna peccati, profectò iniqua pœna est, & injustum facis Deum, quo jubente vel sinente; aut infirmum, quo non avertente, infligitur [c] innocenti. Quòd si etiam pœnam peccati esse concedis, ne hoc [d] non concedendo tu ipse corde cæcus appareas; vide jam quod videre nolebas, istam quam movisti solutam esse quæstionem: quia sicut diabolus atque angeli ejus & mali reges, non solùm ipsi peccatores sunt, sed per justitiam Dei fiunt etiam supplicia peccatorum, nec ideo laude sunt digni, quia pœna ex illis justa infligitur dignis; sic lex in membris repugnans legi mentis, non ideo ipsa justè agit, quia ejus qui egit injustè pœna fit justa. Et sicut cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur; & pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur; & caussa peccati, cùm mali aliquid cæci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis, adversùs quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis; & caussa peccati est, defectione consentientis vel contagione nascentis.

Osee. 13. 11. — *1. Reg. 16. 14.* — *Rom. 11. 25.* — *Rom. 7. 23.*

Idem & peccatum, & peccati pœna, & peccati caussa esse potest.

9. Proinde omnia quæ pro hac tua cæca & inconsiderata opinione dixisti, qua carnis concupiscentiam eo ipso quòd eam pœnam diximus esse peccati, non solùm non vituperandam, verùm etiam laudandam putasti, quamlibet prolixa disputatione in [e] eo fueris immoratus, evanuisse certissimum est. Nam quod aisti, *Si libido pœna peccati est, abjiciendam esse pudicitiam, ne rebellis in Deum castitas illatam ab eo dicatur enervare sententiam*, & cetera hujusmodi quæ hanc vanitatem consequentia atque hinc religata contexis: totidem verbis de cæcitate cordis errore simillimo dici potest, Si cæcitas cordis pœna peccati est, abjicienda doctrina, ne rebellis in Deum mentis illuminatio illatam ab eo dicatur enervare sententiam. Quod si absurdissimum est dicere, quamvis sit cæcitas cordis pœna peccati: eo modo absurdissimum est etiam quod ipse dixisti, quamvis sit libido, id est, inobedientia carnis pœna peccati. Quoniam cæcitati cordis debet resistere scientia, & libidini continentia: eam verò pœnam quæ nec error est, nec libido, debet tolerare patientia. Quapropter quando Deo donante ex vera vivitur fide, ipse Deus adest & menti illuminandæ, & concupiscentiæ superandæ, & molestiæ perferendæ. Hoc enim totum rectè fit, quando fit propter ipsum, id est, quando gratìs amatur ipse: qualis amor nobis esse non potest, nisi ex ipso. Alioquin quando sibi homo multùm placet, & de sua virtute confidit, si traditur in desideria superbiæ suæ, tanto ampliùs augetur hoc malum, quanto magis ei cupiditates ceteræ cesserint, easque velut laudabilis hanc unam oblectando compresserit.

Pœnam quæ nec error nec libido est, debet tolerare patientia.

10. Quod ergo *in aliis opusculis* * *meis legisse te dicis*, atque id frustra refutare conatus es, *esse nonnulla peccata quæ pœnæ sint etiam peccatorum*, deposito vincendi studio diligenter adtende, & invenies esse verissimum secundùm ea quæ de cordis cæcitate tractata sunt. Quid enim egisti, quæso te, quid egisti, commemorando apostolicum testimonium, quo ego illud probavi, quod in alia mea disputatione legisti, quia de quibusdam scripsit dicens, *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt?* Hoc enim *voluisti videri hyperbolicωs dictum*: quod fit cùm ad permovendos animos, fidem rerum qui sermocinatur, excedit. Ubi ergo id Apostolus fecerit, non graveris ostendere. *Cùm inveheretur*, inquis, *in impiorum crimina, pœnarum ea nominibus aggravavit, quantúmque pectori suo virtutum omnium domicilio turpitudo horreret ostendens, non tam reos quàm damnatos sibi tales ait videri.* Immo, sicut ipse loquitur, non sicut eum tu loqui fingis, & damnatos demonstravit & reos, nec solùm de præteritis reos propter quæ damnatos, sed inde etiam reos unde damnatos. Nam reos ostendit, ubi ait, *Et coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula, amen.* Deinde damnatos propter istum reatum: sequitur enim, *Propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Audis, *propter hoc*: & quæris inaniter, *quomodo intelligendus sit tradere Deus*, multùm laborans, ut ostendas *eum tradere deserendo.* Sed quomodolibet tradat, propter hoc tradidit, propter hoc deseruit: & vides, ejus traditionem, qualemlibet & quomodolibet intelligas, quæ consecuta sint. Curavit enim Apostolus dicere quanta pœna sit à Deo tradi passionibus ignominiæ, sive deserendo, sive alio quocumque vel explicabili, vel inexplicabili * modo, quo facit hæc summè bonus & ineffabiliter justus. *Nam feminæ eorum*, inquit, *immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relinquentes naturalem usum feminæ, exarserunt in appetitum suum in invicem, masculi in masculos deformitatem operantes, & mercedem mutuam quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes.* Quid hoc evidentius, quid apertius, quid expressius? Mercedem mutuam recepisse dicit: & utique damnatos ut tanta operarentur mala: & tamen ista damnatio etiam reatus est, quo graviùs implicantur. Ita & peccata sunt ista, &

* *Lib. 1. de natura & gratia cap. 11.* — *Rom. 1. 28.* — Hyperbole quid. — *Ibidem 25.* — * *V. lib. de gratia & libero arbit. c. 20. & 21.* — *Rom. 1. 26. &c.*

[a] Lov. *in Israël.* Abest *in* ab editis aliis & MSS. necnon à Græco textu Apostoli.
[b] Editi, *Nec tacetur de cæcitate Israël. Quare?* Auctoritate MSS. removimus, *de cæcitate Israël.*
[c] Sola editio Lov. *nocenti*: non rectè.
[d] Item Lov. *ne hoc concedendo*: sublatâ particulâ negante, quæ illic exstat in ceteris libris.
[e] Quinque MSS. *in ea.*

pœnæ præcedentium peccatorum. Et quod est A mirabilius, etiam oportuisse dicit eos istam mutuam mercedem recipere. Ita se habent etiam [Ibid. 23. & 24.] superiora verba Apostoli, quæ ipse posuisti. *Immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam:* & cetera quæ sequuntur. Et hîc utique vides caussam propter quam traditi sunt, sine ulla ambiguitate monstratam. Dixit quippe quid mali B antè fecissent, & adjunxit, *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Proinde præcedentis est hæc pœna peccati; & tamen etiam ipsa peccatum est, quod verbis consequentibus explicat.

11. Sed tu contrà disserens, eo modo tibi videris istam solvisse quæstionem, quia desideriis suis Apostolus traditos dixit. *Iam enim flagitiorum*, inquis, *desideriis æstuabant.* Et adjungis, ac dicis, *Quomodo ergo per potentiam tradentis Dei putandi sunt in talia facta cecidisse?* Quid ergo C plus factum est, obsecro te, aut ut quid diceret, *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*; si jam erant possessi quodam modo malis desideriis cordis sui? Numquid autem consequens est, ut si habet aliquis cordis desideria mala, jam etiam [Tradi desideriis malis, quid.] consentiat eis ad committenda eadem mala? Ac per hoc aliud est habere mala desideria cordis, aliud tradi eis; utique ut consentiendo eis possideatur ab eis; quod fit cùm divino judicio traditur eis. [Eccli. 18. 30.] Alioquin frustra dictum est, Post concupiscentias tuas non eas; si jam quisque reus [Non concupiscētias sentire, sed sequi, peccatum est.] D est, quòd tumultuantes & ad mala trahere nitentes sentit eas, nec eas sequitur, si non eis traditur; exercens adversùs eas gloriosa certamina, si vivit in gratia. Quid tibi enim videtur, [a] qui observat quod scriptum est, Si præstes ani- [Eccli. 18. 31.] [b] mæ tuæ concupiscentias ejus, (quod quid est aliud, quàm desideria ejus mala?) [b] faciet te gaudium inimicis & invidis tuis? numquid jam iste reus est, habendo tales animæ concupiscentias, E quas ei præstare non debet, ne in gaudium veniat diabolo & angelis ejus, qui sunt inimici atque invidi nostri?

12. Cùm ergo dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus à Deo cedit eis [c] atque consentit, vincitur, capitur, [c] trahitur, [2. Pet. 2. 19.] possidetur. A quo enim quis devictus est, huic [Peccatum & pœna peccati.] & servus addictus est: & fit ei peccatum consequens, præcedentis pœna peccati. An non est [Isai. 19. 14.] « peccatum & pœna peccati, ubi legitur, Domi- F « nus enim miscuit illis spiritum erroris, & seduxerunt Ægyptum in omnibus operibus suis, sicut seducitur ebrius? Non est peccatum & pœ- [Isai. 63. 17.] « na peccati, ubi Deo dicit Propheta, Quid erra- « re fecisti nos Domine à via tua, obtudisti corda nostra, ut non timeremus te? Non est peccatum [Isai. 64. 5. & 6.] & pœna peccati, ubi rursus Deo dicitur, Ecce « tu iratus es, & nos peccavimus; propterea erra- « vimus, & facti sumus sicut immundi omnes? Non est peccatum & pœna peccati, ubi legitur de [Iosue 11. 20.] G gentibus quas debellavit Jesus Nave, quia per Dominum factum est, confortari cor eorum, ut obviàm irent ad bellum ad Israël, ut exterminarentur? Non est peccatum & pœna peccati, quòd non audivit Roboam rex plebem bene monentem, quoniam sicut Scriptura loquitur, [3. Reg. 12. 15.] Erat conversio à Domino, ut statueret verbum suum quod de illo locutus est in manu [d] Prophetæ? [d] Non est peccatum & pœna peccati, in eo quod scriptum est, Amasiam regem Juda noluisse audire Joam regem Israël bene monentem, ne procederet ad bellandum? Sic enim legitur, [2. Paral. 25. 20.] B Et non audivit Amasias, quoniam à Deo erat « ut traderetur in manus [e], quoniam quæsierunt [e] « deum Edom. Et multa alia commemorare possumus, in quibus liquidò apparet, occulto judicio Dei fieri perversitatem cordis, ut non audiatur quod verum dicitur, & inde peccetur, & sit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati. Nam credere mendacio, & non credere veritati, utique peccatum est. Venit tamen ab ea cæcitate cordis, quæ occulto judicio Dei, sed C tamen justo, etiam pœna peccati monstratur. Quale est etiam illud quod ad Thessalonicenses scribit Apostolus: Pro eo quòd dilectionem ve- [2. Thes. 2. 10.] « ritatis non receperunt, ut salvi fierent, & ideo « mittet illis Deus operationem erroris, ut credant « mendacio. Ecce pœna peccati, peccatum est. Utrumque claret, breviter dictum est, apertè dictum est, ab eo dictum est, cujus alia verba in tuam sententiam frustra detorquere conatus es.

13. Quid est autem quod dicis, *Cùm desideriis* D *suis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi:* quasi non simul [f] posuit hæc duo idem [f] Apostolus, & patientiam, & potentiam, ubi ait, [Rom. 9. 22.] « Si autem volens Deus ostendere iram & demon- « strare potentiam suam, adtulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem. Quid horum tamen dicis esse quod scriptum est, [Ezech 14. 9.] « Et propheta si erraverit & locutus fuerit, ego Do- « minus seduxi prophetam illum, & extendam ma- E num meam super eum, & exterminabo eum de medio populi mei Israël: patientia est, an potentia? Quodlibet eligas, vel utrumque fatearis; vides tamen, falsa prophetantis peccatum esse, pœnamque peccati. An & hîc dicturus es, quod ait, Ego Dominus seduxi prophetam illum, intelligendum esse, deserui, ut pro [g] ejus meritis seductus erraret? [g] Age ut vis, tamen eo modo punitus est pro peccato, ut falsum prophetando peccaret. Sed illud intuere quod vidit Micheas [3. Reg. 22. 19. & seq.] F propheta, Dominum sedentem super thronum « suum, & omnis exercitus cæli stabat circa eum « à dextris ejus & à sinistris ejus. Et dixit Domi- « nus, Quis seducet Achab regem Israël, & adscen- « det, & cadet in Ramoth Galaad? Et dixit iste « sic, & iste sic. Et exiit spiritus, & stetit in con- « spectu Domini, & dixit, Ego seducam eum. Et « dixit Dominus ad eum, In quo? Et dixit, Exibo « & ero spiritus mendax in ore omnium prophe- « tarum ejus. Et dixit, Seduces, & prævalebis; exi G & fac sic. Quid ad ista dicturus es? Nempe rex ipse peccavit, falsis credendo prophetis. At hæc ipsa erat & pœna peccati, Deo judicante, Deo

[a] Sola editio Lov. *quod observat.*
[b] Bigotianus vetus codex, *facient.*
[c] Lovanienses putant legendum, *traditur.* Quia sic suprà, *aliud tradi eis; utique ut consentiendo eis possideatur ab eis: &, nec eas sequitur, si non eis traditur.*

[d] Apud Lov. additur, *Abiæ.*
[e] Hîc etiam Lovanienses addiderunt, *hostium:* tametsi ab omnibus MSS. abest & à LXX.
[f] Sola editio Lov. *posuerit.*
[g] Am. & MSS. Gallic. & Vatic. *ut pro eis meritis.*

mittente angelum malum; ut apertiùs intelligeremus, quomodo in Psalmo dictum sit, misisse iram indignationis suæ per angelos malos. Sed numquid errando, numquid injustè quidquam vel temere judicando, sive faciendo? Absit: sed non frustra illi dictum est, Judicia tua sicut abyssus multa. Non frustra exclamat Apostolus, O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, ut retribuatur ei? Nullum eligit dignum, sed eligendo efficit dignum; nullum tamen punit indignum.

Psal. 77. 49.
Psal. 35. 7.
Rom. 11. 33. &c.

CAPUT IV.

14. *Ait*, inquis, *Apostolus, Bonitas Dei ad pænitentiam te adducit.* Verum est, constat; sed quem prædestinavit adducit: quamvis ipse secundùm duritiam suam & cor impænitens, quantum ad ipsum adtinet, thesaurizet sibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus. Quantamlibet enim præbeat patientiam; nisi ipse dederit, quis agit pænitentiam? An oblitus es quod idem ipse doctor ait, Ne fortè det illis Deus pænitentiam ad cognoscendam veritatem & resipiscant à diaboli laqueis? Sed judicia ejus multa abyssus. Nos certè si eos, in quos nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus: quàm verò innumerabilia ille permittit fieri ante oculos suos, quæ utique si noluisset, nulla ratione permitteret: & tamen justus & bonus est. Et quòd præbendo patientiam dat locum pænitentiæ nolens aliquem perire, novit Dominus qui sunt ejus, & omnia [a] cooperatur in bonum, sed his qui secundùm propositum vocati sunt. Non enim omnes qui vocati sunt, secundùm propositum sunt vocati. Multi enim vocati, pauci verò electi. Qui ergo electi, hi secundùm propositum vocati. Unde & alibi dicit, Secundùm virtutem Dei salvos nos facientis & vocantis vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante sæcula æterna. Denique & hìc cùm dixisset, Omnia cooperatur in bonum his qui secundùm propositum vocati sunt: continuò subdidit, Quoniam quos antè præscivit, & prædestinavit conformes imaginis Filii ejus, ut sit primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinavit, illos & vocavit; & quos vocavit, ipsos & justificavit; quos autem justificavit, ipsos & glorificavit. Hi sunt secundùm propositum vocati. Ipsi ergo electi, & hoc ante mundi constitutionem, ab eo qui vocat ea quæ non sunt tamquam sint. Sed electi, per electionem gratiæ. Unde dicit idem doctor & de Israël: Reliquiæ per electionem gratiæ [b] factæ sunt. Et ne fortè ante constitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi, secutus est, & adjunxit: Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Ex isto numero electorum & prædestinatorum etiam qui pessimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pænitentiam, per cujus patientiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti; ut ostendatur & ipsis & aliis coheredibus eorum, de quàm profundo malo possit Dei gratia liberare. Ex his nemo perit, quacumque ætate moriatur. Absit enim, ut [c] prædestinatus ad vitam sine sacramento Mediatoris finire permittatur hanc vitam. Propter [d] hos Dominus ait, Hæc est autem voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo. Ceteri autem mortales qui ex isto numero non sunt, & ex eadem quidem massa ex qua & isti, sed vasa iræ facti sunt, ad utilitatem nascuntur istorum. Non enim quemquam eorum Deus temere ac fortuitò creat, aut quid de illis boni operetur ignorat: cùm & hoc ipso bonum operetur, quòd in eis humanam creat naturam, & ex eis ordinem sæculi præsentis exornat. Istorum neminem adducit ad pænitentiam salubrem & spiritalem, qua homo in Christo reconciliatur Deo, sive illis ampliorem patientiam, sive non imparem præbeat. Quamvis ergo omnes ex eadem massa perditionis & damnationis secundùm duritiam cordis sui & cor impænitens, quantum ad ipsos pertinet, thesaurizent sibi iram in die iræ, quo redditur unicuique secundùm opera sua: Deus tamen alios inde per misericordem bonitatem adducit ad pænitentiam, alios secundùm justum judicium non adducit. Habet enim potestatem adducendi & trahendi, ipso Domino dicente, Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. Numquid autem Achab regem sacrilegum & impium adduxit ad pænitentiam; aut saltem per mendacem spiritum jam seducto atque decepto, patientiam & longanimitatem præbuit? Nonne in eo statim, propter quod erat seductus, morte rapiente completum est? Quis eum dicat non peccasse, spiritui credendo mendaci? Quis dicat hoc peccatum pœnam non fuisse peccati, venientem de judicio Dei, ad quem legit mendacem spiritum, sive missum, sive permissum? Quis horum aliquid dicit, nisi qui dicit quod vult, & quod verum est audire non vult?

Rom. 2. 4.
Ibid. 5. & 6.
1. Tim. 2. 25 & 26.
Psal. 35. 7.
2. Pet. 3. 9.
2. Tim. 2. 19.
a Rom. 8. 28.
Matth. 22. 14.
Duplex vocatio Dei.
2. Tim. 1. 8. & 9.
Rom. 8. 28. & seq.
Ephes. 1. 4.
Rom. 4. 17.
Rom. 11. 5.
b Electio, non ex præcognitis operibus.
Ibidem 6.
Johan. 6. 39.
Reprobi ad electorum nascuntur utilitatem.
Johan. 6. 44.
3. Reg. 22.

15. Quis verò ita desipiat, ut cùm audierit quod in Psalmo canitur, Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori: hoc dicat orasse hominem, ne Deus sit patiens erga illum; si * *Deus non tradit ut mala fiant, nisi patientem bonitatem præbendo cùm fiunt?* Quid est autem quod quotidie dicimus, Ne nos inferas in tentationem: nisi ut non tradamur concupiscentiis nostris? Unusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. An fortè hoc à Deo petimus, ut non sit erga nos patiens bonitas ejus? Non ergo ejus invocamus misericordiam, sed potiùs iracundiam provocamus. Quis ista sapiat sanus; immo quis vel furiosus hæc dicat? Tradit ergo Deus in passiones ignominiæ, ut fiant quæ non conveniunt; sed ipse convenienter tradit: & fiunt eadem peccata, & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum: sicut tradidit Achab in pseudoprophetarum mendacium; sicut tradidit Roboam in falsum consi-

Psal. 139. 9.
* Juliani ut videtur sententia.
Matth. 6. 13.
Jac. 1. 14.
3. Reg. 22.
3. Reg. 12.

a Am. Er. & nonnulli MSS. *cooperantur.* Vide lib. de gratia & libero arbit. c. 17.
b Hìc Vaticani codices & Floriacensis addunt, *salva*, Abest à Græco textu Apostoli.

c Floriacensis MS. *ut prædestinatos ad vitam. . . . finire permittat hanc vitam.*
d Tres è Vatic. MSS. & Gemblacensis, *Propter hoc.*

lium. Facit hæc miris & ineffabilibus modis, qui novit justa judicia sua, non solùm in corporibus hominum, sed & in ipsis cordibus operari. Qui non facit voluntates malas; sed utitur eis ut voluerit, cùm aliquid iniquè velle non possit. Exaudit propitius, non exaudit iratus: & rursus non exaudit propitius, exaudit iratus. Parcit propitius, non parcit iratus: & rursus non parcit propitius, parcit iratus: atque in his omnibus bonus perseverat & justus. Sed ad hæc quis idoneus? utique ad hæc ejus perscrutanda & investiganda judicia, quis homo idoneus, quem corruptibile aggravat corpus, etiam si habeat jam sancti Spiritûs pignus?

2. Cor. 2. 16.

16. Sed homo intelligens & acutus, *justam dicis esse libidinem & laudis præconio prædicandam, si eum qui Deo non obedivit, non illi obediendo punivit.* Si prudenter hîc saperes, profectò esse iniquitatem videres, qua pars inferior hominis repugnat superiori atque meliori: & tamen justè iniquum suæ carnis iniquitate punitum, sicut est rex iniquus maligni spiritûs iniquitate punitus. An & ipsum malignum spiritum laudare disponis? Eia age, quid moraris? Decet enim te inimicum gratuitæ Dei bonitatis, laudatorem spiritûs esse mendacis. Nec laborabis invenire quid dicas: laudes ejus paratas habes, si hæc ipsa in eum verba transtuleris, quæ posuisti in laude libidinis, velut consequentia sententiam meam, qua ego dixi, *Injustum enim erat, ut obtemperaretur à servo suo, hoc est, à corpore suo, ei qui non obtemperaverat Domino suo.* Quod tu negans, & falsum esse deridens, velut ostendere voluisti quæ sequeretur absurditas; tamquam ultricem peccati, si hoc ita est, libidinem laudans. Certè istum mendacem spiritum quia impium regem, sicut merebatur, fallendo traxit ad mortem, non negas iniquitatis ultorem. Ecce ego & hîc dico, Injustum enim erat, ut qui non crediderat Deo vero, non deciperetur à falso. Lauda ergo & istius justitiam falsitatis, & dic quæ dixisti in laude libidinis: *Quia nihil eà potest laudabilius æstimari, si* [a] *iniquitatem ulta commissi est, si vindicavit injuriam Dei, & quia ita consortium peccati non habuit, ut officium vindicantis assumeret.* Omnia hæc secundùm tuos acutissimos sensus, rectè dicuntur & in illius immundi spiritûs laude. Ergo præconium [b] vocis tuæ in simili caussa, aut mendaci redde spiritui, aut contumaci tolle libidini.

Concupiscentia cur iniquitas.

Lib. 1. de nupt. & concup. cap. 6.

17. Quid fugis ad obscurissimam de anima quæstionem? In paradiso ab animo quidem cœpit elatio, & ad præceptum transgrediendum inde consensio, propter quod dictum est à serpente, Eritis sicut dii: sed peccatum illud homo totus implevit. Tunc est caro facta peccati, cujus vitia sanantur solâ similitudine carnis peccati. Ut ergo & anima & caro pariter utrumque puniatur, nisi quod nascitur, renascendo [c] emundetur; profectò aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tamquam in vitiato vase corrumpitur, ubi occultâ justitiâ divinæ legis includitur. Quid autem horum sit verum, libentiùs disco quàm dico, ne audeam docere quod nescio. Hoc tamen scio, id horum esse verum, quod fides vera, antiqua, catholica, qua creditur & asseritur originale peccatum, non esse convicerit falsum. Ista fides non negetur: & hoc quod de anima latet, aut ex otio discitur; aut, sicut alia multa, in hac vita sine salutis labe nescitur. Magis enim curandum est, sive in parvulis, sive in grandibus, quo anima sanetur auxilio, quàm quo vitiata sit merito: quæ tamen si vitiata negabitur, nec sanabitur.

Primum in paradiso peccatum cœpit ab animo.

Gen. 3. 5.

Duo modi contrahendi originalis peccati.

18. Illud sanè cur dixeris, excogitare non potui, in eo quod commemorasti *dixisse Apostolum, Et tenebris oppletum est insipiens cor eorum.* Addidisti enim, *notandum esse, quoniam insipientiam caussam dicat omnium malorum.* Hoc quidem dixisse Apostolum non satis constat. Sed non inde contendo: tu potiùs cur hoc dixeris quæro. An fortè quia parvuli non rectè dicuntur insipientes, quia nondum sapientiæ possunt esse participes, ideo nullum malum eis inesse vis credi, quod esse consequens arbitraris, si malorum omnium caussa insipientia est? Sed si disputatione subtilissima & elimatissima opus est, ut sciamus utrùm primos homines insipientia superbos, an insipientes superbia fecerit: nunc propter id quod inter nos agitur, quis ignorat omnes homines, quicumque sapientes fiunt, ex insipientibus fieri? Nisi fortè [d] aliqui ex præconibus Mediatoris magnâ ejus multumque insolitâ gratiâ ad sapientiam, non ex insipientia, sed ex infantia transire potuerint. Quod si naturâ sine fide Mediatoris fieri posse contenditis, arcanum virus panditis hæresis vestræ. Nihil enim vos agere apparet tanta defensione & laude naturæ, nisi ut Christus gratis mortuus sit; cujus nos dicimus fidem quæ per dilectionem operatur, etiam naturâ insipientibus opitulari. Sunt enim qui tanta cordis obtunsitate nascuntur, ut similiores pecoribus quàm hominibus esse videantur: quorum tantæ fatuitatis quæ in illis naturalis apparet, non potestis ullum dicere meritum, qui nullum esse dicitis originale peccatum. Quis autem non quotidie probet testibus rebus humanis, parvulum priùs nihil sapere, deinde crescendo vana sapere, & postea si ad [e] sapientium sortem pertinet, recta sapere; atque ita ab infantia ad sapientiam per insipientiam mediam pervenire? Quapropter humana natura quæ jacet in parvulis, cui laudibus vestris salvatorem tamquam sana sit invidetis, quemadmodum priùs proferat insipientiæ quàm sapientiæ fructum videtis, & radicis ejus vitium videre non vultis; aut videtis, quod pejus est, & negatis.

Rom. 1. 21.

Gal. 2. 21.

Gal. 5. 6.

19. DEINDE aliis verbis meis interpositis calumniaris, *quòd ego mihi ipse contrarius fuerim, qui cùm dixissem inobedienti homini pœnam inobedientiam sui corporis redditam, continuò alia membra corporis nominatim expresserim, dicens, quòd ad nutum nostræ serviant* [f] *voluntati?* Hoc ego dixi, genitalibus utique exceptis, quæ corporis nomine nuncupavi: ac per hoc & corpus voluntati servit

CAPUT V. Apud Am. & Er. IV. Lib. 1. de nupt. & concup. cap. 6.

[a] Editi, *si iniquitate ulta commissa est.* Emendantur à MSS. Vatic. & Gallic.

[b] Am. Er. & duo MSS *præconium laudis tuæ.*

[c] Sic Floriacensis codex & quinque Vatic. MSS. At editi, *emendetur.*

[d] Quinque Vaticani & nonnulli ex Gallic. MSS *aliquis.... transire potuerit.* Respicit Augustinus ad Jeremiam aut ad Johannem Baptistam.

[e] Sic MSS. At editi, *ad sapientia sortem.*

[f] Aliquot MSS. *voluntatis.*

in aliorum motione membrorum; & corpus voluntati non servit in motibus genitalium. Non sunt ergo verba mea inter se contraria, quamvis te patiantur, vel non intelligendo, vel alios intelligere non sinendo, contrarium. Si enim pars corporis non posset nomine corporis nuncupari, non diceret Apostolus, Mulier non habet sui corporis potestatem, sed vir; similiter & vir non habet sui corporis potestatem, sed mulier. Ipsa utique membra appellans corporis nomine, quibus discernitur sexus peragiturque concubitus. Quis est enim qui dicat, virum sui potestatem corporis non habere, si in his verbis Apostoli totum corpus intelligas, quod constat omnibus membris? Ac per hoc ego secundùm Apostolum, etiam solum genitale membrum nomine corporis nuncupavi, quod non voluntate, sicut manum vel pedem, sed libidine moveri agnoscit sensus humanus, qui te deridet in rebus manifestis impudentes nebulas excitantem, ut nos diutius de pudendis rebus cogat & necessitas loqui, & honestas circumloqui. Sed qui verba mea legit quæ refellere niteris, eisque te insidiantem perspicit, sufficit mihi quia loco illo quid dixerim corpus intelligit.

1. Cor. 7. 4.

20. Verùm tu qui me verbis meis repugnasse dixisti, quod esse falsissimum videbit quisquis te audito ea relegerit, & Apostolum genitalia nomine corporis appellasse recoluerit: tu ergo qui in me quasi sententias meas inter se pugnantes notasti, & momordisti, expone quemadmodum tibi ipse constiteris, nec tibi ipse restiteris, ubi primùm dixisti, *Cùm ventum fuerit ut filii seminentur, ad voluntatis prorsus nutum membra in hoc opus creata famulari; & nisi eorum impedimenta, aut de infirmitate, aut de immoderatione proveniant, servire animi imperio:* postea verò, *hoc genus motûs in his habendum putasti, quæ multa in nostro corpore ordine suo ac dispensatione secreta, voluntatis non imperium, sed consensum requirunt.* Ubi quidem perspicuæ veritati ex aliqua parte cessisti: sed illud quod priùs dixeras delere debuisti. Quomodo enim secundùm priorem sententiam tuam, *ad voluntatis prorsus nutum ista*, de quibus agimus, *membra famulantur, atque imperio animi serviunt*; si secundùm posteriorem sententiam tuam, *sicut fames & sitis & digestio, non voluntatis imperium, sed consensum requirunt?* Multùm quidem laborasti, ut hæc invenires, quæ contra te potiùs quàm contra me diceres: sed in tali caussa non tibi esset necessarius labor, si adesset pudor. Quid enim prodest, quia *verecundari te dicis, & de rebus loqui talibus horrore prohiberi, sed necessitate compelli:* quando non erubuisti sententiam tuam relinquere scriptam, contra quam tu ipse perspicua veritate turbatus, mox aliam sententiam protulisti? Quamquam & ipsa commemoratio verecundiæ tuæ nimis inverecunda est. Sed ideo mihi placet, quia contra te loquitur. Homo es enim, qui non erubescis libidinem laudare, & erubescere te dicis de libidinis motibus disputare.

Julianus sibi ipsi contradicit.

21. Quid autem magnum fuerat intueri, quod postea quàm dixi, *ut alia membra moveantur positum in potestate est*; continuò subjeci, *quando*

A *ab impedimentis corpus liberum habemus & sanum.* Somnus enim quando invitos premit, & lassitudo, utique impedimenta sunt, quibus membrorum agilitas impeditur. Deinde quod aisti, *nec in eam partem sequi membra quam volumus, si ita velimus ut habitus ipse non patitur:* non attendisti propterea me prædixisse, *ut ad opera sibi congrua moveantur*; ac per hoc si ea volumus flectere quò eorum natura non patitur, ad opera sibi non congrua non sequuntur. Tamen quando ea sequentia B voluntario motu agimus, libidinis adjutorio non egemus: & cùm ab eis movendis cessare volumus, continuò cessamus, nec contra voluntatem nostram stimulis libidinis excitantur.

22. Sanè quod dicis, *etiam genitalia servire animi imperio*; novam quamdam libidinem dicis, aut fortè nimis antiquam, qualis & in paradiso esse potuisset, si nemo peccasset. Sed quid hinc tecum agam, quando posterioribus verbis & hoc tollis, quibus dicis, *non moveri hæc ad animi* C *imperium, sed potiùs exspectare consensum?* Nec tamen ideo debes istam libidinem fami vel aliis molestiis nostris comparare. Quòd enim nemo cùm vult esurit, aut sitit, aut digerit; indigentiæ sunt istæ reficiendi vel exonerandi corporis, quibus subveniendum est, ne lædatur, aut occidat: numquid autem læditur aut occidit corpus, si libidini non adhibeatur assensus? Discerne ergo mala quæ per patientiam sustinemus, ab eis malis quæ per continentiam refrenamus. Nam D & illa mala sunt, quæ in corpore mortis hujus potuimus experiri. Quantæ autem & quàm tranquillæ potestatis essemus etiam de his motibus, quibus alimenta sumuntur & digeruntur, in illa felicitate paradisi, quis possit ut certum est indagare, quis ut dignum est explicare? Ubi absit ut credamus, aliquid fuisse unde sensum nostrum, sive intrinsecùs, sive extrinsecùs aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor ureret, aut algor stringeret, aut E horror offenderet.

Libido non est fami ceterisque molestiis comparanda.

23. Quid quòd istam pulcherrimam famulam tuam, quam me pudet assiduè vel vituperando commemorare, te autem prædicare non pudet, *commendatiorem fieri putas, quòd ei serviunt, ut ardentiùs excitetur, etiam ceteræ corporis partes, sive oculi videntes ad concupiscendum, sive alia membra in osculis & amplexibus?* Aures quoque hominis quomodo ei subderes invenisti, & erexisti ejus vetustissimum quidem, sed planè gloriosissimum F titulum, commemorans quod in expositione consiliorum suorum Tullius posuit: *quia cùm vinolenti adolescentes tibiarum etiam cantu, ut fit, instincti, mulieris pudicæ fores frangerent; admonuisse tibicinam ut spondeum caneret, Pythagoras dicitur: quod cùm illa fecisset, tarditate modorum & gravitate cantûs illorum furentem petulantiam* [a] *resedisse.* Vides ergo quàm congruentiùs ego dixerim, sui juris hanc esse quodam modo, cui servitur ab aliis sensibus, ut in opus suum dignetur assurgere, G vel à sua commotione requiescere. Hoc enim ego ideo dixi, quia sicut ipse confessus es, *consentitur ei potiùs quàm imperatur.* Nam & quòd aliis *concitatur stimulis, vel modulamine frangitur & sedatur*, sicut ipse prosequeris, profectò non fieret,

Cantûs gravitate furentium adolescentum petulantia sopita.

[a] Boetius in præfatione opusculi de Musica, ubi hunc ipsum locum libri Ciceronis de consiliis suis citat, pro *resedisse*, legit *consedisse*.

si

si serviret hominis voluntati. Feminæ autem, quas ab isto motu immunes facis, quamvis possint virili concupiscentiæ subjacere, & quando non patiuntur suam; tamen quantum ejus etiam ipsæ sufferant impetum, cui repugnat decus honestasque castarum, interrogetur Joseph. Debuisti sanè homo ecclesiasticus ecclesiasticâ musicâ potiùs quàm Pythagoricâ commoneri, quid Davidica cithara egerit in Saüle, quando malo spiritu vexabatur, & tangente citharam sancto ab illa molestia respirabat: ne ideo bonum aliquid existimes concupiscentiam carnis, quia nonnumquam musicis cohibetur sonis.

Gen. 39. 7.
1. Reg. 16. 23.

Caput VI.

24. Quod autem dicis exclamans, *O quàm dignè Ieremias cum prophetarum choro & sanctorum omnium exclamaret, Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut insipientis populi peccata defleret?* quia Ecclesia Christi doctores Pelagiani erroris expellit. Si flere salubriter velles, hoc fleres, quòd illo es implicatus errore, eisque te lacrymis ab eadem nova peste dilueres. An ignoras, vel oblitus es, vel considerare detrectas, Ecclesiam sanctam, unam, catholicam, etiam paradisi significatam fuisse vocabulo? Quid ergo miramini, si de isto paradiso foras mittimini, qui legem quæ est in membris nostris repugnans legi mentis in illum paradisum vultis inducere, de quo foras à Domino missi sumus, nec ad eum redire poterimus, nisi hanc in isto paradiso vicerimus? Si enim non ista concupiscentia quam defendis repugnat legi mentis, nullum adversùs eam certamen quisquam sanctus exercet. Tu autem confessus es, adversùs istam quam tueris, *exercere sanctos gloriosa certamina.* Ipsa est igitur quæ repugnat legi mentis in corpore mortis hujus, de qua se gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum liberari dicebat Apostolus. Sentis-ne jam tandem, gratiæ hujus inimici quanto sint fonte lacrymarum plangendi, & ne alios ad interitum secum trahant, quanta pastoralis curæ observatione vitandi? Vos enim *augetis* ista novitate eam quæ in omnibus est hæreticis, *occidui temporis pravitatem.* Vos *estis ruina morum*, qui ipsius fidei supra quam mores ædificandi sunt, molimini fundamenta subvertere. Vos *pudoris interitus*, quos laudare non pudet, contra quod pugnat & pudor. Hoc potiùs audire debet Ecclesia, quæ virgo dicitur, ut vos caveat; hoc matronæ, hoc virgines sacræ, hoc omnis pudicitia Christiana. Non enim, sicut insimulas, *cum Manichæis dicunt, inesse carni suæ mali necessitatem*: quod malum illi substantiale, & Deo coæternum esse mentiuntur: sed dicunt sanè cum Apostolo, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; esse tamen eam sub animi potestate, gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in mortis corpore castigandam, in morte corporis resolvendam, in corporis resurrectione & mortis morte sanandam. Tenent enim sanctam professionem, non solo habitu vestis, sed & mentis & corporis, resistendo concupiscentiæ carnis, quod hîc fieri potest; non eâ prorsus carendo, quod hîc fieri non potest. Hoc ergo audiant, ut donec illâ careant, vos caveant. Nam si ab omnibus sanctis quæras, tamquam in sancto auditorio duobus recitare cupientibus, utrùm vituperatorem, an

Ierem. 9. 1.
Paradisus Ecclesiæ typus.
Rom. 7. 23.
Suprà lib. 3. cap. 21.
Rom. 7. 23. & seq.
Pelagiani ruina morum, pudoris interitus.
Rom. 7. 23.
Virgines non solo habitu vestis professionem suã tenent.

laudatorem malint audire libidinis; quid de illis responsurum putas, continentium laborem, conjugatorum pudorem, omnium castitatem? Itane verò abjicerent ab auribus suis libidinis vituperationem, & libenter audirent libidinis laudem? Non usqueadeo putandum est perisse * frontem de rebus, ut hoc dedecus; nisi in tali fortè auditorio fieret, ubi te recitaturo confidentibus discipulis suis magister Cælestius aut Pelagius præsideret.

* Alludit ad Pers. sat. 5.

Caput VII.

25. Hinc ad alia verba mea transis, ubi dixi: *Hunc itaque motum ideo indecentem, quia inobedientem, cùm illi primi homines in sua carne sensissent; & in sua nuditate erubuissent, foliis ficulneis eadem membra texerunt: ut saltem arbitrio verecundantium velaretur, quod non arbitrio volentium movebatur; & quoniam pudebat quod indecenter libebat, operiendo fieret quod decebat.* His verbis meis propositis, hoc te jam destruxisse in secundi tui libri disputatione, & in hujus tertii, cui nunc respondeo, parte superiore, inani jactatione commemoras. Nunc autem, quia istum *motum* libidinis dixi *ideo indecentem, quia inobedientem;* dixisse me vis putari, *non eam corpori, non animo esse subjectam, sed fera virtute semper indomitam.* At ego illam virtutem numquam dixi esse, sed vitium. Quòd si non movetur concupiscendo, quid est quòd adversùs eam castitas dimicat continendo? Ubi sunt illa quæ adversùs eam confessus es *exerceri sanctorum gloriosa certamina?* Quantum ergo adtinet ad pudicitiam, quòd ejus libidinis expugnatione, oppressione, frenatione, & ad nihil illicitum permissione servetur, hoc dicis quod ego: sed quod expugnandum, opprimendum, refrenandum est, ne ad illicita rapiat, quibus inhiare non cessat; bonum esse tu dicis, non ego. Quis autem nostrûm verum dicat, judicent casti, auscultantes non linguæ tuæ, sed experientiæ suæ. Judicet Apostolus, dicens, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.

Apud Am. & Er. v. Lib. 1. de nupt. cap. 6.
Sup. lib. 3. cap. 21.
Rom. 7. 23.

26. *Sed Paterniani*, inquis, *iidemque * Venustiani hæretici similes Manichæis, dicunt à lumbis usque ad pedes diabolum fecisse corpus hominis, superiores verò partes Deum velut supra basem aliquam collocasse: adduntque nihil ab hominis studio requiri, quàm ut anima quam in stomacho & capite habitare dicunt, munda servetur: pubem verò si omnium flagitiorum sordibus oblinatur, aiunt ad suam non pertinere curam. Ita semper*, inquis, *ut ipsi libidini turpiter serviant, titulum ei propriæ potestatis affigunt. Cujus cognatione sententiæ, posuisse me in libro meo* asseris: *Arbitrio verecundantium velabatur, quod non arbitrio volentium movebatur; & quòd non serviens voluntati, suo jure corpus libido succendat.* Numquid ideo vim veritatis effugere poteris, quia nobis calumniando importas socios falsitatis? Quod enim ego in libro meo posui, cui cedere utinam quàm resistere maluisses, longè distat ab istis Paternianis seu Venustianis. Ego enim secundùm catholicam fidem, totum hominem, totam scilicet animam totumque corpus ejus Deo summo & vero tribuo creatori: diabolum autem dico humanam vel aliquid ejus non creasse, sed vitiasse naturam; contraque ipsam diabolicam plagam, quæ Dei opitulatione sananda est, donec ab ea penitus liberemur, nobis esse pugnandum: nec animam qua corpus

* V. lib. de hæresibus hær. 85. tom. 7.

[a] vivit, [a] universam mundam, quantum in hac vita mundus homo est, posse servari, si concupiscentiæ carnis ad flagitia perpetranda & quæque immunda consenserit. Quantum ergo pertinet ad istam calumniam tuam, numquid habes adversùs ista quæ dicas? Quod si parum est, ecce damno & anathematizo ea quæ Paternianos seu Venustianos sentire dixisti; addo etiam Manichæos: utrosque cum ceteris hæreticis exsecror, damno, anathematizo, detestor. Quid quæris amplius? Exue te calumniis, viribus luctare, non fraudibus. Responde unde sit, cui nisi repugnetur, nulla castitas custoditur. Non est certè natura atque substantia, secundùm Venustianos & Manichæos: si nec vitium naturæ est, quid est? Exsurgit, opprimo; renititur, refreno; repugnat, expugno. In tota anima & toto corpore conditorem habeo pacis Deum: quis in me seminavit hoc bellum? Solve Apostole quæstionem, atque responde: (Rom. 5. 12) Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Sed non vult Julianus. Et ad hoc Apostole beate responde: (Gal. 1. 9.) Si quis vobis annuntiaverit præter quod accepistis, anathema sit.

27. Sed *si connivero*, sicut dicis, *invictum esse libidinis malum, profitebor me esse turpitudinis advocatum: si autem dixero, malum me quidem hoc naturale dixisse, sed quod vinci possit, id est, possit caveri*; protinus tu ex alia parte sententiæ tuæ tripudias. *Possunt enim homines*, inquis, *omne vitare peccatum, cùm possunt vincere concupiscentiæ malum. Si enim libido naturale malum est, & vincitur amore virtutis; multo magis* dicis *illa omnia vitia superari, quæ de sola voluntate contingunt.* Jam multis modis ad ista vestra, & sæpe responsum est. Quia dum hîc vivimus, ubi caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem (Gal. 5. 17.), quantumlibet in isto conflictu superiores simus, nec membra nostra exhibeamus arma iniquitatis peccato (Rom. 6. 13. & 12.), obedientes desideriis ejus; tamen ut taceam de corporis sensibus, & in rebus, quibus licitè utimur, subrepentis voluptatis excessibus, in ipsis certè nostræ cogitationis motibus & affectibus si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est (1 Iohan. 1. 8.). Frustra igitur in alia tuæ sententiæ parte tripudias: nisi fortè sententiam Johannis apostoli sacrilega præsumtione repudias. (Libido quo sensu nobis naturalis.) Quod autem nunc agitur, naturalem esse libidinem & ego dico, quia cum illa nascitur omnis homo; & tu multo ampliùs, qui dicis quòd cum illa sit conditus primus homo. Item vincendam esse libidinem, atque ut vincatur ei resistendum esse & repugnandum, & ego dico, & tu, ne à me audias quod mihi ipse dixisti, *profiteri te turpitudinis advocatum, si libidinem negaveris esse vincendam*: quæ utique non vincitur, si nullum cum ea geritur bellum. Cùm igitur libidinem & naturalem esse, & vinci posse, ambo dicamus; utrùm bonum vincamus, an malum, ipsa inter nos vertitur quæstio. Sed vide quàm sis absurdus, [b] [b] qui & sic hostem vis expugnare libidinem, & de malo ejus non vis finire quæstionem; ut si te in concupiscentiæ diabolus adversitate non vicerit, vincat te in perversitate sententiæ.

28. Adhuc non evigilas, ut intelligas nostram

A naturam non esse, sed vitium, contra quod virtute pugnamus? Neque enim bono bonum, sed bono utique malum vincimus. Considera cum quo vincat, cum quo vincatur. Quando enim libido vincit, vincit & diabolus: quando libido vincitur, & diabolus vincitur. Quem ergo vincit libido, & à quo vincitur, hostis est ejus: cum quo autem vincit & vincitur, auctor est ejus. Rogo te, oculos aperi, & cerne quæ aperta sunt. Nulla pugna est sine malo. Quando enim pugnatur, aut bo-
B num pugnat & malum, aut malum & malum; aut si duo bona inter se pugnant, ipsa pugna est magnum malum. Quod in corpore quando contingit, ut ea quibus constat, id est, humidum & siccum, calidum & frigidum, quamvis sint inter se contraria, pacem secum concordiamque non teneant, morbi ægrotationesque nascuntur. Et quis audeat dicere, aliquid eorum non esse bonum; cùm omnis creatura Dei bona sit, &
C benedicant in hymno trium puerorum frigus & æstus Dominum? Quæ inter se contraria, servant tamen pro rerum incolumitate concordiam: cùm verò in nostro corpore discrepant, seseque invicem oppugnant, valetudo turbatur. Et hoc totum, sicut ipsa mors, de peccati illius propagatione descendit. Neque enim & hæc quisquam dixerit, si nemo peccasset, nos in illa beatitudine paradisi fuisse passuros. Sed aliæ sunt rerum corporalium qualitates, quæ secum à contrariis temperantur ut bene valeamus; & cùm sint in di-
D verso genere bonæ, tamen cùm discordant, malam valetudinem faciunt: & aliæ sunt animæ cupiditates, (Animæ cupiditates, quomodo carnis dicantur.) quæ propterea carnis dicuntur, quia cùm sic secundùm carnem anima concupiscit, cùm sic concupiscit, ut ei spiritus, id est, pars ejus melior & superior debeat repugnare. Denique ista vitia non medicos ullos corporum quærunt, sed gratiâ Christi medicante curantur; priùs ut reatu non teneant, deinde ut conflictu non vincant, postremò ut omni ex parte sanata nulla omnino
E remaneant. Proinde cùm mala concupiscere malum sit, & bona concupiscere bonum sit, atque hoc bellum quamdiu hîc vivitur non quiescat, cùm caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem (Gal. 5. 17.); quis me liberabit de corpore mortis hujus (Rom. 7. 24.), nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum? Cui gratiæ nimis inimicum dogma horrescimus vestrum.

29. Sed vir fortissimus nocturnorum & si non administrator, certè exhortator prædicatorque
F bellorum, *enervem & mollem esse* dicis *opinionem, qua creditur in paradiso ad nutum voluntatis genitalia potuisse servire.* Tanto enim tibi, tamquam viro casto, effeminatior videtur esse animus, quanto plus habet potestatis in corpus. Sed ecce non vobiscum de libidinis absentia præsentiave contendimus, nec dilectionem quam debere vos ei videmus, offendimus; saltem ipsam subdite voluntatis imperio in illo felicitatis loco. Auferte inde evidentissimam pugnam, quæ fit ejus mo-
G tioni mente renitente: auferte inde turpissimam pacem, quæ fit ejus dominationi mente serviente. Et certè quia non eam talem videtis, qualem ibi constituere, si ratione non revocamini, pudore cogimini; in ea qualis nunc est vitium originale fatemini; cui si servimus perimus, cui repu-

[a] Aliquot MSS. *qua corpus vivit universum, mundam* &c.

[b] Ita Floriacensis MSS. At editi, *& sicut*: omisso, *qui*.

gnamus ne serviamus. Ecce quod laudas, nec times ne tibi potiùs admoneas esse dicendum, quòd ad flagitia concites homines, ne resistant concupiscentiæ, quam sicut bonum naturale commendas. Quid enim te adjuvat, quòd reprehendere videris ejus excessum, cujus approbas motum? Tunc enim excedit licitum limitem, quando ejus motibus ceditur. Mala est tamen & quando non ceditur; quia malo resistitur, ne bonum castitatis intereat, si huic malo non resistatur. Quam tu cùm bonam naturaliter dicis, astutè illi semper consentiendum esse decernis; ne renisu improbo repugnetur naturali bono. Ita quippe potest facillimè vera esse etiam illa vestra sententia, qua dicitis hominem sine peccato esse si velit. Non est enim quomodo faciat quod non licet, quando licet quidquid libet, quia bonum est quod naturaliter libet. Si ergo adsunt, voluptatibus perfruatur: si autem non adsunt, ipsis earum cogitationibus, sicut Epicuro visum est, oblectetur; & erit sine peccato, nec se ullo fraudabit bono: nec cujuscumque doctrinæ opinionibus resistat naturalibus motibus, sed sicut ait * Hortensius, *tunc obsequatur naturæ, cùm sine magistro senserit quid natura desideret.* Non enim potest quæ bona est desiderare quod malum est, aut negandum est bonæ aliquod bonum. Fiat itaque totum quod desiderat libido bona, ne ipse sit malus qui resistit bono.

* Ciceronis dialogus, cui nomen Hortensius.

30. Non hoc dico, inquies, & injustum est ut aliud me suspiceris sentire quàm loquor. Noli ergo facere quod pati non vis, & dicere *quòd invitemus ad dulcia furta, quibus Apostolum recitamus dicentem, Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum.* Etsi enim non [a] hîc perficiunt bonum quod volunt, ut non concupiscant: faciunt tamen bonum, ut post concupiscentias suas non eant. Si enim vos castitatem vobis videmini docere, cùm dicitis, Noli vinci à bono, sed vince in bono bonum: quanto magis eam nos docemus, cùm dicimus, Noli vinci à malo, sed vince in bono malum? Vide quàm sit injustum, ut nos quod vituperamus expugnare non credas, qui te credi non vis eo frui velle quod laudas. Quomodo casti esse non possunt inimici libidinis, si casti esse possunt & ejus amici? Quòd ergo negantes originale peccatum, & invidentes parvulis salvatorem Jesum, legem peccati repugnantem legi mentis introducere vultis & in paradisum ante peccatum, hoc in vobis isto opere confutamus. Eorum quæ non videmus in vobis nec audimus ex vobis, nolumus esse judices: nihil nostra interest, quid in occulto agant aperti libidinis laudatores.

Rom. 7. 18.
Eccli. 18. 30.
Rom. 12. 21.

CAPUT VIII.

31. CUM verò aliis verbis meis propositis, illam distinctionem meam, quam de nuptiis & concupiscentia priorum hominum posui, dicens, *Quod enim illi postea propagatione fecerunt, hoc est connubii bonum; quod verò priùs confusione texerunt, hoc est concupiscentiæ malum:* sic refellendam putasti, ut diceres, *fieri non posse, ut quod bonum est non habeat communem cum eo laudem, sine quo esse non potest;* ita volens unam eamdemque laudem nuptiis & libidini esse communem: quomodo corruat ista tua velut definitiva sententia, paulisper adtende. Primùm, quòd universitas rerum quam condidit Deus, non potest esse sine malis, nec ideo tamen mala communem laudem possunt habere cum bonis. Deinde si *fieri non potest, ut quod bonum est non habeat communem cum eo laudem, sine quo esse non potest;* profectò & quod malum est, [b] fieri non potest, ut non habeat communem cum eo vituperationem, sine quo esse non potest. Vituperemus igitur opera Dei, sicut vituperamus mala quæ sine illis esse non possunt. Nullum enim malum est nisi in aliquo opere Dei, nec sine illo esse omnino alicubi potest. Vitupera ergo, ut non te longius mittam, membra humana, sicut vituperas adulteria, quæ sine illis membris esse non possunt. Quod si non facis, ne tibi quoque ipsi manifestus insanus appareas: potest igitur nuptiarum bonum non habere laudem communem cum libidine, sine qua esse nunc non potest; sicut quodlibet malum potest non habere communem vituperationem cum opere Dei, sine quo esse numquam potest. Sicut autem ista definitio tua falsa & inanis est, ita omnia quæ ex illa tamquam consequentia nexuisti.

Apud Am. & Er. VI. Lib. 1. de nupt. & conc. cap. 7.

32. *Invictam* sanè numquam ego *voluptatem carnis*, sicut *solere me* insimulas, dixi. Ambo eam & debere & posse dicimus vinci: sed tu tamquam bonum repugnante alio bono, ego tamquam malum repugnante bono; & tu viribus propriis, ego gratiâ Salvatoris, ut non aliâ reprobâ cupiditate, sed Dei caritate vincatur, quæ non viribus nostris diffunditur in cordibus nostris, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Rom. 5. 5.

33. *De confusione* autem *illorum hominum pudendisque coopertis frustra te* commemoras *aliquid Apostolo adtestante monstrasse.* Tu enim *verecundiora* dicis, quæ ille dicit *inhonesta*: unde * jam quantum satis visum est, disputavimus. Tu itaque frustra refugis rursus * ad Balbum, atque philosophorum litteras: quasi Balbus te faciat loquentem, quando de illa confusione primorum hominum non potes invenire quid dicas. Si autem in quibusdam veris sententiis saltem philosophorum litteris cederes, non surdo corde illud audires, quòd voluptates illecebras atque escas malorum, & vitiosam partem animi dixerunt esse libidinem. Nam quòd in nostro corpore loca digestionis Balbus remota dixit à sensibus, ideo verum est, quoniam sensus nostros ea quæ digerimus non alliciunt, sed offendunt: propterea pars qua egeruntur, naturaliter aliis partibus altrinsecus prominentibus occultatur, sicut etiam tunc erant quando nudi non confundebantur, qui post peccatum continuò non occulta, sed planè in promtu posita membra texerunt. Quibus quanto magis non horrore offendebatur, sed delectatione alliciebatur adspectus; & movebat susceptam tuam; tanto magis ea tegere ad pudoris officium pertinebat.

* Sup. lib. 4. cap. 16.
* Sup. lib. 4. cap. 12.
Plato apud Cicer. in Hortensio. Sup. lib. 4. cap. 14.

34. Quod autem *de claudicatione & perventione* dixi, si fraude non agis, non intellexisti. Non enim *perventionem accipi volui hominem qui nascitur de concubitu conjugali*, quod me sensisse arbitraris aut fingis: sed perventionem dixi quod bonum habent in fine officii sui nuptiæ, etiam si nullus inde nascatur. Seminare quippe ad virum pertinet, excipere ad feminam. Huc usque conjuges opere suo possunt. Ad hoc dixi sanè sine

Lib. 1. de nupt. & conc. cap. 7.

[a] Sic MSS. At editi, *non hoc.*

[b] Editi, *sic fieri non potest.* Abest *sic* à MSS.

claudicatione non posse, hoc est, sine libidine, perveniri. Ut autem concipiatur fetus atque nascatur, divini est operis, non humani: qua tamen intentione ac voluntate, etiam illud bonum quod ad earum opus pertinet, peragunt nuptiæ. Sed quia ipse fetus damnationi nascitur, si non renascatur; eò usque pertendunt, non operis sui velut ambulationis, sed voluntatis fine Christiana conjugia, ut regenerandos generent: propter quod in eis vera, hoc est, Deo placens est pu-
Hebr. 11. 6. dicitia. Sine fide enim impossibile est Deo placere.

Caput IX. apud Am. & Er. VII. 1. Thess. 4. 4. Lib. 1. de nuptiis & conc. cap. 8. & 14.

35. Venis deinde ad illud, ubi egimus ex Apostoli testimonio, *ut sciat unusquisque suum vas, id est, suam conjugem possidere, non in morbo desiderii, sicut gentes quæ ignorant Deum*: quod exponens dixi, *Non conjugalem, hoc est licitum honestumque concubitum fuisse prohibitum, sed ut operis hujus caussa sit voluntas propaginis, non carnis voluptas; & quod sine libidine fieri non potest, sic tamen fiat, ut non propter libidinem fiat.* Ibi tu ex-
Rom. 11. 33. clamas: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, qui extra futuram operum retributionem ex multa parte liberum arbitrium formam voluit implere judicii. Iustissimè enim sibi bonus homo*, inquis, *malusque committitur, ut & bonus se fruatur, & malus se ipse patiatur.* Quæ prorsus exclamatio tua ad rem non pertinet, qua te sentis urgeri: nec tuo clamore pondus quo premeris sublevas, impium dogma vestrum mordicus tenens, quo vobis placet etiam bonum hominem divino judicio sibi quemque committi, ne scilicet ei sit necessaria Dei gratia, velut idoneo qui semetipsum agat. Sed absit ut ita sit. Prorsus qui sibi committuntur, & à semetipsis aguntur, non sunt
Rom. 8. 14. boni, quia non sunt filii Dei. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Puto quòd agnoscas in hac sententia dogma apostolicum, quo illud subvertitur vestrum.

36. Verumtamen dicis aliquid contra te, quod tacitus præterire non debeo. Meministine quamdiu disputaveris contra lucidissimam quæ per Apostolum depromta est veritatem, affirmans, *Nullo modo esse posse aliquid quod & peccatum sit & pœna peccati?* Quid est ergo nunc, quòd oblitus tantæ loquacitatis tuæ ideo laudas *altitudinem divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quia extra futuram operum retributionem ex multa parte liberum arbitrium formam voluit implere judicii? Iustissimè enim sibi*, sicut definis, *bonus homo malusque committitur, ut & bonus se fruatur*, utique in opere bono, *& malus se ipse patiatur*, utique in opere malo. Quod profectò illi & peccatum est, quia malum facit; & pœna peccati, quia malum se patitur: ut ex multa parte formam judicii, quo bona bonis & mala malis retribuuntur, jam impleat liberum arbitrium, quo rectè agendo se fruitur bonus, & peccando se patitur malus. Cernis nempe, cùm arma tua vana quidem & obtusa jactanter ventilas, quomodo quà ferireris, nudaveris: immo te ipse percusseris. Et insuper jactas *mea inter se dicta esse contraria*; quia dixi, non quidem ut tu calumniaris, *concubitum corporum à diabolo fuisse repertum*; cùm etiam si nemo peccasset, non nisi concumbente utroque sexu filii nascerentur: sed dixi, *inobedientiam carnis, quæ in carne concupiscente adversùs spiritum apparet, diabolico vulnere contigisse.* Et
A rursus, quia dixi, *hanc legem peccati repugnantem legi mentis à Deo illatam propter ultionem, & ideo pœnam esse peccati.* Hæc inter se asseveras esse contraria: quasi fieri non possit ut unum atque idem malum & diaboli iniquitate & Dei æquitate peccantibus ingeratur; cùm etiam ipse diabolus & propria malignitate sit infestus hominibus, & Dei judicio sinatur nocere peccantibus. Neque hinc sibi ipsa divina adversantur eloquia, Sap. 1. 13.
quia scriptum est, Deus mortem non fecit: item- Eccli. 11. 14
B que scriptum est, Vita & mors à Domino Deo. Quia deceptor hominis caussa mortis est diabolus, quam non ut primus auctor ejus, sed ut peccati ultor intulit Deus. Mors quomodo à diabolo & quomodo à Deo. Verùm istam quæstionem satis dilucidè ipse solvisti, qui hominem malum dixisti sibi esse commissum, ut quòd sibi est ipse supplicium, [a] & divinum sit judicium, & ipsum liberum arbitrium; nec sint inter se duo ista contraria, quòd in pœna sua & ipse auctor est, & ultor Deus.

37. Abuteris autem ingeniis tardioribus. No-
C lo enim dicere, quia & tu non intelligis, ut non discernas hæc duo, & maligna calliditate aut tenebrosa cæcitate confundas, *voluntatem & voluptatem*: [b] & sicut ipsa nomina surdastris auribus unum atque idem sonant, ita res ipsas surdastris cordibus unum idemque esse persuadere te posse confidas. Hinc est quòd sententias meas inter se contrarias putas vel putari cupis, tamquam improbem quod antè approbaverim, aut amplectar quod antè respuerim. Audi ergo
D apertam sententiam meam, & intellige vel sine intelligere alios, non offundendo caligines nebulosæ disputationis serenitati sincerissimæ veritatis. Sicut bonum est bene uti malis, ita honestum est bene uti inhonestis. Unde & ipsa membra non propter divini operis pulcritudinem, sed propter libidinis fœditatem inhonesta dixit Apostolus. 1. Cor. 12. 23. Nec ad stupra coguntur necessitate qui casti sunt: quia resistunt inhonestæ libidini, ne compellat eos inhonesta committere, sine qua ta-
E men non possunt honestè filios procreare. Ita fit ut conjugibus castis & voluntas sit in sobolis procreatione, & necessitas in libidine. De inhonesto quippe honestas agitur procreandi, quando libidinem non amat, sed tolerat castitas concumbendi.

38. Soles libenter commemorare, quibus te adjuvari putas, auctorum sententias sæcularium. Intuere honesto corde, si potes, quid de Catone Poëta cecinerit: Lucanus lib. 2.

Vrbi, inquit, *pater est, urbique maritus;*
F *Iustitiæ cultor, rigidi servator honesti,*
In commune bonus, nullosque Catonis in actus
Subrepsit partemque tulit sibi nata voluptas.

Qualis enim vir Cato fuerit, & utrùm in eo vera virtus honestasque laudata sit, alia quæstio est: ad quemlibet tamen finem sua referret officia, non utique sine voluptate filios procreavit; & tamen nullos Catonis in actus subrepsit partemque tulit sibi nata voluptas: quoniam & quod non faciebat sine voluptate, non faciebat pro-
G pter voluptatem; nec in morbo hujus desiderii suum vas possidebat, quamvis ignoraret Deum; si talis fuit qualis prædicatur. Et non vis intelligere quod ait Apostolus, *Vt sciat unusquisque vestrùm suum vas possidere, non in morbo desiderii, sicut gentes, quæ ignorant Deum.* 1. Thess. 4. 4.

[a] Apud Lov. hic additur, *caussa.*

[b] Floriacensis MS. *ut sicut.*

39. Bene discernis inter bonum minus conjugale, & bonum amplius continentiæ: sed tuum dogma non deseris inimicissimum gratiæ. Dicis enim, *quòd Dominus continentiæ gloriam libertate electionis honoraverit, dicens, Qui potest capere capiat:* tamquam hoc capiatur non Dei munere, sed arbitrii libertate: & taces quod suprà dixerat, Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Vide quæ taceas, quæ dicas. Puto quòd te pungat conscientia: sed vincit rectum timorem, cùm ingerit perversum pudorem, quoquo modo jam defendenda præcipitata sententia. Tantummodo excessum libidinis idemtidem culpas, ipsam laudare non cessas. Nec adtendis, sentis, intelligis malum esse, cui ne limitem necessitatis excedat, cogitur temperantia repugnare.

Matth. 19. 11.

Ibidem 11.

40. Quamvis tu, quod monuit Apostolus, *ne in morbo desiderii suum vas quisque possideat, non de conjugio, sed de fornicatione accipiendum* putaveris; atque ita temperantiæ totam honestatem de concubitu conjugum abstuleris, ut nemo sibi videatur in morbo desiderii suum vas possidere, quantacumque libidine in uxoris genitalibus potuerit insanire. Si enim ullum ibi tenendum existimares modum, potuisti & illic concupiscentiæ reprehendere excessum, eumque dicere ab Apostolo significatum morbum desiderii, & non improbè negare, suum vas dictum fuisse cuique conjugem suam. Quo verbo in eadem re etiam Petrus apostolus utitur, ubi monet ut viri uxoribus suis tamquam infirmiori vasi tribuant honorem, velut coheredibus gratiæ; adjungens & dicens, Et videte ne impediantur orationes vestræ. Sicut & coapostolus ejus tempora præscribit orandi temperantiæ conjugali: & secundùm veniam concedit, quamvis cum conjuge, non utique illum prolis, sed qui fit voluptatis intentione concubitum. Hunc audiant Christiana conjugia, non te, qui vis in eis quam defendis numquam frenari concupiscentiam, sed quotienscumque se commoverit, satiari avidam, regnare securam. Hunc audiant, inquam, fideles Christi qui sunt connubio colligati, ut ex consensu temperent, quò vacent orationi: & cùm ad idipsum redeunt propter intemperantiam suam, noverint etiam inde dicere Deo, Dimitte nobis debita nostra. Quod enim secundùm veniam, non secundùm imperium à tanto doctore dicitur, utique ignoscitur, non jubetur.

Morbum desiderii apud Apostolū quomodo Julianus intellexerit.

1. Pet. 3. 7.

1. Cor. 7. 5. & 6.

Matth. 6. 12.

Caput X. apud Am. & Er. VIII.

41. Sed insertis aliis verbis meis, ubi voluntatem verè piorum, quia Christianorum, conjugum commendavi, qui filios ad hoc generant in hoc sæculo, ut propter alterum sæculum regenerentur in Christo; commemoras te jam in secundo libro istam meam destruxisse sententiam: ubi quid tibi responderim, ibi * potiùs legant qui volunt. Sic enim non sunt facienda adulteria, etiam voluntate generandi regenerandos, quemadmodum nec furta facienda sunt, etiam voluntate pascendi pauperes sanctos: quod tamen faciendum est, non furta perpetrando, sed bene utendo mammona iniquitatis, ut & ipsi [a] recipiant in tabernacula æterna; sicut non adulteria committendo, sed conjugaliter bene utendo maA lo libidinis, ea voluntate generandi sunt filii, ut cum eis regnetur in æternum.

Lib. 1. de nupt. & cōc. cap. 8.

* Sup. lib. 4 cap. 7.

Non sunt facienda mala ut eveniant bona.

Luca 16. 9.

42. Verùm eleganter laudas susceptam tuam, dicens, & verum dicens, *quòd nihil tale possit dum concumbitur, cogitari.* Prorsus ita est. Quid enim cogitari potest tunc, quando mens ipsa qua cogitatur, illa carnali delectatione submergitur? Unde optimè ille de voluptate disputans, cujus verba in libro * superiore jam posui: *Cujus motus,* inquit, *ut quisque est maximus, ita est inimicissimus* B *philosophiæ. Congruere enim cum cogitatione magna voluptas corporis non potest. Quis enim cùm utatur voluptate,* inquit, *ea qua nulla possit major esse, adtendere animo, inire rationem, cogitare omnino quidquam potest?* Non igitur etiam tu potuisti graviùs accusare quam laudas, nisi fatendo in ejus impetu neminem posse sancta cogitare. Sed utique religiosus animus isto malo bene utens hoc cogitat, ut libidinem concumbendo patiatur, quod non potest cogitare cùm patitur. Sicut sa- C lutem homo cogitat, ut somno se impertiat, quod utique non potest cogitare cùm dormit: sed somnus cùm occupat membra, non ea facit inobedientia voluntati; quia & ipsam voluntatem ab hujuscemodi alienat imperio, avertendo animam ad visa somniorum, in quibus sæpe etiam futura monstrata sunt. Unde si erat in paradiso vicissitudo vigilandi atque dormiendi, ubi non erat malum concupiscendi; tam felicia erant somnia dormientium, quàm vita vigilantium.

* Cap. 14.

Felicia in paradiso dormientium somnia.

D 43. Quòd autem te jactas, & inaniter spumeum diffundis eloquium, *parentes comparans parricidis, in eis asserens esse caussam ut filii cum damnatione nascantur:* [b] fereris omnino linguæ tuæ velut exsultantibus & plaudentibus pennis, nec in isto strepitu quem tibi ipse facis, respicis Deum. Cur enim non ista vel tale aliquid, ipsi potiùs hominum Creatori quàm genitoribus dicitur, qui certè omnium bonorum est auctor & conditor? Et tamen quos ignibus æternis præscivit arsuros, creare non desinit: nec ei, [c] quia eos E creat, nisi bonitas imputatur. Et quosdam infantes etiam baptizatos quos futuros præscivit apostatas, non aufert ex hac vita in æternum regnum adoptatos, nec eis confert magnum beneficium, quod ei de quo legitur, Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus. Nec tamen Deo tribuitur, nisi bonitas atque justitia, qua de bonis & malis omnia bene ac rectè facit. Quantò faciliùs intelligitur, parentibus non esse tribuendum, nisi quod filios volunt, qui procul du- F bio quæ illis futura sunt nesciunt?

Sap. 4. 11.

44. Quod autem commemorasti ex Evangelio, *Melius erat homini illi non nasci:* nonne ut nasceretur plus opere Dei actum est, quàm parentum? Cur non ipse imagini suæ præstitit quod melius erat, qui malum quod ei futurum fuerat præsciebat, quod parentes nosse non possunt? Et tamen ab eis qui rectè intelligunt, non tribuitur Deo, nisi quod benignitati tribuendum est Creatoris. Sic & parentibus sine nodo diffi- G cilis quæstionis hoc tribuitur, quòd filios voluerunt, quorum futura nesciverunt. Ego autem non dico, parvulos sine Christi baptismate morien-

Caput XI.

Matth. 26. 24.

[a] Sic MSS. At editi, *recipiantur.*
[b] Sic Am. Er. & MSS. Lov. *ferris.*
[c] Apud Am. & MSS. *nec ei nisi, quia eos creat, bonitas imputatur:* excepto Floriacensi codice, in quo legitur, *nisi qua eos creat.*

tes tantâ pœnâ esse plectendos, ut eis non nasci potiùs expediret; cùm hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis & impiissimis dixerit. Si enim, quod de Sodomis ait, & utique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabiliùs in die judicii punietur: quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? Quæ qualis & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quòd eis ut nulli essent quàm ut ibi essent, potiùs expediret. Verùm vos quoque, qui eos velut liberos ab omni damnatione esse contenditis, cogitare non vultis qua illos damnatione puniatis, alienando à vita Dei & à regno Dei tot imagines Dei; postremò separando à parentibus piis, quos ad eos procreandos tam disertus hortaris. Hæc autem injustè patiuntur, si nullum habent omnino peccatum: aut si justè, ergo habent originale peccatum.

Matth. 10. 15. & cap. 11. 24.

Infantium sine baptismo decedentium damnatio levissima.

45. Aliis deinde propositis meis verbis, quibus * commemoravi quàm honestè sancti antiqui patres conjugibus usi fuerint; dicis *eos non hoc intuitu operam dedisse propagini, ut tamquam reos gignerent filios baptismate diluendos, eo quòd baptisma quo nunc adoptamur nondum fuerat institutum.* Hoc de baptismate verum dicis: nec ideo tamen credendum est, & ante datam circumcisionem famulos Dei, quando quidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quid illud esset aliquâ necessariâ caussâ Scriptura latere voluerit. Nam & sacrificia eorum legimus, quibus utique sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccatum mundi. Apertiùs etiam legis jam tempore nascentibus parvulis, offerebantur sacrificia pro peccatis. Responde, pro quibus peccatis. Respice etiam illis generantibus patribus perituram fuisse animam parvuli de populo suo, si die non circumcideretur octavo: & responde quo merito periret, quem negas originali obnoxium fuisse peccato.

Apud Am. & Er. Cap. IX.

Lib. 1. de nupt & cōc. cap. 8.

Sacramenta pro parvulis etiam ante circumcisionem.

Levit. 12.

Johan. 1. 29.

Gen. 17. 14.

46. Jam verò *de Ioseph, cujus Mariam* teste Evangelio *conjugem* dixi, multa diu disputas contra sententiam meam, & conaris ostendere, *quia concubitus defuit, nullo modo fuisse conjugium*: ac per hoc, secundùm te, cùm destiterint concumbere conjuges, jam non erunt conjuges, & divortium erit illa cessatio. Quod ne contingat, agant sicut possunt decrepiti quod juvenes agebant, & ab hoc opere quo etiam continens nimiùm delectaris, nec effœtis ætate corporibus parcant. Non se cogitent, quantum ad libidinis adtinet incentiva, senuisse, ut possint conjuges permanere. Si hoc tibi placet, tu videris. Ego autem, (quia liberorum procreandorum caussâ uxores esse ducendas, honestas consentit humana, quolibet modo libidini cedat infirmitas,) præter fidem quam sibi debent conjuges, ne fiant adulteria, & prolem cujus generandæ caussâ sexus uterque miscendus est, adverti etiam tertium bonum quod esse in conjugibus debet, maximè pertinentibus ad populum Dei, quod mihi visum est esse aliquod sacramentum, ne divortium fiat vel ab ea conjuge quæ non potest parere, vel sicut fecisse

Caput XII. De conjugio Joseph & Mariæ. *Lib. 1. de nupt. cap. 11.*

Tria conjugii bona. *Lib. 1. de nupt. cap. 10.*

A Cato perhibetur, ne ab eo viro qui plures non vult suscipere filios, alteri fetanda tradatur. Propter hoc in illo quod secundùm Evangelium conjugium nuncupavi, *omnia tria bona nuptiarum dixi esse completa; fidem, quia nullum adulterium; prolem, ipsum Dominum Christum; sacramentum, quia nullum divortium.* Non ergo quia dixi omne nuptiarum, id est, hoc tripertitum bonum, in illis Christi parentibus fuisse completum, propterea hoc dixisse putari debeo, sicut insimulas, B *ut quidquid aliter fuerit, malum esse videatur.* Dico enim & aliter bonum esse conjugium, ubi proles nisi per concubitum non potest procreari. Si enim aliter posset, & tamen concumberent conjuges, apertissimè libidini cederent, atque illo malo uterentur malè: cùm verò propter quod sexus ambo sunt instituti, nisi eorum commixtione non nascitur homo; propter hoc mixti conjuges illo malo utuntur bene: si autem de libidine quærunt etiam voluptatem, venialiter malè.

Cato Uticensis Martiam uxorem suam cessit Hortensio, ex Plutarch. in ejus vita, & Lucan. lib. 2.

C 47. *Quasi maritus*, inquis, *Ioseph in opinione omnium erat.* Secundùm hanc opinionem, non secundùm veritatem locutam fuisse Scripturam vis intelligi, ut virginem Mariam ejus conjugem diceret. Hoc putemus Evangelistam facere potuisse, cùm vel sua vel cujuslibet alterius hominis verba narraret, ut secundùm opinionem hominum loqueretur: numquid & Angelus loquens unus ad unum, contra conscientiam & suam & ipsius cui loquebatur, secundùm opinionem po- D tiùs quàm secundùm veritatem fuerat locuturus, qui ei dixit, Noli timere accipere Mariam conjugem tuam? Deinde quid opus erat, ut usque ad Joseph generationes perducerentur, si non ea veritate factum est, qua in conjugio sexus virilis excellit? Quod ego in libro cui respondes, cùm posuissem, tu prorsus adtingere timuisti. Dicit autem Lucas evangelista de Domino, quòd putabatur filius Joseph; quia ita putabatur, ut per ejus concubitum genitus crederetur. Hanc falsam E voluit removere opinionem, non Mariam illius viri negare conjugem, contra Angelum testem.

Non sola hominum opinione, sed verè conjuges erant Joseph & Maria.

Matth. 1. 20.

Christi genealogia ad Joseph cur perducta.

Lib. 1. de nupt. cap 11. Luc. 3. 23.

48. Quamquam & tu ipse etiam *ex desponsionis fide eam nomen conjugis accepisse* fatearis. Quæ fides utique inviolata permansit. Neque enim cùm eam vidisset jam virginem sacram divina fecunditate donatam, ipse aliam quæsivit uxorem: cùm utique nec istam quæsisset, si necessariam conjugem non haberet: sed vinculum fidei conjugalis non ideo judicavit esse solvendum, quia spes commiscendæ carnis ablata est. Verùm de F isto conjugio quod vis existima; nos tamen non ut calumniaris dicimus, *sic fuisse primos conjuges institutos, ut sine commixtione utriusque sexûs conjuges essent:* sed utrùm in paradiso ante peccatum caro concupiverit adversùs spiritum; vel utrùm nunc in conjugibus hoc non fiat, quando ejusdem concupiscentiæ etiam per pudicitiam conjugalem cohibetur excessus; & utrùm malum non sit, cui repugnanti consentiendum non est, ne in suum pergat excessum; & utrùm non ex ipsa G * & cum ipsa concupiscentia nascatur, cui malum inesse ullum negas; & utrùm ab ingenerato malo possit hominum quisquam nisi regeneratione liberari; hoc inter nos differitur. In his quæstionibus catholicâ veritate antiquitus tradi-

* In MSS. Vatic. & Gallic. deest *& cum ipsa*.

tâ vestra impia novitas suffocatur.

Caput XIII.

49. Quod autem putasti congerenda esse sacrarum testimonia litterarum, quibus probares unde inter nos nulla quæstio est, *à Deo creari hominem*, quod de quolibet vermiculo negare fas non est; quò pertinuit nisi ut te appareret campos quæsisse verborum, ubi ventosè atque inaniter curreres? Sed cùm etiam sancti Job testimonium tam loquaciter adhiberes, quare non tibi venit in mentem quod ait idem ipse homo Dei, cùm de peccatis sermo ei esset humanis, nemi- (Job 14. 5. sec. LXX.) nem mundum à sorde, nec infantem cujus est unius diei vita super terram? Nam misericordiam & magnis & pusillis omnibus præstari ab illo à quo salus est & hominum & pecorum, & qui facit solem suum oriri super bonos & (Matth. 5. 45.) malos, quis abnuat, nisi qui Deum esse, aut terrena curare non credit? Quod tu quasi inde contenderemus, per testimonium sancti Job docere voluisti, quia dixit, *Ossibus & nervis compegisti me, vitam & misericordiam tribuisti mihi.* (Job 10. 11.) Ubi quidem ille potuit non omnem significare hominem, sed de se ipso gratias agere, quòd eum carnaliter natum non deseruerit, sed ei misericordiam ut [a] verè viveret, id est, justè viveret, qui eum condidit, ipse præstiterit. Aut certè quia parum erat vita, quam nascendo sortitus est, ideo addidit, *& misericordiam*; ne remaneret naturaliter filius iræ sicut & ceteri, atque inter vasa iræ non inter vasa misericordiæ fieret.

50. Cur autem de malo quod ei adjacet atque inest membris ejus reus non sit fidelis, & ex eo malo tamen qui nascitur reatum trahat, jam nescio quotiens diximus. Fideli enim hoc beneficium regeneratio contulit, non generatio. Inde ergo ab isto reatu solvenda est proles, unde solutus est parens.

Caput XIV.

51. Sed magnum aliquid te dialectica [b] docuit, *Rem quæ in subjecto est, sine illa re esse non posse, in quâ subjectâ est. Et ideo* putas *malum quod est in parente, utique in subjecto, alii rei, id est proli, ad quam non pervenit, reatum non posse transmittere.* Rectè hoc diceres, si malum concupiscentiæ de parente non perveniret ad prolem: cùm verò sicut sine illo nemo seminatur, ita sine illo nemo nascatur; quomodo dicis eò non pervenire, quò transit? Non enim Aristoteles, cujus categorias insipienter sapis, sed Apostolus dicit: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per omnes homines pertransiit. (Rom. 5. 12.) Nec sanè tibi dialectica illa mentitur, sed tu non intelligis. Verum enim est quod ibi accepisti, Ea quæ in subjecto sunt, sicut sunt qualitates, sine subjecto in quo sunt, esse non posse, sicut est in subjecto corpore color aut forma; sed [c] afficiendo transeunt, non emigrando: quemadmodum Æthiopes, quia nigri sunt, nigros gignunt, non tamen in filios parentes colorem suum velut tunicam transferunt; sed sui corporis qualitate corpus quod de illis propagatur afficiunt. (Qualitates afficiendo transeunt ad alia corpora, non emigrando.) Mirabilius est autem quando rerum corporalium qualitates in res incorporales transeunt, & tamen fit, quando formas corporum quas videmus, haurimus quodam modo, & in memoria recon-

A dimus, & quocumque pergimus, nobiscum ferimus: nec illæ recesserunt à corporibus suis, & tamen ad nos mirabili modo affectis nostris sensibus transierunt. Quomodo autem de corpore ad spiritum, eo modo transeunt de spiritu ad corpus. Nam colores virgarum quas variavit Jacob, (Gen. 30. 37 & seq.) afficiendo transierunt in animas pecorum matrum, atque inde rursus eadem affectione transeundo apparuerunt in corporibus filiorum. Tale verò aliquid etiam in fetibus humanis posse contingere,
B Soranus medicinæ auctor nobilissimus scribit, & exemplo confirmat historiæ. Nam * Dionysium tyrannum narrat, eo quòd ipse deformis esset, nec tales habere filios vellet, uxori suæ in concubitu formosam proponere solere picturam, cujus pulcritudinem concupiscendo quodam modo raperet, & in prolem quam concipiebat afficiendo transmitteret. (* V. lib. 2. Retract. cap. 62.) Neque enim Deus ita naturas creat, ut leges auferat, quas dedit motibus uniuscujusque naturæ. Sic & vitia cùm
C sint in subjecto, ex parentibus tamen in filios, non quasi transmigratione de suo subjecto in subjectum alterum, quod fieri non posse categoriæ illæ quas legisti verissimè ostendunt; sed, quod non intelligis, affectione & contagione pertranseunt.

Caput XV. (Caro Christi quomodo similis carni peccati.)

52. Quid est quòd laboras magnis argumentationibus pervenire ad impietatis abruptum, ut *Christi caro, quia de Maria natus est, cujus virginis caro sicut ceterorum omnium ex Adam fuerat propagata, nihil distet à carne peccati, & sine*
D *ulla distinctione Apostolus dixisse credatur, eum fuisse missum in similitudine carnis peccati:* (Rom. 8. 3.) immo potiùs instas, *ut nulla sit caro peccati, ne hoc sit & Christi?* Quid est ergo, similitudo carnis peccati, si nulla est caro peccati? Sed *hanc apostolicam sententiam me non intellexisse* dixisti: nec eam tamen exposuisti, ut te doctore nossemus, quòd aliqua res possit esse similis ei rei quæ non est. Quod si dementis est dicere, & sine dubio caro Christi
E non est caro peccati, sed similis carni peccati; quid restat ut intelligamus, nisi eâ exceptâ omnem reliquam humanam carnem esse peccati? Et hinc apparet illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali: quia Mariæ corpus quamvis inde venerit, tamen eam non trajecit in corpus, quod non inde concepit. (Maria virgo per parentum concupiscentiam concepta.) Ceterùm corpus Christi inde dictum esse in similitudine carnis peccati, quia omnis alia hominum caro
F peccati est, quisquis negat, & carnem Christi ita carni comparat nascentium hominum ceterorum, ut asserat utramque esse puritatis æqualis, detestandus hæreticus invenitur. (Carnem Christi ceterorumque nascentium ejusdem putat Julianus esse puritatis.)

53. Magnum porrò aliquid invenisse tibi videris, & copiosissimè disputas, *etiam si nascentes mali aliquid ex parentibus trahere possent, quòd* [d] *expiaretur manibus Dei, quia eos ipse format in uteris matrum: ab ipso autem formari homines* (quasi hoc negemus) instantissimè pro-
G bas, multa de Scripturis adhibens testimonia: in quibus cùm ea verba ex libro Ecclesiastico posuisses, (Eccli. 3.) quibus Dei opera dicuntur occulta; continuò tua subjecisti atque dixisti, *Quæ sententia*

a Floriacensis MS. *ut viveret*: omisso *verè*; cujus loco duo è Vatic. habent *bene*.
b Idem Floriac. cod. *docuerit*.

c Casalensis cod. *sed hac afficiendo*. Floriacensis, *sed inde afficiendo*.
d Sic MSS. At editi, *expiarentur*.

eorum arguit vanitatem, qui putant naturalem profunditatem posse investigatione aliqua comprehendi. Hoc tibi dic, & noli de animæ origine temere aliquid definire, quod vel ratione certissima vel divino eloquio minimè ambiguo non potest comprehendi; sed potiùs quod sapientissima mulier mater Machabæorum sape. Nam & ejus verba posuisti, quæ filiis suis ait: *Nescio qualiter in utero meo apparuistis.* Quod utique non putanda est dixisse de corporibus eorum, quæ corpora se non dubitabat ex virili semine concepisse: sed utrùm animæ filiorum de paterna anima tractæ fuerint, an aliunde in utero ejus esse cœperint, hoc nimirum illa nesciebat; nec eam pudebat, ut temeritatem caveret, ignorantiam confiteri. Quid est ergo quod caussaris, *Cur non ipso filii mundentur effectu, ut à pollutionibus*, inquis, *quæ dicuntur parentum, majestate opificis expientur?* Nec adtendis hoc dici etiam de manifestis vitiis corporum posse, cum quibus non pauci nascuntur infantes: quamvis absit ut dubitetur, Deum verum & bonum esse omnium corporum formatorem: & tamen ex opificis tanti manibus tam multa, non solùm vitiosa, verùm etiam monstrosa procedunt, ut naturæ à nonnullis appellentur errores: qui cùm operantem vim divinam, & quid cur faciat, indagare non possint, fateri eos pudet nescire quod nesciunt.

De origine animæ.

2. Mach. 7. 22.

Monstra naturæ errores & peccata an rectè dicātur.

54. Quod autem adtinet ad peccati originalis in omnes homines transitum, quoniam per concupiscentiam carnis transit, transire in eam carnem non potuit, quam non per illam virgo concepit. Quod enim & de alio libro meo, quem scripsi ad sanctæ memoriæ Marcellinum, velut mihi præscribens ponere voluisti, de Adam dictum, *quòd tabificavit in se omnes de sua stirpe venturos:* unde utique ille tabificavit, non inde Christus in matris uterum venit. Sed verba quæ ad rem maximè pertinent in eadem sententia mea, ego dicam, quia tu dicere noluisti; & statim cur nolueris apparebit. *Occulta*, inquam, *tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificavit in se omnes de sua stirpe venturos.* Non itaque carnem tabificavit, in cujus conceptu tabes ista non fuit. Caro itaque Christi mortalitatem de mortalitate materni corporis traxit, quia mortale corpus ejus invenit: contagium verò peccati [a] originalis non traxit, quia [b] concumbentis concupiscentiam non invenit. Si autem nec mortalitatem, sed solam substantiam carnis de matre sumsisset; non solùm caro ejus caro peccati, sed nec similitudo carnis peccati esse potuisset.

In carnem Christi cur non transierit concupiscentia.

Lib. 1. de pec. merit. cap. 9.

Christus mortalitatem de matris traxit mortalitate.

55. Sed *comparas me & coæquas Apollinaris errori, qui carnis sensum fuisse negavit in Christo:* ut imperitis nebulas undecumque commoveas, ne lucem veritatis adtendant. Aliud est sensus carnis, sine quo nullus fuit, aut est, aut erit in corpore vivens homo: & aliud est concupiscentia qua caro concupiscit adversùs spiritum, sine qua fuit ante peccatum primus homo, qualem nobis exhibuit humanam naturam Christus homo: quia sicut ille ex terra, sic iste sine tali concupiscentia est creatus ex femina. Assumens [c] tamen ex illa etiam mortalitatis infirmitatem, qualis non erat ante peccatum in carne hominis primi, ut esset ista, quod tunc illa non fuit, similitudo carnis peccati. Ut ergo nobis patiendi præberet exemplum, non habuit ille mala sua, sed pertulit aliena; in doloribus pro nobis, non in cupiditatibus fuit.

Julianus Augustinum Apollinaristam facere conatur.

56. Quapropter natos ex Adam, transferri renatos oportet ad Christum; ne à regno Dei pereant imagines Dei, quod sine malo fieri qui dicit, nec amorem habet, nec timorem Dei. Cum hoc autem malo necesse est hominem de damnata origine generari. *Regeneratos* autem absit *ut redigamus*, sicut calumniaris, *sub necessitate criminum, Deo largiente dona virtutum.* Quamvis ergo aliam legem videamus in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ: non solùm tamen necessitatem criminis non habet; sed habet potiùs honorem laudis, cujus spiritus spiritali munere adjutus adversùs carnis concupiscentiam concupiscit. Sed quacumque te verses, quacumque te jactes, quæcumque undecumque colligas, infles, ventiles, spargas, contra quod concupiscit spiritus bonus, non est bonum.

57. *Non potuit*, inquis, *exemplum dare natura dissimilis.* Potuit quidem: nam quid est quod nos ad imitationem Patris hortatur, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, ut ejus exemplo nostros diligamus inimicos? Verumtamen natura hominis Christi nostræ naturæ dissimilis non fuit, sed vitio nostro dissimilis fuit. Ille quippe sine vitio natus est homo, quod hominum nemo. Quantum autem ad vitam pertinet, qua Christum debemus imitari, hoc quoque ad distantiam plurimùm valet, quod unusquisque nostrûm homo est, ille autem etiam Deus. Neque enim tantum potest justus homo esse qui homo est, quantum homo qui & Deus est. Illud sanè magnum verumque dixisti, cùm posuisses testimonium apostoli Petri, dicentis, *Qui peccatum non fecit;* notandum esse quòd judicaverit Apostolus sufficere ad ostendendum in Christo nullum fuisse peccatum, quia dixit nullum eum fecisse peccatum: Ut *doceret*, inquis, *quia qui non fecit, habere non potuit.* Omnino verissimum est. Profectò enim peccatum etiam major fecisset, si parvus habuisset. Nam propterea nullus est hominum præter ipsum qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.

Exempli rationem in Christo non tolli, etiam si non habuerit concupiscentiam nobiscum communē. *Matth. 5. 45.*

1. Pet. 2. 22.

58. *Tolle*, inquis, *exempli caussam, tolletur & pretii, quod pro nobis factus est.* Non est mirum quòd solum exemplum ponis in Christo, qui præsidium gratiæ, [d] quo erat plenus, oppugnas. *Spe*, inquis, *malo carendi ad fidei præsidia convolamus, non autem caremus innatis: si quidem post baptisma virilitas ipsa perdurat.* Quia virilitatis nomine concupiscentiam carnis appellas; perdurat utique, quod [e] negare non potes, contra quod debet concupiscere spiritus, ne homo jam renatus concupiscentiâ suâ trahatur illectus. Et utique concupiscentia quæ repugnat ut trahat, etiam si spiritu contra eam concupiscente & resistente non trahat, ac propterea nec concipiat

Pelagiani doctrinæ tantùm & exempli magisterium in Christo agnoverunt. [d]

Jac. 1. 14.

Ibidem 15.

pariatque

[a] Sic Vatic MSS. & plures è Gallic. At editi, *originale.*

[b] Floriacensis codex antiquâ manu correctus, *quia per concumbentis concupiscentiam non venit.*

[c] Lov. *Assumens tantùm.*

[d] Tres è Vatic. MSS. *qua erat plenus.*

[e] Sic plures MSS. At editi, *negari non potest.*

Rom. 7. 18. pariatque peccatum, non est bonum. Et ipsa est, de qua dicit Apostolus, Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Hoc autem quod non est bonum Christus in natura si haberet sua, non sanaret in nostra.

Caput XVI. Apud Am. & Er. x. Lib. 1. de nupt. & conc. cap. 12.

59. INTERPONIS aliud de libro meo, & quoniam dixi, *conjugalem concubitum, qui fit intentione generandi, non ipsum esse peccatum, eo quòd bona voluntas animi sequentem ducat, non ducentem sequatur corporis voluptatem:* tu contrà refers, *De ea re quæ à peccato libera est, peccata non nasci;* B isto modo existimans te posse destruere originale peccatum, quod non destruit nisi Salvator, quem parvulis invidetis. Destruit autem solvendo quod rei sunt, non negando. Ideo quippe concubitus conjugalis, qui fit intentione generandi, non est peccatum, quia bene utitur lege peccati, id est, concupiscentiâ, quæ inest in membris repugnans legi mentis. Quæ si propterea reum parentem non tenet, quia regeneratus est; quid mirum si propterea reum tenet nascentem, quia inde generatus est? Et ideo ne reus remaneat, C etiam ipse regenerandus est. Hæc verò sententia tua qua dixisti, *De ea re quæ à peccato libera est, peccata non nasci,* quantum adjuvet Manichæos, si cogites, voles eam delere de libro tuo, & de cordibus omnium qui legerunt librum tuum. Si enim non de ea re quæ à peccato libera est, peccata nascuntur; habent aliam naturam [a] suam, secundùm Manichæos, unde nascuntur. Quos & aliis similibus sententiis tuis quantum [b] adjuvares, jam in primo hujus nostri operis volumine * demonstravi. D Ecce hîc & quod dixisti tantumdem valet. Videsne nobis operam dandam, præter errorem proprium quo Pelagiani estis, ut quasdam tuas sententias, qualis & ista est, evertamus, si Manichæos vincere volumus? *De ea re quæ à peccato libera est* dicis *peccata non nasci.* Sed veritas contradicit, quæ te & Manichæos evertit, cum quibus tibi vox ista communis est. Angelus quem creavit Deus, res à peccato libera fuit; homo quem primum creavit Deus, res à pecca- E to libera fuit. De rebus igitur à peccato liberis nata esse peccata qui negat, aut Manichæus est manifestus, aut Manichæis suffragatur incautus.

*Cap. 8.

60. Deinde ponens alia verba mea sic argumentaris, quasi ego dixerim, *Cùm servit conjugatis ad propagandam prolem, tunc honorari libidinem.* Dicis tibi ipse quod vis: nam ego hoc nec dixi omnino, nec sensi. Quomodo enim libido cùm servit honoratur, quando ne pergat in liberos excessus, dominatione mentis opprimitur? F Nos itaque non diximus *semper ad reatum pertinere uti libidine.* Quod velut dixerimus, ita colligis, *minùs peccare adulteros quàm maritos; quia maritis,* inquis, *libido servit ut peccent, adulteris imperat.* Sed cùm ego illud non dixerim, qualecumque hoc sit tuum quod tamquam consequens esse voluisti, nihil ad me adtinet. Ego enim dico, uti libidine non semper esse peccatum; quia malo bene uti non est peccatum. Nec quæcumque res ideo bona est, quia eâ bene G utitur bonus. Nam & de duobus hominibus scriptum est: Filius eruditus sapiens erit, imprudente autem ministro utetur. Numquid ideo bonum

Prov. 10. sec. LXX.

A est esse imprudentem, quia bene illo utitur sapiens? Inde & apostolus Johannes non ait, Nolite uti mundo: sed, Nolite diligere mundum: 1. Johan. 2. 15. ubi posuit & concupiscentiam carnis. Qui enim non diligens utitur, quasi non utens utitur; quia non ejus rei caussâ utitur, sed alterius quam diligens intuetur, ut etiam non diligens hac utatur. Propter quod Paulus coapostolus ejus: Et 1. Cor. 7. 31. qui utuntur, inquit, hoc mundo, quasi non utantur. Quid est, quasi non utantur; nisi non diligant quo utuntur, quoniam tale est, ut bene aliter non utantur? Et hoc quidem etiam in his rebus observandum est, quæ in hoc mundo sic bonæ sunt, ut tamen eas diligi non oporteat. Quis enim malum esse pecuniam rectè dixerit? Et tamen nemo eâ bene utitur qui dilexerit: quanto magis libidine? Nam pecuniam malus quidem spiritus concupiscit, sed ipsa contra bonum spiritum non concupiscit, quod libido facit: atque ideo & qui hoc esse malum negat peccat, & qui hoc malo bene utitur non peccat.

Etiam bonis quibusdam sic utendum, ut non ea tamen diligamus.

Rectè igitur argumentareris, dicens, *Libidinem, si mala est, majori reatu obstringere quibus obsequitur conjuges, quàm quibus dominatur adulteros:* si diceretur à nobis, [c] eos conjuges qui serviente concupiscentiæ malo ad solum generandi utuntur officium, ad aliqua mala opera eo illos uti, sicut ad facinus perpetrandum servo utitur homicida. Cùm autem dicamus bonum esse in conjugibus officium procreandi, quamvis vulnus quod in renato sanari potest, trahat natus de primi contagione peccati: restat ut sic utantur conjuges boni malo concupiscentiæ, sicut sapiens ad opera utique bona ministro utitur imprudente.

61. Sed homines acutissimi ideo non modum, non genus, sed excessum voluptatis arguitis & exprobrandum censetis obscœnis, *quia eum nostis,* ut dicis, *intra concessos fines animi potestate posse retineri.* Faciat animi potestas, si potest, ut ad transgrediendos fines, à quibus transgrediendis eam revocat, non se libido commoveat. Quod si facere non potest; profectò ut fines non transgrediatur, improbo hosti resistitur, qui eos transgredi nititur. *Sed universum contemtum ejus,* inquis, *virginibus continentibusque inesse testamur.* Numquid ideo virgines & continentes contra concupiscentiam carnis non pugnant? Et quid est contra quod exercent abs te quoque prædicata illa gloriosa certamina, ut virginitatem continentiamque custodiant? Si ergo pugnant, malum est quod expugnant. Et ubi est hoc malum, nisi in ipsis? Ergo, Non habitat in me, hoc est in carne mea bonum, veraciter dicitur & ab ipsis.

Sup. lib. 3. cap. 21. & lib. 4. cap. 2.

62. *Nihil aliud* dicis *esse nuptias, quàm corporum commixtionem:* & dicis postea, quod & verum est, *sine appetitu mutuo & sine opere naturali propagationem esse non posse.* Numquid tamen negas, sibimet etiam adulteros appetitu mutuo & opere naturali & corporum commixtione conjungi? Non est ergo ista definitio nuptiarum. Aliud est enim quod nuptiæ sunt, & aliud est sine quo etiam nuptiæ filios propagare non possunt. Nam & sine nuptiis possunt nasci homines, & sine corporum commixtione possunt esse conjuges: alioquin non erunt conjuges, ut nihil aliud dicam, certè cùm

[a] Floriacensis MS. omittit *suam.*
[b] Apud Lov. *adjuveris.*

[c] Floriacensis cod. *sic eos.*

 Tt

ſenuerint, ſibique miſceri vel non potuerint, vel ſine ſpe ſuſcipiendæ prolis erubuerint atque noluerint. Vides ergo quàm inconſideratè nuptias definieris, dicendo *eas aliud non eſſe niſi corporum commixtionem.* Tolerabiliùs fortè diceres, non eas inchoari niſi per corporum commixtionem: quia filiorum procreandorum cauſsâ utique ducuntur uxores, & aliter non poſſunt filii procreari. Sed procreandi cauſsâ commixtio corporum aliter quàm nunc eſt fuiſſet, ſi nemo peccaſſet. Abſit enim ut honeſtiſſima illa felicitas in paradiſo commotæ libidini ſemper obtemperaret: abſit ut illa pax animi & corporis haberet aliquid, propter quod adversùs ſe ipſam [a] prima hominis natura pugnaret. Si ergo ibi nec ſerviendum libidini, nec adversùs eam bellandum fuit; aut non ibi fuit, aut non talis qualis nunc eſt fuit. Nunc enim libidini neceſſe eſt ut repugnet[b], qui ſervire noluerit: neceſſe eſt ut ſerviat, qui repugnare neglexerit. Quorum duorum unum eſt moleſtum, etſi laudabile: alterum turpe & miſerabile. Itaque in hoc ſæculo unum horum caſtis eſt neceſſarium, in paradiſo autem utrumque à beatis fuerat alienum.

Lib. 1. de nupt. & concup. cap. 15.

63. Sed iterum me dicis mihimetipſi eſſe contrarium, propoſitis videlicet aliis verbis meis, ubi propagationis officium à carnalis delectationis appetitione diſcernens, *Aliud eſſe dixi non concumbere niſi voluntate generandi, quod non habet culpam; aliud concumbendo carnis appetere voluptatem, ſed non præter conjugem, quod venialem habet culpam.* Nihil habent duo iſta, quantum mecum omnes vident qui verum vident, unde me oſtendas mihi eſſe contrarium. Audi tamen idemtidem quod eorum ſenſibus inculcatiùs intimetur, quos fallere affectas. Calumniaris enim, *nos excuſationem præbere turpibus & flagitioſis hominibus; ut cùm infanda immunda commiſerint, contra voluntatem ſe dicant feciſſe, & ideo nullum habere peccatum:* quaſi nos non multo exertiùs adhortemur contra libidinem eſſe pugnandum. Nam ſi vos, cùm id bonum eſſe dicatis, non vultis tamen, ut veſtra adversùs iſtud bonum frigeſcere, vel certè tepeſcere bella credamus: quanto vigilantiùs & ardentiùs contra malum nos cenſemus eſſe pugnandum? Nos dicimus illud eſſe contra voluntatem, ut caro concupiſcat adversùs ſpiritum; non illud, ut ſpiritus adversùs carnem. Per quam concupiſcentiam bonam fit, ut niſi cauſsâ generandi non utantur conjuges carnis libidine, ac ſic malo utantur bene: qui uſus bonus mali facit honeſtum concubitum veréque nuptialem: voluptatis autem cauſsâ, non prolis, facit concubitum culpabilem, ſed in conjuge venialem. Ideo autem & de honeſto concubitu qui naſcitur, trahit quod renaſcendo diluatur; quia & in concubitu honeſto ineſt malum, quo bene utitur bonitas nuptiarum. Sed non obeſt renatis, quod oberat natis. Unde fit conſequens, ut qui ex eis naſcitur, & illi obſit ſi non renaſcatur.

64. Tu ſanè inter argumentationes tuas, quibus te inaniter adversùs mea verba contorques, idemtidem te Manichæos adjuvare non vides. Ideo quippe tibi videtur natus de concubitu conjugali non trahere originale peccatum, *quia de hoc opere quod non habet culpam, naſci*, ſicut dicis, *culpa non poteſt.* Cur ergo de opere Dei quod non habebat culpam, nata eſt culpa angeli, nata culpa hominis? Cernis quantum eis ſuffrageris, quorum deteſtatione conaris obtegere, quod adversùs catholicam fidem fundatiſſimam ſentis. Si enim ſecundùm definitivam tuam, *de hoc opere quod non habet culpam, naſci culpa non poteſt*: ecce nulla opera Dei habent culpam: unde igitur culpa nata eſt? Hîc Manichæus, te adjuvante, aliam naturam, ſicut deſipit, malam molitur inducere, ut ſit unde culpa nata eſſe credatur: quia *de opere Dei*, ſecundùm tua verba, *culpa non naſcitur.* Numquid poteſt vinci Manichæus, niſi cum illo & ipſe vincaris? Quia & angelus & homo Dei ſunt opera ſine culpa; ex quibus tamen culpa nata eſt, dum ab eo qui culpâ caret, per liberum arbitrium receſſerunt, quod eis datum eſt ſine culpa; & facti ſunt mali, non per admixtionem mali, ſed per defectionem boni.

Angeli à ſummo bono recedentes mali facti ſunt.

65. Dicis, *ob hoc à me Chriſtiani temporis continentiam fuiſſe laudatam, non ut ad virginitatem incenderentur homines, ſed ut bonum nuptiarum quod à Deo inſtitutum eſt damnaretur.* Sed ne puteris malevolâ de animo meo ſuſpicione torqueri, velut probare me volens, dicis mihi: *Si fideliter invitas homines ad ſtudium continentiæ, fateris ergo ita virtutem pudicitiæ à volentibus poſſe ſervari, ut ſit quicumque voluerit corpore ſanctus & ſpiritu.* Reſpondeo, me fateri, ſed non ſicut vos. Nam vos ipſius animi viribus hoc tribuitis, ego adjutæ per Dei gratiam voluntati. Verumtamen quid comprimitur animi imperio ne peccetur, niſi malum quo vincente peccatur? Quod malum ne dicamus cum Manichæis tamquam ex aliena mali natura nobis eſſe commixtum, reſtat ut in noſtra natura tamquam vulnus aliquod fateamur eſſe ſanandum, cujus reatum jam fatemur regeneratione ſanatum.

66. Ecce fruſtra enumeraſti, quibus me comparas, tot hæreticorum fraudes, quorum utinam numerum non augeres. *Apoſtolicâ ſententiâ, quâ notat hæreticos prohibentes nubere, etiam me aſſeris tangi*: quaſi *dicam, poſt adventum Chriſti turpia eſſe conjugia.* Audi ergo quod dicimus, ut non hoc ipſum multis modis ac ſæpius audiendo, diſſimules veritatem ſimulans quodam modo ſurditatem. Non dicimus turpia eſſe conjugia; quando quidem ne incontinentia in damnabile cadat flagitium, fulcienda eſt honeſtate nuptiarum. Sed quod vos dicitis, Chriſtiana doctrina non dicit, id eſt, ut verba tua ponam, *hominem ſufficere ingenitis ſibi motibus dare leges*: hoc non dicimus; ſed dicimus quod dixit Apoſtolus, cùm hinc loqueretur, Unuſquiſque proprium donum habet à Deo. Et quod dixit Dominus, Sine me nihil poteſtis facere. Et, Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt: cùm poſſet dicere, Non omnes capiunt verbum hoc, ſed qui voluerit; ſi verum eſſet quod dicitis vos. Quæro ſanè, qualibus ingenitis ſibi motibus hominem dicatis eſſe idoneum dare leges? utrùm bonis, an malis? Si bonis; adversùs bonum ergo ſpiritus concupiſcit [b], & duo bona invicem ſibi adverſantur in homine. Quod ſi ita eſſet, ipſa duorum bonorum inter ſe adverſitas bona eſſe non poſſet. Si autem malis; fatere igitur ingenitos eſſe homini

1. Tim. 4. 3.

1. Cor. 7. 7.

Johan. 15. 5.

Matth. 19. 11.

[a] In decem MSS. *primi*.

[b] Hîc Er. & Lov. addunt, *adversùs ſpiritum*: malè.

motus malos, contra quos castitas dimicat. Et ne A dicere cum Manichæis cogaris, alienæ mali naturæ nobis inesse commixtionem, nostrum potiùs originalem confitere languorem. Cujus languoris malo conjugalis bene utitur pudicitiâ; contra quod languoris malum adhibentur ab incontinentibus nuptiarum remedia, exercentur à continentibus gloriosa certamina. Arbitror pollicitationem meam, ex [a] quo tibi ad omnia respondere cœpi, in quibus solvendos quæstionum nodos aliquos adtulisti, commodiùs impleri, si numerum tuorum voluminum non excessero. Sit ergo hic finis hujus mei, ut novissimum tuum ab alio refellamus exordio.

[a] Floriacensis MS. *ex qua.*

LIBER SEXTUS.

Libro Iuliani quarto, ejusque in reliquam partem prioris libri de nuptiis & concupiscentia cavillationibus & calumniis respondet. Nasci hominem cum peccato confirmat ex baptismo parvulorum, ex Apostoli verbis ad Romanos & ad Corinthios, ex ritu exorcismi & exsufflationis quæ fit cùm parvuli baptizantur. Ostendit oleæ & oleastri exemplum apposité datum, ut intelligatur quomodo ex parentibus regeneratis ac justis nascantur filii peccatores & regenerandi. Peccatum originale in primis parentibus voluntarium esse, ac nobis quidem alienum proprietate actionis, nostrum tamen contagione propaginis. Hujus peccati merito fieri, ut tantis ab infantia miseriis adteratur genus humanum, utque parvuli sine regenerationis gratia morientes excludantur à regno Dei. Sanctificationem per baptismum nunc & animæ & ipsi corpori conferri, non tamen auferri hac in vita corruptionem corporis, quæ ipsam quoque aggravat animam. Docet quomodo concupiscentia maneat actu, prætereat reatu. Pauli apostoli testimonia perversè à Iuliano exposita, revocat ad catholicum intellectum. Ad extremum Ezechielis auctoritatem, qua ille abutebatur, secundùm legitimum sensum interpretatur.

Caput I.

RESPONSUM est jam libro tuo tertio; B respondeatur & quarto: aderit Dominus, ut non solùm veritas, sed etiam caritas tibi exhibeatur à nobis. Quæ duo quisquis tenuerit, nec fatuus, nec invidus erit. De quibus vitiis in principio memorati tui libri multa dixisti. Nam & error veritate, & livor caritate pellendus est. In hac autem tua disputatione cùm de stultitia loquereris, dicens *eam matrem esse omnium vitiorum*, adhibuisti testimonium de Scri- (Sap. 7. 18.) ptura, ubi legitur, *Neminem diligit Deus, nisi* C *eum qui cum sapientia habitat.* Quære itaque diligenter, utrùm habitare cum sapientia puerilis vanitas possit, per quam necesse est ex infantia parvulus transeat, qui tamen transit: & considera qui primus fructus nascatur de radice quam laudas; & quanta in contrarium mutatióne opus habeat ut diligatur à Deo, qui nisi eum qui habitat cum sapientia neminem diligit; in prædestinatis utique parvulis quod odit absumens, ut etiam ipsos à vanitate liberatos cum sapientia di- D ligat habitantes: quos certè si ab ubere raptos abstulerit ultimus dies, miror si audes dicere habitaturos cum sapientia præter regnum Dei, quò eos *bonum* secundùm te, *inviolatæ inculpatæque naturæ* non permittit accedere, nisi veri Salvatoris gratia redemtos liberet à falsi insipientia laudatoris. Ut omittam naturâ fatuos, multo ampliùs lugendos Scripturâ teste quàm mortuos. (Eccli. 22. 11.) Quos quidem & ab isto tanto malo potest Dei gratia per sanguinem Mediatoris eruere: sed unde potue- E runt in tantum malum ruere, si divino judicio nulla origini debetur pœna vitiatæ?

2. Ecce meritò reprehendisti eos & graviter, *qui vel supersederunt scienda cognoscere, vel non for-* *midant ignorata culpare.* Numquid hoc de his qui excordes nati sunt, potes dicere? Nec tamen eis sub Deo justo unde id accidere potuerit inventurus es, si nulla ex parentibus trahuntur merita filiorum. *Sed invidendo tibi, in quadam meridie compertæ veritatis sine obumbramento ignorationis*, ut loqueris, *insanimus.* Itane verò tanta in parvulis mala, tu qui non invides, non vides? Bonus est Deus, justus est Deus: extranea prorsus mali est nulla natura, quæ nostræ naturæ secundùm Manichæos credatur admixta: unde sunt, non dico in moribus, sed in ipsis ingeniis cum quibus nascuntur tanta hominum mala, si non est humana origo vitiata, non est massa damnata? Quid quòd homo fatuitatis expers & ab invidiæ stimulis alienus, ipsam sic describis invidiam, ut in tua descriptione hoc vitium & peccatum appareat & pœna peccati? An non est peccatum diabolicum invidia? An non est pœna peccati, quæ *protinus ipsum de quo oritur vexat auctorem?* Hæc verba tua sunt: & tamen diuturna loquacitate visus tibi es acutissimè disputasse, *unum idemque vitium peccatum pœnamque peccati esse non posse.* Sed fortè quia invidus non es, vix tandem invidiam in alio libro videre potuisti de qua hæc diceres, & tibi pro me quia mihi non invides contradiceres.

Caput II.

3. FINITO autem procemio, ubi etiam laborasti, sicut soles, probare quod prædico, *Deum esse hominum conditorem*: mea deinde verba proponis, ubi dixi, *Mundo, non Deo nasci hominem, qui de concupiscentia carnis nascitur; Deo autem nasci cùm ex aqua & spiritu renascitur.* (Lib. 1. de nupt. & conc. cap. 19.) Quibus meis verbis sic insidiaris, ut asseras hinc intelligi me debere dixisse, quòd ad diabolum pertineat

Mundus quis in maligno positus.

quidquid ad mundum pertinet: quia scilicet alibi dixeram, *eos qui de corporum commixtione nascuntur ad jus diaboli pertinere*; asserendo utique, *de potestate erui tenebrarum, cùm regenerantur in Christo*. Respondeo ergo calumniæ tuæ. Ita enim me vis putari appellasse mundum ad potestatem diaboli pertinentem, tamquam cælum & terram & omnia quæ in eis sunt, vel diabolus fecerit, vel diabolus teneat. Hoc non dico, sed detestor, redarguo, & damno qui dicit. Sed hoc loco sic appellavi mundum, quemadmodum Dominus, ubi ait, Ecce venit princeps mundi. Non enim cæli & terræ & omnium quæ per Verbum, hoc est, per eumdem ipsum Christum facta sunt, unde scriptum est, Mundus per eum factus est, principem voluit intelligi diabolum: sed sicut dictum est, Mundus in maligno positus est. Et iterum, Omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis » est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæ» culi, quæ non est à Patre, sed ex mundo est. Non enim cælum & terra non sunt à Patre per Filium; aut angeli, sidera, arbusta, animalia, homines non sunt à Patre per Filium, quantum quidem adtinet ad ipsam substantiam qua homines sunt: sed mundi princeps est diabolus, & mundus in maligno positus est, omnes utique homines qui rei sunt damnationis æternæ, si non inde liberentur, ut non jam pertineant ad principem peccatorum, redemti eo sanguine qui in remissionem fusus est peccatorum. Huic ergo mundo, cujus princeps est, de quo ait qui vicit mundum, Ecce venit princeps mundi, & in me nihil inveniet: huic, inquam, mundo nascitur homo, donec renascatur in eo qui vicit mundum, & in quo nihil invenit princeps mundi.

Iohan. 14. 30. — Iohan. 1. 10. — 1. Iohan. 5. 19. — 1. Iohan. 2. 16. — Iohan. 16. 33. — Iohan. 14. 30.

4. Quis est enim mundus, de quo dicit Salvator mundi & victor mundi, Non potest mun» dus odisse vos, me autem odit, quia ego testimo» nium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt? Numquid terræ ac maris, cæli ac siderum mala sunt opera? Sed utique mundus iste homines sunt. Nec ab isto mundo quisquam liberandus eligitur, nisi gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum: qui dedit carnem suam pro mundi vita; quod non fecisset, nisi mundum invenisset in morte. Quis est mundus, de quo dicebat Judæis, Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo? Postremò quis est mundus, de quo elegit Jesus discipulos suos, ut jam de mundo non essent, & eos de quo jam non erant, ipse mundus odisset? Sic enim loquitur Salvator mundi, lux mundi; sic, inquam, loquitur: Hæc mando vo» bis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, sci» tote quia me priorem vobis odio habuit. Si de » mundo essetis, mundus quod suum erat dilige» ret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi » vos de mundo; propterea odit vos mundus. Si non addidisset, ego elegi vos de mundo; putari posset, ita dixisse, de mundo non estis, quemadmodum de se ipso dixerat, Ego non sum de hoc mundo. Neque enim & ipse fuit de mundo, & electus est inde ut non esset de mundo. Quis hoc dixerit Christianus? Nec secundùm hoc enim quod homo esse dignatus est Filius Dei de mundo fuit. Quid ita? nisi quia in illo peccatum numquam fuit, propter quod omnis homo priùs mundo

Iohan. 7. 7. — Iohan. 8. 23. — Iohan. 15. 17 &c.

Omnis homo priùs mundo, quàm Deo nascitur.

A non Deo nascitur, & ut Deo nascatur de mundo eligitur qui renascitur ut jam non sit de mundo? Propter quod ab eo princeps mundi ejicitur foras, sicut ipse testatur, dicens, Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.

Iohan. 12. 31.

5. Nisi fortè eò usque vestra progredietur audacia, ut dicatis non de mundo eligi parvulos, quando baptismo ejus abluuntur, de quo dictum est, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Ad istam reconciliationem si negatis parvulos B pertinere, negantes eos esse de mundo; qua fronte nescio vivatis in mundo. Porrò si eos fatemini, cùm in corpus Christi transeunt de mundo eligi; necesse est ut ei nascantur, de quo eliguntur ut renascantur. Nascuntur enim per carnis concupiscentiam, renascuntur per spiritûs gratiam. Illa de mundo est, hæc venit in mundum, ut de mundo eligantur qui prædestinati sunt ante mundum. Cùm autem dixisset Apostolus, Deus erat in Christo, mundum reconci- C lians sibi: quomodo id faciat, mox adjunxit, atque ait, Non reputans illis delicta eorum. Totus ergo mundus ex Adam reus; Deo non negante manum formationis operi suo, seminibus institutis quamvis paterna prævaricatione vitiatis: & cùm per Christum reconciliatur mundus, de mundo liberatur; eo liberante qui venit in mundum, non de mundo eligendus, sed electurus; non meritorum electione, sed gratiæ: quia reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt.

2. Cor. 5. 19. — Rom. 11. 5.

CAPUT III.

D 6. DEINDE propositis aliis meis verbis, ubi dixi, *Hujus concupiscentiæ reatum regeneratio sola dimittit, ac per hoc generatio trahit*; moxque subjunxi, *Ergo quod generatum est regeneretur, ut similiter, quia non potest aliter, quod tractum est remittatur*: frustra idemtidem conaris obtegere quod superfluum baptismum putatis in parvulis, dicentes *mysteriorum Christi gratiam multis locupletem esse muneribus*. Velitis nolitis, parvulos credere confitemini in Christum per corda & ora gestan- E tium. Ergo & ad ipsos pertinet Dominica illa sententia: Qui non crediderit, condemnabitur. Qua caussâ, qua justitiâ, si nullum trahunt originale peccatum? Quod autem dicis, *Hinc potiùs suos approbat, quod ante proprium voluntatis obsequium, hoc quod in eis fecit beneficiorum sublimat augmentis*. Si ergo hinc suos istos approbat; profectò illos quibus hoc non donat, non approbat suos. Porrò cùm & ipsi eâdem caussâ sint ejus, quia condidit eos; cur non & ipsos eodem modo F approbat suos? [a] Hinc de fato, vel de acceptione personarum nihil [b] negatis. Jam ergo nobiscum gratiam confitemini. Quid est enim aliud, ubi nihil illorum est? In una igitur eademque caussa, alius relinquitur justitiâ judicante, non fato; alius assumitur gratiâ præstante, non merito.

Lib. 1. de nupt. & concup. c. 19. — Marc. 16. 16.

7. Frustra omnino contenditis, nec ab originali peccato parvulos regeneratione mundari. Non hoc ostendit, qui dixit, Quicumque baptizati G sumus in Christo, in morte ejus baptizati sumus. Dicendo enim, Quicumque, non utique parvulos fecit exceptos. Quid est autem in morte Christi baptizari, nisi peccato mori? Unde etiam de ipso idem alio loco dicit, Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel. Quod utique dictum est propter similitudinem carnis

Rom. 6. 3. — In morte Christi baptizari, quid. — Ibidem 10.

[a] Am. Er. & plerique MSS. *Hic*.

[b] Tres è Vatic. MSS. *nihil garritis*.

Ibidem 6. — Parvuli in baptismo peccato moriuntur. — Ibidem 10. — Ibid. 11.

peccati: propter quod & magnum mysterium est crucis ejus, ubi & vetus homo noster simul crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati. Si ergo in Christo parvuli baptizantur, in morte ejus baptizantur. Si in morte ejus baptizantur, mortis ejus similitudini complantati peccato utique moriuntur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Et quid est complantari similitudini mortis ejus, nisi quod sequitur; Sic & vos existimate vos mortuos esse peccato, vivere autem Deo in Christo Jesu? Numquid dicturi sumus, peccato mortuum fuisse Jesum, quod nullum habuit umquam? Absit. Et tamen quòd mortuus est peccato, mortuus est semel. Mors enim ejus peccatum nostrum significavit, quo utique ipsa mors accidit: cui morti mortuus, id est, ut mortalis non esset ulteriùs, peccato dicitur mortuus. Quod ergo ipse significavit in similitudine carnis peccati, hoc per ejus gratiam nos agimus in carne peccati: ut quomodo ille moriendo similitudini peccati peccato mortuus prædicatur, ita quicumque in illo fuerit baptizatus, [a] eidem rei cujus illa fuerat similitudo moriatur; & quomodo in illius vera carne vera mors fuit, sic fiat in veris peccatis vera remissio.

Caput IV.

8. Totus itaque iste epistolæ apostolicæ locus si te ab ista pravitate non corrigit, nimis obduruisti. Quamvis enim sibi connexa sint omnia quibus ait, scribens ad Romanos, ut gratia Dei commendetur per Jesum Christum: tamen quia epistolam totam hîc recolere & pertractare non possumus, valde enim longum est; ex isto capite quod agitur consideremus, ubi ait:

Tractatio cum Apostoli ad Rom. 5. v. 8. & 9.

Commendat autem suam caritatem Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Hoc tu dictum exceptis parvulis vis putari. Ubi si abs te quæram, si non sunt inter peccatores habendi, quomodo pro eis mortuus est, qui pro peccatoribus mortuus est? Respondebis non pro solis peccatoribus mortuum, quamvis sit etiam pro peccatoribus mortuus. Quod quidem nusquam legis in divinis auctoritatibus, mortuum scilicet esse Christum etiam pro eis qui nullum habuerunt omnino peccatum. Sed adtende quàm validis testimoniis urgearis. Tu dicis etiam pro peccatoribus mortuum: ego dico non nisi pro peccatoribus mortuum; ita ut respondere cogaris, si nullo peccato parvuli obstricti sunt, non esse pro parvulis mortuum. Dicit enim ad Corinthios: Quoniam unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est. Nullo modo hîc negare permitteris, non nisi pro his qui mortui sunt, mortuum fuisse Jesum. Quos igitur hoc loco intelligis mortuos? Numquid eos qui de corpore exierunt? Quis ita desipiat ut hoc sapiat? Eo modo itaque intelligimus mortuos, pro quibus omnibus unus mortuus est Christus, quomodo alibi dicit: Et vos cùm essetis mortui in delictis & præputio carnis vestræ, vivificavit cum illo. Ac per hoc unus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: ostendens fieri non potuisse ut moreretur nisi pro mortuis. Ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, infercio recusanti: accipe, salubre est, nolo moriaris. Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat ut in peccato esse mortuos omnes, pro quibus Christus mortuus est, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat aut dubitat esse Christianum. Quapropter si nullum trahunt peccatum parvuli, non sunt mortui. Si non sunt mortui, non est mortuus pro eis, qui non est mortuus nisi pro mortuis. Tu autem jam in primo tuo libro contra nos clamans, dixisti *Christum etiam pro parvulis mortuum.* Nullo modo igitur negare permitteris eos trahere originale peccatum. Nam mortui unde, si non inde; aut propter quam mortem parvulorum mortuus est, qui non est mortuus nisi pro mortuis? Eumque tu mortuum pro parvulis confiteris. Redi ergo mecum ad illud quod [b] ad Romanos cœperam dicere.

Non est pro his mortuus Christus qui nullum habuerunt omnino peccatum. — 2. Cor. 5. 14. — Col. 2. 13. — Suprà lib. 3. cap. 25.

9. Commendat, inquit, suam caritatem Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Cùm peccatores, inquit, essemus, hoc est, cùm mortui essemus, Christus pro nobis mortuus est: multo magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Hoc est illud quod alibi dicitur, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Deinde hîc sequitur: Non solùm autem, sed & gloriantes in Deo, per Dominum nostrum Jesum Christum. Non solùm, inquit, salvi, sed & gloriantes. Per quem nunc & reconciliationem accepimus. Et tamquam caussa quæreretur, quare per unum Mediatorem [c] hominem fiat ista reconciliatio: Propter hoc, inquit, sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Quid ergo egit lex? Itane illa reconciliare non potuit? Non, inquit. Usque enim ad legem, peccatum in mundo fuit: hoc est, nec lex potuit auferre peccatum. Peccatum autem non deputabatur cùm lex non esset. Erat quidem peccatum, sed non deputabatur, quia non cognoscebatur. Per legem enim, sicut in alio loco dicit, cognitio peccati. Sed regnavit mors ab Adam, usque ad Moysen: quia nec per Moysen, id est, nec per legem regnum ejus ablatum est. Regnavit autem & in his qui non peccaverunt. Quare igitur, si non peccaverunt? Audi quare: In [d] similitudine, inquit, prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. Dedit enim ex se formam posteris suis, quamvis peccata propria non habentibus, ut peccati paterni contagione morerentur, qui per ejus carnalem concupiscentiam gignerentur. Sed non sicut delictum, inquit, ita & donatio. Si enim ob unius delictum multi mortui sunt, mul-

Rom. 5. 8. & seq. — 2. Cor. 5. 19. — Rom. 5. 11. — Ibid. v. 12. — v. 13. — Rom. 3. 20. — Rom. 5. 14. — Ibidem. — v. 15.

[a] In editis post *baptizatus*, delenda hæc verba: *idem (seu id est) peccato, cujus in Christo similitudo, non veritas*: certè à librariis translata è margine in contextum, qui iis omnino caret in antiquioribus MSS.

[b] Floriacensis codex antiquâ manu correctus, *quod de epistola ad Romanos.*

[c] Sic MSS. Gallic. & Vatic. At editi, *hominum.*

[d] Sic antiquiores MSS. juxta Græc. At editi, *In similitudinem.*

to magis gratia Dei & donum in gratia unius A
a hominis Jesu Christi in [a] multis abundavit. Mul-
to magis utique abundavit, quia in quibus abun-
dat, temporaliter moriuntur, in æternum victu-
v. 16. ri sunt. Et non, inquit, sicut per unum peccan-
» tem, ita est & donum. Nam judicium quidem
» ex uno in condemnationem: gratia autem ex
» multis delictis in justificationem. Et unum quip-
pe illud ad damnationem trahere potuit: sed
gratia non hoc unum tantùm, verùm etiam plu-
v. 17. ra, quæ superaddita sunt peccata delevit. Si enim B
» ob unius delictum, inquit, mors regnavit per
» unum; multo magis qui abundantiam gratiæ &
» justitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum
» Jesum Christum. Superior repetitus est sensus;
quia multo magis in vita regnabunt, qui sine fi-
ne regnabunt; quàm mors in eis regnavit, quæ
v. 18. cum fine regnavit. Itaque sicut per unius, inquit,
» delictum in omnes homines ad condemnationem,
» ita & per unius justificationem in omnes homi-
» nes ad justificationem vitæ. Ideo & ibi omnes, C
& hîc omnes, quia nemo ad mortem nisi per il-
v. 19. 20. & lum, nemo ad vitam nisi per istum. Sicut enim
21. » per inobedientiam unius hominis peccatores con-
» stituti sunt multi; ita & per unius obedientiam
» justi constituentur multi. Lex autem subintravit,
» ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit de-
» lictum, superabundavit gratia: ut quemadmo-
b » dum regnavit peccatum in [b] morte, sic & gratia
» regnet per justitiam in vitam æternam, per Je-
» sum Christum Dominum nostrum. D

Rom. 6. 1. 10. Quid ergo dicemus, inquit: Permanebi-
» mus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Quid
enim præstitit gratia, si permanendum est in
Ibid. v. 2. peccato? Denique sequitur & dicit: Qui mortui
» sumus peccato, quomodo vivemus in eo? Hinc
nunc diligenter adtende, & quod sequitur ut
intelligas intentus ausculta. Cùm dixisset, Qui
mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo?
v. 3. An ignoratis, inquit, quoniam quicumque bapti-
» zati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius bapti- E
» zati sumus? Hîc sunt parvuli qui baptizantur,
an non sunt? Si non hîc sunt, falsum est ergo
» quod ait, Quicumque baptizati sumus in Chri-
» sto Jesu, in morte ipsius baptizati sumus: quia
non in morte illius baptizantur parvuli. Sed quo-
niam verum dicit Apostolus, nulli intelliguntur
excepti. Nam si de solis majoribus dictum puta-
tis, qui jam utuntur libero arbitrio, cùm dicat il-
le, Quicumque: frustra vos terret Dominica illa
Johan. 3. 5. sententia, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spi- F
ritu. Habetis enim magnum compendium: asse-
verate & hoc de solis majoribus dictum, nequa-
quam parvulos ista generalitate concludi. Et quid
vobis est de quæstione baptismatis laborare,
utrùm sit vita æterna præter regnum Dei, an
vitâ æternâ privandi sint innocentes tot imagi-
nes Dei, ac per hoc æternâ morte plectendæ?
Si autem hoc dicere non audetis, quoniam uni-
versaliter prolata sententia est, Nisi quis renatus G
fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in re-
gnum Dei: eadem vos universitas comprimit, di-
Rom. 6. 3. cente Apostolo, Quicumque baptizati sumus in
Christo Jesu, in morte illius baptizati sumus. Er-

go & parvuli qui baptizantur in Christo, quo-
niam in morte ipsius baptizantur, peccato mo-
riuntur. Inde enim connexa sunt ista sequentia,
cùm superiùs dictum esset, Qui mortui sumus
peccato, quomodo vivemus in eo? Nam velut
quæreretur, Quid est mori peccato? An ignora- «
tis, inquit, quoniam quicumque baptizati sumus «
in Christo Jesu, in morte illius baptizati sumus? «
Hinc probans quod suprà dixerat, Si mortui su-
mus peccato, quomodo vivemus in eo? ut qui se
non ignorarent in morte Christi baptizatos, cùm
baptizarentur in Christo, scirent etiam se mor-
tuos esse peccato; quia nihil est aliud in morte
Christi baptizari, nisi peccato mori. Hoc dili-
gentiùs exponens adjungit, & dicit, Consepulti Ibidem 4. & seq.
ergo sumus illi per baptismum in mortem, ut «
quemadmodum surrexit Christus à mortuis per «
gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ am- «
bulemus. Si enim complantati sumus similitudi- «
ni mortis ejus, * sic & resurrectionis erimus: hoc « * f. sed &, ut in-
scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus « frà n. 11.
est, ut evacuetur corpus peccati, ut ultrà non «
serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justi- «
ficatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum «
Christo, credimus quia simul vivemus cum illo, «
scientes quia Christus surgens ex mortuis jam non «
moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Quòd «
enim mortuus est peccato, mortuus est semel: «
quòd autem vivit, vivit Deo. Ita & vos existimate «
vos mortuos quidem esse peccato, vivere autem «
Deo in Christo Jesu. Si ergo peccato non moriun-
tur parvuli, procul dubio in Christi morte non ba-
ptizantur. Si in Christi morte non baptizantur,
non in Christo baptizantur. Quicumque enim ba-
ptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius ba-
ptizati sumus. In Christo autem baptizantur, pec-
cato ergo moriuntur. Cui peccato quæso te, ni-
si quod originale traxerunt? Argumentationes Psal. 93. 11.
hominum conticescant: Dominus novit cogita-
tiones hominum, quoniam vanæ sunt. Abscon- Matth. 11. 25.
dit hæc à sapientibus & prudentibus, & revela-
vit ea parvulis. Si tibi Christiana fides displicet,
apertiùs confitere: nam Christianam fidem aliam
non potes invenire. Unus homo est ad mortem,
unus ad vitam. Ille tantùm homo, iste Deus &
homo. Per illum est mundus inimicus factus Deo:
per istum mundus reconciliatur Deo electus ex
mundo. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic 1. Cor. 15. 22. & 49.
& in Christo omnes vivificabuntur. Sicut porta-
vimus imaginem terreni, portemus & imaginem
ejus qui de cælo est. Hæc stabilitamenta fidei
Christianæ qui subvertere nititur, stantibus eis
ipse subvertitur.

11. PRORSUS quod in libro meo dixi, cui Caput V.
resistis, verum est: *Nam quod dimissum est in pa-* Apud Aug. & Ep. 11.
rente, ut trahatur in prole, miris quidem modis fit, Lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 19.
sed tamen fit: & quia modus ipse non facili ratio-
ne indagatur, nec sermone explicatur, ab infidelibus
non creditur. Quibus verbis meis insidiaris menda-
citer, quasi dixerim, *nec ratione comprehendi, nec*
sermone explicari; subtrahens inde quod dixi, *non*
facili sive *ratione* sive *sermone.* Aliud est *nullâ*,
quod tu dicis; aliud est *non facili*, quod ego di-
xi: ubi quid aliud quàm calumniosus appares?

[a] Nonnulli MSS. *in multos*: juxta Græcam & vulgatam lectionem Latinam. Sed Augustinum legisse, *in multis*, probè colligunt Lovanienses, quòd inde mox dicat, *quia in quibus abundat.*

[b] Vaticani MSS. & Floriacensis, *in mortem.* Græcè tamen est, ἐν τῷ θανάτῳ.

Quod tota credit Ecclesia, etiã si nec ratione indagari, nec sermone explicari possit, recipiendum est tamen. Lib. 1. de nupt. cap. 20.

Sed etsi nulla ratione indagetur, nullo sermone explicetur: verum tamen est quod antiquitus veraci fide catholicâ prædicatur & creditur per Ecclesiam totam; quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & à principe mortis erueret; quod in libro meo, cui velut respondes, à me positum est: sed id tu commemorare timuisti, tamquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi qua princeps mundi & à parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses. Frustra te intorques argumentationibus vanis, non adversùs me, sed adversùs communem matrem spiritalem; quæ non te aliter peperit, quàm sicut jam non vis ut pariat; contra cujus viscera satis acutis telis tibi videris armatus, de justitia Dei contra justitiam Dei, de gratia Dei contrà gratiam Dei colligens argumenta. Tunc enim est Dei vera justitia, si grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum non sit injustum. *Eccli. 40. 1.* Quomodo autem non est injustum jugum grave, si nullum est in parvulis malum, propter quod justè jugo premantur gravi? Tunc est vera Dei gratia, si hoc rebus exhibeat, quod verbis sonat. Quomodo autem hoc facit, si eum exsufflat in quo novit non esse quod pellat, si eum lavat in quo novit non esse quod abluat?

12. Numquid vel tibi vel quibuslibet [a] consectaneis tuis aliquid dicere videreris, si quantum fit, (ut [b] ex ea natum necesse sit renasci, non renatum sit necesse damnari,) malum concupiscentiæ carnis, sanctitate mentis cogitare possetis: & quid conferat gratia, cùm reatum ejus absolvit, quo faciebat originaliter hominem reum, quando fit in illo [c] plena remissio peccatorum; quamvis ipsa remaneat, contra quam regenerati spiritus concupiscat, aut bene usurus hoc malo in minore certamine, aut omnino non usurus in majore certamine? Inest enim sensus hujus mali, dum reluctatur atque cohibetur. Reatus autem ille, qui sola regeneratione dimittitur, quemadmodum cùm inesset non sentiebatur; ita ejus ablatio fide creditur, non carne vel mente sentitur. Ideo in hujus rei obscuritate te jactas, & adversùs veritatem quæ ostendi hominum maximè carnalium sensibus non potest, quanto magis ut putas acriter, tanto magis infideliter pugnas.

13. Sed, * verte omnes te te in facies, & contrahe quidquid, sive animis, sive arte vales: Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. ** Virgil. 12. Æneid. Rom. 6. 3.* Ergo verum est nos mortuos esse peccato in morte Christi, quæ fuit sine peccato: ac per hoc & majores & parvuli. Neque enim illi & non isti, aut isti & non illi: sed quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte illius baptizati sumus. *v. 4.* Consepulti ergo sumus illi per baptismum in mortem. Non sine parvulis: quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte illius baptizati sumus. *v. 5.* Ut quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati fuimus similitudini mortis ejus, sed & resurrectionis erimus. Hîc sunt & parvuli com-

A plantati similitudini mortis ejus. Hoc enim ad
omnes pertinet quicumque baptizati sumus in
Christo Jesu. Hoc scientes, quia vetus homo *v. 6.*
noster simul crucifixus est. Quorum vetus homo,
nisi quicumque baptizati sumus in Christo? Hîc
itaque agnoscamus & parvulos, quia & ipsos baptizatos
non negamus in Christo. Et ut quid simul
crucifixus est vetus homo noster? Ut evacuetur, *Ibidem.*
inquit, corpus peccati, ut ultrà non serviamus
peccato. Propter hoc corpus peccati, misit
B Deus Filium suum in similitudine carnis peccati. *Rom. 8. 3.*
Quâ igitur impudentiâ negamus etiam parvulos
corpus habere peccati, cùm hoc quod dicit, omnium
sit quicumque baptizati sumus in Christo?
Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato. *Rom 6. 7. & seq.*
Si autem mortui sumus cum Christo, credimus
quia simul etiam vivemus cum Christo: scientes,
quia Christus surgens ex mortuis jam non moritur,
mors ei ultrà non dominabitur. Quòd enim
mortuus est peccato, mortuus est semel; quòd
C autem vivit, vivit Deo. Ita & vos, inquit, existimate
vos mortuos esse peccato; vivere autem
Deo in Christo Jesu. Quibus hoc dicit? evigilasne,
& adtendis? Eis utique quibus dicebat,
Si autem mortui sumus cum Christo. Et qui
sunt hi, nisi quibus dixerat, Vetus homo noster
simul crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati?
nisi quibus dixerat, Complantati sumus similitudini
mortis ejus? nisi quibus dixerat, Consepulti
sumus ergo illi per baptismum in mortem? Et hoc
D quibus, vel de quibus dixerat, lege superiora
verba, quibus hæc cuncta connexa sunt, & invenies:
An ignoratis quoniam quicumque baptizati
sumus in Christo Jesu, in morte illius baptizati
sumus? Et [d] cùm hoc diceret, probare quid
voluit? Lege adhuc paulò superiùs, & invenies:
Si mortui sumus peccato, quomodo vivemus in
eo? Aut ergo agnoscite parvulos in baptismate
mortuos esse peccato, & fatemini habuisse cui
morerentur originale peccatum; aut apertè dicite
E non eos in morte Christi baptizatos, cùm
baptizarentur in Christo; & Apostolum mendacii
redarguite, dicentem, Quicumque baptizati
sumus in Christo Jesu, in morte illius baptizati
sumus.

14. Ego hæc arma cælestia, quæ vincunt Cælestium, non dimitto: his fidem meam sermonemque committo. Argumenta quæ profertis, humana sunt: hæc munimenta divina sunt. Delicta quis intelligit? Numquid ideo delicta non *Psal. 18. 13.*
F sunt? Ita & originale delictum quod in parente regenerato remittitur, & tamen transit in prolem, & manet nisi & ipsa regeneretur, quis intelligit? Numquid ideo non est delictum? Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Quo corde, quo ore, qua fronte parvulos mortuos negatis, pro quibus Christum mortuum non negatis? Si non est pro eis Christus mortuus, ut quid baptizantur? Quicumque enim baptizati sumus in Christo Jesu, in morte illius baptizati sumus. Si autem etiam pro eis mortuus est, qui
G unus pro omnibus mortuus est; ergo mortui sunt & isti cum omnibus. Et quia in peccato mortui sunt, moriuntur & peccato ut vivant Deo, quan-

a Quinque Vaticani MSS. & duo Gallicani, *consentaneis tuis.*
b Hanc sententiam omittunt iidem codices 5. Vaticani & 2. Gallicani.

c Floriacensis MS. secundâ manu correctus, *in illo per eam remissio peccatorum.*
d Gallic. MSS. *Et ut hoc fieret.*

do renascuntur ex Deo. Quod si explicare non possim, quomodo vivus generet mortuum: (mortuus enim peccato parens, & vivens Deo, generat tamen in peccato mortuum, nisi & ipse peccato regeneratione moriatur, & vivat Deo;) numquid ideo falsum est, quia explicari verbis vel non potest, vel difficillimè potest? Tu nega, si audes, natum mortuum, pro quo Christum non negas mortuum. Unus enim pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt. Verba sunt apostolica; sed arma sunt nostra, quibus tamen si repugnare nolis, intelligis quod sine dubitatione credendum est etiam si non intelligas. Homo enim qui spiritaliter natus, carnaliter gignit, utrumque habet semen, & immortale unde se gaudeat vivum, & mortale unde generet mortuum. Cui vivificando nullo modo necessaria Christi mors esset, nisi mortuus natus esset. Unus enim pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt. Nec eos de ista morte excitatis, quos mortuos non esse clamatis: sed ne vivant potiùs impeditis, quando in eorum parentibus fidem, qua una possunt reviviscere, impiorum argumentorum machinis oppugnatis.

V lib. 1. de peccatorum meritis c. 9.

2. Cor. 5. 14.

CAPUT VI. Apud Am. & Er. III. Lib. 1. de nupt. cap. 19.

15. SED jam veniamus ad prolixam & operosam disputationem tuam, qua illud quod quantulæcumque similitudinis gratiâ in re ad perspiciendum difficili adhibendum putavi, de olea scilicet, quòd ejus semen degeneret in oleastrum, refutare molitus es: priùs affirmans, *quòd ei rei quæ per se defendi non potest, nihil suffragentur exempla.* Cur ergo Apostolus, mox ut proposuit quæstionem quomodo resurgant mortui, quo autem corpore veniant, continuò rem incognitam & inexpertam exemplo probare suscepit, adjungens, Stulte, tu quod seminas non vivificatur, nisi [a] moriatur; &c. Quod quidem exemplum & huic rei qua de agitur, non omni modo est inconveniens. Purgatur enim à palea triticum, sicut homo à peccato, & tamen inde cum palea nascitur alterum.

1. Cor. 15. 36.

Soli crocodilo superiores mandibulæ moventur. Salamandra ab igne non læditur.

16. Quid est autem quod de *crocodilo* dicere voluisti, *solum esse in omnibus animalibus, cui superiores mandibulas moveri Albinus affirmat; & ignem, cùm sit omnibus exitio, salamandræ esse ludibrio?* Nonne ista contra vos potiùs protulisti, quando invenitur aliquid unde monstretur esse possibile quod generaliter negabatur? Cùm ergo vos generaliter negaveritis, posse gignentes in prolem trajicere quod non habent ipsi; si fuerit inventum quod possit hoc facere, ita superamini, sicut ille qui [b] dixerat, non posse animalia nisi inferiores movere mandibulas, invento crocodilo sine ambiguitate superatur; & qui dixerat nullum animal in igne vivere, demonstrato quod de salamandra perhibetur, sine ambiguitate convincitur. Cùm igitur definis *naturalia per accidens non converti*; si vel unus quispiam fuerit inventus, qui vitiatus aliquo casu cum eodem vitio genuerit filium, factumque sit proli naturale quod parenti accidens fuit; nempe tua definitio ista frustrabitur. Item cùm definis, *parentem quod ipse non habet, in suam prolem non posse transmittere*, nonne definitio etiam ista destruetur, cùm tibi fuerint demonstrati nati homines integerrimis om-

A nibus membris ex his parentibus, qui nonnulla membra perdiderant? Audiebamus à majoribus nostris, qui se id nosse ac vidisse dicebant, [c] Fundanium Carthaginis rhetorem, cùm ipse accidenti vitio luscus esset, luscum filium procreasse. Quo exemplo evertitur illa tua sententia, qua dicis, *naturalia per accidens non converti.* Accidens quippe fuit in patre, quod factum est in filio naturale. Illam verò alteram, qua dicitis, *parentes in filios ea quæ non habent ipsi non posse transfun-*

B *dere*, alius Fundanii filius, quod maximè usitatum est, cum duobus oculis de lusco natus evertit, & innumerabiles qui nascuntur oculati de parentibus cæcis. Transmittendo quippe in eos quos gignunt quod ipsi non habent, vos potiùs quàm suos filios sibi similes esse demonstrant, qui tam fuistis in vestris definitionibus cæci.

Fundanius rhetor luscus cùm esset, luscum genuit filium.

CAPUT VII. Curiositas quod comprehenderit minùs miratur.

17. SANE cùm ea quæ ad rem non pertinent multùm loqueris, dixisti aliquid unde me quiddam quod ad rem pertinet admoneres, ubi

C aisti, *Curiositatem quod comprehenderit, minùs solere mirari; & adversùs eam divinitus fuisse provisum, ut multa de terra innumeris discreta proprietatibus gignerentur.* Et re vera hæc est utilitas occultorum operum Dei; ne promta vilescant, ne comprehensa mira esse desistant. Unde & Scriptura dicit: Sicut ossa in ventre prægnantis, ita non agnoscis opera Dei quæcumque faciet universa. Rectè itaque & ipse dixisti, contra curiositatem quæ minùs solet mirari quod potuerit

D comprehendere, incomprehensibilia esse opera Dei. Cur ergo humana opinatione conaris evertere, quod minùs vales in divina ratione comprehendere? Ego quidem, non (ut tu calumniaris) dixi, *nulla ratione comprehendi posse*; sed dixi, *facili ratione non posse.* Verumtamen quid si contra vitium curiositatis humanæ, cui solent, ut ipse commemoras, comprehensa vilescere, sic etiam hoc Deus quemadmodum multa, sic occultare voluit, ut id investigare atque compre-

E hendere humana conjectura non possit; ideo-ne contra Ecclesiam matrem vestram ratiunculis vestris quasi parricidalibus pugiunculis debetis armari, ut vim sacramenti ejus occultam, qua purgandos concipit parvulos, quamvis de purgatis parentibus natos, tamquam ossa in ventre prægnantis, non contrectando, sed laniando quæratis? Nisi autem sermonis longitudine nollem fatigare lectorem; jam te mille rerum generibus, quarum incomprehensibilis ratio contra usitatas

F naturæ vias quasi per deserta opaca repit, obruerem; in quibus etiam degenerantia semina, non quidem in dissimillimum genus, (quia nec oleaster sic est ab olea discretus ut vitis,) sed in quamdam, si dici potest, similem dissimilitudinem, sicuti viti est labrusca dissimilis, quæ tamen de semine vitis gignitur, multa monstrarem. Et cur non credamus hoc ideo voluisse Creatorem, ut crederemus etiam semen hominis posse vitium de gignentibus trahere, quod in eis à quibus gi-

G gnitur non sit: ut ad ejus gratiam, qua homines eruuntur à potestate tenebrarum & in regnum illius transferuntur, etiam baptizati cum suis parvulis currerent; sicut tecum cucurrit pater * sanctus, nesciens eidem gratiæ quàm esses futurus ingratus?

Occultorum Dei operum utilitas. Eccle. 11. 5.

Semen hominis de gignentibus vitium trahit.

* Memorius Juliani pater fuit.

a Hîc editi addunt, *priùs*. Abest à MSS. & à Græco.
b Aliquot MSS. hîc & infrà, *dixeris*.

c Editi, *Fundanum*: dissentientibus MSS. Gallic. & Vatic.

18. Sed

18. Sed naturæ scrutator acerrimus limites ejus invenis, & regulas figis, dicens, *Per rerum naturam fieri non posse, ut illud probentur tradere parentes, quo caruisse creduntur. Quòd si tradunt, inquis, non amiserunt.* Istæ sunt Pelagianæ definitiones, quas lecto ad religiosæ memoriæ Marcellinum, quod commemoras, opusculo nostro, jam respuere debuisti. Prior enim Pelagius de parentibus fidelibus dixit, *non eos potuisse in posteros transmittere, quod ipsi minimè habuerunt.* Sed quàm sit falsum, exemplis evidentissimis perdocetur, quorum aliqua suprà dixi, unde est & hoc quod etiam nunc dicam. Quid enim præputii retinet circumcisus, de quo præputiatus tamen gignitur, & quod jam non est in homine, trahitur in hominis semine? Nec ob aliud credendum est, antiquis patribus hoc divinitus fuisse præceptum, ut octavo die circumciderent parvulos ad significandam regenerationem quæ fit in Christo, qui post diem septimum sabbati, quo die jacuit in sepulcro, traditus propter delicta nostra, sequenti, id est, octavo in hebdomadibus die resurrexit propter justificationem nostram. Quod sacramentum circumcisionis in figura præcessisse baptismatis, quis vel mediocriter sacris litteris eruditus ignoret; cùm apertissimè de Christo dicat Apostolus, Qui est caput omnis principatus & potestatis, in quo etiam circumcisi estis circumcisione non manu facta, in exspoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & consurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis, & vos cùm essetis mortui in delictis & præputio carnis vestræ, vivificavit cum illo, donans nobis omnia delicta. Hujus ergo circumcisionis non manu factæ, quæ nunc fit in Christo, similitudo præmissa est illa circumcisio manu facta, quæ data est Abrahæ.

Lib. 3. de peccat. merit. & remiss. cap. 8. & 9.

Rom. 4. 25.

Circumcisio figura fuit baptismatis.

Coloss. 2. 10. & seq.

19. [[a] Non enim dici potest, Præputium corpus est, hoc autem quod trahitur in origine, vitium: & illo quidem abscisso, vim ejus tamen nequaquam tolli potuisse de semine; hoc verò vitium quod non est corpus, sed accidens, cùm indulgentiâ sit remissum, in semine non potuisse residere: hoc, inquam, à quovis callidissimo dici non potest, cùm auctoritate divinâ superetur, quâ ipsa pars corporis ob hoc jussa est amputari, ut hoc vitium purgaretur. Quod nisi esset in semine, ad parvulos, quibus circumcisione illa corporis auferendum est, nullatenus perveniret: neque si minimè pervenisset, indigeret ullatenus hac corporis circumcisione semoveri. Cùm autem parvulus proprium nullum habeat omnino peccatum; restat ut nullum eidem aliud auferatur nisi originale illo remedio sine quo perit anima ejus de populo suo; quod sub justo Deo non fieret, nisi esset culpa qua fieret. Quæ quoniam propria nulla est: restat ut sola originis vitiatæ sit culpa.]

Occupatio.

Circumcisio vitium purgabat originale.

20. Ecce circumcisus tradit nascenti de se, quo caruit in se. Quid est ergo quod dicis, *Per rerum naturam fieri non posse, ut illud homines probentur tradere, quo caruisse creduntur?* Bonum est præputium, non est malum, quia Deus illud fecit, sicut de oleastro copiosissimè disputasti. Respondetur tibi: Bonus est oleaster in rerum natura, sed in mysteriorum scriptura malum significat: sicut lupi, sicut vulpes, sicut sus lota in volutabris cœni, sicut canis conversus ad suum vomitum: in rerum natura bona sunt omnia, sicut oves; Omnia quippe Deus fecit bona valde: sed in sanctis libris lupi malos significant, oves autem bonos. Nec secundùm id quod sunt, sed secundùm id quod significant, de illis similitudines damus, quando de bonorum malorumque differentia disputamus. Sic & præputium quoniam particula est humani corporis, quod totum est bona substantia, utique bonum est per naturam, sed malum significat per figuram, cùm die octavo circumcidi præcipitur parvulus, propter Christum, in quo sicut Apostolus dicit, circumcisi sumus circumcisione non manu facta, quam sine dubio præfiguravit circumcisio manu facta. Præputium itaque non est peccatum, sed significat peccatum, & maximè originale; quia per ipsum membrum est origo nascentium, per quod peccatum dicti sumus naturâ filii iræ: nam & ipsum membrum natura propriè dicitur. Proinde circumcisio carnis non solùm illam quasi generalem sententiam vestram sine ambiguitate subvertit, qua dicitis, *Per rerum naturam fieri non posse, ut quo ipse caruit, tradat proli parens*: verùm etiam quia præputium peccatum significat, & invenitur in nascente, quod jam non erat in parente; profectò originale peccatum quod jam remissum est parentibus baptizatis, manere demonstrat in parvulis, nisi & ipsi baptizentur, id est, spiritali circumcisione mundentur: vosque convincit esse verissimum quod negatis; quia & ipse parvulus, de quo dictum est, Peribit anima ejus de populo suo, si octavo die non fuerit circumcisus, invenire sub justo judice cur pereat non potestis, negantes originale peccatum.

Oleaster tamen si bonus, mali

Oleaster tamen in Scripturis significationem mali habet.

Coloss. 2. 11.

Originale peccatum præputio significatum.

Gen. 17. 14.

21. Relinquamus silvas oleastrorum, & montes vel Africanos vel Italos olivarum; nec interrogemus agricolas, qui cùm tibi aliud, mihi aliud fortè responderint, neutros possumus celeri exploratione convincere, si ad hoc experiendum seminetur arbor, * seris factura nepotibus umbram. Habemus oleam, non Africanam, non Italam, sed Hebræam; cui nos qui fuimus oleaster, insitos esse gaudemus. Illi oleæ data est circumcisio, quæ nobis solvit istam sine disceptatione quæstionem. Trahit præputium proles, quod jam non habet parens; caruit, & tamen tradidit; amisit, & tamen transmisit: & hoc præputium peccatum significat. Ergo & ipsum potest in parentibus interire, & tamen ad filios pertransire. Adtestetur etiam ipse infans, & tacens dicat, Peritura est anima mea de populo meo, si non fuero circumcisus octavo die: qui ergo & originale malum diffitemini, & justum Deum fatemini, quid [b] peccaverim dicite. Huic infanti tacitè clamanti quoniam loquacitas vestra nullâ rationabili voce respondet, voces potiùs vestras apostolicis nobiscum vocibus jungite. Quæ sint enim ex parentibus, vel utrùm sint etiam alia contagia peccatorum, liberum nobis est quærere; sive sit facile, sive difficile, sive impossibile reperire: per unum tamen hominem in hunc mundum intrasse

* Virg. Georg. 2.

Abraham olea.

Rom. 5. 12.

[a] Vaticani tres MSS. & Gallici duo, in quibus est antiquissimus Floriacensis, omittunt viginti versus sequentes, usque ad verba, Ecce circumcisus tradit.

[b] Lov. *quid peccaverit dicite huic infanti clamanti. Et quoniam loquacitas vestra.* Er. caret particulâ *Et*: sed cum Lov. habet *peccaverit*. Emendantur ex MSS.

peccatum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertransisse, in quo omnes peccaverunt; aliter nobis fas esse non existimemus accipere, nisi ut omnes mortuos esse credamus in primi hominis peccato, pro quibus mortuus est Christus, & omnes mori peccato quicumque baptizantur in Christo.

Caput VIII. Apud Am. & Er. IV. Lib. 1. de nupt. cap. 20.

22. Sed in aliis verbis meis, quæ velut refellenda interponis disputationi tuæ, dicis, *me vulgum tibi excitare conatum*; quoniam dixi, *fidem non dubitare Christianam, quam novi hæretici oppugnare cœperunt, & eos qui lavacro regenerationis abluuntur, redimi de diaboli potestate; & eos qui nondum tali regeneratione redemti sunt, etiam parvulos filios redemtorum, sub ejusdem diaboli esse potestate captivos, nisi & ipsi eâdem gratiâ redimantur.* Quod ut apostolico testimonio comprobarem, *ad omnes ætates* dixi *pertinere illud, de quo Apostolus loquitur, beneficium Dei: Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii caritatis suæ.* (Col. 1. 13.) Si hac sententiâ contra vos vulgus movetur; nonne hinc te potiùs oportet advertere, ita esse vulgatam & apud omnes confirmatam istam catholicam fidem, ut nec notitiam possit fugere popularem? Necesse quippe fuerat, [a] quidquid in parvulis suis ageret, quod adtinet ad mysteria Christiana, omnes nosse Christianos. Cur autem dicis, *quòd certaminis singularis oblitus in vulgum refugerim?* Quis tibi promisit meum singulare certamen? Ubi, quando, quomodo, quibus præsentibus, quibus arbitris? *Oblato*, sicut loqueris, *placuit componi fœdere bellum, ut pugnas omnium contentio nostra dirimeret?* (Virg. Æneid. 12.) Absit ut mihi apud catholicos arrogem, quod te tibi apud Pelagianos arrogare non pudet. Unus sum è multis, qui profanas vestras novitates ut possumus refutamus, sicut unicuique nostrûm Deus partitus est mensuram fidei. (Rom. 12. 3.) Ante quàm essem natus huic mundo, & ante quàm essem renatus Deo, multa catholica lumina vestras futuras tenebras redarguendo prævenerunt: de quibus jam duobus superioribus libris meis quanta potui manifestatione disserui. Habes quò te avoces, si te adversùs catholicam fidem adhuc insanire delectat.

23. Nec nomine * *sellulariorum opificum* derideas membra Christi: memento quia infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. (* Sup. lib. 2. cap. ultimo. 1. Cor. 1. 27.) Quid est autem, *quod eis cùm ostendere cœperis, in me acerbiores fient?* Mentiri eis noli, & non fient. Ego enim non *eos*, sicut calumniaris, *assevero peculium diaboli*, quos redemtos Christi sanguine scio: *nec diabolo conjugia*, in quantum conjugia sunt, *ulla transscribo*; nec *eum genitalium commentor artificem*; nec *excitatorem virorum nisi ad illicita*, nec *fecundatorem mulierum*, nec *conditorem* assero *parvulorum.* Hæc ergo quæ à me aliena sunt, si eis de me dixeris, mentieris: & si quisquam eorum tibi credens acerbior in me fuerit factus, deceptus poterit esse, non doctus. Ii verò qui & utrumque nostrum, & fidem catholicam sciunt, discere abs te aliquid nolunt; sed cavent potiùs, ne auferas quod noverunt. Multi quippe sunt in eis, qui non solùm præter me, verùm etiam priores me ista didicerunt, quæ vester novus error oppugnat. Cùm ergo non eos ipse fecerim, sed invenerim hujus quam negatis socios veritatis, quomodo eis ego sum auctor hujus quem putatis erroris?

Caput IX.

24. *Explica*, inquis, *quomodo peccatum personæ illi justè possit adscribi, quæ nec voluit peccare, nec potuit.* Aliud est perpetratio propriorum, aliud alienorum contagio peccatorum, quantum quidem ad suæ cujusque vitæ pertinet actionem. Nam si vos sententiam rectam in vestrum tortum sensum torquere nolletis, audiretis Apostolum hoc breviter explicantem, qui unum dixit fuisse in quo omnes peccaverunt. In illo uno mortui sunt omnes, ut moreretur alius unus pro omnibus. Unus enim pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est. (2. Cor. 5. 14.) Nega igitur Christum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc est, de contagio peccatorum. *Qui fieri potes*, inquis, *ut res arbitrii conditioni seminum misceatur?* Si fieri non posset, non esset unde parvulos nondum de corpore egressos mortuos diceremus. Quia si Christus & pro ipsis mortuus est, ergo & ipsi mortui sunt: quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Audisne Juliane? Hæc Apostoli verba, non mea sunt. Quid à me quæris, *quo sit factum modo*, cùm videas factum esse quocumque modo, si Apostolo credas aliquo modo, qui de Christo & de his pro quibus mortuus est Christus, mentiri potuit nullo modo?

25. Potest autem dici Deus ab alio, quales estis, perverso, sed errore diverso; potest prorsus dici Deus, quod nos sentire de parvulis dicis, *ad inimici sui lucrum semper industrius*; quia eos quos novit, non ad tempus sub diabolo futuros, sed cum illo semper arsuros, non desinit creare, nutrire, vestire, eisque pertinacissima iniquitate peccantibus vitam salutemque subministrare. Sed facit hoc Deus quomodo sciens bene uti & bonis & malis; cujus majestatis usibus, non solùm eos quos premit aut decipit, sed nec se ipsum malignitatis ullius arte diabolus subtrahit. Ac per hoc non pertinent ad diabolum, qui eruuntur de diaboli potestate: qui verò ad eum pertinent, in Dei, sicut ipse, sunt potestate.

Et impii & diabolus in Dei semper sunt potestate.

26. Quàm vanum est igitur, quòd acutulè te dixisse arbitraris, quasi asseramus, *hoc inter se fœdus iniisse diabolum & Deum, ut quidquid perfunditur, Deus; quidquid nascitur, diabolus sibi vindicet: ea tamen lege*, sicut dicis, *ut ipsam commixtionem quam diabolus instituit, Deus obnoxia virtute fecundet.* Prorsus nec instituit diabolus commixtionem; quoniam esset & si nemo peccasset; sed ita esset, ut tua ibi suscepta vel nulla esset, vel inquieta non esset: nec obnoxia virtute, sed liberâ & potentissimâ Deus fecundat uteros feminarum, etiam vasa diabolica parituros. Sicut enim hominibus malis, ita & seminibus ex origine vitiatis, in quibus bona est ab illo creata substantia, incrementum, formam, vitam, salutemque largitur gratuita bonitate, nulla necessitate, insuperabili potestate, irreprehensibili veritate. Cùm ergo utrumque in potestate sit Dei, & quod perfunditur scilicet, & quod nascitur, à cujus potestate alienus nec ipse diabolus invenitur, tu duo ista quomodo posuisti? Utrum melius esse voluisti

[a] Am. & plures MSS. *quidquid parvulis suis*: omisso, *in.* Tres MSS. *quid cum parvulis suis agerent.* Unus, *qui cum parvulis suis agerent.*

nasci quàm perfundi ? An melius esse perfundi, quia ibi est & nasci ? Non enim perfundi poterit qui natus non fuerit. An utrumque æqua lance perpendis ? Si nasci putas esse melius, regenerationi spiritali facis injuriam, cui generationem carnalem sacrilego errore præponis. Non enim frustra crederis noluisse dicere, quod renascitur, sed *quod perfunditur* : ut quoniam diabolum & Deum quasi partes inter se fecisse per nostrum sensum demonstrare cupiebas, partem Dei faceres verbi vilitate viliorem. Potuisti enim dicere, quod renascitur; potuisti, quod regeneratur; potuisti postremò, quod baptizatur : hoc enim verbum ex Græco Latina consuetudo sic habet, ut non soleat alibi nisi in sacramento regenerationis intelligi. Nihil horum dicere voluisti, sed elegisti verbum, quo fieret contemtibile quod dicebas. Nemo enim legentium præferre posset natum renato, vel regenerato, vel baptizato; sed facilè putasti natum præferri posse perfuso. Si autem quantum distat cælum à terra, tanto melius est perfundi ut portetur hominis imago cælestis, quàm nasci ut portetur hominis imago terreni; evanuit jam tua ista invidiosa partitio. Neque enim mirandum est, si cælestis hominis imaginem, quæ sacra perfusione suscipitur, sibi vindicat Deus; imaginem verò terreni hominis terrena labe sordentem sinit esse sub diabolo : donec ad suscipiendam cælestis hominis imaginem renascatur in Christo.

1. Cor. 15. 49.

27. Porrò si perfundi & nasci æquali abs te pensantur examine, ut ideo parvuli nondum renati non credantur esse sub diabolo, ne partes æquales inter se Deus & diabolus facere videantur, si Deus sibi perfusos, diabolus autem vindicat natos : profectò quia secundùm istum sensum tantum valet perfundi quantum valet nasci, superfluum persuadetis esse perfundi; quoniam, quod tantumdem valet, sufficit nasci. Et tamen agimus gratias, quia non hoc putatis. Non enim ad regnum Dei natos, nisi perfundantur, admittitis : atque ita perfundi multo melius judicatis esse quàm nasci. Jam itaque vobis ipsi reddite rationem, ne putetis indignum, ut qui non admittuntur in regnum Dei, sint sub illo qui cecidit de regno Dei; & qui non habent vitam, sint sub illo qui perdidit vitam. Non autem habere parvulos vitam, nisi habeant Christum, (quem procul dubio habere non possunt, nisi induerint eum, eo modo quo scriptum est, Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis :) non ergo eos habere vitam, nisi habeant Christum, Johannes evangelista testatur, dicens in epistola sua, Qui habet Filium, habet vitam; qui non habet Filium, vitam non habet. Meritò ergo intelliguntur mortui qui non habent vitam, pro quibus est Christus mortuus ut habeant. Unus enim pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Ideo autem mortuus est, sicut legitur ad Hebræos, ut per mortem evacuaret eum qui potestatem habebat mortis, id est, diabolum. Quid ergo mirum, si parvuli, quamdiu mortui sunt, antequàm incipiant eum habere qui mortuus est pro mortuis, sub eo sunt qui potestatem habet mortis ?

Gal. 3. 27. 1. Johan. 5. 12. 2. Cor. 5. 14. Hebr. 2. 14.

Cap. X. 28. Enumeras quæ fides[a] verè non dubitet Christiana; in quibus ea commemoras, quæ penè omnia prædicamus & nos, & de quibus nullo modo dubitandum esse censemus; usque adeo ut etiam illud quod dicis, *Sine opere liberi arbitrii nullum hominis esse posse peccatum*, verum esse fateamur. Non enim & hoc esset peccatum, quod originale traheretur, sine opere liberi arbitrii, quo primus homo peccavit, per quem peccatum intravit in mundum, & in omnes homines pertransiit. Quod autem dicis, *Alienis peccatis alterum obnoxium non teneri* : interest quatenus rectè possit intelligi. Neque nunc ago, quòd peccavit David, & pro peccato ejus tot hominum millia ceciderunt; & quòd de anathemate contra interdictum quia usurpavit unus, in eos qui hoc non fecerant, nec factum fuisse noverant, vindicta processit : alia disputatio est, neque nunc tenere nos debet, de hoc genere peccatorum sive pœnarum. Parentum autem peccata modo quodam dicuntur aliena, & rursus modo quodam reperiuntur & nostra : aliena quippe proprietate sunt actionis, nostra sunt autem contagione propaginis. Quod si falsum esset, profectò grave jugum super filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum, nullo modo justum esset.

Rom. 5. 12. 2. Reg. 24. 1. & 15. Josue. 7. 1. & 5. Parentum peccata quodam sensu & aliena & nostra. Eccli. 40. 1.

29. Quod autem Apostolum dixisse commemoras, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria corporis sui prout gessit, sivè bonum, sive malum* : quomodo in parvulis accipis ? Utrùm & ipsi ante tribunal Christi manifestabuntur, an non ? Si non manifestabuntur, quid te adjuvat ista sententia, quando ad eos non pertinet, quorum nunc agitur caussa ? Si autem manifestabuntur, quomodo reportat eorum quisque quod gessit, qui nihil gessit; nisi quia pertinet ad eos, quòd per corda & ora gestantium, sive credunt, sive non credunt ? *Propria corporis sui* enim dixit, quod ad unumquemque in se ipso jam viventem pertinet. Nam quomodo reportat bonum, ut intret in regnum Dei, si hoc reportat quisque quod gessit; nisi quia pertinet ad parvulum etiam quod per alterum gessit, id est, credidit ? Sicut itaque quod credidit, pertinet ad eum, ut reportet bonum, hoc est, percipiat Dei regnum : sic ad eum pertinet etiam, si non credidit, ut reportet condemnationis judicium; quia evangelica est & ipsa sententia : Qui non crediderit, condemnabitur. Et Apostolus dicendo, *Omnes nos manifestari oportet, ut recipiat unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum*; nihil voluit intelligi medium. Vide ergo quàm importunè nolis parvulum de alieno peccato reportare malum, & velis eum de alieno rectè facto reportare bonum, non qualecumque, sed Dei regnum. Alienum quippe opus est cùm credit per alterum, sicut alienum opus fuit cùm peccavit in altero. Nec nos dubitamus quia baptismate delictum omne mundetur, sed renascendo quisque mundatur. Quod ergo non adimit nisi regeneratio, non cessat trahere generatio.

2. Cor. 5. 10. Etiam parvuli ante Christi tribunal referent propria corporis. Marc. 16. 16. 2. Cor. 5. 10.

30. Sanè dicendo *concupiscentiam non usquequaque animo rebellem*, procul dubio confiteris rebellem : & supplicium non fateris, quo adversùs te ipsum bellum geris ? *Dicatur*, inquis,

[a] Plerique MSS. *vera*.

parvulorum creator Deus talium , quales Dei manibus digni sunt ; & addis, *id est , innocentium.* Nonne te pietate & Dei laudatione vincere videtur , qui dixerit etiam pulcra & sana opera decere manus Dei ? Et tamen multi deformes , multi morbidi , multi horridi monstrosique nascuntur ; nec ideo illam totam substantiam , omnesque partes ejus , & quidquid in ea substantialiter exsistit & vivit , potuit creare nisi bonus & verus Deus.

31. Jubes *ut asseram , quemadmodum in Christo , id est , in virtute ejus creatos parvulos sibi audeat diabolus vindicare.* Tu assere , si potes , quomodo sibi , non obscurè , sed apertè [a] vindicet parvulos , quos immundi spiritus vexant. Si ei traditos dicis : videmus ambo supplicium , tu dic meritum ; ambo cernimus pœnam , tu qui nulla mala merita dicis ex parentibus trahi , cùm Deum justum ambo fateamur , demonstra istâ pœnâ dignam si potes in infantibus culpam. An verò non agnoscis etiam hoc ad illud grave jugum pertinere , quod est super filios Adam , à die exitûs de ventre matris eorum , usque in diem sepulturæ in matrem omnium ? Sub quo jugo diversis cladibus ita conteritur genus humanum , ut appareat hoc quod ex filiis iræ fiunt homines tamquam pignore accepto filii misericordiæ , in futurum sæculum præparari : in hoc autem sæculo à die ortûs usque in diem obitûs , etiam ipsos sub eodem gravi jugo conteri. Quando quidem etiam baptizati parvuli inter alia mala vitæ hujus nonnumquam & istos dæmonum patiuntur incursus ; quamvis eruti de potestate tenebrarum , ne ab eis trahantur in supplicium sempiternum.

a Quòd parvuli etiam baptizati interdum & dæmonũ patiantur incursus, ex merito venit originalis peccati.

Eccli. 40. 1.

32. Iterum dicis , quod jam quidem dixisti , atque * respondi , sed etiam nunc non debeo præterire , *Quòd cùm Deus parvulis nihil de proprio tam boni quàm mali merentibus* [b] *gloriam regenerationis adtribuit , hoc ipso eos ad suam curam , ad suum jus , ad suum dominium pertinere docet , quòd eorum voluntatem ineffabilis prævenit beneficii largitate.* Quid igitur eum offenderunt , quos pariter innocentes , mundos , à se ad imaginem suam creatos , innumerabiles ab isto munere alienat , nec eorum voluntatem hujus ineffabilis prævenit beneficii largitate , separans tot imagines suas à regno suo ? Si hoc eis non erit malum , non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt , & tantum amabunt , quantum innocentes amare debent regnum ejus , à quo ad ipsius imaginem creantur , nihil-ne mali de hac ipsa separatione patientur ? Postremò ubilibet sint , quomodolibet sint sub Deo judice , qui nec fato premitur , nec personarum acceptione corrumpitur ; in illius regni felicitate non erunt , ubi erunt qui pariter nihil boni malive meruerunt. Sed si nihil meruissent mali , numquam privarentur in communi caussa communione tanti boni. In eis ergo , ut sæpe diximus , iræ vasis notas facit , secundùm Apostolum , Deus divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ , ne glorientur tamquam de meritis vitæ suæ , cùm cognoscunt hoc sibi justissimè reddi potuisse , quod vident reddi paribus consortibus mortis suæ.

* Suprà lib. 3. cap. 3.

Rom. 9. 23.

33. Si ergò rectè vis sapere , etiam de parvulis sæpe quod ait Apostolus de Deo Patre : Qui eruit nos de potestate tenebrarum , & transtulit in regnum Filii caritatis suæ. Et illud alterum : Fuimus enim & nos aliquando naturâ filii iræ , sicut & ceteri. Omnes enim eruuntur de potestate tenebrarum & filii iræ erant , qui peccato moriuntur. Omnes autem ut Deo vivant , peccato moriuntur , qui in morte Christi baptizantur. Omnes porrò in morte ejus baptizantur , quicumque baptizantur in Christo. Ergo quia & parvuli baptizantur in Christo , peccato moriuntur , & à potestate tenebrarum , ubi naturâ filii iræ fuerant , eruuntur. Quod autem dicis , *Ubi ait Apostolus , naturâ filii iræ , posse intelligi , prorsus filii iræ :* nonne hinc admoneri debuisti , antiquam contra vos defendi catholicam fidem ; quia non ferè invenitur Latinus codex , si non à vobis nunc incipiat emendari , vel potiùs in mendum mutari , ubi non *naturâ* sit scriptum ? Quod utique cavere debuit interpretum antiquitas , nisi etiam fidei hæc esset antiquitas , cui vestra cœpit resistere novitas.

Col. 1. 13.

Ephes. 2. 3.

Naturâ esse nos iræ filios, quomodo Julianus intellexit. V. Hieronymum in [illegible]

CAPUT XI.

34 SED homo egregius , in grege non vis esse vulgari. Rursus enim sententiam vulgi respuis , post tanta , quibus eum redditâ ratione adversùs me concitaveras graviùs , quàm in te fuerat concitatus. Sed nimirum tua disputata considerans , nihil te talibus argumentis apud populum in catholicæ fidei veritate & antiquitate fundatum agere potuisse vel posse sensisti. Unde ad eum spernendum contumacia rursus ora convertis , ejusque partes quibus constat , non immeritò vobis Christianorum infensissima multitudo , singillatim describendo & deridendo percurris , in quibus & * *auditoriales scholasticos* tangis , & dicis *contra me clamaturos* , * *O tempora , ò mores !* & tamen vulgi judicium reformidas , ubi tam clamosos tibi suffragatores invenire potuisti , qui Tullianis me vocibus territent ; quòd *aliunde quàm unde totum est , esse putem genitalem corporis partem.* Quibus ego cùm retulero , Non hoc dico , mentitur : libidinem culpo , non membra ; vitium denoto , non naturam : iste autem qui mihi apud vos calumniatur , audet in Ecclesia Christi ante magistrum in cælo sedentem recitare libidinis laudem ; quod ei recitandum , si vobiscum studeret , magistrorum nemo proponeret , ne offenderet omnium vestrûm pudorem. Nonne alia in te Tulliana verè convenientia verba convertent , dicentes tibi , *Ex hac parte pudor pugnat , abs te petulantia ; hinc continentia , illinc libido.*

* Suprà lib. 2. cap. ultimo.

* Orat. 1. in Catil. & act. 6. in Verrem.

Cicero oratio. 2. in Catilinam.

35. Nescio quos etiam quasi desertores dogmatis vestri ad fidem catholicam conversos arguis vel reversos. Quos tamen significasti ita te metuere , ut eorum nomina exprimere non auderes ; ne fortè audientes abs te sua falsa crimina , mox tibi , si non vera , certè credibiliora reponerent. Quod quidem quicumque sunt isti , si graviter sapiunt , non facerent , & parcerent tibi secundùm Apostolum , non reddentes maledictum pro maledicto. Tu autem saltem illum monentem ne dedigneris audire , de cujus litteris exclamare te libuit , *O tempora , ò mores !* Saltem , inquam , ipsum audi , *ut quantum à rerum turpitudine*

1. Pet. 3. 9.

a In MSS. *vindicent :* rectè , si postea legeretur , *Si eis traditos.*

b Vaticani quinque MSS. *gratiam regenerationis.*

abes, (si tamen abes,) *tantum te à verborum libertate sejungas; & ea in alteros ne dicas, quæ cùm tibi falsò objecta sint, erubescas.* Talia te sanè in istos nescio quos dixisse qui legunt, [a] sciant, qualia in aliquibus omnino non novimus, quos in proposito continentiæ recessisse à Pelagianis hæreticis novimus. Tui verò vel tuæ quales sint nihil mea interest, quos tu vel quas tu sic fallis, ut dicas me definire, *nec in carioso quidem corpore libidinem posse frenari.* Immo quia frenari posse & frenari oportere decerno, ideo malum B intelligo. Quod qui negat malum, viderit quomodo habeat bonum, cui repugnantem, velit nolit, fatetur frenandam esse libidinem. Ego itaque non solùm à senibus, verùm & à juvenibus dico libidinem posse frenari: sed multùm miror à continentibus libidinem posse laudari.

36. Quis autem nostrûm dicit, *Malum hoc quod parvuli originaliter trahunt, sine substantia in qua est, aut esse posse, aut umquam fuisse?* Quod tamquam dicamus, ita quæris dialecticos judices, C & irrides vulgum, quasi ad ipsum te judicem adducam, à quo judicari ista non possunt: quæ tu si non didicisses, Pelagiani dogmatis machina sine architecto necessariò remansisset. Si vis vivere, noli amare sapientiam verbi, qua evacuatur crux Christi. Quomodo de aliis substantiis in alias substantias vel bonæ vel malæ transeant qualitates, non migrando, sed afficiendo, jam libro * superiore tractavimus. Si vulgi spernis judicium, illos judices intuere, quos tibi duobus prioribus meis D libris luculentissimâ in Ecclesia Christi præditos auctoritate proposui.

1. Cor. 1. 17.

* Lib. 5. cap. 14.

CAPUT XII. Julianus Zosimum Romanum pontificem prævaricationis accusat.

37. Quale est autem, quòd beatæ memoriæ Zosimum Apostolicæ sedis episcopum, ut in tua pravitate persistas, prævaricationis accusas? Qui non recessit à suo præcessore Innocentio, quem tu nominare timuisti; sed maluisti Zosimum, quia egit primitus leniùs cum Cælestio: quoniam * se in his sensibus vestris *si quid displiceret, paratum esse dixerat corrigi, & Innocentii litteris consensurum esse promiserat.*

* Lib. de pec. orig. cap. 6. 7. & 23.

38. Memento sanè quemadmodum de constituendo episcopo dissensionem [b] populi Romani insultabundus objectas. Quod abs te quæro, utrùm homines sua fecerint voluntate. Quod si negas, quomodo liberum defendis arbitrium? Si autem fateris, quomodo eam vocas *ultionem Dei*, atque à vestro dogmate exorbitas, dum putari divinitus [c] vindicatus affectas? An tandem aliquando concedis, quod obstinatissima contentione negaveras, occulto Dei judicio fieri, ut in ipsis hominum voluntatibus inveniatur aliquid, quod & peccatum sit & pœna peccati? Hoc enim nisi in ista tua sententia sapuisses, nullo modo factum hominum ultionem Dei esse dixisses. Sed quando ante annos plurimos tale ibi quiddam de beato Damaso & [d] Ursicino contigit, nondum Pelagianos Ecclesia Romana damnaverat.

39. Dicis, *Me quoque ipsum innovasse sensus* A *meos, & initio conversionis meæ hoc sensisse quod tu.* Sed fallis, aut falleris, sive calumniando his quæ nunc dico, sive non intelligendo, vel potiùs non legendo ea quæ tunc dixi. Nam ego per unum hominem in mundum intrasse peccatum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertransisse, in quo peccaverunt omnes; ab initio conversionis meæ sic tenui semper, ut teneo. Exstant libri quos adhuc laicus recentissima mea conversione conscripsi, etsi nondum sicut postea sacris litteris eruditus, tamen nihil de hac re jam tunc sentiens, & ubi disputandi ratio popos cerat dicens, nisi quod antiquitus [e] discit & docet omnis Ecclesia: in has videlicet magnas manifestasque miserias, in quibus homo vanitati similis factus est, ut dies ejus sicut umbra prætereant, & sit universa vanitas omnis homo vivens, merito peccati originalis genus humanum fuisse collapsum; unde non liberat nisi qui dixit, Veritas liberabit vos: &, Ego sum veritas: &, Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. Non enim à vanitate nisi veritas liberat; sed secundùm gratiam, non secundùm debitum; per misericordiam, non per meritum. Sicut enim judicii fuit ut vanitati subjiceremur: ita misericordiæ est ut veritate liberemur, & ipsa bona merita nostra non nisi Dei dona esse fateamur.

Rom. 5. 12.

Psal. 143. 4.

Psal. 38. 6.

Iohan. 8. 32.

Iohan. 14. 6.

Iohan. 8. 36.

CAPUT XIII. Apud Am. & Er. V.

40. Jam nunc illam tuam discutiamus calumniam, qua *me dixisse* criminaris, *baptizatos ex parte mundari. Quod melius* dicis *meis sermonibus* D *apparere*: eosque sermones meos, quibus hoc apparere posse asseveras, considerandos in tua disputatione proponis. Ago gratias, nempe isti sunt: *Carnis*, inquam, *concupiscentia non est nuptiis imputanda, sed toleranda. Non enim est ex naturali connubio veniens bonum, sed ex antiquo peccato accidens malum. Propter hanc ergo fit, ut etiam de justis & legitimis nuptiis filiorum Dei, non filii Dei, sed filii sæculi generentur: quia & hi qui generant, si jam regenerati sunt, non ex hoc generant quo filii* E *Dei sunt, sed ex quo adhuc filii sæculi. Dominica quippe sententia est: Filii hujus sæculi generant & generantur. Ex quo itaque sumus adhuc filii hujus sæculi, exterior homo noster corrumpitur, ex hoc & hujus sæculi filii generantur:* [f] *ex quo sumus filii Dei, interior renovatur de die in diem. Quamvis & ipse exterior per lavacrum sanctificatus sit, & spem futuræ incorruptionis acceperit, propter quod & templum Dei meritò dicitur: sed hoc non solùm propter præsentem sanctificationem, sed* [g] *propter illam spem* F *dictum est, de qua dicitur, Et nos ipsi primitias habentes spiritûs ingemiscimus,* [h] *adoptionem exspectantes redemtionem corporis nostri. Si ergo redemtio corporis nostri secundùm Apostolum exspectatur, profectò quod exspectatur adhuc speratur, nondum tenetur.* Nihil habent hæc verba mea quod non in se baptizatus agnoscat, qui cum Apostolo dicit, Et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus. Unde & alibi ait, Etenim qui sumus in hac habitatione, ingemiscimus gravati. Quò pertinet etiam illud,

Lib. 1. de nupt. cap. 17. & 18.

Ibid. cap. 18.

Luca 20. 34.

2. Cor. 4. 16.

1. Cor. 3. 16.

Rom. 8. 23.

2. Cor. 5. 4.

[a] Am. Er. & aliquot MSS. *sciunt.* Meliores MSS. cum Lov. *sciant.* Non vult Augustinus, ut ea crimina quæ falsò fortè objectantur, hîc per ipsum noverint qui Julianum non legunt.

[b] Schisma scilicet quod Zosimo ad finem anni Christi 418. mortuo subortum est, cùm adversùs Bonifacium legitimè electum contenderent alii pro Eulalio.

[c] Er. & Lov. *vindicatum.* At Am. & omnes MSS. *vindicatus.* Hanc lectionem improbant Lovanienses, non ob aliud, nisi quòd illic agi putent de schismate inter Damasum & Ursicinum, quod accidit, inquiunt, *ante auditum Iuliani nomen.*

[d] Apud Am. Er. & Gallicanos MSS. omnesque Vaticanos, *Ursino.*

[e] Omnes propè MSS. *dicit & docet.*

[f] Hîc à Juliano prætermissum, *nec filii Dei nisi regenerentur fiunt: sed.* Vide lib. 1. de nupt. cap. 18.

[g] In lib. 1. de nupt. *sed maximè propter.*

[h] Am. Er. & MSS. omittunt *adoptionem.*

Sap. 9. 15.

quod in libro Sapientiæ legimus : Corpus enim corruptibile aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Sed tu tamquam in cælo jam inter angelos immortaliter habitans, verba infirmitatis & mortalitatis irrides ; & ea exponens non secundùm meum sensum, sed secundùm dolum tuum, dixisse me affirmas, *quòd gratia non perfectè hominem novum faciat.* Non hoc dico : adtende quod dico. Gratia perfectè hominem novum facit ; quando quidem & ad corporis immortalitatem plenamque felicitatem ipsa perducit. Nunc etiam perfectè innovat hominem, quantum adtinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, non quantum ad liberationem adtinet ab omnibus malis, & ab omni corruptione mortalitatis, qua nunc corpus aggravat animam. Unde est gemitus, quem suum quoque confitetur Apostolus dicens, Et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus. Sed ad illam quoque perfectionem quæ speratur, eodem baptismate, quod hîc accipitur, pervenitur. Non autem omnes filii sæculi filii sunt diaboli, quamvis omnes filii diaboli filii sint sæculi. Sunt enim etiam filii Dei, qui tamen adhuc filii sunt sæculi ; propter quod & conjugio copulantur : sed filios Dei carne non gignunt, quia & ipsi ut essent filii Dei, non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Sanctificatio ergo per baptismum etiam nunc confertur & corpori, non tamen nunc corruptio ejus aufertur, quæ ipsam quoque aggravat animam. Et ideo quamvis casta sint corpora, cùm desideriis peccati membra non serviunt, propter quod ad templum Dei pertinere cœperunt : est tamen quod gratia in tota ista ædificatione perficiat, quamdiu caro concupiscit adversùs spiritum ut motus malos qui refrenandi sunt incitet, & spiritus adversùs carnem ut sanctitas perseveret.

Rom. 8. 23.

Baptismatis beneficio ad futuri etiam sæculi perfectionem pervenitur.

Iohan. 1. 13.

Baptismo sanctificatur & corpus.

Gal. 5. 17.

CAPUT XIV.

Carnem concupiscere quid.

41. [a] Quis autem nescit quod nobis egregius doctor inculcas, *ideo dici carnem concupiscere, quia carnaliter anima concupiscit?* Non enim sine anima ulla potest esse carnis concupiscentia. Nam utique concupiscere viventis sentientisque naturæ est : ita ut non desit concupiscentia, quam spadonum quoque castitas frenet ; minùs quidem laboriosa, quia ubi materiam de qua operetur non invenit, minùs adversùs eam libido consurgit : est tamen, pudicéque comprimitur, ne concumbendi quamvis irritus ipse conatus, in eam turpitudinem veniat, propter quam Calligonum Valentiniani junioris eunuchum gladio novimus ultore punitum, meretricis confessione convictum. Neque enim & in libro Ecclesiastico adhiberetur inde similitudo, atque diceretur, Videns oculis & ingemiscens, quasi spado complectens virginem & suspirans : nisi & ipsi moverentur concupiscentiæ carnalis affectibus, licèt destituti carnis effectibus. Motibus igitur suis anima quos habet secundùm spiritum, adversatur aliis motibus suis quos habet secundùm carnem : & rursus motibus suis quos habet secundùm carnem, adversatur aliis motibus suis quos habet secundùm spiritum : & ideo dicitur, caro concupiscere adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem. Sed propter hoc & de ipsa anima dictum est, Renovatur de die in diem. Neque enim ipsa in sanctitate non proficit, cùm magis magisque minuit eas quibus non consentit carnales cupiditates. Jam baptizatis quippe dicebat Apostolus, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Ibi & fornicatio, & mala concupiscentia, & avaritia nominatur. Quomodo ergo mortificat jam baptizatus fornicationem, quam non jam perpetrat, & secundùm te *nec habet aliquid quod mortificet?* Quomodo, inquam, obtemperat Apostolo dicenti, Mortificate fornicationem ; nisi cùm desideria ejus quibus non consentit expugnat, quæ in bene [b] proficientibus, & omnino non fornicantibus, nec consensione, nec opere, etsi non desunt, tamen quotidie minuuntur? Hoc agitur in templo Dei, quando adjuvante Deo agitur quod præcepit Deus. Opera spiritûs eriguntur, opera carnis mortificantur. Si enim secundùm carnem vixeritis, inquit, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Et ut scirent se hoc non facere nisi gratiâ Dei, continuò subdidit, Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Ac per hoc quicumque aguntur Dei spiritu, ipsi facta carnis mortificant spiritu.

Calligonus eunuchus ob meretricem adtentatam gladio percussus.

Eccli. 30. 21.

Gal. 5. 17.

2. Cor. 4. 16.

Imminutio malarum cupiditatū sanctitatis est profectus.

Colos. 3. 5.

Casti quomodo fornicationem mortificēt.

Rom. 8. 13.

42. Habent ergo jam baptizati quid agant in se ipsis, hoc est, in Dei templo, quod ædificatur hoc tempore, ut dedicetur in fine. Ædificatur autem post captivitatem [c], sicut hujus rei est index titulus * Psalmi, ejecto scilicet foras qui captivaverat inimico. In ordine quippe Psalmorum, quod mirum videri potest, prior est Psalmus dedicationis domûs, & posterior ædificationis. Sed dedicationis ideo prior est, quia illam domum cantat, de qua ejus architectus ait, Solvite templum hoc, & in tribus diebus exsuscitabo illud. Iste autem posterior, quando domus ædificabatur post captivitatem, Ecclesiam prophetavit. Denique & sic incipit : Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Nemo igitur ita desipiat, ut unumquemque baptizatum ideo existimet jam esse perfectum, quia dictum est, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et, Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus-sancti, quem habetis à Deo? Et in alio loco, Nos enim templum Dei vivi sumus. Et cetera hujusmodi. Jam enim hoc vocatur ; & cùm ædificatur, [d] mortificantur hîc membra nostra, quæ sunt super terram. Quamvis enim jam peccato mortui, Deo vivamus : est tamen quod in nobis mortificemus, ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis ejus ; à qui-

Nunc ædificamur in Dei templum, quod in fine dedicabitur.

** Psal. 95. 1.*

Iohan. 2. 19.

Psal. 95. 1.

1. Cor. 3. 17.

1. Cor. 6. 19.

2. Cor. 6. 16.

Col. 3. 5.

Rom. 6. 11. & 12.

[a] Ante *Quis autem nescit*, hæc in editis Am. Er. & Lov. verba delenda sunt : *Ideo dicis*, (vel *dici*) *carnem concupiscere, quia carnaliter anima concupiscat. Si quidem sine anima caro nec sentiat. Concupiscere autem viventis sentientisque natura est, sine quo sensu membra moveri non possunt, id est, per semetipsa concupiscere nequeunt : & quis sensus concupiscit etiam sine membris, ut in spadonibus.* Ea quippe absunt à melioribus MSS. Gallic. & Vatic.

[b] Sic MSS. At editi, *in bene facientibus.*

[c] Huc in quibusdam MSS. & in antiquioribus editionibus immissum erat istud glossema : *De Psalmo qui priùs dedicationem domûs prædicat & pòst ædificationem. Sed dedicatio ad caput domûs pertinet, hoc est, ad Christum ; ædificatio ad corpus totum domûs, id est, ad Ecclesiam. Ideo prior dedicatio, quàm ædificatio est.* Lovanienses non hoc solum expunxerunt, sed etiam subsequentem versum, *sicut hujus rei est index titulus Psalmi* ; qui tamen ad contextum pertinet, exstatque in omnibus MSS.

[d] Apud Lov. hîc additur, *cùm.*

bus nos solvit, ne his essemus obnoxii, plena atque perfecta remissio peccatorum, & remanserunt in nobis cum quibus gerantur bella castorum. Ex his est & illa qua pudicus bene utitur conjugatus: sed cùm bene fit, de malo nascitur bonum non sine malo; & ideo renascitur, ut liberetur à malo. Quod enim Deus creat & homo generat, profectò bonum est in quantum homo est: sed ideo non sine malo, quia sola regeneratio solvit à malo, quod trahit generatio de primo magnoque peccato.

43. Sic autem incredibile vis videri, *quòd in utero baptizatæ, cujus corpus est templum Dei, formatur homo futurus sub diabolo, nisi Deo renascatur ex Deo*: quasi non majoris admirationis sit, quòd Deus & ubi non habitat operatur. Non enim habitat in corpore subdito peccatis: & tamen operatur hominem in utero meretricis. Adtingit enim ubique propter suam munditiam, & nihil inquinatum in eum incurrit. Et quod multo est mirabilius, aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundissimæ feminæ; & aliquando non vult esse suum filium, quem format in utero suæ filiæ. Ille quippe ad baptismum nescio qua provisione pervenit; iste repentina morte non pervenit. Atque ita Deus, in cujus potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formavit in diaboli domicilio; & non vult esse in regno suo, quem formavit in templo suo. Aut si vult, cùr non facit quod vult? Non enim quod soletis de majoribus dicere, Deus vult, & parvulus non vult. Certè hìc ubi fati nulla est immobilitas, nulla fortunæ temeritas, nulla personæ dignitas, quid restat nisi misericordiæ veritatisque profunditas? Ut sciamus, & ex hoc incomprehensibili comprehendamus juxta duos homines, unum per quem peccatum intravit in mundum, alterum qui tollit peccatum mundi, omnes filios concupiscentiæ carnalis undecumque nascantur, ad jugum grave filiorum Adam merito pertinere; & ex his omnes filios gratiæ spiritalis undecumque nascantur, ad jugum suave filiorum Dei sine merito pervenire. Proinde conditionem suam gerit, qui in alterius corpore, quod est templum Dei, ita construitur, ut non ideo sit & ipse templum Dei, quia ædificatur in templo Dei. Matris quippe corpus ut esset templum Dei, gratiæ beneficium est, non naturæ: quæ gratia non conceptione, sed regeneratione confertur. Nam si ad matris corpus id quod in ea concipitur pertineret, ita ut ejus pars deputaretur; non baptizaretur infans, cujus mater baptizata est aliquo mortis urgente periculo, cùm eum gestaret in utero. Nunc verò cùm etiam ipse baptizatur, non utique bis baptizatus habebitur. Non itaque ad maternum corpus cùm esset in utero pertinebat: & tamen creabatur in templo Dei non templum Dei. Ita in femina fideli creatus est infidelis, & in eum parentes infidelitatem trajecerunt, quam non habebant quando ex ipsis natus est, sed tunc habebant quando & ipsi similiter nati sunt. Trajecerunt ergo, quod jam non erat in eis, propter semen spiritale quo regenerati sunt; sed erat in eorum carnali semine, quo eum generaverunt.

Sap. 1. 4. *Sap. 7. 24. & 25.* Occulta Dei judicia. *Eccli. 40. 1.* Infans in utero matris non est pars corporis matris. Infidelitas in infantem trajicitur. Corpus baptismate

44. Quamvis itaque sacro baptismate sanctificetur & corpus; ad hoc tamen sanctificatur, ut per remissionem peccatorum non solùm præteritis peccatis omnibus, verùm etiam ipsi quæ inest carnis concupiscentiæ non sit obnoxium; cui necesse est obnoxius omnis homo nascatur, etiam moriturus obnoxius, si non renascatur. Ubi ergo me audisti sive legisti dicentem, *non innovari homines per baptismum, sed quasi innovari; non liberari, sed quasi liberari; non salvari, sed quasi salvari?* Absit ut ego inanem dicerem gratiam lavacri illius, in quo renatus sum ex aqua & spiritu, qua liberatus sum à reatu omnium peccatorum, vel quæ nascendo traxeram, vel quæ malè vivendo contraxeram: qua liberor ut [a] sciam ne intrem in tentationem, à concupiscentia mea abstractus & illectus, atque ut exaudiar dicens cum consortibus meis, Dimitte nobis debita nostra: qua liberabor, ut spero, in æternum, ubi jam nulla lex in membris meis repugnet legi mentis meæ. Non igitur ego inanem facio Dei gratiam: sed tu ejus inimicus inanem quæsisse videris jactantiam, ut in tuam disputationem introduceres Epicurum, *qui negavit esse corpus deorum, sed tamquam corpus; nec sanguinem, sed tamquam sanguinem*; & hac occasione de philosophorum litteris ad rem quæ inter nos agitur non pertinentibus, tanto ineptiùs quanto velut doctiùs delirares. Quis autem nostrûm dicit, *Quidquid in præsenti sæculo agitur, esse culpandum*; cùm hìc ipse Christus tanta egerit bona, sed ut nos erueret de præsenti sæculo malo?

quatenus sanctificatur. *Matth. 6. 12.* *Rom. 7. 23.* *Cicero lib. 1. de natura deorum.*

CAPUT XV.

45. Quam porrò diligenter & congruenter exponas apostolicum testimonium, ubi ait, *Spe salvi facti sumus*: & cetera, usque ad *redemtionem corporis nostri*, operæ pretium est intueri. Dicis enim quòd *illa resurrectio non peccata dimittat aliquorum, sed [b] expurget merita singulorum. Reddit enim unicuique*, inquis, *secundùm opera sua*, nec tamen dicis, secundùm quæ opera sua regnum Dei parvulis reddat. Et peccata quidem nulla remittuntur in regno: sed si nulla remitterentur in judicio illo novissimo, puto quòd Dominus non dixisset de quodam peccato, Non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro; quando sibi remitti sperabat latro ille, qui dicebat, Memento mei cùm veneris in regnum tuum. De qua re, quoniam profundissima quæstio est, non est modò præcipitanda sententia. Cur autem in regno nulla peccata remittit Deus filiis suis, nisi quia non invenit quod remittat? Non enim poterunt ibi esse peccata, ubi spiritus, non dico non consentit concupiscentiæ carnis, sed nec concupiscit adversùs carnem, quia nec caro adversùs eum; illa ineffabili salute perfecta, quæ nunc non fit in baptismo, ubi remittuntur quidem cuncta peccata, sed remanent carnalium concupiscentiarum mala, cum quibus post baptismum, si tamen proficiunt, exerceant sive conjugati gloriosa, sive continentes gloriosiora certamina: * quod & ipse confiteris; sed nescio qua miseriâ, quando pro veritate loqueris, tunc te ipse non audis.

Rom. 8. 24. Etiam in futuro sæculo peccata quædam remittuntur. *Matth. 12. 32.* *Luca 23. 42.* In cælo cur nulla peccata remittantur. * *Suprà lib. 3. cap. 21.*

46. Describens quippe illam summam resurrectionis felicitatem, dicis *neminem jam ibi justorum lividum facere corpus suum, & servituti subjicere*;

[a] Sic MSS. At editi, *ut scio.*

[b] Tres è Vatic. MSS. *expungat.* Alii duo cum pluribus Gall. *expurgat.* Am. *expugnat.* Floriac. cod. *expugnet.*

neminem humiliare animam suam stratis duris & pædore membrorum. Responde ergo cur hìc ista faciat, qui omni malo in baptismate caruit, cur audet lividum facere templum Dei? Nonne membra ejus membra sunt utique templi Dei? Cur ergo non suavi odore, sed pædore templi ejus, aut invitat præsentiam, aut impetrat misericordiam, aut placat iram ejus? Nihil-ne mali castigat, domat, vincit, opprimit in templo Dei, etiam livore & pædore ipsius templi Dei? Nonne attendis, nonne perspicis, quia tam vehementer corpus suum persequens, si nihil ibi persequitur quod displicet Deo, frustra persequendo templum ejus facit injuriam magnam Deo? Quid tergiversaris, quid cunctaris apertiùs confiteri? Illud profectò, illud est quod iste, cujus livorem pædoremque prædicas, in sua carne persequitur, unde dicebat Apostolus, Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Quam vocem baptizati esse cur negas, cùm opera vocis hujus in livore corporis & membrorum pædore cognoscas? Neque enim hæc sancti, vel Dei flagellis, vel ab inimicis tolerant patiendo, sed ipsi sibi ingerunt continendo. Et ut quid hoc, nisi contra carnis concupiscentiam spiritu concupiscendo? Quod nimirum & ipse sensisti. Cùm enim describens felicitatem futuræ vitæ, addidisses atque dixisses, *Nemo conviciis felicem impudentiam, nemo maxillas palmis, nemo subjiciet terga verberibus; nec conflare studebit de infirmitate virtutem; nec cum inopia frugalitas, nec cum mæroribus magnanimitas:* quare dicere noluisti, nec cum carnis concupiscentia castitas? Sed festinasti sensum concludere, atque dixisti, *nec patientia cum dolore luctabitur;* nihil aliud commemorans nisi quod forinsecus irruens fortitudine toleratur, non quod intus se commovens castitate comprimitur. An fortè nos arguis tarditatis, qui non intellexerimus, hoc te jam significasse superiùs, cùm de livore corporis diceres & labore ac pædore membrorum? Quando enim non ab hoste, sed à se ipso affligitur fortis, in ipso intus est qui vincendus est hostis.

Displicet Deo etiam in baptizatis mala concupiscentia.

Rom. 7. 18.

47. Memento sanè non te exposuisse cur Apostolus dixerit, *adoptionem exspectantes*, qui jam in lavacro regenerationis fuerat adoptatus. Iterum dicis, *quòd carnem suam nullus oderit.* Quis enim hoc negat? Sed tamen disciplinæ rigore asseris conterendam. Iterum ergo pro veritate loqueris, & audire te non vis. Cur enim caro conteritur à fidelibus, si nihil remansit in baptismo quod adversùs spiritum concupiscat? Cur, inquam, conteritur à se ipso templum Dei, si nihil ibi est quod resistat Spiritui Dei? Non autem tantùm inesset, verùm & graviter obesset, nisi reatus quo nos obstrinxerat, per remissionem peccatorum solutus esset. Solvitur ergo per indulgentiam, quia tenebat in noxa: conteritur per continentiam, ne vincat in pugna. Agitur itaque ne obsit, donec ita sanetur ut non sit. Quapropter dimittuntur in baptismate cuncta peccata, & originaliter tracta, & ignoranter vel scienter adjecta. Sed cùm dicit apostolus Jacobus, Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus, deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: profectò in his verbis partus à pariente discernitur. Pariens enim est concupiscentia, partus peccatum. Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit; nec concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit volentis assensum. Quod ergo adversùs eam dimicatur, hoc agitur, ne concipiat pariatque peccatum. Dimissis itaque in baptismo peccatis omnibus, id est, omnibus concupiscentiæ fetibus, si illic etiam ipsa consumta est, quomodo contra eam ne concipiat, dimicant sancti *livore corporis, pædore membrorum, contritione carnis?* quæ verba tua sunt. Quomodo, inquam, livore, pædore, contritione templi Dei contra eam belligeratur à sanctis, si & ipsa est ablata baptismate? Manet igitur: nec eâ regenerationis lavacro caruimus, si non ibi caruimus sensu, quo eam manere sentimus.

Rom. 8. 23.

Jac. 1. 14.

48. Quis autem ita sit imprudens atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremò insanus & demens, qui cùm peccata mala esse fateatur, neget esse malum concupiscentiam peccatorum, etiam si adversùs eam concupiscente spiritu, peccata concipere ac parere non sinatur? Tale porrò ac tam magnum malum, tantùm quia inest, quomodo non teneret in morte & pertraheret in ultimam mortem, nisi & ejus vinculum in illa quæ fit in baptismo remissione peccatorum omnium solveretur? Propter hoc enim vinculum quod connectitur ex primo Adam, nec solvi potest nisi in secundo Adam; propter hoc, inquam, vinculum mortis, mortui reperiuntur infantes, non ista morte notissima quæ à corpore animam separat, sed ea morte qua tenebantur omnes, pro quibus mortuus est Christus. Scimus enim, ait Apostolus, (quod à nobis sæpissime repetendum est,) quoniam unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro omnibus mortuus est, & resurrexit. Illi ergo vivunt, pro quibus ut vivant, mortuus est qui vivebat. Quod apertiùs ita dicitur: Illi sunt à mortis vinculo liberi, pro quibus mortuus est inter mortuos liber. Vel sic multo apertiùs: Illi sunt liberati à peccato, pro quibus mortuus est qui numquam fuerat in peccato. Et cùm semel sit mortuus, tamen pro unoquoque tunc moritur, quando in ejus morte, quantælibet ætatis fuerit, baptizatur: id est, tunc ei proderit mors ejus qui fuit sine peccato, quando in ejus morte baptizatus mortuus fuerit etiam ipse peccato, qui mortuus fuerat in peccato.

Concupiscentia quantum mala.

2. Cor. 5. 14.

Psal. 87. 6.

Tunc pro unoquoque moritur Christus, quando mortis ejus in baptismo fit particeps.

CAPUT XVI.

1. Cor. 6. 9.

49. INGERIS Apostoli testimonium, ubi ait, Nolite errare, neque fornicarii, neque simulacris servientes, & cetera, quibus commemoratis, concludit quòd regnum Dei non possidebunt. [a] Sed agunt talia qui concupiscentiæ, quam laudas, motibus ad mala & turpia quæque consentiunt. Quod ergo ait, Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis: mutatos eos dixit in melius, non ut eâ carerent, quod in hac vita fieri non potest; sed ut ei non obedirent, quod in bona vita fieri potest; atque ut ab eo, quo erant vinculo ejus obnoxii, liberatos se esse cognoscerent, quod nisi regeneratione fieri non potest. Tu autem, qui putas, *quòd si malum esset*

Ibidem 11.

[a] Hic Floriacensis cod. addit, *qui talia agunt.*

esset concupiscentia, careret eâ qui baptizatur, multùm erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planiùs ita dicitur: Omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Numquid enim caret corruptione corporis? An non est malum quod aggravat animam? & erravit qui dixit, Corpus enim corruptibile aggravat animam? (Sap. 9. 15.) Numquid caret ignorantiæ malo, per quod à nescientibus innumerabilia perpetrantur mala? (Ignorantiæ malum etiam in baptizato.) An parvum malum est, per quod homo non percipit quæ sunt Spiritûs Dei? De baptizatis nempe dicebat Apostolus, Animalis homo (1. Cor. 2. 14.)
» non percipit quæ sunt Spiritûs Dei; stultitia est
» enim illi, & non potest scire, quoniam spiritaliter dijudicatur. Deinde paulò pòst, Et ego, in- (1. Cor. 3. 1. &c.)
» quit, fratres, non potui loqui vobis quasi spirita-
» libus, sed quasi carnalibus: quasi parvulis in
» Christo, lac vobis potum dedi, non escam. Non-
» dum enim poteratis: sed nec adhuc quidem po-
» testis; adhuc enim estis carnales. Cùm enim sint
» inter vos æmulatio & contentio, nonne carnales
» estis, & secundùm hominem ambulatis? Vide quæ dicat mala de ignorantiæ malo venientia. Et puto quòd non de catechumenis ista dicebat. Parvuli quippe in Christo quomodo essent, nisi jam renati essent? (Ibid. 16.) Quod si nondum credis, quid eis post pauca dicat, adtende: Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? An adhuc dubitabis, vel negabis, non eos potuisse esse templum Dei, in quo habitaret Spiritus Dei, nisi baptizatos? Saltem ergo illud respice quod eis dixit: Numquid in nomine Pauli baptizati estis? (1. Cor. 1. 13.) Non igitur caruerant tanto ignorantiæ malo in lavacro regenerationis, ubi tamen omnibus caruerant sine dubitatione peccatis. Et per hoc ignorantiæ malum templo Dei, in quo habitabat Spiritus Dei, stultitia erant quæ sunt Spiritûs Dei. (1. Cor. 2. 14.) Sed de die in diem si proficerent, & in quod pervenerant in eo ambularent, sanâ profectò accedente doctrinâ minueretur hoc malum. Credamus etiam non tantùm minui, verùm etiam in hac vita posse consumi: tamen post baptismum; numquid in baptismo? Concupiscentiam verò quis ambigat in hac vita posse minui, non posse consumi? (Concupiscentia minui in hac vita potest, consumi non potest.)

50. Horum itaque malorum præteritus omnis reatus sacro fonte diluitur. Remittuntur ergo in renascentibus, minuuntur in proficientibus. Ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente: concupiscentia minuitur caritate magis magisque fervente. Nihil [a] boni horum duorum est à nobis. Non enim spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. (Ibidem 12.) Ex hoc autem concupiscentia pejor est quàm ignorantia, quia ignorantia sine concupiscentia minùs peccat; concupiscentia verò sine ignorantia graviùs peccat. (Concupiscentia qua re pejor sit ignorantiâ.) Et nescire malum, non semper est malum: concupiscere autem malum, semper est malum. Bonum quoque ipsum utiliter aliquando ignoratur, ut opportunè sciatur: nullo autem modo fieri potest, ut carnali concupiscentiâ bonum hominis concupiscatur: quando quidem nec

A ipsa proles libidine corporis, sed voluntate animi concupiscitur, quamvis non sine libidine corporis seminetur. De hac quippe agimus concupiscentia, qua caro concupiscit adversùs spiritum; non de illa bona, qua spiritus concupiscit adversùs carnem, & qua concupiscitur continentia, per quam concupiscentia vincatur. (Gal. 5. 17.) Hac ergo concupiscentiâ carnis numquam concupiscitur hominis ullum bonum, si voluptas carnis non est hominis bonum. Si autem, ut aliquo loco significasti, *placet tibi secta Dinomachi, honestatem voluptatemque conjungens*; (Sup. lib 4. cap. 15. Opinio Dinomachi de summo bono.) quod philosophi quoque hujus mundi qui honestiores videbantur, Scyllæum bonum esse dixerunt, ex humana scilicet natura belluinaque compactum: si hoc ergo monstrum tua opinione sectaris; satis est nobis, quòd confiteris aliam esse illicitam, aliam licitam voluptatem. Ac per hoc mala est concupiscentia quæ indifferenter utrumque appetit, nisi ab illicita voluptate licita [b] voluptate frenetur. Hoc autem malum non in baptismate [c] ponitur: sed baptizatis per gratiam regenerationis ab ejus obligatione jam liberis, ne ad illicita pertrahat, salubriter vincitur. Ut autem resurrectionis tempore non sit omnino in vivente corpore nec dolente, præmium est eorum qui contra eam fideliter certaverunt, qui languore sanato immortalitate [d] beatissima vestientur. In eis verò qui non ad vitam resurgent, non feliciter, sed pœnaliter [e] non erit: non quia tunc ab ea quisquam mundabitur; sed quia tunc malis non in delectamenta excitabitur, sed in tormenta vertetur. (Concupiscentia carnis quæ hîc impiis est oblectamēto, pôst in tormenta vertetur.)

51. JAM videamus illud excellentissimum acumen tuum, quo vidisti quemadmodum refelleres quod à me dictum est, *dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur; quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen.* (Caput XVII. Apud Am. & Er. VI. Lib. 1. de nupt. cap. 25.) Adversùs hæc mea verba sic argumentaris homo acutissimus, *tamquam ipsam concupiscentiam dixerim per baptismum reatu liberari*; quoniam dixi, *reatu suo jam soluto*: velut *suo* dixerim, quo ipsa rea est, eoque soluto illa permaneat absoluta. Quod utique si sensissem, profectò eam malam esse non dicerem, sed fuisse. Ac per hoc secundùm mirabilem intelligentiam tuam, quandò audis in aliquo homicidii reatum solutum, non hominem, sed ipsum homicidium à reatu existimas absolutum. Sic intelligat quis, nisi qui non erubescit laudare, cum qua compellitur dimicare? Et quomodo te jactas & exsultas in redarguendo istam sententiam, non meam planè, sed tuam. Talia quippe dicis, qualia dicenda sunt in eos, qui per baptismum sanctificatam & fidelem factam concupiscentiam carnis affirmant in eis, in quibus regeneratis manet tamen. Sed hoc tibi potiùs, qui eam bonam prædicas, convenit dicere, *ut bono ejus naturali, sicut de infantibus dicitis, bonum sanctificationis accedat*, & sit carnis concupiscentia sancta Dei filia. Nos autem qui eam malam dicimus, & manere tamen in baptizatis, quamvis reatus ejus, non quo ipsa erat rea, (neque enim aliqua per-

[a] Duo Vatic. MSS. *Nihil bonorum horum duorum.* Floriacensis, *Nihil horum donorum.*
[b] Sic plures MSS. Editi verò, *licita voluntate frenetur.*
[c] Editi, *punitur.* Veriùs Vaticani MSS. *ponitur*: id est, deponitur.
[d] Hîc Am. addit, *sanata &c.* Er. & Lov. *sana &c.* Id nostri non habent MSS.
[e] Editi, *sed pœnaliter erit.* At MSS. Vaticani omnes & Gallicani, *sed pœnaliter non erit*: lectio meliùs quadrat cum eo quod sequitur, *non quia tunc ab ea quisquam mundabitur*: id est, non quia reatus auferetur, sed tantùm actus concupiscentiæ, quo jocundè movere solet ad voluptatem.

ſona eſt,) ſed quo reum hominem originaliter faciebat, fuerit remiſſus atque vacuatus; abſit ut dicamus ſanctificari, cum qua neceſſe habent regenerati, ſi non in vacuum Dei gratiam ſuſceperunt, inteſtino quodam bello tamquam cum hoſte confligere, & ab ea peſte deſiderare atque optare ſanari.

Inteſtinum cum hoſte concupiſcentia bellum.

52. Nam ſi propterea dicis, nulla mala remanere in baptizatis, ne ipſa mala baptizata & ſanctificata credantur; vide quanta te ſequatur abſurditas. Si enim quidquid eſt in homine quando baptizatur, baptizari & ſanctificari putandum eſt; dicturus es & ipſa in illo baptizari & ſanctificari, quæ in inteſtinis & veſica ſunt per digeſtiones corporis egerenda. Dicturus es baptizari & ſanctificari hominem in matris utero conſtitutum, ſi ad hoc ſacramentum accipiendum gravidam neceſſitas cogat; & ideo baptizari jam non debere qui naſcitur. Poſtremò dicturus es & ipſas baptizari & ſanctificari febres, quando baptizantur ægroti; ac per hoc baptizari & ſanctificari etiam opera diaboli: velut ſi mulier illa baptizaretur ante quàm curaretur, quam ſatanas in infirmitate alligaverat per decem & octo annos. Quid de malis ipſius animi loquar? Cogita quantum mali ſit, ſtultitiam putare quæ ſunt Spiritûs Dei: & tamen tales erant, quos Apoſtolus alebat lacte, non cibo. Numquid & ſtultitiæ illius tam magnum malum, quia non fuerat baptiſmate ablatum, baptizatum ſanctificatumque dicturus es? Sic ergo & concupiſcentia, quæ manet oppugnanda atque ſananda, quamvis in baptiſmo dimiſſa ſint cuncta omnino peccata, non ſolùm non ſanctificatur, ſed potiùs ne ſanctificatos æternæ morti obnoxios poſſit tenere, evacuatur: quia & illi qui lacte alebantur, non ſolido cibo, & adhuc erant animales; non percipientes quæ ſunt Spiritûs Dei, quoniam ſtultitia illis adhuc erat; ſi in illa mentis ætate, non carnis, de corpore exiſſent, in qua ætate novi homines appellabantur parvuli in Chriſto, nullo reatu ſtultitiæ illius tenerentur: quia hoc eis beneficium fuerat regeneratione collatum, ut omnium malorum, quibus & poſtea vel moriendo vel proficiendo fuerant exuendi, reatus continuò ſolveretur remiſſione peccatorum omnium, nondum omnium ſanitate morborum. Qui tamen reatus teneat neceſſe eſt eum, qui ſecundùm carnem generatur; quia non niſi ei remittitur, qui ſecundùm ſpiritum regeneratur. A morte quippe juſtiſſimæ damnationis per unum Mediatorem Dei & hominum liberatur genus humanum, non à morte corporis tantùm, ſed à morte qua mortui ſunt, pro quibus ùnus mortuus eſt. Et quia pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.

Lucæ 13. 11. — *1. Cor. 2. 14.* — *1. Cor. 3. 2.* — *2. Cor. 5. 14.*

CAPUT XVIII. *Lib. 1. de nupt. cap. 25.*

53. QUOD verò te libuit tam multùm de qualitatum differentia diſputare, quia ego ſemel nominavi qualitatem, dicens, *non ſubſtantialiter manere concupiſcentiam, ſicut corpus aliquod aut ſpiritum; ſed eſſe affectionem quamdam malæ qualitatis, ſicut eſt languor:* itane nihil ad rem pertinere non ſentis? Primò enim dicis, *me mutaſſe ſententiam, & immemorem totius libri mei profeſſum fuiſſe ſubſtantiam eſſe libidinem.* Re vera evoluto & enucleato libro meo non es reperturus me libidinem ſubſtantiam dixiſſe vel A ſemel. Dixerunt eam quidam philoſophi partem animi eſſe vitioſam: & utique pars animi ſubſtantia eſt, quia ſubſtantia eſt ipſe animus. Sed ego ipſum vitium, quo animus vel ulla pars ejus iſto modo vitioſa eſt, libidinem dico, ut omni vitio ſanato ſalva ſit tota ſubſtantia. Quia & illi philoſophi locutione tropica mihi videntur vitioſam partem animi appellaſſe libidinem, in qua parte eſt vitium quod vocatur libido, ſicut appellatur domus pro eis qui ſunt in B domo.

Libidinem vitioſam eſſe animi partem, quo ſenſu philoſophi dicere potuerint.

54. Deinde te nimis acutis dialecticorum telis incautiùs exercendo, noſque jactantiùs territando, ſectam veſtram lethaliter vulneraſti. Dividens quippe atque definiens vel etiam deſcribens differentias qualitatum, inter cetera: *Tertia ſpecies qualitatis eſt*, inquis, *affectio & affectionalis qualitas. Affectio autem in qualitate ob hoc ponitur*, ais, *quia principium qualitatum eſt; cui etiam reputantur ad momentum accedentes recedenteſque aut animi aut* C *corporis paſſiones. Affectionalis verò qualitas*, inquis, *omnibus quibus evenerit, ex majoribus orta cauſſis ita inhæreſcit, ut aut magnis molitionibus, aut nullis omnino ſeparetur.* Hæc quidem ſatis explicaſti ſcientibus: ſed quia contemnendi non ſunt, qui lecturi libros noſtros diſciplinæ hujus ignari ſunt; quod deeſſe video, faciam ut à me illuſtrentur exemplis. Quantum ad animum adtinet; affectio eſt timere, affectionalis qualitas timidum eſſe: ſicut aliud eſt iratus, aliud iracundus; aliud ebrius, D aliud ebrioſus: illæ affectiones, iſtæ affectionales ſunt qualitates. Quantum autem ad corpus, ſicut aliud eſt pallens, aliud pallidus; aliud rubens, aliud rubicundus: & ſi qua hujuſmodi, quorum plurimis deſunt uſitata vocabula. Cùm itaque dixeris, *affectionalem qualitatem ortam ex majoribus cauſſis, atque ita inhæreſcere, ut aut magnis molitionibus, aut nullis ſeparetur:* quando ſecundùm eam dicitur animus malus, vel potiùs homo malus; nonne metuis, ne voluntas bona aut non E ibi eſſe poſſit, aut valere nihil poſſit? Nonne concedis, hominem miſerum, quicumque ille ſit vel fuerit, certè adversùs talem clamaſſe qualitatem, Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio? Hîc ſaltem fatemini eſſe iſtorum verborum gemitum neceſſarium: Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Aliud affectio, aliud affectionalis qualitas. — *Rom. 7. 18.* — *Ibid. 24.*

55. Quapropter quantolibet te adversùs oculos imperitorum dialectico tegmine involvas, F manifeſta veritate nudaberis. Ego tamquam valetudinem malam ex origine vitiata ingenitum eſſe homini dico vitium, quo caro concupiſcit adversùs ſpiritum; & hoc malo bene uti pudica conjugia, cùm eo utuntur generandi cauſſâ; ſed iſto mali uſu bono laudari utentem, non ipſum malum. Neque enim malum ipſum eſt innocens, ſed homo, qui facit ut malum ſuum, quo bene utitur, ei nocere non poſſit. Sicut mors, cùm ſit ſupplicium peccatoris, bono mali uſu accedente G fit meritum martyris. Percipitur autem in baptiſmate Chriſtiano perfecta novitas, & perfecta ſanitas ab eis malis noſtris quibus eramus rei; non ab eis cum quibus adhuc confligendum eſt ne ſimus rei; cùm & ipſa in nobis ſint, nec aliena, ſed noſtra ſint. Nam & vinolentiæ conſuetudini utique malæ, quam ſibi homines fecerunt,

Vitium originis eſt tamquam valetudo mala. — *Gal. 5. 17.*

non nascendo traxerunt, resistunt post baptismum, ne eos ad mala solita pertrahat: & tamen malo resistitur, dum concupiscentiæ per continentiam denegatur, quod per consuetudinem concupiscitur. Unde etiam contra istam genitalium concupiscentiam, quæ ingenita nobis est per originale peccatum, vehementiùs vidua quàm virgo; vehementiùs meretrix quando casta esse voluerit, quàm quæ semper fuit casta, confligit: & tanto ampliùs in ea superanda voluntas laborabit, quanto majores ei consuetudo vires dedit. Ex isto & cum isto hominis malo nascitur homo: quod malum per se ipsum tam magnum est, & ad hominis damnationem atque à regno Dei separationem tantum habet obligationis, ut etiam si de parentibus regeneratis trahatur, non nisi quemadmodum in illis sola regeneratione solvatur, atque isto unico remedio præpositus mortis à prole pellatur, quo à parentibus est pulsus. [a] Qualitas autem mali non in substantiam de substantia tamquam de loco in locum migrat, ut deserat ubi erat, & quæ fuit ibi, ipsa sit alibi; sed alia ejusdem generis, quodam operante contagio, quod etiam de morbidis parentum corporibus solet evenire nascentibus.

56. Quid autem dicere voluisti, quasi [b] *claudens* (ut loqueris) *Aristotelis palæstram, ut inde ad sacras litteras revertaris?* Ais enim: *Sensus est igitur concupiscentia, & mala qualitas non est:* [c] *ergo quando minuitur concupiscentia, sensus minuitur.* An non per concupiscentiam castitatis & continentiæ quotidie carnis concupiscentia magis magisque minuitur? Vellem itaque mihi diceres, utrùm à morbo fornicationis sanior non fiat, quem fornicari minùs minúsque delectat; quamvis opus illud malum una conversione sibi amputaverit, nec umquam hoc fecerit ex quo lavacrum regenerationis accepit. Itemque post consuetudinem vinolentiæ baptizatus, & numquam se deinceps prorsus inebrians, vellem diceres, utrùm ab isto morbo non fiat in dies sanior quàm fuerat, cùm potationis gurgitem minùs minúsque desiderat quàm solebat. (Concupiscentia non est sensus.) Sensus est igitur, non ipsa concupiscentia, sed ille potiùs quo nos eam majorem minoremve habere sentimus: sicut in corporis passionibus non sensus est dolor, sed ille sensus est quo sentitur dolor; nec sensus est morbus, sed ille sensus est quo nos morbum habere sentimus. Porrò si continuò fit bonus, & utique bona qualitate fit bonus, qui fornicationi vinolentiæque renuntians ab hujusmodi operibus se se abstinet; nonne rectè audit, Ecce sanus factus es, jam noli peccare: (Iohan. 5. 14.) rectéque appellatur castus & sobrius? Deinde si provectu [d] concupiscentiæ bonæ, qua concupiscentias malas fornicandi potandique debellat, talis efficitur, qualis recenti conversione nondum fuit, ut illorum in eo desideria peccatorum minùs minúsque moveantur, ut adversùs ea mala non tanta quanta priùs exerceat, sed minora certamina, non virtutum diminutione, sed hostium; nec deficiente pugnâ, sed crescente victoriâ, dubitabis eum pronuntiare meliorem? Unde obsecro, nisi quia bona qualitas aucta, & mala minuta est? Auctum est igitur quo bonus esse cœpit, minutum est quo malus fuit; & hoc egit post baptismum, non peregit in baptismo. Ita quamvis ibi peracta fuerit plena peccatorum remissio: remansit tamen, qua proficeretur in melius, adversùs catervas desideriorum malorum in nobis ipsis utique tumultuantium vigilanter exserenda & instanter exercenda luctatio, propter quam dicitur etiam baptizatis, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram: (Col. 3. 5.) &, Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis: (Rom. 8. 13.) &, Exuite vos veterem hominem. (Col. 3. 9.) [e] Nempe dicuntur hæc magna consensione veritatis, nulla reprehensione baptismatis.

57. Si ergo nolis esse contentiosus, puto quòd jam videas quàm rectè intelligatur, quod aliter conaris exponere, quod Propheta cùm dixisset, *Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis;* (Psal. 102. 3.) quod fit utique remissione omnium peccatorum: continuò subjecit, *Qui sanat omnes languores tuos:* (Lib. 1. de nupt. cap. 25.) ea mala volens intelligi, cum quibus donec sanentur, vel quantum possunt in hac vita magis magisque minuantur, non quiescunt intestina bella sanctorum. Neque enim nullus est languor, quo caro concupiscit adversùs spiritum, etiam manente virtute castitatis invicta. Si nullus languor est, non ergo adversùs eum spiritus concupiscat. Ad hoc enim concupiscit, ut si non potest non certandi, saltem non consentiendi obtineat sanitatem. Hoc quippe unde nunc agimus, quod nobis resistere sentimus in nobis, aut aliena est natura separanda, aut nostra sananda. Si alienam dicimus separandam, Manichæis favemus. Fateamur ergo nostram esse sanandam, ut Manichæos simul Pelagianosque vitemus.

CAPUT XIX.

(Apud Am. & Er. VIII.)

58. Hoc *ergo generi humano inflictum vulnus à diabolo, quidquid per illud nascitur, cogit esse sub diabolo, tamquam de suo frutice fructum jure decerpat.* (Lib. 1. de nupt. cap. 23.) Hæc verba de libro meo tibi refellenda posuisti: quibus ita insidiaris, tamquam *naturæ humanæ auctorem dixerim diabolum, & ipsius qua homo constat substantiæ conditorem:* quasi vulnus in corpore possis appellare substantiam. Sed si propterea me putas dixisse diabolum substantiæ conditorem, quia in ea similitudine quæ à me adhibita est, fruticem dixi; frutex quippe nullo dubitante substantia est: cur usque adeo te vel ostendis vel fingis indoctum, ut eis rebus quæ substantiæ non sunt, adhibendas de substantiis similitudines non existimes? Nisi fortè & ipsi Domino dialecticè calumniaberis, quia dixit, Arbor bona bonos fructus facit, & arbor mala malos fructus facit. (Matth. 7. 17.)

[a] Huc è margine translata fuerant hæc verba, *Qualitas affectionalis mali de substantia ad substantiam non emigrando transit, sed quodam operante contagio, id est, concupiscentiæ affectu, sicut de parentibus morbidis morbida soboles procreatur.* Delenda in antè editis, cùm his careant antiquiores MSS.

[b] Plures MSS. *plaudens.*

[c] Apud Am. & Er. post *non est*, addebatur, *dum concupiscentia minuitur, sensus dicatur imminui.* Id nonnisi pauciores MSS. habent, & expunxerunt Lovanienses ut ineptum glossema ex margine adscitum.

[d] Floriacensis MS. *si provectu, concupiscentias malas fornicandi potandique debellans, talis efficitur.*

[e] Inde removemus quinque hos versus: *Nullo modo reprehenditur baptisma, quia asseritur curatio quæ fit post baptisma; quia potiùs totum hoc per baptisma actum est, id est, ut & à præteritis languoribus sanaretur, & à futuris incipiat, studeat, mereaturque sanari. Ita baptismum totius fit caussa sanitatis, per quod & incipitur omnis sanitas & impletur:* quia malè cohærent cum superioribus & inferioribus verbis, absuntque à Vaticanis quatuor MSS. ab antiquissimo Floriacensi & quibusdam aliis Gallicanis.

A Quis enim malitiam sive bonitatem, vel opera bona seu mala, quos velut fructus illarum arborum voluit intelligi, dicat esse substantias, nisi nesciens quid loquatur? Quis verò arbores & earum fructus neget esse substantias, si novit quod loquitur? De his ergo rebus quæ substantiæ sunt, videmus adhibitas similitudines eis rebus quæ non sunt substantiæ. Quòd si arbor bona vel mala, non bonitas hominis vel malitia, sed ipsi homines accipiendi sunt, in quibus subjectis istas esse intelligimus qualitates, bonitatem B scilicet in homine bono, malitiamque in homine malo, ut ipsæ substantiæ sint arbores, id est, ipsi homines; certè fructus [a] eorum, (quæ nihil aliud quàm opera intelliguntur,) nemo nisi imperitus dicit esse substantias: cùm omnium arborum fructus, unde istæ similitudines datæ sunt, nemo nisi imperitus neget esse substantias. Ac per hoc ei rei quæ non est C substantia, fas est adhibere similitudinem de substantia. Propter quod ego vitio, quod generi humano diabolus tamquam vulnus inflixit, quamvis nullo modo substantia sit, rectè tamen adhibui de substantia similitudinem, ut fruticem dicerem, & fructus ejus vitia etiam illa cum quibus homines, vobis quidem negantibus, sed veritate convincente, nascuntur, & ex quibus in æternum Dei regno pereunt, si veritate liberante non renascuntur.

D 59. Proinde vitiatorem, non conditorem substantiæ diabolum dixi. Subdit autem sibi quod non condidit, per id quod inflixit, Deo justo tribuente hanc potestatem; cujus non subtrahit potestati, nec quod sibi est subditum, nec se ipsum. Ideo est enim secunda nativitas instituta, quia nativitas est prima damnata. Cui tamen etiam damnatæ Dei bonitas exhibetur, ut de maledicto semine rationalis natura formetur: qua ejus affluentissima bonitate apertissimè malorum hominum tanta multitudo nutritur, & E occulto Dei opere vegetatur. Quæ bonitas operationis ejus si subtrahatur formandis promovendisque seminibus, & vivificandis quibusque viventibus, non solùm gignenda non aguntur, sed ad nihilum penitus etiam genita rediguntur. Cùm ergo Deum nisi stulta impietas non reprehendat, quòd homines vitiosa voluntate damnabiles illo vivificante vivunt, qui vivificat omnia: cur putamus ab ejus operibus abhorrere, quòd origine vitiata damnabiles illo creante nascuntur, qui F creator est omnium; & per Mediatorem regenerati à damnatione liberantur debita, sed gratuita miseratione, non debita, quos elegit ante constitutionem mundi per electionem gratiæ, non ex operibus vel præteritis, vel præsentibus, vel futuris? Alioquin gratia jam non est gratia. Quod maximè apparet in parvulis, quorum nec præterita dici possunt opera, quia non fuerunt; nec præsentia, quia nihil operantur; nec futura, quando in illa ætate mo- G riuntur.

Instituta est secunda nativitas, quia prima est dânata.

Si Dei se bonitas rebus conditis subtrahat, ad nihilum relabuntur.

Rom. 11. 6.

60. Dixi sanè: *Quomodo manent peccata reatu, quæ præterierunt actu; sic è contrario fieri potest, ut concupiscentia maneat actu, & prætereat reatu.* Quod error quidem tuus falsum esse dicit, sed veritas verum esse convincit. Nam tu id non valendo refellere, primò dialecticas tenebras imperitis conaris offundere dicens, *te cogitare non posse, in qua dialexi invenerim contrariorum omnium reciprocationem.* Quam sententiam tuam si exponere voluero, & ad eorum perducere intelligentiam, qui numquam ista didicerunt, opus erit pleno fortasse volumine. Sed nunc satis est, quod ipse dixisti, *in nulla dialexi posse inveniri contrariorum omnium reciprocationem.* Hinc enim ostendisti aliquorum esse posse, non omnium. In his ergo aliquibus & hoc reperi. Si enim dixisses, contrariorum reciprocationem esse nullorum, & per hoc ostenderes ea quæ posui contraria reciproca esse non posse, quia nulla esse possunt; ego aliqua esse posse ostendere debui, ac deinde in his esse quod posui. Sed esse aliqua jam ipse concedis, qui non dicis nullorum contrariorum esse reciprocationem, sed non omnium. Est igitur aliquorum. Sed utrùm in his etiam hoc sit quod à me positum est, restat ostendere: id est, utrùm, sicut verum est, reatu manere peccata, quæ præterierunt actu; ita sit verum, quòd concupiscentia maneat actu, & prætereat reatu. Quod tu fieri non posse volens ostendere, hoc dixisti, quod ego non dixi. Ego enim de concupiscentia dixi, quæ est in membris repugnans legi mentis, quamvis reatus ejus in omnium peccatorum remissione transierit: sicut è contrario, sacrificium idolis factum, si deinceps non fiat; præteriit actu, sed manet reatu, nisi per indulgentiam remittatur. Quiddam enim tale est sacrificare idolis, ut opus ipsum cùm fit prætereat, eodemque præterito reatus ejus maneat veniâ resolvendus. [b] Quiddam verò tale est carnis concupiscentia, ut maneat in homine, secum per continentiam confligente, quamvis ejus reatus qui fuerat generatione contractus, jam sit regeneratione transactus. Actu enim manet, non quidem abstrahendo & illiciendo mentem, ejusque consensu concipiendo & pariendo peccata; sed mala, quibus mens resistat, desideria commovendo. Ipse quippe motus actus est ejus, quamvis mente non consentiente desit effectus. Inest enim homini malum & præter istum actum, id est, præter hunc motum, unde surgit hic motus; quem motum dicimus desiderium. Non enim semper est desiderium contra quod pugnemus: sed si tunc non est, quando non occurrit quod concupiscatur sive animo cogitantis, sive sensibus corporis; fieri potest ut insit qualitas mala, sed nullâ sit tentatione commota: sicut inest timiditas homini timido, & quando non timet. Cùm verò occurrit quod concupiscatur, nec desideria mala nobis etiam nolentibus commoventur, sanitas plena est. Hoc ergo vitium non [c] posset nisi reatu tenere hominem, quamvis ejusdem mali bono usu de castis conjugibus procreatum: qui reatus, quamvis eo manente malo, solvitur in remissione omnium peccatorum per Dei gratiam qua liberamur ab omni malo, cùm Dominus non solùm propitius fit omnibus iniquitatibus nostris, verùm etiam sanat omnes languores no-

Lib. 1. de nupt. cap. 26. & 27.

Peccata transire actu, manere reatu: concupiscentiam transire reatu, manere actu.

Rom. 7. 23.

Motus concupiscentiæ, actus est ejus.

Inesse potest qualitas mala, etiam si nullâ sit tentatione commota.

[a] Tres è Vaticanis MSS. *certè fructus earum, (qui nihil aliud quàm opera intelliguntur,) nemo nisi imperitus neget esse substantias.*

[b] Hìc, *Quiddam verò*, ex MSS. quinque Vaticanis & nonnullis Gallicanis addidimus.

[c] Sic MSS. At editi, *non potest.*

stros. [a] Nam recole quid responderit Liberator ipse atque Salvator his qui ei dixerant, ut exiret de Jerosolymis: Ecce, inquit, ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertiâ consummor. (Luc. 13. 32.) Lege Evangelium, & vide post quantum [b] passus fuerit & resurrexerit. Ergo mentitus est? Absit. Sed significavit aliquid, quod ista inter nos quæstione versatur. Expulsio quippe est dæmoniorum remissio peccatorum: perfectio sanitatum, quæ fit proficiendo post baptismum: tertia consummatio est, quam suæ quoque carnis immortalitate monstravit, incorruptibilium beatitudo gaudiorum.

61. Tu autem in exemplum rei, de qua loquebaris, sacrilegum sacrificium posuisti, atque dixisti, *quidquid ad hoc genus pertinet, de isto uno posse monstrari: quoniam si semel aliquis idolis sacrificaverit, potest, donec consequatur veniam, premi impietate commissi, & manet reatus actione finita. Nullo autem pacto*, inquis, *fieri potest, ut maneat actio, & abscedat reatus, id est, ut dæmonibus*, inquis, *sacrificare non desinat, & tamen liberà profanitate videatur.* Hoc de sacrificio idolis oblato verissimè dicis: actus est enim qui opere ipso peragitur, & non erit; & si iterum fit, alterum fit. Impietas verò ipsa qua hæc fiunt, tamdiu manet, donec idolis renuntietur & credatur in Deum. Idolis itaque sacrificatum factum est transiens, non vitium manens: impietas verò qua sacrificatum est, quia & illo peracto manet, videtur esse concupiscentiæ similis, qua commissum est adulterium. Sed errore sublato, quo illa impietas pietas putabatur, numquid idolis aliquem sacrificare delectat, & in illo hujusmodi desiderium commovetur? Nullo modo igitur simile est, quod pro simili ponendum putasti. Nullo modo, inquam, simile est sacrificium transiens manenti concupiscentiæ, quæ hominem jam non committentem quod solet ei consentiendo committere, jam plena fide & cognitione retinentem non esse talia facienda, stimulis tamen illicitorum desideriorum, quibus resistit castitas, inquietare non cessat: neque scientiâ finitur, ut non sit; sed continentiâ refrenatur, ut quò tendit pervenire non possit. Quapropter sicut idolis immolatio, quæ jam nec in actione est, quia præteriit; nec in voluntate, quia error quo fiebat absumtus est; manet tamen reatus ejus, donec in lavacro regenerationis peccatorum omnium remissione solvatur: sic è contrario quamvis reatus malæ concupiscentiæ eodem baptismate sit solutus; manet tamen ipsa, donec ab eo qui post ejecta dæmonia perficit sanitates, medicinâ perficiente sanetur.

(Reatus quid & ubi sit.)

62. Sed quæso te, cùm & ipse concedas peccati facti atque transacti reatum manere, nisi sacro fonte diluatur: dic mihi reatus iste quis sit, & ubi maneat jam homine correcto rectéque vivente, nondum tamen peccatorum remissione liberato? Subjectum est reatus iste, id est, substantia, sicut spiritus, sicut corpus; an in subjecto, sicut febris aut vulnus in corpore, sive avaritia vel error in animo? In subjecto esse dicturus es: neque enim reatum affirmabis esse substantiam. In quo igitur tibi videtur esse subjecto? Cur quæram quid respondeas, & non potiùs verba tua ponam? *Actu*, inquis, *prætereunte, manet ejus reatus in illius conscientia qui deliquit, donec dimittatur.* Ergo in subjecto est, hoc est, in animo ejus qui deliquisse se meminit, & scrupulo [c] angitur conscientiæ, donec fiat delicti remissione securus. Quid si obliviscatur se deliquisse, nec ejus conscientiâ stimuletur, ubi erit reatus ille, quem transeunte peccato manere concedis, donec remittatur? Non est certè in corpore, quia non est eorum accidentium quæ accidunt corpori: non est in animo, quia ejus memoriam delevit oblivio; & tamen est. Ubi est igitur, cùm jam bene vivat homo, nihil tale committens; nec dici possit, eorum peccatorum ejus reatum manere [d] quæ meminit; eorum verò quæ oblitus est non manere? Manet quippe omnino donec remittatur. Ubi ergo manet, nisi in occultis legibus Dei, quæ conscriptæ sunt quodam modo in mentibus angelorum, ut nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis Mediatoris expiaverit; cujus signo crucis consecratur unda baptismatis, ut eâ diluatur reatus tamquam in chirographo scriptus, in notitia spiritalium potestatum, per quas pœna exigitur peccatorum? Huic chirographo nascuntur obnoxii omnes in carne de carne carnaliter nati; ejus ab hoc debito sanguine liberandi, qui in carne quidem & de carne, non tamen carnaliter, sed spiritaliter natus est. Natus est enim de Spiritu-sancto ex virgine Maria. De Spiritu scilicet sancto, ne esset in illo caro peccati; ex virgine autem Maria, ut esset in illo similitudo carnis peccati. Ideo illi chirographo non venit obnoxius, & ab illo solvit obnoxios. Neque enim nulla est iniquitas, cùm in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiam si vincere non sinantur. Hanc iniquitatem si homo ab homine altero forinsecus adversante pateretur, quia in illo non esset, sine illo utique puniretur: quia verò in illo est, aut cum illo punietur, aut illo ab ejus reatu liberato, sic in certamine adversùs spiritum perseverat, ut hominem jam non reum ad nulla post mortem tormenta transmittat, non alienet à regno Dei, nulla damnatione faciat detineri; neque ut eâ penitus careamus, velut aliena natura sejungatur à nobis, sed quia nostræ naturæ languor est, sanetur in nobis.

(Nulla iniquitas impunita, nisi quam sanguis Mediatoris expiaverit. Signo crucis baptismatis unda consecratur. Col. 2.)

(Iniquitas est carnem spiritui reluctari.)

CAPUT XX. (Apud Am. & Er. IX.)

63. PROPTER hoc ergo *vitium*, sicut in eo libro cui resistis à me positum est, *humana natura damnatur: & propter quod damnatur, propter hoc*

[a] Am. & Er. cum nonnullis MSS. post, *sanat omnes languores nostros*, proximè subjiciunt: [*Dominus in Evangelio, Ecce, inquit, ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertio consummor. Post multum tempus quàm hoc dictum est, passus est Dominus: mentiri non potuit. Intelligitur ergo sic: Expulsio dæmoniorum remissio peccatorum est, eo utique quòd diabolus peccatorum pater atque origo sit, per id quod efficitur id quod efficit.*] *Et utique expulsio dæmoniorum est remissio peccatorum; tamquam resolutâ caussâ, per quam hominis animam possidebat. Perfectio sanitatum, dum de die in diem proficit Ecclesia, & corruptionis, cujus reatus ablatus est, passio quotidianâ renovatione minuitur. Tertiâ consummatur, dum resurrectionem in se ipso initiandam monstravit Ecclesia, qua ad incorruptionis consummationem summamque perveniat sanitatem. Se verò consummari dixit: & initium & finis ipse, ipse caput & plenitudo corporis, in membris suis ipse perficitur.* Priorem partem hujus additamenti, quam ansulis comprehendimus, eraserunt Lovanienses: posteriorem transtulerunt post duodecim versus, ad verba, *incorruptibilium beatitudo gaudiorum.* Utramque partem auctoritate Vaticanorum quatuor, & Gallicanorum aliquot MSS. rejicimus.

[b] Hic apud Lov. additur, *tempus.*

[c] Am. & MSS. *agitur.*

[d] Sola editio Lov. *qui meminit, ejus verò qui oblitus est.*

Lib. 1. de nupt. cap. 23. *& damnabili diabolo subjugatur; quia & ipse diabolus spiritus immundus est: & utique bonum quòd spiritus, malum quòd immundus; quoniam spiritus est naturâ, immundus est vitio: quorum duorum illud à Deo est, hoc ab ipso. Non itaque tenet homines sive majoris sive infantilis ætatis, propter quod homines, sed propter quod immundi sunt.* His verbis meis ex libro meo abs te positis, ita resistendum putasti, ut diceres, *hanc formam etiam in homine malo debuisse servari, quæ servatur in diabolo; ne quisquam damnetur, nisi ex vitiis propriæ voluntatis; atque ideo nullum sit originale peccatum: alioquin opus ejus*, ut dicis, *qui etiam diabolum bonum condidit, non potest approbari.* Nec adtendis quòd diabolum non ex alio diabolo creavit Deus, nec ex aliquo angelo licèt bono, cujus tamen lex esset in membris repugnans legi mentis, per quam & cum qua de homine nascitur omnis homo. Adjuvaret itaque te fortasse hoc argumentum, si ut homo, ita diabolus gigneret filios, eosque paterno peccato negaremus obnoxios. Nunc verò aliud est ille, qui homicida erat ab initio, quia hominem ab initio quo est homo institutus, occidit per feminæ seductionem, & in veritate per liberum arbitrium non stetit, cadensque dejecit:[a] & aliud est quod per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Ubi evidenter expressum est, exceptis cujusque hominis propriis, commune omnibus hominibus originale peccatum.

(Johan. 8. 44. — Rom. 5. 12.)

Lib. 1. de nupt. cap. 23. 64. Quòd autem dixi, *Qui miratur quia creatura Dei subditur diabolo, non miretur; subditur enim creatura Dei creaturæ Dei, minor majori:* cur ita posuisti, ut sequentia mea verba non adderes, quibus ostendi, quemadmodum dixerim, *minor majori*, humana scilicet angelicæ; nisi ut minùs intelligeretur sensus meus, ut faceres tibi locum, ubi, sicut soles, de Aristotelicis categoriis obtenderes nebulas imperitis, in quibus latentem putarent te aliquid dicere, quid diceres nescientes. Ad hoc enim redacta est hæresis vestra, ut gemant sectatores vestri non inveniri dialecticos judices in Ecclesia, de scholis Peripateticorum sive Stoicorum, à quibus possitis absolvi. Quò enim pertinet, quid sibi vult, ut quid dictum est quod dixisti, *quia major & minor ad* [b] *finitam speciem pertinet quantitatis? Sed quantitas*, inquis, *non solùm contrariorum capax non est, quod ei cum qualitate atque aliis prædicamentis; verùm etiam nec contrarium habet, quod ei cum substantiæ est definitione commune: bonum verò & malum contraria sunt.* Hæc profectò numquam diceres, si lectores vel auditores librorum tuorum putares intellecturos esse quod dicis. Itane verò ideo immundus homo immundo angelo subdendus non fuit, quoniam quantitas qua homine major est angelus, non solùm contrariorum capax non est, verùm etiam nec contrarium habet: quasi tunc diabolo fuisset homo subdendus, si ei reperiretur esse contrarius; & mala subdenda non sint malis, quia bona malis, non mala malis videntur esse contraria? Quid vanius cogitari, quid ineptius dici potest? Nonne domino subditur servus, & bonus bono, & malus malo, & malus bono, & bonus malo? Nonne uxor subdi-A tur viro, & bono bona, & malo mala, & bono mala, & malo bona? Quid igitur pertinet ad vim sive rationem, qua quidque cuique subdendum est, utrùm hæc res aut illa possit vel non possit capere vel habere contrarium? Verùm tu planè inconsideratè ista non funderes, si stultitiæ quæ tibi ista suggerit, sapientiam contrariam cogitares.

65. Jam porrò illa qualis est argumentatio tua; *Si res*, inquis, *quæ decenter ordinata est, ad Deum pertinet, & res quæ ad Deum pertinet, bona* B *est; bonum est itaque subditum esse diabolo, quoniam institutus à Deo per hoc ordo servatur. Sequiturque*, inquis, *ut malum sit rebellare diabolo, quoniam per resultationem institutus à Deo ordo turbatur.* Posses dicere, Deo resistere agricolas, ejusque ordinem perturbare, purgando agros à spinis & tribulis, quæ ille peccatoribus nasci jussit in pœnam. (Gen. 3. 18.) Quid quòd ista tua ratione dici potest: Si res quæ decenter ordinata est, ad Deum pertinet, & res quæ ad Deum pertinet bona est, bonum C est malis esse in gehenna, quoniam institutus à Deo per hoc ordo servatur? Quod verò tu addis, *Sequiturque ut malum sit rebellare diabolo, quoniam per resultationem institutus à Deo ordo turbatur*: cur hoc dicis? Quis enim rebellat diabolo, nisi ab ejus potestate per Mediatoris sanguinem liberatus? Melius ergo fuerat hostem non habere, quàm vincere. Sed quia peccati merito humana natura subdita est hosti; priùs homo, ut adversùs eum pugnare possit, ab ejus eruitur pote-D state. Deinde si vita est in hac carne prolixior, certans adjuvatur, ut superet. Postremò victor beatificatur, ut regnet, dicturus in fine, Ubi est mors contentio tua? Vel sicut dicit Apostolus, Ubi est mors victoria tua, ubi est mors aculeus tuus? (Oseæ 13. 14. 1. Cor. 15. 55.)

CAPUT XXI.

66. Quin etiam visa sunt tibi de Manichæi libris nonnulla esse ponenda, quibus meam sententiam comparares: cùm ego commixtionem duarum naturarum, boni scilicet & mali, unde E illorum tota fabulosa manat insania, non solùm fide verboque detester & damnem; verùm etiam tibi ipsi suffragatori eorum resistendo teque refellendo convincam. Cùm enim contra eos veritas clamet, mala nisi de bonis orta non esse: nonne tu pro ipsis & cum ipsis contra veritatem reclamas, *Per opus Dei opus diaboli transire non sinitur? Non potest mali radix in dono Dei locari. Rerum ratio non sinit, ut de bono malum, & de justo iniquum aliquid proferatur. Non nascuntur pec-*F *cata de ea re, quæ libera est à peccato. De hoc opere quod non habet culpam, nasci culpa non potest.* (Suprà lib. 1. cap. 8 & 9. — Lib. 5. cap. 16. n. 59. & 64.) Quibus omnibus vocibus tuis conficitur, non esse mala exorta de bonis; ut restet, secundùm Manichæos, non esse mala exorta nisi de malis. Quomodo ergo quemquam Manichæorum nomine, tamquam eorum adversarius criminaris; cùm sic ab eorum parte consistas, ut vinci omnino non possint, nisi cum illis & ipse vincaris? Quod in primo hujus operis libro * aliquanto copiosiùs, G & in quinto * breviùs, & hîc hactenus nos egisse sufficecerit. (* Cap. 8. * Cap. 16.)

67. Ipsa verò quæ communis est vobis hæresis vestra quantum Manichæos adjuvet, jam quidem sæpe monstravi, sed ne hîc quidem est omittendum. Enumerant Manichæi mala quæ in

[a] Hîc editi addunt, *hominem*.

[b] Vaticani MSS. & Gallicani, *ad infinitam*.

[A] parvulis monstrant, quæ Cicero quoque commemorat in libris de Republica, unde ipsa ejus verba * jam transtuli. In quorum malorum commemoratione dicit, *non ut à matre natura, sed ut à noverca hominem in has ærumnas esse projectum.* Huc accedunt etiam illa, quæ non quidem omnes parvulos, sed tamen plurimos cernimus perpeti multa & [a] varia mala, usque ad dæmonum incursus. Atque concludunt dicentes, cùm sit justus & omnipotens Deus, un[B]de ista mala patitur imago ejus in parvulis; nisi quia vera est, inquiunt, quam nos asserimus duarum naturarum, boni scilicet malique commixtio? Hos catholica redarguit veritas, confitens originale peccatum, per quod factum est dæmonum ludibrium genus humanum, & laboriosæ miseriæ destinata propago mortalium. Non autem ita esset, si humana natura per liberum arbitrium in quo statu primùm condita est perstitisset. Vos autem negantes originale peccatum, profectò aut cogemini dicere Deum vel invalidum, vel [C] injustum, sub cujus potestate imago ejus in parvulis sine ullo vel proprii vel originalis peccati merito tantis affligitur malis; non enim per hæc exercetur virtus, quod rectè de bonis hominibus majoribus dicitur, in quibus rationis est usus: aut quia Deum vel impotentem vel iniquum dicere non potestis, Manichæi contra vos errorem suum nefarium de duarum inter se inimicarum substantiarum permixtione firmabunt. Non igitur *me ab infectione Manichæorum, nulla*, sicut dicis, *mun*[D]*dat herba fullonis.* Quibus petulantibus verbis facis lavacro regenerationis injuriam, quod in sinu Catholicæ matris accepi. Sed vobis tam malitiosum venenum antiqui draconis irrepsit, ut & catholicos horrore Manichæi nominis infametis, & Manichæos perversitate vestri dogmatis adjuvetis.

* Suprà lib. 4. cap. 12.

Merito originalis peccati genus humanum ludibrium factum est dæmonum.

CAPUT XXII. Apud Am. & Er. X.

68. ILLUD verò de alio libro meo, quod ad Marcellinum scribens dixi, *Filios mulieris quæ serpenti credidit ut libidine corrumperetur, non liberari nisi per filium virginis, quæ Angelo credidit* [E] *ut sine libidine fetaretur*: ita posuisti, atque ita voluisti accipi, tamquam dixerim, *quòd Evæ serpens commixtus fuerit concubitu corporali*; sicut Manichæi principem tenebrarum ejusdem mulieris patrem cum illa concubuisse delirant. Hoc ego de serpente non dixi. Sed numquid tu contra Apostolum negas, mentem mulieris à serpente corruptam? An eum non audis, ubi dicit, Timeo ne sicut serpens Evam fefellit in versutia sua, ita corrumpantur mentes vestræ à simplicitate & [F] castitate, quæ est in Christo? Ex ista utique corruptione serpentis, qualis fit etiam quando corrumpunt mores bonos colloquia mala, [b] pervenit libido peccandi in mentem mulieris [c]; ut & viro prævaricatione corrupto, deinde illa, de qua erubuerunt & pudenda texerunt, sequeretur in carne, non diaboli accedente concubitu corporali, sed spiritali Dei gratiâ recedente.

Lib. 1. de pec. merit. & remiss. cap. 28.

2. Cor. 11. 3.

* Apud Am.

69. Non igitur *tota disputatione tua contri*[A]*visti*, sicut te jactas, *assertionem meam, de malo carnalis concupiscentiæ originalisque peccati*; manente laude nuptiarum, quæ bene utuntur malo, non quod fecerunt, sed quod invenerunt. Verùm nec ipsos Manichæos contrivisti, quos potiùs adjuvisti, [d] tu maximè & in commune omnes Pelagianæ novitatis errorisque participes, sicut jam demonstravi. De testimoniis etiam tractatorum catholicorum sancti Basilii Cæsariensis & sancti Johannis Constantinopolitani, quorum dixisti [B] sensum vestris convenire sententiis, in primo hujus mei operis * libro, tibi sufficientissima & certissima veritate respondi; ostendens quemadmodum non intelligendo quædam verba eorum, adversùs dogma eorum, quod est dogma catholicum, mirabili cæcitate pugnetis. In secundo quoque libro satis egimus, ut appareat quàm non sit, quemadmodum * conviciaris, *conspiratio perditorum*; sed sanctorum & eruditorum Ecclesiæ catholicæ patrum pius fidelisque consensus, qui [C] hæreticæ vestræ novitati resistunt pro antiquissima catholica veritate. Unde etiam *populi murmur, quod solum vobis à nobis* dicis *opponi*, nec solum est, quia tantorum nititur auctoritate doctorum; & justum est, quia non vult ut evertatis sibi quoque notissimam salutem quæ in Christo est parvulorum.

& Er. Cap. XI.

* Cap. 5. & 6.

* Suprà lib. 1. cap. 7.

CAPUT XXIII. Apostolum Rom. 7. ex sua justorumque persona fuisse locutum.

70. QUOD autem verba apostolica, ubi dicit, *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum*; & cetera usque ad illud, ubi ait, [D] *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*; *me* affirmas *aliter intelligere, quàm totum ipsum* [e] *capitulum debet intelligi*: nesciens mihi plurimum tribuis. Non enim ego solus aut primus sic istum locum intellexi, quo evertitur hæresis vestra, quemadmodum verè intelligendus est: immo verò ego priùs eum aliter intellexeram, vel potiùs non intellexeram; quod mea quædam illius temporis etiam [f] scripta testantur. Non mihi enim videbatur Apostolus & de se ipso di[E]cere potuisse, Ego autem carnalis sum, cùm esset spiritalis: & quòd captivus duceretur sub lege peccati, quæ in membris erat ejus. Ego enim putabam dici ista non posse, nisi de iis quos ita haberet carnis concupiscentia subjugatos, ut facerent quidquid illa compelleret; quod de Apostolo dementis est credere: cùm etiam innumerabilis multitudo sanctorum, ne concupiscentias carnis perficiat, contra carnem spiritu concupiscat. Sed [F] postea melioribus & intelligentioribus cessi, vel potiùs ipsi quod fatendum est veritati, ut viderem in illis Apostoli vocibus gemitum esse sanctorum contra carnales concupiscentias dimicantium. Qui cùm mente sint spiritales, adhuc tamen isto corruptibili corpore quod aggravat animam, rectè intelliguntur esse carnales; [g] quia erunt & corpore spiritales, quando seminatum corpus animale, resurget corpus spiritale: & rectè adhuc intelliguntur ea parte captivi sub lege peccati, quæ desideriorum, quibus non

Rom. 7. 14. & 23.

Sap. 9. 15.

1. Cor. 15. 44.

[a] Duo è Vat. MSS. *& gravia.*
[b] In plerisque MSS. *provenit.*
[c] Editi, *in mentem mulieris & viri; ut prævaricationis corruptio deinde illa.* Omnes tamen Vatic. & Gallic. MSS. *in mentem mulieris; ut & viro prævaricatione corrupto, deinde illa*: subaudi, *libido.*
[d] Editi, *tum maximè.* Castigantur ex MSS.
[e] Sic MSS. Editi verò, *caput.*
[f] Ea scripta sunt, Liber 1. ad Simplicianum, q. 1. Expositio epistolæ ad Rom. proposit. 41. & 42. Expositio epist. ad Galat. cap. 5. Meliorem interpretationem sequutus est postea in lib. de gratia Christi cap. 39. lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 10. & 11. lib. 1. Retract. cap. 23. & 24. Ibid. lib. 2. cap. 1. & suprà contra Julian. lib. 2. cap. 3.
[g] Quatuor ex Vatic. MSS. *qui.* Paulò pòst editi, *quando seminatum fuerit corpus animale & resurget corpus spiritale.* Emendantur ex MSS. Gallic. & Vatic.

consentiunt, motibus subjacet. Hinc factum est ut sic ista intelligerem, quemadmodum intellexit *Suprà lib. 1. cap. 3. & 4.* Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & ceteri Ecclesiæ sancti notique doctores, qui & ipsum Apostolum adversùs carnales concupiscentias quas habere nolebat, & tamen habebat, strenuè conflixisse, eumdemque conflictum suum illis suis verbis contestatum fuisse senserunt. Contra quos motus, priùs utique debellandos ne dominentur, & postea sanandos ut penitus exstinguantur, etiam *Lib. 3. cap. 21.* ipse gloriosa certamina sanctos exercere confessus es. Simul itaque cognoscamus verba pugnantium, si pugnamus. Hoc enim modo non vivimus nos, sed vivit Christus in nobis, si & ad pugnam contra concupiscentias exercendam, & ad victoriam usque ad consumtionem eorumdem hostium capessendam, in illo fidimus, non in nobis. *1. Cor. 1. 30.* » Ipse quippe factus est nobis sapientia à Deo, & » justitia, & sanctificatio, & redemtio, ut quem- *Jer. 9. 23.* » admodum scriptum est, Qui gloriatur, in Do- » mino glorietur.

71. Non est ergo *contrarium*, sicut putas, *ut* *Gal. 2. 20.* *qui dicit, Vivo non ego jam, vivit verò in me* *Rom. 7. 18.* *Christus; dicat etiam, Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum.* In quantum quippe in illo vivit Christus, in tantum expugnat & superat quod non habitat bonum in ejus carne, sed malum. Neque enim rectè cujusquam spiritus concupisceret adversùs carnem suam, nisi habitaret in illo Spiritus Christi. Absit ergo ut dicamus, quod nos dicere insimulas, *Apostolum sic ista dixisse, quasi qui se vellet intelligi renitentem, in scorta aliquà manu pestiferæ voluptatis abduci:* *Ibidem 20.* cùm dicat, Non ego operor illud, ostendens concupiscentias carnis solùm impulsum libidinis operari, sine consensione peccati.

72. Quid est, quòd *in Judæorum superbiam* frustra conaris *ista verba transferre, tamquam ipsos in se transfiguraverit Apostolus, qui contemnebant dona Christi, velut sibi non necessaria?* Sic enim suspicaris: atque utinam ipsa dona Christi saltem ita saperes, ut ad vincendam concupiscentiam valere aliquid crederes. Sed ideo dicis à Judæis fuisse contemta, *quòd veniam daret ille peccatis, quæ ipsi legis admonitione vitassent.* Quasi hoc conferat homini remissio peccatorum, ut caro non *Gal. 5. 17.* concupiscat adversùs spiritum, unde illa verba nata sunt: *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum:* & cetera hujusmodi. Verùm tu à vestro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum sic in sola peccatorum remissione versari, ut non adjuvet ad vitanda peccata & desideria vincenda carnalia, diffundendo caritatem in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui ab illo datus *Rom. 5. 5.* est nobis. Neque consideras eum qui dicit, Vi- *Rom. 7. 23.* deo aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; & ab hoc malo non se liberari clamat, nisi gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum; nec Judæum esse, nec quia peccavit, sed ne peccet potiùs laborare.

Gratiam Dei per Jesum Christum Pelagiani in sola peccatorum remissione constituunt.

73. *Exaggerat* [a], inquit, *Apostolus vim consuetudinis.* Tu ergo responde, utrùm contra istam A vim non dimicet baptizatus? Quod si negas, omnibus Christianis sensibus contradicis: si autem dimicat, cur non in verbis Apostoli vocem dimicantis agnoscis? [b] *Per legem*, inquis, *bonam & per mandatum sanctum pravorum animi ferocierant; quoniam sine voluntate propria nulla eruditio poterat inspirare virtutem.* O acutum intellectorem! O divinorum eloquiorum egregium tractatorem! Quid agis de verbis dicentis, Non quod volo *Ibid. 19. 18. 16. & 15.* ago: &, Velle adjacet mihi: &, Quod nolo hoc B ago: &, Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem? Audis hæc, & dicis, quia voluntas defuit, ideo defuisse virtutem. Quid quòd non solùm voluntas, verùm etiam virtus adfuit, ne consentiret concupiscentiæ carnis, quæ [c] legi peccati pravis ipsis motibus serviebat? Quibus *Rom. 6. 13.* ille non cedens, nec arma iniquitatis exhibens membra peccato, & tamen quod nollet sentiens in carne contra spiritum concupiscente, & adversùs eam vicissim spiritu concupiscens, verissi- *Rom. 7. 25.* C ma castitatis voce dicebat, Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. Illa *Ibid. 12. & 13.* sanè verba quæ posuisti, ubi ait Apostolus, Lex « sancta, & mandatum sanctum & justum & bo- « num; quod ergo bonum est, mihi factum est « mors? Absit: sed peccatum ut appareat pecca- « tum, per bonum mihi operatum est mortem, ut « fiat supra modum peccatum peccans per mandatum: bene intelligitur de vita sua dixisse præterita, quando sub lege fuerat, nondum sub gra- *Ibidem 7. & 8. 9.* D tia. Nam & verbis præteriti temporis utitur, dicendo, Peccatum non cognovi, nisi per legem: &, Concupiscentiam nesciebam: &, Operatum « est in me omnem concupiscentiam: &, Vivebam « aliquando sine lege; utique quando nondum po- « terat usum habere rationis: &, Adveniente man- « dato peccatum revixit, ego autem mortuus sum: « &, Peccatum occasione accepta per mandatum « fefellit me, & per illud occidit: &, Per bonum « mihi operatum est mortem. His omnibus tem- E pus significare intelligitur, quo sub lege vivebat, & nondum adjutus gratiâ concupiscentiis carna- *Ibidem 14.* libus [d] vincebatur. Ubi verò jam dicit, Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum: jam quod confligens patiebatur ostendit. Non enim dixit, carnalis fui, vel eram; sed, sum. Et apertiùs tempo- *Ibidem 17.* ra ipsa distinguit, ubi dicit, Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum. Jam enim motus desideriorum malorum non ipse operabatur, quibus non consen- F tiebat ad perpetranda peccata. Peccati autem nomine quod in illo habitabat, ipsam nuncupabat concupiscentiam; quia peccato facta est, & si consentientem traxerit atque illexerit, concipit paritque peccatum. Et cetera usque ad eum *Ibidem 25.* locum, ubi ait, Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati: verba sunt jam sub gratia constituti, sed adhuc contra concupiscentiam suam dimicantis, nec ei consentientis ut peccet; sed tamen quibus renititur, pec- G cati desideria patientis.

74. Nemo nostrûm substantiam corporis, nemo naturam carnis accusat: frustra purgatur

a Sic tres MSS. Alii cum editis, *Exasperat.*
b Duo ex Vatic. MSS. *Pro lege, inquis, bona, & pro mandato sancto pravorum animi ferocitabant.* Tres alii Vatic. *ferociabant.* Gallici, *ferocierant.* Editi, *feroces erant.*

c Am. & aliquot MSS. *lege peccati.*
d Ita Vaticani quinque & plures Gallic. MSS. At editi, *vinciebatur.*

abs

abs te, quod non culpatur à nobis. Concupiscentias malas, quibus si bene vivimus non consentimus, tamen esse non negamus in nobis, castigandæ sunt, frenandæ sunt, expugnandæ sunt, vincendæ sunt: tamen sunt, nec alienæ sunt. Nec bona ista nostra, sed mala sunt. Nec sicut dicit Manichæa vanitas, separata extra nos erunt: sed sicut dicit catholica veritas, sanata, non erunt.

Caput XXIII. Apud Am. & Er. XII. Julianus sensum novum & distortum excogitat in verbis Apostoli. Rom. 5. 12. Psal. 118. 9.

75. De illis quoque apostolicis verbis, in quibus impudentiâ mirabili, immo dementiâ, resistitis fundatissimæ fidei, ubi ait, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*: frustra sensum alium novum atque distortum & à vero abhorrentem moliris exsculpere, affirmans *ea locutione dictum esse, In quo omnes peccaverunt; ac si diceretur, Propter quod omnes peccaverunt: sicut dictum est, In quo corrigit* [a] *junior viam suam*: ut scilicet, non in uno homine omnes homines peccasse intelligantur originaliter, & tamquam in massæ unione communiter; sed propterea quia primus [b] hominum ille peccavit; id est, cùm imitantur illum, non cùm generantur ex illo. Non ergo huic sensui convenit illa locutio, ita dictum esse, *in quo*, velut dictum esset, *propter quod*. Nam propter hoc quisque peccat, quod sibi proponit ut peccet, vel quoquo modo quod illi est caussa peccandi. Quis verò ab omni humano sensu tam sit absurdus, ut dicat, Propter hoc fecit homo iste homicidium, quia in paradiso Adam de ligno prohibito cibum sumsit; cùm iste latrocinando occiderit hominem nihil de Adam cogitans, sed propter hoc ut aurum quod ferebat auferret? Sic & cetera cuncta peccata, quæ propria quisque committit, habent caussas propter quas fiant, etiam si nemo cogitet quod ille primus homo commisit, neque illud sibi ad peccandum proponat exemplum. Propter hoc itaque, id est, quoniam peccavit Adam, nec ipse Cain peccasse dicendus est, qui eumdem patrem suum noverat. Propter quid enim fratrem suum occiderit, notum est: quia non propter hoc quod perpetravit Adam, sed quia bono ejus invidit.

Psal. 118. 9. Act. 7. 29.

76. Denique nec ipsa tibi ad hunc vestrum sensum quæ posuisti testimonia suffragantur. Rectè enim dicitur, *In quo corrigit junior viam suam: propter quid corrigit?* quoniam sequitur, *in custodiendo verba tua*. Propter hoc enim corrigit viam suam, quia verba Dei sicut cogitanda sunt cogitat, & cogitando custodit, custodiendo rectè vivit. Ipsa ergo illi caussa est ut viam suam corrigat, quia Dei verba custodit. Et quod ait beatissimus Stephanus, *Fugit Moyses in verbo hoc*: benè intelligitur, *propter verbum hoc*: quia hoc audivit, hoc timuit, hoc cogitavit ut fugeret, hæc illi fuit caussa fugiendi. Numquid in his locutionibus aliquid dictum est, quod pertineat ad imitationem, qua sic alterum alter imitatur, ut eum omnino non cogitet: & ideo nullo modo dici possit propter hoc peccasse, quia ille peccavit, in quo nec originaliter fuit, nec de illo quidquam in peccato proprio cogitavit?

77. *Sed*, inquis, *si de peccati traduce loquebatur, nusquam congruentiùs diceret, Ideo pertransiit peccatum, quia omnes sunt de conjugum voluptate generati: & adderet, In eo transiit, in quo ex tabida primi hominis carne fluxerunt.* Nec vides eodem modo tibi posse dici, Si de imitatione peccati Apostolus loquebatur, nusquam congruentiùs diceret, Ideo pertransiit peccatum, quia primi hominis præcessit exemplum: & adderet, In eo transiit, in quo omnes illius unius imitatione peccaverunt. Aliquo enim duorum istorum modo loqueretur Apostolus hoc loco, si ad tuum vel meum loqueretur arbitrium. Quia ergo nec illud dixit quod tu, nec illud quod ego; numquid vis ut credamus in his ejus verbis, nec originale secundùm catholicos, nec imitatorium secundùm Pelagianos intelligendum esse peccatum? Puto quod nolis. Remove igitur ista quæ possunt ex utraque parte momentis æqualibus dici, & si tibi placet sine contentione quid Apostolus dixerit intueri, adverte, ut hoc diceret, quid agebat: & invenies per unum hominem iram Dei super humanum genus, & per unum hominem reconciliationem Deo eorum qui ex damnatione totius generis liberantur gratis. Ille est primus Adam factus ex terra, iste est secundus Adam factus ex femina. Sed ibi per Verbum caro facta est, hîc autem ipsum Verbum caro factum est; ut per ejus mortem vivamus, quo relicto mortui fueramus. Commendat, inquit, suam caritatem Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multò magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Rom. 5. 8.

78. De hac ira dicit: Eramus & nos naturâ filii iræ, sicut & ceteri. Ephes. 2. 3. De hac ira dicit Jeremias propheta: Maledictus dies in quo natus sum. Jer. 20. 14. De hac ira dicit sanctus Job: Pereat dies ille in quo natus sum. Job 3. 3. De hac ira item dicit idem ipse: Homo enim natus ex muliere, brevis vitæ, & plenus iracundiæ, sicut flos fœni decidit, fugit autem sicut umbra, & non stabit. Nonne & hujus curam fecisti, & hunc fecisti intrare in conspectu tuo in judicium? Quis enim erit mundus à sordibus? Ne [c] unus quidem, etiam si unius diei fuerit vita ejus super terram. Job 14. 1. sec. LXX. De hac ira dicit liber Ecclesiasticus: Omnis caro sicut vestis veterascit; testamentum enim à sæculo, morte morieris. Eccli. 14. 18 & 12. Itemque ipse: A muliere, inquit, initium est peccati; & propter illam morimur omnes. Eccli. 25. 33. Et alio loco: Occupatio magna creata est omni homini, & jugum grave super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium. Eccli. 40. 1. De hac ira dicit Ecclesiastes: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quæ abundantia [d] homini in omni labore suo, quo ipse laborat sub sole? Eccle. 1. 2. De hac ira vox apostolica est: Omnis creatura vanitati subjecta est. Rom. 8. 20. De hac ira plangit [e] Psalmus: Ecce veteres posuisti dies meos, & substantia mea tamquam nihilum ante te, verumtamen universa vanitas omnis homo vivens. Psal. 38. 6. De hac ira plangit & alius: Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Manè sicut herba transeat, manè floreat & prætereat, Psal. 89. 5. & seq.

[a] In MSS. constanter, *juvenior*.
[b] Casalensis MS. *quia primus homo ille peccavit, peccare ceteros; hoc est, cùm imitantur illum.*

[c] Vaticani tres & aliquot ex Gallic. MSS. *Ne infans quidem.*
[d] Editi, *hominis* MSS. juxta Græc. *homini.*
[e] Sic MSS. Editi verò, *Psalmista.*

» vespere decidat, durescat, & arescat. Quoniam » defecimus in ira tua, & in indignatione tua con- » turbati sumus. Posuisti iniquitates nostras in con- » spectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione » vultûs tui. Quoniam omnes dies nostri defece- » runt, & in ira tua defecimus. Anni nostri sicut » aranea meditabuntur.

79. Nemo liberatur ab hac ira Dei, nisi per Mediatorem reconcilietur Deo. Unde dicit etiam ipse Mediator: Qui non credit Filio, non habebit vitam; sed ira Dei manet super eum. Non dixit, veniet: sed, manet super eum. Ideo ergo credunt atque confitentur & majores per cor & os proprium, & parvuli per alienum, ut reconcilientur Deo per mortem Filii ejus, ne ira Dei maneat super eos, quos etiam origo vitiata efficit reos. De hac itaque re [a] loquens Apostolus, Cùm ad- » huc, inquit, peccatores essemus, Christus pro » nobis mortuus est; multò magis justificati nunc » in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. » Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus » Deo per mortem Filii ejus, multò magis recon- » ciliati salvi erimus in vita ipsius: non solùm au- » tem, sed & gloriantes in Deo per Dominum » nostrum Jesum Christum, per quem & nunc re- » conciliationem accepimus. Propter hoc sicut per » unum hominem peccatum in hunc mundum in- » travit, & per peccatum mors, & ita in omnes » homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Nempe manifestum est, ut hoc diceret, quid agebat Apostolus. Ite adhuc, & huic reconciliationi, quæ fit per mortem Filii Dei, qui sine peccato venit in mundum, subtrahite parvulos, ut propter eum per quem peccatum intravit in mundum, ira Dei maneat super eos. Quid hîc facit imitatio, quæso te, ubi audis, Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem? Unde gratia ex multis delictis in justificationem; nisi quia præter unum illud originis, addita multa quæ simul deleret invenit? Alioquin sic esset ex multis condemnatio, quæ homines unum imitando commiserant; sicut ex eisdem multis justificatio, quibus remissis in gratiam respirabant. Sed quia unum illud sufficiebat, propter quod etiam solum fieret condemnatio; [b] gratiæ verò non sufficiebat illud unum delere, sed & multa quæ adjecta sunt, ut omnium remissione fieret justificatio: ideo utique dictum est, Judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. Nam sicut non imitantur Christum parvuli, quia nondum possunt, & tamen ad ejus gratiam spiritalem pertinere possunt: ita sine imitatione primi hominis, contagione tamen ex ipso carnalis generationis obstricti sunt. Si autem propterea vis eos à primi hominis alienos esse peccato, quia eum non sunt imitati propria voluntate: ista ratione alienabis eos & à justitia Christi, quia nec ipsum imitati sunt propria voluntate.

Iohan. 3. 36. — *Rom. 5. 8. & seq.* — *Ibid. 16.*

Quos multos appellet Apostolus, cū ait; *Peccatores constituti sunt multi.*

80. Cùm verò *multos*, quod dixit postea; non vis intelligi *omnes*, quod priùs dixerat; *ideo existimans dictum fuisse multos, ne omnes intelligerentur:* poteris hoc dicere & de semine Abrahæ, cui promissæ sunt omnes gentes, non omnes gentes ei

A fuisse promissas; quia dictum est alio loco, Patrem multarum gentium posui te. Est autem sanus intellectus, ideo sic locutam Scripturam, quia possunt esse aliqua omnia, quæ non sunt multa: sicut omnia dicimus Evangelia, & tamen brevi numero, id est, quaternario continentur. Et rursus possunt aliqua esse multa, non tamen omnia: sicut multos dicimus credere in Christum, nec tamen omnes credunt. Non enim omnium est fides, ait Apostolus. Quod autem di-
B ctum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes: &, Patrem multarum gentium posui te: easdem omnes, multas; & easdem multas, omnes esse monstratum est. Ita etiam cùm dictum est, Per unum in omnes transisse peccatum; & postea, Per unius inobedientiam peccatores constitutos multos: ipsi sunt multi, qui & omnes. Similiter cùm dictum est, Per unius justificationem in omnes homines, ad justificationem vitæ: & rursus dictum est, Per unius obedientiam justi consti-
C tuentur multi: non aliquibus exceptis, sed eosdem multos, omnes oportet intelligi: non quia omnes homines justificantur in Christo; sed quia omnes qui justificantur, non aliter possunt justificari quàm in Christo. Sicut possumus dicere, in aliquam domum per unam januam intrare omnes; non quia omnes homines intrant in eamdem domum, sed quia nemo intrat nisi per illam. Omnes ergo ad mortem per Adam, omnes ad vitam per Christum. Quia sicut in Adam om-
D nes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: id est, ex prima origine generis humani nemo ad mortem nisi per Adam, & nemo per Adam nisi ad mortem: & nemo ad vitam nisi per Christum, & nemo per Christum nisi ad vitam.

81. Vos autem dum non omnes, sed multos, sive per Adam condemnatos esse, sive per Christum liberatos vultis intelligi, horrenda perversitate Christianæ religioni estis infesti. Si enim
E salvi erunt aliqui sine Christo, & justificantur aliqui sine Christo; ergo Christus gratìs mortuus est. Erat enim & alius modus, sicut vultis, in natura, in libero arbitrio, in lege naturali, sive conscripta, quo possent salvi & justi esse qui vellent. Justas autem imagines Dei, quis nisi injustus prohiberet à regno Dei? Hîc fortè dicis: Sed faciliùs per Christum. Numquid non posset etiam de lege dici: Est per legem justitia, sed faciliùs per Christum? Et tamen ait Apostolus,
F Si per legem justitia, ergo Christus gratìs mortuus est. Non est itaque præter unum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, aliud nomen sub cælo, in quo oporteat salvos fieri nos. Et ideo dictum est, In Christo omnes vivificabuntur: quoniam in illo Deus definivit fidem omnibus, suscitans illum à mortuis. Vestrum autem dogma id persuadere conatur, velut inculpatæ prædicatione naturæ, & potentiæ liberi arbitrii, & legis sive naturalis sive per Moysen
G datæ, ut & si opus sit, necesse tamen non sit ad Christum pro æterna salute transire: eo quòd per sacramentum mortis & resurrectionis ejus, (si tamen vel hoc putatis,) commodior via sit, non quòd alia via esse non possit. Unde quantum

Gen. 22. 18. — *Gen. 17. 5.* — *1. Thess. 3. 2.* — *Gen. 22. 18.* — *Gen. 17. 5.* — *Rom. 5. & seq.* — *V. supra lib. 1. de peccatorum meritis c. 28.* — *1. Cor. 15. 22.* — *Occupatio.* — *Gal. 2. 21.* — *1. Tim. 2. 5.* — *Act. 4. 12.* — *1. Cor. 15. 22.* — *Act. 17. 31.*

[a] Hîc addimus *re* ex MSS.

[b] Quatuor Vatic. MSS. *gratia verò non solùm sufficiebat.*

vos deteſtari debeant Chriſtiani, conſiderantes [a] renuntiate vobis etiam tacentibus nobis.

CAPUT XXV.

82. QUOD verò cauſſæ tuæ poſtremum & quaſi fortiſſimum firmamentum, propheticum teſtimonium eſſe voluiſti, ubi per Ezechielem (Ezech. 18. 2.) dictum legimus, *Quòd non erit parabola, qua dicebant, parentes uvas acerbas ediſſe, & dentes [b] obſtupuiſſe filiorum; nec morietur filius in peccato patris, nec pater in peccato filii, ſed anima quæ peccat ipſa morietur*: non intelligis hanc eſſe promiſſionem Teſtamenti novi, & ſpiritalis hereditatis ad alterum ſæculum pertinentis. Id enim agit gratia Redemtoris, ut paternum chirographum (Coloſſ. 2. 14.) deleat, & unuſquiſque pro ſe rationem reddat. Ceterùm quàm multa ſint divinarum teſtimonia litterarum, quæ parentum peccatis obligant filios, numerare quis poſſit? Cur enim peccavit Cham, (Gen. 9. 22. & 25.) & in ejus filium Chanaam vindicta prolata eſt? Cur pro peccato Salomonis (3. Reg. 11. 19.) filius ejus diminutione regni punitus eſt? Cur peccatorum Achab (3. Reg. c. 21. 26.) regis Iſraël in ejus poſteros pœna dilata eſt? Ut quid legitur in ſanctis libris: Reddens peccata (Ierem. 32. 18.) patrum in ſinum filiorum eorum poſt eos; &, Reddens peccata patrum in filios uſque in tertiam (Exod. 20. 5.) & quartam progeniem? Qui numerus etiam pro univerſitate accipi poteſt. Numquid hæc falſa ſunt? Quis hoc dixerit, niſi divinorum eloquiorum apertiſſimus inimicus? Sed carnalis generatio etiam populi Dei pertinens ad Teſtamentum vetus, (Gal. 4. 24.) quod in ſervitutem generat, parentum peccatis obligat filios; ſpiritalis autem [c] generatio, ſicut hereditatem, ita pœnarum atque præmiorum comminationes promiſſioneſque mutavit. Quod Prophetæ in ſpiritu prævidentes, iſta dixerunt; ſed apertiùs Jeremias: (Ierem. 31. 29. & 30.) In diebus illis, inquit, non dicent, Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt, ſed unuſquiſque in ſuo peccato morietur; & ejus qui manducaverit uvam acerbam, [d] obſtupeſcent dentes ipſius. Nempe manifeſtum eſt, ita hoc propheticè pronuntiari, ſicut ipſum Teſtamentum novum, quod priùs occultum fuit, & per Chriſtum poſtea revelatum eſt. Denique ne nos moverent ea quæ commemoravi, & cetera hujuſmodi plurima de reddendis in filios peccatis parentum, quæ utique veraciter ſcripta ſunt, [e] & huic prophetiæ contraria putarentur; continuò ſolvit iſtam moleſtiſſimam quæſtionem, conjungendo atque dicendo, (Ibidem 31.) Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo domui Iſraël & domui Juda teſtamentum novum, non ſecundùm teſtamentum quod diſpoſui patribus eorum. In hoc igitur teſtamento novo per ſanguinem [f] teſtatoris deleto paterno chirographo, incipit homo paternis debitis non eſſe obnoxius renaſcendo, quibus naſcendo fuerat obligatus, ipſo Mediatore dicente, Ne vobis patrem dicatis in terra (Matth. 23. 9.): ſecundùm hoc utique, quòd alios natales quibus non patri ſuccederemus, ſed cum patre ſemper viveremus, invenimus.

CAPUT XXVI. *Apud Am. & Er. XIII.* Epilogus totius operis.

83. AD omnia me tibi reſpondiſſe, Juliane, & omnia refelliſſe, quibus [g] putaſti & diſputaſti voluminibus quatuor credendum non eſſe originale peccatum, & concupiſcentiam carnis non poſſe culpari ſine damnatione nuptiarum; puto quòd perſpicis, ſi pervicax non ſis. Demonſtratum enim eſt, eum tantùm paterno antiquo debito non teneri, qui hereditatem patremque mutavit; ubi coheredem invenit unicum per naturam, adoptatus ipſe per gratiam: eique tantùm concupiſcentiam carnalem mortem non inferre poſt mortem, qui in Chriſti morte invenerit mortem qua moriatur peccato, & evaſerit mortem qua natus fuerat in peccato. Unus enim pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt (2. Cor. 5. 14.): & pro omnibus mortuus eſt; nec aliqui poterunt vivere pro quibus non eſt mortuus, [h] qui pro mortuis vivus eſt mortuus. Hæc negans, his repugnans, iſta convellere moliens catholicæ fidei munimenta, ipſoſque nervos diſrumpere Chriſtianæ religionis, veræque pietatis; audes inſuper dicere, *quòd contra impios bella ſuſceperis*: cùm adversùm matrem quæ te ſpiritaliter peperit, armis impietatis induaris. Audes *te agmini ſanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Sacerdotumque miſcere*: cùm tibi dicant Patriarchæ, etiam pro parvulis natis oblata ſacrificia pro peccatis (Levit. 12. Iob 14. ſec. LXX.); eo quòd non ſit mundus à ſordibus nec infans diei unius ſuper terram: cùm tibi dicant Prophetæ, In iniquitatibus concepti ſumus (Pſal. 55. 7.): cùm tibi dicant Apoſtoli, Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus (Rom. 6. 3. & 11.); ut exiſtimemus nos mortuos quidem eſſe peccato, vivere autem Deo in Chriſto Jeſu: cùm tibi dicant Martyres, Secundùm Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere, unde parvulis dimittantur in baptiſmo, non propria, ſed aliena peccata (Cyprian. epiſt. 64. ad Fidum. Vide ſuprà lib. 1. c. 3.): cùm tibi dicant Sacerdotes, carnali voluptate concretos priùs ſubire delictorum contagium, quàm vitæ hujus haurire munus (Ambroſius libro de ſacramento regenerat. Vide ſuprà lib. 2. cap. 6.). His te conſociare præſumis, quorum fidem debellare conaris. Audes dicere, quòd à Manichæorum conſortio vincaris, qui Manichæos invictos facis, niſi cum eis & ipſe vincaris. Falleris fili, miſerabiliter falleris, vel etiam deteſtabiliter falleris: quando animoſitatem qua teneris viceris, tunc veritatem poteris tenere qua vinceris.

[a] Sic MSS. At editi, *renuntiant*.
[b] In MSS. *obſtipuiße*: & infrà, *obſtipuerunt*.
[c] Apud Lov. *regeneratio*.
[d] In MSS. *obſtupebunt*: vel *obſtipebunt*.
[e] Editi, *ne huic*. Emendantur ex MSS.
[f] Am. Er. & ſex MSS. *per ſanguinem mediatoris*.
[g] Editio Lov. omittit, *putaſti &*. Am. verò & Er. habent *putaſti*; ſed prætereunt, *& diſputaſti*.
[h] Sic melioris notæ MSS. At editi, *quia pro mortuis unus eſt mortuus*. V. ſuprà n. 48.

IN LIBRUM DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO,

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT LXVI.

PRopter eos, qui cùm defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, aſſerentes eam ſecundùm merita noſtra dari, ſcripſi librum, cujus titulus eſt, *De gratia & libero arbitrio.* Ad eos autem ſcripſi monachos [a] Adrumetinos, in quorum monaſterio de hac re cœperat eſſe contentio, ita ut me conſulere aliqui eorum cogerentur. Hic liber ſic incipit: *Propter eos qui liberum hominis arbitrium ſic prædicant.*

a Adrumetum Africæ urbs maritima, Byzacenæ provinciæ metropolis fuit, ut ſcribit Procopius in lib. 6. de ædificiis Juſtiniani. Ibi cœnobium ab illis monachis incolebatur, in quorum gratiam Auguſtinus duos ſequentes libros, priorem *de gratia & libero arbitrio*, poſteriorem *de correptione & gratia* prænotatum conſcripſit, anno Chriſti 426. aut 427. Non enim hos libros poſt id tempus differri poſſe arbitramur; quia in retractationibus circiter annum 427. editis memorantur: ſed nec antè collocari; quia poſtremum ibidem locum occupant.

AUGUSTINI AD VALENTINUM

ET CUM ILLO MONACHOS ADRUMETINOS

EPISTOLÆ DUÆ SIMUL * CUM SUBSEQUENTE LIBRO TRANSMISSÆ.

[* Vide epiſtolam poſteriorem, n. 2.]

Epiſtola prior, inter Auguſtinianas CCXIV.

Domino dilectiſſimo, & in Chriſti membris honorando fratri VALENTINO, & fratribus qui tecum ſunt, AUGUSTINUS in Domino ſalutem.

VENERUNT ad nos duo juvenes, Creſconius & Felix, de veſtra congregatione ſe eſſe dicentes, qui nobis retulerunt, monaſterium veſtrum nonnulla diſſenſione turbatum, eo quòd quidam in vobis ſic gratiam prædicent, ut negent hominis eſſe liberum arbitrium; & quod gravius
[Matth. 16. 27. & Rom. 2. 7.] eſt, dicant, quòd in die judicii non ſit redditurus Deus unicuique ſecundùm opera ejus. Etiam hoc tamen indicaverunt, quòd plures veſtrûm non ita ſentiant, ſed liberum arbitrium adjuvari fateantur per Dei gratiam, ut recta ſapiamus atque faciamus; ut cùm venerit Dominus reddere uni-
[Epheſ. 2. 10.] cuique ſecundùm opera ejus, inveniat opera noſtra bona, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus. Hoc qui ſentiunt, bene ſentiunt.

[1. Cor. 1. 10.] 2. *Obſecro* itaque *vos fratres*, ſicut Corinthios obſecravit Apoſtolus, *per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.* Primò enim Dominus Jeſus,
[Iohan. 3. 17.] ſicut ſcriptum eſt in Evangelio Johannis apoſtoli, *non venit ut judicaret mundum, ſed ut ſalva-*
[Rom. 3. 6.] *retur mundus per ipſum.* Poſtea verò, ſicut ſcribit apoſtolus Paulus, *judicabit Deus mundum quando venturus eſt*, ſicut tota Eccleſia in Symbolo confitetur, *judicare vivos & mortuos.* Si igitur non eſt Dei gratia, quomodo ſalvat mundum? & ſi non eſt liberum arbitrium, quomodo judicat mundum? Proinde librum vel epiſtolam meam, quam ſecum ad nos ſuprà dicti adtulerunt, ſecundùm hanc fidem intelligite, ut neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium ſic defendatis, ut à Dei gratia ſeparetis, tamquam ſine illa vel cogitare aliquid vel agere ſecundùm Deum ulla ratione poſſimus, quod omnino non poſſumus. Propter hoc enim Dominus cùm de fructu juſtitiæ loqueretur, ait diſ-
[Iohan. 15. 5.] cipulis ſuis, *Sine me nihil poteſtis facere.*

[* Epiſtola 194.] 3. Unde ſuprà dictam epiſtolam * ad Sixtum Romanæ eccleſiæ preſbyterum contra novos hæreticos Pelagianos noveritis eſſe conſcriptam, qui dicunt gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari, ut qui gloriatur, non in Domino, ſed in ſe ipſo glorietur, hoc eſt, in homine, non in Domino. Quod
[1. Cor. 3. 21.] prohibet Apoſtolus, dicens, *Nemo glorietur in homine.* Et alio loco, *Qui gloriatur*, inquit, *in Domino*
[1 Cor. 1. 31] *glorietur.* Illi verò hæretici ſe ipſos à ſe ipſis juſtos fieri putantes, quaſi hoc eis non dederit Deus, ſed ipſi
[2. Cor. 10. 17.] ſibi, non utique in Domino, ſed in ſemetipſis gloriantur. Talibus enim dicit Apoſtolus, *Quis enim te diſ-*
[1 Cor. 4. 7.] *cernit?* Quod ideo dicit, quia de maſſa illius perditionis quæ facta eſt ex Adam, non diſcernit homi-
[Rom. 9. 21.] nem, ut eum faciat vas in honorem, non in contumeliam, niſi Deus. Sed quoniam homo carnalis & inaniter inflatus cùm audiſſet, *Quis enim te diſcernit?* poſſet reſpondere vel voce vel cogitatione, & dicere, Diſcernit me fides mea, diſcernit me oratio mea, diſcernit me juſtitia mea: mox Apoſto-
[1. Cor. 4. 7.] lus occurrit cogitationibus ejus, & dixit, *Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem & accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Sic autem gloriantur, quaſi non acceperint, qui ſe à ſe ipſis juſtificari putant; ac per hoc in ſemetipſis, non in Domino gloriantur.

4. Propter quod ego in hac epiſtola, quæ ad vos pervenit, probavi per teſtimonia ſanctarum ſcripturarum, quæ ibi poteſtis inſpicere, & bona opera noſtra, & pias orationes, & rectam fidem nul-
[Iacobi 1. 17.] lo modo in nobis eſſe potuiſſe, niſi hæc acciperemus ab illo, de quo dicit apoſtolus Jacobus, *Omne datum optimum & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Nec quiſquam dicat meritis operum ſuorum, vel meritis orationum ſuarum, vel meritis fidei ſuæ, ſibi traditam Dei
[Merita in nobis ſeu] gratiam, & putetur verum eſſe quod illi hæretici dicunt, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari; quod omnino falſiſſimum eſt: non quia nullum eſt meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum,

(alioquin quomodo judicabit Deus mundum?) sed misericordia & gratia Dei convertit hominem, bona seu mala.
de qua Psalmus dicit, *Deus meus, misericordia ejus præveniet me:* ut justificetur impius, hoc est, ex Rom. 3. 6.
impio fiat justus, & incipiat habere meritum bonum, quod Deus coronabit quando judicabitur Psal. 58. 11.
mundus.

5. Multa erant, quæ vobis mittere cupiebam; quibus lectis, totam ipsam caussam, quæ conciliis episcopalibus acta est adversùs eosdem Pelagianos hæreticos, diligentiùs & pleniùs nosse possetis: sed festinaverunt fratres, qui ex numero vestro ad nos venerunt; per quos vobis non rescripsimus ista, sed scripsimus. Nullas enim ad nos vestræ caritatis litteras adtulerunt: tamen suscepimus eos, quoniam simplicitas eorum satis indicabat, nihil illos nobis potuisse confingere. Ideo autem festinaverunt, ut apud vos agerent Pascha, quò possit adjuvante Domino tam sanctus dies vestram pacem quàm dissensionem potiùs invenire.

6. Melius autem facietis, (quod multùm rogo,) si ipsum, à quo dicunt se fuisse turbatos, ad me mittere non gravemini. Aut enim non intelligit librum meum, aut fortè ipse non intelligitur, quando difficillimam quæstionem & paucis intelligibilem solvere atque enodare conatur. Ipsa est enim quæstio de gratia Dei, quæ fecit ut homines non intelligentes putarent apostolum Paulum dicere, *Faciamus mala, ut veniant bona.* Unde apostolus Petrus in secunda epistola sua, *Quapropter*, Rom. 3. 8.
inquit, *carissimi, hæc exspectantes satagite inviolati & immaculati apud eum reperiri in pace, & Domi-* 2. Pet. 3.
ni nostri patientiam salutem existimate. Sicut & dilectissimus frater noster Paulus secundùm eam quæ da- 14. & seq.
ta est ei sapientiam scripsit vobis, ut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles homines pervertunt, sicut & ceteras Scripturas, ad proprium suum interitum.

7. Cavete ergo quod tantus Apostolus tam terribiliter dicit: & ubi sentitis vos non intelligere, interim credite divinis eloquiis, quia & liberum est hominis arbitrium, & gratia Dei, sine cujus adjutorio liberum arbitrium nec converti potest ad Deum, nec proficere in Deo. Et quod piè creditis, ut etiam sapienter intelligatis orate. Et ad hoc ipsum enim, id est, ut sapienter intelligamus, est utique liberum arbitrium. Nisi enim libero arbitrio intelligeremus atque saperemus, non nobis præciperetur dicente Scriptura, *Intelligite ergo qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sa-* Psal. 93. 8.
pite. Eo ipso quippe quo præceptum & imperatum est, ut intelligamus atque sapiamus, obedientia nostra requiritur, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio. Sed si posset hoc ipsum sine adjutorio Dei gratiæ fieri per liberum arbitrium, ut intelligeremus atque saperemus; non diceretur Deo, *Da* Psal. 118.
mihi intellectum, ut discam mandata tua: neque in Evangelio scriptum esset, *Tunc aperuit illis sensum,* 73.
ut intelligerent Scripturas: nec Jacobus apostolus diceret, *Si quis autem vestrùm indiget sapientiâ, po-* Luc. 24. 45. Iac. 1. 5.
stulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Potens est autem Dominus, qui & vobis donet & nobis, ut de vestra pace & pia consensione nuntiis celerrimis gaudeamus. Saluto vos, non solùm meo nomine, sed etiam fratrum qui mecum sunt, & rogo ut pro nobis concorditer atque instanter oretis. Sit vobiscum Dominus.

Epistola posterior, inter Augustinianas CCXV.

Domino dilectissimo & in Christi membris honorando fratri VALENTINO, & fratribus qui tecum sunt, AUGUSTINUS in Domino salutem.

CRESCONIUM, Felicem, & alium Felicem, Dei servos, qui ex vestra congregatione ad nos venerunt, nobiscum egisse Pascha noverit caritas vestra. Quos ideo tenuimus aliquanto diutius, ut instructiores ad vos redirent adversùs novos hæreticos Pelagianos, in quorum errorem cadit, qui putat secundùm aliqua merita humana dari gratiam Dei, quæ sola hominem liberat per Dominum nostrum Jesum Christum. Sed rursum qui putat, quando ad judicium Domini venerit, non judicari hominem secundùm opera sua, qui jam per ætatem uti potuit libero voluntatis arbitrio, nihilo minùs in errore est. Soli enim parvuli, qui nondum habent opera propria, vel bona vel mala, secundùm solum originale peccatum damnabuntur; quibus per lavacrum rege- Coloss. 1. 13.
nerationis non subvenit gratia Salvatoris. Ceteri autem omnes, qui jam utentes libero arbitrio, sua propria peccata originali peccato insuper addiderunt, si de potestate tenebrarum per gratiam Dei non eruuntur, nec transferuntur ad regnum Christi, non solùm secundùm originis, verùm etiam secundùm propriæ voluntatis merita, judicium reportabunt. Boni verò etiam ipsi quidem secundùm suæ bonæ voluntatis merita præmium consequentur, sed etiam ipsam bonam voluntatem per Dei gratiam consecuti sunt: ac sic impletur quod scriptum est, *Ira & indignatio, tribulatio & angustia* Rom. 2. 8.
in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci: gloria autem & honor & pax omni & 9.
operanti bonum, Judæo primùm & Græco.

2. De qua difficillima quæstione, hoc est, de voluntate & gratia, non opus habui etiam in hac epistola diutius disputare; quoniam & aliam jam eis dederam, tamquam citiùs redituris. Et scripsi ad vos etiam librum *, quem si adjuvante Domino diligenter legeritis, & vivaciter intellexeritis, nullas existimo inter vos de hac re dissensiones ulteriùs jam futuras. Portant autem secum & alia, quæ vobis dirigenda esse credidimus, quibus cognoscatis quemadmodum catholica Ecclesia, in Dei misericordia Pelagianæ hæresis venena repulerit. Quod enim scriptum est ad papam Innocentium Romanæ urbis episcopum, de concilio provinciæ Carthaginiensis, & de concilio Numidiæ, & aliquanto diligentiùs à quinque episcopis, & quæ ipse ad tria ista rescripsit: item quod papæ Zosimo de Africano concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad universos totius orbis episcopos missum: & quod posteriori concilio plenario totius Africæ contra ipsum errorem breviter constituimus; &

* Subsequentem librum de gratia & libero arbitrio

Epist. 175. Epist. 176. Epist. 177. Epist. 181. 182. 183.

suprà memoratum librum meum, quem modò ad vos scripsi; hæc omnia & in præsentia legimus cum ipsis, & per eos misimus vobis.

3. Legimus eis etiam librum beatissimi martyris Cypriani de Oratione dominica, & ostendimus quemadmodum docuerit, omnia quæ ad mores nostros pertinent, quibus rectè vivimus, à Patre nostro qui in cælis est, esse poscenda; ne de libero præsumentes arbitrio, à divina gratia decidamus. Ubi etiam demonstravimus, quomodo admonuerit idem gloriosissimus Martyr, etiam pro inimicis nostris, qui nondum in Christum crediderunt, nos ut credant orare debere: quod utique inaniter fieret, nisi Ecclesia crederet, etiam malas atque infideles hominum voluntates per Dei gratiam in bonum posse converti. Sed hunc librum sancti Cypriani, quia dixerunt etiam illic apud
* Epistola 194. vos esse, non misimus. Meam quoque epistolam * ad Sixtum Romanæ ecclesiæ presbyterum datam, quam secum ad nos adtulerunt, legimus cum eis, & ostendimus adversùs eos esse conscriptam qui dicunt, gratiam Dei secundùm merita nostra dari, hoc est, adversùs eosdem Pelagianos.

4. Quantum ergo potuimus, egimus cum istis & vestris & nostris fratribus, ut in fide sana catholica perseverent: quæ neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam sive in bonam; neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid, sive ut ex malo convertatur in bonum, sive ut in bono perseveranter proficiat, sive ut ad bonum sempiternum perveniat, ubi jam non timeat ne deficiat. Vos quoque, carissimi, etiam in hac epistola exhortor, quòd nos omnes exhortatur Apo-
Rom. 12. 3. stolus, *non plus sapere, quàm oportet sapere; sed sapere ad temperantiam, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei.*

Prov. 4. 26. 5. Adtendite quid per Salomonem moneat Spiritus-sanctus: *Rectos cursus*, inquit, *fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, ne declines in dexteram, neque in sinistram; averte autem pedem tuum à via mala. Vias enim quæ à dextris sunt, novit Dominus: perversæ verò sunt, quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.* In his verbis sanctæ scripturæ considerate fratres, quia si non esset liberum arbitrium, non diceretur, *Rectos cursus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, ne declines in dexteram, neque in sinistram.* Et tamen sine Dei gratia si posset hoc fieri, non postea diceretur, *Ipse autem rectos faciet cursus tuos, & itinera tua in pace producet.*

6. Nolite ergo declinare in dexteram, neque in sinistram: quamvis laudentur viæ quæ à dextris sunt, & vituperentur quæ sunt à sinistris. Hoc est enim propter quod addidit, *Averte autem pedem tuum à via mala*, hoc est, à sinistra: quod manifestat in consequentibus, dicens, *Vias enim quæ à dextris sunt, novit Dominus: perversæ verò sunt, quæ à sinistris sunt.* Eas utique vias ambulare debe-
Psal. 1. 6. mus, quas novit Dominus; de quibus in Psalmo legitur, *Novit Dominus viam justorum, & via impiorum peribit.* Hanc enim non novit Dominus, quia sinistra est. Sicut dicturus est etiam illis ad sini-
Matth. 7. 23. stram constitutis, *Non novi vos.* Quid est autem quod ille non novit, qui utique novit omnia, sive bona hominum, sive mala? Sed quid est, *Non vos novi:* nisi tales vos ego non feci? Quemadmodum
2. Cor. 5. 21 illud, quod dictum est de ipso Domino Jesu Christo, quia *non noverat peccatum*, quid est, non noverat, nisi quia non fecerat? Ac per hoc quod dictum est, *Vias quæ à dextris sunt, novit Dominus*, quomodo intelligendum est, nisi quia ipse fecit vias dextras, id est, vias justorum, quæ sunt utique
Ephes. 2. 10. opera bona, *quæ præparavit Deus*, sicut dicit Apostolus, *ut in illis ambulemus.* Vias autem sinistras perversas, id est, vias impiorum, non utique novit, quia non eas ipse fecit homini, sed homo sibi. Propter quod dicit, *Odivi autem ego perversas vias malorum, ipsæ sunt à sinistris.*

7. Sed respondetur nobis, Cur ergo dixit, *Ne declines in dexteram, neque in sinistram:* cùm potiùs dicere debuisse videatur, Tene dexteram, & ne declines in sinistram; si bonæ sunt viæ quæ à dextris sunt? Cur, putamus, nisi quia ita viæ sunt bonæ quæ à dextris sunt, ut in dexteram tamen declinare non sit bonum? Declinare quippe ille est intelligendus in dexteram, qui bona ipsa opera quæ ad vias dexteras pertinent, sibi vult assignare, non Deo. Et ideo cùm dixisset, *Vias enim quæ à dextris sunt novit Dominus, perversæ autem sunt quæ à sinistris sunt*: tamquam diceretur ei, Quomodo ergo non vis ut declinemus ad dexteram? secutus adjunxit, *Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.* Sic ergo intellige, quod tibi præceptum est, *Rectos cursus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige*, ut noveris, cùm hoc facis, à Domino Deo tibi præstari ut hoc facias; & non declinabis ad dexteram, quamvis ambules in viis dextris, non confidens in virtute tua: & ipse erit virtus tua, qui rectos faciet cursus tuos, & itinera tua in pace producet.

8. Quapropter, dilectissimi, quicumque dicit, Voluntas mea mihi sufficit ad facienda opera bona, declinat in dexteram. Sed rursus illi, qui putant bonam vitam esse deserendam, quando audiunt sic Dei gratiam prædicari, ut credatur & intelligatur voluntates hominum ipsa ex malis bonas facere,
Rom. 3. 8. ipsa etiam quas fecerit custodire, & propterea dicunt, *Faciamus mala, ut veniant bona*, in sinistram declinant. Ideo vobis dixit, *Non declinetis in dexteram, neque in sinistram:* hoc est, non sic defendatis liberum arbitrium, ut ei bona opera sine Dei gratia tribuatis: nec sic defendatis gratiam, ut quasi de illa securi mala opera diligatis; quod ipsa gratia Dei avertat à vobis. Talium quippe verba sibi
Rom. 6. 1. proponens Apostolus, ait, *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato ut gratia abundet?* Atque his ver-
Ibid. 2. bis hominum errantium & Dei gratiam non intelligentium respondit ut debuit, dicens, *Absit. Si enim mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo?* Nihil potuit dici brevius & melius. Quid enim nobis gratia Dei utilius confert in hoc præsenti sæculo maligno, nisi ut moriamur peccato? Ac per hoc ipsi gratiæ invenitur ingratus, qui propter illam vult vivere in peccato, per quam morimur
Ephes. 2. 4. peccato. Deus autem qui dives est in misericordia, det vobis & sanum sapere, & usque in finem proficienter in bono proposito permanere. Hoc pro vobis, hoc pro nobis, hoc pro omnibus qui vos diligunt, & pro eis qui vos oderunt, instanter in pace fraterna & vigilanter orate. Deo vivatis. Si quid de vobis mereor, veniat ad me frater Florus.

S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO

AD VALENTINUM ET CUM ILLO MONACHOS,

LIBER * UNUS.

* Scriptus anno Christi 426. aut 427.

Docet cavendum esse, ne vel gratia negato libero arbitrio, vel negatâ gratiâ liberum arbitrium defendatur: nam liberum voluntatis arbitrium inesse homini, constare ex Scripturarum testimoniis: de ipsa etiam gratia Dei, sine qua nihil boni agere possumus, data esse in iisdem Scripturis divina documenta. Postea contra Pelagianos probat gratiam non secundùm merita nostra dari. Explicat, quomodo vita æterna, quæ bonis operibus redditur, verè sit gratia. Tum verò monstrat, quòd neque scientia legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum sit illa gratia quæ per Iesum Christum Dominum nostrum datur, sed ipsa gratia faciat ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur. Expugnat vanum illud Pelagianorum perfugium, quo dicunt, gratiam, etsi non secundùm merita bonorum operum detur, tamen dari secundùm merita bonæ voluntatis, quæ præcedit, credentis & orantis. *Incidit in quæstionem, cur Deus jubet, quod ipse daturus est; & an jubeat aliqua, quæ non possumus. Caritatem, sine qua præcepta non implentur, non in nobis nisi ex ipso Deo esse convincit. Ostendit operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen justo. Tandem gratuitæ gratiæ nec meritis redditæ luculentum exemplum suppetere in iis parvulis qui salvantur, dum alii unam cum ipsis caussam habentes pereunt.*

Caput I. Occasio & argumentum hujus libri.

PROPTER eos qui hominis liberum arbitrium sic prædicant & defendunt, ut Dei gratiam qua vocamur ad eum & à nostris malis meritis liberamur, & per quam bona merita comparamus quibus ad vitam perveniamus æternam, negare audeant & conentur auferre, multa jam disseruimus, litterisque mandavimus, quantum nobis Dominus donare dignatus est. Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium; aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium: hinc aliquid scribere ad vestram caritatem, Valentine frater, & ceteri qui simul Deo servitis, compellente mutua caritate curavi. Nuntiatum est enim mihi de vobis, fratres, ab aliquibus qui in vestra congregatione sunt, & ad nos inde venerunt, per quos & ista direximus, quòd de hac re dissensiones in vobis sint. Itaque, dilectissimi, ne vos perturbet hujus quæstionis obscuritas, moneo vos primùm, ut de iis quæ intelligitis, agatis Deo gratias: quidquid est autem quò pervenire nondum potest vestræ mentis intentio, pacem inter vos & caritatem servantes, à Domino ut intelligatis orate; & donec vos ipse perducat ad ea quæ nondum intelligitis, ibi ambulate quò pervenire potuistis. Hoc admonet apostolus Paulus, qui cùm dixisset nondum se esse perfectum, paulò pòst ait, *Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus*; id est, ita nos esse perfectos, ut nondum ad perfectionem quæ nobis sufficit venerimus: continuóque subjunxit, *Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit; verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus.* Ambulando quippe in quod pervenimus, & quò nondum pervenimus pervenire poterimus, Deo nobis revelante si quid aliter sapimus, si ea quæ jam revelavit non relinquamus.

Philip. 3. 15.

Ibid. & 16.

Caput II. Liberum arbitrium esse in homine probatur ex divinis præceptis.

2. REVELAVIT autem nobis per scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autem revelaverit, commemoro vos, non humano eloquio, sed divino. Primùm, quia ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perveniret. Ideo enim data sunt, ut homo excusationem de ignorantia non haberet: sicut Dominus

Præcepta data, ut

non sit excusatio de ignorantia. Johan. 15. 22.

dicit in Evangelio de Judæis, *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* De quo peccato dicit, nisi de illo magno, quod præsciebat eorum futurum quando ista dicebat, id est, quo eum fuerant occisuri? Neque enim nullum habebant peccatum, ante quàm Christus venisset in carne ad eos. Item dicit Apostolus, *Revelatur ira Dei de cælo in omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem in iniquitate detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ejus à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas, ut sint inexcusabiles.* Quomodo dicit inexcusabiles, nisi de illa excusatione qua solet dicere humana superbia, Si scissem, fecissem; ideo non feci, quia nescivi? Aut, Si scirem, facerem; ideo non facio, quia nescio? Hæc eis excusatio tollitur, quando præceptum datur, vel scientia non peccandi manifestatur.

Rom. 1. 18. &c.

Peccatores se de Deo excusare conantes ideo arguuntur, quia liberum habent arbitrium. 2

3. Sed sunt homines qui etiam de ipso Deo se excusare conantur, quibus dicit apostolus Jacobus, *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo* [a] *tentor. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Item de ipso Deo se excusare volentibus, respondet liber Proverbiorum Salomonis: *Insipientia viri violat vias ejus, Deum autem causatur in corde suo.* Et liber Ecclesiasticus dicit: *Ne dixeris, quia propter Dominum recessi; quæ enim odit non facias. Ne dixeris, quia ipse me induxit: non enim opus habet viro peccatore. Omne exsecramentum odit Dominus, & non est amabile timentibus illum. Ipse ab initio fecit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui. Si volueris, conservabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponit tibi ignem & aquam, ad quodcumque volueris extende manum tuam. In conspectu hominis vita & mors, & quodcumque placuerit dabitur ei.* Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.

Jac. 1. 13. &c. Prov. 19. 3. Eccli. 15. 11. &c.

Mandata divina quæ præsertim ipsam conveniunt voluntatē, ostendunt liberum arbitrium.

4. Quid illud quòd tam multis locis omnia mandata sua custodiri & fieri jubet Deus; quomodo jubet, si non est liberum arbitrium? Quid beatus ille, de quo Psalmus dicit, quòd *in lege Domini fuit voluntas ejus*; nonne satis indicat voluntate sua hominem in lege Dei consistere? Deinde tam multa mandata, quæ ipsam quodam modo nominatim conveniunt voluntatem, sicut est, *Noli vinci à malo*: & alia similia, sicut sunt, *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*: &, *Noli repellere consilia matris tuæ*: &, *Noli esse sapiens apud te ipsum*: &, *Noli deficere à disciplina Domini*: &, *Noli negligere legem*: &, *Noli abstinere benefacere egenti*: &, *Noli fabricare in amicum tuum mala*: &, *Noli intendere fallaci mulieri*: &, *Noluit intelligere ut bene ageret*: &, *Noluerunt accipere disciplinam*: & innumerabilia talia in veteribus libris divinorum eloquiorum quid ostendunt, nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ? In libris etiam novis Evangelicis & Apostolicis quid aliud ostenditur, ubi dicitur, A *Nolite vobis condere thesauros in terra*: &, *Nolite timere eos qui occidunt corpus*: &, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*: &, *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis*: & quod dicit apostolus Paulus, *Quod vult faciat, non peccat* [b] *si nubat: qui autem statuit in corde suo, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc statuit in corde suo, servare virginem suam, bene facit.* Item dicit, *Si autem volens, hoc facio, mercedem habeo.* Et alio loco: *Sobrii estote justè, & nolite peccare.* B Et iterum: *Vt quemadmodum promtus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi.* Et ad Timotheum dicit: *Cùm enim in deliciis egerint in Christo, nubere volunt.* Et alibi: *Sed & omnes qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Et ipsi Timotheo: *Noli negligere gratiam quæ in te est.* Et ad Philemonem: *Ne bonum tuum velut ex necessitate esset, sed ex voluntate.* Servos etiam ipsos monet, ut dominis suis *ex animo serviant cum bona voluntate.* Item Jacobus: *Nolite itaque errare* C *fratres mei, & nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi*: &, *Nolite detrahere de alterutro.* Item Johannes in epistola sua, *Nolite diligere mundum*: & cetera hujusmodi. Nempe ubi dicitur, Noli hoc, & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. Nemo ergo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque, cùm peccat. Neque cùm aliquid secundùm D Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate. Quando enim volens facit, tunc dicendum est opus bonum, tunc speranda est boni operis merces ab eo, de quo dictum est, *Qui reddet unicuique secundùm opera sua.*

Psal. 1. 2. Rom. 12. 21. Psal. 31. 9. Prov. 1. 8. Prov. 3. 7. Ibid. 11. Ibid. 27. & 29. Prov. 5. 2. Psal. 35. 4. Prov. 1. 29.

Matt. 6. 19. Matth. 10. 28. Matth. 16. 24. Luca 2. 14. b 1. Cor. 7. 36. 1. Cor. 9. 17. 1. Cor. 15. 34. 2. Cor. 8. 11. 1. Tim. 5. 11. 2. Tim. 3. 12. 1. Tim. 4. 14. Philem. 14. Ephes. 6. 6. Jac. 2. 1. Jac. 4. 11. 1. Johan. 2. 15. Matth. 16. 27.

CAPUT III. Quòd nec ignorantia excuset, ut à pœna liberet.

5. Qui ergo noverunt divina mandata, aufertur eis excusatio, quam solent homines habere de ignorantia. Sed nec ipsi sine pœna erunt, qui legem Dei nesciunt. *Qui enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: qui autem in lege peccave-* E *runt, per legem judicabuntur.* Quod mihi non videtur Apostolus ita dixisse, tamquam pejus aliquid significaverit esse passuros, qui legem nesciunt in peccatis suis, quàm illos qui sciunt. Pejus enim videtur esse perire, quàm judicari: sed cùm hoc de gentibus & de Judæis loqueretur, quia illi sine lege sunt, isti autem legem acceperunt; quis audeat dicere Judæos qui in lege peccant, non esse perituros, cùm in Christum non crediderint; quando quidem de illis dictum est, *per le-* F *gem judicabuntur?* Sine fide enim Christi nemo liberari potest; ac per hoc ita judicabuntur ut pereant. Nam si pejor est conditio nescientium quàm scientium legem Dei, quomodo verum erit quod Dominus in Evangelio ait, *Servus qui nescit voluntatem domini sui, & facit digna plagis, vapulabit pauca; servus autem qui scit voluntatem domini sui, & facit digna plagis, vapulabit multa?* Ecce ubi ostendit graviùs peccare hominem scientem quàm nescientem. Nec tamen ideo confu- G giendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem. Aliud est enim nescisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur, *Noluit intelligere ut bene ageret.* Sed & illa ignorantia quæ non est

Rom. 2. 12. Luca 12. 48. & 47. Scientem quàm ignorantem peccare gravius. Ignorantia duplex, scire nolentium, & simpliciter nescientiū. Psal. 35. 4.

eorum

[a] Plures MSS *tentatur*. Græcè est, πειράζομαι.
[b] MSS. hic & infrà constanter, *non peccat, nubat*: omissâ particulâ *si*, quæ nec est in Græco.

eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino quid crederet; sed fortasse ut mitiùs ardeat. Non enim sine caussa dictum est, *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt.* Et illud quod ait Apostolus: *Cùm venerit in flamma ignis dare vindictam in eos, qui ignorant Deum.* Verumtamen ut habeamus & ipsam scientiam, ne dicat unusquisque, Nescivi, non audivi, non intellexi; voluntas convenitur humana, ubi dicitur, *Nolite esse sicut equus & mulus, quibus non est intellectus:* quamvis pejor appareat, de quo dictum est, *Verbis non emendabitur servus durus; si enim & intellexerit, non obaudiet.* Quando autem dicit homo, Non possum facere quod præcipitur, quoniam concupiscentiâ meâ vincor: jam quidem de ignorantia non habet excusationem, nec Deum causatur in corde suo, sed malum suum in se cognoscit & dolet; cui tamen dicit Apostolus, *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Et utique cui dicitur, *Noli vinci*, arbitrium voluntatis ejus sine dubio convenitur. Velle enim & nolle propriæ voluntatis est.

Psal. 78. 6. — 2. Thess. 1. 8. — Psal. 31. 9. — Prov. 29. 19. — Rom. 12. 21.

CAPUT IV.

Gratia Dei defendenda contra Pelagianos.

6. SED metuendum est ne ista omnia divina testimonia, & quæcumque alia sunt, quæ sine dubitatione sunt plurima, in defensione liberi arbitrii, sic intelligantur, ut ad vitam piam & bonam conversationem, cui merces æterna debetur, adjutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur; & audeat miser homo, quando bene vivit & bene operatur, vel potiùs bene vivere & bene operari sibi videtur, in se ipso, non in Domino gloriari, & spem rectè vivendi in se ipso ponere, ut sequatur eum maledictum Jeremiæ prophetæ dicentis, *Maledictus homo qui spem habet in homine, & firmat carnem brachii sui, & à Domino discedit cor ejus.* Intelligite fratres hoc propheticum testimonium. Quia enim non dixit Propheta, Maledictus homo qui spem habet in se ipso; posset alicui videri ideo dictum esse, *Maledictus homo qui spem habet in homine*, ut nemo habeat spem in altero homine, sed in se. Ut ergo ostenderet sic se admonuisse hominem, ut nec in se ipso haberet spem, propterea cùm dixisset, *Maledictus homo qui spem habet in homine:* mox addidit, *& firmat carnem brachii sui.* Brachium pro potentia posuit operandi. In nomine autem carnis intelligenda est humana fragilitas. Ac per hoc firmat carnem brachii sui, qui potentiam fragilem atque invalidam, id est, humanam sibi sufficere ad bene operandum putat, nec adjutorium sperat à Domino. Propterea subjecit, *& à Domino discedit cor ejus.* Talis est hæresis Pelagiana, non antiqua, sed ante non multum tempus exorta: contra quam hæresim cùm fuisset diutius disputatum, etiam ad concilia episcopalia novissima necessitate perventum est; unde vobis, non quidem omnia, sed tamen aliqua legenda direxi. Nos ergo ad bene operandum spem non habeamus in homine, firmantes carnem brachii nostri: nec à Domino discedat cor nostrum; sed ei dicat, *Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.*

Jerem. 17. 5. — Pelagiana hæresis non antiqua. — Psal. 26. 9. — Gratia cū

7. Proinde carissimi, sicut superioribus testimoniis sanctarum scripturarum probavimus, ad bene vivendum & rectè agendum esse in homine liberum voluntatis arbitrium; sic etiam de gratia Dei, sine qua nihil boni agere possumus, quæ sint divina testimonia videamus. Ac primùm de ipsa vestra professione aliquid dicam. Neque enim congregaret vos ista societas, in qua [a] continenter vivitis, nisi voluptatem conjugalem contemneretis. Hinc autem Domino loquenti cùm dixissent discipuli, *Si talis est caussa hominis cum uxore, non expedit nubere:* respondit eis, *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Numquid non liberum arbitrium Timothei est exhortatus Apostolus dicens, *Contine te ipsum?* Et in hac re potestatem voluntatis ostendit, ubi ait, *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, ut servet virginem suam.* Et tamen, non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Quibus enim non est datum, aut nolunt, aut non implent quod volunt: quibus autem datum est, sic volunt ut impleant quod volunt. Itaque ut hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum est, & liberum arbitrium.

Liberoarbitrio necessaria ad bene vivendum. — Continentia ex Dei dono & libero arbitrio. — [a] Matth. 19. 10. — 1. Tim. 5. 22. — 1. Cor. 7. 37. — Quibus datur, sic volunt ut impleant.

8. De ipsa quoque pudicitia conjugali nempe Apostolus ait, *Quod vult faciat, non peccat si nubat:* & tamen etiam hoc Dei donum est, dicente Scripturâ, *A Domino jungitur mulier viro.* Ideo doctor gentium & pudicitiam conjugalem per quam non fiunt adulteria, & perfectiorem continentiam per quam nullus concubitus quæritur, sermone suo commendans, & hoc & illud donum Dei esse monstravit, scribens ad Corinthios, & admonens conjuges ne se invicem fraudent: quos cùm admonuisset, adjecit, *Vellem autem omnes homines esse sicut & me ipsum;* quia utique ipse ab omni concubitu continebat: & continuò subjunxit, *Sed unusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic.* Numquid tam multa quæ præcipiuntur in lege Dei, ne fornicationes & adulteria committantur, indicant aliud quàm liberum arbitrium? Neque enim præciperentur, nisi homo haberet propriam voluntatem, qua divinis præceptis obediret. Et tamen Dei donum est, sine quo servari castitatis præcepta non possunt. Unde ait ille in libro Sapientiæ: *Cùm scirem quia nemo esse potest continens nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.* Ut autem ista non serventur castitatis sancta mandata, *unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Ubi si dixerit, Volo servare, sed vincor à concupiscentia mea: respondet Scriptura libero ejus arbitrio, quod jam superiùs dixi; *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Quod tamen ut fiat, adjuvat gratia: quæ nisi adjuverit, nihil lex erit nisi virtus peccati. Augetur enim concupiscentia, & majores vires accipit lege prohibente, nisi adjuvet spiritus gratiæ. Hoc est quod dicit ille ipse doctor gentium: *Aculeus autem mortis est peccatum, virtus verò peccati lex.* Ecce unde dicit homo, Volo legis servare mandatum, sed virtute concupiscentiæ meæ vincor. Et cùm voluntas ejus convenitur, & dicitur, *Noli vinci à malo:* quid ei prodest nisi gratiâ succurrente fiat? Quod ipse Apostolus secutus adjunxit: nam cùm dixisset,

Pudicitia conjugalis & ipsa Dei donum. — Ibid. 36. — Prov. 19. 14. — 1. Cor. 7. 7. — Sine gratia non possūt servari præcepta. — Sap. 8. 21. — Iacob. 1. 14. — Rom. 12. 21. — Lex sine gratia. — 1. Cor. 15. 56.

[a] Corbeiensis codex ante nongentos vel mille annos scriptus, *continentes vivitis.*

Ibid. 57.

virtus peccati lex; continuò subjecit, *Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Ergo & victoria qua peccatum vincitur, nihil aliud est quàm donum Dei, in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium.

Matth. 26. 41. Intrare in tentationē.

9. Propter quod dicit & cælestis Magister, *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Ergo unusquisque contra suam concupiscentiam dimicans oret, ne intret in tentationem, id est, ne sit ab illa abstractus & illectus. Non autem intrat in tentationem, si voluntate bona vincat concupiscentiam malam. Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi à Domino victoria conceditur oranti, ne intret in tentationem. Quid verò evidentius quàm Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur accipitur? Si enim dixisset Salvator noster, *Vigilate, ne intretis in tentationem*; admonuisse tantummodo videretur hominis voluntatem: cùm verò addidit, *& orate*, ostendit Deum adjuvare, ne intretur in tentationem. Dictum est libero arbitrio, *Fili noli deficere à disciplina Domini*: & Dominus dixit, *Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua.* Homo ergo gratiâ juvatur, ne sine caussa voluntati ejus jubeatur.

Oratio gratiæ argumentū. *Prov. 3. 11.* *Lucæ 22. 32.*

Caput V. Liberum arbitrium & Dei gratia simul commendantur. *Zach. 1. 3.* Pelagianorum error, gratiam secundùm merita dari. ** V. lib. de gestis Pelag. cap. 14.*

10. Cum dicit Deus, *Convertimini ad me, & convertar ad vos*: unum horum videtur esse nostræ voluntatis, id est, ut convertamur ad eum; alterum verò ipsius gratiæ, id est, ut etiam ipse convertatur ad nos. Ubi possunt putare Pelagiani suam obtinere sententiam, qua dicunt, gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Quod quidem in Oriente, hoc est, in provincia Palæstina, in qua est civitas Jerusalem, cùm ipse Pelagius * ab episcopis audiretur, affirmare non ausus est. Nam inter cetera quæ illi objecta sunt, & hoc objectum est, quòd diceret, gratiam Dei secundùm merita nostra dari: quod sic alienum est à catholica doctrina & inimicum gratiæ Christi, ut nisi hoc objectum sibi anathemasset, ipse inde anathematus exisset. Sed fallaciter eum anathemasse, posteriores ejus indicant libri, in quibus omnino nihil aliud defendit, quàm gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Talia ergo de Scripturis colligunt, quale est hoc unum quod paulò antè dixi: *Convertimini ad me, & convertar ad vos*: ut secundùm meritum conversionis nostræ ad Deum, detur gratia ejus, in qua ad nos & ipse convertitur. Nec adtendunt qui hoc sentiunt, quia nisi donum Dei esset etiam ipsa ad Deum nostra conversio, non ei diceretur, *Deus virtutum converte nos*: &, *Deus tu convertens vivificabis nos*: &, *Converte nos Deus sanitatum nostrarum*: & hujusmodi alia, quæ commemorare longum est. Nam & venire ad Christum, quid est aliud nisi ad eum credendo converti? Et tamen ait, *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei à Patre meo.*

Zachariæ testimonio abutuntur. *Psal. 79. 8.* *Psal. 84. 7. & 5.* Venire ad Christum. *Johan. 6. 66.*

Alia Scripturæ loca quibus abutuntur Pelagiani. *2. Par. 15. 2.*

11. Item quod scriptum est in libro secundo Paralipomenωn: *Dominus vobiscum, cùm vos estis cùm eo, & si quæsieritis eum, invenietis; si autem reliqueritis eum, derelinquet vos*: manifestat quidem voluntatis arbitrium. Sed illi qui dicunt gratiam Dei secundùm merita nostra dari, ista testimonia sic accipiunt, ut dicant meritum nostrum in eo esse, quòd sumus cum Deo; ejus autem gratiam secundùm hoc meritum dari, ut sit & ipse nobiscum. Item meritum nostrum in eo esse, quòd quærimus eum; & secundùm hoc meritum dari ejus gratiam, ut inveniamus eum. Et in libro primo quod dictum est, *Et tu Salomon fili mi cognosce Deum, & servi ei in corde perfecto & anima volente; quia omnia corda scrutatur Dominus, & omnem cogitationem mentium novit: si quæsieris eum, invenietur tibi; & si dimiseris eum, repellet te in perpetuum*: declarat voluntatis arbitrium. Sed illi in eo ponunt meritum hominis, quod dictum est, [a] *si quæsieris eum*: & secundùm hoc meritum dari gratiam, in eo quod dictum est, *invenietur tibi*: & omnino laborant, quantum possunt, ostendere gratiam Dei secundùm merita nostra dari; hoc est, gratiam non esse gratiam. Quibus enim secundùm meritum redditur, non imputatur merces secundùm gratiam, sed secundùm debitum, sicut apertissimè dicit Apostolus.

1. Par. 28. 9. *Rom. 4. 4.*

Gratiam non secundùm merita dari, probat ex Paulo. *1. Cor. 15. 9.* *Ibidem 10.* *2. Cor. 6. 1.* *1. Cor. 15. 10.* *Act. 9.*

12. Meritum enim fuit quidem in apostolo Paulo, sed malum, quando persequebatur Ecclesiam: unde dicit, *Non sum idoneus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Cùm ergo haberet hoc meritum malum, redditum est ei bonum pro malo: ideoque secutus adjunxit, *Sed gratiâ Dei sum quod sum.* Atque ut ostenderet & liberum arbitrium, mox addidit, *& gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi.* Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur & in aliis, quibus dicit, *Rogamus ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis.* Ut quid enim eos rogat, si gratiam sic susceperunt, ut propriam perderent voluntatem? Tamen ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur boni aliquid posse, continuò cùm dixisset, *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi*: subjunxit atque ait, *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*: id est, non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Ut autem de cælo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola; quia merita ejus erant magna, sed mala. Denique & alibi dicit ad Timotheum: *Collabora Evangelio secundùm virtutem Dei salvos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu.* Item merita sua, sed mala commemorans dicit: *Fuimus enim stulti & nos aliquando & increduli, errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, abominabiles, invicem odio habentes.* Quid istis tam malis meritis nisi pœna utique debebatur? Sed Deo reddente bona pro malis, per gratiam quæ non secundùm merita nostra datur, factum est quod deinde subjungit & dicit, *Cùm autem benignitas & humanitas illuxit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos; sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs-sancti, quem ditissimè effudit super nos, per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati ipsius gratiâ, heredes efficiamur secundùm spem vitæ æternæ.*

2. Tim. 1. 8. *Tit. 3. 3.* *Ibid. 4. &c.*

Caput VI.

13. His & talibus testimoniis divinis probatur, gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, veri: quando quidem non solùm nullis bonis,

[a] In editis exciderant illa verba: *si quæsieris eum: & secundùm hoc meritum dari gratiam, in eo quod dictum est*: quæ huc revocantur ex MSS.

rùm etiam multis meritis malis præcedentibus videmus datam, & quotidie dari videmus. Sed planè cùm data fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per illam tamen: nam si se illa subtraxerit, cadit homo, non erectus, sed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter nec quando cœperit homo habere merita bona, debet sibi tribuere illa, sed Deo, cui dicitur in Psalmo, *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Dicendo, *ne derelinquas me*, ostendit quia si derelictus fuerit, nihil boni valet ipse per se: unde & ille ait, *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.* Putaverat enim suum fuisse bonum, quod ei sic abundabat, ut non moveretur: sed ut ostenderetur illi, cujus esset illud, de quo tamquam suo cœperat gloriari, paululùm gratiâ deserente admonitus dicit, *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, avertisti autem faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Ideo necessarium est homini, ut gratiâ Dei non solùm justificetur impius, id est, ex impio fiat justus, cùm redduntur ei bona pro malis; sed etiam cùm fuerit jam justificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, & incumbat super ipsam ne cadat. Propter hoc scriptum est in Cantico canticorum de ipsa Ecclesia: *Quæ est ista quæ adscendit dealbata, incumbens super fratruelem suum?* Dealbata est enim quæ per se ipsam alba esse non posset. Et à quo dealbata est, nisi ab illo, qui per Prophetam dicit, *Si fuerint peccata vestra ut phœnicium, sicut nivem dealbabo?* Quando ergo dealbata est, nihil boni merebatur: jam verò alba facta, bene ambulat; sed si super eum à quo dealbata est, perseveranter incumbat. Propter quod & ipse Jesus, super quem incumbit dealbata, dixit discipulis suis, *Sine me nihil potestis facere.*

Psal. 26. 9. — Psal. 29. 7. — Ibid. 8. — Cant. 8. 5. — Isaiæ 1. 18. — Iohan. 15. 5.

14. Ergo redeamus ad apostolum Paulum, quem certè invenimus sine ullis meritis bonis, immo cum multis meritis malis, Dei gratiam consecutum reddentis bona pro malis: videamus quid dicat sua jam propinquante passione, scribens ad Timotheum. *Ego enim jam immolor*, inquit, *& tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Ista utique jam merita sua bona commemorat; ut post bona merita consequatur coronam, qui post merita mala consecutus est gratiam. Denique adtendite quid sequatur: *Superest*, inquit, *mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Cui redderet coronam justus judex, si non donasset gratiam misericors pater? Et quomodo esset ista corona justitiæ, nisi præcessisset gratia quæ justificat impium? Quomodo ista debita redderetur, nisi priùs illa gratuita donaretur?

2. Tim. 4. 6. — Ibid. 8.

15. Sed cùm dicunt Pelagiani hanc esse solam non secundùm merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur; illam verò quæ datur in fine, id est, æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi: respondendum est eis. Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset [a] reprobanda ista sententia: quoniam verò merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus, *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur: Dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi à te ipso, non ab illo sunt merita tua. Hæc enim si talia sunt, mala sunt; quæ [b] non coronat Deus: si autem bona sunt, Dei dona sunt; quia sicut dicit apostolus Jacobus, *Omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Unde dicit & Johannes præcursor Domini, *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo:* utique de cælo, unde etiam venit Spiritus sanctus, quando Jesus adscendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus. Si ergo Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua tamquam merita tua, sed tamquam dona sua.

Solam gratiam remissionis peccatorum non secundùm merita, volunt Pelagiani.

1. Cor. 4. 7. — Coronat in nobis Deus dona sua, non merita nostra. — Iac. 1. 17. — Iohan. 3. 27. — Psal. 67. 19. — Ephes. 4. 8.

CAPUT VII.

16. PROINDE consideremus ipsa merita apostoli Pauli, quibus dixit coronam justitiæ redditurum judicem justum, & videamus utrùm merita ipsius tamquam ipsius, id est, ex ipso illi comparata, an dona sint Dei. *Bonum*, inquit, *certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Primò ista bona opera, si non ea præcessissent cogitationes bonæ, nulla essent. Adtendite itaque quid de ipsis cogitationibus dicat: ait enim scribens ad Corinthios, *Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, tamquam ex nobismetipsis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Deinde singula inspiciamus: *Bonum*, inquit, *certamen certavi.* Quæro qua virtute certaverit, utrùm quæ illi ex semetipso fuerit, an quæ de super data sit? Sed absit ut tantus doctor ignoraverit legem Dei, cujus vox est in Deuteronomio: *Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea & potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc; sed memoraberis Domini Dei tui, quia ipse tibi dat fortitudinem facere virtutem.* Quid autem prodest bonum certamen, nisi sequatur victoria? Et quis dat victoriam, nisi ille de quo dicit ipse, *Gratias Deo qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum?* Et alio loco cùm commemorasset testimonium de Psalmo, *Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus velut oves occisionis;* subjecit atque ait, *Sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos:* non ergo per nos, sed per eum qui dilexit nos. Deinde dixit, *Cursum consummavi:* sed ille hoc dixit, qui alio loco dicit, *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quæ sententia nullo modo potest etiam sic converti ut dicatur, Non miserentis Dei, sed volentis & currentis est hominis: quisquis enim hoc ausus fuerit dicere, apertè se ostendit Apostolo contradicere.

2. Tim. 4. 7. — 2. Cor. 3. 5. — Deut. 8. 17. — 1. Cor. 15. 57. — Psal. 43. 22. — Rom. 8. 37. — Rom. 9. 16. — Apostoli sententiam, *Nõ volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, non posse converti.

17. Postremò dixit, *Fidem servavi:* sed ille hoc dixit, qui alibi ait, *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem.* Non enim dixit, Misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram; sed, *ut fidelis essem:* hinc ostendens etiam ipsam fidem haberi nisi Deo miserante non posse, & esse donum Dei. Quod apertissimè docet, dicens, *Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est.* Possent enim dicere, Ideo accepimus gratiam, quia credidimus, tamquam sibi fidem tribuentes, gratiam Deo: propter hoc

2. Tim. 4. 7. — 1. Cor. 7. 25. — Fides donũ Dei gratuitum. — Ephes. 2. 8.

[a] MSS. Vaticani, Gallici, & Belgici, *reproba*.
[b] Editio Am. *quæ sunt.* Er. & Lov. *quæ mala sunt.* In MSS. nec *sunt* additur, nec *mala*.

Apostolus cùm dixisset, *per fidem; & hoc*, inquit, *non ex vobis, sed Dei donum est.* Rursus ne dicerent suis operibus se donum tale meruisse, continuò subjecit, *Non ex operibus, ne fortè quis extollatur.* Non quia negavit aut evacuavit opera bona, cùm dicat Deum unicuique reddere secundùm opera ejus: sed quia opera sunt ex fide, non ex operibus fides; ac per hoc ab illo sunt nobis opera justitiæ, à quo est ipsa fides, de qua dictum est, *Justus ex fide vivit.*

Ibid. 9. — *Rom. 2. 6.* — *Habac. 2. 4.*

Fides sine bonis operibus non sufficit ad salutem.

Rom. 3. 28. — *Gal. 5. 6.*

18. Homines autem non intelligentes, quod ait ipse Apostolus, *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis:* putaverunt eum dicere sufficere homini fidem, etiam si malè vivat & bona opera non habeat. Quod absit ut sentiret vas electionis: qui cùm dixisset quodam loco: *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium;* mox addidit, *sed fides quæ per dilectionem operatur.* Ipsa est fides quæ fideles Dei separat ab immundis dæmonibus: nam & ipsi, sicut dicit apostolus Jacobus, *credunt & contremiscunt;* sed non bene operantur. Non ergo habent istam fidem ex qua justus vivit, id est, quæ per dilectionem operatur, ut reddat ei Deus vitam æternam secundùm opera ejus. Sed quia & ipsa bona opera nobis ex Deo sunt, à quo nobis & fides est, & dilectio, propterea idem ipse doctor gentium, etiam ipsam vitam æternam gratiam nuncupavit.

Jacobi 2. 19. — *Rom. 6. 23.*

CAPUT VIII. Vita æterna quomodo & merces sit, & gratia.

19. ET nascitur inde non parva quæstio, quæ Domino donante solvenda est. Si enim vita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissimè dicit Scriptura, *Quoniam Deus reddet unicuique secundùm opera ejus:* quomodo gratia est vita æterna, cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, ipso Apostolo dicente, *Ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Et iterum: *Reliquiæ*, inquit, *per electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* Et mox addidit, *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* Quomodo est ergo gratia vita æterna, quæ ex operibus sumitur? An fortè vitam æternam non dixit Apostolus gratiam? Immo verò sic dixit, ut negari omnino non possit; nec intellectorem acutum, sed tantummodo intentum desideret auditorem. Cùm enim dixisset, *Stipendium peccati mors*: continuò subdidit, *Gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.*

Matth. 16. 27. — *Rom. 4. 4.* — *Rom. 11. 5.* — *Rom. 6 23.*

Respondet quæstioni.

20. Ista ergo quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolvi, nisi intelligamus & ipsa bona opera nostra quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere, propter illud quod ait Dominus Jesus, *Sine me nihil potestis facere.* Et ipse Apostolus cùm dixisset, *Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur:* vidit utique putare posse homines hoc ita dictum, quasi necessaria non sint opera bona credentibus, sed eis fides sola sufficiat; & rursus posse homines de bonis operibus extolli, velut ad ea facienda sibi ipsi sufficiant: mox itaque addidit, *Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Quid est hoc, quòd cùm Dei gratiam commendans dixisset, *non ex operibus, ne fortè quis extollatur;* A cur hoc dixerit rationem reddens, *Ipsius enim sumus*, inquit, *figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis?* Quomodo ergo, *non ex operibus, ne fortè quis extollatur?* Sed audi, & intellige, *non ex operibus* dictum, tamquam tuis ex te ipso tibi exsistentibus, sed tamquam his in quibus te Deus finxit, id est, formavit & creavit. Hoc enim ait, *Ipsius sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis:* non illa creatione qua homines facti sumus, sed ea de qua ille dicebat, qui utique B jam homo erat, *Cor mundum crea in me Deus:* & de qua dicit Apostolus, *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt; ecce facta sunt nova, omnia autem ex Deo.* Fingimur ergo, id est, formamur & creamur *in operibus bonis, quæ*, non præparavimus nos, sed *præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Itaque, carissimi, si vita bona nostra nihil aliud est quàm Dei gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis C data est illa cui datur. Sed illa cui datur, tantummodo gratia est: hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia, tamquam merces pro justitia; ut verum sit, quoniam verum est, quia *reddet unicuique Deus secundùm opera ejus.*

Ibid. 10. — *Johan. 15. 5.* — *Ephes. 2. 8.*

Ex operibus quo sensu salvari nos neget Apostolus.

Psal. 50. 12. — *2. Cor. 5. 17.*

Justificatio tantùm est gratia, vita æterna & merces & gratia.

Psal. 61. 13. — *Apoc. 22. 12.*

CAPUT IX. Vita æterna gratia pro gratia.

21. UTRUM autem legerimus in libris sanctis, *gratiam pro gratia*, forsitan quæritis. Sed habetis Evangelium secundùm Johannem tanta luce clarissimum, ubi Johannes baptista de Domino D Christo dicit, *Nos omnes ex plenitudine ejus accepimus, & gratiam pro gratia.* Ex ejus itaque plenitudine accepimus pro modulo nostro tamquam particulas nostras, ut bene vivamus, *sicut Deus partitus est mensuram fidei;* quia *unusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic;* & ipsa est gratia: sed insuper accipiemus & gratiam pro gratia, quando nobis vita æterna reddetur, de qua dixit Apostolus, *Gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro:* cùm E priùs dixisset, *Stipendium peccati mors.* Meritò enim stipendium, quia militiæ diabolicæ mors æterna tamquam debitum redditur. Ubi cùm posset dicere, & rectè dicere, Stipendium autem justitiæ vita æterna: maluit dicere, *Gratia autem Dei vita æterna:* ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere. De quo in Psalmo dicit homo ejus animæ suæ: *Qui coronat te in miseratione & misericordia.* Numquid F non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille in [a] bonis operatur, de quo dictum est, *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate:* ideo dixit Psalmus, *Coronat te in miseratione & misericordia:* quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona redditur. Non enim, quia dixit, *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate*, ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset, non superiùs di- G xisset, *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Quando enim jubetur ut operentur, liberum eorum convenitur arbitrium: sed ideo cum timore & tremore; ne sibi tribuendo quod bene operantur, de bonis tamquam suis extollantur operibus. Tamquam ergo inter-

Johan. 1. 16. — *Rom. 12. 3.* — *1. Cor. 7. 7.* — *Rom. 6. 23.* — *Psal. 102. 4.* — *Philip. 2. 13.* — *Ibid. 12.*

[a] Vaticani quatuor MSS. & antiquissimus Corbeiensis, *in nobis operatur.*

rogaretur Apostolus, & diceretur ei, Quare dixisti, *Cum timore & tremore?* horum verborum rationem reddidit, dicens: *Deus est enim qui operatur in vobis.* Si enim timetis & tremitis, non extollimini tamquam de vestris operibus bonis, quia Deus est qui operatur in vobis.

Caput X. 22. Itaque, fratres, debetis quidem per liberum arbitrium non facere mala, & facere bona; hoc enim nobis lex Dei præcipit in libris sanctis, sive veteribus, sive novis: sed legamus

Rom. 3. 10. & adjuvante Domino intelligamus Apostolum B dicentem, *Quia non justificabitur ex lege omnis caro coram illo: per legem enim cognitio peccati. Cognitio* dixit, non consumtio. Quando autem cognoscit homo peccatum, si non adjuvat gratia ut cognitum caveatur, sine dubio lex iram operatur. Quod alio loco ipse Apostolus dicit, ipsius

Rom. 4. 15. enim verba sunt: *Lex iram operatur.* Hoc autem dixit, quia ira Dei major est in prævaricatore, qui per legem cognoscit peccatum, & tamen facit: talis quippe homo prævaricator est legis, sicut & in alio loco dicit, *Vbi enim lex non est, nec prævaricatio est.* Propter hoc & alibi ait, *Vt serviamus in novitate spiritûs, & non in vetustate litteræ:* legem volens intelligi litteræ vetustatem, novitatem verò spiritûs quid nisi gratiam? Et ne putaretur accusasse legem vel reprehendisse; continuò sibi opposuit quæstionem, & ait, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit.* Deinde subjunxit, *Sed peccatum non cognovi, nisi per legem:* hoc est quod dixerat, *Per legem cognitio peccati. Nam* D *concupiscentiam*, inquit, *nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam: sine lege enim peccatum mortuum* [a] *est, ego autem aliquando vivebam sine lege; adveniente autem mandato, peccatum revixit, ego autem mortuus sum, & inventum est mihi mandatum quod erat in vitam, hoc esse in mortem; peccatum enim occasione accepta per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum. Quod ergo bonum est,* E *mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum* [b] *peccator aut peccatum per mandatum.* Et ad Galatas dicit, *Scientes autem quoniam non justificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christo Iesu credidimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis, quoniam ex operibus legis non justificabitur omnis caro.*

Legis prævaricator quis. Ibidem. Rom. 7. 6. Litteræ vetustas. Novitas spiritus. Ibidem 7. & seq. Exodi 20. 17. Gal. 2. 16.

Caput XI. Dei gratiam qua juvamur ad non peccandum, Pelagiani legem esse dicunt.

23. Quid est ergo quòd vanissimi homines & perversissimi Pelagiani legem dicunt esse Dei gratiam, qua juvamur ad non peccandum? Quid F est miseri quod dicunt, qui sine ulla dubitatione tanto Apostolo contradicunt? Ille dicit peccatum vires adversùs hominem accepisse per legem, & eum per mandatum, quamvis sanctum & justum & bonum, tamen occidere, & per bonum operari ei mortem, de qua non liberaretur, nisi vivificaret spiritus eum, quem littera occiderat; G sicut alio loco dicit, *Littera occidit, spiritus autem vivificat:* & isti indociles contra lucem Dei cæci, & contra vocem Dei surdi, occidentem litteram vivificare dicunt, & vivifi-

2 Cor. 3. 6.

A canti spiritui contradicunt. *Ergo, fratres,* ut Rom. 8. 12. ipsius potiùs Apostoli verbis vos moneam, *debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus: si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis.* Hæc dixi, ut apostolicis verbis liberum arbitrium vestrum à malo deterrerem, & exhortarer ad bonum: nec tamen ideo debetis in homine, hoc est, in vobis ipsis, non in Domino gloriari, quando non secundùm carnem vivitis, sed spiritu actiones carnis mortificatis. Ut enim non se extollerent quibus ista dicebat, existimantes se suo spiritu tanta hæc bona opera facere posse, non Dei, propterea cùm dixisset, *Si autem spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis:* continuò subjecit, *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei.* Ibid. 14. Quando ergo spiritu actiones carnis mortificatis ut vivatis, illum glorificate, illum laudate, illi gratias agite, cujus spiritu agimini ut ista valeatis, ut vos filios Dei esse monstretis. *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei.*

24. Quotquot ergo adjuncto solo adjutorio legis, sine adjutorio gratiæ, confidentes in virtute sua, suo spiritu aguntur, non sunt filii Dei. Caput XII. Tales sunt de quibus idem dicit Apostolus, quòd *ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Rom. 10. 3. De Judæis hoc dixit, qui de se præsumentes gratiam repellebant, & in Christum propterea non credebant. Suam verò justitiam dicit eos volentes constituere, quæ justitia est ex lege; non quia lex ab ipsis est constituta, sed in lege quæ ex Deo est, suam justitiam constituerant, quando eamdem legem suis viribus se implere posse credebant: ignorantes Dei justitiam, non quâ justitiâ Deus justus est, sed quæ justitia est homini ex Deo. Et ut sciatis hanc illum eorum dixisse justitiam, quæ est ex lege; hanc autem Dei, quæ homini est ex Deo: audite quid alio loco dicat, cùm de Christo loqueretur. *Propter quem omnia*, inquit, *non* Philip. 3. 8. *solùm detrimenta esse credidi, verùm & stercora existimavi esse, ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo.* Quid est autem, *non habens meam justitiam quæ ex lege est;* cùm sua non esset lex ipsa, sed Dei: nisi, quia suam dixit justitiam, quamvis ex lege esset, quia sua voluntate legem se posse putabat implere sine adjutorio gratiæ, quæ est per fidem Christi? Ideo cùm dixisset, *non habens meam justitiam quæ ex lege est:* secutus adjunxit, *sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo.* Hanc ignorabant, de quibus ait, *ignorantes Dei justitiam*, id est, quæ est ex Deo, (hanc enim dat non littera occidens, sed vivificans spiritus;) *& suam volentes constituere*, quam dixit ipse ex lege justitiam, cùm diceret, *non habens meam justitiam quæ ex lege est: justitiæ Dei non sunt subjecti*, hoc est, gratiæ Dei non sunt subjecti. Sub lege enim erant, non sub gratia; & ideo eis dominabatur peccatum, à quo non fit homo liber lege, sed gratiâ. Propter quod alibi dicit: *Peccatum enim vobis non dominabitur; non enim estis sub lege, sed sub gratia:* Rom. 6. 14. non quia lex mala est; sed quia sub illa sunt quos reos facit jubendo, non adjuvando. Gratia quip-

Suam justitiam qui constituere velle dicantur. Dei justitia dicta, quæ homini ex Deo est. Justitia ex lege.

[a] Editi, *mortuum erat.* MSS. *mortuum est.* Græcè est νεκρά.

[b] Am. & Er. *supra modum peccatum.* Lov. *supra modum peccans peccatum.* MSS. verò *supra modum peccator aut peccatum:* paucis exceptis, qui particulam *aut* prætereunt.

pe adjuvat ut legis quisque sit factor, sine qua gratia sub lege positus tantummodo erit legis auditor. Talibus itaque dicit, *Qui in lege justificamini, à gratia excidistis.* (Gal. 5. 4.)

CAPUT XIII. *Ut non lex, sic nec ipsa natura est gratia qua Christiani sumus.*

25. QUIS ita sit surdus adversùs apostolicas voces, quis ita desipiat, immo insaniat nesciens quid loquatur, ut audeat dicere, legem esse gratiam, cùm clamet qui sciebat quid loqueretur, *Qui in lege justificamini, à gratia excidistis?* Si autem lex non est gratia, quia ut ipsa lex fiat, non potest lex adjuvare, sed gratia; numquid natura erit gratia? Nam & hoc Pelagiani ausi sunt dicere, gratiam esse naturam, in qua sic creati sumus, ut habeamus mentem rationalem, qua intelligere valeamus, facti ad imaginem Dei, ut dominemur piscibus maris, & volucribus cæli, & omnibus pecoribus quæ repunt super terram. Sed non hæc est gratia, quam commendat Apostolus per fidem Jesu Christi. Hanc enim naturam etiam cum impiis & infidelibus certum est nobis esse communem: gratia verò per fidem Jesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides. *Non enim omnium est fides.* (2. Thess. 3. 2.) Denique sicut eis qui volentes in lege justificari, à gratia exciderunt, verissimè dicit, *Si ex lege justitia, ergo Christus gratìs mortuus est:* (Gal. 2. 21. *Si ex lege vel natura est justitia, Christus gratìs mortuus.*) sic & his qui gratiam quam commendat & percipit fides Christi, putant esse naturam, verissimè dicitur, Si ex natura justitia, ergo Christus gratìs mortuus est. Jam hîc enim erat lex, & non justificabat; jam hîc erat & natura, & non justificabat: ideo Christus non gratìs mortuus est, ut & lex per illum impleretur, qui dixit, *Non veni solvere legem, sed implere:* (Matth. 5. 17.) & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit *venisse se quærere & salvare quod perierat;* (Matth. 18. 11. Luca 19. 10.) in quem venturum antiqui etiam patres crediderant, qui diligebant Deum.

Gratiam, quæ nec lex sit nec natura, valere tantùm ut præterita peccata dimittantur, non ut futura vitentur, contendunt Pelagiani.

26. Dicunt etiam gratiam Dei, quæ data est per fidem Jesu Christi, quæ neque lex est neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur. Sed si hoc verum esset, utique in Oratione dominica cùm dixissemus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris;* (Matth. 6. 12.) non adderemus, *& ne nos inferas in tentationem.* Illud enim dicimus ut peccata dimittantur; hoc autem ut caveantur, sive vincantur: quod à Patre qui in cælis est, nulla ratione peteremus, si virtute voluntatis humanæ hoc possemus efficere. Commoneo autem caritatem vestram, & multùm exhortor, ut beati Cypriani librum quem scripsit de Oratione dominica, diligenter legatis; & quantum vos Dominus adjuverit, intelligatis, memoriæque mandetis. Ibi videbitis quemadmodum sic alloquatur liberum arbitrium eorum, quos conscriptione sui sermonis ædificat, ut ostendat tamen ea quæ implenda jubentur in lege, in oratione esse poscenda. Quod utique vanissimè fieret, si ad illa agenda sine divino adjutorio voluntas humana sufficeret.

CAPUT XIV. *Gratia facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur.*

27. SED cùm fuerint convicti, non defensores, sed inflatores & præcipitatores liberi arbitrii, quia neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur, sed ipsa facit ut lex impleatur, ut A natura liberetur, ne peccatum dominetur: cùm ergo in his convicti fuerint, ad hoc se convertunt, ut quocumque modo conentur ostendere gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Dicunt enim, *Etsi non datur secundùm merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur; tamen secundùm merita bonæ voluntatis datur: quia bona voluntas*, inquiunt, *præcedit orantis, quam præcessit voluntas credentis, ut secundùm hæc merita gratia sequatur exaudientis Dei.*

Perfugium Pelagianorum.

Fidem Dei donum esse.

B 28. Jam quidem de fide, hoc est, de voluntate credentis superiùs * disputavi, usque adeo eam demonstrans ad gratiam pertinere, ut Apostolus non diceret, Misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram; sed diceret, *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem.* (1. Cor. 7. 25.) Sunt & alia testimonia, in quibus est quod ait, *Sapite ad temperantiam, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei.* (Rom. 12. 3.) Et quod jam commemoravi: *Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est.* (Ephes. 2. 8.) C Et illud quod scripsit ad Ephesios, *Pax fratribus & caritas cum fide à Deo Patre & Domino Jesu Christo.* (Ephes. 6. 23.) Et illud, ubi ait, *Quia vobis donatum est pro Christo, non solùm ut credatis in eum, verùm etiam ut patiamini pro eo.* (Philip. 1. 29.) Utrumque ergo ad Dei gratiam pertinet, & fides credentium, & tolerantia patientium, quia utrumque dixit esse donatum. Et illud maximè, ubi dicit, *Habentes autem eumdem spiritum fidei.* (2. Cor. 4. 13.) Non enim ait, scientiam fidei, sed, *spiritum fidei*: quod propterea D dixit, ut intelligeremus, quia fides & non petita conceditur, ut ei petenti alia concedantur. *Quomodo* enim *invocabunt*, inquit, *in quem non crediderunt?* (Rom. 10. 14.) Ergo spiritus gratiæ facit ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut possimus facere quæ jubemur. Ideo ipse Apostolus assiduè legi præponit fidem: quoniam quod lex jubet, facere non valemus, nisi per fidem rogando impetremus, ut facere valeamus.

* Suprà cap. 7.

Deus potest contrarias voluntates convertere & duritiam cordis auferre.

29. Nam si fides liberi est tantummodo arbi- E trii, nec datur à Deo, propter quid pro eis qui nolunt credere, oramus ut credant? Quod prorsus faceremus inaniter, nisi rectissimè crederemus, omnipotentem Deum ad credendum posse convertere etiam perversas & fidei contrarias voluntates. Liberum quidem hominis arbitrium pulsatur, ubi dicitur, *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* (Psal. 94. 8.) Sed nisi posset Deus etiam duritiam cordis auferre, non diceret per Prophetam, *Auferam ab eis cor lapideum, & dabo* F *eis cor carneum.* (Ezech. 11. 19.) Quod de novo Testamento fuisse prædictum, satis Apostolus ostendit, ubi ait, *Epistola nostra vos estis, scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* (2. Cor. 3. 3.) Quod non ideo dictum putemus, ut carnaliter vivant qui debent spiritaliter vivere: sed, quia lapis sine sensu est, cui comparatum est cor durum, cui nisi carni sentienti cor intelligens debuit comparari? Sic enim hoc dicitur per Ezechielem prophetam: *Et dabo eis*, in- G quit, *cor aliud, & spiritum novum dabo eis, & evellam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, & justificationes meas observent, & faciant eas: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, dicit Dominus.* (Ezech. 11. 19. &c.) Numquid ergo possumus nisi absurdissimè dicere, bonum meritum bonæ voluntatis in ho-

mine præcessisse, ut evelleretur ab eo cor lapideum: quando quidem ipsum cor lapideum non significat nisi durissimam voluntatem & adversùs Deum omnino inflexibilem? Ubi enim præcedit bona voluntas, jam non est utique cor lapideum.

Gratia qua cor lapideū aufertur, non bonis meritis, sed malis præceditur.

a Ezech. 36. 22. & seq.

30. Nam & alio loco per eumdem Prophetam Deus manifestissimè ostendit, non propter eorum aliqua bona merita, sed propter nomen suum ista facere, ubi ait, [a] *Ego facio, domus Israël, sed propter nomen meum sanctum quod profanastis in gentibus, quò intrastis illuc: & sanctificabo nomen meum magnum quod profanatum est in gentibus, quod profanastis in medio eorum: & scient gentes quia ego sum Dominus, dicit Adonai Dominus, cùm sanctificatus fuero in vobis ante oculos eorum: & accipiam vos de gentibus, & congregabo vos ex omnibus terris, & inducam vos in terram vestram: & adspergam vos aquâ mundâ, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris, & ab omnibus idolis vestris, [b] & mundabo vos: & dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo in vobis: & auferetur cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum dabo in vobis: & faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis.* Quis ita sit cæcus, ut non videat; quis ita lapideus, ut non sentiat, istam gratiam non secundùm merita bonæ voluntatis dari, Domino dicente atque testante, *Ego facio, domus Israël, sed propter nomen meum sanctum?* Quare enim dixit, *Ego facio, sed propter nomen meum sanctum:* nisi ne illi putarent propter bona merita sua fieri, quod non erubescunt dicere Pelagiani? Non solùm autem bona merita eorum nulla, verùm etiam mala merita præcessisse demonstrat, dicendo, *sed propter nomen meum sanctum, quod profanastis in gentibus.* Quis non videat horrendum malum esse, nomen sanctum Domini profanare? Et tamen propter ipsum nomen meum, inquit, quod profanastis vos, ego faciam vos bonos, non propter vos: *& sanctificabo*, inquit, *nomen meum magnum, quod profanatum est in gentibus, quod profanastis in medio eorum.* Sanctificare se dicit nomen suum, quod superiùs dixerat sanctum. Hoc est ergo quod oramus in Oratione dominica, dicentes, *Sanctificetur nomen tuum*: ut sanctificetur in hominibus, quod per se ipsum sine dubio semper est sanctum. Denique sequitur: *Et scient omnes gentes quia ego sum Dominus, dicit Adonai Dominus, cùm sanctificatus fuero in vobis.* Cùm ergo ipse semper sit sanctus, sanctificatur tamen in eis quibus largitur gratiam suam, auferendo ab eis cor lapideum, per quod nomen Domini profanaverunt.

Quomodo sanctificatur nomen Dei in electis.

Matth. 6. 9.

Caput XV. Liberum arbitrium non nihil facere in cordis conversione.

Psal. 94. 8.

Ezech. 18. 31.

31. Ne autem putetur, nihil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideo in Psalmo dicitur, *Nolite obdurare corda vestra.* Et per ipsum Ezechielem, *Projicite à vobis omnes impietates vestras, quas impiè egistis in me, & facite vobis cor novum & spiritum novum, & facite omnia mandata mea. Ut quid moriemini domus Israël, dicit Dominus; quia nolo mortem morientis, dicit Adonai Dominus, [c] & convertimini & vivetis?* Meminerimus eum dicere, *& convertimini & vivetis*: cui dicitur, *Converte nos Deus.* Meminerimus eum dicere, *Projicite à vobis omnes impietates vestras*: cùm ipse justificet impium. Meminerimus ipsum dicere, *Facite vobis cor novum & spiritum novum*: qui dicit, *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo in vobis.* Quomodo ergo qui dicit, *facite vobis*; hoc dicit, *dabo vobis?* Quare jubet, si ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est; nisi quia dat quod jubet, cùm adjuvat ut faciat cui jubet? Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à justitia libera est, quando servit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando servit justitiæ, & tunc est bona. Gratia verò Dei semper est bona, & per hanc fit ut sit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cùm valde perfectéque voluerit. Ad hoc enim valet quod scriptum est, *Si volueris, conservabis mandata*: ut homo qui voluerit & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut faciat quod jubetur. Tunc enim utile est velle, cùm possumus; & tunc utile est posse, cùm volumus: nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut quod possumus nolumus?

Psal. 79. 4. vel Psal. 84. 5.

Rom. 4. 5.

Ezech. 36. 26.

Deus dat quod jubet.

Eccli. 15. sec. LXX. Si volueris, conservabis mandata, quo sensu dictum.

Caput XVI. Deus jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.

32. Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, *Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri.* Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat quod lex imperat. Denique ipse qui dixit, *Si volueris, conservabis mandata*: in eodem libro Ecclesiastico aliquantò pòst dicit, *Quis dabit in ore meo custodiam, & super labia mea signaculum astutum, ne fortè cadam ab eo, & lingua mea perdat me?* Jam certè mandata acceperat: *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Cùm ergo verum sit quod dixit, *Si volueris, conservabis mandata*: quare quærit in ore suo dari custodiam; similis ei qui dicit in Psalmo, *Pone Domine custodiam ori meo?* Quare non ei sufficit mandatum Dei & voluntas sua; quando quidem si voluerit, conservabit mandata? Quàm multa Dei mandata sunt contra superbiam: jam novit ea; si voluerit, conservabit ea. Quare ergo paulò pòst dicit, *Domine Pater & Deus vitæ meæ, elationem oculorum ne dederis mihi?* Jam dixerat ei lex, *Non concupisces*: velit ergo, & faciat quod jubetur; quoniam si voluerit, conservabit mandata. Quare sequitur & dicit, *Concupiscentiam averte à me?* Contra luxuriam Deus quàm multa mandavit: faciat ea; quia si voluerit conservabit mandata. Quid est quod clamat ad Deum, *Ventris appetitio & concubitus ne apprehendat me?* Si hæc ei præsenti diceremus, rectissimè nobis responderet & diceret, Ex ista oratione mea, qua hæc à Deo peto, intelligite quomodo dixerim, *Si volueris, conservabis mandata.* Certum est enim nos mandata servare, si volumus: sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. Certum est nos velle, cùm volumus: sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est,

Eccli. 22. 33.

Psal. 33. 14.

Psal. 140. 3.

Eccli. 23. 4. & 5.

Exod. 20. 17.

Eccli. 23. 6.

Ibidem.

Dei mandata si volumus, servamus, quo sensu rectè dicatur.

[a] Am. Er. & aliquot MSS. *Non propter vos ego facio, domus Israël.*

[b] Hîc particulam *&* adjecimus ex MSS. quibus consentit Græca lectio LXX.

[c] Sic MSS. Vatic. & Gallic. At editi, *sed convertimini.*

Prov. 8. sec. LXX. Psal. 36.23. Philip. 2.13. Ezech. 36. 27. Ezech. 11. 19. & 36. 26. Psal. 140.3. Psal. 38.2.

quod paulò antè posui, *Præparatur voluntas à Domino:* de quo dictum est, *A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet:* de quo dictum est, *Deus est qui operatur in vobis & velle.* Certum est nos facere, cùm facimus: sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, *Faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis.* Cùm dicit, *faciam ut faciatis:* quid aliud dicit, nisi *auferam à vobis cor lapideum*, unde non faciebatis; *& dabo vobis cor carneum*, unde faciatis? Et hoc quid est, nisi auferam cor durum, unde non faciebatis; & dabo cor obediens, unde faciatis? Ille facit ut faciamus, cui dicit homo, *Pone Domine custodiam ori meo.* Hoc est enim dicere, Fac ut ponam custodiam ori meo: quod beneficium Dei jam fuerat consecutus, qui dixit, *Posui ori meo custodiam.*

CAPUT XVII.

Voluntas bona parva & invalida. Magna voluntas magna caritas. Iohan. 15. 13. Rom. 13.8. & seq. Lev. 19.18. Matth. 26. 69. & seq. 1. Iohan. 4. 18. Iohan. 13. 37. Gratia operans & cooperans. Philip. 1. 6. Philip. 2.13. Rom. 8. 28.

33. Qui ergo vult facere Dei mandatum & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cùm magnam habuerit & robustam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magnâ utique voluntate, hoc est, magnâ caritate fecerunt: de qua caritate ipse Dominus ait, *Majorem hac caritatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis.* Unde & Apostolus dicit, *Qui enim diligit proximum, legem implevit: nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur: plenitudo ergo legis, dilectio.* Ipsam caritatem apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. *Timor* enim *non est in caritate*, sicut ait Johannes evangelista in epistola sua; *sed perfecta caritas foras mittit timorem.* Et tamen quamvis parva & & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino, *Animam meam pro te ponam:* putabat enim se posse, quod se velle sentiebat. Et quis istam etsi parvam dare cœperat caritatem, nisi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: *Certus sum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu.* Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cùm autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo ut velimus, dictum est, *Deus est enim qui operatur in vobis & velle.* De cooperante autem cùm jam volumus & volendo facimus: *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum.* Quid est *omnia*, nisi & ipsas terribiles sævasque passiones? Sarcina quippe illa Christi, quæ infirmitati gravis est, levis efficitur caritati. Talibus enim Dominus dixit esse suam sarcinam levem, qualis Petrus fuit quando passus est pro Christo, non qualis fuit quando negavit Christum.

Sarcina passionum infirmitati gravis, caritati levis. Matth. 11. 30. Caritas ab Apostolo commendata. Rom. 8. 35. & seq. Psal. 43.22. 1. Cor. 12. 31. & 1. Cor. 13. 1. & 4.

34. Istam caritatem, id est, divino amore ardentissimam voluntatem commendans Apostolus, dicit, *Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est, Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus velut oves occisionis. Sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Et alio loco dicit: *Adhuc supereminentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar & angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & si sciero omnia sacramenta, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero omnia mea pauperibus, & si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Caritas magnanima est, benigna est; caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non dehonestatur, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia suffert; caritas numquam cadit.* Et paulò pòst: *Manet*, inquit, *fides, spes, caritas, tria hæc; major autem horum caritas: sectamini caritatem.* Item dicit ad Galatas: *Vos enim in libertatem vocati estis fratres; tantùm ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per caritatem servite invicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur, in eo quod diliges proximum tuum tamquam te ipsum.* Hoc est quod ad Romanos ait, *Qui diligit alterum, legem implevit.* Item dicit ad Colossenses: *Super omnia autem hæc caritatem, quæ est vinculum perfectionis.* Et ad Timotheum: *Finis*, inquit, *præcepti est caritas:* & adjungens qualis caritas, *de corde*, inquit, *puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Ad Corinthios autem [a] cùm dicit, *Omnia vestra cum caritate fiant:* satis ostendit, etiam ipsas correptiones, quas asperas & amaras sentiunt qui corripiuntur, cum caritate esse faciendas. Unde alibi cùm dixisset, *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes:* mox adjunxit, *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat.* Ergo & quando corripiuntur inquieti, non malum pro malo, sed potiùs bonum redditur. Hæc autem omnia quæ nisi caritas operatur?

Ibid. 13. 1. Cor. 14. Gal. 5. 13. Lev. 19.18. Rom. 13. 8. Colos. 3. 14. 1. Tim. 1. 5. 1. Cor. 16. 14. Correptio cum caritate facienda. 1. Thess. 5. 14. 1. Pet. 4. 8. Iac. 2. 8. Lev. 19.18. 1. Iohan. 2. 10. 1. Iohan. 3. 10. Ibidem 11. 1. Iohan. 3. 23. 1. Iohan. 5. 2.

35. Et apostolus Petrus: *Ante omnia*, inquit, *mutuam inter vos caritatem* [b] *perpetuam habentes, quia caritas cooperit multitudinem peccatorum.* Dicit etiam apostolus Jacobus: *Si tamen legem perficitis regalem, secundùm Scripturas, Diliges proximum tuum tamquam te ipsum, bene facitis.* Item Johannes apostolus: *Qui diligit*, inquit, *fratrem suum, in lumine manet.* Et alio loco: *Qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum: quia hæc est annuntiatio quam audivimus ab initio, ut diligamus invicem.* Itemque alibi: *Hoc est*, inquit, *mandatum illius, ut credamus nomini Filii ejus Iesu Christi, & diligamus invicem.* Et iterum: *Hoc*, inquit, *mandatum habemus ab ipso, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Et paulò pòst: *In hoc*, inquit, *cognoscimus, quia diligimus filios Dei, cùm Deum diligimus, & præcepta ejus facimus:*

Hæc

[a] Particula *cum* à Lov. & non nullis MSS. omissa est.

[b] Editi & aliquot MSS. *perpetuò.*

Hæc est enim dilectio Dei, ut præcepta ejus servemus, & præcepta ejus gravia non sunt. Et in epistola secunda scriptum est: *Non quasi præceptum novum scribam tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus invicem.*

1. Johan. 5. 3. — *2. Johan. 5.* — *Matth. 22. 40.*

36. Dicit etiam ipse Dominus Jesus, in duobus præceptis dilectionis Dei & dilectionis proximi totam legem prophetasque pendere. De quibus duobus præceptis in Evangelio secundùm Marcum scriptum est: *Et accessit unus de scribis qui audierat illos perquirentes, & videns quoniam illis bene responderit, interrogavit eum, quod esset primum omnium mandatum. Iesus autem respondit ei, Primum omnium mandatum est, Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est: &, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: hoc est primum mandatum. Secundum autem simile illi: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum: majus horum aliud non est mandatum.* Dicit etiam in Evangelio secundùm Johannem: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

Marci 12. 28. & seq. — *Deut. 6. 4.* — *Levit. 19. 18.* — *Johan. 13. 34.*

Caput XVIII. *Caritas qua præcepta implentur, non ex nobis est, sed ex Deo.*

37. Hæc omnia præcepta dilectionis, id est, caritatis, quæ tanta & talia sunt, ut quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine caritate, nullo modo fiat bene; hæc ergo præcepta caritatis inaniter darentur hominibus, non habentibus liberum voluntatis arbitrium: sed quia per legem dantur & veterem & novam, (quamvis in nova venerit gratia quæ promittebatur in vetere, lex autem sine gratia littera est occidens, in gratia verò spiritus vivificans,) unde est in hominibus caritas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergo inter nos judex apostolus Johannes, & dicat nobis: *Carissimi, diligamus invicem.* In his verbis Johannis cùm se illi extollere cœperint & dicere, Ut quid nobis hoc præcipitur, nisi quia ex nobis habemus ut invicem diligamus: sequitur continuò idem Johannes, confundens eos & dicens, *quia dilectio ex Deo est.* Non itaque ex nobis, sed ex Deo est. Cur ergo dictum est, *Diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est:* nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum? Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret unde quod jubebatur impleret. Cùm dicitur, *Diligamus invicem,* lex est: cùm dicitur, *quia dilectio ex Deo est,* gratia est. *Sapientia* quippe Dei *legem & misericordiam in lingua portat.* Unde scriptum est in Psalmo: *Etenim benedictionem dabit qui legem dedit.*

Lex sine gratia, littera occidens. — *1. Johan. 4. 7.* — *Ibidem.* — *Prov. 3. 16. sec. LXX.* — *Psal. 83. 8.*

Non diligeremus Deum nisi nos prior diligeret. — *1. Johan. 4. 19.*

38. Nemo ergo vos fallat, fratres mei: quia nos non diligeremus Deum, nisi nos prior ipse diligeret. Idem Johannes apertissimè hoc ostendit, & dicit, *Nos*[a] *diligamus, quia ipse prior dilexit nos.* Gratia nos facit legis dilectores, lex verò ipsa sine gratia non nisi prævaricatores facit. Et quod discipulis suis dicit Dominus, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos:* nihil aliud indicat nobis. Si enim nos priùs dileximus, ut hoc merito nos ipse diligeret; priùs illum nos elegimus, ut ab illo eligi mereremur. Sed ipse qui veritas est, aliud dicit, & huic vanitati hominum apertissimè contradicit: *Non vos me elegistis,* inquit. Si ergo non elegistis, sine dubio nec dilexistis: quomodo enim eum eligerent, quem non diligerent? *Sed ego,* inquit, *vos elegi.* Numquid non & ipsi postea elegerunt eum, & omnibus bonis hujus sæculi prætulerunt? Sed quia electi sunt, elegerunt: non quia elegerunt, electi sunt. Eligentium hominum meritum nullum esset, nisi eos eligentis gratia Dei præveniret. Unde & apostolus Paulus benedicens [b] Thessalonicenses: *Vos,* inquit, *Dominus multiplicet, & abundare faciat in caritate in invicem & in omnes.* Hanc benedictionem dedit ut nos invicem diligeremus, qui legem dederat ut invicem diligamus. Denique alio loco ad eosdem, quia sine dubio in quibusdam eorum jam erat, quod eis ut esset optaverat: *Gratias,* inquit, *agere debemus Deo semper pro vobis, fratres, sicut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat caritas uniuscujusque vestrûm in invicem.* Hoc dixit, ne fortè de tanto bono quod ex Deo habebant, tamquam ex se ipsis id habentes extollerentur. Quòd ergo supercrescit fides vestra, inquit, & abundat caritas uniuscujusque vestrûm in invicem, gratias agere debemus Deo de vobis; non ita vos laudare, tamquam hoc habeatis ex vobis.

Johan. 15. 16. — *Apostoli quia electi sunt, Christum elegerunt; non quia elegerunt, electi sunt.* — *1. Thess. 3. 12.* — *2. Thess. 1. 3.*

39. Et ad Timotheum dicit, *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & caritatis & continentiæ.* In quo sanè Apostoli testimonio cavere debemus, ne nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est Dei donum, de quo dicit propheta Isaias, *Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectûs, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, spiritus timoris Domini.* Non quo timore Petrus Christum negavit, sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Christus, *Eum timete, qui habet potestatem & animam & corpus perdere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete.* Hoc autem dixit, ne illo timore negaremus eum, quo turbatus est Petrus. Hunc enim auferri voluit à nobis, cùm priùs dixit, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant.* Hujus timoris non accepimus spiritum, sed virtutis & caritatis & continentiæ. De quo spiritu idem ipse ad Romanos ait, *Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit; quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Non itaque per nos, sed per Spiritum-sanctum qui datus est nobis: ipsa caritate fit, quam Dei donum esse manifestat, ut tribulatio non auferat, sed potiùs operetur patientiam. Ad Ephesios etiam: *Pax,* inquit, *fratribus & caritas cum fide.* Magna bona: sed dicat unde? *à Deo,* inquit, *Patre & Domino Iesu Christo.* Ergo hæc magna bona, non sunt nisi Dei dona.

2. Tim. 1. 7. — *Spiritus timoris magnum Dei donum.* — *Isai. 11. 2.* — *Luc. 12. 5.* — *Ibidem 4.* — *Rom. 5. 3.* — *Ephes. 6. 23.*

Caput XIX.

40. Sed non est mirum, si lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehendunt. In Johanne lux dicit, *Ecce qualem dilectionem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur & simus.* Et in Pelagianis tenebræ dicunt, Dilectio nobis ex nobis est. Quam si veram, id est, Christia-

Johan. 1. 5. — *1. Johan. 3. 1.* — *Pelagianorum tenebræ, cùm*

[a] In MSS. Vatic. & Gallic. *Nos diligimus.*

[b] Omnes MSS. *benedicens Colossenses.*

scientiam legis ex Deo, caritatem verò ex nobis esse volunt. *1. Cor. 2. 12.* *1. Iohan. 4. 16.*

A nam dilectionem haberent, scirent & unde haberent; sicut sciebat Apostolus, qui dicebat, *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Johannes dicit, *Deus dilectio est.* Et Pelagiani etiam ipsum Deum non ex Deo, sed ex semetipsis habere se dicunt: & cùm scientiam legis ex Deo nobis esse fateantur, caritatem ex nobis ipsis volunt. Nec audiunt Apostolum dicentem, *Scientia inflat, caritas autem ædificat.* (*1. Cor. 8. 1.*) B Quid est ineptius, immo verò quid est amentius, & ab ipsa sanctitate caritatis alienius, quàm confiteri ex Deo esse scientiam, quæ sine caritate inflat, & ex nobis esse caritatem, quæ facit ut scientia inflare non possit? Item cùm dicat Apostolus, *supereminentem scientiæ caritatem Christi:* (*Ephes. 3. 19.*) quid est insanius, quàm putare ex Deo esse scientiam, quæ subdenda est caritati, & ex hominibus caritatem, quæ supereminet scientiæ? Fides autem vera & doctrina sana ambas esse dicit ex Deo, quia scriptum est, C *A facie ejus scientia & intellectus procedit:* (*Prov. 2. sec. LXX.*) scriptum est, *Caritas ex Deo est.* (*1. Iohan. 4. 7.*) Et legimus, *Spiritum scientiæ & pietatis:* (*Isai. 11. 2.*) legimus, *Spiritum virtutis & caritatis & continentiæ.* (*2 Tim. 1. 7.*) Sed majus est donum caritas quàm scientia: nam scientia quando est in homine, caritas est necessaria, ne infletur; (*1. Cor. 8. 1.*) *caritas autem non æmulatur, non agit perperam, non inflatur.* (*1 Cor. 13. 4.*)

CAPUT XX. *Voluntates hominum ita esse in Dei potestate, ut eas quò voluerit faciat inclinari.*

41. SATIS me disputasse arbitror adversùs eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, D qua voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, & cùm bona fuerit adjuvatur: & sic disputasse, ut non magis ego, quàm divina ipsa scriptura vobiscum locuta sit evidentissimis testimoniis veritatis: quæ scriptura divina si diligenter inspiciatur, ostendit non solùm bonas hominum voluntates quas ipse facit ex malis, & à se factas bonas in actus bonos & in æternam dirigit vitam, verùm etiam illas quæ conservant sæculi creaturam, ita esse in Dei po- E testate, ut eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse judicat, occultissimo quidem judicio, sed sine ulla dubitatione justissimo. (*Confer lib. 5. contra Iulianum cap. 4.*) Nam invenimus aliqua peccata etiam pœnas esse aliorum peccatorum: (*Peccata quædam pœnas esse aliorum peccatorū.*) sicut sunt vasa iræ, quæ perfecta dicit Apostolus in perditionem: (*Rom. 9. 22.*) sicut est induratio Pharaonis, cujus & caussa dicitur, ad ostendendam in illo virtutem Dei: (*Exod. 7. 3. & 10. 1.*) F sicut est fuga Israëlitarum à facie hostium de civitate Gai; (*Iosue 7. 4.*) in animo enim factus est timor ut fugerent, & hoc factum est ut vindicaretur peccatum eo modo, quo fuerat vindicandum: unde dicit Dominus ad Jesum Nave, *Non poterunt filii Israël subsistere ante faciem inimicorum suorum.* (*Ibidem 12.*) Quid est, *Non poterunt subsistere?* Quare non subsistebant per liberum arbitrium, sed per timorem turbata voluntate fugiebant; nisi quia Deus dominatur & voluntatibus hominum, & quos vult in formidinem con- G vertit iratus? Numquid non hostes Israëlitarum adversùs populum Dei, quem ducebat Jesus Nave, sua voluntate pugnarunt? Et tamen dicit Scriptura, *quia per Dominum factum est confortari cor eorum, ut obviàm irent ad bellum ad Israël, ut exterminarentur.* (*Iosue 11. 20.*) Numquid non sua voluntate homo improbus filius Gemini maledicebat regi David? Et tamen quid ait David, plenus verâ & altâ & piâ sapientiâ? quid ait illi qui maledicentem percutere voluit? *Quid mihi*, inquit, *& vobis filii Sarviæ? Dimittite eum, & maledicat; quia Dominus dixit illi maledicere David. Et quis dicet ei, Quare fecisti sic?* (*2. Reg. 16. 10.*) Deinde scriptura divina plenam sententiam regis velut ab alio initio repetendo commendans, *Et dixit*, inquit, *David ad* [a] *Abessa & ad omnes pueros ejus, Ecce filius meus qui exiit de utero meo quærit animam meam,* [b] *& adhuc modò filius Gemini? Sinite illum, maledicat, quoniam dixit illi Dominus, ut videat Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledicto ejus in die isto.* (*Ibid. 11.*) Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere David, quis sapiens & intelliget? Non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur; sed quòd ejus voluntatem proprio vitio suo malam in hoc peccatum judicio suo justo & occulto inclinavit, ideo dictum est, *dixit ei Dominus.* Nam si jubenti obtemperasset Deo, laudandus potiùs quàm puniendus esset, sicut ex hoc peccato postea novimus esse punitum. Nec caussa tacita est, cur ei Dominus isto modo dixerit maledicere David, hoc est, cor ejus malum in hoc peccatum miserit vel dimiserit: *ut videat*, inquit, *Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledicto ejus in die isto.* Ecce quomodo probatur, Deum uti cordibus etiam malorum ad laudem atque adjumentum bonorum. Sic usus est Judâ tradente Christum, sic usus est Judæis crucifigentibus Christum. Et quanta inde bona præstitit populis credituris? Qui & ipso diabolo utitur pessimo, sed optimè, ad exercendam & probandam fidem & pietatem bonorum, non sibi, qui omnia scit ante quàm fiant, sed nobis, quibus erat necessarium, ut eo modo ageretur nobiscum. Numquid non sua voluntate [c] Abessalon elegit consilium quod sibi oberat? Et tamen ideo fecit, quia exaudierat Dominus ejus patrem orantem, ut hoc fieret. Propter quod Scriptura ait, *Et Dominus mandavit dissipare consilium Achitophel bonum, ut inducat Dominus super Abessalon omnia mala.* (*2. Reg. 17. 14.*) Bonum consilium dixit, quod ad tempus proderat caussæ, quia pro ipso erat contra patrem ejus, contra quem rebellaverat, ut posset eum opprimere, nisi Dominus consilium dissipasset quod dederat Achitophel, agendo in corde Abessalon, ut tale consilium repudiaret, & aliud quod ei non expediebat eligeret.

CAPUT XXI. *Deum in cordibus etiam malorum agere quidquid vult.*

42. QUIS non ista judicia divina contremiscat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum quidquid vult, reddens eis tamen secundùm merita eorum? Roboam filius Salomonis respuit consilium salubre seniorum, quod ei dederant, ne cum populo durè ageret, & verbis coævorum suorum potiùs adquievit, respondendo minaciter quibus leniter debuit. (*3. Reg. 12. 8. & 14.*) Unde hoc, nisi propria voluntate? Sed hinc ab eo recesserunt decem tribus Israël, & alium regem sibi

[a] Editi, *ad Abisai.* At MSS. *ad Abessa:* ut in LXX.

[b] Sic MSS. Gallic. Vatic. & Belgic. juxta Græcum LXX. ϗ προσέτι νῦν ὁ υἱὸς τοῦ Ἰεμινί. Editi ferebant, *quanto magis hic filius Gemini.*

[c] Editi *Absalon.* Et infrà cap. 21. *Abia Silonita.* At MSS. cum LXX. constanter ferunt, *Abessalon, Achia Selonita.*

constituerunt Jeroboam, ut irati Dei voluntas A
fieret, quod etiam futurum esse prædixerat. Quid
Ibid. 15. enim Scriptura dicit? *Et non audivit rex plebem,*
quoniam erat conversio à Domino, ut statueret verbum suum quod locutus est in manu Achiæ Selonitæ de Ieroboam filio Nabath. Nempe sic factum
est illud per hominis voluntatem, ut tamen conversio esset à Domino. Legite libros Paralipomenon, & invenietis in secundo libro scriptum:
2. Par. 21. 16. *Et suscitavit Dominus super Ioram spiritum Philistiim & Arabum qui finitimi erant Æthiopibus, &* B
adscenderunt in terram Iuda, & dissipaverunt eam, & ceperunt omnem substantiam, quæ in domo regis inventa est. Hîc ostenditur, Deum suscitare hostes
eis terris vastandis, quas tali pœnâ judicat dignas.
Numquid tamen Philistiim & Arabes in terram
Judæam dissipandam sine sua voluntate venerunt,
aut sic venerunt sua voluntate, ut mendaciter
scriptum sit, quòd Dominus ad hoc faciendum
eorum spiritum suscitavit? Immo utrumque verum est, quia & sua voluntate venerunt, & ta- C
men spiritum eorum Dominus suscitavit. Quod
etiam sic dici potest: & eorum spiritum Dominus suscitavit, & tamen sua voluntate venerunt.
Agit enim Omnipotens in cordibus hominum
etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat
quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino
injustè aliquid velle non novit. Quid est quod
a 2. Par. 25. 7. homo Dei dixit ad [a] Amessiam regem, *Non veniat*
b *tecum exercitus Israël, non est enim Dominus cum*
Israël, [b] omnibus filiis Ephrem: quoniam si putaveris obtinere in illis, in fugam convertet te Deus D
ante inimicos, quoniam virtus est Deo vel adjuvare
vel in fugam vertere? Quomodo virtus Dei alios
Psal. 134. 6. adjuvat in bello dando eis fiduciam, alios immisso
timore vertit in fugam, nisi quia ille qui in cælo
4. Reg. 14. 9. & seq. & in terra omnia quæcumque voluit fecit, etiam
in cordibus hominum operatur? Legimus quid
dixerit Joas rex Israël, mittens nuntium ad Amessiam regem volentem pugnare cum illo. Nam
4. Reg. 14. 11. post aliqua dixit: *Nunc sede in domo tua. Quid*
2. Par. 25. 20. *provocas in malum, & cadis tu & Iuda tecum?* Dein- E
c de Scriptura subjunxit: *Et non audivit Amessias;*
quoniam à Deo erat ut traderetur in [c] manus, quoniam quæsierunt deos Edom. Ecce Deus idololatriæ peccatum volens vindicare, hoc operatus
est in ejus corde, cui utique justè irascebatur, ut
admonitionem salubrem non audiret, sed eâ contemtâ iret in bellum, ubi cum suo exercitu caderet. Per Ezechielem prophetam dicit Deus,
Ezech. 14. 9. *Et propheta si erraverit & locutus fuerit, ego Dominus seduxi prophetam illum, & extendam manum* F
Esther 3. & 4. *meam super eum, & exterminabo eum de medio populo meo Israël.* In libro Esther scriptum est, quæ
mulier ex populo Israël in terra captivitatis facta
erat uxor alienigenæ regis Assueri: ergo in ejus
libro scriptum est, quòd cùm haberet necessitatem interveniendi pro populo suo, quem rex,
ubicumque in regno ejus esset, jusserat trucidari, oravit ad Dominum: cogebat enim eam magna necessitas, ut præter jussum regis & præ- G
Esther 5. sec. LXX. ter ordinem suum ad illum auderet intrare. Et
videte quid Scriptura dicat: *Et intuitus est eam*
tamquam taurus impetu indignationis suæ, & timuit
regina, & conversus est color ejus per dissolutionem,

& inclinavit se super caput delicatæ suæ, quæ præcedebat eam: & convertit Deus, & transtulit indignationem ejus in lenitatem. Scriptum est & in
Proverbiis Salomonis: *Sicut impetus aquæ, sic cor* Prov. 21. 1.
regis in manu Dei; quocumque voluerit, declinabit
illud. Et in Psalmo centesimo quarto legitur dictum de Ægyptiis, quid eis fecerit Deus: *Et* Psal. 104. 25.
convertit cor eorum ut odissent populum ejus, ut dolum
facerent in servos ejus. In litteris etiam apostolicis videte quæ scripta sunt; in epistola Pauli
apostoli ad Romanos: *Propterea tradidit illos Deus* Rom. 1. 24.
in desideria cordis eorum, in immunditiam. Item paulò pòst: *Propter hoc tradidit illos Deus in passiones* Ibidem 26.
ignominiæ. Item paulò pòst: *Sicut non probaverunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus* Ibid. 28.
in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt.
Et ad Thessalonicenses in epistola secunda ait
de quibusdam: *Pro eo quòd dilectionem veritatis non* 2. Thess. 2. 10.
receperunt, ut salvi fierent, & ideo mittet illis Deus
operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

43. His & talibus testimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis, quantum existimo, manifestatur,
operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad
bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo aliquando aperto,
aliquando occulto, semper tamen justo. Fixum
enim debet esse & immobile in corde vestro,
quia non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc Rom. 9. 14.
quando legitis in litteris veritatis, à Deo seduci
homines, aut obtundi vel obdurari corda eorum,
nolite dubitare præcessisse mala merita eorum,
ut justè ista paterentur: ne incurratis in illud
proverbium Salomonis, *Insipientia viri violat vias* Prov. 19. 3.
ejus, Deum autem causatur in corde suo. Gratia
verò non secundùm merita hominum datur,
alioquin gratia jam non est gratia: quia ideo Rom. 11. 6.
gratia vocatur, quia gratìs datur. Si autem potens est, sive per angelos, vel bonos vel malos, sive quocumque alio modo operari etiam in cordibus malorum, pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta
est ab Adam, aut crevit per propriam voluntatem: quid mirum est, si per Spiritum-sanctum
operatur in cordibus electorum suorum bona, qui
operatus est ut ipsa corda essent ex malis bona?

Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quò voluerit.

Malitia originaliter ab Adâ tracta.

CAPUT XXII.

Gratiæ gratuitæ exemplum in parvulis.

44. SED suspicentur homines quælibet merita bona, quæ putant præcedere, ut justificentur per Dei gratiam; non intelligentes, cùm hoc
dicunt, nihil aliud quàm se negare gratiam: sed,
ut dixi, quod volunt de majoribus suspicentur;
de parvulis certè Pelagiani quid respondeant non
inveniunt, quorum nec voluntas ulla est in accipienda gratia, cujus voluntatis meritum præcessisse dicant, & insuper eos etiam cum fletu reluctari videmus, quando baptizantur & divina sacramenta percipiunt; quod eis ad magnum impietatis peccatum imputaretur, si jam libero uterentur arbitrio: & tamen hæret etiam in reluctantibus gratia, apertissimè nullo bono merito
præcedente, alioquin gratia jam non esset gratia. Et aliquando filiis infidelium præstatur hæc

[a] Sic MSS juxta LXX. At editi, *Amasiam.*
[b] Hîc particulam & delevimus, quia abest à MSS. & LXX.

[c] Plerique MSS. *in manum.* Editi, *in manus ejus.* Abest *ejus* à MSS. & LXX.

gratia, cùm occultâ Dei providentiâ in manus piorum quomodocumque perveniunt; aliquando autem filii fidelium non eam consequuntur, aliquo impedimento exsistente, ne possit periclitantibus subveniri. Fiunt verò ista per occultam Dei providentiam, cujus inscrutabilia sunt judicia, & investigabiles viæ: quod ut Apostolus diceret, quid prædixerit intuemini. Agebat enim de Judæis & Gentibus, cùm scriberet ad Romanos, id est, ad Gentes, & ait, *Sicut enim aliquando vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis in illorum incredulitate: ita & hi nunc non crediderunt in vestra misericordia, ut & ipsi misericordiam consequantur: conclusit enim Deus omnes in infidelitate, ut omnium misereatur.* (Rom. 11. 30.) Et cùm adtendisset quid dixerit, admirans sententiæ suæ certam quidem veritatem, sed magnam profunditatem, quomodo concluserit Deus omnes in infidelitate, ut omnium misereatur, quasi faciens mala ut venirent bona, mox exclamavit atque ait, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* (Ibidem 33.) Hæc enim inscrutabilia judicia & investigabiles vias perversi homines non cogitantes, & proclives ad reprehendendum, non idonei ad intelligendum, putabant & jactitabant Apostolum dicere, *Faciamus mala, ut veniant bona.* (Rom. 3. 8.) Quod absit ut Apostolus diceret: sed homines non intelligentes hoc putabant dici, quando audiebant quod dixit Apostolus, *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.* (Rom. 5. 20.) Sed utique gratia id agit, ut jam fiant bona ab eis qui fecerunt mala; non ut perseverent in malis, & reddi sibi existiment bona. Non itaque debent dicere, *Faciamus mala, ut veniant bona*; sed, Fecimus mala, & venerunt bona; jam faciamus bona, ut in futuro sæculo recipiamus pro bonis bona, qui in hoc sæculo recipimus pro malis bona. Propter quod scriptum est in Psalmo: *Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine.* (Psal. 100. 1.) Priùs itaque non ideo venit Filius hominis in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum (Johan. 3. 17.); hoc propter misericordiam: postea verò propter judicium venturus est judicare vivos & mortuos; quamvis & in hoc tempore ipsa salvatio non fiat sine judicio, sed occulto, ideo ait, *In judicium veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* (Johan. 9. 39.)

CAPUT XXIII. Cur huic subvenitur, illi non subvenitur, revocandū ad judicia Dei occulta.

45. AD occulta ergo Dei judicia revocate, quando videtis in una caussa, quam certè habent omnes parvuli, hereditarium malum trahentes ex Adam, huic subveniri ut baptizetur, illi non subveniri ut in ipsa obligatione moriatur; illum baptizatum in hac vita relinqui, quem præscivit Deus impium futurum, istum verò baptizatum rapi ex hac vita, ne malitia mutet intellectum ejus (Sap. 4. 11.): & nolite in istis dare injustitiam vel insipientiam Deo, apud quem justitiæ fons est & sapientiæ: sed sicut vos exhortatus sum ab initio sermonis hujus, in quod pervenistis, in eo ambulate (Philip. 3. 16. & 15.), & [a] hoc quoque vobis Deus revelabit, & si non in hac vita, certè in altera: *nihil est enim occultum quod non revelabitur.* (Matth. 10. 26.) Quando ergo auditis dicentem Dominum, *Ego Dominus seduxi prophetam illum* (Ezech. 14. 9.); & quod ait Apostolus, *Cujus vult miseretur, & quem vult obdurat* (Rom. 9. 18.): in eo quem seduci permittit vel [b] obdurari, mala ejus merita credite; in eo verò cujus miseretur, gratiam Dei non reddentis mala pro malis, sed bona pro malis, fideliter & indubitanter agnoscite. Nec ideo auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus, *Ego induravi Pharaonem*, vel *induravi*, aut *indurabò cor Pharaonis.* Non enim propterea ipse Pharao non induravit cor suum. Nam & hoc de illo legitur, quando ablata est ab Ægyptiis cynomyia, dicente Scripturâ: *Et ingravavit Pharao cor suum & in isto tempore, & noluit dimittere populum.* (Exod. 8. 32.) Ac per hoc & Deus induravit per justum judicium, & ipse Pharao per liberum arbitrium. Certi ergo estote, quia non erit inanis labor vester, si in bono proposito proficientes perseveretis usque in finem. Deus enim qui modò illis quos liberat non reddit secundùm opera eorum, tunc reddet unicuique secundùm opera ejus. (Matth. 16. 27.) Reddet omnino Deus & mala pro malis, quoniam justus est; & bona pro malis, quoniam bonus est; & bona pro bonis, quoniam bonus & justus est: tantummodo mala pro bonis non reddet, quoniam injustus non est. Reddet ergo mala pro malis, pœnam pro injustitia; & reddet bona pro malis, gratiam pro injustitia; & reddet bona pro bonis, gratiam pro gratia.

CAPUT XXIV. Intellectus & sapientia petatur à Deo.

46. REPETITE assiduè librum istum, & si intelligitis, Deo gratias agite: ubi autem non intelligitis, orate ut intelligatis: dabit enim vobis Dominus intellectum. Mementote scriptum esse: *Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* (Jacobi 1. 5.) Ipsa est sapientia de sursum descendens, sicut ipse apostolus Jacobus dicit. Illam verò sapientiam repellite à vobis, & orate ut non sit in vobis, quam detestatus est, ubi ait, *Quòd si zelum amarum habetis, & contentiones in vobis sunt, non est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus & contentio est, ibi inconstantia & omne opus pravum. Quæ autem de sursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordiâ & fructibus bonis, inæstimabilis, sine simulatione.* (Jacobi 3. 14.) Quid boni ergo non habebit, qui hanc sapientiam postularit & impetrarit à Domino? Et hinc intelligite gratiam; quia si ex nobis esset ista sapientia, de sursum non esset, nec ab ipso qui nos creavit Deo postulanda esset. Fratres, orate & pro nobis, ut temperanter & piè & justè vivamus in hoc sæculo, exspectantes illam beatam spem, & manifestationem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi (Tit. 2. 12.), cui est honor & gloria & regnum cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum, Amen.

[a] Huc in editis immissum est, *si aliquid aliter sapitis*: quod in MSS. non erat.

[b] Aliquot MSS. *vel obdurat.*

VALENTINI AD AUGUSTINUM post librum de gratia & libero arbitrio & superiores ejus litteras rescribentis,

Epistola inter Augustinianas CCXVI.

Domino verè sancto, ac nobis venerabiliter super omnia præferendo, & pia exsultatione colendo, beatissimo papæ AUGUSTINO, VALENTINUS *servus tuæ sanctitatis, & omnis congregatio quæ tuis orationibus mecum sperat, in Domino salutem.*

*VEnerabilia scripta, & librum * tuæ sanctitatis ita tremebundo corde suscepimus, ut sicut beatus Elias* * Librum
cùm in speluncæ limine staret, faciem suam gloriâ Domini transeunte velavit; ita nos objurgatos oculos superiorem, de gratia &
teximus, quia per rusticitatem fratrum nostrorum nostro judicio erubuimus, quorum inordinata profectione libero arbitrio.
tuam [a] *metuimus beatitudinem salutare; quia tempus loquendi, & tempus tacendi: ne dum per dubitantes &*
de veritate fluctuantes scriberemus, de dictis sapientiæ tuæ, quæ est sicut Angeli Dei, dubitare cum dubitanti-
bus videremur. Non enim erat nobis necessarium interrogare de beatitudine, & de sapientia tua, quæ est no-
*bis nota per Domini gratiam. Nam ad librum * dulcissimæ sanctitatis tuæ ita sumus alacriter jocundati, ut* * al. dulcissimum.
sicut Apostoli Dominum post resurrectionem prandentem secum non audebant interrogare quis esset; Sciebant Iohan. 21.
enim quia Jesus est: ita & nos nec voluimus, nec ausi sumus interrogare de libro, utrùm tuæ sanctitatis esset, 12.
cùm ipsa fidelium gratia quæ in eo liberaliter commendatur, nobis tuum esse, domine sancte papa, eloquiis vi-
vacissimis contestetur.

2. *Incipiamus autem, domine beatissime papa, ipsius ordinem perturbationis exponere. Carissimus frater no-*
ster Florus servus paternitatis tuæ, cùm ad Uzalensem patriam fuisset suadente caritate profectus, eulogias
** monasterio inter ipsas suæ civitatis moras de opusculis nobis tuæ adtulit sanctitatis, uno fratre Felice, qui* * al. monasterii.
*ad tuam sanctitatem tardè post comites suos venisse dinoscitur, eumdem librum * devotè dictante. Ventum est* * Librum
ad monasterium cum eodem libello, fratre Floro ad Carthaginem de Uzalensi civitate profecto. Mihi non seu epistolam 194 ad
monstrato libro imperitis fratribus recitare cœperunt: quorumdam non intelligentium corda commovit; quia & Sixtum.
cùm diceret Dominus, Qui non manducaverit carnem filii hominis, neque biberit sanguinem ejus, non Iohan. 6.
habebit vitam in semetipso, *discesserunt qui impiè intellexerunt, non culpâ Domini dicentis, sed duritiâ im-* 54.
piissimi cordis.

3. *Cœperunt memorati fratres, qui omnia subverterunt, innocentum animas commovere, mea parvitate*
*penitus ignorante, in tantum conventus illorum * murmurantis nescii, ut nisi frater Florus de Carthagine * re-* * Corb. MS murmurantes.
pedans, & eorum perturbationes agnoscens mihi sollicitè nuntiasset, furtiva & tamquam servilis erat inter eos
*de non intelligenda veritate contentio. Proposui, ad auferendas impias quæstiones, ut ad * domnum san-* * al. repetitas
ctum patrem Evodium mitteremus, & ipse nobis de hoc sacrosancto libro propter ignaros aliquid certius [b] *re-* * al. dominum.
scripsisset. Nec hoc accipere patientiùs voluerunt, sed arripuerunt profectionem nobis taliter non optatam: fra-
tre Floro furore illorum propemodum conturbato, in quem sæviebant, quia ipse illis, ut putabant, vulnera
libri hujus adtulisset; in quo medicinam non poterant infirmi cognoscere. Unde & sanctum presbyterum Sa-
binum ad majorem auctoritatem rogavimus, & ipsius sanctitas librum cum liquidis interpretationibus legit; nec
sic anima sauciata curata est. Quibus propter ipsam pietatem sumtus dedimus, ne vulnera ipsorum cumulare-
mus, quæ posset sanare libri ipsius gratia, in qua refulget tua sancta præsentia. Quibus profectis, quies & pax
per omnes fratres exsultavit in Domino. Quinque enim vel ampliùs fratrum animositate ista est innata contentio.

4. *Sed quia interdum, domine papa, provenit gaudium ex tristitia, non adeo mæstificamur, quia per*
ignaros & curiosos suavissimis monitionibus tuæ sanctitatis illuminari meruimus. Nam & dubitatio beati Tho- Iohan. 20.
mæ apostoli foramina clavorum quærentis confirmatio fuit Ecclesiæ universalis. Accepimus igitur, domine pa- 25.
pa, medicamentum piè curantium tuarum cum gratia litterarum, & contudimus pectora nostra; ut sic saltem
sanetur conscientia nostra, quam per liberum arbitrium nostrum, quod donat misericordia, curat & vivificat
gratia: sed in hoc tempore, quando adhuc misericordiam cum dilatione cantamus. Nam cùm cœperimus judi-
cium cantare Domino, reportaturi sumus mercedem pro opere nostro: quia misericors & justus Dominus, mise- Psal. 111. 4.
rator & rectus. Quia sicut docet nos sanctitas tua, repræsentari nos oportet ante tribunal Christi, ut recipiat 2. Cor 5. 10.
unusquisque nostrùm propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum: quia veniet Dominus, & merces Isa. 40. 10.
ejus cum ipso: quia stabit homo, & opus ejus ante ipsum: quia veniet Dominus sicut clibanus ardens, ut incen- Joël. 2. 3. 5.
dat impios tamquam stipulam; & timentibus nomen Domini orietur sol justitiæ, quando impii punientur judi- Malac. 4. 2.
cio justitiæ. Hoc justus, cujus tu amicus es, domine papa, exclamat, contremiscit, & suppliciter dicit: Domine

[a] Legebatur antea *meruimus*: non rectè, nisi verbo præfigatur particula negans. Sequimur hîc antiquissimum Corbeiense exemplar, in quo epistola cum superiore Augustini libro conjungitur.

[b] Rescripsit sanè Evodius, ejusque super hac ipsa re ad Valentinum epistola in codice S. Maximi Treverensis reperta est à Jacobo Sirmondo, qui inde fragmentum istud in Prædestinatiana historia cap 1 transtulit: *Honorabiles fratres retulerunt nobis, quia nescio quæ ibi quæstiones inter vos natæ sunt de libero arbitrio & de justitia Dei. Laudamus quidem studium vestrum, sed nolumus esse contentiosum. Contentio enim perturbationem excitat, sed studium pietatem requirit. Liberi arbitrii plenissimum affectum habuit homo primò procreatus, Adam dico. Sed ubi sauciatum est ipsum liberum arbitrium, infirmatum est. Ergo est in homine nunc liberum arbitrium, sed sauciatum. Inde dictum est, Infirmatus est in egestate vigor meus, &* Psal. 30. 11. & Psal. 37. 11. *lumen oculorum meorum non est mecum. Ad hoc recuperandum missus est medicus Salvator Christus, ut salvaret quod perierat, & curaret quod vitiatum fuerat.* Et post alia: *Legant ergo sancti Dei majorum dicta, sicut jam dixi, qui habent divini muneris pium affectum: & quando non intelligunt, non citò reprehendant, sed orent ut intelligant.*

Pſal.142.2. ne intres in judicium cum ſervo tuo. *Si gratia eſſet remunerantis, non timeret juſtus ſecretarium judicium*
majeſtatis. Servi tui Flori hæc fides eſt, pater, non ſicut fratres iſti ſunt locuti: in præſentiarum audierunt ab
illo dictum, non juxta merita noſtra dari donum pietatis, ſed per gratiam Redemtoris. Nam de illo die, quis
dubitet longè eſſe gratiam, cùm cœperit iraſci juſtitia? Hoc clamamus, pater; hoc te docente canimus, non
Pſal. 6. 2. *ſecuri, ſed trepidi:* Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. *Hoc dicimus:*
Pſal.93.12. Emenda nos Domine, & de lege tua erudi nos, ut mitiges nos à diebus malis. *Hoc credimus, docente*
te, venerabilis pater, quia Dominus interrogat juſtum & impium, quia à dextris & à ſiniſtris poſitis bonis &
malis imputat remuneranda opera pietatis, enumerat puniendam tenacitatem impietatis. Vbi erit gratia,
quando pro ſui qualitate diſpungentur opera, ſive bona, ſive mala?

a 5. *Sed* [a] *cur non directum non timet proferri mendacium? Liberum arbitrium Dei gratiâ curatum non ne-*
gamus: ſed per Chriſti quotidianam gratiam proficere credimus, & adjuvari confidimus. Quid homines dicunt,
In mea eſt poteſtate, ut faciam bonum? ſi tamen facerent homines bonum. O inanis gloriatio miſerorum? quo-
tidie peccata arguunt, & ipſi ſibi aſſumunt nudum liberum jactantes arbitrium; non diſcutientes conſcientiam
Pſal. 40. 5. *ſuam, quæ non poteſt curari niſi per gratiam, ut dicerent,* Miſerere mei, ſana animam meam, quia pec-
cavi tibi. *Quid facerent, qui de libero ſibi gloriantur arbitrio, (quod non negatur, cum Dei dumtaxat ad-*
1.Cor.15.53. *jutorio,) ſi jam abſorpta fuiſſet mors in victoria, ſi jam mortale noſtrum induerit immortalitatem, & cor-*
ruptibile noſtrum induerit incorruptionem? Ecce fœtent vulnera, & ſuperbè petitur medicina. Non dicunt ſicut
Pſal. 93.17. *juſtus,* Niſi Dominus adjuviſſet me, paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea. *Non dicunt ſicut*
Pſal.126.1. *ſanctus,* Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilavit qui cuſtodit eam.

6. *Sed ora piiſſime pater, ut jam non curam geramus, niſi pro peccato noſtro lacrymis expiando, & Dei*
Pſal.68.16. *gratia commendanda. Ora domine pater, ut non urgeat ſuper nos puteus os ſuum, ut ſalvemur à deſcendentibus in*
Pſal. 29.4. Pſal. 25.9. *lacum, ut non pereat cum impiis anima noſtra per ſuperbiam noſtram, ſed ſanetur per Domini gratiam. Si-*
cut ergo præcepiſti domine papa, frater noſter Florus, ſervus ſanctitatis tuæ, omni alacritate perrexit, cui
non impedit, ſed proficit fatigatio, ut accedat ei dilucidata cordis inſtructio; quem tuæ ſanctimoniæ ſupplici-
ter commendamus, pariterque depoſcimus, ut & ignaros tuis orationibus Domino commendes manſuetiſſimè com-
ponendos. Ora domine & dulciſſime pater, ut fugiat diabolus de congregatione noſtra, & amotâ omni aliena-
b *rum quæſtionum procellâ, navis propoſiti noſtri* [b] *epibatis quietis onuſta intra ſtationem tutiſſimi portûs ſecurè*
conſiſtat, dum navigat per hoc mare magnum & immenſum, & in illo portu, intra quem jam non erit me-
tuendum vitæ navigium, mercium indiſcrepans accipiat pretium placitarum. Hoc tuæ ſanctitatis impetratu-
ros nos confidimus adjutorio, per gratiam quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Omnes filios apoſtolatûs tui
* al. dominos. * *domnos noſtros clericos, ac ſanctos in congregatione propoſiti ſervientes deprecamur ut digneris noſtro officio ſalu-*
tare, ut cum tua beatitudine omnes pro nobis orare dignentur. Indiſcrepans Trinitas Domini Dei noſtri apo-
ſtolatum tuum, quem elegit per gratiam, conſervet nobis in Eccleſia ſua, & noſtri memorem coronet in Eccle-
c *ſia magna, quod optamus Domine.* [c] *Si quid autem famulus tuæ ſanctitatis frater ſuggeſſerit Florus, pro*
regula monaſterii, digneris pater, petimus, libenter accipere, & per omnia nos infirmos inſtruere.

[a] Corbeienſis cod. *Sed cor non directum non timet proferre mendacium.*

[b] Επιβάται dicuntur milites claſſiarii, qui in navibus merentur.

[c] Corbeienſis vetus codex, *Domine, ut ſuprà.* Indicat reliqua verba repetenda ex epiſtolæ inſcriptione, id eſt, *verè ſancte, ac nobis venerabiliter ſuper omnia præferende, & pia exſultatione colende, beatiſſime papa.*

IN SUBSEQUENS OPUSCULUM

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT ULTIMUM.

d RUrſus ad eoſdem [d] ſcripſi alterum librum, quem *De correptione & gratia* prænotavi, cùm mihi nuntiatum eſſet, dixiſſe ibi quemdam, neminem corripiendum, ſi Dei præcepta non facit; ſed pro illo, ut faciat, tantummodo orandum. Hic liber ſic incipit: *Lectis litteris veſtris, Valentine frater dilectiſſime.*

[d] Valentinum ſcilicet cumque illo monachos Adrumetinum cœnobium incolentes. Vide alterius libri Retractationem ſuprà pag. 715. Proſper Auguſtino ſcribens ait, *librum de correptione & gratia plenum divinæ auctoritatis opportunè tunc* emiſſum eſſe & in Gallorum notitiam delatum: *quia univerſis quæſtionibus* ad divinæ gratiæ myſterium *pertinentibus, de quibus conſulendus* ab iis *erat* ſanctus Doctor, *plenè illic abſolutéque reſponſum eſt;* eoque *recenſito libro, qui ſanctam atque apoſtolicam doctrinæ,* inquit, *tuæ auctoritatem antea ſequebantur, intelligentiores multò inſtructioreſque ſunt facti.* Univerſam divinæ gratiæ œconomiam oculis ſubjicit idem liber, ut loquitur hiſtoriæ Pelagianæ ſcriptor clariſſ. Noriſius, qui eum appellat clavem, qua ad univerſam Auguſtini de divina gratia & libero arbitrio doctrinam aditus aperitur.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
DE CORREPTIONE ET GRATIA,
AD EUMDEM VALENTINUM ET CUM ILLO MONACHOS ADRUMETINOS,
LIBER * UNUS.

* Scriptus anno Christi 426. aut 427. aliquatò post Pascha.

Principiò dicit quænam sit catholica fides de lege, de libero arbitrio & de gratia. Gratiam Dei per Iesum Christum eam esse docet, quâ solâ homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus faciunt bonum, non solùm monstrante ipsa quid faciendum sit, sed etiam præstante ipsa ut id cum dilectione faciant, cùm iis Deus inspirationem bonæ voluntatis atque operis largiatur. Correptionem hominum malorum, qui hanc gratiam non acceperunt, nec injustam esse, cùm sua voluntate mali sint; nec inutilem, tametsi fatendum est nonnisi per Deum fieri ut prosit. Perseverantiam in bono magnum re vera esse Dei munus: nec tamen ideo ejus qui non perseveraverit, negligendam esse correptionem: & qui non accepto hoc dono fuerit sua voluntate relapsus in peccatum, eum non correptione tantùm, sed si usque ad mortem in malo permanserit, etiam æterna damnatione dignum esse. Cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, esse inscrutabile. Ex prædestinatis nullum perire posse: ac subinde perseverantiam, quam non omnes accipiunt qui hîc filii Dei appellantur, iis omnibus dari qui verè filii sunt præscientiâ & prædestinatione Dei. Respondet ad quæstionem quæ de Adamo se offert, quomodo ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit. Ostendit tale primùm ipsi datum esse adjutorium, sine quo non posset permanere si vellet, non quo fieret ut vellet: nunc verò per Christum dari, non solùm sine quo permanere non possumus, etiam si velimus, verùm etiam tantum ac tale, quo fiat ut velimus. Prædestinatorum, quibus proprium est hujusmodi donum, probat certum esse numerum, neque augendum, neque minuendum: & cùm ignotum sit quis ad eum numerum pertineat, quis non pertineat, medicinalem correptionem adhibendam esse omnibus peccantibus, ne vel ipsi pereant vel alios perdant. Concludit demum, nec gratiâ prohiberi correptionem, nec correptione negari gratiam.

CAPUT I.

LECTIS litteris vestris, Valentine frater dilectissime, & qui simul servitis Deo, quas per fratrem Florum, & eos qui cum illo ad nos venerunt, misit caritas vestra, egi Deo gratias, quòd vestram in Domino pacem, & in veritate consensionem, & in caritate flagrantiam vestro nobis reddito sermone cognovi. Quod autem ad subversionem quorumdam apud vos molitus est inimicus, Deo miserante & ejus insidias in suorum servorum [a] pro- A vectum mirabili bonitate vertente, ad hoc potiùs valuit, ut nulli vestrûm destruerentur in pejus, sed nonnulli instruerentur in melius. Non itaque opus est omnia idemtidem retractare, quæ sufficienter vobis pleno libro * disputata transmisimus: quem quomodo susceperitis, rescripta indicant vestra. Verumtamen semel lectum nullo modo arbitremini satis vobis innotescere potuisse. Si ergo eum fructuosissimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notissimum, ut [b] diligentissimè B sciatis quibus & qualibus quæstionibus solvendis

* *Lib. de gratia & libero arbitrio.*

[a] Aliquot MSS *profectum.*

[b] Lovanienses corrigendum putabant, *dilucidissimè.* At MSS. Gallic. & Vatic. cum antiquioribus editionibus habent, *diligentissimè.*

atque sanandis, non ibi humana, sed divina occurA rat auctoritas, à qua recedere non debemus, si volumus pervenire quò tendimus.

De lege, gratia, & libero arbitrio fides catholica. Psal. 36. 27.

2. Dominus autem ipse non solùm ostendit nobis, à quo malo declinemus, & quod bonum faciamus, quod solùm potest legis littera: verùm etiam adjuvat nos, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, quod nullus potest [a] sine spiritu gratiæ: quæ si desit, ad hoc lex adest, ut reos faciat & occidat. Propter quod dicit Apostolus, *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Qui ergo B legitimè lege utitur, discit in ea malum & bonum, & non confidens in virtute sua confugit ad gratiam, qua præstante declinet à malo, & faciat bonum. Quis autem confugit ad gratiam, nisi cùm à Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet? Ac per hoc & desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est: de quo ait ille, *Et dixi, nunc cœpi; hæc est immutatio dexteræ excelsi.* Liberum itaque arbitrium & ad malum & ad bonum faciendum confitendum est nos ha- C bere: sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ servusque peccati; in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit, *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Nec ita ut, cùm quisque fuerit à peccati dominatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio: sed ita potiùs, ut ab illo audiens, *Sine me nihil potestis facere;* dicat ei & ipse, *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Hanc fidem, quæ sine dubio VERA & PROPHETICA & D APOSTOLICA & CATHOLICA FIDES est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo: unde hi potiùs corrigendi sunt, quos quidem propitio Deo correctos esse jam existimo, qui eum non intelligebant.

2. Cor. 3. 6. — Legitimus legis usus. — Psal. 36. 23. — Desiderare gratiã initium gratiæ est. — Psal. 76. 11. — Liber in bono nullus, nisi per Christi gratiam fuerit liberatus. — Iohan. 8. 36. — Iohan. 15. 5. — Psal. 26. 9.

CAPUT II. Gratia Dei per Jesum Christum quænam sit.

3. INTELLIGENDA est enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, qua sola homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus sive cogitando, sive volendo & amando, sive agendo faciunt bonum: non solùm ut E monstrante ipsâ quid faciendum sit sciant, verùm etiam ut præstante ipsâ faciant cum dilectione quod sciunt. Hanc quippe inspirationem bonæ voluntatis atque operis poscebat Apostolus eis, quibus dicebat, *Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali, non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis.* Quis hoc audiat, & non evigilet, atque fateatur à Domino Deo nobis esse, ut declinemus à malo, & faciamus bonum? Quando quidem non ait Apo- F stolus, monemus, docemus, hortamur, increpamus: sed ait, *Oramus ad Deum, ne quid faciatis mali, sed quod bonum est faciatis.* Et tamen etiam loquebatur eis, & faciebat illa omnia quæ commemoravi; monebat, docebat, hortabatur, increpabat: sed sciebat hæc omnia non valere, quæ plantando & rigando faciebat in aperto, nisi eum pro illis exaudiret orantem, qui dat incrementum in occulto. Quoniam sicut idem doctor gentium dicit, *Neque qui plantat est aliquid, neque* G *qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

2. Cor. 13. 7. — 1. Cor. 3. 7.

A 4. Non se itaque fallant, qui dicunt, *Ut quid nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus à malo & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis.* Philip. 2. 13. Sed potiùs intelligant, si filii Dei sunt, spiritu Rom. 8. 14. Dei se agi, ut quod agendum est agant; & cùm egerint, illi à quo aguntur gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant; & ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt sicut agendum est, id est, cum B dilectione & delectatione justitiæ, suavitatem Psal 84. 13. quam dedit Dominus, ut terra [b] eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant. Quandò autem non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex caritate faciendo; orent, ut quod nondum habent accipiant. Quid enim habebunt, 1. Cor. 4. 7. quod non accepturi sunt? aut quid habent, quod non acceperunt?

CAPUT III. Correptio non negligenda.

5. *Ergo*, inquiunt, *præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus qui nobis præsunt, & ut* C *faciamus orent pro nobis: non autem nos corripiant & arguant, si non fecerimus.* Immo omnia fiant: quoniam doctores Ecclesiarum Apostoli omnia faciebant, & præcipiebant quæ fierent, & corripiebant si non fierent, & orabant ut fierent. Præcipit Apostolus dicens, *Omnia vestra* [c] *cum* 1. Cor. 16. 14. *caritate fiant.* Corripit dicens, *Iam quidem omnino delictum est* [d] *in vobis, quia judicia habetis vo-* 1. Cor. 6. 7. &c. *biscum. Quare enim non magis iniquitatem patimini? quare non potiùs fraudamini? Sed vos iniquita-* D *tem facitis, & fraudatis, & hoc* [e] *fratres. An nescitis, quia injusti regnum Dei non possidebunt?* Audiamus & orantem: *Vos autem*, inquit, *Dominus* 1. Thess. 3. 12. *multiplicet, & abundare faciat in caritate in invicem & in omnes.* Præcipit, ut habeatur caritas: corripit, quia non habetur caritas: orat, ut abundet caritas. O homo, in præceptione cognosce quid debeas habere, in correptione cognosce tuo te vitio non habere, in oratione cognosce unde accipias quod vis habere.

Usus præcepti, correptionis, & orationis.

CAPUT IV.

E 6. *Quomodo*, inquit, *meo vitio non habetur, quòd non accepi ab illo, à quo nisi detur, non est omnino* [f] *alius unde tale ac tantum munus habeatur?* Patimini me paululùm, fratres mei, non adversùm vos, quorum rectum est cor cum Deo, sed adversùs eos qui terrena sapiunt, vel adversùs ipsas humanas cogitationes, pro [g] cælestis & divinæ gratiæ veritate certare. Hoc enim dicunt, qui in suis malignis operibus ab hujus gratiæ prædicatoribus corripi nolunt: *Præcipe mihi* F *quid faciam: & si fecero, age pro me gratias Deo, qui mihi ut facerem dedit: si autem non fecero, non ego corripiendus sum, sed ille orandus est, ut det quod non dedit, id est, ipsam, quâ præcepta ejus* [h] *fiunt, fidelem Dei & proximi caritatem. Ora ergo pro me ut hanc accipiam, & per hanc ex animo cum bona voluntate quæ præcipit faciam. Rectè autem corriperer, si eam meâ culpâ non haberem, hoc est, si eam possem mihi dare vel sumere ipse, nec facerem, vel si dante illo ego accipere noluissem. Cùm verò &* G *ipsa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis,* Prov. 8. sec. LXX. *quia vides me ejus præcepta facere nolle; & non*

[a] Corbeiensis vetustissimus codex, *nisi spiritus gratia.* Casalensis, *nisi spiritu gratia.*
[b] Am. Er. & plerique MSS. *terra ejus.*
[c] Sic MSS. Gal. & Vat. ut suprà pag. 736. d. At editi, *in caritate.*
[d] MSS. omittunt, *in vobis.*
[e] Editi, *fratribus.* Omnes autem MSS. *fratres:* accipiendum in accusandi casu, juxta Græc.
[f] Am. & MSS. *aliud*
[g] Am & Er. & octo ex Gallic. MSS. *pro cælestis & divina gratia caritate certare.* Sorbonicus & Albinensis cod. *pro cælesti & divina caritate certare.*
[h] Sic MSS. Editi verò, *fiant.*

potiùs

potiùs ipsum rogas, ut in me operetur & velle?

Caput V. Correptionis necessitas & utilitas.

7. Ad hæc respondemus: Quicumque Dei præcepta jam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonstrari: non vis ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quæras: non vis tibi tu ipse ostendi, ut cùm deformem te vides, reformatorem desideres, eique supplices, ne in illa remaneas fœditate. Tuum quippe vitium est quòd malus es, & majus vitium corripi nolle quia malus es: quasi laudanda vel indifferenter habenda sint vitia, ut neque laudentur neque vituperentur; aut verò nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor; aut aliud agat, cùm salubriter stimulat, nisi ut rogetur bonus, & ex malis qui corripiuntur, bonos faciat qui laudentur. Quod enim vult pro se fieri qui corripi non vult, & dicit, Ora potiùs pro me; ideo corripiendus est, ut faciat etiam ipse pro se. Dolor quippe ille, quo sibi displicet, quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in * majoris orationis affectum; ut Deo miserante, incremento caritatis adjutus desinat agere pudenda & dolenda, & agat laudanda atque gratanda. Hæc est correptionis utilitas, quæ nunc major, nunc minor pro peccatorum diversitate salubriter adhibetur; & tunc est salubris, quando supernus medicus respicit. Non enim aliquid proficit, nisi cùm facit ut peccati sui quemque pæniteat. Et quis hoc dat, nisi qui respexit apostolum Petrum negantem, & fecit flentem? Unde & apostolus Paulus postea quàm dixit, cum modestia corripiendos esse diversa sentientes, protinus addidit, *Ne quando det eis Deus pænitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant de diaboli laqueis.*

* f. majorem.

Correptio salubris, quando supernus medicus respicit. Luca 22. 61.

2. Tim. 2. 25.

8. Cur autem isti qui corripi nolunt, dicunt, *Tantùm præcipe mihi, & ora pro me, ut quod præcipis faciam?* Cur non potiùs secundùm suum pravum sensum & ista duo respuunt, & dicunt, Nec ut præcipias mihi, nec ut ores pro me volo? Quis enim hominum ostenditur orasse pro Petro, ut daret ei Deus pænitentiam, qua se negasse Dominum flevit? Quis hominum Paulum divinis præceptis ad fidem Christianam pertinentibus erudivit? Cùm ergo audiretur prædicans Evangelium, & dicens, *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Christi Iesu:* responderetur ei, Quid nobis molestus es, ut abs te accipiamus atque discamus, quod tu non ab homine accepisti neque didicisti? Potens est ille qui tibi dedit, sic & nobis dare quomodo tibi. Porrò si hoc non audent dicere; sed patiuntur sibi Evangelium ab homine prædicari; quamvis etiam possit non per hominem homini dari: concedant etiam corripi se debere à præpositis suis, à quibus Christiana gratia prædicatur; quamvis non negetur Deus posse, quem velit, etiam nullo homine corripiente corrigere, & ad dolorem salubrem pænitentiæ occultissima & potentissima medicinæ suæ potestate perducere. Et sicut non est ab oratione cessandum pro eis quos corrigi volumus, etiam si nullo hominum orante pro Petro Dominus respexit eum, & fecit eum suum peccatum flere: ita non est negligenda correptio, quamvis Deus quos voluerit, etiam non correptos, faciat esse correctos. Tunc autem correptione proficit homo, cùm miseretur atque adjuvat, qui facit quos voluerit etiam sine correptione proficere. Sed quare isti sic, illi aliter, atque alii aliter, diversis & innumerabilibus modis vocentur ut reformentur, absit ut dicamus judicium luti esse debere, sed figuli.

Gal. 1. 11.

Caput VI.

9. *Apostolus*, inquiunt, *ait*, *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Cur ergo corripimur, arguimur, reprehendimur, accusamur? Quid facimus, qui non accepimus?* Qui hæc dicunt, extra culpam se videri volunt, in hoc quòd non obediunt Deo: quia utique ipsa obedientia munus ejus est; quæ necesse est ut sit in eo cui caritas inest, quæ sine dubio ex Deo est, & dat eam Pater filiis suis. *Hanc*, inquiunt, *non accepimus, quid itaque corripimur, quasi nos eam nobis dare possimus, & nostro arbitrio dare nolimus?* Nec adtendunt, si nondum regenerati sunt, primam esse caussam, cur objurgati quòd sint inobedientes Deo, sibi debeant displicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas qua Deo non obeditur, ab homine est; [a] quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est. An verò ideo pravitas ista corripienda non est in homine, quia non ejus propria qui corripitur, sed communis est omnibus? Immo verò corripiatur & in singulis, quod est omnium. Non enim propterea cujusquam non est, quòd ab ea nullus immunis est. Peccata quidem ista originalia ideo dicuntur aliena, quòd ea singuli de parentibus trahunt: sed non sine caussa dicuntur & nostra, quia in illo uno omnes, sicut dicit Apostolus, peccaverunt. Corripiatur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur: si tamen qui corripitur filius est promissionis, ut strepitu correptionis forinsecùs insonante ac flagellante, Deus in illo intrinsecùs occulta inspiratione operetur & velle. Si autem jam regeneratus & justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certè iste non potest dicere, Non accepi: [b] quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio. Qui si correptione compunctus salubriter ingemit, & ad similia bona opera vel etiam meliora revertitur: nempe hîc apertissimè utilitas correptionis apparet. Sed per hominem correptio sive ex caritate fit, sive non fit, tamen ut correpto prosit, non nisi per Deum fit.

1. Cor. 4. 7.

1. Iohan. 4. 7.

Cur justè corripiatur qui non obediunt Deo, tametsi gratiam obediendi nondum acceperint.

Eccle 7. 30.

Rom. 9. 14.

Originale peccatum quomodo alienum, & nostrum. Rom. 5. 12.

10. An adhuc & iste nolens corripi, potest dicere, *Quid ego feci, qui non accepi:* quem constat accepisse, & suâ culpâ quod acceperat amisisse? *Possum*, inquit, *possum omnino, quando me arguis, quòd ex bona vita in malam mea voluntate relapsus sum, dicere adhuc, Quid ego feci, qui non accepi? Accepi enim fidem, quæ per dilectionem operatur: sed in illa usque in finem perseverantiam non accepi. An quisquam dicere audebit istam perseve-*

[a] MSS. sex Gallic. & tres Vatic. *qui.*

[b] MSS. quatuor Belgici, tres Vatic. & Corbeiensis, *quod acceptum gratiâ Dei.*

rantiam non esse donum Dei, & hoc tam magnum A *bonum ita esse nostrum, ut quisquis id habuerit, non ei possit Apostolus dicere,* [1. Cor. 4. 7.] *Quid enim habes quod non accepisti; quoniam hoc sic habet ut non acceperit?* Ad hæc nos negare quidem non possumus, etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus: nec esse nisi ab illo, de quo scriptum est, [Jacob. 1. 17.] *Omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Sed non ideo est ejus qui non perseveraverit, negligenda correptio, ne B fortè det illi Deus pœnitentiam, & resipiscat de diaboli laqueis. [2. Tim. 2. 25.] Correptionis quippe utilitati hanc sententiam subjunxit Apostolus, dicens, sicut suprà commemoravi: [Ibid.] *Cum modestia corripientem diversa sentientes, nequando det illis Deus pœnitentiam.* Nam si dixerimus istam perseverantiam tam laudabilem tamque felicem sic esse hominis, ut ei non sit ex Deo; illud primitus evacuamus, quod ait Dominus Petro, [Luc. 22. 32.] *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Quid enim ei rogavit, nisi C perseverantiam usque in finem? Quæ profectò si ab homine homini esset, à Deo poscenda non esset. Deinde cùm dicit Apostolus, [2. Cor. 13. 7.] *Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali;* procul dubio perseverantiam eis orat ad Deum. Neque enim nihil mali facit, qui bonum deserit, & à quo declinare [a] debet, inclinatur in malum, non perseverans in bono. Illo etiam loco ubi dicit, [Philip. 1. 3. & seq.] *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in omni prece mea pro omnibus vobis cum gaudio* D *deprecationem faciens, super* [b] *communione vestra in Evangelio à prima die usque nunc, confidens hoc ipsum, quoniam qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu:* quid aliud eis quàm perseverantiam in bono usque in finem, de Dei miseratione promittit? Itemque ubi dicit, [Coloss. 4. 12.] *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est servus Christi Iesu, semper certans pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei:* quid est, *ut stetis*, nisi ut perseveretis? Unde dictum E est de diabolo, [Johan. 8. 44.] *In veritate non stetit:* quia fuit ibi, sed non permansit. [Diabolus in veritate fuit, sed non permansit.] Nam utique isti in fide jam stabant. Nec aliud oramus, cùm oramus, ut qui stat, stet, nisi ut perseveret. Item Judas apostolus, cùm dicit, [Judæ 24.] *Ei autem qui potens est conservare vos sine offensione, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in lætitia:* nonne apertissimè ostendit donum Dei esse, in bono perseverare usque in finem? Quid enim aliud donat, qui conservat sine offensione, ut constituat F ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in lætitia, nisi perseverantiam bonam? Quid est etiam quod in Apostolorum Actibus legimus, [Act. 13. 48.] *Audientes autem gentes gavisæ sunt, & exceperunt verbum Domini, & crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam?* Quis in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantiæ dono? Quando quidem [Matth. 10. 22.] *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Qua salute, nisi æterna? Cùm verò in Oratione dominica Deo Patri dicimus, [Matth. 6. 9.] *Sanctificetur* G *nomen tuum:* quid aliud dicimus, quàm ut nomen

A ejus sanctificetur in nobis? Quod cùm jam per lavacrum regenerationis effectum sit, quare quotidie à fidelibus poscitur, nisi ut [c] in eo quod factum est in nobis, perseveretur à nobis? Nam & beatus Cyprianus hoc sic intelligit: exponens quippe eamdem orationem, *Dicimus*, inquit, *Sanctificetur nomen tuum; non quòd optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris; sed quòd petamus à Deo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Ceterùm à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat?* B *Sed quia ipse dixit,* [Levit. 19. 2.] *Sancti estote,* [d] *quoniam & ego sanctus sum; id petimus & rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseveremus.* Ecce gloriosissimus martyr hoc sentit, quòd in his verbis quotidie fideles Christi petunt, ut perseverent in eo quod esse cœperunt. Nullo autem dubitante, quisquis à Domino ut in bono perseveret precatur, donum ejus esse talem perseverantiam confitetur.

CAPUT VII. [Qui non accepto perseverantiæ dono relapsi sunt & in peccato mortui, justè damnandi.]

11. Quæ cùm ita sint, corripimus tamen C eos, justéque corripimus, qui cùm bene viverent, non in eo perseverarunt. Ex bona quippe in malam vitam sua voluntate mutati sunt: & ideo [e] correptione; & si nihil eis correptio profuerit, sed in vita perdita usque ad mortem perseveraverint, etiam divina in æternum damnatione sunt digni. Nec se excusabunt dicentes, sicut modò dicunt, *Quare corripimur?* ita tunc, Quare damnamur, quando quidem ut ex bono reverteremur ad malum, perseverantiam non accepimus qua permaneremus in bono? nullo mo- D do hac excusatione à justa damnatione se liberabunt. Si enim, sicut veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi; & tamen ab hac damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere, non se audisse Evangelium Christi, cùm fides ex auditu sit: [Rom. 10. 17.] quanto minùs se liberabunt qui dicturi sunt, Perseverantiam non accepimus. Justior enim videtur excusatio dicentium, Non accepimus audientiam, quàm dicentium, Non accepi- E mus perseverantiam: quoniam potest dici, Homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares si [f] velles; nullo modo autem dici potest, Id quod non audieras, crederes si velles.

12. Ac per hoc & qui Evangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt, & qui Evangelio audito venire ad Christum, hoc est, in eum credere noluerunt, quoniam ipse dixit, [Qui perseverantiam non acceperunt, non sunt discreti à massa perditionis.] *Nemo venit* F *ad me, nisi ei datum fuerit à Patre meo,* [Johan. 6. 66.] & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt; non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem. Discernuntur autem non meritis suis, sed per gratiam Mediatoris, hoc est, in sanguine secundi Adam justificati gratis. Itaque cùm audimus, [1. Cor. 4. 7.] *Quis enim te dis-* G *cernit? quid autem habes quod non accepisti? si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*

[a] Editi, *non debet:* additâ illic negante particulâ, quæ à MSS. aberat. Locum emendare tentavit Erasmus transpositione copulativæ particulæ, hoc modo: *qui bonum deserit à quo declinare non debet, & inclinatur in malum.*

[b] Am. Er. & plures MSS. *communicatione,*

[c] Albinensis MS. *nisi ut quod factum est in nobis, perseveret in nobis.*

[d] Omnes propè MSS. *quomodo ego.*

[e] Editi, *corripiuntur.* At plures MSS. *correptione.* Refertur ad *sunt digni.*

[f] *Si velles*, id est, si eadem voluntas maneret, ut dicit infrà n. 17. seu nisi voluntate mala id relinqueres quod tenebas.

ab illa perditionis massa quæ facta est per primum Adam, debemus intelligere neminem posse discerni, nisi [a] qui hoc donum habet, quisquis habet, quod gratiâ Salvatoris accepit. Hoc autem apostolicum testimonium tam magnum est, ut beatus Cyprianus ad Quirinum scribens, ipsum subjecerit illi titulo, in quo ait, In nullo esse gloriandum, quando nostrum nihil sit. (Lib. 3. testimoniorum titulo 4. cap. 4.)

13. Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quòd & procuratur eis audiendum Evangelium; & cùm audiunt, credunt; & in fide quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant; & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant redeunt; & nonnulli acceptâ gratiâ, in qualibet ætate, periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo, ante constitutionem mundi per electionem gratiæ. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Non enim sic sunt vocati, ut non essent electi; propter quod dictum est, *Multi enim vocati, pauci verò electi*: sed quoniam secundùm propositum vocati sunt, profectò & electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ, non præcedentium meritorum suorum; quia gratia illis est omne meritum. (Gal. 5. 6.) (Rom. 11. 6.) (Matth. 20. 16.) (Electio gratiæ non meritorum.)

14. De talibus dicit Apostolus, *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt: quoniam quos antè præscivit, & prædestinavit conformes imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinavit, illos & vocavit; quos autem vocavit, ipsos & justificavit; quos autem justificavit, ipsos & glorificavit.* Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt. Electi sunt autem, quia secundùm propositum vocati sunt: propositum autem, non suum, sed Dei; de quo alibi dicit, *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori*: & alibi, *Non secundùm opera nostra*, inquit, *sed secundùm suum propositum & gratiam.* Cùm ergo audimus, *Quos autem prædestinavit, illos & vocavit*; secundùm propositum vocatos debemus agnoscere: quoniam inde cœpit, dicens, *Omnia cooperatur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt*: ac deinde subjunxit, *Quoniam quos antè præscivit, & prædestinavit conformes imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*: atque his præmissis subdidit, *Quos autem prædestinavit, illos & vocavit.* Eos itaque vult intelligi, quos secundùm propositum vocavit; ne putentur in eis esse aliqui vocati & non electi, propter illam dominicam sententiam, *Multi vocati, pauci electi.* Quicumque enim electi, sine dubio etiam vocati: non autem quicumque vocati, consequenter electi. Illi ergo electi, ut sæpè dictum est, qui secundùm propositum vocati, qui etiam prædestinati atque præsciti. Horum si quisquam perit, (Electorum & prædestinatorum nullus perit.) (Rom. 8. 28. & seq.) (Rom. 9. 11.) (2. Tim. 1. 9.) (Rom. 8. 30.) (Ibid. 28.) (Vocatio duplex.) (Matth. 20. 16.)

fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Electi autem sunt ad regnandum cum Christo; non quomodo electus est Judas ad opus cui congruebat. Ab illo quippe electus est, qui novit bene uti etiam malis, ut & per ejus opus damnabile, illud propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur. Cùm itaque audimus, *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est*: illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium; illos ad obtinendum regnum suum, illum ad fundendum sanguinem suum. (Electio ad regnum.) (Iohan. 6. 71.) (Electio per misericordiam & per judicium.)

15. Meritò sequitur vox ad regnum electorum, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non & cum illo nobis omnia donavit? Quis accusabit adversùs electos Dei? Deus qui justificat? Quis condemnat? Christus qui mortuus est, magis autem qui & resurrexit, qui est in dextera Dei, qui & interpellat pro nobis?* Quàm fortis autem perseverantiæ usque in finem munus acceperint, sequantur & dicant: *Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio; an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis. Sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angelus, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* (Rom. 8. 31. & seq.) (Ibid. 35. & seq.) (Psal. 43. 22.)

16. Isti significati sunt ad Timotheum, ubi cùm dictum fuisset, Hymenæum & Philetum fidem quorumdam subvertere: mox additum est, *Firmum autem fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Scivit Dominus qui sunt ejus.* Horum fides, quæ per dilectionem operatur, profectò aut omnino non deficit, aut si qui sunt quorum deficit, reparatur ante quàm vita ista finiatur, & deletâ quæ intercurrerat iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur. Qui verò perseveraturi non sunt, ac sic à fide Christiana & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat; procul dubio nec illo tempore, quo bene piéque vivunt, in istorum numero computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientiâ Dei & prædestinatione discreti; & ideo nec secundùm propositum vocati; ac per hoc nec electi: sed in eis vocati, de quibus dictum est, *Multi vocati*; non in eis de quibus dictum est, *pauci verò electi.* Et tamen quis neget eos electos, cùm credunt, & baptizantur, & secundùm Deum vivunt? Planè dicuntur electi à nescientibus quid futuri sint, non ab illo qui eos novit non habere perseverantiam quæ ad beatam vitam perducit electos, scitque illos ita stare, ut præscierit esse casuros. (2. Tim. 2. 19.) (Gal. 5. 6.) (Quicumque non perseverāt, non sunt à massa perditionis prædestinatione discreti.) (Matth. 20. 16.)

CAPUT VIII.

17. Hic si à me quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, [b] quibus eam qua Christianè viverent, dilectionem dedit: me igno-

[a] Am. *nisi quòd hoc donum habet, quidquid habet quod gratiâ* &c. Er. *nisi quod hoc donum habet, quisquis habet quod gratiâ* &c. Quidam MSS. *nisi quòd*: alii, *nisi qui*. Sed omnes ferunt, *hoc bonum habet*. Deinde ex his plures, *quidquid habet quod gratiâ* &c. Duo tantùm, *quisquis habet quod gratiâ* &c. Unus ex Belgicis, *quod quidem habet, gratiâ* &c. fortè legendum: *nisi qui hoc bonum habet, quod qui habet, gratiâ Salvatoris accepit.*

[b] Am. Er. & MSS. *qui eam.*

-tare respondeo. Non enim arroganter, sed agno- A scens modulum meum, audio dicentem Apostolum, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* &, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus?* Quantum itaque nobis judicia sua manifestare dignatur, gratias agamus: quantum verò abscondere, non adversùs ejus consilium murmuremus, sed hoc quoque nobis saluberrimum esse credamus. Tu autem quisquis inimicus ejus gratiæ sic interrogas, ipse quid dicis? Bene, B quòd te non negas esse Christianum, & catholicum jactas. Si ergo confiteris, donum Dei esse perseverare in bono usque in finem; cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quòd mecum pariter nescis, & ambo hîc inscrutabilia judicia Dei penetrare non possumus. Aut si ad liberum arbitrium hominis, quod non secundùm Dei gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis ut perseveret in bono quisque, vel non perseveret, non Deo donante si perseveret, sed humana vo- C luntate faciente; quid moliturus es contra verba dicentis, *Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua?* An audebis dicere etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam usque in finem perseverare noluisset? quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset ut vellet. Nam quis ignorat, tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea qua fidelis erat, voluntas ipsa deficeret; & permansuram, si eadem vo- D luntas maneret? Sed quia *præparatur voluntas à Domino*; ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quando rogavit ergo ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Ecce quemadmodum secundùm gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ potiùs libertatem, & ut perseveret dele- E ctabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.

Rom. 9. 10. *Rom. 11. 33.*
Perseverantia cur uni detur, alteri non detur, inscrutabile.
Quæstioni cur perseveret quisque vel nõ perseveret, quidam per liberum arbitrium hominis sic respondẽt, ut id contra gratiã defendant.
Lucæ 22. 32.
Prov. 8. sec. LXX.
Voluntas non libertate gratiã, sed gratiâ libertatem consequitur.

18. Mirandum est quidem, multúmque mirandum, quòd filiis suis quibusdam Deus quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam; cùm filiis alienis scelera tanta dimittat, atque impertitâ gratiâ faciat filios suos. Quis hoc nòn miretur? quis hoc non vehementissimè stupeat? Sed etiam illud non minùs mirum est, & tamen ve- F rum, atque ita manifestum, ut nec ipsi inimici gratiæ Dei quomodo id negent valeant invenire, quòd filios quosdam amicorum suorum, hoc est, regeneratorum bonorumque fidelium, sine baptismo hinc parvulos exeuntes, quibus utique si vellet hujus lavacri gratiam procuraret, in cujus potestate sunt omnia, alienat à regno suo, quò parentes mittit illorum, & quosdam filios inimicorum suorum facit in manus Christianorum venire, & per hoc lavacrum introducit [a] in G regnum, à quo eorum parentes alieni sunt; cùm & illis malum, & istis bonum meritum nullum sit parvulis, ex eorum propria voluntate. Certè hîc judicia Dei, quoniam justa & alta sunt, nec vituperari possunt, nec penetrari. In his est & illud de perseverantia, de qua nunc disputamus. De utrisque ergo exclamemus, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus!*

Exempla quædam obstupendorum judiciorum Dei.
Rom. 11. 33.

19. Nec miremur nos vestigare non posse investigabiles vias ejus. Ut enim alia innumerabilia taceam, quæ aliis dantur, aliis non dantur hominibus à Domino Deo, apud quem non est acceptio personarum, nec tribuuntur ista meritis voluntatum, sicut sunt celeritates, vires, bonæ valetudines, & pulcritudines corporum, ingenia mirabilia, & multarum artium capaces naturæ mentium; vel quæ accedunt extrinsecùs, ut est opulentia, nobilitas, honores, & cetera hujusmodi, quæ quisque ut habeat, non nisi in Dei est potestate: ut non immorer etiam in baptismate parvulorum, (quod nullus istorum potest dicere, sicut illa, ad regnum Dei non pertinere,) cur illi parvulo detur, illi non detur; cùm sit utrumque in potestate Dei, & sine illo sacramento nemo intret in regnum Dei: ut ergo hæc taceam vel relinquam, illos ipsos intueantur de quibus agitur. De his enim disserimus, qui perseverantiam bonitatis non habent, sed ex bono in malum deficiente bona voluntate moriuntur. Respondeant, si possunt, cur illos Deus, cùm fideliter & piè viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum. Utrùm hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum nisi perversissimè atque insanissimè dicitur. Cur ergo non fecit? Respondeant qui nos irrident, quando in rebus talibus exclamamus, *Quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Neque enim hoc non donat Deus quibus voluerit, aut verò Scriptura illa mentitur, quæ de morte velut immatura hominis justi ait, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus.* Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis non dat Deus, apud quem non est iniquitas, nec acceptio personarum, & in cujus potestate est quamdiu quisque in hac vita maneat, quæ tentatio dicta est super terram? Sicut ergo coguntur fateri, donum Dei esse ut finiat homo vitam istam, antequàm ex bono mutetur in malum; cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant: ita donum Dei esse in bono perseverantiam secundùm Scripturas, de quibus testimonia multa jam posui, fateantur nobiscum; & cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure adversùs Deum dignentur ignorare nobiscum.

Rom. 2. 11. *Sap. 4. 11.* *Rom. 11. 33.* *Sap. 4. 11.* *Rom. 9. 14. & 2. 11.* *Job 7. 1.*

CAPUT IX.

20. Nec nos moveat, quòd filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiam. Absit enim ut ita esset, si de illis prædestinatis essent & secundùm propositum vocatis, qui verè sunt filii promissionis. Nam isti cùm piè vivunt, dicuntur filii Dei: sed quoniam victuri sunt impiè & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præscientia Dei. Sunt enim filii Dei, qui nondum sunt nobis, & sunt jam Deo; de quibus ait evangelista Johannes, *quia Jesus moriturus erat pro gente, nec tantùm pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum*: quod utique credendo futuri erant per Evangelii præ-

Filii Dei quidam secundùm susceptam temporaliter gratiam, quidam secundùm æternam Dei præscientiam.
Johan. 11. 51.

[a] Sic MSS. At editi, *introduci*.

dicationem; & tamen ante quàm esset factum, jam filii Dei erant in memoriali Patris sui inconcussa stabilitate conscripti. Et sunt rursus quidam, qui filii Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec sunt tamen Deo: de quibus ait idem Johannes, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; quòd si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Non ait, Ex nobis exierunt, sed quia non manserunt nobiscum, jam non sunt ex nobis: verùm ait, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*; hoc est, & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis. Et tamquam ei diceretur, unde id ostendis? *Quòd si fuissent*, inquit, *ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Filiorum Dei vox est: Johannes loquitur, in filiis Dei loco præcipuo constitutus. Cùm ergo filii Dei dicunt de his qui perseverantiam non habuerunt, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*; & addunt, *Quòd si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum:* quid aliud dicunt, nisi non erant filii, etiam quando erant in professione & nomine filiorum? non quia justitiam simulaverunt; sed quia in ea non permanserunt. Neque enim ait, Nam si fuissent ex nobis, veram, non fictam justitiam tenuissent utique nobiscum: sed, *si fuissent*, inquit, *ex nobis, permansissent utique nobiscum.* In bono illos volebat procul dubio permanere. Erant itaque in bono, sed quia in eo non permanserunt, id est, non usque in finem perseveraverunt, non erant, inquit, ex nobis, & quando erant nobiscum; hoc est, non erant ex numero filiorum, & quando erant in fide filiorum: quoniam qui verè filii sunt, præsciti & prædestinati sunt conformes imaginis Filii ejus, & secundùm propositum vocati sunt ut electi essent. Non enim perit filius promissionis, sed filius perditionis.

1. Johan. 2. 19.

Reprobi quidam veram habēt ad tempus justitiam, etiamsi non in ea perseverāt.

Rom. 8. 29. & 28.

Johan. 17. 12.

21. Fuerunt ergo isti ex multitudine vocatorum: ex electorum autem paucitate non fuerunt. [a] Non igitur filiis suis prædestinatis Deus perseverantiam non dedit; haberent enim eam si in eo filiorum numero essent: & quid haberent, quod non accepissent, secundùm apostolicam veramque sententiam? Ac per hoc tales filii Filio Christo dati essent, quemadmodum ipse dicit ad Patrem, *ut omne quod dedisti mihi, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Hi ergo Christo intelliguntur dari, qui ordinati sunt in vitam æternam. Ipsi sunt illi prædestinati & secundùm propositum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam; quoniam sic est ordinatus, & ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam. Et rursus quos dicimus inimicos ejus, vel parvulos filios inimicorum ejus, quoscumque eorum sic regeneraturus est, ut in ea fide quæ per dilectionem operatur, hanc vitam finiant; jam & ante quàm hoc fiat, in illa prædestinatione sunt filii ejus, & dati sunt Christo Filio ejus, ut non pereant, sed habeant vitam æternam.

Matth. 20. 16.

1. Cor. 4. 7.

Johan. 3. 15. & 6. 39.

Dati Christo qui intelligātur.

22. Denique ipse Salvator, *Si manseritis*, inquit, *in verbo meo, verè discipuli mei estis.* Numquid in his computandus est Judas, qui non mansit in verbo ejus? Numquid in his computandi sunt illi, de quibus Evangelium sic loquitur, ubi Dominus cùm commendasset manducandam carnem suam & bibendum sanguinem suum, ait Evangelista, *Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt, Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis, Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis adscendentem ubi erat priùs? Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes, & quis traditurus esset eum; & dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retrò, & jam non cum illo ambulabant.* Numquid non & isti discipuli appellati sunt, loquente Evangelio? Et tamen non erant verè discipuli, quia non manserunt in verbo ejus, secundùm id quod ait, *Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei estis.* Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicut non verè discipuli Christi, ita nec verè filii Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur & ita vocabantur. Appellamus ergo [b] nos & electos, & Christi discipulos, & Dei filios, quia sic appellandi sunt, quos regeneratos piè vivere cernimus: sed tunc verè sunt quod appellantur, si manserint in eo propter quod sic appellantur. Si autem perseverantiam non habent, id est, in eo quod cœperunt esse non manent, non verè appellantur quod appellantur & non sunt: apud eum enim hoc non sunt, cui notum est quod futuri sunt, id est, ex bonis mali.

Johan. 8. 31.

Johan. 6. 54. & seq.

Ibid. 60. & seq.

Discipuli Christi duobus modis dicti.

Johan. 8. 31.

23. Propter hoc Apostolus, cùm dixisset, *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum:* sciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono usque in finem non permanere, mox addidit, *his qui secundùm propositum vocati sunt.* Hi enim in eo quod diligunt Deum, permanent usque in finem; & qui ad tempus inde deviant, revertuntur, ut usque in finem perducant, quod in bono esse cœperunt. Ostendens autem quid sit secundùm propositum vocari, mox addidit ea quæ jam suprà posui, *Quoniam quos antè præscivit, & prædestinavit conformes imaginis Filii ejus, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, illos & vocavit*, scilicet secundùm propositum; *quos autem vocavit, ipsos & justificavit; quos autem justificavit, ipsos & glorificavit.* Illa omnia jam facta sunt, *præscivit, prædestinavit, vocavit, justificavit*; quoniam & omnes jam præsciti ac prædestinati sunt, & multi jam vocati atque justificati: quod autem posuit in fine, *illos & glorificavit*, (si quidem illa gloria est hîc intelligenda, de qua idem dicit, *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria:*) nondum factum est. Quamvis & illa duo, id est, *vocavit* & *justificavit*, non in omnibus facta sint, de quibus dicta sunt: adhuc enim usque in finem sæculi multi vocandi & justificandi sunt: & tamen verba præteriti temporis posuit de rebus etiam futuris, tamquam jam

Rom. 8. 28.

Ibidem 29.

Secundùm propositum vocati, soli prædestinati.

Coloss. 3. 4.

Præteriti pro futuri temporis

[a] Lov. *Igitur filiis suis non prædestinatis.* Alteram lectionem ferunt editi alii & MSS.

[b] Lov. *Appellamus ergo eos & electos Christi discipulos.* Editi alii, *Appellamus ergo nos & electos Christi discipulos:* omissâ post *electos* copulante particulâ, quam in multis MSS. reperimus.

verbis cur Scriptura utatur. *Isai. 45. sec. LXX.*

fecerit Deus, quæ jam ut fierent ex æternitate A disposuit. Ideo de illo dicit & propheta Isaias, *Qui fecit quæ futura sunt.* Quicumque ergo in Dei providentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, justificati, glorificati sunt, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati, jam filii Dei sunt, & omnino perire non possunt. Hi verè veniunt ad Christum; quia ita veniunt, quomodo ipse dicit, *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; & eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Et paulò pòst, *Hæc est*, inquit, *voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo.* Ab illo ergo datur etiam perseverantia in bono usque in finem: neque enim datur, nisi eis qui non peribunt; quoniam qui non perseverant peribunt.

Electi perire non possunt. *Iohan. 6. 37.* *Ibidem 39.* B

24. Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum; usque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. Discunt C enim in ipsa via justa cum tremore se exsultare debere, non sibi arrogando tamquam de sua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua, Non movebimur in æternum. Propter quod eis dicitur, *Servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Neque enim ait, & non veniatis ad viam justam; sed, *ne pereatis*, inquit, *de via justa:* quid ostendens, nisi eos esse commonitos, qui jam ambulant in via ju- D sta, ut in timore Deo serviant, id est, *non altum sapiant, sed timeant?* quod significat, non superbiant, sed humiles sint: unde & alibi dicit, *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes:* exsultent Deo, sed cum tremore; in * nullo gloriantes, quando nostrum nihil sit; ut qui gloriatur, in Domino glorietur: ne pereant de via justa, in qua jam ambulare cœperunt, dum sibi hoc ipsum assignant, quod in ea sunt. His verbis usus est & Apostolus, ubi ait, *Cum timore & tremore* E *vestram ipsorum salutem operamini.* Et ostendens quare cum timore & tremore: *Deus est enim*, inquit, *qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.* Non enim habebat hunc timorem & tremorem, qui dicebat in abundantia sua, *Non movebor in æternum.* Sed quia filius erat promissionis, non perditionis, expertus Deo paululùm deserente quid esset ipse: *Domine*, inquit, *in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturba-* F *tus.* Ecce doctior, & ob hoc etiam humilior, tenuit viam, jam videns & confitens, in voluntate sua Deum decori ejus præstitisse virtutem: quod sibi ipse tribuens & de se præsumens in tali abundantia quam præstiterat Deus, non de illo qui eam præstiterat, dicebat, *Non movebor in æternum.* Factus est ergo conturbatus, ut se inveniret, & humiliter sapiens, non solùm æternæ vitæ, verùm etiam in hac vita piæ conversa- G tionis & perseverantiæ, in quo spes habenda esset, addisceret. Hæc vox & apostoli Petri esse potuit: dixerat quippe & ipse in abundantia sua, *Animam meam pro te ponam:* sibi festinando tribuens, quod ei fuerat à Domino postea largiendum. Avertit autem ab illo faciem Dominus, & factus est conturbatus, ita ut eum

Electis Deus facit etiam peccata proficere in bonum. *Psal. 29. 7.* *Psal. 2. 11.* Serviendū Domino in timore, & exsultandum cum tremore. *Rom. 11. 20.* *Rom 12. 16.* * *Cyprianus lib. 3. testim. c. 4.* *Ier. 9. 23.* *Philip. 2. 12.* *Ibidem 13.* *Psal. 29. 7.* *Ibidem 8.* *Iohan. 13. 37.*

A mori pro illo metuens ter negaret. Sed rursus convertit ad eum faciem suam Dominus, & culpam lacrymis diluit. Quid est enim aliud, *Respexit eum*; nisi faciem, quam paululùm ab illo averterat, revocavit ad eum? Factus ergo fuerat conturbatus: sed quia didicit non de se ipso fidere, etiam hoc ei profecit in bonum, faciente illo qui diligentibus eum omnia cooperatur in bonum; quia secundùm propositum vocatus erat, ut nemo eum posset eripere de manu Christi, B cui datus erat.

Lucæ 22. 61.

25. Nemo ergo dicat, non esse corripiendum qui exorbitat de via justa, sed ei reditum & perseverantiam à Domino tantùm esse poscendam: nemo prudens & fidelis hoc dicat. Si enim secundùm propositum vocatus est iste, procul dubio illi, etiam quod corripitur, Deus cooperatur in bonum. Utrùm autem ita sit vocatus, quoniam qui corripit nescit; faciat ipse cum caritate quod scit esse faciendum: scit enim talem C corripiendum; facturo Deo aut misericordiam, aut judicium: misericordiam quidem, si à massa perditionis ille qui corripitur, gratiæ largitate discretus est, & non est inter vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, sed inter vasa misericordiæ quæ præparavit Deus in gloriam: judicium verò, si in illis est damnatus, in his non est prædestinatus.

Rom. 9. 22. & 23.

Caput X. An Adamus acceperit perseverantiæ donum.

26. Hic exoritur alia quæstio, non sanè contemnenda, sed in adjutorio Domini, in cujus ma- D nu sunt & nos & sermones nostri, aggredienda atque solvenda. Quæritur enim à nobis, quantum adtinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseverare usque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus, qui certè sine ullo vitio factus est rectus. Nec dico: Si perseverantiam non habuit, quomodo sine vitio fuit, cui tam necessarium Dei donum defuit? Huic namque interrogationi facilè respondetur, eum perseverantiam non habuisse, quia in eo bono, quo E sine vitio fuit, non perseveravit: cœpit enim habere vitium ex quo cecidit; & si cœpit, antequàm cœpisset, utique sine vitio fuit. Aliud est enim non habere vitium, & aliud est in ea bonitate, in qua nullum vitium est, non manere. Eo quippe ipso quòd non dicitur numquam sine vitio fuisse, sed dicitur sine vitio non permansisse, procul dubio demonstratur sine vitio fuisse, in quo bono non permansisse culpatur. Sed illud magis quærendum operosiúsque tractandum est, F quomodo respondeamus eis, qui dicunt, *Si in illa rectitudine in qua sine vitio factus est, habuit perseverantiam, procul dubio perseveravit in ea: & si perseveravit, utique non peccavit, nec illam suam rectitudinem Deumque deseruit. Eum autem peccasse, & desertorem boni fuisse, veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perseverantiam: & si non habuit, non utique accepit. Quomodo enim & accepisset perseverantiam, & non perseverasset! Porrò si propterea non habuit, quia non accepit; quid ipse* G *non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Neque enim dici potest, ideo non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratiæ largitate. Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa ante quàm peccasset, ex quo tracta est origo vitiata.*

Quomodo peccaverit Adam non perseverando, si perseverantiæ donum non accepit.

27. Quapropter saluberrimè confitemur, quod

Responsio

rectissimè credimus, Deum Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura esse præscivit, & scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala esse non sinere, sic ordinasse angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium justitiæque judicium. Denique angeli quidam, quorum princeps est qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt. Refugientes tamen ejus bonitatem, qua beati fuerunt, non potuerunt ejus effugere judicium, per quod miserrimi effecti sunt. Ceteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu numquam futuro certissimam scire meruerunt. Si enim nos de scripturis sanctis nosse potuimus sanctos Angelos jam nullos esse casuros; quanto magis hoc ipsi revelata sibi sublimiùs veritate noverunt? Nobis quippe beata sine fine vita promissa est, & æqualitas Angelorum: ex qua promissione certi sumus, cùm ad illam vitam post judicium venerimus, non inde nos esse lapsuros: quod si de se ipsis Angeli nesciunt, non æquales, sed beatiores erimus. Veritas autem nobis eorum promisit æqualitatem. Certum est igitur hoc eos nosse per speciem, quod nos per fidem, nullam scilicet ruinam cujusquam sancti Angeli jam futuram. Diabolus verò & angeli ejus, etsi beati erant ante quàm caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tamquam præmium ipsius permansionis acciperent, id est, ut magnâ per Spiritum-sanctum datâ abundantiâ caritatis Dei, cadere ulteriùs omnino non possent, & hoc de se certissimè nossent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant: sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine ullo vitio fruebantur. Nam si suum casum futurum nossent æternumque supplicium, beati utique esse non possent, quos hujus tanti mali metus jam tunc miseros esse compelleret.

Angeli per liberum arbitrium steterunt.

De sua perseverantia sunt securi.

Matth. 22. 30.

Dæmones ante lapsũ beati, sed non plenè.

Abundantia caritatis Dei facit ut beati cadere non possint.

28. Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis sui futuri casûs ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori & miserum non fieri in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recto ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine ullo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illam, merito hujus permansionis, beatitudinis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beati, id est, ut cadere non posset ulteriùs, & hoc certissimè sciret. Nam neque ipse posset etiam in paradiso beatus esse, immo ibi non esset, ubi esse miserum non deceret, si eum sui casûs præscientia timore tanti mali miserum faceret. Quia verò per liberum arbitrium Deum deseruit, justum judicium Dei expertus est, ut cum tota sua stirpe, quæ in illo adhuc posita tota cum illo peccaverat, damnaretur. Quotquot enim ex hac stirpe gratiâ

Primus homo per liberum suum arbitrium stare & ipse potuit.

A Dei liberantur, à damnatione utique liberantur, qua jam tenentur obstricti. Unde etiam si nullus liberaretur, justum Dei judicium nemo justè reprehenderet. Quòd ergo pauci in comparatione pereuntium, in suo verò numero multi liberantur, gratiâ fit, gratis fit, gratiæ sunt agendæ quia fit, ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur. *Rom. 3. 19.* *Ier. 9. 23.*

Hominum post lapsũ liberatio gratuita.

CAPUT XI.

Distinctio gratiæ ante & post lapsum datæ.

29. Quid ergo? Adam non habuit Dei gra-
B tiam? Immo verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ de bonitate sui Conditoris acceperat: neque enim ea bona & ille suis meritis comparaverat, in quibus prorsus nullum patiebatur malum. Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum, *Libera nos à malo.* Ille in illis bonis Christi morte non eguit: istos à reatu & hereditario & proprio, illius Agni sanguis absolvit. Ille non opus habebat eo adju-
C torio, quod implorant isti cùm dicunt: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quoniam in eis caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes dari sibi pugnandi vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille
D verò nullâ tali rixâ [a] de se ipso adversùs se ipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur.

Matth. 6. 13

Adam ante lapsũ sanguine Christi non indiguit.

Rom. 7. 23.

Gal. 5. 17.

30. Proinde etsi non interim lætiore nunc, verumtamen potentiore gratiâ indigent isti: & quæ potentior quàm Dei unigenitus Filius, æqualis Patri & coæternus, pro eis homo factus, & sine [b] suo ullo vel originali vel proprio peccato ab hominibus peccatoribus crucifixus? Qui quamvis die tertio resurrexit, numquam moriturus ul-
E teriùs; pertulit tamen pro mortalibus mortem, qui mortuis præstitit vitam, ut redemti ejus sanguine, tanto ac tali pignore accepto dicerent, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non & cum illo omnia nobis donavit?* Deus ergo naturam nostram, id est, animam rationalem carnemque hominis [c] Christi suscepit, susceptione singulariter mirabili vel mirabiliter singulari, ut nullis justitiæ suæ præce-
F dentibus meritis Filius Dei sic esset ab initio quo esse homo cœpisset, ut ipse & Verbum quod sine initio est, una persona esset. Neque enim quisquam tantâ rei hujus & fidei cæcus est ignorantiâ, ut audeat dicere, quamvis de Spiritu-sancto & virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene vivendo, & sine peccato bona opera faciendo meruisse, ut esset Dei Filius, resistente Evangelio atque dicente, *Verbum caro factum est.* Nam ubi hoc factum est,
G nisi in utero virginali, unde fuit initium hominis Christi? Itemque virgine requirente, quomodo fieret quod ei per Angelum nuntiabatur, Angelus respondit, *Spiritus-sanctus* [d] *superveniet in te,*

Rom. 8. 31.

Incarnatio Verbi. c

Hæc fuit postea Nestorianorũ hæresis.

Iohan. 1. 14.

Lucæ 1. 35. d

[a] Sic vetus codex Corbeiens. At editi, *à se ipso*.
[b] Hic *suo* ex MSS. restituimus.
[c] Am. Er. & Lov. *Christus*. Meliùs posteriores quædam opusculi hujus editiones, *Christi*: quibus consentit antiquissimus codex Corbeiensis.
[d] Plerique MSS. *veniet super te*.

& virtus Altissimi obumbrabit tibi : propterea, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Propterea, inquit : non propter opera, quæ nondum nati utique nulla sunt ; sed *propterea* quia *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ista nativitas profectò gratuita conjunxit in [a] unitate personæ hominem Deo, carnem Verbo. Istam nativitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt. Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in unitatem personæ à Verbo Deo natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cùm ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis à Deo ita suscepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret. Per hunc Mediatorem Deus ostendit eos, quos ejus sanguine redemit, facere se ex malis deinceps in æternum bonos, quem sic suscepit, ut numquam esset malus, [b] nec ex malo factus semper esset bonus.

Primus homo gratiâ sibi ad perseverandũ necessariã acceperat, sed in ejus relictam arbitrio.

31. Istam gratiam non habuit homo primus, qua numquam [c] vellet esse malus : sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, numquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio. Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem [d] parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Quod adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus : sed deseruit, & desertus est. Tale quippe erat adjutorium, quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet ; non quo fieret ut vellet. Hæc prima est gratia quæ data est primo Adam : sed [e] hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim qua fit ut habeat homo justitiam si velit : secunda [f] ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem [g] contraria concupiscentem voluntate spiritûs vincat. Nec illa quidem parva erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii, quoniam sic adjuvabatur, ut sine hoc adjutorio in bono non maneret, sed hoc adjutorium si vellet desereret. Hæc autem tanto major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur ut velit.

Potentior est gratia in Christo data, qua efficitur ut homo in bono permanere velit.

Dona gratiarum Adamo in creatione collata.

32. Tunc ergo dederat homini Deus [h] bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum : dederat [i] adjutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet ; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet : quia non deerat adjutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa est; cujus meritum fuisset, si permanere voluisset : sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & hujus permansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum [k] sit semper se in illa esse mansuros. Si autem hoc adjutorium vel angelo vel homini, cùm primùm facti sunt, defuisset ; quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique suâ culpâ cecidissent : adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est : quibus autem datur, secundùm gratiam datur, non secundùm debitum ; & tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solùm adsit sine quo permanere non possumus, etiam si velimus, verùm etiam tantum ac tale sit, ut velimus. [l] Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perseveranter tenendo, non solùm posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo : unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque ut reciperet bonum, gratiâ non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset: & acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quod posset; nam si habuisset, perseverasset. Posset enim perseverare [m] si vellet : quod ut nollet, de libero descendit arbitrio ; quod tunc ita liberum erat, ut & bene velle posset & malè. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato, quæ futura erat & homini, sicut facta est Angelis sanctis, merces meriti ? Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.

Angelorũ bonorum permansio, & malorum casus per liberum arbitrium.

Adjutorium Angelo & primo homini necessariũ si tunc defuisset, non suâ culpâ cecidissent : nunc quibus deest, pœna est peccati.

Liberrimum tunc erit arbitrium, cùm peccato servire non poterit.

CAPUT XII.

Posse non peccare, posse non mori, bonum deserere, & non posse peccare, mori, bonum deserere, qui differant.

33. QUAPROPTER bina ista quid inter se differant, diligenter & vigilanter intuendum est, posse non peccare, & non posse peccare, posse non mori, & non posse mori, bonum posse non deserere, & bonum non posse deserere. Potuit enim non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere. Numquid dicturi sumus, non potuit peccare, qui tale habebat liberum arbitrium ? Aut non potuit mori, cui dictum est, *Si peccaveris, morte morieris* ? Aut non potuit bonum deserere, cùm hoc peccando deseruerit, & ideo mortuus sit ? Prima ergo libertas voluntatis erat, posse non peccare ; novissima erit multo major, non posse peccare : prima immortalitas erat, posse non mori ; novissima erit multo major, non posse mori : prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere ; novissima erit felicitas perseverantiæ, bonum non posse deserere. Numquid quia erunt bona novissima potiora atque meliora, ideo fuerunt illa

Gen. 2. 17.

Duplex libertas, immortalitas, perseverantia.

[a] Quatuor MSS. *in unitatem.*

[b] Ita Vaticani quatuor MSS. Alii libri habent, *ne ex malo factus* &c. In posterioribus nonnullis editionibus adjectâ particulâ negante legitur, *ne ex malo factus non semper esset bonus.*

[c] Quinque MSS. *qua numquam esset malus.*

[d] Lov. *nihil est*. Editi alii & MSS. *parum est* : eodem sensu, ut liquet ex libro de perfectione justitiæ cap. 10. & similibus locis.

[e] Am. Er. & Lov. *sed hac*. Concinniùs aliquot MSS. *sed hæc.*

[f] Cisterciensis MS. *secunda plus potens* : omisso, *ergo.*

[g] Casalensis cod. *contrariam concupiscente voluntate spiritûs.* Duo alii MSS. *contraria concupiscentem voluntati spiritûs.*

[h] Quinque MSS. loco *bonam*, habent *liberam voluntatem.*

[i] Apud Lov. *dederat & adjutorium.*

[k] Tres è Vatic. MSS. *certissimum fit.*

[l] Sic omnes MSS. At editi, *Est quippe.*

[m] Editi, *etiam si vellet*. Plerique MSS. omittunt, *etiam* : cujus particulæ loco unus è Vatic. habet, *Adam.*

illa prima vel nulla vel parva?

Adjutorium sine quo aliquid non fit, & adjutoriū quo aliquid fit.

34. Itemque ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cùm adfuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At verò beatitudo quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium est enim non solùm sine quo non fit, verùm etiam quo fit B propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit est, & sine quo non fit: quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus; & si data numquam fuerit, numquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt ut homo vivat: sed tamen sine illis non potest vivere. Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est ad- C jutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non [a] tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. Non solùm enim dixit, *Sine me nihil potestis facere*: verùm etiam dixit, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis,* D *& fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Quibus verbis eis non solùm justitiam, verùm etiam in illa perseverantiam se dedisse monstravit. Christo enim sic eos ponente ut eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat, [b] quis audeat dicere, Non manebit? quis audeat dicere, Forsitan non manebit? *Sine pænitentia sunt enim dona & vocatio Dei*: sed vocatio eorum qui secundùm propositum vocati sunt. Pro his igitur interpellante Christo ne deficiat fides eorum, sine E dubio non deficiet usque in finem: ac per hoc perseverabit usque in finem, nec eam nisi manentem vitæ hujus inveniet finis.

Perseverātiæ adjutorium quale primo homini datū: quale nunc datur prædestinatis.

Iohan. 15. 5.

Ibid. 16.

Rom. 11. 29.

Major nūc in sanctis libertas quàm antè in Adamo.

35. Major quippe libertas est necessaria [c] adversùs tot & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus: hoc sanctorum martyria docuerunt. Denique ille * & terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis F imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate: isti autem, non dico terrente mundo, sed sæviente ne starent, steterunt in fide; cùm videret ille bona præsentia quæ fuerat relicturus, isti futura quæ accepturi fuerant non viderent. Unde hoc, nisi donante illo, à quo misericordiam consecuti sunt ut fideles essent, à quo acceperunt spiritum, non timoris, quo persequentibus cederent, sed virtutis & caritatis & continentiæ, quo cuncta G minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superarent? Illi ergo sine peccato ullo data est,

* id est, Adam.

1. Cor. 7. 25.

2. Tim. 1. 7.

A cum qua conditus est, voluntas libera, & eam fecit servire peccato: horum verò cùm fuisset voluntas serva peccati, liberata est per illum qui dixit, *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et accipiunt tantam per istam gratiam libertatem, ut quamvis, quamdiu hîc vivunt, pugnent contra concupiscentias peccatorum, eisque nonnulla subrepant, propter quæ dicant quotidie, *Dimitte nobis debita nostra*; non tamen ultrà serviant peccato quod est ad mortem, de B quo dicit Johannes apostolus, *Est peccatum ad mortem, non prò illo dico ut roget* [d]. De quo peccato (quoniam non expressum est) possunt multa & diversa sentiri: ego autem dico id esse peccatum, fidem quæ per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem. Huic peccato ultrà non serviunt, non prima conditione, sicut ille, liberi; sed per secundum Adam Dei gratiâ liberati, & ista liberatione habentes liberum arbitrium quo C serviant Deo, non quo captiventur à diabolo. Liberati enim à peccato servi facti sunt justitiæ, in qua stabunt usque in finem, donante sibi illo perseverantiam, qui eos præscivit, & prædestinavit, & secundùm propositum vocavit, & justificavit, & glorificavit; quoniam illa quæ [e] de his promisit, etiam futura jam fecit: cui promittenti *credidit Abraham, & deputatum est illi ad justitiam. Dedit* enim *gloriam Deo, plenissimè credens*, sicut scriptum est, *quia quæ promisit, potens est & facere.*

Iohan. 8. 36.

Matth. 6. 12.

1. Iohan. 5. 16.

Peccatum ad mortem quid.

Rom. 6. 18.

Rom. 4. 3. & 20.

36. Ipse ergo illos bonos facit, ut bona fa- D ciant. Neque enim propterea eos promisit Abrahæ, quia præscivit à se ipsis bonos futuros. Nam si ita est, non suum, sed eorum est quod promisit. Non autem sic credidit Abraham, sed, *non est infirmatus in fide, dans gloriam Deo & plenissimè credens, quia quæ promisit, potens est & facere.* Non ait, quæ præscivit, potens est promittere; aut, quæ prædixit, potens est ostendere; aut, quæ promisit, potens est præscire; sed, *quæ promisit, potens est & facere.* Ipse igitur eos facit E perseverare in bono, qui facit bonos. Qui autem cadunt & pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt. Quamvis ergo de omnibus regeneratis & piè viventibus loqueretur Apostolus, dicens, *Tu quis es qui judices alienum servum? Suo domino stat aut cadit*: continuò tamen respexit ad prædestinatos, & ait, *Stabit autem*: & ne hoc sibi arrogarent, *Potens est enim Deus*, inquit, *statuere eum.* Ipse itaque dat perseverantiam, qui statuere potens est eos qui stant, ut perseveran- F tissimè stent; vel restituere qui ceciderunt, *Dominus* enim *erigit elisos.*

Deus bonos non tantùm præscit, sed ipse facit.

Ibidem 19. 20. & 21.

Rom. 14. 4.

Psal. 145. 8.

37. Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex [f] se ipso concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati & tantæ bene vivendi facilitati perseverandi committeretur ar- G bitrium: Deo quidem præsciente quid esset facturus injustè; præsciente tamen, non ad hoc cogente: sed simul sciente quid de illo ipse faceret

Voluntati sanæ commissa est perseverandi vel non perseverādi potestas.

[a] Editi, *non tantùm tale.* Abest *tantùm* à Lovaniensium MSS. Belgicis, nullo excepto, à Vaticanis novæ editionis gratiâ collatis, & ab omnibus quos vidimus Gallicis.

[b] Hîc editi prætereunt, *quis audeat dicere, Non manebit?* Habent id omnes propè MSS.

[c] Corbeiensis MS. *necessaria, & inter tot & tantas.*

[d] Editi, *ut roget quis.* Abest *quis* à MSS. & à Græco textu Johannis.

[e] Hîc in editis omissum *de*: quod exstat in MSS.

[f] Sic MSS. At editi, *ex se ipsa.*

Majoribus donis adjuvanda nostra infirmitas. justè. Nunc verò postea quàm est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas. Placuit enim Deo, quo maximè humanæ superbiam præsumtionis exstingueret, *ut non glorietur omnis caro coram ipso*, id est, omnis homo. (1. Cor. 1. 29.) *Nemo gloriari potest corā Deo.* Unde autem non glorietur caro coram ipso, nisi de meritis suis? quæ quidem potuit habere, sed perdidit; & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium: propter quod non restat liberandis nisi gratia liberantis. Ita ergo non glorietur omnis caro coram ipso. Non enim gloriantur injusti, qui non habent unde; nec justi, quia ex ipso habent unde, nec habent gloriam suam nisi ipsum, cui dicunt, *Gloria mea & exaltans caput meum.* (Psal. 3. 4.) Ac per hoc ad omnem hominem pertinet quod scriptum est, *Ut non glorietur omnis caro coram ipso.* Ad justos autem illud, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* (1. Cor. 1. 29. Ibid. 31. & 2. Cor. 10. 17.) Hoc enim Apostolus apertissimè ostendit, qui cùm dixisset, *Ut non glorietur omnis caro coram ipso*: ne putarent sancti sine gloria se remansisse, mox addidit, *Ex ipso autem vos estis in Iesu Christo, qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemtio, ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur.* (1. Cor. 1. 30. Jer. 9. 23.) Hinc est quòd in hoc loco miseriarum, ubi tentatio est vita humana super terram, (Job. 7. 1.) *virtus in infirmitate perficitur*: (2. Cor. 12. 9.) quæ virtus, nisi *ut qui gloriatur, in Domino glorietur?*

Quale nūc donū perseverantiæ datur electis. 38. Ac per hoc nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solùm dat adjutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint; sed in eis etiam operatur & velle: ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint & velint, perseverandi eis & possibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus (in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat) ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent. *Gratia, quâ infirmæ voluntati subvenitur, eam indeclinabiliter & insuperabiliter agit.* Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei: cùm voluntas primi hominis fortis & sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii; quamvis non defuturo adjutorio Dei sine quo non posset perseverare si vellet, non tamen tali quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortissimo quippe dimisit atque permisit facere quod vellet: infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent. Dicente ergo Christo, *Rogavi pro te ne deficiat fides tua*, (Lucæ 22. 32.) intelligamus ei dictum, [a] qui ædificatur super petram. Atque ita homo Dei non solùm quia misericordiam consecutus est ut fidelis esset, verùm etiam quia fides ipsa non deficit, *qui gloriatur, in Domino glorietur.*

CAPUT XIII.

Prædestinatorum certus & definitus est numerus. 39. Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis: non de his, qui, cùm annuntiasset & locutus esset, multiplicati sunt super numerum. (Psal. 39. 6.) Ipsi enim vocati dici possunt, non autem electi, quia non secundùm propositum vocati. Certum verò esse numerum electorum, neque augendum neque minuendum, quamvis & Johannes baptista significet, ubi dicit, *Facite ergo fructum dignum pænitentiæ; & nolite dicere apud vosmetipsos, Patrem habemus Abraham; potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*; (Matth. 3. 8.) ut ostendat sic istos esse amputandos si non fecerint fructum, ut non desit numerus qui promissus est Abrahæ: tamen apertiùs in Apocalypsi dicitur, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* (Apoc. 3. 11.) Si enim alius non est accepturus nisi iste perdiderit, certus est numerus.

Nemo de salute & prædestinatione sua certus & securus. 40. Quòd autem etiam perseveraturis sanctis sic ista dicuntur, quasi eos perseveraturos habeatur incertum: non aliter hæc audire debent, quibus expedit non altum sapere, sed timere. (Rom. 11. 20.) Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? Quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per satanæ angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus. (2. Cor. 12. 7.) Hinc Apostolis dicebatur, *Si manseritis in me*: (Johan. 15. 7.) dicente illo qui eos utique sciebat esse mansuros. Et per Prophetam, *Si volueritis & audieritis me*: (Isaiæ 1. 19.) cùm sciret ipse in quibus operaretur & velle. (Philip. 2. 13.) Et similia multa dicuntur. [b] Nam propter hujus utilitatem secreti, ne fortè quis extollatur, sed omnes etiam qui bene currunt timeant, dum occultum est qui perveniant: *Propter periculum Deus perseveraturis etiam non perseveraturos admiscet.* propter hujus ergo utilitatem secreti credendum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide quæ per dilectionem operatur incipere vivere, & aliquamdiu fideliter ac justè vivere, & postea cadere, neque de hac vita priùs quàm hoc eis contingat auferri. Quorum si nemini contigisset, tamdiu haberent homines istum saluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Christi gratiam qua piè vivitur pervenirent, deinceps jam securi numquam se ab illo esse casuros. Quæ præsumtio in isto tentationum loco non expedit, ubi tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas. Denique etiam hoc erit, [c] sed tunc, quod jam est in angelis, etiam in hominibus erit, quando ulla superbia esse non poterit. Numerus ergo sanctorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, donatâ sibi etiam usque in finem perseverantiâ, illuc integer perducetur, & illic integerrimus jam sine fine beatissimus ser-

[a] Plures MSS. *qua ædificatur.* In proximè sequente versu abest *homo Dei* à plerisque MSS.

[b] Am. & Er. omittunt, *Nam.* Habent nostri MSS.

[c] Nonnulli MSS. *sed tunc, quando quod jam est.*

vabitur, adhærente sibi misericordiâ Salvatoris sui, sive cùm convertuntur, sive cùm prœliantur, sive cùm coronantur.

Etiam in judicio necessaria nobis erit misericordia Dei.

41. Nam & tunc esse illis Dei misericordiam necessariam sancta scriptura testatur, ubi sanctus de Domino Deo suo dicit animæ suæ, *Qui coronat te in miseratione & misericordia.* Dicit etiam Jacobus apostolus, *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam:* ubi ostendit etiam in illo judicio, in quo justi coronantur, injustique damnantur, alios cum misericordia, alios sine misericordia judicandos. Propter quod etiam mater Machabæorum filio suo dicit, *Vt in illa miseratione cum fratribus te recipiam. Cùm enim rex justus*, sicut scriptum est, *sederit in throno, non adversabitur ante eum omne malum. Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato?* Ac per hoc etiam ibi Dei misericordia necessaria est, qua [a] fit beatus, cui non imputavit Dominus peccatum. Sed tunc pro bonorum operum meritis justo judicio etiam ipsa misericordia tribuetur. Cùm enim dicitur, *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam*; manifestatur in his in quibus inveniuntur bona opera misericordiæ, judicium cum misericordia fieri; ac per hoc etiam ipsam misericordiam meritis bonorum operum reddi. Non sic est nunc, quando non solùm nullis bonis, sed etiam multis malis operibus præcedentibus, misericordia ejus prævenit hominem, ut liberetur à malis, & quæ fecit, & quæ facturus fuerat nisi Dei gratiâ [b] regeretur, & quæ passurus fuerat in æternum nisi erueretur à potestate tenebrarum, & transferretur in regnum Filii caritatis Dei. Verumtamen quia & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cùm gratia non operibus reddatur, sed gratìs detur; sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Rectè quippe ipsa intelligitur quæ [c] in Evangelio legitur, *Gratia pro gratia*, id est, pro his meritis quæ contulit gratia.

Psal. 102. 4. Jacob. 2. 13. 2. Mach. 7. 29. Prov. 20. sec. LXX. a Psal. 31. 2.

Misericordia in extremo judicio pro bonorum operũ meritis justo judicio piis retribuetur.

b Coloss. 1. 13.

Vita æterna merces & gratia. Rom. 6. 23.

c Iohan. 1. 16.

Reprobi diversi generis pro meritis puniendi.

42. Hi verò qui non pertinent ad hunc prædestinatorum numerum, quos Dei gratia sive nondum habentes ullum liberum suæ voluntatis arbitrium, sive cum arbitrio voluntatis, ideo verè libero, quia per ipsam gratiam liberato, perducit ad regnum: hi ergo qui non pertinent ad istum certissimum & felicissimum numerum, pro meritis justissimè judicantur. Aut enim jacent sub peccato, quod originaliter generatione traxerunt, & cum illo hereditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum; aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt: arbitrium, inquam, liberum, sed non liberatum; liberum justitiæ, peccati autem servum, quo volvuntur per diversas noxias cupiditates, alii magis, alii minùs; sed omnes mali, & pro ipsa diversitate diversis suppliciis judicandi. Aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant; [d] deserunt & deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono, judicio Dei justo & occulto.

Caput XIV. Correptio & gratia, non se invicem tollũt.

43. Patiantur ergo homines se corripi quando peccant, nec de ipsa correptione contra gratiam argumententur, nec de gratia contra correptionem: quia & peccatis justa pœna debetur, & ad ipsam pertinet justa correptio, quæ medicinaliter adhibetur, etiam si salus ægrotantis incerta est: ut si is qui corripitur, ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum; si autem non pertinet, sit ei correptio pœnale tormentum. Sub isto ergo incerto ex caritate adhibenda est, cujus exitus ignoratur; & pro illo cui adhibetur, orandum est ut sanetur. Cùm autem homines per correptionem in viam justitiæ seu veniunt seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris vel arbustulis operante dat incrementum Deus; cui volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium? Sic enim velle seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. Etiam de his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult.

Correptioni conjungenda oratio.

44. Et quod scriptum est, quòd *vult omnes homines salvos fieri*, nec tamen omnes salvi fiunt, multis quidem modis intelligi potest, ex quibus in aliis * opusculis nostris aliquos commemoravimus: sed hîc unum dicam. Ita dictum est, *Omnes homines vult salvos fieri*, ut intelligantur omnes prædestinati; quia omne genus hominum in eis est. Sicut dictum est Pharisæis, *Decimatis omne olus:* ubi non est intelligendum nisi omne quod habebant; neque enim omne olus quod erat in toto terrarum orbe decimabant. Secundùm istum locutionis modum, dictum est, *Sicut & ego omnibus per omnia placeo.* Numquid enim qui hoc dixit, placebat etiam tam multis persecutoribus suis? Sed placebat omni generi hominum, quod Christi congregabat Ecclesia, sive jam intus positis, sive introducendis in eam.

1. Tim. 2. 4. Omnes homines quomodo Deus salvos fieri velit. * Enchirid. c. 103. lib. 22. de civit. Dei c. 1. & 2. & suprà lib. 4. contra Iulian. c. 8. Luca 11. 42. 1. Cor. 10. 33.

45. Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui *in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit*, & qui etiam illa *quæ futura sunt fecit*, humanas voluntates non posse resistere, quo minùs faciat ipse quod vult: quando quidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit. Nisi fortè (ut ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Saüli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quò placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Sic enim scriptum est, *Et dimisit Samuel populum, & abiit unusquisque in locum suum; & Saül abiit in domum suam in Gabaa; & abierunt potentes quorum tetigit Dominus corda cum Saüle. Et filii pestilentes dixerunt*, [e] *Quis salvabit nos? hic? Et inhonoraverunt eum, & non adtulerunt ei munera.* Numquid aliquis dicturus est, non iturum fuisse cum

Psal. 134. 6. Isai. 45. sec. LXX. Exempla Scripturæ, quibus probatur Deum magis habere in sua potestate voluntates hominum quàm ipsi suas.

1. Reg. 10. 25.

[a] Am. Er. & aliquot MSS. *fiet.* Duo MSS. *fiat.*
[b] Sic novem MSS. Editi verò, *regeneraretur.*
[c] Am. Er. & plures MSS. *quæ gratia in Evangelio.*

[d] Duo MSS. *sed deserunt.*
[e] Sic MSS. juxta LXX. At Am. Er. *Num salvabit nos hic?* Lov. *Numquid salvabit nos hic?*

Saül quemquam eorum, quorum tetigit corda Dominus ut irent cum illo; aut isse aliquem pestilentium, quorum ut hoc facerent corda non tetigit? Item de David, quem Dominus in regnum successu prosperiore constituit, ita legitur, *Et ambulabat David proficiens, & magnificabatur, & Dominus erat cum illo.* Hoc cùm præmissum fuisset, paulò pòst dictum est, *Et Spiritus induit Amasai principem triginta, & dixit, Tui sumus, ò David, & tecum futuri, fili Iesse. Pax, pax tibi, & pax adjutoribus tuis, quia auxiliatus est tibi Deus.* Numquid iste posset adversari voluntati Dei, & non potiùs ejus facere voluntatem, qui in ejus corde operatus est per Spiritum suum quo indutus est, ut hoc vellet, [a] diceret, & faceret? Item paulò pòst ait eadem Scriptura, *Omnes hi viri bellatores, dirigentes aciem corde pacifico venerunt in Hebron, ut constituerent David super omnem Israël.* Sua voluntate utique isti constituerunt regem David. Quis non videat? quis hoc neget? Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt, [b] quod fecerunt corde pacifico: & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit operatur. Propter quod præmisit Scriptura, *Et ambulabat David proficiens, & magnificabatur, & Dominus omnipotens erat cum illo.* Ac per hoc Dominus omnipotens qui erat cum illo, adduxit istos ut eum regem constituerent. Et quomodo adduxit? Numquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo cùm voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas; quis alius facit ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut cælesti constituatur in regno?

1. Par. 11. 9. — 1. Par. 12. 18. — Ibid. 38.

CAPUT XV. Correptio pro culparum diversitate diversa. Excommunicatione pœna major in Ecclesia non est.

46. CORRIPIANTUR itaque à præpositis suis subditi fratres correptionibus de caritate venientibus, pro culparum diversitate diversis, vel minoribus vel amplioribus. Quia & ipsa quæ damnatio nominatur, quam facit episcopale judicium, quâ pœnâ in Ecclesia nulla major est, potest, si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere atque proficere. Neque enim scimus quid contingat sequenti die; aut ante finem vitæ hujus de aliquo desperandum est; aut contradici Deo potest, ne respiciat & det pænitentiam, & accepto sacrificio spiritûs contribulati cordisque contriti à reatu quamvis justæ damnationis absolvat, damnatumque ipse non damnet. Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam: ab illo, cui nihil est impossibile, ipsâ forsitan separatione sanandam. Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat: sic affici debemus caritatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri. Hoc quippe fit, cùm singulos quosque, ut occurrerint cum quibus id agere valeamus, ad hoc conamur adducere, ut justificati ex fide pacem habeant ad Deum: quam prædicabat etiam Apostolus, cùm dicebat, *Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliari Deo.* Quid est enim ei reconciliari, nisi pacem ad illum habere? Propter quam pacem etiam ipse Dominus Jesus dixit discipulis suis, *In quamcumque domum intraveritis, primùm dicite, Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur.* Cùm hanc evangelizant pacem, de quibus prædictum est, *Quàm speciosi pedes eorum qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona!* nobis quidem tunc incipit esse quisque filius pacis, cùm obedierit & crediderit huic Evangelio, & ex fide justificatus pacem ad Deum habere cœperit: secundùm autem prædestinationem Dei, jam filius pacis erat. Neque enim dictum est, Super quem requieverit pax vestra, fiet filius pacis: sed, *Si ibi fuerit*, inquit, *filius pacis, requiescet super* [c] *illam domum pax vestra.* Jam ergo & ante quàm illi annuntiaretur hæc pax, filius pacis ibi erat, sicut eum noverat atque præscierat non Evangelista, sed Deus. Ad nos ergo qui nescimus quisnam sit filius pacis, aut non sit, pertinet nullum exceptum facere, nullumque discernere; sed velle omnes salvos fieri, quibus prædicamus hanc pacem. Neque enim metuendum est ne perdamus eam, si ille cui prædicamus, non est filius pacis, ignorantibus nobis: ad nos enim revertetur, id est, nobis proderit ista prædicatio, non & illi: si autem super eum pax prædicata requieverit, & nobis, & illi.

Quoniam incertum nobis est quos Deus salvare decreverit, omnium & singulorũ debemus procurare salutem voto, prædicatione, & correptione.

Rom. 5. 1. — 2. Cor. 5. 20. — Luc. 10. 5. — Isai. 52. 7.

47. Quia ergo nos qui salvi futuri sint nescientes, omnes quibus prædicamus hanc pacem salvos fieri velle Deus jubet, & ipse in nobis hoc operatur, diffundendo istam caritatem in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis: potest etiam sic intelligi, quòd *omnes homines Deus vult salvos fieri*; quoniam nos facit velle: sicut *misit Spiritum Filii sui clamantem, Abba, pater*, id est, nos clamare facientem. De ipso quippe Spiritu, alio loco dicit, *Accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater.* Nos ergo clamamus, sed ille clamare dictus est, qui efficit ut clamemus. Si ergo clamantem Spiritum rectè dixit Scriptura, à quo efficitur ut clamemus; rectè etiam volentem Deum, à quo efficitur ut velimus. Ac per hoc, quia & corripiendo nihil aliud debemus agere, nisi ut ab ista pace quæ est ad Deum non recedatur, aut ad eam qui recesserat revertatur, nos agamus sine desperatione quod agimus. Si filius pacis est quem corripimus, requiescet super eum pax nostra: sin autem, ad nos revertetur.

Rom. 5. 5. — Alia interpretatio loci Apost. Qui vult omnes homines salvos fieri. — 1. Tim. 2. 4. — Gal. 4. 6. — Rom. 8. 15.

48. Quamvis itaque etiam dum quorumdam fides subvertitur, firmum Dei fundamentum stet, quoniam scivit Dominus qui sunt ejus: non tamen ideo nos pigri & negligentes esse debemus in corripiendis, qui corripiendi sunt. Neque enim frustra dictum est, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*: & , [d] *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est.* Non argumentemur contra ista præcepta salubremque terrorem dicentes, Et corrumpant mores bonos colloquia mala, & pereat infirmus, quid ad nos? Firmum fundamentum Dei stat, & nemo perit nisi filius perditionis. * Absit ut ista garrientes,

2. Tim. 2. 19. — 1. Cor. 15. 33. — 1. Cor. 8. 11. — * CAPUT XVI.

[a] Quinque MSS. *vellet dicere & facere.* Sorbonicus, *vellet diceret, vellet & faceret*: fortè pro, *vellet dicere, vellet & facere.*
[b] Hîc ex uno Vatic. MS. addimus, *quod fecerunt.*

[c] Ita hoc loco MSS. At editi habent, *super eum*: & omittunt, *domum.*
[d] In MSS. *Perit.*

Johan. 17. 12. ſecuros nos in hac negligentia eſſe debere credamus. Verum eſt enim, quia nemo perit, niſi filius perditionis: ſed ait Deus per Ezechielem (Ezech. 3. 18.) prophetam, *Ille quidem in peccato ſuo morietur, ſanguinem verò ejus de manu ſpeculatoris requiram.*

49. Proinde quantum ad nos pertinet, qui prædeſtinatos à non prædeſtinatis diſcernere non valemus, & ob hoc omnes ſalvos fieri velle debemus; omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda eſt à nobis medicinaliter ſevera correptio: Dei eſt autem illis eam facere utilem, (Rom. 8. 29.) quos ipſe præſcivit & prædeſtinavit conformes imaginis Filii ſui. Si enim aliquando timore non corripimus, ne aliquis inde pereat: cur non etiam timore corripimus, ne aliquis inde plus pereat? (1. Theſſ. 5. 14.) Neque enim dilectionis viſcera majora geſtamus quàm beatus Apoſtolus, qui dicit, *Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes, videte ne quis malum pro malo alicui reddat.* Ubi intelligendum eſt tunc potiùs malum pro malo reddi, ſi corripiendus non corripitur, ſed prava diſſimulatione negligitur. (Correptio non malum, ſed bonum pro malo redditur.) Dicit etiam, *Peccantes coram omnibus corripe, ut ceteri timorem habeant.* (1. Tim. 5. 20.) Quod de his peccatis accipiendum eſt quæ non latent, ne contra Domini ſententiam putetur locutus. (Publicè publica tantùm corripienda peccata.) Ille enim dicit, *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum.* (Matth. 18. 15.) Verumtamen & ipſe ſeveritatem correptionis eò uſque perducit, ut dicat, *Si nec Eccleſiam audierit, ſit tibi tamquam ethnicus & publicanus.* (Ibid. 17.) Et quis magis dilexit infirmos, quàm ille qui pro omnibus eſt factus infirmus, & pro omnibus ex ipſa eſt infirmitate crucifixus? Quæ cùm ita ſint, nec gratia prohibet correptionem, nec correptio negat gratiam: & ideo ſic eſt præcipienda juſtitia, ut à Deo gratia qua id quod præcipitur fiat, fideli oratione poſcatur: & hoc utrumque ita faciendum eſt, ut neque juſta correptio negligatur. Omnia verò hæc cum caritate fiant: quoniam caritas nec facit peccatum, & cooperit multitudinem peccatorum. (1. Pet. 4. 8.)

AD SUBSEQUENTES DUOS LIBROS, unum de Prædeſtinatione ſanctorum, alterum de dono Perſeverantiæ,

Admonitio petita ex Lovanienſium editione.

POſt quàm in Gallias allati fuere libri quidam Auguſtini contra Pelagianos ſcripti, non paucorum illic animos offenderunt; non modò de communi doctorum vulgo, ſed quorumdam etiam preſbyterorum ac epiſcoporum qui & pietate & eruditione celebres & commendati habebantur: adeo ut multi quoque Auguſtini doctrinæ faventes, eorum auctoritatem reveriti, à meliore ſententia revocarentur, aut eam certè profiteri publicè non auderent. Verùm alii quidam cordatiores firmioreſque, inter quos præcipui Proſper & [a] Hilarius, ſentientes eos Pelagiani erroris vel incautos negotium agere, quoſdam verò rem non intellectam imperitè calumniari; fortiter ſe iis oppoſuere. Quibus cùm per omnia ſatis facere non poſſent, re ad Auguſtinum relata rogant ut quæ in ejus libris, præſertim de Correptione & Gratia, quoſdam ſuorum offendebant, clariùs diſertiúſque explicare dignaretur. Ea verò quæ ſint, ex ſubjectis utriuſque epiſtolis cognoſcere licebit. Hac occaſione ſcripſit Auguſtinus ſequentes libros duos, alterum *de Prædeſtinatione ſanctorum*, alterum *de dono Perſeverantiæ.* Sed adeo nec his quidem ſatisfactum hominibus illis fuit, ut Auguſtini doctrinam ac libros magis etiam magiſque averſarentur, multa in eis imperitè malitioſéque calumniantes. Unde factum ut adversùs eorum reprehenſiones Proſper defuncto jam Auguſtino varios ediderit apologiarum libellos: cujus generis ſunt præter alios, ad capitula Gallorum, ad objectiones Vincentianas, ad excerpta Genuenſium, & adversùs Collatorem reſponſiones. Quibus cùm eorum inſcitiam & calumnias clariſſimè coarguiſſet, ut erubeſcere jam meritò etiam deberent, majores tamen poſtea motus concitarunt, nec Proſpero jam & Hilario parcentes: ut coacti fuerint ad Apoſtolicam ſedem confugere, quam eo tempore Cæleſtinus pontifex gubernabat. Is rem totam ab eis edoctus ad Galliæ epiſcopos quoſdam litteras mittit, quibus Auguſtinum & doctrinam ejus tuetur ac prædicat, obtrectatores ejus graviter coarguit, epiſcopis mandat ut eis ſilentium imponant. Sed ne ſic quidem prorſus quievere. Quia enim pontifex libros eos quos illi tam odioſè traducebant, videlicet *de Correptione & Gratia*, *de Prædeſtinatione ſanctorum*, *de Perſeverantiæ dono*, nominatim non expreſſerat titulis eos ſuis deſignans; poſt Cæleſtini mortem aiebant non eos fuiſſe approbatos, nec propter illos commendatum auctorem, ſed pro anteriorum ſcriptorum meritis laudationem iſtam in eum fuiſſe collatam: ut teſtis eſt Proſper ſub finem libri contra Collatorem. Quocirca tempore [b] Felicis Papæ IV. celebratum fuit in Arauſicana civitate concilium, quod eſt ejus loci ſecundum, in quo renovata & iteratò confirmata eſt catholica & apoſtolica, eademque Auguſtini de gratia & libero arbitrio doctrina, canonibus ipſi ex Auguſtini libris paſſim decerptis. Quæ omnia in Appendice, part. 2. reperire licebit. Ceterùm quòd horum duorum librorum in Retractationibus ſuis non meminerit Auguſtinus, inde factum, quòd cùm hæc ſcriberet, jam duos Retractationum libros ediderat, quemadmodum ipſemet infrà teſtatur libro primo, cap. 3. & libro ſecundo, cap. 11.

His præſertim ex libris Auguſtini agnoſci voluit Hormiſdas Papa, quid Romana & Catholica Eccleſia de libero arbitrio & gratia Dei profiteatur. Cujus Pontificis auctoritate libros eoſdem Epiſcopi Africani pro fide in Sardinia exſules maximè commendant in Epiſtola ſynodica. *Præ omnibus*, inquiunt, *ſtudium gerite, quos ad Proſperum & Hilarium ſcripſit, memoratis fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormiſdas ſedis Apoſtolicæ glorioſus antiſtes in epiſtola, quam conſulenti ſe ſancto fratri conſacerdotique noſtro Poſſeſſori reſcripſit, cum magno præconio catholicæ laudis inſeruit: cujus hæc verba ſunt. De arbitrio tamen libero & gratia Dei*, QUID ROMANA, HOC EST, CATHOLICA SEQUATUR ET SERVET ECCLESIA, *licèt in variis libri beati Auguſtini, & maximè ad Proſperum & Hilarium abundè poſſit agnoſci, tamen & in ſcriniis eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur.*

[a] Hilarium hunc Arelatenſem appellant Lovanienſes, ſed falsò. Vide annotationem ad Hilarii epiſtolam, infrà pag. 783.

[b] Hîc rurſum corrigendi Lovanienſes, qui Arauſicanum iſtud II. concilium juſſu Leonis Papæ I. celebratum dicunt.

PROSPERI AD AUGUSTINUM

de reliquiis Pelagianæ hæreseos in Gallia sobolescentibus, deque hujusmodi hominum querelis adversùs Prædestinationis & Gratiæ doctrinam superioribus ipsius Augustini opusculis, præsertim libro de Correptione & Gratia explicatam,

EPISTOLA INTER AUGUSTINIANAS CCXXV.

Domino beatissimo Papæ, ineffabiliter mirabili, incomparabiliter honorando, præstantissimo patrono,

AUGUSTINO PROSPER.

1. IGNOTUS *quidem tibi facie; sed jam aliquatenus, si reminiscaris, animo ac sermone compertus; nam per sanctum fratrem meum Leontium diaconum misi* [a] *epistolas, & recepi; nunc quoque beatitudini tuæ scribere audeo, non solùm salutationis, ut tunc, studio; sed etiam fidei, qua Ecclesia vivit, affectu. Excubante enim pro universis membris corporis Christi vigilantissimâ industriâ tuâ; & adversùs hæreticarum doctrinarum insidias veritatis virtute pugnante; nullo modo mihi verendum putavi, ne onerosus tibi, aut importunus essem in eo, quod ad multorum salutem, ac perinde ad pietatem tuam pertinet: cùm potiùs reum futurum esse me crederem, si ea, quæ valde perniciosa esse intelligo, ad specialem patronum fidei non referrem.*

> b Massiliensium quidam Augustini libris non intellectis offensi.
> * Adrumetinos Monachos.

2. *Multi ergo servorum* [b] *Christi qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversùs Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni & ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundùm Dei propositum disputasti. Et cùm aliquamdiu tarditatem suam culpare maluerint, quàm non intellecta reprehendere, quidamque eorum lucidiorem super hoc atque apertiorem beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare; evenit ex dispositione misericordiæ Dei, ut cùm* quosdam intra Africam similia movissent, librum* de Correptione & Gratia *plenum divinæ auctoritatis emitteres. Quo in notitiam nostram insperata opportunitate delato, putavimus omnes querelas resistentium sopiendas: quia universis quæstionibus, de quibus consulenda erat sanctitas tua, tam plenè illic absolutéque responsum est; quasi hoc specialiter studueris, ut quæ apud nos erant turbata, componeres. Recensito autem hoc beatitudinis tuæ libro, sicut qui sanctam atque apostolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores multo instructioresque sunt facti; ita qui persuasionis suæ impediebantur obscuro, aversiores quàm fuerant, recesserunt. Quorum tam abrupta dissensio primùm propter ipsos metuenda est, ne tam claris tamque egregiis in omnium virtutum studio viris spiritus Pelagianæ impietatis illudat: deinde ne simpliciores quique, apud quos horum magna est de probitatis contemplatione reverentia, hoc tutissimum sibi æstiment, quod audiunt eos, quorum auctoritatem sine judicio sequuntur, asserere.*

> Massiliensium sententia partim catholica, partim Pelagiana.

3. *Hæc enim ipsorum definitio ac professio est: Omnem quidem hominem Adam peccante peccasse. Et neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari. Vniversis tamen hominibus propitiationem, quæ est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam; ut quicumque ad fidem & ad baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit. Ideoque omnem hominem ad credendum & ad operandum divinis institutionibus admoneri, ut de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cùm voluntariæ devotioni remuneratio sit parata. Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundùm quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis adferre: eo quòd in utraque parte superfluus labor sit, si neque rejectus ullà industriâ possit intrare, neque electus ullà negligentiâ possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos quàm Deus definivit, accidere: & sub incerta spe cursum non posse esse constantem; cùm si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quamdam induci necessitatem; aut diversarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse quàm factus est. Vtque breviùs ac pleniùs quod opinantur exponam, quidquid in libro hoc ex contradicentium sensu sanctitas tua sibi opposuit, quidquid etiam in libris contra Iulianum ab ipso sub hac quæstione objectum, potentissimè debellasti; hoc totum ab istis sanctis intentiosissimè conclamatur. Et cùm contra eos scripta beatitudinis tuæ validissimis & innumeris testimoniis divinarum scripturarum instructa proferimus, ac secundùm formam disputationum tuarum aliquid etiam ipsi quo concludantur adstruimus; obstinationem suam vetustate defendunt: & ea quæ de epistola apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, à nullo umquam ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant. Cúmque ut ipsi ea exponant secundùm quorum velint sensa deposcimus; nihil se profitentur invenisse quod placeat, & de his taceri exigunt, quorum altitudinem nullus adtigerit. Eò postremò pervicacia tota descendit, ut fidem nostram ædificationi audientium contrariam esse definiant; ac sic etiam si vera sit, non promendam: quia & perniciosè non recipienda tradantur, & nullo periculo quæ intelligi nequeant conticeantur.*

[a] Quatuor MSS. *epistolam.*

[b] *Servorum Christi*, id est, monachorum, quorum nominatissimus Johannes Cassianus Collationum editor, ipsius Prosperi *contra Collatorem* libro postea confutatus.

4. Quidam verò horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant, ut cùm ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur, ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur, ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua eum nihil priùs merentem, quia nec exsistentem, liberi arbitrii & rationalem gratia Creatoris instituat, ut per discretionem boni ac mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire, per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando: ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene usus, ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire. Propositum autem vocantis gratiæ in hoc omnino definiunt, quòd Deus constituerit nullum in regnum suum nisi per sacramentum regenerationis assumere, & ad hoc salutis donum omnes homines universaliter, sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per evangelicam prædicationem vocari: ut & qui voluerint, fiant filii Dei, & inexcusabiles sint qui fideles esse noluerint: quia justitia Dei in eo sit, ut qui non crediderint pereant; bonitas in eo appareat, si neminem repellat à vita, sed indifferenter universos velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Jam hic proferunt testimonia, quibus divinarum scripturarum cohortatio ad obediendum incitat hominum voluntates, qui ex libero arbitrio, aut faciant quæ jubentur, aut negligant: & consequens putant, ut quia prævaricator ideo dicitur non obedisse quia noluit, fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus fuisse quia voluit; & quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum; parique momento animum se vel ad vitia vel ad virtutes movere, quem bona appetentem gratia Dei foveat, mala sectantem damnatio justa suscipiat.

Aliorum sententia magis adhuc Pelagianizans.

5. Cùmque inter hæc innumerabilium illis multitudo objicitur parvulorum, qui utique excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei judicio secernuntur; ut ante discretionem boni ac mali de usu vitæ istius auferendi, alii per regenerationem inter cælestis regni assumantur heredes, alii sine baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores: tales aiunt perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina præviderit. Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundùm suam phantasiam non negant esse præventas. Sed in tantum quibuscumque commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia præterita non exstant, futura quæ non sint futura confingant; novoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint. Hanc sanè de humanis meritis præscientiam Dei, secundùm quam gratia vocantis operetur, multo sibi rationabiliùs videntur adstruere, cùm ad earum nationum contemplationem venitur, quæ vel in præteritis sæculis dimissæ sunt ingredi vias suas, vel nunc quoque adhuc in veteris ignorantiæ impietate depereunt, nec ulla eis aut Legis aut Evangelii illuminatio coruscavit; cùm tamen, in quantum prædicatoribus ostium apertum est & via facta est, gentium populus qui sedebat in tenebris & in umbra mortis, lucem viderit magnam; & qui quondam non populus, nunc autem populus Dei sit; & quorum aliquando non misertus est, nunc autem misereatur: prævisos inquiunt à Domino credituros, & ad unamquamque gentem ita dispensata tempora ac ministeria magistrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum. Nec vacillare illud, quòd Deus omnes homines velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: quando quidem inexcusabiles sint, qui & ad unius veri Dei cultum potuerint instrui intelligentiâ naturali, & Evangelium ideo non audierint, quia nec fuerint recepturi.

Act. 14. 15. Isaiæ 9. 2. Matt. 4. 16. Osea 2. 24. Rom. 9. 25. 1 Tim. 2. 4.

6. Pro universo autem humano genere mortuum esse Dominum nostrum Iesum Christum, & neminem prorsus à redemtione sanguinis ejus exceptum, etiamsi omnem hanc vitam alienissima ab eo mente pertranseat: quia ad omnes homines pertineat divinæ misericordiæ sacramentum: quo ideo plurimi non renoventur, quia quòd nec renovari velle habeant prænoscantur. Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. In istam verò talis gratiæ prædicationem hi, quorum contradictione offendimur, cùm priùs meliora sentirent, ideo se vel maximè contulerunt, quia si profiterentur ab ea omnia bona merita præveniri, & ab ipsa ut possint esse donari, necessitate concederent Deum secundùm propositum & consilium voluntatis suæ, occulto judicio & opere manifesto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam; quia nemo nisi per gratiam justificetur, & nemo nisi in prævaricatione nascatur. Sed refugiunt istud fateri, divinoque adscribere operi sanctorum merita formidant: nec adquiescunt prædestinatum electorum numerum nec augeri posse, nec minui; ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant, ac superflua sit industriæ ac laboris indictio, cujus studium cessante electione frustrandum sit. Ita demum enim posse unumquemque ad correctionem aut ad profectum vocari, si se sciat suâ diligentiâ bonum esse posse, & libertatem suam ob hoc Dei auxilio juvandam, si quod Deus mandat elegerit. Ac sic cùm in his, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia; priorem volunt obedientiam esse quàm gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare qui salvat; & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.

Rom. 9. 21.

7. Quod cùm perversissimum esse revelante Dei misericordiâ & instruente nos tua beatitudine noverimus; possumus quidem ad non credendum esse constantes, sed ad auctoritatem talia sentientium non sumus pares: quia multùm nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper [a] summo sacerdotii honore supereminent: nec facilè quisquam, præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores, tantò superiorum disputationibus ausus est contraire. Ex quo non solùm his qui eos audiunt, verùm etiam ipsis qui audiuntur, cum dignitatibus crevit periculum; dum & multos reverentia eorum aut inutili cohibet silentio, aut incurioso ducit assensu; & saluberrimum ipsis videtur, quod penè nullius contradictione reprehenditur. Unde quia in istis Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocatur; si divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, ut ideo quis adjuvetur quia voluit, non ideo

Reliquiæ istæ Pelagianæ hæreseos quàm perniciosæ.

[a] In MSS. summi.

quia adjuvatur velit; si originaliter malus receptionem boni non à summo bono, sed à semetipso inchoare malè creditur; si aliunde Deo placetur, nisi ex eo quod ipse donaverit: tribue nobis in hac caussa, Papa beatissime, pater optime, quantum juvante Domino potes, diligentiam pietatis tuæ, ut quæ in istis quæstionibus obscuriora & ad percipiendum difficiliora sunt, quàm lucidissimis expositionibus digneris aperire.

8. *Ac primùm, quia plerique non putant Christianam fidem hac dissensione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione patefacias. Deinde quomodo per istam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. Tum utrùm præscientia Dei ita secundùm propositum maneat, ut ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præscita: an per genera caussarum & species personarum ista varientur; ut quia diversæ sunt vocationes, in his qui nihil operaturi salvantur, quasi solum Dei propositum videatur exsistere; in his autem qui aliquid boni acturi sunt, per præscientiam possit stare propositum: an verò uniformiter, licèt dividi præscientia à proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito: & sicut nihil sit quorumcumque negotiorum, quod non scientia divina prævenerit; ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo auctore defluxerit. Postremò quemadmodum per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles fiunt qui præordinati sunt ad vitam æternam, nemo eorum qui cohortandi sunt impediatur, nec occasionem negligentiæ habeant, si se prædestinatos esse desperent. Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quòd retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset voluntate & actione præscierit.*

9. *Quibus omnibus enodatis, & multis insuper, quæ altiore intuitu ad caussam hanc pertinentia magis potes videre, discussis; credimus & speramus, non solùm tenuitatem nostram disputationum tuarum præsidio roborandam, sed etiam ipsos, quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, defæcatissimum lumen gratiæ recepturos. Nam unum eorum præcipuæ auctoritatis & spiritalium studiorum virum, sanctum* [a] *Hilarium Arelatensem episcopum, sciat beatitudo tua admiratorem sectatoremque in aliis omnibus tuæ esse doctrinæ; & de hoc quod in querelam trahit, jam pridem apud sanctitatem tuam sensum suum per litteras velle conferre. Sed quia utrùm hoc facturus, aut quo fine sit facturus, incertum est, & omnium nostrûm fatigatio providente hoc præsenti sæculo Dei gratiâ, in tuæ caritatis & scientiæ vigore* [b] *respirat: adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis. Necessarium & utile est etiam quæ scripta sunt scribere, ne leve existimetur quod non frequenter arguitur. Sanum enim putant esse quod non* [c] *dolet, nec vulnus superducta cute sentiunt: sed intelligant perventurum ad sectionem, quod habuerit perseverantem tumorem. Gratia Dei & pax Domini nostri Iesu Christi coronet te in omni tempore, & ambulantem de virtute in virtutem glorificet in æternum, Domine Papa beatissime, ineffabiliter mirabilis, incomparabiliter honorande, præstantissime patrone.*

[a] Pro *Hilario*, putabant eruditi quidam legendum esse *Honoratum*: sed inspecti à nobis MSS. *Hilarium* omnes ferunt. Hilarius porrò iste ex Lerinensi monacho creatus fuit Arelatensis episcopus post Honoratum, anno 428. aut 429. ineunte denatum. Quippe Honoratus suffectus Patroclo qui anno 426. juxta Prosperi Chronicum interfectus est, cathedram Arelatensem, teste Honorato Massiliensi in vita Hilarii Arelatensis, per biennium occupavit.

[b] In editis, *sperat*.

[c] In MSS. *quod non dolent, nec vulnus superductum cute sentiunt*.

HILARII AD AUGUSTINUM
de eodem argumento,

Epistola inter Augustinianas CCXXVI.

Domino beatissimo, ac toto affectu desiderando, & multùm in Christo suscipiendo patri
[a] AUGUSTINO [a] HILARIUS.

SI cessantibus contradicentium quæstionibus gratæ sunt plerumque studiosorum inquisitiones, ut etiam illa, quæ absque periculo ignorarentur, edificant: arbitror gratiorem fore sedulitatem nostræ relationis, quæ dum indicat secundùm quorumdam prosecutiones quædam adversantia veritati, non tam sibi quàm illis qui turbantur & turbant, per consilium sanctitatis tuæ satagit provideri, Domine beatissime, ac toto affectu desiderande, & multùm in Christo suscipiende pater.

Massiliensium & aliorum quorumdam in Galliis de prædestinatione sententia.

2. *Hæc sunt itaque quæ Massiliæ, vel aliis etiam locis in Gallia ventilantur. Novum & inutile esse prædicationi, quòd quidam secundùm propositum eligendi dicantur, ut id nec arripere valeant, nec tenere, nisi credendi voluntate donata. Excludi putant omnem prædicandi vigorem, si nihil quod per eum excitetur, in hominibus remansisse dicatur. Consentiunt omnem hominem in Adam periisse, nec inde quemquam posse proprio arbitrio liberari. Sed id conveniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, ut cùm prostratis, & numquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salutis occasio: eo merito quo voluerint & crediderint, à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum. Ceterùm ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt: neque*

[a] Hic profectò ab Hilario Arelatensi, qui Augustini de prædestinatione sententiam, sicuti Prosper in superiore epistola scribit, in querelam trahebat, distinguit se ipse infrà n. 10. hisce verbis: *Nolo autem sanctitas tua sic me arbitretur hæc scribere, quasi de his quæ nunc edidisti ego dubitem.* Significat prætereà ibidem, se ipsius *præsentia deliciis* aliquando potitum, *uberibusque salubribus nutritum* fuisse. Deinde se laicum esse n. 9. indicat; ac postremò Augustinum appellat patrem, ab ipsoque vicissim in subsequente libro de prædestinatione sanctorum cap. 1. filius nuncupatur: quæ sanè in Arelatensem episcopum minimè conveniunt.

enim

enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari. Quod enim dicitur, Crede, & salvus eris; *unum horum exigi asserunt, aliud offerri; ut propter id quod exigitur si redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur. Unde consequens putant, exhibendam ab eo fidem, cujus naturæ id voluntate Conditoris concessum est; & nullam ita depravatam vel exstinctam putant, ut non debeat vel possit se velle sanari; propter quod, vel sanetur quis à sua, vel si noluerit, cum sua ægritudine puniatur. Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat; non autem quidquam ipsa jam valeat. Nam illa testimonia, ut est illud,* Sicut unicuique partitus (Rom. 12. 3.) est mensuram fidei, *& similia, ad id volunt valere, ut juvetur qui cœperit velle: non ut etiam donetur ut velit, rejectis ab hoc dono aliis pariter reis, & qui possent similiter liberari; si ea, quæ pariter indignis præstatur credendi voluntas, etiam ipsis similiter præstaretur. Si autem, aiunt, dicatur vel talem omnibus remansisse, qua vel contemnere quis valeat, vel obedire; de compendio putant rationem reddi electorum vel rejectorum, in eo quod unicuique meritum propriæ voluntatis adjungitur.*

3. *Cùm autem dicitur eis, quare aliis vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, vel nunc prædicetur quod aliquando penè omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit: dicunt id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore, & ibi & illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur, quando & ubi prænoscebatur esse credenda. Et hoc non solùm aliorum catholicorum testimoniis, sed etiam sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur; ubi tamen eamdem gratiam non minore veritatis perspicuitate docueris: ut est illud quod dixit sanctitas tua * in quæstione contra Porphyrium, de tempore Christianæ religionis,* tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. (* Epist. 102. quæst. 2. n. 14.) *Vel illud de libro in epistolam ad Romanos,* Dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus quis resistit? (Rom. 9. 19.) Cui sanè inquisitioni, *inquis,* sic respondet, ut intelligamus spiritalibus viris, etiam non secundùm terrenum hominem viventibus, patere posse prima merita fidei & impietatis, quomodo Deus præscientiâ eligat credituros, & damnet incredulos; nec illos ex operibus eligens, nec istos ex operibus damnans; sed & illorum fidei præstans ut bene operentur, & istorum impietatem deserendo obdurans ut malè operentur. (In exposit. quarumdam propositionum epist. ad Rom. propos. 62.) *Et iterum in eodem libro superiùs:* Æquales omnes sunt ante meritum, nec potest in rebus omni modo æqualibus electio nominari. (Propos. 60.) Sed quoniam Spiritus-sanctus non datur nisi credentibus; non quidem Deus eligit opera quæ ipse largitur, cùm dat Spiritum-sanctum, ut per caritatem bona operemur: sed tamen eligit fidem, quia nisi quisque credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id est, Spiritum-sanctum, per quem infusa caritate bonum possit operari. Non ergo eligit opera cujusquam in præscientia, quæ ipse donaturus est: sed fidem eligit in præscientia; ut quem crediturum esse præscivit, ipsum eligeret, cui Spiritum-sanctum daret, ut bona operando etiam æternam vitam consequeretur. Dicit enim Apostolus, Idem Deus qui operatur omnia in omnibus. (1. Cor. 12. 6.) Nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus. Quòd enim credimus, nostrum est: quòd autem operamur, illius. *Et cetera in eodem opere; quæ se acceptare & probare testantur, tamquam convenientia evangelicæ veritati.*

4. *Ceterùm præscientiam, & prædestinationem, vel propositum, ad id valere contendunt, ut eos præscierit, vel prædestinaverit, vel proposuerit eligere, qui fuerant credituri. Nec de hac fide posse dici,* Quid habes quod non accepisti? (1. Cor. 4. 7.) *cùm in eadem natura remanserit, licèt vitiata, quæ priùs sana ac perfecta donata sit. Quod autem dicit sanctitas tua, neminem perseverare, nisi perseverandi virtute percepta; hactenus accipiunt, ut quibus datur, inerti licèt, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur: quod ad hoc tantùm liberum asserunt, ut velit vel nolit admittere medicinam. Ceterùm & ipsi abominari se & damnare testantur, si quis quidquam virium in aliquo remansisse, quo ad sanitatem progredi possit, existimet. Nolunt autem ita hanc perseverantiam prædicari, ut non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt, ubi eis, quantum putant, ad obtinendum vel amittendum, evidens est qualecumque initium voluntatis. Illud etiam testimonium quod posuisti,* Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus; (Sap. 4. 11.) *tamquam non canonicum definiunt omittendum. Unde illam præscientiam sic accipiunt, ut propter fidem futuram intelligendi sint præsciti: nec cuiquam talem dari perseverantiam, à qua non permittatur prævaricari; sed à qua possit sua voluntate deficere & [a] infirmari.*

(Eorumdem de perseverantiæ dono contra Augustinũ sententia.)

5. *Asserunt tum inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correptio valeat excitare: quod quidem inesse naturæ sic se dicere confitentur, ut hoc ipso quod ignoranti veritas prædicatur, ad beneficium præsentis gratiæ referendum sit. Nam si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quò pertinet tanta extrinsecùs correptionis instantia? si non ab homine, etsi non fides integra, saltem vel dolor compunctæ infirmitatis exoritur, aut periculum demonstratæ mortis horretur? Nam si non potest timere quis, unde terretur, nisi ea voluntate quæ sumitur, non ex eo culpandus quod nunc non vult: sed in eo & cum eo, qui sic aliquando noluit, ut eam damnationem cum suis posteris mereretur incurrere, ut numquam recta, semper autem prava vellet appetere. Si autem est qualiscumque dolor qui ad exhortationem corripientis oriatur: hanc ipsam dicunt caussam, propter quam vel rejiciatur alius, vel alius assumatur: atque ita non opus esse partes constitui, quibus nec adjiciendum sit aliquid, nec detrahendum.*

6. *Deinde molestè ferunt, ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille* acceperit perseverantiam, non qua fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc verò sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ detur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint. (Sup. lib. de correptione & gratia, cap. 11. & 12.) *His verbis sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quamdam desperationem hominibus exhiberi. Si enim, aiunt, ita Adam adjutus est, ut & stare posset in justitia, & à justitia declinare; & nunc ita sancti juvantur, ut*

[a] Id vetus codex Corb. ad sequentem sententiam sic revocat: *Et infirmari asserunt tam utilem exhortandi consuetudinem.*

declinare non possint, si quidem eam acceperunt volendi perseverantiam, ut aliud velle non possint; vel sic quidam deseruntur, ut aut nec accedant, aut si accesserint & recedant: ad illam voluntatem pertinuisse dicunt exhortationis vel comminationis utilitatem, quæ & persistendi & desistendi obtinebat liberam potestatem; non ad hanc, cui nolle justitiam inevitabili necessitate conjunctum est; præter illos, qui sic concreati sunt his, qui cum universa massa damnati sunt, ut exciperentur per gratiam liberandi. Unde in hoc solo volunt à primo homine omnium distare naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat: hos autem amissis & perditis viribus credentes tantùm, non solùm erigat prostratos, verùm etiam suffulciat ambulantes. Ceterùm quidquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse & amitti & retineri propria voluntate contendunt. Quod tunc falsum esset, si verum putarent eam quosdam perseverantiam percepisse, ut nisi perseverantes esse non possent.

Ibid. cap. 13. & cap. 14. — 7. Inde est quod & illud pariter non accipiunt, ut eligendorum rejiciendorumque esse definitum numerum [a] velint: atque illius sententiæ expositionem, non eam quæ à te est depromta suscipiant, id est, ut nonnisi omnes

1. Tim. 2. 4. — homines salvos fieri velit, & non eos tantùm qui ad sanctorum numerum pertinebunt; sed omnes omnino, ut nullus habeatur exceptus. Nec hoc timendum, quòd quidam eo invito perire dicantur: sed quomodo, aiunt, non vult à quoquam peccari vel deseri justitiam, & tamen jugiter illa deseritur contra ejus voluntatem, committunturque peccata: ita eum salvari velle omnes homines, nec tamen omnes homines [b] salvari. Testimonia etiam Scripturæ quæ de Saüle vel de David posuisti, non pertinere putant ad quæstionem, quæ de exhortatione versatur. Alia autem ad id referunt, ut ex his eam gratiam accipiant commendari, qua unusquisque post voluntatem juvatur; vel ad ipsam vocationem, quæ præstatur indignis. Hoc enim & illis locis tuorum opusculorum, & aliorum, quæ persequi longum est, se demonstrare testantur.

1. Reg. 10. 25. 1. Par. 12. 18.

8. Parvulorum autem caussam ad exemplum majorum non patiuntur adferri. Quam & tuam sanctitatem dicunt eatenus adtigisse, ut incertum esse volueris, ac potiùs de eorum pœnis malueris dubitari. Quod in

Cap. 23. — libro tertio de Libero arbitrio ita positum meministi, ut hanc eis occasionem potuerit exhibere. Hoc etiam de aliorum libris, quorum est in Ecclesia auctoritas, faciunt: quod perspicit sanctitas tua non parum posse juvare contradictores, nisi majora, aut certè vel paria proferantur à nobis. Non enim ignorat prudentissima pietas tua, quanto plures sint in Ecclesia, qui auctoritate nominum in sententia teneantur, aut à sententia transferantur. Ad summam, fatigatis omnibus nobis, ad id prosecutio eorum, vel potiùs querela convertitur, consentientibus etiam his, qui hanc definitionem improbare non audent, ut dicant: Quid opus fuit hujuscemodi disputationis incerto tot minùs intelligentium corda turbari? Neque enim minùs utiliter sine hac definitione, aiunt, tot annis, à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris & tuis & aliorum, cùm contra alios, tum maximè contra Pelagianos, catholicam fidem fuisse defensam.

9. Hæc, mi pater, & alia interminabiliter plura, ut summa mea vota confitear, per me deferre maluissem; vel, quia hoc non merui, saltem prolixiore tempore omnia, quibus moventur, collecta dirigere; ut quidquid de hac re contradicitur quatenus refelli, vel, si id non potest, tolerari deberet, audirem: sed quia neutrum ex voto provenit, malui quomodo potui hæc comprehensa dirigere, quàm penitus de tanta quorumdam contradictione reticere. Sunt ex parte tales personæ, ut his consuetudine ecclesiastica laicos summam reverentiam necesse sit exhibere. Quod quidem ita curavimus Deo juvante servare, ut cùm opus fuit, non taceremus, quæ ad quæstionis hujus assertionem exiguitas nostrarum virium suggerebat. Sed nunc summatim, quantum festinatio perlatoris admisit, hæc velut commonendo suggessi. Tuæ sanctæ prudentiæ est dispicere quid facto opus sit, ut talium & tantorum superetur vel temperetur intentio. Cui ego jam parum prodesse existimo te reddere rationem, nisi & addatur auctoritas, quam transgredi infatigabiliter contentiosa corda non possint. Sed planè illud tacere non debeo, quòd se dicant tuam sanctitatem hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari. Tuum erit decernere, quomodo sit in hoc eorum contradictio toleranda. Nec mireris quòd aliter vel aliqua in hac epistola addidi, quantum puto, quæ in superiore non dixeram: talis est enim nunc eorum definitio, præter illa quæ per festinationem aut oblivionem fortasse præterii.

* Retractationum libros intelligit. — 10. Libros, * cùm editi fuerint, quos de universo opere tuo moliris, quæso habere mereamur: maximè ut per eorum auctoritatem, si qua tibi in tuis displicent, à dignitate tui nominis jam non trepidi sequestremus. Librum etiam de Gratia & Libero arbitrio non habemus: superest ut eum, quia utilem quæstioni confidimus, mereamur accipere. Nolo autem sanctitas tua sic me arbitretur hæc scribere, quasi de iis quæ nunc edidisti, ego dubitem. Sufficiat mihi pœna mea, quòd à præsentiæ tuæ deliciis exsulatus, * ubi salubribus tuis uberibus nutriebar, non solùm absentià tuà crucior, verùm etiam pervicacià quorumdam, qui non tantùm manifesta respuunt, sed etiam non intellecta reprehendunt. Ceterùm hac suspicione in tantum careo, ut potiùs infirmitatem meam, qua tales parum patienter fero, notabilem putem. Qualiter autem ad hæc consulendum judices, ut dixi, tuæ sapientiæ derelinquo. Nam ad me hoc pertinere credidi, pro ea quam Christo vel tibi debeo caritate, ut quæ in quæstionem veniunt, non tacerem. Quidquid pro ea gratia, quam in te pusilli cum magnis miramur, volueris aut valueris, gratissimè accipiemus, tamquam à nobis carissima & reverentissima auctoritate decretum. Sanè quia urgente perlatore, timui ne vel non omnia, vel hæc ipsa minùs dignè, conscius mearum virium, possem dirigere: egi cum * viro, tum moribus tum eloquio & studio claro, ut quanta posset collecta suis litteris intimaret: quas conjunctas his destinare curavi. Est enim talis qui etiam præter hanc necessitatem, dignus tuæ sanctitatis notitià judicetur. Sanctus Leontius diaconus cultor tuus, cum meis parentibus multùm te salutat. Memorem mei paternitatem tuam Dominus Christus Ecclesiæ suæ annis pluribus donare dignetur, domine pater. Et infrà: Sciat sanctitas tua, fratrem meum, cujus maximè causà hinc discessimus, cum matrona sua ex consensu perfectam Deo continentiam devovisse. Unde rogamus sanctitatem tuam, ut orare digneris, quo hoc ipsum in eis Dominus confirmare & custodire dignetur.

* Hilarius Augustini se fuisse discipulum indicat.

* Prosperū intelligere videtur, cujus præcedit epistola. Continentiæ perpetuæ votum mutuo inter conjugatos consensu initum.

[a] Plures MSS. nolint.

[b] Aliquot MSS. velle salvari.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
DE PRÆDESTINATIONE SANCTORUM
LIBER AD PROSPERUM ET HILARIUM * PRIMUS,

* Scriptus post Retractationum libros, anno Christi 428. aut 429.

In quo Prædestinationis & gratiæ veritas propugnatur contra Semipelagianos, homines videlicet à Pelagiana hæresi omnino nequaquam recedentes, dum salutis initium ac fidei ex nobis ipsis esse volunt, ut hoc tamquam merito præcedente cetera bona dono Dei consequantur. Ostendit Augustinus, donum Dei esse, non solum incrementum, sed ipsum quoque initium fidei. Hac de re se aliter sensisse aliquando, & in opusculis ante suum episcopatum scriptis errasse non diffitetur, velut in illa quam objectant, Expositione propositionum ex epistola ad Romanos. At postea convictum se indicat hoc præcipuè testimonio, Quid autem habes, quod non accepisti? *quod testimonium de ipsa etiam fide accipiendum probat. Fidem inter alia numerandam esse opera, quibus Dei gratiam præveniri negat Apostolus, cùm dicit,* Non ex operibus. *Gratiâ duritiam cordis auferri; & ad Christum venire omnes qui à Patre docentur ut veniant: quos autem docet, misericordiâ docere; & quos non docet, judicio non docere. Locum ex ipsius epistola 102. quæst. 2. de tempore Christianæ religionis, qui à Semipelagianis allegatur, posse rectè salvâ gratiæ ac prædestinationis doctrinâ explicari. Docet quid inter gratiam intersit & prædestinationem. Porrò prædestinatione Deum ea præscivisse, quæ fuerat ipse facturus. Prædestinationis adversarios, qui ad incertum voluntatis Dei deduci se nolle dicuntur, miratur malle se ipsos infirmitati suæ, quàm firmitati promissionis Dei committere. Eosdem hac auctoritate,* Si credideris, salvus eris, *abuti commonstrat. Gratiæ ac prædestinationis veritatem relucere in parvulis qui salvantur, nullis suis meritis discreti à ceteris qui pereunt. Non enim inter eos discerni ex præscientia meritorum, quæ si diutius viverent fuerant habituri. Ab adversariis illud injuriâ tamquam non canonicum testimonium respui, quod in eam rem adtulit,* Raptus est ne malitia &c. *Præclarissimum exemplum prædestinationis & gratiæ esse ipsum Salvatorem, qui ut Salvator & Filius Dei unigenitus esset, nullis præcedentibus vel operum vel fidei meritis comparavit. Prædestinatos vocari certa quadam electorum propriâ vocatione; atque ante mundi constitutionem electos esse, non quia credituri præsciebantur & futuri sancti, sed ut tales essent per ipsam electionem gratiæ: &c.*

CAPUT I. Philip. 3. 1.

DIXISSE quidem Apostolum scimus in epistola ad Philippenses, *Eadem scribere vobis, mihi quidem non pigrum, vobis autem tutum est.* Idem tamen scribens ad Galatas, cùm se satis apud eos egisse perspiceret, quod illis per ministerium sermonis sui necessarium esse cernebat: *De cetero*, inquit, *laborem mihi nemo præstet:* (Gal. 6. 17.) vel, sicut in plerisque codicibus legitur, *nemo mihi molestus sit.* Ego autem quamvis me molestè ferre confitear, quòd divinis (B) eloquiis quibus Dei gratia prædicatur, (quæ omnino nulla est, si secundùm merita nostra datur,) tam multis manifestisque non ceditur: vestrum (A) tamen studium fraternamque dilectionem, filii carissimi Prosper & Hilari, qua eos qui tales sunt, ita non vultis errare, ut post tot libros de hac re vel epistolas meas, adhuc me desideretis hinc scribere, tantum amo, quantum non possum dicere; & tantum me amare, quantum debeo, non audeo dicere. Quapropter ecce rescribo vobis, & licèt jam non vobiscum, tamen etiam per vos adhuc ago, quod me satis egisse credebam.

(B) 2. Consideratis enim litteris vestris videre mihi videor eos fratres, pro quibus geritis piam curam, ne teneant poëticam sententiam, qua dictum est, Spes sibi quisque: & in illud incurrant (Virg. lib. 2. Æneid.)

quod non poëticè, sed propheticè dictum est, *Maledictus omnis qui spem habet in homine*: eo modo esse tractandos, quo tractavit Apostolus quibus ait, *Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit*. Adhuc quippe in quæstione caligant de prædestinatione sanctorum: sed habent unde si quid aliter in ea sapiunt, hoc quoque illis revelet Deus, si in eo ambulent in quod pervenerunt. Propter quod Apostolus cùm dixisset, *Si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit: verumtamen*, inquit, *in quod pervenimus, in eo ambulemus*. Pervenerunt autem isti fratres nostri, pro quibus sollicita est pia caritas vestra, ut credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo nisi per justitiam secundi hominis aliquem liberari. Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. Retenta ergo ista in quæ pervenerunt, plurimùm eos à Pelagianorum errore discernunt. Proinde si in eis ambulent, & orent eum qui dat intellectum, si quid de prædestinatione aliter sapiunt, ipse illis hoc quoque revelabit: tamen etiam nos impendamus eis dilectionis affectum ministeriumque sermonis, sicut donat ille quem rogavimus, ut in his litteris ea quæ illis essent [a] apta & utilia diceremus. Unde enim scimus ne fortè Deus noster id per hanc nostram velit efficere servitutem, qua eis in Christi libera caritate servimus?

Jer. 17. 5.
Philip. 3. 15.
Ibid. 16.
Quatenus à Pelagianis recesserint Massilienses.
V. suprà Hilarii epist. 226. n. 2.

CAPUT II.
Fidei etiam initium esse ex Dei dono.

3. Prius itaque fidem qua Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere: si tamen diligentiùs id facere possumus, quàm in voluminibus tot tantisque jam fecimus. Sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo: tamquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso [b] tantùm augeatur in nobis, eo merito, [c] quo cœpit à nobis. Non ergo receditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in episcopali judicio Palæstino, sicut eadem Gesta * testantur, damnare compulsus est, *gratiam Dei secundùm merita nostra dari*; si non pertinet ad Dei gratiam quod credere cœpimus, sed illud potiùs quod propter hoc nobis additur, ut pleniùs perfectiùsque credamus: ac per hoc, initium fidei nostræ priores damus Deo, ut retribuatur nobis & supplementum ejus, & si quid aliud fideliter poscimus.

* Lib. de Gestis Pelagii cap. 14.

4. Sed contra hæc cur non potiùs audimus: *Quis prior dedit ei, & retribuetur illi? quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia*. Et ipsum igitur initium fidei nostræ, ex quo, nisi ex ipso est? Neque enim hoc excepto ex ipso sunt cetera: sed *ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. Quis autem dicat eum qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri? Unde fit, ut jam merenti cetera dicantur addi retributione divina; ac per hoc gratiam Dei secundùm merita nostra dari: quod objectum sibi Pelagius, ne damnaretur, ipse damnavit. Quisquis igitur hanc damnabilem vult ex omni parte vitare sententiam, veraciter intelligat dictum, quod Apostolus ait: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut credatis in eum, verùm etiam ut patiamini pro eo*. Utrumque [d] ostendit Dei donum, quia utrumque dixit esse donatum. Nec ait, ut pleniùs & perfectiùs credatis in eum: sed, *ut credatis in eum*. Nec se ipsum misericordiam consecutum dixit, ut fidelior, sed ut fidelis esset: quia sciebat non se initium fidei suæ priorem dedisse Deo, & retributum sibi ab illo ejus augmentum; sed ab eo se factum fidelem, à quo & Apostolus factus est. Nam scripta sunt etiam fidei ejus initia, suntque ecclesiasticâ [e] celebri lectione notissima. Aversus quippe à fide quam vastabat, eique vehementer adversus, repentè est ad illam gratiâ potentiore conversus: convertente illo cui hoc ipsum facturo per [f] prophetam dictum est, *Tu convertens vivificabis nos*: ut non solùm ex nolente fieret volens credere; verùm etiam ex persecutore persecutionem in ejus fidei, quam persequebatur, defensione pateretur. Donatum quippe illi erat à Christo, non solùm ut crederet in eum, verùm etiam ut pateretur pro eo.

Rom. 11. 35.
Philip. 1. 29.
1. Cor. 7. 25.
Act. 9.
Psal. 84. 7.

5. Et ideo commendans istam gratiam, quæ non datur secundùm aliqua merita, sed efficit omnia bona merita: *Non quia idonei sumus*, inquit, *cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Adtendant hìc, & verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, & ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat, priùs esse cogitare quàm credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi priùs cogitaverit esse credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerrimè credendi voluntatem quædam [g] cogitationes antevolent, moxque illa ita sequatur, ut quasi conjunctissima comitetur: necesse est tamen ut omnia quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur. Quamquam & ipsum credere, nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare. Non enim omnis qui cogitat, credit; cùm ideo cogitent plerique, ne credant: sed cogitat omnis qui credit, & credendo cogitat, & cogitando credit. Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem, (de qua loquebatur Apostolus,) si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; profectò non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra qua credere incipiamus, ex Deo est. Quocirca sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum; quod jam isti fratres, sicut vestra * scripta indicant, verum esse consentiunt; unde in omni opere bono & incipiendo & perficiendo sufficientia nostra ex Deo est: ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel

2. Cor. 3. 5.
Credere, est cum assensione cogitare.
* Hilar. suprà in epist. 226. n. 2.

[a] MSS. Gallicani & Vaticani, *aperta*.

[b] Am. Er. & MSS. *tamen*. Lovanienses ex conjectura correxerant, *tantùm*.

[c] Sex MSS. *quoniam cœpit à nobis*.

[d] Lov. *utrumque enim*. Abest *enim* ab aliis libris.

[e] Noalliensis cod. *celebratâ*. Alii MSS. cum editis, *celebri*. Lectionem Actuum Apostolorum in Ecclesia celebrem dicit, quòd jam tum usu receptum esset, ut sollemniter quotannis repeteretur tempore Paschali. *Actus Apostolorum*, ait in Serm. 315. n. 1. *liber est de canone Scripturarum: ipse liber incipit legi à Dominico Paschæ, sicut se consuetudo habet Ecclesiæ*.

[f] Plures MSS. *per prophetiam*.

[g] Plerique ac potiores MSS. *quædam sancta cogitationes*.

ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex A Deo est: quoniam fides si non cogitetur, nulla est; & non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

6. Cavendum est, fratres dilecti à Deo, ne homo se extollat adversùs Deum, cùm se dicit facere quod promisit Deus. Nonne fides gentium promissa est Abrahæ, & *ille dans gloriam Deo, plenissimè credidit, quoniam quod promisit, potens est & facere?* (Rom. 4. 20. & 21.) Ipse igitur fidem gentium facit, B qui potens est facere quod promisit. Porrò si operatur Deus fidem nostram, miro modo agens in cordibus nostris ut credamus; numquid metuendum est, ne totum facere non possit; & ideo homo sibi primas ejus vindicat partes, ut novissimas ab illo accipere mereatur? Videte si aliud agitur isto modo, nisi ut gratia Dei secundùm merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia jam non sit gratia. (Rom. 11. 6.) Redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis: debetur enim C credenti, ut à Domino ipsa fides ejus augeatur, & sit merces fidei cœptæ fides aucta: nec adtenditur, cùm hoc dicitur, non secundùm gratiam, sed secundùm debitum istam mercedem credentibus imputari. Cur autem non totum tribuatur homini, ut qui sibi potuit instituere quod non habebat, ipse quod instituit augeat, omnino non video: nisi quia resisti non potest divinis manifestissimis testimoniis, quibus & fides, unde pietatis exordium sumitur, donum Dei esse monstratur: D quale est illud, quòd *unicuique Deus partitus est mensuram fidei.* (Rom. 12. 3.) Et illud: *Pax fratribus & caritas cum fide à Deo Patre & Domino Iesu Christo:* (Ephes. 6. 23.) & cetera talia. Nolens ergo his tam claris testimoniis repugnare, & tamen volens à se ipso sibi esse quod credit, quasi componit homo cum Deo, ut partem fidei sibi vindicet, atque illi partem relinquat: & quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi; & in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem E Deum.

(Caput III.) 7. NON sic pius atque humilis doctor ille sapiebat: Cyprianum beatissimum loquor, qui dixit, *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Quod ut ostenderet, adhibuit Apostolum testem dicentem, *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* (1. Cor. 4. 7.) Quo præcipuè testimonio etiam ipse convictus sum, cùm similiter errarem, putans fidem qua in Deum credimus, non esse donum Dei, F sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter & justè & piè vivamus in hoc sæculo. Neque enim fidem putabam Dei gratiâ præveniri, ut per illam nobis daretur quod posceremus utiliter; nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis: ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, an- G te episcopatum meum scripta. In quibus est illud quod commemorastis in litteris * vestris, ubi est expositio quarumdam propositionum ex Epistola quæ est ad Romanos. Denique cùm mea cuncta opuscula retractarem, eamque retractationem stilo prosequerer, cujus operis jam duos absolveram libros, ante quàm scripta vestra prolixiora sumsissem, cùm ad hunc librum retractandum in primo * volumine pervenissem, sic inde locutus sum. (* Retract. lib. 1. c. 23. n. 3.) Item disputans, inquam, quid elegerit Deus in nondum nato, cui dixit serviturum esse majorem; & quid in eodem majore similiter nondum nato reprobaverit: de quibus propter hoc commemoratur, quamvis longè postea prolatum, propheticum testimonium, *Iacob dilexi, Esaü autem odio habui:* (Malac. 1. 2.) ad hoc perduxi ratiocinationem, ut dicerem, Non ergo elegit Deus opera cujusquam in præscientia, quæ ipse daturus est; sed fidem elegit in præscientia, ut quem sibi crediturum esse præscivit, ipsum [a] elegerit, cui Spiritum-sanctum daret, ut bona operando, etiam æternam vitam consequeretur. Nondum diligentiùs quæsiveram, nec adhuc inveneram, qualis sit electio gratiæ: de qua idem dicit Apostolus, *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* (Rom. 11. 5.) Quæ utique non est gratia, si eam merita ulla præcedant: ne jam quod datur, non secundùm gratiam, sed secundùm debitum, reddatur potiùs meritis, quàm donetur. Proinde quod continuò dixi, Dicit enim idem Apostolus, *Idem Deus qui operatur omnia in omnibus:* (1. Cor. 12. 6.) nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus: ac deinde subjunxi, Quòd [b] ergo credimus, nostrum est; quòd autem bonum operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum-sanctum: profectò non dicerem, si jam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu. Utrumque ergo nostrum est, propter arbitrium voluntatis: & utrumque tamen datum est per spiritum fidei & caritatis. Neque enim sola caritas; sed, sicut scriptum est, *Caritas cum fide à Deo Patre & Domino Iesu Christo.* (Ephes. 6. 23.) Et quod paulò pòst dixi, Nostrum est enim credere & velle; illius autem, dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum-sanctum, per quem caritas diffunditur in cordibus nostris: verum est quidem; sed eâdem regulâ, & utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem; (Prov. 8. sec. LXX.) & utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis. Ac per hoc quod etiam postea dixi, Quia neque velle possumus, nisi vocemur: & cùm post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat: ac deinde subjunxi, Manifestum est ergo, non volentis neque currentis, sed miserentis Dei esse quòd bene operamur: omnino verissimum est. Sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundùm propositum Dei: non enim omnium qui vocantur talis est, sed tantùm electorum. Itaque quod paulò pòst dixi, Sicut enim in his quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, ut per munus Dei [c] bene operentur; sic in his quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipsam pœnam etiam malè operentur: verissimè dixi, sed fidei meritum etiam ipsum esse donum Dei, nec putavi quærendum esse, nec dixi. Et alio loco: Cujus enim miseretur, inquam, facit eum bene

[a] In MSS. eligeret.
[b] Am. Er. & MSS. Quòd enim credimus.
[c] Hîc Am. Er. & plerique MSS. omittunt, bene.

[a] » operari; & quem obdurat, relinquit eum ut [a] ma-
» lè operetur: sed & illa misericordia præcedenti
» merito fidei tribuitur, & ista obduratio præce-
» denti iniquitati. Quod quidem verum est: sed
» adhuc quærendum erat, utrùm & meritum fi-
[b] » dei [b] de misericordia Dei veniat; id est, utrùm
» ista misericordia ideo tantummodo fiat in ho-
» mine, quia fidelis est; an etiam facta fuerit, ut fi-
1. Cor. 7. 25. » delis esset. Legimus enim dicente Apostolo, *Mi-*
» *sericordiam consecutus sum, ut fidelis essem*: non
» ait, quia fidelis eram. Fideli ergo datur quidem,
» sed data est etiam ut esset fidelis. Rectissimè ita-
» que alio loco in eodem libro dixi, Quoniam si
» non ex operibus, sed misericordiâ Dei & voca-
» mur ut credamus, & credentibus præstatur ut
» bene operemur, non est gentibus ista invidenda
» misericordia. quamvis minùs ibi diligenter de il-
» la, quæ per Dei propositum fit vocatione tra-
» ctaverim.

CAPUT IV.

8. VIDETIS certè quid tunc de fide atque operibus sentiebam, quamvis de commendanda gratia Dei laborarem: in qua sententia istos fratres nostros esse nunc video; quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum. Nam si curassent, invenissent istam quæstionem secundùm veritatem divinarum scripturarum solutam in primo libro duorum, quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi, episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, sancti Ambrosii successorem, in ipso exordio episcopatûs mei. Nisi fortè non eos noverunt: quòd si ita est, facite ut noverint. De hoc primo duorum illorum libro in secundo Retractationum primùm

Simplicianus Ambrosii in episcopatu Mediolanensi successor.

Lib. 2. Retract. cap. 1. » locutus sum, qui sermo meus ita se habet: Libro-
» rum, inquam, quos elaboravi episcopus, primi
» duo sunt ad Simplicianum Ecclesiæ Mediolanen-
» sis antistitem, qui beatissimo successit Ambro-
» sio, de diversis quæstionibus: quarum duas ex epi-
» stola Pauli apostoli ad Romanos in primum li-
» brum contuli. Harum prior est de eo quod scri-
Rom. 7. 7. » ptum est, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est?*
Ibid. 24. » *Absit*: usque ad illud ubi ait, *Quis me liberabit de*
» *corpore mortis hujus? Gratia Dei per Iesum Chri-*
» *stum Dominum nostrum.* In qua illa Apostoli ver-
Ibid. 14. » ba, *Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum*: &
» cetera, quibus caro contra spiritum confligere
» ostenditur, eo modo exposui, tamquam homo de-
» scribatur adhuc sub lege, nondum sub gratia con-
» stitutus. Longè enim postea, etiam spiritalis ho-
» minis (& hoc probabilius) esse posse illa verba
» cognovi. Posterior in hoc libro quæstio est ab eo
Rom. 9. 10. » loco ubi ait, *Non solùm autem, sed & Rebecca ex*
» *uno concubitu habens Isaac patris nostri*: usque ad
Ibid. 29. » illud ubi ait, *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis*
» *semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha*
» *similes fuissemus.* In cujus quæstionis solutione
» laboratum est quidem pro libero arbitrio volun-
» tatis humanæ: sed vicit Dei gratia; nec nisi ad
» illud potuit perveniri, ut liquidissima veritate
» dixisse intelligatur Apostolus, *Quis enim te dis-*
» *cernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si au-*
» *tem & accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*
» Quod volens etiam martyr Cyprianus ostendere,

A hoc totum ipso titulo definivit, dicens, *In nullo* «
gloriandum, quando nostrum nihil sit. Ecce quare
dixi superiùs, hoc apostolico præcipuè testimo-
nio etiam me ipsum fuisse convictum: cùm de
hac re aliter saperem; quam mihi Deus in hac
quæstione solvenda, cùm ad episcopum Simpli-
cianum, sicut dixi, scriberem, [c] revelavit. Hoc [c]
igitur Apostoli testimonium, ubi ad reprimen-
dam hominis inflationem dixit, *Quid enim habes* 1. Cor. 4. 7.
quod non accepisti? non sinit quemquam fidelium
B dicere, Habeo fidem quam non accepi. Repri-
mitur omnino his apostolicis verbis tota hujus
responsionis elatio. Sed ne hoc quidem potest
dici: Quamvis non habeam perfectam fidem,
habeo tamen ejus initium, quo in Christum pri-
mitus credidi. Quia & hîc respondetur: *Quid*
autem habes quod non accepisti? Si autem & acce-
pisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

CAPUT V. Suprà in epistola Hilarii, n. 4. 1. Cor. 4. 7.

9. ILLUD verò quod putant, *de hac fide*
ideo non posse dici, Quid enim habes quod non ac-
C *cepisti; quia in eadem natura remansit, licèt vitia-*
ta, quæ priùs sana ac perfecta donata sit: nihil ad
id quod volunt valere intelligitur, si cur hoc Apo-
stolus dixerit cogitetur. Agebat enim, ne quis-
quam gloriaretur in homine; quoniam dissensio-
nes exortæ fuerant inter Corinthios Christianos,
ita ut unusquisque diceret, *Ego quidem sum Pau-* 1. Cor. 1. 12.
li, alius autem, ego Appollo; alius verò, ego Cephæ:
& inde ventum est, ut diceret, *Stulta mundi ele-* Ibid. 27.
git Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi
D *elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mun-*
di & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt
tamquam sint, ut quæ sunt evacuet; ut non glorie-
tur coram Deo omnis caro. Hîc certè contra hu-
manam superbiam satis clara est Apostoli inten-
tio, ne in homine quisquam glorietur, ac per hoc
nec in se ipso. Denique cùm dixisset, *ut non glo-*
rietur coram Deo omnis caro: ut ostenderet in quo Ibidem 30.
debeat homo gloriari, mox addidit, *Ex ipso autem,*
vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia
E *à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemtio: ut* Ierem. 9. 23.
quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domi-
no glorietur: inde pervenit ista ejus intentio, ut 1. Cor. 3. 3. & seq.
postea increpans dicat, *Adhuc enim carnales estis:*
cùm enim sint inter vos æmulatio & contentio, non-
ne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?
Cùm enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli, alius
autem, ego Apollo; nonne homines estis? Quid ergo
est Apollo, quid autem Paulus? Ministri per quos
credidistis: & unicuique sicut Dominus dedit. Ego
F *plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum de-*
dit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque
qui rigat: sed qui incrementum dat Deus. Videtis-
ne nihil agere Apostolum, nisi ut humilietur ho-
mo, & exaltetur Deus solus? Quando quidem in
eis qui plantantur & rigantur, nec ipsum plan-
tatorem & rigatorem dicit esse aliquid, sed qui
incrementum dat, Deum: quamvis & hoc ipsum
quod ille plantat, hic rigat, non ipsis, sed Do-
G mino tribuat, dicens, *Vnicuique sicut Dominus de-*
dit, ego plantavi, Apollo rigavit. Hinc ergo in
eadem intentione persistens, ad hoc venit ut
diceret, *Itaque nemo glorietur in homine.* Jam enim 1. Cor. 3. 21.

[a] Am. Er. & plerique MSS. *ut mala operetur.*
b Sic Vatic. & Gallic. MSS. hoc loco, & lib. 1. Retract. c. 23. At editiones Am. & Er. *meritum fidei misericordiam Dei præveniat.* Lov. *meritum fidei misericordia Dei præveniat.*

[c] Revelatum id sibi à Deo dicit; quia non ingenio & sagacitati suæ, sed divinæ gratiæ adjutorio tribuendum sentit, quòd hoc ipsum de quo aliter sapiebat, considerato adtentiùs Apostoli testimonio tandem intellexerit.

[1. Cor. 1. 31.] dixerat, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Post A hæc & alia nonnulla quæ his connectuntur, ad hoc perducitur eadem ipsa ejus intentio, ut dicat, [1. Cor. 4. 6.] *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo propter vos, ut in nobis discatis, ne supra quàm scriptum est unus pro altero infletur adversùs alterum. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*

10. In hac Apostoli evidentissima intentione, qua contra humanam superbiam loquitur, ne B quisquam in homine, sed in Domino glorietur, dona Dei naturalia suspicari, sive ipsam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata est, sive vitiatæ naturæ qualescumque reliquias, nimis, quantum existimo, absurdum est. Numquid enim per hæc dona quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus? Hîc autem priùs dixit, *Quis enim te discernit?* & deinde addidit, *Quid autem habes quod non accepisti?* Posset quip- C pe dicere homo inflatus adversùs alterum, Discernit me fides mea, justitia mea, vel si quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus doctor, *Quid autem habes*, inquit, *quod non accepisti?* A quo, nisi ab illo qui te discernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi? *Si autem & accepisti*, ait, *quid gloriaris quasi non acceperis?* Num, quæso, agit aliud, nisi ut qui gloriatur, in Domino glorietur? Nihil autem huic sensui tam contrarium est, quàm de suis meritis sic quem- D quam gloriari, tamquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei: sed gratia quæ bonos discernit à malis, non quæ communis est bonis & malis. [Gratia Dei ea propriè est quæ bonos à malis discernit.] Sit ergo gratia naturæ adtributa, qua sumus animantia rationalia, discernimurque à pecoribus: sit etiam gratia naturæ adtributa, qua in ipsis hominibus à deformibus pulcri, vel ingeniosi discernuntur à tardis, ac si quid ejusmodi est: sed non se ille, quem coërcebat Apostolus, adversùs pecus inflabat, nec adversùs hominem alte- E rum de aliquo naturali munere quod inesse posset & pessimo: sed aliquod bonum quod pertineret ad vitam bonam, sibi non Deo tribuens inflabatur, quando audire meruit, *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* Ut enim sit naturæ, fidem posse habere; numquid & habere? [2. Thess. 3. 2.] *Non enim omnium est fides*; cùm fidem posse habere sit omnium. Non autem ait Apostolus, Quid autem potes habere, quod non accepisti ut posses habere: sed ait, *Quid autem ha-* F *bes quod non accepisti?* Proinde [a] posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratiæ est fidelium. [a Posse habere fidem vel caritatem naturæ est hominum: habere autem, gratiæ fidelium.] Illa itaque natura, in qua nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem: ipsa verò fides discernit ab infideli fidelem. Ac per hoc ubi dicitur, *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* quisquis audet dicere, Habeo ex me ipso fidem, non ergo accepi: G profectò contradicit huic apertissimæ veritati:

non quia credere vel non credere non est in arbi- A trio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Domino. [Prov. 8. sec. LXX.] Ideo ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est, pertinet, *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?*

CAPUT VI.

11. *Multi audiunt verbum veritatis: sed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi.* Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino; discernendum est utique quid [b] ve- B niat de misericordia ejus, quid de judicio. [Rom. 11. 7.] *Quod quærebat Israël*, ait Apostolus, *hoc non est consecutus: electio autem consecuta est: ceteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est*, [Isa. 6. 9.] *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque in hodiernum diem. Et David dicit*, [Psal. 68. 23.] *Fiat mensa eorum in laqueum & in retributionem & in scandalum illis: obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva.* Ecce misericordia & judicium: misericordia in C [c] electionem quæ consecuta est justitiam Dei; judicium verò in ceteros qui excæcati sunt: & tamen illi [d] quia voluerunt, crediderunt; illi quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur & judicium in ipsis voluntatibus facta sunt. Electio quippe ista gratiæ est, non utique meritorum. Superiùs enim dixerat, [Rom. 11. 5.] *Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* Gratis ergo con- D secuta est, quod consecuta est electio: non præcessit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis: [Ibid. 35.] pro nihilo salvos fecit eos. [Psal. 55. 8.] Ceteris autem qui excæcati sunt, sicut ibi non tacitum est, in [e] retributione factum est. [Psal. 24. 10.] *Universæ viæ Domini misericordia & veritas. Investigabiles* sunt autem *viæ ejus.* [Rom. 11. 33.] Investigabiles igitur sunt, & misericordia qua gratis liberat, & veritas qua justè judicat.

CAPUT VII.

12. SED forsitan dicant, *Ab operibus fidem distinguit Apostolus: gratiam verò non ex operibus* E *esse dicit; non autem dicit, quòd non sit ex fide.* Ita verò est: sed ipsam quoque fidem opus Dei dicit esse Jesus, & hanc ut operemur jubet. Dixerunt enim ad eum Judæi, [Iohan. 6. 28.] *Quid faciemus, ut operemur [f] opus Dei? Respondit Iesus & dixit illis, Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Sic ergo distinguit Apostolus ab operibus fidem, quemadmodum in duobus regnis Hebræorum distinguitur Judas ab Israël, cùm & ipse Judas sit Israël. Ex fide autem ideo dicit justificari [Gal. 2. 16.] F hominem, non ex operibus; quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus justè vivitur. [Ex fide justificari nos, cur potiùs dixerit Apostolus, quàm ex operibus.] Nam dicit etiam ipse, [Ephes. 2. 8.] *Gratiâ salvi estis facti per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est*: id est, & quod dixi *per fidem*, non ex vobis, sed Dei donum est etiam fides. [Ibid. 9.] *Non ex operibus*, inquit, *ne fortè quis extollatur.* Solet enim dici, Ideo credere meruit, quia vir bonus erat & ante quàm crederet. Quod de Cornelio dici potest, cujus [Act. 10. 4.] G acceptæ sunt eleemosynæ & exauditæ orationes ante quàm credidisset in Christum: nec tamen

[a] Inde Bernardus in libro de gratia & libero arbitrio cap. 1. *Deus auctor est salutis, liberum arbitrium tantùm capax.* Confer lib. 2. de vocatione gentium cap. 1. & Fulgent. lib. de incarnatione & gratia D. N. J. C. cap. 22. 23. & 24.

[b] MSS. Gallici & Vaticani, *eveniat.*

[c] Editi, *in electione.* Meliùs MSS. *in electionem*, id est, in electos. Sic postea in accusandi casu legitur, *in ceteros.*

[d] Vaticani MSS. *qui voluerunt*: & infrà, *qui noluerunt.* Am. & Er. hoc posteriore loco habent, *quia*: sed priore tamen, *qui.*

[e] Noalliensis MS. *in retributionem.*

[f] Sic omnes prorsus MSS. At editi, *opera Dei.*

A sine aliqua fide donabat & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus apostolus Petrus: quamvis *nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam.* Et dicitur nobis, *Fides est à nobis, cetera à Domino ad opera justitiæ pertinentia:* quasi ad ædificium non pertineat fides; quasi ad ædificium, inquam, non pertineat fundamentum. Quòd si in primis & maximè pertinet, in vanum laborat prædicando

Rom. 10. 14.

Psal. 126. 1.

Fides ædificii spiritualis fundamentum.

B ædificans fidem, nisi eam Dominus miserando intus ædificet. Quidquid igitur & ante quàm in Christum crederet, [a] & cùm crederet, & cùm credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne fortè quis extollatur.

CAPUT VIII.

13. PROINDE ipse unus Magister & Dominus, cùm dixisset quæ suprà memoravi, *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille:* in eodem ipso sermone suo paulò pòst ait, *Dixi vobis, quia & vidistis me, & non credidistis. Omne*

Iohan. 6. 29.

Ibidem 36.

C *quod dat mihi Pater, ad me veniet.* Quid est, *ad me veniet*, nisi credet in me? Sed ut fiat, Pater dat. Item paulò pòst, *Nolite*, inquit, *murmurare invicem: nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: & ego eum resuscitabo in novissimo die. Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Quid est, *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me*, nisi, nullus est qui audiat à Patre & discat, & non ve-

Ibid. 44.

Isaiæ 54. 13.

D niat ad me? Si enim omnis qui audivit à Patre & didicit, venit: profectò omnis qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit: nam si audisset & didicisset, veniret. Neque enim ullus audivit & didicit, & non venit: sed omnis, ut ait Veritas, qui audivit à Patre & didicit, venit. Valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Pater auditur & docet, ut veniatur ad Filium.

Schola Dei Patris valde occulta.

E Ibi est & ipse Filius; quia ipse est Verbum ejus, per quod sic docet; nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis. Simul ibi est & Spiritus Patris & Filii: neque enim ipse non docet, aut separatim docet: inseparabilia quippe didicimus esse opera Trinitatis. Et ipse est utique Spiritus-sanctus, de quo Apostolus dicit, *Habentes autem eumdem Spiritum fidei.* Sed ideo Patri hoc potissimùm est adtributum, quia de ipso est genitus Unigenitus, & de ipso procedit Spiritus-sanctus:

2. Cor. 4. 13.

F unde longum est enucleatiùs disputare, & de Trinitate quæ Deus est laborem nostrum in quindecim libris ad vos jam existimo pervenisse. Valde, inquam, remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Deus auditur & docet. Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Christum: sed ubi & quomodo à Patre audierint hoc & didicerint, non videmus.

De Trinitate libri 15.

G Nimiùm gratia ista secreta est: gratiam verò esse quis ambigat? Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo Pater intus auditur & docet, ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum,

Divinæ gratiæ potentia & energia.

Ezech. 11. 19.

sicut Prophetâ prædicante promisit. Sic quippe facit filios promissionis, & vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.

14. Cur ergo non omnes docet, ut veniant ad Christum; nisi quia omnes quos docet, misericordiâ docet; quos autem non docet, judicio non docet? Quoniam *cujus vult miseretur, & quem vult obdurat:* sed miseretur, bona tribuens; obdurat, digna retribuens. Aut si & ista, ut quidam distinguere maluerunt, verba sunt ejus cui Apostolus, ait, *Dicis itaque mihi:* ut ipse dixisse accipiatur, *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult obdurat:* & quæ sequuntur, id est, *Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit?* Numquid responsum est ab Apostolo, O homo, falsum est quod dixisti? [b] Non: sed responsum est, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa*, & sequentia, quæ optimè nostis. Et tamen secundùm quemdam modum, omnes Pater docet venire ad suum Filium. Non enim frustra scriptum est in Prophetis, *Et erunt omnes docibiles Dei.* Quod testimonium cùm præmisisset, tunc subdidit, *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Sicut ergo integrè loquimur, cùm de aliquo litterarum magistro, qui in civitate solus est, dicimus, Omnes iste hîc litteras docet; non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicumque ibi litteras discit: ita rectè dicimus, Omnes Deus docet venire ad Christum; non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit. Cur autem non omnes doceat, aperuit Apostolus, quantum aperiendum judicavit: quia *volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, adtulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, & ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Hinc est quòd *verbum crucis pereuntibus stultitia est; his autem qui salvi fiunt, virtus Dei est.* Hos omnes docet venire ad Christum Deus; hos [c] enim omnes vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Nam si & illos quibus stultitia est verbum crucis, ut ad Christum venirent, docere voluisset, procul dubio venirent & ipsi. Non enim fallit aut fallitur qui ait, *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Absit ergo ut quisquam non veniat, qui à Patre audivit & didicit.

Cur non omnes docet Pater, ut veniant ad Christum.

Rom. 9. 18.

Ibid. 19.

Ibid. 20.

Omnes doceri ut veniant, quo sensu rectè dicatur.

Iohan. 6. 45.

Similè. V. lib. 1. de peccatorum meritis 6. 28.

Rom. 9. 22.

1. Cor. 1. 18.

1. Tim. 2. 4.

15. *Quare*, inquiunt, *non omnes docet?* Si diximus, quia nolunt discere quos non docet: respondebitur nobis, Et ubi est quod ei dicitur, *Deus tu convertens vivificabis nos?* Aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, ut quid orat Ecclesia secundùm præceptum Domini pro persecutoribus suis? Nam sic etiam voluit intelligi sanctus Cyprianus quod dicimus, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra:* hoc est, sicut in eis qui jam crediderunt, & tamquam cælum sunt; ita & in eis qui non credunt, & ob hoc adhuc terra sunt. Quid ergo oramus pro nolentibus credere, nisi ut Deus in illis operetur & velle? De Judæis certè Apostolus ait, *Fratres, bona voluntas quidem cordis mei, & deprecatio ad Deum pro illis*

Psal. 84. 7.

Matth. 5. 44.

Cyprian. de Orat. Domin.

Matth. 6. 10.

Philipp. 2. 13.

Rom. 10. 1.

[a] Lovanienses expunxerunt, *& cùm crederet*, ut superfluum. Habetur non tantùm in antiquioribus editis Am. & Er. sed etiam in Vatic. MSS. & pluribus ex Gallic.

[b] Omnes MSS. omittunt, *Non.*

[c] Hîc addimus *enim*: quia MSS. omnes id habent.

fit

[a] *fit in salutem.* Orat pro non credentibus, quid, nisi ut credant? Non enim aliter consequuntur salutem. Si ergo fides orantium Dei prævenit gratiam: numquid eorum fides, pro quibus oratur ut credant, Dei prævenit gratiam? Quando quidem hoc pro eis oratur, ut non credentibus, id est, fidem non habentibus, fides ipsa donetur. Cùm igitur Evangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt: sed qui credunt prædicatore forinsecus insonante, intus à Patre audiunt atque discunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt neque discunt: hoc est, illis datur ut credant, illis non datur. Quia *nemo*, inquit, *venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Quod apertiùs postea dicitur. Nam post aliquantum cùm de carne sua manducanda & bibendo sanguine suo loqueretur, & dicerent quidam etiam discipulorum ejus, *Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciens Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis, Hoc vos scandalizat?* Et paulò pòst, *Verba*, inquit, *quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: sed sunt quidam ex vobis qui non credunt.* Et mox Evangelista, *Sciebat enim*, inquit, *ab initio Jesus qui essent credentes, & quis traditurus esset eum, & dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Ergo trahi à Patre ad Christum, & audire ac discere à Patre ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quàm donum accipere à Patre, quo credat in Christum. Neque enim audientes Evangelium à non audientibus, sed credentes à non credentibus discernebat qui dicebat, *Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.*

(Joan. 6. 44. — Ibid. 61. — Trahi, audire, & discere à Patre.)

16. Fides igitur, & inchoata, & perfecta, donum Dei est: & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes isse in condemnationem, sine dubitatione justissimam: ita ut nulla Dei esset justa reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Unde constat magnam esse gratiam, quòd plurimi liberantur, & quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur agnoscunt: ut qui gloriatur, non in suis meritis, quæ paria videt esse damnatis, sed in Domino glorietur. Cur autem istum potiùs quàm illum liberet, inscrutabilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus. Meliùs enim & hîc audimus aut dicimus, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* quàm dicere audemus, quasi noverimus, quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid injustum velle non potuit.

(Hic apud Am. & Er. incipit Caput IX. Fidei donū cur non omnibus detur.)

17. ILLUD autem quod in opusculo * meo quodam contra Porphyrium sub titulo, De tempore Christianæ religionis, me dixisse, recolitis, ita dixi, ut hanc diligentiorem & operosiorem disputationem de gratia præterirem, non sanè omissa significatione, quòd eam loco illo explicare noluissem, quæ posset aliàs vel [b] ab aliis explicari. Nam ita locutus sum inter cetera, respondens propositæ quæstioni, Cur Christus post tam longa tempora venerit. Proinde, inquam, cùm Christo non objiciant, quòd ejus doctrinam non omnes sequuntur, (sentiunt enim & ipsi, nequaquam hoc rectè objici posse, vel sapientiæ philosophorum, vel etiam numini deorum suorum,) quid respondebunt, si excepta illa altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, ubi fortassis aliud divinum consilium longè secretius latet, sine præjudicio etiam aliarum fortè caussarum, quæ à prudentibus vestigari queunt, hoc solum eis brevitatis gratiâ in hujus quæstionis disputatione dicamus, tunc voluisse hominibus apparere Christum & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri. His enim temporibus & his locis quibus Evangelium ejus non est prædicatum, tales omnes in ejus prædicatione futuros esse præsciebat, quales, non quidem omnes, sed tamen multi in ejus corporali præsentia fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis, credere voluerunt; quales etiam nunc multos videmus, cùm tantâ manifestatione de illo compleantur præconia Prophetarum, nolle adhuc credere, & malle humanâ astutiâ resistere, quàm tam claræ atque perspicuæ, tamque sublimi & sublimiter diffamatæ divinæ cedere auctoritati, quamdiu parvus & infirmus est intellectus hominis divinæ [c] accedere veritati. Quid ergo mirum, si tam infidelibus [d] plenum orbem terrarum Christus prioribus sæculis noverat, ut eis apparere vel prædicari meritò nollet, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat? Neque enim incredibile est, tales fuisse tunc omnes, quales ab ejus adventu usque ad hoc tempus tam multos fuisse atque esse miramur. Et tamen ab initio generis humani, aliàs occultiùs, aliàs evidentiùs, sicut congruere temporibus divinitus visum est, nec prophetari destitit, nec, qui in eum crederent defuerunt: & ab Adam usque ad Moysen, & in ipso populo Israël, quæ speciali quodam mysterio gens prophetica fuit; & in aliis gentibus ante quàm venisset in carne. Cùm enim nonnulli commemorantur in sanctis Hebraicis libris, jam ex tempore Abrahæ, nec de stirpe carnis ejus, nec ex populo Israël, nec ex adventitia societate in populo Israël, qui tamen hujus sacramenti participes fuerunt: cur non credamus etiam in ceteris hàc atque illàc gentibus [e] aliàs alios fuisse, quamvis eos commemoratos in eisdem auctoritatibus non legamus? Ita salus religionis hujus, per quam solam veram salus vera veraciterque promittitur, nulli umquam defuit qui dignus fuit; & cui defuit, dignus non fuit. Et ab exordio propagationis humanæ usque in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad judicium prædicatur. Ac per hoc & quibus omnino annuntiata non est, non credituri præsciebantur; & quibus non credituris tamen annuntiata est, in illorum exemplum demonstrantur: quibus autem credituris annuntiatur, hi regno cælorum & sanctorum angelorum societati præparantur.

18. Cernitisne, me sine præjudicio latentis

[a] Omnes propè MSS. omittunt, *fit.*
[b] Sex MSS. *quæ posset aliàs vel aliis explicari.*
[c] Am. & Er. *divinæ accedere veritati non poterit.* Lov. *divinæ debet accedere veritati* At MSS. Vaticani & Gallici nec *debet* habent, nec *non poterit.* Præferendi videntur ipsi etiam editioni Lov. quam in 2. tomo secuti sumus
[d] Tres MSS. *pleno orbe terrarũ Christus prioribus sæculis non venerat.*
[e] Sic MSS. At editi, *alios atque alios fuisse.*

consilii Dei aliarumque caussarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videretur? Quid enim est verius, quàm præscisse Christum, qui & quando & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrùm prædicato sibi Christo à se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumturi, id est, utrùm tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere atque differere tunc necessarium non putavi. Proinde quod dixi, *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri*: potest etiam sic dici, Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem. Sed quoniam si ita diceretur, lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosiùs & laboriosiùs disputari; visum mihi est, quod tunc satis erat, breviter esse dicendum, exceptâ, ut dixi, altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, & sine præjudicio aliarum caussarum de quibus non tunc, sed [a] aliàs opportuniùs disputandum putavi.

Ephes. 1. 4.

CAPUT X.

19. ITEM quod dixi, *Salutem religionis hujus nulli umquam defuisse qui dignus fuit, & dignum non fuisse cui defuit*: si discutiatur & quæratur unde quisque sit dignus, non desunt qui dicant, voluntate humana: nos autem dicimus, gratiâ vel prædestinatione divinâ. Inter gratiam porrò & prædestinationem hoc tantùm interest, quòd prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò jam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus, *Non ex operibus, ne fortè quis extollatur, ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis*; gratia est: quod autem sequitur, *quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*; prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus: unde dictum est, *Fecit quæ futura sunt*. Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit; sicut quæcumque peccata: quia etsi sunt quædam, quæ ita peccata sunt, ut pœnæ sint etiam peccatorum, unde dictum est, *Tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt*; non ibi peccatum Dei est, sed judicium. Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, præparatio: gratia verò est ipsius prædestinationis effectus. Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium, dicens, *Patrem multarum gentium posui te*: unde dicit Apostolus, *Ideo ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini*: non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines. Quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum; ipse facit ut illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit: alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate; & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ. Non autem sic credidit Abraham, sed *credidit dans gloriam Deo, quoniam quæ promisit, potens est & facere*: non ait, prædicere; non ait, præscire; nam & aliena facta potest prædicere atque præscire: sed ait, *potens est & facere*; ac per hoc facta, non aliena, sed sua.

Prædestinatio & gratia quo differant.

Ephes. 2. 9

Præscientia sine prædestinatione, non sine præscientia prædestinatio.

Isai. 45. sec. LXX.

Rom. 1. 28.

Gen. 17. 5.

Rom. 4. 16.

Ibidem 20.

20. An fortè opera bona gentium Deus promisit Abrahæ in semine ipsius, ut hoc promitteret quod ipse facit; non autem promisit fidem gentium, quam sibi homines faciunt; sed ut promitteret quod ipse facit, illam præscivit homines esse facturos? Non quidem loquitur sic Apostolus: filios quippe promisit Deus Abrahæ, qui fidei ejus vestigia sectarentur: quod apertissimè dicit. Sed si opera gentium promisit, non fidem; profectò quoniam non sunt bona opera nisi ex fide, (*Iustus* enim *ex fide vivit*; &, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; &, *Sine fide impossibile est placere* [b]:) nihilo minùs ut impleat quod promisit Deus, in hominum est potestate. Nisi enim homo faciat quod Deo non donante ad hominem pertinet, non faciet ipse quod donet: hoc est, nisi habeat homo fidem ex semetipso, non implet Deus quod promisit, ut opera justitiæ dentur ex Deo. Ac per hoc, ut promissa sua Deus possit implere, non est in Dei, sed in hominis potestate. Quod si veritas & pietas nos credere vetat: credamus cum Abraham, quoniam quæ promisit, potens est & facere. Promisit autem filios Abrahæ; quod esse non possunt, si non habeant fidem: ergo ipse donat & fidem.

Habac. 2. 4. Rom. 14. 23. Heb. 11. 6.

Rom. 4. 21.

CAPUT XI.

21. SANE cùm Apostolus dicat, *Ideo ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio*: miror homines infirmitati suæ se malle committere, quàm firmitati promissionis Dei. *Sed incerta est mihi*, inquis, *de me ipso voluntas Dei*. Quid ergo, tuane tibi voluntas de te ipso certa est, nec times, *Qui videtur stare, videat ne cadat*? Cùm igitur utràque incerta sit, cur non homo firmiori quàm infirmiori fidem suam, spem, caritatemque committit?

Ibidem 16.

Firmitas promissionis Dei.

1. Cor. 10. 12.

22. *Sed cùm dicitur*, inquiunt, *Si credideris, salvus eris: unum horum exigitur, alterum offertur. Quod exigitur, in hominis; quod offertur, in Dei* [c] *est potestate*. Cur non utrumque in Dei, & quod jubet, & quod offert? Rogatur enim ut det quod jubet: rogant credentes, ut sibi augeatur fides; rogant pro non credentibus, ut eis donetur fides: & in suis igitur incrementis, & in suis initiis Dei donum est fides. Sic autem dicitur, *Si credideris, salvus eris*: quemadmodum dicitur, *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*. Nam & hîc ex his duobus unum exigitur, alterum offertur. *Si spiritu*, inquit, *facta carnis mortificaveritis, vivetis*. Ut ergo spiritu facta carnis mortificemus, exigitur: ut autem vivamus, offertur. Num igitur placet, ut facta carnis mortificare non donum Dei esse dicamus; neque id donum Dei esse fateamur, quoniam exigi audimus à nobis præmio vitæ, si hoc fecerimus, oblato? Absit, ut hoc placeat participibus & defensoribus gratiæ. Pelagianorum est error iste damnabilis: quo-

Suprà in epist. Hilarii, n. 2. Rom. 10. 9.

Rom. 8. 13.

[a] Hîc nostri omnes MSS. omittunt, *aliàs*.

[b] Editi, *placere Deo*. Abest *Deo* à MSS. & à Græco textu Apostoli, & passim omittitur ab Augustino.

[c] Ita MSS. At Lov. *in Dei est, & quod jubetur, & quod offertur?*

Ibidem 14. rum mox Apoſtolus ora obſtruxit, adjungens, *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei*: ne facta mortificare nos carnis, non per Dei, ſed per noſtrum ſpiritum crederemus. De quo Dei Spiritu etiam ibi loquebatur, ubi ait, (1. Cor. 12. 11.) *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult.* Inter quæ omnia ſicut ſcitis, nominavit & fidem. Sicut ergo quamvis donum Dei ſit, facta carnis mortificare; exigitur tamen à nobis propoſito præmio vitæ: ita donum Dei eſt & fides, quamvis & ipſa cùm dicitur, *Si credideris, ſalvus eris*; propoſito præmio ſalutis exigatur à nobis. Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei eſſe monſtrantur; ut intelligatur quòd & nos ea facimus, & Deus facit ut illa faciamus, ſicut per Prophetam Ezechielem apertiſſimè dicit. (Ezech. 36. 27.) Quid enim apertius, quàm ubi dicit, *Ego faciam ut faciatis?* Locum ipſum Scripturæ [a] adtendite: & videbitis illa Deum promittere facturum ſe ut faciant, quæ jubet ut fiant. Non ſanè ibi tacet merita eorum, ſed mala; quibus ſe oſtendit reddere pro malis bona, hoc ipſo quo eos facit habere deinceps opera bona, cùm ipſe facit ut faciant divina mandata.

CAPUT XII. Gratiæ ac prædeſtinationis exempla præclara in parvulis & in Chriſto.

23. SED omnis hæc ratio, qua defendimus gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, verè eſſe gratiam, id eſt, non ſecundùm merita noſtra dari, quamvis evidentiſſimè divinorum eloquiorum teſtimoniis aſſeratur; tamen apud eos, qui niſi aliquid ſibi aſſignent, quod priores dent ut retribuatur eis, (Rom. 11. 35.) ab omni ſtudio pietatis reprimi ſe putant, [b] laborat aliquantùm in ætate majorum jam utentium voluntatis arbitrio: ſed ubi venitur ad parvulos, & ad ipſum Mediatorem Dei & hominum, (1. Tim. 2. 5.) hominem Chriſtum Jeſum, omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum aſſertio meritorum: quia nec illi ullis bonis præcedentibus meritis diſcernuntur à ceteris, ut pertineant ad liberatorem hominum; nec ille ullis humanis præcedentibus meritis, cùm & ipſe ſit homo, liberator factus eſt hominum.

24. Quis enim audiat, quòd dicuntur * parvuli pro ſuis futuris meritis in ipſa infantili ætate baptizati exire de hac vita; & ideo alii non baptizati in eadem ætate mori, quia & ipſorum præſcita ſunt merita futura, ſed mala; non eorum vitam bonam vel malam Deo remunerante vel damnante, [c] ſed nullam? Apoſtolus quidem limitem fixit, quem tranſgredi non debeat hominis, ut mitiùs loquar, incauta ſuſpicio. Ait enim, (2. Cor. 5. 10.) *Omnes adſtabimus ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque ſecundùm ea quæ per corpus geſſit, ſive bonum, ſive malum: geſſit*, inquit; non adjunxit, vel geſturus fuit. Sed unde hoc talibus viris in mentem venerit neſcio, ut futura quæ non ſunt futura, puniantur aut honorentur merita parvulorum. Cur autem dictum eſt, ſecundùm ea quæ per corpus geſſit hominem judicandum, cùm gerantur multa ſolo animo, non per corpus, nec per ullum corporis membrum; & plerumque tam magna, ut talibus cogitationibus pœna juſtiſſima debeatur: ſicuti eſt, ut alia taceam, quòd *dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus?* (Pſal. 13. 1.) Quid eſt ergo, *ſecundùm ea quæ per corpus geſſit*: niſi ſecundùm ea quæ geſſit eo tempore quo in corpore fuit, ut *per corpus* intelligamus per corporis tempus? Poſt corpus autem nemo erit in corpore, niſi reſurrectione noviſſima; non ad ulla merita comparanda, ſed ad recipienda pro bonis meritis præmia, pro malis luenda ſupplicia. Hoc autem medio tempore inter depoſitionem & receptionem corporis, ſecundùm ea quæ geſſerunt per corporis tempus, ſive cruciantur animæ, ſive requieſcunt. Ad quod tempus corporis pertinet etiam quod Pelagiani negant, ſed Chriſti Eccleſia confitetur, originale peccatum: quo ſive ſoluto per Dei gratiam, ſive per Dei judicium non ſoluto, cùm moriuntur infantes, aut merito regenerationis tranſeunt ex malis ad bona, aut merito originis tranſeunt ex malis ad mala. Hoc catholica fides novit: in hoc etiam nonnulli hæretici ſine ulla contradictione conſentiunt. Judicari autem quemquam non ſecundùm merita quæ habuit quamdiu fuit in corpore, ſed ſecundùm merita quæ fuerat habiturus ſi diutius vixiſſet in corpore, unde opinari potuerint homines, quorum ingenia non eſſe contemtibilia veſtræ indicant litteræ, mirans & ſtupens reperire non poſſum: nec credere auderem, niſi vobis non credere non auderem. Sed ſpero adfuturum Deum, ut commoniti citò videant, ea quæ dicuntur futura fuiſſe peccata, ſi per Dei judicium in non baptizatis poſſunt jure puniri, etiam per Dei gratiam baptizatis poſſe dimitti. Quicumque enim dicit, puniri tantùm poſſe Deo judicante futura peccata, dimitti autem Deo miſerante non poſſe, cogitare debet quantam Deo faciat gratiæque ejus injuriam; quaſi futurum peccatum prænoſci poſſit, nec poſſit ignoſci. Quod ſi abſurdum eſt: magis ergo futuris, ſi diu viverent, peccatoribus, cùm in parva ætate moriuntur, lavacro quo peccata diluuntur, debuit ſubveniri.

CAPUT XIII.

25. QUOD ſi forſitan dicunt, pænitentibus peccata dimitti; & ideo iſtos non baptizari in parvula ætate morientes, quia præſciti ſunt pænitentiam ſi viverent non acturi; eos autem qui baptizantur, & parvuli de corporibus exeunt, Deum præſciſſe acturos pænitentiam fuiſſe, ſi viverent: adtendant & videant, ſi ita eſt, non jam in parvulis ſine baptiſmate morientibus peccata originalia vindicari, ſed ſua cujuſque futura ſi viveret: itemque baptizatis non originalia dilui, ſed ſua futura ſi viverent; quoniam non [d] poſſent niſi in majore ætate peccare: ſed alios acturos pænitentiam, alios non acturos fuiſſe prævisos; ideo alios baptizatos, alios ſine baptiſmo exiſſe de hac vita. Hoc ſi auderent Pelagiani, non jam laborarent negando originale peccatum, quærere parvulis extra regnum Dei neſcio cujus ſuæ felicitatis locum: maximè quando convincuntur non eos habere poſſe vitam æternam, quia non manducaverunt carnem nec biberunt ſanguinem Chriſti; (Johan. 6. 54.) & quia in eis, qui nullum

[Margin notes: a Suprà in epiſt. Proſperi n. 5. Neminem judicari ſecundùm ea quæ, ſi diutius vixiſſet, facturus fuerat.]

[a] Hîc in editis additur, *fratres cariſſimi*. Abeſt à MSS.
[b] Editi, *laboratur aliquando*. At MSS. *laborat aliquantùm*, ſive *aliquantò*. Refertur *laborat* ad ſuperiora verba, *Sed omnis hæc ratio.*
[c] Editi, *vel damnante?* Tum inde ſententiam ſequentem inchoant hoc modo: *Sed nullum Apoſtolus quidem limitem fixit.* Emendatur ex MSS. fide, quorum lectionem probant manifeſtè Lovanienſes in annotationibus, ubi monent, *nullam* illic appellari vitam infantum, quæ futura ſomniatur, ſi ſupervixiſſent.
[d] MSS. *quoniam non poſſet niſi in majore ætate peccari.* Et infrà loco, *fuiſſe prævisos*; habent, *fortaſſe prævisos.* Non omnia hîc ſatis cohærent: quia fortè verba nonnulla è margine irrepſerunt in textum.

habent omnino peccatum, falsus est baptismus A qui in remissionem traditur peccatorum. Dicerent enim prorsus nullum esse originale peccatum, sed pro suis futuris, si viverent, meritis vel baptizari vel non baptizari eos qui de corpore solvuntur infantes; & pro suis futuris meritis eos vel accipere vel non accipere corpus & sanguinem Christi, sine quo vitam prorsus habere non possunt: & in veram remissionem peccatorum baptizari, quamvis nullum ex Adam traherent; quoniam remittuntur eis peccata, de B quibus illos Deus pænitentiam præscivit acturos. Ita facillimè agerent atque obtinerent caussam suam, qua negant esse originale peccatum, & gratiam Dei non dari nisi secundùm merita nostra contendunt. Sed quia hominum futura, quæ non sunt futura, procul dubio nulla sunt merita, & hoc videre facillimum est: ideo nec Pelagiani hoc dicere potuerunt; & multo magis nec isti dicere debuerunt. Dici enim non potest, quàm molestè feram, quod viderunt Pelagiani C esse falsissimum & absurdissimum, hoc non vidisse istos, qui nobiscum errorem illorum hæreticorum catholica auctoritate condemnant.

CAPUT XIV.

26. SCRIPSIT librum de mortalitate Cyprianus, multis ac penè omnibus qui Ecclesiasticas litteras amant, laudabiliter notum: in quo propterea dicit non solùm non esse fidelibus inutilem mortem, verùm etiam utilem reperiri; quoniam peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitate constituit. Sed quid D prodest, si etiam futura, quæ commissa non sunt, peccata puniuntur? [a] Agit tamen ille copiosissimè atque optimè, peccandi pericula nec deesse in ista vita, nec superesse post illam. Ubi & illud testimonium ponit de libro Sapientiæ, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* (Sap. 4. 11.) Quod à me quoque positum, fratres istos ita respuisse dixistis, tamquam non de libro canonico adhibitum: quasi & exceptâ hujus libri adtestatione res ipsa non clara sit, quam voluimus hinc doceri. E Quis enim audeat negare Christianus, justum, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio futurum? (Ibid. 7.) Quilibet hoc dixerit, quis homo sanæ fidei resistendum putabit? Item si dixerit, justum, si à sua justitia recesserit, in qua diu vixit, & in ea fuerit impietate defunctus, in qua, non dico unum annum, sed unum diem vixerit, in pœnas iniquis debitas hinc iturum, nihil sibi suâ præteritâ justitiâ profuturâ: (Ezech. 18. 24.) huic perspicuæ veritati quis fidelium contradicet? Porrò si quæratur à F nobis, utrùm si tunc esset mortuus, quando erat justus, pœnas esset inventurus, an requiem: numquid requiem respondere dubitabimus? Hæc est tota caussa cur dictum est, à quocumque sit dictum, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Dictum est enim secundùm pericula vitæ hujus, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat: id est, quòd ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur G incerto; non quòd peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. De hac quippe vita legitur in libro Job, *Numquid non tentatio est vita humana super terram?* (Job. 7. 1. sec. LXX.) Sed quare aliis concedatur, ut ex hujus vitæ periculis dum justi sunt auferantur; alii verò justi donec à justitia A cadant, in eisdem periculis vitâ productiore teneantur; quis cognovit sensum Domini? (Rom. 11. 34.) Et tamen hinc intelligi datur, etiam illis justis, qui bonos piosque mores usque ad senectutis maturitatem & diem vitæ hujus ultimum servant, non in suis meritis, sed in Domino esse gloriandum: quoniam qui vitæ brevitate rapuit justum, ne malitia mutaret intellectum ejus, ipse in quantacumque vitæ longitudine custodit justum, B ne malitia mutet intellectum ejus. Cur autem hîc tenuerit casurum justum, quem priùs quàm caderet hinc posset auferre, justissima omnino, sed inscrutabilia sunt judicia ejus.

27. Quæ cùm ita sint, non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiæ Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos fideles, pænitentes, catechumenos, cum vene- C ratione divinæ auctoritatis audiri. (Liber Sapientiæ canonicæ scripturæ auctoritatem in Ecclesia obtinet.) Certè enim si de divinarum scripturarum tractatoribus qui fuerunt ante nos, proferrem defensionem hujusce sententiæ, quam nunc solito diligentiùs atque copiosiùs contra novum Pelagianorum defendere urgemur errorem; hoc est, gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, & gratis dari cui datur; quia neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; (Rom. 9. 16.) justo autem judicio non dari cui non datur, quia non est iniquitas apud (Ibidem 14.) D Deum: si hujus ergo sententiæ defensionem ex divinorum eloquiorum nos præcedentibus catholicis tractatoribus promerem; profectò hi fratres, pro quibus nunc agimus, adquiescerent: hoc enim significastis litteris vestris. Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priùs quàm ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari? quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut E de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis & transeunter adtingerent: immorarentur verò in eis, quæ adversùs inimicos Ecclesiæ disputabant, & in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiscenda vita æterna & vera felicitate servitur. Frequentationibus autem orationum simpliciter apparebat Dei gratia quid valeret: non enim poscerentur de Deo quæ præcipit fieri, nisi ab illo donaretur ut fierent.

F 28. Sed qui sententiis tractatorum instrui volunt, oportet ut istum librum Sapientiæ, ubi legitur, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus,* (Sap. 4. 11.) omnibus tractatoribus anteponant: quoniam sibi eum anteposuerunt etiam temporibus proximi Apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere nisi divinum testimonium crediderunt. Et certè beatissimum Cyprianum disputasse constat, ut celerioris mortis beneficium commendaret, à pec- G catorum periculis eripi eos, qui hanc vitam finiunt in qua peccari potest. (Cyprianus libro de mortalitate.) In eodem libro ait inter cetera: *Cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quòd ad Christum voceris, amplecteris; & quòd diabolo careas, gratularis?* Et alio loco: *Pueri*, inquit, *periculum lubricæ ætatis*

[a] Sic MSS. At editi, *Ait.*

evadunt. Itemque alio: *Quid non*, inquit, *properamus & currimus, ut patriam noſtram videre, ut parentes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos carorum numerus exſpectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copioſa turba deſiderat, jam de ſua incolumitate ſecura, adhuc de noſtra ſalute ſollicita.* His atque hujuſmodi doctor ille ſententiis in catholicæ fidei luce clariſſima, ſatis apertéque teſtatur, uſque ad hujus corporis depoſitionem peccandi pericula tentationeſque metuendas; deinceps nulla talia quemquam eſſe paſſurum. Quod & ſi non teſtaretur, quando de hac re Chriſtianus qualiſcumque dubitaret? Quomodo igitur homini lapſo, & in eodem lapſu iſtam vitam miſerè finienti, atque in pœnas eunti talibus debitas; quomodo, inquam, huic non plurimùm ſumméque prodeſſet, ſi ex hoc tentationum loco priùs quàm laberetur, morte raperetur?

29. Ac per hoc, ſi abſit nimis inconſiderata contentio, tota quæſtio iſta finita eſt de illo qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus. Nec ideo liber Sapientiæ, qui tanta numeroſitate annorum legi meruit in Eccleſia Chriſti, in quo & hoc legitur, pati debet injuriam, quoniam reſiſtit eis qui pro meritis hominum falluntur, ut veniant contra Dei manifeſtiſſimam gratiam: quæ maximè apparet in parvulis; quorum cùm alii baptizati, alii non baptizati vitæ hujus terminum ſumunt, ſatis indicant miſericordiam & judicium; miſericordiam quidem gratuitam, judicium debitum. Si enim judicarentur homines pro meritis ſuæ vitæ, quæ non habuerunt morte præventi, ſed habituri eſſent, ſi viverent: nihil prodeſſet ei qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus; nihil prodeſſet eis qui lapſi moriuntur, ſi antè morerentur: quod nullus dicere Chriſtianus audebit. Quocirca non debent fratres noſtri, qui nobiſcum pro catholica fide perniciem Pelagiani erroris impugnant, huic Pelagianæ in tantum favere opinioni, qua opinantur gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari; ut quod illi audere non poſſunt, ſententiam veram planè & antiquitus Chriſtianam, *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*; deſtruere moliantur; & id adſtruere, quod, non dico crediturum, ſed ſomniaturum neminem putaremus, ſecundùm ea ſcilicet judicari quemque mortuorum, quæ geſturus fuerat, ſi tempore prolixiore vixiſſet. Ita quippe claret invictum eſſe quod dicimus, gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari, ut huic veritati contradicentes ingenioſi homines hæc ab omnium auribus & cogitationibus abigenda dicere cogerentur.

CAPUT XV. Prædeſtinationis illuſtriſſimũ exemplum Chriſtus Jeſus.

30. EST etiam præclariſſimum * lumen prædeſtinationis & gratiæ, ipſe Salvator, ipſe Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus: qui ut hoc eſſet, quibus tandem ſuis vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana quæ in illo eſt comparavit? Reſpondeatur quæſo: ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem perſonæ aſſumtus, Filius Dei unigenitus eſſet, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecumque præceſſit? Quid egit antè, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Nonne faciente ac ſuſcipiente Verbo, ipſe homo, ex quo eſſe

* V. de pecc. merit. & remiſſ. l. 2. c. 17. & de dono perſev. c. 24.

A cœpit, Filius Dei unicus eſſe cœpit? Nonne Filium Dei unicum femina illa gratiâ plena concepit? Nonne de Spiritu-ſancto & virgine Maria Dei Filius unicus natus eſt, non carnis cupidine, ſed [a] ſingulari Dei munere? Numquid metuendum fuit, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? Aut ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato ſervire non poterat? Nempe iſta omnia ſingulariter admiranda, & alia ſi qua ejus B propria veriſſimè dici poſſunt, ſingulariter in illo accepit humana, hoc eſt, noſtra natura, nullis ſuis præcedentibus meritis. Reſpondeat hîc homo Deo, ſi audet, & dicat, Cur non & ego? Et ſi audierit, *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo:* nec ſic cohibeat, ſed augeat impudentiam, & dicat, Quomodo audio, *Tu quis es, ô homo?* Cùm ſim quod audio, id eſt, homo, quod eſt & ille de quo ago, cur non ſim quod & ille? At enim gratiâ ille talis ac tantus eſt. Cur diverſa eſt C gratia, ubi natura communis eſt? Certè non eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quis, non dico Chriſtianus, ſed inſanus hæc dicat?

a — Libertas à peccato.

Rom. 9. 20.

Coloſſ. 3. 25.

31. Appareat itaque nobis in noſtro capite ipſe fons gratiæ, unde ſecundùm uniuſcujuſque menſuram ſe per cuncta ejus membra diffundit. Eâ gratiâ fit ab initio fidei ſuæ homo quicumque Chriſtianus, quâ gratiâ homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus: de ipſo Spiritu & hic renatus, de quo eſt ille natus; eodem Spiritu fit in nobis D remiſſio peccatorum, quo Spiritu factum eſt ut nullum haberet ille peccatum. Hæc ſe Deus eſſe facturum profectò præſcivit. Ipſa eſt igitur prædeſtinatio ſanctorum, quæ in Sancto ſanctorum maximè claruit: quam negare quis poteſt rectè intelligentium eloquia veritatis? Nam & ipſum Dominum [b] gloriæ, in quantum homo factus eſt Dei Filius, prædeſtinatum eſſe didicimus. Clamat doctor gentium in capite Epiſtolarum ſuarum, *Paulus ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apo-* E *ſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei, quod antè promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, ſecundùm Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum.* Prædeſtinatus eſt ergo Jeſus, ut qui futurus erat ſecundùm carnem filius David, eſſet tamen in virtute Filius Dei ſecundùm Spiritum ſanctificationis; quia natus eſt de Spiritu-ſancto & virgine Maria. Ipſa eſt illa ineffabiF liter facta hominis à Deo Verbo ſuſceptio ſingularis, ut filius Dei & filius hominis ſimul, filius hominis propter ſuſceptum hominem, & filius Dei propter ſuſcipientem unigenitum Deum veraciter & propriè diceretur; ne non trinitas, ſed quaternitas crederetur. Prædeſtinata eſt iſta naturæ humanæ tanta & tam celſa & ſumma ſubvectio, ut quò attolleretur altiùs, non haberet: ſicut pro nobis ipſa divinitas quò uſque ſe deponeret humiliùs, non habuit, quàm ſuſceptâ naG turâ hominis cum infirmitate carnis uſque ad mortem crucis. Sicut ergo prædeſtinatus eſt ille unus, ut caput noſtrum eſſet: ita multi prædeſtinati ſumus, ut membra ejus eſſemus. Humana hîc merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam: & regnet quæ regnat Dei gratia per

b — Dei Filius prædeſtinatus.

Rom. 1.

[a] Plerique MSS. *ſed ſolo Dei munere.*

[b] Tres MSS. *Dominum gratiæ.*

Jesum Christum Dominum nostrum, unicum Dei Filium, [a] unum Dominum. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat. Neque enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, ut alienus ab omni obligatione peccati, de Spiritu & virgine nasceretur. Sic & nobis ut ex aqua & Spiritu renasceremur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum: & si nos ad lavacrum regenerationis fides duxit, non ideo putare debemus, priores nos dedisse aliquid, ut retribueretur nobis regeneratio salutaris; ille quippe nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in quem credimus Christum; ille facit in hominibus principium fidei & perfectionem in Jesum, qui fecit hominem principem fidei & perfectorem Jesum: sic enim est appellatus, ut scitis, in Epistola quæ est ad Hebræos. *Heb. 12. 2.*

CAPUT XVI. Duplex vocatio.

32. VOCAT enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filii sui, non ea vocatione qua vocati sunt & qui noluerunt venire ad nuptias; *Luc. 14. 16. & seq.* illa quippe vocatione & Judæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est; & gentes, quibus crucifixus stultitia est: *1. Cor. 1. 23.* sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, dicens, ipsis vocatis Judæis & Græcis prædicare se Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Sic enim ait, *Ipsis autem vocatis*: *Ibidem 24.* ut illos ostenderet non vocatos; sciens esse quamdam certam vocationem eorum qui secundùm propositum vocati sunt, *Rom. 8. 28. & 29.* quos antè præscivit & prædestinavit conformes imaginis Filii sui. Quam vocationem significans, ait, *Non ex operibus; sed ex vocante dictum est ei, Quia major serviet minori.* *Rom. 9. 12.* Numquid dixit, Non ex operibus, sed ex credente? Prorsus etiam hoc abstulit homini, ut totum daret Deo. Dixit ergo, *sed ex vocante*: non quacumque vocatione, sed qua vocatione fit credens.

33. Hanc intuebatur etiam, cùm diceret, *Sine pænitentia sunt dona & vocatio Dei.* *Rom. 11. 29.* Nam & ibi quid agebatur paulisper advertite. Cùm enim dixisset, *Nolo enim vos ignorare fratres sacramentum hoc, ut non sitis vobis sapientes: quia cæcitas ex parte [b] Israël facta est, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël salvus fieret, sicut scriptum est, Veniet ex Sion qui eripiat, & avertat impietatem ab Iacob, & hoc illis à me testamentum, cùm abstulero peccata eorum*: *Ibidem 25. &c. Isaia 59. 20.* mox addidit quod diligenter intelligendum est, *Secundùm Evangelium quidem inimici propter vos, secundùm electionem autem dilecti propter patres.* *Rom. 11. 28.* Quid est, *Secundùm Evangelium quidem inimici propter vos*: nisi, quòd eorum inimicitia qua occiderunt Christum, Evangelio, sicut videmus, sine dubitatione profecit? Et hoc ostendit ex Dei dispositione venisse, qui bene uti novit etiam malis: non ut ei prosint vasa iræ, sed ut ipso illis bene utente, prosint vasis misericordiæ. Quid enim apertius dici potuit, quàm id quod dictum est, *Secundùm Evangelium quidem inimici propter vos?* Est ergo in malorum potestate peccare: *In malorũ est potestate peccare:* ut autem peccando hoc vel hoc illâ malitiâ faciant, non est in eorum

A potestate, sed Dei dividentis tenebras & ordinantis eas; *ut autem hoc vel hoc illâ malitia faciant, in solius Dei.* ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei. Legimus in Actibus Apostolorum, quòd *Act. 4. 24. & seq.* cùm dimissi à Judæis Apostoli venissent ad suos, & indicassent quanta eis sacerdotes & seniores dixerunt; levaverunt illi vocem unanimes omnes ad Dominum, & dixerunt, *Domine tu es qui fecisti cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, qui per os patris nostri David, sancti pueri* B *tui, dixisti, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania; adstiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversùs Dominum & adversùs Christum ejus? Convenerunt enim in veritate, in civitate ista, adversùs sanctum puerum tuum Iesum quem unxisti, Herodes & Pilatus & populus Israël, facere quanta manus tua & consilium prædestinavit fieri.* *Psal. 2. 1.* Ecce quod dictum est, *Secundùm Evangelium quidem inimici propter vos.* *Rom. 11. 28.* Tanta quippe ab inimicis Judæis manus Dei & C consilium prædestinavit fieri, quanta necessaria fuerunt Evangelio propter nos. Sed quid est quod sequitur, *Secundùm electionem autem dilecti propter patres?* *Ibidem.* Numquid illi inimici, qui in suis inimicitiis perierunt, & adversantes Christo de gente ipsa adhuc pereunt, ipsi sunt electi atque dilecti? Absit: quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed utrumque licèt inter se contrarium, id est, inimici & dilecti, quamvis non in eosdem homines, tamen in eamdem gentem convenit Judæo- D rum, & ad idem carnale semen Israël, aliis eorum ad claudicationem, aliis ad benedictionem Israël ipsius pertinentibus. Hunc enim sensum apertiùs superiùs explicavit, ubi ait, *Quod quærebat Israël, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est, ceteri verò excæcati sunt.* *Ibid. 7.* In utrisque tamen idem ipse Israël. Ubi ergo audimus, *Israël non est consecutus*, vel *ceteri excæcati sunt*; ibi intelligendi sunt inimici propter nos: ubi verò audimus, *electio autem consecuta est*; ibi in- E telligendi sunt dilecti propter patres: quibus patribus utique ista promissa sunt. *Abrahæ quippe dictæ sunt promissiones & semini ejus.* *Gal. 3. 16.* Unde & in ista olea oleaster inseritur gentium. *Rom. 11. 17.* Jam porrò [c] electionem quam dicat, quia secundùm gratiam, non secundùm debitum, debet utique occurrere; quoniam *reliquiæ per electionem gratiæ factæ sunt.* *Ibid. 5.* Hæc electio consecuta est, ceteris excæcatis. Secundùm hanc electionem Israëlitæ dilecti propter patres. Non enim voca- F tione illa vocati sunt, de qua dictum est, *Multi vocati*: *Matth. 20. 16.* sed illa, qua vocantur electi. Unde & hîc postea quàm dixit, *Secundùm electionem autem dilecti propter patres*: *Rom. 11. 28.* continuò subjecit unde agimus, *Sine pænitentia enim sunt dona & vocatio Dei*: *Ibid. 29.* id est, sine mutatione stabiliter fixa sunt. Ad hanc vocationem qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei: *Isaia 54. 13.* nec potest eorum quisquam dicere, Credidi ut sic vocarer; *Vocatio electorum, non quia crediderunt, sed ut credant.* prævenit eum quippe misericordia Dei, quia sic est vocatus ut crede- G ret. Omnes enim docibiles Dei veniunt ad Filium: quoniam audierunt & didicerunt à Patre per Filium, qui evidentissimè dicit, *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* *Iohan. 6. 45.* Istorum autem nemo perit; quia omne quod dedit ei

[a] Sic omnes MSS. At editi, *unicum Dei Filium, Dominum nostrum.*

[b] Editi, *in Israël.* Abest in à MSS. & à Græco textu Apostoli.

[c] Sic MSS. At editi, *electio quam dicit.*

Ibid. 39. Electorum nemo perit.

Pater, non perdet ex eo quidquam. Quisquis ergo inde est, omnino non perit: nec [a] erat inde qui perit. Propter quod dictum est, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.*

1. Johan. 2. 19.

CAPUT XVII. Vocatio propria electorum, nõ quia crediderunt, sed ut credant. *Joan. 15. 16.*

34. INTELLIGAMUS ergo vocationem qua fiunt electi; non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur ut credant. Hanc enim & Dominus ipse satis aperit, ubi dicit, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Nam si propterea electi erant, quia crediderant: ipsi eum priùs utique elegerant credendo in eum, ut eligi mererentur. Aufert autem hoc omnino, qui dicit, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi.* Et ipsi quidem proculdubio elegerunt eum, quando crediderunt in eum. Unde non ob aliud dicit, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi;* nisi quia non elegerunt eum ut eligeret eos, sed ut eligerent eum elegit eos: quia misericordia ejus prævenit eos secundùm gratiam, non secundùm debitum. Elegit ergo eos de mundo cùm hîc ageret [b] carnem, sed jam electos in se ipso ante mundi constitutionem. Hæc est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ. Nam quid est quod ait Apostolus, *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem?* Quod profectò si propterea dictum est, quia præscivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes: contra istam præscientiam loquitur Filius, dicens, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi:* cùm hoc potiùs præscierit Deus, quòd ipsi eum fuerant electuri, ut ab illo mererentur eligi. Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit: electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinavit, implevit. Quos enim prædestinavit, ipsos & vocavit: illa scilicet vocatione secundùm propositum: non ergo alios, sed quos prædestinavit, ipsos & vocavit: nec alios, sed quos ita vocavit, ipsos & justificavit: nec alios, sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit; illo utique fine qui non habet finem. Elegit ergo Deus fideles, sed ut sint, non quia jam erant. Apostolus Jacobus dicit, *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Eligendo ergo facit divites in fide, sicut heredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos eligit. Rogo quis audiat Dominum dicentem, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi:* & audeat dicere, credere homines ut eligantur, cùm potiùs eligantur ut credant, ne contra sententiam veritatis priores inveniantur elegisse Christum, quibus dicit Christus, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi?*

Psal. 58. 11. — Immobilis veritas prædestinationis. — *Ephes. 1. 4.* — *Rom. 8. 30.* — *Jacob. 2. 5.* — Divites in fide quomodo Deus elegerit. — *Johan. 15. 16.*

CAPUT XVIII. *Ephes. 1. 3. & seq.*

35. QUIS audiat Apostolum dicentem, *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in cælestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immacu-* A *lati in conspectu ejus in caritate, prædestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm placitum voluntatis suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundùm divitias gratiæ ejus, quæ abundavit in nos in omni sapientia & prudentia, ut ostenderet nobis mysterium voluntatis suæ, secundùm bonam voluntatem suam, quam proposuit in illo, in* [c] *dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia* B *in Christo, quæ in cælis sunt & quæ in terris in ipso: in quo etiam & sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum* [d], *qui universa operatur secundùm consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus:* quis, inquam, hæc audiat diligenter & intelligenter, & audeat de hac, [e] quam defendimus, tam clara veritate dubitare? Elegit Deus in Christo ante constitutionem mundi membra ejus: & quomodo eligeret eos qui nondum erant, nisi prædestinando? Elegit ergo præ- C destinans nos. Numquid eligeret impios & immundos? Nam si quæstio proponatur, utrùm hos eligat, an potiùs sanctos & immaculatos; quid horum respondeat [f] quis requirat, ac non statim ferat pro sanctis immaculatisque sententiam?

36. *Præsciebat ergo*, ait Pelagianus, *qui futuri essent sancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium: & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales futuros esse præsci-* D *vit, elegit. Elegit ergo*, inquit, *ante quàm essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos immaculatosque præscivit: utique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse prævidit.* Intueamur ergo verba Apostoli, atque videamus utrùm propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia sancti & immaculati futuri eramus, an ut essemus. *Benedictus*, inquit, *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui nos benedixit in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo: sicut ele-* E *git nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati.* Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est: ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans ut tales per gratiam ejus essemus. Ita ergo nos benedixit benedictione spiritali in cælestibus in Christo Jesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati *in conspectu ejus, in caritate prædestinans nos in ado-* F *ptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* Deinde quid adjungat, adtendite, *secundùm placitum*, inquit, *voluntatis suæ:* ne in tanto beneficio gratiæ [g] de placito gloriaremur voluntatis nostræ. *In qua gratificavit nos*, inquit, *in dilecto Filio suo:* in qua utique voluntate sua gratificavit nos. Sic dictum est gratificavit à gratia, sicut justificavit dicitur à justitia. *In quo habemus*, inquit, *redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundùm divitias gratiæ ejus, quæ abundavit in*

Deus elegit justos, non quos tales per se ipsos futuros prævidit, sed quos ut tales faceret prædestinavit.

[a] Sic aliquot MSS. Alii verò, *non erant inde qui perierunt.* Editi, *non erit inde qui perit*, (vel *qui pereat.*)

[b] Sic nostri omnes MSS. Gallic. & Vatic. At editi, *ageret in carne.*

[c] Am. & Er. *in dispositione.* MSS. *in dispositionem:* uno excepto Corbeiensi, qui habet *in dispensationem.*

[d] Editi hoc & proximo loco, *propositum ejus.* At MSS. hîc & infrà constanter, nec non ipsi editi cap. 19. prætereunt *ejus:* quod explicandi loci caussâ n. 37. sic adjicit Augustinus: *secundùm propositum, non nostrum, sed ejus.*

[e] MSS. Gallic. omnes & Vat. *de hac re, quam defendimus tam clara veritate, dubitare.*

[f] Editi, *qui requiratur.* Nostri omnes MSS. *quis requirat?* puta, quasi dubius & incertus.

[g] Editi, *gratiæ Dei, placito gloriaremur* &c. Emendantur ex MSS.

nos in omni sapientia & prudentia, ut ostenderet nobis mysterium voluntatis suæ, secundùm bonam voluntatem suam. In hoc mysterio voluntatis suæ posuit divitias gratiæ suæ, secundùm bonam voluntatem suam, non secundùm nostram: quæ bona esse non posset, nisi ipse secundùm bonam voluntatem suam ut bona fieret subveniret. Cùm autem dixisset, *Secundùm bonam voluntatem suam:* subjecit, *quam proposuit in illo*, id est, in dilecto Filio suo, *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis sunt, & quæ in terris in ipso: in quo etiam & sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum, qui universa operatur secundùm consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus.*

Electi sumus & prædestinati, non quia futuri eramus sancti, sed ut essemus.

37. Nimis longum est de singulis disputare. Cernitis autem procul dubio, cernitis quanta manifestatione apostolici eloquii defendatur hæc gratia, contra quam merita extolluntur humana, tamquam homo aliquid prior det, ut retribuatur ei. Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum: non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed elegit prædestinavitque ut essemus. Fecit autem hoc secundùm placitum voluntatis suæ, ut nemo de sua, sed de illius erga se voluntate glorietur: fecit hoc secundùm divitias gratiæ suæ, secundùm bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilecto Filio suo, in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum, non nostrum, sed ejus, qui universa operatur, usque adeo ut ipse in nobis operetur & velle. (Philip. 2. 13.) Operatur autem secundùm consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus. Hinc est quod clamamus, ut nemo glorietur in homine, (1. Cor. 3. 12.) ac per hoc nec in se ipso; (1. Cor. 1. 31.) sed qui gloriatur, in Domino glorietur, ut simus in laudem gloriæ ejus. Ipse quippe operatur secundùm propositum suum, ut simus in laudem gloriæ ejus, utique sancti & immaculati, propter quod nos vocavit, prædestinans ante mundi constitutionem. Ex hoc proposito ejus est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperatur in bonum: (Rom. 8. 28) quia secundùm propositum vocati sunt, & sine pænitentia sunt dona & vocatio Dei. (Rom. 11. 29.)

CAPUT XIX.

Ephes. 1. 4.

De prædestinatione quæ Pelagianorum sententia, quæve Semipelagianorum.

38. SED hi nostri, de quibus & pro quibus nunc agimus, forsitan dicunt, Pelagianos hoc apostolico testimonio refutari, ubi dicit ideo nos electos in Christo & prædestinatos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in caritate. Ipsi enim putant, *acceptis præceptis jam per nos ipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio sanctos & immaculatos, in conspectu ejus in caritate: quod futurum Deus quoniam præscivit*, inquiunt, *ideo nos ante mundi constitutionem elegit & prædestinavit in Christo.* Cùm dicat Apostolus, Non quia futuros tales nos esse præscivit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ, qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. Cùm ergo nos prædestinavit, opus suum præscivit, quo nos sanctos & immaculatos facit. Unde rectè hoc testimonio Pelagianus error arguitur. *Nos autem dicimus*, inquiunt, *nostram Deum non præscisse nisi fidem, qua credere incipimus, & ideo nos elegisse ante mundi constitutionem, ac prædestinasse, ut etiam sancti & immaculati gratià*

A *atque opere ejus essemus.* Sed audiant & ipsi in hoc testimonio, ubi dicit, *Sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum, qui universa operatur.* (Ibidem 11.) Ipse ergo ut credere incipiamus operatur, qui universa operatur. Vocationem quippe illam de qua dictum est, *Sine pænitentia enim sunt dona & vocatio Dei*; (Rom. 11. 29.) & de qua dictum est, *Non ex operibus, sed ex vocante*; (Rom. 9. 12.) cùm posset dicere, sed ex credente: & electionem quam significavit Dominus, dicens, *Non vos me elegistis, sed ego vos* (Iohan. 15. 16.)

B *elegi:* nec fides ipsa præcedit. Non enim quia credidimus, sed ut credamus elegit nos: ne priores eum elegisse dicamur, falsumque sit, quod absit, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi.* Nec quia credidimus, sed ut credamus vocamur: atque illa vocatione, quæ sine pænitentia est, id prorsus agitur & peragitur, ut credamus. Nec omnia replicanda sunt de hac re tam multa quæ diximus.

39. Denique & in hujus testimonii consequen-

C tibus, Deo gratias agit Apostolus pro his qui crediderunt, non utique quoniam eis annuntiatum est Evangelium, sed quoniam crediderunt. Ait enim, *In quo & vos audientes verbum veritatis Evangelium salutis vestræ, in quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ, in redemtionem adquisitionis, in laudem gloriæ ipsius: propter hoc & ego audita fide vestra in Christo Iesu & in omnes sanctos, non cesso gratias agere pro vobis.* (Ephes. 1. 13. & seq.) Nova erat & recens

D eorum fides prædicato sibi Evangelio, qua fide audita, gratias Deo pro eis agit Apostolus. Si homini gratias ageret pro eo, quod illum vel putaret non præstitisse vel nosset, adulatio vel irrisio veriùs quàm gratiarum actio diceretur. *Nolite errare, Deus non irridetur:* (Gal. 6. 7.) donum enim ejus est etiam incipiens fides, ne Apostoli falsa vel fallax gratiarum actio meritò judicetur. Quid illud, nonne initium fidei apparet Thessalonicensium, de quo tamen idem Apostolus Deo gratias

Fidei initium Dei donum est.

E agit, dicens, *Propterea & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cùm percepissetis à nobis verbum auditûs Dei, excepistis non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei, quod operatur in vobis, cui credidistis?* (1. Thess. 2. 13.) Quid est quod hinc Deo gratias agit? Nempe vanum est atque inane, si cui gratias agit, hoc ipse non fecit. Sed quia hoc vanum & inane non est, profectò Deus cui de hoc opere gratias agit, ipse fecit, ut cùm percepissent ab Apostolo verbum auditûs Dei,

F exciperent illud non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei. Deus igitur operatur in cordibus hominum, vocatione illa secundùm propositum suum, de qua multùm locuti sumus, ut non inaniter audiant Evangelium, sed eo audito convertantur & credant, excipientes non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei.

CAPUT XX.

40. ILLUD etiam initium fidei hominum donum Dei esse nos admonet, cùm hoc signifi-

G cet Apostolus dicens in epistola ad Colossenses: *Orationi instate, vigilantes in illa in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi sui ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam vinctus sum, ut manifestem illud ita ut oportet me loqui.* (Coloss. 4. 2. & c.) Quomodo aperitur ostium verbi, nisi cùm sensus aperitur audientis

dientis ut credat, & initio fidei facto, ea quæ ad ædificandam ſalubrem doctrinam prædicantur & diſputantur admittat; ne per infidelitatem corde clauſo, ea quæ dicuntur improbet ac repellat? [1. Cor. 16. 8.] Unde & ad Corinthios ait: *Permanebo autem Epheſi uſque ad Pentecoſten; oſtium enim mihi apertum eſt magnum & evidens, & adverſarii multi.* Quid hîc aliud poteſt intelligi, niſi prædicato ibi per eum primitus Evangelio crediđiſſe multos, & multos ejuſdem fidei adverſarios exſtitiſſe, ſecundùm [Joan. 6. 66.] illud Domini, *Nemo ad me venit, niſi cui datum* [Luc. 8. 10. Matth. 13. 11.] *fuerit à Patre meo*: &, *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni cælorum, illis autem non eſt datum?* Oſtium ergo apertum eſt in eis quibus datum eſt: adverſarii autem multi ex eis quibus non eſt datum.

[2. Cor. 2. 12. & 13.] 41. Itemque ad eoſdem in ſecunda epiſtola idem Apoſtolus: *Cùm veniſſem*, inquit, *in Troadem in Evangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino, non habui requiem ſpiritui meo, eo quòd non inveni Titum fratrem meum: ſed vale illis faciens exii in Macedoniam.* Quibus vale fecit, niſi eis qui crediderant, in quorum ſcilicet cordibus [Ibid. 14. &c.] evangelizanti apertum eſt oſtium? Quid autem adjungat adtendite: *Deo autem*, inquit, *gratias, qui ſemper triumphare nos facit in Chriſto, & odorem notitiæ ſuæ per nos manifeſtat in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in his qui ſalvi fiunt, & in his qui pereunt; quibuſdam quidem odor mortis in mortem, quibuſdam autem odor vitæ in vitam.* Ecce unde gratias agit miles acerrimus & defenſor invictiſſimus gratiæ: ecce unde gratias agit, quia Chriſti bonus odor ſunt Apoſtoli Deo, & in his qui ſalvi fiunt gratiâ ejus, & in his qui pereunt judicio ejus. Sed ut minùs [Ibid. 16.] ſuccenſeatur [a] hæc parum intelligentibus, ipſe admonet, cùm adjungit & dicit, *Et ad hæc quis* [Coloſſ. 4. 3.] *idoneus?* Verùm redeamus ad oſtii apertionem, qua initium fidei audientium ſignificavit Apoſtolus. Quid eſt enim, *Orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium verbi*: niſi apertiſſima demonſtratio, etiam ipſum initium fidei eſſe donum Dei? Non enim orando peteretur ab eo, niſi ab ipſo tribui crederetur. Hoc donum cæleſtis [Act. 16. 14.] gratiæ in illam purpurariam deſcenderat, cui, ſicut Scriptura dicit in Actibus Apoſtolorum, *Deus aperuerat ſenſum ejus, & intendebat in ea quæ à Paulo dicebantur.* Sic enim vocabatur, ut crederet. Agit quippe Deus quod vult in cordibus ho- [Act. 4. 28.] minum, vel adjuvando, vel judicando, ut etiam per eos impleatur quod manus ejus & conſilium prædeſtinavit fieri.

[1. Reg. 10. 25. 1. Paral. 2. 18.] 42. Fruſtra itaque etiam illud, quod Regnorum & Paralipomenon Scripturâ teſte probavimus, cùm Deus vult fieri quod non niſi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda ut hoc velint, eo ſcilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle, ad cauſſam de qua diſſerimus, * non pertinere dixerunt. [* Suprà in epiſt. Hilarii, n. 7.] Quid eſt aliud, nihil dicere, & tamen contradicere? niſi fortè cur eis hoc viſum ſit; rationem vobis aliquam reddiderunt, quam vos in litteris veſtris tacere maluiſtis. Sed quæ illa eſſe poſſit ignoro. An fortè quia oſtendimus hoc Deum egiſſe in cordibus hominum, & ad hoc perduxiſſe quorum ei placuit voluntates, ut rex conſtitueretur Saül ſive David; ideo hæc exempla cauſſæ huic convenire non putant, quoniam non hoc eſt temporaliter regnare in hoc ſæculo, quod eſt in æternum regnare cum Deo; ac per hoc exiſtimant ad regna terrena facienda Deum inclinare, ad regnum verò cæleſte obtinendum Deum non inclinare quorum voluerit voluntates? Sed puto propter regnum cælorum, non propter regnum terrenum eſſe dictum: *Inclina cor meum in teſtimonia tua*: vel, *A Domino* [Pſal. 118. 36.] *greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet*: vel, [Pſal. 36. 23.] *Paratur voluntas à Domino*: vel, *Fiat Dominus* [Prov. 8. ſec. LXX.] *noſter nobiſcum, ſicut erat cum patribus noſtris; non derelinquat nos, nec avertat nos à ſe; inclinet corda* [3. Reg. 8. 57.] *noſtra ad ſe, ut eamus in omnibus viis ejus*: vel, *Dabo eis cor cognoſcendi me, & aures audientes*: vel, [Baruch. 2. 31.] *Dabo eis cor aliud, & ſpiritum novum dabo eis.* [Ezech. 11. 19.] Audiant etiam illud: *Spiritum meum dabo in vobis,* [Ezech. 36. 27.] *& faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis.* Audiant: *A Domino* [b] *diriguntur greſſus viri, mortalis autem quomodo intelligit vias ſuas?* [Prov. 20. 24.] Audiant: *Omnis vir videtur ſibimetipſi juſtus, dirigit autem corda Dominus.* [Prov. 21. 2.] Audiant: *Crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam.* [Act. 13. 48.] Audiant hæc, & alia quæcumque non dixi, quibus oſtenditur Deus ad regnum etiam cælorum & ad vitam æternam parare & convertere hominum voluntates. Cogitate autem quale ſit, ut credamus ad conſtituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum, & ad capeſſendum regnum cælorum homines operari voluntates ſuas.

CAPUT XXI.

43. MULTA diximus, & fortaſſe jam dudum potuimus perſuadere quæ volumus, & adhuc tam bonis ingeniis ſic loquimur quaſi obtuſis, quibus & quod nimium eſt non eſt ſatis. Sed dent veniam; nova enim quæſtio ad hoc nos compulit. Quia cùm in prioribus opuſculis noſtris ſatis idoneis teſtimoniis egiſſemus, donum Dei eſſe etiam fidem: inventum eſt quod contradiceretur, ad hoc valere illa teſtimonia, ut oſtendant Dei donum eſſe incrementum fidei; initium verò fidei quo in Chriſtum primitus creditur, ab homine ipſo eſſe, nec eſſe donum Dei; ſed hoc exigere Deum, ut cùm id præceſſerit, cetera tamquam hoc merito conſequantur quæ Dei dona ſunt; nec [c] ullum eorum dari gratis, cùm in eis Dei gratia, quæ non niſi gratuita eſt, prædicetur. Quod videtis quàm ſit abſurdum; propter quod inſtitimus, quantum potuimus, ut etiam ipſum

[a] Editi, *ſuccenſeatur ad hæc parum intelligentibus.* Particula *ad* non exſtat in MSS.

[b] In hoc verſiculo MSS. omnes habent *corriguntur.*

[c] Viro cuidam erudito legendum videtur, *nec nullum eorum dari gratis*: quaſi poſtea ſequeretur, *quippe cùm in eis* &c. At veteres codices, quotquot videre nobis licuit, cum editis conſentientes ferunt, *nec ullum eorum dari gratis*: ut ſubſequentis ſententiæ ſenſus ſit, *cùm tamen in eis* &c. Movetur Vir eruditus, quòd Semipelagiani, excepto initio bonæ voluntatis aut fidei, bona quæcumque opera gratiæ Dei gratuitæ aſſignent, ut videre eſt apud Caſſianum in Collatione 13 cap. 13. & 17. teſte quoque Hilario ſuprà in epiſtola 226. ad Auguſtinum, n. 2. ubi ait, *Ad nullum opus vel incipiendum*, &c. Verùm id Auguſtinus contendit opinione ipſorum, velint nolint, contineri, ut cetera Dei dona initio fidei tamquam merito præcedente conſequantur, nec ullum eorum gratis detur. Quem ſecutus Bonifacius Papa II. in epiſtola ad Cæſarium, concilii Arauſicani II. decreta confirmans, ſcribit: *Illos autem, qui præcedente fide, cetera, ſicut indicas, volunt gratiæ deputare, ſua profeſſione conſtringimus, ut multo magis dono gratiæ etiam fidem cogantur adſcribere* &c. *Si enim nihil boni eſt ſine fide, fides autem ipſa venire negetur ex gratia; nullum, quod abſit, bonum erit gratiæ deputandum.* Epiſtolam Bonifacii exhibemus integram in 2. parte Appendicis.

initium fidei donum Dei esse ostenderemus. Quod A & si diutius fecimus, quàm forsitan vellent hi propter quos fecimus; hinc ab eis reprehendi parati sumus: dum tamen etsi multo diutius quàm vellent, etsi cum fastidio ac tædio intelligentium, fateantur nos fecisse quod fecimus, id est, etiam initium fidei, sicut continentiam, patientiam, justitiam, pietatem, & cetera, de quibus cum his nulla contentio est, donum Dei esse docuisse. Hic ergo sit hujus voluminis terminus, ne offendat unius nimia longitudo.

ADMONITIO
IN SECUNDUM LIBRUM
DE PRÆDESTINATIONE SANCTORUM,
vulgò DE DONO PERSEVERANTIÆ *nuncupatum.*

Reliquos errores Semipelagianorum Massiliensium coarguere pergit Augustinus. Verùm ut maxima parte superioris libri de initio fidei egit, sic in primis partibus libri sequentis copiosè differit de perseverantiæ perfectione. Nempe sanctus Doctor ex Prosperi & Hilarii litteris intellexit, prædestinationis & gratiæ inimicos duplici hoc errore propiùs à Pelagianis recedere, quòd & initium fidei, & usque in finem perseverantiam sic in nostra constituant potestate, *(quemadmodum hìc capite 17. loquitur,)* ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates. *Quamquam autem hoc posteriore libro & ad alias eorum quasdam adversùs prædestinationem quæstiones respondeat: quia tamen ipso in exordio proponit disputandum de perseverantia, inde factum ut liber vulgò vel* de dono Perseverantiæ *nuncuparetur, vel (quæ ipsius communior in antiquis codicibus inscriptio est,)* de bono Perseverantiæ, *sub qua olim inscriptione citabatur à Remigio Archiepiscopo Lugdunensi in libro de tenenda veritate Scripturæ cap. 9. à Floro seu Beda vulgato in Paulum, ab Hincmaro lib. de prædestinatione cap. 1. &c. At certè Prosper, qui operis Hilario ac sibi dicati exemplaria prima & sinceriora conspexit, eumdem utrique libro inditum fuisse titulum tradit in principio libri responsionum ad excerpta Genuensium.* In libris, *ait*, beatæ memoriæ Augustini episcopi, quorum titulus est, de Prædestinatione sanctorum. *Adstipulatur Prospero Noalliensis vetus codex, finito libro primo subjiciens* Explicit de Prædestinatione sanctorum beati Augustini episcopi liber primus. Incipit secundus. *Finito autem hoc secundo:* Explicit liber secundus sancti Augustini episcopi de Prædestinatione sanctorum.

De iisdem libris Bellarminus in libro 2. de gratia & libero arbitrio, cap. 11. Constat, inquit, delatam
„ *fuisse ad Apostolicam sedem, Cælestino pontifice, à Prospero & Hilario querimoniam, quòd in Gallia pres-*
„ *byteri quidam doctrinam sancti Augustini de prædestinatione reprehenderent. Quid autem Cælestinus rescri-*
„ *pserit, perspicuum est ex epistola ejus ad Gallos, in qua inter cetera, postea quàm magnis laudibus san-*
„ *ctum Augustinum extulit, ita subjunxit:* Unde resistatur talibus, quos malè crescere videmus *&c. Et*
„ *quoniam Galli respondebant, fuisse quidem à Pontifice commendatam sancti Augustini doctrinam, sed non*
„ *approbatos in specie libros illos duos* de Prædestinatione sanctorum, *&* de bono Perseverantiæ: *contrà*
„ *sanctus Prosper in libro contra Collatorem, extremo loco demonstrat, Pontificem non potuisse hos libros non ap-*
„ *probare, cùm Augustini doctrinam probaverit, & hi libri à ceteris non dissentiant, &c. Deinde Cælestinus in*
„ *ea epistola cap. 2. ita laudat Augustinum, ut dicat eum semper habitum à Romana Ecclesia pro magistro op-*
„ *timo, & numquam eum fuisse saltem rumore sinistræ suspicionis aspersum. At quomodo ista dicere potuisset Cæ-*
„ *lestinus, si Augustinus falsò scripsisset, fidem prædestinationis in Ecclesia catholica semper fuisse, &* * CONTRA
„ EAM NEMINEM NISI ERRANDO DISPUTARE POTUISSE? *Nam si Augustini de prædesti-*
„ *natione sententia falsa esset, non posset idem Augustinus ab ingenti temeritate defendi: quippe qui non solùm*
„ *tam acriter pro falsitate certasset, sed etiam pro fide catholica venditare ausus esset, &c. Denique Gela-*
„ *sius in concilio LXX. episcoporum non solùm probavit omnia scripta sancti Augustini, & sancti Prosperi;*
„ *sed etiam contrà damnavit libellos Johannis Cassiani & Fausti Regiensis: cùm tamen non ignoraret, potis-*
„ *simam contentionem inter Prosperum & Cassianum, ac deinde inter Fulgentium & Faustum, de scriptis san-*
„ *cti Augustini* de Prædestinatione sanctorum *&* de bono Perseverantiæ *fuisse.*

** Lib. de dono perseverantiæ cap. 19.*

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
DE DONO PERSEVERANTIÆ
LIBER AD PROSPERUM ET HILARIUM * SECUNDUS.

* Scriptus post Retractationes, anno Christi 428. aut 429.

Prima parte libri probat perseverantiam illam, quâ in Christo perseveratur usque in finem, esse donum Dei. Hoc enim à Deo irrisoriè peti, si à Deo dari non creditur. Porrò Dominica oratione nihil penè aliud posci quàm perseverantiam, juxta Cypriani martyris expositionem: qua quidem expositione ipsi gratiæ inimici convicti sunt ante quàm nati. Perseverandi gratiam non secundùm accipientium merita, sed aliis Dei misericordiâ dari, aliis justo ejus judicio non dari docet. Cur ex adultis ille potiùs quàm iste vocetur, quemadmodum & ex duobus parvulis cur iste assumatur, ille relinquatur, inscrutabile. Inscrutabilius verò, cur ex duobus piis, huic perseverare donetur, non illi: sed illud tamen certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Prædestinationis mysterium Dominicis verbis de Tyriis & Sidoniis, si eadem apud illos quæ apud Chorozain signa facta essent, pænitentiam acturis, monstrari observat. Exemplum parvulorum ad prædestinationis & gratiæ in majoribus veritatem firmandam valere ostendit: atque ad locum libri sui de libero arbitrio tertii ab adversariis malè huc allatum respondet. Altera postea operis hujus parte refellit quod illi aiunt, Prædestinationis definitionem utilitati exhortationis & correptionis adversam. Asserit contrà prædestinationem utiliter prædicari, ut homo non in se ipso, sed in Domino glorietur. Quæ autem ab illis adversùs prædestinationem objectantur, eadem non absimiliter vel adversùs Dei præscientiam, vel adversùs gratiam illam, quam ad cetera bona (excepto initio fidei & perseverantiæ perfectione) necessariam esse consentiunt, posse torqueri. Prædestinationem quippe sanctorum nihil aliud esse quàm præscientiam & præparationem beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Verùm prædestinationem congrua ratione prædicari jubet, ac non eo modo ut apud imperitam multitudinem redargui ipsâ suâ prædicatione videatur. Postremò illustrissimum prædestinationis exemplum nobis positum ob oculos Dominum Iesum commendat.

Caput I. De qua hic perseverantia disputetur.

JAM de perseverantia diligentiùs disputandum est: nam & in priore libro, cùm ageremus de initio fidei, etiam de hac aliqua diximus. Asserimus ergo donum Dei esse perseverantiam qua usque in finem perseveratur in Christo. Finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur. Itaque utrùm quisque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, incertum est. Si enim priùs quàm moriatur cadat, non perseverasse utique dicitur, & verissimè dicitur. Quomodo ergo perseverantiam, qui non perseveravit, accepisse vel habuisse dicendus est? Nam si habeat aliquis continentiam, & ab ea decidat atque incontinens fiat, si justitiam similiter, si patientiam, si ipsam fidem, rectè dicitur habuisse & non habere: continens enim fuit, vel justus fuit, vel patiens, vel fidelis fuit, quamdiu fuit; cùm verò esse destitit, non est quod fuit: qui verò non perseveraverit, quomodo perseverans fuit; cùm perseverando quisque ostendat se perseverantem, quod iste non fecit? Sed ne quisquam reluctetur & dicat, Si ex quo fidelis quisque factus est, vixit, verbi gratiâ, decem annos, & eorum medio tempore à fide lapsus est, nonne quinque annos perseveravit? Non contendo de verbis, si & illa perseverantia putatur esse dicenda, tamquam temporis sui: hanc certè de qua nunc agimus perseverantiam, qua in Christo perseveratur usque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem: potiúsque hanc habuit unius anni fidelis, & quantum infrà cogitari potest, si donec moreretur fideliter vixit, quàm multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem à fidei stabilitate defecit.

Caput II.

2. QUO constituto videamus utrùm hæc perseverantia, de qua dictum est, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, donum sit Dei. (Matth. 10. 22.) Quòd si non sit, quomodo verum est quod Apostolus ait, *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut credatis in eum, verùm etiam ut patiamini pro eo?* (Philip. 1. 29.) Horum quippe unum pertinet ad initium, alterum ad finem: utrumque tamen est Dei donum, quia utrumque dictum est esse donatum, sicut & superiùs jam diximus. Quod enim est initium verius Christiano, quàm credere in Chri- (Fides initium est hominis)

Christiani, martyrium pro Christo finis optimus.

ſtum? Qui finis melior, quàm pati pro Chriſto? Sed quod ad id pertinet ut credatur in Chriſtum, qualiſcumque inventa eſt contradictio, ut donum Dei non initium, ſed augmentum fidei diceretur: cui opinioni donante Domino ſatis ſuperque reſpondimus. Quid autem dici poteſt, cur perſeverantia uſque in finem non donetur in Chriſto, cui donatur pati pro Chriſto, aut, ut expreſſiùs eloquar, cui donatur mori pro Chriſto? Nam & Petrus apoſtolus donum Dei hoc eſſe demonſtrans, *Melius eſt*, inquit, *bene facientes, ſi velit voluntas Dei, pati, quàm malè facientes.* Cùm dicit, *ſi velit voluntas Dei*; oſtendit hoc divinitus donari, nec omnibus ſanctis, ut pro Chriſto patiantur. Neque enim quos non vult voluntas Dei pervenire ad experientiam gloriamque paſſionis, non perveniunt ad regnum Dei, ſi perſeveraverint in Chriſto uſque in finem. Sed quis dicat, iſtis non donari hanc perſeverantiam, qui ægritudine corporis vel quocumque caſu moriuntur in Chriſto; cùm longè difficilior donetur illis, à quibus ſuſcipitur & mors ipſa pro Chriſto? Multo quippe difficiliùs perſeveratur, ubi hoc agit qui perſequitur ne perſeveretur, & propterea uſque ad mortem ſuſtinetur ut perſeveretur. Illam proinde difficilius perſeverantiam, iſtam facilius eſt habere: ſed cui nihil difficile eſt, facile eſt utramque donare. Hanc enim promiſit Deus, dicens, *Timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant.* Quod quid eſt aliud, quàm talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perſeveranter adhæreant?

1. Petr. 3. 17.

Ier. 32. 40.

3. Cur autem perſeverantia iſta poſcitur à Deo, ſi non datur à Deo? An & iſta irriſoria petitio eſt, cùm id ab eo petitur quod ſcitur non ipſum dare, ſed ipſo non dante eſſe in hominis poteſtate; ſicut irriſoria eſt etiam illa actio gratiarum, ſi ex hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipſe, nec fecit? Sed quod ibi dixi, hoc & hîc dico. *Nolite errare*, inquit Apoſtolus, *Deus non irridetur.* O homo, non verborum tuorum tantùm, verùm etiam cogitationum teſtis eſt Deus: ſi aliquid à tanto divite veraciter ac fideliter poſcis; ab illo, à quo poſcis, te accipere crede quod poſcis. Noli eum labiis honorare, & ſuper eum corde te extollere, credens à te ipſo tibi eſſe, quod ab illo te fingis orare. An ab illo perſeverantia iſta fortè non poſcitur? Jam hoc qui dicit, non meis diſputationibus refellendus, ſed ſanctorum orationibus [a] onerandus eſt. An verò quiſquam eorum eſt, qui non ſibi poſcat à Deo ut perſeveret in eo; cùm ipſa oratione quæ Dominica nuncupatur, quia eam Dominus docuit, quando oratur à ſanctis, nihil penè aliud quàm perſeverantia poſci intelligatur?

Lib. ſuperiore, cap. 19. n. 39. Gal. 6. 7.

Perſeverãtiam tota penè oratione Dominica petimus.

4. Legite aliquanto intentiùs ejus expoſitionem in beati Cypriani martyris libro, quem de hac re condidit, cujus eſt titulus, De Dominica oratione: & videte ante quot annos, contra ea quæ futura erant Pelagianorum venena, quale ſit antidotum præparatum. Nam tria ſunt, ut ſcitis, quæ maximè adversùs eos catholica defendit Eccleſia: quorum eſt unum, gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari; quoniam Dei dona ſunt, & Dei gratiâ conferuntur etiam me-

Pelagianæ doctrinæ tria potiſſimũ capita.

A rita universa juſtorum: alterum eſt, in quantacumque juſtitia ſine qualibuſcumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere: tertium eſt, obnoxium naſci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obſtrictum, niſi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione ſolvatur. Horum trium hoc, quod loco ultimo poſui, ſolum non tractatur in ſupradicto glorioſi martyris libro: de duobus verò ceteris tantâ illic perſpicuitate diſſeritur, ut ſupra-
B dicti hæretici, novi inimici gratiæ Chriſti, longè antè reperiantur convicti eſſe quàm nati. In his ergo meritis ſanctorum, quæ nulla niſi Dei dona ſunt, etiam perſeverantiam donum Dei eſſe ſic loquitur. *Dicimus*, inquit, *Sanctificetur nomen tuum: non quòd optemus Deo, ut ſanctificetur orationibus noſtris, ſed quòd petamus ab eo, ut nomen ejus ſanctificetur in nobis. Ceterùm à quo Deus ſanctificatur, qui ipſe ſanctificat? Sed quia ipſe dixit, Sancti eſtote,* [b] *quoniam & ego ſanctus ſum: id*
C *petimus & rogamus, ut qui in baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo quod eſſe cœpimus perſeveremus.* Et paulò pòſt de hac ipſa re adhuc diſputans, & docens nos perſeverantiam petere à Domino; quod nullo modo rectè ac veraciter faceret, niſi ejus donum & hoc eſſet: *Hæc*, inquit, *ſanctificatio ut in nobis permaneat oramus, & quia Dominus & judex noſter ſanato à ſe & vivificato comminatur non delinquere, ne quid ei deterius fiat: hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus & no-*
D *ctibus poſtulamus, ut ſanctificatio & vivificatio quæ de Dei gratia ſumitur, ipſius protectione ſervetur.* In ſanctificatione igitur perſeverantiam, hoc eſt, ut in ſanctificatione perſeveremus, nos ab eo petere iſte doctor intelligit, cùm ſanctificati dicimus, *Sanctificetur nomen tuum.* Quid eſt enim aliud petere quod accepimus, niſi ut id quoque nobis præſtetur, ne habere deſinamus? Sicut ergo ſanctus, cùm Deum rogat ut ſanctus ſit, id utique rogat ut ſanctus eſſe permaneat: ita utique &
E caſtus, cùm rogat ut caſtus ſit; continens, ut continens ſit; juſtus, ut juſtus; pius, ut pius; & cetera, quæ contra Pelagianos dona Dei eſſe defendimus, hoc ſine dubio petunt, ut in eis perſeverent bonis, quæ ſe accepiſſe noverunt. Quod ſi accipiunt, profectò & ipſam perſeverantiam magnum Dei donum, quo cetera dona ejus conſervantur, accipiunt.

Cyprian. de Dominica orat. Matth. 6. 9.

Levit. 19. 2. b

Iohan. 5. 14.

Quomodo petamus quæ accepimus.

5. Quid, cùm dicimus, *Veniat regnum tuum:* quod aliud poſcimus, niſi ut veniat & nobis, quod
F eſſe venturum non dubitamus omnibus ſanctis? Ergo & hîc, qui jam ſancti ſunt, quid orant, niſi ut in ea ſanctitate quæ illis data eſt perſeverent? Neque enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non aliis, ſed his qui perſeverant uſque in finem, certum eſt eſſe venturum.

Matth. 6. 10.

Caput III.

6. Tertia petitio eſt, *Fiat voluntas tua in cælo & in terra:* vel, quod in pleriſque codicibus legitur, magiſque ab orantibus frequentatur, *ſicut in cælo & in terra:* quod plerique intel-
G ligunt, ſicut ſancti angeli, * & nos faciamus voluntatem tuam. Vult autem ille doctor & martyr, cælum & terram intelligi ſpiritum & carnem, & hoc nos orare, ut voluntatem Dei re utraque concordante faciamus. Vidit in his verbis & alte-

Matth. 6. 10.

* Subaudi, faciunt. Cælum & terra quo modo in oratione Dominica accipiantur.

a Sic omnes MSS. At editi, *revocandus eſt*.

b MSS. *quomodo & ego*. Sic ſuprà conſtanter ferebant in libro de Correptione & Gratia cap. 6.

rum ſenſum ſaniſſimæ fidei congruentem, de quo jam ſuprà locuti ſumus: ut ſcilicet pro infidelibus qui ſunt adhuc terra, terrenum tantùm hominem prima nativitate portantes, orare intelligantur fideles, qui cæleſti homine induti, non immeritò cæli nomine nuncupantur. Ubi evidenter oſtendit, & initium fidei eſſe donum Dei, quando non tantùm pro fidelibus ut augeatur in eis vel perſeveret fides, verùm etiam pro infidelibus ut habere incipiant eam quam penitus non habebant, & contra quam corda inſuper inimica geſtabant, ſancta orat Eccleſia. Verùm nunc non de initio fidei, de quo in ſuperiore libro multa jam diximus; ſed de illa quæ habenda eſt uſque in finem perſeverantia diſputamus, quam petunt utique etiam ſancti qui faciunt voluntatem Dei, dicentes in oratione, *Fiat voluntas tua*. Cùm enim jam facta ſit in eis, cur ut fiat adhuc petunt, niſi ut perſeverent in eo quod eſſe cœperunt? Quamvis hîc dici poſſit, non petere ſanctos, ut voluntas Dei fiat in cælo; ſed ut fiat in terra ſicut in cælo: ut terra ſcilicet imitetur cælum, id eſt, ut homo angelum, vel infidelis fidelem: ac per hoc id ſanctos poſcere, ut ſit quod nondum eſt, non ut perſeveret quod eſt. Quantalibet enim homines ſanctitate præpolleant, nondum ſunt æquales angelis Dei: nondum ergo ſicut in cælo in eis ſit voluntas Dei. Quod ſi ita eſt, in ea quidem parte qua optamus, ut homines ex infidelibus fiant fideles, non perſeverantia, ſed initium videtur optari: in ea verò qua optamus, ut homines in facienda voluntate Dei æquentur angelis Dei, cùm hoc orant ſancti, perſeverantiam demonſtrantur orare: quoniam nemo pervenit ad illam ſummam, quæ in regno eſt, beatitudinem, niſi in ea ſanctitate quam ſumſit in terra, perſeveraverit uſque in finem.

CAPUT IV. Matth. 6. 11.

7. QUARTA petitio eſt, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Ubi beatus Cyprianus oſtendit quomodo & hîc intelligatur perſeverantia poſtulari. Ait quippe inter cetera: *Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti & non communicantes à cæleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur.* Hæc verba ſancti hominis Dei, perſeverantiam prorſus à Domino ſanctos indicant poſcere, quando hac intentione dicunt, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; ne à Chriſti corpore ſeparentur, ſed in ea ſanctitate permaneant, qua nullum quo inde ſeparari mereantur, crimen admittant.

CAPUT V. Matth. 6. 12.

8. QUINTO orationis loco dicimus, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* In qua ſola petitione non invenitur poſci perſeverantia. Præterita enim ſunt peccata, quæ nobis ut dimittantur oramus: perſeverantia verò, quæ in æternum ſalvos facit, tempori quidem hujus vitæ, non tamen peracto, ſed ei quod uſque ad ejus finem reſtat, eſt neceſſaria. Operæ pretium eſt tamen pauliſper intueri, quomodo & in hac petitione jam tunc linguâ Cypriani, tamquam telo [a] invictiſſimo veritatis, longè poſtea futuri confodiebantur hæretici. Etiam hoc enim Pelagiani audent dicere, hominem juſtum in hac vita nullum habere omnino peccatum, & in talibus hominibus eſſe jam præſenti tempore Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejuſmodi; quæ una & ſola ſponſa ſit Chriſti: tamquam ſponſa ejus non ſit, quæ per univerſam terram quod ab eo didicit, dicit, *Dimitte nobis debita noſtra.* Sed adtendite quomodo iſtos glorioſiſſimus Cyprianus interimat. Cùm enim locum ipſum Dominicæ orationis exponeret, ait inter cetera: *Quàm neceſſariè autem, quàm providenter & ſalubriter admonemur, quòd peccatores ſumus, qui pro peccatis rogare compellimur: ut dum indulgentia de Deo petitur, conſcientiæ ſuæ animus recordetur. Ne quis ſibi quaſi innocens placeat, & ſe extollendo plus pereat, inſtruitur & docetur ſe peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique & Iohannes in epiſtola ſua ponens dixit, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt:* & cetera quæ hîc inſerere longum eſt.

Pelagianorum error, juſtos omni peccato carere.

Epheſ. 5. 27.

1. Iohan. 1. 8.

9. Jam verò cùm dicunt ſancti, *Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo*: quid aliud quàm ut in ſanctitate perſeverent, precantur? Nam profectò conceſſo ſibi iſto Dei dono, quod eſſe Dei donum, cùm ab illo poſcitur, ſatis apertéque monſtratur: iſto ergo conceſſo ſibi dono Dei, ne inferantur in tentationem, nemo ſanctorum non tenet uſque in finem perſeverantiam ſanctitatis. Neque enim quiſquam in propoſito [b] Chriſtiano perſeverare deſiſtit, niſi in tentationem primitus inferatur. Si ergo concedatur ei quod orat, ut non inferatur; utique in ſanctificatione, quam Deo donante percepit, Deo donante perſiſtit.

Matth. 6. 13.

Perſeverâtiâ ſibi côceſſâ nemo non perſeverat.

CAPUT VI.

Suprà in epiſt. Hilarii, n. 3.

10. *Sed nolunt*, ut ſcribitis, *iſti fratres, ita hanc perſeverantiam prædicari, ut non vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit.* Ubi quid dicant, parum diligenter adtendunt. De illa enim perſeverantia loquimur, qua perſeveratur uſque in finem: quæ ſi data eſt, perſeveratum eſt uſque in finem; ſi autem non eſt perſeveratum uſque in finem, non eſt data; quod jam & ſuperiùs ſatis egimus. Non itaque dicant homines, perſeverantiam cuiquam datam uſque in finem, niſi cùm ipſe venerit finis, & perſeveraſſe cui data eſt repertus fuerit uſque in finem. Dicimus quippe caſtum quem novimus caſtum, ſive ſit, ſive non ſit in eadem caſtitate manſurus; & ſi quid aliud divini muneris habeat, quod teneri & amitti poteſt, dicimus eum habere quamdiucumque habet; & ſi amiſerit, dicimus habuiſſe: perſeverantiam verò uſque in finem, quoniam non habet quiſquam, niſi qui perſeverat uſque in finem; multi eam poſſunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum eſt, ne fortè cùm perſeveraverit homo uſque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perſeveret uſque in finem. Hoc ergo Dei donum ſuppliciter emereri poteſt: ſed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non poteſt. Cùm enim perſeveraverit quiſque uſque in finem, neque hoc donum poteſt amittere, nec alia quæ poterat ante finem. Quomodo igitur

Cap. 1.

Perſeverantiæ donum precibus obtineri poteſt.

[a] In antè editis, *invictiſſima.*

[b] Sic omnes MSS. At editi, *Chriſtianitatis.*

potest amitti; per quod fit ut non amittatur etiam quod posset amitti?

Occupatio.

11. Sed ne fortè dicatur, usque in finem perseverantiam non amitti quidem, cùm data fuerit, id est, cùm perseveratum fuerit usque in finem; sed tunc amitti quodam modo, quando agit homo per contumaciam, ut ad eam pervenire non possit: sicut dicimus hominem, qui non perseveraverit usque in finem, amisisse vitam æternam, vel regnum Dei; non quod jam acceperat & habebat, sed quod acciperet & haberet, si perseverasset: verborum controversias auferamus, & nonnulla etiam quæ non habentur, sed habenda sperantur, posse dicamus amitti. Dicat mihi quisquis audet, utrùm Deus dare non possit, quod à se posci imperavit? Hoc certè qui sapit, non dico desipit, sed insanit. Imperavit autem Deus, ut ei sancti ejus dicant orantes, *Ne inferas nos in tentationem.* Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, qua possit vel dignus sit perseverantiam sanctitatis amittere.

Matth. 6. 13.

Occupatio. Voluntate sua quisque deserit Deum, ut meritò deseratur.

12. At enim, *voluntate sua quisque deserit Deum, ut meritò deseratur à Deo.* Quis hoc negaverit? Sed ideo petimus, ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat. Et si exaudimur, utique non fit; quia Deus non permittit ut fiat. Nihil enim fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit. Potens ergo est, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere, ac dirigere in sibi placitum gressum. Cui non frustra dicitur, *Deus tu convertens vivificabis nos:* non frustra dicitur, *Ne des ad movendum pedem meum:* non frustra dicitur, *Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori:* postremò, ne multa commemorem, cùm vobis plura fortassis occurrant, non frustra dicitur, *Ne nos inferas in tentationem.* Nam quisquis in tentationem non infertur, profectò nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur: & qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur. *Unusquisque* enim, *tentatur*, ut scriptum est, *à concupiscentia sua abstractus & illectus: Deus autem neminem tentat*; tentatione scilicet noxia. Nam est & utilis, qua [a] non decipimur vel opprimimur, sed probamur, secundùm quod dictum est, *Proba me Domine, & tenta me.* Illa ergo noxia tentatione, quam significat Apostolus, dicens, *Ne fortè tentaverit vos qui tentat, & inanis sit labor noster*, Deus, ut dixi, neminem tentat, hoc est, neminem infert vel inducit in tentationem. Nam tentari & in tentationem non inferri, non est malum, immo etiam bonum est: hoc est enim probari. Quod itaque dicimus Deo, *Ne nos inferas in tentationem:* quid dicimus, nisi, ne nos inferri sinas? Unde sic orant nonnulli, & legitur in codicibus pluribus, & hoc sic posuit beatissimus Cyprianus: *Ne patiaris nos induci in tentationem.* In Evangelio tamen Græco nusquam inveni, nisi, *Ne nos inferas in tentationem.* Tutiores igitur vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus: quod vidit iste venerabilis martyr. Nam cùm eumdem locum

Psal. 84. 7. *Psal. 65. 9.* *Psal. 139. 9.*

Iac. 1. 14. Tentatio duplex. *Ibidem 13.* *Psal. 25. 2.* *1. Thess. 3. 5.*

A Orationis exponeret, ait post cetera: *Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus; admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè & arroganter aliquid assumat, ne quis aut confessionis aut passionis gloriam suam* [b] *ducat: cùm Dominus ipse humilitatem docens, dixerit, Vigilate & orate, ne veniatis in tentationem; spiritus quidem promtus est, caro autem infirma: ut dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo,* B *quidquid suppliciter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.*

Matth. 26. 41.

CAPUT VII.

13. Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad caussam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret: quia nihil nobis reliquit, in quo tamquam in nostro gloriemur. Si quidem & ut non discedamus à Deo, non ostendit dandum esse nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo. Qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omni- C no in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt: fuerat in homine ante quàm caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in angelis, qui diabolo cum suis cadente in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt. Post casum autem hominis, nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam D suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.

In conditi hominis viribus erat, non discedere à Deo: ad solam nunc Dei gratiam pertinet, ut ad Deum accedamus, & ab eo nó recedamus.

Ephes. 1. 11.

14. Hanc gratiam posuit *in illo, in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum ejus qui universa operatur.* Ac per hoc sicut operatur ut accedamus, sic operatur ne discedamus. Propter quod ei per [c] prophetam dictum est, *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi, & non discedimus à te.* Iste certè non est Adam primus, in E quo discessimus ab eo: sed Adam novissimus, super quem fit manus ejus, ut non discedamus ab eo. Christus enim totus cum membris suis est, propter Ecclesiam, quæ est corpus ejus, plenitudo ejus. Cùm ergo fit super eum manus Dei, ut non discedamus à Deo, ad nos utique pervenit opus Dei: (hoc est [d] enim manus Dei:) [e] quo opere Dei fit ut simus in Christo permanentes cum Deo; non sicut in Adam, discedentes à Deo. In Christo enim sortem consecu- F ti sumus, prædestinati secundùm propositum ejus qui universa operatur. Manus igitur Dei est ista, non nostra, ut non discedamus à Deo. Manus, inquam, ejus est ista, qui dixit, *Timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant.*

Psal. 79. 18.

Ier. 32. 40.

15. Propter quod & posci à se voluit, ne inferamur in tentationem: quia & si non inferimur, nulla ab eo ratione discedimus. Quod poterat nobis & non orantibus dari: sed oratione nostra nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc be- G neficia. A quo enim, nisi ab illo accipimus, à quo jussum est ut petamus? Prorsus in hac re non operosas disputationes exspectet Ecclesia: sed attendat quotidianas orationes suas. Orat, ut in-

Peti à se cur Deus voluerit, quæ possit etiam non orantibus dare.

[a] Am. Er. & MSS. *quando non decipimur.*
[b] Iidem codices, *dicat.*
[c] Aliquot MSS. *per prophetiam.*

[d] Particula *enim* abest à veteri codice Corb.
[e] Sic nostri omnes & Belgici tres MSS. Editi verò, *quoniam.*

creduli credant : Deus ergo convertit ad fidem. A
Orat, ut credentes perſeverent : Deus ergo donat perſeverantiam uſque in finem. [a] Hæc Deus facturum ſe eſſe præſcivit : IPSA EST PRÆ-
» DESTINATIO SANCTORUM, quos elegit
» in Chriſto ante conſtitutionem mundi, ut eſſent
» ſancti & immaculati in conſpectu ejus in carita-
» te, prædeſtinans eos in adoptionem filiorum per
» Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm placitum
» voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in
» qua gratificavit eos in dilecto Filio ſuo, in quo B
» habent redemtionem per ſanguinem ipſius, re-
» miſſionem peccatorum ſecundùm divitias gratiæ
» ejus, quæ abundavit in eos in omni ſapientia &
» prudentia, ut oſtenderet eis myſterium volunta-
» tis ſuæ ſecundùm bonam voluntatem ſuam, quam
» propoſuit in illo, in diſpenſatione plenitudinis
» temporum, inſtaurare omnia in Chriſto quæ in
» cælis ſunt & quæ in terris in ipſo, in quo etiam
» & ſortem conſecuti ſumus, prædeſtinati ſecun-
» dùm propoſitum qui univerſa operatur. Contra C
iſtam veritatis tam claram tubam, quis homo ſobriæ vigilantiſque fidei voces ullas admittat humanas ?

(Ephes. 1. 4. & ſeq.)

CAPUT VIII.

16. SED *cur*, inquit, *gratia Dei non ſecundùm merita hominum datur ?* Reſpondeo, Quoniam Deus miſericors eſt. *Cur ergo*, inquit, *non omnibus ?* Et hîc reſpondeo, Quoniam Deus judex [b] eſt. Ac per hoc & gratìs ab eo datur gratia ; & juſto ejus in aliis judicio demonſtratur, quid in eis quibus datur conferat gratia. Non D itaque ſimus ingrati, quòd ſecundùm placitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ tam multos liberat miſericors Deus de tam debita perditione, ut ſi inde neminem liberaret, non eſſet injuſtus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non injuſtam judicati ſunt ire, ſed juſtam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat : qui non liberatur, debitum agnoſcat. Si in remittendo debito bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, nuſquam eſſe apud Deum iniquitas inveni- E tur.

17. *Sed cur*, inquit, *non ſolùm in parvulorum, verùm etiam in geminorum una atque eadem cauſſa, tam diverſum judicium ?* Nonne ſimilis quæſtio eſt, cur in diverſa cauſſa idem judicium ? Recolamus igitur illos operarios in vinea qui toto die laboraverunt, & eos qui horâ unâ : nempe cauſſa diverſa eſt impenſi laboris, & tamen idem judicium in redditione mercedis. Numquid & hîc audierunt murmurantes à patre-familiâs, niſi, Hoc vo- F lo ? Ita quippe ejus erga alios fuit largitas, ut erga alios nulla eſſet iniquitas. Et iſti quidem utrique in bonis ſunt : verumtamen quantum ad juſtitiam ſpectat & gratiam, poteſt & de reo qui liberatur, rectè dici [c] reo qui damnatur, *Tolle quod tuum eſt, & vade ; huic autem volo* quod non debetur *donare. An non licet mihi facere quod volo ? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum ?* Hîc ille ſi dicat, Cur non & mihi ? meritò audiet, *O homo tu quis es qui reſpondeas Deo ?* Quem certè G in uno veſtrûm benigniſſimum largitorem, in te verò exactorem juſtiſſimum, in nullo tamen cernis

(Matth. 20. 1. & ſeq.) (Ibid. 14. & 15.) (Rom. 9. 20.)

injuſtum. Cùm enim juſtus eſſet, etiam ſi utrumque puniret : qui liberatur, habet unde gratias agat ; qui damnatur, non habet quod reprehendat.

18. *Sed ſi jam*, inquit, *hoc oportebat, ut damnatis non omnibus, quid omnibus deberetur oſtenderet, atque ita gratiùs ſuam gratiam vaſis miſericordiæ commendaret ; cur in eadem cauſſa me quàm illum potiùs puniet, aut illum quàm me potiùs liberabit ?* Hoc non dico : ſi quæris quare ; quia fateor me non invenire quid dicam. Si & hoc quæris quare ; quia in hac re ſicut juſta eſt ira ejus, ſicut magna eſt miſericordia ejus, ita inſcrutabilia judicia ejus.

19. Adhuc pergat & dicat, *Cur quibuſdam qui eum coluerunt bona fide, perſeverare uſque in finem non dedit ?* Cur putas, niſi quia non mentitur qui dicit, *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis ; nam* 1. Iohan. 2.
ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum ? Num- 19.
quid ergo hominum naturæ duæ ſunt ? Abſit. Si duæ naturæ eſſent, gratia ulla non eſſet : nulli enim daretur gratuita liberatio, ſi naturæ debita redderetur. Hominibus autem videtur, omnes qui boni apparent fideles, perſeverantiam uſque in finem accipere debuiſſe. Deus autem melius eſſe judicavit, miſcere quoſdam non perſeveraturos certo numero ſanctorum ſuorum ; ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. Multos enim à pernicioſa elatione reprimit quod ait Apoſtolus: *Quapropter qui videtur ſtare, videat ne cadat.* Vo- 1. Cor. 10. 12.
luntate autem ſua cadit, qui cadit ; & voluntate Dei ſtat, qui ſtat. *Potens eſt enim Deus ſtatuere* Rom. 14. 4.
illum : non ergo ſe ipſe, ſed Deus. Verumtamen bonum eſt non altum ſapere, ſed timere. In co- Rom. 11. 20.
gitatione autem ſua vel cadit quiſque, vel ſtat. Sicut autem Apoſtolus ait, quod in libro ſuperiore memoravi, *Non ſumus idonei cogitare aliquid* 2 Cor. 3. 5.
quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Quem ſecutus & beatus Ambroſius audet & dicit : *Non enim in poteſtate noſtra cor noſtrum, & noſtræ cogitationes.* Quod omnis qui humiliter & veraciter pius eſt, eſſe veriſſimum ſentit.

(Perſeveraturis cur interdum non perſeveraturos Deus admiſceat.)

20. Hoc autem Ambroſius ut diceret, in eo Ambroſius
libro loquebatur quem De fuga ſæculi ſcripſit, de fuga ſæ-
docens, hoc ſæculum non corpore, ſed corde culi, cap. 1.
fugiendum : quod niſi auxilio Dei fieri non poſſe diſſeruit. Ait enim : *Frequens nobis de fugiendo ſæculo iſto ſermo ; atque utinam quàm facilis ſermo, tam cautus & ſollicitus affectus : ſed, quod pejus eſt, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offuſio mentem occupat ; ut quod ſtudeas vitare, hoc cogites animoque volvas. Quod cavere difficile eſt homini, exuere autem impoſſibile. Denique voti magis eam eſſe rem quàm effectûs, teſtatur Propheta dicendo, Declina cor meum in teſti-* Pſal. 118.
monia tua, & non in avaritiam. Non enim in pote- 36.
ſtate noſtra cor noſtrum & cogitationes noſtræ, quæ improviſò offuſæ mentem animumque confundunt, atque aliò trahunt quàm tu propoſueris : ad ſæcularia revocant, mundana inſerunt, voluptuaria ingerunt, illecebroſa intexunt, ipſoque in tempore quo elevare mentem paramus, [d] *inſerti inanibus cogitationibus ad*

[a] Am. & Er. *Hoc Deus futurum eſſe præſcivit.* Correxerunt Lovanienſes ex Belgicorum MSS. fide, quibus Gallici noſtri & Vaticani ſuffragantur.
[b] Editi, *judex juſtus eſt.* Abeſt *juſtus* à MSS.

[c] Sic MSS. At editi, *rectè dici, Volo : poteſt & de eo qui damnatur, Tolle* &c.
[d] Noallienſis cod. *inſertis.*

terrena plerumque dejicimur. Non itaque in hominum, sed in Dei est potestate, ut habeant homines potestatem filii Dei fieri. Ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem, quæ operetur per dilectionem: ad quod bonum sumendum & tenendum, & in eo perseveranter usque in finem proficiendum, non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; in cujus est potestate cor nostrum & cogitationes nostræ.

Johan. 1. 12. *Gal. 5. 6.* *2. Cor. 3. 5.*

CAPUT IX. Inscrutabilium Dei judiciorũ exempla.

21. Ex duobus itaque parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur; inscrutabiliora sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. *Nam si fuissent ex nobis*, ait unus prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum, *mansissent utique nobiscum.* Quid est quæso, *Non erant ex nobis*, *nam si fuissent*, *mansissent utique nobiscum?* Nonne utrique à Deo creati, utrique ex Adam nati, utrique de terra facti erant, & ab eo qui dixit, *Omnem flatum ego feci*, unius ejusdemque naturæ animas acceperant? Nonne postremò utrique vocati fuerant, & vocantem secuti, utrique ex impiis justificati, & per lavacrum regenerationis utrique renovati? Sed si hæc audiret ille, qui sciebat procul dubio quod dicebat, respondere posset & dicere: Vera sunt hæc, secundùm hæc omnia ex nobis erant; verumtamen secundùm aliam quamdam discretionem non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Quæ est [a] tandem ista discretio? Patent libri Dei; non avertamus adspectum: clamat scriptura divina, adhibeamus auditum. Non erant ex eis, quia non erant secundùm propositum vocati: non erant in Christo electi ante constitutionem mundi, non erant in eo sortem consecuti, non erant prædestinati secundùm propositum ejus, qui universa operatur. Nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent.

1. Johan. 2. 19. *Isai. 57. 16.*

22. Ut enim non dicam, quàm sit possibile Deo, aversas & adversas in fidem suam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant, nec ab illo aliqua superati tentatione discedant; cùm possit & quod ait Apostolus facere, ut non eos permittat tentari super id quod possunt: ut ergo id non dicam, certè poterat illos Deus præsciens esse lapsuros, ante quàm id fieret, auferre de hac vita. An eò redituri sumus, ut adhuc disputemus, quanta absurditate dicatur, judicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præscivit eos Deus perpetraturos fuisse, si viverent? Quod ita abhorret à sensibus Christianis, aut prorsus humanis, ut id etiam refellere pudeat. Cur enim non dicatur, & ipsum Evangelium cum tanto labore passionibusque sanctorum frustra esse prædicatum, vel adhuc etiam prædicari: si

1. Cor. 10. 13.

Absurditas est, dicere judicãdos mortuos de peccatis quæ perpetraturi fuerant, si vixissent.

A judicari poterant homines, etiam non audito Evangelio, secundùm contumaciam vel obedientiam, quam præscivit Deus habituros fuisse, si audissent? Nec damnarentur Tyrus & Sidon, quamvis remissiùs quàm illæ civitates, in quibus non credentibus à Domino Christo mirabilia signa sunt facta: quoniam si apud illas facta essent, in cinere & cilicio pænitentiam egissent; sicut se habent eloquia veritatis, in quibus verbis suis Dominus Jesus altius nobis mysterium prædestinationis ostendit.

Luca 10. 13. & seq. Matth. 11. 21. & seq.

B 23. Si enim quæratur à nobis, cur apud eos tanta miracula facta sint qui videntes ea non fuerant crediturі, & apud eos facta non sint qui crederent si viderent; quid respondebimus? Numquid dicturi sumus, quod in libro illo dixi, ubi sex quibusdam quæstionibus Paganorum, sine præjudicio tamen aliarum caussarum, quas prudentes possunt vestigare, respondi? Hoc quippe, ut scitis, cùm Christus quare post tam longa C tempora venerit, quæreretur, dixi quòd his temporibus & his locis quibus Evangelium ejus non « est prædicatum, tales omnes in ejus prædicatione « futuros esse præsciebat, quales multi in ejus cor- « porali præsentia fuerunt, qui in eum nec suscita- « tis ab eo mortuis credere voluerunt. Item paulò pòst in eodem libro, atque in eadem quæstione: Quid mirum, inquam, si tam infideli- « bus plenum orbem terrarum Christus prioribus « sæculis noverat, ut eis prædicari meritò nollet, « D quos nec verbis nec miraculis suis credituros esse « præsciebat? Hæc certè de Tyro & Sidone non « possumus dicere, & in eis cognoscimus ad eas caussas prædestinationis hæc divina judicia pertinere, sine quarum caussarum latentium præjudicio tunc ista respondere me dixi. Facile est quippe ut infidelitatem accusemus Judæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt. Quod & Dominus increpans arguit, & dicit, *Væ tibi* E *Chorozain & Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pænitentiam egissent.* Sed numquid possumus dicere, etiam Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent? cùm eis ipse Dominus adtestetur, quòd acturi essent magnæ humilitatis pænitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum. Et tamen in die judicii punientur, quamvis minori supplicio quàm F illæ civitates, quæ apud se virtutibus factis credere noluerunt. Secutus enim Dominus ait: *Verumtamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii quàm vobis.* Severiùs ergo punientur isti, illi remissiùs, sed tamen punientur. Porrò si etiam secundùm facta quæ facturi essent si viverent, mortui judicantur: profectò quia fideles futuri erant isti, si eis cum tantis miraculis fuisset Evangelium prædicatum, non sunt utique G puniendi: punientur autem: *falsum est igitur & secundùm ea mortuos judicari, quæ facturi essent si ad viventes Evangelium perveniret. Et si hoc falsum est, non est cur dicatur de infantibus qui pereunt sine baptismate morientes, hoc in eis eo merito fieri, quia præscivit eos Deus, si

Cur Tyriis & Sidoniis crediturіs non sint facta miracula, quæ aliis facta fuere non credituris.

Epist. ad Deogr. q. 2.

Luca 10. 13. Matth. 11. 21.

Matth. 11. 22. Luc. 10. 14.

Mortui non judicantur de culpa quam vivendo commissuri fuissent.

Hil. epist. ad Aug. & supra cap. 8.

viverent,

[a] Omnes MSS. *tamen*.

viverent, prædicatumque illis fuiſſet Evangelium, infideliter audituros. Reſtat igitur ut ſolo peccato originali teneantur obſtricti, & propter hoc ſolum eant in damnationem; [a] quod videmus aliis eamdem habentibus cauſſam, non niſi per Dei gratuitam gratiam regeneratione donari; & ejus occulto, juſto tamen judicio, quoniam non eſt iniquitas apud Deum, quoſdam etiam poſt baptiſmum peſſimè vivendo perituros, in hac tamen vita quò uſque pereant detineri; qui non perirent, ſi eis corporis mors, lapſum eorum præveniens, ſubveniret. Quoniam nullus mortuus judicatur ex bonis ſeu malis, quæ fuerat ſi non moreretur acturus: alioquin Tyrii & Sidonii non ſecundùm ea quæ geſſerunt pœnas luerent; ſed potiùs ſecundùm ea quæ geſturi fuerant, ſi in eis illæ virtutes evangelicæ factæ fuiſſent, per grandem pænitentiam & per Chriſti fidem conſequerentur ſalutem.

Rom. 9. 14.

Caput X.

24. Quidam diſputator catholicus non ignobilis hunc Evangelii locum ſic expoſuit, ut diceret, præſciſſe Dominum Tyrios & Sidonios à fide fuiſſe poſtea receſſuros, cùm factis apud ſe miraculis credidiſſent, & miſericordiâ potiùs non eum illic iſta feciſſe: quoniam graviori pœnæ obnoxii fierent, ſi fidem quam tenuerant reliquiſſent, quàm ſi eam nullo tempore tenuiſſent. In qua ſententia docti hominis & admodum acuti, quæ ſint adhuc meritò requirenda, quid me nunc adtinet dicere, cùm & ipſa nobis ad id quod agimus ſuffragetur? Si enim miſeratione Dominus non fecit in iſtis virtutes, per quas fieri poſſent fideles, ne graviùs punirentur cùm poſtea fierent infideles, quod eos futuros fuiſſe præſcivit: ſatis apertéque monſtrátur, de his peccatis neminem judicari mortuorum, quæ præſcivit fuiſſe facturum, ſi aliquo modo ei ne illa faciat ſubvenitur: ſicut Tyriis & Sidoniis, ſi ſententia illa vera eſt, ſubveniſſe dicitur Chriſtus, quos maluit non accedere ad fidem, quàm ſcelere multò graviore diſcedere à fide, quod eos, ſi acceſſiſſent, præviderat fuiſſe facturos. Quamvis ſi dicatur, Cur non factum eſt ut crederent potiùs, & hoc eis præſtaretur, ut ante quàm fidem relinquerent, ex hac vita migrarent? quid reſponderi poſſit, ignoro. Qui enim dicit, relicturis fidem beneficio fuiſſe conceſſum, ne habere inciperent quod graviore impietate deſererent, ſatis indicat non judicari hominem ex eo quod prænoſcitur malè fuiſſe facturus, ſi ei quocumque beneficio ut id non faciat conſulatur. Conſultum eſt igitur & illi, qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus. Sed cur non ita conſultum fuerit Tyriis aç Sidoniis, ut crederent & raperentur, ne malitia mutaret intellectum eorum; forſitan reſponderet ille, cui placuit iſto modo hanc ſolvere quæſtionem: ego verò quantum ad hoc quod ago adtinet, ſufficere video, ut ſecundùm iſtam quoque ſententiam, demonſtrentur homines non judicari de his quæ non fecerunt, etiam ſi facturi fuiſſe prævisi ſunt. Quamquam, ut dixi, hanc opinionem, qua putantur in morientibus vel mortuis vindicari peccata, quæ præſciti ſunt facturi eſſe ſi viverent, etiam refellere pudeat, ne videamur & nos exiſtimaſſe alicujus eſſe momenti, quam malui-

Sap. 4. 11.

mus diſputatione cohibere, quàm ſilentio præterire.

Caput XI.

25. Proinde ſicut Apoſtolus ait, *Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*: qui & parvulis quibus vult, etiam non volentibus neque currentibus ſubvenit, quos ante conſtitutionem mundi elegit in Chriſto, daturus eis gratiam gratìs, hoc eſt, nullis eorum vel fidei vel operum meritis præcedentibus: & majoribus etiam his quos prævidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros, quibus non vult ſubvenire, non ſubvenit; de quibus in ſua prædeſtinatione occultè quidem, ſed juſtè aliud judicavit. *Non enim eſt iniquitas apud Deum*; ſed *inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus: univerſæ autem viæ Domini miſericordia & veritas.* Inveſtigabilis ergo eſt miſericordia, qua cujus vult miſeretur, nullis ejus præcedentibus meritis: & inveſtigabilis veritas, qua quem vult obdurat, ejus quidem præcedentibus meritis, ſed cum eo cujus miſeretur plerumque communibus. Sicut duorum geminorum, quorum unus aſſumitur, unus relinquitur, diſpar eſt exitus, merita communia: in quibus tamen ſic alter magna Dei bonitate liberatur, ut alter nulla ejus iniquitate damnetur. Numquid enim iniquitas eſt apud Deum? Abſit: ſed inveſtigabiles ſunt viæ ipſius. Itaque miſericordiam ejus in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur, ſine dubitatione credamus: neque inſcrutabilia ſcrutari, aut inveſtigabilia veſtigare conemur. Ex ore quippe infantium & lactentium ſuam perficit laudem: ut quod in his videmus quorum liberationem bona eorum merita nulla præcedunt, & in his quorum damnationem utriſque communia originalia ſola præcedunt; hoc & in majoribus fieri nequaquam omnino cunctemur, id eſt, non putantes, vel ſecundùm ſua merita gratiam cuiquam dari, vel niſi ſuis meritis quemquam puniri, ſive pares qui liberantur atque puniuntur, ſive diſpares habeant cauſſas malas; ut qui videtur ſtare, videat ne cadat; & qui gloriatur, non in ſe ipſo, ſed in Domino glorietur.

Rom. 9. 16. — Rom. 9. 14. — Rom. 11. 33. — Pſal. 24. 10. — Rom. 9. 18. — Pſal. 8. 3. — 1. Cor. 10. 12. — 1. Cor. 1. 31.

26. Cur autem *cauſſam parvulorum ad exemplum majorum*, ſicut ſcribitis, *non patiuntur afferri* homines, qui contra Pelagianos non dubitant eſſe peccatum originale, quod per unum hominem intravit in mundum, & ex uno omnes iſſe in condemnationem? Quod & Manichæi non accipiunt, qui non ſolùm omnes veteris Inſtrumenti ſcripturas in ulla auctoritate non habent; verùm etiam eas quæ ad novum pertinent Teſtamentum ſic accipiunt, ut ſuo quodam privilegio, immo ſacrilegio, quod volunt ſumant, quod nolunt rejiciant: contra quos agebam in libris de Libero arbitrio, unde iſti nobis præſcribendum putant. Ideo quæſtiones operoſiſſimas incidentes enucleatè ſolvere nolui, ne nimiùm longum opus eſſet, ubi me adversùs tam perverſos teſtimoniorum divinorum non adjuvabat auctoritas. Et poteram, ſicut feci, quodlibet horum verum eſſet, quæ non definitè interponebam, certa tamen ratione concludere, in omnibus Deum eſſe laudandum, ſine ulla neceſſitate credendi duas, ſicut illi volunt, coæternas boni & mali permixtas eſſe ſubſtantias.

Suprà in epiſt. Hilarii n. 8. — Rom. 5. 12. & 16.

Manichæi libros veteris Inſtrumenti non recipiunt, novi non niſi quos volunt.

[a] Sic MSS. Editi verò, *quoniam videmus.* Et infrà, *per Dei gratuitam gratiam regenerationem donari.*

27. Denique in primo Retractationum libro, A quod opus meum nondum legistis, cùm ad eosdem libros retractandos venissem, hoc est, de

Retract. lib. 1. cap. 9.

Libero arbitrio, ita locutus sum. In his, inquam,
» libris ita multa disserta sunt, ut incidentes non-
» nullæ quæstiones quas vel enodare non poteram,
» vel longam sermocinationem in præsenti requi-
» rebant, ita differrentur, ut ex utraque parte, vel
» ex omnibus earumdem quæstionum partibus, in
» quibus non apparebat quid potiùs congrueret
» veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nostra con- B
» cluderetur, ut quodlibet eorum verum esset,
» laudandus crederetur, vel etiam ostenderetur
» Deus. Propter eos quippe disputatio illa susce-
» pta est, qui negant ex libero voluntatis arbitrio
» mali originem duci; & Deum, si ita est, creato-
» rem omnium naturarum culpandum esse con-
» tendunt, eo modo volentes secundùm suæ im-
» pietatis errorem, (Manichæi enim sunt,) immu-
» tabilem quamdam, & Deo coæternam introdu-
cere naturam mali. Item post aliquantum alio C
» loco: Deinde dictum est, inquam, ex qua mise-
» ria peccantibus justissimè inflictâ liberat Dei gra-
» tia: quia homo sponte, id est, libero arbitrio ca-
» dere potuit, non etiam surgere. Ad quam mise-
» riam justæ damnationis pertinet ignorantia, &
» difficultas, quam patitur omnis homo ab exor-
» dio nativitatis suæ: nec ab isto malo liberatur
» quisquam, nisi Dei gratiâ. Quam miseriam no-
» lunt Pelagiani ex justa damnatione descendere,
» negantes originale peccatum: quamvis ignorantia D
» & difficultas etiam si essent hominis primordia
» naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset
» Deus, sicuti in eodem libro tertio * disputavi-
» mus. Quæ disputatio contra Manichæos habenda
» est, qui non accipiunt scripturas sanctas veteris
» Instrumenti, in quibus peccatum originale nar-
» ratur; & quidquid inde in litteris Apostolicis le-
» gitur, detestabili impudentiâ immissum fuisse
» contendunt à corruptoribus Scripturarum, tam-
» quam non fuerit ab Apostolis dictum. Contra E
» Pelagianos autem hoc defendendum est, quod
» utraque Scriptura commendat, quam se accipe-
» re profitentur. Hæc dixi in primo libro Retractationum, cùm retractarem libros de Libero arbitrio. Nec sola sanè ista ibi à me dicta sunt de his libris; verùm & alia multa, quæ huic ad vos operi inserere longum putavi, & non necessarium: quod & vos existimo esse judicaturos, cùm omnia legeritis. Quamvis ergo in libro tertio de Libero arbitrio ita de parvulis disputaverim, F ut etiam si verum esset quod dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem, sine quibus nullus hominum nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ; vincerentur tamen Manichæi, qui volunt duas, boni scilicet & mali, coæternas esse naturas: numquid ideo fides in dubium vocanda vel deserenda est, quam contra ipsos Pelagianos catholica defendit Ecclesia, quæ asserit originale esse peccatum, cujus reatus generatione contractus, G regeneratione solvendus est? Quod si & isti fatentur nobiscum, ut simul in hac caussa Pelagianorum destruamus errorem: cur putant esse dubitandum, quòd etiam parvulos Deus, quibus dat suam gratiam

* Cap. 20.

per baptismatis sacramentum, eruat de potestate tenebrarum, & transferat in regnum Filii caritatis suæ? (Coloss. 1. 13.) In eo ergo quòd aliis eam dat, aliis non dat, cur nolunt cantare Domino misericordiam & judicium? (Psal. 100. 1.) Cur autem illis potiùs quàm illis detur, quis cognovit sensum Domini? (Rom. 11. 34.) Quis inscrutabilia scrutari valeat? quis investigabilia vestigare?

CAPUT XII.

28. CONFICITUR itaque gratiam Dei non secundùm merita accipientium dari, sed secundùm placitum voluntatis ejus, (Ephes. 1. 5.) in laudem & gloriam ipsius gratiæ ejus; ut qui gloriatur, nullo modo in se ipso, sed in Domino glorietur: (1. Cor. 1. 31.) qui hominibus dat quibus vult, quoniam misericors est; quod & si non det, justus est: & non dat quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. (Rom. 9. 23.) Dando enim quibusdam quod non merentur, profectò gratuitam, & per hoc veram suam gratiam esse voluit: non omnibus dando, quid omnes merentur ostendit. Bonus in beneficio certorum, justus in supplicio ceterorum: & bonus in omnibus, quoniam bonum est, cùm debitum redditur; & justus in omnibus, quoniam justum est, cùm [a] indebitum sine cujusquam fraude donatur.

Veram Dei gratiam defendi posse, etiamsi nullum esset, ut volebat Pelagius, originale peccatum.

29. Defenditur autem sine meritis Dei gratia, id est, vera gratia, etiam si parvuli baptizati, sicut Pelagiani sentiunt, non eruuntur de potestate tenebrarum, quia nulli peccato, sicut putant Pelagiani, tenentur obnoxii, sed tantùm in regnum Domini transferuntur: etiam sic enim sine ullis bonis meritis datur eis regnum quibus datur, & sine ullis malis meritis non datur eis quibus non datur. Quod adversùs eosdem Pelagianos dicere solemus, quando nobis objiciunt, quòd fato tribuamus Dei gratiam, dicendo eam non secundùm merita nostra dari. Ipsi enim potiùs Dei gratiam fato in parvulis tribuunt, qui dicunt *fatum esse, ubi meritum non est.* Nulla quippe merita, etiam secundùm ipsos Pelagianos, possunt in parvulis inveniri, cur alii eorum mittantur in regnum, alii verò alienentur à regno. Sicut autem nunc, ut ostenderem gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, secundùm utrumque sensum hoc defendere malui; & secundùm nostrum scilicet, qui obstrictos originali peccato parvulos dicimus, & secundùm Pelagianorum, qui originale negant esse peccatum; nec tamen ideo mihi est ambigendum, habere parvulos quod eis dimittat qui salvum facit populum suum à peccatis eorum: (Matth. 1. 21.) ita in tertio * libro de Libero arbitrio secundùm utrumque sensum restiti Manichæis, sive supplicia, sive primordia naturæ sint ignorantia & difficultas, sine quibus nullus hominum nascitur; & tamen unum horum teneo. Ibi quoque à me satis evidenter expressum, quòd non sit ista natura instituti hominis, sed pœna damnati.

Vide lib. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 6.

* Cap. 20. & 21.

30. Frustra itaque mihi de illius libri mei vetustate præscribitur, ne agam caussam sicut debeo agere parvulorum, & inde gratiam Dei non secundùm merita hominum dari, perspicuæ veritatis luce convincam. Si enim quando libros de Libero arbitrio laicus [b] cœpi, presbyter explicavi, adhuc de damnatione infantium non renas-

[a] In antè excusis *cùm debitum.* Aptiùs in Remensis Ecclesiæ codice, *cùm indebitum.*

[b] Am. & Er. *laicus Romæ cœpi, & in Africa presbyter explicavi.*

centium & de renascentium liberatione dubitarem; nemo, ut opinor, esset tam injustus atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi esse judicaret. Cùm verò rectiùs possit intelligi, non me propterea de hac re dubitasse credi oportere, quia contra quos mea dirigebatur intentio, sic mihi visi sunt refellendi, ut sive pœna esset peccati originalis in parvulis, quod veritas habet; sive non esset, quod nonnulli errantes opinantur; nullo modo tamen quam Manichæorum error inducit, duarum naturarum, boni scilicet & mali, permixtio crederetur: absit ut caussam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum, utrùm in Christo regenerati, si moriantur parvuli, transeant in æternam salutem; non regenerati autem transeant in mortem secundam: quoniam quod scriptum est, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit*; aliter rectè intelligi non potest: nec à morte perpetua, quæ justissimè est retributa peccato, liberat quemquam pusillorum atque magnorum, nisi ille qui propter remittenda & originalia & propria nostra peccata mortuus est sine ullo suo originali propriove peccato. Sed quare illos potiùs quàm illos? Iterum atque iterum dicimus, nec nos piget, *O homo tu quis es qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Et hoc adjiciamus: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.*

Rom. 5. 12.
Rom. 9. 20.
Rom. 11. 33.
Eccli. 3. 22.

Parvulos non judicari secundum quæ præsciti sunt facturi si viverent.

31. Videtis enim Carissimi, quàm sit absurdum, & à fidei sanitate atque sinceritate veritatis alienum, ut dicamus parvulos mortuos secundùm ea judicari, quæ præsciti sunt facturi esse si viverent? In hanc autem sententiam, quam certè omnis sensus humanus quantulacumque ratione subnixus, maximéque Christianus exhorret, ire compulsi sunt, qui sic à Pelagianorum errore alieni esse voluerunt, ut tamen gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, qua nobis una post lapsum primi hominis, in quo omnes cecidimus, subvenitur, secundùm merita nostra dari sibi adhuc existiment esse credendum, & disputatione insuper proferendum. Quod ipse Pelagius ante orientales episcopos judices, damnationis suæ timore damnavit. Hoc autem si non dicatur, de mortuorum scilicet operibus, quæ facturi fuerant si viverent, bonis aut malis, ac per hoc nullis & in ipsa Dei præscientia non futuris: hoc ergo si non dicatur, quod cernitis quanto errore dicatur; quid restabit, nisi ut gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, quod contra hæresim Pelagianam catholica defendit Ecclesia, remota contentionis caligine fateamur; atque id maximè in parvulis evidentiore veritate cernamus? Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subvenire, illis autem non subvenire; cùm sit utrisque caussa communis: aut res humanas in parvulis non divinâ providentiâ, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cùm rationales vel damnandæ vel liberandæ sint animæ; quando quidem nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri qui in cælis est: aut parentum negligentiæ sic tribuendum est, quòd parvuli sine baptismate moriuntur, ut nihil

Non fato fieri, ut infantibus aliis subveniatur, aliis non subveniatur.

Matth. 10. 29.

A ibi agant superna judicia; tamquam ipsi qui hoc modo malè moriuntur, parentes sibi negligentes voluntate propria de quibus nascerentur, elegerint: quid dicam, quòd parvulus aliquando ante quàm illi per ministerium baptizantis succurri possit, exspirat? Plerumque enim festinantibus parentibus & paratis ministris ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululùm in hac vita non tenuit ut daretur. Quid etiam, quòd aliquando parvulis
B infidelium filiis potuit, ne irent in perditionem, & filiis fidelium non potuit baptismate subveniri? Ubi certè ostenditur, quòd personarum apud Deum non sit acceptio: alioquin cultorum suorum potiùs, quàm inimicorum filios liberaret. Rom. 2. 11.

CAPUT XIII.[a]

32. JAM verò, quoniam [a] de dono perseverantiæ nunc agimus, quid est quòd morituro non baptizato subvenitur, ne sine baptismate moriatur; & baptizato casuro non subvenitur, ut antè moriatur? Nisi fortè illi adhuc absurditati auscul-
C tabimus, qua dicitur nihil prodesse cuiquam mori ante quàm cadat, quia secundùm eos actus judicabitur, quos eum præscivit Deus acturum fuisse si viveret. Hanc perversitatem sanitati fidei tam vehementer adversam, quis patienter audiat? quis ferat? Et tamen hoc dicere urgentur, qui non fatentur gratiam Dei non secundùm merita nostra dari. Qui autem nolunt dicere unumquemque mortuorum secundùm ea judicari, quæ Deus illum præscivit acturum fuisse si viveret, intuen-
D tes quàm manifesta falsitate & quanta absurditate dicatur; non eis remanet cur dicant, quod in Pelagianis damnavit, & ab ipso Pelagio damnari fecit Ecclesia, gratiam Dei secundùm merita nostra dari: cùm videant alios parvulos non regeneratos ad æternam mortem, alios autem regeneratos ad æternam vitam tolli de hac vita; ipsosque regeneratos, alios perseverantes usque in finem hinc ire, alios quò usque decidant hîc teneri, qui utique non decidissent, si ante quàm
E laberentur hinc exissent; & rursus quosdam lapsos quò usque redeant non exire de hac vita, qui utique perirent, si ante quàm redirent exirent.

33. Unde satis dilucidè ostenditur, & inchoandi, & usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundùm merita nostra dari; sed dari secundùm ipsius secretissimam, eamdemque justissimam, sapientissimam, beneficentissimam voluntatem: quoniam quos prædestinavit, ipsos & vocavit vocatione illa, de qua dictum est, *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* Ad quam vo- Rom. 8. 30. Rom. 11. 29.
F cationem pertinere nullus est homo ab hominibus certa asseveratione dicendus, nisi cùm de hoc sæculo exierit: in hac autem vita humana quæ tentatio est super terram, qui videtur stare, videat ne cadat. Ideo quippe (sicut jam suprà * diximus) non perseveraturi perseveraturis providentissima Dei voluntate miscentur, ut esse discamus non alta sapientes, sed humilibus consentientes,
G & cum timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur: Deus est enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere: hoc est pium, hoc

Iob 7. 1.
1. Cor. 10. 12.
* Cap. 8.
Rom. 12. 16.
Philip. 2. 12. & 13.

[a] Am. Er. & MSS. *de bono perseverantiæ.*

verum, ut sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quidquid agimus: quod autem adtinet ad pietatis viam & verum Dei cultum, non sumus idonei cogitare aliquid tamquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. *Non enim est in potestate nostra cor nostrum & nostræ cogitationes:* unde idem qui hoc ait, item dicit Ambrosius, *Quis autem tam beatus qui in corde suo semper adscendat? Sed hoc sine divino auxilio qui fieri potest? nullo profectò modo. Denique*, inquit, *suprà eadem Scriptura dicit, Beatus vir cujus est auxilium ejus abs te, Domine, adscensus in corde ejus.* Hoc utique ut diceret, non solùm in litteris sacris legebat, sed sicut de illo viro sine dubitatione credendum est, etiam in corde suo sentiebat Ambrosius. Quod ergo in sacramentis fidelium dicitur, ut sursum cor habeamus ad Dominum, munus est Domini: de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere, à sacerdote post hanc vocem quibus hoc dicitur admonentur; & dignum ac justum esse respondent. Cùm enim non sit in nostra potestate cor nostrum, sed divino sublevetur auxilio, ut adscendat, & quæ sursum sunt sapiat, ubi Christus est in dextra Dei sedens, non quæ super terram: cui de hac tanta re agendæ sunt gratiæ, nisi hoc facienti Domino Deo nostro, qui nos per tale beneficium liberando de profundo hujus mundi, elegit, & prædestinavit ante constitutionem mundi?

2. Cor. 3. 5. — *De fuga sæculi cap. 1.* — *Ibidem.* — *Psal. 83. 6.* — *In præfatione ad canonem Missæ.* — *Col. 3. 1.*

CAPUT XIV. *In epistola Hilarii & Prosperi.* Prædestinationis doctrinam utilitati prædicationis non esse adversam.

34. SED aiunt *prædestinationis definitionem utilitati prædicationis adversam.* Quasi verò adversata sit Apostolo prædicanti. Nonne ille doctor gentium in fide & veritate & prædestinationem totiens commendavit, & verbum Dei prædicare non destitit? Numquid quia dixit, *Deus est qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate:* ideo non ipse, & ut velimus quæ Deo placeant, & ut operemur, hortatus est? aut quia dixit, *Qui in vobis bonum opus cœpit, perficiet usque in diem Christi Iesu:* ideo ut inciperent homines & perseverarent usque in finem, ipse non suasit? Nempe ipse Dominus hominibus præcepit ut crederent, atque ait, [a] *Credite in Deum, & in me credite:* nec tamen ideo ejus falsa sententia est, nec vana definitio ubi ait, *Nemo venit ad me*, id est, nemo credit in me, *nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Nec rursus, quia vera est hæc definitio, ideo vana est illa præceptio. Cur ergo prædicationi, præceptioni, exhortationi, correptioni, quæ omnia frequentat scriptura divina, existimamus inutilem definitionem prædestinationis, quam commendat eadem scriptura divina?

Philip. 2. 13. — *Philip. 1. 6.* — *Iohan. 14. 1.* — *Iohan. 6. 66.*

35. An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique si præscivit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit. Hæc [b] est PRÆDESTINATIO SANCTORUM, nihil aliud: præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Ceteri autem ubi nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur? Ubi Tyrii relicti sunt & A Sidonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant: & tamen si Dei altiore judicio, à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ possent credere, si audirent B utique talia vel viderent. In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Judæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus. Cur enim non poterant credere, non tacuit Evangelium, dicens, *Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non crediderunt in eum, ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit, Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Et* C *ideo non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcavit oculos eorum, & induravit cor illorum, ut non videant oculis, nec intelligant corde, & convertantur, & sanem illos.* Non erant ergo sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum: quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa vidissent. Sed nec illis profuit quòd poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cujus inscrutabilia sunt judicia, & investigabiles viæ; nec istis obfuisset quòd non D poterant credere, si ita prædestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre. Verùm quod dixit Dominus de Tyriis & Sidoniis, aliquo alio modo potest fortassis intelligi: neminem tamen venire ad Christum, nisi cui fuerit datum, & eis dari qui in illo electi sunt ante constitutionem mundi, procul dubio confitetur, à quo non surdis auribus cordis eloquium divinum auribus carnis auditur. Et tamen hæc prædestinatio, quæ satis aperE tè etiam verbis Evangelicis explicatur, non prohibuit Dominum & propter incipiendum dicere, quod paulò antè commemoravi, *Credite in Deum, & in me credite:* & propter perseverandum, *Oportet semper orare, & non deficere.* Audiunt enim hæc & faciunt, quibus datum est: non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant, quibus non datum est. Quia *vobis*, inquit, *datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum.* Quorum alterum ad miseF ricordiam, alterum ad judicium pertinet illius, cui dicit anima nostra, *Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine.*

Iohan. 18. 9. — [b] Prædestinatio quid. — *Iohan. 12. 37. & seq.* — *Isai. 53. 1.* — *Isaiæ 6. 10.* — *Rom. 11. 33.* — *Iohan. 14. 1.* — *Lucæ 18. 1.* — *Matth. 13. 11.* — *Psal. 100. 1.*

36. Nec prædestinationis igitur prædicatione impedienda est prædicatio fidei perseverantis & proficientis, ut quod oportet audiant, quibus datum est ut obediant. Quomodo enim audient sine prædicante? Nec rursus prædicatione fidei proficientis, & usque ad ultimum permanentis, impedienda est prædicatio prædestinationis, ut G qui fideliter & obedienter vivit, non de ipsa obedientia tamquam de suo non accepto bono extollatur: sed qui gloriatur, in Domino glorietur. *In nullo enim gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Quod vidit fidelissimè Cyprianus, & fiden-

Rom. 10. 14. — *1. Cor. 1. 31.*

[a] Lov. *Creditis.* Am. Er. & MSS. *Credite:* juxta Græc.
[b] Ita MSS. At editi, *Hæc prædestinatio sanctorum nihil aliud est quàm præscientia scilicet &c.*

Cyprian. lib. 3. ad Quirin. cap. 4.

tissimè definivit, per quod utique prædestinationem certissimam pronuntiavit. Nam si *in nullo gloriandum est, quando nostrum nihil sit*: profectò nec de obedientia perseverantissima gloriandum est: nec ita nostra, tamquam non sit nobis desuper donata, dicenda est. Et ipsa igitur Dei donum est, quod se daturum Deus vocatis suis illa vocatione, de qua dictum est, *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei*, omni Christiano confitente præscivit. Hæc est igitur prædestinatio, quam fideliter atque humiliter prædicamus. Nec tamen idem doctor & factor, qui & in Christum credidit, & in sancta obedientia usque ad passionem pro Christo perseverantissimè vixit, ideo cessavit prædicare Evangelium, exhortari ad fidem piosque mores, atque ad ipsam usque in finem perseverantiam, quoniam dixit, *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit*; ubi veram Dei gratiam, id est, quæ non secundùm merita nostra datur, sine ulla ambiguitate declaravit: quam se daturum quoniam præscivit Deus, his Cypriani verbis procul dubio prædestinatio prædicata est: quæ si Cyprianum à prædicatione obedientiæ non prohibuit, nec nos utique debet prohibere.

Rom. 11. 29.

37. Quamvis ergo dicamus Dei donum esse obedientiam: tamen [a] homines exhortamur ad eam. Sed illis qui veritatis exhortationem obedienter audiunt, ipsum donum Dei datum est, hoc est, obedienter audire: illis autem qui non sic audiunt, non est datum. Non enim quicumque, sed Christus, *Nemo*, inquit, *venit ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo*: &, *Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum*. Et de continentia: *Non omnes*, inquit, *capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*. Et cùm Apostolus ad pudicitiam conjugalem conjuges hortaretur: *Vellem*, inquit, *omnes homines esse sicut me ipsum; sed unusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic*. Ubi satis ostendit, non tantùm continentiam donum Dei esse, sed conjugatorum etiam castitatem. Quæ cùm vera sint, hortamur tamen ad hæc, quantum cuique nostrûm datum est ut possit hortari; quia & hoc ejus donum est, in cujus manu sunt & nos & sermones nostri. Unde & Apostolus, *Secundùm gratiam*, inquit, *quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui*. Et alio loco, *Unicuique*, inquit, *sicut Dominus dedit: ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, aliquid est, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Ac per hoc sicut exhortatur & prædicat rectè, sed ille qui accepit hoc donum: ita exhortantem rectè atque prædicantem profectò ille obedienter audit, qui accepit hoc donum. Hinc est quod Dominus, cùm eis loqueretur, qui carnis aures apertas haberent, dicebat tamen, *Qui habet aures audiendi, audiat*: quas non omnes habere procul dubio noverat. A quo autem habeant, quicumque habent, ipse Dominus ostendit, ubi ait, *Dabo eis cor cognoscendi me & aures audientes*. Aures ergo audiendi, ipsum est donum obediendi, ut qui id haberent, venirent ad eum, ad quem nemo venit, nisi fuerit ei datum à Patre ipsius. Exhortamur ergo atque

Johan. 6. 66. Matth. 13. 11. Matth. 19. 11. 1. Cor. 7. 7. Sap. 7. 16. 1. Cor. 3. 10. Ibid. 5. &c. Luc. 8. 8. Baruch. 2. 31. Aures audiendi voluntas est obediendi. Johan. 6. 66.

prædicamus: sed qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt: qui verò eas non habent, fit in eis quod scriptum est, *ut audientes non audiant*; audientes videlicet corporis sensu, non audiant cordis assensu. Cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant, hoc est, cur illis datum sit à Patre ut veniant ad Filium, illis autem non sit datum; quis cognovit sensum Domini, aut quis ejus consiliarius fuit? Aut tu quis es, ô homo, qui respondeas Deo? Numquid ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est? Numquid, inquam, propterea dicturi sumus quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit non possumus invenire?

Matth. 13. 13. Rom. 11. 34. Rom. 9. 20.

CAPUT XV. Prædestinationis prædicandæ ratio incommoda & inepta.

38. SED aiunt, ut scribitis, *Neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiæ audientibus multis: Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem, vel acceptâ perseverantiâ maneatis in fide; ceteri verò qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adjutorium gratiæ miserantis erexit. Verumtamen si qui estis necdum vocati, quos gratiâ suâ prædestinaverit eligendos, accipietis eamdem gratiam, qua velitis & sitis electi: & si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis*. Ista cùm dicuntur, ita nos à confitenda vera Dei gratia, id est, quæ non secundùm merita nostra datur, & à confitenda secundùm eam prædestinatione sanctorum deterrere non debent; sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, ut dicat: *Sive nunc rectè vivatis, sive non rectè, tales eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscivit, vel boni si bonos, vel mali si malos*. Numquid enim, si hoc audito nonnulli in torporem segnitiemque vertantur, & à labore proclives ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse, quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos futuros esse præscivit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur; si autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Fuit quidam in nostro monasterio, qui corripientibus fratribus cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, respondebat: Qualiscumque nunc sim, talis ero qualem me Deus futurum esse præscivit. Qui profectò & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum: sed usque adeo profecit in malum, ut deserta monasterii societate fieret canis reversus ad suum vomitum: & tamen adhuc qualis sit futurus, incertum est. Numquid ergo propter hujusmodi [b] animas ea quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt vel tacenda; tunc scilicet, quando si non dicantur, in alios itur errores?

Contra præscientiæ prædicationem eadem objectari posse quæ contra prædestinationem.

Monasterium Augustini.

CAPUT XVI.

39. SUNT etiam qui propterea vel non orant, vel frigidè orant, quoniam Domino dicente didicerunt, scire Deum quid nobis necessarium sit, priùs quàm petamus ab eo. Num propter tales hujus sententiæ veritas deserenda, aut ex Evangelio delenda putabitur? Immo cùm constet alia

Matth. 6. 8.

[a] Noalliensis MS. *omnes*.

[b] Editi, *propter hujusmodi caussas*. Omnes propè MSS. *animas*.

Deum, danda etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam: profectò qui ex se ipso hanc se habere putat, non orat ut habeat. Cavendum est igitur, ne dum timemus ne tepescat hortatio, exstinguatur oratio, accendatur elatio.

Verum quando dicendum, quando tacendum.

40. Dicatur ergo verum, maximè ubi aliqua quæstio ut dicatur impellit: & capiant qui possunt; ne fortè cùm tacetur propter eos qui capere non possunt, non solùm veritate fraudentur, verùm etiam falsitate capiantur, qui verum capere quo caveatur falsitas possunt. Facile est enim, immo & utile, ut taceatur aliquod verum propter incapaces. Nam unde est illud Domini, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo?* & illud Apostoli, *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis?* Quamvis modo quodam dicendi fieri possit, ut id quod dicitur, & parvulis lac, & grandibus esca sit. Sicut, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, quis Christianus tacere potest? quis capere? aut quid in doctrina sana potest inveniri grandius? Quod tamen & parvulis non tacetur & [a] grandibus, nec parvulis occultatur à grandibus. Sed alia est ratio verum tacendi, alia verum dicendi necessitas.

Iohan. 16. 12.

1. Cor. 3. 1.

Idem & lac parvulis & grandibus esca esse potest.

Iohan. 1. 1.

Verum tacendi vel non tacendi caussæ.

Caussas verum tacendi longum est omnes quærere vel inserere: quarum tamen est & hæc una, ne pejores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores; qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores quidem non fiunt, sed nec pejores fiunt. Cùm autem res vera ita se habet, ut fiat pejor nobis eam dicentibus, ille qui capere non potest; nobis autem tacentibus, ille qui potest: quid putamus esse faciendum? Nonne potiùs est dicendum verum, ut qui potest capere capiat; quàm tacendum, ut non solùm id ambo non capiant, verùm etiam qui est intelligentior, ipse sit pejor? Qui si audiret & caperet, per illum etiam plures discerent. Quò enim est capacior ut discat, eò magis est idoneus ut alios doceat. Instat inimicus gratiæ, atque urget modis omnibus, ut credatur secundùm merita nostra dari, ac sic gratia jam non sit gratia: & nos nolumus dicere, quod teste Scripturâ possumus dicere? timemus enim videlicet, ne loquentibus nobis offendatur, qui veritatem non potest capere; & non timemus, ne tacentibus nobis, qui veritatem potest capere, falsitate capiatur?

Rom. 11. 6.

41. Aut enim sic prædestinatio prædicanda est, quemadmodum eam sancta scriptura evidenter eloquitur, ut in prædestinatis sine pœnitentia sint dona & vocatio Dei; aut gratiam Dei secundùm merita nostra dari confitendum, quod sapiunt Pelagiani, quamvis ista sententia, quod sæpe jam diximus, legatur * gestis episcoporum orientalium etiam ipsius Pelagii ore damnata. A Pelagianorum porrò hæretica perversitate tantùm isti remoti sunt, propter quos hæc agimus, ut licèt nondum velint fateri prædestinatos esse, qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permaneant; jam tamen fateantur, quòd eorum præveniat voluntatem quibus datur hæc gratia: ideo utique, ne non gratis dari credatur gratia, sicut veritas loquitur; sed potiùs secundùm præcedentis merita voluntatis, sicut contra veritatem Pelagianus error obloquitur. Prævenit ergo & fidem gratia: alioquin si fides eam prævenit, procul dubio prævenit & voluntas, quoniam fides sine voluntate non potest esse. Si autem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem; profectò prævenit omnem obedientiam, prævenit etiam caritatem, qua una Deo veraciter & suaviter obeditur; & hæc omnia gratia in eo cui datur, & cujus hæc omnia prævenit, operatur. * Restat in his bonis usque in finem perseverantia, quæ frustra quotidie à Domino poscitur, si non eam Dominus per gratiam suam in illo, cujus orationes exaudit, operatur. Videte jam à veritate quàm sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ: cùm vitæ huic quando voluerit ipse det finem; quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem. Sed mirabilior & fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quòd etiam parvulis, quibus obedientia non est illius ætatis ut detur, datur hæc gratia. Ista igitur sua dona quibuscumque Deus donat, procul dubio se donaturum esse præscivit, & in sua præscientia præparavit. Quos ergo prædestinavit, ipsos & vocavit vocatione illa, quam me sæpe commemorare non piget, de qua dictum est, *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* Namque in sua quæ falli mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est prædestinare. Sicut autem ille quem castum futurum esse præscivit, quamvis id incertum habeat, agit ut castus sit: ita ille quem castum futurum prædestinavit, quamvis id incertum habeat, non ideo non agit ut castus sit, quoniam Dei dono se audit futurum esse quod [b] erit; immo etiam gaudet ejus caritas, nec inflatur, tamquam id non acceperit. Non solùm ergo prædicatione prædestinationis ab hoc opere non impeditur, verùm & ad hoc adjuvatur, ut cùm gloriatur, in Domino glorietur.

Rom. 11. 29.

* Lib. de gest. Pelagii, cap. 14.

Quæ contra prædestinationis prædicationem afferunt, eadem probat dici posse contra gratiam Dei, ex qua cetera dona, exceptâ fide ac perseverantiâ, esse fatentur.

* Caput XVII.

Rom. 8. 30.

Rom. 11. 29. Prædestinatio quid sit.

b 1. Cor. 13. 4.

42. Quod autem dixi de castitate, hoc de fide, hoc de pietate, hoc de caritate, de perseverantia, &, ne pergam per singula, hoc de omni obedientia qua obeditur Deo, veracissimè dici potest. Sed ii qui solum initium fidei & usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates, cetera verò ipsum dare concedunt, cùm ab illo [c] impetrantur credentis fide; cur ad ipsa cetera exhortationem, eorumque ceterorum prædicationem definitione prædestinationis non metuunt impediri? An fortè nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nescivit. Quòd si & dantur, & ea se daturum esse præscivit; profectò prædestinavit. Sicut ergo ipsi quoque hortantur ad castitatem, caritatem, pietatem, & cetera quæ Dei dona esse confitentur, eaque

Adversarios negare non posse prædestinationem ad ea gratiæ dona quæ ipsi agnoscunt, & hac tamen prædestinatione non impediri eorum exhortationes.

a Sic MSS. At editi, *& parvulis non tacetur, & nec grandibus nec parvulis occultatur.*

b Lov. & aliquot MSS. *quod quærit.*

c Nonnulli MSS. *impetrant credentes fide.*

ab illo eſſe præcognita, ac per hoc prædeſtinata negare non poſſunt; nec dicunt exhortationes ſuas impediri prædicatione prædeſtinationis Dei, hoc eſt, prædicatione de his donis ejus futuris præſcientiæ Dei: ſic videant nec ad fidem nec ad perſeverantiam impediri exhortationes ſuas, ſi & ipſa, quod verum eſt, eſſe Dei dona, eaque præcognita, id eſt, ad donandum prædeſtinata eſſe dicantur; ſed impediri potiùs atque ſubverti hac prædeſtinationis prædicatione illum tantummodo perniciosiſſimum errorem, quo dicitur, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari; ut 1. Cor. 1. 31. qui gloriatur, non in Domino, ſed in ſe ipſo glorietur.

43. Quod ut apertiùs propter tardiuſculos explicemus, [a] remorationem meam ferant, quibus ingenio [b] prævolare donatum eſt. Dicit apoſtolus Jacobus, Iacob. 1. 5. *Si quis veſtrùm indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei.* Scriptum eſt & in Proverbiis Salomonis, Prov. 2. 6. *Quoniam Dominus dat ſapientiam.* Et de continentia legitur in libro Sapientiæ, cujus auctoritate uſi ſunt magni & docti viri, qui longè ante nos eloquia divina tractarunt: ibi ergo legitur, Sap. 8. 21. *Cùm ſcirem, quia nemo eſſe poteſt continens, niſi Deus det; & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum.* Hæc ergo Dei dona ſunt, id eſt, ut de aliis taceam, ſapientia & continentia. Adquieſcunt & iſti: neque enim Pelagiani ſunt, ut adversùs iſtam perſpicuam veritatem dura & hæretica perverſitate contendant. *Sed hæc*, inquiunt, *ut à Deo dentur nobis, fides impetrat, quæ incipit à nobis:* quam fidem & incipere habere, & in ea uſque in finem permanere, tamquam id non à Domino accipiamus, noſtrum eſſe contendunt. Hîc procul dubio contradicitur Apoſtolo dicenti, 1. Cor. 4. 7. *Quid enim habes, quod non accepiſti?* Contradicitur & martyri Cypriano dicenti, Lib. 3 ad Quir. cap. 4. *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit.* Cùm hæc, & alia multa quæ piget repetere, dixerimus; atque oſtenderimus, & initium fidei, & uſque in finem perſeverantiam, Dei dona eſſe; nec ulla ſua [c] futura dona, & quæ danda eſſent, & quibus danda eſſent, Deum non præſcire potuiſſe; ac per hoc prædeſtinatos ab illo eſſe, quos liberat & coronat: reſpondendum putant, *prædeſtinationis definitionem utilitati prædicationis adverſam, eo quòd hac auditâ, nemo poſſit correptionis ſtimulis excitari.* Hæc dicentes nolunt *hominibus prædicari dona Dei eſſe, ut veniatur ad fidem, & permaneatur in fide, ne plus* * *deſperatio quàm exhortatio videatur afferri, dum cogitant qui audiunt, incertum eſſe humanæ ignorantiæ cui largiatur Deus, cui non largiatur hæc dona.* (* f. deſperationis quàm exhortationis.) Cur ergo & ipſi nobiſcum prædicant, dona Dei eſſe ſapientiam & continentiam? Quòd ſi hæc cùm Dei dona eſſe prædicantur, non impeditur hortatio qua homines hortamur eſſe ſapientes & continentes; quæ tandem cauſſa eſt, ut exiſtiment impediri exhortationem, qua exhortamur homines venire ad fidem, & in ea permanere uſque in finem, ſi & hæc dona Dei eſſe dicantur, quod Scripturis ejus teſtibus comprobatur?

44. Ecce, ut de continentia taceamus, & de ſola in hoc loco ſapientia diſputemus; nempe ſuprà memoratus apoſtolus Jacobus dicit, *Quæ de ſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, plena miſericordiâ & fructibus bonis, inæſtimabilis, ſine ſimulatione.* Iacobi 3. 17. Cernitiſne, obſecro, à Patre luminum ſapientia quàm multis & magnis bonis [d] referta deſcendat? *Omne* quippe *datum optimum*, ſicut idem dicit, *& omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Iacobi 1. 17. Cur ergo, ut omittam cetera, corripimus impudicos & contentioſos, quibus tamen prædicamus donum Dei eſſe ſapientiam, pudicam, atque pacificam; nec timemus ne permoti divinæ voluntatis incerto, plus in hac prædicatione deſperationis quàm exhortationis inveniant; nec correptionis ſtimulis adversùs ſe ipſos, ſed potiùs adversùs nos excitentur, quia eos corripimus hæc non habentes, quæ ipſi dicimus non humana voluntate proferri, ſed divina largitate donari? Cur denique ipſum apoſtolum Jacobum hujus gratiæ prædicatio non deterruit corripere inquietos, & dicere, *Si zelum amarum habetis, & contentiones ſunt in cordibus veſtris, nolite gloriari & mendaces eſſe adversùs veritatem: non eſt iſta ſapientia de ſurſum deſcendens; ſed terrena, animalis, diabolica: ubi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus pravum?* Iacobi 3. 14. Sicut ergo corripiendi ſunt inquieti, & divinis eloquiis teſtibus, & ipſis quos nobiſcum iſti communes habent actibus noſtris; neque hanc impedit correptionem, quod ſapientiam pacificam, qua contentioſi corriguntur atque ſanantur, donum Dei eſſe prædicamus: ita corripiendi ſunt infideles, vel in fide non permanentes, non impediente iſtam correptionem prædicatione gratiæ Dei, quæ fidem quoque ipſam & in ea permanſiónem dona Dei eſſe commendat. Quia etſi ex fide impetratur ſapientia, ſicut ipſe Jacobus cùm dixiſſet, *Si quis veſtrùm indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei;* Iacobi 1. 5. mox addidit, *Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans:* non tamen quoniam fides datur priùs quàm poſtuletur ab illo cui datur, ideo dicenda eſt non eſſe donum Dei, ſed eſſe à nobis, quia data eſt nobis, non petentibus nobis. Apoſtolus enim apertiſſimè dicit, *Pax fratribus & caritas cum fide à Deo Patre & Domino Ieſu Chriſto.* Ephes. 6. 23. A quo ergo pax & caritas, ab illo eſt & fides, propter quod ab illo eam non ſolùm augeri habentibus, verùm etiam non habentibus poſcimus dari.

45. Neque iſti, propter quos hæc dicimus, qui prædicatione prædeſtinationis & gratiæ exhortationem clamitant impediri, ad ſola illa exhortantur dona, quæ non à Deo dari, ſed à nobis eſſe contendunt, ſicut ſunt initium fidei, & in ea uſque in finem perſeverantia: quod utique facere deberent, ut tantummodo infideles hortarentur ut crederent, & fideles ut credere permanerent. Ea verò quæ nobiſcum Dei dona eſſe non negant, ut nobiſcum Pelagianum demoliantur errorem, ſicut eſt pudicitia, continentia, patientia, & cetera quibus rectè vivitur, & ex fide impetrantur à Domino, oranda monſtrare & orare ſolùm vel ſibi vel aliis debuerunt; non au-

[a] Sic MSS. Editi verò, *rememorationem.*
[b] Remenſis MS. *prævalere.*

[c] Editi, *futura eſſe.* Abeſt *eſſe* à MSS.
[d] Ad marg. Er. *fulta deſcendat.*

tem quemquam, ut ea capesseret & retineret, hortari. Cùm verò & ad hæc exhortantur, ut possunt, atque exhortandos esse homines confitentur; satis utique ostendunt, nec eâ prædicatione impediri exhortationes, sive ad fidem, sive ad perseverantiam usque in finem, quia & ista Dei dona esse, nec à se ipso cuiquam, sed ab illo tribui prædicamus.

46. At enim, *vitio suo quisque deserit fidem, cùm cedit tentationi atque consentit, qua cum illo agitur ut deserat fidem.* Quis negat? Sed non ideo dicenda est in fide perseverantia non esse donum Dei. Hanc enim quotidie poscit, qui dicit,
Matth. 6. 13. *Ne nos inferas in tentationem:* & si exauditur, hanc accipit: ac per hoc quotidie ut perseveret petens, profectò perseverantiæ suæ spem non in se ipso, sed in Deo ponit. Ego autem nolo exaggerare meis verbis, sed illis cogitandum potiùs relinquo, ut videant quale sit quod sibi persuaserunt, *prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis quàm exhortationis afferri.* Hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam non in se ipso, sed in Deo
Jer. 17. 5. didicerit ponere: cùm Propheta clamet, *Maledictus omnis qui spem habet in homine.*

47. Hæc itaque dona Dei, quæ dantur electis secundùm Dei propositum vocatis, in quibus donis est & incipere credere, & in fide usque ad vitæ hujus terminum perseverare, sicut tanta rationum atque auctoritatum contestatione probavimus; hæc, inquam, Dei dona, si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur à Deo: præsciuntur autem: hæc est igitur prædestinatio quam defendimus. * Unde aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus, *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Hîc quod ait, *præscivit*, non rectè intelligitur, nisi prædestinavit: quod circumstantia ipsius lectionis ostendit. Loquebatur enim de reliquiis Judæorum, quæ salvæ factæ sunt, pereuntibus ceteris. Nam superiùs dixerat, ad Israël dixisse Prophetam, *Tota die extendi manus meas ad populum non credentem & contradicentem:* & tamquam responderetur, Ubi sunt ergo factæ promissiones Dei ad Israël? continuò subjunxit, *Dico ergo, numquid repulit Deus plebem suam? Absit: nam & ego Israëlita sum ex semine Abraham, tribu Benjamin:* tamquam diceret, nam & ego ex ipsa plebe sum. Deinde addidit unde nunc agimus, *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Atque ut ostenderet Dei gratiâ fuisse relictas reliquias, non meritis operum eorum, secutus adjunxit, *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura? quemadmodum interpellat Deum adversùs Israël*, & cetera. *Sed quid dicit illi*, inquit, *responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal.* Non enim ait, relicta sunt mihi, aut reliquerunt se mihi: sed, *reliqui mihi. Sic ergo*, inquit, *& in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ* [a] *factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Et connectens illa quæ jam suprà interposui: *Quid ergo?* & huic interrogationi respondens, *Quod quærebat*, inquit, *Israël, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est, ceteri verò excæcati sunt.* In hac ergo electione, & in his reliquiis, quæ per electionem gratiæ factæ sunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia præscivit. Hæc est illa electio, qua eos quos voluit, elegit in Christo ante constitutionem mundi, ut essent sancti & immaculati in conspectu ejus, in caritate, prædestinans eos in adoptionem filiorum. Nullus igitur qui hæc intelligit, negare vel dubitare permittitur, ubi ait Apostolus, *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, prædestinationem significare voluisse. Præscivit enim reliquias, quas secundùm electionem gratiæ fuerat ipse facturus. Hoc est ergo prædestinavit: sine dubio enim præscivit, si prædestinavit: sed prædestinasse, est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus.

[Left margin notes: * Caput XVIII. Prædestinatio præscientiæ interdum nomine significatur. — Rom. 11. 2. — Rom. 10. 21. Isai. 65. 2. — Rom. 11. 1. — Ibid. 2. — Ibidem. — Ibid. 4. — 3. Reg. 19. 18. — Rom. 11. 5. — Ibid. 7. — Right margin: Ephes. 1. 4.]

Caput XIX.

48. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædestinationem intelligere? Magis enim fortasse voluerunt hoc verbo in ea re uti, quod & faciliùs intelligitur, & non repugnat, immo & congruit veritati quæ de prædestinatione gratiæ prædicatur. Hoc scio, NEMINEM CONTRA ISTAM PRÆDESTINATIONEM, quam secundùm scripturas sanctas defendimus, NISI ERRANDO DISPUTARE POTUISSE. Puto tamen eis qui de hac re sententias tractatorum requirunt, sanctos & in fide atque doctrina Christiana laudabiliter usquequaque diffamatos viros, Cyprianum & Ambrosium, quorum tam clara testimonia posuimus, debere sufficere, & debere ad utrumque, id est, ut & gratiam Dei gratuitam, sicut credenda atque prædicanda est, per omnia credant & per omnia prædicent, & eamdem prædicationem prædicationi qua hortamur pigros, vel corripimus malos, non opinentur adversam: quia & isti viri, cùm sic prædicarent Dei gratiam, ut unus eorum diceret, *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit*, alter autem, *Non est in potestate nostra cor nostrum & nostræ cogitationes*, non tamen hortari & corripere destiterunt, ut fierent præcepta divina. Nec timuerunt ne diceretur eis, Quid nos hortamini? quid & corripitis, si nihil boni [b] ut habeamus est nostrum, & si non est in potestate nostra cor nostrum? Hæc ne dicerentur eis, nequaquam illi sancti ea mente timere potuerunt, qua intelligebant paucissimis esse donatum, ut nullo sibi homine prædicante, per ipsum Deum vel per Angelos cælorum doctrinam salutis accipiant; multis verò id esse donatum, ut Deo per homines credant. Quolibet tamen modo dicatur homini verbum Dei, procul dubio, [c] quo sic audiat ut illi obediat, donum Dei est.

[Right margin notes: Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 4. Ambrosius de fuga sæculi, cap. 1. — Paucissimis donatum, ut sine hominis ullius ministerio doctrinam salutis acciperent.]

49. Unde supradicti tractatores excellentissimi divinorum eloquiorum, & gratiam Dei veram, sicut prædicanda est, prædicarunt, id est, quam nulla merita humana præcedunt; & ad facienda divina præcepta instanter hortati sunt, ut qui haberent donum obedientiæ, quibus jussis obediendum esset, audirent. Si enim gratiam merita ulla nostra præcedunt, profectò aut facti alicujus,

a In editis additur, *salva.* Non est hoc loco in MSS. nec in Græco textu Apostoli.

b Editi, *si nihil boni habeamus quod sit nostrum.* Prætulimus veterum codicum lectionem.

c Sic MSS. At editi, *qui sic audit.*

aut

aut dicti, aut cogitationis est meritum, ubi & ipsa intelligitur voluntas bona: sed brevissimè complexus est omnium genera meritorum, qui dicit, *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Qui verò ait, *Non est in nostra potestate cor nostrum, & nostræ cogitationes*, nec ipse facta & dicta præteriit: non enim est ullum factum dictumve hominis, quod non ex corde & cogitatione procedat. Quid autem amplius de hac re agere Cyprianus martyr gloriosissimus & doctor lucidissimus potuit, quàm ubi nos in oratione Dominica etiam pro inimicis fidei Christianæ orare oportere commonuit? ubi de initio fidei, quòd etiam hoc donum Dei sit, quid sentiret ostendit: & pro perseverantia usque in finem, quia & ipsam non nisi Deus eis qui perseveraverint donat, Ecclesiam Christi quotidie orare monstravit. Beatus quoque Ambrosius cùm exponeret quod ait Lucas evangelista, *Visum est & mihi*: *Potest*, inquit, *non soli visum esse, quod sibi visum esse declarat. Non enim voluntate tantùm humana visum est, sed sicut placuit ei qui in me loquitur Christus, qui ut id quod bonum est, nobis quoque videri bonum possit, operatur: quem enim miseratur, & vocat. Et ideo qui Christum sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Christianus, respondere, Visum est & mihi. Quod cùm dicit, non negat Deo visum; à Deo enim præparatur voluntas hominum. Vt enim Deus honorificetur à sancto, Dei gratia est.* Itemque in eodem opere, hoc est, in expositione ejusdem Evangelii, cùm ad illum venisset locum, ubi Dominum ad Jerusalem pergentem Samaritani recipere noluerunt: *Simul disce*, inquit, *quia recipi noluit à non simplici mente conversis. Nam si voluisset, ex indevotis devotos fecisset. Cur autem non receperint eum, Evangelista ipse commemoravit dicens, Quia facies ejus erat euntis in Ierusalem. Discipuli autem recipi intra Samariam gestiebant. Sed Deus* [a] *quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Quid evidentius, quid illustrius à verbi Dei tractatoribus quærimus, si & ab ipsis quod in Scripturis clarum est, audire delectat? Sed his duobus, qui sufficere debuerunt, sanctum Gregorium addamus & tertium, qui & credere in Deum, & quod credimus confiteri, Dei donum esse testatur, dicens: *Vnius deitatis, quæso vos, confitemini Trinitatem: si verò aliter vultis, dicite unius esse naturæ; &* [b] *Deus vocem dari vobis à sancto Spiritu deprecabitur*: id est, rogabitur Deus, ut permittat vobis dari vocem, qua quod creditis, confiteri possitis. *Dabit enim, certus sum; qui dedit quod primum est, dabit & quod secundum est*; qui dedit credere, dabit & confiteri.

Luc. 1. 3. Ambrosius super Lucã, in expositione proœmii.

Prov. 8. sec. LXX.

Luc. 9. 53.

Ambros. lib. 7. in Lucam, n. 27.

Gregorius Nazianzenus orat. 44. in Pentecosten.

50. Isti tales tantique doctores dicentes non esse aliquid, de quo tamquam de nostro, quod nobis Deus non dederit, gloriemur; nec ipsum cor nostrum & cogitationes nostras in potestate nostra esse; & totum dantes Deo, atque ab ipso nos accipere confitentes, ut permansuri convertamur ad eum; ut id quod bonum est, nobis quoque videatur bonum, & velimus illud, ut honoremus Deum, & recipiamus Christum, ut ex indevotis efficiamur devoti & religiosi, ut in ipsam Trinitatem credamus, & confiteamur etiam voce quod credimus: hæc utique gratiæ Dei tribuunt, Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis, non à nobis esse testantur. Numquid autem quisquam eos dicturus est, ita confessos istam Dei gratiam, ut auderent negare ejus præscientiam, quam non solùm docti, sed indocti etiam confitentur? Porrò si hæc ita Deum noverant dare, ut non ignorarent eum daturum se esse præscisse, & quibus daturus esset non potuisse nescire; procul dubio noverant prædestinationem, quam per Apostolos prædicatam contra novos hæreticos operosiùs diligentiúsque defendimus: nec tamen eis obedientiam prædicantibus, & ad eam sicut quisque poterat ferventer hortantibus, ullo modo rectè diceretur, Si non vultis obedientiam, ad quam nos accenditis, in nostro corde frigescere, nolite nobis istam Dei gratiam prædicare, qua Deum dare fatemini, quæ ut nos faciamus hortamini.

Caput XX.

51. Quamobrem si & Apostoli, & doctores Ecclesiæ qui eis successerunt, eosque imitati sunt, utrumque faciebant, id est, & Dei gratiam, quæ non secundùm merita nostra datur, veraciter prædicabant, & piam obedientiam præceptis salubribus instruebant: quid est quod invictâ conclusi violentiâ veritatis rectè se isti nostri dicere existimant, *Et si verum est quod dicitur de prædestinatione beneficiorum Dei, non est tamen populis prædicandum.* Prædicandum est prorsus, ut qui habet aures audiendi, audiat. Quis autem habet, si non accepit ab illo qui ait, *Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes?* Certè qui non [c] accepit, rejiciat: dum tamen qui capit, sumat & bibat, bibat & vivat. Sicut enim prædicanda est pietas, ut ab eo qui habet aures audiendi, Deus rectè colatur; prædicanda est pudicitia, ut ab eo qui habet aures audiendi, nihil genitalibus membris illicitum perpetretur; prædicanda est caritas, ut ab eo qui habet aures audiendi, Deus & proximus diligatur: ita prædicanda est & ista prædestinatio beneficiorum Dei, ut qui habet aures audiendi, non in se ipso, sed in Domino glorietur.

Suprà in epistolis Prosperi & Hilarii.

Luc. 8. 8.

Baruch. 2. 31.

52. Quod autem dicunt, *non opus fuisse hujuscemodi disputationis incerto minùs intelligentium tot corda turbari: quoniam non minùs utiliter sine hac definitione prædestinationis per tot annos defensa est catholica fides, tum contra alios, tum maximè contra Pelagianos, tot catholicorum & aliorum & nostris præcedentibus libris*: multùm miror eos dicere; nec adtendere, ut de aliis hîc taceam, ipsos libros nostros & ante quàm Pelagiani apparere cœpissent, conscriptos & editos, & videre quàm multis eorum locis futuram nescientes Pelagianam hæresim cædebamus, prædicando gratiam, qua nos Deus liberat à malis erroribus & moribus nostris, non præcedentibus bonis meritis nostris, faciens hoc secundùm gratuitam miseri-

In epistola Hilarii, n. 8.

[a] Aliquot MSS. *quem dignatur.*

[b] In Vaticanis codicibus omittitur *Deus*. Verùm sublato hoc verbo non est integra Gregorii sententia, quæ græcè sic habet: Μιᾶς θεότητος, ὦ οὗτοι, τὴν τριάδα ὁμολογήσατε, εἰ δὲ βούλεσθε, μιᾶς φύσεως· καὶ τὴν Θεὸς φωνὴν αἰτήσομαι παρὰ τοῦ πνεύματος ὑμῖν αἰτήσομαι. δώσει γάρ, εὖ οἶδα, ὁ τὸ πρῶτον δοὺς, καὶ τὸ δεύτερον, καὶ μάλιστα. Id est, *Vnius deitatis, ô viri, Trinitatem fateamini, aut, si magis placet, unius naturæ: atque hanc vocem, Deus, à Spiritu vobis precabimur. Nam qui primum dedit, dabit profectò secundum, idque potissimùm.* Notant Lovanienses Augustinum, qui haud dubiè græci exemplaris copiam non habuit, non rectè legisse *deprecabitur*, pro *deprecabimur*, interpretis fortè aut codicis vitio: quodque additur sententiæ explicandæ causâ, *id est, rogabitur Deus*, &c. item infrà, *qui dedit credere, dabit & confiteri*, exhibent italico charactere, dubitantes an sit interpretis, an Augustini.

[c] Noalliensis MS. *non capit.*

cordiam suam. Quod pleniùs sapere cœpi in ea disputatione, quam scripsi ad beatæ memoriæ Simplicianum episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, in mei episcopatûs exordio, quando & initium fidei donum Dei esse cognovi, & asserui.

53. Quid autem meorum opusculorum frequentiùs & delectabiliùs innotescere potuit, quàm libri Confessionum mearum? Cùm & ipsos ediderim ante quàm Pelagiana hæresis exstitisset; in eis certè dixi Deo nostro, & sæpe dixi: Da quod jubes, & jube quod vis. Quæ mea verba Pelagius Romæ, cùm à quodam fratre & coëpiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquanto commotiùs, penè cum eo qui illa commemoraverat litigavit. Quid verò primitus & maximè Deus jubet, nisi ut credamus in eum? Et hoc ergo ipse dat, si bene illi dictum est, Da quod jubes. Et in eisdem etiam libris quod de mea conversione narravi, Deo me convertente ad eam fidem, quam miserrima & furiosissima loquacitate vastabam, nonne ita narratum esse meministis, ut ostenderem me fidelibus & quotidianis matris meæ lacrymis ne perirem fuisse concessum? Ubi utique prædicavi, non solùm aversas à recta fide, sed adversas etiam rectæ fidei, Deum suâ gratiâ ad eam convertere hominum voluntates. De proficiente porrò perseverantia quemadmodum Deum rogaverim, & scitis, & potestis recensere cùm vultis. Omnia itaque Dei dona quæ in eodem opere sive optavi, sive laudavi, quis, non dicam negare, sed dubitare saltem audeat Deum daturum se esse præscisse, & quibus daturus fuerit, numquam potuisse nescire? Hæc est prædestinatio manifesta & certa sanctorum: quam postea diligentiùs & operosiùs, cùm jam contra Pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit. Didicimus enim singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentiùs defenderetur scriptura divina, quàm si nulla talis necessitas cogeret. Quid autem coëgit loca Scripturarum, quibus prædestinatio commendata est, copiosiùs & enucleatiùs isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicunt, gratiam Dei secundùm merita nostra dari: quod quid est aliud quàm gratiæ omnino negatio?

Lib. 10. cap. 29. cap. 31. & cap. 37.

Lib. 3. cap. 11. & 12. & lib. 9. cap. 8.

Hæreses quid boni per occasionem Ecclesiæ afferant.

CAPUT XXI.

54. HÆC ergo ut ingrata Deo sententia destruatur, gratuitis Dei beneficiis quibus liberamur inimica, & initium fidei, & in ea usque in finem perseverantiam secundùm Scripturas, unde jam multa diximus, dona Dei esse defendimus. Quoniam si à nobis esse dicimus initium fidei, ut eo cetera Dei dona mereamur accipere; concludunt Pelagiani, gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Quod ita exhorruit catholica fides, ut damnari timens, hoc Pelagius ipse damnaverit. Itemque si dicimus à nobis esse perseverantiam nostram, non à Domino; respondent illi, ita nos à nobis habere initium fidei, sicut finem, sic argumentantes, multo magis nos habere à nobis illud initium, si à nobis habemus permanere usque in finem, cùm perficere quàm inchoare sit majus: ac sic identidem concludunt, gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Si autem utrumque Dei donum est, & hæc Deus dona sua, (quod negare quis potest?) daturum se esse præscivit: prædestinatio prædicanda est, ut possit vera Dei gratia, hoc est, quæ non secundùm merita nostra datur, insuperabili munitione defendi.

55. Et ego quidem in illo libro, cujus est titulus, De correptione & gratia, * qui sufficere non potuit omnibus dilectoribus nostris, puto me ita posuisse donum Dei esse, etiam perseverare usque in finem, ut hoc antea, si me non fallit oblivio, tam expressè atque evidenter, vel nusquam, vel penè nusquam scripserim. Sed ita hoc nunc dixi, ut non ante me nemo dixerit. Beatus quippe Cyprianus in oratione Dominica, sicut jam ostendimus, petitiones nostras ita exposuit, ut in ipsa prima petitione perseverantiam nos diceret poscere, id nos orare asserens, dicendo, *Sanctificetur nomen tuum*, cùm jam in baptismate sanctificati fuerimus, ut in eo quod esse cœpimus, perseveremus. Videant tamen ii, quibus amantibus me, ingratus esse non debeo, qui præter hoc quod in quæstionem venit, omnia mea, sicut scribitis, se profitentur amplecti: videant, inquam, utrùm in primi libri posterioribus partibus, eorum duorum quos mei episcopatûs initio, ante quàm Pelagiana hæresis appareret, ad Simplicianum Mediolanensem episcopum scripsi, remanserit aliquid quo vocetur in dubium, gratiam Dei non secundùm merita nostra dari: & utrùm ibi non satis egerim, etiam initium fidei esse donum Dei: & utrùm ex iis quæ ibi dicta sunt, non consequenter eluceat, etsi non sit expressum, etiam usque in finem perseverantiam non nisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum regnum & gloriam. Deinde ipsam epistolam, quam jam contra Pelagianos ad sanctum Paulinum Nolanum episcopum feci, cui epistolæ contradicere modò cœperunt, nonne ante annos plurimos edidi? Eam quoque inspiciant, quam dedi ad Sixtum Romanæ Ecclesiæ presbyterum; quando adversùs Pelagianos acerrima conflictatione certavimus: & talem reperient, qualis illa est ad Paulinum. Unde recolant, adversùs hæresim Pelagianam jam ante aliquot annos ista dicta esse atque conscripta, quæ nunc eis displicere mirandum est. Quamvis neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis in quibus me non [a] errasse perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem; sed proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen à perfectione cœpisse: quando quidem arrogantiùs loquor quàm veriùs, si vel nunc dico, me ad perfectionem sine ullo errore scribendi jam in ista ætate venisse. Sed interest quantum & in quibus rebus erretur; & quàm facilè quisque corrigat, vel quantâ pertinaciâ suum defendere conetur errorem. Bonæ quippe spei est homo, si eum sic proficientem dies ultimus vitæ hujus invenerit, ut adjiciantur ei quæ proficienti defuerunt, & perficiendus quàm puniendus potiùs judicetur.

** Cap. 6.*

Matth. 6. 9.

Duo libri ad Simplicianum.

Epistola ad Paulinum quæ est ordine 186.

Epistola ad Sixtum 194.

Bonæ spei homo.

56. Quocirca, si hominibus, qui propterea me dilexerunt, quia pervenit ad eos, ante quàm me diligerent, aliqua mei laboris utilitas, nolo

[a] Sic MSS. At editi, *errare*.

exsistere ingratus: quanto magis Deo, quem non diligeremus, nisi priùs dilexisset nos, & fecisset dilectores suos? quoniam caritas ex ipso est: sicut dixerunt quos fecit magnos, non solùm [a] amatores, verùm etiam prædicatores suos. Quid est autem ingratius, quàm negare ipsam gratiam Dei, dicendo eam secundùm merita nostra dari? Quod in Pelagianis fides catholica exhorruit, quod ipsi Pelagio capitale crimen objecit: quod ipse Pelagius, non quidem amore veritatis Dei, sed tamen suæ damnationis timore damnavit. Quisquis autem dicere gratiam Dei secundùm merita nostra dari, sicut catholicus fidelis exhorret; nec ipsam fidem subtrahat Dei gratiæ, [b] qua misericordiam consecutus est ut fidelis esset: ac per hoc gratiæ Dei tribuat perseverantiam quoque usque in finem, qua misericordiam consequitur, quam poscit quotidie, ne inferatur in tentationem. Inter initium autem fidei & perfectionem perseverantiæ, media sunt illa, quibus rectè vivimus, quæ ipsi etiam donari nobis à Deo fide impetrante consentiunt. Hæc autem omnia, initium scilicet fidei, & cetera usque in finem dona sua, Deus largiturum se vocatis suis esse præscivit. Nimiæ igitur contentionis est, prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare.

1. Iohan. 4. 7.

Caput XXII. Prædestinatio quomodo citra offensionē prædicanda.

57. Quæ tamen non ita populis prædicanda est, ut apud imperitam vel tardioris intelligentiæ multitudinem redargui quodam modo ipsa sua prædicatione videatur: sicut redargui videtur & præscientia Dei, (quam certè negare non possunt,) si dicatur hominibus, *Sive curratis, sive dormiatis, quod vos præscivit qui falli non potest, hoc eritis.* Dolosi autem vel imperiti medici est, etiam utile medicamentum sic alligare, ut aut non prosit, aut obsit. Sed dicendum est, Sic currite, ut comprehendatis, atque ut ipso cursu vestro ita vos esse præcognitos noveritis, ut legitimè curreretis: & si quo alio modo Dei præscientia prædicari potest, ut hominis segnitia repellatur.

1. Cor. 9. 24.

58. Quamvis ergo ita se habeat de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex infidelitate, accepta voluntate obediendi, convertantur ad fidem, vel perseverent in fide; ceteri verò qui in peccatorum damnabilium delectatione remorantur, si & ipsi prædestinati sunt, ideo nondum surrexerunt, quia nondum eos adjutorium gratiæ miserantis erexit: si qui enim nondum sunt vocati, quos gratiâ suâ prædestinavit eligendos, accipient eamdem gratiam, qua electi [c] esse velint & sint: si qui autem obediunt, sed in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt: quamvis ergo hæc vera sint, non tamen isto modo dicenda sunt audientibus multis, ut sermo ad ipsos etiam convertatur, eisque dicantur illa istorum verba, quæ vestris litteris indidistis, & quæ superiùs interposui: *Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate, veneritis ad fidem.* Quid opus est dici, *alii ex vobis?* Si enim Ecclesiæ Dei loquimur, si credentibus loquimur, cur alios eorum ad fidem venisse dicentes, ceteris facere videamur injuriam? cùm possimus congruentiùs dicere: Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut ex infidelitate veneritis ad fidem accepta voluntate obediendi, & acceptâ perseverantiâ permaneatis in fide?

Odiosa & vitanda prædicandæ prædestinationis formula.

Corrigit superiorem formulam.

59. Nec illud quod sequitur, est omnino dicendum, id est: *Ceteri verò qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adjutorium gratiæ miserantis erexit.* Cùm bene & convenienter dici possit & debeat, Si qui autem adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite saluberrimam disciplinam: quod tamen cùm feceritis, nolite extolli quasi de operibus vestris, aut gloriari quasi hoc non acceperitis; Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate: & à Domino gressus vestri diriguntur, ut ejus viam velitis: de ipso autem cursu vestro bono rectoque condiscite vos ad prædestinationem divinæ gratiæ pertinere.

Philip. 2.13.

Psal. 36.23.

60. Item quod sequitur, & dicitur: *Verumtamen si qui estis nondum vocati, quos gratiâ suâ prædestinaverit eligendos, accipietis eamdem gratiam, qua velitis & sitis electi:* duriùs dicitur quàm dici potest, si nos non quibuslibet hominibus loqui, sed Christi Ecclesiæ cogitemus. Cur enim non potiùs ita dicitur: Et si qui sunt nondum vocati, pro eis ut vocentur oremus? Fortassis enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur, & accipiant eamdem gratiam, qua velint atque efficiantur electi. Deus enim qui omnia quæ prædestinavit implevit, ideo & pro inimicis fidei orare nos voluit, ut hinc intelligeremus, quòd ipse etiam infidelibus donet ut credant, & volentes ex nolentibus faciat.

61. Jam verò quod illis verbis connectitur, miror si ullo modo potest in populo Christiano quisquam infirmus patienter audire, cùm dicitur eis: *Et si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis.* Hoc enim dicere, quid videtur aliud esse, quàm maledicere, aut mala quodam modo prophetare? Sed si & de iis qui non perseverant, aliquid placet dicere, vel necesse est, cur non potiùs ita saltem dicitur, ut paulò antè à me dictum est: primùm, ut non de ipsis, qui in populo audiunt, hoc dicatur, sed de aliis ad ipsos; id est, ut non dicatur, *Si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi:* sed, Si qui obediunt; & cetera per verbi personam tertiam, non per secundam? Res enim non optabilis, sed abominabilis dicitur, & durissimè atque odiosissimè quasi in audientium frontem [d] compellando colliditur, quando qui eis loquitur, dicit, *Et si qui estis qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis.* Quid enim sententiæ deperit, si ita dicatur: Si qui autem obediunt, sed in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt? Nonne & veriùs eadem res & congruentiùs dicitur, ut non ipsis tantum malum tamquam optare videamur, sed de aliis referre, quod oderint, nec

[a] Er. *non solùm oratores.*
[b] Plerique MSS. hoc & proximo postea loco, pro *qua*, habent *quia misericordiam.*
[c] Verbum *esse* hoc loco abfuit in vetere Corbeiensi codice.

[d] Sic Am. Er. & MSS. Editio verò Lov. *compellendo*: quod tamen pro *compellando* non rectè substitui, monent Lovanienses in annotationibus ad hunc locum. *Respicit enim*, aiunt, *ad elocutionem per secundam personam, qua præsentes compellabantur.*

ad se existiment pertinere, sperando orandoque A meliora? Illo autem modo, quo id dicendum putant, eadem sententia eisdem penè verbis etiam de præscientia Dei, quam certè negare non possunt, pronuntiari potest, ut dicatur, *Et si qui obeditis, si præsciti estis rejiciendi, obedire cessabitis.* Nempe hoc verissimum est: ita sanè, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum, non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis apposito.

62. Illum etiam modum, quo utendum esse B in prædestinationis prædicatione nos diximus, loquenti apud populum non existimo debere sufficere, nisi hoc vel hujusmodi aliquid addat, ut dicat: Vos itaque etiam ipsam obediendi perseverantiam à Patre luminum, à quo descendit omne datum optimum & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere, non vos esse à prædestinatione populi ejus alienos; quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur. Absit autem à vo- C bis, ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis qui spem habet in homine: & bonum est confidere in Domino quàm confidere in homine; quia beati omnes qui confidunt in eum. Hanc spem tenentes, servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore: quoniam de vita æterna, quam filiis promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi consum- D mata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram: sed faciet nos perseverare in se usque in ejus vitæ finem, cui quotidiè dicimus, Ne nos inferas in tentationem. Hæc atque hujusmodi cùm dicuntur, sive paucis Christianis sive multitudini Ecclesiæ, cur metuimus sanctorum prædestinationem & veram Dei gratiam, id est, quæ non secundùm merita nostra datur, sicut eam sancta scriptura prædicat, prædicare? An verò timendum est, ne tunc de se homo desperet, E quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret, si eam in se ipso superbissimus & [a] infelicissimus poneret?

Jacob. 1. 17. — *Jer. 17. 5.* — *Psal. 117. 8.* — *Psal. 2. 13.* — *Ibidem 11.* — De vita æterna nemo in hac vita securus. — *Job 7. 1.* — *Matth. 6. 13.*

CAPUT XXIII. Ecclesiæ totius in ipsius orationibus testimoniũ.

63. ATQUE utinam tardi corde & infirmi, qui non possunt, vel nondum possunt Scripturas vel earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit & habebit Ecclesia ab exordiis suis, donec finiatur hoc sæculum. De hac enim F re, quam nunc adversùs novos hæreticos, non commemorare tantùm, sed planè tueri & defensare compellimur, numquam tacuit in precibus suis, etsi aliquando in sermonibus exserendam nullo urgente adversario non putavit. Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis ejus ut crederent? Quando fidelis quisquam amicum, proximum, conjugem habuit infidelem, & non ei petivit à Domino mentem obedientem in Christianam fidem? Quis autem G sibi umquam non oravit, ut in Domino permaneret? Aut quis sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit, Da illis Domine in te perseverare usque in finem; non solùm voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehen-

Benedictio sacerdotis super fideles.

A dere; ac non potiùs super ejus talem benedictionem, & corde credente & ore confitente respondit, Amen: cùm aliud in ipsa oratione Dominica non orent fideles, dicentes maximè illud, *Ne nos inferas in tentationem*; nisi ut in sancta obedientia perseverent? Sicut ergo in his orationibus, ita & in hac fide nata est, & crescit, & crevit Ecclesia, qua fide creditur, gratiam Dei non secundùm merita accipientium dari. Quando quidem non oraret Ecclesia ut daretur infideli- B bus fides, nisi Deum crederet & aversas & adversas hominum ad se convertere voluntates: nec oraret Ecclesia, ut perseveraret in fide Christi, non decepta vel victa tentationibus mundi, nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum, ut bonum quod non tenemus nisi propria voluntate, non tamen teneamus nisi ipse in nobis operetur & velle. Nam si hæc ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed à se ipsa sibi dari putat: non veras, sed perfunctorias orationes habet; C quod absit à nobis. Quis enim veraciter gemat, desiderans accipere quod orat à Domino, si hoc à se ipso se sumere existimet, non ab illo?

64. Præsertim, quoniam *quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus*, ait Apostolus, *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui enim scrutatur corda, scit quid sapiat Spiritus, quia secundùm Deum interpellat pro sanctis.* Quid est, *ipse Spiritus interpellat*, nisi interpellare facit, *gemitibus inenarrabilibus*, sed veracibus, quoniam D veritas est Spiritus? Ipse est enim de quo alio loco dicit: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem, Abba, pater.* Et hîc quid est, *clamantem*, nisi clamare facientem; tropo illo quo dicimus lætum diem, qui lætos facit? Quod alibi manifestat, ubi dicit, *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater.* Ibi dixit, *clamantem*; hîc verò, *in quo clamamus*: aperiens videlicet quomodo dixerit, E *clamantem*, id est, sicut jam exposui, clamare facientem. Ubi intelligimus, & hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde & spiritaliter clamemus ad Deum. Adtendant ergo quomodo falluntur, qui putant esse à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus: & hoc esse dicunt, quòd gratia præceditur merito nostro, ut sequatur illa, cùm accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulsantibus: nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, F ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus. [b] Accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater. Quod vidit & beatus Ambrosius. Ait enim, *Et orare Deum, gratiæ spiritalis est: sicut scriptum est, Nemo dicit, Dominus Iesus, nisi in Spiritu-sancto.*

Rom. 8. 26. — Spiritus-sanctus quo sensu interpellet pro nobis & clamet, Abba, pater. — *Gal. 4. 6.* — *Rom. 8. 15.* — *In comment. super I, Luc. & lib. 4. contra duas epistolas Pel. cap. 11.*

65. Hæc igitur quæ poscit à Domino, & semper ex quo esse cœpit, poposcit Ecclesia, ita Deus vocatis suis daturum se esse præscivit, ut in ipsa prædestinatione jam dederit: quod G Apostolus sine ambiguitate declarat. Scribens quippe ad Timotheum: *Collabora*, inquit, *Evangelio secundùm virtutem Dei salvos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora*

2. Tim. 1. 8. &c.

[a] Tres MSS. *& infidelissimus.*

[b] Sic MSS. At editi, *Accipimus.*

æterna, manifestata autem nunc per adventum Salvatoris nostri Iesu Christi. Ille itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis hujus & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos curâ diligentiore defenditur: ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audet aliquando eam non orasse, vel non veraciter orasse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles. Quæ bona si semper oravit, semper ea Dei dona esse utique credidit; nec ab illo esse præcognita umquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, numquam Ecclesia Christi non habuit.

Caput XXIV. Conclusio.

66. SED quid plura? Satis docuisse me existimo, vel potiùs plus quàm satis, dona Dei esse, & incipere in Dominum credere, & usque in finem in Domino permanere. Cetera verò bona ad vitam piam, qua Deus rectè colitur pertinentia, etiam ipsi propter quos hæc agimus, Dei dona esse concedunt. Omnia porrò dona sua, & quibus ea fuerat largiturus, Deum præscisse negare non possunt. Sicut ergo cetera prædicanda sunt, ut qui ea prædicat, obedienter audiatur: ita prædestinatio prædicanda est, ut qui obedienter hæc audit, non in homine, ac per hoc nec in se ipso, sed in Domino glorietur: quia & hoc, Dei præceptum est: & hoc præceptum obedienter audire, id est, ut qui gloriatur, in Domino glorietur, similiter ut cetera, Dei donum est. (1. Cor. 1. 31.) Quod donum qui non habet, non dubito dicere, alia quæcumque habet, inaniter habet. Hoc Pelagiani, optamus, ut habeant; isti autem nostri ut pleniùs habeant. Non itaque simus in disputationibus promti, & in orationibus pigri. Oremus dilectissimi, oremus, ut Deus gratiæ det etiam inimicis nostris, maximéque fratribus & dilectoribus nostris, intelligere & confiteri, post ingentem & ineffabilem ruinam, qua in uno omnes cecidimus, neminem nisi gratiâ Dei liberari, eamque non secundùm merita accipientium tamquam debitam reddi, sed tamquam veram gratiam nullis meritis præcedentibus gratis dari.

Prædestinationis illustrissimum exemplum Christus Jesus.

67. Nullum autem est illustrius prædestinationis exemplum quàm ipse Jesus: unde & in primo libro * jam disputavi, & in hujus fine commendare delegi: nullum est, inquam, illustrius prædestinationis exemplum quàm ipse Mediator. (* Cap. 15.) Quisquis fidelis vult eam bene intelligere, attendat ipsum, atque in illo inveniat & se ipsum. Fidelis, inquam, qui in eo veram naturam credit & confitetur humanam, id est, nostram, quamvis singulariter suscipiente Deo Verbo, in unicum Filium Dei sublimatam, ita ut qui suscepit & quod suscepit, una esset in Trinitate persona. Neque enim homine assumto quaternitas facta est, sed Trinitas mansit, assumtione illa ineffabiliter faciente personæ unius in Deo & homine veritatem. Quoniam non Deum tantùm dicimus Christum, sicut hæretici Manichæi; nec hominem tantùm, sicut hæretici Photiniani; nec ita hominem, ut aliquid minùs habeat quod ad humanam certum est pertinere naturam, sive animam, sive in ipsa anima mentem rationalem, sive carnem, non de femina sumtam, sed factam de Verbo in carnem converso atque mutato; quæ omnia tria falsa & vana, hæreticorum Apollinaristarum tres partes varias diversasque fecerunt: sed dicimus Christum Deum verum, natum de Deo Patre sine ullo initio temporis; eumdemque hominem verum, natum de homine matre certa plenitudine temporis; nec ejus humanitatem, qua [a] minor est Patre, minuere aliquid ejus divinitati, qua æqualis est Patri. Hoc autem utrumque unus est Christus, qui & secundùm Deum verissimè dixit, *Ego & Pater unum sumus:* (Iohan. 10. 30.) & secundùm hominem verissimè dixit, *Pater major me est.* (Iohan. 14. 28.) Qui ergo hunc fecit ex semine David hominem justum, qui numquam esset injustus, sine ullo merito præcedentis voluntatis ejus; ipse ex injustis facit justos, sine ullo merito præcedentis voluntatis ipsorum, ut ille caput, hi membra sint ejus. Qui ergo fecit illum hominem, sine ullis ejus præcedentibus meritis, nullum quod ei dimitteretur, vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum; ipse nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum: qui fecit illum talem, ut numquam habuerit habiturusque sit voluntatem malam; ipse facit in membris ejus ex mala voluntate bonam. Et illum ergo & nos prædestinavit; quia & in illo ut esset caput nostrum, & in nobis ut ejus corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præscivit.

De Christi incarnatione errores Manichæorū, & Photinianorū.

Apollinaristarum tres sectæ.

68. Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent ut eorum ille sit doctor interior, à cujus facie est scientia & intellectus. (Prov. 2. sec. LXX.) Qui verò errare me existimant, etiam atque etiam diligenter quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent. Ego autem cùm per eos qui meos labores legunt, non solùm doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco: & hoc per Ecclesiæ doctores maximè exspecto; si & in ipsorum manus venit, dignanturque nosse quod scribo.

[a] Omnes MSS. *qua major est Pater.*

FULGENTIUS in fine libri de incarnatione & gratia D. N. J.

DEUS qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua & donum illuminationis ad credendum, & donum perseverantiæ ad proficiendum atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit: quippe non aliter perficit in opere, quàm in sua sempiterna atque incommutabili habet dispositum voluntate. Cujus PRÆDESTINATIONIS VERITATEM, qua nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam, qua Deo vivo & vero rebellis obsistit, non abjecerit; manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratìs elegit & prædestinavit ad regnum. Pro quibus tamen nec oratio fidelium debet desistere, nec caritas aliquando torpere; ut Deus eis gratiam suæ illuminationis donet, per quam in ipsis semen divini sermonis fructificet, qui frustra exterioribus auribus sonat, nisi Deus spiritali munere auditum hominis interioris aperiat.

Ex eodem Fulgentio ADRIANUS Papa I. in epist. ad Egilam, & in epist. ad episcopos Hispaniæ.

OPERA misericordiæ ac justitiæ præparavit Deus in æternitate incommutabilitatis suæ; & sicut futurorum operum suorum numquam fuit ignarus, sic in eorumdem operum præparatione numquam improvidus. Præparavit ergo justificandis hominibus merita, præparavit iisdem glorificandis & præmia. Malis verò non præparavit voluntates malas, aut opera mala, sed præparavit eis justa & æterna supplicia. Hæc est æterna prædestinatio futurorum operum Dei, quam sicut nobis Apostolicâ doctrinâ semper insinuari cognoscimus, sic etiam fiducialiter prædicamus, &c. TENEATUR ergo PRÆDESTINATIONIS VERITAS à fidelibus cunctis: quia quisquis divinum non credit in hac prædestinatione consilium, non perveniet ad gloriosum ejusdem prædestinationis effectum.

SANCTI AURELII
AUGUSTINI
HIPPONENSIS
EPISCOPI
OPERUM
TOMUS DECIMUS.
PARS SECUNDA,

In qua Opus imperfectum contra ſecundam Juliani reſponſionem,
Appendix opuſcula quædam ſubdititia, variaque ſcripta ad Pelagianam hiſtoriam pertinentia, cum Proſperi apologeticis pro Auguſtino, complectens,
Ac poſtremo loco Auguſtini vita auctore Poſſidio exhibetur:
Omnia hæc de novo caſtigata ad veteres codices & editiones inſigniores,

OPERA ET STUDIO MONACHORUM
Ordinis S. Benedicti è Congregatione S. Mauri.



PARISIIS,
Excudebat FRANCISCUS MUGUET Regis, Cleri Gallicani & illuſtrſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis typographus.

MDCXC.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

ADMONITIO

ADMONITIO
IN OPUS IMPERFECTUM
CONTRA SECUNDAM JULIANI RESPONSIONEM.

PERVENIMUS tandem ad ultimum Augustini opus, in quo beatus gratiæ Christi vindex, dum hæretici Juliani eum denuo aggredientis impetum comprimit, nondum absoluto eodem opere, morte occupatur, & è medio certamine ad percipiendam coronam vocatur in cælum. Verùm ante quàm nostræ in id operis observationes proponantur, haud abs re fuerit, ipsius Juliani, patroni Pelagianæ hæresæos præter ceteros ardentis & famosi, atque inter Augustini adversarios insolentissimi, genus & mores dicere, factaque seu scripta ejus recensere.

De Juliano & ejus scriptis.

JULIANUS ergo Memore ac Juliana, utroque parente ab opinione pietatis claro, prognatus est. Memorem certè Marius Mercator in commonitorio subnotationum in scripta Juliani, [a] sanctæ ac beatæ recordationis episcopum, *Julianam autem Memoris conjugem*, primariam feminam *vocat*, quâ nihil, *ait*, honestius inter reverentissimas matronas invenias: *atque mox de Memore simul ac Juliana loquens*, qui sanctos, *inquit*, illorum hominum mores, sanctam vitam, institutumque noverint. *Illum ipsum Juliani patrem etiam nobilitate generis conspicuum fuisse, Hieronymus Vignerius in præfatione ad imperfectum opus Augustini ex inedita quadam Fulgentii scriptione prodit. Inde verò non minùs commendandus idem Memor, quòd Augustino amicitiâ & litterarum officio conjunctus fuerit: de quo sanctus Doctor in libro contra Julianum primo, cap. 4.* [b] Ego certè beatæ memoriæ Memoris patris tui non immemor, qui mecum non parvam inierat amicitiam colloquio litterarum, teque ipsum mihi carissimum fecerat. *Exstat etiam nunc scripta Memori epistola inter Augustinianas ordine 101. præter quam altera est ad eumdem in indiculo Possidii notata. Memorem Ughellus Capuanis episcopis (haud quaquam tamen ullâ idoneâ auctoritate fretus) adjungit, proximo post Vincentium loco, qui Vincentius ex Athanasii historia percelebris est, eum recensens.*

[a] V. infrà in append. pag. 114. g.
[b] Suprà pag. 503. b.

Natus est Julianus in Apulia, teste [c] *Augustino; forsitan Eculani, seu Eclani: si tamen urbs illa, jam inde à trecentis annis Campaniæ inclusa finibus, hoc nomine locabatur adhuc in Apulia, quòd olim inter Apuliæ urbes numerata fuisset. Memor ejus pater, qua erat pietate,* [d] *filium ad ecclesiam quàm primùm tulit, eique adhuc infanti baptismi gratiam dari voluit,* nesciens eidem gratiæ quàm esset futurus ingratus. *Huic adtribuit* [e] *Gennadius ingenium acre, magnam sacrarum scripturarum cognitionem, tamque multiplicem eruditionem litterarum græcarum & latinarum, ut Julianus, priùs quàm Pelagianæ hæresis in eo deprehenderetur impietas, celebre sibi nomen inter Ecclesiæ doctores compararit. Mercatori tamen haud injuriâ dicitur,* [f] horrida loquacitate, *cùm adversùs Augustinum dissereret*, evagatus, disertum se magis ostentare & sciolum volens. *Ipsum etiam à Prospero putant designatum fuisse hoc versiculo, qui simul & ejus episcopatûs locum, & scribendi characterem ac ingenium referre atque innuere videtur:* [g] Aut huic Campano gramine corda tument. *Quem rursum Prosper in chronico* [h] jactantissimum Pelagiani erroris adsertorem *appellat. Sanctus quoque Augustinus ipsum merito jure nominat* [i] juvenem confidentissimum; *atque eum* [k] *linguâ, quàm mente magis valuisse asserit: à quo & dicitur,* [l] in disputatione loquacissimus, in contentione calumniosissimus, in professione fallacissimus.

[c] Infrà pag. 1324. d.
[d] V. suprà pag. 504. d. & 672. g. & infrà pag. 957. c.
[e] Infrà in append. pag. 114. a. b.
[f] Ibid. d.
[g] Ibid. pag. 222. d.
[h] Ibid. pag. 136. b.
[i] V. infrà pag. 1075. c.
[k] V. suprà pag. 566. e. & 574. g.
[l] Infrà pag. 1163. c.

Cùm ætate jam adulta esset, ei pater uxorem dedit: testaturque pluribus locis Augustinus illum conjugali vinculo fuisse adstrictum. Fatendum est certè, cum ejus familia necessitudinem Paulino episcopo Nolensi intercessisse longè artissimam: quando quidem hic se indignum minimè putavit, nuptias illius pio epithalamio, quod inter ipsius opera hodieque legitur, celebrare. In hoc ille tum Julianum, quem puerum adhuc vocat, tum Jam uxorem

eius hortatur, dignam episcopali domo modestiam & in nuptiarum sollemnitate, & in toto vitæ curriculo conservent: quin etiam illis, uti virginitatem colant perpetuam, precatur. Poëmatis in libris quibusdam editis titulus est: Epithalamium in Julianum episcopi Memoris filium, & Jam clarissimam feminam uxorem ejus. *Hinc Vignerius Juliani uxorem antiqua & consulari nobilitate splendidam fuisse contendit; atque ad eamdem Jam refert illud ex inedito quodam Fulgentii opere testimonium:* Nec illi sufficiebat paternæ nobilitati, Æmiliorum fasces admovisse, quos hæresi degenere turpiter maculavit. *Interfuit reapse nuptiis episcopus quidam nomine Æmilius: at eum Jæ patrem, quod Vignerius primus asseruit, Paulinus non dicit exstitisse; atque hoc ipso quòd non dicit, argumentum in contrariam partem suppeditat. Quin & sæpius Julianum ejusque conjugem appellat* Memoris natos, *aut* Memoris domum: *unde haud ineptè colligas, Æmilium, si quidem alterutrum cognatione adtigerit, non nisi in remoto gradu adtigisse. Observat Paulinus, Memorem functum esse officio suo ergà Æmilium, dum illos eidem in manus tradidit, qui jugans capita amborum sub pace jugali manu sua obnupsit & oratione consecravit. Nos quidem fugit, idcirco-ne hoc obsequium velit à Memore deferri oportuisse Æmilio, quòd apud hunc nuptiæ celebrarentur, an verò propter viri summam venerationem. Hunc enim Æmilium depingit tamquam Juliani & Jæ atque ipsius Memoris patrem, ac virum cui propria virtus eximium cultum observantiamque pepererat. Inde est, quòd eumdem illum Æmilium esse autument, qui cum aliis* [a] *duobus ab Honorio & Occidentis episcopis ad Arcadium in Johannis Chrysostomi caussa destinatus, confessoris titulum anno 406. promeruit; qui & à Metaphraste dicitur Beneventanus episcopus. Cur autem Paulinus in epithalamio ita cecinerit:*

Surge Memor, venerare patrem, complectere fratrem:
Uno utrumque tibi nomen in Æmilio est.
Junior & senior Memor est; *&c.*
Filius est, fraterque Memor: lætatur adesse
Communem sibimet pignoribusque patrem:

haud satis assequimur; nisi fortè credendus sit Memor dignitate quidem senior & frater, quia episcopus; genere autem aut ætate filius ac junior, quia ab Æmilio genitus, vel eo saltem posteriùs natus. Nam quod scribit Johannes Garnerius, [b] *Æmilium tamquam Beneventanum antistitem Memoris fuisse Metropolitanum; contrà Ughelli & Geographiæ sacræ testimonio constat, metropoleos dignitatem tunc temporis penes Beneventum non fuisse. Nec etiam arbitramur defendi posse id quod idem,* [c] *Æmilium jam vitâ functum poëtica fictione, quæ illi videtur admodum ingeniosa, induci asseverat.*

Jam verò cooptatum inter clericos Julianum, & ad Lectoris munus, priùs quàm conjugium iniret, adscitum esse, docet Paulinus istis in epithalamio versibus:

Clericus uxorem Christo comente decoram
    Diligat, & pulcram lumine cordis amet:
Auxilioque viri divino munere factam
    Lector cælesti discat ab historia.

Ab hoc Lectoris gradu ad altiorem promotus fuit, ac sive uxor naturæ jam concessisset, sive uterque continentiam servarent, illum certum est officio diaconatûs anno supra quadringentesimum octavo vel nono, quo patri ejus Augustinus scripsit, adolescentem *huc functum fuisse. In illa 101. epistola sanctus præsul singularem præbet sui in Julianum studii significationem; ejusque patrem rogat, ad se illum in aliquod tempus venire jubeat.*

Denique idem Julianus in episcopalem ordinem evectus fuit. Nam licet Augustinus eum sæpe sæpius filium vocet, in eo tamen honorem agnoscit episcopatûs, cùm erumpit in illam exclamationem: [d] O frontem qualiumcumque episcoporum! *Ac præterea epistolam ad Thessalonicensem antistitem Juliani solius non esse, sed* [e] *ipsi cum plurimis Pelagianis episcopis communem dicit. Quin etiam ipse Julianus* [f] *Turbantium episcopum, cui primum suum opus in Augustinum nuncupavit, fratrem nominat. Prosper in chronico ad annum 439. meminit* [g] *episcopatûs eidem Juliano, nec dubium quin propter hæresim, dudum erepti.*

Ordinaverat eum Innocentius primus, uti Mercator [h] *in commonitorio contra Pelagianos scribit. Cui verò Ecclesiæ præfectus fuerit, dissensio erat aliquando inter eruditos, cùm in Gennadii libro de scriptoribus ecclesiasticis* episcopus *diceretur* Capuanus: *in Prosperi autem chronico,* Julianus Atellanensis; *in epistola Petri diaconi ad Africanos episcopos in Sardinia*

[a] V. Baron. ad an. 405. & 406.
[b] Super cap. 4. subnotationum Mercatoris in Jul.
[c] In dissert. 1. ad Mercat. cap. 6. ubi de Juliano.
[d] Suprà pag. 611. c.
[e] Pag. 431. a.
[f] Infrà pag. 875. a.
[g] Infrà in append. 136. c.
[h] Ibid. pag. 71. c.

exsules, Julianus Edanensis; *in Gelasii papæ decreto de scripturis apocryphis*, Celanensis *legeretur: quo etiam posteriore titulo à Beda præfatione lib.* 1. *in Cantica canticorum donatur. Tametsi voces illæ*, Juliani Celanensis episcopi à Campania, *quibus Beda utitur, absolutè possint ita exponi, ut Julianum ortu quidem Celanensem, episcopali autem sede Campanum fuisse significent: quemadmodum cùm eum Prosper Atellanensem, Petrus diaconus Edanensem, Gelasius Celanensem nominat, appellationes istas de natali ejus loco, perinde atque de episcopali, liceret interpretari: atque ita quo minùs sedisse eum Capuæ crederemus, nihil vetaret; nisi observatum esset apud Gennadium in probatioribus manuscriptis, velut in eo quem in appendice sequimur, antiquissimo exemplari Corbeiensi; nullum de Juliani episcopatu verbum reperiri. Sic porrò etiam Prosperi editiones recentiores, pro Atellanensi, Eclanensem ex melioris notæ mss. substituunt. Quam quidem correctionem nihil moratus* [a] *Petrus Franc. Chiffletius, primam Prosperi lectionem aliâ potiorem esse, ac verè Julianum Atellæ, quæ in urbibus Campaniæ olim celebrabatur, & è cujus ruinis Aversa postmodum inter Neapolim Capuamque excitata est, sedem tenuisse voluit. At controversiam decidit Marius Mercator Juliani æqualis & æmulus, ejusque gentilis, dum verbis conceptis ipsum aliàs* [b] exepiscopum Eclanensem, *aliàs* [c] exepiscopum oppidi Eclanensis *vocat: quo cum Mercatore Petrum diaconum, Gelasium, ac Bedam, unâ mutatâ vel transpositâ litterâ conciliare, non ita magni negotii fuerit.*

[a] In Pauli-no illust. part. 2. c. 29.
[b] Infrà pag. 868.
[c] Infrà in append. pag. 116. e.

Isthæc autem civitas quondam clara, nunc ruinis suis sepulta, antiquis Eculanum sive Eclanum dicta est. Posita erat in Hirpinis in ulteriori principatu, à Benevento quindecim millibus distans, versùs Euro-notum. Sunt qui putent eamdem postea Quintodecimum appellatam, nec non nostrâ hac memoriâ ejus rudera quædam ac parietinas prope Mirabellam conspici. Episcopalis sedes Eclano Frequentum, Italicè Frigento seu Fricento, translata fuit. Frequentum verò Nonis Maiis anni supra millesimum quadringentesimi sexagesimi quinti aut sexti Abellinensi episcopatui conjunctum est. Regionem hanc tradunt [d] *quondam Apuliæ limitibus comprehensam fuisse, at verò Campaniæ accessisse jam inde ab Adriani temporibus.*

[d] V. Noris. hist. Pelag. lib. 1. c. 18.

Parentibus demortuis, (quod quonam anno contigerit, invenire nuspiam fuit,) Julianus duarum sororum curam cùm suscepisset, eo munere nec sibi nec illis honorificè perfunctus est. Novimus, novimus, [e] *ait Mercator*, quid tibi una earum, cùm tu nimis severus in ejus ruinam pudoris insurgeres, objecerit, vel exprobraverit; atque tu mutus illico non ausus es ulteriùs censuræ tuæ ullas dolori ejus inferre molestias. *Nempe fidei corruptionem continuò morum, ut solet, in Juliano secuta corruptio est.*

[e] Infrà in append. pag. 115. a.

Quo ille tempore virus Pelagianæ hæreseos sugere cœperit, minimè compertum. Beda doctum eum à Pelagio [f] puerulum *adhuc, & ab ipso* quasi in caverna colubri regulum, *cùm anno Christi 415. dialogos suos adversùs Pelagianos Hieronymus edebat, nutritum esse scribit. Sed hæc Bedæ verba si pressè atque ad apices exposueris, planè falsa reperies: si quidem multo ante annum Christi 415. Julianus pueritiæ annos excesserat; neque veri simile est, eum, nisi fortè idem ipse sit qui Anianus pseudodiaconus Celedensis ab Hieronymo vocatur, tunc temporis in Palæstina, ubi Pelagius hoc anno degebat, exstitisse. At potuit mutua aliqua inter eos cognitio Romæ nasci ante annum 408. aut 410. quo anno exivit ex Urbe Pelagius. Atque idem ipse Julianus fortè non immeritò censebitur ex illis fuisse, de quibus anno Christi 417. statim ab Innocentii papæ obitu Augustinus ad Paulinum* [g] *scripsit; quique dicebant citiùs se defecturos à Pelagio, quàm originale peccatum agnituros: quamquam ex civitate Nolensi esse hos Augustino nuntiatum esset. Dicit alio* [h] *loco sanctus Doctor Julianum, si Romanæ Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium audire voluisset, jam tunc periculosam juventutem suam Pelagianis laqueis expediturum fuisse. Eum, quoad memoratus Pontifex vixit,* [i] *catholicam sententiam retinuisse testatur Mercator: quæ res eò commodè potest referri, quod idem auctor eodem loco dicit, Julianum à communione Innocentii, ne damnatis quidem Pelagio & Cælestio recessisse, sed ipsi eorum* damnatori *usque ad ejus mortem* communicasse. *Sed eum tamen superstite adhuc Innocentio hæresim amplexum esse, liquidò declarat Augustinus illis ipsis verbis:* Jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. *Narrant* [k] *ipsius quemdam paralogismum, quo Romæ cum præcipuis factionis ducibus agens à rudioribus conabatur extorquere, ut originis culpam merum commentum esse faterentur: quod,* [l] *Joannis Garnerii judicio, in annum 417. quadrare potest. Si definitiones illas, quas libro de perfectione justitiæ refellit Augustinus, eidem nos, uti Garnerius censet, tribuere oporteat; dubium non erit, quin jam inde ab anno 415. perfectus fuerit Pelagianus. Illud in confesso est, damnatis à Zosimo papa anno 418. Pelagianis, eumdem Julianum* [m] *subscribere pontificiam*

[f] Ibid. pag. 122. a.
[g] Epist. 186. cap. 8. n. 29.
[h] Lib. 1. cont. Jul. cap. 4. suprà p. 503. f.
[i] Infrà in append. pag. 71. e.
[k] Ibid. pag. 115. f.
[l] Garn. ad Mercat. dissert. 1. c. 6. de Jul.
[m] Infrà in append. pag. 71. d. e.

sententiam noluisse, atque ob eam rem ab illo dignitate spoliatum fuisse, & ex Italia ejectum. Huic ipsi Pontifici binas super quæstionibus de gratia epistolas dedisse eum [a] *reperimus.*

[a] Infrà pag. 880. f.

Hieronymus Vignerius primis temporibus hæreseos Juliani adsignat id quod habet [b] *Gennadius, illum per famem atque egestatem publicam pauperibus dilargitum esse suas facultates, & hacce caritatis specie quàm plurimos ad suam hæresim, maximè ex genere eorum qui pietati addictiores videbantur, adjunxisse. Qua de re id nobis unum observare licet, in postremo suo opere* [c] *affirmare Augustinum, illum à miseris quos deceperat, otiosum ali; nec* [d] *posse ipsum scribendis ac dictandis libris vacare, si nolint homines ei victum subministrare sumtusque congruentes: quod quidem eum tunc nullo proventu suo vel fructibus vixisse, satis designat; non tamen inde quisquam colligat, Augustino exploratum fuisse, illum impendisse omnia, quò penuriam alienam levaret.*

[b] Infrà in append. pag. 114. b.
[c] Infrà pag. 975. f.
[d] Infrà pag. 1053. c. d. & 1071. c.

Anno, ut quidem videtur, 419. *is unà cum aliis ejusdem sectæ episcopis ad Rufum Thessalonicensem antistitem scripsit; nec non Romam ad amicos, ut in errore illos confirmaret, litteras misit: sub quod etiam tempus priorem Augustini librum de Nuptiis & concupiscentia quatuor voluminibus refellere conatus est.*

Cùm postea solum vertere esset coactus, [e] *maria & terras cum erroris sui sociis & collegis peragravit;* Orientem, *id est, Asiam minorem* lustravit; *& tandem in Cilicia apud Theodorum Mopsuestenum, quem Pelagianæ hæresis æquè parentem ac Nestorianæ faciunt, quiete nonnulla potitus est. Illic alios octo libros in Augustinum condidit. Sed neque dubitaverimus quin ipsi Theodoro, ut adversùs originalis peccati assertores quinque suos libros emitteret, auctor fuerit. Verumtamen è Cilicia vix dum excesserat,* [f] *cùm ei Theodorus ille in provinciali synodo anathematis notam inussit. Italiam anno* 421. *quo Alypius episcopus sex Augustini libros adversùs eumdem illuc detulit, jam reliquerat: quando quidem, cùm octo suos in sanctum Doctorem edidit, omnino de isthoc illius opere nihil* [g] *audierat.*

[e] Infrà in append. pag. 116. e.
[f] Ibid. g.
[g] Infrà pag. 1153. d.

Ejus mentionem ex quo migravit è Cilicia in annum usque 428. *nusquam reperimus. At ponitur Julianus veluti dux ac primipilus eorum episcoporum, qui ob negatum originale peccatum officio abdicati, Nestorii præsidium circiter ipsum annum* 428. *implorarunt. Hinc Mercator præfatione ad Nestorii adversùs Pelagianam hæresim sermones:* Contra Pelagii, *ait,* seu Cælestii pravam & impiam definitionem quamvis rectè sentiret & doceret *Nestorius:* Julianum tamen exepiscopum Eclanensem cum participibus suis, hujus hæresis signiferum & antesignanum, olim ab apostolica sententia exauctoratum atque depositum, in amicitiam interim censuit suscipiendum, spem ei absolutionis promittens: ipsum quoque Cælestium litteris suis, quarum exempla subdidimus, consolatus est. Quod utrum malitiâ an vecordiâ fecerit, non facilè nosci potest: ut contra quorum distortas sententias, præter propriam impietatem quæ illum ad damnationem usque perduxit, rectissimè sentiebat & docebat, eos & amicos haberet, & spe vanæ promissionis fovendos & lactandos putaret: quique cum patrono memorato in Ephesiensi concilio à ducentis septuaginta & quatuor episcopis iterum iterumque damnati sunt. *Ceterùm iidem hæretici per Nestorium consequi nequaquam valuere,* [h] *ut ne Constantinopoli præcepto imperatoris Theodosii, unde Julianus etiam priùs Cælestio ejectus est, pellerentur. Idem Julianus non solùm in utraque Nestorii ad Cælestinum epistola* [i] *Pelagianis aliis episcopis de Occidente ejectis præmittitur, sed similiter post Pelagium & Cælestium primus nominatur* [k] *inter insignes illos Pelagianos, quorum damnatio anno* 431. *in Ephesina synodo lecta est, & confirmata.*

[h] Infrà in append. pag. 69. c.
[i] Ibid. pag. 129. e. & 130. a.
[k] Ibid. pag. 135. c.

Haud multo pòst sub pontificatu Sixti III. & anno, si Prosperi chronico debeatur fides, 439. [l] *Ecclesiæ variis artibus imponere, atque in ejus communionem falsa specie emendationis irrepere est molitus, ut episcopalem dignitatem, qua se tamdiu exutum dolebat, reciperet. Sed Romanus pontifex, Leonis diaconi (illius haud dubiè qui eidem in apostolica sede successit) hortatu roboratus, vigilantiâ suâ istius fraudes retexit, eis fortiter occurrit, nefariis ejus consiliis aditus omnes interclusit, rejectaque* fallaci bestiâ *universos catholicæ communionis exhilaravit. Affirmat* [m] *Hieronymus Vignerius, sibi argumenta esse, quibus persuadeatur Julianum ex Italia rursus fugere à Sixto papa coactum, in Lerinensem insulam venisse, ubi cùm per aliquot menses moraretur, à Fausto, Regiorum postea episcopo, exceptus, eidem hæresis suæ virus propinavit:* quod, *ait Vignerius,* suo loco dicemus, si Deus vires & annos suffecerit, idque certis probationibus tam ex Fulgentio, quàm ex aliis, pluraque id generis quæ multos latent, asseremus. *Ad*

[l] Ibid. pag. 136. c.
[m] Præfat. in opus imperf.

hæc Vignerii verba Johannes Garnerius : [a] Intelligit autem , *inquit* , vir eruditus nomine Fulgentii , libros quos sanctus ille episcopus adversùs Faustum scripsit , quosque apud se habuit in manuscripto codice *idem Vignerius*, cùm viveret. [a] In Mercat. dissert. 1. c. 6. de Juliano.

Sixto vitâ functo illum rediisse in Italiam , unde iterum à Leone papa pulsus fuerit, hinc licet conjicere , quòd ejusdem temporis auctor in libro de promissionibus & prædictionibus Dei part. 4. c. 6. Pelagianos & maximè Julianum *à beato Pontifice* contritos *fuisse prodat. Addit Vignerius hunc ipsum infelicem hæreticum , post longas hac illac errationes , ob quas eum* Fulgentius , *ut dicit* , alterum Cain , hoc est profugum & omni loco extorrem appellat , *ultimi demum perfugii loco viculum quemdam in Sicilia incoluisse , ubi suæ sectæ homines docebat litteras , factus ex episcopo ludimagister. Hanc illi occupationem , quasi omnium maximè congruentem & ejus in hasce disciplinas studio , & vanæ gloriæ quam ex earum cognitione captabat , ante multos annos* [b] *destinaverat Augustinus.* [b] Infrà pag. 975. F.

Huc adjicit Vignerius, post quàm is ibidem vivere desiisset, Pelagianos tumulo ejus hoc elogium scripsisse : Heic in pace quiescit Julianus episcopus catholicus. *Quod epitaphium cùm nono sæculo etiam tum legeretur , quidam Semipelagianorum dogmatum fautores illius memoriam restituere conati sunt. At demonstrarunt eruditi antistites Catholicorum nomen numquam non usurpasse Pelagianos ; ac proinde nihil prohibere hujusmodi titulum , quo minùs ille in hæresi sua mortuus habeatur. Obiit , ut scribit* [c] *Gennadius , imperante Valentiniano tertio , Constantii filio , & sic ante annum Christi quadringentesimum quinquagesimum quintum. Attamen usque ad ætatem Fulgentii , (juxta* [d] *Petrum Franc. Chiffletium anno 467. nati , & anno 507. in episcopum consecrati ,) vitam produxisse contendit Vignerius.* [c] Infrà in append. pag. 114. b. [d] Not. in Fulg. vitam pag. 355.

Gelasio sedem apostolicam tenente Johannes Alexandrinus patriarcha , ut à Photio [e] *notatur , anathema Cælestio ac Juliano pronuntiavit : idemque fecit* [f] *in sua ad Fulgentium & alios ex Africa episcopos exsules epistola Petrus diaconus.* [e] Infrà in append. pag. 67. b. [f] Ibid. pag. 149. b.

Quod ad Juliani scripta spectat , quamquam eum dicat Gennadius , [g] priùs quàm impietatem Pelagii in se aperiret, clarum in doctoribus Ecclesiæ fuisse : *attamen quod per id temporis in lucem ediderit, nihil hactenus repertum est. Sed ex quo hanc hæresim palàm profiteri cœpit , alios scriptis suis in ejus laqueos inducere numquam destitit. Ea de caussa Zosimo papæ duas epistolas anno 418. direxit. Deinde cùm Augustinus librum de Nuptiis & concupiscentia primum ad Valerium comitem scripsisset, idem Julianus quatuor libros , quibus illum unicum refutaret, ad Turbantium episcopum edidit. Porrò cùm excerpta ex hoc Juliani opere tradita essent Valerio , hic Augustino perferenda illa curavit , quibus sanctus Doctor statim respondit edito altero ejusdem tituli , quo superior , id est , de Nuptiis & concupiscentia libro secundo : & eodem tempore composuit quatuor suos libros ad Bonifacium, ut duas epistolas Pelagianorum , quas idem ipse , ut videtur , Julianus continuò post emissam primam ad opus de Nuptiis & concupiscentia responsionem scripserat , retunderet : tandemque acceptâ illâ primâ Juliani responsione quæ libris quatuor constabat, eam ingenti opere , quod in sex libros partitus est, revicit. Interea verò cùm secundus liber de Nuptiis & concupiscentia incidisset in manus Juliani , hic libros octo adversùs unum istum in aciem , ut sic dicamus , eduxit , quos Augustinus ultimo suo opere , de quo mox dicturi sumus , profligavit. Vignerius Fulgentii ex inedito quodam opere profert* [h] *hanc in rem verba illa:* Nec illi sufficiebat paternæ nobilitati , Æmiliorum fasces admovisse , quos hæresi degenere turpiter maculavit. * Seniorem Augustinum , ut clarior fieret , juvenili calore aggressus, sed repressus , tantam sibi conciliavit per orbem terrarum invidiam , quantam sibi apud omnes statuerat facere claritatem ; & quod in occasionem gloriolæ arripuerat, subsannante Domino versum est in opprobrium. [g] Ibid. pag. 114. a. b. [h] Vig. in præfat. ad opus imp. * *forte* , Senem.

Præterea libris istius hæretici annumerat [i] *Beda Commentarium quoddam in Cantica, cui tractatus præmittebatur, ideo inscriptus* de amore , *quia amoris sacri ac profani in eo discrimen aperire destinaverat. Sed eum , dum illud argumenti tractare se velle simulabat , firmandæ suæ hæresi laborasse asseverat Beda : qui & varios locos tum ex hoc tractatu , tum ex reliquo Commentario refert & refellit : simulque monet , hæc nonnisi magnâ adhibitâ cautione legenda esse , aut potiùs omnino non legenda. Meminit præterea cujusdam Commentationis , qua ille* de bono constantiæ *disputabat. Nam epistolam ad Demetriadem, quam eidem* [k] *ille adjudicat , ipsius esse Pelagii in confesso est.* [i] Infrà in append. pag. 117. b. c. [k] Ibid. pag. 221. g.

Julianum quoque , tradit [l] *Marius Mercator , pluribus id libris defendisse , quòd Pelagius dogmatizabat , hominem , si vellet , sine peccato esse posse. Qua tamen de re Julianus in suis* [l] In subnot. c. 6.

libris, qui quidem exstent, rariùs loquitur. Et hinc auguratur Johannes Garnerius alios illum forsitan edidisse: quo etiam argumento adducitur, ut definitiones illas, quas in libro de perfectione justitiæ confutat Augustinus, eidem adscribendas putet. Verumtamen Pelagianum hocce placitum eo solo nititur fundamento, quòd ille hæreticus naturam etiamnum æquè validam atque sanam esse in omnibus hominibus, atque in Adamo fuit, contendebat: in quo propugnando perpetuus est Julianus.

Huic insuper [a] *Garnerius tribuit latinam, quam Jacobus Sirmondus ex antiquis codicibus eruit, interpretationem libelli fidei, à Rufino Palæstinæ provinciæ presbytero græcè scripti. Alium itidem fidei* [b] *libellum latinè compositum, & ad Apostolicam sedem directum nomine episcoporum aliquot heterodoxorum, qui Pelagii ac Cælestii damnationem subscribere detrectantes provocant ad plenariam synodum, eidem auctori Juliano, haud levibus impulsus rationibus, adsignat. Ejus denique stilum non minùs referunt homiliæ Johannis Chrysostomi quædam è græco in latinum interprete Aniano translatæ. Enimverò non solùm pronum fuit amanuensibus in auctoris nomine labi, ut corruptâ per eos syllabâ primâ prodiret ex Juliano Anianus: sed etiam Juliani ingenium in præmissis ad easdem homilias epistolis nuncupatoriis, sententias & proprias ipsius dictiones inesse* [c] *observamus. Ad hæc, sicut Hieronymus* [d] *de pseudodiacono Celedensi Aniano dicebat*, Copiosissimè pascitur, ut alienæ blasphemiæ verba frivola subministret: *sic Augustinus in subsequenti opere* [e] *aliquotiens objectat Juliano, pasci ipsum à deceptis miseris, ut libris pro Pelagiana hæresi scribendis vacet.*

[a] Ad Mercat. dissert. 5. & in append. ad dissert. 6. c. 4.
[b] Infrà in append. pag. 110. b.
[c] Ibid. pag. 124. & 125.
[d] Ibid. pag. 124. d.
[e] Infrà pag. 975. f. 1053. c. d. & 1071. e.

De subsequente opere.

JAM antè notavimus, emissis à Juliano pro responsione ad primum librum de Nuptiis & concupiscentia quatuor libris, quædam ex horum primo excerpta sanctum Doctorem secundo suo de Nuptiis & concupiscentia refutasse, ac postea simul quatuor eosdem libros dissipasse pleniori opere sex librorum contra Julianum. *Alypius secundum illum de Nuptiis & concupiscentia librum circiter annum Christi 421. secum* [f] *in Italiam detulit. Hunc secundum librum statim adortus est Julianus altera responsione, cùm sex libros, quibus prima sua responsio dissipata fuerat ab Augustino, nondum vidisset, neque quidquam de iis vel auditione accepisset: quando quidem utrùm à S. Doctore prima ista responsio* [g] *lecta esset, adhuc ignorabat. Neque verò mirum esse debet, hoc ita habere; namque erat Julianus* [h] *in Cilicia, quo tempore alteram suam responsionem in Augustinum molitus est. Quamquam Mercator id sibi videtur persuasisse, in hac responsione* [i] *dissimulanter agere Julianum, ut memoratos sex Augustini libros ignorare se fingat.*

Hac ergo posteriori responsione Iulianus octo libros uni Augustini libro, quem [k] *nec totum insectabatur, opposuit,* [l] vagabundâ loquacitate non copiosus, sed odiosus eis qui rebus inhærentes superflua verba contemnunt. *Sex primos ex istis octo libris in Augustiniana refutatione reperies: in quibus catholicos vix umquam aliter nominat, quàm Traducianos ac Manichæos; maximè verò sanctum Antistitem his ubique vexat conviciis, quem illic quoque* [m] tractatorem Pœnum, hominem omnium amentissimum & bardissimum *vocitat; sicut & Alypium* vernulam peccatorum ejus. *Sed hæreticorum contumeliæ fidei defensoribus laudi vertuntur. Dicavit hanc alteram responsionem suam Floro cuidam, inter Pelagianæ factionis episcopos celebri, & cujus etiam* [n] *narratur insignis impostura, ob quam sub Leonis pontificatu ex Italia pulsus fuit.*

Quamquam videatur hæc secunda Iuliani responsio anno, ut antè dicebamus 421. vel non multo pòst composita: nondum tamen in manus venerat Augustini, neque cùm librum [o] *de correptione & gratia scripsit, neque cùm Retractationum secundum absoluit, quo nimirum in libro cap. 67. testatur haud scire, an in posterum aliam ullam commentationem esset aggressurus: quin etiam tertium jam Retractationum librum moliebatur, cùm illam necdum viderat. Verùm Alypius sub id temporis tertiò Romam profectus,* [p] *eam suâ diligentiâ transscriptam ei deferendam curavit. Primùm quidem nonnisi quinque priores libros, ne opportunitatem amitteret, ad illum misit; pollicens alios tres, ubi primùm exscripti forent, secuturos; rogansque interim ne refutationem aggredi procrastinaretur. Tunc verò temporis Augustinus revocandis ad examen epistolis ac sermonibus suis operum dabat, eamque censuram ducebat gravioris necessitatis, quàm ut omittenda videretur. Ad hæc ineptiæ tam absurdæ in hac nova Iuliani responsione occurrebant, ut pigeret puderetque sanctum Doctorem ad eas respondere. Verumtamen ne imperitioribus, à quibus fortè lecta esset Iuliani responsio, non*

[f] Infrà pag. 877. f.
[g] Infrà pag. 1153. d.
[h] Infrà in append. pag. 116. c. f
[i] Ibid. pag. 114. d.
[k] Infrà pag. 1003. f. & 1104. f.
[l] Pag. 1059. f.
[m] Pag. 877. f. 967. a. & 1106. b.
[n] Prosp. de promiss. & præd. part. 4. c. 6.
[o] Confer lib. de corrept. c. 11. cum lib. 4. op. imp. n. 34.
[p] Infrà pag. 872.

autem illius deprehensa infirmitas, deesse videretur, confutationem hanc suscipere coactus fuit. Porrò eum in modum Iuliano respondet, ut primò hæretici illius verba exhibeat, tum ad ea responsionem suam, servato eodem numero seu distinctione librorum: ita singuli sex hujus operis libri singulos sex libros Iuliani, ex octo videlicet ad Florum scriptis primos, cum Augustini ad loca singula responsis ob oculos ponunt.

Huic operi ad extremum usque vitæ spiritum incubuit Augustinus, cui etiam à Vandalis intra Hipponis mœnia circumseptus institisse dicitur à Prospero chron. ad an. 430. Augustinus, *ait*, episcopus per omnia excellentissimus moritur quinto Kalendas Septembris, libris Juliani inter impetus obsidentium Vandalorum in ipso dierum suorum fine respondens, & gloriosè in defensione Christianæ gratiæ perseverans. *Sed idem opus morte occupatus imperfectum relinquere coactus est, quemadmodum indicis sui capite 4. tradit Possidius in hæc verba:* Contra secundam Juliani responsionem imperfectum opus. *Vignerius tamen perfectum id nuncupat, seque teste asserit vocem* imperfectum *in variis Possidii MSS. non inveniri. Hanc autem nos in omnibus, quotquot inspeximus, exemplaribus reperimus. Addit ille, ut opinionem suam tueatur, sexto libro post Iuliani verba clausulam apponi*, Explicit liber Juliani. *Atqui eamdem libro 1. appositam à librariis, ibique in Marianensi ms. codice nobis visam, suo loco admonemus. Quam huc præterea conjecturam suam injicit Vignerius, Augustinum fortasse libro suo sexto septimum etiam & octavum Iuliani compendio retulisse, superfluum est in ea immorari; cùm sextus iste liber nec sit ceteris longior, nec aliquid præ se ferat, quod operis absoluti argumentum esse valeat. Itaque ubi dicit Mercator, Augustinum* [a] octo posteriores *Iuliani libros* singulis responsionibus suis ad singula capitula subjectis evertisse, *haud aliud indicat, quàm illius postremum opus libros octo continens ea ratione esse ab Augustino eversum, ut singulæ responsiones singulis capitulis librorum qui refutantur, subjectæ sint. Quo nimirum loco ad ipsa præfationis Augustinianæ verba Mercator alludit. Ut ut est, cùm antea duo tantùm priores libri haberentur, à Claudio Menardo Andium proprætore ex Gallicano codice ms. publicati, non injuriâ contendit Vignerius, postquàm reliquos ipse quatuor libros ex Claræuallensi exemplari supplevit, esse jam perfectum hoc opus, quia re vera* ultra eos sex libros *in hoc opere* non perrexit *Augustinus.*

Agatho pontifex Romanus ex libro hujus operis quinto varios in epistola ad Imperatores adducit locos, [b] *qui apud VI. Synodum act. 10. ad latinum ejusdem operis codicem in Constantinopolitana bibliotheca tunc asservatum exacti atque examinati sunt. Citatur idem opus à Maximo Aquileiensi in Lateranensi synodo anno 649. celebrata. Ex iisdem libris testimonia protulerat Prosper in libro sententiarum, & Beda super Paulum, non modò ille vulgatus, quem Florum esse constat, sed verus etiam & hactenus ineditus, quem in membranis habemus. Lupus quoque Ferrariensis & Servatus Lupus eos libros laudant in suis opusculis.*

Librorum autem argumenta hæc sunt. In I. refellitur Juliani liber ad Florum primus. Calumniæ quas ille ibi Augustino fideique catholicæ peccatum originale confitenti, ex triplici præsertim capite instruebat, revincuntur. Propugnantur tentata ab eodem loca ex primis partibus libri 2. de Nuptiis & concupiscentia & ex libro 1. contra duas epistolas Pelagianorum. Scripturarum etiam pro gratia quædam, quas secundùm Pelagianum dogma exponebat, auctoritates vindicantur.

II. Excutitur liber Juliani secundus, de his agens verbis Apostoli Rom. 5. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit *&c. ostenditurque Julianum repudiato catholico sensu, (secundùm quem Augustinus libro 2. de Nuptiis & concupiscentia cap. 27. ea verba de Adæ peccato generatione in omnes ipsius posteros transmisso exposuit,) frustra laborare, ut secundùm Pelagianam hæresim de exemplo peccati, non in omnes posteros, sed in peccantes tantummodo imitatione transeuntis intelligantur.*

III. Monstratur Julianum Scripturarum testimoniis, Deuteronomii scilicet cap. 24. & libri Regum quarti cap. 14. & Ezechielis cap. 18. perversè abuti, ut suadere conetur, peccata parentum filiis non à Deo ulla imputari. Ipsum deinde incassum contendere, ut ab eo sese explicet loco epistolæ ad Hebræos cap. 11. *per quem evertenda foret responsio, qua in superiore suo libro tantopere inculcavit, ideo ab Apostolo Rom. 5. dictum esse* unum *per quem transivit peccatum, ne generatio sineretur intelligi. Postea reversum ad dicta libri 2. de Nuptiis & concupiscentia, iniquè agere cùm Augustino eumdem Julianum, qui ab illo & hominis liberum arbitrium, & Deum nascentium conditorem negari, denuo queritatur: quique insuper cum illius dictis hæreticam quamdam Manichæi epistolam comparans, non alia*

[a] Infrà in append. Pag 114. f.

[b] Vide Noris. append. ad Pelag. hist. pag. 174.

quàm quæ apud Manichæum leguntur, argumentorum vice objectari à sancto Doctore, ab eoque perinde atque à Manichæo naturam humanam malam pronuntiari calumniatur.

IV. Pergit Augustinus refellere adversarium suo quarto libro disputantem in ea dicta libri 2. de Nuptiis & concupiscentia, quæ à capite 4. ad 11. comprehenduntur. Concupiscentiam carnis malam esse, neque homini fuisse à Deo conditore inditam, propugnat doceri eo ipso loco, quem in hanc rem adhibuit ex Iohannis epistola 1. cap. 2. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est.... quæ non est ex Patre *&c. Atque illam quidem ad naturam pecoris, sed ad ipsius tamen pœnam hominis pertinere. Pudorem membrorum non nisi post peccatum accidisse ob libidinis rebelles motus. Porrò ne in Christo ulla prorsus fuisse putetur carnis concupiscentia, hîc vehementer certat contra Iulianum. Parvulos originali culpæ nasci obnoxios, non per propriæ voluntatis arbitrium, sed per contagium peccati à primo parente voluntate commissi. Locum verò à se ex Sapientiæ libro cap. 12. prolatum, scilicet,* Non ignorans quoniam nequam est natio illorum *&c. ad id etiam valere, ut nostræ originis vitium demonstretur.*

V. Confirmat Augustinus & ab adversarii calumniis vindicat ea quæ in libro 2. de Nuptiis & concupiscentia cap. 12. & aliquot sequentibus scripsit, in primis videlicet, quòd eam commotionem pudendam membrorum non haberet natura sana, quam habet natura vitiata; ac per hoc quòd is qui inde nascitur, indigeat renasci. Deinde quod ibi cap. 14. 20. & 26. conquestus est, Iulianum apostolicis duobus testimoniis 1. Cor. 15. & Rom. 1. sententiâque evangelicâ 7. 17. seu 12. 33. perperam abusum esse. Quod cap. 28. asseruit, malum seu voluntatem malam ideo ex opere Dei bono oriri, quia ipsum quamquam bonum, de nihilo factum est, non de Deo. Ac postremò quod cap. 17. docuit, sic Deum creare malos, quomodo pascit & nutrit malos.

VI. Ostendit Iulianum libro suo sexto frustra pugnare contra id quod in secundo de Nuptiis & concupiscentia cap. 34. assertum est, Adæ scilicet peccato naturam humanam fuisse in deterius commutatam, ita ut facta sit non solùm peccatrix, sed etiam gignens deinceps peccatores. Liberi arbitrii vires, quibus integris poterat homo, & rectè agere cùm vellet, & non peccare si nollet, peccando eum perdidisse docet. Illam autem improbat definitionem libertatis, quæ passim objectari ab adversario solet, puta, Possibilitas peccandi & non peccandi *&c. Dolores parientium, spinas, labores, sudores, ceterasque mortalium ærumnas probat pœnas esse peccati: sed ipsam in primis mortem pœnalem esse homini, qui sic divinitus institutus fuerat, ut nisi peccaret non moreretur. Extrema parte libri expositionem in illud Apostoli 1. Cor. 15.* Sicut in Adam omnes moriuntur, *&c. & in sequentia ejusdem capitis dicta, à Iuliano prolatam expendit, & refellit. Tandem per totum ferme librum dogma catholicum de originali vitio, quod Iulianus ad Manichæam hæresim trahere ubique enititur, non modò abesse longè ab illa hæresi, sed etiam hæresim illam demonstrat numquam à Pelagianis posse nisi catholici ipsius dogmatis auxilio & professione superari.*

EX EPISTOLA CCXXIV. AD QUODVULTDEUM.

RESPONDEO libris Juliani, quos octo edidit, post illos quatuor, quibus antè respondi. Hos enim cùm Romæ accepisset frater Alypius, nondum omnes descripserat, cùm oblatam occasionem noluit præterire, per quam mihi quinque transmisit: promittens alios tres citò se esse missurum, & multùm instans ne respondere differrem. Cujus instantiâ coactus sum remissiùs agere quod agebam, ut operi utrique non deessem, uni diebus, alteri noctibus, quando mihi ab aliis occupationibus hinc atque hinc venire non desistentibus parceretur. Agebam verò rem plurimùm necessariam: nam retractabam opuscula mea, & si quid in eis me offenderet, vel alios offendere posset, partim reprehendendo, partim defendendo quod legi deberet & posset, operabar. Et duo volumina jam absolveram, retractatis omnibus libris meis, quorum numerum nesciebam, eosque CCXXXII. esse cognovi. Restabant epistolæ, deinde tractatus populares, quos Græci homilias vocant: & plurimas jam epistolarum legeram, sed adhuc nihil inde dictaveram, cùm me etiam isti Juliani libri occupare cœperunt; quorum nunc quarto respondere cœpi. Quando verò id explicavero, quintoque respondero, si tres non supervenerint, dispono, si Deus voluerit, & quæ poscis incipere, simul agens utrumque, & hoc scilicet, & illud de retractatione opusculorum meorum, nocturnis & diurnis temporibus in singula distributis.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
CONTRA SECUNDAM JULIANI RESPONSIONEM
IMPERFECTUM * OPUS
SEX LIBROS COMPLECTENS.

* Scriptum ab Augustino ultimis annis vitæ suæ.

Singuli libri ſingulos ſex libros Iuliani, ex octo poſterioribus ad Florum primos, cum Auguſtini ad loca ſingula reſponſionibus repræſentant.

PRÆFATIO.

ADversus hæreticos Pelagianos, qui dicunt Adam, etiamſi non peccaſſet, fuiſſe corpore moriturum, nec in illo humanum genus eſſe vitiatum, (unde ſequitur eos, ut mortes, & mortiferos morbos, & omnia mala quæ videmus & parvulos perpeti, etiam [a] in paradiſo futura fuiſſe contendant, etiam ſi nemo peccaſſet,) [b] ſcripſi librum ad Comitem Valerium, cujus libri titulus eſt, de Nuptiis & concupiſcentia: eo quòd ad illum perveniſſe cognoveram dicere Pelagianos, damnatores nos eſſe nuptiarum. Denique in illo opere, nuptiarum bonum à concupiſcentiæ carnalis malo, quo bene utitur pudicitia conjugalis, quali potui diſputatione, diſcrevi. Quo libro accepto, memoratus vir illuſtris miſit mihi in [c] chartula nonnullas ſententias decerptas ex opere Juliani hæretici Pelagiani, (in quo opere libris quatuor reſpondiſſe ſibi viſus eſt illi uni meo, quem de Nuptiis & concupiſcentia me ſcripſiſſe memoravi,) miſſas ſibi à neſcio quo, qui eas, ut voluit, ex primo Juliani libro decerpendas curavit: quibus ut quantocius reſponderem, idem Valerius popoſcit. Et factum eſt, ut ſub eodem titulo etiam ſecundum librum ſcriberem, contra quem Julianus alios octo nimia loquacitate conſcripſit. His nunc reſpondeo, ejus verba proponens, eiſdemque ſubjungens reſponſionem meam ad loca ſingula, ſicut refutatio eorum viſa eſt eſſe reddenda: cùm jam priores quatuor ejus libros, poſtea quàm in manus meas venerunt, [d] ſex libris ſatis apertéque refellerim.

[a] In editis pro, *in paradiſo*, ſubſtitutum *infantes*: malè, atque contra veterum codicum fidem.

[b] Sic res continuatâ ſerie nectuntur in MSS. Vignerius tamen ſequens Menardum præfationem hinc exorditur, *SCRIPSI librum ad Comitem Valerium*: ac ſuperiora verba præfationi præfigit in modum tituli. Eadem ipſa verba tamquam alienâ manu addita expungit Paludanus.

[c] Editi, *in chartulis*. At MSS. *in chartula*. Vide ſuprà lib. 2. de Nuptiis & concup. cap. 2.

[d] Hec loco *ſex libris* reſtituimus ex MSS.

LIBER PRIMUS.

Libro Iuliani ad Florum primo respondetur. Quo primo libro Iulianus, Augustino, fideique catholicæ qua peccatum originale confitemur, calumnias instruit ex triplici præsertim capite, contendens primùm, si quidem justus est Deus, non posse ab eo peccatum alienum parvulis imputari. Deinde cùm peccatum nihil aliud sit quàm mala voluntas, cui esset liberum ab eo quod pravè appetiit abstinere; non ergo in nascentibus esse peccatum, in quibus voluntatis usus non possit inveniri. Tertiùm, libertatem arbitrii, quæ homini concessa est, in admittendi peccati & abstinendi à peccato possibilitate consistere; itaque liberum arbitrium negari ab his qui dicunt peccata esse naturalia. Quædam verò inter hæc, tum ex primis partibus libri 2. de Nuptiis & concupiscentia, tum ex capite 2. libri 1. contra duas epistolas Pelagianorum, maledico dente carpere; auctoritates etiam, quæ in defensione gratiæ Dei nos à servitute & à damnatione liberantis citantur, scilicet Evangelii Iohan. 8. & Apostoli Rom. 6. 7. 9. & 2. Tim. 2. secundùm Pelagianum dogma interpretari molitur.

I. [a] JULIANUS. *MAGNIS licèt impeditus* [a] *angoribus, quos intuenti mihi hac tempestate Ecclesiarum statum, partim indignatio ingerit, partim miseratio: non abjeceram tamen promissionis meæ fidem; videlicet ut qui fueram factus debitor,* [b] *solvendo quoque esse curarem. Nam in libris quos ad fratrem nostrum Turbantium episcopum, virum magno virtutum fulgore conspicuum, contra Augustini scripta dictavi, pollicitus sum, si nihil quod studiis obsisteret, eveniret incommodi, occursurum me protinus eorum argumentis omnibus, qui ex sententia Manichæorum traducem peccati, id est, malum naturale defenderent: à quo sum hactenus munere varia & indissimulabili necessitate suspensus.*

AUGUSTINUS: UTINAM imiteris Turbantium post illa tua scripta, & post has tuas laudes, quibus eum dicis virum magno virtutum fulgore conspicuum, à vestro errore liberatum. Responsum est autem illis libris tuis, & demonstratum tibi, quæ catholica lumina in sanctarum scripturarum tractatione clarissima hoc opprobrio, id est, Manichæorum appellatione, offuscare coneris.

II. JUL. *Verùm, ut primùm respirare licuit, consilium erat, quantùm maximè tulisset ipsius rei natura, breviter promissa complere, nisi me actuosiorem denuo ingredi provinciam, beatissime pater Flore, voluisses: qui, quoniam tantum vales reverentiâ sanctitatis, ut præceptis tuis segniter obedire inreligiosum judicem, obtinuisti facilè, ut in longiores vias compendium illius, quam elegeram, brevitatis extenderem. Favebis itaque operi tua auctoritate suscepto, cujus ob hoc potissimùm nomen inserui, ut stilus securior & hilarior graderetur sub tantæ patrocinio jussionis. Fuit igitur concepta animo non importuna ratio brevitatis: quia in illis quatuor libris cuncta ferè, quæ inventa à Manichæis Augustini contra nos fuerant ore prolata, catholicæ fidei veritas, pro qua & cum qua labentis mundi odia promeremur, tam disputationibus invictis, quàm sacræ legis testimoniis armata, protriverat, nec quidquam penè reliquum erat, si æquis judicibus uteremur.*

AUG. Contra tuos illos quatuor libros sex libri à me scripti sunt. Post commemorationem quippe doctorum catholicorum, (quos Manichæos facis, mihi sub hoc crimine objiciendo quod illi in catholica Ecclesia didicerunt atque docuerunt,) quam duobus prioribus voluminibus explicavi, sequentes quatuor singulos tuis singulis reddidi, redarguens tenebras hæresis vestræ luce catholicæ veritatis, quam deserendo cæcatus insanis, & rei, de qua nulla umquam in Ecclesia Christi controversia fuit, sicut novus hæreticus, æquos judices quæris: quasi tibi videri æqui judices possint, nisi quos vestro errore deceperis. Quem verò judicem poteris Ambrosio reperire meliorem? De quo magister tuus Pelagius ait, quòd ejus fidem & purissimum in Scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere? Numquid ergo iste sensu in Scripturis purissimo impurissimi Manichæi dogma retineret, dicens, Omnes sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est? Tu ergo jam judica quàm non puro sensu hoc catholicum dogma reprehendas; teque corrigere Ambrosio judicante ne differas.

V. supra lib. de gratia Christi, cap. 43.

Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 3.

III. JUL. *Testimonia tamen Scripturarum, quibus nonnulla contra nos agi aliquid posse existimant, præterieram; quæ me explanatum ire pollicitus eram, ut docerem ambigua quæque legis verba, quæ ab* [c] *inimicis nostris assumi solent, nec veritati præjudicare perspicuæ, & secundùm hoc esse intelligenda, quod absolutissimis scripturæ sanctæ auctoritatibus & insuperabili ratione firmatur. Si quidem hoc ipso, quàm sit divinæ legis imperitus interpres & profanus appareat, quisquis putat ejus sanctione defendi, quod justitia non potest vindicari.*

AUG. Vos quod dicitis, potiùs non potest ulla justitiæ ratione defendi. * Quia miseria generis humani, à qua nullum hominum ab exortu usque ad obitum videmus alienum, non pertinet ad omnipotentis justum judicium, si non est originale peccatum.

** Prosper sent. 276.*

IV. JUL. *Nam si lex Dei fons est ac magistra justitiæ; auxiliis quoque ejus, Dei æquitas adjuvari potest,*

[a] Vignerius & tres libri MSS. habent, *laboribus.*
[b] Editi, *debitor promittendo.* Abest *promittendo* à tribus MSS.
[c] Duo MSS. Marianensis, qui nimirum est Antissiodorensis abbatiæ S. Mariani, & Port. qui Carthusiæ Portarum, ferunt, *ab amicis nostris.*

impugnari non potest. Nullum ergo adminiculum iniquitati de illius Scripturæ viribus comparari natura rerum sinit, quæ hanc unam promulgationis caussam habuit, ut ejus testimoniis, remediis, minis, ultionibus iniquitas deleretur.

Psal. 143. 4. Aug. Ejus testimoniis declaratur, quòd » homo vanitati similis factus est, dies ejus velut » umbra prætereunt. Cum qua eum vanitate nasci, non solùm veridica Scriptura qua plangitur, verùm etiam laboriosa & ærumnosa cura qua eruditur, ostendit. In ejus remediis legi- Levit. 12. tur, etiam cùm parvulus natus fuerit, offerendum esse sacrificium pro peccato. In ejus minis Gen. 17. 14. legitur, interituram fuisse animam parvuli, si die non circumcideretur octavo. In ejus ultioni- Num. 12. 35. Levit. ..34. Josue 6. 21. & 10. 32. bus legitur, jussos interimi etiam parvulos, quorum parentes ad iracundiam provocaverunt Deum, ut internecione bellica delerentur.

V. Jul. *Nihil ergo per legem Dei agi potest contra Deum legis auctorem. Quo uno compendio excluditur quidem quidquid ab errantibus consuevit objici: sed nos ad docendum quàm sit veritas locuples cui credimus, illis quoque Scripturarum locis, quæ intellectum sententiæ elocutionum perplexitate velarunt, expositionis lucem solemus adferre; ut originis suæ dignitatem reserata possideant, nec ab* [a] *stemmate sacro velut notha aut degenerantia separentur.*

Aug. Immo verò scripturarum sanctarum lumina certâ veritate fulgentia vos pravarum disputationum perplexitate obscurare conamini. Quid enim lucidius, quàm id quod modò dixi, Psal. 143. 4. Homo vanitati similis factus est, dies ejus velut umbra prætereunt? quod utique non fieret, si ad Dei similitudinem in qua est conditus permaneret. Quid lucidius, quàm id quod dictum est, 1. Cor. 15. 22. Sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur? Quid lucidius, quàm Job. 14. 4. sec. LXX. id quod dictum est, Quis enim est mundus à sorde? nec infans, cujus est unius diei vita super terram: & alia plurima, quæ vestris tenebris involvere, & in vestrum perversum sensum molimini vana loquacitate convertere.

VI. Traduciani à Juliano dicti, qui originale peccatum confitentur. Jul. *Hoc ergo ex nostro more adhuc solùm exsequi cogitabam, id est, ut à Traducianorum interpretationibus membra divinæ legis, quæ subjacebant contumeliæ, liberarem: quæ erant scilicet divina, quòd essent justa monstrando.*

Aug. Contumelioso ore Traducianos vocas, Cyprianum, Ambrosium, Gregorium, ceterosque socios eorum confitentes originale peccatum. Sed non est mirum, quòd novi hæretici catholicis, à quibus exeunt, novum nomen imponunt. VII. Hoc & alii fecerunt, quando similiter exierunt.

Jul. *Verùm quia id impendiò poposcisti, immo indixisti auctoritate patria, ut libro tractatoris Pœni, quem ad Valerium Comitem vernula peccatorum ejus Alypius nuper detulit, obviarem, hinc mihi est longior facta responsio.*

Aug. Magna tibi pœna est disputator hic Pœnus: & longè ante quàm nasceremini, magna

A pœna hæresis vestræ Pœnus præparatus est Cyprianus.

Jul. *Dedit enim ingenii sui denuo fideique* [b] *monumenta, quæ intelligantur ægerrimè, exponantur difficillimè, vix sine horrore audiantur;* [c] *convincantur autem facillimè, confodiantur acerrimè, & propter honestatis reverentiam oblivioni exterminata mandentur.* VIII. b c

Aug. Non quomodo vis judicant qui legunt.

B Jul. *Primus igitur ejus liber, qui ante hunc solus est editus, novos nos esse hæreticos criminatur: quia repugnemus opinioni, quæ* [d] *dealbati instar sepulcri, quod secundùm Evangelii sententiam, mundo extrinsecùs colore vestitum, spurcitiâ est & iniquitate confertum, sub laude baptismatis eructat Manichæorum sordes ac naturale peccatum, ut Ecclesiæ catholicæ pura hactenus sacramenta contaminet.* IX. Lib. 1. de Nupt. & concup. cap. 1. d Matth. 23. 25.

Aug. Novos hæreticos vos antiqua catholica fides, quam modò oppugnare cœpistis, à præ- C clarissimis, qui fuerunt ante nos, doctoribus prædicata demonstrat. [e] Non autem omnibus respondendum est conviciis potiùs quàm accusationibus tuis, quæ non in me, sed etiam in Ambrosium, Hilarium, Gregorium, Cyprianum, aliosque prædicatissimos Ecclesiæ doctores, fronte impudentissimâ & linguâ procacissimâ jacularis. e

Jul. *Laudat etiam potentem * hominem, quòd nostris petitionibus, qui nihil aliud quàm dari tanto negotio judices vociferabamur, ut ea quæ subre-* D *ptionibus acta constabat, emendarentur potiùs, quàm* [f] *punirentur examine, mole suæ dignitatis obstiterit, nec disceptationi tempus aut locum permiserit impetrare. Quod utrùm ille ad quem scribitur, tam nequiter fecerit, quàm testatur ista laudatio, ipse viderit. Nos tamen in quantum de eo meliùs æstimaverimus, nominis illius commemoratio opusculo meo honorificè inserta patefecit. Verùm liber ille de patrono suo falsa fortasse contineat. Porrò fideliter quid scriptor ejus cupiat ostendit: videlicet, ut* E *contra rationem, contra fidem, contra omnem morum & dogmatum sanctitatem, vi fera & cæcâ impotentiâ dimicetur.* X. * Valerium Lib. 1. de Nupt. cap. 2. f

Aug. Absit à Christianis potestatibus terrenæ Reipublicæ, ut de antiqua catholica fide dubitent, & ob hoc oppugnatoribus ejus locum & tempus examinis præbeant; ac non potiùs in ea certi atque fundati, talibus, quales vos estis, inimicis ejus disciplinam coërcitionis imponant. Quod enim propter Donatistas factum est, eo- F rum violentissimæ turbæ fieri coëgerunt, ignorantes quid antè sit gestum, quod eis fuerat ostendendum: quales vos turbas Deus avertat ut habeatis; Deo tamen propitio non habetis.

Jul. *Quibus gestis inter voluminis primas partes, progressus est* [g] *ad distinctionem nuptiarum & concupiscentiæ, sicut fuerat tituli inscriptione pollicitus: deditque toto deinceps opere documentum artis & virtutis suæ. Inter negationem enim* [h] *confessorum & ne-* XI. g h

[a] Codex Mar. *ab stegmate sacro.* Alii, *ab stemmate sacro*: id est, à linea & serie librorum sacrorum.

[b] Editi, *documenta, quæ ut intelligantur.* MSS. *monimenta*, vel *monumenta quæ intelligantur &c.*

[c] Sic Menardus & duo MSS. At Vignerius, *convincantur autem faciliùs, & ut confodiantur acerrimè.* Duo MSS. Mar. & Clar. *aliquanti confodiantur acerrimè*: quæ verba in codice Mar. locata sunt ante *convincantur autem facillimè.*

[d] Menard. *dealbata.*

[e] Vigner. *Nunc autem.* Veriùs MSS. *Non autem.* Nam Juliani convicia spernit, non confutat.

[f] Menard. *ponerentur examini.*

[g] Sic Marianensis & Colbertinus MSS. Editi verò, *à distinctione.*

[h] Editi, *& confessorum.* particula *&* redundat eo loci, abestque à MSS.

gatorum confessionem ultima necessitate vexatus, quid ærumnarum pateretur fœda conscientia publicavit.

Aug. Conviciare quantùm potes: quis enim conviciosus hoc non potest?

XII. Jul. *Priori ergo operi quatuor libellis eà, quam suppeditavit veritas, facultate respondi: præfatus sanè præteriturum me, quæ & pro dogmate illius nihil habere ponderis apparebat, & me possent arguere multiloquii, si fuissem imbecilla quæque & inania persecutus. Quamquam, si hanc regulam, ut decuit, servare licuisset, id est, ut nec oppugnationem ex professione inepta mererentur, penè omnia ejus* a *inventa publico fuerant spernenda silentio. Sed quoniam, rebus in pejorem partem properantibus, (quod mundi fini suo incumbentis indicium est,) in Ecclesia quoque Dei adepta est stultitia & turpitudo dominatum: pro Christo legatione fungimur, & pro virili portione quantùm valemus* b *opis ad defensionem catholicæ religionis afferimus: nec piget mandare litteris remedia, quæ contra* c *errorum venena conficimus.*

Aug. Stultitia & turpitudo vos peperit: sed si in Ecclesia dominatum adepta esset, ibi vos utique tenuisset.

XIII. Jul. *Testatus utique, ut dixi, fueram, nec contra omnes me species defendendæ traducis in primo disserturum opere, nec cuncta, quæ ille liber tenebat, replicaturum: sed cum his conflicturum, in quibus summam & vim sui dogmatis collocasset. Hoc autem me spopondisse fideliter, quicumque vel obliquus sit, tantùm diligens utriusque operis lector, agnoscet. Ego autem conscientiæ honestate securus inimicum nostrum & adhortor, & stimulo, ut si aliquod à se prolatum, à me prætermissum æstimat argumentum, quod cujuspiam momenti vel ipse judicet, in medium proferat, & me timoris dolique convincat.*

Aug. Non credo quòd ea quæ prætermisisti, nullius momenti esse putaveris: quamvis & si hoc te putasse concedam; non tamen ita esse, catholicus & intelligens, si & unum illum meum & tuos quatuor habuerit, diligentiamque adhibuerit, lector inveniet.

XIV. Jul. *Scripturarum sanè testimonia quædam latiùs exposui, quædam breviùs: quia me plenè id secuturo opere facturum spopondi. Nihil itaque ibi de omnibus Augustini argumentis & propositionibus non explosum remansit, nihil à me impletum est aliter quàm promissum: multa in inventis ejus falsa, multa stolida, sacrilega multa convici.*

Aug. Hoc quidem dicis, sed tu dicis: qui autem legit & intelligit, si non Pelagianus est, non hoc dicit.

XV. Jul. *Qua professione non est nobis arrogantiæ fama metuenda: quia non ingenio meo veritatem defensam, sed imbecillitatem nostri ingenii veritatis viribus confitemur adjutam.*

Aug. Elisam dixisses, si verum dicere voluisses.

XVI. Jul. *Cùm hæc itaque haud aliter quàm dixi, constet impleta; mirari satis nequeo hominis impudentiam, qui in hoc recenti opere suo libros meos falsitatis accusat, quos tamen necdum in manus suas venisse testatur.* (Lib. 2. de Nupt. & concup. cap. 2.) *Durum quidem, quòd consuetudo peccandi amorem delicti facit: sed nihil durius, quàm quòd exstinguit pudorem; quod licèt ex improbitatis usu esse constaret, tamen ampliùs præsentia pericula docuerunt, quàm quisquam nostrùm poterat autumare. Quando enim crederem eò usque Numidæ induruisse frontem, ut in uno opere & uno versu utrumque fateretur, & me falsa dixisse, & se non legisse quid dixerim.*

Aug. Si hoc non fecisti, ille fecit qui de libris tuis ea, quæ Comiti Valerio putavit mittenda esse, decerpsit. Quod eum non credens ego fecisse mendaciter, auctori tribui quod decerptori debui. Tuos quippe libros nondum legeram, sed quæ ille ex eis decerpserat, legeram. Si te hominem cogitares, hoc fieri potuisse cùm cerneres, nequaquam tam invidiosam quæreres homini hac occasione calumniam.

XVII. Jul. *Nam scribens ad eum, quem miratur studiosum esse librorum suorum, cùm sit militiæ sudoribus occupatus, indicat ab Alypio chartulas ad se fuisse delatas, quæ ita superscriptæ essent.* Capitula de libro Augustini quem scripsit, contra quæ de libris pauca decerpsi. (Ex lib. 2. de Nupt. & concupisc. cap. 1.) Hîc video eum, qui tuæ præstantiæ ista scripta direxit, de nescio quibus libris ea, causâ (quantum existimo) celerioris responsionis, ne tuam differret instantiam, voluisse decerpere. Qui autem sint isti libri cùm cogitarem, eos esse arbitratus sum, quorum mentionem Julianus facit in epistola, quam Romam misit, cujus exemplum d simul ad me usque pervenit. Ibi quippe ait, "Dicunt etiam istas, "quæ modò aguntur, nuptias à Deo institutas non "fuisse: quod in libro Augustini legitur, contra "quem ego modò quatuor libellis respondi. *Et post hæc verba infert iterum suis sermonibus:* Credo ex his libellis ista decerpta sunt: unde melius fortasse fuerat, ut universo ipsi operi ejus, quod quatuor voluminibus explicavit, refellendo & redarguendo nostra laboraret intentio: nisi & ego responsionem differre noluissem, sicut nec tu transmissionem scriptorum, quibus respondendum est, distulisti. *Ostendit ergo hic apertissimè excerpta illa suspicari se de opere meo tumultuariè fuisse collecta; integros autem ignorare libros, quibus tamen audet se dicere respondere potuisse.*

Aug. Cur non auderem, qui te in eis vana dixisse dubitare utique non deberem? Non enim contra vera posses loqui nisi vana. Neque meus animus me fefellit: eos namque libros tuos tales inveni, cùm legerem, quales præsumseram esse ante quàm legerem.

XVIII. Jul. *Facit quoque epistolæ mentionem, quam à me ait Romam fuisse directam; sed* e *per verba quæ posuit, nequivimus quo de scripto loqueretur, agnoscere. Nam ad Zosimum quondam illius civitatis episcopum super his quæstionibus duas epistolas destinavi; verùm eo tempore, quo adhuc libros exorsus non eram.* (Juliani epistolæ ad Zosimum duæ.)

Aug. Hæc epistola non est ad Zosimum: sed ad eos seducendos, qui Romæ possent tali suasione seduci. Sed si eam non agnoscis; ecce, non

a Editi, *ejus inepta.* Castigantur ex MSS

b Vignerius, *operis.*

c MSS. Mar. & Port. *eorum venena.*

d Hîc MSS. prætereunt, *simul.* In libro quoque de Nuptiis & concupiscentia secundo cap. 2. aberat eadem particula à pluribus MSS.

e Editi, *sed verba:* omisso *per*, quam particulam hoc loco habent MSS. Claræyallensis, Marianensis, & Portarum codex.

sit tua. Utinam & illi libri non essent tui, sed alieni: ne per eos tu longè à veritate fieres alienus.

XIX. Jul. *Porrò utatur indicio epistolæ, quâ aut accepit, aut finxit me responsionem contra novos Manichæos, (quia vetus dedignatur videri,) quatuor voluminibus explicasse: cur non curavit ea quæ objecissemus addiscere? Cur non studuit qui cum esset congressurus agnoscere? sed levitate turpissimâ concitatus in certamen maximum luminibus involutis, Andabatarum more, processit.* (Andabatarum mos.) *Quod factum ejusmodi allegatione defendit, ut dicat se patroni sui festinationem, quam ille in transmittendis schedis habuit, imitari præcipiti responsione voluisse: quasi non honestissimè potuerit intimare tempus sibi aliquod debere concedi, quo ad lectionem editi operis perveniret; flagitium esse inter eruditos in scribendi gravitate delinquere, & impatientiâ deliberandi impugnare quod nescias? Huc accedit, quòd nobis calliditatis moliturus invidiam, quæ* [a] *dictorum ejus seriem curtaverit, his excerptis fidem accommodavit, quæ veri similiùs falsitate ejus & malignitate, quàm cujusquam nostrûm imperita simplicitate videntur esse composita. Verùm id quovis animo, quovis auctore contigerit; nobis tamen duobus suffragatur modis: quia simul patuit & quanta sit levitas, & quanta imbecillitas in veritatis inimico, qui se approbavit, & cùm loqui non debeat, tacere non posse, & paucis semiplenis discerptisque magis quàm aggregatis sententiis, de primo tamen solùm libro meo ita* [b] *cessisse fractum, ut vulgi in nos femineis admodum vocibus pectora commoveret: quod disputationis nostræ processibus apparebit.*

Aug. Quid mihi irasceris, quòd ad me libri tui pervenire tardiùs potuerunt; vel quòd eos quærens non potui celeriter invenire? tamen potui & omnino debui, ea quæ mihi missa chartula continebat, cujuscumque & qualiacumque essent, ne putarentur invicta, planè apertis, non involutis oculis inspicere, & sine dilatione refellere: quia etsi numquam libros tuos reperire possem, oportuit ut ea quæ alicujus momenti esse credidit, qui tanto viro arbitratus est esse mittenda, quantum valerem, ne quisquam legens eis deciperetur, arguerem. Non ergo mihi quod objecisti objiceres, nisi tu potiùs ista, ut non dicam exstinctis, certè clausis oculis loquereris. Nullo modo autem diceres, vulgi à nobis in vos pectora commoveri, nisi scires multitudinem Christianam in utroque sexu fidem catholicam non latere, quam conaris evertere.

XX. Jul. *Admoneo tamen hìc quoque, sicut priore à nobis opere factum est, non me omnia examussim ejus verba positurum; sed ea capita, quibus destructis, naturalis mali opinio conteratur.*

Aug. Ea quæ prætermittis, colligentur fortasse vel à nobis vel ab aliis, ut appareat cur prætermiseris.

XXI. Jul. *Quod licèt plenè primo opere constet effectum: tamen quoniam nunc nonnulla de uno dumtaxat libro meo sibi refellenda proposuit, meque, ut prælocutus sum, arguit, quod capita dictorum ejus quæ inserui, magna ex parte truncaverim; ostendam primò, id quod reprehendit, nec à me esse factum, & ab illo impudentissimè in hoc eodem opere frequentatum. Tunc probabo, illis ipsis concisis brevibusque sententiis, quas de scriptis meis, quibus fuerat impugnatus, interseruit, ita nullis eum solidis responsionibus obstitisse, ut & illa invexata permaneant, & hic planiùs detestanda fateatur, quàm nostra oratio laboraverat explicare.*

Aug. Jam superiùs ad ista respondi.

XXII. Jul. *Adtoniti ergo, quid contra me scripserit, audiamus.* Verba, *inquit*, de libro meo tibi à me misso tibique notissimo ista posuit, quæ refutare conatus est: Damnatores nos esse nuptiarum, operisque divini quo ex maribus & feminis Deus homines creat, invidiosissimè clamitant; quoniam dicimus eos qui de tali commixtione nascuntur, trahere originale peccatum, eosque de qualibuscumque parentibus nascantur, non negamus adhuc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo. (Lib. 2 de Nupt. & concup. cap. 3.) In his verbis meis testimonium Apostoli, quod interposui, prætermisit, cujus se premi magna mole sentiebat. Ego enim cùm dixissem homines trahere originale peccatum, mox adjunxi: De quo Apostolus ait, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: (Rom. 5. 12.) quo testimonio, ut diximus, prætermisso, cetera illa contexuit quæ suprà commemorata sunt. Novit enim quemadmodum soleant hæc verba apostolica, quæ prætermisit, accipere catholicorum corda fidelium, quæ verba tam recta, & tantâ luce fulgentia, tenebrosis & tortuosis interpretationibus novi hæretici obscurare & depravare moliuntur. Deinde alia mea verba subtexuit, ubi dixi, Nec advertunt, quòd ita nuptiarum bonum malo originali quod inde trahitur non potest accusari, sicut adulteriorum & fornicationum malum bono naturali quod inde nascitur non potest excusari. Nam sicut peccatum, sive hinc sive inde à parvulis trahatur, opus est diaboli; sic homo, sive hinc sive inde nascatur, opus est Dei. Etiam hìc ea prætermisit, in quibus aures catholicas timuit. Nam ut ad hæc verba veniretur, suprà dictum erat à nobis: Hoc ergo quia dicimus, quod antiquissimâ atque firmissimâ catholicæ fidei regulâ continetur, isti novelli & perversi dogmatis assertores, qui nihil peccati esse in parvulis dicunt quod lavacro regenerationis abluatur, tamquam damnemus nuptias, & tamquam opus Dei, hoc est, hominem qui ex illis nascitur, opus diaboli esse dicamus, infideliter vel imperitè calumniantur. His ergo nostris prætermissis sequuntur illa nostra quæ posuit, sicut suprà scriptum est: *Quò usque simplicitati, qui hæc loqueris, religiosorum pectorum & imperitis auribus perstabis illudere? quem ad finem sese impudentia effrænata jactabit? Nihil te, cùm hæc scriberes, censura doctorum virorum, nihil reverentia futuri judicii, nihil ipsa litterarum monumenta moverunt? Patêre jam fallaciam tuam, & deprehensam teneri non vides? Quid in primo, quid in secundo opere conscripseris, quem nostrûm ignorare arbitraris? Libuit enim prorsus, & decuit, his te compellare modis, quibus in parricidam publicum eloquens Consul infremuit.* (Cicero Orat. 1. in Catil.)

[a] Vignerius, *quòd dictorum ejus seriem curtaverim.* At MSS. *quæ* (scilicet calliditas) *dictorum ejus seriem curtaverit.* Ab hac lectione propriùs recedens Menardus ediderat, *qui . . . . cur jacueris.*

[b] Sic Menardus. At MSS. *cessisse factum.* Vignerius, *accessisse fractum.*

AUG. Bene facis, indicare nobis, ne fortè non agnosceremus, de invectivis Ciceronis te ista sumsisse atque vertisse: sed non timemus Julianum, cùm videmus factum esse Tullianum: immo potiùs dolemus insanum, cùm videmus sensum perdidisse Christianum. Quid enim insanius, quàm prohibere à parvulis medicum Christum, dicendo non esse in eis quod venit ille sanare? Cicero invectus in patriæ parricidam, eam defendebat civitatem quam rex ejus Romulus, congregatis undecumque peccatoribus, condidit: tu autem tot parvulos, qui sine sacro baptismate moriuntur, & clamas peccatum nullum habere, & ad civitatem Regis, ad cujus imaginem facti sunt, non permittis accedere.

XXIII. JUL. *Apostoli me testimonium prætermisisse confingis, quod nec tibi opitulari potest, & à me prætermissum non est; sed eo insertum ordine, quo à te fuerat collocatum: utque in primo fideliter commemoratum, ita etiam in quarto operis mei libro, licèt cursim & breviter, explanatum est. Commemorationem quoque catholicæ Ecclesiæ, quam tu ad hoc feceras, ut catholicam fidem desererent à te decepti, & catholica miserabiles appellatione gauderent, non prætermisi. Et quamvis nulla argumentorum vis in ejusmodi verbis esset, tamen à me haud aliter dictorum tuorum caput propositum est, quam à te fuerat ordinatum. Lege editos libros meos; responsionisque fidem, quam tu arguis fraudis, adspiciens, me interim pronuntia vera dicere: tu verò, si consuetudo tua permiserit, erubesce. Sed jam ostensa inexcusabili falsitate, quæ semper quidem turpis, fit tamen turpior cùm locum censoris invadit, & deformitatem suam decori exprobrat alieno: responde, quid Manichæis sensibus aut nomen Ecclesiæ aut Apostoli verba conducant, ut ea cum tam magna invidia prætermissa causeris?*

V. suprà lib. 6. contra Iul. c. 24.

AUG. Jam superiùs respondi huic calumniæ tuæ, qua mihi verborum tuorum minùs integrè positorum objicis falsitatem. Sed quod fecit ille decerptor, tu mihi tam libenter non tribueres, si eorum qui hæc legunt, nolles esse deceptor.

XXIV. JUL. *Hoc semper fuit maximum inter Manichæos Catholicosque discrimen, & limes quidam latissimus, quo à se mutuò piorum & impiorum dogmata separantur, immo magna [a] moles sententias nostras quasi cæli à terra profunditate disjungens, quòd nos omne peccatum voluntati malæ, illi verò malæ conscribunt naturæ: qui cùm diversos sequuntur errores, sed velut de capite fontis istius effluentes, consequenter ad sacrilegia flagitiaque perveniunt; sicut catholici è regione, à bono inchoantes exordio, bonis aucti processibus, ad religionis summam, quam ratio munit & pietas, [b] pervehuntur. Tu igitur malum naturale conatus asserere, profano quidem voto, sed inefficaci intentione usurpasti Apostoli testimonium, quem hac eadem perscriptione ostendo nihil tale sensisse, quale tu persuadere conaris, quòd repugnantibus modis & illum catholicum confiteris, & dicta ejus Manichæo æstimas suffragari.*

A AUG. Quos doctores catholicos [c] Manichæo asseras suffragari, qui in verbis apostolicis intellexerunt trahere parvulos originale peccatum, nec vestro more insano velut sanam laudare naturam, sed ei sanandæ adhibuerunt medicinam potiùs Christianam, si Christiano corde cogitares, erubesceres, contremisceres, obmutesceres.

Pelagiani velut sanâ laudabant naturam.

XXV. JUL. *Numquid non idem, Adimantus & Faustus, (quem in libris Confessionis tuæ præceptorem tuum B loqueris,) [d] hæresiarchæ sui traditione fecerunt, obscuriores quasque vel de Evangelio, vel de Apostolorum epistolis sententias rapientes & corradentes, ut profanum dogma nominum auctoritate tuerentur? Quamquam quid dico de Manichæis? omnes prorsus hæreses inventa sua, quibus à pietate & fide exorbitaverunt, Scripturarum elocutionibus sententiisque communiunt.*

Confer lib. 5. Confess. cap. 6. & 7.

AUG. Illi obscuras sententias in suum dogma convertere: vos apertas ipso vestro dogmate obC scurare conamini. Quid enim apertius quàm quod ait Apostolus, Peccatum in hunc mundum per unum hominem intrasse, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertransisse? Quod si probare idem cogeretur Apostolus, ipsam generis humani miseriam testem daret, quæ incipit à vagitibus parvulorum, & usque ad decrepitorum gemitus pervenit. Nullo enim modo sub cura omnipotentis & justi eadem tam magna miseria naturæ irrogaretur humanæ, nisi in D duobus hominibus tota de paradisi felicitate in hanc infelicitatem peccati merito pelleretur.

Rom. 5. 12.

Miseria tam magna non irrogaretur humanæ naturæ, nisi esset peccatum.

XXVI. JUL. *Num igitur ideo aut libri sacri auctores probabuntur errorum, aut crimina pereuntium, Scripturarum dignitas expiabit?*

AUG. Hoc vobis dicite.

XXVII. JUL. *Exstinguatur itaque indisciplinatarum expositionum libido: nihil agere contra manifestam Dei justitiam verba credantur: quæ si ejus perE sonæ sunt, quam venerari necesse est, defendantur explanationibus divinæ congruentibus æquitati; sin autem non metuendo sunt auctore prolata, etiam ineliquata pellantur. Igitur nunc de Dei judicio disputatur, de quo dicitur, Deus fidelis, in quo non est iniquitas, justus & sanctus Dominus Deus. Et iterum: Iustus Dominus, & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. Et iterum: Omnia judicia tua æquitas. Innumera sunt testimonia, quibus æquitas divina in sacris voluminibus prædicatur: de qua nemo tamen F vel gentilium, vel hæreticorum, præter Manichæos Traducianosque, dubitavit.*

Deut. 32. 4.

Psal. 10. 8.

Psal. 118. 172.

AUG. Ex hac æquitate grave jugum est super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum: quod omnino esse asserit iniquum, qui negat originale peccatum.

Eccli. 40. 1.

Iniquum jugum, si non esset peccatum.

XXVIII. JUL. *Ita enim omnibus generaliter, docente naturâ, inculcatum est, Deum justum esse, ut manifestum sit, Deum non esse, quem constiterit justum non esse. Potest igitur & homo justus esse: Deus verò esse nisi G justus non potest.*

AUG. Tibi dic.

XXIX. JUL. [e] *Qui cùm est hic unus verus cui credimus,*

[a] Tres MSS. *mole.* Ex his Marianensis, *sententias omnes nostras.*
[b] Sic MSS. Mar. & Port. Editi verò, *provehuntur.*
[c] Editi, *Manichæis asseris.* Tres MSS. *Manichæo asseras.*
[d] Editi, *hæresiarchas*, vel *hæresiarches sui traditione fecerunt obscuriores, qui vel de Evangelio* &c. Veriùs MSS. *hæresiarchæ sui* (id est ipsius Manichæi sectæ principis) *traditione fecerunt, obscuriores quasque* &c.
[e] Codex Port. *Quicumque hic unus verus.*

& quem in Trinitate veneramur, dubio procul [a] *in omnes judicii est ratione justissimus.*

Aug. Tibi dic: & ostende justum esse, ut cum tam manifesta miseria, vel ad tam manifestam miseriam nascatur, à quo peccatum originale non trahitur.

XXX. Jul. *De hujus itaque legibus* [b] *ita probari & vindicari non potest, quod esse constat injustum; ut si hoc fieri posset, illius divinitas tota vilesceret. Ab eo igitur probabitur de scripturis sanctis injustitiæ dogma firmari, à quo approbari quiverit Trinitatem cui credimus divinitatis gloriâ posse privari.*

Aug. Verum dicis: sed vobis dicite, qui gloriam Christo, qua parvulos sanat, molimini auferre.

XXXI. Contendit injustũ esse ut imputetur cuiquam originale peccatum.

Jul. *Quod quoniam nec ratio sustinet ulla, nec pietas: aut doce, vel posse esse, vel justum esse, imputari cuiquam naturale peccatum; aut à scripturarum sanctarum contaminatione* [c] *discedito; quarum sententiis sanciri æstimas quod iniquum cogeris confiteri.*

Contrà, esse iniquum super parvulos jugum, si non trahunt orig. peccatum.

Aug. Erratis: vos potiùs iniquum cogimini confiteri grave super parvulos jugum; si quemadmodum nullum habent proprium, ita nullum trahunt originale peccatum.

XXXII. Jul. *Quòd si neutrum horum quæ diximus, facies; & huic Deo te asseris credere, cujus institutis injustitiam communiri æstimas: cognosce, multò te novum antiquo Manichæo esse pejorem, qui talem Deum habeas, qualem Manichæus Dei sui est commentus inimicum.*

Aug. Vos pejùs quàm Manichæi sævitis in parvulos. Illi quippe animam saltem, quam partem Dei putant, sanari per Christum in parvulo volunt: vos autem, quem nec in anima, nec in carne ullum malum habere dicitis, per Christum sanari nulla ex parte permittitis. Et præclari prædicatores sic prædicatis [d] Jesum, ut eum negetis parvulorum esse Jesum. Unde namque hoc nomen acceperit, in Evangelio legite, & nolite Salvatorem non salvis parvulis [e] denegare. (Matth. 1. 21.)

XXXIII. Jul. *Quas mihi ergo tu hìc ambages, quæ cervicalia mendaciorum & ineptiarum, quæ Ierusalem fornicanti Ezechiel propheta imputat, admovebis, in quibus muliebres animæ cubent, nomina mysteriorum tenentes, cùm in ipsam divinitatem retectâ profanitate commiserint. Remotis omnibus præstigiis & advocatarum sæpe à te plebecularum catervis, doce justum esse quod per scripturas sanctas affirmare conaris.* (Ezech. 13. 18.)

Aug. Plebecularum, quas inrides, catervæ, noverunt catholicam fidem, quæ à Salvatore [f] salvari confitentur infantes; & ideo Pelagianorum, qui hoc negant, detestantur errorem.

XXXIV. Jul. *Ne ergo in infinita volumina extendatur oratio, hìc, hìc harum de quibus agimus, rerum genus, species, differentia, modus, qualitasque cernatur: immo sollicitiùs utrùm sint, unde sint,* [g] *ubi sint, quid etiam mereantur, & à quo. Hoc enim modo nec diu per disputationum amfractus errabitur, & certum quod teneri debeat apparebit.*

Aug. Ideo contra unum librum * meum libros A octo scripsisti, quia per tua compendia dialectica diu disputare noluisti. (* Contra librum secundum de Nuptiis & concup.)

XXXV. Jul. *Creatoris hìc igitur & creaturæ ratio vertitur, id est, Dei & hominis: judicat ille, judicatur iste: itaque justitiæ & culpæ quæ sit natura videatur. Iustitia est, & ut ab eruditis definiri solet, & ut nos intelligere possumus, virtus (si per Stoicos liceat alteri alteram præferre) virtutum omnium maxima, fungens diligenter officio ad restituendum sua unicuique, sine fraude, sine gratia.* (Iustitiæ definitio.)

B Aug. Dic ergo qua justitiâ retributum sit parvulis grave jugum tam magnæ manifestæque miseriæ: dic qua justitiâ ille parvulus adoptetur in baptismo, ille sine hac adoptione moriatur; cur non sit ambobus honor iste communis, aut ab isto honore alienatio, cùm sit ambobus seu bona seu mala caussa communis. Non dicis, quia nec Dei gratiam, nec Dei justitiam homo magis Pelagianus quàm Christianus sapis.

XXXVI. Jul. *Quòd si eam maximam dici Zeno non*
C *siverit, qui tantam virtutum copulam unitatemque confirmat, ut ubi fuerit una, omnes dicat adesse virtutes, & ubi una non fuerit, omnes deesse; atque illam veram esse virtutem, quæ hac quadrua jugalitate perficitur: tunc quoque nobis plurimum præbebit auxilii, cùm docuerit, nec prudentiam, nec fortitudinem, nec temperantiam posse sine justitia contineri; secundùm quam veritatem & Ecclesiastes pronuntiat, Qui in uno peccaverit, multa bona perdet.* (Eccle. 9. 18.)

Aug. Audi eumdem Ecclesiasten dicentem:
D Vanitas vanitatum, & omnia vanitas: quæ abundantia hominis in omni labore suo, quem ipse laborat sub sole, &c. Et dic mihi quare homo etiam vanitati similis factus est, qui factus fuerat similis veritati. An hinc excipis parvulos, quos videmus crescendo, & si bene erudiantur, proficiendo, tam magnam minuere, cum qua nati sunt, vanitatem; nec eâ totâ carere, nisi omnes dies vanitatis velut umbra transierint. (Eccle. 1. 2. & 3.; Psal. 143. 4.)

XXXVII. Jul. *Hæc igitur augusta virtus, expunctrix uniuscujusque meritorum, in operibus quidem imaginis Dei,*
E *id est, humanæ animæ pro creaturæ ipsius modo & viribus intermicat: in ipso vero Deo, omnium quæ sunt ex nihilo conditore, immenso & claro* [h] *per æternum orbe resplendet. Origo ejus divinitas est, ætas ejus æternitas, & æternitas ultro citro nescia vel desinere vel cœpisse. Vt ergo genus ejus (quo nomine nihil aliud quàm originem intelligi volo) Deus est: ita species ejus in legum promulgatione judiciorumque apparet effectibus.*

F Aug. Si origo justitiæ Deus est, ut fateris; cur homini, ab ipso dari justitiam non fateris, & potiùs humanæ voluntatis arbitrium, quàm Dei donum, vis esse justitiam; ut sis in eis de quibus dictum est, Ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti? Erubescite tandem, obsecro, & ab illo justitiam poscite, qui est, ut fateri compulsi estis, origo justitiæ. (Justitia donum Dei.; Rom. 10. 3.)

XXXVIII. Jul. *Differentiam verò ejus non absurdè intel-*
G *ligere possumus, variam pro opportunitate temporum dispensationem. Verbi gratiâ, hostiæ de pecoribus in*

[a] Portarum codex, *in omnibus judicii est* &c. Marianensis & Clarævallensis, *in omnibus judiciis & ratione justissimus.*
[b] Sic MSS. Port. Mar. & Clar. At editi, *id probari.*
[c] Editi, *discedis, à quarum sententiis.* Emendantur à MSS. Port. Mar. Clar.
[d] Colbertinus codex, *sic prædicatis Christum.*

[e] Editi, *invidere*: non malè. Sed MSS. habent, *denegare.* Unus Port. sic ferebat, *in Evangelio legite, non salvatorem salvis parvulis denegate.*
[f] Verbum *salvari*, huc revocamus ex MSS.
[g] Hîc rursum ex MSS. restituimus, *ubi sint.*
[h] Sic MSS. At editi, *pro æterno orbe.*

vetere Testamento fuerant imperatæ. Id tunc implere pertinebat ad reverentiam jussionis: nunc verò indicta eorum dissimulatio ita servit justitiæ præcipienti, ut tunc oblatio serviebat. Modus verò ejus est vel status, quòd nec cuiquam amplius quàm vires patiuntur indicit, vel quòd misericordiam non retundit. Qualitas autem ejus intelligitur, per quam piis mentibus sapit dulciter. Est igitur procul dubio justitia, sine qua deitas non est; quæ si non esset, Deus non esset: est autem Deus; est itaque sine ambiguitate justitia. (*Justitia definitio.*) *Non est autem aliud quàm virtus omnia continens, & restituens suum unicuique, sine fraude, sine gratia. Consistit autem maximè in divinitatis profundo.*

Aug. Definisti esse justitiam virtutem omnia continentem, & restituentem suum unicuique, sine fraude, sine gratia. Proinde videmus eam sine fraude restituisse denarium eis, qui per totum diem in opere vineæ laboraverant (*Matth. 20.*): hoc enim placuerat, hoc convenerat, ad hanc mercedem se fuisse conductos negare non poterant. Sed dic mihi, quæso te, quomodo eis sine gratia tantumdem dedit, qui unâ horâ in illo opere fuerunt. An amiserat fortasse justitiam? Cohibe itaque te potiùs. (Justitia & gratia.) Neminem quippe fraudat divina justitia: sed [a] multa donat non merentibus gratia. Cur autem huic sic, illi autem sic, adspice quod secutus adjungis. Verissimè quippe dicis, eam consistere maximè in divinitatis profundo. [b] In hoc profundo est (*Rom. 9. 16.*), quòd neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. In hoc profundo est, quòd ille parvulus in honorem adoptatur per regenerationis lavacrum, ille in contumelia relinquitur, non admittendus ad regnum; cùm amborum in neutram partem sit meritum per voluntatis arbitrium.

XXXIX. Jul. *Testimonium verò, ut ab auctore suo, ita etiam vel à probis, vel ab improbis meretur, quòd & illos jure provexerit, & istos jure damnaverit. Cùm verò [c] per se nec boni quidquam nec mali merentibus misericordiam liberalem esse permittit, nihil sentit injuriæ; quia & hoc ipsum, ut sit clemens operi suo Deus, cùm in severitatem non cogitur, pars magna justitiæ est.*

(Misericordia dicitur à miseria.) Aug. Saltem misericordiæ nomen adtende, & unde dicta sit, respice. Quid igitur opus est misericordiâ, ubi nulla est miseria? [d] Miseriam porrò in parvulis si nullam esse dicitis, eis misericordiam præbendam negatis; si ullam esse dicitis, malum meritum ostenditis. Neque enim sub Deo justo miser esse quisquam nisi mereatur potest. (Sub Deo justo nemo miser, nisi mereatur.) Ecce duo parvuli jacent; unus eorum baptizatus, alter non baptizatus exspirat: cui eorum dicis Deum fuisse clementem? Si uni, ostende alterius malum meritum, qui negas esse originale peccatum: si ambobus, ostende baptizati ullum bonum meritum, qui negas gratiam, ubi nulla est acceptio personarum; & dic, si potes, cur ambos adoptare noluerit, qui certè ambos ad imaginem suam condidit. (Ex duobus parvulis unus assumitur gratiâ, relinquitur alter justitiâ.) An ita justus est, ut non sit omnipotens, si voluit & non potuit? Ubi certè illorum nullus noluit, ne impedimentum potestatis divinæ referatis ad meritum voluntatis humanæ: hîc certè nulli eorum dicere potest Deus, Volui, & noluisti. Aut si propterea non vult infans, quia plorat cùm baptizatur: ambo ergo relinquantur, ambo enim nolunt: & tamen unus assumitur & alter relinquitur, quia magna est gratia Dei, & verax justitia Dei. Sed quare ille potiùs quàm ille: inscrutabilia sunt judicia Dei.

XL. Jul. *Quos enim fecit quia voluit, nec condemnat nisi spretus: si cùm non spernitur, faciat consecratione meliores; nec detrimentum justitiæ patitur, & munificentiâ miserationis ornatur.*

Aug. Qui non condemnat nisi spretus, dic utrùm spernat suam imaginem nisi spretus? (Deus non spernit imaginem suam nisi spretus.) Quòd si non audes, dic unde spernat eos quos parvulos non adoptat, à quibus eum spretum non invenies, nisi eos invenias in Adam: ubi simul invenies, ut spernantur deberi omnibus per justitiam, nec tamen sperni omnes propter ineffabilem & inscrutabilem gratiam?

XLI. Jul. *His igitur justitiæ, quas præmisimus, divisionibus explicatis, discutiamus quæ sit definitio peccati. Equidem affatim mihi tam philosophantium quàm eorum qui catholici fuerunt, quod quærimus scripta suppeditant: sed vereor [e] ne refrageris, & si philosophorum ego senatum advocavero, tu continuò sellularios opifices omneque in nos vulgus accendas.*

Aug. Contumeliosus es in infirma mundi, quæ Deus elegit ut confunderet fortia (1. Cor. 1. 27.). Denique ipsi confundunt eos qui confidunt in virtute sua. Ubi quid dicam, vos estis? Prorsus me tacente apparetis, cùm vos non taceatis.

XLII. Jul. *Vociferans cum feminis, cunctisque calonibus, & tribunis, quibus octoginta aut ampliùs * equos totâ Africâ saginatos collega tuus nuper adduxit Alypius.* (* Vide infrà n. 74. & lib. 3. 35.)

Aug. Aut calumniaris, aut nescis quid loquaris: & ideo, aut mendax, aut temerarius, ista loqueris. Quid te autem nequius, si hæc ipse finxisti? quid stolidius, si fingentibus credidisti? Jam verò quod etiam scribere ausus es, neque veritus ne ad ea loca libri pervenirent tui, quæ terrâ marique transeuntem seu venientem collegam meum Alypium susceperunt, ubi legi apertissimè tua falsiloquia sine tua irrisione vel potiùs detestatione non possunt; cui, non dico impudentiæ, sed dementiæ comparatur?

XLIII. Jul. *Nequaquam te adquiescere eruditorum sententiis; ut addas, [f] secundùm quod intellectui tuo congruit, dixisse Apostolum, quia stultam fecit Deus sapientiam mundi* (1. Cor. 1. 20.)*: disputatores verò nostros sine metu à te posse despici, quòd nulla auctoritate talium premaris.*

Aug. Tu eos despicis, qui eis docentibus originale peccatum ita resistis, ut tamquam Manichæos insuper crimineris, me nominans, illos significans.

XLIV. Jul. *Quid ergo? Adquiescam prorsus tibi, faciamque in hoc loco jacturam omnium quorum adminiculo uti possem, contentusque ero definitione quæ ad indicium bonæ naturæ post Manichæorum secretum de ore tuæ honestatis effugit. In eo igitur libro cui*

[a] Sic MSS. Editi verò, *sed multam donat non merentibus gratiam.*

[b] In MSS. invenimus, *In hoc profundo est*; pro quo in editis legebatur tantùm, *id est.*

[c] Hoc loco veterum codicum auctoritate restituimus, *per se nec.*

[d] Editiones, omisso *Miseriam*, sic habebant: *Porrò in parvulis si nullam esse dicitis culpam, eis misericordiam præbendam negatis: si nullam esse dicitis.* Emendantur ad MSS.

[e] Editi, *ne frangaris.* Tres MSS. Clar. Mat. & Port. *ne refrageris.*

[f] Deerat *secundùm* in editis. Restituitur ex iisdem tribus MSS.

titulus

Cap. 11. *titulus est*, *vel* De duabus animabus, *vel* Contra duas animas, *ita loqueris*: Exspecta, sine priùs peccatum definiamus. Peccatum est voluntas [a] admittendi vel retinendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Quamquam si liberum non est, nec voluntas dici potest: sed malui grossiùs, quàm scrupulosiùs definire.

Peccati definitio.

Peccatum ibi definitū quod non est & pœna peccati.

Aug. Hîc peccatum definitum est quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati. De hoc quippe agendum fuit, quando mali origo quærebatur: quale commissum est à primo homine ante [b] omne hominis malum. Sed tu aut non potes intelligere, aut non vis.

XLV. Jul. *O lucens aurum in stercore! Quid verius, quid* [c] *plenius dici à quoquam vel orthodoxo potuisset?* Peccatum est, *inquis*, voluntas admittendi vel retinendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. *Ostendit hoc Ecclesiasticus: Deus, inquit, fecit hominem, & dimisit eum in manibus consilii sui: posuit ante eum vitam & mortem, aquam & ignem: quod placuerit ei, dabitur illi. Et per Isaiam Deus: Si volueritis, inquit, & audieritis me, quæ bona sunt terræ edetis. Si nolueritis, nec audieritis, gladius vos comedet. Et Apostolus: Resipiscite* [d] *justè, & nolite peccare. Atque iterum: Nolite errare, Deus non irridetur; quæ enim seminaverit homo, illa & metet.*

Eccli. 15. 14. &c. — Isai. 1. 19. — 1. Cor. 15. 34. — Gal. 6. 7.

Aug. Hæc testimonia propter illam voluntatem dicta sunt, in qua quisque id quod vult agit: ut si non habetur, ab eo poscatur qui in nobis operatur & velle: si autem habetur, fiant opera justitiæ, & ei qui illam operatus est agantur gratiæ.

Philipp. 2. 13.

XLVI. Jul. *Voluntas itaque motus est animi, in jure suo habentis utrùm sinisterior ad prava decurrat, an dexterior ad celsa contendat.*

Prov. 4. 27.

Aug. Quid est ergo, Ne declines in dexteram, neque in sinistram?

XLVII. Jul. *Motus autem animi ejus, qui jam per ætatem judicio rationis uti potest; cui cùm pœna monstratur & gloria, aut contrà* [e] *commodum vel voluptas, adjutorium & velut occasio offertur, non necessitas imponitur partis alterutræ. Hæc igitur voluntas, quæ alternatur, originem possibilitatis in libero accepit arbitrio: ipsius verò operis exsistentiam à se suscipit, nec est prorsus voluntas ante quàm velit, nec potest velle ante quàm potuerit & nolle; nec utrumque habet in parte peccati, id est, velle & nolle, antequàm usum rationis adipiscatur. Quibus collectis, apparet te verissimè definisse*, Peccatum est voluntas retinendi vel admittendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. *Hoc ergo peccatum, quod claruit nihil esse præter voluntatem, constat genus, id est, ipsam originem ab appetitu proprio suscepisse. Hujus species jam in unoquoque, qui dicuntur atomi, reperitur. Differentia verò & in varietate culparum, & in rationibus temporum. Modus est ipsa immoderatio: nam si modus est servire cui debeas, qui hoc prætermittit, veri modi transgressione delinquit. Hic tamen dici subtiliter potest, modum esse peccati, quia nemo plus quàm potest delinquit: nam si supra vires, inefficaci voluntate peccatur; hoc ipsum fieri vel sola potuit voluntate. Qualitas autem adscribatur vitio, per quam ostenditur quid amaritudinis, vel dedecore convehat vel dolore. Est ergo peccatum, quia si non esset, nec tu sequereris errores; nihil est autem aliud, præter voluntatem excedentem ab eo calle, cui debet insistere, & unde liberum est non deflectere.* [f] *Fit autem de appetitu inconcessorum; & nusquam est nisi in eo homine, qui & habuit voluntatem malam, & potuit non habere.*

Peccati definitio, sed in Adamo spectati.

Aug. Ipse est Adam, quem nostra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur, cùm dicerem, Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Adam quippe omnino, quando peccavit, nihil in se habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum, & propter quod diceret, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago: ac per hoc id egit peccando, quod justitia vetabat, & unde liberum illi fuerat abstinere. [g] Nam ei qui dicit, Quod nolo malum hoc ago, abstinere inde, liberum non est. Ac per hoc, [h] si tria ista discernas, & scias aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque, id est, ita peccatum, ut ipsum sit etiam pœna peccati; intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas est agendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Peccatum namque isto modo definitum est, non peccati pœna, non utrumque. Habent autem tria ista genera etiam species suas, de quibus nunc longum est disputare. Horum sanè trium generum si requirantur exempla, primi generis in Adam sine ullo nodo quæstionis occurrit. Multa quippe sunt quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum est abstinere: sed nulli tam liberum est, quàm illi fuit, qui Deo suo, à quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio depravatus adstabat. Secundi autem generis, ubi tantummodo est pœna peccati, exemplum in eo malo est, quod quisque ex nulla parte agit, sed tantummodo patitur: velut cùm pro suo scelere, qui peccavit, occiditur, sive alia corporis pœnâ quacumque cruciatur. Tertium verò genus, ubi peccatum ipsum est & pœna peccati, potest intelligi in eo qui dicit, Quod nolo malum hoc ago. Ad hoc pertinent etiam omnia quæ per ignorantiam cùm aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona. Cæcitas enim cordis, si peccatum non esset, injustè argueretur: arguitur autem justè, ubi dicitur, Pharisæe cæce; & aliis plurimis divinorum eloquiorum locis. Eademque rursus cæcitas si peccati pœna non esset, non diceretur, Excæcavit enim illos malitia illorum: quod si de Dei judicio non veniret, non legeremus, Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva. Quis porrò volens cæcus est corde, cùm velit nemo cæcus esse vel corpore?

Rom. 7. 19. — Tria distinguenda, peccatum, pœna peccati, & quod ita peccatum est ut sit & pœna peccati. — V. lib. 5. de Civit. Dei, c. 12. & lib. 21. c. 26. — Matth. 23. 26. — Sap. 2. 21. — Psal. 68. 24.

Proinde originale peccatum nec ad illud pertinet quod primo loco posuimus, ubi est voluntas

[a] In editis, *amittendi*. In MSS. *admittendi*, vel *ammitendi*. Augustinus verò in citata definitione dixit, *voluntas retinendi vel consequendi*, ut hîc postea ad n. 47.

[b] Sic Marianensis MS. At codex Port. *ante omnis hominis malum*. Editi, *ante omnes homines malum*.

[c] Port. MS. *quid planius*. Idem postea codex cum Marianensi habet, *à quoquam velut orthodoxo*.

[d] Duo MSS. *justi*. Græcè tamen est δικαίως, *justè*.

[e] Codex Port. *aut contrà incommodum*.

[f] Sic MSS. At editi, *Fecit autem*.

[g] Vignerius, à Menardi editione discedens, reluctantibus nostris MSS. substituit, *Num ei*.

[h] Editi, *sic tria ista*. Emendantur ex MSS.

malum operandi, unde liberum est abstinere; alioquin non esset in parvulis, qui nondum voluntatis utuntur arbitrio: nec ad illud quod secundò commemoravimus; de peccato enim nunc agimus, non de pœna, quæ non est peccatum, quamvis peccati merito subsequatur:[a] quam quidem patiuntur & parvuli, quia inest eis corpus mortuum propter peccatum; [Rom. 8. 10.] non tamen mors corporis ipsa peccatum est, vel corporales quicumque cruciatus: sed pertinet originale peccatum ad hoc genus tertium, ubi sic peccatum est, ut ipsum sit & pœna peccati; quod inest quidem nascentibus [b] sed in eis crescentibus incipit apparere, quando est insipientibus necessaria sapientia, & mala concupiscentibus continentia; origo tamen etiam hujus peccati descendit à voluntate peccantis. * Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes periit Adam, & in illo omnes perierunt. [* Ambrosius lib. 7. in Luc. c. 15. n. 234.]

XLVIII. Jul. *Meretur autem & ab honestis exsecrationem, & ab illa justitia, cujus hìc tota caussa vertitur, legitimam condemnationem. Omnibus itaque auleis reductis profer aliquando luce palàm, per quid doceas naturale esse peccatum. Certè nihil superiùs falsò vel de divinæ laude justitiæ, vel de culpæ definitione collectum est: Ostende ergo, hæc duo in parvulis posse constare: si nullum est sine voluntate peccatum, si nulla voluntas ubi non est explicata libertas, si non est libertas ubi non est facultas per rationem electionis; quo monstro peccatum in infantibus invenitur, qui rationis usum non habent? Igitur nec eligendi facultatem, ac per hoc nec voluntatem: atque his inrefutabiliter concessis, nec aliquod omnino peccatum. His igitur molibus pressus, videamus quò eruperis.* Nullo, *inquis*, peccato parvuli premuntur suo, sed premuntur alieno. *Necdum claruit quid mali sentias. Suspicamur enim te ad invidiam cujuspiam hominis, cujus iniquitatem ut Pœnus orator exprimeres, hæc in medium protulisse. Apud quem igitur impollutam innocentiam scelus [c] gravavit externum? Quis ille fuit, qui hos adjudicaret reos, tam excors, tam trux, tam oblitus Dei & [d] æquitatis, barbarus perduellis? Laudamus prorsus ingenium tuum: apparet eruditio, non potuisti aliter, dignam generis humani odio, judicis nescio cujus, immo tyranni allegare personam, quàm jurando non solùm eum non pepercisse his qui nihil peccavissent, verùm etiam his qui nec peccare potuissent. Solet quippe apud suspiciosum animum bona conscientia laborare pro defensione sui, ne fortè deliquerit, quia delinquere vel potuit: absolutè autem vindicatur à crimine, qui ipsa rei impossibilitate defenditur. Pande igitur quis est iste innocentium addictor. Respondens Deus: percussisti quidem animum, sed quia vix tantum sacrilegium fidem meretur, quid dixeris [e] ambigamus. Scimus enim homonymè usurpari nomen hoc posse: Sunt quippe dii multi & domini multi; nobis tamen unus est Deus Pater ex quo omnia, & unus est Dominus Iesus Christus per quem omnia.* [1 Cor. 8. 5. & 6.] *[f] Quem igitur Deum in crimen vocas? Hìc tu sacerdos religiosissime, rhetorque doctissime, exhalas tristius & horridius aliquid, quàm vel [g] Amsancti vallis, vel puteus Averni, immo scelestius quàm ipsa in his locis idolorum cultura commiserat. Deus, ais, ipse qui commendat suam caritatem in nobis, qui dilexit nos, & Filio suo non pepercit, sed pro nobis illum tradidit, ipse sic judicat, ipse est nascentium persecutor, ipse pro mala voluntate æternis ignibus parvulos tradit, quos nec bonam, nec malam voluntatem scit habere potuisse.* [Rom. 5. 8.] [Rom. 8. 32.] *Post hanc ergo sententiam, tam immanem, tam sacrilegam, tam funestam, si sanis judicibus uteremur, nihil præter exsecrationem tui referre deberem. [h] Justâ enim, & probabili gravitate, indignum te disputatione censerem, qui eò usque ab religione, ab eruditione, à communibus postremò sensibus aufugisses, ut quod vix ulla barbaries, Dominum tuum criminosum putares.*

Aug. Non est magnum, quòd vides non habere parvulos propriam voluntatem ad eligendum bonum, vel malum. Illud vellem videres, quod vidit qui scribens ad Hebræos dixit, filium Israël Levi [i] in lumbis Abraham patris sui fuisse, quando est ille decimatus, & ideo etiam istum in illo fuisse decimatum. [Hebr. 7. 10.] Ad hoc si haberes oculum Christianum, fide cerneres, si intelligentiâ non valeres, in lumbis Adam fuisse omnes qui ex illo fuerant per concupiscentiam carnis orituri; quam, post peccatum, quo illi sua nuditas nuntiata est, sensit, adspexit, erubuit, operuit. Unde Ambrosius doctor meus, tui quoque doctoris excellenter ore laudatus: [Lib. de Paradiso c. 13.] « Quod igitur gravius est, inquit, hac se Adam interpretatione succinxit, eo loci, ubi fructu magis castitatis se succingere debuisset. In lumbis enim quibus præcingimur, quædam semina generationis esse dicuntur. Et ideo malè ibi succinctus Adam foliis inutilibus, ubi futuræ generationis non fructum futurum, sed quædam peccata signaret. » Meritò etiam dicit, quod paulò antè memoravi: Fuit Adam, & in illo fuimus omnes; periit Adam, & in illo omnes perierunt. [Lib. 7. in Luc. c. 15.] Hoc tu non videns, mihi cæcus oblatras: sed in me, quidquid dicis, profectò & in ipsum dicis. Utinam ergo ita mihi cum illo commune sit præmium, sicut abs te audio cum illo commune convicium. Quid est quod clamas, & dicis, *Si sanis judicibus uteremur, nihil præter exsecrationem tui referre deberem?* Possumne tecum largiùs, beneficentiùs, liberaliùs agere, quàm ut ipsum inter nos constituam judicem, de quo tui doctoris Pelagii judicium jam tenemus? [Pelagii de Ambrosio elogium.] En adest ille, qui inter Latinæ linguæ scriptores, flos quidam speciosus enituit, cujus fidem, & purissimum in Scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere. Hoc Pelagius * de Ambrosio judicavit. [* Pelag. lib. 3. de libero arbitrio. Vide supra lib. de gratia Christi c. 42. & 43.] Quid ergo de hoc quod inter nos agitur, judicavit Ambrosius? Dixi superiùs ejus de peccato originali sine ulla obscuritate vel ambiguitate sententias: sed si parum est, adhuc audi. Omnes, inquit, sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est. [Ambros. lib. 1. de pœnitentia, c. 2. vel 3.] Quid ad ista respondes? Illa de Ambrosio dixit præclara Pelagius, ista pro me contra te manifesta pronun-

[a] Vignerius & duo MSS. *Nam quidem.*

[b] Hîc MSS. ope restitutum est, *sed in eis crescentibus*; quo prætermisso editi ferebant, *dum incipit apparere.*

[c] MSS. Mar. & Port. *gravabit.*

[d] Sic MSS. At editi, *& æquitati barbarus perduellis.*

[e] Solus Vignerius, *ambigimus.*

[f] Editi, *Quid igitur, Deum inexorabilem vocas?* Castigantur ad MSS. Mar. & Port.

[g] Vignerius, *Conssensis vallis.* At MSS. Mar. & Port. *Amsancti vallis.* Lacus est in Italia apud Hirpinos sulphureas habens aquas, pestilentem odorem ac mortiferum spirantes, de quo Virgilius lib. 7. Æneid. & Cicero lib. 1. de divinat.

[h] Sic MSS. Editi verò, *Justitiâ.*

[i] Editi, *filium Israëlem in lumbis.* Emendantur ex MSS.

tiavit Ambrosius: istum reprehende, de quo dicit magister tuus, quòd eum ne inimicus quidem ausus est reprehendere; & qui sanos judices quæris, istum nega sanum, ut te planè profitearis insanum. Sed indignaris homo piissimus, quòd parvuli non renati, si moriantur ante propriæ voluntatis arbitrium, propter aliena dicantur peccata damnari, ab eo qui commendat caritatem suam in nobis, qui dilexit nos, & Filio suo non pepercit, sed pro nobis illum tradidit: quasi non de illo graviùs conquerantur stulti & indocti similes tui, qui dicunt, Ut quid creat, quos impios futuros & damnandos esse præscivit? Ut quid eos postremò, donec ad impietatem damnabilem perveniant, facit vivere, quos ante quàm [a] tales fierent, ex hac vita posset auferre; si animas amat, si commendat caritatem suam in nobis, si Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum? Quibus si dicatur, O homo tu quis es qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt judicia ejus: irascuntur potiùs, quàm mitescunt. Sed novit Dominus qui sunt ejus. Si ergo sanis judicibus uti cupis, audi judicem sanum singulariter à tuo doctore laudatum. Fuit, inquit, Adam, & in illo fuimus omnes; periit Adam, & in illo omnes perierunt. Sed peccatis, inquis, alienis non utique perire debuerunt. Aliena sunt, sed paterna sunt: ac per hoc jure seminationis atque germinationis & nostra sunt. Quis ab hac perditione liberat, nisi qui venit quærere quod perierat? In eis ergo quos liberat, amplectamur misericordiam: in eis autem quos non liberat, agnoscamus judicium, occultissimum quidem, sed sine ulla dubitatione justissimum.

Rom. 5. 8. Rom. 8. 32. Rom. 9. 20. Rom. 11. 33. 2. Tim. 2. 19. Ambrosius lib. 7. in Luc. c. 15. Originale peccatum jure seminationis est nostrum. Luca 19. 10.

XLIX. JUL. *Pugnasse* [b] *quidem cum principe tenebrarum deum lucis, Manichæus finxit, & credidit; addiditque, ejus captivam teneri in hoc orbe substantiam: sed tantam infelicitatem colore pietatis nititur excusare, affirmans eum quasi bonum pro patria dimicasse civem, atque ideo objecisse membra, ne perderet regna. Tu qui hæc didiceras, quantum ea vel ad tempus deserendo profeceris intuere: dicis, Deum necessitatem non pertulisse belli, sed iniquitatem admisisse judicii; nec tenebrosis hostibus, sed perspicuis subjacere criminibus; non impertisse postremò substantiam suam, sed æternam violasse justitiam. Quo quis vestrûm pejor sit, aliis æstimandum relinquo. Illud tamen liquet, ad unum vos opinionis nefas redire. Nam & Manichæus subscribit iniquitatem Deo suo, cùm eum allegat damnaturum in ultimo die membra quæ tradidit: & tu per hoc illum asseris infelicem, per quod corrupit gloriam qua cluebat, & persequendo innocentiam quam creavit, perdidit justitiam qua sacerrimus fuit. Tantum igitur huic, quem tu inducis, Deo, ille quem magister tuus commentus fuerat, antecellit, quantum excusabilius, prœlio superatum esse quàm vitio.*

AUG. Si tibi placet innocentia parvulorum, remove ab eis, si potes, grave jugum quod est super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum. Sed puto quòd Scriptura, quæ hoc dixit, meliùs te noverat quid esset innocentia creaturæ, & quid justitia Creatoris. Quis autem non videat, si habent parvuli, qualem prædicas, innocentiam, in gravi jugo eorum Dei non esse justitiam? Porrò quia in jugo gravi eorum divina justitia est; non est in eis talis, qualem prædicas, innocentia. Nisi fortè tibi in hac quæstione laboranti, Deus justus quidem, sed infirmus quodam modo subvenire poterit, quia suis imaginibus, ne innocentes [c] gravis jugi miseriâ premerentur, subvenire non potuit: ut eum dicas voluisse quidem, quia justus est, sed non potuisse quia omnipotens non est: atque ita de his angustiis exeas, ut fidei caput perdas, qua fide primitus in Symbolo confitemur credere nos in Deum Patrem omnipotentem. Deus igitur tuus, in tot & tantis malis quæ parvuli patiuntur, aut justitiam, aut omnipotentiam, aut ipsam curam rerum humanarum est perditurus: quodlibet autem istorum dixeris, vide quid [d] eris.

Eccli. 40. 1. In gravi jugo miseriæ parvulorum non esset Dei justitia, si in eis esset innocentia.

L. JUL. *Amolire te itaque cum tali Deo tuo de Ecclesiarum medio: non est ipse, cui Patriarchæ, cui Prophetæ, cui Apostoli crediderunt, in quo speravit & sperat Ecclesia primitivorum, quæ conscripta est in cælis: non est ipse quem credit judicem rationabilis creatura; quem Spiritus-sanctus justè judicaturum esse denuntiat. Nemo prudentium, pro tali Domino suum umquam sanguinem fudisset: nec enim merebatur dilectionis affectum, ut suscipiendæ pro se onus imponeret passionis. Postremò iste quem inducis, si esset uspiam, reus convinceretur esse, non deus; judicandus à vero Deo meo, non judicaturus pro Deo. Ut igitur prima fidei fundamenta cognoscas; noster Deus, Ecclesiæ catholicæ Deus, substantiâ nobis ignotus est, & ab adspectu similiter remotus; quem vidit nemo hominum, nec videre potest: ut æternus sine principio, ita sanctus justusque sine vitio; omnipotentissimus, æquissimus, misericordissimus, innotescens* [e] *solo splendore virtutum; factor omnium quæ non erant, dispensator* [f] *eorum quæ sunt, examinator cunctorum qui & sunt, & futuri sunt, & fuerunt, in ultimo die: terram, cælum, & cuncta simul elementa moturus: excitator cinerum, & corporum restitutor: sed propter solam justitiam, hæc quæ diximus, cuncta facturus.*

Heb. 12. 23. 1. Tim. 6. 16.

AUG. Si Deum Patriarcharum colis, quare non credis circumcisionem octavi diei, quæ præcepta est Abrahæ, præfigurationem fuisse regenerationis in Christo? Hoc enim si crederes, videres non potuisse justè animam parvuli exterminari de populo suo, si die non circumcideretur octavo, nisi alicui fuisset obligata peccato? Si Deum Prophetarum colis, cur non credis quod per eos totiens Deus dixerit, Reddam peccata patrum in filios? Si Deum Apostolorum colis, cur non credis, corpus mortuum propter peccatum? Si Deum colis in quo speravit & sperat Ecclesia primitivorum, quæ conscripta est in cælis, cur non credis baptizandos parvulos erui de potestate tenebrarum, cùm eos propter hoc exsufflet atque exorcizet Ecclesia, ut ab eis potestas tenebrarum mittatur foras? Ille verò, quem sperat judicem rationalis creatura, quæ in sanctis ejus est & fidelibus, [g] lege nobis, præter regnum

Gen. 17. 12. Ibid. 14. Exod. 34. 7. Ier. 32. 18. Rom. 8. 10.

[a] In editis omissum, *tales*: & infrà pro, *si animas amat*; corruptè legebatur, *Animat is*, apud Menard. *Animaris*, apud Vigner.
[b] Editi, *Pugnasse si quidem*. Abest *si* à MSS.
[c] Ita MSS. At editi, *gravi jugo miseria*.
[d] Editi, *quid egeris*. Castigantur ad MSS.
[e] Editi, *solus*. Veriùs MSS. *solo*.
[f] Codex Port. *omnium eorum*.
[g] Editi, *ubi lege*. Abest *ubi* à MSS.

Tertius locus præter regnum & supplicium nullus est.

bonis & supplicium malis, quem tertium locum præparaverit & promiserit non regeneratis innocentibus tuis? Quomodo autem dicis, neminem prudentum pro Domino, quem colimus, sanguinem fundere; cùm eum coluerit & pro eo sanguinem fuderit gloriosissimus Cyprianus, qui vos in ista quæstione suffocat, dicens, parvulum ex Adam carnaliter natum, contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere? [a] Vides-ne te potiùs reum, qui blasphemas istum sanctorum martyrum Deum? Dicis te colere omnipotentissimum, æquissimum, misericordissimum Deum: sed ipse est omnipotentissimus, qui jugum grave, quo premuntur filii Adam ex die nativitatis suæ, procul dubio ab eis posset auferre, immo [b] ne ullo tali jugo prorsus gravarentur efficere: sed ipse est æquissimus, qui nullo modo illud imponeret, imponive permitteret, nisi peccata in eis, cum quibus nati sunt, inveniret, quorum reatum renatis idem ipse misericordissimus solveret. Si ergo te delectaret divina justitia, videres profectò quòd ex ipsa veniat, non utique injustè à parvulis incipiens, nota omnibus humana miseria, qua peragitur hæc vita, à primis fletibus nascentium, usque ad extremos halitus morientium; sanctis tantùm & fidelibus, sed in alia vita, felicitate promissa.

Epist. 64. ad Fidum.

Deus æquissimus non permitteret jugũ grave parvulis imponi, nisi in eis peccatum inveniret.

LI. JUL. *Pro hoc igitur Deo meo, quem mihi qualem credo omnis creatura & sancta scriptura denuntiat, rectiùs dixi facerem, si nec librorum te concertatione dignum putarem. Verùm quoniam mihi potissimùm hoc à sanctis viris, nostri temporis confessoribus, munus impositum est, ut dicta tua quid habeant ponderis rationisque discutiam, opportunum fuit ostendere priùs, non à te credi ei Deo, qui in catholicorum semper Ecclesia prædicatus est, & usque ad finem ubi illa fuerit prædicabitur.*

AUG. Ego potiùs non te ostendisse, quod te ostendisse dicis, ostendi; & ei me Deo credere, qui à catholicorum semper Ecclesia prædicatus est, si nimiùm cæcus non sis, edocui.

LII. JUL. *Nunc verò consequenter inspiciam, quibus hoc, quod expugnat fides piorum, testimoniis affirmare coneris. Sed quoniam institui libro tuo secundo, quem Alypius detulit, obviare, ne [c] confunderetur rescripti series, paucis adhuc, usque dum ad testimonium Apostoli, quo plurimùm tibi videris muniri, sermo perveniat, respondendum est. Illis ergo, quæ suprà posui, verbis tuis hæc quæ sequuntur adjungis:* In his itaque quæ prætermisit, hoc timuit, quia cuncta Ecclesiæ catholicæ pectora convenit, fidemque ipsam antiquitus traditam atque fundatam, clara quodam modo voce compellat, & adversùs eos vehementissimè permovet quod diximus, quia nihil peccati esse in parvulis dicunt, quod lavacro regenerationis abluatur. Omnes enim ad Ecclesiam non propter aliud cum parvulis currunt, nisi ut in iis originale peccatum generatione primæ nativitatis adtractum, regeneratione secundæ nativitatis expietur. Deinde ad nostra superiora verba revertitur, quæ nescio cur repetat. Eos autem qui de tali commixtione A nascuntur, dicimus trahere originale peccatum; eosque de parentibus qualibuscumque nascantur, non negamus adhuc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo. Hæc verba nostra & paulò antè dixerat. Deinde subjunxit quod de Christo diximus, Qui de eadem sexûs utriusque commixtione nasci noluit. Sed etiam hîc prætermisit quod ego posui: Ut per ejus gratiam eruti de potestate tenebrarum, in regnum illius, qui de eadem sexûs utriusque commixtione nasci noB luit, transferantur. Vide, obsecro te, quæ nostra verba vitavit, tamquam inimicus omnino gratiæ Dei, quæ venit per Jesum Christum Dominum nostrum. Scit enim ab illa Apostoli sententia, qua dixi de Deo Patre, Qui nos eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii caritatis suæ; improbissimè & [d] impiissimè parvulos separari: ideo procul dubio verba ista prætermittere quàm ponere maluit. *Ego-ne sum inimicus gratiæ Dei, homo omnium impudenC tissime, qui in primo libro meo, unde tu ista à contextu suo avulsa rapuisti, ut aliquid sine ratione garrires, professione purâ & plenâ os tuum mysteriis Manichæorum madens tuorumque damnavi?*

Lib. 2. de Nuptiisc. 2.

Coloss. 1. 13.

AUG. Numquid ut habeas caussam bonam conviciando facturus es? Dic quorum meorum os, [e] sicut meum, damnasse te jactas? Dicturus es Manichæorum, sed ut maledicus, non ut veridicus. Ego enim & Manichæos detestor, & adjuD tores eorum, in quibus appetis principatum, & utrosque adjuvante ac subveniente Domino Deo nostro catholica veritate redarguo. Sed ostendam meos, quos in me tantò nequiùs quantò astutiùs criminaris. In hac enim caussa, ubi originalis peccati vertitur quæstio, propter quod me nomine Manichæorum atrocissimis dignum arbitraris opprobriis, meus est Cyprianus, qui cùm peccasse nihil dixerit parvulum, non tamen tacuit, eum contraxisse peccati ex Adam prima E nativitate contagium. Meus est Hilarius, qui cùm exponeret quod in Psalmo legitur, "Vivet anima mea & laudabit te: Vivere se, inquit, in "hac vita non reputat, quippe qui dixerat, Ecce in "iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit "me mater mea. Scit sub peccati origine, & sub "peccati lege se natum. Meus est à tuo doctore excellentissimè laudatus Ambrosius, qui dixit, "Omnes homines sub peccato nascimur, quo- "rum ipse ortus in vitio est: sicut habes le- "F ctum, dicente David, Ecce enim in iniquita- "tibus conceptus sum, & in delictis peperit "me mater mea. Ideo Pauli caro, corpus mortis erat. Meus est Gregorius, qui cùm de baptismo loqueretur, Venerare, inquit, nativitatem, [f] per quam terrenæ nativitatis vinculis liberatus es. Meus est Basilius, qui cùm ageret de jejunio: Quia non jejunavimus, inquit, decidimus de paradiso; jejunemus ut ad eum redeamus. Meus est Johannes Constantinopolitanus, G dicens, Adam peccavit illud grande peccatum, & omne hominum genus in commune damna-

Pelagiani adjutores Manichæorum. Vide suprà lib. 1. operis prioris cont. Jul. cap. 8. & seq.

Cyprian. epist. 64. ad Fidum.

Hilar. in Psal. 118.

Psal. 50. 7.

Ambros. lib. 1. de pænit. c. 2.

Greg. Naz. orat. in Christi natalem.

Basil. ser. 1. de jejunio.

Joh. Chrysost. homilia de Lazaro resuscitato.

[a] Sic MSS. At editi, *Vide ne tu potiùs reus sis.*

[b] Locus veterum codicum subsidio sanatus, qui sic in editis jacebat, *immo nec ullo modo illud imponeret:* omissis verbis, *ne ullo tali jugo* &c.

[c] Editi, *ne confundatur rescriptis veritas.* At MSS. Mar. Port. & Clar. *ne confunderetur rescripti series.*

[d] Editi, *& impurissimè.* At MSS. ut in 2. libro de Nuptiis, *& impiissimè.*

[e] Sic MSS. Port. & Mar. Vignerius autem, *Dic quorum meorum os, meumque damnes, sicut damnasse te jactas.*

[f] Editi, *pro qua.* Emendantur ex MSS.

vit. Hi omnes, [a] & alii ſocii eorum eadem ſentientes, quos commemorare longum eſt, mei ſunt: ſi agnoſcis, & tui ſunt; ſed mei doctores, improbatores tui. Quomodo igitur os meum meorumque damnaſti? cùm iſtorum, quos eſſe conſpicis meos, concordiſſimo & veraciſſimo potiùs ore ipſe damneris? Iſtis-ne tu luminibus civitatis Dei, mente tenebroſiſſima, fronte impudentiſſima, linguâ procaciſſimâ audes crimen objicere Manichæi? Si autem non audes, cur mihi non ob aliud audes, niſi quia hoc dico, quod dicunt quibus non audes?

LIII. JUL. *Ibi namque hic eſt à me conlatus ordo verborum, cùm dixiſſem auctorem Deum cæli & terræ, omniumque quæ in eis ſunt, ac per hoc & hominum propter quos cuncta facta ſunt. Non autem me fugit,* [b] *inquio, cùm hæc dicimus, illud de nobis diſſeminandum eſſe, quia gratiam Chriſti neceſſariam parvulis non putemus. Quod Chriſtianos populos laudabiliter & vehementer offendit: ſi tamen dicti per ſe nefarii non nos arbitrarentur auctores: eo enim modo nec de fratribus ſuis falſa credendo crimen incurrerent, & ſtudioſos ſe circa amorem fidei comprobarent. Munienda igitur nobis iſta pars eſt contra impetum vanitatis, & confeſſione brevi os obloquentium conſuendum. Nos igitur in tantum gratiam baptiſmatis omnibus utilem ætatibus confitemur, ut cunctos qui illam non neceſſariam etiam parvulis putant, æterno feriamus anathemate. Sed hanc gratiam locupletem ſpiritalibus donis credimus, quæ multis opima muneribus ac reverenda virtutibus, pro infirmitatum generibus & humanorum ſtatuum diverſitatibus,* [c] *unà, tam remediorum conlatrice quàm munerum, virtute medicatur. Quæ cùm* [d] *admovetur, non eſt mutanda pro cauſſis: jam enim ipſa dona ſua pro accedentium capacitate diſpenſat. Sicut enim artes omnes non pro diverſitate materiarum, quas arripiunt excolendas, ipſæ quoque aut detrimenta aut augmenta patiuntur, ſed * idem ſemper atque uno modo ſe habentes multiplici decorantur* [e] *effectu, ita & ſecundùm Apoſtolum, Vna fides, unum baptiſma: & multiplicantur & dilatantur in donis, nec tamen in myſteriorum mutantur ordinibus. Sed hæc gratia non adverſatur juſtitiæ, quæ maculas eluit iniquitatis: nec facit peccata, ſed purgat; quæ abſolvit reos, non calumniatur innocuos. Chriſtus enim qui eſt ſui operis redemtor, auget circa imaginem ſuam continuà largitate beneficia; & quos fecerat condendo bonos, facit innovando adoptandoque meliores. Hanc igitur gratiam, per quam reis venia, inluminatio ſpiritalis, adoptio filiorum Dei, municipatus Ieruſalem cæleſtis, ſanctificatio, atque in Chriſti membra tranſlatio, & poſſeſſio regni cælorum mortalibus datur, qui aliquibus negandam putat, omnium bonorum exſecrationem meretur.*

* f. eadem.

Epheſ. 4. 5.

AUG. In his omnibus quæ commemoraſti gratiæ Dei muneribus, illud quod priùs poſuiſti, dari per illam reis veniam, non vis ad parvulos pertinere, quos ullum reatum negas ex Adam trahere. Cur ergo cetera multis negat Deus parvulis, qui ſine hac gratia in illa ætate moriuntur?

Munera gratiæ ad ſalutem neceſſaria non denegentur parvulis, ſi non habe-

A Cur, inquam, non eis datur inluminatio ſpiritalis, adoptio filiorum Dei, municipatus Jeruſalem cæleſtis, ſanctificatio, atque in Chriſti membra tranſlatio, & poſſeſſio regni cælorum? Hæccine tot munera tam neceſſaria, tot imaginibus ſuis nullum ſecundùm vos peccatum habentibus negaret Deus, penes quem ſumma poteſtas eſt, cùm hoc beneficium non à ſe prohibeat voluntas contraria parvulorum? Tu certè ut hanc à vobis amolireris invidiam, qua dicimini parvulis ba-
B ptiſmi gratiam denegare, dixiſti quòd eam gratiam, qui aliquibus negandam putat, omnium bonorum exſecrationem mereatur. Non igitur eam Dei omnipotentis æquitas negaret innumerabilibus parvulis, qui ſine hac ſub ejus omnipotentia moriuntur, ſi mali nihil in ejus occulto judicio mererentur. A quo judicio de ſtirpe Adam venientibus omnibus debito, quicumque ſecundùm gratiam, non ſecundùm debitum liberantur, non in ſuis meritis, ſed in Domino glorientur. Vos
C ergo ſi carere vultis opprobrio, quo Eccleſiæ catholicæ deteſtabiles facti eſtis, ſinite Chriſtum parvulis eſſe Jeſum. Quod omnino non erit, ſi non eis conferet propter quod hoc nomen accepit, id eſt, ſi non eos ſalvos faciet à peccatis eorum. Hoc igitur de iſta gratia dicite, ut offenſione Chriſtianorum de qua conquerimini careatis, quod dixit catholicus doctus doctorque Gregorius: Venerare nativitatem, per quam terrenæ nativitatis vinculis liberatus es. Nullo ita-
D que modo ad iſtam gratiam pertinere parvulos confitemini, quamdiu negatis eos nativitate cæleſti à terrenæ nativitatis vinculis liberari.

rent peccatum.

Chriſtus etiam parvulis Jeſus.

Matth. 1. 21.

Orat in Chriſt. nat.

LIV. JUL. *Quæ quoniam, ut locus interim hìc patiebatur, munivi, revertamur illò unde digreſſi ſumus; de hoc ipſo, ubicumque opportunum fuerit, pleniùs locuturi. Ecce quanta confeſſionis luce, & eos qui baptiſma parvulis denegarent, & vos qui ejus præjudicio juſtitiam Dei audetis maculare, reprobavi: proteſtans aliud me non tenere, quàm inſtituta myſteria*
E *iiſdem,* [f] *quibus tradita ſunt verbis, in omni prorſus ætate eſſe tractanda, nec pro cauſſarum varietate debere mutari: verùm fieri peccatorem ex malo perfectè bonum; innocentem autem qui nullum habet malum propriæ voluntatis, ex bono fieri meliorem, id eſt, optimum: ut ambo quidem in Chriſti membra tranſeant conſecrati; ſed unus deprehenſus in mala vita, alter in bona natura. Ille enim innocentiam quam exortus acceperat, prava actione corrupit: hic verò ſine laude, ſine crimine voluntatis,*
F *hoc ſolum habet, quod à Deo conditore ſuſcepit, qui* [g] *infucata primævitate felicior, bonum ſimplicitatis ſuæ vitiare non potuit, nullum habens de actibus meritum, ſed hoc ſolum retinens, quod tanti opificis dignatione poſſedit.*

AUG. Quare ergo grave jugum ſuper eum à die exitûs de ventre matris ejus? Cur tanta corruptibilitas corporis, ut hac aggravetur anima ejus? Cur tanta mentis obtunſio, ut etiam plagis erudiatur tarditas ejus? Quò uſque, Juliane,
G gravis es corde? Quò uſque diligis vanitatem, &

Miſeriæ in quibus homo naſcitur, veniũt ex peccato.

Eccli. 40. 1.

Sap. 9. 15.

Pſal. 4. 3.

[a] Hos & alios plures commemoravit ſuprà in priore opere contra Julianum lib. 1. cap. 3. 4. 5. 6. &c.

[b] Sic MSS. At Menardus, *quod.* Vignerius, *in quo.* Hæc Julianus in opere ſuo primo ad Turbantium dixit, refutavitque Auguſtinus ſuprà in lib. 3. cont. Jul. c. 3.

[c] Menardus, *unicam remediorum collatricem.* Vignerius, *unicâ remediorum collatrice.* Caſtigantur ad MSS.

[d] Menardus, *amovetur*: corruptè. Id hoc loco Julianus de baptiſmi ritu profitetur, quod ante ipſum Pelagius in libello fidei ſuæ, infrà in Append. part. 2. pag. 97. *Baptiſma*, inquit, *unum tenemus, quod iiſdem ſacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus aſſerimus eſſe celebrandum.* Vide item in Append. pag. 112. in libello fidei Pelagianorum ſcripto per Julianum.

[e] Editi, *affectu*: diſſentientibus MSS.

[f] Marianenſis MS. *quæ tradita ſunt*: non minùs rectè.

[g] Idem codex Mar. *infuſcata.*

quæris mendacium, quo veſtra hæreſis fulciatur? Numquid ſi nemo peccaſſet, ſi natura humana in ea qua condita eſt bonitate manſiſſet, etiam in paradiſo ad iſtas homo miſerias, ut alia taceam, naſceretur?

LV. Jul. *Ætas igitur illa ſicut miſericordiam Chriſti prædicat innovata, id eſt, innovantis myſterii virtute provecta: ita iniquitatem judicis, infamiam juſtitiæ, aut accuſata, aut aggravata convincit.*

Innovantur parvuli in baptiſmo.

Aug. Ex qua vetuſtate ætas illa dicitur innovata, cùm ſit ortu nova? Labia doloſa ſunt iſta: ſi vis agnoſcere vetuſtatem, ex qua parvuli [a] Chriſtianâ gratiâ renovantur, audi fideliter quod ait homo Dei Reticius ab Auguſtoduno epiſcopus, qui cum Melchiade Romano epiſcopo quondam judex ſedit, Donatumque damnavit hæreticum. Hic enim cùm de Chriſtiano baptiſmate loqueretur: „Hanc igitur, inquit, principalem eſſe in Eccleſia indulgentiam, neminem „præterit, in qua antiqui criminis omne pondus „exponimus, & ignorantiæ noſtræ facinora priſca „delemus; ubi & veterem hominem cum ingenitis ſceleribus exuimus. Audiſne non poſtea perpetrata, ſed etiam ingenita ſcelera veteris hominis? Numquid Manichæus fuit iſte Reticius? Quomodo ergo non doloſè innovari parvulos dicitis in Chriſtiana regeneratione, qui mala quæ ingeneravit antiqui criminis pondus in vetere homine non vultis agnoſcere? Deinde ſi aggravata ætas illa iniquitatem judicis convincit, ut dicis, itane non eſt aggravata gravi jugo ſuper filios Adam? Et tamen non eſt hinc iniquus Deus; ac per hoc merito eſt aggravata. Nullum eſt autem hujus ætatis meritum malum, ſi non eſt originale peccatum.

Reticius epiſc. Aug. V. ſuprà lib. 1. contr. Iulian. cap. 3.

LVI. Jul. *Non ergo unitate ſacramenti rea monſtratur infantia, ſed veritate judicii nihil aliud quàm innocens approbatur.*

Aug. Inveniſſe te putas quare baptizetur: dic quare exſuffletur. Certè Pelagii auctoris veſtri magna & invicta eſt putata * ſententia, ubi ait, *Si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo & Chriſti juſtitia etiam non credentibus prodeſt.* Quid ergo de parvulis dicitis, quando baptizantur, credunt, an non credunt? Si dixeritis, Non credunt: quomodo [b] non eis Chriſti juſtitia etiam non credentibus prodeſt, ut regnum cælorum poſſideant? Aut ſi prodeſt, ut cogimini confiteri: ſic igitur eis nocuit Adæ peccatum nondum peccandi habentibus voluntatem, quomodo eis prodeſt juſtitia Chriſti nondum credendi habentibus voluntatem? Si autem dixeritis, Per alios credunt: ſic etiam per alium peccaverunt. Et quoniam verum eſt quòd per alios credunt, (propter hoc enim & fideles per totam Eccleſiam nuncupantur:) profectò pertinent ad illud quod ait Dominus, Qui autem non crediderit, condemnabitur. Condemnabuntur ergo ſi per alios non credant, cùm per ſe ipſos non valent credere: condemnari autem juſtè nullo modo poſſent, ſi non ſub peccato, ac per hoc & ſub peccati principe naſcerentur. Propter hoc ergo & exſufflantur. Removete [c] ab eis deceptoriam vanitatem veſtram: ſinite parvulos venire ad Jeſum, qui ſalvum facit populum ſuum (in quo utique & ipſi ſunt) à peccatis eorum.

* V. ſuprà lib. 3. de peccator. meritis c. 2. & infrà Mercatoris commonitorium in Append. pag. 71.

Parvuli per alios credunt, & appellantur fideles.

Marci 16. 16.

Marci 10. 14. Matth. 1. 21.

LVII. Jul. *Quamquam mihi, ut de ſtatu explicando immorer parvulorum, conſequentia rationis indicit, quæ res ſua lege conjunctas dividi non ſinit. Ceterùm facilior eſſet jactura naſcentium, ſi non eis compericlitaretur ipſa majeſtas. Excuſa igitur Deum, & accuſa parvulum: juſtum doceatur ille quod facit, qui ſine juſtitia Deus eſſe non poteſt; & quævis ſuſcipiat perſona ſupplicium. Ceterùm nunc extra ſacrilegium res quas putas eſſe conſertas, mutuò ſibi vehementer repugnant. Dicis enim quoniam [d] unis myſteriis, ut idololatræ ac parricidæ, imbuuntur & parvuli, omnes ſceleſtos poſſe convinci: & addis rem multo abſurdiorem, à ſacramenti hujus quo de agimus auctore aliena peccata innocentibus imputari. Hoc eſt quod pugnare dixi, quia non capit rerum natura, ut uno tempore & adeo ſit miſericors Deus, ut propria unicuique confitenti peccata condonet; & adeo crudelis, ut innocenti impingat aliena. Horum prorſus cùm alterum dederis, alterum tuliſti: ſi donat veniam reis, non calumniatur innoxiis; ſi calumniatur innocuis, numquam parcit obnoxiis.*

Aug. Tu potiùs facis injuſtum Deum, cùm tibi videtur injuſtum peccata patrum reddere in filios, quod ſe ille facere & verbis ſæpe teſtatur & rebus oſtendit. Tu, inquam, facis injuſtum Deum, ſub cujus omnipotentis cura cùm videas gravi jugo miſeriæ parvulos premi, nullum eos peccatum habere contendis, ſimul accuſans & Deum, & Eccleſiam: Deum quidem, ſi gravantur & affliguntur immeriti; Eccleſiam verò, ſi exſufflantur à jure diabolicæ poteſtatis alieni. Ubi autem ſomniaſti, idololatris & parricidis originalia parvulorum nos æquare peccata? Verumtamen myſteriis indita remiſſio peccatorum, in peccatis, & majoribus, & minoribus, & pluribus, & paucioribus, & ſingulis, vera eſt: in nullis verò peccatis, ſicut eſſe parvulorum dicitis, falſa eſt. Sic autem aliena ſunt originalia peccata propter nullum in eis noſtræ voluntatis arbitrium, ut tamen propter originis contagium eſſe inveniantur & noſtra. Quid eſt ergo, quod clamas, & dicis non poſſe Deum, & dimittere peccata majoribus propria, & imputare parvulis aliena? nec vis adtendere, quòd non niſi in Chriſto renatis utraque; non renatis autem in Chriſto, neutra dimittat? Ipſa ſunt enim Chriſtianæ gratiæ ſacramenta abſcondita ſapientibus & prudentibus, & revelata parvulis. In quibus ô ſi eſſes, nec quaſi magnus in tua virtute confideres, profectò intelligeres, ſic imputari generatis parvulis injuſtitiam primi hominis ad ſubeundum ſupplicium, quemadmodum imputatur parvulis regeneratis juſtitia ſecundi hominis ad obtinendum regnum cælorum: quamvis voluntate atque opere proprio nec illum in malo, nec iſtum in bono reperiantur imitati.

Sub juſto Deo innocentes parvuli rò gravi jugo miſeriæ premerentur.

Originale peccatum & alienum eſt, & noſtrum.

Matth. 11. 25.

LVIII. Jul. *Nihil itaque in verbis tuis, coactus ut dicis timore, præterii. Quid enim in tam elegantis ingenii poſſem pavere monumentis, niſi fortè hoc ſolum, quòd horrorem de obſcœnitatis tuæ impugnatione perpetior?*

[a] Sic MSS. Editi autem, *Chriſtiani.*

[b] Hoc loco deerat particula negans: poſtea verò duobus eam locis contra librorum MSS. fidem ſic reddebat Vignerius: *Aut ſi non prodeſt, ut cogimini confiteri: ſic igitur eis non nocuit Adæ peccatum*

[c] Marianenſis MS. *Removete à vobis.*

[d] Hîc MSS. auctoritate reſtituimus, *unis.*

AUG. Si emeres ista convicia, prodigum te diceres: gratìs tibi adjacent, cur non eis fruaris, quibus maledicum animum pascis?

LIX. JUL. *Audi igitur contra ea quæ dixisti, breviter: non sunt Ecclesiæ catholicæ pectora,* [a] *quæ sermo tuus convenit, si à pietate & ratione discordant. Quod utrumque committunt, cùm nec de Dei æquitate bene æstimant, nec mysteriorum, quæ criminantur, sapientiam & divitias intelligunt. Non est hæc fides antiquitus tradita atque fundata, nisi in conciliis malignantium, inspirata à diabolo, prolata à Manichæo, celebrata à Marcione, Fausto, Adimanto, omnibusque eorum satellitibus, & nunc à te in Italiam, quod graviter gemimus, eructata.*

AUG. Quo ore, qua fronte concilium malignantium dicis, consensionem tot catholicorum, qui doctores Ecclesiarum fuerunt ante nos? Quasi verò si in concilio episcoporum, quod non salubriter, sed jactanter, propter vestras quæstiones debere dicitis congregari, sederent episcopi quos suprà memoravi, ut alios omittam, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Basilius, Johannes Constantinopolitanus, [b] aliquos eorum qui nunc manent facilè inveniretis, quos eis in doctrina ecclesiastica antiquitus tradita æquare, nedum præferre possetis. Cùm ergo ipsi contra vos de peccato originali proferant apertas clarasque sententias, & quas paulò antè posui, & alias plurimas; horumne in catholica veritate consensum audetis malignantium appellare concilium? & cogitatis, quid [c] istis contradicatis, ac non potiùs quò fugiatis, si eis consentire non vultis? Sed quoniam me dixisti eructasse in Italiam quod gematis, eumdem illum episcopum Italiæ à tuo doctore laudatum in tuam frontem replico Ambrosium. (Lib. 1. de pœnitentia c. 1. vel 3.) Omnes homines, inquit, sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente David, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Ideo Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait: (Rom. 7. 24.) Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Christi autem caro damnavit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit, ut in carne nostra esset justificatio per gratiam, ubi erat antè colluvio per culpam. Hanc ego fidem antiquitus traditam dico atque fundatam: tu renuis, & cui reluctèris, non respicis. Numquid huic eam à diabolo dicere poteris inspiratam? Numquid iste Manichæus est? numquid Marcion? Faustus? Adimantus? Non utique, sed longè his dissimilis, longéque contrarius. (Ambrosius à Pelagio laudatus.) Pelagius certè dicat quis iste sit. Ille, ille est, cujus fidem, & purissimum in Scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere. Quid est Juliane? ubi te vides? Ille, cujus ne inimicus quidem reprehendere ausus est fidem, hanc habebat fidem, quam tu ita reprehendis, ut eam tribuas conciliis malignantium. Ecce non est eorum, sed est Ambrosii: quia vera est, quia sana est, quia, ut dixi, antiquitus tradita atque fundata est, hæc & mea est. Non ego hanc in Italiam (quod vos gemere dicitis) eructavi: (Augustinus ab Ambrosio baptizatus.) sed potiùs ab isto episcopo Italiæ hanc prædicante & docente lavacrum regenerationis accepi. Quoniam fides ista catholica est, & tamen tua non est: tu ergo ubi es? Vide obsecro, & redi. Videre tibi expedit, non invidere: redire cupimus, non perire.

JUL. *Nihil est peccati in homine, si nihil est propriæ voluntatis, vel assensionis: hoc mihi hominum genus, quod vel leviter sapit, sine dubitatione consentit. Tu autem concedis nihil fuisse in parvulis propriæ voluntatis: non ego, sed ratio concludit, nihil igitur in eis esse peccati. Nequaquam ergo propter hoc ad Ecclesiam deferuntur, ut infamentur, immo ut infament Deum: sed deferuntur, ut laudent Deum, quem & bonorum naturalium & donorum spiritalium protestantur auctorem.* LX.

AUG. Non infamantur, cùm exsufflantur; sed eruuntur de potestate tenebrarum: nec infamant Deum, sed quo creatore nati sunt, hoc indigent salvatore: & ideo renascendo, ex Adam transferuntur ad Christum. Ubi autem dixisti, *Nihil est peccati in homine, si nihil est propriæ voluntatis, vel assensionis:* pleniùs verum diceres, si adderes, vel contagionis.

JUL. *Originale autem peccatum si generatione primæ nativitatis adtrahitur, nuptias quidem à Deo institutas damnare potest, ceterum auferri à parvulis non potest: quoniam quod innascitur, usque ad finem ejus, cui à principiorum caussis inhæserit, perseverat.* LXI.

AUG. Nec nuptias damnat, quia non ipsæ sunt caussa ejus; & aufertur ab omnipotente illo, qui & homo nasci potuit sine illo.

JUL. *Nullam itaque tibi calumniam commovemus, quasi damnes nuptias, & quasi hominem, qui ex illis nascitur, opus diaboli esse dicas; nec infideliter hoc objicimus, nec imperitè colligimus: sed qui sit consequentium sententiarum effectus, sollicitè & simpliciter intuemur. Numquam sunt enim sine commixtione nuptiæ corporales. Tu dicis, quicumque ex illa commixtione nascantur, ad diabolum pertinere: dubio procul pronuntias nuptias ad jus dæmonis pertinere.* LXII.

AUG. Numquid nos dicimus, sine commixtione corporis nuptias in paradiso esse potuisse, si nemo peccasset? Sed non ibi esset malum, quo nunc bene utitur pudicitia conjugalis. Illud autem malum est à vulnere, quod diabolica inflixit astutia. (Concupiscentia venit ex peccato.) Hinc rea tenetur propago mortalium: hinc est qui nascitur sub principe peccatorum, donec renascatur in Christo, qui nullum habuit omnino peccatum; à quo solo vinculum solvitur mortis, quia solus fuit liber in mortuis. (Psal. 87. 6.)

JUL. *Dicis trahi naturæ conditione peccatum, qui vis hoc malum à voluntate primi hominis accidisse. Differo hìc responsionem, qua convincendus es, quòd sine verecundia mentiaris. Sed quod ad præsentem locum spectat, colligo, & sapientiæ ratiocinanti credo, quòd naturam videlicet diabolicam sine ambiguitate definias. Nam si in ea vel per eam est, propter quod homo à diabolo possidetur; inrefutabiliter diaboli est, per quod Dei imaginem sibi potuit vindicare. Immo nec imago Dei est, quæ per exortum suum in regno diaboli est.* LXIII.

AUG. Credis, sed opinanti stultitiæ, non ratiocinanti sapientiæ. Sine parvulos erui de potestate tenebrarum, ut Christi transferantur in regnum. Nam dicendo eos veteris delicti non ha-

[a] Editi, *quibus.* At MSS. *quæ.* Respicit Julianus ad illud ex Augustino citatum suprà n. 52. *cuncta Ecclesiæ catholicæ pectora convenit.*

[b] Editi, *aliique.* Meliùs MSS. *aliquos.*

[c] Sic MSS. At editi, *quid ad ista contradicatis.*

bere contagium, & sic removendo à misericordia Salvatoris, qui salvum facit populum suum à peccatis eorum, unde vocatus est Jesus; nihil agis, nisi ut ira Dei maneat super eos, de qua locutus est Job dicens, Homo natus ex muliere, brevis vitæ, & plenus iræ, & sicut flos fœni decidit, fugit autem sicut umbra, & non stabit: nonne & hujus curam fecisti, & hunc fecisti intrare in conspectu in judicium? Quis enim erit mundus à sordibus? ne unus quidem, etiamsi unius fuerit diei vita ejus super terram. Sed videlicet, homo misericors, miseraris imaginem Dei, ne dicas eam sub peccato carnaliter nasci. O quàm crudelis est ista vana misericordia tua, quæ parvulis negat misericordiam Salvatoris sui, qui venit quærere quod perierat. Per illas igitur sordes, sine quibus homo Dei dicit esse neminem, etsi unius diei sit vita ejus super terram, sibi vindicat diabolus imaginem Dei, non per substantiam, quam creavit Deus. Vitiata est enim natura, non vitium est.

Matth. 1. 21.

Job 14. 1. sec. LXX.

Crudelis misericordia.

Lucæ 19. 10.

Sed tu, *Nec imago Dei est*, inquis, *quæ per exortum suum in regno diaboli est.* Quid si tibi alius dicat, Non est imago Dei, quæ nullo rea peccato, non tamen intrat in regnum Dei: nonne, quid respondeas non habebis, si vana respondere nolueris? Et certè propterea est homo imago Dei, quia factus est ad similitudinem Dei. Cur ergo & vanitati similis factus est, propter quod dies ejus velut umbra prætereunt? Non enim ab hac vanitate separaturus es parvulos, cùm dies eorum velut umbra prætereant. Postremò numquid eos & à viventibus separabis? Audi ergo eum qui dicit in Psalmo: Ecce veteres posuisti dies meos, & substantia mea tamquam nihil ante te; verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens. Cùm ergo sit imago Dei omnis homo vivens, dic unde sit etiam vanitas omnis homo vivens? Sed quid dicturus es, qui non vis agnoscere, aliud horum esse ex conditione Dei, aliud accidisse ex conditione peccati? Permittite, quæsumus, ut homo vivens, qui ad Dei similitudinem factus est, eruatur à potestate tenebrarum, sub qua vanitati similis factus est: eruatur autem nunc interim à reatûs obligatione; post hanc verò corruptibilem vitam, ab omni etiam vanitate.

Imago Dei nullo rea peccato nō excluderetur à regno Dei.

Psal. 143. 4.

Psal. 38. 6.

LXIV. Jul. *Si igitur legas opus meum, desines mirari, cur ad verba tua, quæ suprà posueram, reverterim. Promiseram quippe me de scriptis tuis probaturum, quoniam tu inter impietatem quam biberas, & ejus invidiam quam timebas, pariter utrumque dixisses, & quod à Catholicis, & quod à Manichæis asseri solet. Est itaque ibi talis ordo verborum admotus tuo capiti, quod nunc fronte sycophantæ interpolatum fuisse mentitus es. Scio me magna pollicitum, id est, ut de adversarii sermonibus approbarem, & eos qui homines opus Dei negant, jure damnari, & istum ipsum, qui hoc confitetur, nihil aliud agere, quàm ut peculium diaboli confirmet esse, quidquid de nuptiarum fecunditate procedit. Hoc enim genere, patrocinii sui quoque legibus, Manichæorum opinio destruetur. Verùm id tota libri ejus exordia publicarunt. Ait enim opus esse divinum homines, qui ex nuptiis, id est, ex maribus nascuntur & feminis: quâ sententiâ omne quod erat acturus evertit, nobisque assentitur dicentibus esse impios, qui hæc audeant denegare. Absoluta igitur jam una pars est: superest ut ostendam, id eum quod nuper impugnarat adstruere. Quibus dictis partem tui capitis retractavi, in qua dixeras,* Eos, qui de tali commixtione nascuntur, dicimus trahere originale peccatum, eosque de parentibus qualibuscumque nascantur, non negamus adhuc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo, & per ejus gratiam de potestate eruti tenebrarum, in regnum illius qui ex eadem sexûs utriusque commixtione nasci noluit, transferantur. *Cur ergo putes hinc te excusari posse ab errore Manichæorum, quia ausus es sententiam, cum qua omnibus ingenii tui viribus luctabaris, inserere; cùm hoc non patrocinium erroris tui, sed testimonium sit stultitiæ singularis, qui putas Calliphontis more virtutem & vitia, justitiam & iniquitatem oratione tua posse in fœdera convenire? Quod autem ait Apostolus, Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ: lege quartum operis mei librum, & tunc tibi quid Magister gentium senserit, innotescet.*

Coloss. 1. 13.

Aug. Sexto nostro responsum est quarto tuo, & nunc ego magis admoneo, ut illa tua & mea legant, qui volunt scire, quantum ibi fueris à veritate devius, & quanta sis veritate convictus. De hac autem chartula, in qua ex tuis libris quædam decerpta conscripta sunt, liberum tibi est mihi imputare quod ille fecit, qui eam misit homini, à quo missa est mihi. Ille quippe quod voluit, in ea posuit [a] ex opere tuo, & quod voluit prætermisit: unde tibi jam suprà breviter satisque respondi. Quid te obscuris tuis adversùs Apostoli manifesta conaris involvere? Ille Deum prædicans ait, Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii caritatis suæ: & tu dicis hoc ab illo, exceptis parvulis, dictum. Si ergo non eruuntur parvuli de potestate tenebrarum, non sunt mortui: si non sunt mortui, non pro eis mortuus est Christus: tu autem etiam pro ipsis Christum mortuum confiteris; & idem dicit Apostolus, Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Conclusio hæc Apostoli invicta est: ac per hoc quia & pro parvulis mortuus est, profectò etiam parvuli mortui sunt. Mortuus est porrò Christus, ut evacuaret eum qui potestatem habebat mortis, id est, diabolum. Sine igitur parvulos, ut vivant, de potestate erui tenebrarum. Quid est autem, quòd mihi Calliphontis morem objicis, vel errorem, in eo quod me putare dicis virtutem & vitia, justitiam & iniquitatem oratione mea posse in fœdera convenire? Ego quidem absit ut hoc vel corde teneam, vel sermone suadeam: sed tam bene te intellexisse istum philosophum gratulor. Etenim cùm ille * putaverit in virtute animi & voluptate corporis esse hominis bonum; tu eum dicis virtutes & vitia voluisse conjungere: ac per hoc, sicut decuit, vitium judicasti esse corporalis appetentiam voluptatis: vitium est igitur libido, quam laudas. Subrepsit itaque undecumque tuis sensibus veritas, ut susceptæ tuæ caussam paululùm deserens, quod dicimus diceres.

Coloss. 1. 13.

2. Cor. 5. 14.

* V. Cicer. lib. 2. Academ. quæst. & in lib. 2. de finibus, & Lactant. de falsa sapient. lib. 3. c. 7.

LXV. Jul. *Argui ergo, & jure argui,* [b] *dejectam & debilem varietatem, qua fuerat effectum, ut & nuptias*

[a] Hîc veterum librorum auctoritate addimus, *ex opere tuo.*

[b] MSS. Mar. & Port. *delectam*: id est, insignem. Sic *delectum malum* dixit Cicero in orat. pro domo sua.

nuptias te non damnare [a] *præmitteres, & diceres, ob viri & feminæ commixtionem, quam de nuptiarum conditione & natura venire perspicuum est, immo in qua sola (quantùm ad conflictum nostrum respicit) nuptiarum veritas est, homines in diaboli jura transscribi.*

AUG. Si in sola viri & feminæ commixtione est veritas nuptiarum: eadem ergo est veritas adulteriorum quæ nuptiarum, quia in utrisque est ista sexus utriusque commixtio. Quod si absurdissimum est; non in sola, ut deliras, commixtione maris & feminæ nuptiarum veritas est, quamvis sine illa nuptiæ filios propagare non possint: sed alia sunt ad nuptias propriè pertinentia, quibus ab adulteriis nuptiæ discernuntur, sicut est thori conjugalis fides, & cura ordinatè filios procreandi, & quæ maxima differentia est, bonus usus mali, hoc est, bonus usus concupiscentiæ carnis, quo malo adulteri utuntur malè.

Nuptiarum bona.

LXVI.

JUL. *Quam commixtionem ita exsecrabilem persuadere conatus es, ut velis intelligi Christum, non propter signi splendorem, sed propter damnandam sexuum conjunctionem nasci de virgine matre voluisse. Quid ergo umquam à quoquam dici improbius aut impudentius potuit, quàm hoc, quod duos velut reges de humanitatis possessione certantes his signis, & duo eorum regna separasti, ut diceres, diaboli esse quidquid nuptiæ protulissent, Dei verò solum quod virgo peperisset? Quid est aliud, virginis fecundatorem & egentissimum ostendere inopiâ portionis suæ, & eumdem negare eorum qui prodeunt de nuptiis hominum conditorem? Teneat igitur verbi tui lector diligens chirographum, sciatque te, discipulum fidelem Manichæorum & Traducianæ nationis primatem, nihil aliud quàm commixtionem legitimi damnasse conjugii.*

AUG. Non habes exercitatos sensus ad separandum bonum à malo. Et hominum & angelorum natura atque substantia vel bonorum vel malorum Deo creatore subsistit: sed vitia naturarum atque substantiarum, quæ Manichæi naturas dicunt esse atque substantias, veritas autem negat; Deus justus atque omnipotens ordinatione judiciariâ esse permittit; & ipsa sunt mala, quæ nisi ex bonis & in bonis naturis inesse non possunt. Sic sunt autem in diaboli potestate quæcumque illi, Deo judicante, subduntur, ut à Dei potestate, sub qua & ipse diabolus constitutus est, aliena esse non possint. Cùm igitur omnes angeli & omnes homines sub Dei sint potestate, inanis est loquacitas tua, qua dicis Deum & diabolum divisisse inter se, quis eorum [b] quos habeat sub propria potestate. In quem verò crudo pectore evomas istas, quibus pasceris, contumelias, paulisper adtende. En adest ille Ambrosius; de hoc in [c] quod inveheris, quid dicat vide: Quomodo solus, inquit, potuit justus esse, cùm generatio omnis erraret, nisi natus ex virgine generationis obnoxiæ privilegio minimè teneretur? Audi adhuc, audi, & protervam linguam frontis elisione compesce: Non enim virilis coitus vulvæ virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus-sanctus infudit; solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ

Ambros. lib. de arca.

Ambros. lib. 2. in Luc. c. 2. v. 23.

contagia corruptelæ, immaculati partûs novitate non senserit, & cælesti majestate depulerit. Cernis nempe, quod dico, quis dixerit? cernis, quidquid contra me dicis, contra quem dicas? Si enim ego hinc sum discipulus Manichæi, hoc est & ille. Non est autem hoc ille, qui hæc ante nos dixit. Non est hoc igitur, quisquis hæc dicit: sed hæreticus manifestus est, quisquis huic antiquo catholico dogmati contradicit.

LXVII.

JUL. *Sed jam pergamus ad cetera. De me itaque scribens post illa quæ suprà texui verba tua, hæc quæ sequuntur adjungis.* Post hæc illud nostrum posuit, ubi diximus: Hæc enim quæ ab impudentibus impudenter laudatur, pudenda concupiscentia, nulla esset, nisi homo antè peccasset: nuptiæ verò essent, etiam si nemo peccasset: fieret quippe sine isto morbo seminatio filiorum. Huc usque ille verba mea posuit; timuit enim quod adjunxi, in corpore vitæ illius, sine quo nunc fieri non potest in corpore mortis hujus: & hìc ut meam sententiam non finiret, sed eam quodam modo detruncaret, illud Apostoli testimonium formidavit, ubi ait, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Non enim erat corpus mortis hujus in paradiso ante peccatum, propter quod diximus, in corpore vitæ illius, quæ ibi erat, sine isto morbo seminationem fieri potuisse filiorum, sine quo in corpore mortis hujus fieri non potest.

Lib. 1. de Nupt. & concup. cap. 1.

Rom. 7. 24. & 25.

Tenes tu quidem consuetudinem tuam, equidem in hoc potissimùm opere consequenter, ut qui contra veritatem agis, nihil verum loquaris: sed numerosis eruditionis tuæ peccatis correptionum multitudo vix sufficit. Ideo hìc jam breviter adnotabo, te fallere: me autem, vel post hoc opus intelliges, insolentem esse mendacii. Tibi ergo hujus vitii vindica totam possessionem, ut ab Evangelio, nec [d] *sanè injuriâ, audire possis, quia ab initio mendax es, sicut & pater tuus, vel ille ad cujus te dicis dominum pertinuisse nascentem, vel alter secundarius, qui te elegantibus, quæ tamen inter honestos nominari non queant, imbuit sacramentis. Totum ergo hoc protuli in opere meo priore, quod tu prætermissum esse confingis: quod quanta sit disputationis veritate ac luce convictum, si prope ultimas primi voluminis mei partes legas, etiam ipse poteris confiteri. Non ergo tua detruncata sententia, sed integra valenti est responsione destructa.*

Iohan. 8. 44.

Nunc autem audi breviter: Apostolus hoc quod ait, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: non ad mortalitatem nostri corporis retulit, quam caro animalium de naturæ institutione suscepit; sed ad consuetudinem delinquendi; à quo reatu post incarnationem Christi, per Testamentum novum, quisquis ad virtutis studia migraverit, liberatur. Ibi ergo sub persona Judæorum loquens, inlecebrarum cupiditate etiam post interdictum sacræ legis errantium, ostendit unicum esse in illa tempestate subsidium, si crederent Christo; qui sic indicebat cautiones de futuris, ut veniam condonaret peractis; nec insistebat reis intentatione supplicii, sed currentes liberalissimo gremio confovebat; non exanimans terrore depressos, sed reparans benignitate

Rom. 7. 24. & 25.

Pelagiana expositio Apostoli.

[a] Ita MSS. At editi, *promitteres*.
[b] Editi, *quosdam*. Castigantur ex MSS.

[c] Editi, *in quem*. Veriùs MSS. *in quod*.
[d] MSS. Port. Mar. & Clar. *nec sine injuria*.

correctos: quam benignitatem ipse jam senserat, qui dicebat, Humanus sermo, quoniam Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus sum ego; sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad exemplum eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. Quod ut intelligeres ad vitam malam, non ad naturam hominum pertinere; ne per adventus Christi caussam, putares ab eo etiam parvulos peccatores pronuntiatos; ait, In me ostendit omnem patientiam. Patientia autem Dei illa est, de qua ad Romanos loquitur: An ignoras quoniam bonitas Dei ad pænitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam & cor impænitens thesaurizas tibi iram in die iræ. Exercetur ergo patientia Dei, cùm non exiguo tempore exspectatur humana conversio. In parvulis autem non potest apparere patientia. Si enim essent peccata naturæ, quæ eis Salvator adscriberet; patiens quidem falsò, sævus verò certissimè diceretur. Non potest autem Deus nisi pius & justus esse, quod est Deus meus Iesus Christus: cujus patientiam, vel Paulus diu persecutor, vel alii sub quorum persona loquitur, experti sunt; quia diu exspectati sunt, licèt serò liberati. Ac per hoc ab Apostolo vita hominum, non natura damnatur.

(1.Tim. 1. 15. & 16. — Rom. 2. 4. & 5.)

Commendans ergo hanc gratiam Iudæis, quia lex punit scelestos, nec habet illam efficientiam misericordiæ, quam baptisma, in quo confessione brevi actuum delicta purgantur, ostendit debere illos currere ad Christum, implorare opem hujus indulgentiæ; & advertere quòd lex morum vulneribus comminetur, gratia verò efficaciter celeriterque medeatur. Corpus itaque mortis, peccata dixit esse, non carnem: nam si de membrorum miseria pronuntiasset, quam peccato æstimas contigisse, rectiùs mortem corporis, quàm corpus mortis vocasset. Verùm ut scias, secundùm consuetudinem Scripturarum peccata membra dici; lege ad Collossenses, ubi ipse Apostolus ait, Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, & avaritiam, quæ est simulacrorum servitus, propter quæ venit ira Dei in filios incredulitatis, in quibus & vos aliquando ambulastis, cùm viveretis in illis. Ecce quomodo membra appellat, quæ peccata pronuntiat. Corpus autem peccati * hic ipsum ad Romanos, Vetus homo noster, inquit, simul confixus est cruci, ut destruatur corpus peccati, ut ultrà non serviamus peccato. Hoc itaque more & hìc exclamavit sub persona, ut diximus, Iudæorum: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? id est, quis me liberabit à reatu peccatorum meorum quæ commisi, cùm vitare potuissem; quæ legis severitas non donat, sed ulciscitur: quis me ab his membris, id est, à vitiis, quæ improborum imitatione collegi, ut peccati plenum corpus exstruerem, poterit vindicare? quis, inquam? Et respondit, quasi rerum ipsarum voce commonitus: Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Gratia Dei, quæ acceptam fert justitiam fidelium sine operibus, secundùm quod David dicit, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Qui ergo facit hominem beatum, etiam ipse beatus est, justitiâ sempiternâ, per quam non donat peccatum, nisi quod jure potuit imputare. Non autem jure potuit imputare, si non illud cui imputatur, potuit & cavere. Nemo autem potest cavere na-

(Coloss. 3. 5. &c. — * al. hoc. — Rom. 6. 6. — Rom. 7. 24. — Rom. 7. 25. — Ibidem 4. — Psal. 31. 1. & 2.)

A turalia. Igitur nullus prorsus habere potest de naturæ necessitate peccatum. Hæc breviter dixisse sufficiat.

Aug. Conatus es quidem quod ait Apostolus, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? in sensum vestrum disputando convertere: sed hoc te non posse, ille meliùs vidit, qui viro inlustri chartulam misit; & ideo verba mea commemorans id prætermisit, ne tua rideretur exspectata & prolata responsio. Quis enim non ri-B deat, quod nescio utrùm vobis persuadere potueritis, & tamen aliis persuadendum putastis, Judæi Apostolum induxisse personam, nondum sub Christi gratia constituti, atque dicentis, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Itane verò Judæus, nondumque Christianus est, qui dicit, Dei gratia me liberabit per Jesum Christum Dominum nostrum? Verùm hoc omitto: illud autem quis fe-C rat, de præteritis suis peccatis putare hominem dicere, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? ut ei per ignoscentis Christi gratiam remittantur: cùm dilucidè appareat, unde ad istà verba pervenerit. Ecce verba ejus sunt in auribus nostris: videamus ergo, utrùm ex eo quod egit volens, an ex eo quod agit nolens, miserum se esse fateatur. Clamat homo, Non quod volo ago, sed quod odi, illud facio. Clamat, Jam non ego operor illud, sed id quod habitat in me pecca-D tum: scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum; velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio: non enim quod volo, facio bonum; sed quod nolo malum, hoc ago. Non ait, feci; sed, facio: non ait operatus sum; sed operor: non ait egi; sed ago: & hoc non quod volo, sed quod nolo. Postremò condelectatur legi Dei secundùm interiorem hominem: videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ; qua lege utique E compellitur, non quod vult, facere bonum, sed quod non vult malum, hoc agere. Propter hoc exclamat: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et tu contra clarissimam veritatem oculos claudis, gemitumque ejus exponis, non ut omnibus patet, sed ut tibi placet, dicens, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? hoc est, quis me liberabit à reatu peccatorum meorum, quæ [a] commisi. Ille dicit, Quod nolo malum hoc ago: & tu dicis, quæ commisi? F Usque adeone desperas de [b] hominibus qui hæc legunt, ut non ipsum malint audire quàm te, & ipsi potiùs quàm tibi credere? Sine hominem gratiam Dei, non solùm quia peccavit, ut absolvatur, verùm etiam ne peccet, ut adjuvetur, exposcere: quod isto loco agitur. Qui enim dicit, Quod nolo malum hoc ago, non est locus ut dicat, Dimitte nobis debita nostra; sed, Ne nos inferas in tentationem. Unusquisque autem tentatur, sicut ait apostolus Jacobus, à concupi-G scentia sua abstractus & inlectus. Hoc malum est de quo ait, Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Hoc malum est in corpore mortis hujus. Hoc malum non fuit in paradiso ante peccatum; quia nondum erat hæc caro corpus mortis hujus: cui dicetur in fine, Ubi

(Paulum non in persona Judæorum, sed in sua loqui. — Rom. 7. 24. & 25. — Non pro præteritis, sed pro præsentibus miserum se fateretur Paulus. — Rom. 7. 15. &c. — Matth. 6. 12. & 13. — Jac. 1. 14. — Rom. 7. 18. — 1. Cor. 15. 55.)

[a] Editi, quæ commisit ille dicens: mendosè ac dissentientibus MSS.

[b] Sic MSS. Editi verò, de omnibus.

Ibidem 53.
Rom. 8. 10.

est mors contentio tua? sed tunc dicetur, cùm A corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem: nunc autem corpus est mortis; quia idem ipse dixit Apostolus, Corpus mortuum est propter peccatum.

Lib. 1. de pœnit. c. 2. vel 3.
Apolog. 1. de fuga sua.

Audi catholicos intellectores Apostoli; accipe eorum verba, non mea, cum quibus accipio convicia tua: audi non Pelagium, sed Ambrosium. Etiam Pauli caro, inquit, corpus mortis erat; sicut ipse ait, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Audi non Cælestium, sed Gregorium: B » Intra nosmetipsos, inquit, propriis vitiis ac pas» sionibus impugnamur, & die noctuque ignitis » stimulis corporis humilitatis hujus & corporis » mortis urgemur, nunc latenter, nunc etiam » palàm, provocantibus ubique, & irritantibus re» rum visibilium inlecebris, luto hoc fæcis, cui in» hæsimus, cœni sui fœtorem venis capacioribus » exhalante; sed & lege peccati, quæ est in mem» bris nostris, legi spiritûs repugnante. His tu luminibus cælestis civitatis oblatrans, *Corpus mortis* (inquis) *peccata dixit esse, non carnem:* negans C Apostolum hoc ad mortalitatem nostri corporis retulisse; *quam caro*, inquis, *animalium de naturæ institutione suscepit.* Hoc enim sapis, quod Pelagius in judicio Palæstino ficto corde damnavit, Adam scilicet mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.

Lib. de gestis Pelagii, c. 11. & 33.
Paradisum qualé fuisse dicerent Pelagiani.

Ac sic resistens his viris, & aliis eorum sociis fidei sanæ, tot tantisque doctoribus, cogeris implere paradisum, etiamsi nemo peccasset, dolore parturientium, D labore nascentium, gemitibus languentium, funeribus morientium, mærore lugentium. Quid igitur mirum, si & de isto paradiso, quod est Ecclesia, foras îstis; qui paradisum illum, de quo foras ierunt, qui nos in istas miserias peccando miserunt, talem facitis, qualem non dico Christianorum nullus, sed nec hominum quisquam suspicari audet, si non sit insanus.

LXVIII.
Lib. 1. de peccat. mer. c. 3. & 4.
Lib. 9. Confess. cap. 8.

Jul. *In primo enim opere latiùs disputata sunt. Quamvis nec tu dilucidè loquaris, quam mortem intel-* E *ligi velis, cujus corpus dicis in paradiso non fuisse ante peccatum: quia in libris, quos ad Marcellini nomen edidisti, mortalem Adam factum fuisse professus es. Quod verò adjungis morbum esse negotium nuptiarum, leniter audiri potest, si hoc solùm de tuis parentibus dicas. Conscius enim fortè esse potes matris tuæ morbi alicujus occulti, quam in libris Confessionis, ut ipso verbo utar, meribibulam vocatam esse signasti. Ceterum in sanctorum connubio, & in omnium honestorum, nullus omnino morbus est. Quia* F *nec Apostolus morbum pro remedio concessit, cùm per reverentiam nuptiarum à morbo fornicationis, Ecclesiæ homines muniebat: qui sensus quomodo & frontem tuam & dogma penitus eraserit, primi voluminis mei propè ultima parte monstratur: quod & in toto ipsius responsionis corpore, prout locorum opportunitas adtulit, explicatum est.*

Aug. Nusquam sic apparuit dolus tuus, & per scientiam damnata conscientia. Scis enim, scis omnino: tam quippe apertum est, ut qui li- G bros illos legit, hoc nescire non possit: scis inquam, in libris quos ad Marcellinum edidi, me vehementer egisse contra incipientem surgere jamtunc hæresim vestram, ne crederetur Adam, etiam si non peccasset, fuisse moriturus. Sed [a] quoniam mortalem hactenus dixi, quia poterat mori; poterat namque peccare: tu eis qui libros illos non legerunt, nec fortasse lecturi sunt, fuco insidioso, si hæc tua legerent, subripere voluisti; quasi ego ita dixerim, Adam mortalem factum, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Hoc enim vobiscum agitur, hinc tota de hac re inter nos & vos vertitur quæstio, quòd nos dicimus, Adam si non peccasset, nec corporis mortem fuisse passurum; vos autem, sive peccasset, sive non peccasset, corpore fuisse moriturum. Quid est ergo, quod ignorare te fingis, quam mortem intelligi velim, cujus corpus dico in paradiso non fuisse ante peccatum? cùm scias, in libris illis quid egerim, quámque apertè dilucidéque egerim, non fuisse Deum puniendo dicturum peccatori, Terra es, & in terram ibis, (quod de morte corporis dictum quis non intelligit?) si Adam etiam nulla iniquitate commissa iturus esset in terram, id est, vel corpore moriturus.

a Adam quatenus mortalis creatus.
Gen. 3. 19.

Quòd autem etiam matrem meam, quæ te nihil læsit, nec contra te aliquid disputavit, convicio lacerandam putasti, victus es maledicendi libidine, non timens quod scriptum est, Neque maledici regnum Dei possidebunt. Sed quid mirum est, quòd te inimicum etiam ejus ostendis, cùm sis inimicus gratiæ Dei, quâ eam dixi ab illo puellari vitio liberatam? Ego verò parentes tuos tamquam catholicos Christianos honorabiles habeo, eisque gratulor, quòd antè defuncti sunt, quàm hæreticum te viderent.

1. Cor. 6. 10.

Non autem dicimus, morbum esse negotium nuptiarum, quod est liberorum procreandorum causâ concumbere, non satiandæ libidinis; quam tu negas morbum, cùm fatearis adversùs eam provisum fuisse conjugale remedium. Nam utique ne fornicatio perpetretur, libidini, quam laudas, contradicitur, obsistitur, repugnatur. Ut si eum, qui procreandis filiis constitutus est, transgreditur limitem, saltem qui ei cedit, in conjuge venialiter peccet: conjugibus enim loquebatur Apostolus, ubi cùm dixisset; Nolite « fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, « ut vacetis orationi; & iterum ad ipsum estote, « ne vos tentet Satanas propter intemperantiam vestram: continuò subjecit, atque ait, Hoc autem « dico secundùm veniam, non secundùm imperium. Hoc itaque malo sola bene utitur intentione propagandæ prolis pudicitia conjugalis: huic malo venialiter in conjuge ceditur, non causâ prolis, sed carnalis tantummodo voluptatis: huic malo resistitur, ne appetitus damnabilis voluptatis expleatur. Hoc malum habitat in corpore mortis hujus: propter cujus motum, etiam mente non consentiente importunum, dicitur, Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Hoc malum non erat in corpore vitæ illius, ubi [b] aut voluntati servientibus etiam genitalibus membris, libido nulla erat, aut omnino se umquam contra voluntatis arbitrium non movebat. Hujus mali repentè exorti puduit eos, qui priùs quàm peccarent, nudi erant, & non pudebat eos. Hujus mali laudes impudenter sparsisti etiam quatuor illis libris tuis, quibus coactus sum respondere sex meis.

Libidinis morbus à nuptiarum negotio distinguendus.
1. Cor. 7. 5.
Ibid. 6.
Venialis culpa, cum conjuge solius voluptatis causâ concûbere.
Rom. 7. 18.
b Libido nulla erat in homine ante peccatũ.
Gen. 2. 25.

[a] Huc revocamus *quoniam* ex MSS.

[b] Sic MSS. Editi verò, *ubi à voluntate.*

LXIX. Jul. *Ut autem ad istam commemorationem humanæ miseriæ & divinæ gratiæ veniret Apostolus,*
Rom. 7. 23. *suprà dixerat, Video aliam legem in membris meis,*
» *repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in*
» *lege peccati: post hæc verba exclamavit, Quis me*
» *liberabit de corpore mortis hujus! Gratia Dei per*
» *Iesum Christum Dominum nostrum. Constat quidem præmissis illis quæ posuisti, subdidisse Apostolum,*
» *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis*
» *hujus? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Sed non quærimus impræsentiarum, utrùm* B *hoc Apostolus dixerit: verùm qua fide, quo sensu, qua ratione dixerit quærimus. Ille enim in membris legem per flagitiorum usum sanctis consiliis inter principia*
a *tamen emendationis rebellem, consuetudinem*[a] *malam vocabat, quæ ab eruditis etiam sæculi dici solet secunda natura. Ante pauca enim eos, ad quos loqui-*
Rom. 6. 19. *tur, cum exprobratione conveniens dixerat, Huma-*
» *num est quod dico, propter infirmitatem carnis vestræ;*
» *sicut enim exhibuistis membra vestra servire immun-*
» *ditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibe-* C
» *te membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Utque ostenderet quia carnem, non hoc corpus quod caussas in seminibus habet, sed vitia abusivè voca-*
Rom. 7. 5. *ret; post duo capita fortasse subjungit, Cùm essemus*
» *in carne, passiones peccatorum quæ per legem ostenden-*
» *tur, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Sic dixit, Cùm essemus in carne, quasi eo tempore cùm disputaret, in carne non esset: sed qui Scripturas novit, genus hoc elocutionis agnoscit. Et ideo ubi verborum communitas ingerit quæstionem, adhi-* D *beatur regula rationis, ad cujus æqualitatem, quæ*
b *putabantur*[b] *deflexisse, tendantur. Ceterum Faustus Manichæorum episcopus, præceptor tuus, hoc vel maximè Apostoli testimonio contra nos nititur, dicens ab eo nihil aliud his sermonibus, legis videlicet quæ repugnans consilio in membris habitet, quàm naturam malam significatam fuisse. Unde nihil minùs à te fieri debuit, quàm hic locus sic intelligi, quomodo ab illis exponitur, ne, cùm per easdem lineas, quas Faustus torsit, ingrederis, non disputasse, sed prætercita reddidisse videaris.* E

c Aug. [c] Respondeat tibi, non Faustus Mani-
d chæus, sed catholicus doctus [d] doctorque Gregorius: qui non *inter principia*, ut dicis, *emendationis, in membris legem per flagitiorum usum sanctis consiliis rebellem, consuetudinem malam vocabat, quæ ab eruditis etiam dici solet secunda natura:* sed legem peccati quæ est in membris nostris repugnans legi mentis, mortali huic terrenoque corpori nostro planè apertéque tri- F
Greg. Naz. Apolog. 1. de fuga sua. » buebat dicens, Legem peccati quæ est in mem-
» bris nostris, legi spiritûs repugnare, dum imagi-
» nem [e] regiam quæ intra nos est, captivam duce-
» re studet; ut spoliis ejus cedat, quidquid illud
e » est quod in nos beneficio divinæ ac primæ illius
» conditionis influxit. Unde vix aliquis, inquit,
» fortasse longâ se & districtâ regens philosophiâ, &
» paulatim animæ suæ nobilitatem recolens, natu-
» ram lucis, quæ in se est, humili huic & tene-
» broso luto conjuncta, revocet ac reflectat ad G
» Deum. Vel si certè propitio Deo agat, utrum-

A que pariter [f] revocabit; si tamen longa & assi- » f
dua meditatione insuescat sursum semper adspi- »
cere, & deorsum malè trahentem ac degravan- »
tem materiam sibimet adstrictam frænis artiori- »
bus sublevare. Hæc dicebat beatus Gregorius, »
non inter principia emendationis suæ, sed jam episcopus, volens exponere, vel potiùs quæ nota sunt, admonere, in quali quantoque certamine cum vitiis interioribus, propter corpus quod adgravat animam, constituti sint sancti. Quod

Certamen cum vitiis interioribus, & corporis mortis hujus in paradiso non fuisset.

B certamen utique non fuisset in illo beatæ pacis loco, id est, paradiso deliciarum sanctarum, si nemo peccasset. Non enim corpus mortis hujus ibi esset, cujus corruptibilitate anima gravaretur: sed corpus vitæ illius, ubi non caro concupisce- Gal. 5. 17.
ret adversùs spiritum, ut necesse esset spiritui concupiscere adversùs carnem; sed felici utriusque concordiâ natura lætaretur humana. Si ergo Manichæos introducentes aliam naturam mali atque substantiam expugnare velles, non adju-
C vare; profectò istas omnibus apertas à parvulis incipientes humanæ vitæ miserias cum tuis deceptoribus non negares; sed unde in eas conlapsa sit nostra natura, quæ beata est primitus instituta, cum catholicis fidelibus & præclarissimis doctoribus diceres.

LXX. Jul. *Ut igitur quod egimus colligatur, nec ego*
g *dictis tuis fraudem intuli, nec tu adtulisti aliquid, quod*[g] *vel dilutiore pietatis colore perfunderes, nedum Scripturis testibus approbares. Nec hoc quod tu*
D *putas, intellexit Apostolus: nec alia prorsus in para-*
h *diso fuit conditio commixtionis, quàm qualis nunc in conjugiis agitur,*[h] *quam à se institutam Deus, tam ipsorum conditione sexuum & qualitate membrorum, quàm frequentata benedictione perdocuit. Quibus absolutis claret, cunctos, qui à te decipiuntur, irà esse quàm misericordiâ digniores, quoniam in excusationem criminum suorum, quæ malâ voluntate committunt, te auctore infamant nativitatem, ne corrigant actionem.*

* Prosp. sent. 394. Aug. * Actio pia est in hac vita Deum cole-
E re, & ejus gratiâ contra vitia interna pugnare, eisque ad inlicita instigantibus cogentibusve non cedere; & ubi ceditur indulgentiam, atque ut non cedatur adjutorium Dei affectu religiosæ pietatis exposcere. In paradiso autem, si nemo
i peccasset, non esset actio pietatis expugnare vitia; quoniam permansio felicitatis esset vitia non habere. Sed non [i] est indicium hominum contra vitia veraciter dimicantium, ea quæ impudenter frequentatur à vobis laudatio vitiorum. Itane
Lib. 1. de pœnit. c. 2. vel 3. F verò, Juliane, quando dicebat Ambrosius, Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est; aut me dicebat auctore, aut infamabat nativitatem, ne corrigeret actionem?
Orat. in natal. Domini. Itane verò Gregorius, quando dicebat, Venerare nativitatem, per quam terrenæ nativitatis vinculis liberatus es: aut quando dicebat de Christo
Orat. in Pentecost. loquens, vel de Spiritu-sancto, Per hunc primæ
k nativitatis maculæ purgantur, per quas in iniquitatibus concipimur, & in delictis [k] genuerunt
In Psal. 118. v. 175. G nos matres nostræ: aut quando dicebat Hilarius de rege David, Scit sub peccati origine, & sub

[a] Loco *malam*, corruptè in editis *aliam*.
[b] Codex Mar. *defluxisse*.
[c] Verbum *Respondeat* huc revocatur ex MSS.
[d] MSS. omittunt, *doctorque*.
[e] MSS. *imaginem rectam*: corruptè.
[f] Editi, *revocavit*.

[g] Editi, *quod licèt dilutiore*. MSS. *quod vel dilucidiore*.
[h] MSS. Colb. Mar. & Clar. *quæ à se instituta*.
[i] Menardus, *non esset indicio*. Vignerius, *non esset judicium*. Emendantur ex MSS.
[k] Editi, *generant nos majores nostri*. mendosè.

lege peccati esse se natum: infamabant isti viri nativitatem, ne corrigerent actionem? Audebisne persuadere cordi tuo, quòd Pelagianorum actio actioni præferatur istorum? Date veniam, numquam vos vitam meliùs illis agere crederemus, nec si non sic amaretis concupiscentiam carnis, ut eam, qualis nunc est contra spiritum concupiscens, etiam in paradiso ante peccatum collocare velletis. Nam si, ut dicis, *non alia fuit in paradiso conditio commixtionis, quàm qualis nunc in conjugiis agitur*: erat ibi & ante peccatum libido carnalis, sine qua non potest [a] nunc sexus uterque misceri. Si ergo non vultis, in illa beatitudine membra genitalia nondum pudenda, ad opus suum peragendum, quo proles seminaretur, voluntati hominum sine libidine potuisse servire; adhuc quæro eamdem libidinem qualem tunc fuisse credatis. Voluntatem certè quando esset necessaria, sequebatur; an etiam quando non erat propter propagandos filios necessaria, stimulabat tamen animum, & propellebat in concubitus vel quosque damnabiles, vel cum conjuge veniales? Si enim talis erat, qualis nunc est; hoc sine dubitatione faciebat, sive illi resisteretur per temperantiam, sive per intemperantiam cederetur. Ac sic, homo libidini aut peccando servire cogeretur, aut bello intimo repugnare: quorum alterum honestati, alterum paci felicitatis illius, si humanum sensum habetis, non convenire sentitis. Remanet igitur, ut si libido ibi esset, ita esset subdita voluntati, ut rectam quietamque mentem, nec ad delictum traheret, nec ad prœlium provocaret; & spiritum obedientem Deo, ac fruentem Deo, nec peccare nec pugnare compelleret. Quæ quoniam nunc talis non est, sed ipsa licita inhianter, non obtemperanter appetit; in illicitis autem aut spiritum dejicit, aut contra spiritum concupiscit; agnoscite malum vitiatâ naturæ integritate contractum: quo malo bene utitur propagandi officio castitas conjugum, & de quo malo ducitur generationis obnoxiæ vinculum, regeneratione [b] solvendum.

Concupiscentiam carnis in paradiso ante peccatum collocabant Pelagiani.

Libido qualis forte potuerit esse in paradiso.

Libido qualis nūc est, mala est.

LXXI.

Lib. 2. de Nupt. c. 2.

JUL. *Sed de hoc satis sit, nunc quæ sequuntur arripiam.* In corpore igitur mortis hujus, quale in paradiso ante peccatum profectò non erat, alia lex in membris nostris repugnat legi mentis: quia & quando nolumus, & quando non consentimus, nec ei membra nostra ut impleat quod appetit exhibemus; habitat tamen in eis, & mentem resistentem repugnantemque sollicitat; ut ipse conflictus etiamsi non sit damnabilis, quia non perficit iniquitatem; sit tamen miserabilis, quia non habet pacem. *Naturalem esse omnium sensuum voluptatem, testimonio universitatis* [c] *docemus. Hanc autem voluptatem* [d] *& concupiscentiam ante peccatum in paradiso fuisse, res illa declarat, quia ad delictum via per concupiscentiam fuit, quæ cùm pomi decore oculos incitasset, spem etiam jocundi irritavit saporis. Non ergo potuit hæc concupiscentia, quæ cùm modum non tenet, peccat; cùm verò intra limitem concessorum tenetur, affectio naturalis & innocens est; non, inquam, potuit fructus esse peccati, quæ docetur, non suo quidem vitio, sed voluntatis, occasio fuisse peccati. Lege & de hoc secundum librum meum: invenies hoc quod dicimus etiam tuo posse animo persuaderi. Quod verò quasi acutulè posuisti, legem quidem peccati esse in membris nostris; sed tunc habere peccatum, quando consentimus; tunc verò solùm prœlium suscitare, quando non consentimus, & indicere miseriam pace turbata; quis non prudens pugnare perspiciat? Nam si lex peccati, id est, peccatum, & necessitas peccati membris est inserta naturaliter; quid prodest non ei præbere consensum, cùm propter hoc ipsum quod est, necesse sit subire supplicium? Aut si est lex quidem peccati, sed quando ei non consentio non* [e] *peccat; inæstimabilis potentia voluntatis humanæ, quæ (si dici permittat absurditas) cogit ipsum non peccare peccatum. Sed revertitur eò, ut quod dicis asystaton sit: nam si non peccat, nec lex peccati est; si lex peccati est, peccat; si verò peccat, solùm quia est, quomodo ei obsisti potest, ut non peccetur, quæ repelli non potest, ut à peccati opere desinatur?*

Concupiscentiam ante peccatum in paradiso fuisse putat Julianus.

Hanc de se affectionē esse naturalem & innocentem.

AUG. Secundo libro tuo jam respondi quarto meo, teque inania dixisse convici: sed videant qui legunt, utrùm respondendum sit homini, qui in tantam progreditur insaniam, ut cùm fateatur malum esse peccatum, [f] bonam esse dicat concupiscentiam peccatorum. Et tamen respondere compellimur, nolentes deserere hominum ingenia tardiora, ad quos istæ litteræ potuerint pervenire. Quid est ergo quod loqueris, nesciens quid loquaris? Ergone & in paradiso ante [g] malesuadi venena serpentis, ante corruptam sermone sacrilego voluntatem, inliciti cibi libido jam fuit? Et quod intolerabilius dicitur, ad malum provocabat, & mala non fuit? & videbant illi homines fructum ligni prohibiti, & [h] concupiscebat, sed ut non manducarent, concupiscentia spiritûs carnis concupiscentiæ repugnabat; & vivebant in loco illo tantæ beatitudinis non habentes in se ipsis pacem mentis & corporis? Non usque adeo dementes estis, ut ista credatis; non usque adeo impudentes, ut ista dicatis. Ergo intelligite, vel intelligentibus obstrepere vana loquacitate nolite. Præcessit mala voluntas, qua serpenti subdolo crederetur; & secuta est mala concupiscentia, qua cibo inhiaretur inlicito. Non itaque ibi qualiscumque cupiditas qualicumque reluctata est voluntati; sed ei potiùs [i] depravatæ depravata servivit. Ac per hoc quamvis jam utraque mala esset, tamen voluntas cupiditatem, non voluntatem cupiditas duxit: non præcessit voluntatem, nec restitit voluntati. Denique si ante peccati consummationem ab opere inlicito averteretur voluntas, sine labore ullo cupiditas inlicita sedaretur. Hinc loquens beatus Ambrosius, « Caro, inquit, in naturam regressa vigoris sui agnoscit altricem, atque ausu deposito contumaciæ, [k] moderationis animæ conjugatur arbitrio; qualis fuit, cùm inhabitanda paradisi secreta suscepit, ante quàm

Concupiscentiam præcessit mala voluntas.

Amb. lib. 7. in Luc. c. 12. v. 52.

[a] Hic particula *nunc* ex MSS. restituitur.
[b] In editis, *salvandum.*
[c] Editi, *docemur.* MSS. Clar. & Port. *docemus.* Veriùs: nam ad hoc respondet Augustinus, *docere te dicis.*
[d] Sic Menardus. Vignerius verò præterit *&* Marianensis codex omissâ eadem particulâ præfert, *voluptatum concupiscentiam.* Denique codex Port. omittens *& concupiscentiam;* habet, *Hanc autem voluptatem ante peccatum.*

[e] Marianensis MS. *non pecco.*
[f] Codex Port. *bonum.*
[g] MSS. Mar. & Clar. *malesuada.* Port. *malesuasa.*
[h] Editi, *& concupiscebant.* At MSS. *& concupiscebat.* Refer ad libidinem.
[i] In editis omissum fuerat *depravatæ.*
[k] Apud Ambrosium, necnon suprà lib. 1. cont. Jul. c. 5. *moderantis.*

» veneno pestiferi serpentis infecta sacrilegam famem sciret, divinorumque memoriam præceptorum animæ sensibus inhærentem edacitatis studio præteriret. Hinc peccatum manasse [a] prodi-
a
tur, tamquam corpore animâque genitoribus: dum corporis natura tentatur, anima malè sana compatitur; quæ si appetentiam corporis refrænasset, in ipso ortu esset exstincta origo peccati. Vides-ne quemadmodum doctor catholicus, & Christianâ sapientiâ præditus, ipsam cibi inliciti concupiscentiam, quam tu, si non permittatur implere quod appetit, asseris innocentem, jam famem sacrilegam nuncupavit. Et tamen si anima utique voluntate correctâ, hanc appetentiam corporis refrænasset, in ipso, ut ait, exortu exstincta esset origo peccati: sed quoniam non
b
[b] represso appetitu inliciti cibi, ad peccati consummationem perventum est; non exstincta est origo peccati, sed etiam manavit in posteros: & tanta est carnis & spiritûs dissensio subsecuta, ut in naturam, sicut idem doctor alio loco dicit, per prævaricationem primi hominis verteretur.

Ambros. lib. 7. in Luc. n.141.

Sed tu adversùs hæc, *naturalem esse omnium sensuum voluptatem testimonio universitatis docere te* dicis: quasi non posset in corpore, non mortis hujus, sed vitæ illius, ita esse omnium sensuum voluptas naturæ sufficiens, ut summâ [c] in jura
c
virtutis animi carnisque concordiâ, nulla concupiscerentur inlicita. O quàm multùm erras, qui ex ista, quæ nunc est, corruptibilitate atque infirmitate naturæ sanctas paradisi delicias atque illam beatitudinem conjicis! Alia erat illa immortalitas, ubi homo poterat non mori: alia est ista mortalitas, ubi homo non potest nisi mori: alia erit summa immortalitas, ubi homo non poterit mori. Quid litigas de concupiscentia litigante, hoc est, de lege in membris repugnante legi mentis? Lex peccati dicitur, quia suadet peccata, atque ut ita dixerim, jubet; & si ei mente serviatur, sine excusatione peccatur. Peccatum dicitur, quia peccato facta est, appetitque peccare. Reatus ejus regeneratione solutus est, conflictus ejus ad agonem relictus est. Malum est, clarum est. Non viribus nostræ voluntatis, ut putas, huic obsistimus, nisi divinitus adjuvemur. Debellandum hoc malum est, non negandum: vincendum est, non defendendum. Postremò si ei consentis, malum agnosce peccando: si ei resistis, malum agnosce pugnando.

Concupiscentia cur lex peccati, cur ve peccatum dicta.

Concupiscentia malum est, nec ei resistitur nisi Deo adjuvante.

LXXII. Jul. *Vel quid prodest ejus rei modestia, cujus accusat se ipsa præsentia? Vide ergo quò tua acumina provehantur. Primò quia peccat natura sine voluntate: quod non potest. Secundò quia est peccatum, & non peccat, id est, una res est, & non est. Deinde quando turbat pacem, miserabilis est, nec pro tanto crimine plectitur dissipatæ quietis: quando autem perficit iniquitatem, damnabilis est. Sed lex peccati sicut meretur ipsa tormentum, ita excusat hominis voluntatem. Quia lex & cogens, & naturalis, & numquam recedens, superari utique à voluntate non potest: & nemo propter hoc reus est, quod vitare non potuit. Sed nec ipsa lex peccat: quia aliud facere non potuit. Deus autem* [d] *inevitabilia reatui ad-*
d

A *scribit; nec ut hoc tantum mali faciat, ab ullo cogitur: omnibus igitur absolutis, hic solus in crimine reperitur, qui mira fronte imputat aliis necessitatem, cùm ipse sine necessitate delinquat. Macte virtute prudentiæ nobilissime disputator, qui gradibus Punicæ dialexeos, ut commendares dona, evertisti judicia; ut simulares gratiam, subruisti justitiam; ut infamares naturam, criminatus es hominum Conditorem; & ita criminatus es, ut non solùm aliquo peccatore,*
B *sed ipsa lege peccati, Deus tuus nocentior appareret. Et post hæc profanissime catholicis sacerdotibus convicium facis, ut dicas eos negare gratiam Christi, cujus æquitatem tuentur: cùm nos laudemus quidem clementiam remediorum, sed legum manente justitiâ.*

Aug. Utinam catholicos agnosceres sacerdotes, qui longè priùs quàm esse cœpistis, dixerunt concupiscentiam carnis, quæ concupiscit adversùs spiritum, quamvis adversùs eam etiam spiritus concupiscat, quæ lex intelligitur esse peccati resistens legi mentis post peccatum quod in pa-
C radiso perpetratum est, humanam vitiasse naturam: unde sine illa modò nascitur nemo; eique spiritus adversatur in sanctis, ut justè vivant, pugnando contra illam, donec perfectâ hominis salute, & carne cum spiritu plenissimè concordante jam non sit. Dicit Ambrosius, per prævaricationem primi hominis in naturam vertisse dissensionem carnis & spiritus: eamque dissensionem [e] sic Cyprianus ostendit, in quo Pœno Punicam dialexim, ut puto, inridere non audes, quod
D facere in me ausus es: Est, inquit, inter carnem & spiritum colluctatio, & discordantibus «
adversùm se invicem quotidiana congressio, ut «
non quæ volumus ipsa faciamus, dum spiritus «
cælestia & divina quærit, caro terrena & sæcularia concupiscit: & ideo petimus inter duo ista, «
ope & auxilio Dei concordiam fieri, ut dum & in «
spiritu & in carne voluntas Dei geritur, quæ per «
eum renata est anima servetur. Quod apertè atque manifestè Apostolus sua voce declarat: Ca- «
E ro, inquit, concupiscit adversùs spiritum, & spi- «
ritus adversùs carnem; hæc enim invicem ad- «
versantur sibi, ut non ea quæ vultis, ipsa faciatis. Hanc tu concordiam carnis & spiritûs, quam nos optare, & à Domino dicit orare Cyprianus; nec in paradiso ante peccatum fuisse concedis: aut si fuit, cur non fateris eam per prævaricationem primi hominis [f] vitiatâ periisse naturâ, beatæque paci animæ & corporis miseram successisse discordiam? Et indignaris nobis, quòd velut
F catholicis sacerdotibus, id est, vobis, faciamus nostro sermone convicium, quia dicimus vos negare gratiam Christi: cùm vos istis verè catholicis sacerdotibus impudentissimè ac profanissimè conviciemini his verbis, quæ in me, qui eorum fidem sequor & tueor, indigesto furore ructatis.

Concupiscentia eadem quæ lex peccati resistens legi mentis.

Ambros. lib. 7. in Luc. c. 12. v. 51.

e *De orat. Domin.*

Gal. 5. 17.

f

Apostolus dicit, Spiritu ambulate, & concupiscentias carnis ne perfeceritis. Rogo, cur eas appellat, si nullæ sunt? cur eas perfici vetat, si bonæ sunt? Sed adhuc quales sint, ostendit, &
G dicit: Caro enim concupiscit adversùs spiritum, «
& spiritus adversùs carnem; hæc enim invicem «
adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis. Qui- «

Ibidem v.

[a] Sic MSS. Editi verò, *prædicitur.*
[b] Codex Mar. *reprehenso.*
[c] Sic MSS. At editi, *ut summâ injuriâ virtutis.*
[d] Editi, *inevitabili.* Meliùs MSS. Marianensis & Colbertinus, *inevitabilia.* Nempe Julianus contendit Augustini sententias eò ducere, ut Deus inevitabilia reatui adscribere, & ceteris absolutis ipse in crimine solus esse existimetur.
[e] Mar. MS. *sicut Cyprianus.*
[f] Editi, *vitiatam periisse naturam.* Castigantur subsidio MSS.

bus dicebat, Ut non ea, quæ vultis faciatis? numquid Judæis, secundùm mirabilem vestram intelligentiam, nondum sub Christi gratia constitutis; & non eis quibus dixerat, Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? (Gal. 3. 2.) Fideles itaque Christianos dicebat non ea quæ vellent facere, concupiscente adversùs spiritum carne. Quid ita, nisi quia volebant inferiorem partem suam consentire superiori, id est, carnem spiritui, nec valebant perficere quod volebant; eisque restabat non consentire illi vitio, sed adversùm carnem spiritu concupiscere? Verùm & si hoc in eis erat, quod vos putatis, ut propter consuetudinem malam etiam nolentes malè viverent; quid est ergo quod dicis, naturam sine voluntate peccare non posse, cùm istos non volentes peccare fatearis? Cur autem dicta sit concupiscentia carnis peccatum, lexve peccati, jam suprà * diximus: (* pag. 915.) cui si bonum est non consentire ad inlicita, profectò ipsa malum est, qua concupiscuntur inlicita, [a] & si nullâ consensione, nulloque opere perpetrantur. Judicia Dei porrò vos evertitis, qui generis humani miserias incipientes à parvulis, sine ullo peccati merito fieri dicitis; nec donum Dei poscitis, ne intretis in tentationem, hoc est, ne peccetis: (Matth. 26. 41.) in vestra enim virtute confiditis, & vos in Psalmo [b] sancto notatos esse atque damnatos, (Psal. 48. 7.) vel non videtis cæci, vel stolidi non doletis.

LXXIII. Jul. *Verùm jam pergamus & ad verba mea, quæ de præfatione sublata, sibi impugnanda proposuit:* (Lib. 1. de Nupt. c. 1. & 3.) Satis igitur admonuerim, sic istum verba mea quasi refellenda sibi proponere voluisse, ut alibi mediis detractis sententias interrumperet, alibi extremis non additis decurtaret; & cur hoc fecerit, sufficienter ostenderim? Nunc ad ea, quæ sicut voluit, nostra proposuit, quæ sua posuerit, videamus. Sequuntur enim jam verba ejus, & sicut iste insinuavit, qui tibi chartulam misit, priùs aliquid de præfatione conscripsit, procul dubio librorum eorum, de quibus pauca decerpsit. Id autem ita sese habet. * (* Verba Juliani.) Doctores, inquit, „nostri temporis, frater beatissime, & nefariæ, „quæ adhuc fervet, seditionis auctores, ad homi„num, quorum sanctis studiis uruntur, contume„lias & exitium decreverunt per ruinam totius „Ecclesiæ pervenire; non intelligentes quantum „his contulerint honoris, quorum ostenderunt „gloriam nisi cum catholica religione non potuis„se convelli. Nam si quis aut liberum in homi„nibus arbitrium, aut Deum esse nascentium con„ditorem dixerit, Cælestianus & Pelagianus voca„tur. Ne igitur vocentur hæretici, fiunt Mani„chæi: & dum falsam verentur infamiam, verum „crimen incurrunt: instar ferarum, quæ circum„dantur pinnis, ut cogantur in retia; quibus quo„niam deest ratio, in verum exitium vana for„midine contruduntur. *Cognosco dicta mea, sed non à te cum integritate prolata: & licèt non in his* [c] *certaminis summa consistat, quia de præfatione sunt; tamen ut levitas tua liqueat,* frater beatissime, *in eo loco positum non est, sed in primo statim versu libri. Item cùm dixissem,* ad hominum quorum sanctis studiis uruntur, contumelias & exitium; *addidi*, quoniam iter aliud non patebat,

A decreverunt per ruinam totius Ecclesiæ pervenire. *Post quod etiam dixi*, quia liberi confessor arbitrii & Dei conditoris, Cælestianus & Pelagianus vocatur, quo simplices, *inquio*, sermone perterriti, ut ab invidiâ nominis exuantur, etiam sanam fidem deserunt; credituri procul dubio, nec liberúm esse in hominibus arbitrium, nec Deum nascentium conditorem, quando illud quod priùs affirmaverant, utrumque deseruerint. *Hoc autem totum à te prætermissum est. Post* B *quod sunt illa quæ posuisti, quàm sanè vera, & quàm inexpugnabilia, haud difficilis erit opera comprobare. Nec ego igitur quidquam de tuis dictis minùs, nec tu vel primum caput, ita ut à me ordinatum fuerat, retulisti. Quod ideo inculco, ut gravitas Pœni scriptoris emineat.*

Aug. Qui de libris tuis, quæ voluit decerpta, cui voluit legenda transmisit, ipse quod mihi imputas fecit: nec aliud etiam te ipsum existimo credere. Neque enim in eodem libro meo, C contra quem latras, non sum prælocutus, cui sim chartulæ respondere compulsus: sed quæris conviciando quid dicas, sentiens te nihil validum dicere disputando. Quamquam & in his meis verbis, quæ mox tibi quasi refellenda proponis, id quod dico advertere potuisti: non enim dicerem, Non est ita ut loqueris, quicumque ista dixisti; si certus essem te illa dixisse, non eum qui qualem voluit, & cui voluit scripturam misit, quam mihi missam refutare susceperam. Sed Deo D gratias, quòd universo ipsi operi tuo, unde quæ voluit, sicut ei placuit, iste decerpsit, ita Domino adjuvante respondi, ut omnia tua, quæ contra antiquissimam catholicam fidem novus hæreticus erexeras, machinamenta subverterem.

Jul. *Contra hæc ergo verba mea, quæ rescripseris audiamus.* Non est ita ut loqueris, quicumque ista dixisti: non est ita; multùm falleris, vel fallere meditaris: non liberum negamus arbi- LXXIV. (Lib. 2. de Nupt. c. 3.) E trium; sed si vos Filius liberaverit, ait Veritas, tunc verè liberi eritis. (Iohan. 8. 36.) Hunc vos invidetis liberatorem, quibus captivis vanam tribuistis libertatem. A quo enim quis devictus est, sicut dicit Scriptura, huic & servus addictus est: nec quisquam nisi per gratiam Liberatoris isto solvitur (2. Pet. 2. 19.) vinculo servitutis, à quo est hominum nullus immunis. Per unum quippe hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & (Rom. 5. 12.) “ ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes “ F peccaverunt. *Amplissimam esse nostri negotii dignitatem, ut ipsa rerum consideratio & appensio indicat, quas tuemur, ita etiam vester pavor; qui contra nostrorum sanguinem, pecuniarum effusione, hereditatum largitate, equorum transmissione, populorum seditione, potestatum corruptione pugnantes, & fidem vestram quæ à nobis impugnatur, erubescitis profiteri, & ad nostræ sententiæ, à qua deviastis, verba confugitis.*

G Aug. Aut sciens calumniaris, si tu ista mentiris; aut nesciens quid loquaris, cùm mentientibus credis: sed jam satis sit quod superiùs * tuæ (* n. 41.) vanitati, vel etiam malignitati ad ista respondi.

LXXV. Jul. *Tam enim scelestum est, quod suscepit prævaricatio pudenda Babylonis, ut cùm à nobis objicitur,*

[a] MSS. Mar. Port. & Clar. prætereunt. *etsi nullâ.*
[b] Editi, *in Psalmo secundo.* At MSS. *in Psalmo sancto.* Ad illud Psalmi 48. respicit, *Qui confidunt in virtute sua*, &c.
[c] Sic MSS. Editi verò, *certaminibus.*

à vobis negetur : & tam ſanctum eſt, quod à nobis creditur, ut ſub umbra ejus delitescere, licèt adverſaria mente, cupiatis. Nam cùm ego quidquid diſputationis veſtræ ſparſim membris tenebatur exprimerem, & ſummam quæſtionis in brevitatem cogerem, ut eccleſiaſticæ diſſenſionis cauſſa, quanta & qualis eſſet, ſine fumo & nebulis proderetur, dixi liberum à vobis arbitrium negari, & Deum naſcentium conditorem; porro à nobis id utrumque defendi: & ob hoc vos imperitis auribus de nominibus catholicorum virorum, qui propter fidem apoſtolicam quam tuemur, [a] *nobiſcum laborant, ciere inanem fragorem, ut qui timuiſſent Cæleſtiani à vobis dici, amitterent cæleſtis fidei dignitatem; & qui expaviſſent ne à vobis Pelagiani dicerentur, in Manichæorum pelagus præcipitarentur; putarentque ſe imperiti quique non poſſe Chriſtianos appellari, ſi eos Traduciani Pelagianos vocaſſent: cùm è regione prudentes ſtatuerent, quamvis nominum invidiam ſibi & injuriam ſuſtinendam magis, quàm fidem catholicam relinquendam. Sed ne vel hoc ipſum convicii genus veſtro inventum ingenio glorieris; recordamini, ab omnibus quidem hæreticis diverſa nos vocabula ſolere ſuſcipere: ſed in Synodo Ariminenſi vehementiùs claruiſſe, quid apud plumbeos animos vel ambiguitas verbi, vel comminatio novi vocabuli poſſit ſceleris obtinere. Nam cùm ſub Ariano Principe, vir magnæ conſtantiæ, fidei ſanctiſſimæ, Athanaſius Alexandrinus epiſcopus, dilapſo à fide Apoſtolorum omni penè mundo, &* [b] *impiatis temporibus obſtitiſſet, atque ob hoc in exſilia coactus eſſet; de ſexcentis & quinquaginta, ut fertur, epiſcopis, vix ſeptem inventi ſunt, quibus cariora eſſent Dei præcepta quàm regis; videlicet ut nec in Athanaſii damnationem convenirent, nec Trinitatis confeſſionem negarent. Illa verò omnis dejectorum pectorum multitudo, extra injuriarum metum, hac eſt potiſſimùm vel nominis comminatione, ne Athanaſiana vocaretur, vel interrogationis calliditate decepta.*

Omnis penè mundus à fide Apoſtolorum dilapſus tempore Athanaſii.

Ex 650. epiſcopis vix ſeptem cum Athanaſio in Trinitatis confeſſione permanſerunt.

Athanaſiani & Homouſiani ab Arianis catholici vocabantur.

Aug. Athanaſianos vel Homouſianos Ariani catholicos vocant, non & alii hæretici. Vos autem non ſolùm à catholicis ſed etiam ab hæreticis, vobis ſimilibus & à vobis diſſentientibus, Pelagiani vocamini: quemadmodum non tantùm à Catholica, ſed ab hæreſibus etiam vocantur Ariani. Vos verò ſoli nos appellatis Traducianos, ſicut illi Homouſianos, ſicut Donatiſtæ Macarianos, ſicut Manichæi Phariſæos, & ceteri hæretici diverſis nominibus.

LXXVI. Jul. *Nam cùm proponerent Ariani, qui rerum cà tempeſtate potiebantur, Homouſion ſequi vultis, aut Chriſtum? Reſponderunt continuò, quaſi in nomen religioſi, Chriſtum ſe ſequi; homouſion repudiavere: atque ita exeunt geſtientes, velut qui Chriſto crederent, quem jam negaverant homouſion id eſt, unius cum Patre ſubſtantiæ denegando. Ita ergo & nunc vos fabricatores doli, imperitas terretis aures, ut ſi nolunt laborantium pro fide virorum appellatione reſpergi, & liberum arbitrium negent, & Deum hominum conditorem. Hoc igitur à me in illo loco conſtat objectum; & quàm non falsò, præſens diſputatio palàm faciet. Reſpondiſti ergo hoc modo :* Non negamus liberum arbitrium: *& nihil aliud ſubjunxiſti de tuo. Conſequens enim fuerat, ut impleres ſine tergiverſatione ſententiam; cúmque præmiſiſſes non te negare arbitrii libertatem, adderes, ſed confitemur datam à Deo libertatem arbitrii in hominum permanere natura.*

Aug. Quomodo manet libertas in eis, qui ut liberentur à ſervitute, qua victori peccato addicti ſunt, divinâ indigent gratiâ, niſi quia liberi ſunt & ipſi, ſed juſtitiæ? unde dicit Apoſtolus, Cùm eſſetis ſervi peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ. Rom. 6. 20.

Libertas quænam in homine poſt peccatum.

LXXVII. Jul. *Impleveras enim hoc ſermone aliquid, contra quod ſi fuiſſes locutus ulteriùs, nimiùm impudens; ſin autem omnia* [c] *concinenter, vel tardè poſſes apparere correctior. Nunc verò me dicis fallere, qui quod objeci, per te probo, & tu ſtatim in eo quod te putas conſequenter inſtruxiſſe mentiris. Aïs quippe,* Non liberum negamus arbitrium: *& ſubjungis teſtimonium Evangelii,* Sed ſi vos Filius liberaverit, ait Veritas, tunc verè liberi eritis. *Cùm hoc in illo loco à Domino noſtro Ieſu conſtet in liberum arbitrium non fuiſſe prolatum, cujus expoſitionem ſententiæ paululùm differentes, definitionibus & diviſionibus, quid noſtrûm alteruter ſentiat, explicemus. Debet quippe, ſecundùm omnium doctorum diſciplinam, inchoatio diſputationis à definitione ſumi.* Iohan. 8. 36.

Aug. Apoſtoli ergo, qui diſputationum ſuarum inchoationes non à definitione ſumſerunt, non erant docti? Et tamen erant doctores gentium, & contemtores doctorum talium, de quibus te delectat inflari. Quòd autem ait Dominus, Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis, conaberis quidem in tuam detorquere ſententiam: ſed quàm te non ſequatur, cùm conari cœperis, apparebit.

LXXVIII. Jul. *Omnis quippe, ut ait* ille, quæ ratione ſuſcipitur de aliqua re diſputatio, debet à definitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit id de quo diſputatur. Ita ergo & nos, ſicut ſuprà de juſtitiæ & peccati definitione diſſeruimus, nunc quoque videamus quæ libertati arbitrii definitio competat, ut planum ſit, quis ei noſtrûm conſentiat, quis repugnet. Libertas arbitrii, qua à Deo emancipatus homo eſt, in admittendi peccati & abſtinendi à peccato poſſibilitate conſiſtit.* * Cicero 1. de offic.

Libertas in quo conſiſtat, ſecundùm Julianum.

Aug. Emancipatum hominem dicis à Deo: nec adtendis hoc cum emancipato agi, ut in familia patris non ſit.

LXXIX. Jul. *Factum eſt enim animal rationale, mortale, capax virtutis & vitii, quod poſſet ex conceſſa ſibi poſſibilitate vel ſervare Dei mandata, vel tranſgredi, vel magiſterio naturali conſervare jus humanæ ſocietatis, liberumque haberet alterutram velle partem, in quo peccati & juſtitiæ ſumma eſt. Nam cùm aliquid ſecundùm virtutem indigentibus, aut de miſericordiæ fontibus, aut de juſtitiæ* [d] *immulget uberibus; hoc operatur foris jam ipſi juſtitia, quam intus voluntas ſancta concepit & peperit.*

Aug. Utrùm de ſuo [e] juſtitiam conceperit, hoc vobiſcum agitur, qui ignorantes Dei juſtitiam, veſtram vultis conſtituere: cùm voluntas ſancta utique juſtitiam ſanctâ cogitatione concipiat, Rom. 10. 3.

[a] MSS. Mar & Port. *vobiſcum laborant.*

[b] Menardus & Vignerius, *impietati temporibus.* MSS. Mar. & Clar. *impietatis temporibus.* In editione anni 1635. ex ipſo quem Menardus legit, veteri codice ſecundis curis recenſito correctum eſt, *impiatis temporibus*, id eſt, ſceleratis. Conſentit cod. Port. Certè Julianus infrà n. 92. verbo eodem illo utitur, *Deſine itaque*, ait, *impiare te.*

[c] Sic MSS. Editi verò, *continenter.*

[d] Codex Mar. *indulget.*

[e] Editi, *juſtitia conceperit* : malè, ac diſſentientibus MSS.

Prov. 2. 11. sec. LXX. 2. Cor. 3. 5.

piat, de qua scriptum est, Cogitatio sancta servabit te: dicit autem Apostolus, Non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Hoc si intelligatis, non aliud intelligetis esse arbitrium laudabiliter liberum, nisi quod fuerit Dei gratiâ liberatum.

LXXX. Jul. *Sic & cùm è diverso statuens pravè agere in aliorum injuriam, vel iniquus quis fuerit, vel crudelis; operatio qua nocet aliis, à nequitia foras proficiscitur, quam intus mala voluntas seminavit & genuit: cùm verò deest facultas, per quam in proximos vis secretæ voluntatis erumpat, in ipsa tamen sola voluntate, quæ aliquid vel boni vel mali, non impetu brevi, sed cogitatione appetituque patraverit, vel benignitatis est ratio impleta, vel malignitatis.*

Aug. Sicut intelligis voluntatem etiam sola [a] cogitatione rationem vel benignitatis vel malignitatis implere, si eo modo intelligas, quod de bona & sancta cogitatione loquens Apostolus ait, non esse nos idoneos cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientiam nostram ex Deo esse; poteris corrigi, & humilis suscipere gratiam, cui te superbia fecit inimicum, dum vis in eis esse, qui confidunt in virtute sua; non in eis qui dicunt, Diligam te Domine virtus mea.

Psal. 48. 7. Psal. 17. 2.

LXXXI. Jul. *Et boni igitur possibilitas, & mali, bona est: quoniam [b] posse bonum facere, aula virtutis est; posse malum facere, testimonium libertatis est.*

Posse malum facere non est testimonium libertatis.

Aug. Non est ergo liber Deus, de quo dictum est, Negare se ipsum non potest. Et de quo etiam ipse dixisti,* *Deus esse nisi justus non potest*: & alio loco, *Non potest autem Deus*, inquis, *nisi justus & pius esse.*

2. Tim. 2. * Supra n. 28. & 67.

LXXXII. Jul. *Per hoc igitur suppetit homini habere proprium bonum, per quod ei subest posse facere malum. Tota ergo divini plenitudo judicii tam junctum habet negotium cum hac libertate hominum, ut harum qui unam agnoverit, ambas noverit. Unde fit, ut harum unam qui violaverit, ambas violet. Sic igitur & libertas humani custodiatur arbitrii, quemadmodum divina æquitas [c] custoditur. Hic intellectus liberi arbitrii est, qui & fatorum opinionem, & Chaldæorum supputationem, & Manichæorum phantasias, [d] veritati ecclesiasticæ subjugavit. Hic intellectus est, qui cum illis, quos enumeravimus, vos etiam à Christo monstrat alienos. Libertas igitur arbitrii, possibilitas est vel admittendi vel vitandi peccati, expers cogentis necessitatis, quæ in [e] suo ut pote jure habet, utrùm [f] surgentium partem sequatur, id est, vel ardua asperaque virtutum, vel demersa & palustria voluptatum.*

Libertatis arbitrii definitio à Juliano.

Aug. Homo quamdiu stetit in bona voluntate liberi arbitrii, non opus habebat eâ gratiâ, quâ levaretur, cùm surgere ipse non posset: nunc verò in ruina sua, liber est justitiæ, servusque peccati; nec potest servus esse justitiæ, & liber à dominante peccato, nisi eum Filius liberaverit.

LXXXIII. Jul. *Quod ut breviter absolvatur, possibilitas est ad hoc solum excubans, ne homo vel in peccatum à quoquam impellatur, vel à peccato abstrahatur, voluntate captivâ: quam non posse capi, si dedi ipsa noluerit, testatur fortitudo, cujus lacerti in contemtu dolorum & per gentiles & per Christianos assiduè claruerunt.*

Aug. Hoc est utique, quod [g] agit hæresis vestra: ad hoc enim additis & gentiles, ne piæ fortitudinis opus Dei gratiâ Christiani facere potuisse, aut fecisse credantur; quæ Christianis est propria, non Christianis gentilibusque communis. Audite ergo, & intelligite: * Fortitudinem gentilium mundana cupiditas; fortitudinem autem Christianorum Dei caritas facit; quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, quod est à nobis, sed per Spiritum-sanctum qui datus est nobis.

Fortitudo Christianorum ex caritate, gentilium ex cupiditate. * Prosper sent 295. & Arausic. loc. can. 17. V. lib. de patientia, cap. 17. Rom. 5. 5.

LXXXIV. Jul. *Si ergo est, ut ratio prodidit, arbitrii libertas propulsatrix necessitatum, ut nemo sit vel bonus vel malus, cui non sit liberum esse contrarium; quemadmodum tu aut confessus es liberum arbitrium, [h] usurus tali testimonio quod [i] captivis convenit, aut tale testimonium subdidisti, post quàm liberum fueras confessus arbitrium? Ais enim:* Non negamus arbitrium liberum; sed, si vos Filius liberaverit, ait Veritas, tunc verè liberi eritis. *Manifestum est Christum in illo loco ad captivam conscientiam verba fecisse; quam liberam non esse prodebat; sed obnoxiam ei ultioni, quæ condemnat peccata, liberâ voluntate commissa. Quam sententiam tu malè intelligens, id est, non intelligens, aut fortè [k] in te intelligens, & huc naturâ suâ repugnante trahens, in eo posuisti loco, ubi à tuis sermonibus totâ sui proprietate discordat. Ut enim ipsa verba jungamus: Quod liberatur, captivum est: quod captivum est, liberum non est: quod liberum est, captivum non est.*

Iohan. 8. 36.

Aug. Alia est remissio peccatorum, in eis quæ malè facta sunt; alia caritas, quæ [l] facit liberum ad ea quæ bona facienda sunt. Utroque modo liberat Christus: quia & iniquitatem ignoscendo aufert, & inspirando tribuit caritatem.

LXXXV. Jul. *Tu utrumvis hic simpliciter confitere, & cavillari desine; aut dic nobiscum liberum esse arbitrium, & remove testimonium, quod suo tempore congruè prolatum est: aut sicut in his libris, quos nunc per Alypium ad Bonifacium misisti, dic captivum esse arbitrium, quod nos liberum dicimus; & desine te negare Manichæum.*

Aug. Manichæus immutabilem substantiam mali naturæ Dei sui miscet insanus, & eamdem naturam Dei potiùs corruptibilem facit, & sub aliena natura vult esse captivam: fides autem catholica, bonam, sed tamen mutabilem, creaturam in deterius voluntate mutatam; ac per hoc, depravatâ suâ vitiatâque naturâ, non [m] sub alie-

Manichæi error.

[a] Editi, *sola ratione vel benignitatis vel malignitatis impleri, si eo modo intelligas, quo*. Emendantur ex MSS. Port Mar. & Clar.

[b] Editi, *per se bonum facere, laus virtutis est*. Sed nostra lectio est veterum omnium librorum.

[c] Editi, *custodit*. Meliùs MSS. *custoditur*.

[d] Sic MSS. Editi verò, *veritate ecclesiastica*.

[e] Editi, *in suopte jure*. Antiqui omnes libri, *in sua ut pote jure*. Vox *pote* hîc forsitan posita (ut interdum fit) loco nominativi *potis*, ut idem sit *ut pote*, ac *tamquam potens*.

[f] Menardus, *utram suggerentis partem*. Vox *suggerentis* barbara, neque hominis est, uti Julianum suprà n. 22. appellat Augustinus, Tulliani. Vignerius porrò & codex Port. præferunt, *utrùm suggerentium partem*. Nos cum Mar. MS. *utrùm surgentium partem*: quia sic se legisse indicat Augustinus responsione sua, qua gratiam dicit homini ad surgendum, non stanti quidem, sed lapso necessariam. Fortè Julianus scripserat, *utram surgentium partem*. Virtutum scilicet ac voluptatum contrarias partes simul ad voluntatem sollicitandam surgentes significare videtur, atque ad illud alludere Tacit. lib. histor. 3. *surgentibus tum maximè partibus*.

[g] Editi, *quod ait*. MSS. *quod agit*.

[h] Editi, *usurum*. Castigantur ope MS. Mar.

[i] Menardus, *captivos convenit*.

[k] Hîc *in te* restituimus ex MSS.

[l] Sic MSS. At editi, *fecit*.

[m] MSS. Mar. & Clar. *non ab aliena sustantia*.

nâ substantiâ, sed sub peccato suo ream dicit serviliter detineri. Ac per hoc, & de ipso liberatore multùm ab eo nostra diversa sententia est: Manichæus enim dicit opus esse liberatore, ut à nobis naturam separet alienam: nos autem, ut sanet & vivificet nostram. Tu ergo adjutorem Manichæi te non esse ostende, si potes, qui miserias hominum, cum quibus eos nasci, quoniam a sine dubio sentit, [a] sine dubio consentit genus humanum, nolens tribuere peccato vitiatæ naturæ b nostræ, [b] facis ut eas ille permixtæ nobis naturæ tribuat alienæ.

LXXXVI. JUL. *Ceterùm duo ista quæ jungis, liberum & non liberum, id est, liberum & captivum, illi quidem rei de qua agitur, convenire non possunt: tibi verò stultitiam singularem, impudentiam novam, impietatem veterem inesse testantur.*

AUG. Liberos dicimus ad facienda opera pietatis eos, quibus dicit Apostolus, (Rom. 6. 22.) Nunc autem » liberati à peccato, servi autem facti Deo, habe» tis fructum vestrum in sanctificationem, finem » verò vitam æternam. Hunc in sanctificatione fructum, qui fructus procul dubio caritas est, atque opera ejus, nullo modo habere possumus à nobis; sed habemus per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. De ipso quippe fructu loquebatur magister Deus, quando palmitibus in se manentibus dicebat, (Iohan. 15. 5.) Sine me nihil potestis facere. Sed stultitiam singularem nobis inesse conviciaris, quia Deus nobis virtus est, nec in nostra virtute confidimus: & impudentiam novam, quia concupiscentiam carnis, qua caro concupiscit adversùs spiritum, non tua fronte laudamus: & impietatem veterem, quoniam dogmata antiqua catholica, quæ docuerunt qui Ecclesiam Christi ante nos in ejus gratiâ verâ pietate rexerunt, contra perversitatem vestram novitiam quantulocumque labore defendimus. In te igitur agnosce stultitiam, in te impudentiam, in te impietatem, non veterem sanè, sed novam.

LXXXVII. JUL. *Sed jam tempus est, ut de Evangelii sententia differatur. Dicebat, inquit Evangelista Iohannes, (Iohan. 8. 31. & 32.) Iesus ad Iudæos eos, qui crediderunt ei, » Si vos » manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, » & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* c *[c] Id est, Dominus noster Iesus loquebatur ad credentes sibi, ut de nulla sæculi nobilitate gaudentes, nec de Abrahæ sibi semine gloriam vindicantes, niterentur & studerent virtutibus, & nullis post agnid tionem Christi [d] servire peccatis, ut veram libertatem conscientiâ gaudente retinerent, & spe certorum, id est, æternorum, vindicarentur à cupiditate aliorum omnium, quæ propter fragilitatem sui, vana frequenter & falsa dicuntur. Tunc responderunt ei Iudæi, non intelligentes de qua Iesus libertate dixisset, (Ibidem 33.) Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus umquam: quomodo tu dicis, liberi eritis? Multis enim modis libertas appellari solet: ut in hoc loco sanctitas; (Rom. 8. 21.) ut resurrectio in Apostolo, ubi dicit creaturam liberari à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei; ut libertas quæ notior est, ad distinctionem dicitur servitutis. Eo autem nomine & libertas nuncupatur arbitrii. Dividantur ergo caussæ, ne res A multùm distantes confundantur nominis communione. Hìc ergo non arbitrii libertatem Dominus dicit esse liberandam: sed illa integra permanente, convenit Iudæos, ut accipientes indulgentiam liberentur à reatibus, & eam quæ apud Deum maxima est, libertatem occupent, ut incipiant nihil debere criminibus. Denique sequitur Evangelista: Respondit eis Iesus, (Iohan. 8. 34. &c.) » Amen, amen dico vobis, quoniam omnis qui facit » peccatum, servus est peccati. Servus autem non ma» net in domo in æternum, filius autem manet in æterB num. Si ergo Filius vos liberaverit, tunc verè liberi eritis.*

AUG. Adtende quod dictum est, Omnis qui facit peccatum. Non enim ait, qui fecit; sed, qui facit. Et non vis eum ab hoc malo liberare homines: non vis eum hoc loco talem promittere libertatem, qua peccatum non faciamus; sed ideo tantummodo liberare, quia fecimus.

LXXXVIII. JUL. *Aperuit, de qua hìc servitute loqueretur. (Iohan. 8. 34.) Omnis, inquit, qui facit peccatum, servus est pecca- C ti. Hoc autem ipsum quàm vehemens est contra errorem vestrum, quia dicit, servum non esse peccati, nisi eum qui fecerit ipse peccatum; nec posse cuiquam adhærere peccatum, quod non is de quo agitur, per se, aut actione, aut vel [e] sola commiserit voluntate. Quàm etiam ostendit universitatem humani generis non posse [f] jam à diabolo possideri, cùm distinctionem facit inter servum & filium, id est, justum & injustum. Hìc enim, ut se Christus, ita etiam unumquemque sanctorum à servorum conditione separabat: D sicut fuerunt & ante vetus, & in vetere Testamento, (Luc. 13. 28.) quos in domo Patris sui manere, & in mensa ejus denuntiat jocundari. Totum hoc autem exhortationis genus ineptè prolatum esset, si non liberi arbitrii homines conveniret.*

AUG. Convenit planè ideo facientes peccatum, quia servi sunt peccati, ut accepta libertate quam promittit, desinant facere peccatum. (Rom. 6. 12. & 13.) Regnabat namque peccatum in eorum mortali corpore, ita ut obedirent concupiscentiis ejus, E & exhiberent membra arma iniquitatis, peccato. Contra hoc ergo malum, quo peccatum faciebant, libertate indigebant, quam promittebat: (Iohan. 8. 34.) Omnis enim, inquit, non qui fecit, sed qui facit peccatum, servus est peccati. Quid verba lucida caliginosis disputationibus obscurare conaris? Erumpunt omnino, & te licèt obsistente, fulgore suo vincunt tenebras tuas. Omnis, ait, qui facit peccatum, servus est peccati. Audis, qui facit: & tu non exponere, sed supponere vis, F qui fecit. Audiant ergo, quibus ipse aperit sensum, (Luc. 24. 45.) ut intelligant Scripturas: audiant, Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Et quærant accipere libertatem, ut non faciant peccatum; (Psal. 118. 133.) clamantes ad eum, cui dicitur, Itinera mea dirige secundùm verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas. Cur autem illudis sensibus tardis, & ita insinuas verba Domini, quasi dixerit servum non esse peccati, nisi eum qui fecerit G ipse peccatum. Fraude agis, non hoc dixit: non enim ait, Nemo est servus peccati, nisi qui facit peccatum; sed ait, Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Sunt enim servi peccati

[a] Verba hæc, *sine dubio consentit*, restituuntur ex antiquis libris.
[b] Editi, *facit.* Auctoritate MSS. corrigimus, *facis*: ut ad Julianum referatur.
[c] Editi, *Idem Dominus*: mendosè.

[d] Sic MSS. At Vignerius, *servirent.* Menardus, *& nullus post agnitionem Christi serviret peccatis.*
[e] Editi, *aut sola.* MSS. *aut vel sola.*
[f] Sic MSS. Editi verò, *non posse eam à diabolo possidere.*

originalis, qui peccatum [a] ipsi nondum faciunt; & ab hoc vinculo servitutis regeneratione solvuntur. Non igitur omnis qui servus est peccati, facit peccatum; sed omnis qui facit peccatum, servus est peccati: sicut non omne animal equus est; sed tamen omnis equus animal est. Ubi est dialectica tua, qua te inflare consuesti? Tam doctum & acutum quare te ista fugiunt? aut quare insidiaris indoctis & tardis, si te ista non fugiunt?

Quis autem nostrûm dicit, universitatem hominum à diabolo possideri; cùm sanctorum tanta sint millia, quæ non possidentur à diabolo? Sed dicimus, eos solos à diabolo non possideri, quos Christi liberat gratia; cujus gratiæ vos estis inimici. Si enim hanc gratiam non oppugnaretis, sed intelligeretis; procul dubio etiam ante vetus Testamentum, & tempore veteris Testamenti, omnes sanctos, à servorum conditione separatos, eâdem liberatos Christi gratiâ videretis.

Omnes sancti etiã veteris Testamenti Christi gratiâ sunt liberati.

LXXXIX.

Jul. *Denique ut intelligas, non eum naturæ eorum exprobrare, sed vitæ; sequitur, Scio quia filii Abrahæ estis.* [b] *Ecce de qua illi se liberos dixerant originis dignitate: nunc cui servituti obnoxii sint demonstrat dicens, Quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod audivi apud Patrem meum, loquor; & vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.*

Iohan. 8. 37. Ibid. & 38.

Aug. Quid est, Sermo meus non capit in vobis; si natura etiam talis, qualis nunc indiget liberante, jam capax est sermonis ejus, etiamsi sensum non aperiat gratia ejus, sicut aperuit Apostolis ut intelligerent Scripturas; sicut illi purpurariæ Thyatirenorum, ut intenderet in ea quæ à Paulo dicebantur?

Luca 24. 45. Act. 16. 14.

XC.

Jul. *Vide quàm diversa sit naturæ ratio & voluntatis. Non negavit Iesus, carnem eorum pertinere ad semen Abrahæ: sed inculcat eis, quòd ad diabolum patrem voluntatis iniquitate migraverint: qui ideo genitor eorum dicitur, quòd criminum arguitur eruditor. Responderunt, inquit, & dixerunt ei Iudæi, Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus: Si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis: nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi à Deo; hoc Abraham non fecit: vos autem facitis opera patris vestri. Aspicis-ne quas faciat verborum divisiones Sapientia? Negat eos Abrahæ filios esse, quos suprà dixerat esse filios Abrahæ: sed quoniam diversus est de natura ac voluntate tractatus, ostendit alterum esse prosatorem carnis innocuæ, alterum seductorem miseræ voluntatis.*

Iohan. 8. 39. &c.

Aug. Verum dicis incautus. In paradiso enim diabolus seductor beatæ voluntatis fuit, quam seducendo miseram fecit: nunc autem, sicut fateris, seductor est miseræ voluntatis. Ab hac ergo miseria, (ne per illam nunc faciliùs quàm tunc [c] ad illam seducta est, adhuc seducatur à diabolo,) non eam liberat, nisi ille ad quem quotidie tota clamat Ecclesia, Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.

Voluntas hominis in paradiso beata, nunc misera. Matth. 6. 13.

XCI.

Jul. *Hic ergo ubi dixit Dominus, Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis; promisit indulgentiam reis, qui peccantes non arbitrii libertatem, sed conscientiam justitiæ perdiderunt. Liberum autem arbitrium & post peccata tam plenum est, quàm fuit ante peccata: si quidem ipsius operâ fiat, ut abdicent plerique occulta dedecoris, & flagitiorum abjectis sordibus, virtutum comantur insignibus.*

Iohan. 8. 36. 2 Cor. 4. 2.

Aug. Te audi saltem, ubi * dicis propter consuetudinem peccatorum scriptum esse, Non quod volo ago, sed quod odi hoc facio. Quomodo ergo post peccata liberum est, quorum etsi non propagine, quia non vultis, certè tamen consuetudine, quam solam huic necessitati victi contortique conceditis, sic perdidit libertatem, ut gemitus ejus feriat aures vestras, frontemque conlidat; cùm auditis, Non quod volo ago; &, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago?

*Consuetudinis vis à Juliano concessa. * Suprà n. 69. Rom. 7. 15. Ibid. & 19.*

XCII.

Jul. *Desine itaque impiare te, (si tamen ullum tibi fas aut nefas restat,) Christi verba sic exponendo, ut ille arbitrium negasse liberum videatur, sine cujus integritate æquitas ei proprii non potest constare judicii.*

Aug. Immo, ideo grave jugum est super filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum, quia ei constat æquitas judicii: quod omnino iniquum esset, si non traherent originale peccatum, per quod homo vanitati similis factus est.

Eccli. 40. 1. Grave jugum super filios Adæ iniquum, si non esset originale peccatum. Psal. 143. 4.

XCIII.

Jul. *Audi sanè ubi vim humanæ libertatis ostendit: Ego veni in nomine Patris mei, & non suscepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Et item, Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Et item, Si mihi non vultis credere, operibus credite. Atque omnibus vehementius, quod dicit intentionem suam humana voluntate impeditam fuisse: Ierusalem, inquit, Ierusalem, quotiens volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos sub alas suas, & noluisti? Post quod non sequitur, Sed te nolente collegi: verùm, Relinquetur vobis domus vestra deserta; ut illos ostendat pro malo quidem opere jure puniri, sed ab intentione propria non debuisse ulla necessitate revocari. Sic enim & per Prophetam locutus erat: Si volueritis, & audieritis me, quæ bona sunt terræ comedetis; si nolueritis, & non audieritis, gladius vos comedet. Quomodo ergo tu arbitrium liberum non negas, quod non quidem sermone tuo, sed Evangelii testimonio, sensu autem tuo, non liberum pronuntiasti?*

Iohan. 5. 43. Matth. 12. 33. Iohan. 10. 38. Matth. 23. 37. Ibidem 38. Isai. 1. 19. & 20.

Aug. Ignoscendum est, quia in re multùm abdita ut homo falleris. Absit, ut impediatur ab homine omnipotentis & cuncta præscientis intentio. Parum de re tanta cogitant, vel ei excogitandæ non sufficiunt, qui putant Deum omnipotentem aliquid velle, & homine infirmo impediente, non posse. Sicut certum est Jerusalem filios suos ab illo colligi noluisse, ita certum est eum etiam ipsa nolente quoscumque eorum voluit collegisse. Deus enim, sicut homo ejus dixit Ambrosius, quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit. Convenit autem Scriptura plerumque hominis voluntatem, ut quod non habet, [d] vel non potest, admonitus sentiat; & ab eo à quo sunt bona omnia, indigens poscat. Si enim exauditus fuerit in eo quod dicere jussi sumus, Ne nos inferas in tentationem: procul dubio nullâ decipietur inscitiâ, nullâ cupiditate vincetur. Propterea ergo per Prophetam dictum est, Si nolueritis, & non audieritis me, gladius vos

Voluntas Dei hominis voluntate impediri non potest. Lib. 2. in Lucam c. 9. v. 58. Voluntatem hominis cur Scriptura conveniat. Matth. 6. 13. Isai. 1. 20.

[a] Vignerius, *ipsum non faciunt.* Emendatur à MSS.

[b] Menardus, *Vide quia illi se liberos dixerant originis dignitate, nunc cui servitutis nomen imputet, intuere Sed quæritis me interficere.*

[c] Ita MSS. Editi autem, *ab illa seducta est.*

[d] Editi, *& non potest.*

comedet; & cetera hujusmodi: ut cùm invenissent in se ipsis victrices cupiditates, ad propellendum [a] malum scirent à quo deberent poscere auxilium. Ideo autem dictum est, Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta; quia plures ibi erant, quos obduratione & desertione judicaverat dignos, occulto judicio, justo tamen. Nam si ut dicis, *ab intentione propria* utique mala, *non debet homo ulla necessitate revocari*: cur apostolus Paulus adhuc Saulus, cædem spirans & sanguinem sitiens, violenta corporis cæcitate, & terribili de super voce, à sua pessima intentione revocatur; & ex persecutore prostrato, illius Evangelii, quod oppugnabat, laboriosior ceteris futurus prædicator erigitur? Agnosce gratiam; alium sic, alium autem sic Deus, quem dignatur, vocat; & Spiritus ubi vult spirat.

[Matth. 23. 38.] [Act. 9.] [Iohan. 3. 8.]

XCIV. JUL. *Nam in illo opere, quod te suprà dixi nuper Romam misisse, audaciùs quid sentires aperuisti. In primo enim libro, cùm tibi similiter proposuisses quod nos objicimus, arbitrium vos liberum denegare, ita disseris constantissimus & subtilissimus disputator.* Quis autem nostrûm dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de genere humano? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam; propter quod natura humana divinâ indiget gratiâ, dicente Domino in Evangelio suo, Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis: Utique liberi ad bene justéque vivendum. Nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per ipsum peccent, maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati, & eis placet quod eos libet: unde Apostolus, Cùm essetis, inquit, servi peccati, liberi fuistis justitiæ. Ecce ostenduntur etiam peccato minimè potuisse, nisi aliâ libertate, servire. Liberi ergo à justitiâ non sunt, nisi arbitrio libertatis: liberi autem à peccato non fiunt, nisi gratiâ Salvatoris. Propter quod admirabilis doctor etiam verba ipsa discrevit: Cùm enim servi essetis, inquit, peccati, liberi fuistis justitiæ. » Quem » ergo tunc fructum habuistis in his, in quibus nunc » erubescitis? Nam finis illorum mors est: nunc » autem liberati à peccato, servi autem facti Dei, » habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Liberos dixit justitiæ, non liberatos: à peccato autem non liberos, ne sibi hoc tribuerent, sed vigilantissimè maluit dicere liberatos; referens hoc ad illam Domini sententiam, Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. Cùm itaque non vivant bene filii hominum, nisi effecti filii Dei; quid est quòd iste libero arbitrio vult bene vivendi tribuere potestatem? Cùm enim hæc potestas non detur nisi gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, dicente Evangelio, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Et item post modicum.* Datur ergo, *inquis*, potestas ut filii Dei fiant, qui credunt eum. Quæ potestas, nisi detur à Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio: quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberaverit: sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ vel occultus vel manifestus deceptor insevit, vel sibi ipse persuasit. Non itaque, sicut dicunt nos quidam dicere, & iste audet insuper scribere, omnes in peccatum, velut inviti, carnis suæ necessitate coguntur: sed si jam in ea ætate sunt, ut propriæ mentis utantur arbitrio, & in peccato sua voluntate retinentur, & à peccato in peccatum sua voluntate præcipitantur. Sed hæc voluntas, quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est; nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle.

[Cötra duas epist. Pelag. lib. 1. c. 2.] [Iohã. 8. 36.] [Rom. 6. 20. Ibidem 20. &c.] [Iohan. 1. 12.] [Cont. duas epist. Pelag. l. 1. c. 3.]

*In his omnibus verbis tuis, quæ posui, ita video gratiæ nomen cum liberi arbitrii negatione consertum, ut non tam mala sensus tui [b] appellationum bonis vindicari queant, quàm dignitas nominum dogmatum tuorum adhæsione vilescat. Non ergo te his sermonibus honestasti, sed ornamenta ipsa turpasti. Nos tamen ea quæ à te juncta sunt separamus, ut gratiæ divinitas [c] ab scævis conligationibus enodata, nec responsione quatiatur; & gravitate catholicorum, non Manichæorum adulatione laudetur. Gratiam ergo Christi multiplicem confitemur. Primum munus ejus est, quòd facti ex nihilo sumus. Secundum, quòd ut viventibus sensu, ita sentientibus ratione præstamus; quæ impressa est animo, ut Conditoris imago * doceretur: ad cujus æquè respicit dignitatem arbitrii concessa libertas. Ipsi etiam gratiæ beneficiorum quæ nobis præstare non desinit, augmenta reputamus. Ipsa gratia legem in adjutorium misit: ad ejus spectabat officium, ut rationis lumen, quod pravitatis exempla hebetabant & consuetudo vitiorum, multimodis eruditionibus excitaret, atque [d] invitatu suo foveret. Ad istius ergo gratiæ, id est, divinæ benevolentiæ, quæ rebus caussam dedit, plenitudinem spectavit, ut Verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Reposcens enim Deus ab imagine sua amoris vicem, palàm fecit [e] quàm totum in nos inæstimabili egisset affectu, ut vel serò redamaremus eum, qui commendans caritatem suam nobis, Filio suo non pepercit, sed pro nobis illum tradidit: pollicens quia si voluissemus deinceps voluntati ejus obedire, Unigeniti sui præstaret nos esse coheredes.*

[Gratia Pelagiana multiplex.] [* f. diceretur.] [Isai. 8. 20. sec. LXX.] [Iohan. 1. 14.] [Rom. 5. 8.] [Rom. 8. 32.] [Ibid. 17.]

AUG. Homo Pelagiane, caritas vult bonum, & caritas ex Deo est; non per legis litteram, sed per spiritum gratiæ. In hoc est prædestinatis adjutorium littera, quia jubendo & non juvando, admonet infirmos confugere ad spiritum gratiæ. [f] Sic lege legitimè utuntur, quibus bona est, id est, utilis: alioquin per se ipsam littera occidit; quia jubendo bonum, & non largiendo caritatem, quæ sola vult bonum, reos prævaricationis facit.

[1. Iohan. 4. 7.] [1. Tim. 1. 8.] [2. Cor. 3. 6. Littera quare per se occidat.]

XCV. JUL. *Hæc ergo gratia, quæ in baptismate non solùm peccata condonat, sed cum hoc indulgentiæ beneficio, & provehit, & [g] adoptat, & consecrat: hæc, inquam, gratia, meritum mutat reorum, non liberum condit arbitrium; quod eo accipimus tempore, quo creamur: utimur autem, [h] quo valentiam inter bonum & malum discretionis adipiscimur. Bonæ ita-*

[a] Sic veteres omnes libri. At editi, *victrices cupiditates ad propellendum in malum, scirent à quo* &c.
[b] Sic veteres libri. At editi, *malâ sensûs tui appellatione.*
[c] Editi, *obscænis*: corruptè.
[d] MSS. Clar. Mar. Port. *imitatos suos foveret.*
[e] Editi, *quanto tum*: mendosè.
[f] Ita MSS. Editi verò, *si lege legitimè utantur.*
[g] MSS Clar. Mar. & Port. *& aptat.*
[h] Menardus, *Utimur autem quod.* Vignerius, *Utimur autem eo, quando.* MSS. *Utimur autem, quo*: supple, *tempore.*

que voluntati innumeras adjutorii divini adesse species non negamus; sed ita ut [a] non per adjutorii genera aut fabricetur quæ fuerit arbitrii destructa libertas, aut aliquando eâ exclusâ, vel boni vel mali cuiquam necessitas credatur incumbere; verùm arbitrio libero omne adjutorium cooperatur.

AUG. Si non prævenit, ut operetur eam, sed priùs exsistenti voluntati gratia cooperatur; quomodo verum est, Deus in vobis operatur & velle? Quomodo præparatur voluntas à Domino? Quomodo caritas ex Deo est, quæ sola vult beatificum bonum? Aut si scientia legis & eloquiorum Dei caritatem operatur in nobis, ut non per donum Dei, sed per nostræ voluntatis arbitrium diligamus, quod esse diligendum Deo docente cognoscimus; quomodo res minor ex Deo nobis est, & major ex nobis? quia sine Deo donante scientiam, hoc est, docente, nosse non possumus; illo autem caritatem quæ supereminet scientiæ, non donante, diligere possumus. Sic non sapiunt, nisi novi hæretici & gratiæ Dei nimis inimici.

Phil. 2. 13. Prov. 8. 35. sec. LXX. 1. Iohan. 4. 7. Ephes. 3. 19.

Si scientia legis ex Deo, multò magis caritas.

XCVI.

JUL. *Hoc ergo arbitrium liberum, propter quod solum nos manifestari ante tribunal Christi, Magister gentium scribit, ut reportet unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum, sicut catholici quidem confitentur; ita vos non solùm cum Manichæo, sed etiam cum Ioviniano, quem nobis audes impingere, diverso quidem genere, sed impietate simili denegatis. Quod ut planius fiat, divisionum adhibeatur examen. Nos dicimus peccato hominis, non naturæ statum mutari, sed meriti qualitatem; id est, & in peccante hanc esse liberi arbitrii naturam, per quam potest à peccato desinere, quæ fuit in eo ut posset à justitia deviare.*

2. Cor. 5. 10.

Naturæ status peccato hominis mutatus.

AUG. Scimus vos ideo dicere, peccato hominis naturæ statum non mutari, quia deseruistis fidem catholicam, quæ dicit primum hominem sic factum, ut non haberet moriendi necessitatem; peccato autem ita hunc statum naturæ fuisse mutatum, ut hominem necesse sit mori, usque adeo ut etiam spiritu jam regeneratis atque vivificatis Apostolus dicat: Si Christus in vobis est, » corpus quidem mortuum est propter peccatum, » spiritus autem vita est propter justitiam: si ergo » spiritus ejus qui suscitavit Jesum ex mortuis, ha» bitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum à » mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra » per inhabitantem spiritum ejus in vobis. Ideo utique dixit, Vivificabit & mortalia corpora vestra, quod in carnis resurrectione speramus; quia dixerat, Corpus mortuum est propter peccatum: & vos non vultis peccato statum mutatum esse naturæ. Verumtamen Pelagio cùm in Palæstino judicio fuisset objectum, quòd diceret infantes nuper natos in eo statu esse, in quo Adam fuit ante peccatum, negavit se dicere, idque damnavit. Quod si fecisset corde veraci, jam fortasse vestra hæresis interiisset: postremò ipse saltem fuisset ab illa peste sanatus. Deinde quæro utrùm vitio careat natura peccatrix: quod si absurdissimum est, habet ergo vitium: si habet vitium, procul dubio vitiata est. [b] Quomodo ergo mutata non est, quæ cùm fuisset sana, vitiata est? Ac per hoc, etiam excepto peccato illo, de quo Johannes Constantinopolitanus ait, Adam peccavit illud grande peccatum, & omnes in commune damnavit: & illo ergo excepto, de quo damnationem humana natura originaliter trahit, quomodo sobriè dici potest, statum naturæ in homine non fuisse mutatum qui dicit, Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato; quod enim operor ignoro, non enim quod volo ago: & cetera hujusmodi? etiam si hanc mutationem non in eo nascendi traxit conditio, sed, ut vultis, contraxit consuetudo peccandi? Cernitisne, vanum esse quod dicitis, peccato hominis non naturæ statum mutari, sed meriti qualitatem? Nisi fortè dicatis, non naturam peccato mutari, sed hominem. Et quid est hoc, nisi hominem negare esse naturam? Quando ista diceretis, si cogitaretis sanâ mente quod dicitis?

Rom. 8. 10. & 11. Lib. de gestis Pelag. c. 11. & 33. Homil. de Lazaro resuscit. Rom. 7. 14. & 15.

XCVII.

JUL. *Manichæus dicit, voluntatem malam ab ea inspirari natura, quæ bonum velle non potest; voluntatem verò bonam ab ea infundi natura, quæ malum velle non potest: ita utique naturis singularum rerum imponit necessitatem, ut propriæ [c] voluntates non possint velle contraria. Inter nos & illum certè grande chaos est: videamus nunc quantum ab eo tu recesseris. Dicis esse liberam voluntatem, sed ut malum tantummodo faciat, non autem esse in hoc liberam, ut malum desistat operari, nisi ei fuerit imposita necessitas volendi bonum, ab ea natura, quæ, ut tuis utar sermonibus,* malum non potest velle. *Definis ergo, genus hominum per liberum arbitrium nihil aliud quàm peccare, nec aliud posse facere. Per quod absolutè pronuntias, humanam naturam unum semper cupere quod malum est, & velle non posse contrarium: naturam autem Dei malum non posse velle; & ideo, nisi necessitatis suæ participem fecerit malam hominum naturam, bonum in ea actionis esse non posse. Post hæc itaque utrùm non multùm ames Manichæum, in cordis tui secreto Deus viderit: quantum tamen ex dogmatum germanitate monstratur, nihil aliud prorsus egisti, quàm ut ordine commutato idem quod ille affirmarat adstrueres.*

Lib. 1. cont. duas epist. Pelag. c. 3.

AUG. Utinam Manichæum fortiter destrueres, non turpiter adjuvares. Ille namque nimiâ perversus insaniâ non dicit naturam mali cogi bene facere ab alia natura boni, quæ malum non potest velle; sed naturam boni cogi malè facere ab ea natura mali, quæ bonum non potest velle: ac per hoc mirabiliter demens naturam mali vult esse immutabilem, mutabilem verò naturam boni. Proinde voluntatem malam ab ea inspirari natura, quæ bonum velle non potest, certum est dicere Manichæum: voluntatem verò bonam ab ea infundi natura, quæ malum velle non potest, non dicit Manichæus, sicut tu de illo mitiùs suspicaris: [d] quoniam boni naturam nullo modo immutabilem credit, quæ malum velle non possit, cui credit inspirari voluntatem malam ab ea natura, quæ bonum non potest velle; itaque fieri per mali naturam, ut malum velit boni natura, quam nihil vult esse aliud quàm naturam Dei. Tu ergo hunc adjuvas, negando humanam peccato primi hominis vitiatam esse naturam, ut naturæ mali quam fingit, adtribuat quidquid ma-

Manichæi nimia insania, dicentis naturâ boni cogi malè facere.

[a] Hic particulam negantem omittit Vignerius. Sed infrà verbum addit eo loco, *aut subjiciatur & fabricetur.* Denique ipse ac Menardus postea, *quæ fuerit adjutorii destructa libertas.* Castigantur ad MSS.

[b] Huc sententiam illam ex MSS. Mar. Clar. & Port. revocamus; *Quomodo ergo mutata non est, quæ cùm &c.*

[c] MSS. Mar. & Port. *voluntatis.*

[d] In editis, *quod.* Emendamus ex MSS.

lorum in manifestissima invenit miseria parvulorum. Deinde cùm displicet tibi, hominem non posse bonum velle, nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle, nonne respicis ei te contra-

Iohan. 15. 5. dicere, qui dixit, Sine me nihil potestis facere? &

Prov. 8. 35. Scripturæ, ubi legitur, Paratur voluntas à Do-

Philip. 2. 13. mino: & ubi legitur, Deus est enim qui opera-

Psal. 36. 23. tur in nobis & velle: & ubi legitur, A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet. Ubi nihil miror, nisi unde te Christianum dicas, cùm his divinis tot & tam claris vocibus contradicas. B

XCVIII. Jul. *Ioviniano autem in una parte conjungeris: nam dicit in secundo operis sui libro, baptizatum hominem non posse peccare; ante baptisma autem, & peccare & non peccare posse. Tecum ergo putat, à tempore baptismatis imponi hominibus necessitatem boni: quod æquè falsum est, quàm quod tu putas, ante baptisma inesse hominibus necessitatem faciendi mali. Nam cùm dicis tu,* Non potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle: *participatione utique gratiæ &* C *naturæ bonæ vis hominem possibilitatem consequi faciendi boni; quod dicis tamen à tempore baptismatis posse contingere. Inter impietatem igitur medius & timorem, ad Ioviniani consortium confugisti, sed Manichæi lupanar necdum reliquisti. Verumtamen tantò te innocentior Iovinianus, quantò Ioviniano profanior Manichæus. Ut enim adhuc breviùs quod egimus colligatur, Manichæus dicit: In omnibus hominibus inspiratrix malæ voluntatis tenebrarum natura delinquit, & aliud facere non potest. Tu dicis:* D *In cunctis hominibus primi peccati tenebris infecta, & per hoc malæ voluntatis auctor natura delinquit, & bonum velle non potest. Iovinianus dicit: Voluntas quidem hominum, sed usque ad baptisma delinquit; postea autem nisi bonum velle non potest. Catholici, id est, nos dicimus, quòd ab initio usque ad finem sine aliquo naturalium coactu, voluntas & ante baptisma in unoquoque delinquit, quæ illo ipso tempore quo peccat, potestatem habet recedere à malo, & facere bonum, ut constet ratio libertatis. Ve-* E *strùm itaque nulli quidem veritas dogmatum constat: tamen cùm ab uno principio erroris fueritis egressi, vel minùs inhonestum erat, si quæ consequuntur ad-*

a *mitteres; & quia cum Manichæo dicis,* [a] *naturà malà, id est, mancà libertate delinqui, diceres cum eodem, nullo illam pacto posse mundari: quod quidem alibi affirmas; sed quod necessariò consequebatur adjungeres, ideo ei opus non esse baptismatis*

b [b] *sacramentis. Aut si cum Ioviniano, à tempore susceptæ fidei imprimi asseris bonas cupiditates; di-* F *ceres cum eodem, bonam & ante baptisma fuisse naturam, quæ licèt haberet possibilitatem mali, non ta-*

c *men habuerit necessitatem, ac per hoc* [c] *ad indissimulabile bonum consecrata pervenerit. Hoc enim modo, etsi rationi, nequaquam tamen eorum, quos sequeris, dogmatibus contravenires.*

Aug. Oblitus es quid dicamus: recordare, quæso. Nos sumus qui vobis reclamantibus dicimus, etiam justis, quamdiu sunt in hac vita, non deesse, unde in oratione sua de se ipsis vera- G

Matth. 6. 12. citer dicant, Dimitte nobis debita nostra. Quo-

1. Iohan. 1. 8. niam si dixerint se non habere peccatum, se ipsos decipiunt, & veritas in eis non est. Quid est

A ergo quod inaniter loqueris, me Joviniano in ea parte conjungi, qua dicit baptizatum hominem non posse peccare? Absit ut tam simus surdi & muti, ut non audiamus eorum qui baptizati sunt vocem, vel non cum eis dicamus, Dimitte nobis debita nostra. Ex quo autem homo incipit uti voluntatis arbitrio, & peccare & non peccare potest: sed alterum horum non facit, nisi adjutus ab eo qui dixit, Sine me nihil potestis facere: alterum verò propria voluntate, Posse peccare & non peccare, quomodo sit hominis utentis arbitrio voluntatis. Iohan. 15. 5.

B sive à se ipso, sive ab alio deceptore seductus, vel peccato sicut servus addictus. Adjutos autem homines novimus Dei spiritu, ut ea vellent quæ Dei sunt, ante baptismum, sicut Act. 10. 1. Cornelium: quosdam verò nec post baptismum, Act. 8. 18. sicut Simonem Magum. Judicia enim Dei sicut Psal. 35. 7. multa abyssus: & gratia ejus non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Desine igitur Rom. 11. 6. conviciari nobis de Manichæo & Joviniano: quibus enim convicieris in nobis, quos subsecuti ne-

C gare non possumus originale peccatum, videres si oculos haberes, & taceres si frontem haberes. Sic autem calumniosus es, ut alibi affirmasse me dicas, à peccatis hominem non posse mundari: cùm ita dicam posse, ut eò quoque perducatur, ubi beatissimus peccare non possit.

Jul. *Nunc autem omnibus perfidus, dicis factam* XCIX. *in natura carnis, peccati necessitatem.*

Aug. Tu nega dixisse Apostolum, Cùm es- Rom. 6. 20. setis servi peccati, liberi fuistis justitiæ. Aut si

D hoc ab eo dictum esse non negas, non eum rectè dixisse redargue. Si autem non audes; nega, si potes, eos quibus hoc dixit, habuisse in malis liberam voluntatem, quando fuerunt liberi justitiæ: * aut habuisse liberam in bonis, quando * f. assere habuisse. fuerunt servi peccati: & ab hac servitute eos aude dicere per se ipsos, non per Dei gratiam liberatos, quibus dicitur, Nunc autem liberati à pec- Ibid. 22. cato, servi facti estis justitiæ. Si autem dicis, à reatu præteritorum malorum, non à dominatu pec-

E cati, quo quisque justus esse non sinitur, eos fuisse Dei gratiâ liberatos; ut autem eis non dominaretur peccatum, ipsos facere potuisse si vellent, neque ad hoc indiguisse gratiâ Salvatoris: ubi Rom. 7. 19. ponis eum qui dicit, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago? Si enim sub lege, non sub gratia constitutus hæc loquitur: istum nega sub gravi necessitatis pondere ingemere; hunc ad bene vivendum & ad rectè agendum per voluntatis arbitrium assere liberum,

F clamantem tibi, Mentiris, aut falleris; non quod volo ago. Si autem, sicut meliùs sensit Ambro- Florus. Beda vulgatus ad Rom. 8. sius, hoc etiam de se ipso dicit Apostolus: nec justorum est in hac vita ad perficiendum bonum tanta libertas propriæ voluntatis, quanta erit in illa vita, ubi non dicetur, Non quod volo ago. C.

Jul. *Ut possessione æternitatis amissa, (quam quidem numquam eam per exortum sui constat habuisse,) voluntas appetendæ jugiter pravitatis incumberet. Et adjungis,* Voluntas quæ libera est

G in malis, libera in bonis non est: *non minore planè stultitiæ professione,* [d] *quàm profanitatis, liberum vocas, quod dicis nisi unum velle non posse.* Liber ut quispiam

Aug. Si liberum non est, nisi quod duo po-

[a] Editi, *naturam malam.* Castigantur ad MSS.
[b] Vigner. *Baptismatis sacramento.*
[c] Menard. *in addissimilabile.* Vigner. *in inamissibile.* At MSS. Clar. Mar. & Port. *ad indissimulabile.* Hoc verbo usus est Julianus sup. n. 1.
[d] Menard. *qua profanitas.* Vigner. *qua profanitate.* Emendantur ex MSS.

fit, non requiri ut velle possit & bonum, & malum.

test velle, id est, & bonum & malum; liber Deus non est, qui malum non potest velle, de quo etiam ipse dixisti, verumque dixisti, *Deus esse nisi justus non potest.* Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem? an potiùs intelligere debes esse quamdam beatam necessitatem, qua Deus injustus non potest esse?

Suprà n. 23.

Necessitas quædam beata non auferens libertatem.

CI.

Jul. *Sed licèt nulla ex parte confites, tamen quid adtuleris prudens lector adtendat. Consentiamus voluntatem liberam dici posse, quæ bonum velle non potest: hanc autem voluntatem in baptismate asseris liberari: Interrogo, ad quem modum liberatur, ut bonum semper velle cogatur, & malum velle non possit? an ut utrumque possit appetere? Hic tu si responderis, ut bonum semper velle cogatur: quam sis Iovinianista, etiam ipse cognoscis. Si autem dixeris, Quomodo potest esse voluntas libera, si bonum semper velle cogatur? Respondeo, Quomodo dicebatur antè voluntas libera, si malum velle tantummodo cogebatur? Si ergo responderis, sic fieri post baptisma liberam voluntatem, ut & peccare & non peccare possit; hoc ipso pronuntiabis liberum arbitrium non fuisse, cùm utrumque non poterat. Clauderis undique disputationis tuæ laqueis: arbitrium ante baptisma liberum fuit; facultatem habuit faciendi boni, sicut facultatem habuit faciendi mali: & omnis dogmatis tui, quo malum naturale persuades, scena conlabitur.*

Aug. De Manichæo & Joviniano jam me tibi superiùs inveniet respondisse, qui legerit: quomodo autem dicas eum, cujus voluntatem nos dicimus à Domino præparari, ita fieri bonæ voluntatis, ut bonum velle cogatur, (quod absit ut dicatur à nobis,) viderit præclara intelligentia tua. Si enim cogitur, non vult: & quid absurdius, quàm ut dicatur nolens velle quod bonum est? De natura etiam Dei vide quid sentias, homo qui dicis cogi hominem ut bonum velit, si malum velle non possit. Numquid enim Deus cogitur velle bonum, quia velle non potest malum, quoniam est omnino immutabilis? Natura verò humana quamvis mutabilis, quantùm ad id pertinet quod condita est, bona est; quæ non solùm sine vitio facta est, verùm etiam cùm per vitium mala est, capax est boni, [a] quo bona fit. Hæc vera sententia fallacem Manichæorum evertit insaniam.

Qui cogitur, non vult.

Non ideo quis cogitur velle bonum, quia velle non potest malum.

In baptismo autem ita peccata omnia dimittuntur in Dei gratia, qua & ad ipsum baptismum homo præparata ab illo voluntate perducitur; ut deinceps quamvis concupiscat spiritus ejus adversùs carnem, ne consentiat iniquitati, tamen & caro concupiscat adversùs spiritum, ut non faciat & ille quod vult. Vult enim & istam carnis concupiscentiam non habere: sed non potest nunc; propter quod adhuc in se ipso ingemiscit, adoptionem exspectans redemtionem corporis sui, ubi sic habeat carnem, ut jam peccare non possit. Nunc ergo, non solùm potest peccare post baptismum, verùm etiam quia & bene reluctans concupiscentiæ carnis aliquando ab ea trahitur ad consensionem; & quamvis venialia, tamen aliqua peccata committit: habet cur semper hîc dicat, Dimitte nobis debita nostra. Hæc quoque catholica veritas Joviniani redarguit vanitatem. Utrumque autem, id est, & quod contra Manichæum, & quod contra Jovinianum dicimus, hæresim vestram calumniasque subvertit.

Rom. 8. 23.

Venialia peccata.

Matth. 6. 12.

CII. [b]

Jul. *Sin autem liberum antè [b] ad bonum non fuit, & factum est post baptisma ita liberum, ut malum facere non possit: numquam quidem ei adfuit arbitrii libertas, & probatur sine reatu antea peccasse, & postea sine cura sanctitatis gloriam possidere.*

Aug. Ergo nec in Deo est arbitrii libertas, quia malum facere non potest, sicut negare se ipsum non potest: qui & nobis summo illo præmio largiturus est, ut non quidem ipsi Deo, sed tamen Angelis ejus æquales, nec nos peccare possimus. Hoc enim eis post lapsum diaboli pro merito bonæ voluntatis, qua in veritate steterunt, donasse credendus est, ut postea nullus per liberum arbitrium novus diabolus fieret.

Arbitrii libertas in Deo, licèt malum facere non possit.

2 Tim. 2. 13.

CIII. [c]

Jul. *Quo collecto convinceris inficiari prorsus [c] dogmati tuo; ut promittas te liberum arbitrium non negare, quod antea mali, postea boni necessitate subvertis.*

Aug. Dicturus es, ut video, Deum necessitate premi, ut peccare non possit: qui utique nec potest velle, nec vult posse peccare. Immo verò, si necessitas dicenda est, qua necesse est aliquid vel esse, vel fieri; beatissima est ista omnino necessitas, qua necesse est feliciter vivere, & in eadem vita necesse est non mori, necesse est in deterius non mutari. Hac necessitate, si necessitas etiam ipsa dicenda est, non premuntur sancti Angeli, sed fruuntur: nobis autem est futura, non præsens.

Deus non premitur necessitate ut peccare non possit.

Neque tali necessitate premuntur beati, sed eâ fruuntur.

CIV.

Jul. *Verumtamen ad destructionem totam dogmatis tui proficit, ut etiam recordemur definitionum superiorum. Si peccatum non est nisi voluntas retinendi & admittendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere; nullum peccatum in rebus penitus invenitur.*

Peccati definitio ex Aug. ut suprà n. 44.

Aug. Ista definitio peccati ejus est, quod peccatum tantummodo est, non quod etiam pœna peccati, qua periit libertas non peccandi: à quo malo non liberat, nisi ille, cui non tantùm dicimus, Dimitte nobis debita nostra; verùm etiam, Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.

Pœnâ peccati periit libertas nō peccandi.

Matth. 6. 12. & 13.

CV. [d]

Jul. *Nam si non imputat [d] justitia, nisi unde liberum est abstinere; & ante baptisma necessitas mali est, quoniam voluntas, sicut dixisti, ad faciendum bonum non est libera, perque hoc aliud agere non potest nisi malum: ab infamia mali ipsa quam patitur necessitate defenditur: quoniam apud eam justitiam gravari operibus suis non potest, quæ non imputat malum, nisi à quo liberum est abstinere. Post baptisma autem, si necessitas boni est, nullum utique potest esse peccatum. Vide igitur quàm illud quod esse peccatum ratio demonstrat, inveniri nequeat in seminibus, quando secundùm definitiones tuas jam nec in moribus invenitur.*

Aug. Multùm erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est. Si enim necessitas nulla peccandi est, (ut omittam vim mali ejus quod originaliter trahitur; hoc enim nullum esse vos vultis:)

Necessitas peccandi pœna est peccati nullâ necessitate commissi.

[a] Editi, *quod bona fit.* Omnes MSS. *quo.*
[b] Particulam *ad* restituimus ex MSS.

[c] Sic MSS. Editi verò, *dogmata tua.*
[d] Editi, *justitia.* Meliùs MSS *justitia.*

quid patiebatur, quæso, qui secundùm vestrum sensum, tanta mole malæ consuetudinis premebatur, ut diceret, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago? Deinde cogitare te existimo, quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, quanto labore discatur. Qui autem [a] hoc nesciunt, ipsa boni appetendi malique vitandi ignorantiâ patiuntur peccandi necessitatem. Necesse est enim ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, [b] quod non debet facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur, Delicta juventutis, & ignorantiæ meæ ne memineris. Quod genus delictorum si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis. Unde dicit & Dei famulus Job, Signasti peccata mea in sacculo, & annotasti si quid invitus commisi.

Rom. 7. 19. — a — Ignorantiæ peccata. — b — *Psal. 24. 7.* — *Job 14. 47. sec. LXX.*

Tu quoque ipse in libro novissimo tuo eorum, quos contra unum meum quatuor edidisti, ex affectionibus atque passionibus animi dicis *evenire hominibus affectionalem qualitatem, atque ita inhærescere, ut aut magnis molitionibus, aut nullis separetur omnino.* Quisquis ergo eâ timiditate peccaverit, quæ ab illo non potest separari, quid aliud quàm necessitate peccabit? Sed vos ista peccata ex illis venire peccatis, quæ nullâ necessitate commissa sunt, in illo saltem conceditis, qui dicit, Quod nolo malum hoc ago. Qui enim, ut istam patiatur necessitatem, non nisi peccandi consuetudine premitur; procul dubio priùs [c] quàm peccaret, nondum necessitate consuetudinis premebatur. Ac per hoc, etiam secundùm vos, peccandi necessitas unde abstinere liberum non est, illius peccati pœna est, à quo abstinere liberum fuit, quando nullum pondus necessitatis urgebat. Cur ergo non creditis tantum saltem valuisse illud primi hominis ineffabiliter grande peccatum, ut eo vitiaretur humana natura universa, quantum valet nunc in homine uno secunda natura: sic enim à doctis appellari consuetudinem nos * commemorandos putasti. Cùm igitur & illa fateamur in hominibus esse peccata, quæ committuntur, non necessitate, sed voluntate, quæ tantummodo peccata sunt, unde ab eis liberum est abstinere; & peccatis de ignorantiæ vel affectionum necessitate venientibus, quæ jam non solùm peccata, verùm etiam pœnæ sunt peccatorum, plenum sit genus humanum: quomodo dicis definitionibus nostris peccatum nec in moribus inveniri? Sed quod non vultis, audite. A peccatis omnibus sive originalibus, sive moralibus, vel quæ facta sunt, vel ne fiant, non liberat nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in quo regenerati sumus, & à quo didicimus orando dicere, non solùm, Dimitte nobis debita nostra, id est, quia peccavimus; verùm etiam, Ne nos inferas in tentationem, id est, ne peccemus.

V. suprà lib. 6. cont. Jul. cap. 18. — *Rom. 7. 19.* — c — Peccatum primi hominis ineffabiliter grande. — ** Suprà n. 69.* — *Rom. 7. 25.* — *Matth. 6. 12. & 13.*

CVI. Jul. *Verùm consignatâ hac disputationis summâ prudentis animo lectoris, excutiamus quid baptisma tuum, quod propter solam genitalium commotionem dicis fuisse provisum, crediti sibi muneris exsequatur. Profitetur se à peccatis homines expiare; sed cùm apud justitiam caussa agitur voluntatis, non pronun-*

A *tiatur rea, quæ aliud velle non potuit. Evanescente autem invidiâ reatûs, etiam pompa indulgentis evanuit: quia non potest ignoscere, quod jure non potest imputare. Ac per hoc, promissionis suæ frustratur effectibus: quoniam nec invenit crimina, quorum remissione laudetur; nec habet hujus beneficii debitores, quo peccatorum vincla* [d] *solvantur: quia in necessitatis asylo collocatos non potest malæ convincere voluntatis: per quæ omnia supervacuum deprehenditur. Verùm quia gratia quæ à Christo provisa est, su-*
B *pervacua non est, rationabilis ejus munificentia teneatur, per quod rea voluntas convincitur peccatoris, quæ potuit utique tam bonum velle, quàm malum voluit. Totum ergo figmentum necessitatis evanuit: ac per hoc, nullum est de naturæ conditione peccatum; sed liberum arbitrium in natura hominum perseverat: quod ut tu cum Manichæis negas, ita nos cum Apostolis & omnibus catholicis confitemur.*

Aug. Necesse est ut peccet, à quo ignoratur justitia: numquid ideo cùm justitiam cognoverit,
C non sunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ necessitate commisit? Aut quia jam cognovit quemadmodum vivere debeat, de se ipso ei præsumendum est ut justè vivat, non de illo cui dicitur, Ne nos inferas in tentationem? Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi: sed ut non obsit ista necessitas, donat ille cui dicitur, De necessitatibus meis erue me. Donat autem duobus modis, & præteritam dimittendo iniquitatem, & opitulando ne intremus in
D tentationem. Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & inlectus. Quæ suscepta tua tam tibi grata est, ut cùm ab illa in consensionem quisque non trahitur, ipsam putes esse laudandam; quasi malum non sit res, quæ impellit in malum, si non ei cedat, sed resistat ille qui impellitur. Quamvis tu, etiamsi ei consentiatur, illum qui cecidit, non ipsam quæ impulit; illum qui adtractus est, non ipsam quæ adtraxit; illum qui inlectus est, non ipsam quæ
E inlexit; magno vaniloquio contendas esse culpandum: quia scilicet, ut definis, malè usus est bono: habes quippe tam malum spiritum, ut concupiscentia bona tibi videatur, qua caro concupiscit adversùs spiritum.

d — Peccandi necessitas quædam ex ignorantia. — *Matth. 6. 13.* — *Psal. 24. 17.* — *Jac. 1. 14.* — Concupiscentia mala, quia impellit in malum. — Bona dicebatur à Juliano.

Sed eleganter te existimas inrisisse de baptismo sententiam nostram, mendacissimè affirmans, quòd propter solam genitalium commotionem baptismum dicamus esse provisum. Non hoc dicimus: sed illud quod vos nova & hæretica per-
F versitate subvertere conamini, dicimus, ideo divinitus esse provisum secundæ spiritalis nativitatis auxilium, quam fieri in se ipso Christus instituit, quoniam secundùm Adam carnaliter nati contrahunt mortis antiquæ prima nativitate contagium. Ecce verbis usus sum Pœni episcopi Cypriani, contra quem tu etiam martyrem latras, cùm Ecclesiæ fundatissimam fidem, pro qua Ecclesia fusus est ejus sanguis, oppugnas. Sicut enim Paulus apostolus dixit, Per unum homi-
G nem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: ita & Cyprianus [e] episcopus, intellector hujus Apostoli, confessus est,

Cyprianus epist. 64. ad Fidum. — *Rom. 5. 12.*

[a] Sic MSS. Mar. & Port. At editi, *Qui autem nesciunt ipsam boni appetendi malique vitandi ignorantiam, patiuntur* &c.

[b] Menardus, *quid.* Tum ipse ac Vignerius, *non debeat facere, facit.* Emendantur ex MSS.

[c] In MSS. *priùs cùm peccaret.*

[d] In MSS. *solvuntur.*

[e] Sic MSS. Editi verò, *ita & Cyprianus, ut intellectus est hujus Apostoli.*

secundùm

secundùm Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere. Quid est ergo quòd te Apostolis & omnibus catholicis fallaciter jungis; quando quidem Apostolo fraudulenter, catholico autem Episcopo & Martyri, in eo quod sensit cum orientali & occidentali catholica [a] Ecclesia, apertissimè contradicis?

CVII. Apostolus secundum Pelagianũ dogma exponitur.

Rom. 6. 20.

Jul. *Expositio sanè, quam Pauli apostoli sermonibus admovisti, cum risu esset prætereunda, nisi Scripturarum terreret ignaros. Cùm essetis, inquit Apostolus, servi peccati, liberi fuistis justitiæ. Dicere utique non poterat, liberatos: quoniam hic sermo liberationis tunc decenter infertur & propriè, cùm homo à noxiis liberatur; liberi autem à virtutibus dici possunt, qui decernunt nihil debere virtutibus. Liber ergo & à bono & à malo dici potest, qui alteri serviens, alteri studet nihil debere: liberatus autem nisi à malo dici non potest; quia verbum hoc liberationis, in se habet indicium illius qui propulsatur angoris. Quæ igitur hic quæstio Apostolo de verbis suis fieri potuit, cùm ille more generis humani, à bono liberos, à malo dixerit liberatos? Cùm ergo, » inquit, servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ; » quem fructum habuistis tunc in his, in quibus nunc » erubescitis? Sed ne tu æstimares servos nos peccato fieri per naturam, audi ipsum Apostolum in iisdem locis loquentem: An nescitis, quoniam cui exhibetis » vosmetipsos servos ad obediendum, servi estis ejus cui » obeditis, sive peccati, sive obauditionis justitiæ? Vosmetipsos, inquit, exhibuistis peccato servos; ut intelligeres, eum voluntati, non nativitati imputare peccatum. Ob hoc ergo solum eos dixit liberos fuisse justitiæ, quia detrectassent ejus præcepta servare.*

Ibid. & 21.

Ibid. 16.

Aug. Si ob hoc solum dicti sunt homines liberi fuisse justitiæ, quòd detrectassent ejus præcepta servare: ergo ante quàm acciperent præcepta justitiæ, quæ detrectarent servare, non erant liberi justitiæ, servique peccati? quis hoc dixerit? Ab hac ergo necessitate servitutis ille liberat, qui non solùm dat præcepta per legem; verùm etiam donat per spiritum caritatem, cujus delectatione vincatur delectatio peccati: alioquin perseverat [b] invicta, & servum suum tenet. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.

Necessitas servitutis invicta, nisi delectatione caritatis vincatur delectatio peccati.

b 2. Petri 2. 19.

CVIII.

Jul. *Denique statim addit, ita eos servos esse justitiæ, sicut fuerant servi antè peccati. Per quod potes eos jam tu, si placet, liberos dicere peccato, cùm serviunt justitiæ; sicut ab illo dicti sunt à justitia liberi, cùm servirent delicto. Ineptissimè itaque simplicitati apostolicæ voluisti calumniam commovere. Neque enim ille, ut putas, vigilantissimè hoc quod æstimas intimavit: sed tu somniculosissimè quod ille protulit intueris. Argumentaris quippe, ideo illum liberatos dicere maluisse, quàm liberos, ut intelligeremus arbitrii libertate malè quidem posse, bene autem fieri non posse. Verùm ipse tibi verborum ejus ordo renititur. Nam si hoc, quod tu, putasset, quia libertate solùm peccaretur; debuit dicere, Liberi fuistis peccato; non, Liberi fuistis justitiæ: ut ille diceretur esse liber, cui operabatur ipsa libertas. Si enim placet etiam casuum pensare momenta, huic illos justitiæ dixit esse liberos, non ab hac justitiâ liberos. Consequentiùs ergo hac elocutione nos adjuvaremur, si etiam tam leves res premere vellemus. Sed* A *absit hoc: sensum intelligimus Apostoli, & elocutionum simpliciter prolatarum officio contenti sumus. Nihil aliud dixit magister gentium, nisi, Liberi fuistis, non servistis, justitiæ: liberati estis, peccatorum veniam suscepistis, manente arbitrii libertate; per quam potuerunt & antè peccato, & postea obedire justitiæ.*

Aug. Ex isto hæretico sensu, quo dicitis non fieri per gratiam liberationem à peccato, nisi cùm de præterito accipitur venia; non autem etiam B ne dominetur peccatum, cùm quisque à concupiscentia sua trahitur in ejus assensum; etiam sanctorum orationibus contradicitis. Ut quid enim Deo dicitur, Ne nos inferas in tentationem; si, ut hoc non fiat, in liberi arbitrii nostri est potestate, quod nobis naturaliter insitum est? Ut quid dicit Apostolus, Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali; si Deus non liberat à peccatis, nisi veniam dando præteritis?

Liberatio à peccato per gratiã duplex.

Matth. 6. 13.

2. Cor. 13. 7.

CIX.

Rom. 6. 19. & 20.

Jul. *Denique quid exhortatio ipsius teneret,* C *ostendit, præmittens: Humanum est quod dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem: cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Ordinatissimè prorsùs ipsos dicit liberos fuisse justitiæ, quos convenerat ut membra sua in omni sanctificatione retinerent.*

Verùm quia non parum hic immorati sumus, ut ostenderemus certissimum esse quod dixeram, quia negarent D *liberum arbitrium homines, qui vestro fuissent sermone deterriti, & in verum exitium vana formidine truderentur; atque te esse præcipuum arbitrii liberi negatorem: revertamur ad illum librum, qui est ad Valerium destinatus, ut probemus primò te negasse conditorem Deum; nunc autem, alibi quidem negare, alibi scelestiùs multò quàm negaveras confiteri. Et quidem quàm in illo libro tuo priore absolutè Deum negaveris conditorem hominum, satis cùm discuteretur apparuit: dixisti quippe, quòd ge-* E *nus humanum diabolus quasi plantati à se fruticis fructum jure decerperet; multaque alia, quæ loco à te argumentorum posita huic cooperantur errori. In hoc verò secundo libro, etsi universitate dogmatis tui idem agas; tamen perniciosiùs niteris emendare sententiam, quàm antè protulisti.*

Suprà n. 73.

V. lib. 1. de Nuptiis & concup. c. 23.

Aug. Si tibi parum est Apostolus, qui dicit, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. F Ambrosius utique, non ut Manichæus, quo nomine tales, qualis ille fuerat fidei, criminaris; sed ut catholicus intellexit Apostolum, eumque intelligens ait, Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est. Ecce de quo tamquam de suo frutice diabolus fructum jure decerpsit; non de natura quam Deus condidit, sed de vitio quod ipse plantavit. Neque enim qui nascuntur sub peccato, possunt nisi sub auctore esse peccati, si non renascan- G tur in Christo.

Rom. 5. 12.

Lib. 1. de pænit. c. 2.

CX.

Jul. *Verùm suppleamus breviter responsionem, quæ capiti tuo, quod suprà * posuimus, debetur. Constanter itaque fideliterque respondeo, quia non invideamus liberatorem hominibus Dominum Iesum Christum; quos convenimus, ne vobis credentes, emen-*

* n. 74.

a Vox Ecclesia restituitur ex MSS.

b Editi, *invita*. MSS. Mar. & Port. *invicta*

dationis desperatione frangantur, & recedant ab eruditione Christi, quasi ea præcipientis, quæ capere mortalium natura non possit, quippe malo aggravata congenito.

Aug. Sed & mors congenita est; & tamen Iohan. 5. 21. ab ea liberat, qui quos vult vivificat: ad quem debent confugere, qui volunt à malo congenito Iohan. 6. 44. liberari; quod ut faciant, quis adtrahat, in Evangelio lege.

CXI. Matth. 11. 30. Jul. *Sed currant ad eum qui clamat, Iugum meum suave est, & onus meum leve est: qui & malæ* [a] *voluntati veniam pro inæstimabili liberalitate largitur, & innocentiam, quam creat bonam, facit innovando adoptandoque meliorem.*

Aug. Ipsi sunt homines, quibus invides liberatorem, quos habere malum, à quo liberentur, negas. Quomodo ergo constanter fideliterque respondes, quòd non invideatis liberatorem hominibus Dominum Jesum Christum; cùm potiùs pertinaciter & infideliter agas, ne ab illo salvi fieri credantur parvuli, sicut salvum facit populum suum à peccatis eorum; propter quod eum, Matth. 1. 21. Evangelio loquente, didicimus appellatum esse Jesum? Non igitur docere poteritis liberatorem Christum vos hominibus non invidere, quia parvulos non esse homines nullo modo potestis ostendere.

CXII. 2. Petri 2. 19. Jul. *Demiror itaque ausum te fuisse ponere testimonium, quo dicitur,* A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. *Quod manifestissimè pro nobis facit, asserentibus non posse quemquam obnoxium esse diabolo, nisi qui fuerit post certamen voluntatis degeneri deditione superatus. A te autem usurpari non debuit, cui vehementer repugnat, persuadenti in regno diaboli esse nascentes, qui sine voluntate propria nec vinci utique, nec peccare potuerunt.*

Aug. Quos dicis nascentes nec vinci, nec Adam sine certamine victus. certare potuisse, ab illo originem ducunt, in quo omnes peccaverunt: qui homo, quod est pejus, sine certamine victus est. * Fuit enim Adam, * Ambros. l. 7. in Luc. c. 15. n. 234. & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt. Sinite ergo parvulos inveniri ab eo, Luca 19. 10. qui venit quærere quod perierat: alioquin liberatorem Jesum, quoniam & ipsi homines sunt, prorsus hominibus invidetis, quantacumque loquacitate crudelitatem vestri hujus erroris obtegendam esse credatis.

CXIII. Jul. *Quod quidem videns contra te valere plurimùm, quasi ipso testimonio interrogatus; Per quid ergo parvuli in regno sunt adversariæ potestatis, si Scripturæ creditur, unumquemque, cùm vincitur, tunc servum esse victoris, & constat infantiam sine usu rationis & voluntatis nec confligere potuisse, nec* Lib. 2. de Nuptiis, c. 3. *cedere? addis,* Per unum quippe hominem pec- Rom. 5. 12. catum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Sic est autem Deus nascentium conditor, ut omnes ex uno eant in condemnationem, quorum non fuerit renascentium liberator: ipse quippe dictus est figulus ex Rom. 9. 21. eadem massa faciens vas, aliud in honorem secundùm misericordiam, aliud in contumeliam secundùm judicium: cui cantat Ecclesia, Mise-

A ricordiam & judicium. Psal. 100. 1. *Hoc quod dicis, per unum hominem intrasse peccatum, quo testimonio Apostoli plurimorum ineruditorum tamen pectora commovistis, licèt in quarto* * *libro breviter quomodo intelligendum esset ostenderim, tamen adjuvante Christo, in hoc opere pleniùs exponemus, ita ut in secundo libro, prætermissis aliis, locus ipse apostolicus contextu suo plenissimè disseratur.* * Operis ad Turbantium.

Aug. Ad id quod in quarto libro tuo breviter ostendisse te dicis, in sexto * nostro tibi res- * Suprà lib. 6. cont. Jul. c. 24. B ponsum est: quod autem in hoc opere polliceris, cùm reddere cœperis, ibi quàm sis vaniloquus apparebit.

CXIV. Jul. *Hìc autem breviter admonuerim, quoniam suffragari tibi non potest ad ejus sententiæ confirmationem, quam omnis eruditio, omnis ratio, & lex Dei convincit iniquissimam. Diligens ergo lector intendat quod pronuntiasti, Deum esse factorem malorum; & tales eum condere, qui sine aliquo propriæ merito voluntatis eant in condemnationem prorsus* C *omnes.*

Aug. Hoc dixi: quia facit hominum naturam, qui vitio mali sunt, quod ipse non fecit; & de quo ipse bene facit, etiam cùm mali sunt homines quos facit: quia in quantum homines sunt, non in quantum mali sunt, eos facit. Neque enim vasa in contumeliam fierent, nisi mali essent: qui Vasa in contumeliam non fierent, nisi mali essent. tamen per naturam quam facit Deus, utique boni sunt; mali autem secundùm vitium, quod contra naturam quidem, sed tamen naturæ in- D sevit inimicus; ut ex hoc esset natura mala, hoc est, malus homo. * Non enim potest esse ullum * Prosp. sent. 296. malum nisi in aliquo bono; quia non potest esse nisi in aliqua natura: omnis autem natura, in quantum natura est, bonum est. Diligenter adtendite, quomodo dicantur, quæ velut contraria inter se dici videntur, & non sunt: si tamen non penitus fumo superbæ contentionis oculos perdidistis.

CXV. Jul. *Ac* [b] *ne nesciremus de quo tempore loque-* [b] E *reris; ab Adam, quem ais unum omnes fuisse, usque ad finem, qui baptizati non sunt, damnationi & diabolo obnoxios pronuntias inveniri. In qua sententia multo te perniciosiùs curare niteris, quàm antea vulnerasti. Nam ut removeres invidiam quæ in te ruebat, quòd diceres diabolum conditorem hominum; correctus confiteris Deum conditorem,* [c] *sed talium* [c] *quales adscribit Manichæus principi tenebrarum.*

Aug. Omnes homines sub peccato nascimur, Ambros. lib. 1. de pænit. c. 2. vel 3. quorum ipse ortus in vitio est. Hoc non dixit F hæreticus immundus Manichæus, sed catholicus sanctus Ambrosius. Porrò autem Manichæus nec omnem naturam, in quantum natura est, dicit bonam; nec eam quam dicit naturam malam, ullo modo dicit sanari posse ac fieri bonam: quod catholica fides dicit de natura humana pusillorum atque magnorum, & contra Manichæos & contra Pelagianos, utrosque diversis morbis, sed pariter insanos.

CXVI. Jul. *Enim verò credens malos esse homines con-* G *ditione nascendi, illum eis deputavit auctorem, per quem mali operis crimen à Deo bono separaretur: & quoniam erraverat in definitione peccati, ut putaret naturale esse, quod nisi voluntarium esse non potest;*

[a] Sic MSS. At editi, *malæ voluntatis.* Marius Mercator in Commonitorio subnotationum in scripta Juliani, legebat hoc ipso loco, *qui & malè agenti veniam.*

[b] Editi, *Ac ne sciremus.* Emendantur ex MSS.

[c] Sic omnes MSS. Editi autem, *sed alium, qualem scribit Manichæus principem tenebrarum.*

consequenter deinceps malæ originis malum est commentus artificem; hic religiosior in Deum, contumacior in naturam. Tu verò dicis, malos quidem nasci, sed Deum esse auctorem malorum: contumacior tu in Deum, honorificentior in naturam: hæc quippe auctoris majestate defenditur, auctor autem fœditate operis accusatur.

Monstra in humanis corporibus, si nemo peccasset, non nascerentur.

AUG. Accusa ergo Deum, si placet, operis fœditate: quando quidem aliqua corpora tam fœda nascuntur, ut nonnulla in eis nimiâ deformitate etiam monstra dicantur. Non enim alius deus, sicut Manichæus fingit, aut dii minores, sicut Plato errat, sunt corporum conditores: sed utique Deus bonus & justus operatur etiam [a] corpora talia; quæ si referas ad grave jugum super filios Adam, invenies eum nec malum, qualem Manichæus fabricandis corporibus adhibet; nec victum malisque implicatum atque commixtum, quod Manichæus de Deo bono credere non timet; sed planè justum propter originale peccatum, qualem fides catholica novit, à qua vester error exorbitavit. Neque enim, si nemo peccasset, fœda atque monstrosa etiam in paradiso corpora nascerentur.

(Eccli. 40. 1.)

CXVII. JUL. *Non timuisti scelestissime, hoc applicare Deo, quod ne ei admoveret Manichæus, commentus est alium conditorem: ambo quidem estis veritatis inimici, sed putabatur ante te non posse ille impietate superari.*

AUG. Ante me erat Ambrosius, qui non erat Manichæus; ante ipsum Hilarius, Gregorius; ante hos Cyprianus, & ceteri, quos commemorare longum est, qui non erant Manichæi. Et tamen Ecclesiam docuerunt, quod in Ecclesia didicerunt, trahere parvulos originale peccatum, & exsufflandos in exorcismis, ut eruantur de potestate tenebrarum, & in regnum sui Salvatoris & Domini transferantur. Quoniam Christus, si etiam pro ipsis mortuus est, quod & tu coactus es confiteri: ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est; quod ait Apostolus: qui profectò si secundùm verba tua etiam ipse Manichæus erit, jam tu quid eris?

(Coloss. 1. 13. — 2. Cor. 5. 14. & 15.)

CXVIII. JUL. *Tu verò justificasti, ut Propheta ait, sororem tuam Sodomam: absolvi putabitur Manichæus, si tuis blasphemiis comparetur. Gloriatus in primo operis mei libro fueram, quòd eo ore lacerarer, quo & Apostoli injuriam pertulissent: nunc verò expavesco magnitudinem felicitatis meæ; ab eo vituperor, qui criminatur Deum.*

(Ezech. 16. 51.)

AUG. Ab eo vituperaris, qui cum Ambrosio & ceteris sociis ejus, etiam parvulorum liberatorem prædicat Christum: quem tu non solùm criminaris tamquam mentientem, ubi dicit se venisse salvare & quærere quod perierat; verùm etiam contradicis ei, ne salvandos parvulos quærat.

(Luc. 19. 10.)

CXIX. JUL. *Unde mihi accidit tantæ contumeliæ dignitas? Nihil in me tale conferre laudando potuisses. Sensa mea dicis esse reprobanda; sed Dei opera damnanda: me malè disputare; sed Deum nequiter creare pronuntias: me errare clamas; illum sævire: me asseris nescire legem; Deum verò nescire justitiam: me vociferaris catholicum non esse, quòd dicam Christum provocare quos salvet; Deum verò juras creare quos damnet, nec ob aliud condere, nisi ut eant omnes in condemnationem.*

Præscientia Dei.

AUG. Hoc & de præscientia Dei dici potest, quæ tamen à fidelibus negari non potest, & puto quòd nec à vobis. Aut negate Deum præscium multos se damnaturum esse quos creat, ne videatur creare quos damnet; & quod est mirabilius & inscrutabilius, multos, ne malitia mutet eorum intellectum, de hac vita [b] non rapere, quos malos futuros non potest ignorare. Date honorem Deo: altitudini judiciorum ejus cedat vestrorum crepula ruina verborum, quasi nitida acuta, sed vitrea.

(Sap. 4. 11. b)

Altitudo judiciorum Dei.

JUL. *Inter te igitur & Manichæum prosatorem sensuum tuorum, video per profectum eruditionis tuæ magnam factam esse distantiam. Ille enim licèt duos induxisset auctores, tamen spem salutis ex ea reliquit parte, qua dixit bonum Deum esse alienissimum ab iniquitate, & à crudelitate: tu verò unum [c] bonum quidem Deum, sed eumdem malorum conditorem loquens, ut reverentiam divinitatis, ita spem salutis funditus sustulisti.* CXX

Manichæi. Deus injustus in gravi jugo parvulorum, si negatur originale peccatum.

AUG. Manichæi fingunt Deum crudeliter infirmum, qui partem suam, substantiam suam, membra naturæ suæ dilanianda & contaminanda hostibus tradidit, à quibus vastitatem sibi imminere cernebat: vos autem qui Deum omnipotentissimum non negatis, in gravi jugo parvulorum credi vultis injustum, negando originale peccatum.

JUL. *Non est enim qui subveniat reis, quando ipse qui est unus, desiderio creandarum miseriarum etiam eos punit, in quibus nihil aliud quàm hoc quod ipse fecit agnoscit.* CXXI.

AUG. Agnoscit ibi etiam quod ipse non fecit: peccatum quippe ipse non fecit. Alius autem similiter ut vos vanus posset dicere, Deum desiderio creandarum miseriarum etiam eos creare, quos damnaturum se esse ignorare non potuit, incomparabiliter plures, quàm eos quos liberaturum se esse præscivit.

JUL. *Perspecta igitur abysso impietatis tuæ, licèt numquam quidquam possit profanius inveniri; tamen quàm hoc nihil habeat virium, & quid de illis quæ annexueras colligatur, brevi disputatione monstrabitur. Deus qui hoc appellari nomine voluit, ut omnipotentissimus, ita etiam justissimus creditur; quorum si unum defuerit, neutrum aderit; ut conditor benignissimus hominum, ita meritorum [d] expunctor æquissimus; omne quod facit, bonum valde est. Ac per hoc, nemo naturaliter malus est: sed quicumque reus est, moribus, non exordiis accusatur.* CXXII.

AUG. Cur ergo grave jugum super exordia parvulorum sub Deo potentissimo atque justissimo?

JUL. *Nec malum itaque naturale est, nec Deus creare reos potest, nec in regno diaboli collocare. Quibus collectis & tu Manichæus, immo Manichæo pejor ostenderis: & sine peccato in hunc mundum humanitatis ingressus, & sub jure Dei, non diaboli,* CXXIII.

[a] MSS. Mar. & Port, *corporalia, quæ si referas.*

[b] Restituitur hîc particula negans auctoritate MSS. Mar. Clar. Port. & Colb.

[c] Hoc item loco ex MSS. addimus, *bonum.*

[d] Editio anni 1635. *meritorum explorator.* Veriùs Vignerii editio & MSS. Mar. Clar. Port. *meritorum expunctor.* Sic suprà n. 47. *expunctrix uniuscujusque meritorum*; id est, meritis debita ex æquitatis ratione reddens. Nam quia personarum nomina seu debita perscripta in tabulis, solebant puncto quibus satisfactum erat notari, hinc data occasio, ut meritorum expunctor, qui paria meritis rependit, vocaretur. Sic Tertullianus lib. de corona militis, cap. 1. *Expungebantur in castris milites laureati*, de donativo militibus persoluto dicere intelligitur.

fructus fecunditatis, & naturalis innocentiæ claruerunt.

a Lib. 1. in Luc. cap. 1. v. 17. n. 37.

Aug. Ergo & Ambrosius, qui dixit, In [a] primordia naturæ suæ, qui baptizati fuerint parvuli, à malitiâ reformantur, Manichæus, aut Manichæo pejor ostenditur, sicut conviciaris, aut furis.

CXXIV. Jul. *Hoc igitur consignato, quid processum tuum consequatur adtende. Prophetas, & Patriarchas, omnesque sanctos veteris Testamenti constat baptismatis expertes fuisse, sed à Deo conditos propriis deinceps fulsisse virtutibus: sub diaboli ergo regno, contra testimonium legis, esse credentur æternis suppliciis mancipandi: quia ex Adam omnes pronuntiantur à te in [b] condemnationem creati.*

Antiquos justos eadem gratia & Mediatoris fides liberavit.

Aug. Et ipsos antiquos justos eadem gratia liberavit, cui vos bellum indixistis: quamvis diversis usi fuerint pro tempore sacramentis. Quoniam quod de Christo credimus, hoc credebant. (1. Tim. 2. 5.) Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: cujus illis prænuntiatus est, nobis autem annuntiatus est humilitatis adventus; claritatis verò qui in fine futurus est, & illis est prænuntiatus & nobis. Et illorum ergo & nostra in isto uno mediatore una fides est, & idem spiritus fidei & in illis & in nobis: unde dicit Apostolus (2. Cor. 4. 13.), Habentes autem eumdem spiritum fidei, secundùm quod scriptum est, Credidi, propter quod locutus sum; & nos credimus, propter quod & loquimur. Unde autem sit hæc fides, ne ita gloriemur tamquam ex nobis sit, eumdem audiamus Apostolum (Ephes. 2. 8.): Gratia, inquit, salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est. Et alio loco (Ephes. 6. 23.), Pax, inquit, fratribus & caritas cum fide à Deo Patre & Domino Jesu Christo.

CXXV. Jul. *Quod si dixeris, quàm sis apertè Manichæus, etiam patroni tui poterunt confiteri. Si verò intellexeris tantum veri Regis exercitum contra tuam dimicare sententiam, nec illis te afferre posse præjudicium: adquiesce destructum esse quod exstruxeras, & per hoc non ire omnes ex uno in condemnationem; sed eos tantùm qui rebelles voluntati Dei, sine pænitentia, sine correctione, ultimo fuerint fine deprehensi.*

Aug. Adde & generatos, si non fuerint regenerati: quia in uno omnes peccaverunt. (Rom. 5. 12.)

CXXVI. Jul. *Quod autem Deus dictus est*, Figulus ex eadem massa faciens aliud vas in honorem, aliud in contumeliam (Rom. 9. 21); *à te commemorari omninò non debuit: quia ut à nobis consequenter exponitur, ita tibi totum repugnat: nam cùm alii in honorem, alii in contumeliam fieri dicuntur, juvatur sensus catholicorum, quo secundùm diversitatem voluntatis humanæ, diversus etiam vasorum exitus prædicatur.*

Aug. Ambrosium audi, qui dicit (Lib. 1. de pænit. c. 2. vel 3.), Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est. Sic quippe intellexit cum ceteris condiscipulis & condoctoribus suis, sine ulla dubitatione catholicis, quod scriptum est de peccato & morte (Rom. 5. 12.), quòd per unum intraverit, & in omnes homines pertransierit. Et intellige, hanc esse massam, de qua fiunt vasa, sive illa, sive ista.

Inscrutabilis quæstio.

Nam si inscrutabilis quæstionis hujus ista esset solutio, quam tu sapis, secundùm merita voluntatum; tam manifesta esset, ut nulla ejus difficultate compelleretur Apostolus dicere, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? (Rom. 9. 20.) De nondum natis enim agebatur, quorum non ex operibus, sed secundùm propositum suum Deus unum dilexit, alterum odio habuit: unde ad hæc verba perventum est, ut de eadem massa & diversis vasis, & de potestate figuli diceretur.

CXXVII. Jul. *Tu autem qui suprà dixeras, omnes ire in condemnationem, quæ testimonium fronte posuisti, quo pronuntiatur ire alius in honorem, alius in contumeliam?*

Aug. Sed gratia liberat à totius massæ damnatione quos liberat; quam vos negando, estis hæretici. Quantum enim pertinet ad originis meritum, ex uno omnes in condemnationem (Rom. 5. 16.): quantum autem ad gratiam, quæ non secundùm merita datur, quicumque ab ista condemnatione liberantur, dicuntur vasa misericordiæ (Vasa misericordiæ.): qui verò non liberantur, ira Dei manet super eos (Johan. 3. 36.), veniens de justo judicio Dei; quod non ideo vituperabile, quia inscrutabile est: & propterea vasa iræ nuncupantur (Vasa iræ cur nuncupantur.), quia & his bene utitur Deus, ut notas faciat divitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ (Rom. 9. 23.). Quod enim Deo judicante à ceteris exigitur, hoc istis eo miserante donatur: quas investigabiles vias Domini si æstimas improbandas, audi, O homo tu quis es, [c] qui respondeas Deo? (Ibidem 20.)

CXXVIII. Jul. *Nihil enim ita pugnat, quàm dicere, omnes, & non omnes. Tu dicis, à figulo Deo omnes fieri in condemnationem: Apostolus dicit, non omnes in condemnationem, nec omnes in honorem; quod in loco suo, quid habeat dignitatis absolvam. In ipsa tamen pronuntiatione sententiæ, constat inter vos magnam esse discordiam, nec eumdem esse figulum in condemnationem cuncta fingentem, quem Paulus dicat in honorem alios fabricantem: nec te illi credere, qui à magistro admirabili prædicatur; quoniam tuus figulus omnes in condemnationem fingit, Apostoli figulus plurimos fingit in gloriam.*

Quomodo dicuntur omnes ex uno in condemnationem.

Aug. Cùm dicuntur omnes ex uno in condemnationem, ipsa massa significatur, ex qua fiunt à figulo alia vasa in honorem, id est, quæ assumuntur in gratiam, alia in contumeliam, id est, quæ ad luendum debitum relinquuntur; ut filii gratiæ id sibi donari sciant, quod si exigeretur, non esset injustum; ac sic non in se ipsis, sed in Domino glorientur. (1 Cor. 1. 31.)

CXXIX. Jul. *Et hæc quidem dixerim, ut statim appareret, te esse aut imperitiæ aut impudentiæ singularis, qui tuorum vice, contrariis utereris: ceterùm pietas explanabit & ratio, Deum meum neminem in contumeliam formare.*

Aug. Si deus tuus in contumeliam neminem format, non est ipse Pauli apostoli Deus: ille quippe de Deo vero dicebat (Rom 9. 20. & 21.), O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? Sed tu videlicet artifex magnus profers ex officina Pelagiana meliorem deum, qui nullum vas facit in contumeliam.

[a] Editi, *In primordio.* MS. Port. *In primordia*: ut apud Ambrosium, nec non suprà in lib. 1 cont. Jul. c. 3.

[b] Sic MSS. At editi, *in condemnatione.*

[c] In Marianensi codice repetitur, *quis es.*

CXXX. Jul. *Sed imaginem suam, id est, omnes homines bonos condere, qui etiam demolitos studiorum pravitate, reformare remediorum desiderat largitate. Ipsi quidem cantat Ecclesia misericordiam & judicium;* (Psal. 100. 1.) *quia & illis est benignus qui nihil deliquerunt, & justo punit judicio eos qui boni à Deo conditi* [a] *suapte voluntate peccarunt, ac misericordiæ subsidia respuerunt. Hanc igitur misericordiam, & hoc judicium cantat Ecclesia catholicorum: ceterùm in vestra nihil potest tale resonare, quæ dicit sine justitia, sine judicio, sine misericordia, Deum conditorem malorum, formare quos puniat; atque ob hoc punire, quòd eos ex Adam ipse formaverit.*

(Inscrutabile cur Deus de stirpe damnata creet homines qui futuri sunt damnandi.)

Aug. Jam quidem tibi superiùs ad omnia ista responsum est: tamen & hîc breviter audi. Non abstinet Deus bonum formationis suæ etiam ab stirpe damnata: sed si tibi displicet, Deum creare quos damnet; contradic ei, si potes, ne creet eos, quos malos futuros, & in malignitate usque in finem perseveraturos, & ob hoc sine dubitatione damnandos esse præscivit: aut ei suggere, si videtur, ut tot millia parvulorum non baptizatorum, quos novit perditè esse victuros, & in æternum ignem, damnante ipso, cum diabolo ituros, rapiat ex hac vita, dum sunt innocentes & boni; ut si non in regno ejus, certè in loco aliquo secundæ felicitatis, quem talibus ædificavit hæresis vestra, vitam teneant sempiternam. (Locus secundæ felicitatis parvulis non baptizatis ædificatus à Pelagianis.) Habes adhuc quod suggeras consiliarius Dei, pro filiis ejus quos regeneravit, quos adoptavit, & tamen malos atque damnandos futuros esse prævidit: ut ante quàm veniant in ream vitam, vitæ ipsius productione priventur, & ad regnum ejus, non ad supplicia æterna pertineant. Cùm enim te invidiosè dicere putaveris, Deum creare quos damnet; cogita quanto invidiosiùs possit dicere alius similiter vanus, Deum regenerare quos damnet: cùm sit in ejus [b] omnipotentiæ potestate, ante quàm damnabiles fiant, eos de tentationibus mortalis vitæ hujus auferre. Si autem non potes ista dicere, nec Deo contradicere, nec illius sapientiæ tuum præbere consilium; (Rom. 11. 34.) quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? desine nobis introducere alterum figulum, qui non facit vasa in contumeliam; & ab isto qui ea facit reprehendendo cohibe te: & agnosce [c] te; quia ut non te implices hoc sacrilegio, ideo tibi dicit Apostolus, (Rom. 9. 20.) O homo tu quis es, qui respondeas Deo?

CXXXI. (Apostoli Pelagiana interpretatio.) Jul. *Sed jam Apostolicæ sententiæ dignitas asseratur, ne putetur vel de aliquibus hoc sensisse, quod tu de omnibus æstimasti. Apostolus itaque Paulus disputans cum* [d] *quæstionibus Judæorum, qui generis sui dignitate turgentes, dedignabantur coæquari sibi ex gentibus fideles, & justitiam Dei commendat, & gratiam, disputans ad* [e] *earum munificentiam pertinere, quòd & primò Judæos nobilitaverat legis agnitio, & quòd deinceps etiam gentes adsciverat Christi prædicatio. Vnus enim utriusque populi conditor judicaturus & illos per legem, & istos sine le-* A *ge,* [f] *& istos in lege;* (Rom. 3. 29.) *quia non erat Judæorum Deus tantùm, sed etiam gentium, reddens suum unicuique sine fraude, sine gratia, id est, sine cujusquam acceptione personæ, (quod exprimit nomen gratiæ in definitione justitiæ,) ita de semine venientes Abraham, cùm nequiter vivunt, jure condemnat, ac de sua hereditate proturbat, sicut etiam gentiles in simili operatione deprehensos; & è regione, utriusque populi bonas voluntates & veram fidem probitatemque actionum donat gaudiis sempiternis.* B *Comprimit igitur gentium magister Judæorum tumorem, & ostendit non in seminibus humani generis, sed in moribus esse distantiam; ut se illi agnoscerent, nisi fideles esse curassent, nullà prærogativà circumcisi generis vindicandos: si quidem Jacob & Esaü una seminis exceptione concepti, & una vi parientis effusi, diversos nimiùm exitus pro meritorum diversitate pertulerint.*

Aug. Si secundùm Apostolum saperes, non commemorares hoc loco merita Jacob, ubi eum C dicit ille non ex operibus fuisse dilectum; (Rom. 9. 11.) ut gratiam commendet, quæ non secundùm merita nostra datur: alioquin merces non imputatur, (Rom. 4. 4.) sicut ipse dicit, secundùm gratiam, sed secundùm debitum. (Gratia non debita.) Quibus verbis quid ostendit, nisi gratiam non esse debitam, sed gratuitam? Hanc itaque commendabat, ubi dicebat: Cùm enim (Rom. 9. 11. &c.) nondum nati essent, neque egissent aliquid boni aut mali, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante D dictum est, quia major serviet minori. Clara sunt quæ obscurare conaris: fumos tolle, Scripturarum lumen adtende. Gratia quippe hominem prævenit, ut diligat Deum, qua dilectione operetur bona. (Gratia præcedit opera bona.) Quod & Johannes apostolus apertissimè ostendit, ubi ait, Nos diligamus, quoniam prior dilexit nos. (1. Iohan. 4. 19.) Non ergo [g] diligimus, quia dileximus; sed quia dilecti sumus diligamus.

CXXXII. Jul. *Esaü enim profanus & fornicator, propter unam escam vendens primitiva sua,* (Hebr. 12. 16.) *quæsivit benedictionem quam* E [h] *spreverat, nec adeptus est, quamquam eam cum lacrymis poposcisset: Jacob autem quietus & mitis, obediens parentum præceptis, & sanctificationum appetentissimus, ad hoc usque* [i] *provectus est, ut sicut Abrahæ & Isaac, ita etiam & Jacob Deus in sancto populo diceretur. Cùm igitur omnibus constaret exemplis, Deum justo judicio bonis mentibus in quacumque gente suam misericordiam non negare, malas verò mentes nulla sinere stirpis nobilitate defendi; intelligerent Judæi, gentium fidem* F *à se despici non debere: quia sicut non patrocinatur Israëlitarum* [k] *stemma criminibus, ita etiam nullo impedimento est gentium origo virtutibus. Hoc ergo totum agens conflictu illo Apostolus; in quibusdam tamen locis, ad incurvandam circumcisorum arrogantiam, sub nomine gratiæ de sola Dei præjudicat potestate.*

Aug. Ergo ad incurvandam circumcisorum arrogantiam, sub nomine gratiæ mentitur Apostolus: nam Deus ex operibus [l] eligit, non ex (Electio non ex operibus.)

[a] MSS. Mar. Port. & Clar. *suadente voluntate.*
[b] MS. Port. *omnipotenti potestate.*
[c] In editis hîc omissum *te.* Restituitur ex MSS.
[d] Vignerius pro *cum quæstionibus*, frustra correxit, *cum quibusdam.* Nam respicit Julianus in quæstiones, quæ ab Apostolo diluuntur in epistola ad Romanos.
[e] Editi, *eorum.* At MSS. *earum*: justitiæ scilicet & gratiæ Dei.
[f] Hîc ex MSS. adjicimus, *& istos in lege.*

[g] Sic MSS. Clar. & Mar. At editi, *Non ergo diligimus, quia dileximus; sed quia dilecti sumus, diligimus.*
[h] Editi, *speraverat.* Castigantur ex MSS.
[i] Ita in MSS. At in editis, *profectus est.*
[k] Marianensis MS. *stegma.* Sic suprà, n. 5. pro *stemmate*, præferebat, *stegmate.*
[l] Sic MSS. Mar. & Clar. Editi verò, *elegit.*

gratia. Quis ita sapiat, nisi hæreticus inimicus A gratiæ, amicus superbiæ? Clamat vas electionis, & gratiæ, qua talis factus est, prædicator, non ex operibus dilectum esse Jacob: & tu commemoras opera Jacob, ex quibus eum dilectum esse contendis: & hoc faciens, mihi te existimas contradicere, cùm sis novus Antichristus, eique apertissimè contradicas in quo locutus est Christus.

Rom. 9. 12. — *2. Cor. 13. 3.*

CXXXIII Pelagiana expositio Apostoli.

Jul. *Ut illis in cerimoniarum & hostiarum observatione gloriantibus, perque hoc æstimantibus* B *alias nationes nullis legis ritibus consecratas ad consortium sui nec posse admitti subitò, nec debere, diceret, quia etsi in illis observationibus fuisset summa justitiæ, haberet tamen in potestate sua Deus, quamdam facere populorum commutationem, ut rejiceret quos vellet, & quos vellet assumeret. Cui sensui respondet* [a] *sub persona Judæorum, nihil debere jam exigi ab hominis voluntate; quando quidem Deus, cujus vult miseretur, & quem vult obdurat. Ad quod refert Apostolus, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Et infert testimonium prophetæ Isaiæ,* C
» *Numquid dicit, inquit, figmentum ei qui se finxit,*
» *Ut quid me fecisti sic? Additque de suo: Aut non ha-*
» *bet potestatem figulus luti ex eadem massa facere*
» *aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? Et est sensus ejusmodi: Quia ego commendavi voluntatem Dei, auctoritatemque gratiæ ejus exposui, dicens, quòd misericordiam præstaret, cujuscumque misertus fuisset; tu mihi ò Judæe calumniam concitasti, quasi commendatio prolata à me voluntatis & potestatis* D *divinæ ad excidium justitiæ illius pertineret: & quia dixi, Facit quod vult; argumentatus es nihil jam reposci ab hominis voluntate debere, si Deus totum pro sua faceret voluntate; cùm personæ dignitas locum excluserit quæstionis. Nam si dixissem, Facit Deus quod debet secundùm justitiæ suæ leges,* [b] *quæ de meritis judicat singulorum; nihil quale nunc objicis, utique retulisses: nunc verò quia dixi, Facit Deus quod vult; putasti aliquid me furatum esse de justitiæ dignitate. Utrumque igitur idem est. Nam* E *cùm de Deo dico, Facit quod vult; nihil aliud dico, quàm, Facit quod debet: quia scio eum nihil aliud velle quàm debet. Ubi ergo inseparabiliter voluntas cohæret æquitati, quamcumque de illis nominavero, utramque signavi.*

Rom. 9. 18. &c.

Supplicium multis non redditur debitum, gratia datur non debita.

Aug. Quomodolibet dicas Deum facere quod debet; gratiam nemini debet, multisque non reddit supplicium, quod malis eorum operibus debet, & largitur gratiam, quam nullis eorum bonis operibus debet. Quid enim debebat F eidem ipsi Paulo, cùm adhuc Saulus persequeretur Ecclesiam? nonne supplicium? Quòd ergo eum emissa voce de cælo prostravit, quòd excæcavit, quòd ad fidem percipiendam quam vastabat, tam violenter adtraxit, procul dubio secundùm gratiam non secundùm debitum fecit, ut in eis esset reliquiis populi Israël, de quibus dicit: Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ per
» electionem gratiæ [c] factæ sunt; si autem gratia,
» jam non ex operibus, alioquin gratia jam non G
est gratia. Quid debebat etiam illis nisi suppli-

Act. 9. — *Rom. 11. 5. & 6.*

cium, quibus dicit, [d] Non propter vos ego fa- «
cio, domus Israël, sed propter nomen meum «
sanctum, quod profanastis in gentibus? Facere «
ergo se dicit bona eorum in ipsis; sed propter nomen suum quod profanaverunt, non propter ipsos qui profanaverunt: nam propter ipsos si facere vellet, supplicium illis debitum redderet, non gratiam donaret indebitam. Quod enim se facturum dicit, ad hoc pertinet ut [e] bona faciant, non quia boni erant qui profanaverunt nomen sanctum ejus. Denique apertissimè dicit, eos bona esse facturos; sed se faciente ut ea faciant: ait quippe inter cetera, Et faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea «
observetis & faciatis. His certè operibus merces imputatur secundùm debitum: * debetur enim merces, si fiant; sed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant. Debetur, inquam, bona merces operibus hominum bonis: sed non debetur gratia, quæ ipsos homines bonos operatur ex malis.

Ezech. 36. 22. — *Ibidem 27.* — ** Arausic. 2. concil. can. 18. & Prosp. sent. 297.*

Postremò qui facere Deum dixisti quod debet, & altâ cervice humana merita ventilasti, dic quæso, quibus meritis parvulorum debeat regnum cælorum. Dicturus es fortè, debere hoc eum gratiæ suæ, qua opitulante renati sunt. Popter hanc enim acceptam jam venire in ejus regnum merentur: sed ipsam gratiam, quam regenerandis exhibet, nullis eorum omnino meritis debet. Propterea Pelagius vester in episcopali judicio Palæstino, eos qui dicunt gratiam Dei secundùm merita nostra dari, ne ipse damnaretur, damnare compulsus est: ubi & te ipsum, [f] & se ipsum, qui hoc dicere non desistitis, sine dubitatione damnavit. Istam gratiam, verè gratiam, id est, gratuitam, nullisque meritis præcedentibus debitam, commendabat Apostolus, quando dicebat: Cùm enim nondum nati essent, «
nec aliquid egissent boni aut mali, ut secundùm «
electionem propositum Dei maneret. Hæc est «
electio, de qua & illud dicitur: Reliquiæ per ele- «
ctionem gratiæ factæ sunt; si autem gratia, jam «
non ex operibus, alioquin gratia jam non est «
gratia. Unde & hîc, cùm dixisset, ut per electionem propositum Dei maneret; continuò subdidit, Non ex operibus, sed ex vocante dictum «
est, quia major serviet minori. Contra istam veritatis tubam reclamas, & dicis, *Ad incurvandam circumcisorum arrogantiam, sub nomine gratiæ Paulus apostolus de sola Dei præjudicat potestate*: Ubi quid dicis aliud, nisi, Ad incurvandam circumcisorum arrogantiam mentitur Apostolus, dicens non ex operibus dilectum esse Jacob; cùm ex operibus sit dilectus, [g] quia erat *quietus, & mitis, obediens parentum præceptis, & sanctificationum appetentissimus*? Nec intelligis, non ideo quia [h] talis erat, vel talis futurus erat, fuisse dilectum: sed talem, quia dilectus est, factum. Erubesce: non mentitur Apostolus; non ex operibus Jacob dilectus est; si enim gratia, jam non ex operibus: sed gratiâ dilectus, eâdem gratiâ faciente bonis oportuit ut polleret operibus. Par-

Lib. de gestis Pelagii c. 14 & 35. — Gratia verè gratia, quæ nullis meritis debita. — *Rom. 9. 11.* — *Rom. 11. 5. & 6.* — *Rom. 9. 12. & 13.* — *Suprà n. 131.*

[a] Particula *sub* abest à MS. Mar.
[b] MS. Mar, *qui*.
[c] Vignerius, & tres MSS. *salvæ factæ sunt*. Menardus præterit *salvæ*, juxta Græc.
[d] Hîc ex MSS. restituimus *Non propter vos*.
[e] Sic MSS. Mar. Clar. & Port. At editi, *ut boni fiant*.
[f] Vignerius *& ipsum* habebat, pro *& se ipsum*. Menardus id omiserat; & consequenter loco *desistitis*, posuerat *desistis*. Emendati sunt ex MSS. Clar. Port. & Mar.
[g] Sic MSS. Editi verò, *qui erat*.
[h] Codex Mar. præterit, *talis erat, vel*.

ce animæ tuæ, noli esse inimicus huic gratiæ.

CXXXIV Jul. *Ergo superbia illa quæ volebat otiari, & desidiam suam ob id colore necessitatis obnubere, ut in susceptione gentium* [a] *reclamaret Evangelio; audit quoniam etsi sic esset quomodo tu commentaris, tamen supplicare Deo, non seditionem excitare deberes: quibus verbis nequitiam retundit hominis, qui diversitatem meritorum ex voluntatis qualitate venientem, aucupans elocutionis ambiguum, ideo necessitati divinæ conabatur adscribere, ut assereret necesse esse alterum de duobus, id est, aut gentes ad promissionis* B *non venire consortium, aut si hoc liceret Deo, exstingui officia liberæ voluntatis. Verùm quia id non sufficiebat negotio; neque enim à tali magistro, sicut commendabatur auctoritas Dei, ita erat indefensa relinquenda justitia: subdit consequentissimè, vasa quæ in contumelia & quæ in honore fiunt, habere hoc de propriæ stipendio voluntatis.* (Rom. 9. 22. &c.) *» Si enim Deus » volens ostendere iram, & notam facere potentiam » suam in multa patientia, in vasis iræ, consummatis » in perditionem. Et ut notas faceret, inquit, divitias* C *» gloriæ suæ in vasis misericordiæ, quæ præparavit in » gloriam, quos & vocavit nos, non solùm ex Judæis, » sed etiam ex gentibus. Certè hìc absolvit, quod superior conflictus operuerat, non inferri à Deo iram nisi his vasis quæ ad perditionem consummata fuerint; gloriam autem dari his quæ ad hoc fuerint præparata. A quo autem vasa hujusmodi in susceptionem horum quæ diximus præparentur, ipsius Apostoli sermo patefecit.* (2. Tim. 2. 20. & 21.) *» In magna, inquit, domo, non » sunt tantummodo vasa aurea & argentea, sed &* D *» lignea & fictilia; alia quidem in honorem, alia in » contumeliam. Si ergo mundaverit quis semetipsum » ab his, erit vas in honorem sanctificatum, utile Do- » mino, ad omne opus bonum paratum.*

(Quomodo & Deus præparat hominis voluntatē, & homo se ipse præparat.) Aug. Ergo ipsa vasa ita se præparant, ut frustra de Deo dictum sit, quæ præparavit in gloriam? Hoc enim apertissimè dicis: nec intelligis ita dictum esse, Si quis mundaverit semetipsum, ut ostenderetur & opus hominis per voluntatem: sed ingrate homo, præparatur voluntas à Domi- E no (Prov. 8. sec. LXX.); ideo utrumque verum est, & quia Deus præparat vasa in gloriam, & quia ipsa se præparant. (Ut faciat homo, Deus facit prior.) Ut enim faciat homo, Deus facit; quia ut diligat homo, Deus prior diligit. Lege Ezechielem prophetam, unde quod satis visum est suprà (Suprà n. 133.) commemoravi: ista etiam verba reperies, id est, Deum facere ut præcepta ejus homines faciant, quorum miseretur, non propter merita eorum, quæ mala ibi esse commemorat, sed propter nomen suum; ut Deo sine meritis eorum F faciente ut faciant præcepta ejus, incipiant merita bonorum habere factorum. Hæc est gratia quam negatis, non ex operibus quæ fiunt, sed ut fiant.

CXXXV. (2. Tim. 2. 21.) Jul. *Ecce officium liberæ voluntatis, Si, inquit, mundaverit quis semetipsum à societate vasorum vilium, (quo nomine vitia denotantur,) erit vas in honorem sanctificatum, utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Hæc igitur vasa, studiis propriis,* G *aut ad iram, aut ad gloriam præparantur: Deus autem notam facit potentiam suam in utroque, vel severitatem in impios exserendo, vel benedictionem fidelibus largiendo. Apparuit itaque, hanc sententiam egregii præceptoris, nec Manichæis opem sensibus adtulisse, & è diverso nos consequenter armasse.*

Aug. Quid calumniaris, quid falsò criminaris, nec quos & quales Ecclesiæ doctores crimineris adtendis? Non cujusquam Manichæi, sed sancti Ambrosii verbis tibi respondeo: Deus quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit. (Lib. 7. in Luc c. 9. v. 58.) Hoc in veritate facit, hoc in veritate scripturarum divinarum intellexit Ambrosius: sed judicium, cùm alios facit, & alios non facit, occultum est. Propter quod dicitur homini [b] per hominem, sed non ab homine. « O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? (Rom. 9. 20. & 21.) Aufer tuas nebulas ab istorum serenitate verborum, quibus Dei quidem judicium significatur occultum; sed ipsa tam clara sunt, ut se tua caligine obumbrari obscurarique non sinant.

Jul. *Ac per hoc & tibi vehementer obnixa est, dicens, non omnes fingi in condemnationem, in quam tu omnes ire pronuntias. Absurdissimè autem argumentari soles, ut dicas, Sed hi non finguntur in condemnationem, qui postea liberantur: cùm nec sic possit sermonis apostolici tibi vel superficies convenire. Nam cùm dicis tu, Omnes in condemnationem creantur lege nascendi, sed aliqui inde, licèt perexigui, mysteriis liberantur; non hoc asseris quod ille, qui non solùm de condemnatis* [c] *liberari prædicat, verùm non omnes in condemnationem fingi, sed alios in contumeliam, alios in honorem.* CXXXVI.

Aug. Ubi dixit Apostolus, Ex uno omnes in condemnationem (Rom. 5. 16.); ipsam massam demonstravit, quæ tota vitiata ex Adam fluxit (Massa tota vitiata.): ubi autem dicit, ex illa fieri vasa in honorem (Rom. 9. 21.), gratiam commendat, qua homines quos creat, etiam liberat; ubi verò, ex illa fieri vasa in contumeliam, judicium ostendit, quo homines, quamvis creet, non tamen liberat. (Ex eadem massa alii gratiâ liberati, alii judicio nō liberati.) Quod etiam vos de parvulis cogimini confiteri, quorum certè omnium unam esse massam non potestis negare, qualemlibet eam putetis: ex qua tamen alios in Dei regnum adoptari fatemini, quos procul dubio vasa in honorem facta conceditis; alios verò non adoptari, quos facta vasa in contumeliam, nisi intelligenter consentiatis, impudenter negatis. Neque enim, si non est ista pœna damnationis, sicut vultis, non erit saltem contumelia imaginis Dei, separari à regno Dei. (Imaginis Dei contumelia est, separari à regno Dei.) Sed vos si illam [d] perseveranter negabitis gratiam, ad hoc judicium vos pertinere monstrabitis: quod utique in parvulis injustum esset, si peccatum originale non esset.

Jul. *Quod ut claruit Apostolum dixisse de moribus, ita apparet quantâ testimoniorum Legis inopiâ labores, qui ab his sententiis contra fulmina rationis opem petis, quæ tibi dedignantur, immo naturâ* [e] *sui subvenire non possunt.* CXXXVII.

Aug. Contra Apostolum dicentem, ex eadem massa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam Deum facere; nec dicentem, aliud nec in honorem, nec in contumeliam, quod utique diceret, si hoc quod vos [f] de parvulis crederet: (Nati ex Adamo aut in honorē sunt, aut in contumeliam.)

[a] Sic MSS. At editi, *reclamare Evangelio auderet, quoniam.*
[b] Hîc veterum librorum auctoritate addimus, *per hominem, sed.*
[c] MSS. Clar. & Mar. *liberatis.*
[d] Editi, *perseverantem.* MSS. *perseveranter.*
[e] Sic MSS. Vignerius verò, *naturâ suâ obvenire.*
[f] Hîc editi addunt, *dicitis.*

contra hunc ergo divinitus intonantem non est fulminea ratio vestra, sed fumea.

CXXXVIII. Jul. *Et hæc quidem quantùm spectat ad testimonium Apostoli disputata sunt. Ceterùm in Isaia, unde ipsam sententiam Paulus assumsit, in tantum non deterret Deus rationabilem creaturam à sui consideratione judicii, ut sicut per eumdem Prophetam dixerat, Quiescite agere perversè, discite bene facere, subvenite oppresso, & venite, arguite me, dicit Dominus: ita etiam hic, ne quid potestate solâ, non justitiâ videretur fecisse, dispensationum suarum dignatur aperire rationem. Afflicto enim in captivitate populo Judæorum redemtionis adpropiare tempus, quo ad terram suam reverterentur, annuntiat; & caussam vel præcedentium angorum referat, vel instantium gaudiorum. Epuletur, inquit, cælum de super, & nubes spargant justitiam; oriatur ex terra misericordia, & justitia oriatur simul. Ego sum Dominus Deus qui creavi te, faciens meliorem, præparavi te sicut lutum figuli. Numquid qui arat, arabit terram per omnem diem? Numquid dicit lutum figulo, Quid facis, quia non operaris, quia non habes manus? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Sapienter me finxisti? vel qui dicit patri, Quid generabis; & matri, Quid parturies? Quia sic dicit Dominus Deus Israël sanctus qui fecit futura: Interrogate me pro filiis meis & filiabus, & pro operibus manuum mearum mandate mihi; ego feci terram & hominem super eam; ego manu mea firmavi cælum; ego omnibus sideribus mandavi: ego levavi cum justitia regem, & omnes viæ ejus rectæ; hic ædificabit civitatem meam, & captivitatem populi mei reducet, non cum præmio, nec cum muneribus, dixit Dominus Sabaoth.*

Isai. 1. 16. &c.

Isai. 45. 8 &c.

Aug. Si intelligeres verba Prophetæ, intelligeres ibi regem, de quo dictum est, Ego levavi cum justitia regem, & omnes viæ ejus rectæ, hunc esse mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum: sed intelligeres ut intelligendus est. Neque enim audebis eum dicere præcedentibus operum meritis Filium Dei factum ab initio, id est, à virginis utero. Quâ ergo gratiâ homo ille ab initio factus est bonus, eâdem gratiâ homines qui sunt membra ejus ex malis fiunt boni. Quid enim dicatis de Christo secundùm hominem, non invenitis, id est, secundùm id quod Verbum caro factum est: quod ille qui Deus erat, & Deus mansit & homo factus est; quod ipse homo numquam ita fuit homo, ut non esset unigenitus Dei Filius, propter unigenitum Verbum. Neque enim ut hoc esset, morum suorum de propria voluntate venientium meritis comparavit: sed, sicut verum dixit Ambrosius, quasi de Spiritu natus abstinuit à delicto. Alioquin secundùm vos, multi essent tales, si esse voluissent; atque [a] ut ille talis non nisi unus esset, in potestate hominum fuit, qui tales esse noluerunt: quæ si adtenditis quantâ impietate dicantur, vel tacitâ cogitatione credantur; sicut agnoscitis Unigeniti naturam, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; agnoscite & gratiam, quod Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ille igitur quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit, qui hominem quem voluit, unum sine ullis humanæ voluntatis præcedentibus meritis mediatorem Dei & hominum fecit.

Homo Christus nullis operum meritis factus Dei filius.

Quâ ille gratiâ ab initio bonus, eâdem alii ex malis boni.

Iohan. 1. 14.

Ambros. in Isai. V. suprà lib. 1. de Nupt. c. 35.

[a] Ex Pelagiano dogmate quæ sequatur impietas contra gratiam Christo propriam.

Iohan. 1. 1.

Ibid. 14.

Ambros. lib. 7. in Luc. c. 9. v. 58.

CXXXIX Jul. *In hoc igitur loco hic sensus, quantum spectat ad historiam, continetur, ut Deus loquatur ad populum: Quia nec odio vos in captivitatem tradidi, nec nunc oblivione judicii de vinculis Babylonicæ captivitatis exemi; sed ego, quantum in me est, paratus jugi vos benevolentiâ confovere, justitiæ meæ tamen debui, ut & delinquentes hostibus traderem, & recrearem liberaremque vexatos. Sicut enim rusticandi gnarus non semper uno imminet operi, ut solis findat arva dentalibus; sed diverso genere votivæ fertilitati rura componit: ita etiam ego dispensationum vices vario, ut tum pressuris, tum consolationibus voluntatem vestram frugibus possim aptare justitiæ. Denique ut intelligatis quanta æquitate agam vobiscum, possem mussitationes vestras pro potestate despicere, ut sicut figulo figmentum suum dicere non potest, Quid fecisti? ita etiam vobis silentii pondus imponerem: tamen contra hæc exempla provoco vos, ut pro filiis meis & filiabus, id est, pro vobis & operibus manuum mearum me interrogetis, & discatis, totum me justè, nec quidquam umquam fecisse crudeliter.*

Aug. Quod vis dicis, non quod dixit Isaias: ille gratiam loquitur, contra quam tu loqueris.

CXL. Jul. *Et à Propheta ergo, & ab Apostolo, in exemplum adductus est figulus, nihil aliud præbiturus, quàm comparationis officium; non tamen ut tam viles apud Deum esse homines indicentur, quàm argilla est in fornace & orbe figulorum. Absoluta hac expositione quam præmisimus, admonemus secundùm interpretationem recentem in eodem loco aliud relucere. Rorate, inquit, cæli de super, & nubes pluant justum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem; & justitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum. Væ qui contradicit factori suo, testa de samiis terræ: numquid dicit lutum figulo suo, Quid facis? & opus tuum absque manibus est? Quibus verbis etsi secundùm historiam Cyrus rex, secundùm prophetiam tamen incarnatio Salvatoris exprimitur; qui quoniam erat de virgine nasciturus, Judæorum & omnium infidelium obstinatio convenitur, ne sint signis fidelibus perduelles. Cùm enim præmisisset, Aperiatur terra, & germinet Salvatorem, & justitia oriatur simul: ego Dominus, inquit, creavi eum.*

Isaia 45. 8. &c.

Aug. Dic mihi quibus operibus hoc meruit homo Christus Jesus; & quâ justitiâ Dei solus hoc meruerit, [b] aude garrire; aut si non audes, tandem gratiam sine meritis confitere, non solùm remittentem peccata homini, verùm etiam in natura humana justitiam sancto Spiritu facientem. Non enim & homini Christo gratia peccata dimisit, aut non eum gratia talem fecit, ut ab initio semper esset bonus, sicut ab initio semper Dei Filius. Prorsus, sicut admoniti sunt, qui in eremo serpentum morsibus lethaliter vexabantur, ut illum qui in signo exaltatus fuerat, adtenderent, ne perirent: ita sunt admonendi, qui vestris disputationibus venenantur, ut Christum adtendant, & in illius hominis mediatoris justitia gratiam sine meritis videant,

Non ex meritis, sed ex gratia homo Christus est ab initio suo Dei filius.

Adspectus Christi contra morsum serpentum, metaphoricè in hæresim Pelagianam.

Num. 21. 9.

[a] Menardus, *atque ut illos tales.* Vignerius, *atque utique tales.* Emendantur ex MSS. fide.

[b] Sic MSS. Editi verò, *audes.*

Gratia ſine meritis in hominis Chriſti juſtitia, exemplum eſt gratiæ qua nos juſtificamur.

videant, unde à ſe veſtri oris virus excludant. Denique in verbis Prophetæ, etiam ſecundùm recentem interpretationem quam commemoraſti, ubi evidentiùs prophetatus eſt Chriſtus, non inde aſſumſiſti unde diſputares, niſi quòd ex virgine natus eſt, quia dictum eſt, Aperiatur terra, & germinet Salvatorem: de juſtitia verò ejus, quæ hîc pariter prænuntiata eſt, nihil dicere voluiſti; cùm tu verba ipſa prophetica propoſueris, ubi » ait, Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum; » aperiatur terra, & germinet Salvatorem, & juſti» tia oriatur ſimul. Dic mihi quem juſtum nubes pluerunt, niſi quia Prophetæ & Apoſtoli Chriſtum prædicaverunt, qui ex ipſo virginis utero cum juſtitia natus eſt? Unde cùm dictum eſſet, Aperiatur terra, & germinet Salvatorem: mox additum eſt, & juſtitia oriatur ſimul. Ac per hoc, [a] eâ gratiâ fiunt juſti homines qui renaſcuntur in Chriſto, quâ gratiâ juſtus homo natus eſt Chriſtus. Sicut ergo exemplum eſt vitæ, ut eum imitando juſtè agamus: ita eſt etiam exemplum gratiæ, ut in eum credendo inde nos fieri ſperemus juſtos per [b] ipſum, unde factus eſt ipſe, qui fa- *1. Cor. 1. 30. & 31.* » ctus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſan» ctificatio, & redemtio; ut quemadmodum ſcri» ptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur. Quoſcumque itaque dente mortifero [c] momordiſtis, hunc juſtum intueantur, & ſanabuntur: hoc eſt, inde ſe credant accipere juſtitiam, unde Chriſto eſt innata juſtitia; & ideo non in ſuo arbitrio, nec in ſuo merito, ſed in Domino glorientur.

CXLI. Jul. *Antè terra aperitur in germen, quàm operâ colentis ſemen accipiat: quod in puerperio virginis approbatur, quæ munere matris officium prævenit & excluſit uxoris. Quod ergo in uſu non erat, id facturum ſe Deus omnipotens pollicetur; & addit, prævidens infidelium multitudinem: Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de ſamiis terræ. Id eſt, væ his qui Deo promittente, fetam fieri virginem non potuiſſe contendunt: cúmque ipſi totidem licèt de ſeminibus à Deo inſtitutis, tamen interveniente Dei potentiâ, in viſceribus fingantur maternis, obſtipo ſtudio affirmant, nequiviſſe carnem ſine miniſterio viri ex carne virginis fabricari. Tale eſt igitur quod vos, ô pervicaces, non putatis me id facere potuiſſe, ac mihi de rei difficultate præſcribitis, cùm vos ipſos manibus meis conſtet effectos; quale, ſi lutum figulo ſuo, cùm ab eo tractatur, diceret, Non habes manus; quibus tunc in vas aliquod formabatur. Ita ergo & vos, qui inquiritis quis filium virgini dederit ſine viri ſemine, cognoſcite eumdem eſſe qui vos fecit ex ſemine. Sed jam quoniam ſcripturis ſanctis expoſitio varia licèt, utraque tamen pia & religioſa concinuit, primus terminetur liber: ſuo tamen fine commonens, ut opifex naſcentium Deus credatur, innocentium tutor, catholicorum remunerator, Manichæorumque damnator.* [d]

Ibid. & ſeqq. Rom. 9.

Aug. Ut ſciant, qui intelligenter legunt, quemadmodum conatus fueris verba apoſtolica obnubilare clara, & recta pervertere, huic diſputationi tuæ ex eadem oportet Apoſtoli diſputatione reſpondeam. Volens igitur beatus Paulus

A oſtendere, quòd ea quæ promiſit Deus, potens eſt & facere; ubi maximè gratia commendatur, cujus eſtis inimici: neque enim in poteſtate hominum eſt, ut Deus impleat quæ promiſit, & non in ipſius qui promiſit: volens ergo id oſtendere, Non poteſt, inquit, excidere verbum Dei: *Rom. 9. 6. & c.* non enim omnes qui ex Iſraël, hi ſunt Iſraël; ne« que [e] quia ſunt ſemen Abraham, omnes filii; « ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen: hoc eſt, non « hi qui filii carnis, hi filii Dei, ſed filii promiſſio« B nis deputantur in ſemen. Promiſſionis enim ver« bum hoc eſt, Ad hoc tempus veniam, & erit Saræ « filius. Tene in mente filios promiſſionis, quo- *Rom. 4. 21.* niam qui promiſit potens eſt & facere. Non ſolùm *Rom 9. 10. & c.* autem, inquit, ſed & Rebecca ex uno concubi« tu habens Iſaac, patris noſtri: cùm enim non« dum nati fuiſſent, aut aliquid egiſſent boni vel « mali, ut ſecundùm electionem propoſitum Dei « maneret, non ex operibus, ſed ex vocante di« ctum eſt, quia major ſerviet minori. Et hîc « C tene in mente electionem non ex operibus, quam quodam modo expoſuit Propheta poſterior; quod ſubjungens Apoſtolus ait, Sicut ſcri- *Ibid. 13.* ptum eſt, Jacob dilexi, Eſaü autem odio ha- *Malac. 1. 2.* bui.

Hîc occurrit quæſtio, quæ perturbare poſſet non intelligentes altitudinem gratiæ: eamque ſibi ipſe proponens, ait, Quid ergo dicemus, *Rom. 9. 14. & c.* numquid iniquitas eſt apud Deum? abſit. Et ut doceret quod dixit, abſit: * Moyſes enim, inquit, ** f. Moyſi.* D dicit, Miſerebor cui miſertus ero, & miſericor« diam præſtabo cui miſericors fuero. Igitur non « volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. « Hoc ſi adtenderes, non extolleres contra gra- *Beda & Florus.* tiam merita voluntatis: ubi audis, Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Non ergo ideo miſertus eſt Deus, quia voluit & cucurrit Jacob; ſed ideo voluit & cucurrit Jacob, quia miſertus eſt Deus. Paratur enim *Prov. 8.* voluntas à Domino: & à Domino greſſus homi- *Pſal. 6. 23.* E nis diriguntur, & viam ejus volet. Deinde quia propter Jacob dicta eſt iſta ſententia generalis: Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis *Rom. 9. 16.* eſt Dei: datur etiam exemplum de Pharaone, propter id quod dictum eſt, Eſaü autem odio *Ibidem 13.* habui; & ſubjicitur, Dicit enim Scriptura Pha- *Ibid. 17.* raoni, quia ad hoc te excitavi, ut oſtendam in te « virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum « in univerſa terra. Poſt hæc ad utrumque concluditur: Ergo cujus vult miſeretur, & quem *Ibidem 18.* F vult, obdurat: ſed miſeretur utique ſecundùm gratiam, quæ gratis datur, non meritis redditur; [f] obdurat autem ſecundùm judicium, quod meritis redditur. De maſſa quippe damnata facere vas in honorem, manifeſta eſt gratia: facere autem inde vas in contumeliam, juſtum judicium eſt.

Hinc jam ſubjiciens verba eorum, quibus hoc diſplicet, ait: Dicis itaque mihi, quid adhuc con- *Ibid. 19. & c.* queritur? Nam voluntati ejus quis reſiſtit? Eoſque « G cohibens: O homo, inquit, tu quis es qui reſ« pondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei « qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic? An non habet «

[a] Editi, *Ac per hoc à gratia fiunt.* Caſtigantur ex MSS.
[b] Sic Menard. At Vigner. & MSS. Clar. Mar. Port *per ſpiritum.*
[c] Marianenſis MS. *momordiſti.*
[d] Hoc loco in vetere codice Mar. ante Auguſtini reſponſionem præfigitur, *Explicit liber Iuliani*: quâ notâ finis ſuperioris voluminis indicari ſolet.
[e] MSS. Mar. & Clar. *qui.*
[f] Alterum hoc membrum ſententiæ, *obdurat autem ſecundùm judicium, quod meritis redditur*, ex veterum librorum fide reſtituimus. Id habent etiam Beda & Florus.

potestatem figulus luti, ex eadem massa facere A aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam. Vide si non consonat superioribus suis, & dissentit à tuis: qui putas hoc dictum secundùm merita voluntatum, contra id quod ipse ait, *Ibid. 11 &c.* Cùm enim nondum nati essent, nec aliquid egissent boni vel mali, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet mi- B nori: *Ibid. 16.* & contra id quod ipse ait, Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Nec solùm contra hæc quæ præcesserunt, verùm etiam contra illa quæ subsequuntur. *Ibid. 22. & 23.* Vasa quippe iræ dicit, quæ sunt perfecta in perditionem; quod injustum esset, nisi omnibus ex uno in condemnationem venientibus jam damnata massa esset: & vasa dicit misericordiæ, quæ præparavit in gloriam: ad misericordiam quippe gratuitam, non debitam, pertinet de massâ C damnatâ vasa in gloriam præparare; non solùm ex Judæis, sicut dicit; sed etiam ex Gentibus, propter quod ponit testimonium de Osee propheta, *Rom. 9. 25.* Vocavi non plebem meam, plebem meam; *Ibid. 27.* & de Isaia, Propter Israël reliquiæ salvæ fient. Ut autem essent istæ reliquiæ, gratiâ Dei factum esse testimonio sequente docet, per eumdem Prophetam dicentem, *Isai. 1. 9.* Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen.

Vasa iræ fieri injustum esset, nisi jam esset massa damnata. Beda & Florus ad Rom. 9.

Deinde ostendit Gentes ex fide apprehendisse D justitiam: Israël autem ideo non apprehendisse, quia non ex fide, sed tamquam ex operibus. *Beda & Florus. Rom 9. 30. &c.* Fides enim habet, quod aliquantò pòst dicit: *Rom. 10. 13.* Quoniam omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Ad quam salutem pertinet, ut opera bona [a] & justitia nobis ex Deo sint, non ex nobis. Propter quod, de illis qui non ex fide, sed tamquam ex operibus offenderunt in lapidem offensionis, sequitur, & dicit: *Ibidem 1. &c.* Fratres, bona voluntas quidem cordis mei, & deprecatio ad E Deum pro illis in salutem; testimonium enim perhibeo illis, quia zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam. Ignorantes enim Dei justitiam & suam justitiam quærentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Quod omnino & vos facitis: justitiam quippe vestram vultis constituere, cui Deus secundùm merita retribuat gratiam; nec vultis gratiam Dei præcedere, quæ vos faciat habere justitiam.

Deinde connexa sibimet serie disputationis, ad illud pervenit, ubi ait, *Rom. 11. 1. &c.* Dico ergo, numquid repulit Deus plebem suam? Absit: nam & ego Israëlita sum, ex semine Abraham, ex tribu Benjamin: non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversùs Israël? Domine prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ [b] factæ sunt. Si autem gratia jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Deinde vide quid adjungat: *Ibidem 7.* Quid ergo? inquit, quod quærebat Israël, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est. Sed superiùs respice qualis electio, ubi ait: Reliquiæ per electionem gratiæ factæ sunt: si autem gratia, jam non ex operibus. Et hoc refert ad illud, *Rom. 9. 11.* unde disputatio ista profecta est: Cùm enim nondum nati essent, neque aliquid egissent boni aut mali, ut secundùm electionem propositum Dei maneret; non ex operibus. Hæc est electio gratiæ, non ex operibus, quâ [c] fiunt vasa in honorem, ut bona opera faciant; quia bona opera subsequuntur gratiam, non præcedunt; quoniam gratia Dei facit ut ea faciamus; nec constituamus justitiam nostram, sed Dei justitia sit in nobis, id est, quam donat Deus nobis. *Rom. 11. 7.* Ceteri verò excæcati sunt: hoc est judicium, quo fiunt vasa in contumeliam; ex quo judicio dictum est, Esaü autem odio habui. Ex quo judicio dictum est etiam Pharaoni, Ad hoc te excitavi. Unde apparet vos sic intelligentes, vel potiùs non intelligentes Apostolum, ex operibus contra gratiam velle gloriari, & vestram justitiam volentes constituere, justitiæ Dei non esse subjectos. Nos verò Deum quidem parvulorum opificem prædicamus: sed ex eadem massa medium locum vasis, ubi nec in honorem fiant, nec in contumeliam, quem non dedit Apostolus, non damus; quod vos faciendo evaderetis judicium Dei, si eum tantummodo Manichæorum, & non omnium hæreticorum damnatorem demonstrare possetis.

[a] Editi, *ut opera bona sint, & justitia nobis ex Deo sit.* Castigantur ex fide MS. Port.

[b] Vignerius hìc & infrà in eo Pauli testimonio constanter addit, *salvæ.*

[c] Apud Bedam, *quia fiunt.*

LIBER SECUNDUS.

Refellitur liber Iuliani ad Florum secundus, qui de illis est Apostoli verbis, Rom. 5. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines *&c. Julianum hîc rejecto catholico sensu, (secundùm quem Augustinus in libro 2. de Nuptiis & concupiscentia cap. 27. ea verba de Adæ peccato generatione in omnes ipsius posteros transmisso exposuit,) frustra laborare, ut secundùm Pelagianam hæresim de exemplo peccati, non in omnes posteros, sed in peccantes tantùm imitatione transeuntis, intelligantur.*

I. JULIANUS. *COMMODE nobiscum ageretur, si aut apud eruditos judices negotium veritatis tueri daretur facultas; aut quia hoc interim negatur, vel nullo imperitorum obverberaremur tumultu.*

AUGUSTINUS. TALES certè eruditos judices quæris, qui nisi fuerint exculti & ornati liberalibus disciplinis, neque ignoraverint quid senserint etiam hujus mundi philosophi, de tuis dictis judicare non possint. Talis hic erat Ambrosius, quem judicem si non refugis, dubitare B non debes, justissimè te esse damnatum. Ille enim dixit, Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est: ut his verbis suis, Christum Salvatorem, hoc est, Jesum ostenderet parvulis necessarium: cui tu cùm contradicis, fatendum tibi est, ita te habere velle judices eruditos, ut nolis habere judices catholicos Christianos.

Lib. 1. de pænit. c. 2. vel 3.

II. a JUL. *Et [a] quia obtollendi in Ecclesiarum salutem trophæi damna perpetimur, quod bonæ caussæ C prudentia cognitorum miris erat delatura suffragiis; [b] vel nihil aliud ad contumelias nostras vulgi valeret assensio. De his ergo, quas dixi, hominum partibus una nobis prodesset, altera nihil noceret, si aut illa potestatem obtineret, aut ista verecundiam. Verùm quia rerum est magna confusio, & stolidorum maxima multitudo; eripiuntur Ecclesiæ gubernacula rationis, ut erecto cornu velificet dogma populare.*

Dogma Ecclesiæ populare.

AUG. Si hoc quod asserimus, dogma populare est: non est ergo dogma Manichæorum hoc, D quod in populis Christianis mente perdita oppugnas. Manichæorum quippe dementiam in paucis meritò contemnis: sed habes & tuam, qua nomine Manichæorum, eos populos quos judices refugis, reddere nobis conaris infestos; quasi possint populi tua loquacitate decepti Manichæum dicere Ambrosium, Manichæum dicere Cyprianum, qui propter salutem etiam parvulorum docuerunt esse originale peccatum. Tales autem populos non fecit, sed in- E venit Ambrosius; non fecit, sed invenit etiam ipse Cyprianus: tales populos in Ecclesia invenit etiam pater tuus, quando baptizatus [c] es, ut dicitur, parvulus: tales postremò populos catholicos invenistis & vos. Compescite vos, fatemur A dogma nostrum esse populare: quia populus ejus sumus, qui propterea est appellatus Jesus, quia salvum facit populum suum à peccatis eorum: à quo populo cùm separare parvulos vultis, vos ipsos potiùs separatis. *Matth. 1. 21.*

III. d JUL. *Ita cùm prudentibus parum licet, vilibus autem quodlibet etiam [d] licet; seditionum decreto exclusa est de Ecclesiis censura virtutum: nobisque hoc apud homines vulgi officit, quòd accessio erroris esse renuimus; vulgi, inquam, qui sententiæ meritum de prosperitatibus ponderans, eam veriorem æstimat, quam pluribus placere conspexerit.*

AUG. Numquid Manichæus pluribus placet? nonne sicut parricidæ, & pauci, & pessimi sunt? Nolite ergo de paucitate gloriari; & quòd est vanius, dicere quòd pluribus placeat dogma nostrum; & objicere nobis detestabilium dogma paucorum. *De paucitate gloriantur Pelagiani.*

IV. e JUL. *Quodque ait in Epicurum Tullius, manifesto argumento non dici illa subtiliter, quòd cujuscemodi homines passim sibi ea profitentur placere. Id isti, sicut omnia, [e] more perverso, ad sapientiæ putant testimonium pertinere.*

AUG. Sed Tullium vicit atque convicit in hac sententia ille qui dicit, Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quos tu quæris, non veraciter docere, sed subtiliter fallere aliquos eorum; & vestræ addere paucitati, subtilitatem paucorum philosophorum sæcularium prædicando, & nos reprehendendo quòd non dicantur nostra subtiliter, & ideo cujuscemodi homines passim sibi ea profiteantur placere. Me tamen aliquotiens dixisti, nihil magis agere, quàm ut non intelligar: quomodo ergo id quod defendo, multitudini placet, nisi quia multitudo ista catholica est, cui meritò vestra hæresis displicet? *Psal. 116. 1.* *V. lib. 1. de Nuptiis & concup. c. 19.*

V. JUL. *Delectat enim prorsus subantes animas, infamare quidquid umquam & usquam sanctorum fuit, ne clarorum operum castigentur exemplis.*

AUG. Subantes ergo animæ post te potiùs currunt, qui libidinem laudas: nam castæ animæ vituperando arguunt, quod expugnando laudantur.

VI. JUL. *Delectat prorsus & penitus afficit, causari imbecillitatem naturæ, dicere carnem congenitis obnoxiam esse peccatis, nec in voluntate hominis emen-*

[a] Sic MSS. At Vignerius, *Et qui adtollendi*

[b] Menardus, *si nihil ad.* Vigner. *nihil ad.* Concinniùs MSS. *vel nihil aliud ad.* id est, nihil aliud incommodi adferret, præter damna trophæi, quod judicum sententiis erigi caussæ nostræ debuisset.

[c] Vetus codex Marianensis *baptizatus est.* At in priore opere contra Julianum lib. 1. c. 4. ipsi Juliano dicitur, *Audivimus te infantulum baptizatum.*

[d] Sic MSS. Editi verò, *etiam decet.*

[e] Editi, *sicut omnia perversa.* Emendantur ex MSS.

dationis effectum locare, sed studiorum crimina offi- A *cia vocare membrorum: catholicam hanc fidem esse, ut liberum confiteatur arbitrium, sed per quod homo malum facere cogatur, bonum velle non possit.*

Aug. Quid nobis irasceris, qui emendationis effectum tanto certiùs appetimus, quanto fideliùs eum à Domino petimus? Frustra inflatam linguam voce superbiente dilatas: nolumus
Psal. 48. 7. prorsus, nolumus eis annumerari qui confidunt
a in virtute sua. Anima nostra [a] Deo sitit, cui di-
Psal. 17. 2. cit, Diligam te, Domine, virtus mea. Potest B
Prov. 8. sec. LXX. enim homo bonum velle; sed præparatur voluntas à Domino: in malum verò libens vergit vitiata, propter quod est sananda natura.

VII. Jul. *Vanos verò hominum hæreticosque sermones, qui asserant Deum justum ad bonum opus liberum hominem condidisse, & esse in uniuscujusque potestate recedere à malo, ac studiis splendere virtutis: ut his qui flagitia in necessitatem carnis refundunt, sollicitudinum & timorum aculeus infigatur.*

Aug. Non dicimus hominum vanos hæreti- C cosque sermones, qui asserunt Deum justum ad bonum opus liberum hominem condidisse. Talem quippe Adam condidit, in quo fuimus omnes: sed peccando perdidit se, & omnes in se. Unde nunc non est in potestate filiorum hominis à ma-
Iohan. 1. 12. lo liberari, nisi gratia Dei det potestatem filios Dei fieri. Propter hoc, non his qui flagitia, sicut dicis, in necessitatem carnis refundunt; sed his
Pelagianorum disputationes superbissimæ & ingratissimæ. qui ut in tentationes flagitiorum non inferantur, preces Deo fundunt, figitur aculeus sollicitudi- D nis & timoris, ne consentiant superbissimis & Deo ingratissimis disputationibus vestris.

VIII. b Jul. *Postremò in Ecclesiis quæ [b] magnum honorem & magnum populum possideant, prædicari tantam vim esse peccati, ut ante membrorum formam, ante initium adventumque animæ, jactis seminibus supervolans, in secretum matris invadat, & reos faciat nascituros, ortuque ipso antiquior exspectet culpa substantiam; quæ lex peccati habitans deinceps in membris, captivum hominem cogat servire* E *criminibus, non castigatione in turpitudinibus, sed misericordiâ digniorem: quando quidem quod nos vitia pravæ voluntatis esse dicimus, id in Ecclesia à viris & feminis magnisque pontificibus originalis passio nuncupatur.*

Ambros. lib. de sacramento regenerationis seu de philosophia citatur suprà in lib. 2. cont. Iul. c. 6. Aug. Respondet tibi Ambrosius pontifex magnus, hæresiarchæ vestri excellenter ore laudatus, & dicit, Malè Eva parturivit, ut partûs re- » linqueret mulieribus hereditatem, atque unus- » quisque concupiscentiæ voluptate concretus, & F » genitalibus visceribus infusus, & coagulatus in » sanguine, in pannis involutus, priùs subiret deli- » ctorum contagium, quàm vitalis spiritûs munus » hauriret. Sananda est itaque, Juliane, humana, Deo miserante, natura: non, te inaniter declamante, tamquam sana laudanda.

IX. c Jul. *Hæc ergo Manichæorum [c] scorta dogmatum impurissimorum lenocinantur auribus.*

Aug. Ambrosium, si audes, criminare Manichæum. Adtende in quem dicas, quod vis vide- G ri tamquam in me dicere: & si ullus tibi vel Dei timor, vel humanus pudor est, conticesce. Me oportet cum talibus tua convicia, non solùm patienter, verùm etiam gratulanter audire: sed tu debes in talibus lacerandis & humana erubescere, & divina judicia formidare.

X. Jul. *Hæc in utroque sexu positos inimicos nostros urtica commovit, quæ olim quidem vitio malæ consuetudinis mordax, tamen exhortationum salutarium velut quibusdam curabatur unguentis.*

Aug. Urticâ pungente prurit, sed qui libidinem laudat. Si autem propter malam consuetudinem, sicut sapis, clamat homo, Non quod Rom 7. 19. volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago: certè vel in isto fatemini humanam voluntatem vires bonorum operum perdidisse, cui nisi divinæ gratiæ subveniat adjutorium, quid ei prodest copiosum & ornatum cujuslibet exhortantis eloquium?

XI. Jul. *At nunc post quàm pro medicamine cœpit offerri, & delectationi accessit auctoritas, ut consensu penè mundi, membripotens regina mentium, expugnatrix honestatis, & invicta animorum omnium captivatrix turpitudo baccharetur: nobis quanto honestior, tanto durior tuendæ veritatis caussa facta est. Quia contra præcipites populos & suis remediis infensos, non multum valet raritas oratione medicantium. Quid igitur? horumne intuitu, receptui canere debebimus, & contumelias nostras ultum ire silentio, ac de conscientiæ portu aliorum ridere naufragia? Verùm contradicit huic odio, primò benignitas quam generi debemus humano; deinceps spes, fides, quam habemus in Deum, qui extra id quòd frequenter desperatas temporum levavit ruinas; constantiam tamen quam usque ad mortis horam exerceri voluit, etiam si nullus inpræsentiarum sequeretur effectus, æterna remuneratione donavit.*

Aug. Quomodo levat Deus ruinas malarum Bonas voluntates Deus operatur. voluntatum, (per quas utique tempora vituperantur, quando rectè vituperantur,) nisi bonas voluntates operando in cordibus hominum? Aut Turbantius ab errore Pelagiano revocatus. si possunt, ipsæ se levent, sicut dementissimè sentiendo, magna ruina facti estis. Unde pro vobis ipsum rogamus: atque utinam sic etiam de te, quemadmodum de * fratre Turbantio, nos * Suprà lib. 1. n. 1. exaudire dignetur.

XII. Jul. *Hac igitur fidei consolatione gaudentes immineamus cœpto operi, & disputationum promissa reddamus: non ambigentes hoc ipsum maximam esse præmii partem, quia in ejus dogmatis arce constitimus, quod cùm tam multorum livor, sed plurium error oppugnet; tamen ita supra casus evasit ancipites, ut invincibilis cluat possessione victoriæ.*

Aug. Ipse tibi das palmam contra tot antistites Dei, qui ante nos, ea quæ oppugnas, in Ecclesia Christi didicerunt, atque docuerunt, bibentes & ministrantes de fontibus Israël. Hoc Psal. 67. 27. ergo quod facis, non est victoriæ possessione cluere, sed in odiosæ arrogantiæ cloacam deformiter fluere. Cluere quippe, pollere est: quomo- Cluere idē quod pollere. do autem potes victoriæ possessione pollere, qui conaris catholica dogmata, antiqua, & invicta polluere?

XIII. Jul. *Nam si, ut & superior sermo patefecit, & secuturus docebit, quidquid ratio est, quidquid eru-*

[a] Editi, *Deum sitit.* At MSS. *Deo sitit.* Alludit ad Psal. 62. v. 2. ubi legere solet, *Sitivit tibi anima mea.*

[b] Menardus primò ediderat, *magnum bonorum.* Vignerius correxit, *magnam bonorum copiam.* Libri verò MSS. Clar. Mar. & Port. habent, *magnum honorem.* In editione anni 1648. ad oram codicis notatum est, Fortè, *magnum bonorum & malorum populum possideant.*

[c] Editi, *scoria dogmatum impurissimorum lenocinatur auribus.* Omnes MSS. *scorta.... lenocinantur.*

ditio, quidquid justitia, quidquid pietas, quidquid testimoniorum sacrorum, huic quod tuemur dogmati suffragatur: nihil aliud inimici nostri toto adipiscuntur conatu, quàm ut doctis quibusque [a] *imprudentissimi, sanctis contumacissimi, in Deum profanissimi comprobentur.*

Aug. Sed falsa loqueris: nam neque ratio, neque sana eruditio, neque justitia, neque pietas, neque sacra testimonia vestro dogmati suffragantur: immo, hæc omnia, sicut hi qui rectè intelligunt judicant, vestrum dogma subvertunt. Ratio quippe cernit vix ad aliquid veri se posse pervenire tarditate impediente naturæ: eruditio pœnam laboris habet in eadem tarditate naturæ: justitia clamat non ad se pertinere, ut Adam filii gravi jugo premantur à die exitûs de ventre matris suæ, sine ullo merito peccatorum: pietas adversùs hoc malum, divinum poscit auxilium: sacra testimonia, ut hoc fiat, humanum admonent animum.

Justitiæ nõ est, ut ab ortu suo filii Adam gravi jugo premantur sine ullo merito peccatorum.

XIV.

Jul. *Et quidem quàm nihil habeant Traduciani, quod vi qua proteruntur, rationis opponant, ut alia eorum scripta, ita hi contra quos agimus testantur libelli, qui directi* ad militarem virum (quod etiam ipse profiteri potest) aliis magis negotiis quàm litteris occupatum, impotentiæ contra nos precantur auxilium, ac pro se sursum deorsum plebecularum, aut ruralium, aut theatralium scita commendant, quæ quo sint promulgata consilio, historia nulla commemorat.*

* Libri de Nuptiis & concup. ad Comitem Valerium.

Aug. Non impotentiæ contra vos precamur auxilium: sed pro vobis potiùs, ut ab ausu sacrilego cohibeamini, Christianæ potentiæ laudamus officium. Vide sanè quemadmodum rurales & theatrales dicas, Cyprianum, & Ambrosium, & tot eruditos in regno Dei Scribas socios eorum.

XV.

Jul. *Illud tamen nequaquam inficiari possumus, quod plurimùm, ut dixi, turbis* [b] *placeat, luteis tamen, delicta voluntatis imputare naturæ, & infamatione seminum morum petulantiam vindicare: ut numquam quis emendare conetur, quod* sperat in se ipso alterum perpetrare.*

* f. sciat.

Aug. [c] Quis tibi dixit, quòd alter perpetret peccatum cujusquam? Quando quidem etiam ille qui dicit, Jam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum: continuò subjiciens, Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum; ostendit suum esse quidquid illud est: quia & ipsa caro ad eum pertinet, qui ex carne constat & spiritu. Et tamen non vis cum Ambrosio sapere, quòd hoc malum, quo caro concupiscit adversùs spiritum, [d] prævaricatione primi hominis in naturam verterit. Sed & tu cùm dicere soleas in his apostolicis verbis violentiam malæ consuetudinis exprimi, quid est, quod modo dicere voluisti, *Ut numquam quis emendare conetur, quod scit in se alterum perpetrare;* cùm [e] velis utique se ipsum emendare eum qui dicit, Non ego operor illud: & hoc velis fieri viribus propriæ voluntatis; cùm videas quàm sit voluntas ejus infirma qui dicit, Non quod volo ago. Istum saltem quæso permittite divinum poscere auxilium, in quo defecisse cernitis suæ voluntatis arbitrium.

Rom. 7. 17.

Ibid. 18.

Amb. lib. 7. in Luc. cap. 12. v. 52.

XVI.

Jul. *Verùm imbecillum cæcæ opinionis patrocinium multiplicat peccata, non minuit. Hic igitur miserorum pruritus & sponte* [f] *ægrescentium, nullum contra ipsam rationem valebit pondus afferre: sed quia nonnullis Scripturarum locis, & maximè apostoli Pauli sermonibus confirmari asserunt naturale peccatum, quorum expositionem in secundum volumen distuli, ejusque reddendæ tempus est; breviter priùs, (ut fiat lector instructior,) & quæ sint acta, & quæ sint agenda distinguam. Ostensum est ergo,* nihil posse per sanctas scripturas probari, quod justitia non possit tueri: quia si in lege Dei est perfecta forma justitiæ, nihil per eam adversaria ejus, id est, injustitia finitur virtutis adquirere: ac per hoc, quod ratio arguit, non potest auctoritas vindicare. Deinde probatum* est, Deum nobis notum esse virtutibus: hujus ergo justitiam ut omnipotentiam confitendam; cujus si admittatur excidium, majestas incipiet tota nutare; quia ita Deus justus est, ut si probaretur justus non esse, convinceretur Deus non esse: conclusumque est, nos Deum æquissimum in Trinitate venerari; & irrefutabiliter apparuit, non posse ab eo peccatum alienum parvulis imputari.*

Quæ Julianus libro 1. egerit. * Lib. 1. n. 3. & seq. * n. 27. & seq.

Aug. Quare non fateris, ab omnipotente justo grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum, sine ullo peccati merito non potuisse constitui.

Grave jugum super homines à die ortûs sui sine ullo merito peccati non potest ab omnipotente justo constitui.

XVII.

Jul. *Sed ut de definitione* justitiæ, ita etiam de peccati* conditione dissertum est, quod peccatum apparuit nihil esse aliud quàm malam voluntatem, cui esset liberum ab eo quod pravè appetiverat abstinere.*

* Lib. 1. n. 35. Peccatum quid sit. * n. 44. & seq.

Aug. Hoc est omnino peccatum primi hominis, unde in homines mali origo descendit. Ei quippe valde liberum fuit, ab eo quod pravè appetiverat abstinere: quia nondum erat vitium, quo caro concupisceret adversùs spiritum: nondum dicebat, Non quod volo ago: nondum positus in carne peccati ullum necessarium habebat auxilium de similitudine carnis peccati.

XVIII.

Jul. *Ac per hoc illustrissimo testimonio perdoctum est, in nascentibus non esse peccatum, quòd in his usus voluntatis non poterat inveniri.*

Lib. 1. n. 60.

Aug. Et unde grave jugum, nisi quia ita non habent voluntatis usum, ut [g] obnoxiæ tamen habeant originis vinculum?

Grave jugum ob originale peccatum.

XIX.

Jul. *Liberum autem arbitrium negari ab his qui dicunt peccata esse naturalia, lucidâ est disputatione monstratum. Quod quidem Pœnus, non suo sermone, ne minus ponderis haberet, sed* Evangelii testimonio, quasi auctoratiùs, denegavit; quod nos exponendo, Evangelicæ reddidimus dignitati. Apostoli quoque Pauli* testimonium laqueis calumniatoris eximimus, & bonorum vasorum* figulum Deum nostrum esse omnium conditorem, Prophetâ* teste, monstravimus.*

Lib. 1. n. 77. & seq. * n. 84. 88. &c. * n. 94. & seq. * n. 113. & seq. * n. 138.

Aug. Illic tibi responsum est, & quantum aberraveris à veritate monstratum.

[a] MSS. Mar. & Clar. *impudentissimi.*

[b] Menard. *turbis placet, Iudæis tamen.* Vigner. *turbis placet, videris tamen.* Et paulò pòst iidem ferebant, *& infamationes & hominum morum petulantiam* (castigantur ex MSS.

[c] Sic MSS. Editi verò, *Quod tibi dixi.*

[d] Editi, *per prævaricationem.* MSS. *prævaricatione.*

[e] Editi, *velit*: refragantibus MSS.

[f] Editi, *crescentium.* MSS. *ægrescentium.*

[g] Sic MSS. At editi, *obnoxium.*

XX. JUL. *His igitur maximè actis in primo libro, quorum unum aliquod abundè sufficit ad victoriam veritatis; ex abundanti quidem, superest tamen, ut* Rom. 5. 12. *Magistri gentium, qua* per unum hominem peccatum *dixit* intrasse in mundum, *sententiam disputemus: & definitionibus, quas præmisimus, cùm necesse fuerit, adjuvandi; & probaturi nihil rationem fuisse mentitam; sed injustitiæ esse crimen, aliorum studia aliorum ortibus imputare; hocque ipsum quod iniquum est, quamvis nemo hinc dubitare debuerit, tamen Deo displicere, & ab eodem prohiberi, testimoniis legis, vel in hoc libro, vel in sequenti docebimus. Ex quibus necessariò conficitur, & nos rectissimè defendere, neminem cum peccato nasci, & Deum reos non posse judicare nascentes: ac per hoc, tam integrum esse liberum arbitrium, quàm ante voluntatis propriæ usum innoxiam in unoquoque naturam:*

AUG. Dic, videamus quod de Apostoli testimonio dicturus es, tam inaniter, quàm superiora dixisti.

XXI. JUL. *Manichæos autem & pietati & rationi rebelles, qui putent & ante tempus voluntatis esse peccatum, quod rerum natura non sinit; & Deum esse, quem argumentantur injustum; & infamare sanctas paginas, quarum monumentis probari allegant crimen divinitatis: quod cùm ex tribus nihil queat ratione monstrari, id est, nec sine voluntate peccatum, nec in Deo iniquitas, nec in lege perversitas; soli illi stulti,* [a] *impudentes & impii demonstrentur.*

Ambros. lib. de philosophia.

AUG. Erubesce: non fuit Ambrosius Manichæus, cùm diceret, hominem priùs subire delictorum contagium, quàm vitalis spiritûs munus haurire. Sed nec ista delicta, nisi ex voluntate exstiterunt, unde originem trahunt: & ideo nec in Deo est iniquitas, qui propter hoc posuit nascentibus grave jugum: nec in lege perversitas, in qua hoc discitur esse verissimum; quod & ipsi videretis, nisi vos potiùs perversos oculos haberetis.

XXII. JUL. *Hæreat igitur hoc maximè prudentis animo lectoris, omnibus scripturis sacris solum illud, quod in honorem Dei catholici sapiunt, contineri, sicut frequentium sententiarum luce illustratur: & sicubi durior elocutio moverit quæstionem, certum quidem esse, non ibi id quod injustum est, loci illius auctorem sapuisse; secundùm id autem debere intelligi, quod & ratio perspicua, & aliorum locorum, in quibus non est ambiguitas, splendor aperuerit. Jam igitur ejus cum quo agimus verba ponamus. Equidem in illo capite dictorum suorum, quod usque ad figulum* [b] *peccatorum Deum suum adduxerat, contra quod libro superiore confliximus, tenuiter dixit*, Rom. 5. 12. Per unum hominem peccatum intrasse in mundum: *non est autem in expositione loci ipsius immoratus. Post quàm verò multis verbis contra illa excerpta, quæ ad se confirmat missa, disseruit, pervenit ad aliquem dictorum meorum locum, quem sibi quasi oppugnaturus objecit; sed nihil secundùm id quod fuerat pulsatus referens, ad hanc Apostoli sententiam convolavit, in qua dicit*, per unum hominem peccatum intrasse in mundum; *& secundùm dogma suum, contextum loci ipsius exponere molitus est: propter quod ego, prætermissis aliis, ad eam properavi partem, ut quia me promiseram hanc esse quæstionem in secundo volumine soluturum, & fidem promissionis implerem, & argumentatio illius quæ esset ostenderem; ne putarer fecisse fraudem, si illius expositione suppressa, eam quam catholicam fatemur inferrem.*

Pœnas & cruciatus nullâ æquitate sentirent parvuli, si non esset peccatum.

AUG. Pelagianam illaturus es, non catholicam. Catholica illa est, quæ ostendit justum Deum in tot ac tantis pœnis & cruciatibus parvulorum; quos in paradiso ullus eorum nulla æquitate sentiret, si natura humana vitiata peccato, & merito damnata non esset.

XXIII. Aug. lib. 1. de Nupt. c. 1.

JUL. *Retractans igitur in primo opere meo sententiam ejus, quâ dixerat*: Nam sicut peccatum, sive hinc, sive inde trahatur à parvulis, opus est diaboli; sic homo, sive hinc, sive inde nascatur, opus est Dei: *ita autem à me nunc hìc refertur, sicut in meo opere continetur, unde maximam partem fuerat iste furatus.*

AUG. [c] Sic vera disputas, quomodo verum est quòd ego illa furatus sum: cùm potiùs ille cujus chartula mihi missa est, quod voluit atque ut voluit, ex opere tuo, arbitrio suo judicioque transtulerit.

XXIV. [d] JUL. [d] *Respondi ergo ibi: Tu quidem (pace magisterii tui dixerim) tergiversaris: sed intellige quòd ademerit tibi veritas licentiam pervagandi. Ecce enim & nos adquiescimus, quia peccatum opus est malæ voluntatis, vel opus est diaboli: sed per quid hoc peccatum invenitur in parvulo? Per voluntatem? at nulla in eo fuit. Per formam corporis? sed hanc Deus tribuit. Per ingressum animæ? sed nihil debet semini corporali, quæ nova à Deo conditur. Per nuptias? sed hæ pertinent ad opus parentum, quos in hoc actu non peccasse præmiseras: quòd si non verè id concesseras, sicut processus tui sermonis indicat, ipsæ sunt exsecrandæ, quæ caussam fecerunt mali. Verùm illæ substantiam propriam non habent; sed nomine suo personarum opus indicant: parentes igitur, qui conventu suo caussam fecere peccato, jure damnabiles. Ambigi ergo jam non potest, conjuges æterno supplicio mancipari, quorum labore actum est, ut ad dominatum exercendum in homines diabolus perveniret. Quod si concesseris; illud totum quod antea tenuisse videbaris amittes, id est, quòd hominem Dei opus dixeras. Necessariò quippe sequitur, quia per commixtionem corporum origo progenitis est, si per originem malum in hominibus, per malum jus diaboli in homines, diabolum esse auctorem hominum, à quo est origo nascentium. Post quæ ipsius denuò verba repetivi*: Aug. lib. 1. de Nuptiis c. 1. Nam sicut peccatum, sive hinc, sive inde trahatur, opus est diaboli; sic homo, sive hinc, sive inde nascatur, opus est Dei. *Ac protinus insurrexi hoc modo. Cùm illam vocem timoris tui cogito, qua dicis nuptias malum non esse, istos alios sermones tuos sine risu considerare non possum. Si enim credis à Deo homines fieri, & esse conjuges innocentes; vide quàm stare non possit, trahi ex his originale peccatum. Certè non peccat iste qui nascitur,* V. lib. 1. de Nuptiis c. 28.

---

[a] Sic MSS Clar. & Port. Editi verò, *imprudentes & impii demonstrantur.*

[b] Editi, *peccatorem*: malè ac repugnantibus MSS.

[c] Editi, *Si vera*. At MSS. *Sic vera.*

[d] Editi, *Responde ergo ibi tu quidem, partem magisterii tui* &c. Castigantur ex MSS. Port. Mar. Clar. Responsionem huc suam Julianus transfert ex primo libro prioris operis ad Turbantium, quæ jam ab Augustino refutata est suprà in lib. 1. de Nuptiis cap. 27. & 28. & lib 3. contra Jul. cap. 24.

" *non peccat ille qui genuit, non peccat ille qui condidit:* " *per quas rimas inter tot præsidia innocentiæ, pecca-* " *tum fingis ingressum?*

* Suprà lib. 1. cont. Jul. c. 24.

Aug. Jam his verbis tuis, etiam cùm ipsos libros tuos legissem, respondisse * me sufficit. Verùm & hîc admoneo, Apostolum potiùs audiendum esse, quàm te, qui non occultam rimam, sed apertissimam januam demonstravit, quâ peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: quæ verba ejus, cùm secundùm vos, non secundùm ipsum, exponere cœperis, tunc apparebit cui rectitudini veritatis loquacitate tortuosissima reluctaris.

Rom. 5. 12.

XXV. Jul. *Hunc ergo de opere meo priore contextum, in hoc secundo libro * suo sibi, licèt cum interpolatione, proposuit. Nam & commemoratam à me formationem corporis, & ingressum animæ, quam novam in unoquoque à Deo conditam, tam ratio, quàm legis sacræ Ecclesiæque catholicæ confirmat auctoritas, ut spero, arte præteriit.*

* Lib. 2. de Nuptiis c. 27. & 28.

Aug. Qui legit sex libros meos, quibus refutavi quatuor tuos, de quorum primo quæ voluit, & sicut voluit, ille decerpsit, cui respondi in libro * isto quem nunc frustra redarguere loquacissima vanitate conaris; sic me tibi in tertio meo respondisse reperiet, ut videat, non me arte præteriisse quod dicis; sed illum potiùs, cujus chartulæ respondebam, hoc de opere tuo noluisse transferre, sive studio brevitatis, sive quia pertinere non putavit ad caussam.

* Lib. 2. de Nuptiis & concup.

XXVI. Jul. *Jam reliqua, licèt aliquibus sermonibus variata, contexuit. Contra has ergo objectiones meas nihil quo repercuterer excogitavit: sed verum me collegisse, argumentandi inopiâ confessus, dicit mihi ad hæc omnia Apostolum respondere, qui pronuntiet,* per unum hominem peccatum intrasse in hunc mundum. *In quo loco, quis eum eruditus sanum habuisse caput æstimet, qui non intellexerit aut prætereunda sibi esse contra quæ nihil poterat invenire, aut quæcumque excogitanda quæ referret objectis, ad quorum confirmationem Apostoli verba conjungeret.*

Aug. Sed meliùs verbis apostolicis refelleris quàm meis: nec tamen & apostolicis cedis; sed mavis etiam ipsa pervertere, quàm te corrigere.

XXVII. Jul. *Quæsivi ergo consequentissimè, ut omnis mecum eruditio ᵃ recognoscat, peccatum quod opus est malæ voluntatis, & opus diaboli dicitur, per quid inveniretur in parvulo: si per voluntatem; at nullam in eo fuisse, etiam hic, cum quo agimus, confitetur: si per nuptias; sed has pertinere ad opus parentum, nemo qui dubitet, quos in hac commixtione non peccasse præmiserat: aut si concessionis hujus pæniteret disputatorem, sicut processus operis indicabat; profiteretur esse reos parentes, quorum conventu regnum in imaginem Dei diabolo pararetur: & addidi, necessariis disputationum gradibus, per originale peccatum auctorem corporum diabolum definiri: quia si per originem malum in hominibus, per malum jus diaboli in homines; diabolus est auctor hominum, à quo est origo nascentium. Quæ quoniam in antro Manichæorum ᵇ Traducianos esse clusura deprehenderat: verti clavem, ut præberem captis effugium; admonuique, ut si verè à Deo crederet homines fieri, puréque confiteretur esse conjuges innocentes, intelligeret trahi non posse ex his originale peccatum. Certè* " *non peccat, inquam, iste qui nascitur, non peccat ille* " *qui genuit, non peccat iste qui condidit: per quas* " *rimas, inter tot præsidia innocentiæ, peccatum fingis* " *ingressum? Quid potuit, rogo, sanctius, quid verius, quid lucidius, quid brevius, firmiusque componi, quàm post tria sumta quæ inimico concedente susceperam, inferrem quartum, in quo erat summa conclusio? Nam cùm uno nonnumquam, aut duobus sumtis, tertium necessariò colligatur, qua lege mihi post tria concessa, quartum quod his adhæret, non liceret inferre? Et hoc quidem in secunda disputatione: ceterùm in priore, quinque mihi aut ampliùs conceduntur, post quæ fit legitima invictaque conclusio.*

V. lib. 1. de Nupt. c. 28.

V. lib. 1. de Nupt. c. 27. & lib. 3. c. 24.

Aug. Vide quàm per multa vageris, timens ne Apostoli verba sine tuis præjudiciis audita te damnent, sicut jam Ecclesiâ catholicâ judicante damnarunt. Sed excurre quò volueris, remorare quantum volueris, multiplica gyros tuos quaquaversùm volueris: quandocumque ad eadem verba veritatis navis fallaciarum tuarum pervenerit, sine dubio naufragabis.

XXVIII. Jul. *Iam igitur ad eum convertamur. Dederas mihi, peccatum opus esse voluntatis: potui statim dicere consequenter, Voluntas autem quæ peccet, in parvulis nulla est, peccatum igitur in parvulis non est. Verùm ut pluribus premereris testibus, interrogavi sensim, per quid hoc peccatum inveniretur in parvulo; ne fortè per voluntatem? Post quod, te conni-vente, suscepi nullam in eo fuisse conscientiam voluntatis: adjunxi, ne per primam culpam membrorum lineamenta traxisset? sed hæc à Deo informari, & per hoc bona esse concesseras. Petivi tertium, utrùm per ingressum animæ, reatum advectum putares? sed hanc esse novam, nec quidquam seminibus debere constabat. Intuli deinceps, ne (quia nihil tibi de his remanserat arguendum) nuptias, id est, commixtionem corporum, diaboli opus vocares? sed has pertinere ad parentum operam, te quoque annuente, monstravi. Illis igitur omnibus quæ suprà diximus absolutis, conjuges qui fuerant caussa peccati, tradux tua diabolo mancipabat. Post quæ omnia, quod tibi propinquabat ᶜ impegi, ut dicerem credere te diabolum auctorem corporum, cui commixtionis operam, sine qua origo corporum esse non poterat, deputasses. Et hæc quidem disputatio, quo morbo oppressus esses, ostendit: illa autem secunda, & te miserabilem cum ejusmodi sensibus, & catholicos etiam timoris tui suffragio invictos probavit. Te enim dante, à Deo fieri homines, & esse conjuges innocentes, ac parvulos per se nihil operari: his tribus sumtis, inrefutabiliter inlatum est, cùm non peccat ille qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat iste qui condidit, nullam remansisse rimam, per quam peccatum doceatur ingressum. Tibi ergo si displicet quod collectum est; abnue quod dedisti, & dic aut illum peccasse qui genuit, aut illum qui condidit, aut istum qui natus est: ex quibus unum insanum est, aliud Manichæum, tertium supra Manichæos: insanum, si dixeris delinquere parvulos; Manichæum, si accusaveris conjuges; supra Manichæos, si peccati Deum æstimaris auctorem. Quòd si hæc omnia tam*

ᵃ Sic MSS. At Menard. *recognosceret.* Vigner. *recognoscit.*

ᵇ Menard. *Traducianas esse clusuras deprehenderat.* Vigner. *Traducianos essent* (vel, *esset clusura*) *clusura deprehenderat.* Omnes MSS. *Traducianos esse clusura deprehenderat.* Porrò *clusura* hoc loco idem quod clausula seu conclusio disputationis.

ᶜ Editi, *induxi.* Omnes MSS. *impegi.*

aliena sunt à vero, ut adhuc ea metuas liberè confiteri; quà impudentià, homo omnium amentissime, hoc quod à nobis inlatum est, persistis negare?

Aug. Cùm ad verba Apostoli veneris, ibi non rimam invenies, sed apertissimam januam, qua peccatum intravit in mundum: quam conaberis quidem claudere; sed ex ore infantium atque lactentium, salvatorem potiùs Christum, quàm te laudatorem quærentium, & non anfractuosis disputationibus, sed mutis fletibus miseriam suam multo certiùs contestantium, (quam profectò, si primi hominis rectitudo & beatitudo mansisset, nullo modo in paradiso habere potuissent,) cum tua tota loquacitate vinceris.

Psal. 8. 3.

XXIX. Jul. *Quatuor hic personarum caussa vertitur, Dei opificis, duorum parentum de quibus materia præstatur operanti, & parvuli qui nascitur. Dicis tu in hoc choro habitare peccatum: interrogo ego, à quo fiat, utrùm à Deo; negas: à patre; totidem negas: à matre; idem negas: à parvulo; negas: & adhuc non putas fuisse conclusum, quia non possit esse inter hos quatuor, quod ab his quatuor nullus admittit?*

Aug. Quidquid vis dicas: ad verba Apostoli aliquando venturus es: & quisquis ea per istarum argumentationum tuarum loca singula recordatur, quæ nos assiduè propter lectoris fastidium repetere nolumus, ipsa sua tibi recordatione respondet.

XXX. Jul. *Ad quid ergo persuadendum aut Scripturas releges, aut conscios nominabis, qui adhuc quod sentis non potes definire? Quid te juvat, ut Adam doceas deliquisse, quod ego penitus non refello? Quærimus, Adam ante tot sæcula mortuo, peccatum, quo in diaboli jus Dei imago transscribitur, per quid inveniatur in parvulo?*

Imago Dei sine peccato non excludenda à regno Dei. Sanguis Christi ministratus parvulo ad bibendum, ut habere possit vitã.

Aug. Cur nec tu admittis in regnum Dei, nullum habentem secundùm te meritum peccati, imaginem Dei? Cur ministratur sanguis, qui de similitudine carnis peccati in remissionem fusus est peccatorum, quem bibat parvulus, ut habere possit vitam, si de [a] nullius peccati origine venit in mortem? Si hoc tibi displicet, [b] apertè nega parvulum christum, apertè nega pro parvulis mortuum, qui unus pro omnibus mortuus est: unde colligit quod dicit Apostolus, Ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est. Dic apertè, Mortui parvuli non sunt, qui peccatum nullum habent; morte pro se Christi, in qua baptizentur, non opus habent. Jam dic evidenter, quod latenter sentis, quoniam satis prodis tua disputatione quod sentis: dic, inquam, parvulos frustra fieri Christianos: sed vide, utrùm te ipsum debeas dicere Christianum.

2. Cor. 5. 14.

XXXI. Jul. *Si per commixtionem parentum: [c] damna nuptias professione, quas argumentatione condemnas; & deme nobis laborem, quo te convicimus esse Manichæum. Sin autem tu non id audes dicere, ac* ratione contumax [d] concumbentibus inclinaris, ut per argumentorum hactenus inaudita portenta, dicas libidinem diabolicam esse, eamque in sensu coëuntium positam, ad voluptatem parentum, ad reatum pertinere nascentium; tuam quidem amentiam & turpi-*

** f. rationi.*

A *tudinem prodis: sed precor ne tibi tantum arroges, ut putes nobis liberum non esse cum honore Dei nascentium innocentiam contueri; cùm tibi liceat & libeat, cum accusatione Dei, à reatu quem dicis libidinis, libidinantium membra purgare.*

Aug. Quolibet pruritu libidinem, id est, concupiscentiam carnis laudes, dicit eam Johannes apostolus à Patre non esse, sed ex mundo esse: propter quam rectè dicitur diabolus princeps mundi esse. Nam scimus, quòd mundum Deus B fecerit. Hoc ergo malo concupiscentiæ carnis bene utitur pudicitia conjugalis; ejusque mali reatum à nascentibus tractum solvit regeneratio spiritalis. Hoc quamdiu non sapis, non catholicus, sed Pelagianus futurus es; & scripturis sanctis, quantumlibet eas defendere tibi videaris, contradicturus es. Me autem quotiens propter hoc cui contradicis, Manichæum dicis; profectò & illum dicis, qui hominem membris genitalibus infusum, & concupiscentiæ voluptate con- C cretum, antè dicit excipere delictorum contagium, quàm vitalis spiritûs munus haurire. Ambrosius est iste, Juliane: Ambrosium Manichæum dicis, insane.

Libido, malum. 1. Johan. 2. 16. Johan. 12. 31.

Ambros. lib. de sacramento regenerationis seu de philosophia.

XXXII. Jul. *Nam cùm pronuntias, concupiscentiam carnis à principe tenebrarum in homine fuisse plantatam, eamque esse diaboli fruticem, ex se humanum genus quasi poma propria proferentem; absolutè quidem proderis, quòd non Deum, sed diabolum dicas hominum conditorem: quo dogmate impiissimo, & D conjugiorum negotium, id est, genitalium admixtio, & caro cuncta damnatur.*

Aug. Non damnatur: sed non [e] à te quasi sana laudetur, ut etiam te confitente, à suo Conditore ac Salvatore sanetur. Nam hoc in quibus non fit, sine ulla dubitatione damnabitur.

Libido in quibus non sanatur, damnabitur.

XXXIII. Jul. *Cùm verò post hoc sacrilegium adjungis, & dicis, profiteri te diabolicam quidem esse gignentium conjugum voluptatem, diabolicam genitalium commotionem; sed tamen & ipsa membra quæ mo- E ventur, & conjuges qui voluptate afficiuntur, reos non esse; verùm pro his omnibus novos homines, id est, rude opus in nascentibus deitatis accusas: nihil quidem de Manichæorum impietate deponis; sed tam immanem moti capitis ostendis furorem, ut consequentiùs fovendum, quàm amputandum judicaretur, nisi voluntatem ac studium in hac re tuum, & multorum eversio, & tua obstinatio, & Scripturarum multiplicatio loqueretur.*

Aug. Has contumelias non indignanter au- F dire debeo, cum his Ecclesiæ doctoribus, qui per unum hominem in mundum introisse peccatum, non sic intelligunt, ut rectus Apostolus loquitur; non ut Julianus perversissimus opinatur. In his sunt, ut alios taceam, Afer Cyprianus, Gallus Hilarius, Italus Ambrosius, Græcus Gregorius: à quibus eruditissimis prudentissimisque judicibus, quales te non invenire vana præsumtione conquereris, hæresis vestra priùs est damnata quàm nata.

Rom. 5. 12.

XXXIV. Jul. *Lege & de hoc quartum operis mei librum: G & quantum diabolo, quem patrem tuum dicis, [f] ac libidini matri tuæ, sub criminandi specie blandiaris, intelliges.*

[a] Sic MSS. Editi verò, *si de nulla.*

[b] Hîc verba illa, *apertè nega parvulum Christum*, restituuntur ex MSS. Mar. Clar. Port.

[c] Editi, *damnas.* Aptiùs MSS. *damna.*

[d] Editi, *cum cadentibus inclinaris.* MSS. *concumbentibus inclinaris:* id est, iis faves, qui nuptiis & libidini vacant.

[e] Vigner. *sed non, velut à te, quasi sana laudatur:* minùs bene.

[f] Sic MSS. Clar. Mar. Port. At editi, *à libidine matris tuæ:* mendosè.

Aug. Legi

Aug. Legi etiam quartum tuum, & meo sexto ad ejus tibi cuncta respondi, quis autem nostrûm vicerit, judicet pius lector amborum.

XXXV. Jul. *Verùm jam Apostoli verba videamus, quem mihi ad omnia, quæ suprà posui, respondere dixisti.* [Aug. lib. 2. de Nupt. & conc. c. 17.] Ad omnia ista huic respondit Apostolus, qui neque voluntatem arguit parvuli, quæ propria in illo nondum est ad peccandum; neque nuptias, in quantum nuptiæ sunt, quæ habent à Deo non solùm institutionem, verùm etiam benedictionem; neque parentes, in quantum parentes sunt, invicem licitè atque legitimè ad procreandos filios conjugati: sed, [Rom. 5. 12.] Per unum, inquit, hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Quod isti si catholicis auribus mentibusque perciperent, adversùm fidem gratiamque Christi rebelles animos non haberent, neque conarentur inaniter ad suum proprium & hæreticum sensum hæc apostolica verba tam dilucida & tam manifesta convertere, asserentes hoc ideo dictum esse, quòd Adam peccaverit primùm, in quo de cetero, quisquis peccare voluit, peccandi invenit exemplum; ut peccatum scilicet non generatione ab illo uno in omnes, sed illius unius imitatione transiret. Cùm profectò, si Apostolus hîc imitationem intelligi voluisset, non per unum hominem, sed per diabolum potiùs, in hunc mundum peccatum intrasse, & per omnes homines pertransisse dixisset. De diabolo quippe scriptum est, [Sap. 2. 25.] Imitantur eum qui sunt ex parte ipsius. Sed ideo per unum hominem dixit, à quo generatio utique hominum cœpit, ut per generationem doceret iisse per omnes originale peccatum.

Aug. Dixisti verba libri mei, dic jam quemadmodum accipienda sint quæ ibi posui verba Apostoli: ut magis magisque manifesteris hæreticus, laudatorem te supponendo, ut auferas parvulis Salvatorem.

XXXVI. Jul. *Abuti te imperitiâ faventium tibi, & delitescere sub ambiguitate verborum, quicumque ille fuerit operum nostrorum eruditus lector, intelligit. Reliquum verò vulgus, de quo Propheta loquitur ad Deum,* [Habac. 1. 14.] *Æstimasti homines sicut pisces maris: mutua prægressione decipitur, ac* [a] *salutiferæ discretionis ignarum, totum putat conjungi posse rebus, quod viderit vocibus esse sociatum. Quid verò sit consequens, quid repugnans, quibusque concessis quid lex inexpugnabilis & reverenda rationis cogat inferri, nisi doctissimus adtentissimusque non judicat.*

Aug. Adhuc circuis quærendo dialecticos, & vitando ecclesiasticos judices. Dic jam quomodo accipiendum sit, [Rom. 5. 12.] Per unum hominem peccatum intravit in mundum: meliùs videlicet hoc intelligens, quàm ille qui dixit, [Ambrosius lib. 4. in Luc. c. 4. n. 38.] Omnes in Adam moriuntur, quia per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Illius igitur culpa mors omnium est. Et idem ipse alibi: [Ambrof. lib. 7. in Luc. c. 15. n. 234.] Fuit Adam, & in illo fuimus omnes; periit Adam, & in illo omnes perierunt. Ambrosius est ille, non quicumque de vulgo, cujus imperitam multitudinem non valentem de tuis disputationibus judicare, nimis alta cervice & proterva fronte contemnis: Ambrosius est, inquam, cui nulla ex parte in ipsis litteris sæcularibus, de quibus multùm inflaris, æquaris: in ecclesiasticis verò quis ille sit, audi vel lege Pelagium doctorem tuum, & noli amare sensum à sensu tanti hujus doctoris alienum.

Jul. *Et hoc est propter quod maximè, miserantes Ecclesiarum ruinas, ad virorum prudentiâ inlustrium provocamus examen, ut non quid dicatur, sed quid consequenter dicatur appareat. Si enim sub tali concilio disceptaretur; tibi utique non liceret, aut quod negaveras inferre, aut quod affirmaveras denegare: in libro verò tuo, quem nulla pudoris censura castigat, & quod catholici dicunt, & quod Manichæi,* [b] *confidenter adglomeras, hac sola opinione contentus, si respondisse dicaris; quid autem habeat ponderis oratio tua, quid constantiæ, cogitare etiam ineptum putas.* XXXVII.

Aug. Rogo dic jam quomodo intelligendum sit, Per unum hominem peccatum intravit in mundum: quid adhuc calumniaris, conviciaris, tergiversaris? [Rom. 5. 12.] Si in concilio, cujus videris desiderare judicium, sederent Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Basilius, Johannes Constantinopolitanus, ut alios taceam; numquid doctiores, prudentiores, veraciores judices quærere auderes? Ipsi contra dogmata vestra clamant, ipsi scriptis suis vestra scripta condemnant: quid quæris amplius? Hoc jam in primo & secundo librorum meorum satis docui, quos contra tuos quatuor ego sex edidi: sed ecce adhuc te audire paratus sum; dic jam quomodo sit accipiendum, quòd per unum hominem peccatum intravit in mundum.

Jul. *Denique sine cunctatione tribuens quæ poposci, quidque ex his confectum esset adspiciens, profiteris te ad hoc quod exstruximus, imbecillum esse; apostolum Paulum illis omnibus quæ diximus, obviare; quem tamen inducis eadem quæ tu dederas, concedentem. Ais enim,* Apostolus neque voluntatem arguit parvuli, quæ propria in illo nondum est ad peccandum: *quo dato, jam convictum est, nec posse in illo quodpiam esse peccatum, cujus nulla alia conditio est, secundùm definitionem quoque tuam, quàm voluntas admittendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.* XXXVIII. [Lib. 2. de Nupt. c. 27.] [Peccati definitio.]

Aug. Hæc definitio peccati est ejus, quod non est etiam pœna peccati. Nam ubi malæ consuetudinis voces esse* contenditis, atque ita voces vestri dogmatis suffocatis, dic, si audes, quomodo voluntati hominis liberum sit abstinere à malo, ubi audis, Non quod volo ago: aut nega esse malum, ubi audis, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. [Rom. 7. 19.] Sed utique agnoscimus, hoc peccatum pœnam esse peccati; & ideo discernendum ab illa definitione peccati, ubi voluntas hoc committit, unde liberum est abstinere. Intellige quod dico; & dic jam quæso, quomodo sit accipiendum, Per unum hominem peccatum intravit in mundum.

[* f. concediditis.]

Jul. *Ergo si Apostolus non arguit in illo propriam voluntatem, quam intelligit nec esse potuisse; pronuntiat utique, nec signum in eo criminis appa-* XXXIX.

[a] Editi, *progressione decipitur, ac salutifera discretione signatum.* Emendantur ex MSS.

[b] Duo MSS. Mar. & Clar. *& quod Manichæi confitentur, adglomeras.*

rere, eà maximè judicante justitià, quæ non imputat peccatum, nisi à quo liberum est abstinere. Verùm non hoc solùm tribuisse contentus, addis, Neque nuptias arguit Apostolus, in quantum nuptiæ sunt, quæ habent à Deo non solùm institutionem, verùm etiam benedictionem. *Quod per se solum æquè posset ad expugnandum peccatum naturale sufficere: quia si scit Apostolus, ut scit, non esse nuptias arguendas, ad quarum conciliationem & ministerium & instrumentum pertinet à Deo instituta & benedicta sexuum cum voluptate commixtio; non potest de his diabolica germinare possessio, nec fructus earum reus est, apud eam maximè justitiam, quæ peccatum non imputat, nisi unde liberum est abstinere.*

Lib. 2. de Nupt. cap. 27.

Aug. Noli, obsecro, cum tali voluptate [a] commixtionem conjugum in paradiso suspicari, qualem nunc facit libido, quæ non ad nutum voluntatis exsurgit, quæ mentes etiam sanctorum, cohibenda quidem, sed tamen importuna sollicitat. Absit, ut à fidelibus & prudentibus talis voluptas paradisi, talis illa pax & felicitas cogitetur.

a Libido qualis nũc est, non fuit in paradiso.

XL. Jul. *Consideremus & tertium, quo benignitas tua in adquiescendi facilitate cernatur.* Neque parentes, in quantum parentes sunt invicem licitè atque legitimè ad procreandos filios conjugati, Apostolus arguit. *Expende quid dixeris, non argui ab Apostolo parentes, in quantum parentes sunt. Ideo ergo eos, in quantum parentes sunt, non posse diabolo fructificare, nec de his aliquid, in quantum parentes sunt, ad diabolum pertinere pronuntiat: filii autem in tantum pertinent ad parentes, in quantum parentes sunt: igitur nec rei, nec sub regno diaboli, nec arguendi à diabolo comprobantur. Ut enim hoc quod diximus, repetitione clarescat: In tantum sexuum conjunctio soboli participat, in quantum qui conjuges sunt, fiunt parentes; si autem aliquid inter se voluerint agere petulantius, vel per inlicitos adulteriorum oberrare concubitus, hoc ad filios non potest adtinere, qui de vi seminum, non de vitiorum obscœnitate nascuntur.*

Ibidem.

Aug. Jamne confiteris etiam inter conjuges esse posse petulantiam commixtionis? Ecce quod facit [b] tua illa pulcra suscepta: hoc enim nisi cùm ei ceditur non fit, quando ad petulantiam, quam tu quoque reprehendis, etiam conjuges liberorum procreandorum caussâ copulatos, nulla necessitate ferendæ prolis impellit: cujus tantus laudator esse voluisti, ut nemo credat quòd etiam oppugnator esse audeas; quippe quam sic laudare non erubuisti, ut eam te liberet, nec puderet, etiam in paradisi beatitudine collocare.

Libido à Juliano etiam in paradiso collocata.

XLI. Jul. *Igitur ad nascentes generantium, non flagitia, sed semina pervehuntur: vim autem seminum Deus instituit, & sicut confiteri cogeris, benedixit.*

Aug. Semina Deus instituit: sed qui possunt in natura vitiata bonum ejus à malo ejus ita discernere, ut neque [c] putent naturam malum esse, neque vitium naturam esse, ipsi possunt discernere quid horum duorum ad Deum creare pertineat, quid sanare. Sed hoc vos non potestis, quamdiu Pelagiani, non catholici estis. Dic jam, rogo, dic jam, quomodo sit accipiendum, quòd per unum hominem peccatum intravit in mundum.

XLII. Jul. *Filii igitur nec tunc rei sunt, quando in eorum generatione peccant parentes: quia in tantum ad liberos suos pertinent, in quantum parentes sunt: igitur &* tantum filii ad parentes pertinent, in quantum filii sunt. Naturæ quippe generantium constat germina communicare, non culpæ. Quòd si ut ratio demonstrat, ita etiam Apostolum confirmare pronuntias; meritò nos, eo docente, defendimus peccata parentum ad filios pertinere non posse: quandò quidem & Apostolus Spiritu-sancto clarus, & nos instructi luce rationis, & tu pondere impugnatæ à te veritatis oppressus, communiter veréque fateamur, parentes [d] in quantum parentes sunt, reos non esse; in tantum autem ad filios pertinere, in quantum parentes sunt; igitur filios in quantum filii sunt, id est, ante quàm aliquid per voluntatem propriam operentur, reos esse non posse.*

* f. in tantum.

Aug. Parentes quidem gignendo parentes sunt, & filii nascendo filii sunt: nec gignere autem, nec nasci malum est, quod pertinet ad institutionem Dei, & utrumque sine pudenda libidine posset in paradiso fieri, si nemo peccasset. Pudenda enim libido nisi aut peccato exorta, aut peccato vitiata esset, pudenda non esset; & aut nulla esset omninò, & sine illa ita servirent genitalia membra gignentibus, ut manus serviunt operantibus; aut ita esset subsequens voluntatem, ut numquam posset sollicitare nolentem; qualem nunc eam non esse, castitas docet, quæ tales motus ejus expugnat, & in conjugatis, ne vel inter se indecenter lasciviant, vel in adulteria prolabantur, & in quibusque continentibus, ne huic consentiendo, dejiciantur. Ecce de qua trahitur originale peccatum: ecce per quam nasci noluit, qui venit, non suum ferre, sed nostrum auferre peccatum.

Libido pudenda non nisi ex peccato.

Qualis libido posset esse in paradiso.

De libidine trahitur originale peccatum.

XLIII. Jul. *Eant nunc, & omnia quidquid possunt Manichææ rationis moliantur ingenia, quàm volunt longas patiantur cogitationum ærumnas: non arroganter, sed religiosè polliceor, numquam hanc instructuram posse quassari.*

Aug. Quam instructuram vocas, [e] tibi ruina est, quæ te ita pressit, ut laudare cogeret quod expugnas: si tamen est in te qualiscumque castitas, quæ te faciat expugnare quod laudas.

XLIV. Jul. *Quà igitur fronte subjungis:* Sed, Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt? *quod interpretaris hoc modo, ut peccatum ab illo dicat Apostolus generatione in posteros fuisse transmissum. Suprà concesseras magistrum gentium nuptias, quibus Deus benedixerat, nihil accusare; voluntatem ad peccandum in nascente non esse; parentes autem, in quantum parentes sunt, licitè sibi legitiméque ad procreandos filios conjugari: & addis illico, quasi dormiens priora dixisses, crimen ad posteros genera-*

Lib. 2. de Nupt. c. 27. Rom. 5. 12.

a Sic omnes MSS. Editi autem ferunt, *cum tali voluptate conjugium in paradiso suspicari.* & prætereunt *commixtionem.*

b Vignerius, *Ecce quod facit tibi ad illa pulcra suscepta responsio.* At MSS. *tua illa*, omisso *ad.* Vox quoque *responsio* ab iisdem codicibus & à prima Menardi editione abest. *Suscepta tua*, Juliano frequentissimè dicit Augustinus, de concupiscentia loquens, cujus ille patrocinium suscepit.

c Editi, *ut neque qui*: & paulò pòst, *ipsi possint.* Abest *qui* à MSS. & habent, *ipsi possunt.*

d Hîc MSS. auctoritate adjicimus, *in quantum parentes sunt.*

e Menardus & MSS. *ibi.*

tione transmitti. Si enim in tantum generant, in quantum parentes sunt; in quantum autem parentes sunt, licitè sibi & legitimè junguntur; & hæc conjunctio ab Apostolo non improbatur, quia à Deo non solùm instituta, verùm etiam benedicta est; quo ore, qua lege, qua fronte, hanc generationem reatûs caussam, radicem criminum, servam diaboli, esse confirmas?

Aug. Jam nescio quotiens hæc dicta sunt, eisque responsum est. Multiloquio tibi excitas caliginem, quæ te non permittit malitiam vitiorum à naturæ bonitate discernere: & usque ad odiosum fastidium eadem per eadem repetens, nondum dicis quomodo sit accipiendum, quod per unum hominem peccatum intravit in mundum.

XLV. Jul. *Non ergo argui meretur ab Apostolo, & à diabolo possidetur; à Deo instituitur, & criminum fons est; à Deo postremò, ut confiteris, benedicitur, & à te frutex diabolicus accusatur.*

Nuptiæ à Deo benedictæ ac bonæ. Libido spiritui resistens mala.

Aug. Nuptias benedixit Deus, non resistentem spiritui concupiscentiam carnis, quæ non fuit ante peccatum: peccatum autem, sicut nec illam concupiscentiam quæ resistit spiritui, non benedixit Deus. Nuptiæ porrò, quas benedixit, si peccatum non fuisset admissum, quo natura vitiata est, aut sic uterentur genitalibus membris, quemadmodum aliis utimur, sine ulla libidine obedientibus voluntati; aut pudenda [a] ibi libido non esset, quoniam numquam resisteret voluntati, qualis nunc utique non est: quod profectò etiam tu sentis, quando ab ea sollicitante atque inliciente dissentis. Nuptiæ tamen, etiam nunc laudabiles sunt: quia neque instituunt hoc malum in hominibus, sed inveniunt; & eo malo bene utuntur intentione generandi, quamvis trahant inde qui generantur, originale peccatum, propter quod sunt regenerandi.

Libido cur nunc pudenda.

XLVI. Jul. *Quàm mecum nihil egeris, litterarum omnium testatur eruditio: quàm verò contra Apostolum nitaris, & contra Deum insanias, sententiarum tuarum pugna [b] demonstrat. Sed ostenso jam, non posse hæc conjungi, quæ rerum natura dissociat; interrogemus & Apostolum, ne illius putetur inesse sensibus, quæ in tuis est sententiis probata barbaries.*

Aug. Dic jam nunc saltem, quod tantis anfractibus differebas.

XLVII. Rom. 5. 12. Jul. *Audio itaque Paulum pronuntiantem, quia,* Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Quod tu, non propter exemplum peccati, sed propter generationem dictum esse confirmas: nosque hæreticos vocas, qui id ad exempla referamus: illoque te juvari æstimas argumento.* Profectò si Apostolus imitationem, *inquis*, intelligi voluisset, non per unum hominem, sed per diabolum peccatum intrasse, & per omnes homines pertransisse dixisset. De diabolo quippe scriptum est, Imitantur autem eum, qui sunt ex parte ipsius. Sed ideo per unum hominem dixit, à quo generatio utique hominum cœpit, ut per generationem doceret iisse per omnes originale peccatum. *At ego video Apostolum nihil quod ad infamationem generationis spectaret humanæ: nihil quod ad condemnationem innocentiæ naturalis, nihil quod ad crimen divini operis, protulisse.*

Aug. lib. 2. de Nupt. c. 27. Sap. 2. 25.

Aug. Diu dicis nihil, & cùm hoc verbum repetere destiteris, dicturus es nihil. Quis enim non te rideat persuadere conantem, non pertinere ad generationem quod ait Apostolus, Per unum hominem peccatum intravit in mundum; cù[m] ipse homo non sit genitus ab aliquo, de quo c[æ]teri gignerentur; sed pertinere dicitis ad exe[m]plum, cùm exemplum peccati, quod posterio[res] imitarentur, non intrarit in mundum, nisi p[er] eum qui nullum imitando peccavit? Primus na[m]que peccavit. Hunc autem non Adam, sed di[a]bolum esse, quis Christianus ignorat? Quid e[st] ergo quod te libet, nisi & non tacere, & nil dicere? Rom. 5. 12.

XLVIII. Jul. *Denique id quod ipsa verba non indicaverant, tu colligere argumentatione conatus, subdis, quia si de imitatione loqueretur, diabolum commemorare debuerat; sed quia de generatione voluisset intelligi, hominem dicere maluisse, quàm dæmonem. Interrogo ergo, quæ fuerit tibi hujus opinionis occasio: quid enim? negas tu hominum imitatione delinqui? Et licèt res absoluta Scripturarum adtestatione non egeat, tamen audi David: Noli æmulari inter malignantes, neque zelatus fueris facientes iniquitatem; ne æmulatus fueris eum qui prosperatur in via sua. Deinde omnes scripturæ veteris Testamenti commonent Israëlem, ne ritum profanæ gentis imitetur. Quæ igitur necessitas id cogebat, ut Apostolus, si imitationem vellet intelligi, diabolum magis quàm hominem nominaret, cùm & hominum & diaboli nosset imitatione delinqui? Aut ergo tu proba, non posse hominum imitatione peccari, nec hoc in lege uspiam contineri, & sic [c] assere suspicioni tuæ locum paratum; aut certè si manifestum est, nulla magis re quàm imitatione vitiorum invaluisse peccata, grandi imperitiâ collegisti Apostolum de diabolo profectò dicturum fuisse, si imitationem voluisset intelligi.* Psal. 36. 1.

Aug. Nonne antè dixi nihil te esse dicturum, homo nihil loquendo loquacissime? Sunt quidem peccata imitationis in mundo, cùm homines peccantum hominum exempla sectantur: non tamen per eos homines, quos quilibet imitantur, peccatum quod peccantes imitarentur, intravit in mundum; sed per eum qui primus nullum imitando, peccavit: hic est diabolus, quem imitantur omnes qui sunt ex parte ipsius. Sic & peccatum, quod non imitando committitur, sed nascendo trahitur, per hunc intravit in mundum, qui primus hominem genuit. Nihil ergo dixisti, & non nisi ad quosdam decipiendos, quosdam fatigandos lectores, tacere noluisti.

XLIX. Jul. *Quia ergo claret, imitationem malorum hominum non solùm consequenter, sed & necessariò dici; hoc interim argumentum tuum jacere perspicuum est. Quod verò addis, de diabolo esse scriptum,* Imitantur eum qui sunt ex parte ipsius: *& ego assentior dictum esse prudenter ab eo, quicumque libri ipsius auctor est; sed tibi non prodest, quod scribuntur quidam diaboli imitatione peccare, nisi docueris non posse hominum imitatione delinqui.* Sap. 2. 25.

Aug. Non hîc quæritur utrùm hominum imi-

[a] Particulam *ibi* addidimus ex MSS.
[b] Menard. & codex Port. *pugna dejurat.* Clar. *dejerat.* Mar. *degerat.*
[c] Codex Mar. *& asseres.*

tatione peccetur: quis enim nesciat, etiam hominum imitatione peccari? Sed quæritur, quale peccatum per unum hominem intrarit in mundum; utrùm quod imitando committeretur, an quod nascendo traheretur. Quia illud primum, id est, quod imitando committeretur, non nisi per eum intravit in mundum, qui primus neminem imitatus ceteris imitaturis peccandi introduxit exemplum, hoc est, diabolus: hoc autem alterum, id est, quod nascendo traheretur, non nisi per eum intravit in mundum, qui primus à nemine generatus, generandis ceteris originis ingessit initium; hic est Adam. De imitatione igitur angelorum & hominum intellige te nihil ad caussam pertinens dicere; sed tantùm tacere noluisse. Disputamus enim, non de quocumque peccatore, qui quandocumque peccavit in mundo; sed de illo per quem peccatum intravit in mundum: ubi si quæratur exemplum imitationis, diabolus invenitur; si contagium generationis, Adam. Proinde, dicens Apostolus, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, peccatum generationis intelligi voluit. Imitationis enim peccatum, non per unum hominem, sed per diabolum intravit in mundum.

Beda & Florus ad Rom. 6.

Rom. 5. 12.

L. Jul. *Nam cùm utrumque ex more dicatur, aliquando quòd diabolum quis imitatus, invideat; aliquando quòd hominem æmulatus, aut invidià aut * flagitiosorum sordibus oblinatur; hoc quoque imitationis nomen utrique possit convenire personæ, id est, & cùm de homine, & cùm de diabolo dicitur: tu perridiculè ineptire voluisti, per imitationis intellectum Adam non potuisse monstrari.*

* f. flagitiorum.

Aug. Numquid per quemcumque hominem, quem peccando alius imitatur, peccatum intravit in mundum? Dic si potes, quid sit, Per unum " hominem peccatum intravit in mundum, & per " peccatum mors, & ita in omnes homines per" transiit, sive mors, sive peccatum, sive potiùs cum morte peccatum. Nam peccatum, cujus imitatione peccatur, non nisi per diabolum intravit in mundum, qui primus non imitando fecit, quod alii facerent imitando.

LI. Jul. *Ad reliqua festinat oratio: sed premendus adhuc locus est, ut divisionibus quàm possumus brevibus, lectori & intelligentia rei & memoria suggeratur. In omnibus quidem penè rebus homonymorum, quæ æquivoca appellamus, conditio reperitur.*

Aug. Promiseras te intelligentiam suggesturum esse lectori, & loqueris de homonymis & æquivocis: quomodo ergo te ipsi saltem Pelagiani intellecturi sunt, nisi priùs ad scholas dialecticorum, ubicumque terrarum potuerint inveniri, propter hæc dicenda mittantur? An fortè & categorias Aristotelis, ante quàm tuos libros legant, eis exponens ipse lecturus es? Cur non & hoc facias, homo ingeniosissimus, quando quidem à deceptis miseris pasceris otiosus?

LII. Jul. *Sed ut nunc nobis sermo de præsentibus sit, generatio propriè sexibus imputatur, imitatio autem semper animorum est. Hic ergo affectus animi, quod possibiliter voluerit imitantis, hominem pro diversitate caussarum aut accusat, aut provehit: ita fit ut in bono & Deum, & Angelos, & Apostolos dicatur imitari: Deum, Estote perfecti, sicut Pater vester perfectus est: Angelos, Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra: Apostolos, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. In malo verò imitatur diabolum, sicut dicitur, Imitantur eum qui sunt ex parte ipsius: imitantur homines, Nolite esse tristes sicut hypocritæ, exterminantes facies suas: imitantur animalia, cùm mandatur, Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. His ergo verbis, tam adhortantibus quàm deterrentibus, ostenditur imitationis affectus, qui utique si esse non posset, non indiceretur cavendus.*

Matth. 5. 48. Matth. 6. 10. 1. Cor. 11. 1. Sap. 2. 25. Matth. 6. 16. Psal. 31. 9.

Aug. Sed peccatum imitationis, id est, quod imitatione fieret, non intravit in mundum, nisi per eum, qui ut imitatione peccaretur, sine imitatione peccavit: & non est Adam certè iste, sed diabolus. Qui enim dixit, intravit in mundum, initium peccati hujus ostendit: quod initium manifestum est, non esse factum per hominem, sed per diabolum; si peccatum quod imitarentur peccantes, velimus adtendere. Restat igitur, ut peccatum, quod per unum hominem intravit in mundum, non imitationi, sed generationi rectè possit adtribui. Agimus sanè Deo gratias, quoniam contra vestrum locutus errorem, voluntatem bonam qua imitamur bonos, non viribus nostri liberi arbitrii, sed auxilio Dei esse tribuendam, velut coruscante tibi veritate confessus es: quando quidem ut Angelos imitemur, non præsumendum à nobis, sed à Domino demonstrasti esse poscendum, sic exponens quod oramus & dicimus, Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.

Rom. 5. 12. Matth. 6. 10.

LIII. Jul. *Sed ut imitationis vocabulum rebus diversis manifestum est communiter convenire; ita generatio [a] verè & propriè generantem substantiam indicat: non propriè autem, sed abusivè studiis applicatur. Et tamen quia hic est jam usus loquendi, & quod indicarit agnoscitur, & proprietatibus præjudicium afferre non sinitur. Dicitur ergo diabolus generare peccantes, secundùm quod Dominus in Evangelio: Vos, ait, ex patre diabolo estis. Quo sermone, eum dixit criminosorum patrem, cujus malignitatem convincebantur imitari: & tamen in absoluto est intelligentia, quia per hoc nomen, videlicet patris, nec diabolo sexus, nec hominibus illis aëria sit adscripta substantia. Iam igitur quid confici hinc voluerimus appareat. Si propriè numquam hominem homo judicaretur imitari, & Apostolus per Adam omnes peccasse dixisset: ego liberè præscriberem usu Scripturarum esse Apostolum vindicandum, ut quomodo Dominus diabolum dixerat patrem, qui substantià generare non poterat, ita Apostolus hominem scripsisset imitabilem, ne quid docuisse contra rationem perspicuam crederetur.*

Johan. 8. 44.

Aug. Numquid Adam prior in peccato imitabilis fuit, ut meritò per illum hoc peccati genus intrasse diceretur in mundum? Nonne diabolus prior imitabilis in peccato exstitit? Per illum ergo intrasse in mundum peccatum, Apostolus diceret, si peccatum quod imitando alii facerent, eo loco vellet intelligi.

LIV. Jul. *Nunc verò si [b] colligam, quæ sunt in Evangelio abusivè prolata, non sustinent. Multò magis apostolus Paulus nullam errori occasionem*

[a] Sic MSS. At editi, *vera & propria*.
[b] Editi, *si calumnias, quæ sunt in Evangelio abusivè prolata.* | Castigantur ex MSS.

præbuit, qui nihil dixit improprium, si pronuntiavit, A *peccatorem primum hominem sequentibus peccantibus exemplum fuisse.*

Adam & Christus ab Apostolo propositi, ille ut generationis, hic ut regenerationis auctor.

Aug. Non ergo debuit istos duos proponere, unum ad peccatum, alterum ad justitiam, Adam scilicet, & Christum. Si enim primum peccatorem, proper peccatum quod imitati sunt ceteri, posuisset Adam; profectò primum justum, propter justitiam ceteris imitandum, non Christum poneret, sed Abel: primus quippe Abel, nullum hominum imitans, sed ceteris imitandus, justus fuit. Sciens autem quid loqueretur Apostolus, Adam posuit ad peccatum, Christum ad justitiam; quia illum noverat generationis, istum regenerationis auctorem.

LV. Jul. *Ac per hoc bardissimè argumentatus es, quòd si apostolus Paulus per imitationem transisse peccatum voluisset intelligi, diabolum magis, quàm Adam nominasset: cùm clareat, & hominis & diaboli malum non nisi imitatione transire potuisse. Verùm disjecto quod tu exstruxeras, non tam meis* C *quàm ipsius rationis manibus, quid nunc à nobis afferatur adtende.*

Aug. Non te disjecisse quod struxeram, nec sanæ rationis, sed vanæ tuæ opinionis manus te frustra intulisse structuræ nostræ, utriusque nostrûm verba qui legerint judicabunt.

LVI. Jul. *Ostendit Apostolus non à se dictum esse, peccatum* [a] *generatione transisse, quando nominans hominem, adjecit unum; unus enim numeri principium est: & ille explicans per quem diceret intrasse pecca-* D *tum, non solùm eum nominavit, verùm etiam numeravit:* Per unum, *inquit,* hominem peccatum in hunc mundum transiit. *Hic autem unus præbendæ imitationi sufficit, generationi implendæ non sufficit. Peccatum autem transiit; sed per unum. Manifestum est, imitationem hic, non generationem coargui, quæ nisi per duos fieri non potest. Aut igitur ostende, per Adam solum sine muliere generationem exstitisse; nec hoc enim ab elegantia tui abhorret ingenii: aut certè quoniam vides generationem nisi per duos con-* E *stare non posse, assentire vel serò, accusatum non esse per unum numerum opus duorum.* Per unum, *inquit,* hominem peccatum intravit in mundum: *qui dixit per unum, intelligi per duos noluit. Quid, rogo, quærebat inter hæc dogmata numerus, ut Apostolus tantâ curâ, non solùm hominem, sed unum hominem nominaret? Verùm apparet cautus augusti sermo consilii, qui revelante Spiritu-sancto, temporum nostrorum præcavit & exarmavit errores: ne in infamationem quippe aliquid instituti à Deo con-* F *jugii vel benedictæ fecunditatis dixisse putaretur; cùm caussa posceret ut peccati replicaret exordia, per eum dixit numerum transisse peccatum, qui fetibus non poterat convenire. Et certè primi homines ambo deliquerant, qui ambo meritò vocantur forma posteris fuisse peccati: cur non igitur Apostolus per duos ait transisse peccatum; quod & ad fidem magis historiæ congruebat? Verùm nihil potuit ab eo prudentius fieri: vidit enim si duos nominasset, qui prævarica-* G *tioni initium exemplumque præstiterant, & per eos affirmasset transisse peccatum, errori occasionem patere, ut putaretur per duorum* [b] *nomina conjunctionem fecunditatemque damnasse. Ideoque prudentissimè unum maluit nominare, qui non sufficiens ad generationis indicium, ad signum abundaret exempli; atque imi-* A *tationem accusatus gravaret, nec fecunditatem numeratus argueret. Et ut breviter quod egimus colligatur, fecunditas in primis hominibus instituta, nisi per duos agi non potest: peccatum autem Apostolus intrasse pronuntiat, sed per unum.*

Aug. Prædixeram te nihil esse dicturum; & ita esse, cuivis tardissimo clarum est. Numquid enim Evam non imitantur peccantes, aut peccatum generis humani non magis ex ipsa sumsit initium? A muliere initium factum est peccati, & B propter illam, sicut scriptum est, morimur omnes. Cur ergo non vis adtendere, propterea potiùs Apostolum unum dixisse hominem, per quem peccatum intravit in mundum, quia non imitationem, sed generationem volebat intelligi? Sicut enim à muliere initium peccati fuit, sic initium generationis à viro est: prior enim vir seminat, ut femina pariat: ideo per unum hominem peccatum intravit in mundum, quia per semen generationis intravit, quod à viro excipiens C concepit femina: quo more nasci noluit, qui solus sine peccato est natus ex femina.

Beda & Florus ad Rom. 6.

Eccli. 25. 33.

Generationis initium à viro.

LVII. Jul. *Inrefutabiliter confectum est, peccatum illud ostendi ab Apostolo moribus ad posteros, non seminibus fuisse devectum: quanta ergo de ore tuo effluxerit falsitas, intuere.* Sed ideo per unum hominem Apostolus dixit, à quo generatio utique hominum cœpit, ut per generationem doceret iisse per omnes originale peccatum. *Cùm ideo Apostolus per unum hominem dixerit, ne putaretur* D *isse per omnes originale peccatum. Ineptis ita, ut vix teneam cachinnum, qui dicis generationem ab uno homine cœpisse; cùm & diversitas sexuum, & lectio divina testetur, generationem non esse potuisse, nisi duo priùs homines, id est, vir & mulier exstitissent.*

Aug. lib. 2. de Nupt. c. 27.

Aug. Qui hoc legunt, legant iterum superiorem responsionem meam; aut si ejus bene meminerunt, deliramenta hujus inrideant. Quamvis possem dicere, ideo non duos, sed unum hominem E dixisse Apostolum, per quem peccatum intravit in mundum; quia scriptum est, Erunt duo in carne una: unde Dominus ait, Igitur jam non sunt duo, sed una caro: maximè quando vir adhæret uxori, & initur concubitus. De concubitu autem proles gignitur, trahens originale peccatum, vitio propagante vitium, Deo creante naturam: quam naturam conjuges, etiam bene utentes vitio, non possunt tamen ita generare, ut possit esse sine vitio: quod ille qui si- F ne ipso natus est vitio, evacuat in parvulis, etiam nolente Juliano.

Gen. 2. 24.

Matth. 19. 6.

Vitiũ propagat vitium.

LVIII. Jul. *Aut si fortè, (quoniam aliter dogma tuum stare non potest,) Adam ex se concepisse & peperisse responderis: Apostolum quidem non hoc sensisse nulli dubium; tu verò quid sexui tuo volueris evenire monstrabis.*

Aug. Non expavescis quod scriptum est, Neque maledici regnum Dei possidebunt? Neque enim tam fœda convicia nihil te adjuvantia, nisi G maledicendi libidine, loquereris.

1. Cor. 6. 10.

LIX. Jul. *Verùm hæc omissa faciamus, & illud quod à vobis apparet posse in hoc loco referri, rationis viribus deteramus. Si ergo dixeris, scriptum esse de hac commixtione, quòd fiant duo in carne una, & secundùm hunc modum, Apostolum per unum hominem di-*

Rom. 5. 12.

[a] MSS. in generatione.

[b] Editi, *per duorum nominum conjunctionem fecunditatem damnasse.*

xisse, ut adhærentia sibi generantium membra signaret: respondebo hoc quoque contra vestram impietatem valere. Non enim dictum est, Erunt duo homines in uno homine; sed, Erunt duo in carne una: quo unitionis nomine voluptas illa coëuntium, & libido quæ sensum afficiens membra consternat, ac, sicut ille prudens intellexit, unam carnem gestit efficere, à Deo instituta & corporibus ante peccatum doceretur inserta.

Duo in carne una esse possunt sine libidine.

Aug. Si ut essent duo in carne una, facere nisi libido non posset, (quam susceptam tuam talem prorsus, qualis nunc à te & laudatur & expugnatur, quam pudendam confiteris & sine pudore sic diligis, audes etiam paradisi possessione dotare,) nullo modo etiam in Christo & in Ecclesia posset intelligi, Erunt duo in carne una. (Gen. 2. 24.) Neque enim tam longè exorbitas à veritatis via, ut etiam conjunctioni Christi & Ecclesiæ, hanc audeas [a] importare libidinem. Porrò si possunt sine ista esse duo in carne una Christus & Ecclesia; potuerunt etiam vir & uxor, si nemo peccasset, non pudenda libidine, de qua erubescit & qui eam laudare non erubescit, sed meritò laudanda caritate [b] conjungi, & filiorum procreandorum caussâ esse duo in carne una. Unde Dominus cùm dicit, Igitur jam non sunt duo, sed una caro (Matth. 19. 6.): non utique dicit, non sunt duæ, sed una caro. Quid ergo non sunt duo, [c] nisi homines? sicut Christus & Ecclesia simul non duo Christi, sed unus est Christus: unde & nobis dictum est, Ergo Abrahæ semen estis (Gal. 3. 29.); cùm de illo dictum sit Abraham, Et semini tuo, quod est Christus (Ibid. 16.).

LX. Jul. *Ac per hoc nihil sibi vel de jocunditate ejus, vel de verecundia potest diabolus vindicare.*

Aug. Quid est quod dicis, *de verecundia*? An confusionem nominare confunderis? Et tamen pudendam libidinem, & ante peccatum fuisse dicis in eis de quibus dicit Scriptura, Nudi erant, & non confundebantur (Gen. 2. 25.).

LXI. Jul. *Verumtamen hic Apostolus si quid tale sensisset, per unam carnem, non per unum hominem peccatum intrasse dixisset. Per generationem verò substantia carnis soboli sola participat: quia non anima de anima, sed caro de carne trahitur: in nomine autem hominis, & animus propriè indicatur & corpus: ac per hoc Apostolus unum hominem nominando, nec negotium fecunditatis ostendit, in quo nihil præter substantiam carnis impertiri noverat; nec duos intelligi voluit, qui unum inculcavit, ut doceret imitatione transisse, non generatione peccatum.*

Matth. 19. Caro dicitur homo, figurâ à parte totū.

Aug. Quid est ergo, Jam non sunt duo, sed una caro; nisi, non sunt duo homines, propter unam carnem? Cùm & ipsa caro posset dici homo, à parte totum: sicut, Verbum caro factum est (Iohan. 1. 14.); quia homo factus est, de quo dictum est, Apostolus etiam quod ait, Exterior homo corrumpitur (2. Cor. 4. 16.): puto quòd carnem intelligi voluit. Propter quod rectè loquimur, cùm dicimus hominis sepulcrum: quamvis caro ibi sola sepulta sit. Nec erravit quæ dixit, Tulerunt Dominum meum de monumento (Iohan. 20. 13.): quamvis sola caro ibi posita fuerit. Manente ergo de animo obscurissima quæstione, potuit dici, Per unum hominem peccatum intravit in mundum (Rom. 5. 12.); etiam si ad propaginem sola caro pertineat. Hæc itaque attende, & quàm nihil dixeris vide.

LXII. Jul. *Hic jam, licèt egerit partes suas veritas, tamen ut sit intentus lector, admoneo. Plurimum igitur in hoc conflictu de meo jure deposui, secutusque quò adversarii temeritas provocaverat, adeo sanæ fidei scita defendi, ut etiamsi magistri gentium verba essent, quibus illum usum Traducianus putavit; liqueret tamen eum nihil de naturali sensisse peccato, qui nominando hominem, sed unum, non utique generationem criminis, sed exempla culpasset.*

Aug. Exemplum dedisti, sed vanitatis in te ipso: quia si exemplum peccati à primo peccatore homine Apostolus poneret, id est, Adam; profectò exemplum justitiæ à primo homine justo poneret, id est, Abel.

LXIII. Jul. *Constat autem non esse apostolicorum verborum eum ordinem, quem inimicus noster putavit. Argumentatur quippe hoc modo:* Si Apostolus imitationem, *inquit*, voluisset intelligi, non per unum hominem, sed per diabolum peccatum intrasse, & per omnes homines pertransisse dixisset (Aug. lib. 2. de Nupt. c. 27.). De diabolo quippe scriptum est, Imitantur eum qui sunt ex parte ejus (Sap. 2. 25.). Sed ideo per unum hominem dixit, à quo generatio utique hominum cœpit ut per generationem doceret iisse per omnes originale peccatum. *In hoc ergo mentitur, quòd affirmat beatum Paulum pronuntiasse, quia per unum hominem peccatum intraverit in mundum, atque ita in omnes homines pertransierit: hoc, inquam, in magistri Gentium sermonibus non tenetur: ille quippe non dixit peccatum transisse, sed mortem. Est ergo ordo verborum: Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. 5. 12.)*. Sublimis informator Ecclesiæ, quid sibi dicendum esset expendit: Per unum, inquit, hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit. Iam nominaverat mortem, atque peccatum; quid fuit necesse, ut in eo quod pertransisse dicebat, mortem à peccati communione separaret; ut signanter ostenderet, in hunc quidem mundum per unum hominem intrasse peccatum, & per peccatum mortem; in omnes verò homines non peccatum transisse, sed mortem, utique judicii inlatam severitate, prævaricationis ultricem, non corporum semina, sed morum vitia persequentem; nisi quia commendare & præmunire curavit, ne vestro dogmati opitulatus aliquid putaretur?*

Aug. In eo quidem loco, ubi dictum est: "Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit" (Beda & Florus ad Rom. 5.): utrùm peccatum, an mors, an utrumque per omnes homines pertransisse dictum sit, videtur ambiguum: sed quid horum sit, res ipsa [d] tam aperta demonstrat. Nam si peccatum non pertransisset, non omnis homo cum lege peccati, quæ in membris est, nasceretur: si mors non pertransisset, non omnes homines, quantum ad istam conditionem mortalium pertinet,

[a] Sic MSS. Editi autem, *imputare*.
[b] In MS. Port. *conjugii*.
[c] Editi, *non nisi*. Abest *non* à MSS.

[d] Editi, *jam apertè*. At MSS. *tam aperta*: nec aliter Beda & Florus in hunc Apostoli locum.

Non erat justum, sine crimine transire in posteros Adæ supplicium.

morerentur. Quod autem dicit Apostolus, In quo omnes peccaverunt: *in quo*, non intelligitur nisi in Adam, in quo eos dicit & mori; quia non erat justum, sine crimine transire supplicium. Quacumque te vertas, nullo modo catholicæ fidei fundamenta subvertes: præsertim quia & tu ipse tibi adversaris, qui nunc dicis non peccatum transisse, sed mortem; cùm superiùs dixeris, (Suprà n. 56. & 61.) Apostolum ideo non duos homines, sed unum inculcasse, ut doceret imitatione transisse, non generatione peccatum. [a] Transiit ergo cum morte peccatum: quid est quod nunc dicis, non peccatum transisse, sed mortem?

LXIV. JUL. *Quantum igitur inter te & Paulum distet, intende. Ille dicit, per unum hominem: tu, per duos, id est, per generationem. Ille pronuntiat, in primo homine & peccatum & mortem fuisse, ad posteros verò solam transisse mortem: tu contrà asseris, & peccatum ad omnes & interitum cucurrisse.*

AUG. Jam responsum est: relegant qui volunt quæ suprà diximus, ne superfluò eadem iterum iterumque repetamus.

LXV. JUL. *Impudenter igitur sub umbra ejus nominis delitescis, cùm nimis diversa contrariaque dicatis. Ille enim arguit opus hominum, tu opus Dei: ille studia delinquentium, tu innocentiam vitamque nascentium: ille voluntatem hominum, tu naturam.*

AUG. Superiùs ad omnia ista responsum est: unde jam te inridet qui meminit; qui verò non meminit, si illa relegerit, profectò ista tua vana cùm inriserit, te dolebit.

LXVI. JUL. *Intravit igitur, secundùm Apostolum, per unum hominem peccatum in hunc mundum, & per peccatum mors; quoniam illum & reum, & [b] damnationi mortis perpetuæ destinatum, mundus adspexit. In omnes autem homines mors pertransiit; quia una forma judicii prævaricatores quosque etiam reliquæ comprehendit ætatis: quæ tamen mors, nec in sanctos, nec in innocentes ullos sævire permittitur; sed in eos pervadit, quos prævaricationem viderit æmulatos.*

(Lib. de gestis Pelagii, cap. 11. & 33.)

AUG. Hoc loqueris, quod objectum est hæresiarchæ vestro Pelagio in episcopali judicio Palæstino, quòd ita factus fuerit Adam, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. (Eccli. 25. 33.) Hanc enim mortem qua omnes morimur, de qua dictum est, A muliere initium factum est peccati, & propter illam omnes morimur, non vis ex peccato in omnes fecisse originaliter transitum; ne cogaris fateri simul etiam originaliter transisse peccatum. Sentis quippe, quàm iniquum sit, sine merito transisse supplicium. (Iniquum sine merito transisse Adæ supplicium in posteros.) Verumtamen tam catholicum est quod expugnare conaris, ut hoc ille cui, sicut dixi, objectum est, nisi damnasset, profectò ex illo judicio damnatus exiisset. Mors ergo & ista, qua spiritus à corpore separatur, & illa quæ dicitur secunda, qua spiritus cum corpore cruciabitur, quantum adtinet ad meritum generis humani, in omnes homines pertransiit: (Mors duplex in omnes pertransiit.) sed gratia Dei, per eum qui venit, ut moriendo regnum mortis auferret, ea resurrectione cujus in illo præcessit exemplum, mortem regnare non sivit. Hoc tenet catholica fides, hoc tenent judices quos Pelagius formidavit; hoc non tenent hæretici quos Pelagius seminavit.

LXVII. JUL. *Quæ prævaricatio, licèt non sit facta naturalis; fuit tamen forma peccati: atque ob hoc, licèt non aggravet nascentes, tamen accusat imitantes.*

AUG. Et si tu oblitus es grave jugum quod aggravat nascentes; nos te non desistimus commonere.

LXVIII. JUL. *Mors autem judicialis transiit in eo* [c] *quo peccaverunt omnes, sed libera voluntate: quo verbo, id est*, omnes, *Scripturarum more multitudo, non universitas indicatur.*

AUG. Frustra recta verba torquere, & clara obscurare conaris. In eo peccaverunt omnes, in quo moriuntur omnes: ipse est Adam, in quo si parvuli non moriuntur, profectò nec in Christo vivificabuntur: sed quoniam sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur; (1. Cor. 15. 21.) ideo qui volunt hæc verba pervertere, ipsi eis manentibus evertuntur.

LXIX. JUL. *Sed jam pergamus ad reliqua, ut cui dogmati Apostolus concinat, sicut ex multa parte claruit, processibus sacri sermonis ostendat.* Quid autem aliud indicant etiam sequentia verba apostolica? Cùm enim hoc dixisset, adjunxit, Usque ad legem peccatum in mundo fuit: id est, quia nec lex potuit auferre peccatum. (Aug. lib. 2. de Nupt. c. 27. Beda & Florus ad Rom. 5. 13.) Peccatum autem non deputabatur, cùm lex non esset. Erat ergo, sed non deputabatur, quia non ostendebatur quod deputaretur: sicut enim alibi dicit, Per legem cognitio peccati. (Rom. 3. 20.) Sed regnavit, inquit, mors ab Adam usque ad Moysen. (Rom. 5. 14.) Hoc est quod suprà dixerat, usque ad legem. Non usque ad Moysen, ut deinceps non esset peccatum; sed quia nec lex per Moysen data regnum potuit mortis auferre, quæ non regnat utique nisi per peccatum. Regnum porrò ejus est, ut hominem mortalem in secundam etiam, quæ sempiterna est, præcipitet mortem. Regnavit autem, in quibus? etiam in his, inquit, qui non peccaverunt, in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. (Ibidem.) Cujus futuri, nisi Christi? & qualis forma, nisi à contrario? Quod alibi etiam dicit, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. (1. Cor. 15. 22.) Sicut in illo illud, ita in isto istud ipsa est forma. Sed hæc forma non omni ex parte conformis est: unde hìc Apostolus secutus adjunxit, Sed non sicut delictum, ita & donatio. (Rom. 5. 15.) « Si enim ob unius « delictum multi mortui sunt, multo magis gratia « Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in multos abundavit. Quid est, multo magis abundavit? Quia omnes qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam moriuntur, propter ipsum autem Christum sine fine victuri sunt. *Nihil aliud consequentibus Apostoli sermonibus indicari professus es quàm originale peccatum: quod nos approbavimus ipso sui exordio non ab eo ostensum fuisse, quia per unum, non per duos, peccatum transisse signaverat.*

AUG. Jam responsum est, & adhuc tu vana loqueris: neque enim hoc mirum est: adhuc enim quid responderim nescis: tunc eris impudentior quando scieris, si vanis relictis vera tenere nolueris.

[a] Hic veterum librorum auctoritate restituimus, *Transiit ergo cum morte peccatum.*

[b] Sic MSS. Mar. Clar. & Port. At editi, *dominationi.*

[c] Editi, *in eo, in quo.*

LXX. Rom. 5. 13. Jul. *Verumtamen utrùm id quod præterierat, vel nunc intimet, expendendum est.* Usque ad legem, *inquit,* peccatum in mundo. *Tu dicis quia hoc peccatum Apostolus naturale voluerit intelligi: quæro ergo, si usque ad legem fuit, cur desierit esse post legem. Neque enim adquiesco, ut usque ad legem, usque ad finem ejus, potiùs quàm usque ad exortum intelligam. Mecum facit verbi proprietas: quod dicit usque ad legem fuisse, ostendit non esse post legem; & quodcumque tempore ablatum est, naturale non fuit. Quod ergo infregit censura legis, & infringendo ex multa parte restinxit, imitatione apparet, non generatione susceptum.*

Aug. O intellectum, quid aliud dicam, quàm hæreticum! Si ergo lex abstulit peccatum, quia sic vis intelligi *usque ad legem:* fuit ergo per legem justitia. Gal. 2. 21. Si per legem justitia; ergo Christus gratis mortuus est. Si autem peccatum lex non abstulit ut non esset, quod priùs eam fecisse dixeras, & mox te pœnituit; sed tamen peccatum lex infregit, ut postea correxisti, & ex multa parte restinxit: Rom. 5. 20. mentitus est qui ait, Lex subintravit ut abundaret delictum. Sed quia ille verum dixit, tu nihil dicis; & tamen nihil dicendo, hæreticâ pertinaciâ contradicis.

LXXI. Jul. *Verùm ne videar hìc nimis tecum agere tenaciter, adquiescamus, quod* usque ad legem, *usque ad Christum possit intelligi: concedis ergo peccatum hoc quod dicis originale, non esse post Christum? Et quomodo, & in Apostolorum membris, & in omnibus baptizatis, & usque hodie post tot sæcula adventus Christi, opus diaboli, fruticem adversariæ potestatis, legemque peccati manere, vigere, vivere dicis?*

Aliud est peccatum, aliud concupiscentia peccati. Aug. Non hoc dico: nihil dicis. Aliud est peccatum, aliud concupiscentia peccati, cui non consentit qui per gratiam Dei non peccat: quamvis & ipsa concupiscentia peccati vocetur peccatum, quia peccato facta est. Sicut scriptura quælibet, manus ejus dicitur cujus manu facta est. Johan. 1. 29. De quo autem dictum est, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; ipse reatum peccati, quod generatione trahitur, regeneratione dissolvit; ipse spiritum donans facit non regnare peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum Rom. 6. 12. concupiscentiis ejus; ipse quotidianâ indulgentiâ, propter quam quotidie dicimus, Dimitte nobis debita nostra, Matth. 6. 12. si quid concupiscentia peccati etiam bene resistendo certantibus malè persuaserit, misericors delet; ipse gravi ruinâ elisos erigit pœnitentes; ipse ubi non possit omnino peccari, perducet constituetque regnantes, quando dicetur, Ubi est mors contentio tua? ubi est mors 1. Cor. 15. 55. & 56. aculeus tuus? Aculeus autem mortis est peccatum. Ecce quomodo peccatum mundi Agnus ille [a] Dei tollit, quod lex auferre non potuit.

LXXII. Rom. 5. 13. Jul. *Verùm videamus & reliqua.* Peccatum autem non deputabatur, *ait Apostolus*, cùm lex non esset: *post quod tu subdis*, Erat ergo, sed non deputabatur, sicut alibi dicit, Per legem cogni- Rom. 3. 20. tio peccati. *Si ergo per legem peccati est facta cognitio, & peccatum traducis ante legem non imputabatur; ostende hoc imputatum fuisse sub lege. Nam si per legem peccati cognitio, ante legem ignoratio peccati; ambigi non potest hanc fuisse caussam maximam promulgandæ legis, ut proderetur & caveretur, quod priùs latebat.*

Aug. Ut proderetur, verum dicis; hoc & nos dicimus: ut autem caveretur, non lex, sed gratia; non littera, sed spiritus fecit. Lex enim subintravit, non ut caveretur, sed ut abundaret peccatum, & superabundaret gratia, qua peccatum & deleretur factum, & ne fieret caveretur. Lex fecit ut peccatū proderetur, gratia ut deleretur & caveretur. Rom 5. 20.

LXXIII. Jul. *Hic sit ergo summa certaminis: aut ostende imputatum sub lege fuisse cuiquam originale peccatum, ostende fuisse monstratum; & consentiam de hoc peccato Apostolum locutum fuisse.*

Aug. Ostendo quidem, quod provocas ut ostendam: sed si oculos aperiatis ad ea quæ videre non vultis, & ne ab aliis videantur, nebulas contentionis offunditis. * Circumcisio carnis, lege præcepta est; qua non posset meliùs significari, per Christum regenerationis auctorem tolli originale peccatum. Cum præputio quippe omnis homo nascitur, quemadmodum cum originali peccato: & octavo die lex circumcidi carnem præcepit, quia Christus die Dominico resurrexit, qui post septimum sabbati octavus est: & circumcisus præputiatum gignit, trajiciens in illum quo ipse jam caruit; sicut baptizatus in filium quem generat carne, reatum tamen trajicit originis, quo absolutus est ipse. Prostremò in lege scriptus est Psalmus: Ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea in utero me aluit. Quod videretis profectò, nec auderetis aliquid contradicere, si Cypriano, & Ambrosio, ceterisque talibus Ecclesiæ doctoribus, fidei oculos similes haberetis. Circumcisio signum gratiæ Christi tollentis originale peccatum. * Prosper sent. 158. Gen. 17. 12. Psal. 50. 7.

LXXIV. Jul. *Aut certè quia hoc in lege non potest inveniri, adquiesce impudentissime, de eo peccato loqui Apostolum, quod imitatione trahitur, voluntate committitur, ratione arguitur, lege ostenditur, æquitate punitur.*

Aug. De omni peccato quod per Christum tollitur, dictum est, Usque ad legem peccatum in mundo fuit: quoniam lege non tollitur, sive originale, sive additum, sive quod erat & ante legem, sive quod etiam lege subintrante abundavit. Cùm autem ais, de eo peccato loqui Apostolum, quod æquitate punitur: expergiscere, & vide ibi esse & originale peccatum. Non enim aliter æquitas Dei grave jugum imponeret ipsis quoque exordiis parvulorum: quod jugum cura nostra sæpe commemorat, ut cervicem tuam, si non inflexerit, frangat. Nam hoc peccatum etiam lege monstrari, præcepto circumcisionis ostendi. Quod si negas tu, doce quo peccato proprio, si non circumcideretur, interibat anima parvuli de populo suo. Scio, non doces: sed volens nos fatigare, nec taces. Æquitas Dei grave jugum exordiis parvulorū non imponeret, nisi esset originale peccatum. Gen. 17. 14.

LXXV. Jul. *Ceterùm quod fingitis, originale peccatum, nec per unum transmitti potest, quoniam generatio per duos agitur.*

Aug. Jam responsum est: lege quæ hinc à me dicta sunt, & invenies te vana dixisse.

LXXVI. Jul. *Nec potuit aliquando esse, si potest aliquando non esse: quia naturalia ab initio substantiæ usque ad terminum illius perseverant.*

Aug. Hoc & de morte posses dicere; nam etiam cum ipsa nascimur: Corpus enim mortuum est propter peccatum: sed & si non propter peccatum, sicut desipitis; nascimur tamen sine Rom. 8. 10.

dubitatione

[a] Editi, *Deus.* Attamen MSS. Port. Mar. Clar. *Dei.*

dubitatione mortales: & tamen mors atque mortalitas non erit, immortaliter viventibus nobis. Sicut ergo mors originalis est, & tamen potuit esse, potest non esse, meliùs nostrâ manente naturâ: sic & originale peccatum, & potuit esse, generatione tractum; & potest non esse, [a] regeneratione detractum.

LXXVII. Jul. *Nec à lege ostensum est, vel ostendi potuit; quia numquam legislator usque ad hanc veniret amentiam, ut præciperet cuiquam, Noli ita, vel ita nasci: & quod admoneri non* [b] *decuit ut corrigatur, justum esse non potest ut puniatur.* B

Aug. Non præcipitur homini quo modo nascatur: sed præceptum est quo modo ille viveret, præceptumque violavit; à quo parente peccatum originale deducitur. (Peccatum originale.) Præcipitur etiam ut infans circumcidatur, damnandus nisi circumcidatur: cui tamen non solùm aliquid aliud, sed nec saltem circumcisio ipsa præcipitur. Ac per hoc, non quidem præcipitur homini quo modo nascatur: mundus tamen non est à sorde peccati, nec infans cujus C est unius diei vita super terram. (Job 14. 4.) Lege verba sancti Job: & invenies te esse mendacem, loquente illo quem Deus dixit esse veracem.

LXXVIII. Jul. *Et quod usque ad legem est, ostenditur non esse post legem, ostenditur postremò non esse post Christum.*

Aug. Ita reatus hujus peccati ostenditur non esse post peccatorum abolitionem, sicut mors post carnis resurrectionem.

LXXIX. Jul. *Ac per hoc, secundùm argumentationem* D *quoque tuam, olim non est:* [c] *secundùm testimonium veritatis, numquam fuit.*

Aug. O si vos non essetis, qui contra testimonium veritatis falsum testimonium vestrum & dicitis, & insuper scribitis!

LXXX. Jul. *Et ut quod egimus, inculcetur memoriæ lectoris; definisti quondam* peccatum, *& optimè*, nihil esse aliud quàm voluntatem admittendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. (Peccati definitio.)

Aug. Jam responsum * est, quòd peccati sit E ista definitio, non ejus quod sit & pœna peccati. (* Suprà lib. 1. n. 47.)

LXXXI. Jul. *Quæ definitio ad intelligendam quoque justitiam Dei aperuit viam, ut censeremus æquitatem divini neutiquam stare judicii, nisi illud imputasset* [d] *in peccatum, à quo nosset liberum fuisse ei, qui propter hoc affligitur, abstinere.*

Aug. Propter quid ergo affliguntur parvuli, si nullum habent omnino peccatum? An omnipotens & justus Deus injustas pœnas à tot inno- F centibus prohibere non potuit? (Pœnæ parvulorum injustæ, si illi sint innocentes.)

LXXXII. Jul. *Magistrum verò gentium rationem privilegio auctoritatis armantem, pronuntiasse, quia per unum hominem in hunc mundum culpa transierit; quo nomine separavit opera nuptiarum, quæ sine duorum negotio esse non possunt; commendavimus: atque ob hoc ab illo unum fuisse nominatum, ne quis duos intelligere auderet.*

Aug. Jam responsum est: assiduè te delectat vana garrire. G

LXXXIII. Jul. *Et re vera multo ego consequentiùs, unum quem Apostolus dicit, unum assero, ut doceam vi-* A *tium imitationis, non generationis fuisse, quàm Traducianus unius nomine, qui dicitur peccati fuisse vestibulum, seminibus rem* [e] *admovet voluntatis, quod rerum natura non recipit.*

Aug. Desine quod jam refellimus iterare: quid nos cogis adhuc eadem atque eadem dicere contra tantam sapientiam tuam, qua putas ideo non significari generationem, ubi dictum est, Per unum hominem peccatum intravit in mundum; (Rom. 5. 12.) quia per duos fit generatio, non per unum: quasi B peccatum illud, quod non vultis generatione, sed imitatione transisse, unus admiserit? Cùm ergo & ipsum fuerit à duobus admissum, cur per unum hominem dictum est peccatum intravit in mundum; nisi quia non à femina concipiente atque pariente, sed à viro seminante est generationis exordium; aut quia jam non sunt duo, quando per coitum una fit caro? (Generationis exordiũ à viro.)

LXXXIV. Jul. *Postea quoque ad legem ventum est, ad cujus usque tempus præscripsit Apostolus non ostensum* C *viguisse peccatum. Quod tu tempus usque ad finem legis protelare conatus es, non intelligens nequidquam te argumentatum; quando quidem constringendus à nobis esses, ut probares hoc peccatum, de quo mentiris Paulum locutum, & quod asseris usque ad abolitionem regnasse veteris Testamenti, vel imputatum fuisse, vel imputari potuisse sub lege; vel certè adquiesceres, non regnare post Christum, ut sensibus tuis saltem inflexa violenter Apostoli sententia consonaret. Horum autem nihil reddi à te potest. Fidei ergo* D *nostræ in solido est puritas collocata, cui & rationis instituta, & justitiæ dignitas, & Apostoli per omnia scita conveniunt.*

Aug. Nihil te dicere, & quod respondimus monstrat, & tu ipse. Apostolus quod ait, Usque ad legem peccatum in mundo fuit: non originale tantùm, sed omne peccatum intelligi voluit: & ideo usque ad legem fuit, quia nec lex potuit auferre peccatum. (Usque ad legem fuisse peccatũ, quomodo intelligatur. Rom. 5. 13. Beda & Florus ibid.) Usque ad legem quippe dictum est, ut etiam ipsam legem sententia ista E concluderet: quomodo dictum est in Evangelio, Omnes ergo ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim: (Matth. 1. 17.) non enim excepto David, sed ipso etiam computato numerus iste completur. Sicut ergo cùm audimus quatuordecim generationes usque ad David, non excipimus David, sed ipsum etiam computamus: ita cùm audimus, Usque ad legem peccatum in mundo fuit, non excipere legem, sed etiam ipsam computare debemus. Quia sicut Da- F vid non est extra numerum, qui dictus est usque ad ipsum; sic lex non est extra permansionem peccati, quod fuisse dictum est usque ad ipsam. Ac per hoc, nemo tollit peccatum, quod nec lex, quamvis sancta & justa & bona, potuit auferre, nisi ille de quo dictum est, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. (Iohan. 1. 29.) Tollit autem & dimittendo quæ facta sunt, ubi & originale comprehenditur, & adjuvando ne fiant, & perducendo ad vitam ubi fieri omnino non pos- G sint. (Peccatum tollit Christus triplici ratione.)

LXXXV. Jul. *Sed videamus & reliqua. Post quàm ergo dixisti*, Hæc forma non omni ex parte conformis (Aug. lib. 2. de Nupt. c. 27.)

[a] Editi, *generatione detractum.* Castigantur ad MSS. Mar. Clar. Pott.

[b] Sic MSS. At editi, *& quod admoneri non potest ut caveatur, imputari non potest ut puniatur.*

[c] Hîc *secundùm* restituimus ex MSS.

[d] Hoc item loco verba ista in editis exciderant, *in peccatum, à quo nosset.* In MSS. exstant Mar. Pott. Clar.

[e] Editi, *amovet.* Veriùs MSS. *admovet*, vel *ammovet*.

est: *adjungis*, Unde hîc Apostolus sequutus adjunxit, Sed non sicut delictum, ita & donatio: si enim ob unius delictum multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. *Quam sententiam hoc modo exponis:* Quid est, multo magis abundavit? nisi quia omnes qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam moriuntur, propter ipsum autem Christum sine fine victuri sunt? *Pronuntiavit certè Apostolus, de cujus nobis est opinione certamen, efficaciùs operari ad collationem salutis & copiosiùs gratiam Salvatoris, quàm peccatum Adæ; ut ostenderet multo vehementiùs profuisse Christum, & pluribus profuisse, cujus gratia (ut ipso ejus verbo utar) abundavit in plures, quàm prævaricationem primi hominis nocuisse, quem tu dicis seminibus inligasse peccatum.*

Rom. 5. 15.

Aug. Multo magis abundavit, dixit; non in magis multos, id est, non in plures. Quis enim non videat plures esse in genere humano, in quos non abundavit? ut ex pluribus ostenderetur quid universæ massæ justo judicio deberetur, nisi ubi vellet Spiritus spiraret, & Deus quos dignaretur vocaret, & quem vellet religiosum faceret?

Ambros. lib. 7. in Luc. c. 9.

LXXXVI. Jul. *Proba igitur, hoc quod intellexit Apostolus vestris cohærere dogmatibus.*

Aug. Legantur verba ejus sine perversitate legentium, qualis est in vobis; & nulla alia probatio requiretur.

LXXXVII. Jul. *Si enim Adam, ut dicitis, peccato naturali generavit omnes in condemnationem, tantumque de suis visceribus in sobolem virus effudit, ut in natura hominis cuncta Dei instituta turbaret;*

Aug. Quando parvulum spiritus vexat immundus, animamque ejus & corpus affligit, sensus sanitatemque pervertit; nonne universa ejus, quam Deus instituit, natura turbatur? nec invenitis omnino tanti hujus mali meritum, negantes originale peccatum. Cur enim non hîc adtendis, in natura hominis per diaboli virus cuncta Dei instituta turbari? Dic caussam parvuli, dic reatum [a] ejus cui recèns nato ista contingunt, qui non vis verba apostolica sic accipere, quemadmodum accipit ex quo est instituta catholica Ecclesia, & quemadmodum suis tam perspicuis malis confitetur ipsa natura. Et tamen si bene consideremus, Dei nullo modo instituta turbantur: quoniam præscius futurorum cuncta constituit: nec totum quod meretur apostatica creatura, singulis reddit; sed in mensura, & numero, & pondere disponens omnia, neminem finit mali aliquid perpeti, quod non meretur; quamvis non tantum, quantum massæ debetur universæ, singulus quisque patiatur.

Apostatica creatura. Sap. 11. 21. Deus neminem finit mali aliquid perpeti, quod non meretur.

LXXXVIII. Jul. *Ut sine dono diaboli, ad quod dicis libidinem sexuum pertinere, nuptiæ quas Deus creaverat, esse non possent; immo illis quas ordinaverat, institutionis suæ honore avolantibus, has quarum ordo permansit, cum motione genitalium, cum pudore coëuntium, cum calore & consternatione membrorum, cum jocunditate sensuum, cum iniquitate nascentium, diaboli, non Dei, opus esse cogeret atque convinceret:*

Aug. Si malum vitiorum, quod nisi in aliquo bono esse non potest, à naturarum bonitate discernas; nec excusabis diabolum, nec accusabis Deum: nec excusabis libidinis malum, nec accusabis nuptiarum bonum.

Jul. *Ipsam postremò arbitrii libertatem unius peccati impulsione* [b] *subrueret; ut nemo deinceps in potestate haberet vetera crimina virtutis electione respuere, sed uno omnes in condemnationem eversæ humanitatis torrente raperentur.* LXXXIX.

Aug. Cur non potiùs miraris, universi generis humani ab exordio nativitatis tantam miseriam, ut nemo beatus nisi ex misero fiat, neque nisi post hanc vitam malis omnibus careat, cui per Dei gratiam præstatur ut careat? Hoc mirando, te corriges; & justum Dei judicium, (quoniam per unum hominem peccatum intravit in mundum,) in generis humani non [c] injusta afflictione cognosces.

Peccatum originale ostendunt miseriæ generis humani.

Jul. *Si hæc, inquam, cuncta in Dei imaginem primi hominis invexit iniquitas; manifestum est nimis esse imbecillam Christi gratiam in suis muneribus, quæ nihil quod his tot trabalibus malis mederetur invenit: aut si invenit, affirma. Singula enim nunc singulis conferamus. Si Adam præter voluntatis opera, ipsius naturæ instituta subvertit; nihil* [d] *debuit magis Christus, quàm ea quæ ab illo fuerant elisa, reparare, his videlicet vestigiis quibus ille subruerat.* XC.

Aug. Hoc facit, sed non quomodo tu vis. Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?

Isai. 40. 13. Rom. 11. 34.

Jul. *Id est, ut in nuptiis baptizatorum neutiquam sentiretur libido; nec eodem modo, quo etiam ceterarum gentium, genitalia moverentur.* XCI.

Aug. Non ergo debuerunt baptizatæ cum gemitu parere; quoniam hoc, (quod negare non potes) pœna est feminæ peccatricis.

Jul. *Recederet postremò post donum gratiæ coëuntium pudor, nec iret per membra quietis imitatio, nec paterentur sensus onera dulcedinis; liberum postremò baptizatis redderetur arbitrium, ut per correctionem naturæ, expulsa lege peccati, tam possibile confitereris esse mortalibus, nitere splendore virtutum, quàm sordibus horrere vitiorum: immo penitus nec mortales, qui sacramentis imbuuntur, esse deberent.* XCII.

Aug. Et tamen, Juliane, tales nuptias in paradiso constituere non te pudet, ubi coëuntium confiteris pudorem. Ergone aliquid pudendum erat, ubi nihil nisi laudandum, qui supra cuncta laudandus est, Conditor instituerat? Sed quis potest hoc sapere & dicere, nisi quem non pudet id laudare quod pudet?

Jul. *Si enim pugnat medicina cum vulnere, & mors peccato dicitur accidisse, ablationem mortis amotio peccati debet operari.* XCIII.

Aug. Adhuc quidem dicitis, Adam sic fuisse factum, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset: sed ista dicentes jam vos magister vester in episcopali judicio Palæstino, nec sine se ipso, quia non se correxit, Pelagius ipse damnavit: Deus autem non in isto sæculo maligno beatificat suos, quibus hîc peccata dimittit, & spiritûs gratiæ pignus impertit. Ideo eis qui etiam malis sæculi hujus vel delectabilibus, vel sævis atque asperis, partim non utuntur, par-

V. lib. de gest. Pel. c. 11. & 35.

[a] Sic MSS. Editi verò, *dic reatum, & cur recèns nato.*
[b] Editi, *subrueres.* At MSS. *subrueret.* Ad Adamum refertur.
[c] Sic MSS. At Menard. & prima Vignerii editio, *non justa:* malè.
[d] Codex Port. *nihil decuit magis Christum.*

tim bene utuntur, futurum promisit sæculum, in quo mala nulla patiantur; ubi tales essent & nuptiæ, quales in illo paradiso, si nemo peccasset, esse potuissent, in quibus nihil pudendum esset: sed nec tales erunt, quoniam beatorum numero impleto, cui sint nuptiæ necessariæ, generatio ipsa non erit.

XCIV.

Jul. *Verùm cùm nihil horum quæ diximus, baptizatorum constet evenire corporibus; non potuisse autem aliter, id est, non debuisse, quàm his medicinæ modis totum fieri, veritas clarior sole monstraverit: confitendum tibi est, aut illa quæ priùs enumeravimus, non accidisse peccato, & ideo nec vulnera fuisse naturæ; ut constet ratio gratiæ, per quam manifestum est, illa de suis ordinibus mota non esse: aut certè negandum, in mysteriis Christi quidquam esse medicinæ, quæ de tot* [a] *secundùm te morbis ne unum quidem sanare potuerint.*

Magnum Adæ peccatum.

Aug. Immo verò hinc deberetis agnoscere, si mente sobria viveretis, quàm magnum illud peccatum fuerit, quod per unum hominem intravit in mundum, & cum morte in omnes homines pertransiit: quando quidem malis hujus sæculi, cum quibus homines [b] oriuntur, nec baptizati, jam reatu ablato, omnibus eruuntur, nisi post hanc vitam; in qua nos oportet, etiam promissis bonis, exerceri adhuc malis. Nam si merces fidei continuò redderetur, jam nec fides ipsa esset; quæ mala præsentia videns, ideo piè tolerat, quia bona promissa non videns, fideliter & patienter exspectat.

Cur baptizati non statim eruuntur omnibus malis.

XCV.

Jul. *Sic egi hactenus, quasi vim* [c] *donorum & vulnerum, in contrariis licèt effectibus, æqualem tamen Apostolus æstimasset: crescit autem dubio procul sublimitas sanæ fidei, quam tuemur; cùm consideratur Paulus, non solùm remediis gratiæ ægritudinem non prætulisse culparum, verùm etiam copiosiora beneficia judicasse dispendiis.*

Miseriæ parvulorū ex merito peccati.

Aug. Verum est: temporalia quippe sunt dispendia regeneratorum; beneficia verò erunt sine dubio sempiterna: sed dispendia, quæ nascentes flendo testantur, dicite quo merito sub justissimo & omnipotentissimo Judice eis, si nullum peccatum adtrahunt, inrogentur.

XCVI.

Jul. *Quid ergo etiam hæc disputatio collegerit, prudens lector adtendat. Apostolus dixit in plures abundasse donationem Christi ad salutem, quàm Adæ culpa nocuisset.*

Rom. 5. 15.

Aug. Non hoc dixit: sed, multo magis abundavit gratia in multos; hoc est, magis abundavit, non in magis multos, id est, non in plures, sicut jam responsum est.

XCVII.

Jul. *Quâ culpâ tu illas clades, quas suprà enumeravimus, dicis accidisse naturæ, ex quibus nec unam* [d] *in his qui ad Christi perveniunt sacramenta, constat sanari; ac per hoc multo plus iniquitatem primi hominis ad nocendum asseris habuisse virtutis, quàm gratia Christi obtinet ad medendum: quo collecto, ostensum est, quantam inter Catholicos & Manichæos, tantam inter te & apostolum Paulum esse discordiam.*

Gratiæ Christi beneficia abundan-

Aug. Tollit gratia Christi originalis peccati reatum, sed rem invisibilem invisibiliter tollit: dimittit etiam cuncta peccata, quæ homines malè vivendo insuper addiderunt. Judicium quippe ex uno delicto in condemnationem; quia & unum illud quod à nascentibus trahitur, trahit ad æternam condemnationem, si non remittatur: nec tamen hoc solum gratia dimittit; alioquin tantum valeret; sed cum ipso dimittit & cetera; ergo plus valet: propter quod dictum est, Judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. Donat etiam gratia, ut contra concupiscentiam carnis spiritus concupiscat: & si quando fidelis homo in hoc certamine venialiter vincitur, debita dimittit oranti; & quando damnabiliter vincitur, dat humiliorem pænitentiam, cui tribuat indulgentiam. Donat postremò vitam æternam & animæ & corpori, ubi qualia & quanta bona sint cogitare quis possit? Quomodo ergo plus nocuit primi hominis iniquitas, quàm profuit secundi hominis, hoc est, Christi bonitas; cùm ille temporaliter nocuerit, Christus autem & temporaliter adjuvet, & liberet ac beatificet in æternum? Quæ cùm ita sint, sententia nostra catholica, non Manichæa est; & ideo nec Pelagiana est, quia catholica est.

tiora quàm damna culpæ Adami.

Rom. 5. 16.

Venialia & damnabilia peccata.

XCVIII.

Jul. *Frivolam sanè expositionem in hoc loco tuam optimo jure despicerem, & inrepercussam præterirem, quasi nimis humo cohærentem, nisi vererer, ne pellaciæ magis quàm constantiæ crederetur. Loqueris ergo hoc modo:* Quid est, multo magis abundavit, nisi quia omnes qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam moriuntur, propter ipsum autem Christum sine fine victuri sunt? *Quo sermone, si quid consequenter diceretur adtenderes, omnem arcem tuam, id est, traducem, cecidisse faterere. Dicis enim, ideo multo magis abundasse Christi gratiam, quia per eam vita conferatur æterna, cùm per Adæ peccatum subeunda sit corruptio temporalis. Si ergo nihil aliud intulit Adam præter corporis mortem, contra quem Christus copiosiore beneficio vitam contulit sine fine durantem; apparet non peccatum Adæ ad posteros transisse, sed mortem.*

Lib. 2. de Nupt. c. 27.

Aug. Apparet te propterea inrisisse quod dixi, vel potiùs te inridere finxisse, ut his qui te non intelligunt, videreris dicere aliquid, cùm diceres nihil: primùm quia eis dixi Adam temporali morte nocuisse, quos Christi liberat gratia: quos enim occulti quidem, sed judicii justi veritate non liberat, etiamsi parvuli moriantur, æterna morte plectuntur. Quomodo ergo hinc apparet, non peccatum Adæ ad posteros transisse, sed mortem; nisi quia hoc vis putari, quod perstrepunt verba tua, non quod sequitur verba mea? Nos enim dicimus utrumque transisse, & à Christo utrumque clamamus auferri, reatum scilicet peccati plenissima remissione peccatorum, mortem verò beatissima resurrectione sanctorum; quæ propterea non statim regeneratis datur, ut exerceatur fides, [e] qua id quod non videtur, speratur: hoc enim & in se ipsis & in parvulis suis cùm sperant fideles, utique sunt fideles. Ecce quod dicimus, ecce cui catholicæ veritati contradicitis: sed magis contra vos, quàm contra illam dicitis, quidquid hæreticis disputationibus dicitis.

[a] Vignerius & codex Mar *de tot sæculi morbis.*
[b] MSS. Clar. Mar. & Port. *homines moriuntur.*
[c] Editi, *dolorum.* Aptiùs vetus cod. Port. *donorum.*

[d] Sic MSS Port. Mar. Clar. At editi, *nec unam quo ad Christum perveniunt sacramento.*
[e] Editi, *quia.* MSS. Colb. & Port. *qua.*

XCIX. Jul. *Constabit autem consequentissimè, mortem perpetuam, id est, pœnam sempiternam ad nos non fuisse transmissam, ac per hoc peccatum Traducis esse non posse. Ut enim breviter, quid tenendum constet, appareat: ab Apostolo dona Christi peccato primi hominis præferuntur: tu per hoc peccatum tuum, id est, Traducis, unam dicis an duas transisse mortes? Si unam, & corporalem, ut hìc confessus es: constat gratiam Christi antecellere peccato primi hominis: & jam nascitur nemo peccator; quia, si ut suprà dixisti, regnum peccati est, ut in secundam homo mortem, id est, in pœnam perpetuam præcipitetur, & per Adam mortem corporis solùm advectam dicis; nec peccatum per Adam ad posteros, nec mors æterna transmittitur.*

Aug. Jam responsum est: nihil dicis. Regnum enim peccati etiam in æternam præcipitat mortem, nisi per Christi gratiam remittatur: verumtamen ista quoque mors temporalis nulla esset, nisi Adam non moriendi possibilitatem peccati merito perdidisset: hanc enim peccatori denuntiavit Deus dicens, Terra es, & in terram ibis. (Gen. 3. 19.) Hanc sine merito peccati suscipere dignatus est Christus, ut per illam quidem moriendo iret in terram, sed resurgendo terram levaret in cælum: ac sic æterna morte destructa, temporalem fidelibus ideo non auferret, ut adversùs eam resurrectionis fides in hujus vitæ agone certaret.

C. Jul. *Sin autem dixeris, per peccatum Adæ naturalem factam esse iniquitatem, duasque accidisse mortes, unam æternam, alteram temporalem; per Christi autem gratiam unam interim auferri à persona, non à natura, id est, perpetuam, temporalem verò remanere: Apostolus convincitur falsitatis, qui dixit multo magis profuisse gratiam, quàm nocuisse peccatum: Apostolus autem argui non potest: tu igitur jure reprobaris.*

Aug. Ego dixi, una resurrectione beatorum ambas mortes tolli, & istam ne sit anima sine corpore suo, & illam ne aggravetur, vel affligatur anima etiam corpore suo. Sic autem ista fidelibus ad tempus relinquitur, ut habeat per illam fides adjumentum; quemadmodum postea reis tollitur, ut quòd de suo corpore non recedunt, miseriæ sit incrementum. Ac per hoc eis, qui regenerantur in Christo, & de isto sæculo maligno electi exeunt, manifestum est plus prodesse gratiam, quàm nocuisse peccatum, quod per unum hominem in mundum intravit, & cum morte per omnes homines pertransiit. Apostolus itaque redargui non potest, quia verum dixit: sed tu non intelligis, aut contra id quod intelligis, asserere quod falsum est, hæretica contentione conaris.

(Gratia plus prodest, quàm nocuit peccatum.)

CI. Jul. *Apostolus dixit, magis gratiam Christi, quàm Adæ abundasse culpam: non igitur natura ab eo, non generatio, non fecunditas, sed voluntas, electio mali, morum pravitas accusatur.*

(Originale peccatum.)

Aug. Si nihil nocuit generatio, nihil præstat regeneratio: si non est natura vitiata, non habent Christum parvuli salvatorem: si [a] malum & bonum meritum singulorum in eorum propria est voluntate, quo merito Christus regnum Dei parvulis confert, qui in neutram partem sua voluntate usi sunt? Postremò quoniam duos posuit Apostolus, unum ad peccatum, non diabolum, A sed Adam; & unum ad justitiam, non Abel, sed Christum; ut non exemplis imitatio, sed generationi regeneratio referretur; si non trajicit peccatum in homines generatos Adam, non donat Christus parvulis regeneratis justitiam; quia nec generati, nec regenerati parvuli usi sunt propria libertate. Ite nunc si vultis, & clamate si audetis, justitiam parvulis non donari; nec eos habituros esse justitiam, quando habitabunt in illo regno, ubi erunt, sicut scriptum est, cæli B novi, & terra nova, in quibus justitia inhabitat: (2. Petr. 3. 13.) aut ex vestro, quo inebriati estis, meracissimo dogmate, delirate in illo regno justitiam parvulos habituros quidem, sed propriæ voluntatis meritis, non divinæ gratiæ largitate. Quod si dicere non audetis, (hîc enim merita comparari, ibi autem præmia reddi fatemini;) cur fateri dubitatis sive non vultis, sic eos ex Adam potuisse habere peccatum sine meritis propriæ voluntatis malæ, quemadmodum à Christo recepturi sunt justitiam sine suis meritis præcedentibus C voluntatis bonæ?

(Hîc merita comparantur, in cælis præmia redduntur.)

CII. Jul. *Ac per hoc, si quem in rebus adhuc humanis locum veritas habet, & non strepitu iniquitatis totus omnino mundus obsurduit, ratione, disputatione, & Apostoli fide, atque ipsâ ejus sententiâ teste, perdoctum esse fatebitur, inter Traducianos & Catholicos tantum esse discrimen, quantum inter Paulum & Manichæum, quantum inter sapientiam & stultitiam, quantum inter rationem & insaniam, quan-* D *tum inter constantiam [b] dictorum, & eam fluctuationem quam nova fœditate perpeteris, ut in iisdem penè versibus quod dixeris neges, quod negaveris asseveres.*

Aug. Jam responsum est: rogo te, si aliquid dicere non potes, tace si potes; sed quod pejus est, nec hoc potes.

CIII. Jul. Et non, *inquit*, sicut per unum peccantem, ita est & donum: nam judicium ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis deli- (Rom. 5. 16.) E ctis in justificationem. *Quibus Apostoli verbis admoves expositionem tuam ita se habentem:* Ex uno ergo, quid, *inquis*, nisi delicto? Quia sequitur, Gratia autem ex multis delictis. Dicant isti quomodo ex uno delicto in condemnationem, nisi quia sufficit ad condemnationem etiam unum originale peccatum, quod in omnes homines pertransiit. Gratia verò ideo ex multis delictis in justificationem, quia non solùm unum illud solvit, quod originaliter trahitur; sed etiam cetera, quæ F in unoquoque homine motu propriæ voluntatis adduntur. Si enim ob unius delictum mors regnavit per unum, multo magis qui abundantiam gratiæ & justitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Itaque sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita & per unius justitiam in omnes homines ad justificationem vitæ. (Rom. 5. 17. & 18.) *Post quæ Apostoli verba, quasi aliquid confeceris, insultando de nobis loqueris:* Adhuc permaneant in vanitate G mentis suæ, & dicant unum hominem non propaginem trajecisse, sed exemplum præbuisse peccati. Quomodo ergo per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, & non potiùs per multa sua cujusque delicta? nisi quia etiam si illud unum sit tantùm, idoneum est

(Lib. 1. de Nuptiis & concupiscentia, c. 27.)

(Lib. 2. de Nuptiis c. 27. Beda & Florus ad Rom. 5.)

[a] Editi, *omne malum.* Abest *omne* à MSS.

[b] MSS. Clar. & Mar. *doctorum.*

perducere ad condemnationem, etiam nullis additis ceteris; sicut perducit parvulos morientes, qui ex Adam nascuntur, si in Christo non renascantur? Quid ergo à nobis quærit iste, quod non vult ab Apostolo audire, per quid peccatum inveniatur in parvulo; utrùm per voluntatem, an per nuptias, an per parentes? Ecce, audiat per quid, audiat & taceat, per quid peccatum inveniatur in parvulo: Apostolus, Per unius delictum, inquit, in omnes homines ad condemnationem. *Nihil te quidem magis timere quàm interrogationem perscrutatricem animi tui & dogmatis novimus: inde est quippe, quòd omnibus opibus negationem examinis à mundi potestatibus comparatis; intelligitis enim agendum vobis vi esse, cùm deserimini rationis auxilio.*

Rom. 13. 3. Aug. Vis non timere potestatem? bonum fac. Non est autem bonum, contra apostolicum sensum exserere & asserere hæreticum sensum. Quid adhuc quæris examen, quod jam factum est apud Apostolicam sedem? quod denique jam factum est in episcopali judicio Palæstino, ubi Pelagius vestri auctor erroris procul dubio damnatus esset, nisi ista, quæ tu defendis, dogmata vestra damnasset. [a] Damnata ergo hæresis ab episcopis non adhuc examinanda, sed coërcenda est à potestatibus Christianis.

V. suprà lib. 1. contra Jul. c. 1.

CIV. Jul. *Sed non tua opinio apud prudentes tantum valebit, ut cùm tu sis caput horum & caussa malorum, de conflictu medio Apostoli te objectione subducas; & putes illum pro te esse feriendum: quo potissimùm contra vos præceptore armamur ac principe. Ut ergo quid tibi dicendum sit, consequenter agnoscas: si mihi & tibi super hoc esset nulla dissensio, quòd Apostolus naturali peccato Manichæorum dogma firmaret, tunc tuum caput petenti, illum constanter opponeres: nunc verò cùm inviolabilis apud me magistri gentium dignitas perseveret, ejusque verba tuâ lædi expositione non patiar, qui secundùm regulam prolatam rationis stulto, impuro, & impio assero dogmati repugnare, nihilque eum pro peccato naturali dixisse convinco; quâ tu impudentiâ ingeris, ut vel pro te mihi ille respondeat, qui non interrogatur, quoniam nec de ejus sapientia dubitatur; vel me vociferaris nolle audire ab Apostolo, quod in te ab Apostolo nobis tradita intelligentiæ sanitate detestor?*

Aug. Numquid non post Apostoli verba à me interposita nihil aliud quàm tacere debuisti? Et tamen contra illa nihil dicens, nec secundùm illa aliquid dicens, mihi non taces, & jactas inter cetera, quòd ego sim caput horum & caussa malorum: quasi ego prior vel crediderim, vel esse disputaverim originale peccatum. Tam quippe imperitos hæc tua credis esse lecturos, qui nesciant quàm multi ante nos Ecclesiæ clarique doctores, sic ista Apostoli verba intellexerint & exposuerint, quemadmodum tota ex ipso initio sui catholica intelligit vel credit Ecclesia: quæ doctorum verba si mala sunt, sicut vos dicere non timetis; quomodo ego sum, quæso te, caput horum & caussa malorum; nisi quia tu es caput harum, quas mihi rabiosus ingeris, calumniarum? Nam si sano cerebro considerares humanæ vitæ miserias à primis fletibus infantium usque ad extremos gemitus morientium; videres profectò, quòd nec ego, nec tu, sed ille Adam fuerit caput horum & caussa malorum: quod nolens videre clausis oculis clamas, & justum Dei esse judicium, & non esse originale peccatum. Quæ duo inter se quàm sint contraria, procul dubio cerneres, non dico si horum malorum caput non esses, quia utique non es; sed si sanum caput haberes, quod habere posses, si doctores sequendo catholicos caput Pelagium non haberes.

Humanæ vitæ miseria ab ortu ad interitum.

CV. Jul. *Exprimatur igitur vis argumentorum tuorum. Post quàm dixit Paulus, quia multo magis abundasset gratia Salvatoris ad medendum, quàm prævaricatio primi hominis ad nocendum, sequitur:* Et non sicut per unum peccantem, ita est & donum: nam judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. *Quod tu* delictum unum ad condemnationem sufficiens, originale esse *contendis*, in omnes *videlicet* homines pertransiens: gratiam autem ideo ex multis delictis in justificationem dici, quia non solum illud unum solvit, quod originaliter trahitur, sed etiam cetera quæ in unoquoque homine motu propriæ voluntatis adduntur. *Ad quod confirmandum paulò pòst argumentaris, quia si hoc unum delictum ad condemnationem sufficiens Apostolus dixisset imitatione susceptum, addere debuisset, omnes homines ad condemnationem non per unum ire delictum, sed per multa sua quæque voluntate commissa. In quibus quoniam elaqueandus est Apostoli sermo à cassibus Manichæorum; ut sit adtentus lector, admoneo. Ais ergo secundùm nostrum sensum, quo asseritur prima culpa formam præbuisse peccantibus, debuisse Apostolum, sicut gratiam ex multis delictis* [b] *in justificationem dixit operari, ita ex multis peccatis dicere regnasse mortem. Porrò hoc argumento contra te omnino luctaris: convinco enim secundùm dogma tuum, inconsequenter Apostolum pronuntiare, Gratia autem ex multis delictis in justificationem, qui dixerat, Ex uno peccato judicium in condemnationem. Ut enim egredientes de nostris finibus, in vestra regione versemur: si libertas arbitrii primo est eversa peccato, & in omni deinceps hominum genere manca adeo remansit, ut non sit ei possibile nisi tantummodo malum facere, non autem habeat in facultate electionem partis alterius, id est, recedere à malo & facere bonum; sed iniquitatis necessitate depressa appetentiæ criminum parere compellitur: si perrupta omni lege justitiæ, facta sunt naturalia quæ fuerant voluntaria; si lex peccati habitat in membris, quæ tyrannidem in imaginem & opus Dei, nuptiarum verecundiâ & jocunditate sortita est; si frutex diaboli in visceribus pangitur ante animam, & cum incrementis naturalibus adolescit, frondescit, & pestifera fruge ingravescit: si hæc, inquam, ut dicitis, una primi hominis culpa progenuit; consequentiùs dicitur, ex uno delicto in condemnationem genus ire mortalium, quàm ex multis delictis gratiam liberare; ut magis propriè intelligatur dici posse hæc gratia ex uno delicto liberare, quos liberat. Nulla enim alia motu propriæ voluntatis adduntur, si omne malum, fracta arbitrii libertate, exclusa honestate desiderii, infectrix seminum culpa primi genitoris operatur.*

Aug. Unde fieri potest, ut homo qui conaris apostolica verba pervertere, possis loqui nisi perversè? Nam utique, cùm ad illud delictum, quod generatio trahit, usus voluntatis accesse-

[a] Hic verbum *Damnata* restituitur ex MSS.

[b] Particulâ *in* carebant editi; sed eam MSS. habent.

rit, quem non habent parvuli, in multas & va- A
rias cupiditates arbor multorum pullulat pecca-
torum: quod ante quàm fieret, etiam ipsum unum
trahebat ad damnationem, si ante voluntatis
usum parvulus finiret hanc vitam. Neque enim
quia major damnatio debetur jam magno & mul-
tiplicato malo, ideo nulla parvo & nondum mul-
Regeneratio plus præstat, quàm nocuit generatio.
tiplicato debebatur. Quomodo ergo regenera-
tio, quæ multiplicatum per usum voluntatis ma-
lum tollit, non plus præstat, quàm nocuit ge-
neratio, quæ hujus quamvis magni & multiplicis B
mali, nondum tamen auctum, & nondum mul-
tiplicatum traxit initium, quod solum sine ulla
pullulatione remaneret, si nullus voluntatis usus,
Bonæ libertati voluntas redditur per gratiam.
quo augeretur & multiplicaretur, accederet? Vo-
luntas autem, ante quàm bonæ libertati ad ope-
randam veram justitiam gratiâ Dei subveniente
reddatur, multis aliis etiam caussis, præter origi-
nis vitium, movetur ad peccandum, vel non
movetur; unde fit, ut ipsi impii quibus vel non-
dum subvenit, vel numquam subventura est gra- C
tia, quæ justificat impium, alii magis, alii mi-
Rom. 5. 16.
nùs peccent. Judicium ergo ex uno in condem-
» nationem; quia damnantur & hi, qui unum il-
lud generatione traxerunt: gratia autem ex mul-
» tis delictis in justificationem; quia non solùm il-
lud cum quo nascitur homo, sed quidquid aliud
delictorum voluntatis usus illi malo addidit, tol-
lit. Hæc est apostolicorum verborum catholica
veritas, quam nulla hæretica loquacitate de-
a pravas, quantalibet nos [a] prolixitate vanitatis & D
loquacitatis exerceas.

CVI. Jul. *Ac per hoc, si est naturale peccatum tan-*
torum auctor malorum, gratia Christi nequaquam
multa delicta donando justificationem operatur: sed
uni peccato indulgendo negotium benignitatis exse-
b *quitur; quod cùm se spondet* [b] *acturam, fidem faciet*
promissis, si hæc quæ dicuntur per peccati vulnus in-
vecta curaverit: ceterùm si & post remedia quæ de-
tulit, eadem tamen diabolicorum morborum series
c *perseverat;* [c] *voto ejus gratificatio, præsumtioni* E
venia debetur, quia ad curandum innatas pestes
virtus ei defuit, non voluntas.

Gratia alia certantis, alia victoris.
Aug. Jam responsum est: intellige, & tace.
Aliter gratia certantem facit, atque adjuvat;
aliter victorem sine hoste ullo, vel externo, vel
interno, in æterna pace conservat: ista labo-
riosa militia est in præsenti sæculo; illa beata
requies in futuro. Sed si tu cum vitiis carnalibus
in te ipso bellum non geris, erubesce: si geris, F
obmutesce.

CVII. Jul. *Quid igitur hac disputatione confectum est?*
Sensui videlicet tuo & Apostolo non convenire. Apo-
stolus enim ait, multa delicta gratiæ liberalitate do-
nari: dogma verò tuum asserit, unum peccatum na-
turale, quod legem peccati vocas, in cunctis homini-
bus desideria iniquitatis effingere. In absoluto itaque
est, à te naturam quæ est opus Dei, ab illo argui vo-
luntatem. Non autem aliter prorsus eloqui debuit,
quàm elocutus est, id est, ex uno condemnationem fie-
ri posse peccato: quia & primus ille homo per unum G
peccatum delinquendi præbuit exemplum; & sicut illi
ipsi ad condemnationem una prævaricatio abundavit,
sic etiam ceteris ad reatum una potest culpa sufficere.
Eccle. 9. 18.
Propter quod Ecclesiastes, Qui in uno peccaverit,
multa bona perdit: & Iacobus, Si totam legem ob- Iacobi 2. 10.
servaveris, offendas autem in uno, factus es om-
nium reus.

Aug. Ergo peccatum Adæ ipsum solum læsit,
non & genus humanum. Non enim in tantum
eris absurdus, ut dicas, peccato ejus læsos esse
vel lædi homines nescientes, vel non credentes
utrùm fuerit, & quid egerit: quia etsi nescientes
homines aliquid imitantur, eo tamen peccato
lædi & fieri peccatores, quod ante annorum mil-
lia factum esse nesciunt, nimis insipienter dicis;
nisi hoc peccatum ad omnes generatione trans-
isse fatearis. Dicentes autem quòd Adæ pec- Lib. de gestis Pelagii, c. 11. & 35.
catum ipsum solum læserit, & non genus hu-
manum, nisi damnaret Pelagius, damnare-
tur ab eis judicibus, qui Manichæi utique non
sunt.

Jul. *Gratia verò Domini Iesu Christi non est* CVIII.
ita data, ut per singula peccata, quasi per singula
vulnera, singula quoque indulgentiæ remedia provi-
deret, diversisque baptismatibus peccatis variis ve-
niam præberet: sed pro efficacissimæ potestate medi-
cinæ, quæ criminibus, id est, malæ voluntatis operi-
bus admovetur, ita communiter subvenit, ut diver-
sas species reatuum unius vi consecrationis abster-
gat.

Aug. Quomodocumque dicas datam gratiam Parvuli à gratia Jesu Christi per Pelagianos separantur.
Domini Jesu Christi, separas ab ea parvulos,
quos eâ salvos fieri negas: ut scilicet vobis ipsa
vocabula pro vestro arbitrio dividentibus, Chri-
stus ad parvulos pertinere videatur propter re-
gnum Dei, quò non nisi baptizatos posse perve-
nire conceditis; Jesus autem fit ab eis prorsùs
alienus, quoniam non in illis operatur, unde hoc
vocatur. Scriptum est enim: Vocabis nomen Matth. 1. 21.
ejus Jesum; continuóque caussam subjiciens,
quare Jesum: Ipse enim salvum faciet, inquit,
populum suum à peccatis eorum. Quod in par-
vulis fieri negantes, & à nomine Jesu illos, & Pelagiani meritò ab Ecclesia separati.
ab ejus populo separatis: & audetis indignari,
quòd vos potiùs ab eodem populo separamini?
Quantum autem adtinet ad delicta voluntaria,
sicut ex multis judicium mittit in condemnatio-
nem, sic ex multis gratia in justificationem.
Quare ergo dictum est, Judicium ex uno in con- Rom. 5. 16.
demnationem, gratia autem ex multis delictis in «
justificationem; nisi quia hoc loco non est opposi- «
ta voluntati voluntas, aut imitationi imitatio;
sed generationi regeneratio? Sicut enim genera-
tio judicium habet ex uno in condemnationem;
ita regeneratio gratiam ex multis delictis in ju-
stificationem. Clarum est quod voluit intelligi
Apostolus: vos si subditas aures aperiatis, con-
tentiosa ora claudetis.

Jul. *Prudenter ergo, cùm de Adam loqueretur,* CIX.
nominavit unum peccatum, quod voluit intelligi for-
mam prævaricationis fuisse: ideo, inquam, unum &
non multa memoravit, quia sciebat unum tantùm
Adæ peccatum in legis historia contineri. Gratiam
verò ex multis delictis in justificationem, imbutos à
se laudavit emittere, ne beneficii pauperis suspicio
nasceretur: & si dixisset, Gratia ex uno in justifica-
tionem; non tam omnia videretur abolere, quàm sin-
gula. Quòd ergo præmisit unum peccatum, fidem ser-
vavit historiæ: quòd subdidit, ex multis gratia in

[a] MSS. Clar. & Mar. *perplexitate*.
[b] MS. Port. *acturam*.
[c] Sic MSS. At editi, *voluntati ejus*.

justificationem, munificentiam mysterii commendavit & copiam.

Aug. Quid autem opus erat, ut de Adam loqueretur, cùm Christi gratiam commendaret; nisi quia per illum generatio, per istum regeneratio est?

CX. Jul. *Quæ expositio, ut rationi concinit, ita vos destruit: hoc enim ipso confiteri tibi necesse est, in omnibus superioribus verbis Apostolum de peccato Manichææ traducis non locutum, quando in commemoratione gratiæ multa absolvi peccata monstravit.*

Manichæos adjuvant qui negant originale peccatum.

Aug. Manichæos tu adjuvas, quibus inducendi aliam naturam malam das locum, negando in originali malo esse caussam miseriæ parvulorum: quam miseriam in paradiso utique non haberent, si perseverante ibi naturæ [a] humanæ rectitudine ac beatitudine nascerentur.

CXI. Jul. *De istorum enim peccatorum genere, quæ multa esse, & dimitti omnia per gratiam commendavit, ostendit se etiam illud unum superiùs dixisse peccatum: tu autem hæc multa ea consentis esse, quæ committuntur ab unoquoque homine motu propriæ voluntatis: & illud ergo unum de eodem genere est.*

Aug. Simul cum illo uno, dico esse multa, non præter illud: potest autem & hoc rectè dici de eodem genere esse, si ad originem referatur; quia & ipsum ex primi hominis voluntate manavit, quando illius peccatum intravit in mundum, & per omnes homines pertransiit.

CXII. Jul. *Ut intelligatur ab unoquoque, motu propriæ voluntatis adtractum; & jam non fecunditas seminum, sed studiorum pravitas arguetur. Ceterùm si illud unum originale voluisset intelligi, non utique in sequentibus peccata multa dixisset, quæ per gratiam dimissa testatur.*

Aug. Quare non dixisset, nisi quia hoc volunt Pelagiani? sed non vult veritas, qua Pelagiana redarguitur novitas, & vincitur vanitas. Multa enim delicta, ex quibus gratia mittit in justificationem, simul cum illo uno multa sunt; ex quo [b] uno judicium, etiam si alia non addantur, mittit in condemnationem. Sic ergo Adam unum delictum potuit generatis inferere, Christus autem regeneratis multa dimittere; quoniam plus iste profuisse, quàm ille nocuisse monstratur.

CXIII. Jul. *Et quamvis quæ acta sunt, ad defensionem veritatis exuberent: tamen ad ea quæ inferimus, ut sit lector intentus, admoneo. Apparebit enim inrefutabiliter, nihil in his locis apostolum Paulum de natura, sed de conversatione mortalium disputasse: vim nempe gratiæ Christi & peccati primi è regione constituens, comparansque effectus utriusque, laboravit ostendere, magis Christi profuisse mysterium, quàm primi hominis nocuisse peccatum. Id autem docuimus in sensu Traducis non posse constare. Ut ergo multa quæ enumeravit, ita hoc peculiariter ad laudem voluit gratiæ pertinere, quod ait,* Judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem vitæ. *Quod hoc modo naturalis* [c] *mali assertor exposuit:* Ideo, *inquit*, ex uno in condemnationem, quia sufficiens est illud unum peccatum, quod originaliter trahitur, ad condemnationem ducere, sicut ducit parvulos, qui ex Adam nascuntur, si in Christo non renascantur; etiamsi alia peccata nulla sint. Gratia autem ex multis delictis in justificationem; quia non solùm illud dimittit, quod originaliter trahitur, sed etiam cetera quæ ab unoquoque, motu propriæ voluntatis adduntur. *Ecce professus es, licèt impietate Manichæâ, esse quidem naturale peccatum, verumtamen unum, ob quod ais nascentes debere damnari.*

Lib. 2. de Nuptiis & conc. c. 27.

[c] Augustini verba mutat Julian.

Aug. Qui dixit,* Omnes sub peccato nascimur, Manichæus non erat. Sed vos, respondete, quid sitis, qui tot imagines Dei, sine ullius peccati merito, separatis à regno Dei, negatis damnari judicio Dei, & facitis duas æternas felicitates, unam quæ sit in regno Dei, alteram quæ sit extra regnum Dei: dicite obsecro, In ea felicitate quæ extra Dei regnum erit, ullusne regnabit, an nullus? Si nullus, liberior erit procul dubio sine ullo rege illa felicitas: si verò ullus in ea regnabit, quis erit rex imaginum Dei, qui non erit Deus? Porrò si Deus erit, vos introducitis alterum Deum; & me dicitis Manichæum? Quòd si Deus ipse ibi regnabit, cujus illæ imagines sunt; etiam ipsæ imagines ejus [d] in veri Dei sui regno felices erunt. Et ubi erit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei? An tandem aliquando extra regnum Dei in felices futuros fatemini parvulos non renatos? Dicite ergo hujus infelicitatis meritum, verbosi & contentiosi, qui negatis originale peccatum?

* Ambros. l.b. 2. de penit. c. 2. vel 3.

Æternæ felicitates duæ inductæ à Pelagianis.

[d] Iohan. 3. 5.

CXIV. Jul. *Proba ergo, hoc in eis, quod gratiæ Christi apostolus Paulus adscripsit, impleri, videlicet ut ex multis delictis justificationem operetur, id est, ut justitiam peccatorum plurium una semel remissione contribuat: aut ergo doce parvulos multis obnoxios esse criminibus, ut eis quoque illud persuadeas convenire, in quo laudem munificentiæ Christi Apostolus collocavit, ut ex multis eos constet liberatos esse peccatis; aut confitere, Paulum nihil in his locis de parvulis, nihil de hominum disputasse natura, quando ea dimitti gratiæ liberalitate testatus est, quæ te quoque annuente nequeunt in nascentibus inveniri.*

Aug. Quid est quod loqueris? Quid est quod tibi obstrepit loquacissima vanitas, ne intret in aures tuas manifestissima veritas? Utique Jesus, qui ex multis delictis salvum facit populum suum, non prætermittit etiam originalia singula parvulorum; quia in eisdem multis & ipsa sunt.

CXV. Rom. 5. 16. Jul. Gratia, *inquit*, ex multis delictis in justificationem. *Tu parvulos non plus quàm uni obnoxios dicis esse peccato. Vides ergo in eorum persona laudem gratiæ claudicantem; quia non invenit multa peccata, quorum remissione laudetur. Quod dixit itaque apostolus Paulus,* Gratia autem ex multis delictis in justificationem, *falsissimum esse in parvulorum statu proditur.* [e] *Quò hinc tu igitur conaberis exsilire? Procul dubio dicturus es (hunc enim sensum tuum superior sermo patefecit,) hoc quod ait Apostolus,* Gratia autem ex multis delictis in justificationem; *apud homines perfectæ ætatis imple-*

[a] Sic MSS. Port. Mar. Clar. At editi, *natura ac beatitudinis humana rectitudine.*
[b] Editi, *ex quo unum judicium.* Emendantur à MSS.
[c] Sic MSS. Editi verò, *malitia.*

[d] Editi, *imagines ejus sine Dei sui regno*: corruptè ac dissentientibus MSS.
[e] Sic MSS. At editi, *Quid hinc tu igitur conaberis excipere?*

ri, qui multis delictis per motum propriæ voluntatis convincantur obnoxii, in parvulis autem non ex multis, sed ex uno delicto fieri justificationem.

Aug. Non erat magnum, ut intelligeres ab hac justificatione, quam Salvator ex multorum delictorum dimissione suis confert, vos potiùs subtrahere parvulos, quibus nullum peccatum remitti posse contenditis: non autem nos, qui cùm dicimus per unum peccantem missos omnes in condemnationem, nullam excipimus ætatem; quia hoc delictum etiam majoris ætatis homines habent: itemque cùm dicimus ex multis delictis justificare gratiam, nullam nihilo minùs excipimus ætatem; quoniam qui multa peccata dimittit, (quo multorum nomine utique omnia intelliguntur,) profectò ulla non prætermittit, hoc est, nec pessimorum plura, nec aliquorum pauciora, nec singula parvulorum. Hoc ergo ut videretis, non erat magnum, nisi invideretis parvulis medicum Christum, eumque illis Jesum prorsus esse nolletis, horrenda impietate, [a] mira cæcitate, blasphema loquacitate. Quid est autem insanius, quàm velle gratiam Christi ad eos tantummodo pertinere, quorum sunt multa peccata? Hac quippe ratione, vel potiùs mentis excæcatione, non solos huic gratiæ subducitis parvulos, quos nullum ex origine reatum trahere existimatis, sed omnes omnino qui multa peccata non habent: quoniam sic putatis intelligendum quod ait Apostolus, Gratia autem ex multis delictis in justificationem, ut ad istam gratiam nemo pertineat, nisi cui dimittit multa peccata. Ac per hoc, quoniam nullum peccatum, sicut opinamini, parvulus habet, profectò cùm creverit, & peccare jam cœperit, non dico si pauca peccata, sed si adhuc unum fortè commiserit, & ad Christi baptismum venerit, nullo modo ad istam gratiam pertinebit; quia non ex multis delictis in justificationem mittitur, sed ex uno. Puto quòd non usque adeo cordis in vobis prævalet surditas, ut vos hæc tanta erubescere non compellat absurditas. Porrò si pertinet ad istam gratiam etiam cui unum peccatum dimiserit; sic dixit Apostolus, Gratia ex multis delictis in justificationem: ut totius populi peccata voluerit, qui per illam justificatur, intelligi, aliis illic habentibus plura, aliis pauciora, aliis etiam singula, quæ utique multa sunt omnia.

Christum parvulis esse Jesum nolunt Pelagiani.

Gratiam Christi ad parvulos etiam pertinere.

Rom. 5. 16.

CXVI. Jul. *Verùm tali expositione,* [b] *qua quidem nec pervertere sensum, nec subfugere valebis, tamen non solùm præstigias tuas, sed etiam illius, quam in nos inflammabas, figmentum invidiæ perdidisti. Graviter quippe nos in fidem commisisse jactabas, qui dicimus gratiam quidem Christi uniformiter esse tradendam, nec debere verba ejus & instituta concuti; sed æqualiter cunctis à se imbutis adoptionis & sanctificationis & promotionis dona conferre: verùm non omnes accedentes in* [c] *unis reatibus invenire; sed eos quidem qui propria voluntate peccaverint, sine cujus opere nullum potest esse peccatum, liberare de reatu, & de malis facere bonos; innocentes autem infucata primævitate felices, pro nullo opere malæ voluntatis ar-*

Confer lib. 1. n. 53.

A *guere, cujus apud eos novit experientiam non fuisse;*

Aug. O dementiam singularem! Hoc disputare est, an insanire? Cum miseria se natos esse parvuli flendo testantur, quos non vis Christum habere Jesum; & felices eos dicis, quos tamen ejus [d] non admittis in regnum: quod regnum si Christiana caritate diligeres, ab illo separari magnam esse miseriam judicares.

CXVII. Jul. *Sed de bono facere meliores: atque ad unum quidem collem omnes, quos susceperit, sanctificationis* B *evehere, sed non omnes in eadem vitiorum palude deprehendere; verùm alios invenire in statu innocentium, alios in studiis noxiorum. Hoc ergo quia dicimus, quod fidei sanitate, præsidio* [e] *rationis, atque intelligentiæ pietate munitur, per quod & Christi gratia jure laudatur, nec Deo applicatur ullus reatus; tu dicis auctoritatem nutare sacramenti, atque acumine pistillo omni obtunsiore asseris, auferri auctoritatem gratiæ, nisi ei calumniandi flagitium adscribatur, nisi justitiæ instituta perverterit, nisi his* C *qui scientiam non habent, alienæ conscientiæ crimen impegerit; postremò nihil eam efficere, si non in omnibus uniformiter prædicetur operari.*

Aug. Quid est quod acumen, non meum, sed omnium catholicorum disputatorum, cum quibus inconcussum teneo, quod frustra labefactare conamini, pistillo comparandum putasti? An quod vos fragiles conterat, sentire cœpisti? Et tamen qui velut defensione justitiæ Dei niteris, ut evertas quod de parvulorum non rege- D neratorum damnatione tota Christi sentit Ecclesia, numquam dicturus es grave jugum super parvulos unde sit justum, si non trahunt originale peccatum. Nec advertis, vos potiùs pervertere instituta justitiæ, & hoc omnipotentis Dei, à quo vel sub quo istam pœnam sine ullo merito innumerabilibus omnium hominum millibus, hoc est, imaginum Dei, à die exitûs de ventre matris eorum, dicitis irrogari. Postremò numquam dicturus es, unde sit justum, ut par- E vuli nullâ suâ, nullâ plerumque etiam suorum culpâ, sine baptismate mortui, à parentibus & propinquis fidelibus separentur, & ad Dei regnum non admittantur, nec inter vasa facta in honorem, sicut alii parvuli baptizati, sed inter vasa facta in contumeliam, (quia nullum est tertium genus vasorum,) sine ullis malis meritis deputentur. Displicet enim hæreticæ prudentiæ vestræ, quod catholica fides credit, postea quàm ierunt omnes ex uno in condemnationem, F in aliis fieri misericordiam gratiæ, in aliis judicium veritatis manere, per investigabiles Domini vias, quæ universæ sunt misericordia & veritas.

De parvulorum non regeneratorũ damnatione consentit tota Christi Ecclesia.

Contra instituta justitiæ Dei est, ut ab ipso vel sub ipso pœna hominibus irrogetur sine merito.

Vasorum nullum est tertium genus.

Psal. 24. 10.

CXVIII. Jul. *Id ergo totum, per quod stultitiâ sordentes decipiebas animos, tuâ expositione evanuisse manifestum est.*

Aug. Evanuisti, sed tu, qui videre vel confiteri non vis remissionem peccatorum etiam ad illos pertinere, qui unum habent: ad quam me- G dicinalem gratiam non pertinent parvuli, si nullum habent: [f] quos impiè necatis; quia eis salvatorem negatis.

[a] Editi, *ira cæcitate*: mendosè.

[b] Editi renitentibus veteribus libris, *quam quidem nec pervertere*: omisso, *sensum*. Sed Julianus de expositione dicit allata ex Augustino, quam pervertere ipse molitur: perge hinc ad n. 118. & 119.

[c] Editi, *in unius reatibus*: contra veterum MSS. fidem.

[d] Particula negans hîc omissa in editis, tametsi exstet in MSS.

[e] Editi, *orationis*: refragantibus MSS.

[f] Sic MSS. At editi, *quod impiè negatis*.

Jul. *Nam*

CXIX. Rom. 5. 16.

Jul. *Nam cùm Apostolus pronuntiat*, Gratia A autem ex multis delictis in justificationem: *& hoc tu dicis in parvulis quidem non posse constare; in illis autem, qui jam perfectæ ætatis sunt, solis ideo impleri, quia ad unum illud alia quoque motu propriæ voluntatis addiderint; confiteris sine dubio, diversam esse operationem gratiæ pro diversitate venientium. In his quippe, qui motu propriæ voluntatis utuntur, suppetit ei materia gloriandi; quia ex multis criminibus in justificationem, quos adoptarit, educit: in parvulis autem, secundùm te, jejunius, angustius, exilius, nec virtute magna, nec medicinâ idoneâ, nec honestate salva, nec pudore securo, unum illud peccatum se promittit auferre, quod nec debuit imputare; & ex hoc uno, quos liberat, in justificationem conatur emittere.*

Grave jugum super parvulos injustum, si non illis imputandum Adæ peccatum. Eccli. 40. 1. Gen. 17. 14. Levit. 12. 6. & 7.

Aug. Jam responsum est: eadem multùm dicis, non inveniendo quid dicas. Cùm dicitis nullum peccatum parvulis imputandum, injustum facitis Deum, qui eis grave jugum à die exitûs de ventre matris imposuit. Quod etsi Scriptura C non diceret, quis tam cæcus est mente, qui non videat miseriam generis humani à fletibus incipere parvulorum? Injustam facitis etiam Dei legem, quæ octavo die non circumcisi animam damnat infantis: vanum quoque judicatis esse præceptum, ubi sacrificium pro peccato, infante nato, jubetur offerri. Si autem reatus iste originis, & scripturâ sanctâ proditur, & ipse se prodit; etiam hoc peccatum inter illa est multa peccata, ex quibus justificat gratia, quæ parvulos D quoque ex hac miseria beatificat. Et hoc non in isto sæculo, quod universum Deus hominibus voluit esse pœnale, ex quo primos homines foras de paradisi felicitate dimisit; sed in futuro æterno, unde nunc Christus membris suis sancti Spiritûs pignus impertit.

CXX.

Jul. *Confessus es ergo aliter operari gratiam in majoribus, aliter in minoribus. Nec quidquam putes responsioni tuæ relictum loci, si inferas, magnam quidem, sed in remissione peccatorum esse di- E stantiam; ut etsi unum peccatum, tamen inveniat quod remittat. Verùm nihil hac argumentatione promoves: neque enim refert in qua specie varios unius gratiæ fatearis effectus, dummodo varios posse esse fateare.*

1. Petri 4. 10.

Aug. Aliud est varios effectus gratiæ dicere, quia & scriptura sancta multiformem dicit gratiam Dei; & aliud est gratiam remissionis peccatorum parvulis denegare, eosque in Ecclesia veritatis, si non eruuntur de potestate tenebrarum, F mendaciter exorcizari exsufflarique contendere, cum magna injuria Creatoris, si non indigent auxilio Salvatoris, ut de potestate deceptoris eruantur.

Exorcismus & exsufflatio parvulorũ.

CXXI.

Jul. *Ego enim hoc contentus sum, quod mihi es tu dare compulsus, quia quod prædicavit Apostolus in liberalitate gratiæ, non possit cunctis æqualiter ætatibus convenire: tu si quid adtuleris*, [a] *quod & in prima nascentium ætate remissionem confirmes exsequi; illud tamen non* [b] *admovisti, quia non complea- G tur in parvulis unde Apostolus gratiam Christi pronuntiavit esse laudabilem. Nam cùm medicinam* A *mysterii, peccato primi hominis*, [c] *quem formam fuisse docebat, sequentibus anteferret, ait*, Judicium ex uno delicto in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. *Illud ergo per quod prætulit gratiam, quia ex multis videlicet delictis justificationem operatur, nec secundùm te constat in parvulis; atque ad hoc, quamvis reluctareris, adtractus es, ut non æqualiter in diversis ætatibus gratiam faterere versari.* Rom. 5. 16.

Aug. Jam responsum est: vana loqueris. Glo- B riosa est gratia Dei, etiam cùm dimittit singula quorumque peccata; quia & ipsa singula ad eam multitudinem pertinent peccatorum, ex qua justificat homines qui salvum facit populum suum à peccatis eorum: ad quem populum dignissimè non pertinetis, quia parvulos ad eum pertinere non vultis. Matth. 1. 21.

CXXII.

Jul. *Quod cùm receptum est à te, apparuit nullam fuisse necessitatem naturæ humanæ calumniam concitandi, ob hoc solum, ne baptismatis magis gratia varios habere pro ætatibus diceretur effectus. Quo persuasionis colore sublato, si quid nervorum habes, si quid ingenii, si quid virtutis, annitere probare naturale peccatum, quod vides ratione, auctoritate, æquitate destructum. Quo enim es deceptus intuitu, ut commixtionem corporum, quam Deus instituit, & conciliatricem ipsius commixtionis voluptatem sexuum, quæ tam in hominibus quàm in pecoribus vigens, auctorem suum eum quem corporum indicat conditorem, diaboli opus & fruticem vocares?*

Aug. Erubesce: tu es ille laudator libidinis. Erubesce, inquam: libido ista, quæ tibi multùm placet, contra quam necesse est ut pugnet, qui non vult ei sollicitanti consentiendo perpetrare peccatum, non erat in paradiso ante peccatum. Aut ergo nulla ibi erat, aut voluntatem mentis nec præcedebat, nec excedebat. Non est talis modò: hoc in se ipso sentit omnis homo; & tu homo es. Cohibe renitendi studium, & agnosce [d] vitium unde trahitur originale peccatum. Hoc in hominibus propagatis invenerunt nuptiæ, non fecerunt: [e] hoc necessitate utuntur, castitate bene utuntur, idcirco nulla ratione culpantur. Hoc in pecoribus ideo non est malum, quia non in eis caro concupiscit adversùs spiritum: quod malum in hominibus sanandum est bonitate divina, non humana vanitate laudandum.

Libidinis vitiũ non erat in paradiso ante peccatum.

d Ex hoc vitio peccatum originale.

e Libido in pecoribus cur non sit malum.

CXXIII.

Jul. *Quæ* [f] *autem ratio fuit, ut primò innocentiam crimine sauciares alieno, dehinc rem studiorum miscere seminibus conareris?*

Aug. Eadem per eadem dicis: sed procul dubio sunt [g] vana quæ dicis. Naturâ bona sunt semina, sed vitiantur & semina, eisque vitiatis propagantur & vitia. Saltem species te corporum doceat, quorum cùm sit opifex summè bonus & nullo vitio depravatus, vitiosa tamen multa nascuntur: & utique si nemo peccasset, nulla in paradiso talia nascerentur.

g Vitiosa corpora hominum non nascerentur, si nemo peccasset.

CXXIV.

Jul. *Ut baptismati veritatem propriæ operationis auferres? Ut Deo, qui totus æquitas est, qui sine justitia Deus esse non potest, perspicuæ iniquitatis crimen adscriberes?*

Aug. Vos hoc potiùs facitis: quoniam si par- Grave ju-

[a] Editi, *quo*. MSS. *quod*.
[b] Ita MSS At editi, *amovisti*.
[c] Menardus, *quæ formam*. Viguer. *qui in formam*. Castigantur ex MSS.

[d] Sic MSS. At editi, *agnosce initium*.
[e] Editi, *hac*. Meliùs MSS. *hoc*.
[f] Editi, *Quæ malum ratio fuit, in primo* &c. malè.
[g] Editi, *una*. MSS. *vana*.

(gum super parvulos nō sine merito.) vuli sine ullius peccati merito premuntur gravi A jugo, iniquus est Deus: sed quia ille non est iniquus, tu es calumniosus & cæcus.

CXXV. JUL. *Tam, inquam, perspicuæ, ut ipse hanc injustitiæ speciem, quam ejus mentiris adhærere judiciis, legis suæ auctoritate damnaverit.*

AUG. In ejus lege scriptum est, animam parvuli, (Gen. 17. 14.) si die octavo non circumcidatur, interituram de populo suo: quo merito, dic si potes? Sed omnino non potes; & tamen originale peccatum negando non taces. B

CXXVI. JUL. *Quæ ergo tot blasphemiarum necessitas fuit, si nec ista quam amplexabaris fuit? Quæ quidem nihil habens momenti, tamen velut quædam tabula videbatur, quam in tanto naufragio contineres, quam victis remisisti, serò licèt, lacertis. Ut enim res repetitione clarescat: ideo Manichæus credebaris ab ineptis quibusque tolerandus, ne gratiæ Christi non in omnibus una efficientia videretur: ad hoc tu nunc, sine adactu nostro, expositionis tuæ processibus intulisti, dicens Apostoli sententiam, quæ* C *ait,* (Rom. 5. 16.) Gratia autem ex multis delictis in justificationem, *in hominibus quidem majoris ætatis posse, in parvulis verò non posse compleri; sed esse in parvulis aliud brevius, exilius, egentius; quod licèt tu excogites, tamen nequaquam dixisse Apostolum confiteris.*

AUG. Relegatur quod tibi responsum est, ut intelligatur te nihil dicere, & tamen tacere non posse, homo linguose. Gratia ex multis delictis mittit in justificationem, (Matth. 1. 21.) cùm salvum facit Jesus populum suum à peccatis eorum. D In eisdem multis invenit etiam singula parvulorum: quemadmodum etiamsi peccata originalia nulla essent, in eisdem [a] multis inveniret peccare incipientium etiam singula grandiorum, quibus ad Christi baptisma venientibus nullo modo diceretur, Non potestis modò baptizari, quia nondum habetis multa delicta; Gratia enim ex multis delictis mittit in justificationem. Verissimè quippe responderent, In multitudine delictorum, ex quibus E justificat gratia, etiam nostra delicta sunt singula, ubi habent aliqui plura, aliqui pauciora, quæ simul cum singulis nostris multa sunt omnia.

CXXVII. JUL. *Igitur & secundùm te, in adoptione quidem per omnes ætates gratiæ est æqualis effectus: in remissione verò peccatorum non in omnibus est una taxatio. Sed egi hactenus parcè nimis atque patienter:*

AUG. Si tam multa loqueris parcè loquens, F ut unum meum librum *, nec ipsum totum, tuis octo libris insecteris; nimiùm profusa & luxuriosa est parcimonia tua. Sed si hactenus parcè egisti; quare in tam multis contra veritatem clamans, animæ tuæ non pepercisti?

(* Librum scilicet 2. de Nuptiis & concup.)

CXXVIII. JUL. *Præmissa scilicet disputatione probare contentus, te quoque qui nobis seditionem per hoc maximam concitabas, dicere remissionis peccatorum non in cunctis unam constare rationem; ut etiamsi unum hoc naturale peccatum persuadere posses, tamen li-* G *queret necessariò dici, non semper accedentium ad gratiam unum statum esse; & hoc Apostoli dictum,* (Rom. 5. 16.) ex multis delictis in justificationem, *in adulta solùm, non autem etiam in prima ætate compleri.*

AUG. Secundùm tua vaniloquia, nec in adulta ætate completur: quoniam multi adulti habent singula, (etiamsi secundùm vos non habent originalia,) quibus contigit venire ad baptismum, quando peccare cœperunt; aliqui habent etiam paucissima, non tamen multa: non ergo pertinebunt ad hanc gratiam Christi; quoniam ex multis delictis illa justificat, quæ non habent isti: quod si quisquis sapit, ineffabiliter desipit. Agnosce Christum ex multis delictis justificantem, salvumque facientem populum suum, & in iisdem multis intelligens posse quorumlibet & pauca & singula computari, noli ab hoc populo sortem subtrahere parvulorum; etiam ipsis crede necessarium esse Jesum, (Matth. 1. 21.) qui hoc non vocatur, nisi quia salvum facit populum suum, in quo utique sunt & parvuli, à peccatis eorum.

CXXIX. JUL. *Nunc verò assero consequenter nihil Apostolum de Manichæa traduce suspicatum; ostendit quippe ad gravem injuriam pertinere mysteriorum, si compararentur per cuncta peccatis, id est, si non efficaciùs prodesset gratia, quàm culpæ forma nocuisset. Maximam ergo Christianæ fidei dignitatem in eo magister gentium collocavit, quod eam adfirmavit antestare delictis: ob hoc illi curæ fuit, ut morbis veteribus medicinæ præferret effectum.*

AUG. Hanc medicinam negatis parvulis, quos falsa & inimica defensione salvos esse contenditis. Sed Deus eorum, qui ex ore infantium (Psal. 8. 3.) atque lactentium medicinæ suæ perficit laudem, profectò & vos destruit, qui eis adhibetis inimicam defensionem, cùm destruit inimicum & defensorem.

CXXX. JUL. *Inde gratiam ostendit esse laudabilem, si ei per omnia conveniret quod dixit,* Judicium ex (Rom. 5. 16.) uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. *Qua tu ergo licentia gratiam Christi ea laudatione fraudabis, qua illam Apostolus voluit prædicari; ut dejicias titulum dignitatis, per quem solum honorem ejus vas electionis voluit agnosci?*

AUG. Hæc ad parvulos non pervenit, si nullo delicto secundùm vos obligati sunt: sed quia obligati sunt, profectò gratia ex multis delictis multitudinem fidelium suorum justificans, etiam ad unum delictum sanandum pervenit eorum, ut ex ore infantium destruat ora fallentium inimicorum & defensorum.

CXXXI. JUL. *Ille dixit,* Gratia ex multis delictis in justificationem: *ille [b] peccati efficientiæ medicinæ copiam prætulit; qui sensus catholicorum dogmati congruit, intelligentium in his remissionem peccatorum fieri, in quibus possunt multa deprehendi, id est, motu propriæ voluntatis adtracta: in quibus autem non sit hic motus propriæ voluntatis, id est, in parvulis, non minùs nulla esse, quàm multa.*

AUG. Nulla ergo ad eos Salvatoris pertinet medicina, & Christus non est eis Jesus: & tu qui hoc dicis, audes vocari Christianus? Deinde si ut definis, in his fit remissio peccatorum, in quibus possunt multa deprehendi; quoniam sic accipis quod ait Apostolus, (Rom. 5. 16.) Gratia ex multis delictis in justificationem: non pertinent ad remissionem peccatorum, qui, secundùm vos, non

[a] Vignerius, *nulla essent in eisdem, multa inveniret.* Tum ipse ac Menardus, *peccata incipientium.* Emendantur ex MSS.

[b] Sic Menardus. At Vignerius & MSS. *efficientia peccatis.*

habentes originale peccatum, ad lavacrum regenerationis cum singulis veniunt paucisve peccatis. Videte quæ dicitis; & non erubescitis, non expavescitis, non tacetis? Si autem homines peccare incipientes, & nondum habentes multa delicta, percipiunt tamen gratiam ex multis justificantem delictis; cur in eisdem multis etiam singula quorumlibet computare non vultis, non ob aliud, nisi ut ab ea parvulos impiè separetis; vobisque pernicies pessimæ iniquitatis incumbat, ut ab illa etiam grandiores primùm peccare incipientes, nondumque habentes multa; sed singula, vel pauca peccata, alienos esse dicatis?

CXXXII. Jul. *Apostolus ergo ubi prætulit gratiam peccato, nostrum dogma communit.*

Aug. Immo vestrum dogma subvertit: quia ista gratia quam peccato prætulit, ex multis delictis justificat, & ideo pertinens ad pusillos cum magnis, nec ullum præterit pusillorum, qui remittit omnia omnium suorum, id est, pusillorum atque magnorum.

CXXXIII. Jul. *Nunc tu ede, ubi æquaverit peccato gratiam, ut quoniam fides tua non capit remedia prælata vulneribus, saltem capiat in angustum non excedentia comparationem redacta: quod si scriptum usquam repereris; Paulum tamen ab hac constabit abhorrere sententia: & ut compendiò totus Apostoli sensus eluceat, ait,* Gratia ex multis delictis in justificationem: *multa autem delicta nec secundùm te parvuli habent, qui secundùm Apostolum,* [a] *nullum habent.*

Aug. Multa delicta nec secundùm te habent, qui primùm peccare cœperunt: & tamen eos negare non potes ad hanc ex multis delictis justificantem gratiam, cùm ad baptisma veniunt, pertinere. Multa ergo delicta sunt totius populi, in quo sunt & parvuli; ad quem populum civitatis Dei cùm pervenit gratia ex multis delictis justificans, invenit ibi & multa aliquorum, & pauca aliorum, & singula parvulorum; quæ simul utique multa sunt omnia, & multitudine suâ redarguunt multa & inania verba tua. Si autem secundùm Apostolum, sicut putas, nullum delictum habent parvuli; unde ergo secundùm Apostolum mortui sunt? Quia & secundùm te, etiam pro ipsis mortuus est Christus: Unus enim pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est. Juliane, non hoc Augustinus, sed Apostolus dixit; immo ipse per suum Apostolum Christus: cohibe te à vaniloquio, cede Deo. (2 Cor. 5. 14. & 15.)

CXXXIV. Jul. *Constat hìc igitur magistrum gentium non de nascentibus disputasse, sed de his qui jam motu propriæ voluntatis utuntur.*

Aug. Digere crapulam contentionis, & expergiscere, & intellige delictum, & unius, & unum, de quo dictum est, Si enim ob unius delictum multi mortui sunt: multi quippe isti ipsi sunt omnes, de quibus alio loco dicit, Sicut in Adam omnes moriuntur: & ibi videbis & parvulos, quia & pro ipsis etiam, te confitente, mortuus est Christus: utique cùm dixisset Apostolus, quia unus pro omnibus mortuus est, continuò quid necessariò sequeretur, ostendit dicens, Ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est. (Rom. 5. 15. — 1 Cor. 15. 22. — 2 Cor. 5. 14. & 15.)

A Jul. *Iam verò quod addidit Apostolus*, Sicut per unius delictum in omnes ad condemnationem, ita & per unius justitiam in omnes homines ad justificationem, *tantum opis impertit nobis, quantum in dogma tuum movet fragoris. Ponens quippe in contrariis partibus* omnes, *quibus verbis non potest ulla esse conjunctio, ad Scripturarum nos morem remittit, ut intelligamus omnes dici solere pro multis. Nam in ipsa fronte verborum magna barbaries est: qui enim omnes ad justificationem veniunt, si perrexerint omnes ad condemnationem? aut qui omnes ad pœnam, si omnes rapiuntur ad gloriam? Generalitas unius partis, locum excludit alterius.* CXXXV. (Rom. 5. 18.)

Aug. Ergo & ubi dictum est, In quo omnes peccaverunt, multi sunt intelligendi, non omnes: quod si ita est, cogeris dicere, non omnes peccatores unius illius hominis imitatione peccasse, sed multos. Quòd si dixeris, ideo non omnes; sed multos ejus imitatione peccasse, quia multi, non omnes peccaverunt; volens eos qui non peccaverunt, intelligi parvulos: respondebitur tibi, quia [b] nec mortui sunt in illo parvuli, ac per hoc non pro illis Christus mortuus est, quia non nisi pro mortuis ille mortuus est; sicut Apostolus clamat: atque ita, & contra te ipsum venies, & à gratia Christi penitus parvulos separabis, pro quibus Christum mortuum non esse dicturus es. Consequenter etiam baptizandos negabis in Christo. Quicumque enim baptizati sumus in Christo, sicuti ait idem Apostolus, in [c] morte ipsius baptizati sumus: illi autem baptizantur in morte Christi, pro quibus mortuus est Christus. Nullo modo igitur ab originali peccato alienabis parvulos, nisi eos simul à gratia baptismatis Christi feceris alienos. (Rom. 5. 12. — Rom. 6. 3.)

In eo verò quod tibi videtur, duo ista inter se esse contraria, ut omnes eant in condemnationem per Adam, & omnes rursus in justificationem per Christum, omnino erras. Nullus enim hominum nisi per Adam trahitur ad damnationem, de qua per lavacrum regenerationis homines liberantur; & nullus hominum nisi per Christum ab hac damnatione liberatur: ideo ex utraque parte dicti sunt omnes; quia nemo ad damnationem generationis nisi per istum, nemo ad vitam regenerationis nisi per illum. Ac per hoc non generalitas unius partis locum excludit alterius; quia ex his ipsis qui generaliter moriuntur in Adam, quos vult vivificat Christus. Non ergo tibi videbuntur inter se ista contraria, si non sis tibi ipse contrarius. (Beda & Florus ad Rom. 5.)

Jul. *Verùm ut hìc quoque quantum muniamur advertas: à loco medicantis locum intellige* [d] *vulnerantis. Si Christus salvavit universos, Adam quoque universis nocuisse fingatur.* CXXXVI.

Aug. Numquid ideo non mittuntur omnes in damnationem per Adam, quoniam quos vult ab hac damnatione liberat Christus? Qui propterea omnes liberare dictus est etiam ipse, quoniam non liberat quemquam nisi ipse: sicut dictus est illuminare omnem hominem, quia nemo quemquam illuminat, si non ipse. (Omnes liberare quomodo dicitur Christus. Beda & Florus ibid. Iohan. 1. 9.)

Jul. *Si Christus mutavit officia genitalium, Adam ea pervertisse credatur: si Christus aliquid correxit in sensibus carnis, æstimetur eos Adæ culpa* CXXXVII

[a] Hic *nullum* ex MSS. restituimus.
[b] Hoc item loco in editis omissum erat, *nec*.

[c] MS Port. *in mortem*.
[d] Ita MSS. At editi, *vulnerati*.

[a] *turpasse: si Christus fecit medicinam ire per propaginem, dicatur Adam per generationem transmisisse delictum.*

AUG. Jam ad ista responsum est: sed audi breviter etiam nunc. Si Christianus catholicus esses, appareret tibi, & Adam delictum generando transmittens, & Christus regenerando dimittens. Carnaliter autem generat Adam, spiritaliter regenerat Christus. Noli ergo quærere in utroque propaginem carnis, quam propaginem non pertinere ad regenerationem spiritalem, si non contendis, adtendis. Contra infirmitatem verò carnis nunc Christi gratia certamen instituit, postea ejus perficiet sanitatem: cujus sanitatis futuræ atque perpetuæ nunc pignus Spiritum-sanctum dedit, per quem diffunditur in nostris cordibus caritas, ut nos ad agonem interim relicta carnis non vincat infirmitas.

Gratia nunc certamen instituit, postea perficiet sanitatem. 2. Cor. 5. 5. Rom. 5. 5.

CXXXVIII. JUL. *Sin autem his omnibus in eo, quem suscipiunt à natura, ordine permanentibus, adhortationibus, signis, exemplis, promissione vel munerum, vel pœnarum, ad fidem voluntas sine indictione necessitatis allicitur, & hæc per instituta, per mysteria, per dona; non oppressa, sed exspectata, sed libera, sed provocata curatur; apparet, & si uno spiritu totus mundus vel rugiens vel* [b] *rabiens refragetur, voluntatem uniuscujusque, non nativitatem, tinctam imitatione fuisse peccati.*

AUG. Quacumque te vertas, ab originali peccato non alienabis parvulos, nisi eos negaveris mortuos: quod si feceris, mortuum pro eis Christum simul negabis: si autem, [c] ne hoc neges, mortuos parvulos confiteris; profectò in Adam mortuos non negabis: aut si non ibi, dic ubi?

CXXXIX. JUL. *Quamvis nimis molliter* [d] *egerim: etsi enim Christus ex eo quo venit tempore, universis hominibus doceretur & iter interclusisse mortis, & vitam donasse perpetuam, ut nemo prorsus ex eo die, quo Verbum caro factum est, aut in peccatum laberetur, aut pro peccato pœnam timeret; non tamen* [e] *à conditione primæ iniquitatis, quæ liberalitatis doceretur extremæ: quoniam subvenire non merentibus, potest & solet Deus, cum laude clementiæ; punire autem non peccantes non potest, sine eversione justitiæ.*

AUG. Quia ergo gravi jugo à die exitûs de ventre matris, puniti sunt parvuli; agnosce judicem justum, & confitere originale peccatum. Punire enim nullius peccati meritum habentes, sicut etiam ipse confiteris, non potest sine eversione justitiæ.

Eccli. 40. 1. Grave jugum super parvulos injustum erit, si non sit originale peccatū.

CXL. JUL. *Adtende igitur quid disputatio tota confecerit. Si gratia Christi & Adæ culpa in diversis effectibus æqualiter censerentur, ut vel numero operationum pares essent, quæ operationum genere dissidebant; docendum erat, tantis profuisse gratiam, quantis culpa nocuisset: ut appensionis illius, qua trutinabantur, æquitas & momenta constarent. Subvenire ergo debuit etiam illis omnino locis illisque partibus medicina, quibus insederat ægritudo, id est, si aliquid in motibus genitalium, in sensibus coëuntium, in obscœnitate membrorum, in infelicitate nascentium, antiquum crimen effecerat, immutatione horum quæ diximus, remedia contulisset: alioquin grande testimonium imbecillæ artis, nihilque profuturæ, nec locum ægritudinis invenisse, & languentibus eversisque naturalibus, inertia fomenta voluntatibus admovisse.*

AUG. Jam responsum est, * cùm de distantia præsentis & futuri sæculi locuti sumus. Hîc enim accipimus per pignus Spiritûs, & certandi & vincendi vires: ibi autem, sine hoste ullo externo & interno, ineffabili ac sempiterna pace perfruemur. Quisquis ergo omnia quæ ibi habenda sunt, hîc vult habere, fidem se indicat non habere.

* Suprà n. 93. 94. & 106. In hoc sæculo certandi vires præstantur, in futuro sempiterna pax.

CXLI. JUL. *Ostendit autem inter hæc veritas, quia etsi prodesset effusa generaliter medicina* [f] *motibus atque mortalibus, illis quoque qui eam nullo studio nec ulla intentione meruissent; non tamen continuò noceret culpa nascentibus, qui nihil ad eam assensionis admovere potuissent. Ac per hoc, etsi æqualis esset gratiæ peccatique taxatio; clarebat tamen, ne tum quidem ejusmodi appensionem eò usque constare, ut quisquam nasci probaretur reus.*

AUG. In illo gravi jugo, quo etiam parvuli premuntur, quomodo est justus Deus, si nullus nascitur reus?

CXLII. JUL. *Nunc autem, cùm Apostolus non solùm non postposuerit culpæ gratiam, verùm etiam præposuerit, dicens multo in plures abundasse beneficia, quàm inrepsisse dispendia; per opinionem autem traducis, multo magis constet nocuisse peccata, quàm profuisse gratiam: inrefutabiliter approbatum est, apostolum Paulum nihil sensisse de traduce, sed ejus sententiâ Traducianos cum Manichæis magistris suis pariter fuisse destructos.*

AUG. Non dixit apostolus Paulus, *multo in plures abundasse beneficia, quàm inrepsisse dispendia:* non hoc dixit; prorsus falleris, si ipse non fallis. Multo magis enim abundasse gratiam dixit in multos, non in magis multos; sed magis abundasse. In comparatione namque pereuntium pauci sunt qui salvantur; sine comparatione autem pereuntium & ipsi multi sunt. Sed quare sint illi plures, quàm illi, consilium Dei velle nosse multorum est: nosse autem vel paucissimorum hominum, vel omnino nullorum. Posset autem omnipotens non creare, quos omnium rerum præscius malos futuros ignorare non posset, nisi uti etiam malis pluribus optimè optimus posset: unde nos aliquid Apostolus docuit, id est, ut iram suam potentiamque monstraret in eis, quæ adtulit in multa patientia vasa iræ, & ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Sed nolunt credere Pelagiani, quòd in uno homine tota est massa vitiata, & tota damnata: à quo vitio & damnatione sola sanat & liberat gratia. Quare enim justus vix salvus erit? Numquid liberare justum labor est Deo? Absit: sed ut ostendatur, quo merito fuerit damnata natura, non vult facilè de tanto malo, nec ipse omnipotens liberare; propter quod, & peccata proclivia sunt, & laboriosa justitia, nisi amantibus: sed caritas, quæ hos amantes facit, ex Deo est.

Quomodo abundavit gratia. Rom. 9. 22. & 23. 1. Petri 4. 18. 1. Johan. 4. 7.

CXLIII. JUL. *Verùm quia hic fui longior, pergamus ad reliqua.*

[a] Editi, *turbasse*: corruptè.
[b] Sic MSS. At editi, *rapiens*.
[c] Editi *si autem hoc non neges, & mortuos parvulos confiteris; profectò in Adam mortuos negabis.* Emendantur ex MSS. fide.
[d] Editi, *egerit*: mendosè.
[e] Menardus, *ea conditio*.
[f] Editi, *motibus aquè.* Omnes tamen MSS. *motibus atque.* Paludanus correxit, *omnibus aquè.*

Aug. Ita hoc dicis, quasi alibi brevior sis futurus; cùm loquacissimè inquiras, quemadmodum Apostoli manifestissimis verbis nebulas ingeras vanitatis.

CXLIV. * Verba Aug. lib. 2. de Nupt. c. 27. Omnes hoc loco Apostoli quomodo intelligendi.

Jul. * Omnes autem dixit ad condemnationem per Adam, & omnes ad justificationem vitæ per Jesum Christum: cùm utique non omnes eos qui moriuntur in Adam, transferat Christus ad vitam. Sed omnes dixit atque omnes, quia sicut sine Adam nullus ad mortem, ita sine Christo nullus ad vitam. Sicut dicimus de litterarum magistro, si in civitate solus est, Omnes iste hîc litteras docet: non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab ipso. Quos autem omnes dixerat, multos postea dixit; eosdem tamen omnes multosque significans. Sicut enim per unius inobe- (Rom. 5. 19.)
» dientiam peccatores constituti sunt multi, ita &
» per unius obedientiam justi constituentur multi. Adhuc quærat per quid peccatum inveniatur in parvulo: respondent ei paginæ sanctæ, Per unum hominem peccatum in mundum intravit. (Ibid. 12.) *Sanctas quidem Apostoli esse paginas confitemur, non ob aliud, nisi quia rationi, pietati, fidei congruentes, erudiunt nos & Deum credere inviolabilis æquitatis, & opera ejus bona honestaque defendere, & præceptis ejus moderationem, [a] prudentiam, justitiam vindicare:*

b Magna iniquitas, si parvuli jugo gravi sine peccati merito premûtur.

Aug. Ipsa te convincit in parvulis æquitas Dei: [b] quoniam magna est iniquitas, si jugo gravi premuntur & parvuli sine ullo merito vinculoque peccati.

CXLV.

Jul. *Ac per hoc, negare quemquam pro alterius peccato posse damnari, negare ullum peccatum ad posteros naturæ conditione transire; atque credere, atque asserere, hominem de instituta à Deo fecunditate genitum liberi arbitrii justis legibus conveniri, ut vitet omne quod malum est, exerceat omne quod bonum est, nec, secundùm vos, æstimet amorem & necessitatem criminum substantiæ suæ caussis, id est, ipsis adhæsisse seminibus; nec recipiat tam stultam, tam insanam, tam impiam sententiam, in contumeliam videlicet naturæ, rationis, Dei, Apostoli volumine contineri, quia dixerit per unum hominem peccatum in hunc mundum intrasse, & in omnes homines transisse mortem; cùm hoc diu caligare non siverit, addens eos quos omnes dixerat, debere multos intelligi, qui imitatione, non generatione peccassent.* (Rom. 5. 12.)

Aug. Potes dicere, non omnes gentes semini Abrahæ fuisse promissas, ubi dictum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes; quia easdem dixit & multas, ubi legitur, Patrem multarum gentium posui te: potes, inquam, hoc dicere, & in eo quoque loco Scripturæ prænuntianti quod rebus ipsis videmus impleri, tuo vaniloquio contradicere; & prohibere nos intelligere; omnes gentes, ubi promissæ sunt; (quid aliud quàm omnes gentes?) quia per tuam dialecticam, omnes non pro omnibus, sed pro multis quæ omnes non sunt, positas atque intelligendas doces. Si autem possunt quidem, ubi dicuntur multi, non omnes intelligi; sed tamen ubi dicuntur omnes, veréque sunt omnes, rectè dicuntur & multi; ne ipsi omnes, pauci intelligantur; sicut illi sancti, quos ignis ardens urere (Gen. 22. 18. Gen. 17. 5. Dan. 3. 50.) est * vetitus, omnes inter innoxias flammas laudabant Deum, & tamen ipsi omnes pauci erant, quoniam tres erant: quid habet virium argumentatio tua, qua propterea omnes non vis omnes intelligi, quoniam iidem ipsi dicti sunt multi? Quando quidem qui verè sunt omnes, ideo nonnumquam dicuntur & multi, ut discernantur ab eis, quicumque ita sunt omnes, ut sint tamen pauci. Capilli quippe hominis omnes, etiam multi sunt; digiti verò etiam omnes, pauci sunt. (* f. veritus.)

CXLVI.

Jul. *Totum denique quod egerat, enodavit dicens*, Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justi constituentur multi: *ut sicut nemo præmia virtutis meretur, nisi qui ad ea, post incarnationem tamen Christi, sanctitatis ejus imitatione contenderit; ita in Adam prævaricator nemo teneatur, nisi qui in transgressione legis [c] primi hominis imitatione deliquerit.* (Rom. 5. 19.)

Gratia Christi in ipsius exemplo à Pelagianis posita.

Aug. Hoc est occultum & horrendum virus hæresis vestræ, ut velitis gratiam Christi in exemplo ejus esse, non in dono ejus, dicentes, quia per ejus imitationem fiunt justi, non per subministrationem Spiritus sancti, ut eum imitentur adducti; [d] quem Spiritum super suos ditissimè effudit: & quasi vigilanter additis, *post incarnationem tamen ejus*; propter antiquos videlicet, quos sine gratia ejus fuisse dicitis justos, eo quòd non habuerint ejus exemplum. Quid si ergo & post incarnationem Christi, nondum audito Evangelio, proposuerint sibi aliqui homines superiorum exempla justorum, justéque vixerint? quid agitis? ubi vos videtis? Itane verò isti virtutis præmia non merentur? Si ergo ex justorum imitatione justitia; Christus gratis mortuus est: quia fuerunt justi & ante ipsum, quos imitari possent, qui justi esse voluissent. Quid est etiam quod Apostolus non ait, Imitatores estote Christi, sicut & ego; sed ait, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi? Ergo se illis voluit esse pro Christo? Videtisne quæ mala vos consequantur, quando Adam & Christum Apostolo proponente, vos imitationem imitationi, [e] non regenerationem generationi vultis opponere? (Gal. 2. 21. 1. Cor. 11. 1.)

CXLVII. Innocentes aliqui, ad quos Adæ culpa non pervenit, secund. Jul.

Jul. *Pervenire autem & ad innocentes gratiam Christi, ad quos Adæ culpa non pervenit: propter quod, vigilanter inculcavit, multo magis gratia Dei & donum unius hominis Iesu Christi in plures abundavit: ut illa superior coæquatio ejus ætatis quæ ratione utitur, in contrariis studiis indicet imitationem: hæc autem in gratiæ largitate prælatio, consecratos & provectos approbet innocentes. Quæ cùm ita sint, tibi, non mihi, Apostolum obviare senti, contra te eum arma ferre cognoscito, qui dogma tuum præceptorisque tui Fausti, à quo es velut prima manu tinctus, hoc uno, si cetera deessent, vehementer everteret, quia dicit per unius inobedientiam multos, non omnes, peccatores constitutos fuisse, & per unius obedientiam justos non omnes constitutos fuisse, sed multos. Vt enim diligenter quàm tibi sermo hic repugnet, lectoris intelligentiæ suggeratur: Apostolus pronuntiat, non omnes per Adam peccatores constitutos fuisse; tu dicis, omnes omnino per Adam* (Rom. 5. 15.)

[a] Editi, *prudentia*.
[b] Sic MSS, Editi verò, *quàm*.
[c] Editi, *quasi primi*. Abest *quasi* à MSS. Clar. & Mar.

[d] Menard. *qua super spiritum super vos*. Vigner. *qui suum spiritum super eos*. Corriguntur ex fide MSS. Port. Mar. Clar.
[e] Particula negans hoc loco restituitur auctoritate MSS.

peccato naturali ad jus diaboli pertinere: ambigi non A *potest, inter te & Apostolum magnam esse pugnam.*

Aug. Omnes dicit, eosdemque multos; non multos dicendo negat * omnes, ne sibi sit ipse contrarius, sicut vestra aut fallit improbitas, aut fallitur cæcitas. Quia enim utrumque dixit Apostolus, & omnes, & multos; ostendi ego non inter se duo ista pugnare; quia ipsi omnes, ideo etiam multi sunt dicti, quia omnes aliquando dicuntur & pauci: tu autem dicendo non omnes, quos omnes dixit Aposto- B lus, procul dubio convinceris Apostolo esse contrarius.

CXLVIII Jul. *Nam cùm tu & Manichæus dicitis, Omnes sunt naturaliter peccatores: Apostolus autem dicit, Multi sunt, non omnes, peccatores; removet accusationem à seminibus quæ armatur in mores, & destruit originale peccatum. Vtque hoc ipsum quod egimus, urgeamus: præscribit Apostolus, multos debere intelligi per Adæ inobedientiam peccatores; multos autem per Christi obedientiam justos; eos utique qui justi* C *sunt, ostendens ab illis, qui criminosi sunt, esse discretos: tu quà impudentià argumentari niteris, ut ex his sermonibus probes naturale peccatum? Nam cùm dicis omnes nasci criminosos per Adam, & propter hoc ad diabolum pertinere, sed aliquos inde per Christum postea liberari; non hoc sentis quod Apostolus, qui dicit, non omnes per Adam peccatores constitutos esse, sed multos.*

Aug. Quoniam non est contrarium, sicut jam ostendimus, ut iidem sint multi, qui sunt D omnes; ideo quos multos, eosdem omnes Apostolus dicit: non omnes autem, non Apostolus, sed tu dicis; ac per hoc Apostolo contradicis. Verum est autem quod Apostolus dicit: falsum ergo quod tu dicis. Et quod superiùs * dixisti, *vigilanter inculcasse Apostolum, Multo magis gratia Dei & donum unius hominis Iesu Christi in plures abundavit;* volens intelligi, ideo plures dictos, quia pervenit gratia ejus ad parvulos, ad quos imitatio primi hominis non pertinet: aut E mendosus codex tibi mentitus est, aut ipse mentiris, aut ab aliquo falso, sive fallente, aut oblivione deceptus es. Non enim ait Apostolus *plures*, sed *multos*. Græcum adtende codicem, & invenies πολλοὺς, non πλείονας. Dixit ergo, multo magis abundasse gratiam in multos, non in magis multos, hoc est, non in plures, sicut jam ostendimus: quoniam si plures dixisset, propter parvulos quos tenet gratia, cùm primi hominis non teneat imitatio; falsum dixisset, & esset si- F milis vobis. Si enim omnes imitatores Christi post ejus incarnationem, regeneratis parvulis additis, conferantur cum peccatoribus, quos omnes vultis propter arbitrium libertatis ad imitationem primi hominis pertinere, ab ipso Adam usque in finem sæculi voluntate peccantes; qui eorum multo plures sint evidenter apparet, ut & vestra falsitate vincamini.

Beda & Florus. * n. 147. Rom. 5. 15.

CXLIX. Jul. *Si enim quale tu, tale aliquid ille sensisset, debuit utique dicere, Per unius inobedientiam pecca-* G *tores constituti sunt omnes, sed per obedientiam Christi ex his aliqui ad justitiam reverterunt. Ita enim prorsus ei loquendum fuerat, si hoc quod tu fingis, voluisset intelligi. Verumtamen cum hac sententia illud aliud nequivisset asserere, multo magis profuisse Christi gratiam, quàm Adæ læsisset iniquitas. Etsi ergo penitus nesciremus, qui mos esset, quo per inobedientiam unius hominis multi peccatores constitui dicerentur: tamen maneret in solido, non hoc pertinere ad originale peccatum, quod Apostolus inculcaverat, multis, non omnibus convenire.*

Aug. De multis & omnibus, jam responsum est. Nec sic locutum fuisse Apostolum, quemadmodum dicis eum loqui debuisse, si hoc diceret quod nos dicimus, quid mirum est? Quando quidem etiamsi, secundùm vos, Apostolus per unius delictum ita multos peccatores constitutos esse dixisset, ut iidem multi non possent omnes intelligi, sed hi tantùm qui ex imitatione primi hominis propria voluntate peccarunt; non dixit per obedientiam Christi ex his aliquos justificatos, quod tamen verum est. Quid est ergo quòd dicis, *si tale aliquid quale nos sensisset Apostolus, eum dicere debuisse, Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt omnes, sed per obedientiam Christi ex his aliqui ad justitiam reverterunt?* Quasi vos negetis, ex prævaricatoribus legis, quales tantummodo peccatores ad similitudinem prævaricationis Adæ pertinere contenditis, aliquos per obedientiam Christi ad justitiam fuisse conversos. Possumus ergo & nos vobis dicere, Si tale aliquid quale vos sensisset Apostolus, debuit utique dicere, Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi quidem, non omnes, sed etiam ex his per obedientiam Christi aliqui ad justitiam reverterunt. Aut etiam multo apertiùs ita loqueretur, si aliquid tale sensisset, ut diceret, Multi quidem Judæorum per inobedientiam unius hominis peccatores sunt constituti, qui lege accepta, simili prævaricatione peccarunt, sed etiam ex his aliquos justificavit Christi obedientia. Quòd si tibi non præjudicavit, non ita loquendo, sicut dixi eum loqui debuisse, si hoc sentiret quod tu: nec mihi utique præjudicare debet, quia non ita locutus est, quomodo eum dicis loqui debuisse, si hoc sentiret quod ego. Cùm ergo Apostolus ita sit locutus, sicut loquendum esse arbitratus est; videndum est, quis ei nostrûm consentiat, utrùm ego qui dico verum esse quod ait, Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem; & verum esse quod ait, Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi; quoniam non repugnat, ut qui multi sunt omnes sint, & qui omnes sunt multi sint: an tu qui dicis, ubi ait multos, multi sunt; ubi ait omnes, non omnes sunt.

Rom. 5. 18. Ibid. 19.

CL. Jul. *Patefactà igitur vel imperitià vel impudentià tuà, quæ aut non curat, aut non valet, quid dicatur exponere, ostensoque veritatis ipsius, quam se esse Christus appellavit, lumine, nihil de apostoli Pauli sermonibus Manichææ, id est, vestræ cohærere dementiæ: nunc expositioni operam demus, ut sicut ostensum est qualiter non possit, ita clareat qualiter & debeat Paulus & possit intelligi.*

Iohan. 14. 6.

Aug. Ita desereris veritate, & contra manifesta Apostoli verba non potes invenire quid dicas, ut quod in eis intellexerunt tot sancti clarique doctores, qui hoc in Ecclesia catholica dicerunt atque docuerunt, (non enim sanum

* Hic ex MSS. restituimus, *omnes.*

sensum habentes in tam manifestis verbis aliud intelligere potuerunt,) tu Manichæorum esse dicas, quod illos non fuisse cogeris confiteri, quantolibet veneno Pelagianæ pestis insanias.

CLI. JUL. *Scribens itaque ad Romanos, eo jam tempore, quo gentium cœperat esse permixtio, atque ideo tam ex Iudæis quàm ex gentibus complebantur Ecclesiæ, tumultus populi utriusque componit, inculcans quoniam nec gentes impietatem suam, qua mutaverant* (Rom. 1. 23.) *gloriam Dei in similitudinem imaginis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium, legis possint ignoratione diluere, quæ per vim rationis ingenitæ, etsi non ritum ceremoniarum Iudaicarum, tamen Deum innotescentem operibus, substantiæ verò profunditate secretum, potuerint ex his ab eo quæ sunt facta cognoscere. Legis autem normam, quantum ad vitæ probitatem respicit, proprius unicuique suggerebat affectus; videlicet ut nihil tale inferret proximo, quale perpeti noluisset: atque ideo profanitatem gentium jure optimo argui posse convincit, etsi non per legem, per eam tamen justitiam quæ condidit legem,* (Rom. 2. 12.) *& qua judicante, hi qui sine lege peccaverunt, sine lege & peribunt. Iudæos verò, quorum magis intererat, quia in despectum gentium maximè tumescebant, honorem sibi de legis purificationibus vindicantes, ac per hoc æstimantes non sibi ita ut gentibus profuisse Christi gratiam peccata donantem, quando quidem legis ea institutione vitassent, magna disputationum virtute confringit, allegans, eis tanto amplius per indulgentiam fuisse collatum, quanto post legis admonitionem sine ulla ignoratione peccassent; per quod approbat eos reos fuisse, & vehementer potuisse damnari in ejus justitiæ examine, apud quem qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur:* (Ibid. & 13.) *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Hoc ergo proposito, per totum librum disputans, tum superbiam reprimit Iudæorum, tum excusationem vanitatis gentibus demit, ut doceat æqualiter ambobus populis Christi profuisse medicinam.*

(Gen. 17. 12.) AUG. Hanc medicinam parvulis vos negatis, quos lex ipsa circumcidi octavâ die jussit, ejus gratiam præfigurans, cujus resurrectionem Dominicus, id est, post septimum Sabbati dies octavus ostendit: nec valetis ac vultis adtendere, ita (Ibid. 14.) parvulum morientem sine Christi gratia periturum, quemadmodum dictum est, incircumcisi animam parvuli interire de populo suo: cujus interitûs invenire meritum non potestis, quamdiu non trahere peccatum originis parvulos dicitis.

CLII. JUL. *Qui & crimina voluntatis ignovit, à quibus liberum fuerat abstinere; & sui imitatione, qui erat virtutum forma & norma,* [a] *correctis gloriam beatæ æternitatis indulsit. Cùm ergo utramque nationem pro voluminis sui tempore & jure conveniat: in his tamen locis, de quibus quæstio est, cum Israëlitis omnino manum conserit, qui audebant de præputiatorum stirpe venientes, eò usque despicere, ut affirmarent eos, nec suffragio fidei ad consortium suum transire potuisse: contra quod supercilium replicat Iudææ gentis exordia, & in ipsa radice circumcisionis, ostendit non tanti esse præputium, ut aut injustos ejus relictio, aut justos faciat ejus ablatio.*

AUG. Quando ista dicebat Apostolus, non de circumcisione, vel præputio; sed de præceptis legis, in quibus est etiam; Non concupisces, agebat: quod & ipse commemoravit. Quid tergiversamini? Priores peritis, dum caliginem offunditis imperitis. (Exod. 20. 17. Deuter. 5. 21.)

CLIII. JUL. *Non ergo per legem promissio Abrahæ, ut heres esset mundi, sed per justitiam fidei. Si enim qui sunt ex lege, heredes sunt; evacuata est fides, destructa est promissio. Lex enim iram operatur: ubi autem non est lex, nec prævaricatio. Ideo ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini; non ei tantùm quod ex lege est, sed quod ex fide est Abrahæ, qui est pater omnium nostrûm, (sicut scriptum est, Quia patrem multarum gentium posui te,) ante Deum cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt tamquam quæ sunt. Qui præter spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundùm quod dictum est, Sic erit semen tuum. Et non infirmatus in fide* [b] *consideravit corpus suum jam emortuum, cùm ferè centum annorum esset, & emortuam vulvam Saræ: in repromissione autem Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed confirmatus est fide, dans gloriam Deo; plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere; propter quod & reputatum est illi ad justitiam.* (Rom. 4. 13. &c. Gen. 17. 5. Gen. 15. 5.)

AUG. Hæc te commemorare non pudet, qui oppugnas gratiam quâ ista promissa complentur? Contra Deum enim loquimini, dicendo, Nos facimus: quod ille se facturum esse promisit. (Beda & Florus ad Rom. 9. 8. Deus facit quod se facturum promisit.) In Isaac quippe, qui Abrahæ promissus est filius, hi præfigurati sunt, non qui se ipsos justos, sed quos Deus fuerat ipse facturus? Unde universæ per Prophetam dicit Ecclesiæ: Ego enim sum Dominus, qui facio te. (Isai. 45. 8. sec. LXX.) Propter quod & filii promissionis vocantur, apertissimè dicente Apostolo: Non potest autem excidere verbum Dei: (Rom. 9. 6. &c.) non enim omnes qui ex Israël, hi sunt Israël; neque quia semen Abrahæ, omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen: hoc est, non hi qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semine. [c] Quod itaque Deus promisit, Deus facit. Hoc ergo totum sicut ædificat eos, quorum spes in Deo est; sic evertit eos, qui confidunt in virtute sua: (Psal. 48. 7.) ac per hoc, sicut catholicam fidem ædificat, sic Pelagianum evertit errorem.

CLIV. JUL. *Qui locus quàm sit opinioni vestræ totus infestus, & primo opere disputatum est, & si quid hinc recoli oportuerit, differetur. Nunc autem advertatur, promissionem, quæ facta est ad Abraham ob remunerationem fidei ejus, in qua dicitur, quia pater multarum gentium constitueretur, ostendisse, nec unius illum populi genitorem debere defendi, qui multarum gentium pater sit prædictus; nec ita solùm credulitatis recepisse mercedem, ut alios similiter credentes à præmii consortio putetur excludere. Non est autem scriptum, inquit, tantummodo propter ipsum,* (Rom. 4. 23. &c.) *quia reputatum est illi; sed & propter nos, quibus reputabitur, credentibus in eum qui suscitavit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis; qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.*

(Inflatores liberi arbitrii.) AUG. Dicite nobis, ô vani, non defensores, sed inflatores liberi arbitrii, qui ignorantes Dei justitiam, & vestram justitiam volentes constituere, (Rom. 10. 3.) justitiæ Dei non estis subjecti; dicite, in-

[a] Menard. & Vigner. *& norma correctionis.* Emendantur ex MSS.

[b] Sic MSS. At Vignerius, *Et non infirmatus est in fide, nec consideravit.*

[c] Editi, *Quos.* MSS. Mar. Clar. Port. *Quod.*

quam, nobis, si noluissent gentes credere justéque vivere, evacuaretur promissio quæ facta est ad Abraham? Non, inquies. Ergo ut Abraham ob stipendium fidei consequeretur dilatationem seminis, præparata est gentium voluntas à Domino; & ut vellent quod & nolle potuissent, ab illo factum est, qui ea quæ promisit, potens est & facere.

Fecit Deus ut gentes vellent, quod & nolle potuissent.

Rom. 4. 21.

CLV.

Jul. *Cùm ergo ille adhuc in præputio testis sit fidei pronuntiatus, & ob ejus stipendium dilatationem fuerit seminis consequutus; quâ, inquit, regulâ tu Iudæe non putas ad consortium justitiæ pertinere gentiles, qui fidem Abrahæ, paria de Dei virtutibus credendo, restituunt?*

Aug. Bene contra vos loqueris: quia utique si de Dei virtutibus credunt, non sicut vos confidunt in virtute sua, ut justificentur, id est, ut justi fiant; sed in illius, qui justificat impium.

Psal. 48. 7.

CLVI.

Jul. *Cur putes, inquit, sine consecrationibus legis, ad Abrahæ stemma nationes non posse perduci; cùm constet promissionem, quæ facta est ad Abraham, anteriorem fuisse quàm legem, nec eam ablutionibus tributam fuisse, sed moribus?*

Aug. Hos mores, quos procul dubio bonos vis intelligi, si ut putatis, homo sibi facit; prædicere ista debuit Deus præscius, non promittere; ut non de illo in hac caussa diceretur, Quæ promisit, potens est & facere; sed, Quæ præscivit, potens est & prænuntiare, aut potens est & ostendere. Quando autem dicunt homines, Quod Deus promisit, nos facimus; se ipsos faciunt [a] jactantiâ potentes, illum arrogantiâ mentientem.

Deus ipse facit hominis mores bonos.

Rom. 4. 21.

Jactantia est dicere, quod Deus promisit, nos facimus.

CLVII.

Rom. 4. 14.

Jul. *Si enim qui sunt ex lege, heredes sunt; evacuata est fides, destructa est repromissio. Qui sermo, nisi intelligatur, ingerit maximam quæstionem: dubio enim procul, dicit eos esse ex lege, quos suprà dixerat ex circumcisione, quos sibi tantum noverat arrogare, ut putarent præter se neminem assumi ad Abrahæ seminis dignitatem: atque hoc disputatione collegerat, ut quia non solùm hi qui ex circumcisione, sed & illi qui ex præputio sectari voluissent vestigia fidei Abrahæ, non immeritò Abrahæ filii censerentur.*

Aug. Quid, si noluissent, evacuaretur promissio? Admoneo ut intelligatis, cui gratiæ sitis inimici, negando operari Deum voluntates in mentibus hominum: non ut nolentes credant, quod absurdissimè dicitur; sed ut volentes ex nolentibus fiant. Non sicut facit doctor homo, docendo & hortando, minando & promittendo in sermone Dei: quod frustra fit, nisi Deus intus operetur & velle per investigabiles vias suas. Cùm enim verbis doctor plantat & rigat, possumus dicere, Fortè credit, fortè non credit auditor: cùm verò dat incrementum Deus, sine dubio credit & proficit. Ecce quod interest inter legem & promissionem, inter litteram & spiritum.

Deus voluntates operatur in mentibus hominum, ut volentes ex nolentibus fiant.

Phil. 2. 13.

1. Cor. 3. 6.

CLVIII.

Jul. *Cùm ergo superiùs id egisset, ut intelligeremus à consortio justitiæ non potuisse excludi gentes, sed per eamdem fidem cum filiis circumcisionis in Abrahæ stirpe numerari; nunc intulit, neminem de circumcisione ad eam promissionem, quæ Abrahæ data est, pertinere: hoc autem omnino, nisi intelligatur, repugnat. Quod itaque ait, Si enim qui sunt ex lege, heredes sunt, evacuata est fides, & destructa est promissio; non hoc pronuntiavit, ut videlicet nemo de Iudæis per fidem fieri credatur heres promissionis antiquæ: sed deest sermo, cujus vicem implet intelligentia, non solos heredes esse qui ex lege sunt; ut si hoc modo dictum esset: Si enim qui sunt ex lege, soli heredes sunt, evacuata est fides. Verè enim præputium videretur excludi, si ad nullos præter eos qui ex circumcisione erant, benedictionis hereditas perveniret. Intelligenda igitur consuetudo Scripturarum est, quia non continuò quod non dicitur, denegatur, ut intelligentiæ opere verborum dispendia suppleantur.*

Rom. 4. 14.

Aug. Sic intelligunt, qui non intelligunt. Cur non adtenditis rogo, ideo non esse heredes ex lege, quia lex iram operatur? Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Ideo autem ex promissione, quia Deus quod promittit, ipse facit. Qui enim præcepta legis implere se putat per arbitrium propriæ voluntatis sine spiritu gratiæ, suam justitiam vult constituere, non justitiam Dei sumere. Nam unde dicit idem Apostolus, Ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed justitiam quæ est ex fide, justitiam ex Deo? Quare suam dicit justitiam, quæ ex lege est, eamque justitiam reprobat; non autem suam, sed ex Deo justitiam, quæ est ex fide? Numquid lex non est ex Deo? Quis nisi infidelis hoc dixerit? Sed ex lege dicit justitiam suam, in qua homo putat sufficere sibi legem ad facienda divina mandata, confidens in virtute sua. Ex fide autem justitiam, ideo dicit esse ex Deo, quia Deus unicuique partitur mensuram fidei: & ad fidem pertinet credere quòd in nobis Deus operetur & velle; sicut operabatur in illa purpuraria, cujus aperuerat sensum, ut intenderet in ea quæ à Paulo dicebantur. Ac per hoc, nec ipsi Judæi qui crediderunt in Christum, in quibus & Paulus fuit, ex lege heredes omnino [b] dicendi sunt, sed potiùs ex promissione. Ideo enim dictum est, In Isaac vocabitur tibi semen, quia non qui filii carnis hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semine.

Beda & Florus

Rom. 4. 15.

Rom. 10. 3.

Philip. 3. 9.

Justitia ex lege

Justitia ex fide.

Rom. 12. 3.

Philip. 2. 13.

Act. 16. 14.

Judæi non ex lege sũt heredes sed ex promissione.

Rom. 9. 7. & 8.

CLIX.

Jul. *Collegit itaque Apostolus argumentum hoc modo: Si nulli essent heredes benedictionis, nisi qui ex lege sunt; ut præputium constabat exclusum, ita consequens erat, neminem qui fuisset ex lege, benedictione privari: id est, si circumcisio tantum valeret, ut sine ea fides nihil valeret; sicut gentes liquebat repulsas, ita probabatur de Iudæis ad [c] perditionem numquam quemquam ire potuisse.*

Aug. Quomodo erat consequens, ô grosse dialectice? quomodo erat consequens, si nulli essent heredes benedictionis, nisi qui ex lege sunt, neminem qui fuisset ex lege, benedictione privari? Numquid quia nemo est heres, nisi baptizetur, propterea qui baptizantur, omnes heredes sunt? Sed hoc dixerim, non quia ibi est quæ inter nos vertitur quæstio; verùm ut ostenderem quàm sis ipse acutus, qui me obtunsiorem * dicis esse pistillo.

* Suprà n. 117.

[a] Menard. & MSS. *instantiâ potentes.*

[b] In editis, *omnino non dicendi sunt.* Particula negans auctoritate MSS. expungitur.

[c] Menard *ad prædictionem.* Vigner. *ad benedictionem.* Corriguntur ex MSS.

Jul. *Nunc*

CLX. Jul. *Nunc autem cùm confiteamini prævaricatores in lege non esse benedictionis heredes, quia talibus lex iram operatur; constat promissionem illam non circumcisioni convenire, sed fidei. Destrueretur autem promissio, si præter legem nemo justus esset: quando quidem post quadringentos & triginta annos promissionis allata lex, & ipsum Abraham, & Isaac, & Jacob, & omnes in* [a] *medietate sanctos expertes benedictionis ostenderet, quæ non potuisset cuiquam sine lege conferri.*

Gal. 3. 17.

Destruitur promissio, si ex lege justitia.

Aug. Immo destrueretur promissio, si ex lege quisquam justus esset. Si enim qui ex lege, heredes sunt, exinanita est fides, evacuata est promissio; lex enim iram operatur: ad hoc utique, ut ad iram evadendam, Dei gratia requiratur.

Rom. 4. 14. Beda & Florus.

CLXI. Jul. *Quod quia manifestò falsum est; & sub lege quippe peccatores pœnam merebantur, & ante legem justitia & fides remunerationis suæ fructibus privatæ non sunt; constat, non ad truncatas ferro carnes, sed ad illustres probitate mentes, promissionis illius gloriam pertinere. Sequitur autem fulminea contra traducem sententia: Lex enim, inquit, iram operatur; ubi autem non est lex, nec prævaricatio. Persuade ergo legem datam esse conceptis, legem posse dari nascentibus; ut eos prævaricationis reos possit arguere. Ceterùm nos cum Apostolo credimus, quem nihil contra rationem sensisse defendimus, non esse in ea ætate prævaricationem, in qua lex esse non potuit; quia ubi non est lex, nec prævaricatio: quæ lex iram operatur, non vitio suo, sed eorum iniquitate, qui peccata virtutibus anteponunt.*

Rom. 4. 15.

Johan. 3. 5.

Aug. Non est ergo lex Christi, Nisi quis „renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest in„trare in regnum Dei? quam legem vides, etiam ad parvulos pertinere. Verùm tu dic potiùs, parvulus cujus anima interibat de genere ejus, si die non circumcideretur octavo, cujus prævaricationis arguebatur, ut tali supplicio plecteretur? Nisi quia ipse in se ipso nihil peccans, tenebatur reus in similitudine prævaricationis Adæ, in quo omnes peccaverunt. Quæ verba apostolica, tam clara obscurare, tam recta curvare, ingenti quidem, sed inani labore conaris.

Gen. 17. 14.

Rom. 5. 14. & 12.

CLXII. Jul. *Approbavit ergo Apostolus, quia non sit tantummodo scriptum propter Abraham, quòd reputatum est illi ad justitiam; sed & propter nos, quibus sine dubio reputatur, cùm in Deum credimus, qui Jesum Christum ex mortuis excitavit: Qui „traditus est, inquit, propter delicta nostra, & resur„rexit propter justificationem nostram.*

Rom. 4. 23. & 24.

Aug. Ab hac gratia separatis parvulos, quos nullum delictum ex origine tractum habere contenditis: unde fit consequens, ut non ad eos pertineat beneficium, quo propter delicta nostra est traditus Christus: & hæc sentientes & dogmatizantes Christianos catholicos vos dicere audetis?

CLXIII. Jul. *Quàm vehementer inculcat, apud justum judicem Deum aliena peccata aliis non nocere, qui commendans mortem Christi vigilanter enuntiat, propter nostra illum delicta, quæ & plura erant, & nostra erant, & non propter unum & alienum, & olim defuncti hominis, mortem oppetiisse.*

Aug. Inobedientia quidem unius hominis non A absurdè utique delictum dicitur alienum, quia nondum nati nondum egeramus aliquid proprium, sive bonum, sive malum: sed quia in illo qui hoc egit, quando id egit, omnes eramus, tantumque fuit ac tale delictum, ut eo natura universa vitiaretur humana; quod satis indicat etiam ipsa generis humani tam manifesta miseria; hoc delictum alienum obnoxia successione fit nostrum: propter quod dictum est à doctore catholico, qui rectè intellexit Apostolum, Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est. Cujus intellectum, & aliorum ejus in catholica veritate sociorum, si sequi volueritis, non cogemini alienare parvulos à beneficio mortis ejus, qui traditus est propter delicta nostra; & unus pro omnibus mortuus est: ubi quod sequitur clamat Apostolus, Ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est: & vos reclamatis, Non sunt mortui parvuli; clamate & quod sequitur, Ergo non pro ipsis mortuus est; & videte utrùm vos [b] non mortui jaceatis, qui mortuis, ne vivificentur, Christi mortem negatis. Quia non eis, sicut putatis, peccatum debet unius & olim defuncti hominis imputari. Nec adtenditis, * primum hominem Adam sic olim fuisse defunctum, ut tamen post illum secundus homo sit Christus; cùm tot hominum millia inter illum & hunc orta sint: & ideo manifestum est, ad illum pertinere omnem, qui ex [c] illo successione propaginis nascitur, sicut D ad istum pertinet omnis, qui in illo gratiæ largitate renascitur. Unde fit, ut totum genus humanum quodam modo sint homines duo, primus & secundus.

Adæ peccatum quomodo & nobis alienum & nostrum.

Ambros. lib. 1. de pænit. c. 2. vel 3.

Rom. 4. 25.

2. Cor. 5. 14. & 15.

* Prosper sent. 299.

Totum genus humanum quodã modo sunt homines duo.

CLXIV. Jul. *Qui ergo dicit multa delicta, nihil de uno Manichæorum, id est, traducis suspicatur.*

Aug. Sed utique, homo contentiose, multa delicta essent, quæ multi haberent, etiam singula singuli, propriæ voluntatis, si ad lavacrum regenerationis venirent, cùm primum peccare E cœpissent; quos omnes secundùm istam, non rationem, sed distortionem tuam, ab hac gratia, quæ ex multis delictis justificat, facitis alienos; quoniam non vultis ejus esse participes quoslibet homines, quorum delicta sunt singula. Quanto magis ergo multa sunt, eis additis quæ habent alii plura, alii pauciora? à quibus tamen omnibus liberat ista gratia, de qua dictum est, Ex multis delictis in justificationem. Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes F perierunt. Ambrosius hoc dixit: calumniose, non erat Manichæus. Parvulos contagium mortis antiquæ primâ nativitate contrahere, Cyprianus dixit: calumniose, non erat Manichæus. Omnes in uno Adam peccasse, * Hilarius dixit: calumniose, non erat Manichæus. In qua Ecclesia ista didicerunt, calumniose, non erat Manichæa: & quia catholica erat, atque catholica perseverat, ideo vos contra ista sentientes & contendentes ferre non potuit; & ut catholica permaneret, G infirmitatem parvulorum suorum vestrâ damnatione munivit.

Rom. 5. 16.

Lib. 7. in Luc c. 15. 24.

Epist. 64. ad Fidum.

* V. Primũ opus contra Iul. lib. 1. c. 3. & lib. 2. c. 8.

CLXV. Jul. *Justificati itaque ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum,* „

Rom. 5. 1. & 2.

[a] Vigner. immediatè. MSS. in medietate. fortè pro, in media ætate.

[b] Sic MSS. At editi, utrùm vos etiam mortui jaceatis.

[c] Editi, qui ex illa. Et infrà, qui in illa. MSS. verò constanter, illo.

» *per quem & accessum habemus in gratiam istam, in* » *quâ stamus, & gloriamur in spe gloriæ Dei. Qui vobis videtis, inquit, justificationem per peccatorum veniam fuisse collatam, firmam tenete concordiam, & paribus animis Mediatoris dona laudate, cujus munere collatum nobis est, ut in hanc gratiam haberemus introitum; & eos quos justitia reos tenebat, quia reos nos non natura fecerat, sed voluntas, libertati reddidit, & eripuit ultioni; præstititque, ut qui sperabamus æterna supplicia, modò gloriemur in spe gloriæ Dei.*

Justificat Deus non so ùm dimittendo mala facta, sed etiam donando caritatē ad facienda bona.

AUG. Non per solam peccatorum dimissionem justificatio ista confertur, nisi auctoribus vobis. Justificat quippe impium Deus, non solùm dimittendo quæ mala facit, sed etiam donando caritatem, ut declinet à malo & faciat bonum per Spiritum-sanctum, cujus[a] subministrationem jugem poscebat Apostolus eis, quibus dicebat, Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali. (a 2.Cor.13.7.) Contra istam gratiam geritis bellum; ut liberum non sermone defendatis, sed præsumtione decipiatis voluntatis arbitrium.

CLXVI. JUL. *Verùm ut magis exprimeretur virtus istius securitasque doctrinæ, quid conferat fidelibus philosophia Christiana persequitur: Non solùm autem,* (Rom. 5.3. &c.) » *sed & gloriamur in pressuris, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem; spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. Id est, Non solùm nobis hæc beneficia contulerunt, ut amplitudine quandoque munerum gaudeamus: sed jam inpræsentiarum, in mediis angorum æstibus constituti, alacres sumus ipsius possessione virtutis, & de persequentium furore ridemus, impiorum crudelitatem, eruditionem patientiæ magis, quàm perturbationem lætitiæ judicantes; ut non solùm propter præmia non peccemus, sed hoc ipsum non peccare præmium censeamus.*

Non peccare datur à Deo.

AUG. Si præmium est non peccare, quis dat hoc præmium? Puto quia non dicturus es, ipse sibi homo: quamvis hoc te cogat dicere perversitas hæresis vestræ. Si ergo Deus dat hoc præmium, ut homo non peccet: donum potiùs video dicendum esse, quàm præmium, ne aliqua merita præcessisse videantur: cùm eos qui dicunt gratiam Dei secundùm merita nostra dari, Pelagius quoque ipse damnaverit. (V. lib. de gest. Pelag. c.14. & 35.) Quomodo autem detur hoc donum, id est, non peccare, & tu paulò antè dixisti, Apostoli verba commemorans: Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. Ac per hoc, in philosophia Christiana, ut gloriemur in tribulationibus, non est nostrum, quia & hoc accepimus: alioquin tamquam de suo à se sibi parto glorianti homini dicitur, Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? (1.Cor.4.7.) [b] Et tamen gloriamur, non sic quasi non acceperimus; sed gloriamur in illo qui hoc dedit, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. (1. Cor.1.31.) Hæc est gratia, quam catholica fides prædicat: ut quid eam,

Gratia quā catholica fides prædicat.

A quæso, vester error oppugnat, cùm etiam vestro vos ore convincat?

CLXVII. JUL. *Deinde cùm in testamentis agi ea, quæ sunt promissa, conspicimus; præsentis vitæ inter ludicra omnino omnia bona malaque numeramus, fidem pollicitationis Dei de magnitudine in nos caritatis illius æstimantes. Neque enim [c] confutabit spem nostram æternorum frustratio commodorum; quando quidem vadem beatitudinis futuræ Dei caritatem tenemus, quæ effusa est in cordibus nostris per* (Rom. 5.5.)
B *Spiritum-sanctum, qui datus est nobis: id est, per dona sancti Spiritus, amorem suum Deus circa genus probavit humanum.*

AUG. Non vis esse inter hæc dona, etiam non peccare: sed confidens in virtute tua, hoc tibi tu ipse vis dare. Noli irasci, obsecro: Maledictus omnis qui spem habet in homine. (Ierem.17.5.)

CLXVIII. JUL. *Restituet ergo totum fideliter, quod fidelibus repromisit.*

AUG. Restituet planè etiam hoc ipsum, ut
C fideles sint; quia fidem gentium promisit Abrahæ: & quidam magnus fidelis dicit, Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem. (1.Cor.7.25.)

CLXIX. JUL. *Qui enim Filio suo non pepercit, sed pro* (Rom. 8.32.) « *nobis omnibus tradidit eum, per quem nos [d] operatione sancti Spiritus consecravit, procul dubio cum illo* « *omnia nobis [e] donavit.* * *Vt quid enim Christus, cùm* (* Rom. 5.6.) « *adhuc infirmi essemus, secundùm tempus pro impiis* « *mortuus est?*

AUG. Testimonia divina commemoras, qui-
D bus vester error evertitur. Non enim dictum est, Christus etiam pro impiis; sed, pro impiis, inquit, mortuus est. Ut autem & ipse alibi * confessus es, etiam pro parvulis mortuus est: & tamen, quâ fronte nescio, transiisse in eos originaliter impietatem [f] primi hominis negas. (* Iul. l. 1. ad Turbantiū. V. l. 3. cont. iul. c. 25. & l. 6. c. 4.) Quomodo ergo pertinent ad eum, qui pro impiis mortuus est?

CLXX. JUL. *Vix enim pro justo quis moritur: nam pro* (Rom. 5.7. &c.) « *bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem* « *Deus caritatem suam in nobis: quoniam si cùm adhuc* «
E *peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo* « *magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus* « *per eum ab ira. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis re-* « *conciliati salvi erimus in vita ejus. Non solùm autem* « *hoc, sed & gloriantes in Deo per Dominum nostrum* « *Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem ac-* « *cepimus. Aperuit quanta totum Christus pietate gessisset, qui mori dignatus est pro nihil boni merentibus.* «

AUG. Hæc verba tua sic temperata sunt, ut
F etiam parvulos tangere videantur; quoniam & ipsos nihil boni meruisse conceditis, quos nihil boni egisse fatemini: sed Apostolus non ita locutus est, qui dixit, Christum pro impiis & peccatoribus mortuum fuisse. Frustra ergo tu magnam Christi misericordiam extenuandam putasti: ille enim pro malè merentibus mortuus est: à quo tanto beneficio Salvatoris parvulos separatis, quoniam salvos eos dicitis: ille autem dicit, Non est opus sanis medicus: (Matth. 9.12.) non est ergo opus parvulis Chri-
G stus, quibus utique secundùm vos non est Jesus: quibus autem opus est, his procul dubio est Jesus.

a MSS. Mar. Port. Clar. *cujus ministrationem*: minùs rectè. Nam alludit ad illud Philip.1.19. *per vestram orationem & subministrationem Spiritûs Iesu Christi.*

b Hîc MSS. auctoritate verba illa restituimus, *Et tamen gloriamur, non sic quasi non acceperimus.*

c Editi, *confutavit.* MSS. *confutabit.*

d Sic MSS. At editi, *in operationem.*

e In MSS. *donabit*: juxta Græc. χαρίσεται.

f Hîc ex veteribus libris addimus, *primi.*

[a] Sed[a] discedite maligni : opus est parvulis. Et ip- A sos ergo à peccatis eorum salvos facit, quoniam propterea tale nomen accepit : ubi Angelus dixit, Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. *Matth. 1. 21.*

CLXXI. Jul. *Quippe qui rationem & legem criminum amore calcaverant, euntes post desideria sua, quæ ipsa conscientia, cujus est maxima vis, castigabat. Verùm quia constabat, etiam Prophetas propter justitiam crebro mortis enituisse contemtu, & plurimos* B *pro magnis quibusque rebus dignitatisque insitæ fulgore rutilantibus securo ad interitum animo cucurrisse, ne* [b] *non singularitas virtutis Christi dilucidior ejusmodi esset exemplis, intulit Apostolus, per quod ostenderet caritatem & fortitudinem illius unico eminere fastigio : Assentio & ego, licèt raró, licèt vix, tamen pro rebus justis & bonis mori elegisse nonnullos; sed illis negotiorum dignitas, id est, ipsarum rerum pro quibus dimicaverant claritudo, periculorum temperavit dolorem : Christus autem nihil habuit quod amaret in studiis impiorum, & pro his qui erant* C *propria voluntate deformes, non est aspernatus impendi : apparet autem illum omnium virtutibus antecellere; quia etsi in tolerantia paucos, in caussa tamen nullos potest habere consortes. Nihil igitur de ejus munificentia desperemus : quia si pro nobis mortuus est, cùm adhuc essemus peccatores; multo magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus per eum ab ira.* *Rom. 5. 8. & 9.*

Aug. Nolite ergo eximere parvulos de numero peccatorum : quia & pro ipsis mortuum D fatemini Christum.

CLXXII. Jul. *Et post reconciliationem, quam cum Deo habere promeruimus, per* [c] *operam videlicet Mediatoris; debemus percipere animo sempiterna gaudia, & non solùm salutem sperare, sed etiam gloriam.*

Parvulos ad reconciliationem quæ per mortem Christi facta est, pertinere tanquam peccatores.

Aug. Rogo te, adtende quod dicit Apostolus, propter quod factum est ut de primo homine loqueretur : de reconciliatione agebat, quam tu quoque per mediatorem Christum ex inimicitiis, quas cum Deo habuimus, factam esse concedis. E Ecce vide verba Apostoli : Justificati igitur ex » fide, inquit, pacem habeamus ad Deum, per » Dominum nostrum Jesum Christum. Et paulò » pòst : Si enim Christus, cùm infirmi essemus, » adhuc juxta tempus pro impiis mortuus est. Item » paulò pòst : Commendat autem, inquit, carita- » tem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc » peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus » est : multo magis nunc justificati in sanguine » ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Adhuc ad- F tende : Si enim cùm inimici essemus, inquit, re- » conciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; mul- » to magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Hanc reconciliationem, quam totiens commendavit, etiam in novissimo posuit, dicens, Per » quem & nunc reconciliationem accepimus : ac » deinde intulit, Propter hoc sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum. Sicut ergo per hunc unum inimicitiæ, sic per unum Christum reconciliatio. Quisquis igitur à peccato G in quo inimicitiæ factæ sunt, liberos esse parvulos dicit, profectò eos negat ad hanc reconciliationem, propter quam Christus mediator factus est, pertinere : proinde separat eos & à justi- *Rom. 5. 1. — Ibid. 6. — Ibid. 8. & 9. — Ibidem 10. — Ibidem 11 & 12.*

A ficatione quæ fit in Christi sanguine, cujus fundendi caussa, quando eum bibendum commendavit, nulla nisi in remissionem dicta est peccatorum. Unde fit consequens, ut parvulis peccata non habentibus mors Christi nihil prosit omnino : per hanc enim reconciliati sumus Deo, cùm inimici essemus; quod parvuli, secundùm vos, non fuerunt. Ut enim propter hanc reconciliationem moreremur peccato, in quo inimicitiæ fuerunt; quicumque baptizati sumus in Chri- B sto, sicut idem dicit Apostolus, in morte illius baptizati sumus. Ad hæc autem verba ut perveniret : Si enim mortui sumus, inquit, peccato, quomodo vivemus in eo ? Statimque ut ostenderet mortuos nos esse peccato : An ignoratis, « inquit, quoniam quicumque baptizati sumus « in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus ? Ubi est libertas & fortitudo animi vestri ? Quare timetis dicere, quod credere non timetis, parvulos in Christo baptizari non oportere, C quos peccatum, cui moriantur, dicitis non habere ? *Matth. 26. 28. — Rom. 6. 3. — Ibid. 2.*

Jul. Propterea sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Ad edomandam superbiam Judæorum, qui sibi necessariam peccatorum veniam non tantum, quantum gentilibus æstimabant, prærogativâ legis sanctitatem suo generi vindicantes; in morbum humanæ conversationis in-* D *vadit, & multitudinem delinquentium retrò petit; ut quantum dominationis in hoc mundo iniquitas occupaverit, antiquitatis ipsius prodat auctoritas; quámque multa & veternosa crimina, ab obscœnitate præcedentium per manus mutuæ imitationis posteris tradita, Christi gratia sustulisset, ostenderet. Atque ob hoc recordationem facit primi hominis; non à quo peccatum cœperat, constat enim priùs mulierem deliquisse; sed qui per privilegium sexûs, magisterium occupasset delicti :* per hunc *ergo, intravit* pecca- E tum, & per peccatum mors, *sine dubio illa quæ peccatoribus, id est, æterna promittitur :* & ita, *inquit*, in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Aperuit prorsus qualiter hæc mors transisset ad posteros, ob imitationem scilicet, non generationem.* CLXXIII *Rom. 5. 12.*

Cur per unum, non per duos dicitur peccatum intrasse.

Aug. Jam quidem responsum est tibi, cur non mulierem nominaverit, ex qua fuit initium peccati, sed unum hominem; aut ut ipsa quoque in illo intelligeretur propter unam carnem, aut F quòd à viro incipit generatio, per quam volebat ostendere in mundum intrasse peccatum. Sed homines, qui dicitis mortem quæ in peccato est, ob imitationem, non generationem, ad posteros transisse, cur non apertè dicitis baptizari in Christo Jesu parvulos non debere ? Si enim baptizandi sunt in Christo, quoniam quicumque baptizantur in Christo, in morte ipsius baptizantur; procul dubio peccato & ipsi moriuntur : hinc quippe probavit Apostolus, pec- G cato nos esse mortuos, quia in morte Christi baptizati sumus. Cùm enim dixisset, Si mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo ? Mox ut ostenderet mortuos nos esse peccato, An ignoratis, inquit, quoniam quicumque baptizati « *Rom. 6. 3. — Ibidem 2.*

Parvulos quoque peccato mori in baptismo, & vivificari.

[a] Sic MSS. Editi autem, *discite*.
[b] Particulam negantem hîc restituimus ex MSS. Mar. Clar.
[c] In MSS. *per opera*.

» sumus in Christo Jesu, in morte illius baptizati sumus? Quisquis igitur peccatum non habet, non est [a] cui moriatur in baptismo: quisquis autem, cùm baptizatur, non peccato moritur, non baptizatur in morte Christi; ac per hoc, non baptizatur in Christo. Quid tergiversamini? Liberè aperite inferos vestros: liberè ad vos intrent, qui nolunt in delicto mortuos, in baptismo vivificari parvulos suos.

CLXXIV. Jul. *Post quàm enim dixerat*, in omnes homines pertransiit; *subdidit statim*, in quo omnes peccaverunt: *hoc*, in quo omnes peccaverunt, *nihil aliud indicat, quàm quia omnes peccaverunt,* Psal. 118. 9. *secundùm illud Davidicum: In quo corrigit adolescentior viam suam: id est, quomodo corrigit viam suam? In custodiendo sermones tuos. In eo ergo corrigi dicitur, per quod & corrigitur. Ita & Apostolus in eo dixit pertransiisse mortem, in quo omnes propria voluntate peccaverunt: non ut hoc*, in quo, *aut Adam, aut peccatum videatur ostendere; sed* in quo *omnes peccantes intelligatur exprimere.*

Aug. Aperi oculos: in Adam omnes moriuntur, in quo si non sunt mortui parvuli, nec in Christo vivificantur, ut quid cum eis ad baptismum vivificatoris & salvatoris simulatione damnabili curritis, quos vivos sanosque [b] clamando vivificari sanarique non vultis?

CLXXV. Jul. Omnes *autem pro multis poni, innumera Scripturarum exempla testantur, secundùm illud,* Psal. 13. 3. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: &* Ibid. 4. *post pauca, Qui devorant, inquit, plebem meam, sicut cibum panis: ostendens, ab illis omnibus, quos malum pronuntiaverat operari, hanc plebem fuisse* Matth. 27. *discretam. In Evangelio refertur, Et clamabat om-* Luc. 23. *nis populus, Crucifige, crucifige. Et tamen generalitate verbi hujus nequaquam aut Apostoli, aut Nicodemus, aut sanctæ mulieres includuntur. Hìc ipse Apostolus, quos nunc dixit omnes, paulò pòst multos nominat.*

Aug. Ad hoc jam responsum est, non repugnare omnibus multos, quia ipsi omnes non pauci, sed multi sunt. Et quod de Psalmo comme- Psal. 13. 3. morasti, Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; prorsus verum est: filios quippe hominum, qui declinaverunt omnes, discrevit à filiis Dei, quos non declinantes devorabant. Deus enim respexit super filios hominum: hi omnes declinaverunt; ab eis quippe excepti sunt filii Dei. Ex his ergo declinantibus omnibus filiis hominum, erat etiam ille omnis populus qui clamabat, Crucifige, crucifige. Ad hunc quippe populum nullo modo illi, qui jam in Christum crediderant, pertinebant. Hinc te exue, si potes, quòd unus pro omnibus mortuus est; & aude dicere, non omnes mortuos, pro quibus mortuus est Christus; cùm statim tibi Apostolus fauces premat, & opprimat audacissimam vocem, quid sequeretur ostendens, & dicens, Ergo omnes mortui sunt. Noli sic laudare Apostolum; noli sic ex- 2. Cor. 5. 14. ponere, ut nolis audire, Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. In hos omnes [c] cum peccato mors pertransiit, per illum in quo omnes moriuntur: ibi sunt & parvuli, quia & pro ipsis Christus mortuus est: qui propterea A pro omnibus mortuus est, quia omnes mortui sunt. Quidquid argumenteris, quidquid tergiverseris, quidquid apostolicorum verborum coneris evertere sive pervertere, à morte quæ in peccato est, parvulos non ostendis immunes: quia & pro eis Christum mortuum negare non audes.

Jul. *Quid ergo egerimus appareat;* omnes, *plu-* CLXXVI. *rimos Apostolus dixit; quos ideo ait obnoxios morti, quoniam voluntate propria peccaverunt. Non igitur originale, sed voluntarium crimen accusat: & re* B *vera nihil aliud indicant verba, si eorum fides & proprietas expendatur. Nam si peccatum crederet ad posteros generatione transiisse, id est, ad eos qui ibi non fuerant, ab illo fuisse jaculatum, falsissimè omnes peccasse pronuntiaret.*

Aug. Possem tibi dicere, Quomodo secuti sunt posteri Adam peccantis exemplum, qui non ibi fuerunt, nec ipsum peccatum vel viderunt, vel audierunt, vel crediderunt? Sed non hoc dico: Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes: periit *Ambros. lib. 7. in* C Adam, & in illo omnes perierunt; propter quod *Luc. c. 15. v. 24.* in illo omnes moriuntur. Apostolum audi apertissimè loquentem, non te tortuosissimè garrientem.

CLXXVII. Jul. *Quod enim unus facit, & ad alios dirigit, non verè hoc omnes fecisse dicuntur: aut enim pertransiit ad eos, & ipsi non peccaverunt; aut ipsi peccaverunt, quo sermone negotium operationis exprimitur, & ad eos non pertransiit nisi imitatione sola.*

D Aug. Si quis intemperantiâ sibi podagram *Similitudo transmissionis peccati ex Adamo.* faciat, eamque transmittat in filios, quod sæpe contigit; nonne rectè dicitur, in eos illud vitium de parente transiisse? Ipsos quoque hoc in parente fecisse, quoniam quando ipse fecit, in illo fuerunt; ac sic ipsi atque ille adhuc unus fuerunt: fecerunt ergo, non actione hominum, sed ratione jam seminum. Quod ergo aliquotiens invenitur in corporis morbis, hoc in illo unius primi genitoris antiquo magnoque peccato, quo na- E tura humana universa vitiata est, factum esse noverat, qui lucidissima locutione, quam vos conamini tenebrare, dicebat, Per unum hominem *Rom. 5. 12.* « peccatum intravit in mundum, & per peccatum « mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Gratiam quippe Christi commendare intenderat, à contrario formam constituens, & regenerationis principem principi generationis opponens.

CLXXVIII. Jul. *Illud autem quod te opponere credidisti, vel* F *in isto libro, cui nunc respondeo, vel in his quos ad* *Lib. 1 de peccatorum meritis c. 10.* *Marcellinum scripseras, tum transiiße peccatum,* quando omnes homines, *ut tuis verbis utar,* ille unus fuerunt; *sine difficultate veritas deterit, & inrisioni* [d] *cujusce prudentis exponit. Nam tali argumento præter impietatem tuam nihil aliud indicatur: impietatem, inquam, qua credis ita eße animarum traducem, in Tertulliani olim & Manichæi* *Tertulliani de animarū traduce opinio.* *profanitate damnatam, sicut est etiam corporum tradux: quod tam nefarium est, ut cùm à nobis in ea* G *epistola, quam ad Orientem misimus, vobis fuisset objectum, tu in his libris, quos nuper ad Bonifacium misisti, negando à te propulsare coneris. Ais enim:* *Lib. 3. contra duas epist. Pelag. c. 10.* Dicunt autem nos animarum traducem confiteri; quod in cujus libris legerint nescio: *ut à te vi-*

[a] Editi, *cur moriatur.* Meliùs MS. Mar. *cui.*
[b] Sic MSS. Editi autem, *damnando.*

[c] Hîc in editis additur, *qui mortui sunt.* At est à MSS.
[d] Editi, *cujusque.* MSS. *cujusce.*

delicet nihil dici tale [a] *dejeres. Porrò ut falsitas tua tuorum verborum conlatione prodatur, quomodo traducem animarum, profanam re vera opinionem, tuis dicis sensibus non teneri; cùm profitearis, omnes homines illum unum fuiße? Si enim non credis partem animæ seminibus inligatam; quo ore scribis, omnes homines Adam solum fuiße, cùm homo utique nisi anima & corpus simul eße non poßit?*

Homo dicitur etiam solum ejus corpus.

Aug. Putas hominem non posse dici solum hominis corpus: cùm scias ipsum filium Dei unicum Dominum nostrum Jesum Christum, sub Pontio Pilato crucifixum, & sepultum, sicut tota ejus Ecclesia confitetur, & hæreses multæ, in quibus & vestra est; & tamen solum corpus Christi sepultum est. Debuit ergo secundùm te [b] Jesus Christus filius Dei unicus Dominus noster non dici sepultus; quoniam non ex solo corpore, sed ex Verbo Dei & anima rationali & corpore est Christus Dei filius unicus Dominus noster: sed cùm venisset ad hæc verba confessio, Sub Pontio Pilato crucifixus est; subjici debuit, & corpus ejus sepultum. Nec de ipso primo homine, de quo agitur, dicere Scriptura debuit, Finxit Deus hominem pulverem terræ: quia solum hominis corpus ex terra est. Ipsum denique Deum errasse clamate, qui mortem minando, dixit homini, Terra es, & in terram ibis: cùm potiùs ex tua doctrina debuerit dicere, Terra est corpus tuum, & in terram ibit. Quia ergo fuit Adam, & in illo fuimus omnes, quod ante nos catholici doctores secundùm scripturas sanctas in sancta Ecclesia didicerunt, atque docuerunt; ideo dixi, Omnes ille unus fuerunt; quia & illi duo, masculus & femina, non jam duo erant, sed una caro. Et ego de omnibus genitis dixi, quoniam quando peccatum est, omnes ille unus fuerunt: nondum quippe inde fuerat ullus in matrem seminatione transfusus; & utique filii à viris transfunduntur in feminas. [c] Et qualibet ergo, & quantalibet parte, omnes qui ex illo nati sunt, ille unus fuerunt, sive secundùm solum corpus, sive secundùm utramque hominis partem; quod me nescire confiteor, nec me pudet, ut vos, fateri nescire quod nescio: nec ideo tamen nescio, de omni homine scriptum esse, Homo vanitati similis factus est, dies ejus velut umbra prætereunt: quia & alibi eadem sancta scriptura dicit, Verumtamen uniuersa vanitas omnis homo vivens: quod justo Deo creante non fieret, si peccatum originale non esset.

Gen. 2. 7. — Gen. 3. 19. — Ambros. lib. 7. in Luc. c. 15. v. 24. — Matth. 19. 6. — Augustini de animæ origine cunctatio. — Psal. 143. 4. — Psal. 38. 6.

CLXXIX. Jul. *Deinde etiamsi hoc solum ad carnem referas; nec sic potest hæc intelligentiæ tuæ fatuitas excusari, qua dicis,* Omnes ille unus fuerunt: *cùm eo tempore quo peccavit Adam, jam duo eßent homines, non unus, id est, ipse & uxor ejus; de quorum substantiâ, non culpâ, genus hominum, secundùm quod Deus instituerat, pullulavit.*

Aug. Jam dixi, & ecce iterum dico: ego de his dixi, Omnes ille unus fuerunt, quos fuerat seminaturus, id est, generaturus Adam. Ex illo ergo uno principaliter erant tracturi nascentes originale peccatum, qui genuit. Illa autem (quâ conjunctâ duo fuerunt) quod excepit concepit, peperitque posterior, quamvis peccaverit prior. Unde & sancta scriptura in lumbis patris Abraham dicit fuisse filios Levi, & in illo à sacerdote Melchisedech fuisse decimatos: ad Hebræos epistolam lege, & linguam corrige. Hebr. 7. 5.

CLXXX. Jul. *Denique Abeli filio parentum peccatum nihil nocuisse, sanctitas ejus Scripturis omnibus celebrata testatur.*

Aug. Cur ergo non ipsum posuit Apostolus imitandum, qui primus justus fuit; sed cùm de duobus hominibus ageret, quorum unus in condemnationem mitteret, alter in justificationem, Adam dixit & Christum? Si autem Abel legem non habebat in membris repugnantem legi mentis, quam sicut justus debellabat interiore certamine, & si caro ejus non concupiscebat adversùs spiritum, nihil ei nocuerat peccatum parentum. Sed quisquis talem dicit fuisse Abel, dicat eum carnem non habuisse peccati: cùm procul dubio Dominus Christus non habuisset similitudinem carnis peccati, nisi aliorum omnium hominum esset caro peccati.

Rom. 7. 23. — Gal. 5. 17. — Omnium aliorum præter Christum caro peccati.

CLXXXI. Jul. *E regione Cain invidus, parricida, de eadem natura progenitus, non eadem voluntate provectus, excarnificante animum tremore vastatur. Ergo* in hunc mundum peccatum intrasse per unum, *Apostolus dixit,* & per peccatum mortem, & ita in omnes homines mortem pertransisse qui peccaverunt: *quæ sententia catholico dogmati conveniens, nihil vobis impertit auxilii.* Rom. 5. 12.

Aug. Mortem cum peccato pertransisse ostendit Apostolus, dicendo, Et ita in omnes homines pertransiit. Propter hoc & infantes cùm baptizantur, eruuntur de potestate tenebrarum: alioquin cum magna injuria Dei, sicut jam diximus, & sæpe dicendum est, exorcizatur & exsufflatur imago Dei, si non ibi ille exorcizatur & exsufflatur princeps mundi, qui mittitur foras, ut sit illic habitatio Spiritus-sancti. Scelus autem quod fecit Cain, ad originis caussam non pertinet, quoniam voluntate commissum est.

Exorcismus & exsufflatio infantium. — Iohan. 12. 31.

CLXXXII. Jul. *His enim est ordinata verbis, quibus exemplum præcedens, & studium sequens imitantis ostenditur.*

Aug. Jam tibi dictum est: Abel ergo ei debuit opponi à contraria parte, non Christus.

CLXXXIII. Jul. *Ceterùm si generationem peccato aut infectam, aut obnoxiam voluisset ostendere; non dixisset per unum hominem intrasse peccatum, sed per duos.*

Aug. Jam responsum est. Nihil dicis, & tamen dicis; & dicis, quoniam rectum non potes invenire quod dicas.

CLXXXIV. Jul. *Nec dixißet,* In eo transiit mors, in quo omnes peccaverunt: *sed, in eo in quo de primi hominis & de primæ mulieris diabolica* * *voluptate & carne fluxerunt; quod si pronuntiavißet, non vestrum dogma firmaßet, sed omnes suas sententias subruisset Apostolus. Ergo peccantium voluntatem & peccati accusat exemplum: ac per hoc, vos & ratio deprœliatur, & Paulus.*

* Voluptatem suo more ponit pro concupiscentia.

Aug. Ergo in Abel primo justo ponere debuit justificationis exemplum, sicut in Adam primo peccatore positum putatis esse peccati. Cur enim nos pigeat eadem tibi respondere, cùm te non pudeat eadem totiens frustra repetere?

CLXXXV Jul. Usque ad legem enim peccatum in hoc mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm Rom. 5. 13. & 14.

[a] In MSS. *dejures.*
[b] Editi, *Debuit esse secundùm ejus divinitatem Christus filius Dei* &c. Emendantur ex MSS.
[c] *Sic MSS. At editi, Ex qualibet.*

lex non esset; sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt, in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. *Qualitatem peccati appellationum varietate discernit, ut aliud ostendat esse peccatum, aliud prævaricationem; vultque in hoc dumtaxat loco, omnem quidem prævaricationem peccatum videri, non omne autem peccatum prævaricationem; ut per vocabulum* prævaricationis *peccato crescat invidia, magisque rei esse videantur, qui fuerint præcepta transgressi, quàm qui sine legis admonitu* [a] *rationis ingenitæ dissimulatione deliquerint. Ante eam ergo legem, quæ per Moysen data est, & consignata litteris, cujus sanctione actuum forma præscripta est, quam ignorare populo sub ea degenti* [b] *non licuit, medium illud tempus inter Adam & Moysen, mortales varia studiorum pravitate pollutos, peccati Apostolus, non prævaricationis accusat.*

Aug. Quid est ergo, *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, & in eos qui non peccaverunt, in similitudinem prævaricationis Adæ?* Quomodolibet enim distinguatis, contra vos dixisse Apostolus invenitur. Nam si, *Regnavit mors & in eos qui non peccaverunt*, [c] distinxeritis; quomodo sit justum, nisi propter originale peccatum? Et ideo tamquam quæreretur, quare regnaverit & in eos qui non peccaverunt: responsio reddita est, *In similitudinem prævaricationis Adæ*; id est, non propter sua propria peccata, sed quoniam sui similes genuit prævaricator Adam; sicut exposuerunt hæc verba etiam qui ante nos catholici doctores fuerunt. Quamvis enim peccatum illud primum atque unum, quod per unum hominem intravit in mundum, commune sit omnium, propter quod dictum est, In quo omnes peccaverunt: tamen sua propria parvuli peccata non habent. Et ideo de illis etiam hoc veraciter dici potuit, quòd non peccaverunt; sed regnavit in eos mors in similitudinem, ut dictum est, prævaricationis Adæ. Si autem, *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen & in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, id est, & in eos qui peccaverunt quidem, sed non in similitudinem prævaricationis Adæ peccaverunt; neminem secundùm vos invenitis, quia omnes qui peccaverunt in similitudinem ejus peccasse, id est, exemplum ejus secutos esse contenditis. Fovea igitur vulpeculæ ex utraque parte conclusa est: non est quà intret, ut lateat; aut si jam ibi latebat, non est quà exeat, ut evadat.

CLXXXVI. Jul. *Ut quibus lex data non est, intelligantur non esse præcepta transgressi; rei autem convincantur, quoniam negligentes rationem, quam proprii in unoquoque protestantur affectus, vel humanæ societatis vel pudoris jura temeraverint; atque ideo mutua quidem imitatione, non tamen legis, quæ necdum lata erat, dicuntur transgressione peccasse. Usque ad legem ergo peccatum fuit, non prævaricatio: post legem autem, non solùm peccatum, sed etiam prævaricatio. Regnavit autem mors æterna, quam Adæ, si peccasset, adscripturum se Deus spoponderat. Igitur illa mors peccato debita, mors pœnalis, regnavit & ante legem, in eos qui peccaverunt, sicut in Sodomitis, & his qui diluvii tempore propter iniquitatem, voluntariam tamen, vel varia sunt ætate consumti, regnavit: & post legem, in his quos reos prævaricationis invenit.*

Rom. 5. 13.

Mors pœnalis & peccato debita, secundùm Julianum, non nisi æterna.

Aug. Quoniam mortem nisi æternam non vis esse pœnalem; si mors pœnalis non est, quæ à corpore animam separat, cur eam timet natura, quam sic laudas, ut neges esse vitiatam? Quid caussæ est, ut infans ubi paululùm ab infantia progredi cœperit, jam formidet occidi? Cur non ita ut in somnum, sensus est proclivis in mortem? Cur magni habentur qui mortem non metuunt, hique tam rari sunt? Cur etiam ipse qui concupiscentiam se dixit habere dissolvi, & esse cum Christo, non vult tamen spoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale à vita? Ut quid Petro dictum est de ipso glorioso fine, Alter te cinget, & feret quò tu non vis? Si ergo frustra mors timetur, ipse timor ejus est pœna: si autem anima separari à corpore naturaliter non vult, ipsa mors pœna est, quamvis eam in usum bonum gratia divina convertat.

Mors corporalis etiã ipsa est pœnalis.

Philip. 1. 23.

2. Cor. 5. 4.

Iohan. 21. 18.

Jul. *Quoniam eà judicante justitiâ, quæ non imputat peccatum, nisi à quo liberum est abstinere, hi qui sine lege peccaverunt, sine lege judicabuntur, & hi qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Quod autem ait Apostolus*, Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt, in similitudinem prævaricationis Adæ: *fecit translucere quod senserat, id est, Judæos sub lege peccantes similiter ut Adam prævaricatos fuisse definiens, quia & illi primo homini, licèt non libris, auribus tamen commendata lex fuerat abstinendi à gustu arboris: in quo obedientiæ exploratio fuit; de qua contra præceptum edendo, prævaricationis crimen incurrit. Ergo & post datam legem ministerio Moysi, peccans populus, in similitudinem prævaricationis Adæ deliquisse convincitur; quia, ita ut ille, legis transgressione peccabat: in media autem ætate duarum legum, primæ datæ, non scriptæ, secundæ verò & latæ & litteris traditæ, qui peccaverunt, non à peccato ostenduntur alieni, sed non in similitudinem prævaricationis Adæ, quia legem non acceperant, perhibentur errasse.* CLXXXVII.

Rom. 2. 12.

Rom. 5. 14.

Aug. Ubi negas similitudinem prævaricationis Adæ, te ipse convincis, quòd hi qui sine lege peccaverunt, non primi hominis exemplo sunt rei: non est igitur imitatio, sed generatio, quâ per peccatum mors in omnes homines pertransiit. Neque enim si tam prolixa tempora quæ ante legem fuerunt, transiluisset hæc mors, quæ per peccatum primi hominis intravit in mundum, & à Judæis serpere inciperet, qui prævaricatores legis effecti sunt, ut servaret similitudinem prævaricationis Adæ, diceretur de illa, Per unum hominem intravit, & per omnes homines pertransiit. Cui enim, non dico stulto, sed fatuo, persuadebitis, mortem per unum hominem intrasse, & per omnes homines pertransisse; quam dicitis tot gentes & tot sæcula prætermisisse, & ad eos qui legem acceperant, intactis ceteris, pervenisse; cùm & in eos mortem regnasse dicatis, qui non in

Rom. 5. 12.

[a] In editis, *actionis ingenita*: mendosè.

[b] Sic MSS. Editi verò pro *non licuit*, ferebant *liberum non erat*: & infrà *tales*, loco *mortales*. Fortè legend. *per medium illud tempus.*

[c] Editi, *licèt distinxeritis, non invenietis.* At MSS. prætereunt *licèt* & *non invenietis*, Itaque post *distinxeritis*, subaudiendum, *absistu verbis*, In similitudinem prævaricationis Adæ. Ac fortè legendum, *quomodo erit justum* &c.

similitudine prævaricationis Adæ, sed sine prævaricatione, quia sine lege, peccaverunt? Prorsus non est unde vestrum corrigatis errorem, nisi redeatis ad catholicam fidem, quæ homini primo principi generationis hominem secundum principem regenerationis opponit.

CLXXXVIII. Jul. *Qui Adam forma dicitur futuri, id est, Christi: verùm forma à contrario, ut sicut ille peccati, ita hic justitiæ forma credatur. Sed sicut incarnatio Christi, justitiæ fuit forma, non prima, sed * maxima; quia & ante quàm Verbum caro fieret, ex ea fide quæ in Deum erat, & in Prophetis & in multis aliis sanctis fulsere virtutes; veniente autem temporum plenitudine, exacta in Christo justitiæ norma resplenduit, & qui prædictus fuerat pater futuri sæculi, tam præcedentium sanctorum, quàm etiam sequentium remunerator* [a] *eminuit:*

* V. Bed. præfat. in Cantic. c. 3. hic in append. p. 119. d. & p. 120. b. — Isai. 9. 6.

Aug. Agnoscimus hæresim vestram: definivit enim Pelagius, quòd non ex fide incarnationis Christi antiqui vixerint justi; quia videlicet nondum in carne venerat Christus. Cùm profectò id futurum non prænuntiassent, nisi priores utique credidissent. Sed in hanc absurditatem cecidistis, dum defenditis esse potuisse per naturam legemque justitiam: utrumlibet autem si verum est, ergo Christus gratìs mortuus est.

V. lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 11.

CLXXXIX. Jul. *Ita etiam in parte contraria Adam dicitur forma peccati, non prima, sed maxima.*

Aug. Unde ergo non prima, sed maxima? quando quidem propter exordium generis humani, non negas primam, nec invenis cur dicas maximam, nisi fatearis tanto graviùs Adam peccasse, quanto ibi major non peccandi facilitas erat, ubi vitiata natura nondum erat, nec lex peccati in membris repugnabat legi mentis: cum qua pœna omnis homo nascitur, periturus in æternum, si non renascatur; & perditus, nisi ab eo quæsitus inveniatur, qui venit quærere quod perierat.

Peccatum Adæ cur grave. — Luc. 19. 10.

CXC. Jul. *Maximam autem dico, non quia diabolum magis reum fuiße diffitear: sed quia cùm institutionis ratio peteretur, accommodatiùs Apostolus hominis, quem plurimùm successio humanitatis adspexit, quàm aëriæ substantiæ fecerit mentionem. Verùm in ipsa humanitate primam mulierem deliquisse constabat; sed quia patrum in omnibus efficacior est & major auctoritas, eum dixit formam fuiße peccati, non à quo cœpit delictum, sed qui per potestatem sexûs virilis, magis fuisse probatur imitabilis. Vides nempe, ut consequentia intellectus veritatem sibi inesse testetur.*

Aug. Non imitationem imitationi, sed regenerationem generationi opposuisse Apostolum, ipsa Christi forma demonstrat; [b] qui homini primo homo secundus opponitur. Si ergo non pertinent ad justitiam Christi, qui renascuntur; non pertinent ad peccatum Adæ, qui nascuntur; & non est Christus forma à contrario: sed quia forma est, procul dubio sicut renati ad justitiam Christi transeunt, etiam parvuli, quamvis operari justitiam non valentes; ita cum transitu peccati ex Adam nati sunt, sive nascuntur, quamvis nec peccatum adhuc valeant operari. Agnosce formam, & noli esse contradictione deformis.

CXCI. Jul. *Nunc intuere, quantum à tua expositione discordent, ut cetera ejusdem loci, ita illa verba, quibus Apostolus pronuntiat*, etiam in eos regnasse mortem, qui non peccaverunt in similitudine prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. *Si enim de naturali peccato ageret, de quo dixerat, ut videtur tibi*, In quo omnes peccaverunt: *qui essent hi, quos statim pronuntiat, non solùm in prævaricatione Adæ; sed ne in similitudine quidem culpæ illius obnoxios deprehendi?* Rom. 5. 14.

Aug. Sed tu sic intelligis, qui non intelligis: Apostolus autem rationem reddidit, quare mors regnaverit & in eos qui non peccaverunt, addendo & dicendo, in similitudinem prævaricationis Adæ; id est, propterea regnasse ostendens mortem & in eos qui non peccaverunt, quoniam quamdam similitudinis formam ex Adæ prævaricatione traxerunt. Adam quippe induunt qui nascuntur, sicut Christum induunt qui renascuntur.

Jul. Regnavit, *inquit*, mors etiam in eos qui non peccaverunt in similitudine prævaricationis Adæ: *vides eum distinctionem fecisse perspicuam, inter eos qui similiter ut Adam, & eos qui dissimiliter erraverant.* CXCII. Rom. 5. 14.

Aug. Si dissimiliter erraverant, ubi est ergo imitationis exemplum? Regenerationem redde generationi, non imitationem imitationi; & invenies formam, quam commendavit Apostolus veritatis, non quam finxit Pelagius vestri auctor erroris.

Jul. *Quæ divisio naturali peccato non potest convenire: quod si esset, omnes prorsus æqualiter conligaret; nemo ergo esset cui malum hoc non inesset, & nullus inveniretur de quo verè posset dici, quia in similitudinem peccati illius non deliquisset, in cujus omnes veritate peccassent.* CXCIII.

Aug. Quod retinendo clamas, hoc verum est, & contra vos est: omnes prorsus originale peccatum æqualiter conligavit: nemo esset cui malum hoc non inesset, nisi per Christum gratia divina prodesset. In eos enim qui non peccaverunt, id est, qui sua peccata propria non fecerunt, ut mors regnaret, similitudo meruit prævaricationis Adæ, qui est forma futuri, id est, Christi. Sicut enim primo homine, qui nascuntur; ita secundo homine, qui renascuntur, induuntur.

Originale peccatum æqualiter omnes conligavit.

Jul. *Colligit autem Apostolus, & pronuntiat, esse alios qui peccaverint, sicut Adam; alios quos nec similitudo antiquæ prævaricationis adsperserit: absolutè ergo claret, morum crimina esse, non seminum. Atque ut breviter, quæ sunt acta, repetamus; ait Apostolus*, Per unum hominem intrasse peccatum: *hoc ratio ostendit imitationi, non generationi congruere, quæ est opus duorum.* CXCIV. Rom. 5. 12.

Aug. Quàm multùm eadem dicis, & nihil dicis: nec vides, quia si peccatum imitationis à genere humano cœptum, isto significaretur loco; per unam potiùs quàm per unum in mundum diceretur intrasse; quæ ita prima peccavit, ut eam vir quoque ipsius fuerit imitatus. Sed quia generationem, non imitationem, volebat intelligi, Per unum, inquit, hominem peccatum intravit in mundum: aut ambos singulari numero includens, propter quod dictum est, Igitur jam non sunt duo: aut eum potissimùm commemo- Matth. 19. 6.

Peccatum cur per unum intrasse dixit Apostolus.

[a] Editi, emicuit. At MSS. eminuit.

[b] Vignerius, quia.

rans, à quo est principium generandi, cùm seminatio exorditur, ut conceptio subsequatur. Hæc sæpe jam diximus: sed iterationibus tuis, nostras quoque vel rariùs, tamen iterando, non cedimus.

CXCV. Jul. *Secutus est*, Et ita in omnes homines mors pertransiit.

Aug. Quid est, ita pertransiit? nisi quomodo intravit, id est, cum peccato, sive per peccatum?

CXCVI. Jul. *Fecit distinctionem, ne quis ita putaret transisse peccatum; ut mors* [a] *quæ præcucurrit judicante justitiâ, secuta probaretur materias ultionis,* [b] *quas in unoquoque peccatore de studio malæ voluntatis invenerat. Ostendit igitur, non naturam accusandam esse, sed studia.*

Aug. Frustra te versas, & reversas. Adam respice, & Christum: ille forma est futuri; non est ergo à contrario iste conformis, qui justitiam suam in renascentes parvulos trajicit, si peccatum in nascentes ille non trajicit.

CXCVII. Jul. *Subjunxit, in eo regnasse mortem,* in quo omnes peccaverunt: *quo sermone, non nascentis ruina, sed opera* [c] *agentis expressa est. Approbavit se itaque pravitatem arguere, nec innocentiam sauciare.*

1. Cor. 15. 22. — Quomodo omnes vivificantur in Christo.

Aug. In illo peccaverunt omnes, in quo moriuntur omnes: cujus à contrario forma est, in quo vivificantur omnes. Sicut autem in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur. Quod ideo dictum est, quia sicut nemo nisi per Adam vergit in mortem, ita nemo nisi per Christum surgit in vitam. O homo qui nihil potes dicere, posses saltem tacere!

CXCVIII. Rom. 5. 13. Jul. *Post hoc autem intulit*, usque ad legem regnasse peccatum: *ostendens, regnum peccati lata lege cecidisse.*

Gal. 2. 21. — Philip. 3. 18. — Pelagianū verbum, non gratis mortuum esse Christum, sed ut faciliùs justificemur. — Iohā. 15. 5. — Rom. 5. 13. — Iohan. 1. 29.

Aug. Si lata lege cecidit regnum peccati, ergo per legem justitia est. Si per legem justitia est, ergo Christus gratis mortuus est. Apostoli est vox ista, non mea. Jam erumpite in apertum, inimici crucis Christi. Quid timetis magnum populum Christi, & Christi magnum judicium non timetis? Apertè dicite, Justificari naturâ, justificari lege possemus, gratis mortuus est Christus. Sed formidantes multitudinem Christianam, Pelagianum verbum supponitis, & quærentibus à vobis, quare mortuus sit Christus, si natura vel lex efficit justos; respondetis, ut hoc ipsum faciliùs fieret: quasi posset, quamvis difficiliùs, fieri tamen, sive per naturam, sive per legem. Christe responde; vince, atque convince, clama, Sine me nihil potestis facere: ut taceant qui clamant, Etsi difficiliùs, tamen possemus & sine te facere: aut si tacere non possunt, se ipsos in latebras aliquas ducant, ut alios non seducant. Cur ergo ait Apostolus, Usque enim ad legem peccatum in mundo fuit? nisi quia peccatum auferre nec lata lex potuit, sed ille de quo dictum est, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?

CXCIX. Jul. *Generatio autem quæ cœpit ab Adam, & post legem permanet: quæ si esset fons peccatorum, & frutex diaboli, sicut tu argumentaris, non utique usque ad legem, sed & post legem, & post Christum hoc crimen vigeret. Peccatum itaque de quo Apostolus pronuntiat, quia usque ad legem fuerit, nec potuerit manere post legem, actionis, non nativitatis esse convincitur.*

Johan. 1. 29. — Gal. 2. 21. — Gal. 3. 11. — Rom. 5. 20. — Gal. 3. 21. & 22.

Aug. Ecce apertè dicis, non ideo dixisse Apostolum, Usque ad legem peccatum in mundo fuit, quia nec lex potuit auferre peccatum; sed quia peccatum non potuit manere post legem: nec expavescis vocem Dei, per hominem Dei intendentem in Christum, atque dicentem, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi? Quid desipis? quid insanis? Non natura, non lex; sed ecce qui tollit peccatum mundi: & audes dicere, peccati regnum lata lege cecidisse, & post legem non potuisse manere peccatum? Cùm dicat Apostolus, Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est: cùm dicat Apostolus, Quia in lege nemo justificatur: cùm dicat Apostolus, Lex subintravit, ut abundaret delictum: cùm dicat Apostolus, Si data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia; sed « conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut pro- « missio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. « Si aures habetis, ora jam claudite: si rectè aperire ora vultis, priùs aures divinis vocibus aperite.

Sanè memineris te dixisse, generationem cœpisse ab Adam; qui soles dicere, generationem non nisi à duobus incipere, & ideo non eam voluisse intelligi Apostolum in eo peccato, quod per unum hominem intrasse dixit in mundum. Quis te posse crederet oblivisci, quod totiens dixeras falsum? Sed tamen oblitus es, ut aliquando diceres verum. Expergiscere: audi vel te ipsum: ab Adam cœpit generatio, ac per hoc, per generationem [d] intravit peccatum, quod per unum hominem intravit in mundum. Etenim tu dixisti, *Generatio autem quæ cœpit ab Adam, & post legem permanet.* Convenienter igitur Apostolus unum hominem posuit, à quo peccatum intravit in mundum quod generatione traheretur, non diabolum, à quo illud peccatum intravit in mundum quod imitatio sequeretur.

CC. Rom. 5. 13. Jul. Peccatum autem, *inquit*, non imputatur, cùm lex non est: *quâ sententiâ, sicut & omnibus dictis suis, opinionem traducis interemit.*

Rom. 2. 12.

Aug. Planè cùm lex non est, [e] non imputatur peccatum; sed ab hominibus, qui inscrutabilia judicia Dei nesciunt. Nam si Deus peccatum non imputat, cùm lex non est; quâ tandem justitiâ Dei qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt?

CCI. Jul. *Nam si ante legem non imputata est peccati tradux, post legem autem non fuit, numquam omnino quo noceret humano generi* [f] *virus obtinuit. Ante legem enim imputatum non est naturale peccatum: sub lege imputatum non est, quia in nullo umquam loco legis vel monstratum hoc vel imputatum docetur. Apparet ergo Apostolum, peccatum ante legem liberæ voluntatis, post legem autem prævaricationem totidem liberæ voluntatis arguere.*

Gen. 17. 14.

Aug. Si in lege non ostenditur originale peccatum, cur ergo in lege anima parvuli octavo

[a] Marianensis cod. *percucurrit.*
[b] Editi, *quasi nunc quoque peccatores de studio malæ voluntatis invenerit.* Castigantur ex MSS.
[c] Sic MSS. At editi, *cogentis.*
[d] MSS. Mar. & Port. *per generationem peccatum intravit in mundum:* omissis mediis verbis.
[e] Hîc negantem particulam restituimus auctoritate MSS.
[f] Vetus codex Port. *vires.*

die

Lev. 12. 6. die non circumcisi de genere suo dicta est interire? Cur infante nato, offerebatur sacrificium pro peccato? Jam quæso tace: adtende infantem, & imitare non [a] fantem.

CCII. Jul. *Ac per hoc, constat nihil eum de peccato traducis elocutum: quæ quamvis copiosa essent, ad probandum nihil Apostolum de naturali, (quod esse non potest, & à Manichæis fingitur,) sensisse peccato; ex abundantia tamen etiam distinctionem inculcavit, non omnes omnino Adæ prævaricatione pollutos; quando quidem etiam de his, in quibus pro iniquitate regnaret interitus, invenirentur plurimi, qui à prævaricatione Adæ docerentur alieni.*

Ambros. l. 1. de pœnit. c. 2. ſuvel 3. Aug. Calumniose, linguose: *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est,* qui dixit, Manichæus non fuit; sed sicut vestri * Pelagii. doctoris * ore laudatur, inter scriptores ecclesiasticos flos quidam speciosus enituit. Quomodo autem dicis, non omnes Adæ prævaricatione pollutos, & quod pejus est, Apostolo imputas, quod Rom. 5. 14. tu insipienter sapis? Cùm ille dicat, Regnavit » mors ab Adam, usque ad Moysen, & in eos qui » non peccaverunt, volens intelligi parvulos, qui nulla propria peccata fecerunt: & addat, in Suprà n. 191. similitudine prævaricationis Adæ, ostendens cur in eos regnaverit mors: quod jam superiùs satis egimus. Quomodo enim per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; si in aliquos ad hoc unius hominis peccatum non pertinentes regnavit tamen mors? In quos enim mors regnavit, pertinent ad peccatum per quod intravit: qui verò ad peccatum, per quod mors intravit, non pertinent, quo justo judicio ad mortem pertinent? Non autem pertinent ad peccatum, quod per unum hominem intravit in mundum, [b] qui non in prævaricationis illius similitudine peccaverunt, sicut ipse dixisti: non igitur in eos regnavit mors. Quid est ergo, Regnavit mors etiam in eos qui non peccaverunt in similitudine prævaricationis Adæ; nisi quia regnavit mors & in eos qui non peccaverunt, quoniam nulla peccata propria commiserunt? Regnavit autem in similitudine prævaricationis Adæ; quia licèt nulla ipsi propria peccata commiserint, pertinent tamen ad peccatum per quod mors intravit in mundum, trahentes similitudinem prævaricationis, non prævaricationem peccato proprio perpetrando, sed de prævaricatore, per quem natura humana tota est vitiata, nascendo.

CCIII. Jul. *Vide ergo utrùm adhuc dubium vel tibi debeat esse quod dicimus, innocentes videlicet ante propriæ voluntatis usum, rude opus Dei, non peccasse in Adam, quando, Apostolo teste, etiam de iniquis, qui in similitudine prævaricationis Adæ non deliquerint, plurimi esse doceantur.*

Aug. Jam responsum est: opus est ut taceas: nam non potes nisi perversa dicere, conando Apostoli verba pervertere. Ille enim, & in eos qui non peccaverunt, id est, parvulos peccata propria non habentes, dixit tamen regnasse mortem in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri: quia ita Christus trajicit in eos

A justitiam, sicut Adam peccatum; ita Christus vitam, sicut Adam mortem. Alioquin à forma Christi alieni erunt, & Christiani non erunt: quod quidem sentitis, sed apertè dicere formidatis.

CCIV. Jul. *Sed videamus & cetera.* Sed non sicut delictum, ita gratia: si enim in unius delicto multi Rom. 5. 15. mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum, in gratia unius hominis Jesu Christi, in plures abundavit. *Superari dicit malum delicti copiâ gratiæ; &* B *eorum qui salvantur numerum illis, quos prævaricatione periisse asserit, anteponit.*

Gratia quomodo multo magis abundat. Aug. Jam sæpe diximus: non ait plures, sed multos; nec magis multos, sed magis abundavit: quoniam in æternum victuri sunt, in quos transiit vita Christi; quibus ad tempus nocuit mors in eos transiens per Adam: ecce quomodo multo magis in eos abundavit gratia, quàm peccatum.

CCV. Jul. *Si veritatem Apostoli [c] verbis vindicas,* C *nec eum impudenter putas fuisse mentitum; doce quemadmodum de naturali peccato dicenti hæc sententia non incutiat publicæ falsitatis pudorem. Nam si esset originale peccatum, quod omnem omnino naturam hominum ad jus diaboli faceret pertinere, qui erat locus ad æquiparandum partium numerum, eorum videlicet qui salvantur, & illorum qui intereunt? In Evangelio Dominus cùm beatorum ostenderet raritatem: Quàm arta & angusta, inquit, via quæ du-* Matth. 7. 13. & 14. *cit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam:* « D *quàm lata & spatiosa via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.* «

Gratia in multos, non in plures abundavit. Aug. Hoc est quo sensus iste vester evertitur, quoniam pauci sunt qui salvantur, in eorum comparatione qui pereunt: nam sine illorum comparatione per se ipsos etiam ipsi multi sunt; eorum quippe multitudinem dicit Apocalypsis nu- Apoc. 7. 9. merare neminem posse. Ideo Paulus si eos non multos, sed plures dixisset, non possemus eos dicere pauciores; verbum enim comparationis Qui salvantur sunt per se multi, licèt in pereuntiū comparatione pauci. E est, plures: quod verbum vos supponitis, non Apostolus ponit. Sed nec sic vobis ratio constabit: vestra quippe illa [d] imitatio, quam vobis videmini velut acutè invenisse, contra verborum apostolicorum clarissimam veritatem, ut non per generationem, sed per imitationem, [e] peccatores omnes ad peccatum primi hominis pertinere credantur, multo plures unius delicto, vel ob unius delictum, perire affirmat, quàm gratiâ unius hominis Jesu Christi liberari. Quis F enim [f] non videat, peccatores plures esse, quàm justos? quos peccatores, non aliquos, sed omnes, non quidem per generationem, sed tamen per imitationem, ad unius delictum dicitis pertinere. Sed etsi non omnes peccatores, sed tantùm prævaricatores legis, peccato primi hominis per imitationis vinculum dicatis adstrictos; etiam sic ex quo lex Dei per multas gentes prædicatur; quàm lata & spatiosa via est, quæ ducit Matth. 7. 13. & 14. ad interitum, & multi prævaricatores ingrediun- G tur per illam: quàm arta & angusta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam. In comparatione utique multorum, qui pereunt,

[a] MSS. Mar. & Port. *non infantem.*
[b] Editi, *quia.* Meliùs MSS. *qui.*
[c] Sic MSS. At Menard. *verba indicant.* Vigner. *verba vendicant.*
[d] In editis, *imitatione:* mendosè.
[e] Editi, *peccatoris.* At MSS. *peccatores.*
[f] Particula negans hîc restituta ex MSS.

etiam si paucis qui liberantur, & parvuli qui baptizati moriuntur addantur. Quomodo ergo Apostolus diceret, Multo magis gratia Dei in plures abundavit? quod vos dicitis, ille non dixit: sed ille dixit, Multo magis abundavit in multos; quia etiam qui salvantur, ut jam dictum est, in comparatione pereuntium pauci; sine comparatione autem illorum, tam multi sunt, ut eos quisquam numerare non possit. Multo magis autem in eos abundat gratia; quia temporaliter per Adam, miserè atque mortaliter vivunt; per Christum verò beatissimè, & sine fine victuri sunt. Turbata est vestra inventio: jam tandem intentio corrigatur. *Rom. 5. 15.*

CCVI. Jul. *Hoc nempe quod dicitis, multos & paucos, ad quantitatem infinitam pertinet; quoniam in comparatione mutua, aut multitudo invenitur, aut paucitas. Conferens itaque Deus multitudini pereuntium eos qui salvandi sunt, paucos eos vocavit: & hic Apostolus conferens his qui ita peccassent ut Adam, illos quos salvat Christi gratia, multo plures esse pronuntiat.*

Aug. Non pronuntiat plures, sed multos: Græcè locutus est, πολλοὺς dixit, non πλείους: lege, & tace.

CCVII. Jul. *Assere ergo hoc peccato Manichæorum, id est, traducis convenire.*

Aug. Doctores catholici, non Manichæi deceptores, dixerunt omnes in Adam peccasse: illi hoc dixerunt qui intellexerunt Apostolum, quod vos negatis contra Apostolum. Ergo & vos deceptores estis: & vos enim sicut Manichæi, sed diverso morbo, insanitis.

CCVIII. Jul. *Nam si universitatem, quam fecunditas humana protulit, regno diaboli peccatum naturale transcripsit, & inde in extrema ætate mundi aliqui liberati per Christum putantur; quæ veritas est, aut quæ auctoritas ejus magistri, qui contra tam clarum testimonium totius mundi, dicit in plures justitiam abundasse quàm culpam? Quid ergo ei creditur de involutis dogmatibus differenti, si de rebus tam perspicuis mentiatur? Quod quia sentire sacrilegum est, id autem dici dogma tuum compulit, honore Apostoli Manichæorum vilitas conteratur.*

Aug. Vos potiùs perspicua nubilare contenditis, non solùm non intelligendo quod Apostolus dixit, verùm etiam mutando & supponendo quod ille non dixit. Plures enim non dixit ille, sed multos: qui tamen multi, pauci inveniuntur, quando pereuntibus comparantur. Calumniose, frontose, verbose, hoc dixit Apostolus, quod intellexit Ambrosius, qui non erat Manichæus: Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est. Audi (sicut eum laudavit magister * tuus) florem speciosum; & de tuo corde istam spinarum deformitatem, hoc est, fœda acumina improbæ contentionis evelle. *Ambros. lib. 1. de pænit. c. 2. vel 3.* ** Pelagius.*

CCIX. Jul. *Non mentitur Apostolus: ergo in plures abundavit Christi gratia, quàm Adæ culpa, cujus imitatione dicuntur peccasse qui sub lege peccaverunt: sub lege autem usque ad Christum Iudæi tantummodo deliquerunt. Confer ergo Iudaïcam nationem solam, perfectæ dumtaxat ætatis sub lege positam, & per hoc in similitudinem prævaricationis Adæ peccantem, qui accepta lege peccavit, ac de multitudine vocatarum gentium per prædicationem Evangelii, eorum millia qui gratiæ sunt liberalitate salvati: tuncque intelliges apostolum Paulum verè pronuntiasse, ad plures gratiam Dei & [a] donum Iesu Christi pervenisse, quàm societatem prævaricationis antiquæ.*

Aug. Cùm Apostolus invenitur non plures dixisse, sed multos, tui hujus argumenti machina tota subvertitur: quamvis non soli Judæi, sicut tibi placet, sed omnes prævaricatores esse reperiantur, qui legem cum ipso Evangelio prædicatam prævaricando damnabiliores fiunt: qualibus prævaricatoribus, simul cum Judæis, ita plenus est mundus, ut in omnium comparatione sint pauci, qui parvulis quoque baptizatis additis liberantur; quod & responsione superiore comprehendi. Evidenter contra vos clamat doctor gentium: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur: qui omnes non pauci, sed multi sunt. Ac per hoc, multi moriuntur in Adam, multi vivificabuntur in Christo: sed plures moriuntur in Adam, quàm in Christo vivificabuntur: plures itaque ad illius mortem, ad hujus verò vitam, comparatione illorum pertinent pauciores; sed etiam ipsorum per se ipsos ea est multitudo, quam numerare nemo possit. Quid est ergo, Omnes in Christo vivificabuntur, nisi quia nemo vivificabitur, nisi in illo? Cujus rei similitudinem de magistro * posui litterarum; si unus sit in civitate, à quo ibi dicantur omnes litteras discere, non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab ipso. Quam locutionem nec tentasti refellere, quia vidisti esse rectissimam, & omnibus notam. *1. Cor. 15. 22.* *Apoc. 7. 9.* *1. Cor. 15. 22.* *Quomodo omnes in Christo vivificabuntur.* ** Lib. 2. de Nuptiis & conc. c. 27.*

CCX. Jul. *Exposita liberalitate gratiæ, in hominum salvatorum copia, comparat donum atque peccatum: & eruditissimè ad laudem doni, applicat quod multis vulneribus * una virtute medicetur,* Et non sicut per unum, *inquit*, peccatum, ita & donum. ** Suprà l. 1. n. 53.* *Rom. 5. 16.*

Aug. Per unum peccantem, dixit, non per unum peccatum: ut quod deinde dicit, Judicium ex uno delicto in condemnationem, non nisi illius unius peccantis hoc delictum possit intelligi. Quod quidem vos non vultis; sed quid facturi estis? quando quidem hoc dixit Apostolus, etiam nolentibus vobis. Corrigimini ergo: non enim habetis hîc aliud, quod facere debeatis.

CCXI. Jul. Nam judicium ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis, in justificationem: *id est, peccata quidem quæ gravia sunt, etiam singula possunt sufficere ad accusationem [b] & damnationem reorum.* *Rom. 5. 16.*

Aug. Quare dixisti gravia, quod non dixit Apostolus, nisi quia vidisti, si unum delictum leve sit, non sufficere ad damnationem, de qua loquebatur? Non ergo ex quocumque uno cujuscumque delicto est hoc judicium; sed ex uno illo delicto, quod factum est per unum peccantem, id est, Adam, judicium est in condemnationem. Et adhuc pervertere recta verba Apostoli vultis, ne vestra quæ perversa sunt corrigatis?

CCXII. Jul. *Gratia autem non eodem confertur modo, ut peccatis æquè admota singulis crebrò repetatur: sed infusa semel uno virtutis suæ impetu atque compendio diversa & plurima delet crimina. Ideo ait,* ex multis delictis in justificationem: *id est, ex multis*

[a] Editi, *& domini:* corruptè.

[b] Veteres codices prætereunt, *& damnationem.*

delictis liberatos homines ad gloriam perducit justificationis indultæ. Non ergo hic unum Adæ peccatum, ut suspicaris, intelligit; sed ad hoc solùm numerum admovit unius & plurium, ut ad laudem gratiæ respiceret; quia [a] *non quotiens peccatum ab unoquoque mortalium fuerat, totiens etiam frequentaretur gratia, quasi baptismata singula nisi peccatis singulis non possint mederi:*

Aug. Ita hoc loqueris, quasi dixerit Apostolus, Gratia autem semel ex multis delictis in justificationem. Non hoc dixit: adtende quod dixit, & corrige quod dixisti. Gratia, inquit, ex multis delictis in justificationem. Quid huc pertinet quòd semel & simul unicuique omnia dimittuntur in baptismo? Nonne & illa condemnatio, ad quam judicium perducit extremum, proculdubio semel fit, omnium quæ remissa non fuerint peccatorum? Et magis ipsa damnatio semel, quàm remissio peccatorum per gratiam Christi semel fit. Quoniam si post baptismum quisque peccaverit, non eadem sunt peccata; sed per eamdem gratiam peccantibus remittuntur; non semel, nec septies, sed etiam septuagies septies. Eadem gratia quotidie dimittit orantibus etiam quotidiana peccata, cùm dicunt, Dimitte nobis debita nostra; veraciter addentes, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Gratia ergo ex multis delictis, sive singula in singulis, sive in quibusdam pauca, in quibusdam plurima invenerit, sive quæ ante baptismum, sive quæ postea committuntur, & pænitendo, orando, eleemosynas dando sanantur, in justificationem mittit, quos à damnatione liberat: hæc enim omnia, ipsa sunt multa, ex quibus multis justificat gratia. Quæ si non subveniat, profectò etiam ex uno delicto, non quod proprium quisque committit, hoc enim loco non inde loquebatur Apostolus, sed quod per unum peccantem intravit in mundum, itur in damnationem; hoc enim Apostolus evidentissimè expressit. Neque enim ait sicut tu, Non sicut per unum peccatum; tamquam singulum cujusque volens intelligi: sed ait, Non sicut per unum peccantem. Aperi oculos, & lege; & noli tamquam cæcis aliud pro alio velle supponere.

Matth. 18. 22.

Matth. 6. 12.

Rom. 5. 16.

CCXIII.

Jul. *Sed hoc curavit exprimere: Cùm, inquit, peccata singula reos suos lethaliter vulnerassent, innumerabiliter confossos homines hæc gratia singulari & semel traditá virtute salvavit.*

Aug. Per unum peccantem, dixit; ubi Adam intelligitur: non per unum peccatum; ubi tu verbo mutato atque supposito, vis intelligi singula singulorum.

CCXIV. Rom. 5. 17.

Jul. Si enim ob unius delictum mors regnavit per unum; multo magis qui abundantiam gratiæ & donum justitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. *Consequenter quod cœpit affirmat: duas enim posuit sententias, utrique volens convenire quod in fine subjunxit. Per unum enim qui fuit forma peccati, & in cujus similitudine prævaricantur sub lege peccantes, pronuntiat regnare mortem; & per unum regnare in vita abundantiam quosque gratiæ consecutos, quæ gratia virtutem imitantibus prodest. Non remansit ergo de uno quæstio, quia hoc quod subditum est, eos videlicet in vita regnare, qui abundantiam gratiæ perceperint, etiam primum illud absolvit, ut nemo videlicet cogatur in mortem, nisi qui exemplum peccantis adamaverit.*

Aug. Cujus exemplum peccantis adamaverit? nempe primi hominis: hunc enim formam dicis esse peccati, propter imitationem, non propter generationem; proinde, * sicut dicis, *nemo in mortem cogitur, nisi qui exemplum peccantis hujus adamaverit:* non ergo coguntur in mortem; qui non in similitudine prævaricationis ejus, sicut existimas, peccaverunt. Quomodo ergo dicis, mortem regnasse & in eos qui peccaverunt quidem per liberum arbitrium, sed non in similitudine prævaricationis Adæ, quia sine lege peccaverunt? Non itaque peccaverunt ejus exemplo: quoniam non peccantes in similitudine prævaricationis ejus, non exemplum peccantis adamaverunt: quantum enim ab hac similitudine [b] peccantis hujus, tantum ab imitatione exempli hujus alieni sunt. Cùm igitur & in eos regnaverit mors, quid est quod dicis, *ut nemo cogatur in mortem, nisi qui exemplum peccantis adamaverit*, ejus videlicet, quem propter imitationem formam vis fuisse peccati? Ecce non adamaverunt peccantis exemplum, qui non in prævaricationis ejus similitudine peccaverunt; & tamen etiam regnavit in eos mors. An vis redire ad catholicam veritatem, ut in eos quoque mortem regnasse fatearis, qui non peccaverunt, propria non faciendo peccata, sed regnum mortis in similitudine prævaricationis ejus, de cujus stirpe sunt nati, tamquam hereditario miseriæ jure subierunt? Sic quippe intellexerunt hæc apostolica verba doctores Ecclesiæ, qui viderunt ea non posse rectè intelligi, nisi in eis intelligatur obnoxiæ successionis origo peccati; propter quod dixerunt, Parvulos secundùm Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere: nec Manichæi fuerunt, sed vos Pelagianos, Dei Spiritu, qui per eos locutus est, damnaverunt.

* f. si ut.

Cyprian. epist. 64. ad Fidum.

CCXV. Rom. 5. 18 & 19.

Jul. *Vita autem in qua regnaturi sunt sancti, æterna monstratur: ergo & mors quæ iniquitatem voluntariam sequitur, æterna credatur.* Itaque sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justi constituentur multi. *Omnis est soluta perplexitas, impudenter de universitate calumnia concitatur, ineptissimè in scirpo nodus quæritur. Pronuntiat Apostolus, non omnes esse, sed multos, qui per inobedientiam primi hominis, peccata didicissent; & multos esse, non omnes, qui per alterius obedientiam, justitiam essent adepti. Nihil hic de exortu humanitatis agitur, mores in diversis studiis publicantur: inobedientia & obedientia studiorum operam, non generationis, ostendit. Certè ubi opportuniùs, si quid secundùm te saperet Apostolus, pronuntiaret omnes ad condemnationem ire nascendo, paucos autem ad vitam credendo, quàm in hoc loco, ubi summa disputationis complenda erat? Debuit enim dicere, Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt omnes; immo non per inobedientiam, sed, sicut per generationem primi hominis peccatores nati sunt om-*

[a] Hic in editis exciderat particula negans, quæ est in MSS.

[b] Sic MSS. Mar. & Port. Editi autem, peccati.

nes, ita & per unius obedientiam justi constituentur multi.

Aug. Immo debuit dicere, Sicut per inobedientiam suam peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam suam justi constituentur multi: aut, si imitationem, quam vos in magnis angustiis constituti & persequente veritate coartati, invenisse vos putatis, quâ exire possetis, hoc loco ille commendare voluisset, debuit dicere, Sicut per imitationem inobedientiæ unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per imitationem obedientiæ unius hominis justi constituentur multi. Ecce & ego dixi quomodo debuerit Apostolus loqui, si hoc vellet dicere, quod vos dicitis: ne putes aliquid magnum esse, pro voluntate nostrâ verba componere, non auctoris voluntatem in verbis ejus exponere. Dixit ergo, per inobedientiam unius hominis, quem generationis principem noverat, peccatores constitutos esse multos; quoniam illâ inobedientiâ est natura humana vitiata: & per obedientiam unius hominis, qui regenerationis est princeps, justos constitui multos; quia illius obedientiâ natura humana sanatur, qui factus est obediens usque ad mortem crucis (Philip. 2. 8.), ut justi constituantur per ejus gratiam, etiam qui non hîc per suam conversationem justi esse potuerunt; sicut hi qui continuò post lavacrum regenerationis exspirant, sive grandioris, sive infantilis ætatis. Unde maluit verbum futuri temporis ponere, & constituentur dicere, non constituti sunt, quoniam justi illâ justitiâ, quæ sine ullo peccato erit, in futuri sæculi æternitate victuri sunt. Cùm autem de peccatoribus non dixit, constituentur, sed constituti sunt, sæculum hoc quod præterit, ubi jam vitiata est humana natura, verbo temporis præteriti expressit. Jam verò de multis quia ipsi sunt omnes, satis tibi responsum est. Tu autem quos Apostolus dixit omnes, non potuisti [a] nisi contradicendo exponere, & dicendo, non sunt omnes; ad quod te nulla necessitas cogeret, si catholicum quàm Pelagianum sensum tenere maluisses. Omnes enim propterea dicuntur & multi, ut discernantur ab eis, qui cùm sint omnes, sunt tamen pauci.

CCXVI. Jul. *Quòd si ita intulisset, non minùs docebatur impia esse, quàm inepta sententia, qua & comparatio ipsa in diverso proposito personarum stolidissima doceretur, cùm res non similes ad collationem venirent, natura videlicet & voluntas; ut in parte mali seminum necessitas poneretur, in parte verò boni studii sola libertas; immo jam non libertas, quoniam non suppetebat facultas eligendi boni & cavendi mali, si naturalis reatus fuisset. Dicit ergo Apostolus sapiens & eruditus Ecclesiæ doctor, per inobedientiam exstitisse* [b] *transisseque peccatum, multiplicarique justitiam.*

Aug. Ubi est quod dixeras, * non peccatum transisse, sed mortem? (* Suprà n. 63. 64. 196.) Ecce nunc dicis, [c] per inobedientiam, quæ unius hominis commemorata est, non solùm exstitisse, verùm etiam transisse peccatum. An quid priùs dixeris fortassis oblitus es? Gratulandum est oblivioni tuæ, qua verum compelleris dicere. Nam quod tibi videtur, in collatione contrariarum partium non debere ex una parte poni necessitatem seminis, & ex altera studium voluntatis, stolidum esse reperires, si videres, sic in mala parte illos qui pertinent ad hominem primum, connexione generationis, sine studio suæ voluntatis, peccati traxisse contagium, quemadmodum illi parvuli, qui pertinent ad hominem secundum, sine studio propriæ voluntatis, per pacem regenerationis justitiæ participes fiunt. Si autem semen ex utraque parte deposcis: sicut per Adam semen carnale vitiatum est, sic viget spiritale per Christum. Quod semen insinuavit nobis Johannes apostolus, dicens, Et non potest peccare, quia semen ejus in ipso manet (1. Johan. 3. 9.). Quod in futuro sæculo bono potiùs apparebit, ubi qui erunt, peccare non poterunt; non in hoc sæculo maligno, ubi & hi qui pertinent ad sæculum peccata non habiturum, habent unde quotidie petant à Patre veniam peccatorum.

CCXVII. Jul. *Ac per hoc, destruit opinionem peccati naturalis, & docet alias esse caussas substantiæ, alias voluntatis. Ac ne intelligentia hæc nostro magis imputetur ingenio, quàm apostolico dogmati, ea quæ huic loco addidit, audiamus.* Lex autem subintravit, *inquit*, ut abundaret delictum: ubi autem abundavit peccatum, superabundavit gratia; ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam, in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum (Rom. 5. 20. & 21.). *Assere igitur quemadmodum peccatum tuum, id est, traducis, cœperit abundare* [d] *post legem, quæ post ministerium Moysi incrementa susceperit.*

Aug. Immo tu assere, quomodo, sicut superiùs * dixisti, regnum peccati lata lege ceciderit (* Suprà n. 198.); cùm dicat Apostolus, lata lege abundasse peccatum. Ego autem quod dixi assero: quia etsi non asseram, clarum est. Peccatum quippe originale fuit & ante legem: quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, & cum illo mors per omnes homines pertransiit (Rom. 5. 12.). Erat & voluntarium: quoniam qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt (Rom. 2. 12.). Subintravit autem lex, ut abundaret peccatum (Rom. 5. 20.): quia his generibus peccatorum, quæ ante legem fuerunt, etiam illud accessit, quod prævaricatio nuncupatur. Ubi enim lex non est, nec prævaricatio (Rom. 4. 15.). Ubi ergo his omnibus generibus peccatorum abundavit peccatum, superabundavit gratia (Rom. 5. 20.); quia in his qui ad eam pertinent, omnium istorum generum reatum delet, & insuper donat ut delectatio peccati justitiæ delectatione vincatur; atque ad eam postea perveniatur vitam, ubi nullum erit omninò peccatum. Quomodo ergo res non similes in collationem venire, non debent, sicut paulò antè dixisti? cùm ex contrariis fiat ista collatio, & ex una parte generatio ponatur, & ex altera regeneratio; ex una regnum mortis, ex altera regnum vitæ; ex unâ abundantia, ex alterâ remissio peccatorum; ex unâ delectatio peccati, per naturæ vitium usque ad consuetudinis malum, ex alterâ prœlium contra concupiscentiam carnis, per sancti Spiritus adjutorium, usque ad victoriæ pacem, quæ nullum

a Ex MSS. restituimus *nisi*.
b Hoc item loco in editis omissum fuerat, *transisseque peccatum*.

c Editi, *non per inobedientiam*. Abest *non* à MSS.
d MS. Mar. *per legem, vel per ministerium Moysi*.

intrinsecùs, nullum extrinsecùs patietur inimicum. Hæc tene, si vis sanus esse: & noli contra hæc, quæ ad sanam doctrinam pertinent, insanire.

CCXVIII Jul. *Certè in his locis Apostolum de peccato naturali disseruisse contendis. * Ad hoc suprà dixerat, usque ad legem fuisse, ut intelligeretur post legem esse desiisse: nunc autem de eodem dicit, quòd cœperit crescere & abundare post legem. Catholico intellectui quem sequimur, utrumque hoc convenire monstravimus: tuo verò dogmati quâ impudentiâ vindicatur, ut unum idemque peccatum lege lata, superiùs quidem defecisse, nunc autem crevisse dicatur? Quomodo ergo post legem abundat naturale peccatum? acriúsne cœperunt genitalia commoveri, ut de augmentis & novitate motuum peccato tuo virtus videatur adjuncta? An lex data nascentibus est, ut qui de libidine, quam dicis diabolicam esse [a] & radicem fructumque peccati, geniti erant, admonerentur emendare quod [b] facti erant, & gestum corrigere quem habuerant, cùm eos generarent parentes? Cogerent postremò quæ facta erant, infecta esse; quod illi audire videlicet renuentes, inobedientiæ crimen incurrerent? [c] At hoc à nullo stultorum, nedum à lege quam Deus dedit, poterat imputari.*

(* f. At. Rom. 5. 13.)

Aug. Numquid alicubi diximus, peccatum originale crevisse post legem? Aut hoc intelligi volumus in eo quod ait Apostolus, Lex subintravit, ut abundaret delictum? (Rom. 5. 20.) Abundavit enim, non quia illud genus crevit, quod antè jam fuerat; sed quia genus aliud peccati accessit, quod sine lege non erat, id est, prævaricatio, sicut paulò antè monstravimus. Concupiscentia est autem carnis, & libido genitalium, contra quam sanctorum castitas pugnat. (Concupiscentia.) Hanc tibi multùm placentem, quoniam cum ipsa sua pugna, cui repugnat etiam pudicitia conjugalis, non nisi ad filios procreandos eâ bene utens, aliis autem motibus ejus obsistens; hanc ergo cum ista sua pugna quia etiam in paradisi pacem conaris * admittere vel immittere, ipse in paradisum non disponis intrare. (* f. delend. admittere vel.) Quantalibet autem abs te defensione muniatur, & laudibus adornetur, aut vitium est, aut vitiata est: (Concupiscentia aut vitium est, aut vitiata est.) nec immeritò militibus Christi, à quibus debellatur, odiosa est; cum qua ipse conludis, ut eam & expugnare te dicas, & laudare non erubescas. Per hanc humana quæ nascitur, caro peccati est: (Caro peccati est, quæ per concupiscentiam nascitur.) propter quod per illam nasci noluit ille, qui natus est in similitudine carnis peccati; ac per hoc, quamvis in carne vera, non tamen in carne peccati. Ex hac concupiscentia, suscepta tua, tibi quidem pulcra nimis, sed fœda omnibus sanctis, generatione trahitur originalis peccati vinculum, sola regeneratione solvendum: illud factum est per Adam, hoc fit per Christum; illud per quem peccatum intravit in mundum, hoc per eum qui tollit peccatum mundi. Sic agnoscit Adam & Christum, qui ex Adam transiit ad Christum.

CCXIX. Jul. *Quid ergo additum post legem est peccato naturali, quod quidem non solùm * probibitum aut condemnatum, verùm etiam nec leviter vituperatum aut tenuiter ostensum probatur in lege?*

(* f. non prohibitum.)

Aug. Ostenditur & in lege, sed si vobis auferatur velamen. (2. Cor. 3. 16.) Quid enim aliud ostenditur damnatione animæ illius qui octavo die non circumciditur? (Gen. 17. 14.) Quid aliud ostenditur, quando infante nato sacrificium pro peccato jubetur offerri? (Lev. 12. 6.) quod jam suprà memoravi.

CCXX. Jul. *Certè ne tu quidem adeo desipis, ut dicas, peccati traducem post circumcisionem factam esse majorem: quomodo ergo abundavit post legem, quæ nec arguitur in lege, nec proditur? [d] At hoc vide, quàm sanæ intelligentiæ concinat, quæ peccatum in sola delinquentis voluntate constituit. Usque ad legem dicit Apostolus fuisse peccatum, (Rom. 5. 13.) ut post legem intelligatur fuisse prævaricatio, promulgata videlicet præcepta transgrediens; atque hoc genere abundavit [e] lege subintroeunte peccatum; quoniam reatui ejus de prævaricatione crevit invidia; & opus malæ voluntatis, sicut ante legem peccatum erat, ita post legem cœpit esse transgressio: quamvis non eo proposito legem Deus tulerit, ut mortales fierent ejus sanctione pejores. Neque enim lex peccatum aut caussa peccati; sed mandatum sanctum, & justum, & bonum. (Rom. 7. 7. & 12.) Verùm quia delinquentium pravitas, eo se ferro, quo curari debuit, vulneravit, obstititque consilio Dei, ut inde periclitaretur unde debuerat sanari; dicit Apostolus, de effectu rerum, opinionem divini consilii, quo data lex fuerat, injuriam pertulisse. Et quia non fuit is proventus emendationis humanæ, in quem lator legis intenderat, sed in plurimis evenere contraria: eò usque nit profecisse studia peccantium, ut non ob aliud videretur data lex esse, quàm ut improbi improbiores fierent, & ad peccatum prævaricatio jungeretur.*

Aug. Tu dicis ista, qui consilium Dei in danda lege non ipsum sapis, quod apostolus Paulus ostendit; & ad eas blasphemias ipse te impingis, ut dicas, *Opinionem divini consilii, quo data lex fuerat, injuriam pertulisse*: tamquam aliud factum sit, quàm Deus futurum fuerat opinatus; neque hoc provenerit lata lege, quod lator legis intenderat. Deum igitur omnium præscium futurorum, secundùm tuam sapientiam, sua fefellit intentio? Non adtendis quod scriptum est, Multæ cogitationes in corde viri, consilium autem Domini manet in æternum. (Prov. 19. 21.) Si ergo vis nosse, quantum homini fas est, quo consilio Dei omnipotentis & omnia præscientis lex data fuerit, (sec. LXX. Quod fuerit consilium datæ legis.) intuere quod dicit Apostolus: Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia. (Gal. 3. 21.) Et tamquam diceremus, Cur ergo data est? Sed conclusit, inquit, Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. (Ibidem 22.) Ecce quod est consilium datæ legis.

Quis autem nescit, non legis, sed hominum vitio lege subintrante abundasse peccatum? Sed hoc vitium, quo prohibita plus delectant, & fit virtus peccati lex, (1. Cor. 15. 56.) non sanat nisi vivificans spiritus, non littera occidens: quæ tamen ad hoc utilis fuit, (Legis utilitas.) quia cùm ipsa occideret per prævaricationem, crescente per prohibitionem cupiditate peccandi, vivificantem Spiritum fecit inquiri, & hominem de sua virtute lethaliter confidentem, adjutorium gratiæ Dei compulit poscere, sub lege, quamvis sancta & justa & bona, tamen deficientem, atque ad operanda quæ san-

[a] Codex Mar. *diabolicam esse traducem fructumque peccati.*
[b] Sic MSS. At editi, *quod facturi erant.*
[c] Editi, *& hoc à nullo stultorum, nedum lege quam Deus dedit posterâ, imperari.* Castigantur à MSS. Mar. & Port.
[d] Editi, *Ad hoc intende.* MSS. *At hoc vide.* fortè legend. *Adhuc.*
[e] Ex MSS. restituimus hîc, *lege.*

cta, quæ justa, quæ bona sunt, sibi subvenire propriis viribus non valentem.

CCXXI. JUL. *Jure igitur hoc genere dicitur abundasse delictum, quod & ante legem, & post legem, uniuscujusque committebat voluntas; sed ante legem peccatrix, post legem autem etiam prævaricatrix. Tunc ergo crescit & abundat aliquid, cùm in genere suo colligit incrementa: sicut peccato liberæ voluntatis post Moysen cumulus transgressionis accessit: de eodem enim genere fuit, licèt in tempore diverso; id est, de mala voluntate, quæ & ante legem, & post legem, non coactu insuperabili, sed studio vituperabili deliquit. Quæ cùm ita sint, tibi nihil potest de apostolicis convenire verbis. Neque enim subintroeunte lege peccatum traducis aut copiosius factum docetur, aut grandius: nec peccatis voluntatis illud abundare jure dicitur, quod ad nascentium voluntatem nequaquam adtinere monstratur. Non ergo abundavit post legem, quod lex nec prohibere potuit, nec punire.* Ubi autem abundavit peccatum, superabundavit gratia: ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita gratia regnet per justitiam in vitam æternam. Rom. 5. 20. & 21.

AUG. Originale peccatum non quidem post legem crevit: sed tamen lex etiam ipsum, cujus abolitionem circumcisione infantis significaret, invenit: sicut invenit etiam peccata ignorantiæ, quæ nec ipsa datâ lege creverunt; quando quidem potius ipsa ignorantia diminuta est, quia scientia legis accessit. Sed peccatum, sine quo nemo nascitur, crevit voluntatis accessu, originali concupiscentiâ trahente [a] peccantis assensum. Abundavit autem peccatum, id est, nimis crevit, postea quàm per legem facta est cognitio peccati, & cœpit etiam prævaricatione peccari. Quod si velitis advertere, & adquiescere veritati; nulla necessitate cogemini, apertè Apostolo contradicere clamanti, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit. Illo enim dicente, pertransiit per omnes, cùm vos non per omnes pertransisse dicitis, quid aliud quàm Apostolo contradicitis? & si Apostolo, utique Christo. Quid ergo miramini, quòd abominatur vos Ecclesia Christi, qui sententiis lethalibus vestris infirmos parvulos subtrahere conamini medicamentis salubribus Christi?

Ignorantiæ peccata.

Rom. 3. 20.

Rom. 5. 12.

CCXXII. JUL. *Aperit se Apostolus clariùs in processu, & docet, in perditione salutis humanæ, Deum copiâ suæ miserationis admonitum, desperatis rebus efficaciorem solitò medicinam tulisse; ut quos præceptis non correxerat, beneficiis obligaret; & ita devotionem exigeret in futurum, ut non imputaret peracta; studerentque deinceps custodire justitiam homines, quam compendio credulitatis fuerant assecuti. Abundantia ergo præcedentium peccatorum, tam abundantis misericordiæ exegit auxilium: quoniam nisi tanta copia * indulgentis fuisset, nulla alia disciplina morbis tam gravibus subveniret.*

* f. indulgentia.

Verùm in hac divini commendatione beneficii, vidit Apostolus objectioni locum patere eorum, qui dicere poterant, Si ritè merita caussarum de effectibus æstimamus, & peccatorum copia, ut misericordia Dei afflueret, impetravit; insistendum peccatis est, ut gratiæ non desit ubertas. Occurrens itaque opinioni ejusmodi: Quid ergo dicemus, *inquit?* permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit: qui enim mortui sumus peccato, quemadmodum adhuc vivemus in eo? An ignoratis quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in [b] morte illius baptizati sumus? Consepulti ergo sumus illi, per baptismum in mortem, ut quemadmodum surrexit Christus in gloria Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Rom. 6. 1. &c.

AUG. Numquid ideo non vos apostolica ista verba suffocant, quia & vos ea commemoratis, ne obliviscamur quàm firma conemini domûs Dei fundamenta convellere? Insane, cùm dixisset Apostolus, Si mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo? Ideo subjecit, An ignoratis quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? ut baptizatos in Christo mortuos probaret esse peccato. Usque adeone surdus es, ut ista non audias? usque adeo cæcus, ut ista non videas? Confitere ergo peccato mortuos parvulos baptizatos; confitere tandem originale peccatum; non enim aliud cui morerentur habuerunt: aut dic apertè, baptizari eos non oportere; aut cùm baptizantur, non eos in Christo Jesu baptizari, aut non in morte ipsius baptizari: & dele si potes Apostoli verba dicentis, Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Porrò si hæc verba delere non potes, sicut non potes: cùm ergo audis, quicumque; noli velle inde parvulos separare: permitte Christum etiam parvulis esse Jesum; quoniam non exceptis ipsis, sed cum ipsis salvum facit populum suum à peccatis eorum, propter quod dictum est ab Angelo, Vocabis nomen ejus Jesum. Matth. 1. 21.

Baptizatos in Christo, mortuos esse peccato.

CCXXIII JUL. *Dicit nos mortuos esse peccato, eo jam tempore, quo ut acciperemus indulgentiæ donum, renuntiare nos mundo omnibusque peccatis professi sumus: atque ideo muneris memores debere sic vivere, ut Christo consepulti esse doceamur; atque resurrectionem ejus conspicua sanctitate gestemus: & quomodo ille, post quàm resurrexit à mortuis, nullas infirmitates corporis, nulla flagella perpetitur; ita etiam & nos esse invulnerabiles peccatis omnibus & vitiis annitamur.* Si enim complantati sumus [c] similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus; hoc scientes, quoniam vetus homo noster simul confixus est cruci, ut destruatur corpus peccati, ut ultrà non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato. *Clara fideles ratione constringit: Si vultis, inquit, resurrectionis ejus fieri participes, virtutem quoque mortis imitamini, ut mortui vitiis in virtute vivatis: tunc enim eritis in illa felicitate consortes, si mortis ejus imaginem tuleritis, moriendo peccatis. Vetus enim homo noster debet cruci ejus affixus doceri, ut destruat corpus peccati, fortitudine videlicet passionis. Corpus autem peccati, consuetudine suâ Paulus, vitia, non substantiam carnis appellat. Sic enim sequitur,* Ut destruatur corpus peccati, ut ultrà non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato. Rom. 6. 5. &c.

AUG. Quomodolibet interpreteris corpus peccati, non negabis parvulos in Christo Jesu baptizatos mortuos esse peccato, ne apertissimè neges eos baptizatos in morte Christi Jesu; ac per

[a] Editi, *peccantes à sensu.* Emendantur ex MSS.

[b] Vetus cod. Port. in eo loco Apostoli constanter, *in mortem.*

[c] Editi, *in similitudinem:* sed contrariis MSS.

hoc neges baptizatos in Christo Jesu. "Quicumque enim baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus." Dic ergo cui peccato moriuntur, cùm parvuli baptizantur in Christo Jesu? Sed quid dicas, penitus non habebis, nisi cum tota Ecclesia Christi intelligas, atque respondeas, "Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt." Ecce qui peccato moriuntur, cùm in morte Christi Jesu parvuli baptizantur. Rogo, nolite esse sicut equus & mulus, non habentes intellectum. Audite: "Si mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo? An ignoratis quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus?" Quicumque igitur baptizati sumus in Christo Jesu, peccato mortui sumus; quia in morte ipsius baptizati sumus. Audite, Quicumque baptizati sumus: neque enim parvuli & non majores, aut verò majores & non parvuli: sed, quicumque, id est, sive parvuli, sive majores, baptizati sumus in Christo Jesu, in morte illius baptizati sumus, ac per hoc, sumus mortui peccato. Aut ergo aperte dicite non esse baptismum Christi parvulis necessarium, aut peccatum cui moriuntur, quando in Christo baptizantur, dicite parvulorum: aut quia nullum potestis aliud invenire, tandem aliquando agnoscite originale peccatum.

CCXXIV. JUL. *Nempe cum viventibus loquebatur, & his dicebat justitiam per mysteria fuisse collatam. Quomodo ergo ait, eum justificatum esse, quem mortuum? nisi quia sine aliquo ostendit ambiguo, mortem hîc abrenuntiationem vocare; & ideo à se nomen mortis assumi, ut ostendat ita fideles à peccatis, sicut mortuos ab actibus debere cessare.*

AUG. Homo contentiose, si hoc loco apostolicorum verborum mors abrenuntiatio vocatur, ut qui peccato abrenuntiat, peccato moriatur: recole quemadmodum in Ecclesia Christi, in qua baptizatus es, baptismatis mysteria celebrentur; & invenies quod abrenuntient & parvuli per ora gestantium, [a] sicut credunt per ora gestantium: quod apud vos jam forsitan non fit. Sic enim profecistis in pejus, ipsi errantes, & alios in errorem mittentes, qui vobis consenserint, non debere abrenuntiare parvulum baptizandum, quia non traxit originale peccatum: aut si debet abrenuntiare peccato, dicite, cui; & errorem vestrum aliquando corrigite.

CCXXV. JUL. Si enim mortui sumus cum Christo, credimus quia vivemus cum Christo; scientes quia Christus suscitatus à mortuis jam non moritur, mors in eum jam non dominabitur: quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo. Ita & vos deputate [b] vos mortuos esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu. *Quomodo Christus, inquit, qui peccato mortuus est semel, id est, propter peccata nostra mortuus est semel, ultrà non moritur, sed vivit in gloria Dei: ita & vos deputate vos peccato mortuos solis vivere & servire virtutibus.*

AUG. O mira expositio! Apostolus dicit Christum peccato mortuum: & tu dicis, id est, propter peccata nostra. Ergo quod dicit ille, Sic & vos existimate vos mortuos esse peccato: hoc putandus est dicere, Existimate vos mortuos esse propter peccata vestra? Non utique hoc dicit isto loco; nec tu sic intelligis, sed peccato mortuos, ne peccato viverent, confiteris. Ostende ergo & Christum mortuum fuisse peccato, ne inconvenienter Apostolus dixerit, sic & vos. Propter auferenda enim nostra peccata, sed tamen peccato mortuus est: & hoc quomodo, qui nullum habuit omnino peccatum, nec originale, nec proprium, nisi quia similitudo, cujus rei similitudo erat, nomen accepit? Novimus enim Christum in similitudine venisse carnis peccati; quoniam in vera carne venit, sed non sicut alii homines in carne peccati: mortuus est ergo ille [c] similitudini peccati, quam gerebat in carne mortali: ac sic mysterium nostræ salutis implevit, ut nos peccato moreremur, cujus ille similitudinem gessit: ideo in morte ipsius baptizamur; quia sicut in illo vera mors facta est, ita in nobis vera fit remissio peccatorum. Sed hîc sunt & parvuli: Quicumque enim baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Non enim sic homines baptizantur in Christo, ut aliqui in morte ipsius, aliqui non in morte ipsius baptizentur; sed sicut ait, in quo loquebatur ipse Christus, Quicumque baptizantur in Christo Jesu, in morte ipsius baptizantur: ac per hoc, quicumque baptizantur in Christo Jesu, peccato moriuntur. Si quicumque; utique & parvuli: sed cui peccato parvuli moriuntur? Jam tandem quæso confiteatur [d] generatio, ne mentiatur regeneratio; confiteatur in parvulis caro peccati, ut non negetur etiam pro parvulis mortua similitudo carnis peccati.

CCXXVI. JUL. *Ubi hic ergo accusatur natura? ubi humanæ substantiæ culpantur exordia? ubi motus generantis arguitur? Luce clarius est, quòd sola à magistro gentium conveniatur voluntas, ut abdicet occulta dedecoris, & in meliorem vitam actuum correctione proficiat. Sed jam accipiat expositio nostra compendium, nec interpretari in his locis dicta Apostoli perseveret, ipsum de suis disserentem sensibus audiamus. In fine disputationis ejus apparebit, cujus dogmati fideique consentiat. Nos nempe dicimus, de peccato Apostolum voluntatis humanæ, quæ in unoquoque peccante est, loquutum fuisse: tu verò, de eo quod Fausto credis, generatione transmissum, & à cunctis sine voluntate susceptum. Concertationes itaque nostræ, si placet, facessant; & ut mediocriter agam, dissimulemus Apostoli dignitatem, qua præscribi posset, etiamsi vobis per omnia ejus verba concinerent, tamen illum pro officii sui splendore nihil tam deforme sensisse; ambiguitatem esse elocutionum, non sensuum pravitatem; hoc solum ei in præsenti negotio concedatur, ut vir non perturbatæ mentis, magis scripta sua quàm tu intellexisse credatur.* Non ergo regnet, *inquit*, peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum ei. *Possem jam hîc dicere, exhortationis testimonio probatum esse, de peccatis eum agere voluntatis: quia mala si essent naturalia, per justitiam defendi possent, per misericordiam postremò defleri; nullo autem pacto admone-*

[a] Veterum librorum auctoritate restituimus hæc verba, *sicut credunt per ora gestantium.*
[b] Editi, *deputate commortuos.* At MSS. *vos mortuos.*

[c] Editi, *similitudine.* Veriùs MSS. *similitudini.*
[d] Ita in MSS. verbo *confiteatur* illic passivè posito. At in editis, *confiteatur generatione, mentiatur regeneratione*: malè.

rentur cavenda. Quovis enim naturali malo, si ullum esse posset, hoc malum erat majus insaniæ, qua tenebatur, quicumque devotionem in cavendis rebus naturalibus exigebat. Apostolus autem nihil sanxit quod possit jure reprehendi. Peccatum itaque voluntatis ostendit, quod inculcat debere vitari.

AUG. Quis ignorat non loqui Apostolum parvulis, sed eis qui possunt intelligere verba dicentis, & adjuvante Dei gratiâ obedire præceptis? Sed utique agunt etiam cum filiis suis, ut quemadmodum crescit in eis rationis usus, ita exseratur obedientiæ fructus; ne in vacuum gratiam Dei susceperint, quando regenerati sunt, nescientes. Verumtamen illam pulcram susceptam tuam, quæ deformis est omnibus debellatoribus suis, concupiscentiam carnis dico, per quam nascitur, & cum qua nascitur homo: hanc ergo concupiscentiam carnis, cohiberi Apostolus præcipit, nec regnare permittit, eamque peccati nomine appellat; quia & de primo peccato originem ducit, & quisquis ejus motibus ad illicita consenserit, peccat: quæ tunc nulla erit in nobis, quando immortale corpus habebimus: ideoque cùm posset dicere, Non regnet peccatum in vestro corpore, cur addidit verbum, & ait, in vestro mortali corpore, nisi ut tunc speraremus istam, quam peccatum vocat, concupiscentiam non futuram, quando mortale non habebimus corpus? Nam tu dic nobis, cur non ait, Non sit peccatum in vestro mortali corpore; sed ait, Non regnet? nisi quia ista concupiscentia, quæ non potest nisi esse in carne mortali, in eis regnat, qui desideriis ejus ad mala perpetranda consentiunt; & ab ea quocumque illexerit, victi pertrahuntur majore impetu, [a] quia lege prohibentur, si gratiâ non juvantur: in eis autem, qui Deo donante faciunt quod præceptum est, id est, commotæ atque instanti non obediunt, nec ei arma exhibent membra, inest quidem, sed non regnat. Probatur autem inesse, dum concupiscuntur mala: & probatur non regnare, dum justitiæ delectatione vincente non fiunt. Quomodo enim præcipimur ei non obedire, nisi jubenti, sive suadenti? Quomodo autem facere hoc potest, si non inest?

2. Cor. 6. 1.

Concupiscentia cur peccatum dicta.

Concupiscentia in quibus regnet.

CCXXVII. JUL. Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ Deo; peccatum enim in vobis non dominatur; non enim sub lege estis, sed sub gratia. *Eò, inquit, debetis servire Deo fideliùs, quò etiam liberaliùs. Peccatum quippe dominabatur vobis, cùm reatuum impendebat ultio; postea autem quàm [b] gratiâ Dei beneficia consecuti estis, & depositis reatuum ponderibus respirastis, ingenuo pudore commoniti debetis gratiam referre medicanti.*

Rom. 6. 13. & 14.

AUG. Tu vestro more, qui de vestro descendit errore, non agnoscis gratiam nisi in dimissione peccatorum; ut jam de cetero per liberum arbitrium ipse homo se ipsum fabricet justum. Sed non hoc dicit Ecclesia, quæ clamat tota, quod didicit à Magistro bono: Ne nos inferas in tentationem: non hoc dicit, qui dicit, Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali: non hoc dicit qui dicit, Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua. Isto enim modo gratia ut non peccemus facit, non quæ peccavimus diluit. Utroque enim modo adjuvat gratia, & dimittendo quæ malè fecimus, & opitulando ut declinemus à malis & bona faciamus.

Gratia Pelagiana in sola dimissione peccatorũ.

Matth. 6. 13.

2. Cor. 13. 7.

Luc. 22. 32.

Gratia vera duobus modis adjuvat.

CCXXVIII. JUL. *Verùm quia ejusdem, quam suprà expositam fuerat, quæstionis incurrebat occasio; ut opponeretur videlicet, liberatos à lege, quæ intentabat iram, securos posse sub gratiæ Dei benignitate peccare, subdidit protinus:* Quid ergo, peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit: an ignoratis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obedistis, sive peccati, sive obeditionis justitiæ? *Iamne ei credimus, de cujus disseruerit hactenus conditione peccati?* Cui, *inquit*, exhibetis vos servos ad obediendum, ejus servi estis, sive peccati, sive justitiæ. *Ubi hic ergo indicatur ab Apostolo peccatum illud, quod ante voluntatis tempora, ante obedientium studium, ante scientiæ & conscientiæ ætatem, ipsis fingitur supervolasse seminibus? quod certè nisi in Manichæorum libris inveniri non potest.*

Rom. 6. 15. & 16.

AUG. Non sunt Manichæorum libri, ubi legitur, Fuimus enim & nos naturâ filii iræ, sicut & ceteri: quod vos novo more, sed impudentissimo ore, interpretamini ex Græco, ut Apostolus dixisse videatur, non *naturâ*; sed *prorsus*, hoc est, *fuimus prorsus filii iræ*. Et fortè hoc emendare audebitis in codicibus vestris: non enim vultis adquiescere, quòd nisi hæc, quantò verior, tantò antiquior fides esset, hoc omnes Latini codices non haberent. Nec ideo tamen Apostolus monere non debuit, obediendum esse justitiæ, non peccato, quia, Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est. Cùm enim generationis reatus regenerationis indulgentiâ fuerit absolutus, obediendum est justitiæ spiritui, cui consentire, nec obediendum est concupiscentiæ carnis, contra quam certare debemus: ita sanè ut ipsam quoque obedientiam piam donum Dei esse meminerimus, quod promisit per Prophetam, dicens, Dabo eis cor cognoscendi me & aures audientes: quod quid est aliud, quàm obedientes?

Ephes. 2. 3.

Ambros. l. 1. de pænit. c. 2. vel 3.

Obedientia pia donum Dei.

Ierem. 24. 7.

CCXXIX. JUL. *Ceterùm Apostolus ostendit, (si tamen aliquam ab hominibus hac tempestate fidem impetrat;) servos se non dicere peccati, nisi eos quos constat voluntate propria obedisse peccato, cujus [c] mutatione, id est, voluntatis, cœperunt servire justitiæ. Obedientiam ergo in medio collocavit; & ei imputavit quod vel vitiis priùs, vel postea studuerunt parere virtutibus.*

AUG. Qui confidunt in virtute sua, vani sunt, sicut vos; & destruentur, sicut vos.

Psal. 48. 7.

CCXXX. JUL. Gratias autem Deo, quòd fuistis, *inquit*, servi peccati; sed obedistis ex corde, in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis; liberati autem à peccato, servi estis facti justitiæ.

Rom. 6. 17. & 18.

Obedientia ex corde donũ Dei.

AUG. Surde, audi Apostolum gratias agentem Deo, quòd ejus doctrinæ ex corde obedierunt: quando quidem, non dixit, Gratias Deo, quia prædicata est vobis doctrina ejus; sed, quia obedistis. Non enim omnes obaudiunt Evangelio

Rom. 10. 16.

[a] Menard. *cùm*. Vigner. *qui*. At MSS. *quia*.
[b] Sic MSS. Editi verò, *gratia beneficia*: omisso, *Dei*.

[c] Editi, *imitatione*. MSS. *mutatione*.

[Matth. 13. 11.] Evangelio; sed quibus datum est, ut obaudiant: sicut, Nosse mysterium regni cælorum vobis datum est; ait Dominus; illis autem non est datum. Non ergo ex corde, hoc est, ex voluntate obedissent, si non præpararetur voluntas à Domino: alioquin mendaciter* ei de hac re Apostolus gratias agit, si hoc ipse non fecit.

CCXXXI. Jul. *Ex corde, inquit, obedientiæ facta mutatio, liberavit vos à peccato, & sanctitati fecit adhærere.*

Aug. Sed hæc mutatio dexteræ Excelsi est. Audi hominem Dei hanc in Psalmo gratiam confitentem, & disce quis mutet in melius hominis voluntatem. **[Psal. 76. 11.]** Et dixi, inquit, nunc cœpi, hæc est immutatio dexteræ Excelsi.

CCXXXII. [Rom. 6. 19.] Jul. Humanum est quod dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. *O præceptorem Spiritu Dei plenum! verè vas aureum, & tubam non concisis stridoribus, sed absolutis vocibus increpantem! Auctoritatem sermoni suo de exhortationis humanitate conciliat.*

Aug. O te deceptorem spiritu hæretico plenum, totum dantem hominis voluntati, contra eum qui dicit, **[1 Cor. 4. 7.]** Quid enim habes quod non accepisti? Homo Pelagiane, plantando & rigando ista dicebat Apostolus: sciens autem quòd neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, **[1 Cor. 3. 8.]** sed qui incrementum dat Deus, non præcipiebat tantùm, sed etiam orabat ad Deum, ut malum non facerent, quibus ejus eloquia prædicabat: apertè enim alibi dicit, **[2 Cor. 13. 7.]** Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali.

CCXXXIII. Jul. *Ne quid enim arduum & inaccessum homini præcipere videretur, verbum de consuetudine usurpavit, ut* humanum *diceret, id est, facile, tractabile, & quod caussarum comparatione mitescat. Non à vobis, inquit, reposco parem augustis rebus intentionem, nec quàm magnæ sunt virtutum opes, tam nova vobis, quibus eas capessatis, præcepta constituo: nihil ferum ingero, nihil quod vix portari possit indico; ne si pro splendore justitiæ tale aliquid imperarem, de carnis infirmitate conquesti allegaretis jugem vos laborem ferre non posse. Nunc itaque hac moderatione convenio, ut tale studium virtutibus adhibeatis, quale adhibuistis antè criminibus: cùmque injuria sit honestarum rerum, si tali appetantur proposito, quale est deformibus impensum rebus; tamen disciplinæ huic, in qua estis, sufficit, si vel tali intentione justitiam sectemini, quali iniquitatem estis immunditiamque sectati.*

Aug. Hoc tamen non facient, nisi illi formosæ susceptæ tuæ, concupiscentiæ carnis repugnent robore caritatis: cum qua lege membrorum, repugnaturâ legi mentis, omnis homo nascitur; & cujus obligatione reus est, si non renascatur; quam mortales non vincunt suo spiritu, si non aguntur Dei Spiritu: **[Rom. 8. 14.]** Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Ite nunc, & contra istam Christianam atque apostolicam veritatem extollendo præcipitate liberum arbitrium, & in vestra virtute, non assurgendo, sed cadendo, confidite.

CCXXXIV. Jul. *Credamus itaque magistro gentium, & reddamus ei testimonium veritatis suæ. Verè enim, sicut dixit, humanum est quod præcepit, ut voluntatis correctio emendaret vitia voluntatis.*

[Correctio humana non fit, nisi opitulatione divinâ.] Aug. Sed correctio hæc humana non fit nisi opitulatione divina. Quis enim hominis corrigit voluntatem, nisi ille cui dicitur, **[Psal. 79. 8.]** Deus virtutum converte nos: &, **[Psal. 84. 7.]** Deus tu convertens vivificabis nos? **[Psal. 36. 23.]** A Domino enim gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet. Si autem non ab illo dirigantur, homo viam Dei non volet, etsi jubeat lex ut velit.

CCXXXV. Jul. *Sed ut hoc humanum, sic illud aliud si putasset, non solùm inhumanum, non solùm ferum, verùm etiam injustum; non solùm injustum, verùm etiam insanum; ut peccatum si nosset innasci, exprobraret suæ ætatis hominibus vitia* [a] *partûs antiqui; & ab his præciperet abstinendum, quæ innata credebat; atque cum interminatione præscriberet, debere me ea deponere, quæ antè habere cœperam, quàm anima in corpus meum, in hunc verò mundum corpus intraret.*

Aug. Ergo carnis concupiscentia non est innata; aut non ab ea præcipit abstinendum, qui dicit, **[Eccli. 30. 24.]** Contine te ipsum: &, **[2. Tim. 2. 22.]** Desideria juvenilia fuge. Cur non dixit, Voluntaria desideria fuge? Juventus utique nomen ætatis est: ætates autem natura, non voluntas habet, & ea concupiscentia de juvenili ætate maximè accenditur; cujus utique vis [b] in infante sopita est, sicut rationis, sicut ipsius voluntatis. Sed discernit oculus Christianus, non Pelagianus, quid de Creatoris institutione, quid de vitii contaminatione vel sumat natura, vel contrahat, Conditorem suo bono prædicans, eodemque propter malum, quo vitiata est, indigens Salvatore: de reatu enim, cum quo homo nascitur, non est quod ei præcipiatur, nisi ut renascatur.

CCXXXVI. Jul. *Justiùs admoneretur ab his, quos emendare studebat, ut quantum imperaret, expenderet; & sciret primum esse consilii constantis gradum, imperii modum tenere. Exauctorata quippe doctrina est, quam non tuetur æquitas; & plena auctoritatis, quam justitiæ libra commendat. Ac per hoc, constat Apostolum, reverendum Ecclesiarum informatorem, rationem magisterii sui, consilio, æquitate, humanitate reddentem, nihil de naturali sensisse peccato; sed inculcasse, ut res erat, & vitiorum nos servos nonnisi per voluntatem fuisse, & justitiæ nos eadem posse, si corrigatur, voluntate servire. Verùm quoniam in expositione loci hujus fui hactenus occupatus, ut ostenderem per apostoli Pauli verba Manichæos nihil posse defendi;* [c] *patuitque contextu orationis ejus veritas, quam per omne dictorum suorum corpus exsequitur: hic sit secundi finis libelli; quo tamen necessariò commonemus, nihil Traducianis præter impudentiam remansisse, quia cùm se confiterentur nullum in ratione habere præsidium, de Apostoli dictis, quæ exposita sunt, totum sibi solatium vindicabant: & quoniam claruit, nihil in his deforme, nihil non sanctitati & rationi consentiens fuisse præscriptum; apparet cecidisse sententiam, quam & ratio cum multis auctoritatibus Scripturarum, & quæ in * Deo est, religio catholi-* **[* f. in Deum.]**

[a] Editi, *partis antiquæ*. Castigantur ex MSS. Mar. Port.
[b] Editi, *non in infante*. Particulâ negante carent iidem MSS.
[c] Ita MSS. Editi verò, *putoque quòd contextu orationis ejus veritas patet.*

corum [a] *proruit, & jam loci istius opinio non tuetur.*

[A]

Aug. Apparet omnibus qui sano capite atque intelligenter hæc legunt, cùm contra verba, non magis mea, quàm beati Apostoli, multa tua diceres, nihil te invenisse quod diceres; & [b] tortuoso strepitu loquacitatis egisse, ut eis qui non intelligunt, dixisse aliquid videreris. [*Rom.* 5. 12.] Velitis, nolitis, Per unum hominem peccatum » intravit in mundum, & per peccatum mors, » & ita in omnes homines pertransiit. Quid est ita, nisi per peccatum, non sine peccato? Neque enim pertransiret mors, nisi ducente peccato: mors enim peccatum sequitur, non præcedit. [Mors peccatum sequitur.] Hinc [c] sunt omnes miseriæ mortalium à die exitûs de ventre matris eorum, sicut scriptum est. [Miseriæ omnes mortalium ex peccato. *Eccli.* 40. 1.] Quas miserias vos cùm sine ullo peccato accidere dicitis parvulis, injustum Deum [d] verè vos facitis; Manichæos autem horribiliter adjuvatis: illi enim, ne faciant injustum Deum, istas miserias à nativitate mortalium immutabili naturæ mali & ab alio principio venienti substantiæ tribuunt tenebrarum: quos impios simul & vos ipsos vincit catholica fides, quæ ista omnia [e] peccato illi tribuit, quod ex primi hominis voluntate intravit in mundum: quod secuta est mors etiam ista, quæ fugans animam, corpus interimit; quam vos homini, etiamsi non peccasset, dicitis naturaliter fuisse venturam. [B] Unde sequitur, ut non solùm illam imperiosam libidinem, qua nimiùm delectamini; verùm etiam molestissimam febrem, ceterosque innumerabiles morbos, quibus videmus afflictos parvulos emori, in paradiso futuros fuisse dicatis, etiamsi nemo peccasset; [f] quia sine ullius peccati merito hæc perpeti parvulos dicitis. Cohibete vos, quæso, cum falsis & noxiis laudibus vestris; cohibete vos ab infantibus & lactentibus, quos tamquam nihil mali habentes, crudeli errore laudatis: ad Christum liberatorem venire liberandos parvulos sinite; [*Matth.* 19. 14.] miseram naturam, quam vitiavit homo primus, ut sanet homo secundus, victi correctique permittite. [g] [C]

[a] Ita MSS. At editi, *pervicit; & jam locum opinio non tuetur.*

[b] Editi, *toto vos strepitu* Emendantur à MSS.

[c] Editi, *Hic non sunt.* At MSS. *Hinc sunt:* absque negante particula.

[d] Editi, *versus vos.* Aptiùs MSS. *verè vos.*

[e] In editis, *peccata.* Ex MSS. correximus, *peccato*

[f] Editi, *quasi nec.* MSS. *quia sine.*

[g] Hîc Menardi exemplar, bibliothecæ nunc Colbertinæ, definit, finito secundo libro subjiciens: *Legi Nonas Martias Romæ contra Iulianum hæreticum Pelagianum, Explicit liber secundus.* Verba sunt illius forsitan calamo scripta, qui exemplar illud ipsum recognovit.

LIBER TERTIUS.

Excutitur tertius liber Juliani : ac primùm ostenditur , eum Scripturarum testimoniis , Deuteronomii scilicet cap. 24. libri Regum quarti , cap. 14. & Ezechielis cap. 18. perversè abuti , ut suadere conetur , parentum peccata filiis non à Deo ulla imputari. Ipsum deinde incassum laborare , ut ab eo se explicet loco epistolæ ad Hebræos cap. 11. per quem evertenda foret responsio , qua in superiore libro tantopere inculcavit , ideo ab Apostolo dictum esse unum , *per quem transivit peccatum , ne generatio sineretur intelligi. Postea reversum ad dicta libri 2. de Nuptiis & Concupiscentia , iniquè agere cum Augustino eumdem Julianum , qui ab illo & hominis liberum arbitrium , & Deum nascentium conditorem negari , denuo queritur ; quique insuper cum illius dictis hæreticam quamdam Manichæi epistolam comparans , non alia quàm quæ apud Manichæum leguntur , argumentorum vice objectari à sancto Doctore , ab eoque perinde atque à Manichæo naturam hominum malam pronuntiari calumniatur.*

I. JULIANUS. *OPORTUERAT quidem apud humanum genus reverentiam omnium vigere virtutum : oportuerat resisti sapienti semper mente criminibus , & demereri bonis studiis Conditoris favorem : dignum erat postremò , ut quia hic continuæ devotionis prior & felicior gradus cùm rarus , tum arduus etiam nimis videtur , vel diu fota vitia respui , & ad emendationis ac pœnitentiæ præsidium rediri. Oportuerat certè vel in hoc inviolabilem Dei manere reverentiam , ut non nobis esset necesse divinam legem tanto vindicare* [a] *certamine : verùm* B *quia eò usque peccantium furore perventum est , ut summis laboribus Deum justum esse doceamus , ipsius justitiæ , cujus caussa agitur , præsumentes auxilium , quæ libro promisimus præcedente reddamus.*

AUGUSTINUS. AUXILIUM Dei quæris , ut impleantur vani libri tui ; & non quæris , ut corrigantur perversi sensus tui. Vellem tamen diceres , propter quid in hoc opere auxilium Dei poscas , cùm sit in tuo libero arbitrio sive facere hoc , sive non facere. An ut ea tibi C præstò sint , quæ in potestate tua non sunt , & sine quibus hoc effici non potest ; sicut sunt , ut alia omittam , ipse victus atque otium ? At hæc penè semper Deus per voluntates nobis subministrat aliorum. Vides ergo id te poscere ab omnipotente Deo , cùm propter implendos tuos libros poscis auxilium , ut in voluntatibus hominum , quod te adjuvet , & quod te non impediat , operetur. Nam si nolint homines tibi victum subministrare sumtusque congruentes , si D nolint postremò à te inquietando impediendoque cessare ; scribere , vel dictare ista non poteris. Speras ergo auxilio Dei sic agi hominum voluntates inter quos vivis , ut tibi necessarium nihil desit. Paratur enim (quod non creditis) voluntas à Domino. *Prov. 8. sec. LXX.* Aut igitur tuum dogma jam corrige , aut ad hoc defendendum desine divinum auxilium postulare.

II. JUL. *Cùm in primo volumine perspicuis definitionibus constitisset , Deum ita justum esse , ut si probari* E *posset justus non esse , convinceretur Deus non esse ; cùmque super hoc remansisset nulla dubitatio , claruit etiam justitiam nihil esse aliud quàm virtutem num-* A *quam quidquam iniquè judicantem , nihil iniquè facientem , sed reddentem sua unicuique sine fraude , sine gratia , id est , sine personarum acceptione.*

AUG. *Sine fraude* , verum dicis ; ne puniatur immeritus : *sine gratia* verò si justitia Dei esset , numquam Christus pro impiis , id est , pro nihil boni & multum mali merentibus mortuus fuisset ; numquam postremò parvulos , quorum nulla bona opera voluntasque præcessit , in suum regnum adoptasset , nec in eadem caussa alios parvulos B ejusdem regni participatione fraudasset , qui *numquam iniquè judicat , nihil iniquè facit , & sua unicuique sine fraude reddit.* Agnosce ergo parvulos vasa in honorem per gratiam , qui assumuntur in Dei regnum ; & alios parvulos , qui in illum honorem non assumuntur , vasa in contumeliam per judicium : & tandem aliquando ne iniquum facias Deum , confitere originale peccatum.

JUL. *Ejus autem virtutis tunc constare rationem ,* III. C *si nullum subditorum puniret , nisi pro his delictis , quæ constabat liberà voluntate commissa.*

AUG. Et illud liberâ voluntate commissum est ejus , in quo natura humana damnata est , ex qua homines damnationi nascuntur obnoxii , nisi renascantur in eo , qui non est natus obnoxius. Hoc dogma Christianum vultis everti : sed illo stante vos evertimini.

JUL. *Nec ea hominibus præciperet , quæ per* IV. *naturam eorum sciret non posse servari ; nec pro re-* D *bus naturalibus reum quempiam judicaret.*

AUG. Sed fuit Adam , & in illo fuimus omnes ; quando ita peccavit , ut perderet in se omnes ; nisi quos vellet inde liberaret , qui venit quærere quod perierat. *Ambros. lib. 7. in Luc. cap. 15. Luc. 19. 10.*

JUL. *Nec aliena peccata aliis imputaret ; ac* V. *per hoc , nec propter parentum iniquitates innocentes eorum filios , qui per se nihil operati essent vel boni vel mali , per quod parentum suorum crimina docerentur imitati , æternis adjudicaret suppliciis. Qui-* E *bus collectis , Deum & esse , & justum esse constaret , quem claruerat , si aliquid operetur injustum , tantum subire in divinitate , quantum pertulisset in æquitate dispendium.*

[a] Vignerius dissentientibus MSS. *crimine.*

Aug. Verum dicis: ac per hoc, nihil operatur injustum, cùm gravi jugo premit filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum. Quod utique injustum esset, si peccatum originale non esset. (*Eccli.* 40. 1.)

VI. Jul. *Quamquam, ô infelicitas erroris humani! nimio quippe, perpendens ipsam conflictûs nostri rationem, dolore concutior, potuisse-ne hoc in dubitationem venire, atque assertione hanc equisse caussam: potuisse, inquam, in Ecclesiis, quæ Christo se credere faterentur, dubitari, utrùm Deus justè, id est, rationabiliter judicaret.*

Aug. Quia hoc non dubitatur, ideo scriptum est, grave jugum esse super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum. Neque enim melior est Pelagiana, quàm ecclesiastica sapientia. (*Ibidem.*)

VII. Jul. *Sed nimis sum, ipsâ rerum reverentiâ, ejus quâ de agitur contentionis oblitus. Miror enim ambigi de Dei æquitate potuisse; cùm constet in Traducianorum synagogis nihil de ejus iniquitate dubitari.*

Aug. Quia de Dei æquitate non ambigitur, ideo grave jugum super parvulum, justum esse creditur: & quia hoc justum esse creditur, ideo parvulus sine originali peccato esse non creditur. Proinde in Ecclesia catholica, unde Pelagiani ex nobis exierunt, non sicut dicis, nihil de iniquitate Dei, sed potiùs nihil de ejus æquitate dubitatur; ubi nec infans, cujus est unius diei vita super terram, sine sorde peccati esse docetur & dicitur; & ideo in malis quæ patitur, non injustus Deus, sed justus agnoscitur. (Grave jugum super parvulos ideo justũ, quia nascuntur cũ peccato. *1. Iohan.* 1. 19. *Iob* 14. *sec.* LXX.)

VIII. Jul. *Quod certè tanto pejus est, quanto gravius est studium malorum quàm neglectus bonorum, quanto perniciosior intentio profanitatis quàm dubitatio veritatis, quanto postremò scelestius est audere criminari Deum quàm nolle venerari.*

Aug. Sed vos criminamini Deum, dum parvulos, quos judicio ejus gravi jugo premi cernitis, ullum tamen negatis habere peccatum.

IX. Jul. *Dixerat quidem, ut David propheta testis est, insipiens in corde suo, quia non esset Deus: non tamen dixerat, quia esset quidem, sed tamen injustus Deus; ita concinenter totius naturæ voce resonabat, inseparabiliter Deo adhærere justitiam, ut faciliùs inveniretur qui substantiam ejus, quàm qui æquitatem negaret. Potuit exsistere, qui putaret non esse quod non videbat; non fuerat tamen inventus, qui diceret iniquum quod divinum esse credebat.* (*Psal.* 13. 1.)

Aug. Et ipse inventus es. Nam cui nisi tali dicit, Suspicatus es iniquitatem, quòd ero tibi similis? Sed quoniam Christiani catholici & esse Deum, & justum esse sciunt; idèo natos homines, si non renati in parvula ætate moriuntur, cùm sint imagines Dei, non injustè tamen, sed peccati originalis merito, in regnum Dei non suscipi, dubitare [a] non possunt. (*Psal.* 49. 21.)

X. Jul. *Insipiens ergo ille, negando Deum, stetisse in extimo criminum videbatur: at inventa est natio Manichæorum & Traducianorum, cujus profanitatibus vinceretur.*

Aug. Sciens quàm clari probatique doctores Ecclesiæ Christi, de peccato originali, & de justitia Dei, quod credo crediderint, quod docuerint, quod defendo defenderint; sic audire debeo contumelias tuas, quomodo laudes meas.

XI. Jul. *Sed ut revertamur unde digressi sumus: liquerat ab eo quem fateremur verum Deum, nihil in judicio posse fieri, quod justitiæ repugnaret: ac per hoc, nec pro alienis peccatis quosquam reos teneri; atque ideo nascentum innocentiam nequaquam damnari ob iniquitatem parentum; quia injustum esset ut reatus per semina traderetur.*

Aug. Cur ergo dictum esset, Semen eorum maledictum ab initio. Non enim sic dictum est, quomodo, Semen Chanaan & non Juda; ubi demonstratum est quibus similes facti erant, & à quibus degeneraverant: sed eorum ipsorum semen dixit maledictum, quos naturaliter malos volebat intelligi, sicut sunt omnes filii Adam, ex quibus gratiâ fiunt filii Dei. Ubi enim dicitur, "Non ignorans quoniam nequam est natio illorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam "non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum, semen enim illorum maledictum ab initio: puto quòd natura, non [b] imitatio redarguitur; & quomodo natura, nisi vitiata peccato, non in primo homine sic creata? A quo ergo initio maledictum semen, nisi ex quo per unum hominem peccatum intravit in mundum? A se ipsis autem mutari non poterant, non ab omnipotente Deo: qui tamen eos [c] utique justissimo, quamvis occultissimo judicio, non mutabat. Ab hac enim massa non arbitrio, sed Dei gratiâ se mutatum esse sciebat Apostolus, quando dicebat, Fuimus & nos naturâ filii iræ, sicut & ceteri. (*Sap.* 12. 11. *Dan.* 13. 56. Omnes filii Adam naturaliter mali. *Sap.* 12. 10. & 11. Mutari non à se ipsis possunt, sed à Deo. *Ephes.* 2. 3.)

XII. Jul. *Quod licèt in tanta luce consistat, ut nihil aut absolutius inveniatur, aut verius: tamen pollicitus eram hoc ipsum divinæ me legis testimonio comprobare, id est, iniquissimum esse, si generantium scelera nascentibus eorum liberis imputentur; sicque adversari Deum, ut etiam in sua lege præscripserit, ne tale quidquam judicantium deformitas perpetraret. Hoc me ergo spoponderam redditurum: sed quoniam secundus liber apostoli Pauli exponendis est sententiis occupatus, hujus voluminis primis partibus fidem congruit promissionis impleri. Legimus ergo in Deuteronomio, in catalogo præceptorum quibus vita & conversatio populi illius ordinatur, etiam hoc apertissimè à Deo fuisse mandatum. Nam ut de præcedentibus & de sequentibus, inter quæ sit collocatum, possit intelligi: Non fraudabis, inquit, mercedem "pauperis & egentis ex fratribus tuis, aut ex prose-"litis qui sunt in civitatibus tuis: quotidianam reddes "mercedem [d] illius; non occidat sol super eam; quia "pauper est, & in ea habet spem; & non proclama-"bit contra te ad Dominum, & erit in te peccatum. "Non morientur patres pro filiis, & filii non mo-"rientur pro patribus: unusquisque in peccato suo "morietur.* (*Deut.* 24. 14. &c.)

Aug. De filiis hoc dixit jam natis, non in primo parente damnatis, in quo omnes peccaverunt, & in quo omnes moriuntur. Et hoc quidem præceptum dedit hominibus judicantibus, ne pater pro filio, vel filius pro patre moreretur, cùm reus tantummodo pater esset inventus, aut filius. Ceterùm judicia sua Deus, sive cùm (Dei judicium non ligari eo judicandi homini præcepto.)

[a] Hic negantem particulam restituimus ex MSS.

[b] Vignerius, *mutatio*. Emendatur ex veteribus libris.

[c] Vigner. loco *eos*, ediderat, *Dei*.

[d] Editi, *illis*. At MSS. *illius* Græcè est, αὐτοῦ.

a filius moriatur pro patre. *Gen.* 7. 21. *Gen.* 19. 25. *Jos.* 7. 24. *Jos.* 6. 21. *Jos.* 10. 40.

per se ipsum, sive cùm per homines judicat, quibus dat propheticum spiritum, non alligavit hac lege. Neque enim quando excepto Noë cum suis, ceteros omnes diluvio perdidit, separavit infantes qui nondum fuerant imitati parentes suos, aut sine suis parvulis Sodomitas ille ignis absumsit. Quod si voluisset, utique potuisset omnipotens. Et ille Achar præcepti transgressor unus inventus, & tamen cum suis filiis & filiabus occisus est. Quid de tot civitatibus debellatis eodem duce Jesu Nave homine Dei, nonne ita omnes interfecti sunt, ut nullus spirans relinqueretur? Parvuli igitur quid mali fecerant? Nonne per suorum parentum peccata, quorum nec conscii, nec imitatores esse adhuc poterant, divino judicio pœnam subiere communem? Aliter ergo judicat Deus, aliter homini præcipit ut judicet: cùm Deus homine sine ulla dubitatione sit justior. Hæc debuisti antè cogitare, ne ad caussam non pertinentibus immorareris exemplis.

Filii parvuli propter parentum peccata divino judicio pœnam communem subeuntes [?] luebant.

XIII. *Levit.* 24. [?] *Deut.* 24. 18.

Jul. *Non declinabis judicium proseliti, & orphani, & viduæ; non accipies pignus vestimentum viduæ: quia famulus eras in terra Ægypti, & liberavit te Dominus Deus tuus inde; propter hoc ego tibi præcipio facere verbum hoc. Cùm institueret Deus judicandi formam, hoc statim sancire curavit, ne aut parentes in filiorum, aut filii in parentum scelere ferirentur. Principium ergo & ingressum justitiæ, quam servari in judicatione mandabat, ostendit istud esse, ne affinitas gravaret innoxios, & in ipsum genus excurreret odium, quod persona meruisset. In caussa ergo actuum discernit justitia, quos necessitudo conjungit. Quod utique non faceret, si una esset ratio voluntatis & seminis, aut si opus arbitrii ad posteros fecunditate transiret. Satis ergo superque docuimus, hoc uno testimonio teterrimam istam judicii pravitatem, quam novus error amplectitur, antiqua latæ legis auctoritate contritam. Quæ certè sententia ita est in caussam prolata, ut nullum locum reliquerit ambigendi.*

Levit. 26. 39.

Aug. Resistit tibi Deus, qui dixit in libro Levitico, Et qui remanserint ex vobis, disperibunt propter peccata sua, & propter peccata patrum suorum.

XIV. Jul. *Instituens quippe Deus quæ in examinibus deberet forma servari, præscripsit ne innocentia necessitudinis suæ periculis jungeretur; atque ut patrem à supplicio peccantis filii, ita filium à patris condemnatione separavit; ostendens profectò simili exitu utriusque personæ, tam non posse parentum ad filios peccata transire, quàm nec filiorum transeunt ad parentes.*

Aug. Suffocant te parvuli, qui non etiam propter sua, sed propter sola parentum peccata totiens leguntur occisi.

XV. Jul. *Qui ergo contra hanc sententiam dicit traducem esse peccati, dicat quoque recursum esse peccati: ut si à parentibus ad filios peccata descendunt, adscendant à filiis ad parentes. Quoniam divinæ legis ostendit auctoritas, ita parentum crimina filiis non nocere, sicut nec parentibus filiorum.*

Aug. Divinæ legis auctoritas in judiciis humanis noluit filios pendere pro parentibus pœ-
A nas, non in divinis, ubi Deus dicit, Reddam peccata patrum in filios. Sic debes [a] legere legis verba quæ vis, ut cogites te auditurum esse quæ non vis. *Deut.* 5. 9.

XVI. Jul. *Ergo contra hanc nitens ire sententiam, pariter fieri asserat, quod pariter ne fieret imperatum est. Faciliùs quippe lex Dei negari, quàm emendari potest; & licèt sit profana negatio, profanior tamen absurdiorque correctio est. Si enim de duobus ejus decretis unum venereris, alterum exsecreris ingratus,*
B *ab ejus parte quod suscipis, & illi cogeris obedire quod respuis; quoniam unius quod tibi carum est dignitate, etiam id quod aversabare defenditur: atque absurdissimè ea se quisquam credit præcepta venerari, quorum partem audet incessere. Unde consequentiùs potest negari lex universa, quàm corrigi: nemo autem eam corrigere, nisi impius quisque tentabit: à religiosis ergo & prudentibus tota suscipitur, tota laudatur. Nec sanè quemquam moveat, quòd ritum sacrificiorum veterum novi Testamenti videat*
C *ætate cessasse. Non est una ratio virtutum & hostiarum: alia est præceptorum perennitas, alia sacrificiorum temporalitas. Veniente tamen Christo, qui hostiis figurabatur antiquis, impleta sunt, non condemnata, quæ fuerant instituta. Neque enim suis temporibus* [b] *prædicuntur exercita: sed succedente perfectione, quæ promissa officiis eorum* * *fuerant, quieverunt.* * f. *fuerat.*

Aug. Hoc quid ad rem? Peccata patrum se dixit Deus in filios redditurum, non sacrifi- *Deut.* 5. 9.
D cia: & cùm possint etiam parentes imitari malos filios, numquam tamen dixit Deus, Reddam peccata filiorum in patres: sed ubicumque hoc dixit, cùm sæpe hoc dixerit, patrum dixit in filios; ubi utique generationis, non imitationis se ostendit vitia persequentem. *Num.* 14. 18. *Exod.* 20. 5. *Exod.* 34. 7. *Jer.* 32. 18.

XVII. Jul. *Præcepta autem, quibus pietas, fides, justitia, sanctitas continetur, non solùm non cessaverunt, verùm etiam cumulata sunt. Et hæc lex justitiæ in judiciis custodiendæ, quam de Deuteronomio*
E *protulimus, non ad ceremoniarum ætatem, sed ad præceptorum perennitatem respicit: nec cum circumcisione discessit, sed cum justitia perseverat.*

Aug. Jam tibi dictum est, hominibus hæc imperata esse judicia, non Deo posita præjudicia. Denique si homo judicans dicat, Reddam peccata patrum in filios; injustissimè dicit, & divino imperio contradicit: nec ideo tamen Deus aut mendax, aut injustus est, cùm hoc dicit.

XVIII. Jul. *In absoluto est igitur, si Moysi creditur*
F *magis, per quem Deus loquitur, quàm Augustino, per quem Manichæus, parentum peccatis reos per naturam filios* [c] *non teneri.*

Aug. Eam fidem me defendere adversùs te, quam catholici sancti clarique doctores, qui fuerunt ante nos, in Ecclesia catholica didicerunt atque docuerunt, etiam ipse nosti: sed quoniam illos si lacerare audeas, nec tui te ferunt; ideo unum me elegisti, quem convicio falsi criminis appetitum, quasi fugiendum persuadeas;
G ut fides illa fugiatur, quæ defensa vos damnat. Jam & superiùs tibi dixi, quando pro [d] defensione catholicæ fidei ab hæreticis contumelias audio, pro laudibus habeo. Quid laboras nobis prædicare quod scimus? Moyses verum dixit: sed

Contumeliæ hæreticorum pro laudibus habenda.

[a] Vetus codex Port. *eligere.*
[b] Sic MSS. At editi, *prædicantur.*

[c] Vigner. *affirmat non teneri.* Abest *affirmat* à MS. Port.
[d] Vigner. *pro catholica fide.*

Deut. 5. 9. tu nihil dicis. Reddam peccata patrum in filios, non ait homo, sed Deus: neque ut homo id faciat, Deus præcepit hoc loco; sed quid ipse faciat, indicavit.

XIX. Jul. *Atque ita non transire ad posteros generantium crimina, quamvis ex eis nati sint; sicut nec filiorum ad parentes, qui de filiis suis nequaquam potuere generari. Ita igitur innocentiæ nativitas sua officere non potest, sicut non potest obesse* [a] *cùm non est.*

Nonnulla parentum quorumlibet peccata redduntur in filios. Aug. Negare tamen non potes, posse parentes imitari filios suos, nec umquam Deum dixisse, Reddam peccata filiorum in patres. Cùm ergo dicit, patrum in filios; non imitationem, sed generationem redarguit: non quomodo ex illo uno, in quo ipsa in deterius natura mutata est, ut propter hoc etiam mori necesse sit homini; sed tamen aliquo modo nonnulla quorumque patrum peccata redduntur in filios, non imitatione, sed generatione punitâ: ideo non dicit in tertiam & quartam imitationem, sed generationem; vobis quidem nolentibus, verumtamen & vobis, velitis nolitis, audientibus.

XX. Jul. *Acta quidem res est: sed tamen ut ad id quod affero sit intentus lector, admoneo. Si quispiam exsisteret; qui hoc profiteretur libertate verborum, quod argumentando Traducianus conficere conatur, id est, ut pugnam indiceret legi Dei, & sententiam quam protulimus, sine aliquo timore despiceret, assereretque quibus posset modis, falsum hoc utrumque esse quod Deus servari voluit, & sententiam de qua loquimur ex utraque, quantum in se erat, parte subrueret, prorsus putasset parentes propter filiorum & filios propter parentum peccata tam solere quàm debere damnari: nec* hic tamen talis peccati traducem,* [b] *vel secundùm opiniones suas, quiret asserere. Cur? videlicet quia & si constaret falsam legis esse sententiam, quæ testificaretur ejusmodi necessitudines respergi mutuis non posse criminibus; tamen* [c] *inconcussum manebat, traducem non esse peccati. Hoc enim ipso, quo & parentum reatus ad filios, & filiorum ad parentes redibat; constabat non fuisse generationis, quòd ad filios gignentium peccata pervenerant; quoniam & à filiis ad parentes, ubi generatio non poterat caussa esse, remeaverant. Quid igitur hic confecerim appareat, inviolabilem quidem esse auctoritatem legis divinæ, & quam nulla queant impietatum argumenta proruere: ejus autem sanctione signatissimè atque absolutissimè fuisse præscriptum, fœdam esse opinionem perversitatemque judicii, quam mandaverat vehementer cavendam, si rei filii pro peccato pronuntiarentur parentum; quo fulmine traducis structura dissilivit: verumtamen tantis esse veritatis præsidiis munitam, quam tuemur fidem, ut nec ab ea profanitate, quæ potest Dei legem negare, quatiatur.*

* f. nec sic.

Aug. Quæris ubi spatieris, vagabunda loquacitate non copiosus, sed odiosus eis, qui rebus inhærentes, superflua verba contemnunt. Vinceris quippe ab adversariis quos habes, & vincendos proponis tibi quos non habes. Quis enim tibi dicit, falsum esse quod Deus servare voluit in judiciis humanis, cùm jam patres & A filii suas proprias caussas habent ad suam cujusque vitam, quæ separatim ducitur, pertinentes, ut nec filii pro patribus, nec patres pro filiis puniantur? Nemo vel legi, vel tibi hæc dicenti adversatur: tu noli obsurdescere adversùs Deum dicentem, Reddam peccata patrum in filios: Deut. 5. 9. & cùm hoc assiduè dicat, nusquam dicentem peccata filiorum se reddere in patres; ut intelligas non qui eorum quos imitentur, sed qui ex quibus generentur adtendi.

B XXI. Jul. *Nunc igitur ad eum qui cum agimus, sermo respiciat. Adquiescis legi Dei, (professione interim, ceterùm quid facias argumentando novimus,) an resistis? Si adquiescis, sublata contentio* [d]*: si resistis, sublata consensio est. Si adquiescis, exstincta Traducianorum: si resistis, Manichæorum revelata perfidia est: dummodo constet, opinioni vestræ & legi Dei neutiquam convenire.*

Aug. Ego adquiesco legi Dei: sed tu non adquiescis. Ego non nego nec filium pro patre, C nec patrem pro filio, quando suas separatas caussas habent, debere damnari: sed tu audire non vis in Levitico, Disperibunt propter peccata patrum suorum. Levit. 26. 39. Et in libro Numerorum, Reddens peccata patrum in filios usque in tertiam & Num. 14. 18. quartam generationem. Et apud Jeremiam, Reddens peccata patrum in sinu filiorum eorum Jerem. 32. 18. post eos. Hæc & alia similia tu non audis: his ac talibus legis testimoniis tu non adquiescis: & tamen loqui, & Manichæos catholicis objicere D non quiescis.

XXII. Jul. *Nisi fortè dicas, Deum quidem hoc imperasse, sed non facere quod præcepit, immo contraria agere iis quæ agenda mandaverit.*

Aug. Et hoc quàm insipienter cogites, cur non adtendis? Facit enim Deus aliquando contra [e] quàm facienda mandavit. Nec opus est ut multa commemorem, ne sit longum: ecce quod notum est omnibus, dico. Mandavit homini Prov. 27. 2. scriptura divina, dicens, Non te laudet os tuum; E nec tamen Deus dicendus est arrogans aut superbus, cùm se innumerabiliter laudare non desinit. Et unde agitur, jam superiùs demonstravi, quemadmodum Deus sine ulla iniquitate pro peccatis parentum simul cum eis interemerit parvulos: quamvis mandaverit homini, ne filios pro peccatis patrum, cùm judicat, damnet. Hæc si adverteres, ista non diceres: aut si & hæc advertis, & tamen ista dicis; adverte etiam vana esse quæ dicis.

F XXIII. Jul. *Quod licèt quantæ sit profanitatis, vix indicatum jam vehementer appareat: tamen pace ipsius divinitatis, cujus æquitatem tuemur, quale sit hoc vel levi discussione videamus. Ut ipse itaque fiat legis suæ prævaricator, rerum necessitate quæ eum premunt, an sua imbecillitate compellitur?* [f] *An quia horum neutrum est, sola libidine delinquendi? At hoc nec Manichæus dicere potuit, & ideo commentus est Deum vestrum grave prœlium pertulisse.*

Aug. Verba jactas, cùm rebus urgearis. Non G est legis suæ prævaricator, quando aliud facit Deus ut Deus, aliud imperat homini ut homini.

[a] Ad marginem veteris codicis Port. *quod non est.*
[b] Vignerius præteriit, *vel secundùm*: & ex verbo *quiret*, fecit *quæreret*. Castigatur ad MSS. Port. Mar. Clar.
[c] MS. Mar. *inconcessum.*
[d] Hic ex MSS. additur, *si resistis, sublata consensio*, supple, *cum lege Dei.* Quamquam in codicibus Mar. & Clar. loco *consensio*, legitur iterum *contentio.* In Port. *concio.*
[e] MS. Port. *contra quæ facienda.*
[f] Vignerius versum hunc prætermisit, *An quia horum neutrum est, sola* &c.

XXIV.

Jul. *Si ergo nec calamitas, nec imbecillitas, nec libido ei prævaricationis incumbit, qui fieri potest, ut eam justitiæ formam quam commendavit jubendo, destruat judicando? Immo non in istam justitiam, sed in reverentiam suam sæviat? Tanta est quippe æquitatis potentia, ut & deviantes arguat, & nulla fugientium à se auctoritate minuatur. Postremò si quæ sunt justa à nobis fieri velit, & ipse faciat quod injustum est; justiores nos quàm ipse est, cupit videri; immo non justiores, sed nos æquos, & se iniquum.*

Justitia divina quantò excelsior, tantò ab humana distantior.

Aug. Quid est quod dicis, homo qui multùm desipis? Quanto excelsior, tanto inscrutabilior divina quàm humana justitia, tantoque ab hac illa distantior. Quis enim homo justus sinit perpetrari scelus, quod habet in potestate non sinere? Et tamen sinit hæc Deus, incomparabiliter justis omnibus justior, & cujus potestas est incomparabiliter omnibus potestatibus major. Hæc cogita, & noli judicem Deum judicibus hominibus comparare, quem non dubitandum est esse justum, etiam quando facit quod videtur hominibus injustum, & quod homo si faceret, esset [a] injustus.

Prosper sent. 300. Deus justus etiam quando id facit, quod homo si faceret, esset injustus.

XXV.

Jul. *An illud quidem justum est, quod ipse facit, id est, aliena peccata aliis imputando; & nobis præcipit quod injustum est, ut unumquemque pro voluntatis suæ delictis reum pronuntiemus?*

Originalia peccata quomodo sint & aliena & nostra.

Aug. Lege quod tibi superiùs responsum est: & disce, si potes, quemadmodum peccata originalia & aliena intelligantur & nostra; non eâdem caussâ aliena, quâ nostra: aliena enim, quia non ea in sua vita quisque commisit; nostra verò, quia * fuit Adam, & in illo fuimus omnes.

* Ambros. lib. 7. in Luc. c. 15.

XXVI.

Jul. *Et unde ei aut tanta invidia, aut tanta malignitas? Invidia est enim, si ad hoc decepit præcipiendo creaturam suam, ne virtutes ejus, in quantum poterat, conaretur imitari: malignitas autem, immo crudelitas, si puniat propter injusta opera mortales, quæ cùm legi ejus obediunt perpetrarunt.*

Deus etiam juste facit, quæ homo si faciat, injuste faciet.

Aug. Jam superiùs demonstravi, quædam Deum justè facere, quæ si homo faciat, injustè facit. Nam & injurias suas Deus ulciscitur justè: hominibus autem dicitur, Non vos ipsos vindicantes carissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim, Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.

Rom. 12. 19.

XXVII.

Jul. *An fortè non punit, (quod quidem facit prudenter,) sed etiam remuneratur famulos, præceptis suis licèt injustitiam docentibus obsecutos? Et quid ei profuit invidere, si & injustas res faciendo eò pervenerunt mortales, quò etiam justitiam servando venissent? Cùmque illis, quos circumvenit, de felicitate nihil pereat; hic tamen benignitatis ac justitiæ conscientiâ simul & honore privatur. Quanto erat tolerabilius à religionis professione colla subducere, quàm per tam prærupta, tam exitialia [b] orbitas ducere?*

Aug. Sequeris te, nihil dicens. Ab humana justitia discerne divinam; & videbis justè Deum peccata patrum reddere in filios; quod tamen in judicio suo si homo sibi usurpet, injustus est. Ne tu exorbites à via justa, ut cùm audis peccata patrum in filios vindicari, aut Deum [c] nolis id facere, aut hominem velis, vel testimoniis vel mandatis resistendo divinis.

XXVIII.

Jul. *Igitur quoniam vel à servis suis nil tale committi Deus sinit, quale tu ab ipso asseris perpetrari; manifestum est, te non minùs ab honore ejus, quàm ab humana ratione fugisse. Ac per hoc, non Pelagiano, sicut dicis, errore decipimur: sed lege Dei dirigimur, ut asseramus iniquum esse, parentum crimina filiis imputari.*

Aug. Non semel, sed sæpius dixit Deus, peccata patrum se reddere in filios. Ubi utique non dixit, in patres se reddere peccata filiorum, aut in fratres fratrum, aut in amicos amicorum, aut in cives civium, aut aliquid ejusmodi; ut sciremus, quando illud dicitur, generationem redargui, non imitationem: quod & tu posses in divinis eloquiis intelligere, si non Pelagiano impedireris errore.

Exodi 20. Exodi 34. Levit. 26. Num. 14. Deut. 5. Ierem. 32.

XXIX.

Jul. *Quod tradux peccati, Manichæorum filia, vestra mater, hac tempestate prodigialiter peperisse defletur.*

Aug. Non ratiocinaris, sed conviciaris & calumniaris. Relege antiquos divini eloquii tractatores; & vide non hac tempestate, sed longè ante nos in verbis Apostoli hoc intellectum esse, quod apertissimè dixit, id est, quod per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, ad generationem pertinere, quam regeneratio sanat; non ad imitationem, quam vos potiùs hac tempestate peperistis. Unde vos tempestas novitii dogmatis vestri à facie projecit catholicæ Ecclesiæ, tamquam pulverem quem projicit ventus à facie terræ.

Rom. 5. 12.

Pelagiani à facie Ecclesiæ projecti. Psal. 1. 4.

XXX.

Jul. *Esse igitur hoc à Deo imperatum quod asserimus, claruit. Et quamvis sententiæ ipsius aperta & intellectui omnium conciliata germanitas nullius in se nævum obscuritatis admiserit: tamen ne tu ad ingenii nostri confugias tarditatem, & dicas non nos intelligere quod præceptum est; alio quoque testimonio non jam præcepti, sed operis secundùm præceptum exerciti, quemadmodum sit lex intellecta doceamus. Legimus in libro 4. Regnorum, de Amessia filio Ioas regis Iuda: Factum est, inquit, postquàm stabilitum est regnum in manibus ejus, occidit pueros suos qui occiderant patrem suum; sed filios eorum non occidit, secundùm testamentum legis Domini, quo præceptum est, Non morientur patres pro filiis, nec filii pro patribus. Vides quemadmodum historiæ fides justitiam regis judicantis ostenderit: qui quamvis fuisset devotus; tamen quoniam claudicasse animo in nonnullis refertur, ad judicii ejus confirmationem, commemoratæ legis Dei accessit auctoritas. Ne enim parum haberet ponderis factum hoc consideratione facientis, secundùm legem & testamentum Dei commendatur impletum.*

4. Reg. 14. 5. & 6.

Aug. Hoc judicium Deus hominum voluit esse, non suum, qui dixit, Reddam peccata patrum in filios. Quod etiam per hominem fecit, quando per Jesum Nave, non solùm Achar, sed etiam filios ejus occidit: vel per eumdem populi sui ducem, filios Chananæorum etiam parvulos, nondum peccata parentum suis moribus imitatos, cum eisdem tamen parentibus ut perirent, non

Deut. 5. 9. Iosue 7. 24. Iosue 6. 21. & 10. 40.

[a] Sic vetus cod. Port. At Mar. cum Vigner. *esset injustum.*
[b] Vigner. *orbitatis.* MSS. *orbitas.*

[c] Vigner. *nobis.* Emendatur ex MSS.

injusta utique severitate [a] damnavit. Noli ergo loquaciter atque inaniter multiplicare tua scripta; sed scripturam Dei diligenter adtende, ne quod in una ejus parte aperuisse te putas, clausum contra te in altera invenias.

XXXI. Jul. *Duobus & tribus testibus, etiam contra sanguinem hominis, credi solet: quanto magis duobus sacris testibus, legi quæ in Deuteronomio continetur, & historiæ quæ Regum facta complectitur, pro Dei honore crederetur? Quomodo judicari vellet, ipse præscripsit: quomodo quod mandaverat accipi deberet, secundùm legem ejus judicia prolata testantur. Et dubitatur adhuc traducem peccati Scripturarum probari auctoritate non posse? Certè sunt ista contraria, pro quibus tam longis conflictibus dimicatur, id est, unum quod à vobis, aliud quod à nobis defenditur; & ita contraria atque repugnantia, ut vos persequendo, nos disputando, vos furore, nos ratione certemus. Utraque ergo pars distare sibi hæc & repugnare consentit, id est, propter parentum peccata puniri filios, & propter parentum peccata filios non puniri: crimen naturale esse, & crimen naturale non esse: ut parentum peccata filiis imputentur, Dei lege præscribi; & ut non imputentur parentum peccata filiis, Dei lege præscribi. Has opiniones contra semet sententiasque bellantes pariter veras non posse esse manifestum est. Nam & disputationis eruditæ regulis indicatur, cùm de rebus incertis opinio duplex nascitur, utramque falsam esse posse, utramque veram esse non posse. Quod quidem in speciebus diversis, & quæ medium habere dicuntur; non tamen in his quæ contraria sunt, sed medio carent, evenire potest. Notæ dialecticis res sunt: sed propter lectorem disciplinæ hujus expertem, aliquo id referemus exemplo.*

Aug. Ita quæris unde libros loquacissimos impleas, ut etiam dialecticam, ubi opus non est, lectores eorum docere coneris; non cogitans quomodo abjiciat Christi Ecclesia dialecticum, quem cernit hæreticum. Quis enim te id agere non intelligat, ut in sapientia verbi evacues (1. Cor. 1. 17.) crucem Christi; qui pro omnibus pro quibus mortuus est, in quibus & te confitente sunt parvuli, in remissionem peccatorum sanguinem fudit?

XXXII. Jul. *Veniat, verbi gratiâ, in quæstionem Golias, quo fuerit affectus colore, & unus eum nigrum, alter candidum fuisse confirmet: diversa hæc opinio potest utraque falsa, utraque autem vera esse non potest. Non enim potest esse verum, nigrum illum fuisse, si candidus fuit semper; aut candidum fuisse, si niger omni ætate permansit. Hæc ergo utraque opinio, quæ simul vera esse non potest, simul falsa esse hoc modo potest; si nec candidus, nec niger, sed flavus ejus color fuit; vel infracto candore, nec tamen infusa nigredine, ex contrariis mediocriter temperatus. Faciliùs ergo res diversæ & contrariæ negari possunt pariter, quàm pariter approbari. Ista autem contraria, quæ medium non habent, ut puta bonum & malum, justum & injustum, innocentia & reatus, ut uno tempore in unum atque idem convenire non possunt, ita necesse est ut altero eorum posito, alterum denegetur: id est, ut vel præceptum, vel consilium, vel adjumentum, non potest simul in uno tempore & justum & injustum esse; ita & homo non potest uno eodemque tempore & reus & innocens, & bonus & malus esse.*

Aug. Nemo quærit cujus fuerit coloris Golias: sed tu quæris, ut insidieris, quibus te coloribus versipellis involvas. Si dialectica ista, quæ te non ædificat, sed inflat, & ridiculum, quoniam jactanticulum, facit; si hæc, inquam, dialectica, quæ asserit unumquemque bonum & malum simul esse non posse, ad leges Christianæ disputationis admittitur, non potest esse unus homo simul & naturâ bonus, & vitio malus: quod tamen esse posse clamat veritas; nec tu negas, & contra dialecticam tuam testis etiam ipse produceris, cùm sicut se res habet, horum duorum quæ contraria esse non ambigis, alterum tribuis Conditori hominis, alterum voluntati. Erubescat ergo dialectica tua, & sicut tu de communione, ita & ipsa de catholicorum disputatione discedat: si autem, quod optamus, tu redire volueris, foris ipsa remaneat. (Julianus de catholicorum communione discessit.)

XXXIII. Jul. *Ad caussam itaque referantur exempla. Ut parentum peccata filiis imputentur, & parentum peccata filiis non imputentur, non potest hoc utrumque contrarium pariter justum probari: sed si justitia est, generantium sobolem ream [b] teneri; necesse est ut injustitia sit, si propter eadem peccata rea non esse dicatur. Et sicut bonum est justè præcipere, ita malum est injustè quidquam jubere: & quamvis res perspicua argumentando levior fiat, tamen quoniam caussam in absoluto positam juvat etiam legis divinæ confirmare suffragiis, inhæreamus huic loco, in quo quicumque sana mente constiterit, per prærupta quæstionum præsentium errare non sinitur. Adquiescis igitur annuntiator naturalis mali, præscriptum esse lege Dei, ne filii puniantur in peccatis parentum. Agnoscis etiam, non aliter hoc præceptum ab illo populo intellectum fuisse, quàm à nobis nunc observandum defenditur. Et ideo regem Amessiam præceptis Dei obedientem, indignationem, quam de patris sui internecione conceperat, laudabili moderatione frænasse; atque occisis sui parentis percussoribus, eorum tamen filiis non per ignaviam, sed per justitiam pepercisse. Laudatur quidem Amessias, & hoc secundùm Dei refertur fecisse legem; commendaturque obedisse voluntati Domini: sed tamen infuscatus vanitatis reliquiis non tacetur, & ostenditur devotionem David patris sui imitatus non esse: hic tamen ab illa generis sui sanctitate degenerans, tenuit in judicio commendatam divina lege justitiam, tantum reverentia perspicuæ æquitatis valebat. Quid ergo mali fides tua complectatur expende: hanc iniquitatem Deo admoves, quem æternum & pium & justum fatemur, quam nec superbia purpurati, nec dolor commisit orbati.*

Aug. Amessias homo fuit, cui non licebat judicare de occultis, quæ nosse non poterat: ideo præceptum quod datum est homini in judicio suo tenuit, ut pro peccato parentum non occideret filios. Peccatum autem tam magnum, ut [c] verteret in naturam, quod per unum hominem intravit in mundum, sine quo nullus homo nascitur, quomodo posset ab hominibus vindicari, quando quidem ita in omnes homines cum morte pertransiit, ut ei pœna sua sit comes usque ad interitum (Cur Deus aliter judicat parentes & filios, aliter hominibus judicandos mandavit.)

[a] Codex Port. *mandavit.*
[b] Vigner. *non teneri.* particula negans abest à MSS.
[c] Codex Mar. *verteretur.* Alii MSS. *verteret:* quod hîc passivè usurpatur, ut in illo Ambrosii sæpe citato loco ex lib. 7. in Luc. c. 12. *Quorum licèt dissensio per prævaricationem primi hominis in naturam verterit.*

interitum sempiternum, nisi ubi divina gratia generationem regeneratione sanaverit? Hoc ergo ad Dei judicium, non ad hominum pertinet, sicut alia multa, de quibus homines judicare omnino non possunt. Et ideo aliter mandavit homini parentes & filios judicandos jam separatim [a] proprias vitas agentes, aliter autem judicavit ipse, quando prævaricatricem naturam quam noverat in radice, quamvis nondum pullulasset in germine, secundùm inscrutabilem justitiam suam cum stirpe damnavit, liberaturus ab hac damnatione quos vellet, per gratiam nihilo minùs inscrutabilem: quamvis & separatim jam viventibus filiis peccata separatim viventium reddidit patrum: quod licere judicanti homini noluit; quia novit ipse cur [b] hæc ipsa faciat quando facit, id autem humana infirmitas nescit.

XXXIV. Jul. *Verùm ut urgeamus locum: constitit nempe injustitiam Deo adhærere non posse, constitit etiam ab ipso esse præscriptum, ne obsint filiis peccata generantium. Asseruit quidem ipsa præcipientis dignitas, injustum id esse quod prohibet. Porrò ut agamus tecum liberaliùs, respondendi tribuo facultatem de his duabus opinionibus, quas suprà comminus posui, id est, ut imputentur peccata parentum filiis, vel non imputentur, quam putas credi * justitiam debere? Si dixeris tuam quamvis etiam ultimo convenire judicio; refero, utrùm illam quæ remansit nostram, justam an injustam putes? Sine dubio iniquam pronuntiabis. At hæc legis auctoritate custodienda mandatur. Vides ergo unum necessariò remanere de tribus, ut aut legem Dei fatearis injustam, immo per legem Deum ipsum iniquitatis accuses; aut certè ad vocem confugias magistrorum tuorum, & dicas legem quæ per Moysen data est, à Deo tuo non fuisse mandatam; aut si hoc utrumque proferre non audes, traducem peccati asseri contra legis documenta & præcepta fatearis. Neque enim adeo te desipere posse credendum est, ut dicas Deum justitiam quidem in præceptis, in judiciis verò iniquitatem tenere; aut certè secundùm dogma vestrum, in judiciis quidem servare justitiam, præceptis autem iniquitatem docere: quod licèt superiùs egerimus, nunc tamen necessariò repetivimus.*

* f. justam.

Aug. Odiosè repetis, quod otiosè loqueris: vacat enim tibi easdem res loquacitate revolvere, quas non potes asserere veritate; & dicere sine modo, quæ adstruere non vales ullo modo. Vis enim videri inter se esse duo ista contraria, reddi in filios peccata patrum, & pro peccatis patrum filios non esse puniendos: quasi ego unum horum dicam, alterum Deus. Surde, utrumque Deus dixit: ergo utrumque justum est, quia justus hoc dixit. Sed quòd inter se contraria Deus non sit loquutus, ut intelligas, Dei judicis & hominis judicis pro diversitate caussarum discerne personas: ita nec Deum quamvis in filios patrum peccata reddentem, reum facies, nec hominem sic judicare compelles. Sed tu duo ista velut inter se contraria, tantâ prolixitate & perplexitate disputationis non ob aliud mihi objicis, nisi quia multùm loqueris, & parum sapis.

XXXV. Jul. *Si autem dixeris utrumque justum esse, & quod nos dicimus, & quod vos, id est, & quod lex sanxit, & quod Manichæus Traducianusque confinxit: hic sanè rationis perspicuæ potentiam cohibentes, benigniùs te convenimus & mitiùs. Cur ergo si creditis, & hoc bonum esse quod dicimus, & illud bonum esse quod dicitis, tantis totam Italiam factionibus commovistis? Cur seditiones Romæ conductis populis excitastis? Cur de sumtibus pauperum saginastis per totam penè Africam equorum greges, quos prosequente Alypio tribunis & centurionibus destinastis? Cur matronarum oblatis hereditatibus potestates sæculi corrupistis, ut in nos stipula furoris publici arderet? Cur dissipastis Ecclesiarum quietem? Cur religiosi principis tempora persequutionum impietate maculastis? Si à nobis nihil aliud dicitur, quàm quod etiam tu bonum cogeris confiteri.*

Calumniæ, Pelagianorum in catholicos.

Aug. Sicut falsa sunt crimina quæ objicis nobis, ita falsa sunt dogmata quæ fingitis vobis. Sed dicite quantum potestis omne malum adversùs nos, mentientes: nos tantummodo adversùs vos Christianam fidem & catholicam defendemus. Et quid opus est vobis reddere similia maledicta, & non potiùs Evangelio credere, atque gaudere, quòd ex istis falsissimis maledictis vestris nobis merces augeatur in cælis? Quomodo autem in hac re de qua nunc agimus, & illud quod dicitis, & illud quod dicimus, bonum esse possumus credere; cùm dicamus nos Deum dixisse, Reddam peccata patrum in filios: vos autem quod præcepit homini judicanti, ne peccata patrum reddat in filios, ita laudetis, ut quod ipse se dixit reddere, tamquam nostrum arguatis, & tamquam falsum injustumque sit improbetis; nec in eo vos, non nobis, sed Deo refragari calumniarique sentiatis?

Matth. 5. 11.

Ibid. 12.

Deut. 5. 9.

XXXVI. Jul. *Verùm hactenus mitiore sim functus eloquio: nunc autem splendor flammeæ rationis ostendit, malis & bonis, profanis & sacris, piis & impiis, justis & iniquis, nullum esse consortium; atque ideo inter præcepta & judicia Dei nihil esse pugnarum; contrarium autem esse, aliena peccata aliis imputare, & eadem ne imputentur jubere. Quoniam de his duobus necesse est, uno concesso, alterum submoveri, id est, uno justo, alterum iniquum doceri. In lege autem Dei præscriptum esse, ne parentum peccata filiis imputentur. Ac per hoc, eadem auctoritate contrarium ejus, id est, opinionem traducis, cum Manichæis funditus corruisse.*

Deut. 24. 16.

Aug. Totiens dicere vera me piget, cùm totiens te dicere vana non pudeat. Peccata patrum se reddere in filios Deus dicit: peccata patrum ne reddat in filios, Deus quidem, sed homini dicit: utrumque approbandum est, quia utrumque Deus dicit.

XXXVII. Jul. *Ostendi certè non nos aliud defendere, quàm quod primò ratio signat æquissimum, tum etiam Deus sua lege confirmat, tertiò non aliter quàm asserimus, id quod fuerat præceptum, cum operis laude completum. Inculcatum est quoque hanc veram esse justitiam, quam placere sibi Deus etiam præcipiendo monstravit. Ac per hoc, constitit nihil adminiculi Manichæam traducem aut in ratione, aut in legis testimoniis invenire.*

Aug. Manichæi dicunt naturam sine initio semper malam: unde omne malum esse contendunt. Catholici autem, quod esse noluistis, conditam bonam peccatoque vitiatam, medico

Manichæorum hæresis de naturali malo, quantum

[a] Vignerius & MSS. Mar. Clar. *propria vitia habentes.* Prætulimus hîc lectionem veteris codicis Port. nam sic rursum Augustinus infrà n. 38. *separatim procul dubio*, inquit, *suas vitas agunt.*

[b] Idem cod. Port. *cur hoc justè faciat.*

distet à catholico dogmate originalis peccati. Christo indigere à parvulis usque ad senes: quoniam pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt. (*2. Cor. 5. 14.*) Unde Manichæi separandum à bono malum sic opinantur, ut extrà sit: nos verò quamvis malum à bono intelligentiâ separemus, nec id quod malum dicitur, aliquam substantiam esse credamus; tamen ab iis qui liberantur, non ita separandum malum putamus, ut extrà sit; sed in eis sanandum esse scimus, ut non sit. Illi enim malum substantiam malam dicunt; nos vitium substantiæ bonæ, nullamque substantiam. Quantum intersit adtende; & desine medicum Christum sanandis parvulis invidere, ne ira Dei maneat super eos dicentis, Reddam peccata patrum in filios. (*Deut. 5. 9.*) Illum adspice qui hoc dixit: Deus est, non Manichæus. Illum adspice qui dixit, Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum; sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur. (*1. Cor. 15. & 22.*) Apostolus Christi est, non discipulus Manichæi. Illum adspice qui dixit, Omnes homines sub peccato nascimur. (*Ambr. l. 1. de pœnit. c. 2. vel. 3.*) Episcopus est catholicus, non Manichæus, aut Pelagius, aut Pelagianus hæreticus. Quapropter quoniam peccatum operis punit & homo, peccatum autem originis non nisi Deus: ideo Deus, cùm se dicat peccata patrum reddere in filios, præcipit tamen homini ne pro peccatis patrum damnet & filios. Discerne divina & humana judicia, & invenies inter se duo ista non esse contraria.

XXXVIII. JUL. *Sed ne fortè exsistat quis usque adeo obstipus, ut perspicuis sibi velit sententiis approbari, Deum videlicet non aliter judicare, quàm judicari imperavit; quod quidem est contentionis nefandæ: tamen quoniam veritati arma suppeditant ad omnem documentorum satietatem, in id ipsum ostendere testes acerrimos non pigebit. Impletus itaque sancto Spiritu loquitur Ezechiel propheta: Factus est sermo Domini ad me dicens, Fili hominis, quid vobis parabolam istam in terra Israël, dicentium, Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt? Vivo ego, dicit Adonai Dominus, si ampliùs dicetur parabola hæc in Israël: quoniam omnes animæ meæ sunt; quemadmodum anima patris, ita & anima filii, omnes animæ meæ sunt. Anima quæ peccat, ipsa morietur. Homo autem qui fuerit justus, qui faciet judicium & justitiam, in montibus non manducabit, & oculos suos non extollet ad desideria domûs Israël, & uxorem proximi sui non contaminabit, & ad mulierem menstruatam non accedet, & hominem non deprimet, & pignus debitori reddet, & rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dabit, & nudum operiet vestimento, & pecuniam suam in usuram non dabit, & superabundantiam non accipiet, & ab injustitia avertet manum suam, & judicium* [a] *justum faciet inter virum & proximum ejus; & in præceptis meis ambulavit, & justificationes meas custodivit, ut faceret eas: justus est iste, vitâ vivet, dicit Adonai Dominus. Et si genuerit filium pestilentem, effundentem sanguinem, & facientem peccata, in via patris sui justi non ambulavit, sed qui in montibus manducavit, & uxorem proximi sui contaminavit, & mendicum* (*Ezech. 18. 1. &c.*)

A *& pauperem depressit, & rapinam rapuit, & pignus non reddidit, & in simulacra posuit oculos suos, & iniquitatem fecit, cum usura dedit, & superabundantiam accepit: hic vitâ non vivet; omnes istas iniquitates fecit, morte morietur, sanguis ejus super ipsum erit. Si autem genuerit filium, & viderit omnia peccata patris sui quæ fecit, & timuerit, & non fecerit secundùm ista, in montibus non manducavit, & oculos suos non* [b] *levavit ad desideria domûs Israël, & uxorem proximi sui non contaminavit,*
B *& hominem non depressit, & pignus non pigneravit, & rapinam non rapuit, panem suum esurienti dedit, & nudum operuit vestimento, & ab iniquitate avertit manum suam, usuram & superabundantiam non accepit, justitiam fecit, & in præceptis meis ambulavit: iste non morietur in patris sui iniquitatibus, vitâ vivet. Pater autem ejus quia tribulatione tribulavit, & rapinam rapuit, contraria fecit in medio populo meo, & mortuus est in sua iniquitate. Et dixistis, Quid est quòd non accepit ini-*
C *quitatem patris sui filius? Quia filius justitiam & judicium & misericordiam fecit, omnia legitima mea conservavit, & fecit ea; vitâ vivet. Anima autem quæ peccat, ipsa morietur. Filius non accipiet injustitiam patris sui,* [c] *neque pater accipiet injustitiam filii sui: justitia justi super ipsum erit, & iniquitas iniqui super ipsum erit. Et iniquus si convertat se ab omnibus iniquitatibus suis quas fecit, & custodiat omnia mandata mea, & faciat judicium & justitiam & misericordiam: vitâ vivet, & non morietur: om-*
D *nia delicta ejus quæcumque fecit, non erunt in memoria: in sua justitia quam fecit, vitâ vivet. Numquid voluntate volo mortem injusti, dicit Adonai Dominus,* [d] *quàm ut avertat se à via sua mala, & vivat? Cùm se autem converterit justus à sua justitia, & fecerit iniquitates secundùm omnes iniquitates quas fecit iniquus, si fecerit, non vivet: omnes justitiæ ejus quas fecit, non erunt in memoria: in delicto ejus quo excidit, & in peccatis suis quibus peccavit, in ipsis morietur. Et dixistis, Non dirigit via Do-*
E *mini. Audite nunc domus Israël. Numquid via mea non dirigit? Nunc via vestra non est æqua. Cùm convertit se justus à sua justitia, & facit delictum; morietur in eo delicto quod fecit, in ipso morietur. Et cùm averterit se iniquus ab iniquitate sua quam fecit, & fecerit judicium & justitiam: hic animam suam custodivit, & vivit, ut averteret se ab omnibus iniquitatibus suis, quas fecit: vitâ vivet, & non morietur. Et dicit domus Israël, Non corrigit via Domini. Numquid via mea non corrigit, do-*
F *mus Israël? Nonne magis via vestra non corrigit? Ideo unumquemque vestrûm secundùm vias ipsius judicabo vos, domus Israël, dicit Adonai Dominus.*

AUG. Hæc per Ezechielem prophetam promissio est novi Testamenti, quam non intelligis, ubi Deus regeneratos à generatis, si jam in majoribus ætatibus sunt, secundùm propria facta discernit. De quibus enim dicitur, *Anima patris mea est, & anima filii mea est*: (*Ezech. 18. 4.*) separatim procul dubio suas vitas agunt. Si autem filius
G adhuc esset in lumbis patris sui, sicut scriptum est de Levi, quòd in lumbis fuit Abrahæ, quando (*Hebr. 7. 9.*) decimatus est à Melchisedech Abraham; non

[a] Sic MSS. juxta LXX. At editi, *judicium verum.*
[b] Codex Port. *posuit.*
[c] Huc revocamus lectionem veterum librorum, Port. Mar. Clar. pro qua Vignerius eam in reliquis dictis Ezechielis substituerat, quæ est Bibliorum versionis Vulgatæ, scilicet, *& pater non portabit iniquitatem filii* &c.
[d] Vetus cod. Port. *quantum ut.*

poſſet tunc dici, *Anima patris mea eſt, & anima filii mea eſt*, quando una utique anima erat. Velans autem Propheta myſterium ſuo tempore revelandum, regenerationem non nominavit, per quam quiſque filius hominis ex Adam tranſit ad Chriſtum: ſed quod non dixit illo tempore, intelligi voluit iſto tempore, quo fuerat ad Chriſtum tranſeuntibus auferendum velamen. Nam quoniam profiteris te eſſe Chriſtianum, quamvis oſtendas antichriſtum, id efficere moliens ut Chriſtus gratìs mortuus ſit; quæro à te, utrùm ſi homo faciat opera illa cuncta juſtitiæ, quæ propheta Ezechiel totiens repetendo commemorat, etiam non regeneratus, vitâ vivat? Si dicis eum vitâ vivere, contradicit Chriſtus an-
Iohan. 6. 54. tichriſto, & dicit, Niſi manducaveritis carnem
» meam, & biberitis ſanguinem meum, non ha-
» bebitis vitam in vobis: quem cibum & potum ad regeneratos pertinere, velis nolis, cogeris confiteri. Si autem tanta mole auctoritatis [a] obtritus, reſponderis eum qui omnia illa bona fecerit, ſi non fuerit regeneratus, vitâ non vivere: reſponde quæ cauſſa ſit; & vide generationi regenerationem, non imitationi imitationem, in eo quod Apoſtolus Adam ex parte peccati, & Chriſtum ex parte juſtitiæ proponit, opponi. Evidentiùs autem tibi oſtendam ad novum Teſtamentum pertinere, in quo regeneratorum hereditas eſt, quod Ezechielem prophetam dixiſſe commemoras: non quidem nunc, ſed cùm dixeris omnia, quæ de ipſis verbis ejus tuæ loquacitatis more dicturus es.

XXXIX. Jul. *Videturne aſſertor locuples [b] judiciorum ſuorum Deus, qui tam multis capitibus de hac quæſtione non ſolùm judicavit, ſed etiam diſputavit. Planè qui temporum noſtrorum prævideret errores, tanta verborum ſuorum vel luce, vel copiâ, duo eſt juſtè operatus & [c] providè: unum, ne quis ulla quæſtionum ambiguitate moveretur; aliud, ne apud eos qui ſe immerſiſſent ſponte naufragiis, excuſationis tabula ulla remaneret. Loquitur ad Judæos, qui captivitatem ſceleribus exigentes, ad relevandam propriæ prævaricationis invidiam, parentibus, non moribus*
Ezech. 18. 2. &c. *ſuis, debitam eam fuiſſe jactabant: & convenit eos auctoritate patria. Ut quid vobis, inquit, iſtam*
» *parabolam, ut dicatis, Parentes manducaverunt*
» *uvas acerbas, & filiorum dentes obſtupuerunt. Vivo*
» *ego, dicit Adonai Dominus, ſi dicetur ampliùs pa-*
» *rabola hæc in Iſraël: quoniam omnes animæ meæ*
» *ſunt, quemadmodum anima patris, ita anima filii,*
» *omnes animæ meæ ſunt; anima quæ peccat, ipſa*
» *morietur.*

Aug. Cùm ait, *Si dicetur ampliùs parabola hæc in Iſraël*: oſtendit ſolere dici, *Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt.* Nec arguit quia dicebatur, ſed promittit [d] ubi non dicatur. Unde autem hoc dicebant, niſi quia, Reddam peccata patrum in filios, Deum dixiſſe ſciebant?

XL. Jul. *Ad exemplandam & confirmandam judicii ſui æquitatem juramento Deus utitur, & auctoritatem conſtituti obteſtatione cumulat. Intellexit hoc*
Hebr. 6. 17. *genus loquendi Apoſtolus, qui ad Hebræos ita diſ-*
» *ſeruit: Volens, inquit, Deus oſtendere promiſſionis*
» *heredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit juſ-*
» *jurandum, ut per duas res immobiles, quibus impoſ-*
» *ſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus.*

Aug. Et ibi novum Teſtamentum promittebatur.

Jul. *Duobus ergo his oſtendi dicit, Deum non* XLI.
poſſe mentiri, hoc ipſo quia promiſit, atque id quod promiſit quia ſe teſtatur implere: non quòd Deus ſine adteſtatione tali imbecillum atque dubium ſoleat habere ſermonem; ſed ut veritatem ſuam documentis grandibus oneraret, eo genere locutionis abuſus eſt, quod hominibus etiam fallere ſolitis credi faciat. Hoc ergo pondere in præſenti quoque cauſſa admonet Deus atque præſcribit, & ut nullus hoc quod Traduciani aſſerunt, de populo ſuſpicetur, & Deum non poſſe eo quem deteſtatur modo judicare, cognoſ-
cat: Vivo ego, dicit Adonai Dominus, ſi ampliùs Ezech. 18. 3.
dicetur parabola hæc in Iſraël.

Aug. *Non dicetur in Iſraël*, rectè diceres, ſi veros Iſraëlitas regeneratos videres, in quibus hoc non dicetur. Nam in his qui non regenerantur, meritò dicitur: quoniam non ſunt Iſraël, ſecundùm id quod ait ad Romanos Apoſtolus:
Non enim omnes qui ex Iſraël, hi ſunt Iſraël: Rom. 9. 6.
ubi ſine dubio filios novi Teſtamenti, hoc eſt, filios promiſſionis volebat intelligi. Denique ſe-
quitur: Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, hoc Ibidem 8.
eſt, non qui filii carnis, hi filii Dei, ſed filii pro- «
miſſionis deputantur in ſemine. «

Jul. *Quid eſt hoc, Ampliùs non dicetur: cùm hoc* XLII.
uſque hodie tantis Manichæorum conatibus aſſeratur? Sed hoc eſt quod indicat, quoniam nemo qui eſt de populo Iſraël, vel qui hujus ſcripturæ auctoritatem ſuſcipit, poſt definitionem meam tale quid audebit [e] accredere. Porrò omnis qui in illa opinione perſtiterit, nec his obedit litteris, nec in eo qui eſt verus Iſraël annumerabitur.

Aug. Si ergo poſt definitionem ſuam vult intelligi Deus hoc neminem crediturum; quærendum eſt, cur ante hanc non improbè credebatur, peccata patrum etiam in filios eſſe reddenda? Et ſi bene quæratur, invenietur propter
obnoxiam generationem dictum, Reddam pec- Deut. 5. 9.
cata patrum in filios. Unde natum eſt proverbium illud de uvis acerbis. Propter liberam verò regenerationem promiſſum eſt Teſtamentum novum, ubi hoc ampliùs non dicatur: quia hereditati damnoſæ quæ venit ex Adam, per Chriſti gratiam renuntiatur, quando renuntiatur huic ſæculo, ubi neceſſe eſt premi jugo gravi filios Adam, non utique injuſtè, à die exitûs de
ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ Eccli. 40. 1.
in matrem omnium: unde ſacra myſteria, etiam parvulis renuntiantibus, ſatis quid agatur oſtendunt.

Renuntiatio ſæculo & hereditati damnoſæ quæ venit ex Adam. Parvuli etiam ipſi in baptiſmo renuntiant ſæculo.

Jul. *Poſt quàm parabolæ illius vanitate repre-* XLIII.
henſa, ſanxit ſententiam promulgatione atque obteſtatione divina, etiam juſtitiæ ſuæ dignatur aperire rationem, cur neceſſitudines peccatis non graventur [f] alienis. Quoniam omnes animæ, inquit, meæ ſunt,
quemadmodum anima patris, ita & anima filii, Ezech. 18. 4.
omnes animæ meæ ſunt: anima quæ peccat, ipſa «
morietur. Quare ergo eſſet æquiſſima ſententiæ iſta «

[a] Vignerius & MSS. Mar. Clar. *obſtrictus.* Port. *obritus.*
[b] Deerat, *judiciorum*: reſtituitur ex MSS.
[c] Sic MSS. Editi autem, *& providit.*
[d] Editi, *ut.* MSS. *ubi.*
[e] Sic MSS. At editio Vignerii prima, *ac reddere.*
[f] MSS. *alternis.*

moderatio, proprietate quoque ostendit animarum.

Aug. Ista proprietas animarum ad vitas pertinet separatas. Non enim renasci aliquis nisi natus potest. Quare autem decimatus est Levi cùm esset in lumbis Abrahæ, nisi quia nondum in eis fuerat suarum proprietas animarum.

XLIV. Jul. *Cùm anima, inquit, patris mea sit, & anima filii mea sit; (quo testimonio, ut multis aliis, docetur, animam nihil debere seminibus, quam Deus juri suo vindicat;) iniquissimum, inquit, & stolidum est, ut mea res, mea imago alienis gravetur operibus.*

Aug. Separas ergo carnem à jure Dei, quem putas animam solam juri proprio vindicare; & oblitus es quod scriptum est, Sicut enim mulier ex viro, ita & vir per mulierem, omnia autem ex Deo? (1. Cor. 11. 12.) Quod certè aut secundùm carnem dictum est, aut secundùm utrumque; non tamen secundùm animam solam. Quod autem tibi placet ut dicat Deus, *Iniquissimum & stolidum est, ut mea res, mea imago alienis gravetur operibus:* cur non quæris unde sit justum, ut anima carne de parentibus tractâ & ipsius Dei gravetur operibus? (Sap. 9. 15.) Corpus enim corruptibile aggravat animam. Et puto te agnoscere, Dei opus esse etiam corruptibile corpus. Quid igitur meruit imago Dei, ut ad impedimentum rerum sciendarum corruptibili corpore gravetur, si nullum est originale peccatum? Cur autem non etiam hoc facis Deum dicere, Iniquissimum & stolidum est, ut mea res, mea imago per infidelitatem vel negligentiam parentum vel quorumlibet inter quos vivit, vel per quamcumque necessitatem, sine baptismo de corpore exeat, & ad regnum meum non admittatur, nec vitâ vivat, quia carnem sanctam non manducavit, nec sanguinem bibit? (Carnis & sanguinis Christi perceptio necessaria, ut habeatur vita. Iohan. 6. 54.) An & contra istam Christi sententiam disputabis atque clamabis, dicens, Prorsus, etiam si non manducaverit carnem Christi, neque biberit ejus sanguinem, vitâ vivet? O vocem, cujus, nisi antichristi? Vade, dic ista, doce ista: audiant te Christiani viri & feminæ, audiant homines mente corrupti, reprobi circa fidem: audiant te, ament te, honorent te, pascant, vestiant, ornent te, & perditum sequendo perdant & se. Sed novit Dominus qui sunt ejus: (1. Tim. 2. 19.) nec desperandum est & de vobis, quamdiu patientia ejus impenditur vobis.

XLV. Jul. *Cui hunc statum dedi, ut ei nolenti nemo noceret externus, sed sponte capesseret vel peccatum vel justitiam, vel præmium vel reatum.*

Aug. De prima hominis natura hoc dici potest, non de ista vitiata atque damnata. Neque enim & in paradiso ante peccatum aggravabat animam corpus corruptibile: aut verò usque adeo vos mente corrupti estis, ut etiam hoc dicere audeatis. Si autem non audetis, dicite quare corruptibili corpore imago Dei meruerit aggravari, qui non vultis cum catholica Ecclesia peccati originem confiteri.

XLVI. Jul. *Indignaris itaque mihi, cur juranti magis Deo credam, quàm Manichæo somnianti, qui nulla præsertim, si non sanæ fidei testimonia, vel argumenta promit vigilantis ingenii: quæ licèt numquam tanta inveniri queant, ut veritatis valeant fundamenta convellere; tamen quæ vel inpræsentiarum contra stoliditatis pudorem solatii quidpiam, si aptè*

A *dicerentur, afferrent. Persistit Deus, id quod sacrum fecerat præcipiendo, communire jurando. Pergit planum facere etiam per exempla quod* [a] *sancit, & dicit quia si fuerit homo omnes justitiæ species impolluta devotione custodiens, & hic genuerit filium qui pestilentibus moribus adhærescat, atque ab itineribus deflectat paternis, nihil ei prosit tantâ patris curâ justitiæ comparata nobilitas. Atque item è regione hujus peccatoris filium statuit, patris sui vias consilio meliore fugientem, ostenditque nihil ei nocere*
B *iniquitatem parentis. Paremque conditionem justitiæ facit atque peccati, asserens vitia generantium ita non ire per semina, sicut non queunt ire virtutes; sed ad jus suum omnes animas pertinere: per quod & illud ostenditur profanum, quod dicis nascentium & animas & corpora à jure diaboli possideri.*

Aug. Jam tibi responsum est: inaniter verbosaris. Totus homo, hoc est, & anima & corpus, per substantiam suam ad jus pertinet Creatoris: per vitium verò, quod nulla substantia
C est, diabolo est mancipatus; sub eadem tamen potestate Creatoris, sub qua & ipse est diabolus constitutus. (Homo per vitium sub diabolo.)

XLVII. Jul. *Assertâ examinis sui librâ, jam tunc opinionem vestram in his qui similia arbitrabantur, accusat. Et dixistis, Quid est, quòd non accepit iniquitatem patris sui filius? Quoniam anima, inquit, quæ peccat, ipsa morietur: filius autem non accipiet injustitiam patris sui, neque pater accipiet injustitiam filii sui: justitia justi super ipsum erit, & ini-*
D *quitas iniqui super ipsum erit.* (Ezech. 18. 19. & 20.) *Quis nostrûm hinc cum tanta diligentia umquam disputare potuisset, cum quanta Deus per os Prophetæ sui dividendo, comparando, repetendoque disseruit?*

Aug. Et tamen cùm hoc fecerit Deus, tantæ perspicuitati verborum ejus misces loquacitatem tuam, sciens bonam non esse caussam tuam.

XLVIII. Jul. *Verùm non hoc solùm explanasse contentus, aliud quoque ad confirmationem justitiæ hujus, à mi-*
E *sericordiæ operibus admovet argumentum; & pronuntiat, illis ipsis personis quæ sponte peccaverunt, si ad pænitentiam emendationemque confugerint, errores præteritos non nocere. Iniquus, inquit, si convertat se ab iniquitatibus suis quas fecit, & custodiat mandata mea; omnia delicta ejus quæcumque fecit, non erunt in memoria; in sua justitia quam fecit, vitâ vivet.* (Ibid. 21. & 22.) *Id est, cùm in hoc sim proposito clementiæ, ut etiam propria indulgeam peccata correctis, quì potest fieri ut imputem aliena nascentibus?*
F *aut sinunt res, ut sit apud me rea innocentia, cùm conditur; apud quem est efficax, si vel interpolata repetatur.*

Aug. Alia est caussa pænitentium, alia nascentium. Nam prorsus quomodo justum ostendatis Deum, non invenitis, si & in nascentibus nulla peccata invenit, & eos tamen corruptibili corpore, & tot tantisque insuper calamitatibus aggravat. (Mala quæ patiuntur infantes, ostendunt originale peccatum.) Non enim numerari possunt mala quæ patiuntur infantes, febrem,
G tussim, scabiem, dolores quorumque membrorum, ventris fluxum, lumbricos, & alia innumerabilia ex ipsa carne exsistentia, & ipsarum curationum quàm morborum plura tormenta, & extrinsecùs ictus vulnerum, plagas verberum, incursus dæmonum. Vos autem sapientes hære-

[a] Editi, *sentit.* MSS. Clar. Port. *sancit.* Mar. *sanctit.*

tici, ne fateamini originale peccatum, parati A estis talibus floribus implere paradisum. Si enim hæc ibi futura fuisse non dicitis; quæro cur sint in parvulis nullum habentibus, ut contenditis, omnino peccatum? Si autem & ista ibi futura fuisse non erubescitis dicere; quales Christiani sitis, quid nos opus est dicere?

XLIX. JUL. *Displicuit hoc cultoribus idolorum: displicet & vobis fides nostra, quam videtis hac lege formatam.* Ibid. 15. 6. *Dixerunt ergo profani: Non est recta via Domini. Audite ergo, inquit, domus Israël, Numquid non est via mea recta? nonne via vestra non est æqua? Ideo unumquemque vestrûm secundùm viam vestram judicabo vos, dicit Adonai Dominus.* B *Perspicis-ne quibus testimoniis muniamur? Num aliqua sectamur ambigua? num aucupamur verba generalia? num aut debilibus aut involutis argumentis fidem tuemur? Exsecramur quod exsecratur Deus, intelligimus quod exponit Deus, disserimus quod disputavit Deus, credimus propter quod juravit Deus.* Ibid. 20. *Non accipiet iniquitatem patris sui filius,* C *neque pater accipiet injustitiam filii sui: justitia justi super ipsum erit, & iniquitas iniqui super ipsum erit. Quomodo se Deus judicaturum promittat relucet, id est, nec peccata parentum imputare filiis, nec filiorum parentibus; ac per hoc, constitit etiam testimoniis Scripturarum, de quo ambigi ratio non sinebat, eam videlicet justitiam Deum tenere in judiciis suis, quam tenuit in præceptis.*

AUG. Hinc saltem intellige, de his ista loquutum Deum patribus & filiis, qui separatim D jam viverent; quia cùm dixisset, *Non accipiet iniquitatem patris sui filius, neque pater accipiet injustitiam filii sui*; mox addidit, *Iustitia justi super ipsum erit.* Numquid enim in hoc sæculo dici de parvulo potest, quòd justitia ejus super ipsum sit; quando quidem per vitam propriam nec justè, nec iniquè adhuc potest vivere? Quid igitur pœnarum in hac ætate patitur, quo merito patitur, si nullum ex parentibus traxit? Deus pœnas immeritas nec infligit, nec infligi sinit. Cùm justissimus Deus pœnas immeritas nec in- E fligat alicui, nec infligi sinat: nec dici possit, ad exercendam virtutem parvuli, quæ adhuc in eo nulla est, hæc mala eum perpeti. Porrò si futurum sæculum cogites, quod pertinet [a] ad hereditatem Testamenti novi; etiam de parvulis rectissimè dicitur, qui in ipsa ætate moriuntur, *Iustitia justi super ipsum erit, & iniquitas iniqui super ipsum erit.* Sic enim discernetur à regenerato generatus, ut in eo regno iste vitâ vivat, in quo justitia inhabitat; in eo autem supplicio F ille morte moriatur, in quo cruciatur iniquitas. Sed quæ istius justitia, nisi quæ in illum transit à Christo, in quo omnes vivificabuntur: & quæ hujus iniquitas, nisi quæ in illum transiit ex Adam, in quo omnes moriuntur.

L. JUL. *Sed ne fortè simpliciorum auribus tali cavillo coneris illudere, ut dicas Deum hic de his qui perfectæ sunt ætatis loquutum, id est, ut illis filiis parentum crimina diceret non nocere; qui naturale malum operum suorum sanctitate vacuassent: ostendendum est nihil hanc promovere fraudem.* G *Quamvis enim absolutè præscripserit Deus, quoniam iniquitas parentum non addicat filios innocentes, sed unusquisque propriis iniquitatibus arguatur; nec hinc fidelis animus possit ambigere: tamen ut opinionis tuæ confossum tot fulminibus legis retractemus cadaver, quatenus accipiendam hanc Dei disputationem putabis, videlicet ut parentum, sicut nec adultis, ita nec nascentibus filiis obsint delicta? An ut tantummodo jam grandioris ætatis & justitiam operantibus non sinantur nocere; parvulos autem, ante quàm [b] per propriam justitiam naturale virus exhauriant, scelere generantium gravari, sicque fiat quod per Prophetam Deus futurum negavit?*

AUG. Immo sic fit quod alio loco dicit Deus, Reddam peccata patrum in filios. Deut. 5. 9. Cùm enim utrumque ipse dicat, id est, & patrum ad filios non pertinere peccata, & reddere se in filios patrum peccata; non potest utique sibi esse contrarius. Et ideo rectè, quærentibus quomodo utrumque sit verum, unum horum generationi, alterum regenerationi intelligitur convenire. Tu qui pervertis cor tuum, cave illum; & quod verum audis, non vocabis cavillum.

LI. JUL. *Sed ad hoc nos referimus. Et illud ergo aliud, quod paribus momentis appenditur, fieri profitere, id est, ut justitiæ parentum filiis suis prosint, eosque sanctificent, atque illis tantummodo non dicantur prodesse, qui grandioris jam ævi, natales justitias propriis adtrivere criminibus: ut quia utrumque à Deo negatum, & alterum alterius exemplo [c] dissertum atque inculcatum est, quam tu negationem rationibus tuis videns esse contrariam, in parvulis mentitam esse contendis, ambas ejus partes nascentum conditione confutes. Quod cùm feceris, duo mala pariter perpetrabis, unum quod* oppugnat sententiam Dei, aliud quoniam nasci de justo justum, & de criminoso asseris criminosum.* * f. oppugnas.

AUG. Negationem Prophetæ non dico mentitam, sed à te non intellectam. Ille quippe regenerationem prophetavit, quæ à peccatis parentum ad Dei, non ad hominum judicium pertinentibus, sola filios esse præstat alienos: tu autem dum negas generationem contagium mortis antiquæ de patribus trahere, ipsam regenerationis caussam conaris exstinguere. Quamvis enim lavacrum regenerationis, quidquid peccatorum invenerit, diluat; tamen alia peccata possent & pænitendo sanari; sicut possunt in eis, quos iterum [d] regenerare fas non est. Peccatum originale nisi regeneratione nō solvitur. Illud verò quod generatione contrahitur, nisi regeneratione non solvitur. * Justus ergo ex Deo, non ex homine nascitur; quoniam renascendo, non nascendo fit justus: unde etiam tales filii [e] Dei vocantur. * Prosper sent. 301. Lege Evangelium: Non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Iohan. 1. 13. Quid quæris rerum genera multùm diversa conjungere? Homines hominum carne nascuntur, Dei Spiritu renascuntur. Quid ergo mirum, si quemadmodum de Spiritu justitiæ sumit homo justitiam, ita de carne peccati trahit originale peccatum? Neque enim venisset homo unus ad liberandos nos in similitudine carnis peccati, nisi omnium nostrûm esset caro peccati. Cùm igitur

[a] Editi post *pertinet*, addunt *&*: Removemus auctoritate codicis Port.
[b] Editi, *ante quàm propriam justitiam naturale virus exhauriat.* Castigantur ex MSS.

[c] Sic MSS. Editi verò, *dissectum.*
[d] Editi, *generare.* Veriùs antiquus codex Mar. *regenerare.*
[e] Hîc addimus *Dei*; quia legitur in MSS.

huic gratiæ Christianæ sit inimica hæresis vestra, adhuc mirari & conqueri audetis, quod vos Christi detestetur Ecclesia?

LII. Jul. *Si autem non sustinens* [a] *reclamantis strepitum veritatis, aliò tentaris effugere, in plagas incides fortiores. Nam si dicas, vera quidem est Prophetæ sententia,* [b] *sed in personis grandioribus, quæ dicit necessitudines culpis mutuis non gravari; in parvulis autem ab una sui parte mentitur* [c], *quà dicit eos reos non esse ob scelera generantium; in alia autem non mentitur, in qua asserit eos nullis parentum virtutibus sublevari: tunc planè fœdissimam non disputandi, sed confingendi; non eloquendi, sed loquendi; non postremò sani hominis, sed* [d] *excidentis sensu Manichæi libidinem publicabis: si tibi putes contra perspicuam rationem, contra honorem Dei, contra exempla, contra testimonia præceptorum, contra expositionem judiciorum, quod libuerit licere respuere, & quod delectarit assumere.*

Aug. Sententia Prophetæ ex parte nulla mentitur: sed tu non intelligens quod per illam prophetatur, ut non dicam mentiris, certè (quod sine injuria tua dixerim) nescis quid loquaris. Nam & hoc quod dicis asserere Prophetam, *nullis parentum virtutibus filios sublevari*; quomodo & quatenus accipiatur, interest plurimum. Numquid enim vos negatis, fide parentum regenerandos offerri filios Ecclesiæ matri, & baptizandos ministris Dei? Quomodo ergo nullis parentum virtutibus filii sublevantur? An Christianam fidem dicere audebis nullam esse virtutem? An non sublevantur, cùm in Dei regnum non aliter quàm eadem regeneratione mittuntur? In ipsis quoque beneficiis temporalibus quare dicitur ad Isaac, Faciam tibi propter Abraham patrem tuum? Quare etiam Loth filius fratris Abrahæ, patrui sui meritis adjuvatur, si nullis parentum virtutibus filii sublevantur? Quare postremò & propter peccata Salomonis filio ejus regnum minuitur, & propter bona merita David non totum tollitur, si nullis peccatis parentum filii gravantur, aut nullis virtutibus sublevantur? Homo linguate, non cordate, ista discerne: hîc vide, si potes, quid per Ezechielem fuerit prophetatum. In aperto est enim, nec patrem non regeneratum obesse filio regenerato, ad capessendam vitam æternam, de qua dictum est, *vitâ vivet*; nec patrem regeneratum prodesse ad hoc ipsum filio non regenerato; nec vicissim filium patri aut prodesse regeneratum non regenerato, aut obesse non regeneratum regenerato, ut ille vitâ vivat, vel iste morte moriatur. Si autem ista non potes videre, cur nec tacere?

[Filii virtutibus parentum sublevantur apud Deum. — Gen. 26. 24. — 3. Reg. 11. 11. &c. — Ezech. 18. 9.]

LIII. Jul. *Quis tu es, qui* [e] *œstro Marcionis concitatus in excidium æquitatis irrumpas? Qui sub censuram linguæ tuæ mysteriis adhuc Manichæorum lubricæ, Dei tam judicia quàm præcepta compellas? Nemo hoc umquam facere, nisi qui priùs ea negavit, aggressus est. Tu testamentum Dei, quod ratio, æquitas, pietas, veritas, fide scribentibus Prophetis, quasi quidam sacrorum testium ordo signavit, audebis Manichæo auctore perrumpere. Olim & intelligentiæ sanctitatem, & religionis speciem perdidisti, si hac sententiâ, quæ apud Ezechielem est, traducis tuæ putes aut auxilium reperiri, aut exitium non teneri.*

Aug. Spatiatur loquacitas [f] inopiæ copiosa, ubi non cernitur, vel etiam si cernitur, spernitur veritas; ubi est non verborum vanissima, sed rerum certissima copia. Aliud est directus veridicus, aliud disertus maledicus. Propheta filiis & patribus suas vitas separatim ducentibus vera dicit: tu Manichæorum nomine catholicis Prophetam rectè intelligentibus Pelagiana rabie maledicis.

LIV. Jul. *Iniquitas iniqui, inquit, super caput ejus:* « *unumquemque vestrûm secundùm vias suas judicabo.* « *Non morientur patres pro filiis, neque filii pro parentibus: anima, inquit, quæ peccat, ipsa morietur:* « *quoniam omnes animæ meæ sunt, unumquemque pro* « *suis iniquitatibus judicabo.* « [Ezech. 18. 10. &c.]

Aug. Deus qui hæc dicit, ipse est Deus qui dicit, Reddam peccata patrum in filios. Nisi intellexeris quomodo utrumque sit verum, nullo modo credas Prophetam te intellexisse veridicum, quantalibet te patiar loquacitate maledicum. [Deut. 5. 9.]

LV. Jul. *En cui luci, cui populo sententiarum, cui dignitati judiciorum tradux tua & convicium facere non timet, & conatur inferre præjudicium. Hîc dubium non est, quia non te pudeat illud dicere, quod videtur reliquum, id est, ut respondeas veram Prophetæ, immo Dei per Prophetam, esse sententiam, insuperabilem prudentum rationem, qua docetur iniquissimum, ut peccata parentum filiis imputentur.*

Aug. Erubesce, tu es iniquissimus: nam qui dixit, Reddam peccata patrum in filios, non est iniquus.

LVI. Jul. *Nec te hoc putare, quia reatu voluntatis semina omnium hominum polluantur: sed tamen hanc justitiam in Adæ solius crimine non valere; ipsius unum esse peccatum, quod omnibus imputetur. Ad quod ego, quid priùs facere debeam nescio: rideamne, quod ineptiæ exigunt singulares? sed multorum perditio quos decipitis, miserationem exspectat & lacrymas. Serio ergo mærore* [g] *conficiar? sed argumentorum tuorum prodigia incutiunt, quamvis mæsto animo, cachinnum.*

Aug. Dic quod dicturus es, egregie corrector; quo auctore deceptor est credendus Ambrosius, de quo ait Pelagius magister tuus, quòd ejus fidem, & purissimum in Scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere. Tu eum reprehende: fortior enim es atque potentior inimicus crucis Christi, quàm si esses inimicus Ambrosii: audaciùs invides gratiæ Dei, quàm si invideres illi homini Dei. Reprehende, inquam, inride exagitando, defle dolendo: potes enim vi magna eloquentiæ in urbanitatem ducere vanitatem tuam, & in misericordiam transfigurare vecordiam. Dic ergo illum virum errasse deformiter, desipuisse infeliciter, affirmando discordiam concupiscentiæ carnis & spiritûs in naturam ex primi hominis prævaricatio-

[Pelagius de Ambrosio. V. suprà lib. de gratia Chr. c. 43. & 47. — Lib. 7. in Luc. c. 12.]

[a] Sic MSS. At editi, *reclamantem spiritum veritatis.*
[b] Vignerius loco *sed in*, substituerat *nisi.*
[c] Versus isthic duo restituuntur ex MSS.
[d] Codex Port. *sed excedentis sensum.*
[e] Editi & duo MSS. *vestri Marcionis astu concitatus.* Vetus cod. Port. caret *astu*, & loco *vestri*, habet *œstro.*
[f] Port. *loquacitas inopia copiosa.*
[g] Idem cod. Port. *configar.*

ne vertisse? Quis enim sine illa nascitur, ex quo cœperunt homines nasci, nascendo utique in carne peccati? Sed tu homo acutissimus, non credens tale ac tantum illud fuisse peccatum, ut posset in hoc malum tunc ipsam mutare naturam, eamque ineffabilis apostasiæ merito facere cum stirpe damnandam; hoc quod omnes sobrii malum sentiunt, malum judicant, ebrius Pelagiano dogmate asseris bonum. Mirabili enim facundiâ potes, eam quam sancti accusant gemitibus, tu laudibus ornare libidinem, & talem prorsus, qualis & nunc est, se scilicet nolentibus ingerentem, & ad certamen provocantem corda castorum, tamquam formosum & amœnum lignum, etiam si nemo ibi peccasset, inter paradisi nemora collocare. Erubesce, beatitudo Pelagianorum; & vide quò fugias, quia casti te fugiunt.

Adami apostasia ineffabilis.

LVII. JUL. *Quis enim hoc, si quid sæculo huic superfuerit ætatis, monumentis poterit credere litterarum, exstitisse videlicet hominem, qui crederet & juraret, non esse naturale, quod esset naturale; non esse generationis, quod esset generationis; non pertinere ad conditionem parentum, quod ad aliquos non ob aliud pertineret, nisi quia fuissent parentes? Puto quòd conficta hæc, magis quàm ab ullis defensa mortalibus, arbitretur sequutura generatio. Hos enim natatus, & has nauseas, atque hos vomitus, vestra natio fidesque perpetitur, qui dicitis, Non possunt parentum peccata ad filios decurrere per naturam, quia res arbitrii seminibus non ligatur; sed peccatum Adæ, quod de voluntate conceptum est, transit in omnes homines per naturam, quia res arbitrii seminibus illigata est: non damnat etiam Deus filios pro peccatis parentum, quia summæ iniquitatis est; sed damnat Adæ posteros propter peccatum parentum, quod nullâ potest justitiâ vindicari: non pertinet postremò ad conditionem generationis, quia hi qui conjuges sunt, fiunt parentes; quod non ob aliud pertinuit ad Adam, nisi quia conjugii lege generavit. Hoccine cursum gubernare est, an natare? hoccine est conficere, an nauseare? hoccine est sumere aliquid solidum, an semper evomere? Iisdem sermonibus quod negaveris affirmas, iisdem lineis quod affirmaveris denegas; & irasceris cur non adquiescamus homini, qui gravi morbo ruptus non potest tenere quod suscipit.*

AUG. Absit ut dicamus, aliorum patrum in filios Deum peccata non reddere: cùm scriptura divina totiens nominatimque testetur, pro quibus patrum peccatis in quos eorum filios vindicta processerit; usque adeo ut quoddam peccatum grave regis Achab, parcens ei Deus, in ejus filium vindicare distulerit. Sed quis modus & quæ sit divinæ ratio & mensura justitiæ de aliorum patrum peccatis, ut reddantur in filios, indagare quis potest? Propter quod Deus sibi tenuit ista judicia, hominem verò judicantem sic vindicare prohibuit. Sed apostasia primi hominis, in quo summa erat, & nullo impediebatur vitio libertas propriæ voluntatis, tam magnum peccatum fuit, ut ruinâ ejus natura humana esset tota collapsa: quod indicat humani generis tanta miseria, quæ à primis ploratibus vagientium usque ad exspirantium novissimos halitus omnibus nota est; ita ut qui eam negant, majorem partem sibi vindicent humanæ miseriæ tam horribili & incredibili cæcitate: sicut vos facitis, qui mortalem Adam ita factum, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset, etiam post judicium Palæstinum, ubi vos ista dicentes Pelagius ipse damnavit, adhuc dicere non timetis. Sed perge, ut tibi placet, atque etiam ipsos tot Palæstinos episcopos criminare Manichæos: clama, ad horam Pelagium cessisse Manichæis, ne damnaretur ab eis. Imple paradisum pomis libidinum; & tot ac tanta mala quæ perpeti videmus infantes, tamquam non sint pœnales dolores, sed vernales odores, per illa felicia prata diffunde. Et me inride quasi natantem; cùm tu in hæc profunda demersus intereas: me inride quasi nauseantem ac vomentem; cùm tu mortuus jaceas, & tamquam vermescente putredine, sic inquieta loquacitate putescas: me argue quasi affirmantem quod negaverim, & quod affirmaverim denegantem; cùm tu potiùs hoc feceris, sicut in tuo volumine superiore monstravi; & me hoc non fecisse, possint qui legunt adtendere, & quàm fallaciter hoc me fecisse dixeris, invenire: me dic gravi morbo ruptum, quod suscipio tenere non posse; cùm tu spiritu vitæ penitus amisso, non saltem valeas ingesta suscipere.

3 Reg. 21. 29.

Apostasia primi hominis quam magnum peccatum.

Lib. de gestis Pelag. c. 11. 33. & 35.

JUL. *Vides quidem etiam ipse, rem dignam conflictatione non esse: tamen ut mentibus subveniatur incautis, quæ crassiores quasque opiniones & malis moribus blandientes in solatium assumunt conscientiæ sauciatæ; interrogamus utrùm tantæ stoliditatis inventum de aliqua Scripturarum occasione* [a] *compereris? Si dixeris*, Per unum hominem peccatum intravit in mundum: *admonemus te, ut relegas præsentis operis superiorem libellum, cujus si memor fueris, Apostoli testimonium usurpare non poteris.* LVIII.

[a] Rom. 5. 12.

AUG. Nos te potiùs admonemus, ut ipsum Apostolum legas, & videas pauca ipsa, de quibus agimus, verba ejus, tam manifesta esse contra te, ut non libello, sed planè longissimo & loquacissimo libro, frustra ea fueris in hæreticam vestram sententiam non vertere, sed pervertere; non exponere, sed obscurare conatus.

JUL. *Si autem dixeris, quia* [b] *una est forma baptismatis, quâ diversæ ætatis homines consecrantur: fateberis, etiam me tacente, commemorationem ibi nec generationis infectæ, nec carnis diabolicæ, nec Adæ aliquam contineri: ad quod tamen suo loco, quamvis ad traducem non spectet, plenè responsuri sumus.* LIX.

AUG. Ubi respondere cœperis, quid ibi nisi, ut soles, hæreticus apparebis?

JUL. *Unam ergo saltem contra tantam à nobis productorum testium dignitatem, contra justitiam manifestam, contra perspicuam rationem, legis ede sententiam, per quam te ostendas fuisse deceptum: quod ideo addidi, quia etiam si esset quæ tale aliquid ambiguitate verborum putaretur ostendere, aliarum tamen sententiarum splendore & magisterio, ita ut justitiæ congruebat, cogebatur exponi.* LX.

AUG. [c] Certa, non ambigua, contra vos divina testimonia proferuntur; sicut jam à nobis

[a] Codex Port. *conceperis.*
[b] Hic ex MSS. fide restituitur, *forma baptismatis.*

[c] Sic Port. At MSS. alii & editi, *Certè.*

multa prolata sunt : sed quia tenebras vestras redarguunt, vobis lucida non videntur ; & quæcumque vobis sua radiante luce molesta sunt, contra illa cor clauditis, ne inde nox fugetur erroris.

LXI. Jul. *Nunc autem cùm nec exigua opinionis hujus in scripturis sanctis inveniatur occasio, & è regione fides quam tuemur, non minùs suis rationibus quàm exemplis & testimoniis muniatur : funestâ es prorsus obstinatione pervasus, qui putas damno legis, damno rationis, damno prudentiæ, damnoque justitiæ, Manichæorum somniis annuendum.*

Deut. 5. 9. Aug. Damno legis non audis, Reddam in filios peccata patrum. Damno rationis non vides, mala quæ parvuli patiuntur, qui propria peccata in hac vita nulla fecerunt, non nisi ex peccatis originis caussas justas habere apud Deum. Damno prudentiæ non caves, contra antiquissimum fidei catholicæ fundamentum dogma proferre vel defensare novitium, quo negatur originale peccatum. Damno justitiæ, sic iniquus es, ut sub meo nomine, tot viris sanctis, Ecclesiæ Christi filiis & patribus, discipulis atque doctoribus, qui ante nos fuerunt, atque ipsi matri omnium [a] catholicæ Ecclesiæ, non timeas Manichææ pestis objectare contagium.

Pelagianorum dogma novitium contra antiquissimum fidei fundamentū.

LXII. Jul. *Quid tamen in hunc sensum afferamus, attende. Etiamsi posses probare Adæ peccatum filiis imputari, assentireris tamen aliorum parentum soboli eorum crimina non nocere.*

Aug. Quis huic errori assentiatur, nisi qui non credit Deo dicenti, Reddam peccata patrum in filios ? Deut. 5. 9.

LXIII. Jul. *Manifestum erat, non generationis, sed alterius cujuscumque fuisse caussæ, quòd unius generantis peccato, apud iniquum tamen judicem, filii videbantur obnoxii.*

Aug. Apertissimè dicis iniquum Deum, qui peccata patrum apertissimè dicit se in filios redditurum.

LXIV. Jul. *Fiebatque, ut sicut judicis æstimatio innocentibus maculabatur [b] addictis, ita generationis status aliorum parentum vindicaretur exemplis. Si enim tramitis, si criminis caussa in fecunditatis opere constitisset ; omnem fecunditatem conditio ista pollueret.*

Deut. 5. 9. Aug. Reddam peccata patrum in filios, Deus clamat : ergo quia ille verax est, tu ab itinere veritatis exorbitas.

LXV. Jul. *Cùm verò non diversæ generationis diversus tamen appareret status ; relucebat prorsus, etiam in illo conjugio, cujus reatui soboles sua communicaverat, generationem non fuisse vitiatam,*

Aug. Etsi diversa generatio non est, cùm morituri ex morituris nascuntur : tamen quod dicit Apostolus, Corpus quidem mortuum est propter peccatum, non ad alios patres, sed ad illum pertinet, qui tantâ impietate peccavit, quantam nos metiri atque æstimare non possumus. Sed quantam illam judicaverit Deus, satis idoneis didicimus testibus, & divinâ scilicet scripturâ, & ipsâ generis humani miseriâ, [c] quantam pro peccato ejus propagini ejus, non injusto utique judicio Dei, redditam cernimus : qui, non dico æternam & animæ & corporis, sed nec temporalem corporis mortem, nec tot & tanta mala quæ videmus parvulos perpeti, etiam in paradiso, si nemo peccasset, futura fuisse dicimus, quoniam Christiani sumus. Alii verò patres etiam si multa peccant, tamen quia & animâ infirmâ, & in corpore corruptibili quod aggravat animam, peccant ; nec peccatis eorum fit natura moritura, & peccata eorum in filios, supplicio longè diverso & longè minore redduntur, ejus occulto justoque judicio, qui in mensura & numero & pondere cuncta disponit, & Reddam peccata patrum in filios, non mendaciter dicit.

Rom. 8. 10. Sap. 11. 21. Deut. 5. 9.

LXVI. Jul. *Quid igitur actum est ? Videlicet tam certum esse traducem non esse peccati, ut etiamsi doceres, propter Adæ peccatum filios puniri, constaret tamen innasci peccata non posse, nec crimen ire cum semine ; quando non hoc in omni fecunditate esse fatereris : ac per hoc, etsi traderentur personis vitia, non tamen conceptibus miscerentur. Nunc autem cùm inter me & te conveniat, parentum peccatum ad filios, nisi vitio & reatu generationis, non potuisse transire ; rationi autem, exemplis, legique convenerit, generationis statum nullo pacto potuisse vitiari ; quod etiam ex tua concessione firmatur, qui dicis nullorum parentum peccata præter duorum ad liberos permeare : invictissimè confectum est, nec fecunditatem primorum hominum à diabolo fuisse corruptam, nec nasci ullum posse peccatum.*

Aug. Non hoc tibi dicitur : ipse tibi, quod non dicimus, dicis. Et aliorum patrum in filios peccata redduntur, divinâ justitiâ, non humanâ : scit enim Deus quando & quomodo id justissimè faciat ; homo autem nescit, & secundùm cognitionem suam debet ferre judicium. Potest enim scire, cùm judicat, (quamvis & hoc non semper,) [d] factum cujusque personæ : unde autem novit quibus & qualibus vinculis connexa sit, de qua orta est, natura naturæ, Sed illud unum, quo in mortis necessitatem mutata est humana natura, etiamsi alia nulla sint, sufficere ad damnationem, nisi generationis obligatio regeneratione solvatur, hoc dicimus, etsi audire non vultis ; hoc veritate non vincitis, etsi oppugnare loquacitate persistitis.

LXVII. Jul. *Quæritur ergo à nobis, cur non assentiamur naturale esse peccatum. Respondemus, quia nullum habet veri similitudinis, nedum veritatis, nullum justitiæ, nullum pietatis colorem ; quia diabolum conditorem hominum facit videri.*

Aug. Facit planè videri, sed vobis, non eis qui noverunt à natura discernere vitium, quamvis in natura sit vitium. Lege ad Hebræos, & vide eorum esse solidum cibum, qui exercitatos habent sensus ad separandum bonum à malo : quod vos non habetis. Ideo quando dicimus, Nascitur homo cum vitio : diabolum ejus conditorem dici putatis ; ita cæci vel contentiosi, ut nec corporum vitia, cum quibus quidam nascuntur, possitis aut velitis adtendere : quorum vitiorum merita si quærantur à vobis, quò confugiatis, nisi ad præcipitium, non invenitis, quamdiu ad Catholicæ [e] solidam petram redire non vultis.

Vitium originale discernendum à natura. Hebr. 5. 14.

[a] Editi, *fidei catholicæ Ecclesiæ*. Abest *fidei* à MSS.
[b] Editi, *additis*. Castigantur ad MSS.
[c] MSS. Clar. & Mar. *quam*.
[d] Editi, *per factum*. Expungitur *per* auctoritate MSS.
[e] Hîc editi addunt, *fidei*. Sed à MSS. abest, ut eo loco subaudias, *Ecclesiæ*.

Jul. *Quia*

LXVIII. Jul. *Quia Deo judici iniquitatis crimen affigit.*

Jugum miſeræ ſuper parvulos iniquum, ſi non eſt originale peccatum.

Aug. Vos hoc facitis: quia iniquum eſt grave ſuper parvulos jugum, ſi nullum eſt originale peccatum.

LXIX. Jul. *Quia liberum arbitrium, quo potiſſimùm præſidio contra diverſos Eccleſia Chriſti munitur errores, infringit & deſtruit:*

Liberum arbitrium gratiâ reddendum & adjuvandum.

Aug. Liberum arbitrium vos opprimitis, cui reddendo vel adjuvando Dei gratiam denegatis.

LXX. Jul. *Dicens omnes homines adeo capaces nullius eſſe virtutis, ut in ipſis matrum viſceribus, antiquis criminibus impleantur.*

Aug. Quomodo diceremus gratiâ juſtificari, id eſt, juſtos fieri, ſi capaces virtutis homines negaremus?

LXXI. Jul. *Quorum tamen ſcelerum vim, non ſolùm expultricem innocentiæ naturalis, commentaris; verùm etiam deinceps per totam vitam in vitia univerſa coactricem.*

Aug. Per Dei gratiam minuitur, per Dei gratiam finitur neceſſitas noſtra: non hîc habet quod agat loquacitas veſtra.

LXXII. Jul. *Quam legem etiam peccati in Prophetis & Apoſtolis jam magno morum & ſignorum fulgore* [a] *conſpicuis, & poſt illam gratiam myſteriorum Chriſti, quam tu his omnibus dogmatis tui flagitiis opitulari putas, manſiſſe & viguiſſe* [b] *dejuras.*

Aug. Suſceptam tuam libidinem, hoc eſt, concupiſcentiam carnis concupiſcentiæ ſpiritûs repugnantem, Prophetæ & Apoſtoli fideliter expugnabant, quia non laudabant.

LXXIII. Jul. *Quoniam conatus omnimodæ honeſtatis exſtinguit; quoniam morum obſcœnitatem, operum Dei, id eſt, naturæ humanæ, conſolatur & auget infamiâ; quoniam omnia mandata legis, reatui impoſſibilitatis, id eſt, iniquitatis addicit.*

Rom. 7. 15. Poſſibilitas perfectionis hominis in Dei gratia.

Aug. Qui dicit, Non quod volo ago, ſed quod odi illud facio, poſſibilitatem perfectionis ſuæ in Dei gratia ponit, contra vos; non in ſua virtute confidit, ne ſit vanus ut vos.

LXXIV. Jul. *Quoniam non minùs habet turpitudinis quàm profanitatis, cùm pro ſummis aſſertionis ſuæ teſtimoniis genitalium pudorem amplexatur:*

Pudor genitalium ex peccato.

Aug. Non amplexamur genitalium pudorem: ſed potiùs pudor iſte unde ſit, quod vos non vultis, agnoſcimus. Audimus enim Scripturæ maniſeſtiſſimum teſtimonium: contra quod vos obſurdeſcitis, cùm obmuteſcere deberetis. Quis enim audiens quòd illi primi homines nudi erant, & non pudebat eos, non videat unde ſit factum, ut poſt peccatum puderet eos nudos eſſe, & ea membra quorum puderet, feſtinarent ſuccinctoriis qualibuſcumque velare? Sed inventus eſt homo, qui etiam talem libidinem, cui repugnandum eſt ne peccetur, & cujus etiam impudentes pudet, in paradiſo conſtitueret, etiamſi ibi nemo peccaſſet; nec eum iſta dicentem tantæ ac tam ſacrilegæ deformitatis puderet. Rogo te, ſi libido iſta, ut credimus, ſolam tibi ingerit moleſtiam reſiſtendi, nullam verò exhibet voluntatem; cur ei, quamvis falſæ, tam magnam laudis perſolvendam putas eſſe mercedem?

Gen. 3. 7.

Libidinis laus a Juliano quàm magna, licet falſa.

LXXV. Jul. *Et pro auctoritatibus ſacris, Dei criminationibus intumeſcit.*

Aug. Itane verò ſacra auctoritas non eſt, Corpus mortuum eſt propter peccatum? & Dei criminatio, non laudatio eſt, Vivificabit & mortalia corpora veſtra? Puto quod non criminator, ſed ipſo Deo plenus Dei prædicator hæc dixit. Ubi oſtendit Adam non ſic eſſe factum, quemadmodum dicitis, ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet.

Rom. 8. 10. Ibid. 11.

LXXVI. Jul. *In cujus præceptis immoderationem tyrannicam:*

Præceptũ Dei ut impleatur, ipſe rogandus eſt.

Aug. Præceptum Dei tyrannicum non eſt; ſed ut impleatur, ipſe rogandus eſt: hoc vos non vultis, quia in virtute veſtra confiditis.

LXXVII. Jul. *In judiciis iniquitatem barbaram:*

Originale peccatum in miſeria generis humani agnoſcitur.

Aug. Quoniam Dei non eſt iniquum judicium, ideo in miſeria generis humani, quæ incipit à fletibus parvulorum, agnoſcendum eſt originale peccatum.

LXXVIII. Jul. *In juramentis falſitatem Punicam ineſſe confirmat.*

Aug. Numquid quando Deus dicit, Reddam peccata patrum in filios, Punicè loquitur?

LXXIX. Jul. *Quoniam pro diſputationibus & pro omnibus ſyllogiſmis, Manichæi innititur ſomniis & furori.*

Aug. Nec Manichæus erat, nec ſomniabat, nec furebat, ſive qui dixit, Fuimus & nos naturâ filii iræ, ſicut & ceteri: ſive qui dixit, Omnes homines ſub peccato naſcimur, quorum ipſe ortus in vitio eſt.

Epheſ. 2. 3. Ambroſ. lib. 1. de pænit. c. 2. vel 3.

LXXX. Jul. *Iſtæ ſunt ergo cauſſæ, quæ nos in impugnationem mali naturalis accendunt, quæ dedignari & deſpicere faciunt conſortia perditorum.*

Aug. Tot tantorumque doctorum catholicorum pium conſenſum nullo modo, niſi perditus, diceres conſortium perditorum.

LXXXI. Jul. *Quæ præſtant nihilo magis nos totius mundi fragore terreri, quàm ſi videremus triſtis lupini ſilvam* [c] *ſonantem, vel immundis ſuibus, vel ventis irruentibus commoveri.*

Aug. Diffuſa toto orbe catholica Eccleſia, quæ prudenter exhorruit ora veſtra, non eſt lupini ſilva, ſed eſſe voluit à lupinis morſibus tuta.

LXXXII. Jul. *Ergo Deum & juſtum & pium credimus & veracem, ac per hoc nihil impoſſibile mandaſſe legem ejus tenemus, nihil falſum confirmare teſtimonia, nihil iniquum pronuntiare judicia: ſed ipſum eſſe hominum conditorem, quos nulli crimini obnoxios creat, verùm plenos quidem innocentiâ naturali, voluntariarum autem virtutum capaces.*

Aug. Unde ergo non exſufflatam, non exorcizatam imaginem ſuam non admittit ad vitam ſuam? Siccine merces innocentiæ redditur? An potiùs generatione [d] reatus adtractus, neque regeneratione dimiſſus, juſtè negatâ vitâ, morte conſequente punitur? Alienatos quippe à vita Dei deteſtatus Apoſtolus non fuiſſet, ſi pœna nulla eſſet.

Epheſ. 4. 18.

LXXXIII. Jul. *Quibus collectis alterum teneatur neceſſe eſt ex duobus, videlicet ut aut talis credatur Deus, qua-*

[a] Editi, *conſpicitis.* Emendantur ex MSS.

[b] Editi, *devitas.* At MSS. *dejuras.*

[c] Editi, *tonantem.* Veriùs MSS. *ſonantem.* Alludit Julianus ad Virgil. Georg. 1. verſ. 75.

Aut tenues fetus viciæ, triſtiſque lupini
Suſtuleris fragiles calamos ſilvamque ſonantem.

[d] Hoc loco *reatus* reſtituitur ex MSS.

lem confingit Traducianus Manichæus; aut talis intelligaris cum omnibus qui in traducis scita concedunt, qualem deprœliatur honoratus Deus. Non autem potest esse Deus talis, qualem Manichæus somniat; sed est pius, justus, & verus Deus, qualem omnis sancta scriptura, omnis lex & fides nostra veneratur. Ac per hoc, hoc est tuum dogma, quod ut cum Dei injuria suscipitur, ita cum ejus honore destruitur.

Aug. Si pium Deum sentitis, quare Salvatorem, hoc est, Jesum à parvulis impiè prohibetis? Si justum, quare grave super parvulos jugum sine ullius peccati meritis creditis? Si verum, quare dicenti, Reddam in filios patrum peccata, non creditis?

Deut. 5. 9.

LXXXIV

Jul. *Tempus est ut ad alia transeamus: sed reposcit à nobis caussæ dignitas, ut etiam ea quæ superiori libro putamus prætermissa, reddamus. Quod quidem prudens lector supervacaneum forsitan judicabit: tamen quoniam compertum est, rerum periculis depositam caussam etiam levibus inhærere; opera est, quibus præsidia sustuleris, auferre solatia.*

Prophetiã ex cap. 18. Ezechielis allegatam pertinere ad prænuntiationem revelationis Testamenti novi.

Aug. Quoniam in alia transire cœpisti, jam quod superiùs promisimus, debemus ostendere, prophetiam scilicet Ezechielis, qua dicitur patrum in filios peccata non reddi, sicut filiorum non redduntur in patres, ad prænuntiationem pertinere revelationis Testamenti novi. Dicit enim tale aliquid etiam propheta Jeremias, & ibi unde hoc dicatur illustrat. Nam inter cetera, Convertere, inquit, virgo Israël, revertere in civitates tuas lugens: usque quò averteris filia inhonorata? Quoniam creavit Dominus salutem in plantationem novam, in qua salute circuibunt homines. Sic dixit Dominus, Adhuc dicent verbum hoc in terra Juda, & in ejus civitatibus, cùm revocabo captivitatem ejus, Benedictus Dominus super justum montem sanctum suum. Et qui inhabitant in Judæa & in omni civitate ejus simul cum agricola, & tolletur in grege; quoniam inebriavi omnem animam sitientem, & omnem animam esurientem satiavi. Propter hoc exsurrexi, & vidi, & somnus meus dulcis mihi factus est. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, & seminabo Israël & Juda, semen hominis & semen pecoris. Et erit sicut vigilabam super eos deponere & affligere, ita vigilabo super eos ædificare & complantare, dicit Dominus. In diebus illis non dicent, Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt: sed [a] unusquisque in suo peccato morietur, & ejus qui manducaverit uvam acerbam, obstupebunt dentes ipsius. Nempe manifestum est hoc ad dies pertinere plantationis novæ, de qua, ut hoc diceret, loquebatur: ubi & illud semen hominis & semen pecoris quod se Deus seminaturum esse promisit, spiritaliter intellectum, eos qui præsunt & eos qui reguntur, facit agnosci. Sed quia inveteratum erat in cordibus populi, scriptum esse in vetere Testamento, Reddam peccata patrum in filios: ne quisquam Scripturam Dei repugnare sibi arbitraretur, ut apertiùs ostenderet, illud veteri, hoc novo congruere Testamento, continuò subjunxit, Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo domui Israël & domui Juda Testamentum novum, non secundùm Testamentum quod disposui patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, &c. Ad illud igitur Testamentum generatio pertinet, ad hoc autem regeneratio: unde ibi peccata patrum redduntur in filios, hîc verò generationis vinculo [b] per regenerationem soluto, non dicitur, Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt; sed ejus qui manducaverit uvam acerbam, obstupebunt dentes: quia non in patris, sed in suo peccato, si commiserit, quisque morietur. Tu autem cum prophetia ubi dicitur, *Non accipiet filius peccatum patris sui*, non ostendisti quemadmodum Scriptura concordet ubi dicitur, Reddam peccata patrum in filios. Hæc quippe inter se contraria remanebunt, nisi horum duorum singula, ad Testamenta singula referantur, quod evidentissimè Jeremias propheta monstravit.

Ierem. 31. 21. &c. sec. LXX. cap. 38.

Deut. 5. 9.

Ierem. 31. 31. & 32.

Ezech. 18. 20.

Deut. 5. 9.

LXXXV.

Lib. 2. n. 56. & seq.

Rom. 5. 12.

Jul. *Igitur cùm * venissemus ad apostoli Pauli sententiam, quam Scripturarum expertibus Traducianus venditare solitus erat, id est*, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, *ostendi* [c] *primitus ipsius sermonis testimonio, à loci illius adytis Traducianos fuisse submotos, quando gentium magister peccati antiquitatem revolvens, ad generationis custodiam, quasi fortissimum stipatorem finitum numerum collocasset, ut dicens per unum hominem peccatum intrasse in mundum, præscriberet nihil se de generatione sensisse, quæ nisi per duos non posset exsistere. Atque assignavi distinctum esse inter commixtionem & peccatum parentum, cùm diceretur intrasse peccatum quidem in mundum, sed per eum numerum qui fetibus non poterat convenire. Actumque est sufficienter per totum libellum, peccati ibi non naturam indicatam esse, sed formam, quod à prævaricatoribus pòst sequutis, imitatione constaret, non generatione susceptum. Verùm quia scriptum legimus in epistola ad Hebræos de Iudæis*, Ex uno orti sunt, & hoc emortuo, *id est, de Abraham: superiùs quoque in eadem epistola legitur de Christo*, Qui sanctificat, & sanctificantur, ex uno omnes: *ne horum aliquid, vel similium, si inveniri poterit, Traducianus arripiat, atque argumentetur quidquam de responsione nostra ponderis fuisse discussum, qua affirmavimus ideo dictum esse unum, per quem transierit peccatum, ne generatio sineretur intelligi, cùm inventum sit in hac epistola nomine unius generationem indicatam: ideo, inquam, id retractandum putavi. Vt igitur sit intentus lector, admoneo: multiplici enim hæc oppositio genere destruetur. Ibi itaque ubi commemoratio Abrahæ fit, & Sara ejus uxor inseritur. Talis est quippe ordo verborum*: Fide qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem; & exiit, nesciens quò iret: fide demoratus est in terra promissionis tamquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Jacob coheredibus repromissionis ejusdem. Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus. Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis; quoniam fidelem esse credidit qui promiserat. Propter quod ab uno orti sunt, & hoc emortuo, & sicut tamquam sidera cæli in multitudine, &

Hebr. 11. 12.

Hebr. 2. 11.

Hebr. 11. 8. &c.

[a] Verba hæc in editis omissa, *unusquisque in suo peccato morietur, &c.* Restituuntur ex MSS.

[b] Editi, *per generationem* Veriùs cod. Mar. *per regenerationem.*

[c] Ita cod. Port. Alii MSS. cum editis, *primi.*

arena quæ est ad oram maris innumerabilis. *Cùm ergo utrumque commemorasset, id est, & Abraham & Saram, eamque dixisset lege senectutis effetam, sed fide virtutem concipiendi seminis accepisse; securè subdidit ab uno ortos tot populos, qui multitudini conferrentur astrorum. Ut ergo copula exponeretur parentum, tam fidelis prædicatio, quàm rei gestæ veritas imperavit: ut autem de ipsis duobus in commendatione propagatæ multitudinis, non utrumque, sed alterum diceret, ars laudantis admonuit. Volebat quippe ostendere, certa fides quàm magna meruisset, dicens [a] virtute Dei excedentem numeros multitudinem propagatam; accommodatius ad laudem operis ejus esse perpendens, si ex uno eos, quàm ex duobus diceret procreatos; maximè cùm in laudis [b] augmento, quam ultimus sermo cumulabat, nullum esset historiæ dispendium, quam suprà utriusque personæ commemoratione suppleverat.*

Aug. Qui te nihil dicere non intelligit, quid intelligat nescio. Dixeras Apostolum propterea dixisse, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, quia exemplum peccandi homo ille ceteris præbuit: *Nam si generationem* (inquis) *eo loco vellet intelligi, per duos diceret, non per unum.* Cùm potiùs, si exemplum vellet intelligi, per unam diceret, non per unum, quam constat etiam ipsi viro suo exemplum præbuisse peccandi. Sed quia generatione peccatum intravit in mundum, sola regeneratione sanandum, ideo dixit per unum: quia sicut [c] humani exemplum peccati cœpit à femina, sic generatio cœpit à viro; conceptionem quippe quæ ad feminam pertinet, seminatio quæ ad virum pertinet, nullo dubitante præcedit. Sed ecce inventum est evidentissimum testimonium, sive à te ipso, sive ab alio qui hoc tibi fortassis objecit, ubi sine ulla ambiguitate ab uno orti dicti sunt innumerabiles, cùm virum & feminam, duos utique parentes, ut orirentur habuerint: sed dictum est rectissimè, propter exordium generationis, quod à semine viri est. Denique cùm laudabilia fidei exempla proponeret, ab ipso Abel cœpit, & commemorato Abraham pervenit ad Saram. Jam utique ab illo transierat, & de ejus conjuge loquebatur: & tamen cùm ad memorandam generationem immensi populi ventum esset, ad illum reversus est; quia ille genuit, quod illa peperit. Quod si, ut debueras, cogitares, non blasphemares fidelem fidei prædicatorem, qui scripsit epistolam, & diceres eum *arte laudis admonitum.* Quid admonitum quæso? an ut mentiretur, ab uno asserens ortos, qui orti sunt à duobus? *accommodatius* videlicet, ut existimas, *id esse perpendens, ad laudem operis Dei.* Multùm erras: non delectat Deum falsa laudatio. Soles eam tu quidem libenter exhibere libidini: sed valde displicet falsitas veritati. Nam & ipsi libidini te cur præbeas, non laudatorem, sed adulatorem, nescio. Numquid ideo te plus amabit? Prorsus falleris: illa non amat hominem, sed planè stimulat, ut amet quod amare non debet.

(Lib. 1. n. 36 & 18.)

(Scriptor epistolæ ad Hebræos fidelis fidei prædicator.)

Si autem potest quocumque loquutionis modo non mendaciter, sed veraciter dici, ex uno esse ortos, qui orti sunt ex duobus: cur putas

A ideo generationem non potuisse insinuari, ubi dictum est, Per unum hominem peccatum intravit in mundum; quia generatio fit per duos, non per unum? Cùm sit omnibus notum, aut eum potiùs, aut priùs generare qui seminat; feminam verò aut non generare, sed parere, aut si & ipse partus rectè generatio dici potest, priùs eam de viro generante concipere, & postea fetum quem conceperat generare. Proinde Apostolus cùm peccatum in mundum, quod Christus regeneratione dilueret, generatione intrasse
B vellet intelligi; per unum hominem dixit, qui tunc vel priùs vel potiùs generavit: præsertim quia, ut jam diximus, & tibi inculcandum est, si hoc propter exempli diceret principatum; per unam diceret, ex qua primum in genere humano peccandi processit exemplum; & magis prætermitteret virum, quem mulieris exemplum, ut etiam ipse peccaret imitando, noverat subsequutum. Rom. 5. 12.

C Jul. *Ad Hebræos ergo, ubi de generatione sermo est, ex uno dicuntur multi exstitisse: ad Romanos autem, ubi de peccato Apostolus loquitur, per unum hominem ait intrasse peccatum; quo numero absolutissimè se nihil de generatione sensisse perdocuit.* LXXXVI

Aug. Contra res apertas sic loqui, non est, ut putas, eloquentia laudabilis, sed incredibilis impudentia.

Jul. *Ubi autem de Christo dicitur,* Qui sancti- LXXXVII. Hebr. 2. 11
D ficat, & sanctificantur, ex uno omnes; *non de Adam, sed de Deo accipi potest, cujus virtute Christus secundùm carnem factus est, & omne genus humanum: & per hoc ad labefactandam intelligentiam Apostoli, qua dixit per unum hominem peccatum intrasse in mundum, aliorum similitudo verborum nihil quivit afferre momenti. Hæreat tamen id quod sequitur maximè prudentis animo lectoris, ut intelligat me hactenus multo remissiùs quàm res postulabat, egisse. Patiamur quippe, ut plurimis testimoniis do-*
E *ceatur generationem, quæ nisi per duos fieri non potest, agi tamen etiam per unum solere dici. Verùm nihil opinio traducis promovebit: cur? videlicet quia alia sunt quæ abusivè, alia quæ propriè dicimus: ergo ea quæ sunt propria, appellationes suas sine dispendio largiuntur; ea verò quæ per usurpationem dicuntur, principalibus rebus, videlicet propriis, definitionum suarum præjudicia non sinuntur invehere; sitque hoc totum inculpabiliter, cum rebus de quibus non est ulla dubitatio, per abusionem vocabula im-*
F *pertimur aliena.*

Aug. Sed tu dubitationem, apertis etiam rebus quæ contra te fuerint, illaturus es.

Jul. *Ceterùm cùm res aliqua contra opinionem omnium eo sermone inducitur, in cujus sono habet omne præsidium; graviter peccatur, si proprio ejus nomine ad manum posito, emendicatâ abusivi appellatione signetur. Cùm ergo de fetibus sermo est, quoniam nullus dubitat quin natus quisque duos habeat parentes, nec hoc adstipulatione indiget, non incom-* LXXXVIII.
G *modabit intellectui, si dicam ex uno illum esse generatum: neminem quippe sermo meus adeo permovebit, ut putet illum nasci aut sine patre, aut sine matre potuisse.*

Aug. Natus quidem duos parentes habet:

[a] Editi, *virtutem.* Castigantur ex MSS.
[b] Sic MSS. Editi autem, *argumenta.*
[c] MS. Port. *humanum.*

A sed ut nascatur, unus eum serendo gignit, altera edendo parit. Unde satis apparet; cui sit potissimùm, vel cui primùm generatio tribuenda; ut desinas rebus in luce positis nebulas loquacitatis offundere. Quis autem sic loquitur, ut dicat quemquam ex uno generatum? cùm omnis qui hoc audit, non cogitet nisi patrem, nec hominem seminando generet nisi unus pater. Sed ex uno generati duo vel plures rectè dici solent, qui non habere unum patrem possent existimari. B Ubi autem pater & mater sunt cogitandi, quis ex uno natus nisi mendaciter dicitur? Numquid enim, si manifestum sit duos simul ambulasse, aut aliquid simul egisse, ideo sine mendacio dicis unum ambulasse, aut unum hoc egisse, quia manifestum est duos fuisse? Nonne mendacium tuum tanto erit impudentius, quanto illud apertius? Ponitur quidem & singularis numerus pro plurali, tropica locutione, sicut in plagis quibus percussa est Ægyptus, ubi dicitur C rana vel locusta numero utique singulari, cùm multæ fuerint: si autem diceretur rana una, vel locusta una; quis dubitaret tanto esse hoc mendacium vanius, quanto est illa veritas clarior?

Psal. 77. 50 & 51. Psal. 104. 33.

Desine igitur istos fumos hominibus harum rerum imperitissimis vendere; & per unum hominem in mundum intrasse peccatum, non sicut tu, sed sicut Apostolus dicit, intellige. Per unum quippe hominem non exemplo præcedentem, (nam hoc de femina diceretur,) sed principio D generantem, quia prior sevit quod illa conciperet, & ipse genuit quod illa pareret, peccatum intravit in mundum: sicut scriptum est, Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, & per ceteras subsequentes generationes ista loquutio perseverat; nec dictum est, Abraham & Sara genuerunt Isaac, aut Isaac & Rebecca genuerunt Jacob: & ubi matres commemorari necessarium fuit, non ait Evangelista, Judas & Thamar E genuerunt Phares & Zaran; sed ait, Judas genuit de Thamar: & ubicumque adjunxit & matres, generationem tamen patribus dedit, non dicens, Ille & illa genuerunt illum, sed, Ille genuit illum de illa: unde intelligas eo modo dictum, ex uno Abraham genitos esse innumerabiles, quia ipse illos genuit unus ex Sara. Ideoque dictum, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, ut intelligeretur ibi generationis initium, quod ex viro est; non imitationis F exemplum, quod in genere humano per unam potiùs, quàm per unum intravit in mundum.

Matth. 1. 2. Ibid. 3. Rom. 5. 12.

LXXXIX. Jul. *Cùm verò de peccato agitur, quod contra omnium opinionem & omnem rationem simulatur ingenitum.*

Aug. Non contra omnium opinionem omnemque rationem simulatur; sed contra vestrum errorem, teste Scripturâ, & ipsâ generis humani miseriâ, peccatum originale mon- G stratur.

XC. Jul. *Et hoc peccatum transisse per unum propriè dicitur, si exemplum delinquendi præbuit: inconvenientissimè autem, si peccatum istud ingenuit, quod ad posteros nisi per duos transire non potuit.*

Aug. Immo per unum intravit, à quo seminatum est quod peperit illa: exemplum autem A in illa præcessit, quod sequutus est ille.

XCI. Jul. *Commendaveritque Apostolus transisse peccatum, sed non per unum; ostenderitque hoc veritas ad exemplum propriè pertinere: intolerabili impudentiâ Traducianus facit, ut dicat & ad se illum numerum inflexum abusione pertingere.*

Aug. Quid est quòd tam sæpe novo nomine quasi contumelioso agere te putas, ut fugiatur veritas antiquissimi catholici dogmatis, dum novitas expavescitur nominis? Quid non potest B isto modo derideri? sed vanitate, non urbanitate. Apostolus enim dicit, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit. Hæc verba utrique suscipimus: si ergo nos Traduciani sumus propter peccatum quod generatione traductum est, ut in omnes homines pertransiret; [a] vos Traduciani estis propter peccatum quod imitatione traductum esse fingitis, ut in omnes homines pertransiret; & prior Apostolus Tradu- C cianus apparuit, qui sive hoc quod eum sensisse clarum est, sive illud quod errando dicitis senserit; peccatum tamen in mundum per unum hominem intrasse, & in omnes homines pertransisse dicendo, hujus occasionem nominis præbuit. Si autem traducis nomen his verbis non convenit, ubi dicitur per unum hominem intrasse; & in omnes homines pertransisse peccatum; nec nobis hoc nomen, nec vobis, nec Apostolo convenit: sed planè hoc dicere, hoc objicere, hoc D assiduè odioséque repetere, ineptiæ vestræ satis convenit.

Non sic novitas expavescatur contumeliosi nominis, ut fugiatur veritas antiquissimi catholici dogmatis. Rom. 5. 12. Traduciani nomen contumeliosè dictum in catholicos, pari jure dici posse in Pelagianos & in Paulum. a

XCII. Jul. *Nam cùm inauditum monstrum sit, si dogma etiam tolerabile, novum tamen, aliquis relinquens propria, abusivis verbis condere ambiguisque conetur: tum istud infinitè deformius est, quòd res obscœnas & Dei justitiam criminantes, tam ancipitibus Augustinus nititur confirmare sententiis, ut eas contra se propriè, pro se autem precariò sonare fateatur. Quisquamne eruditorum illi argumento fidat, quod cùm* E *in jus venerit, ab inimico ejus quasi vernaculum, ab illo verò quasi fugitivum plagiatumque pensetur?*

Aug. De verbis abusivis & propriis ea loqueris, ut hominum paucitate contemta qui te intelligunt & inveniunt delirantem, eligas multis qui te non intelligunt, videri dicere aliquid, cùm dicas nihil. Meliùs ergo paucis doctis te relinquo, qui & me non demonstrante, facillimè intelligunt te nihil dicere, quàm te refellendo, quamvis vera dicam, ea quæ multi non in- F telligunt dico. Verumtamen ubi dictum est, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, propter generationis auctorem, ideo formam futuri, propter regenerationis auctorem; non verba sunt abusiva, sed propria.

Rom. 5. 14.

XCIII. Jul. *Quod igitur ad Hebræos positum est, ex uno* * omnes, *exigit* [b] *laus Dei, post commemorationem tamen parentum: quod autem dicitur de Christo,* Qui sanctificat, & sanctificantur, ex uno G omnes, *ad Deum relatum est.*

Hebr. 11. 12. * f. orti sunt omnes. Hebr. 2. 11.

Aug. Magis post commemorationem parentum (præsertim quia jam transierat à patre, & de matre loquebatur,) præteriri non debuit ipsa mater; sed dici debuit, Ex duobus orti sunt; qui non ex uno, sed ex duobus orti erant; ut laus Dei esset vera, non falsa: nisi quia & hoc ve-

* Lacuna hîc erat in editis: expletur ex librorum MSS. fide. | [b] MS. Port. laudes Dei.

rum eſt, quòd ex uno orti ſunt; nec abuſivè A dictum eſt, ſed propriè propter auctorem ſeminis patrem, non propter augendam mendacio, ſicut tu exiſtimas, Dei laudem. Dicere quippe, Homo fecit, quod homines duo pluresve fecerunt; poteſt tropica eſſe loquutio: [a] ſi quis autem dicit unum hominem feciſſe, quod duo fecerunt, niſi eorum duorum auctor facti ſit unus; aut mentitur, aut fallitur: ſicut de locuſta & rana paulò antè jam diximus.

XCIV. 1. Cor. 11. 12.

Jul. *Sic enim Apoſtolus ad Corinthios, Nam* B *ſicut mulier, inquit, ex viro, ita & vir per mulierem; omnia autem ex Deo. Tertiò verò oſtendit ratio, quoniam etſi neutrum horum quod nobis adminiculatur, fuiſſet; tamen illam ſententiam, qua per unum hominem intraſſe peccatum in hunc mundum Paulus diſputat, nullum cum Manichæis iniiſſe fœdus.*

Catholicū dogma de originis peccato quantum diſtet ab errore Manichæorū.

Aug. Tu potiùs iſta dicendo oſtenderis fœdus. Nam quod fœdus eſt Apoſtolo cum Manichæo? Cùm Apoſtolus dicat, Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum; quod evertit C hæreſim veſtram: Manichæus autem dicat, Corpus immutabiliter [b] malum eſt, propter coæternam bono mali naturam? Itemque in eo loco ubi dictum eſt, Corpus mortuum eſt propter peccatum; Apoſtolus dicat, Qui ſuſcitavit Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra: Manichæus autem dicat, carnis corpora non pertinere ad boni Dei creaturam, ſed ad mali naturam; nec Chriſtum à mortuis ſuſcitatum, ſed non eſſe mortuum. Vos ergo qui Manichæi D non eſtis, ſed diverſa peſte nec vos ſani eſtis, dicite quomodo ſit corpus mortuum propter peccatum; qui corporis mortem non per peccatum illius hominis, ſed lege naturæ intraſſe aſſeveratis in mundum.

Rom. 8. 10. Ibid. 11.

XCV.

Jul. *Ac per hoc, inconcuſſa manet noſtra reſponſio, quæ oſtendit per unum hominem, non generatione vitiatam atque corruptam, ſed integrà permanente naturà, vitioſam ſolummodo allegari ab Apoſtolo peccantium voluntatem.*

Corpora merito peccati naſcuntur vitioſa.

E Aug. Numquid uſque adeo cæci eſtis, aut homines excæcatis caliginoſis diſputationibus veſtris, ut negare audeatis naſci corpora vitioſa? Numquid ad hominum naturam non pertinent corpora? Aut quod Manichæi dicunt, (quorum dementiam neſcientes quidem, ſed quantum adjuvetis, advertere & cogitare non vultis,) gentis tenebrarum corporibus anima bona [c] tenetur admixta? Dicite ergo vitioſorum corpo- F rum merita, qui negatis parvulos ex parentibus trahere ulla peccata. Ecce Manichæi dicunt: Uſque adeo caro iſta mortalis non ad opificium Dei, ſed ad gentis pertinet tenebrarum, ut etiam hominum corpora, quos ad imaginem Dei factos eſſe perhibetis, non ſolùm corruptibilia & conditioni mortis obnoxia, verùm etiam vitioſa ſæpe naſcantur. Quid eis reſpondebit hæreſis veſtra, niſi humanam, quamvis ſub Deo creatore & artifice, hanc tamen eſſe naturam; ut & ſi nemo G peccaſſet, etiam in paradiſo talia hominum corpora naſcerentur? O abominabilem & damnabilem vocem! Nos autem quoniam hominum cor- A pora non ſolùm corruptibilia & neceſſitati mortis obſtricta, verùm etiam multa in eis innumerabili vitioſitate languida, diſtorta, deformia, nullo parentum præcedente peccato, in paradiſo exortura fuiſſe non dicimus, & eos qui dicunt digniſſimos anathemate judicamus; non ab initio [d] ſic inſtitutæ naturæ, ſed iniquitatis merito poſtea vitiatæ iſta tribuimus, ut & vos & Manichæos inconcuſſa & antiqua fidei catholicæ ſtabilitate deſtruamus.

Pelagiani peccatum originale negando adjuvant Manichæos.

B Jul. *Sed revertamur ad librum illum, quem ad Valerium deſtinavit, in quo* [e] *diſcerptas de libro meo uno dumtaxat ſententias ſibi diſcutiendas refellendaſque propoſuit. Et quidem in primo operis præſentis libello uſque ad ea Auguſtini dicta perveneram, quibus retectà impudentià, quà opinionis illius fugiebat invidiam, ne diabolum videretur aſſerere hominum conditorem, pronuntiavit Deum eſſe auctorem malorum, atque ipſum talis meriti creare ſubſtantiam, quæ reatum, ante quàm uſum rationis, accipiat, & quæ in regno diaboli, Conditoris ſui manibus collocetur.* XCVI.

Aug. Qui naturam diſcernit à vitio, non dicit quod dicis: qui intelligenter legit quod dico, non me putat dicere quod non dico.

Jul. *Eumque eſſe figulum iræ & perditionis vaſa fingentem.* XCVII.

Aug. Quantumlibet non intelligas, quomodo Deus faciat ex eadem maſſa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: ita facit tamen, ut non faciat tertium genus vaſorum, nec in honorem, nec in contumeliam, quales vos eſſe parvulos vultis; & in regnum Dei non intrare imaginem Dei, nullam eſſe contumeliam deputatis. Ipſum enim regnum ſic amatis, ut non ibi eſſe, non ſaltem levem pœnam credatis hominis eſſe, ſed nullam.

Rom. 9. 21. Vaſorum tertium genus, quod nec in honorem, nec in contumeliam ſit, non datur.

Jul. *Sed quæ in perditionem, non proceſſu liberæ voluntatis, verùm informatoris ſui poteſtate cogantur.* XCVIII.

Aug. Potes dicere, non quoſlibet homines, ſed jam regeneratos filios ſuos Deum in perditionem cogere, faciendo eos vivere, quos à fide prævidet receſſuros, cùm poſſet eos hinc rapere, ante quàm malitià mutarentur.

Jul. *Tantumque hoc prodigialis dogmatis nefas apoſtoli Pauli molitus eſt roborare ſententiis, quas contextu totius lectionis expoſui, & oſtendi prophetam Iſaiam, de quo hanc comparationem figuli conſtabat aſſumtam, juſtitiæ divinæ pleniſſimè cauſſam tueri.* XCIX.

Aug. Quid [f] oſtendiſti legentibus & intelligentibus, niſi te verba apoſtolica nimià loquacitate conatum, non tamen potuiſſe, pervertere?

Jul. *Secundum autem librum expoſitione Apoſtoli, argumentis Auguſtini ex adverſo poſitis, pro ea quam ſuppeditavit veritas, facultate complevi: atque ideo nunc ad libri ejus ordinem revertamur.* C.

Aug. Secundum librum non expoſitione Apoſtoli, ſed ſub expoſitionis profeſſione, inani oppugnatione compleſti, vanitate tibi, non veritate, ſuppeditante quæ diceres.

Jul. *Igitur poſt quàm ſibi unum de præfatiun-* CI.

[a] Huc fortè pertinet verſus ultimus: *ſicut de locuſta & rana &c.*
[b] Hic *malum eſt* ex Portarum codice adjecimus.
[c] Sic MSS. Editi verò, *tenebatur.*

[d] Particula *ſic* reſtituitur ex MSS.
[e] Codex Port. *decerptas.*
[f] Editi, *oſtendit diligentibus.* Caſtigantur ex MSS.

cula prioris operis mei caput, quod quasi impugnaret objecit, illudque de figulo peccatorum Deo suo subdidit; me arguit, quàm sanè constanter & purè, ipsius eloquiis publicetur. Non itaque, sicut te atque alios fallens loqueris, si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cælestianus & Pelagianus vocatur: ista quippe & catholica fides dicit. Sed si quis ad colendum rectè Deum, sine ipsius adjutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium, & quisquis ita dicit Deum nascentium conditorem, ut parvulorum neget à potestate diaboli redemtorem, ipse Cælestianus & Pelagianus vocatur. Liberum itaque arbitrium esse in hominibus, & Deum esse nascentium conditorem, utrique dicimus: non hinc estis Cælestiani & Pelagiani. Liberum autem esse quemquam ad agendum bonum sine adjutorio Dei, & non erui parvulos à potestate tenebrarum, & sic transferri in regnum Dei; hoc vos dicitis: hinc estis Cælestiani & Pelagiani. *Natare te quidem in impietatis tuæ & formidinis palude frequenter ostendi, nec super hoc dubitaturum prudentem constat esse lectorem.*

Aug. lib. 2. de Nupt. c. 3.

Aug. Nec natare te posse, sed mergi, alii noverunt, qui hæreticum te esse cognoscunt: nam tu eadem submersione sensum etiam perdidisti.

CII. Jul. *Atque ideo in primo libro nec me fuisse mentitum, qui scripseram, omnes qui fugissent nostræ societatis invidiam, in Manichæorum prærupta corruere, liberum arbitrium denegantium, & Deum hominum conditorem; teque id quod fueras propulsare conatus, statim absolutis arripuisse sermonibus, etiam illorum scriptorum, quæ ad Bonifacium miseras, insertione * patefeci. Verumtamen hoc, etiam hæc quam nunc posui, tua responsio confitetur. Dixisti enim, fidem catholicam esse, quæ & liberum credit arbitrium, & Deum nascentium conditorem. Quod utrumque omnium hæreticorum, Manichæos certum est vobiscum negare.*

* *V. lib. 1. n. 94.*

Aug. Manichæi, (quod videre non vultis,) à vobis potiùs adjuvantur, qui tot & tanta mala quæ pati parvulos cernimus, non meritis peccatorum, sed genti tribuunt tenebrarum. Non enim habetis quò fugiatis, quando à vobis mala ista unde sint percunctantur. Sed nobis ad liberum arbitrium hominis, quo natura humana, cùm bona fuerit instituta, vitiata est, hæc omnia referentibus, catholicâ vobiscum veritate vincuntur.

Manichæi à Pelagianis originale peccatū negantibus adjuvantur.

CIII. Jul. *Verùm quia fidei catholicæ, cujus solido nudatus es, quasi amiculum tenue, solum nomen assumis, vis nos credere, etiam à te hoc teneri quod catholici confitentur, id est, & liberum arbitrium esse in hominibus, & Deum nascentium conditorem. Sed si hoc à te simpliciter fideliterque prolatum est, finem certamini impone silentio; fama ad nos criminantium recurrat, qui id objecerimus tibi, quod* [a] *securâ negatione deleveris. Hoc solum huic adde sententiæ, si qua inventa fuerit secta, si qua disputatio, quæ hanc duplicem confessionem, quam catholicam esse professus es, aliquâ conetur argumentatione convellere, aut tuam non esse, aut à te ulteriùs non defendi. Si autem juvat, ea quæ dicturus es negaße, locupleti etiam disputatione defendere; explica definitiones liberi arbitrii, & fines ejus distinctionibus absolutis quasi quibusdam cinge limitibus.*

Aug. Inimici & defensores, liberum arbitrium defendendo premitis, quod ad suos limites revocari omnipotentis & veri defensoris bonitate non vultis.

Liberum arbitrium defendendo premunt Pelagiani.

Jul. *Deum quoque talium hominum assere conditorem, quales manibus ejus justitiæque conveniunt.* CIV.

Aug. O stulti hæretici novi: si manibus Dei non conveniunt opera vitiosa, numquid manibus Dei subtrahere ulla hominum corpora audebitis, quæ videtis sæpe nasci nonnulla vitiosa? Cur non ergo naturam primario peccantis hominis arbitrio vitiatam cum catholica veritate fatemini, de qua Deus facit quod non solùm artifici bono, sed etiam judici convenit justo; ne Manichæi vos cogant humana corpora tribuere artifici maligno & injusto?

Corpora hominum vitiosa non nascerentur, nisi natura esset peccato Adæ vitiata.

Jul. *Quorum certè nihil à te actum est: sed post quàm respondisti catholicos liberum arbitrium confiteri, de quorum te numero esse confingis; statim definitionem admovisti, quæ id quod dedisse videbaris eriperet. Ais enim:* Sed si quis ad colendum rectè Deum, sine ipsius adjutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium, hic Pelagianus vocatur. *Et item:* Liberum arbitrium esse in hominibus dicimus. Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum. CV.

Aug. Ibi si adjunxisses, *hæretici dicunt*; quamvis ego verba ista non dixerim, à mea tamen sententia non recessisses. Verum est enim hæreticos dicere, id est, vos ipsos, liberum esse quemquam ad agendum bonum sine adjutorio Dei. Sed cur ibi non legerim, *sine adjutorio Dei*, quæ in hac sententia verba mea etiam ipse paulò antè posuisti; quamdiu possum, mendoso potiùs codici tribuo, quàm tibi: dic ergo cetera.

Jul. *Quod enim ais, ad colendum rectè Deum sine ipsius adjutorio, dici à nobis, sufficere unicuique libertatem arbitrii, omnino mentiris. Cùm enim cultus Dei multis intelligatur modis, & in custodia mandatorum, & in exsecratione vitiorum, & in simplicitate conversationis, & in ordine mysteriorum, & in profunditate dogmatum, quæ de Trinitate vel de resurrectione, multisque aliis similibus fides Christiana consequitur: qui fieri potest, ut nos in confuso dicamus, sine adjutorio Dei liberum arbitrium sufficiens ad ejus esse culturam, cùm legamus in Evangelio dicentem Dominum, Confiteor tibi, Pater Domine cæli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis; ita Pater, quoniam sic fuit beneplacitum ante te? Cùm utique ista omnia, tam quæ dogmatibus, quàm quæ mysteriis continentur, libertas arbitrii per se non potuerit invenire: quamvis ut nec idola colerentur, nec Deus qui innotescebat mundi ipsius conditor sperneretur, magistro gentium teste, docere potuerit ratio naturalis. Non ergo hoc quod fingis, aut nos aut quisquam dicit prudentium: sed affirmamus à Deo fieri hominem liberi arbitrii, eumque innumeris divinæ gratiæ speciebus juvari, cui possibile sit vel servare Dei mandata, vel transgredi. Et hoc est ubi liberum arbitrium esse defendimus, ut cùm Deus tam multis modis benignitatem suam asserat, id est, præcipiendo, benedicendo, sanctificando, coërcendo, provocando, illuminando,* CVI.

Matth. 11. 25. & 26.

Rom. 1. 20.

Gratiæ Pelagianæ adjutoria.

[a] Sic MSS. Editi verò, *securâ*.

unusquisque eorum qui jam ratione utitur, liberum habeat, voluntatem Dei vel servare, vel spernere.

Aug. Tam multa dicis quibus nos adjuvat Deus, id est, *praecipiendo, benedicendo, sanctificando, coërcendo, provocando, illuminando*: & non dicis, caritatem dando; cùm dicat Johannes apostolus, Caritas ex Deo est. Unde item dicit, Ecce qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur, & simus. In hac caritate, quae cordi humano, spiritu, non litterâ datur, etiam potestas illa intelligitur, de qua idem ipse in Evangelio suo, Dedit eis, inquit, potestatem filios Dei fieri. Hanc vos ab homine esse dicitis homini per liberum arbitrium, spiritum habentes hujus mundi, non eum qui ex Deo est; propter quod nescitis quae à Deo donata sint nobis. Ideo nec pacem habetis cum Ecclesia, de qua exiistis; nec caritatem, quam Dei esse donum negatis; nec fidem, quia haeretici estis: quoniam pax fratribus & caritas cum fide, non ab humano libero arbitrio, sed à Deo Patre & Domino Jesu Christo. Si agnoscis in his verbis dogma apostolicum; & in verbis tuis agnosce te haereticum.

CVII. Jul. *Non ergo sine adjutorio Dei ad cultum ejus, qualem exhibent initiati mysteriis, liberum arbitrium idoneum credimus: sed divinae aequitatis locupletem testem libertatem arbitrii confitemur, ut eo tempore quo nos manifestari oportet ante tribunal Christi, & recipere unumquemque propria corporis, sicut gessit, sive bonum, sive malum, nihil Deus injustè judicare doceatur, qui nulli imputat peccatum, nisi quod is, qui propter illud punitur, potuit & cavere.*

Aug. Bene me commones quid contra te dicam. Omnes nos certè, sicut dicit Apostolus, manifestari oportet ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundùm ea quae per corpus gessit, sive bonum, sive malum. Numquid ab hac universitate parvulos separabis? Dic ergo quid boni per corpus gesserint proprio libero arbitrio, ut recipiant regnum Dei tam magnum bonum? Aut quid mali egerint propria voluntate, qui parvuli abalienabuntur ab hac vita Dei? Quod si, ut necesse est, fatearis sine ullis operibus liberae voluntatis, quae gerit quisque per corpus, illos in Christo vivificari; cur non fateris istos in Adam mori, cùm scias Adam Christo è contrario esse formam futuri? An clausis oculis os aperies, & dices, illis in quo renati sunt, spiritum profuisse justitiae, & istis in qua nati sunt, carnem non obfuisse peccati? Quis nisi vos hoc dicere audebit? Majoris verò aetatis homines quando audiunt vel legunt, unumquemque recepturum secundùm ea quae per corpus gessit, non debent in suae voluntatis virtute confidere; sed orare potiùs talem sibi à Domino praeparari voluntatem, ut non intrent in tentationem. Praeparatur enim voluntas à Domino. Et, Orate, inquit Dominus ipse, ne intretis in tentationem. Et, Oramus ad Deum, ait Apostolus, ne quid faciatis mali.

CVIII. Jul. *Prior ergo sententia tua nihil obscuritate promovebit: secunda verò, quà repetis, quoniam liberum quidem confiteris arbitrium, non tamen ut quisque homo liber ad agendum bonum credatur, viscera tua tota nudavit.*

Aug. Cogis me jam tibi tribuere, quod codici paulò antè tribuebam. Ecce enim sic repetis sententiam meam, ut eam non impleas verbis meis, quae valde sunt necessaria, vobisque contraria. Ego enim dixi, NON ESSE LIBERUM QUEMQUAM AD AGENDUM BONUM SINE ADJUTORIO DEI. Tu autem dicis, *fateri me quidem liberum arbitrium, non tamen ut quisquam homo liber ad agendum bonum credatur*: nec addis quod ego addidi, *sine adjutorio Dei*. Non accuso furem, ablata civiliter repeto: redde verba mea, & nihil valebunt tua.

CIX. Jul. *Ecce enim nos, sicut primo libro fecimus, ita nunc pressè cogimus, ut ostendas quemadmodum liberum arbitrium non negaris. Insidat autem hoc lectori nostro, te videlicet confessum esse liberum arbitrium, & Deum nascentium conditorem catholicis praedicare; quae duo numquam nisi Manichaeus negavit: sed cùm haec communiter ambo dederimus, nec tibi autem, nec dogmati tuo libertas constet arbitrii; conficitur omnino, te & dogma tuum de fide catholica nihil tenere. Interrogo ergo* [a] *quae vis sit, quaeve definitio liberi arbitrii. Certè in ejus potestate, naturalium nulla conversio est. Nemo enim in se sensuum umquam mutavit officia, verbi gratiâ, ut voces naribus, aut auribus susciperet odores: nemo sexûs sui convertit proprietatem: nemo in formam transire animantis alterius, nemo per liberum arbitrium pilos corporis sui innatis potuit mutare velleribus: nemo sibi pro ingenio aut qualitatem aut quantitatem corporis vindicavit. His exemplis licet omnia quae ad hanc conditionem respiciunt pervagari. Transeamus igitur à naturalibus ad externorum discussionem. Cui agrorum fecunditas, cui prosperitas navigationum, cui nobilitas & opes, cui constantia ipsius nobilitatis in jure constitit voluntatis, ut vel ad horum vel ad similium sibi conquisitionem voluntate se libera à Deo effectum esse fateretur? Naturalia ergo inconcussis ordinibus; externa verò casibus semper feruntur incertis. In quibus igitur consistit liberum arbitrium, propter quod homines bestiis antecellunt, propter quod ad Dei imaginem facti sunt, & quo solo divini examinis justitia continetur? In quo est hoc, inquam, arbitrium liberum; quod ut Manichaeos negare certum est, ita catholicos asserere etiam tu fateris? Sine dubio, in eo ut possibile sit homini voluntatem suam, sine aliquo inevitabili naturalium coactu, vel immittere in crimen, vel à crimine cohibere.*

Aug. Cohibere à crimine voluntatem, hoc ipsum est, nec aliud quidquam, non intrare in tentationem. Sed si hoc haberemus in potestate propriae voluntatis, non moneremur ut id orando à Domino posceremus. Cui ergo dicitur, Declina à malo: hoc utique dicitur, ut à crimine suam cohibeat voluntatem. Et tamen Apostolus cùm posset etiam hoc rectè dicere, Praecipimus vobis, ne quid faciatis mali: Oramus, inquit, ad Deum, ne quid faciatis mali. Ecce quare dixi, (non sicut tu dixisse me dicis,) NEMINEM LIBERUM AD AGENDUM BONUM SINE ADJUTORIO DEI. Hoc quippe adjutorium fidelibus orabat Apostolus: non ex natura hominis liberum auferebat arbitrium. Homines elati & inflati, nolite in vestra

Non intrare in tentationem in potestate propriae voluntatis non habemus, sine adjutorio Dei. *Matth. 6. 13. & 26. 41. Psal. 36. 27. 2. Cor. 13. 7.*

[a] Editi, *quis*, pro *quae vis*. Et paulò pòst, *converso* vel *conversatio*, pro *conversio*. Haec & alia in isto capitulo errata castigantur ex MSS.

virtute confidere : Deo vos subdite, atque ut voluntatem cohibeatis à crimine, & in tentationem non intretis, orate. Nec existimetis non vos intrare in tentationem, quando ab opere aliquo malo concupiscentiam carnis [a] forti voluntate cohibetis. Ignoratis versutias tentatoris : IN MAJOREM TENTATIONEM, quando hæc voluntati vestræ sine adjutorio Dei deputatis, intratis.

Vellem sanè quomodo dixeris, nos doceres, quòd ea quæ in bonis vel in malis hominum appellantur *externa*, sicut divitiæ vel paupertas & cetera, *casibus ferantur incertis*. Etiam hæc enim catholica fides ita demit humanæ, ut divinæ tribuat potestati. Hoc autem dico, quia timeo vobis, ne fortè id quoque vestro addideritis errori, ut quidquid homines patiuntur vel adipiscuntur, sive in corporibus suis, sive in rebus externis, ad divinam negetis providentiam pertinere: ac per hoc, quidquid malorum perpetiuntur & parvuli, ita incertis casibus deputetis, ut à judicio ejus, sine cujus voluntate, ut ipse Dominus dicit, nec passer cadit in terram, hæc alienare conemini. Quoniam videtis hæresim vestram in hac parvulorum miseria naufragare, quæ sub Deo justo nulla esset, nisi eam natura humana primi peccati magnitudine vitiata & damnata meruisset.

Matth. 10. 29.

Pelagiana hæresis naufragat in parvulorum miseria.

CX.

JUL. *Et ut res absoluta paucis illuminetur exemplis ; ut tam liberum sit homini sacrilegium facere velle, quàm nolle ; tam liberum sit parricidium velle perpetrare, quàm nolle ; tam liberum sit adulterium committere velle, quàm nolle ; tam possibile sit verum testimonium perhibere, quàm falsum ; tam liberum Deo obedire imperanti, quàm diabolo persuadenti.*

AUG. Verum dicis : hoc est liberum arbitrium, tale omnino accepit Adam : sed quod datum est à conditore, & à deceptore vitiatum, utique à salvatore sanandum est. Hoc vos non vultis cum Ecclesia confiteri : hinc estis hæretici. Homo qui non cogitas ubi sis, & in diebus malis tamquam in bonis cæcus extolleris: quando erat tale, quale describis, liberum arbitrium, nondum homo vanitati similis factus erat, ut dies ejus sicut umbra præterirent. Non enim vanitas Deus, ad cujus similitudinem factus erat, quæ per ejus gratiam renovatur de die in diem. Nondum dicebatur, Ego in iniquitatibus conceptus sum. Nondum dicebatur, Quis enim est mundus à sorde ? nec infans cujus est diei unius vita super terram. Postremò non dicebatur, Non quod volo, sed quod odio, illud facio. Et, Scio » quia non habitat in me, hoc est in carne mea » bonum : velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Et, Video aliam le» gem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Hoc malum in Adam, quando rectus creatus est, non erat ; quia natura humana depravata nondum erat. Rectorem habebat, quem libero reliquit arbitrio : non liberatorem quærebat, per quem fieret liber à vitio. Nam & si verba illa, Non quod volo ago, & cetera talia,

Liberum arbitrium non tale nunc, quale Adam accepit, sed jam vitiatum est & sanandum.

Psal. 143. 4.

Psal. 50.7.

Iob 14. 4. *sec.* LXX.

Rom. 7.15.

Ibidem 18.

Ibid. 23.

A hominis sunt, ut dicitis, nondum sub Christi gratia constituti ; ergo etiam hinc convincimini, quòd tam infirmæ voluntatis ad agendum bonum homines Christus invenit, & quòd arbitrii liberi infirmitatem ad agendum bonum nonnisi per Christi gratiam potest humana reparare natura. Ac per hoc verum est quod dixi, Neminem esse liberum ad agendum bonum sine adjutorio Dei. Et propterea tu subtraxisti, *sine adjutorio Dei*, ut tibi campus aperiretur, ubi te B loquaciùs quàm eloquentiùs per multa jactares, quibus non delectares legentem, sed intelligere volentem, quantum posses, potiùs impedires. Subdimini Deo, ut corrigamini. NEMO EST LIBER AD AGENDUM BONUM SINE ADJUTORIO DEI. Quid ut præcipitetis, humanam extollitis voluntatem ? Orate potiùs, ne intretis in tentationem.

Liberi arbitrii infirmitas non nisi per gratiam reparatur.

CXI.

JUL. *Propterea autem in superioribus voluntatem perfectam magis quàm rerum effectus locavi,* C *quoniam & parricidium, & sacrilegium, & adulterium, vel horum similia, facilius est cavere quàm facere.* [b] *Neque enim semper voluntati malæ perpetrandi quod vult adest facultas. At è regione, horum abstinentia in summa quiete consistit. Nisi fortè hoc ipsum à vobis labor dicatur, laborare nolle. Omitto ea quæ tam scripturæ sanctæ, quas Prophetæ, quas Evangelistæ, quas Apostoli protulerunt, quàm disputatores catholica sanitate fulgentes, Iohannes, Basilius, Theodorus, & horum similes commenda-* D *verunt, multo esse majorem laborem committere crimina, quàm cavere.*

AUG. Utinam horum fidem teneres : peccatum originale in parvulis non negares.

CXII.

JUL. *Interim quod ad præsens negotium spectat, inculco liberum arbitrium nec ob aliud datum esse, nec intelligi in alio posse, quàm ut nec ad justitiam, nec ad iniquitatem, captiva aliquis voluntate rapiatur.*

AUG. Qui per legem, quam videt in mem- E bris suis repugnantem legi mentis suæ & captivantem se sub lege peccati, clamat, Non quod volo facio bonum, sed quod odio malum hoc ago ; debes utique dicere, quomodo non rapiatur ad malum voluntate captiva. Ut enim secundùm vos interim loquar, si sub mala iste consuetudine gemit, nondum, sicut dicitis, sub Christi gratia constitutus, habet iste, an non habet liberum voluntatis arbitrium ? Si habet ; quare non facit bonum quod vult, sed malum quod F odit agit ? Si autem propterea non habet, quia sub gratia Christi nondum est ; ecce quod jam dixi, iterum dico, & vobis video sæpe dicendum: NEMO NISI PER GRATIAM CHRISTI AD BONUM quod vult agendum, & ad malum quod odit non agendum, potest habere liberum voluntatis arbitrium : non ut voluntas ejus ad bonum sicut ad malum captiva rapiatur; sed ut à captivitate [c] liberata, ad liberatorem suum liberali suavitate amoris, non servili ama- G ritudine timoris adtrahatur.

Voluntas ad malum captiva rapitur, ad bonum verò liberata suaviter adtrahitur.

Rom. 7. 19.

CXIII.

JUL. *Sunt quidem dulcia incitamenta vitiorum, amara etiam frequenter quæ à persequutoribus exci-*

[a] Vulgò, *fortè*. At omnes MSS. *forti*. Ex MSS. iisdem duo, scilicet Mar. & Porr. post *voluntate cohibetis*, egregia hæc verba restituunt : *Ignoratis versutias tentatoris :* &c. usque ad *intratis*.

[b] Hanc sententiam, *Neque enim semper voluntati* &c. ex Portarum codice adjecimus. Sed præterea deesse videtur, *Horum ergo perpetratio in labore est :* vel quid simile, cui ex adverso id respondeat : *At è regione horum abstinentia in summa quiete consistit.*

[c] Editi, *libera* : tametsi omnes MSS. *liberata*.

tantur

tantur tormenta pœnarum : ſed & illa cenſura honeſtatis everberat, & iſta conſumit magnitudo patientiæ.

Pſal. 48. 7.

Aug. Inter illos declamas, qui confidunt in virtute ſua : adtende tibi, ne inter illos clames, qui torquebuntur de ſuperbia ſua.

CXIV.

Jul. *Verumtamen nec virtutum eſt ærumnoſa poſſeſſio, quæ extra regnum quoddam bonæ conſcientiæ promiſſa æternæ beatitudinis ſublimitate fruitur. Adſunt tamen adjutoria gratiæ Dei, quæ in parte virtutis numquam deſtituunt voluntatem: cujus* licèt innumeræ ſpecies, tali tamen ſemper moderatione adhibentur, ut numquam liberum arbitrium loco pellant, ſed præbeant adminicula, quamdiu eis voluerit inniti; cùm tamen non opprimant reluctantem animum. Inde quippe eſt, quòd ut alii ad virtutes à vitiis adſcendunt, ita etiam alii ad vitia à virtutibus relabuntur.*

* ſubaud. rei.

Gratia non pellit, ſed potiùs vitiis pulſum revocat liberum arbitrium.

Aug. Unde fieri poteſt, ut adjutoria gratiæ Dei liberum arbitrium loco pellant; quod potiùs vitiis pulſum & nequitiæ ſubjugatum, ut in locum ſuum redeat, liberant? Sed cùm quæritur à vobis, quæ ſint iſta adjutoria gratiæ Dei, edicitis quæ ſuprà commemoraſti : *Deum adjuvare præcipiendo, benedicendo, ſanctificando, coërcendo, provocando, illuminando :* quæ omnia etiam per homines fiunt, ſecundùm Scripturas. Nam & præcipiunt homines, & benedicunt, & per divina ſacramenta ſanctificant, & corripiendo coërcent, & exhortando provocant, & docendo illuminant : non tamen qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Hoc eſt autem incrementum, ut unuſquiſque obediat præceptis Dei : quod non fit, quando verè fit, niſi caritate. Unde Eccleſia incrementum corporis facit, in ædificationem ſui, in caritate. Iſtam caritatem non dat niſi Deus : Caritas enim ex Deo eſt. Hanc vos inter adjutoria gratiæ quæ commemoratis, nominare non vultis, ne hoc ipſum quòd obedimus Deo, ejus eſſe gratiæ concedatis. Putatis quippe iſto modo auferri voluntatis arbitrium : cùm hoc quiſquam facere niſi voluntate non poſſit; ſed quod vos non vultis, Præparatur voluntas à Domino; non forinſecus ſonantibus verbis, ſed ſicut orante exauditâque reginâ convertit Deus & tranſtulit indignationem regis in lenitatem. Sicut enim hoc divino & occulto modo egit in hominis corde; ſic operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate.

Pelagianæ gratiæ adjutoria.

1. Cor. 3. 7.

Non verè obeditur præceptis Dei, niſi caritate.

Epheſ. 4. 16.

1. Iohan. 4. 7.

Caritatem inter gratiæ adjutoria nominare cur nolint Pelagiani.

Prov. 8. ſec. LXX.

Eſth. 15. 11.

Deus in corde hominis operatur converſionē.

Philip. 2. 13.

CXV.

Pſal. 33. 15.

Jul. *Tu ergo quomodo liberum arbitrium confiteris, cui unum tantummodo dicis eſſe poſſibile, id eſt, facere malum, non autem eſſe poſſibile deflectere à malo & facere bonum?*

Deflectere à malo & facere bonum non eſt poſſibile voluntati hominis niſi per gratiam.

Aug. Dico eſſe poſſibile voluntati hominis deflectere à malo & facere bonum; ſed ei voluntati quam Deus adjuvat gratìs, non quam Julianus inflat ingratus.

CXVI.

Jul. *Taceo interim qua rabie in totam legem fremas, quam credis ea imperaſſe mortalibus, quorum apud eos nullam facultatem videret.*

Aug. Non eſt verum quod dicis. Hæc imperat Deus, quæ fieri poſſunt : ſed ipſe dedit ut faciant, eis qui facere poſſunt et faciunt; et eos qui non poſſunt, imperando admonet a ſe poſcere ut poſſint. Et quòd non omnia ab unoquoque ſanctorum fiunt, novit Deus quemadmodum eis ad humilitatem conſulat, quibus quotidie dicentibus, Dimitte nobis debita noſtra, ſic opitulatur ad habendam obedientiam, ut ſit unde etiam veniam largiatur.

Matth. 6. 12.

CXVII.

Jul. *Sed quæro cum quibus poëtis in talem incurreris Hippocrenem, ut bimembrem beſtiam fingeres, non quidem* [a] *carminando, ſed blaſphemando, cujus corpus de mala* [b] *neceſſitate formares, & ſolam faciem nomine libertatis obduceres.*

Aug. Pingis tibi ipſe quod placet, cui vacat inani corde inania volutare phantaſmata. Cur enim tu adminicula gratiæ ſupponis bonæ voluntati, cùm voluntas mala nullo innitatur adminiculo ut mala ſit, vel mala eſſe perſiſtat. An hîc libra tua, quam conaris ex utraque parte per æqualia momenta ſuſpendere, ut voluntas quantum eſt ad malum, tantum etiam ſit ad bonum libera, vergendo in unam partem te indicat delirantem?

Libertatis æquilibriū nec in Pelagianorū opinione reperiri.

CXVIII.

Jul. *Sic enim & in illo opere quod Romam miſiſti, diſputas :* Voluntas quæ libera in malis eſt, libera in bonis non eſt.

Lib. 1. de duabus epiſt. Pelag. c. 2.

Aug. Cur non addis quod ibi legiſti, ſi liberata non eſt? Aut quid eſt quod ait Dominus, cùm de fructibus palmitum, hoc eſt, de bonis actibus loqueretur, Sine me nihil poteſtis facere; niſi quia nemo ad bene agendum, quem non ipſe liberat, liber eſt?

Iohan. 15. 5.

CXIX.

Jul. *Et hic Cæleſtianum * dicis, qui putat liberum eſſe quemquam ad agendum bonum; liberum ergo dicis, quod niſi malum facere non poſſe contendis. Inveni, ſi potes, alteram definitionem rei non liberæ, & hoc liberum vindicato. Si adeo ſenſu excideras, ut definitionem liberi in ſuo corpore non videres; vel de contrario ejus non debuiſti intelligere, quæ eſſet libertatis eſſentia? Fac enim te ſimiliter ambigere potuiſſe, quid eſſet quod viſus diceretur oculorum, idque tu definires hoc modo, Viſus eſt vel effoſſos habere oculos, vel impedimentis quibuſque videndi tempore nihil poſſe conſpicere; atque hanc definitionem putares viſui convenire : ferres te autem, ut contrarii ejus, id eſt, cæcitatis, quæ explicatio eſſet aſſereres; cúmque nullam aliam invenires, quàm ſi in eo animali, cujus naturæ adeſſet viſus oculorum, vel effoſſio luminum, vel craſſi humoris obſeptio videndi eriperet facultatem, reſipiſceres procul dubio, & videres rebus contrariis definitionem unam non poſſe competere. Sicque fiebat, ut ſi cæcitas nihil dici aliud poterat, quàm in animalis oculo, eo tempore quo videre deberet, privatio cernendi; viſus quoque definitio per negationem illorum, quibus cæcitatem expoſueras, redderetur; ut videlicet nihil eſſet aliud viſus, quàm nec effoſſis, nec obſeratis oculis opportuno tempore facultas congrua conſpicandi. Quibus tu oſtenſis, ſi obſtipè reluctareris, nihil obtineres aliud, quàm ut aut contra tuam conſcientiam pervicaciâ pudendâ niti te crederent audientes, aut ſi eis fidem faceres, tibi ita prorſus videri, non te minùs effoſſos habere mentis oculos judicarent, quàm illum qui à te viſum habens fuerat definitus.*

* V. ſuprà n. 101.

Aug. Nolo ut definias, ſed ut finias cæcitatem; & videas rectè dici à Chriſto non potuiſſe, Sine me nihil poteſtis facere, ſi ad bene agen-

Iohā. 15. 5.

[a] Editi, *criminando.* Aptiùs MSS. *carminando.*

[b] Editi, *neceſſitudine.* Omnes MSS. *neceſſitate.*

dum sine gratia Christi liberi esse potuissent.

CXX. Jul. *Ita ergo, ut ad caussam referamus exemplum, intelligere potuisti, vel definitione non liberi, quid deberes liberum nuncupare. Nam & si in liberi arbitrii definitione intelligentia caligasset, ut id dici liberum posse arbitrareris, quod inter duo contraria uni doceretur adhærere: respicere debuisti, exponi aliter non posse captivum, id est, non liberum, quàm ut inter duo contraria* [a] *uni vindicaretur addictum: & ideo nomen* [b] *libertati captivitatis negatione tribuendum, ut quoniam id quod liberum non erat, alteri de contrariis cogeretur adhærere; illud adversum ei, id est, liberum neutro sineretur addici.*

Liber ad malū quis.

Aug. Quid aperta implicas loquacitate perplexâ? Ad malum liber est, qui voluntate agit mala, aut opere, aut sermone, aut certè solâ cogitatione: hoc autem grandioris ætatis quis hominum non potest? Ad bonum autem liber est, qui voluntate bonâ agit bona, etiam ipse aut opere, aut sermone, aut certè solâ cogitatione: sed hoc sine Dei gratia nullus hominum potest. Quod si dicis aliquem posse, contradicis ei qui dixit, Sine me nihil potestis facere. Contradicis etiam illi qui dixit, *Non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Puto quòd aliquid boni, non mali, non se dixit ex semetipso cogitare idoneum, sed ex Deo. De cogitatione autem bona & sermo bonus est, & opus bonum. Ac per hoc, qui cogitare aliquid boni idoneus non est ex semetipso, profectò nec loqui est idoneus, nec agere aliquid boni ex semetipso: sed si est sub gratia, sufficientia ejus ex Deo est. Unde dictum est, Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Et, Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Hæc ego intuens, NEMINEM ESSE LIBERUM AD AGENDUM BONUM SINE ADJUTORIO DEI, dixi. Hæc tu metuens, neminem esse liberum ad agendum bonum, me dixisse dixisti, & SINE ADJUTORIO DEI (quod addidi) sustulisti. Unde non dubito quòd victum te esse jam scias; sed prolixo vaniloquio id agas, ne victus appareas, qui sic definis liberam voluntatem, ut nisi utrumque, id est, & bene & malè agere possit, libera esse non possit. Ac per hoc, necesse tibi est auferre libertatem Deo, qui tantummodo bonam potest, malam verò non potest habere voluntatem.

Liber ad bonum.

Iohan. 15. 5.

2. Cor. 3. 5.

Matth. 10. 20.

Rom. 8. 14.

Libera voluntas sic à Pelagianis definitur, ut iis necesse sit auferre libertatem Deo.

CXXI. Jul. *Quod cùm ita sit, atque huic tu loco miserrimè obnitaris, incertum est quid magis de te æstimari conveniat, utrùm contra conscientiam tuam falsa defendas, an quod falsum est, verum putes; ac per hoc sit incertum, utrùm oculos rationis amiseris, dum certum sit oculos te fidei perdidisse.*

Aug. Numquid ideo te victum consolaris, quia conviciaris.

CXXII. Jul. *Ut autem quæ sunt acta, breviter repetamus, arbitrium liberum, quod in mali parte, vitiorum voluptatibus, vel diaboli persuasionibus; in boni autem parte, virtutum dogmatibus, & variis divinæ gratiæ speciebus juvatur; non potest aliter constare, nisi ut & justitiæ ab eo, & peccati necessitas auferatur.*

Arbitrium liberum putat Julianus non constare cum necessitate.

Aug. Inter divinæ gratiæ species si poneretis DILECTIONEM, quam non ex nobis, sed ex Deo esse, eamque Deum dare filiis suis apertissimè legitis; SINE QUA NEMO PIE VIVIT, ET CUM QUA NEMO NISI PIE VIVIT; sine qua nullius est bona voluntas, & cum qua nullius est nisi bona voluntas; verè liberum defenderetis, non inflaretis arbitrium. Necessitatem porrò si eam dicis, qua quisque invitus opprimitur; justitiæ nulla est, quia nemo est justus invitus: sed GRATIA DEI EX NOLENTE VOLENTEM FACIT. Si autem nullus peccaret invitus, non esset scriptum, Signasti peccata mea in sacculo, & adnotasti si quid invitus admisi.

Gratia dilectionis, sine qua nemo piè vivit, & cum qua nemo nisi piè vivit, asserenda, ut verè liberum defendatur arbitrium. Necessitas premēs invitum nulla in actu justitiæ, sed est quandoque in actu peccati.

Iob 14. 17.

CXXIII. Jul. *Hujus autem veritatem catholici confitentur: Traduciani autem cum Manichæis suis* [c] *magistris negant.*

Aug. Convicia sunt ista, non judicia: vellem ut judicare posses; conviciari autem quis improbus non potest?

CXXIV. Jul. *Nos igitur verum diximus, quoniam qui à vobis decipiuntur, ne vocentur hæretici, fiunt Manichæi, & dum falsam verentur infamiam, verum crimen incurrunt; instar ferarum, quæ circumdantur pinnis, ut cogantur in retia, & in verum exitium vana formidine contrudantur. Deum verò nascentium conditorem ita dicimus, ut quoniam certum est Deum catholicorum, qui verus est, nihil facere posse quod malum est, ipsius opificis dignitate, homines qui ab eo fiunt, ante voluntatis usum, de manibus ejus iniqui & rei nullo modo exire credantur. Quorum vos cùm alterum negatis, utrumque subruitis. Ais quippe, credere te quidem conditorem Deum, sed malorum hominum: ac per hoc inficiaris dogmati tuo, cùm negas te asserere diabolum hominum conditorem.*

V. lib. 2. de Nupt. c. 3.

Aug. Quidquid in hominibus, qui cum vitio nascuntur, ad Deum creatorem pertinet, bonum est; quia & quod justum est, bonum est: naturarum autem, non vitiorum auctor est Deus. Ad illud jam veni, videamus quid inde dicturus es, quomodo non eruantur parvuli de potestate tenebrarum, quando in Christi regnum per sacramenta Ecclesiæ transferuntur. Quantislibet enim tegminibus te multiplicis loquacitatis involvas, ubi ad hoc veneris, nudus hæreticus apparebis.

CXXV. Jul. *Nam cùm tales adscribis operi Dei, quales facere non potest; ostendis nihil ad Deum, id quod ab eo dixeras fieri, pertinere.*

Aug. Homines nisi Deus facere non potest: dic potiùs quomodo non eruantur parvuli de potestate tenebrarum, quando per divina sacramenta regenerantur.

CXXVI. Jul. *Quod licèt in primo libro uberiùs actum sit, tamen & hic vel breviter quid sentias exprimamus. Times operi diaboli aliquam deputare substantiam: verùm non times Deo, non aliquod, sed magnum crimen impingere. Majorem apud te habet reverentiam natura carnis humanæ, quàm justitia Dei: quasi enim magnum aliquid, ita substantiam hominis diabolo deputare metuisti, & quasi rei non magnæ, id est, justitiæ & Dei sanctitati, informationem sceleris appulisti: quasi non tolerabilius fuerit inter duas opiniones, sed utrasque falsas, diaboli*

[a] Editi, *videretur*: omisso, *uni*. MSS. Mar. & Clar. *vindicaretur*. Fortè pro, *uni diceretur*. Nam solus codex Port. habet, *uni vindicaretur*.

[b] Codex Port. *nomen liberati*.

[c] Sic MSS. Editi verò, *ministris*.

operibus deputare carnem, quàm Dei operibus iniquitatem. A

Justitiam Dei blasphemant qui dicunt tanta mala perpeti parvulos sine merito peccati.

Aug. Vos potiùs Dei justitiam blasphematis, sub cujus omnipotentia sine ullis malis meritis tanta mala perpeti parvulos dicitis. Sed jam dic quemadmodum eos separatis ab eis quos Deus de potestate eruit tenebrarum, ut transferat in regnum Filii caritatis suæ. Coloss. 1. 13.

CXXVII. Jul. *Vt enim hìc in potestate diaboli parvulos à Deo reos formari dixisti, ita in inferioribus libri tui partibus tetrius aliquid quàm sunt Manichæorum sacramenta vomuisti, dicens de Deo*, Sic creat malos, quomodo pascit & nutrit malos. B

Aug. Cùm veneris ad easdem partes libri mei, ibi quemadmodum dictum fuerit, quod hìc objicis, apparebit. Nunc jam dic, quæso, quomodo cùm regenerantur parvuli & transferuntur ad regnum Christi, de tenebrarum potestate non eruantur.

CXXVIII. Jul. *Creat igitur malum Deus.*

Aug. Non intelligis quemadmodum dicat C apud Prophetam, Ego creo mala. Isai. 45. 7.

CXXIX. Jul. *Et puniuntur innocentes, propter quod facit Deus.*

Aug. Nec innocentes origine, nec propter quod facit Deus.

CXXX. Jul. *Et à diabolo possidentur, quia hoc facit Deus.*

Aug. Et Apostolus tradidit hominem satanæ; sed justitiâ, non malitiâ: & Deus tradidit quosdam in reprobum sensum; atque utinam non ibi essetis & vos. 1. Cor. 5. 5. Rom. 1. 28.

CXXXI. D Jul. *Et imputat hominibus crimen manuum suarum Deus.*

Aug. Non est crimen manuum Dei, quod de vitiata origine sua trahunt parvuli.

CXXXII. Jul. *Et quod persuasit diabolus tenuiter, sollerter & perseveranter fingit, &* [a] *protegit, & custodit, & format Deus.*

Aug. Non quod persuasit diabolus, format Deus: sed ex natura quam vitiavit diabolus, bene format quod format Deus.

CXXXIII. E Jul. *Et fructum ab homine bonitatis reposcit, cui malum ingenuit Deus.*

Aug. Non malum ingenuit Deus: sed malum quod generatio vitiata ingenuit, regeneratione purgat Deus.

CXXXIV. Jul. *Et postea totâ lege* [b] *mentitur, quia justus sit Dominus.*

Aug. Mentiris, sed tu: qui negas peccatum habere gravi jugo dignum filios Adam, quid conaris ostendere, nisi quòd injustus sit? Eccli. 40. 1.

CXXXV. F Jul. *Et qui tot crimina capit, adhuc vocatur Deus?*

Aug. Quoniam nulla crimina capit Deus, ideo nec hoc quod ei vos impingitis capit, ut sine ullius originalis peccati merito, mala parvuli tot & tanta ipso vel faciente vel permittente patiantur.

CXXXVI. Psal. 9. 7. &c. Jul. *Interibit Manichæorum memoria cum strepitu: quia Dominus in æternum permanet; qui paravit in Iudicio sedem suam, & ipse judicabit orbem terrarum in æquitate. Nullum est in Deo crimen.* G *Non igitur creat malos: quoniam si mali essent naturâ, Deus eos creare non posset. Ac per hoc, ut catholicorum est confiteri Deum conditorem bonorum, ita Manichæorum propriè Deum credere conditorem malorum.*

Aug. Si adversùm divina eloquia, ubi dicitur, Judicabit orbem terrarum in æquitate, non surdi essetis, æquitatem Dei etiam in pœnis infantium disceretis. Naturâ enim boni sunt, quod illos creat Deus: sed vitio mali sunt, propter quod illos sanat Deus. In qua catholica sententia non solùm Manichæorum memoria perit, verùm etiam Pelagianorum, cum strepitu loquacitatis illorum. Æquitas Dei in pœnis infantium propter originis vitium.

Jul. *Sed videamus & reliqua.* CXXXVII.

Aug. Ecce ad alia libri mei verba jam transis; & adversùs illud quod tibi quasi refellendum ex præcedentibus proposueras, nihil dicis. Ego enim ut vos auctoritate Apostolica urgerem, dixi vos dicere non erui parvulos à potestate tenebrarum, & sic transferri in regnum Dei: contra quod nihil dicens, apparuisti quidem, sicut suprà prædixi, nudus hæreticus; sed in te exspoliando non laboravi, quia contra Apostolicam fidem antiquissimæ matris Ecclesiæ, nullo verborum tuorum vaniloquo tegmine te ausus es operire. Coloss. 1. 13.

Jul. * Audi ergo breviter quid ista quæstione versetur. Catholici dicunt humanam à creatore Deo bono conditam bonam, sed peccato vitiatam, medico Christo indigere naturam. Manichæi dicunt, humanam naturam non à Deo conditam bonam, peccatoque vitiatam; sed ab æternarum principe tenebrarum, de commixtione duarum naturarum, quæ semper fuerunt, unâ bonâ & unâ malâ, hominem creatum. Cælestiani & Pelagiani dicunt, naturam humanam à Deo bono conditam bonam; sed ita esse in nascentibus parvulis sanam, ut Christi non habeant necessariam in illa ætate medicinam. Agnosce igitur in tuo dogmate nomen tuum, & catholicis à quibus confutaris, desine objicere & dogma & nomen alienum. Nam veritas utrosque redarguit, & Manichæos & vos: Manichæis enim dicit, Non legistis quia qui ab initio fecit hominem, masculum, & feminam fecit eos; propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: itaque jam non sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Ita quippe ostendit, & hominum conditorem, & conjugum copulatorem Deum, adversùs Manichæos, qui utrumque horum negant. Vobis autem dicit, Venit filius hominis quærere & salvare quod perierat. Sed vos egregii Christiani respondete Christo: Si quod perierat, quærere & salvum facere venisti, ad parvulos non venisti; isti nec perierant, & salvi nati sunt: vade ad majores; de verbis tuis tibi præscribimus: Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Ita fit ut Manichæus, qui homini commixtam dicit esse naturam malam, velit inde saltem salvari à Christo animam bonam. Tu verò in parvulis, cùm salvi sunt corpore, nihil à Christo salvandum esse contendis. Ac per hoc Manichæus quidem naturam humanam detestabiliter vituperat, sed tu crudeliter laudas. Quicumque enim tibi crediderint laudatori, infantes suos non offerent Salvatori. *Commendavi quidem etiam in primo opere, nihil te magis agere, quàm ut parum intelligaris.*

CXXXVIII. * Verba August. ex lib. 2. de Nupt. & concup. c. 3. Matth. 19. 9. &c. Luc. 19. 10. Marc. 2. 17.

Aug. Prorsùs intelligor, velis nolis: sed tu

[a] Codex Port. & propagat.

[b] Sic MSS. At editi, nititur, quàm justus sit Deus.

contra ista nihil dicturus, vis non intelligi quod ego verissimum atque firmissimum dixi: denique res ipsa indicavit, hæc à te non potuisse redargui.

CXXXIX. Jul. *Ostendique majorem penè partem commentorum tuorum, grandiore intelligi labore quàm vinci.*

Aug. Et laboras; quod tibi est pejus, & vinceris. Non tamen laboras ut me intelligas, quod facillimè potes; sed laboras ut me refellas, quod non potes.

CXL. Jul. *Sed si id per singula facere velim, & eadem repetendo superfluus, & cuncta persequendo longus videbor.*

Aug. Ecce quomodo agis, ut longè recedat lector ab his quæ dixi, & te respondisse arbitretur, dum ea, quæ tibi quasi refellenda proposueras, obliviscitur.

CXLI. Jul. *Unde quamvis omnia quæ contra nos edidisti scripta, ad unum finem properent, videlicet ut naturalia mala esse persuadeas, & aut diabolum hominum, aut Deum criminum conditorem: tamen puto aliquid procedere ad studium brevitatis, si ea potissimùm argumenta, quibus totam tuam opinionem tueri te, cùm obumbraris, putas, de diversis in unum partibus congregavero, eaque priùs admotâ expositione juvero, ut quid conentur appareat; pòst verò non sparsa, sed collecta; non involuta, sed explicata protuero.*

Aug. Mirabili studio brevitatis octo libros uni meo reddis, quem nec tanta multiloquii prolixitate convellis. Dic nunc, si potes, quomodo non dicere cogamini Christo, & si non verbis, certè ipsis perversis sensibus vestris:* Si » quod perierat quærere & salvare venisti, ad par- » vulos non venisti. Isti nec perierant, & salvi » nati sunt: vade ad majores; de verbis tuis tibi » præscribimus: Non est opus sanis medicus, sed » malè habentibus. Ad ista responde: quid vanis vera involvere & occultare conaris?

* Lib. 2. de Nupt. c. 3.

CXLII. Jul. *In inferioribus itaque libri tui partibus post quàm dixisti*, Sic creat malos Deus, quomodo pascit & nutrit malos: *addis*, Quia quod eis creando tribuit, ad naturæ pertinet bonitatem; & quod eis pascendo & nutriendo dat incrementum, non utique malitiæ eorum, sed eidem bonæ naturæ, quam creavit bonus, bonum tribuit adjumentum. In quantum enim homines sunt, bonum est naturæ, cujus auctor est Deus: in quantum autem cum peccato nascuntur, perituri qui non renascuntur, ad semen pertinet maledictum ab initio, illius antiquæ inobedientiæ vitio; quo tamen bene utitur factor etiam vasorum iræ, ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasis misericordiæ; ut non meritis suis tribuat, si ad eamdem massam quisque pertinens gratiâ liberetur, sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Ab hac fide iste discedens, non vult nascentes esse sub diabolo, ne parvuli portentur ad Christum, ut eruantur à potestate tenebrarum, & transferantur in regnum ipsius: & sic Ecclesiam accusat toto orbe diffusam, in qua ubique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab eis mundi princeps mittatur foras. *Item deorsum de libidine loquens, sine qua conjugum non potest esse commixtio, quam nos naturalem, & ad Dei operam pertinentem, non* A *ut magnum aliquod bonum, sed ut sensum corporum, quæ sunt à Deo facta, defendimus, quam tu inditam visceribus humanis à diabolo, in ejus verecundia dogma tuum collocans, tam multis scriptis conaris asserere: de ipsa ergo libidine, sicut frequenter, ita etiam in inferiore parte libri tui loqueris*: Quocirca, *inquis*, commixtionem quoque honestam conjugum non reprehendimus propter pudendam corporum libidinem. Illa enim posset esse nulla præcedente perpetratione peccati, de qua non erubescerent conjugati: hæc autem exorta est post peccatum, quam coacti sunt velare confusi; unde remansit posterioribus conjugatis, quamvis hoc malo bene & licitè utentibus, in ejusmodi opere humanum vitare conspectum; atque ita confiteri quod pudendum est, cùm neminem debeat pudere, quod bonum est. Proinde pudenda libidine, qui licitè concumbit, malo bene utitur: qui autem illicitè, malo malè utitur.

Lib. 2. de Nuptiis & conc. c. 21.

Lib. 2. de Nupt. & conc. c. 17.

Sap. 12. 11.

Aug. Quare est interrupta sententia, & quibusdam prætermissis, tamquam hoc sequeretur, adjunctum est, Proinde pudenda libidine &c. prætermissa sunt autem verba mea, ubi dictum est, " Sic insinuantur hæc duo, & bonum laudandæ " conjunctionis, unde filii generantur, & malum " pudendæ libidinis, unde qui generantur, rege- " nerandi sunt ne damnentur? Quare ista verba mea de media sententia mea subtrahis, eisque subtractis alia mea, quasi ipsa sequantur, adjungis? Quid est quod facis? cur hoc facis? Parum est quòd ea, quæ tibi ex eodem libro meo ex ordine proposueras refellenda, dimittis, & in alia pergis, ut ordo turbetur, & quod à te propositum fuerat, de lectoris memoria dilabatur: insuper & ea quæ præter ordinem, ut tibi libitum est, interponis, non tota & integra fideliter ponis, sed concidis ubi vis, tollis quod vis, jungis quomodo vis: sed fac quidquid vis; convictus & victus apparebis, ut non vis.

CXLIII. Jul. Rectiùs enim accipit nomen mali quàm boni, unde erubescunt mali & boni; meliúsque credimus Apostolo, qui dicit, Quia non habitat in carne mea bonum, quàm huic, qui hoc dicit bonum.

Verba Augustini ex eodem loco. Rom. 7. 18.

Aug. Non erat magnum, & istam de libro meo implere sententiam. Ego enim dixi, " Quàm " huic, qui hoc dixit bonum, unde si confunditur, " confitetur malum; si autem non confunditur, " addit impudentiæ pejus malum. Sed nescio cur hæc non posueris, cùm similiter eis posses non respondere, sicut aliis, quæ tamquam refellenda posuisti, nec adtingere voluisti.

CXLIV. Jul. *Et post modicum addis*: Quoniam natura humana quæ nascitur vel de conjugio, vel de adulterio, Dei opus est. Quæ si malum esset, non esset generanda; si malum non haberet, non esset regeneranda: atque ut ad unum verbum utrumque concludam, natura humana si malum esset, salvanda non esset; si ei mali nihil inesset, salvanda non esset. Qui ergo dicit eam bonum non esse, bonum negat conditæ creatorem: qui verò negat ei malum inesse, misericordem vitiatæ invidet salvatorem. Quapropter in hominibus nascentibus, nec excusanda sunt adulteria per bonum, quod inde à conditore bono creatum est; nec accusanda conjugia per malum, quod ibi à misericorde salvatore est sanandum.

Aug. ibid.

Hæc tam multa quæ de tuis scriptis posui, quoniam grandem in his ærumnam cogitationis pertuleras, ut acutè aliquid dicere videreris, & ex more nostro, quo versutè nihil agimus, & ex veritatis securitate, quoniam tuis sermonibus vix intelligi queunt, nostrâ oportet repetitione distingui. Dixisti ergo: Manichæos carnis vituperare naturam, atque asserere hominem factum ex commixtione duarum naturarum, unius bonæ, alterius malæ: nos autem, quos hæreticos vocas, dicere à bono Deo conditam humanam naturam testimonio auctoris sui bonam, in infantibus ita esse sanam, ut Christi non habeant necessariam medicinam: te autem dicere bonam quidem à Deo bono conditam aliquando Adæ fuisse naturam; sed tamen peccato esse vitiatam, & ideo Christi indigere medicinâ. *In primo quidem libro præsentis operis, quàm nullo distaret fides vestra à Manichæorum profanitate, quippe ex qua eam natam esse manifestum est, junctis amborum opinionibus indicavi: ubi apparuit Ioviniano te per timorem copulari; Manichæo autem omnino per amorem. Hoc ergo etiam in præsenti nobis genere disserendum est: sed priùs nostra, pòst vestra distinguo. Verum ergo dixisti, nos dicere à bono Deo naturam humanam bonam conditam: sed huc usque nostrum est; unam enim partem, quâ suppletur nostra sententia, aut non vidisti, aut suppressisti; aliam autem de tuo, cùm* [a] *non sit nostra, posuisti: nos autem non solùm dicimus naturam hominis bonam à Deo esse conditam in Adam; sed in omnibus parvulis bonam ab eo Deo condi, qui primi illius auctor fuit; propter quod illum omnium hominum asserimus conditorem.*

Lib. 1. de Nuptiis & conc. c. 1.

Aug. Quid enim aliud & nos dicimus de Domino Deo omnium hominum conditore? Sed, quod absit à nobis, salvatorem Deum parvulis necessarium vos negatis, sic eorum naturam bonam esse asserendo, ut ei mali nihil inesse dicatis, propter quod indigeat medico Christo. Ad hoc responde; quod tibi redarguendum proposueras, primò redargue: cur exsufflentur baptizandi parvuli ostende; aut universæ antiquissimæ Ecclesiæ bellum apertissimum indicens, exsufflari eos non debere contende: hoc age, hîc insiste, huic firmamento, si potes, aliquid unde concutiatur, impinge. Quid fugis sub pelles loquacitatis tuæ? [b] Quid fumos vanissimos subjicis, quibus hæc obtecta & obscura ita lector obliviscatur, ut te respondere nihil valentem dicere aliquid arbitretur.

Salvatorem parvulis necessarium negant Pelagiani.

Exsufflatio baptizandorum, traditio Ecclesiæ universæ & antiquissimæ.

CXLV. Jul. *Hanc ergo partem sententiæ non solùm à nostra definitione removisti; sed pro hac etiam intulisti tuam: quæ prima fronte aliquid haberet invidiæ, sed tamen discussa vanesceret. Posuisti enim nos* dicere bonam à Deo bono conditam naturam, sed ita esse sanam, ut necessariam non habeat Christi medicinam. *Intuere ergo quantâ penuriâ veritatis labores, qui & in ipsis verbis quæ dicuntur ἀντίθετα, furtum tam perspicuum facere non vereris. Nam cùm suprà proposuisses* bonam naturam, *subdidisti* ita esse sanam. *Numquid ἀντίθετον boni sanum est? Certè cùm dicimus bonum, nihil contra hoc propriè ponimus nisi malum: si autem caussa poscit ut sanum dicamus, ex adverso debile vel ægrum locamus; ut si sanum est, non utique debile; si debile, sanum non esse dicatur: cùm autem dicimus, Bonum est hoc; à contrario ejus, non sani nomen, sed mali vocabulum sistimus. Tibi ergo dicendum fuit, quia definiremus nos bonam à Deo conditam naturam hominum, sed ita esse in parvulis bonam, ut institutionis suæ nullum quæreret emendatorem: aut si ea quæ bona erant, alieno vocabulo, id est, sanitatis indicare malebas; consonanti totum eloquutione signasses. Nunc autem quasi murenula inter definitionum saxa prolaberis. Cùm enim te veritas compulisset, ut nos confitereris bonam hominum dicere naturam à Deo conditam, atque in ea parte sententiæ ut multam rationem, ita invidiam nullam videres; ad alia continuò verba migrasti, subjiciens, sed ita nos eam sanam defendere, ut medicinam Christi ei necessariam non esse credamus. Quod si totum tu per imperitiam incurris,* [c] *bardissimus; sin autem id astu facis, vaferrimus inveniris.*

Aug. Quando ista diceres, nisi non habendo quod diceres? Non enim debuimus, ut putas, ita sanam, quam diximus bonam, ne sibi non vera opponerentur antitheta: quod imperitiâ quantâ dicas, si ostendere velim, rebus non necessariis, tui similis, immorabor. De medio tolle superflua, & omnino, etiam si vera essent, tibi minimè profutura: & dic, si potes, quomodo medicum Christum parvulis non negetis: cùm enim cœperis dicere, ibi apparebit quare ista vana, & ad rem quæ agitur, non pertinentia, tamen interponenda putaveris.

CXLVI. Jul. *Ecce enim breviter respondeo: adeo nos Christi medicinam parvulis, quos innocentes novimus, non negare, ut illos potissimùm copiosiore eâ indigere fateamur. Nascuntur enim exigui, debiles; qui non solùm ali proprio labore non possint, verùm nec implorare queant opem parentum; qui tam multis casibus obnoxii sunt, ut eis etiam lac densius, & lactantium plerumque somnus exitio sit.*

Aug. Ecce quare memoriæ lectoris, interponendo res superfluas, obstrepas. Medicum Christum non negatis parvulis necessarium propter mala corporis, cujus imbecillitate vitiantur invalidi, vel necantur; & negatis eis necessarium medicum Christum, propter quod sub diaboli potestate sunt, unde ut liberentur baptizandi exsufflantur: ut hoc tibi objectum non intelligaris ob aliud proposuisse quasi refellendum, nisi ne hoc timuisse deprehendereris; ideo autem non tentasse refellere, quoniam de firmissimo, & tamquam adamantino fundamento, in te potiùs perimendum tua jacula resilirent: & ideo de antithetis disputationem interposuisse superfluam, ut illud invictum lector oblitus, sineret te in eis, quæcumque inferres vanissima, respirare, tamquam respondentem aliquid, & dicentem nihil. Sic quippe imbecillitatem corporis infantilis, multis obnoxiam casibus intulisti, quasi vel in ipsa cruciarentur, vel in ejus tanta infirmitate premerentur, vel eis accidere in illa ætate mali aliquid posset, si natura humana sicut instituta fuerat, permaneret. Cur exsufflet baptizandos parvulos Ecclesia Christi, ostende, si potes; aut eos exsufflandos non esse contende, si potes; aut obmutesce, si non potes: immo obmutesce, quia non potes.

Medicum Christum parvulis ob mala corporis necessarium fatentur Pelagiani, sed non ut à diaboli potestate liberentur.

[a] Particula negans hîc additur ex MS. Port.
[b] Illud, *Quid fumos vanissimos subjicis, quibus*, restituitur ex MSS.
[c] Editi, *barbarissimus*. At MSS. *bardissimus*.

CXLVII. Jul. *Pro conditione mortalis corporis incurrunt & ægritudinum ærumnas, & dolorum pœnas, & pericula morborum. Non solùm ergo parvulis necessariam Christi, à quo & facti sunt, medicinam fatemur; sed etiam omnium mortalium naturæ.*

Paradisi beatitudo nec mortem, nec tot mala corporum admisisset.

Aug. Ergo & in paradiso omnia ista mala futura fuisse creditis, si nemo peccasset; & mortes illic hominum, tamquam pecorum, cogitatis, quia omnibus ibi communem mortalitatem corporum creditis. O miseri, si beatitudinem loci illius Christiano cogitaretis affectu; nec bestias ibi morituras fuisse crederetis, sicut nec sævituras; sed hominibus mirabili mansuetudine subditas, nec pastum de alternis mortibus quæsituras [a], sed communia, sicut scriptum est, cum hominibus alimenta sumturas. Aut si eas ultima senecta dissolveret, ut sola ibi natura humana vitam possideret æternam; cur non credamus quòd auferrentur de paradiso morituræ, vel inde sensu imminentis mortis exirent, ne mors cuiquam viventi in loco vitæ illius eveniret? Nam neque ipsi qui peccaverant homines, mori potuissent, si non de habitatione tantæ felicitatis, merito iniquitatis exissent.

a Gen. 1. 30. Bestiæ ibi nec morituræ fuissent, nec sævituræ.

CXLVIII. Jul. *Cujus infirmitates ut in præsenti vita diverso remediorum genere mitescunt; ita etiam plenè, in justorum tamen corporibus, resurrectionis evacuabuntur adventu.*

Parvuli ut regeneratione justi, sic generatione deputantur injusti.

Aug. In his justis & parvulos ponis, qui nihil egerunt propriâ voluntate sive boni sive mali? an separas eos à justis, quos tamen à carnis resurrectione felici non separas? Quare ergo justorum corpora excepisti, in quibus hæc mala resurrectionis evacuantur adventu? Si autem parvuli propter justitiam secundi hominis, qui regenerationis est auctor, deputantur justi; cur non propter peccatum primi hominis, qui generationis est auctor, deputantur injusti?

CXLIX. Jul. *Ecce ergo in quantis humanæ naturæ necessariam Christi medicinam fatemur. At scio te vociferaturum, cavillo tecum agi. Non enim hanc te medicinam, qua corporibus subvenitur, sed nomine medicinæ significasse Christi gratiam, quam à nobis affirmabas negari. Ad quod responderi potest, tibi hoc esse adscribendum, qui rem quam volebas intelligi, propriis noluisses signare nominibus. Sed quia vel tardè intellectum est, quam diceres medicinam, quam confusè nos negare mentitus eras; respondeamus & ad hoc quod secundò intulisti, sicut & primo opere protestati sumus: nos gratiam Christi, id est, baptisma, ex quo ritum ejus Christus instituit, ita necessariam omnibus in commune ætatibus confiteri, ut quicumque eam utilem etiam parvulis negat, æterno feriamus anathemate.*

Gratia quia sanat, dicta medicina. Marci 2. 17.

Aug. De medecina agimus, quo nomine Christus gratiam suam vocari voluit, ubi ait de se ipso, Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Vos autem gratiam Christi non propter sanandos parvulos, sed propter adoptandos in regnum Dei tantummodo eis dicitis necessariam. Noli ergo te respondentem facere, ubi vides te respondere non posse.

CL. Jul. *Quod cùm lucida professione inculcemus, convictus es tu publicæ falsitatis, qui scribis adeo à nobis bonam defendi hominum naturam, ut sanæ in infantibus negemus Christi necessariam medicinam.*

Medicinam Christianæ gratiæ parvulis re vera denegant Pelagiani.

Aug. Verum dixi: medicinam quippe Christianæ gratiæ, quæ non confertur nisi Christianis, non autem omnibus hominibus etiam infidelibus, & insuper catellis atque porcellis, pisciculis atque vermiculis, omnique generi qualiumcumque animantium, sine dubio parvulis denegatis, quos utique sine ullo originis reatu, qui regeneratione sanatur, generatos esse contenditis. Unde tu modò magnas passus angustias, detraxisti medicinæ nomen, & supposuisti gratiæ: quia gratiam propter adoptionem parvulis necessariam dicere potestis; medicinam verò eis quibus æternam salutem, etiamsi Christiani non fiant, promittere audetis, per sacramenta Christi necessariam dicere non potestis. Christum quippe illis non vultis esse Jesum: quod ideo vocatur, teste Angelo, teste Evangelio, quia salvum facit populum suum, non à morbis atque vulneribus carnis, à quibus quoslibet homines & quælibet volatilia atque reptilia sanat, sed à peccatis eorum.

Christum ipsis nolunt esse Jesum. Matth. 1. 21.

CLI. Jul. *Quæ tamen gratia, quoniam etiam medicina dicitur, salva lege justitiæ facit alios ex malis bonos; parvulos autem quos creat condendo bonos, reddit innovando adoptandoque meliores.*

Aug. Ergo quod ait ipse Jesus, Non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus, quantum adtinet ad medicinam, quæ solis Christianis præbetur à Christo, in parvulis falsum est, quos & sanos esse, & eis, ut devitetis invidiam, medicinam Christianam dicitis necessariam. Quomodo autem innovat Christus, quos novos, à nativitate recentissimos, invenit, si nihil trahunt de vetustate peccati? An dicturus es etiam non vetus aliquid innovari, cùm legas ad Hebræos, Quando hoc dicit novum, vetus fecit primum? Dic ergo unde sint veteres modò nati, quos dicis sanos à vetustate peccati. Et tamen ad indignationem verorum Christianorum cavendam, à Christo eos simulas innovari. Postremò aliud est sanari, aliud innovari: propter sanandos curatio, propter innovandos instauratio necessaria est. Manifestum est igitur, hæresim vestram parvulis prorsùs Christianam negare medicinam.

Marci 2. 17. Medicum Christianum necessarium dicunt, ut devitent invidiam. Innovari non possunt infantes, nisi trahant vetustatem peccati. Hebr. 8. 13.

CLII. Jul. *Ecce ergo planum est, nos Christi gratiam utilem parvulis non negare: quid igitur controversiæ remansit, propter quod nos Traducianus erroris insimulat, videlicet quia non annuimus Adæ quidem bonam, sed omnium hominum malam factam esse naturam? Hoc sanè non solùm nos non annuere, verùm etiam & summis viribus impugnare profiteor. Remotis igitur illis figmentorum tuorum distortis pueriliter retibus, & vulgaribus maniis, quibus susurrabas nos Christi gratiam negare cunabulis, super hoc congrediamur, in quo est summa certaminis. Eo igitur ordine quem promisi, (quia jam nostra defendi,) Manichæi, cui te adversari simulabas, & vestra sensa pensemus.*

CLIII. Aug. Vestra non defendisti, sed defendi non posse monstrasti.

Jul. *Ille ergo dicit, à principe tenebrarum, id est, auctore mali, de duarum commixtione naturarum bonæ & malæ, hominem creatum fuisse: tu quid dicis? A Deo quidem bono, sed omnes homines malos creari.*

Aug. In homine nato & natura est, quam non negas bonum, de quo laudamus creatorem Deum; & vitium, quod non negas malum, si vel pressus confiteris necessarium parvulis medi-

[a] Sententia in editis mutilata est hoc altero membro, *sed communia, sicut* &c. Redintegratur auxilio MSS.

Marci 2. 17.

cum Christum; quoniam, Non est necessarius sanis medicus, eumdem de se ipso dixisse negare non potes Christum.

CLIV. JUL. *Inter te & Manichæum itaque nulla de qualitate naturæ, sed de solo est auctore dissensio. Hoc enim malum tu Deo reputas; quem parvulorum creatorem fateris, quod Manichæus principi tenebrarum, quem naturæ humanæ conditorem putavit. Ad instaurandum igitur fœdus, non grande vobis remansit obstaculum. Mox tamen docebo, apud utrumque vestrûm etsi veritatis vestigia nulla videantur, illius tamen magis quàm tua, sibimet dicta concinere. Nos porrò quid dicimus? Sine dubio quod utrique vestrûm repugnet, id est, nec à bono Deo malam, nec à principe tenebrarum aliam vel factam, vel commixtam esse naturam; sed unum Deum auctorem rerum omnium, bonam hominum non solùm fecisse primùm, sed etiam facere in unoquoque nascente naturam: cui tamen Creatoris sui opitulationem, ut multis modis utilem, ita etiam necessariam profitemur. Quamquam alia est conditionum ratio, alia donorum; nec hìc major operis, quàm opificis æstimatio vertitur. Ambo igitur, tu & Manichæus, pariter malum naturale firmatis, id est, ambo naturam malam hominum æquè dicitis: sed ille fideliùs, tu fraudulentiùs. Huic enim malo, quod inspiratum à diabolo visceribus humanis pariter arbitramini, nullius ortum ille subducit: tu autem, ut videaris aliquo distare, quod nullum est, solos ab eo duos homines conaris eximere; quorum non tamen personas à peccato liberas, sed (provectu eruditioris ingenii) dicis in illis non fuisse naturale, quod per illos tamen naturale factum esse persuades. Ita, ne vel isthic fraus impunita remaneret, furtum quod magistro tuo feceras, stultitiæ castigavit adjectio. Nam credere naturale, quod fatearis de voluntate susceptum, non dico ineruditæ, sed ebriæ mentis inventum est. Verùm hinc aliàs, nunc interim rem premamus. Affirmat ergo Manichæus malum esse naturale, tu annuis: dicit peccata nasci, tu ita esse consentis: dicit malam naturam hominum, hoc quoque confirmas: dicit omnium prorsùs, hìc restitis, atque illam primam duorum hominum copulam sequestrari petis, sanè * quòd nec ipsos vindices à reatu, quinimmo affirmes mali naturalis auctores. Id si & nos tibi indulgere possimus, tamen tuus non dabit magister, quin fortè etiam ferulis in tardum animadvertet ingenium; ita ut tibi necesse sit aut auctoritati adquiescere, aut scholas ejus omni ex parte deserere. Colligit autem ad extremum, & dicit, naturæ malæ bonum auctorem esse non posse, ac per hoc principis tenebrarum, id est, diaboli opus esse hominem, quem naturaliter malum ambo fatemini.*

* f. quos, vel quum.

Dogma catholicum contrariũ utrique errori, & Manichæorum & Pelagianorũ.

AUG. Naturam humanam à Deo bono conditam bonam, magno inobedientiæ peccato ita fuisse vitiatam; ut etiam posteritas inde traheret mortis meritum atque supplicium, cui tamen posteritati non negat Deus bonus opificium bonum, & contra vos & contra Manichæos catholica fides dicit. Sed vos qui hoc negatis, quæso, paulisper paradisum cogitate. Placetne vobis, ut ponamus ibi castos & castas contra libidinem dimicantes, gravidas nauseantes, fastidientes, pallentes; alias in abortu puerperia immatura fundentes, alias in partu gementes & ululantes; natosque ipsos omnes flentes, serò ridentes, seriùs loquentes, & hoc balbutientes, in scholas postea duci, ut litteras discant, sub loris, ferulis, virgisque plorantes, pro varietatibus ingeniorum distributa varietate pœnarum; insuper innumerabiles morbos, & dæmonum incursus, & ferarum morsus, quibus quidam cruciarentur, quidam & absumerentur; qui verò sani essent, sub incertis eorum casibus misera parentum sollicitudine nutrirentur: essent etiam ibi utique orbitates, & luctus, & amissorum carissimorum desideria cum doloribus cordis. Longum est persequi omnia, quibus malis abundat hæc vita: nec sunt tamen ista ulla peccata. Hæc ergo si futura erant in paradiso, nullo ibi, cujus merito exsisterent, præcedente peccato, quærite ista quibus, non planè fidelibus, sed irrisoribus prædicetis. Certè si talis paradisus pingeretur, nullus diceret esse paradisum, nec si suprà legisset hoc nomen inscriptum: nec diceret errasse pictorem, sed planè agnosceret irrisorem. Verumtamen eorum qui vos noverunt, nemo miraretur, si adderetur nomen vestrum ad titulum, & scriberetur *Paradisus Pelagianorum.* Si autem hinc erubescitis, (neque enim re vera pudoris ullum putandum est in vobis remansisse vestigium, si non hinc erubescitis,) perversam, quæso, tandem mutate sententiam, & humanam credite in has miserias peccato illo magno mutatam fuisse naturam; neque ullo modo ista in paradiso esse potuisse: propterea inde exisse illos, quorum etiam propago digna erat talia sustinere, transeunte in omnes contagione peccati cum conditione supplicii. Hoc dogma catholicum & justitiam Dei defendit, quia non immeritò vitam mortalium voluisset esse pœnalem: & vos Manichæosque subvertit; vos quidem, quia malis talibus horribilem paradiso tribuitis infelicitatem; Manichæos autem, quia malis talibus naturam Dei sui, (ac per hoc quid aliud quàm Deum suum?) asserunt infelicem.

Paradisus qualis juxta Pelagianorum hæresim & quàm falsus fuisset.

Proinde me movere non debet, quòd mihi magistrum Manichæum, qui ferulis in meum tardum ingenium animadvertat, opponis: sed te obsecro moveat, quòd secundùm erroris vestri infandum horrendumque portentum, erudireris ferulis, etiamsi in paradisi populis nascereris. Quam deformissimam absurditatem, si nobiscum horrescitis, ut debetis; unde est, rogo vos, etiam ista puerorum miseria? (quæ procul dubio non est ex natura mali, quam desipiunt Manichæi,) nisi quia illo peccato magno & nobis inæstimabili sic vitiata est humana natura, & pœnis justissimis implicata, ut ex ea non solùm corruptibilitas corporum tot ærumnosis casibus subdita, verùm etiam tarditas ingeniorum obnoxia ferulis aliisque verberibus oriretur; atque ita hoc malignum sæculum per malos dies usque ad terminum suum curreret, ut etiam sancti ab æterno supplicio eruti per divinam indulgentiam, pignore incorruptibilis salutis accepto, pœnas tamen vitæ hujus in bono usu earum tolerare juberentur, cum mercede patientiæ, potiùs quàm illis mererentur etiam post remissionem peccatorum carere.

JUL. *At tu contra hoc ultimum totus insurgis; & cùm in unam navem cum Manichæo adscenderis, cúmque idem spiritus cursum vestrum direxerit, transmisso jam freto, putasti tibi tamen in littus aliud exeundum. Verùm fortè dilectu utilitatis proximæ to-* CLV.

lerabilior fiat licèt tarda cunctatio. In quem igitur portum navigium dirigis? Dico, *inquis*, bonum quidem Deum esse, eumdem tamen conditorem malorum. *O periculi fugam in scopulos actam, totam Manichæi sentinam super eum effundere voluisse, quem Deum putaris!*

Manichæi error quàm diversus à catholico dogmate, & quàm insanus.

Aug. Numquid tu negas, etiam in malis hominibus bonam esse naturam & animi & corporis? Hujus boni est conditor Deus; quod Manichæus malum dicit, & huic bono quod malum dicit, malum adsignat auctorem. [a] Non enim saltem animæ parcit: sed sicut suam quamdam dicit esse animam carnis, ita malam naturam Deo bono coæternam, ut bona omnino esse non possit: alteram verò animam bonam in eodem homine, non à Deo factam, sed substantiam Dei atque naturam, in hujus commixtionis miserias, nulla sua iniquitate, sed Dei mala necessitate contrusam. Hoc autem totum opificium quod est homo, & malum & mali esse dicit auctoris. Vides-ne quàm diversa ille sapiat, & ob hoc insanissimè nefariéque desipiat? Tu autem qui propterea malos nasci posse non putas, quia Deus bonus eos creat; contende, si potes, nec corpora nasci posse vitiosa, quia & ipsa Deus integer creat: contende postremò, sicut malos, quia bonus eos creat; ita nec tardos ingenio, nec fatuos homines nasci, quia sapiens eos creat. An non est malum fatuitas, cùm Scriptura dicat, incomparabiliter ampliùs fatuum lugendum esse quàm mortuum? Sicut ergo nobiscum non dicitis Deum fatuitatis auctorem, cùm tamen nasci homines fatuos Deo creante fateamini: sic nos auctorem malitiæ non dicimus Deum, & tamen originalis obligatione peccati malos homines nasci, non nisi creante ipso, quia non creat homines nisi ipse, rectè possumus dicere.

Eccli. 22. 10.

CLVI. Jul. *Absolutè igitur claret, opinionem illius consequentiæ plus habere: si malum aliquid naturaliter conderetur, consimilem sui indicaret auctorem.*

Aug. Sic sapiant, qui, nisi hæretici Pelagiani? Ergo quia mortalis homo, secundùm te, non pœnaliter, sed naturaliter conditur, consimilem sui mortalem ostendit auctorem: & ut fatuitas tua saltem fatuis erubescat; quia fatuus homo naturaliter conditur, consimilem sui ostendit fatuum auctorem.

CLVII. Jul. *Præscribit autem veritas, primò malum, id est, peccatum, dici non posse, quod ita est ut ejus natura compulerit; peccatumque nihil esse aliud quàm exorbitantem à calle justitiæ liberam voluntatem.*

Peccatum quid Juliani opinione.

Peccatum nullum est nisi voluntate.

Aug. Sed hoc quoque originale peccatum ex voluntate peccantis originem ducit; atque ita nullum est nisi voluntate peccatum.

CLVIII. Jul. *Quibus præsidiis innocens rerum omnium natura defenditur, quæ ita manens ut condita est, nulli crimini probatur obnoxia.*

Natura in quantum à Deo conditur, est bona.

Aug. Non autem ita mansit ut condita est: ideo crimini probatur obnoxia, suamque stirpem suo crimini tamquam hereditario fecit obnoxiam: quæ tamen etiam ipsa, in quantum à Deo conditur, bona est.

CLIX. Jul. *Malum igitur naturale esse non potest: ac per hoc nec rea ulla naturaliter creatura, nec malus auctor. Malum quippe non exstantis invenitur naturæ: sed sicut omnis creatura, in quantum condi-*
A *tur, bona est; ita & Deus naturarum auctor bonarum, nullo operis sui crimine maculatus, per omnia bonus probatur. Totum igitur quidquid Manichæus adtulerat, hac una catholicorum ratione subversum est.*

Aug. Hoc verum dicis: prorsus *omnis creatura, in quantum conditur, bona est*: & ideo sicut hoc, ita & quod sequitur utrique dicimus; quoniam *Deus naturarum auctor bonarum nullo operis sui crimine maculatus, per omnia bonus probatur.*
B Hoc enim totum * illic connectitur, quod *omnis creatura, in quantum conditur, bona est.* Ac per hoc & homo in quantum conditur, bonus est: in quantum autem de vitiata origine generatur, bonus non est; ideo regenerandus est.

* f. illi.

Jul. *Sed tamen ille qui fulmine veritatis tam perspicuæ interiit, ex parte aliqua videtur spirare, cùm confertur tibi. Illi enim tota dogmatis sui, fundamento ejus tantummodo nutante, structura conlabitur: tibi autem tria similiter vacillant, ut illi*
C *unum. Ac per hoc, vide utrùm ædificii tui quidquam possit assurgere.* [b] *Manes ergo putans esse naturale peccatum, quod nisi voluntarium esse non potest, in vacuo fundamenta locavit. Reliqua verò juxta se consequenter imposuit, dicens, quoniam est naturale peccatum, malam esse naturam; malæ autem rei auctorem bonum non esse: ac per hoc, omne humanum genus reputandum principi tenebrarum: quod totum utique stare potuisset, nisi illud primum ejus suffodisset veritas, id est, peccatum opus liberæ voluntatis*
D *doceri naturale non posse, & quidquid fuisset naturale, peccatum esse non posse.* CLX.

Julianus suo gladio jugulandus à Manichæo.

Aug. Similiter contra te potest ratiocinatio ista contexi: Quia non ita fatuus es, ut ingenia fatua, idest, fatuos homines nasci neges: ergo audi tua fatuitate quantum adjuveris dementiam Manichæi. Dicit enim doctus à te ipso, quoniam naturalis est fatuitas, eamdem fatuam esse naturam; quomodo tu dixisti, *quoniam est naturale peccatum, malam esse naturam*: deinde
E ille addit, fatuæ autem rei auctorem sapientem non esse; sicut tu dixisti, *malæ autem rei auctorem bonum non esse*: postremò ille concludit, Ac per hoc, fatuorum hominum genus reputandum principi tenebrarum: sic enim & tu conclusisti, dicens, *Ac per hoc, omne humanum genus reputandum principi tenebrarum.* Ecce Manichæus ore tuo te vicit, tuo te gladio jugulavit. Quid es acturus? Neque enim te adversùs eum potest aliquid adjuvare, ac non etiam plus premere atque
F confodere, quod adjungis, & dicis, *totum hoc utique stare potuisse, nisi illud primum ejus suffodisset veritas, id est, peccatum opus liberæ voluntatis doceri naturale non posse, & quidquid fuisset naturale, peccatum esse non posse.* Quid te hoc adjuvat, & quomodo non magis magisque suffocat? Numquid enim potes dicere, fatuitatem naturalem esse non posse? Stat ergo adversùs te, quod in simili ratiocinatione primum posuit Manichæus, quoniam est naturalis fatuitas: cui velut funda-
G mento cetera ejus putasti consequenter adstructa, usque ad culmen ubi dicit, tale hominum genus reputandum principi tenebrarum.

Manichæi à catholicis funditus everti.

Nos autem primùm illud fundamentum ejus evertimus, qui naturalem fatuitatem ideo dicimus, quia nascuntur homines fatui, ex accidente scilicet

a Sic MSS. At editi, *Nemini saltem animæ.*

b Editi, *Malè.* At MSS. *Manes*, nomen proprium Manichæi.

scilicet vitio, ex quo hujusmodi origo meritò A traheretur, non quia prava est primitus humana instituta natura, sicut desipit Manichæus. Ac per hoc, etiam quod consequenter adjungit, eamdem fatuam esse naturam; nos propter vitium, cum quo natus est fatuus homo, non propter quod in illo est opificium conditoris boni, verum esse concedimus. Natus est enim fatuus, accidente vitio; homo autem creatus est, operante Deo. Deinde quod addit, fatuæ autem rei auctorem non esse sapientem, ut res ipsa B homo intelligatur; non esse consequens dicimus. Ejus quippe hominis qui fatuus natus est, Deum dicimus, quamvis non dicamus ipsius fatuitatis, auctorem. Quæ fatuitas non est natura atque substantia, quæ non nascitur nisi creante Deo; sed ejusdem naturæ vitium, quod accidit sinente Deo: justo autem judicio Deum ita sinere, non utique dubitamus. Ita destruimus & Manichæos malos ruinæ suæ structores, & Pelagianos Manichæorum fatuos adjutores.

Pelagiani Manichæorum adjutores.

CLXI.

C Jul. *Primæ igitur definitionis eversu, culmina ejus in solum cuneus rationis effudit. Quid igitur de te speras, cujus tria ita sunt in lubrico, sicut illius unum? Dicis enim primò, naturale esse peccatum; secundò, bonum Deum, qui mala, id est, peccata condat, informet, extendat; tertiò verò, rem voluntatis immixtam esse seminibus. Hæc ergo tria definitionum tuarum capita singula apud semet vacillant: vacillant, inquio, immo ut funes è sabulo, dilabuntur, ante quàm coëant. Unum ergo, id est, naturale* D *peccatum jam in Manichæo, ex directo quidem destructum jacet: alia autem duo quæ opinionis vestræ sunt propria, Manichæo totidem intereunte, * sed consueta ceciderunt. Nam si ille reos nasci homines, nec per malam naturam, nec per principem tenebrarum potuit vindicare; quanto magis vos stulti, qui ad ostendenda nascentium crimina junxistis accusationem Dei? Ac per hoc, sicut non potest natura esse peccatum, quo fulmine Manichæi dogma dissiliit: ita recurrit, ut quod peccatum est, naturale esse non possit.* E *Res enim voluntatis non transit in conditionem substantiæ: quod tu factum arbitraris. Multo autem magis constat, Deum bonum malos numquam creare. Apparuit itaque, peccatum in nascente, quem Deus creat, esse non posse.*

* f. sed confusa.

Aug. Ita constat Deum bonum malos non creare, quemadmodum constat Deum sapientem fatuos non creare. Si enim dixeris, Creat sapiens fatuos: respondebitur tibi, Cur non ergo & bonus malos? Unde factus intentus cùm quæ- F sieris, unde nascantur fatui, quos tamen homines Deus creat; ibi fortè invenies originis vitium, qui fateri non vis originale peccatum. An verò paratus es dicere, nullo ullius præcedente peccato, etiam fatuos nasci in illa paradisi felicitate potuisse, qui erudiri, non dico ferulis, sed nec fustibus possent? Quòd si non dicis, ne omnem fatuitatem hæc transcendat absurditas: dic quo merito imago Dei cum tanta mentis deformitate nascatur, ut nullo robore ætatis, nulla G prolixitate temporis, nullo labore studiorum, nullâ industriâ magistrorum, nullis pœnis verberum possit, non dico ad sapientiam, sed ad qualemcumque doctrinam utilem pervenire; qui non vis credere Deum justum ideo de paradiso, hoc est, felicitatis loco, vitiatam atque damnatam naturam humanam dimisisse, ne mors illic ulla contingeret, id est, nec temporalis corporis, nec totius hominis sempiterna, nec ista tot ac tanta quæ in genere humano cernimus ingeniorum & corporum mala, quæ de radice depravata atque punita & massa perdita nasci oportebat, in regione illius beatitudinis nascerentur; sed potiùs in his terris miseriæ mortalium, quæ justissimè inflicta est, deputatis, reatu persequente nascentes, neque à renascentibus labore recedente ærumnoso usque ad corporis mortem.

Fatui quidem nascentes, fateri cogunt originale peccatum.

Jul. *Res clara est, & in primo opere jam sufficienter impleta. Verùm quoniam tu adeo pellax esse voluisti, ut aliquam inter te & Manichæum distinctionem facere nitereris: ideo necesse mihi nunc est urgere caussam, ut non solùm præteritis dictis tuis, sed etiam, si qua deinceps inferre tentaveris, clareat obviatum. Dicimus itaque, tam bonum esse opus Dei in nascente, ut ea quæ substantiæ ejus sunt naturalia, opus emendatore non habeant. Quoniam quicumque censuerit, id quod à Deo factum confitetur, aliter fieri debuisse: illum sine dubio reprehendit, quem corrigendæ in alteram formam creaturæ confitetur* [a] *artificem.* CLXII.

Aug. Tace, obsecro: quid loquaris ignoras. Nonnulli clausis oribus nati sunt, & eis à medicis sunt aperta. Erat apud nos Acatius quidam, honesto apud suos ortus loco: clausis oculis natum se esse dicebat; sed quia intus sani palpebris cohærentibus non patebant, medicum eos ferro aperire voluisse, neque hoc permisisse religiosam matrem suam, sed id effecisse [b] imposito ex Eucharistia cataplasmate, cùm jam puer quinque ferè aut ampliùs esset annorum, unde hoc se satis meminisse narrabat. Omitto illum evangelicum cæcum natum, cui lumina, quæ propter commendanda mirabilia sua minùs fecerat, ipse artifex reddidit. Ibi enim cur cæcus natus fuerit, caussa non tacita est; non scilicet propter peccatum suum, vel parentum, sed ut manifestarentur opera Dei in illo. Verumtamen interroga medicos, & dicant tibi quàm multis, ubi possunt, opitulentur, ne vitia corporibus innata permaneant, vel etiam natos necent. Nam quidam, sicut alii oribus, ita clausis inferioribus meatibus oriuntur, quæ utique vitia si maneant, non eos sinunt vivere. Neque enim cùm his medicinali peritiâ subvenitur hominibus, Dei opera culpata emendantur. Quis enim verax Dei cultor ignorat, quòd tales sic nasci oportebat ut nati sunt? Sed etiam hoc pertinet ad ærumnas generis humani, in quibus aguntur hi dies mali, justo judicio Dei, laboribus, doloribus, timoribus, periculis pleni: quæ omnia mala absit ut essent in illa felicitate paradisi; ac per hoc non pullulaverunt nisi de radice peccati. Quid, ipsa ingenia, si dimittantur ut nata sunt, nec doctrinis sollertibus excolantur labore magno docentium atque discentium, nonne apparet qualia remanebunt? Sed vos hominibus & corpore & animo vitioso natis vestrum implete paradisum, ut infeliciter oculis clausis, & impudenter ore aperto negetis originale peccatum.

a Vitia corporibus innata quædam, & per curam sublata.

b Cataplasma ex Eucharistia.

Iohan. 9. 3.

Mala corporis & animi pullulaverunt de radice peccati.

[a] Sic Port. Alii verò MSS. cum editis loco *artificem*, ferebant *acceptam*.

[b] Adjecimus *imposito* ex veterum codicum fide.

CLXIII. Jul. *Probabilitate itaque & eâ mediocritate laudum quæ naturis debetur, etiam in nascentibus quibusque servatâ, augmenta beneficiorum divinorum utilia esse & necessaria omnibus in commune ætatibus dicimus: ita tamen ut nec virtus, nec peccatum, sine propria cuiquam voluntate tribuatur.*

Aug. Non tribuitur cuiquam virtus sine pro-
Prov. 8. sec. LXX. pria voluntate: sed præparatur voluntas à Domino, sicut regis illius, propter quod oravit
Esther 15. Esther.

CLXIV. Jul. *Quamvis in hoc quoque clementia Dei uberior approbetur, quoniam sanctificat parvulos nescientes: ad laudem quippe misericordiæ respicit: cùm eos nescientes culpa non inquinet; ad leges enim id pertinet æquitatis.*

Aug. Si eos nulla culpa inquinat, cur non omnes sanctificantur? & cur omnes qui sanctificantur, exsufflantur?

CLXV. Jul. *Sed de illis ego virtutibus dico, quas usu jam perfectæ* [a] *rationis adipiscimur: ac per hoc, quia id etiam hic, sicut frequenter, inculcari nobis fuit necesse, ad ea quæ inferimus ut sit adtentus lector, admoneo. Videbit enim ita in nullo Traducianos differre à Manichæis, ut non alia nobis objiciant argumentorum vice, quàm quæ in eorum libris tenentur. Feci id quidem etiam in primi operis mei libro quarto.*

Aug. Et respondi tibi libro meo sexto.

CLXVI. Jul. *Sed quia post editionem illorum, oratu tuo, beatissime pater Flore, apud Constantinopolim Manichæi epistola inventa est, atque ad has directa partes; opera est aliqua ejus inserere; ut intelligant omnes, unde hæc pro traduce argumenta descendant.*

Aug. Quomodo cujusquam oratu inventam dicis epistolam atque directam, si Deus non operatur in cordibus hominum voluntates? Utique homo qui invenit, epistolam voluntate quæsivit, aut voluntate aliquid quærebat eo loco, ubi eam potuit invenire; aut cùm de rebus talibus voluntate homines loquerentur, voluntate apud quem fuerat, indicavit eam se habere, quam posset ostendere & volenti tradere, quam volens ad has partes & ille dirigeret, & vel quocumque alio modo prorsus voluntate hominis vel hominum factum est, ut illa inveniretur & dirigeretur epistola; & tamen orante homine dicis hoc factum. Cur ergo non confiteris, sine ulla forinsecus sonante jussione Deum occulto instinctu ad quod voluerit efficacissimè implendum, præparare atque excitare hominum voluntates, qui liberum non defendis intelligendum, sed præcipitandum extollis arbitrium?

Deus occulto instinctu efficacissimè ad quod voluerit excitat hominum voluntates.

CLXVII. Jul. *Et quamvis jam pro concupiscentia vel voluptate carnis, quæ etiam libido dicitur, quæ sexibus ob virilitatem propagationis inserta est, primo illo opusculo eatenus disputaverim, ut docerem istam nihil aliud esse, quàm unam de instrumentis corporis, rationalibus & irrationalibus æquè inditam, ad Dei operam pertinentem, qui carnem nostram in sensibus affecisset: tamen quia ei & vehementer Augustinus incumbit, eamque dicit malam, id est, peccatum esse naturale, atque omnium peccatorum parentem, quod pudore ejus potissimùm persuadere conatur, meque irridet, qui eam erubescam nominare directim:*

Aug. Ego concupiscentiam carnis, qua caro

[a] Codex Mar. *perfectæ voluntatis.*

A concupiscit adversùs spiritum, & quæ libido etiam nuncupatur, malam esse dico; nunc in hac carne frænandam, & bona consuetudine minuendam; in æterna verò vita omni ex parte sanandam, non, quasi addita vel commixta nobis fuerit aliqua mala substantia, sicut Manichæi desipiunt, separandam: sed quodlibet de illa sentias, talem te illam, qualis nunc est, ut ad illicita perpetranda etiam castorum, sive conjugatorum, sive continentium corda sollicitet, & nisi
B robustiore voluntate ei resistatur, evertat, in paradiso constituere posse non crederem, nisi in istis tuis libris vana & insana loquacitate plenissimis invenirem.

Concupiscentia mala est, atque hic frenanda & minuenda, in beatis autem omnino sananda.

Jul. *Ideo & ego qualitatem rei, quam prioribus scriptis distinguendo à Manichæi ore defendi; nunc quoque breviter criminatorum ejus, qui tamen se ei servire profitentur invitos, proditu vindicabo.* CLXVIII

Aug. Vos potestis congruenter servire laudatæ libidini: nos autem in adjutorio Domini
C oppugnamus & vincimus accusatam.

Jul. *Quod igitur libris tuis, senex Augustine,* CLXIX *retinetur:* libido exorta est post peccatum, quam coacti sunt velare confusi. *De nupt. & conc. lib. 1. c. 21.*

Aug. Quod igitur libris tuis, juvenis Juliane, retinetur: apparet te contra libros meos non invenire quid dicas, & quærere calumnias, quas nobis loquaciter & inaniter ingeras.

Jul. *Et item,* Pudendâ libidine qui licitè CLXX *Ibidem.* concumbit, malo bene utitur; qui autem illicitè,
D malo malè utitur. Rectiùs enim accipit nomen mali quàm boni, unde erubescunt & mali & boni; meliúsque credimus Apostolo, qui dicit, Quia non habitat in carne mea bonum. *Et alibi,* *De nupt. & conc. lib. 1. c. 12.* Non est libido nuptiarum bonum, sed obscœnitas peccantium, necessitas generantium, lasciviarum ardor, nuptiarum pudor. *Et illud,* Quod *Ibid. c. 7.* postea propagatione fecerunt, hoc est connubii bonum: quod verò priùs confusione texerunt, hoc est concupiscentiæ malum, quod vitat ubi-
E que conspectum, & quærit pudendo secretum. *Vel talia quibus ad hoc argumentum uti soles, memoria tuâ magis quàm ingenio prolata sunt. Manichæus ergo afflictus est, ut ea quæ putabat acuta componeret; tu verò frustratus, qui putasti latere posse quod legeras & tenebas.*

Aug. Quis enim est, qui vel tenuiter Manichæorum dogma cognovit, & lateat eum Manichæos dicere malam esse concupiscentiam carnis? Sed non est hoc proprium dogmatis eorum: nam quid aliud dicit etiam ille qui dicit, "Caro *Gal. 5. 17.*
F concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non ea quæ vultis, faciatis? Quid aliud etiam ille qui dicit, "Quisquis dilexerit mundum, *1. Johan. 2. 15.* non est caritas Patris in illo; quia omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est?" Malam ergo esse concupiscentiam carnis, non proprio
G dogmate Manichæi dicunt; quod vident qui cæci non sunt, & Apostolos dicere; sed Manichæorum propriam virosamque sententiam error vester adjuvat, qui concupiscentiam carnis, cui, velitis nolitis, ad illicita perpetranda sollicitanti castitas reluctatur, negatis de peccato accidisse

Manichæorum proprius error, concupiscentiam esse de substantia mala, Deo coæterna.

naturæ, quam Deus condidit bonam. Ac sic, agitis ut eam Manichæi, quam conflictatione castorum & Apostolorum testimonio convincunt malam, de gente tenebrarum & de mala substantia Deo coæterna, etiam ipsam, non malam qualitatem sanandam [a], sed malam substantiam separandam; nec bonæ naturæ accidisse, sed bonæ naturæ commixtam fuisse concludant. Sed pergite, & nobis calumnias de Manichæorum peste molimini: quos ita adjuvatis, ut faciatis invictos; nisi & vos cum illis, eâ, quæ verè invicta est, catholicâ veritate vincamini.

Manichæi sic adjuvatur à Pelagianorũ errore, ut fiant invicti.

CLXXI. Jul. *Audi igitur nunc atque agnosce, quid parens tuus ad quamdam filiam suam, vestram scribat sororem.*

Aug. Convicia sunt ista, nec urbana, sed vana.

CLXXII. Jul. [Manes *apostolus Iesu Christi, filiæ Menoch: Gratia tibi & salus à Deo nostro, qui est re vera » verus Deus, tribuatur, ipseque tuam mentem illustret, » & justitiam suam tibimet revelet, quia es divinæ » stirpis fructus.*] *Et post pauca,* [*Per quos & tu splen- » dida, inquit, reddita es, agnoscendo qualiter priùs » fueris, ex quo genere animarum emanaveris, quod » est confusum omnibus corporibus & saporibus, & spe- » ciebus variis cohæret. Nam sicut animæ gignuntur » ab animabus, ita figmentum corporis à corporis na- » tura digeritur. Quod ergo nascitur de carne, caro est; » & quod de spiritu, spiritus est: spiritum autem ani- » mam intellige, anima de anima, caro de carne.*]

Manichæi epistola.

Aug. Si dicam tibi, istam Manichæi epistolam me omnino nescire; quamvis verum dicam, omnino non credes, & mecum, ut soles, vana loquacitate contendes. Sed si hoc dixit Manichæus; quid mirum est, quòd se ipse destruxit? Si enim sicut hominis caro, etiam hominis anima nascitur sive bona sive mala; duas enim simul animas in homine uno esse delirant, unam malam, alteram bonam, de suis principiis diversis emanantes: si ergo nascitur anima, quando nascitur caro; profectò nec mala illa est Deo coæterna, nec contra principes tenebrarum bona, sicut ejus secta desipit, ab æterno Patre prolata est. Sed quoquo modo dicat Manichæus animas nasci, ad nos quid pertinet, qui verba illa Domini, Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est de spiritu, spiritus est; non cùm homo ex homine nascitur, sed cùm ex Dei Spiritu renascitur, fieri novimus & tenemus? Non enim evangelicus ipse totus locus aliud permittit intelligi. Quære ergo quibus possis Manichæi has fabulas vendere; & potiùs propter illa quæ superiùs dixi, quomodo Manichæorum non sis adjutor ostende.

Animas in homine duas esse delirant Manichæi.

Johan. 3. 6.

CLXXIII. Jul. *Cognoscis nempe, quomodo signatissimè Manichæus traducem confirmet animarum, & quo testimonio utatur ad vituperationem carnis, illo videlicet quod in ore vestro versatur, id est, Quod nascitur de carne caro est, & quod de spiritu, spiritus est.*

Aug. Jam dixi quomodo nos accipiamus hæc verba evangelica; quoniam non generationem, sed regenerationem docent. Tu dic, si potes, quomodo non adjuves Manichæi verba sacrilega de concupiscentia carnis, quam propterea tu negas de natura primi hominis prævaricatione vitiata in nostram naturam propagatione descendere, ut eam putetur ille Deo coæternæ tenebrarum genti rectissimè deputare. Insipientissimè quippe & impudentissimè abs te negatur malum, quo caro concupiscit adversùs spiritum, & contra quod geruntur interiora bella castorum.

CLXXIV. Jul. *Ideo non solùm eloquendo, sed etiam repetendo inculcat, dogmatis sui esse proprium, traducem animarum putare: quod etiam per similitudinem generantium corporum approbare conatur.* [*Sicut animæ, inquit, gignuntur ab animabus, ita figmentum » corporis à corporis natura digeritur; & sicut caro de » carne, ita anima de anima.*] *Sed pergamus ad reliqua.* [*Sicut ergo auctor animarum Deus est, ita » corporum auctor per concupiscentiam diabolus est, » ut in viscatorio diaboli per concupiscentiam mulie- » ris, unde diabolus aucupatur, non animas, sed cor- » pora.*]

Manich. epist.

Aug. Non corpora, sed animas aucupari diabolum potuit dicere Manichæus: corpora enim dicit ad gentis tenebrarum naturam, unde est & diabolus, pertinere. Proinde secundùm Manichæum, non corpora quæ ipsius sunt, sed animas bonas quæ ipsius non sunt, dicitur diabolus aucupari. Sed fides nostra bonum Deum creatorem & animarum & corporum novit.

De anima & de corpore sententia Manichæi.

CLXXV. Jul. [*Sive per visum,* [b] *sive per tactum, sive » per auditum, sive per odoratum, sive per gustum. » Tolle denique malignæ hujus stirpis radicem, & sta- » tim te ipsam spiritalem contemplaris. Radix enim, » ait Scriptura, omnium malorum concupiscentia.*] *Vides quo spiritu & propter quod dogma Manichæus concupiscentiam carnis incessat, hanc dicens esse legem peccati, quæ si à corporibus auferretur, spiritalem se filia ejus, ad quam scribit, factam videret. Quam opinionem quibus Apostoli nitatur confirmare sententiis, audiamus:* [*Caro enim adversatur spiritui, quia » filia concupiscentiæ est; & spiritus carni, quia filius » animæ est.*]

Manich. epist.

Aug. Duas substantias in verbis Apostoli Manichæus opinatur, unam bonam, alteram malam: non unam bonam substantiam, & alteram bonæ substantiæ vitium, ex primi hominis peccato generatione contractum, secundi hominis justitiâ regeneratione sanandum: quod & contra Manichæos, & contra vos, tamquam invictissimum telum, catholica fides fortiter jacit, & utrosque prosternit.

Duæ substãtiæ, una bona, altera mala, secundũm errorem Manichæi.

CLXXVI. Jul. *Intelligis retectas esse Manichæi dogmatis medullas, quibus fides vestra concrescit. Jam verò nos, id est, catholicos pergit arguere.* [*Quare vide quàm » stulti sunt, qui dicunt hoc figmentum à Deo bono » esse conditum, quod certi sunt à spiritu concupiscentiæ gigni,*]

Manich. epist.

Aug. In hoc à Manichæis simul arguimur, & vos & nos, quoniam figmentum carnis à Deo bono utrique conditum dicimus: spiritum verò concupiscentiæ, Manichæi substantiam esse dicunt malam, non vitium substantiæ bonæ, quo caro concupiscit adversùs spiritum; quod ad eos redarguendos dicimus nos, & ad eos adjuvandos negatis vos. Nam quia concupiscentiam, qua caro concupiscit adversùs spiritum, etiam vobis resistentibus malum esse convincunt; si non est, ut putatis, bonæ substantiæ vitium, mala substantia deputabitur; quod est dogma Mani-

Manichæi concupiscentiam dicunt esse substantiã malam.

[a] Hic ex MSS. adjecimus, *sed malam substantiam separandam.*

[b] In editis exciderat, *sive per tactum.*

chæorum, catholicæ fidei vobis adjutoribus inimicum.

CLXXVII. Jul. [*Cùm animo nolente coëunt, & secretis* (Manich. epist.)
» *pudoribus gerunt, quo tempore odio habent lucem, uti*
» *ne manifestentur opera eorum. Cujus rei gratiâ ait*
» *Apostolus, Non est volentis: ut subaudiatur, hoc*
» *opus. Sive enim bonum geramus, non est carnis; quia*
» *manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, &c.*
» *sive malum geramus, non est animæ; quia fructus*
» *spiritûs, pax, gaudium est. Denique clamat & ad*
» *Romanos Apostolus: Non bonum quod volo ago, sed*
» *malum operor quod exhorreo. Videtis vocem animæ*
» *contumacis, contra concupiscentiam defendentem liber-*
» *tatem animæ. Dolebat enim quia peccatum, id est,*
» *diabolus operaretur in se omnem concupiscentiam. Le-*
» *galis auctoritas indicat malum ejus, cùm omnes ejus*
» *usus vituperat, quos caro miratur & laudat: omnis*
» *enim amaritudo concupiscentiæ suavis est animæ; per*
» *quam nutritur anima, & ad vigorem accitur. Deni-*
» *que coërcentis se ab omni usu concupiscentiæ animus*
» *vigilat, ditatur, & crescit: per usum autem concu-*
» *piscentiæ* [a] *consuevit decrescere.*] *Intelligisne, vel serò deprehendisse nos unde non solùm saperes, sed etiam loquereris? Tanto enim magistrum tuum amore complecteris, ut non solùm itineribus ejus, sed etiam vestigiis insistas: quod tu omnibus scriptis asseris, sicut & illi quos ad Marcellini nomen edidisti, libri, & isti testantur quos ad Valerium destinasti, istam videlicet concupiscentiam carnis, quam etiam pudendam vocas, per diabolum admixtam esse humanis corporibus.*

Aug. Tu enim quâ impudentiâ pudendam negas, contra quam nunc, quando quidem illam libenter laudas, miror si fideliter dimicas. Quando autem miscebaris uxori, quamvis nihil timendo usui concessæ voluptatis inhiabas, secretum tamen erubescendo quærebas. Proinde ista tua suscepta, si in paradiso hominum felicitas permaneret, aut nulla ibi esset, aut nullos suos motus contra nutum voluntatis exsereret, quibus necesse esset obsistere, ut illi felicitati honestas congrua redderetur. Sed quoniam in ejus laudibus eò usque progressus es, ut libidinem qualem nunc esse sentimus, talem in paradiso futuram fuisse contendas, sibi reluctantium [b] sollicitantem corda castorum; quis non videat, quòd non sapientiâ, non eloquentiâ, sed impudentiâ mihi resistis, quia te victum confiteri perverso pudore prohiberis? Nos ergo carnis concupiscentiam, nec substantiam naturæ malæ esse dicimus, quod dicunt Manichæi; nec omnis ejus usus reprobatur à nobis, sicut à Manichæis: nec eam rursus bonam dicimus, quod dicunt Pelagiani; nec ejus contra spiritum motus laudatur à nobis, sicut à Pelagianis: sed dicimus eam esse vitium substantiæ bonæ, quod in nostram naturam per prævaricationem primi hominis versum est, quod dicunt catholici Christiani; ejusque mali usus licitus & honestus liberorum procreandorum caussâ approbatur à nobis, sicut à catholicis Christianis. Ita & Manichæos & Pelagianos superamus, atque vitamus; quorum sic errores utrorumque diversi sunt, ut qui videtur minor, ipse illius qui videtur major, demonstretur adjutor. Quod enim malum esse satis evidenter apparet, dum Pelagiani negant esse vitium bonæ substantiæ, Manichæos

(De concupiscentia dogma catholicum utrique errori Manichæo & Pelagiano contrariũ.)

(Ambros. lib. 7. in Luc. 12.)

A adjuvant, qui vitium ipsum malam dicunt esse substantiam, boni Dei substantiæ coæternam.

Jul. *Hanc esse peccati filiam, atque aliorum* CLXXVIII.
peccatorum matrem, & de ea conqueri apostolum
Paulum, cùm dicit, Scio quia non habitat in carne Rom. 7. 18.
mea bonum. Et, Non quod volo bonum hoc ago, sed Ibidem 15.
quod odio illud facio: quod semper à catholicis ita expositum est, ut non ad naturæ infamiam, sed ad consuetudinis referretur invidiam:

Aug. Ita verò catholicus tu es, & Am-
B brosius catholicus non est? Non usque adeo
evanuerunt homines vestræ contagio vanitatis,
quoscumque decipere potuistis, ut hoc au-
deant in animum inducere. Proinde paulisper
adtende. Discordiam carnis & spiritûs, de qua
scriptum est, Scio quia non habitat in me, hoc Ibid. 18.
est, in carne mea bonum; velle enim adjacet «
mihi, perficere autem bonum non, & cetera «
hujusmodi: atque illud multo manifestius, Caro Gal. 5. 17.
concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem ad- «
C versùs carnem; hæc enim invicem adversantur, «
ut non ea quæ vultis faciatis: esse in hominibus
nec nos dubitamus, nec vos, nec Manichæi: sed
unde sit in homine uno ista discordia, inde dis-
sensio est, & tres proferuntur in hac dissensione
sententiæ, una nostra, vestra altera, tertia Ma-
nichæorum. Sed ne arroganter, vel fallaciter
vobis dicere videamur nostram esse catholicam,
ille eam proferat, cujus fidem & purissimum in
Scripturis sensum, sicut eum prædicat vester ip-
D se Pelagius, ne inimicus quidem ausus est repre-
hendere. Dicit ergo Ambrosius, hanc discor-
diam carnis & spiritûs, per prævaricationem
primi hominis accidisse nostræ naturæ: vos au-
tem dicitis, ex vi consuetudinis: Manichæi di-
cunt, ex commixtione duarum naturarum coæ-
ternarum, boni scilicet & mali. Poteram jam
dicere, ut eligat horum trium quod volue-
rit, qui vult catholicus permanere. Neque
enim timere debeo, ne Manichæos quisque fu-
E giens vos præponat Ambrosio. Sed vestram sen-
tentiam, qua dicitis hoc malum vi consuetudinis
inolescere, esse vanissimam judicat, qui videt si-
ne hoc malo neminem nasci. Mox enim ut quis-
que ratione uti cœperit, si concupiverit casti-
tatem, concupiscentiam carnis, quæ fuerat ætate
sopita, velut evigilantem repugnantemque jam
sentit; & aut victus abstrahitur, aut ne in ejus
labatur assensum, adversùs eam, si pius est,
Domino adjuvante confligit. Quod si non vul-
F tis accipere, quid in me sævitis? Manichæos,
Ambrosiumque committite, atque in spectaculo
hujus certaminis, si catholici estis, cui parti fa-
veatis eligite. Puto quòd à vobis victor Ambro-
sius judicatur: sed quia non estis catholici, etiam
sic securi spectamus: & vos enim & Manichæos
sine dubio vincit Ambrosius.

(Discordia carnis & spiritûs, secundùm catholicos, accidit ex primi hominis peccato. Pelag. l. 3. de liber. arb. V. suprà l. de gratia Chr. c. 41. Ambros. l. 7. in Luc. 12. Secundùm Pelagianos, ex vi consuetudinis; secund. Manich. ex commixtione naturarum boni & mali.)

Jul. *Tu tamen argumentando, & testimonia* CLXXIX.
Scripturarum usurpando, de hac illum concupiscentia, quam legem peccati vocas, & omnes sanctos tam
G *pollutos quàm conquestos fuisse confirmas.*

Aug. Non polluuntur hoc malo sancti, quos constat esse vel fuisse fortissimos hujus mali debellatores: sed ne isto malo inexpiabiliter polluantur, timeant potiùs ejus impudentissimi laudatores.

(Concupiscentiæ malo non polluuntur ejus fortissimi debellatores.)

[a] Editi, *desuevit.* Emendantur ex MSS.

[b] Ex MSS. fide addimus, *sollicitantem.*

CLXXX. JUL. *Quid Manichæus dicit? [Per concupiscentiam corporum auctor diabolus est: per hanc diabolus corpora, non animas aucupatur. Tolle, inquit, malignæ stirpis radicem, & spiritalis fies. De hac Apostolus clamat ad Romanos: Non bonum quod volo, sed malum operor quod exhorreo.] Nos etiam stultos vocat, qui dicamus figmentum hoc corporis ad Deum pertinere, quod per concupiscentiam generatum esse fateamur. Vides ergo, quanta tibi sit & Manichæo in nostri impugnatione concordia: ejus dimicas verbis, ejus niteris argumentis: & nos mentiri dicis, qui te discipulum illius non solùm fuisse, ut ipse scribis, sed etiam esse dicamus. Et in hoc tamen ille prudentior, qui cùm hanc concupiscentiam carnis à diabolo credidisset immissam, collegit confitendum esse ad Dei operam non pertinere, quidquid de diabolica concupiscentia appareret prolatum.*

AUG. Contra hoc totum valet superior nostra responsio, & cum hac aliæ superiores, quas legat qui volet.

CLXXXI. JUL. *Tu autem hebetior, qui fructum concupiscentiæ diabolicæ hominem dicens, Dei tamen eum adscribis operibus; non quasi de malo bonum factum, sed malum & de mala radice prolatum, habere tamen auctorem bonum, quem fructum radicis suæ diabolus sibi vindicet.*

AUG. Bonum aliquod est homo, etiam quisquis majoris ætatis est malus homo. Non enim quod malus homo est, aufert ei quod bonum aliquod est, quia homo est: cujus naturæ, id est, boni hujus auctor est Deus, quæcumque mala vel originis adtrahat, vel voluntatis adjiciat: non enim substantiæ naturæque sunt vitia; ab eo salvatore sananda, quo creatore condita est, eisdem vitiis vitiata natura. Hoc est quod & Manichæos evertit, & vos: qui non mecum, sed cum Ambrosio certatis; quem Manichæis in hoc certamine opposui, in quo & ipsos vincit, & vos.

CLXXXII. JUL. *Tuis enim sermonibus*, omnes de concupiscentia natos diabolus quasi suæ arboris fructus jure decerpit. *Æquè igitur blasphemas ut Manichæus, qui concupiscentiam carnis à Deo conditam vindicemus.*

AUG. Si ad caussam venire voluisses, cur baptizandi & exsufflentur, & exorcismo mundentur infantes, ibi apertissimè non solùm eruditis, verùm etiam idiotis catholicis Christianis novus hæreticus appareres. Sed quia id ex libro meo tibi quidem proposuisti quasi refellendum, sed pertractare ita timuisti, ut fallaci loquacitate vitares, & multa dicendo, quid tacueris operires: Apostolum tibi replico, velis nolis, & inculco dicentem de Deo Patre, Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii caritatis suæ. Hinc parvulos, si potestis, excipite; & audete dicere, eos in regnum quidem Christi regeneratione transferri, sed de tenebrarum potestate non erui. Verumtamen parate vos, in facies vestras easdem exsufflationes dignissimè excipere, quæ in Ecclesia Christi & majoribus adhibentur & parvulis. Talibus quippe exsufflationibus exsufflandi estis, qualibus apertissimè verum esse ostenditur quod negatis.

CLXXXIII. JUL. *Iam verò illud tuum, quod priore * opere ventilavi, ubi dicis*, Aliquando non facit libido animo volente, cùm aliquando faciat & nolente; *atque hanc ejus superbiam, quâ nolente animo commovetur, accusas: Manichæi, non solùm sensibus, sed etiam eloquiis explicatum est. Nam cùm nos arguisset, quia diceremus à Deo fieri homines, quos seminari fateremur per coëuntium voluptatem: [Stulti, inquit, à Deo dicunt esse conditum, quod certi sunt à concupiscentia gigni, cùm animo nolente coëunt.]*

AUG. Sed Manichæus non intelligit, etiam de hominis malo posse Deum creare quod bonum est, & hominem ipsum malo bene uti per pudicitiam conjugalem, cui malo reluctatur illicienti ad damnabilem turpitudinem. Sed tu qui hoc quod malum est, malum esse negas, cur ei repugnas, ne turpiter vivas; & cur ei si consentias, necesse est ut turpiter vivas?

CLXXXIV. JUL. *Quod verò tu posuisti*, Concupiscentiæ malum est, quod vitat ubique conspectum, & quærit pudendo secretum: *ita & Manichæus, [Secretis, inquit, pudoribus agunt, quo tempore odio habent lucem, uti ne manifestentur opera eorum.]*

AUG. Sicut Manichæus nescit quid boni agatur per carnalis concupiscentiæ malum; sic & tu nescis cui malo pudor quærat secretum, etiam in bono opere nuptiarum.

CLXXXV. JUL. Quod verò ais, quia concupiscentiâ qui licitè commiscetur, malo bene utitur, *ut magis credi Apostolo [a] commemores, qui dixisset, Quia non habitat in carne sua bonum, & hoc non bonum, idest, malum in carne Apostoli habitans, vis concupiscentiam carnis videri: Manichæus non aliter quàm tu posuit. Nam post quàm dixit, [ne manifestentur opera eorum. Propter quod Apostolus, inquit, clamat ad Romanos, Non bonum quod volo ago, sed malum operor quod exhorreo. Dolebat enim inquit, quia peccatum, id est, diabolus, operabatur in eo omnem concupiscentiam. Legalis auctoritas indicat malum concupiscentiæ, cùm omnem ejus usum vituperat, quem caro miratur & laudat.]*

AUG. Numquid Apostolus omnem concupiscentiæ carnalis usum vituperat, qui dicit, Et si acceperis uxorem, non peccasti; & si nupserit virgo, non peccat. Ergo Manichæus quid loquatur ignorat. Sed nec tu quid loquaris intelligis, qui putas aliud significasse Apostolum quàm carnis concupiscentiam: de qua alius Apostolus, quòd non sit à Patre, sed ex mundo sit, dicit: qua ut caro concupiscat adversùs spiritum, ex primi hominis prævaricatione descendere, catholicus doctus & doctor & didicit in [b] Catholica & docuit.

CLXXXVI. JUL. *Quod autem multùm ad distinctionem inter te & Manichæum tenendam valere existimasti, ut diceres bonam quidem, sed primorum hominum tantùm factam naturam, omnem autem deinceps per concupiscentiam fuisse subversam: etiam Manichæus ita disseruit. [Operæ, inquit, pretium est advertere, quia prima anima quæ à Deo luminis manavit, accepit fabricam istam corporis, ut eam fræno suo regeret. Venit mandatum, peccatum revixit, quod videbatur captivum: invenit [c] articulos suos diabolus, materiam concupiscentiæ in eam seduxit, & per illam occidit. Lex quidem sancta, sed sancta sanctæ; & mandatum & justum & bonum, sed justæ & bonæ.] Sic etiam in illa ad Patritium epistola,*

[a] MS. Port. *commoneres.*
[b] Editi, *Ecclesia Catholica.* Abest *Ecclesia* à MSS.

[c] Port. *articulosus diabolus.*

[*quasi de primæ factum flore substantiæ meliorem dicit* [a] *sequutis*:] *Non ergo magnum est, nec aliquid ad defensionem tui promovet, quod à criminatione naturæ humanæ Adam sequestrandum putasti, super cujus statu mox pleniùs disseremus. Hic monstrasse sufficiat, nihil ita rude in tuis sensibus inveniri, ut non sit jam Manichæi volutatione detritum.*

Manichæi errori & dementiæ quantùm catholica fides adversa sit.

A u g. Manichæus ex commixtione duarum naturarum coæternarum, boni scilicet & mali, non solum hominem, sed universum mundum constare dicit, & ad eum omnia pertinentia; ita sanè, ut ipsam fabricam mundi, quamvis ex commixtione boni & mali, Deo bono artifici tribuat; animalia verò, & cuncta quæ nascuntur è terra, & ipsum hominem, opera esse dicat malignæ mentis, quam genti adtribuit tenebrarum. Hinc est, quòd *animam primam* dicit *à Deo lucis manasse, & accepisse istam fabricam corporis, ut eam fræno suo regeret.* Non enim hoc de homine, sed de anima bona dicit, quam Dei partem atque naturam universo mundo, & omnibus quæ in eo sunt, opinatur esse permixtam; in homine autem per concupiscentiam decipi. Quam concupiscentiam, quod sæpe inculcandum est, non vitium substantiæ bonæ, sed malam vult esse substantiam. Malâ non vacuum fuisse dicit Adam, sed ejus minùs habuisse, multoque plus lucis. Videsne huic dementiæ, quæ Dei naturam corruptibilem dicit, eamque malæ naturæ commixtione corrumpit, quantum catholica fides adversa sit, quæ omnia mala generis humani, quorum non parvam partem parvulos etiam cernimus perpeti, & ipsam concupiscentiam qua caro concupiscit adversùs spiritum, quibus malis omnibus paradisus à vobis, sed vester, impletur, non dicit esse nisi ex natura bona, & à Deo bono bene instituta, sed propria voluntate & primi hominis prævaricatione vitiata. Quod vos negantes, quid agitis, nisi ut hæc omnia mala, quæ de peccato naturæ bonæ in parvulos venire non vultis, commixtioni malæ naturæ tribuantur, quam Manichæorum furiosus error inducit? Videtis igitur, etsi videre non vultis, insanos & perditos Manichæos, ne vobis adjuvantibus vincant, vobiscum esse vincendos; immo adjuvante Domino vobiscum esse jam victos.

CLXXXVII. *Manich. epist.*

J u l. *Persistit sanè invehi in nos, & adjungit,* [*Hi autem qui concupiscentiam istam contra evangelicos & apostolicos libros, quos vacuo lectitant, bonum ausi sunt dicere; videas, inquit, sanctos eorum nunc cum filiabus dormisse, nunc cum pluribus & concubinis & uxoribus miscuisse negotium. Nec hoc Apostoli vident: Quæ societas luci & tenebris, fideli & infideli, Christo & Belial? Errant glomerati nubilo concupiscentiæ, cujus veneno ita fruuntur, ut amentiâ capti, cùm hoc gerunt, à Deo id concessum putent; quasi ignorent Apostolum dixisse, Quæ geruntur ab eis in tenebris, turpe est etiam dicere.*] *Vides nempe quomodo negotium vexat pudoris, atque contra nos id valere plurimùm putat, qui non malum dicere audeamus, quod velandum tamen pudore fateamur. Nullum vestimentum ergo texuisti, quo deformitatem tui dogmatis operires, præter pannos quibus in parentis tui & magistri hereditate crevisti. Persistit igitur erigi in nos, faciensque apostrophen,* **A** [*Age tu, inquit, defensor concupiscentiæ, aperto sermone narra fructus & opera ejus. Ecce ego contra eam, non timeo lucem, quam illa trepidat, quam illa odit. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ne manifestentur opera ejus. Videsne concupiscentiam mali esse originem, per quam miseræ animæ libidini serviunt, non sponte, quia hoc est quod nolente animo gerimus solum?*] *Hinc est quod & tu*: Nam quid est, *inquis*, quòd labia, lingua, manus, inflexiones dorsi, cervicis, & **B** laterum, ut ad opera congrua moveantur, positum in potestate est; cùm verò ventum fuerit ut filii seminentur, membra in hoc opus creata non serviùnt; sed exspectatur ut ea velut sui juris libido commoveat, & aliquando non facit animo volente, cùm aliquando faciat & nolente? *Enumerasti tu nempe omnia officia membrorum, eaque commendans servire voluntatis imperio, libidinis negotium dicis, quod hoc solum nolente animo faciamus. Quid Manichæus?* [*Videsne, inquit, concu-* **C** *piscentiam mali esse originem, per quam miseræ animæ libidini serviunt, non sponte, quia hoc est quod nolente animo gerimus solùm?*] *Sed videamus quid aliud adjungat.* [*Denique omne peccatum extra corpus est, quia actuale est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Omne enim peccatum ante quàm fiat, non est; & post factum, memoria sola ejus operis, non ipsa species manet: malum autem concupiscentiæ, quia naturale est, ante quàm fiat, est; cùm fit, augetur; post factum, & videtur, & permanet.*] **D** *Quid igitur nobiscum jurgas, quia te Manichæum vocemus; cùm nec in illius scriptis aliud quàm quod tu dicis, nec in tuis aliud quàm quod ille vult persuadere, teneatur? Iam verò illud quod per plebeia, à vobis tamen infusum, ora discurrit, in eadem Manichæi epistola continetur, id est,* Si peccatum naturale non est, quare baptizantur infantes, quos nihil per se mali egisse constat? *Ideo autem dixi illud per multorum volitare linguas, quia vulgarius argumentum etiam à tardis quibusque comprehensum* **E** *est: ceterùm tu in tuis libris in eo spem totam reponis. Et hoc ergo ipsum hoc modo tuus præceptor exsequitur:* [*Qui his verbis mihi interrogandi sunt, Si omne malum actuale est; ante quàm malum quispiam agat, quare accipit purificationem aquæ, cùm nullum malum egerit per se? Aut si necdum egit, & purificandus est;* * *licet eos naturaliter malæ stirpis pullulationem* [b] *ostendere, illos ipsos quos amentia non finit intelligere, neque quæ dicunt, neque de quibus affirmant.*] *Audis quomodo conviciatur nobis? Amentes* **F** *vocat, nec intelligentes vel quæ dicamus, vel quæ affirmemus, qui malæ stirpis pullulationem negemus; cùm baptizemus etiam eos purificante aquâ, qui malum nullum egerint, id est, parvulos. Posita sunt nempe de ejus multa sententiis: sed nisi Menoch filiam, & Manichæum qui se Christi Apostolum nominat, titulus indicaret, te omnino suum pollicerentur auctorem. Cùm ergo nihil aliud dicas, quàm quod Mani docente didicisti; putas te in æstimatione catholicorum aliter habendum, quàm illum per quem* **G** *talium dogmatum sacramenta potasti?*

Manich. epist. — *Aug. lib. 1. de nuptiis & concup. c. 6.* — *Manich. epist.* — *Manich. epist.* — * *f. liquet.*

A u g. Finisti tandem, quæ de Manichæi epistola, quam tui collegæ Flori orationibus adjutus te invenisse lætaris, contra nos putasti esse dicenda. Ubi certè Manichæus concupiscentiam carnis accusat, qua caro concupiscit adversùs

[a] Idem cod. Port. *sequutus*.

[b] Sic MSS. At editi, *offendere*.

spiritum: hanc autem catholicis objiciendam sic arbitratur, tamquam eam bonam esse dicant, quia nuptiarum bonum doctrinæ dominicæ atque apostolicæ sanitate commendant. Quando enim posset Manichæus malum concupiscentiæ carnalis à bono discernere conjugali, cùm ad Hebræos epistola non nisi eorum dicat esse solidum cibum, qui exercitatos habent sensus, ad separandum bonum à malo? Sed planè tu in hujus Manichæi morsum inevitabiliter incidisti, tantus laudator concupiscentiæ carnis, ut eam non qualis ibi esse potuisset, si esse debuisset, sed omnino qualis nunc est, etiam in paradiso, id est, in loco tam magnæ beatitudinis collocares; ut scilicet illius loci habitatores ita beata pace fruerentur, ut in se ipsis intestino bello, ne in consensus illius illiciti vel inhonesti concubitûs laberentur, contra motus concupiscentiæ dimicarent. Hoc malum in paradiso esse non posset, nisi fortè illo picto, de quo superiùs locuti sumus, qui haberet titulum suprascriptum, *Paradisus Pelagianorum.* Ubi etsi ipsa concupiscentia occultis motibus corda casta sollicitans non posset ullâ exprimi arte pictoris; pingi tamen possent gravidæ feminæ, cibos utiles fastidio repellentes, fœda delectatione noxios appetentes, nauseantes, vomentes, pallentes, immaturos fetus abortu aliquando fundentes, in ipso etiam partu pœnâ, quam mater Eva suscepit, miseriam suam protestantes; etsi non sonante picturâ, tamen facies tristium, gementium, plorantium; sicut poterat, imitante: natique ipsi omnes flentes communi sorte nascentium, & diversarum varietate pœnarum, & multi etiam postea sub verberibus magistrorum. Hanc picturam nesciens quisquis adspiceret, & titulum legeret, caussamque requireret; hæc ei videlicet, sed à vobis, egregia ratio redderetur, qua diceretis, Talis esset omnino etiam ibi conditio generis humani, quia talis est hîc, ubi similiter à fetibus hominum nulla trahitur origo peccati. Si adquiesceret, fieret Pelagianus: si verò inrisæ huic insipientiæ adquiescere nollet, argueretur à vobis ut Manichæus. Sed huic contentioni, Dei sancte antistes Ambrosi, docte in Ecclesia & doctor Ecclesiæ, dic istis, concupiscentiam quâ caro concupiscit adversùs spiritum, & de qua Manichæus nesciens quid loquatur, tendit muscipulas imperitis, non ex alienæ commixtione naturæ, sicut ille desipit, sed naturæ nostræ bonæ à bono conditæ ex prævaricatione primi hominis accidisse. Sed vos fortasse impudentissimâ pervicaciâ eligitis adjumenta præbere impurissimo Manichæo, quàm sancto adquiescere Ambrosio. Agite ut placet, sed non gaudebit vel vobis adjutoribus Manichæus; quoniam catholica fide, in Christi nomine & virtute utrosque vincit Ambrosius. Si enim talis esset ista concupiscentia, quæ carnali suo motu nec præcederet, nec excederet hominis voluntatem, sed ejus semper sequeretur arbitrium; profectò nec Manichæus quid in ea justè reprehenderet, inveniret; nec eam quispiam nostrûm in paradiso conjugatos habere non potuisse contenderet; nec Ambrosius de prævaricatione primi hominis eam traxisse nos diceret, quia concupiscere contra

Hebr. 5.14.

Concupiscentiæ malum in paradiso collocatur à Pelagianis.

Suprà n. 154.

Ambros. lib. 7. in Luca 12.

[a] MS. Port. quia.

A spiritum non videret. Nunc verò quia talis est, ut concupiscat contra spiritum, etiamsi spiritu resistente non vincat; & ideo esse non posset, pace illa magna in paradiso fruentium beatorum; nec fas est credere commixtione malæ naturæ corruptibilem Deum; restat ut & vos & Manichæos fides vincat Ambrosii de primi contagione peccati.

CLXXXVIII

Jul. *Superest ut examinemus illam sententiam tuam, [a] quam tu te ad unum sermonem revocare pollicitus, breviter, ut non est negandum, & acutulè collegisti:* Natura humana, si malum esset, non esset generanda; si malum non haberet, non esset regeneranda: atque ut ad unum verbum utrumque concludam, natura humana si malum esset, salvanda non esset; si ei mali nihil inesset, salvanda non esset. *In hoc loco non es à nobis ingenii tui laude fraudandus; pro tua enim prorsus dici meliùs ratione non potuit: sed tamen rerum natura non sinit, ut promoveat quidquam exacta calliditas. Durum tibi est omnino contra stimulum calcitrare: quidquid enim compegeris, non minùs quàm glacies admotæ veritatis igne dissolvitur. Denique quid à nobis nunc referatur adtende. Conclusisti hoc modo:* Certè natura humana si malum esset, salvanda non esset. *Assentimur, prorsus verùm dixisti:* si malum esset, salvanda non esset; *quia res mala, & naturaliter mala, nec mereretur, nec caperet salutem. Cur non caperet? Quia aliud quàm facta erat, fieri non posset: non autem mereretur, quia nihil in ea erat, quod Dei dignaretur liberare clementia. Cùm autem dicimus,* si esset, *(quod certè esse non potest,) non illi spem negati conciliamus effectûs: sed ad destructionem alterius opinionis, quæ incidit, de rebus impossibilibus dicere solemus, Si hoc vel illud, verbi gratiâ, esset, illud sine dubio sequeretur; ut cùm illud esse non potest, etiam hoc propter cujus amolitionem illatum fuerat, multò magis negetur. Iam igitur frequenter ostendimus, malum aliquid per naturam esse non posse: sed tamen nunc sine præjudicio istius constituti, sententiæ tuæ partem probamus, qua dixisti,* Natura humana si malum esset, salvanda non esset. *Salutem in baptismate collocasti, & argumentatus es consequenter; quoniam si verum dicerent Manichæi, qui malam dicunt naturam, desperent Christiani, qui malæ naturæ remedium baptismatis crederent admovendum: & ideo qui malam confirmat hominum naturam, gratiam negare compellitur; quod ita recurrit, ut qui gratiam confirmat, hominum laudet naturam, cujus saluti eam intelligit fuisse provisam.*

Lib. 2. de Nupt. c. 11.

Aug. Non est verum quod dicis: fallis, aut falleris. Non enim qui malam, sed qui malum confirmat hominum esse naturam, id est, non qui eam malam esse, sed qui eam malum esse confirmat, gratiam negare compellitur. Nam ubi mala est, ibi magis indiget gratiâ. Mala quippe est natura malus homo; quoniam homo sine dubitatione natura est: sic mala est natura mala mulier; quoniam mulier utique natura est. Quomodo ergo, qui hoc dicit, gratiam negare compellitur; cùm gratia naturis malis, id est, hominibus malis, ut mali esse desinant, opituletur? Sed aliter dicimus, Malus est iste homo; aliter, Malum est iste homo: illud verum esse potest, hoc non potest. Sicut, Vitiosus est ho-

A mo iste, si dicimus, verum esse potest: si autem dicimus, Vitium est iste homo, verum non potest esse. Proinde noli errare, vel mittere homines in errorem, & sic me dixisse intellige: Natura humana si malum esset, non esset generanda; si malum non haberet, non esset regeneranda: ac si dixissem, Natura humana, si vitium esset, non esset generanda; si vitium non haberet, non esset regeneranda. Item quod sequitur, ubi me ad unum verbum dixi utrumque B concludere, ita dixi: Natura humana si malum esset, salvanda non esset; si ei mali nihil inesset, salvanda non esset: tamquam dicerem, Natura humana si vitium esset, salvanda non esset; si ei vitii nihil inesset, salvanda non esset. Ecce feci verba mea planiora, non ut invenires quod contra diceres; sed ut intelligereris non potuisse invenire quod diceres.

CLXXXIX. Jul. *Quid igitur hinc conficiatur, adverte: non adhærere negationem gratiæ laudi humanæ naturæ; quin immo hæc quatuor ita esse conjuncta, ut alterum* C *sine altero teneri nequeat; sed infamia naturæ pariat negationem gratiæ, & laus gratiæ pariat prædicationem naturæ: ista enim in quamvis sibi partem reciprocari possunt. Bene ergo dixisti*, Natura humana si malum esset, salvanda non esset: *hoc enim utrumque dicunt Manichæi, malam videlicet carnis naturam, nec posse salvari per gratiam, nec debere.*

Malum Manichæi non accidens, sed substantiam esse putant.

Aug. Sed illi sic dicunt malam carnis naturam, D ut eam malum esse dicant, non malum habere; quia ipsum vitium non substantiæ accidens, sed substantiam putant esse.

CXC. Jul. *Sed post hæc admoves sententiam tibi caram, & dicis:* Si autem naturæ humanæ mali nihil inesset, salvanda non esset. Qui ergo dicit eam bonum non esse, bonum negat conditæ Creatorem; qui verò negat ei malum inesse, misericordem vitiatæ invidet Salvatorem. *Sit igitur lector intentus: videbit nihil te dixisse aliud, quàm* E *quod dicendum negaras: pronuntiasti enim, ei rei malum inesse naturaliter, quam dixeras malam non esse naturaliter.*

Aug. Non dixeram malam non esse, sed malum non esse: hoc est, ut planiùs loquar, non dixeram vitiatam non esse, sed vitium non esse. Relege, & intellige.

CXCI. Jul. *Sed intelligi non potest aliud mala natura, quàm id quod malum est habere congenitum.*

Aug. Sive congenitum sit malum, sicut ingenii fatuitas, sive voluntate assumtum, sicut F homicidium; potest dici malus homo etiam mala natura, quia & homo natura est; sicut malus equus potest & malum animal dici, quia & equus animal est.

CXCII. Jul. *Et ut fiat brevis ac pura conclusio: si naturæ inest ita malum, ut nascatur ex ea cum ipsis seminibus malum; mala sine dubitatione convincitur.*

Aug. Etsi mala convincitur, non tamen malum est: quia etsi vitiata convincitur, non tamen vitium est.

G CXCIII. Jul. *Si autem vindicatur à malis, & bona defenditur, nec nasci ex ea malum, nec ei inesse potest naturaliter. Evanuit igitur conclusio tua; quia sententia, quam secundo loco intulisti, non distinxit, sed geminavit priorem.*

Aug. Non continuò, si bona defenditur, vindicatur à malis. Eadem quippe natura, & bona est, in quantum natura est; & mala est, si vitiata est: non est tamen malum ulla omnino natura. Non igitur evanuit mea conclusio, qua dixi, Natura humana, si malum esset, salvanda non esset; si ei mali nihil inesset, salvanda non esset. Sed si vis verum dicere, dic potiùs evanuisse argumentationem tuam, qua voluisti refellere conclusionem meam.

Jul. Natura, *inquis*, humana si malum esset, salvanda non esset; si ei mali nihil inesset, salvanda non esset: *quid aliud ostendisti, quàm unam rem propter id debere salvari, propter quod illam negaveras debere salvari?* CXCIV.

Aug. Salvanda est, quia mala est, non quia malum est: si autem esset malum, salvanda non esset. Non enim quia malum est, sed quia malum habet, mala est: sicut non quia vitium est, sed quia vitium habet, vitiosa est. Quia vitiosa est ergo, salvanda est: si autem ipsa natura, hoc est, ipsa substantia, vitium esset, salvanda non esset. Quomodo ergo unam rem propter hoc dixi debere salvari, propter quod illam negaveram debere salvari; cùm aliud sit vitium habere, aliud vitium esse? Salvanda est ergo, quia vitium habet, non quia vitium est: si autem vitium esset, salvanda non esset. Vides quàm non hoc sit respondere, quod est non tacere: quandoquidem vides te nihil respondisse, & tamen tacere noluisse.

Jul. *Ac per hoc, eò revolutus es, ut Manichæum, quem professione contemseras, argumentatione reparares. Nam dicendo*, Si mala esset, salvanda non esset, *speciem pugnantis indueras: subdendo autem*, sed si nihil in ea mali esset, salvanda non esset, *ipsi te fideliter militare docuisti. Cùm ergo apparuerit hoc tuâ quod Manichæi sententiâ contineri, id est*, [a] *malam esse hominum naturam, cui ille & tu pariter malum inesse dicitis, tuque pronuntiaveris malam naturam non esse salvandam; absolutissimè confectum est, fidem vestram junctis omnino turmis tam naturam impugnare, quàm gratiam.* CXCV.

Aug. Numquid quoniam verba mea mutas, ut aliquid respondisse videaris, ideo difficile aut impossibile facis legentibus, vel recolere animo, vel certè in hoc ipso tuo libro paulò superiùs relegere, & videre quid dixerim, ubi & ipse illa sicut à me sunt dicta posuisti? Ego enim non dixi, Si mala esset, salvanda non esset; cùm ideo salvanda sit, ut non sit mala: sed dixi, Si malum esset, salvanda non esset. Habendo quippe vitium mala est, quo consumto, sine dubitatione fit salva: non ipsa vitium est; alioquin ipsa consumeretur, cùm consumitur vitium. Cùm verò salute vitium consumatur, quid isto modo nisi natura salvatur? Cùm itaque dicitur sanari vitium, non ipsum vitium, sed illa cui hoc inerat, natura salvatur; quæ si vitium esset, non salvaretur, sed finiretur potiùs sanitate: immo sanitas hoc modo ulla fieri non posset; quoniam si fieret, maneret natura sanata, consumto vitio quo non erat sana; si autem natura vitium esset, non utique consumto vitio sanaretur, sed ipsa consumeretur. Ac per hoc, natura humana non

si

[a] Editi, *malum esse*. At MSS. *malam esse*.

si mala esset, sed si malum esset, hoc est, si vitium esset, salvanda non esset; si ei [a] nihil mali inesset, hoc est, si vitio mala non esset, salvanda non esset. Ecce quod dixi, noli mutatis à te verbis meis velle facere locum, non responsionibus, sed contentionibus tuis.

CXCVI. Jul. *Sequiturque ut nemo possit laudare gratiam Christi, nisi qui in natura bonum opus laudaverit Conditoris.*

Natura mala bonũ est in quãtum natura est.

Aug. Hoc verum dixisti: & ideo etiam in mala natura opus laudabile est Conditoris; quia & natura mala, in quantum natura est, bonum est; atque ut hoc bonum liberetur à malo, gratia necessaria est.

CXCVII. Jul. *Certè nulla hìc de studiis adultorum hominum quæstio, sed de sola nascentium qualitate versatur, in quibus naturæ examinatur status. Hanc tu itaque naturam sine aliquo propriæ voluntatis admixtu ream, damnatam, malis, id est, criminibus plenam, cum Manichæo tamen asseris: quam nos sine scelere, sine peccati malo innoxiam, & capacem virtutis tuemur.*

Aug. Agnoscimus te, agnoscimus magnum tutorem, qui parvulis quos tueris, non sinis succurrere Salvatorem. Si autem sinis, dic quæso, quando salvi corpore baptizantur, ex quo malo, ex quo vitio, ex qua [b] parte salventur. Sed quid dicturus es, homo qui facis tibi paradisum tuum, quem non erubescis implere pœnis immeritis parvulorum?

CXCVIII. Jul. *Hanc ergo tu in parvulis, criminosam, vitiosam, & damnatam sua voluntate arguis, an conditione nascendi? Si propria voluntate, ut videlicet illi parvuli suis studiis peccasse dicantur; monstrum quidem [c] opinionis exoritur, peccati tamen tradux negatur; non enim accepit ab alio, quod potuit ipse committere: sin autem tot mala non actione suâ, sed conditione sortitur, naturaliter iniqua convincitur.*

Parvuli quomodo in paradiso gignerentur, si nemo peccasset.

Aug. Nec sua voluntate arguo naturam parvulorum, nemo enim quia vult nascitur; nec conditione nascendi, nisi quia miseri nascuntur, non quia nascuntur. Nasceretur enim etiam natura humana in paradiso, ex Dei benedictione fecunda, etiamsi nemo peccasset, donec Deo præcognitus sanctorum numerus compleretur. Sed illi parvuli nec flerent in paradiso, nec muti essent, nec aliquando uti ratione non possent, nec sine usu membrorum infirmi & inertes jacerent, nec morbis affligerentur, nec à bestiis læderentur, nec venenis necarentur, nec aliquo casu vulnerarentur, vel ullo sensu, aut ulla parte corporis privarentur, nec à dæmonibus vexarentur, nec surgentes in pueritiam domarentur verberibus, aut erudirentur laboribus, nec ulli eorum tam vano & obtunso nascerentur ingenio, ut nec labore, nec dolore ullo emendarentur; sed exceptâ propter incapaces uteros matrum sui corporis quantitate, tales omnino qualis Adam factus est, gignerentur. Nunc autem nec tales essent quales videmus, nec talia paterentur, nisi peccato illo magno naturâ humanâ in has miserias mutatâ atque damnatâ. Non ergo ita se habent conditione nascendi, sed contagione peccati & conditione supplicii.

CXCIX. Jul. *Quo ergo super naturæ judicio Manichæus tuque distatis? Quia ille, inquis, eam malam fatetur. Tu ergo si id abnuis, bonam eam esse pronuntia; & sublata contentio est: capieris statim veritatis retibus in salutem. Sed reclamas. Audiamus ergo quid parias, Aristoteles [d] Pœnorum.* Tantum, *inquis*, malum ei inest, ut possideatur à diabolo, atque æternum mereatur incendium.

Exsufflare imaginem Dei in baptismo non liceret, nisi eruenda esset à potestate tenebrarum.

Aug. Tu autem qui eam negas à diabolo possideri, procul dubio negas à potestate erui tenebrarum, cùm in Christi regnum regeneratione transfertur; & accusas universam catholicam Ecclesiam magno crimine majestatis. Non enim legibus hujus mundi alio crimine tenetur reus, quisquis imaginem, quamvis non vivam, tamen imperatoris exsufflat: exsufflantur autem parvuli in exorcismo, priùs quàm baptizentur: exsufflantur igitur vivæ imagines, non regis cujuscumque, sed Dei. Immo verò exsufflatur, sed diabolus, qui contagione peccati tenet parvulum reum, ut illo foras misso parvulus transferatur ad Christum. *Iohan. 12. 31.* Exsuffletur itaque Juliani amentia, ne majestatis rea in parvulorum mundatione & exsufflatione dicatur Ecclesia. Si autem non eruitur à potestate tenebrarum, & illic remanet parvulus; quid miraris in igne æterno cum diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non sinitur? An quia Pelagiani nescio quem parvulis non baptizatis, præter Dei regnum, quietis & vitæ æternæ locum præparant, ideo Christi erit falsa sententia: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui autem non crediderit, condemnabitur? *Marc. 16. 16.* Quisquis autem negat parvulos credere per ora gestantium, neget eos & accipere baptismum, quia in manibus gestantium reluctantur.

Parvulus sine baptismate mortuus in æterno igne futurus est cum diabolo.

CC. Jul. *Sed adeo mala non est, ut nisi Manichæus eam accusare non possit.*

Aug. Manichæus ergo dixit, Omnes sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est? *Ambros. lib. 1. de pœnit. c. 2. vel 3.* Sed quia hoc dixit doctus & doctor catholicus, quid es nisi deceptus & deceptor hæreticus?

CCI. Jul. *Ego, inquit, tamen non sum Manichæus, qui eam absolvo verbis, & condemno judiciis.*

Aug. Tu eam condemnas judicio, & hoc iniquo, quàm mala tanta vis perpeti sine merito malo.

CCII. Jul. *Quid igitur hìc primùm accusem, impudentiam mentientis, libidinem disputantis, an profanitatem tam prava credentis? Nobis tamen intelligo utendum Prophetæ esse verbis: Beati sumus Israël, quia quæ Deo placent, nobis nota sunt.* *Baruch. 4. 4.*

Aug. Itane verò, quæ Deo placent vobis nota sunt? Insulse, ut sine ulla contagione peccati premantur parvuli gravi jugo, [e] placet Deo? Trahunt ergo contagium de illo primo magnoque peccato: quod vos nolentes fateri, quid nisi injustum judicium datis Deo?

CCIII. Jul. *Sed invectionum officium legentium censura supplebit: nos pergamus ad reliqua. Certè nullum est in rebus aliud malum, quod verè malum sit, nisi quod peccatum vocamus.*

Aug. Si non sunt mala etiam supplicia peccatorum, non est quomodo defendas Deum di-

[a] Alterum hoc membrum sententiæ restituimus ex MSS.
[b] Unus MS. Port. *peste*.
[c] Editi, *promissionis*. Emendantur ex MS. Port.

[d] Editi, *pendeo*. MSS. *pœnarum*. Legendum haud dubiè, *Pœnorum*.
[e] Editi, *non placere Deo*. Duo MSS. *non placet Deo*. Port. omissâ negante particulâ, *placet Deo?*

Isaiæ. 45. 7. xisse verum, qui dixit creare se mala: non enim dicendus est creare peccata.

CCIV. Jul. *Ex quo peccato gignitur in unoquoque, ut dicis, naturale malum: nihil est igitur aliud verè malum, quàm meritum malum.*

Aug. Non tantùm meritum malum, verùm etiam pœna, quæ malo merito redditur, malum est. Non enim verè malum est peccatum, & non est verè malum pœna peccati. Si ergo nullum esset in parvulis ex origine malum meritum, quidquid mali patiuntur, esset injustum. Et ideo ista mala in paradiso esse non possent; quia nullum esset ibi meritum malum, si felix obedientia permaneret. Ac per hoc, quia hìc sunt in parvulis mala, quæ ibi non essent; habent etiam meritum malum, quod nisi originaliter non haberent.

In parvulis si non esset ex origine malum meritum, quidquid mali patiuntur, esset injustum.

CCV. Jul. *Si ergo & Manichæus non ob aliud dicit malam naturam, quàm quòd eam mali meriti arbitratur, cui putat inferenda supplicia; & tu naturæ humanæ malum inesse confirmas, nec aliud malum quàm quod Manichæus, id est, concupiscentiam carnis, quam à diabolo concionaris* [a] *infusam; eamque sic mali meriti esse dicis, ut æternis eam persistas adjudicare tormentis: non aliter sine dubio quàm Manichæus, pessimam illam damnatamque pronuntias.*

1. Iohan. 2. 16. Aug. Jam erubesce. Concupiscentia carnis non est à Patre, sed ex mundo est; id est, ex hominibus, quorum fetibus impletus est mundus: hanc autem Manichæi tribuunt genti tenebrarum, adjuvantibus vobis, qui hoc malum nobis per prævaricationem primi hominis, secundùm Ambrosianam, hoc est, catholicam fidem, in naturam vertisse non vultis. *Ambros. lib. 7. in Luc. 12.*

CCVI. *Lib. 2. de nuptiis & conc. c. 21.* Jul. *Videamus ergo quomodo huc redeat etiam pars secunda sententiæ tuæ. Dixisti enim,* Qui dicit naturam humanam bonum non esse, bonum negat conditæ creatorem: qui verò negat ei malum inesse, misericordem vitiatæ invidet salvatorem. *Si ergo, ut tu profiteri coactus es, qui negat eam bonum esse, bonum etiam conditorem ejus, id est, Deum negat; & nihil aliud est malam esse naturam, quàm malum meritum habere naturaliter; veritati nostræ adminiculatur etiam vestra confessio, negare vos videlicet Deum bonum hominum conditorem, quorum malam esse naturam, & vitiis ejus juratis, & pœnis.*

** Prosper sent. 302.* Aug. * Natura humana, etsi mala est, quia vitiata est; non tamen malum est, quia natura est. Nulla enim natura, in quantum natura est, malum est; sed prorsus bonum, sine quo bono ullum esse non potest malum: quia nisi in aliqua natura ullum esse non potest vitium; quamvis sine vitio possit esse, vel numquam vitiata, vel sanata natura: quod Manichæi si intelligerent, Manichæi omnino non essent, duas ex contrariis partibus boni & mali introducendo naturas. Si ergo vides quid inter nos & Manichæos intersit, tace: si non vides, tace.

Nulla natura, in quantum natura est, malum est.

CCVII. Jul. *Non ergo invidemus salvatorem illi, quam conditoris sui dignitate defendimus: sed malum eam negamus esse, ne efficiamur Manichæi; malum ei negamus inesse, ne mutatis nominibus simus totidem Manichæi.*

Pelagiani Aug. Prorsus contra Manichæos estis, cùm

A dicitis naturam malam non esse: sed Pelagiani estis, cùm ei malum dicitis non inesse; & nescientes suffragamini Manichæis, dicendo malum, quod ei manifestum est inesse, ex primi hominis prævaricatione non esse; ut concludant illi aliam substantiam naturamque mali esse.

Manichæis, licèt contrarii sint, tamen suffragantur.

CCVIII. Jul. *Vitiari autem in unoquoque jam suo arbitratu vel bonum agente vel malum, personæ meritum dicimus, non naturæ. Et ideo per gratiam Christi id sanari asserimus, quod vitiari potest: quoniam*

B *nec aliud sauciatum ostenditur, quàm quod sanatum docetur.*

Aug. Certè vos invidetis parvulis Salvatorem: exsufflandi sicut ipsi, si hoc vobis prodesse crederetur, ut erueremini de potestate tenebrarum, & in regnum Christi transferremini.

CCIX. Jul. *In baptizatis autem non * concupiscentia carnis, quæ naturalis est, sed concupiscentiæ malæ aufertur reatus.* ** f. concupiscentiæ.*

1. Iohan. 2. 16. Aug. Johannes apostolus concupiscentiam

C carnis dixit à Patre non esse, sed ex mundo, hoc modo eam malam faciens intelligi: tu autem non concupiscentiam carnis quæ naturalis est, sed concupiscentiam malam reatum habere dicis. Apud te quippe nec quando concupiscitur fornicatio, concupiscentia carnis mala est; quia, ut dicis, bono malè utitur, qui sic utitur. Bonum est ergo ipsa semper, ut vis, sive quis eâ conjugium, sive adulterium concupiscat: quoniam si conjugium, bono bene utitur; si adul-

D terium, bono malè utitur. Pugna igitur cum apostolo Johanne, non mecum: non enim consentis ei dicenti eam malam, quam dicit concupiscentiam carnis à Patre non esse, sed ex mundo, quamdiu tu dicis concupiscentiam carnis, etiam quando eâ malum concupiscitur, esse bonam, ac per hoc numquam malam. Sed, crede mihi, nemo Christianus est, qui non malit apostolo Johanni consentire, quàm tibi.

Concupiscentiam carnis, etiam quando malum concupiscitur, bonam putat Julianus.

CCX. Jul. *Ac per hoc, nec aliquod peccatum esse, tam*

E *Conditoris humani generis, quàm Redemtoris testimonio comprobatur.*

Aug. Quid est quod dicis nimis inconsideratè, *nec aliquod peccatum naturæ inesse?* quasi peccatum possit omnino inesse nisi naturæ, etiamsi non sit origine adtractum, sed voluntate commissum. Sive quippe angeli, sive hominis peccatum, manifestum est inesse vel angelo vel homini: quis autem sic exorbitet à rerum natura, ut hominem vel angelum neget esse naturam?

F Quid est item quod clausis oculis loqueris, quid est rogo quod dicis, *nec concupiscentiam peccatum esse?* Itane contra Apostolum te disputare non vides? Ille namque peccatum esse concupiscentiam, satis omnino monstravit, ubi ait, Peccatum non cognovi nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. *Rom. 7. 7.* Quid hoc testimonio clarius, quid tuâ sententiâ vanius dici potest?

CCXI. Jul. *Et ut quæ sunt acta repetamus: inimi-*

G *cam esse justitiæ Dei opinionem traducis, tam præceptorum Dei, quàm judiciorum ejus adtestatione monstravi.*

Aug. Inimicos vos potiùs esse justitiæ Dei, quem facitis super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum injustè posuisse grave ju- *Eccli. 40. 1.*

[a] Sic MSS. Editi autem, *inust am.*

gum, dum negatis originale peccatum, & testimonio Scripturarum, & ipsis calamitatibus parvulorum, quæ in paradiso nisi vestro non possent esse, monstratum est.

CCXII. Jul. *Concupiscentiam autem carnis ad conciliandum sexibus fecunditatis negotium, à Deo inditam creatore corporum, non nisi à Manichæo accusari, scriptorum ejus insertione perdocui.*

Aug. Concupiscentiam carnis, quam malam Gal. 5. 17. esse docet scriptura divina, per illam quippe caro concupiscit adversùs spiritum, vos adjuvantes Manichæos, Deo coæternæ genti tribuere tenebrarum, dum non vultis eam pertinere ad originale peccatum, & in Dei paradiso audetis insuper collocare, evidentissimis documentis, & divinæ auctoritatis & sobriæ rationis ostendimus.

CCXIII. Jul. *Nec alia apud vos argumenta esse pro traduce, quàm quæ Manichæus tribuisset, ostendi.*

Aug. Non esse Ambrosium Manichæum, qui fidei catholicæ * invictissimus & Manichæos prostravit & vos, qui dixit discordiam carnis & spiritûs, ubi per tuam susceptam caro concupiscit adversùs spiritum, per primi hominis prævaricationem in nostram vertisse naturam, etiam testimonio tui principis * eumdem laudantis episcopum, convictus atque contortus cogeris confiteri.

* f. addend. vindex. Ambros. lib. 7. in Luc. 12.

* Pelagii lib. 3. de libero arbit.

CCXIV. Jul. *Te autem liberi arbitrii negatorem, & Dei nascentium conditoris, sententiæ tuæ discussione patefeci.*

Aug. Me non esse liberi arbitrii, quod tu extollendo præcipitas, negatorem, sed potiùs defensorem Dei gratiam confitendo, quod arbitrium tu * decipis in tua virtute fidendo, innumerabilia sacra testimonia proclamant: nosque non negare Deum nascentium conditorem, sed vos negare Deum nascentium salvatorem, ea quæ utrique diximus, legentibus indicabunt.

* f. dejicis.

CCXV. Jul. *Malam autem à vobis pronuntiari naturam, ejus sententiæ, quam tu uno verbo conclusurum te promiseras, explicatione convici.*

Aug. Naturam humanam non malum esse, sed ei malum inesse monstravi; unum horum docens per ejusdem naturæ substantiam & ejus substantiæ conditorem Deum, alterum per ejusdem naturæ miseriam & ab eadem miseria salvatorem Deum. Te autem ratiocinationem meam non potuisse dissolvere, etsi non tibi respondissem, lector posset diligens & intelligens invenire.

Jul. *Atque ideo etiam tardissimis ad intelligendum vel tuo favore deceptis liquere confido, te Manichæi solum aversari nomen; ceterùm ex omni fide cum cunctis traducis sectatoribus, non minùs spurcis quàm stolidis ejus inhærere dogmatibus.* CCXVI.

Aug. Aliud & contrà est omnino quàm putas, quod liquere etiam tardissimis dicis. Illud namque potiùs etiam tardissimis liquet, si legendis utriusque nostrûm scriptis intentam curam non graventur impendere, me demonstrasse non solùm quòd ego sim Manichæorum inimicus errori, eorumque nefaria dogmata Deo veritatis opitulante subverterim; sed etiam quòd vos Manichæorum tantum adjuvetis insaniam, ut se omnino gloriarentur invictos, nisi catholica fide, quam Deo miserante defendimus, non per vos, vel à vobis, sed vobiscum potiùs vincerentur. Te autem ideo me unum elegisse, cui Manichæorum nomine & crimine, quanto crebriùs, tanto conviciareris odiosiùs, quia eo modo putasti catholicam, quæ vos arguit, fundatissimam fidem, & clarorum atque sanctorum defensorum ejus notissimam multitudinem, qui ea quæ didicimus & docemus, didicerunt atque docuerunt, sine invidia te posse destruere, horrore nefandi nominis, non objecti criminis veritate. Sed firmum fundamentum Dei stat: novit enim Dominus qui sunt ejus. 2. Tim. 2. 11. Verba verò libri mei, quæ tibi quasi refellenda proposueras, quomodo quibusdam paucissimis quasi ad speciem pugnæ qualiscumque tentatis, multo plura cetera, diffusâ atque interfusâ tuâ nebulosâ loquacitate vitaveris, interim quia longum est hîc ostendere, ut per se ipsum advertat & inveniat, dimitto lectori.

LIBER QUARTUS.

Iulianum quarto suo libro disputantem adversùs ea dicta libri secundi de Nuptiis & Concupiscentia, quæ à capite 4. ad 11. comprehenduntur, refellere pergit Augustinus. Concupiscentiam carnis malam esse, neque homini fuisse à Deo conditore inditam, propugnat doceri eo ipso loco, quem in hanc rem adhibuit, ex Iohannis epistola 1. cap. 2. 16. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est. . . . . quæ non est ex Patre *&c. Atque illam quidem ad naturam pecoris, sed ad ipsius tamen pœnam hominis pertinere. Pudorem membrorum nonnisi post peccatum accidisse ob libidinis rebelles motus. Porrò ne in Christo ulla prorsus fuisse putetur carnis concupiscentia, vehementer certat contra Iulianum. Parvulos originali culpæ nasci obnoxios, non per propriæ voluntatis arbitrium, sed per contagium peccati à primo parente voluntate commissi. Locum verò à se ex Sapientiæ libro cap. 12. 10. & 11. prolatum, scilicet,* Non ignorans quoniam nequam est natio illorum *&c. ad id etiam valere, ut nostræ originis vitium demonstretur.*

I. JULIANUS. *EXISTIMO ego sollicitum lectorem posse mirari, cur cùm opusculum meum certo librorum numero, ex scribentium sollemnitate distinxerim, tamen libri alterius solvam in altero quæstiones: unde est illud quod in tertio volumine disputavi, Apostoli * sensus, qui per unum hominem peccatum in mundum intrasse dixit, (quo numero opinionem mali originalis oppressit,) illud quod ex uno Abraham generatio Iudæorum descendisse perhibetur, nihil vel exigui intulisse concussûs. Id autem putet lector iste, cui nunc satisfacere instituo, in secundo debuisse volumine collocari. Norit igitur, hanc responsionis fidem, quâ etiam illa quæ putantur intermissa, vel in libro sequenti supplentur, nec quidquam incommodare certamini, nec de ulla festinationis perturbatione, sed tam de caussarum necessitate, quàm de consilii ratione contingere. Suppetit verò magnorum ingeniorum copia, quorum exemplis talis stili consequentia vindicetur: sed inepta jactatio est, ad defensionem simplicis negotii sonantia priscorum nominum advocare suffragia, & securitatem facti reddere defensione suspectam. Secundum ergo librum, quem asserendis Apostoli sententiis destinaram, ne in nimiam longitudinem levium quæstionum proferret adjectio, disputatione necessaria terminavi. Verùm quia munere seriæ dissertationis impleto, libuit etiam ineptis quæstionibus obviare, & tardissimorum quorumque, qui & frigidis possunt objectionibus permoveri, placuit habere respectum, tertio libro qualiter ex uno multi nati dicerentur ostendi. Est tamen etiam decentissimum, si volumen sequens prioris debitum luat, ut & magna inter libros videatur esse concordia, & ad cognitionem totius operis invitentur legentes; cùm & si dilata in primis aliqua æstimaverint, intelligunt prætermissa non esse. Ostenso igitur [a] fidei & industriæ operis convenire quod fecimus, congrediamur cum Manichæis [b] pro Dei operibus & legibus; ab illis naturalis mali deformitatem, ab istis iniquitatem judiciorum feralium repellentes; docentes in istarum præceptis nihil de bono suo perdidisse justitiam, in illorum seminibus nihil de malo suo diabolum miscuisse; hæc postremò digna esse Deo rectore, illa Deo dignissima conditore.*

* f. sensui.
Rom. 7. 12.
Hebr. 11. 12.

AUGUSTINUS. CONGRESSIONEM tuam Manichæi, ne in nostra congressione superarentur, pro auxilio magno sumerent, nisi & vos cum eis fides catholica superaret: quando quidem discordiam concupiscentiarum carnis & spiritûs, & miserias generis humani, quibus plena est natura mortalium, incipientes à fletibus & calamitatibus parvulorum, propterea non sinuntur duarum, quas inducunt, naturarum commixtioni tribuere; quia hæc omnia naturæ peccato vitiatæ, quam Deus bonam condidit, nec vitiatam fecunditatis munere & bono opificio suo deserit, auctoritate divina & verissima ratione tribuuntur. Quod vos negantes, arma quidem quibus vincuntur, conamini infringere; sed tam sunt firma & invicta, ut sive illis ad vos, sive vobis ad illos transfixis & peremtis perveniant, utrosque prosternant.

Catholica fides Pelagianos cum Manichæis vincit.

II. JUL. *Quibus duobus si creditis, id est, Dei nec opera mala esse, nec iniqua judicia; totum traducis dogma conteritur: sicut è regione, traducis impietate susceptâ, hæc duo, conditio Dei atque judicatio, per quæ solùm Deus potest intelligi, destruuntur.*

AUG. Nec opera mala sunt Dei, quando & de malis quibuscumque bene operatur, & parvulis, quos de massa per primi hominis prævaricationem perdita bene operatus est, etiam sanandis benignè opitulatur; nec iniqua judicia, quando gravi jugo super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum, non nisi peccatorum merita ulciscitur. Hæc cùm creduntur atque intelliguntur, & Manichæorum & Pelagianorum error exstinguitur: Manichæorum scilicet, quia mala ista generis humani volunt deputari nescio cui mali principio æternitati Dei coæterno; Pelagianorum autem, qui ea nolunt imputare peccato.

Error utriusque Pelagianorum & Manichæorum quomodo catholica fide exstinguitur.
Eccli. 40. 1.

III. JUL. *Iam ergo ea quæ contexuit lacerator naturalium, ponderemus: sed ut rerum, quæ mutuâ sunt responsione perplexæ, lectori nostro tam intelligentia, quàm discretio suggeratur, quo genere obluctetur, admoneo. Profitetur scriptis obviare nostris, quæ ad se*

[a] Editi, *fideli*. At MSS. *fidei*.
[b] Manichæorum nomine catholicos intelligit: unde superfluum est, quod hîc addit codex Port. *&* Traducianis.

ait in brevi chartula destinata, & ponit aliquas sententiarum mearum particulas atque suggillat, quæ in meo opere non tenentur. A

Aug. Deo gratias, quòd ipsis quatuor libris tuis, unde ille quod voluit, sicut voluit, excerpsit, cujus ad me chartula missa pervenit, sex libris meis ad cuncta respondi. Puto quòd ibi non es dicturus, aliqua me redarguere voluisse, quæ in tuo opere non tenentur: quod & si dixeris, idque probaveris; etiam gratulari debeo, non te dixisse, quæ dicere non deberes: atque B utinam quæcumque verba tua rectissimè reprehenduntur, nulla omnino dixisses.

IV. [Aug. lib. 2. de nupt. & conc. c. 4.]

Jul. *Loquitur ergo ad Valerium:* Adtende quibus se existimat adversùm nos huic præmisso titulo consonare: Deus, inquit, qui Adam ex limo fuerat fabricatus, Evam construxit è costa, & dixit, Hæc vocabitur vita, quoniam mater est omnium viventium. Non quidem ita scriptum est, sed quid ad nos? solet memoria falli in verbis, dum tamen sententia teneatur. Nec Evæ C nomen ut appellaretur vita, Deus imposuit, sed maritus: sic enim * loquitur, Et vocavit Adam nomen uxoris suæ vitam, quoniam mater est omnium viventium. *Stupenda doctoris eruditio, qui ne paululùm quidem à Scripturarum sinit sermone deflecti. Imperitiam nostram arguit: sed oblivioni veniam dare dignatur, quà factum erat, ut ego dicerem nomine vitæ à Deo mulierem nuncupatam: ita per occasionem brevem, & eruditus apparere studuit, & benignus. Sed ut non est admiranda diligentia,* D *nominatorem feminæ comperisse; ita impudentia non ferenda est, velle ignoscere quod culpare non possis. Non enim ita in meo opere legitur, sicut in commentis hujus tenetur. Ego quippe posito legis testimonio, quo dixisse rerum Creator ostenditur, Non est bonum solum esse hominem, faciamus ei adjutorium simile*

[* Legitur, Gen. 3. 20.]

[Gen. 2. 18.]

» sui: Quid est hoc, inquio, Non est bonum esse solum » hominem? Numquid Deus aliquid fecerat, quod non » bonum jure dici posset; maximè qui omnia non solùm » bona, sed etiam bona valde fecerat? Quomodo ergo E *» ait, Non est bonum solum esse hominem? quo sermone » non reprehenditur creaturæ status, sed ostenditur hu» mano generi perniciosam unionem esse potuisse, nisi » ministerio diversi sexûs successio germinasset. Nam si » etiam Adam speretur potuisse immortalis fieri, nisi » deliquisset: tamen manifestum est, patrem eum num» quam fieri potuisse, nisi reperisset uxorem, quæ de » latere dormientis assumta, primà compellatione cui » operi parata esset audivit: Hæc vocabitur vita, » quoniam mater est omnium viventium. Quo sermone* F *» monstratum est, neminem deinceps hominum vel esse » posse, vel vivere, qui non conceptûs beneficio substi» tisset. Cùm ergo clareat, in re quidem non magni ponderis, tamen nihil à me ita fuisse prolatum, ut illud præter impudentiam singularem quisquam possit arguere, iniusta est nota publicæ falsitatis egentissimo omnium, qui cùm vult donare quod non tenet, uno tempore pariter delinquit, & penuriâ juris, & ambitu largitatis.*

[Gen. 3. 20.]

Aug. Si non tu ita posuisti libri verba divi- G ni, sicut ego in illa chartula inveni; non tibi, sed ei qui sic scripsit, ignovi: cui ambo debemus ignoscere. Si autem me putas non hoc invenisse in chartula, sed tamquam hoc invenerim, ideo mendaciter illa verba posuisse, ut esset quod tribuerem quasi errori tuo; nunc tibi certè, A quòd tam malè ac falsò de me fueris opinatus, ignosco.

V.

Jul. *Post quàm ergo hoc tali gravitate reprehendit, pergit ad reliqua, ac patronum suum commonet, ut his quæ sequuntur adtendat.* * Deus igitur, inquit, maris creator & feminæ, convenientia generationibus membra formavit. *Sed hoc tantùm de capite dictorum meorum inserens, prætermissis plurimis omnino versibus, quibus novitas potissimùm inculcatur animarum nihil aut carni aut se-* B *mini debentium, subdit illud meum,* Ita gigni corpora de corporibus ordinavit: quorum tamen efficientiæ potentiâ operationis intervenit, omne quod est, eâ administrans virtute, quâ condidit. Si igitur non nisi per sexum fetus, non nisi per corpus sexus, non nisi per Deum corpus; quis ambigat fecunditatem Deo jure reputari? *Post quàm hæc itaque de meo posuit, commendat quoniam catholicè ea dicta etiam ipse fateatur. Quis non ergo putaret hominem fuisse mutatum? Verùm non fit im-* C *memor sui; sed similem conditionem arbitratur pravi dogmatis & pudoris, ut etiam illud perspicuo reparetur exitio, sicut hìc assiduo durescit adtritu. Probat ergo sententiam meam, & ferrum præjudicii in fidem suam spontaneo defigit amplexu: sed post hæc quasi integer virium, autumat superesse quo dimicet. Sic enim sequitur:* Post hæc quæ veraciter & catholicè dicta sunt, immo in divinis libris veraciter scripta, non autem ab isto catholicè dicta sunt, quia non intentione catholici pectoris dicta sunt; D jam propter quod ea dixit, Pelagiana & Cælestiana hæresis, incipit introduci. Namque attende quid sequitur. *Hic denuo nostra dicta subjungit:* * Quid ergo suum diabolus cognoscit in sexibus, per quod fructum eorum jure possideat? Diversitatem? sed hæc in corporibus est, quæ Deus fecit. Commixtionem? sed non minùs benedictionis quàm institutionis privilegio vindicatur. Vox enim Dei est, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori, & erunt E duo in carne una. Vox Dei est, Crescite, & multiplicamini, & replete terram. An fortè ipsam fecunditatem? sed ipsa est instituti caussa conjugii. *Ad quod respondit, quia nec diversitatem sexuum, nec commixtionem, nec fecunditatem diabolus cognoscat in sexibus, per quod fructum eorum jure possideat: sed his omnibus absolutis invenit quod diabolo deputaret, nostramque honestatem nomine timoris incessit, qui inter tot corporum sexuumque munera veriti simus carnis concupiscentiam nominare.* F *Sic ergo adversùm me patrono suo loquitur:* Sed iste in his omnibus noluit nominare concupiscentiam carnis, quæ non est à Patre, sed ex mundo est; cujus mundi princeps dictus est diabolus: qui eam in Domino non invenit, quia Dominus homo non per ipsam ad homines venit. Unde dicit etiam ipse, Ecce venit princeps mundi hujus, & in me nihil inveniet: nihil utique peccati, nec quod à nascente trahitur, nec quod à vivente additur. Hanc iste noluit nominare G in his omnibus, quæ commemoravit, naturalibus bonis, de qua etiam nuptiæ confunduntur, quæ de his omnibus gloriantur. Nam quare illud opus conjugatorum subtrahitur & absconditur etiam oculis filiorum, nisi quia non possunt esse in laudanda commixtione sine pudenda libidine? De hac erubuerunt etiam qui primi pudenda te-

[* Verba Juliani ex August. de Nupt. lib. 2. c. 4.]

[Verba Augustini ibid.]

[* Verba Iuliani.]

[Gen. 2. 24. Matth. 19. 5.]

[Gen. 1. 28.]

[August. ibid. cap. 5.]

[Iohan. 14. 30.]

xerunt : quæ priùs pudenda non fuerunt , sed tamquam Dei opera prædicanda atque glorianda. *Egi quidem , beatissime pater Flore , in primi operis quatuor libellis caussam nuptiarum , caussam commixtionis , caussam corporum , caussam sexuum , caussam operis Dei , caussam postremò æstimationis Dei, quæ necessariò , ut operum suorum probitate laudatur , ita eorum sauciatur infamia : ac per totum scriptorum opus , nec formationi corporis aliquid diabolum addidisse nec sensui , inobumbrabilis omnino veritas approbavit : & ideo opinionem traducis de Manichæi luto haustam esse , perdoctum est.*

Aug. Quomodo egeris in illis quatuor libris tuis , & quomodo nostra responsione fueris confutatus , ut te nihil egisse clareret , qui & meos & tuos legunt , non difficulter intelligunt. Quamquam & cùm tui non leguntur , sed tantummodo mei , apparet in eis vestrum hæreticum dogma destructum. Sed [a] cùm meo uni , quatuor illis tuis sic responderis , ut ejus vix partem adtingeres tertiam , nullamque refelleres ; tantum de illis præsumsisti , ut contra unum alterum meum in eadem caussa , istos tuos octo conscripseris , quasi me non vincendum firmamento disputationum , sed numero voluminum putaveris esse terrendum : usque adeo quippe quadruplâ illâ responsione nihil te profecisse sensisti , ut hæc tibi octupla necessaria videretur. Si ergo talibus incrementis loquacitas tua promovetur , quem non terreat , non veritas , sed numerositas librorum tuorum , quam computare me piget ? Homo enim stupenda ubertate facundus , qui priùs uni meo tuos quatuor , & alteri meo tuos octo putasti esse reddendos ; quis non timeat ne fortè sex libris meis ampliùs quàm mille tuos reddere mediteris , si uni eorum qui prior est , jam sexdecim reddas , atque ita singulos quosque sequentium duplicato præcedente numero persequaris , ostendens nobis quàm multùm loquaris non intelligendo quæ loqueris ?

VI. Jul. *Tamen cùm hoc ibi satiatissimè constet effectum , breviter licèt , in præsenti quoque disputatione repetetur. Convertamur ergo ad ipsum , cujus cum eruditione decertamus. Annuis nempe , à nobis rectè fuisse collectum , quia si fetus non nisi per sexum , si sexus non nisi per corpus , si corpus non nisi per Deum exstitisset , ambigi non posset fecunditatem ad Dei opera pertinere , nihilque suum in sexibus agnoscere principem tenebrarum , propter quod fructus eorum juris sui assertione retineret ; quia & diversitas pertinebat ad sexum , & commixtio ad membrorum diversitatem , & fructus fecunditatis ad Deum , qui etiam generantium fuerat institutor : ac per hoc nihil remanserat propter quod diabolo esset commixtionis adjudicanda fertilitas. Quod ergo tibi putas vel solatium vel præsidium à sermonis mei honestate conferri , quia nolui in hoc loco carnis concupiscentiam nominare ? quod etsi in omni opere silentio præterissem , nihil tamen vituperationis aut injuriæ res illa susciperet , quæ honestioribus signata nominibus vindicabatur , & [b] clarissimis quidem intelligentiæ vocibus. Fac igitur me pudentiùs , quàm suscepti negotii ratio petebat , tegere voluisse silentio nomen ejus rei , quam tegimus amictu : num ideo totius rationis , totius veritatis jactura facienda est ? Num ideo negotiorum* A *arbiter intellectus jacebit , quia est aliquid , quod ut ante oculos , ita ad aures non semper decorè possit adduci ? Verumtamen quid deformitatis habet , carnis concupiscentiam nominare ; quam & ego appellavi , cùm poposcit locus ; & tu licèt indomabilem te eam sentire confirmes , tamen crebrò commemoras ?*

Aug. Domabilem dico , id est , carnem , sed expugnatoribus , non laudatoribus ejus.

VII Jul. *Porrò hinc post modicum : * Per quid igitur sunt sub diabolo parvuli , qui de corporibus nascuntur* B *quæ fecit Deus , de commixtione sexûs quem distinxit formando , sed benedicendo conjunxit , & fecunditatem inserendo multiplicavit Deus , & ipsos parvulos de materia seminis fecit Deus ? Si per Deum materiam corporum , per Deum genitalia corporum , per Deum commixtionem genitalium , per Deum etiam vim seminum , per Deum quoque omnium nascentium formam atque vitam exsistere confiteris ; quid putas remansisse , propter quod diabolo tot Dei opera* C *transscribas ? Ergo hæresim vocas alterius disputationis corpus , cujus membra omnia recta atque catholica confiteris.*

* Vide lib. 2. de nuptiis & conc. c. 5.

Aug. Novatianos , Arianos , Eunomianos , aliosque nonnullos , nonne etiam cùm totum Symbolum confessi fuerint , vocamus hæreticos ? Ut ergo alia taceam pertinentia ad hæresim vestram ; quomodo vos non vis vocemus hæreticos , qui negatis parvulos erui de potestate tenebrarum , quando transferuntur ad Christum , D in quibus accepturis Spiritum-sanctum tota antiquitus Ecclesia , quæ laudat nomen Domini à solis ortu usque ad occasum , exsufflat & exorcizat spiritum immundum ?

VIII. Jul. *Nam post quàm collectionem nostram , quæ tanta est veritate munita , ut in te tota ferretur , nec convicio eam temerare quiveris , Deo adigente laudasti , effectum tamen ejus accusas.*

Aug. Quem dicis ejus effectum , non intelligis esse vestrum defectum. Ex his enim veris E quæ dicitis quasi catholici , non efficitur illud quo estis hæretici. Namque ut catholici dicitis , quòd per sexum fit fetus , per corpus sexus , per Deum corpus , unde fecunditas Deo jure deputatur. Sed numquid ideo non inde talis nascitur homo , qui non sit sine sorde peccati , etiamsi unius diei sit vita ejus super terram ? Non igitur illa vera dicendo , sed hoc quod itidem verum est negando , estis hæretici. Quia utique Deus est auctor F fetus , & tamen non est auctor fatuitatis , & quando nascitur fatuus. Sic intellige , si potes , innasci homini ex origine vitium , cujus non sit auctor Deus , cùm creator ipsius hominis non sit nisi Deus. Memento sanè exorbitasse te à tuo dogmate , quo negatis operari Deum in hominum mentibus voluntatem. Nam ego verba tua , quæ confiteor & à catholicis dici , voluntate laudavi , quæ me tamen dicis Deo adigente laudasse. Ecce quomodo Deus in nobis operatur & velle , quod soletis & contra Apostolum vos G negare.

Job 14. 4. sec. LXX.

Dogma se Pelagianum negans Deum operari voluntatem in mentibus hominum.

IX. Jul. *Si igitur , inquio , non nisi per sexum fetus , non nisi per corpus sexus , non nisi per Deum corpus , quis ambigat fecunditatem Deo jure reputari ? Hoc tam certum est , ut etiam tua in suam lau-*

[a] Sic MSS. Editi autem , *sed in eo uno , quatuor illis tuis sic respondens.*

[b] Codices Mar. & Clar. *clausissimis.*

dem ora concußerit. Verùm post præconium huic à te loco redditum, hæresim admones introduci, cùm ea quæ subdidi, nihil aliud quàm quæ præmissa fuerant, admotâ explanatione geminaverint.

Julianus apud Aug. lib. 2. de Nupt. c. 4.

Aug. Numquid in his, quæ vera te dixisse concesseram; dixeras, *Quid ergo suum diabolus cognoscit in sexibus?* Hîc enim cœpisti introducere sensum hæresis vestræ: quasi propterea non possit diabolus aliquid suum cognoscere in sexibus, quia per creatorem Deum est corpus & sexus: cùm diabolus & bonum Dei & malum diaboli etiam in se ipse cognoscat, illud scilicet in sua natura, illud in vitio. Sic & in sexibus agnoscit ille quæ Dei sunt, sicut & ipsum sexum, & corpus, & spiritum: sed agnoscit & suum, quo caro concupiscit adversùs spiritum: illa enim sunt à Creatore, cujus vindictam vitare non potuit; hoc vulnere quod inflixit.

X. Jul. *Aio enim, Quid ergo suum diabolus cognoscit in sexibus, ut fructum eorum, sicut dicis, jure possideat? Diversitatem? sed hæc in corporibus est, quæ Deus fecit. Commixtionem? sed non minùs benedictionis, quàm institutionis privilegio vindicatur. An fortè ipsam fecunditatem? sed ipsa est instituti caussa conjugii. Quid hîc ergo novum fuit; quid à superiore quam probaveras conclusione dissentiens, quod post laudem vituperandum putares? Certè nihil: ac per hoc quid de tam fœda varietate colligitur? cùm à me videlicet disputatio innovata* [a] *non sit, à te verò sit æstimatio meorum dictorum permutata, teterrimam esse intentionem tuam, & rationem imbecillam.*

Aug. Miraris quòd post laudem operum Dei, vituperavi insidiosam interrogationem tuam: interrogans quippe dixisti, *Quid igitur suum diabolus cognoscit in sexibus?* Et volens persuadere quòd nihil suum cognoscat in sexibus, ea commemorasti, quæ verè ad diabolum non pertineant; diversitatem scilicet, qua femininus à masculino diversus est sexus; & commixtionem, qua ut filii generentur, sexus uterque miscetur; & fecunditatem, qua ipsi filii generantur. Hæc omnia fatemur futura fuisse in paradiso, etiamsi nemo peccasset: sed illa ibi futura non erat, quam senserunt, quando pudenda texerunt, qui priùs quàm peccarent, nudi erant, & non confundebantur. Hanc tu concupiscentiam carnis, qua caro concupiscit adversùs spiritum, sine qua nullus hominum nascitur, & hanc discordiam carnis & spiritûs, quam [b] didicit catholicus doctor, Pelagii vestri tam excellenter ore laudatus, per prævaricationem primi hominis in nostram vertisse naturam; hanc ergo tu quare tacuisti? qui interrogans quid suum diabolus cognoscat in sexibus, alia nominasti quæ diaboli non sunt, & hoc quod ejus est tuæ interrogationi reddere noluisti. Hanc interrogationem tuam dolosam reprehendi, non divina opera quæ jure laudavi.

Concupiscentia in paradiso non erat futura.

b Ambros. lib. 7 in Luc. 12.

XI. Jul. *Et quod laudas catholica, pavoris tui esse, non fidei.*

Aug. Ille in laude catholica novit nostram fidem, qui per illam vestrum demonstrat & expugnat errorem.

XII. Jul. *Quòd ergo laudata vituperas, non esse judicii, sed furoris.*

Aug. Non laudata vitupero: sed laudavi quæ vera dixisti; vituperavi autem quod insidiosè interrogasti, videns quid tibi respondendum esset, atque ita hoc tacens quasi non esset. Hoc utrùm judicii sit, an furoris, videbis, si à furore conquieveris.

XIII. Jul. *Quo furore quidem numquam cariturus es, nisi priùs obscœnum dogma rejeceris: quia inter pænitentiæ pudorem, numquam tamen à Christianis aversatum, & argumentationis inopiam, graves perferens Symplegadas, necesse est ut bona dicta quibus obrueris, aut sequaris, aut laceres.*

Aug. Non sunt bona dicta, Juliane, negare Christum parvulis esse Jesum, aut Jesum, id est, salvatorem ita esse parvulis confiteri, sicut universæ [c] mortali creaturæ, unde dictum est, Homines & jumenta salvos facies Domine. Non propterea ille veniens in similitudine carnis peccati tale nomen accepit: sed, Vocabis, ait Angelus, nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Non sunt bona dicta, ab hoc populo parvulos separare, & ideo Christum dicere etiam illis esse Jesum, quia salvos eos facit, non à peccatis, sed à scabiolis eorum. Resipisce, obsecro: puto quòd non ex parentibus ista credentibus natus es; & certè in Ecclesia non ista credente renatus es.

Pelagiani Christum negant parvulis Jesû esse, nisi sicut universæ mortali creaturæ.

c Psal. 35.7. Matth. 1. 21.

XIV. Jul. *Videamus tamen quid sententiarum mearum arripueris, quod nomine erroris incessas.* Sed iste, *inquis*, in his omnibus nominare noluit concupiscentiam carnis, quæ non est à Patre, sed ex mundo est; cujus mundi princeps dictus est diabolus: qui eam in Domino non invenit, quia Dominus homo non per ipsam ad homines venit. *Dixisti certè me hæresim introducere, ad quod probandum nulla mea dicta subjungis.*

Lib. 2. de Nupt. c. 5.

Aug. Illa dicta tua subjungo, quibus interrogasti, *quid suum diabolus cognoscat in sexibus.* Dolosè quippe ista dicebas, quando concupiscentiam carnis, cujus plerumque motibus necesse est resistere etiam casta conjugia, videbas, & tacebas; & me interrogatione fraudulentissimâ, quasi nihil esset quod responderi posset, urgebas. Aut si non videbas, profectò hæresim vestram ipsa cæcitate introducebas.

XV. Jul. *Sed ais me noluisse concupiscentiam carnis nominare. Qui nolui nominare, tacui; & si* [d] *tacui, nihil quod reprehenderes sum loquutus: quis ergo errorem persuadet tacendo? O nova criminum & hactenus inaudita portenta! Silentio meo ait perversum dogma componi.*

Aug. Non silentio, sed dolosa interrogatione, sicut superiùs demonstravi. Quamquam & silentium meritò reprehenditur, quando id quod dicendum fuit, ideo non dicitur, ne interrogationi responderi potuisse cernatur.

XVI. Jul. *Expendat hoc prudentia omnis, &* [e] *rideat orationis invidiam nomine taciturnitatis ostensam. Confiteris igitur me nihil dixisse quod possis arguere.*

Aug. Immo verò, rectissimè arguitur quod interrogando dixisti. Ut enim nihil esse putare-

a Hic particulam negantem restituimus ex MSS.
b Codex Port. *dicit*. minùs bene.
c Vox *mortali* additur ex MSS. fide.

d Editi, *etsi non tacui*. Abest *non* à MSS.
e Sic MSS. At editi, *videat*.

tur, quod tibi responderi posset, illud quod posset, tu dicere noluisti. Aut certè ipsam cur non arguo cæcitatem, qua id nec videre potuisti?

XVII. Jul. *Tu sanè nostrum vexando silentium, protulisti quod olim quidem defendi non potuit, nunc verò post quàm Manichæi epistola, cujus in libro tertio sententias posui, venit ad publicum, nec celari potest.*

Concupiscentia nec veraciter vituperatur à Manichæo, nec veraciter laudatur à Juliano.

Aug. Concupiscentiam carnis nec Manichæus veraciter [a] vituperat; nec tu veraciter laudas: ille, quia nescit unde hoc sit malum; tu, quia negas malum: ille, quia eam [b] permixtæ nobis naturæ tribuit alienæ; [c] tu, quia eam nostræ non vis esse vitiatæ: ille, quia per illam credit corrumpi Dei partem; tu, quia per illam dehonestare conaris etiam paradisi felicitatem.

XVIII. * Aug. l. 2. de Nupt. c. 5.

Jul. * Noluit, *inquit*, nominare concupiscentiam carnis, quæ non est à Patre, sed ex mundo est; cujus mundi princeps dictus est diabolus: qui eam in Domino non invenit, quia Dominus homo non per ipsam ad homines venit. *Verbis ergo ipsius Manichæi, concupiscentiam carnis non à Deo factam, sed à mundo, cujus tamen mundi principem diabolum dicis, conditam profiteris.*

Diabolus cujusnam mundi princeps.

Aug. Numquid ego dico diabolum principem mundi, & hoc Dominus ipse non dicit? Numquid hoc ego dixissem, nisi ipsum dixisse legissem? quod cùm & ipse legeris, cur objiciendum mihi putasti? Nec tamen ideo diabolus princeps est cæli & terræ, & omnis cælestis terrestrisque creaturæ, secundùm quod dictum est, Mundus per eum factus est: sed quia mundi nomine appellatus est orbis terræ in hominibus, qualibus plenus est, secundùm quod dictum est, Et mundus eum non cognovit: secundùm quod dictus est & diabolus princeps mundi hujus: secundùm quod dictum est, Mundus in maligno positus est: secundùm quod dictum est, Quia verò de mundo non estis, propterea odit vos mundus; & innumerabilia talia. Ac per hoc, mundum, scripturis sanctis docentibus, pro differentia sententiarum, nunc in bono accipimus, nunc in malo. Ad bona ejus pertinent cælum & terra, & omnis in eis Dei creatura: ad mala ejus pertinent concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi, vel sicut ipse posuisti, superbia vitæ. Sicut ergo nunc in bono, nunc in malo legitur mundus: sic lege, si potes, aliquando in bono positam concupiscentiam carnis, vel concupiscentiam oculorum: sed sic non invenies, sicut nec superbiam vitæ, quod illis duobus [d] malis additum est tertium.

Mundus in Scripturis dicitur duobus modis. Iohan. 1. 10. Ibidem. Iohan. 12. 31. 1. Iohan. 5. 19. Iohan. 15. 19. 1. Iohan. 2. 16.

XIX. Jul. *Ideo autem dixi eloquiis te usum omnino Manichæi, quia etsi in apostoli Iohannis epistola nonnulla ex his verba teneantur; tamen quia certum est, non ibi illum Ecclesiæ magistrum aut de carne, aut de sensu carnis, aut de concupiscentia nuptiali, quidquam tale sensisse, quale Manichæus verborum ejus usurpatione componit; non injuriâ ejus verba esse dixi, cujus sensui serviebant: ut eloquia intentionis suæ merito censeantur: & sicut apud sanctum Iohan-*

A *nem apostolica sunt dignitate reverenda, quia insinuant veritatem; ita apud Manichæum obumbrata illorum signa non expressa videantur.*

Aug. Quid addis *nuptiali*, & dicis *de concupiscentia nuptiali*, ut vestias pudendam susceptam tuam nomine honesto nuptiarum? Concupiscentiam carnis dixit apostolus Johannes, non concupiscentiam nuptialem; quæ posset esse in paradiso, etiamsi nemo peccasset, in appetitu fecunditatis, non in pruritu voluptatis; aut
B certè spiritui semper subjacens, ut non nisi spiritu volente moveretur; numquam adversùs spiritum concupiscens, ut & spiritus adversùs eam concupiscere cogeretur. Absit enim ut in loco tantæ felicitatis, & in hominibus illic tanta pace felicibus esset ulla discordia carnis & spiritûs.

1. Iohan. 2. 16.

Concupiscentia in paradiso qualis esse potuisset.

XX. Jul. *Apostolus quippe Iohannes cùm ad virtutum omnium fastigium provocaret fideles, & studium sanctitatis ad altitudinem dominicæ conversationis*
C *extenderet, ad compendium, mundi totius nomine universa præsentium* [e] *bonorum & jocunditatum irritamenta concludens,* Nolite, *inquit*, diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo: quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum est, & superbia vitæ; quæ non est ex Patre, sed ex mundo est: & mundus transit, & concupiscentia ejus; qui autem facit voluntatem Dei, manet in æter-
D num. *Quantùm ad superficiem verborum respicit, odium omnibus indicit elementis, & mundum & cuncta quæ in mundo sunt, non esse ex Patre, neque diligi debere denuntiat.*

1. Iohan. 2. 15. &c.

Aug. Inaniter ista dicis: nullus vel idiota catholicus sic isto loco accipit mundum, ut de elementis aliquid cogitet. Neque enim & ubi dicit de Domino Christo, Ipse est propitiatio peccatorum nostrorum, non solùm nostrorum, sed & totius mundi; ita quisquam desipit, ut
E etiam elementorum hîc existimet intelligenda esse peccata. Totum hoc ergo quod isto modo dicitur mundus, non nisi in hominibus intelligitur, qui sunt per totum mundum, id est, toto, quaquaversum incolitur, orbe terrarum. Ipsam denique humanam vitam, qua non secundùm Deum, sed secundùm hominem vivitur, mundum hoc loco appellavit Apostolus. Ideo diligi vetat, & dicit, Omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculo-
F rum, & ambitio sæculi, vel superbia vitæ, quæ non est à Patre, sed ex mundo est. Tu, si quid potes, in bono aliquando nominatam, scripturarum sanctarum loco ullo, concupiscentiam carnis ostende: & noli apertis rebus nebulas loquacitatis offundere.

Mundus dictus de hominibus non secundùm Deum viventibus. 1. Iohan. 2. 2. 1. Iohan. 2. 15. & 16.

XXI. Jul. *Certè apostolus est, & præcipua Domino Iesu caritate dilectus: tamen nisi intentionem ejus, vel evangelium quod scripsit, vel epistolarum gravitas indicaret, verba ista quæ posuimus, ita nullum*
G *possent rebus afferre præjudicium, ut Scripturis omnibus, quæ mundum à Deo factum asserunt,* [f] *cedere*

[a] Apud Mar. Clar. & editiones ante verbum *vituperat*, legebatur, *& invictissimè contra Manichai & Pelagii sectatores.* Glossema ex margine huc translatum, quod auctoritate codicis Port. expunximus

[b] Editiones, *permixtam.* Emendantur ex MSS.

[c] Duos hîc versus in editionibus prætermissos restituimus ex MSS. fide.

[d] Hoc etiam loco *malis* prætererant editiones.

[e] In MSS. Mar. Port. *honorum.*

[f] Editi, *credere.* Meliùs MSS. *cedere.*

cogerentur.

cogerentur. Verùm ipse [a] *Evangelii, quod conscripsit, reverendo se communivit exordio. Deus, inquit, erat Verbum, per ipsum facta sunt omnia, & sine ipso factum est nihil. Ac deinceps: Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: in hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Itemque: Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis. Quibus testimoniis nihil in sensibus suis obscuritatis reliquit: sed ostendit Deum se nosse & asserere totius mundi, atque eorum quæ in mundo sunt omnium conditorem, Manichæisque nullum ad sententias suas accessum patere perdocuit. Quoniam qui omnium naturarum Deum asserit creatorem, abutitur, sine fidei dispendio, substantiarum nominibus, ad significationem cupiditatis immodicæ.*

Johan. 1. 1. 3. &c.

AUG. Sed tu concupiscentiam carnis, nec quando [b] immodica est, vis intelligi malum esse, sed bonum; eosque potiùs bono malè uti, qui eâ utuntur immodicè. Ac per hoc, si concupiscentia carnis bonum est; profectò & modica bonum est modicum, & immodica bonum est immodicum: sed modicâ uti, hoc est, ut dicis, bono bene uti: immodicâ verò uti, hoc est, ut dicis, bono malè uti. Sicut vinum procul dubio bonum est; Omnis enim creatura Dei bona est: & qui modico vino utitur, bono bene utitur; qui verò immodico vino utitur, bono malè utitur. Sed Johannes numquam diceret vinum à Patre non esse, sicut concupiscentiam carnis dixit à Patre non esse. Non igitur invenis, quæ concupiscentia carnis non sit à Patre: quia & immodica bonum est apud te; & ille potiùs non est bonus, qui bono immodico utitur, id est, qui bono malè utitur. Quid ergo dubitas breviter apertéque dicere, quod obscurè longis amfractibus dicis, quod dixit Johannes falsum esse, & te verum dicere? Falsum est enim quod ille ait, Concupiscentia carnis non est à Patre; à quo sunt omnia naturalia bona: si concupiscentia carnis, ut dicitis, & tunc bona est, cùm eâ quisque immodicâ utitur, sed ille malus est qui [c] bono malè utitur.

b Concupiscentiam ipsam in Juliani opinione, nec quando immodica est, mali esse.

1. Tim. 4. 4.

XXII. JUL. *Præcipit ergo non diligi mundum, neque ea quæ in mundo sunt; & dicit quoniam dilectoribus sæculi Dei caritas inesse non possit: sed non ut hoc nomine dilectionis à sæculo submovendæ, alterum ejus quàm Deum verum intelligi faciat conditorem; verùm ut agnoscant fideles, nullas præsentis vitæ cupiditates præferendas esse virtutibus, ne mens eorum aut comparandis opibus, aut conquirendis voluptatibus occupata, à Christianæ, quæ vera est, philosophiæ deducatur vigore.* Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum est, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est: & mundus transit, & concupiscentia ejus; qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. *Mundi ergo nomine, mores hominum nihil post hanc vitam esse autumantium, diversasque mortalium tam pompas quàm luxurias indicavit.*

1. Johan. 2. 15.

Ibidem 16. 17.

Mundi nomine quid indicet Johannes.

AUG. Ergo si *mundi nomine, mores hominum nihil post hanc vitam esse autumantium, diversasque mortalium tam pompas quàm luxurias indicavit*; in his sunt illa quæ esse dixit in mundo, & à Patre non esse; in quibus primum locum tenet tua illa pulcra suscepta, concupiscentia scilicet carnis. Sed tu videris, in moribus hominum nihil post hanc vitam esse opinantium, voluisse intelligi oculorum concupiscentiam, quoniam his rebus quas vident inhærendo, nolunt ea quæ non vident credere; in pompis autem mortalium, ambitionem sæculi vel superbiam vitæ; in luxuriis verò, concupiscentiam carnis; ut omnia tria quæ Johannes posuit, complexus esse videaris: quasi [d] possit esse luxuria quam vituperas, nisi consentiatur concupiscentiæ carnis quam vituperandam esse non putas, & bonum appellando insuper laudas. Quid est autem insanius, quàm luxuriam malum, & concupiscentiam luxuriæ bonum dicere? & putare apostolum Christi nomine concupiscentiæ carnis, non ipsam concupiscentiam carnis, sed potiùs accusasse luxuriam, quæ omnino nulla est, nisi cùm quisque concupiscentiâ carnis illicitur, trahitur, possidetur? Quasi non invenerit tantus doctor unde illam, sed unde luxuriosum nomine ejus argueret; cùm luxuriosus non esset arguendus, nisi ejus desideriis obediret. Desine multùm dicere, & parum sapere. Numquam efficies, quantolibet loquacitatis tuæ flumine, quo in profunda raptaris, prorsus numquam efficies, ut luxuria sit malum, & concupiscere quæ ad luxuriam pertinent non sit malum, etiamsi tali concupiscentiæ non consentiatur, ne malum perpetretur.

d Luxuriæ malum concupiscentiæ consentiendo committitur.

XXIII. JUL. *Sic enim & in Evangelio suo dixerat: Mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit: non utique ut elementa Christum ratione carentia potuisse viderentur vel cognoscere vel negare; sed ut mundi appellatione turba infidelium signaretur. Eodem ergo more in præsenti quoque, omne quod in mundo est, id est, omnia genera hominum ita voluptatibus inhærentia, ut bona cuncta rationabilis animantis aut potestatum phaleris, aut opum sarcinis, sensibus metiantur, exosâ ait superbiâ turguisse, quæ ex Deo non est, id est, Deo non placet, sed ex mundo est, voluntatis scilicet humanæ pravitate concepta. Et ideo vos, inquit, sua non debet æmulatione corrumpere: quia qui facit voluntatem Dei, æternæ fit beatitudinis compos, nec cum præsentium fragilitate prætervolat. Ergo Iohannes apostolus odio haberi mundum præcepit, quomodo & Dominus in Evangelio, non solùm corpus, sed etiam animam ipsam nostram odio habendam esse monstravit: Qui, inquit, non odit patrem, aut fratrem, insuper etiam animam suam, non est me dignus. Cùm certè fidelium animas se odisse non possit, qui amore consultissimo felicitatem suam doloribus etiàm & periculis mercatur. Quid igitur egimus? Apostolum videlicet Iohannem, ex more Scripturarum mundi vocabulo non naturam perculisse rerum, sed vitia voluntatum: atque ita concupiscentiam carnis negasse ex Deo esse, sicut omnia quæ in mundo sunt. Quod Manichæus non secundùm Apostoli sensum, sed secundùm perfidiam suam velut consequenter arripiens, nec concupiscentiam carnis, nec ipsam carnem, nec totum postremò mundum à Deo confirmat effectum: quem tu sequutus, concupiscentiam carnis, non à Deo, sed à diabolo conditam credis.*

Iohan. 1. 10.

Luc. 14. 26.

[a] Sic MSS. Editi verò, *Evangelium quod conscripsit, reverendo communivit exordio.*
[b] Editi, *modica est*: & paulò pòst, *qui eâ utuntur modicè*. Utroque loco ex MSS. fide castigantur.
[c] Codex Mar. *bonâ*.
[d] Editi, *non possit*. Particula negans auctoritate MSS expungitur.

Aug. Hanc ego concupiscentiam carnis malum dico esse, quam dicit Johannes à Patre non esse, & quam dicit Ambrosius in naturam nostram ex primi hominis prævaricatione vertisse; unde Johannes volens homines intelligi, eam dicit ex mundo esse. Hanc concupiscentiam carnis & Manichæus malum dicit; sed unde sit nescit: tu autem bonum dicis, quia & tu unde sit nescis; & eam negando esse unde illam esse dicit Ambrosius, facis ut naturæ mali, quam Deo coæternam desipit, rectè sibi eam videatur tribuere Manichæus. Ergo ut & tu redarguaris & Manichæus, illud quod dicit Johannes apostolus, episcopus exponit Ambrosius. Quod enim per prævaricationem primi hominis in naturam vertit, non utique Deo coæternum malum est; taceat ergo Manichæus: & tamen malum est; taceat ergo etiam Julianus.

Ambros. lib. 7. in Luc. 12.

De concupiscentia errores Manichæorum & Pelagianorũ quid ab invicem & à catholica fide differant.

XXIV. Jul. *Constat itaque beatum Iohannem nullam tibi erroris occasionem dedisse: te porrò id quod Manichæus protulit imbibisse. Atque ut Apostoli jam existimatione defensa, manum super hoc vel breviter construamus: quid hic sanctum Iohannem existimas intimare, cùm concupiscentiam carnis & concupiscentiam oculorum ex Deo non esse pronuntiat? Genusne ipsum concupiscentiæ, quæ non mediocritate concessâ, sed nimietate prohibitâ in vitium cadit; an solum excessum, qui non naturalis, sed voluntarius deprehenditur?*

Aug. Si in vitium cadit, tunc eam saltem malum esse concede: sed cur eam tunc quoque bonum esse contendis, & eum bono malè uti dicis, qui concessum ejus modum excedit? Sic enim non ipsa, sed ille cadit in vitium, qui eâ malè utitur. Videsne quàm nescias quid loquaris, quando nec in tua definitione consistis?

XXV. Jul. *Si dixeris, nomine concupiscentiæ, etiam illum ipsum modum, quo licita rerum naturalium afficitur voluptate, ut concupiscentia carnis in universum reprobata videatur: ergo & sensum oculorum, & mundum ipsum, & quidquid in mundo est, à diabolo conditum profitere; quia omnia pariter ex Deo non esse dicuntur. Quod certè si annueris, non efficieris Manichæus; es enim etiam nunc: sed hoc te esse, ut argumentis tuis olim, ita quoque professione monstrabis. Si autem nudatum errorem pavescens, dixeris apostolum nomine concupiscentiæ carnis & oculorum concupiscentiæ, & nomine mundi, non res ipsas, quæ cùm intra concessos fines tenentur, innocuæ sunt; cùm autem in illicita procurrunt, fiunt reprehensibiles, adnotasse: clarebit quod in primo opere egimus, concupiscentiæ naturalis non genus, non speciem, non modum, sed excessum tantùm in culpam venire. Atque ideo hoc testimonium apostoli in reliquum pudenter caveto, ne illud si vel levi commemoratione pollueris, defensus quidem nihil,* [a] *propalam verò proditus approberis.*

Aug. Sed, homo contentiose, modus concupiscentiæ, quem dicis esse concessum, tunc non servatur, quando illi impellenti consentitur aut ceditur, & itur in ejus excessum: quò ut non eatur, resistitur malo. Quis enim dubitet malum esse, cui si obedias, malum facis; si re-

A pugnes, bonum? Qui ergo vult temperanter vivere, non consentiat malo quod laudas; & qui vult fideliter vivere, non tibi consentiat cùm malum laudas: proinde ut vos caveat, concupiscentiam carnis malum esse sciat; ut autem & vos & Manichæos, unde sit sciat.

XXVI. Jul. *Exercui hunc locum in secundo prioris operis libello, atque ostendi, priùs in homine concupiscentiam carnis quæ* [b] *speciem irritat saporis & oculorum fuisse, quàm culpam.*

B Aug. Huic libro tuo secundo, satis respondi quarto meo. Nam sicut ibi, ita & hîc garris inania? Nullo enim modo ostendisti, concupiscentiam carnis, qua caro concupiscit adversùs spiritum, priùs in homine esse cœpisse, quàm culpam. Quidquid illud est, quod duo illi homines post peccatum in membris suis senserunt novum, unde pudor eorum pudenda contexit; procul dubio culpa contraxit.

Gen. 3. 7. Pudor primorum parentum.

XXVII. Jul. *Hic tamen necessariò exigo, quibus tibi*
C *somniis revelatum sit, ut nomine concupiscentiæ, coëuntium libidinem indicatam putares? Salvis enim* [c] *opibus veritatis, quas disputatio longa patefecit, putemus necdum claruisse, ad eumdem auctorem adtinere sensus carnis, ad quem ejus forma pertineat.*

Aug. Alii sunt carnis sensus, quibus caro præsentia corporalia spiritui quodam modo nuntiat; & alii sunt carnalis concupiscentiæ motus, quibus caro adversùs spiritum concupiscens in
D quæque illicita atque inhonesta præcipitat, nisi adversùs eam etiam ipse spiritus concupiscat: quæ discordia carnis & spiritus, non creatori carnis aut sensûs, sed malo suasori & homini prævaricatori tribuitur ab eis, quorum fide sana error insanus Pelagianorum & Manichæorum damnatur.

Sensus carnis distinguendus à concupiscentia.

Discordia carnis & spiritûs non ex Creatore.

XXVIII. Jul. *Sed si hoc fingatur ambiguum, te continuò crassissima dubii nubes involvet. Hac quippe concupiscentiâ carnis nullum absolutè genitalium tenetur*
E [d] *indicium. Dicam ergo aures hoc vocabulo variorum sitientes carminum verberari, dicam castigari à sancto Johanne helluonum palatum, dicam culpari * immorientes odoribus nares; totum postremò præter id quod tu arbitraris: libera est electio, ubi specialis verbi nulla pressura est. Aut ergo nega illa quæ diximus concupisci; & inficiare, ut soles, omnium conscientiæ: aut si necdum eò usque impudentia incalluit, ut his conetur obniti; assentire damnationem genitalis jocunditatis nec in sermonibus inveniri.*

1. Johan. 2. 16. * f. immorantis.

F Aug. Ita hoc dicis, quasi nos concupiscentiam carnis in solam voluptatem genitalium dicamus æstuare. Prorsus in quocumque corporis sensu caro contra spiritum concupiscit, ipsa cognoscitur: & quoniam si non adversùs eam spiritus fortiùs concupiscat, ad mala pertrahit, malum esse convincitur. Propter ipsam Scriptura dicit, Nequius oculo quid creatum est? Et utique oculum, non nequitiam, creavit omnium creator Deus & corporum & sensuum. Ecce unde
G intelligas, (si veritati non resistas,) inesse malum naturæ nostræ, etiam cùm creatur, quamvis creetur à bono bene bonum. Sed unde sit

Concupiscentia carnis non in sola voluptate genitalium, sed in quocumque corporis sensu.

Eccli. 31. 15.

[a] Editi, *per palam verò perditus apparebis.* Concinnior nostra, quæ veterum est librorum lectio.
[b] In MSS. *spem.* Locus perplexus & depravatus.

[c] Sic MSS. Editi autem, *operibus.*
[d] Editi, *judicium.* At MSS. *indicium.*

hoc malum, disce ab Ambrosio, ne ad aliam, id A est, mali naturam introducendam Deo coæternam, suffragium præbeas Manichæo.

XXIX. Jul. *Quid ergo tibi opitulari potest, quod ego inter commixtionem sexuum, fecunditatem coëuntium, nolui concupiscentiæ nomine lacerare, cùm eam nec tu cum Manichæo diabolicam potueris approbare; & jam ipsa præmissæ disputationis consequentia claruisset, ad ejusdem operam recurrere sensum illum, quo commixtorum corpus afficitur, ad cujus institutionem corpora, conjugia, semina refer-* B *rentur?*

Aug. Alia est vis sentiendi, aliud vitium concupiscendi: discerne duo ista diligenter, noli errare deformiter. Alia est, inquam, vis sentiendi, aliud vitium concupiscendi. Lege Evangelium: Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo: non dixit, qui viderit, quod est sentire per eum sensum corporis qui dicitur visus; sed, qui viderit, inquit, ad concupiscendum, quod est vi- C dere ad malum. Visus ergo sensus carnis est bonus: concupiscentia verò carnis motus est malus. Quo malo si bene utitur conjugatus, non eum bonum facit; sed operi bono servire compellit. Facit enim non nisi boni aliquid & per ipsum, si nihil faciat propter ipsum: si autem faciat aliquid, sed tamen in conjuge, propter ipsum, non ei veniam daret Apostolus gratiâ nuptiarum, si non agnosceret esse peccatum.

XXX. Jul. *Oporteret quidem nihil post primum opus,* D *quod ad sanctum Turbantium edidi, super necessario naturalium pudore disserere; quia ibi ita plenè actum est, ut nisi depositis omnino mentibus, nihil hinc possit ambiguitatis oboriri.*

Aug. Sanctus fortè Turbantius, ipso opere tuo lecto, quod ad eum te scripsisse commemoras, etiam propterea in catholicam fidem respiravit, quoniam te in tali caussa defecisse cognovit.

XXXI. Jul. *Tamen cùm defensor traducis ne tenui qui-* E *dem possit ab eo ungue deflectere, meumque rhetoricâ elegantiâ fatiget pudorem, cur diversis * hominibus negotium ipsum commixtionis juvat hinc eâ quæ rebus actis convenit, parcitate decernere. Et in hoc ergo loco, & in inferioribus, ubi ego dixi,* Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærescet uxori, & erunt duo in carne una: ut exprimeret fidem operum Propheta prope periculum pudoris accessit: *quasi prædam inveniens gestit, exsultat, & clamat,* Aperta prorsus, & vi F veritatis, *inquit*, extorta confessio! Dicatur caussa, cur in exprimendis operibus Dei, Propheta prope periculum pudoris accesserit. Itane verò humana opera pudenda esse non debent, sed planè glorianda; & divina pudenda sunt? Itane verò in eloquendis & exprimendis operibus Dei, non honoratur Prophetæ vel amor vel labor, sed periclitatur pudor? Quid enim potuit Deus facere, quod ejus prædicatorem pudeat dicere; & quod est gravius, pudeat hominem G alicujus operis, quod non homo, sed Deus fecit in homine? Cùm omnes opifices, quantum possunt labore & industriâ id agant, ne de suis operibus erubescant? Sed profectò illud nos pudet, quod puduit primos illos homines, quando pudenda texerunt: illa est pœna peccati, illa plaga vestigiumque peccati, illa illecebra fomesque peccati, illa lex in membris repugnans legi mentis. Hujus pudet, & meritò pudet. Nam si hoc non esset, quid nobis esset ingratius, quid irreligiosius, si in membris nostris non de vitio vel pœna nostra, sed de Dei confunderemur operibus? *Claruit certè qualiter gestiat: gaudio suo non potest adhibere frænos: tenet meam sententiam, qua concupiscentiam naturalem malam possit ostendere, & diaboli operibus deputare: quam sententiam de ore meo dicit vi veritatis extortam, concionaturque scelestissimum atque profanissimum esse, si ea quæ à Deo facta dicamus, pudore operienda fateamur. Sed alacritate commotior non potuit ponderare quid diceret: asserens enim in operibus Dei pudendum nihil esse, operam autem genitalium pudendam esse, & ideo non posse eam Conditoris operibus adscribi; subitò confessus est illam non solùm honestam, sed etiam justam; non solùm creante Deo, verùm etiam judicante, nostris*[a] *corporibus adtributam. Ostendi in tertio prioris operis libro, non posse idem pœnam esse quod culpam.*

Aug. Non ostendisti, quod te ostendisse inaniter jactas: immo etiam ipse quodam loco oblitus quid antè dixisses, confessus es culpam etiam pœnam esse peccantis. Quod ego cùm tibi superiùs responderem, satis evidenter ostenderam, etiam per Apostolum probans puniri peccata peccatis: qui cùm de quibusdam dixisset, quòd immutaverint gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium; protinus hoc peccatum aliis peccatis ostendens esse punitum, Propterea, inquit, tradidit illos Deus in desideria cordis illorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, & cetera quæ ibi contexuit. Nec in Psalmo diceretur, Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in tuam justitiam: nisi justo judicio Dei punirentur additis præcedentia peccata peccatis.

Lib. 5 prior. op. in Julian. c. 3.

Rom. 1. 23.

Psal. 68. 28.

Jul. *Et ideo super hoc laborandum non est: commendo tamen disputatoris acrimoniam, qui quam dicit à Deo redditam, non vult à Deo conditam; pronuntians Dei non convenire operibus, quod vult ejus convenire judiciis.* XXXII.

Aug. Apparet te non intelligere quomodo dictum sit, Deus mortem non fecit: cujus tamen judicio qui peccat moritur. Convenit ergo judicio ejus ut moriatur peccator; nec tamen operi ejus convenit mors, quia Deus mortem non fecit. * Ejus quippe justum est judicium, ut peccato suo quisque pereat, cùm peccatum Deus non faciat: sicut mortem non fecit, & tamen quem morte dignum censet, occidit. Unde legitur Deus mortem non fecit; legitur, Mors & vita à Domino Deo est: quæ duo inter se non esse contraria profectò videt, quisquis ab operibus divinis judicia divina discernit:[b] quod tu si potuisses, non utique ista vana dixisses.

Sap. 1. 13.

** Prosper. sent. 303.*

Sap. 1. 13.

Eccli. 11. 14.

Jul. *Ergo in operibus ejus nullus pudor est; in sententiis autem summa deformitas? Certum est nempe, quòd pœnam mercatur reatus: num ideo tamen confusio culpæ debita, in vindicta recurrit, ut appelletur sine pudore quod fecit reus, sed non possit sine* XXXIII.

[a] Editi, *operibus*. Veriùs MSS. *corporibus*.

[b] Prosper in sententiarum libro, sent. 303. hoc loco inserit verba illa: *quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud judicando plectere peccatorem.* Absunt omnino à MSS. hujus operis.

ignominia dici quod judicando fecit Deus?

Aug. Quid explicata implicas, & evoluta convolvis, ut ingeniis tardioribus, qualia in hominibus plura sunt, videaris dicere aliquid, cùm dicas nihil? Homo es enim, qui potiùs inverecundiâ quàm facundiâ persuadere conaris, quòd deformitas vel nulla, vel parva sit, ut cùm subjecta esse caro spiritui debeat, adversùs spiritum concupiscat; aut quòd non sit justum Dei judicium, relinquere delinquentem, ut ipse sibi sit pœna, cui Deus fuerat vera felicitas; aut quòd de peccato debeat, non de pœna sua quisque confundi; cùm plerique de peccatis suis non erubescant, si nulla pœna fuerit subsequuta quam sentiant, & eos faciat pœna confundi, quod non fecisset impunitas. Sed contra res apertissimas quem liberet esse disertum, nisi à veritate desertum? Utrumque autem nos liberè dicimus, & quod fecit homo volens, & quod passus est nolens; id est, & spiritûs inobedientiam, & carnis contra spiritum concupiscentiam: sed unum horum dicere tu erubescebas, ne nos admoneres unde tuum convinceremus errorem. Et nunc quando jam concupiscentiam carnis & libidinem nominas, ne de tuæ susceptæ nomine erubescere dicaris, plus erubescere times, & errare non times.

Delinquēs justè relinquitur, ut ipse sibi sit pœna.

XXXIV. Jul. *Constat tamen accusatorem nostrum in eodem, quem aversatur, luto volvi. Cùm enim confinxerit justè redditam libidinis pœnam, & hanc justitiam divinæ inculcat convenire sententiæ, in prolatione autem sententiæ opus Dei esse non denegat, ex qua libidinem evenisse dicit, quam erubescendam fatetur; in operam nimirum Dei, illum, quem propulsaverat, reduxit pudorem.*

Sap. 1. 13. Aug. Jam tibi dictum est, Deus mortem non fecit: in prolatione autem sententiæ Dei est,
Gen. 2. 17. Morte morieris. Ecce Deus hoc retribui peccatori fecit, quod Deus ipse non fecit. Et tamen
Psal. 93. 1. Isai. 45. 5. quia Deus ultionum est, dicit etiam creare se
Eccli. 39. 33. mala: & quædam in libro Ecclesiastico ad vindictam creata dicuntur. Sed cùm peccatum etiam pœna peccati est, non Deus peccatum facit opere iniquo, sed ut peccatum sit pœna peccantis facit opere justo. Quis enim neget esse peccatum, prophetis mendacibus credere? Et tamen hæc fuit pœna regis Achab, divino in-
3. Reg. 22. flicta judicio, sicut Regnorum testatur historia. Nec ideo quisquam ita desipit, ut pseudoprophetarum putet laudanda esse mendacia, aut mendacii Deum dicat auctorem, cùm judicio justo, ubi tali pœnâ perspicit dignum, facit decipi quemque mendacio. Lege, & intellige; & noli tibi, ne intelligas, tumultu loquacitatis obstrepere.

Peccatum aliquando est pœna peccati.

XXXV. Jul. *Ad quod tamen quasi corollarium peculiaris sceleris adjunxit, ut talem pœnam à Deo illatam diceret, quæ esset illecebra & fomes peccati, quæ lex in membris invicta repugnaret legi mentis nostræ: quo genere ultionis multiplicaret Deus flagitia, non puniret; & qui iratus erat malæ voluntati, qua fuerat erratum, reliquum faceret peccandi necessitatem. Quale sit tamen hoc judicium, Manichæi furor viderit: dum constet, quia hic judex qui ab Augustino fingitur, simularit se horrere peccatum, ceterùm tanto eis adhæret affectu, ut diligentiorem nutritium invenire non possint.*

Aug. Lege quod scriptum est: quoniam non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt: & vide quædam peccata etiam pœnas esse peccantium. Quomodo autem id faciat Deus ut intelligas, relege quod te admonui superiùs de Rege Achab: cujus utique peccatum fuit credere pseudoprophetis; & tamen hoc peccatum, Deo vindicante, fuit etiam pœna peccantis. Ista considera, & noli oblatrare veritati, ne in te quoque agnoscatur hæc pœna. Rom. 1. 28.

Peccata quædam etiam pœnas esse peccanti.

XXXVI. Jul. *Quid ergo vis, subtilissime disputator? sacrilegam esse in Dei operibus verecundiam, quia omnia quæ Deus fecerit, passim agi debeant, ne nostra trepidatio opificem videatur arguere? Erravit ergo apostolus Paulus, qui Dei opera describens, ait, Verecundiora nostra majorem honestatem habent, & Deus temperavit corpus, ei cui deerat abundantiore dato honore, ut non sit scissura in corpore.* 1 Cor. 12. 23.

Aug. Lege diligenter, & inspice codicem Græcum; & invenies Apostolum * *inhonesta* dixisse, quæ *verecundiora* tu dicis: & quærens cur inhonesta sint, quæ priùs usque adeo fuerant honesta, ut nudi essent duo illi, & non confunderentur; reperies, si non te animositas contentionis excæcet, ut hoc sequeretur, præcessisse peccatum: neque in hominibus primis Deum aliquid fecisse inhonestum; sicut nec mortem fecit Deus, cùm corpus non faciat nisi Deus; & tamen, Corpus quidem mortuum est propter peccatum, verax dicit Apostolus. Rom. 8. 10.

XXXVII. Jul. *Errat etiam honestorum cautio, quæ naturalibus rebus verecundiæ prætendit umbracula. Tu ergo ipse reliquias ciborum, quas certè confiteris non pertinere ad libidinem, sub oculis depelle populorum; immo ut dogmati tuo auctoritatem concilies exemplo, in Ecclesia facito omnia, quæ ad nutum dicis fieri voluntatis, contentusque operam solius commixtionis occulere, à qua, & olim proposito, forsitan, & nunc senio destitisti, dicito ad grande sacrilegium pertinere, si res quæ Deum conditorem habet, publicum vitet adspectum. Comede igitur in foro, aut in synagogis, in quibus disputationes tuæ personant; & cùm vestimenta sub sole torrido fuerint oneri, tegens illam tantummodo corporis tui partem quam diabolus movit, reliquâ nudus incedito: quia pronuntias ingratum esse & profanum, si quid tegatur quod Dei operibus adscribitur. Quod cùm horum nihil facis, (si tamen non proficiendo feceris,) ipsis operibus confirmas alterum de duobus, aut omnia ista ad diabolum pertinere, quæ non exsequeris sub conspectu publico; aut dogma vestrum, si non corde, vel ventre tuo teste cecidisse.*

Aug. Eorum quæ occultat pudor, alia sunt horribilia, alia concupiscibilia: illa occuluntur, ne horreantur, sicut egestiones reliquiarum ex alimentis; ista verò, ne concupiscantur, vel ne id quod per ea fieri solet, admoneant concupisci, sicut sunt ea membra, quæ ab ipso pudore propriè pudenda dicuntur, vel si eis ipsum concupiscentiæ opus agitur. Nam & cetera corporis ab his remotiora, cùm pudet nuda relinquere sive nudare, ad hoc pertinet, quoniam concupiscentia carnis latiùs per oculos pascitur. Unde illi impudici pudicam Susannam, quantùm po-

tuerunt, nudare voluerunt. Potest ergo bene intelligi etiam Deus, ejusdem quoque pudoris commendasse curam, quando illos qui sibi succinctoria fecerant, de sua nuditate confusi, etiam tunicis induit; propterea quidem pelliceis, ut corruptibilibus jam corporibus mors signaretur adjuncta. In publico autem vesci mos prohibet, quoscumque prohibet, & facere contra morem meritò pudet. Nam Romani antiqui, quod etiam ipse legisti, in propatulo cœnitabant atque pransitabant. Quid est ergo quòd, non ratiocinando, sed conviciando spatiaris in vacuum? Respice illos primos parentes, qui nudi erant, & non confundebantur: adtende quid texerint, & confitere quid senserint. A succinctoriis ad tunicas ventum est: inde cœpit, & crevit humani corporis tegimen, ubi humanis membris pudendorum est inditum nomen. Ibi pudoris major est cura, ubi resistit concupiscentiæ pudicitia. Pudet enim naturam rationalem aliquid habere in carne sua, ubi si non vult per impudicitiam dehonestari, necesse sit reluctari, tam conjugatis ne illicito, quàm continentibus ne ullo concubitu sordidentur. Hæc discordia carnis & spiritus in paradiso, si nemo peccasset, absit ut esse potuerit: non autem nos ex alienæ naturæ commixtione possedit: unde ergo ad nos, nisi ex primi hominis prævaricatione descendit?

Gen. 3. 21. Tunicæ pelliceæ. Romanorum antiquorū mos quidam. Unde pudor in membris. Discordia carnis & spiritus nō fuisset in paradiso.

XXXVIII

a JUL. *Res ineptæ sunt, & quæ stilo nostro convicium magis faciant quàm laborem: sed fidem*[a] *tuam necessariò consequuntur. Verumtamen adhuc, ut sit intentus lector, admoneo. Conatus es nempe asserere, quòd Dei opus probetur pudendum non esse; sed ut hoc efficere nequivisti, ita spopondisti illud absolutissimè, demere te à libidine verecundiam, si opus Dei esse doceatur; quod in primo opere ita approbavi, ut nec te inde putem dubitaturum esse, cùm legeris: tamen quoniam hoc commentum tuum significat, necdum ad manus tuas illos venisse libros, id ipsum in præsenti quoque ostendere non pigebit. Irrationabiles igitur animantes, à quo conditas putas, quæ certis temporibus ardentissimâ libidine commoventur, ita ut etiam feritates acuat singularum?* * *Tunc sævus aper, tunc pessima tigris.* * *Ante omnes furor est insignis equarum. Vere tument herbæ: Vere abundantia teneri humoris exuberat. Et coitum certis repetunt armenta diebus. Longum est ire per singula: omnia genera, quæ suspendit volatus, quæ demersit natatus, quæ sparsit vagatus, per aëra, per freta, per nemora, nec tamen aut sublimavit ratio, aut culpa depressit, notâ commiscendorum corporum voluptate flammantur. Illum ergo sexuum quem patiuntur ardorem, Dei an diaboli opere susceperunt? Clamabis sine dubio, Dei. Deus ergo sexum naturali voluptate succendit; quod certè consequentiùs quàm tu, Manichæus negat. Ille enim, à quo concupiscentiam carnis damnare didicisti, quid sibi dicendum esset expendens, rem quam diabolicam definiverat, atque à Dei operibus removerat, quaquà versùm eam potuit invenire persequitur: & ideo ut per concupiscentiam corpora hominum, ita per homines, omnes animantes diabolo deputavit auctori. Tu autem, cùm in Manichæi castris hactenus manens, maximum ejus feras draconem, de quo infelicibus mentibus per naturale malum & crimina nuptiarum lethale inspiras venenum; non vis tamen in omnes naturas suggesta à magistro tela jaculari: & brutis familiarior, (quibus tamen ob hoc parcis, ut rationabilium statum auctoratiùs cremineris,) consentis in illorum corporibus Deum fecisse, quod in*[b] *nostris diabolum: cùm tamen id ipsum, sed mitius in hominibus, quàm in pecoribus esse fateare. Ut ergo quid sit effectum, prudens lector accipiat, libidinem corporum in animalibus factam à Deo non negas. Non est ergo Dei operibus indigna illa affectio, quæ in his substantiis acrior invenitur, quæ nihil de diaboli malo, vel tenui voluntate rapuerunt.*

* Virgilius, Georg. 3.
* Georg. 2.

Ergo quia concupiscentia defensa est exemplo animalium, defensa etiam dignitate auctoris sui, nec mala, nec diabolica est, quam fecit Deus formator corporum, & quam tenet ea quæ est expers natura peccati: cùm hoc ergo claruit, inquiro utrùm istam libidinem, quam corpora humana persentiunt, Deum fecisse consentias? Si annueris; sublata contentio est, tu emendatus, & Manichæus permanebit adtritus. Si autem dixeris, In corporibus hominum à Deo non potuit fieri: refero, illam voluptatem & concupiscentiam carnis, hominis te, non Dei operibus indignam putare. Ambigi quippe non potest, quoniam si quod confiteris à Deo ubicumque factum, hoc dicas in * *homines fieri nequivisse, non concupiscentiæ testimonia aufers debita, sed humano corpori conquiris indebita. Vide ergo cujus profanitatis sit sectæ tuæ*[c] *finis. Dicis esse indignum carne*[d] *mortalis, quod indignum non fuit opere Conditoris. Igitur hoc sensu non libidinem vituperasti; sed hominem, quem accusare volueras, extulisti. Talem habet constantiam talemque mercedem, qui veritati indicit bellum, ut contrariis semper conatui suo feriatur effectibus. Ego ergo nunc tuis verbis consequentiùs, sicut omnis prudentia cognoscit, insurgo. Itáne in taxandis & exprimendis operibus Dei, non auditur ratio, non omnium naturarum considerantur exempla; sed in tantum hominis effertur insania, ut putet inconveniens suis esse visceribus, quod per Dei operam in naturæ suæ cernit vigere consortibus? Neque enim alia nostrorum corporum est, vel origo, vel ratio, quàm mutorum.*

* f. in homine.

V. lib. 2. de nupt. c. 9.

AUG. Dic ergo resurrectionem atque incorruptionem sempiternam humanis corporibus non deberi; quia sicut belluina, etiam terrena ipsa sunt: dic finem non esse posse diversum, ubi non est origo diversa: dic ista, si placet; & contra evangelicas litteras, quantum sæcularibus litteris profeceris, impetu vanæ loquacitatis ostenta. Si autem hoc dicere non audebis; fatere secundùm Christianam fidem, etiam istam esse hominis pœnam, quòd comparatus est pecoribus insensatis, & similis factus est eis. Huic ergo ista miseria est, cùm misera esse pecora non possint: sic & carnis concupiscentia, homini est pœna, non bestiæ, in qua numquam caro adversùs spiritum concupiscit. An placet tibi, sic æquare mortales naturas, ut in bestiis quoque asseras carnem contra spiritum concupiscere? Quòd si non facis, ne sicut equus & mulus non habeas intellectum: agnosce libidinem, qualem dicimus, in paradiso futuram non fuisse, si nemo peccasset, qua caro concupiscit adversùs spiri-

Psal. 48. 13. Concupiscentia carnis homini est pœna, non bestiæ. Psal. 31. 8. In paradiso futura non fuisset.

[a] Editi, *etiam*, pro *tuam*. Emendantur ex MSS.
[b] Editi, *multis*, loco *nostris*: & in sequente versu, *minùs*, pro *mitius*. Emendantur ex MSS.
[c] Editi, *fimus*. At MSS. *finis*.
[d] Editi, *mortali*: dissentientibus MSS.

tum. Talis quippe in pecoribus non est, ex qui-
bus tuæ susceptæ tale patrocinium providisti, ubi
mutis illis tu posses esse verbosus. Nam si hu-
mana libidine caro non concupisceret adversùs
spiritum, sed libido talis in hominibus esset, ut
ad nutum voluntatis, cùm opus esset, exsurge-
ret, cùm autem non opus esset, nulla incita-
menta suggereret, cum quibus cohibendis atque
frænandis voluntas nostra pugnaret; nihil vos ar-
gueremus, quòd in paradiso eam, hoc est, in
habitatione tantæ felicitatis, tam infeliciter lo-
care velletis.

XXXIX. Jul. *Ut enim imaginem Dei mentis ratione sus-
cepimus: ita communionem pecudum carnis affinitate
sentimus; cujus licèt sit forma diversa, est tamen de
materia elementorum una substantia; pro rationabi-
lis sanè animi meritis æternitatem visura, vel ærum-
nis miseram, vel præmiis gloriosam.*

Caro hominis & pecoris licèt materie cōveniāt, tamen sicut fine, sic & initio suo differrent, si homo non peccasset.

Aug. Si pro rationalis animi meritis, ut fa-
teris, caro terrena, & sicut pecoris corruptibilis,
tamen æternitatem longè diverso fine visura est;
cur non accipis, pro imaginis Dei meritis, quæ
nullo fuerat deformata peccato, sic priùs fuisse
conditam carnem, quamvis de materie terrena,
ut si nemo peccasset, esset in æternitate atque in
incorruptione mansura; nec esset corruptibile
corpus aggravans animam, hoc est, imaginem
Dei; sed ita illi subditum, ut propter filios ge-
nerandos, sicut cetera quibus aliquid operamur,
ad nutum voluntatis etiam membra genitalia mo-
verentur; aut talis esset carnis concupiscentia,
quæ nisi animâ, hoc est, Dei imagine volente
non surgeret, nec demergeret cogitationem men-
tis exundantia voluptatis? Si enim etiam talis
1. Johan. 2. 16. nunc esset, non de illa diceretur, quod à Patre
non esset, sed ex mundo esset, id est, ex homi-
nibus, qui per illam, & cum illa nascuntur mun-
do, & procul dubio perituri sunt nisi renascan-
tur Deo. Materiei ergo corporalis, nobis peco-
ribusque communis, convenienter creditur, me-
rito imaginis Dei, nondum peccato cepto diver-
sum fuisse [a] initium, sicut peccato assumto di-
versus est finis.

XL. Jul. *Qua ergo ratione indignum esset, non ima-
gine Dei, quia animæ quàm carnis diversa substan-
tia est, sed mancipio dissolubili imaginis Dei, quod
indignum non fuerat conditu ipsius Dei? Fecit ergo
corpora Deus, distinxit sexum corporum Deus, fecit
membra genitalia Deus, indidit affectum quo sibi
hæc corpora miscerentur Deus, dedit etiam vim se-
minum Deus, operatur in secretis naturæ de materia
seminum Deus: nihil autem malum, nihil reum facit
Deus.*

Aug. *Nihil malum, nihil reum facit Deus*;
sed in quantum Deus facit, non in quantum mas-
sa vitiata atque damnata est, de qua facit.

XLI. Jul. *Libidinem ut pecorum, ita hominum fecit
Deus: sed in pecoribus incoërcitos dimisit affectus, in
homine autem rationabili modum Deus instituit. Ami-
ctum ei prudentia & honestas comparat, quam dedit
Deus. Igitur non modum, non genus; sed excessum
ejus culpat Deus, qui de insolentia liberæ voluntatis
exoriens, haud statum naturæ, sed meritum agentis
accusat.*

Libido pertinet ad naturam pecoris, ad pœnam hominis.

Aug. Cur ergo libido spiritui resistit in ho-
A mine, quod non facit in pecore; nisi quia perti-
net ad naturam pecoris, ad pœnam verò homi-
nis; sive quia est, quæ nulla esset, sive quia
resistit, quæ subjecta esset, si peccato [b] facta vel
vitiata non esset? Nam si *in pecoribus Deus in-
coërcitos dimisit affectus*; profectò libidines, quan-
dò quidem hos dicis affectus, fateris ab homine
coërceri: nulla autem ratione coërcerentur, nisi
vitiosè moverentur. Ecce enim Deum dicis in
homine modum instituisse libidini: cur in eo
B modo non stat, in quo est divinitus instituta, sed
eum, nisi coërceatur, egreditur? Quomodo ergo
bonum dicitur, quæ urget & compellit homi-
nem facere malum, si ei non resistatur? Videsne
eximiam susceptam tuam in natura hominis aut
ex peccato natam, aut peccato esse vitiatam; &
hinc esse illud, quòd primi homines post pecca-
tum pudenda texerunt, qui nudi erant ante pec-
catum, & non confundebantur? Quid est enim
quod dicis, *Amictum homini prudentia & honestas
C comparat, quam dedit Deus?* Stulti ergo erant &
inhonesti, & imprudentes atque impudentes ho-
mines ante peccatum, quando eos nuditatis non
pudebat? Gratias peccato: nam sic remansissent.
Quod si absurdissimè dicitur, profectò pruden-
tia naturalis & honestas pudenda texerunt; sed
quæ ante peccatum pudenda non fuerunt. Ex-
cessus proinde libidinis in peccato est: sed etiam
impulsus in vitio. De quo impulsu erubuerunt
illi, qui membra quæ contra eorum voluntatem
D suscepta tua sollicitabat, nuda relinquere no-
luerunt.

Libidinis non solum excessus culpabilis, sed etiam impulsus est vitiosus.

XLII. Jul. *Adtende sanè nunc quale sit, quod de
tua opinione colligitur: videlicet operiendum pudore
non esse, quidquid bonum creditur. Nos autem do-
cuimus * voluntatem illam naturaliter sexibus indi-
tam, tam malam non esse, quàm ad Dei operam
pertinentem. Ac per hoc tu aut impietatem tuam
deseres, aut pudorem. Sed quid nos? [c] Hæc autem.
Si mutabit Æthiops pellem suam, aut Pardus va-
E rietatem; ita & tu à Manichæorum mysteriis eluc-
ris.*

Aug. Immo tu Manichæos adjuvare non de-
sines, nisi istam susceptam tuam, quam etiam
Manichæi malam esse convincunt, cum Ambro-
sio & cum omnibus catholicis dixeris, ex præ-
varicatione primi hominis in nostram vertisse
naturam: ne secundùm illos, quos nesciens ad-
juvas nefandos hæreticos, Deo coæternum cre-
datur habere principium, tam manifestum ho-
F minis vitium.

XLIII. Jul. *Sequitur ergo ut verecundiam deponas, ac
Cynicis fœderis: manente amicitiâ cum magistro,
quos tamen aliquorum, ut Cicero in officiis refert,
etiam Stoïcorum argumenta comitantur. Arguunt
quippe communem honestatem, quòd ea quæ re tur-
pia non sint, verbo flagitiosa ducamus: illa autem
quæ re turpia sint, nominibus appellemus suis. La-
trocinium perpetrare, fraudem facere, adulterium
committere, re turpe est, sed dicitur non obscœnè:
G liberis operam dare, honestum est re, nomine obscœ-
num. Pluraque in eam sententiam, ab eisdem, in-
quit, contra verecundiam disputantur. Nos autem
naturam sequamur, & omne quod abhorret ab ocu-
lorum auriumque approbatione fugiamus. Et tu ergo,*

[a] Editi, *meritum*. Castigantur ex MSS.
[b] Sic MSS. Editi autem, *facto*.

[c] Post, *Sed quid nos*, subaudiendum est, *existimamus*. Vel fortè le-
gendum, *sed quemadmodum Hieremias ait, Si mutabit &c.*

cui displicet ista ratio naturalis germana honestatis, aut dic, & latrocinio, & sacrilegio, & parricidio, quæ omnia in re habent turpitudinem maximam, in nominibus nullam obscœnitatem, tetrius esse & profanius operam dare liberis, quam verecundiæ reposcit officium: aut si erubescis eò usque nuptias accusare, ut etiam sceleribus collatæ præponderent; adhortare conjuges tam securè appellare illam commixtionem, tamque liberè, quàm solemus parricidium & latrocinium nominare.

B *Jam verò si addideris conjunctionem corporum fetibus destinatam, ob illudendum, ut soles, auribus Christianis, nulla iniquitate maculari, sed pro suo modo bonam posse censeri; amplexare factum illud* [a] *Cratæ Thebani hominis locupletis & nobilis, cui adeo fuit cordi secta Cynicorum, ut relinquens paternas opes, Athenas cum uxore migraverit Hyparcide, pari animo istius philosophiæ sectatrice, cum qua cùm concumbere in publico vellet, ut refert Cornelius Nepos, & illa occultandi gratiâ, pallii velamen obduceret, verberata est à marito: Tuis sensibus nimirum, inquit, parum adhuc docta es, quæ quod te rectè facere noveris, id aliis præsentibus exercere non audeas. Debetur omnino talis habitus vestris gregibus, ut naturalia, quia* [b] *per hoc bona quod à Deo condita in multiplicationem corporum comprobantur, sine ullo pudoris usurpentur objectu. Restituite igitur quadrupedibus gratiam, ut quia illa sensum corporum vestrorum à possessione diaboli & ore Manichæi suis tuentur exemplis, vos quoque illorum in coëundo libertatem pro rei bonæ adtestatione sectemini. Congruit quippe ut præstent morum magisterium, quibus patrocinium præstiterunt membrorum. Et ut quod egimus repetitione*[c] *assignetur: dixisti libidinem, si eam Deus fecisset, nullo amiciendam pudore: nos licèt in quatuor prioris operis libris id plenè egerimus, tamen in præsenti quoque omnium animalium testimonio, quæ à Deo condita interim confiteris, libidinem sexuum à Deo creatam esse monstravimus, quam tamen in hominibus pudore obumbrandam fatemur: tuum ergo dogma consequitur, ut longo postliminio Cynicorum nobis repræsentes decorem, & ea quæ naturalia sunt, quia à Deo facta sunt, in oculis civitatis exerceas. Sentisne quàm involutis luminibus insiliveris in sententiam meam, qua dixi, Ut exprimeret fidem operum Propheta, prope periculum pudoris accessit? Hæc enim ut consequenter juxta suas fabulas præceptor tuus arguit, cujus in libro posui superiore commenta, qui omnia corpora facta à Deo pernegat, ita tu impudenter contrectare ausus es, qui creatorem Deum fateris (timendo licèt) corporum, quorum sensum adscribis principi tenebrarum: quod certè tanta veritatis potestate detritum est, quanta fide dictum ab Evangelista, Quia per Deum facta sunt omnia, & sine ipso factum est nihil.*

[a] Crates Thebanus Cynicorũ sectam amplexus.

Iohan. 1. 3.

Aug. Numquid posses in carnis concupiscentia vel libidine bestias hominibus comparare, nisi etiam illos primos parentes generis humani tamquam corruptibilia gerentes corpora, etiamsi non peccassent, crederes fuisse morituros? At hoc in hæresis vestræ [d] errore novitio sic catholica damnat Ecclesia, ut Pelagius princeps vester id sibi inter cetera objectum apud quatuordecim Episcopos orientales, à quibus judicibus audie-

Error Pelagianorũ, Adam moriturum fuisse etiã si non peccasset.

Lib. de gestis Pelag. c. 11. 33. & 35.

A batur, damnationis suæ timore damnaret. In quo judicio profectò etiam tu ipse damnatus es, qui dicis Adam ita factum, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset: contradicens Apostolo dicenti, Corpus mortuum est propter peccatum. Rom. 8. 10.

Porrò si non præcedente peccato moritura illa non erant corpora, utique nec corruptibilia erant, ne beatas animas illas aggravarent: Corpus enim corruptibile, sicut scriptum est, aggravat animam. Ac per hoc, quemadmodum mors atque corruptio belluinis humanisque corporibus potuit non esse communis, quamvis communis eis esset terrena materies: ita potuit nec in propagandis filiis eis esse libido communis; sed aut nulla in hominibus, ut quemadmodum aliis membris ad opera congrua, sic ad opus generandi voluntate motis etiam genitalibus uterentur; aut non talis qualis in bestiis, sed ad nutum serviens, & numquam mentem à cogitationis vigilia, nec

Humano corpori & belluino licèt materies communis, potuit tamen corruptio & libido non esse communis. Sap. 9. 15.

C ipsa [e] postremò voluptate deponens. Nunc autem præcedente peccato, quo humana in deterius natura mutata est, facta sunt ei pœnalia, quæ sunt naturæ pecoris congrua: sed in hoc malo, quo caro concupiscit adversùs spiritum, major pudoris est caussa, quòd inter duo, quorum ad nostram pertinet utrumque naturam, & quorum imperare unum, servire alterum debet, exorta est non dolenda tantùm, verùm etiam multùm erubescenda discordia. Quid igitur tibi

Pudoris caussa.

D profuerunt ad rem non pertinentia convocata auxilia Cynicorum; quando quidem te in hac tui erroris via de via deficientem, nec ea quæ hominibus comparasti, jumenta juvare potuerunt?

XLIV. De verecundia membrorum.

Jul. *Tempus admonet, ut ad alia transeamus: sed quoniam certum est, nihil te habere quod vendites imperitis auribus præter verecundiam naturalium; quàm brevissimè potero, quod putatur superesse, contingam. Quis ergo neget, honestatem hanc, quâ genitalia nostra contegimus, pro personis, locis, offi-*

E *ciis moribusque variari? Sic in conventiculis publicis obscœnior nuditas, nihil habet turpitudinis in lavacris. Sic alter est cubicularis habitus, seminudus & securus; alter verò forensis, sollicitior & profusior. Quid quòd ad testimonium crebrò familiaritatis, respicit negligentia cautionis, & quanto persona aut ignotior aut honoratior adfuerit, tanto diligentior habitus comparatur? Quid quòd nautis & opificibus plerisque nemo vitio nuditatem dedit? Ac ne ista*

F *simplicitas personis magis quàm negotiis imputetur, more omnium etiam Petrus apostolus, & post resurrectionem Domini nudus in navigio piscabatur.* Iohan. 21. 7. *Dirige hinc oculos ad medicantum munera: ducunt artem studio salutis in locos pudoris. Athletis nuditas etiam decora est. Iam verò non solùm adolescentulis, & petulanti sibi societate conjunctis, sed etiam totis quibusdam gentibus uterque sexus retectus, & sine secreti est electione commixtio. Quid tamen mirum, si id Scotus vicinarumque gentium barbaries agat;*

G *cùm & philosophia, cujus suprà commemorationem fecimus idem censuerit, & Traducianorum huc dogma pervenerit?*

Quæ ergo pudoris tenebitur quantitas, quive li-

[a] Nomen *Cratæ* addimus ex MSS.
[b] Editi, *pro hoc bono*. Castigantur ex MSS.
[c] Ad oram codicis Port. antiquâ manu, *insigniatur*.

[d] In editis omissum *errore*: tametsi exstet in MSS.
[e] Sic MSS. At editi, *postremâ*.

mes inter tot ejus diversitates, atque inter ceptus partim necessarios, partim societate defensos, per quem possit doceri, diabolum naturalem ardorem sexibus miscuisse? Ac per hoc, ut præsidium opinionis tuæ constat, officiis, locis, moribus, artibus, & totis simul gentibus dissolutum; ita remansit invictum, quod nos ipsa ratione & apostolo Paulo docente defendimus, omnia corpora, omnia membra corporum, omnesque sensus corporum, Deum auctorem universorum creasse; sed ita ordinasse, ut quædam in membris nostris pro opportunitatibus temporum amiciret pudor, quædam honestas naturalis offerret, quibus tam indecorum esset tegimen adhiberi, quàm importunè genitalium vulgare secretum.

AUG. Tu potiùs importunè culpâ importunitatis adspergis eos, de quibus ait scriptura divina, Nudi erant, & non confundebantur. (Gen. 2. 25.) Et certè tunc ita recti erant, ut recti facti erant: Fecit enim Deus, sicut legimus, hominem rectum. (Eccle. 7. 30.) Illo ergo tempore tantæ rectitudinis suæ, numquid tam pravi erant, ut imprudenter, impudenter, inhonestè, importunè, genitalium secreta vulgarent? (Pudendi caussa.) Agnosce igitur nondum fuisse caussam pudendi, quando nondum pudenda erant illa membra, quæ nunc propriè pudenda dicuntur. Non enim habitabat in membris lex repugnans legi mentis, sine qua nunc nascitur nemo. Nondum fuerat justo judicio Dei, qui meritò deseruit desertorem, inobedienti homini suæ carnis inobedientia retributa. Neque enim non est carnis inobedientia contra spiritum concupiscere, quamvis etiam spiritu contra eam concupiscente non sinatur quod conatur implere. Hoc ergo nondum erat, quando nudi erant, & non confundebantur. Non itaque illi verâ nuditate importunè genitalium secreta vulgabant: sed adhuc importunum nihil in genitalibus senserant.

Quid colligis verba inania, tamquam folia levia, quibus & tu contegas carnalem contentionem tuam contra spiritalem auctoritatem, quasi concupiscentem contra spiritum carnem? Quid quæris quæ pudoris tenenda sit quantitas, sive limes, inter tot ejus diversitates, quæ fiunt diversis necessitatibus, artibus, opinionibus, moribus, sive rectis, sive perversis? Ecce habes homines, non alicujus gentis, sicut Scotos, sed parentes omnium gentium; non aliqua prava opinione depravatos, sicut Cynicos, & quoslibet alios similis irreverentiæ deformitate fœdatos, sed à Deo conditos rectos; non opere alicujus necessitatis obstrictos, sicut Petri nuditas fuit, qua te putasti esse velandum, sed in deliciarum paradiso liberos: ipsos adspice, ante peccatum ostentatores libertatis, post peccatum doctores pudoris. Ante peccatum nudi erant, & non confundebantur: post peccatum de nuditate confusi sunt. Ante peccatum genitalia nondum pudenda sine tegimine reliquerunt: post peccatum genitalia jam pudenda texerunt. Hi ergo testes satis idonei, & Pelagianorum pervicaciam, & quarumdam gentium Cynicorumque impudentiam, priùs non pudenda & postea pudenda nuditate sua convincunt.

A JUL. *Hoc igitur in præsenti opere, quantum res acta pertulit, absoluto, venio ad illud quod dixisti, in Christo hanc naturalem concupiscentiam non fuisse. Sic enim obloqueris mihi:* Sed iste in his omnibus noluit nominare concupiscentiam carnis, quæ non est à Patre, sed ex mundo est; cujus mundi princeps dictus est diabolus: qui eam in Domino non invenit, quia Dominus homo non per ipsam ad homines venit. *Pronuntiasti ergo Christum, quem verum per omnia hominem fides ca-* B *tholica confitetur, hanc concupiscentiam, quam dicit Iohannes apostolus, in sua non habuisse carne. Sed Iohannes, ut ejus dicta docuerunt, concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, cum omni mundo ex Patre non esse pronuntiat: quod nos quemadmodum intelligi deberet ostendimus.* XLIV. (Lib. 1. de nuptiis & conc. c. 5.)

AUG. Ostendisti quidem, sed quemadmodum tu intelligeres, vel potiùs non intelligeres, non quemadmodum deberet intelligi: de qua re tibi in ipsa tua non veraci, sed loquaci disputa- C tione, [a] certans pro veritate respondi.

XLVI. JUL. *Tu verò nomen ipsum concupiscentiæ amplexatus, vis à Christi corpore tam oculorum sensum abfuisse, quàm viscerum.*

AUG. Ista non diceres, si tu sanum sensum, non corporis, sed animi haberes.

XLVII. JUL. *Hic igitur ut adsit toto animo lector, admoneo: videbit enim Apollinaristarum hæresim, sed cum Manichæi per te adjectione reparari. Apollinaris quippe primò talem incarnationem Christi indu-* D *xisse fertur, ut diceret solum corpus de humana substantia assumtum videri, pro anima verò ipsam fuisse deitatem; Christusque non hominem, sed cadaver videretur hominis suscepisse. Quod postea quàm cœpit tam rationis quàm Evangelii adtestatione convelli, videlicet quia hoc ipso necesse erat totum illud falsitatis argui, quòd hominem se Christus dixerat, quem veritatem loquutum persequebantur Iudæi, si erat ab eo caro sola suscepta, cùm homo nisi anima simul & corpus esse non posset; vel quòd in Evange-* E *lio dixerat, In potestate habeo ponere animam meam, & in potestate habeo iterum sumere eam.* (Johan. 10. 18.) *Quæ enim anima poneretur, si assumta non fuerat? Cùm ergo auctoritate talium testimoniorum & perspicuæ rationis eversus fuisset, excogitavit aliud unde ejus hæresis, quæ perdurat hactenus, nasceretur; & dixit, animam quidem humanam in Christo fuisse, sed sensus in eo corporis non fuisse, atque impassibilem eum* [b] *pronuntiavit universis exstitisse peccatis.*

(b Apollinaristarum errores.) AUG. Sanctæ memoriæ Cyprius episcopus F Epiphanius in opusculo quod de hæresibus edidit, dixit Apollinaristarum quosdam in Domino Jesu Christo divinitati corpus consubstantiale dixisse; alios autem negasse quòd animam sumserit; alios propter quod dictum est, Verbum caro factum est, (Johan. 1. 14.) contendisse, non eum carnem sumsisse de creata carne, id est, Mariæ, sed Verbum carnem factum; postea verò nescio quid cogitantes dixisse quòd non sumserit mentem. Quod ergo affirmas Apollinaristas asseverasse G [c] in Christo sensus corporis non fuisse, eumque illos pronuntiasse impassibilem; nec uspiam legi, nisi in hoc libro tuo, nec aliquando ab aliquo audivi. Sed quoniam video te quærere ubi

[a] Addidimus *certans* ex veteribus libris.

[b] Editi, *esse pronuntiavit.* Hinc *esse* removimus auctoritate MS. Port.

[c] Hîc in editis omissum, *in Christo sensus corporis non fuisse.* Restituitur ex MSS.

expandas

expandas vaniloquia tua; ut cùm sis verbosus, A videaris esse copiosus, citò respondeo: Quisquis credit vel illa quæ Apollinaristas dicere suprà commemoravi, vel non habuisse Christum corporis sensus, atque impassibilem fuisse, anathema sit. Ut verò te quoque possis agnoscere: Quisquis credit carnem Christi contra spiritum concupisse, anathema sit.

XLVIII. Jul. *Non qui virtute judicii delicta vitasset; sed qui felicitate carnis à nostris sensibus sequestratæ, cupiditatem vitiorum sentire nequivisset.* B

Aug. Non dicimus nos, *Christum felicitate carnis à nostris sensibus sequestratæ, cupiditatem vitiorum sentire non potuisse*: sed dicimus, eum perfectione virtutis, & non per carnis concupiscentiam procreata carne, cupiditatem non habuisse vitiorum. Aliud est enim non habuisse cupiditatem malam, aliud non eam potuisse sentire: sensisset enim si habuisset; non enim sensus ei defuit quo eam sentiret, sed voluntas adfuit qua non haberet. Nec mireris Christum, quamvis C hominem verum, tamen per omnia bonum, noluisse habere cupiditatem malam. Nam quis præter vos cupiditatem negat esse malam, qua cupiuntur mala? Quis, inquam, præter vos persuadere conatur non esse vitium, quam cupiditatem confitetur esse vitiorum; & non esse malum, cui suadenti si consentiatur fit opus malum? Hanc cupiditatem Christus & sentire posset, si haberet; & [a] habere, si vellet: sed absit ut vellet. Verumtamen si haberet cupiditatem malam, D atque ut tuo verbo utar, *cupiditatem vitiorum*, ab ipsius voluntate in illo esse cœpisset; quia non cum illa est natus, ut nos. Ac per hoc, illius virtus hæc erat, eam non habere: nostra virtus est, ei non consentire; & in hoc illum imitari, ut quemadmodum ipse peccatum non fecit, eam non habendo, ita nec nos faciamus, non ei consentiendo; & quemadmodum ipse eam voluit & potuit non habere, sic eâ nos velimus, quia poterimus, carere. Ejus quippe gra- E tia nos liberabit de corpore mortis hujus, hoc est, de carne peccati, qui venit ad nos in similitudinem carnis peccati, non in carne peccati.

Christus non habuit cupiditatem vitiorum.

XLIX. Jul. *Tam [b] gravi, ut res indicat, in fidem catholicorum adulatione, non solùm nihil necessaria, verùm etiam profana. Cùm enim vult ostendere plus aliquid fuisse in Christi corpore, ne carnis nostræ communione vilesceret, naturalium eum sensuum integritate fraudavit; non videns in quantum iret exitium damnum veritatis vel adulatio- F ne corruptæ. Infremuit quippe à catholicis excitata præscriptio; quia apud talem fidem majus damnum mysteria Christi, quàm membra perferrent. Si enim propter hoc, inquiunt, factus est Christus ex semine David, factus ex muliere, factusque sub lege, ut nobis daret exemplum, & sequeremur vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: nec tamen per omnia substantiæ nostræ induit proprietatem, si vel carnem sine anima, vel hominem sine sensibus, quibus nos imbuit natura, gestavit, G exempli formam & legis non docetur implesse. Quid enim fuit laude dignum, contemnere illecebras sensuum, quarum incapax erat beneficio naturæ? Quid mirum, cohibere oculos carnis suæ auxilio non vagantes? Quid magnum, abducere ab illecebrosis odoribus nares, quibus nescirent patere? Quid stupendum, tenere arduam quotidie in epulis parcitatem, quarum nequibat irritamenta sentire? Quid postremò ardui haberent in quadragesimum diem prolata jejunia, si esuries molesta esse non poterat? Quid venerationis disciplina aurium mereretur, numquam nisi honestarum vocum receptrix, si nativam patiebatur in indebitas surditatem? Quæ autem gloria castitatis, si virilitas magis aberat quàm voluntas, & quod putabatur fieri de vigore animi, veniebat de debilitate membrorum?*

Rom. 10. 3.

1. Pet. 2. 21.

Aug. Meritò dicuntur hæc, non contra Apollinarem vel Apollinaristarum aliquem, quos dixisse non arbitror Christi carnem non habuisse humani corporis sensus, sed contra quemlibet quisquis hoc dicit. Nos autem illum & pulcra ac deformia per oculos sensisse dicimus, & suaveolentia & graveolentia sensisse per nares, & sensu aurium percepisse canora & absurda, & à dulcibus amara discrevisse gustando, & aspera ac lenia, dura ac mollia, frigida & calida dijudicasse tangendo; & quidquid aliud corporis sensu sentiri & percipi potest, sentire ac percipere potuisse; nec ei possibilitatem, si voluisset, defuisse generandi: & tamen ejus carnem numquam contra spiritum concupisse. Quòd si propterea magnum bonum est, ut putas, abstinere à delictis, quia non desunt libidines quæ vincantur, non autem magnum esset, si defuissent: tanto quisque erit in virtute laudabilior, quanto fuerit in carne libidinosior. Ac per hoc Christus, secundùm istam vestram horribilem & detestabilem pravitatem, sicut in virtute omnium hominum maximus, ita esse in carne libidinosissimus debuit. Quod quanta sentiatur impietate, si sentis, sententiam mutare ne differas; & libidines discernere à sensibus, quæ sentiuntur potiùs in quibusque, quàm sentiunt: ne tanto quisque videatur [c] sensu esse vivacior, quanto fuerit libidine ardentior; & tanto Christus arsisse credatur libidinibus acrioribus, quanto viguit purioribus sensibus.

Carnis sensus in Christo fuerũt, non concupiscentia.

Libidines discernendæ à sensibus.

L. Jul. *Quæ postremò palma tolerantiæ, si dolor vulnerum & verberum, intercepto itinere sensuum, pertingere ad animum non valebat? Quò ergo profecit Apollinaris adulatio? Videlicet ut omnis virtutum pulcritudo, quam in se Christus expresserat, indebitis naturæ ejus laudibus vacuata flaccesceret, cunctoque veritatis suæ splendore nudata sacrum magisterium Mediatoris offerret irrisui. Huc accedebat quoniam non solùm operum suorum perdebat insignia, nativitate, non virtute felicior; sed etiam fraudis criminibus urgebatur, si indiceret mortalibus, Extendimini ad patientiam hominis nihil sentientis, & venite per veras cruces ad virtutes corporis falsi nihil dolentis; vel, Imitamini castitatem, certa naturæ vestræ irritamenta vincentes, illius quem debilitas fecit pudicum videri. Certè nihil profanius, nihil scelestius talibus excogitari commentis potest. Et Apollinaris omnia ista non dixerat: per illud unum quod pronuntiarat, homini Christo defuisse eos sensus, qui à natura inditi, non usu, sed excessu ad vitia labuntur; hæc omnia quæ à catholicis relata sunt, præjudicio opinionis suæ mutus excepit. Horum quippe*

[a] Sic MSS. At editi, *& haberet.*

[b] Editi, *Tam graviter, ut res indicat, in finem catholicorum*, At omnes MSS. *gravi*. Et ex his codex Mar. *fidem*.

[c] Hîc *sensu* additur auctoritate MSS.

cunctorum affirmatione construitur catholica fides, quorum negatione vel consequutione Apollinaris hæresis compacta est atque damnata. Tu igitur conjice quid de te debeat judicari, qui commixtionem sexuum damnas, ut Manichæus; naturam carnis Christi à communione hominum sequestras, secundùm Manichæos; concupiscentiam carnis accusas, juxta præceptoris tui dicta Manichæi; dicis concupiscentiam [a] *sensuum in Christi corpore non fuisse, vel secundùm Manichæos, vel secundùm Apollinaristas: & tamen vis à nobis nec Apollinarista, nec Manichæus vocari. Quamquam do manus, præstoque beneficium; nec nos liberalitatis pœnitet; per me ut Apollinaris sectator non videaris licebit: minoris quippe est ille impietatis inventor; per te autem non licet ut voceris aliud quàm Manichæus.*

Aug. Nec Apollinarista, nec Manichæus fuit, sed hæreticorum expugnator Ambrosius, qui per tuam susceptam quidquid hominum [b] nasceretur, sine delicto dixit esse non posse, apostolum Paulum, sicut oportuit, & intelligens & exponens. Tu autem tanto magis adjuvas Manichæos, quod sæpissime ostendi, quanto magis ab eis te esse arbitraris alienum: es autem novus hæreticus Pelagianus, in disputatione loquacissimus, in contentione calumniosissimus, in professione fallacissimus. Nihil enim quod dicas inveniens, inania multa dicis, falsum crimen catholicis objicis, catholicum te esse mentiris.

LI. Jul. *Ostendi quidem in tertio libello primi operis mei, irrefutabiliter necesse esse dici etiam Christum reatum de Mariæ carne traxisse, si crederetur naturale peccatum; eumque à te sub potestate diaboli collocari, qui affirmares ad jus diaboli hominum universam pertinere substantiam.*

Aug. Quod in tertio tuo libro te ostendisse commemoras, quinto meo te non ostendisse convici.

LII. Jul. *Et ideo hoc inpræsentiarum relicto, illud efflagito, ubi tu legeris Christum eunuchum fuisse naturaliter.*

Aug. Tu enim ubi me hoc dixisse legisti, nisi quia calumniaris, ut soles? Aliud est possibilitas seminandorum filiorum, quam Christi carni defuisse non dicimus, sicut deesse carni novimus eunuchorum: & aliud est cupiditas vitiorum, quam tu persuadere conaris habuisse Christum, & jactas te esse Christianum; quia videlicet, sicut paulò antè dixisti, *Christus etiam fraudis criminibus urgeretur, si* diceret mortalibus, Extendimini ad patientiam hominis nihil sentientis:* quasi sequatur, ut non sentiat inflictos dolores, qui vult & potest non habere malas cupiditates: vel si diceret, ut tua verba ipse componis, *Imitamini castitatem, certa naturæ vestræ irritamenta vincentes, illius quem debilitas fecit pudicum videri.* Sic enim es amator egregius castitatis, ut tibi castior videatur, qui concubitus illicitos cupit, sed ut non perpetret, suæ cupiditati resistit; quàm qui talia mala nec saltem cupit, non per impossibilitatem carnis, sed per summitatem perfectionemque virtutis: immo ille sit castus, iste autem omnino nec sit, sed esse tantummodo vi-

* Suprà n. 50. indiceret.

A deatur; quoniam, secundùm te, si castus esset, mala ista cuperet per naturam, sed eamdem naturalem cupiditatem virtute animi coërceret. Ita fit, ut te illa horribilis, sicut jam superiùs ostendi, sequatur absurditas, tanto esse quemque voluntate castiorem, quanto majorem naturæ suæ libidinem vicerit, nec in aliquos excessus luxuriæ, quamlibet illa magna sit, exire permiserit: qui autem minorem flagitiorum libidinem cohibet, minùs esse castum; quoniam quem non libet
B quod non licet, secundùm tuam sapientiam, vel potiùs amentiam, omnino nec castus est. Ecce quod Christo importare conaris insane, ut naturâ fuerit omnium libidinosissimus, quia ita posset voluntatis virtute omnium esse castissimus. Tanto quippe in eo, sicut disputas, continentiæ [c] spiritus major esset, quanto majorem carnis concupiscentiam coërceret. Ad hunc te interitum tua suscepta nimiùm dilecta perduxit.

Horribilis absurditas consequens Pelagianum errorem.

LIII. Jul. *Qui etsi propter signum natus ex virgine*
C *est, tamen ita aversatus non est sexum virilem, ut ejus susciperet veritatem, integer per omnia viscerum, integer corporis, homo verus, vir perfectus, si Petro apostolo creditur in Actibus differenti; intactâ castitate conspicuus, & animum & oculos numquam remisso cordis vigore custodiens: sed quòd hoc totum virtute mentis, non carnis infirmitate perfecerit, concupiscentiam carnis totius corporis immixtam sensibus, & veritatem ac sanitatem conditionemque membrorum fuisse in eo, & somnus ejus, & cibus, & barba,*
D *& sudor, & labor, & crux testatur, & lancea. Non ergo sensus corporis non habuit ille, sed rexit. Hoc est unde gentibus, unde Manichæis insultat catholicorum fides, quia verbum ut crucis, ita carnis ejus, pereuntibus stultitia est, salvis autem futuris virtus Dei. Hoc est quo commendavit* [d] *caritatem suam in nobis; quoniam quæ lacerat impietas Manichæi, ea omnia pietas Mediatoris assumsit. Nihil ergo me pudet in Domino meo, in quæ propter salutem meam venit: teneo veritatem membrorum, ut exem-*
E *pli ejus soliditatem arcemque suscipiam.*

Act. 1

Concupiscentiam carnis totius corporis immixtam sensibus dicit fuisse in Christo.

Aug. Aliud est veritas membrorum, quam Christianus omnis agnoscit in Christo: aliud cupiditas peccatorum, quam tu importare vis Christo. Dicis enim concupiscentiam carnis, hoc est, libidinem, quam libentiùs vocas concupiscentiam naturalem, bonum esse; & sic arguis ejus excessum, ut quisquis eam concessos fines transgredi siverit, tamquam malè utens bono, culpam contrahat; quisquis autem illam usque
F ad licita, & concessa ingredi, nec ultra permiserit progredi, tamquam bono bene utens laude sit dignus. Proinde quoniam videmus alios ita esse natos, ut majore libidine urgeantur, alios ut minore, si ei resistentes utrique sint casti, cogeris dicere illos majore, istos minore bono bene uti. Erit igitur, te doctore, bono isto tuo quisque tanto copiosior, quanto libidinosior; & tanto laboriosior contra suam libidinem pro naturali castitate certando, quanto abundantior in hac
G isto bono; & ideo etiam tanto laudabilior majori bono, virtute, quanto fortiùs reluctatur quàm si minori reluctaretur. Quia ergo Christus in carne mortali omnium procul dubio castissi-

Veritas membrorũ in Christo, non cupiditas peccatorum.

Monstra horribilia quæ peperit Pelagiana hæresis.

[a] Codex Port. *concupiscentiam sexuum.*

[b] Verbum *nasceretur* addidimus ex fide MS. Port. Respicit Augustinus ad Ambrosii locum citatum infrà n. 55. & 56. nec non suprà lib. 1. de nuptiis & concup. c. 35. & lib. 2. c. 5.

[c] Sic MSS. Editi verò, *species major est.*

[d] Editi, *carnem*: repugnantibus MSS.

mus vixit, tanto ei majorem libidinem dabis naturalem, quanto in libidine cohibenda non potes invenire fortiorem. Sic enim sine fraudis crimine suis dicet, Imitamini castitatem meam, certa naturæ vestræ irritamenta vincentes: hæc quippe irritamenta bona sunt; sed tamen cohibenda atque vincenda; sicut ego habui, sed cohibui vicique majora; ne diceretis mihi, Ideo vicisti, ideo castissimus in tua mortali carne vixisti, quoniam naturæ felicitate minimas libidines, quas [a] facillimas vinceres, habuisti. Estote ergo casti, quia ut vobis ad me imitandum obstacula excusationis auferrem, libidinosior vobis nasci volui, & tamen maximam libidinem meam concessos fines numquam transire permisi. Hæc horribilia monstra peperit hæresis vestra.

LIV. Jul. *Prædico omnem in eo sanctitatem beneficio animi, non carnis stetisse præjudicio. Sic enim & natura tam conditione ejus quàm susceptione defenditur, & vita hominum virtutum illius imitatione dirigitur. De his duobus non potest alterum sine alterius veritate laudari: tantum aderit dignitatis operi sacro, quantum humani corporis adfuerit veritati; & tantum aderit defensioni carnis, quantum sanctitas conversationis exegerit. Atque è regione, vituperatio unius utrique participat: quoniam tantum de virtutibus ejus, quantum de [b] artubus auferetur; ac si quid de substantiæ solido radatur, universa morum ornamenta depereunt, atque ad tolerantis injuriam recurrunt damna nascentis: postremò si carnis ejus substantia aliqua naturalium [c] ereptione tenuetur, universa evanescit pompa virtutum. Nihil ergo in membris Mediatoris facti ex muliere, quod naturale constat, negabo. Et vide quàm diversi sint rationis termini, quàm pudoris: non erubescit fides Christianorum, dicere Christum habuisse genitalia; cùm tamen ea in nobis, quàm honestissimè possumus, occulamus.*

Aug. Non quidem erubescit fides Christianorum, dicere Christum habuisse genitalia: sed tu erubescere debuisti, vel potiùs contremiscere, [d] ne diceres Christi genitalia aliquando, & nolente ipso, (non enim hoc umquam velle debuisset qui vitam celibem duxit,) tamen libidine fuisse commota, & in nonnullos illicitos usus contra ejus sanctum propositum se illam partem sancti ejus corporis erexisse. Talem quippe libidinem patitur etiam omne genus sanctorum, qualem Sancto sanctorum conaris inferre. Si verò genitalia Christi ipso invito commoveri & erigi solere libidine, non audes dicere; cur audes credere infelix, cur audes talem libidinem naturæ Christi tribuere, ut quod non audes dicere, compellas homines cogitare?

LV. Jul. *Ita natura præscripsit esse quædam, quæ ut ratio, ita fides cum religione pronuntiet; & tamen pudor & decentia conversationis oculis non permittat exponi. Hoc modo magister etiam gentium veritatem carni ejus adsignat, & spiritui sanctitatem.* 1. Tim. 3. 16. *"Magnum, inquit, pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in hoc mundo, assumtum est in gloria. Quod sicut commendavit cum veritate credendum, ita impugnatores ejus in fine denuntiavit sæculi nascituros: nam statim sequitur, In novissimis autem temporibus recedent quidam à fide, adtendentes spiritibus seductoribus, doctrinis dæmoniorum in hypocrisi mendacia loquentium, cauteriatam habentes conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem; quoniam omnis creatura Dei bona.* 1. Tim. 4. 1. &c. *Hanc ergo Ecclesiarum contaminationem, quam de Manichæi consectatione vomuisti, & hanc à fide recedentium prævaricationem, quæ in naturalis mali prædicatione & in commixtionis conjugalis damnatione consistit, & Apostolus prævidit & punivit, non solùm quid diceretur, sed etiam quid consequeretur ostendens.*

Aug. Et tamen tu, qui non potes nisi ructare calumnias, & vomere contumelias, verbis catholici hominis Dei, quem Manichæum non potes dicere, non ausus es contradicere, suffocantis te, atque dicentis, ex commixtione maris & feminæ nasci expertem delicti neminem posse. Ambrosius in Isai. Namque ista verba ejus & in primo ad Valerium libro commemoravi, quem libris quatuor redarguere conatus, quidquam inde adtingere timuisti; & in isto, cui nunc respondes, eadem ipsa non tacui, & adversùs illa adhuc mutus, quamvis ejus nomine tacito, cui adversari palàm non audes, hunc in me non metuis criminari. Lib. 1. de nuptiis c. 35. & lib. 2. c. 5.

LVI. Jul. *Nam hoc quod ait, abstinere à cibis docendum fore, non utique apud prudentem arguit Christianorum parcitatem, aut denuntiat posse exsistere homines qui inediæ discrimen indicant: sed ostendit, quoniam cùm exorirentur, qui dicerent animalia omnia victibus à Deo creata mortalium, quia de concupiscentia & commixtione sexûs nascerentur, diabolico malo esse polluta, quid consequeretur expressit, videlicet renuntiandum esse alimentis, si eorum propagatio diabolica crederetur. Unde & tu hanc infamationem commixtionis corporum ab animalibus removes, ut subsistat ratio simulandi. Homines tamen qui ad imaginem Dei facti sunt, propter hanc ipsam concupiscentiam generantium, dicis ad jus dæmonis pertinere. Ambo igitur, tu & Manichæus unam habetis caussam substantiarum vituperandarum & transscribendarum diabolo: sed ille propter hanc affectionem quæ sentitur in naturali opere, universas damnat animantes; tu autem non omnes, sed quod est fœdius, meliores. Absolvis enim sues, canes, & asinos, ut Manichæos vitare videaris; sed damnas, propter hoc idem quod Manichæus, omnes homines qui ad imaginem Dei facti sunt: ac nusquam malum naturale constituens nisi in imagine Dei, concionaris contra nos, accusator sanctorum & patronus asinorum.*

Aug. Quid est quod dicis, calumniator Catholicorum & adjutor Manichæorum? Quid est quod dicis? quem tantæ stoliditatis pudere deberet, etiamsi tibi asinina frons esset. Nonne accusator sanctorum & patronus asinorum, ab homine hujus cordis cujus & ipse es, appellari posset, qui diceret, ignorantiâ veritatis homines fieri miseros posse, asinos verò nesciendo verita-

[a] Codex Port. *facillimè.*
[b] Sic MSS. Editi verò, *de actibus.*
[c] In MSS. *exceptione.*

[d] Editi, *nec dicere*: & paulò pòst, *velle debuisse.* Emendantur utroque loco ex MSS.

tem miseros esse non posse? Et tamen verissimè diceret. Cur ergo non intelligis, asine, similiter esse verum, ex commixtione maris & feminæ expertes delicti homines nasci non posse, & asinos posse? An ideo te arbitraris effugere insequentes plagas auctoritatis atque rationis, quia in societate libidinis, ad currum tui erroris, homines & asinos jungis? Non de pecoribus, sed de hominibus loquebatur Ambrosius, ubi ait, (*Ambrosius in Isai. V. suprà lib. 1. de nupt. c. 35.*) Servatum est igitur, ut ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers esse delicti. Itane iste, iste doctor Ecclesiæ accusator erat sanctorum, & patronus asinorum? Nempe corruptibile corpus est & asini & hominis; & tamen non asini aggravat, sed hominis animam: de homine quippe Scriptura dicit, (*Sap. 9. 15.*) Corpus corruptibile aggravat animam. Sic ergo & in libidine agnosce, & pecoris naturam, & hominis pœnam, si animam non habes asininam.

LVII. Jul. *Christus igitur non minùs homo verus, quàm verus Deus, nihil de naturalibus minùs habuit: sed justum erat, ut qui dabat perfectionis exemplum, omnibus virtutum studiis antecelleret, castitasque ejus continuâ integritate celsa, nullo permota libidinis appetitu, quæ virgo sanctæ mentis exstiterat, & omnium sensuum domitrix animi magnitudo, & superatrix dolorum, cunctis fidelibus, & humanitate imitabilis fieret, & sublimitate mirabilis.*

(Christus non per concupiscentiam natus, nulla concupivit illicita. a) Aug. Dicis castitatem Christi continuâ integritate celsam: sed homo es, cui non videtur castitas integra, ubi magnitudine & perfectione voluntatis bonæ non solùm non committuntur, sed nec cupiuntur illicita. Nam qui concupiscit mala, [a] etsi resistens concupiscentiæ suæ non ea perpetrat, implet quidem quod scriptum est, (*Eccli. 18. 30.*) Post concupiscentias tuas non eas: sed non implet quod ait lex, (*Exodi 20. 17. Deut. 5. 19.*) Non concupisces. Christus ergo qui legem perfectissimè implevit, nulla illicita concupivit; quia discordiam carnis & spiritûs, quæ in hominum naturam ex prævaricatione primi hominis vertit, prorsus ille non habuit, qui de Spiritu & virgine non per concupiscentiam carnis est natus. In nobis autem caro concupiscit contra spiritum illicita, ita ut omnino perficiat, nisi & contra carnem spiritus ita concupiscat, ut vincat. Dicis mentem Christi omnium sensuum domitricem: sed hoc domandum est, quod resistit: caro autem Christi nihil habebat indomitum, nec in aliquo spiritui resistebat, ut ab illo eam domari oporteret. (Perfectionis exemplum in Christo sic imitandū, ut nitamur atque optemus concupiscentias non habere.) Quo proposito perfectionis exemplo, ad hoc se debet omnis imitator extendere, ut concupiscentias carnis, quas vetat Apostolus perfici, (*Gal. 5. 16.*) nitatur atque optet penitus non habere: sic enim eas potest provectu quotidiano minuere, quas nullas habeat salute perfecta.

LVIII. Jul. *Tu igitur, ut omnia, profanissime effatus es, in Christi carne non fuisse quod humanæ naturæ est: quod certè de nulla scripturæ rationabilis vena, sed de solo Manichæorum cœno deceptus hausisti. Verùm ut major copia defendendæ veritatis appareat, concedamus te somniasse, in Christo carnis quam dicis concupiscentiam non fuisse; quod certè in Manichæi priùs, postea in Apollinaris furore damnatum est: tuo tamen quid possit dogmati suffragari; cùm non continuò sequeretur malum esse, si quid ille assumere noluisset? Quoniam gradatim crescentibus meritis bonorum, diceretur ipse per optima, nec bona tamen infrà se locata superiorum electione damnasse. Quomodo enim nuptias non infamavit, integritatem sequutus: ita nec sensum carnis genitalis damnasset, si ejus possibilitatem nec in substantia sua habere voluisset.*

(Concupiscentiam carnis spiritui resistentis non fuisse in Christo.) Aug. Jam superiùs dixi, quòd Christus non solùm non perpetravit, sed nec concupivit illicita, ut impleret legem dicentem, Non concupisces. Hoc certè de sanctæ scripturæ vena, non de cœno Manichæorum manat in corda fidelium, quod vestrum dogma exstinguit hæreticum. Somniasse me dicis, non fuisse in Christo carnis concupiscentiam spiritui resistentem; cujus tu etiam ipsis somniis non pepercisti. Dormisse quippe novimus Christum, in quo si erat ista tua suscepta, profectò sopitos ejus sensus aliquando per talia somnia deludebat, ut sibi etiam concumbere videretur, atque ita caro ejus isto tuo bono stimulante commota, & in irritum extenderet genitalia, & irrita effunderet semina. Si autem hoc de Christi carne [b] credere contremiscis: (non enim sic es lapideus, ut non contremiscas, quod ego, quamvis ut te redarguerem, sine cordis tamen tremore non dixi:) profectò fateri debes, naturæ Christi non solùm sine dispendio defuisse talem carnis concupiscentiam, verùm etiam cum perfectarum laude virtutum, qualem concupiscentiam novimus carni ceterorum hominum & ipsorum non deesse sanctorum.

Quod autem dicis, non esse consequens, ut hoc malum sit, etiamsi concedas id Christum noluisse suscipere; sicut non ideo damnavit nuptias, quia noluit habere conjugium: hoc de libidine pecorum dici potest, quibus ideo non est malum, quia non habent rationis bonum, unde caro eorum non concupiscat adversùs spiritum; quod verò resistit spiritui hominis volentis facere bonum, quantalibet loquacitate abs te defendatur, non est bonum. (Christus non per concupiscentiam natus nihil concupivit illicitum.) Sic igitur Christus abstinuit à peccato, ut abstineret etiam ab omni cupiditate peccati: non ut ei exsistenti resisteret; sed ut illa numquam prorsus exsisteret; non quòd eam non posset habere si vellet, sed non rectè vellet, quod eum caro peccati quam non gerebat, etiam invitum habere non cogeret. Proinde ille vir perfectus, non per concupiscentiam natus, quæ indifferenter appetit & illicita & licita, sed de Spiritu-sancto & virgine Maria, quidquid concupivit, licuit; quidquid non licuit, non concupivit. Natus enim de carne per sanctum concipiente Spiritum, absit ut in se haberet discordiam carnis & spiritûs.

LIX. Jul. *Et ut res plana aliquo confirmetur exemplo. Melius est habere rationem, quàm non habere: homines autem rationabiles facti sunt, pecora verò irrationabilia: non tamen ideo quia humana natura quadrupedibus antestat, quadrupedia aut malum aliquod, aut diaboli opus esse dicenda sunt. Fac ergo, quoniam Christus, cùm sua membra formaret, noluerit eis sensum admiscere genitalium, quo usurus non erat: num ideo cùm Isaac, Iacob, & omnium membra fingebat, eisque & sexum dabat & sensum, malum aliquid faciebat? Aut ad hæc veniens, in ad-*

[a] Editi, *& non resistens.* Castigantur ad MSS.

[b] Sic MSS. At editi, *dicere.*

jutorium advocabat diabolum, ut membris quæ ipse compegerat, necessaria oblectamenta misceret? Nec exiguum quidquam igitur omnino, (sicut & in hoc, & in priore opere, Deo adjuvante monstravimus,) per Christi personam contra divina opera obtinere potuisti. Claruit enim nihil minùs de natura hominum, Salvatoris corpus habuisse.

Aug. Immo claruit hominum naturam, ad illam integritatem, rectitudinem, salutem, in qua primitus condita est, minùs hæc habere nunc omnia. Hanc venit Christus redintegrare, corri- B gere, atque sanare, integer sine ulla corruptione, rectus sine ulla pravitate, salvus sine ulla cupiditate peccati.

LX. Jul. *Ac per hoc, in ea natura non potest esse peccatum, cùm in illo in quo tota est, nihil iniquitatis inventum est.*

Aug. Immaniter, Juliane, blasphemas, coæquans carnem Christi ceterorum hominum carni; nec videns illum venisse non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati, quod nul- C lo modo verum esset, nisi ceterorum esset caro peccati. *Rom. 8. 3.*

LXI. Jul. *Concupiscentia itaque sexuum, sive in Christi carne fuit, sive non fuit, mala & diabolica non docetur.*

Aug. Concupiscentia carnis mala est, & quando ei non consentitur ad malum: ipsa est enim, quâ caro concupiscit adversùs spiritum; etiamsi adversùs eam concupiscente spiritu, non perficiat quod conatur, id est, opus malum.

LXII. a Jul. *Ad alia ire festino, sed multùm hìc rerum admiratione defigor.* [a] *Qui in alium tantus furor est, ut si Scripturas non intelligis, vel tua dicta non ponderes? sed ita argumentaris jugiter, ut quidquid jeceris, recurrat in te impetu grandiore. Dixisti nempe, nullam esse caussam pudoris, præter concupiscentiam carnis in* [b] *genitalibus motibus apparentem.* D

b Pudoris caussæ.

Aug. Non hoc dixi. Sunt enim & aliæ caussæ pudoris, sive ne fiat aliquid quod non decet, sive quia factum est. Sed hujus pudoris de quo E nunc agimus, cùm quæritur caussa, illa verissima reperitur, quâ factum est, ut hæc membra pudenda propriè vocarentur, quæ priùs pudenda non fuerunt, quando illi homines recti atque perfecti nudi erant, & non pudebat eos. Quod si prudenter cogitare voluisses, non ipse impudenter veritati manifestissimæ restitisses.

LXIII. c Jul. *Esse autem* [c] *sacrilegium, pudendum aliquid quod Deus fecisse credatur, præter hanc carnis concupiscentiam judicare: Christum verò non habuisse* F *hanc concupiscentiam carnis, quæ mortalibus facit caussam pudoris. Quid igitur ad hæc occurreret, non vidisti, videlicet nudum eum, id est Christum, conventiculis debuisse misceri; nec aliquem verecundiæ habere respectum, ne sacrilegium quod commentaris incurreret, in carne videlicet sua, quæ concupiscentiam non habebat, de suis & patris operibus erubescens. Si autem ei & concupiscentia non fuit, & tamen ille est pudoris functus officio; irrefutabiliter etiam secundùm te approbatur, verecundiam corpori huma-* G *no debitam, non calori.*

Christus baptizatus, Aug. Ista tua ratione tam acuta & exquisita, debet negari baptismus Johannis datus fuisse A in pænitentiam peccatorum, quia eo baptizatus est Christus, qui nullum habebat omnino peccatum. Si autem potuit aliâ caussâ, non eâ quâ ceteri, baptizari, id est, non propter carnem peccati, quam non habebat; sed propter similitudinem carnis peccati, quam pro liberanda peccati carne susceperat: potuit etiam membra tegere, non eâ caussâ quâ ceteri; sed ut sic congrueret pudenda tegentibus, nihil habens pudendum; quemadmodum baptizatus congruit B pænitentibus, nihil abluens pænitendum. Decebant quippe similitudinem carnis peccati, ea quibus indigebat caro peccati. Quamquam & ipsa species humani corporis nudi, ubicumque insolita est, humanum offendit adspectum. Unde & Angeli qui hominum similes hominibus apparuerunt, vestiti apparere voluerunt, sicut humana consuetudo poscebat. Sed hæc consuetudo si unde originem sumserit recordemur, occurrit primi caussa peccati, in illis hominibus, qui priùs C quàm peccarent, decenter & honestè erant in loco tantæ beatitudinis nudi, nondum scilicet de sua carne, quæ inobediens inobedientibus reddita est, contra spiritum [d] concupiscente confusi. Nihil ergo te adjuvat Christi vestis, ut concupiscentiæ carnis defensor impudens non sis.

ut cōgrueret pænitentibus. *Rom. 8. 3.* *Consuetudo tegendi corpus orta ex peccato.* d

Jul. *Vides igitur frustra te peccatum vocasse,* [e] *si in his operibus, quæ Deus fecit, velamen fateamur adhibendum, quod Dominus noster & hominis* D *formator instituit, & homo factus exercuit. Det sanè veniam reverentia Redemtoris, quia ad asserendam veritatem mysterii, Manichæorumque flagitia destruenda, loquimur de carne ejus audacter; quod nisi fides exigeret, reverentia modesta non tangeret.* LXIV. e

Aug. Non audacter de carne Christi loqueris vera, sed infeliciter falsa; non ad Manichæorum, sicut tibi blandiris, flagitia destruenda, sed potiùs adjuvanda. Si Manichæum cogitas E vincere, noli dicere bonum esse, quod est malum; sed dic unde sit malum, quod ostendere non potes bonum. Hoc enim esse de prævaricatione primi hominis dum non vis cum Ambrosio dicere, profectò efficis, ut de aliena natura Manichæus verum se jactitet dicere. *Ambros. lib. 7. in Luc. 12.*

Jul. Sed iste, *inquis,* noluit nominare concupiscentiam carnis, tacet quia pudet, ac mirâ, si dici potest, pudoris impudentiâ nominare pudet, quod laudare non pudet. *Displicet igitur tibi, quia novi-* F *mus verecundiora nostra, secundùm Apostolum, necessaria honestate velanda; quia in hoc consilium* * *sequitur Conditoris, ut quod ille in secreta corporis parte constituit, nos totidem verecundo operiamus obtectu.* LXV. *August. lib. 2. de nupt. c. 7.* *1. Cor. 12. 23.* ** f. sequimur.*

Aug. Res dicis mirabiles, tunc Adam & Evam Conditoris esse sequutos consilium, quando ejus deseruere præceptum, sequendo consilium deceptoris. Priùs enim quàm hoc malum perpetrassent, cùm adhuc essent recti atque per- G fecti, non sequebantur consilium Conditoris, ut quod ille in secreta corporis parte constituit, nudum relinquerent, nec verecundo obtectu operire curarent? Homo impudentissime, quod sen-

[a] Editi, *cui malum.* Castigantur ope codicis Port.
[b] Port. *genitalium.*
[c] Sic MSS. At editi, *sacrilegum*; & infrà ferebant *indicare*, pro *judicare*; ac *inverecundiæ*, loco *verecundiæ*.
[d] Editi, *concupiscentiæ.* Emendantur ad MSS. Mar. & Port.
[e] Addidimus *si* ex MS. Port.

ſerunt quando erubuerunt, laudare pejus eſt quàm nudare.

LXVI. Jul. *Has tamen elocutionum diverſitates, quas tu non ſolùm non imitaris, verùm etiam criminaris, quarum nos adjuvamur officiis, non linguarum omnium, ſed Græcæ & Latinæ cultus invenit. Ceterùm linguæ aliæ, quæ naturales vocantur, ob hoc quòd nihil eis aut opum aut nitoris ſtudia ſequuta contulerint, ſimplicibus omnino nominibus membrorum abutuntur: unde & apud Hebræos, quorum ſermone Scripturarum puritas continetur, propriis omnia vocabulis indicantur.*

Aug. Multùm falleris: quaſi in Hebræo eloquio non ſit tropica locutio, in qua utique non propria, ſed tranſlata ſunt verba. [a] Verùm hoc qualecumque ſit, quid te adjuvat? In Hebræis certè ſacris litteris legitur, & quando illi primi homines nudi fuerint, nec puduerit eos; & quando de ſua nuditate confuſi ſint, & quæ membra texerint; ut poſſemus noſſe quid ſenſerint, & unde confuſi ſint. Tu ſi vis in hac cauſſa te unde confunderis tegere, tandem tace.

LXVII. Jul. *Eademque ſecuritate, qua pedes & genua, etiam genitalia utriuſque ſexûs vocantur. Nos ſanè nec cùm iſta ſuffragetur auctoritas, pudentioris eloquii adminicula neglegimus: quia reprehenſioni juſtiſſimæ patet, ſine ullo negotiorum coactu neglectus decoris, qui non minùs in verbis quàm in operibus, quantum pertulerit cauſſæ ratio, retinendus eſt. Igitur quia concupiſcentia naturalis nec pudoris opprobrio potuit coargui, & Conditoris ſui dignitate defenſa eſt, ad hoc ſolum, non ut quaſi magnum bonum, quippe quod ſit hominibus pecoribuſque commune, ſed quaſi neceſſarium ſexibus inſtrumentum, à jure dæmonum vindicata, inter ejus opera locaretur, qui mundum fecit & corpora; à nullo autem accuſatur, niſi à Manichæo, & Traduciano ejus herede: apparet naturalis peccati, cujus omne præſidium in naturæ criminationibus hærebat, totum evanuiſſe figmentum.*

Aug. Ecce adhuc dicis *concupiſcentiam naturalem*, ecce adhuc quantum potes, ſuſceptam tuam, ne poſſit quæ ſit intelligi, contegis ambigua veſte verborum. Cur enim non dicis, concupiſcentia carnis; ſed dicis, *concupiſcentia naturalis?* Nonne concupiſcentia beatitudinis eſt concupiſcentia naturalis? Cur ambiguè loqueris? Quam tuendam ſuſcepiſti, appella ſuo nomine: quid vereris? An in mala cauſſa ejus fortè turbatus, oblitus es quid vocetur? Immo verò vigilante memoriâ, non vis eam carnis concupiſcentiam nominare: noſti enim laude ejus offendi eos, qui hoc nomen in ſcripturis ſanctis non niſi in rei malæ ſignificatione legerunt. Iſto autem nomine utens, & appellans eam *concupiſcentiam naturalem*, *inter ejus opera locare* conaris, qui ut dicis, & verum eſt, *mundum fecit & corpora*: cùm dicat eam Johannes à Patre non eſſe. * Deus quidem mundum fecit & corpora prorſus omnia: ſed ut corpus corruptibile aggravet animam, & caro concupiſcat adversùs ſpiritum, non eſt præcedens natura hominis inſtituti, ſed conſequens pœna damnati.

** Proſper ſent. 304.*

Concupiſcentia pœna peccati.

A nullo, inquis, *accuſatur, niſi à Manichæo, & Traduciano ejus herede.* Contumelias tuas cum his me accipere gaudeo, quos in me culpare audes, & nominare non audes. Itane non accuſat ſuſceptam tuam, qui dicit concupiſcentiam carnis adversùs ſpiritum ex prævaricatione primi hominis in noſtram vertiſſe naturam? Et quis eſt hic? Ille ſcilicet, cujus fidem & puriſſimum in Scripturis ſenſum, ſicut eum Pelagius auctor tuus prædicat, ne inimicus quidem auſus eſt reprehendere. Adversùs hunc accuſatorem tuam defende ſuſceptam. Huic doctori meo, & illi laudatori ejus doctori tuo, pro illa conviciare, quantum potes, ut patrocinium tuum liberum ſatis & fidele demonſtres; ne te defenſorem ſuum tamquam timidum libido deſerat; quamvis alterum non inveniat, qui pro illa minùs erubeſcat.

Ambr. l. 7. in Luc. c. 12.

Pelag. de lib. arb. ap. Aug. de gratia c. 41.

LXVIII. Jul. *Ac per hoc neceſſariè interrogavi, quid ſuum cognoſceret diabolus in ſexibus, per quod fructum eorum jure decerperet; qui nec carnem compegerat, nec membra formaverat, nec genitalia dederat, nec diſtinxerat ſexum, nec conjugium ordinaverat, nec commixtionem, ſine qua conjugium eſſe non poteſt, aut fecunditate honoraverat, aut voluptate reſperſerat.*

Aug. Nihil horum quidem fecerat diabolus: ſed inobedientiam perſuaſerat animo humano, quam pœnalis & pudenda carnis inobedientia ſequeretur; unde peccatum originale traheretur, per quod diabolo ſubderetur qui naſceretur, cum eodem periturus diabolo niſi renaſceretur.

Pœnalis pudenda carnis inobedientia.

LXIX. Jul. *His itaque tu diſſertionibus, cervino metu, & vulpino dolo obviàm ire conatus, ita impoſuiſti patrono tuo ad quem ſcribis, ut referres, propter ſenſum corporis naturalem, id eſt, concupiſcentiam carnis, dominari operibus & imagini Dei principem tenebrarum: cùm neceſſe eſſet ad eumdem ſpectare auctorem ſenſum carnis, ad quem etiam carnis natura reſpiceret.*

Aug. Quid loquaris ignoras. Aliud eſt ſenſus carnis, aliud concupiſcentia carnis, quæ ſentitur ſenſu & mentis & carnis: ſicut dolor carnis non ipſe ſenſus eſt, ſed niſi ſenſus adſit, ſentiri non poteſt. Senſu itaque carnis qui tactus vocatur, aſpera & lenia differenter ut cetera ſentiuntur: concupiſcentiâ verò carnis indifferenter illicita & licita cupiuntur, quæ non concupiſcendo, ſed intelligendo dijudicantur; nec ab illicitis abſtinetur, niſi concupiſcentiæ reſiſtatur. Non igitur caventur opera mala, niſi frænetur concupiſcentia mala, quæ abs te, horrendâ impudentiâ vel potiùs amentiâ, dicitur bona: nec erubeſcis, nec horreſcis te ad tantum dedecus perveniſſe, ut nemo liberetur à ſuo malo, niſi non conſentiat tuo bono. Concupiſcentia igitur carnis, qua cupiuntur quæ prohibentur, non eſt à Patre. Fruſtra putas, vel potiùs vis putari, ubi hoc Johannes apoſtolus dixit, concupiſcentiam carnis poſitam pro luxuria. Prorsùs ſi non eſt à Patre luxuria, nec illa eſt à Patre, cui ſi conſentiatur, concipit paritque luxuriam. Nam motibus ſuis, quibus [b] jubemur obſiſtere, quid conatur quæſo, niſi ad luxuriam pervenire? Quomodo eſt ergo bonum, quæ pervenire conatur ad malum? Quomodo eſt noſtrum bonum, quæ

Aliud ſenſus carnis, aliud concupiſcentia carnis.

Concupiſcentia carnis

1. Joh. 2. 16.

[a] In editis omiſſus iſte verſus, *Verùm hoc qualecumque* &c. Reſtituitur ex MSS.

[b] Verbum *jubemur* ex MSS. reſtituimus.

pervenire conatur ad malum? Quomodo est nostrum bonum, quæ nos compellit ad malum? Sanandum est igitur hoc malum, Juliane, divina bonitate; non humana vanitate, iniquitate, impietate laudandum.

LXX. Jul. *Te ergo apparet non studuisse ut objecta refelleres; sed ut patrono tuo, ad quem scribebas, miserabiliter illuderes; putaretque te rude quidpiam detulisse quod jure morderes: cùm id jam superiorum concessione & corporum institutione laudasses.*

Aug. Institutionem laudavi corporum, quæ bona est etiam in malo homine, non malum, sine quo nascitur nemo: quod tu nolens cum Ambrosio dicere unde sit, adjuvas Manichæum dicentem quòd ex aliena natura sit.

LXXI. Jul. *Fateor tamen, nimis te cogitasse, quid diceres: & ingenium tuum apparet, & studium: sollertissimè prorsus quid asserendum esset pro peccati traduce ponderasti: nemo alter callidiùs scribere potuisset pro naturali malo: quod quidem nec tu ipse tam urbanè implere potuisses, nisi ingenium tuum magistri veteris commenta juvissent.*

Aug. Magistrum planè meum, & contra te & contra Manichæum, glorior esse Jesum, quem confiteor, (quod tu negas,) etiam parvulorum esse Jesum; quia periit Adam, & in illo omnes perierunt; nec nisi ab illo qui venit quærere quod perierat, à perditione salvantur.

Ambros. lib. 7. in Luc. c. 15. 52. *Luca 19. 10.*

LXXII. Jul. *Intellexisti quippe, parvulis nihil de suo merentibus, nequaquam posse sine damnatione corporum, crimen affigi: & ideo opus esse auxilio Manichæi, qui concupiscentiam carnis à Dei operibus excluderet, & tam nuptias quàm ipsa corpora diabolo deputaret auctori.*

Aug. Ego non opus habeo auxilio Manichæi: sed potiùs contra eum pugnans, auxilium quod tu ei præstas, expugno auxilio Dei. Quod mihi præstat etiam per suos clarissimos comites, non solùm Prophetas & Apostolos, quorum conaris [a] perversus dicta pervertere; verùm etiam posteriores Ecclesiæ suæ doctores, Irenæum, Cyprianum, Hilarium, Ambrosium, Gregorium, Basilium, Johannem, aliosque plurimos, fide integerrimos, ingenio acerrimos, doctrinâ uberrimos, famâ celeberrimos: qui omnes, salva laude corporum & nuptiarum, confessi sunt originale peccatum, scientes Christum, quod impiè vos negatis, etiam parvulorum esse Jesum. Ipse enim salvum facit populum suum, in quo & illi parvuli sunt, non à febribus aliisque hujusmodi pestibus atque casibus, quod & non Christianis abundanti super omnem carnem bonitate largitur; sed sicut Christianos, à peccatis eorum. Hos tot & tantos catholicæ Ecclesiæ filios & patres, qui hoc eam in ejus positi culmine docuerunt, quod in ejus ubere didicerunt, Manichæos dicere non reformidas; & cùm me unum quasi apertè appetis, illos quanto obliquiùs, tanto insidiosiùs; & quanto insidiosiùs, tanto sceleſtiùs criminaris. In hoc tanto scelere, tua te omnino verba convincunt. Non enim mihi ob aliud tam nefario nomine calumniaris, nisi quia de peccato originali dico quod dicunt.

Originale peccatum confessi sunt Ecclesiæ doctores celeberrimi.

Matth. 1. 21.

LXXIII. [b] Jul. *Quòd ergo à veritate [b] defunderis, quòd fugaris, caussæ fecit deformitas quam tueris. Ceterùm si ad catholicos transire velles, quanto tutè, id quod nos asserimus, elegantiùs exsequereris & pleniùs.*

Aug. O frontem linguatam, mentemque cæcatam! Itáne vero catholici non sunt, quibus inhæreo in hujus fidei societate, quam contra tua vana dicta & maledicta defendo? Catholici non sunt, ut alios taceam, eosdemque repetam, Irenæus, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Basilius, Johannes Constantinopolitanus; & catholici sunt Pelagius, Cælestius, Julianus? Aude dicere ista, si potes. Quòd si non audes, cur non potiùs ad hos, à quibus ego non recedo, tu redis? Cur me admones, ut ad catholicos transeam? Ecce catholica lumina, oculos aperi: tu ad istos transi, quibus calumniaris in me; & continuò te compesces atque obmutesces à me.

LXXIV. Jul. *Quamvis non audeam pronuntiare, ingenio te affectum acri & vigili, cujus in electione suscipiendi negotii video tam tardum ac deforme judicium.*

Aug. [c] Dic tardi ingenio unde nascuntur: neque enim talis est Adam factus: qui non vis per ejus peccatum in deterius humanam mutatam fuisse naturam; & hoc ad omnia vitia quæ patiuntur, obesse nascentibus.

[c] Ex peccato originali fit ut tardi ingenio nascantur.

LXXV. Jul. *Si enim incolumissimâ fide, scholari more ad ostendendas tantummodo eruditionis tuæ vires, ea tentares quæ sunt invicta concutere; finito tamen certaminis ludicro, his quibus obloquebaris palmam daturus; probaremus litterarum studium, sed irreligiosum castigaremus exemplum. Porro cùm dogma nec veri similitudinis corrupto saltem colore perfusum, quod nullis legis testimoniis, (quippe numquam rationi præjudicantibus,) potestis tueri, & hoc tamen impietate suâ horrens, stultitiâ jacens, nusquam nisi inter inguina volutatum, honestate, disputatione, sacraque lege confossum, turpissima obstinatione secteris; consequitur ex tribus unum, ut aut plumbei ad intelligendum acuminis, aut maleficii illius quod Manichæorum mysteriis teneri, fando accepimus, catenas, aut utrumque simul perpeti judiceris.*

Aug. Quantolibet rationis nomine contra testimonia divina, quæ proferimus tibi, pugnare videaris, non illa subvertis; sed te vexant, [d] cùm contra stimulum calces. Dic, quantum potes, inter inguina volutatum, qui tibi dicit, expertem non esse delicti, utriusque sexûs commixtione conceptum. Ambrosius est iste, Juliane: ipse te vincit, quem non audes negare catholicum, numquam certè dicturus es Manichæum. Quin etiam me aut plumbei esse acuminis ad intelligendum, aut teneri maleficio Manichæi, aut utrumque simul perpeti affirmas. De Manichæi maleficio vel tuo convicio, jam tibi sæpe respondimus, & opportuniùs, cùm opus esse videbitur, adhuc forsitan respondebimus. Nunc de plumbeo ad intelligendum acumine, hæretice verbose, responde. Nemo est certè qui nollet, si id esset in hominis potestate, ingenio vividus atque ad intelligendum acutissimus nasci, & quàm rari sint quis ignorat? Qui tamen omnes ipsi

Ambrosius in Isai.

Tarditas ingenii & fatuitas quorumdã naturalis ex originali peccato.

[a] Sic MSS. Editi autem, *prorsus.*
[b] Ad oram MS. Port. *diffunderis.*
[c] Responsionem hanc Augustini totam prætereunt editiones, tametsi ea in omnibus exstet MSS. Julianum eodem argumento premit infrà lib. 5. n. 11.
[d] Hîc addimus *cùm* ex MS. Port.

paucissimi, si hominis qui primus est factus, comparentur ingenio, plumbei judicantur. Non enim (Sap. 9. 15.) tunc, sicut nunc, corpus corruptibile aggravabat animam. Aut enim corruptibile non erat, quia non erat moriturus Adam, nisi peccasset: aut si, ut vos novi hæretici dicitis, & si non peccasset, moriturus esset; non tamen ita est institutus, quem primò Deus fecerat, [a] & qui mali adhuc nihil fecerat, ut ejus anima corpore gravaretur. Quis enim hanc esse pœnam neget, nisi qui amplius ceteris aggravatur? Si ergo Manichæus interroget, unde sit hoc tarditatis malum, non in corporibus, sed in ipsis, ubi Dei est imago, ingeniis humanis, quæ tarditas pervenit gradatim usque ad ridendam, vel potiùs, sicut Scriptura commonet, usque ad lugendam fatuitatem (Eccli. 22. 10.): respondemus nos, & hæc & omnia cetera mala, cum quibus * nasci (* f. add. homines.), negare vel dubitare non possumus, primorum duorum & aliorum deinde parentum peccatis esse tribuenda; quoniam non possunt tribui nascentium voluntati. Alia quippe animalia, ut cùm sui generis vitiis nonnulla nascantur, quid mirum si accipiunt hæc noxii spiritus in potestatem, quemadmodum porcos, ut novimus, acceperunt (Math. 8. 32.)? Qui maligni spiritus possunt, sicut homines irrationalium membra animalium, ita illi etiam ipsa semina vitiare. De hominibus quæstio est, in quibus Dei imago numquam diversorum vitiorum, cùm quibus eos nasci videmus, pœnas pateretur, quas pati non posset injustas, nisi peccatis gignentium præcedentibus: quod vos negantes, & fidem catholicam deseritis, & Manichæi dogma nefarium, quantum optare non ausus est, adjuvatis, ut sibi certus securusque videatur, hominum opificem non confiteri verum Deum, sed [b] gentem introducere tenebrarum.

Mala nascentium tribuenda peccatis parentum.

LXXVI. Jul. *Nos verò nihil habemus, quod in nostro admirandum credamus ingenio, quia intelligimus nec peccatum sine voluntate, nec sine Deo corpora, nec sine corporibus sensus corporum, nec sine commixtione conjugia, nec sine Deo operatore exsistere posse nascentes: & indubitatum tenemus, neque divinum esse, quod doceatur injustum; neque quod divinum sit, posse injustum doceri. Non minùs autem, quàm ea quæ diximus, relucet esse iniquum, si aliorum peccata aliis, qui ibi nec fuerint, nedum consenserint, imputentur. Proinde his illuminati solibus jure optimo Manichæorum antra despicimus, qui putant vel esse posse sine voluntate peccatum, vel non à Deo homines fieri, vel ad alium auctorem sensum corporum, & ad alium corpora pertinere; vel Deum esse, qui iniquitatum criminibus opprimatur; aut scelere iniquitatis urgeri eum, qui æternus omnium conditor æstimetur; aut umbram aliquam tenere justitiæ, si aliorum voluntates aliorum applicentur exortibus. Ac per hoc merita partium negotiis, non ingeniis imputamus.*

Aug. Jam tibi ad omnia respondi: nec ideo firmantur adversùs me, quia tam sæpe & odiosè repetuntur à te. Dic potiùs, si potes, unde humana ingenia cum tanta plerumque vitiositate nascantur; cùm inter nos conveniat totius hominis esse opificem Deum justum, & vos * negatis (* f. negetis.) ullum originale peccatum? Non autem dicere(A)s aliorum peccata nos aliis imputare, qui ibi quando commissa sunt, non fuerunt, si recoleres quod scriptum est, in lumbis Abrahæ fuisse Levi, quando eumdem Abraham Melchisedec Dei excelsi decimavit antistes (Hebr. 7. 10.). Ibi enim videres, si te pervicacia non cæcaret, in lumbis Adæ fuisse genus humanum, quando perpetravit illud grande peccatum.

LXXVII. (Aug. lib. 1. de nupt. c. 5.) Jul. *Sed ut revertamur ad caussam, post quàm dixisti*, me ideo noluisse concupiscentiam nominare, (B) quia non esset ex Patre, sed ex mundo; cujus mundi princeps dictus est diabolus: qui eam in Domino non invenit; quia Dominus homo non per ipsam ad homines venit. *Ubi notandum est, quia cùm de re naturali loquereris, eamque ex mundo esse dixisses, subdidisti mundi totius principem diabolum credi oportere; ut non actuum voluntariorum, sed naturalium rerum, utique naturarum, fatereris eum auctorem.*

Aug. Ubi posui *concupiscentiam carnis*, tu (C) abstulisti inde *carnis*, quod ego dixi: & ubi dixi, *cujus mundi dictus est princeps diabolus*; tu addidisti *totius*, & dixisti *totius mundi*, quod ego non dixi. Age ut placet; dic quod tibi placet, vel illis etiam quibus places. Ego concupiscentiam carnis dixi, quam dicit Johannes non esse à Patre (1. Johan. 2. 16.), sed ex mundo, id est, ex hominibus qui nascuntur in mundo, perituri nisi renascantur in Christo. Hæc concupiscentia carnis non est luxuria, quando ei resistitur, sed quando perficitur, id est, (D) quando pervenit quò impellit. Unde & apostolus Paulus: Spiritu, inquit, ambulate, & desideria carnis ne perfeceritis (Gal. 5. 16.). Non ait, ne habueritis: noverat quippe hoc munus futurum quidem esse nobis, sed vitæ non esse præsentis. Ego principem mundi diabolum dixi, sicut eum appellat scriptura divina (Johan. 14. 30. & 16. 11.), non sicut suspicatur vel calumniatur vanitas tua. Non itaque naturarum auctorem diabolum dixi, sed principem mundi, id est, hominum, quibus in orbe terra-(E)rum plenus est mundus, qui nascuntur in mundo, nec renascuntur in Christo. Ab eis quippe qui renascuntur in Christo, princeps mundi mittitur foras: quod mysteria significant, quando etiam parvuli baptizandi exorcizantur & exsufflantur. Ad hæc responde, si potes. Noli velle lectorem tua loquacissima vanitate vanescere, & ab eo quod agitur, averti atque seduci: dic, si audes, bonum esse concupiscere malum. Dic, mala quidem opera à Patre non esse, sed concupiscentiam (F) malorum operum à Patre esse. Dic, diabolum non appellatum principem mundi. Dic, mundum non dici homines in mundo constitutos. Dic, mundum in malo non posse intelligi homines infideles, quibus in orbe terrarum plenus est mundus; & rursus in bono homines fideles, quibus licèt paucioribus, tamen etiam ipsis in orbe terrarum plenus est mundus, nomine mundi similiter appellari; sicut absurdum non est, ut arbor plena pomis, dicatur plena & foliis. Dic, (G) parvulos, cùm baptizantur, non erui de potestate tenebrarum, & cum magna injuria Dei per universam catholicam Ecclesiam exorcizari & exsufflari imagines Dei: aut dic, eos à diabolo possideri sine ulla obligatione peccati. Hæc si

Concupiscentia non est luxuria, nisi quando perficitur.

Concupiscentias nó habere non est præsentis vitæ, sed futuræ.

Diabolus in mysteriis exorcismo & exsufflatione mittitur foras.

Mundus de hominibus dictus est in malo, & in bono.

Exorcismus & exsufflatio in baptismo.

[a] Isthæc verba, *& qui mali adhuc nihil fecerat*, restituuntur ex veterum librorum fide.

[b] Editi cum codicibus Mar. Clar. *mentem*. Aptiùs Port. *gentem*.

audebis

audebis dicere, mox apparebis: si non audebis, nec sic latebis.

LXXVIII. *Aug. lib. 2. de nuptiis c. 5. Iohan. 14. 30.*

Jul. *Post quàm ergo hoc effatus es, intulisti:* Unde dicit etiam ipse Dominus, Ecce venit princeps mundi hujus, & in me nihil invenit: *addisque de tuo*, nihil utique peccati, nec quod à nascente trahitur; nec quod à vivente additur. *Ostende igitur dixisse Dominum in Evangelio, non se habere peccatum quod à nascente traheretur.*

Iob 14. 4. sec. LXX. Iohan. 14. 30.

Aug. Tu ostende dixisse Dominum, non se habere sordem, sine qua Job dicit nec infantem ullum esse, cujus est unius diei vita super terram. Et tamen ubi ait, Ecce venit princeps mundi hujus, & in me inveniet nihil, nec ipsam sordem intelligimus, si rectè intelligimus. Nam si ex eo quod dixit, non est intelligendum quod non dixit; nec diabolum nominavit, sed principem mundi: & in me, inquit, nihil inveniet; non ait, in me non inveniet peccatum. Et tamen nos ea dicimus, quæ non dixit; sed ex his intellecta, quæ dixit.

LXXIX. *Iohan. 14. 30.*

Jul. *Quid circumscribis infelices animas, ut mentiaris indicatum esse, quod non est? Dominus dicit in Evangelio, Ecce venit princeps mundi hujus, & in me invenit nihil. Certum est nihil peccati in eo diabolum offendiße: quoniam in omni, vel quam esurienti, vel quam postea prædicanti, tamquam persequutores suos admoverat, tentatione superatus est. Profitetur ergo Salvator, nihil in se diabolum deprehendiße peccati. In quo certè invenisset, si quid de carnis conditione traheretur: quoniam & ipse factus fuerat ex muliere, de semine David & de Adam stirpe prognata.*

Christus sine peccato natus, quia non per concupiscentiam natus.

Aug. Sed non eum per concupiscentiam carnis virgo conceperat: & ideo in eum sine propagine peccati carnis propago pertransiit, ut esset in eo non caro peccati, sed similitudo carnis peccati, carnem salvatura peccati. Proinde Adam, priùs quàm peccaret, nec carnem peccati habuit, nec similitudinem carnis peccati; quia non erat moriturus, nisi peccasset: sed postea quàm peccavit, jam caro peccati genuit carnem peccati, quia per illam concupiscentiam carnis [a] eam genuit, quæ ante peccatum vel nulla in illo erat, vel spiritui non resistebat, propter quod eum nudum esse nihil pudebat. Christus autem qui non per illam concupiscentiam carnis est natus, sine peccato natus est, quod trahit omnis caro peccati, procul dubio propter quam moriuntur omnes, carnem non habens ipse peccati: sed tamen & ipse mortuus est propter similitudinem carnis peccati. Nam si nec moreretur, non solùm carnem peccati non haberet, sicut non habebat; sed nec ejus ostenderet similitudinem, quam pro nostra salute susceperat. Tu igitur qui negare non potes Christum non in carne venisse peccati, sed in carne quidem vera, tamen in similitudine carnis peccati, debes demonstrare carnem peccati: quoniam si nulla est, profectò nec similitudo ejus ulla est. Porrò quia solus Christus habuit similitudinem carnis peccati, quæ non esset caro peccati, quia non ex commixtione sexuum natus est: quid restat, nisi ut peccati caro sit omnium, qui de tali commixtione nascuntur, pertinentes ad mundum, cujus est diabolus princeps, à quo malo

Solus Christus habuit similitudinem carnis peccati, quæ non esset caro peccati.

A non liberantur, si non in Christo renascuntur.

Jul. *Invenisset ergo in eo diabolus naturale crimen, si ullum esset: teneret corpus obnoxium, si illud vel in primo parente, vel in ipsa pariente venenasset: nec referret, utrùm conditionibus materiæ suæ sera & inefficax resultaret voluntatis intentio: contra naturam nitens, non expiaret natum, sed exasperaret tyrannum; salvo eo quòd non posset esse voluntas libera, si fuisset natura captiva. Si ergo esset* B *in ipsius carnis sensu & conditione peccatum, si ipsa natura hominum ad dominium dæmonis pertineret; Christus aut reus erat futurus, aut homo non futurus. Ergo si adscribitur maledictum naturæ humanitatis; illi quoque, qui caro factus est ut habitaret in nobis, aut crimen dabitur, aut humanitas auferetur.* LXXX.

Aug. Nec crimen ei dabitur, in quo princeps mundi nullum potuit invenire peccatum: nec humanitas auferetur, in quo & anima & caro C humana erat; quamvis non erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati.

Jul. *Quod utrumque fecit Manichæus, qui commentatus in carne malum esse naturaliter, dixit in Christo non fuisse carnem, ne confiteretur in eo fuisse iniquitatem.* LXXXI.

De carne Christi quid Manichæi & Pelagiani, quidve contra illos catholici credant.

Aug. Manichæus hæreticus carnem negat Christi: Pelagianus hæreticus carnem peccati [b] carni coæquare vult Christi: Christianus catholicus similitudinem carnis peccati discernit D à carne peccati, ne blasphemet carnem Christi.

Jul. *At hunc fides catholica in utroque contrivit: malum scilicet in carne non esse naturaliter, atque ob hoc Christo nec aliquid defuisse humanitatis, nec quidquam iniquitatis adfuisse pronuntians. Clamat ergo dispensationis suæ conscius, Ecce venit princeps hujus mundi, & invenit in me nihil: nihil profectò quod possit arguere, quia non poterat infamare naturam, cujus ad peccata non inflexerat voluntatem.* LXXXII. *Iohan. 14. 30.*

Aug. Immo verò nihil peccati, nec quod à E nascente trahitur, quia in nulla iniquitate conceptus est; nec quod à vivente additur, quia nulla tentatione deceptus est: quorum duorum unum est propter quod legimus, In iniquitatibus conceptus sum; alterum propter quod dicimus, Ne nos inducas in tentationem. *Psal. 50. 7. Matth. 6. 13.*

Jul. *Ipsa etiam ei caussa tentandi fuit Christum; quoniam more artis suæ volebat capere persuadendo, cùm neminem posset vitiare condendo.* LXXXIII

Aug. Non condendo vitiat, qui neminem F condit: sed malè suadendo vitiavit, quod bonum conditum invenit. Non enim naturæ auctor est, quæ Dei bonitate in homine conditur; sed culpæ, cum qua homo ex propagine vitiatorum primorum hominum de parentibus nascitur. Quid autem mirum, si tentavit eum, in quo non erat caro peccati; quæ nec in illis erat, quos primò tentando dejecit, per quorum concupiscentiam carnis, de qua confusi sunt, caro est propagata peccati, quam sanaret ab hoc ma- G lo, nullum habens malum similitudo carnis peccati.

Jul. *Proinde incarnatio Christi opus suæ divinitatis tuetur, qui afferens ad me naturam meam & voluntatem suam, cujus mihi speculum offerebat & regulam, pronuntiansque nihil in se diabolum inve-* LXXXIV

[a] In MSS. *eum.*

[b] Vox *carni* hîc additur ex MSS.

nisse peccati, ostendit culpam non de carnis conditu, sed de sola suscipi voluntate. Denique ut nusquam in Scripturis legitur Christum fugisse peccatum, quod à nascentibus trahi nosset; ita etiam illud claro testimonio perdocetur, quòd suscepti hominis justitia non de naturæ diversitate, sed de voluntaria actione substiterit.

AUG. *Nusquam scriptum esse* dicis, *Christum fugisse peccatum, quod à nascentibus trahi nosset:* quid enim fugeret, quod ipse non traxerat, sed eos venerat salvare qui traherent? Quid, inquam, ipse fugeret, quod à nemine fugitur, nisi cùm ad ipsum confugitur? Dicis etiam, *claro testimonio perdoceri, quòd suscepti hominis justitia Filio Dei non de naturæ diversitate, sed de voluntaria actione substiterit.* Itáne vero, ne hoc quidem Christus diversum habuit in natura, quod ita ex virgine natus est, ut jam esset non solùm hominis, sed etiam Dei Filius? Ergóne ista susceptio, quæ Deum & hominem unam fecit esse personam, nihil illi homini valuit ad excellentiam justitiæ, quam dicis ei de voluntaria actione substitisse? Siccine vos contra Dei gratiam defensio liberi arbitrii præcipites agit, ut etiam ipsum Mediatorem, ut esset Dei Filius unicus, voluntate sua meruisse dicatis, & falsum esse quod tota confitetur Ecclesia, credere se in Jesum Christum Filium Dei Patris omnipotentis unicum Dominum nostrum, natum de Spiritu-sancto & virgine Maria? Secundùm vos enim, non à Verbo Dei homo susceptus est, ut ex virgine nasceretur; sed natus ex virgine, suæ postea voluntatis virtute profecit, & fecit ut à Verbo Dei susciperetur; non talem ac tantam voluntatem illa susceptione habens, sed ad illam susceptionem tali & tanta voluntate perveniens: nec Verbum caro factum est in utero virginis; sed postea merito ipsius hominis, & ejus humanæ voluntariæque virtutis. Ex quo vos sequitur etiam illud, ut quomodo illum creditis à Verbo Dei propterea susceptum esse, quia voluit; sic multos credatis ita suscipi potuisse, si etiam ipsi similiter voluissent, vel posse, si velint: ac per hoc, segnitiâ humanæ voluntatis fieri, ut ille unicus sit, cùm plures esse possent, si homines vellent. Hæc si dicitis, ubi est vestra frons? si non dicitis, ubi est hæresis vestra?

Pelagiana hæresis eò ducit ut putetur Christus voluntatis suæ virtute meruisse ut à Verbo Dei susciperetur.

LXXXV. JUL. *Petrus namque apostolus ait, Christus pro* [a] *nobis mortuus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus; qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Certè Apostoli sententia cum Dominica voce concordat. Dicit ille in Evangelio, Venit princeps mundi hujus, & in me nihil invenit. Hoc idem commendat magister Ecclesiæ, dicitque in Christo nullum fuisse delictum: sed per quid non habuerit peccatum veraci adtestatione commendat; Quia, inquit, peccatum non fecit. Non dixit, Quia peccatum non suscepit; sed, Quia peccatum non fecit.*

1. Pet. 2. 21.

Johan. 14. 30.

1. Petri 2. 22.

AUG. Utique ille qui peccatum originale non traxit, nullum peccatum habuit, quia non fecit: sicut ipse Adam, quia originale non habuit, nullum habuisset, si non fecisset.

LXXXVI. JUL. *At si esset in natura crimen, Petri erat* [b] *imperita sententia, qui censuerat videlicet ad im-*

A *maculatæ sanctitatis testimonium posse sufficere, si actus ejus à criminibus vindicaret; cùm crederetur in eo habitare peccatum per naturale virus. Igitur si de naturali malo aliquid ille sensisset, sollicitiùs partem hanc commemorasset & pressiùs, ut scriberet, Christus nobis reliquit exemplum, qui peccatum nec fecit, nec quod nos trahimus nascendo, collegit: sicque meritò sequeretur, inventum in ore ejus dolum non esse. Porrò si hoc putasset, numquam commemorationem fecisset exempli: quem enim hominibus esse ostende-*

B *ret imitandum, si illum externæ carnis natura discrevisset, & censuram magisterii substantiæ diversitas arguisset?*

AUG. Quàm nihil dicas, alii certè intelligunt, si tu non intelligis. Exemplum quippe apostolus Petrus in Christo proponens hominibus imitandum, quid opus erat, ut aliquid de originali peccato diceret, quasi quisquam imitando Christum posset efficere, ut sine illo, sicut ille potuit, nasceretur? sicut non posset efficere imi-

C tando Christum, ut quemadmodum ille de Spiritu-sancto & virgine Maria, nasceretur. Proinde ut imitemur Christum, voluntas nostra formatur: ut autem liberemur ab originali malo, natura regeneratur.

JUL. *Huc accedebat, quoniam opinio peccati* LXXXVII. *naturalis non solùm vim æmulationis absumeret, sed ipsius præconii fraudem, quod ei deferebatur,* urgeret.* * f. arguret. *Qua enim diceretur gravitate, qua fronte, dolus in ore illius non fuisse; cùm si in alia conditione carnis,*

D *quàm quæ est nostra, venisset, non solùm docendo, quod levius est, sed etiam nascendo, quod est gravius, dolum malum convinceretur egisse? Quale quippe erat, ut homines in naturali malo regnoque diaboli constitutos, & sub pestifera tabis ingenitæ necessitate peccantes, vel legi peccati, quæ in membris eorum regnabat, naturaliter servientes, ille ad æmulationem suam etiam sub pœnæ interminatione compelleret, justitiamque suam ejus carnis hominibus* [c] *imputaret, cujus malo sic fuerat perterritus, ut ipse qui*

E *sub specie ejus formam voluerat honestatis exprimere, tamen naturæ ejus veritatem caveret. Quanto ei rectiùs diceret ægritudo peccantium & securitas coactorum: Cùm valemus, omnes recta consilia præbemus ægrotis; tu si sic esses, aliter longè longéque sentires. Quò igitur vestra profecit impietas? Necessariò videlicet consequi, ut si creditur naturaliter carni nostræ inesse peccatum, Christus quoque aut susceperit carnem istam, & hoc malo teneatur obnoxius; aut non susceperit, & non quidem nativitatis,*

F *quæ in eo mendax videtur, sed tamen voluntariæ fraudis iniquitate insolubili vinciatur. Quod quia totum tantis blasphemiarum sordibus squallet, ut vix sine horrore possit, vel cùm dilaniatur, exponi; adsit dignitas Mediatoris exemplo suo & operi, ac nostræ fidei, quæ veritatem tam ipsius, quàm Apostoli ejus sermonibus vindicans, numquam desinit prædicare, Christum verum hominem, ejusdem naturæ cujus & nos carnem de Mariæ suscepisse visceribus, verum per omnia hominem, nullum habuisse peccatum: ad* 1. Pet. 2. 22.

G *quod indicandum, sufficit apostolo Petro dicere, nullum eum fecisse peccatum; docens quia qui non fecerat, habere non poterat. Nullus est dolus inventus in ore ejus: sanctum consortibus naturæ suæ, quam in cunctis ipse fecerat, præbuit exemplum. Et ideo constat*

[a] MSS. *pro vobis.*
[b] Codex Port. *imperfecta.*

[c] Port. *putaret.* Videtur legend. *imperaret.*

innatum non esse peccatum, quando illud Christus non habuit, qui salvo quoque honore deitatis suæ, ob hoc factus est carnalis, ut nobis esset imitabilis.

Aug. Quid enim, homo multùm loquens & parum sapiens, si dicerent homines Christo, Quare nobis jubetur, ut imitemur te? Numquid nos de Spiritu-sancto & Maria virgine nati sumus? Postremò numquid tanta nobis esse virtus potest, quanta tibi est, qui ita homo es, ut etiam Deus sis, & hoc Patri coæternus & omnipotenti æqualis omnipotens? Ideone non debuit sic nasci, vel sic in unitatem personæ à Verbo Dei suscipi, ut hominibus eum nolentibus imitari, talis excusatio non daretur? Sicut autem nobis ipse Patrem proposuit imitandum, qui certè homo numquam fuit, eumque sine dispendio vel infirmatione divinitatis ejus imitantur, quicumque per ejus gratiam & volunt & possunt, ut diligant inimicos suos, benefaciant eis qui oderunt eos; nec dicunt ei, Tu propterea hoc potes, quia Deus es, & quia inimici tui nihil tibi possunt nocere, nos autem homines sumus infirmi, & eos jubemur diligere, qui nobis tot & tanta mala ingerunt suis persecutionibus: ita Christo non dicunt imitatores ejus, Non possumus ea facere, quæ ut faciamus tuo nos exhortaris exemplo, quia longè potentior est excellentia tua, quàm infirmitas nostra. Non itaque ideo debuit natus de Spiritu-sancto & virgine Maria habere concupiscentiam, quâ cuperet mala, [a] etsi ei resistendo non faceret, ne dicerent ei homines, Habeto priùs cupiditates malas, & eas vince, si potes, ut te imitari nostras vincendo possimus. Deinde quid dicis, Juliane, de illo qui dicit, Non quod volo ago, sed quod odi illud facio; quem vos asseritis, non concupiscentiâ cum qua natus est, sed mala consuetudine usque ad istam necessitatem premi? Numquid hujusmodi hominibus Christus non præbuit, ut se imitarentur, exemplum? Numquid eos contemsit, eosque esse voluit à suis sectandis virtutibus alienos? Si ergo dicerent ei, Nescis quid patimur mole consuetudinis qua premimur: tu non premeris, propterea loqueris: * Facilè omnes, cùm valemus, recta consilia ægris damus. Placeretne tibi, ut etiam Christus tali consuetudine premeretur, eamque superaret, ut esset, remotâ eorum excusatione, talibus imitandus? An tua vaniloquia jam ridebis, & à nobis tacebis?

Rom. 7. 15.

* Terentius Andr. act. 1. sc. 1.

Jul. *Verùm his ut res postulabat impletis, juvat te vel mediocriter convenire, quâ fiduciâ tu, cùm Hieronymi scripta collaudes, dicas in Christo non fuisse peccatum, cùm ille in Dialogo illo, quem sub nomine Attici & Critobuli, mirâ & ut talem fidem decebat venustate composuit, etiam quinti [b] Evangelii, quod à se translatum dicit, testimonio nitatur ostendere, Christum non solùm naturale, verùm etiam voluntarium habuisse peccatum, propter quòd se cognoverit Iohannis baptismate diluendum. De alio etiam testimonio Iohannis evangelistæ, flagitium ei [c] assuit falsitatis. De quo opere tu in illa epistola, quam Alexandriam destinasti, ita gloriaris, ut dicas Pelagium, Scripturarum ab eo oppressum molibus, arbitrium liberum vindicare non posse. Verùm illi operi à catholico viro, qui pulsatus fuerat, obviatum est. Nunc verò ad hoc commemorationem ejus tantummodo feci, ut te recognosceres non solùm scripturis sanctis, sed nec ipsis tui dogmatis adjutoribus consonare.*

Aug. Si posuisses verba Hieronymi, fortassis ostenderem quomodo accipienda essent sine blasphemia, quam tu illi importare conaris: quod si non possem, non tamen ejus fidem, quam cum aliis præclarissimis Ecclesiæ catholicæ doctoribus tenuit, ideo repudiandam putarem, quia dixisse aliquid inveniretur, si tamen inveniretur, in quo illis non consonaret. Illud autem mihi ex hujus hominis persona contra te satis est, quòd cùm id sentiat de peccato originali, quod sic aversaris, ut * idem appelles Manichæum, ipsum tamen hoc appellare non audes. Ubi te apparet imprudentiâ falli, sed contra pudentiam tuam mihi calumniari. Ego sanè non Hieronymi, sed Ambrosii; nec meis commemoratam, sed verbis ejus expressam sententiam tibi * opposui, quâ Christum dicit non aliter expertem delicti esse potuisse, nisi expers fuisset illius conceptionis, quam commixtio viri & mulieris operatur. Ubi cernis esse consequens, ut si ego propter hanc sententiam sum Manichæus, sit & Ambrosius: quia verò ille non est, neminem faciat vel ostendat ista sententia Manichæum. Hoc cùm videas; (non enim tale est ut non possis hoc videre, vel possis hoc non videre;) tantum tamen caussæ bonitate desereris, ut calumnieris mihi nomine Manichæi, non [d] imprudente ignorantiâ, sed pudente fallaciâ.

* f. inde me.

* Lib. 1. de nupt. c. 35. & lib. 2. c. 5.

Jul. *Nam Manichæos deseris in vituperatione suum & caprarum, quos in humanæ naturæ criminatione comitaris; cum quibus etiam in Christo non speciem carnis, sed rationem evertis exempli. Submoves etiam à Christo verbis interim naturale peccatum, ne & ipsum sub potestate diaboli collocare videaris, quod non fecit vel ipse Manichæus. Sed laudas Hieronymum, qui ita eum non metuit blasphemare, ut dicat illum familiaritatem cum voluntariis quoque iniisse criminibus. Ita inter diversas amicorum sordes & commenta volutatus sine deflexu, in catholicorum solum efferaris injurias, quia dicunt Deum mali auctorem non esse, homines qui ab eo fiunt, malos non esse naturaliter, leges Dei justas esse, imaginem ejus posse declinare à malo & facere bonum; Christum nec in membris, nec in præceptis, nec in judiciis ullum perpetrasse peccatum. Atque ideo si* LXXXIX.

[a] Editi, & sic. Emendantur ex MSS.

[b] Calumniandi occasionem arripit ex illis Hieronymi verbis in Dialogo contra Pelagianos 3. cap. 1. *In Evangelio juxta Hebræos, quod Chaldaico quidem Syroque sermone, sed Hebraicis litteris scriptum est, quo utuntur usque hodie Nazareni, secundùm Apostolos, sive ut plerique autumant, juxta Matthæum, quod & in Cæsariensi* » *habetur bibliotheca, narrat historia: Ecce mater Domini & fratres* » *ejus dicebant ei: Iohannes baptista baptizat in remissionem peccatorum;* » *eamus, & baptizemur ab eo. Dixit autem eis, Quid peccavi, ut vadam, & baptizer ab eo? Nisi fortè hoc ipsum quod dixi ignorantia* » *est.* Quod Evangelium à se in Græcum Latinumque sermonem translatum, non eo loci dicit Hieronymus, sed in Catalogo script. Ecclesiast. cap. de Jacobo fratre Domini.

[c] Editi, *assuit*; corruptè, pro *assuit*. Locus Hieronymi, quem Julianus malignè interpretatur, Dialogi est 2. cap. 6. ubi de Domino legitur: *Negat fratribus & propinquis ire se ad scenopegiam:* « *& postea scriptum est, Ut autem adscenderunt fratres ejus, tunc & ipse adscendit ad sollemnitatem, non manifestè, sed quasi in abscondito. Iturum se negavit, & fecit quod priùs negaverat. Latrat Porphyrius, inconstantiæ ac mutationis accusat, nesciens omnia scandala ad carnem esse referenda.* «

[d] Sic omnes MSS. Editi verò, *non impudente ignorantiâ, sed impudente fallaciâ.*

tu assertione veritatis ægrescas, credimus tamen A *prudentes instrui, nonnullosque etiam de his quos mendacia tua sauciarunt, posse sanari.*

Non propter Christi excellentiam nos excusare debemus, ut non eum pro modo nostro studeamus imitari.

Aug. De Christi exemplo superiùs tibi respondi, quòd neque negare debemus ejus excellentiam, quâ licèt homo integerrimus, tamen de Spiritu natus, nec carne [a] concupiscente conceptus, super omnes homines hîc vitam justissimam duxit; nec propter hanc excellentiam nos excusare, ut non eum pro modo nostro studeamus imitari. Non enim conjuges fideles cælibatum B ejus imitantur; & tamen, ut adulteria omnesve concubitus illicitos non perpetrent, imitantur illum: nec, si eum ampliùs imitantur qui sanctè ducunt cælibem vitam, ideo in hoc quoque imitari eum possunt, quòd ille non solùm non fecit, verùm nec concupivit illicita. Cælibi autem sanctæ vitæ concubitus est omnis illicitus, cui nec conjugalis est licitus. Quid ergo mirum si natus de Spiritu & virgine non in se habuit ullum malum? Quis verò, nisi gravioribus depressus malis, neget C malum esse, contra quod etiam sancti quotidie rogant Patrem ex ipsius Domini magisterio? (Matth. 6. 13.) Cùm enim dicimus, Ne nos inferas in tentationem; contra concupiscentiam nostram rogamus (Jacob. 1. 14.) Deum. Unusquisque enim tentatur, ut scriptum est, à concupiscentia sua abstractus & illectus. Avertat ergo à nobis iste, quem rogamus, Pater, ut dicere audeamus quòd à Patre quidem non sit, ad quod nos concupiscentia carnis trahit, sed à Patre sit ipsa quæ trahit; vel malum D sit ad quod trahit, & malum non sit ipsa quæ trahit. Porrò si eam malum esse veritas clamat; profectò eam qui sine ullo malo natus est, non habebat; ac per hoc, peccatum sicut non fecit, ita nec concupivit. Nos itaque imitamur eum, cùm peccatum non facimus, non peccati concupiscentiam non habendo; sed non ei consentiendo: quamvis ita imitemur illum Sanctum sanctorum, cùm bene vivimus, ut tamen non desit (Matth. 6. 12.) unde dicamus in oratione nostra, Dimitte nobis E debita nostra. Ego autem non sic laudavi Hieronymum, (V. suprà lib. de gratia Chr. c. 42.) quomodo Pelagius laudavit Ambrosium, quòd ejus fidem & purissimum in Scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere. Ac per hoc si quid mihi displicet, reprehendo in [b] amici scriptis, sicut in meis. Sed aliud est alicubi catholicum errare, aliud magni erroris etiam hæresim condere vel tenere.

XC.

Jul. *Sed hinc ista sufficiant: veniamus nunc ad illud, in quo pars negotii magna versatur: cujus po-* F *tentiâ examinatus & exanimatus Manichæorum legatus, tam fidelis responsionis documenta protulit quàm elegantis ingenii. Nam post quàm dicta mea, quæ suprà posui, nullâ re nova intercedente, laudavit & probavit, ad eam partem qua disputatio à nobis promissa supplebatur, accessit. Quærente me quippe, per quid sub diabolo essent, quos*
» *Deus fecit; ad quod respondi ipsius nomine*, Per pec-
» catum, non per naturam: *& retuli de meo. Sed,*
» *sicut ipse annuis, ut non potest esse sine sexibus fetus,* G
» *ita nec sine voluntate delictum. Habent igitur tem-*
» *pore conceptus sui, parvuli voluntatem, qui adhuc*
» *animam non habent; aut habent tempore exortûs*
» *sui, qui adhuc rationis usum non habent. Cùm ad* A *hunc igitur venisset locum, hoc solùm de nostris proposuit objectis, id est, Sed ut non potest esse sine sexibus fetus, ita nec sine voluntate delictum: respondítque*, Ita verò, ita est: sic enim per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: per unius illius voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, quando omnes ille unus fuerunt, de quo propterea singuli peccatum originale traxerunt. (Lib. 1. de nuptiis & concup. c. 1. Rom. 5. 12.) *Lectorem igitur adhortor, ut conflictum nostrum* B *vigilanter inspiciat. Quid tibi profuit, eruditissime bipedum, meam non supplere sententiam; cùm etsi in ea parte, quam suppressisti, prioris dicti expositio teneretur, tamen etiam in illo, quod tibi objecisti, vis æquè tota consistat? Proposui quippe fideliter, ut tua quoque manifestavit assensio, quod à te solet referri, & interrogans per quid sub diabolo essent parvuli, quos fecisset Deus, respondi vice tua*, Per peccatum, non per naturam. *Certè, vides me hinc nullam* C *fecisse fraudem. Dixi quod in ore Traduciani est, licèt hoc non sit in dogmate. Ad quod retuli,* « *Sed ut non potest esse sine sexibus fetus, ita nec sine vo-* « *luntate delictum. Tu hoc impudenti fraude fecisti dividuum: nam commemorans quod nos dixeramus, quia ut non esset absque sexibus fetus, ita nec sine voluntate delictum; illud quod sequebatur de parvulorum voluntate tacuisti, & respondes*, Ita verò, ita est: sic enim per unum hominem peccatum intravit in mundum: per unius illius voluntatem malam D omnes in eo peccaverunt. *Hoccine est respondere? Hoccine disputare est? Hoccine postremò vel sobrietatis habere respectum? Ridetur certè ab eruditis calliditas sophismatum, ubi per communionem nominum simplicitati respondentis illuditur: sed illa ipsa sophismata licèt non sint veritate solida, urbanâ tamen superficie colorantur: hoc autem quod monstrum disputationis est, quod nec veritate solidum est, nec sophismate levigatum. Dixi certè non posse esse sine libera voluntate peccatum: quo concesso,* E *vestrum dogma consumitur, qui putatis esse in natura hominum sine ulla voluntate reorum delictum.*

(Peccatum non sine libera voluntate.)

Aug. Ego id solum de opere illo tuo legeram, quod chartula quæ mihi missa est, continebat. Nam postea quàm libros tuos, de quibus illud nescio quis excerpsit, inveni, ad cuncta respondi. Dicimus autem & nos, non posse esse sine libera voluntate peccatum; nec ideo tamen, ut dicis, nostrum dogma consumitur, cùm asserimus esse originale peccatum: quia ad hoc pec- F cati genus ex libera voluntate perventum est, non ejus propriâ qui nascitur, sed ejus in quo omnes originaliter fuerunt, quando communem naturam mala voluntate vitiavit. Non habent ergo parvuli tempore conceptûs vel ortûs sui [c] peccandi voluntatem: sed ille tempore prævaricationis suæ magnum illud peccatum libera voluntate commisit, à qua originalis peccati contagium sic humana natura contraxit, ut verissimè diceret sanctus, In iniquitatibus con- G ceptus sum. (Psal. 50. 7.) Et alius itidem sanctus, Quis enim mundus est à sorde? nec infans cujus est unius diei vita super terram. (Job 14. 4. sec. LXX.) Hæc eloquia veritatis subsannant vanitatem loquacitatis tuæ.

XCI.

Jul. *Quâ ergo tu impudentiâ & approbas sen-*

[a] Editi, *concupiscentia*. Omnes MSS. *concupiscente*.
[b] Editi, *in inimici scriptis*. Meliùs MSS. *amici*.

[c] Hîc editi addunt, *liberam*.

tentiam meam, & tuum dogma non deseris; cùm sententiæ utriusque partis ita nullo possint fœdere copulari, ut enuntiatorum opposita pariter non participant veritati? Quomodo ergo ego si consentirem naturale esse peccatum, necesse erat ut deciderem de jure sententiæ, quæ præscribit, nisi in voluntate libera peccatum esse non posse: ita tu è regione consentiens me bene dixisse, qui pronuntiavi nullum esse sine voluntate peccatum, rejicere statim debuisti illam opinionem, quâ peccatum naturale credebas. A

Aug. Aliud est sine voluntate libera peccatum esse non posse, quod & nos dicimus, quia nec originale esse potuisset sine primi hominis libera voluntate; & aliud est, quomodo ipse dixisti, *nisi in voluntate libera peccatum esse non posse*, quod non concedimus. Originale namque peccatum non est in voluntate nascentis: sed neque in ipsa est voluntate primi hominis, quamvis sine ipsa esse non posset. Aliud est ergo, Non potest esse sine voluntate peccatum; & aliud est, Non potest esse nisi in voluntate peccatum. Neque enim si rectè dicimus, Sine conceptu partus non potest esse; ideo etiam rectè dicitur, Nisi in conceptu partus non potest esse. Sed hoc ita est diversum, ut neque in conceptu partus, neque in partu possit esse conceptus. Peccatum verò in voluntate potest esse, sicut fuit primi hominis; potest etiam non in voluntate, sicut originale cujuscumque nascentis, quod omnino est in voluntate nullius; sed non sine voluntate primi illius. Ille quoque sanctus qui dixit Deo, Signasti peccata mea in sacculo, & annotasti si quid invitus admisi: non utique habuit in voluntate peccatum, quod commisit invitus. Quid ille qui dicit, Non quod volo, facio bonum; moxque subjungit, sed quod nolo malum, hoc ago: numquid in voluntate dicendus est habere peccatum, secundùm vos ipsos, qui eum vultis intelligi vi consuetudinis cogi peccare nolentem? Desine igitur de vicinitate subrepere, & sensim limitem transgredi, ut quoniam dicimus sine voluntate libera, tu nos dicere affirmes, nisi in voluntate libera, esse non posse peccatum: tamquam si diceremus, sine igne carbones esse non posse; & tu nos affirmares dicere, nisi in igne carbones esse non posse. Hæc si nesciebas, confitere te non fuisse intelligentem disputatorem: si autem sciebas, non intelligentem sperasse habiturum te esse lectorem.

XCII. Jul. *Quidquid enim naturale est, voluntarium non esse manifestum est.*

Aug. Si quidquid est naturale, voluntarium non esse manifestum est; non est ergo naturale, quòd salvi, quòd beati esse volumus. Quod dicere quis audeat, nisi tu? aut admonitus, fortasse nec tu.

XCIII. Jul. *Si ergo est naturale peccatum, non est voluntarium: si est voluntarium, non est ingenitum. Istæ duæ definitiones tam contrariæ sibi sunt, quàm contrarium est necessitas & voluntas, quarum confirmatio ex mutua negatione generatur. Nam sicut nihil est aliud voluntarium, quàm non coactum; ita nihil est aliud coactum, quàm non voluntarium. Simul ergo exstare, & velut vivere, duo ista non possunt; quia talis eorum natura est, ut tunc aliud vivat, cùm aliud exstinguitur.*

[a] Editi, *malum*. Concinniùs MSS. *malo*.
[b] Vetus codex Port. *quâ pudentiâ*.

Aug. Cur non adtendis esse peccatum etiam non voluntarium? certè in illo qui dicit, quacumque caussâ hoc dicat, Si autem quod nolo ego, hoc facio; jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Cur non adtendis esse etiam necessitatem, qua necesse est velimus beatè vivere; & clausis oculis sic alteri alteram opponis, quasi voluntas necessitatis, aut necessitas voluntatis esse non possit?

Peccatum aliquod non voluntarium. *Rom. 7. 19.*

Necessitas voluntatis quædam.

Jul. *Cùm ergo hoc ita inconcussum sit, ut nulla* B *queat argumentatione convelli: tu elige utrum mavis, & vel nostram, vel tuam constanter affirma sententiam; ut aut necessitati, aut voluntati imputes culpam. Cùm autem dico, utrum mavis, non sic admoneo, quasi tua adhuc lateat opinio, qui crimina naturæ per Manichæum importare didicisti: sed ideo hoc commoneo, ut disputationis tuæ veritas denotetur.* XCIV.

Aug. Velis nolis, quoniam sæpe hoc dicis, sæpe oportet ut audias, non fuisse Manichæum qui dixit, dissensionem carnis & spiritûs per præva- C ricationem primi hominis in naturam vertisse: Quam tu caussam mali hujus negans, cum quo [a] malo nasci omnem hominem negare non sineris, facis ut Manichæus aliæ naturæ commixtionem nobis inesse dicat, & vincat nisi tecum victus intereat.

Ambros. lib. 7. in Luc. 12.

Jul. *Quid igitur mihi responderis, prudens & sollicitus auditor expendat. De parvulis certè agimus, quibus nulla propriæ mentis adest voluntas, de quibus quæritur per quid sint sub diabolo, quos Deus* D *fecit, cùm nihil mali ipsos egisse consentias. Tu eos concionatus es, ad jus dæmonis propter peccatum, non propter naturam pertinere. Ad hoc insurrexit nostra responsio: Sed ut non potest esse sine sexibus fetus,* « *ita nec sine voluntate delictum.* « *Ad quod tu retulisti:* Ita verò, ita est*: id est, non potest esse sine voluntate delictum. Verùm qui hoc confirmaveras, qua* [b] *impudentiâ subdidisti,* Sed per unum hominem peccatum intravit in mundum, per unius illius voluntatem? XCV.

E Aug. Numquid, quoniam de parvulis agebatur, ideo quod verum dixisti, non debui ostendere etiam meam non impedire sententiam, id est, non esse posse sine voluntate delictum; quando quidem etiam originale delictum non habet caussam, nisi ex illius voluntate, à quo ipsa origo deducitur? Illud ergo cùm adversa intentione dixisses, non mihi tamen adversum esse respondi, & verum esse concessi; & quod tu non videras, quomodo mihi non adversaretur, ostendi. Potui- F sti enim dicere secundùm intentionem tuam, non esse posse delictum sine illius, cujus delictum est, propria voluntate: quod si dixisses, nequaquam concederem; sine propria [c] enim nascentis voluntate trahitur originale peccatum. Sed tamen verum dixisti, non posse esse sine voluntate peccatum: quia & ipsum originale voluntas ejus effecit, qui primus eâ, quâ natura humana vitiata est, voluntate peccavit; ita ut quidquid hominum nasceretur per carnis concupiscentiam, quæ reorum confusione velata est, G liberum non fieret à reatu, nisi renasceretur per spiritûs gratiam.

Originale peccatum ortum ex voluntate, non propria nascentis, sed primi parentis.

Jul. *Numquid de Adam operibus interrogatus eras, aut quæsitum fuerat, utrùm ille voluntate* XCVI.

[c] Sic Port. Alii verò MSS. cum editis loco *enim*, habent *eadem*.

peccasset? quod quidem contra te mox quæretur. Esto, aliis te delectet illudere: cujus deformitatis est, ut tu tibimet imponas? Quippe haud mihi valeo persuadere, quòd tantam deformitatem non fraude, sed opinione patiaris. In uno eodemque versu assentiris, non posse esse sine voluntate delictum, & subdis protinus, peccatum quod sine motu animi libero manere non dixeras, in omnibus hominibus sine voluntate regnare.

Peccatum posse manere sine voluntate, licèt esse non possit sine voluntate. *Suprà n. 90. & 95.*

Aug. Quid supponis verbum tuum quasi meum, ut non sentiente qui hoc audit aut legit, subtrahas sensum meum? Ego non dixi, sine voluntate manere non posse peccatum, sed esse non posse: quantum autem intersit, ex tuis verbis aperiam. Ubi enim dixisti, *Non potest esse sine sexibus fetus*: quis non te verum dixisse consentiat? Aliter enim non exsistit fetus, nisi ex maris & feminæ sexibus. Si autem dixisses, Non potest manere sine sexibus fetus: quis tibi hoc verum esse concederet? Manet enim sine parentum sexibus fetus, sine quibus tamen esse non posset; nec omnino ipsi faciunt ut maneat, qui fecerunt ut esset. Sic ergo peccatum, quod esse sine voluntate non potest, manere sine voluntate potest. Itaque etiam peccatum Adæ, quoniam ipsum est quod originaliter manet in posteris ejus, nisi quibus in Christo remittitur, profectò cùm dicitur & in ipsis sine voluntate non esse, ad illius voluntatem refertur, qua factum est ut esset quod manendo & in posteris esset, non qua factum est ut maneret quod & sine voluntate jam posset. Si autem hoc dicis esse, quod est manere: non contendo verbis, sed planè dico, quantum adtinet ad manendum, sine voluntate esse posse omne peccatum. Quis est enim qui peccatum quod sine voluntate non fecit, manere etiam velit? Et tamen manet nolente peccatore peccatum, quod à voluntate commissum est. Manet ergo donec remittatur: & si numquam remittatur, manebit in æternum; neque enim mendaciter in Evangelio dictum est, Reus erit æterni peccati. *Marci 3. 29.*

XCVII. Jul. *Deinde quia multa in propositionibus invenitur diversitas, dixeras* non esse sine voluntate delictum; *& respondisti*, sed per unius voluntatem esse delictum. *Numquid concinit superiori definitioni, quæ ablativi casûs præpositione munitur, sequuta responsio per præpositionem accusativi casûs illata? Quæsitum erat utrùm esset crimen sine voluntate, quod non posse constiterat: tu subdidisti per unum hominem intrasse peccatum, cùm non referret per quid cœpisset, sed sine quo esse non posset.*

Aug. Ego sic dixi peccatum sine voluntate esse non posse, quomodo dicimus poma vel frumenta sine radicibus esse non posse: ubi etiam sine offensione grammaticorum possumus dicere, poma vel frumenta nisi per radicem esse non posse. Cùm ergo rectè utrumque dicatur, quamvis illud per ablativi, hoc per accusativi casûs præpositionem enuntietur; quid est quòd nobis casibus nominum, velut cassibus aranearum, quanto subtiliùs, tanto infirmiùs tendis insidias? Quære muscas morituras, quas istis reticulis capias. Non hoc erant illi, quos ideo sequimur, ut tuas tendiculas dissipemus. Non hoc erat Apostolus, qui dixit, Corpus quidem mortuum est propter peccatum. *Rom 8. 10.* Non hoc erat Hilarius, qui dixit, Ex peccato omnis caro est, à peccato scilicet Adam [a] parentis deducta. Non hoc erat Ambrosius, qui dixit, Omnes sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est. *Ambrof. lib. de pœnit. c. 2. vel 3.* Utinam tu potiùs istorum Christi piscatorum retibus tenaciter salubriterque capiaris: tunc accusativum casum, quo ipse à te ipso es accusatus, & ablativum, quo de Ecclesia catholica es ablatus, correctus meliùs declinabis. Præpositiones autem si rectè atque integrè sequeris, cur non istos doctores Ecclesiæ tibi, deposita elatione, præponis?

XCVIII. Jul. *Apparet certè furtum detestabile, quod quidem confestim eà, quæ peccatis adhæret, ultione punitum est, videlicet ut ante quàm in pestem procederet audientium, suum circumveniret auctorem. Ecce enim non abnuitur primum hominem aliquod incurrisse peccatum; sed quæritur quomodo hoc peccatum posset in nascentibus inveniri. Defini tu, peccati primi qualem putes conditionem fuisse: dicis*, Voluntas fuit libera, non enim potest esse sine voluntate peccatum: *nos hoc probamus. Tu verò subdis*, Sed hoc peccatum, quod sine voluntate esse non potest, hæret sine voluntate nascentibus.

Aug. Hæret per contagium, non per arbitrium.

XCIX. Jul. *Falsum est ergo quod concesseras, non esse sine voluntate peccatum; si licèt commissum sit per voluntatem, tamen ad alios potuit sine voluntate transire.*

Peccatum originale voluntate primi parentis factum, ad posteros sine voluntate transit per contagium.

Aug. Non est falsum quod concesseram, quia sine voluntate illius, à quo est origo nascentium, non est factum originale peccatum: potuit autem ad alios per contagium sine voluntate transire, quod non potuit ab illo sine voluntate committi. Ac per hoc, sine voluntate esse non posset, ut esset quod in alios [b] sine voluntate transiret: sicut frumenta sine radicibus esse non possent, ut essent quæ in alia loca transire sine radicibus possent.

C. Jul. *Est ergo jam sine voluntate peccatum, cùm invenitur in his quibus malam [c] eripis voluntatem.*

Peccatum quod est pœna peccati, quo quisque peccat invitus.

Aug. Est omnino sine voluntate peccatum, id est, manet. Non enim maneret, nisi esset utique quod maneret: sed ut esset quod maneret, non est factum nisi voluntate: si tamen peccatum tantummodo peccatum sit, non etiam pœna; hac enim quisque peccat invitus. Sic ergo utrumque verum est, & esse non posse sine voluntate peccatum, & esse posse sine voluntate peccatum; quomodo utrumque verum est, & esse non posse sine parentum sexibus fetum, & esse posse sine parentum sexibus fetum. Illud enim dictum est, quia sine his non potest exsistere: hoc autem, quia sine his potest manere. Bene quidem ipse uno loco, & de peccato, & de fetu loquutus es, dicens, *Vt non potest esse sine sexibus fetus, ita nec sine voluntate delictum.* *Suprà n. 90. & 95.* Sicut ergo intelligimus fetum ideo sine parentum sexibus esse non posse, quia sine his non potest exsistere, ut sit; & ideo sine parentum esse sexibus posse, quia sine his potest manere, cùm jam sit: cur non ita intelligimus etiam peccatum & sine voluntate esse non posse, quia sine illa non potest exsistere, ut

[a] Ita hîc MSS. At editi, *parente*: ut in lib. 1. contra Jul. c. 3. n. 9.
[b] Hîc ex MSS. addimus, *sine voluntate.*
[c] Sic MS. Port. At Mar. *mala eripis voluntatis.* Editi, *malas eripis voluntates.*

ſit ; & ſine voluntate eſſe poſſe , quia ſine illa A poteſt manere , cùm jam ſit ?

CI. Jul. *Vide ergo quò tua acumina pervehantur: perſuadere conaris , rem aliquam per hoc non eſſe, per quod poteſt eſſe :*

Aug. Quid enim tu , ô magne ille , etiam contra gratiam Dei , defenſor liberi arbitrii , negabiſne peccatum aliquod per liberum arbitrium non eſſe , [a] quod per liberum arbitrium poteſt eſſe ? Fit enim ut ſit peccatum per liberum arbitrium , cùm homo peccat ſi velit ; & fit ut non B ſit peccatum per liberum arbitrium , cùm homo non peccat ſi nolit. Ecce invenimus aliquid , & hoc ipſum de quo diſputamus , id eſt , peccatum per hoc non eſſe , per quod poteſt eſſe , id eſt , per liberum arbitrium. Quid eſt , contentioſe ? huccine mea acumina pervehentur ? An hîc tua lumina aciem perdiderunt ? Noli eſſe præceps : melius eſt adtendere quid dicas , quàm contendere ut contradicas.

CII. Jul. *Id eſt , peccatum per hoc eſſe ſine voluntate,* C *per quod non poteſt eſſe ſine voluntate.*

Aug. Non ſanè peccatum per hoc eſt ſine voluntate , per quod non poteſt eſſe ſine voluntate : ſed diverſis quidem cauſſis , tamen poteſt utrumque : nam ſine voluntate non poteſt eſſe , quia ſine voluntate non poteſt exſiſtere ut ſit ; ſine autem voluntate poteſt eſſe , quia ſine voluntate poteſt manere quod exſiſtit.

CIII. Jul. *Ut conditionem ſuam conditione ſua perdat , & ſit abſque hoc , ſine quo non poſſe eſſe definitum eſt.* D *Hoc eſt inficiari rebus. Quid tale Anaxagoras , qui nivem nigram eſſe dicebat ? Commentaris rei alicujus naturam ſuis fructibus negari : cúmque ſit contrarium neceſſitas & voluntas , ita ut , ſicut ſuprà oſtendimus , mutua ſe impugnatione conſumant ; tu novo impoſſibilique fœdere ac neceſſitudine monſtruoſa alterum alterius ſubdis effectui , & dicis neceſſitatem de fructibus voluntatis exortam , ut voluntas ſuâ ſe multiplicatione deleverit , & ſtatum proprium operata mutaverit ; atque , ut rem ipſam ſuis vocabulis expri-* E *mamus , poſt quàm cœpit voluntas eſſe , voluntas eſſe deſierit. Quo quid poteſt , non dico obtunſius , ſed furioſius cogitari ? Cùm ergo hæc duo ſimul eſſe non poſſint , id eſt , neceſſitas & voluntas , tuque confirmaveris quod diximus , non poſſe eſſe ſine voluntate delictum , aſſentiaris quoque non eſſe in parvulis voluntatem ; contorto gutture cogeris annuere nullum in his eſſe peccatum , quod ſine voluntate non poſſe eſſe profeſſus es.*

Aug. Neceſſitatem & voluntatem ſimul eſſe F non poſſe non diceres , ſi tibi daretur noſſe quod diceres. Cùm enim ſit moriendi neceſſitas , quis neget quod poſſit eſſe & voluntas ? Unde ait Apoſtolus , concupiſcentiam ſe habere diſſolvi , & eſſe cum Chriſto. Cùm ergo vult mori , quem neceſſe eſt mori , ſimul ſunt neceſſitas & voluntas : quod tu fieri poſſe vana voluntate , nulla neceſſitate negaveras. Quòd autem fiat etiam ex voluntate neceſſitas plerumque contraria voluntati , prorſus inſipienter abnuitur. Qui enim ſe G volens mori lethaliter percutit , moritur etſi nolit. Item qui volens fecit peccatum , nolens habet peccatum ; volens impudicus , nolens reus : eo quippe nolente peccatum manet , quo nolente non fieret. Ac per hoc , & non poteſt eſſe ſine voluntate peccatum , quia non fit niſi voluntate ; & poteſt eſſe ſine voluntate peccatum , quia manet etiam ſine voluntate , quod factum eſt voluntate : & eſt jam neceſſitas etiam ſine voluntate , quam fecit voluntas ſine neceſſitate. Nam & ille qui dicit , Non quod volo ago , certè ſecundùm vos neceſſitate [b] conſuetudinis premitur : *Rom. 7. 15.* hanc autem neceſſitatem , ne liberum auferatis arbitrium , eum ſibi voluntate feciſſe contenditis : & tale aliquid in natura humana factum eſſe non creditis , ut ex voluntate primi hominis , de quo eſt origo humani generis , fieret neceſſitas peccati originalis in poſteris. Ecce illa quæ impoſſibilia proponebas , in vi conſuetudinis facta ſunt poſſibilia , quæ non fruſtra dicta eſt à quibuſdam ſecunda natura. Dixeras , *nos abſurdius aliquid dicere , quàm qui nivem nigram eſſe dicebat , ut peccatum conditionem ſuam ſuâ conditione perdat , & ſit abſque hoc , ſine quo non poſſe eſſe definitum eſt.* Nonne conditionem ſuam ſua conditione perdit , ut per vim conſuetudinis fiat ſine voluntate , cùm conſuetudo non facta ſit niſi voluntate ? Nonne rei hujus natura fructibus ſuis negatur ? quando quidem conſuetudo fructus eſt voluntatis , quoniam ex voluntate gignitur ; quæ tamen id quod agit , negat ſe agere voluntate. Dicis , quòd *contrarium ſit neceſſitas & voluntas , ita ut ſe mutua impugnatione conſumant* ; inde nos arguens , quòd *alterum alterius ſubdamus effectui , dicentes neceſſitatem de fructibus voluntatis exortam* : cùm videas neceſſitatem conſuetudinis fructum eſſe manifeſtiſſimum voluntatis. Nonne , quod tibi impoſſibile viſum eſt , *ſuâ ſe voluntas multiplicatione delevit , & ſtatum proprium operata mutavit* , quæ multiplicata neceſſitatem conſuetudinis fecit ; ſi voluntatem neceſſitas , te auctore , conſumit ? Si autem non conſumit , profectò in homine mole conſuetudinis preſſo ſimul eſſe poſſunt & juſtitiæ voluntas & peccati neceſſitas. Quoniam , Velle *Rom. 7. 18.* adjacet mihi , profeſſio eſt voluntatis : Perficere autem bonum non invenio , confeſſio eſt neceſſitatis. Tu verò dixiſti *voluntatem & neceſſitatem ſimul eſſe non poſſe* ; cùm cernas ſimul eas eſſe cùm concordant , ſimul eſſe cùm pugnant. Illud porrò ridiculum eſt , quod pro impoſſibili poſuiſti , *nihil* , dicens , *obtunſius , immo furioſius cogitari , ut poſt quàm cœpit voluntas eſſe , voluntas eſſe deſierit* : quaſi non hoc fiat , cùm homo quando cœperit malè aliquid velle , mox eum pænitet & deſinit velle. Verumtamen talia loquens , *contorto* , ut dicis , *gutture me cogis annuere nullum in parvulis eſſe peccatum* : cùm tu nec contorto gutture abrumpas vinculum catholicæ veritatis , quo niſi ei conſentias , miſerrimè ſtrangularis.

[b] Neceſſitas conſuetudinis ſecundùm Pelagianos intelligenda in verbis Apoſtoli.

CIV. Jul. *Quod verò addidiſti* , Per unum hominem peccatum intravit in mundum , *ut hìc oſtenſum eſt inconvenientiſſimè collocatum , ita in ſecundo libro quemadmodum intelligatur expoſitum eſt. Sed jam , præſenti diſputatione ſuppleta , libet acutiſſimam retractare ſententiam : ſic enim inquis* , Per *Rom. 5. 12.* unum hominem peccatum intravit in mundum, “ & per peccatum mors ; & ita in omnes homines “ pertranſiit , in quo omnes peccaverunt. Per unius *Lib. 2. de nuptiis & conc. c. 5.* illius voluntatem malam omnes in eo peccaverunt , quando omnes ille unus fuerunt , de quo propterea ſinguli originale peccatum traxerunt.

[a] Editi , *per quod liberum arbitrium.* Emendantur ad MSS.

[b] Vox *conſuetudinis* hoc loco reſtituitur ex MSS.

Tunc, *inquis*, peccaverunt, quando omnes ille A unus fuerunt. *Hoc autem jam ad * Marcellinum te scripsisse signaveram: quo testimonio convinceris, animarum traducem de Manichæi specialiter visceribus * acceptum (cujus in tertio libro sententias inserui) credere atque complecti. Quod certè tam deforme est, ut tu illud cùm significes, nequaquam tamen audeas profiteri. Sed hoc nos in præsenti interim differamus, quod & prioris assertoris sui obscœnitate, & sequentis, id est, tuo pavore jugulatur. Illud autem in præsenti dispicere juvat, quanta in disputando B perturbatione jacteris. Ais quippe:* Per unius illius voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, quando omnes ille unus fuerunt. *Si omnes ille unus fuerunt, quomodo per voluntatem illius malam omnes peccaverunt; cùm isti omnes, quos in illo fuisse dicis, sua potuerint voluntate peccare? Immo, ut retorqueamus, ille infelicior cunctis, qui solus portat invidiam, cùm omnes in illo secundùm tuum dogma deliquerint. Habuerunt ergo parvuli voluntatem, non solùm ante quàm nascerentur, verùm ante quàm C proavi eorum generarentur; & usi sunt electionis arbitrio, priùs quàm substantiæ eorum semina conderentur. Cur itaque metuis dicere, in eis tempore conceptuum suorum esse liberam voluntatem, qua peccatum non trahant naturaliter, sed sponte committant; si credis eos hodie conceptos, ante tot sæcula habuisse sensum, judicium, efficientiam voluntatis? Quod quidem in libris quos ad Marcellini nomen edidisti, non dubitasti ponere; planè ad ostendendum quâ amentiâ teneantur inimici Dei. Ibi enim ita ais:* Qui D parvuli in Adam peccaverunt, ut ei similes crearentur. *Quo quid mendacius, amentius, & spurcius potuit insonare, quàm* ante peccaverunt, ut crearentur? *Id est, faciendo meruerunt, ut possent esse qui aliquid operarentur; & antiquior eorum fuit actio, quàm substantia. Quæ commenta, Orgiis & Thyrsis aptiora quàm litteris, indicasse sufficiat. Inde ergo manavit ista responsio, qua dicis,* Omnes in eo peccaverunt, quando ille unus omnes fuerunt, de quo singuli peccatum originale traxe- E runt. *Hìc enim laborandum non est, ut doceamus, cùm voluntas opus personæ sit, voluntatem ante personam, cujus voluntas est, esse non posse: sed illud potissimùm intelligi volo, quia nec secundùm hanc opinionem est originale peccatum. Nam si omnes ibi fuerunt qui peccaverunt, nihil traxerunt de originali malo, quia id universi suis studiis perpetrarunt. Tradux ergo peccati non solùm catholica veritate destruitur, verùm etiam patroni sui argumentis omnibus: quod quidem habet mendaciorum natura, ut non ser- F vet simulandi concinentiam, sed verecundiæ prodiga, & alieni appetens, in universis quæ usurpaverit detegatur.*

Aug. Per unum hominem, in quo omnes peccaverunt, in mundum intrasse peccatum, dixit Apostolus, intellexit Ambrosius: sed eadem verba apostolica in suum perversum sensum conatur pervertere Julianus. Cur ei non ipse potiùs respondet Ambrosius? Audi ergo Juliane: Omnes, inquit, in Adam moriuntur; quia per unum G hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: illius ergo culpa mors omnium est. Audi adhuc aliud: Fuit, inquit, Adam, & in illo fuimus omnes; periit Adam, & omnes in illo perierunt. Huic dic, si audes, quòd unâ animâ propriâ voluntate peccante, non potuerunt perire tot animæ nondum habentes proprias voluntates. Argue de origine animarum cunctationem meam, quia non audeo docere vel affirmare quod nescio: profer tu de hujus rei tam profunda obscuritate quod placet; dum tamen fixa & inconcussa sit ista sententia, quia illius unius culpa mors omnium est, & in illo omnes perierunt; unde venit novissimus Adam quærere & salvare quod perierat. Huic dic, Et isti ergo sua voluntate peccaverunt, quos in illo periisse dicis, qui sua voluntate peccavit.

Sed poterat Ambrosius hoc intelligere, quod tu non potes, non hoc dici propter [a] arbitrium singulorum, sed propter originem seminis, unde omnes futuri erant: secundùm quam originem omnes in illo uno erant, & hi omnes unus ille erant, qui in se ipsis nulli adhuc erant. Secundùm hanc originem seminalem, etiam Levi in lumbis patris sui Abraham fuisse dicitur, quando à Melchisedech decimatus est Abraham: unde & ipse Levi tunc decimatus ostenditur, non in se ipso, sed in illo in cujus fuit lumbis: nec voluit, nec noluit decimari; quoniam nulla ejus voluntas erat, quando secundùm [b] substantiam suam nec ipse adhuc erat; & tamen secundùm rationem seminis, non mendaciter, nec inaniter dictum est, quòd ibi fuit, & decimatus est. Unde ab hac decimatione filiorum Abrahæ, qui erant in lumbis ejus, quando Melchisedech sacerdoti decimas dedit, ille solus sacerdos exceptus est, cui dictum est. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Qui licèt sit etiam ipse secundùm carnem semen Abrahæ, eo quòd virgo Maria, de qua carnem sumsit, ex ipso semine, propagata est: non tamen est obnoxius eidem semini, qui virili non est conceptus ex semine, liber à nexu seminatricis concupiscentiæ. Non jam ergo Ambrosio, sicut dicebam, sed illi dic qui scripsit ad Hebræos, atque ait, Et, sicut oportet dicere, propter Abraham & Levi accipiens decimam decimatus est; adhuc enim in lumbis patris sui fuit, cùm ei occurrit Melchisedech. Huic calumniare cæca loquacitate, & dic si audes, Cùm pater Abraham voluntate sua fuerit decimatus, quomodo potuit per illius voluntatem decimari, hoc est [c] decimas dare Levi, cujus voluntas nulla erat, quia omnino ipse nondum erat? Eâ ratione quippe, vel potiùs hoc errore dicis & nobis, Cùm primus homo voluntate peccaverit, quomodo potuerunt per ejus voluntatem simul in illo peccare, qui suam nondum habebant, quia per substantiam suam nulli adhuc erant? Immo desine vana garrire, & omnes qui nondum nati nihil per proprias voluntates agere poterant boni vel mali, in uno potuisse peccare, in quo per rationem seminis erant, quando ille propria voluntate peccatum illud grande peccavit, naturamque in se vitiavit, mutavit, obnoxiavit humanam; excepto uno homine, qui ex ipso quidem semine, non tamen seminali ratione pro-

Margin notes: * Lib. 1. de peccatorum merit. c. 10. & lib. 3. c. 7. — * f. acceptam. — Lib. 1. cap. 10. — Ambr. in Luc. c. 4 — Idem lib. 7. in Luc. c. 15. — Luc. 19. 10. — Omnes in Adamo secundùm originem seminis erant quando peccavit. — Psal. 109. 4. — Hebr. 7. 9. — Christus ex Adami semine, non seminali ratione procreatus, in eo cum ceteris non peccavit.

[a] Hic in editis additur, *liberum*. Sed abest à MSS.

[b] MS. Mar. præterit, *substantiam*: fortè ut eo loco subaudiamus, *voluntatem*.

[c] Editi, *decimus dari*. Emendantur ex MS. Port.

creatus

creatus est, si potes, intellige; si non potes, crede.

CV. Jul. *Post hanc verò responsionem aliud ubi à me pulsatus fuerat, deluere conatur. Ego quippe post quàm de parvulorum voluntate requisiveram, sequutus sum:* " *Sed negas hoc, id est, voluntatem peccatricem inesse nascentibus, & dicis tamen esse sub diabolo parvulos, nec dissimulas per quid eos degere sub potestate illius arbitreris: ais quippe, Quia de sexûs utriusque commixtione nascuntur, sub adversaria sunt potestate. Dictorum ejus itaque testimonio patuit, ob hoc illum parvulos dæmoni vindicare, quia de sexûs utriusque fuerant commixtione prognati; per quod docui, illum nuptias, quæ à Deo institutæ sunt, quæ sine commixtione esse non possunt, diabolo mancipasse.*

Aug. Hoc nulla ratione docere potuisti, quamvis fueris multa contentione conatus: quod possunt videre, qui legunt & tuas calumnias, & refutationes meas.

CVI. Jul. *Hoc ergo nunc sibi proposuit, & præmittit interrogationem meam.* Dicis ergo, *inquit*, ideo illos esse sub diabolo, quia de sexûs utriusque commixtione nascuntur? *Ad quod qualem satisfactionem referat, audiamus.* Dico, *inquit*, planè propter delictum illos esse sub diabolo: ideo autem expertes non esse delicti, quia de illa commixtione sunt nati, quæ sine pudenda libidine non potest etiam quod honestum est operari: dixit hoc etiam beatissimæ memoriæ Ambrosius. *O calamitosam hominis pravitatem! ò intentionem nefandam! ò falsitatem erubescendam!*

Aug. Exclama, exclama quantum potes: adde exclamationibus tuis, ô bia. Homo quippe innocens, vim pateris, ut Manichæum dicere cogaris Ambrosium. Absit, inquis, ut dicam. Cur quæso? An hîc ostendis quanta sit fortitudo liberi arbitrii, quando tantam vim pateris ut dicas, nec tamen dicis. Cur ergo me dicis, quod illum esse non dicis, cùm hoc ille tantò antè dixerit, quod ego nunc dico, atque in hac sententia propter quam Manichæum me dicis, mihi & illi sit caussa communis? An quoniam non invenis quà exeas, iram quidem simulas, non tamen iratus, sed turbatus exclamas? Verùm in ipsis exclamationibus tuis audio, *O calamitosam hominis pravitatem!* Quia videlicet homo sum calamitosus & pravus, qui consentire eligo Ambrosio: essem verò beatus & rectus, si eligerem consentire Juliano. Audio, *O intentionem nefandam!* Intentio quippe nostra nefanda est, quia opponimus Ambrosium Juliano: esset autem fanda, si Julianum præponeremus Ambrosio. Sed quid est quod audio tertiam exclamationem tuam, *O falsitatem erubescendam!* Falsamne dicis esse Ambrosii sententiam, id est, quod falsum ipse sensetit? an eam nos illi falsò tribuere, cùm hoc ipse non senserit, neque id omnino quod eum nos dixisse dicimus dixerit? an eam nos non intelligendo, falsum opinari de illa, cùm ipsa sit vera? Sed non tam contumeliosè de Ambrosio loqueris, ut illi viro erubescendam tribueres falsitatem. Nos verò eam composuisse, & quòd ab illo prolata fuerit finxisse, non ausus es dicere: tam multis enim doctoris illius nota sunt scripta, ut in hoc abruptum te præcipitare timueris. Tam verò aperta est ista sententia, ut non acu-

A tus qui hanc intellexerit, sed superfluus videri possit qui exponendam putaverit. Denique ut quod dico possit adtendi, verba ipsa beatissimi catholici antistitis & hîc ponam. Ait ergo ille, ille cujus fidem & purissimum in Scripturis sensum, Pelagius vester dicit, ne inimicum quidem ausum fuisse reprehendere; cùm de nativitate Domini loqueretur, " Ideo & quasi homo per universa tentatus est, & in similitudine hominum cuncta sustinuit: sed quasi de spiritu natus abstinuit à peccato. Omnis enim homo mendax, & nemo sine peccato nisi unus Deus. Servatum est igitur, inquit, ut ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers esse delicti; qui autem expers delicti, expers etiam hujusmodi conceptionis. Cùm igitur hoc & Ambrosium dixisse non neges, & planum atque apertum esse perspicias, quid est quod clamas, *O falsitatem erubescendam!* Cui quæso erubescendam, illi-ne an mihi? Si illi, vide cui sis contumeliosus: si mihi, vide quàm sis calumniosus. Sed hoc, inquis, etiam tu dicis. Dico planè, quia verum est: quod si tu verum esse non putas, cur in una eademque sententia, quam dicit ille, dico ego, non est Manichæus ille, sed ego? Quanto justiùs hîc nos exclamamus, O erubescendam personarum acceptionem! quæ te procul dubio erubescere cogeret, nisi in tua persona frons ori tuo similis esset.

Pelag. lib. 3. de libero arbitrio. Ambros. in Isai.

Jul. *Hunccine audere dicere se damnatorem non esse conjugii, & tanto scelere illudere auribus imperitis, ut à Manichæi se dicat recessisse consortio, qui commixtionem sexuum, qui operam nuptiarum, qui affectionem & sensum parentum in regno diaboli multiplici professione constituit; atque ad hæc inventa Manichæi adjutorium sui acuminis jungens, pronuntiat quidem diabolicam commixtionem, eamque esse & opere & carne conjugum, ac propter eam deputat regno diaboli, absolutis tamen operatoribus, innocentes. Ita utique Deo semper infestus, diabolo, sicut dicit, per libidinem servientes tuetur.* CVII.

Aug. Erras, & tibi consentientes mittis alios in errorem: non serviunt diabolo per libidinem, qui filiorum procreandorum caussâ utuntur conjugum corpore, ut generentur regenerandi. Nec ideo tamen defenditur libidinis malum: sed defenduntur qui bene utuntur malo. Est enim & mali usus bonus. Nam & ipsius satanæ in scripturis sanctis reperiuntur utilitates, manente ejus scilicet vituperatione, laude verò utentis malo bene.

Jul. *Parvulos verò, quos à Deo fieri dicit, dominio addicit inimici, sicque non opus dæmonis arguit, cujus ministros absolvit à culpa; sed opus Dei, ad quod diabolici muneris conscia voluptas non potuit pervenire. Conjugalis ergo operis criminator, sed libidinum expiator, impugnator innocentiæ, & divinæ æquitatis infamator non timuit scribere:* Dico planè, ideo illos esse sub diabolo, quia de illa commixtione sunt nati. *Quod sententiæ facinus cùm nudatum videret, conatus illud aliqua auctoritate defendere, quam Scripturis proferre non poterat, subdidit etiam episcopum Ambrosium sensisse similiter. Non quidem mirum est quòd criminatur & mortuos, cùm criminatur innocuos.* CVIII.

Aug. Quisquis hæc audit, quid te putat objicere

nobis, nisi quòd hæc sententia beatissimi Ambrosii quam posuimus non sit ipsius, sed eam nos tamquam sit ipsius finxerimus? Nam & ego, cùm hæc legerem, nihil te [a] agere existimavi; sed postea quàm veni ad illa quæ adjungis, & hoc Ambrosium dixisse non abnuis, te potiùs horrendum criminatorem tanti illius doctoris inveni. Nam quidquid dicis in me, quoniam per commixtionem virilem mulierisque conceptum dico neminem expertem esse delicti, profectò etiam in illum dicis, qui hoc ante me dixit & scripsit. Ego autem cùm te refellens & tibi resistens, assero parvulos propter originale delictum esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo; non utique me solum, verùm & Ambrosium, & alios socios ejus, ac fidei hujus participes atque doctores, universamque Christi Ecclesiam, quæ se hoc accepisse, hoc tenere, hoc fideliter credere, parvulorum baptizatorum exorcismo & exsufflatione testatur, à tua nefaria criminatione defendo.

CIX. JUL. *Quanto rectiùs diceres, Dixit hoc idem & Manichæus in epistola ad Patricium. Dixit & in epistola quam scripsit ad filiam Menoch, dixit & in aliis multis scriptis, quæ tu penitus imbibisti. Sed in consortium tuum Episcopum Mediolanensem conaris adtrahere, & quia non potes habere præsidium, vis invenire solatium.*

AUG. Valde contra Manichæum est quod dixit Ambrosius. Nam Manichæus alienam mali naturam nobis dicit esse commixtam; Ambrosius autem prævaricatione primi hominis nostram dicit esse vitiatam: in hac verò sententia de qua nunc agimus, nativitatem carnis Christi à ceterorum peccati carne discernens defendit Ambrosius, quam negat penitus Manichæus. Quod ergo credit Ambrosius, hoc & ego: quod autem Manichæus, nec ille, nec ego. Quid est quod tu niteris me separare ab Ambrosio, & conjungere Manichæo? Nam si originale peccatum, non ex alienæ commixtione, sed ex nostræ depravatione naturæ dicere à nascentibus trahi, dogma est Manichæorum: hoc mecum dicit Ambrosius; cur non ambos Manichæis conaris adjungere? Si autem hoc Manichæorum dogma non est, sicut non est: hoc dico cum Ambrosio; cur non ambos à Manichæis dignaris abjungere? Cur ergo, ut dicis, *Episcopum Mediolanensem in consortium meum conor adtrahere*; cùm me ab ejus consortio tu frustra coneris abstrahere? Quid est quod dicis, *quia non possum habere præsidium, velle me invenire solatium?* Mihi cum Ambrosio, velis, nolis, in fide catholica Christus commune præsidium est. Ideo planè est Ambrosius solatium meum, quia cum illo accipio convicium tuum: nec solùm ipse me in hac caussa plurimùm consolatur, sed & Cyprianus, & Hilarius, aliique consimiles, quorum in me laceras catholicam fidem. Noli ergo invidere, quòd Ambrosius, Cyprianus, & Hilarius solatia sunt injuriæ meæ: invitus enim videre compelleris, quantum intersit, quòd Pelagius & Cælestius, & si quis est alius, solatia sunt damnationis tuæ.

Quid quòd ostendo debellantem Manichæos pro catholica fide Ambrosium, & te in hoc certamine contra Ambrosium præbere Manichæis vel victis solatium, vel etiam resistentibus, quod est pejus, auxilium. Manichæi enim dicunt propriam mali esse substantiam atque naturam, bonæ Dei substantiæ naturæque coæternam; impossibile enim est, aiunt, ut oriri possint mala de bonis: Ambrosius contradicit, & dicit; Ex bonis mala orta sunt; non enim sunt mala, nisi quæ privantur bonis; per mala tamen factum est ut bona eminerent: ergo indigentia boni, radix malitiæ est. Tu inter hæc quid dicis? *Rerum ratio non sinit*, inquis, *ut de bono malum, & de justo iniquum aliquid proferatur.* Hæc verba tua pro Manichæis adversùs Ambrosium, ex illo præclaro opere, in quo libris quatuor uni meo voluisti respondere, * posuimus. Si in hac controversia judex esses, profectò tuâ sententiâ victus à Manichæis diceretur Ambrosius. Et non erubescis, cùm sis calumniator eorum, quos apertissimè criminaris; adulator eorum, quos ex obliquo pariter criminaris; adjutor eorum, de quibus alios criminaris?

(Ambros. lib. de Isaac & anima cap. 7. jam citatus supra in priore opere cont. Jul. l. 1. c. 9.)

(* Lib. 1. cont. Jul. c. 9.)

CX. JUL. *Numquid legi Dei aut operi Dei scripta disputatorum præjudicant?*

AUG. Hîc jam incipis confiteri, hanc à nobis non esse confictam velut Ambrosii, sed verè esse sententiam; quando quidem sic te ab illo liberare conaris, ut dicas, *Numquid legi Dei aut operi Dei disputatorum scripta præjudicant?* Sed perge, dic cetera quibus impudentior inimicus fidei catholicæ judiceris.

CXI. JUL. *Mihi interim abundè sufficit, etiam per hoc ipsum probare, nusquam te in sacris litteris legisse quod credis, quòd tu in tali caussa nihil præter Episcopi, quas dicis, dictiunculas protulisti: quibus si aliquid auctoratius potuisses offendere, ab his procul dubio temperasses.*

AUG. Qui legunt, videant, utrùm ego divina testimonia non protulerim; an à me prolata depravare, frustra ipse conatus sis.

CXII. JUL. *Sed bene quòd nos onere talium personarum prior levasti. Nam in libro quem ad Timasium contra liberum arbitrium texuisti, cùm sanctus Pelagius venerabilium virorum tam Ambrosii quàm Cypriani recordatus fuisset, qui liberum arbitrium in libris suis commendaverant, respondisti nulla te gravari auctoritate talium: ita ut diceres, eos processu vitæ melioris, si quid malè senserant, expiasse. Tua tibi ad hoc relata sint, ut excitare de solis nominibus erubescas invidiam. Ceterùm vel Ambrosii dicta, vel aliorum, quorum famam vestrorum nitimini maculare consortio, clara benignaque possunt ratione defendi.*

(V. suprà lib. de natura & gratia c. 61. & 36.)

AUG. Tantam cæcitatem cordis tibi potuisse contingere, quis credit, nisi qui hæc legit? Tu dicis quòd *si aliquid auctoratius offendere*, id est invenire *potuissem*, *à disputatorum* dictis, vel sicut tu loqueris, *dictiunculis*, *temperassem*; & continuò tu ipse dicis, Pelagium, quem vocas sanctum, in defensione liberi arbitrii venerabiles viros Cyprianum & Ambrosium testes adhibuisse: nec adtendis quemadmodum hoc dicendo redarguas magistrum tuum ipsamque hæresim vestram. Secundùm tuam quippe sententiam, si aliquid Pelagius pro eo quod defendebat, auctoratius in scriptis canonicis invenisset, à disputatorum testimoniis temperasset. Quando ista diceres, nisi te

[a] Codex Port. *nihil te aliud agere.*

ita perturbaret Ambrosius, ut adversarium subitò Pelagius reperiret?

Sed prior vos levavi, ut dicis, *onere talium personarum*, Ambrosii videlicet, ejusque sociorum. Planè hoc onere ita premeris, ut non solùm opprimaris, verùm etiam conteraris, & fias pulvis quem projicit ventus à facie terræ. Neque enim illi tot ac tanti & tam sancti clarique antistites Dei, Ecclesiæ catholicæ filii discendo, patres docendo, de peccato primi hominis eique obnoxia successione mortalium ita loquuti sunt, ut alii ab aliis discreparent, aut eorum quisque à semetipso; sed ita prorsus, ut eorum consensione atque constantiâ, nec aliter esse de hac re sanctam scripturam intelligendam, nec aliam putandam catholicam fidem, quisquis eos non hæretico animo legit, dubitare non possit. Quorum pondere jam ipse sic frangeris, ut eorum dicta, quibus contradicis, *clarâ benignâque ratione defendenda* susceperis. Audiamus ergo claram benignamque rationem: quâ tuâ ratione si defenduntur ea dicta, cur mihi ex eis ingeruntur tua maledicta? Nam omnino, quæ in me detestaris & arguis, ipsa sunt, quæ in illorum disputatione defendis. Si autem non defenduntur, sed sub nomine defensionis astutiùs arguuntur; absit ut ista clara & benigna sit ratio; sed irrisoria potiùs adulatio, quæ ideo defensio vocatur, ne populorum catholicorum, à quibus iidem viri venerantur, tolerari non possit offensio.

JUL. *Quia videlicet & simpliciùs quæpiam dixerint, & quodcumque aliud speculantes, non habuerint necessitatem à latere surgentibus quæstionibus obviandi. Cùm enim crebrò laudaverint conjugia, & nullam in corporibus affectionem à diabolo insertam putarint, nec regno diaboli divina opera, id est, naturæ membra subjecerint, sed & à Deo instituta conjugia ac benedictione donata, liberumque arbitrium, prout opportunitas adtulit, explicarint; humanum est, ut non stare in societate vestri sceleris judicentur, si in scripturis illorum aut ambiguè, aut negligenter quæpiam locata deprehenditis. Quomodo enim non præjudicat scripturis sanctis, quòd omnes hæreses aliquibus se earum testimoniis occulunt ac nituntur tueri: ita etiam catholicorum virorum famam propter quæpiam incautiùs fusa, non patiemur addici. Neque enim habuerunt intentionem illi, aut damnandi nuptias, aut liberum arbitrium denegandi, vel innocentiam sauciandi: quam si habuissent, non vestrum dogma firmassent, sed honorem officii perdidissent.*

AUG. O clara & benigna ratio defensionis! Simpliciùs videlicet dixit Ambrosius, ex commixtione maris & feminæ expertem neminem esse delicti; & quodcumque aliud speculando, nec habendo necessitatem à latere surgentibus quæstionibus obviandi, negligenter & incautè scriptis & disputationibus suis Manichæum, quod dicis, virus infudit. Homo loquacissime, homines timens homini parcis, non illa dicta defendis. Nam si verâ ratione defenduntur hæc dicta, procul dubio veraciter defenduntur, & vera sunt: & si hoc ita est, rectè asseritur originale peccatum, & dogma interimitur vestrum. Si autem falsâ ratione defenduntur hæc dicta, clara tua illa & benigna ratio non est ratio, sed deceptio.

A At enim *conjugia crebrò laudavit* Ambrosius: hoc & nos facimus. *Nullam*, inquis, *in corporibus affectionem à diabolo ille putavit insertam*: si affectionem bonam, nec nos; si malam, sicut ille, ita & nos. *Nec regno*, inquis, *diaboli divina opera, hoc est, naturæ membra, ille subjecit*: quasi adulterorum membra non sint divina opera & membra naturæ, quæ tamen vitio, & per hoc diabolo constat esse subjecta. *Illi*, inquis, *à Deo instituta conjugia ac benedictione donata, liberum-* B *que arbitrium, prout opportunitas adtulit; explicarunt*: sic & nos. *Humanum est*, inquis, *ut non stare in societate vestri sceleris judicentur*: immo insanum est, ut non stare in societate illorum vestro scelere judicemur. Dicis *non præjudicare scripturis sanctis, quòd omnes hæreses aliquibus earum testimoniis se occulunt ac nituntur tueri*: & sic vis *disputatoribus non præjudicare catholicis nonnulla, quæ ab eis*, sicut putas, *incautiùs fusa* vobis objicimus. Quid est hoc, nisi dicere etiam in scri- C pturis sanctis, ea quæ pro se usurpant hæretici, incautiùs fusa esse, & ideo vera non esse? Quo sceleratius quid potest dici? Aut si illa vera sunt, sed ab hæreticis non ita intelliguntur ut sunt: nihil simile habet hæc comparatio; quoniam dicta vel Ambrosii, vel Cypriani, vel aliorum catholicorum, quæ contra vos ponimus, si vera esse concesseris, peccatum originale firmabis. Proinde quemadmodum nos cum illis & lauda- D mus nuptias, & liberum confitemur arbitrium, & defendimus innocentiam: sic tu cum illis dic parvulos non esse expertes delicti; alioquin nos sumus cum eis, tu adversùs eos. Illorum enim dicta non defendis, ut promiseras, sed reprehendis. Tuo quippe dogmate, cùm cogaris illa culpare & falsa esse contendere, nullo modo sineris auctoritatibus eorum defensionem quam spoponderas, exhibere: quia & in * accusatione adulator esse conaris, & in adulatione deprehen- E deris accusator.

*f. excusatione.

CXIV. JUL. *Liberè itaque conjecto & pronuntio, quoniam si eorum aliquis his superesset diebus, videretque exstinctum disciplinæ Christianæ decus, otiantem in omnibus liberam voluntatem, atque affectantem imputare necessitati quidquid sponte committit, vituperationem quoque operum Dei, eversionemque legis ejus sub nomine inefficacis gratiæ populorum auribus intimari; toto contra vos felle moveretur: perpen-* F *dens etiam peccatum naturale à Manichæa non posse impietate discerni, fidem catholicam aut emendatis aut condemnatis vobis, & planiùs tueretur & cautiùs.*

AUG. Cur ergo emendatis nobis, & non etiam se ipsis? Ubi est quod te liberè conjectare & pronuntiare promiseras? Ecce nec libera est tua vanitas, & falsa libertas: timuisti enim dicere, quòd si his diebus superesset Ambrosius, vobis auditis, primùm se ipsum, deinde nos emendaret: sed quasi homo liber hoc mutire G formidans, tamen intelligi voluisti. En quò devenerunt hi dies, ut in eis Ambrosius, si hîc viveret, disceret se fuisse Manichæum, & audito Juliano, vel Cælestio, vel ipso Pelagio, esse ulteriùs non debere, sed ex illa nefaria pestilentia vobis præcipientibus curantibusque sanari. Quale spectaculum animo cogitantis occurrit? quale esset, videre Ambrosium stantem, vel si ille per-

Paradisus qualis in opinione Pelagianorum futurus erat.

mitteret, sedentem ante Pelagium, atque discentem paradisum novum sæculi hujus calamitatibus plenum, quas videmus parvulos perpeti, ubi necesse esset, etiamsi nemo peccasset, carnem concupiscere adversùs spiritum; & ne ad illicita ac flagitiosa pertraheret, concupiscere etiam spiritum adversùs carnem: quam dissensionem dicere soleret Ambrosius, per prævaricationem primi hominis in hominum vertisse naturam; sed jam sub vobis magistris dicere non auderet. Necesse quoque esset in tali paradiso pallere prægnantes, tolerare longa fastidia, gemere atque ululare parientes; cum diversis vitiis ingeniorum & corporum homines nasci, paucosque cordatos, minore quidem, nec tamen sine labore litteras discere, ceteros tardiusculos sive tardos, & tanto magis quanto quisque esset tardior, aut concidi ferulis magistrorum, aut indoctos imperitosque manere; fatuos verò nec magistris dari, sed dolendos ridendosve nutriri; infantes ante quàm quidquam mali possent velle vel agere, agitari morbis, torqueri doloribus, medicamentis curari [a] cruciantibus, à dæmonibus vexari, exspirare superantibus cladibus. Si verò hæc exhorrens credere nollet Ambrosius, & responderet hæc omnia, si nemo peccasset, nullo modo futura fuisse in tantæ beatitudinis loco, ubi nec post peccatum esse potuerunt, ejectis inde illis, quorum prævaricatione mala ista sequuta sunt; ac per hoc de miseria venire mortalium, quæ nulla esset, nisi gravissimo peccato primi hominis natura humana vitiata atque mutata hoc sæculum tot tantisque calamitatibus plenum propagare meruisset; ubi nec redemti, jam sempiternæ salutis pignore accepto, malis hujusmodi carent; sed cùm de hoc sæculo exierint, tunc carebunt: si ergo talia responderet Ambrosius, præclaris syllogismis vestris prohiberetur hæc dicere, ne scilicet concupiscentiâ carnis vituperatâ, & originali peccato credito, nuptiæ damnarentur, liberum auferretur arbitrium, vituperarentur opera Dei, & sub nomine gratiæ legis eversio sequeretur. Non sic planè, non sic. Erubescite, vel potiùs expavescite talia cogitare. Immo verò si vir ille superesset, multo vehementiùs quàm nos & auctoratiùs vobis pro catholica fide & pro Dei gratia vel æquitate resisteret, quàm non sint consequentia, quæ consequentia putatis, ostendens; quia & rectè vivi potest, non pulsâ nec laudatâ malâ concupiscentiâ, sed frænatâ; nec culpatur naturæ Conditor, quando ab illo sananda monstratur, quæ ab inimico vitiari potuit, non creari; nec damnantur nuptiæ, quæ bene utuntur pudenda libidine; nec liberum aufertur arbitrium, sed cujus beneficio sit in bono liberum ostenditur; nec lex evacuatur per gratiam, sed impletur. Hæc ille doctor egregius egregiè disputaret, & in vestras facies impudentes, illa quæ superiùs de paradiso vestro diximus, & vestrum errorem verè consequuntur, & ab omnibus hominibus tamquam vesana atque furiosa vel ridentur, vel exhorrentur, illideret.

Ambros. lib. 7. in Luc. 11.

Ex dogmate catholico de originis vitio ac de gratia, non ea sequi incommoda, quæ objectant Pelagiani.

CXV. Jul. *Neque enim in jure cujusquam est definita suscipere, & quæ consequuntur excludere. Qui ergo*

A *dicit propter hoc parvulos ad jus diaboli pertinere, quoniam de sexûs commixtione generantur; sine dubio ipsam commixtionem, in qua naturæ opus est, cum naturæ ipsius institutione condemnat.*

Aug. Tibi quidem hoc videtur: sed verum non esse, (quod tu non vides,) vidit Ambrosius, qui dixit expertes non esse delicti ex viro & muliere, id est, per illam commixtionem corporum natos: nec tamen ipsam commixtionem cum ipsius naturæ institutione condemnat. Com-
B mixtio quippe conjugum procreandi caussâ, bonum est nuptiarum: sed ita fiunt nonnulla opera bona non sine malo vitiorum, sicut opera mala non sine bono membrorum. * Quantislibet autem vitiis turpetur quæcumque natura, institutio ejus semper est bona. Nam sicut institutio corporis bona est, etiam quando nascitur morbidus; & institutio animi bona est, etiam quando nascitur fatuus: sic institutio hominis ipsius bona est, quando nascitur contagioni peccati origi-
C nalis obnoxius.

Ambros. in Isai.

Commixtio conjugum procreandi caussâ, bonum est nuptiarum.

** Prosper sent. 305.*

CXVI. Jul. *Quòd aut utrumque simul negatur, aut simul utrumque suscipitur; & cùm sit in potestate utriusque rejectio, non est tamen in arbitrio alterius electio; nisi quod faciliùs potest illicitâ commixtione gravari vitio voluntatis, seminum tamen fructificatione defensâ, quàm fructibus ejus accusatis, sexuum negotium vindicari. Non ergo fluctuatio tua, quam inter formidinem impietatemque perpeteris, novas disputandi regulas condere valebit, ut de duobus con-*
D *nexis unum suscipias, & quod ei adhæret excludas. Ante leves pascentur in æthere cervi, quàm post præjudicium sumti negetur effectio. Exercet hoc genus apostolus Paulus, cùm dicit, Si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit. Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra. Nunc autem Christus resurrexit: constat ergo* [b] *functorum diem resurrectionem futuram. Et ut hoc ipsum breviore propter legentem inculcemus exemplo: dubitetur utrùm justum bonum sit; peto, an omne justum, honestum esse fatearis.*
E *Quo concesso, addo aliud, utrùm omne honestum, bonum quoque esse pronunties. Hoc quoque dato, te volente, nolente, concludo: Si omne justum honestum, omne honestum bonum; omne igitur justum bonum est. Huic effecto quicumque post prima sumta voluerit obniti, non ædificium rationis* [c] *quatit, sed ipse se exponit irrisui. Ut ergo ad caussam comparatio recurrat, quæritur utrùm sit in natura peccatum: petivi, concederes-ne nullum esse sine voluntate peccatum: assensus es, sicut tua dicta testantur. Addidi, an in*
F *parvulo putares esse voluntatem: hoc etiam denegasti. Quid sequitur tertium, si non est sine voluntate peccatum? * Hoc tam certum est, ut nec ab Academicis venire possit in dubium, quorum divitiæ sunt nihil certum tenere. Tu ergo cùm post duo prima sumta, tertium negas, in quo est effectus duorum, non rationis fundamenta convellis, sed tuum prodis furorem.*

Virgil. Eclog. 1.

1. Cor. 15. 16, &c.

** f. deest, scilicet, in natura (vel in parvulo) non esse peccatum.*

Aug. Itane es insipiens, ut putes in natura non esse peccatum, cùm omnino peccatum nisi
G in natura esse non possit? Nam vel in angelo est, vel in homine, quæ sine dubitatione naturæ sunt: si ergo peccatum in nulla istarum natura esset, profectò nusquam esset. Ac per hoc, proposita quæstione utrùm sit in natura peccatum, docere

[a] Sic MSS. Editi verò, *cruciatibus*.
[b] Editi verò, *sanctorum*: repugnantibus MSS.
[c] Editi, *quærit*. Aptiùs MSS. *quatit*.

intenderas in natura non esse peccatum: vanam ergo fuisse intentionem tuam, & in vanum te istam proposuisse quæstionem, si non es nimiùm vanus, intelligis. Ecce rationis tuæ, quoniam ratio vera non est, fundamenta convello; nec tamen sicut conviciaris prodo meum furorem, sed tuum errorem. Concessis enim duobus quæ sumis, ideo tertium nego, quia non est in eo, sicut esse putas, duorum effectus illorum. Ideo quippe concedo non esse sine voluntate peccatum, quia sine voluntate non potest fieri. Sed alia ratione rursus rectè dicitur, esse sine voluntate peccatum, quia manet, quamdiu non remittitur, etiam desistente voluntate qua factum est. Item concedo non esse sine voluntate peccatum, quia & originale peccatum sine voluntate non factum est ejus, à quo ipsa origo sumsit exordium. Proinde cùm etiam illud concedo, quòd peccandi voluntas non sit in parvulo, non ex his duobus conficitur tertium, quòd peccatum non sit in parvulo. Conficeretur autem, si quemadmodum concedo non esse peccatum sine voluntate, ita concederem non esse cujusque peccatum sine ipsius propria voluntate. Proinde peccati quidem voluntatem parvulus non habet, sed peccatum non haberet, nisi ille, de quo id adtraxit, voluntate peccasset. Nam de ipsa hominis quoque nativitate tale aliquid dici potest: si enim diceres, Nemo nascitur nisi ex voluntate; non sine ratione concederem: si autem diceres, Nemo nascitur nisi ex propria sua voluntate, non concederem. Isto itaque modo, quia de peccato agimus parvuli, ita originale peccatum ejus, sicut ipse ortus ejus, sine voluntate esse non potuit, sed non ejus.

Peccatum non est sine voluntate, ut fiat; sed est sine voluntate, ut maneat.

CXVII. Jul. *Ergo si audirent illi sacerdotes, quorum nunc dicta deluimus, dubitari utrùm commixtio conjugalis bona esset, atque ab eis peterem corpora-ne à Deo * informata, faterentur. Hocque concesso, adderem utrùm conjugia à Deo annuerent ordinata. Quo similiter confirmato, peterem denuo, utrùm esset sine commixtione fetura. Hocque denegato, quid sequebatur? videlicet si nonnisi per Deum corpus, nonnisi per corpus commixtio, nonnisi per commixtionem fetus, ad eumdem auctorem pertinere & fetum & commixtionem, ad quem corpora pertinerent.*

* f. formata.

Commixtio conjugalis bona est.

Aug. Numquid hæc inter nos vertitur quæstio, utrùm bona sit commixtio conjugalis? cùm eam bonam utrique dicamus. Quid est ergo quòd tam malè sentis de illis sacerdotibus, quorum non, ut mentiris, deluis dicta, sed polluis, ut eis quasi dubitantibus velis persuadere, unde nec illos, nec nos dubitare convincis? Bona est commixtio conjugalis, quæ fit caussâ procreandi. Sed Ambrosius, qui dixit ex commixtione utriusque sexûs neminem esse expertem delicti, non commixtionem redarguit conjugalem; sed vidit malum, cujus bono usu fit illud, quod nemo catholicus dubitat esse opus bonum. Inania loqueris, superfluis tempus impendis: quod agitur deseris, & unde non dubitatur, tamquam dubitetur, vel etiam negetur, docere moliris. Quid ergo mirum est, quòd tam multos libros tamque vanos facis?

CXVIII. Jul. *Huic effecto sine dubio prudentes viri catholici annuerent sacerdotes, videntesque nihil in* A *sensibus carnis, nihil in fetibus sexuum, alterum quempiam præter Deum verum fecisse; nihil autem Deum fecisse quod malum esset; malumque nihil esse aliud quàm voluntatem malam, sine aliquo coactu naturalium delinquentem; pronuntiarent profectò Manichæos & Traducianos splendentibus catholicæ rationis dissiluisse fulminibus.*

Aug. Cur ergo eorum, quos *prudentes viros* dicis & *catholicos sacerdotes*, te dicta defendere atque deluere sine ullo pudore mentiris, si & B ipsa dissiliunt fulminibus tuis? Si autem defenduntur atque deluuntur, & ob hoc manent integra, ipsis tu potiùs fulminaris. Nam quod ait Ambrosius, ex commixtione sexûs utriusque conceptum expertem neminem esse delicti, aut falsum est, aut verum. Si falsum esse dicis; oppugnas ergo prudentium virorum & catholicorum, sicut tu fateris, sacerdotum dicta, non defendis ac deluis. Si autem ut meritò defendantur atque deluantur, hoc verum esse concedis; tu po- C tiùs dictis catholicorum antistitum fulminaris. Quid est ergo quod te jactas & dicis illos beatissimos & doctissimos viros, si audissent syllogismos tuos, *pronuntiaturos fuisse*, nos quos appellas *Manichæos & Traducianos splendentibus catholicæ rationis dissiluisse fulminibus?* Pronuntiarent igitur contra se ipsos, & se ipsos nobiscum dissiluisse te fulminante monstrarent. Cur directè non audes dicere, quod obliquè convinceris dicere? Originale peccatum cum Ambrosio confitemur, D & tu tantâ potentiâ fulmina jacularis, ut propter hæc dicta nobis illique communia, nos eis dissiliamus, ille deluatur? Vanus es: non eum distinguis à nobis; & nos prorsus accusas & ipsum: nec tamen fulminas aut nos, aut ipsum, si violare non vis testimonium Pelagii doctoris tui, qui dixit Ambrosii fidem & purissimum in Scripturis sensum ne inimicum quidem ausum fuisse reprehendere. Unde & tu cum fidei ejus & purissimo in Scripturis sensui satis intelligaris inimicus, non E eum tamen audes reprehendere; sed quid mali dicat, me reprehendendo, te arbitraris ostendere.

Ambrosii & ceterorum Ecclesiæ antistitum consensus de originali peccato.

V. lib. de gratia Chr. c. 43.

Homo confosse, & non confesse, magna vi cogeris caliginosas anhelare fallacias: frustra fingis impetus fulminantis, cùm spires fumum potiùs fulminati. Ista sunt certè, per quæ docere conaris Ambrosium, aliosque doctores socios ejus, non esse originale peccatum, *quòd Deus formaverit corpora, ordinaveritque conjugia, quòd non esset sine commixtione fetura.* Conceduntur hæc; con- F ceduntur etiam illa quæ adjungis, *fetum* scilicet *& commixtionem ad eum pertinere auctorem, ad quem pertinent corpora*; si tamen commixtionem conjugalem voluisti intelligi, cùm hoc diceres. Quamvis id per se ipsum verum esse noscatur, non tua ratiocinatione fit consequens: alioquin te dicente, *Si non nisi per Deum corpus, non nisi per corpus commixtio*; & ex hoc volente conficere, *ad eum auctorem pertinere* [a] *commixtionem, ad quem corpora pertinent*; potest alius dicere, Si non nisi G per Deum corpus, non nisi per corpus adulterium, ad eum auctorem pertinet adulterium, ad quem pertinet corpus: quod vides quantâ dicatur injuriâ Dei, & quantum mali doceant syllogismi tui. Sicut ergo non sequitur, ut ideo tribuatur adulterium Deo, quia non fit nisi per corpus,

Juliani contra originale peccatū ratiocinationes. *Supra n. 117.*

[a] Hîc *commixtionem* auctoritate MSS. Mar. Clar. Port. adjecimus.

cujus auctor eſt Deus: [a] ita non ſequitur, ut ideo commixtio tribuatur Deo, quia non fit niſi per corpus, cujus auctor eſt Deus. Sed tamen concedimus commixtionem dumtaxat conjugalem, quæ fit cauſsâ procreandi, Deo auctori eſſe tribuendam; non quia hoc tua ſumta ſequitur, ſed quia ratione alia conſideratum, verum eſſe perſpicitur. Quod verò ex hoc quæris efficere, nec ſequitur illa ſuperiora, nec verum eſt. Neque enim quia Deus fecit corpus, Deus inſtituit conjugia, quorum commixtione fetus oriatur, Deus creat ipſos fetus animantium, ideo verum eſt quod adjungis, *nihil in ſenſibus carnis, nihil in fetibus ſexuum, alterum quempiam præter Deum verum feciſſe.* Ubi enim fecit diabolus, quod mali fecit cum hominibus primis, niſi & in ſenſibus carnis illorum? Mala quippe ſuaſione corruptus eſt ſenſus, quando eſt ad peccandum factus aſſenſus. Et ubi fecit, quidquid mali poſtmodum generi humano fecit, niſi in fetibus ſexuum, id eſt, filiis hominum? Quomodo autem dicis, *Deum nihil feciſſe quod malum eſt?* An non eſt malum gehenna damnatis? Jam verò qui tibi dicenti credit, *malum nihil eſſe aliud quàm voluntatem malam, ſine aliquo coactu naturalium delinquentem:* ut innumerabilia mala taceam, quæ mali angeli & homines patiuntur inviti; ipſum æternum ſupplicium non timebitur, quod & maximum malum eſt, & non eſt voluntas mala, ſed pœna voluntatis malæ. Hæ ſunt ratiocinationes tuæ quibus putas fulmen eſſe verbum tuum, cùm ſit cinis cor tuum.

CXIX. Jul. *Deſine itaque viros ſani capitis & Eccleſiarum antiſtites criminari: non ſubjiciantur judicio negligentiora commenta: neque enim iram cunctatio brevis, ſed pertinax meretur intentio. Imitemur ſanè eorum illud ſtudium, quo populos ædificaverunt exhortando, obſecrando, coarguendo: quorum num quidquam feciſſent, ſi veſtro more peccata non voluntaria, ſed naturalia credidiſſent?*

Aug. Et nos pro modulo noſtro populos ædificamus, hortando, obſecrando, arguendo, quod fecit Ambroſius; & tamen de originali peccato hoc ſentimus & dicimus, quod ſenſit & dixit Ambroſius, nec ſolus, ſed cum aliis magnis conſortibus ſuis. Quos *antiſtites Eccleſiarum* cùm *viros ſani capitis* dicas; tu quali capite iſta, quæ illi notiſſimâ conſenſione didicerunt atque docuerunt, reprehendis atrociter, defendiſque fallaciter; & me arguis dicens eorum eſſe criminatorem, cùm videas eorum contra tua crimina, quæ ex obliquo illis objicis, defenſorem? Dicis eorum *negligentiora commenta non eſſe ſubjicienda judicio:* ſiccine illorum dicta defendis ac deluis? An potiùs nomine negligentiæ reprobas & accuſas, & nullo dubitante condemnas, quæ negligenter effuſa, & ideo falſa eſſe pronuntias? Rogamus te, ſi falſa eſſe aſſeris dicta quæ defendis, vera eſſe aſſere quæ reprehendis. *Iram non cunctatio brevis*, inquis, *ſed pertinax meretur intentio*: quaſi aliquid proferas, unde poſſis oſtendere illos, non dico poſt brevem [b], ſed ſaltem poſt longam intentionem, vel in fine vitæ ſuæ de peccato originali mutaſſe ſententiam. Vana loqueris, inſana loqueris, perverſa & tuæ ſaluti adverſa loqueris: quieſce, obſecro; quid tantùm loqueris?

A Jul. *Verùm pergamus ad reliqua. Nihil prorſus valet, quod te ais diabolo reputare, non corpora, ſed delicta: inficiaris omnino, ſicut frequenter oſtendimus, nullo alio ſtudio, niſi ut Manichæi vites invidiam, cujus inſpiras venenum. Corpora enim, prorſus corpora reputas principi tenebrarum, quorum commixtionem diabolicam profiteris, quorum genitalia, quorum motus, quorum fructus accuſas. Arguis palàm ex primo magiſterio membra, non vitia: illud enim dicis diabolicum, quod etiam Mani-* B *chæus, ſicut in ſcripturis ejus docui, in ſexibus indignatur vigere. Et ut repetitione brevi lector noſter, quod tenere poſſit, accipiat: aut oſtende eſſe in parvulis voluntatem, aut ab eis crimen amoveto. Quod cùm non facis, ſed aſſeris eos propter hoc à diabolo poſſideri, quia de corporum ſunt commixtione generati; oſtendis te non peccata, quæ ſine voluntate non ſunt, ſed ipſa corpora adverſariæ poteſtati deputare. Vt ergo ea libido, quæ & in hominibus & in pecoribus invenitur, naturalis & à Deo inſtituta eſt:* C *ita iſta libido, quam in diſputationis tuæ varietate perpeteris, per quam inter varia dogmata contrariaque verſaris, non minùs à ſtultitia quàm à profanitate concepta eſt. Haud injuriâ ergo Ambroſium à veſtra cohorte diſtinguimus; nec illum, ſicut petis, Manichæum vocamus.* CXX.

Aug. Inaniter omnino laboraſti, ut ad iſtam concluſionem falſam atque ridiculam, longis & tortuoſis, fallacibus & fugacibus amfractibus pervenires, ubi diceres, *non injuriâ vos Ambroſium à* D *noſtra cohorte diſtinguere, nec eum dicere Manichæum.* Prorsùs ſi illum non dicis, nec me debes dicere: ſi autem me dicendum putas, & illum cogeris dicere, & illos omnes magnos Eccleſiæ claroſque doctores, qui de peccato originali, propter quod me Manichæum dicis, ea dicunt ſine ulla obſcuritate vel ambiguitate, quæ dico, ut in primo & ſecundo ſex librorum meorum, quos contra quatuor tuos edidi, ſatis evidenter oſtendi.

E Sed per tuam ſcilicet dialecticam [c] terreretur, ſi his diebus ſupereſſet Ambroſius, ut ex conſequentibus falſis inveniens falſum eſſe quod ſenſerat, dicere non auderet ulteriùs, de ſexuum commixtione parvulos natos expertes non eſſe delicti, ne per hoc eos ſub poteſtate diaboli conſtitueret: tunc ergo te doctore Manichæus eſſe deſiſteret. O quid perdidit, qui te audire non potuit! Proinde quia propter hunc ſenſum Manichæum me eſſe dicis, profectò in hoc ſenſu perſeverans, Manichæus, te auctore, Ambro- F ſius hac exceſſit è vita. Non ergo illum defendere, quod nullo modo potes, ſed dolere debes, quia docere jam non potes: quod ſi facere potuiſſes, magiſterio tuo ille correptus atque correctus prohiberet utique in Eccleſia quam regebat, exorcizari & exſufflari baptizandos parvulos; ne in tot innocentibus, neque ulla ratione, ut aſſeris, ſub poteſtate diaboli conſtitutis imaginibus Dei, ipſi Deo fieret tam gravis atque inſignis injuria: quod tamen ſi fieri G prohiberet Ambroſius, vobiſcum de Eccleſia catholica pelleretur. Abſit enim ut hæc correctio potiùs, quàm deceptio nominetur. Abſit ergo ut ille vir vobiſcum contra matrem Catholicam

[a] Alterum hoc membrum ſententiæ, *ita non ſequitur, ut ideo &c.* reſtituimus ex MSS. fide.

[b] Codex Port. hîc addit, *cunctationem.*

[c] Sic MSS. Editi verò, *terreretur.*

consisteret: sed vobis invictus pro illa resisteret.

Quid est igitur, quo me ab illo in hac caussa separandum putas? Per commixtionem corporum maris & feminæ, delicti expertem nasci dico neminem, sicut ille: nec tamen corpora diabolo conditori tribuo, quia nec ille: quemadmodum naturæ vitium ambo culpamus, ita naturæ auctorem ambo veneramur. Si quoniam concupiscentiam carnis, qua caro concupiscit adversùs spiritum, per prævaricationem primi hominis in naturam vertisse dico, ideo *arguo membra, non vitia*; hoc fecit & ille: si verò aliunde est origo vitiorum, aliunde membrorum; nec ego *, nec ille. Voluntatem propriam inesse nascentibus, nec Ambrosius dicit, nec ego: per primi hominis tamen prævaricatricem voluntatem factum esse concupiscentiæ vitium, unde per commixtionem sexuum nascentes trahunt originale peccatum, & Ambrosius dicit, & ego. Ambo igitur natos homines, ante quàm renascantur, non propter eorum substantiam, cujus creator est Deus, sed propter peccatum quod per unum intravit, & per omnes homines pertransiit, cujus peccati auctor est diabolus, potestati adversariæ deputamus.

* Subaud. arguo membra, non vitia.

Quid est quòd te impudentissima fronte mentiris, Ambrosii & aliorum similium dicta defendere atque deluere? Quis ita cœcus est, ut non videat quòd ea tu reprehendas, ego defendam; tu polluas, ego deluam? Ambrosii dicta sunt de Christo loquentis, Ideo, inquit, & quasi homo » per universa tentatus est, & in similitudine hominum cuncta sustinuit; sed quasi de Spiritu natus, abstinuit à peccato; omnis enim homo mendax, & nemo sine peccato nisi unus Deus. Servatum est igitur, inquit, ut ex viro & muliere, » id est, per illam corporum commixtionem, nemo » videatur expers esse delicti: qui autem expers » delicti, expers etiam hujusmodi conceptionis. Ista dicta dicis esse falsissima, eisque Manichæum dogma nefarium contineri. Ac per hoc Ambrosii dicta tu reprehendis & polluis; ego verò illa & verissima prædico, & Manichæo non solùm non amica, verùm & inimica, sicut jam feci, esse demonstro. Ego igitur ea potiùs defendo, & à tuis nefandis criminationibus deluo. Utrùm ergo ille noster an vester sit, & vos videtis: sed quia homines à quibus diligitur, formidatis; profectò eum, quem atrociter accusare convincimini, fallaciâ excusare conamini.

Ambrosi. in Isaiam.

CXXI. Jul. *Quod dicis ei convicium à Ioviniano factum; in quo mentiri te tamen arbitror: sed annuamus vel Ioviniani te criminatorem verum esse posse*[a], *Ambrosiumque ab illo Manichæum vocatum: at id constat insanum fuisse. Non enim sanè poterat Manichæus vocari, qui bonam naturam, qui peccata voluntaria, qui à Deo institutas nuptias, qui à Deo fieri parvulos prædicabat. Si ergo ille prælationem virginitatis nuptiarum accusationem putavit, nesciit omnino quid diceret. Aliud est enim contrarium, aliud ordinatum. Boni quippe laudatio ad meliora gradus est: infamatio autem naturæ ad Manichæum via est. Cùm ergo non damnaret Ambrosius nuptias; nec commixtionem conjugum, vel opus diaboli, vel necessitatem diceret esse peccati: improbè fecit Iovinianus, ut eum conferret Manichæo, putaretque nihil interesse inter nuptiarum accusatorem & * laudatorem. Nam si de legitima & à Deo instituta corporum conjunctione generatos, postea quàm usum cœperunt habere rationis, sponte propriâ * proborum imitatione mentitos dixit Ambrosius; non tamen hanc conjunctionem, mendacii voluit necessitatem videri, sed universitatis indicium. Tale est enim quod dixit,* Nati ex parentibus mentiuntur, *quale si dixisset, Omnis homo, dumtaxat sui rector arbitrii, aliquando mentitus est: sciebat quippe neminem sine commixtione parentum, præter Christum, exstitisse. Igitur opere conjugali non iniquitatem, sed generalitatem vir prudens voluit indicari. Christum verò pronuntiavit omne cavisse mendacium, quem miraculo parientis ostendit: quod quidem vehementer contra Hieronymum, cujus tu assecla es, fremit; qui mendacium signatissimè Christo est * conatus affigere. Non ergo jure vocatus est Manichæus, (si tamen vocatus,) qui contra errorem vestrum frequentavit laudationem creaturarum.*

V. lib. 2. de nuptiis & concup. c. 5.

Jovinianus prælationem virginitatis nuptiarum accusationem putavit.

* f. addend. virginitatis.

* f. pravorum, vel proavorum.

* Vide suprà n. 88.

Aug. Laudationem creaturarum frequentamus & nos: quid est ergo quod dicis hoc facere Ambrosium contra errorem nostrum, cùm hoc faciat secundùm fidem nostram? Quomodo autem illa verba posuerit, quæ à me tibi objecta tu commemorare timuisti, ne tenebræ tuæ clarissimâ luce illorum redarguerentur, aliis etiam scriptorum suorum locis sic ostendit Ambrosius, ut non ei sicut negligentiori, quomodo loqueris, & incautiori sententia ista semel subrepsisse videatur; sed de peccato originali dogma ejus, quoniam dogma catholicum est, satis liquida manifestatione declaret. Cur ergo & qua ratione dixerit, Servatum est igitur, ut ex viro & muliere, « id est, per illam corporum commixtionem, nemo « videatur expers esse delicti, qui autem expers « delicti, expers etiam hujusmodi conceptionis; « quia non hîc peccata hominum postea quàm usum ceperunt habere rationis, ut tu [a] alienaris, sed originale peccatum intelligi voluit; quid alibi dicat adtende: Jordanis, inquit, conversus retrorsùm, significavit salutaris lavacri futura « mysteria, per quæ in [b] primordia naturæ suæ, qui « baptizati fuerint, parvuli à malitia reformantur. « Dic, Juliane, à qua malitia; si non trahunt originale peccatum. Audi adhuc alio loco: Non « enim virilis coitus, inquit, vulvæ virginalis se- « creta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus-sanctus infudit. Solus enim « per omnia ex natis de femina sanctus Dominus « Jesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati novitate partûs non senserit, & cælesti ma- « jestate depulerit. Responde, Juliane, quæ sint « terrenæ contagia corruptelæ, quæ solus ex natis de femina Dominus Jesus immaculati novitate partûs non sensit? Adhuc audi: Ante quàm nascimur, inquit, maculamur contagio: Et paulò pòst: Et si nec unius, inquit, diei infans sine « peccato, multo magis nec illi materni conceptus « dies sine peccato sunt. Multa hujus viri, quem sani capitis fuisse confessus es, talia commemorare possum: sed cui non sufficiunt ista, quid sufficit? Ex his ergo intellige, quàm non finaris etiam illa, sicut es conatus, in alium sensum detorquere atque pervertere, quæ dixit Ambrosius

Dogma catholicum de originali peccato sæpius & liquidò declaratum ab Ambrosio.

Ambros. in Isai.

Lib. 1. in Luc. 1. n. 36. Psal. 113. 3.

In illud Lucæ c. 2. Omne masculinũ &c.

In apologia David, c. 11.

V. lib. 1. prioris operis in Jul. c. 3. & 4.

[a] Ad oram codicis Clar. *hallucinaris*. Fortè legend. *hariolaris*.

[b] Editi & MSS. Mar. Clar. *in primordio*.

de his qui nascuntur per commixtionem corporum, non arguens Dei creaturam, sed originale peccatum.

Quid mihi obtendis Hieronymum, cujus me conviciaris asseclam, de cujus verbis nulla nunc quæstio est: quæ tamen verba si posuisses, aut ea non habere quod displicere deberet ostenderem, aut intelligentioribus exponenda relinquerem; aut si essent procul dubio contraria veritati, libertate qua dignum est improbarem. Ambrosium respice, quem Manichæum non audes dicere: cùm me propterea dicas, quia de originali peccato ea dico, quæ dicit. Nam si propterea non diceres Ambrosium Manichæum, quia bonam naturam, quia peccata voluntaria, quia nuptias à Deo institutas & à Deo factos parvulos prædicabat; nec me diceres, qui eadem fideliter prædico. Si autem me propterea Manichæum dicendum putas, quia esse confiteor originale peccatum; hoc etiam ille confitetur: cur non ambos putas? Sed me petulanter dicis, illum latenter opinaris, non veritate distincta, sed exstincta potiùs libertate. Hoc enim de illo non audes dicere, quod audes credere: aut si de illo ista non credis, profectò nec de me credis; quia & si errare nos existimas, facile est ut videas non esse Manichæos, qui [a] peccantis propriam substantiam, quam Deus non creaverit, non asserimus; sed originale peccatum de vitio voluntario naturæ, quam Deus bonam condidit, propagatum esse firmamus. Facile est ergo ut hoc videas, & simul videas nos esse contrarios Manichæis: sed eorum nomen ab Ambrosio abigis adulando, & mihi objicis calumniando.

Originale peccatum de vitio voluntario propagatum.

CXXII. *Jovinianο comparat Augustinū, & pejorem contumeliosè pronuntiat.*

JUL. *Verùm ut illi infensus Iovinianus arguitur, ita vobis comparatus absolvitur. Quando enim tibi tantum prudentium censura donabit, ut te cum Ioviniani merito componat? Ille quippe dixit boni esse necessitatem; tu mali: ille ait per mysteria homines ab errore cohiberi; tu verò nec per gratiam liberari: ille virginitatem Mariæ partûs conditione dissolvit; tu ipsam Mariam diabolo nascendi conditione transscribis: ille meliora bonis æquat, id est, integritatem connubio; tu verò commixtionem conjugii morbidam vocas, & castitatem fœdissimæ rei collatione depretias: nec gradum inter hæc addis; sed genus omne commutas, non utique bono virginitatem, sed malo præferens. Est autem vilitatis extremæ, nisi teterrimo comparatum, placere non posse. Iam verò quid ille tale de Dei injuriis, quale tu? Ille ejus judicii vigorem à benignitatis voluit parte confundere; tu à malignitatis: ille dicit apud eum bonos & optimos æquo honore fruituros; tu verò bonos & impios, id est, innocentes & diabolum uno supplicio cruciandos: ille ergo Deum clementissimum vult videri; tu iniquissimum: ille dicit [b] mysteriis ejus imbutos homines non posse peccare; tu verò ipsum Deum, & in mysteriis imbecillitate, & in præceptis immoderatione, & in judiciis immanitate peccare contendis. Cùm itaque tanta disparatio sit inter te & Iovinianum, quanta conjunctio inter te & Manichæum; tantò te tolerabilior Iovinianus probatur, quantò Ioviniano horridior Manichæus.*

AUG. Quàm bellus tibi videris, cùm me Joviniano comparans, pejorem conaris ostendere. Verùm hanc quoque contumeliam mendacissimam cum Ambrosio me à te accipere gaudeo: sed te sic insanire contristor. Eâ quippe causâ me Joviniano dicis esse pejorem, quâ me dicis etiam Manichæum. Et quid est hoc? Illud scilicet originale peccatum, quod vos negatis cum Pelagio, nos verò cum Ambrosio confitemur. Cum illo igitur, secundùm vos, sumus & Manichæi, & pejores Joviniano, & quidquid nos aliud ore protervo, nec sanè veridico, sed maledico dixeritis, docuit nos Dominus gaudere & exsultare, quando qualiacumque maledicta non ex veritate audimus, sed quia pro veritate certamus. *Matth. 5. 12.* Ecce ego non dico mali esse necessitatem, quia nec Ambrosius; & tamen dico parvulos à malitia reformari, quod & Ambrosius: & ideo mali nulla est necessitas; quia & illud Deo sanabile est, quod trahit nativitas; quanto magis quod addit voluntas? Non dico, nec per gratiam homines liberari; quod absit ut dicat Ambrosius: sed quod non vis dicimus, non nisi per gratiam liberari, non solùm ut eis debita dimittantur, verùm etiam ne in tentationem inferantur. Non transscribimus diabolo Mariam conditione nascendi; sed ideo, quia ipsa conditio solvitur gratiâ renascendi. Non tamquam malo bonum, sed tamquam bono melius, virginitatem nuptiis anteponimus. Non, ut calumniaris, bonos & impios uno supplicio; sed bonos nullo, impios autem non uno, sed pro diversitate ipsius impietatis, diversis suppliciis dicimus esse cruciandos. Non dicimus Deum in mysteriis imbecillitate, in præceptis immoderatione, in judiciis immanitate peccare, cujus & gratiâ regeneratis mysteria sunt utilia, & gratiâ liberatis præcepta salubria, & bonis malisque convenienter distributa judicia.

Maria ideo non transscribitur diabolo conditione nascendi, quia ipsa conditio solvitur gratiâ renascendi.

Ecce nos ea, in quibus nos dicitis Joviniano esse pejores, amolimur à nobis: vos à vobis amolimini, si potestis, in quibus vos pejores eodem ipso Joviniano esse monstrabo. *Pelagiani Joviniano pejores.* Ille dixit boni esse necessitatem; vos dicitis esse bonam mali cupiditatem: ille ait per mysteria homines ab errore cohiberi; vos viam rectam gradiendi cupiditatem, non inspirari à Deo, sed arbitrio libero adquiri: ille virginitatem Mariæ partûs conditione dissolvit; vos ipsam carnem sanctam de virgine procreatam ceteræ carni hominum coæquatis, similitudinem carnis peccati non distinguentes à carne peccati: ille meliora bonis æquat, id est, integritatem connubio; vos mala bonis; nam discordiam carnis & spiritûs tam dicitis esse bonum, quàm concordiam nuptiarum: ille dicit apud Deum æqualem honorem bonos & optimos habituros; vos autem quosdam bonos non solùm in regno Dei honorem nullum adepturos, sed nec ipsum regnum esse visuros: ille dicit Dei mysteriis homines imbutos non posse peccare; vos dicitis faciliùs quidem per Dei gratiam, sed & sine illa per liberum arbitrium posse homines non peccare; audaciâ giganteâ repugnantes Deo, cùm de bonis fructibus loqueretur dicenti, Sine me nihil potestis facere. *Iohan. 15. 5.* Cùm igitur in deterius tantum à Joviniani errore distetis, nos tamen ei

Errores Joviniani.

[a] Codex Port. *peccatis.*

[b] Editi hoc loco addunt, *apud eum*, quod à MS. Mar. abest, & librariorum lapsu adscitum videtur ex superiore illa sententia, *ille dicit apud eum bonos* &c.

subjicitis,

subjicitis, & Manichæo potiùs adæquatis; magno scilicet præsidio communiti, quasi propterea [a] condideritis hæresim novam, ut quando vos redarguimus, nullis hæreticis adæquare possimus. Ego tamen in hac caussa, in qua tibi de originali peccato multùm videor detestandus, & Manichæo potiùs coæquandus, cum Ambrosio sum, velis, nolis, quem Jovinianus Manichæum dicebat, ut tu: sed liberè ille, tu subdolè. Denique semel ille vincitur, cùm Manichæus non esse demonstratur Ambrosius: tu verò quia voluisti cor duplex habere, bis vinceris. Arguis Ambrosium Manichæum esse; ostendo non esse: negas te arguere, ostendo te arguere: utrumque autem clarebit ei, qui superiùs quæ [b] dixerit legerit.

Jovinianus Manichæũ dicebat Ambrosiũ.

CXXIII. Jul. *Verùm videamus & cetera. De his quæ egimus satis superque lectorem instructum puto, qua virtute vel meorum dictorum aliquid oppugnet, vel opinionem tueatur suam; & ideo non erit necesse scriptorum id omnium repetitione monstrare. Quoniam vix singulos sparsosque versiculos de libro meo proponens sibi, eosque laudans frequenter, nonnumquam etiam titillat suggillatione brevissima; cùm tamen hoc quod mordendum putat, à me non sit ita, ut suspicatur, prolatum. Quamobrem ad illud opus meum lectorem dirigo: videbit assertionem concinere veritati. Hic sanè qui sibi querebatur objectum, quòd naturam criminaretur & semina, continuam simulandi non potuit tenere patientiam: sed post quàm [c] præstigiis patroni sui serenavit auditum, velut testudo caput aperit. Nam cùm dixisset, quia nisi Adam peccasset, ita homines generare potuissent, ut solemus aut articulos commovere, aut unguiculas exsecare: addidit*, Sed si semen ipsum nullum maledictum habet, quid est quod scriptum est in libro Sapientiæ, Non ignorans quoniam nequam erat natio illorum, & naturalis malitia ipsorum, & quia non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum; semen enim erat maledictum ab initio? *Atque ipsum testimonium quod protulit, subdita argumentatione prosequitur*, Nempe de quibuscumque ista dicat, de hominibus, *inquit*, dicit. *En qui se profitebatur à Manichæorum studiis destitisse, qui sub occasione sententiæ quam non intelligit, maledictum semen, malitiam naturalem, & inconvertibilem cogitationem pronuntiat iniquorum. Fama est, apud catacdita Nili aquarum proruentium strepitu usu aurium accolas destitutos. Finxerit illud opinio, quæ de magnis majora dispergit: valet tamen exemplum ad castigandam insipientium surditatem, qui fragore terroris mutui, sicut aspides surdæ rerum vocibus obniuntur. Clamat Augustinus, Nequam est hominum natio, naturalis malitia, immutabilis cogitatio in perpetuum, semen maledictum ab initio. Et inveniuntur adhuc, qui illum non usquequaque Manichæi autument charactere percussum? Interrogentur hodie quicumque sunt ipsarum sordium sectatores publici: si aliud dixerint, nos putemur fuisse mentiti. Ergo si est malitia naturalis, quomodo te fingis malam non pronuntiare naturam? Si est semen maledictum ab initio, quomodo te dicis vitia voluntatum accusare, non seminum? Si immutabilis cogitatio malignantium est; quomodo te pejeras liberum arbitrium confiteri? Nisi superest, ut* [d] *illos Hebræos*,

V. lib. 2. de nuptiis & conc. cap. 7.

Ibidem cap. 8.

A *Sirach, vel Philonem, qui libri ipsius qui Sapientia dicitur, auctores incerta opinione creduntur, dicas fuisse Manichæos.*

Auctor libri Sapientiæ incerta opinione Sirach vel Philo creditur.

Aug. Quilibet auctor fuerit libri hujus, bene, quia auctoritatem ejus non respuis. Idoneus est igitur, ex quo adversùs vos, quæ possumus invenire, testimonia proferamus. Nam & Pelagius [e] doctor vester in libro quem *Testimoniorum* vel *Capitulorum* edidit, posuit ex isto libro quæ intentioni suæ credidit convenire. Cujus libri B auctor magis quia Manichæus non fuit, satis apertéque demonstrat, etiam ab eis qui Manichæi non sunt, & in Ecclesia Christi legi accipique meruerunt, potuisse dici malitiam naturalem, sine ulla reprehensione institutionis & conditionis Dei, naturarum omnium sapientissimi atque optimi creatoris. Unde & Apostolus non alio sensu dixisse intellectus est, Fuimus enim & nos aliquando naturâ filii iræ, sicut & ceteri. Quod quidam non ad verbum, sed ad senten- C tiam sunt interpretati dicentes, Fuimus enim & nos aliquando naturaliter filii iræ. Quod autem ait, sicut & ceteri, ostendit omnes iræ filios esse naturâ, nisi quosdam eorum à massa perditionis gratia divina discernat. De alienis ergo ab hac gratia etiam Petrus apostolus loquens: Hi verò, inquit, velut muta animalia procreata naturaliter in captivitatem & interitum. Non se quippe exuebant veterem hominem. Nisi autem vetus omnis homo nasceretur, nullus parvulus rena- D scendo renovaretur.

[e] *V. lib. de gestis Pelag. cap. 3. n. 6.*

Ephes. 2. 3.

2. Petri 2. 12.

Absit ergo, ut cum Creatoris dicatur injuria, naturaliter esse homines iræ filios: sicut sine ulla ejus injuria quisque dicitur naturaliter surdus, aut naturaliter cæcus, aut naturaliter morbidus; itemque alius naturaliter fatuus, alius naturaliter obliviosus, alius naturaliter iracundus; & cetera innumerabilia vitia, sive corporum, sive, quod est gravius, animorum, Dei opificio creatorum, ejusdemque Dei occulto, sed justo ju- E dicio vitiatorum. Idem quippe ipse totius hominis creator: & tamen quamvis cum ejus laude naturâ sit homo; nullo modo tamen cum ejus vituperatione naturâ vitiosus est homo. Scimus itaque non vitia, sed naturas esse tribuendas conditori Deo: sed unde sint vitia, debet dicere, qui vult resistere Manichæo. Et de aliarum quidem rerum vitiis, quas à Deo creatas fatemur, sed ejus sapientissima ordinatione, sive bonis, sive etiam malis angelis subditas, respondere fa- F cillimum est, ab eis quibus subjacent, earum quoque semina posse vitiari, ut non solùm fiant, verùm etiam concipiantur nascanturque vitiosæ. De homine agitur, de rationali animante, de imagine Dei agitur, cujus natura nullo modo diaboli ludibrium fieret, quem rectè credimus auctorem esse vitiorum, nisi per justum Dei judicium propter originale peccatum. Denique nec vos ipsi, quantum existimo, dicere audetis, quamvis dogma vestrum hæc tam dira sequatur G absurditas, in paradiso exortura fuisse tot ac tanta vitia naturalia, si peccante nemine, illa in qua est condita, naturæ [f] humanæ felicitas permaneret. Vos autem negantes originale pecca-

Vitia corporum sive animorum naturalia non tribuenda Deo conditori.

Diabolus auctor vitiorum, non sineretur naturam rationalem vitiare, nisi esset originale peccatum.

[a] Editi, *condiderit*. Veriùs MSS. *condideritis*.
[b] Codex Port. *diximus*.
[c] Verbum *præstigiis* ex MSS. addidimus.

[d] Codex Port. *ut illum Hebræum filium Sirach*.
[e] Ex MSS. additur, *doctor*.
[f] In editis omissum *humanæ*; licèt in omnibus exstet MSS.

tum, profectò naturam quam Deus non creavit, ex cujus commixtione sint hominum cum quibus nascuntur vitia, facitis introduci. O perversi hæretici, Manichæorum adjutores, de Manichæis calumniatores, & catholicorum eadem concorditer contra vos [a] vera dicentium aliorum contentiosi criminatores, aliorum subdoli adulatores.

CXXIV. JUL. *Exspectet nunc forsitan lector, quomodo hoc testimonium debeat intelligi: quod certè non pertinere ad traducem peccati, nec ad Manichæorum opinionem, iste ipse qui fuerat ejus usurpator, ostendit; ait enim,* De quibuscumque hoc dicat, de hominibus dicit: *cùm certè si de naturali peccato diceret, non de quibuscumque, sed de omnibus loqueretur. Opinio quippe Manichæorum generaliter cunctorum mortalium infamat naturam: sententia verò de qua quærimus, etiam ab ipso plagiatore suo recipit testimonium, quòd non in omnes, sed in aliquos prolata sit. Ex quo constat, nullum ei negotium fuisse cum traduce, quæ nequaquam universos, sed plerosque percellit. Igitur ostenso nihil de ea spectare ad profanam opinionem, ipsius libri suffragio scriptoris ejus sanitas asseratur. Loquitur ad Deum,* Misereris omnium, quoniam omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pænitentiam; diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti horum quæ fecisti. Quomodo enim posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui animas diligis. Bonus enim spiritus tuus est in omnibus; propter quod hos qui errant, partibus corripis, & de quibus peccant admonens alloqueris, ut relictâ malitiâ credant in te, Domine. [Sap. 11. 24. &c.]

AUG. Quomodo miseretur omnium Deus, cùm alia Scriptura dicat, Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem; nisi quia & in illis quorum non miseretur, omnes homines ita sunt, ut omnia genera hominum intelligantur; sicut dictum est, Decimatis omne olus, id est, omne oleris genus? Quid autem te adjuvat, quòd scriptura libri Sapientiæ non de omnibus hominibus loquebatur, ubi ait, quòd naturalis esset malitia illorum. Neque enim quia de quibusdam, non de omnibus hominibus agebat, ideo etiam fecit intelligi nullos alios esse tales; cùm Apostolus dicat, Fuimus & nos aliquando naturâ filii iræ, sicut & ceteri. Israëlitas autem illo tempore, non quidem etiam ipsos omnes, sed pios, ab his de quibus dictum est, Naturalis malitia eorum, non discernebat natura, sed gratia; propter quod etiam Dei filii sunt nuncupati. [Psal. 58. 6. — Omnes in Scripturis pro omnibus generibus. — Luca 11. 42. — Sap. 12. 10. — Ephes. 2. 3. — Discretio piorum per gratiam.]

Videndum est etiam, quomodo dictum sit, Diligis omnia quæ sunt: quoniam sunt etiam iniqui; & alibi scriptum est, Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Diligit ergo & ipsos, in quantum homines sunt, odit in quantum iniqui sunt; & damnat eos quia iniqui sunt, & facit esse quia homines sunt: Quia nihil, inquit, odisti horum quæ fecisti. Amat ergo Deus homines usque adeo, ut etiam, cùm iniqui sunt, amet ut homines sunt, quamvis oderit quòd iniqui sint. Ac per hoc iniqui quos Deus odit, & sunt homines, quoniam Deus suum amat opificium; & miseri sunt, quoniam Deus amat judicium. [Deus iniquos & odit, & diligit. — Sap. 11. 25. — Psal. 5. 7.]

CXXV. JUL. *Cernisne quàm infesta sit opinioni vestræ gratificatio Dei laudatoris? Dicit eum condere animas, & amare: quod à vobis negatur, qui juratis innocentium animas esse sub diabolo, & exosas Deo; cùm nihil habeant aliud, quàm quod ab auctore sortitæ sunt.*

AUG. Ergo secundùm te, & fatuitatem à Deo auctore sortiuntur, quicumque fatui nascuntur, quos magis quàm mortuos dicit sacra scriptura esse lugendos. Sed istorum quoque animas secundùm quemdam modum, id est, ut sint, ut vivant, ut sentiant, ut quamvis obtunsâ mentis acie, tamen pecoribus antecellant, amat utique Deus. Alia autem est illa dilectio, de qua scriptum est: Neminem diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia habitat. Sed vos dicite, unde plus amet Deus animas parvulorum, quibus providet lavacrum regenerationis, ut eos mittat in regnum; & unde aliis non præstet hoc beneficium: cùm eos non discernant ulla merita voluntatum, nec sit apud Deum, quam nobis insulsissimè soletis objicere, acceptio personarum. Quamquam ubi dictum est, Amas animas, nec dictum est, omnes animas, nulla sit quæstio. Fortasse quippe sic positum est, ut omnes Deus animas condat; nec omnes tamen diligat, sed quas à ceteris non meritis earum, sed suæ gratiæ largitate discernit, ut habitent cum sapientia: quia neminem diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia habitat: Dominus autem dat sapientiam. [Eccli. 22. 10. — Dilectio animarum duplex in Deo. — Sap. 7. 28. — Sap. 11. 27. — Sap. 7. 28. — Prov. 2. 6.]

CXXVI. JUL. *Pænitentiam quoque, quam Deum affirmat dare, vestrum dogma non recipit, in quo malum naturale & nequitia mutari nescia continetur.*

AUG. Immo nos potiùs contra vos dicimus, & ipsam pænitentiam Deum dare: quia licèt voluntate quisque agat pænitentiam; præparatur etiam voluntas à Domino, & hæc est immutatio dexteræ Excelsi, quam sacer insonat Psalmus; quia ut fleret Petrus, eum respexit Dominus: unde ait de quibusdam coapostolus ejus, Ne fortè det illis Deus pænitentiam. Et quòd immutabilis malitia dicitur, homini est immutabilis, qui eam mutare non potest; non Deo, qui omnia potest. [Pænitentia datur à Deo. — Prov. 8. sec. LXX. — Psal. 76. 11. — Luca 22. 61. — 2. Tim. 2. 25. — Malitia immutabilis homini, nō Deo.]

CXXVII. JUL. *Quod autem commendavit admonere Deum, ut relictâ malitiâ peccatores credant in eum, evertit omnino opinionem naturalis mali: quia certum est relinqui non posse congenita.*

AUG. Possunt etiam congenita relinqui; sed quando id operatur in homine Omnipotens: nam & corruptio congenita est corpori, quod tamen erit incorruptibile.

CXXVIII. JUL. *Hinc explicatâ patientiâ Dei, & dispensatione mitissimâ, quâ non vult mortem morientis, nisi ut revertatur & vivat, approbare quod dixerat etiam per exempla persistit, facitque mentionem eorum, qui in terra Chananæa viventes pessimè iram Omnipotentis accenderant, ut impenderetur ultione justissima Israëlitarum [b] triumphis, sub Dei jam lege viventium.* Illos enim antiquos habitatores sanctæ tuæ terræ odiens, quoniam odibilia opera tibi faciebant, per medicamina & sacrificia injusta, & necatores filiorum sine misericordia, voluisti perdere per manus parentum nostrorum, ut dignam * percipiant peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium carior est terra. *Septem gentes, quibus ex maxima parte deletis, Israëlitis* [Sap. 12. 3. &c. — * f. percipiat.]

[a] Hic ex MSS. restituitur, *vera*.

[b] Sic MSS. Editi verò, *triumphus*.

terra repromissionis data est, propter quid Deus voluerit perire, testatur. Ne enim in una hominum natura per aliquam personarum acceptionem apud Deum videretur esse discretio; propter quid Chananæi meruerint interfici, commendat. Illos *ergo* antiquos habitatores sanctæ tuæ terræ, *inquit*, odio habuisti. *Quamobrem? Certè secundùm te debuit subdere, quia de diabolica erant commixtione generati, quia à tenebrarum principe possidebantur, quia tabificavit Adam omnes de sua stirpe venturos. Verùm nihil horum: sed quam caussam reddit odiorum? sola opera commissa per voluntatem liberam.* Oderas, *inquit*, eos, quoniam exosa tibi opera faciebant. *Verùm ne nesciremus quæ essent opera, tuque hæc gentium facta concupiscentiam genitalem vocares, ipsas species operationis exsequitur.* Per medicamina, *inquit*, & sacrificia injusta, & necatores erant filiorum sine misericordia: *id est, maleficiis, & sacrificiis serviebant, quæ injusta erant, cùm idolis offerebantur, cultu Creatoris abjecto: quibus sacrilegiis ipsas necessitudines deputabant; dæmonas videlicet etiam parricidiorum immanitate placantes. Vide itaque quàm non de eo loquatur crimine, quod confingit Manichæus, id est, cunctis per naturam adhærente mortalibus, qui hinc illos potissimùm offendisse commemorat, quòd nec à parvulorum suorum exitiis temperabant. Quorum certè mors non recurreret ad interfectoris invidiam, si propter unum peccatum & parricida Deo displiceret, & filius.*

Aug. Sic ista loqueris, quasi propter unum aliquod peccati genus omnes homines puniantur, aut nos dicamus propter solum originale peccatum esse iræ filios eos, qui jam grandes ætates agunt. Quisquis non credit in Filium, sicut ait ipse Filius, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum: sed sunt aliis alii pejores, super quos Dei utique ira major manet; nec tamen omnes sic evertuntur atque delentur, ut isti de quibus agitur, qui terram, quæ Israëlitis data est, possidebant. Quid est ergo quod dicis, *Vide itaque quàm non de eo loquatur crimine, quod confingit Manichæus?* ubi vis intelligi originale peccatum; quod non confingit Manichæus, sed, ut ceteri catholici, & contra vos, & contra Manichæum confitetur Ambrosius: quia non est alienæ naturæ commixtio, quam Manichæus inducit; sed nostræ depravatio de peccato, quod in mundum per unum hominem intravit, & per omnes homines pertransiit, quod contra fidem catholicam vos negatis. Usque adeóne cæcus es, ut non videas, quia si propterea peccatum originale non est, quia hîc commemoratum non est, nec alia peccata peccata erunt, quæ hîc commemorata non sunt, sive istis minora, sive majora? Numquid ideo Sodomitæ deleti non sunt, quia non de illis dictum est, quòd maleficia & parricidalia sacrificia faciebant? Aut ideo isti Chananæi deleti non sunt, quia non de illis dictum est, quòd masculi in masculos turpitudinem operabantur? Verumtamen tacitum non est, quòd erat eorum malitia naturalis; quæ quidem omnium hominum, sed in aliis minor, in aliis major est: sicut corpora corruptibilia sunt omnium, sed alias animas minùs, alias plus gravant, pro diversitate judiciorum Dei, occultorum quidem, sed sine ulla dubitatione justorum. Quid ergo mirum,

Joan. 3. 36.

A si cùm caussa exponeretur, cur in eos talis vindicta processerit, non voluntaria tantùm eorum malitia commemorata est, verùm etiam naturalis, cui præter generis humani commune contagium, accesserat aliquid amplius ex maledictione prophetica; (sanctus enim Noë suum nepotem Chanaan progenitorem maledixit illorum;) Gen. 9. 25.
non utique injuste, cui [a] tamen esset obnoxia, obligatione successionis, in prole. Quod apparet etiam in parvulis eorum, qui cum suis parentibus, & hoc jubente Deo, sine ullius ætatis exceptione deleti sunt: cùm majores propterea maximè Deo displicuerint, quòd dæmonibus fundere solerent suorum sanguinem parvulorum. Nec Deus præcepit eisdem parvulis parci: immo præcepit omnino non parci. Hinc intellige semen ab initio maledictum: neque enim eum qui hoc præcepit, dicere audebis injustum. Quod si tibi venisset in mentem, non ideo sejungeres à parentibus impiis innocentiam filiorum, quòd *inde potissimùm offenderint parentes Deum, quia nec à parvulorum suorum exitiis temperabant. Quorum certè mors*, inquis, *non recurreret ad interfectoris invidiam, si propter unum peccatum & parricida Deo displiceret, & filius.* Nec vides ita displicuisse Deo necatores filiorum, ut tamen eosdem quoque filios cum his juberet occidi. Neque enim, quia illi impiissimè etiam filios dæmoniis immolabant, ideo non debuerunt etiam iidem filii, non humano scelere, sed judicio divino, utique justo, quamvis occulto, tamquam semen maledictum, sicut factum est, pariter interire. Hæc non adtendis, dum eloquentiâ sine sapientia raperis, & flumine vanitatis vis esse disertus desertus lumine veritatis.

Deut. 2. 34. Interfectio parvulorū justè à Deo præcepta, reatum originalem ostendit.

Sap. 12. 11.

CXXIX. Jul. Verum & his, *inquit*, tamquam hominibus pepercisti, & misisti præcedentes exercitum vespas; non quia impotens eras in pugna impios justis subjicere, sed partibus judicans dabas locum pœnitentiæ. *Aculeis, inquit, muscarum etiam illos ipsos sacrilegos stimulabas, ut potentiam vindicantis de ludicro suæ afflictionis adverterent. Sed post quàm ex consilio Dei, & ultionis genere voluntaria peccata patuerunt, quorum [b] rejectio exspectabatur & petebatur; tunc demum in obstipam punitorum profanitatem scriptoris assurgit invectio, dicitque illos tantam inisse cum criminibus familiaritatem, ut innata quodam modo viderentur.* Non ignorans, *inquit*, quoniam nequissima fuerit natio illorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat commutari cogitatio eorum in perpetuum; semen enim erat maledictum ab initio: nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum. *Cùm, inquit, tu tam benignè tamque patienter & pœnitentiæ tempus indulseris, & * speculam admonitionis infixeris, ut justitiam ac misericordiam ab omni infamia, ab omni suspicione crudelitatis assereres: tamen illi spreverunt commonitiones tuas, qui beneficia præmissa despexerant, velut qui velint probare de illius esse semine Cham, in quem Noë beatus nuditate derisâ, censurâ patriâ fuerat maledicta jaculatus. Quid ergo mirum, si majoris eorum * protervia merito, sententiæ erat austeritate perculsus, recordatus est scriptor in maculam posterorum non desistentium ab æmulatione, cùm frequenter in lege imi-*

Sap. 12. 8. &c.

Ibid. 10. & 11.

* f. speculum.

* f. deest, qui.

[a] In editis, *tantum*.

[b] Cod. Port. *retect. o exspectabatur, vel expetebatur; tunc demum &c.*

tatio, posterorum necessitudinis quoque vocabulis arguatur. Sic quippe Dominus in Evangelio ad Iu-
Johã. 8. 44. *dæos: Vos, inquit, ex patre diabolo estis. Et Daniel*
Dan. 13. 56. *contra spurcos presbyteros, de Israël tamen stirpe venientes, eodem genere legitur invectus: Semen, inquit, Chanaan, & non Iuda. Ezechiel quoque propheta exprobrat plebi Ierusalem. Mater tua, inquit,*
Ezech. 16. 3. & 45. *Cetthæa, & pater tuus Amorrhæus. Est ergo hic usus, ut ad voluntatis invidiam infamatio stirpis accedat, nimiùmque crimini videatur adhærere, per cujus meritum convicium patiuntur & semina. Servatur autem hic idem mos etiam in bonorum parte, ut cùm videtur homo per omnia probus, congenitis dicatur*
Job 31. 18. *florere virtutibus. Vnde & beatus Iob misericordiæ affectum, quo subveniebat indigentibus, de uberibus se traxisse, immo de utero matris suæ secum confirmat egressum. Nihil ergo rebus perspicuis, aut similitudo, aut exaggeratio, aut ambiguitas præjudicare potest: quoniam cùm certum sit numquam naturalium rerum correctionem à mortalibus reposci, præcipiat autem Deus ut desistant homines à malo; omni vero verius approbatur, naturale peccatum non esse posse.*

Aug. Putasti quidem te exposuisse verba libri Sapientiæ: sed non ea sineris eludere verbis insipientiæ. Satis enim apparet, & clarum est, quomodo illa natio nequissima dicta sit, ejusque malitia naturalis; quomodo etiam sit appellata,
Sap. 12. 11. semen maledictum ab initio. Si enim, ut tu putas, propter æmulationem, id est, imitationem dictum fuisset, qua imitati sunt majorem suum Cham, quem sui peccati merito maledixit pater ejus Noë: profectò Deus quando in istam nationem vindictam justissimam protulit, juberet ejus parvulis parci, quos dicere non potes suorum majorum imitatione meruisse supplicium. Cùm ergo eis non solùm non jussit præberi misericordiam, sed ut parem vindictam cum parentibus sumerent, ipse insuper jussit, qui utique aliquid injustum jubere non potuit; satis evidenter lucet, quòd non propter exaggerationem, neque propter imitationem, sed propter generationem dicta est eorum malitia naturalis, & ipsi semen maledictum ab initio. Nam contra errorem vestrum, in hoc ipso semine, de quo agitur, prophetica vigilavit auctoritas, ut Noë
Gen. 9. 25. justus peccantem Cham filium in ejus malediceret filio, id est, Chanaan; ut hinc intelligeremus, vinctos esse filios meritis patrum, nisi hoc vinculum generatione tractum, regeneratione solvatur. De isto ergo Chanaan ducunt originem Chananæi, qui dicti sunt semen maledictum ab initio: quorum etiam parvuli, quia & ipsi
Deut. 2. 34. hoc erant, non imitatione, sed stirpe interfici cum parentibus divinitus jussi sunt.

His Chananæis fuisse similes impudicos seniores, Daniel propheta intelligi voluit, quando eis
Dan. 13. 56. dixit, *Semen Chanaan, & non Iuda*, tamquam diceret, Similes filiis Chanaan, & non filiis Juda:
Matth. 3. 7. sicut dictum est, Generatio viperarum, propter
a quamdam similitudinem [a] malitiæ viperinæ. Ubi
Iohan. 8. 48. autem Dominus ait, *Vos à patre diabolo estis*, re vera imitationem voluit, non semen intelligi: sed nec ipse dixit, Vos semen diaboli estis. Et
Ezech. 16. 3. & 45. ubi scriptum est, *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cetthæa*, apparet ideo dictum, quòd eos fuerant imitati quibus hoc dicebatur: denique

A nec ibi dictum est, Semen Amorrhæorum, vel Cetthæorum. Non ergo, ut dixisti, *propter meritum voluntatis nimiùm criminibus adhærentis, convicium patiuntur & semina.* Absit enim ut sancta scriptura seminibus, sicut tu hominibus, convicietur immeritis.

Ubi autem sanctus Job *affectum misericordiæ de* Job 31. 18.
utero matris secum, sicut commemoras, *egressum confirmat*; & eum putas, ut eumdem affectum multùm commendaret, hoc dixisse, non quòd
B ita esset: cur non, quæso te, annuimus esse quosdam naturâ misericordes, si naturâ quosdam non negamus excordes? Sunt enim nonnulla congenita, quæ in ætate qua usus incipit esse rationis, Mala congenerata vincuntur per gratiã.
sicut ipsa ratio, incipiunt apparere. Proinde hominibus natura filiis iræ propterea dantur præcepta vivendi, quia datur & gratia, ut qui jubet juvet; ac sic mala non solùm quæ voluntate sunt addita, verùm etiam quæ sunt congenerata, Matth. 19. 26.
vincantur. Quod enim hominibus impossibile
C est, Deo facile est. Quibus autem non datur 1. Cor. 4. 7.
Dei gratia, propter quam dictum est, Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? prævaricatores fiunt, accedente lege, non justi. Sed [b] hi quoque ad utilitatem vivunt filiorum misericordiæ, ut eos videntes, & quid sibi non meritò, sed gratìs donetur intelligentes, non extollantur, sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Filii iræ quibus gratia non datur, ad utilitatem vivunt filiorum misericordiæ. b 2. Cor. 10. 17.

Jul. *Sequitur verò sapientia:* Quis tibi impu- CXXX. Sap. 12. 12. &c.
D tabit si perierint nationes, quas tu fecisti, cùm non sit alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus? Sed cùm sis justus justè omnia disponis, ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute: virtus enim tua justitiæ initium est. *Adstipulatur certè communi prudentum rationi, quia maximum in Deo signum justitia sit, quam Manichæus, & Traducianus omni conatu fabularum suarum pernegat.*

Aug. In conviciando cui te dicam similem, Vitia congenita non tribuenda opificio Dei, sed judicio.
E nisi tibi? Si autem saperetis Deum esse justum, numquam congenita vitia, vel corporis humani, vel animi, quæ negare non potestis, tribueretis opificio ejus, sed judicio; & hinc originale peccatum, sive peccata *, intelligeretis, non negaretis. * Suppl. naturalia.

Jul. *Denique post paululum sequitur:* Illos enim CXXXI. Sap. 12. 19. &c.
castigando, bonæ spei fecisti filios tuos; quoniam judicans, das in peccatis locum pænitentiæ. Si enim inimicos servorum tuorum & morti debi-
F tos, cum tanto cruciatu admonitionis liberasti, dans tempus & locum per quem possit mutari malitia, cum quanta diligentia judicas filios tuos, quorum parentibus & juramenta & pacta dedisti bonarum promissionum? Cùm ergo nobis disciplinam das, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus judicantis.

Aug. Quare Deus, cùm sit præscius omnium futurorum, tempus & locum per quem possit mutari malitia, dederit etiam eis, de quibus
G dictum erat, quòd eorum cogitatio non poterat mutari in perpetuum, satis ostendit, ubi ait, Bonæ spei fecisti filios tuos, quoniam judicans das in peccatis locum pænitentiæ. AD HOC ERGO DATUR TEMPUS ET LOCUS PÆNITENTIÆ ETIAM FILIIS IRÆ DEDITIS MORTI. Cur locus pænitentiæ datur pænitentiam ...

[a] Hic *malitia* additur ex MSS.

[b] Editi, *sed si quam ad utilitatem.* Castigantur ex MSS.

non acturis & morti deditis. TI, ET PÆNITENTIAM NON ACTURIS, quia sunt inter illos, vel exorturi sunt de illis filii misericordiæ, quibus hoc prosit, quod illis non profuit. Itaque etiam super filios perditionis non est inanis Dei nec infructuosa patientia: necesse est enim prosit eis, quos ex massa perditionis non humana merita, sed gratia divina discernit; cùm vel gratias agunt, quòd ab eis Dei misericordiâ discernuntur, vel ex perituris non perituri, Dei dispositione nascuntur.

CXXXII. JUL. *Advertis ergo quantam distinctionem superficies verborum fecerit de naturis duarum plebium: Israëlitas filios Dei vocat, & Chananæos semen maledictum. Si hoc quod sonat, ad generationes referretur & partus; dicendum erat, aliam esse religiosorum generationem, aliam profanorum.*

AUG. Numquid quoniam cùm audimus filios Dei, intelligimus gratiam; ideo cùm audimus filios hominum, non debemus agnoscere confiterique naturam? Quid est ergo quod dicis, non inveniendo quid dicas, homo contentiose? Cognosce quod verum est, adtende quod clarum est. Semen maledictum Chananæi dicti sunt, propter tam malam progeniem, ut Deo justissimo vindicante atque imperante, nec [a] ejus parvulis parceretur, qui parentes suos nulla voluntatis imitatione sectati sunt. Filii verò Dei dicti sunt Israëlitæ, non propter progeniem naturæ, sed propter adoptionem gratiæ. Sive ergo dicantur filii & filii, sive semen & semen, quid te juvat ista consonantia nominum, ubi rerum est tanta distantia?

CXXXIII JUL. *Dum constaret tamen, secundùm etiam hanc vanitatem, traducem primi non esse peccati: quod interruptum multarum simul semina gentium perdocebant.*

AUG. Aliud est illius unius hominis semen, quod sunt omnes homines; aliud diversa diversarum gentium semina, quæ illud non interrumpunt, quia ex illo cuncta descendunt: neque agunt sua varietate, ut illud peccatum primi hominis, quo mutari meruit humana natura, quibuslibet longè pòst natis sit posteris ejus innoxium; sed ut [b] magis minúsve sit noxium. * Sicut enim quidam parentes aggravant peccatum originale, ita quidam relevant: sed nemo tollit, nisi ille de quo dictum est, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; cui nullum bonum hominis impossibile, nullum malum est insanabile. *Johan. 1. 29.*

CXXXIV JUL. *Porrò sicut illud quod de laude dicitur Judæorum, non ad hoc valet, ut quisquam genuina credatur sanctitate fulgere: ita etiam quod naturalis malitia vocatur, non ad hoc valet, ut semina vitiosa commendet; sed sine præjudicio naturæ, cujus imperturbabilis ratio est, quæ quidquid habet, à Deo suo auctore sortitur, varietas ista verborum, aut invectionis impetum signat, aut laudationis officium.*

Jeremiæ & Johannis baptistæ sanctitas genuina. AUG. Si non est cujusquam sanctitas genuina, quomodo dictum est Jeremiæ, Priùs quàm de vulva exires, sanctificavi te? Quomodo etiam dictum est de Johanne baptista, Spiritu-sancto replebitur jam inde ab utero matris suæ? Quod exsultatio ejus quoque ostendit, quando Elizabeth prægnantem conjugatam prægnans virgo Maria salutavit. An & hæc dicta non proprietatis sunt dicta præconio, sed laudationis officio? Sic agite, sic vanescite; hoc ut dicatis, vestræ restat insaniæ. Quid enim Jeremiam? quid Johannem, [c] tumori vestræ frontis apponimus; quando ipsum Christum non discernitis à carne peccati, nullamque carnem dicentes originaliter esse peccati, sic illum ceteris coæquatis, ut etiam ipsum habuisse genuinam negare [d] cogamini sanctitatem, qui natus est de Spiritu-sancto & virgine Maria, expers omnino delicti, quia expers illius conceptionis quæ commixtione fit sexuum? Quia & Jeremias & Johannes, quamvis sanctificati in uteris matrum, traxerunt tamen originale peccatum. Nam quo alio merito interirent eorum animæ de populo suo, nisi die octavo circumciderentur; [e] id est, nisi ad Christi gratiam [f] pervenirent, quem die octavo, id est, post septimum sabbati, resurrecturum propter justificationem nostram, carnis illa circumcisio figurabat? Erant ergo illi & naturâ filii iræ ab uteris matrum, & gratiâ filii misericordiæ ab uteris matrum; quia nec illa eis adhuc inerat sanctitas, quæ vinculum solveret successionis obnoxiæ quod suo tempore solvi oportebat, & inerat tamen quæ [g] præconem Christi à maternis visceribus designabat. Sed novus hæreticus, religiosus physicus vis putari, cùm dicis, *naturalem malitiam & semen maledictum sine præjudicio naturæ dici, cujus* inquis, *imperturbabilis ratio quidquid habet, à Deo suo auctore sortitur.* Nonne te admonent ut cor habeas, saltem qui fatui nascuntur? Nec tamen vel ipsi fatui Deum dicere audent fatuitatis auctorem. Nec utique, ut Manichæus desipit vel insanit, alienæ naturæ commixtio, sed nostræ depravatio invexit hoc vitium. Hujus ergo vitii meritum, & aliorum naturalium quorumque vitiorum non inveniunt, qui sani sunt in fide, nisi originale peccatum.

Jerem. 1. 5. Luca 1. 15.

Jeremias & Johannes in utero sanctificati, traxerunt tamen originale peccatum. *Gen. 17. 12. & 14.*

Quænam tunc inerat illis sanctitas.

Vitiorum naturaliũ caussa peccatum originale.

JUL. *Sicut autem hic semen maledictum, sic alibi equidem, ubi major est lectionis auctoritas, semen dicitur benedictum. Loquens enim de Israëlitis Isaias propheta, Ædificabunt, inquit, domus, & ipsi inhabitabunt; pastinabunt vineas, & ipsi manducabunt fructus earum: non ædificabunt, & alii habitabunt; & non pastinabunt, & alii manducabunt. Secundùm enim dies ligni vitæ, erunt dies populi mei: opera labiorum eorum [h] perseverant; electi mei non laborabunt in vacuum, nec filios procreabunt in maledicto, quia semen benedictum à Deo est.* CXXXV. *Isa. 65. 21. & c.*

AUG. Hanc Isaiæ prophetiam si intelligeres, non eam nobis ut elabereris, sed tibi potiùs ut corrigereris, opponeres. Aliud enim non mortale, sed immortale; nec carnale, sed spiritale semen videres: quod videbat Johannes evangelista, quando dicebat, Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, quia semen ejus in ipso manet. Secundùm hoc semen quisque non peccat: quia & si peccat ut homo, habet tamen alterum semen, secundùm quod semen non potest peccare, quia ex Deo natus est. Secundùm hoc semen

Semen immortale ac spiritale *Iohan. 3. 9.*

[a] Codex Port. *nec eorum parvulis.*
[b] Editi, *majus.* Meliùs cod. Port. *magis.*
[c] Editi, *cum ori.* Emendantur ex MSS.
[d] Editi, *conamini*: corruptè.

[e] In editis deerat, *id est.* Restituitur ex MSS.
[f] Omnes MSS. *pertinerent.*
[g] Codex Clar. *præcones.*
[h] Port. *perseverabunt.*

filii non procreantur in maledicto. In quibus Prophetæ verbis evigilare debuisti, & advertere quòd non pro magno munere hoc promitteretur populo Dei, nisi quia procreantur filii in maledicto secundùm alterum semen, quod est ex Adam; non autem procreantur in maledicto secundùm Christum, quod est semen benedictum ab initio. Ipse est enim & Sapientia Dei, de qua dictum est, Lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam: unde & iste Propheta, vel Deus potiùs per Prophetam, Secundùm dies ligni vitæ, inquit, erunt dies mei populi. Vita æterna & immortalis promittebatur his verbis, non carnalibus, sed spiritalibus Israëlitis. Ibi vineæ spiritales & domus non quandoque morientibus pastinatoribus & ædificatoribus suis possidebuntur ab aliis, sed ab ipsis sine fine viventibus. Ergo agnosce duo genera seminum, unum generationis, & alterum regenerationis: & noli esse incredulus, sed fidelis.

Prov. 3. 18.

Isai. 65. 22.

Semen generationis & semen regenerationis.

Johan. 20. 27.

CXXXVI. Jul. *Patiantur ergo pueruli de istis verborum contrarietatibus quæstionem, ut nullius majoris rei quàm sonorum capaces pro alludentibus sibi* [a] *poculis prælientur: catholica verò fides neque jurgare adversùm se legem Dei credit, neque ullam auctoritatem in exitium rationis admittit; nec cuiquam opinioni atque adulationi in maculam divinæ æquitatis auscultat: sed ut Deum non solùm credit, verùm etiam novit omnium naturarum creatorem;* * *ibi peccatum nulli alii quàm liberæ imputat voluntati: per quæ omnia traducem peccati falsam esse non dubitat.*

* f. *ita.*

Aug. Catholica potiùs fides peccatum esse originale non dubitat: quam fidem non pueruli, sed graves atque constantes viri, docti in Ecclesia, & docentes Ecclesiam, usque ad diem sui obitûs defenderunt. Vos autem *legem Dei adversùm se*, sicut dicis, *jurgare* non creditis, & ipsi adversùs eam cæca impietate vel impia cæcitate jurgatis. Ideo enim *auctoritatem nullam in exitium rationis* vos jactatis *admittere*; ut rationibus vestris, quæ non rationes, sed deceptiones sunt, etiam divina deponatur potiùs, quàm exponatur auctoritas. Quamvis nemo ita esse debeat gravis corde, ut decipiatur ratione Pelagii, quam velut exponens Apostolum protulit, & ait: *Corpus mortuum propter peccatum, ideo dictum, quia corpus moritur peccatis, quando avertitur à peccatis.* Contra quam vanitatem non [b] disputandum, sed Apostolus ipse legendus est, dicens: Si autem Christus in vobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum, [c] spiritus autem vita est propter justitiam; si autem spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis, [d] vivificabit & mortalia corpora vestra [e] per inhabitantem spiritum ejus in vobis. Quid apertius? quid lucidius? Quis, rogo, contra istam manifestationem, nisi hæreticâ insaniâ, negaret originale peccatum? Propter quod peccatum etiam nunc utique adhuc corpus est mortuum; quamvis jam propter justitiam vita sit spiritus. Sed vivificabit, inquit, Deus & mortalia corpora vestra. Quis oblatraret huic veritati, nisi rabies vanitatis, quæ se jactat *nulli opinioni atque adulationi auscultare in maculam æquitatis divinæ*; cùm potiùs æquitatem divinam negare cogatur, quisquis deceptus fuerit à vobis? Quoniam tot vitia vel corporum, vel ingeniorum, cum quibus nascuntur homines, si nullius peccati dicuntur trahere meritum, procul dubio Dei negatur justum esse judicium. Itaque cùm voluntati peccata sic imputatis, ut voluntati primi hominis originale peccatum imputare nolitis, omnia mala quæ trahunt vel patiuntur infantes, iniquo Dei judicio, eos qui vobis credunt, imputare compellitis.

Peccatum originale in catholica fide indubitatum.

Apostolus à Pelagio perperam expositus.

Rom. 8. 10. & 11.

Vitia corporum vel ingeniorũ congenita probant originale peccatum.

[a] Editi, *populis.* Aptiùs, ut videtur, vetus codex Port. *poculis.*
[b] Hîc auctoritate MSS. addimus, *disputandum.*
[c] Editi, *Christus autem.* Castigantur ad MS. Port.
[d] Hîc codex Port. repetit, *qui suscitavit Christum à mortuis.*
[e] Editi, *propter.*

LIBER QUINTUS.

Confirmat Augustinus, & à Iuliani calumniis vindicat ea quæ in libro secundo de Nuptiis & Concupiscentia, capite 12. & quibusdam sequentibus scripsit, in primis videlicet quòd eam commixtionem sive commotionem pudendam membrorum non haberet natura sana, quam habet natura vitiata: ac per hoc quòd is qui inde nascitur, indigeat renasci. Deinde quod ibi cap. 14. 20. & 26. contendit, Iulianum apostolicis duobus testimoniis, 1. Cor. 15. 36. 38. & Rom. 1. 27. sententiâque evangelicâ Matth. 7. 17. seu 12. 33. perperam abusum esse. Quod cap. 28. asseruit, malum seu voluntatem malam ideo ex opere Dei bono oriri potuisse, quia ipsum quamquam bonum, de nihilo factum est, non de Deo. Ac postremò quod cap. 17. docuit, sic Deum creare malos, quomodo pascit & nutrit malos.

I. JULIANUS. *COMPERTUM est omnis ævi periculis, apud paucos incorrupti reverentiam vigere judicii, qui & scientiæ studiis dediti, & virtutum appetentes, vel possunt indagare verum, vel repertum audent tueri; aut sicut ait Apostolus, exercitatos habent sensus, ad discretionem boni malique; nec ullis adversorum franguntur procellis, qui de eodem audiunt præceptore, usque ad sanguinem resistendum esse peccatis.* (Hebr. 5. 14. — Hebr. 12. 4.) *Hi ergo prudentes, quos stolidorum populi faciunt paucos videri, scientiæ & fortitudini juxtà prorsus student. Neutra enim absque altera aut fructum assequitur, aut honorem: quoniam & fortitudo nisi optimis per scientiam admota rebus est, in despicabilem erumpit insaniam; & è regione examinatæ* [a] *justitiæ leges, nisi magnanimitatis murus incluserit, prædæ confestim patebunt, ac servitum criminibus abducentur. Has ergo bigas, sine quibus triumphari de mundi erroribus nequitur, diversis ætatibus rarissimi quique, qui colerent & jugarent atque regerent, exstiterunt: quoniam & scientiæ studium tam fuga laboris quàm sæcularium curarum diversitas impedit, & constantiam ærumnarum, quæ ab improbis excitantur, formido percellit. Quæ oppugnationum genera vincunt quidem fideles animi & sapientes: verùm tam rari sunt, ut inter insanorum populos, quia non furiunt, insanire videantur.*

AUGUSTINUS. NONNE te admonet raritas ista hominum, quam tu ipse commemoras, in quibus & scientia & [b] fortitudo est, quid de humano genere sentire debeas, & de universa ista massa rationabilium mortaliumque animantium? Cur enim non genus mortalium ad studium scientiæ roburque fortitudinis, naturali appetitu, vel universum, vel certè ex maxima parte consurgit, ut rarissimos quosque potiùs miremur, ab eo quod appetit naturæ institutio deviare atque desciscere? Cur in profunda imperitiæ ac mollitudinem ignaviæ, quasi per proclivia, nescio quo velut onere urgente delabitur? Fugam laboris certè dicis esse caussam, qua fit ut nesciant homines quæ scire debuerunt: sed vellem diceres, quid caussæ sit, ut homini tam bene naturaliter instituto utilia naturæ atque salubria sit laboriosissimum discere, atque ita laborem fugiens, in tenebris ignorantiæ familiariùs libentiúsque requiescat? Nempe tanta raritas ingeniosorum & studiosorum, per quæ duo ad humanarum divinarumque rerum scientiam pervenitur, & tanta multitudo tardorum & desidiosorum, satis indicat in quam partem suo tamquam pondere feratur ipsa natura, quam negatis esse vitiatam.

Neque secundùm Christianam cogitatis fidem, qualis sit factus Adam, qui universis generibus animarum vivarum nomina imposuit: quod excellentissimæ fuisse indicium sapientiæ, in sæcularibus etiam litteris legimus. (Sapientia in Adamo excellentissima. Gen. 2. 19.) Nam ipse Pythagoras, à quo philosophiæ nomen exortum est, dixisse fertur, illum fuisse omnium sapientissimum, qui vocabula primus indidit rebus. Verùm etsi nihil tale de Adam didicissemus, nostrum erat utique vera ratione conjicere, qualis in illo homine natura sit condita, in quo vitium omnino nullum fuit. Quis autem usque adeo sit tardus ingenio, ut ad naturam neget obtunsa vel acuta ingenia pertinere, aut existimet non esse animi vitia vel memoriæ vel intelligentiæ tarditatem? Et quis dubitet Christianus, eos qui in hoc sæculo erroribus ærumnisque plenissimo, ingeniosissimi apparent, quorum tamen corruptibilia corpora aggravant animas, si illius ingenio comparentur, distare longè ampliùs quàm celeritate à volucribus testudines distant? (Ingeniosissimi quique quàm longè distent ab ingenio Adami.) Ingeniis ergo tam excellentibus paradisi felicitas impleretur, si nemo peccasset: tales quippe Deus de parentibus fuerat creaturus, qualem illum sine parentibus creaverat, utique ad imaginem suam. Nondum enim homo vanitati similis factus erat, ut dies ejus sicut umbra in hoc sæculo ærumnoso præterirent. (Psal. 143 4.) Quod si ita esset, numquid ista tua querela ullum haberet locum? Numquid assequutio scientiæ laboriosa esset, ut fugâ laboris imperiti esse homines mallent? Numquid ipsa fortitudine, quam verum dicis vix in paucissimis inveniri, opus haberemus, ubi nulla esset ærumna quam deberemus pro veritate fortiter sustinere? Cùm ergo ista in contrarium versa sint omnia, ad hoc naturam nostram negas esse vitiatam, ut, te adjuvante, Manichæus commixtam nobis introducat alienam; ac sic dum oppugnator ejus prosilis imperitus, fis auxiliator ignarus.

JUL. *Ostendit hoc etiam liber ille, qui Sapientia dicitur, cùm verba exprimens impiorum, qui post umbram præsentium retecta beatorum merita contuen-* II.

[a] Hic *justitia* ex MSS. addidimus.

[b] Sic MSS. Editi autem, *formido.*

Sap. 5. 4. *tur: Vitam, inquit, illorum æstimabamus insaniam, & quomodo reputati sunt inter filios Dei? Inde est ergo, quòd fidelium perseverantia temporum iniquitatibus* Hebr. 11. 25. *contumax, & eligens affligi cum populo Dei magis, quàm temporalis peccati habere jocunditatem, ab his* 1. Cor. 15. 3. *qui dicunt, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur, nomine pertinaciæ & contentionis arguitur; nihilque magis putatur cautis convenire consiliis, quàm degeneris animi famulatum emere, vel infidam momentorum quietem. De hac quippe potissimùm ignavorum pectorum* [a] *vilitate factum est, ut per* B *Ecclesiarum naufragia spurcum Manichæorum dogma velificet. Quia si in his qui sacerdotii munere fungebantur, libera stetisset & virilis auctoritas; Traducianorum commenta ut invicta ratio proruit, ita publica contrivisset assensio. Verùm cùm nihil ab hominibus præsentium amantibus, religione vilius æstimatur, itum est in criminationes Dei; ut nobis necessitas immineret, tam longis disputationibus Deum* Psal. 144. 13. & 17. *nostrum, qui est Deus verus, fidelem in verbis suis, justum in judiciis, sanctum in operibus approbare.* C

Aug. Si fidelis est Deus in verbis suis, cur ei Deut. 5. 9. contradicitis dicenti, Reddam peccata patrum in filios, & hoc verum non esse contenditis? Si justus est in judiciis, cur hoc ipsum quòd peccata patrum redduntur in filios, justum esse non vultis, & quòd filii Adam à die exitûs de ventre matris eorum gravi jugo premuntur, dicere sine ullius originalis peccati merito fieri, non timetis? Si sanctus est in operibus, cur immunditiam nascentium, quæ hominem Dei dicere D Job 14. 4. sec. LXX. compulit, non esse mundum à sorde peccati, nec infantem cujus est diei unius vita super terram, ab ejus sancto opificio quo naturam format, quamvis originis contagione pollutam, discernere recusatis; atque ita vitia & ingeniorum & corporum tam multa, & aliquando tam magna, sancto ejus opificio cuncta tribuitis? Quæ nolentes tribuere venientibus de natura peccato depravata originalibus meritis; profectò aditum Pelagiani errori Manichæorum aditum aperiunt. amplissimum ad alienam mali naturam introdu- E cendam Manichæis exsecrabilibus aperitis; quorum dogma nefarium quasi accusatis horrentes, cùm adjuvetis errantes.

III. Jul. *His ita negotiis librorum meorum operam destinatam, mali naturalis assertor oppugnat: quibus sanè viribus, & quàm consequenti responsione, satis superque præcedentium voluminum disputatione perdocui. Quorum lectione non dubito prudenti cuique constare, (quem rarum esse hac præfatione testatus sum,) nihil studere aliud veritatis inimicum, quàm* F *ut simpliciorum ludificentur aures, & evasisse, si utcumque se respondisse videatur.*

Aug. Raros esse prudentes, præfatione testaris: & quæ caussa sit raritatis hujus, vel cur nec ipsi qui rara ingeniorum capacitate ad prudentiam pervenerunt, sine labore magno potuerunt consequi utilem scientiam, nec dicis, nec discis; qui fateri non vis humanam per primi hominis prævaricationem depravatam esse naturam. Et tamen ad tuorum librorum lectio- G nem, non nisi eosdem prudentes mittis, quos testaris esse rarissimos: de quorum ingenio tam bene sentis, ut apud eos unum librum meum tuis octo refutare coneris, multiplicans eis laborem filiorum Adam; quo labore discant, etiamsi nemo peccasset, in ipso paradiso se fuisse laboraturos, ut [b] litteratorum libros, & priùs ipsas litteras discerent. Hæc est enim vestra præclara scientia, nulli hominum comprehensibilis, nisi prudentibus raris, nec ipsis nisi laborantibus miseris. Pelagianorum opinio de paradiso nulli comprehensibilis. b

IV. Jul. *Cùm igitur id à nobis abundè constet effectum: tamen quia operi nostro nascitur longitudo, sapiens lector intelligat, nobis quidem optabilem fuisse brevitatem, sed exegisse caussæ necessitatem, ut error sæculi favore diffusior, latiore veritatis acie vinceretur. Haud igitur de nihilo est, quòd sermo noster extenditur. Adjutu enim Christi præsumo consore, ut nulla pars impietatis, contra quam nobis certamen est, aut negligenter quæsita, aut minùs inventa, aut adtrita mediocriter censeatur. Nec illud ergo desperare vel possumus, vel debemus, quoniam processu temporum tempestas excitata consîdat, & auctoritate sapientum vulgus ignavum quod nunc perstrepit corrigatur: sed voti quàm sententiæ minor caussa est; quemvis enim status rerum exitum sortiatur, constabit nobis ratio & benignitatis & fidei. Neque enim pendemus ad prosperitatis popularis eventum. Scitum est si quidem illud trium in Babylone puerorum, qui cùm à rege superbissimo ad adorandam statuam cogerentur, fidelissimè restiterunt, neque anhelà sunt fornace conterriti, quæ accensa erat in religiosorum voratum; responderuntque ut & fidei & constantiæ congruebat: Potens est, inquiunt, Deus, ò Rex, liberare nos* Dan. 3. 17. *de fornace hac; sed etiamsi non liberet, scito quoniam deos tuos non colimus, nec statuam quam erexisti adoramus. Quàm sanctum votum judicio miscuerunt, nec tamen consilii gravitatem desiderio levarunt! Fortitudinem fidei nec desperatione præcipitant, nec cupiditate suspendunt: miscent quidem vota; ceterùm ordinem non relinquunt; consolantur* [c] *tolerantiam, sed justis mitiora submittunt: Certum est, inquiunt, quoniam nos possit liberare Deus noster; sed utrùm velit, est incertum: & ideo sub ambiguo rerum eventu stat piorum certa sententia, idola respuendi, supplicia perferendi. Viderit quid boni nostra liberatio etiam ceteris conferat, nobis interim veram felicitatem fides, inquiunt, invicta custodiat: non habet ergo mollioribus gratificandi nimiam necessitatem, cujus gloriæ negotiantur adversa. De hac & nos disciplina, quam reliquerunt illustres magistri, intelligimus tenendam in prosperis votorum mediocritatem, in dogmatibus verò fidei consiliorum perennitatem: optamusque persequutionum tumore compresso, etiam populis subvenire: at si id non accidat, stat quidquid acerbum est in contumeliis & periculis perpeti, quàm non aversari illuviem sordesque Manichæas.*

Aug. Quantum Manichæos adjuvetis, cùm Eccli. 40. 1. Manichæis adjuvant Pelagiani. grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum non tribuitis justo judicio Dei, propter originale peccatum, ac sic locum facitis alienæ naturæ mali, quam tradit insanus error illorum, & sæpe admonuimus, & ubi opportunum visum fuerit, non cessabimus admonere. Nunc quoniam vos ita fortes esse jactatis, ut tamen pro multis etiam vestra, quamvis mediocria vota, commendes, quibus, ut dicis, *optatis persequutionum tumore compresso populis subvenire;*

a Editi, *utilitate.* Castigantur ex MSS.
b Sic MSS. At editi, *litterarum;* & in sequente versu pro *scientia*, habent *sententia.*
c Editi, *tolerantiâ*, dissentientibus MSS.

Deum operari voluntates in cordibus hominum.

venire: quæro abs te, utrùm id à Domino optetis. Quod si non facitis, non sunt ista vota Christiana: si autem facitis, quomodo speratis, exauditis votis vestris, hoc Dominum largiturum? Nempe, ut corda hominum quæ adversa sunt vobis, in vestrum favorem & amorem convertat. Si hoc creditis, [a] profecistis; vos ipsos convertere, vos ipsos in melius mutare jam cœpit. Cogitate, quæso, istud, atque retinete, tandemque fatemini operari omnipotentem Deum in cordibus hominum voluntates, aversosque convertere: ita ejus misericordiam gratiamque sapietis: & ubi hoc non agit, judicia occulta, sed justa. Sic vota nostra potiùs fortassis exaudiet, ut vos ad fidem catholicam, sicut Turbantium paulò antè vestrum, nunc verò ecce jam nostrum, simili sua operatione atque miseratione convertat.

V. JUL. *Sed jam aggrediamur ad caussam. Claruit tam priore quàm præsenti opere, concupiscentiam naturalem, sine qua sexuum non potest esse commixtio, à Deo, qui est & hominum & pecudum conditor, institutam. Quod tantum valet, confessione quoque adversarii mei, ut sine ejus vituperatione, id est, carnalis concupiscentiæ, & sine infamatione commixtionis, asseri penitus non possit naturale peccatum.*

Concupiscentiam carnis malam esse, nec nisi post peccatum esse cœpisse.

AUG. Concupiscentiam sive naturalem, sive carnalem tibi placeat appellare, eam nos concupiscentiam vituperamus, qua caro concupiscit adversùs spiritum, & trahit ad illicita, nisi & spiritus adversùs eam fortiùs concupiscat. Hanc dissensionem in paradiso dicimus non fuisse, quando qui ibi erant, nudi erant, & non confundebantur. Hanc post peccatum esse cœpisse, ipsa res clamat; quando quidem post peccatum pudenda texerunt, quæ priùs pudenda non fuerant. Neque ut nuda priùs essent, impudentia, sed innocentia faciebat: quia & impudentia vitium est; illi autem quando eos nudos esse non pudebat, utique vitium non habebant. Hoc ergo malum, quo caro concupiscit adversùs spiritum, hæreticus Julianus dicit esse bonum: hoc malum ex aliena mali natura nobis esse commixtum dicit alius hæreticus Manichæus: hoc malum per prævaricationem primi hominis in nostram dicens vertisse naturam, catholicus ambos vincit Ambrosius.

De concupiscentia carnis tres sententiæ contrariæ.

VI. JUL. *Quod quoniam à nobis ea facultate, quam veritas suppeditavit, ostensum est, prudens lector super hoc ulteriùs dubitare non debet; ubicumque hoc in Traduciani scriptis occurrerit, (sine quo tamen hiare non potest,) nihil moveat audientes, sed in verecundiam protestetur auctoris: nos autem id deinceps, si res compulerit, necessaria brevitate tangemus. Arguit ergo quod dixi: Ista corporum commixtio, cum calore, cum voluptate, cum semine à Deo facta, & pro suo modo laudabilis approbatur. Sed præteriit illud quod subdidi: De re autem, quæ instituta naturaliter, fit aliquando etiam amplum munus piorum, diabolus sibi nec tua fronte audet aliquid vindicare.*

Lib. 2. de nuptiis & conc. c. 12.

AUG. Ille hoc prætermisit, qui eam cui respondebam, chartulam misit; fortasse intelligens quod tu non intelligis, qui tam incautè loquutus es, ut diceres, *De re instituta naturaliter, quæ fit aliquando etiam amplum munus piorum, non audere diabolum aliquid sibi vindicare*: cùm videamus quòd ipsos homines diabolus sibi vindicet, qui utique naturaliter instituti sunt. An fortè homines non sunt, qui eruuntur de potestate tenebrarum, quarum tenet diabolus principatum? Aut verò ita desipis, ut affirmes eos sibi diabolum non vindicare, quos possidet, & suæ potestati subditos tenet? Sed ut taceam de his, quos potestis dicere, per suam malam voluntatem à diabolo possideri: quid dicturus es de illo, de quo pater ipsius, Domino interrogante, respondit, quod ex infantia sua ab immundo spiritu vexaretur? Nonne membra ejus & sensus, quæ omnia Deo auctore naturaliter instituta sunt, & impiorum communia piorumque sunt munera, diabolus sibi ut affligeret vindicabat? Quod licèt facere non posset, nisi à creatore hominis Deo bono & justo acciperet potestatem; facit tamen, & tua verba vanissima esse ostendit, qui dicis, *De re naturaliter instituta, quæ fit aliquando amplum etiam munus piorum, nihil sibi audere diabolum vindicare.* Debuisti enim dicere, eorum bonorum quæ naturaliter instituta sunt, non diabolum sibi nihil vindicare, sed ipsum nihil creare. Hæc ille forsitan vidit, qui de tuis libris quæ amico suo mitteret, nonnulla decerpsit; atque ut hæc tua verba prætermitteret, tibi pepercit. Ego verò gratulor, quia me admones, quid debeam contra errorem tuum dicere. Parvulorum ergo, quos vexandos diabolus vindicat sibi, merita inquire, quæ cùm propria non inveneris, originalia confitere. Si enim etiam ista negare perstiteris, Dei profectò judicium, qui hæc imaginem suam à diabolo immeritam sinit perpeti, accusare convinceris.

Marci 9. 21.

Judicium Dei accusat, qui negat peccati originalis merito fieri, ut parvuli permittantur vexari à diabolo.

VII. JUL. *Istis ergo prætermissis, accusat cur non dixerim*, cum libidine: *subditque, ut dogmatis ejus acumen decebat*, Munus piorum, propagatio est fecunda filiorum, non commixtio pudenda membrorum; quam non haberet in generandis filiis natura sana, nunc autem habet eadem natura vitiata; ac per hoc, & qui inde nascitur, indiget renasci. *Quàm consequenter omnia! Munus dicit piorum, exsistentiam filiorum: sed hoc constituit sub diabolo, quod Deum dare confirmat, id est, filios. Libidinem autem, quæ est in pudenda commixtione membrorum, diabolicam vocat; quam in parentibus esse non abnuit, quos tamen absolvit à culpa. Ex homine [b] hunc natum dicas? Quod agunt, inquit, parentes, diabolicum est, sed rei non sunt; quod nascuntur filii, divinum opus est, sed rei sunt. Et adhuc se non Deo, sed dæmoni æstimat obluctatum? Meritissimè patiuntur istum furorem, qui putant esse naturale peccatum.*

Lib. 2. de nuptiis & conc. c. 12.

AUG. Tu furis potiùs adversùs Deum, quem procul dubio criminaris injustum, si filios Adam nulla ex illo, ut asseveras, mala merita trahentes, tamen ex die exitûs de ventre matris eorum gravi jugo premit, quod negare non sineris; & obtunsos credens mea tuaque verba esse lecturos, quod non dixi, dixisse me dicis. Quando enim ego dicerem, *Quod agunt parentes, diabolicum est*; cùm id quòd procreandi intentione miscentur casta conjugia, bonum opus esse proclamem? Sed hanc commixtionem non fuisse

Concupiscentiæ malo bene utuntur casta conjugia.

[a] Codex Port. *profectò vos ipsos convertere.*

[b] Editi, *non hunc*. Negante particulâ caret MS. Port.

futuram pudendam, si peccatum hominis, quo natura vitiata est, non præcessisset; unde carnis concupiscentia talis effecta est, ut eo malo nemo bene utatur, nisi ejus motibus ad illicita pertrahere molientibus, è contrario concupiscente spiritu reluctetur. Non itaque dicimus, *Quod agunt parentes, diabolicum est*: malo quippe bene uti usque adeo diabolicum non est, ut ipso quoque diabolo bene utatur Deus. Illud autem nos dicere non negamus, *Quòd nascuntur filii, Dei opus est, sed rei sunt*; non Dei opere, quo creantur, ut nascantur; sed peccati origine, qua obligantur, si non renascantur.

VIII. Jul. *Quòd autem non fuerit aliter commiscendus Adam mulieri suæ, quàm eo genere quod inolevit, & forma membrorum, & Dei benedictio haud aliter in pecora quàm in homines prolata, & ipsa historia testatur, quæ ut ostendit formatam naturam corporum, ita non asserit immutatam. Contra quod universitatis testimonium nihil invenitur in lege Dei; nisi in Manichæi libris, qui hanc concupiscentiam à principe tenebrarum commentatur infusam.*

Membra monstruosa non nascerentur, si nemo peccasset.
Gen. 1. 22.

Aug. Non forma membrorum, quia peccato primi hominis mutata non est, concupiscentiam carnis asserit talem fuisse ante peccatum, qualis apparuit, quando pudenda texerunt, & unde tu non erubescis, erubuerunt; ostendentes etiam manente formâ in se aliquid esse mutatum. Quamvis & ipsa membra, quando deformia & monstruosa nascuntur, pudor vos fateri cogit, quòd nullo modo, si nemo peccasset, in paradiso talia nascerentur. Benedictionem verò Dei, qua dictum est, Crescite, & multiplicamini, quid mirum, si etiam peccato natura vitiata non perdidit? Non enim erat consequens, ut quia immortalitatem felicitatemque perdiderat, perderet etiam fecunditatem; quæ irrationabilibus quoque animantibus est tributa; in quibus caro, etsi concupiscit, adversùs spiritum non concupiscit: quod tuæ susceptæ miserrimum bellum aut turpissimum regnum introducere conaris in illius beatissimæ pacis & libertatis locum; quando quidem in paradiso, etiamsi nemo peccasset, tale futurum fuisse contendis humanum genus, ut contra libidinem pugnaremus, aut libidini serviremus, si pugnare nollemus.

IX. Baptismo cur omnes etiam parvulos renasci debere dicant Pelagiani.

Jul. *Nos verò renasci omnes baptismate debere, & opere nostro & sermone testamur: sed non ut hujus impertitione beneficii, de jure videantur diaboli plagiati; verùm ut qui sunt opera Dei, fiant pignora Dei; & qui nascuntur viliter, non tamen noxiè, renascantur pretiosè, non tamen calumniosè; quique prodeunt ex institutis Dei, provehantur mysteriis Dei; & qui afferunt opera naturæ, dona gratiæ consequantur; ac Dominus suus qui eos fecit condendo bonos, faciat innovando adoptandoque meliores. Ergo jure dicitur, confitearis necesse est, naturale quod Manichæus finxerat, sed tu nomine commutato originale vocas, interiisse peccatum. Nec hoc ea catholica fides credit antiquitus, quæ non dubitat & parvulos à Deo fieri, & malum ab eo nihil fieri: ac per hoc opera Dei ante liberæ voluntatis usum, naturæ præjudicio nec rea, nec sub diaboli jure constituit.*

Originale peccatum cur potius quàm naturale appellatur.

Aug. Originale peccatum propterea significatiùs quàm naturale dicimus, ut non divini operis, sed humanæ originis intelligatur; [a] maximè propter illud significandum; quod per unum hominem intravit in mundum; quod non interit disputatione Pelagiana, sed regeneratione Christiana. Quare autem vos dicatis renasci omnes parvulos debere baptismate, satis novimus; inde quippe estis hæretici: hac peste novitia contra antiquitatem catholicæ Ecclesiæ disputatis, dicentes non erui parvulos de potestate tenebrarum gratiâ Redemtoris: cùm Catholica in eis exsufflet & exorcizet, utique potestatem diaboli, neque enim imaginem Dei. Quid est ergo quod dicis, *Vt qui nascuntur viliter, non tamen noxiè, renascantur pretiosè, non tamen calumniosè*; nec ipsum eorum pretium, quo fit ut pretiosè renascantur adtendis? Quid est enim, nisi sanguis Agni immaculati? qui cur sit effusus, clamat ipse Agnus. An non ipse ait, Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum? Tu verò magnus [b] mirabiliarius & dicis illum sanguinem etiam pro parvulis fundi, & negas eis per illum peccata ulla dimitti; dicis lavandos, & negas abluendos; dicis innovandos, & negas à vetustate mundandos; dicis per Salvatorem adoptandos, & negas esse salvandos. Sed nos eis videlicet calumniamur, quia dicimus eos mortuos esse in delictis & præputio carnis suæ; & ideo in morte Christi baptizari, ut moriantur peccato, qui mortui fuerant in peccato: & tu eos defendis, qui negando illos mortuos, id agis, ne ab eis foras mittatur, qui mortis potestatem habet; ac sic de morte Christi nullum beneficium consequantur, qui unus pro omnibus mortuus est. Quod cùm dixisset Apostolus, mox conclusit atque ait, Ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est. Unde non qui ita defendit parvulos, ut neget mortuos; eos à morte defendit, sed in mortem secundam premit, quos ab ejus beneficio, qui non nisi pro mortuis mortuus prædicatur, excludit.

Baptizari parvulos debere, ut à diaboli potestate, & à peccato liberentur.
Matth. 26. 28.
2. Cor. 5. 14.

X. Jul. *Post hæc, omnem illum contextum de Abraham & Sara, qui emortuis jam corporibus filium pro munere acceperunt, quorum exemplum quantum veritati suffragetur, non solùm sapiens, sed etiam mediocris lector intelligit, sic præteriit, ut diceret contra se non multùm valere. A qua impudentia vel illa eum debuit revocare sententia, quæ ita constructa est: "Et ut breviter, inquio, disputationis hujus summa claudatur; si per concupiscentiam redditus est quem Deus promisit, bona sine dubio quæ absolvit Dei fidem; si sine concupiscentia, noxia non potest esse progenito, quæ nec cùm conciperetur, nec cùm pareretur, interfuit."*

Rom. 8. 10.

Aug. Sine concupiscentia carnis Abrahæ filium seminatum fuisse, quis dicat? Neque enim hoc opus aliter fieret in corpore mortis hujus, de quo dicit Apostolus, Corpus quidem mortuum est propter peccatum. Hoc autem malo bene usus est Abraham in concubitu conjugali: quod malum non erat in corpore vitæ illius, quæ in paradiso fuit ante peccatum. Sed si propterea bona tibi videtur carnis concupiscentia, quia per illam reddita est proles, quam promiserat Deus; bonus tibi videatur & diabolus, quia

[a] Duos hîc versus, totidemque aut plures infrà paulò ante hujus responsionis finem restituimus ex MSS.

[b] Editi, *mirabilius*. Meliùs MSS. *mirabiliarius*: quo verbo utitur Augustinus in Tractatu 13. in Johan. n. 17.

per illum sanguis Christi, quo redimeremur, A effusus est, quem Deus promiserat. Aut fatere, etiam per aliquod malum reddi posse aliquod bonum.

XI. JUL. *Illis ergo prætermissis physicus iste novus falsum esse pronuntiat, quod nos diximus: Sicut tunc » limus qui assumtus est, materia, non auctor hominis » fuit: ita nunc vis illa voluptatis, confectrix com- » mixtrixque seminum, non explet divinæ operationis » vicem; sed de thesauris naturæ offert Deo, unde ille » hominem dignetur operari.* B *Quæ tamen rectè à me prolata testatur, sed excepto eo quod dixi, semina vi voluptatis confici; philosophaturque hoc modo:* (Lib. 2. de nuptiis & conc. c. 13.) Voluptas, *inquit*, illa concupiscentiæ carnalis non conficit semina, sed ea quæ jam sunt in corporibus à vero Deo condita,[a] non fiunt voluptate, sed excitantur & emittuntur cum voluptate. *Hoc sanè apparet eum, non fraude, sed defectu intelligentiæ protulisse. Vim quippe ego voluptatis, ipsam virilis corporis rationem pronuntiavi, cui necesse habui virilitatis nomen imponere.* C *Ipsa ergo (quia trivimus jam hoc verbum) virilitas, in genitalium & viscerum compage ac sanitate consistens, quæ & appetentiæ & efficientiæ vires ministrat, vis à me voluptatis & concupiscentiæ nominata est. Ideo enim non voluptatem simpliciter, sed vim voluptatis appellare malui, ut universum illum ardorem, qui & ante opus, & in opere sentitur, ostenderem. Neque enim debilitati genitalibus membris, id est, spadones semen habent; cùm certè quibusdam favillis moveantur ignis exstincti:* D *at verò quoniam virtute partium, quarum ministerio conficiuntur de internis humoribus semina, speciali debilitate caruerunt, generationum non fiunt potentes. Sic ergo instituit Deus, ut esset vis in corpore, quæ legitimis explicata temporibus, si adfuisset sanitas, ad fecunditatis valentiam perveniret. Conficiuntur itaque in corporibus semina, maturæ pubertatis adjutu. Inde est quòd impuberes stimulat quidem præcoqua voluptas, sed sine annorum legibus sterilis scintillat accensio. Quòd autem cum voluptate semina misceantur,* E *verùm quòd alia sit voluptas quæ sensibus supernatat, alia viscerum interior & effectui propior, apud medicorum auctores latissimè disputatur; unde ille etiam Mantuanus poëta naturalium gnarior quàm philosophaster Pœnorum, macie signat armenta tenuari, ut ubi concubitus primos voluptas nota sollicitat, & frondibus* (Georgic. 3.) *arceantur & fontibus. Sæpe etiam cursu quatiunt, » & sole fatigant; cùm graviter tunsis area gemit frugibus, & leves paleæ flatibus efferuntur. Hoc ideo, » ne luxu nimio usus obtunsior sit genitali arvo,* F *& sulcos obliniet inertes: sed siccitatem quamdam secreta » patiantur; sicque rapiat sitiens venerem, interiusve » recondat. Verùm in his quoque, non multùm caussæ necessariis, acumen hominis notasse sufficiat.*

AUG. Verba tua, quæ me prætermisisse dicis, quàm vana sint, satis superiùs demonstravi: quod fortasse vidit etiam ille qui chartulam misit, & tibi parcendo eadem prætermisit. Quod autem de vi voluptatis, quam confectricem seminum esse dixisti, G homo loquacissimus inventa occasione loquaciter disputas, non opus habeo resistere tibi: hæc enim non multùm esse caussæ necessaria, etiam ipse commemoras. Ego quippe vim voluptatis acceperam te intelligi voluisse, qua voluptas aliquid facere posset, non quâ ipsa fieret. Sic enim solemus loqui, ut vim rei cujusque dicamus, quâ valet ut aliquid faciat, non quâ valet alia res quæ ipsam facit. Tu autem, ut nunc tua verba exposuisti, vim voluptatis te dixisse asseris, quâ voluptas effici potest, non quâ efficit ipsa quæ potest: tamquam si vim diceres esse ignis, quâ ipse accenditur ut sit; cùm omnes homines vim dicant esse ignis, quâ urit, vel calefacit quæcumque potuerit. Insolito igitur more loquutus es: sed quid ad nos? Utcumque didicimus, ubi de re constat, non certare de verbis. Convenit enim nobis, non solùm homines de seminibus, sed ipsa etiam semina, opera Dei esse, quocumque efficiantur modo; ne physicos vel medicos, vel etiam poëtas, ubi nihil opus est, testes adhibeamus; aut contendamus quomodo sit loquendum, cùm id propter quod loquimur, ambo verum esse sentiamus, id est, Dei opera esse semina omnium naturarum.

Sed falsum est quod hinc conaris ostendere, ideo nulla esse vitia seminum, quia Deus summè bonus est conditor seminum: quod non diceres, si eo [b] modo rationem seminum nosses, quomodo eam noverat qui dicebat, Homo vanitati similis factus est: (b Psal. 143. 4.) atque ut hoc ipsam naturam, quæ in ipsam mortalitatem lapsa est, meruisse doceret, addebat, Dies ejus sicut umbra prætereunt: (Ibidem.) cùm sciret hominem ad Dei similitudinem factum, & tamen discerneret ab institutione divina depravatæ humanæ originis vitium. Quod in ipsis quoque tuis verbis quibus me momordisti, videre debuisti. Dixisti enim, *Verùm in his quoque, non multùm caussæ necessariis, acumen hominis notasse suffecerit*: obtunsum me scilicet esse significans, quia intelligere non potui loquutionem tuam in rebus non multùm caussæ necessariis, ut fateris. (Obtunsi ingenio nascuntur merito peccati originalis.) Ego autem requiro à te, unde homines nascuntur obtunsi: [c] neque enim sic ipse obtunsus es, ut pertinere ad naturam neges vel obtunsa ingenia, vel acuta: quamvis & acuta ipsa, sicut jam in superioribus * diximus, (* Suprà n. 1.) propter hoc corruptibile corpus quod aggravat animam, (Sap. 9. 15.) si primi hominis ingenio comparentur, obtunsa sint; qui utique non tale corpus acceperat, ut illo ejus anima gravaretur. Ac sic & ego distinguerem in natura hominis qualis nunc est, quid distet inter ingenii vitium & tanti artificis opificium; cui procul dubio non rectè vitia tribuuntur, quantacumque sint, humanorum ingeniorum: ut per hanc regulam discas ab ejus institutione discernere, quamvis congenitum homini, originale peccatum; (Originale peccatum, etsi congenitum, discernendũ ab institutione Conditoris.) nec ideo neges esse, quia Deus homines facit, qui peccatum non facit; sicut non ideo neganda sunt ingeniis hominum congenita vitia, quia Deus homines facit, à cujus arte divinâ vitiositas est omnis aliena. Sic autem novit Deus bene operari homines de substantia peccato vitiata, quemadmodum novit bene operari de ipsis peccatis hominum, quorum sunt vitia voluntaria. (Deus novit bene operari de malo.) Videmus enim quanta bona operatus sit de peccato fratrum, qui fratrem per invidentiam vendiderunt; (Gen. 50.) & alia multa quibus sacræ litteræ plenæ sunt.

[a] Hîc Julianus præterit, *à quo ipsa conduntur & corpora.*
[b] Editi, *si eo moderationem nosses.* Castigantur ex MSS.

[c] Hîc auctoritate MSS. restituitur, *neque enim sic ipse obtunsus es.*

XII. Jul. *Verùm demiror ubique constantiam disputantis, qui pronuntiat* semina à Deo vero condita esse, à quo conduntur & corpora, licèt cum voluptate emittantur. *Semina ergo à Deo fieri confitetur, in quibus esse dicit diabolicum malum; & non erubescit credere à Deo fieri malum, quod innocentibus imputetur.*

Aug. A Deo non fit malum, quando fit de malo bonum. Malum est enim de peccato veniens originis vitium, cum quo nascitur homo: bonum est opus Dei, non sine malo; cujus mali reatus non innocentibus, ut dicis, sed reis imputatur; ut quoniam nascendo tractum est, renascendo solvatur. Sic enim fuerunt omnes ratione seminis in lumbis Adam, quando damnatus est, & ideo sine illis damnatus non est; quemadmodum fuerunt Israelitæ in lumbis Abrahæ, quando decimatus est, & ideo sine illis decimatus non est. Meliùs enim quàm tu, noverant rationem seminis, qui ista dixerunt, & litteris mandare curarunt, quæ in Christi Ecclesia legerentur, [a] in qua renascuntur ex Adam nati, ne remaneant in illa stirpe damnati.

Omnes ratione seminis in Adamo fuerũt, quando damnatus est. *Hebr.* 7.

XIII. Jul. *Libido nihil adtinet, inquit, ad semina, quia facta est à diabolo: huic autem libidini serviunt conjuges; semina autem & parvulos de seminibus facit Deus. Sed nec rei sunt, inquit, nec puniuntur parentes, qui agunt opus diaboli: sceleri autem & suppliciis destinantur parvuli, quos condidit Deus; impunitumque est quod fecit diabolus, id est libido; per quod docetur bona, quæ nec supplicium meretur: sed accusatur damnaturque quod facit Deus; per quod docetur esse scelestum, quippe quod à supplicio, nec auctoris sui potest pudore defendi; credaturque hoc divinitas facere, quod nec extrema possit sustinere captivitas. Hunc habent exitum, qui inferunt veritati bellum, ut nihil non impium, non insanum loquantur; dum constet quia nulla oratione innocentium status ita, ut accusatorum suorum profanitate, defenditur.*

Aug. Numquid ideo falsum facis esse quod dico, quia dicis me dicere quod non dico? Ego enim non dico ad semina nihil adtinere libidinem; quando quidem non nascuntur sine libidine, qui utique nascuntur ex semine: sed dico Deum operari sine ullo suo vitio, etiam de semine vitiato. Nec dico reos non esse, & non puniri parentes, qui agunt opus diaboli: sed dico non eos agere opus diaboli, quando utuntur libidine non propter libidinem, sed propter propaginem. Ita quippe bonum opus est, bene uti libidinis malo, quod faciunt conjugati; sicut è contrario malum opus est, malè uti corporis bono, quod faciunt impudici. Nec impunitam dico esse libidinem, quæ cum morte destruetur, quando mortale hoc induetur immortalitate. Non enim est nisi in corpore mortis hujus, de quo liberari cupiebat Apostolus: nec erat, aut non talis erat in corpore vitæ illius, quam peccando perdidit homo, qui factus est rectus: nec sicut aliqua substantia, liberatis [b] separatisque nobis libido in [c] alium locum est migratura; sed sicut infirmitas in nostræ salutis perfectione peritura: quamvis jam nunc esse desinat post corporis mortem. Neque enim in corpore mortuo adhuc po-

1. *Cor.* 15. 53.
Rom. 7.24.
Eccle. 7.30.
Libido in salutis nostræ perfectione, tamquam infirmitas, peribit.

A test esse, quæ nisi in corpore mortis non potest esse: sed quæ peritura est in corporis morte, non est resurrectura resurgente corpore sine morte. Quomodo ergo punita vel impunita erit, quæ pereundo non erit? Erunt autem impuniti, qui ejus reatu congenito regeneratione caruerunt, ejusque surgentibus & urgentibus motibus ad illicita perficienda non cedunt; & si quid non propter prolem de ipsa, sed propter ipsam cum conjugibus faciunt, veniâ subsequente sa-
B nantur.

Quòd verò Deus de origine meritò & justè damnata parvulos creat, bonum est ipse quod creat; quia homines creat, & homines etiam mali bonum aliquid sunt, in quantum homines sunt: nec cohibet ab eis bonitatem creandi, quos præscivit esse damnandos, immo scit originaliter jam esse damnatos; unde gratulandum est tam multos eorum à debita pœna per indebitam gratiam liberari. Si autem crudele esse arbitra-
C mini, damnari parvulos, quos originale peccatum trahere non putatis: crudele vobis videatur, non rapi ex hac vita parvulos, secundùm vos, nullum habentes omnino peccatum, quos Deus utique novit in multis magnisque peccatis sine ulla in melius mutatione morituros: nam secundùm ratiocinationes humanas, crudelius videtur non liberare cùm possit, nullis inquinatum parvis magnisque peccatis, quàm damnare progeniem peccatoris. Porrò cùm illud justum
D esse, qua potestis voce, clametis; hoc esse injustum, qua fronte contenditis?

XIV. Jul. *Post hæc illud conatur incessere, quod nos apostoli Pauli testimonio comprobavimus, quia Deus hominem de seminibus operetur. Argumentaturque me fecisse fraudem, qui huic loco illa dicta voluerim coaptare, quæ de frumentis prolata constabat; quasi ego aut ibi Apostoli sententiam, ut hic æstimat, dividuam fecerim, aut propter aliud testimonii recordatus sim, quàm ut ejus * finem monstrarem, for-*
E *matorem seminum omnium Deum credi oportere. Beatus enim Paulus post quàm fidem resurrectionis, multiplicationis diurnæ [d] conciliavit exemplis; intulit quod universam naturam possit adtingere, dicens, Deus autem illi dat corpus, prout vult, & unicuique seminum proprium corpus: id est, omni semini corpus, quod proprietas ejus reposcit, adtribuit. Non ergo quod de frumentis dictum est, de homine volui intelligi: sed hoc quod dictum est, unicuique seminum proprium corpus à Deo auctore conferri, in destru-*
F *ctionem vestram, quorum dogmate id negatur, arripui. Nequaquam igitur, sicut tu putas, supervacuò feci illius sententiæ mentionem, nec eâ fraudulenter, ut mentiris, sum abusus: nec tu de humanis seminibus hominem à Deo fieri, sicut pejeras, credis; quod non opinando, sed fidem tuam intelligendo confirmo.*

* f. fidei
1. *Cor.* 15. 38.

Aug. Quomodo posueris apostolicum testimonium, quo ille usus est de seminibus, quæ seminantur in terra, quia non vivificantur nisi mo-
G riantur, (hoc enim de resurrectione corporum, in qua versabatur, disputatio postulabat,) qui tua illa legit, intelligenter advertat, & quæ nos in eodem libro quem nunc refutare conaris tibi ad illa respondimus; & inveniet te, quod

V. lib. 5 de nupt. & concup. c. 14.

[a] Sic MSS. At editi, *in quo.*
[b] Codex Port. *reparatisque.*
[c] Sic MSS. Editi verò, *in malum locum.*
[d] Editi, *confirmavit.*

ad rem pertineat ; nec ibi aliquid dixiſſe, & hîc nihil dicere. Sic enim magno niſu moliris oſtendere, quòd homines Deus de ſeminibus operetur, quaſi hoc negetur à nobis ; & adhibes Apoſtolum teſtem, ubi abs te nulla neceſſitas cauſſæ flagitat probationem : & quod eſt inſulſius, vis accipi de ſeminibus hominum, quod ille dixit de ſeminibus frumentorum, quoniam id cauſſa poſcebat ; & dicis verba ejus, *Tu quod ſeminas non vivificatur* ; & taces quod ille connectit, *niſi moriatur*. Taces etiam illud quod adjungit & dicit, *Et quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum fere tritici, aut alicujus ceterorum* : ubi ſatis aperit unde dicat. Quibus tacitis, quod ſequitur ingeris : *Deus autem illi dat corpus quomodo voluerit, & unicuique ſeminum proprium corpus* : & non vis hîc intelligi quorum ſeminum, id eſt, fere tritici, aut alicujus ceterorum, eorum, ſcilicet quæ cùm ſeminantur, non vivificantur niſi moriantur. Et quæris hoc dictum etiam ad ſemina humana transferre : de quibus quamvis veraciter dici poſſit, quòd illis Deus det corpus quomodo voluerit, & unicuique eorum proprium corpus ; non tamen dici poteſt, quòd ſemen hominis, quando gremio feminæ infunditur, non vivificatur niſi moriatur. Sed planè de corpore hominis dici poteſt ; non enim reſurget niſi moriatur, propter quod totum illud de ſeminibus frumentorum dixit Apoſtolus. Non itaque immeritò mihi viſum eſt, ideo te in hoc teſtimonio ea verba tacuiſſe, per quæ appareret de quibus ſeminibus loqueretur, quem teſtem adhibuiſti, ne mente vigili lector admoneretur, (ſi tamen hoc prævidere potuiſti,) ita in paradiſo potuiſſe ſeminari homines in arvis genitalibus feminarum per membra genitalia maſculorum, ſicut frumenta in terris agricolarum manibus ſeminantur ; ut ſic ad hominem ſerendum ſtimulus nullus libidinis incitaret, quemadmodum ad hominem pariendum nullus dolor urgeret. Quibus hæc tranquillitas diſplicet, rogo, quid eis in carne, niſi quod pudet placet ? Nec ſanè concupiſcentiæ carnalis puderet, ſi hoc ſolum carnem libéret, quod mens juberet, & quando * libéret, & quantum juberet. Nunc ergo quoniam talis non eſt, cur ei contra nos ſuffragamini, & non eam potiùs nobiſcum fatemini aut de peccato natam, aut peccato eſſe vitiatam ?

1 Cor. 15, 36.

Ibidem 37.

Ibid. 38.

JUL. *Iam verò quis riſum teneat prudentium, cùm ad hæc quæ ſubdidiſti exempla pervenerit ? Ais enim : De ipſis verbis Apoſtoli* refutaretur, non religioſæ voluntatis, ſed libidinoſæ voluptatis pudens nominator, & impudens prædicator. De ipſis quippe ſeminibus, quæ in agris agricolæ ſeminant, poteſt iſte redargui. Cur enim non credamus, Deum potuiſſe in paradiſo concedere homini beato de ſuo ſemine, quod conceſſum videmus agricolis de tritici ſemine ; ut eo modo illud ſereretur, ſicut hoc ſeritur, ſine ulla pudenda libidine ? *Quàm venuſtè pudens nominator & impudens prædicator dat omnino incompoſitos motus, & circulatorum carmina dicit. Sed illud aliud niſi* A *lætiſſimè legi non poteſt : quoniam ſi non peccaſſet Adam, ſic potuit mulier, ſicut ſeges, ad fecunditatem parari : fortè ut per omnes articulos ac per minutas corporum fiſtulas, quas medici πόρους vocant, ſpicæ erumperent filiorum ; atque ita omnibus* [a] *læta partibus, partus pro* [b] *pediculis exſudaret. Sed ſi aliqui & per oculos erumperent, auferrentur lumina parienti, & ſi pupularum globulis examina galeata prodirent, imprecaretur ſine dubio cæcitas orbitatem. Nec difficulter ſanè, non parta, ſed ſudata ſoboles* B *necaretur, atque haberetur gens, ut apud fabulas Mirmidonum, ita apud Manichæi dogmata, vel pedicularia, vel pulicaria. Sed hæc eſſet fetura mulieris : vir autem quid poſſet efficere ? Admoveret nimirum non membra, ſed ferramenta, & genitalium vacuus imprimeret vomeres ac ligones. Grates ergo & ampliſſimæ primorum hominum debentur errori, quò tam beatæ naturæ tormenta vitata ſunt. Mitiùs partus agit cum feminis, & maritus, quàm ſi aut aratra ſentirent, aut importuna per totum cor-* C *pus fecunditate ſilveſcerent. Impleantur* [c] *Manichæorum facies ignominiâ, & quærant nomen tuum, Domine. O portenta criminantium innocentes & Deum, ſuffragia argumentorum & teſtimoniorum !*

Cur, inquit, non credamus quia potuit aliter fieri natura, quàm facta conſpicitur ? Quaſi quæratur quid potuerit, & non quid inſtituerit Deus. Si libet eâ libidine opinandi quæ ſunt facta reprehendere, ut dicamus, quia fieri aliter potuerunt, ideo D *quæ ſunt inſtituta non reddunt naturæ bonæ teſtimonium ; pronuntiemus quia potuit Deus bicipites facere mortales, ideo unicipites, & qui pedibus inſiſterent malè ſunt facti, fieri enim capitati ab utraque parte potuerunt, quæ forma in quibuſdam ſolet apparere vermiculis, quorum alvum vertex ambifariam natus includit, ut ab utroque incipientes ex humero, finem habere intelligantur in medio. Admittantur iſta ludibria, & quis erit delirandi finis ? Potuit ergo facere Deus, ut de terra cum floribus homines* E *germinarent : quantum ad virtutem, potuiſſe non abnuo ; ſed noluit niſi ut de ſexibus naſcerentur. Nunc ergo quæritur quid fecerit, non quid potuerit. In quo loco furioſa reſponſio eſt, ut dicatur, malum eſt quod eſt, quia potuit Deus aliter facere ; hoc eſt enim laudare Deum in vituperationem ſui, & in maculam conſilii ejus omnipotentiam prædicare. Non ſolùm nulla laudatio, verùm etiam ingens contumelia eſt, dare viribus quod ſapientiæ detraxeris, & dicere adfuiſſe Deo fortitudinem, ſed defuiſſe conſi-* F *lium. Pertingit omnino ad negationem potentiæ, reprehenſio conſulentiæ : non omnia poteſt, ſi ordinare bene non poteſt. Immo* [d] *ſi ſapientiæ ſublimitate deficitur, nihil de reverentia divinitatis retentat : quod quia ſuſpicari profaniſſimum eſt, recurrit illud, quo tradux veſtra jugulatur. Deus qui fecit omnia bona valde, nihil ita inſtituit, ut in illo genere quo factum eſt, fieri potuiſſe aut aptius, aut rationabilius, approbetur. Sapientiâ quippe & omnipotentiâ ex æquo præditus non inſtitueret, quod homunculus poſſet jure* G *reprehendere. Quæcumque ergo in omnibus omnino creaturis naturalia docentur, ita ſummè facta ſunt, ut affectata in his emendatio, ſtulta & profana do-*

[a] Veteres codices hîc & infrà in Auguſtini reſponſione conſtanter habent, *lita*. Sed aptiùs editi, *lata*, id eſt, fertilis. Videtur ad illud Virgilii Georg. 1. alludere. *Quid faciat latas ſegetes.*

[b] In antiquis codicibus, *peduculis*. Et paulò pòſt, *pedicularia*, pro *pedicularia*.

[c] Codex Port. repetito verbo, *Impleantur, impleantur Manichæorum facies* &c.

[d] Editi, *Immo non ſapientia*. Caſtigantur ex MSS.

ceatur. Ut ergo forma equi, forma bovis habent quidem in mutua collatione distantiam, in suis tamen generibus aptam ex omni parte concinentiam ita sortitae sunt, ut nec debuerit, [a] *nec potuerit aut equus aut bos, secus quàm formatus videtur, institui: (quà regulà licet omnia natantia, repentia, gradientia, volitantia, postremò aetherea caelestiaque percurrere; nullius forma quippe meliùs, quàm illi cui parabatur generi, institui potuisse convincitur:) ita & homo quem suprà jam gradientium generalitas indicavit, sic est per universa formatus, ut meliùs à nullo fingi posset: qui accepit prudenter in corpore & locos decoris, & locos pudoris, ut in se ipso & verecundiam & confidentiam disceret; ne & deformis videretur, si esset per cuncta velatus; & deses redderetur ac negligens, si semper esset per cuncta vulgatus. Ac per hoc fecunditas humana, non alia quàm quae habet, utriusque sexûs debuit membra suscipere, non aliam rationem viscerum, non alios sensus, non aliam voluptatem. Admoneamus igitur Manichaeos, ut desinant reprehendere divinae facta sapientiae, ut opinionum suarum corrigant pravitatem: quia nec ad quaestionem*[b] *adtinet, si aliter homines quàm universitas testis est, generaturi fuisse dicantur; nec meliùs eos fieri potuisse quàm facti sunt, ut ratio, ita & Scriptura testatur, quae clamat Deum non solùm bona, sed etiam valde bona fecisse omnia. Ac per hoc ut per totum opus, hìc quoque Manichaeorum dogma collapsum est. In futuro autem tempore gloriosiora corpora, nec opis egentia, fore beatorum fatemur. Sed & hoc ipsum optimè institutum est à Deo justissimo ac sapientissimo, ut statum praemii neutiquam natura* * *perverteret; sed esset primus gradus, in quo consisteret ingenuitas naturalis, & de quo, pro jure arbitrii liberi, vel ad poenarum ima descenderet, vel ad gloriarum cacumen per eas vias, quas Deus instituit, niteretur.*

* f. praeverteret.

Aug. Prorsus, Juliane, non putasti & mea & tua homines esse lecturos: sed eis tantummodo scripsisti, qui meis ignoratis sive neglectis, nec utrisque diligenter inspectis, tua sola legere ac nosse curarent; nec dixisse me crederent, nisi quod à te commemoratum, tamquam de meis, in tuis litteris invenirent. Hinc enim factum esse video, ut quia ego dixeram,
» Cur enim non credamus Deum potuisse in paradiso concedere homini beato de suo semine, quod concessum videmus agricolis de tritici semine, ut eo modo illud sereretur sine ulla pudenda libidine: tu his verbis meis velut respondens, tua vaniloquia dilatares, eò usque progressus & diffusus, ut me sensisse jactares, *si non peccasset Adam, sic potuisse mulierem ad fecunditatem parari, fortè ut per omnes articulos, ac per minutas corporum fistulas, quas medici poros vocant, spicae erumperent filiorum, atque illa omnibus laeta partibus, partus pro pediculis exsudaret*, & cetera quae commemorare me taedet, te autem non puduit aggerare. In quibus etiam de viro dixisti, quòd *admoveret nimirum non membra, sed ferramenta, & genitalium vacuus imprimeret vomeres & ligones.* Haec certè atque hujusmodi, (quae cùm tui, non quicumque lectores, sed dilectores legunt, pro te, si ullus in eis humanus sensus est, erubescunt,) numquid mea verba garrire te sinerent, quae non ob aliud praeteriisti atque tacuisti, nisi ut tibi in istis latiora delirandi spatia praepararares? Ego enim dixi, seri hominem potuisse, ad voluntatis nutum membris obsequentibus genitalibus: tu autem genitalia membra tacuisti, ut ires per mulieris articulos & minutissimas fistulas filios per corporis poros tamquam pediculos exsudantis, & per oculorum pupulas caecitate consequente parientis. Membra, inquam, genitalia tacuisti, quasi nos ea, si Adam non peccasset, defutura hominibus diceremus; ut posses ridiculâ, non urbanitate, sed nugacitate dicere, quòd *vir genitalium vacuus vomeres & ligones fetandae conjugi imprimeret.* Numquid de numero quaestio est, figuraque membrorum; quae ad generandum creata possent in locis suis salva & integra, nec indigere incitamento libidinis, & servire imperio voluntatis? Quae ideo à me commemorata commemorare noluisti, cùm verba mea poneres, ne silentium tibi imponeres, & ad illa quae de filiis per totum corpus tamquam pediculis erumpentibus, & de ferramentis agricolarum ad impraegnandas feminas adhibendis, quae tibi festivissimâ dicacitate sonare videbantur, cùm vanitate ineptissima dicerentur, os aperire non posses.

Unde nec illud meum, quod in eodem loco, quem velut redarguendum susceperas, de parturientium doloribus posui, putasti esse tangendum. Si enim feminae sine parturitionis cruciatibus parerent, puto quòd non eis membra genitalia, sed tormenta poenalia defuissent. Porrò scriptura divina (quod omnes qui legunt sciunt) de peccato Evae hoc tormenti genus in femineum genus transisse testatur. Hoc tu in meis verbis praeterire quàm pertractare maluisti, ne diceretur tibi, ita salvis atque integris utriusque sexûs genitalibus in illa felicitate paradisi potuisse sine pudenda libidine concumbere conjuges, sicut potuerunt salvis atque integris femineis genitalibus parere sine * gemendo dolore mulieres. Sed vos non solùm cruciatus & gemitus parientium, verùm etiam labores alios aerumnasque mortalium, non à tempore arbitrii liberi eorum, sed à die exitûs de ventre matris eorum, mavultis in loco tantae illius beatitudinis ponere, quàm pudendam susceptam vestram ipso ibi saltem pudore non ponere. Et tamen qui negas in istam mortalitatem post peccatum mutatam fuisse naturam; fateris post meritum bonae voluntatis in gloriam beatae immortalitatis esse mutandam. In cujus gloriae cacumen parvuli, quod non potestis negare, meritis non suae, sed alienae voluntatis adscendunt; quos non vultis credere meritis malae voluntatis alienae, sed tamen ejus in cujus lumbis ratione seminis fuerunt, ad profunda miseriarum quas novimus, fuisse dejectos.

Parturientium dolores ex peccato Evae. Gen. 3. 16.

* f. gemebundo.

XVI.

Jul. *Sed jam pergamus ad reliqua. Post quàm ergo Abrahae, quod à me positum fuerat, vitavit exemplum; conatus est asserere, Abimelech quoque, qui orante Abraham, cum mulieribus suis sanatus refertur, ut ad generationis operam, à qua per plagam erat suspensus, posset redire,* * *non detractione libidinis, sed dolore aliquo posse intelligi mulierum vulvam fuisse conclusam: quasi à nobis assereretur impendio, ut appetitus eis naturalis redditus vide-*

* Lib. 1. de Nuptiis & conc. c. 1.

[a] Auctoritate MSS. addidimus, *nec potuerit.*

[b] In editis pro verbo *adtinet*, perperam substitutum *altius.*

retur : cùm ego testimoniis illis id solum probare fue- A *rim contentus, impeditum concubitum, qui sine libidine esse non poterat, per iram Dei, redditumque per indulgentiam Dei, sive amolitis obstaculis, sive irritamentis sollemnibus restitutis; tamen diabolicum non doceri, sed etiam per hoc ad Dei operam pertinentem, qui inter corporis instrumenta mediocria, sed innoxia, non specie, non modo, verùm solo peccaret excessu.*

Aug. Quis non intelligat, si Deo indignante accidit aliquid corpori feminarum, unde impe- B diretur concubitus, & per hoc proles, quæ utique non posset, nisi à concumbentibus concipi, eo remoto impedimento, talem concubitum redditum, qualis est in corpore mortis hujus, id est, cum libidine. In talem quippe statum revocantur corpora, cùm sanantur, qualem jam sortita est post peccatum natura mortalium, quæ illos compellit in mortem. Sed in corpore vitæ illius, ubi homo, nisi peccasset, non erat moriturus, alius procul dubio status fuit: unde aut nulla ibi, aut C talis, qualis nunc est, libido non fuit, qua caro contra spiritum concupisceret; ut ei necesse esset aut subjugari, aut reluctari; quorum alterum honestati, alterum paci beatitudinis illius convenire non posset.

Alius status corporis ante Adæ peccatum, alius nunc.

Noli ergo duas istas vitas hæretica perversitate confundere: aliter in corpore corruptibili, quod aggravat animam, vivitur; aliter in paradiso, si permansisset hominis rectitudo, in qua creatus fuerat, viveretur. Esset ergo & ibi pro- D pter generationem concubitus conjugum; sed aut membris genitalibus sine ulla libidine servientibus menti, aut ipsius, si ulla esset, libidinis motibus numquam repugnantibus voluntati: quæ si talis esset, pudenda non esset; nec corporis membra, quæ suo vel sollicitaret impetu, vel moveret, pudenda propriè vocari faceret, velarique compelleret; quod post peccatum factum esse, nec nisi peccati pœnâ fieri potuisse, Dei verba testantur. Quis, inquit, nuntiavit E » tibi, quia nudus es, nisi ex ligno, quod præce- » peram tibi tantùm ne ex eo manducares, ex eo » manducasti? Non, inquit, tibi nuntiata esset nuditas tua, nisi esset à te prævaricata lex mea. Quid est autem nuditas nuntiata, cui procul dubio ignota non erat, nisi eo motu stimulante, ut inusitato adspectu se urgeret adverti, pudoremque incuteret? Quoniam peccato factum erat, ut hominis pars inferior contra superiorem, hoc est, caro contra spiritum concupisceret. Sed F tu contra omnia claudis oculos, & Deo manifestante quòd non confunderetur homo de sua nuditate, nisi peccasset, ita fuisse asseris institutum, ut etiam si non peccasset, puderet eum nuditatis suæ. Deus enim dicit, Quis nuntiavit tibi nuditatem tuam, nisi quia peccasti? Et tu dicis, (ut ipsa verba tua ponam, quæ paulò antè loquutus es:) *Sic est homo per universa formatus, ut meliùs à nullo fingi posset: qui accepit prudenter in corpore & locos decoris & locos pudoris; ut in se ipso* G *& verecundiam & confidentiam disceret, ne & deformis videretur, si esset per cuncta velatus, & deses redderetur ac negligens, si semper esset per cuncta vulgatus.* Ac per hoc, secundùm te longè melior peccando factus est homo: nisi enim peccasset, quem Deus fecerat rectum, viveret imprudenter non dignoscendo in corpore suo locos decoris & locos pudoris, & impudenter nulla velando, & negligenter cuncta vulgando: neque enim vitaret hæc vitia, nisi ei, quia peccaverat, sua fuisset nuditas nuntiata.

Sap. 9. 15.

Libido aut nulla in paradiso fuisset, aut non repugnans voluntati.

Libido pudenda, quia nunc est, pœna est peccati.

Gen. 3. 11.

Supra n. 15.

Eccle. 7. 30.

XVII. Jul. *De quo quoniam satis actum est; ad illa properemus, quæ super naturali malo Manichæus olim acutè, sed, ut probabo, perplexitate quæstionum deceptus objecit. Breviter tamen priùs, quid Augustinus contra Apostoli testimonium retulerit, ventilemus. Ego ergo cùm notam istam operam sexuum à Deo auctore corporum institutam, etiam beati Pauli testimonio apertissimè dixissem probari, qui invectus in flagitia eorum, quos in virilis quoque sexûs concubitum præcipitarat insania, ait, Relicto naturali usu feminæ, accensi sunt in desideria sua; intuli Apostolo teste, approbari usum feminæ naturaliter institutum. Ad hoc ergo iste rescribens,* Non dixit, *inquit,* Apostolus conjugalem usum, sed naturalem, eum volens intelligi qui fit membris ad hoc creatis, ut per ea possit ad generandum sexus uterque misceri: ac per hoc, cum eisdem membris etiam meretrici quisque miscetur, naturalis est usus, nec tamen laudabilis, sed culpabilis. Non ergo isto nomine, id est, *usu naturali*, conjugalis est laudata commixtio: sed immundiora & sceleratiora flagitia denotata sunt, quàm si illicitè feminis, sed tamen naturaliter uterentur. *Id est, hic usus feminæ quem pronuntiavit Apostolus naturalem, non intelligitur conjugalis, ut bonus licitusque doceatur: sed ideo, inquit, dictus est naturalis, quia diversitatem sexûs ad hoc indicat institutam, ut & commixtui pararetur & partui. Queis molitionibus cùm juvaretur nihil, cur tantùm immoratus est? Profectò ob hoc solum, ut hi qui eum sequuntur, solutum putent quod viderint fuisse contactum: ceterum quàm nihil dixerit, brevis disputatio palàm faciet. Nempe Apostolus feminæ usum ait naturaliter institutum, nec commendavit alteram commixtionem primitus ordinatam; sed de eo usu disputans, in quo libidinem cunctis noverat viguisse temporibus, naturalem illam vocavit.*

Rom. 1. 27.

Lib. 2. de nuptiis & conc. c. 20.

Aug. Usus feminæ naturalis est, cùm ejus masculus illo membro utitur, quo natura ejusdem generis animantium propagatur; propter quod etiam ipsum membrum natura propriè dici solet: unde Cicero ait, mulierem vidisse se in somnis præsignatam habere naturam. Usus itaque naturalis & licitus est, sicut in conjugio; & illicitus, sicut in adulterio: contra naturam verò semper illicitus, & procul dubio flagitiosior atque turpior; quem sanctus Apostolus & in feminis & in masculis arguebat, damnabiliores volens intelligi, quàm si in usu naturali, vel adulterando, vel fornicando peccarent. Usus itaque concumbentium naturalis idemque inculpabilis, & in paradiso esse potuisset, etiam si nemo peccasset; non enim aliter ad humanum genus secundùm benedictionem Dei multiplicandum filii gignerentur: sed eum vocatum esse ab Apostolo usum naturalem, in quo libidinem cunctis noverat viguisse temporibus, quis tibi dixit, nisi hæresis vestra? Absit enim, ut Apostolus etiam illo tempore hominum crederet pudendam viguisse libidinem, quando nudi erant, & non pudebat eos. Verumtamen etiam si Apostolus diceret, quod ipse dixisti, *in usu feminæ naturali*

Cic. lib. 2. de Divinat.

Libido in paradiso ante peccatum nulla esset, vel pudenda non esset.

cunctis temporibus viguisse libidinem; in his quoque verbis haberem quod rectè intelligerem, ne pudendam susceptam tuam in illius beatæ vitæ corporibus, quæ nondum fuerant corpora mortis hujus, sicut tu facis, mente stultissimâ, linguâ loquacissimâ, fronte impudentissimâ collocarem. Cunctis quippe temporibus, ex quo utriusque sexûs fieri concubitus cœpit, procul dubio usus feminæ naturalis sine hac pudenda libidine esse non potuit: jam enim non vitæ illius, sed mortis hujus habebant corpus, quando post peccatum de paradiso egressi, masculus & femina utrumque sexum naturaliter primitus miscuerunt. Quod si antè facerent, ibi libido vel nulla esset, vel pudenda non esset: non enim sollicitaret invitum, & repugnare sibi cogeret castum; sed aut sine illa officium suum genitalia, jubente mente, peragerent; aut illa si esset, cùm opus esset, assurgeret, tranquillissimum nutum subsequens voluntatis, nec opprimens cogitationem turbulento impetu voluptatis. Talem se modò non esse, multis suis importunis & coërcendis motibus confitetur: ergo aut vitium esse, aut vitiatam se esse testatur. Ecce unde dicebat Apostolus, Scio quia non habitat in me, id est, in carne mea bonum. Ecce unde trahitur à nascentibus originale peccatum. Hoc malo bene utitur pudicitia conjugalis: hoc malo meliùs non utitur religiosa continentia vidualis, vel sacra integritas virginalis.

Libido qualis nūc, aut vitium est, aut vitiata est.

Rom. 7. 18.

XVIII. Jul. *Hoc nos intelleximus, cúmque de naturæ institutione loqueremur, id protulimus quod Apostolum sensisse constabat. Tu igitur quid promovisti, ut referres non ab eo usum conjugalem, sed naturalem vocari? Aut quo ore subjungis, quoniam* cùm iisdem membris meretrici quisque miscetur, naturalis est usus, nec tamen laudabilis, sed culpabilis? *Ut enim etiam hìc ostendamus, quod frequenter aperuimus, unam à te saltem sententiam non proferri, quæ non adversùm te plurimum valeat: si usus fornicationis naturalis, nec tamen laudabilis, sed culpabilis dicitur, ob hoc quia meretricis usus est; sine dubio conjugalem, quia honestum atque licitum, non culpabilem, sed laudabilem profiteberis.*

Aug. Non quia sine malo est, sed quia bene utitur malo, conjugalis concubitus meritò inculpabilis dicitur. Sic enim bonum est bene uti malo, quemadmodum malum est malè uti bono. Sic ergo bene utuntur conjugati libidinis malo, quomodo malè utuntur adulteri corporis bono. Hoc jam non semel dixi, & sæpius me dicere non pigebit, quamdiu te veris contradicere non pudebit.

Conjugalis concubitus inculpabilis.

XIX. Jul. *Et ubi est crimen tuum diabolicum, quod illi argumento pudoris nitebaris affigere? Non enim jam libido reprehenditur, quæ & in prohibito & in concesso usu, naturæ ipsius conditione sentitur; si depravatio ejus, ad id quod non licebat excurrens, sola culpatur.*

Aug. Non sola *culpatur depravatio libidinis ad id quod non licebat excurrens*: sed tua magna depravatio est, cùm à te non culpatur ad id quod non licebat impellens. Quando enim ad id quod non licet impellit, profectò nisi pravitati ejus repugnetur excurrit. Et hæc est concupiscentia carnis, qua caro concupiscit adversùs spiritum; adversùs quam propterea concupiscit & spiritus,

Concupiscentia carnis nunc sive excurrens in illicita, sive tantùm impellens, est mala.

A ne quò impellit excurrat. Malum est ergo, & quod impellit in malum: sed si non excurrit, repugnante sibi spiritu, non vincitur homo à malo. Tunc autem omni malo carebit, quando cui repugnet non erit. Neque hoc cùm fiet, natura, sicut Manichæus insanit, à nobis separabitur aliena, sed sanabitur nostra. Quæ nunc, si quemadmodum regeneratione & remissione peccatorum sanatur à reatu, sic ab omni esset infirmitate jam sana; non contra carnem spiritus
B concupisceret, ut non operaremur nisi licitum; sed ita caro spiritui consentiret, ut nihil contra illum concupisceretur illicitum.

XX. Jul. *Utque pressè interrogemus & breviter apostolum Paulum, cùm naturalem usum feminæ nuncuparet, possibilitatem rei & honestatem, an solam possibilitatem indicasse arbitraris? id est, hoc nomine,* naturali, *intelligere nos voluit usum qui fieri poterat & debebat; an qui poterat, sed non debebat? Si dixeris, qui poterat, licèt non deberet, qualis in*
C *adulteris agitur: ergo & illud aliud flagitium non erit contra naturam, quia membris agitur naturalibus. Si autem expavescens retuleris, quod & veritas habet, Apostolum usum vocasse naturalem, qui fetibus destinatus honestè agi, quippe naturaliter, ut poterat & debebat, id est, in corporibus vel singularum vel plurium feminarum, temporum tamen ratione concessis: fateberis sine dubio ineptè argumentatum fuisse; beatumque Paulum nomine naturalis usus, non fornicationem, sicut tu putaveras, sed & hone-*
D *stum & legitimum, qui fecunditati paratus est, corporum indicasse commixtum.*

Nos ergo meritò generaliter defendimus, quod Manichæus generaliter arguebat. Tu enim dicis commixtionem hanc sexuum cum voluptate, per diabolum institutam, caussam originalis esse peccati, & necessitatem omnium criminum; ac per hoc ipsam criminaris naturam: nos quid consequentius facere potuimus, quàm ut, teste magistro gentium, naturæ generalitate defenderemus & adscriberemus operi Dei,
E *quod tu naturaliter malum vocabas? Factumque est, ut quod tu dicis diabolicum, nos ad refellendum te probaremus naturaliter institutum. Ista est quippe legitima & erudita responsio, ut quod in specie accusatur, defendatur in specie; & quod in genere arguitur, vindicetur in genere. Quod etiam Manichæus intellexit, quem tu æquas crimine, sed non æquas ingenio: ideo ille omnem substantiam corporum transscribit diabolo; tu autem non universam, sed sicut in priore libro diximus, meliorem. Triumphavit ergo*
F *veritas sacris stipata præsidiis, quæ per Apostolum probans naturale conjugum negotium, & per hoc ad Deum pertinere qui esset auctor naturæ, vestra figmenta disrupit, qui id prævaricatorium, non naturale juratis.*

Aug. Jam etiam suprà satis diximus quem dixerit Apostolus usum feminæ naturalem, & cur appellaverit naturalem, id est, cùm fit eis membris utriusque sexûs, quæ ad propagandam sunt instituta naturam; sive talis usus esset, qua-
G lis in paradiso esse potuisset, nullo scilicet utens malo, vel nulla exsistente, vel non nisi nutum voluntatis subsequente libidine; sive qualis nunc est ex quo esse cœpit, vel licitus sicut in conjugio, bene utens & corporis bono & libidinis malo; vel illicitus sicut in adulterio, malè utens & illo bono & illo malo; nec tamen etiam ipse discedens

Naturalis usus feminæ quis ab Apostolo dicatur, epist. Rom. 1. 27.

discedens ab eis membris, quæ naturæ etiam nomine propriè nuncupantur. Nihil est itaque cur pressè, ut dicis, ac breviter interroges, utrùm Apostolus in eo quod ait naturalem usum, eum voluerit intelligi, qui fieri & poterat & debebat; an qui fieri poterat, sed non debebat: non enim ut hoc diceret, aliquid horum intuebatur Apostolus, sed membra tantummodo utriusque sexûs genitaliter naturalia, hoc est, ad generandam creata naturam. Nam quis ignorat, quòd licitus usus feminæ fieri & possit & debeat; illicitus autem fieri possit, nec tamen debeat; uterque autem sit naturalis, quia utriusque sexûs ad naturam propagandam creatis membris genitalibus fit?

Libido pecorum cur non sit vitium.

Tergiversatorias aufer ambages, remove loquaces & fallaces fumos vanitatis tuæ. Libido pecorum ideo non est vitium, quia non ea caro concupiscit adversùs spiritum: quod Manichæus si discernere valuisset, nec pecorum ab opificio Dei veri alienasset naturas, nec hominum vitia putaret esse substantias. Tu autem nisi cùm Ambrosio & ceteris catholicis senseris atque tenueris, per prævaricationem primi hominis carnis & spiritûs dissensionem in nostram vertisse naturam; quantumlibet Manichæos detestari videaris, eorum detestandus adjutor sine dubio permanebis; asserendo esse bonum, quod esse clamat veritas malum; & hoc malum negando ex depravatione venire peccato vitiatæ naturæ nostræ, ut Manichæus, te adjutore, commixtionem nobis naturæ introducat alienæ. (Ambros. lib. 7. in Luc. 12.)

XXI. JUL. *Simili acumine illud quoque labefactare conaris, quod dixi, evangelico testimonio ex fructibus suis arborem debere cognosci; ut ostenderem; quod clarum est, doceri bona non posse conjugia, immo ipsam naturam, quæ conjugiorum operatione suppletur, nec Dei posse* [a] *opere vindicari, si de ea dicerentur crimina pullulare. Ad hoc ergo respondisti,* Numquid Dominus inde loquebatur, & non potiùs de duabus voluntatibus hominum, bona scilicet & mala; istam bonam, illam malam arborem dicens, quia de bona voluntate opera bona nascuntur, & mala de mala? Quòd si nuptias arborem bonam intelligamus, profectò è contrario posituri sumus fornicationem arborem malam. Porrò si dixerit, non illic arboris loco ponendum esse adulterium, sed naturam humanam de qua nascitur homo: ita & hîc non erit arbor connubium, sed natura humana de qua nascitur homo. *Falleris: non ibi Dominus loquitur de duabus voluntatibus, sed de persona sua. Quoniam cùm beneficia Judæis præstaret innumera, ab ejus nihil criminationibus desinebant. Ceterùm cùm opera ejus, quæ etiam glorificabant, arguere non valerent; ipsum tamen Samaritanum ac plenum dæmonio & Behelzebulis spiritu causabantur illudere. Tunc ergo Dominus ait,* » *Aut facite arborem bonam, & fructus ejus bonos; aut facite arborem malam, & fructus ejus malos; ex fructibus enim suis arbor dignoscitur. Id est, aut opera mea vituperate, quæ bona esse infirmitates pulsæ & restitutæ sanitates loquuntur; ut improbum me, operum meorum testimonio comprobetis: aut si hæc tanta beneficia non audetis arguere; reddite bonæ arbori, mihi videlicet, testimonium fructuum meorum, & amate beneficum, qui beneficia prædicatis. Ibi ergo personam de operibus suis Christus jussit agnosci: quod nobis jure suffragatum est, ut doceremus naturam quoque atque conjugia de fructificationis suæ qualitate censenda; ut si de his criminum virus fluebat, criminosa etiam radix judicaretur.* (Lib. 2. de nuptiis & conc. c. 26.) (Matth. 12. 33.)

Vide ergo quàm ad intelligendum cæcutias, qui levare te objecti mei pondus putasti, fornicationem nuptiis ex adverso locando, ut sicut bona arbor nuptiæ, ita mala fornicatio videretur, de qua, id est, fornicatione, fecunditas nulla deberet exsistere, ne mala convinceretur, si bonæ nuptiæ bonis fetibus probarentur; cùm homo sive de conjugio, sive de adulterio nascitur, non de flagitio, sed de natura seminum prodeat. Flagitium quippe quod mœchantium voluntate committitur, substantiæ instituta non turbat: verùm exercet se natura per materias suas, & peccato remanente apud illicitæ voluntatis auctorem, fetus innocuus de opere Conditoris erumpit. Quod quidem & tu vidisti esse referendum: sed qualiter conatus sis eludere, prudens lector adtendat. Ais enim: Si arboris loco ibi non est ponendum adulterium, sed natura humana de qua nascitur homo: ita & hîc non erit arbor bona connubium, sed natura humana de qua nascitur homo. *Hoc est ergo quod eloqui conatus es: Sicut non imputatur homo fornicationi, sed naturæ: ita peccatum quod trahitur de parentibus legitimis, non esse imputandum connubio, sed naturæ humanæ, quam crimine diabolus infecit antiquo. In adulteris ergo culpasti lascivientium voluntatem; sed laudasti humanam naturam, de qua homo etiam per illicitos concubitus nascetur: in parentibus autem legitimis laudasti connubium, de quo non dicis venire peccatum; sed vituperasti naturam, de qua dicis infundi crimen horrendum. Vigilet hic ergo lector meus. Si naturam humanam in fornicatione laudabilem censuisti, quæ caussam nascenti flagitiis coëuntium* [b] *impollutam fecisset; quomodo hanc ipsam naturam in connubii parte reprehendis, quam dicis caussam naturali crimini præstitisse? Ergo non quidem connubium, sed naturam humanam & magnum bonum & magnum malum esse professus es. Nam quid ea nequius, si crimen ingenuit? quid detestabilius, si à diabolo possidetur? Quid ergo habeat artis in semine, ipsa viderit: qualitatis interim, in qua bonum omne vel malum est, pessimæ comprobatur, si & ipsa rea, & generans reatus, & diabolicæ convincitur tyrannidis satelles. Meritò ergo de fructibus suis debet arbor agnosci, ut quæ caussa mali est, mala jure optimo nominetur.*

Originalis mali caussa non conjugium, sed Adæ peccatum.

AUG. Caussam mali originalis, nec conjugium esse, nec adulterium, satis res ipsa declarat: quoniam, id quod bonum est in natura hominis, Deo creante ex homine nascitur; & id quod malum habet propter quod renasci debet, ex homine trahitur. Caussa porrò hujus mali est, quòd per unum hominem peccatum intravit in « mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes « homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. (Rom. 5. 12.) In quibus Apostoli verbis in aliam sententiam detorquendis, quanta loquacitate inaniter laboraveris, vident qui tua & nostra intelligenter legunt. Quid te igitur adjuvat? ut quid abs te, quæso, commemoratum est evangelicum testimonium, quòd *arbor bona bonos fructus facit*, cùm (Matth. 7. 17.)

[a] In MSS *operi*. Sic ipsimet editi postea n. 24. in resp. Aug.

[b] Editi, *impolluta*. Codex Mar. *impollutam*.

tu de conjugali loquereris bono, ejusque fructus velles esse homines; tamquam ideo demonstrans eos sine malo nasci, quia bonum sunt nuptiæ, & *non potest arbor bona fructus malos facere*; cùm homines * nascuntur ex hominibus, sive cum originali noxa, unde dicit Apostolus, Corpus mortuum est propter peccatum; sive sine ulla noxa, ut vos contenditis contra Apostolum, non tamen per conjugales solos, verùm etiam per concubitus impudicos; & aliquando sint sterilia conjugia, fecunda adulteria?

Ibid. 18. — * f. nascantur. — *Rom. 8. 10.*

Arbor bona & arbor mala.

Utrùm autem Dominus duas voluntates, sicut nos dicimus, in duabus arboribus insinuare voluerit, unam bonam, qua bonus est homo, quæ non potest facere opera mala, id est, fructus malos; alteram malam, qua malus est homo, quæ non potest facere opera bona, id est, fructus bonos; an sicut tu dicis de se ipso Judæis ista loquutus sit, qui nosse volunt, Evangelium legunt, [a] te negligunt. Dominus enim cùm cavendos esse monstraret, qui venirent in vestitu ovium, intrinsecùs autem lupi essent rapaces, Ex fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos, Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit. Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Et secundùm Lucam, cùm hypocritæ arguerentur, duæ istæ arbores commemoratæ sunt, & mox evidenter expositæ, subsequente Domino atque dicente: Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo profert malum; ex abundantia enim cordis os loquitur. Ubi autem ait, Aut facite arborem bonam & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam & fructum ejus malum; (quod tu eum de se ipso dixisse opinaris;) unde dixerit mox aperiens: Si quidem ex fructu, inquit, arbor cognoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur: bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala. Videsne te falli, non me? Redi ergo ad caussam operis mali, & invenies voluntatem malam: redi ad caussam originalis mali, & invenies primi hominis voluntatem malam, & eâ vitiatam naturam bonam.

Matth. 7. 16. &c. — *Luc. 6. 45.* — *Matth. 12. 33.* — *Ibid. & seq*

XXII. Jul. *Verùm hæc loquimur, ut fidei vestræ quis sit finis ostendam: ceterùm illud inconcussum valet, quod disputationibus præcedentibus fundatum est, nec quidquam malum esse, præter opus voluntatis quod justitia prohibet perpetrantis; nec quod naturale est, posse malum convinci. Manet ergo hæc inconcussa turris, de cujus edito latrocinia diversorum propulsantur errorum.*

Aug. Quid est quod dicis; aut quæ sunt tuæ præcedentes disputationes, nisi loquacissimæ vanitates? Quid est quod dicis, *nec quidquam malum esse, præter opus voluntatis quod justitia prohibet perpetrantis?* Ergo ipsa voluntas mala non est malum, si non est quidquam malum nisi opus ejus? Neque enim est consequens, ut mala voluntas habeat etiam perpetrandi operis facultatem: ac per hoc te auctore non erit malum hominis malè velle, quando non potest facere. Quis istam ferat insipientiam, vel potiùs amentiam? Ubi etiam ponimus, quia si non est malum quidquam, nisi opus voluntatis quod justitia prohibet perpetrantis; non erunt mala quæcumque homines nolentes sive agunt, sive patiuntur: non erit malum quod clamat Apostolus, Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago: non erit malum supplicium ignis æterni, ubi erit fletus & stridor dentium; quia id volens nemo patietur, & non est opus voluntatis quod justitia prohibet perpetrantis, sed pœna nolentis. Quando ista saperes, si non [b] mirabiliter desiperes, vel potiùs insanires?

Rom. 7. 19. — *Matth. 8. 12.*

Quid est etiam quod dicis, *nec quod naturale est, malum posse convinci?* Itane verò, (ut innumerabilia naturalia vitia corporis taceam,) malum non est surditas naturalis, quæ ipsam quoque, ex qua justus vivit, impedit fidem, quoniam fides ex auditu est? Sed vos, nisi surdi intus essetis, Apostolo dicente, Fuimus enim & nos naturaliter filii iræ, sicut & ceteri; cordis auribus audiretis. Sed pergite adhuc, & cordibus cæcis surdisque clamate, Non est malum naturaliter esse obliviosum, naturaliter esse obtunsum, naturaliter esse iracundum, naturaliter esse libidinosum. Cur enim non securi fatua ista verba jactatis, quibus malum non est etiam ipsa fatuitas naturalis? Usque adeo quippe omne originale malum meritum negantes, cuncta naturalia vitia laudare cogimini, ut non solùm corpore deformes, debiles, monstruososque fetus, verùm etiam fatuos, si nemo ibi peccasset, exorturos in paradiso fuisse dicatis; dum tamen pudendam susceptam vestram, qua caro concupiscit adversùs spiritum, inter delicias loci illius beatissimi collocetis.

Gal. 3. 11. — *Ephes. 2. 3.*

Pelagiani originale peccatum negantes, coguntur cuncta naturalia vitia in paradiso admittere.

XXIII. Jul. *Verùm nunc, quod locus exigit, insequamur. Apparet te, subtilissime disputator, unam eamdemque rem, naturam scilicet humanam magnis extulisse laudibus, sed majoribus maculasse criminibus: quod sicut uno tempore, [c] uno opere, unoque consilio evenire simul non potest; ita ratio naturalis nequaquam capit hæc, vel [d] sub alternatione contraria, sed uno semper plena, id est, taxatione boni, numquam propter malum, quod ejus instituta * peractoris sui non capiunt dignitatem, nisi à pollutissimo Manichæorum dente mordetur. Sed hoc expleto, illud inquiro, quos putes connubii fumos sequendos? Nam si connubium fateris non esse caussam hominis, sed naturam; peccati quoque caussam non esse connubium, sed naturam; hoc connubium, cui laudem dabas, totum prorsus evanuit. Cui ergo rei adscribitur, si nec mali tui, nec boni mei caussa est? Si ab honestate connubii hominem submoves, ne eum etiam fornicationi cogaris adscribere; à necessitate connubii peccatum removes, ne nuptias damnare videaris; quid remansit laude dignum in possessione conjugii? Cur illud times violare sermone, quod admota disputatione funditus subruisti? Cujus ergo rei caussa esse dicetur, si nec malo nec bono participat naturali? Nihil ergo jam agit in rebus humanis nomen honestasque conjugii? Sed angeris, & durè quidem: subveniendum est igitur anhelo seni. Remansit quod ei dare possis, sine quo tamen nihil aliud invenitur: videlicet*

* f. per auctoris sui dignitatem non capiunt.

[a] Editi, *& negligunt.* Emendantur ex MSS.
[b] Codex Port. *miserabiliter.*
[c] MSS. *uni operi.*
[d] Sic MSS. Editi verò, *subalternatio.*

ut dicas hoc connubium stare pro foribus, ut ad voluptatem coëuntium nullam obscœnitatis famam permittat irruere, sed suo titulo illi negotio honestatem vindicet & pudorem. Sine caussa ergo connubii fidem subdola corrumpere laude voluisti: nulli es infestus, quàm tibi. Vos omnino [a] *proturbat, nec ad lacerationem commixtionis tutelæ suæ creditæ, Manichæorum linguas permittit irrepere. Habent*, inquit, *suo dogmate digna meritoria, in quibus nocturnis horis expleantur: illam verecundantium* [b] *voluptatem connubii tuentur excubiæ, arcentur crimina, & honor honestatis admittitur:* [c] *privilegia sibi ab Apostolo concessa defendunt honorabiles nuptias & thoros immaculatos; fornicatores autem & adulteros judicabit Deus. Ubi est ergo criminosa commixtio, si negotio ejus atque secreto auctoritas connubii, quod laudabas, obsequitur.*

Hebr. 13. 4.

Aug. Tu quidem, ut ex fructibus suis cognosci arborem diceres, non naturæ hoc evangelicum testimonium, sed nuptiis proficere voluisti. Nam tua verba ista sunt: *Si ergo trahitur*, inquis, *& de nuptiis originale malum, caussa mali est conventio nuptiarum, & necesse est malum esse per quod & ex quo malus fructus apparuit, dicente Domino in Evangelio, Ex fructibus suis arbor agnoscitur. Quomodo*, inquis, *tu audiendus putaris, qui dicis bonum esse conjugium, de quo nihil aliud quàm malum prodire definis? Constat igitur*, inquis, *rea esse conjugia, si peccatum inde originale deducitur; nec posse defendi, nisi fructus eorum innocens approbetur: defenduntur autem, & bona pronuntiantur: fructus igitur approbatur innocuus.* Nempe his verbis tuis satis clarum est, arborem te intelligi voluisse conjugium, & fructus arboris eos fetus, qui conjugum commixtione nascuntur. Sed quia hinc ratione manifestissima exclusus es, & ex adulteris enim tales fetus oriuntur: ad naturam putasti esse fugiendum, in cujus altitudine latitares; de qua non agebas, quando propter connubii bonum fructusque ejus bonos similitudinem arboris evangelicæ cæcus adhibebas. Defende ergo naturam contra originale peccatum: relinque conjugia, ipsam dic bonam arborem, quia sive de conjugiis, sive de adulteriis, ipsa gignit homines; quos ideo dicis fructus bonos arboris bonæ, ne aliquem reatum ex origine depravata credantur generatione traxisse, regeneratione solvendum; ne indigeant salvatore, ne in * remissione peccatorum fuso sanguine redimantur. Age ista ut detestandus hæreticus: imple paradisum Dei, etiamsi nemo peccasset, libidinibus concupiscentium, certaminibus contra libidines dimicantium, doloribus parturientium, fletibus vagientium, morbis languentium, funeribus morientium, mærore lugentium. Sic age, hoc te decet: tales enim, te auctore, subsequuntur pœnæ bonos fructus arboris bonæ, & insinuant paradisum deliciarum, sed Pelagianarum.

Matth. 12. 33.

* f. in remissionem.

Paradisus Pelagianarum deliciarum, etiamsi nemo peccasset.

Quin etiam meam disputationem dialecticus acutus irrides, dicens, *unam eamdemque rem, naturam videlicet humanam, magnis extulisse me laudibus, sed majoribus maculasse criminibus.* Ego verò non Aristotelem vel Chrisippum, multo minùs vanum cum sua loquacitate Julianum, magistrum delector habere; sed Christum, qui profectò nisi natura humana magnum esset bonum, non pro illa homo fieret, cùm Deus esset; nisi magno peccati malo mortua esset, non pro illa moreretur, cùm sine peccato ipse venisset & mansisset. Rursus tamen, quasi non tibi natura humana sufficiat, quæ talis de adulteris, qualis de conjugibus nascitur, de bonitate nos putas urgendos esse nuptiarum, quærens quid agant in rebus humanis, si neque malum ipsis imputandum est, quod non de illis, sed de vitiata per peccatum origine trahitur; neque bonum, quia homo etiam de adulteris nascitur. Et quia honestatem connubii à concubitûs illiciti turpitudine invenimus esse discretam, hinc existimas confici, nullum originale malum trahi de conjugali concubitu; non intuens, quòd si connubii bonum caussa esset, ne malum traherent, qui de conjugibus nascerentur; profectò adulterii malum caussa esset, ut malum traherent, qui de adulteris nascerentur. Habent igitur in rebus humanis honestum locum suum nuptiæ, non ut homines nascantur, qui etsi nulla nuptiarum lege, naturali usu passim sexus uterque concumberet, utique nascerentur; sed ut ordinata propagatione nascantur; & quemadmodum partu certæ sunt matres, ita fide conjugii habeantur certi & patres: & ne tua pudenda suscepta per quaslibet feminas tanto turpiùs, quanto liberiùs evagetur. Sed non quia de nuptiis certo genitore homo nascitur, ideo non indiget salvatore per quem renascatur, ut à malo cum quo nascitur, liberetur. Non est itaque in connubiis, ut nos dicere calumniaris, criminosa commixtio: sed ideo laudanda est conjugum castitas, quia sola potest bene uti malo, quod tu deformiter laudas.

Natura humana magnum bonum, sed magno peccati malo mortua.

Nuptiarū lex honesta & utilis ut ordinata propagatione nascantur liberi.

XXIV.

Jul. *His igitur absolutis vel breviter ostendam, quàm jaceas in profundo ignorantiæ, qui hactenus subtilissimus & acutissimus habebare. Dicis te naturæ adscribere crimen, quod transit in sobolem, non tamen* [d] *in nuptiis: sicut è regione, hominum naturæ applicas, non flagitio. Et ideo fingis te quidem laudare connubium, ne apertè deprehendaris Manichæus; sed vituperas naturam, cui & malum inesse, & de qua propagari malum fateris. Numquam igitur audire potuisti disputationis regulas & sanissimæ constituta rationis? In omnibus enim prædicamentis plus amplectuntur genera, quàm species; inde autem etiam fiunt genera subalterna: plus autem species, quàm atomi; suntque genera quibus species continentur, species autem speciales quibus individua concluduntur. Minorum ergo quassatio, superiora non quatit; superiora verò casibus suis omnia, quæ complectebantur, involvunt. Verbi gratiâ, animal genus est: sed latitudine suæ significationis diversas species comprehendit, scilicet hominis, equi, bovis, &c. Si ergo pereat una species, genus illud non sentit exitium: fac enim ut de rebus boum natura deficiat; genus nimirum interemtum non est, aliorum animalium permanente naturâ. At contrà, si hoc quod est animal, auferatur de rebus; omnes sine dubio species, quæ hoc genere concludebantur, intereunt: nulla enim remanebit species animantis, animali penitus interemto. Ea ergo quæ superiora sunt, eventus suos*

[a] Editi, *perturbat*. Aptiùs MS. Clar. *proturbat*.
[b] Editi, *voluntatem*. Unus MS. Port. *voluptatem*.
[c] Idem codex Port. *privilegio sibi ab Apostolo concesso defendit*.

[d] Codex Port. *non tamen in nuptias* fortè legendum, *non tamen nuptiis*.

atque merita speciebus, quas amplectuntur, impertiunt: non tamen recurrit, ut specierum suarum quasi necessitudinum quarumdam varietatibus permutentur. Utque ad caussam referatur exemplum: naturæ humanæ generalitas [a] *institutionum infra se locatarum genus quoddam est; hæc velut species habet, in situ, in membris, in ordinibus, in motibus, vel aliis id genus. Qualitatem ergo suam omnibus suppositis speciebus impertit: non tamen* [b] *obnoxiaretur sui, ut minorum à se rerum periculis misceatur. Si ergo natura vituperetur, & obnoxia diabolo reaque credatur, conjugium quoque quod sub illa est, & fecunditas, & substantia tota damnabitur. Non potest ergo laudari connubium, quod fit secundùm naturam, si natura ipsa reprehenditur. Commoriatur necesse est radici suæ germinum succisorum venustas: & ut rem ipsam planiùs eloquar, non potest dici bonum negotium nuptiarum, si commixtio naturalis arguitur; quoniam quod depretiatur in genere, cui indivisibiliter adhæret, in specie nequit honorari. Porrò cùm mala voluntas instrumentis naturalibus ad flagitia utitur, vis illa voluptatis & seminis, quæ numquam pro coëuntium voluntate variatur, nullam patitur criminis societatem; sed materiam Deo præstat operanti, flagitiumque adulterantis solummodo arguit meritum, non naturæ. Cùm igitur de naturalibus disputaremus, perobtunsè naturam reprobans connubia laudasti; cùm irrefutabiliter constet genus speciebus suis participare, quidquid exceperit: & ideo aut usus, quem naturalem Apostolus dicit, bonus legitimusque censebitur, & erunt honesta conjugia, nullumque erit naturale peccatum; aut si creditur natura esse diabolica, ut sit originale peccatum, connubii quoque usus damnabilis pronuntiabitur. Et non quidem sobriè, ex aperto tamen Manichæorum dogma suscipitur: quod quoniam funestum est, nec apud illos quidquam est aut veritatis, aut honestatis, aut fidei; apud nullos autem alios opinio potest naturalis esse peccati; ut nos catholicos, ita vos constat esse Manichæos.*

Aug. Tu certè de arbore loquutus es, & fructibus ex quibus arbor agnoscitur, cùm in hac similitudine conjugium prolemque intelligendam putasses, exclusus inde, quia & de concubitu adulterino potest talis exsistere fructus, ad naturam fugisti. Nec latere nos fugientis transitus potuit: in verbis enim tuis, quæ nunc commemorabo, satis evidenter apparuit. Aisti enim loquens ad me ipsum: *Simili acumine illud quoque labefactare conaris, quod dixi, testimonio evangelico, ex fructibus suis debere arborem cognosci; ut ostenderem*, inquis, *quod clarum est, doceri bona non posse conjugia; immo ipsam naturam, quæ conjugiorum operatione suppletur, nec Dei posse operi vindicari, si de ea dicerentur crimina pullulare.* His tuis dictis aperuisti fugæ tuæ transitum, nominatis conjugiis addendo & dicendo, *immo ipsam naturam, quæ conjugiorum operatione suppletur.* Distinxisti ergo duo ista, satisque ostendisti aliud esse naturam, aliud conjugia, quorum operatione natura suppletur. Quid est ergo quòd postea naturam genus, ejusque speciem vis esse conjugium? Numquid ullum genus speciei suæ ullius operatione suppletur? Non utique: ne-

A que enim animal, quod est genus, suppletur operatione hominis, vel equi, vel bovis, vel alterius alicujus pecoris, quod species est generis illius: quando quidem etiamsi desit aliqua species, auferaturque de rebus; manet tamen genus, quod ceteras amplectitur species, sicut etiam ipse disputasti. Quod genus utique integrum non maneret, si operatione speciei, quæ ablata est, suppleretur: non enim magis est genus, si plures; & minùs est genus, si species habeat pau-
B ciores: quamvis si omnes auferantur species, nec genus erit; quemadmodum genere ablato, nulla erit species. Non est igitur connubium species, genusque natura, si connubiorum opere natura suppletur: sicut non est agricultura species segetis, quoniam suppletur seges opere agriculturæ. Deinde si naturam genus, ejusque speciem dicis esse conjugium; procul dubio dicere cogeris, quòd natura sit omne conjugium. Ideo quippe omnis equus animal est, etsi non omne animal equus; quia species est equus, animal ge-
C nus. Ergo nec fit ab homine aliqua natura: quamvis enim, ut scriptum est, à Domino jungatur mulier viro (Prov. 19. 14. sec. LXX.); quoniam nisi adjuvante ipso non fit, quando rectè fit: quis tamen nesciat opera hominum esse conjugia? Porrò si naturam non facit homo, non est natura conjugium; quia conjugium facit homo. Ac per hoc, quia conjugium natura non est; profectò naturæ species, tamquam illa sit genus, nullo esse pacto potest. Conjugia igitur ad mores hominum perti-
D nent, ipsi autem homines ad naturam. Licet itaque nobis mala vitiatæ vituperare naturæ, & laudare mores bene utentes bonis malisque naturæ. Laudo ergo conjugia: absit autem ut laudem malum, quo caro concupiscit adversùs spiritum (Concupiscentia malum.); sine quo malo quisquam hominum non potest nasci; cujus mali reatus, nisi renascendo, non potest solvi; cujus mali bonus usus laudatur in concubitu conjugali. Proinde originale
E peccatum, quod non [c] trahitur ex alienæ commixtione, sed ex nostræ depravatione naturæ, non dicunt Manichæi, sed dicunt catholici: quod vos negando estis hæretici.

XXV. (Lib. 2. de nuptiis & concup. c. 23.)

Jul. *Ad cujus nominis cavendam invidiam, frustra omnino diversarum facis hæreseωn mentionem. Ais enim,* Sicut Ariani Catholicos Sabellianos vocant, quamvis certam personarum distinctionem faciant, naturæ tamen communione servata; ita & à nobis Manichæorum vobis nomen imponi; cùm vos non dicatis malum esse nuptias,
F quod dicunt Manichæi, sed dicatis malum in omnes homines naturæ conditione transire. *Hæc autem argumenta tua à prudentibus non ambigo irrisum iri: nam ut Ariani falsò Catholicos Sabellianos dicunt, cùm à nobis & Patris & Filii & Spiritus-sancti personarum fiat sine ulla confusione & sine mutatione substantiæ distinctio, illique hebetissimè calumnientur, inter unum & tres nihil interesse: ita etiam catholici jure meritóque vos Manichæos esse pronuntiant; quia id à nobis dici fides vestra com-*
G *pellit. Asserunt quippe Manichæi naturale peccatum: vos dicitis naturale. Dicunt Manichæi libidinem corporum à diabolo esse plantatam: tu id multiplicata disputatione confirmas. Contendunt illi per liberum*

[a] Editi, *irritationum.* Vetus codex Mar. *irrationum.* At infrà n. 40. in responsione Augustini hunc ipsum locum citantis omnes libri habent, *institutionum.*

[b] Codex Port. *obnoxia reatûs sui.*

[c] Vignerius, *non trajicitur.*

arbitrium non posse malum caveri, quippe quod naturale sit: [a] *tu quoque iisdem sermonibus liberum commentaris arbitrium, sed per quod malum fieri possit, à malo autem non possit desisti. Dicit Manichæus semen esse maledictum: tu id Scripturarum auctoritate probare conaris. Dicit Manichæus inconvertibilem esse malitiam: tu sic esse vociferaris. Sed dicis tu Adam solum naturæ fuisse melioris: dicit etiam Manichæus ad Patricium, meliorem illum sequutis credi oportere, quasi de primæ concretum* B *flore substantiæ. Dicis tu commixtionem propter naturales motus esse diabolicam, atque homines à diabolo quasi fruticis à se plantati fructus jure decerpi: dicit etiam hoc Manichæus, quippe à quo id credere & affirmare didicisti. Dicit Manichæus & naturam & nuptias malas esse: tu autem bonas nuptias, sed ream naturam. Non tu hic religiosior, sed ille prudentior. Quomodo ergo falsum est, quod dicunt Ariani, Catholicos Sabellianos esse: ita verissimum est, quod dicunt Catholici, Traducianos non esse aliud quàm Manichæos; distinctionem autem inter vos illusoriam* C *quidem, non fide vestrâ, sed imperitiâ contigisse. Unius ergo fidei tu & Manichæus: sed ille minùs impudens, quàm tua gravitas invenitur; neque enim facilè Manichæus aut Melitidis alter offenditur, qui dicat se damnare naturam hominum, sed non infamare conjugia.*

Manichæus & Melitidis.

Aug. Cur ego Arianos & Sabellianos commemoraverim, qui librum illum meum intelligens legit, mox invenit; teque pervidet dolosè agere, qui eamdem caussam totam commemo- D rare noluisti. Tibi enim dixi: Sicut Ariani dum Sabellianos fugiunt, in pejus aliquid inciderunt, » quia Trinitatis ausi sunt non personas discernere, » sed naturas: ita Pelagiani dum Manichæorum » pestem in perversum vitare conantur, de nuptia- » rum fructu ipsis Manichæis convincuntur perni- » ciosiora sentire, credendo parvulos Christo me- » dico non egere. Hæc verba mea tibi proposuisses, vel certè hanc sententiam meam, si mihi quoquo modo respondere voluisses: quibus præ- E termissis dicis tibi ipse quod vis, ut mihi, non ea quæ à me dicta sunt refellendo, sed non tacendo respondisse videaris.

Lib. 1. de nuptiis & conc. c. 23.

Et nunc, quòd ea me sentire dicis, quæ sentiunt Manichæi, multùm falleris; vel potiùs, quos potes fallis. Nam Manichæi malum coæternum Deo, idemque malum esse substantiam, & alienam quamdam dicunt esse naturam, quæ in bonum mutari, nec per se ipsam, nec à bono Deo possit omnino: cujus immutabilis mali [b] com- F mixtione, animam bonam, quam credere audent boni Dei esse naturam, inquinatam perhibent atque corruptam: & ob hoc in qualibet hominis ætate necessarium habere salvatorem, à quo mundata & redintegrata atque à tali captivitate eruta liberetur. Vos autem dum in perversum fugitis Manichæos, in has impietatis tenebras incidistis, ut ab omni malo asserendo parvulos salvos, Salvatorem miseris necessarium non putetis; & adjuvandis eis ipsis, quos fugitis, Mani- G chæis nescio quomodo per circuitum vestri occurratis erroris, negando malum vitiatæ naturæ nostræ; ut quidquid malorum vel rectè credi- A tur, vel apertè invenitur in parvulis, commixtioni (quod volunt ipsi) naturæ tribuatur alienæ. Catholica verò ut Manichæos & Pelagianos devitet, nullam naturam atque substantiam esse dicit malum: sed voluntario malo, quod per unum hominem in omnes homines pertransiit, nostram naturam atque substantiam ideo mutabilem, quia Dei natura non est, non negat esse vitiatam; eique malo, quod insanabile Deo non est, ut absumi possit, in omnibus ætatibus Salvatorem B necessarium confitetur. Proinde nec de peccato naturali, nec de libidine corporum, nec de libero arbitrio, nec de semine maledicto, nec de inconvertibili malitia, nec de natura primi hominis, nec de commixtione sexuum, nec de potestate diabolica in homines, eadem quæ Manichæi, dicere possumus; qui duas naturas atque substantias, unam boni, alteram mali, sine initio temporis sempiternas, & ex quodam initio temporis commixtas esse non dicimus; ne inter mul- C ta absurda atque vesana, etiam Dei naturam coinquinabilem corruptibilemque dicamus.

Manichæorum error de malo.

Pelagiani Manichæos in perversum fugientes, eos adjuvant.

Catholicæ Ecclesiæ sententia Manichæos & Pelagianos devitat.

Quòd autem me solum affirmas dicere bonas nuptias, reamque naturam: ut alios taceam, do tibi Paulum apostolum, quem tu quoque laudatorem prædicas nuptiarum, dicentem tamen de naturæ * originalis reatu, Corpus mortuum esse propter peccatum. Do tibi alterum hujus intellectorem, meumque doctorem, catholicum Ambrosium, qui cùm laudet conjugalem pudicitiam, D dicit tamen: Omnes sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est. Calumniose, contentiose, linguose, quid quæris amplius?

Rom. 8. 10. * f. originali.

Ambros. lib. 1. de Pænit. c. 2. vel 3.

XXVI.

Jul. *Verùm adversùm hæc ludibria satis actum est: veniamus ad eam, quam suprà dixi, perplexissimam quæstionem, quæ ipsum præceptorem tuum sui subtilitate decepit. Oppositioni quippe nostræ, haud exponendo, sed aliud difficilius ponendo conatus es occurrere. Cùm enim docuissem, quia in hominibus perfectioris ætatis malum suapte* [c] *voluntate operan-* E *tibus, & innocua naturæ laudarentur exordia, & actionum diverticula jure vituperarentur; duoque esse, quæ possint contrariis applicari; in parvulis autem unum, id est, naturam, quia voluntas non esset; illudque unum aut Deo, aut dæmoni esse reputandum:* * *collegique, ut si per Deum natura subsisteret, non posset esse in ea originale malum; si autem diabolo transscriberetur per ingenitum malum, nihil esset per quod homo divino operi vindicaretur: cùm ergo ad ea pervenisses loca, respondisti, fide solita, me colle-* F *gisse verum; sed & in parvulis duo esse, id est, naturam & peccatum. Quod tamen peccatum, ut priorum definitionum recorderis, nihil est aliud, quàm voluntas retinendi vel admittendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Constituto ergo peccatum nihil esse aliud, quàm pravæ voluntatis electionem; respondisti, Epicure nostri temporis, in parvulis peccatum esse, voluntatem non esse: quod cujus sit dedecoris, liber jam quartus ostendit.*

* f. colligique.

Peccatum quid sit. Vide suprà lib. 1. n. 44.

In his ergo locis cùm dixissem, Si ex voluntate est G *peccatum, mala voluntas, quæ peccatum facit; si ex natura, mala natura, quæ peccatum facit: ea quæstione es mihi conatus occurrere, quam à te excogitatam non esse manifestum est. Nam cùm ante hos annos esse-*

[a] Duos hîc versus ex MSS. restituimus.

[b] Editi, *commixtionem*. Et paulò pòst, *pietatis tenebras*. Et infrà pro, *reamque naturam*, ferebant *eamque naturam*. His & aliis in ista responsione locis emendantur ad veteres codices.

[c] Editi, *suapte naturâ*. Veriùs MSS. *suapte voluntate*

mus Carthagini, à quodam mihi Honorato [a] *nomine; necessario tuo, Manichæo æquè, sicut epistolæ vestræ indicant, id ipsum propositum est. Cujus rei ad hoc tantummodo feci mentionem, ut clareret hanc esse quæstionem, quæ & Manem & Marcionem ante tot sæcula decepisset. Sic ergo loqueris contra hoc quod ego dixeram, Si peccatum in natura, mala natura quæ peccatum facit.* Quæro ab illo, si potest respondeat, sicut manifestum est, ex voluntate mala tamquam ex arbore mala fructus ejus fieri omnia opera mala, sic ipsam voluntatem malam, id est, ipsam fructuum malorum arborem malam unde dicat exortam. Si ex angelo; quid erat ipse angelus, nisi bonum opus Dei? si ex homine; quid erat ipse homo, nisi bonum opus Dei? Immo quia voluntas mala ex angelo angeli, & ex homine hominis orta est; quid erant hæc duo, ante quàm in eis ista mala orirentur, nisi bonum opus Dei, & bona atque laudanda natura? Ecce ergo ex bono oritur malum, nec fuit omnino unde oriri posset, nisi ex bono; ipsam dico voluntatem malam, quam nullum præcessit malum; non opera mala, quæ non sunt nisi ex voluntate mala, tamquam ex arbore mala. Nec ideo tamen ex bono potuit oriri voluntas mala, quia bonum factum est à Deo bono; sed quia de nihilo factum est, non de Deo. Quid est ergo quod dicit, Si natura opus est Dei, per opus Dei opus diaboli transire non sinitur? Nonne opus diaboli, quando in angelo qui diabolus factus est, priùs ortum est, in opere Dei ortum est? Quapropter si malum quod omnino nusquam erat, in opere Dei oriri potuit; cur malum quod alicubi jam erat, per opus Dei transire non potuit? Numquid homines non sunt opus Dei? Pertransiit ergo peccatum per homines, hoc est, diaboli opus per opus Dei; atque ut alio modo idipsum dicam, opus Dei per opus operis Dei. *Hæc tam multa, quæ de tuis sermonibus posui, aperuerunt omnino ipsum caput & fontem erroris antiqui: nihil in dictis tuis acutius, nihil in disserendo perplexius adtulisti; toto omnino campo disputationis agitatus, ac de omni loco, in quo tentaveras subsistere, armis infestæ veritatis expulsus, pervenisti tandem ad illum specum, quem inter opaca quæstionum Manichæus foderat. Reddidisti propositioni huic testimonium difficultatis suæ, dicens,* Quæro ab illo, ut si potest respondeat: *& ideo quoniam convenit inter utrumque nostrûm locum esse difficilem, ut toto animo adsit lector admoneo. Distinctiones pro rei conditione subtiles, quas adjuvante Christo confido pinguescere, priùs intentus, mox securus sequitur. Quæsisti ergo, unde malum: interrogo, quod malum dicas; commune enim hoc nomen est culpæ & vindictæ; ceterùm abusivè supplicium malum vocatur, cùm gravitate ejus quo infertur judicii vindicetur. Respondes, de peccato te dicere, non de supplicio.*

Lib. 1. de nuptiis & conc. c. 28.

Supplicium bonum quidem opus esse damnantis, sed verè malum esse damnati.

Aug. Aperuisti omnino stultitiam tuam, quantùm potuisti, qui malum confiteris esse peccare, & malum non esse dicis, sed abusivè malum vocari, supplicio sempiterni ignis ardere. Sed tan- G tæ absurditatis rationem reddis egregiam: *Abusivè*, inquis, *supplicium malum vocatur, cùm gra-* A *vitate ejus quo infertur judicii vindicetur.* Si ergo, ut hoc dicas, damnati pœnam non ex miseria patientis, sed ex justitia damnantis appendis; dic apertiùs, bonum esse supplicium, quod abusivè dicis malum vocari. Supplicium est enim pœna peccati, & justa est utique pœna peccati: justum est itaque supplicium; & omne quod justum est, bonum est: bonum est ergo supplicium. Nonne cernis, nisi ita damnatum à damnante distinguas, ut ipsam damnationem, quod supplicium est & pœna peccati, B bonum quidem opus esse asseras damnantis, sed damnati exitium malum: non, inquam, cernis, nisi hæc eâ ratione distinguas, ad hoc te perduci ut dicas, homines malis operibus suis, non ad mala quæ patiantur graviora, quod verum est, sed ad bona potiùs pervenire, quod tam falsum est, & tanta vanitate dicitur, ut ista sapere tantum sit malum, quantum est etiam cordis cæci supplicium? Igitur non abusivè vocatur malum; sed prorsus malum est patienti: bonum est autem C facienti, quia justum est pœnam irrogare peccanti. Si delirare non vis, ista distingue.

XXVII. Jul. *Quæris ergo unde sit hoc malum, quod meritò malum vocatur, id est, peccatum. Respondeo, imperitè nimis rogari originem rei, de cujus adhuc definitione non constitit. Videamus ergo priùs utrùm sit, tunc quid sit, ultimum unde sit. Feci hoc quidem in primo præsentis operis libello; sed ibi ex aliqua parte securus: ambigatur ergo utrùm sit malum.*

Aug. Si tu esse malum diceres, ego autem D negarem; tunc inter nos quæstio verteretur, utrùm esset malum, in qua quæstione susciperes ostendere malum esse, quia id à me negatum esset: cùm verò id neuter nostrûm neget, neuter hinc ambigat; quid poscis ut ambigatur unde non ambigitur, nisi loquendi libidine; ut non verborum meorum convictione, sed librorum tuorum multitudine glorieris?

XXVIII. Jul. *At id esse testantur frequentata vitia & severa judicia: constitit ergo esse peccatum. Quæri-* E *mus quid sit; utrùm corpus aliquod sit, quod ex* [b] *multis compositum videatur; an singulare quiddam, sicut unum aliquod elementum, vel per cogitationem à reliquorum communione purgatum. Porrò nihil horum est. Quid est ergo? Appetitus liberæ voluntatis, quem prohibet justitia: vel ut definitione utamur priore, Voluntas faciendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Considera ergo, utrùm extra terminos definitionis hujus peccatum nequeat inveniri, ne alibi vagetur, quod nos comprehensum* F *putamus. Consulamus ergo justitiam judicantis, ut & illius testimonio clareat, utrùm bene cinctum sit his limitibus genus omne peccati. Imputatne Deus quod scit non posse vitari? At nulla justitia est, & summa deformitas: immo si hoc fiat, non puniuntur peccata, sed crescunt. A justo enim judice culpa puniri solet: ea si in ipsum* [c] *arbitrum justitiæ corruptione pervadat, vindicata est de judice, non punita. Non ergo imputat justitia in peccatum, nisi unde liberum est abstinere. Liberum autem dici non potest,* G *nisi quod sine aliquo inevitabili naturalium coactu, in jure emancipatæ constiterit voluntatis. Optimè ergo est finitum & plenè: Peccatum est voluntas fa-*

Peccatum quid sit.

Liberum quid sit apud Pelagianos.

[a] Editi, *honorato homine.* Ac paulò pòst, *sicut epistolæ nostræ indicant.* Emendantur ex MSS. Honoratus porrò amicus Augustini, qui Manichæis aliquando inhæsit, notissimus est ex libro de utilitate credendi ad eum scripto. Hunc Julianus satis indicat eumdem ipsum esse, qui Carthagine quæstionibus missis ad Augustinum, illam ab eo contra Pelagianos eximiam, quæ de gratia novi Testamenti inscribitur, epistolam 140. accepit.

[b] Sic MSS. At editi, *ex omnibus.*

[c] Editi, *arbitrium.* Meliùs MSS. *arbitrum.*

ciendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. His ergo partibus absolutis, quæratur unde sit, quod perturbatissimè ante has definitiones fuerat inquisitum. Unde est ergo peccatum? Respondeo, de libera voluntate facientis. A

Rom. 7. 20. Aug. Itane verò de libera voluntate facientis est, ubi dicitur, Si autem quod nolo ego hoc » facio, jam non ego operor illud, sed quod ha» bitat in me peccatum? Videsne cùm quæris unde sit peccatum, atque respondes, *de libera voluntate facientis*, illud te cogitare peccatum, quod B non est etiam pœna peccati: hoc autem ubi facit homo quod non vult, & tamen peccatum esse Apostolus clamat, ad hanc tuam responsionem minimè pertinere, nec ad illam definitionem, quam commemorasti dicens, Peccatum id esse, quod est voluntas faciendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere? Quomodo enim liberum est abstinere, ubi clamatur, Quod nolo hoc facio? Aliter ergo natura humana peccavit, quando ei liberum fuit abstinere à pec- C cato: aliter nunc peccat perditâ libertate, quando eget liberatoris auxilio. Et illud tantummodo peccatum erat: hoc autem etiam est pœna peccati.

Peccatum illud tantummodo peccatum, aliud etiã pœna peccati.

XXIX. Jul. *Sed videamus, utrùm istud quod definitio præmissa confecit, omnium assensione firmetur. Certè nec prudens hinc ullus potest, nec catholicus dubitare, id est, nec peccatum esse nisi quod potest caveri, nec justitiam esse nisi quæ hoc imputet illi quem punit, quod libera voluntate per se ipse commisit, cùm potuisset cavere.* D

Aug. Hoc imputatum est primo homini, quod posset cavere, si vellet: sed ejus peccato universa etiam in posteris natura vitiata Salvatore opus habet, ut possit cavere peccata, quando etiam ætas accesserit, qua uti possit rationis officio: ante hanc verò ætatem inest ex origine reatus generatione contractus, regeneratione detrahendus. Quod vos negando, apertissimè dicitis Christum Jesum non esse Jesum parvulis; qui propterea teste Angelo sic vocatur, quia E salvum faciet populum suum, (in quo populo parvulos esse non vultis,) à peccatis eorum.

Matth. 1. 21.

XXX. Jul. *Sed ut nobis jam ista non lubricant, ita à Manichæo & Traduciano paribus animis repelluntur. Videamus ergo quid ipsi dicant. Manichæus scribit naturale esse peccatum: annuit Augustinus naturale esse peccatum. Ambo ergo ab ea, quam præmisimus, definitione dissentiunt, habentque in naturalis peccati nuncupatione collegium. Videamus quid dicant etiam de genere peccati, id est, quod putant esse pec-* F *catum, quod ambo naturale confirmant, ne fortè vel in sequente gradu dissentiant. Quid scribit Manichæus ad filiam? Concupiscentiam carnis, & illam* [a] *voluptatem fecunditatis operi destinatam, per hoc probari diabolicam, per quod opus ejus publicum vitet adspectum. Quid Augustinus? Idem per omnia:* Illa concupiscentia carnis frutex est diaboli; caussa, lex peccati, quæ evitat, *inquit*, ubique conspectum, & quærit pudendo secretum. *Ergo nec de priore, nec de sequente mali ratione discordant. Quid* G *tertium? Cùm jam quæritur unde sit malum, Manichæus de natura, inquit, tenebrarum æterna. Quid Augustinus? Nimiè, inquit, istud magister meus, qui putat malum numquam cœpisse: cœpit per primi*

Vide suprà lib. 3. n. 177. & 184. &c. Lib. 1. de nuptiis & conc. c. 23. Ibid. c. 7.

hominis voluntatem, immo jam per superioris naturæ, id est, angelicæ; sed ex eo tempore factum est naturale. Everberat eum nimirum præceptor suus, & in jus [b] *auctoritatissimè trahit. Quid judicaturus est inter hos catholicus? Manichæum quidem sine dubio stolidissimum, qui putet naturale peccatum; sed cum Augustini ingenio compositum, peracutum videri. Quibus enim conveniat naturale esse peccatum, atque hoc peccatum unius speciei esse fateantur, à quo omne genus hominum possideri putent? Sed post hæc dicere audere discipulum, in uno tantum non esse naturale, quod omnibus fateatur ingenitum; puerilibus sine dubitatione verberibus infamatum, subdent eum magistro consequentiùs blasphemanti. Sed utrumque simul, discipulum & magistrum, à conventu exterminabunt piorum. Vide ergo quid indulgeamus. Non tibi placet quod dicit Manichæus, malum esse naturale: dic ergo neminem reum nasci, & evasisti, negans profectò originale peccatum. Sed non dicis; confiteris ergo nec à magistro te velle desistere, nec catholicis copulari.*

Aug. Numquid propterea dicere non debemus, quòd bonus Deus fecerit mundum, quia hoc etiam dicit Manichæus? Sed cùm quæritur unde fecerit, ibi discernimur. Nos enim dicimus, ex his quæ non erant; quoniam ipse dixit, & facta sunt: ille autem ex duabus naturis, boni scilicet & mali, quæ non solùm jam erant, sed semper erant. Hæc ergo quæ non simul dicimus, non sinunt esse nos socios eorum ex illo quod simul dicimus. Item si interrogemur utrùm sit Deus; & nos & Manichæi respondemus, Est Deus: & in hoc utrique separamur ab illo stulto, qui dixit in corde suo, Non est Deus: sed cùm quæritur qualis sit Deus; à Manichæorum nefaria fabula, magna discretione distinguimur. Nos enim dicimus incorruptibilem atque defendimus; illi verò fabulantur corruptibilem Deum. De ipsa quoque Trinitate interrogati, utrique dicimus, Patrem & Filium & Spiritum-sanctum unius ejusdemque esse naturæ: nec ideo tamen vel nos sumus Manichæi, vel ipsi catholici; dicunt enim alia de Patre & Filio & Spiritu-sancto, in quibus ab eis diversissimi eisque adversissimi sumus. Unde ista quæ simul dicimus, adversùs aliorum errores qui ea negant, fidenter asserimus: nec timemus ne Manichæos nos appellent, & se inde præferant nobis, quia cum Manichæis dicimus, quod ipsi quoniam nolunt dicere, propterea redarguuntur à nobis.

Catholicos quædam vera dicentes simul cum Manichæis, longè tamen abhorrere ab eorum erroribus. Psal. 148. 5. Psal. 13. 1.

Sicut ergo Arianus ideo est hæreticus, quia nobiscum non dicit unam Trinitatis essentiam, quod nobiscum dicit etiam Manichæus; ita & vos hæretici estis, non dicendo nobiscum naturale peccatum, quod nobiscum dicit etiam Manichæus: sed non ideo sumus Manichæi; quod enim dicit etiam ille, non ita dicimus sicut ille. Nos enim naturam nostram bonam voluntario peccato illius ex quo nati sumus, dicimus esse vitiatam, unde omnes sub peccato nascimur, & ipse noster ortus in vitio est, quod dicit Ambrosius: ille autem naturam malam nobis * portat alienam, cujus nos affirmat commixtione peccare. Denique, nos sanandæ nostræ etiam parvulos offerimus Salvatori: ille autem Christum non

Naturale peccatum Catholici cum Manichæis tenent, sed longè diversa ratione.

Ambros. lib. 1. de Pænit. c. 2. vel 3. * f. importat.

[a] Editi loco *voluptatem*, substituunt *operam*: repugnantibu MSS.

[b] In MSS. *auctorissimè*.

ideo existimat necessarium, ut naturam nostram sanet in nobis, sed ut alienam sejungat à nobis. Cernis nempe, & in eo quod peccatum naturale simul dicimus, quanta diversitate distemus.

In eo quod simul dicunt malā esse carnis concupiscentiam longè ab invicem distare Catholicos & Manichæos

Similiter & in eo quod simul dicimus, malam esse concupiscentiam carnis, qua caro concupiscit adversùs spiritum, cùm quæritur unde hoc sit malum, [a] discretissimi reperimur. Nos enim cum Ambrosio dicimus, hanc fœdam discordiam carnis & spiritûs per prævaricationem primi hominis in nostram vertisse naturam: ille autem cum suis dicit, ut invicem adversentur caro & spiritus, alienam nobis, quæ semper mala fuit, adhæsisse naturam. Unde nos poscimus Salvatorem, ut hoc vitium nostrum sanetur: ille verò, ut à nobis aliena natura, quæ sanari omnino non potest, auferatur. Etiam hîc cur non adtendis, in eo quòd carnis concupiscentiam spiritui resistentem simul malam dicimus, quanta dissimilitudine separemur? Cur non adtendis, nec nos esse Manichæos, quia cum eis aliqua dicimus; & vos esse hæreticos, quoniam cum eis illa non dicitis? Si enim cum illis diceretis esse naturalia mala, & nobiscum contra illos diceretis unde sint ista, quia non sunt de aliena natura Deo coæterna, Pelagiani hæretici non essetis: nunc verò concupiscentiam, qua caro concupiscit contra spiritum, negando malam esse, & de vitiata natura nostra esse, facitis ut illi ex aliena esse concludant; ac sic & hæretici novi estis, & hæreticos veteres, quos [b] perversè fugitis, adjuvatis. Desine ergo mihi opponere magistrum Manichæum, sed mecum potiùs sequere Ambrosium; & Arianos intuere, eosque in eo saltem, quod te meliùs sapiunt, imitare; qui nos Manichæos esse non dicunt, quamvis cum Manichæis dicamus unam Patris & Filii & Spiritûs-sancti esse naturam, ubi nobis contentiosissimè contradicunt.

a Ambros. lib. 7. in Luc. 12.

XXXI. Jul. *Verùm vehementem objectionem putasti, ut diceres unde in ipso primo homine, vel in diabolo qui angelus factus fuerat, mala exstitisset voluntas: quam tamen ais ideo esse ortam in opere Dei, id est, vel in angelo, vel in homine, non quia Dei opus erat, sed quia de nihilo factus erat. Vide ergo ne & tu per alteras vias æternam dicas fuisse mali necessitatem. Nam si hæc fuit caussa exoriendi mali in opere Dei, quoniam de nihilo id factum esse constabat; ante quàm fieret autem quod esset, hoc nihilum semper fuit, id est, ante quàm fieret id quod esset, numquam aliquid fuit, & hoc quod numquam fuit, nihil fuisse dicitur: ab æterno ergo numquam fuit, quod non fuit ante quàm fieret à Deo, cujus substantia sola sine principio est: hoc ergo inane, id est, nihil, ante quàm per rerum finiretur exsistentiam, semper fuit. Non ergo factum est hoc nihilum: sed factæ sunt creaturæ, & illud nihil esse cessavit. In ea ergo creatura, quæ facta de nihilo est, tu ideo malum commentaris exortum, quoniam de nihilo facta erat. Malum ergo in homine exortum origini reputavisti; atque origo, id est, nihilum, dicitur à te caussa fuisse peccati. Non enim, inquis, propterea in homine malum exortum est, quoniam à Deo factus fuerat; sed quia de nihilo factus fuerat. Si ergo ideo malum* A *exortum est, quia conditio nihili præcedentis id exegit; hoc autem nihilum æternum fuit: immutatis semitis* [c] *incidisti, & pendes omnino in præceptoris tui laqueo, ut malum ambo ab æterno esse fateamini. Sed in hoc quoque ille prudentior: inducens enim naturale peccatum, dixit æternam fuisse substantiam tenebrarum, quæ sine voluntate peccatoris malum hoc inesse compelleret. Rei ergo, cujus faciebat necessitatem, auctorem dedit, ut malum quod substantias pervadebat, videretur habere cogentem: tu verò* B *plumbo ingenii non ferendo, confirmas necessitatem mali, sed negas necessitatis auctorem. Et sicut in parvulis, ita in ipso priore peccati operatore opus relinquis; ac dicis nescio quid magnum posse intelligi, ut illud nihil valuerit plurimùm, cùm nihil esset.*

Aug. Nihil vales, sed tu, asserendo quòd nihil, cùm sit nihil, valeat aliquid: nec intelligis, cùm dicitur Deus de nihilo fecisse quæ fecit, non dici aliud, nisi quia de se ipso non fecit: non enim ante quàm aliquid faceret, coæternum C illi erat aliquid facere. De nihilo est ergo, quod non est de aliquo: quia etsi fecit Deus aliqua de aliis rebus, has ipsas de quibus ea fecit, de nullis fecerat rebus. Peccare autem nulla res [d] nec jam posset, si de natura Dei facta esset; & facta esset, sed de illo esset, quidquid esset, hoc quod ille esset: sicut * est Filius, & Spiritus-sanctus, quoniam de illo sunt, hoc quod ille sunt, alius nascendo, alius procedendo; atque ita sunt de illo, ut numquam fuerit ipse prior illis. Et D ideo ista natura non potest omnino peccare; quia non potest se ipsa deserere, nec meliorem habet cui debeat inhærere, & cujus possit desertione peccare. Nec tamen ita rationalis est facta creatura, ut haberet peccandi necessitatem: sed nec possibilitatem haberet, si natura Dei esset; quoniam Dei natura peccare nec vult posse, nec potest velle.

De nihilo res Deus fecit, quia non de se ipso fecit.

* f. & Filius.

Deus cur peccare non possit.

XXXII. Jul. *Hoc enim nihil, de quo facta sunt omnia, affirmas caussam fuisse peccati. Tantum igitur facit apud te nihili hujus potentia, quantum apud Mani-* E *chæum principis tenebrarum. Ambo ergo dicitis, etiam primi mali necessitatem fuisse: sed dat ille soliditatem vel malam; tu inanitatem, æquè tamen malam: ille ergo dicit violentam substantiam; tu violentum æquè, sed nihilum. Vide ergo syllogismi tui finem: nihilum nempe, cùm necdum quidquam esset creatum, æternæ erat inanitatis indicium; sed hoc ipsum nihilum, id est, inanitas, orientibus est finita creaturis: desivit enim nihil esse, cùm cœpit aliquid esse. Ipsum ergo nihilum etiam cùm erat, non erat; quoniam* F *tunc intelligitur fuisse, cùm necdum aliquid erat. Postea verò quàm factæ res sunt, hoc inanitatis indicium, id est, nihilum, sicut substantiam numquam habuerat, ita etiam vocabulum suum perdidit; factumque est, ut quod in re numquam exstiterat, etiam ipsum nomen amitteret. Hujus ergo tu violentia malum & in angelo & in homine commentaris exortum: quo quid furiosius dici potest?*

Aug. Tu potiùs maledicendi studio furere videris. Ego non dixi violentum nihil: non enim G est aliquid, quod possit esse violentum. Nec angelus, nec homo vi aliqua peccare compulsus est; nec peccassent, si peccare noluissent, qui

autem

a Sic MSS. Editi verò, *discretissimè reperimus.*

b Editi, *quos fugitis, perversè adjuvatis.* At MSS. *quos perversè fugitis*: id est, in perversum tendendo: quo sensu ex lib. 2. de nuptiis & conc. c. 23. suprà n. 25. dicitur, *in perversum vitare conantur*: & ibidem paulò pòst, *in perversum fugitis.*

c Ex MSS. addidimus, *incidisti.*

d Hoc item loco auctoritate MSS restituimus, *nec jam facta esset*: ac paulò pòst, *& hoc quod ille esset.*

etiam nolle potuissent: verùm & posse peccare non in his esset, si natura Dei essent.

XXXIII. Jul. *Magnam, inquis, vim habuit res quæ non erat, ob hoc solum, quia numquam fuerat: verùm tum posse plurimum cœpit, post quàm & ipsum nomen amisit; sortitumque est hoc nihilum magnam dominationem, post quàm etiam appellatio ejus interiit.*

Aug. Si id quod nihil est, aliquid esset, apud te diceretur sortitum magnam dominationem: quando quidem vanitas, sive falsitas, ita tibi dominatur, ut tamdiu te ista inania garrire compellat.

XXXIV. Jul. *Macte virtute sapientiæ, qui novæ & à te inventæ primùm disputationis regulis, secunda priorum negatione complecteris, & corpora capitibus trunca componis. Non invidemus subtilitatibus tuis: quin immo Christiana humanitate miseramur, quòd dignum reperisti exitum dogmati tuo, ut profectus à criminibus innocentum, ad nihilum pervenires.*

Aug. Ad nihilum tu potiùs pervenisti, quod te ita delectat, ut inde recedere, vel redire adhuc nolis: qui me propterea dicis id quod nihil est, dixisse esse aliquid, ut tam multùm tu diceres nihil.

XXXV. Jul. *O sanitatem, ô elegantiam disputantis!* Non ideo, *inquit*, malum exortum est in homine, quia à Deo factus est, sed ideo quia de nihilo. *Ostendimus jam acumen, quo vis maxima huic nihilo subrogata est: nunc illud admoneo, quod etiam superior conflictus fecit intelligi,* [a] *nec primum malum peccantis fuisse voluntate susceptum, si illud nasci conditio venientis de nihilo stirpis exegit.*

(Lib. 2. de nuptiis & conc. c. 28.)

Aug. Non exegit peccatum nasci ulla conditio stirpis de nihilo venientis: quando quidem illud exigitur, quod compellitur reddi vel fieri: angelum verò vel hominem, à quibus & in quibus prima sunt orta peccata, peccare nulla res compulit; sed libera voluntate peccarunt: quod & nolle possent, quia nec cogebantur ut vellent; & tamen velle non possent, si de Deo naturam haberent, non de nihilo facti essent.

(Peccare angelum vel hominem nulla res compulit.)

XXXVI. Jul. *Dedisti igitur & primi* [b] *naturam mali, sed inaniorem quàm Manichæus, æquè tamen æternam. Pugnandum super hoc non est: claret omnino quia maneat inter vos fœdus, quod naturalis mali & æterni mali catena connectit.*

Aug. Insulsissime, non potest æternum esse quod nihil est, non potest æternum esse quod nulla res est, postremò non potest esse æternum quod non est.

XXXVII. Jul. *Egi certè, ut fidem disputationis decebat; illudque quod tu argumentando effeceras, id est, ideo in opere Dei ortam voluntatem malam quia fuisset homo creatus ex nihilo, ratio perscrutata contrivit; ostendens videlicet, te immutatis vocabulis idem dixisse, quod Manichæus finxit & credidit, id est, primum quoque peccatum æternarum tenebrarum violentiâ genitum.*

Aug. Jam te superiùs admonuimus, æternum non posse esse, quod non est: quid est ergo quod dicis, ideo me comparandum esse Manichæo, quia Manichæus æternarum tenebrarum violentiâ genitum dixit primum esse peccatum? quibus tenebris dedit ille substantiam; ego autem nihilo dare substantiam non potui, ut ob hoc & ego quasi constituerem tenebras æternas, æternum scilicet nihil. Sicut autem substantiam, ita violentiam vel æternitatem dare nihilo non potui: nullo quippe modo, vel violentum, vel æternum, sicut jam diximus, potest esse quod nihil est. Frustra igitur adversùs me voluisti disputare quod nihil est.

XXXVIII. Jul. *Verùm ne tu detectum temet inspiciens, illò tentes erumpere, ut referas non te dixisse, Ideo malum ortum est in opere Dei, quoniam ex nihilo factum est; sed, Ideo potuit oboriri, quia ex nihilo factum est: ostendendum est, quanto violentioribus laqueis illigeris. Si enim dixeris possibilitatem te mali, non necessitatem, æterni illius nihili viribus imputasse: nos referimus, quòd potuit oriri mala voluntas in homine, non est certè aliud quàm arbitrium liberum: ideo enim potuit oriri mala voluntas, ut oriri posset & bona. Hæc libertas est, in qua se ratio exercet, propter quod ad imaginem Dei homo factus asseritur, per quam creaturis ceteris antecellit. Si ergo quòd in homine mala voluntas potuit exoriri, nihil est aliud quàm arbitrii libertas; & hoc tantum est, ut per ejus insignia ceteris antistet animantibus: tu qui hanc possibilitatem profiteris ideo fuisse in homine, non quia à Deo, sed quia de nihilo factus est, novo dogmatis prodigio illud nihil, id est, antiquam inanitatem, tanti boni, id est, liberi arbitrii caussam pronuntias. Denique ut res brevi interrogatione lucescat: hoc quod dixisti,* Nec ideo tamen potuit oriri voluntas mala, quia à Deo factus est homo, sed ideo quia de nihilo factus est homo: *hoc, inquam, ipsum quòd potuit oriri voluntas, bonum esse, an malum credis? id est, ipsam facultatem oriendæ voluntatis, quam nihilo reputavisti, probam arbitraris, an pessimam? Si bonam dixeris: ergo non Deus est boni caussa, sed nihilum. Sin autem, hoc esse insanissimum videns, malam eam pronuntiaveris; quippe quam dicis non Deo reputandam esse, sed nihilo: protestaberis nos nihil adversùm te collegisse versutè, sed bona disputandi fide malam fidem tui dogmatis subruisse. Stat ergo inconcussum quod egimus, te videlicet & Manichæum, etiam primi hominis voluntatem malam necessitati æternæ originis imputasse.*

Aug. Quid tibi responderi posset, qualitercumque vidisti: sed frustra es conatus obsistere veritati, quasi respondens verbis meis, & non respondens verbis meis. Sic enim disputasti, tamquam ego dixerim, Nec ideo tamen orta est ex bono voluntas mala; quod ego non dixi: sed dixi, Nec ideo tamen ex bono potuit oriri mala voluntas, quia bonum factum est à Deo bono, sed quia de nihilo factum est, non de Deo. Sicut eadem verba mea etiam ipse * posuisti. Quid est ergo quod ita respondendum putasti, quasi ego dixerim, Nec ideo tamen orta est; cùm ego dixerim, Nec ideo tamen oriri potuit; & tamdiu loquutus es adversùs eum, qui necessitatem mali ut oriretur ex bono, ex hoc dixit irruisse, quia ipsum bonum à Deo de nihilo factum est, non de Deo; cùm ego non necessitatem tribuerim tali caussæ, sed possibilitatem mali; quia non dixi ideo esse ortum, sed ideo potuisse oriri ex bono malum? Et accusasti tamdiu nihil, & violentum fecisti nihil; quasi

(Lib. 2. de nuptiis & conc. c. 28.)

(* Suprà n. 26.)

[a] MSS. ne. Portarum codex præcedente conjuncto verbo, Intelligi, sine.

[b] In editis, primam.

peccare angelum & hominem inevitabili necessitate compulerit nihil.

Ideo potuisse rationalem creaturam peccare, quia de nihilo facta est.

Nunc ergo ad mea verba tandem redi, sicut redire cœpisti. Proponis enim tibi quæstionem, tamquam tibi subitò venisset in mentem, respondere quid possem; cùm hoc ego longè antè in eo, cui reluctaris, libro posuerim. Dicis enim, *referre me posse, non me dixisse, Ideo malum ortum est in opere Dei, quoniam ex nihilo factum est; sed, Ideo potuit oboriri, quia ex nihilo factum est.* Hoc prorsus dixi, ideo potuit oboriri dixi, non ideo dixi ortum: possibilitatem [a] mali dedi huic caussæ, non necessitatem. Rationalis quippe creatura cùm primùm facta est, ita facta est, ut si peccare nollet, nulla necessitate urgeretur ut vellet, aut etiam non volens, id est, invita peccaret, & non quod vellet faceret bonum, sed malum quod nollet, hoc ageret: ubi jam non peccatum illud quod simpliciter peccatum dicitur, sed etiam pœna peccati est. Verumtamen malè aliquid velle, vel mali aliquid etiam nolens facere, omnino non posset, nisi de nihilo facta esset, id est, si Dei natura esset. Sola enim Dei natura de nihilo facta non est, quia nec facta est; & ideo nullo prorsus modo mutari potest. Quod cùm dicimus, non vires nihilo damus, quasi potuerit facere aliquid, vel fecerit aliquid, cùm sit nihil: sed naturam Dei non esse dicimus, quæ peccare potuit. Sequitur autem, ut natura quæ Dei natura non est, facta sit; neque enim Deo coæterna est: & si facta est, de nihilo facta sit; quia & illæ naturæ quæ de aliis naturis factæ sunt, stirpem de nihilo ducunt; quoniam naturæ de quibus factæ sunt, ante quàm fierent, nihil fuerunt, hoc est, omnino non fuerunt.

a Rationalis creatura sic primitus facta est, ut nec nolens peccaret, nec ullâ necessitate urgeretur ut vellet. Peccatum aliud simpliciter peccatum, aliud quod & pœna peccati.

Sed, inquis, *Ideo potuit oriri voluntas mala, ut oriri posset & bona.* Quasi non cum bona voluntate factus sit vel angelus vel homo. [b] Factus est rectus, sicut dixit Scriptura. Non ergo quæritur, unde in illo potuerit oriri bona voluntas, cum qua factus est; sed unde mala, cum qua factus non est. Et tu dicis. Non adtendens quid dicas, *Ideo potuit oriri voluntas mala, ut oriri posset & bona:* & hoc putas ad naturam liberi arbitrii pertinere, ut possit utrumque, & peccare scilicet, & non peccare; & in hoc existimas hominem factum ad imaginem Dei, cùm Deus ipse non possit utrumque. Neque enim vel demens quisquam dixerit, Deum posse peccare; aut tu dicere audes, Deum liberum arbitrium non habere. Dei ergo, non nihili, munus est liberum arbitrium: sed in ipso Deo summum est [c] liberum arbitrium, qui peccare nullo modo potest. Quoniam si injustus esse posset, etiam Deus non esse utique posset: si enim Deus est, consequentissimè justus est: & ideo summè maximéque habens liberum arbitrium, peccare tamen non potest Deus. Angelus ergo vel homo propterea peccare potuit, id est, propterea isto Dei munere, quod est liberum arbitrium, malè uti potuit, quia non est Deus, hoc est, de nihilo factus est à Deo, non de ipso Deo. Intellige, & tace: aut quod intellexeris, non autem quod non intellexeris, loquere.

b Eccle. 7.30.

Ad naturam liberi arbitrii nō pertinet posse & peccare & non peccare.

c Liberum arbitrium in Deo summum.

Angelus, & homo ideo peccare potuit, quia de nihilo factus est.

XXXIX. Jul. *Verùm non uno modo vicisse contentus, ar-*

A *gumenti tui, cujus impietatem prodidi, coarguam falsitatem. Cùm ergo scriberes,* Non ideo potuit oriri voluntas mala in opere Dei, quia à Deo factum est, sed ideo quia de nihilo factum est: *videre debueras, quàm valenter aliarum creaturarum exempla præscriberent, quæ totidem productæ de nihilo, malæ tamen voluntatis capaces non sunt. Postremò ipsa elementa, quæ verè sunt facta ex nihilo, non alicujus voluntatis conscientiam queunt habere, ut motibus malis protestentur originis suæ ne-*
B *cessitatem. Animantes autem, & reliqua queis impletus est orbis, non de nihilo, ceterùm jam ex aliquo prodierant. Ubi est ergo vis inanitatis antiquæ, quæ malam voluntatem coëgit exsistere; cùm præter rationabile animal, neminem peccare posse manifestum sit?*

De nuptiis & concup. lib. 2. c. 28.

Aug. Posses putare me argui falsitatis, si cùm ego dixissem, ideo posse nostra corpora vulnerari, quia terrestria sunt, ostenderes tu corpora multa terrestria, quæ nequeant vulnerari.
C Non enim esse vulnus potest, nisi in corpore animantis, quæ caro dicitur. Ubi te admonere deberem, quòd videre non potueris sententiam istam non recurrere: quia non sicut verùm est, omne quod potest vulnerari, terrestre corpus est; ita etiam verum est, omne terrestre corpus vulnerari potest. Cur ergo in dialecticis jactanticula tua sollertia dormitavit, ut non adverteres, ubi dixi ideo creaturam rationalem peccare potuisse, quia ex nihilo facta est, me intelligi voluisse,
D omne quod peccare potest, ex nihilo factum esse, non autem omne quod ex nihilo factum est, posse peccare? Quod tamquam dixissem, ita mihi objecisti res alias, & ipsa mundi elementa, quæ cùm ex nihilo facta sint, peccare non possunt; quoniam solum potest animal rationale peccare. Nunc ergo evigila, atque adspice, omne quod peccare potest, de nihilo factum esse; nec ideo sequitur etiam omne quod de nihilo factum est, posse peccare. Non igitur mihi pro-
E ferantur alia, quæ de nihilo facta sunt, & peccare non possunt: quoniam non dico, omne quod ex nihilo factum est, peccare potest; sed dico, omne quod peccare potest, ex nihilo factum est: tamquam si dixissem, omnis bos animal est, non utique adversùm me commemorari debuerunt multa animalia, quæ non sunt boves; quoniam non dixerim, omne animal bos est, sed omnis bos animal est. Iterum ergo dico, omne quod peccare potest, ex nihilo factum est;
F omne ergo quod ex nihilo factum est, potest peccare, non dico: quod velut dixerim, multa commemoras, quamvis ex nihilo facta, quæ tamen peccare non possunt. Calliditatem tuam tolle de medio, quâ tardis illudis ingeniis; aut cæcitatem, quâ manifesta non cernis.

Cùm autem dico, Natura quæ rationalis creata est, ideo peccare potuit, quia de nihilo facta est, non de Deo; adtende quid dicam, ne mihi rursus inani loquacitate ventiles nihil, & me di-
G xisse affirmes vim faciendi aliquid habere, quod nihil est. Hoc dico ego, naturam quæ rationalis creata est, propterea peccare potuisse, quia ex nihilo facta est: quod aliud quid est, quàm propterea peccare potuisse, quia natura Dei non est?

Ideo potuisse rationalem creaturam peccare, quia ex

[a] In editis omissum *mali*. Extat in MSS.
[b] Codex Port. *cùm factus*.

[c] Hîc *liberum* ex MSS. adjecimus.

Si enim de nihilo facta non esset, de Deo naturaliter esset, quidquid esset: si naturaliter de Deo esset, Dei natura esset: si Dei natura esset, peccare non posset. Ideo igitur peccare potuit, quamvis facta sit à Deo, quia de nihilo facta est, non de Deo. Hoc tu si intellexeris, & veritati repugnare nolueris, ab hac contentione in hac quæstione cessabis.

XL. Jul. *Cùm ergo hoc tam magnum apertum esset, quid illud fuit, quod tibi persuasit, ut crederes antiqui nihili violentiam caussam malæ voluntatis fuisse? Profectò ut intelligeremus nos, omnia te, quæ sunt facta de nihilo, rea credere, & universum mundum diabolo mancipare. Quoniam igitur mihi claruit, antiquam inter vos dogmatum manere concordiam; hinc jam tibi pariter & Manichæo respondeo. Quæritis certè, ut qui nego mali esse naturam, si possum respondeam, unde ipsa mala voluntas in homine primo potuit exoriri. At ego refero non vos intelligere quid dicatis. Voluntas enim nihil est aliud, quàm motus animi, cogente nullo.*

Aug. [a] Motus animi quid est, nisi motus naturæ? Animus enim sine dubitatione natura est: proinde voluntas motus est naturæ, quoniam motus est animi. Tu autem cùm superiùs naturam tamquam genus poneres, eique generi species suas subderes, sic certè loquutus es. *Naturæ*, inquis, *humanæ generalitas, institutionum infra se locatarum genus quoddam est: hæc velut species habet, in situ, in membris, in ordinibus, in motibus, vel aliis id genus.* Ista ergo tua disputatione motus naturæ speciem asseruisti esse naturæ: unde te sequitur quod non vis, ut natura sit omnis naturæ motus, si natura genus, ejusque species est naturæ motus; quemadmodum animal est omnis equus, eo quod animal genus est, species verò hujus generis equus. Ac per hoc voluntas, quoniam motus est animi, & inde ostenditur motus esse naturæ, te ita disputante natura est; quia naturæ tamquam generi species hujusmodi subdidisti. Cur ergo reprehendis quòd dicitur naturale peccatum, quod fecit voluntas mala, * quam ipsam voluntatem tu dicere convincaris esse naturam? Sed natura non sit voluntas: certè tamen nisi in natura non potest esse; quantum enim pertinet ad hominem, motus est animi, animusque natura est. Sine jam, quæso, ita dici naturale peccatum, quoniam cùm homo peccat, natura utique peccat; homo quippe natura est: quemadmodum rectè dici potest etiam spiritale peccatum, cùm spiritus peccat. Non enim erravit Apostolus, ubi ait, Spiritalia nequitiæ: quæ spiritalia procul dubio [b] naturalia sunt; quia spiritus sine ambiguitate natura est, sive sit creator, sive sit creatus.

Nec tamen quod vel angelo vel homine [c] volente commissum est, quoniam natura peccavit, (& angelus enim & homo naturæ sunt,) ita hoc esse dicimus naturale peccatum, ut necessitate factum esse dicamus, quod factum est libera voluntate. Qui enim propterea peccavit, quia voluit, potuit & nolle peccare: & ita homo creatus est, ut [d] & nolle posset & velle, & quodlibet horum haberet in potestate. Sed aliud est originale peccatum, quod etsi trahunt sine propria voluntate nascentes, tamen per voluntatem primi hominis ipsa est origo vitiata: sicut aliud etiam est in majore homine propter quod dicit, Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago: nec tamen etiam ista necessitas insanabilis est ei, cui dicitur, De necessitatibus meis erue me.

XLI. Jul. *Quæritis ergo necessitatem rei, quæ esse non potest si patitur necessitatem. Huic motui animi libero, sine coactà originis inquieto, si caussa ipso motu [e] detur antiquior, non gignitur omnino, sed tollitur. Nomen enim ipsum voluntatis nullam vim habet alteram, quàm non debere materiæ quod movetur. Cùm ergo unde orta sit voluntas, ipsa voluntate quæris antiquius; non exordium ejus, sed exitium requiris: omnino enim non intelligitur esse, si aut tenebris deputetur, aut nihilo; nec potest dici jam voluntas, quæ subsistere non potest, nisi in motu animi, cogente nullo. Si ergo cogat aliquis, est quidem motus; sed non est voluntas, cujus vim illa definitionis pars secunda complevit, id est, nullo cogente. Si ergo voluntas nihil est aliud, quàm motus animi, cogente nullo; malè prorsùs quæritur origo rei, cujus conditio, si prævenitur, interit. Expende ergo quid sit quod roges:* Unde, *inquis*, ipsa voluntas mala quasi arbor mala in primo homine potuit exoriri? *qui confiteris voluntatem de origine contigisse. Voluntas enim motus est animi, cogente nullo. Naturalia cuncta cogunt esse quod sequitur: voluntas autem si præcedentibus caussis cogatur, voluntas esse mox desinit, & perdit conditionem, si accepit originem.*

Aug. Si voluntas ideo non habet originem, quia non cogitur; nec ipse homo habet originem ut sit homo, quia non coactus est esse. Quomodo enim cogi poterat, qui non erat? Et certè homo natura est; tuque dixisti, *Naturalia cuncta cogunt esse quod sequitur.* Rogo te, attende quid dicas: noli oculis [f] clausis linguam movere, quomodo qui in somnis loquitur. Nulla res, quæ non est, cogi potest. Vide etiam quàm sit insanum, negare habere originem res quæ ortæ sunt; cùm ipsa origo ab oriundo sit dicta. Nam quod est, & originem non habet, semper fuit: si autem non fuit, & est, ortum est; si ortum est, habet originem. Et voluntas ergo peccati, quæ non fuit; & est, utique orta est: si enim est, & orta non est, semper fuit; sed non fuit semper; ergo orta est. Jam tu clama contra apertissimam veritatem; hoc enim decet tuam vanam loquacitatem: & dic, Orta est quidem, sed originem non habet; aut quod est insanius, Et non fuit, & est, & tamen orta non est. Porrò si hoc non dicis, ne insulsissimus & omnino fatuus judiceris; quære unde orta sit hominis vo-

Marginal notes: nihilo facta est. — Voluntas quid sit. — Supra n. 14. — Ephes. 6.12. — Peccatum primum ab homine voluntate commissum. — Rom. 7.15. — Psal. 24.18. — Lib. 2. de nuptiis & conc. c. 28.

[a] Hanc sententiam, aliasque nonnullas libri hujus quinti citat Agatho papa in epistola synodica ad Imperatores, quæ in Synodo VI. actione 4. lecta est, Augustinum in hæc verba commendans: VERITATIS PRUDENTISSIMUS PRÆDICATOR B. AUGUSTINUS *in quinto volumine disputationis adversùs Julianum Pelagianistam, quid sit voluntas, his definit verbis: Motus animi quid est, nisi motus naturæ, &c.*

[b] Editi, *natura sunt.* Aptiùs MSS. *naturalia.*

[c] Editi, *nolente.* Castigantur ex MSS.

[d] Sic omnes MSS. At Vignerii editio, *ut possit & nolle & velle, & quodlibet horum habeitur in potestate.* Loquitur Augustinus de hominis primo peccato, quod ab illo docet commissum eâ libertate, quâ & peccare nolle poterat, & velle peccare, non autem ulla tali necessitate, quali premebatur qui dicebat, *Non enim quod volo &c.*

[e] Sic MSS. Editi verò, *dicitur.*

[f] Editi prætermittunt *clausis*: sed habent tamen MSS.

luntas mala, quam negare non potes ortam esse, quia negare non potes non fuisse & esse cœpisse: quære, inquam, unde orta sit; & invenies ipsum hominem: ex illo quippe orta est voluntas mala, quæ in illo antè non fuit. Quære etiam qualis erat homo, ante quàm voluntas mala oriretur ex illo; & invenies bonum: eâ quippe voluntate factus est malus, quæ ante quàm oriretur ex illo, talis erat, qualis à bono factus erat, id est, bonus. Hoc est igitur quod ait meus doctor, tuusque destructor Ambrosius: Ex bonis igitur mala orta sunt. Quod tu negando, & dicendo, * *Rerum ratio non finit, ut de bono malum, & de justo injustum aliquid proferatur*; tantum adjuvas Manichæos ad introducendam naturam mali, de qua dicunt oriri mala, ut te patronum sui gratulentur erroris, nisi cum eis & ipse vincaris. Tu es enim qui mirabili eloquentiâ, vel potiùs amentiâ sic defendis parvulos, ut à Salvatore separes; sic oppugnas Manichæos, ut contra Salvatorem subleves.

Voluntatē malam ex homine qui bonus creatus fuerat, ortam esse.

Ambros. lib. de Isaac & anima c. 7 citatus ab Aug. lib. 1. operis prioris in Iul c. 9.
** V. ibid. & lib. 6. c. 21.*

XLII. Jul. *Cùm ergo bene definita sit voluntas, Motus animi, cogente nullo; quid quæris superiùs caussas, quas definitio voluntatis exclusit? Expendite igitur quid sit voluntas, & desinetis inquirere unde sit voluntas. Voluntas est enim motus animi, cogente nullo: vos si tentetis ire dimidio ungue superiùs, statim constituta convellitis. Quid ergo dicit Manichæus? Sed iste motus ideo exortus est, quia de tenebrarum natura homo factus est. Quid tu? Quia, inquis, de nihilo factus est homo. Unus ergo dicit, Ideo voluntas mala, quia de nihilo factus est homo: alter, Ideo voluntas mala in homine, quia de tenebris factus est homo. Utrique ergo illud voluntatis suppletorium denegatis, id est, cogente nullo. Si enim tanta fuit virtus in nihilo, quanta in aliquo; quæ coëgit hanc voluntatem exsistere, exclusit ab ea conditionem suam, qua dictum fuerat, cogente nullo. Sed non minùs mali abegit infamiam; non est enim peccatum, quod de motu animi libero non venit: effectumque est, ut cum dispendio veritatis, totius mali periret invidia; & evanuit mali natura, cùm crimen voluntatis evanuit; crimen autem evanuit voluntatis, cùm definitio voluntatis exsecta est. Et peccati igitur & voluntatis claruit ejusmodi esse conditionem, ut si caussis præcedentibus deputetur, & [a] jus perdat, & crimen. Ubi ergo erit mali natura, cùm malum non esse constiterit?*

Aug. Dici non potest, quantum mirer frontem tuam, quomodo dicas naturam mali, qui malum naturale non dicis; aut quomodo malum naturale non dicas, qui naturam mali dicis. Quid autem vanius definitionibus tuis, qui propterea putas non esse quærendum unde sit voluntas, quia motus est animi, cogente nullo? Si enim dicatur, ut putas, unde sit; non erit verum quod dictum est, cogente nullo: quia illud unde est, eam cogit esse; & ideo non est alicunde, ne cogatur esse. O stultitiam singularem! Non est ergo alicunde ipse homo, qui non est coactus esse; quia non erat qui cogeretur, ante quàm esset. Prorsus * & alicunde est voluntas, & esse non cogitur; & si ejus origo quærenda non est, non ideo quærenda non est, quòd voluntas alicunde non sit, sed quia manifestum est unde sit. Ab illo est enim voluntas, cujus est voluntas; ab angelo scilicet voluntas angeli, ab homine hominis, à Deo Dei. Et si operatur Deus in homine voluntatem bonam, id utique agit, ut oriatur ab illo bona voluntas, cujus est voluntas; non sicut agit ut homo oriatur ab homine: non enim quia Deus creat hominem, ideo non homo ex homine nascitur. Malæ autem voluntatis suæ unusquisque auctor est, quia malum vult. Sed cùm quæritur, quare homo possit habere malam voluntatem, quamvis ut habeat non sit necesse; non origo quæritur voluntatis, sed origo ipsius possibilitatis: & invenitur ea esse caussa, quia etsi magnum bonum est rationalis creatura, non tamen est quod est Deus, cujus solius est inconvertibilis incommutabilisque natura. Et hujus rei caussa, cùm quæritur, hoc invenitur, quia non de se ipso, hoc est, de sua natura atque substantia genuit, sed de nihilo, hoc est, de nulla re fecit hæc Deus. Non quia nihil habet aliquam vim; si enim haberet, non nihil, sed aliquid esset: sed quia hoc est cuique naturæ de nihilo factam esse, quod est naturam Dei non esse, quæ immutabilis sola est. Nec ea quæ de aliquibus rebus facta sunt, ab hac excipiuntur origine: quoniam res quæ ita factæ sunt, ut ex iis aliæ fierent, de nullis exstantibus factæ sunt, hoc est, omnino de nihilo. Mutari autem possunt quæcumque alia diversis & propriis qualitatibus suis; voluntate verò, quæ ratione utitur, sola est rationalis creatura mutabilis. Hæc diligenter & intelligenter quisquis advertit, multùm te de nihilo nihil quod ad rem pertineat dixisse cognoscet.

Agatho pap. in epist. syn. ad Imper.

Bonæ voluntatis auctor Deus, malæ autē ipse peccator.

De nihilo factū esse, idem ac de natura Dei non esse.

XLIII. Jul. *Quid est enim malum, id est, peccatum? Voluntas sequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Quid est ipsa voluntas? Motus animi, cogente nullo. Si ergo peccatum ex voluntate natum est, voluntas ex motu animi cogente nullo; nec nihili, nec tenebrarum conditio fecit ut esset hic motus, qui ideo à nullo cogitur, ut possit esse cogente nullo. Ac per hoc nullum est naturale, nullum originale peccatum: quia hæc duo nomina unum indicant, id est, peccatum esse non voluntarium: præscripsit autem veritas, nisi voluntarium non posse esse peccatum: & ideo non qui dicit malum esse quod constat ingenitum, sed se ostendit convincit in natura esse peccatum; Ecce responsum per pravitatem [b] judicii criminosum. [c] Oxy- est, ad quod tu responderi non posse credebas. mora prorsus fuit quæstio, quam tu arbitraris invictam.*

Peccatum & voluntas quid sit in opinione Juliani.

Aug. Exsultas inaniter, & dicis, *Ecce responsum est*: ubi te respondere non potuisse mox invenit, quicumque acutus legit hæc tua, vel non multùm tardus & mea. Quantalibet enim perplexitate, non implicata explicare, sed aperta implicare coneris; sani negare non possunt, oriri ab unoquoque voluntatem suam, nec nisi ab homine oriri hominis voluntatem. Ac per hoc, quoniam mala hominum malâ voluntate esse cœperunt, & ante voluntatem malam scimus fuisse hominum naturam bonam; ex bonis orta sunt mala. Hoc dicit Ambrosius: hinc perimitur Manichæus: hoc pro Manichæo negat contra Ambrosium Julianus, dicens, *Si natura opus Dei est, per opus Dei opus diaboli transire non sinitur*; ut

Ambros. lib. de Isaac & anima c. 7.

a Editi, & *vim*. At MSS. & *jus*.
b Sic MSS. Editi verò, *ingenii*.
c Ex Græco ὀξύμωρος: de sententia dicitur fatuè acuta, vel celeriter dissipata.

Rom. 5.12. Manichæus dicat, non esse homines opus Dei, per quos Apostolus transisse dicit peccatum & mortem, quod est opus diaboli: quoniam secundùm Julianum, *per opus Dei opus diaboli transire non sinitur*; & dicit Apostolus per homines transisse opus diaboli; non sunt ergo homines opus Dei. Manichæi est ista conclusio, veniens illi, Juliane, de adjutorio tuo. Sed Apostolus pro veritate decertans, & homines dicit esse opus Dei, ut prosternat Manichæum; & per opus Dei, hoc est, per homines transisse opus diaboli, ut cum illo prosternat & te ipsum.

XLIV. JUL. *Illud tamen admoneo, solere etiam te in scriptis tuis tenebras non dicere creaturam, sed absentiâ luminis remanere obscuritatem; ut nihil aliud sit obtenebratio, quàm splendoris exclusio. Quod ergo excluditur, creaturam vocas; quod remanet, tenebras: quod quidem vulgatum à philosophis est; nec nunc quæro verumne esse putetur, an falsum: sed illud inculco, tenebras tu non dicis esse aliud quàm nihil: in homine autem, id est, opere Dei malum ideo exstitisse argumentaris, quia de nihilo factus erat: caussam ergo mali illud nihilum fuisse confirmas, quod nihilum tenebras etiam pronuntias. Necessitatem itaque mali de tenebrarum dicis conditione descendere. Igitur nec in hoc à præceptore dissentis, quoniam voluntatem malam pariter æternis tenebris deputatis.*

Nihil & tenebræ non idem. AUG. Paulò antè jam tibi de nihilo nihil dicenti, quantum apertè potui, breviterque respondi: & nunc frustra ad tenebras voluisti fugere. Non latebis: lumen quippe te persequitur veritatis, ita dicens factas ex nihilo creaturas, quæ non sunt quod ipse qui fecit, ut ipsum nihil non existimetur vel intelligatur esse aliquid, nec ad faciendum habere aliquam vim; quia si haberet, non esset nihil. Ac per hoc, nihil nec corpus est ullum, nec spiritus, nec his substantiis aliquid accidens, nec informis ulla materies, nec inanis locus, nec ipsæ tenebræ, sed prorsus nihil: quia ubi sunt tenebræ, corpus est aliquod carens lumine, sive aër, sive aqua, sive aliquid aliud; corporali enim lumine vel illuminari ut clareat, vel privari ut tenebrescat, nisi corpus non potest. Ac per hoc istarum corporalium tenebrarum conditor non est, nisi qui condidit corpora: propter quod in hymno trium virorum benedicunt eum lux & tenebræ. Dan. 3.71.

De nihilo cuncta creata, atque ideo mutabilia. Fecit ergo Deus cuncta de nihilo, id est, omnia quæ ut essent fecit, si eorum originem primam respiciamus, ex his quæ non erant fecit: hoc Græci dicunt, ἐξ οὐκ ὄντων. Quod ne credatur de Unigenito, qui est Deus de Deo, lumen de lumine, & ideo non de nihilo, vehementer Catholica resistit Arianis. Cùm itaque dicimus, non ideo potuisse oriri ex bono malam voluntatem, quia bonum factum est à bono Deo, sed quia de nihilo factum est, non de Deo; non nihilo damus ullam naturam, sed naturam factoris à natura eorum quæ sunt facta discernimus. Ideo quippe possunt ista mutari, sive voluntate, sicut rationalis potuit creatura, sive propriis qualitatibus suis, sicut cetera; quoniam de nihilo facta sunt, non de Deo, quamvis faciente non nisi Deo; id est, quia non sunt quod illa natura, quæ facta non est, atque ob hoc immutabilis sola est. Si ergo vis Manichæos vel devitare vel vincere, hoc sape, hoc cape intelligendo, si potes, credendo, si non potes, quoniam ex bonis orta sunt mala, nec est aliquid malitia nisi indigentia boni.

JUL. *Verùm ut ambos vos veritas detexit, & proruit: ita à nobis consideratio nostri reposcit officii, ut quid sit hoc quod obscuritatem huic quæstioni, quæ jam exarmata est, fecerat, explicemus. Omnia quæ fiunt, aut à necessario, aut à possibili dicuntur exsistere. Necessarium autem hic dico, non quod solemus utile nuncupare, sed quod majoribus fuerit caussis coactum. Necessarium ergo vocamus, non quod in jure sit voluntatis, sed quod patiatur exsistendi vim. Possibile autem dicimus, quod nec exsistendi, nec non exsistendi in alteram partem experiatur necessitatem, sed certis modis & possit esse, & possit non esse. Teneat ergo lector noster, quid hic necessarium, quid possibile nuncupemus. Et ut à grandibus inchoemus exemplis, ut Deus faceret mundum, à possibili venit ei, non à necessario; id est, omnipotentiæ ejus possibile fuit creare quæ condidit, necessarium tamen non fuit, videlicet non est ab aliquo coactus ut faceret, sed fecit quia voluit, quod non fecisset profectò si noluisset. At hoc quod auctori adfuit à possibili, in opere à necessario factum est, id est, non fuit mundo possibile esse & non esse, qui esse ab omnipotente jubebatur, sed cogebatur exsistere, cui omnipotens mandabat essentiam.* XLV.

AUG. Quomodo mundus cogebatur exsistere, qui non erat ante quàm exsisteret? Quomodo cogitur quisque, si non est? Nonne satius erat ut diceres, Mundus factus est Dei voluntate, non sua. Sed perge, videamus quid ex ista distinctione possibilis & necessarii coneris ostendere: quam meliùs possemus intelligere, si eam commemorare tantummodo, non & exponere voluisses. Quis enim non videat, omne quod fieri necesse est, etiam fieri posse; non omne quod fieri potest, etiam fieri necesse esse? Si ergo hoc tibi placuit appellare possibile, quod ita fieri potest, ut non sit necesse; illud autem necessarium, quod non solùm fieri potest, verùm etiam necesse est: loquere ut vis; ubi res apparent, non est de verbis controversia facienda. Satis est nosse omne necessarium esse possibile, non omne possibile esse necessarium. Distinctio necessarii & possibilis.

JUL. *Transiit ergo in necessitatem conditi, quod venerat de possibilitate condentis. Fecit etiam diversas naturas diversasque species in naturis, custodito eo ordine* [a] *qui à rerum fluebat exordio, ut alia essent necessaria, alia possibilia. Quidquid ergo habent creaturæ naturaliter, à necessarii parte sortitæ sunt.* XLVI.

AUG. Si quidquid habent creaturæ naturaliter, à parte necessarii sortitæ sunt; non ergo naturaliter habent homines quod concumbunt, sed quod possunt concumbere: nec ille quem Apostolus commemoravit, naturalis est usus feminæ, sed possibilitas ejus; si enim nolit homo, non est ipse usus, quamvis possit esse, si velit: possibilitas ergo ejus naturalis est, ipse non est: non enim est necessarius, qui nullus est, si nolimus; & erravit Apostolus, qui dixit esse usum Rom. 1.27.

[a] Editi, *qua rerum*. Castigantur ex MSS.

feminæ naturalem. Ubi est etiam quod antè dixisti, naturam genus, speciemque ejus esse conjugium; quando quidem non necessitate, sed voluntate conjugia copulantur? An fortè ut hoc diceres, nondum tibi in mentem venerat duorum istorum, id est, necessarii possibilisque distinctio? Et ut post concubitum sexuum nascatur homo, naturale non est, quia non est necessarium? Non enim necesse est ut sequatur conceptus & partus, cùm mas & femina concubuerint: hoc autem possibile, non necessarium definisti, quod fieri potest, sed necesse non est. Nec naturaliter manducamus? Quia & hoc, si nolumus, non fit; & ideo possibile est, non necessarium. Sed ista negare esse naturalia, nihil est aliud quàm magnam partem velle auferre naturæ. Falsum est itaque quod aisti, *Quidquid habent creaturæ naturaliter, à necessarii parte sortitæ sunt:* quando quidem & hæc quæ commemoravi, & alia quæ commemorare longum est, naturaliter habent, nec ea tamen sunt à necessarii parte sortitæ.

XLVII. (* f. *Qua.*)

JUL. * *Qui autem sentiunt in processu, non semper à necessario, sed multa à possibili capiunt. Hoc in cunctis licet videre corporibus: sed longior disputatio nascitur; pauca tamen demus exempla. Natura corporum est, ut coagmentatione concrescant, divisione solvantur: capacia ergo sunt vulneris, quæ patiuntur interitum. Ut ergo possint vulnerari, à necessario habent; ut vulnerentur autem, à possibili. Ita à necessario est possibilitatis natura, cùm non sit necessarius possibilitatis effectus. Verbi gratiâ, equus, bos, & similes animantes vulnerabilem habent naturam, & ideo incommodi capacia à necessario sunt: ut autem vulnerentur, non semper necessarium est. Si enim per diligentiam custodum defendantur à plagis, possunt non vulnerari: quòd si non custodiantur, possunt etiam vulnerari.*

Plurimum ergo distat inter ea quæ à possibili veniunt, & ea quæ à necessario: quæ nisi custodiatur distinctio, in innumeros itur errores. Quod ut comparatione clarescat: lapsi sunt quidam medicinæ oppugnatores, argumentati hanc artem nihil habere utilitatis; disputantque hoc modo: Moriturisne medicina subvenit, an victuris? Si morituris, nihil promovet: si victuris, frustra gestit. Qui enim morituri erant, hac quoque laborante, morientur: qui victuri, sine quoque hujus beneficio salvi esse potuerunt. Quàm nempe concinna, quàm urbana conclusio! sed dissolvitur à propugnatoribus medicinæ hoc modo: Hæc ars, inquiunt, prodest nec victuris, nec morituris dumtaxat à necessario, sed à possibili id utrumque passuris: non ergo adjuvat medicina eum qui sine dubio moriturus est, quoniam facere immortalem non potest; sed neque ei subvenit, qui sine dubio futurus incolumis est: verùm illi, qui si non curetur, periclitari potest; si curetur, liberari potest: sicut ergo nec victuro nec morituro à necessarii conditione subvenire, ita & morituro & victuro, sed à possibili, ars potest erudita prodesse. Illi ergo priores medicantum studiis obloquentes, propositionem à possibili inchoantem, necessarii fine clauserunt: quod disputationis genus in innumera extenditur. Verbi gratiâ, prohibet lex homicidium fieri, prohibet etiam negligentiæ per quam in pericula ruitur occasionem dari, ut in tauro cornupeta, atque in domorum coronis. At potest dici: Si Victuro subvenit ista diligentia, an morituro? Si morituro, nihil promovet: si victuro, ex abundanti consulit; si utrumque hoc contrarium, & per impedimenta & sine impedimentis necessariò consequentur. At hoc falsum est: optimo enim mortalibus jure consulitur, ut quod poterant pati sine diligentia, diligentiæ [a] opibus evadant. Aliud ergo est à possibili, aliud à necessario.

Exodi. 21. Deut. 22.

*Ostendamus jam quid his anteloquiis adjuvemur. Fecit Deus hominem liberi arbitrii, naturæ bonæ; sed quæ capax esset virtutum, quas sibi ex se mancipato animo comparasset: quod liberum arbitrium aliter constare non poterat, quàm ut haberet etiam peccandi possibilitatem. Libertatem ergo à necessario habet, voluntatem à possibili. Non potest non esse liber; sed in neutram voluntatem cogi potest, factusque rei necessariæ possibilis effectus. In possibili ergo peccari potest, in necessario non potest; * quia necessario non actor, sed auctor ipse censetur; atque hoc quod potest homo ex integro Dei est, à possibili autem ipse actor expenditur.*

Liberum arbitrium secundùm Pelagianos non constat sine possibilitate peccandi. (* f. quia à.)

AUG. Quid dicis de diabolo, de quo scriptum est, Ab initio diabolus peccat; possibilitatem peccandi habet, an necessitatem? Si necessitatem; tu videris [b] quomodo secundùm tuas disputationes excusetur à crimine: si autem possibilitatem; potest ergo & non peccare, potest habere bonam voluntatem, potest agere pœnitentiam & impetrare misericordiam Dei; quia cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Quod quidem visum est quibusdam, Origene ut perhibetur auctore: sed hoc, ut nosse te existimo, fides catholica & sana non recepit: unde nonnulli Origenem quoque ipsum alienum fuisse ab hoc errore vel probant, vel volunt. Restat igitur, ut ante supplicium ignis æterni, etiam necessitas ista peccandi magna sit diabolo [c] magni pœna peccati: neque hinc excusetur à crimine, quoniam & ista vindicta est pro [d] maximo crimine, ut eum delectet sola malitia, nec possit delectare justitia. Ad hanc autem jam pœnalem peccandi necessitatem non utique pervenisset, nisi priùs libera voluntate, nulla necessitate peccasset. Definitio itaque illa peccati, cùm fit quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere, ad illud peccatum pertinet quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati.

1. Joan. 3. 8. — Pœnalis in diabolo necessitas peccandi; nec tamen excusatur à crimine. — Psal. 50. 18. — Unde illa in diabolo peccandi necessitas.

XLVIII.

JUL. *Et malum ergo & bonum ex propria voluntate facit: sed bonum suum etiam Deo debet, qui parti huic, non quidem præjudicium, tamen adjutorium subministrat.*

AUG. Tam bonum certè quàm malum ex propria homo, sicut dicis, voluntate facit, & utriusque in illo possibilitas æquâ lance libratur, [e] & ad bene faciendum Deus adjutorium subministrat: cur ergo ad peccandum proclivior est natura mortalium, si nihil egit originale peccatum? Quamvis & ipsum adjutorium, quod subministrare Deum cogimini confiteri, quale di-

Adjutorium Dei quale confitentur Pelagiani.

[a] Sic MSS. At editi, *operibus*.
[b] In editis omissum, *quomodo secundùm tuas disputationes excusetur à crimine*. legitur tamen in omnibus MSS.
[c] Editi, *magna*: mendosè.
[d] Sic MSS. Mar. & Clar. At editi, *est proxima crimine*.
[e] Vetus cod. Port. *sed ad*.

catis esse, non lateat. Legem quippe, non spiritum dicitis, cùm Paulus apostolus per subministrationem Spiritus sancti nos doceat adjuvari. (Philipp. 1. 19.) Quod ideo commemorandum putavi, ne fortè qui audiunt vel legunt de subministratione divini adjutorii sententiam tuam, obliviscantur hæresim vestram.

XLIX. Jul. *Tantum ergo valet ista distinctio, ut si nescientes, quod à possibili incipit, in necessarium concludamus, omnia crimina ad Deum recurrant. Quod Manichæus videns, tenebras peccati excogitavit auctores: non enim valuit inter possibile necessariumque distinguere. Omne ergo quod naturaliter habet homo, à necessarii parte sortitus est: quia non potuit aliter esse quàm factus est.*

Aug. Jam paulò antè monstravi, quàm vana sit sententia ista: stolidissimum est enim, [a] habere homines naturaliter possibilitatem manducandi, sed non naturaliter cibos naturæ congruos manducare; aut habere homines naturaliter possibilitatem concumbendi, sed non naturaliter genitalibus membris sexûs utriusque concumbere. Quis hoc dicat, qui considerat utcumque quod dicit? Utrumque enim naturale est; & quod fieri possunt ista, & quod fiunt: sed est illud & quando nolumus; hoc non est nisi velimus.

L. Jul. *Malum autem quod agit, à possibili agit.* (Rom. 7. 15.)

Aug. Adtende eum qui dicit, Quod nolo malum hoc ago: & responde utrùm necessitatem non habeat agendi malum, [b] qui non quod vult facit bonum, sed quod non vult malum hoc agit. Quòd si Apostolo repugnare non audes, ecce homo à necessario malum agens definitiones tuas disrumpit & dissipat: necessitate quippe malum agit, qui non vult, & agit. Hoc autem quod nolens agit, si tantummodo concupiscere est carne, sine ulla mentis consensione membrorumque operatione; mala est & [c] concupiscentia carnis, etiam si non ei consentiatur ad malum; quam te tamen laudare delectat: si autem tantum cogitur iste qui clamat, Quod nolo malum hoc ago, ut etiam sua membra exhibeat arma peccato; non solùm concupiscuntur à necessario mala, verùm etiam committuntur. Ubi sunt definitiones tuæ, quas tanta loquacitate distinguis? Nempe ut fumus defecerunt & perierunt. Necessarium atque possibile magnâ curâ discernenda commendas, necessarium dicens esse quod fieri necesse est; possibile autem quod fieri potest, sed necesse non est. Proinde necessitatem necessario tribuis; possibile verò nulla necessitate constringis. Malos actus non das necessario, sed possibili; & dicis loquens de homine, *Malum autem quod agit, à possibili agit*; ne quisquam malè agere necessitate, non voluntate, dicatur. Sed procedit in medium qui tibi validissimè contradicit, & dicit: Quid est quod dicis? Ecce ego non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. (Rom. 7. 19.) Notum est quòd homo primus voluntate malum egit, non necessitate: sed iste qui dicit, Quod nolo malum hoc ago; necessitate se ostendit malum agere, non voluntate; & flens miserias suas, ridet definitiones tuas.

LI. Jul. *Nisi ergo necessaria possibilitas fuisset, effectus possibilis non fuisset. Ut ergo possit malum & bonum facere, necessarium est: ut autem malum faciat, non necessario, sed possibili suo debet. Ubi autem possibilitas est partis utriusque, necessitas neutra est. Sic fit ut nihil sit aliud peccatum, quàm voluntas agendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Si nihil sit autem aliud voluntas, quàm motus animi, cogente nullo; quomodo ergo Deus, ut mundum faceret, à possibili habuit; mundus autem ipse, ut exsisteret, à necessario pertulit: ita etiam in imagine Dei simile quiddam intelligitur. Quippe ut habeat, quam elegerit voluntatem, non cogitur; sed à possibili ei venit: illud autem quod malè fecerit, necessitatem habet reatûs. Ita crimen à necessario incurrit horrorem; licèt exortum sit, non à necessitate, sed à possibilitate facientis. Opus ergo possibilitatis testimonium est liberi animantis.*

Aug. Jam te omnino negligit, qui ea quæ tibi suprà respondimus, legit. Quoniam qui dicit, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago; (Rom. 7. 19.) necessitate se ad agendum malum premi satis apertè indicat, & ostendit falsum esse quod dicis, *Ut malum faciat, non necessario, sed possibili suo debet*: & cetera talia, quæ garris inaniter. Sic fit ut illa definitio, quâ dicitur, esse peccatum voluntas agendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere, illud peccatum complectatur, sicut jam superiùs admonui, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati. (Peccati definitio, non tamen illi conveniēs, quod etiam est pœna peccati.) Tali namque pœnâ iste agebat quod nolebat malum; unde illi si liberum esset abstinere, nequaquam diceret, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Sicut ergo nos agnoscimus hominem in corpore vitæ illius beatum, ubi liberum habuit quod vellet agere, sive bonum, sive malum: sic & tu agnosce hominem in corpore mortis hujus miserum, ubi perdita libertate audis eum dicere, Non quod volo ago, sed quod odi illud facio. &, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. &, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? (Ibid. 15. & 19. & 24.)

LII. Jul. *Hujus vituperatio ad necessaria non recurrit: quia quidquid ad necessarium pervenerit, ipsum pulsat auctorem.*

Aug. Numquid hoc malum hominis, ubi dicit, Quod nolo malum hoc ago, ipsum hominis pulsat auctorem? Et tamen eum qui sic agit malum, satis apparet ad necessarium pervenisse: necessitate quippe agit, quod non agit voluntate.

LIII. Jul. *Quomodo ergo quod à necessario venit, possibili meo adscribi non potest: ita quod à possibili venit, necessario adscribi non potest. Id est, quomodo natura corporis & animi mei voluntati meæ applicari non potest, ut ideo sic videar esse quia volui, cùm non potuerim velle ante quàm essem: ita malum voluntatis naturæ non potest admoveri, ut necessitati possibilitatis opera [d] misceantur.*

Aug. A necessitate quidem satis evidenter & apertè discernitur, quod ita fieri potest, ut non sit necesse: hoc tu possibile appellas, tamquam impossibile sit quod fieri non solùm potest, verùm etiam necesse est. Sed quoniam placuit

[a] Vetus codex Port. hîc addit, *dicere*.
[b] Sic omnes MSS. At editi pro *qui non*, habent *quando*.

[c] Codex Port. *& sola concupiscentia*.
[d] MSS. Mar. & Clar. *opera misceatur*. Port. *opera misceat*.

A tibi talia duobus istis nomina imponere; intelligamus ut possumus, & feramus. Sed quid est quod dicis, *Malum voluntatis non potest admoveri naturæ?* Nonne [a] cùm angelus, vel homo aliquid vult, natura aliquid vult? Et angelus & homo naturæ [b] non sunt? Quis hoc dixerit? Si ergo naturæ sunt angelus & homo; profectò natura vult quodcumque vult angelus, natura vult quodcumque vult homo. Quomodo ergo malum voluntatis naturæ non potest admoveri; cùm velle aliquid nisi natura non possit? B Aut non imputetur homini peccatum voluntatis suæ; quia homo natura est, & malum voluntatis, ut dicis, naturæ non potest admoveri. An in tantum tua progreditur vanitas, ut naturæ dicas debere imputari, quod naturæ non potest admoveri? Nam quis dicat naturæ non imputari, quod imputatur homini, nisi quisquis ita desipit, ut hominem neget esse naturam? Videsne quàm multùm loquaris, nesciens quid loquaris. Si ergo dicas, C Voluntas necessitati non potest admoveri; ne hoc quidem universaliter verum est. Aliquando enim quod necesse est volumus; sicut necesse est, ut qui perseveranter bene vivunt, fiant beati: aliquando etiam necesse est aliquid ut velimus; sicut necesse est nos beatitudinem velle: unde quædam est & beata necessitas, * quia necesse est Deum semper & immutabiliter & beatissimè vivere. Sed quoniam sunt & quædam necessitates sic à vo- D luntatibus alienæ, ut & necessitas sit ubi voluntas non est, & voluntas ubi non est necessitas: ex parte saltem verum est quod dicitur, Voluntas necessitati non potest admoveri. Qui verò dicit, Mala voluntas non potest naturæ admoveri: idem nobis, si potest, voluntatem vel malam, vel bonam, ubi natura non est, ostendat; aut quòd voluntas esse aliqua possit, si natura non sit quæ aliquid velit. Adtende igitur quàm sis à veritate seclusus. Tu dicis, Voluntas mala E naturæ non potest admoveri: * veritas autem dicit, Quamdiu est voluntas ulla, à natura non potest separari.

Necessitas voluntatis quædam, & beata.

*f. quâ.

* Agatho pap. in epist. ad Imp.

LIV. Jul. *Hanc ergo subtilitatem divisionum non introspiciens Manichæus, Traducianorum nobis produxit examina. Argumentatur enim hoc modo: Unde malum? nimirum de voluntate. Unde voluntas mala? respondet, de homine. Unde homo? per Deum. Concluditque: Si malum ex homine, homo per Deum; malum igitur per Deum. Et post hoc, quasi religiosus, ne criminosum faciat Deum, dat tenebrarum* F *naturam, cui malum debeamus adscribere. Hinc & Augustinus: Unde malum? de voluntate. Unde, inquit, ipsa voluntas? de homine, qui est opus Dei. Et colligit: Si malum ex voluntate, voluntas ex homine, homo opus Dei; malum igitur per Deum. Quod quasi conatus absolvere, ne Deum criminosum dicere videretur, (quod tradux ejus affirmat,) violentum æquè pro Deo nobis nihil obtulit, id est, tenebras quibus malum hoc adscribere deberemus.* Non G enim, *inquit*, ideo in homine malum natum est, quia opus Dei erat, sed ideo quia de nihilo erat. *Quasi veritas respondere non possit: Et quà impudentià primò mentitur Deus tuus, esse in homine voluntatem; deinde condemnat, cùm malum istud, videlicet peccatum, de necessitate noverit tenebrarum, id est, antiqui nihili contigisse? Inflex imus per casus nihil, ut appareret Traduciani virtus in nihilo collocantis spem suam. Vide tamen imbecillitatem Dei, quem Traducianus inducit. Ipsum nihilum superare non valuit: cúmque hominem fecisset ex nihilo, non eum potuit à conditione mali, quæ de nihilo veniebat, exuere: sed rerum difficultate factus amarior,* B *pro suis culpis hominem criminatur, & imaginis suæ exitio nihili delicta condemnat. Benigniùs cum eo agit senex Manes, ut dicat illum non usquequaque tenebrarum gente vastatum; cujus debilitatem tantam inducit Traducianus, ut commentetur eum à nihilo fuiße superatum.*

Lib. 2. de nuptiis & conc. c. 28.

Aug. Nemo superatur à nihilo; sed tu superaris nihil dicendo: nec ego in nihilo collocavi spem meam; sed tu ad nihilum perduxisti loquacitatem tuam. Sanè, si rectè intelligas, C quod perversè loqueris, isto modo Deus à nihilo superatur, quoniam Deum nulla res superat: nihil enim quid est, nisi res nulla? Isto modo etiam Deus non potest superare nihil; quia nullam rem non superat, qui superat omnia; est enim super omnia. Sed *non introspexit*, ut dicis, *Manichæus subtilitates divisionum tuarum, & ideo dicit, Si malum ex homine, homo autem per Deum, malum igitur per Deum*: ut hac conclusione territi, aut hominem per Deum, aut malum nege- D mus ex homine, aut utrumque, ut ille, falsum esse dicamus; ac sic nobis introducat nescio quam substantiam tenebrarum, quæ hominem fecerit, & quæ principaliter malum sit, unde malum [c] omne credatur. Tu ergo divisor subtilissime, huic astutiæ quâ putas sapientiâ resistendum? *Dicam*, inquis, *malum ab homine ex possibili exstitiße, non ex necessario.* Quasi verò tibi ille respondere non possit, Si malum ex possibili, possibilitas ex natura, natura per Deum; malum igitur per Deum. E Hanc conclusionem si tu non times; nec ego illam: quoniam ambo non ex necessario, sed ex possibili peccasse hominem primum confitemur. Etenim nos dicentes hominem propterea potuisse peccare, quia non est ejus natura facta de Deo, quamvis omnino esse nisi illo creante non posset; non ita hoc dicimus, ut ex hoc ei dicamus impactam, sicut calumniaris, peccandi necessitatem. Prorsus peccare poterat & non [d] peccare: sed si non de nihilo factus esset, id est, si de Deo F natura ejus esset, peccare omnino non posset. Quis enim est tam demens, qui dicere audeat, immutabilem & inconvertibilem naturam quæ Deus est, ullo modo posse peccare; de quo dicat Apostolus, Negare se ipsum non potest? Utrique igitur Manichæo resistimus, dicentes à bono & justo Deo non sic hominem factum esse, ut ei esset necesse peccare; & ideo peccasse quia voluit, qui posset & nolle. Sed quòd in ejus progenie mala tanta & tam manifesta conspici- G mus, non voluntaria hominum, sed cum quibus nati sunt, cùm ea venire de vitiata per peccatum origine vos negatis, profectò ad naturam

Necessitas peccandi homini nó impacta à Creatore.

2. Tim. 2. 13.

mali

[a] Maximus Aquileiensis in synodo Lateranensi anni 649. act. 5. locum hunc ita citat: *Numquid, Iuliane, quando angelus, aut homo aliquid vult, non natura eorum aliquid vult?*

[b] Editi, *naturæ sunt*: omissâ negante particulâ, quam ex MSS. restituimus.

[c] Codex Port. *malum esse credatur.*

[d] In editis loco *peccare*, malè substitutum *poterat*, & repugnantibus MSS.

mali introducendam; cujus commixtione Dei natura corrupta sit, tamquam in arce Manichæum hæresis vestra constituit, ex qua & illum simul & vos veritas dejicit.

LV. Jul. *Patiuntur hanc omnes ignominiam, qui indicunt veritati bellum. Nos ergo quod egimus colligamus. Quæritur unde illa prima voluntas mala in homine fuerit exorta? Respondemus à motu animi, cogente nullo. Objicitur, Si in opere Dei apparuit? Assentimur verum esse. Rogatur quomodo id non abnuamus, qui negamus naturale peccatum? Respondemus, quia in opere Dei à possibili exsistit peccatum istud, non à necessario. Naturalia ergo necessaria sunt, possibilia autem voluntaria.*

Aug. Sunt & voluntaria necessaria, sicut beati esse volumus; & necesse est ut velimus: sunt & possibilia naturalia; sic possibile est enim ut concipiat femina quæ concumbit cum viro suis & illius genitalibus membris, si nec ipsa sterilis sit, nec ille; sed non est necessarium: fieri quippe potest, sed necesse non est; & tamen naturale est. Tace, obsecro: vanæ sunt definitiones; nec subtiles, sed pueriles divisiones tuæ.

LVI. Jul. *Ac per hoc, ut peccatum motui libero, ita naturam Deo adscribimus conditori. Est igitur natura humana bonum opus Dei: est libertas arbitrii, id est, possibilitas vel delinquendi, vel rectè faciendi, bonum æquè opus Dei. Utrumque hoc homini à necessario venit: neutra de his duabus rebus mali caussa est. Sed huc usque necessaria illa venerunt: jam voluntas quidem in his exoritur, sed non de his. Capacia voluntatis sunt quippe non plena; nec faciunt, sed accipiunt diversitatem meritorum.*

Aug. Naturam & liberum arbitrium rectissimè bona confiteris esse Dei opera: sed quòd voluntatem in his quidem, sed non de his asseris exoriri, quid insanius dici potest? * Itáne verò, Juliane, ex homine hominis voluntas non oritur, cùm homo bonum opus Dei sit? Postremò potuit-ne adscendere in cor tuum, exoriri quidem hominis voluntatem, sed non de libero ejus arbitrio? Dic ergo unde, si non de natura, id est, non de ipso homine; si non de libero ejus arbitrio, dic rogo unde voluntas hominis oriatur. Dixisti ubi oriatur, dic & unde. Bona opera Dei sunt natura & liberum arbitrium: *In his*, inquis, *voluntas exoritur, sed non de his*: Unde ergo? dic; audiamus, discamus. Aut ostende aliquid alicubi ortum esse, cùm unde non esset. Mundus quidem de nihilo exortus est, sed Deo faciente: nam si Deum opificem non haberet, de nullis rebus omnino oriri non posset. Si ergo & voluntas in homine vel in ejus libero arbitrio de nihilo exorta est, quis eam fecit? Aut si non facta, [a] vel orta est, quis eam genuit? An sola est in rebus, quæ esse cœperunt, facta [b] à nullo, nata de nullo? Cur ergo propter illam damnatur homo, quo non volente exorta est in illo voluntas mala, cujus erat tantùm capax, non efficax? Si autem, ut jure damnetur, eo volente in illo exorta est; cur ejus ipsius voluntatem de illo exortam negas, quo volente exortam esse, & quo nisi volente exoriri non potuisse non negas? Cùm verò de illo orta est, de natura exorta est, quia homo natura est; & quia potuit etiam nolle quod voluit, de libero ejus arbitrio exorta est, quod & ipsum, sicut fateris, pertinet ad naturam: * cur ergo negas clausis oculis res apertas, de natura hominis exoriri voluntatem hominis, dum times ne Manichæus naturæ hujus accuset auctorem? Sufficit ad illam pestilentiam refellendam, quod catholica veritas prædicat, ab optimo Deo sic esse hominem conditum, ut necessitatem peccandi non haberet, nec peccaret, si peccare nollet; cùm etiam semper nolle utique posset. Quis enim tam sit mente cæcus, ut non videat, sicut homo est primitus conditus, magnum bonum esse naturæ, posse non peccare; quamvis majus sit, non posse peccare: atque ordinatissimè constitutum, ut hoc priùs esset unde fieret hominis meritum, & illud esset postea bene meriti præmium.

* Agatho papa in conc. ad Imp.

* Agatho papa ibid.

Manichæa pestilentia quomodo per catholicos refellitur.

Magnum bonū priùs hominis erat, posse non peccare; majus postea erit, non posse peccare.

LVII. Jul. *Bona ergo possibilitas mali atque boni voluntatem non cogit, sed permittit oboriri. Nemo igitur ideo bonus est, quia libero affectus arbitrio est; sunt quippe multi homines æquè liberi, sed tamen pessimi: sed nec ideo quisque malus est, quia liberi arbitrii est; sunt enim multi æquè libertatis hujus participes, tamen optimi. Nec bonus igitur, nec malus homo ideo est, quia liber est: sed nec bonus, nec malus esse posset, nisi liber esset. Est ergo ista possibilitas, quæ nomine libertatis ostenditur, ita à sapientissimo constituta Deo, ut sine ipsa non sit, quod per ipsam esse non cogitur. Contrariorum enim una capacitate ab utrorumque præjudicio vindicatur; id est, nec malæ voluntatis, nec bonæ caussa & necessitas dici potest, quæ utramque sic recipit, ut neutram compellat exsistere.* [c] *Necessariorum ergo singularis ductus, & unum quodam modo filum est, velut geometrica illa sine latitudine longitudo est, nec hic unio dividi potest. Quamdiu ergo singularis extenditur, vim naturæ suæ tenet: at ubi ei occurrit quod in diversa findatur, illud necessarium illico terminatur. Id est, bonus Deus bonum fecit hominem.*

Aug. Cur ergo dixisti, nec bonum, nec malum esse hominem, nisi propria voluntate; & quidquid ex Deo habet, ex necessario habere, non ex possibili? Quod vis intelligi, ex naturâ, non ex voluntate; ut per se ipsum bonus sit homo, non per Deum, aut certè melior per se ipsum quàm per Deum. Hæc quippe verba tua sunt: *Nemo*, inquis, *ideo bonus est, quia libero affectus arbitrio est.* Et paulò pòst, *Nec ideo quisque malus est*, inquis, *quia liberi arbitrii est.* Quibus verbis quid dicis, nisi quòd nec bonum nec malum Deus fecerit hominem, sed utrumlibet horum ipse se facit, cùm bene vel malè utitur libero arbitrio? Quid est ergo quod nunc dicis, *Bonus Deus bonum fecit hominem*: si nec bonus, nec malus est habendo liberum arbitrium quod in eo Deus fecit, sed bene utendo; id est, cùm jam ipse bene vult, non cùm habet possibilitatem volendi bene? Et quomodo verum erit, Fecit Deus hominem rectum? An rectus erat non habens voluntatem bonam, sed ejus possibilitatem? Ergo & pravus erat non habens voluntatem malam, sed ejus possibilitatem; & à se ipso

Eccli. 7. 30.

[a] Codex Port. *sed orta est.*
[b] Editi, *de nullo*: ac paulò pòst, *quo nolente exorta est.* Emendantur ex MSS.

[c] Sic MSS. At editi, *Necessarium ergo singularis ductus & bonum quodammodo filum esse.*

illi est voluntas bona; * falsumque scriptum est, Præparatur voluntas à Domino: & , Deus in vobis operatur & velle. Quamquam tu nec à se ipso ei dicas esse voluntatem bonam vel malam; sed oriri in illo, non de illo. Ita fit, ut per tuam mirabilem sapientiam, nec Deus fecerit rectum hominem; sed qui rectus posset esse, si vellet: nec ipse se faciat, sed nescio quo casu rectus fiat, quia nec de illo, sed nescio unde, aut nescio quomodo, in illo voluntas oritur qua rectus fiat. Non est ista sapientia de sursum „ descendens, sed terrena, animalis, diabo- „ lica.

(* f. falsóque. — Prov. 8. 35. sec. LXX. — Philip. 2. 13. — Iacob. 3. 15.)

LVIII. JUL. *Et incipere, & bene incipere substantiam, à necessarii unione dirigitur. Accipit etiam arbitrii libertatem; æquè adhuc necessarii linea continetur: sed jam necessariorum finis est; hinc finduntur in contraria voluntates. Ad unionem* [a] *ergo necessarii divisionis natura non pertinet. Ita possibilitatem habere cogimur: uti autem vel bene vel malè ipsa possibilitate non cogimur. Ita fit, ut etiam possibilitas peccandi capax boni malique, sed voluntarii sit: quoniam boni proprii capax esse non poterat, nisi capax esset & pravi.*

AUG. Dic potiùs, si vis verum dicere, hominis naturam capacem boni & pravi priùs factam: non quòd non posset solius boni capax fieri; sed quòd ab ipso gradu ordinatissimè surgere debuit, ut si non peccasset quando peccare posset, ad eam beatitudinem perveniret ubi peccare non posset. Quia, sicut jam dixi, utrumque magnum bonum est, quamvis minus unum, alterum majus. Minus est enim posse non peccare, majus autem non posse peccare: & oportebat à merito boni minoris ad præmium pervenire majoris. Nam si *boni proprii*, sicut dicis, *capax esse non poterat* humana natura, *nisi capax esset & pravi*; cur post hanc vitam piè gestam, boni solius erit, & non mali capax, ab omni scilicet aliena, non solùm voluntate vel necessitate, verùm etiam possibilitate peccandi? An verò metuendum est, ne tunc etiam fortè peccemus, quando sanctis Angelis erimus æquales? De quibus sine dubitatione credendum est, quòd acceperint non posse peccare pro merito permansionis suæ, quoniam steterunt, quando aliis cadentibus etiam ipsi peccare potuerunt. Alioquin adhuc timendum esset, ne multos novos diabolos, & eorum novos [b] malos angelos haberet hic mundus. Sanctorum etiam qui de corporibus exierunt, erit nobis vita suspecta, ne ibi etiam quò venerunt, forsitan peccaverint, aut forsitan peccent; si in natura rationali possibilitas peccandi permanet, nec potest esse capax boni, si non sit & mali. Quæ quoniam vehementer absurda sunt, hæc opinio est respuenda; potiúsque credendum, ideo fuisse istam naturam & boni & mali capacem primitus factam, ut horum alterum diligendo, meritum compararet, quo boni solius, vel mali solius capax postmodum fieret: ita tamen ut si plecteretur damnatione perpetua, pati cogeretur tantùm, non etiam facere sineretur malum.

(Magnum primitus fuit hominis bonum, posse non peccare; majus postea futurum pro præmio, non posse peccare.)

(Angeli beati pro merito permansionis suæ acceperunt non posse peccare.)

(Natura rationalis primitus facta capax & boni & mali, futura postmodum pro merito capax aut boni solius aut mali.)

LIX. JUL. *Sed quantum interest inter plenum & vacuum, tantum nimirum inter possibilitatem & necessitatem. Possibilitas enim rei illius, cujus capax dicitur, vacua ostenditur: quando si vacua non esset, nec capax esset. Qui enim caperet, quod jam haberet? Necessitas autem non vacuitatem, sed plenitudinem indicat: non potest quippe capere quasi vacua, quod jam quasi plena esse compellit. Tantum itaque inter necessaria & possibilia interest, quantum inter conferta & inania. Ab utriusque ergo qualitatis, cujus æquè capax est, præjudiciis ipsa repugnantium susceptione defenditur. Habet ergo bonum necessarium in natura tantum, quantum ad honorem spectat auctoris; quod est innocentia nulli malo admixta naturaliter, proprii operis pro boni proprietate & accusatione mali receptrix. Illud ergo quod ei de proprio venit, peccans quisque sauciare potest: hoc verò quod de Dei opere suscepit, decolorare non potest. Manet ergo & in malis hominibus taxatio naturalis boni; nec umquam malum erit, bonum malumque agere potuisse: sed personæ illi nihil proderit, quæ necessarii sui instituta non damnat quidem, sed tamen sibi ea non prodesse compulit. Sicut ergo in eo homine, in quo est jam explicata libertas, cùm peccat, malum adscribimus voluntati, naturam autem Deo conditionis auctori: ita si parvulus, qui voluntatis usum non habet, nec quidquam ostendit præter instituta naturæ, scelere plenus esse dicatur, atque habere malum à necessario, quod alter à possibili capit; sine dubio is auctor criminis, qui naturæ auctor, arguitur.*

AUG. Regulas tuas apertè in majoribus frangimus, ut eas ad parvulos transferre non possis. Non erat parvulus qui dicebat, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Non ei possibilitatis inanitas, sed necessitatis inerat plenitudo, ut tuo de his rebus loquamur modo: non erat vacuum quo caperet, sed refertum quo ceperat malum. Non enim ait, Bonum malumque agere possum; quæ possibilitas naturæ humanæ malum non fuit, nec voluntatis: sed ait, Non quod volo facio bonum. Nec tantùm, verùm & addidit, sed quod nolo malum hoc ago. Ecce & quod non agit bonum, & quod agit malum, non possibili, ut ipse constituis, sed ut ille patitur & fatetur, necessario suo debet: infirmus quidem ad auferendas miserias suas, sed planè firmissimus malleus ad conterendas regulas vestras. Vult & non agit quod bonum est, non vult & agit quod malum est: unde ista necessitas? Agnoscunt eam quidem catholici doctores, qui Paulum apostolum intelligunt etiam de se ipso ista dicentem, & ex lege quæ in membris repugnat legi mentis, sine qua nullus hominum nascitur, venire non dubitant; & ideo dici & à sanctis vident, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago: quia vident quantum bonum sit nec carne concupiscere, quæ [c] mente aversantur; eosque id velle, nec facere: & malum esse, quamvis mente non consentiente, vel carne tamen talia concupiscere; eosque id nolle, sed facere, sine ulla quidem condemnatione, quoniam peccati hujus reatu regeneratione deleto, resistunt mente, ne perficiant quod concupiscunt carne; sed non sine suo aliquo malo, quia non eis aliena commixta, sed eorum natura est & in mente & in carne. Hunc sensum pium & verum contra vestram

(Rom. 7. 19.)

(Pauli de se ipso dicentis, Non quod volo facio bonū &c. sensus pius & verus ex doctoribus catholicis.)

[a] Hic particulam *ergo* auctoritate MSS. adjecimus.
[b] Ex iisdem MSS. restituimus, *malos*.

[c] Vetus cod. Port. *menti adversantur.*

susceptam non vultis admittere; quasi propterea faciatis, ut in judicio quo defenditur à vobis, non solùm de litteris, verùm etiam de ipsis hominum moribus gemitibusque sanctorum, nihil adversùs eam recitetur, nolentibus vobis; & tanta veritatis manifestatione recitetur, ut non eloquentia, sed sola impudentia vestra remaneat, qua illam non possitis defendere, sed velitis. Quid enim agitis, quòd res apertas turbidæ loquacitatis tempestate nubilare conamini? Clamat Apostolus, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Clamat etiam superiùs: Jam " non ego operor illud, sed quod habitat in me " peccatum; scio enim quia non habitat in me, " hoc est, in mea carne bonum. Quid est, quod nolo facio? & quid est, non ego operor? Quid est, nisi quod consequenter exponit? Dicendo quippe, quod nolo facio; se facere ostendit: & rursus dicendo, non ego operor; non mentem consentientem, sed carnem suam concupiscentem id facere ostendit: concupiscendo quippe caro agit, etsi ad consensum mentem non adtrahit. Propter hoc adjungit, Scio quia non habitat in me. Et exponens quid dicat in me: hoc est, inquit, in carne mea bonum.

Rom. 7. 19. Ibid. 17. & 18.

Verùm sint istæ voces, non Apostoli, ut vultis, sed cujuslibet hominis mala sua consuetudine prægravati, quam voluntate non potest vincere: nonne & hæc tam robusta est, ut argumentationes vestras de possibili & necessario tamquam pueriles & ludicras tabellas robore suo frangat & conterat? Quoniam est, quod non vultis, non solùm voluntarium atque possibile, unde liberum est abstinere; verùm etiam necessarium peccatum, unde abstinere liberum non est, quod jam non solùm peccatum, sed etiam pœna peccati est. Nec adtendere vultis, quod in unoquoque agitur per violentiam consuetudinis, (quam quidam docti dixerunt esse secundam naturam,) hoc actum esse per violentiam pœnalem summi illius maximique peccati primi hominis in omnibus qui erant in lumbis ejus, per ejus concupiscentiam exorturi, cùm propagaretur humanum genus; quam concupiscentiam peccantium pudor operuit in regione lumborum.

Voces illas non Apostoli, sed hominis mala consuetudine prægravati esse, frustra dicunt Pelagiani.

LX.

Jul. *Sed quid nos ad parvulos; cùm quæstio Manichæorum nec perfectæ ætatis hominem dicat voluntate peccare? Nam si ideo exortum est in homine malum, quia de nihilo factus erat, à necessario autem habuit homo ut de nihilo fieret; sine dubio malum non à possibili, sed à necessario recepit. Quod quia longa disputatione destructum est; adhuc modicùm, quò magis ac magis iteratione lucescat, super hoc eodem disseramus. Quæris ergo unde ipsa voluntas mala in primo homine exstiterit. Respondeo, de motu animi, cogente nullo. Quæris & unde ipse motus? Respondeo, Quid requiris? unde esse potuerit, an unde esse compulsus sit? Si dicas, quòd scripsisti quoque, unde esse compulsus est: referam te assytata & contraria loqui. Quæris enim quis coëgerit, quod esse non possit, nisi cogente nullo: quod quia ipsa sui contrarietate dissolvitur, nihil habet virium quæstio, quæ ordinem non habet. Igitur stolidissimè interrogas, unde ipsa voluntas mala. Hoc enim quod dicis unde, non occasionem, sed originem ejus, id est, naturam requiris: at id, sicut suprà tractatum est, si naturam accipit, definitionem sui perdit, qua dictum est, cogente nullo; si verò definitionem tenet, præjudicium nativitatis excludit. Non ideo ergo peccavit homo, quia de nihilo factus est, non ideo quia à Deo factus est, non ideo quia de tenebris factus est, non ideo quia liberi arbitrii factus est: sed ideo peccavit, quia voluit; id est, ideo habuit voluntatem malam, quia voluit.*

Aug. Nos, vel potiùs ipsa veritas dicit, perfectæ ætatis homines quosdam voluntate, quosdam necessitate, vel eosdem ipsos in quibusdam voluntate, in quibusdam necessitate agere malum. Quod si falsum putas; illum adspice clamantem, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Qui tibi totiens in faciem retorquendus est, quotiens dicens ista, vel non videre te fingis istum, vel fortasse non vides. Quid te amfractuosis involvis ambagibus? Non tibi dicitur, Necessitatem [a] peccandi habuit homo, quia de nihilo factus est: sed tu tibi hoc dicis. Prorsus ita factus est, ut peccandi possibilitatem haberet à necessario, peccatum verò à possibili. Verumtamen nec ipsam peccandi possibilitatem haberet, si Dei natura esset: immutabilis enim profectò esset, & peccare non posset. Non igitur ideo peccavit, sed ideo peccare potuit, quia de nihilo factus est. Inter peccavit, & peccare potuit plurimum distat: illa culpa est, ista natura. Nec omne quod de nihilo factum est, peccare potuit; non enim ligna & lapides peccare possunt: sed tamen natura quæ peccare potuit, de nihilo facta est. Nec magnum est peccare non posse: sed magnum est cum beatitudine peccare non posse. Sicut non est magnum, esse miserum non posse; quia omnia quæ nec beatitudinem capiunt, misera esse non possunt: sed magnum est ita beatam esse naturam, ut misera esse non possit. Quod etsi majus est, nec illud parvum est, in ea beatitudine conditam hominis esse naturam, ut si vellet, posset esse non misera.

Aliquando voluntate, aliquando necessitate malū agere homines.

Rom. 7. 19.

Sic autem dicuntur omnia facta de nihilo, id est, ex his quæ [b] nulla erant, ut intelligamus, quidquid ex eo factum est quod jam erat, ad originem primam esse referendum. De terra enim caro; sed terra de nihilo. Sic enim dicimus etiam omnes homines esse filios Adam, cùm patris sui quisque sit filius. Omnia tamen, quæ facta sunt, mutabilia sunt, quia de nihilo facta sunt, id est, non fuerunt, & Deo faciente sunt, & bona sunt: à bono enim facta sunt; nec omnino essent mutabilia bona ulla, in quantum sunt, nisi esset à quo crearentur, immutabile bonum. Mala igitur omnia, quæ nihil sunt aliud quàm privationes bonorum, ex bonis orta sunt, sed mutabilibus: & angelum quippe & hominem, ex quibus orta sunt mala, (quæ tamen & non oriri potuissent, si illi peccare noluissent, quia & nolle potuerunt,) naturas bonas rectè, immutabiles autem non rectè possumus dicere. Deus verò tam bonus est, ut malis quoque utatur bene: quæ omnipotens esse non sineret, si eis bene uti summa sua bonitate non posset: & hinc potiùs impotens appareret & minùs bonus, non valendo bene uti etiam malo. Proinde tu negare non sineris, eum qui dicit, Quod nolo

b De nihilo facta omnia, & idcirco mutabilia, quan quā bona.

Mala privationes bonorum.

[a] In MSS. peccati. Eadem in ipsis editis lectio est infrà n. 61.

[b] Sic MSS. Editi autem, *quæ de nullo erant.*

malum hoc ago, à necessario jam malum sumsisse, non à possibili. Non igitur, ut dicis, *omnis actio mali non à necessario, sed à possibili*: verùm nonnulla & à necessario reperitur. Vide nunc ut tua machinatio tam elaborata collapsa sit.

Sed quærenti unde voluntas mala in homine primo exstiterit, cautiùs respondere te putas, *De motu animi, cogente nullo*: quasi non citiùs & expeditiùs responderes, De homine ipso. Illud quippe quod additur, *cogente nullo*, etiam hîc addi à te potuit, resistente tibi nullo. Quis enim tibi resisteret dicenti vera, si diceres, Mala voluntas in homine primo de homine ipso exstitit cogente nullo? Nunc verò timens culpare naturam, tamquam hinc in ejus auctorem ulla recurrat injuria, & quod diu [a] volebas, aliquando dixisti, & à natura non recessisti. Animus namque natura est: & ea quidem in hominis institutione corpore melior, de cujus motu, cogente nullo, malam voluntatem exstitisse dixisti. Videsne non potuisse nisi alicunde exsistere, quod negare non sineris ante quàm exsisteret non fuisse? Quid autem opus est, ut quæratur unde animi motus, cùm satis appareat non potuisse animi motum nisi de animo exsistere? Quod si impudentissimè atque insulsissimè negas, adhuc ex te quæritur, unde exstiterit in homine primo voluntas mala: nec jam permitteris dicere, *De motu animi, cogente nullo*: quia * ipse animi motus cogente nullo, voluntas est. Quapropter, hoc est dicere, Voluntas exstitit de animi motu, [b] quod est dicere, Animi motus exstitit de animi motu, aut voluntas exstitit de voluntate. An dicis hunc motum de se ipso exstitisse, non de animo, ne hinc natura bona, id est, animus ipse culpetur? Non ergo inde damnetur: quis enim inde ferat animum jure damnari, unde non potest jure culpari?

* Agatho papa in epist. ad Imp.

Sed dicis, *Ideo peccavit homo, quia voluit; ideo habuit voluntatem malam, quia voluit.* Verissimè dicis: sed si lux clarissima tenebræ non sunt, de illo exstitit mala voluntas, quia voluit. Non enim dicimus, ut calumniaris, & ut nos etiam scripsisse mentiris, *motus iste unde esse compulsus sit*: sed nullo compellente unde exstiterit; quia & nullo compellente tamen exstitit, & non nisi alicunde exsistere poterat, quod ante quàm exsisteret non erat. Si ergo homo voluit, de homine exstitit: & quid erat homo, ante quàm de illo exsisteret, nisi natura bona & bonum opus Dei? Quod est etiam malus homo, in quantum homo est & opus Dei. Confundatur ergo sua vanitate Julianus; quoniam ex bonis esse mala orta, verum dixit Ambrosius: sed quia cogente nullo, inculpatus est Deus: quòd verò ea permisit exsistere, usu eorum justo & bono laudatur insigniùs.

Ambros. lib. de Isaac & anima c. 7.

LXI. Jul. *Voluntas ergo, quæ nihil est aliud quàm motus animi cogente nullo, possibilitatem suam naturæ debet, effectum suum sibi. In natura enim exorta est, sed à possibili, non à necessario. Hîc si dicat aliquis, Sed mala natura, quæ potuit habere voluntatem malam. Respondeo, Sed bona natura, quæ potuit habere voluntatem bonam. Uno* A *ergo tempore optima simul pessimaque dicetur. At id rerum ratio non sinit, ut uno eodemque tempore una eademque res contrariis meritorum qualitatibus impleatur. Si igitur ideo mala putetur, quia potuit malum facere; ideo bona credatur, quia potuit bonum operari. Cur autem, inquit, & malum potuit, quæ bonum operabatur? Respondeo, Quia bonum hoc, quod virtus dicitur, proprium esse non poterat, nisi fuisset voluntarium: voluntarium autem non esset, si necessitatem boni habuisset: necessitatem autem boni* B *pertulisset, si non habuisset possibilitatem mali. Ut ergo constaret* [c] *jus boni, admissa est possibilitas mali.*

Aug. Ut video, nec bonam voluntatem vis tribuere naturæ, quando est homo primitus conditus: quasi non potuerit Deus hominem facere voluntatis bonæ; in qua eum tamen permanere non cogeret, sed in ejus esset arbitrio sive in ea semper esse vellet, sive non semper, sed ex illa se in malam nullo cogente mutaret, sicut & C factum est. Neque enim homo voluntatem non peccandi antè non habuit, & à voluntate peccandi exorsus est vitam, in qua eum rectum condidit Deus; utique talem, qui uti ratione jam posset. Quis enim ferat, si dicatur talis factus, quales nascuntur infantes? Illa itaque perfectio naturæ, quam non dabant anni, sed sola manus Dei, non potuit nisi habere voluntatem aliquam, eamque non malam: alioquin non scriptum esset, Fecit Deus hominem rectum. Bonæ igitur vo- D luntatis factus est homo, paratus ad obediendum Deo, & præceptum obedienter accipiens; quod sine ulla, quamdiu vellet, difficultate servaret, & sine ulla, cùm vellet, [d] necessitate desereret; nec illud sanè infructuosè, nec istud impunè facturus. Unde pia & sobria cogitatione colligitur, primam voluntatem bonam Dei opus esse: cum illa quippe fecit hominem rectum: neque enim umquam, nisi recta volens, rectus est quisquam.

Homo à Deo factus voluntatis bonæ.

Eccle. 7. 30.

E Propter quod voluntas bona non redditur perdita, nisi ab illo à quo est condita; nec aliunde putandum est sanari posse peccati necessitatem, nisi miserante illo, cujus alto justoque judicio subsequuta est posteros ejus, qui sine ulla necessitate peccavit. Unde ille postea quàm peccati habitantis in carne sua, quo cogebatur malum agere quod nolebat, necessitatem pœnamque deflevit, mox ad quem confugiendum esset ostendens, Miser ego homo, inquit, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per F Jesum Christum Dominum nostrum. Vides certè, quàm non subveniat huic possibilitas illa, quam te tamquam magnum aliquid invenisse arbitraris; jam quippe amissa est, quando necessitate agitur malum, & sub necessario malo clamat homo, Miser ego homo: sed planè ille subveniat, cujus gratiâ superantur etiam quæ propterea necessaria vocas, quòd aliter esse non possunt. Quod enim hominibus impossibile est, G Deo facile est. Cui non fuit necessarium ut camelus per foramen acûs intrare non posset, sed possibile potiùs ut intraret; sicut caro & ossa per ostia missa sunt clausa.

Necessitas peccati in posteris Adæ non sanatur nisi per gratiam.

Rom. 7. 24. & 25.

Matth. 19. 26.

Johan. 20. 26.

[a] Vetus codex Port. *nolebas.*

[b] Sequentem versum addimus ex MS. Port. Agatho in epistola synod. ad Imper. addit tantùm *quod*, ceteris verbis prætermissis.

[c] Sic MSS. At editi, *vis boni.*

[d] Vetus cod. Mar. hoc rursum loco *difficultate* habet, pro *necessitate.*

Frustra itaque conaris naturam defendere vitiatam. Si aliquid utile pro illa quæris agere, ut sanetur age, non ut excusetur. Sine ut ipsa sibi fecerit, unde meritò damnaretur. Nam unde exstiterit mala voluntas, quidquid aliud dicis, & de illa exstitisse negas, injustam damnationem ejus affirmas. Quid enim aliud dicis, nisi non ipsa fecit unde damnatur? Quid ergo iniquius, quàm ut inde damnetur, quod ipsa non fecit? Si autem ipsa fecit, quid eam de possibili excusare conaris, unde illam inexcusabiliùs accusare convinceris? Dicis enim, *voluntatem malam in natura quidem exstitisse, sed à possibili, non à necessario.* Si hæc possibilitas extra naturam est; ipsa potiùs, unde mala exstitit voluntas, non natura damnetur. Si verò ad naturam etiam possibilitas pertinet; magis sibi voluntatem malam natura fecit, quia & non facere potuit: hoc enim abs te commendata definitio possibilitatis ostendit. Nemo tibi dicit, *Ideo mala natura est, quia potuit habere voluntatem malam.* Nos certè, contra quos nunc loqueris, non hoc dicimus: quid superfluis immoraris?

Necessitatem boni reperiri cũ virtute voluntaria.

In eo planè, quod dixisti, *Bonum hoc quod virtus dicitur, non esset voluntarium, si necessitatem boni habuisset; necessitatem autem boni pertulisset, si non habuisset possibilitatem mali:* prorsus oblitus es Deum, cujus virtus tanto magis est necessaria, quanto magis eam sic vult, ut nolle non possit. Nam & tu dixisti in primo hujus operis tui libro,* *Deum nisi justum esse non posse:* quæ si necessitas dicenda est, dicatur omnino; dum tamen constet, nihil esse ista necessitate felicius, qua tam necesse est ut Deus non malè vivat, quàm necesse est ut semper atque beatissimè vivat. Neque enim verba tua timet necessitas talis, in quibus noluisti dicere, *Necessitatem autem boni* habuisset, sed maluisti dicere, *pertulisset, si non habuisset possibilitatem mali:* ut videlicet Deus homini pepercisse videatur, ne tamquam ærumnosum aliquid perferret necessitatem boni, non habendo possibilitatem mali; quod tam magnum est bonum, ut sanctis servaretur ad præmium: quos itidem oblitus es, sicut Deum. Neque enim tunc sine virtute vivemus, quando nobis concedetur, ne à Domino aliquando recedere possimus, quoniam nec velle poterimus. Ita enim nobis certum erit bonum, quo semper, ut promissum est, cum Domino erimus; ut ab eo recedere non velimus, nec velle possimus. [a] Non ergo aliter esset virtus in nobis, nisi voluntatem malam sic non haberemus, ut habere possemus: sed pro hujus minoris virtutis merito, accedere nobis debuit virtus major in præmio, ut malam voluntatem sic non haberemus, ut nec habere possemus. O desideranda necessitas! Donabit eam veritas, ut sit certa securitas, sine qua non potest esse illa, cui non est aliquid addendum, jam plena nostra felicitas.

Virtus & justitia Dei tanto magis necessaria, quãto magis eã sic vult ut nolle non possit.

* Lib. 1. n. 28.

Virtus major, quæ in beatis cum necessitate boni.

1. Thess. 4. 16.

LXII. Jul. *At hoc in contrarium torqueri potest, ut dicatur, Sed malo aptata natura est: nam quia malum voluntarium esse non poterat, si necessitas fuisset mali; ob hoc data est possibilitas boni, ut malo proprietas pararetur. Quod quidem acutum est, sed insanum: omnia enim rerum à meliore parte taxantur: huc & dignitas auctoris accedit, id est, Dei, qui non ob ea quæ puniturus erat, liberum animal fecit; sed propter ea quæ remuneraturus, possibilitatem contrariorum dedit. Verumtamen super hoc pugnare nolo: sed permitto aliquid calumniæ, ut nihil de opificis auctoritate præscribam. Illud tamen necessariò sequitur, ut hæc possibilitas faciendi boni & mali removeatur ab utriusque voluntatis effectu. Ac per hoc, nec virtutis à necessario probatur caussa esse, nec vitii. Ut enim honestis hanc faciamus injuriam, ut ex [b] eo quo cum improbis certare videantur, nec bonæ ei, nec malæ adscribatur meritum voluntatis: habet ergo testimonium [c] ingenuitatis suæ, quòd innocens est, quia nec bono, nec malo, voluntario dumtaxat, plena est. Possibilitatem ergo voluntatis [d] adscribe naturæ; voluntatem autem nec bonam, nec malam, naturæ. Invictè ergo collectum est, voluntatem malam exortam quidem in opere Dei; sed à possibili, non à necessario: quod reputari non potest possibilitatis datori, sed possibilitatis ipsius gubernatori.*

Aug. Voluntatem nec bonam, nec malam, naturæ concedis adscribi; sed tantùm possibilitatem vel bonæ vel malæ voluntatis, cùm sit natura & angelus & homo. Cui si non est adscribenda, ut dicis, voluntas bona vel mala; nec honorandus de bona, nec de mala est voluntate damnandus. Quid enim est iniquius, quàm ut de malo, quod ei non est adscribendum, judicemus esse damnandum? An angelus & homo naturæ non sunt? Quis hoc loquitur, nisi nesciens quid loquatur? Naturæ igitur adscribitur, quod angelo adscribitur; naturæ adscribitur, quod homini adscribitur: sed naturæ quæ à bono Deo condita est bona, & voluntate suâ facta est mala. Ac per hoc, rectissimè malum, quod his naturis adscribitur, ei à quo sunt conditæ non adscribitur; quia non eas ita condidit, cùm primùm condidit, ut eis esset habendæ malæ voluntatis ulla necessitas, sed tantummodo possibilitas; ubi meritum compararet, atque inveniret in eis bona voluntas non deserta præmium, deserta supplicium. Quid ergo malitiâ voluntatis quæris excusare naturam, cujus est velle seu nolle? Neque enim est mala voluntas, nisi volentis aut angeli, aut hominis, quas non esse naturas nulla ratione possumus dicere. Cur, inquam, adscribis homini malam voluntatem, ut non injustè possit malæ voluntatis merito pœnas luere; & quod adscribis homini, non vis adscribere naturæ, quasi ullo modo possit homo non esse natura?

Quanto satius est, te sana loqui, & dicere hominis voluntatem malam non nisi alicujus esse naturæ, quia omnis homo natura est; sed istam naturam, cùm primò malum egit, non ex necessario, sed ex possibili habuisse voluntatem malam: quando quidem his nominibus tibi placuit duo ista discernere, quorum in uno intelligitur id fieri quod necesse est, in altero autem id quod fieri quidem potest, sed necesse non est, quia & non fieri potest. Hoc enim de peccato primi hominis, vel primorum hominum verissimè dicitur:

[a] Vetus cod. Port. *Non ergo aliter non esset*: fortè pro, *Nunc ergo aliter non esset.*
[b] Codex Mar. *ex ea quo.*
[c] Sic MSS. Editi verò, *integritatis.*
[d] Hîc codex Port. addit, *vel bona, vel mala.*

Rom. 7. 19. restat ille qui clamat, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Iste quippe ex necessario malum agit, qui non vult & agit: frangitque tuam regulam, quam temeraria loquacitate finxisti dicens, quòd *nec virtutis à necessario probetur caussa esse, nec vitii;* [a] cùm hujus caussa probetur esse à necessario. Neque enim aut actio mali vitium non est; aut bonum quod vult, non facere, & malum nolle, & tamen agere, necessitas non est; aut è contrario

Virtutis necessitas felix in futura vita. 1. Cor. 15. 28. 2. Petr. 3. 13.

non erit nobis etiam virtutis necessitas felix, quando tantâ gratiâ natura nostra replebitur, & Deus erit omnia in omnibus, ut malè aliquid velle non possit. Virtus est quippe justitia; & cælum novum & terra nova promittitur nobis, in quibus justitia inhabitat. Aut si fortè turbatus, præsenti vitæ, non futuræ istam regulam finxisse te dicis; non contendo cum victo: illud certè ad hanc vitam pertinere non negas, ubi

Vitii necessitas in in præsente vita.

vides hominem velle, nec facere bonum; & nolle, atque agere malum: cogerisque hoc vitium contra regulam tuam necessitati tribuere, non voluntati. Ab hac autem necessitate, cum qua nascuntur & parvuli, sed ætatis accessu incipit apparere, quis liberat hominem miserum, Rom. 7. 25. nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum: cujus gratiæ vos inimici, in vestra virtute confiditis; & contra divina eloquia, quæ Ierem. 17. 5. damnant eos qui in sua virtute confidunt, impiâ superbiâ disputatis.

LXIII. JUL. *Hæreat ergo prudentis animo lectoris, multum interesse inter ea quæ à possibili veniunt, & ea quæ à necessario; naturaliaque omnia necessariis applicet, voluntaria verò possibilibus; & quæstiones universas ab ea, quâ cœperint, parte consummet. Quoniam si per utramque cæco judicio vagetur; in innumeros per verba penè omnia præcipitatur errores: quod quoniam satis claruit, apparet te nimis » omnino caligasse, qui collegisti, Quomodo potuit ma- » lum, quod nusquam erat, exoriri in opere Dei, ita » etiam, jam quod erat, transiit naturaliter per opus Dei. Vide enim quo sis involutus errore: peccatum prima voluntate conceptum, quod à possibili venit, in necessaria dicis fuisse mutatum, ut quomodo potuit oriri motus animi liber, ita sine motu libero transiret in naturalium necessitatem. Sed intellige quoniam necessariorum auctor sit Deus. Si ergo hoc facit Deus in naturis, quod fecit animus in culpis; necesse est ut sic sit reus, quomodo & ille cujus arguit voluntatem. Immo magis: quanto enim est plus necessarium quàm possibile, tanto scelestius est ingenerare quàm usurpare peccatum. Quod licèt rerum natura non capiat; tamen hic ostenderim, multo pejorem esse opinionem tuam de Deo, quàm Manichæi. Illius enim Deum vel subita bella truncarunt: tuum verò antiqua & multiplicata crimina corruperunt. Ac per hoc non solùm de quæstione dissentis à catholicis, sed omnino de Deo: non ipsum colis, quem nos æquissimum, omnipotentissimum, inviolabilem in Trinitate veneramur.*

Ergo permeare non potuit per naturam res voluntatis; meritòque nos diximus, quia opus diaboli per opus Dei transire non finitur. Opus enim diaboli hominisque mali peccatum est, quod in nullo potest sine liberæ motu voluntatis exsistere. Quod opus & diabolo & homini à possibili venit & venit: opus au- A *tem Dei est natura, in qua non à possibili, sed à necessario subsistit homo: quæ natura multis est temporibus sine voluntate, quoniam vis ejus ætate certa sentitur. Quamdiu ergo est natura sine voluntate, opus Dei tantummodo est: at hæc quod non fecerit, non potest habere peccatum. Irrefutabiliter ergo dictum est, quia per opus Dei opus diaboli transire non finitur. Non minùs autem falsum est quàm profanum, quod dixisti,* Opus operis Dei transit per opus Dei. *Hoc est enim dicere, Peccat & Deus,* B *quia peccavit homo, quem fecit Deus. Nam sicut nusquam est peccatum, nisi in opere hominis; neque enim cùm peccaverit homo, aliquid substantiæ ejus additur, ut peccatum ibi eminere videatur, sed tantummodo malum opus de mala voluntate commissum, illi quoque à quo factum est, comparat meritum malum, ut malus dicatur qui mala fecit: ita etiam Deus tuus, si malum in opere suo fecit, nihil quidem substantiæ ejus accedit, sicut nec hominis; tamen meritum ei deformissimum comparatur, ut ma-* C *lus malè faciendo dicatur. Parvulus sanè probatur etiam tunc reus non esse, quia malitiam à necessario habet; quam nisi diabolus à possibili haberet, reus esse non posset. Deus autem qui verus est Christianorum, malum non facit: parvulus quoque ante propriæ voluntatis arbitrium nihil habet, nisi quod in eo fecit Deus. Naturale igitur nullum esse peccatum potest. Sed quoniam sollicitissimè antiqui erroris antra* [b] *prorupimus, nec quidquam super hac quæstione occultum remansit: teneat lector diligens distinctionem* D *necessarii atque possibilis; & non minùs Manichæorum, quàm Traducianorum commenta ridebit.*

AUG. Apud homines qui ea quæ legunt, sic intelligunt, ut etiam ista quæ dicis intelligant, nihil egisti aliud, eadem per eadem tantâ perplexitate repetendo, nisi ut te appareret responsionem nostram in uno meo libro, quem tuis octo refellere suscepisti, cùm dissolvere non valeres, obscurare voluisse. Apud eos autem qui hæc non intelligunt, id egisti saltem, ut ideò E te putent dixisse aliquid, quoniam non intelligunt. Unde breviter admonendi sunt interim de hoc unde nunc agitur, ut illud ipsum meum, remotis nebulis tuæ loquacitatis, adspiciant, & videant quàm sit invictum. Tu enim dixeras, *Si natura opus est Dei, per opus Dei opus diaboli transire non finitur.* Ad hoc ego: Quid est quod dicit, « inquam, Si natura opus est Dei, per opus Dei « opus diaboli transire non finitur? Nonne opus « diaboli, quando in angelo, qui factus est diabolus, priùs ortum est, in opere Dei ortum est? « F Quapropter si malum, quod nusquam erat omnino, in Dei opere oriri potuit: cur malum, « quod alicubi jam erat, per opus Dei transire non « potuit; præsertim cùm ipso verbo utatur Apostolus dicens, Et ita in omnes homines pertransiit? « Numquid homines non sunt opus Dei? Pertransiit « ergo peccatum per homines, hoc est, opus diaboli per opus Dei; atque ut alio modo idipsum « dicam, opus operis Dei per opus Dei. Et ideo « G Deus solus est immutabilis & potentissimæ bonitatis, qui & ante quàm esset ullum malum, « bona opera fecit omnia, & de malis, quæ in bonis ab eo factis orta sunt, bene operatur per « omnia. Hac tu rerum evidentiâ purturbatus, oculos hominum de possibili & necessario longa

Lib. 1. de nuptiis & concup. c. 8.

Rom. 5. 12.

[a] Particula *cùm* restituitur ex MS. Port.

[b] Vetus codex Port. *perrupimus.*

& inani disputatione tenebrandos putasti; ut ista caligine objecta sententiam tuam vanam non subtraheres, ne perimeretur, sed ne peremta jacere conspiceretur, absconderes. Utrùm quippe à necessario, an à possibili, quid interest ad rem de qua quærimus? Angelus certè & homo peccarunt: aut ergo aude dicere angelum & hominem non esse naturas: aut quia non ita es insanus ut audeas, convinceris peccante angelo peccasse naturam, convinceris peccante homine peccasse naturam. Sed à possibili, inquis, non à necessario peccavit. Hoc verum est: tamen angelus peccavit, tamen homo peccavit, tamen natura peccavit; ac sic opus Dei, quod est angelus, quod est homo, non cogente Deo, sed sua mala voluntate, quam potuit & non habere, peccavit. Illi ergo naturæ ignominia, quæ cùm bene facta esset, & malum facere coacta non esset, tamen malum fecit: Deo autem gloria, qui & naturam bonam fecit, & de malo bene facit, quod ipse non fecit.

Cùm igitur his atque hujusmodi veris catholicisque rationibus, & defendi & prædicari natura possit creatrix, & argui reprehendique peccatrix; atque ipsa peccatrix, & laudari in quantum eam Deus fecit, & culpari in quantum ab illo, nullo cogente, defecit, & in posteris meritum suum recepit: (eadem quippe ipsa natura in singulis quibusque sine voluntate nascitur, quæ in uno voluntate peccavit:) quis te præcipitavit ut diceres, quis submersit ut scriberes, *Si natura opus est Dei, per opus Dei opus diaboli transire non sinitur?* O surde in vocibus sanctis! ô cæce in inventionibus tuis! Nonne peccatum opus est diaboli? Nonne in omnes homines pertransiit, qui sunt opus Dei? Nonne per peccatum mors, ea præsertim qualem vos solam per peccatum dicitis accidisse, id est, non corporis, sed animæ, opus est diaboli? Nonne in omnes homines pertransiit, qui sunt opus Dei? Sed imitatione, ut dicitis, transiit. Tamen per homines transiit, qui sunt opus Dei. Sed à possibili, non à necessario transiit. Dic quidquid tibi placet: tamen per homines transiit, qui sunt opus Dei: tu autem sine ulla exceptione dixisti, *Per opus Dei opus diaboli transire non sinitur*; & hanc sententiæ tuæ tam perspicuam [a] vanitatem, ut vanior fieres, tanta loquacitate non ut absolveretur defendere, sed ne adspiceretur operire conatus es. Si in mentem tibi apostolica verba non venerant, quæ te hoc dicere prohiberent; cur non adtendisti, obsecro, plus esse in opere Dei exsistere, quàm per opus Dei transire opus diaboli? Cùm ergo illud fatearis, cur hoc negas? An quod vis fieri potest, quod non vis non potest? Misereatur tui Deus, ut esse desinas vanus. Hanc autem sententiam tuam Manichæus libenter amplectitur, tamquam amicam suam, & argumentatur ita: Si per opus Dei opus diaboli transire non sinitur, multo minùs in opere Dei exsistere sinitur: unde ergo malum, nisi unde nos dicimus? Sed respondemus eis: Juliano dicite ista, non nobis. Princeps hujus sententiæ missus est foras: absit ut præjudicet nobis vobiscum vincendus, vel potiùs vobiscum jam victus à nobis.

Julianus de Ecclesia pulsus.

A cum vincendus, vel potiùs vobiscum jam victus à nobis.

LXIV. JUL. *Illud itaque aliud de eadem hebetudine protulisti. Ais enim*, Sic creat Deus malos, quomodo pascit & nutrit malos; *quia scriptum est in Evangelio*, quòd solem suum oriri faciat super bonos & malos, & pluat super justos & injustos. *Longè enim latèque contrarium est, quod tu conjunctum putasti. Quòd enim pascit Deus etiam peccatores, benignusque est super ingratos & malos, pietatis est ejus testimonium, non malignitatis: qui non vult quippe mortem morientis, sed ut revertatur & vivat: nec cito punit errantes; nec ob aliud id facit, quàm ut bonitas ejus pænitentiæ tempus indulgeat. Sic enim ait Apostolus: "An ignoras, quoniam bonitas Dei ad pænitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & cor impænitens tu tibi thesaurizas iram. Disputat etiam apud Lycaones & Areopagitas, quoniam Deus nec temporibus præteritæ ignorantiæ, providentiæ suæ documenta submoverit. Neque enim sine testimonio reliquit semetipsum, dans, inquit, pluvias de cælo, & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda eorum. Hoc ergo quod pluit super bonos & super malos, documentum est benignitatis ejus, quæ ideo sustinet & exspectat errantes, ut recedant tandem à malo & faciant bonum. In tantum ergo non vult fieri malum, ut amore etiam emendationis humanæ pascat etiam ingratos. At id perfectæ pietatis indicium: illud verò quod dicis*, Creat malos, *perfectæ iniquitatis testimonium est. Vide ergo quàm nescias quid loquaris, qui de exemplo misericordiæ voluisti crudelitatem probare. Bonum est enim pascere etiam malos, ut si voluerint, corrigantur: scelestum autem facere parvulos malos, ut qui velle non possunt, iniqui tamen esse cogantur. Liberalitas ergo in peccatores exercita abducit à malis, non in mala cogit. Conditio autem malorum non abducit à pessimis; sed & opus & operatorem in nefaria cuncta compellit. Insanis ergo cùm dicis*, Creat malum Deus: *sed plus insanis, cùm id Evangelii testimonio affirmare conaris, & eo testimonio in quo grande est argumentum bonitatis divinæ. Adtende igitur, quanto nunc fortiùs reflectatur: Deus, qui pascit etiam malos, ut patientiâ suâ bonos esse faciat, manifestum est quòd non creet malos. Si autem creat malos; nec amat nec remuneratur bonos, nec ipse postremò potest habere aliquid boni; quoniam quavis mala voluntate efficaciùs & violentiùs nocet potentia creatrix, non solùm possibilium, sed etiam necessariorum malorum. Quod quoniam Deo Christianorum non convenit, id est, illi qui Pater misericordiæ dicitur, & Deus consolationis; cujus judicia omnia æquitas prædicantur; qui cuncta in sapientia fecisse perhibetur: vobis ut Manichæis non est in Dei nostri æstimatione communio:* [b] *ad alium vos omnino quem colatis auctorem, tamen* [c] *Manis furore simulatum, stulta commenta & genitalia traxere peccata.*

(Margin: Lib. 2. de nuptiis & conc. c. 17. — Matth. 5. 45. — Ezech. 18. 31. — Rom. 2. 4. — Act. 14. 17. — 2. Cor. 1. 3. — Psal. 118. 75. — Psal. 103. 25.)

AUG. Ego faciam, quod tu cur non feceris, quid me adtinet & dicere? Qui legunt judicent: propter hoc enim quia dixeras, *quòd secundùm sensum nostrum Deus homines diabolo faciat*, factum est ut ad verba ista veniretur responsione meâ, ex quibus quod voluisti ipse posuisti: sed ego

[a] Editi, *perspicuam naturam*: dissentientibus MSS.
[b] Particulam *ad* ex MSS. adjecimus.
[c] Editi, *inani furore simulatum*. Meliùs MSS. *Manis* (id est Manichæi) *furore simulatum*.

etiam te nolente commemorabo, quod præter-
eundum putasti. Inter cetera ergo, quæ omnia
dicere nimis longum est: An verò, inquam, filios
» perditionis hœdos sinistræ partis, diabolo pascit,
» diabolo nutrit & vestit, quia facit solem suum
» oriri super bonos & malos, & pluit super justos
» & injustos? Sic itaque creat malos, quomodo
» pascit & nutrit malos: quia quod eis creando
» tribuit, ad naturæ pertinet bonitatem, & quod
» eis pascendo & nutriendo dat incrementum,
» non utique malitiæ illorum, sed eidem naturæ,
» quam creavit bonus, bonum tribuit adjumen-
» tum. In quantum enim homines sunt, bonum est
» naturæ, cujus auctor est Deus: in quantum au-
» tem cum peccato nascuntur, perituri qui non
» renascuntur, ad semen pertinet maledictum ab
» initio, illius antiquæ inobedientiæ vitio: quo
» tamen bene utitur factor etiam vasorum iræ, ut
» notas faciat divitias suæ gloriæ in vasa miseri-
» cordiæ; ne meritis suis tribuat, si ad eamdem
» massam quisque pertinens gratiâ liberetur, sed
» qui gloriatur, in Domino glorietur. His dictis
» ista subjunxi: Ab hac fide, inquam, apostolica
» atque catholica, veracissima & fundatissima, cum
» Pelagianis iste discedens, non vult nascentes esse
» sub diabolo, ne parvuli portentur ad Christum,
» ut eruantur à potestate tenebrarum, & in re-
» gnum ipsius transferantur: * ac sic accusat toto
» orbe diffusam Ecclesiam, in qua ubique omnes
» baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur,
» nisi ut ab eis princeps mundi mittatur foras: à
» quo necesse est vasa iræ possideantur, cùm ex
» Adam nascuntur, si in Christo non renascantur,
» & in ejus regnum per gratiam facta vasa miseri-
» cordiæ transferantur: & cetera quæ ibi legat, vel
legentem audiat, qui vult & potest. Nunc ergo quia his relictis, quibus ea quæ posuisti adstruuntur atque muniuntur, sic illa putasti esse ponenda, ut tamquam in solitudine defendente nullo latrocinanter invaderes; legant hæc qui volunt scire quid egeris, vel potiùs ad ejusdem libri considerationem recurrant, unde ista reposui, & videant ea manere firmissima, quæ velut infirma labefactare tentasti.

Ex lib. 2. de nuptiis & conc. c. 17. Matth. 5. 45.

Rom. 9. 22. & 23.

1. Cor. 1. 31.

* Ibid. cap. 18.

* [a] Quid igitur te adjuvat, quòd eos mihi objecisti, quos exspectat Dei patientia per pænitentiam corrigendos, & ideo super eos oriri solem suum facit & pluit: cùm ego tibi hœdos sinistræ partis objecerim, quos usque in finem sine pænitentia victuros in impietate & sceleribus suis, ac per hoc æterno supplicio puniendos, ignorare non potest præscius omnium futurorum? Nec ab eis abstinet bonum creationis suæ, quibus nec nasci expediret; nec bonum nutritionis & vivificationis suæ, quantum ei placuerit, diuturnæ, quibus mori quantociùs expediret: inter quos sunt certè plurimi, qui, si ex hac vita abriperentur infantes, secundùm falsam vestram hæresim, penitus ab omni; secundùm autem catholicam fidem, à damnatione gravissima tollerentur. Quid deinde illud est, quod in his sinistræ partis hœdis, in Dei præscientia, quæ falli non potest, igni perpetuo destinatis, multi sunt qui lavacro regenerationis abluti, postea vel apostasiâ pereunt, vel tam facinorosè flagitioséque vivunt, ut eidem sinistræ sine dubio

* Lupus Ferrar. in collect. quæst. 1. de prædest. & in epistola ad Carolum regem Matth. 5. 45.

Qui præsciuntur damnandi, possēt post baptismum tolli de vita priùs quàm peccent.

[a] Editi, *Quid igitur*. Castigantur ex MSS.

A deputentur; nec rapiuntur, sicut quidam, ne malitia mutet intellectum eorum. Neque ut hoc eis Deus tam magnum beneficium non conferat, fatali necessitate prohibetur; neque ut aliis conferat, personarum acceptione mutatur. Quid hîc faciunt illa tua possibilia & necessaria, quæ diligenter distinguenda commendas, ubi te nesciente quid loquaris, novit ille quid agat, cujus occulta possunt esse judicia, injusta non possunt.

Sap. 4. 11.

Deus nec fatali necessitate prohibetur ne id beneficii damnandis conferat, nec aliis ex personarum acceptione confert.

B Non est igitur injustum, ut bona conferantur malis: sed injustum est, ut mala ingerantur bonis. Dic ergo quâ justitiâ parvuli tanta mala patiantur: quæ sæpe commemorare nos piget; vos verò eadem mala paradiso, etiam si nemo peccasset, importare non pudet? *Non creantur*, ut dicis, *mali*, hoc est, trahentes originale peccatum: [a] quâ igitur justitiâ premuntur gravi jugo à die exitûs de ventre matris eorum? In quo jugo tanta miseria est, ut eam faciliùs de-
C plorare, quàm explicare possimus. Peccatum à possibili in necessarium, hoc est, à voluntario in non voluntarium, dicis non posse mutari; quod potuisse ostendimus in eo qui dicit, Quod nolo malum hoc ago. Hoc vos consuetudinis violentiæ tribuitis, non vitiatæ originis vinculis: peccatum tamen à possibili in necessarium potuisse converti videtis; nec de vestris distortis & fallacibus regulis erubescitis. Tale aliquid universo generi humano per unum hominem, in quo
D omnes fuerunt, accidere potuisse non vultis: & tamen sub omnipotentissimi & justissimi Dei cura tot ac tantas pœnas infantes pendere non negatis; quoniam vobis ora claudunt, & oculos feriunt, si negetis. Nonne ergo adtenditis, quem faciatis injustum, cernentes evidentissimas pœnas & negantes ulla mala merita parvulorum?

Quâ justitia parvuli tanta mala patiantur, dicere non potest qui negat originale peccatum.

[a] Eccli. 40. 1.

Rom. 7. 15.

Falsum ac profanum tibi visum est, quod ego dixi, Opus operis Dei transiit per opus Dei.
E Quia utique angelus opus est Dei. Peccatum ergo, quod est opus angeli, opus est operis Dei, non ipsius Dei. Et de his verbis ita me arguis, quasi dixerim, *Peccat & Deus, quia peccavit homo quem fecit Deus*: quod ego non dixi. Peccavit quippe opus Dei, id est, angelus, vel homo; sed opere suo peccaverunt, non opere Dei: ipsi sunt enim bonum opus Dei; peccatum verò eorum malum opus ipsorum est, non Dei. Sed quid est pejus dicere, *Peccat & Deus, quia peccavit*
F *homo quem fecit Deus*; quod ego non dixi: an ita negare originale peccatum, ut pœna parvuli injusta nihil sit aliud quàm peccatum Dei? Quod si in Deum cadere non potest; justa ergo parvuli pœna est: si autem justa est, pro peccato est. Nemo igitur potest in tot tantisque pœnis parvulorum prædicare Deum justum, negans originale peccatum. Esset itaque, * inquit, iniquitatis testimonium creare malos, si malum quo mali sunt, ipse creavisset: nunc autem, cùm
G homines mali sint, & hoc creet ipse quod homines sunt; sequatur autem eos de vitiata natura per peccatum quòd mali sunt; profectò etiam cùm malos creat, bonum est ipse quod creat; quoniam mali sunt vitio quod nulla natura est, creat verò ipse naturam quæ vitium

Pœna parvuli injusta, si negetur peccatum originale.

* f. ut iniquis.

non

non est, etsi vitiata est. Tale est autem tribuere A [a] creationis bonum stirpi vitiatæ & jure damnatæ, quale est etiam homini malo tribuere vitæ ac salutis bonum, propter quod homo est, non propter quod malus est.

Parvuli nō Dei creatione, sed vitio naturæ per peccatum depravatæ nascuntur mali.

Quod autem dicis esse *scelestum facere parvulos malos, ut qui velle non possunt, iniqui tamen esse cogantur.* Ad aliquid cogi nulla possunt ratione qui non sunt. Si autem nondum quidem proprietate personæ atque conditionis suæ, sed occultissima ratione seminis jam sunt, sicut Levi B in lumbis Abrahæ: ibi naturæ vitio de peccato primi hominis veniente jam mali sunt; non Dei creatione, qui nec velle possunt, mali esse coguntur. Vide sanè mirabilia gratiæ Christi, cujus estis miseri inimici. Ecce parvuli, qui bonum vel malum velle aut nolle non possunt, tamen quando reluctantes & cum lacrymis reclamantes sacro baptismate renascuntur, sancti & justi esse coguntur. Nam procul dubio, si ante usum rationis obierint, in Dei regno sancti & justi C erunt, eâ gratiâ ad quam non sua possibilitate, sed necessitate venerunt, sanctas & justas sine fine ducentes vitas suas, calcantes & frangentes de possibili & necessario regulas tuas. Sine dubio autem plus est nolle malum agere, quàm nec nolle, nec velle: & tamen ille nolebat & agebat, qui dicebat, Quod nolo malum hoc ago. Non itaque insanio, nec dico, *Malum creat Deus.* Bonum enim creat, qui etiam de ipsa vitiata natura non creat vitium, sed naturam. Trahit verò illa vitium, non Dei opificio, sed judicio. Tu autem utrùm non insanias, si non valde insanis adtende, qui non malum pœnale quod justum est, sed malum quod vocatur iniquitas dicis facere Deum: quid enim aliud facit, si nullo malo reis parvulis tanta mala vel ingerit, vel ingeri sinit? Verùm tu non à nobis alloquendus & redarguendus; sed ab universa Ecclesia, si posses, exsufflandus & exorcizandus esses, à qua frustra exsufflari & exorcizari dicis infantes.

Hebr. 7.

[a] Editi, *creatoris.*

LIBER SEXTUS.

Ostendit Augustinus Julianum frustra libro suo sexto disputare contra id quod libro secundo de Nuptiis & Concupiscentia, cap. 34. assertum est, primi hominis peccato naturam humanam fuisse in deterius commutatam, ita ut non solùm facta sit peccatrix, sed etiam genuerit deinceps peccatores. Liberi arbitrii vires, quibus integris poterat homo, & rectè agere, cùm vellet, & non peccare, si nollet, peccando eum perdidisse docet: illam autem prorsus improbat definitionem libertatis, quæ passim objectari ab adversario solet, scilicet, Possibilitas peccandi & non peccandi *&c. Dolores parturientium, spinas, labores, sudores, ceterasque mortalium ærumnas probat pœnas esse peccati; sed ipsam in primis mortem pœnalem esse homini, qui sic divinitus institutus fuerat, ut nisi peccaret, non moreretur. Extrema parte libri expositionem in illud Apostoli 1. Cor. 15.* Sicut in Adam omnes moriuntur, *& in sequentia ejusdem capitis dicta, à Juliano prolatam expendit & refellit. Tandem per totum ferè librum dogma catholicum de originali vitio, quod Julianus ad Manichæam hæresim trahere ubique enititur, non modò abesse longè ab illa hæresi, sed etiam hæresim illam demonstrat numquam à Pelagianis posse nisi catholici ipsius dogmatis auxilio & professione superari.*

I. JULIANUS. *NON dubito ejusmodi opinionem hactenus super nostro fuisse certamine, ut ad quæstionem involutam magis, quàm ad summam spectare fidei crederetur. Procul quippe ab studiis spiritalibus agitantes, solis famæ aurulis commoventur; temporumque formidantes invidiam, nec compertæ veritatis præsidium tenentes, (ut ferè in rebus trepidis, nulli minùs quàm sibi creditur,) tutius iter quod frequentius arbitrantur.*

AUGUSTINUS. EO frequentius est iter nostrum, quò antiquius; quia catholicum est: vestrum verò tanto minùs frequens, quanto magis novitium; quia hæreticum.

II. JUL. *Hoc autem in præsentiarum duabus ex caussis accidit: quia & sententia Manichæorum de criminum est probata consiliis, & excitæ persequutionum procellæ inopes spiritus à veritatis favore deterrent.*

AUG. Quomodo est iter frequentius de sententia Manichæorum, cùm sint admodum rari; aut quomodo persequutionem pro veritate patimini, qui subtrahitis parvulos Salvatori?

III. JUL. *Pars igitur & voluptati consulens & pavori, vel arenæ vel circi vel scenæ populis comitata luxuria, ambiens in omnibus flagitiis obtendere necessitatem, qua commissi invidia semper levatur, & fragores sæculi prævaricatione vitare: ea ergo sunt, quæ comitatiorem faciunt vitiorum defensionem. Ex quo tamen vulgo pars maxima, ut præfatus sum, Traducianis & Catholicis vel de Deo rationes credidit consonare.*

Gen. 22. 17. AUG. Innumerabilis multitudo fidelium, quæ promissa est Abrahæ, quasi à vobis vulgaris turba contemnitur: quia videlicet paucis, quos Pelagianos, hoc est, venenis novitiæ pestis insanos facitis, potest placere quod dicitis, tam evidentem miseriam generis humani, quæ apparet in gravi jugo filiorum Adam à die exitûs de ventre matris eorum, de peccati merito, quo in homine primo natura humana vitiata est, non venire. Eccli. 40. 1.

Pelagiani coguntur in paradiso mala omnia quæ peccati pœnas credimus, & ipsam libidinem collocare.

A Unde vos sequitur, ut si nemo peccasset, cogamini etiam dicere in paradiso futura fuisse non solùm tot & tanta onera molestiarum, quas videmus parvulos ferre; verùm etiam tot & tanta vitia ingeniorum & corporum, cum quibus plerique nascuntur. In quo felicitatis & quietis loco etiam susceptam vestram, qua caro concupiscit adversùs spiritum, libidinem ponitis; & nos qui eam tamquam adversarium vitium contrà concupiscente spiritu debellamus, clausis oculis ac- B cusatis velut amicos voluptatis & luxuriæ; in quam nullus flagitiosè ac turpiter cadit, nisi qui vestræ illi susceptæ, quam nos arguimus, vos defenditis, sollicitanti suadentique consentit.

JUL. *Verùm quia & in primo & in præsenti certamine, argumentatione Augustini claruit non esse eum Traducianorum Deum, quem Christiani justum atque omnium conditorem concinenti assertione venerantur; præcipio jam animo, quò plurimi eorum quoque, qui cæco errore lapsi sunt, his agnitis cor-* IV. C *rigantur.*

AUG. Immo verò, his agnitis, quæ tuo fallaci vaniloquio secundùm veritatis respondemus eloquium, neminem in errore hæresis vestræ nisi nimia vecordia vel pervicacia detinebit. V.

JUL. *Credit quippe adversùm nos Manichæus, naturaliter mortales in flagitia facinoraque compelli: opinatur tenebrarum originem & corporibus materiam & criminibus præstitisse; voluptatem sexuum tabem esse generis humani, assertricem juris diabolici, & in* D *universa dedecora hominum coactricem. Quem Traducianus omnifariam sequutus, quippe ejus heres & soboles, naturalia crimina,* [a] *æternam de tenebroso nihilo mali necessitatem, & affectionem sensibus destinatam sanctorum omnium pollutricem atque imaginem Dei in regno diaboli collocantem, oratione multiplici testatur.*

AUG. Manichæus naturam mali substantialiter Deo bono coæternam, contra catholicam veritatem singulari vesaniâ fabulatur: veritas au-

Manichæorum errori de natura & origine ma-

[a] Sic MS. Port. Alii verò cum editis, *naturalia crimina æterna.*

[margin: li, quàm fit contraria veritas catholica.]

tem catholica Deum solum sine ullo exordio confitetur æternum; non solùm bonum, quod & ille dicit, verùm etiam immutabilem, quod ille non dicit. Hunc ergo Deum summè bonum, & ob hoc omnino immutabilem, cui nulla natura coæterna est, quæ non est quod ipse, nec esset nisi facta esset, non de ipso, sed tamen ab ipso, hoc est, non de natura ejus, sed potentiâ tamen ejus, adversùs Manichæorum dementiam prædicamus: factamque naturam, quæ nulla esse potuisset, nisi eam, quamvis non de se ipsa, tamen omnipotens natura fecisset, bonum esse quidem scimus & dicimus, sed illi non æquale qui fecit. Fecit enim Deus omnia bona valde; sed non summè bona, sicut est ipse: quæ tamen bona qualiacumque non essent nisi ea fecisset summè bonus; nec mutabilia ulla bona essent, nisi ea fecisset immutabiliter bonus. Ac per hoc, Manichæi cùm quærunt à nobis unde sit malum, volentes introducere malum Deo coæternum, nescientes quid sit malum, idque putantes esse naturam atque substantiam: respondemus eis, non esse malum ex Deo, neque coæternum Deo; sed malum ortum esse ex libera voluntate naturæ rationalis, quæ bene à bono condita est; sed bonitas ejus non est æqualis bonitati Conditoris ejus; quoniam non natura, sed opus ejus est; ideoque habuit peccandi possibilitatem, non tamen necessitatem. Nec possibilitatem autem haberet, si Dei natura esset, qui peccare nec vult posse, nec potest velle. Verumtamen rationalis ista natura in hac possibilitate peccandi, si non peccasset, quando peccare potuisset, magnum sibi meritum comparasset: cujus meriti præmium etiam hoc esset, ut majore felicitate peccare non posset.

[margin: Gen. 1. 31.]

[margin: Malum in natura rationali ortum ex libera ejus voluntate.]

[margin: Peccandi possibilitas.]

Sed hoc audito Manichæus adhuc pergit, & dicit, Si ex libera voluntate naturæ rationalis est malum, unde sunt ista tot mala, cum quibus nasci videmus, qui nondum libertate voluntatis utuntur? Unde est concupiscentia, qua caro concupiscit adversùs spiritum, & ad peccatum perpetrandum trahit, nisi adversùs eam spiritus fortiùs concupiscat? Unde in homine uno duarum rerum, ex quibus constat, tanta discordia? Unde lex in membris repugnans legi mentis, sine qua lege nemo nascitur? Unde tot & tanta vitia vel ingeniorum, vel corporum, cum quibus plerique nascuntur? Unde labores & calamitates nondum voluntate peccantium parvulorum? Unde cùm rationis usus accesserit, in discendis litteris vel quibuslibet artibus tanta pœna mortalium, ut ærumnosis conatibus etiam verberum cruciatus addatur? Hîc nos respondemus, etiam ista mala ex voluntate humanæ naturæ originem ducere, qua granditer peccante, vitiata & cum stirpe damnata est. Unde naturæ hujus tam multa naturalia bona veniunt de Dei opificio, mala de judicio: quæ mala nullo modo esse naturas vel substantias non vident Manichæi; verùm ideo dici naturalia, quia cum eis homines vitiatâ originis tamquam radice nascuntur. Sed vos novi hæretici contradicitis nobis: respondete igitur Manichæis; dicite unde sint tot ac tanta mala, cum quibus nasci homines si negatis, ubi est frons vestra? si fatemini, ubi A est hæresis vestra? Sed mala ista non esse mala contendite, & paradisum non verum, sed vestrum, laboribus, doloribus, erroribus, gemitibus, fletibus, luctibus, etiamsi nemo peccasset, implete. Quod si non audetis, ne ab ipsis quoque puerulis rideamini, & emendandi ferulis judicemini; concludit adversùs vos Manichæus, hæc mala, quæ de vitiata bona natura esse non vultis, de commixtione mali esse: quod malum dicit esse naturam coæternam Deo atque contrariam. B Ac per hoc ubi Manichæo conaris esse remotior, ibi efficeris ejus adjutor.

[margin: Manichæis in quæstione de malo facile resp. pro fide Catholicâ, non Pelagiani.]

VI. Jul. *Iam verò in ipsum Deum, pari fine, impari exordio, accusationum tela jaculantur. Manichæus quippe dicit, Deus bonus malum non facit: sed addit, quia pro naturalibus culpis æterno incendio animas destinet; quod perspicuæ immanitatis est: ac per hoc, fine opinionis suæ, quem bonum dixerat, clara iniquitate contaminat. Porrò Augustinus quasi ei ad quem scribit, fidens patrono, ausu* C *grandiore despicit trepidationem magistri, nec dubitat inde incipere, quò Manichæus pervenit; pronuntiatque quòd malum, id est, peccatum faciat Deus & creet, quem constat non convenire ei Deo, quem catholicorum fides colit. Hoc potissimùm animo lectoris insidat, & nulli umquam fidelium majorem caussam quàm nobis incubuisse conflictûs, & omnem qui naturam ipsam necessitatem criminis arbitratur, in Dei Christianorum cultu non habere consortium: quod quoniam frequenter inculcatum est; iterationem* D *quippe utilitas caussæ principalis exegit; veniamus jam ad discussionem primorum hominum, quorum taxatione aciei nostræ Numida quasi cetratus occurrit.*

[margin: Manichæi error de duabus animabus, altera mala, altera bona, deque earum commixtione ac pugna. Ex lib. de duab. anim. c. 11.]

Aug. Quid Manichæus dicat de commixtione bonæ & malæ substantiæ, nescire te crederem, nisi ea certè quæ adversùs eumdem errorem scripsimus, legisse te scirem: nam ex libro, in quo duarum animarum in homine constitutarum, quarum esset una bona, altera mala, eorum E opinionem redargui, quædam contra me ipsum esse existimans testimonia protulisti. Manichæus ergo duas animas, sive spiritus, sive mentes, unam propriam carnis, eamdemque non accidente vitio, sed coæternam Deo [a] naturâ malam, alteram verò naturâ bonam tamquam Dei particulam, sed illius malæ permixtione maculatam, in homine uno esse contendit: & hinc vult fieri, ut caro concupiscat adversùs spiritum, utique bonum, per animam suam malam, ut eum teneat implicatum; spiritus autem F adversùs carnem, ut ab illa commixtione liberetur. Quod si nec ultima mundi conflagratione potuerit, tunc eum dicit affigi tenebrarum globo, atque in æternum tali supplicio detineri. Non itaque, ut dicis, Manichæi Deus *pro naturalibus culpis æterno incendio animas destinat*: sed naturâ bonas animas pro alienæ malæ naturæ commixtione, cui malo eas ipse commiscuit, quas inde non potuerit liberare, non incendio G æterno; nam nullum æternum Manichæus opinatur incendium; sed æterno, ut dixi, tenebrarum globo, quo mens tenebrarum includetur, affiget.

[margin: Catholica fides de discordia]

Catholica vero fides, quam reliquistis, ut Manichæorum, non planè quemadmodum putatis

[a] Sic vetus codex Port. Editi autem, *naturam malam, alteram verò naturam bonam.*

carnis & spiritûs quantum abhorreat à Manichæi errore.

aut fingitis, oppugnatricem, sed potiùs adjutricem sectam novitiam conderetis, cùm audit aut legit quod ait Apostolus, Caro concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem; hæc enim invicem adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis: non naturas duas, boni scilicet & mali, inter se ab æternitate contrarias, & bello posteriore commixtas, sicut Manichæus hæreticus opinatur; sed sicut catholicus doctor Ambrosius, istam discordiam carnis & spiritûs ex prævaricatione primi hominis in naturam vertisse cognoscit; ut non intelligatur hæc natura hominis primitus instituti, sed in naturam versa pœna damnati. Hæc fides non est cetra Numidica, de qua nobis velut facetus insultas; sed est veridicum scutum, in quo omnes sagittas ignitas maligni, sicut hortatur Apostolus, exstinguimus. Hoc muniebatur scuto, quando vobis futuris jam occurrebat armatus, non quidem Numida, sed tamen Pœnus ille Cyprianus, quo rursus nomine tua in nos insilit vana loquacitas; hoc, inquam, scuto armatus Pœnus ille dicebat in libro de Oratione dominica, id nos orare, cùm dicimus, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra, ut inter duo ista, id est, carnem & spiritum, fiat Deo opitulante concordia. Ubi Christi miles egregius & à Manichæis & à vobis conjecta ignita maligni jacula exstinguit: cui maligno militant omnes hæretici, & cujus castra tyrocinio vestro putastis augenda. Nam spiritûs & carnis quærendo concordiam, contra Manichæos docet, ambas quibus constamus bonas esse naturas, si discordiæ malum divina miseratione sanetur: vobis autem resistit, quia carnis concupiscentiam dicitis [a] bonam, qua infestante exsistit ista discordia, quam poscit ille sanari; & tunc exsistit quando bene agimus, ut infestanti concupiscentiæ carnis, contrà concupiscente spiritu repugnemus. Nam si consentimus, non optabilis, sed culpabilis, vel etiam damnabilis fit spiritui cum carne concordia. Contra vos [b] est etiam, quia libero datis arbitrio, quod ille ut fiat in homine, à Deo intelligit esse poscendum. Tu autem qui nesciens quid loquaris, objicis mihi quòd dicam Deum creare peccatum, resiste Manichæo dicenti in discordia carnis & spiritûs duas inter se contrarias mali & boni apparere naturas. Unum est enim quod respondeamus, ut pestis ista vincatur, hanc scilicet discordiam per prævaricationem primi hominis in nostram vertisse naturam: quod tu negando conaris ut vincant, satisque manifestaris falsus Manichæorum oppugnator, verus adjutor.

Gal. 5. 17.

Ambros. lib. 7. in Luc. 12.

Ephes. 6. 16.

Cyprianus pro eadem fide Pelagianis futuris restitit.

Matth. 6. 10

V. lib. 2. prioris operis cont. Jul. c. 3.

VII.

Jul. *Ingerit quippe omnibus scripturis suis, Adam atque Evam bonos tantùm à Deo conditos, id est, nulli naturali crimini mancipatos, eosque libera voluntate peccasse, sed ita granditer, ut omnia in natura sua Dei instituta subruerent.* Illud enim, *inquit*, peccatum valde majus atque altiùs diabolus infixit, quàm sunt ista hominibus nota peccata. Unde illo magno primi hominis peccato, natura ibi nostra in deterius commutata, non solùm facta est peccatrix, verùm etiam generat peccatores: & tamen ipse languor, quo bene

Lib. 1. de nuptiis & conc. c. 34.

A vivendi virtus periit, non est natura, sed vitium. Illud ergo peccatum, quod ipsum hominem in paradiso mutavit in pejus, quia multo est grandius quàm judicare nos possumus, ab omni nascente trahitur. *Ecce quàm apertè quid sentiret exposuit: Primi, inquit, illi homines bonam habuere naturam, sed peccatum tam immane, tam inæstimabile perpetrarunt, ut virtutem bene vivendi interimerent, liberi arbitrii lumen exstinguerent, facerent in reliquum peccandi necessitatem; ne cui esset* B *possibile de eorum stirpe nascenti, in virtutum decora conari, & declinatis vitiis compotem fieri sanctitatis.*

Aug. Videris tibi, vel etiam consortibus tuis Pelagianis aliquid dicere, cùm relicta auctoritate divina, humana vanitate jactaris, & argumentationibus cordis tui sanctarum scripturarum veritati adversaris & obstrepis. Nam utique si Christiano atque catholico animo adtenderes quod ait Apostolus, Corpus quidem mortuum C est propter peccatum; profectò intelligeres tam granditer peccasse primum hominem, ut eo peccato, non unius hominis, sed totius generis humani mutata natura ex possibilitate immortalitatis in necessitatem mortis lapsa corruerit: ita ut etiam qui convertuntur ad Deum, per unum Dei & hominum mediatorem hominem Christum Jesum, non continuò immortalitatem corporis sumant; sed eis per Spiritum Dei, quo nunc inhabitantur, danda postea nunc promittatur. D Quod idem Apostolus eodem loco sic explicat: Si quis, inquit, Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam. Si ergo Spiritus ejus qui suscitavit Jesum ex mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Corpus ergo mortuum est propter peccatum; quo- E niam necessitatem mortis etiam in viventibus habet. Quod autem peccatum nisi primi hominis? Quando quidem per justitiam secundi hominis, id est, Christi, eidem corpori quod nunc mortuum dicitur, vivificatio beata ventura est. Unde & secundus homo & secundus Adam dictus est Christus: cùm inter Adam hominem factum, & Christum hominem natum, tot generationes hominum transiisse videamus, nec in earum ordine possit dici secundus homo, nisi F Cain: sed quia prima est mors corporis, quæ facta est propter peccatum Adæ, in qua decurrit hoc sæculum; secunda vita est corporis, quæ fiet propter justitiam Christi, & facta est in carne jam Christi, in qua vita futurum sæculum permanebit; ideo ille primus vel Adam vel homo, iste autem secundus est dictus. Et non vis intelligere tam grande illius fuisse peccatum, ut mortalium sæculum, hujus verò tam grandem justitiam, ut immortalium sæculum propaga- G ret?

Primi hominis peccato natura nostra mutata ex possibilitate immortalitatis in necessitatem mortis. Rom. 8. 10.

Ibid. 9. &c.

Christus cur secundus Adam & secundus homo dictus.

Et mihi objicis peccati primi hominis granditatem, quæ tanti mali hominum omnium exstitit caussa, quasi hoc ego solus vel primus dixerim? Audi Johannem Constantinopolitanum

Adami grande peccatum caussa mi[seriarum]

[a] In MSS. *bonum*.

[b] Editi, *contra vos etiam, quia libero arbitrio*: prætermissis verbis *est* & *datis*: quæ ex MSS. restituuntur.

excellentis gloriæ sacerdotem: Peccavit, inquit, A Adam illud grande peccatum, & omne genus hominum in commune damnavit. Audi etiam in Lazari resuscitatione quid dicat, ut intelligas etiam corporis mortem de illo grandi venisse peccato: Flebat, inquit, Christus, quòd eos qui immortales esse potuerunt, diabolus fecit esse mortales. Ubi, obsecro te, diabolus omnes homines fecit esse mortales, nisi in illo cui prævaricationis inflixit tam grande peccatum, quo ex paradisi beatitudine in tantam miseriam, quam B videmus atque sentimus, genus projiceretur humanum? Quod non sola mors corporis, sed ipsius quoque animæ, quam corruptibile aggravat corpus, mala tot & tanta testantur, & grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum: sub quo jugo est etiam quod in Psalmo legitur, Universa vanitas omnis homo vivens. (Psal. 38. 8.) Quæ tu mala nolens tribuere illi grandi peccato primi hominis, quid agis, nisi ut ea, tu quidem paradiso illius tam magnæ felicitatis C importes, tamquam & illic futura essent, si nemo peccasset; Manichæi verò ea tribuant genti tenebrarum, non te accusante confusi, sed adjuvante confisi, nisi tecum fiant tamquam invictissimo gladio catholica veritate confossi? Non autem, ut insimulas, dicimus, *Nemini de primorum hominum stirpe nascenti esse possibile in virtutum decora conari.* Conantur enim multi, in quibus Deus operatur & velle: nec sine fructu perventionis ipso adjuvante conantur. Sed si animam D corpus corruptibile non gravaret, non utique conarentur. Ac per hoc in paradiso, (si nemo peccasset, & super filios Adam grave jugum non esset,) sine conatu Deo suo facilè & feliciter obedirent.

VIII. Jul. *Illorum ergo primorum hominum, id est, tantùm duorum, opitulari sibi laudem arbitratur, ad distinctionem inter Manichæos & Traducianos tenendam: qua opinione haud facilè quidquam vel * eminentius, vel impudentius offendi potest. Libertas, inquit, arbitrii, post quàm se uti cœpit, vires suas* E *perdidit. Et ut conversi ad eum, pedetentim omnia perscrutemur: confiteris nempe primum hominem effectum esse arbitrio libero, bonumque à Deo conditum, nulla ab exordio peccati tabe pollutum; sed conditionis innocuæ sponte deinceps prævaricatum, coactionem inevitabilem cunctis ex se oriundis intulisse peccandi. Hoc certè est dogma vestrum, quod nos de Manichæi cœno testamur expressum, qui & ipsius Adæ naturam, licèt de primæ concretam flore* F *substantiæ, multo meliorem sequutis, tamen malam naturaliter opinatur.*

Aug. Superiùs quæ dicta sunt, satis indicant, & catholicum dogma nostrum, & dogma hæreticum vestrum, de primis hominibus & posteris eorum; illis rectis à Deo conditis, istis autem, quamvis eodem conditore, tamen de natura peccato vitiata cum peccati vinculo exortis, atque à salute in qua homo primitus factus est in contagionis languorem & mortis necessi- G tatem originis conditione dejectis. Propter quod eis ope opus est Salvatoris, qui primùm salvos [a] facit remissione omnium peccatorum; pòst etiam omnium sanatione languorum. Jam baptizatis enim, & eis qui jam Spiritum-sanctum acceperant dicebat Apostolus, Caro concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem: hæc enim invicem adversantur, ut non ea quæ vultis, faciatis. Ubi tu qui negas liberum arbitrium vires suas perdidisse peccando, id est, malè se utendo; quid respondebis audiens, quòd carne concupiscente adversùs spiritum, non ea quæ volunt faciant & fideles, non ea quæ volunt faciant etiam hi quibus sunt in baptismo dimissa peccata; non ea quæ volunt faciant, quos Apostolus ex auditu fidei dicit accepisse Spiritum-sanctum; postremò non ea quæ volunt faciant per liberam voluntatem, quos ait idem doctor gentium, vocatos in libertatem.

(duplex, primum remissio peccatorū, posterius sanatio languorū. — Gal. 5. 17. — Liberum arbitrium hic infirmum etiam in baptizatis & sanctis. — Gal. 3. 2. — Gal. 5. 13.)

Deinde tam disertus defensor ipse libidinis, qui velut patronus egregius pro suscepta tua tantum audes, ut concupiscentiam carnis, qua concupiscit adversùs spiritum, etiam in paradiso non dubites fuisse ante peccatum; non vides ad hoc te compelli, ut dicas nec tunc fuisse in illis primis hominibus efficacem liberam voluntatem? Si enim & tunc caro concupiscebat adversùs spiritum, non ea quæ volebant utique faciebant. Sed quoniam per liberum arbitrium, quod tunc integerrimas vires habuit, ea faciebant procul dubio quæ volebant, id est, divinæ legi non solùm nulla impossibilitate, verùm etiam nulla difficultate serviebant: tua ibi suscepta non fuit, qua caro concupiscit adversùs spiritum; per quam fit ut homines jam etiam per fidem conversi ad Deum, jam baptizati, sanctificati, in libertatem vocati, non faciant in exstinguenda vitiosa delectatione quæ volunt. Verissimumque illud est, quod per antistitem Ambrosium fides catholica dixit, hoc vitium quo caro concupiscit adversùs spiritum, per prævaricationem primi hominis in nostram vertisse naturam. Quo telo inevitabili & insuperabili veritatis, & Manichæus obtruncatur, & tu. Ambo quippe in hac re, [b] video quis vestrûm pejus, tamen prorsus erratis: tu propterea, quia contendis quòd ista pestilentia malum non sit; ille autem, quia malum quidem agnoscit, sed unde sit nescit, & fide catholica destitutus fabulam mendaciorum & turpitudinum plenam, de duarum naturarum boni scilicet & mali permixtione componit. Nunc ergo nostra justitia est, ut justificati per fidem pacem habeamus ad Deum; contra verò carnis concupiscentiam nos oppugnantem, per ipsius Dei auxilium [c] repugnante spiritu dimicemus. Non est ergo hujus vitæ justitia, vitium non habere; sed vitia non eis consentiendo minuere, eisque resistendo, temperanter & justè & piè vivere. Nullum autem cui resistamus habere vitium, posterioris est vitæ, quæ bene gestæ præsentis est præmium; sanatione nostræ, non (sicut Manichæus, cujus es adjutor, insanit,) alienæ separatione naturæ. Ecce dogma nostrum non est de Manichæi cœno, sicut criminaris, expressum; quo dogmate Manichæum, si non omnem sensum amisisti, tecum cernis oppressum.

(Liberi arbitrii vires integerrimæ in Adamo. — Lib. 7. in Luc. 12. — Justitia hujus vitæ. Rom. 4. 1. — Nullum habere vitium, justitia est posterioris vitæ, quæ præsentis erit præmium.)

IX. Jul. *Nobis igitur in præsenti convincenda primò est sensus vestri hebetudo; tum ostendendum quod sæ-*

[a] Sic MSS. At editi, *fecit.*
[b] Vetus codex Clar. *videro.*

[c] Ita MSS. Editi autem, *repugnantes.*

pe jam fecimus, ne uno quidem pede à Manichæorum vos gurgustiis meritoriisque discedere. Initio igitur, amentissimum est arbitrii negotium seminibus immixtum putare, & officia voluntatum inolevisse conceptibus: ut eâ, quæ est clarissima atque vastissima, naturarum & studiorum distinctione sublatâ, voluntas primorum posteris se ingenuisse dicatur. Cui errori obluctatur quidquid in rebus est. Numquam si quidem filii disertorum venustatem artis paternæ in vagitibus adtulerunt, aut soboles histrionum doctis motibus ad verba manus tetendit: nec bellatorum filii tubam populo poposcerunt. Licet hac formâ, exempla omnium persequi clariora tonitribus concinentia. Respondebit universitas, alios esse naturæ limites, alios voluntatis; conditionesque seminum studiorum appetitibus[a] *perviás esse non posse. Bardissimum itaque &*[b] *depositæ stoliditatis apparuit, credere conversum in naturam, quod voluntarium fuisse fateare. Ceterùm illud aliud longè longéque deformius, quòd possibilitatem operandi initio ais operationis absumtam, id est, ut liberum arbitrium, (quod non est aliud quàm possibilitas peccandi*[c] *& non peccandi, nulli partis alterutræ subdita violentiæ, sed quæ habeat facultatem in quod voluerit latus suopte insistendi arbitratu,) post quàm cœpit alterum velle, utrumque posse perdiderit.*

Liberum arbitrium quid, secundùm Julianum.

Manichæo suffragari Julianum, dum agit adversùs catholicum dogma de originali vitio.

Aug. Itáne verò non cernis, Manichæo te, ignoranter quidem, sed instanter tamen isto tuæ loquacitatis inflato atque spumoso strepitu suffragari. Si enim quærente illo à nobis unde sit malum, qua quæstione consueverunt corda inerudita turbare; nos responderemus, de libera voluntate rationalis creaturæ exortum: atque ille diceret, Unde ergo sunt ista tot mala, quæ non jam natis, & voluntatis arbitrio accedente ætate jam utentibus accidunt, sed cum quibus vel omnes, vel plerique nascuntur? Omnibus quippe congenita est carnis concupiscentia, qua caro concupiscit adversùs spiritum, etiam rectâ fide atque doctrinâ pietatis imbutum; omnibus congenita est quædam etiam tarditas mentis, qua & hi qui appellantur ingeniosi, non tamen sine aliqua laboris ærumna vel quascumque artes, vel eas etiam quas liberales nuncupant, discunt, vel ipsius religionis uberiorem scientiam consequuntur. Quidam etiam corpore deformi & aliquando monstruoso, multi obliviosi, multi ad intelligendum tardi & obtunsi, multi iracundi, multi libidinosi, nonnulli etiam omnino excordes fatuique nascuntur. Quid aliud catholica responderet fides, nisi hæc omnia mala, ex quo peccavit homo, & de paradiso, id est, loco felicitatis ejectus est, ex natura quæ peccati contagione vitiata est, exoriri? Neque enim, si nemo peccasset, vel talia in paradiso, vel alia ulla vitia nascerentur.

Quo audito, ille tua nobis, si haberet, verba recitaret, ubi dicis, *Esse amentissimum, arbitrii negotium seminibus immixtum putare, & officia voluntatum inolevisse conceptibus:* & in hanc sententiam quidquid aliud addidisti, ex hoc eam probare conatus, quo nec diserti disertorum, nec histriones histrionum, nec bellatores nascuntur filii bellatorum. Isto tuo adjutorio Manichæus ad hoc * utitur, ut oppugnet quod dicimus, A peccato primi hominis humanam vitiatam fuisse naturam, etiam in posteris ejus, qui ratione seminali in illo erant, quando in illa grandi prævaricatione peccavit: quod cùm oppugnaverit, introducat commixtionem duarum naturarum suarum, atque ex commixtione naturæ malæ illa mala, cum quibus homines nascuntur, asseveret exsistere. Tu autem ut mihi resistas, rem absurdissimam & detestabilissimam cogeris dicere, mala scilicet ista nascentium etiam in paradiso exortura fuisse, si nemo peccasset. Hîc te Manichæus urgebit, ut dicas unde fuerant exortura. Ubi magnis coartatus angustiis, si dixeris ex ipsis naturis nascentium exortura fuisse mala ista, sine ullius merito voluntatis; profectò argues Creatorem: quod ne facias, confugiturus es ad merita voluntatum malarum. Sed ille quæsiturus est, quarum? Non enim est voluntas ulla seminum, vel nascentium parvulorum. Quid ergo restabit, nisi ut nobiscum intelligas, si vis evadere vel superare Manichæum, in occultis originum finibus latenter implicari etiam semina nascentium[d] & ex mala voluntate venientia merita generantium: sed primi hominis tam magnum fuisse peccatum, ut omne genus humanum, ut verbis sancti Johannis utar, in commune damnaret. Ex quo conficitur mala ista exortura non fuisse, si nemo peccasset; nec in paradiso esse potuisse, unde qui peccaverant, ante quàm gignerent, exierunt.

Chrysost. epist. ad Olympiadem. V. lib. 1. cont. Jul. c. 6.

Quo catholico dogmate vacuatur, quod de artibus putasti esse subdendum, admonens nos, cum sui patris arte neminem nasci. Aliud est namque peccare in moribus, quibus rectè vivitur, quod vel legibus solet vel divino judicio vindicari; aliud in artibus, sive honestæ sint, sive turpes, ubi contra artem factum aliquid dicitur: quæ peccata non divinâ vel reprehenduntur lege, vel severitate plectuntur; sed ab iis hominibus, quorum judiciis hæc subjacent, maximéque à magistris earum, cùm pueros docent, sub timore aut dolore pœnarum. Qua in re tamen cogitare debemus, quia si in paradiso aliquid disceretur, quod illi vitæ esset utile scire, sine ullo labore aut dolore id assequeretur beata natura, vel Deo docente, vel se ipsa. Unde quis non intelligat, in hac vita etiam tormenta discentium ad miserias hujus sæculi, quod ex uno in condemnationem propagatum est, pertinere? Ubi etiam miserum hoc est, miseras mentes nolle quod bonum est; vel si jam parata est voluntas à Domino, clamare tamen adhuc eum qui in hoc vivit sæculo, Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non. Hoc si teneas, Manichæos vinces: quia verò non tenes, utrosque vestrûm vincit hæc fides.

Peccata alia in moribus, alia in artibus.

In paradiso si quid utile disceretur, sine labore disceretur.

Rom. 5. 16.

Prov. 8. sec. LXX.

Rom. 7. 18.

X.

Jul. *Nunc igitur approbetur quod diximus, nullo à Manichæis vestrum dogma differre. Non est omnino dubium, factam pessimam ipsius Adæ naturam, si hac est conditione formata, ut haberet mali necessitatem, quæ non habebat boni; id est, ut crimen, etiam si fuisset voluntate conceptum, tamen fieret in ea naturale, in qua bonitas non fieret naturalis: falsóque dicitur voluntate peccasse, qui nequissimæ conditionis præjudicio laboravit. Apparet enim, quàm*

*f. utatur.

a Editi, *primas*. Castigantur ex MSS.
b Editi, *& depositum stoliditatis*. Meliùs cod. Port. *& depositæ* (id est, desperatæ) *stoliditatis*.

c In editis exciderat, *& non peccandi*. Restituitur ex MSS.
d Hîc auctoritate MS. Port. addimus copulantem particulam.

[a] *vinctus malo fuerit, qui erat crimine inseparabili farciendus. Quid enim pejus eâ quibo invenire substantiâ, quæ facta est ut in iniquitatem posset incidere, & recedere ab iniquitate non posset? Hanc si in boni parte violentiam pertulisset, si liberum perdidisset arbitrium, tamen nihil accusasset auctorem; quia nemo ei de copiis benignitatis quæstionem moveret: cùm verò in mali parte dominatio talis collocatur, neminem magis quàm ipsum hominis arguit conditorem, & supervacuâ criminatorum suorum, id est, vestrâ, Deus talis adulatione palpatur, qui amicissimus malitiæ, creationis suæ fœditate convincitur. Cui enim persuaderi potest, primum hominem non destinasse criminibus, si illum emendationis facultate privavit? si tam pravo affecit animo, ut error suus ei displicere non posset, ut nullum haberet ad honestatem regressum, nec fieret post experimenta correctior, ac ne fortè recuperandæ probitatis umquam sentiret affectum, ipsam ei possibilitatem correctionis evellit? Prorsus si talis ejus conditio fuit, ut quamdiu in hac vita erat, uno lapsu virtutem emendationis amitteret, non est ob aliud quàm ut caderet institutus; immo nec corruisse, sed jacuisse semper veriùs dicitur, qui non sinitur, quantum ad mores spectat, exsurgere. Qualis ergo fuit illa libertas, quæ ei collata priùs creditur; si è duabus contrariis qualitatibus pejorem à necessario, meliorem à mutabili capessebat; immo à tyrannide criminis occupata, despoliabatur resipiscentiæ facultate. Teterrimus ergo primi hominis status ab ipso exordio, si à Deo est tam infeliciter institutus, ut ruiturus in crimen perpetua peccandi necessitate ligaretur.*

Aug. Res dicis, quas si nobis saltem admonentibus considerare non negligas, etiam tibi ipsi, quantumlibet sis impudens, erubescas? Cur enim non adtendis, si pessima est facta natura, quæ voluntate injusta incurrit in malum, pœnâ vero injustâ non potest recurrere in bonum; non humanam quam nobis objicis, sed angelicam quoque naturam pessimam factam? Nisi fortè dices, etiam diabolum voluntate à bono lapsum, si voluerit, & quando voluerit, in bonum quod deseruit reversurum; & Origenis nobis instaurabis errorem. Quod si non facis; quod dixisti incautus, corrige admonitus: & confitere bonam conditam esse naturam, quæ in malum quod fecit, nullâ necessitate compulsa, sed suâ voluntate collapsa est. In bonum autem quod reliquit, solius Dei gratia revocari potest, non [b] voluntate libertatis, quam merito iniquitatis amisit. Potest quippe & alius, similiter ut tu errans, dicere, Quid pejus eâ potero invenire substantiâ, quæ facta est ut in æternum supplicium possit ire, & inde redire non possit? Et utique Deus omnipotens à quo vult supplicio eruere potest; sed mentiri non potest, qui minatus est hoc se non esse facturum, quando id supplicium dixit æternum.

Sed ut de hac re vana sapias, fallit te definitio tua, quâ in superiori prosequutione, cui jam respondimus, sicut sæpe & alibi facis, liberum arbitrium definisti. Dixisti enim, *Liberum arbitrium non est aliud quàm possibilitas peccandi & non peccandi.* Qua definitione primùm ipsi Deo

A liberum arbitrium abstulisti, quem non negas, quia & hoc sæpe dicis, & verum est, non posse peccare. Deinde ipsi sancti in regno ejus liberum arbitrium perdituri sunt, ubi peccare non poterunt. Verùm hîc admonendus es, quid de hoc unde nunc agimus, sapere debeas, pœnam scilicet & præmium, intuenda inter se esse contraria, & alia duo contraria his contrariis adhærere: sic ergo in pœna est non posse rectè agere, sicut erit in præmio non posse peccare. Adtende **B** Scripturas, à quibus miserandus exorbitas, & vagabundus ventosa loquacitate tamquam tempestate jactaris; & vide quemadmodum dictum sit, Quod quærebat Israël, hoc non est consequutus; electio autem consequuta est, ceteri verò excæcati sunt; sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque in hodiernum diem. Et David dicit, Fiat mensa eorum in laqueum, & in captionem, & in scanda- **C** lum, & in retributionem illis; obscurentur [c] oculi eorum ne videant, & dorsum illorum semper incurva. Adspice etiam illud in Evangelio: Propterea, inquit, non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcavit oculos eorum, & induravit eorum cor, ut non videant oculis, nec intelligant corde, & convertantur, & sanem eos. Hæc commemoravi, ut intelligas, si possis, fieri per pœnam procul dubio justam, ut non credant homines excæcato corde; cùm per misericor- **D** diam fiat, ut credant libera voluntate. Quis enim nescit, neminem credere nisi libero voluntatis arbitrio? Sed paratur voluntas à Domino: nec omnino eruitur à servitute mala suis meritis debita, nisi quando per gratuitam gratiam paratur à Domino. Si enim Deus ex nolentibus volentes non faceret; profectò pro eis qui nolunt credere, non oraremus ut vellent. Quod & Apostolus se fecisse pro Judæis monstravit, ubi ait, Fratres, bona voluntas cordis mei, & depreca- **E** tio pro illis ad Deum in salutem. Hanc utique salutem consequi, nisi credente voluntate, non possent: hoc ergo beatus Paulus orabat ut vellent. Et episcopus Cyprianus quod dictum est in oratione dominica, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra, etiam sic intelligit, ut pro infidelibus inimicis nostris admoniti fuerimus orare; ut quemadmodum nos credimus, qui jam cælum sumus, portando hominis cælestis imaginem, sic etiam ipsi credant, qui propterea terra **F** sunt, quia terreni tantùm hominis imaginem portant.

In Deo & in beatis liberum arbitrium est sine possibilitate peccandi.

Sicut erit in præmio non posse peccare, ita in pœnâ est non posse rectè agere.

Rom. 11. 7. &c.

Iohan. 12. 40.

Pœnâ justâ fit, ut homines non credãt excæcato corde: gratiâ verò gratuitâ, ut credant libera voluntate.

Prov. 8. sec. LXX.

Rom. 10. 1.

Lib. de orat. domin.

XI. Jul. *Durat nempe inter vos Manichæosque fœdus, ut illi professione, vos argumentatione, primi quoque hominis naturam asseratis malam fuisse: quod licèt totum ineptiarum mendaciorumque plenum esse, (ut prætermissis sanctorum legionibus, primum post peccatum Adæ justitiæ arripiamus exemplum,) Abelis sanctitate mirabili comprobatur, qui de peccatoribus natus, bene vivendi se non caruisse virtute, effectu quoque ipsius virtutis ostendit: verumtamen his præ-* **G** *teritis juvat sententias Traducianæ nationis urgere. Quale igitur autumas fuisse arbitrium liberum, quod collatum primis hominibus confiteris? Certè ut possent animi alternare motus, & vel facere malum, vel*

[a] In MSS. *junctus.*
[b] Editi, *in voluntate.* Abest *in* à MSS.

[c] Editi, *corda.* Codex Port. *oculi*, ut apud Apostolum.

recedere à malo, vel deserere vel servare justitiam. Voluntas ergo peccandi non fuisset, nisi volendi possibilitas anteisset. Hoc post quàm uti cœperunt propria voluntate, id est motu animi cogente nullo, tu dicis liberum arbitrium perdidisse: quo quid potest furiosius cogitari? Ut enim vis argumenti tui expressa teneatur; dicis eam rem periisse propter voluntatem, quæ data non est nisi propter voluntatem: peccatum quippe nihil est aliud quàm voluntas mala; libertas autem ad hoc solum data est, ut voluntatem non cogeret, sed permitteret exoriri: hanc [a] *autem tu libertatem conditionem suam dicis voluntatis opere perdidisse, ut per hoc interiisse credatur, per quod solum probatur vigere. Voluntas ergo mala, non quidem fructus, sed testimonium libertatis est. Libertas autem nihil est aliud quàm possibilitas boni malique, sed voluntarii. Qui ergo fieri potuit, ut per hoc interiret, per quod proditur instituta, cùm mala voluntas & bona voluntas non exitia sint, sed præconia libertatis? Ac per hoc quantum distat inter officia atque discrimina, tantum inter opinionem tuam & rationem arbitrii liberi, cui excidium putas de suis laudibus comparatum. Quid ergo novum, quid insperatum delinquente homine accidit, per quod Dei instituta corruerent? Factus est qui peccare & non peccare posset: cùm peccavit, fecit quod non debuit quidem, sed potuit tamen: per quid igitur facultatem illam perderet, quæ ad hoc fuerat instituta, ut posset velle, posset nolle quod* [b] *voluit.*

Aug. Eadem iterum & iterum dicis, quibus me jam superiùs respondisse qui legerit pervidebit. Sed hîc etiam persistenti tibi atque asseveranti libertatem bene agendi seu malè, suo malo usu perire non posse, respondeat & beatus papa Innocentius Romanæ antistes Ecclesiæ; qui rescribens in caussa vestra episcopalibus conciliis Africanis: Liberum, inquit, arbitrium olim

Epist. 181. inter Augustinianas n. 7.

» ille perpessus, dum suis inconsultiùs utitur bonis,
» cadens in prævaricationis profunda demersus,
» nihil quemadmodum exinde surgere posset invenit; suaque in æternum libertate deceptus,
» hujus ruinæ latuisset oppressu, nisi eum pòst
» Christi pro sua gratia relevasset adventus. Videsne quid [c] sapiat per ministrum suum catholica fides? Vides possibilitatem standi & cadendi sic habuisse hominem, ut si cecidisset, non eadem possibilitate qua ceciderat surgeret, culpam scilicet sequente supplicio. Propter quod Christi gratia, cui miserabiliter estis ingrati, quæ jacentem relevaret, advenit.

Possibilitas standi & cadendi fuit in homine, non æquè surgendi, si cecidisset.

In alia quoque epistola, quam de vobis ipsis rescripsit ad Numidas: Ergo, inquit, Dei gratiam

Epist. 182. inter Aug. n. 4.

» conantur auferre, quam necesse est, etiam restitu-
» ta nobis status pristini libertate, quæramus. Audis restitui libertatem, & non periisse contendis; atque humana voluntate contentus divinam non petis gratiam, quam libertas nostra etiam in statum pristinum restituta sibi esse intelligit necessariam. Quæro autem à te, utrùm jam in pristinum statum ita fuerit restituta libertas ejus qui dicit, Non quod volo ago, sed quod odi illud facio: &, Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Et quibus dicitur, Caro

Libertas etiam in pristinum statum restituta eget gratiæ auxilio.

Rom. 7. 15. Ibidem 18. Gal. 5. 17.

» concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adver-
» sùs carnem, ut non ea quæ vultis faciatis. Pu-

A to quòd non usque adeo desipis, ut in his dicas esse statûs pristini libertatem: & tamen si nulla eis esset, id quod sanctum & justum & bonum est, nec velle potuissent. Sunt enim quos peccare ita delectat, ut nolint oderintque justitiam: quam nec velle aliquis potest, nisi paretur voluntas à Domino, ut ad perficiendam justitiam præcedat desiderium voluntatis, & paulatim effectus potestatis accedat, aliis citiùs, aliis tardiùs, unicuique sicut Dominus dedit, qui solus potest

Velle justitiam nemo potest, nisi ex gratia. Prov. 8. sec. LXX.

B hominis reparare salutem atque augere jam perditam, & donare etiam hoc, ut jam perire non possit. In quo liberatorum numero est & sanctus Abel, quem dicis bene vivendi non caruisse virtute. Non caruit planè, sed post quàm cœpit, illi esse: antea verò, quis est mundus à sorde? nec infans, cujus est diei unius vita super terram. * Redimuntur ergo, quicumque redimuntur, ab eo qui venit quærere quod perierat; qui & ante quàm in carne veniret, per fidem ipsam redemit, qua credebatur esse venturus. Redimuntur autem in

*Job 14. 4. sec. LXX. * Lupus Ferrar. collect. quæst. 2. de fing. Chr.*

C libertatem beatitudinis sempiternam, ubi jam peccato servire non possint. Nam si, ut dicis, *boni malique voluntarii possibilitas sola libertas est*; non habet libertatem Deus, in quo peccandi possibilitas non est. * Hominis verò liberum arbitrium congenitum & omnino inamissibile si quærimus, illud est quo beati omnes esse volunt, etiam hi qui ea nolunt quæ ad beatitudinem ducunt.

*Mali possibilitas non requiritur ad libertatem. * Lupus Servatus quæst. 1. de lib. arbit. & Lupus Ferrar. quæst. 2 de eadem XII.*

Jul. *Deinde ut prærupta opinionis tuæ sequamur, argumentaris tali conditione liberum arbitrium*
D *ordinatum fuisse, ut vim suam merito sequutæ voluntatis amitteret, & qualitatis quam elegisset necessitatem, in reliquum sustineret. Hinc ergo quid à nobis referatur adtende. Siccine putas hominem creatum, ut hanc electæ qualitatis necessitatem in utraque parte pateretur, id est, ut si bonum voluisset, ulteriùs peccare non posset; & si elegisset malum, ultrà se emendare nequiret? An ut tantummodo malam partem mali necessitas sequeretur, in bona autem nihil tale contingeret, sed semper periculis va-*
E *rietatum pateret? Ex his duobus quodlibet sumito: si dixeris talem factam esse naturam, quæ mali tantùm necessitatem pateretur: nulli dubium remanebit, teterrimam eam definiri, cui pejoris partis violentia sola tribuatur; probaturque Adam quoque malæ fuisse naturæ; & nullius remanebit voluntarii, sub qua delitescas, umbra commissi. Sin autem profitearis, etiam in boni parte idem fuisse sequuturum, id est, ut si bonum voluisset, ulteriùs peccare non*
F *posset: refero, Cur ergo peccavit? Cur nullam passus est boni necessitatem, ut insidiis diaboli impenetrabilis appareret, qui aliquo tempore, priùs quàm peccaret, fuisse obediens Deo invenitur? Neque enim illico quod ingressu animæ limus intepuit, in appetitum malæ voluntatis exarsit. Legitur quin immo, ad culturam paradisi custodiamque translatus accepisse præceptum à Deo, ut universis fructibus vesceretur, sed à ligno scientiæ boni & mali, dicto audiens abstineret. Ante quàm ergo de latere ejus cor-*
G *pus formaretur uxoris, obediens mansit imperio, amœni ruris* [d] *cultor innocuus: post hoc verò, adjutorium similis sibi consortis emeruit. Inculcavit nempe has distinctiones temporum Scripturæ fides. Post quàm verò jam sibi mulierem vidit paratam, in*

tantum

[a] Ita cod. Port. Alii MSS. cum editis, *hanc tuam autem libertatem.*
[b] Codex Port. *quod noluit.*

[c] Editi, *faciat.* Castigantur ad MS. Port.
[d] Sic MSS. Editi verò, *custos.*

tantum præcepto Dei ſedulo famulabatur officio, ut A *etiam feminæ legem, quam acceperat, intimaret. Non ſolùm igitur cuſtos divini, ſed etiam prædicator imperii, condocefecit Evam & reverentiam præcipientis, & genus ſervitutis, & cauſſam timoris. Inde eſt* Gen. 3. 2. *quippe, quòd etiam mulier congredienti diabolo obluctata ſollicitè, cui nihil Deus imperaverat, refellit ſerpentis primâ fronte mendacia, & dicit non abſtinentiam omnium lignorum, ſicut ille confinxerat, ſed cum permiſſu fertilitatis univerſæ unius tantùm mandatam arbuſculæ cautionem, metumque mortis* B *objectum *, qui prævaricatores jure ſequeretur. Non ergo brevi tempore apparet Adam cuſtodiſſe mandatum; ſed etiam Evam curam devotionis habuiſſe, quæ ſcientiæ & divinitatis amore collapſa eſt. Cur ergo illa juſtitia, illa devotio, quæ in Adam diu, in Eva aliquamdiu viguit, non eripuit delinquendi poſſibilitatem, ut boni neceſſitas impenetrabiles eos ſuadelis fontibus exhiberet? Fuerunt ergo quamdiu voluerunt obedientes, nec tamen perdiderunt merito devotionis facultatem prævaricandi: denique lapſi* C *ſunt: igitur & poſtea quàm peccaverunt, manifeſtum eſt nequaquam eos potuiſſe vim correctionis amittere. Et ideo ut in omnibus locis, hìc quoque totum quod confinxeras perdidiſti: quia peccatum illud primorum hominum nec ullorum fecit criminum neceſſitatem, nec tranſiit in naturam; ſicut juſtitia quæ præceſſit, nec virtutum intulit neceſſitatem, nec ſibi vias ſeminum vindicavit.*

* f. quo.

Non mala creata natura hominis, etiamſi fecerit in eo mala voluntas ne ſuis viribus redire poſſet ad bonum.

AUG. Totum quod tamdiu & tanta verborum perplexitate dixiſti, breviter ſic poteſt di- D ci. Cur, inquis, Adam malè agendo perdidit poſſe bene agere, & bene priùs agendo non perdidit poſſe peccare; Et vis intelligi, ſi ita eſt, hominem non bonæ, ſed malæ factum fuiſſe naturæ, in quo plus valuit actio mala, ne poſſet agere bene, quàm actio bona, ne poſſet agere malè. Poſſes iſto modo dicere, malè fuiſſe hominem cum oculis creatum, quia cùm eos exſtinxerit, fit in illo ut non poſſit videre; videndo autem non in illo factum eſt, ut eos non poſſet exſtin- E guere: aut malè fuiſſe totum corpus hominis conditum, quia in poteſtate habet ut ipſe ſe necet, nec habet in poteſtate ut ſe ipſe reſuſcitet; & fit in eo per mortem ut ſe non poſſit vivificare, nec fit in eo per vitam ut ſe non poſſit occidere. Quod ſi non dicis, quoniam cernis quàm ſit inſulſum; cur malam dicis Deum creaſſe hominis naturam, ſi fecit in eo mala voluntas ne redire poſſet ad bonum, quamvis in eo non fecerit voluntas bona ut ire non poſſet in ma- F lum?

Liberum arbitrium tale acceperat homo ut poſſet non peccare: per peccatum amiſſa rectitudine, ſecutum eſt non poſſe rectè agere.

Cum libero enim ſic eſt creatus arbitrio, ut poſſet non peccare, ſi nollet; non ut ſi vellet, impunè peccaret. Quid ergo mirum, ſi delinquendo, hoc eſt, rectitudinem ſuam in qua factus erat [a] depravatione mutando, cum ſupplicio ſequutum eſt non poſſe recta agere? Quamdiu verò in eadem rectitudine ſtetit, in qua poterat non peccare, ideo non accepit majus aliquid, hoc eſt, non poſſe peccare, quia in eo quod ha- G buit, non uſque ad finem remunerationis voluit permanere. Quod enim accepturi ſunt ſancti, qui in futuro ſæculo in corpore futuri ſunt ſpi-

Adam, ſi non peccaſ-

A ritali, ſine interventu mortis fuerat accepturus Adam, ut adſcendens ab eo quòd poſſet non mori, ad id perveniret ubi non poſſet mori; & adſcendens ab eo quòd non peccare poſſet, ad id perveniret ubi peccare non poſſet. Non quippe in corpore ſpiritali, ſed in animali factus erat, quamvis niſi peccaſſet, minimè morituro. Quia ſicut dicit Apoſtolus, Non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, poſtea ſpiritale. 1. Cor. 15. 46. Unde beatus Ambroſius, in umbra vitæ dicit Ambroſ. lib. de paradiſo. B Adam eſſe factum, de qua poſſet cadere, non neceſſitate, ſed voluntate. In qua utique ſi maneret, acciperet eam vitam, cujus illa umbra erat, quam ſancti accepturi ſunt, ex qua omnino cadere non poterunt. Hanc quoque mortalitatem, in qua decurrit hoc ſæculum, è contrario umbram mortis intelligit: mortem verò, cujus hæc umbra eſt, illam commemorat, quæ ſecunda mors dicitur, de qua nemo, cùm in eam venerit, revertetur. Apoc. 20. 6. Quicumque autem de hac mor- C tis umbra liberantur, non ad vitæ umbram redire, ſed ad eam vitam præparantur ire, de qua numquam quiſquam poſſit exire. Ibi erit & ipſe Adam: quoniam rectè creditur Domini adventu atque in inferna deſcenſu, ab inferni vinculis jam ſolutus; ut primum Dei plaſma, quod genitorem non habuit, ſed Deum tantummodo creatorem, & ſecundùm carnem primus pater Chriſti, ultrà in illis vinculis non maneret, atque æterno ſupplicio non periret.

fet, ſine interventu mortis acceptnrus erat non poſſe mori, & non poſſe peccare.

Adamus rectè creditur per Chriſtum ab inferni vinculis ſolutus. V. in fràn. 22.

D Ubi autem judicio [b] ſuperexaltat miſericordia, non ſunt merita cogitanda, ſed gratia: cujus eſt tanta & tam inſcrutabilis atque inveſtigabilis altitudo, ut poſt illam ſententiam qua dictum eſt, Si quis non renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in regnum Dei; videamus aliquando bene meritis fidelibus non concedi filios ſuos, ut ſint in regno Dei cum parentibus ſuis; ſed non regeneratos parvulos exire de hac vita, dum nonnumquam & ipſis ſuis parentibus ardenter E deſiderantibus, & miniſtris ſacramentorum alacriter feſtinantibus, ab omnipotentiſſimo & miſericordiſſimo Deo non differtur paululùm mors eorum, ut Chriſtianorum nati [c] exeant hinc renati, & [d] neque regno Chriſti ſuiſque genitoribus pereant; ſed ante quàm baptizentur, exſpirant: cùm aliquando filiis infantibus infidelium, & ipſam Chriſti gratiam blaſphemantium, in manus Chriſtianorum mirabili Dei gubernatione perductis, præſtetur hæc gratia, ut in F Dei regnum ab impiis ſeparati parentibus veniant. Ubi ſi à te quæratur, quæ ſit juſtitia iſta; profectò in illo dialectico & philoſophico ſermone, quo tibi videris de juſtitia Dei diligentiſſimè diſputaſſe, non invenis eam. Dominus enim cognovit cogitationes ſapientium, quoniam vanæ ſunt: & abſcondens hæc à ſapientibus & prudentibus, revelavit ea parvulis, id eſt, humilibus, & non in ſua virtute, ſed in Domino confidentibus: quod tu vel numquam, vel nondum G eſſe dignaris.

b Jacobi 2. 13.

Iohan. 3. 5.

Gratiæ altitudo inſcrutabilis in parvulorum qui ad baptiſmum perveniunt diſcretione.

c

d

Pſal. 93. 11.

Matth. 11. 25.

Si ergo quæris, ubi vel quando detur homini non poſſe peccare: præmia quære ſanctorum, quæ poſt hanc vitam illos oportet accipere. Si

[a] Editi, *de pravaricatione*, Emendantur ex MSS.
[b] MSS. Clar. & Mar. *ſuperexaltatur*. Port. *ſuperexſultat*.

[c] Editi, *non exeant*. Particula negans auctoritate MSS. expungitur.
[d] Codex Clar. & *æquè*.

> Liberum arbitrium quo rectè agere potuit homo, peccati malitiâ defecit. *Rom. 7. 15.*

autem non credis, liberum hominis arbitrium, quo rectè agere potuit & debuit, peccati malitiâ defecisse: illum saltem adtende, qui dicit, Non quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio: quem vos non vultis vitiata origine, sed prævalente mala consuetudine laborare; ac sic etiam vos fatemini liberum arbitrium, malè se utendo, posse deficere; & non vultis illo tam grandi peccato, ut omni mala consuetudine fuerit majus & pejus, vitiari potuisse in humana natura liberum arbitrium; in qua depravanda malam consuetudinem tantum dicitis posse, ut se perficere bonum clamet homo velle, nec posse. Immutabilis autem, cum qua homo creatus est & creatur, illa libertas est voluntatis, qua beati esse omnes volumus, & nolle non possumus: sed hæc ut beatus sit quisque non sufficit, nec ut vivat rectè per quod beatus sit: quia non ita est homini congenita libertas immutabilis voluntatis qua velit possitque bene agere, sicut congenita est qua velit beatus esse; quod omnes volunt, & qui rectè agere nolunt.

> Libertas quædam voluntatis congenita immutabilis.

XIII. Jul. *Quid igitur confectum est? Unum esse necessarium de duobus, ut aut confitearis Adam factum bonæ esse substantiæ, nec naturam ejus voluntaria qualitate destructam, & deseras naturale peccatum: aut si illum, ut hactenus opinatus es, naturalium malorum caussam esse contenderis, & ipsum pessimæ substantiæ, atque ad Deum vestrum, id est, tuum & Manichæi, pertinere pronunties.*

> Liberum arbitrium suo malo usu vitiatum.

Aug. Non esse confectum, quod putas esse confectum, nostra superior responsio declarat. Nam cùm inter nos quæstio verteretur, utrùm malo usu liberi arbitrii, cum quo homo creatus est, vitiari potuerit ista libertas, ne ad bene vivendum, qui malè vixit, esset idoneus, nisi gratiæ virtute sanatus; ut omittam cetera, quæ in eadem responsione dicta sunt plurima, invenimus hominem in summa scripturarum divinarum auctoritate dicentem, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. In quibus verbis evidenter apparet, liberum arbitrium malo suo usu esse vitiatum. Non enim ante peccatum, quo malè usus est homo libero arbitrio, in illa paradisi felicitate & ad bene agendum magna [a] facilitate constitutus, posset hoc dicere. Sed hoc vos non vitiatæ in primo homine naturæ humanæ, sed malæ consuetudini cujusque tribuitis, quam sibi [b] prævalentem volens, nec valens homo vincere, suamque libertatem ad bonum perficiendum integram non inveniens, dicere ista compellitur: quasi verò vim consuetudinis malæ insuperabilem patiatur, ut ab ea se poscat Dei gratiâ liberari, nisi infirmatâ naturâ. Nam qui ista dicebat, cùm ad ista pervenisset, ubi ait, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati quæ est in membris meis: miser ego, inquit, homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Corpus mortis quomodo vultis interpretamini: tamen infirmato libero arbitrio, infirmatâ naturâ ista dicebat, & desiderabat per Dei gratiam de mortis corpore liberari, ubi non quod volebat agebat bonum, sed malum quod oderat faciebat.

> *Rom. 7. 19.*

> Consuetudinis violentiæ tribuunt Pelagiani quod ait Apostolus, *Non quod volo &c.* *Ibid. 23. &c.*

Verùm documento evidentiore vincimini, tam grande peccatum illud fuisse primi hominis, ut omni violentiâ consuetudinis esset majus & pejus, cùm vobis proferuntur mala puerorum, quæ utique in paradiso futura non fuissent, si ut inde non pelleretur, in ea rectitudinis felicitate, in qua facta est natura humana, mansisset. Nam ut alia taceamus, quæ aliquot locis jam diximus, & ut non solùm indoctam, verùm etiam indocilem prætereamus infantiam: nonne aliquis puer accipiens à magistro quod memoriâ retineret, volens tenere nec valens, si posset dicere, verissimè diceret, Video aliam legem in anima mea repugnantem legi voluntatis meæ, & captivantem me sub lege ferularum quæ imminet membris meis: miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Corpus enim corruptibile aggravat animam, ut quod vult memoriâ tenere, non possit. Et de hoc corruptibili corpore quis liberat nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum? sive cùm hoc exuta, redemta Christi sanguine anima requiescit, sive cùm corruptibile hoc induet incorruptionem, & post ærumnas corporis mortui propter peccatum, vivificabuntur & corpora mortalia nostra per inhabitantem Christi Spiritum in nobis. Contra cujus gratiam, liberæ voluntatis [c] arbitrium, peccati ancillam voluntatem defenditis. Nos autem à Manichæo longè sumus, qui naturæ bonæ, sive in grandibus, sive in parvulis, & vitium confitemur & medicum.

> Peccatum primi hominis grande & omni violentiâ consuetudinis pejus ad vitiandam naturam.

> *1. Cor. 15. 53.*

XIV. Jul. *Sic disputavi hactenus, ut mos nostræ fidei postulabat: verùm non hac solùm parte contentus, agam tecum benignè, & consultò eam mihi personam induam, quæ præceptoris tui sententiæ favere videatur. Hoc autem eâ gratiâ fiet, ut tu Manichæum, si ab eo dissides, oppugnare cogaris. Assertioni quippe nostræ nihil astutiæ inesse hoc ipso docebitur, cùm Traducianus non invenit, quo Manichæo possit obsistere. Itaque apparebit quanta inter vos conjuratio sit, quàm procuretis mutuis cuncta compendiis, quando inter vos jurgium excitari non potuerit. Quo igitur id me consilio arripuisse ostenderim, animo lectoris insidat: nunc jam personæ, quam assumimus, oratione fungamur. Errant omnino qui putant hanc concretionem corporis [d] habilem esse justitiæ: omnibus bonis studiis repugnat vilis natura carnis & sanguinis. Quidquid irritamentorum est lenocinio sensuum, ad perturbationem, immo eversionem mentis elabitur, quæ in hoc cœnum nescio qua infelicitate dejecta, generosos micatus luteo perdit admixtu. Ipsa quantum in se est ad locum suum, id est, ad superiora conatur: sed terreno afflictatur ergastulo. Denique cùm ad pudicitiam voluerit subvolare, gluten & viscum voluptatis obscœnæ de perustis visceribus experitur. Jam si liberalitatem munificentiæ concupiscat, avaritiæ, quæ tegmine frugalitatis operitur, manicis artissimis colligatur. Enimvero si in æquabili constantiæ quadam voluerit serenitate consistere, obruitur illico grandine timoris, & doloris procellis, atque ad omnia exanguescens dubia, [e] compos sui non sinitur manere consilii. Junge huc ignoratarum rerum noctem, qua*

[a] Editi, *felicitate.* Meliùs MS. Port. *facilitate.*
[b] Editi, *prævalenter.* Castigantur ex MSS.
[c] In codice Port. *arbitrio.*

[d] *Habilem.* restituimus ex MSS.
[e] In editis pro *compos sui*, legebatur *compositi.* Emendantur ex codice Port.

circumdatur illuvie. Quid laudabilitatis in eo suspicabimur animante, qui nec ad utilium electionem oculos vigentes habet, & inter tempestates cupiditatum & discriminum sua naufragia numerare non sufficit? Nec tamen aliquis hæc sponte depravatæ substantiæ accidisse mentiatur: ipsa primorum hominum institutio his ærumnis invenitur obnoxia. Nam ut hoc etiam Moysi, quem catholici venerantur, testimonio comprobetur; experiebantur primi homines carnificinam timoris, quos intentatio, nisi obedissent, periculi territabat, quantumque de rerum collatione metiendum est, formidolosiores posteris eos opinamur fuisse, quos pœna necdum cuiquam comperta vexabat. Cur enim mortis intentatione quaterentur, qui nesciebant quid incommodi afferret interitus? Sollicitabantur nimirum solis suspicionibus malorum. In qua ergo ille animus tranquillitate consisteret, quem tam aspera hyems formidinis commovebat? Porrò ignorantia quàm profunda, quámque patiendi ejus dura conditio, ut liberari ab ea nisi prævaricatione non posset: scientiam quippe boni malique absque ausu condemnabili nequaquam capessiturus. Hoc ita cæcum & ærumnosum animal, inquies etiam cupiditas innata reddebat, quam rei interdictæ & venustas irritabat & suavitas. Quod totum velut parum esset ad infelicitatem illius exprimendam, impugnationi naturæ superioris exponitur. Quis ergo adeo desipiat, ut ibi quidquam boni fuisse arbitretur, ubi tot miseriarum instrumenta instituta fateatur? Pessimæ igitur conditionis, pessimæque naturæ caro ista in istis primis hominibus suum, quod ab exordio tenebat, exseruit. Hanc autem tam malam substantiam Deus bonus non potuit fabricare. Quid ergo superest, nisi ut fateamur alterum esse animæ datorem, alterum luteorum conditorem?

Stat certè Manichæi, cujus indueram personam, acies ordinata. Quid opperiamur intelligis, videlicet ut qui ei adversus est, consequenti impugnatione id demonstret. Igitur vestrum dogma cum eo confligat: apparebit utrùm sine pernicie sua vel leviter possit moveri. Pronuntiavit certè, non solùm nasci omnes de commixtione corporum criminosos, verùm ipsum Adam culparum necessitatem de concretione viscerum, & limi ex quo factus est sordibus, adtulisse. Natura, inquit, carnis in primis hominibus fuit noxia; ipsam scintillam animi studio honestatis sublucentem conclusit, madefecit, exstinxit. Ineptiunt prorsus catholici, qui peccantium testimoniis obnituntur, & nec documentis propriis adquiescunt, videntesque non se bonum quod volunt agere, sed malum quod exsecrantur operari, putant tamen in carne non esse mali necessitatem. His ergo tam invidiosè dictis congrediatur Traducianus, si potest: ego interim spectator assisto, & exitum vestri conflictûs opperior. Quid itaque respondebis malam naturam etiam in primis hominibus fuisse juranti? Sine dubio referes, Deum formatorem hominum non potuisse malum condere quod creavit, & ideo quia Deus qui malum non facit, homines fecit, nequaquam eos naturaliter malos probari. Dixisti aliquid, & veraciter: sed vide utrùm hoc me debueris audiente proferre. Qua enim virtute Manichæum concusseris non satis curo: interim in mea totus jura transisti. Capto tibi jam delectat illudere; excipio quippe magno plausu professionem tuam, teque ut ejus memineris admoneo. Dignitate enim auctoris, id est, Dei, qui malum non facit, pronuntiasti opera ejus bona debere asseri. Omnes ergo homines de instituta à Deo sexuum commixtione generatos, à Deo, an à diabolo fieri putas? Si à Deo; qui eos audes reos malosque pronuntiare, cùm unicum dixeris esse testimonium Adam fieri malæ non potuisse naturæ, quia conditus à Deo qui est optimus, indicetur? Si ergo argumentum forte est, per quod credatur primorum hominum rea non instituta substantia, hoc ipsum quia Deus eam condidit quem bonum fatemur; remanet illud in excidium traducis, ut & omnes de conjugio genitos iniquos condi non posse, eodem testimonio comprobetur, quia Deus eos condidit, quem bonum fatemur. Sin autem & post hoc rabiens impudentia jurare perstiterit, & à Deo fieri parvulos, & tamen malos esse eos naturaliter: catholico quidem, sicut & Deo nostro, nihil his mendaciis præjudicii comparatur: Manichæum tamen constat à vobis oppugnatum non esse, qui libenter quòd Deum criminaris amplectitur; illud tibi periisse contentus, per quod Adam conditionis bonæ fueras approbare molitus.

AUG. Cùm mihi adversùs Manichæum certamen ineundum, tibique spectandum diserta cæcitate proponis, partes tuas improvidus subruis; & quomodo illam teterrimam luem, quam Manichæo funestus error invexit, tamquam pestifero adjuves dogmatis tui flatu, etiam his hominibus qui suo tardantur ingenio, ut possent intelligere, præstitisti. Nam cùm illa quæ de vitæ hujus mortalis corruptibilisque miseriis copiosè & facundè dixisti, audierit quisque vel legerit, vera te fuisse prosequutum, non solùm in tuo sermone, verùm in ipsis quoque humanis rebus agnoscet. Manichæo quippe, cui velut adversùs nos loquenti verba fecisti, nihil magnum aut difficile fuit in hac mortali vita, quæ & de felicitate paradisi merito peccati ejecta [a] atque dejecta est, ista quæ abs te de illa dicta sunt intueri; & sive ut tu, sive uberiùs atque copiosiùs, tamen eadem ipsa garrire, quæ tam manifesta sunt, ut etiam scripturarum divinarum locis plurimis lectitentur, de corruptibilis corporis onere, & ex [b] illo animæ aggravatione venientia. Unde & in sanctis, in hujus vitæ agone luctantibus, Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem: cùm spiritus, sicut ait gloriosissimus Cyprianus, cælestia atque divina quærit, caro terrena & sæcularia concupiscit. Hinc est ille conflictus, quem memoratus Martyr in libro, quem de mortalitate conscripsit, diligenter & eloquenter explicat, dicens inter cetera, quòd nobis sit cum carnalibus vitiis atque illecebris sæcularibus assidua & molesta luctatio. Jam verò beatus Gregorius hoc certamen, quod habemus in corpore mortis hujus, sic ante oculos ponit, ut nullus sit hujus agonis athleta, qui non se in verbis ejus tamquam in speculo recognoscat. Intra nosmetipsos, inquit, propriis « vitiis & passionibus impugnamur, & die noctu- « que ignitis stimulis corporis humilitatis hujus & « corporis mortis urgemur: nunc latenter, nunc « etiam palàm provocantibus ubique & irritantibus « rerum visibilium illecebris, luto hoc fæcis cui in- « hæsimus cœni sui fœtorem venis capacioribus « exhalante; sed & lege peccati, quæ est in mem- « bris nostris, legi spiritûs repugnante, dum ima- «

Conflictus carnis & spiritûs etiam in sanctis. Gal. 5. 17. Cypr. de oratione Dom.

Gregor. Nazianz. in apolog. 1. de sua fuga.

[a] Sic MSS. At editi, *detecta est.*

[b] Vetus cod. Mar. *ex illa.*

„ ginem regiam quæ intra nos est, captivam du-
„ cere studet; ut spoliis ejus cedat, quidquid illud
„ est, quod in nos beneficio divinæ ac primæ il-
„ lius conditionis influxit. Hæc verba hominis Dei,
* Cap. 3. & in secundo * libro illorum sex quos contra
* n. 67. tuos quatuor edidi, & in hoc opere posui * cùm
tuo primo volumini responderem, ubi corpus
Rom. 7. 25. mortis, de quo se dicit Apostolus Dei gratiâ liberari, aliter intelligendum putasti. Et sanctus
Lib. 1. de Pœnit. c. 2. vel 3. Ambrosius cùm dixisset, Omnes homines sub
» peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio
» est, sicut habes lectum, dicente David, Ecce
» enim in iniquitatibus conceptus sum, & in deli-
» ctis peperit me mater mea: protinus subjecit,
» Ideo Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait,
» Quis me liberabit de corpore mortis hujus?

Mala hujus vitæ agnoscunt pariter Manichæi & catholici, sed de eorum origine prorsus dissentiunt.

Quid ergo mirum est, si Manichæus intuens mala hujus vitæ, & corpus mortis hujus quod aggravat animam, & discordiam carnis & spiritûs, & jugum grave super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium, dicit talia etiam per os tuum quasi contra nos, qualia videmus dixisse Gregorium contra vos? Unde constat
Iob 7. sec. LXX. mala vitæ hujus, quæ tentatio est super terram, quibus malis in genere humano propter jugum
Eccli. 40. 1. grave filiorum Adam à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium, plenus est mundus, & Manichæos cum catholicis confiteri; sed unde sint hæc, non utrosque idem dicere, & magnam hinc inter eos esse distantiam; quòd ea Manichæi tribuunt alienæ naturæ malæ, catholici verò & bonæ & nostræ, sed peccato vitiatæ meritóque punitæ.

Mala congenita nobis veniūt ex natura peccato vitiata.

Tu qui non vis quod dicimus dicere, ipse quid dicis? Quomodo Manichæo respondes unde sint hæc mala, cum quibus nascuntur homines, & quæ in paradiso non nascerentur, si nemo peccasset, atque ibi non depravata, sed recta
a nostra natura, sicut condita est, [a] permaneret? Si vitium congenitum est, quo caro concupiscit adversùs spiritum, & non est ex natura in origine vitiata, dic unde sit? Si vitium congenitum
Rom. 7. 18. est, in quo clamat homo, Scio quia non inhabitat in me, hoc est, in carne mea bonum, velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non
b invenio; & non est ex natura [b] vitiata primi hominis prævaricatione; dic unde sit? Si autem
c [c] non sunt congenita vitia ista; dic unde sint? Ex peccandi, inquies, consuetudine, quam sibi quisque fecit libera voluntate. Ubi quod non vis, interim confiteris, scilicet libertatem voluntatis suo malo usu perire potuisse, quia perficiendo malum minùs idonea facta est ad perficiendum bonum. Sed numquid voluntate quisquam obtunsus est corde? Numquid voluntate obliviosus est quispiam? Numquid voluntate est aliquis fatuus? Hæc & alia vitia ipsius mentis atque animi, cum quibus homines nasci ambigit nemo, si ex origine vitiata dicis non esse, dic unde sint? Neque enim dicturus es, quòd ista, si nemo peccasset, paradisus habere potuisset.

A Postremò quòd corpus corruptibile aggravat animam, sub qua miserabili sarcina omnes qui non usquequaque desipiunt, homines gemunt, dic unde sit? Non enim sic dicturus es primos homines creatos, ut corruptibili corpore alicujus eorum anima gravaretur; aut post eorum illud grande peccatum, sine tali corpore aliquis nascitur. Cur ergo adversùs nos Manichæum loquentem loquacissimus introducis, cùm tu negando quod dicimus, ei respondere
B non possis? Cui respondet Cyprianus, ita discordare carnem spiritumque demonstrans, ut tamen utriusque sit à Deo Patre oranda concordia: cui respondet Gregorius, qui cùm talia de carne dixisset, qualia contra nos composuisti dicere Manichæum, utrumque tamen ad Deum, ipso Deo propitio, revocandum esse testatur, id est, & spiritum & carnem: cui respondet Ambrosius, qui cùm dixisset carnem moderatioris animæ arbitrio conjugandam: Qualis fuit, inquit, cùm
C inhabitanda paradisi secreta suscepit, ante quàm veneno pestiferi serpentis infecta sacrilegam famem sciret. His enim suis sententiis catholici Antistites satis apertéque docuerunt, carnis non naturam malam esse, sed vitium; quo sanato ad hoc redit, ut quemadmodum primitus instituta est, nullis suis corruptelis aggravet animam, nullamque habeat cum spiritu contraria concupiscendo discordiam: quâ discordiâ deceptus est Manichæus, ut alienam malam fingeret com-
D mixtam nobis esse substantiam. Horum catholicorum Antistitum fidem si nobiscum sequi velles, Manichæos everteres, non juvares: nunc verò non eos destruere, sed magis ædificare conaris: negando enim mala, quæ de origine vitiata homines nascentes trahunt, non id agis, ut nulla esse credamus mala naturalia, quoniam nimiùm manifesta sunt; sed potiùs agis, ut de aliena mala d
[d] natura putentur esse ista, quam nobis esse commixtam Manichæorum insania fabulatur;
E non de nostra bona primi hominis prævaricatione vitiata manare monstrentur, quod catholicorum sanitas loquitur.

Cypr. de oratione Dominica.

Ambros. lib. 7. in 11. c. Luc.

Manichæo dicenti malam fuisse carnem hominis et à ante quàm peccaret, & miseram conditam esse naturâ, non posse responderi à Pelagianis.

Sed Manichæus, inquis, etiam ipsam primi hominis carnem, qualis ante quàm peccaret fuit, sic detestatur, ut malam nitatur ostendere. Ita quidem à te inducitur loquens, ut ingerat respondendi qualecumque negotium, non solùm mihi, verùm etiam tibi. Nam ubi dicit à malo [e] eam conditore factam esse; simul ei responde-
F mus, tam bonam creaturam, quæ posset non peccare, si nollet, quamvis non æquetur suo e Creatori, non tamen potuisse nisi bonum habere Creatorem. Ubi verò de timore mortis, quam, si peccasset, ei Deus est comminatus, etiam priùs quàm peccasset, miserum dicit; simul respondemus, quòd hominis, qui numquam peccare potuisset, si numquam peccare voluisset, pœnæ illius devitandæ, quæ fuerat sequutura peccatum, tranquilla erat cautio, non turbu-
G lenta formido. Hoc quidem respondere communi adversario, sicut dictum est, communiter possumus: sed ego adversùs Manichæum laudes

[a] Editi, *permanente?* Veriùs *permaneret?* ut in antiquis codicibus; quorum etiam subsidio duo versus proximè sequentes restituuntur

[b] Ex fide MSS. additur, *vitiata.*

[c] In editis hoc item loco desiderabatur, *non sunt.* Suppletur ex MSS.

[d] Editi, *mala naturalia putentur esse ista, quæ nobis.* Emend. ex MSS.

[e] In MSS. *eum conditore factum esse.*

augeo rationalis illius creaturæ, quæ non solùm non cruciabatur ullo metu, verùm etiam lætitiâ magnâ fruebatur; quoniam malum mortis, quod omnium, vel penè omnium refugiunt corda fidelium, habebat in potestate non perpeti. Huic nostræ fidei quoniam vester error adversus est, quo putatis Adam, sive peccaret, sive non peccaret, fuisse moriturum; quid hîc Manichæo respondes dicenti miseram conditam esse naturam, quam vel peccantem vel non peccantem mors imminens timore torquebat? Si enim dixeris ita fuisse conditam, ut non timeret mortem, sine dubio quandoque venturam; profectò istam quæ in posteris ejus est, miseram fateberis nasci, cui mortis metum sic videmus esse congenitum, ut etiam hi qui spe fideli futuræ vitæ gaudia concupiscunt, in hac tamen vita cum mortis timore luctentur: nolunt enim spoliari, sed supervestiri, ut quantùm ad eorum adtinet voluntatem, non morte finiatur hæc vita, sed mortale absorbeatur à vita. Ex quo fit, ut si mortis metum in paradiso posueris ante peccatum, vincaris à Manichæis, qui putant & putari volunt, quòd in primo quoque homine misera condita est natura humana; si autem timorem mortis, quo mortalium animus non sine miseria stimulatur, ante peccatum non fuisse responderis, vincaris à nobis, quoniam non mutaretur in pejus nisi vitiata natura.

2 Cor. 5. 4.

Rursus in eo quòd adversùs nos facis dicere Manichæum, quia illud *cæcum & ærumnosum animal etiam inquietum cupiditas innata reddebat, quam rei interdictæ & venustas irritabat & suavitas*, tui, Juliane, dogmatis, tamquam in scopulo inevitabili cognosce naufragium. Nos enim dicimus in illa beatitudine nullam fuisse cupiditatem, quæ resisteret voluntati. Porrò si cupiebant illi homines, unde abstinere potiùs volebant; procul dubio voluntati eorum cupiditas resistebat. Hoc ergo non contra me, sed contra te, Manichæum dicere per tua verba fecisti. Si enim tales erant illi, ut in eis cupiditas resisteret voluntati; jam caro concupiscebat adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem; ubi manifestissimum carnis intelligitur vitium, propter quod fidelibus dicebat Apostolus, Hæc enim invicem adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis. Nullus quippe sanctorum est, qui non velit facere ne caro adversùs spiritum concupiscat; quamvis ei resistat ne concupiscentiam carnis sua consensione perficiat, eumdem Apostolum audiens, ubi ait, Dico autem spiritu ambulate, & concupiscentias carnis ne perfeceritis. Non ait, Concupiscentias carnis adversarias ne habueritis; quoniam videbat perfectam pacem carnis & spiritûs non posse in corpore mortis hujus impleri: sed ait, Concupiscentias carnis ne perfeceritis; ubi certamen nobis potiùs, quod contra carnem adversantem debeamus exercere, proposuit, ut concupiscentias ejus non perficiamus consentiendo, sed resistendo vincamus. Pax verò, ubi non eas adversantes repugnantesque patiamur, fuit in corpore vitæ illius, quam naturâ vitiatâ primi hominis prævaricatione perdidimus. Nam si nec ibi fuit ante peccatum pax carnis & spiritûs, falsumque est quod ait Ambrosius, utriusque discordiam per prævaricationem primi ho-

Gal. 5. 17.

Ibid. 16.

A minis in nostram vertisse naturam: vera erit, quod absit, ista sententia, quam contra nos Manichæum fecisti loquentem, *miserum* scilicet *animal* primum hominem conditum, quem *cupiditas innata reddebat inquietum*, *quam* cupiditatem *rei interdictæ & venustas irritabat & suavitas.* Nos autem dicimus tam beatum fuisse illum hominem ante peccatum, tamque liberæ voluntatis, ut Dei præceptum magnis viribus mentis observans, resistentem sibi carnem nullo certamine B pateretur, nec aliquid omnino ex aliqua cupiditate sentiret, quod nollet; voluntatemque ejus priùs fuisse vitiatam venenosa persuasione serpentis, ut oriretur cupiditas quæ sequeretur potiùs voluntatem, quàm resisteret voluntati; perpetratoque peccato jam pœna infirmatæ menti etiam carnis concupiscentia repugnaret. Ac per hoc, nisi priùs homo faceret peccando quod vellet, non pateretur concupiscendo quod nollet.

Homo quàm beatus & liberæ voluntatis ante peccatum.

C Ecce nos quemadmodum vincimus Manichæum, introducere conantem naturæ hominis conditorem malum: tu autem, qui certantibus nobis locum tibi spectatoris pro tuo arbitrio delegisti, his ipsis verbis tuis, quæ contra nos Manichæo danda existimasti, quâ quæso arte, quibus viribus resistere audebis, homo, qui dicis carnis concupiscentiam, qualis nunc est, quam videmus contra spiritum dimicare, talem fuisse etiam in paradiso ante peccatum? Deponimus D ergo te, velis nolis, de theatri sedilibus in arenam, & de spectatore facimus luctatorem. Aggredere certamen, & adversarium, si potes, vince communem: quoniam tu quoque Deum creatorem etiam carnis te colere profiteris. Vince igitur inimicum, persuadere conantem, malum Deum esse qui condidit carnem, cujus concupiscentia nondum depravato prævaricatione spiritui jam resistebat, & miserum hominem sua conflictatione faciebat. An dicturus es, Prorsus E & concupiscentiam talem habebat, & tamen miser non erat? Hoccine est adversarium superare, an potiùs hoc est adjuvare Manichæum, & contra Apostolum rebellare? Itáne oblitus es quis dixerit, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; & post hujusmodi verba subjecerit, Miser ego homo? Si ergo Adam, cùm præcepto vellet obtemperare divino, cupiditate irritabatur cibum manducare prohibitum, eique carnis concupiscentia, qualem illum & F tunc dicis habuisse, contrà concupiscenti spiritui resistebat, nonne verissimè diceret, si vellet dicere, Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ? Quomodo ergo non erat miser homo, cùm post verba talia dicat Apostolus, Miser ego homo? Postremò quomodo miser non erat, & habebat liberam voluntatem, si concupiscente adversùs spiritum carne, teste ipso Apostolo, non faciebat G utique quod volebat?

Non posse à Pelagianis vinci Manichæum introducentem carnis conditorem malum.

Rom. 7. 23.

Ibidem 22.

Quoniam ergo si dixeris, qualis nunc est, talem fuisse concupiscentiam carnis ante peccatum, vincet te procul dubio Manichæus: in sententiam meam transi, & Ambrosium dicentem, per prævaricationem hominis primi, in naturam vertisse discordiam carnis & spiritûs, ambo ap-

Catholicũ dogma de origine peccato vitiata confitendum esse, ut vincatur Manichæus.

probemus, ut Manichæum ambo vincamus. Qui
verbis tuis, quæ illi composuisti quasi recitaturo,
& quod in scholis rhetorum agitari solet, aliena
dicturo, non solùm *ærumnosum*, verùm etiam
cæcum creatum esse dixit Adam: unde cæcum,
1. Cor. 15. 21. nisi quia non noverat peccatum; quod dictum
est in laudibus Christi? Quæcumque enim mala
non per sapientiam, sed quæ per experientiam
discuntur, feliciter nesciuntur. Sed hoc contra
Manichæum de ignorantia primi hominis calumniantem,
tu quoque mecum forsitan dicis: quid
verò ei respondeas de morte corporis & de concupiscentia
carnis, secundùm ea quæ nunc tibi
nos respondimus, quære. His enim duabus manifestissimis
rebus apparet, aliam fuisse conditionem
primorum hominum, qui de nulla parentum
stirpe sunt geniti; aliam verò eorum, qui
ita creantur à Deo, ut etiam ab hominibus procreentur:
ab illo enim modum institutionis suæ
accipiunt, ab istis meritum originis ducunt, conformationem
suam debentes opificio, obligationem
judicio, liberationem beneficio Conditoris.
Quorum mala cum quibus nascuntur, intuentes
Manichæi, hominis opificem malum conantur
inducere, cujus (ut de anima taceam, quæ carnis
est vita,) Deum esse opificem suum, à quo
sunt omnia bona sive cælestia sive terrena, carnis
ipsius compago testatur; quod tale bonum
est, ut de concordia membrorum ejus beatus
1. Cor. 12. 12. Apostolus similitudinem sumeret, ad laudem
præcipuam caritatis, cujus inter se pacifico vinculo
boni fideles tamquam Christi membra
nectuntur. Ita fit ut & illos primos sine vitio
factos, & posteros eorum cum originali vitio
natos, propter evidentissimum naturæ bonum
creare non potuerit nisi bonus conditor.

Alia fuit primorum hominum conditio, alia posterorum.

XV. Jul. *Sed ne nimis primam partem certaminis
urgeamus, patiamur processu opinionis te bonam Adæ
probare naturam. Dicis profectò: Deus justus legem
devotionis homini non poneret, si eum nosset pati peccandi
necessitatem: quia si justitiam voluntatis exigeret
ab eo, quem malæ naturæ esse nosset; non illum
cùm prævaricabatur, reum arguebat, sed se inimicum
esse justitiæ publicabat. Posuit autem Deus
justus legem homini, quem ulturum se, si fuisset prævaricatus,
spopondit. Constat ergo eum bonum naturâ,
non potuisse aliter, nisi sola voluntate peccare:
Vides nempe, quàm legitima sit à me tuo nomine
prolata conclusio? Ipse est omnino gladius, qui in
manu catholicorum coruscans, Manichæos Traducianosque
populatur. Sed* nimis *propter vestrum nomen
admiscui, quorum vice inpræsentiarum volueram
responsum videri. Concussit ergo Manichæum solida
responsio. Augustam rationem dignis laudibus prosequor:
verùm oleo laudationis hujus, in te acui gladium
contuere. Repete igitur, quæso, quod dixeras.
Deus justus, inquis, legem non poneret homini, si
esset malus naturâ; posuit autem legem qui justus
est: apparet hunc potuisse servare, quod æquissimus
imperavit; quoniam nisi obediendi virtutem habuisset,
numquam constaret præcipienti ratio jussionis.
O lepidissimum capitulum! Me coràm, me spectatore,
bonitatem naturæ, cui lex ponitur, de justitia
legem promulgantis affirmat; nec videt se, ante
quàm vulnusculum Manichæus sentiat, in Tradu-*

A *cianos exitium* [a] *pertulisse. Ut enim intelligas semineci
me tibi rapere arma cruenta, victricemque ferant
morientia lumina veritatem, in tua temet tela* Virg. Æneid 10. v. 462. & 463.
*compellam. Si justus Deus Adæ legem dare non potuit,
nisi eum sciret sine aliquo mali coactu liberum
posse observare quod justum est; sine dubio & in
temporibus sequutis eadem gravitate justitiæ lex etiam
litteris tradita, multiplicatione diffusior, distinctione
signatior, & auctâ ultione reverentior, data hominibus
non fuisset, si aut imbecilli ad faciendum bo-*
B *num sine possibilitate justitiæ, aut rei, id est, mali
ab utero nascerentur: quoniam ut istos in omni prævaricatione
necessitatis excusaret obtentus; ita immoderatio
præceptorum, impotentia sanctionum, iniquitas
judiciorum, in maculam rediret auctoris. Igitur
& hæc pars secunda eodem genere, quo prior,*
[b] *cluditur; id est, ut confitearis, aut justitiam Dei
non potuisse imperare, nisi quod à subditis fieri posse
perpenderet; & testimonio primi mandati Manichæus,
testimonio autem legum postea sequutarum*
C *Manichæus Traducianusque consumitur: aut si hoc
relinquit impietas; ne leviter quidem à vobis pulsatus
Manichæus, vestrum se esse patrem, vestrum
principem,* [c] *cumque vobis adversùm nos unicum sibi
esse certamen, mundo teste monstrabit.*

Aug. Hoc est nempe, quod non eloquio,
sed multiloquio prosequutus es, legem scilicet
priorem, quæ data est in paradiso, testimonium
esse naturæ bonæ, quæ condita est cum libero
arbitrio: alioquin homini liberum arbitrium non
D habenti injustissimè lex daretur. Unde & posterior,
inquis, lex quæ copiosissimè in litteris promulgata
est, testimonium est naturæ bonæ, quæ
creatur ex parentibus, similiter sine vitio, cum
libero arbitrio. Ista disputans videris tibi aliquid
dicere, quia vel tuas vel humanas sectaris
argutias: divina verò eloquia, ex quibus te nobis
putas præscribere, non curas legere; aut si
curas legere, non vis, vel non potes intelligere:
sed si fortè intellexeris disputantibus nobis, noli
E esse talis qualem Scriptura denotat dicens, Verbis non emendabitur servus durus; si enim & Prov. 29. 19.
intellexerit, non obediet. Quamquam & cor
lapideum, quo divinis verbis etiam intellectis
non obeditur, possit tibi auferre, si velit, qui
hoc populo duro, Ezechiele sancto prophetante, Ezech. 11. 19. & 36. 26.
promisit.

In paradiso enim legem accepit homo, qui
factus est rectus, ut rationalis creaturæ vel sola,
vel præcipua virtus esse obedientia doceretur.
F Sed ejusdem legis prævaricatione, à se ipso factus
est pravus. Et quoniam vitiari per se ipsum
potuit, non sanari; etiam postea eo tempore &
eo loco, quando esse faciendum & ubi esse faciendum
Dei sapientia judicavit, legem etiam
pravus accepit, non per quam corrigi posset;
sed per quam se pravum esse, & nec lege accepta
à se ipso corrigi posse sentiret; ac sic peccatis non
lege cessantibus, sed prævaricatione crescentibus,
dejectâ & contritâ superbiâ, humillimo
G corde auxilium gratiæ desideraret, & spiritu vivificaretur
litterâ occisus. Si enim data esset lex, Gal. 3. 21. & 22.
« quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia:
« sed conclusit Scriptura omnia sub peccato,
« ut promissio ex fide Jesu Christi daretur creden-

Lex homini recto data ut obedientiæ virtus commendaretur.

Pravo data lex, ut suam pravitatem sentiens gratiam desideraret.

[a] Sic MSS. At editi, *protulisse*.
[b] Editi, *eluditur*. MSS. Mar. & Clar. *cluditur*.
[c] Editi, *cumque vobis . . . . mundo teste monstrabitur*. Castigantur ex MSS.

tibus. Si verba Apostoli agnoscis, vides profectò vel quid non intelligas, vel quid cùm intelligas negligas. Non igitur lex, quæ in litteris per Moysen data est, testimonium est liberæ voluntatis: nam si ita esset, non ad eam pertineret ille qui dicit, Non quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago; quem vos certè nondum sub gratia, sed adhuc sub lege esse contenditis. Nec ipsa lex nova, quæ prædicata est ex Sion proditura, & verbum Domini ex Jerusalem, quod intelligitur esse Evangelium sanctum; nec ipsa, inquam, testimonium est liberæ, sed liberandæ potiùs voluntatis. Ibi enim scriptum est: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. Quod non solùm propter peccata præterita dictum esse, quorum remissione liberamur, verùm etiam propter adjutorium gratiæ, quod ne peccemus accipimus, id est, ita liberi efficimur, Deo nostra itinera dirigente, ut non nobis dominetur omnis iniquitas: dominica testatur oratio, ubi non solùm dicimus, Dimitte nobis debita nostra, propter mala quæ fecimus; verùm etiam, Ne nos inferas in tentationem, propter hoc utique ne mala faciamus: unde & Apostolus dicit, Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali. Quod si ita esset in potestate, quomodo fuit ante peccatum, priùs quàm esset natura humana vitiata; non utique posceretur orando, sed agendo potiùs teneretur. * Verùm quoniam post pristinam ruinam tam gravem, ut in hujus mortalitatis miseriam caderemus, priùs Deus certare nos voluit, donans nobis ut ejus [a] agamur Spiritu, & mortificemus opera carnis, atque ipso dante victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum, in æterna cum illo postea pace regnemus; profectò nisi Deus adsit, nemo est idoneus certare cum vitiis: ne sine certamine pertrahatur ab eis, aut ne jam certans in ipsa eorum conflictatione vincatur. Ideo in hoc agone MAGIS NOS DEUS VOLUIT ORATIONIBUS CERTARE, QUAM VIRIBUS; quia & ipsas vires, quantas hîc habere nos competit, ipse subministrat certantibus, quem rogamus. Si ergo hi, quorum contra carnem jam spiritus concupiscit, AD ACTUS SINGULOS INDIGENT DEI GRATIA, ne vincantur: qualem libertatem voluntatis habere possunt, qui nondum de potestate eruti tenebrarum, dominante iniquitate, nec certare cœperunt; aut si certare voluerunt, nondum liberatæ voluntatis servitute vincuntur?

Lex non est testimonium liberæ voluntatis. — *Rom. 7. 15.* — *Isai. 2. 3.* — *Lex nova testimoniū liberandæ voluntatis.* — *Joan. 8. 36.* — *Adjutoriū gratiæ ad non peccandum non posceretur, nisi esset necessarium.* — *Psal. 118. 133.* — *Matth. 6. 12. & 13.* — *2 Cor. 13. 7.* — *Lib. Retract. in [illegible] lib. 2. de lib. arbit.*

XVI. JUL. *Nescio sanè, utrùm hìc jam coactus inopia, tam ineptum, tam imbecillum aliquid moliaris, ut dicas, nullis te quidem rationibus docere posse Adam bonum à Deo conditum, sed ad hoc credendum sola esse lectionis auctoritate contentum, quæ post formatum hominem sexto jam die communiter de omnibus creaturis refertur, Et vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce bona valde. Quod non pro opificis dignitate, non pro appensione ejus justitiæ, sed pro testimonio, quo communiter quæ creata sunt, bene facta dicuntur, Adam quoque haud iniquum æstimes institutum. Porrò licèt hoc Manichæum tam leviter pulset, ut [b] rideat: Traducianum tamen revinctum exponit nobis. Ut enim nullo testimoniorum divinorum in hanc rem populos congregemus: Apostoli solius auctoritate præscribimus, qui cùm fœdum prævideret errorem, celso adversùm vos ore detonuit dicens, Quoniam omnis creatura Dei bona est. Si ergo ad probandum bonæ naturæ primum hominem fuisse formatum, sufficit hoc quod dicit Moyses, universa Deum bene condidisse, perque hoc tu cum peccato creari à Deo Adam non potuisse contendis, quia bonus inter reliqua legitur institutus: iisdem lineis referemus, per hoc nullum posse cum peccato nasci, quoniam ab Apostolo omnis creatura Dei bona esse defenditur.* (*Gen. 1. 31.* — *1. Tim. 4. 4.*)

Quid ergo his disputationibus actum est? Videlicet, ut id quod ratio indagarat, optio quoque indicti inter te & Manichæum prœlii publicaret: ut cùm proposito certamine ne unum quidem telum sine tua pernicie in præceptorem tuum vibrare posses; multò manifestissimè reluceret, vos & Manichæos in unum impietatis corpus obscœnâ coaluisse concordiâ. Quid enim potest esse tam junctum, quàm quod nec discriminum separatur incursu? Omni exitio Manichæi, Traducianorum dogma commoritur: nihil est quod illum feriat, & te relinquat. Una vobis sunt instituta, una mysteria, unaque pericula: & substomacharis, si senis Manis soboles nuncupere?

AUG. Ita dicis me nullis rationibus docere posse, Adam bonum à Deo conditum, quasi tecum inde confligam: nonne bonum conditum Adam, non ego tantùm, nec tu, sed ambo dicimus? Ambo enim dicimus bonam esse naturam, quæ posset non peccare, si nollet: sed cùm ego eam meliorem asseram quàm tu, quoniam dico etiam eam mori non potuisse, si peccare noluisset; quid est, quod dicis, nullis rationibus à me doceri posse, Adam bonum à Deo conditum, cùm rationibus meis magis bonus ostendatur esse, quàm tuis? Meis quippe ostenditur, non solùm potuisse non peccare, si nollet; sed nec mori, si peccare noluisset: tuis autem, ita mortalem factum, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Quod in episcopali judicio Palæstino, cùm Pelagio fuisset objectum, ne damnaretur, ipse damnavit; & est à semetipso damnatus, quod de homine hæretico dicit Apostolus. Dico etiam, non timuisse Adam mortem, in cujus erat potestate non mori: tu autem necessitatem habuisse moriendi, etiam sine ulla necessitate peccandi. Quem si dixeris mortem timuisse etiam ante peccatum, quid dicis nisi miserum creatum? Si autem ne miser esset, mortem, quamvis futuram, non tamen timuit: certè suam prolem, cui timorem mortis congenuit, procul dubio miseram genuit. Quis enim neget, ita homines naturâ mortem timere, ut eam nonnullos vix rara animi magnitudo faciat non timere? Itemque addo ego ad bonitatem conditionis Adæ, quòd in eo caro adversùs spiritum non concupiscebat ante peccatum: tu autem, qui talem dicis carnis concupiscentiam, qualis nunc est, in paradiso futuram fuisse, si nemo peccasset, talemque in illo fuisse & priùs quàm peccaret; addis ejus conditioni & istam miseriam per spiritûs carnisque discordiam.

Primus homo catholico dogmate magis bonus conditus prædicatur, quàm Pelagiano. — *Poterat & non peccare, si nollet, & non mori, si peccare noluisset.* — *Lib. de gestis Pelagii. c. 11. 33. & 35.* — *Tit. 3. 10.* — *Mortem non timebat.* — *Non patiebatur discordiam carnis & spiritûs.*

Cùm ergo tot tantisque rationibus Adam meliorem, quàm tu eum dicis, & feliciorem conditum ostendam; quid tibi visum est tantâ vecordiâ delirare, ut diceres, *nullis me rationibus*

Manichæus negans Adam bonum à Deo conditum non Ge-

[a] Editi, *agamus*. Omnes verò MSS, *agamur*.

[b] Sic MSS. At editi, *redeat*.

nesis vel Pauli auctoritate, sed ratione convincitur.

dotere posse, Adam bonum à Deo conditum, sed ad hoc credendum sola esse auctoritate lectionis contentum, quia scriptum est, fecisse Deum omnia bona valde? (Gen. 1. 31.) Non usque adeo sum pistillo, sicut * (* Suprà lib. 2. n. 117.) conviciaris, obtunsior, ut Manichæo redarguendo libri hujus divini auctoritatem, qua non tenetur, objiciam. Tibi hanc objicio, quando res postulat, quoniam mihi tibique communis est. Manichæum verò non de opificio Dei, quod ipse negat, creaturas istas bonas esse convinco; sed de illarum bonitate potiùs compello, bonum eas habere opificem confiteri. Quod autem ait Apostolus, quem se Manichæi accipere profitentur, *Omnis creatura Dei bona est* (1. Tim. 4. 4.); quoniam de qua creatura loqueretur apertum est, validum esset adversùs eos testimonium, nisi etiam libris canonicis, quos accipiunt, quasdam falsas sententias permixtas esse contenderent. Ac per hoc de bonitate creaturarum semper sunt urgendi, ut earum bonum Deum, quod negant, fateantur auctorem. Porrò creaturæ omnes ita sunt bonæ, ut etiam ipsas, quæ cum vitiis creantur, ratio bonas esse demonstret, ipsorum quoque adtestatione vitiorum; quia vitium contra naturam est: nisi enim natura ipsa rectè placeret, nullo modo rectè ipsius vitium displiceret. Hoc contra Manichæos, qui putant etiam ipsa vitia naturas esse atque substantias, in quibusdam nostris opusculis copiosiùs disputatur, ostenditurque vitium natura non esse; & quia contra naturam est, ideo malum esse; ac per hoc naturam in quantum natura est, bonum esse: unde colligitur, non esse creatorem naturarum nisi creatorem bonorum, ac per hoc bonum; sed creaturis suis magnâ differentiâ & summâ bonitate meliorem, qui non potest omnino vitiari, non [a] perceptione gratiæ, sed proprietate naturæ. Naturæ igitur creatæ, sive quæ sine vitio sunt, sive quæ natæ vitiantur, sive quæ vitiatæ nascuntur, illum creatorem nisi eum, qui bona creat, habere non possunt; quia in quantum naturæ sunt, bonæ sunt, etiam quæcumque vitiatæ sunt. Non enim vitiorum, sed naturarum auctor est, creator illarum. Nam & auctor ipse vitiorum naturâ bonus est, quam Deus fecit; sed vitio malus est, quo ipse à bono conditore malâ voluntate defecit. Itaque Manichæorum errorem ratio ista vera convincit, qui nolunt recipere auctoritatem, sive qua dictum est, *Fecit Deus omnia, & ecce bona valde*, quando adhuc nullum erat malum; sive qua dictum est, *Omnis creatura Dei bona est*, quando jam erat hoc sæculum malum, cùm Deus sit utique factor omnium sæculorum.

Diabolus auctor vitiorum naturâ bonus, vitio malus.

In paradiso vitia omnia corporum & animorum collocari à Pelagianis. [b]

Tu autem, qui hanc recipis auctoritatem divinorum eloquiorum, ut eâ meritò possis urgeri, cur non adtendis in eo libro, ubi legitur Deum fecisse omnia bona valde, omnium locorum [b] optimum plantatum esse paradisum, ubi Deus usque adeo nihil mali esse voluit, ut nec imaginem suam ibi esse permitteret, postea quàm propriâ voluntate peccavit? Et tamen vos in tantæ felicitatis & decoris locum, ubi nec ligni, nec fœni, nec pomi, nec cujusquam vel frugis vel pecoris vitium esse potuisse vel posse credendum est, omnia humanorum corporum & ingenio- A rum vitia non dubitatis inducere, cum quibus homines nasci, dolere vos sinimus, non negare. Necesse est enim ut doleatis, quando quid respondeatis non invenitis, & tam pravam sententiam mutare non vultis, quæ vos inevitabili necessitate compellit in loco tantæ beatitudinis & pulcritudinis constituere cæcos, luscos, lippos, surdos, mutos, claudos, [c] deformes, distortos, tineosos, leprosos, paralyticos, epilepticos, & aliis diversis generibus vitiosos, atque aliquando etiam nimia fœditate & membrorum B horribili novitate monstruosos. Quid dicam de vitiis animorum, quibus sunt quidam naturâ libidinosi, quidam iracundi, quidam meticulosi, quidam obliviosi, quidam tardicordes, quidam excordes atque ita fatui, ut malit homo cum quibusdam pecoribus, quàm cum talibus hominibus vivere? Adde gemitus parientium, fletusque nascentium, cruciatus dolentium, languentium labores, tormenta multa morientium, C & pericula multò plura viventium. Hæc omnia, atque alia talia, sive pejora, quæ verbis congruis saltem breviter commemorare quis sufficit? secundùm errorem vestrum, sed planè contra pudorem vestrum, aut fronte improbissimâ, aut manu fronti oppositâ, in Dei paradiso cogimini collocare, & dicere futura & ibi hæc fuisse, etiamsi nemo peccasset. Dicite, dicite: cur enim revereamini dehonestare tot ac tantis vitiis & calamitatibus locum, quem nefario dogmate D à vobis facitis alienum? Nam si aliquando illuc intrare disponeretis, numquam illic talia poneretis. Aut si vincit pudor in cordibus vestris, & in loco tali talia constituere erubescitis, horrescitis, obmutescitis, & tamen errori vestro, quo non creditis humanam naturam primi hominis prævaricatione vitiatam pertinaciter adhærescitis; respondete Manichæis unde sint ista, ne illi ea de commixtione alienæ malæque naturæ esse concludant. A nobis enim cùm hoc E requiritur, respondemus non hæc esse de permixtione alienæ, sed de nostræ prævaricatione naturæ, per eum qui in paradiso dejectus, & de paradiso ejectus est, ne in loco beatitudinis maneret natura damnata, & vitia vel supplicia, quæ posteros ejus meritò fuerant sequutura, in eo loco essent, ubi nulla esse sinuntur mala. Vos autem dum negatis ista vel deformia vel ærumnosa de meritis vitiatæ nostræ naturæ venire, commixtionem permittitis alienæ; atque ita mi- F seri & Manichæos adjuvare cogimini, & mala illa in paradisum revocat error vester, unde illa abstulerat pudor vester.

XVII.

Peccatum quid secundùm Julianum.

JUL. *At contrà vide quàm adversùs te & Manichæum, cujus te semper ruina convolvit, verus sit nobis conflictus, & de eo celer triumphus. Omnia illa, quæ in vituperationem divini operis evomuit, primæ statim definitionis aratro circumscribimus; cogimusque ut explicet, quid putet esse peccatum, quod G claret nihil esse aliud, quàm voluntatem appetentem quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Quo constituto, omnes illi obloquutionum rubi, qui concretionem corporum pupugerant, radicitus, & ut ille * ait, eradicitus monstrantur evulsi. Iam verò affectus timoris & sensus doloris, per quos in naufragia*

* Cicero 5. de finibus.

[a] Vetus codex Clar. *præceptione.*
[b] Codex Port. *optimo.*

[c] Sequentia sex vocabula huc revocamus ex MSS.

hominum

*hominum cieri tempestatem putavit, non solùm nullius mali coactores, sed cùm repagulum bonæ voluntatis nacti sunt, adjutores & * pervectores justitiæ perdocentur. Quis enim formidaret judicium, nisi timoris admonitu? Quis pœnitentiæ gemitibus juvaretur, nisi doloris & internæ ægritudinis expiatu? Quid postremò severitas judicantis valeret, nisi voluntaria peccata illati cruciatûs ærumna puniret? Quorum omnium testimonio apparet, nihil aliud esse peccatum, quàm voluntatem liberam despicientem præcepta justitiæ: aliterque non stare justitiam, quàm si illud imputet in peccatum, cujus noverit fuisse liberam cautionem: ac per hoc nullà lege, ea quæ naturalia sunt, in culpam posse reputari; nec quemquam suscipere crimen, quod non ipse commiserit, cùm vitare possit. Quà potentià Manichæus & Traducianus consumitur, qui effossis totius intelligentiæ oculis, rem voluntatis conatur seminibus admovere.*

* F. provectores.

AUG. His tuis erroribus jam sæpe respondimus: unde qui ea legunt, & memoriæ commendant, non ubique desiderant responsionem meam, ubicumque tu repetis verbositatem tuam. Sed ne quisquam queratur, ignoscentibus mihi celerioribus ingenio, etiam tardiusculis deesse non debeo. Ecce & hîc tibi respondeo de peccati definitione, qua te multùm adjuvari putas. Illud quod peccatum ita est, ut non sit etiam pœna peccati, definitio ista determinat, qua dicitur, Peccatum est voluntas appetens quod justitia vetat, & unde est liberum abstinere. Quod maximè ad illum pertinet, ex cujus peccato illo magno posteris ejus est exorta miseria per grave jugum à die exitûs de ventre matris eorum, & per corpus corruptibile quod aggravat animam. Ille quippe lege brevissima accepta sciebat quid vetaret justitia; & [a] inde illi utique liberum fuerat abstinere, nondum adversùs ejus spiritum carne concupiscente, propter quod malum etiam fidelibus dictum est, Ut non ea quæ vultis faciatis. Cæcitas igitur cordis, qua nescitur quid justitia vetet, & violentia concupiscentiæ, qua vincitur etiam qui scit unde debeat abstinere, non tantùm peccata, sed pœnæ sunt etiam peccatorum. Et ideo non includuntur illâ definitione peccati, qua non definitum est nisi peccatum solum, non quod est & pœna peccati. Cùm enim quis ignorat quid facere debeat, & ideo facit quod facere non debeat; non ei fuit liberum abstinere, unde abstinendum esse non noverat. Itemque ille qui, ut dicitis, non origine, sed consuetudine premitur, ut exclamet, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago; quomodo ei liberum est abstinere ab eo malo, quod non vult & facit, odit & agit? His autem pœnis carere si esset in hominum potestate, non Deus rogaretur, & contra cæcitatem, ubi ei dicitur, Illumina oculos meos; & contra iniquam cupiditatem, ubi ei dicitur, Non dominetur mihi omnis iniquitas. Porrò si etiam peccata ideo ista non essent, quia non ab eis liberum est abstinere, non diceretur, Delicta juventutis meæ & ignorantiæ meæ ne memineris. Non diceretur, Signasti peccata mea in sacculo, & adnotasti si quid invitus admisi.

Gal. 5. 17.

Psal. 118.

Illa ergo definitione peccati, quale commisit Adam, qui sciebat quid vetaret justitia, & non inde abstinuit unde illi liberum fuerat abstinere, vincuntur Manichæi; sed à nobis, quia hinc esse originem dicimus malorum humanorum, quibus videmus & parvulos aggravari, & propter quod etiam illud scriptum est, cùm de peccatis ageretur: Quia non est mundus à sordibus, nec infans cujus est diei unius vita super terram. Tu autem hoc negans, nostram quidem naturam, ne liberatorem misera inquirat, conaris perniciosa defensione plus premere: Manichæum verò, cùm quæritur unde sit malum, alienam Deo coæternam permittis introducere. Neque enim ille, unde naturam culpet humanam, timoris affectum & sensum doloris impingit: quæ duo tu adversùs eum putasti esse laudanda, quia scilicet *timor & dolor adjutores &* [b] *provectores justitiæ perdocentur*; dum non peccat homo timore judicii, aut peccasse se dolet aculeis pœnitendi. Non hoc à te quæritur; sed quid sit pœna timoris in parvulis, qui peccata non fugiunt; & cur tantis doloribus affligantur, qui peccata non faciunt. Tu nempe dixisti, *Quid severitas judicantis valeret, nisi voluntaria peccata illati cruciatûs ærumna puniret?* Quâ ergo justitiâ, quorum voluntaria peccata nulla sunt propria, illati cruciatûs ærumnâ parvuli puniuntur? In his certè apparet vana & inepta esse tua præconia, quibus timorem doloremque laudasti. Gravia sunt quippe ista supplicia, quæ non paterentur ab exortu recentes & novæ imagines Dei sub justissimo judicio & omnipotentia Dei, si meritum non traherent originalis veterisque peccati. Denique in paradiso, si nemo peccasset, & provenisset conjugatorum ex illa veraci Dei benedictione fecunditas, absit ut quisquam ibi vel magnorum vel pusillorum pateretur ista tormenta. Non solùm enim dolor, quod valde manifestum est; sed etiam timor, divinâ scripturâ testante, tormentum habet: absit ergo ut in loco illius felicitatis essent ulla tormenta. Proinde in ætate qualibet, nemine terrente quid timerent? nemine lædente quid dolerent? In hoc autem præsenti sæculo maligno, quod ut nostris miseriis perageretur, de paradiso deliciarum projecti sumus, in his etiam quibus peccata dimissa sunt, timorum & dolorum ærumna permanet, ut nostra de sæculo futuro fides, ubi nulla erunt ista, non solùm in nostris, verùm etiam in nostrorum parvulorum ærumnis probetur: quia non eos ideo regenerari volumus, ut non patiantur hæc mala; sed ut in regnum, in quo talia non erunt, pervehantur. Hanc fidem veram atque catholicam tibi respuenti, & vano buccarum strepitu refutare conanti, cùm Manichæus ingesserit quæstionem unde mala sint parvulorum, omnis tua loquacitas obmutescet: quoniam neganti originale peccatum, mox ille collidet frontem tuam, & mali naturam introducet alienam. Non autem timet catholica fides, quod tibi videtur, *rem voluntatis non posse seminibus admoveri*; cùm audiat dicentem Deum, reddi peccata patrum in tertiam & quartam progeniem filiorum. Utique res voluntatis, qua peccant patres, seminibus admovetur, quando in filios vindicatur: & pater Abraham, ut decimaretur à Melchisedech, voluntate illi sacerdoti decimas dedit; & tamen etiam filios

Mala & cruciatus quibus & ipsi parvuli gravantur, ostendunt originale peccatum.

Iob 14. 4. sec. LXX.

1. Iohan. 4. 18.

Exodi 20. 5. & 34. 7.

[a] Editi, & unde. Meliùs MS. Mar. & inde.

[b] Vetus cod. Mar. pervectores: ut suprà in Juliani sermone.

Hebr. 7. 10. ejus, quia in lumbis erant ejus, tunc esse decimatos sacra scriptura testatur; quod profectò non fieret, si non posset res voluntatis admoveri seminibus.

XVIII. Jul. *Sed proh Dei nostri atque hominum fidem! Hæccine potuisse commentorum prodigia reperiri, ut deditâ operâ impensoque studio in perversum conentur omnia asserere! Quid enim tam prodigiale, quàm quod Pœnus eloquitur? Ea, inquit, quæ erant naturalia, perpetua non fuerunt; & illa, quæ studio suscepta sunt, primis coagulis adhæsere membrorum. Bonus, inquit, Adam factus est, habuit innocentiam naturalem; ceteris etiam creaturis peculiari nobilitate prælatus, similitudine sui Conditoris enituit. Liberum arbitrium in conditione suscepit, ut in quam vellet partem suopte judicio moveretur, facultatemque vel ad bonum vel ad malum accedendi, vel ab utroque recedendi, ipsa facturæ suæ, qua ceteris antistabat, conditione sortitus est. Sed quoniam emancipato judicio usurpavit pravam animi liberi voluntatem, illa omnia, quæ ingenita constabat, evertit; solumque peccatum & peccandi necessitas ei inseparabiliter adhæsit. Hoc est, quod dixi prodigiale commentum. Inaudita quippe deformitas est dicere: Bene institutum est animal, in quo amissibilia fuerunt bona etiam naturalia, cui inseparabiliter adhæserunt mala vel voluntaria.*

Aug. Cùm dicitur: *Bene institutum est animal, in quo amissibilia fuerunt bona etiam naturalia, cui inseparabiliter adhæserunt mala voluntaria; prodigiale* putas *esse commentum*: & hæc à nobis dici, tam vehementer & acriter commoveris, ut exclames in Dei atque hominum fidem, tamquam vim patiaris quia ista dicuntur. Sed quæso terribiles impetus pone, [a] & quietior adtende quid dicam. Si quisquam voluntate se excæcet, nonne amittet naturale bonum, id est, visum, & ei malum voluntarium, id est, cæcitas inseparabiliter adhærebit? Numquid ideo malè est animal institutum, cui fuit amissibile naturale bonum, & inseparabile voluntarium malum? Cur ergo non potiùs ego exclamem, Proh Dei nostri atque hominum fidem! Hæccine tam manifesta & ante oculos constituta ab homine non videri, qui valde acutus, & eruditus, & philosophaster, & dialecticus vult videri? Quis enim quodlibet membrum si voluntate sibi amputat, non amittit naturale incolumitatis bonum, & sumit inseparabile detruncationis malum? Sed forsitan dicas, in bonis corporis posse ista contingere, non in animi. Cur ergo quando dixisti *naturalia bona, vel voluntaria mala*, non addidisti animi, ne de corporis bonis & malis tua destrueretur præceps & inconsiderata sententia? An fortassis oblitus es? Sinamus; humanum est: sed in medium procedit homo ille qui clamat,
Rom. 7. 15. Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago: & ostendit tibi nonnulla bona animi sic perire per voluntatem malam, ut non possint redire per bonam, nisi Deus faciat quod non potest homo, [b] cui & lumina potest reddere voluntate cæcata, & membra voluntate truncata. Deinde quid de ipso diabolo responsurus es, qui bonam voluntatem irreparabiliter perdidit? An eam reparari posse dicturus es? [c] Aude, si potes. An potiùs confiteberis, quòd in mentem tibi etiam ista non venerint, & horum oblivio te fecerit temerariam præcipitare sententiam? Me ergo saltem commemorante, te corrige. An pertinacia corrigere non permittit, quod inconsulta temeritas dixit, & pudor emendationis lapsum confirmat erroris? Deus, ut video, pro te rogandus est: quem rogabat Apostolus pro Israëlitis, ut sanaret eos, qui ignorantes Dei justitiam, & suam justitiam volentes constituere, justitiæ Dei subjecti non erant. Rom. 10. 1. & 3.

Tales enim estis & vos, qui justitiam vestram vultis constituere, quam vobis vos facitis ex vestro libero arbitrio; non ex Deo poscitis & sumitis veram, quæ dicta est justitia Dei; non illa qua justus est Deus, sed, quæ datur ex Deo; sicut Domini est salus, non qua Dominus salvus fit, sed qua salvos facit. Unde dicit idem Apostolus: Ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed eam, quæ est ex fide, justitiam ex Deo. Ipsa est justitia Dei, quam nesciebant Israëlitæ, & suam volebant constituere, quæ ex lege est: quam Paulus destruens, non legem utique destruebat, sed eorum superbiam, qui legem sibi sufficere putabant, tamquam per liberum arbitrium justitiam legis implentes; & ignorabant Dei justitiam, quæ datur ex Deo, ut quod lex jubet, subveniente illo fiat, cujus sapientia legem & misericordiam in lingua portat: legem, quia jubet; misericordiam, quia juvat, ut fiat quod jubet. Hanc Dei justitiam concupisce, ô fili Juliane, noli in tua virtute confidere: hanc, inquam, Dei concupisce justitiam; quam donet tibi Dominus concupiscere, donet tibi Dominus & habere. Noli istum Pœnum monentem vel admonentem terrena inflatus propagine spernere. Non enim quia te Apulia genuit, ideo Pœnos vincendos existimes gente, quos non potes mente. Pœnas potiùs fuge, non Pœnos: nam disputatores Pœnos non potes fugere, quamdiu te delectat in tua virtute confidere; & beatus enim Cyprianus Pœnus fuit, qui dixit, In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.

(Justitia hominis vera, non quæ ex libero arbitrio, sed quæ ex Deo. — Psal. 3. 8. — Philip. 3. 9. — Prov. 3. 16. sec. LXX. — Psal. 48. 6. — Julianus in Apulia genitus. — Cypr. lib. 3. ad Quirin. c. 4.)

XIX. Jul. *Hìc dicat aliquis, Quid ergo, tu negas illam innocentiam, in qua fuerat conditus, spontanei peccati admissione corruptam? Nam etsi possibilitas revertendi ad bonum commissâ iniquitate non pereat; tamen certum est meritum innocentiæ, cum qua humanum procedit exordium, voluntatis vitio deperire. At ego ita id esse non abnuo: sed illud est, quod his illuminatum exemplis volo, quia cùm talis sit conditio facta qualitatum, per quas boni & mali dicimur, ut sub jure agitent voluntatis; tamque hoc sit seriò constitutum, ut nec innocentia, quæ pro dignitate auctoris officium antevenit voluntatis & naturalis est, tamen nullâ se potestate in animo repugnante custodiat, longè longéque ampliùs hoc in mali parte jus valeat, ut nullam in rationis exitium tyrannidem capessat culpa voluntate suscepta. Et si bona qualitas, cum qua factus est homo, immutabilis non fuit: (falsò enim diceretur liber homo, si motus proprios variare non posset:) multo magis qualitas mala fieri non potuit, ut immutabilis &* [d] *rationalis; ne illa ratio libertatis præjudicium à mali*

[a] Ex MSS. restituitur, *& quietior adtende quid dicam.*
[b] In MS. Mar. *qui.*

[c] Editi, *Audi.* Emendantur ex MSS.
[d] Vetus cod. Port. *& naturalis*, fortè legend. *esset &.*

parte sentiret, quod propter statum suum nec à boni portione pertulerat.

Aug. Ecce tu quoque invenisti, & quamvis seriùs, tamen aliquando tibi venit in mentem, unde tua temeraria sententia destruatur: dixisti quippe, *naturale bonum*, quod est *innocentia, posse voluntatis vitio deperire*: ac per hoc tam magnum bonum, quod ita pertinet ad naturam, non corporis, sed ipsius animi, ut cum ipso bono Deus hominem fecerit, amissibile esse monstrasti: quod si antè tibi venisset in mentem, non putares prodigialiter & nimiùm deformiter dici, *Bene institutum est animal, in quo amissibilia fuerunt bona etiam naturalia*: amissibilia enim tu putasti esse, sed voluntaria, vel bona, vel mala; naturalia verò soles inamissibilia prædicare. Tu enim & alibi dicis, quia *naturalia ab initio substantiæ usque ad terminum illius perseverant*: ad hoc ut liberum arbitrium, quod homini Deus, cùm eum crearet, dedit, amitti non posse contendas; præcipuè asserens naturalia bona voluntariis malis perire non posse. Et ideo dicitis, quòd in perversum omnia conemur asserere, tamquam dicamus non posse amitti voluntaria mala, posse autem naturalia bona: quod nos quidem non dicimus; utraque enim dicimus amitti posse; sed mala quæ invehuntur per voluntatem liberam, per divinam indulgentiam posse amitti, vel per humanam voluntatem, sed à Deo liberatam, & à Domino præparatam. Verùm tu qui dicis, amitti posse per voluntatem malam, sed voluntaria bona, non naturalia, ecce invenisti, atque ipse dixisti innocentiam, quod est naturale bonum, amitti posse per voluntarium malum. Et innocentia, si bene adtendas, majus bonum est, quàm liberum arbitrium: quia innocentia res bonorum est, liberum verò arbitrium & bonorum est, & malorum.

Suprà lib. 1. n. 76.

Utrùm autem mala voluntate sic pereat innocentia, ut possit bona voluntate reparari, non contemtibilis quæstio est. Sicut enim si voluntate amputentur corporis membra, non restituuntur itidem voluntate; ita videndum est, an in re quidem dissimili, id est, in animo, tale aliquid de innocentiæ perditione contingat, & voluntario motu perire possit, redire non possit. Nam & sacra virginitas, si per impudicam pereat voluntatem, ad pudicitiam rediri potest, ad virginitatem non potest. Sed adhuc respondetur, & integritatem virginitatis in corpore, non utique animi esse, sed corporis: cùm verò de innocentia disputatur, * & tamen considerandum est, utrùm ad justitiam voluntate redeat qui peccaverit, non ad innocentiam; sicut illa ad pudicitiam, non ad virginitatem redit. Nam sicut injustitia justitiæ; ita innocentiæ velut ejus contrarium, non injustitia, sed reatus opponitur, qui hominis voluntate non tollitur, etsi ejus voluntate sit factus. Non enim verum videt, qui putat reatum sibi ipsi tollere pænitentem; quamquam & ipsam pænitentiam Deus det, quod Apostolus confirmat dicens, Ne fortè illis Deus det pænitentiam: sed reatum apertissimè Deus tollit, homini dando indulgentiam; non sibi ipse homo, agendo pænitentiam. Debemus quippe illum recolere, qui locum pænitentiæ non invenit, quamvis cum lacrymis quæsierit eam. Ac per hoc & pænitentiam egit, & reus remansit; quia veniam non accepit: & illi qui dicent inter se, pænitentiam agentes, & per angustiam spiritûs gementes, Quid nobis profuit superbia? &c. rei utique in æternum, non acceptâ veniâ, permanebunt: sicut etiam ille de quo Dominus ait, Non remittetur ei, sed reus erit æterni peccati. Ecce inventa est innocentia magnum hominis bonum, atque ita naturale, ut cum illa sit conditus primus homo, & sicut vos dicitis, cum illa nascitur omnis homo, quæ tamen hominis voluntate perdi potest, non potest reddi: & reatus magnum malum innocentiæque contrarium, quod tamen potestas hominis, cùm sit voluntarium, possit inferre, nec possit auferre. Videsne quemadmodum generalis tua regula illa frangatur, qua putabas naturale bonum, nos voluntate non perdere; quando inventum est quod non solùm pereat, sed nec redeat voluntate, dumtaxat humana? Deus autem potest hominem reatu ablato ad innocentiam revocare. Cur ergo non credis libertatem bene agendi voluntate humana perire potuisse, nec redire posse, nisi divina voluntate; cùm audias hominem dicentem, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago; & post verba talia clamantem, Quis me liberabit? ac subjicientem, Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum? *Sed falsò*, inquis, *diceretur liber homo, si motus proprios variare non posset.* Nec te vides ipsi Deo tollere libertatem, & nobis, quando cum illo in regno ejus immortales vivere cœperimus, nec motus nostros, nunc in bonum, nunc in malum nobis erit possibile variare; & tamen tunc feliciùs liberi erimus, quando non poterimus servire peccato, sicut nec ipse Deus: sed nos ipsius gratiâ, ille verò suâ naturâ.

Sap. 5. 3. / Marci 3. 29. / Libertas bene agendi perdita non redit nisi per gratiam. / Rom. 7. 15. / Ibid. 24. & 25.

XX. Jul. *Deinde quis parasitus ita militis gloriosi vires assentationibus extulit, ut Traducianus diaboli? Quod de ponderibus* [a] *affectuum agnosci licet. Fecit si quidem Deus hominem, materiam ipsam limi venerabili dignatione contrectans, quæ in formam hominis auctoris sui manum subacta sequeretur. Steterat jam absolutum, ceterùm pallens frigensque simulacrum, spiritum quo niteret & vigeret opperiens. Tunc augustissimo auctoris afflatu creatus & inspiratus animus, viscera impleta commovit: tunc omnes sensus in apparatum propriorum munerum suscitati sunt. Dedit habitator ingressus visceribus * colorem, sanguini calorem, membris vigorem, cuti nitorem. Vide quod negotium in formando & animando homine pietas divina suscepit. Verùm nec perfectum eum reliquit familiaritas Conditoris: transfertur ad amœniorem locum, & quem clementer fecerat, munificè locupletat. Nec hoc tamen præstitisse contentus, illustrat eum impertitione colloquii: dat ei præceptum, ut libertatem suam intelligens videret sibi suppetere per quod fieret amicitior Conditori: quod præceptum non in multa distenditur, ne quid oneris de multiplicata lege sentiret; sed interdictu unius pomuli, testimonium devotionis expetitur. Postea quoque ut haberet consortem, per quam pater fieret, denuo illius manus, qua conditus erat, nobilitatur adtactu; divino quoque subinde colloquio fovetur atque honoratur. Hæc ergo à Deo præstita tam longa, tam*

* f. visceribus calorem, sanguini colorem.

[a] Vetus cod. Mar. *effectuum*.

multa, tam grandia, instituta, munera, præcepta, colloquia, nullam fecerunt homini boni necessitatem: at è regione diabolus non minùs timidè, quàm callidè, exigua cum muliere verba commiscuit; & tantum virium habuisse dicuntur, ut continuò in conditionem naturalium verterentur; immo ingenita cuncta subruerent, facerent perpetuam mali necessitatem, & dominum ac possessorem imagini Dei diabolum imponerent. Quid ergo fortius, quid excellentius, quid magnificentius adversaria potestate, si tantum levi confabulatione fecit, quantum Deus nec operibus suis potuit, nec muneribus obtinere? Manifestum est itaque, in ejus vos parte consistere, cujus tam immodicè potentiam prædicatis; nec in cultum Dei nostri ullum habere consortium, quem nos ut æquissimum, ita omnipotentissimum confitemur, qui potens est, & veritas in circuitu ejus, qui humiliat sicut vulneratum superbum, id est, diabolum & Manichæum, vosque ejus assectas calumniantes naturam, ne vos sponte peccare fateamini. Ipse ergo Deus noster in virtute brachii sui disperdit inimicos suos, per quod nihil aut à vobis, aut à Manichæis afferri potuit, quod non veritatis ejus fulmine dissiliret.

Psal. 88. 9.

Pelagiani, sicut omnes hæretici, milites diaboli sunt & adjutores.

AUG. Assentatores diaboli non sumus, nec ejus potestatem, quæ Dei subjecta est potestati, adulatorio, sicut nobis conviciamini, præconio laudis extollimus. Sed utinam vos non ejus milites essetis, sicut omnes hæretici: quorum ille dogmata in quos potuerit, per vestras linguas velut tela mortifera jaculatur. Dicit Apostolus, » Gratias agentes Patri, idoneos facienti nos in » partem sortis sanctorum in lumine, qui eruit nos » de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum » Filii caritatis suæ: & vos istas gratias pro parvulis nos agere prohibetis, asserentes eos non esse sub potestate diaboli; ut quid, nisi ut inde non eruantur, ne lucra diaboli minuantur? Dicit Jesus, qui secundùm hoc nomen suum, salvum facit populum suum à peccatis eorum, Nemo intrat in domum fortis, ut vasa ejus eripiat, nisi priùs alligaverit fortem: & vos in hoc populo Christi, quem salvum facit à peccatis eorum, parvulos non esse contenditis, quos ut propriis, ita nec originalibus vultis obstrictos esse peccatis; & cùm fallaci vestro sermone minuitis vires ejus, quem dixit veritas fortem, errore vestro eum facitis ad obtinendos parvulos fortiorem. Dicit Jesus, Venit enim filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat: & vos ei respondetis, Non opus est ut parvulos quæras, quia non perierant; atque ita cùm ab eis Salvatoris inquisitionem repellitis, potestatem contra eos vulneratoris augetis. Dicit Jesus, Non est ne» cessarius sanis medicus, sed malè habentibus; » non veni vocare justos, sed peccatores: & vos ei dicitis, Non es ergo parvulis necessarius, quia nec voluntate sunt propria, nec humana origine peccatores. Cùm ergo non salvos venire salvandos vetatis ad medicum, diabolica in eis exercet pestis potentiùs principatum. Quanto ergo est tolerabilius, ut tamquam parasiti & assentatores diabolum falsis laudibus mulceatis, quàm sicut milites vel satellites eum dogmatum falsitatibus adjuvetis.

Coloss. 1. 12. — Matth. 12. 29. — Luc. 19. 10. — Marc. 2. 17.

Copioso & ornato describis eloquio, quomodo Deus ex limo formaverit hominem, flando animaverit, paradiso locupletaverit, præcepto adminiculaverit, tantamque curam, ne in aliquo eum gravaret, habuerit, ut idem præceptum non in multa distenderet, ne quid oneris homo, quem tanta benignitate condiderat, de multiplicata lege sentiret. Cur ergo nunc corpus corruptibile aggravat animam? Cur ergo grave jugum est super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum? quando quidem ipsum Adam nec lege multiplicata voluit aggravare. Nempe cernitis, quòd si in paradiso nemo peccasset, ita fecunditas conjugum genere humano locum illum tantæ felicitatis impleret, ut nec animam corruptibile corpus gravaret, nec jugum grave natos homines premeret, nec labor & dolor miserandos parvulos erudiret. Unde ergo ista sunt, quæ utique non sunt de nescio qua malâ, quam Manichæus fingit, aut credit, à nobis alienâ, nobisque permixtâ, nisi de nostrâ vitiatâ primi hominis transgressione naturâ?

Sap. 9. 15. — Eccli. 40. 1. — Mala hujus vitæ nonnisi ex peccato.

Sed miraris homo acutus ac prudens, & non existimas esse credendum, quòd diaboli exigua verba cum muliere commixta tantum virium habuisse dicuntur, ut naturalia cuncta bona perverterent: quasi hoc loquentis verba fecerint, non consensus audientis. Non enim, ut dicis, pauca verba serpentis in conditionem versa sunt naturalium: sed hominis voluntas perdidit bonum, quod reddi non posset hominis voluntate, sed Dei, quando reddendum & quibus reddendum, justissimus, potentissimus, & misericordissimus [a] judicabit: quemadmodum in corpore, sicut jam diximus, voluntate hominis potest ejus visus auferri; quod si fit, sequitur cæcitas, quam necessitas ferat, voluntas non auferat; & in animo potest hominis voluntas innocentiam ejus perdere, & non potest reddere. Illud potiùs intuere, quòd mala cum quibus nascuntur homines, quæ congenerari hominibus in paradisi felicitate non possent, profectò nisi de paradiso exisset natura vitiata, nunc eis congenerata non essent. Ista, quæ manifesta sunt, adspice. Non enim mortalium mala à die exitûs de ventre matris filiorum Adam, in obscuro conjicimus; sed in luce clarissima cernimus. Hæc quia non sunt ex malæ alienæ commixtione naturæ; procul dubio ex depravatione nostræ sunt. Nec tibi videatur indignum, quòd subjecta est diabolo imago Dei: hoc enim non fieret, nisi judicio Dei: nec removetur ista damnatio, nisi gratiâ Dei. Qui enim naturæ excellentiâ, ut imago Dei esset, ad similitudinem Dei factus est, non est mirandum, quia naturæ depravatione, vanitati similis factus est, unde dies ejus velut umbra prætereunt. Tu dic, cur innumerabiles imagines Dei in parvula ætate nulla peccata facientes, non admittantur ad regnum Dei, si non renascantur. Habent enim aliquid unde mereantur jacere sub diabolo, propter quod non merentur regnare sub Deo; cujus si lumini cohæreres, non tantâ arrogantiâ verba tua fulmini comparares.

Imago Dei non diabolo subjicetur, nisi judicio Dei. — Psal. 143. 4.

JUL. *Liquet igitur absolutissimè, nullo Augustinum à præceptore suo differre, sed disputationibus ejus non minùs Adæ, quàm ceterorum naturam pessi-*

[a] Vetus cod. Port. *judicabat.*

mam definiri. Denique ut adhuc aliquid cum eodem A *de his, quæ egimus, disseramus: apparet te etiam primi peccati non idem genus, quod aliarum putare culparum. Nam cùm dicis flagitia temporum sequutorum in naturam transire non posse, verbi gratiâ, ut de peculatore, de parricida, de incesto orti filii generantum peccatis nascantur obnoxii; nec ullum crimen esse, quod seminibus misceatur, præter illud unum; apertissimè ostendis, illam inobedientiam non te ejusdem generis arbitrari, cujus etiam ceteræ sunt. Vide ergo, interrogatio nostra quantæ sit brevitatis* B *& lucis. Si peccatum, quod Adam commisit, voluntate susceptum est, & potuit fieri naturale; cur non hæc quæ fiunt quotidie peccata, quæ voluntas criminosa committit, in deformitatem & præjudicia seminum congeruntur? Quòd si ista non minùs atrocia, quàm plura, ingenerari nequeunt; qua lege, qua conditione, quo privilegio illud solum vindicatur ingenitum? Si unius generis peccata sunt, quæ novimus, quæ lex arguit, quæ æquitas punit, & illud primi hominis, quod voluntate commissum & æqui-* C *tate punitum est; cur non aut ista ex illo intelligimus, aut illud ex istis? Aut si mutuo sibi testimonio esse non possunt, quâ impudentiâ denegatur illa prævaricatio alterius conditionis fuisse, id est, non de voluntate, sed naturali tabe prolata?*

Postremò aude cum assertione traducis definire quodcumque peccatum; non dico illud primum, sed interim vel de his quæ nunc fiunt, verbi gratiâ, sacrilegium, flagitium, vel malum quodpiam facinus; id est, hæc peccata quam definitionem habeant, ex- D *plicato. Dices sine dubio, Voluntas est appetens quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Quia si voluntas mala non esset, peccatum esse non posset. Ad hoc quàm rationabiliter assurgamus intende. O hebetudinem, ò impudentiam non ferendam! Definis non esse peccatum nisi voluntatem liberam, & à justitia prohibitam; cùm mali naturalis opinio præscribat esse peccatum, cum quo nascitur homo, non voluntarium. Non est ergo verum, culpam non esse, nisi quæ sponte committitur; quia est crimen, & ma-* E *ximum, quod non sponte, sed nascendo suscipitur. Remitte igitur definitionem peccati, quæ catholicis amica ad vos nec hospitii jure deflectit; atque eà remissâ, proba te non esse illorum commilitonem, qui ipsam substantiam invidiâ pravitatis oppugnant. Et ut quod egimus colligatur: aut nullum docebitur voluntarium, si est aliquod naturale peccatum; aut nullum erit naturale, si omne peccatum voluntarium definitur: conficiturque ex his, ut aut neges nasci posse peccatum, & transeas in catholicorum fidem;* F *aut si perstiteris non aliquod, sed maximum crimen sine voluntate suscipi per naturam, reddas nomen tuum etiam Manichæo, cui totum præstas obsequium.*

AUG. Magnam te mihi putas invidiam comparare, cùm dicis, nihil me à meo præceptore differre: at ego in laudem meam tua sumo convicia; nec quod cogitas, sed quod verbis sonas, revocans ad fidem meam, sicut me intelligere oportet, intelligo. Verum enim dicis, & nescis; G sicut Caiphas pontifex persequutor Christi, scelera cogitabat, & salubria nesciens verba dicebat. Gaudeo prorsus, in hac quæ inter nos vertitur quæstione, me nihil à meo præceptore differre; primò quia ipse Dominus docuit me, mortuos esse parvulos, nisi ipse eos vivificet, qui pro omnibus mortuus est: quod exponens Apostolus dicit, Ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est. Et tu contradicis, negans parvulos mortuos, ne vivificentur in Christo, cùm fatearis mortuum etiam pro parvulis Christum. Hoc me docet etiam Johannes omnium præceptoris Apostolus, qui dicit, Ideo venisse Filium Dei, ut solvat opera diaboli: quæ vos negatis in parvulis solvi, quasi propter illos non venerit, qui ideo venit ut solvat opera diaboli. Præceptores etiam meos negare non debeo, qui me ad hoc intelligendum suo litterario labore juverunt. Meus præceptor est Cyprianus, qui dicit, Infantem secundùm Adam carnaliter « natum, contagium mortis antiquæ prima nati- « vitate traxisse, & hoc ipso ad remissionem pec- « catorum accipiendam faciliùs accedere, quòd ei « remittuntur non propria, sed aliena peccata. Meus est præceptor Ambrosius, cujus non solùm libros legi, sed verba etiam loquentis audivi, & per eum lavacrum regenerationis accepi. Longè sum quidem impar meritis ejus: sed confiteor & profiteor me in hac causâ nihil ab hoc meo præceptore differre. Cui absit ut audeas præferre Pelagium præceptorem tuum: quem tamen ego contra te de Ambrosio teneo testem meum. Pelagius enim dixit, quòd ejus fidem & purissimum in Scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere. Quem sic tu audes reprehendere, ut quod ait discordiam carnis per prævaricationem primi hominis in nostram vertisse naturam, & quidquid aliud de vitiata per Adam natura humana sensit & dixit, Manichæi affirmes esse commentum. Sanè testimonium præceptoris tui in hoc tanto viro ex parte custodis, quòd eum non audes apertè reprehendere: sed cùm mihi nominatim conviciaris linguâ maledicâ & fronte protervâ, profectò & illum & alios, qui eadem senserunt atque dixerunt, Ecclesiæ catholicæ magnos clarosque doctores tantò nequiùs, quantò obliquiùs criminaris. Ego itaque adversùs te & meam defendo & illorum fidem, quos palàm times habere inimicos, & [a] invitus pateris judices.

2. Cor. 5. 14. & 15.

1. Iohan. 3. 8.

Epist. 64. ad Fidum.

Pelag. lib. 3. de libero arbitr.

Ambros. lib. 7. in Luc. 12.

Absit autem, ut apud tales judices valeant aliquid argumentationes tuæ, in quibus peccato illi magno, hoc est, prævaricationi primi hominis, peccata consequentium temporum comparas, & putas si scelere primi hominis natura generis humani [b] mutata est, etiam nunc parentum scelera naturam debuisse mutare filiorum. Hæc enim dicens non respicis peccatores illos, postea quàm peccatum illud grande fecerunt, & de paradiso esse dimissos, & à ligno vitæ tanta severitate prohibitos. Numquid scelerati temporum istorum in aliquas inferiores terras projiciuntur de hoc orbe terrarum, cùm hîc ipsa scelera quamlibet magna commiserint? Numquid à ligno vitæ, quod in hac miseria nullum est, prohibentur? Sed persistit generis humani locus & vita, in quibus & homines impiissimi vivunt: cùm videamus illorum impiorum locum & vitam, sicut erat ante peccatum, post peccatum non potuisse consistere. Debuerunt autem, secundùm opinionem vestram, parvuli nullo reatu

Peccata consequentium temporum non rectè comparari Adæ peccato.

[a] Editi, *invictus*. Castigantur ex MS.

[b] Vetus cod. Mat. *vitiata est*.

obligati, mox ut nascuntur, tamquam [a] inno-
centes imagines Dei perferri ab Angelis in pa-
radisum Dei, & illic sine ullo labore & dolore
nutriri, ut si quis eorum peccasset, ipse inde
meritò projiceretur, ne crescerent imitatione
peccata. Nunc verò cùm solus audierit qui in
Gen. 3. 18. &c. paradisi felicitate peccavit, Spinas & tribulos
» terra pariet tibi, maledicta in omnibus operibus
» tuis, & in sudore vultûs tui edes panem tuum:
nullum hominum videmus à pœna laboris alie-
num; qui utique labor beatos habitatores para-
disi non erat gravaturus. Et cùm sola mulier
ejus audierit, In tristitiâ paries filios: nullam pa-
rientium ab hoc supplicio scimus immunem.
Numquid ergo ita estis absurdi, ut aut in para-
diso existimetis homines istas ærumnas fuisse pas-
suros, si nemo peccasset, quas manifestissimum
est, Deum non nisi prævaricatoribus illis tunc
hominibus intulisse; aut nunc eas negetis eorum
posteros perpeti paradisi exsules, & ubique ter-
rarum tot & tantas miserias perferentes; aut
dicturi estis, quanto magis quisque est peccator
& impius, tanto magis ejus agros parere spinas
& tribulos, & tanto magis eum sudare laboribus;
& quanto est quæque mulier iniquior, tanto eam
parientem dolores perpeti graviores? Sicut ergo
pœnæ humanarum miseriarum, quas communi-
ter perferunt filii Adam à die exitûs de ventre
matris eorum, ideo sunt omnium, quia paren-
tes communes sunt omnium, de quorum præva-
ricatione ista venerunt: ita ipsorum duorum
prævaricatio tam magnum peccatum debet in-
telligi, ut posset omnium ex viro & muliere
nascentium in deterius mutare naturam, & com-
muni reatu tamquam hereditarii debiti obligare
chirographum.

Non talem esse conditionem cōsequentium delictorū, qualis fuit delicti primi in paradiso commissi.

Quisquis ergo dicit talem conditionem quo-
rumlibet delictorum, quæ nunc committuntur,
esse debuisse, qualis fuit conditio delicti illius,
quod in illius vitæ tanta felicitate, & tanta non
peccandi facilitate commissum est; etiam ipsas
duas vitas debet æquare, eam scilicet quæ nunc
agitur, & eam quæ in illis sanctis & beatis deli-
ciis agebatur. Quod si esse stolidissimum cernis;
desine de peccatis præsentis sæculi velle præscri-
bere, ne illud magnum peccatum habeat suam
vim & suum meritum singulare. Quamquam &
in hac vita omnipotens & justus ille qui dicit,
Exodi 20. 5. Reddam peccata patrum in filios, parentum
reatu etiam posteros irretiri satis evidenter osten-
dit: & quamvis mitiore nexu, tamen heredita-
rios debitores fieri, nisi eos, sicut jam in supe-
rioribus hujus operis partibus disputavimus, à
Jer. 31. 29. vinculo illius proverbii, quod dici solet, Patres
manducaverunt uvam acerbam, & dentes filio-
rum obstupuerunt, non vestrum argumentum,
sed novum Testamentum, nec generationis na-
tura, sed gratia regenerationis absolvat.

Definitio peccati non illius quod etiam est peccati pœna.

Definitio verò illa peccati, ubi intelligitur vo-
luntas appetens quod justitia vetat, & unde
liberum est abstinere, illius peccati definitio est,
quod tantummodo peccatum est, non quod etiam
pœna peccati: quod nescio quotiens tibi jam ad
Rom. 7. 15. ista responsum est. Qui enim dicit, Non quod
volo bonum facio, sed quod nolo malum hoc

A ago; non illi ab hoc malo liberum est abstinere,
& ideo invocat liberatorem, quia perdidit liber-
tatem.

XXII.

Jul. *Tempus admonet ut ad alia transeamus:
sed in eodem loco restare aliquid indignatione compel-
lor. Tune audeas dicere Adam voluntate peccasse?
Unde tibi venit hoc somnium? Quia iniquum, in-
quis, erat, ut imputaret in peccatum Deus, nisi
à quo abstinere liberum nosset. Quid ergo? hanc
justitiam ille princeps tenebrarum quem colitis, ad*
B *momentum ei crediderat, & eam propediem reposcens
hunc Deum omni æquitate destituit, ut qui intellexe-
rat à primordio non esse imputandum in peccatum, nisi
unde liberum fuerat abstinere, per omne reliquum
tempus à cunctis nascentibus noverit abstinere liberum
non fuisse? Postremò unde tu nosti, illud tantummo-
do justum fuisse, ut in Adam nisi voluntarium crimen
non possit ulcisci; si injustum esse non nosti, imputari
cuiquam in crimen, quod fatearis sine voluntate sus-
ceptum? Aut ergo opinionem traducis justam putabis,*
C *ut Dei possit convenire sententiæ, cùm imputat pec-
catum parvulo, quod scit nulla ejus voluntate com-
missum; & cogéris illud quoque justum & Dei conve-
niens judiciis profiteri, ut Adæ imputaverit in pecca-
tum, quod noverat ab eo non voluntate, sed substan-
tiæ suæ deformitate prolatum: perque hoc ipsum nulla
erit tradux, nec depravata operantis arbitrio, sed
malè instituta ab exordio natura reprehendetur, con-
fiteberisque te esse Manichæum. Aut si resipiscens
injustum esse dixeris, ut Adam teneretur reus pro na-*
D *turæ suæ culpis; irrefutabiliter consequitur, scelestis-
simum esse, si Abel, Enoch, Noë, & omne hominum
genus obnoxium crimini originali censeatur. Quod fa-
cinus judicii si admoveas Deo tuo, solus pro omnibus
remanebit reus; apparebitque, quod semper, non
ipsum esse, quem catholici æquissimum in Trinitate
veneramur. Quòd si à Dei accusatione destiteris,
Manichææ traducis, qua hactenus confossus es, vel
redivivus dogma damnabis.*

Propaginis naturalia jura quantum in seriem generationis valeant.

Aug. Hinc est quod vehementer erratis,
E hinc estis hæretici, hinc adversùs catholicam fi-
dem, quæ evitans hæreticos, eloquia divina
sectatur, eisque munitur, novitias machinas hu-
manis & vanis argumentationibus componere au-
detis; quoniam nescitis, & quod intelligere non
potestis, credere recusatis, quid valeant in se-
riem generationis seminum [b] nexus, & in crea-
turis quas Deus alias ex aliis secundùm genus
suum nasci voluit, quanta sint & quàm sint inef-
fabilia, quámque etiam nullo penetrentur sensu,
nulla cogitatione comprehendantur naturalia ju-
F ra propaginis; unde iste sit insitus humano ge-
neri affectus, ut omnes, quantum ad ipsos adti-
net, certos filios velint habere: cui rei proficit
in feminis castis fœderis fides conjugalis; propter
quod philosophus Plato jure displicuit, quia cen-
suit permixtè utendum feminis, in ea civitate,
quam disputando velut optimam [c] format, etiam
ipse quid volens, nisi ut omnibus minoribus ma-
jores eam redderent caritatem, quam videbat
filiis ipsam debere naturam, cùm quisque cogi-
G taret esse posse filium suum, cujus eam videret
ætatem, ut ex quacumque femina ignota qua
indifferenter usus esset, suo natus semine non
immeritò crederetur. Quid illam vocem nonne

[a] Hîc auctoritate MSS. addimus, *innocentes.*
[b] Editi, *sexus.* Aptiùs MS. Port. *nexus.*

[c] Editi, *formam.* Castigantur ex MSS.

de visceribus cunctorum patrum Cicero emisit ad filium, ad quem scribens ait, Solus es omnium, à quo me in omnibus vinci velim? Nonne ipsa quæ occultissima esse diximus, & tamen plus quàm credibile est valere cognoscimus, naturalia propaginis jura fecerunt, ut duo gemini non solùm nondum gignentes, verùm etiam nondum nascentes, adhuc in utero matris, duo populi dicerentur? Eadem propaginis naturalia jura fecerunt, ut Israël dicatur servisse in Ægypto, Israël profectus esse ex Ægypto, Israël in terram promissionis intrasse, Israël adeptus bona vel expertus mala, quæ illi populo Deus vel præstitit vel inflixit. De quo etiam scriptum est, Veniet » ex Sion qui eripiat & [a] avertat impietatem à » Jacob, & hoc illis à me testamentum, cùm ab» stulero peccata eorum. Cùm ille homo, qui hæc duo nomina propria primus & solus accepit, longè antè defunctus, bona vel mala ista non viderit.

Gen. 25. 23. Deut. 24. 22. Exod. 14. 30. Isai. 59. 20.

Hæc propaginis naturalia jura fecerunt, ut idem populus decimaretur in Abraham, non ob aliud, nisi quia in lumbis ejus erat, quando decimatus est ipse propria voluntate, ille autem populus non propria voluntate, sed naturali propaginis jure. Quomodo autem idem populus fuerit in lumbis Abrahæ, non solùm ex illo usque ad tempus quod scriptum est in epistola ad Hebræos, verùm etiam ex ipso usque ad hoc tempus, & ab hoc usque in finem sæculi, quò usque filii Israël alii ex aliis generantur; quomodo ergo esse potuerit in lumbis unius hominis tam innumerabilis hominum multitudo, quis eloquendo explicet, quis saltem inveniat cogitando? Neque enim semina ipsa, quorum est quantitas corporalis, licèt singula sint exigua, ex quibus singuli quique nascuntur, si congesta essent ex quibus tot homines nati sunt atque nascuntur, & in finem usque nascentur, potuissent lumbis unius hominis contineri. Vis ergo nescio quæ invisibilis & incontrectabilis secretis naturalibus insita est, ubi jura propaginis naturalia delitescunt, propter quam vim tamen non utique mendaciter in lumbis illius patris fuisse dicuntur, quotquot ex illo uno potuerunt generationum successibus & multiplicationibus propagari. Non solùm autem ibi fuerunt, verùm etiam illo sciente & volente decimato, & ipsi sunt decimati neque scientes neque volentes, quoniam nondum exstiterant qui scire ac velle potuissent. Hoc porrò ideo dixit illius sacræ auctor epistolæ, ut sacerdotium Christi, quod figurabat sacerdos Melchisedech, qui decimavit Abraham, præponeret Levitico sacerdotio; docens etiam ipsum Levi, qui decimabat fratres suos, hoc est, decimas ab eis accipiebat, decimatum fuisse à Melchisedech in Abraham; quia & ipse in lumbis Abrahæ erat, quando decimavit eum Melchisedech, id est, ab eo decimas accepit. Ac per hoc Christum, cui dictum est, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, [b] non vult intelligi decimatum; ut Levitico sacerdotio meritò præferatur: Melchisedech enim decimavit Abraham, non decimatus est, sicut Levi in Abraham.

Hebr. 7. 9. Populus Israël in Abrahamo decimatus.

Auctor epistolæ ad Hebræos sacerdotium Christi in Melchisedech figuratum inducat, & præponit sacerdotio Levitico.

Psal. 109. 4. Hebr. 4. 6.

Si autem quæritur, quomodo Christus non fuerit decimatus, cùm etiam ipse, quod manifestum est, secundùm originem carnis fuerit in lumbis Abrahæ, quando à Melchisedech pater ille decimatus est; nihil occurrit, nisi quòd Maria quidem mater ejus, de qua carnem sumsit, de carnali concupiscentia [c] parentum nata est; non autem Christum sic ipsa concepit, quem non de virili semine, sed de Spiritu-sancto procreavit. Non ergo pertinuit ad rationem virilis seminis, per quam fuerunt in lumbis Abrahæ, quos in illo decimatos esse sacra scriptura testatur. Concupiscentia porrò carnis, per quam jactus carnalium seminum provocatur, aut nulla in Adam fuit ante peccatum, aut in illo vitiata est per peccatum. Aut enim sine illa poterant & genitalia congruenter moveri, & conjugis gremio semen infundi, si nulla tunc fuit; aut ad nutum voluntatis etiam ipsa servire, si fuit. Nunc autem si talis esset, numquam caro contra spiritum concupisceret. Aut ergo ipsa vitium est, si nulla fuit ante peccatum; aut ipsa sine dubio est vitiata peccato; & ideo ex illa trahitur originale peccatum. Fuit ergo in Mariæ corpore carnalis materia, unde carnem sumsit Christus: sed non in ea Christum carnalis concupiscentia seminavit. Unde ille natus est ex carne cum carne, in similitudine tamen carnis peccati, non sicut alii homines in carne peccati: propterea originale peccatum in aliis regeneratione dissolvit, non ipse generatione contraxit. Ideo Adam primus ille, secundus iste; quia sine carnis concupiscentia factus ille, natus est iste: sed ille tantùm homo, iste verò & Deus & homo: & ideo ille potuit non peccare, non sicut iste peccare non potuit.

Christus quomodo non fuerit decimatus in Abrahamo.

Frustra ergo peccato illius peccata filiorum ejus quamlibet magna & horrenda, vel æquare, vel etiam præferre conaris. Illius natura quanto magis sublimiter stabat, tanto magis graviter concidit. Natura illa talis fuit, ut nec mori posset, si peccare noluisset: natura illa talis fuit, ut in se discordiam carnis, & spiritûs non haberet: natura illa talis fuit, ut contra vitia sua nulla certaret; non quòd eis cedebat, sed quòd in eo nulla erant. Tunc ergo debes peccata posterorum ejus peccato ejus æquare, si talem; tunc verò & majora ea dicere, si meliorem naturam potueris invenire. Natura quippe rationalis quanto est ipsa superior, tanto ruina ejus pejor, & peccatum ejus quanto incredibilius, tanto est damnabilius. Ideo angelus irreparabiliter cecidit, quoniam cui plus datur, plus exigitur ab eo: tanto itaque plus debebat obedientiæ voluntariæ, quanto plus habebat in bonitate naturæ: unde sic punitus est non faciendo quod debuit, ut nec velle jam possit, æternis etiam cruciatibus destinatus. Adam verò in tam multis posteris suis, ut eos ullus numerare non possit, gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum à sempiterno supplicio liberatur, & in se ipso quamvis à sua morte post annorum aliquot millia, quando Christus pro nobis mortuus ad loca mortuorum, non necessitate, sed potestate descendit, & dolores solvit inferni. Sic

Peccato Adami peccata posterorum quamlibet horrenda æquari vel præferri non debet.

Luc. 12. 48.

Adamum per Christi gratiam ab inferni doloribus liberatum credit Ecclesia. *V. suprà n.* 12. *Act.* 2. 24.

[a] Sic MSS. Editi autem, *& auferat iniquitatem à Iacob, & hoc illis à me testimonium.*

[b] Duos hic versus auctoritate MSS. restituimus.

[c] Hoc etiam loco ex fide MSS. additur, *nisi:* ac in proximè sequenti versu, *parentum.*

Sap. 10. 2. enim eum intelligenda est à delicto suo eduxisse sapientia, quia per carnem sanctam unici filii [a] Dei quam progeneravit, patrem generis humani, ac sic etiam patrem Christi, qui pro salute hominum factus est homo, ab illis vinculis tunc solutum, non merito suo, sed gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non inaniter credit Ecclesia. Hoc ergo imputavit in peccatum Deus primo Adæ, unde abstinere illi liberum fuit: sed ipse primus Adam naturæ tam excellentis fuit, quoniam vitiata non fuit, ut peccatum ejus tam longè majus ceterorum peccatis esset, quàm longè melior ipse ceteris fuit: unde & pœna ejus, quæ peccatum ejus continuò subsequuta est, tam grandis apparuit, ut continuò etiam teneretur necessitate moriendi, cujus erat in potestate non mori: & de loco tantæ felicitatis foras continuò mitteretur, & à ligno vitæ continuò vetaretur. Hoc autem quando factum est, in lumbis ejus erat genus humanum. Unde secundùm illa, quæ præloquuti sumus, nimis occulta & multùm valentia naturalia jura propaginis, consequens erat, ut qui erant in lumbis ejus per concupiscentiam carnis venturi in hoc sæculum, simul damnarentur; sicut consequens erat, ut qui eo jure propaginis & ratione seminis erant in lumbis Abrahæ, simul decimarentur. Omnes itaque filii Adæ in illo adspersi sunt contagione peccati & mortis conditione devincti. Ac per hoc quamvis sint parvuli, & bonum quidquam vel malum non agant voluntate; tamen quia induti sunt illo, qui voluntate peccavit, trahunt ab illo peccati reatum, mortisque supplicium: sicut parvuli qui Christo induuntur, quamvis nihil boni fecerint sua voluntate, sumunt ab illo participationem justitiæ, & vitæ præmium sempiternæ. Ita forma futuri à contrario Christus ostenditur, propter quod ait idem Apostolus: Sicut induimus imaginem terreni, induamus & imaginem ejus qui de cælo est. (1 Cor. 15. 49.) Quæ cùm ita sint, ille dicat, peccato & morte primi Adam non indui qui nascuntur, quisquis dicere audet, justitiâ & vitâ Adam secundi non indui qui renascuntur: quamvis nec illi peccatum fecerint unde liberum est abstinere, nec isti justitiam quam liberum est facere.

XXIII. (Aug. lib. 2. de nuptiis & conc. c. 34.) Jul. Illud ergo peccatum, quod ipsum hominem in paradiso in pejus mutavit, quia multo est grandius quàm judicare nos possumus, ab omni nascente trahitur. *Quis tibi dixit, quoniam peccatum Adæ multo fuerit grandius quàm Cain? multò etiam quàm Sodomitarum? multò postremò immanius quàm tuum atque Manichæi? Certè in historia nulla istius vanitatis invenitur occasio. Jussum fuerat, ut edulio unius arboris abstineret: rudis, imperitus, incautus, sine experimento timoris, sine exemplo justitiæ, suggestu mulieris usurpavit escam, cujus illexerat & suavitas, & venustas.* [b] *Vide hìc transgressionem fuisse mandati. Admissa est prævaricatio una de ceteris, quas diversis temporibus peccantium studia perpetrarunt: non fuit amplius, quàm cùm populus Israëlis interdictis utebatur animalibus. Caussa enim peccati haud in qualitate pomi erat, sed in transgressione mandati. Quid ergo tale fecit Adam, ut peccatum ejus exstitisse supra æstimationem homi-*A *num crimineris? Nisi fortè & hoc secundùm mysteria Manichæi, qui à decerptione pomorum & omnium nascentium manus cohibet, ne partem Dei sui laceret, quam corticibus & graminibus opinatur inclusam, tu quoque Adam graviter deliquisse, quia cum esu pomi, Dei tui substantiam laceraverit, arbitraris. O furorem!* Quia multo est grandius illud peccatum, quàm judicare nos possumus, ab omni, *inquit*, nascente trahitur. *Majus ergo fuit crimen pomum edere, cùm non liceret, quàm sanctum* B *Abel parricidali livore confodere, quàm hospitum in Sodomis & sexuum jura violare, quàm filios suos jam sub lege dæmoniis immolare, quàm innocentes postremò nullius conscios voluntatis, recens opus Dei, diaboli regno subdere, meritisque conjungere, quàm Deum iniquitatis arguere, quàm honorabiles nuptias tenebrarum principi deputare, postremò parvulos, quia nascantur per generantium voluptatem, omnibus profanis, omnibus piratis pejores putare! Quod non fingo, sed colligo: tu quippe illud peccatum ita* C *universis criminibus majus grandiusque dixisti, ut nullo possit æquiparari reatu. Hujus autem tam mali magni, quod omnibus vitiis præponderat, plenos advenire parvulos asseveras. Bene itaque intelleximus, quòd quanto majoris peccati participes sunt, tanto in condemnatione scelestis omnibus præferantur.*

Aug. Propter verba mea, quæ posuisti de libro meo, velut refellenda, si posses, ubi dixi, (Lib. 2. de nupt. c. 34.) Illud ergo peccatum quod in paradiso ipsum hominem mutavit in pejus, quia multo est grandius quàm judicare nos possumus, ab omni nascente trahitur: (Peccatum Adæ grandius esse quàm judicare nos possumus.) quæris à me quis mihi dixerit, quòd peccatum Adæ multo fuerit grandius quàm Cain, multo etiam quàm Sodomitarum. Quod ego quidem non expressi verbis meis, sed ea tu sic intellexisti: ego enim dixi grandius quàm judicare nos possumus illud esse peccatum; non dixi grandius quàm Cain vel Sodomitarum. (An grandius sit quàm peccatū Cain & Sodomitarum.) Prohibiti enim pomi usurpatio, quoniam sic vindicata est, ut natura quæ potestatem non moriendi habebat, haberet moriendi necessitatem, procul dubio judicia cuncta excedit humana. Pomum quippe lege Dei vetitum manducare, leve videretur esse peccatum: sed quanti hoc æstimaverit qui non potest falli, satis apparet granditate supplicii. Cain verò fratricidæ apparet omnibus immane peccatum, & scelus esse constat horrendum: quod si, ut tu facis, pomo illicitè decerpto, per humanum comparetur examen, ridicula comparatio judicabitur; qui tamen fatricida, quamvis quandoque moriturus, nec morte punitus est, qua solent humanis judiciis talia crimina vindicari. Ait quippe illi Deus, Operaberis terram, & non adjiciet virtutem suam dare tibi, gemens & tremens eris super terram. (Gen. 4. 12.) Et cùm ille audiens terram non sibi daturam fructum secundùm laborem suum, & super eam cum gemitu & tremore miserum se futurum, magis mortis formidine quateretur, ne quis ei faceret, quod ipse fecerat fratri; posuit ei Deus signum, ne quisquam eum, cùm invenisset, occideret. Hîc rursus videtur ingens culpa, & levis pœna: sed hominum judiciis hoc videtur, qui nec mysteria ista cognoscunt, & hominum culpas tam

a Vetus codex Mar. *filii sui Dei.*

b Codex Port. *Video.*

liquido

liquido atque integro examine, quàm Deus pensare non possunt. Sodomitæ sanè igne super illam terram veniente de cælo, pœnâ suis factis congruente, sunt consumti: sed ibi erant & parvuli, te patrono, puri & liberi ab omni contagione peccati, nec tamen justus & misericors Deus tot innocentes imagines suas per Angelorum ministerium, quod ei facillimum fuit, antè rapuit de incendio Sodomorum, aut sicut tribus illis in camino viris, innoxias eis flammas, quibus parentes eorum cremabantur, omnipotens præbuit. Ista considera, ista diligenter & piè cogita; & videns in hoc sæculo pusillos cum magnis, pariter talibus miseriis subjacere, quales nullo modo possent in Dei paradiso, si nemo peccasset, exsistere; agnosce originale peccatum, & justum grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum: & noli eos tua defensione ampliùs aggravare, ægrotis vel mortuis salvatorem & vivificatorem denegans Christum.

Nam si quæris, quis mihi dixerit quàm magnum peccatum Adam perpetrarit, ipse est qui dixit & tibi: sed si habeas aures audiendi, audies eum; habebis autem eas, si non illas tuo arbitrio tribuas, sed ab illo accipias qui dixit, Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes. Quis enim, nisi qui talibus auribus caret, non audit Scripturam sine ulla obscuritate vel ambiguitate dicentem homini primo peccatori, Terra es, & in terram ibis? Ubi evidenter ostenditur, non eum fuisse vel carne moriturum, id est, in terram, unde caro ejus sumta fuerat, morte ipsius carnis iturum, nisi propter peccatum hoc audire perpetique meruisset, unde postea dixit Apostolus, Corpus quidem mortuum est propter peccatum. Quis non audiat, nisi qui tales aures non habet, dicentem Deum de ipso Adam, Ne aliquando extendat manum suam, » & sumat de ligno vitæ, & edat, & vivat in æternum; & dimisit illum Dominus de paradiso voluptatis? ubi utique sine labore & dolore ullo viveret in æternum. Voluptas quippe illa paradisi, quod necesse est fateamini, si Christianum nomen nondum estis obliti, non turpitudinis, sed beatitudinis cogitanda est. Hæc ergo pœna, quam meruit Adam, ne viveret in æternum, & ideo dimissus est de loco tantæ beatitudinis, ubi si esset, neque peccasset, procul dubio viveret in æternum, quàm magna pœna est, tam magnum debemus intelligere peccatum, quod eâ pœnâ dignum fuerat vindicari. Quid igitur agis, obsecro te, cùm peccatum Adæ tantâ extenuare conaris instantiâ, nisi Deum arguis immanis horrendæque sævitiæ, qui hoc tanta, non dico severitate, sed crudelitate punivit? Quod de Deo, si nefas est sentire, cur non quantitatem culpæ, de qua homines judicare non possunt, judicante judice incomparabiliter justo, de pœnæ granditate metiris, & tuam linguam à sacrilega loquacitate compescis?

Ego autem iniquitatis non arguo Deum, cujus dico justum jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum: sed tu potiùs iniquum facis Deum, qui putas eos hoc perpeti A sine ullo merito qualiscumque peccati. Nec propter opus quod fecit Deus, sed propter vitium quod insevit inimicus, eos sub eodem inimico esse dico, qui ex primo homine nascuntur, [a] si in secundo non renascuntur. In quibus tu Ecclesiam catholicam crimine majestatis accusas, si, ut dicis, non eruuntur de potestate tenebrarum, cùm baptizantur parvuli; & illa priùs quàm baptizentur exorcizat & exsufflat tot imagines Dei. Nec honorabiles nuptias deputo B principi tenebrarum, quas purgo ab omni noxa libidinis, si eâ bene utuntur intentione propaginis. Tu verò malum quo caro concupiscit adversùs spiritum, constituere in paradiso non perhorrescis, hoc est, in loco tantæ pacis, tantæ quietis, tantæ honestatis, tantæ felicitatis. Nec parvulos non habentes nisi originale peccatum, omnibus flagitiosis & sceleratis, ut calumniaris, judico esse pejores. Aliud est enim peccato à se commisso gravari; aliud alieni quamlibet magni C contagione respergi. Propter quod parvuli ad remissionem peccatorum, sicut ait Pœnus, pœna vestra, Cyprianus, hoc ipso faciliùs accedunt, quòd eis remittuntur non propria, sed aliena peccata. Tu autem cùm parvulos, non solùm, quod & nos dicimus, nullum ex propria voluntate fecisse, verùm etiam nullum dicis ex origine traxisse peccatum, injustum procul dubio facis Deum, quod tibi jam sæpe dictum, sæpiusque dicendum est, qui eis imposuit grave ju- D gum à die exitûs de ventre matris illorum. Sanè ut intelligas quomodo parvuli ex Adam nati, & participatione peccati illius hominis obligentur, & tamen ipsius reatui non æquentur, adtende Christum, quem legisti esse formam futuri; & vide quemadmodum parvuli in illo renati, & ejus participes justitiæ fiant, & ejus meritis non audeas eos comparare. Tu quoque in hujus operis tui libro secundo, in Adam peccati formam, quia prior peccavit Eva, non primam dixisti esse, E sed maximam; sicut in Christo justitiæ formam non primam esse, sed maximam, quia fuerunt justi & ante ipsum: quod à te dictum si oblitus non fuisses, non hîc Adæ peccatum extenuares, in quo maximam formam peccati exstitisse confessus es.

Crimen majestatis, exsufflare in parvulis imagines Dei, si non fit ut eruantur de potestate diaboli.

Cypr. epist. 64. ad Fidum.

Eccli. 40. 1.

Rom. 5. 14.

Suprà lib. 2. n. 189. & 190.

XXIV. Jul. *Sed cur tibi de inimicitiis innocentiæ commoveatur invidia, cùm petulantia & rabies oris obscœni nec divinitatis honore frænetur? Accusas* F *enim parvulos, sed cum Deo; incessis innocentiam, sed cum æquitatis injuria; inficiaris veritati, sed cum ejus criminatione quem Deum tuum fateris. Ac per hoc, etsi nos deficeremus rationis auxilio; abundè tamen tradux peccati assertorum suorum deformitate corrueret.*

Aug. Tua conviciosa loquacitas rabiem mihi objecit oris obscœni: numquid ego sum defensor laudatorque libidinis? Numquid ego ausus sum concupiscentiam carnis, qua caro concu- G piscit adversùs spiritum, paradisi etiam possessione ditare? In quem locum tanti decoris & pacis, simul introduxisti aut bellum, quo ad peccandum impellenti laudabiliter repugnatur, aut dedecus, quo turpiter ei ceditur. Cur ergo tam contumeliosè insurgis in me, nec respicis te?

[a] Ex MSS. fide adjecimus, *si in secundo non renascuntur.*

Nam ego non accuso Deum; sed tu, qui dicis A parvulos nullum ex origine trahere peccatum, quibus ille imposuit grave jugum. Nec incesso innocentiam cum æquitatis injuria: sed tu æquitati facis injuriam, qui tantam dicis habere parvulos innocentiam; quos tamen, si quod ipse sapis, verum esse sciret, gravi jugo æquitas non puniret. Nec inficior veritati, nec Deum criminor; sed tu potiùs. Verum enim dixit Apo-

Rom. 8. 10. stolus, Corpus mortuum est propter peccatum: quod tu negas. Deum verò quomodo non cri- B minaris, cui miserias, quas negare non potes,

a imputas parvulorum, [a] nullum habentium miseriâ dignum originale peccatum? Ac per hoc conclusio tua, quæ deformitatem nobis ingerit, nullius rationis sequitur veritatem.

XXV. Jul. *Verùm quid nos tam obstipè veritatis solius rationem sequendam putamus; cùm inimicorum nostrorum phalanx ipsis innitatur rerum periculis, & insurgat in nos ærumnarum* [b] *munita suffragiis? Vult quippe pudore coëuntis, dolore parientis, sudore* C *laborantis, transmissionem culparum & pœnarum in semina comprobare, ut his videlicet signis, difficilium partuum, agricolarum sudantium, & dumosorum novalium, crimen naturale credatur, cujus merito per tot incommoda genus exerceatur humanum: quod quidam per Adæ peccatum, mortale opinantur effectum. Ideo autem dixi, quidam, quia princeps eorum Augustinus hoc quidem erubuit dicere. Denique scribit ad Marcellinum*, mortalem Adam factum videri: *sed elegantiâ solitâ subdit*, mortem stipendium ini- D quitatis fuisse: *& quem fatetur mortaliter institutum secundùm naturam, mori non potuisse pronuntiat. Illæ ergo adversùs nos, quæ leguntur in Genesi, sententiæ proferri solent, quibus Adam atque Eva vexantur, de quibus disserendi jam est tempus.* Dixit,

Gen. 3. 14. &c. *inquit*, Dominus Deus serpenti, Quia fecisti hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus, & ab omnibus bestiis quæ sunt super terram; super pectus & ventrem ambulabis, & terram manducabis omnibus diebus vitæ tuæ, & inimicitias ponam E inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen ejus. Ipsa tuum [c] captabit caput, & tu illius captabis calcaneum. Mulieri verò dixit, Multiplicans multiplicabo tristitias tuas & gemitum tuum, in tristitia paries filios, & ad virum tuum conversio tua, & ipse tui dominabitur. Adæ autem dixit, Quoniam audisti vocem mulieris tuæ, & manducasti de ligno, de quo præceperam tibi de eo solo ne manducares ex eo, maledicta terra in operibus tuis; in tristitia mandu- F cabis eam omnibus diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos edet tibi, & edes fœnum agri tui: in sudore faciei tuæ edes panem tuum, donec convertaris in terram de qua sumtus es, quoniam terra es, & in terram ibis. *Has ergo sententias ad testimonium ingenitæ iniquitatis assumitis, concionaminique non fuisse in* [d] *pariendo feminas dolituras, nisi ad eas cum peccato Evæ fecunditatis illius ærumna transisset. Ipsum ergo supplicium vultis esse peccati indicium, ut quod prima feminarum meruit per* G *delictum, nulla quoque sine eadem credatur iniquitate sentire. Non enim esset, inquitis, dolor in pariente, nisi in nascente esset peccatum. His ergo quàm attonitus occurram, haud facilè metior: tantùm enim stimulorum admovit in hoc loco vestra opinio, ut vix digner ad certationem moveri; plura quippe in his objectionibus intelligentiæ sunt peccata, quàm syllabæ.*

Aug. Ærumnas generis humani quamlibet dicax & facetus irrideas, vel irridere te fingas, ipsæ te in angustias has impulerunt, ut paradisum Dei, etiamsi nemo peccasset, ærumnosum futurum fuisse affirmare cogaris: quod si verecundatus nolueris facere, ut facias tuo dogmate urgeberis; quod dogma nisi correctus abjeceris, istas prementes & in horrendum præcipitium contrudentes angustias non effugies. Quæritur enim à te, has ærumnas, quas & in majoribus & in parvulis esse conspicimus, unde existimes emanare? Respondes ex tuo dogmate, humanum genus sic esse ab exordio sui divinitus institutum. Referturque responsioni tuæ, Ergo & in paradiso futuræ fuerant, si nullum ibi peccatum esset exortum. Hîc tu aut præceps ibis, aut dogma mutabis, aut fronte perditus, aut mente correctus. Aut enim ærumnosâ vitâ locum [e] famosissimæ felicitatis implebis, & non invenies oculos quibus qualescumque adspicere audeas Christianos: aut in abrupta horribiliora dejectus, alienæ malæ naturæ nobisque permixtæ has ærumnas hominis imputabis, & Manichæi tartarea profunditate sorbeberis: aut de natura vitiata hanc ærumnarum pœnam judicio Dei punientis exsistere confiteberis, & in auram catholicam respirabis.

Ærumnæ generis humani & majoribus & parvulis communes fateri cogunt originale peccatum.

Quin etiam dicis, quòd *quidam genus humanum per Adæ peccatum mortale opinantur effectum:* & addis, ideo te dixisse, *quidam, quia ego princeps eorum hoc erubuerim dicere; sed ad Marcellinum scripserim mortalem Adam factum videri.* Qui hæc tua & illa mea legerunt vel legunt, si Pelagiani non sunt, profectò vident, quemadmodum lingua tua amplexa sit dolositatem. Numquam enim ego sensi, numquam omnino dixi, sicut vos dicitis, mortalem Adam factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Hæc prorsus verba objecta sunt Cælestio in episcopali judicio Carthaginensi. Hæc objecta sunt & Pelagio in episcopali judicio Palæstino. Hæc quippe de hac re inter nos & vos vertitur quæstio, utrùm Adam, sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Nam quis ignorat, quia secundùm definitionem, qua immortalis dicitur ille qui non potest mori, mortalis autem qui potest mori, Adam potuit mori, quia potuit peccare; & ideo mori merito culpæ, non necessitate naturæ? Secundùm illam verò definitionem, qua & ille immortalis dicitur cujus est in potestate non mori, quis neget Adam esse conditum hujus potestatis? Quoniam qui habebat potestatem numquam peccandi, profectò habebat potestatem numquam moriendi. Illud ergo est quod contra vos dicitur, hoc dogma vestrum, quo putatis Adam, sive peccaret, sive non peccaret, fuisse moriturum, omnino esse falsissimum. Quæ cùm ita sint, quo pacto ego dicerem, quod me dixisse mentiris, Adam secundùm naturam mortaliter institutum, quasi urge-

Psal. 49. 19.

Pelagianus error, Adã sive peccaret, sive non peccaret, fuisse moriturũ. V. lib. de peccato orig. c. 3 & 4. & lib. de gestis Pelag. c. 11. & 35.

Immortalis quis dupliciter dici potest. Adã mortuus merito culpæ, non necessitate naturæ.

[a] Hoc loco sequentem versum, *nullum habentium miseriâ* &c. restituimus ex MSS.

[b] Sic MSS. At editi, *inimica suffragiis.*

[c] Editi, *calcabit*: repugnantibus MSS.

[d] Sic MSS. Editi autem, *in paradiso.*

[e] Editi, *fumosissima.* Castigantur ex MSS.

retur necessitate moriendi; cùm in mortem nisi propter peccatum [a] non posset urgeri? Aut quomodo eum mori non potuisse pronuntio, cùm esse mortuum sciam, & utique si mori non potuisset, mortuus non esset? Sed planè illum non mori potuisse pronuntio. Aliud est autem non posse mori, aliud posse non mori: illud majoris est immortalitatis, hoc minoris. Si duo ista discernis, & quod vos de Adam dicitis, & quod nos contra vos dicimus, cernis. Vos enim dicitis, Sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset: nos autem dicimus, Quamdiu non peccaret, moriturus non esset; & si numquam peccasset, mortuus non esset.

Dolor parientis, pœna est peccati.

Deinde commemoras quæ contra vos de Genesi dici soleant; & de dolore parientis, quâ pœnâ prior Eva punita est, dicis aliquid, quod nos dicere vis putari, vel putas. Non enim dicimus, non fuisse in pariendo feminas dolituras, nisi ad eas cum peccato Evæ fecunditatis illius ærumna transisset: [b] cùm ad eas non fecunditatis, sed iniquitatis ærumna transierit. Etsi enim facta est ærumnosa fecunditas; iniquitas, non fecunditas hoc fecit: ærumna quippe parientis ex iniquitate hominis, fecunditas autem ex Dei benedictione descendit. Aut si ærumnam fecunditatis non sic intelligi voluisti, tamquam eam fecunditas fecerit, sed acceperit; hæc est nostra sententia. Verùm nos non dicimus etiam in paradiso parientes feminas fuisse dolituras: immo inde colligimus hunc dolorem pœnam esse peccati, quia in eo loco non fuisset, ubi non sinerentur manere quicumque peccassent: quod tu refutare non niteris, nisi Dei paradisum, manu fronti opposita & oculis clausis, non solùm libidinibus hominum, verùm etiam cruciatibus implere cogaris. Sed quid mirum? quando implere vis illum memorabilis felicitatis locum etiam mortibus hominum, quarum sine aliquo corporis cruciatu, vel nulla, vel penè nulla contingit. Et cùm hæc portenta te dicere tuum dogma compellat; eos, qui hæc absit ut dicant, quia illud potiùs antiquitus Ecclesiæ Dei traditum tenent, unde dictum est, A muliere initium factum est peccati, & propter illam morimur omnes; audes insuper irridere, eorumque me principem insultanter appellas contra scientiam & conscientiam tuam. Nullo modo namque ignoras, quot & quanti in Ecclesia docti Ecclesiæque doctores ante nos dixerint, sic naturam hominis divinitus institutam, ut si non peccasset, moriturus non esset. Horum ergo quomodo princeps vocor, quos non duco, sed sequor? Te autem non dico esse principem eorum qui asserunt sic Adam mortalem factum, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset, atque ita paradisum sanctæ voluptatis, ubi tanta requies animæ & corporis erat, morientium cruciatibus, mortuorum funeribus, lugentium mæroribus implere conantur. Non es tu eorum princeps: Pelagius & Cælestius, qui priores ista dixerunt, tenent hujus nefandi dogmatis principatum; quos utinam, sicut non ducis, ita nec sequereris.

XXVI. A JUL. *Hoc enim ipsum quàm insanum est, quod dicitis, primò dolorem pariendi comitem esse peccati, cùm ita perspicuè ad sexuum conditionem magis, quàm ad criminum respiciat ultionem, ut omnia animalia nullo maculata peccato, hos angores, hos gemitus in parturitione patiantur? Per quod apparet, argumentum non esse peccati, quod inveniri etiam sine peccato potest. Deinde promoventes affertis aliud, multo ineptissimum. Non doleret, inquis, femina, nisi esset criminum particeps. Verùm illico subditis,* B *Sed hoc peccatum, propter quod dolet mulier, non in pariente, ceterùm in nascente deprehenditur. Nam ideo & baptizatæ mulieres, liberæ, ais,* [c] *agitant à peccato; sed pro filiorum iniquitate, quos edunt, fecunditatis suæ difficultatibus affliguntur. Qua opinione tradux peccati non jam à matre decurrit in sobolem, sed in parentes à nascente refunditur. Nam si ideo mulier baptizata sentit dolores, quia iniquitates inveniuntur in parvulo; supina incipit tradux esse, non prona. At* * *non ideo cruciatur, quia iniquitatem filius habet: sed ideo quia eam secum ipsa,* C *cùm nasceretur, advexerat. Verùm hoc malum sublatum ab ea per gratiam dixeras: si ergo peccato dolor parturientis adhærebat, amotio peccati cruciatui parturitionum debuit mederi. Aut si cruciatus hic sine iniquitate esse non potest, qui tamen post baptisma in feminis invenitur; iniquitas quoque eis non est demta per gratiam, & eviluit pompa baptismatis. Si autem in his mysteriis ea quam nos credimus, non vos fingitis, fuit virtus & veritas, sublatumque est omne peccatum, remanet dolor tamen, qui* D *partûs difficultate generatur; manifestum est illum gemitum naturæ indicem esse, non culpæ; quem te quoque annuente patiuntur, quas à Manichæorum peccato liberatas fateris.*

* Supple, inquies.

Porrò id exemplis rerum solis apparuit: si verò inspiciamus & ipsius verba sententiæ, næ illa vestras nebulas splendidiore fulgore solis radiis dissolvet. Non est quippe dictum ad mulierem, Oriantur in te dolores, aut generabo tibi gemitus; ut post culpam sensus eorum institui viderentur: sed, Multiplicans, *inquit,* E multiplicabo tristitias tuas. *Ostendit jam esse in naturali ratione, quod se in peccatrice persona non condere, sed multiplicare promittit. Numquam quippe multiplicantur nisi exstantia: ceterùm ante quàm sint, fieri quidem propriè, augeri autem præproperè nuncupantur. Denique ne hoc nostrum magis, quàm ipsius veritatis esse videatur, hic in cunctis animantibus verborum refertur ordo servatus. De homine quoque priùs quàm fieret: Faciamus, inquit Deus, hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & denuo de* F *muliere, Dixit, inquit Deus, Non est bonum esse solum hominem, faciamus ei adjutorium simile sui. Postea verò quàm facti sunt, Benedixit eis, inquit, dicens, Crescite, & multiplicamini, & implete terram. Ante quàm conderentur, non est dictum, multiplicentur, sed, fiat homo: postea quàm exstitit qui acciperet incrementa, consequenter adjungit, Crescite, & multiplicamini, & implete terram. Hoc itaque ordine gemitus parturitionum, qui secundùm naturam* G *fuerat, ita in hominum corporibus, sicut in pecoribus institutus, non conditur in Eva, sed crescit, ut peculiari granditate excitatorum affligeretur angorum. Nec tamen ad posteræ ætatis feminas, nisi naturali*

Gen. 3. 16. Gen. 1. 26. Gen. 2. 18. Gen. 1. 28.

[a] Hic negantem particulam auctoritate MSS. supplemus.
[b] Exciderant in editis hæc verba, *cùm ad eas non fecunditatis, sed iniquitatis ærumna transierit.* Exstant in omnibus MSS.

[c] Sic vetus cod. Port. Alii verò MSS. cum editis, *liberè ais, agitante peccato.*

mediocritate & corporum varietate pertingerent. Ibi ergo, non ut doleret in pariendo mulier, de peccato fuit; sed ut nimis doleret: sicut etiam temporibus diversis debilitates corporum pro peccatis, quibusdam legimus accidisse: sed non illa ampliatio miseriarum parsimoniam modi naturalis evertit. Nec tamen omnia quæ in eadem sententia continentur, animadvertentis vigore clauduntur. Ceterùm quædam ibi pars indicat meritum, quædam designat officium. Multiplicans, *inquit*, multiplicabo tristitias tuas & gemitum tuum, in tristitia paries filios. *Huc usque ultio, quam non natura, sed persona promeruit. Iam hinc simpliciter posterioris sexûs munus ostenditur:* Ad virum, *inquit*, tuum conversio tua, & ipse tui dominabitur. *Hoc nimirum non spectat ad pœnam, quod nisi esset, spectaret ad culpam: ut viro quippe mulier modesto subdatur affectu, ordo est, supplicium non est. Caput enim, secundùm Apostolum, mulieris, vir; quia non est creatus homo propter mulierem, sed mulier propter virum. Si ergo caput suum congruo pudore veneretur, naturæ instituta custodit, non peccati tormenta perpetitur; cui ordini si resultaverit, rea est. Non est ergo in miseria functio rei, cujus neglectus in noxa est.*

Ephes. 5.23.
1.Cor. 11.9.

Dolor pariendi, pœna peccati.

Aug. Dolorem pariendi pœnam dicimus esse peccati. Scimus enim hoc Deum sine ulla ambiguitate dixisse, nec dixisse nisi prævaricatrici sui mandati, nec ob aliud dixisse, nisi quia irascebatur suum prævaricatum esse mandatum. Sed hanc iram Dei ut tu exinanires & frustrares, dixisti usque adeo pœnam istam non esse peccati, ut animalia quorum nulla peccata sunt, gemitus hujusmodi in partu doloresque patiantur. Non quidem tibi dixerunt animalia, utrùm ille gemitus [a] sit canentium vel dolentium. Gallinas sanè parituras, similiores esse cantantibus quàm dolentibus cernimus; post partum verò tales voces edere, quales in formidine consuerunt: porrò cùm pariunt in summo esse silentio, sicut columbas, & alias aves, quæ advertentibus innotescunt. Quis ergo novit muta animantia, quæ quid in se agatur indicare non possunt, utrùm tempore pariendi eorum motus & sonus non solùm nihil doloris, sed habeat aliquid etiam voluptatis? Sed quid mihi est in hac re scrutari obscura naturæ, cùm inde nostra caussa non pendeat? Prorsus si muta animalia nihil doloris patiuntur in partu, argumentum tuum nullum est? si autem patiuntur, ea ipsa pœna est imaginis Dei, conditioni pecorum comparari: pœna porrò imaginis Dei, nisi culpa præcederet, justa esse non posset.

Imaginis Dei pœna est, conditioni pecorum in doloribus comparari.

Illud autem absit ut dicam, quod tamquam dicam, refellendum putasti, non suo, sed nascentis merito matrem dolere cùm parturit, & ideo etiam dimissis peccatis fideles dolere urgente necessitate pariendi. Absit, inquam, ut hoc dicam. Numquid enim quia mortem dicimus peccati esse supplicium, ideo dicendum est eam post remissionem peccatorum non debuisse contingere? Hæ quippe, quas in natura prævaricatione vitiata dicimus pœnas esse peccati, ideo etiam post remissionem peccatorum manent, ut probetur fides, quam de venturo credimus sæ-

Peccati pœnæ post peccati remissionem manent ad agonem fidei.

A culo, ubi ista non erunt. Neque enim fides esset, si propterea crederemus, quia continuò nobis nihil dolendi & non moriendi præmium redderetur. Qua ratione reddita, id est, ad agonem fidei nobis relinqui mala contracta peccato, quamvis reatu peccatorum per baptismum jam soluto, quid habet virium quod aisti, *Si in mysteriis sublatum est omne peccatum, & remanet tamen dolor qui partûs difficultate generatur, manifestum est illum gemitum naturæ indicem esse, non* B *culpæ?* Hoc enim, quod nullas adversùs nos habet vires, non utique diceres, si fidei tu vel haberes vel adtenderes vires, quæ tanto sunt fortiores, quanto magis ea speramus quæ non videmus, & per patientiam miseriarum, plenitudinem beatitudinis exspectamus.

Sed ipsa, inquis, *Dei verba, quibus non ait, Orientur in te dolores, aut generabo tibi gemitus, ut post culpam sensus eorum viderentur institui; sed ait, Multiplicans multiplicabo tristitias tuas; ostendunt* C *quia jam erat in naturali ratione, quod se in peccatrice persona non condere, sed multiplicare promittit:* & addis, quasi definitivam generalemque sententiam, dicens, *Numquam quippe multiplicantur nisi exstantia; ceterùm ante quàm sint, fieri quidem propriè, augeri autem præproperè nuncupantur.* Ubi primùm à te quæro, quomodo dicas dolores Evæ jam exstantes fuisse, quos perpessa non fuerat: quomodo, inquam, jam dolores habebat, quæ nihil dolebat? Quòd si non exsta- D bant in ea dolores, quia eos non habebat quæ non dolebat: poterant ergo multiplicari & qui non erant; & rectè accipitur dictum, Multiplicabo tristitias tuas, id est, multas eas esse faciam, quod fieri potest, sive aliquid esse jam cœperit, sive nec cœperit. Frustra igitur dixisti, *Numquam enim multiplicantur nisi exstantia:* quia ecce in Eva post peccatum dolores sunt multiplicati, qui priùs quàm peccasset, non erant ulli. Ac per hoc, non ideo dixit Deus, Multiplicabo tri- E stitias tuas, quia tristitiæ in illa esse jam cœperant aliquæ; sed quia multiplices erant futuræ, ex quo inciperent esse. *Sed erant*, inquis, *in naturali ratione.* Si ergo in naturali ratione jam sunt etiam quæ nondum orta sunt, quid te adjuvat quod aisti, *propterea Deum non dixisse, Orientur in te dolores; sed, Multiplicabo dolores tuos, quia jam erant in naturali ratione?* Respondetur enim tibi: Potuit dicere, Orientur in te; quia eos erat multiplicaturus, qui in ratione natu- F rali jam erant, non qui jam orti erant. An fortè dicturus es, Jam prorsus orti erant in ipsa naturali ratione? Quanto igitur manifestiùs & acceptione digniùs tibi dicitur, Jam erant filii Adam in Adam naturali ratione, quando, sicut ait beatus Johannes episcopus, illud peccatum grande commisit, & omne hominum genus in commune damnavit: vel sicut ait collega ejus Ambrosius, Fuit Adam, & in illo fuimus omnes; periit Adam, & in illo omnes perierunt? si tu audes dicere, non solùm, G Jam erant, verùm etiam quod nos de filiis Adam, quando peccatum illud admissum est, dicere non audemus, Jam orti erant dolores Evæ, quando eos Deus multiplicaturum se esse minatus est. [b] Ve-

Chrysost. in homil. de Lazar. in fusc.
Ambros. lib. 7. in Luc. 15.

[a] Vetus codex Mar. *sit canentium, non dolentium.* Port. *non sit canantium vel dolentium.*

[b] Editi, *Verùm etiam in naturali ratione.* Omnes MSS. *Verùm tamen:* solus codex Port. particulam negantem, quæ desiderabatur eo loco, restituit.

Evæ parturientis dolores ex damnatione culpæ, non conditione naturæ.

rùmtamen non in naturali ratione jam erant Evæ dolores, quos parturientes necesse est perpeti; quia non eos illam necesse erat perpeti, cùm parturire cœpisset: venerunt quippe illi damnatione culpæ, non conditione naturæ. Quod vos negando quid agitis, nisi ut in loco illius beatitudinis, ubi esse homines permissi non sunt, quos jam cruciari oportebat, cruciatus hominum etiam peccante nemine collocetis? Quod ignoro qua fronte faciatis; nisi quia vos paradiso contrarios, contra paradisum quodam modo habitare delectat; quia & Adam de paradiso ejectus, contra paradisum est collocatus.

Gen. 3.14. sec. LXX.

Jam itaque paradiso contrarius, quanta vanitate contra paradisum argumenteris adtende. Multiplicari non tibi videntur, nisi ea quæ ex aliqua parte jam exsistunt; ceterùm, ante quàm sint, non multiplicari putas dicenda esse, sed fieri. Nulla ergo multiplicia nascuntur, si non additamentis multiplicantur, id est, fiunt multiplicia. Ac per hoc, ille qui dictus est esse in Sapientia spiritus multiplex, qui esse non cœpit, sed ex æterno ita est, non rectè appellatus est multiplex, quia eum multiplicem nulla additamenta fecerunt. Quid etiam dicturus es de responso Dei ad Abraham, ubi ait, Multiplicans multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli? Ubi videmus Deum multiplicasse etiam stellas cæli, sicut se promisit multiplicaturum semen Abrahæ? Numquid ergo stellæ cæli, ut multiplicarentur, pauciores priùs esse cœperunt, & non in numero suo multiplices sunt institutæ, [a] ex quo sunt institutæ? Cur ergo non sic accipis quod dictum est, Multiplicans multiplicabo tristitias tuas; tamquam dixisset, Faciam tristitias tuas multiplices: nisi quia sic agis, ut in paradisum, contra quem collocatus es, si possis introducas dolores, & in loco tantæ beatitudinis ante peccatum prædices miserias institutas? Quòd enim Eva, ut affirmas, cum doloribus parturitionem naturaliter, ante quàm peccaret, accepit, istam vocas parsimoniam naturalem; quam videri non vis eversam ex eo quod amplius de pœna mulieri Deo vindicante, cùm peccasset, accessit. Sic enim loqueris, ut dicas, *Sed non illa ampliatio miseriarum parsimoniam modi naturalis evertit.* Proinde te docente, ut feminæ in partu mediocriter doleant, parsimonia naturalis est: quòd verò peccati merito additum est Evæ, ampliatio miseriarum est. Nec vides, cùm ista dicis, quia si ampliatæ sunt miseriæ per peccatum; jam fuerant institutæ per naturam, & mulier, cui ampliatæ sunt miseriæ merito peccati, jam naturaliter misera erat ante peccatum. Tu licèt eam dicas parsimoniâ naturali mediocriter miseram: tamen velis nolis, cui dicis accessisse ampliationem miseriarum, profectò & ante hanc accessionem miseram confiteris. Ecce quod de te meretur natura hominis à Deo primitus instituti: ecce quod de te meretur paradisus Dei: Ejectus quippe, & contra eum collocatus talia contrarius reddidisti, ut in loco beatitudinis diceres miserias divinitus institutas, non autem cœpisse, sed crevisse peccatis. Quid tam contrarium, quàm miseria beatitudini, & beatitudo miseriæ? Aut quid significat, quòd de paradiso peccator exclusus, contra paradisum est collocatus; nisi quia in miseria collocatus est, quæ beatitudini sine cujusquam contradictione vel dubitatione est contraria? * Et quid sic fugit natura, ut miseriam; quid sic appetit, ut beatitudinem? Denique liberum arbitrium quod de hac re habemus, ita nobis naturaliter insitum est, ut nullâ miseriâ nobis possit auferri quod miseri esse nolumus, & volumus esse beati. Usque adeo ut jam ipsi qui malè vivendo sunt miseri, malè vivere quidem velint, nolint tamen esse miseri, sed beati. Hoc est liberum arbitrium nostris mentibus immobiliter fixum, non quo bene agere volumus, nam id humana iniquitate potuimus amittere, & gratiâ divinâ possumus recipere; sed liberum arbitrium quo beati esse volumus, & miseri nolumus, nec miseri possunt amittere, nec beati. Beati quippe omnes esse volumus, quod ipsi quoque philosophi hujus sæculi, & Academici de rebus omnibus dubitantes, teste patrono suo Tullio, coacti sunt confiteri: idque unum esse dixerunt, quod disputatione non egeat, quod nemo est qui non expetat. Hoc arbitrium liberum adjuvatur per Dei gratiam, ut quod naturaliter volumus, hoc est beatè vivere, bene vivendo habere possimus. Et tu dicis, quamvis mediocres miserias, tamen miserias, beatitudini nullo negante, nullo ambigente contrarias, in primis operibus Dei, nullo cujusquam præcedente peccato, naturaliter institutas, ut scilicet peccatricis mulieris pœna, propter quam dictum est, Multiplicans multiplicabo tristitias tuas, non sit institutio miseriarum, quæ, ut dicis, jam fuerat in natura; sed ampliatio, quæ accessit ex pœna.

Sap. 7.22.

Gen. 22.17.

** Lupus Ferrar. in collect. quæst. 2. de libero arbit.*

Liberum arbitrium quo beati esse volumus & miseri esse nolumus, auferri nobis non potest.

Gen. 3.16.

Quid ego jam tecum agam de sequentibus Dei verbis, ubi postea quàm dixit quod ad pœnam pertinebat, In tristitia paries filios; mox addidit, Et ad virum tuum conversio tua, & ipse tui dominabitur. Quid opus est ut tecum inde confligam, utrùm ista dominatio viri pœna sit feminæ, an ordo naturæ? quem tamen ordinem non commemoravit Deus, quando condidit, sed quando punivit. Verùm, ut dixi, quid opus est in eo remorari, quod utrumlibet sit, nostram non impedit caussam? Prorsus Deus, à supplicio quod infligebat mulieri, ad præcipiendum fuerit repentè conversus, & jubendo, non damnando dixerit, Ad virum tuum conversio tua, & ipse tui dominabitur: quid hoc ad quæstionem, quam de supplicio peccatricis ista disputatione versamus? De miseriis tecum ago, quas de paradiso ejectus eique contrarius, in paradiso locare conaris; easque non peccantium meritis, sed Deo naturarum institutori, tamquam & ipsas naturaliter instituerit, tuo pudore pereunte, & ore blasphemante tribuere. Dic jam quid etiam de viri pœna persuadere nitaris: quando quidem jam satis est, quid ista mulier, quæ ante peccatum nuda erat & non confundebatur, te nudavit atque confudit.

Ibidem.

XXVII.

JUL. *Verùm sufficiant ista de muliere, transeamus ad viri munia.* Adæ, *inquit*, dixit, Maledicta terra in operibus tuis, in tristitia manducabis

Gen. 3.17. &c.

[a] Ex MSS. addimus, *ex quo sunt institutæ.*

eam omnibus diebus vitæ tuæ; spinas & tribulos edet tibi, & edes fœnum agri tui: in sudore faciei tuæ edes panem tuum; donec convertaris in terram de qua sumtus es: quoniam terra es, & in terram ibis. *Hic non est dictum, Multiplicabo spinas tuas, aut sudores tuos: sed quasi tunc primùm creata dicuntur. At etiam hujus invidia, non majore quàm uxoris ejus labore dissolvitur: initio quippe non semini hominis, sed humo maledicitur.* In tuis operibus, *inquit*, maledicta terra erit. *Quid commerita fuerant arva, (quæ certè de traduce Adæ habere nihil poterant,) ut pro peccato voluntatis alienæ convicium maledictionis exciperent? An ut etiam ipsorum cespitum doceretur exemplo, posse esse maledictum, ubi culpa non esset? Nam si in homine peccatum, in segete maledictum; manifestum est crimina non semper adhærere dispendiis. Si ergo propter hoc maledicitur terræ, ut ille qui peccaverat affligatur, nec tamen ibi iniquitas, ubi maledictio continetur: cur non ea conditione, etiam si quid ærumnarum naturæ nostræ post peccatum primi hominis doceretur illatum, tamen sequeretur non ideo miseros esse nascentes, ut rei convincerentur; sed ut commemoratione peccati primi, afflictio succedanea his quos reos non fecerat, imitationis malæ indiceret cautionem? Quando quidem & terra ob hoc ostenderetur maledicti convicium pertulisse, ut malum alienæ voluntatis argueret, non ut participationem sui criminis gigneret: nisi fortè credamus cariorem Deo terram esse, quàm innocentiam, ut scelere alieno cùm glebam non patiatur pollui, addici tamen permittat infantiam. Maledictum ergo dirigitur in terram, nec tamen hoc ipsum relinquitur involutum. Disseritur quippe quo fine ejusmodi sententia tenderetur, vel quomodo humus maledicta vocaretur.* In tristitia, *inquit*, manducabis eam omnibus diebus vitæ tuæ. *Quo igitur genere se exponat, advertito: maledicta dicitur terra, non quò in eam animadverti quiverit, sed hoc nomine opinio animi mærentis ostenditur; ut quoniam sterilem sciebat pro cultoris sui meritis, ægritudo esurientis operarii imputaret terræ quod ipse promeruerat, & maledictam eam afflictus vocaret, cujus ideo claudebatur opimitas, ut prævaricator ille nec naturam, nec terram, sed voluntatem atque personam suam maledicto fateretur obnoxiam.* Spinas, *inquit*, & tribulos edet tibi. *Non fuit contentus dicere,* Spinas ac tribulos edet: *sed addidit*, tibi. *Inter virgulta quippe alia, & veprium frutices olim jussa protulerat: tunc verò, ut compungeretur homo, solito senticosior futura promittitur. Quod Adam vehementer castigare poterat, quem post paradisi fontes & prata, etiam unus rubus posset offendere.*

In sudore *autem* faciei tuæ edes panem tuum: *non satis ad ærumnam video pertinere: si quidem etiam naturale adjumentum est, ut operantium artus sudore recreentur. Illi autem ante peccatum laborem incubuisse culturæ lectio ipsa testatur. Sic enim ait: Et sumsit Dominus Deus hominem quem fecit, &*
Gen. 2. 15. *posuit illum in paradiso, operari eum & custodire. Si ergo etiam in paradiso noluit eum Deus pabula examussim illaborata suscipere, sed indicto operationis, quam indiderat excitavit industriam; quid ei novum accidisse credimus, si sentiret sudorem, qui experiebatur laborem?*

Sequitur autem: Donec convertaris in terram ex qua sumtus es; quoniam terra es, & in terram ibis. *Hæc sanè pars extrema sententiæ, sicut illa mulieris, ad* [a] *indicium, non ad supplicium respicit: quin immo, ut res indicat, promisso fine consolatur hominem. Quia enim suprà commemoraverat dolores, labores, sudores, quorum sensum natura, nimietatem persona susceperat; ne hoc in æternum videretur extendi, mitificat ægritudinem terminus indicatus: ac si diceret, Verùm non semper ista patieris; sed* donec convertaris in terram de qua sumtus es; quia terra es, *inquit*, & in terram ibis. *Cur non, post quàm dixit*, donec convertaris in terram de qua sumtus es; *subdidit, quia peccasti, & mea præcepta transgressus es? Hoc enim dicendum erat, si resolutio corporum ad crimina pertineret. Verùm quid dixit?* Quia terra es, *inquit*, & in terram ibis. *Caussam cur in terram rediturus esset, ostendit:* Quia terra es, *inquit. Quomodo autem esset terra, superior sermo patefecerat:* Quia de terra, *inquit*, sumtus es. *Si ergo redeundi in terram, hanc esse rationem dixit Deus, quoniam fuerat assumtus è terra, porrò ut assumeretur, ad iniquitatem spectare non potuit; procul dubio non iniquitatis, sed naturæ mortalis fuit, ut qui æternus non erat, in corporis parte solveretur.*

Illa ergo sterilitas arborum, illa veprium ubertas, illa ægri partûs aucta calamitas, personis hominum sunt illata, non generi. Denique jam natis Cain & Abel unius naturæ ambobus, sed diversarum voluntatum, nec Cain sponte peccanti profuit quòd eum peccata patris non presserant, nec Abeli nocuit quòd parentes ejus deliquerant: sed suopte uterque judicio nec virtutis sibi, nec vitii naturale infuisse præjudicium vario proposito, fine vario publicarunt. Functi quippe officio sacerdotum, conditori suo Deo hostias obtulerunt. Ceterùm par obsequium, impar cura discrevit. Patefecit hoc divina sententia, quæ complacitum sibi munus Abelis ostendit: offenso autem Cain caussam suæ indignationis aperuit, dicens eum bene obtulisse, sed malè divisisse. Nec mora exarsit profanus animus in livorem, & germani sanctitate gravatus, parricidium gratificatur invidiæ. Ita prima occasione claruit malum non esse mortem, quòd eam justus primus omnium dedicavit. Nec tamen iram Dei animi sontis audacia effugit. Interrogatur de fratre, convincitur de scelere, addicitur ultioni, & extra eum terrorem, qui ei pro insigni crudelitatis incubuit, terræ quoque maledictione punitur: Male- Gen. 4. 11. *dictus, inquit, tu à terra, quæ aperuit os suum accipere sanguinem fratris tui de tua manu; quoniam operaberis terram, & non adjiciet virtutem suam dare tibi. Ecce denuo sterilitas terræ in pœna cultoris indicitur. Innumera autem * generis tormenta in* * f. hujus generis. *Deuteronomio promittuntur. Quid ergo? nostrarum dumeta terrarum, quibus amputandis runcone armatus cultor invigilat, per Cain parricidium germinarunt? Et quia omnis spinosi ruris dominus, peccato quod spinarum ubertate punitum est, à vobis putatur obnoxius; omnes jam parvuli non solùm comedisse poma, quamvis nascantur sine dentibus, sed etiam Abelis sanguinem effudisse dicentur? Apparet certè, ad quem* [b] *furorem perveniat Manichæorum tradux: quæ quoniam nihil habet præter amentiam, ridet de argumentis vestris catholicorum* [c] *gravitas; sed de ruinis vestris eorumdem plorat affectio.*

[a] Editi, *ad judicium*. Emendantur ex MSS.
[b] Sic MSS. Editi verò, *ad quem pertinent:* omisso, *furorem*.
[c] Editi, *veritas*. At MSS, *gravitas*.

AUG. Nempe nihil agit tua tam diuturna A & operosissima disputatio de pœna primi hominis, nisi ut hac extenuatâ, etiam ipsa culpa extenuetur, quæ pœnæ hujus ingestione damnata est. Et hoc facis propter verba libri mei, cui respondes, quæ tibi tamquam redarguenda pro- » ponis, ubi dixi, Illud ergo peccatum, quod ipsum » hominem in paradiso mutavit in pejus, quia » multo est grandius quàm judicare nos possumus, » ab omni nascente trahitur. Ut ergo non videatur grande peccatum, quo potuerit in deterius B natura mutari, leve ac propè nullum supplicium esse contendis quod meruit. Hinc est, quòd maledictam terram in operibus prævaricatoris retorques ad tui dogmatis pravitatem: hinc est, quòd spinas & tribulos, & ante quàm homo peccaret, fuisse asseris institutos; cùm Deus hæc inter sua primitus instituta non nominet, sed in peccatoris supplicio comminetur: hinc est, quòd sudorem laborantis, ut non satis ad ærumnam pertinere videretur, etiam naturale adjumentum C esse dixisti, ut scilicet operantium artus sudore recreentur; tamquam Deus ista dicens non irrogaret supplicium pro peccato, sed daret insuper præmium. Quamquam hoc congruè diceremus, si sudorem laboris ita laudares, ut tunc diceres institutum: nunc autem & ante peccatum sic affirmas in paradiso hominem collocatum, ut operando terram sine labore non esset; quasi non posset illa firmitas, & nulla infirmitas corporis, non solùm sine labore, verùm D etiam cum animi voluptate, quod delectare poterat, operari.

Sed cur hoc dixeris, occulere nequivisti: apertissimè quippe loqueris, cùm addis, *Quid novum accidisse dicimus, si sentiret sudorem, qui experiebatur laborem?* Tantumne te libuit quietissimo beatorum loco, non solùm tristitias parturitionis in feminis, verùm etiam in viris sudorem laboris immittere, ut Deo damnante, nihil novi damnato diceres accidisse? Tantumne illudis ac E despicis [a] severitatem Dei, ut quod irrogavit ille pœnaliter, tu donatum naturaliter asseveres? Si nihil novi homini accidisse dicis, cui Deus dixit, In sudore faciei tuæ edes panem tuum: negato hoc Deum dixisse damnantem. An dicturus es, Ille quidem hominem damnavit his verbis, sed nihil homini ex hoc accidit novi? Ergo ille damnavit, sed non est iste damnatus? Frustratus est impetus ultionis, tamquam Deus telum ejecerit, & non potuerit ferire quem voluit? Immo, in- F quis, & damnatus est, & nihil ei accidit novi. Hîc risum tenere difficile est. Si enim damnatus est, & nihil ei novi accidit; solebat ergo damnari, ac per hoc solebat & peccare: non enim damnaretur injustè. An quia eum tunc primùm peccasse nemo ambigit, injustè solebat ante damnari? Non enim, sicut de pariente dixisti, hoc saltem novi accidisse homini fassus es, quod sicut mulieri dolor parturitionis, ita viro sudor laboris est additus: hoc modo enim, hac additione G quæ antea non fuit, novi illi aliquid accidisse concederes. Sed cùm dicis, *Quid ei accidit novi?* quem tamen confiteris esse damnatum; quid aliud affirmas, quàm sic eum solere damnari? Aut si solere fieri non dicimus, nisi quod assiduè factum novimus; certè sic vel semel necesse est antè damnatum esse concedas, cui nihil novi accidisse, quòd sic damnatus est, asseveras. Ubi vides, in quæ fueris abrupta progressus. Redi ergo à præcipitio laboriosæ disputationis tuæ, & noli labores & dolores in sedes felicium gaudiorum, atque in locum ineffabilis quietis inferre.

Quid quòd etiam corporis mortem sic paradiso conaris immittere, ut eam dicas prævaricatori pro beneficio fuisse promissam, vel potiùs indicatam, ubi Deus dixit, Terra es, & in terram ibis: tamquam nesciret homo sic se fuisse institutum, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset; & hanc illi scientiam tunc Deus donaverit, quando eum pro commissa iniquitate damnavit? Disputans quippe de his Dei verbis, ubi ait, In sudore faciei tuæ edes panem tuum, donec revertaris in terram de qua sumtus es, quia terra es, & in terram ibis. *Hæc sanè*, inquis, *pars extrema sententiæ, sicut illa mulieris, ad indicium, non ad supplicium pertinet: quin immò, ut res indicat, consolatur hominem. Quia enim suprà*, inquis, *commemoraverat dolores, labores, sudores, quorum sensum natura, nimietatem persona susceperat; ne hoc in æternum videretur extendi, mitificat ægritudinem terminus indicatus: ac si diceret, Verùm non semper ista patieris, sed donec convertaris in terram de qua sumtus es, quia terra es, & in terram ibis.* Hæc dicens persuadere conaris, ita quidem creatum hominem, ut etiamsi in rectitudine vitæ, in qua creatus est, permaneret, tamen mortalis necessitate naturæ quandoque moreretur; sed hoc ei non esse indicatum, nisi tempore damnationis suæ, ut ærumna ejus, ne putaretur æterna, de promisso acciperet fine solatium. Putaret ergo Adam non se moriturum, si hoc illi non indicasset Deus: hoc autem non illi indicasset Deus, nisi peccatorem damnari oporteret: remaneret ergo in hoc errore, quo æternum se, aut numquam moriturum esse credebat, nisi ad sapientiam, qua se homo cognoscit, peccati merito perveniret. Sentisne quid dicas? Accipe aliud. Procul dubio nesciens Adam se esse moriturum, quod nisi peccasset utique nesciret, tamen si peccare noluisset etiam hoc nesciens beatus esset, & credens contraria veritati miser non esset. Audisne quid dicas? Accipe & tertium. Si justitiæ suæ tempore Adam credebat se nec corpore moriturum, si Dei præceptum minimè violasset; moriturum autem tunc didicit, quando violavit: hoc nos credimus, quod cùm esset justus, ille credebat; hoc autem vos creditis, quod nisi injustus nosse non meruit. Noster ergo error stat in parte justitiæ, & in parte iniquitatis vestra sapientia. Intelligisne quid dicas? Accipe & quartum. Si beato & justo illi homini non indicavit Deus corporis ejus mortem futuram, indicavit autem misero & peccatori; congruentiùs creditur, timore quoque mortis eum cruciare voluisse, etiam isto scilicet dignum judicans esse tormento. Ut enim clamat ipsa natura, plus mors metuitur, quàm labores: laborant quippe omnes homines ne moriantur, si eis talis optio proponatur, ut continuò moriantur, si non laboraverint: quotus quisque autem reperitur, qui mori malit, quàm laborare? Deni-

[a] Sic MSS. Editi autem, *veritatem Dei*.

que ipse Adam per tot annos maluit laborare, quàm non laborando & fame moriendo vitam simul & laborem finire. Nam quo alio sensu naturali etiam Caïn plus mortem timuit, quàm laborem? Quo alio sensu per non iniqua nec inhumana judicia, minora crimina labore metallico, majora morte judices damnant? Unde autem Martyres tantâ gloriâ prædicantur, quòd pro justitia mortui sunt, nisi quia major virtus est mortem spernere, quàm laborem? Propter quod non ait Dominus, Majorem caritatem nemo habet, quàm ut laboret; sed, ut animam suam ponat pro amicis suis. Si ergo major est caritas mori, quàm laborare pro amicis; quis tam cæcus est, ut non videat minorem pœnam laboris esse, quàm mortis? Aut si plus homo debet laborem metuere, quàm mortem; quomodo non est misera ipsa natura, quæ plus mortem metuit, quàm laborem? Et tu ista [a] non cogitans, dicis indicata sibi sua morte hominem consolatum, ne suum laborem putaret æternum: cùm si vestrum dogma verum esset, quo affirmatis Adam, etiamsi non peccasset, fuisse moriturum, propterea hoc illi indicandum non fuisset, ante quàm inciperet pœnâ damnationis affligi, ne illum Deus priùs quàm peccasset, mortis timore torqueret; tunc autem, cùm jam, postea quàm peccavit, pœnâ dignissimum judicaret, indicaret etiam esse moriturum, ut eamdem pœnam Deus justus, mali ultor admissi, etiam timore mortis augeret.

Iohan. 15, 13.

Catholicus sensus verborum Dei *Gen. 3. Terra es, & in terram ibis*, est morti addictum fuisse hominē quia peccavit.

Quisquis igitur hæc Dei verba, quibus est punitus Adam, quando dictum est, Terra es, & in terram ibis, secundùm fidem catholicam intelligit, nec vult introducere in paradisum corporis mortem præcipuè; ne introducat & morbos, quorum miserabili varietate morientes videmus affligi, & paradisum sanctæ voluptatis, ac spiritalis & corporalis felicitatis, cui vos non pudet esse contrarios, doloribus, laboribus, mæroribus implere cogatur; sicut vos cogimini, nec invenitis quà exire possitis, quamdiu tam impium dogma mutare non vultis: qui ergo, ut dixi, hæc Dei verba, secundùm catholicam suscipit & intelligit fidem; sicut cernit pœnam laboris in eo quod dictum est, In sudore faciei tuæ edes panem tuum; ita pœnam cernit & mortis in eo quod sequitur, Donec revertaris in terram de qua sumtus es, quia terra es, & in terram ibis: ac sic accipit dictum, tamquam diceretur, Ego quidem te de terra sumsi, & hominem feci; & utique potui facere, ut eadem terra quam viventem feci, numquam cogeretur vitâ carere quam dedi; sed quia terra es, id est, secundùm carnem quæ de terra sumta est, non secundùm me, qui te de terra sumsi, vivere voluisti; laborabis in terra, donec revertaris in eam; & ideo reverteris in terram, quia terra es; & justâ pœnâ ibis in terram de qua factus es, quia spiritui non obedisti à quo factus es. Iste intellectus sanus atque catholicus præcipuè inde cognoscitur, quia non cogit mortibus implere terram viventium, terramque felicium malis omnibus laboriosissimis & gravissimis, quæ homines in hoc corpore corruptibili patiuntur, & ea non ferendo ut moriantur urgentur.

Homines in paradiso, si nemo peccasset, non fuisse mortem vel lenem subituros.

A Non enim potestis dicere, leniter homines in paradiso fuisse morituros, si nemo peccasset: quia & hoc contra vos est. Si enim tunc leniter morerentur, & nunc tam asperè moriuntur, per peccatum hominis mutata est humana natura: quod vos negantes, consequenter cogimini tales omnino mortes, quales nunc sunt, loco illius tantæ felicitatis & jocunditatis immittere; ac per hoc & innumerabilia genera morborum, tam gravia, tamque intolerabilia, ut eis homines
B compellantur in mortem. Quæ paradisi facies si vestras facies aliquo pudore perfundit atque confundit; qui non vultis confiteri nostram per peccatum mutari potuisse naturam, vestram potiùs mutate sententiam; & corpus mortuum propter peccatum cum Apostolo confitemini: dicite cum Ecclesia Dei, A muliere initium factum est peccati, & propter illam morimur omnes. Agnoscite cum Ecclesia Dei, quia corpus corruptibile aggravat animam. Non enim ante
C peccatum in paradiso tale erat corpus, ut illo anima gravaretur. Cantate cum Ecclesia Dei: Homo vanitati similis factus est, dies ejus velut umbra prætereunt. Neque enim qui est ad similitudinem Dei factus, fieret nisi per peccatum similis vanitati, ut ætatum cursu & mortis incursu, velut umbra dies illius præterirent. Nolite luci serenissimæ veritatis nubila vestri erroris offundere: paradisum Dei corda fidelium, quem debent amare, non debent amaricare. Quid enim
D vos offendit, obsecro, quid vos offendit ille memorabilis beatorum & quietorum locus, ut eum mortibus hominum, & per has malis omnibus quibus abundare cernimus angustias necessitatesque morientium, oculis clausis, fronte impudentissima, mente pertinacissima, linguâ loquacissimâ, velitis implere; ne cogamini confiteri in has miserias, quibus videtis refertum genus humanum à vagitibus parvulorum usque ad anhelitus decrepitorum, per peccatum [b] maxi-
E mum primi hominis humanam corruisse naturam? Et quia injustum esse respicitis parentum in posteros sine culpa transire pœnam, transisse concedatis & culpam.

Rom. 8. 10.

Eccli. 24. 32.

Sap. 9. 15.

Psal. 143. 4.

Maximam fuisse culpam Adami.

Maximam quippe culpam primi hominis extitisse, quam tu propterea, quantum potuisti, extenuare conatus es, ne propter illam crederetur natura humana potuisse mutari: ergo illam culpam maximam fuisse, non solùm per ipsas miserias generis humani, quæ ab infantium cunabulis incipiunt; verùm etiam per te ipsum
F probo. Et tu enim in secundo tui hujus operis libro maximam formam peccati in primo homine posuisti, ut è contrario maxima forma justitiæ commendaretur in Christo; quod te dixisse mihi videris oblitus: nam si memor fuisses, numquam profectò peccatum Adæ tam loquaciter minuere nitereris. Ego autem maximum illud peccatum fuisse, pœnæ ipsius granditate demonstro: non enim est major, quàm ut de paradiso projiceretur, & à ligno vitæ separaretur
G ne viveret in æternum: additis etiam hujus angoribus vitæ, ut dies ejus & in laboribus gemerent, & sicut umbra transirent. Enimverò hereditaria ipsa generis humani, ab infantibus usque ad senes, calamitas testis est; quæ miseriæ non

Lib. 2. n. 189. & 190.

[a] Particula hæc negans exciderat in libris editis.

[b] Hîc *maximum* in editis omissum restituimus ex MSS.

non haberent conditionem ſupplicii, niſi traherentur contagione peccati. De qua contagione nobiſcum pertinaciter pugnas, & ne iſta credatur, & ipſum peccatum primi hominis, & ſupplicium ejus extenuas, & dolores, labores, & mortes in paradiſùm introducere impudentiſſima & impiiſſima contentione conaris.

Dicis etiam, *Si propter hoc maledicitur terræ, ut ille qui peccaverat affligatur, nec tamen ibi iniquitas, ubi maledictio continetur; cur non ea conditione etiam, ſi quid ærumnarum naturæ noſtræ poſt peccatum primi hominis doceretur illatum, ſequeretur tamen non ideo miſeros eſſe * naſcendos, ut rei convincerentur; ſed ut commemoratione peccati primi afflictio ſuccedanea, his quos reos non fecerat, imitationis malæ indiceret cautionem?* Video quibus premaris anguſtiis. Miſerias naſcentium cogeris confiteri, quoniam vim tibi facit rerum evidentia, quam præ oculis omnium conſtitutam negare non ſineris: has autem miſerias naſcentium, etiam in paradiſo futuras fuiſſe, ſi nemo peccaſſet, vis quidem aſſerere; ſed cernis te hominibus qualecumque cor habentibus, id perſuadere non poſſe. Remanet igitur, ut propter peccatum primi hominis genus humanum fatearis miſerum effectum: ſed hoc abſolutè dicere formidans, *Si quid ærumnarum*, inquis, *naturæ noſtræ poſt peccatum primi hominis doceretur illatum.* Quid eſt, *ſi quid doceretur?* Itáne verò res maniſeſtiſſima, quam tu quoque jam ſentire compelleris, non docetur? An eò redeundum eſt, unde per hæc verba ſenſim fugere meditaris; intelligens quàm intolerabili abſurditate credatur, naſcentium miſerias etiam in paradiſo futuras fuiſſe, ſi nemo peccaſſet? Quod ſi dicere horreſcis, quoniam re vera vehementer horrendum eſt: cur dicis, *etiam ſi doceretur*; cùm ſine ulla dubitatione doceatur, non aliquid ærumnarum, ſed omnes ærumnas naſcentium poſt peccatum primi hominis, immo propter peccatum primi hominis, noſtræ illatas eſſe naturæ?

* Julianus ſupra, na-[illegible]

Sed, *non*, inquis, *ideo ſunt miſeri naſcentes, ut eſſe rei convincantur.* Nec ego dico, Ideo miſeri ſunt naſcentes, ut convincantur rei: ſed dico potiùs, Ideo convincuntur rei eſſe, quoniam ſunt miſeri. Juſtus eſt enim Deus, quod aſſiduè contra te dicis, & neſcis: juſtus eſt, inquam, Deus; & ideo naſcentes nec facere nec fieri ſineret miſeros, niſi noſſet reos. Unde non aliter fides catholica intelligit quod ait Apoſtolus, Per unum hominem » peccatum intravit in mundum, & per peccatum » mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo » omnes peccaverunt. Quod tu nolens referre ad originis [a] nexum, detorquere conaris ad imitationis exemplum: ex quo fit, ut cùm tibi dicitur, Cur ergo miſerias generis humani in ipſo incipientis ætatis exordio, innumeris & diverſis malis ſuis proteſtantur infantes, qui nulla imitatione peccarunt? tamquam graviſſimâ & inevitabili preſſurâ ſtomachi, in hos vomitus erumpas, & dicas, Non quia rei ſunt, ideo ſunt miſeri qui naſcuntur; ſed ut hac miſeriâ commoniti, caveant peccatum primi hominis imitari. Sic enim putavi planiùs & explicatiùs eſſe dicendum, quod tu obſcuriùs perplexiúſque dixiſti. Sed quomodolibet hoc dicas, quis non videat ſtudio defendæ opinionis tuæ omnino te adtendere nolle quid dicas? Ideóne fuerant, quæſo te, homines innocentes plectendi miſeriâ, non quòd ullum peccatum haberent, ſed ut non haberent? Debuit ergo & Eva priùs fieri miſera quàm rea, ut miſeriâ ſuâ commoneretur non conſentire ſerpenti. Debuit & Adam priùs puniri malo miſeriæ, ne ad malum peccati ſeductæ conſentiret uxori. Placet enim tibi, ut pœnis præcedentibus crimina caveantur, non ut ſequentibus vindicentur; ac ſic inversè, non quia peccatum eſt, ſed ne peccetur, non reatus, ſed innocentia puniatur. Corrige, obſecro, perverſam, præpoſteramque ſententiam: quia utique tunicam corrigeres, ſi te dextra in ſiniſtra fortè veſtires. Hoc dixi, quoniam peccata, ne ſequantur, ſuppliciis præcedentibus vis caveri; cùm ſoleant & debeant ſuppliciis ſequentibus peccata præcedentia vindicari.

[illegible] 5. 12.

Deinde dic nobis, quomodo calamitoſos commoneamus infantes, ut intueantur miſeriam ſuam, ne peccatum primi hominis imitentur; qui nec imitari quemquam, nec commoneri adhuc poſſunt. Maledicta enim terra, (unde ad hoc tuum deliramentum ſumis exemplum, quia ſic potuerunt naſcentes effici miſeri, ut caverent peccata gignentium, quamvis non ex eis trahant originale peccatum, quemadmodum terra maledicta eſt propter hominis pœnam, quamvis ipſa non habens culpam;) cur non adtendis quia ſicut non habet culpam, ſic ex illa maledictione non habet pœnam; ſed peccantis hominis, cùm maledicitur terra, ipſa fit pœna? Naſcentes autem cùm miſeri ſunt, ipſi ſentiunt miſerias ſuas; ipſi nullum, ſicut putatis, trahentes peccatum, immeritas, ſi hoc ita eſt, procul dubio ſuſtinent pœnas; qui nec admoneri adhuc, ut dixi, aliquid poſſunt, nec peccatum primi hominis [b] imitari, propter quod debeant admoneri. An exſpectandum eſt ut creſcendo perveniant ad liberum arbitrium, quando ſentiant admonentem, atque intuendo miſeriam ſuam, culpam non imitentur alienam? Sed ubi ponimus tam multos, qui uſque ad diem mortis ſuæ quis fuerit, vel utrùm fuerit, vel quid admiſerit Adam neſciunt? Ubi ponimus tam multos, qui priùs moriuntur, quàm perveniant ad ætatem, in qua ſentiant commonentem? Ubi ponimus eos, qui tam inſulſo ac fatuo naſcuntur ingenio, ut nec grandes poſſint cum aliquo fructu tale aliquid admoneri? Nempe hi omnes [c] tantâ miſeriâ ſine ullo merito, ſine ulla utilitate plectuntur. Ubi eſt juſtitia Dei? quam ſi cogitares, numquam crederes ſine ullo merito peccati originalis tam miſeros eſſe naſcentes. Sed quoniam cum conditione loquutus es: non enim aiſti, quoniam docetur; ſed aiſti, *ſi quid doceretur ærumnarum poſt peccatum primi hominis noſtræ illatum eſſe naturæ:* paratus es, ut arbitror, dicere, non docetur. Ac per hoc reſtat ut dicas, mala quæ videmus parvulos perpeti, etiam in paradiſo futura fuiſſe, ſi nemo peccaſſet, ne propter peccatum primi hominis ea fatearis exorta. Ita cùm hos nodos quæris evadere, & fieri ex noſtris manibus labilis, contra paradiſum ſtabis immobilis; cui ſic es contrarius, ut ejus felicitati & quieti turbandæ, &

[a] Editi, *ſexum.* At MSS. *nexum.* fortè pro, *noxam.*
[b] Verbum *imitari* reſtituimus ex MSS.

[c] Hîc vetus codex Port. addit *ſi;* non malè.

dolores parturientium, & labores operantium, & jactationes ægrotantium, morbosque morientium, audacissimo ore & fronte perditissima immittas.

Sed in laude mortis magnum te putas aliquid invenisse quod diceres, *prima* scilicet *occasione claruisse, malum non esse mortem, quòd eam justus primus omnium dedicavit.* Ergo redde rationem, quomodo non haberet quam dedicaret justus, nisi hanc ædificaret injustus. Auctor quippe & effector mortis illius Cain exstitit, non Abel. Ille itaque dedicavit, qui fabricavit. Mors enim hominis boni, malum opus fuit hominis mali. Iste autem qui pro bono malum pertulit, non mortem, sed martyrium dedicavit, gerens ejus figuram, quem populus Judæorum tamquam malus frater carnalis occidit. Propterea itaque gloriosus Abel, non quia aliquid boni sumsit à fratre, sed quia patienter pro justitia moriendo, malo ejus usus est bene. Nam sicut bono legis malè utendo prævaricatores puniuntur; ita è contrario malo mortis bene utendo Martyres coronantur. Proinde si non dedignaris discere, quod te cerno nescire, mors in morientibus omnibus mala est; in mortuis autem quibusdam mala, quibusdam bona. Hoc sequuti sunt, qui de bono mortis laudabiles disputationes etiam litteris mandaverunt. Mors ergo justi Abelis habitantis in requie, non solùm mala non est, verùm etiam bona est. Tu autem in paradisum non bonorum mortuorum requiem, sed cruciatus morientium, ne bonorum ibi requies esset, intulisti. Aut si dicis, si nemo peccasset, in paradiso sine cruciatu homines morerentur: saltem quia extra paradisum non ferè quisquam sine cruciatu moritur, tandem convictus atque contortus, in deterius commutatam peccato primi hominis humanam confitere naturam.

Abel à fratre occisus figura Christi à Judæis occisi.

XXVIII. Jul. *Quid postremò de ipso serpente dicetur? Diabolum maledictione illa punitum, an hoc commune reptile animal opinaris: id est, illam sententiam quæ ait ad serpentem,* Maledictus tu ab omnibus pecoribus, & ab omnibus bestiis quæ sunt super terram, super pectus & ventrem tuum ambulabis, & terram manducabis omnibus diebus vitæ tuæ, *in diaboli supplicio, an bestiæ hujus quæ vernis caloribus educitur de cavernis, arbitraris impletam? Si in hujus serpentis, cujus species in corpus enode porrigitur, atque ob illius culpæ meritum dicas eam factam esse terrifagam; ergo & omnibus bestiis tradux iniquitatis incumbit, quam putas nisi per libidinem coëuntium non posse deduci: Fitque ut etiam serpentum libidinem, jamque inde irrationabilium animantium, asseras à diabolo fuisse plantatam, retectâque sententiâ Manichæi nobis* [a] *carmen inclangas. Sin autem quidquid ad serpentem dicitur, intelligibiliter in diabolo profitearis impletum; annues sine dubio, nec hoc quod ibi pro ultione profertur, indicium nunc reorum esse serpentum, nec diabolum terram edere corporaliter: sed etsi tunc ministerium draconis arripuit, atque hoc quasi telum, quo ad vulnerandum hominem usus fuerat, severitas postea paterna confregit; tamen peccatum in solius agentis voluntate resedisse. Cibos autem & spinas & sudores primò fuisse naturaliter instituta, pòst in aliquibus aucta judicialiter, ad nostram verò ætatem sine peccati illius * admiratione venisse; res tam apertæ sunt, ut longiore penitus assertione non egeant.*

Gen. 3. 14.

* f. adjunctione.

Aug. Quid est, quòd vipereas astutias tuas etiam de serpente contorques? Quis enim divini libri hæc verba, quæ commemorasti, congruenter intelligens, non videat in diabolum potiùs, qui serpente ad id quod voluit, ut potuit, usus est, quàm in ipsum animal, qualecumque terrenum, illam prolatam fuisse sententiam? Sed quia non per se ipsum, per serpentem autem seductorias loquelas diabolus operatus est, ideo ad serpentem loquutus est Deus, quòd significandæ malitiæ diaboli conveniret, & natura hujus figura esset illius. Proinde quod dixit Deus serpenti, « Maledictus tu ab omnibus pecoribus, & « super omnibus bestiis quæ sunt super terram; « pectus & ventrem tuum ambulabis, & terram « manducabis omnibus diebus vitæ tuæ, & cetera: tanto intelliguntur, & exponuntur meliùs, quanto congruentiùs de diabolo accipiuntur. Sed quoniam secundùm etiam rectam fidem, multis tamen modis de his disputari solet, nec ad caussam nunc pertinet quid eorum magis eligam promere; satis est, ut tibi respondeam, diaboli naturam nequaquam ad connexionem successionemque propaginis pertinere, ubi peccati originalis quæstio vertitur.

Diabolus in serpente maledictus.

De spinis verò & sudore laborantis, quàm impudenter affirmes, quòd priùs quàm peccaretur, fuerint instituta, credo quòd persuadeat legentibus superior nostra responsio. Vultis quippe facere talem paradisum, ut nulla ratione dicatur Dei esse, sed vestrum. Verumtamen, cùm ante peccatum spinas dixeris institutas, in paradisum eas non ausus es introducere; immo expressisti eas ibi non fuisse: ubi tamen laborem ponere voluisti, cujus onus etsi non pungit, premit. Verumtamen, si & tibi placet spinas non congruere paradiso; itáne verò naturæ humanæ, ut ibi priùs esset ubi spinæ non sunt, & nunc ibi sit ubi sunt, nulla beatitudinis in miseriam mutatione contingeret, aut sine ullo peccati meritato contigisset? Cogat ergo vos agnoscere originale peccatum, tale saltem, quale non potuistis negare supplicium, si non injustum esse creditis Deum.

XXIX. De parturientium dolore.

Jul. *Tamen ne quid negligenter præteriisse videamur, accipe aliud. Hunc parturitionum dolorem compertum est pro parientium corporibus viribusque variari. Barbarorum certè feminæ, & pastorum, quæ exercitatione indurescunt, in mediis itineribus tanta facilitate pariunt, ut non intermisso viandi labore fetus suos procurent, & statim vehant, quæ nihil pariendi difficultate marcentes, onera ventris ad humeros suos transferunt; & generaliter inopia vilium feminarum, operam obstetricum non requirit: at è regione locupletes deliciis molliuntur, & quo plures habuerit quæque sollicitos, eo ampliùs & discit & gestit ægrescere, putatque se tantis egere, quantis abundat obsequiis. Maritorum sanè divitum manus numquam in sentibus ærumnam primi hominis experitur; quin immo fidentes copiis, indignum se putant momentum aliquod votis fertilitatis impendere, extra formidinem etiam famis possessionum dilatatione sistentes, mandant aliquotiens, ut ait Poëta,* Dejunge boves, dum tubera mittas. *Si ergo & parien-*

Juvenal. lib. 1. sat. 5. v. 119.

[a] Editi, *carmen.* Vetus cod. Mar. *crimen.* Aptiùs cod. Clar. *carmen.*

tium dolor spectat ad instituta naturæ, quod & brutorum exemplo animalium, & sententiæ divinæ proprietate perdoctum est; si interceptio fructuum, & exortus spinarum inter cetera quidem creatus est, personis tamen quibusdam factus est densior & molestior; si postremò, ut difficultas ipsa parientis, ita etiam glebarum spinositas pro corporibus regionibusque variatur; postremò si perdurat ille angor post gratiam in visceribus feminarum, hunc vero [a] *opulentorum laxuries penitus ignorat; si resolutio corporis propter quid sequutura esset, expressum est, & artibus magis quàm erroribus applicata: apparet hîc quoque catholicorum veritati omnia consonare, nec quidquam vobis vel feminas prodesse, vel spinas.*

Aug. Cùm de pœna, quam Deus inflixit primis peccatoribus, disputares, sic jam dudum à muliere transieras, ut diceres, *Sufficiant ista de muliere.* Cur ergo non servasti fidem promissionis tuæ? Ecce post tam multa redis ad eam, ecce loquacitati tuæ non sufficiunt, quæ dixeras de muliere sufficiant. Sed nisi talis verbosus esses, unde octo libros, quos uni meo reddis, impleres? Sed dic quod tibi placet: ecce post promissam sufficientiam, abundantiam quoque tuam patienter audivimus. Cur enim perdas res tam bellas, quæ postea tibi in mentem venerunt? Quamvis & illud venire debuit, ut de libro tuo, qui complendus adhuc in manibus erat, tolleres quod dixeras, *Sufficiant ista de muliere*: ne tuæ pollicitationi tam indecenter contrarius legereris. Sed perge, profer in medium, contra quàm promisisti, quæ postea cogitasti. Dic parturitionum laborem pro parientium corporibus viribusque variari; atque ita describe barbaras rusticasque feminas in facilitate pariendi, ut nec parturire videantur; ac per hoc non parvum dolorem in pariendo sentire, sed nullum. Quod si ita est, quid te adjuvat? nonne contra te ipsum loqueris, qui dolores istos ita naturales esse dixisti, ut sine illis Eva parere non posset, etiamsi in paradiso nulla iniquitate perpetrata persisteret. Numquid barbaras ac rusticas tuas illa prima muliere in hac re feliciores esse dicturus es, ut in his ærumnosis terris sine dolore pariant, quod in paradiso, si pareret illa, non posset? tamquam in istis natura sit mutata feminea in melius quàm fuerat instituta, plusque valuerit in ea mutanda humana exercitatio, quàm in creanda divina operatio. Si verò in tuis verbis non vis intelligi sine doloribus parere feroces agrestesque mulieres, atque eis ita partum tolerabilem facilemque concedis, ut tamen eas cùm pariunt, dolere fatearis; numquid ideo est nulla pœna, quia minor est? Sive ergo minùs doleant, cùm pariunt istæ feminæ, sive aliis feminis æquales, vel earum etiam quibusdam majores dolores, comparata per exercitationem fortitudine, mirabiliter ferant, nec illo cruciatu fatigentur atque languescant; dolent tamen, & utique omnes dolentes, seu magis seu minùs doleant, majores minoresve pœnas, [b] sed tamen pœnas, sine ulla dubitatione patiuntur. Tu autem si te cogitares, non dico, Christianum, sed qualemcumque hominem; faciliùs nullum esse contenderes paradisum Dei, quàm eum faceres tua sacrilega disputatione pœnalem.

A Eleganter sanè divites viros ab hereditario primi hominis labore defendis, ignorans, aut te scire dissimulans, amariùs laborare cogitationibus divites, quàm operationibus pauperes. Nomine quippe sudoris generalem sacra scriptura significavit laborem, à quo nullus hominum est immunis, cùm alii laborant operibus duris, alii sollicitantibus curis. Ad eosdem labores pertinent etiam studia quorumque discentium. Et quæ parit hæc, nisi terra hæc, quam formator ejus,

A laboris pœna nullus hominum est immunis.

B quando primum hominem condidit, non fecerat onerosam? Nunc verò, sicut scriptum est, "Corpus corruptibile aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem; & difficulter æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore." Sive ergo utiles, sive inutiles quascumque doctrinas studeat homo discere, aggravante animam corruptibili corpore, necesse est laboret. Quocirca etiam sic ei terra ista spinas parit. Nec ab

Sap. 9. 15.

C his spinis divites dicantur alieni: præsertim quia spinas illas in Evangelio, quibus jacta semina ne ad fecunditatem perveniant, opprimuntur, curas esse hujus vitæ & sollicitudines divitiarum Deus magister exponit; qui certè non solos pauperes, verùm etiam divites vocat dicens, Venite ad me omnes qui laboratis. Propter quid autem vocat, nisi quod paulò post dicit, Et invenietis requiem animabus vestris. Quando istud erit, nisi quando corruptio corporum, quæ nunc aggravat animas, non erit? Nunc verò laborant

Matth. 13. 22.

Matth. 11. 8.

D pauperes, laborant divites, laborant justi, laborant iniqui, laborant magni, laborant pusilli, à die exitûs de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.

Tam quippe malignum est hoc sæculum, ut nisi exitum hinc fuerit, promissa requies nobis adesse non possit: quamvis per prævaricationem primi hominis labor posteris ejus advenerit; tamen etiam reatu prævaricationis illius quem tra-

Lupus Ferrar. in collect. quæst. 2. de lib. arbit.

E ximus jam soluto, ut fidei examen exerceatur, labor remanet ad certamen. Oportet enim nos certare cum vitiis, & in ipso certamine laborare, donec donetur nobis adversarium non habere. Quapropter ut boni prœliatores perducantur ad præmia, supplicia vertuntur in prœlia. Parvulorum quoque, soluto reatu originali, propterea labores manent, quamvis ex ipso reatu doceantur exorti; quia etiam sic Deo placuit fidem probare majorum, à quibus ei offeruntur ut regenerentur. Qualis & quanta fides esset rerum invi-

Reatu originali per gratiam soluto, labor manet ad certamen, ut fides probetur.

F sibilium, si visibilis remuneratio continuò sequeretur; ac non potiùs dilata requie quæ promittitur, ageretur fidei negotium cum corde, non cum oculis; ac sic futurum sæculum, ubi nulli labores erunt, quod nondum videmus, & crederetur sinceriùs, & desiderabiliùs quæreretur? Ac per hoc Deus labores nostros, id est, pœnas nostras ad utilitates nostras mirabili benignitate convertit. Hæc refellere cupiens inutiliter tu

G laboras: laboras enim pariendo spinas, non evellendo: nos autem laboramus ut spinas tuas, quantum donat Dominus, evellamus. Nisi fortè ideo non laborare te jactas, quoniam tot libros magna ingenii facilitate conscribis, ac sicut illæ barbaræ ac rusticanæ fetus suos, ita & tu sine

[a] Editi, *luculentorum.* Aptiùs MSS. *opulentorum.*

[b] Ex MSS. fide addimus, *sed tamen pœnas.*

difficultate spinas paris. Sed puto quòd te de ingenii facilitate inaniter jactes; prorsùs laboras: quomodo enim agis ut non labores, qui etiam conaris introducere in paradisum labores? Nam utique res ista quanto impossibilior probatur, tanto tuus labor & amplior & inanior invenitur.

XXX. Jul. *Haud sanè impugnavero eos, qui autumant Adam, si dicto audiens exstitisset, ad immortalitatem potuisse pro remuneratione transferri. Enoch quippe & Eliam translatos legimus, ne viderent mortem. Verùm aliud sunt instituta naturæ, aliud præmia obedientiæ. Non est enim tanti unius meritum, ut universa quæ naturaliter sunt instituta perturbet. Exercuisset se igitur in reliquis innata mortalitas, etiam si primus ille in æternitatem à diuturnitate migraßet. Non inficiabili conjecturâ, sed certo res tenetur exemplo: si quidem Enoch filii, immortalitate parentis non potuerunt asseri à conditione moriendi. Nec illud fortè putetur occurrere, quoniam si non peccatores, justi tamen omnes ad immortalitatem sine intercessu corporalis* [a] *dissipationis evaderent: si quidem Abel justorum primus, Noë, Abraham, Isaac, Jacob, & omnia sanctorum agmina, tam in novo quàm in vetere Testamento, & meritum suum virtutibus, & naturam morte docuerunt. Rem in absoluto positam Christi quoque confirmavit auctoritas. Nam cùm ei Sadducæi quæstionem exemplo septinubæ mulieris intulissent, rogantes, si corporum excitatio crederetur, à quo marito esset potissimùm vindicanda, respondit: Erratis, nescientes Scripturas, neque Dei » virtutem; in resurrectione enim neque nubent, ne- » que uxores accipient, neque enim morientur. Conscius operis sui, propter quid conjugia instituisset expressit, videlicet ut damna mortis fetura suppleret; statim autem * cessatum ire munificam fecunditatem, cùm mors avara cessaverit. Si ergo, Christo teste qui condidit,* [b] *fertilitas ob hoc creata est, ut cum fragilitate confligeret, & hæc conditio nuptiarum ante peccatum ordinata est; apparet quoque mortalitatem non ad prævaricationem spectare, sed ad naturam, ad quam spectare leguntur & nuptiæ. Illa ergo lex quæ promulgata est, id est,* Quacumque die ex interdicto ederis, morte morieris: *pœnalis mors intelligitur, non corporalis; peccatis, non seminibus imminens; quam non incurrit nisi prævaricatio, non evadit nisi emendatio. Die autem peccati quòd dicitur inferenda, mos Scripturæ est, quæ damnatum solet vocare damnandum. Inde est quod in Evangelio Dominus, Omnis, inquit, qui non crediderit in me, jam judicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti Filii Dei. Non quòd infidelitas Christum negans, ante tempus judicii, supplicio juncta esset perpetuo; cùm omnes qui ad fidem veniunt, priùs fuerint infideles: sed ut censura præcipientis appareat, dicuntur peccata jam esse supplicia. Denique Adam ipsum, & ille liber qui Sapientia dicitur, & multorum opinio, sequuta emendatione asserit expiatum.* *

[Margin: Matth. 22. 29. — * In resp. Aug. *cessaturam.* — Iohan. 3. 18. — * Supple, *& tamen mortuus est*, &c. ut infrà in respons. Aug.]

Aug. Si non oppugnas, ut dicis, eos qui existimant Adam, si dicto audiens exstitisset, ad immortalitatem pro remuneratione potuisse transferri; discerne immortalitatem, majorem scilicet à minore. Nam & ista non absurdè immortalitas dicitur, qua potest quisque non mori, si non faciat unde moriatur, quamvis possit & facere. In hac immortalitate fuit Adam: hanc immortalitatem merito prævaricationis amisit. Hæc ei subministrabatur de ligno vitæ, à quo non est prohibitus, quando legem bonam, ne peccaret, accepit; sed quando mala voluntate peccavit: tunc enim de paradiso ejectus est, ne extenderet manum ad lignum vitæ, & manducaret, & viveret in æternum. Unde intelligendus est de hoc ligno vitæ solere sumere sacramentum; de ceteris alimentum. De solo enim ligno quod appellatum est dignoscentiæ boni & mali, non manducare præceptum est ei. Cur ergo putetur non manducasse de ligno vitæ, quando quidem & ceteris longè præstabilius erat, & illo solo excepto in quo peccavit, ex omnibus manducandi acceperat potestatem? Dei namque præcipientis hæc verba sunt: Ab omni ligno, inquit, quod est in « paradiso, edes; de ligno autem cognoscendi bo- « num & malum, non manducabis de illo. Item- « que ista sunt verba damnantis: Quia audisti, in- « quit, vocem mulieris tuæ, & edisti de ligno, de « quo præceperam tibi, de eo solo non edere. Quæ igitur fuit caussa, ut non præcipuè de ligno vitæ manducare curaret, cùm prohibitus non fuerit nisi ab illo solo, cujus usurpatione peccavit? Immo si vigilanter intelligamus, sicut de ligno interdicto manducando peccavit, ita de ligno vitæ non manducando peccaret; quoniam ipse sibi vitam, quæ ex illo ligno aderat, invideret. Illa verò immortalitas in qua sancti Angeli vivunt, & in qua nos quoque victuri sumus, procul dubio major est. Non enim talis, in qua homo habeat quidem in potestate non mori, sicut non peccare, sed tamen possit & mori, quia potest peccare: sed talis est illa immortalitas, in qua omnis qui ibi est, vel erit, mori non poterit, quia nec peccare jam poterit. Tanta quippe erit ibi voluntas bene vivendi, quanta etiam nunc est voluntas beatè vivendi, quam nobis nec miseriâ potuisse videmus auferri.

In hanc immortalitatem, nullo ambigente majorem, si ex illa minore dicas Adam remuneratione obedientiæ, nulla interposita morte potuisse mutari; dices aliquid quod recta fides non debeat improbare: si autem sic laudas istam, ut neges illam; profectò & mortibus, & morientium cladibus, quas non ferendo urgentur in mortem, cogeris implere paradisi faciem; atque ita tuam decolorare, ut te velis fugere, si illam in speculo possis adspicere. Cur enim & posteri primi hominis in paradiso nati, & non solùm boni, verùm etiam beati, cogerentur mori, si eos nulla culpa de paradiso exire compelleret, ubi erat lignum vitæ, & summa ex illo vivendi potestas, moriendi autem nulla necessitas? A qua necessitate translati sunt Enoch & Elias: in his enim terris erant, ubi lignum vitæ non erat; & ideo eos ad hujus vitæ finem, communis omnibus necessitas mortis urgebat. Nam quò eos credendum est fuisse translatos, nisi ubi est ipsum vitæ lignum, unde illis sit potestas vivendi, nec ulla moriendi necessitas; sicut esset in paradiso hominibus, in quibus nulla peccandi oriretur voluntas, quæ illos ibi esse non fineret, ubi nulla æquitas mori cogeret? Quapropter exempla Enoch & Eliæ nos potiùs quàm vos

[Margin: Immortalitas alia major, alia minor. Minor, qua quis potest non mori. — Gen. 2. 16. & 17. — Gen. 3. 17. — Immortalitas major, qua quis habet ut mori non possit. — Adam potuit non peccando mutari ex minore immortalitate in majorem. — Enoch & Elias eò translati creduntur, ubi est lignum vitæ.]

[a] Editi, *disputationis*. Emendantur ex MS. Port.

[b] Sic MSS. At editi, *sterilitas*: corruptè.

adjuvant. Deus quippe in his duobus ostendit, A quid etiam illis quos dimisit de paradiso, præstaturus esset, si peccare noluissent: inde namque ejecti sunt isti, quò trajecti sunt illi. Ubi etiam hoc eis Dei gratiâ credimus esse collatum, ne haberent unde dicerent, Dimitte nobis debita nostra. In his enim terris, ubi corpus corruptibile eorum animas aggravabat, ita confligebant magno agone cum vitiis, ut tamen si dicerent se non habere peccatum, se ipsos deciperent, & veritas non esset in eis. Qui sanè creduntur B ad exiguum temporis redituri in has terras, ut etiam ipsi cum morte confligant, & quod primi hominis propagini debetur exsolvant. Unde intelligendum est, quòd ii qui peccatum nullum haberent, & filii eorum, si paradisi habitatores in eadem rectitudine permanerent, magis in illa immortalitate persisterent, donec in ampliorem, nulla interposita morte, transirent, si eis qui sic erant in his terris extra paradisum justi, ut non possent dicere se non habere peccatum, id est, C Enoch & Eliæ tantam diuturnitatem vitæ fateamur esse collatam.

Sed Dominus, inquis, *interrogatus de septinuba illa muliere, sua responsione firmavit, propterea nuptias institutas, ut damna mortis fetura suppleret; cessaturam verò munificam fecunditatem, cùm mors avara cessaverit.* Omnino erras, qui propterea putas instituta esse conjugia, ut decessio mortuorum suppleretur successione nascentium. Instituta sunt namque conjugia, ut filios patribus, D & patres filiis, certos faceret pudicitia feminarum. Nam & permixto usu atque indiscreto quarumque mulierum, homines nasci possent: sed certa necessitudo inter patres & filios esse non posset. Si autem nemo peccaret, & ob hoc etiam nemo moreretur; sanctorum numero terminato, quantus futuro sufficeret sæculo, hoc sæculum finiretur, ubi & non peccandi & peccandi facultas esset, atque illud succederet, ubi quisquam peccare non posset. Si enim animæ corporibus E exutæ, possunt esse vel miseræ vel beatæ, & tamen peccare non possunt: quis fidelium neget, in regno Dei, ubi erit corpus incorruptibile, quod non gravabit animam, sed ornabit, nec alimentis ampliùs indigebit, hunc affectum futurum, ut nullius ibi ullum possit esse peccatum, non id agente nulla voluntate, sed bona? Dominus ergo ubi dixit, cùm de resurrectione loqueretur, *Neque nubent, neque uxores accipient, neque enim morientur*; non ideo dixit, ut propter F morientes ostenderet nuptias institutas; sed quia sanctorum numero impleto, non opus esset aliquem nasci, ubi necesse esset neminem mori.

Sed, inquis, *Adam sequuta emendatione à delicto suo asseritur expiatus, & libro Sapientiæ, & opinione multorum: & tamen*, inquis, *mortuus est, ut sciremus corporis mortem non pertinere ad supplicium illius peccati, sed ad instituta naturæ.* Quasi verò David duo illa scelera gravia, id est, adulterium & homicidium, non sic expiaverit pænitendo, ut G ei datam veniam propheta ipse qui eum terruerat, testaretur: & tamen ita ea quæ Deus fuerat comminatus, legimus subsequuta, ut intelligamus ad hoc profuisse illam veniam, ne homo qui tanta mala commiserat, sempiterno pro eis supplicio plecteretur. Erat ergo & primo homini, ad quam rem proficeret pænitentia, id est, ut eum diuturna, non tamen æterna pœna puniret. Unde factum est, quod rectissimè creditur, ut eum filius ejus, id est, secundùm hominem Dominus Jesus, quando ad inferna descendit, ab [a] inferni vinculis solveret. Tunc enim, juxta librum Sapientiæ, intelligendus est eductus à delicto suo, ut hoc ille liber non factum dixisse, sed futurum prædixisse monstretur, quamvis per verbum præteriti temporis: sic enim ait, Eduxit illum à delicto suo; quemadmodum dictum est, Foderunt manus meas, & cetera, quæ ibi per verba [b] præteriti temporis futura esse dicuntur. Ac per hoc & morte corporis factum est, ut pro peccato pœnam lueret temporalem; & pænitentiâ non nihil actum est, ut evaderet sempiternam: ubi plus valuit gratia liberantis, quàm meritum pænitentis. Non est unde te munias adversùs impetum veritatis, quo cum tuis machinis in clarissima luce prosterneris, nec in Dei paradisum & mortes & innumerabiles morbos, mortiferis cruciatibus plenos, immittere ulla penitus ratione permitteris. Crede Deo dicenti, Quacumque die ederitis ex eo, morte moriemini. Eo quippe die cœperunt mori, quo separati à ligno vitæ, quod utique in loco positum corporali, corpori vitam subministrabat, necessitatem mortis conditionemque sumserunt. Certè *damna mortis* & *mors avara*, verba sunt tua: saltem te ista verba tam dura & horrenda, ut paradiso Dei parceres, admonerent. Tantumne te offendit locus prædicatissimus beatorum, ut à te in eum & mors & damnifica & avara mittatur? O inimici Dei gratiæ, inimici paradiso Dei, quò amplius progredi poteritis, quàm ut sanctarum deliciarum dulcedinem amarissimis pœnis impleatis, nihilque velitis esse paradisum nisi gehennam minorem?

Adamus rectè creditur per Christum ab inferni vinculis solutus.

Sap. 10. 2. — Psal 21. 18. — Gen. 2. 17.

Pelagiani & gratiæ & paradiso inimici.

XXXI. Jul. *Porrò jam satis multa de Genesi. Transeamus ad apostolum Paulum, quem opinionis suæ Manichæus & Traducianus opinantur. Cùm ergo de mortuorum resurrectione dissereret, ait*, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. *Hoc testimonium usurpasti tu, cum quo nobis caussa est: sed quid eo confici putares, quia tu tacuisti, etsi suspicer, tamen confirmare vix possum. Quid enim spectat ad traducem, si omnes in Adam mori dicantur; cùm Adam nomen hominis sit, tradux autem peccati & labis Manichææ indicium? Nisi fortè nihil aliud ipsum Adam, quàm peccatum & esse, & sonare fatearis; ut hac appellatione Apostolus omnes mori in peccato pronuntiasse videatur? Sed hoc propalam insanum est. Quid igitur novum, si quia Adam sermo Hebræus nihil aliud indicat quàm hominem, (hoc enim interpretatio ipsius exprimit,) dixerit Apostolus*, In Adam omnes moriuntur, & in Christo omnes vivificabuntur: *id est, secundùm hominis qui moriuntur naturam, per virtutem Christi à mortuis excitantur. Huic sententiæ qui inficiatur, insanit: ejusdem quippe auctoris virtute, qui in hac vita fecunditatem & mortalitatem instituit, universi excitabuntur è sepulcris, ut recipiat unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum. Hoc itaque dicto Apostoli, quo ait*, Sicut in Adam omnes mo-

1. Cor. 15. 22. — Adam Hebræo sermone significat hominem. — 2. Cor. 5. 10. — 1. Cor. 15. 22.

[a] MSS. Mar. & Clar. *ab infernis vinculis.*

[b] Editi, *futuri temporis.* Castigantur ex MSS.

A riuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur; *mortem corporalem quæ justis injustisque communis est, an pœnalem illam diabolo & impiis deputatam insinuari putas? Si naturalem istam simplicem, quæ in* Psal. 115. 5. *sanctis etiam pretiosa est, quæ non solùm bonis & malis, verùm etiam hominibus pecudibusque ex æquo accidit; hanc, inquam, mortem hic Apostolus indicavit: manifestum est quoniam nomine Adæ naturam humanitatis, nomine autem Christi potentiam creatoris & excitatoris ostendit. Sin autem quod ait,* In Adam omnes moriuntur; *crimen hîc velis intelligi,* B *non naturam; suppetit expositio tam aperta quàm certa, videlicet ut dixerit,* sicut omnes, *id est, multi Adæ imitatione moriuntur,* ita omnes, *id est, multi Christi imitatione salvantur. Aut ergo de communi morte loquutus est, & naturam indicavit: aut de peccato, & imitationem accusavit. Sic enim & post* 1. Cor. 15. 49. *pauca subjunxit:* Sicut portavimus, *inquit*, imaginem terrestris, portemus etiam imaginem illius cælestis. *Certè susceptio imaginis non poterat imperari, si naturalis in qualitate alterutra crederetur.* C

AUG. Quis est tam negligens apostolicorum eloquiorum, ut non videat quòd Apostolus de resurrectione corporis disserebat, ubi ait, Sicut Ibid. 22. in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur? Sed tu ad dilatanda, non eloquia, sed vaniloquia tua, ubi nulla quæstio est, ingeris quæstionem, & quæris à me illud quod dictum est, In Adam omnes moriuntur; de qua morte sit dictum. Prorsus de morte corporis dictum est, ista scilicet qua necesse est mo- D riantur boni & mali, non illa qua mortui dicuntur qui eadem morte sunt mali: quas duas mortes, unâ brevi Dominus complectitur sententiâ, dicens, Sine mortuos sepelire mortuos suos. Est etiam mors, quæ in Apocalypsi mors secunda dicitur, qua & corpus & anima igne cruciabuntur æterno; quam minatur Dominus ubi dicit, Eum timete, qui habet potestatem, & corpus & animam perdere in gehennam. Quamvis ergo multæ mortes inveniantur in Scripturis; duæ tamen sunt E præcipuæ, prima & secunda: prima est, quam peccando intulit primus homo; secunda est, quam judicando illaturus est secundus homo. Sicut in sanctis libris multa Dei testamenta commemorantur; quod possunt advertere, qui diligenter legunt: sunt tamen duo præcipua, vetus & novum. Prima ergo mors cœpit esse, quando Adam de paradiso ejectus est, & separatus à ligno vitæ: mors secunda esse incipiet, quando dicetur, F Discedite à me maledicti in ignem æternum. Cùm igitur de resurrectione corporis loqueretur Apostolus, ait, Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur. Non itaque debemus inquirere, de qua morte agatur hoc loco; manifestum est enim de morte corporis agi: sed potiùs debemus adtendere, per quem sit mors ipsa de qua agitur, utrùm per Deum qui hominem condidit, G an per hominem qui peccando caussa hujus mortis exstitit. Sed hoc, ut dixi, adtendere debemus in promtu positum, non quasi abditum quærere. Nam & hanc abstulit Apostolus quæstionem, apertissimè dicens, Per hominem mors. Et quis est iste, nisi primus Adam? Ipse est quippe ille, de quo dictum est, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per [a] peccatum mors: cui è contrario Adam secundus opponitur, qui est forma futuri; unde & hîc dictum est, Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sic ergo est accipiendum quod ait, In Adam omnes moriuntur; ut non obliviscamur quod ait, Per hominem mors. Ideo quippe in Adam omnes moriuntur, quia per hominem mors: sicut ideo in Christo vivificantur, quia per hominem resurrectio mortuorum. Homo igitur, & homo: sicut ergo unus iste, sic unus est ille: ac per hoc, quia homo secundus est iste, homo primus est ille.

Scimus Adam, sicut commemoras, Hebræâ linguâ hominem dici: sed non hinc efficitur quod impudentissimè persuadere conaris, ut in eo quod dixit Apostolus, In Adam omnes moriuntur, omnem mortalem hominem significasse credatur; ut scilicet non in illo primo homine, sed in eo quod mortales sunt, existimemus omnes mori. Noli obscurare clara, recta pervertere, implicare simplicia: in illo moriuntur omnes, per quem mors; sicut in illo vivificantur, per quem resurrectio mortuorum. Et quis est iste, nisi secundus homo? quis ergo est ille, nisi primus homo? Proinde quis iste, nisi unus est Christus? quis ille nisi unus Adam? Itaque sicut portavimus imaginem terrestris hominis, ita portemus etiam cælestis. Indicatur illud, hoc imperatur: illud quippe jam præsens est, hoc futurum. Et ideo illam portavimus imaginem conditione nascendi, & peccati contagione: hanc autem portamus gratiâ renascendi; portamus autem interim spe, [b] re verò portabimus eam præmio resurgendi, & beatè justéque regnandi.

Quæ cùm ita sint, mors quidem hominis ita instituti, & in eo constituti loco, ut non moreretur, nisi peccasset, sine dubitatione pœnalis est: sed Deo per gratiam suam in usum nobis bonum pœnalia mala nostra vertente, In conspectu Domini pretiosa est mors sanctorum ejus. Per illam certant, sicut per disciplinam: Disciplina enim, sicut scriptum est, ad præsens non gaudii videtur esse, sed tristitiæ; postea verò uberiorem fructum his qui per eam certarunt, reddit justitiæ. Tu autem, qui mortem corporis etiam in paradiso, etiam peccante nullo, futuram fuisse contendis, hostis es gratiæ Dei, hostisque sanctorum, quorum mors pretiosa est, per illam certantium intrare atque habitare paradisum. Non enim mortem solam, id est, resolutionem animæ à corpore, nolentis tamen spoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale à vita; sed etiam omnes morbos, & omnia genera malorum, quæ homines non valendo ferre moriuntur, quantum ad te adtinet, in locum tantæ felicitatis & quietis immittis: quod errore quanto facias video, sed qua fronte nescio.

XXXII. JUL. *Verùm totum contextum loci ipsius ventilemus.* Si, *inquit*, Christus prædicatur quia ex mortuis resurrexit, quomodo quidam dicunt in vobis, quia resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, nec Christus resurrexit; si autem Christus non resurrexit,

Mortes duæ, alia corporis, quæ bonorum est ac malorum; alia animæ, per peccatum. Matth. 8. 22.

Alia etiam mors prima, quam peccando adtulit primus homo; alia secunda, quam judicando inferet secundus homo. Matth. 10. 28.

Matth. 25. 41.

1 Cor. 15. 21. & 22.

De morte corporis agi loco Apostoli citato.

Rom. 5. 12.

1. Cor. 15. 21.

Ibidem 22.

1. Cor. 15. 49.

Mors corporis pœnalis, sed per Dei gratiam fit pretiosa. Psal. 115. 5.

Hebr. 12. 11.

2. Cor. 5. 4.

1. Cor. 15. 12.

[a] Editi, *& per hominem mors*: mendosè ac dissentientibus MSS.

[b] Sic vetus codex Port. Alii MSS. cum editis, *reverà*.

inanis est prædicatio nostra, & vacua est fides vestra, invenimur etiam falsi testes Dei, quia testimonium diximus adversùs Deum, quòd suscitaverit Christum, quem non suscitavit. Si enim mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit: si autem Christus non resurrexit, vana est fides vestra, quia adhuc estis in peccatis vestris; & qui dormierunt ergo in Christo, perierunt. Si in hac vita in Christo speramus tantùm, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus ex mortuis resurrexit primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine; primitiæ Christus, deinde hi qui sunt Christi, qui in adventu ejus, deinde finis.

Aug. Ventilandum totum istum in apostolicis litteris de corporis resurrectione locum ideo te suscepisse, ut haberes occasionem qua tuum multiloquium copiosa, si dici potest, egestate diffunderes, & ad tot libros implendos tibi evagandi spatia procurares, in ipsa tua prolixa & supervacanea disputatione clarebit.

XXXIII. Jul. *Instruxit acerrimè disputationem magister egregius, & spem nobis de consortio Mediatoris ingessit, asserens illum hominem, quantum spectat ad substantiam quà nobis jungitur, nihil exceptum habuisse, opinionemque quam infidelitas sciscebat, non minùs Christo præjudicare posse quàm nobis. Sic ergo miscet negotium Christi & hominum, ut necesse sit in utraque parte credi, quod in altera censeatur. Opinati quippe fuerant per idem tempus homines, quia resurrectio mortuorum futura non esset: non tamen resurrexisse Christum negabant. Arripit hoc magister gentium, & pronuntiat necesse esse, ut uni præjudicio pars utraque sit pervia, & aut omnes homines resurrecturi, aut nec Christus resurrexisse credatur. Certè hanc vim in disputando Apostolus non haberet, si secundùm Manichæos & eorum discipulos Traducianos, carnem Christi à naturæ nostræ communione distingueret.*

Aug. Manichæi non sunt, qui carnem Christi à [a] naturæ nostræ communione distinguunt; sed qui nullam carnem Christum habuisse contendunt. Nobis itaque jungendo Manichæos, anathemandos vobiscum atque damnandos, etiam eorum sublevas caussam, dicens eos carnem Christi à naturæ nostræ communione distinguere: quasi carnem Christum habere fateantur, quam quoquo modo à nostra carne distinguant. Dimitte illos multùm à nobis, multúmque & à vobis, in ista de carne Christi quæstione distantes: nobiscum age quod agis; quia nobiscum carnem Christi, etsi dissimiliter, confiteris. Nec nos enim eam à naturæ atque substantiæ carnis nostræ, sed à vitii communione distinguimus. Caro est enim nostra peccati: propter quod illa dicta est, non similitudo carnis, quia vera caro est; sed similitudo carnis peccati, quia peccati caro non est. Si ergo peccati caro caro nostra non esset; quomodo, rogo te, similitudo carnis peccati caro Christi esset? An usque adeo desipis, ut dicas aliquid simile esse, sed cui simile sit non esse? Hilarium audi catholicum antistitem, quem certè quidquid de illo sentias, Manichæum non potes dicere: qui cùm de Christi carne loqueretur, Ergo cùm missus est, inquit, in similitudine carnis peccati, non sicut carnem habuit, ita habuit & peccatum; sed quia ex peccato omnis caro est, à peccato scilicet Adam parente deducta, in similitudine peccati carnis est missus, exsistente in eo, non peccato, sed peccati carnis similitudine. Quid ad ista dicturus es, improbissime, loquacissime, contumeliosissime, calumniosissime? Numquid & Hilarius Manichæus est? Sed absit ut tuas accipere dedigner injurias, non solùm cum Hilario, ceterisque ministris Christi; sed etiam cum ipsa carne Christi, cui tantam facere non expavescis injuriam, ut audeas eam coæquare ceteræ hominum carni, quam carnem constat esse peccati; si non mendaciter dictum est, Christum in similitudine carnis venisse peccati. Rom. 8. 3.

XXXIV. Jul. *Numquam quippe diceret*, Si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit: *cui poterat referri, Sed Christus, quoniam de virgine natus est, peculiariter resurrexit; homines autem, quia nati sunt de commixtione diabolica, non resurgunt. Verùm ille protinus referret, Et quæ fuit resurgendi vanitas, si nec spei nostræ nec magisterio parabatur? Quæ enim esset ratio docendi, quæ gravitas exempli, si natura in nobis dissimilis, & spe conregnandi, & vi careret imitandi? Procul igitur, & nimis procul fides Apostoli ab hac opinione consistit. Eodem plenus spiritu, quo etiam Petrus, scit Christum pro nobis ob hoc mortuum, ut nobis donaret exemplum, ut sequeremur vestigia ejus. Et quia caussam tanti mysterii, sacrificium novit & exemplum fuisse, pronuntiare non dubitat, immo diligenter inculcat, quia non accesserit homo Christus aliquò, à quo quisquam nostrûm naturæ suæ præjudiciis arceatur.* Si, *inquit*, resurrectio non est mortuorum, neque Christus resurrexit. Si autem Christus ex mortuis resurrexit, quomodo dicunt quidam in vobis, quia resurrectio mortuorum non est. *Id est, si confitemini ejusdem illum secundùm hominem, cujus nos, fuisse naturæ, qua ratione vel in illo factam resurrectionem, vel in reliquis non futuram putatis? Præmissis conditionibus, implet ex omni parte sententiam:* Nunc autem, *inquit*, Christus resurrexit ex mortuis: *erit ergo resurrectio mortuorum.*

1. Cor. 15. 16. — 1. Petr. 2. 21. — 1. Cor. 15. 13. & 18.

Aug. Resurrectionem mortuorum non esse putantibus, & tamen Christum resurrexisse credentibus, propterea dicitur, Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit: quia Christus ideo resurrexit, ut [b] resurrectionis mortuorum ædificaret fidem, in carne resurrecturos homines ostendens, sicut ipse homo factus resurrexit in carne. Ac per hoc consequens erat, ut negarent resurrexisse Christum, qui resurrectionem non crederent esse mortuorum. Unde quia isti, cum quibus agebatur, illud negare non poterant; hoc quoque debebant ablata caligine confiteri. Nam si propter aliquam Christi differentiam, rectè sibi homines videntur resurrectionem negare mortuorum, & tamen resurrectionem Domini non negare; possunt & alia dicere, quæ multa reperiunt, quibus errorem suum defendere sibi videantur. Quid si enim, cùm au-

[a] Sic MS. Port. At editi, *à natura communionis.*

[b] Editi, *resurrectio.* Codex Port. *resurrectionis.*

[a] ...nichæo... error, ...iam car... ...m Chri... ...am ha... ...isse.

dierint, Si mortui non resurgunt, neque resurrexit Christus; respondeant & dicant, Sed ille non tantùm homo, verùm etiam Deus est; quod aliorum hominum nemo? Ille secundùm ipsum hominem de Spiritu-sancto natus & ex virgine Maria; quod aliorum hominum nemo: ille potestatem habuit ponendi animam suam, & iterum sumendi eam; quod aliorum hominum nemo: quid ergo mirum, si à mortuis resurgere potuit; quod aliorum hominum poterit nemo? Si ergo ista dicant, quia Christum solum resurrexisse concedunt, ceteros nolunt; numquid ideo illas Christi tam magnas à ceteris differentias negaturi sumus, ut aliorum quoque mortuorum resurrectionem de Christi cum eis [a] æqualitate persuadere possimus? Sic ergo nec istam differentiam denegantes, qua fatemur solam carnem Christi, non ut aliorum fuisse carnem peccati, sed carnis peccati similitudinem; non ideo tamen solam resurrexisse, sed aliorum quoque resurrecturam esse defendimus, & sic defendimus, ut dicamus quod Apostolus dixit, Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit: resurrexit autem Christus; resurgunt igitur mortui. Neque enim quia non eadem sunt in utraque carne originis merita, ideo non est eadem terrena mortalisque substantia. Habet quidem differentiam suam similitudo carnis peccati, qua discernitur à carne peccati: sed absit ut Christus eis se disparem faciat resurgendo, quibus se voluit æquare moriendo. Non itaque propterea debemus similitudinem carnis peccati carni æquare peccati, quantum adtinet ad differentiam pertinendi ad peccatum & non pertinendi, quia [b] noluit esse inter utramque carnem differentiam resurgendi & non resurgendi, qui noluit esse non moriendi atque moriendi.

(Iohn. 10. 18. — a — 1. Cor. 15. 16. — b)

Imitatio autem, quam suffulcis, ubi non opus est, quid ad istam caussam valet? Imitatio quippe in voluntate est; sed cùm bona est, præparatur, sicut scriptum est, voluntas à Domino. Nemo ergo imitatur, nisi velit: moritur autem homo & resurgit, velit, nolit. Verùm & ipsa imitatio non semper tunc fit, quando eadem natura est imitandi, quæ imitantis: alioquin angelorum, quorum diversa natura est, justitiam & pietatem non possemus imitari; quod tamen nos à Domino poscere in oratione, cùm dicimus, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra, etiam *ipse confessus es. Nec Deum Patrem imitaremur, cujus à nobis longè diversa natura est: tamen Dominus ait, Estote sicut Pater vester qui in cælis est: & per Prophetam dicitur, Sancti estote; quia ego sanctus sum. Non ergo ideo Christum non possumus imitari, quia ille in similitudine carnis peccati in hoc sæculo fuit, nos autem in carne peccati.

(Prov. 8. sec. LXX. — Matth. 6. 10. — * Suprà lib. 2. n. 52. — Matth. 5. 48. — Levit. 11. 44.)

XXXV. Jul. *Has vires exseramus in traducem, dicamusque: Si Christus, qui homo factus est, non habuit naturale peccatum; quomodo dicunt quidam in vobis, quia imagini Dei pravitas dominetur ingenita? Si autem in natura malum est; & Christus, qui in eadem natura deprehenditur, sub regno diaboli est constitutus. Si autem ille creditur reus, inanis est prædicatio nostra, & vacua est fides vestra: inveniuntur autem falsi testes Apostoli, quia testimonium dixerunt adversùs Deum, quòd filium suum, ex semine* A *David secundùm carnem, innocuum sanctumque formaverit, si eum maledicti seminis crimen infecit. Prorsus si in tali Christo speramus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus non minùs verus homo, quàm verus Deus, de Adam stirpe generatus, factus ex muliere, factusque sub lege, nullum fecit, & ideo nullum habuit peccatum. Apparet igitur crimen voluntatis esse, non seminis.*

Aug. Ex hoc certè quasi fundamine tota B ratiocinationis tuæ structura consurgit, quod primum posuisti, dicens: *Si Christus, qui homo factus est, non habuit naturale peccatum; quomodo dicunt quidam in vobis, quia imagini Dei pravitas dominetur ingenita?* istaque propositione convulsa & effossa, quidquid deinde tamquam subsequens addidisti, facillima labe subvertitur. Non enim sequitur, ut si Christus, qui homo factus est, non habuit naturale, hoc est, originale peccatum, nulla imagini Dei pravitas dominetur in- C genita: quoniam non sequitur, ut si nihil habuit pravitatis similitudo carnis peccati, nihil habeat pravitatis cui est ista similis, id est, caro ipsa peccati; immo verò id sequitur, ut si est similitudo carnis peccati, sit etiam caro peccati. Quia omne simile, alicui simile sit necesse est: & si solus habuit Christus veram quidem carnem, sicut ceteri homines, sed tamen carnis peccati non proprietatem, sed similitudinem; non solùm necesse est ut sit alia cui hæc similis sit caro pec- D cati, sed omnium ceterorum hominum non sit nisi caro peccati. Quapropter etsi malum est in carne peccati, non est tamen in Christo, qui venit in carne vera, non tamen in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati, carnem sanare peccati. Non ergo ille creditur reus, sed ab illo noster solvitur reatus, & originalis, & additus. Unde nec inanis est Apostoli prædicatio, qui non prædicaret in Christo similitudinem carnis peccati, nisi aliorum carnem sciret esse pec- E cati. Nec vacua est fides nostra, qua vacuatur hæresis vestra. Nec falsi testes inveniuntur Apostoli, qui similitudinem carnis peccati discernunt à carne peccati, quod non facit hæresis vestra; & sic ex semine David evangelizant Christum, ut tamen de Spiritu-sancto natum asserant & virgine Maria, non de carnis concupiscentia, ut similitudinem carnis peccati haberet, carnem verò peccati habere non posset. Nec miserabiliores sumus omnibus hominibus ista credentes; sed F carnem Christi à carne peccati non esse discretam, magnâ miseriâ credimus. Proinde argumentationem tuam vana conclusione determinas, dicens, *Apparet igitur, crimen voluntatis esse, non seminis.* Hoc omnino inaniter intulisti: quoniam superiora, ex quibus eam confectam putas, consequentia non esse monstravi; & procul dubio, quia in paradiso esse possent, nulla esse post paradisum vitia nascentium, nisi malâ voluntate primorum gignentium vitiarentur & se- G mina.

(Ceterorum hominum à Christo non est nisi caro peccati. — Rom. 8. 3.)

Cur non ergo potiùs tibi dicitur, (ut nos veraciter, quâ tu fallaciter usus es, eâdem formâ ratiocinationis utamur:) Si Christus homo in similitudine carnis peccati ad homines missus est, quomodo non quidam in vobis, sed omnes vos dicitis, aliam cui sit ista similis, carnem non esse peccati,

a Sic MSS. Editi verò, *æquitate*.

b Editi, *quia voluit*. Castigantur ex codice Port.

peccati, si non est alia caro peccati? Si Christus non habuit similitudinem carnis peccati, inanis est prædicatio ejus qui hoc dixit, inanis est & fides Ecclesiæ catholicæ quæ hoc credidit; invenitur autem & falsus testis Apostolus, qui testimonium dixit adversùs Christum, quia similitudinem carnis peccati habuit, quam non habuit. Sed si hoc credimus, fidelibus non sociamur hominibus. Nunc autem Christus missus est in similitudine carnis peccati; quia solus veram carnem sic habuit, ut non esset caro peccati, sed ejus similitudo: ac per hoc necesse est ut fateamur, carnem ceterorum hominum esse peccati, cui similis facta est vera caro Christi, sed non caro peccati.

XXXVI. Jul. *Confodiuntur nempe Manichæi, & peccatum naturale credentes, & resurrectionem carnis negantes.* Nunc autem, *inquit*, Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. (1. Cor. 15. 20.) *De resurrectione hìc Apostolus non generali loquitur, quam experturi sunt etiam scelesti, etiam profani homines; sed de eorum tantummodo, qui transferentur in gloriam. Beatam ergo resurrectionem puro nomine resurrectionis ostendit, cujus comparatione, illa impiorum quasi non sit resurrectio,* [a] *præteritur. Hic ergo Apostolus non solùm resurrectionem, ut dixi, quæ bonis malisque communis est, sed resurrectionem inculcat beatam: & licèt non sit unum resurrectio & beatitudo resurrectionis, sicut nec resurrectio & resurrectionis miseria unum est; tamen quia beatitudo æterna absque resurrectione non est, nomine ejus illa quoque felicitas, quæ excitationem haud pænitendam facit esse, signatur. Ut si aliquis industriam, vires, & studia diversa collaudans, compendio ea vitæ velit ostendere, verbi gratiâ, eruditam illius vitam, elegantem hujus, impigram appellet alterius; non utique admoverit distinctionem, ut idem vita quod industria, quod elegantia, quod fortitudo videatur: aliud est quippe vivere, aliud studere; verumtamen nisi vixeris, nullus studebis. Ita etiam non est idem resurrectio quod beatitudo; est quippe misera excitatio cinerum: tamen nullus regnabis, nisi ante resurrexeris. Mors ergo corporis & resurrectio corporis è regione consistunt: si mors esset universa pœnalis, esset quoque universa resurrectio præmialis: nunc autem est resurrectio pœnalis omnium, qui ignibus deputantur æternis: ergo & mors non supplicialis est, sed naturalis. Sicut enim non facit generaliter mors corporis, ut pæniteat interiisse; sic non facit generaliter resurrectio, ut placeat revixisse. Verùm & istius bonum in remuneratione surgentium, & illius amaritudo in adustione punitorum est: quæ utraque pro meritis consequuntur. Apparet igitur Apostolum non de morte naturali, sed de criminosorum, quam infelicem facit pœna perpetua; nec de resurrectione communi, sed quam beatam facit gloria sempiterna, disserere: nec ubi de personis disputat* [b] *præjudicium inferre creaturis, sed salvis semper distinctionibus latisque limitibus naturarum & voluntatum, sic miscere nonnumquam vocabula, ne specialitas rerum confusione depereat.*

(1. Cor. 15. 21.) Per hominem *ergo* mors, & per hominem resurrectio mortuorum: *non hìc ab homine mortem conditam; sed in homine apparuisse denuntiat: sicut* A *& resurrectionem mortuorum non dicit ab homine factam, hoc est, à Christo; sed in homine, sicut ad Philippenses idem magister: Obediens, inquit, factus est* (Philip. 2. 8.) *usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, super omne nomen. Petri quoque apostoli in hoc concurrit assertio: Viri Israëlitæ, audite, Iesum virum* (Act. 2. 24.) *Nazarenum approbatum à Deo in vobis per manus iniquorum interemistis, quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni. Et item: Hunc Iesum Deus resu-* B *scitavit, cui omnes nos testes sumus. Ibi ergo sicut proprium erat hominis sine deitatis injuria obire mortem, ita proprium divinitatis hominem illum à mortuis excitare. Quòd autem Deus pronuntiatur operari ex persona Verbi, ipse quoque Christus facit. Sic enim dixerat: In potestate habeo ponere animam meam, & in potestate habeo sumere illam.* (Iohan. 10. 18.) *Cùm ergo sit Filii una persona, tamen distinctione legitimâ aliud applicatur carni, aliud deitati.* Per hominem *ergo* mors, & per hominem resurrectio (1. Cor. 15. 21.) C mortuorum, *manifestata, non creata: ceterùm utrumque institutum per Deum est; sed in Adam mortis conditio, in persona verò Christi primitiæ resurrectionis claruerunt. Hìc ergo ubi dicit Apostolus,* Per hominem mors: *si per voluntatem ejus dicas, nihil pertinet ad naturam; si per naturam, nihil spectat ad culpam. Homines nempe, alterum mortis, alterum resurrectionis ex adverso locavit, istum secundum nolens illi subdere.*

Et sequitur, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita (Ibid. 22.) D & in Christo omnes vivificabuntur. *Hoc ergo quod ait,* Omnes in Christo vivificabuntur, *etiam de impiis, an tantùm de fidelibus dicit? Si de impiis, quòd omnes vivificentur in Christo; ergo nullus in pœna est: si de fidelibus; non ergo universi vivificantur in fide Christi, sed tantùm fideles, quamvis omnes omnino virtute ipsius, qua conditi fuerant, excitentur. Si ergo de morte corporis loquitur,* In Adam omnes moriuntur: *nullus hoc nomine indicatur reatus, quando in eodem Adam & Christus mortuus inve-* E *nitur: neque enim sequuta esset veritas resurrectionis, nisi præcessisset veritas mortis. Igitur in Adam pronuntiat Apostolus omnes mori. Si hæc mors non indicat aliud quàm corporis resolutionem; nihil spectat profectò ad naturale peccatum, nec quidquam præjudicat innocentibus, si in Adam mori dicantur, in quo & Christus est mortuus. Sin autem hoc quod ait,* In Adam omnes moriuntur, *ad peccatum vis animi, & non ad mortem solùm, sed ad mortem ream & miseram pertinere, id est, quam deputata* F [c] *criminibus pœna consequitur: in ea autem videlicet gehenna nec Christus potuit esse, nec sancti: igitur nec innocentibus præjudicat, qui ut nihil boni, ita nihil mali voluntarii habent; sed hoc solum retinent, quod à Deo facti sunt; quos jure baptismatis consecramus, ut qui eos fecit condendo bonos, faciat innovando & adoptando meliores. Quod itaque dicit Apostolus,* Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: *abest tantum ab ista suspicione traducis Manichææ, quantum* G *Christus à peccato, qui & iniquitatem non habuit, & minùs de hominis natura nihil habuit.*

Aug. Quid est, quod adversùs nos disputans dicis, *Confodiuntur nempe Manichæi, & peccatum naturale credentes, & resurrectionem carnis negantes?*

[a] Editi, *partitur.* Castigantur ex MSS.

[b] Editi, *præjudicialibus*: mendosè & dissentientibus MSS.

[c] Sic MSS. Editi verò pro *criminibus*, substituunt *omnibus*.

Numquid nos, sicut illi, aut peccatum tribuimus alienæ naturæ, aut carnis resurrectionem negamus? Prorsus Manichæi [a] confodiantur à vobis, qui vobiscum confodiuntur à nobis, & quando adjuvantur à vobis. In eorum quippe adjutorium discordiam carnis & spiritûs peccato Adæ negatis esse tribuendam; ut illi hujus mali caussam requirentes sive reddentes, alienam mali naturam Deo bono coæternam commixtam nobis esse concludant.

Exponis deinde sequentia, ubi de carnis resurrectione Apostolus disputat, & dicis *non eum loqui de resurrectione communi, bonorum scilicet & malorum; sed eorum tantùm, qui transferentur in gloriam.* Ita est quidem: tamen de resurrectione corporis loquitur. Huic ergo è contrario mors opponitur corporis, eisque, id est, morti corporis & resurrectioni, singuli distribuuntur auctores, homines duo: Quoniam per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et ipsi homines duo propriis etiam nominibus exprimuntur, ut de quibus hoc dictum sit, evidenter appareat, atque additur: Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur. [b] Moriuntur, ait; non ait, morientur: ex altera verò parte non ait vivificantur; sed vivificabuntur. Nunc enim moriuntur ex pœna, tunc vivificabuntur ex præmio. Non itaque de illa morte nunc loquitur, quæ futura est eis, qui cum anima & corpore igne cruciabuntur æterno; alioquin ex utraque parte verbum futuri temporis poneret, & sicut dixit vivificabuntur, ita diceret morientur. Cùm verò dixit, moriuntur, quod utique nunc fit; vivificabuntur autem, quod tunc fiet: satis ostendit se de illa morte agere, in eo quod dicit, Per hominem mors, quæ animam dissolvit à carne: quamvis & ad illam mortem futuram pertineant, quæ secunda mors dicitur, qui reatum quem per Adam generatione traxerunt, per Christum regeneratione non solvunt. Nunc proinde quia de resurrectione corporis loquitur, quæ futura est, cui opponit è contrario mortem corporis, quæ nunc fit; & duo ista contraria singulos auctores habent, Adam mors, Christum resurrectio mortuorum: sicut intelligitur resurrectio illa præmialis, ita esse intelligenda est mors ista pœnalis. Præmio quippe à contrario non opponitur natura, sed pœna. Et ideo isto loco, ubi resurrectio corporis opponitur morti corporis, non de communi resurrectione agit Apostolus, quæ ad justos & injustos pertinet; sed de illa potiùs, in qua erunt qui vivificabuntur in Christo, non qui damnabuntur a Christo: quamvis utrosque ipse resurgere faciat, cujus vocem audient omnes, qui in
» monumentis sunt, & procedent qui bene fece-
» runt, in resurrectionem vitæ, qui autem mala
» egerunt, in resurrectionem judicii. Ideo ergo, ut dixi, eam * volui commendare, quæ ad beneficium Christi pertinet, non etiam illam, quæ tantùm ad judicium, ut quoniam ista præmialis est, mors quoque corporis, quæ à contrario huic opponitur, ostendatur esse pœnalis. Sicut enim vitæ mors, ita præmio pœna contraria est:

Adam mortis, Christus resurrectionis auctor. 1. Cor. 15. 21.

Mors pœnalis quæ animam dissolvit à carne.

Joh. 7. 29.

* f. voluit.

A per quam pœnam, id est, corporis mortem, quoniam sancti Martyres certaverunt atque vicerunt, mors eorum in qua nunc dormiunt in conspectu Domini, non suo genere, sed illius munere pretiosa est. Etiam pœnæ quippe sanctorum, sine dubitatione pretiosæ sunt: sed non quia pretiosæ sunt, ideo pœnæ non sunt; sicut non quia pœnæ sunt, ideo pretiosæ sunt; sed quia pro veritate susceptæ, vel cum pietate toleratæ sunt.

Psal. 115. 15.

B Hunc sensum sanum & catholicum si teneres, non in paradisum Dei, hoc est, in locum sanctarum deliciarum, non solùm mortium pœnas, verùm etiam mortiferarum valetudinum mitteres. Omnis autem pœna hominis quid est, nisi pœna imaginis Dei? quæ si infertur injustè, profectò à quo infertur, injustus est. Quis porrò dubitet, quòd injustè inferatur pœna imagini Dei, nisi hoc culpa meruerit? Solus enim mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus
C sine culpa [c] pertulit pœnam, ut nostram scilicet & culpam vacuaret & pœnam; non eam pœnam quæ [d] luenda in hoc maligno sæculo fuit, sed quæ nobis debebatur æterna. Et tamen ipse etiam nostrum in se affectum, morte propinquante, suscipiens: Pater, inquit, si fieri potest, transeat à me calix iste. Qui utique potestatem habebat ponendi & sumendi animam suam: sed mortem, quam nullâ culpâ præcedente, pro nobis voluntate, non necessitate suscepit, pœnam
D tamen esse his verbis suis Deus ille magister ostendit, quam solùs pro nostra sine ulla sua iniquitate sustinuit. Si ergo ista gloria misericordiæ Christi, qua pro nobis pœnam sine culpa pertulit, singularis est, ut non quidem in carne peccati, sed propter similitudinem carnis peccati, in Adam tamen, à quo descendit caro peccati, etiam ipse moreretur; procul dubio ceteri homines in hoc maligno sæculo, quod extra paradisum est, pœnas quascumque patiuntur à na-
E tivitate usque ad mortem, in quibus pœnis utique patiuntur & mortem, pro suis peccatis vel nascendo tractis, vel malè vivendo additis, meritò dignéque patiuntur sub justo & omnipotente judice; qui utique nec faceret, nec sineret inferri pœnas imaginibus suis, sine cujus voluntate nec passer cadit in terram, nisi justè sciret inferri. Et quid est justè, nisi merito peccatorum, vel examinatione virtutum; ita ut remissis etiam peccatis, pignus quod renati accipiunt
F salutis æternæ, in futurum eis sæculum prosit, hîc autem solvant quidquid in hujus sæculi pœnalis vanitate & malignitate solvendum est?

Pœna imaginis Dei injusta esset, nisi eam culpa meruisset. Solus Christus sine culpa pertulit pœnam.

Matth. 26. 39.

Singularis ista est gloria Christi.

Matth. 10. 29.

Quid est ergo quod dicis, *Ideo baptizari parvulos, ut quos Deus fecerat condendo bonos, faciat innovando & adoptando meliores?* Bonos quidem fecit, quia omnis natura in quantum natura est, bona est: sed quos fecit bonos, non injustè faceret vel sineret esse miseros. Quamvis & tu, qui eos innovari dicis, ducere vetustatem vete-
G ris hominis, cùm sint nascendo utique novi, incautus & nesciens confiteris. Compelleris igitur unum ex his tribus eligere, ut aut paradisum impleas pœnis hominum, aut injustum Deum

[a] Aliquot verba huc revocamus ex MSS.

[b] Hoc item loco unum & alterum versum auctoritate MSS. restituimus.

[c] Editi hîc & paulò pòst, *sine culpa protulit.* Emendantur utroque loco ex MSS. fide.

[d] Editi, *lucida*: corruptè ac repugnantibus MSS.

dicas in pœnis imaginum ejus, quas patitur innocentia parvulorum; aut quia hæc duo detestanda & damnanda sunt, agnoscas originale peccatum: & sic intelligas, omnes qui morte corporis moriuntur, in Adam mori, quia per ipsum [a] hominem mors, id est, per culpam ejus & pœnam; & omnes qui resurrectione corporis non damnantur, sed vivificantur, in Christo vivificari, quia per ipsum hominem resurrectio mortuorum, id est, per justitiam ejus & gratiam. Quia enim est [b] pœnalis corporis mors, ideo illi resurrectionem corporis tantummodo [c] præmialem, (cùm sit alia quoque pœnalis,) è contrario videmus oppositam.

XXXVII. 1 Cor. 15. 23. Coloss. 1. 18. Jul. Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus, deinde hi qui sunt Christi in adventu ejus, deinde finis. *Idem, & alibi: Qui est primogenitus, inquit, ex mortuis.* Deinde hi qui sunt Christi: *id est, sancti rapiuntur in nubibus.* (1. Thessal. 4. 17.) Post hoc finis: *quoniam hi ibunt in regnum æternum, impii verò in ignem æternum.* (Matth. 25. 46.) Cùm tradiderit regnum Deo & Patri; cùm [d] evacuaverit omnem principatum, & omnem potestatem, & virtutem. (1 Cor. 15. 24. &c.) oportet enim eum regnare, donec ponat inimicos omnes sub pedibus ejus: omnia enim subjecit subtus pedes ejus; novissima autem inimica destruetur mors. Cùm autem dixerit omnia ista subjecta sunt, sine dubio præter illum qui illi subjecit omnia: nam cùm subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse subjectus erit ei qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. *Regnum Dei & Patris est, ut impleto numero sanctorum qui in ejus præscientia continetur, omnis principatus & universa virtus adversariæ potestatis intereat. Oportet quippe hanc efficientiam tanti esse mysterii, ut omnes inimici justitiæ sub divinis pedibus collocentur. Quod tunc fiet, cùm destructam se & victam ab omnibus sanctis mors æterna conspiciet. Cùm autem fuerint tam Christo quàm corpori ejus omnia illa potestatum genera regni manifestatione subjecta, multo maximè congregatio omnis glorificata sanctorum esse Deo subdita non desistet; sed totum corpus dignum regno cælorum, quod sub Christo capite construitur, divinæ voluntati perfecta affectione cohærebit, ut exstincta omni cupiditate culparum, Deus & contineat cunctos, & compleat.*

Aug. In hac parte disputationis tuæ nihil penè, quod ad caussam quæ inter nos agitur pertineat, prosequutus es. Cur enim totum locum istum, ubi de resurrectione corporis Apostolus disserit, inserendum putasti, nisi propter illud quod ait, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur? (Ibidem 22.) Quia scilicet corporis mortem non vultis peccato primi hominis tribuere, sed naturæ: quam sic in illo homine primo dicitis institutam, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Unde satis tibi existimo esse responsum. Quamobrem prætermissis eis, in quibus exponendis superfluò te dilatare voluisti, illud quod ait Apostolus, Novissima inimica destruetur mors, discutiendum forsitan sit, de qua morte sit dictum, utrùm de ista quæ nunc est, qua de corpore exire anima compellitur; an de illa qua de corpore anima

A exire non sinitur, ut simul utrumque sempiterno igne crucietur: quæ mors utique nondum est, sed futura est: neque tunc destruetur, sed potiùs esse tunc incipit; quam nunc nondum esse quis ambigit? Hæc autem, quæ nunc in omnibus corpore morientibus frequentatur, cui contraria est corporis resurrectio, de qua ut hæc omnia diceret Apostolus disputabat; hæc, inquam, quæ nunc agitur, usitata & omnibus nobis nota mors corporis, tunc utique novissima

B destruetur, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. (1. Cor. 15. 53. 54.) Quod procul dubio de resurrectione corporis quæ tunc erit, contra mortem corporis quæ nunc est, dictum esse perspicimus. Quapropter si mors æterna quæ numquam fuit, non potest tunc destrui, quando esse potiùs incipit, nec umquam destruetur, quia semper erit; restat ut ista quæ nunc est, ipsa novissima, hoc est, in fine destruatur, quando fiet [e] resurrectione

C carnis ut non sit. Porrò inimica quomodo esset, si naturalis ita esset, ut pœnalis non esset? Pœnalis autem sub justo & omnipotente judice nullo pacto esset, nisi meritis peccati accidisset. (Mors corporis quæ usitata, merito peccati accidit.) Jam tandem sensum tuum, rogamus, emenda; & paradisum beatorum, quem pœnis hominum contaminaveras, munda.

Dici autem non potest, quantum mihi placeat, quod dixisti, *In regno cælorum futurum esse, ut exstincta omni cupiditate culparum, Deus & contineat*

D *cunctos, & compleat.* O utinam tuæ hujus sententiæ commonitione te corrigas, & cupiditatem culparum, quæ in carne nostra nunc, etiam coërcita, nobis repugnare non desinit, tunc verò, ut rectissimè confiteris, exstincta nulla erit, jam non te libeat laudare ut aliquod bonum, sed ut malum potiùs accusare. Ipsa est enim tua illa suscepta, qua caro concupiscit adversùs spiritum, ut necesse sit etiam spiritui adversùs carnem concupiscere, ne committatur (Gal. 5. 17.)

E unde homo damnetur. Quod discordiæ malum, rei utriusque bonæ & à Deo bono conditæ, id est, carnis & spiritûs, per prævaricationem primi hominis in naturam vertisse, proclamat, neque Manichæus, neque Manichæorum adjutor, sed destructor Ambrosius.

Jul. Alioquin, *inquit*, quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? quid & baptizantur pro illis? Quid & nos periclitamur omni horâ? Quotidie mo- (XXXVIII 1. Cor. 15. 29. &c.)

F rior per vestram gloriam, quam habeo in Domino. Si secundùm hominem pugnavi bestiis Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. *Si, inquit, ista spes futuræ gloriæ, qua Deus omnia in omnibus erit, impia infidelitate quatiatur, negeturque resurrectio mortuorum, quid facient qui baptizantur pro mortuis? Natus hinc error aliquorum est, putantium inter exordia Evangelii eum morem fuisse, quo adstantes pro cadaveribus pro-* (Baptizari pro mortuis.)

G *fiterentur, & aquâ baptismatis etiam defunctorum membra perfunderent: quod apparet de imperitia contigisse. Hoc enim quod ait Apostolus,* baptizantur pro mortuis, *nihil aliud indicat, quàm illud*

[a] Sic MSS. At editi, *hominum.*
[b] Vox *pœnalis* omissa hîc in editis: restituitur ex MSS.
[c] Editi, *pœnalem.* Veriùs MSS. *præmialem.*

[d] Ita codex Port. Alii verò MSS. cum editis, *æquaverit*: fortè pro *antiquaverit*, id est, *aboleverit.* Græcè est, καταργήσῃ.
[e] Editi, *resurrectio* Castigantur ex MSS.

Rom. 6. 4. *quod ad Romanos dixit, Consepulti illi sumus per baptisma in mortem: id est, Quâ gratiâ, tali ad baptismatis* [a] *susceptionem animo accedimus, ut membra nostra mortificemus in posterum, & pro mortuis omnino degamus, si spes non est, quia post mortem vivamus? Cur autem & quotidianis, inquit, subdor periculis, in mortem jugiter incidens, quam inferunt persequentes, ut de vestris ante Deum possim profectibus gloriari, si mortui non resurgunt? Cur autem & secundùm hominem pugnavi bestiis Ephesi, id est, cur sustinui bestialem seditiosorum furorem, si adhuc nutat quod mortui resurgunt?* Nolite seduci: bonos mores corrumpunt colloquia mala. Ignorantiam enim Dei quidam habent: ad confusionem vobis dico. *Amor, inquit, peccatorum diffidere vos suadet de futuris putatur non esse judicium, ut majore peccetur audaciâ. Omnino, inquit, nesciunt æstimare Deum, qui inficiantur* [b] *resurrectioni. Non ergo solùm remunerationem, sed virtutem divinitatis negatis, unde nimiùm debetis erubescere. Ad confusionem vobis dico, posse inter vos tales quospiam reperiri.*

1. Cor. 15. 33. & 34.

AUG. Et hîc nihil prorsus quod ad rem pertineat, quæ in nostra disceptatione versatur, dicere voluisti. Proinde verbis Apostoli, quæ pro tuo captu explanare conatus es, quia ea quæ dixisti, quamvis in nonnullis sensum non tenueris ejus auctoris, tamen non sunt contra fidem, non opus habeo respondere multiloquio tuo.

XXXIX. 1. Cor. 15. 35. &c.

JUL. Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui, quo autem in corpore veniunt? Insipiens tu quod seminas non vivificatur, nisi priùs moriatur. Non omnis caro eadem caro: alia quidem hominis, alia pecoris, alia caro volatilium, alia autem piscium: & corpora cælestia & terrestria; sed alia quidem cælestium claritas, alia verò terrestrium; alia claritas solis, & alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in gloria; ita & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptela; seminatur in ignominia, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Sic etiam scriptum est, Factus est homo primus Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. Primus homo de terra terrestris, secundus homo de cælo cælestis: qualis terrestris, tales & terreni; & qualis cælestis, tales & cælestes. Sicut portavimus imaginem terrestris, portemus etiam imaginem illius cælestis. *Difficultatem rei exemplis edomat, & dicit nihil esse impossibile, cùm omnipotentia pollicetur effectum. Sed sicut resurrectionem corporum seminum collatione commendat, ita etiam resurgentium diversitatem creaturarum varietatibus aperit: totum tamen loquitur de resurrectione beatorum.* Seminatur, *inquit*, in ignominia, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. *Hoc certè nisi in sanctis impleri non potest: impii * quoque non in gloriam excitantur, sed in opprobrium, sicut Propheta asserit, sempiternum. Hic opportunè distantiam naturæ atque gratiæ facit, recordaturque testimonii veteris quo dictum est,* Factus est homo primus Adam in animam viventem: *subditque de suo*, novissimus Adam in spiritum vivificantem. *Ostenditque immortalitatis dona ad vivificantem spiritum pertinere: animam verò solùm viventem, ad naturam quandoque morientem. Non est ergo, inquit, hoc vivens quod vivificans: vivificans est, qui confert immortalitatem, quam Christo applicat: vivens est autem, qui vitâ utitur, sed non excludit mortalitatem. Ergo hoc utramque sententiam fine discrevit, ut ostenderet Adam factum esse viventem, sed non immortalem; Christum autem in spiritum, non solùm viventem, verùm etiam conferentem resurrectionem, suis gloriosam, omnibus æternam.*

* f. quippe.

Jerem. 23. 40.

AUG. Numquid ideo moriturus fuerat Adam, etiamsi non peccasset, quia in corpore animali, non spiritali, erat factus? Prorsus erras, si propterea necesse nobis esse arbitraris, paradisum Dei mortibus pœnisque morientium, postremò ignominiâ, infirmitate, corruptione, in quibus nunc animalia hominum corpora seminantur, implere. Lignum enim vitæ, quod in paradiso suo plantavit Deus, etiam corpus animale defendebat à morte, donec perseverantis obedientiæ merito, in gloriam spiritalem, quam resurgentes habituri sunt justi, sine morte interveniente transiret. JUSTUM ENIM ERAT, ut imago Dei nullo fuscata & obsoleta peccato, tali insereretur corpori, quamvis de terrena materie creato atque formato, ut ei de ligno vitæ subministrata vivendi stabilitas permaneret; ac viveret interim per animam viventem, quam nulla ab illo necessitas separaret; atque inde, propter obedientiam custoditam, ad vivificantem spiritum perveniret; ita ut non ei subtraheretur hæc vita minor, ubi & mori & non mori posset, sed illa amplior adderetur, ubi viveret sine ullius ligni beneficio, morique non posset.

Lignum vitæ defendebat à morte.

Imagini Dei nullo peccato fuscatæ justum erat ut vivendi stabilitas tribueretur.

Nam quæro à te in quali corpore nunc esse existimes Eliam & Enoch? animali, an spiritali? Si dixeris animali: cur non vis credere Adam, & Evam, & posteros eorum, si præceptum Dei nulla prævaricatione violarent, quamvis in corpore animali, ita fuisse victuros, ut nunc vivunt isti? Quando quidem ibi erant illi, quò translati sunt isti; & illic vivunt isti, unde ut morerentur ejecti sunt illi. Corporale namque lignum vitæ sic vitam subministrabat corporibus animalibus, sicut spiritale lignum vitæ, quod est Dei sapientia, vitam salutiferæ doctrinæ sanctis mentibus subministrat. Unde nonnulli divinorum eloquiorum etiam catholici tractatores paradisum spiritalem commendare maluerunt; non tamen historiæ resistentes, quæ ostendit evidentiùs corporalem. Si verò Enoch & Eliæ spiritale jam corpus esse responderis: cur non primorum hominum, & eorum qui ex illis per seriem successionis nascerentur, si nullum peccatum exsisteret, quod illos à ligno vitæ meritò separaret, animale corpus in spiritale potuisse transire sine morte [c] media confiteris, ne paradisum Dei, locum felicium gaudiorum, pœnis [d] mortium atque morientium, & innumerabilibus mortiferorum morborum cruciatibus implere cogaris?

Elias & Enoch vivunt in paradiso, unde ejectus est Adam.

Lignum vitæ aliud corporale, aliud spiritale.

XL. 1. Cor. 15. 46. &c.

JUL. Sed non primum, *inquit*, quod spiritale est; sed quod animale, deinde quod spiritale est. Primus homo de terra terrestris,

[a] Hîc editi addunt, *etiam defunctorum*. Abest à MSS.

[b] Sic MSS. At editi, *inficiantur resurrectionem*.

[c] Sic MSS. At editi, *morte mediatoris* habent, omisso *confiteris*.

[d] Editi omittunt, *mortium atque*. Sed habent MSS.

cundus homo de cælo cælestis: sicut portavimus A imaginem terrestris, portemus & imaginem illius cælestis. *Apertè nempe transit ad studia, vultque tantum interesse inter præteritam nostram & præsentem conversationem, quantum interest inter mortalitatem & immortalitatem.* Primus, *inquit*, homo de terra terrestris, secundus homo de cælo cælestis: *nomine substantiarum propositi indicat diversitatem. Neque enim Christus, quem hominem cælestem vocat, carnem suam de cælo deposuit, quam de semine David, de semine Adam, & intrà mu- B lierem de mulieris carne suscepit. Terrestrem ergo & cælestem refert ad virtutes & vitia. Denique sequitur*: Sicut portavimus imaginem terrestris, portemus etiam imaginem illius cælestis. *Sic &* (Rom. 6. 19.) *ad Romanos: Humanum est quod dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.*

Tenorem verò sequens exhortationis assumtæ, subdit, quod nisi intelligatur, omnia ejus videbitur dicta (1 Cor. 15. 50.) *subruere*: Hoc ergo dico, fratres, quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, nec perpetuitatem interitus possidebit. *Nempe in his locis, in quibus nihil aliud quàm de affirmanda carnis resurrectione laboraverat, quam dixerat in regni gloria collocandam, nunc pronuntiat*, quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. *Si caro non possidet, si sanguis non possidet, ubi est, cujus supra pompam regenerat resurrectio mortuorum?* D *Verùm Scripturæ more, carnem & sanguinem, vitia,* (Ibid. 51.) *non substantiam nominavit. Denique hoc idem aperuit*: Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. *Intellexit se magister egregius, suprà beatitudini tantùm futuræ resurrectionis vocabulum vindicasse; & ideo illud ne ambiguum remaneret, absolvit*, Omnes quidem resurgemus; *ecce quæ est excitatio communis*: sed non omnes immutabimur; *ecce ubi est* E *resurrectio beatorum. Immutatio ergo in gloriam illis tantùm debetur, qui non iram Dei, sed amorem merentur.* (Ibid. 52.)

In momento, *inquit*, in ictu oculorum, in novissima tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. *Denuo hìc transit ad eos sanctos, quos dies ille in carne reperiet; & dicit quoniam in momento tam brevi, quàm potest esse extremus finis sonorum, & qui mortui fuerant, excitentur incorrupti, id est, integri; & qui inventi fuerint, immutentur* F *in gloriam.* (Ibid. 53. &c.)

Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptelam; & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam [a] tuam. Ubi est mors tuus aculeus? ubi est victoria tua? Aculeus autem mortis peccatum, virtus autem peccati lex. *Ostendit, ut sæpe, quoniam de sanctorum tantùm resurrectione loqueretur: ideo prætermittens illam impiorum excitationem, dignum esse pronuntiat,* G *ut in corporibus sanctorum corruptibilitas æternitate gloriæ devoretur. Cùm autem hoc, inquit, fuerit im-*

A *pletum, tunc licebit insultare diabolo, & morti perpetuæ, quæ hanc corruptionem naturalem fecerat malam videri; tunc increpabunt sanctorum gaudia, contusum à se aculeum mortis videntium, dicentque*, Ubi est mors aculeus tuus? ubi est victoria tua? Aculeus autem mortis peccatum, virtus autem peccati lex. *Id est, ò tu mors æterna, aculeum habebas peccatum, quo desertores justitiæ vulnerares: quoniam si hoc aculeo armata non esses, id est, peccato voluntario, nulli omnino nocuisses. Peccatum* B *hoc & hunc aculeum viribus fidei confractum vides, remuneratione nostra teste, à qua nos conabaris abducere: aculeus quippe tuus peccatum fuit, & virtus peccati tui lex erat: Quoniam ubi non est lex, nec prævaricatio. Vel certè quamvis aculeus [b] tuus peccatum esset; tamen fortior factus est apud prævaricatorum dumtaxat animos, post quàm [c] mors ei legis admota est; quæ tamen non ad hoc data fuerat, ut [d] acueret. Lex enim sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum; sed peccatum ut appa-* (Rom. 7. 12. & 13.) C *reat peccatum, per bonum mihi mortem operabatur, ut fieret supra modum ipsum peccatum peccans per mandatum. Hæc ergo virtus, quam aculeus tuus spontaneæ in nobis iniquitatis consequebatur adjutu, fidelium virtutibus, fidelium jam coronis victa comprobatur, & fracta. Insultamus igitur tibi*, Deo nostro gratias referentes, qui dedit nobis hanc victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. (1. Cor. 15. 57.)

Aug. De imagine terrestris, & de imagine D cælestis hominis satis jam superiùs disputatum est; tibique respondimus, quòd imago cælestis nunc fide ac spe portari potest; portabitur autem re ipsâ præsentatâ atque donatâ, cùm resurrexerit corpus spiritale, quod nunc animale seminatur. Duas quippe istas imagines, terrestris videlicet hominis unam, cælestis autem alteram, singulis rebus adtribuit, illam scilicet animali corpori, hanc spiritali. Superiùs enim dixit, Sed non primum quod spiritale est, sed quod ani- E male, postea quod spiritale est: protinusque subjunxit, Primus homo de terra terrestris, secundus homo de cælo cælestis: sicut portavimus imaginem terrestris, portemus etiam imaginem illius cælestis. Quis est ille, nisi Adam, per quem mors? Et quis est iste, nisi Christus, per quem resurrectio mortuorum? Quoniam, per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur: id est, quicumque F vivificabuntur, non nisi in Christo vivificabuntur; unde jam suprà sumus loquuti. Nulla est utique ambiguitas, ad quas duas res duæ istæ referantur imagines; illa namque refertur ad mortem, hæc ad resurrectionem. Illa ergo ad mortem corporis; quia hæc ad resurrectionem corporis: illa ad corpus animale, quod seminatur in ignominia; hæc ad spiritale, quod resurget in gloria: illâ nascendo, hac induimur renascendo. Sed quoniam sub peccato nascimur, in pec- G catorum autem remissione renascimur: Sicut portavimus, inquit, imaginem terrestris, portemus etiam imaginem illius cælestis. Illud factum

(Imago alia hominis terrestris, alia hominis cælestis.) (1 Cor. 15. 46. &c.) (Ibid. 21. & 22.) (Ibid. 49.)

[a] Editi, *suam*. At MSS. *tuam*.
[b] Hìc *tuus* additur ex MSS.
[c] Vetus codex Mar. *Mos ei legis admota est*. Arbitramur legendum, *Mosis lex admota est*. Nam & id quod Julianus subjungit *Lex enim sancta* &c. ad Mosaicam legem spectat: & infrà n. 141. vetetur ipse ne ab Augustino, *virtus peccati lex*, speciatim de præcepto Adæ posito intelligatur.
[d] Codex Port. *ut te acueret*.

esse commemorat, hoc exhortatur ut fiat. Nemo A enim potest efficere ut non fuerit natus in pœna, qua corpus ejus seminetur in ignominia: sed nisi fuerit renatus, & perseveraverit in eo quod est renatus in gratia, non perveniet ad spiritalis corporis habitudinem, quod resurget in gloria.

Quid est ergo quod dicis: *Apertè nempe transit ad studia, vultque tantum interesse inter præteritam nostram & præsentem conversationem, quantum interest inter mortalitatem & immortalitatem?* B Cùm potiùs Apostolus non ad aliud transeat; sed id quod de resurrectione carnis cœperat, exsequatur, cui è contrario mortem carnis opponit. Non itaque duas conversationes, malam scilicet, & bonam, vult hoc loco intelligi: sed resurrectionem carnis ita per Christum futuram, sicut per Adam mortem carnis asserit factam. Sine hominem Dei agere quod agit: tu eum sequere, noli ut te sequatur ipse conari. Non enim sequitur, quantumcumque coneris. Apertè C resurrectioni carnis mortem carnis opponit: apertè his singulis rebus singulos dispertitur auctores, morti corporis Adam, resurrectioni corporis Christum: apertè duas imagines, unam terrestris hominis, aliam cælestis, à contrario inter se conferens, illam corpori adtribuit animali, quod per Adam meruit ut seminetur in ignominia, istam spiritali, quod per Christum merebitur resurgere in gloria. Qui etiam secundùm carnem homo cælestis est dictus, non quia eam D sumsit è cælo, sed quia & ipsam levavit in cælum. Si studium bonum & bona conversatio facit, ut ad gloriosam resurrectionem [a] perveniant; numquid studio malo & mala conversatione vitæ hujus, quam nati, & accessu ætatis aucti duximus, factum est ut in corpore animali cum mortis propagine nasceremur? Quis enim malo studio vel ullo studio sibi comparavit ærumnosæ nativitatis initium? Quis mala conversatione id egit, ut eum, quomodolibet vixerit, mori ne- E cesse sit? Planè si hæc duo, id est, imaginem terrestris hominis, quæ ad corpus pertinet animale, & imaginem cælestis, quæ ad corpus pertinet spiritale, etiam ad conversationes referre volumus; sicut resurrectionem spiritalis corporis in parte justitiæ ponimus, ita mortem corporis animalis ponere in peccati parte debemus: quia sicut in Christi justitia fiet ista resurrectio, ita in Adæ iniquitate facta est mors illa. Quod si intelligas, & huic apertissimæ consentias veritati; F concedo quod dicis, terrestrem & cælestem referri ad vitia & virtutes: sicut enim virtus Christi faciet ut resurgat corpus spiritale, ita vitium Adæ fecit ut moreretur corpus animale.

Non itaque huic congruit, ejusdem Apostoli Rom. 6. 19. ad Romanos illa sententia: *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete vestra membra servire justitiæ in sanctificationem.* Ibi enim de malis & bonis moribus loquebatur; hîc autem de resur- G rectione corporis & morte corporis loquitur. Sed quoniam qui ratione jam utuntur, ad resurrectionem gloriosam, quæ tunc fiet, quando spiritale corpus resurget, venire non poterunt, nisi hoc & credant & sperent: ideo quòd terrestris hominis imaginem portaverimus commemorans, in qua est per hominem mors; ut imaginem cælestis hominis portemus hortatur, in qua est per hominem resurrectio mortuorum: ut quomodo per Adæ peccatum venimus in mortem corporis animalis, ita per Christi justitiam veniamus in resurrectionem corporis spiritalis.

Deinde subjungit: Hoc autem dico, fratres, 1. Cor. 15. 50. quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Ubi te non reprehendimus nomine carnis & sanguinis significatam carnalem prudentiam credidisse, non ipsam substantiam corporis animalis, quæ seminatur quidem in ignominia, sed tamen resurget in gloria, & regnum Dei procul dubio possidebit. Quamvis & aliter hoc possit intelligi, ut isto loco, nomine carnis & sanguinis, corruptio significata sit, quam nunc in carne videmus & sanguine; quæ utique corruptio regnum Dei non possidebit, quia corruptibile hoc induetur incorruptione. Unde cùm dixisset, Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: tamquam exponendo quid his nominibus significaverit, ne ipsa carnalis substantia crederetur, adjunxit, Neque corruptio Ibidem. incorruptionem possidebit. Et secundùm istum sensum magis videtur cetera adtexere. Sed utrumlibet his verbis auctor eorumdem verborum significare voluerit, neutrum est contra fidem, quæ ita se habet, ut non dubitet in carne incorruptibili possessuram regnum Dei ex omnibus gentibus congregatam Dei familiam. Non itaque hoc reprehendimus, quod etiam ante nos divinarum scripturarum catholici tractatores plerique dixerunt, carnem & sanguinem hîc posse accipi homines, qui secundùm carnem & sanguinem sapiunt, & ideo regnum Dei non possidebunt: sic enim ait idem doctor gentium, Sapere Rom. 8. 6. secundùm carnem mors est. Sed quòd non vis mortem corporis animalis per peccatum primi hominis accidisse, cùm audias eumdem Apostolum dicentem, Corpus mortuum est propter Rom. 8. 10. peccatum; neque negare audeas, resurrectionem corporis spiritalis, quæ morti corporis animalis opponitur è contrario, per justitiam secundi hominis adfuturam; & hoc ideo non vis, ut corporibus mortuorum, & per hæc etiam cruciatibus morientium impleas paradisum, beatarum deliciarum memorabilem locum: hoc reprehendimus, hoc detestamur, hoc dignum anathemate judicamus.

Nomine carnis & sanguinis potest intelligi vel carnalis prudentia, vel corruptio.

Cui enim morti in fine insultabitur, cùm dicetur, *Ubi est mors, victoria tua? ubi est mors, aculeus tuus?* 1. Cor. 15. 55. nisi aut diabolo, etiam mortis corporalis auctori, aut ipsi morti corporis, quam resurrectio corporis absorbebit? Hic enim sermo « tunc fiet, cùm corruptibile hoc induerit incor- « ruptionem, & mortale hoc induerit immortali- « tatem. Sine ambiguitate quippe dicit Apostolus: « Cùm corruptibile hoc induerit immortalitatem, « Ibid. 54. & 55. tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est « mors in victoriam. Ubi est mors victoria tua? ubi « est mors aculeus tuus? Cui morti hoc dicetur, « nisi quæ absorbebitur in victoriam? Et quæ ista est, nisi quæ tunc absorbebitur, quando corruptibile hoc corpus atque mortale, incorruptione atque immortalitate vestietur? Hujus ergo cor-

[a] Fortè *perveniatur*: vel addendum hîc, ut in codice Port. *corpora nostra*.

poralis mortis aculeus peccatum est: quia huic morti dicetur, Ubi est mors aculeus tuus? Quem aculeum dixit esse peccatum; aculeum videlicet quo mors est facta, non quem fecit ipsa; sicut poculum mortis est quo mors fit, non quod à morte fit. Quomodo ergo, ut putas, non huic, sed perpetuæ insultabitur morti? Numquid ipsa absorbebitur in victoriam, cùm mortale hoc induerit immortalitatem? Numquid adversùs sanctos ipsa contendit, ut ejus timor certamine vincatur illorum, quæ priùs eos victos tenebat, quando eam timendo peccabant? Nonne propter ipsam vincendam Dominus mortuus est, & evacuavit eum qui potestatem habebat mortis, id est, diabolum, & liberavit eos qui timore mortis per totam vitam rei erant servitutis? Numquid timore mortis [a] æternæ rei erant; cùm potiùs qui eam non timuerint, rei fiant? Propter quod Dominus, ne mors ista corporis timeatur, cujus timor facit reos; sed illa potiùs sempiterna, quam non timendo, fiunt rei, apertissimè dicit: Nolite timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quod faciant; sed eum timete qui habet potestatem & corpus & animam perdere in gehennam. Hæc est certè mors secunda atque perpetua, contra cujus timorem non certant sancti, sed contra istam potiùs corporis temporalem. Nam ut hanc vincant, illam timent; quia cùm hanc pro pietate & justitia vicerint, illam non sentient. Huic ergo, non illi, insultabunt dicentes, Ubi est mors victoria tua? quod alibi scriptum est, Ubi est mors contentio tua? Cùm igitur hujus mortis aculeus sit peccatum; qua fronte audes dicere, non peccato primi hominis esse factum, ut in illo à ligno vitæ separaremur, & morte etiam corporis plecteremur? Quid est, rogo te, quòd adversùs divinorum eloquiorum evidentiam, incredibili rabie spumantis loquacitatis oblatras, tamquam non possit in Dei paradiso anima tua obtinere vitam, nisi illuc introduxeris corporis mortem, cum tot & tantis corporalibus morbis, carnificibus, præcursoribus mortis? Adtende tibi potiùs, ne in locum deliciarum sanctarum mittendo corporis pœnas, tu ipse pendas in loco perpetuorum dolorum & animi & corporis pœnas.

XLI.

JUL. *In hoc sanè loco Augustinus aculeum mortis, peccatum illud opinatur antiquum, non intelligens quid sequatur, id est,* virtus peccati lex: *quam legem, præceptum quod Adæ positum est, conatur asserere. Sed illa lex non fuit peccati virtus, verùm peccati genus. Aliud est enim exstanti rei dare virtutem, aliud quod non exstitit procreare. Esus ergo illius arboris, si non esset interdictus, malus non fuisset: post quàm autem interdictus est, & à prævaricatione usurpatus, natum est ibi ex interdicente & contemnente peccatum: quamvis non ideo data lex fuisset, ut delinqueretur; sed tamen idem faciendo, id est, de arbore comedendo, non deliquisset homo, quia bona arbor erat, nisi gustus ejus à lege interdictus fuisset. Quod ergo per se pravum est, verbi gratiâ parricidium, sacrilegium, adulterium, & malum esse etiam sine lata lege dignoscitur, bene dicitur apud prævaricatores, qui cupientiores prohibitione redduntur, virtutem adquisisse per legem: quod verò iniquè non usurpatur, nisi interdicatur, genus ibi propriè, non robur ei constat à legis occasione collatum. Verùm quoniam hic fui longior, hujus quoque libri fine commoneo lectorem meum, ut vigilanter inspiciat, nullam in lege Dei occasionem Manichææ impietatis offendi; sed si qua putantur ambigua, secundùm regulas veritatis atque rationis & exponi posse, & justitiæ convenire non dubitet. Et illos ergo qui dicunt, non per Christum erit resurrectio mortuorum, & istos qui asserunt æquè contra Apostolum, non nostræ naturæ corpus habuisse Christum, per quod Manichæorum scita venerantur; eodem & qui legi Dei congruat vigore damnamus.* [b]

Quænam lex est virtus peccati.

AUG. Ego numquam dixi eam legem, quæ in paradiso data est, Apostolum significasse, ubi ait, virtus peccati lex. Frustra ergo adversùs me, tamquam hoc dixerim, tu multa dixisti. Virtutem namque peccati, jam quidem exsistentis, [c] sed minùs operantis, eam legem semper intellexi, de qua idem Apostolus, Quid ergo dicemus? inquit, Lex peccatum est? Absit: sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Ecce quomodo est virtus peccati lex: minùs enim operabatur peccatum, quando prævaricationem nondum operabatur, quia lex nondum data erat: Ubi enim lex non est, nec prævaricatio. Nondum ergo erat omnis concupiscentia, ante quàm prohibitione sic cresceret, tamque fortis fieret, ut ipsius prohibitionis, qua creverat, vinculum rumperet. Hoc & te ipsum scire monstrasti, multa in hanc sententiam differendo: quamvis ut hoc ostenderes, alia potiùs adhibuisti testimonia apostolica, non hoc quo ego nunc usus sum; fortasse ideo, ne peccatum esse concupiscentiam fatereris. Apertissimè quippe illam demonstravit esse peccatum, qui dixit, quod commemoravi: Peccatum non cognovi, nisi per legem. Et velut quæreremus quod peccatum: Nam concupiscentiam, inquit, nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Hæc igitur concupiscentia, utique mala, qua caro concupiscit adversùs spiritum, nondum erat ante primi hominis illud grande peccatum: sed esse tunc cœpit, naturamque humanam tamquam [d] in traduce vitiavit, unde trahit originale peccatum. Cum illa quippe omnis homo nascitur: nec hujus concupiscentiæ reatus, nisi in renascentibus solvitur, ut eo post hanc absolutionem non inquinetur, nisi qui ei ad perpetrandum opus malum, spiritu adversùs eam vel non concupiscente, vel non fortiùs concupiscente, consentit. Addunt ergo vires eidem concupiscentiæ peccata, quæ accedunt propria voluntate peccantium, & ipsa consuetudo peccandi, quæ non frustra dici solet secunda natura: sed ne tunc quidem omnis est concupiscentia. Adhuc enim habet quò crescat; quoniam minor est, quamdiu non à sciente, sed ab ignorante peccatur. Ideo non ait, Non habebam, sed, Nesciebam concupiscentiam, nisi lex diceret, Non

Rom. 7. 7. & 8.

Quomodo lex sit virtus peccati.

Rom. 4. 15.

Concupiscentiam esse peccatum.

[a] Vox *æternæ* additur ex MS. Port.
[b] Hoc loco in MSS. subjicitur, *Explicit liber Iuliani.*
[c] Ex MSS. hoc loco addimus, *sed minùs operantis.*

[d] Editi, *tamquam traducem.* At MSS. Clar. & Mar. *tamquam in traduce.* Port. *tamquam in traducem.*

„ concupisces. Occasione autem accepta pecca-
„ tum per mandatum operatum est in me omnem
„ concupiscentiam. Omnis est enim concupiscentia, quando prohibita concupiscuntur ardentiùs, & peccata jam cognita, ignorantiæ sublatâ excusatione, & accedente legis prævaricatione, committuntur immaniùs.

Lex sine gratia, non correctio peccantis, sed virtus est peccati.

Unde lex Dei, apud eos quos non adjuvat gratia Dei per agnum Dei qui tollit peccatum mundi, non correctio peccantis, sed virtus potiùs est dicta peccati. Et ideo cùm dixisset, Virtus peccati lex, tamquam responderetur, Quid ergo faciemus, si peccatum nec lege tollitur, sed augetur? continuò subjiciens ubi spes debeat esse certantibus: Gratias, inquit, Deo qui dedit nobis victoriam; vel sicut alii codices habent, quod & Græci habent, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Verissimè prorsùs: Si enim data esset lex, quæ posset vivifica-
„ re, omnino ex lege esset justitia: sed conclusit
„ Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex
„ fide Jesu Christi daretur credentibus. Hi enim sunt filii promissionis & vasa misericordiæ, quibus ideo data est promissio ex fide Jesu Christi, quia misericordiam consequuti sunt, ut fideles essent, quod etiam de se ipso dicit Apostolus: ne vel ipsa fides, ex qua incipit, & ad quam refertur, quidquid temperanter & justè & piè gerimus, ita tribuatur nostræ voluntatis arbitrio, tamquam non nobis Deo miserante donetur; à quo etiam voluntas ipsa, sicut scriptum est, præparatur. Unde sancta Ecclesia per ora supplicantium sacerdotum non solùm pro fidelibus, ut in eo quod credunt, perseverante pietate non deficiant, verùm etiam pro infidelibus orat, ut credant. Ex quo enim per humanum liberum arbitrium Adam * commisit illud grande peccatum, & omne genus humanum in commune damnavit, ab hac communi damnatione homines quicumque liberantur, non nisi divinâ gratiâ & misericordiâ liberantur; ET QUIDQUID LEX DEI JUBET, NON NISI EO QUI JUBET ADJUVANTE, INSPIRANTE, DONANTE COMPLETUR: qui rogatur ut permaneant, ut proficiant, ut perficiantur fideles; qui rogatur etiam ut credere incipiant infideles. Quas Ecclesiæ sanctæ preces toto terrarum orbe crescentes & ferventes, opprimere ac exstinguere cupiunt, qui contra istam Dei gratiam humanæ voluntatis arbitrium, ut graviùs de alto præcipitent, extollunt potiùs, quàm defendunt. In quibus contentiosum locum vel soli, vel præcipuè vos tenetis, qui Christum Jesum parvulis non vultis esse Jesum, quos nullo peccato originali adtaminatos esse contenditis: cùm ille propterea Jesus appellatus sit, quia salvum facit populum suum, non à corporalibus morbis, quos & in populo non suo sanare consuevit, sed à peccatis eorum.

1. Cor. 15. 57.

Gal. 3. 21. & 22.

1. Cor. 7. 25.

Fides donum Dei.

Prov. 8. sec. LXX.

* Chrysost. in epist. ad Olympiad. V. suprà pag. 1300.

Ecclesiæ preces pro fidelibus ut permaneant, & pro infidelibus ut credant.

Matth. 1. 21.

1. Cor. 15. 56.

Quamvis ergo Apostolus in eo quod ait, Aculeus autem mortis est peccatum, illam sine ambiguitate expresserit mortem, quæ resurrectioni corporis, de qua loquebatur, opposita est, id est, corporis mortem; ipsa enim absorbebitur in victoriam, quando corpore spiritali resurgente jam non erit, quia immortalitas etiam corporis erit, quæ nullo peccato possit amitti: tamen in eo quod sequutus adjunxit, Virtus verò peccati lex,

A non legem significavit, quæ data est in paradiso; illa enim peccati, quod nullum adhuc erat, virtus esse non posset: sed eam legem virtutem dixit esse peccati, quæ subintravit ut abundaret peccatum, & operaretur omnem concupiscentiam, id est, non eam tantùm, quæ in paradiso exorta mortificavit & corpus, cum qua omnis homo nascitur; nec eam tantùm, quæ peccatis per cujusque malos mores accedentibus crevit; verùm etiam illam, quæ mandato pro-
B hibente ardentiùs excitata, ad prævaricationem usque pervenit; ut victoria, qua non solùm peccati cupiditas, verùm etiam mortis corporalis vinceretur timor, postremò ipsius mortalitatis absorberetur infirmitas, non lege per Moysem datâ, sed per Christum factâ gratiâ præstaretur: „
Proinde ita dixit Apostolus, Aculeus autem mor- „
tis est peccatum; virtus verò peccati lex; gra- „
tias autem Deo qui dat nobis victoriam per Do- „
minum nostrum Jesum Christum: tamquam di-
C ceret, Aculeus quidem mortis est peccatum, quia peccato etiam mors ista corporis facta est, cujus auctori vel ipsi etiam morti dicetur in fine ab eis, quibus in gloria resurgentibus absorbebitur, Ubi est mors victoria tua? ubi est mors aculeus tuus? sed iste aculeus, id est, peccatum, per unum ingrediens, & in omnes homines cum morte pertransiens, aliis quoque additis multiplicatum, nec lex sancta & justa & bona quivit auferre: virtus enim potiùs ejus effecta est,
D cùm prohibita concupiscentia magis ardesceret, & ad prævaricationis cumulum perveniret. Quid „
ergo restabat, nisi ut gratia subveniret? Gratias „
itaque Deo qui dat nobis victoriam per Dominum „
nostrum Jesum Christum; qui nostra debita dimittendo, & nos in tentationem non inferendo ad novissimam victoriam, qua mors etiam corporis absorbeatur, adducit; ut qui gloriatur, non confidat in virtute sua, sed in Domino glorietur.

2. Cor. 10. 17.

Catholica fides errori Manichæorum simul & Pelagianorum adversa.

Hæc recta & catholica fides, in qua etiam
E didicimus & tenemus, mortem quoque corporis eo aculeo factam, quod est peccatum, tantùm à Manichæorum errore diversa est, ut vobiscum illi dicant potiùs, quàm nobiscum, sic mortalem Adam factum, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturùs esset. [a] Nec tamen ideo vos Manichæos dicimus, quia & vos hoc dicitis: nec videtis tamen, neque nos à vobis ideo dici debere Manichæos, quia malum esse concupiscentiam,
F qua caro concupiscit adversùs spiritum, & illi & nos dicimus. Sed vos ab eis, in eo quod simul dicitis, dissimili quidem, verumtamen alio errore distatis, qui mortem carnis non sicut illi naturæ tribuitis alienæ, nobisque permixtæ, sed eam naturæ nullo vitiatæ pecato impingitis nostræ: ac sic paradisum honestissimæ ac felicissimæ voluptatis, funeribus mortuorum & cruciatibus morientium infeliciter atque indecenter impletis. Nos verò, in eo quod cum Manichæis
G dicimus concupiscentiam carnis, qua contra spiritum concupiscit, malum esse, atque à Patre non esse, non ab eis alio, quamvis dissimili, tamen ipso hæretico errore, sed catholica veritate distamus; quia istam discordiam duarum concupiscentiarum carnis & spiritûs, non cum illis per alienæ Deo coæternæ malæque naturæ

1. Johan. 2. 16.

commixtionem

[a] Hîc ex MSS. restituimus, *Nec tamen.*

commixtionem nobis accidisse, sed cum catholico Ambrosio ejusque consortibus, per prævaricationem primi hominis in naturam nostram vertisse disserimus, & contra utrosque vestrûm fidenter asserimus: carnemque Christi, non sicut illi nullam, nec sicut vos calumniamini, à natura nostræ carnis alienam; sed ab hoc nostro vitio, quo caro contra spiritum concupiscit, immunem atque omnino integram prædicamus. Vos autem mala negando esse, quæ mala sunt, eorumque originem non ad primi hominis referendo peccatum, non ut ea mala non sint, efficitis; sed ut ex mala natura bono æterno coæternâ esse credantur, detestabili cæcitate suffragamini Manichæis, eosque accusatis inaniter, quia miserabiliter adjuvatis. [a]

[a] In MSS. Mar. & Clar. subjicitur: *Explicit liber sextus Aurelii Augustini episcopi catholici, contra Iulianum hæreticum Pelagianum, feliciter.* In Port. *Explicit liber sextus beati Augustini contra Iulianum.*

OPUSCULA CONTRA PELAGIANOS in superioribus Tomis contenta.

In Tomo I.

In Tomo II.

Adam nisi vinculo damnationis obstrictum, neminem inde liberari nisi renascendo per Christum.

CXCI. ad Sixtum presbyterum, eum qui Cælestino postea in Romana sede successit, quem contra Pelagianos, quibus favisse rumor fuerat, defensionem gratiæ Dei suscepisse gratulatur Augustinus, exhortans ut pergat impudentes cohibere, dissimulantibus mederi.

CXCIII. ad Mercatorem. Initio laudat librum ab ipso adversùs novos hæreticos conscriptum; & mox ostendit Pelagianos in quæstione de baptismo parvulorum hoc ipso esse propè convictos, quòd fatentur parvulos quodam modo per eos credere à quibus baptizandi offeruntur. Deinde eosdem ex Enochi & Eliæ ante obitum translatione, sive ex fidelium vivorum ad Christi adventum raptu, frustra contendere mortem non esse pœnam peccati.

CXCIV. ad Sixtum presbyterum, eumdem qui postea Romanæ Ecclesiæ præfuit, epistola prolixior, instruens illum adversùs Pelagianorum argumentationes.

CXCVI. ad Asellicum. Docet quæ sit utilitas Mosaicæ legis, quam Iudæorum more observare non licet Christianis: Pelagianosque obiter notat in damnabilem Iudaismum incidisse.

CC. ad Valerium comitem, cui liber de nuptiis & concupiscentia primus, ipsius nomine editus, transmittitur.

CCI. Imperatorum Honorii & Theodosii ad Aurelium, necnon ad Augustinum, de nova in Pelagium & Cælestium eorumque fautores edita sanctione, utque adversùs damnatam hæresim subscriptionem exigant à ceteris episcopis.

CCII. Hieronymi ad Alypium & Augustinum. Gratulatur quòd eorum operâ Cælestiana hæresis exstincta sit, & excusat cur nondum refellerit libros Aniani Pelagiani.

CCVII. Augustini ad Claudium episcopum, cui libros prioris sui contra Iulianum operis transmittit.

CCXIV. ad Valentinum abbatem & cum eo monachos Adrumetinos, apud quos dissensio de libero arbitrio & justitia Dei quædam oborta erat ex prava interpretatione epistolæ prolixioris ad Sixtum. Docet fidem catholicam in illa epistola propugnatam, hanc esse, quæ neque liberum arbitrium neget, neque tantum ei tribuat, ut sine Dei gratia putetur valere quidquam ad bonum.

CCXV. ad eosdem de eodem argumento: simulque ipsis liber de gratia & libero arbitrio transmittitur.

CCXVI. Valentini ad Augustinum. Renuntiat quæ caussa exstiterit dissidii, quive auctores tumultùs in suo cœnobio: tum declarat fidem suam de libero arbitrio & de justitia Dei remunerantis, ac denique Florum, quem Augustino mittit, ab erroris suspicione liberat.

CCXVII. Augustini ad Vitalem, de quo audierat, quòd doceret initium fidei non esse Dei donum. Reprehendit acriter, ex precibus Ecclesiæ ipsum confutans, ac regulas circa quæstionem de gratia Dei duodecim proponit ad Ecclesiæ fidem pertinentes.

CCXVIII. ad Palatinum, ne spem bene vivendi collocet in propriis viribus.

In CCXXIV. ad Quodvultdeum vide n. 2. ubi de secunda contra Iulianum responsione.

CCXXV. Prosperi ad Augustinum, de reliquiis Pelagianæ hæreseos in Gallia succrescentibus.

CCXXVI. Hilarii ad eumdem de eodem argumento.

IN TOMO III.

LIB. *3. de doctrina Christiana cap. 33. & 34.*
Tractat. III. in Iohannis evangelium n. 8. 9. &c.
Tractat. XXVI. n. 1. 2. &c.
Tractat. LXVII. n. 3.
Tractat. LXXXII.
Tractat. LXXXVI. n. 2.

IN TOMO IV.

SERMO *I. in Psalmum LVIII. n. 7. & 18.*
Ser. II. in eumdem Psal. n. 2. & 11.
Ser. I. in Psal. LXX.
Ser. II. in eumdem Psal.
Enarratio in Psal. LXXI. n. 3.
Ser. II. in Psal. CXVIII.
Ser. III. in eumdem Psal.
Ser. IV. in eumdem Psal.
Ser. V. in eumdem Psal.
Ser. VII. in eumdem Psal.
Ser. XVII. in eumdem Psal.
Ser. XXV. in eumdum Psal.
Ser. XXVI. in eumdem Psal.
Ser. XXVII. in eumdem Psal.
Enarratio in Psal. CXLII. n. 5. 6. 10. 17. & 18.
Enarratio in Psal. CXLIV. n. 10.

IN TOMO V.

SERMO *XXVI. de verbis Psalmi 94.* Fleamus ante Dominum, qui fecit nos. *Et de verbis Apostoli Gal. 2. & Rom. 9. & 11.*
Ser. XXVII. de titulo Psalmi 95. & de verbis Apostoli Rom. 9. Miserebor cui misertus fuero.
Ser. XXX. de verbis Psalmi 118. Gressus meos dirige, *&c. Et de verbis Apostoli Rom. 7.*
In ser. XXXII. n. 8. 9. & 10.
In ser. LXI. n. 2. & 3.
In ser. LXVII. n. 6. 7. &c.
In ser. C. n. 3. & 4.
In ser. CXV. n. 3. & 4.
Ser. CXXXI. dictus ad mensam S. Cypriani, 9. Kal. octob. die Dominica, de verbis Evangelii Iohan. 6. Nisi manducaveritis carnem, *&c. deque verbis Apostoli & Psalmorum.*
In ser. CXXXV. n. 7. & 8. quòd nullus in hac vita sit absque peccato.
In ser. CXXXVI. n. 1. 5. & 6.
In ser. CXLV. n. 3. 4. 5. & 6.
Ser. CLI. de verbis Apostoli Rom. 7. Non enim quod volo, facio bonum, *&c.*
Ser. CLII. de subsequentibus verbis Apostoli Rom. 7. & 8.
Ser. CLIII. de verbis Apostoli Rom. 7. Cùm essemus in carne, passiones peccatorum *&c.*
Ser. CLIV. de verbis Apostoli Rom. 7. Scimus quia lex spiritalis est, *&c. contra id quod Pelagiani dicunt hominem sine peccato esse in hac vita.*
Ser. CLV. de verbis Apostoli Rom. 8. Nulla ergo condemnatio est nunc his, *&c.*
Ser. CLVI. de verbis Apostoli Rom. 8. Ergo

fratres, debitores sumus non carni, *&c.*

Ser. CLVIII. de verbis Apostoli Rom. 8. Quos autem prædestinavit, illos & vocavit, *&c.*

Ser. CLXIII. de verbis Apostoli Gal. 5. Concupiscentias carnis ne perfeceritis, *&c.*

Ser. CLXV. In verba Apostoli Ephes. 3. Peto non infirmari *&c. de gratia & libera voluntate.*

Ser. CLXVI. de verbis Apostoli Ephes. 4. & de versu Psalmi 115. Omnis homo mendax.

Ser. CLXVIII. de verbis Apostoli Ephes. 6. Pax fratribus & caritas cum fide, *&c. sive de gratia Dei secundùm Vasis electionis confessionem atque doctrinam, quoniam fides misericordiæ Dei donum est.*

Ser. CLXIX. de verbis Apostoli Philip. 3. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritui Dei servimus, *&c.*

Ser. CLXX. De verbis Apostoli ibid. Secundùm justitiam quæ ex lege est, *&c. deque verbis Psalmi 142. & Evangelii Iohan. 6.*

Ser. CLXXIV. de verbis Apostoli 1. Tim. 1. Humanus sermo & omni acceptione dignus, *&c. deque lectione Evangelii Lucæ 19.*

Ser. CLXXVI. de tribus lectionibus, scilicet Apostoli 1. Tim. 1. & Psalmi 94. & Lucæ 17.

Ser. CLXXXI. de verbis epistolæ 1. Iohan. 1. Si diximus quia peccatum non habemus, *&c.*

In ser. CLXXXIII. n. 12.

In ser. CCLXXXIV. n. 3.

In ser. CCXCIII. n. 8. 9. &c.

Ser. CCXCIV. in Natali martyris Guddentis, de baptismo parvulorum.

In ser. CCXCVII. n. 5. 6. & 7.

In ser. CCXCVIII. n. 4. & 5.

In ser. CCXCIX. n. 3. 5. 6. 7. 10. 11. & 12.

Ser. CCCXXXIII. in natali Martyrum: ubi patientiam Christianorum & bona opera dona Dei esse ostenditur.

Ser. CCCLXV. De versu Psalmi 15. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.

Ser. CCCLXVI. De Psalmo 22. Dominus regit me, *&c.*

Sermonis contra Pelagianos fragmentum ab Eugypio acceptum.

IN TOMO VI.

ENCHIRIDION *ad Laurentium, caput 23. & seqq.*

In libro de bono Viduitatis cap. 16. 17. & 18.

In lib. de Patientia cap. 15. & seqq.

FINIS.

SYLLABUS CODICUM

AD QUOS RECOGNITA SUNT OPUSCULA TOMI DECIMI: Necnon variantes lectiones inter omissas selectæ.

*Quæ asteriscum * habent, videntur referendæ in textum.*

DE PECCATORUM MERITIS ET REMISSIONE LIBRI TRES,

RECOGNITI hac nova editione fuerunt ad veteres codices Romanos bibliothecæ Vaticanæ tres, & ad Gallicanos decem, unum scilicet è bibliotheca illustriss. Domini de S. Georges archiepiscopi Turonensis à Rege designati, unum Ecclesiæ Laudunensis, unum Dominicanorum majoris conventûs Parisiensis viâ Jacobæâ, Sorbonici collegii unum, & codices ex abbatia Corbeiensi, ex Remigiana, ex Pratellensi, ex Beccensi, ex Casalensi, & ex Sigiramnensi: ad variantes etiam lectiones ex Belgicis quatuor MSS. Lovaniensium curâ collectas: necnon ad præcipuas editiones Am. Er. & Lov. id est, Johannis Amerbachii, Desiderii Erasmi, & Lovaniensium Theologorum.

Pag. 3. d. Lov. ex tribus Belgicis MSS. *ne fortè diutius hîc* vivendo.

Ibid. f. In MSS. *& ex* collyrida *panis*.

4. b. Casalinus cod. *sed tantùm* relatore *opus habet*.

Ibid. d. MSS. *Quia verò illa resurrectione*: omissâ particulâ, *in*.

5. a. Am. & Er. *ad utrumque posset hoc referri*.

Ibid. b. Plerique MSS. Huic *etiam verborum consequentium*.

6. f. Aliquot MSS. *sed imitatione* intravit.

7. b. Am. Er. & MSS. Hæc *enim gratia*: minùs rectè.

Ibidem editi: *in quo omnes* vivificabuntur, *præter* quàm *quòd*. At MSS. habent *vivificantur*. Et omittunt, *quàm*.

Ibidem d. Am. & Er. *nam per diabolum diceret*: omisso, *si imitationis*, quod Lov. & nonnulli MSS. addunt, tametsi non necessarium.

9. g. Editi: *graviùs* quisque *peccavit*. At MSS. *quis*.

10. a. Belgicus quidam MS. loco *traduximus*, habebat *traximus*.

Ibidem sex MSS. *in quo omnes* justificantur.

Ibid. c. Am. & Er. *Alioquin non* solùm *ob unius delictum*.

11. c. Am. & Er. *in quo omnes imitatione* peccaverunt.

Ibid. f. In excusis: *& aliqui* regenerari *spiritu*. In MSS. *generari*.

12. a. Editi: *superabundavit* & *gratia*. Particula *&* abest à MSS. & ab Apostolo.

13. d. Editi: eo *modo filii*. At MSS. *eodem modo filii*.

14. e. Editi: *pænitendi* nondum *habent*. At MSS. *non*.

15. b. Lov. *in regnum* cælorum. *Nam si illud*. Am. verò, Er. & nostri MSS. hoc loco habent, *in regnum Dei*.

Ibidem c. Lov. *de sacramento* sancti *lavacri*: addita voce *sancti* ex uno tantùm MS. In sequenti versu Sigiramnensis codex omittit, *sanctæ*.

Ibid. f. In omnibus MSS. qui *non possumus dicere*: pro, *quia*.

16. c. Editi: Et *unde hoc*. Abest *Et* à MSS.

17. b. In MSS. *non* taliter *movet*.

Ibid. e. Editio Lov. neque *aliquid egerant*. Emendatur ad MSS. Ex his nonnulli habent, *qui aliquid egerint*: omisso *nec*. Vaticani verò, *neque qui aliquid* egerunt. Sigiramnensis MS. *nec* dum *aliquid* egissent.

18. c. Am. *Quid* huic *respondeant*. Lov. *hîc*. Veriùs MSS. *hinc*: locutione Augustino familiari.

Ibid. d. In pluribus MSS. diversè *hîc experturæ*.

Ibid. f. Apud Am. & Er. post *vel in se ipso religionis*, additur, *reverentiâ*.

20. g. Editi: *à quo* aliquid *audit*. Abest *aliquid* à MSS.

Ibid. particula *sed*, ante verba, *nec si angelum*, præteriri potest, & re vera præteritur in MSS.

21. a. Lov. *quod* in *æternum manet*. Abest *in* ab editis aliis & à MSS.

Ibid. c. Editio Lov. *sive* quibuscumque *ignibus*. Sed passim apud Augustinum *quibusque*, pro *quibuscumque*.

Ibid. d. Omnes MSS. cum Am. quod *est lumen verum*: pro, *qui*.

23. b. MSS. *& intaminatam*: pro, *& incontaminatam*.

Ibid. Plerique MSS. *qui in* veritate *Dei conservamini*.

24. b. MSS. *in Dei* patientiam.

26. d. In MSS. vivificavit *cum illo*.

27. d. Am. Er. & MSS. *Propterea ergo pueri*: omisso, *quia*.

Ibid. e. pro *sine malitia*, legitur constanter in MSS. *sine macula*, non hoc tantùm loco, sed etiam infrà lib. 2. c. 13. Græcè est ἄκακος.

29. a. Editi: *supra* id *quod infirmi erant*. MSS. non habent, *id*.

30. e. Editi: nisi *ex peccato*. At MSS. *si non*.

32. g. Omnes MSS. *Si terrena dixi vobis, & non* creditis. Augustinum tamen legisse ut in excusis, *credidistis*, colligunt Lovanienses ex proximè sequenti capite, ubi dicit: *Addidit etiam, se illis terrena dixisse, nec eos credidisse*.

33. e. Am. & Er. *lavandique*: malè, pro *levandique*.

Ibid. f. Am. & Lov. *ne quasi duo Christi accipiantur*: omisso *ista*, quod nostri omnes MSS. habent.

35. c. Editi: *qui operatur in* nobis. Nonnulli MSS. *vobis*.

36. d. Lov. & aliquot MSS. concedant *utrique nobis*.

37. a. Plerique MSS. pro *exsugit*, habent *exigit*.

Ibid. c. MSS. ante, *non prohibeantur*, omittunt, *non tantùm*.

38. d. Editio Er. *quia nullius parentis præcedente peccato, est creatus in carne peccati*: omisso *non*.

39. b. Potiores MSS. *ope nutrientis* immotis *labris*.

41. f. Plures MSS. prætereunt, *damnationemque*.

Ibid. g. Am. Er. aliquot MSS. *Cui malo* nos *non obedire*.

42. f. In MSS. post, *Facite justitiam*: continenter subjungitur, *Itemque cùm dicit, Beati qui esuriunt*: & intermedia verba reticentur.

44. a. MSS. ut *non dominetur*.

45. a. Duo MSS. *& plena etiam* non minùs *in æternam novitatem mutatio fieret*.

Ibid. b. In omnibus propè MSS. deest, *& in quantum nondum est renovatus*.

Ibid. c. Aliquot MSS. *quòd* innovati *sunt*.

Ibid. g. Omnes MSS. *Dilectissimi, inquit, filii Dei sumus*: omisso, *nunc*.

46. b. Nonnulli MSS. *illud* argumentum arripiunt, *ut dicant*.

Ibid. e. Lov. *totus* in *spe*. Abest *in* ab editis aliis & MSS.

Ibid. Am. Er. & nostri omnes MSS. *ex parte* in *regeneratione spiritali*.

48. a. Plerique MSS. hæc omittunt: *id est, si judicandus ostendere voluerit, non in se inveniri posse quod damnet, non poterit obedire ei*: fortè ex amanuensium oscitantia, quibus errandi occasio fuit illud quod secundò recurrit, *obedire ei*.

51. e. In MSS. *hoc quoque vobis Deus* revelavit.

53. c. Editi: *futuri* tanti *certaminis*. Abest *tanti* à MSS.

Ibid. e. Editi: *ut* dimitterentur *orabat*. MSS. autem, *dimitteretur*.

57. g. MSS. *quo* * explicito, *quantum*.

58. c. Lov. *studio voluntatis, requirebatur*: deleto *hoc*, quod in ceteris libris exstat.

Ibid. MSS. omittunt, *aut posset*.

60. g. Plerique MSS. *& ex* voluptate *carnis*: itemque paulò post, *neque ex* voluptate *carnis*.

61. c. Aliquot MSS. *propter* evacuandum *judicium*.

62. d. In omnibus ferè MSS. deest, *ex infidelibus nator.*

63. f. Editi: *quòd* si *nec parenti*. Abest *si* à MSS. sed in sequente versu additur *enim*, quæ particula deerat in editis.

Ibid. Unus è Vaticanis MSS. pro *conversionem*, habet *confessionem.*

Ibid. g. Am. Er. & omnes MSS. *toti vetusti in peccati carne propagati*: omissâ particulâ, *&*.

Ibid. Plerique MSS. *sacramento* spiritali *regenerationis.*

Pag. 65. d. Editi: *præteritarum* rerum *fide.* Abest *rerum* à MSS.

66. b. Aliquot MSS. *in carne peccati* nunc *inobedientiæ debita* &c.

68. b. Corbeiensis cod. *qua eum non* viderunt.

69. b. Editi: *de paradiso* ejectus *Adam.* At MSS. *dimissus.*

70. c. Editi, *qui* parvulorum *ab isto reatu.* At MSS. *parvuli.*

Ibid. f. Plerique MSS. *necessaria est &* ærumnæ *parvuli*: supple, *auctor.* Editi: *necessaria est animæ parvuli.*

72. c. In MSS. plerisque vel deest *auctoritati*, vel deest *sanctæ.*

74. d. Plures MSS. *nisi eis* consultum *fuerit*, *pertinere.*

Ibid. f. MSS. *non est necessarius eis*: omisso, *Iesus.*

75. e. Sola editio Lov. Et *cùm magnum eis.*

76. b. Aliquot MSS. *sine* ullo *salutari sacramento.*

Ibid. c. Editi: *&* à *baptismo.* At MSS. *& baptismo.*

Ibid. Am. Er. & MSS. *accipiendam* in *hoc ipso faciliùs.*

Ibid. d. Corbeiensf. vet. cod. *decretum* consentitum *esse.* Alii plerique MSS. *decretum consensisse.*

Ibid. e. Am. & Er. *sed cùm illic* illa *consultatio versaretur.*

Ibid. Apud Lov. pro *nec disceptandum*, legebatur *nec disputandum.*

Ibid. f. Editi: *non* quòd *intelligeremus.* Concinniùs Sigiramnensis cod. *non quò.*

77. a. In MSS. *hodieque* inter litteras ecclesiasticas *tam excellentis doctrinæ.*

Ibid. b. Am. & Er. pluresque MSS. *&* innumerabiles *anni*: corruptè pro, *& dinumerabiles anni.*

Ibid. g. Editi: sic *anima etiam.* Redundat *sic*, nec est in MSS.

80. a. In MSS. Credite *itaque veritati.*

82. b. Editi: *Morti inquam corporis* tunc *dicetur*, *Vbi est mors victoria tua*, *qua* hîc *omnes* &c.

84. a. Editi: *in* illa *oratione dicimus.* Abest *illa* à MSS.

Ibid. Editi: *cuilibet* etiam *homini.* Hîc rursum MSS. omittunt *etiam.*

Ibid. c. Post verbum, *sanemur*, antiquiores codices interponunt, *Deo gratias*: & prosequuntur, *Hanc epistolam* &c.

Liber de spiritu et littera.

Ad castigandum hunc librum subsidio fuerunt Vaticani codices MSS. quinque, & undecim Gallicani, scilicet codex illustrissimi Domini D. de S. Georges archiepiscopi Turonensis à Rege designati, codex Sorbonicus, codex Augustinensium majoris conventûs Parisiensis, codex Dominicanorum item Parisiensium viâ Jacobæâ, codex Laudunensis Ecclesiæ, codex abbatiæ Remensis S. Remigii, item abbatiæ S. Sigiramni, abbatiæ Corbeiensis, abbatiæ S. Michaëlis de monte in periculo maris, abbatiæ Beccensis, demum, & Pratellensis: necnon variantes lectiones Lovaniensium erutæ ex Belgicis tribus exemplaribus; & antiquæ operis hujus editiones, Am. Er. & Lov.

85. a. Aliquot MSS. *in posteriore duorum* librorum.

Ibid. b. Lov. *si voluntas* ei *non desit.*

Ibid. Tres è Vaticanis MSS. *in quo omnes* vivificantur.

86. b. Editi: *vivere* sic *hominem.* At MSS. *hic.*

88. a. Editi: quod *apertissimè.* Meliùs MSS. *quo.*

Ibid. d. Editi: *quamvis &* illic. Sigiramnensis MS. *quamvis &* sic. Alii quatuor MSS. *quamvis &* illud.

89. c. Gallicani omnes MSS. post, *regnavit peccatum*; omittunt, *in mortem.*

Ibid. f. Lov. superabundaret *gratia.*

90. a. In MSS. *ut* evacuaretur *corpus peccati.*

Ibid. b. Plerique MSS. *ultrà* jam *non dominabitur.*

93. g. In antè excusis, *sic legitimè* utatur.

94. b. Duo è Belgic. MSS. *quæ lex juberet*: omisso, *factorum.*

Ibid. c. Editi: *quasi non acceperint eam*: quam *non per legem* &c. Castigantur ex MSS.

Ibid. e. Editi: *&* in *singulari.* Abest *in* à MSS.

Ibid. Duo è Belgic. MSS. omittunt, *quasi sapienter.*

95. b. Cambronensis cod. *in* fragmenta *idolorum.*

Ibid. d. Editi: *Quia occurrebat*: omissâ particulâ, *verò.*

Ibid. g. Nostri omnes MSS. *atque ubi demersi*, *meliùs* &c. omisso, *sint.*

97. b. Editi: *huic* jam *tempori.* Abest *jam* à MSS.

Ibid. f. Item editi *jam* addebant eo loco, *si tamen non se credat* jam *esse.*

98. g. Editi: *Dici de his* verba *multa possunt.* Meliùs MSS. *verbis.*

99. b. Am. Er. & MSS. *sapere* enim *secundùm carnem.*

Ibid. e. Editi: *Quod ergo bonum est*, (bonum est enim) *factum est mihi mors.* At MSS. carent his verbis, *bonum est enim.*

100. f. In quatuor MSS. *Cùm enim* transieris, *inquit.*

101. f. Er. & Lov. ut *intelligatur ab ipso.*

103. a. Apud Lov. *de hac re* præclarissimè dictum *est.*

Ibid. Editi: *Ecce dies* venient. At MSS. *veniunt.*

104. f. In editis loco, *figurentur*; erat, *figurarentur.*

105. b. Sola editio Lov. *id est*, *te & quem misisti Iesum Christum* cognoscant *unum verum Deum.*

Ibid. c. Item Lov. *homo* interior *renovatur.* Ubi ceteri editi cum MSS. *homo interiùs renovatur.*

106. b. In MSS. *operati* sint *boni aut mali.* Am. & Er. *operati* fuerint.

107. c. Editi: *in hac vita* fieri *potest.* Abest *fieri* à MSS.

Ibid. d. Quatuor è Vatic. MSS. *ne sine nobis* profecti *perficerentur.*

Ibid. Editi: *Et ideo velut minores reperiuntur priores.*

Ibid. e. Lov. *vel* quorumcumque *sacramentorum.*

108. a. Editi: Aiebat *enim de bonis* &c. At MSS. *Agebat.*

109. d. Editi: *nihil*que *aliud* velit *intelligi.*

Ibid. e. Editi: *eos creari*, *qui* jam homines *erant.*

110. a. MSS. *Illud ideo*, *quia ipse*: omisso, *Nam.*

111. b. Editi: *si* discutiatur *quo fine.* At MSS. *discutiantur.*

112. f. Editi: Et *prævidens inquit.* MSS. non habent, *Et.*

114. b. c. Aliquot MSS. *sperantibus in* eam.

116. b. Duo ex Vaticanis MSS. *manifesto* judicio *senserit.*

Ibid. f. Editi: *sed adhuc est aliquid* ad *discernendum.* Abest *ad* à MSS.

117. e. Aliquot MSS. *sitiensque* justitiæ renovationem *de die in diem.*

119. e. Editi: *perficere antem bonum non* invenimus. Abest *invenimus* à MSS.

120. c. Plures MSS. *suam* volens *constituere.*

121. a. Duo MSS. *ne inveniat* præsumtiores.

Ibid. b. Plures MSS. *contra Apostoli Pauli*: omisso, *tanti.*

Ibid. In MSS. *suam* defensare (vel defendere) *sententiam.*

122. d. Aliquot MSS. *nec* eam *tacuit.*

Ibid. g. Editi: *tantùm* tunc *perficiendæ.* Abest *tunc* à MSS.

123. g. Unus ex Vaticanis MSS. *sine* fide *vivat in specie.*

Liber de natûra et gratia.

Recensitus per nos fuit ad Gallicana exemplaria MSS. sexdecim variis ex bibliothecis, ex Sorbonica videlicet, ex Colbertina, ex bibliotheca Parisiensis abbatiæ S. Genovefæ; item ex bibliotheca Remensis Ecclesiæ, abbatiæ Metensis S. Arnulphi, abbatiæ Andegavensis S. Albini, abbatiæ S. Sigiramni, abbatiæ Carnotensis S. Petri, abbatiæ Casalis Benedicti, abbatiæ S. Michaëlis de monte in periculo maris, abbatiæ Rotomagensis S. Audoëni, item abbatiæ Pratellensis, Beccensis, Gemeticensis, duo tandem abbatiæ Cisterciensis: ad Romana etiam bibliothecæ Vaticanæ quinque: necnon ad variantes lectiones Belgicorum duorum per Lovanienses Theologos excerptas: ac postremò ad antiquas & præcipuas editiones, Am. Er. & Lov.

129. e. Am. Er. & Gallic. MSS. necnon Vatic. *Hæc* igitur *gratia.*

132. c. Am. Er. & quidam MSS. Nunc *si dixero.* Alii MSS. Num *si dixero*: & infrà, *num* ergo *officiorum* &c.

Ibid. e. Sigiramnensis cod. *in* eam fidem, *quæ postea* &c.

135. b. Omnes ferè MSS. *& ut non* inducamur.

137. c. Editi: *ex hac pœna* quid *faciant.* At MSS. *quæ.*

138. f. Remensis codex: *Ecce inquit*, venit *princeps hujus mundi*, *& in me nihil* invenit.

139. b. MSS. Gallicani tres & Belgici, *Hoc superbus* amicus *non sapit.*

141. a. Editi: sic *credi potest quod peccatis.* Castigantur ex MSS.

Ibid. g. Belgici quidam MSS. *ut altius Dei* judicium.

Pag. 144. d. Plerique MSS. *quod nefas est* dicere.

Ibid. g. In editis legebatur, habere *volo quæstionem.* At in MSS. *haberi.*

148. b. Duo Vaticani MSS. Hoc *rectè facit.*

Ibid. c. Plerique MSS. *ipsa est verissima* : omisso, *enim.*

Ibid. Duo Gallicani MSS. *quoniam id voluntate* : omisso, *quod.*

Ibid. e Am. & Er. cui *peccati malo carere sufficeret.*

149. c. Belgicus codex S. Amandi, *& quibusdam idoneis testibus* : omisso, *fratribus.*

Ibid. f. In Polemicorum editione Parisiensi anni 1644. *loqui nemo poterit manentibus membris* : (*non enim vox hominis membrum est,*) id quod *vexato sanè aliquo interiore membro* &c.

151. g. Quatuor è Vatic. MSS. *Ab isto autem* ista *humana.*

154 a. Editi : *id* respondet *quod.* Meliùs MSS. *respondit.*

155. c Plures MSS. *ubi natura* ista *perdiderit.*

Ibid. g. Editi, *qui* cæcos *lumen.* Corrigendi ex MSS. qui habent *cæcum*, juxta Marcum cap. 10. vel certè legendum postea, *audit ille clamantes* ; non ut in ipsis quoque editis, singulari numero, *clamantem.*

158. c. Editi : *doctoremque* virtutum. At MSS. *virtutis.*

159. d. Nonnulli ex editis : *ei* credatur *dicenti.*

162. d. Lov. *Atque aliis* isthîc *in hanc sententiam.* Abest *isthîc* à nostris MSS.

Liber de perfectione justitiæ hominis.

Ad emendandum hunc librum adhibuimus manu scriptos codices ex Vaticana bibliotheca quatuor, & tredecim ex Gallicanis, scilicet Colbertinum, Sorbonicum, Remensem majoris Ecclesiæ, Carnotensem abbatiæ S. Petri, Andegavensem S. Albini, Rotomagensem S. Audoëni, Gemeticensem, Pratellensem, Beccensem, Michaëlinum, Cisterciensis abbatiæ duos, & Corbeiensem ; contulimus etiam variantes lectiones Belgicorum quatuor MSS. antiquas verò editiones tres, Am. Er. & Lov.

169. a. Belgici MSS. Sicut *etiam in corpore claudicatio.*

Ibid. d. Lov. *si illud* haberi debere *constiterit.* At Am. Er. & MS. Colb. habent *deberi*, omisso *haberi.*

Ibid. e. Editi : *tamquam* ad *ejus clandicationem.* Non est *ad* in MSS.

170. g. Lov. *præter quàm* quod *illum.* Abest *quod* ab Am. Er. & MSS.

171. a. MSS. *homo exterior novissimo die* : omissâ particulâ, *in.*

173. a Lov. *Si* ipse sine peccato *esse non potes.* Redundat *ipse sine peccato*, nec est in MSS.

Ibid. d. Duo MSS. Deinceps *instituit.*

174. a. Editi : *indesinenter* insistendo, *&* hoc *faciendo.* At MSS. *indesinenter instando & hæc faciendo.*

Ibid. g. Am. Er. & plures MSS. *non* auferatur, *sed* augeatur *&* impleatur.

175. a. Editi : quia *nulla lex erit.* At MSS. *quando.*

Ibid. f. Editi : *sobrii* perfecti *sperate.* Plures MSS. ut in Bibliis, *perfectè.*

176. b. Am. & Er. *ut dum reprehenditur* : prætermissâ negante particulâ, quæ huc revocatur ex MSS.

Ibid. Editi : *cùm ad eam* pervenerimus. MSS. *venerimus.*

179. c Am. Er. & plerique MSS. *ex fide*, quia *invocat Deum.*

180 c. Editi : *Hoc testimonium sonat* : omisso *&*, quod MSS. habent.

182. c. Lov. *quia incommutabiliter bonus, non potest* : omissâ particulâ *&*, quam editi ceteri & MSS. habent.

183. c. Editi : *aut* aliquid *hujusmodi.* Meliùs tres Vatic. MSS. *aliquo.*

184. f. Unus è Vatic. MSS. *quod* inveniri *non posset.*

185. d. Am. Er. & MSS. *quod interior renovatur* : omissa voce, *homo.*

Liber de gestis Pelagii,

Ab innumeris mendis purgatus est auxilio veterum exemplarium, Gallicani quidem unius ex bibliotheca Colbertina, & Italorum quatuor, Romani scilicet, cujus variantes lectiones ad oram sui libri Velserus adscripsit, & aliorum trium MSS. quæ in bibliothecis Magni Ducis Florentiæ asservantur. Editiones porrò ejusdem opusculi quatuor inter se contulimus, Velf. id est, quæ Marco Velsero & Antonio Velsero procurantibus anno Christi 1611. Augustæ Vindelicorum confecta est, & Suar. quæ per Franciscum Suarez ab exemplari, quod ipsi vir eruditus & omni, ut ait, fide dignus dedit, expressa est, atque post ipsius obitum in prolegomeno 6. ad libros de gratia, cap. 7. vulgata. Item editionem Maf. quæ nimirum ex Bernardi Masii officina prodiit Lovanii anno 1647. ac denique Vig. id est, eam quam Hieronymus Vignierius in Augustiniano Supplemento edi curavit.

Pag. 190. in Retractatione lin 1. editiones Velf. Maf. & Vig. pro *catholicis fratribus*. habebant *catholicis patribus.*

191. Titulus in editionibus erat : *Divi Aurelii Augustini Hipponensis episcopi liber ad sanctum episcopum Aurelium de gestis Pelagii, contra adversarios gratiæ Domini nostri Iesu Christi.*

Ibid. a. Editio Velf. & Colbertinus MS. *in manus* vestras. At in editionibus aliis emendatum est, *nostras* : meritò quidem, & suffragante libro 2. Retract. c. 47.

Ibid. b. Editio eadem Velf. omnium prima, & MSS. *jam quantum mihi* videbar.

193 a. Editio Suar. *sit* talis *scientia.*

Ibid. b. Editi & MSS. *ut sine illa* hæc. Legendum videtur, *lex* ; vel potiùs, *hoc.*

194. f. Suar. *prior* factus *est.* Editio Maf. *prior* fictus *est.* Primæ editiones & MSS. *finctus.*

195. d. Suar. *desiderio* permittantur.

198. d. Velf. & Suar. *quæ sunt allegoria* : omisso, *in* ; fortè pro, *allegorica.*

201. g Suar. *Pelagii* definitionem *in illa.*

213. f. Suar. *ad judicium episcopale* revocaverit.

216. a. Suar. & Colbertinus MS. *sed talem* defensionem *legunt.*

Ibid. c. Suar. *quando* circa Collationem, *quam.*

Ibid. e. Editi : *aliquando id* quod tenuit.

2 7. c. Suar. *Si quidem* contingit.

Ibid. d. Suar. *viam* felicitatis *uberiore.*

220. b. Ex Suar. *recepit natura hominis.* At in aliis edit. *recipit.*

222. c. Colbertinus MS. *usquequaque* curreret.

225. a. Editi : *ante adventum Domini* administratas. At Colbertinus MS. *ministratas.*

228. a. Primæ editiones, *quorum* coërtio *ad episcopalem.* Consentiunt MSS. uno excepto, qui habet, *cohibitio.*

Finito libro editiones subjiciunt : *Explicit liber sancti Augustini ad sanctum Aurelium episcopum de gestis Pelagii hæretici, contra adversarios gratiæ Domini nostri Iesu Christi.*

Liber de gratia Christi et liber de peccato originali,

Castigati sunt denuo ex fide Vaticani exemplaris, & quatuor Gallicanorum, quæ sunt bibliothecæ Colbertinæ, abbatiæ Parisiensis S. Victoris, abbatiæ Casalis Benedicti, & abbatiæ S. Sigiramni : juvantibus quoque lectionibus variantibus Belgici codicis abbatiæ S. Amandi. Perlustravimus præterea superiorum temporum editiones, Amerbachianam, Erasmianam, & Lovaniensium Plantinianam.

235. d. Er. & Lov. *quæ* quibuscumque *sermonibus.* Am. & MSS. *quibusque.*

236. c. Am. Er. & Lov. quando *extolleretur.* MSS. quin *extolleretur* : pro, *cui ne extolleretur.*

242. c In MSS. *non significans possibilitatis* provectum.

Ibid. e. Editi : *non* hîc *justitiam nostram.* Melius Vatic. cod. *non sic.*

245. c. In MSS. *verùm etiam patiamini pro eo* : omisso, *ut* ; quod nec repetitur in Græco.

246. g Am. & MSS. *nec* mediocritate *diffidamus.* In epistola ad Demetriadem, *nec* de mediocritate *diffidamus.*

247. d. Am. *Christi* imitemur *exemplum.* Er. *Christi* imitamur *exemplum.*

250. a. Duo MSS. unus Casalensis, alter Victorinus : *intus actum est in mente, actum est in voluntate. Misericordiâ Dominus* &c.

251. b. Vaticanus cod. *posse, velle*, agere, *id est, possibilitatem* &c.

Ibid. e. Aliquot MSS. *atque* omnino *immaculati.* Et infrà cap. 49. *atque* omnino *perfecta justitia.*

252. e. Am. & Er. *quo* Deum *diligentibus cum omnia*

cooperantur *in bonum:* malè, ac dissentientibus MSS.

Pag. 255. d. Editi : conferre *necesse est*. Sigiramnensis MS. *conferri.*

259. e. Am. Er. & MSS. priùs *mirari cœpi.*

262. a. Editi : *ex aqua & Spiritu*-sancto. Abest *sancto* à MSS.

264. b. Editi : *error* obrepserit. MSS. *obrepsit.*

Ibid. Am & Er. nostra scientia *corrigatur :* mendosè, ut liquet ex capite 6. ubi eædem ipsæ editiones cum aliis habent, *nostrâ sententiâ corrigatur.*

265. e. Vaticanus MS. *ad* æternum *supplicium destinatus etiam* ipse *sibi.*

266. a. Editi : *à summo* cælo. MSS. *cæli.*

Ibid. f. Editi : *lex parum* valet. At MSS. *valeret.*

269. b. Am. & MSS. quoniam *haberet ante hoc corpus.*

Ibid. e. Sigiramnensis MS. *factus* est enim *pro nobis peccatum.*

Ibid. Idem codex : reconciliari *Deo.*

De nuptiis et concupiscentia libri duo.

Hos libros recognovimus ad veteres codices quatuor Vaticanos, & ad undecim Gallicanos, unum Remensis Ecclesiæ, unum Sorbonici collegii, unum abbatiæ Casalis Benedicti, duos S. Michaëlis, alios ex abbatiis Sigiramnensi, Corbeiensi, Pratellensi, Divionensi S. Benigni, ex Cisterciensi, ex Parisiensi S. Victoris ; prætereaque ad variantes lectiones Lovaniensium ex quinque Belgicis MSS. & ad editiones tres insigniores, Am. Er. & Lov.

280. In fine capitis 1. post, *in corpore mortis hujus*, duæ Polemicorum editiones, Parisiensis & Lovaniensis, addunt quatuor vel quinque versus, scilicet, *Non enim corpus mortis hujus in paradiso tale fuit ante peccatum*, &c. Sunt hæc libri 2. cap. 2.

281. c. In omnibus MSS. *alius sic, alius quidem sic.*

Ibid. e. Plures MSS. *nec dona Dei* vocanda *sunt ista.*

282. e Tres Vaticani MSS. *etiam univiros :* omisso, *non.*

283 a. Nonnulli MSS. Hoc *est quod parum.*

Ibid. c. Aliquot MSS. *quotidie subjacebat* ad nutum.

284. f. MSS. *ut* transitorii *filii nascantur.*

285. a. Aliquot MSS. *Sic patres* nostros *ex Abraham.*

288. a Omnes MSS. *qui emunt, tamquam non* ementes.

289. b. Plerique MSS. cum Am. *velandæ* turpitudinis *obtendunt.*

Ibid. Tres è Vaticanis MSS. *qui nascuntur* in vicis.

291. a. Nonnulli MSS. *Et mundus* transit.

Ibid. c. Editi : *Sed quod* latent *fetus*. Quidam MSS. *lateret.*

Ibid. e. Editi : *aliqua* inveniat *ratio vel* explicet *sermo*. At MSS. *invenit, explicat.*

293. a. Editi : *neque* exhibeatis. MSS *neque exhibueritis.*

296. b. Plures MSS. *Multum enim* bonum *facit.*

Ibid. d. Plures MSS. *quia &* nolo, & *concupisco.*

Ibid. e. Belgici duo MSS. *timor est* torpens.

298. b. Editi : *qui* eum *teneat*. Abest *eum* à MSS. & ex his plures pro *qui*, habent *quæ.*

301. d. Elegantissimus Sigiramnensis codex & alii quidam MSS. *cujus exemplum ad me usque pervenit :* omissâ particulâ, *simul*, quæ nec in ipsis erat MSS. exemplaribus operis imperfecti lib. 1. n. 17.

302. b. Plures MSS. *mox* * adjunxi, De quo *Apostolus ait, Per unum hominem* &c. Sic etiam in libro 1. operis imperfecti n. 22.

303. d. In MSS. *Vide, obsecro te*, qui *nostra verba.*

306. e. Editi : *nos* hoc *præmisso titulo.* Plures MSS. *huic.*

307. c. Nonnulli MSS. Pelagianam & Cælestianam hæresim *incipit* introducere.

309. g. In MSS. pro *ambiguè* ; legitur, ambiguò *nobis loqui.*

310. a. Am. Er. & plures MSS. *folia esse* ficulneæ.

Ibid. g. Am. *si semen* extra coëundi voluptatem *fundatur*. Er. *si semen* extra coëundi voluntatem *fundatur.*

311. a. Am. Er. & plures MSS. *hominis creator* exsistere.

Ibidem Lov. *de natura seminis* humani. Am. Er. & plures MSS. *de natura hominis.*

Ibid. b. Editi : *semen enim* illorum *erat maledictum* Abest *illorum* à MSS. & à sacris Bibliis.

Ibid. c. & e. Lov. & aliquot MSS. *in* captivitate & *in interitu.*

Ibid. g. Editi & plerique MSS. *ut auferret* hominum *fecunditatem*. Benignianus cod. *ab homine.*

312. d. Potiores MSS. *opifices* quantùm *possunt labore.*

Ibid. Nonnulli MSS. *illud* nunc *pudet.*

Ibid. f. Lov. malum *naturaliter definisti.*

313. f. Am. Er. & omnes MSS. *nominare erubescit, laudare non erubescit :* omisso, *quam.*

314. c. Am. Er. cum omnibus MSS. *non* fiunt *voluptate :* omissa præpositione *à.*

Ibid. d. e. Apud Lov. *sine* ullo *ardore.*

315. a. In MSS. *mille* didragma *argenti* : juxta Græc.

Ibid. b. Plures MSS. *In his* enim *quæ secutus.*

316. d. Am. Er. & plures MSS. incommutabili *ubique præsentiâ.*

Ibid. e. Editi : *Quisquis* autem *non credit*. Abest *autem* à MSS.

Ibid. f. Plerique MSS. *corruptibilis* corporis. *Non enim.*

317. a. Vaticani MSS. *Deo* irascente *fuisset*. Alii plerique: *Deo* suscitante *fuisset.*

Ibid. c. Am. Er. & plerique MSS. *Bonitate sua Deus* fecit *homines.*

318. a. Am. Er. & plerique MSS. *perituri* qui *non renascuntur.* Sic etiam in operis imperfecti libro 3. n. 142. & lib. 5. n. 64.

Ibid g. Lov. *similiter* malum *esse defini.*

319. g. Editi : *Rectiùs enim* accepit *nomen*. MSS. *accipit.*

321. f. Plures MSS. *claret* bonam *non esse caussam mali.*

322. d. Am. Er. & plerique MSS. *caussam mali* bonam *esse non posse.*

325. c. Editi : *quærit iste*, qui *non vult*. MSS. *quod.*

326. b. Editi : *id est, fructuum :* omisso, *ipsam*. Addidimus ex MSS.

Ibid. Editi : angeli *ex angelo*. MSS. *angelo ex angelo.*

Ibid. f. Editi : *aut Deo* adscribitur. MSS. *adscribetur.*

327. c. Editi : *&* ex *origine vitiata*. Abest *ex* à MSS.

Ibid. e. Aliquot MSS. *Vanitas* vanitantium.

329. d. Editi ; *intus posito* qui *& quando*. Vel expungendum *qui*, abest enim à tribus Vaticanis MSS. vel ejus loco legendum *cùm libet*, ut emendatum est antiqua manu in Benigniano libro.

330. a. Quidam MSS. *quod* hinc *figuratum est.*

331. b. Am. Er. & nonnulli MSS. *de his* novis, *quia rei.*

Ibid. e. Benignianus MS. præterit, *& profitetur.*

332. b. Plures MSS. *Sed planè* naturam *persuasit.*

Ibidem f. Antiquiores MSS. *etsi* fuerat *sanctitas.*

De anima et ejus origine libri quatuor.

Ad emendandos libros de animæ origine, præter Vaticanum codicem unum, usi sumus undecim Gallicis MSS. quos nobis variæ suppeditarunt abbatiæ, scilicet Remensis S. Remigii duos, Parisiensis S. Germani à pratis unum, alium abbatia Cenomanensis de Cultura, alium Sagiensis S. Martini, alios tandem Pratellensis, Michaëlina, Casalensis, Corbeiensis, Sigiramnensis, Cisterciensis : consuluimus etiam variantes lectiones Belgicorum quinque MSS. apud Lovanienses; & contulimus editiones Am. Er. & Lov.

342. c. Plures MSS. *sentiens* quod malè *dixerit.*

Ibid. d. Editi : *ex aqua & Spiritu*-sancto. Abest *sancto* à MSS.

Ibid. Vaticanus MS. *Domini* secutor.

346. g. MSS. *etsi non simul omnibus, suo cuique tempore :* omisso, *sed.*

347. f. MSS. *præcedentis generis, tamen dat corpus :* omisso, *ipse.*

350. c. Duo MSS. Quod *Apostolus dixerit.*

351. b. In MSS. *& femininum* significaret *Apostolus.*

356. c. In MSS. *& sana* dicendo.

358. d. Sola editio Lov. quo *nobiscum vident & passeres.* Et infrà, quo *videbat Tobias.* Non malè, referendo ad sensum.

370. b. Am. Er. & plerique MSS. *etiam pro non* baptizandis *censuit offerendum.*

Ibid. Belgici duo MSS. *carni* inseruerit *peccatrici.* Nostri omnes, *inserit :* corruptè.

Ibid. c. Editi : *notam præsumtionis* incurri. Duo MSS. *incurro.*

373. d. In MSS. *hoc te fuisse jactatum :* omissa præpositione *à.*

374. a. Cisterciensis codex : *ut* eos *tibi* scribendos.

Ibid. c. Sigiramnensis cod. *si animo illud* sectaris.

Pag. 375. f. Am. Er. & plures MSS. *cùm* hoc ipso *quo* spiritu *hausto uter*. Alii quidam MSS. *cùm* hoc ipsum quòd spiritu *hausto uter*. Lov. *cùm hic ipse spiritus* haustus *quo uter*.

376. e. Am. Er. & plerique MSS. *Quod enim* insufflando *amittis*.

Ibid. f. Editi : sed *ad te ipsum*. At MSS. *nisi*.

377. c. In MSS. *revivesceret*. Et paulò pòst, *revivescentis*.

Ibid. f. Cisterciensis codex : *tantùm numerus* defuerit.

Ibid. Vetus cod. Germanensis & Victorinus : *sed amando* : omisso, *eum*.

378. f. Editi : *jam in proximo* tu ipse *tibi ipsi* exstitisti contrarius. Castigantur ex MSS.

379. f. In MSS. *non indiget ut lavet* : omisso, *nisi pedes*.

381. g. Lov. *iteratò introire &* renasci. Ceteri libri juxta Græc. *& nasci*.

382. a. Editi : *Illud* autem *quod dixerat*.

383. g. Belgicus codex S. Amandi : *tuisque potissimùm & maximè* elocutis *fructibus utere*. Tornacensis : tuæ*que potissimùm &* maximæ elocutionis *fructibus utere*. Antiquissimus noster Germanensis : *tuque potissimùm & maximè* quæ locutus *utere* : omisso, *fructibus*. Mendosè, nisi legas, *quæ es locutus*.

387. c. Editi & aliquot MSS. *sicuti* nunc *nuper*.

Ibid. d. MSS. *differt homo pecore*. Et sic infrà constanter omissâ præpositione *à*.

Ibid. Am. & Er. *qui* omni *rationis* experientiâ, *prudentique ordinatione distribuat*. Nonnulli MSS. prudentiæ *ordinatione distribuat*.

390. b. Editi & aliquot MSS. *altius* illa *est corpus ejus quàm ipsa*.

Ibid. c. Am. & Er. *tunc* certè *dicendum*. Lov. *tunc dicendum*. MSS. *tuncne dicendum*.

391. f. Editi : *Ecce modò dum sumus* : omisso altero, *modò*.

392. a. Nonnulli MSS. *testatus est, nescisse se* : omisso, *Deum*.

394. c. MSS. *quæ nulla* possint *humana ingenia*.

395. a. Editi : *ut* eas *si fideliter*. Meliùs MSS. *ea*.

396. g. Aliquot MSS. *sursum* verso *collocantur*.

397. a. Plures MSS. *sed* negari *non* potest.

Ibid. e. In MSS. *caro dicitur*, diversa natura *est*.

398. b. Germanensis cod. *per* intera *cava sua*.

400. a. Omnes nostri MSS. *vel esse* in creatore, *vel corpus esse*.

Ibid. f. Editi : *vel memoriâ* retinendo. At MSS. *continendo*.

402. d. Editi : *Et non* adtendis. At MSS. *adtendere*.

403. b. Aliquot MSS. solido *indumento vestitus*.

405. c. Editi : *& cælum* plicatum *est*. At MSS. *plicitum*.

407. e. MSS. *Quapropter &* in quibus *anima est*.

408. a. Plures MSS. *sine* regenerationis baptismate *mortuus*.

Ibid. f. MSS. *Plerumque enim prædicatur* : omisso, *laudatur*.

414. f. Editi : *deceptor* inseruit. At MSS. *insevit*.

415. c. Gallicani MSS. *se putans hominibus fecisse* : omisso, *judicantibus*.

416. a. & c. Gallicani MSS. *qui nascuntur* innocenter, *reos esse*.

CONTRA DUAS EPISTOLAS PELAGIANORUM AD BONIFACIUM LIBRI QUATUOR,

Recogniti sunt ad Vaticana duo exemplaria MSS. & ad Gallicana tria, unum scilicet abbatiæ Beccensis, alium abbatiæ sancti Petri de pratellis, tertium abbatiæ S. Michaëlis de monte in periculo maris; & ad editiones Am. Er. & Lov.

418. f. Editi : quod fuerit *sine querela*. MSS. *qui fuerim*.

Ibid. Vaticani codices omittunt, *& delectatione*.

419. c. Lov. *evidenter* id *his quæ sequuntur*. Am. Er. & MSS. * *in his*.

420. d. Vaticani MSS. *ad opera mala* sanctum *Apostolum suspicetur*.

424. e. Editi : *vultis efficere de commixtione masculi & feminæ*, quòd *nihil peccati*. Emendantur à MSS.

426. a. Editi, *duo priora respuetis*, quibus *libidini*. At MSS. *ubi libidini*.

Ibid. d. Editi : *filios potuisse* generare. At MSS. *generari*.

427. f. Editi : *voluntas* eorum *mutetur*. MSS. *voluntas ipsa mutetur*.

428. e. Editi : *Deus* enim qui *operatur*. Abest *enim qui* à MSS.

Ibid. f. MSS. Vat. & Gall. *faciens* alia *secundùm meritum vasa iræ*, alia *secundùm* &c.

429. a. Vatic. MSS. Quantalibet *fuisse* virtute *antiquos*.

431. a. Editi : *sed & communem*. Castigantur à MSS.

Ibid. b. Gallicani MSS. concessionem *Orientalium episcoporum*.

Ibid. c. Editi : *Manichæorum* nimiam, *stultam*. Aptiùs MSS. *nimiùm*.

433. b. Vaticani MSS. *partum blasphemando* : omisso, *virginis*.

434. b. Gallicani MSS. *non ea* certissima *definire*.

Ibid. g. Gallicani MSS. correctio *fuit clementissima pravitatis* : omissis verbis intermediis.

435. c. Vaticani codices : *omne* præteriti *vitium*.

436. b. Editi : omittunt, *audent etiam*. Restituitur ex MSS.

438. a. Editi : *Nam si eos*. At MSS. *Nam etsi eos*.

Ibid. c. Vaticani MSS. *corpus* humanum vel *terrenum*.

Ibid. f. Editi : *non intelligentes, justificandis* : omisso *in*; quod ex MSS. restituitur.

439. e. Gallicani MSS. *alius honoratur* : omisso, *gratis*.

440. b. Apud Lov. *alteri exigitur* : Ceteri libri, *alter exigitur*. Eodem loquendi modo sub initium ejusdem capitis 7. dixit, *alterum exigere* : pro, *ab altero exigere*.

Ibid. b. Editi : quæ *apud Deum nulla* est.

441. c. Vaticani MSS. *& de suo proprio glorianti* : omissa voce, *bono*.

Ibid. e. Editi : Electione *quippe dixit*. Omnes MSS. *Electionem*.

446. c. Editi : *ut pro se ipso*. MSS. *ut pro ipso se*.

448. b. Editi : *ubi lex data est*, *in servitutem* generans. Aptiùs MSS. *generat* : referendo ad *vetus Testamentum*.

450. a. Editi : *filii sunt etiam sæculi*, *pro* : omisso *hujus*, quod est in MSS.

451. d. Vatic. MSS. constanter habent : *per repromissionem donavit Deus*.

452. a. Editi : *quamvis* anteriore *tempore*. MSS. *anteriores*.

Ibid. b. Gallicani MSS. *figuramque* gestat.

Ibid. d. Editi : mavult *enim omnino*. Vatic. MSS. *magis vult*.

455. b. Vaticani MSS. *quia* si *ex anteriore tempore*.

Ibid. e. Editi : Sic *enim ait*. MSS. *Hinc enim ait*.

456. b. Codices Vatic. *ad Deum* vera *pietate*.

Ibid. d. Editi : *nihil suum proprium possideat*. MSS. *propriumque*.

Ibid. e. Vaticani MSS. *ut ille* morigeratus, *incontinentiam suam* &c.

Ibid. f. Editi : *sed non tam largas quàm ille*. At MSS. *non tamen quàm ille tam largas*.

457. c. Editi : *infirmitate* subrepserit. MSS. *subreperet*.

Ibid. e. Ex MSS. addidimus, *perfectius*, *quidve*.

Ibid. f. Editi : *habemus* apud *Patrem*. MSS. *ad*.

459. d. Vaticani MSS. *Voluntatique* commissum *est*.

460. a. Editi : *ut* in *ipsa infirmitate*. Abest *in* à MSS.

Ibid. f. MSS. *Abjicit ergo* ille *beatus Paulus*.

462. a. Gallicani MSS. *cui* restat *eam*.

Ibid. b. Editi : *inimicis gratiæ* Christi. At MSS. *gratiæ Dei*.

Ibid. In MSS. *Ex* quo *genere etiam isti sunt*.

Ibid. e. In editis omissum erat, *unde agitur* : habetur in MSS.

463. e. Editi : *per Iesum Christum Dominum* nostrum. Abest *nostrum* à MSS.

464. a. Gallicani MSS. *Erit enim* perfectissima *plenitudo justitiæ*.

465. a. Editi : *esse* instituta. MSS. *esse institutam*.

467. d. Gallicani MSS. *ab omni contagione* : omisso, *peccati*.

470. d. Editi : *tenebrarum* pertinent *respuenda*. Concinniùs MSS. *pertinentia*.

471. a. Gallic. MSS. *dicunt omni* ætati *superfluum*.

Ibid. c. Editi : *per concubitum* etiam. Abest *etiam* à MSS.

472. c. Gallic. & Vatic. MSS. *In peccato enim moriuntur* homines, *non*.

473. b. Vaticani MSS. *sic* & *unus ad vitam*.

Ibid.

Ibid. c. Gallic. MSS. *qua* conantur decipere *ſimplices, & avertere* &c.

Ibid. d. Iidem MSS. *per verùm ſeducere ad* fallaces decipulas, *ut ab omni noxa liberi*, &c.

Ibid. e. Editi: *opus ſit reconciliari*: omiſſo, *Deo*. Eſt in MSS.

Pag. 474. b. Gallic. MSS. *ab Apoſtolo*, aut *propter vitam*.

477. a. Gallic. & Vatic. MSS. *& ſi non* ſe *corrigendo*. Et infrà, *Nihil ſic evertit* hanc *præſumtionem dicentium*.

Ibid. b. Editi: *& ſpiritum* meum *dabo vobis*. MSS. *novum*: quomodo ſuprà.

Ibid. f. Lov. *ploremus* ad *Dominum*. Alii editi & MSS. *ante Dominum*.

478. d. Editi: *& quiſquis eorum* acceperat. Aptiùs MSS. *acceperit*.

479. a. Vaticani MSS. *clamet ad* Dominum, *Dimitte nobis debita noſtra*. Qui quidem *etiam de ſe ipſis*.

480. f. Gallicani MSS. *duas iſtorum falſitates* oppugnavit: *unam*.

485. d. Editi: *quid etiam* in *hoc*. MSS. *ex hoc*.

Ibid. f. Er. & Lov. *curandis denuo* ſalvandiſque. Am. & MSS. *ſanandiſque*.

48 . a. Lov. *ad tantam perfectionem* pertinere.

Ibid. d. Editi: *contempſerit mandata perficere*: omiſſo *illic*, quod ex MSS. reſtituitur.

Ibid. f. Er. & Lov. *ſed in* præmium *percipienda eſſet*. Am. & MSS. *in præmio*.

Ibid. Am. Er. & MSS. *dicentes*, Adveniat *regnum tuum*.

488. b. MSS. *Sed jam glorioſiſſimo*: ſine particula *&*.

Ibid. c. Lov. *in veritate* fide. Meliùs ceteri libri, *fidei*.

489. c. Editi: *in poteſtate noſtra* eſt. MSS. *ſunt*.

490. d. Gallic. MSS. *ſumant* quæ *aperiente te manum tuam* impleantur *univerſa bonitate*.

Ibid. f. Editi: *alia poſt* hanc vitam, *illud perfectum*. Caſtigantur ad Gallic. MSS.

491. b. Editi: *ut perfectionem* purificationis. MSS. *purgationis*.

Ibid. d. Editi: *& ut lumen*. Abeſt *ut* à MSS.

Ibid. g. Editi: *demonſtretur* quomodo *ſit hac*. MSS. *quàm ſit hæc*.

492. e. In editis, De *ſimplicibus epiſcopis*. Abeſt *De* à MSS.

Ibid. f. Editi: qua *eorum impia*. At MSS. *qui*.

LIBRI SEX CONTRA JULIANUM,

Emendati ſunt ope veterum MSS. Vaticanorum quinque, & octo Gallicanorum, unius ex bibliotheca clariſſimi viri D. Emerici Bigot, aliorum ex abbatia Floriacenſi, ex abbatia Caſalis Benedicti, ex Pratellenſi, ex Michaëlina, ex Beccenſi, ex Lyrenſi, & ex Pariſienſi S. Victoris; auxilio quoque lectionum variarum ex MSS. tribus Belgicis: & collatæ ſunt antiquæ editiones Am. Er. & Lov.

497. b. Omnes MSS. *merces veſtra* copioſa *eſt in cælis*.

Ibidem, Am. Er. & aliquot MSS. *pro tuo dogmate, quam veritatem putas*.

498. a. Duo MSS. *quaſi omnino* deſperaris.

Ibidem, Omnes Vaticani MSS. *tuorum* grandium *voluminum ſtrepitu*.

499. c. Editi: *peccato* naſcantur *obnoxii*. MSS. *naſcuntur*.

Ibid. f. Apud Lov. *ſic* ſpernunt *veſtra calumnioſa* &c.

500. a. Quidam MSS. *ab* antiqui *ſerpentis plaga*. Et infrà: *de* antiqui *ſerpentis plaga*.

Ibid. b. Duo MSS. ſalvatur *per virginem*.

Ibidem, Plerique MSS. *per* correctionem *primogeniti*.

Ibid. d. Am. Er. & plerique MSS. remiſſio *peccatorum datur*.

504. g. Quidam codex: *inanem* partiatur *invidiam*.

505. b. Aliquot MSS. *Cum Chriſto ergo* renaſcamur.

Ibid. g. Omnes MSS. *ſubſtantiale quidem non eſſe*: omiſſo, *malum*.

506. b. Editi: *Non enim ſic* eſt *primitus*. MSS. *erat*.

Ibid. f. Tres è Vatic. MSS. *catholica* fidei *congruentius*. Ceteri MSS. *catholica regula congruentius*. Editi, *congruentius* mutant in *convenientius*.

507. b. Editi, *& malum non* manducabis. *Non* manducabis *autem*. At MSS. *manducabitis*.

508. a. Duo è Vatic. MSS. *in eorum conſpectu* auditus *damnaſſet*.

Ibid. c. Plerique MSS. *toto capite* annuiſtis.

509. a. Am. & Er. *Si hoc* quod *dicit Manichæus, abs te dicitur*: mendosè.

Ibid. b. Quidam MSS. *Iſtis* crede, *&* mihi credes.

510. a. Nonnulli MSS. prætereunt, *Nazianzeno Gregorio*.

511. c. In editis: qui *quærit*. In MSS. *quia*.

Ibidem, Editi: quia *ex peccato*. MSS. *qua*.

513. b. Editi: *Quæ* verba *è verbo*. Concinniùs MSS. *Quæ verbum è verbo*.

514. a. Editi: Quomodo *ergo, inquit, plura*. At MSS. juxta Græc. *Quoniam*.

Ibid. b. Am. & omnes MSS. *ſed multo amplius atque majus*.

Ibid. c. Plures MSS. *in* mortem *ipſius*. Et paulò pòſt: *per baptiſmum in* mortem.

Ibid. f. In MSS. *& illa* gratiâ *Chriſti dicat interfici*.

515. b. Editi: *reperire* potuiſtis. At MSS. *potuiſti*: & ex his quidam poſtea: *adverteris*.

Ibid. g. In MSS. legitur: quia *ſcriptorum inter Latinos*.

516. b. Cod. Floriac. *quia non eſt talis* quæſitio.

520. b. Editi: in quo *majora vota mea ſunt*. MSS. *quæ*.

527. b. Editi: *in* matre *omnium*. MSS. *matrem*; ut in Bibliis.

528. b. Editi: tanta *illius viri auctoritate*. In MSS. *tanti*.

Ibid. c. Nonnulli MSS. *mole auctoritatis* adtriverit.

529. f. Editi: *gerendum* ſuſcipimus. MSS. *ſuſcepimus*.

530. b. Am. & Er. *ut humanam* voluntatem, *incolumitatem*. Lovanienſes expunxerunt *voluntatem*: nec habent noſtri MSS.

Ibid. f. Editi: *luto* hujus *facis*. At MSS. *luto hoc facis*.

Ibid. g. Belgici MSS. *&* diſcretâ *regens philoſophiâ*.

531. a. Editi: *de* baptizato *loquitur*. Meliùs MSS. *de baptizatis*.

533. b. Am. Er. & MSS. *adversùs* duo, *&* duo *adversùs tres*.

Ibid. c. Am. Er. & propè omnes MSS. *Etenim* miſericors *cibus mentis eſt*.

Ibid. Lov. præclaræque *alimonia ſuavitatis*. At Am. Er. & MSS. *præclaraque*.

Ibid. d. Am. & plures MSS. moderatioris *animæ*. Quidam alii: moderationis *animæ*. Er. moderatoris *animæ*. Poſtea nonnulli MSS. cum Am. conjungatur *arbitrio*.

Ibid. e. Omnes ferè MSS. *motu* modefacta *anima*.

534. b. Editi: ita *mutari*. At MSS. *tunc mutari*.

Ibid. d. Floriacenſis cod. *vitia noſtra* ſunt, *quæ*.

539. c. Er. & Lov. *non vult* innocentiâ fœdari *quod licitum eſt*.

542. d. Lov. inſtat *ſuperbia*. Attamen lib. 4. contra duas epiſt. Pelag. c. 10. cum aliis libris, *inflat*.

543. c. Er. & Lov. *præfiguratam* ſignificationem. Am. & MSS. *ſignificantiam*.

553. g. MSS. *in* qua *vocati ſumus*.

554. c. Tres MSS. *ut* Pelagianus *tu videaris*.

Ibid. d. Am. *pugnat errorem veſtrum, etiam Pelagii* linguam *tamquam* &c. Erratum ſequutus Eraſmus, mutavit tantummodo *pugnat*, in *oppugnat*.

557. a. Editi: *putatis eſſe*, imaginem *Dei*. MSS. *imaginis*.

559. c. Poſt, *qui reus eſt*; addimus *hominis* ex Floriacenſi MS. qui tamen codex poſtea omittit *Homines*, ante verba *igitur ſicut*.

Ibid. d. *Quocirca* parvuli. At Floriac. MS. *in parvulis*.

Ibid. e. Editi, *ſive* in *qualibet*. MSS. *ſive qualibet*.

560. d. Editi: *liberorum procreandorum* cauſſam. At MSS. *cauſâ*.

561. g. Lov. *& liberandus per* redemtionem.

564. d. Floriacenſis MS. revireſcentibus *etiam ipſa* revireſceret.

Ibid. f. Am. & Er. *quod* admirabilis *radix*.

565. a. Floriacenſis MS. *non* mittitis *ad regnum Dei*.

Ibid. e. Vaticani quatuor MSS. *&* ſpiritum *neceſſe ſit concupiſcere*.

566. a. Floriacenſis MS. *ad conditoris* opera *pertinet*.

Ibid. b. Idem cod. *niſi* quantum *opus eſt*.

Ibid. Editi: *Cujus* honeſtè *continentis*. Meliùs in MSS. *honeſti*.

Ibid. c. Floriacenſis cod. *laudatis homines* malum.

Ibid. e. Plures MSS. *vel docenda* require.

Ibid. f. Aliquot. MSS. *ne præter* conjugii *naturalem uſum*.

Ibid. g. Lov. *laudare*, quam *cogeris*.

Pag. 567. f. Lov. *in comparatione* mali *pejoris*. Abest *mali* ab aliis libris.

568. f. Item Lov. *Utrumne casta*.

571. b. In MSS. *quod non* vultis *audire*.

572. e. Plures MSS. *contemsit* infirma *remedia*.

575. g. Editi : *secundùm merita* vestra *dari*. MSS. *nostra*.

576. a. Am. Er. & MSS. *Consilium quippe inopis* confudisti.

Ibid. b Er. & Lov. *vel* quorumcumque *animalium*. Am. & MSS. *quorumque*.

Ibid. f. Plures MSS. concludis *in prœlio*. Floriacensis, concluderis *in prœlio*.

577. f. Am. & Er. *& innocentem esse* parvulum *per proprium*. Emendati sunt à Lov. auctoritate MSS.

579. f. Am. & MSS. Rimas *quæris inter tot*.

580. b. In MSS. loco, *benificentiæ*; legi solet, *beneficientiæ*.

58-. g. Aliquot MSS. Appellasti *etiam calorem*.

588. d. Duo MSS. *fateris* eas *gloriosa*.

589. c. Plures MSS. *ista suscepta*, si *desipis*.

592. b. Aliquot MSS. *quos* dicis *alienos*. Et paulò pòst, *qui* solius *libertatis ingenitæ*.

Ibid. d. Nonnulli MSS. *&* tenacissimo *memoriæ thesauro*.

Ibid. f. Am. Er. & quidam MSS. *Quod* si & *probari*.

593. c. Apud Lov. qua *cognoscentes Deum*.

594. b. Floriacensis MS. *hominum* consuetudine *sumsisse*

595. g. Lov. non *veritate*, *sed quadam*.

5-9. g. Vaticani quinque MSS. *omnino* non *erit*.

600. e. Floriacensis MS. *non quia per ipsum factum*.

602. a. Idem codex : steriles *bonos dixi*.

Ibid. f. Am. & Er. *extorserit &* voluntas.

604. g. MSS. *cum quo nati sumus*, addendæ *non sunt*.

609. b. Editi : unde *meritò damnarentur*. MSS. *ut inde*.

Ibid. c. Lov. *quod renascendo* purgatur. Ceteri libri : *purgetur*.

Ibid. f. Item sola editio Lov. *non esse* vera *bona sine fide*.

610 a. Am. & Er. Venisti *etiam ad verba illa*.

Ibid. c. In MSS. *quas perturbatus* offendit.

611. c. Er. & Lov. *vel quod tu quamvis* : omisso, *esse*.

Ibid. Lov. qui *libidine carnis*. Ceteri libri : *quia*.

612. b. In MSS. *sive illud aridum*, *sive humidum receperit*.

613. d. Editi : quo *eam coërcet*. Sic etiam Gallicani MSS. At Vaticani : *quod*.

614. b. Editi : *in membris* adversarium. MSS. *adversariam*.

616. a. Editi : *quod* leve *& asperum*. At MSS. *lene*.

Ibid. b. Am. Er. & MSS. *id* domui *suæ*.

Ibid. e. Lov. *quantum* refectione *indigentia postularet* : mendosè.

617. d. Editi : *serpenti* reptanti *super terram*.

618. d. Editi : *ubi* finiatur *necessitas*. Aliquot MSS. *finitur*.

Ibid. e. Editi : *si in* eis *sumus*. Floriacensis MS. meliùs : *si in eas sumus*.

619. a. Er. & Lov. *in* auram *cogitationis*. Am. *in* aura. MSS. *in auras*.

Ibid. b. Floriacensis MS. *in Hortensii* dialogis.

Ibid. c. In MSS. *atque eliciatur* voluptati.

Ibid. d. Am. & omnes MSS. Gallic. & Vatic. *ut moveantur in summis voluptatibus*.

Ibid. f. Floriacensis MS. *ambas* partes *laudare conaris*.

620. c. Tres è Vaticanis MSS. omittunt : *nec ebrietas*, *nec crapula*.

Ibid. e. Editi : *hominis*, *quo concupiscit* : omisso, *in*; quæ particula est in MSS.

622. a. Am. & nostri omnes MSS. *quorum* testimonio *ex persona Balbi*.

623. f. Editi : *putamus* inhonorabilia *esse*. MSS. *inhonorabiliora*.

Ibid. g. Editi : abundantiorem dando honorem. MSS. *abundantiore dato honore*.

624. d. Floriacensis MS. *quæ nondum illis fuit* : omisso, *in*.

625. a. In MSS. deest : *si de genitalium nuditate erubuissent*.

627. c. Floriacensis MS. correctus, *ac pius*, ita *donorum suorum* &c.

Ibid. Editi : *sic ablui* dicis. MSS. *dicitis*.

Ibid. e. Apud Lov. quia *non frustra*. In editis aliis & MSS. *quæ*.

628. a. Lov. & Belgici MSS. indubitatè *quoque teneant*.

Ibid. b. Aliquot MSS. *multitudo* Christianorum, *à cujus* &c.

631. b. Er. & Lov. Jam *istam cæcitatem* : Abest *Iam* ab Am. & MSS.

634. c. Editi : *ut salvi fierent*, *ideo mittet illis* : omisso *&*, quod in MSS. habetur, & in Græco textu Apostoli.

Ibid. d. Editi : Sic *autem volens Deus*.

635. b. Editi : & aliquot MSS. *Nullum* elegit *dignum*, *sed eligendo* effecit *dignum*.

637. b. Vaticani quatuor MSS. & Floriacensis : *quia pars inferior hominis*.

Ibid. c. Editi : *Eia*, *quid moraris*. Addidimus, *age*, ex MS. Floriac.

Ibid. e. Sex MSS. *& in illius immundi spiritûs* laudem.

638. d. Editi : *cordis* obtusitate *nascuntur*. MSS. *obtunsitate*.

639. d. Post, *servire animi imperio*; editiones Am. Er. & aliquot MSS. hæc verba interponunt : *Cùm priùs dixerit* (vel *dixeris*,) *membra genitalia ad nutum voluntatis servire & animi imperio subjacere*; *postmodum inter has corporis partes eadem deputavit* (vel *deputasti*,) *quæ non voluntatis imperium*, *sed consensum requirunt*, *in quo sibi* (vel *tibi*) *adversus manifestissimè comprobatur* (vel *comprobaris*.) Deinde prosequuntur : *Postea verò hoc genus motus*, &c. Absunt illa à melioribus MSS. & meritò per Lovanienses expuncta sunt.

Ibid. Item apud Am. & Er. necnon veteres quosdam codices, post *sed consensum requirunt*; hæc è margine in textum irrepserant : *magis esse verius membra* (vel, *magis*, *verius enim membra*) *genitalia voluntatis non imperium*, *sed consensum requirere*, *quàm voluntatis imperio aut animi subjacere*. *Unde apparet hæreticum & contrarium sibimet exstitisse*, *priùs illa & posteriùs ista definiendo*, *& quia erubuerit prioribus*, *posterioribus veriora confessum*, *pervicaciâ tamen impudenti seu imperitiâ*, *quæ priùs pravè dixerat*, *non mutasse*. Hujus glossematis partem priorem retinuit Lovaniensium editio.

640. b. Editi : stimulo *libidinis excitantur*. Aliquot MSS. *stimuli*.

641. a. Editi : *homo* Ecclesiasticè. MSS. *Ecclesiasticus*.

Ibid. Am. & MSS. *quid* Davitica *cythara*.

642. f. Plerique MSS. *nobis calumniando* imputas *socios falsitatis*.

643. f. Editi : Ita *vincendam esse*. Meliùs MSS. *Item*.

647. c. Vaticani MSS. & duo Gallic. *exclamatio* & declamatio *tua ad rem non pertinet*.

649. c. post *potuerit insanire*, editi Am. & Er. necnon quidam MSS. addebant : *Si rectè de temperantia conjugali sapuisset hæreticus*, *quid sentire debuerit*, *quid de Apostoli testimonio*, *intelligere integra fide potuerit* : quæ verba huc è margine translata esse, probant antiquiores codices, qui eis carent.

Ibid. d. Floriacensis MS. *quamvis* conjugum, *non utique*.

650. a. Duo MSS. *&* verum dicis.

Ibid. g. Iidem duo MSS. *quod* filiis *voluerunt*.

651. d. Editi : *tollit* peccata *mundi*. MSS. *peccatum*.

Ibid. f. Duo MSS. *nec* defectis *ætate corporibus*.

653. a. b. Editi : *idem homo Dei*, *cùm de peccatis sermo* ejus *esset humanis*.

654. d. Quinque MSS. *ut te* docente *nossemus*.

655. b. Belgici MSS. *non pauci nascuntur* : omisso, *infantes*.

656. b. Floriacensis MS. *sub* necessitatem *criminum*.

Ibid. c. Idem Flor. cod. *verumtamen & natura*. Quidam alii : *Verumtamen* ea *natura*.

Ibid. e. Editi : *si* parvulus *habuißet*. MSS. *parvus*.

Ibid. f. Idem Flor. MS. *Tolle*, *inquis*, exemplum, caussa *tolletur & pretii*. Duo ex Vatic. *Tolle*, *inquis*, *exempli caussam*, *tolletur &* pretium.

657. c. Plures MSS. *& de cordibus* hominum *qui legerunt*.

659. b. Am. Er. & MSS. *qui* pugnare *neglexerit*.

Ibid. e. MSS. *adversùs* ipsum *bonum*.

660. a. Tres MSS. *secundùm* definitionem *tuam*.

663. c. MSS. *liberentur*, & *non jam pertineant*.

Pag. 664. c. Am. Er. & ſeptem MSS. *manum formationis* opere *ſuo.*

665. a. In MSS. *ut* evacuaretur *corpus* &c.

667. c. In MSS. *juſti* conſtituuntur *multi.*

668. d. Floriacenſis MS. *Argumentationes* hominis *conticeſcant.*

Ibid. e. Quatuor MSS. *iſte* & *Deus & homo.*

Ibid. Editi : ita *portemus & imaginem.* Abeſt *ita* à MSS.

672. d. Editi : *verumtamen* quod *ſi.* Meliùs aliquot MSS. *quid.*

673. b. Vaticani tres MSS. niſi *ad ſignificandam.* Floriacenſis cod. quàm *ad ſignificandam.* Verùm particula *niſi*, vel *quàm*, illic addita ſenſum detorquet ſuperiorum verborum, *Nec ob aliud credendum eſt :* quæ ſignificant ideo præceptam circumciſionem parvuli de circumciſo geniti, quia ipſe de circumciſi ſemine trahit præputium.

674. e. MSS. *neutros* poſſimus *celeri.*

675. e. f. Floriacenſis MS. *peculium diaboli*, *quos* redemit Chriſtus *ſanguine* ſuo.

Ibid. f. Idem cod. *ſi eis* dixiſſe *me dixeris.*

Ibid. Am. Er. & aliquot MSS. *non* doctor. Lov. *non* doctior. At meliores MSS. *non doctus.*

678. e. Editi : *& ipſa ſententia* dicendo. Abeſt *dicendo* à MSS.

679. a. Editi : *niſi* unus *bonus & verus Deus.* Abeſt *unus* à MSS.

Ibid. g. Poſt *mortis ſuæ*, apud Am. Er. & nonnullos MSS. in contextum tranſiit marginalis hæc annotatio : *Mirè complexis Apoſtolus teſtimoniis aſſerit parvulos & de poteſtate tenebrarum erui cum ceteris, & naturâ eſſe filios iræ, ſicut & ceteri, quia peccato moriuntur, cùm in morte Chriſti baptizantur in Chriſto.*

681. d. Er. & Lov. *à ſuo* prædeceſſore *Innocentio.* Am. & MSS. *præc ſſore.*

687. d. Editi : *nec cum inopia* frugalitatem, *nec cum mæroribus* magnanimitatem, ... nec *cum carnis concupiſcentia* caſtitatem. Duo Vatic. MSS. *frugalitas, magnanimitas* &c.

Ibid. f. Editi : *niſi reatus* qui. At MSS. *quo.*

688. e. Quatuor MSS. *à mortis vinculo* liberati.

Ibid. g. Floriacenſis MS. *quod bonâ vitâ fieri poteſt :* omiſſo, *in.*

691. d. Iſtud, (*in qua ætate novi homines appellabantur,*) in editis tranſpoſitum fuit ante ſuperiora verba, *non carnis, de corpore exiſſent.* Reſtituitur in ſuum locum ad fidem MSS.

698. d. MSS. *de Spiritu-ſancto* * & *virgine Maria.*

699. a. Plerique MSS. *ſive* majores, *ſive infantilis ætatis.*

Ibid. e. Editi : *in quibus* latenter *putarent te.* MSS. *latentem.*

700. c. Am. Er. & plerique MSS. *bonum eſt* malos *eſſe.*

Ibidem Lov. primus *homo ut adversùs.* Am. Er. & MSS. *prius.*

701. d. Editi : ulla, *ſicut dicis.* Veriùs aliquot MSS. *nulla.*

702. b. Plures MSS. *ſenſum* veſtrum *convenire.*

707. a. Editi : *Nemo* liberabitur *ab hac ira.* MSS. *liberatur.*

709. a. Tres MSS. *anima quæ* peccaverit.

710. c. Lovanienſes expunxerunt, *& pro omnibus mortuus eſt.* Ibi tamen exſtat in Gallic. & Vatic. MSS.

Ibid. e. Am. Er. & MSS. *His te* conſociari *præſumis.*

LIBER DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.

Hujus operis exemplaria pro concinnanda nova hac editione plura & per quàm egregia collata ſunt, ſcilicet Romana bibliothecæ Vaticanæ ſex, & quatuordecim Gallicana, ex bibliotheca Regia unum, ex Colbertina unum, ex Sorbonica unum, aliud Remenſis Eccleſiæ, aliud clariſſimi viri Nicolai Maneſſier Doctoris Theologi Pariſienſis & ſocii Sorbonici, alia duo ex abbatia Ciſtercienſi, aliud ex Corbeienſi vetuſtiſſimum ante mille, ut videtur, annos ſcriptum, cetera ex monaſteriis Pratellenſi, Gemeticenſi, Beccenſi, Michaëlino, Caſalenſi, & Andegavenſi S. Albini : examinatæ præterea variantes lectiones codicum ſex Belgicorum, quæ apud Lovanienſes exſtant, & perlectæ fuerunt celebriores editiones Am. Er. & Lov.

720. c. MSS. *& ubi aliquid faciendum :* omiſſo, *ad.* Sed ex his nonnulli pro *aliquid*, habent *aliquod.*

Ibid. e. Editi : *cùm in Chriſtum non* crediderunt. Meliores MSS. *non crediderint.*

721. a. Editi : *omnino* quod *crederet.* MSS. *quid.*

Ibid. f. Editi : *Propter* hoc enim *ſubjecit.* Antiquiſſimus Corbeienſis codex & quidam alii MSS. *Propterea ſubjecit.*

723 c. Corbeienſis MS. *Homo* enim *gratiâ juvatur.*

Ibid. d. Editi : *anathematizaſſet.* Et infrà : *anathematizatus*, *anathematizaſſe.* At MSS. antiquiores, *anathemaſſet*, *anathematus*, *anathemaſſe.*

725. b. Editi : *cujus eſſet illud* bonum. Et infrà : *paululùm gratiâ* Dei *deſerente.* Abeſt *bonum*, & *Dei*, à plerìſque MSS.

726. b. Editi : *dixit coronam redditurum :* omiſſo *juſtitiæ*, quod ex MSS. reſtituimus.

Ibid. c. Omnes MSS. *cogitare aliquid tamquam ex nobiſmetipſis :* omiſſo, *à nobis.*

Ibid. d. Am. Er. & plures MSS. *ut tantus doctor* gentium *ignoraverit.*

Ibid. g. Editi : *quia* credimus. MSS. *credidimus.*

727. c. Lov. Sed *naſcitur inde.* Am. Er. & MSS. *Et naſcitur inde.*

Ibid. d. Am. Er. & plures MSS. *ſed ſecundùm* meritum. *Et iterum.*

728. b. Lov. *Itaque* fratres *cariſſimi.* Abeſt *fratres* à MSS. & editis Am. Er.

730. e. Editi : *ſe poſſe* putabant *implere.* MSS. *putabat.*

731. d. Editi : *antiqui etiam patres* crediderunt. At MSS. *crediderant.*

Ibid. f. Am. Er. & plerique MSS. *quæ implenda* videntur *in lege.*

733. a. Editi : *ut* avelleretur *ab eo.* At Vaticani MSS. *evelleretur :* rectè ; nam in Ezechiele præmiſſum eſt, *& evellam.*

Ibid. e. Antiquiores MSS. prætereunt : *in hominibus.*

734. f. Am. Er. & plerique MSS. *Si hæc* (vel *hoc*) *ei* in *præſenti.* Alii quidam MSS. *Si hæc ei* in præſentia.

735. c. Editi : *ponat* quis *pro amicis ſuis.* Abeſt *quis* à MSS.

Ibid. e. Corbeienſis MS. *perficiet uſque in* finem. *Ut ergo*, &c.

736. f. Editi : *caritatem* perpetuò *habentes.* Melioris notæ MS. *perpetuam.*

738. c. Lov. *Deo* pro *vobis.* Alii codices, editi & MSS. *Deo de vobis.*

739. f. Editi : *ſubſiſtere* à facie *inimicorum ſuorum.* Corbeienſis MS. & duo Vatic. *ante faciem.*

740. a. Corbeienſis MS. *& altâ ſapientiâ :* omiſſo, *& piâ.*

Ibid. b. MSS. *& retribuet mihi bona.*

LIBER DE CORREPTIONE ET GRATIA,

Ad eoſdem codices cum libro de gratia & libero arbitrio, quos ſuprà memoravimus, collatus & emendatus fuit.

753. b. Aliquot MSS. ut *ex malis qui corripiuntur.*

Ibid. f. Am. Er. & plures MSS. *Potens eſt* enim *ille.*

756. c. Lov. ex Belgicis aliquot MSS. *ſicut* hîc *modò dicunt.*

758. b. Editi : *Illos* ergo elegit *ad obtinendum.* MSS. verò non habent, *ergo elegit.*

Ibid. Plures MSS. *Quis* eſt qui condemnet ? *Chriſtus.*

Ibid. e. Editi : *in* iſto *numero.* At MSS. *iſtorum.*

759. c. Am. & Er. *ſi ea* quæ *fidelis erat.*

760. b. Am. Er. & plures MSS. *vel quæ* accidunt *extrinſecùs.*

Ibid. c. Nonnulli MSS. *illos ipſos* intueamur, *de quibus agitur.*

763. c. Am. & plures MSS. *Diſcunt enim in ipſa* vita *juſta.*

Ibid. Editi : *&* ne *veniatis ad viam juſtam.* Meliùs MSS. *& nor.*

764. c. Am. Er. & plures MSS. *facturo Deo aut* ad *miſericordiam*, *aut* ad *judicium.* Lovanienſes expunxerunt *ad :* quæ particula abeſt etiam à vetutiſſimo codice Corbeienſi.

Ibid. Editi : Hinc *exoritur alia quæſtio.* MSS. *Hic.*

Ibid. d. Am. Er. ac plerique MSS. *cui* tamen *neceſſarium Dei donum* fuit.

765. a. Plures MSS. *etiam de malis* bona *facere.*

Ibid. f. Editi : *hujuſmodi permanſionis.* MSS. *hujus permanſionis.*

Ibid. Vaticani duo MSS. *immo ibi* eſſe, *ubi eſſe miſerum non deceret.*

Ibid. Nonnulli MSS. *præſcientia* & timor *tanti mali.*

Pag. 768. d. Henricus Gravius legi volebat, *quæ libertas futura erat*: quia scilicet pronomen *quæ* non concordat genere cum *libero arbitrio*, quod in prima parte sententiæ præcessit. Sed non ineleganter factum est ut concordaret cum nomine postea sequente, scilicet *merces*. Eo locutionis modo Cicero lib. de legibus ait, *Animal providum, sagax, quem vocamus hominem*. Et act. 5. in Verrem, *Carcer ille, quæ latumiæ vocantur*. Et eum passim imitatur Augustinus.

769. e. Am. Er. & MSS. *vitæ hujus* invenit *finis*.

770. e. Vetustissimus Corb. cod. *qui fecit bonos*.

Ibid. Editi: *& bene vivendi facilitati*: omisso, *tantæ*; quod ex MSS. restituitur.

Ibid. f. Editi: *vel restituere qui* ceciderint. MSS. *ceciderunt*.

771. b. Lov. & posteriores editiones: quia *non habent unde*.

Ibid. Editi: *Hoc* etiam *Apostolus apertissimè*. At MSS. *enim*.

Ibid. f. Am. & Er. *& inseparabiliter ageretur*: mendosè ac dissentientibus MSS.

Ibid. Editi: *cùm & voluntas primi hominis*. Abest *&* à MSS.

772. a. Plures MSS. ut *hoc deserere invictissimè nollent*.

773. a. Editi: *ubi sanctus* David *de Domino*. Abest *David* à MSS.

Ibid. Plures MSS. *de Domino dicit animæ suæ*: omisso, *Deo suo*.

Ibid. f. Editi: *quod originaliter* de *generatione traxerunt*. Abest *de* à MSS.

774. b. c. Sola editio Lov. *nullum* hominis *resistit arbitrium*.

Ibid. c. Editi: *De his enim*: omisso, *Etiam*, quod exstat in MSS.

775. a. In MSS. *induit* Samai *principem triginta*. Editi ferebant: *principem* inter *triginta*. Abest *inter* à LXX. & à MSS.

Ibid. Er. & Lov. *tecum futuri* filii *Isse*: mendosè.

AD PROSPERUM ET HILARIUM Libri duo,

UNUS DE PRÆDESTINATIONE SANCTORUM, ALTER DE DONO PERSEVERANTIÆ:

Recogniti sunt ad Vaticanos codices quatuor, & ad Gallicos sexdecim, ad Regium, ad Noalliensem, eum scilicet qui nostræ Germanensi bibliothecæ ex Nobilissimi Domini D. Ducis Noalliensis dono accessit, ad Colbertinum, ad Sorbonicum, ad Genovefæanum, ad Rementem majoris Ecclesiæ, ad codicem V. C. Emerici Bigot, ad codicem V. C. Nicolai Manessier, ad Metensem abbatiæ S. Arnulphi, ad Andegavensem S. Albini, ad codicem abbatiæ S. Ebrulphi, tandem ad Gemeticensem, Beccensem, Michaelinum, Pratellensem, & Corbeiensem: necnon ad Lovaniensium varias lectiones ex quatuor Belgicis MSS. excerptas; & ad editiones veteres Am. Er. & Lov.

791. c. Editi: *ille quem* rogamus. Noalliensis MS. *rogavimus*.

793. a. Am. & Er. *quoniam* qui *promisit*. MSS. *quoniam* quæ *promisit*.

Ibid. c. d. Am. & Er. *unde* pietas *exordium* sumit.

Ibid. d. Ebrulphensis MS. *primam tollit* sibi.

795. f. Editi: *In cujus quæstionis solutione* elaboratum *est*. MSS. *laboratum est*.

796. b. Editi: *Reprimiturque omnino*. Abest *que* à MSS.

Ibid. f. Editi: *esse aliquid, sed qui incrementum dat*, Deus. At MSS. *Deum*.

797. c. Omnes MSS. Qualibus *occurrens cogitationibus*.

798. d. Editi: *pro nihilo* enim *salvos fecit eos*. At MSS. prætereunt *enim*: & ex his unus loco *fecit*, habet *facit*.

Ibid. Plures MSS. *Sed forsitan* dicunt.

799. e. Am. Er. & aliquot MSS. *inseparabilia quippe* dicimus *esse*.

801. e. Editi: *ut qui* gloriantur, *non in suis meritis quæ paria* vident *esse damnatis, sed in Domino* glorientur. At MSS. *gloriatur*, *videt*, *glorietur*, singulari numero.

802. a. Editi: *quæ à prudentibus* investigari *queunt*. Omnes MSS. *vestigari*.

804. c. Am. & Er. *ut* impleatur *quod promisit Deus*. Melius MSS. ut Lovanienses observant: *impleat*. Nam paulò pòst: *non implet Deus quod promisit*. Et mox: *ut promissa sua Deus possit implere*.

Ibid. f. Editi: ut *& in suis incrementis, & in suis initiis donum* sit *fides*. At MSS. *& in suis igitur incrementis, & in suis initiis Dei donum est fides*.

806. a. Editi: vel *pro malis*. Abest *vel* à MSS.

Ibid. e. MSS. *baptizari parvula ætate*: omisso, *in*.

Ibid. f. Am. & Er. *Hoc si* audierint *Pelagiani*. MSS. *Hoc si* audirent *Pelagiani*.

807. e. Editi: *quam* volumus *hinc doceri*. Aliquot MSS. *voluimus*.

808. e. Editi: *adversus* alios *inimicos Ecclesiæ*. MSS. non habent, *alios*.

Ibid. Editi: *poscerentur* à *Deo*. MSS. *de Deo*.

810. d. Am. Er. & aliquot MSS. *prædestinatum esse* dicimus.

812. c. Lov. *Evangelio propter* vos. Et paulò pòst eadem editio cum Am. & Er. *ibi intelligendi sunt inimici propter* vos. At MSS. hoc utroque loco, *nos*.

Ibid. e. Aliquot MSS. *per electionem gratiæ* salvæ *factæ sunt*.

813. e. Editi: *quod ut in eis faciat, eos* elegit. Plures MSS. *eligit*.

814. a. Plerique MSS. *quæ abundavit in* nobis.

816. d. Am. & Er. Non erremus: *Deus non irridetur*. Plerique MSS. *Nolite errare*, inquit Apostolus, *Deus non irridetur*. Cum editione Lov. omittimus, *inquit Apostolus*.

Ibid. e. Editi: *si cui gratias agit* de *hoc* quod *ipse non fecit*. MSS. omittunt particulas *de* & *quod*.

818. e. MSS. *quasi* obtunsis, *quibus*.

821. b. Editi: *cùm verò esse* desistit. MSS. *destitit*.

823. b. Editi: *Neque enim quos non vult* Deus *pervenire*. At MSS. *voluntas Dei*.

Ibid. d. Editi: *si* ob *hoc gratiæ*. MSS. *si ex hoc gratiæ*.

Ibid. f. In MSS. *cùm ipsa* oratio *quæ*.

824. c. Vaticani MSS. *sanato à se &* justificato. Et paulò pòst: *ut sanctificatio &* justificatio.

Ibid. d. Editi: *nisi ut id quoque nobis* præstet. MSS. *præstetur*.

826. d. Editi: *nemo sanctorum* est qui *non* teneat. MSS. *nemo sanctorum tenet*.

827. b. Editi: *sed* haberi *sperantur*. At MSS. *sed habenda sperantur*. Aliqui: *sperabantur*.

828. b. Aliquot MSS. *quia nihil nobis* relinquit.

829. a. Editi: *convertit* eos *ad fidem*. MSS. omittunt, *eos*.

Ibid. d. Editi: *quid eis quibus datur*: omisso *in*, quod exstat apud MSS.

Ibid. e. Plures MSS. *judicium in* redhibitione *mercedis*.

830. a. Am. Er. & aliquot MSS. *gratiam* in *vasis misericordiæ commendaret*.

Ibid. g. Corbeiensis & Manessierianus MSS. voluptaria *ingerunt*.

Ibid. Nostri omnes MSS. *illecebrosa* contexunt.

832. a. Am. Er. & aliquot MSS. *mirabilia & signa sunt facta*.

833. c. In MSS. legitur: *quæ sini adhuc* merita *requirenda*.

Ibid. g. Plerique MSS. *vindicari quæ præsciti sunt*: omisso, *peccata*.

834. d. Editi: *suam* perfecit *laudem*. Plures MSS. *perficit*.

Ibid. f. Plerique MSS. *quod* volunt, *rejiciant*.

835. c. Editi: liberet *Dei gratia*. MSS. *liberat*.

836. b. Editi: *quid omnes* mererentur. MSS. *merentur*.

837. d. Editi: *Videtis Carissimi*. MSS. *Videtis enim Carissimi*.

Ibid. e. Editio Lov. *& in ipsa Dei* præsentia *non futuris*. Emendatur ex MSS.

Ibid. g. Omnes MSS. *negligentiæ sic* retribuendum *est*.

838. e. In MSS. *sapientissimam*, beneficientissimam; &c.

840. f. Editi: *audiant*, & *quibus datum est ut obediant*. Expunximus *&* auctoritate MSS.

Ibid. g. Corbeienſis MS. *Quod vidit* fideliſſimus *Cyprianus.*

Pag. 842. g. Lov. *conſtet Deum alia etiam non orantibus:* omiſſo, *danda;* quod verbum in editis aliis & MSS. exſtat.

844. f. Sola editio Lov. *exhortationem eorum, ceterorumque prædicationem:* minùs rectè.

846. a. Corbeienſis MS. *miſericordiâ & operibus bonis.* MSS. alii & editi, *miſericordiæ.*

Ibid. f. Am. & Er. *ut* credentes *permanerent.* Noallienſis cod. *ut* creduli *permanerent.*

847. d. Editi: *circumſtantia ipſius* locutionis. Meliùs MSS. *lectionis.*

Ibid. e. Editi: de *tribu Benjamin.* Abeſt *de* à MSS. & Græco textu Apoſtoli.

848. a. Editi: *per electionem gratiæ* ſalvæ *factæ ſunt.* Abeſt *ſalvæ* à præcipuis MSS.

Ibid. c. Editi: *Magis* autem *fortaſſe.* MSS. *enim.*

853. c. Noallienſis MS. Inimicæ *igitur contentionis eſt.*

854. d. Omnes MSS. *ipſe etiam* fidelibus *donet.*

Ibid. f. Am. Er. & plures MSS. *per verbi perſonam tertiam* dicantur, *non per ſecundam.*

Ibid. Editi: *quando* quis *eis* quibus *loquitur.* At MSS. *quando qui eis loquitur.*

855. d. Vaticani MSS. *ſed faciet* vos *perſeverare.*

Ibid. e. Plures MSS. *utinam* tardi-cordes *& infirmi.*

856. c. Omnes MSS. *interpellat gemitibus inenarrabilibus:* omiſſo, *pro nobis.*

858. c. Editi, *minuere aliquid ejus* divinitatem. MSS. *divinitati.*

Contra secundam Juliani responsionem Opus imperfectum,

Innumeris locis emendatur auctoritate veterum quatuor exemplarium optimæ notæ. Unum Colbertina bibliotheca ſuppeditavit, ſed hoc duabus tertiis partibus mutilum; illud ipſum videlicet, ex quo V. C. Claudius Menardus priores duos libros expreſſerat, & typis editos anno 1617. publicaverat. Aliud, quo poſtea Hieronymus Vignierius ad totos ſex edendos libros uſus erat, ſubminiſtravit Clarævallenſis abbatia; atque ex ipſo lectiones ab editione Vignieriana diſcrepantes ingenti curâ & labore in hujus noſtræ editionis gratiam collegit Domnus Mathurinus Henault abbatiæ ejuſdem Clarævallenſis monachus. Tertium Carthuſia Portarum, quæ Bugienſem provinciam in Galliis exornat, & quartum ejuſdem fortè cum ſuperiore antiquitatis, id eſt, ante annos circiter ſexcentos, ſingulari tamen præcipuâque diligentiâ ſcriptum, Altiſſiodorenſis abbatia Præmonſtratenſium S. Mariani nobis utendum præbuit.

873. In præfatione lin. 14. Colbertinus codex: *decerpendas* putavit. Alii MSS. Clar. id eſt, Clarævallenſis, & Mar. qui eſt Præmonſtratenſium S. Mariani, & Port. qui Carthuſiæ Portarum, ferunt: *decerpendas curavit.*

876. d. Editi: *& profanus* appareat. MSS. *apparet.*

878. b. Codex Colb. *eructat Manichæorum* ſorde *naturale peccatum.*

Ibid. d. Duo MSS. *quæ ſubreptionibus acta* conſtabant.

Ibid. Duo item MSS. *obſtiterit, nec* diſceptationem, *tempus.* Vignierius: *obſtiterit*, diſceptationem, *tempus:* omiſſo *nec.* Veriùs Menardus cum MS. Colb. *nec diſceptationi.*

Ibid. Marianenſis cod. *Nos* autem *in quantum.*

Ibid. e. Editi: *ut* eſt *contra rationem.* Removemus *eſt* auctoritate. MSS.

880. d. Codex Mar. *quatuor* libris *reſpondi.*

Ibid. Idem codex Mar. *noſtra* elaboraret *intentio.*

881. a. Vignierius pro *qui cum*, invitis MSS. correxerat, *quo cum.* Loqui amat Julianus cum Cicerone ac Terentio, quibus familiaris eſt ille dicendi modus. Sic Terent. Eunuch. act. 4. ſc. 6. *qui cum res tibi eſt.*

Ibid. f. Duo MSS. Et *quæ prætermittis.*

Ibid. g. Editi: *ut* prolocutus *ſum.* MSS. *prælocutus.*

Ibid. Vig. ut *ab illo impudentiſſimè.* Meliùs MSS. *& ab illo.*

882. a. MSS. Port. & Mar. *noſtra* operatio *laboraverat explicare.*

883. a. Editi: *Bene* feciſti *indicare.* At MSS. *facis.*

Ibid. Mar. MS. *in eis* quotquot *venit ille ſanare.* minùs rectè.

884. c. MSS. *quæ incipit vagitibus:* omiſſo *à.*

Ibid. e. MSS. *de quo* ſcribitur, *Deus fidelis.*

Ibid. f. Editi: *eſſe* aſſeris *iniquum, qui* negas *originale peccatum.* MSS. *aſſerit, negat.*

Ibid. Editi: *generaliter* & *docente naturâ.* Marianenſis. MS. *generaliter * edocente naturâ.* quæ lectio præſtat. *

885. b. Duo MSS. Mar. & Port. *ſed vobis* dicito.

Ibid. e. Editi: *commiſerint:* ſed *remotis omnibus.* Particula *ſed* abeſt à MSS.

Ibid. Editi: *per Scripturas* firmare *conaris.* MSS. *per ſcripturas ſanctas affirmare conaris.*

886. a. Vignierius: qui *per tua.* MSS. *quia.*

Ibid. b. Editi: *dic* etiam *qua juſtitiâ ille parvulus* adoptatur. MSS. prætereunt, *etiam:* & habent, *adoptetur.*

Ibid. f. Editi: *Differentiam verò non abſurdè:* omiſſo, *ejus;* ſed exſtat in MSS.

Ibid. g. Vignierius: & *variam pro opportunitate.* Particula *&* expungitur auctoritate MSS.

887. f. Editi: *oſtende* in baptizato. At MSS. *oſtende baptizati.*

888. b. Editi: *in quibus eum ſpretum.* MSS. *à quibus.*

Ibid. d. Editi: *Quid autem nequius:* omiſſo, *te;* quod reſtituitur ex MSS.

890. e. MSS. *cùm* agantur *mala.*

891. b. Vignierius: Mereretur *autem & ab honeſtis.* MSS. *Meretur.*

Ibid. e. Editi: *delinquere potuit:* omiſſo *vel*, quod exſtat in MSS.

Ibid. f. Menardus: Reſpondes, *Deus.* Vignierius: Reſpondeas, *Deus.* MSS. *Reſpondens, Deus.*

893. b. Vignierius: *donec ad impietatem damnabilem* proveniant. MSS. *perveniant.*

Ibid. d. MSS. Mar. & Port. *nititur excuſare*, affirmat *eum.*

Ibid. e. Editi: *Quis veſtrûm pejor ſit:* omiſſo, *Quo;* ſed habetur in MSS.

Ibid. f. Marianenſis MS. *per quod* corrumpit *gloriam.*

895. b. Marianenſis idem cod. Dicas *te colere.*

Ibid. c. Vignierius: *felicitate* repromiſſa. Menard. & MSS. *promiſſa.*

896. d. Duo MSS. Port. & Mar. *in quibus* appetitis *principatum.* Veriùs alii libri, *appetis.* de Juliano dictum.

898. a. Editi: Hæc-ne *tot munera.* MSS. *Haccine.*

Ibid. b. MSS. *omnium bonorum exſecrationem* meretur.

Ibid. f. Editi: *ut* aggravaretur *anima ejus.* MSS. *ut hac aggravetur anima ejus.*

899. e. Editi: *de parvulis* dicis. Et infrà, *Si* dixeris, *Non credunt.* Item poſtea: *Si autem* dixeris. At MSS. conſtanter in plurali numero: *dicitis, dixeritis.*

Ibid. g. Editi: *& ſub peccati principe* naſcuntur. MSS. *naſcerentur.*

900. a. Editi: *ſi non* cum *eis* periclitaretur. At MSS. *ſi non eis compericlitaretur.*

Ibid. b. Editi: *ut idololatræ ac parricidæ.* Abeſt * *ut* à quibuſdam MSS. *

Ibid. Editi: *ſacramenti hujus de quo agimus* auctorem *aliena peccata innocentibus* imputare. At MSS. *à ſacramenti..... auctore.... imputari.*

Ibid. c. Editi: *alterum* ſuſtuliſti. MSS. *tuliſti.*

Ibid. e. Editi: *neutra* dimittantur. At MSS. *dimittat.*

901. b. Editi: *& nunc à te in* Italia. MSS. *in Italiam.*

Ibid. g. Duo MSS. poſt, *hanc prædicante;* omittunt, *& docente.*

902. c. Vignierius: ut *aufertur ab omnipotente illo.* Meliùs MSS. *& aufertur.*

903. c. Vignierii editio: *ſed* tum *nec imago Dei eſt.* MSS. *ſed tu.*

Ibid. f. Eadem editio: *ordo verborum* amotus. Caſtigatur ex MSS.

904. d. Idem Vignierius: *hoc* de *illo exceptis parvulis dictum.* Meliùs alii libri, *ab illo.*

906. d. Editi: *vel* per *hoc opus.* MSS. *poſt.*

Ibid. g. Vignierius: *reis* intentione *ſupplicii.* mendosè.

Pag. 907. c. Vetus cod. Port. *nec habet* ullam *efficientiam.*

Ibid. e. Editi : hoc *ipſum ad Romanos.* At MSS. *hic ipſum.*

908. d. Editi : *& hoc non volo :* prætermiſſo *quod*, tametſi erat in MSS.

Ibid. Editi : *Poſtremò* cur delectatur lege *Dei.* At MSS. *Poſtremò condelectatur legi Dei.*

Ibid. g. Editi : *cui dicetur in* finem. MSS. *cui dicetur in fine.*

909. d. Editi : *quiſquam ſuſpicari* auderet. MSS. *audet.*

910. a. Codex Mar. *Hoc enim* ubi *agitur.*

Ibid. d. Menardi editio : Nunc *autem dicimus, morbum eſſe :* gravi ac manifeſto lapſu. Caſtigavit Vignierius ex Clarævallenſis codicis fide, cui MSS. Port. & Mar. ſuffragantur.

Ibid. e. Vignierius : *Et iterum ad* ipſos, Si autem *vos tentet.* Caſtigatur ex MSS.

Ibid. g. Editi : *repentè exorti* repuduit *eos.* MSS. *puduit.*

Ibid. Vig. *Hujus mali* cujus *laudes.* Abeſt *cujus* à MSS.

911. a. Clarævallenſis & Marianenſis MSS. *Ut* jam *ad iſtam commemorationem.*

Ibid. c. Editi : *genus hoc* locutionis. MSS. *elocutionis.*

Ibid. d. Editi : *in membris* habitat. MSS. *habitet.*

Ibid. f. Editi : *fortaſſe* niſi *longâ ſe.* MSS. prætereunt, *niſi.*

913. a. Editi : *Nam ſi ut* dicitis. MSS. *dicis.*

Ibid. e. Editi : *lex in membris noſtris* repugnans *legi mentis.* Vide ſuprà pag. 304. not. a.

914. a. MSS. Mar. & Clar. *Quod verò quaſi* utile *poſi ſti.*

Ibid. b. Editi : *non* eis *præbere conſenſum.* MSS. *ei.*

Ibid. c. Editi : *ut* confiteatur *malum eſſe.* MSS. *cùm fateatur.*

Ibid. f. Editi : Sic *loquens beatus Ambroſius.* MSS. *Hinc.*

916. f. Omnes MSS. *adhuc* quale ſit *oſtendit.*

917. a. Editi : Fidelibus *itaque* Chriſtianis *dicebat.* MSS. *Fideles itaque Chriſtianos dicebat.*

Ibid. f. Editi : *& dum falſam infamiam* vitant. MSS. *verentur.*

Ibid. g. Editi : Itaque *cùm dixiſsem.* Meliùs MSS. *Item.*

918. a. MSS. Mar. Port. *quo ſimplices* iniquo *ſermone.*

Ibid. b. Vignier. & vetus codex Mar. *haud* difficile *erit* opere *comprobare :* fortè pro, *difficilis erit operæ.*

Ibid. c. Vig. *contra* quæ *latras.* MSS. *contra quem.*

Ibid. f. Editi : *à qua* deviatis. MSS. *deviaſtis.*

Ibid. g. MSS. *aut* neſcis *quid loquaris.*

919. c. Editi : *diverſa vocabula ſolere ſuſcipere :* omiſſo *nos*, quod reſtituitur ex MSS.

Ibid. f. Editi : *homouſion* repudiare. MSS. *repudiavere.*

920. e. Editi : *quis noſtrûm conſentiat :* omiſſo *ei*, quod ex MSS. reſtituitur.

923. c. Marianenſis cod. *habere* poſſemus *à nobis.*

Ibid. d. Editi : *non veterem, ſed novam :* omiſſo *ſanè*, quod reſtituitur ex MSS.

925. e. Editi : *diviſiones verborum* ſuorum. Abeſt *ſuorum* à MSS.

926. c. Marianenſis MS. Audis *ſanè ubi vim.*

Ibid. f. Editi : *ſicut homo* Dei *dixit.* MSS. *homo ejus.*

927. e. Editi : *ſervi autem facti* Deo. MSS. Port. & Mar. *Dei.*

928. a. Editi : *deceptor* inſeruit. MSS. *inſevit.*

Ibid. c. Editi : Hoc *primum munus.* Abeſt *Hoc* à MSS.

929. c. MSS. Mar. & Port. *ſicut catholici* qui Deo *confitentur.*

Ibid. Editi : *non ſolùm cum* Manichæis. MSS. *Manichæo.*

932. a. Menard. Joviniani opinione apertè *conjungi.* Vignier. Joviniani opinione *in ea parte conjungi.* At MSS. *Ioviniano in ea parte conjungi.*

Ibid. e. MSS. *non* dominetur *peccatum.*

933. a. Editi : *nulla ex parte* conſtet. MSS. *conſtes.*

Ibid. e. MSS. *in Dei gratia, & ad ipſum :* omiſſo, *qua.*

Ibid. f. Codex Port. nec *conſentiat iniquitati.*

Ibid. g. Idem MS. *& quamvis venialia* aliqua, *tamen aliqua.*

934. d. In MSS. Clar. & Mar. *Verumtamen ad deſtructionem* totum *dogmatis tui proficit.* Mox idem cod. Mar. cum editione Menardi : *Ut* enim *recordemur* &c.

936. a. Marianenſis MS. *fruſtratur* affectibus.

Ibid. Editi : quando non *invenit crimina.* MSS. *quoniam nec.*

937. f. Editi : *Nam ſi hoc, quod tu* putas, ſit. MSS. *putaſſet.*

940. c. Editi : *per naturam quam* fecit. MSS. *facit.*

944. b. Editi : *ire* alios *in honorem*, alios. At MSS. conſtanter habent, *alius.*

Ibid. c. Editi : *hoc iſtis* commiſerante. MSS. *eo miſerante.*

945. a. MS. Mar. *qui &* jam *demolitos.*

946. d. Editi : *fumos* tuos *tolle.* MSS. prætereunt, *tuos.*

Ibid. f. Codex Mar. *ita etiam* nullum impedimentum *eſt.*

947. c. Editi : *figulus ex eadem maſſa :* omiſſo, *luti ;* quod verbum ex MSS. adjecimus.

948. c. Editi : Et *poſtremò qui facere.* Abeſt *Et* à MSS.

949. e. Menardus : *Lege* mihi *Ezechielem.* Erratum profectum ex eo quod in veteribus libris ſcribitur, *ihezechielem.* Vignierius loco *mihi*, poſuit *diligenter.*

Ibid. Editi : ubi *iſta etiam verba.* Abeſt *ubi* à MSS.

Ibid. g. Editi : *in* impiis *exſerendo.* MSS. *in impios.*

950. c. Editi : *ſed aliqui* videlicet *perexigui.* MSS. *ſed aliqui inde, licèt perexigui.*

Ibid. e. Editi : *ſi non eſt pœna damnationis :* omiſſo, *iſta*, tametſi erat in MSS.

Ibid. f. Menard. *contra fulmina* tentationis. Vignier. *contra fulmina* tanta *rationis.* Abeſt *tanta* à MSS.

952. a. Editi : *paratus* ſum *jugi vos.* Abeſt *ſum* à MSS.

Ibid. b. Editi : *votivæ* fertilitatis *rura componit.* MS. Mar. *fertilitati.*

Ibid. Vignierius : *Quid* me *feciſti* ſic ? MSS. nec *me* nec *ſic* habent.

Ibid. c. Mar. MS. *nec quidquam feciſſe crudeliter :* omiſſo, *umquam.*

953. b. Editi : *Dic quem nubes juſtum :* omiſſo, *mihi.*

Ibid. Vignier. *niſi* quem *Prophetæ.* Menard. & MSS *quia.*

Ibid. e. Vignier. *cúmque ipſi* itidem. Menard. & MSS. *totidem.*

Ibid. Editi : *ac mihi* difficultatem *præſcribitis.* MSS. *de rei difficultate.*

954. b. Editi : *deputantur in* ſemine. MSS. *in ſemen.*

957. a. MSS. Mar. & Port. *hujus* modi *philoſophi.*

958. b. Editi : *quòd* hujuſcemodi *homines.* Et infra : *& ideo* hujuſcemodi *homines.* At MSS. utroque loco, *cujuſcemodi.*

Ibid. c. Editi : *ſed Tullium* vincit *atque* convincit. MSS. *vicit atque convicit.*

960. a. Menard. *quæ* dum quidam. Vignier. *quæ* dum quoſdam *vitio malæ conſuetudinis* mordet. Caſtigantur ex MSS.

Ibid. b. Editi : *ſicut* ſapitis. MSS. *ſapis.*

Ibid. Editi : *ut* conceſſu *penè mundi.* MSS. *conſenſu.*

Ibid. c. Editi : *noſtras* ulciſci *ſilentio.* MSS. *ultum ire.*

Ibid. f. Editi : *& miniſtrantes* in *fontibus Iſraël.* MSS. *de fontibus.*

962. b. Editi : *diſtuli*, quærendi *tempus eſt.* Emendantur ex MSS.

963. b. Editi : *Dic, videamus* quid. MSS. *quod.*

Ibid. c. Editi : *qui* putant *& ante tempus.* MSS. *putent.*

Ibid. d. Editi : *hoc* dicitur *eſse veriſſimum.* MSS. *diſcitur.*

Ibid. e. In MSS. *ſplendor* aperuit.

965. b. Editi : ſcilicet *cum* interpellatione *propoſuit.* MSS. *ſibi, licèt cum interpolatione, propoſuit.*

Ibid. c. Editi : *ut ſpero*, iſte *præteriit.* MSS. *arte.*

Ibid. d. Editi : *reſpondere* debere *qui pronuntiet.* Abeſt *debere* à MSS.

966. c. Editi : *peccatum igitur* à *parvulis non eſt.* Emendantur ex MSS.

Ibid. d. Editi : *in parvulo*, an *per voluntatem.* At MSS. loco *an*, conſtanter habent *ne.*

Ibid. f. Editi : *Tibi ergo diſplicet :* omiſſo *ſi*, quod ex MS. Port. adjecimus.

967. c. Editi : *ad verba Apoſtoli* quando *venturus es.* MSS. *aliquando.*

Ibid. e. MSS. Clar. & Mar. *unde* * colligitur, *quod dicit.* Port. *collegit.* *

Ibid. f. Vignier. *te ipſum* debeamus *dicere.*

Pag. 970. a. Editi : *miserantes* Ecclesiæ *ruinas*. MSS. *Ecclesiarum*.

Ibid. f. MSS. *Vbi voluntas* hæc *committit*. Et infrà : *Intellige* quæ *dico*.

971. a. Vig. à *quarum* conciliatione, *&* ministerio, *&* instrumento *pertinet*. Veriùs MSS. *ad quarum conciliationem, & ministerium, & instrumentum pertinet*.

Ibid. b. Editi : *de his* diabolicam *germinare* possessionem. MSS. *diabolica germinare possessio*.

Ibid. e. Vignierius : *nulla* necessitas *serendæ prolis*.

972. a. Menard. Naturam *quippe generantium*. Et infrà, *non* culpam. Vignier. Natura *quippe generantium*. Et infrà, *non* culpa. At MSS. *Naturæ . . . . non culpa*.

Ibid. e. Editi : *numquam hanc* structuram. Et infrà : *Quam structuram vocas*. At MSS. utroque loco : *instructuram*.

973. e. Editi : *sed* ostendam *non posse*. MSS. *ostenso jam*.

974. a. Editi : *cùm ipse sit homo non genitus*. MSS. *cùm ipse homo non sit genitus*.

Ibid. e. Editi : *sunt* quædam *peccata imitationis in mundo, cùm homines* peccatum *hominum* & *exempla sectantur*. Castigantur ex MSS.

979. a. Editi : docetur *inserta*. MSS. *doceretur*.

980. c. Editi : & *signanter ostenderet*. MSS. *ut*.

Ibid. Editi : *sed mortem*, mortem *utique, judicii inlatam* severitatem. Corriguntur ad MSS.

Ibid. f. Vignierius : *dogmati* opitulator aliquis *putaretur*. MSS. *opitulatus aliquid*.

981. b. Editi : *&* *interitum* concurrisse. MSS. *cucurrisse*.

Ibid. c. Editi : *ille* studium *delinquentium*. MSS. *studia*.

982. c. Editi : *ex multa parte* claris. MSS. *claruit*.

Ibid. g. Editi : *neque hoc mirum est* : omisso, *enim*. Sed in omnibus MSS exstat.

983. b. Editi : *ex multa parte* restrinxit. MSS. *restinxit*.

Ibid. f. MSS. perducit constituit*que regnantes*.

984. b. MSS. Clar. & Mar. *Circumcisio* carnalis.

985. f. Editi : *commendavimus*que *ob hoc*. At MSS. *commendavimus, atque ob hoc*.

987. b. Editi : quam *tu dicis*. MSS. *quem*.

Ibid. f. Editi : *ad* quem *dicis*. MSS. *ad quod*.

991. b. Editi : *Quia* sicut *suprà dixisti*. Meliùs MSS. *sicut*.

Ibid. f. Editi : *sed* voluntatis *electio, morum pravitas*. MSS. *sed voluntas, electio mali, morum pravitas*.

992. c. Editi : *&* *non* ob strepitum. MSS. *&* *non strepitu*.

993. d. Editi : qui *secundùm regulam prolatam rationis, stulto, impuro, &* *impio* te (vel me) *assero dogmati repugnare*. Meliùs MSS. * *quæ* : omisso, *te*, & *me*.

994. c. Editi : *In quibus* locis *quoniam*. MSS. non habent, *locis*.

Ibid. e. Editi : *non* hoc *habeat in facultate*. Castigantur ex MSS.

995 a. Editiones Mas. & Vignier. *non* plura *præstat*. MSS. *plus*.

998. c. Editi : *Et ubi erit* Evangelica vox, *Nisi* &c. Abest *Evangelica vox* à MSS.

Ibid. e. Vetus codex Port. *Quid est*, quid est *quod loqueris?*

Ibid. f. Editi : *laudem gratiæ* claudicare. MSS. *claudicantem*.

1000. a. In MSS. *quos susceperit, sanctificationis* vehere.

Ibid. c. Editi : *sentire* cœpistis. MSS. *cœpisti*.

1001. d. Editi : *Nec quidquam* putas. MSS. *putes*.

1002. c. Codex Port. *corporum*, quæ *Deus instituit*.

1003. b. In MSS. *Quæ ergo* tota *blasphemiarum*.

Ibid. Editiones Menardi & Masii : *sine* adductu *nostro*.

Ibid. e. Editi : *in* adoptionem *quidem*. MSS. *in adoptione*.

1006. d. Post, *feceris alienos*, Vignierius addebat : *Ideo ex utraque parte dicti sunt omnes, quia nemo à damnatione generationis alienus*. Hæc eo loco non exstant in MSS. Mar. & Port. sed tantùm infrà, ubi ab ipso Vignierio repetuntur.

Ibid. g. MSS. *Si Christus aliquid* correxerit.

1008. a. MSS. inertiæ *fomenta*.

Ibid. f. Editi : quod *meritò fuerit*. MSS. *quo*.

1009. d. Editi : *justis legibus* convenire. MSS. *conveniri*.

1012. a. In MSS. *qui mos esset*, quod *per*.

1013. g. MSS. *&* *ipsa radice* ; omisso, *in*.

1015. c. Editi : *nec eam* ablutioni *tributam*. MSS. *ablutionibus*.

Ibid. f. Ex MSS. addidimus : *fortè non credit*.

1017. a. Editi : & *constat promissionem*. Expungendum *&*, juxta MSS.

1018. c. Vig. *debet, & olim defuncti* : omisso, *unius*, quod ex MSS. restituitur.

1019. f. Editi : qui *& hoc accepimus*. MSS. *quia*.

1021. b. Mas. & Colbertinus MS. dilutior *ejusmodi esset exemplis*.

1022. c. MSS. *& ita in omnes homines pertransiit* : omisso, *mors*. At paulò post in ejusdem sententiæ repetitione hanc vocem habent MSS. & omittunt editi.

1024. a. Ex MSS. addidimus : *quidquid tergiverseris*.

Ibid. b. c. Editi : peccavit *Adam, & in illo omnes* peccaverunt. At MSS. ut apud Ambrosium : *periit. . . . perierunt*.

Ibid. d. Editi : *in illo* illius *primi*. MSS. *unius*.

Ibid. e. Editi : *Per* unius hominis peccatum *peccatum intravit*. MSS. *Per unum hominem*.

1026. d Vignierius : quamquam *voluntate commissum est*. Et infrà n. 183. quamquam *rectum*. Et n. 186. quamquam *negligentes rationem*. Editi verò alii & MSS. constanter his locis, *quoniam*.

1027. b. In MSS. *sine legis* administratione, *rationis ingenitæ*.

1028. g. MSS. Clar. & Mar. post, *& tot sæcula prætermisisse*; repetunt, *& per omnes homines pertransisse*.

1030. a. Editi : *non solùm* prævaricationis (vel *non solùm* non prævaricationi) *Adæ*. MSS. *in prævaricatione*.

1032. d. Menard. *diceres verum*, & expergisceres. Vignier. *diceres verum*, & expergiscereris. At MSS. *diceres verum. Expergiscere*.

Ibid. f. Editi : per *legem autem non fuit*. Veriùs MSS. *post*.

1036. a. Editi : tum *hujus argumenti*. MSS. *tui*.

1037. f. In MSS. *ubi* tuo *verbo mutato*.

1038. f. MSS. *non omnes esse, qui per inobedientiam* : omissis verbis, *sed multos*.

1040. g. Editi : *usque ad* consuetudinem malam. MSS. *consuetudinis malum*.

1042. e. MSS. *Nonne adtendis quod scriptum est*.

1043. b. MSS. Mar. & Port. *Sed studio vituperabili* delinquit.

1044. e. Editi : *& resurrectionis* ejus *erimus*. Abest *ejus* à MSS.

1046. d. Editi : *peccato moriuntur. Quicumque, utique* : omisso, *Si* : quod ex MSS. restituitur.

1047. e. Editi : *Probatur autem* esse. Et infrà : *si non* est. At MSS. *inesse, inest*.

1048. c. In MSS. quos *vos novo more*.

Ibid. f. Editi : liberi *autem à peccato*. MSS. *liberati*.

1049. f. MSS. Mar. *& cujus obligatione* usurus *est*. Port. *usus est*.

1050. b. MSS. *Sed ut hoc humanum* sit : *illud aliud*.

Ibid. e. Editi : *& plena* auctoritas est MSS. *auctoritatis* : omisso, *est*.

1053. a. Vig. id est, Vignieriana editio : *sapienti mente*; omisso, *semper*.

1054. c. Mar. Clar. & prima editio Vignier. *homines* damnationis *nascuntur obnoxii*.

1055. b. Vig. *Quia hoc non* dubitavit. MSS. *non dubitatur*.

Ibid. e. Vig. *ut David propheta* testatus *est*. Codex Port. *testis est*.

1056. a. Vig. *quomodo laudes* tuas. At MSS. *meas*.

1058. a. Vig. *alterum exsecreris* ingratis. MSS. *ingratus*.

Ibid. d. Vig. *se ostendit vitia* prosequentem. Codex Mar. *persequentem*.

1061. b. Vig. *quod habet* potestatem *non sinere*. MSS. *in potestate*.

1062. g. Vig. *non solùm* Achas. In MSS. constanter est, *Achar* : ut apud. L X X.

1063. c. Vig. *Nam & disputationis* eruditio. MSS. *erudita*.

1064. a. Vig. *& ridiculum* quàm *jactanticulum facit*. MSS. *quoniam*.

1065. g. Codex Port. *& quod lex* Dei *sanxit*.

1066. b. Vig. *Si à nobis aliud dicitur* : omisso, *nihil*. Restituitur ex MSS.

1067. a. Codex Port. ne *id quod malum dicitur*.

Ibid. Vig. *illi enim malum* ſubſtantiâ malum *dicunt*. MSS. *ſubſtantiam malam.*

Pag. 1070. b. MSS. *eo genere* elocutionis *abuſus eſt.*

1071. c. MS. Port. *etiam* hîc *facis.*

1072. a. Vig. *quia ſi* fecerit *homo*. MSS. *fuerit.*

Ibid d. Vig. *Quis* veſtrûm *hinc cum*. MSS. *noſtrûm.*

1073. d. *qui* ſeparati *jam viverent*. MSS. *ſeparatim.*

1074. b. Codex Port. *Tu* verò *pervertis cor tuum.*

1076. a. Vig. *Manichæo auctore* prorumpere. MSS. *perrumpere.*

Ibid. d. Vig. *immo Dei Prophetam*. MSS. *per Prophetam.*

Ibid. f. Vig. trade *exagitando*. MSS. *inride exagitando.*

1078. f. Vig. *ad* quam *tamen*. MSS. *ad quod.*

1079. c. Vig. tu *viris ſanctis*. MSS. *tot viris ſanctis.*

1081. a. Vig. *Deo* judice. MSS. *judici.*

Ibid. Vig. *iniquum eſt* gratiæ *ſuper* parvulo. MSS. *grave ſuper parvulos.*

Ibid. c. Codex Port. nec *hîc habet quod agat.*

1082. a. Vig. *Dei criminationibus* intumeſcis. Aptiùs MSS. *intumeſcit.*

Ibid. d. Vig. quaſi *videremus*. MSS. *quàm ſi.*

Ibid. f. Vig. nullo *crimini obnoxios*. MSS. *nulli.*

1083. a. Vig. *Ac per hoc, eſt tuum dogma:* omiſſo altero *hoc*, quod erat in MSS.

1085. a. Vig. *tam* fidelium *prædicatio*. MSS. *fidelis.*

1087. a. Vig. *nec hominem* generando ſeminet. MSS. *ſeminando generet.*

Ibid. c Vig. *vel locuſta, utique ſingulari:* omiſſo, *numero;* quod eſt in MSS.

1089. b. Vig. *cum Manichæo* fuiſſe *fœdus*. MSS. *iniiſſe.*

1093. c. Vig. *non ab humano arbitrio:* omiſſo, *libero;* ſed eſt in MSS.

1098. c. Vig. *vergendo* te *in unam*. Abeſt *te* à MSS.

1099. d. Vig. *Hæc* ergo *intuens*. MS. Port. *Hæc ego:* meliùs, quia ſequitur è contrario, *Hæc tu.*

1101. f. Vig. *ut ſine* illius *originalis*. MSS. *ullius.*

1103 f. In MSS. quod *tamen bene utitur.*

1104. a. Vig. atque *in ejus verecundia*. Abeſt *atque* à MSS.

Ibid. e. Vig. *eis non poſſes reſpondere*. At MSS. *eis poſſes non reſpondere.*

1105. a. Vig. quam *grandem*. MSS. *quoniam.*

1106. c. Vig. *quare iſta* bona. MSS. *vana.*

Ibid. e. Vig. *vitiantur* validi. MSS. *invalidi.*

1107. g. Vig. *ut* ſanè *infantibus*. MSS. *ut ſanæ in infantibus.*

1108. b. Vig. *teſte* Apoſtolo, *teſte Evangelio*. MSS. *Angelo.*

Ibid. d. Vig. *recentiſſimoſ*que *invenit*. Abeſt *que* à MSS.

1109. b. Vig. *vel* compoſitam *eſſe naturam*. MSS. *commixtam.*

Ibid. d. Vig. *nunc interim* te *premamus*. MSS. *rem.*

1110. b. Vig. *præcedente peccato, quærite. Iſta non planè* &c. omiſſo, *quibus*. Caſtigatur à MSS.

Ibid. Vig. Ecce *ſi talis paradiſus*. MSS. *Certè.*

Ibid. f. Vig. *ab æterno ſupplicio per divinam:* omiſſo, *eruti;* quod reſtituitur ex MSS.

1111. d. Vig. & *ſimilem ſui indicaret*. MSS. *conſimilem;* abſque particula *&*.

Ibid. f. Editi: *à calle* injuſtitiæ. MSS. *juſtitiæ.*

1112. a. MS. Port. *catholicorum* ratiocinatione *ſubverſum eſt.*

Ibid. e. Ex MSS. reſtituimus, *ſic enim & tu concluſiſti dicens, Ac per hoc, omne humanum genus reputandum principi tenebrarum.*

Ibid. g. Vig. *putaſti conſequenter* adſtricta. MSS. *adſtructa.*

1113. b. Cod. Port. *Deum* iſta *ſinere.*

1114. f. Vig. *aguntur* hîc *dies mali*. MSS. *hi.*

1115. d. Vig. *epiſtolam* voluntariè *quæſivit, aut* voluntariè. At MSS. conſtanter: *voluntate.*

Ibid. f. Codex Port. *pro concupiſcentia vel* voluntate *carnis.*

1119. a. Prior Vignierii editio & MSS. Mar. Clar. *Sive enim bonum* generamus..... *ſive malum* generamus, &c.

1120. e. Vig. *vi conſuetudinis* molleſcere, *eſſe vaniſſimam* indicat. MSS. *inoleſcere.... judicat.*

Ibid. f. Vig. *peccati vocas, omnes ſanctos:* omiſſâ particulâ *&;* quam reſtituimus ex codice Port.

1121. b. Vig. *& hac alia ſuperiores*. Ex Port. adjecimus, *cùm:* necnon ex eodem codice & aliis MSS. *quas legat qui volet.*

Ibid. c. Vig. *aufert* & *quod*. MS. Port. *ei.*

Ibid. d. Vig. *& ipſos* vincet *& vos*. MSS. *vincit.*

1122. e. Vig. quia *ut caro*. MSS. *qua.*

1123. f. Vig. *glomerati* nubium *concupiſcentiæ*. MSS. Mar. & Clar. *nubilo.*

1124. b. Vig. *ſervire* voluptatis *imperio*. MSS. *voluntatis.*

Ibid. f. Vig. *de ejus multa* ſententia. MSS. *ſententiis.*

1126. d. Port. *quod certè eſſe non* poſſet.

Ibid. e. Vig. *quod*que *ita recurrit*. Abeſt *que* à MSS.

1128. e. Vig. *vel* recole *animo*. MSS. *recolere.*

1129. f. Vig. *nec* uni *eorum*. MSS. *ulli.*

1132. e. Vig. *quàm* redemtionis *teſtimonio*. MSS. *Redemtoris.*

1134. a. Vig. *etiam* tardiſſimus *ad intelligendum, vel tuo favore* deceptus. At MSS. *tardiſſimis..... deceptis.*

1135. a. Vig. *quo* nuntio *opinionem mali*. At MSS. *numero.*

Ibid. Codex Port. *vel exigui intuliſſe* conciſûs.

1137. a. Vig. *quòd* ab *ipſis*. Præpoſitio *ab* non eſt in MSS.

Ibid. Vig. *quæ in* uno *opere non tenentur*. MSS. *in tuo.*

Ibid. d. Vig. *non bonum* verè *dici*. MSS. *jure.*

Ibid. Vig. *maximè* quoniam *non ſolùm*. MSS. *maximè qui omnia.*

Ibid. e. Cod. Port. *niſi* peperiſſet uxor ei, *quæ de latere.*

1138. b. Vig. *commendat* quàm *catholicè ea dicta*. At MSS, *quoniam.*

1139. c. Vig. *putaveris eſſe* ferendum. MSS. *terrendum.*

Ibid. f. Vig. *generantium* fuerit *inſtitutor*. MSS. *fuerat.*

Ibid. Vig. *quæ* honeſtioris *ſignata nominibus*. MSS. *honeſtioribus.*

1140. d. Vig. *Ex his enim* veri quem *dicitis*. MSS. *veris quæ.*

Ibid. g. Vig. *Hoc* tamen *certum eſt*. MSS. *tam.*

1141. a. Duo MSS. *in ſuam laudem ora* concluſerit.

Ibid. f. Vig. *pavoris tui* eſt, *non fidei*. MSS. *eſſe.*

1142. a. Vig. *quod* inſidioſa *interrogaſti*. MSS. *inſidioſè.*

1145. d. Vig. ſed *concupiſcentia carnis*. Et pauló póſt: ſi *ille malus*. At MSS. priore loco habent, *ſi;* poſteriore, *ſed.*

1146. c. Vig. *etiamſi concupiſcentiæ:* omiſſo *tali;* ſed reſtituitur ex MSS.

1147. g. Vig. *Quis enim dubitet eſſe:* omiſſo, *malum*, quod erat in MSS.

1149. g. MSS. quanto *poſſunt labore.*

1150. e. Vig. *tamen diſputatoris* acimoniam. MSS. *acrimoniam.*

1152. d. Vig. commentuſque *operam*. MSS. *contentuſque.*

Ibid. f. Vig. *non* perficiendo *feceris*. MSS. *proficiendo.*

1155. g. Vig. *haud* tantum *naturæ*. MSS. *ſtatum.*

1158. f. Vig. *nudus piſcabatur:* omiſſo, *in navigio;* quod eſt in MSS.

1162. d. Vig. *omnium maximus:* omiſſo, *hominum;* quod ex MSS. addidimus.

1164. e. Vig. *omnis agnoſcit: aliud* &c. Illic auctoritate MSS. reſtituimus, *in Chriſto.*

Ibid. f. Vig. *nec ultrà* erit *progredi*. MSS. *permiſerit.*

1165. e. f. Vig. *commoveri ſolere*. Ex MSS. addidimus, *& erigi.*

1166. e. Vig. univerſos *damnat animantes*. MSS. *univerſas.*

1167. c. Codex Port. quoniam *virgo ſancta mentis.*

1168. a. Vig. *ſi quid ille aſſumere* voluiſſet. Veriùs MSS. *noluiſſet.*

Ibid. b. Vig. *ut* ſi *etiam concumbere*. MSS. *ſibi.*

Ibid. g. Codex Port. *Aut hac veniens:* omiſſo, *ad.*

1171. d. Vig. *quod* abſit *hominibus*. Codex Port. *ſit*. Mar. & Clar. *adſit.*

Ibid. *Apparet* autem *naturalis*. Redundat particula, *autem:* nec eſt in MSS.

1172. d. Codex Port. *His itaque tu* diſceſſionibus.

1174. a. Vig. *quanto* tu, *id*. MSS. *tute id.*

Ibid. d. e. Cod. Port. *inter inguina* voluptatum.

1175. e. Vig. Manichæi *antra*. MSS. *Manichæorum.*

1177. c. Vig. *mentiaris* judicatum *eſſe*. MSS. *indicatum.*

1180. b. Vig. *ſi illum* externa. MSS. *externa.*

Ibid. Codex Port. *natura* diſcreſſet.

Ibid. Vig. *&* cenſura *magiſterii*. MSS. *cenſuram.*

1182. e. Vig. quia *ita cum*. vetus cod. Port. *qui.*

1183. b. Vig. *de Spiritu-*ſancto *& Virgine*. Abeſt *ſancto* à MSS.

Ibid. g.

Ibid. g. Cod. Port. *ſicut ipſe* non abnuis.

Pag. 1184. b. Vig. *tua quoque* manifeſtatur *aſſenſio*. MSS. *manifeſtavit*.

Ibid. e. MSS. *quia* * *& ad hoc*.

1186. a. Vig. Cùm *non adtendis*. MSS. *Cur*.

Ibid. Vig. *Sic* alteram *opponis :* omiſſo , *alteri ;* quod exſtabat in MSS.

1187. d. Vig. *quantum* altius *ad manendum*. MSS. *adtinet*.

Ibid. e. Codex Port. *Deinde* cur jam *multa* diſſonantia *in* præpoſitionibus *invenitur*.

1188. e. Vig. Si *ergo utrumque*. Auctoritate codicis Port. correximus, *Sic*.

1189. a. Cod. Port. *quò tua acumina* pervehuntur.

Ibid. e. Vig propter quod *voluntas cœpit eſſe*. MSS. *poſt quàm :* & ſic infrà in Auguſtini reſponſione.

Ibid. g. Vig. *Item qui volens* feciſſe. MSS. *fecit*.

1190. d. Vig. *neceſſitatem* ſuæ *conſuetudinis fecit*. Abeſt *ſuæ* à MSS.

Ibid. e. Vig. Ita *verò dixiſti*. MSS. *Tu verò*.

Ibid. f. Codex Port. *libet* accuſatiſſimam *retractare*.

1192. a. Vig. Atque *de origine*. MSS. *Argue*.

Ibid. e. Vig. Hinc *calumniare*. MSS. *Huic*.

1193. f. Vig. *falſum opinari* , *cùm* illa falſa *ſit*. At MSS. *falſum opinari de illa*, *cùm ipſa ſit vera*.

1194. d. Vig. *& carne* conjugem. MSS. *conjugum*.

Ibid. f. Vig. *ad quod* diaboli *muneris*. MSS. *diabolici*.

Ibid. g. Vig. *Scripturis* præferre *non poterat*. MSS. *proferre*.

1196. c. Codex Port. *ſed verè* Ambroſii *eſſe ſententiam*.

Ibid. g. Vig *in* ſcripturis *canonicis*. MSS. *ſcriptis*.

1198. d. Vig. *& falſa eſſe* oſtendere , *nullo modo ſineris* auctoribus. MSS. *contendere*, *auctoritatibus*.

1204. c. Vig. *à profanitate eſt :* omiſſo , *concepta ;* quod ex MSS. reſtituitur.

1205. a. MSS. *contra matrem catholicam ſiſteret*.

Ibid. e. Codex Port. *eiſque* Manichæi *dogma*.

1206. a. Vig. *ſed univerſitatis* judicium. At MSS. *indicium*.

1208. b. Vig. *& tamen* dicis *parvulos*. MSS. *dico*.

1209. e. Vig. *apud* catadyta *Nili*. MSS. *cataclita*.

Ibid. g. Vig. Nunc *ſupereſt*, *ut illos*. MSS. *Niſi*.

1210. c. Vig. *velut* cruenta *animalia*. MSS. *muta*.

1212. b. Vig. *Sed vos* dicitis. MSS. *dicite*.

1213. a. Vig. Nec *enim in una*. Codex Port. *Ne*.

Ibid. b. Vig. *quibus* ſacrificiis *ipſas*. MSS. *ſacrilegiis*.

Ibid. c. Vig. *ad* interfectorum *invidiam*. MSS. *interfectoris*.

1214. a. Vig. *cui* tantum *eſſet*. MSS. *tamen*.

1215. c. Vig. *approbatur*, *peccatum non eſſe poſſe :* omiſſo, *naturale ;* quod reperitur in MSS.

1217. a. Vig. *non eſt* manus *Dei*. MSS. *inanis*.

Ibid. d. Codex Port. *aliud diverſarum gentium :* omiſſo , *diverſa*.

1218. c. Idem Port. religionis *phyſicus vis putari*.

1223. f. Vig. *præfatione* teſtatus. MSS. *teſtaris*.

1224. c. Vig. quamvis *enim ſtatus rerum* exitium *ſortiatur*. MSS. *quemvis*. .... *exitum*.

1225. f. Vig. *quæ inſtituta naturaliter* ſit. MSS. *fit*.

1226. b. Vig. factum *tamen*, *& tua* &c. MSS. *facit*.

1227. f. MSS. *fides* credidit *antiquitus*.

1228. b. Vig. *qui* cùm *ſit effuſus*. MSS. *cur*.

Ibid. Vig. *qui pro* vobis *effundetur*. MSS. *pro multis*.

Ibid. c. Vig. *Sed* non *eis videlicet*. MSS. *nos*.

1229. c. d. Vig. *moveantur* ignes *exſtincti*. MSS. *ignis*.

Ibid. f. Vig. *Quod autem de* voluptate. MSS. *de vi voluptatis*.

1230. f. Vig. *à cujus* arce *divina*. MSS. *arte*.

1232. e. Codex Port. *multiplicationis* diuturnæ *conciliavit*.

Ibid. Vig. *de homine* voluit *intelligi*. MSS. *volui*.

Ibid. Codex Port. *ſed hoc quod* ſubdictum *eſt*.

1234. a. Idem Port. *atque* illa *omnibus* lita.

Ibid. b. Vig. *natura* fermenta *vitata ſunt*. MSS. *tormenta*.

1236. c. Vig. *non eis* membris *genitalia*. MSS. *membra*.

Ibid. d. *ſine pudenda libidine conjuges :* omiſſo , *concumbere ;* quod verbum reſtituitur ex MSS.

Ibid. f. Vig. *ſed alienæ voluntatis* adſcenderent. MSS. *adſcendunt*.

Ibid. Vig. *qui orante*, *cum mulieribus.* Nomen *Abraham* addidimus ex MSS.

Ibid. g. Vig. *ut appetitus* ejus *naturalis*. MSS. *eis*.

1237. c. Poſt, *quod aggravat animam*, reſtituimus ex MSS. *vivitur*.

Ibid. g. Vig. *Deus* faceret *rectum*. MSS. *fecerat*.

1239. f. Vig. *contradicere non* pigebit. MSS. *non pudebit*.

1240. c. Vig. qua *membris agitur*. MSS. *quia*.

Ibid. e. Vig. *probaremus inſtitutum :* omiſſo , *naturaliter ;* quod huc revocatur ex MSS.

1241. a. Vig. *ad generandam* creatura *naturam*. Vetus codex Port. *creata*.

Ibid. b. Vig. *diſcernere* voluiſſet. MSS. *valuiſſet*.

Ibid. d. Vig. *naturæ* indicat *alienæ*. MSS. *introducat*.

Ibid. e. Vig. *non* illius *arboris loco*. MSS. *illic*.

Ibid. f. Vig. *præſtaret* innumeris. MSS. *innumera*.

1245. a. Vig. *nulli es* infeſtius *quàm tibi*. MS. Clar. *nulli es infeſtus quàm tibi*. Mar. *nulli* * eſt infeſtius *quàm tibi :* fortè meliùs. *

1246. d: Vig. *ut à malo quo naſcitur*. Addidimus , *cum*, ex fide MSS.

1248. c. Codex Port. *Ergone fit ab homine*.

1249. e. Vig. *ſentire dicis* quod dicunt. MSS. *quæ ſentiunt*.

Ibid. Vig. denique *malum eſſe ſubſtantiam*. At MSS. *idemque*.

1250. a. Vig. *ideo* eſſe *mutabilem*. Abeſt *eſſe* à MSS.

Ibid. b. Vig. nec *inter multa abſurda*. MSS. *ne*.

Ibid. d. Loco , *contentioſe ;* Vignierius ſubſtituerat , *contumelioſe*.

1252. f. Vig. *genus* omnis *peccati*. MSS. *omne*.

1254. a. Vig. ſi *ex eo tempore*. MSS. *ſed*.

Ibid. b. Vig. *dicit Manichæus*, *naturale eſſe* peccatum. MSS. *malum*.

1255. c. Vig. qui *cum eis aliqua*. MSS. *quia*.

Ibid. d. Vig. *in ipſo homine*. Adjecimus *primo* ex MSS.

1256. f. Vig. *hoc inanitatis* indictum. MSS. *indicium*.

Ibid. g. Vig. in *aliqua peccare*. MSS. *vi*.

1257. b. Vig. novæ ætate *inventa*. MSS. *nova & à te*.

1258. b. Vig. & *non eſt certè*. Redundat particula *&*, nec eſt in MSS.

1259. f. Vig. *peccare* autem *non poteſt Deus*. MSS. *tamen*.

1263. f. Vig. *& ideo non eſt* aliunde. MSS. *alicunde*.

1264. c. Vig. *ſed aliquid eſſet*, *quia hoc eſt :* omiſſo altero *ſed :* quod exſtabat in MSS.

1266. g. Vig. quia *nullus eſt*. MSS. *qui*.

1267. b. Vig. *Quia* ex *hoc*, *ſi nolumus*. MSS. *&*.

Ibid. f. Vig. *ſine dubio incolumis eſt*. Ex MSS. addendum, *futurus*.

1268. d. MSS. *& ſana non* recipit.

Ibid. g. Vig. *natura* humana *mortalium*. Abeſt *humana* à MSS.

1269. c. Vig. *conſiderat* utrumque *quod dicit*. MSS. *utcumque*.

1270. d. Vig. *ubi habuit liberum* arbitrium. Abeſt *arbitrium* à MSS.

1273. a. Codex Port. *Objicitur* , ſed *in opere Dei*.

1274. a. Idem Port. *exoriri* homini *voluntatem*.

Ibid. d. MSS. *at ubi ei* * occurrerit. *

Ibid. e. Codex Port. *bonum* facit *hominem*.

1275. c. MSS. *non* quo *non poſſet*.

1279. b. Vig. *& ea* quippe *in hominis* &c. MSS. *quidem*.

Ibid. f. Vig. *eſſe mala orta*, *dixit* : omiſſo , *verum ;* quod hîc additur ex MSS.

1282. e. Codex Port. *ubi meritum* compararent. Non malè, ſi referas ad naturas.

1283. e. Vig. *in* naturalem *neceſſitatem* MSS. *naturalium*.

1284. f. Vig. *quod alicubi* non *erat*. MSS. *jam erat*.

1288. d. Vig. *&* injuſtiſſimi *Dei curâ*. Emendatur auctoritate MSS.

1290. a. Ex MSS. addidimus : *Bonum enim creat*.

1291. a. Vig. ſoli *famæ aurulis*. MSS. *ſolis*.

Ibid. b. Codex Port. *quanto magis* novum.

1292. c. Vig. talem *eſſe generis humani*. MSS. *tabem*.

1295. c. Vig. *ignita maligni exſtinguit :* omiſſo , *jacula ;* quod ex MSS. reſtituitur.

1296. c. Vig. *ita ut* eam *qui convertuntur*. Nos ex MS. Port. *etiam*.

1298. a. Vig. *carne* concupiſcendo *adversùs*. MSS. *concupiſcente*.

1300. a. Vig. *etiam in* poſteros *ejus*. MSS. *in poſteris*.

Ibid. Codex Port. *duarum naturarum, atque* : omiſſo, *ſuarum*.

1301. f. Vig. *in ſuperiori* perſecutione. MSS. *proſecutione*.

1302. a. Vig. ſi *ergo in pœna eſt*. MSS. *ſic*.

Ibid. f. Vig. *juſtitiæ* accipiamus *exemplum*. MSS. *arripiamus*.

1303. c. MSS. *quid inſperatum* de *delinquente homine*.

Ibid. d. Vig. *reſcribens in cauſſa* noſtra. MSS. *veſtra*.

Ibid. e. Vig. *latuiſſet* oppreſſus. MSS. *oppreſſu*.

1304. c. Vig. *Nam ſi* tu *dicis*. MSS. *ut*.

Ibid. Vig. *ut* prorupta *opinionis tuæ*. Codex Port. *prærupta*.

1305. e. Vig. *&* ſit *in eo per mortem*. MSS. *fit*.

1306. d. Vig. *tanta* etiam *inſcrutabilis*. Codex Port. *& tam*.

Ibid. e. Vig. *&* ipſi *gratiam Chriſti*. Nos ex codice Port. *ipſam*.

1307. d. Codex Port. quia *malè vixit*.

1308. f. Idem Port. *manicis* & *artiſſimis colligatur*.

1309. c. Codex Port. *Hoc ita*que *cæcum*.

1310. b. Vig. *Sin autem &* potiùs *hoc*. MSS. *poſt*.

1311. d. Vig. *inter* vos *eſſe diſtantiam*. MSS. *eos*.

1317. a. Vetus codex Port. *quæ* prædicta *eſt ex Sion proditura*.

1318. b. Vig. *ne* ullum *quidem telum*. MSS. *unum*.

Ibid. MSS. *in præceptorem tuum* librare *poſſes*.

1321. a. Vig. *ſed* contra *repagulum*. MSS. *cùm*.

Ibid. c. Vig. quale *multùm adjuvari*. MSS. *qua te*.

Ibid. e. Codex Port. *facit quod facere non* debebat.

1322. b. Vig. *alienam* & *Deo coæternam*. Abeſt *&* à MSS.

1323. a. e. Vig. pro *Dei noſtri atque hominum* fide. Caſtigatur ex MSS.

Ibid. f. Vig. *& oſtendit nonnulla bona*. Adjecimus *tibi* ex codice Port.

1324. b. Vig. *Dominus ſalvus* ſit. MSS. *fit*.

1325. e. Vig. *ad pudicitiam* redire *poteſt*. MSS. *rediri*.

Ibid. Vig. *& integritatem* virginis *in corpore*. MSS. *virginitatis*.

1326. e. Vig. *pallens* fringenſ*que*. MSS. *frigenſque*.

Ibid. g. Vig. *ſed* interdicta *unius pomuli*. MSS. *interdictu*.

1329. d. Vig. *peccatum non* eſſet. MSS. *peccatum eſſe non poſſet*.

1333. a. Vig. *naturalia propaginis jura* fuerunt. Ex MSS. hîc & infrà emendamus, *fecerunt*.

1337. e. Vig. niſi *Chriſtianum nomen nondum*. Meliùs codex Port. *ſi*.

1338. e. Codex Port. *formam peccati confeſſus es* : omiſſo, *exſtitiſſe*.

1339. a. Vig. & *tamen*, *ſi quod ipſe ſapis*. MSS. *quos tamen*.

1340. c. Vig. *alienæ malæ naturæ permixtæ* : omiſſo, *nobiſque*; quod exſtat in MSS.

Ibid. d. Vig. *& illa mea legunt*. Ex MSS. addidimus, *legerunt vel*.

1341. a. Vig. *cùm eſſe* moriturum *ſciam*. MSS. *mortuum*.

Ibid. d. Vig. *quando* quidem *vis illum*. At MSS. *quando implere vis illum*.

Ibid. e. Vig. *illud potiùs* antiquius *Eccleſiæ*. MSS. *antiquitus*.

Ibid. f. Vig. *atque* in *paradiſum*. MSS. *ita*.

1346. a. Vig. *cujuſquam dubitatione eſt contraria*. Ex MSS. hîc adjecimus, *contradictione vel*.

Ibid. d. Vig. *quod ad pertinebat* : omiſſo, *pœnam*; quod huc revocamus ex MSS.

1347. e. Ex MSS. fide addidimus : *Non fuit contentus dicere, Spinas ac tribulos edet*.

1348. a. Vig. vivificat *ægritudinem*. MSS. *mitificat*.

Ibid. e. Codex Port. *& extra eum* tremorem, *qui ei pro inſigni* crudelitate.

1353. d. Vig. *re vera* dicere *horrendum eſt*. MSS. *re vera vehementer horrendum eſt*.

1356. a. Vig. *ad id quod voluit*, *uſus eſt*. Ex MSS. adjecimus, *ut potuit*.

1357. e. Vig. *mutanda exercitatio* : omiſſo, *humana* : reſtituitur ex MSS.

1358. d. Vig. *laborant juſti, iniqui*, & *puſilli, à die exitûs*. At MSS. *laborant juſti, laborant iniqui, laborant magni, laborant puſilli, à die exitûs*.

1362. c. Vig. Ecce *damna mortis*. MSS. *Certè*.

1363. b. Codex Port. *& imitationem* accumulavit.

1365. a. Vig. *& vacua eſt fides* noſtra. MSS. *veſtra*.

Ibid. Vig. *Si in hac vita ſperamus tantùm*. Ex MSS. additur, *in Chriſto*.

Ibid. e. Vig. *anathemandos* nobiſcum *atque damnandos*. MSS. *vobiſcum*.

1367. a. Vig. *natus ex virgine*. MSS. *natus & ex virgine*.

1369. a. Vig. *Chriſtus eſt in ſimilitudine*. Addidimus, *miſſus*; quia eſt in MSS.

1370. a. Vig. *nomen* quod eſt *ſuper omne nomen*. MSS. omittunt, *quod eſt*.

Ibid. e. Vig. *quàm corporis* reſurrectionem. MSS. *reſolutionem*.

1371. d. Vig. *ad illam mortem pertineant*. Addidimus *futuram* ex MSS.

1373. c. Vig. *noviſſima autem deſtruetur mors* : omiſſo, *inimica*; quod tamen reperitur in MSS.

1374. c. Vig. *& omnipotente* Deo *judice*. Abeſt *Deo* à MSS.

Ibid. e. Vig. *& à Deo conditæ*. Addidimus *bono* ex MSS.

Ibid. f. Codex Port. quòd *adſtantes pro cadaveribus*.

1376. a. Vig. *qui vitâ* vivit. MSS. *utitur*.

Ibid. e. Vig. *ut* non *vivunt*. MSS. *nunc*.

1377. d. Vig. *ſuprà* beatitudinem *tantùm futuræ reſurrectionis vocabulum* indicaſſe. MSS. *beatitudini. . . vindicaſſe*.

Ibid. e. Vig. *in ictu* oculi. MSS. *oculorum*.

1378. f. Codex Port. *Nulla eſt* itaque *ambiguitas*.

1379. a. Vig. *hoc exhortatur ut* faciat. MSS. *ut fiat*.

Ibid. b. Vig. *non ad* illud *tranſeat*. MSS. *aliud*.

Ibid. Vig. *de reſurrectione cœperat*. Addidimus *carnis* ex MSS.

Ibid. d. Vig. *& acceſſu ætatis duximus* : omiſſo, *aucti*; quod habetur in MSS.

Ibid. f. Vig. *& bonis* operibus *loquebatur*. MSS. *moribus*.

1380. d. Vig. *Non* utique *hoc*. Nos ex MS. Port. *itaque*.

1383. a. Vig. *qui tollit* peccata *mundi*. MSS. *peccatum*.

Ibid. f. Vig. *vel præcipuè vos* tenentes. MSS. *tenetis*.

1384. e. Vig. *à Manichæorum diverſa eſt*. Adjecimus *errore* ex MSS.

FINIS.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, à nos amez & feaux les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, grand Conſeil, Baillifs, Seneſchaux, Prevoſts ou leurs Lieutenans, & à tous nos autres Juſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre cher & bien amé le Superieur general de la Congregation de ſaint Maur, Ordre de ſaint Benoiſt, nous a fait tres-humblement remonſtrer que ſaint Auguſtin eſtant conſideré depuis plus de douze ſiecles entre les Peres de l'Egliſe comme le ſoleil entre les planetes, & ſa doctrine ſuivie tant par les Conciles, que par ceux qui ont depuis écrit, ſoit pour combattre les hereſies, rétablir la diſcipline eccleſiaſtique, ou pour conſerver la pureté des mœurs, pluſieurs grands perſonnages ont porté leurs ſoins pour purger les œuvres de ce ſaint Docteur des fautes que la negligence de ceux qui les ont tranſcrites ou imprimées, y ont fait gliſſer, & entre tous, les Religieux Benedictins ont eſté les plus attachez à en faire exactement les corrections, parce qu'il n'y a point de Monaſtere de leur Ordre où il ne ſe trouve des ouvrages de ce Saint, ſi ce n'eſt en ceux qui ont eſté entierement pillez & ruïnez. Ce qui a ſervi de motif..... aux Superieurs & Religieux de ladite Congregation de ſaint Maur pour entreprendre une nouvelle edition des œuvres de ſaint Auguſtin..... De ſorte que ladite correction eſtant beaucoup avancée, leſdits Religieux ſe ſont enfin reſolus de la continuer pour le bien de l'Egliſe & l'honneur de la France. Mais craignant que d'autres n'entreprennent de reimprimer leſdites œuvres de ſaint Auguſtin ſur les anciennes copies, comme ils en ſont menacez, ce qui rendroit aprés de grands frais leurs peines inutiles: dautant qu'encore que l'edition pretenduë faite ſur leſdits manuſcrits doive eſtre la plus ample & la plus parfaite qui aye paru juſques à preſent, neanmoins on pourroit rechercher celle qui ſe debiteroit à meilleur compte; ledit Superieur nous auroit tres-humblement ſupplié luy vouloir accorder nos lettres de privilege à ce neceſſaires. A CES CAUSES, le deſirant favorablement traiter, Nous luy avons permis & permettons par ces preſentes de faire imprimer par tout noſtre Royaume, pays, terres, & ſeigneuries de noſtre obeiſſance, en telle marge, tels caracteres & forme de volumes qu'il jugera à propos, leſdites œuvres de ſaint Auguſtin, par tels Imprimeurs ou Libraires qu'il aura choiſis, & ce durant le temps & eſpace de cinquante ans, à compter du jour qu'elles ſeront achevées d'imprimer pour la premiere fois en vertu des preſentes; faiſant tres-expreſſes inhibitions & defenſes à toutes perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, autres que celles qu'il aura choiſies, de faire imprimer, vendre & debiter en aucun endroit de ce Royaume leſdites œuvres, ſous quelque pretexte que ce ſoit, d'en apporter ou garder aucun exemplaire de ceux qui pourroient avoir eſté contrefaits aux pays eſtrangers, & meſme de reimprimer leſdites œuvres ſur les anciennes copies, nonobſtant le reglement du 27. Fevrier 1665. à ce contraire, auquel nous avons derogé pour ce regard; Et ce à peine de dix mil livres d'amende payable ſans deport par chacun des contrevenans, applicable un tiers à l'Hoſtel Dieu de noſtre bonne ville de Paris, un tiers audit expoſant, & un tiers au denonciateur, confiſcation des exemplaires, de tous deſpens, dommages & intereſts, meſmes aux peines portées par l'Arreſt du Parlement du 26. Fevrier 1671. donné ſur les concluſions de noſtre Procureur General, & publié en la chambre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs; à condition auſſi qu'il en ſera mis deux exemplaires en noſtre Bibliotheque publique avant qu'en expoſer aucuns en vente, à peine de nullité des preſentes, du contenu deſquelles Nous vous mandons que vous faſſiez jouyr pleinement & paiſiblement ledit Superieur General expoſant, & tous ceux qui auront droit de luy, ſans permettre qu'il leur ſoit fait aucun trouble ny empeſchement. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin deſdites œuvres copie ou extrait des preſentes, elles ſoient tenuës pour bien & deuëment ſignifiées, & que foy ſoit ajoutée aux copies d'icelles collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires comme à l'original. Mandons au premier Huiſſier ou Sergent ſur ce requis de faire pour l'execution des preſentes tous actes neceſſaires, ſans demander aucune autre permiſſion. Car tel eſt noſtre plaiſir. Nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, & ſans prejudice d'icelles, dont, ſi aucunes interviennent, Nous nous reſervons la connoiſſance & à noſtre Conſeil, l'interdiſant à toutes nos Cours & Juges, nonobſtant auſſi clameur de Haro, chartre Normande, & autres lettres à ce contraires. Donné à ſaint Germain en Laye le vingt-deuxiéme jour de Fevrier, l'an de grace mil ſix cens ſoixante-douze, & de noſtre regne le vingt-neuviéme. *Signé* Par le Roy en ſon Conſeil, BERAUD. Et ſeellé du grand ſeau de cire jaune.

Et ledit Superieur General de la Congregation de ſaint Maur de l'ordre de ſaint Benoiſt a cedé & tranſporté au ſieur François Muguet Marchand Libraire Imprimeur ordinaire du Roy & de M. l'Archeveſque de Paris le preſent Privilege, pour en jouyr ou faire jouyr pendant le temps porté par iceluy, ſuivant les conditions & accord faits avec luy ce ſixiéme de Mars mil ſix cens ſoixante dix-ſept.

Signé Fr. VINCENT MARSOLLE.

Regiſtré ſur le livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le treize Mars mil ſix cens ſoixante dix-ſept, ſuivant l'Arreſt du Parlement des 8. Avril 1653. & celuy du Conſeil Privé du Roy du 27. Fevrier 1665.

Extrait des Registres du Conseil d'Estat.

SUR la requeste presentée au Roy estant en son Conseil par François Muguet son Libraire & Imprimeur ordinaire, contenant que par Lettres patentes données à saint Germain le vingt-deuxiéme jour de Fevrier mil six cens soixante-douze, sur ce qu'il auroit esté exposé à sa Majesté que les Religieux Benedictins de la Congregation de saint Maur auroient pris un tres-grand soin de corriger les Ouvrages de saint Augustin sur plus de douze cens anciens Manuscrits, & qu'ils desireroient en donner au public une nouvelle Edition bien correcte, s'il plaisoit à sa Majesté de leur accorder ses Lettres de Privilege à ce necessaires, Elle auroit permis au Pere General de ladite Congregation de faire imprimer lesdites Oeuvres de saint Augustin par tels Imprimeurs & Libraires qu'il luy plairoit choisir, avec défenses à tous autres de les reimprimer sur les anciennes copies, nonobstant le Reglement du vingt-septiéme Fevrier mil six cens soixante-cinq à ce contraire, auquel sa Majesté a dérogé pour ce regard. Et depuis ledit General ayant cedé ledit Privilege audit Muguet pour en joüir suivant sa forme & teneur pendant le temps porté par iceluy, comme l'entreprise est d'une grande dépense, sa Majesté par ses Lettres patentes données au Camp devant Cambray le vingt-deuxiéme jour de Mars mil six cens soixante-dix-sept, y ayant égard, & pour luy donner le moyen de fournir plus facilement à cette dépense, l'auroit gratifié de la continuation des Privileges à luy cy-devant accordez ou cedez pour l'impression de plusieurs Livres mentionnez dans lesdites Lettres patentes dudit jour vingt-deuxiéme Mars mil six cens soixante-dix-sept, pour en joüir par ledit Muguet, ses hoirs, & ayans cause, pendant le temps & espace de cinquante années, à compter du jour que chacun desdits Privileges qui luy ont esté accordez ou cedez seront expirez, avec défenses à tous autres de les reimprimer sur les anciennes copies, nonobstant ledit Reglement du vingt-septiéme jour de Fevrier mil six cens soixante-cinq, auquel sa Majesté a pareillement dérogé pour ce regard. Au prejudice desquelles Lettres, Privileges & dérogatoires dudit Reglement les Imprimeurs de Lyon ont fait assigner ledit Muguet au Conseil de sa Majesté pour voir casser lesdits Privileges comme contraires audit Reglement, voulant par là le frustrer des graces que sa Majesté luy a faites en consideration des bons Livres qui sont partis de son Imprimerie & de la particuliere application qu'il donne aux choses qui sont de sa profession & pour luy donner, comme dit est, le moyen de fournir plus facilement à la grande dépense qu'il luy convient de faire pour l'impression desdits Ouvrages de saint Augustin. A CES CAUSES, requeroit qu'il plust à sa Majesté faire défenses ausdits Imprimeurs de Lyon & à tous autres de le troubler dans la joüissance des graces qu'il a pleu à sa Majesté de luy faire, & en consequence leur prohiber la reimpression sur les anciennes copies desdits Ouvrages de saint Augustin, & des autres mentionnez audit Privilege de continuation, sur telle peine qu'il plairoit à sa Majesté ordonner. Veu ladite Requeste signée du Suppliant, & tout consideré.

LE ROY ESTANT EN SON CONSEIL, a ordonné & ordonne que lesdites Lettres patentes des vingt-deuxiéme Fevrier mil six cens soixante-douze, & vingt-deuxiéme Mars mil six cens soixante-dix-sept sortiront leur plein & entier effet. Fait sa Majesté défenses ausdits Imprimeurs de Lyon & à tous autres d'y troubler ledit Muguet, à peine de dix mille livres d'amende, & de tous dépens, dommages & interests. Et sera le present Arrest executé nonobstant oppositions ou appellations quelconques, dont si aucunes interviennent, sa Majesté s'est reservé la connoissance & à son Conseil, & icelle défenduë à toutes ses Cours & Juges. Fait au Conseil d'Estat du Roy, sa Majesté y estant, tenu à Versailles le vingt-uniéme jour du mois de Novembre mil six cens soixante-dix-huit. Signé, COLBERT. *Et scellé.* Collationné.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, le douziéme Decembre mil six cens soixante-dix-huit. Signé, COUTEROT, Syndic.

APPENDIX

AD TOMUM DECIMUM OPERUM SANCTI AUGUSTINI.

Prima parte continentur ſubdititia opuſcula, ſcilicet,

Hypomnesticon, ſeu libri vulgò Hypognoſticωn,
Liber de prædeſtinatione & gratia,
Libellus de prædeſtinatione Dei.

Secunda parte,

Varia ſcripta & monumenta ad Pelagianam hiſtoriam pertinentia.

Tertia parte,

Prosperi Aquitani pro Auguſtino contra iniquos doctrinæ ipſius de gratia & prædeſtinatione reprehenſores apologetica opuſcula: necnon ejuſdem Proſperi liber ſententiarum ex Auguſtino.

ADMONITIO IN HYPOMNESTICON.

HOC *opus in exemplaribus excuſis diſtribuitur in ſex libros, qui vulgò inſcribuntur* ὑπογνωστικῶν, *id eſt*, Subnotationum *libri: quorum videlicet quinque priores contra quinque Pelagianorum dogmata ſingulas reſponſiones exhibent ſubnotatas. Verùm in præfatione ab ipſo auctore, atque à veteribus etiam qui id citant, vocatur* ὑπομνηστικὸν, *quaſi dicas* Commonitorium, *ſive ut ipſi veteres interpretantur*, Memoratorium: *quod auctoris conſilium fuiſſe iſtud videatur, ut Eccleſiæ catholicæ contra Pelagianos doctrinam, memoriæ juvandæ cauſsà, compendio traderet: nam* confidens, *inquit*, his reſpondendum, tamquam ὑπομνηστικὸν, abbreviatum hunc facere libellum curavi. *In Sorbonico tamen codice & recentioribus aliquot mſſ. appellatur* Liber hyponoſticon Auguſtini: *atque iidem iſti recentiores mſſ. ſextum librum, qui de prædeſtinatione eſt, prioribus quinque libris non adjungunt. In antiquioribus porrò mſſ. ſcilicet Remigiano annorum ferè nongentorum, Germanenſi, & aliis, titulus operi præfixus eſt*, Reſponſiones ſancti Auguſtini contra Pelagianos & Cæleſtianos. *Poſtque librum primum in hiſce codicibus legitur*, Explicit reſponſio prima, Incipit reſponſio ſecunda. *Poſt ſecundum*, Finit reſponſio ſecunda, Incipit reſponſio tertia. *Et ſimiliter poſt ſingulos libros uſque ad quintum, quo nimirum finito ſubjicitur*, Explicit reſponſio quinta, Incipit de prædeſtinatione diſputatio contra eoſdem: *qui eſt liber vulgò ſextus Hypognoſticωn. Hunc ſextum librum ſolum ac ſeorſim à quinque aliis exhibent Victorini quidam codices, cum hacce inſcriptione*, Diſputatio Auguſtini de prædeſtinatione contra Pelagianos. *Germanenſis quoque longè antiquior codex eum continet ſic prænotatum*, Incipit de prædeſtinationibus adversùm Cæleſtium beati Auguſtini: *& primo ſublato verſu incipientem ab iſtis verbis*, Addere etiam quàm maximè huic operi oportet. *Quo quidem in codice liber ille ſextus ſubjicitur excerptis quibuſdam ex Tychonio Donatiſta: at Hincmarus archiepiſcopus Remenſis in libro de prædeſtinatione cap. 1. ſignificat viſum ſibi codicem, in quo poſt opus de octo quæſtionibus Dulcitii ſubjungebatur.*

Ceterùm quod ad nomen Auguſtini ſpectat, id omnino aberat ab antiquiſſimo hujus operis exemplari Corbeienſi. Auguſtino tamen olim tributum opus reperitur à ſcriptoribus noni ſæculi: quos inter Hincmarus in epiſtola ad Amolonem & Eccleſiam Lugdunenſem de Botteſchalco ſcripta, dicit Auguſtinum, poſt quàm de libero
» *arbitrio, & de correptione & gratia, & de perfectione juſtitiæ hominis, & de prædeſtinatione ſanctorum ad*
» *Proſperum & Hilarium, ubi nihil de prædeſtinatione reproborum, ſed de prædeſtinatione ſanctorum di-*
» *xit, multis poſtulantibus ſcripſerat, librum Hypomneſticon adversùs Cæleſtium & Pelagium ſcripſiſſe de*
» *quinque quæſtionibus, & his ſextam loco retractationis ſuperaddidiſſe de prædeſtinatione, ubi ſe excuſat*
» *non eo ſenſu dixiſſe, nec intelligi velle prædeſtinatos ad interitum, ſed in iniquitate vel impietate perſe-*
» *verantibus pœnam eſſe prædeſtinatam.*

Hincmarum Remigius archiepiscopus & Ecclesia Lugdunensis in libro de tribus epistolis cap. 35. refellit in hæc verba : Adjungit etiam rem novam, & neque ex lectione, neque ex veraci aliqua traditione nobis hactenus compertam : quòd scilicet beatus Augustinus post omnes libros suos scripserit quemdam libellum, quem Græco vocabulo ὑπομνηστικὸν *nominat, quod Latinè* Memoratorium *interpretatur; in quo de quinque quæstionibus contra Pelagium & Cælestium disputaverit; & quidquid in præcedentibus libris de prædestinatione divina erga damnationem reproborum dixerat, non ita se dixisse, ut ab omnibus dixisse cognoscitur & intelligitur; sed alio absurdissimo & inconvenientissimo sensu; ut per hoc quod dixit impios ad interitum prædestinatos, noluerit intelligi ipsos impios ad interitum prædestinatos, sed quod nemo credere aut suspicari posset, pœnam eis intelligi voluerit esse prædestinatam &c. Quis talem absurditatem, immo insaniam ferre possit? Nos enim manifestè novimus, quia quando libros Retractationum jam senex & morti vicinus scripsit, in quibus omnes præcedentes libros suos diligenter & fideliter retractavit, nequaquam adhuc istum libellum scripserat : quia si scripsisset, utique inter alios etiam ejus mentionem fecisset. Manifestum etiam videtur, quia post ejus obitum, quando vitam ipsius & catalogum, non solùm librorum ejus, sed etiam tractatuum ad populum, & epistolarum ad diversos, quidam * sanctus episcopus & alumnus ejus diligentissimè recensuit & descripsit, necdum istum libellum scripserat beatus Augustinus : si enim scripsisset, utique tamquam præcipuè necessarium inter alios annumerari & memoriæ commendari petuisset. Quòd si aliquis ex Ecclesiæ rectoribus, qui post ejus obitum exstiterunt, simpliciter cum ex titulo qui à sancti Augustini nomine inscriptus est, non considerata diligentiùs ratione, nec aliqua necessitate ut id faceret compellente, ipsius cum esse credidit, cujus in fronte nomen invenit; quid hoc præjudicat veritati, quæ diligenter inquisita & inventa nullum super hac re errare permittit?..... Nam & ipse suprà memoratus libellus manifestissimis indiciis non se sancti Augustini esse apertè ostendit : quia nec * præfationem aliquam in initio sui gerit, ubi se ab aliquibus rogatum, vel sibi necessariò visum, ut de tali re, id est, prædestinationis verbo in suis libris corrigendo, sive aliter exponendo aliquod novum opus scriberet, significasse inveniatur. Nec ulla talis necessitas exstitisse cognoscitur, ut de illis quinque quæstionibus, de quibus tam multa, & tam multipliciter in libris præcedentibus disputaverat, iterum novo opere disputare cogeretur. Sed & ipse sermo ab eloquio sancti Augustini multùm discrepat. Et sensus ab illius sensu non parum inferior habetur. Et modestia atque humilitas morum & sermonum ejus non ibi servatur. Et testimoniis ex Hebraica translatione, quam beatus Hieronymus edidit, præter ejus consuetudinem contra illos hæreticos utitur : quod ille ex antiqua potiùs editione facere consuevit. Et prorsus de tanto viro sentire indignum est, verbum & sensum prædestinationis, quem omni tempore in suis scriptis & prædicationibus tenuit & commendavit, & quem in libris Retractationum, nequaquam reprehendendo, utique approbavit, in hoc libello evacuare & destruere inveniatur, ut jam ex hujusmodi occasione, nec Retractationibus ejus fides adhibenda videatur. Unde magis credibile est, quod non parvo spatio post ejus obitum à quodam alio scriptus sit, & magna ex parte juxta modum & formam sensuum ejus contra Pelagianos & Cælestianos hæreticos de illis quinque periculosioribus eorum quæstionibus breviter collectus atque digestus : & quia auctor ejus, ipsius beati Augustini sensus brevi isto opusculo velut in unum collegisse & explicuisse videtur, ideo ipsi opusculo nomen S. Augustini in titulo præferre voluerit...... velut si eumdem libellum Latinè* Memoratorium sancti Augustini *appellare voluisset, nihil utique aliud intelligeretur, nisi quia illud quod ab eo sparsim & multipliciter fuerat disputatum, breviter & velut sub uno adspectu positum memoriæ commendaret. Et in libro de tenenda Scripturæ veritate, cap. 9. ad auctoritatem libri Hypomnestici respondens ait, Manifestissimè prædicti Doctoris sensibus, immo catholicæ sinceritati probatur adversus, nec ipso stilo ullatenus cum ejus eloquio consonat. Iisdem argumentis utitur Prudentius episcopus Tricassinus contra Iohannem Scotum libro de prædestinatione cap. 14. ubi librum Hypomnesticon probat non esse Augustini.*

* Possidius.

* De libro sexto loquitur, vel opus non negat carere omni præfatione, sed tali, qua significet Augustinus retractandum à se esse quod de prædestinatione reproborum dixisset.

Johannes Garnerius ad Mercatoris opuscula, dissertatione 6. de scriptis adversùs hæresim Pelagianam, conjectando pronuntiat, Sixtum presbyterum Romanum, qui Cælestino in sedem apostolicam successit, verum auctorem esse librorum Hypognosticon. Ipsi Mercatori faciliùs adjudicabit, quisquis non modò cum Garnerio animadverterit, suis Mercatorem opusculis insignioribus contra Pelagianos titulum eumdem fecisse, alteri scilicet Subnotationum libro, *alteri autem* Commonitorio *nuncupato; sed illud etiam observarit, quod in epistola 193. (tum à Garnerio, cùm de auctore Hypognosticon quæreret, nondum visa,) rescribit Augustinus ad Mercatorem cap. 1. se nimirum cum ejus litteris accepisse* & alium *ipsius* adversùs novos hæreticos *Pelagianos* librum, refertum sanctarum testimoniis Scripturarum. *Istum tamen Mercatoris librum ab Augustino laudatum, quo minùs continuò pronuntiemus asseveranter ipsum esse Hypomnesticon, moram injicit stilus, & dicendi ratio, quam in Hypomnestico non eamdem planè atque in aliis Mercatoris indubitatis opusculis deprehendimus.*

HYPOMNESTICON

CONTRA PELAGIANOS ET CÆLESTIANOS, *vulgò* LIBRI HYPOGNOSTICΩN.

PRÆFATIO.

ADVERSARII catholicæ fidei, dum contra regulam veritatis diabolicis armis pugnare nituntur, nos sollicitudine repugnandi faciunt cautiores; se verò decipiunt, ante quàm nostrorum valeant aliquem vulnerare. Cùm enim cæci evacuare thesauros fidei concertant, spe fidei vacuati, faciunt [a] plenitudine fidei Ecclesiam opitulante Dei gratiâ gloriari; & dum in hypocrisi vigilant nocituri, (de quibus propterea dictum esse puto per Prophetam, Ablatus est somnus ab oculis eorum, non enim dormiunt nisi malè fecerint,) nos quodam modo excitant dormientes, ut arrepto clypeo veritatis, falsitatibus eorum corde resistente vigilemus, Evangelicâ tubâ nostris auribus insonante: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Confidunt ergo hæretici, Catholicam [b] impugnantes, in virtute sua, id est, in audacia cordis sui, gratiâ desolati, & in abundantia divitiarum suarum, in operibus scilicet voluntatis suæ [c] gloriantes. Sed Deus dissipavit ossa hominum sibi placentium, confusi sunt, quoniam Dominus sprevit eos. Confidamus & nos, resistentes eis, in gratia Domini, quæ est gloria nostra, redimens nos à circumdantibus nos, & intellectum dans nobis, & instruens nos in via hac [d] quam ingredimur, firmando super nos oculos suos: quia in Deo salutare nostrum & gloria nostra, Deus auxilii nostri, & spes nostra in Deo est.

[…] 4. 16. · […] 14. 38. · […] 11. 6.

Sed jam de quibus vel contra quos ista prædixerim, oportet consequenti narrare sermone, atque eorum perversis dogmatibus, in quantum nos suâ gratiâ Dominus dignatus fuerit instruere, respondere. Igitur contra Pelagianos & Cælestianos hæreticos, quos Dominus tales futuros suo vitio ante constitutionem mundi præscivit, & [e] exortos in mundo judicio justo damnavit, sermo nobis est respondendi. Istos ostendebat apostolus Petrus in epistola sua secunda futuros, dicens, Fuerunt verò & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem: & multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus judicium jam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Igitur de magisterio gratiæ Dei confidens his respondendum, tamquam [f] Hypomnesticon, abbreviatum hunc facere libellum curavi. Quem si quis legere voluerit, non verborum mediocritatem contempletur, sed fidei rationem: & si placet, [g] ad Deum, qui docet hominem scientiam, gratias referat. Si qua verò sunt in quibus nolentes erravimus, si tamen sunt aliqua corrigenda, intuitu caritatis, Deo judice corrigat; sed is cui sensus est catholicus corrigendi. Si autem nihil sciens vel invidiosus est, vitiare quæ sana sunt non præsumat; quia mecum stabit ante tribunal Christi, rationem redditurus, quisquis ille fuerit.

[…] 2. 1.

Hujusmodi ergo dogmatis ista est nefanda blasphemia: I. *Adam, inquiunt, sive peccasset, sive non peccasset, moriturum fuisse.* II. *Tamen peccatum ejus neminem nisi solum nocuit ipsum.* III. *Posse hominem per liberum arbitrium, tamquam per se sibi sufficientem, implere quod velit, vel etiam meritis operum à Deo gratiam unicuique dari.* IV. *Libidinem naturale esse bonum, nec in ea esse quod pudeat.* V. *Parvulos* [h] *non trahere originale peccatum, neque perituros à vita æterna, si sine sacramento baptismi ex hac vita migraverint.*

A O malum dogma, quod pacis inimicus invenit! O dogma, per quod scinditur matris unitas Ecclesiæ renatorum! O dogma, quod sub nomine Christi evertere Christi & mutare nititur fundamenta! O dogma, cui nefanda sunt nomina mille, mille nocendi artes! Arma contra legem sumit ex lege; impugnat Evangelium e Evangelio pugnans, & in sui perniciem de veris mendacia fingens, provocat ad mendacium veritatem. Sed hæc sibi sunt pœna, quæ inordinatè proferens putat esse victoriam; ut in eis quod scriptum est impleatur: Per quæ enim quis peccat, per hæc & torquetur. Sap. 11. 17.

B

HYPOGNOSTICΩN LIBER I.

In quo Pelagianorum primum dogma convellitur.

CAPUT I. Mortem non esse à Deo, sed ex invidia diaboli per peccatum accidisse.

ADAM ergo, inquiunt, *sive peccasset, sive non peccasset, moriturum fuisse.* Respondemus: Falleris hæretice, falleris, non ita est. Aut si ita est, & non falleris, divinis adstrue documentis. Sed absit, ut in Scripturis sanctis auctorem mortis Deum valeas reperire. Scriptum est enim: Nolite zelare mortem in errore vitæ ve- Sap. 1. 12.
C stræ, quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum: creavit enim ut essent omnia, & sanabiles nationes orbis terrarum. Item in eodem libro: Deus, inquit, creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem suam fecit illum: invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum. Sap. 2. 23. Si vides, vide mortem non à Deo auctore, sed per errorem vitæ venisse hominibus in paradiso deliciarum positis, id est, cùm per rationem animæ, qua boni & vitales fuerant instituti, erraverunt à mandato divino, invidiâ scilicet & seductione serpentis. Audis testantem Prophetam, Deum mortem non fe-
D cisse, sed in libro Geneseos protoplasto futuram, si contigisset lignum vetitum, prædixisse. Sic enim scriptum est: Et dixit Dominus Adæ, De omni ligno quod est in paradiso edetis, de ligno autem scientiæ boni & mali non edetis, qua die autem manducaveritis, morte moriemini. Gen. 2. 16. Hæc audis, & auctorem mortis dicere Deum audes? Et mors igitur ex invidia diaboli veniens introivit in orbem terrarum, Sap. 2. 24. & Deo judice justo pro pœna in peccatorem permissa est dominari. Rectè enim perdidit vitam, qui mortem noluit, ne vitam perderet, cavere prædictam. Tamen verax & misericors Dominus non lætatur in per-
E ditione vivorum. Quæ est enim perditio vivorum, nisi mors? Sed vivorum malè viventium, qui in secunda morte peribunt; non vivorum justorum, id est, requirentium Deum, quibus tantùm propter peccatum Adæ quod traxere nascentes, mors non secunda, sed prima debetur. Si ergo secundùm vos Deus auctor est mortis, lætari debet in occasu vivorum tamquam in opere suo bono; quia scriptum est, Lætabitur Dominus in operibus suis: Psal. 103. 31. & quia nihil odiens fecit, sed omnia quæ fecit, valde bona; Gen. 1. 31. sicut scriptum est, Diligis enim omnia quæ sunt, & Sap. 11. 25. nihil odisti eorum quæ fecisti, nec enim odiens aliquid
F constituisti.

CAPUT II. VEL cur contra eam de ejus obnoxio peccato corpore carnem absque noxa suscepit, si eam ipse jaculum corporis fecit? Nihil enim in contrarium sibi, dum mundum faceret, Deum fecisse cognoscimus. Nam ut inimicam mortem vinceret, vel ejus [i] matrem peccatum, ideo Deum

---

a Sic plerique MSS. Editi autem, *plenitudinem fidei Ecclesiæ opitulante* &c.
b Hîc editi addunt, *fidem*. Aliquot MSS. *Ecclesiam*. Neutrum habent antiquiores libri.
c In MSS. *gloriantur.*
d Veteres aliquot libri, *qua gradimur.*
e In quibusdam MSS. *exortes.*
f Editi, *Hypognosticon*. At plerique & antiquiores MSS. *Hypomnesticon.*
g Sic MSS. Editi autem, *Deo.*
h Hoc loco in editis additur, *baptizatorum filios*: sed abest à MSS.
i Veteres codices omittunt *matrem.*

Dei Filium hominem suscepisse, si oculos caligine mortis non perdidistis, adtendite. Rom. 8. 3. Nam quod impossibile erat [a] legis, inquit Paulus vas electionis, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus Filium suum, in similitudine carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne. Quid est autem impossibile legis, nisi quòd sibi nec obedientem nec perfectum facere poterat deputatum; & nec peccatum tollere, nec mortem vincere prævalebat? Sed quare id implere non posset, subjungens ait, In quo infirmabatur per carnem. Jubendo enim infirmo & non juvando infirmatur, quia per carnem, id est, per concupiscentias carnis ex peccato venientes, quas solo arbitrio libero homo vincere non potest, nisi cum præcedente gratia Dei, legis factor esse non poterit: sicuti ait idem Hebr. 7. 19. Apostolus, Lex enim nihil ad perfectum adduxit. Quid est ergo Dei Filium venisse in similitudine carnis peccati, nisi non habens caro ejus ullum peccatum, sicut nostra? dicente Petro apostolo, 1. Petr. 2. 22. Qui peccatum non fecit, id est, non habuit; nec dolus inventus est in ore ejus. Dicendo enim, in similitudine carnis peccati: illam absque peccato, nostram verò peccatricem ostendit. Nam ille ideo in similitudine, quia non per libidinis usum ut nos, sed inspiramine mystico ex virginis utero in vera natus est carne. Rom. 8. 3. Et de peccato, inquit, damnavit peccatum in carne; de humana videlicet peccatrice [b] natura: peccatricem dico, non Deo auctore, sed homine delinquente. Carnem, ut dixi, suscipiens absque culpa, & hanc innoxiam crucifigens, peccatum, quod nos damnaverat per inobedientiam in Adam terreno, in Adam cælesti obediente damnatur. Nos enim peccato morimur victi; Christus autem innocens mori voluit, ut moriendo mortem captivaret & vinceret. Quodam modo enim eam sibi passus est dominari, cùm patienter se occidendum ejus obtulit voluntati. Sed cùm mors in inferno cum iniquis videret & justum, non habens unde eidem sicut & ceteris insultaret, resurgentem tenere non valuit: quin immo victa, prostrata est atque damnata. Et ideo Apostolus extollens victoriam Christi de morte, servis ejus gaudens annuntiat: Rom. 6. 9. Christus resurgens à mortuis jam non moritur, mors illi non dominabitur ultrà: quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel; quòd autem vivit, vivit Deo. Hæc dicendo quid aliud nos intelligere voluit, quàm Sap. 1. 13. Deum mortem non fecisse, nec lætari in perditione vivorum, qui absque peccato ut eam vinceret in infirmitate carnis, voluit habere consortium mortuorum. Unde Ibid. 2. 24. si invidiâ diaboli per peccatum mortem in orbem terrarum introisse non credideritis; nihil aliud adstruitis nisi Deum mortem fecisse, propterea ut peremtis hominibus, quibus suam donavit imaginem, nasceretur ei cum ea necessitas dimicandi vel etiam moriendi & resurgendi. Sed absit, absit hoc à fide catholica, quæ per unum homi- Rom. 5. 12. nem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertransisse credit, Paulo [c] fideli magistro docente, & Christum mortuum Rom. 4. 25. propter peccata nostra, [d] & resurrexisse propter justificationem nostram, reconciliantem nos in suo corpore Deo Patri per crucem.

Erubescite rogo, & conticescite. In [e] vestra enim morte perpetua Deum accusatis, in morte diabolum excusatis; & hoc ideo, quia non Deum, sed diabolum timetis offendere. Dicite ergo, si Deus mortem fecit, cur Chri- Johan. 11. 35. stus Deus mortuum Lazarum flevit secundùm carnem? Non enim quod ipse fecerat dolere debuit, sed dolens eum & plorans, ostendit, quos Deus vitales fecerat, diabolum per culpam fecisse mortales. Quem ideo suscitat, ut diabolus nihil se occidendo profecisse cognoscat; nec quisquam hominum ad Deum pertinens de morte desperet, quia Deo dormiunt quos diabolus perisse pu- Ezech. 18. 23. & 32. tabat. Nolo, ait per prophetam Ezechielem Dominus, mortem peccatoris, sed ut revertatur & vivat. Si ejus, ut prædicatis, auctor est Deus; cur eam, dicendo, Nolo, repellit à peccatore, & non patitur quod suum est permanere? Mortem nolo, inquit, peccatoris, quam ego ei non feci, sed ipse eam sibi, dum in me prævaricator

A exstitisset, invenit: sed revertatur & vivat, id est, vitam me miserante recipiat, quam se peccante perdiderat.

CAPUT III.

NULLI itaque fidelium dubium esse potest, primos homines factos sic fuisse vitales, ut si in libertate animæ, qua immaculati creati sunt, serpentis contemsissent seductionem mortiferam, vitâ fruerentur æternâ; si verò secuti essent, amitterent. Quibus propterea prædixit Deus, ne vetita contingerent, ut quidquid victis postea contigisset adversum, non præmonenti, sed sibi inobedientibus imputarent. Numquid enim, cùm delinquentibus mortem futuram prædixisset, quod futurum erat ipsum B fecisse credendum est? Quid enim eam cavendam præmonuit, si ejus in eorum occasu factor est ipse? Sed nec eis per diabolum veniens peccantibus succedere valuisset, nisi Dominus judicio justo in vindictam propter inobedientiam permisisset. Igitur ut moriantur homines, pœna peccati est: ut revertantur ad vitam, Domini miserantis est. Sed ille [f] redit ad veram vitam, qui per bonam conversationem ex gratia Dei venientem, sanguine Christi sanctificatus ingreditur in regnum cælorum, & quasi reversus in regionem suam Domino placiturus, de qua peccato fuerat exsulatus, gaudens & [g] insultans morti, dicit animæ suæ, Psal. 114. 7. Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit mihi: quoniam C eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu: placebo Domino in regione vivorum. Placebo, unde? Quia Dominus benefecit mihi. Nam & peccator recipit vitam, non autem redit ad vitam. Reditus enim vitæ in regno cælorum est; quod omnis in peccatis suis, vel sine baptismo moriens non potest possidere. Recipit verò vitam in corpore jam corpore non moriturus, sed ita victurus in corpore, ut sit mortuus vitâ, vel corpore vivendo semper in pœna, & vitâ & corpore cum diabolo mortis auctore [h] damnato. Unde & Dominus in Evangelio, Matth. 25. 41. iis qui ad sinistram erunt in die judicii, id est, impiis & peccatoribus: Ite, D inquit, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo & angelis ejus. Justis verò qui à dextris erunt: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum paratum vobis ab origine mundi. Et tunc illi, ait, ibunt in supplicium æternum, justi verò in vitam æternam. In qua vita glorificati, id est, mutati de corruptione in incorruptionem, de mortalitate in immortalitatem, fulgebunt, & cum Christo in perpetuum regnantes, insultabunt 1. Cor. 15. 54. damnatæ morti dicentes, Absorpta est mors in victoriam. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?

CAPUT IV. Mors, privatio vitæ est.

MORS itaque privatio vitæ est, nomen tantùm ha- E bens, non essentiam: & ideo Deus ejus auctor esse dici non potest. Quidquid enim Deum fecisse dicimus, habet essentiam, id est, species est. Essentia enim dicitur ab eo quod est, quæ tantùm de solo Deo dici debet, secundùm illud quod scriptum est in Exodo Moysi, Exodi 3. 14. Dices eis, id est, populo, Qui est misit me ad vos. Tamen & de ceteris creaturis dici potest, quòd habeant essentiam; sed non sicut de Deo, qui initium non habet quod est; sed ex quo accipientes à Deo initium, quod sunt esse cœperunt. Mors ergo nihil est nisi nomen recedente vitâ: sicuti fames escarum defectus, sitis egen- F tia potûs, tenebræ absentia lucis, sterilitas defectus [i] fructûs, silentium vocis absentia, inopia privatio facultatum, & si qua sunt alia quæ rerum privatione nihil esse nisi nomen inveniuntur. Mors unde dicta. Opinor namque quòd ideo mors hoc vocabulum accepit, eo quòd morsu quodam modo venenosi serpentis, id est diaboli, in paradiso Adam fuerit interemtus. Tunc enim serpens morsu decepit Adam, quando eum per concupiscentiam mordere, hoc est, edere suasit illicita: &, ut dixi, propterea mors quasi à morsu nomen accepit. Unde & Dominus in Osee propheta Osee 13. 14. G morti minitans dicit, Ero mors tua, ô mors; ero morsus tuus, inferne. Mors & infernus in diaboli persona dicta intelliguntur, quia per ipsum delinquenti homini accidit mors, id est, privatio vitæ; & per ipsum peccatores convertuntur in infernum, tamquam in ejus carcerem, ubi damnatus est ipse.

a Editi, *legi*: At MSS. *legis*: juxta Græc.
b Sic MSS. Editi verò, *videlicet peccatrice naturam peccatricem*: *peccatricem dico* &c.
c Editi, *fidei*. At MSS. *fideli*.
d In MSS. *reconcilians nos*.

e Editi, *In vestram enim mortem perpetuam*: dissentientibus MSS.
f In MSS. *Sed ille recipit vel redit ad vitam*.
g Omnes MSS. *exsultans*.
h Corbeiensis codex à secunda manu habet, *damnatus*.
i In MSS. *fitûs*.

Sed

Sed quærendum est, quemadmodum Christus Deus Dei Filius mors exstitit mortis, & morsus inferni. Sine dubio quòd in suscepta carne, in qua suum mors nihil habebat, (ut ipse ait, Venit princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam,) (Joan. 14. 30.) tentatus post baptismum in deserto, ejus non obedivit concupiscentiis, ubi ait, Dic lapidibus istis ut fiant panes, &c. (Matth. 4. 3.) Vel quòd se clavorum morsu justus & innocens affigi passus est cruci, (Luc. 23. 33.) & ore lanceæ transforari. (Joan. 19. 34.) Os autem lanceæ dixi, secundùm quod dictum est de peccatoribus, Et cadent in ore gladii. (Eccli. 28. 22.) Et lancea utique gladius est. Et quòd descendens in infernum velut in os mortis; unde dicit in Psalmo, Non absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum, (Psal. 68. 16.) id est, infernus; detineri eum fuit à diabolo impossibile. Unde hominem quem susceperat pro homine, id est, carnem suam, quæ non vidit corruptionem, die tertia suscitans, tamquam Jonam ex ore ceti produxit. Quia hoc fuit infernus Christo, quod Jonæ cetus, dicente ipso Domino, Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; ita erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. (Matth. 12. 40.) Morsus ergo factus est inferni, cùm se ab eo tamquam escam, id est, carnem suam suscipi passus est, qua non satiaretur, sicut de peccatoribus; sed absorberetur, propter quod dictum est, Absorpta est mors in victoriam. (1. Cor. 15. 54.) Sed & illud testimonium quod est in Amos propheta, puto propterea dictum esse, cùm peccanti populo Dominus promittens futura mala dicit, Et si celaverint se ab oculis meis in fundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos. (Amos 9. 3.) Quid est enim, Et si celaverint se ab oculis meis in fundo maris; id est, etsi permanserint in operibus malis, avertentes se ab oculis meis, à præceptis scilicet spiritalibus, quia oculi Dei sunt spiritus Dei, qui legem, id est, præcepta dedit: in fundo maris, in altitudine videlicet desperationis: ibi mandabo serpenti, & mordebit eos; ibi in eadem desperatione contemtus, mandabo, potestatem dabo serpenti, hoc est, diabolo, qui ab initio serpens est nominatus; & mordebit eos, morsu utique diversarum concupiscentiarum quo peccantes occidit, mortificabit eos. Sed morsu mortem facit. Non autem mors est sicuti feræ bestiæ, vel omne genus animalium iracundorum, quæ morsu suo nonnumquam mortificant homines, & tamen non ipsa sunt mors, sed morsu insanabili mortem, id est, privationem faciunt vitæ, quemadmodum etiam ictus gladii, percussio lapidis, vel quidquid potest hominem occidendo vitâ privare.

(Caput V.) Illud præterea prætermittere non debeo, ne fortè aliquis inimicorum veritatis, qui non sit rationum certarum quæsitor, sed quæstionum perplexarum ad subversionem audientium inventor atque propositor, dicat, Si nihil est mors nisi nomen, quemadmodum superiùs disputasti, eo quòd mors Christum justum in inferno cum iniquis viderit, & quia in eo peccatum non fuit, resurgentem tenere non valuerit, ut eidem sicut ceteris peccantibus insultaret, & ideo victa, prostrata atque damnata est: si ergo nihil est; videre, tenere, insultare, vel vinci, prosterni, & damnari quemodo potest, quod nihil est? Respondemus: Ipsum nihil, quid est? Quia interdum cùm nominamus nihil, addimus est: sicut est illud de Evangelio, Et sine ipso factum est nihil: (Joan. 1. 3.) substantia est, an nomen substantiâ carens? Solet enim dici, ut præfatus sum, à plurimis, dum aliquid despicitur, aut pro parvo æstimatur, vel certè quod penitus non sit, Nihil est. Cùm ergo dicimus nihil, nomen insubstantiale nominamus: cùm verò addimus est, rem significamus. Cur ergo nomen insubstantiale, id est, nihil, tamquam verè aliquid sit dicimus, addendo est? Omne enim quod dicimus, est, esse aliquid æstimamus: tamen cùm aliquotiens dicimus, nihil est, pro consuetudine locutionis ad nihil addimus est: cùm nomen tantùm sit nihil, & non res. Sic & de morte pro consuetudine verbi, vel ad comparationem agentis dicimus, Videt mors, agit aliquid, insultat, vel damnata est, victa est, & quidquid illud est quod dici possit, quia mors faciat aut patiatur. Cùm ergo hæc de morte dicantur, omnia ad auctorem mortis, per quem privatio vitæ facta est, diabolum referuntur. Ipse enim quæ ad mortem pertinent, aut facit, dum captivat & perimit; aut patitur, dum vincitur & damnatur.

a Editi, *In tristitia*. MSS. *In tristitiis*: juxta Græc. LXX.
b Am. & MSS. *non à non peccando dicitur*.

Diabolus enim naturâ est angelus: sed quod naturâ est, opus Dei est: quod verò diabolus, vitio suo est, utendo malè naturæ suæ bono: opera verò ejus mala quæ vitia dicuntur, actus sunt, non res; quæ tamquam per se agere dicuntur aliquid, cùm ea & per ea totum agat diabolus; vel damnata dicuntur, cùm ipse pro his damnatur, pro quibus damnatur & homo, cùm per liberum arbitrium his illectus tradit assensum. Et ideo hæc in futuro sæculo jam non erunt, quia in auctore suo diabolo damnabuntur, cùm ille scilicet damnatus in gehenna, ut peccent homines, ampliùs potestatem hæc agere non habebit.

HYPOGNOSTICON LIBER II.

In quo refellitur secundum dogma Pelagianorum.

Item *peccatum Adæ*, aiunt, *neminem nocuit, nisi solum ipsum*. (Caput I.) Respondemus: Si peccatum primorum hominum solis obfuit illis, & nemini nostrûm; quemadmodum quæ in illos pro peccato lata est, in nos sententia pertransivit, in quos non transivit & culpa? Nisi fortè secundùm vos injustus Deus, qui expertes eorum delicti, passus est nos eorum pœnæ adstringi vinculo. Hæc est enim in illis post peccatum divina sententia, post quàm scilicet suasor ad prævaricandum maledictus est serpens. Mulieri autem dixit Deus, Multiplicans multiplicabo mærores tuos, & gemitum tuum: In [a] tristitiis paries filios, & ad virum tuum conversio tua, & ipse dominabitur tui. (Gen. 3. 16.) Et Adæ dixit, Quoniam audisti vocem mulieris tuæ, & manducasti de ligno, de quo præceperam tibi de hoc solo ne manducares, maledicta terra in operibus tuis, in mæroribus manducabis ex illa omnibus diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi; & edes fœnum agri: in sudore vultûs tui edes panem tuum; donec revertaris in terram de qua sumtus es; quia terra es, & in terram ibis. Hac nos pœnæ sententiâ colligatos, ipsa sibi humana natura totum per orbem terrarum diffusa testimonium perhibet, dum se paternis cruciatibus sanctæ legis testimonio pervidet laborare. Quod qua justitiâ, si heredes peccati parentum non sumus, patiamur? Si vobis solis æquitas suppeditat naturalis, qua justiora sint judicia vestra quàm Dei, inter nos & Deum residentes in superbiæ solio judicate. Nullum enim hominem tam amatorem vel defensorem sui erroris, ad Dei judicia reprehendenda, vel etiam refellenda diabolus potuit invenire, nisi Pelagium & Cælestium novæ legis jura tradentes. Adam igitur factus est absque peccato natura: cùm verò peccavit homo, natura peccavit, & facta est natura jam peccatrix, id est, vitium habens peccati, non ipsa effecta vitium vel peccatum. Post peccatum ergo homo peccator dictus est, non homo peccatum. Peccator enim à peccando, non [b] homo à peccando dicitur. Et ideo peccator homo genuit hominem, sine dubio peccatorem: quia de natura, ut dixi, peccato vitiata, non nisi natura nascitur vitiosa, id est, peccatrix, secundùm quod ait apostolus Paulus, Qualis terrenus, tales & terreni. (1. Cor. 15. 48.) Et hoc quomodo, nisi per seminis sparsionem?

Sed ais mihi è diverso veniens: *Ergo semen peccatum est?* (Caput II.) Jam superiùs dixi, quia cùm peccavit homo, natura peccavit, cujus sunt semina. Et semen ergo vitiatum est, non vitium; sicut scriptum est, Semen enim maledictum erat ab initio. (Sap. 12. 11.) Maledictum videlicet post peccatum: quia, Maledicta, inquit, terra in operibus tuis. (Gen. 3. 17.) Sed vitium non potest trahi protoplasti, neque esse [c] homo, nisi seminis effusione. Quod confirmat Apostolus dicens: Per unum hominem intravit peccatum in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransivit, in quo omnes peccaverunt. (Rom. 5. 12.) Solus autem Dominus Jesus Christus absque semine ex virgine factus est homo, & expers delicti natus est Deus & homo. Audis itaque per unum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertransisse, in quo omnes peccaverunt: & audes dicere hæretice, *Adæ peccatum nulli nisi soli nocuit ipsi?* Et verè tunc soli nocuit, cùm solus esset ipse, & Eva mulier ejus. Sed in illis unis omnes eramus, quia natura humani generis erant, sicut nunc in nobis omnibus

c Sic veteres quidam MSS. Editi verò, *neque esse homini sine seminis effusione*.

illi uni ſunt, quia natura eorum ſumus.

CAPUT III. SED reſpondentes dicitis, ut dicere conſueſtis: *Apoſtolus ſi voluiſſet intelligi, quia per ſeminum conceptionem dicebat peccatum in omnes homines pertranſiſſe, non per unum hominem dixiſſet, ſed per duos homines, quia ſine femina de ſolo maſculo homo naſci non poteſt.* Si cordis oculos non amiſiſtis, attendite dictum eſſe, Jam non ſunt duo, ſed una caro. Et iterum, Erunt duo in carne una. (Gen. 2. 24.) Nam ideo, per unum hominem, dixit Apoſtolus, quia cùm in viro ſuo mulier una ſit caro, in ſemine progenies imputatur. Audite adhuc & alium ſapientiſſimum dicentem ad veſtram confuſionem: Ex muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur. (Eccli. 25. 33.) Ecce hæretice, factum eſt tibi ſatis, per duos homines in humanum genus peccatum vel mortem pertranſiſſe.

CAPUT IV. SED quid adhuc dicturus ſis, ſicut ſoletis dicere, novi. *Peccatum*, inquis, *per unum hominem in mundum intraſſe, Apoſtolus non ſeminis propagatione, ſed morum imitatione dixit.* Reſpondeo: Si peccatum morum imitatione conſtat; quem imitatus eſt diabolus, ut delinqueret, dicite, qui primus invenitur peccator eſſe? Quia ſi de Adam interrogavero, reſpondebitis forſitan, quòd ſit diabolum imitatus. Eſto, Adam ut peccaret, diabolum fuiſſe imitatum: dicite mihi, diabolus quem imitatus fuerit; quia peccatum morum imitatione conſtare defenditis. Sed quid immoror, ſciens nihil vos reſponſuros? Quem enim dicturi eſtis imitatum fuiſſe, cùm auctor ſui lapſûs ipſe ſit? Adam certè peccaſſe, nihil aliud legimus in libro Geneſeos, niſi quòd inobediens extitit divinum ſervare præceptum. Cain ergo primogenitus filius ejus quem ſit imitatus, dum fratrem occidit, homicidium facere, ut oſtendatis interrogo. (Gen. 4. 8.) Quatuor enim fuiſſe tunc homines legimus, Adam ſcilicet & Evam, ipſum Cain, & Abel fratrem ejus, & ex his neminem feciſſe primò homicidium invenimus, niſi ut dixi, Cain. Dic ergo hæretice, unde hoc didicerit, quemve fuerit imitatus, ſi morum ex altero in alterum tranſire conſtat imitatione peccatum, & non conceptione contractum? Omne enim quod imitandum eſt, aut videtur oculis, aut certa relatione concipitur. An excuſabis homicidium non eſſe peccatum? Et quid nequius? Dic jam, dic totiens interroganti mihi, Cain quem viderit, à quo narratum audierit homicidium perpetratum? Sed conſtrictus vinculo veritatis, nec januam propoſitionis tuæ patentem inveniens exeundi, ad januam ſermonis apoſtoli Pauli repedabis, ut iter rectum, ſi velis, poſſis incedere, atque mihi interroganti dicere veritatem. Verè non morum imitatione, ſed ſeminis ſparſione conſtat per unum hominem peccatum intraſſe in mundum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertranſiſſe in quo omnes peccaverunt. (Rom. 5. 12.) Ex peccatore ergo Adam, genitore ſuo, Cain primus peccatum in utero matris contraxit, & tertius homo natus eſt peccator ex utero ejus. Mens interna patrio peccato erat jam [a] captiva diabolo, inde imbutus eſt zelum, inde invidiam habuit & livorem: inde non morum imitatione homicidium, ſed voluntate præcipitatus admiſit. Qui enim unum peccatum, id eſt, diabolus prævaricantibus primis inflixit hominibus, ipſe per hoc quod omnes, (abſque ſolo, ut ſuprà dictum eſt, Chriſto,) naſcendo traxerunt, illicit etiam cetera, dum ei per liberum arbitrium conſentitur, committi peccata. Peccatum ergo protoplaſti omnes trahimus, non morum imitatione, ſed [b] ſeminis conceptione: ſicut ſcriptum eſt, Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. (Pſal. 50. 7.) Conſtant etiam & imitatione morum peccata, imitando ſcilicet malos: ſed ut quis imitetur malos, naturæ eſt vitium depravatæ, qua [c] factus eſt malus & malitioſus, non naturâ à Deo conditus malus. Ob hoc enim & naturâ filii iræ, ab Apoſtolo jam baptizati fuiſſe dicimur. Omnis enim carnaliter naſcens, naturâ filius iræ rectè dicitur, quia natura eſt [d] protoplaſti, quæ prior in illo propter delictum iram judicis Dei [e] juſtè ſuſcepit. (Epheſ. 2. 3.) Si enim delictum ejus, per quod, ut dixi, ad iram Dominum provocavit, non traheremus; numquam naturâ filii iræ diceremur. Et ideo peccatum ejus non ſolùm ipſum, ſed omne nocuit genus humanum, cum ejus [f] damnatione ſimul & culpam ſuſcepimus. Ejus enim nos vulneratos eſſe delicto, vas probat electionis, cùm dicit, Non enim eſt diſtinctio, omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei. (Rom. 3. 22.) Dicendo, omnes, nullum excepit, quin immo totum declaravit genus humanum. Peccaverunt enim omnes, cùm ex uno peccatore omnes naſcimur peccatores. Propter quod iterum idem dicit Apoſtolus, Nam judicium ex uno in condemnationem. (Rom. 5. 16.) Ex quo uno, niſi ex Adam, vel ejus uno peccato? In qua condemnatione, niſi in culpa ejus, qua ille eſt condemnatus? Quid eſt autem, & egent gloriâ Dei, niſi gratiâ Dei [g] Patris, per Jeſum Chriſtum qui eſt in gloria Dei Patris? Et quid eſt, egent? Id eſt, nemo idoneus per ſe, quòd carnaliter naſcitur vel operibus meritorum vitam recipit perditam, niſi per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſpiritaliter renaſcatur, qui venit Patris, & ſuâ, ſanctique Spiritus indebitâ miſericordiâ, ſalvare & quærere quod perierat? (Luc. 19. 10.) Quid enim perierat? numquid animalia irrationalia? Aut numquid de bobus cura eſt Deo? (1. Cor. 9. 9.) Utique humanum genus per peccatum, propter quod ſe ſponte immaculatus morti tradens atque reſurgens, gratiæ gratuitæ largitate à peccato vel morte redemit.

HYPOGNOSTICΩN LIBER III.

Adverſùs tertium dogma Pelagianorum.

CAPUT I. ITERUM *poſſe* dicunt *hominem per liberum arbitrium tamquam per ſe ſibi ſufficientem implere quod velit, vel etiam meritis operum à Deo gratiam unicuique dari.* Reſpondemus: Neminem poſſe per ſe ſibi, id eſt, per liberum arbitrium ſufficere implere quod velit, rectè dicimus, niſi protoplaſtum ſolum potuiſſe, cùm voluntas liberi arbitrii fuiſſet ſana eidem ante culpam. Lex enim eidem in paradiſo conſtituto non poneretur ſervanda, niſi liber eſſet tam velle eamdem quàm nolle ſervare, ſicut ſcriptum eſt, Et locutus eſt Dominus Adæ, dicens, De omni ligno quod eſt in paradiſo edetis, de ligno autem ſcientiæ boni & mali non edetis, & cetera. (Gen. 2. 16.) Dicendo ergo Dominus, De omni ligno quod eſt in paradiſo edetis, taliter velle permiſit. Et vetando, De ligno autem ſcientiæ boni & mali non edetis, hujuſmodi nolle præmonuit. Sed [h] cùm & velle & nolle præmonuit, docuit, cui ad utrumque poſſe liberum donarat arbitrium: quo malè utens incautus, dum ſponte ſerpenti præbet ſuadenti conſenſum, Domini [i] præterire præceptum, amiſſo poſſibilitatis bono, ſolum [k] arbitrium ad velle potitus eſt vulneratum. Hoc ergo vulnere cuncti libero claudicamus arbitrio, nec implere nobis naturaliter ſufficit poſſe bonum: quia jam, ut ſuperiùs diſputavi, de natura vitiata peccato, id eſt, de protoplaſtis hominibus, quorum ſumus & ipſi natura, in quibus eſt vitiata libertas, homo voluntatis ſanæ, perfecto videlicet libertatis arbitrio quo ſibi ſufficiat, non poteſt exoriri.

CAPUT II. NAM ut calcatiùs [l] liberum arbitrium cum poſſibilitatis bono, quo valeret implere quod voluiſſet, Adam factum intelligas, audi quid dicat ſcriptura ſancta in libro Eccleſiaſtico. Deus, inquit, ab initio fecit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui: adjecit mandata & præcepta; ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & fidem facere beneplacitam in perpetuum. Appoſuit tibi ignem & aquam; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem eſt vita & mors, bonum & malum, & quod voluerit, dabitur illi. (Eccli. 15. 14.) Quid eſt autem, Et reliquit illum in manu conſilii ſui, niſi dimiſit eum in poſſibilitate liberi arbitrii ſui? In manu enim poſſibilitas intelligitur. Ipſa eſt prima gratia, qua primus homo ſtare potuiſſet, ſi ſervare mandata Domini voluiſſet. Hac ergo per inobedientiam deſolatus homo, judicio juſto factus eſt ſerpenti, id eſt, diabolo, cui maluit obedire quàm Deo, captivus. Et ideo ſcriptum eſt, A quo enim quis ſuperatus eſt, huic & ſervus addictus eſt. (2. Petr. 2. 19.) Et iterum, Omnis qui facit pecca- (Johan. 8. 34.)

a Editi, *captivata à diabolo.* At MSS. *captiva diabolo.* Idem loquendi modus in ſubſequente libro, c. 2. *diabolo captivus*: & c. 4. *delicto captivus.*
b In MSS. *ſeminum.*
c Veteres codices, *natus eſt malus.*
d Iidem codices hoc loco, *primoplaſti.*
e In MSS. *Dei juſti.*

f Remigianus MS. *damnationem.*
g Hoc loco vox *Patris* abeſt à quibuſdam MSS.
h Am. & MSS. *Sed cùm & velle & nolle prædocuit, cui ad utrumque,* &c.
i Sic MSS. Editi verò, *præterit*
k Aliquot MSS. omittunt, *arbitrium.*
l In MSS. *libero arbitrio.*

tum, servus est peccati. Quod confirmat apostolus Paulus jam baptizatis dicens, Cùm essetis servi peccati, liberi fuistis justitiæ, videlicet alieni eratis à justitia. Per se ergo homo lapsum facere potuit, quia voluit: sed non sicut per se lapsus est, continuò à lapsu per se, id est, per propriam voluntatem consurgere valuit, nisi manu Domini misericordissima, quando ejus placuit pietati, fuisset erectus. Propter quod scriptum est, Allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos. Quòd si homo [a] propria voluntatis virtute, & non per Dominum, sufficit elisus assurgere, quò in paradisum, de quo inobediens pulsus est, Deo reconciliandus redeat: ergo Christus gratìs mortuus est. Et ut quid ad sanos medicus venire voluit, vel cur se ad salvandum atque quærendum quod perierat, venisse dixit; qui secundùm dogma vestrum, nihil perditum, quod salvaret invenit?

Te igitur, sancte Paule apostole, vas electionis, magister gentium, quæso, cur Christus in mundum venerit, dicas: ut sciamus quid hæreticis, qui adventum ejus nihil profuisse humano generi, quod per se sibi sufficere prædicant, respondere debeamus. Fidelis sermo, inquit, & omni acceptione dignus, quia Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Audis hæretice Pelagiane, pelago perditionis demerse, sive Cælestiane, cælesti judicio periture, vas electionis veritatis [b] tuba canentem? Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum se primum esse dicit: & conaris adstruere, cùm prædicas hominem naturaliter posse quod velit, Christum nullum in eo vulnus quod curaret, nullam infirmitatem invenisse, quam gratiæ suæ gratuitæ medicamento sanaret. In tantum estis in stultitiæ profundum demersi, ut non intelligatis Christum Dominum ad nostram reparationem, reformationem, redemtionem, reconciliationem, formam servi suscipere voluisse? Quid enim opus erat Deo, si status integer naturæ maneret humanæ, carnem suscipere nostram, contumelias sustinere, & per crucem à Judæis perpeti mortem? Quæ utique omnia pro nostra salute dignatus est sustinere, Dominus bonus & misericors pro servis malis & impiis, liber pro captivis, justus pro injustis, vita pro mortuis, spes pro desperatis, reconciliatio pro offendentibus: sicut dicit Johannes apostolus de eo, Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Item apostolus Petrus: Qui peccata, inquit, nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ viveremus, cujus livore sanati estis: eratis enim sicut oves errantes. Item ipse in eadem Epistola: Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo mortificatos carne, vivificatos autem spiritu. Audis electos & idoneos testes spiritu Dei loquentes, Christum propitiationem pro peccatis mundi venisse, peccata nostra propterea pertulisse in corpore suo super lignum, ut justitiæ viveremus, ejus livore nos esse sanatos, qui eramus sicut oves errantes: audis semel pro peccatis nostris mortuum justum pro injustis, ut nos offerret Deo, id est, peccato exsules revocaret ad Deum: & in tenebris conscientiæ tuæ tractans eructas nebulas, quibus lumen verum [c] tetrare conaris, & dicis posse hominem per liberum arbitrium, tamquam per se sit idoneus implere quod velit? Idem ipsum est enim & illud quod flagitatis voce superba: *Si volo, sanctus sum; si volo, pecco; si* [d] *volo, non pecco.* Nihil videlicet aliud adstruitis ista dicendo, nisi, ut superiùs jam dictum est, Christus veniens nihil nobis præstitit, nihil salutis, nihil adjutorii contulit, mors ejus nihil profuit nobis, salus nostra naturalis est nobis. Talia prædicantibus fides catholica dicit anathema: credit enim, quòd salus hominis ex Deo sit [e] Christus, cujus vulnere liberum nostrum curatur & reformatur arbitrium vulneratum, qui aversos à se gratuitâ gratiâ suâ convertit ad se, & ut Deo placeant operibus bonis, operatur in eis & velle & posse: quorum cursum in hac vita propter futuram veram vitam, misericordiâ præveniendo & subsequendo perficit ipse. Igitur liberum arbitrium hominibus esse, certa fide credimus, & prædicamus indubitanter.

Caput IV. Liberum arbitrium quid.

Sed cur liberum dicatur arbitrium, est paululùm disserendum. Arbitrium scilicet ab arbitrando rationali consideratione, vel discernendo quid eligat, quidve recuset, puto quòd nomen accepit: [f] ideo liberum dictum, quod in sua sit positum potestate, habens agendi quod velit possibilitatem, quod est vitalis & rationalis animæ motus. Sed hujusmodi, ut antè jam dixi, fuit in homine protoplasto; cùm ante peccatum maneret illæsus. Non enim per aliud contraxit offensam, nisi per id [g] quo potuit ne delinqueret resistere suadenti. Per velle ergo malum rectè perdidit posse bonum, qui per posse bonum potuit vincere velle malum. Quem justè Deus jam delicto captivum voluntati depravatæ dimisit, ut hæc eidem esset pœna in non faciendo quod velit, qui semper si Deo fuisset obediens, sufficere potuisset ad omne bonum quod voluisset. Malum utique velle non ex naturæ suæ conditione bonâ habuit, tamquam ex congenito malo, ut Manichæus credit; sed ex accidenti desiderio pravo concepit, videlicet cùm, ut jam superiùs dixi, ad manducandum vetitum lignum, quod nolle debuit, assensum serpenti, id est, diabolo præbuit: quod tamquam à radice vitiata omnis ex illo orta humana propago contraxit, absque solo Christo, qui adventu Spiritus-sancti, non humano semine, ex carne virginis factus est caro. Per peccatum ergo, liberum arbitrium hominis possibilitatis bonum perdidit, non nomen & rationem.

Ad quid valeat post peccatum liberum arbitrium.

Est, fatemur, liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare aut certè peragere: sed tantùm in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quàm etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diversarum rerum bonarum, velle quidquid bonum ad præsentem pertinet vitam: quæ omnia non sine gubernaculo divino subsistunt, immo ex ipso & per ipsum sunt, vel esse cœperunt. Malis verò dico, ut est, velle idolum colere, velle homicidium, velle adulterium facere, res alienas velle diripere, Deum viventem in sæcula blasphemare, velle turpiter vivere, velle maleficia discere, velle inebriari & luxuriosè vivere, velle quidquid non licet vel non expedit operari. Sed ista non pertinent ad substantiam vitæ præsentis, quia non sunt à Deo; immo malè desiderata maculant vitam quæ est à Deo. Ista sunt zizania animæ carnisque, quæ inimicus homo, Matth. 13. 25. id est, diabolus dormitante Adam, Dei videlicet præceptum non conservante, in libero seminavit arbitrio, in quibus proclivior & paratior est quàm in prosperis vulnerata & depravata voluntas. Ista sunt diaboli opera, quæ Christus Dei Patris Verbum, quod est gladius bis acutus, in hunc mundum veniens, ex virgine natus, de credentium libero arbitrio gratuitâ suâ gratiâ amputat, idoneam in eisdem ad [h] credendum præparans voluntatem, per quam possint tam Dei Patris quàm suam sanctique Spiritus [i] justam peragere voluntatem.

Nam ea esse opera diaboli & per Christum tolli, dilectus Christi Johannes probat apostolus in epistola sua dicens, Qui facit peccatum, ex diabolo est; quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. 1. Johan. 3. 8. Item apostolus Petrus in Actibus Apostolorum inter cetera de Christo ait, Qui pertransivit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat in illo. Act. 10. 38. Item apostolus Paulus ad Hebræos, Qui cùm sit, inquit, splendor gloriæ & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Patris. Heb. 1. 3. Item in eadem epistola: Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ adspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum-sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? Heb. 9. 13. Perge adhuc hæretice, & tantis doctoribus veritatis resistens, dic liberum arbitrium sic ex Adam susceptum, ut medicinâ Christi non indigens, per se sibi

a Sic MSS. At editi, *propria.*
b Aliquot MSS. *tubam canentem.*
c Editi, *detrahere.* At MSS. *tetrare.*
d Sic MSS. Editi, *si nolo.*
e In solis editis, *Christo.*

f Am. Er. & MSS. *vel ideo.*
g Am. & MSS. *per id quod.* Ebrulphensis cod. *per quod.*
h Plerique MSS. *ad crescendum.*
i MSS. loco *justam*, habent *unitam.*

sufficiat implere quod velit. Audis, Dei Filium sic appa-
ruisse, ut opera dissolveret diaboli: audis, eum ideo per-
transisse, ut benefaciendo sanaret omnes oppressos à diabo-
lo: audis, verbo virtutis suæ purgationem peccatorum fe-
cisse: audis, sanguine suo, offerendo se [a] immaculatum
Deo, mundasse conscientiam nostram ab operibus mortuis
ad serviendum Deo viventi: & gratiæ ejus ingratus exi-
stens, sanum te naturaliter putas liberum arbitrium possi-
dere? Si sanus est homo, ut Adam à Deo primùm fuerat
institutus, &, ut ais, nullum vitium postea ex illo delin-
quente contraxit exortus; interrogo, de quo Dei Filius ap-
parens opera dissolvit diaboli? Quem pertranseundo & be-
nefaciendo sanavit oppressum à diabolo? In quo purgatio-
nem peccatorum fecit? Cujus emundavit conscientiam ab
operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? Nisi fortè
falsa hæc Apostolos, qui sunt in Ecclesia catholicâ clarissi-
ma lumina, prædicasse dicatis, experimentum videlicet quæ-
2. Cor. 13. 3. rentes [b] ejus, qui in eis locutus est Christi. Quid enim
orbati lumine veritatis non dicere præsumatis, qui nec legi
Dei, nec Prophetis, vel Evangelio Christi, ejusque Apo-
stolis Spiritu Dei canentibus credere vultis, peccato pri-
mi hominis humanum genus mortale factum, ceterisque li-
bero arbitrio depravato obnoxium subjacere peccatis, Dei
quoque Filium ad hoc [c] salvandum, reparandum, atque vi-
vificandum venisse in similitudine carnis peccati, sustinuis-
se mori, resurrexisse à mortuis.

CAPUT V. Igitur cùm de libero arbitrio agimus, non de parte
hominis agimus, sed de toto: quia cùm peccavit homo
primus, non in parte aliqua, sed tota, qua conditus est,
natura deliquit. Numquid enim interdum cùm tantùm ani-
mam nominamus, corpus aut spiritum separamus ab ani-
ma; aut cùm spiritum dicimus, animam separamus & cor-
pus ab spiritu; vel cùm corpus appellamus, sejungimus
spiritum animamque à corpore? Vitiato ergo libero arbi-
trio, totus homo est vitiatus, per quod absque adjutorio
gratiæ, Deo quod placeat, nec valet incipere, nec perfi-
cere sufficit. Prævenitur autem medicinâ, id est, Christi
gratiâ, ut sanetur, & reparetur in eodem vitiata atque
præparetur voluntas, quæ semper indigens [d] in adjutorium
illuminante gratiâ salvatoris possit tam Deum cognoscere,
quàm secundùm ejus vivere voluntatem. Cùm enim dicit
Ezech. 36.26. per Prophetam Dominus, Et dabo in vos cor novum &
spiritum novum: quid aliud significat, nisi voluntates ho-
minum lapsas prævaricatione veteris hominis, per Christum
novum hominem reparari, & præparari ad Dei volunta-
Prov. 8. sec. LXX. tem, sicut scriptum est, Præparatur voluntas à Domino?
Philip. 2. 13. Iterum apostolus Paulus, Deus est, inquit, qui operatur
in vobis & velle & perficere pro bona voluntate: ea uti-
que, quæ est in eis, ut dixi, à Domino tam [e] reparata
quàm præparata, ut esset bona; in qua se jam fidelis ho-
mo cognoscens illuminatum, ut ad Dei [f] semper sit para-
Psal. 50. 12. tior voluntatem, securus clamat ad eum dicens, Cor mun-
dum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visce-
Psal. 118. 18. ribus meis: &, Revela oculos meos, & considerabo mi-
Psal. 142. 8. & 9. rabilia de lege tua: &, Notam fac mihi Domine viam in
qua ambulem: &, Domine ad te confugi, doce me facere
voluntatem tuam, quia tu es Deus meus. Quòd si vox ista
Rom. 10. 4. jam credentis non est, quomodo invocabunt in quem non
crediderunt? Non ergo homo voluntate sua adhuc in vitio
liberi arbitrii claudicante, prævenit Deum ut cognoscat,
& [g] quærat eum, tamquam gratiam pro meritis acceptu-
rus; sed præcedit, ut jam dixi, misericordissimâ gratiâ suâ
Deus hominis ignorantis & necdum se quærentis volun-
tatem liberi arbitrii, ut eum se scire & quærere faciat, si-
1. Johan. 5. 20. cut dicit Johannes apostolus in epistola sua, Scimus quo-
» niam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cogno-
» scamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est
Psal. 58. 11. verus Deus & vita æterna. Et David in Psalmis, Deus
Psal. 84. 7. meus, misericordia ejus præveniet me. &, Deus tu con-
vertens vivificabis nos. Et Dominus in Evangelio disci-
Johan. 15. 16. pulis suis, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi. Item
1. Johan. 4. 9. Johannes apostolus, In hoc, inquit, apparuit caritas Dei
A in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in «
mundum, ut vivamus per eum. In hoc est caritas, non quasi «
nos dilexerimus Deum, sed quoniam prior ipse dilexit nos, «
& misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. «

Nullum autem hominis esse meritum in [h] accipienda CAPUT VI.
gratia ad salutem, Paulus apostolus docet scribens ad E- Ephes. 2. 4.
phesios: Deus autem, ait, qui dives est in misericordia, «
propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, & cùm «
essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cujus «
gratiâ estis salvati. Propter nimiam, ait, caritatem suam «
qua dilexit nos, non propter nostram, quasi priores dile-
B xerimus eum, cùm essemus mortui peccatis. Item post pu- Ibidem. 8.
sillum in eadem epistola, Gratiâ enim estis salvati per fi- «
dem, & hoc non ex vobis; Dei [i] donum est, non ex ope- «
ribus, ut ne quis glorietur. Item ad Timotheum: Noli 2. Tim. 1. 8.
itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me «
vinctum ejus, sed collabora Evangelio secundùm virtutem «
Dei, qui nos liberavit & vocavit vocatione sancta, non «
secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum «
& gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tem-
pora sæcularia. Audis, ante tempora sæcularia, quando in
Dei erat homo præscientia; & non in sæculo, quia non-
dum erat sæculum, & præponis dono ejus opera volunta-
C ria, cæcus veritati resistens? Quærens enim tuam justitiam Rom. 10. 3.
statuere, justitiæ Dei subjectus esse non potes. Item ad
Titum: Cùm autem benignitas, inquit, & humanitas ap- Tit. 3. 4.
paruit salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ «
fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos «
fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiri- «
tus-sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Chri- «
stum. Quid ad hæc adhuc hæretice respondebis? Quid ini-
mice gratiæ adhuc contra gratiam tanto magistro gentium
teste, quòd nullis hominum meritis detur, excogitabis op-
ponere? Rogo quid conamini resistere vera prædicanti,
D tam excellenti doctori, qui non de se in se, sed ex Deo
coram Deo in Christo Evangelium prædicans loquitur, id
est, in simplicitate & sinceritate Dei, & non in sapientia
carnali? Nam quòd vera annuntiet, audite eum adtestan-
tem, & nolite esse increduli, sed fideles. Deus, ait, &
Pater Domini nostri Jesu Christi scit, qui est benedictus in 2. Cor. 11. 31.
sæcula, quòd non mentior. Et iterum: Veritatem dico in Rom. 9. 1.
Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente con-
scientiâ meâ in Spiritu-sancto. Itemque: Veritatem dico in 1. Tim. 2. 7.
Christo, non mentior, doctor gentium in fide & veritate.
Auditis, non mentior: & tamquam mentientem redargui-
tis, cùm ex vestro dogmate perverso, quod ille non ita
E esse prædicat, meritis hominum gratiam dari annuntiatis.
Immo videte, quia non tantùm Paulum, sed & Christum
in eo loquentem redarguitis.

Sed respondes mihi inquiens, Si non unusquisque pro CAPUT VII.
sua voluntate, qua nos dicimus eum inquisisse Deum, ac-
cipit gratiam, sed prævenit voluntatem ejus suâ gratiâ, quò
in eum credere possit; cur non hoc ergo in omnibus ope-
ratur? An personarum acceptor est Deus? Si gratiæ illumi-
natione sensus tuus, hæretice, tenebris insipientiæ esset
[k] exutus, crederes tantùm testimoniis divinis quæ antè jam
dixi, vel quæ non dixi, & in sanctis scripturis reperiuntur
innumerabilia, Deum nullis meritis hominum gratiam
F suam dare, per quam se eis ostendat ad credendum & ser-
viendum sibi: & non quæreres, immo non discuteres,
[l] Deus quare id non in omnibus operetur, quia bene &
justè semper omnia quæcumque vult operatur, & volun-
tati ejus nemo resistit: propter quod omnia quæcumque Psal. 113. 8.
voluit fecit. Ideo cur hoc illi operetur, illi non operetur,
metuentem me & trementem judicia ejus inscrutabilia &
[m] incomprehensibilia, nolo interroges: quia quod lego,
credo & veneror, non autem discutio. Quis est enim ho- Rom. 9. 20.
mo qui respondeat Deo? Numquid dicit figmentum ei qui
se finxit, Quare me sic fecisti? Habet enim potestatem fi-
G gulus luti, ex eadem massa aliud vas quidem facere in ho-
norem, aliud in contumeliam. Sed interroga eum qui di-
xit, Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, adtra- Johan. 6. 44.

a Er. & Lov. *se immaculatam hostiam.*
b Nonnulli MSS. *quærentes eorum quæ in eis.* Et quidam cod. *quærentes quæ in eis.*
c Quidam MSS. *ad hoc sanandum.*
d Sic MSS. At editi, *indigens adjutorio illuminante gratiâ.*
e Aliquot MSS. *tam creata.*
f Nonnulli MSS. *ut ad Dei proficere possit voluntatem semper, securus clamat.*
g Quidam MSS. *ut desideret eum.* Antiquiores codices, *ut quærat gratiam tamquam meritis accepturus.*
h MSS. *in accipiendam gratiam:* & nonnulli omittunt, *ad salutem.*
i Editi, *Dei enim.* Abest *enim*, à MSS. & à Græco.
k Am. Er. & nonnulli MSS. *esset detectus.*
l In MSS. *non discuteres Deum, quare,* &c.
m Nonnulli MSS. *& irreprehensibilia;* & paulò pòst, *credo & venero, non autem discutio.*

xerit

xerit eum. &, Non omnes capiunt verbum, nisi quibus datum est. &, Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, ceteris autem non est datum. &, Nemo novit » Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. &, Sicut Pater suscitat mor- » tuos & vivificat, ita & Filius suscitat mortuos & vivificat quos vult. &, Quia Spiritus ubi vult spirat. &, Quia non potest homo à se facere quidquam, nisi datum illi fuerit de super. Item interroga eum qui dixit, Vobis datum est pro » Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. &, Non volentis, neque currentis, sed mi- » serentis est Dei, & cui vult miseretur, & quem vult indurat. Et quia Spiritus-sanctus dona charismatum suorum dividit singulis prout vult, non prout volunt. Et quibus voluerit, non qui voluerunt, notas fecit Deus divitias gloriæ sacramenti sui. Istæ sunt universæ viæ Domini investigabiles, misericordia & veritas: quas si scire quæris, Paulum interroga, & respondebit tibi dicens, Altum sapere » noli, sed time: quia quis cognovit sensum Domini, qui » [a] instruat eum? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior » dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ip- » sum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula. Interroga etiam David, & dicet tibi, Quis sapiens, & intelliget hæc? Aut quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?

Ista igitur cùm facit Deus incomprehensibilis & investigabilis atque inenarrabilis, non personarum acceptione facit, nec injusto judicio, sed planè justo, [b] alto, secretoque. Hæc est fides catholica, quam si sequi velis, non eris de judiciis Dei incomprehensibilibus curiosus & contentiosus, sed eris cum catholicis humilis & mansuetus. Non ut dicas Deo, interrogando, Quæ est voluntas tua? sed tremendo, Fiat voluntas tua: quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia. Modò enim quia judicia Dei in operibus ejus ab homine narrari non possunt, ideo injustus est Deus? Immo justus est & incomprehensibilis judicio justitiæ suæ, & irreprehensibilis operatione voluntatis suæ. Taceat reprehensibilis, mendax, & injustus homo, ut faciat irreprehensibilis, verax, & justus quæcumque voluerit Deus. [c] Si tantùm adtendas peccatum primorum hominum, quo massa humani generis damnari meruit, quia secundùm testimonium Pauli apostoli, Ex [d] uno omnes in condemnationem, poteris agnoscere judicia Dei esse justissima. Inde est enim malum meritum in hominibus, tam in parvulis quàm in majoribus præcedens judicia Dei, ut justo ejus judicio puniantur. Quare autem in hoc, ut dixi, malo merito præcedenti, non omnes puniuntur, aut cur inde non omnes salvantur, ego serviens Domino in timore & exsultans cum tremore, misericordiam ei & judicium canto: quia judicium facit præcedente caussâ, salutem verò donat [e] misericordiâ præveniendo malam caussam. Res igitur ejus sumus. Oculus tuus, ut quid hæretice nequam est? Habet potestatem pater-familiâs justus & misericors de re sua facere quod vult: id est, de reo mortis judicis est quam vult ferre sententiam.

AUDI tamen adhuc calcatiùs, ut ad propositum superioris disputationis revertamur: quia homo [f] vulneratus libero arbitrio per Adæ peccatum, sine gratia Dei, id est, per se solum sanare se non potest, nec sponte ad paradisum reverti, sanctorum numero sociandus: nec eum gratiam meritis ullis accipere, sed totum suâ misericordiâ Deum peragere. Homo quidam, ait Dominus in Evangelio, de- » scendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, » qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abie- » runt, semivivo relicto. Accidit autem ut sacerdos quidam » descenderet eâdem viâ, & viso illo, præterivit: similiter » & Levita, cùm esset secus locum & videret eum, pertrans- » iit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus » eum, & videns eum, misericordiâ motus est. Et appro- » pians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum, & » imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum & cu- » ram ejus egit. Et altera die protulit duos denarios, & de- » dit stabulario, & ait, Curam ejus habe, & quodcumque » supererogaveris, ego cùm rediero reddam tibi. Homo iste

A quidam ipse est humanum genus, descendens ab Jerusalem in Jericho, id est, de paradiso ad hunc mundum. Jerusalem enim Hebraicè dicitur, Latinè autem Visio pacis interpretatur. Rectè ergo in visione pacis paradisum dicimus. Antè enim quàm peccaret homo, in visione pacis erat, hoc est, in paradiso, ubi quidquid videbat, pax erat & lætitia. Inde descendens, id est, humiliatus & miser factus per peccatum, in Jericho, in mundum videlicet: Jericho enim in qua mundus ponitur, luna interpretatur; quia sicut luna oritur & occidit, ita & mundus, cùm in eo orta occidunt, & iterum oriuntur. Incidit in latrones, in diabolum & angelos ejus: per inobedientiam enim, ut sæpe dictum est,
B primi hominis, diabolus humanum genus despoliavit & vulneravit, morum scilicet ornamentis & bono possibilitatis liberi arbitrii perdito. In illo enim peccante plagam fecit, in nos verò plagas, cùm per unum illius peccatum, quod nascentes trahimus, superaddimus multa peccata. Quid est autem, Relicto eo semivivo abierunt? Rectè dictus est semivivus: habebat enim vitalem motum, id est, liberum arbitrium vulneratum, quod ei solum ad æternam vitam, quam perdiderat, redire non sufficiebat: ideo & semivivus dicitur. Jacebat ergo humanum genus vulneratum in mundo. Sed cur jacebat, dicite, si per se surgere poterat vel sanari, nullius indigens adjutorio? Sed jacebat
C vulneratus, quia vires ei propriæ ad surgendum, quò sanandum se, medicum, id est, Deum requireret, non sufficiebant. Descendens sacerdos eâdem viâ, cùm videret illum, præterivit. Similiter & Levita cùm videret eum, pertransiit. In his duobus, id est, sacerdote & Levita, duo tempora intelliguntur, Legis scilicet & Prophetarum. In sacerdote lex, per quam sacerdotium & sacrificia instituta sunt. In Levita vaticinium prophetarum, quorum temporibus omne humanum genus sanari non potuit: quia regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui *Rom. 5. 14.* non peccaverunt in similitudine prævaricationis Adæ, qui
D est forma futuri: id est, etiam in omnibus sanctis & in parvulis, qui prævaricati non sunt sicut Adam; & tamen propter peccatum prævaricationis, quod nascentes ex eo traxerunt, tamquam chirographo paterno constricti, stipendium peccati moriendo solverunt. Stipendium enim *Rom. 6. 23.* peccati mors. Et quia per legem cognitio peccati, non *Rom. 3. 20.* abolitio. Lex enim jubet ut cognoscat se homo peccatorem esse, quod ignorabat, non peccatum tollit. Ideo & Apostolus: Nam concupiscentiam, inquit, nesciebam, ni- *Rom. 7. 7.* si lex diceret, Non concupisces. Lex itaque nihil ad per- *Heb. 7. 19.* fectum adduxit. Quia si ex lege justitia, ergo Christus *Galat. 2. 21.* gratis mortuus est. Si enim data esset lex, quæ posset vi- *Galat. 3. 21.*
E vificare, verè ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi, qui omnia peccata tollit, daretur credentibus. Plenitudo enim legis & prophetarum Christus, qui venit non solvere le- *Matth. 5. 17.* gem & prophetas, sed adimplere.

Sacerdote ergo & Levita pertranseuntibus, iter faciens Samaritanus venit secus eum. Samaritanus, ipse est salvator Christus: quia Samaritanus custos interpretatur, cui rectè dicimus, Custodi me Domine ut pupillam oculi, sub *Psal. 16. 8.* umbra alarum tuarum protege me. Quid est autem, venit secus eum? Venit in similitudine carnis peccati, non ut il-
F le qui [g] jacebat in carne peccati; ideo secus eum, quia in similitudine. Et videns eum, misericordiâ motus est: videns eum, quid? jacentem. Numquid [h] surgentem & currentem? Et ideo misericordiâ motus est: quia in eo, quo curari dignus esset, meritum nullum invenit. Et appropians alligavit vulnera ejus. Quid est, alligavit vulnera ejus? Sicut scriptum est, Qui non noverat peccatum, pro *2. Cor. 5. 21.* nobis peccatum fecit. De peccato scilicet damnavit pecca- *Rom. 8. 3.* tum in carne. Infundens oleum & vinum, hoc est chrisma sanctum & sanguinem suum. Et imposuit illum in jumen-
G tum suum: in adjutorium videlicet gratiæ incarnationis suæ: quia, sicut scriptum est, Hic peccata nostra porta- *Isa. 53. 4.* vit, & pro nobis doluit. Et duxit in stabulum: scilicet donans ei fidem ad credendum in se, duxit in Ecclesiam suam, quæ omnibus ambulantibus in via fidei, tamquam stabulum patet ad succedendum. Et altera die: quasi tempore

Jerusalem, visio pacis.
Iericho, luna.

[a] Apud Lov. *quis instruxit eum.*
[b] Sic MSS. At editi, *altoque secreto: quia hæc est fides*, &c.
[c] In MSS. *Si tamen.*
[d] Am. Er. & MSS. *Ex quo uno.*
[e] Sic MSS. Editi verò, *donat ac misericordiam.*
[f] Apud Lov. *vulnerato.*
[g] Sic MSS. At editi, *latebat.*
[h] Aliquot MSS. *Numquid volentem & currentem?*

alio, poſt reſurrectionem utique & adſcenſionem ſuam, protulit duos denarios, videlicet vetus & novum teſtamentum, in quibus unum numiſma Dei regis eſt. Et dedit ſtabulario, Paulo apoſtolo, qui eſt vas electionis, cui ſollicitudo eſt omnium Eccleſiarum. Et ait, Curam illius habe: id eſt, quæ ad fidem meam pertinent, quomodo eum oporteat ad plenam ſanitatem pervenire, doce illum. Et quodcumque ſupererogaveris, dum rediero reddam tibi: ſi quid ergo ſuper Evangelium, tamquam miſericordiam conſecutus ut eſſes fidelis, ad ejus utilitatem ſapueris, dum rediero judicaturus mundum, & unicuique redditurus ſecundùm opera ſua, reddam tibi. Quid eſt autem quod ſuper legem & Evangelium plus Paulus erogavit? Illud puto quod ipſe ait ad Corinthios, De virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do tamquam miſericordiam conſecutus à Domino ut ſim fidelis. Vel illud etiam ubi de conjugibus ait, Nam ceteris ego dico, non Dominus, &c.

2.Cor.11.28. — *1.Cor.7.25.* — *Ibid.12.*

Iſta interim jam à majoribus Eccleſiæ catholicæ tractatoribus dicta vel expoſita ſunt: ſed tunc à nobis limes fidei ſanæ defenditur, quando termini quos poſuerunt ſancti Patres, non transferuntur, immo obſervantur & defenſantur à nobis. Ecce quemadmodum curatur hominis liberum arbitrium vulneratum. A die ergo adventûs ſui Dominus, quo venit ſanare vulneratum jacentem, uſque ad diem reditûs ſui, quo judicaturus eſt mundum, ſtabulario curam habere jubet ſibi traditi ſauciati: ſignificans quòd à die qua datur homini à Deo per motum miſericordiæ ejus, non per meritum quod in vulnerato non invenitur, ut ſanetur, uſque ad diem aſſumtionis ejus, niſi ſub cura gratiæ fuerit, ad perfectum pervenire non poſſe. Sicut ſtabularius ejus Paulus docet, ſcribens ad Philippenſes: Confidens hoc ipſum, quia qui [a] cœpit in vobis opus bonum perficere, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu. Item Petrus apoſtolus in epiſtola ſua prima: Deus autem, inquit, omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam gloriam ſuam in Chriſto Jeſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit ſolidabitque, ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, amen.

Philip.1.6. — *1.Petr.5.10.*

CAPUT IX.

QUID etiam aliud oſtenditur & in ove illa perdita ex centum ovibus, niſi liberum arbitrium, poſſibilitatis [b] bono vitio primi hominis perdito, à juſtorum erraſſe conſortio, nec per ſe ad [c] cortem, id eſt, ad paradiſum de quo exivit, fidelium numero reſociandum poſſe reverti, niſi indebitâ gratiâ, ſuâ utique voluntate, bonus paſtor Chriſtus, qui pro ovibus animam ſuam poſuit, de deſerto errantem, hoc eſt, de iſto mundo in quo homo divini præcepti deſertor exſulatus eſt, & errat libero arbitrio in operibus diaboli, humeris ſuis ſuperimpoſitum in adjutorium ſcilicet fidei & caritatis ſuæ revocaverit? Hoc enim, ut dixi, ipſe Dominus probat, cùm in parabola volens hominem intelligi, ovem dicit erraſſe, quæ non ſponte redierit, ſed à paſtore requiſita ad ovile proprium ejus ſit humeris reportata. Vel cùm vulneratum à latronibus, non proprio greſſu, ſed jumento ſuperimpoſitum ad ſtabulum dicit eſſe delatum. Quod magiſter ille gentium gratiâ fidei illuminante videns, de ſe præſumentibus dicit: Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.

Luc.15.4. — *Johan.10.11.* — *Rom.9.16.*

Sed ais mihi: Si non volentis, neque currentis eſt invenire Deum, quomodo ſcriptum eſt in Pſalmis, Et ex voluntate mea confitebor illi. Et iterum in Apoſtolo, cùm in figura vaſorum de peccatoribus dicit, Si quis ergo mundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum ſemper paratum? Accipe fidei rationem. Alia cauſſa eſt adhuc non credentis, alia jam credentis. De non credente, id eſt, adhuc Deum ignorante, ut cognoſcat & credat in quo opera bona nulla ſunt, dictum eſt, Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: quia in vanitate ſenſus [d] tenebris obſcuratum habens intellectum, liberi arbitrii lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre non poteſt, niſi Deus propter ſuam miſericordiam, qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, illuxerit in corde ejus, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Jeſu, ut ablato velamine, id eſt, nebulâ peccati de corde ejus, converti poſſit ad Dominum, qui ſpiritus eſt. Cùm autem acceperit Spiritum Domini, erit in eo libertas ad Domini capeſſenda præcepta: quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Habet autem theſaurum iſtum in vaſe fictili, in corpore videlicet ſuo terreno; ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex ipſo. Ideo non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Fit hoc etiam multifariè multiſque modis, in his qui jam Deo ſerviunt, cùm gratiæ ejus miſeratione ſubitò ad ea perveniunt bona, quæ non voluerunt, neque cucurrerunt.

Pſal.27.7. — *2.Tim.2.21.* — *Rom.9.16.* — *2.Cor.3.17.*

Jam verò credentis, id eſt, illuminati atque reparati in libero arbitrio per gratuitam gratiam Salvatoris vox eſt, Et ex voluntate mea confitebor illi. Sed ut poſſit eidem confiteri, non in ſe, ſed in Domino gloriatur, cùm dicit, Dominus adjutor meus & protector meus, in ipſo ſperavit cor meum, & adjutus ſum, & refloruit caro mea: propterea ſequitur, Et ex voluntate mea confitebor illi. Sua eſt utique omnis [e] fidelis voluntas bona, cùm in eo per Chriſtum ut eſſet bona, de lapſu eſt reparata. Quapropter quidquid vult bonum, quidquid poteſt, à Domino eſt. Quia ſine me, ait Dominus in Evangelio diſcipulis ſuis, nihil poteſtis facere. Item in eodem Evangelio, id eſt, ſecundùm Johannem: Non poteſt homo à ſe facere aliquid niſi datum illi fuerit de ſuper. Item apoſtolus Paulus ad Corinthios: Fiduciam autem talem, inquit, habemus per Chriſtum ad Deum, non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti, non litterâ, ſed ſpiritu. Littera enim occidit, ſpiritus autem vivificat.

Pſal.27.7. — *Johan.15.5.* — *Johan.3.27.* — *2.Cor.3.4.*

Ita ergo & illud eſt quod dicit Apoſtolus: Si quis ergo mundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino ad omne bonum opus paratum. Cùm enim deliquerit jam redemtus per gratiam baptiſmi propria voluntate, & in peccatis ſuis permanens ex hoc migraverit mundo, efficitur vas ligneum, quod facilè devoretur ab igne gehennæ; aut certè fictile, quod comminui poſſit virgâ rectâ, virgâ regni Chriſti, id eſt, judicio æquitatis ejus; quem, ſicut dicit Apoſtolus, benignitas Dei ſalvandum ad pænitentiam adduxerit: ſecundùm quod iterum ad Timotheum dicit, Ne fortè det illis Deus pænitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem: & cibaverit eum pane lacrymarum, potumque dederit ei in lacrymis & menſura. Mundat ſe ab hujuſmodi vaſis: quia cum Dei miſericordia ſe præveniente agit & ipſe ſatis per liberum arbitrium ut mundetur. Sola autem voluntate ſua ſi præſumat, mundari non poteſt: immo nec ex corde [f] pænitere compellitur: quia Petrum niſi Dominus reſpexiſſet, numquam pænitentiâ motus amarè fleviſſet. Pænitentia ergo res eſt optima & perfecta, quæ defectos revocat ad perfectum. Sed omne datum optimum, Jacobus inquit apoſtolus, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt commutatio, nec momenti obumbratio. Oportet ergo ea orare pænitentem, quæ ad ejus mundationem expediunt. Quod ut faciat, unde ſit audi. Similiter autem, ait Paulus apoſtolus, & Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram. Nam quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis, id eſt, poſtulare nos facit, gemitibus inenarrabilibus.

2.Tim.2.21. — *2.Tim.2.25.* — *Pſal.79.6.* — *Matth.26.75.* — *Luc.22.61. & 62.* — *Jac.1.17.* — *Rom.8.26.*

CAPUT X.

EST igitur liberum arbitrium, quod quiſquis eſſe negaverit, catholicus non eſt: & quiſquis ſic eſſe dixerit, quòd ſine Deo bonum opus, id eſt, quod ad ejus ſanctum propoſitum pertinet, nec incipere, nec perficere poſſit, catholicus eſt. Quibus enim dicitur in Pſalmis niſi liberum arbitrium habentibus, Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos? Item à Domino in Evangelio diſcipulis, Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea. Et iterum, Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego mando vobis. Et ab Apoſtolo Corinthiis, Hoc enim vobis utile eſt, qui non ſolùm facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore; nunc verò & facto perficite, ut quemadmodum promtus eſt animus voluntatis, ita & perficiendi ſit. Et multa alia, quæ tam in veteri quàm in novo teſtamento continentur: quæ nimis, propter faſtidium lectionis, longum eſt enar-

Pſal.33.12. — *Matth.7.24.* — *Johan.15.14.* — *2.Cor.8.10.*

a In MSS. *cœperit.*
b Apud Lov. *boni:* minùs bene.
c Sic MSS. At Am. & Er. *ad curam.* Lov. *ad cohortem:* mendosè.
d Editi, *atque in tenebris.* MSS. non habent, *atque in.*
e Hic ex MSS. additur, *fidelis.*
f In MSS. *pæniteri.*

rare. Quomodo autem unicuique secundùm sua opera redderetur in die judicii, nisi liberum esset arbitrium? Et ideo non est personarum acceptio apud Deum. Quicumque enim » sine lege peccaverunt, sine lege & peribunt; & quicum» que in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. In omni itaque opere sancto prior est voluntas Dei, posterior liberi arbitrii: id est, operatur Deus, cooperatur homo. Quòd si dicas, ut dicere consuesti, *Quia ego prior volui; Deus voluit*: jam meritum facis, ut gratia ex operibus jam non sit gratia, sed merces. Hoc loco redarguit te Apostolus, dicens, Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Gratia igitur donatur, non redditur; quia si redderetur quasi ex debito, non ab Apostolo, non ex operibus, sed ex operibus diceretur.

Caput XI.

OMNIS ergo Christianus, cui jam donatum est posse per gratiam ut Dei faciat voluntatem, abundare debet in operibus bonis: quia labor ejus non erit inanis in Domino: sic tamen ut non in se, sed semper in Domino glorietur; cujus, ut dixi, gratiâ eruditur abnegare impietatem & sæcularia desideria, ut sobriè, justè & piè vivere possit in hoc sæculo, sicut dicit Apostolus scribens ad Titum: Apparuit enim gratia Dei nostri salvatoris omnibus homi» nibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcula» ria desideria, sobriè & justè & piè vivamus in hoc sæculo, » exspectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, » salvatoris nostri Jesu Christi. Nemo sit segnis & remissus ad serviendum Deo, nec sic de gratia confidat, tamquam Deus liberi arbitrii ejus, quod per mortem Filii sui reparavit & sibi præparavit, opera non requirat: immo declinet à malo, & faciat bonum. Vigilet, quærat, petat, pulset, contendat vincere sæculum, Deo placere, sic ut dum per mundi pelagus currit, quemadmodum sæpenumero dictum est, ancoram gratiæ cervicibus [a] revinctam fiduciâ liberi arbitrii non solvat. Quia sive in prospero cursu ne extollatur, sive in tempestate tentationum ne mergatur, ejus gubernaculo, quoad usque ad portum paradisi perveniat, [b] poterit permanere securus: ut cùm impleverit cursum, fidenter dicat cum apostolo Paulo, Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Hæc enim ille cùm diceret, non in se, sed in Domino gloriabatur. Ipse enim dixit, Ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Quomodo enim potuit bonum certamen certare, cursum consummare, fidem servare, antè jam dixerat: Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Amputavit autem omnem humanam gloriam, & dedit soli Deo gloriam, cùm iterum dicit, Ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos. Et iterum, Gratia autem Dei sum id quod sum.

Rectè namque arbitror comparari liberum arbitrium jumento, unde & dictum est, Velut jumentum factus sum apud te: gratiam verò sessori. Quia sicut jumentum animal vivacissimum, ut dometur ad opus homini necessarium, de armento vagum apprehenditur, & incipit per curam domantis se ad ejus proficere voluntatem: ita & liberum arbitrium, quod vulneratum vivit in homine, gratiâ Dei apprehenditur de armento [c] & luxurie sæculi, in quo pastore diabolo vagabatur per incongruas [d] voluptates. Pastorem diabolum dixi secundùm Zachariam prophetam, de eo dicentem: O pastor & idolum! Apprehenditur ergo gratiâ, ut dixi, domandum liberum arbitrium, ut & malæ conversationis deposita feritate humilietur, & ut ad obediendum in opus Domino necessarium corrigatur: & ita per ejus semper curam incipit ad Dei proficere voluntatem. Sicut enim jumentum illud dum in via dirigitur, sessoris manu regitur, ut iter rectum sive [e] leniter seu cursim, secundùm sedentis in se voluntatem possit incedere, quoad usque ad locum perveniat destinatum: ita & liberum arbitrium, dum in via, id est, Christo, (quia ipse ait, Ego sum via, veritas & vita,) esse cœperit, gratiæ regimine regitur, ut in semitis Domini recto corde, sive patientia caritatis, sive [f] fervente spiritu, id est, secundùm divisiones gratiarum Spiritûs, qui per gratiam dividit singulis prout vult, possit ambulare quo ad usque ad promissum regnum cælorum perveniat. Ideo & in Psalmis ait, Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Et ut *Psal. 142. 10.*
illud, cùm aliquotiens sub sessore pastum largioribus cibariis incumbens freno, cursu extollitur, sessoris flagello cæditur, ut secundùm ejus ambulet voluntatem: similiter & liberum arbitrium, dum [g] homo gratiæ Dei immemor in prosperis efficitur, & tamquam de sui possibilitate gloriatus extollitur, ejus flagello corripitur, cùm in variis tribulationibus & afflictionibus paululùm subjugatur: ut humiliatus homo in sua [h] infirmitate ad gratiæ recurrat auxilium. Sicut ergo homo sedens in jumento, cùm peregerit iter quod incessit, dicit, Feci hodie, ut puta, triginta milliaria: cùm illo sedente, jumentum cucurrerit triginta milliaria; sed non ea cucurrisset, nisi à sessore tam directum in via, quàm gubernatum fuisset. Rectè ergo sessor quem [i] gratiæ figuravi, dicit, Feci triginta milliaria. Ipse enim fecit, qui jumentum facere fecit; & tamen utrisque labor itineris imputatur: ita & gratia & liberum arbitrium, peragit sine dubio iter fidei liberum arbitrium dum Dei Christianus facit præcepta, sed non, ut suprà dixi, sine gratia dirigente vel gubernante: propter quod dicit in Psalmis, Dirige in conspectu tuo viam meam: &, A Do- *Psal. 5. 9.*
mino gressus hominis diriguntur. Itaque nec gratia sine li- *Psal. 36. 23.*
bero arbitrio facit hominem habere beatam vitam, nec liberum arbitrium sine gratia. Et tamen parvulos sine usu liberi arbitrii facit gratia habere beatam vitam. Eos autem qui jam rationis capaces sunt prævenit atque docet, ut bonum velint & possint. Scriptum est enim in Actibus Apostolorum, Et aperuit Deus cor Lydiæ purpurariæ, ut au- *Act. 16. 14.*
diret ea quæ dicebantur à Paulo. Item in Evangelio post resurrectionem de duobus euntibus in via: Tunc illis, in- *Luc. 24. 45.*
quit, aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas. Et in Psalmis, Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege *Psal. 93. 12.*
tua docueris eum. Et in propheta Ezechiele Dominus, Et *Ezech. 36. 27.*
faciam, ait, ut faciatis voluntatem meam, & in præceptis meis ambuletis.

Caput XII.

DONO autem gratiæ Dei Patris, & Christi ejus, sanctique Spiritûs, justos qui fuerunt ante legem, vel sub lege, tam electos quàm gubernatos fuisse, ex multis testimoniis accipe pauca. In libro Genesis: Noë autem, ait, *Gen. 6. 8. & 9.*
invenit gratiam ante Dominum Deum. Statimque sequitur: Noë homo justus & consummatus erat in genere suo, & placuit Deo. Nota igitur, post inventam gratiam, Deo donante, justum & consummatum dictum esse & placuisse Deo, non ante gratiam. [k] Salvandum ergo per electionem gratiæ assumsit eum à consortio iniquorum, quibus justè iratus inducturus erat diluvium Deus; non actu meritorum, cùm in Adæ prævaricatione natus sit reus. Aqua enim diluvii baptismus illi fuit, & arca Ecclesia. Non solùm autem illi, sed & uxori ejus & filiis & [l] nuribus secum in reparationem hominum conservatis. [m] Liquet ergo hanc illi salutis fuisse fidem per gratiam habenti præputium, quæ nunc est per Christum in præputio gentium. Quia & ille & nos gratiâ salvi facti sumus, ut dicit Apostolus, *Ephes. 2. 8.*
non ex operibus, ne quis glorietur.

Item illic Dominus ad Abraham, Noli timere Abra- *Gen. 15. 1.*
ham, ego protegam te, & merces tua magna erit nimis. Protegam te, gratiâ utique meâ, qua priùs quàm me invocares, vocavi te ut exires de terra & cognatione tua, & *Gen. 12. 1.*
invocares me. Ideo & ipse Abraham ad Dominum, cùm ei apparuisset ad ilicem Mambre, Domine, ait, si inveni gra- *Gen. 18. 1. & 3.*
tiam ante te, ne transeas puerum tuum, &c. Per gratiam ergo quæ non est ex operibus, dictum est ei, Merces tua magna erit nimis: quia nemo prior dedit Deo, & retri- *Rom. 11. 35.*
buetur ei. Quod confirmat Apostolus dicens, Quid ergo di- *Rom. 4. 1.*
» cemus invenisse Abraham patrem nostrum secundùm car» nem? Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.

Item in Genesi de Joseph cùm venditus esset [n] Phutiphar spadoni, Vidit autem dominus ejus, inquit, quòd *Gen. 39. 1. & seq.*
esset Dominus cum eo, & quia quæcumque faciebat, Do-

[a] Am. Er. & aliquot MSS. *revectam fiduciâ.* Alii MSS. *revinctam:* & omittunt, *fiduciâ.*
[b] Nonnulli MSS. cum Am. & Er. *non poterit permanere.*
[c] Sic MSS. At editi, *de armento luxuriæ sæculi.*
[d] Editi, *voluntates:* dissentientibus MSS.
[e] MSS. *sive leviter, seu cursu, id est secundùm,* &c.
[f] In MSS. *seu fervens spiritu.*

[g] Aliquot MSS. *dum donorum gratiæ Dei.*
[h] Am. Er. & MSS. *in sua humilitate.*
[i] Sic MSS. Editi, *quem gratia figurat.*
[k] MSS. *Salvator ergo.*
[l] Sic MSS. At editi, *& mulieribus.*
[m] Editi, *Licèt hanc:* omisso *ergo.* Castigantur ex MSS.
[n] Antiquiores codices, *Putifreti spadoni.*

minus prosperabat in manibus ejus, & invenit Joseph gra-
tiam ante dominum suum. Non ex se habuit, sed inve-
nit, Domino utique donante, qui erat cum eo, & pro-
sperabat opera ejus, & somniorum interpretationem ei do-
Gen. 39. 21. naverat. Item cùm missus esset in carcerem, Et erat, ait,
„ Dominus cum Joseph, & perfudit eum misericordiâ, &
„ dedit ei gratiam ante principem carceris. De qua gratia
non in se gloriabatur, sed in Domino, cujus donum esse
sciebat, cùm dicit Pharaoni de interpretando somnio ejus,
Gen. 41. 16. Sine Deo non respondebitur salutare Pharaoni. Item in
Exod. 12. 36. Exodo, Dominus autem, ait, dedit gratiam populo co-
ram Ægyptiis, & accommodaverunt illis, & prædati sunt
Ægyptios. Quomodo enim eis dedissent, quos odio habe-
bant, vasa sua aurea & argentea, vel vestem, nisi donum
gratiæ fuisset.

Exod. 33. 12. Item in eodem libro Moyses ad Dominum, Ecce tu mi-
„ hi dicis, inquit, Deduc populum hunc, tu autem non
„ demonstrasti mihi quem simul dimittas mecum: & dixisti
„ mihi, Scio te præ omnibus, & gratiam habes apud me:
„ nunc ergo si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mi-
„ hi temetipsum manifestè ut videam te, ut sim inveniens
„ gratiam ante te, ut sciam quia populus tuus & gens hæc
„ habeat gratiam apud Deum. Sed ex Deo, non ex se. De-
nique cùm dicit, Si inveni gratiam in conspectu tuo, in-
venisse se, non habuisse gloriatur. Et cùm dicit, Osten-
de mihi temetipsum manifestè ut videam te, ut sim inve-
niens gratiam ante te: quid aliud indicat, nisi ut dum te
videro manifestè, cognoscam non mei fuisse meriti, sed
dono gratiæ tuæ? Ideo & ait, ut sim inveniens gratiam
Ibid. 15. ante te. Item post pusillum ait ad Dominum, Nisi ipse ex-
„ eas nobiscum, ne me educas hinc; & quomodo scietur ve-
„ rè, quia inveni gratiam apud te ego & populus tuus, nisi
„ tu pariter nobiscum fueris, & gloriabimur ego & populus
a „ tuus præ omnibus gentibus quæ sunt super terram? [a] Glo-
riabimur, quomodo? Non in nobis, sed in te, à quo ac-
Ibid. 17. cepimus gratiam gloriandi. Item Dominus ad Moysen, Et
„ hoc verbum tibi quod dixisti faciam; invenisti enim gra-
„ tiam in conspectu meo, & scio te præ omnibus. Sed ideo
faciam, quia miserante me invenisti gratiam meam, non
ex Adam peccante natus habuisti tuam. Nam & cùm di-
Josue. 1. 5. cit Dominus Jesu filio Nave, Sicut eram cum Moyse, sic
„ ero & tecum, & non derelinquam te, neque despiciam te:
quid aliud dicit, nisi ut ait Moysi, Invenisti gratiam in
conspectu meo, & scio te præ omnibus? Non enim Moy-
si locum accepisset, nisi ut ille ante Deum gratiam inve-
nisset.

Judic. 6. 16. Item in libro Judicum: Et dixit Angelus Domini ad
„ Gedeon, Quoniam Dominus erit tecum, & percuties Ma-
„ dian tamquam virum unum. Et dixit ad eum Gedeon, Si
„ inveni gratiam ante oculos tuos, & facies secundùm ea
„ quæ loqueris mihi, &c. Id est, quoniam me idoneum non
agnosco implere quæ promittis, & vidisse te, non fuit me-
ritorum meorum, nisi esset donum Dei. Ideo & ait, Si
inveni gratiam ante oculos tuos. Dono enim Dei eum vi-
disse Angelum, vox divina confirmat, cùm paventem &
Ibid. 23. trementem consolatur dicens, Pax tibi sit, ne timeas, non
morieris: id est, ut videres Angelum, gratiæ meæ fuit;
quapropter in pace vives, & facies quæ tibi annuntiavit.
2. Reg. 15. 25. Item in Regnorum libro secundo, Et dixit rex David ad
„ Sadoch sacerdotem, Circumage arcam Domini in civita-
„ tem: si invenero gratiam ante Dominum, reducet me, &
„ videbo eam & decorem ejus: id est, Non enim confido in
virtute mea liberari me, sed in gratia Dei, quam donare
in ejus est potestate. Ideo & ait, Si invenero gratiam an-
Psal. 83. 12. te Dominum: quod confirmat in Psalmis ipse dicens, Glo-
riam & gratiam dabit Dominus.

b Quid enim evidentius de [b] gratia & operibus dici po-
tuit, vel probari, quàm quod dictum est Jeremiæ prophetæ?
Aut si nomen ejus in eodem loco tacuit, numquid non
gratiâ suâ gratuitâ hoc operatus est Deus in illo, cùm ei
Jerem. 1. 5. dicit, Priùs quàm te formarem in utero, novi te, & priùs
quàm exires de vulva, sanctificavi te, & prophetam in
c gentibus posui te? Planè [c] manifestat gratiæ donum, &
non ex operibus. Quæ enim ejus erant opera necdum for-
mati in utero, necdum nati ex utero? Igitur non ex ope-

A ribus, sed ex vocante dictum est ei, Priùs quàm te for-
marem in utero novi te, & priùs quàm exires de vulva
sanctificavi te, & prophetam in gentibus posui te. Ecce
verè non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.
Item in Jeremia, Et det, ait, Dominus virtutem nobis, & Baruch. 1. 12.
illuminet oculos nostros, & vivamus sub umbra Nabu-
chodonosor regis Babylonis, & sub umbra Balthasar filii
ejus, & serviamus eis multis diebus, & inveniamus gra-
tiam in conspectu eorum. Quia peccatis scilicet nostris,
quibus traditi sumus in manus eorum, requiem invenire d
non meremur, [d] donet gratiam per quam possimus. Ideo Baruch. 2. 14.
B item subsequens dicit, Exaudi Domine orationem nostram
& deprecationem nostram, & eripe nos propter te, & da
nobis gratiam ante faciem eorum qui nos abduxerunt. Eri-
pe nos, ait, propter te, & da nobis gratiam: id est, quia
potestas & misericordia tibi est, & justè humiliasti nos, ob
hoc gratiam ut dones petimus, propter te, non propter
nos, quos in captivitatem malis præcedentibus meritis tra-
didisti.

Item in Salomone: Labia, inquit, justorum distillant Prov. 10. 32. juxta LXX.
gratiam: hoc est, dono gratiæ grata & justa loquuntur.
Non enim distillarent gratiam, nisi fonte gratiæ rigaren- Prov. 12. 1.
C tur. Item illic, Qui diligit disciplinam, diligit sensum: qui
autem odit increpationes, insipiens est: melior qui invenit
gratiam ante Dominum. Quia videlicet diligere discipli-
nam, & obedire increpanti se propter Dominum, per se
solum non potest, nisi dono gratiæ fuerit eruditus. Ideo
iterum ipse dicit, Cor viri cogitat recta, ut à Deo corri- Prov. 16. 9.
gantur gressus ejus. Cogitat enim jam recta, qui invenit
gratiam ante Dominum: & corrigit gressus ejus Dominus,
cùm in eo & non in se confidens dicit, Perfice gressus meos Psal. 16. 5.
in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. Item in
libro Sapientiæ: Quoniam gratia Dei est, ait, in sanctis Sap. 4. 15.
D illius. Ecce generaliter dictum, neminem sanctorum sine
gratia Dei fuisse vel esse: sed ut in eis sit ad confirmandos
eos, acceperunt gratis per fidem quæ à Deo est, non ha-
buerunt ante fidem. Quia, ut ait David, Pro nihilo salvos Psal. 55. 8.
facies eos.

Item in libro Tobiæ: Ego autem, ait, custodivi animam Tob. 1. 11.
meam, ne manducarem de escis eorum. Et quoniam me-
mor etiam Dei in toto corde meo, dedit mihi summus
Deus gratiam penes Salmanasar regem, & emebam illi
omnia, iens in regionem Mediam, usque dum mortuus est.
Quod verò præposuit dicens: Quoniam memor eram Dei
E in toto corde meo: ne proprium esse videretur, & non do-
num, quòd memor esset Dei, continuò subjungens ait,
Dedit mihi summus Deus gratiam: ut confirmaret, ejus
dono, non meritis se Dei memorem fuisse, & locum dile- Prov. 8. 35. juxta LXX.
ctionis ante regem Salmanasar invenisse. Præparatur enim Jacob. 1. 17.
voluntas à Domino, à quo omne datum optimum, & om- Rom. 3. 19.
ne donum perfectum est, ut omne os obstruatur & subdi-
tus fiat omnis mundus Deo; quia ex operibus non justifi-
cabitur omnis caro coram illo: quia justitia Dei præventu Ibid. 22.
misericordiæ per fidem Jesu Christi apparuit super omnes
qui crediderunt. Ideo & subjungens, inquit idem Aposto- Ibid. 24.
F lus, Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemtionem
quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatio-
nem per fidem in sanguine ipsius, &c. Ecce audisti, Justi-
ficati gratis per gratiam Dei. Noli ei præponere opera
propria, nec ex eisdem gloriari, quia, ut jam superiùs di- Ibid. 20.
ctum est, Ex operibus non justificabitur omnis caro coram
illo.

Ergo, inquies, *damnas opera liberi arbitrii bona, quia dicis* CAPUT XIII. Quæ opera rejiciantur à justificatione.
justitiam ex operibus non deberi. Si ita est, cur nobis præcipitur
ab Apostolo, abundare in operibus bonis, quia labor noster non 1. Cor. 15. 58.
erit inanis in Domino? Audi hæretice stulte, & inimice fi-
G dei veritatis. Opera liberi arbitrii bona, quæ ut fiant præ-
parantur per gratiæ præventum, nullis liberi arbitrii meri-
tis, sed ipsa faciente, gubernante & perficiente ut abundent
in libero arbitrio, non damnamus; quia ex his vel hujus-
modi homines Dei justificati sunt, justificantur, justifica-
buntur in Christo. Damnamus verò auctoritate divinâ ope-
ra liberi arbitrii, quæ gratiæ præponuntur, & ex his tam- e
quam meritis, in Christo [e] justificari extolluntur. Quis Rom. 11. 35.
enim prior dedit ei, & retribuetur illi? Paulus hoc dicit,

a Editi, *Quoniam non in nobis:* omisso *Gloriabimur.* Castigantur ex MSS.
b Am. Er. & MSS. *de gratiæ operibus.*
c MSS. *manifeste*, vel *manifesta.* Am. & Er. *manifestum.*

d Sic nonnulli MSS. Quidam alii, *donec gratiam accipiamus per quam possimus.* At editi, *donec inveniamus gratiam, per quam possimus veniam accipere.*
e Apud Lov. tantùm, *justificati extolluntur.*

non

non à se, sed in se Christo loquente. Pelagius non credit. Dic hæretice, cui est dicendum anathema? Immo dicat (Gal. 1. 8.) Paulus ore suo, proferente Christo sententiam: Sed licèt nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præter quàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. Ille in Spiritu Dei (Rom. 11. 35.) dicit extollentibus se de se, Quis prior dedit illi, & retribuetur illi? (Rom. 8. 7.) Tu in sapientia carnis, quæ inimica est in Deum, respondes, Ego prior dedi Deo, & retribuit mihi. Quid deinde restat ut audias, nisi anathema?

Sed clamas iterum, & dicis, *Si nullum est meritum operantis, quomodo scriptum est, Et tu reddes singulis secundùm opera sua?* (Matth. 16. 27. Rom. 2. 6.) Ausculta, & intellige; si tamen aures habeas audiendi, & cor non sit induratum intelligendi. Propter liberum arbitrium quo bona & mala operantur homines, dictum est, unicuique reddi secundùm opera sua. Habet enim homo malum meritum, cùm vitio suo jam baptizatus declinat à bono & facit malum: id est, cùm relinquit Deum, (2. Tim. 4. 9.) & diligit sæculum, sicut fecisse Demam & Hermogenem testatur Apostolus: vel cùm etiam quis [a] in toto spem habens in vanis simulacris, Deum verum cognoscere non vult; quem [b] in hoc sæculo habet potestatem, si velit, summus Deus, tam per indebitam gratiam qua justificat impium, salvare, quàm etiam cùm se avertit, judicio justo traditum in reprobum sensum, futuro gehennæ supplicio reservare, ut secundùm opera sua reddat ei. Habet nihilo minùs & bonum meritum, cùm in omnibus gratiæ Dei bona in se operanti non resistit, sed cooperator exsistit, & omnem spem suam habet in illam; cùm autem suam & cor Deo loquenti intus, hoc est, in interiore homine præbet, & non foris in [c] malo sæculo perstrepenti, quod meritum non habet propter præsentem vitam, tamquam in præsenti sæculo recepturus; sed propter futuram veram vitam, (1. Cor. 15. 19.) quæ erit in sæcula sæculorum: quia si in hac vita tantùm in Christo speramus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. (Rom. 8. 24.) Spes enim quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus. Quapropter de meritis Christianus extolli in hoc sæculo non debet, quia nemo in hac vita positus, gloriabitur purum se habere cor, nec quisquam dicit se esse sine peccato. In præsenti namque labor indictus est, ut fiant merita per auxilium gratiæ, non præmissorum redditio meritorum. Ideo & Apostolus, (Philipp. 3. 12.) Non quòd jam, inquit, acceperim, aut jam perfectus sim; sequor autem si comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Jesu, & cetera. Quidquid ergo homo in præsenti fuerit consecutus, donum est, non meritum. (1. Cor. 15. 53.) Cùm autem corruptibile hoc induerit incorruptelam, & mortale hoc induerit immortalitatem, ubi jam nulla erit malorum cupiditas, sed perfecta justitia, ut sit Deus omnia in omnibus; tunc meritum reddetur justis secundùm opera sua, quorum per totam sæculi vitam meritum omne fuit gratia, ut gaudentes jam, meritò dicant animæ suæ, (Psal. 102. 1.) Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomen sanctum ejus. Benedic anima mea Dominum, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miseratione & misericordia. Audis Pelagiane, in miseratione & misericordia; & cæcus extolleris pro meritis solarum [d] virium tuarum te coronandum? Intellige miseratione & misericordiâ Dei, non [e] inflatione meritorum, animam coronari.

CAPUT XIV.

OMNES igitur sancti Dei, quos superiùs memoravi, vel non memoravi, qui ante adventum fuere incarnationis Domini nostri Jesu Christi, fide non alia nisi quæ nunc est, salvi facti sunt. (Hebr. 11. 3.) Quia cùm diceret Apostolus in epistola ad Hebræos, Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Fide

A Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus; ante translationem enim testimonium habebat placuisse Deo. Sine fide autem, ait, impossibile placere Deo. Sic & de ceteris, quos [f] lectionis ordo commemorat. Sed non sola fide, immo & gratiâ, quæ nunc per Christum donata est: quia nec fides sine gratia, nec gratia sine fide: dicente Apostolo ad Timotheum, Superabundavit autem gratia Domini nostri cum (1. Tim. 1. 14.) fide & dilectione quæ est in Christo Jesu. Nam eamdem, ut dixi, esse fidem quæ salutem contulit in cognoscendum Deum, & illis & nobis, apertissimè demonstrat Apostolus, scribens ad Galatas: Priùs autem, ait, quàm veniret fides, (Gal. 3. 23.) B sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat. In eam utique, quæ semper temporibus tacitis erat in Dei servis per Dei Verbum, & revelanda erat in gentibus per incarnatum idem Verbum: quia, ut ait iterum Apostolus ad Hebræos, Jesus Christus herì & hodie, (Heb. 13. 8.) ipse & in sæcula. Tempora itaque mutata sunt, non fides.

Justificatio ergo per fidem Jesu Christi data est, datur, dabitur credentibus. Quæ fides donum est, sicut & gratia, non merces: quia, ut superiùs commemoravi dixisse Apostolum, Superabundavit gratia Domini nostri Jesu Christi (1. Tim. 1. 14.) cum fide. In quo enim nostrûm fides priùs quàm veniret C erat, quæ, sicut dixit Apostolus, revelanda erat? Nemo penitus glorietur, fidem se ex proprio sensu genuisse in se, per quam credere posset Deo; sed agnoscat, tam ante legem quàm sub lege & post legem, fidem quæ est in Jesu Christo, per illuminationem gratiæ, quæ à Deo Patre est, unicuique revelatam ad salutem: quòd apertissimè in Evangelio Dominus noster & Salvator ostendit, ubi dicit discipulis suis, Quem me esse dicunt homines filium hominis? (Matth. 16. 13.) & cetera. Vos autem, inquit, quem me esse dicitis? Respondens Petrus ait, Tu es Christus filius Dei vivi. Et Dominus, Beatus es Simon Bar-Jona, quia non caro & sanguis revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est? Ecce D clarum fidei donum. An non est donum, cùm dicitur, Quia non caro & sanguis revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est? Item apostolus Paulus ad Galatas, Cùm (Gal. 1. 15.) autem placuit, ait, ei qui me segregavit de utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem eum in gentibus. Cognoverat quippe in Evangelio quid Petro responderit Dominus se confitenti: ideo & dixit, Cùm autem placuit ei qui me segregavit de utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me: tamquam diceret, Non caro & sanguis mihi Dei Filium revelavit, sed E Pater qui in cælis est: ideo non dixit, Cùm voluissem ego; sed, Cùm placuit ei qui me segregavit de utero matris meæ; & vocavit, non per meritum meum, sed per gratiam suam: unde & iterum dicit in alia epistola, Misericordiam consecutus sum, ut essem fidelis. (1. Cor. 7. 25.) Item ad Ephesios, ubi dicit, Hujus rei gratiâ ego Paulus vinctus Christi Jesu pro vobis (Ephes. 3. 1.) gentibus: & inter cetera sequentia, Per Evangelium, ait, (Ibid. 7.) cujus factus sum minister secundùm donum gratiæ Dei, quæ data est mihi. Audi & crede Pelagiane, secundùm donum gratiæ unumquemque fidelem esse, non secundùm meritum propriæ voluntatis.

CAPUT XV.

F SED ais mihi, quia oculis hæretico dolore turbatis intendere lumen non potes veritatis: *Ergo nullum est prorsus meritum propriæ voluntatis, si discernas inter voluntatem & gratiam?* Audi ergo breviter: Propriæ voluntatis tunc est meritum bonum, quando gratiæ donum præcedit uniuscujusque voluntatem, & operatur ut meritum faciat homo per propriam voluntatem. Ut evidentiùs ergo cognoscas donum esse gratiam & fidem, quæ perditum hominem revocant ad salutem, audi Apostolum Ephesiis prædicantem, Gratiâ salvati estis per fidem: & hoc non ex vobis; Dei (Ephes. 2. 8.) donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Omnes igitur qui fuere, vel sumus, & futuri sunt, per [g] unicam G fidem & gratiam quæ est in Christo Jesu, in Deum crediderunt, credimus, & credituri sunt, salutem receperunt, recepimus, & recepturi sunt. Sine Christo enim nemo hominum poterit in Deum credere vel adipisci salutem: sicut

a Lov. *quis totam spem habens.*
b Editi, *quem cognoscendi in hoc sæculo habet potestatem.* Abest *cognoscendi* à MSS. ut pronomen *quem* de homine interpretemur: de Deo autem, *habet potestatem*, ipsum nempe hominem sive per indebitam gratiam salvare, sive judicio justo gehennæ reservare.
c Editi, *in malis sæculo perstrepenti.*
d Quidam MSS. *virtutum tuarum.*
e Editi, *non in factione meritorum.* Emendantur ex MSS.
f Editi, *electionis ordo*: malè ac dissentientibus MSS.
g Veteres MSS. *per unitam fidem.* Quidam tamen cum Am. & Er. *per unitatem fidei.*

dicit in Actibus apostolorum Petrus apostolus de Christo, increpans infidelium insaniam Judæorum, Hic est lapis qui » reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in ca- » put anguli, & non est in alio aliquo salus: Nec enim no- » men aliud est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat » nos salvos fieri. Quamobrem & apostolus Paulus scribens Corinthiis, id est ostendens [a] eadem fide, iisdem sacramentis, quibus & nos, patres nostros omnes fuisse redemtos, dicit: Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam » patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare » transierunt, & omnes in [b] Moyse, hoc est, per Moysen ba- » ptizati sunt in nube & in mari, & omnes eamdem escam » spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiri- » talem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente » eos petra; petra autem erat Christus. Item ad Corinthios secundâ: Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur. Omnem verò amputavit imperitorum suspicionem ancipitem, & nostram definitionem nullo hæreticorum ariete quassandam muro vallavit, cùm scribit Ephesiis: Unum corpus & unus spiritus, » sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Do- » minus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater om- » nium, qui super omnes & per omnia & in omnibus nobis. Item illic post pusillum: Donec occurramus, ait, omnes » in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfe- » ctum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Nota dictum hæretice, omnes, & in unitatem fidei: sed fidei quæ est in Christo Jesu, quæ cum gratia, ut superiùs probavimus, gratis, non meritis à Deo Patre ad salutem omnibus credentibus est tributa. Hæc magisterio gratiæ, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, de gratia & libero arbitrio dicta sufficiant. Immo gratias Deo, qui quantum voluit donando, quod voluit fari permisit; & ubi voluit tacendum, linguæ terminum posuit.

Act. 4. 11. — 1. Cor. 10. 1. — 2. Cor. 4. 13. — Psal. 115. 1. — Ephes. 4. 4. — Ibid. 13.

HYPOGNOSTICΩN LIBER IV.

Contra quartum dogma Pelagianorum.

CAPUT I.

ITEM aiunt, *Libidinem in homine naturale esse bonum, nec in ea esse quod pudeat.* Respondemus: Libido non est naturale bonum in hominibus, sed per peccatum primorum hominum accidens malum, atque pudendum: cujus non Deus auctor est, sed diabolus. Quod vos errantes, & alios in errorem mittentes, ideo naturale bonum esse dicitis, quia Deum pestis hujus auctorem creditis, non diabolum. Omne enim, quod naturâ bonum est, Deus summè bonus ex nihilo fecit, non diabolus. Nos autem libidinem non naturale bonum, sed naturale esse malum dicimus credimusque. Naturale autem malum sic dicimus, non quia sit naturæ Deo opifice congenitum, sed quòd à peccante natura transierit in peccatricem naturam, id est, quòd sit naturæ peccantis vitium, non ipsa natura. Omne enim malum natura non est, sed actus accidens defectu boni. Quamobrem quod natura non est, Deus non fecit, quia natura est omne quod fecit. Hoc ergo malo in Adam, qui malè bonum illicitum concupivit, ut dixi, humana natura est vitiata, quod omnis trahit ex semine natus. Sed forsitan quæris à me dicens, *Quemadmodum potuit malum serpentis, hoc est diaboli, in bonum hominis transire natura?* Ausculta: Serpentis nonnumquam venenato flatu hominem & mori novimus statim, & ut mori possit graviter perurgeri. Quapropter interrogo, responde, quomodò potest alienæ naturæ virus flatile humanæ sic prævalere naturæ, ut omnes artus ejus flatu mortifero [c] farciat, ut vitalem flatum ex ea cogat exire? Sed novi, quia nihil dicturus eris. Peccato enim protoplasti non credis miseram factam esse humanam naturam & mortalem, unde potest qualibet accidente infirmitate facilè deprimi vel occidi. Audi ergo: Sicut nunc in peccatore serpentis flatu pestifero venenum infligitur, & per illud mori compellitur, & à Marso, id est, incantatore inspectus afflatitius dicitur; quia serpens illum, **A** inquit, afflavit; & statim pro salute ejus parat antidotum, quo possit venenum superare: ita tunc in peccante Adam, cùm serpenti, hoc est diabolo magis suadenti, quàm Deo præmonenti ne faceret, sese incautus [d] præbuisset, avertente se ab illo irato Deo, fraudifero flatu venenosa & mortifera libido [e] inflicta est, tanto eum deinceps opprimens dominatu, ut etiam peccare nolentem, sicut venenum trahit ad mortem, peccare, id est, malum velle, incitaret invitum. Hinc peccator, hinc vitiatus vitiosusque factus & dictus est: hinc privationem meruit vitæ. Contra hoc venenatum malum ne prævaleat, misericordia inspiciente **B** [f] Dei, remedium, id est, antidotum, per Jesum Christum donata est gratia, ne omnis homo penitus interiret. Quod si credere non vis, quæso ut dicas, quomodo potest molli sibilo serpens venenum, ut perimat, homini propinare, quod contingere hominum nullus ignorat? Sed quantumlibet tergiverseris, intercedente peccato [g] sub diaboli serpentis malo natura humana potuit captivari, sicut serpentis terreni potest flatili veneno exanimari: quia sic illud potuisse transire credimus, sicut istud posse fieri cognoscimus & videmus; quod penitus nec illic potuisset, nec hîc, si natura nostra inculpabilis permansisset.

CAPUT II.

C QUÆRENDUM est igitur, cur hoc malum, de quo agitur, libido dicatur. Sine dubio à libendo, id est, à libitu per derivationem libido est nuncupata. Sed ais mihi, *Ergo omne quod libet, libido est?* Respondeo, Non omne quod libet, libido est; sed omne quod malè libet, libido est. De bono enim libitu libido dici non potest, sed voluntas, ratione scilicet mentis naturalis exoriens. In malo verò libitu non voluntas est, sed voluptas, quam fecit transgrediens protoplasti voluntas: cùm scilicet illicitum malè libuit suadente serpente, cujus sibilo venenoso, ut suprà jam dixi, hunc morbum quem non habuit ante culpam ejus de- **D** linquens natura concepit, & per coitum [h] seminum transmisit in posteros. Factos enim primos homines absque libidinis malo, scriptura sancta testatur, cùm dicit, Et erant ambo nudi, Adam & mulier ejus, & non confundebantur. Quid est, non confundebantur? Id est, nullis ad peccandum, sicut contigit post peccatum, libidinis stimulis urgebantur. In voluntate enim eorum creatus erat licitus genitalium usus ad gignendos videlicet filios, non in voluptate luxuriæ: post peccatum verò hanc eisdem accidisse ipsa iterum Scriptura demonstrat, dicens, Et aperti sunt oculi eorum, & sciverunt quia nudi erant, & consuerunt folia fici, & fecerunt sibi tegumenta. Sed numquid clausis ocu- **E** lis erant creati, quia dictum est, Et aperti sunt oculi eorum? Quòd si clausi fuerunt oculi eorum, quomodo verum erit quod scriptum est, Et vidit mulier, quia « bonum est lignum ad escam, & quia optimum est « videri oculis, & speciosum ad intuendum? « Aperti ergo erant oculi eorum ad intuendum opera Domini, quæ valde bona creavit: clausi verò erant ignorantiâ mali, quod Creator bonorum omnium non creavit. Et aperti sunt, id est, scientiâ delicti pulsante, vel cùm in se viderent, quem sentirent jam nudati animæ carnisque pace motum quemdam turpissimum atque præcipitem noviter accidisse: un- **F** de confusi ad fici folia cucurrerunt, & his libidinis pudore sollicitata membra texerunt. Quòd si naturale bonum est secundùm vos ista libido, & nihil est in ea quod pudeat; quæro qua ex caussa post transgressionem naturalia membra texerunt, & non sicut ante peccatum fuerant permanserunt, quando utique nudi erant, & non confundebantur? Nihil enim Deus unde confunderetur homo, cùm eum plasmaret ad suam imaginem, in ejus forma creavit. Quòd si non secundùm fidem nostram de accidentis malo libidinis post peccatum confusi sunt, secundùm dogma vestrum Deus in eis fecit unde confunderentur: nec enim aliud dicitis, cùm turpissimæ libidinis Deum esse auctorem **G** prædicatis.

CAPUT III.

SED respondes forsitan, *Absit ut Deus fecerit* [i] *in protoplastis pudorem.* Iterum ergo, iterumque percontor: Si nihil unde pudeat, Deus fecit, & plena fide dicitur, quia penitus non fecit; & malum libidinis ex diabolo non est, quod recta fide non dicitur, quia ex ipso est: dicite, cur

Gen. 2. 25. — Genes. 3. 7.

a Sic MSS. At editi, *eamdem fidem.*
b Ebrulphensis codex juxta Græc. *in Moysen.*
c Nonnulli MSS. *infigat.*
d In MSS. *sese incautus obediens præstitisset.*
e Antiquiores cod. *inflixa est.* Idemque rursum infrà c. 5. p. 31. *inflixum est per peccatû.*

f Plures MSS. *Deo.*
g Omnes MSS. *& diaboli serpentis malo natura humana potuit captivari, & serpentis terreni potest*, &c.
h Sic MSS. At editi, *& per coitum semen transivit.*
i Hîc editi addunt, *quempiam.*

texerint genitalia membra post culpam, quæ à die institutionis suæ invicem videbant & non tegebant? Si dixeris, propter peccatum: ergo confitere & accusa malam libidinem, cujus impudentiam pudentes foliis fici texerunt. Quod si dicere nequis, apertè Deum pudoris hujus auctorem esse criminaris: quia cùm ex malo libidinis à vobis negatur confusio contigisse, Deus apertissimè hominum opifex accusatur. Sed utinam sic vos istam libidinem laudare erubesceretis, sicuti tunc illi, cùm se peccasse ejus convincente motu deprehenderent, erubuerunt. Quid verò indicant folia fici, quibus, ut dixi, non Deo auctore pudenda membra, sed per peccatum facta texerunt, nisi quemdam pruritum libidinis turpem? Immo cur illas corporis partes texerunt, & non potiùs manus quibus prohibita adtrectaverunt, aut ora quibus malè desiderata ederunt? Sed illa membra texerunt, in quibus peccati cupiditas exardescens concupiscentiam incontinentis gutturis accusabat. Ista est (Gal. 5. 17.) vestra laudabilis atque dilecta [a] libido, per quam, ut ait Apostolus, caro concupiscit adversùs spiritum: contra quam spiritus spem habens in Deo, nisi fortiter concupiscat, (1. Cor. 15. 50.) nec caro nec spiritus vitam possidebunt æternam. Sic stulti estis, ut istam discordiam carnis & spiritûs, diabolum excusantes, Deum accusantes fecisse credatis. Sed absit, absit hoc malum à catholicis sensibus, ut auctorem libidinis Deum esse, audeant cogitare vel dicere.

Caput IV.

Contra hoc venenum de gratiæ antidoto confidentes omnes sancti, castigantes corpus suum, & in servitutem redigentes, ne fortè à fide Christi reprobi efficerentur, fortiter pugnaverunt & pugnant. De hac enim congressione (1. Cor. 9. 26.) loquebatur apostolus Paulus, cùm dixit: Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aërem verberans: & tamquam è contrario responderetur ei, Quis est, vel ubi est adversarius tuus, contra quem pugnas? respondens ait, Castigo corpus meum, & in servitutem redigo: id est, in corpore meo est, non in aëre, contra quem pugno: libido est scilicet inimica vitæ meæ, quæ me currentem [b] placere Deo per ducatum gratiæ ejus, diversorum libituum malorum per momenta aculeis impugnat & provocat, quo agonis mei cursum impediens, auctorem suum diabolum faciat esse victorem. Ideo castigo corpus meum, ubi porto hostem meum: in me pugnanti contra me virtute gratiæ confortatus repugno pro me. (2. Cor. 12. 10.) Sed tunc hostis potentiam destruo, cùm castigans corpus meum infirmor in me. Cùm enim infirmor, tunc potens sum. (1. Cor. 15. 57.) Gratias autem Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Quòd si non propterea castigabat corpus suum, quò malarum concupiscentiarum appetitus vel stimulos superaret libidinis, cur hoc se facere dicebat, illo meliùs sapientes & docentes exponite. Non enim naturale esse bonum libidinem prædicaretis, si [c] castitatem intuentes, ut Paulus corpora vestra castigaretis; immo impudenti fronte lascivientes, [d] ejus motum sic procaci linguâ laudatis in publico, ut cunctis pateat quid à vobis geritur in secreto: si tamen quos laudare publicè non pudet, eligant vel secretum. Rogo erubescite, unde protoplasti, ut jam dictum est, post peccatum erubuerunt, quorum & ipsi peccatores sumus filii; & credite malum ex diabolo, non bonum ex Deo esse (Rom. 7. 23.) libidinem. Quam Apostolus legem, hoc est, malam consuetudinem nominat, & esse dicit in membris contrariam legi mentis, ne obediatur legi Dei.

Caput V.

Audite ergo quanta sit iniquitas hujus mali, quidve hinc homo patiatur infirmus, Apostolo dicente & disputante inter cetera: (Rom. 7. 7.) * Nam concupiscentiam, inquit, nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Non dixit, Concupiscentiam jam non habebam; sed, nesciebam, quid? utrùm malum esset. Habebam igitur, sed tamquam naturale bonum esse credebam: cùm autem lex diceret, Non concupisces; cognovi non naturale bonum, sed per peccatum accidens esse malum concupiscentiam. (Vers. 8.) * Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Cùm ergo sperarem, quòd viribus propriis jubente lege possem concupiscentiam vincere, majoribus magis ejus urgebar stimulis, & infirmante me, cupiditas augebatur. * Sine lege enim peccatum mortuum erat. (Ibidem.) Quod peccatum? Libido utique, quæ & concupiscentia mala dicitur. Non dixit, non erat; sed, mortuum erat: id est, cùm præceptum legis, quod est ei contrarium, adhuc non esset, in peccatore latebat, quia legis imperio demonstratum est. * Ego autem sine lege vivebam aliquando. (v. 9.) Priùs quàm scirem mandatum legis, in operibus [e] cupiditatis me vivere arbitrabar. * Sed cùm venisset mandatum, (Ibidem.) peccatum revixit, ego autem mortuus sum. Vixit enim intentione mortifera prima lege, id est, quando in paradiso captivavit Adam: revixit eadem fallacia secundâ lege, & occidit me, tamquam suum captivum, filium transgressoris: quia per legem cognitio peccati, non victoria de peccato. * Et inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. (v. 10.) Optimè dixit, Inventum est mihi: id est, non mandatum Deus ad mortem dedit, sed visum est mihi tamquam mortiferum, eo quòd illud virtute propria implere non possum: cùm ego non mandati vitio, sed stimulo concupiscentiæ mortis percussus moriar. Stimulus enim mortis peccatum. * Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit. (v. 11.) Videns peccatum, quod est, ut sæpe dictum est, cupiditas unde libido exorta est, de legis auctoritate nihil valere me contra se; sicut Adam, interjecto mandato ad prævaricandum, de quo vitium peccandi contraxi, seduxit & me, tamquam denuo dicens, Non morte morieris, si de ligno (Gen. 3. 4.) manducaveris interdicto, immo aperientur oculi tui, & eris sicut dii, sciens bonum & malum. Ideo & per illud occidit.

* Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum & (Rom. 7. 12.) justum & bonum. Non igitur imputo legi Dei, quòd vitio meo factus infirmus, præceptum ejus implere nequeo: quæ etsi jubendo non juvat, tamen sua sanctitate & justitiâ malum esse concupiscentiam, quod nesciebam, ostendit; quia peccatum, ait, non cognovi, nisi per legem: & docuit ad superandos ejus [f] illicitos appetitus, cùm in me deficio, debere divinum auxilium implorare. * Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? (v. 13.) Absit. Numquid enim mandatum bonum, contra mortis opera datum, in mortem mihi est commutatum? Absit. Ego videlicet quòd morior, non mandati boni vitio morior, sed mandato bono vitio meo transgresso. * Sed peccatum ut appareat peccatum, (Ibidem.) per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Ut ergo concupiscentiæ malum, quæ radix est omnium malorum, cognoscatur malum, per mandatum bonum prævaluit in me magis, non defecit: quia lex subintravit ut abundaret delictum. Mortem ergo mihi operatum est delictum, cùm ex delicto, id est, ex concupiscentia mala, infirmante me virtute propria ad obediendum legi, delicta creverunt. Et factum est supra modum peccans peccatum per mandatum, cùm per legem, ut dixi, non defecit, sed magis immoderatis cupiditatibus crevit: quia virtus peccati lex est, prohibendo & non [g] auferendo. * Scimus enim quòd lex spiritalis est, (v. 14.) ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. Spiritu igitur Dei tam docente quàm juvante, quo lex data est, non [h] sola voluntate carnali legis possunt impleri præcepta: quia per legem vitia mea tantùm agnosco, non aufero. Frustra de carnis infirmitate præsumo, hostem meum, cui [i] Dei judicio justo sum traditus propter peccatum, cui me voluntas vendidit protoplasti, solus superare non valeo. Jubet Deus: immo faciat, ut fiat quod jubet. Venumdatus sum sub peccato: [k] justam suam sententiam, qua me peccantem damnavit, misericordiâ mutare dignetur. Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum: ipse me compotem suæ faciat legis, ut Spiritûs virtute præcinctus, [l] perfectæ legis tuba gratiâ præcedente, possim inimicum in corpore superare.

* Quod enim operor non intelligo. (v. 15.) Quòd mala videlicet concupisco, non ea ut veniant quæro vel opto; quia naturâ non tali sum institutus: sed hoc [m] malo quo est per

a In editis, *dilecta cupido.*

b Sic veteres libri. At editi, *currentem, & placere Deo per ducatum gratiæ ejus volentem,* (Am. & Er. *nolentem,*) *diversorum libitu malorum,* &c.

c Editi, *castitatis virtutem.*

d Am. Er. & MSS. *in ejus motum.*

e Hîc editi addunt, *totius.*

f Antiquiores libri, *inlices appetitus.*

g Sic MSS. At Am. *& non hauriendo.* Lov. *& non auxiliando.*

h Editi, *non solùm voluntate carnalis legis.* Castigantur ex MSS.

i In MSS. *Deo judice justo.*

k Sic Uticensis cod. S. Ebrulphi. Alii verò cum editis, *juxta suam sententiam, qua me peccantem damnavit, me misericordiâ suâ mutare dignetur.*

l Antiqui codices, *per sanctæ legis tubam.* Fortè legendum, *tubâ gratiam præcedente.*

m Sic MSS. Editi verò, *Sed hoc malum, quod est per noxam vitiata natura, auctorem præbeo legi.*

noxam vitiatâ natura, cùm aurem præbeo legi, caliginosis
Ibidem. subitò ac pravis desideriis conturbor illectus. * Non enim
quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Legis man-
dato de propriæ voluntatis conatu parere volo, & non va-
v. 16. leo: peccato verò dum resisto, consentire delector. * Si
autem quod nolo illud facio, consentio legi quoniam bo-
na. Dum ergo volo, ut nullum concupiscentiæ malum
concipiam appetitum, & magis hoc facio; magnum verè
a malum esse concupiscentiam in membris meis, [a] quæ me
peccare cum quadam delectatione sollicitat, legi consen-
tio; id est, credo, & per ipsam agnosco; quia cùm sua bo-
nitate mihi dicit, Non concupisces, venenum mortis in
v. 17. concupiscentia esse designat. * Nunc autem jam non ego
operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Igitur hoc
malum, quod discordare facit corpus & spiritum, ut sit in
me, non ego opto vel facio, qui illud demonstrante lege,
b ex [b] quo malum esse cognovi, ne sit in me, consentire le-
c gi contendo: sed dum de meo velle & posse id [c] stirpare
* al. inflixum est. non valeo, idem peccatum, quod in me * inflictum est per
peccatum, manens in me, ea quæ nolo operatur adversùm
v. 18. me. * Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in car-
ne mea bonum. Certus sum ergo, quòd hæc concupiscen-
tia, quæ est conatui meo adversa in corpore meo, non est
bonum. Cùm enim resistitur ei & defecisse putatur, magis
magisque suâ malitiâ in variis appetitionibus innovatur.
Ibidem. * Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non in-
venio. Volo quidem tam hoc peccatum vincere, quàm le-
gis præcepto parere. Quod utrumque bonum ut perficiam,
posse mihi de me cum velle meo non sufficit; quia suffi-
v. 19. cientia nostra non à nobis, sed ex Deo est. * Non enim
quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc
ago. Ad bonum igitur peragendum voluntas mea de se
præsumens, & non de Deo, nihil proficit: ad malum ve-
rò etiam quod non vult, aliquotiens inclinatur ut velit.
v. 20. * Si autem quod nolo illud facio, non ego operor illud,
sed quod habitat in me peccatum. Cùm itaque nolle meum
concupiscere provocatur, ut velit, non voluntas resistens id
agit, sed peccati cupiditas, quæ à sola mea voluntate su-
Johan. 15. 5. perari non potest: quia sine me, ait Dominus, nihil po-
testis facere.

Rom. 7. 21. & 22. Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quo-
niam mihi malum adjacet: condelector enim legi Dei se-
" cundùm interiorem hominem. Quia igitur malum concu-
" piscentiæ adjacet mihi, id est, sponte, & cùm non deside-
ratur occurrit, & ut perpetretur est voluntati depravatæ
possibile, quia sine Deo, ut jam dictum est, non potest
enervari; tamen videtur mihi de me præsumenti ad perfi-
ciendum bonum, legis videlicet mandatum, ut cœpi fore
possibile, si secundùm interiorem hominem, hoc est ani-
mæ rationem, contra mortales corporis mei motus tota vo-
luntatis intentione, totisque naturæ meæ viribus non de-
v. 23. stitero repugnare. * Video autem aliam legem in membris
" meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in
" lege peccati, quæ est in membris meis. Et ecce video in
me, id est, sentio contrariam legem, concupiscentiam sci-
licet malam, morbo libidinis sordidatam, obviantem & re-
sistentem & prævalentem legi mentis meæ, intentioni vi-
delicet animi mei naturali, & captivum me ducentem in
lege peccati, hoc est, in prævaricatione protoplasti, quæ
Rom. 5. 12. est in membris meis: quia per unum hominem peccatum
intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in om-
nes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

Caput VI. Ecce quanta mortifera bella, ecce quæ pericula, quan-
taque naufragia, de malo laudabilis & dilectæ vestræ con-
cupiscentiæ, diabolo seminante exorta sunt. Ecce cujus pe-
stis onus leve esse prædicatis, & jugum suave. Sed Paulus,
cujus estis apertissimi inimici, non cum illo malum esse li-
bidinem sentientes, legerat scriptum esse de isto malo jugo:
Eccli. 40. 1. Grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre ma-
" tris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium.
Et ideo prædicabat fidelibus contra vos de isto jugo, di-
2. Cor. 6. 14. cens, Nolite jugum ducere cum infidelibus: id est, nolite
æquales effici infidelibus, laudantes cum illis quod est ex-
Isai. 5. 20. secrabile, & dicentes quod malum est bonum. Quia, Væ
" eis qui dicunt quod dulce est, amarum; & quod amarum

A est, dulce. Bella igitur ista doctor ille gentium in fide &
veritate secundùm datam sibi contra vos sapientiam, in
omni esse genere humano in se deprehendit, & contra ea
fortiter dimicavit. Cùm enim in persona sua dicit, Pecca- Rom. 7. 7. & seq.
tum non cognovi nisi per legem: &, Concupiscentiam ne-
sciebam: &, Peccatum per mandatum operatum est in me
omnem concupiscentiam: &, Ego autem vivebam sine le-
ge aliquando: &, Ego autem mortuus sum: &, Inventum
est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mor-
tem: &, Peccatum per mandatum seduxit me, & per illud
occidit: &, Quod ergo bonum est, mihi factum est mors?
absit: &, Peccatum per bonum mihi operatum est mor-
B tem: &, Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, venum-
datus sub peccato: &, Quod operor non intelligo: &, Non
quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio: &, Si au-
tem quod nolo illud facio, consentio legi quoniam bona:
&, Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod ha-
bitat in me peccatum: &, Scio enim quia non habitat in
me, hoc est, in carne mea bonum: &, Velle adjacet mi-
hi, perficere autem bonum non invenio: &, Non enim
quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc
ago: &, Si autem quod nolo illud facio, non ego operor
illud, sed quod habitat in me peccatum: &, Invenio le-
gem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum ad-
C jacet: &, Condelector legi Dei: &, Video aliam legem
in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & capti-
vantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Ma-
nifestè hæc se contra concupiscentiam bella peregisse testa-
tur. Nec tamen gloriatur de propriis viribus se fuisse trium-
phum victoriæ consecutum. Et ideo cùm de se, in se, pro
se, adversùm tale malum infirmatus nullum victoriæ adju-
torium reperisset, displicens sibi, oculos ad Christi propu-
gnacula quibus defendi possit elevavit, dicens, * Infelix Ibid. 24.
ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? "
Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Gratia "
D est, hæretice, qua liberamur de corpore mortis, id est, de
motibus concupiscentiæ, quibus corpus nostrum percutitur,
ut anima perimatur, non sola virtus propriæ voluntatis.

Pergite adhuc per campos loquacitatis vestræ, qua Caput VII.
tantæ turpitudinis squalorem laudare non erubescitis, &
clamate secundùm consuetudinem vestram, dicentes, *Libi-
do calor bonus est genitalis, nec est quod pudeat in ea: quia si
malum esse dicatur, nuptiæ jam damnabuntur; sine illa enim non
poterit proles exsistere.* Ex hoc advertant dilectæ vestræ ca- d
stissimi expugnatores, quantum libet, quod tantum lauda-
te delectat: aut si non libet, [d] cùm suadet ut libeat, & ex-
pugnatur à vobis, cur bonum prædicatis, quod in vobis
E adversùm esse sentitis: rogo erubescite. Nemo umquam
quod sibi est inimicum, bonum dicere delectatur & lau-
dum præconiis adornare. Fallimini prorsus & fallitis, im-
mo decepti estis & decipitis. Non est iste calor bonus,
nec genitalis in bonis genitalibus membris, quæ formavit
Deus, sed malus, ut sæpe dictum est, auctore diabolo præ-
cedente peccato. Isto calore si vigor mentis vestræ ad illi-
cita non dissolveretur, non à vobis tam licitè laudaretur,
quin potiùs sicut à catholicis damnaretur.

Sed iterum respondetis, ut superiùs dixi, tamquam cly-
peum vestro dogmati opponentes, ne vobis valeant simpli-
F ces quos decipitis resistere, & dicitis: *Nuptiæ damnabuntur,
si libido damnetur, quia absque illa soboles non gignitur.* Quid
præstigiosissimis assertionibus vestris diem in noctem mu-
tare nitimini? Quid nebulis serena convolvitis? Quid in-
tuentibus lucem, ferventes in calore turpi, quem optimum
prædicatis, ut cordis eorum oculos perturbetis, fumi ama-
ritudinem eructatis? Nuptiæ auctore Deo valde sunt bonæ,
nec damnantur prorsus, cùm voluptuosa libido damnatur.
Nuptiæ filiorum procreandorum causâ sunt institutæ, sicut Genes. 1. 28.
scriptum est, Crescite, & multiplicamini, & replete ter- e
ram: quarum licitus usus non in luxuria libidinis institu-
G tus est, sed [e] sine illa imperio honestissimæ voluntatis, tan-
tùm, ut dixi, causâ natorum. Quia Adæ & Evæ ante pec-
catum, cùm adhuc scilicet in eis morbus iste non esset,
dixit Deus, Crescite, & multiplicamini, & replete terram. f
Post peccatum verò, ut jam superiùs disputatum est, sibilo
venenosi serpentis, cujus [f] callidis decepti sunt blandimentis,

a Hìc editi addunt, *agnosco:* sed abest à MSS.
b Sic MSS. At editi, *ex qua.*
c Editi, *superare non valeo.* Emendantur ex MSS.
d Sic MSS. At editi, *aut si non libet, cur suadetis ut libeat, & castitas ex- pugnatur à vobis?*
e Apud Lov. *sed in imperio:* omisso, *sine illa.*
f In MSS. *cujus callidi.*

hanc

hanc inquietam & mortiferam pestem eorum corpora conceperunt: & per licitum usum, postea quàm de paradiso projecti sunt, in posteros transmiserunt, tamquam peccati sui testimonium hereditario jure dimittentes in nobis: ut ex hoc prævaricatorum nos esse filios cognoscentes, non gloriemur de nobis, id est, de natura nostra peccatrice in conspectu justi judicis Dei; sed ejus misericordiæ, quæ non in meritis constat, semper colla flectamus; quò dignetur [a] in paradisum revocare, unde meritò exsules fecit.

Et in conjugatis igitur & in omni homine libido mala est: nonnumquam enim ad illicita trahit, quia voluntati peccatrici, qua factum est ut esset in membris, contraria est in tantum, ut ipsorum conjugatorum ad licitum usum ardore sui sic anhelantes præcipitet mentes, quo [b] eadem licentia acti potiùs quàm agentes agant. Fit enim voluntas incontinens, dum [c] illecta vincitur voluptate; sed venialis est in conjugatis, malo bene utentibus. Quod ostendit Apostolus, cùm caussâ continentiæ orationis tempus indicit conjugatis, & ad ipsum iterum revertendum propter incontinentiam tentationis satanæ præcipit, dicens, (1. Cor. 7. 5.) Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. Damnabilis est verò in adulteris & fornicatoribus, malo malè utentibus. Jam ergo cognoscite utrùm Apostolus de malo veniam promiserit conjugatis, an de bono: de malo ad tempus orationi vacandum abstinere præceperit, an de bono? Erratis prorsus, quia Deus qui jussit fieri bonum, nusquam à bono prohibuit; sed à malo, dicens per David, (Psal. 36. 27.) Declina à malo, & fac bonum.

Incunctanter omnino dicitur, bene uti hoc malo veniali conjugatos, filiorum gignendorum videlicet caussâ, qui nascuntur Deo opifice, non de accidentis libidinis malo, sed de bono licentiæ nuptiarum. Numquid enim cùm vitis undique deserente agricolâ fuerit sentibus occupata, & tempore suo jacens in dumis produxerit [d] botros, de contrariis sibi spinis, quibus premitur, uvam produxit? Absit. Sed de naturæ suæ bono, licèt spinarum aculeis corrupto, bonos adtulit fructus. Similiter & triticum, si natum circumquaque zizaniis operiatur, in quantum spicam produxerit, de naturæ suæ bono, non de zizaniorum malo quibus impeditur, bonum intulit germen: sic filii de naturæ bono boni sunt fructus, non de malo libidinis corrumpentis & vitiantis, cum quo nascitur omnis homo. Unaquæque ergo res manens in naturæ suæ bono, accidentibus sibi adversitatibus [e] arescit atque torpescit, cultoris semper indigens manu vel diligentiâ, ut naturæ suæ, cui nihil est contrarium ab auctore suo Deo congenitum, valeat respondere. Hoc agitur & in nostra peccatrice natura: semper indiget auctore & cultore suo atque conservatore Deo, ut spinis & tribulis zizaniisque libidinis vel omnium malarum concupiscentiarum, quæ, ut sæpe diximus, non auctore Deo, sed peccando contraxit, manu gratiæ suæ per Jesum Christum Dominum nostrum, quamdiu in terram de qua sumta est redeat, expietur, de terra iterum in novum sæculum purissima reditura, per eumdem Jesum Christum Dominum nostrum suscitata. Iterum ergo iterumque repeto: Libido mala nihil bonis [f] impedit nuptiis, quia non ab initio in ejus sordibus sunt, sicuti jam suprà diximus, ordinatæ. Deus enim qui sine concubitu apes fetare creavit, & agrorum cuncta semina absque libidine seminari vel nasci decrevit, hominem quoque ex homine, si non peccasset, per concubitum voluntarium, non per libidinis scortum exoriri in paradiso permisisset. Cui qualiter id contigerit, in hujus disputationis capitulo, quantum Dominus revelavit, jam me arbitror ostendisse. Ideoque nuptiarum licentiam bonam valde fatemur, & malam concupiscentiam in conjugatis damnabilem & voluptuosam esse catholico ore clamamus, vestrumque dogma in ejus turpitudine horrendum, sanctarum scripturarum auctoritate damnamus.

(Caput VIII. Rom. 7. 17. & 18.) Paulus est apostolus Christi, non Pelagius discipulus Antichristi, hæretice, qui dicit concupiscentiam in carne sua non bonum habitare: immo apertissimè malum dicit; peccatum esse testatur, stimulum carnis suæ nominat, à quo se colaphizari clamat, ne magnitudine revelationum extollatur: (2. Cor. 12. 7.) cujus [g] malis consideratis in corpore mortis suæ, in quo bellum intestinum cum invisibili hoste gerebat, remedium salutis suæ nullum penitus nisi solam gratiam Dei in Christo Jesu liberantem se invenisse testatur. Ipse dicit scribens ad Colossenses, (Colos. 3. 5.) Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, &c. Respondete huic tanto doctori, cur ea mortificanda præcipit, si naturalia bona sunt? Sed meliùs in vobis Pelagio & Cælestio loquentibus, quàm Christo in Paulo, è contrario prædicatis cum laudabili plausu, dicentes, *Vivificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem mundam, libidinem bonam, concupiscentiam optimam.* Demens & secundùm voluntatem tuam in reprobum sensum dimisse hæretice: de istarum sordium malo iterum dicit idem Apostolus scribens ad Romanos, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. (Rom. 6. 12.) Ille in veritate docendo prohibet his immunditiis obedire: tu in errore Pelagiano suades. Ille concupiscentiam menti contrariam, peccatum vocat: tu eam laudando, vel in ea delectando, bonum asseris naturale.

Stulti, aliquando jam sapite, & nolite de tanto malo gloriari, neque mendaces esse adversùs veritatem, quæ per os sanctorum suorum laudabilem dilectamque vestram concupiscentiam malam, & libidinem punit immundam. Ex his enim diversæ tentationes oriuntur, quibus per momenta cùm Deo placere contendimus, præpedimur; ut ait apostolus Jacobus: (Jacob. 1. 13.) Nemo cùm tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat: unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Dein concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. Videte dilectam vestram [h] feminem laudum vestrarum concipientem dolorem, parturientem peccatum, generantem mortem. Cujus dum auctorem Deum esse prædicatis, sine dubio arguitis tantum apostolum, & Deum esse malorum dicitis tentatorem: quia ipse creavit secundùm vos, unde tententur homines, abstrahantur & illiciantur: ac per hoc ipse unde pereant fecit. Quòd si ita non sentiretis, Deum mortem fecisse minimè diceretis. Sed audite adhuc repercutientem virgâ sapientiæ cælestis vaniloqua ora vestra eumdem apostolum Jacobum. Unde, inquit, bella & lites in vobis? (Jacob. 4. 1.) Nonne hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Auditis quale officium habet nimiùm dilecta vestra concupiscentia, id est, bella & lites, quibus discordare facit corpus & spiritum nostrum: & in ejus castris hostilibus, atque sub lege mortifera te, hæretice, militare delectat? Si pacem fidei catholicæ sequereris, à turbine bellorum horum & litium, quo in cordis tui [i] pelago circumquaque jactaris ne ad portum pervenias veritatis, facilè [k] gratiæ gubernaculo poteras liberari, & cognoscere malum quod in malo positus putas esse pulcherrimum.

Audi & alium super Jesu pectus discumbentem, & contestantem, concupiscentiam non esse ex Patre Deo, sed ex mundo, & eam cum mundo transituram: Johannem dico apostolum. (1 Johan. 2. 15.) Nolite, ait, diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo: quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit & concupiscentia ejus: qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Claudite adhuc, si placet, oculos cordis ad videndum, & obturate aures ad audiendum tanti apostoli veritatem: & clamate dicentes, ne scilicet dilectæ vestræ faciatis injuriam, *Ex Deo est concupiscentia carnis, non ex mundo, & ideo calor bonus est genitalis.*

(Caput IX.) Sed quid ultrà in proferendis testimoniis, quibus defensio vestra probatur esse damnabilis, nitar promulgare sermonem? Quia si omnia de legis divinæ thesauris producantur, tempus me deficit enarrantem. Audite ergo breviter, non brevia, sed crimine ingentia caloris vestri amantissimi opera, quibus in illicitum [l] coire præcipitat hebe-

a Editi, *dignetur nos.* & infrà, *unde illos meritò.* MSS. nec *nos*, nec *illos* habent.
b Omnes MSS. *eamdem licentiam.*
c Am. Er. & nonnulli MSS. *illicita.*
d Antiquiores codices, *botruos.*
e Am. Er. & MSS. *miscrescit atque torpescit.*
f Sic MSS. At editi, *impendit.*

g Sic MSS. At editi, *cujus malum considerans.*
h Editi, *Videte dilectam vestram simul & laudatam vestram concipientem dolorem.* Corriguntur ex MSS.
i MSS. *pelagus.* Am. *pelagos.*
k Sic MSS. At editi, *gratiâ gubernante poteris liberari.*
l Apud Lov. *in illicitum coitum.*

tata corda mortalium, & erubescite & conticescite tandem. Isto calore succensus & turpiter illectus nonnumquam pater inclinat filiam, & operatur incestum: filius etiam patris thorum maculat, cùm matri vel novercæ aliquando miscetur. In sororem frater [a] cupidine ductus incurrit: cognatam non erubescit opprimere. Virgo non sustinet licentiam nuptiarum, sed stuprum tempore concupiscit illicito. Maritus minimè contentus licito uxoris amplexu, [b] uteros contaminat alienos. Similiter & uxor immemor proprii [c] cubilis, adulterino amore uxoris occupat alienæ. Nam Rom. 1. 27. & masculi relicto naturali usu feminæ, exardescunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes. Horret etiam plus iis quæ diximus dicere, quòd dum homo immemor suæ naturæ rationalis, irrationali naturæ, & alienæ à sua * pecudi coire compellitur. Quid de ruina aliquantorum servorum Dei & sacrarum virginum dicam, quæ hac tempestate naufragia patiuntur? Quidve de diversis immunditiis, in quibus eorum auctorem ipsum sibi puto pro vobis diabolum displicere? Ecce calor ille amantissimus vester in quas [d] ignominiarum sordes humanas ire illicit & præcipitat mentes? Ecce quam illuviem etiam in sanctis Christi membris fuisse dicere non tremuistis. Ecce cujus obscœnitatis & turpitudinis estis acerrimi laudatores, impudentissimi defensores, & si non fallor, cùm adhuc non displicet, forsitan & factores. Quis enim de vobis bene sentiat, quos de tanto malo bene sentire cognoscit? Si igitur in vobis ullus pudor est, si honestas aliqua, si castitatis intentio, tantam mali necessitatem, id est, concupiscentiam carnis sordibus libidinis mixtam, bonum dicere & laudare desinite: cujus auctorem non Deum, sed diabolum esse credite, præcedente protoplasti peccato: & quòd eam voluntas humana in turpissimis motibus refrenare non valeat [e] singularis, nisi gratia per Christum Dominum nostrum subvenerit salutaris.

* Subaudi, natura.

HYPOGNOSTICωN LIBER V.

Adversùs quintum dogma Pelagianorum.

CAPUT I. ITEM inquiunt, *Parvulos non trahere originale peccatum, neque perituros à vita æterna, si sine sacramento baptismatis ex hac vita migraverint.* Respondemus: Multum quidem jam de originali peccato, quo & parvuli tenentur obstricti, superiùs disputavimus: ac luce veritatis ostendimus, omne humanum genus hoc vitio claudicare. Dei etiam Filium in similitudine carnis peccati ob hoc venisse, ut morte sua per crucem vinceret mortem, & gratiâ suâ gratuitâ, vulnera nostra curaret. Verumtamen falsa esse de parvulis, hæretice, quæ prædicas, non solùm nostro, sed & eorum salvatore Christo juvante, Scripturarum auctoritate convincam. Quid igitur apertius, quòd parvuli Adæ peccato nascantur obnoxii, dici potuit, quàm quod dictum Psal. 50. 7. est per David, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea? Ille enim cùm adulterium defleret, & homicidium quod Bersabeæ caussâ commisit, hanc veritatem in suæ confessionis gemitu eructavit, tamquam diceret, Non quòd ex hoc solo facinore perpetrato peccator sim, qui ante quàm id facerem sine peccato [f] non eram, immo jam peccator ab utero matris meæ eram: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Vitium ergo peccati seminatus & conceptus de parentibus sumsi, per quod adulterium & homicidium propria peccata peregi. Cùm enim subjungens inquit, Ecce enim veritatem dilexisti: peccata propriâ voluntate commissa fatetur. Quia veritatem dicit Deo pænitens, quando nihil illi de commissis suis sceleribus celat: non quòd [g] & si voluntate celaverit, Deus ignoret; sed veritatem sibi ab eo dici vult, ut veniam consequatur: si verò mente aliqua exciderint, [h] confiteri veri- Psal. 68. 6. tatem Dei; ut cùm generaliter dixit, Deus qui nosti occulta cordis, tu scis opera mea, & delicta mea à te non A sunt abscondita, quibus veniam largiaris. Et hæc utique est veritas confitentis, quam diligit Deus.

Eva ergo peccatum à diabolo mutuavit, Adam consensu cautionem fecit, usura posteritati crevit. Hinc est ut infans in utero matris hereditario jure constrictus antè promittat debitum, quàm cautionem patris agnoscat, vel debitorem etiam genitorem. Hujus chirographi usuræ sunt, illæ malignissimæ passiones, quibus tam majorum ætate quàm parvulorum animæ deprimuntur, à quibus liberari neminem posse nisi per Christum, David ipse qui se in iniquitatibus conceptum & in delictis natum esse dixit, osten- B dit, cùm in septuagesimo primo Psalmo de persona Chri- Psal. 71. 12. sti loquitur dicens, Liberabit pauperem à potente, & inopem cui non erat adjutor: id est, humanum genus à diaboli dominatu. Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum salvas faciet. Ex usuris & iniquitatibus liberavit animas eorum. Christus utique Adæ debitum, quod nos usuris obligaverat, solvit, cùm nullis suum corpus peccatis obnoxium in patibulo crucis suspendi permisit. Ipsius enim in Psal. 68. 5. Psalmo vox est: Quæ non rapui, tunc exsolvebam. Quapropter ipse ex usuris & iniquitate & parvulorum liberat 2. Cor. 5. 14. animas: quia, ut dicit Apostolus, Unus pro omnibus mortuus est. Et iterum, Ergo omnes mortui sunt. Et si omnes C mortui sunt, stimulo utique mortis percussi, mortui sunt; 1. Cor. 15. 56. quia stimulus mortis peccatum. Dic ergo quærenti mihi, Si peccatum parvulus nullum carnaliter natus adtraxit, cur brevis dierum sorte mortis adstringitur? Quia ubi peccatum non est, utique mors esse non debet: non enim me Rom. 5. 12. fingente, sed Apostolo prædicante dictum est, Per peccatum mors. Ac per hoc secundùm errorem vestrum, iniquus Deus, ut mori parvulum patiatur non habentem peccatum per quod possit vitâ privari.

CAPUT II. SED ad illam fallaciam dogmatis vestri respicientes, cui jam superiùs responsum est, inquietis mihi: *Deus mortem fecit, quia mortalem hominem fecit; peccatum autem non fecit,* D *quia in primordio hominem prohibuit ne peccaret.* Immo quid aliud dicitis, nisi & peccatum Deus fecit, cùm Deum mortem fecisse creditis, ut per peccatum mors intrare posset in mundum? Quia, ut iterum iterumque est repetendum, dicente magistro gentium, Per peccatum mors. Respondetis, *Absit, Deus peccatum non fecit.* Ergo occasionem peccandi homini tribuit, ut opus ejus, sicut dicitis, mors homini posset contingere. Sine peccato enim mors esse non poterat; quia, velitis nolitis, Per peccatum mors. *Nec occasionem,* ut dicitis, *peccandi Deus homini dedit, quo mori posset, sed mortalem fecit.* Jam responsum est scriptum esse, Sap. 1. 13. E Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Et iterum, Deus creavit hominem [i] inexterminabilem. Sap. 2. 23. Si ergo peccatum non fecit, nec occasionem peccandi homini dedit, quod rectè dicitur; bonum mortis secundùm vos, quod rectè non dicitur, quomodo per malum peccati ad hominem potuit pervenire? Quid enim luci cum te- 2. Cor. 6. 14. nebris, aut quæ pars justitiæ cum iniquitate? Videte infelices, si tamen videre potestis, quas amicitias inter Deum & diabolum faciatis, quod absit à Domino. Deum enim mortem fecisse dicitis, diabolum peccatum: si tamen vel hoc assignatis diabolo. Miscuerunt ergo opera sua, ex consensu tamquam sibi in auxilium venientes, ut hominem F vitâ privare possent: & ideo dictum est, Per peccatum mors.

Jam hîc advertite, immo qui sani sunt sensu advertant, quia soletis nos dicere Manichæos, quis nostrûm sit Manichææ pestis assertor; nos, qui nihil commune luci ad tenebras dicimus, an vos qui opus lucis, ut putatis, id est, mortem, cum opere tenebrarum diabolo, id est, peccato confunditis? Nisi enim credideritis mortem & peccatum utraque esse mala, & nullius horum auctorem esse Deum, sed diabolum delinquentibus [k] protoplastis; prorsus Manichæos adjuvatis, immo estis [l] similes Manichæis. Manichæus autem non credit, sed catholicus dicenti Paulo, quòd Rom. 5. 12. G per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in

a In MSS. *turpitudine ductus.*
b Omnes MSS. *vetitos contaminat alienos.*
c Editi, *proprii mariti cubilis adulterino amore uxoris thorum occupat alienæ.* At MSS. nec *mariti*, nec *thorum* addunt.
d Antiquiores codices, *ignominiorum.*
e Sic MSS. At editi, *nisi singularis gratia per Chr. Dom. nost. subvenerit salvatoris.*
f MSS. *sine peccato eram;* omisso *non.*

g In editis, *si voluntatem celaverit.*
h Editio Lov. *confiteatur veritatem Deo, cùm generaliter, &c.* At MSS. *confiteri* (supple, *Deus vult*) *veritatem Dei, ut cùm generaliter, &c.*
i Omnes MSS. *incorruptibilem.*
k Hîc apud Lov. additur, *inflixisse.*
l Aliquot MSS. *immo estis perfectissimi Manichæi.*

quo omnes peccaverunt. Hæc est fides nostra, fatemur incunctanter peccatum in parvulis, & per peccatum mortem pertransisse in omnes homines. Et parvuli naturâ homines sunt. Quapropter quanti fuerint, omnes homines sunt, quibus dum contigerit mori, propter peccatum, quod in eis non actione, sed uterina conceptione pertransiit, moriuntur. Non enim morerentur, nisi cœno peccati necarentur. Per peccatum enim, ut sæpe est repetendum, mors; [a] non sine peccato: ab morte, ne in æternum pereant, morte Domini redimuntur. Hoc cœno peccati quo nascuntur squalidi, ut in regnum cælorum ingrediantur immaculati, immaculato per baptismum sanguine Christi mundantur.

CAPUT III.

AUDI & alterum, Dei sapientiam inquirentem, & per illam veritatem mortalibus prædicantem: audi aliter quidem quàm David loquentem, sed non aliter prophetantem: [b] immo unito spiritu vera dicentem, quòd Adæ peccato & parvuli nascendo premantur. David enim inquit, ut suprà jam dictum est, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Iste ait in libro Ecclesiastico, Grave jugum super filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium. Quod est hoc grave jugum, nisi peccatum? Et quare dictum est jugum, nisi quòd ex duobus Adam & Eva veniat, vel duorum premat & conterat colla, id est, masculi & feminæ, majorum videlicet atque minorum; quia in utroque sexu jugum sunt. Ideo & ait generaliter, Grave jugum super filios Adam. Dicendo ergo, super filios, ætates non discrevit vel sexus: & comparando jugum peccato, [c] præter Christum, qui sicut ceteri ex usu conjugatorum natus non est, omnes esse peccatores æquavit. [d] Huic jugo, id est, originali peccato revincti majores atque minores, [e] vitium ex ipso ortu tamquam aratrum trahimus, quamdiu sumus in mortis corpore, cujus [f] cupiditatum vomere proscinditur, hoc est, corrumpitur terra nostra. Propter quod in libro Sapientiæ dictum puto, Corpus autem quod corrumpitur aggravat animam. A cujus jugi labore & onere, vel aratri corruptione ut requiescat, nemo solvitur propria voluntate & potestate, nisi ab illo justè judicante & indebitè miserante, qui ait, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve est. Quomodo verò ad eum vocati eant, ipse ostendit, dicens, Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, adtraxerit eum. Pro jugo peccati aspero & gravi, quo carnaliter nati premuntur, vocatis tollendum super se jugum suave & onus leve præcipit. Superiùs jam diximus, cur peccato jugum sit comparatum: nunc spiritale Christi jugum & onus intelligere debemus. Caritatem esse dico, qua jubemur diligere Deum & proximum: quia in his duobus præceptis tamquam in jugo, lex omnis pendet & Prophetæ. Quid enim suavius [g] aut levius caritate, qua nos diligens Deus, per mortem Filii sui, ex duobus populis, Judæis scilicet & gentibus, vinculo gratiæ in unitate fidei conjugavit, & fecit utraque unum? Christi itaque jugum cervices, quas presserat peccati jugum, suspendit, non premit, ad cælum levans: quia caritas, sine qua nemo poterit promereri Deum, numquam cadit, & cooperit multitudinem peccatorum. Ipsa est etiam & onus leve, quam qui habuerit, Deum portat, quia caritas Deus est. Ideo & Apostolus, Glorificate, inquit, & portate Deum in corpore vestro.

In hac vocatione sunt & parvuli, qui assumuntur in fide credentium, non obedientiâ voluntatis, sed dilectione nimia caritatis. Propter quod in Psalmis de ipsis dictum est, Etenim non credentes inhabitare [h] Dominum Deum. Super quos nisi fuerit dono gratiæ, caritatis jugum suave & onus leve Christi, requiescere à labore & onere originalis jugi non possunt. Gravantur enim in labore & onere diversarum passionum, quas eos in lacte positos perpeti videmus & stupemus. Vexantur enim nonnumquam à dæmonibus, diversis etiam doloribus & vulneribus cruciantur, multisque, ut dixi, ærumnarum generibus affliguntur: & in his omnibus cùm quid patiantur, [i] hoc dicere non possint, tamen pœnis se cruciari variis quodam modo loquuntur, cùm aculeo puncti dolorum, confusos vocum ejulatus emittunt. Quæ si minimè stimulo peccati protoplastorum percussi, ex quorum peccatrice carne peccati caro sunt, patiuntur, secundùm errorem vestrum, Deus [k] talem fecit naturam, ut pœnalibus anima passionibus convexetur, aut certè injustus, ut innocentiam sanctam & nullius penitus erroris obnoxiam tantis permittat urgeri periculis, & in ipsis nonnumquam vitâ privari. Quod nisi eos peccati originalis caussâ pati credideritis, sine dubio Deum, qui valde bona omnia fecit, arguitis. Sed absit, ut sit iniquus, inferens iram, immo justus judicia faciens, (pœna enim peccati est,) ut pœnis plectantur, non in actu, sed ortu parvuli peccatores. Quia, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea: (Psal. 50. 7.) &, Grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium: (Eccli. 40. 1.) non ego fingens, sed Prophetæ Dei Spiritu veritatis sancto acti dixerunt.

CAPUT IV.

AUDI & alium athletam fortissimum per omnia diaboli flagella transeuntem, & patientiâ suâ ejus impatientiam superantem: beatum Job dico, quid Spiritu Dei, quo probatus & fortis est factus, de humanæ naturæ senserit labe, etiam parvulos dicens à peccati sordibus immunes esse non posse, hosque adducendos in judicium coram Deo. Homo, inquit, natus de muliere, brevis vitæ, & plenus iracundiæ; & sicut flos cùm floruerit, decidit, fugitque ut umbra, & non permanet. Nonne etiam hujus curam habuisti, & hunc fecisti venire in judicium coram te? Quis enim erit mundus à sorde? Ne unus quidem, etiam si unius diei fuerit vita ejus super terram. (Job 14. secundum LXX.) Estne aliquid dubitandum, tam clarissima auctoritate, parvulos peccati illuvie maculatos esse nascentes? Cùm enim dixit, Nonne etiam hujus curam habuisti, & hunc fecisti venire in judicium coram te: statim propter judicia justissima Dei cur in judicium veniat, caussam præcedentem ostendit. Quis enim, inquiens, mundus à sorde? Ne unus quidem, etiam si unius diei fuerit vita ejus super terram. Id est, propter peccati sordem, quam trahit à peccante natura, qua nascitur immundus in mundo. Hæc secundùm Septuaginta interpretum editionem, quæ ex Græco in Latinum sermonem versa est, posuimus. Audite apertiùs ad sugillationem vestram idipsum, qualiter ex Hebræo verbo sit in Latinum translatum. Quis, ait, potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? Estne deinceps contentio? immo esse debet à vobis ulla contradictio? Audis de parvulo dici, Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? & adhuc dubitas baptismum Christi per gratiam habere, quod mundet in parvulo? Nisi enim esset immundus, non diceret, Quis potest facere mundum? Sed cùm addit, de immundo conceptum semine: parentum sordidatum dicit esse peccato: quorum sunt immunda semina, non conditione naturæ, sed prævaricantis vitio protoplasti. Sive igitur Septuaginta ex Hebræo in Græco, sive alius similiter ex Hebræo in Latino sermone, unum atque idem, etsi mutatis verbis, non tamen veritate, parvulos peccati sorde reos esse dixerunt.

Quæ enim injustitia, sicut sæpè pro diversitate propositarum à me caussarum interrogavi, apud Deum, dicite, ut nulla exsistente caussa secundùm errorem vestrum, sicut suprà diximus dixisse Job, parvulus brevis vitæ & plenus iracundiæ sit; cùm quid sit ira, rationis usu omnino nesciat: vel quare ut flos decidit, fugitque ut umbra, & in vita multorum dierum sive annorum non permanet, sicut novimus multis contingere parvulis: vel cur eum ad judicium coram se venire facit, cùm mandatum legis ejus non cognoverit faciendum, nec contemserit voluntatem? Hæc utique secundùm vos, ut dixi, injustè parvuli patiuntur à justo judice, si nulla peccati contagione tenentur obnoxii. Sed quantalibet latitudine mendaciorum vestrorum verbis muros hæresi vestræ circumquaque construatis, veritas vincit: cu-

[a] Editi, *non sine peccato: hac morte*, &c.
[b] Sic omnes MSS. At editi, *in unico spiritu*.
[c] Soli editi, *propter Christum*.
[d] Editi, *Hoc jugo*. At MSS. *Huic*.
[e] MSS. *vitia ex ipso orta*. Am. *vitio ex ipso orti*.
[f] Editi, *cupiditatis vomere*.

[g] Editi, *ac lenius*.
[h] MSS. omittunt, *Dominum Deum*.
[i] In MSS. pro *hoc*, habetur *licèt*,
[k] Hîc apud Lov. additur *qui*; & infrà post *convexetur*, legitur, *crudelis est aut certè injustius*. Sed omnes MSS. refragantur.

jus aries impulsus gratiæ manibus, totum quassat & destruit, unde repugnatis & confiditis. Quia justus Dominus nihil facit injustum, & verax non potest esse mendax. Parvuli itaque, ut dicit Apostolus, naturâ filii iræ sunt, Adæ scilicet parentis, sicut sæpe diximus, offensione connexi. Non enim dicerentur filii iræ, nisi iram, id est, peccatum primiplasti, qui peccando Deum ad iram primus in nostro genere provocavit, traherent seminati. Ideo & dictum est, Quis enim erit mundus à sorde? Ne unus quidem, etiam si unius diei fuerit vita ejus super terram. Vel, sicut dictum est alio modo, tamen idem: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? Ob hanc igitur solam sordem peccati, quam trahit, B non de conjugii bono, sed de libidinis malo, parvulus brevis vitæ & plenus iracundiæ est. Decidit etiam ut flos, fugitque ut umbra, nec permanet, atque in judicium coram Domino veniet judicandus. Cui nisi baptismi gratia per Christum subvenerit, disperiet de populo Christiano: sicut lex periturum dixit parvulum de populo Judæorum, nisi
Gen. 17. 14. die circumcisus fuisset octavo. Scriptum est enim, Infans
» qui octavo die circumcisus non fuerit, disperiet anima illa
» de populo suo. Dic igitur mihi, A quo facinore circumcisio parvulum liberat? Aut quare incircumcisi de populo Dei circumciso anima peribat, si nihil unde sanaretur vel C disperiret habebat? Quin potiùs parentibus ejus, nisi circumcisus fuisset, debuit prætendi perditio, qui usum obedientiæ [a] & liberi habebant arbitrii, & non parvulo ignoranti [b] scientiâ bonum & malum. Sed esto ut parentes ob hanc negligentiam, quod scriptum non est, subeant perituri supplicia: numquid damnatis illis, si incircumcisus mortuus fuerit parvulus, animæ poterit interitum abolere? Deus enim locutus est, non homo, dicens, Infans qui octavo die circumcisus non fuerit, disperiet anima illa de populo suo. Narrate ergo, si potestis, Dei justitiam, [c] in qua multum vos posse jactatis; immo totum posse naturæ viribus: cur disperdat innocentiam incircumcisam, quidve circumcidi jubet, si nulla donat circumcisione delicta? Respondetis planè, Justus Deus in judicando. Hoc enim soletis [d] quasi diligentes Deum dicere, sed ore vestro, corde autem mentientes ei. Si itaque justus Deus in judicando, D rogo dic caussam incircumcisi parvuli perituri. Actualia certè nulla sunt ejus delicta. Quæ enim esse poterunt octo dierum? Trahere eum originale peccatum & propter hoc damnari, credere non vis. Unde [e] justa Dei judicia? Dic jam apertè: *Injustus Deus & impius, ut damnet parvulum, quem damnabilis caussa nulla præcessit.* Nec enim aliud in cordis tui tenebris sentire cognosceris: si tamen incircumcisum, teste Dei lege fideli, perire parvulum credis. Aut si E de vobis aliud sentiendum est, judicent orthodoxi.

CAPUT. V. SED more illo vestro, veritatis videlicet luce deserti atque refelliti, *Deus*, inquitis, *præscius operum ejus malorum quæ facturus erat ætate perfecta, periturum dixit de populo suo.*
Psal. 144. 17. Itane insane Pelagiane, Deus qui justus est in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, pro hujuscemodi credendus est incircumcisum parvulum judicare, ut tamquam factorem pro non factis sceleribus puniat; tempus imputet quoddam, ubi vitâ non vixit, ubi velle & nolle non fuit voluntatis? Absit, absit hoc apud judicem justum, F qui unicuique obedienti vel contemnenti usu liberæ voluntatis, reddit secundùm opera sua: parvulo autem incircumciso solùm pro delicto, quod est opus diaboli, quod ex Adam seminatus adtraxit, & circumcisione fraudatus non caruit, hoc in parvulo Deus odit & punit: ita nunc fit & in populo Christiano. Circumcisio enim illa octavi diei, figuram resurrectionis [f] diei Salvatoris & gratiam baptismi gestabat.

Vos autem, & si parvuli baptizati non fuerint, vitam illis promittitis æternam, quia scilicet Christi eis gratiam baptizatis nihil auferre, conferre creditis nihil. Si enim
Math. 9. 12. intelligeretis quare dixerit Christus, Non opus est sanis G medicus, sed malè habentibus: crederetis utique, non eos sanos, sed vulneratos medico Salvatori ad stationem baptismi sanandos offerri; nec habituros vitam, nisi ipsius qui est vita manducaverint carnem, & sanguinem biberint. Ipse
Johan. 6. 54. enim dixit, Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &

A biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam [g] in vobis. »
Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, »
habet vitam æternam. Quomodo igitur vitam regni cælorum promittitis parvulis, non renatis ex aqua & Spiritu sancto, non cibatis carne, neque potatis sanguine Christi, qui fusus est in remissionem peccatorum? Ejus enim edictum est: Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum cælorum. Johan. 3. 5. Intrare quippe in regnum cælorum non aliud est, quàm vitâ beatâ vivere, quæ permanet in sæcula sæculorum. Ecce non baptizatus, vitali etiam cibo poculoque privatus, dividitur à regno cælorum, ubi fons viventium permanet Christus. B Da mihi præter hunc alterum locum, ubi vitæ possit requies esse perennis. Primum enim locum fides catholicorum divina auctoritate regnum credit esse cælorum, unde, ut dixi, non baptizatus excipitur: secundum, gehennam, ubi omnis apostata vel à Christi fide alienus æterna supplicia experietur: tertium penitus ignoramus, immo nec esse in scripturis sanctis inveniemus. [h] Finge Pelagiane locum ex officina perversi dogmatis tui, ubi alieni a Christi gratia vitam requiei & gloriæ possidere parvuli possint. Dextera est justi sedentis judicis & sinistra, regnum est & gehenna, vita est & mors, justi sunt & iniqui. In dextera igitur justi sunt constituti, in sinistra operarii iniquitatis: in C regno requies baptizatorum, in gehenna pœna incredulorum: vita ad lætitiam gloriæ, mors ad fletum & stridorem dentium: justi in regno Patris cum Christo, iniqui in igne æterno parato diabolo & angelis ejus. Sed hæc dicens, non divisiones locorum multorum dedi, nisi duorum tantùm; quoniam ad duo, regnum videlicet & gehennam, hæc omnia referuntur, etiam si plura dicantur. Dextera enim, vita, justi, vel si, ut dixi, addamus, justitia, sanctitas, beatitudo, & cetera bona ad regni cælorum requiem referuntur: sinistra verò, id est, ii qui sinistræ adstabunt, iniqui, mors, injustitia, dolositas, impietas, & quantalibet mala ad gehennæ tormenta, ubi mors quæ secunda di- D citur non finitiva, sed cruciatu durabilis erit. Qui baptizatus ergo non est, in iis quæ sunt regni cælorum, non potest reperiri: & si non ibi, quia verè non ibi, putasne Pelagiane jam sentis ubi? aut certè dic ubi.

CAPUT VI. Johan. 14. 2. RESPONDE more illo solito: *Dominus inquit, In domo Patris mei mansiones multæ sunt. In his mansionibus, suas habent vitæ & refrigerii non baptizati parvuli mansiones.* Hiccine est, putas, ille tertius locus, quem fingendum ante paululum ex officina dogmatis tui poposceram? Percutiat Psal. 2. 9. & 8. hoc opus virgâ suâ ferreâ Christus, qua gentes hereditatem suam & possessionem suam terminos terræ regit; quâ E probat vasa misericordiæ suæ, & reprobat contumeliæ: ut si manserit inquassatum, permittat illic susceptos vestros, quibus sine illo vitam promittitis parvulos habitare. Dic, age, adesto assertioni tuæ, refelle meam. Mansiones istas multas, quas in medium protulisti de thesauris Evangeliorum, certum est veritate dicente, esse apud Deum Patrem: sed quæro abs te, utrùm sint in regno cælorum, an foris? Pater enim Deus in regno cælorum est, & illic sunt hæ utique mansiones. Si verò in regno cælorum non sunt: ergo Pater alienus est à regno cælorum: quia, ut dixit, ubi Pater est, ibi & multæ sunt mansiones. Quid dicis hæ- F retice? Unum elige è duobus cujus partis defensor exsistere possis. In regno est Pater & mansiones, an extrà? Si dixeris, in regno: perdidisti locum, quem multâ fabricaveras arte parvulis. Non enim intrat in mansiones istas non baptizatus: quia qui dixit, In domo Patris mei mansiones multæ sunt: ipse dixit, Qui non renatus fuerit ex Johan. 3. 5. aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cælorum. Ecce virga fortis Christi, quomodo comminuit opus tuum. Si autem dixeris, foris: adtende quid respondeas Manichæo. Aliquo enim bello secundùm te superatus ab aliquo Pater G * exceptus est de regno cælorum, nec ad eum opus Filii sui * f. ejectus pertinet baptismus parvulorum, nec ad Christum etiam mansiones Patris: ac per hoc divisum est regnum eorum. Christus enim recipit baptizatos in regnum cælorum: Pater non baptizatos in mansiones loci sui. Ecce quales sensus imprægnata à diabolo peperit hæresis vestra: ecce offi-

a Plures MSS. omittunt, *&*.
b Hic additur, *scientiâ* ex MSS.
c Colbertinus codex, *in quam*. Alii MSS. *quia*.
d In MSS. *Hoc enim soletis dicere, diligentes eum scilicet ore vestro*, &c.

e Editi & nonnulli ex MSS. *injusta*.
f Sic MSS. At editi, *Domini Salvatoris*.
g Editi & aliquot MSS. addunt, *æternam*.
h Omnes MSS. addunt, *vel reperiemus*.

cina

cina illa Pelagiana, sive Cælestiana, de qua nimiùm docti & acutuli ad interitum processistis, qualem locum miseris parvulis fabricavit, ut & Pater videatur regno exclusus, & Christus à mansionibus Patris? Quid deinceps à vobis decepti facient parvuli, quos catholica ratio sine medico Christo in mansiones Patris vobis docentibus non sinit introire? Quibus dum absque Christo promittitis vitam, aufertis vitam: dum sanos [a] pollicemini, ad mortem perducitis: dum spondetis requiem, præcipitatis in gehennam. Mansiones igitur istæ apud Patrem non sunt divisæ cellulis ad habitandum justis, sed conjuncta caritate bonorum præmia meritorum, quæ sunt in regno cælorum, quod est indivisum in possessionem [b] unitæ concordiæ deitatis, Patris & Filii & Spiritus-sancti: & non est ut quoddam grande palatium, unde concludi aut excludi possit: nec terminum habet, quomodo regnum terræ, ut ultrà regnandi non habeat potestatem. Ipse enim qui implet omnia & excedit omnia, Pater & Filius & Spiritus-sanctus, Deus unus est, omnia in omnibus, unum potens atque omnia potens, cujus regni finis non est. Magnus enim Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis: & regnum ejus regnum omnium sæculorum, & dominatio ejus in omni generatione & progenie. In parte verò gloriæ sanctorum & beatitudinis vitæ æternæ divisum à gehenna dici tantùm potest, unde impii & peccatores omnisque non baptizatus est separatus, & parti gehennæ est mancipatus: Dei autem potentia non in parte est, & in parte non est; quia & sanctorum requiei & peccatorum damnationi ipse regnat in sæcula sæculorum.

Psal. 47. 2.

Caput VII.

Sinite itaque parvulos venire ad Christum vitam, ut eis perditam per Adam medicinâ suâ redonet vitam. Venit enim non inaniter quærere & salvare quod perierat. Vos videbat præscientiâ suâ futuros hæreticos, vosque increpabat in Apostolis suis dicens, Sinite infantes venire ad me, & nolite eos prohibere; talium est enim regnum cælorum. Talium, ad comparationem videlicet ad se venientium dixit, non omnium parvulorum generaliter, etiam & qui in eo renati non sunt: ideo, Sinite, inquit, parvulos ad me venire, id est, nolite illos credere me non indigere; non enim possunt venire in regnum Patris mei nisi per me. Denique ait, Ego sum via, veritas & vita: nemo ad Patrem, nisi per me venit. Quomodo igitur eos non baptizatos in domo mansionum Patris mansuros creditis, cùm nemo vadat ad Patrem, nisi per Christum, qui via est: nemo æternam habeat vitam, nec maneat in veritate, nisi per ipsum, qui vita est & veritas? Sine me, inquit, nihil potestis facere. Nam sicut nemo venit ad Patrem, nisi per Christum; similiter nemo salvandus venit ad Christum, nisi adtrahente Patre. Ipse enim dixit, Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, adtraxerit eum. Et venire ad Patrem & Filium nemo potest, nisi operante Spiritu-sancto Patris & Filii, qui ubi vult spirat, & gratiam dividit singulis prout vult: quam [c] gratiam non à se dissociatam, sed indivisa [d] manu atque potentiâ in homine tota unus Deus & Trinitas operatur. Quisquis ergo opus in se non habet Trinitatis, id est, baptismum salutarem; æternam vitam cum viventibus sanctis in regno cælorum non potest adipisci. Baptismus enim Christi opus est Trinitatis, quia ipse est, dicente apostolo Paulo, plenitudo divinitatis: & non est, sicut & Petrus dicit in Actibus Apostolorum, in alio aliquo salus. Nec enim nomen aliud datum est sub cælo hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Ecce princeps Apostolorum Petrus in veritate loquitur veritatem, in nullo alio nomine hominibus datam sub cælo salutem, nisi in Christo: tu in mendacio da nomen aliud, quod salvare possit parvulos, minimè in Christi, qui est, sicut dixi, plenitudo divinitatis, nomine baptizatos. Quisquis enim in Christi tinguitur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, quod est plenitudo divinitatis, in remissionem peccatorum salutis gratiâ baptizatur.

Marc. 10. 14. *Luc. 18. 16.* *Joan. 14. 6.* *Joan. 15. 5.* *Joan. 6. 44.* *Coloss. 2. 9.* *Act. 4. 12.*

Caput VIII. In remissionem peccatorum quomodo dicant Pelagiani parvulos baptizari.

Et *nos*, inquies, sicut aliquotiens à vobis audimus, *in remissionem peccatorum, tam majores ætate quàm parvulos baptizamus.* Et cùm vobis ita contradictum à nobis fuerit, Ergo est peccatum in parvulis, quod eis in sacro baptismate remittatur? Respondetis, *Nullum: tantùm in adoptionem filiorum baptizantur. Habet enim in eis gratia quod adoptet, non habet unde quod diluat: propter solam verò Symboli formulam, ut tradita consuetudo servetur, tinguuntur in remissionem peccatorum. Majores autem propter quod usu liberi arbitrii peccata contrahere potuerunt, in remissionem peccatorum baptizantur.* O cæca vestrorum sensuum corda! O magisterium quod obvolutum mortali nebula vobis diabolus propinavit? Quis hoc catholicorum sapientissimus ferat? Quis vos non horreat potiùs nominare, quàm cernere, ut verbum Dei fidele in parte veri & in parte mendacii esse B prædicetis, id est, in majoribus verax, quia verè in remissionem peccatorum baptizantur, in parvulis autem mendax, quia sic in remissionem peccatorum, ut non in remissionem peccatorum tinguantur? Quando jam vel quid à vobis dicitur verum, aut dicetur, cùm in illo loco, ubi veritas Christus in Spiritu-sancto baptizans curat omnes ad se venientes peccati vulnere sauciatos, Deo mendacium dicere non timetis? Verba namque Dei sunt Symboli verba: non se fefellit Deus tradens per Apostolos suos Ecclesiæ suæ sanctæ catholicæ, credentes in remissionem peccatorum baptizari. Ut quid enim jussit in remissionem C peccatorum, si non facit verè remissionem? Immo ideo jussit, quia facit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.

Rom. 3. 4. *Psal. 115. 11.*

Omnino in remissionem peccatorum baptizantur & parvuli: alioquin non habebunt in regno cælorum vitam. Dimittitur enim eis regeneratione spiritali, quod traxerunt, ut sæpe dixi, ex Adam generatione carnali. Stulte hæretice, respice ad Jesum, qui propterea vocatus est Jesus, id est, Salvator: quia sicut dicit Evangelista, Ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Adtende edictui ejus: Non opus est sanis medicus, sed malè habentibus. D Et adversùs eum falsum de parvulis dicere conticesce, qui eis potum, non sanis, sed ægrotantibus baptismum in suo sanguine [e] procuravit: qui propterea catechizantur & exsufflantur ac baptizantur, ut princeps hujus mundi diabolus ex eis foras mittatur. Aut si non in illis diabolus exsufflatur, cujus opere, id est, vitio peccati per Adam tenentur obnoxii; dicite cur imagini Dei fit injuria? Vos verò, opinor, quòd eis baptismo vestro baptizandis minimè exsuffletis, ne non imagini Dei, sed diabolo faciatis injuriam. Aut si exsufflatis nullum, ut putatis, crimen habentibus, quem in eis urgeatis edicite. Exsufflatur ergo E & increpatur in eis in catholica Ecclesia opus diaboli, non quod ipsi sunt, sed quod in ipsis est. Ipsi enim quòd homines sunt, opus Dei sunt: quod verò in ipsis est peccatum, opus diaboli est; hoc in illis odit Deus, non ipsos opus suum. Ob hoc si indebitâ gratiâ ejus per baptismum mundati non fuerint, penitus Christianorum vitam non habebunt, in regnum cælorum non ingredientur, erunt autem illic ubi & incircumcisi parvuli Judæorum. Duas sanè fides & duo baptismata vos habere, si ipsi in tenebris ambulantes non cognoscitis, catholicorum nullus ignorat. Alia enim fide, ut superiùs ostendi, vobis dicentibus, ba- F ptizatis ætate majores, alia parvulos, cùm scilicet [f] verbo eos in remissionem peccatorum baptizatis, corde non creditis. Nos verò anathematizantes vos, Paulum in quo locutus est Christus, auscultamus prædicantem & sequimur, qui unum corpus & unum Spiritum esse dixit Ecclesiæ catholicæ in Christo, unam fidem, unum baptisma, unum Deum & Patrem omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.

Matth. 1. 21. *Matth. 9. 12.* *Ephes. 4. 4.*

G

HYPOGNOSTICωN LIBER VI.

In quo de Prædestinatione contra Pelagianos disputatur.

Caput I.

Licet latiùs de gratia & libero arbitrio jam superiùs disputatum sit: tamen addere etiam nonnihil quàm maximè huic operi oportet; ut & vestra calumnia, quam nobis objicere soletis, per illuminationem

[a] Editi, *pollicitatione.* Castigantur à MSS.
[b] Sic omnes MSS. At editi, *unicæ concordiæ.*
[c] Omnes MSS, *quam salutem.*
[d] Remigianus vetus codex, *indivisa manus atque unum potens.* Alii MSS. *indivisa manu atque unum potens.*
[e] In MSS. *procreavit.*
[f] Editi, *cùm scilicet verbum eos in remissionem peccatorum baptizatos percipere corde non creditis.* Castigantur ex MSS.

gratiæ Salvatoris revincatur, immo confutetur, & nostræ
fidei integritas comprobetur. Credere nos quippe vel præ-
a dicare [a] flagitatis, quia cum lege Dei & Prophetis, cum
Evangelio Christi ejusque Apostolis prædestinationem dici-
mus, eo *quòd Deus quosdam hominum sic prædestinet ad vi-
tam regni cælorum, ut si nolint orare, aut jejunare, aut in omni
opere divino vigiles esse, eos omnino perire non posse, nec pror-
sus debere sui esse sollicitos, quos Deus quia voluit, semel jam*
b *eligendo prædestinavit ad vitam: quosdam verò sic* [b] *prædestinet
in gehennæ pœnam, ut etiam si credere velint, si jejuniis, &
orationibus, omnique se voluntati divinæ subjecerint, in his
Deum non delectari, & vitam illis æternam in toto dari non
posse, sic electione prædestinatos esse, ut pereant. Deum nos ta-
liter operantem personarum esse dicere acceptorem.* Non mira-
mur vos de nobis, id est, homines de hominibus falsa
c posse confingere, cùm videamus vos sic à diabolo esse [c] fa-
scinatos, ut scripturas sanctas & veridicas ad voluntatis
vestræ intellectum mutare nitamini, fidem Christi Aposto-
lorum prædicatione fundatam evertere, falsum dogma
vestrum anteponere veritati. Hinc est utique, ut non pos-
sitis agnoscere veritatem; immo hinc est, ut corrupti &
abominabiles facti sitis in voluntatibus vestris. Inclinate
aliquantùm patienter aurem cordis vestri, & qualiter my-
sterium prædestinationis credamus, qualiterve prædicemus,
audite. Animositatem etiam contradicendi divinis eloquiis
deponite. Potestis enim dono Dei veritatem facilè reperi-
d re [d] vel agnoscere, si contentiosi disciplinæ silentio esse de-
stiteritis. Priùs ergo ipsum nomen prædestinationis quid
indicet, exponamus: deinde esse apud Deum, qui sine ac-
ceptione personarum est, prædestinationem divinarum scri-
pturarum auctoritate probabimus.

Caput II. Prædestinatio & præscientia.

e Prædestinatio quippe à [e] prævidendo & præve-
niendo vel præordinando futurum aliquid dicitur: & ideo
Deus cui præscientia non accidens est, sed essentia fuit
f semper, & est, [f] quidquid ante quàm sit præscit, præde-
stinat; & propterea prædestinat, quia quale futurum sit
Rom. 8. 29. præscit. Ideo & Apostolus, Nam quos præscit, inquit,
& prædestinavit. Sed non omne quod præscit, prædesti-
nat. Mala enim tantùm præscit, bona verò & præscit &
prædestinat. Quod ergo bonum est, præscientiâ prædesti-
nat, id est, priùs quam sit in re præordinat. Hoc cùm,
ipso auctore, esse cœperit, vocat, ordinat, & disponit.
„ Unde & sequitur, Nam quos prædestinavit, hos & voca-
„ vit, & quos vocavit, illos & justificavit, quos autem justi-
„ ficavit, illos & glorificavit. Jam igitur apertiùs disseramus
g quod loquimur, quomodo [g] humanum genus præscientiâ
suâ & prædestinatione Deus, in quo iniquitas non est,
utatur. Massæ itaque humani generis, quæ in Adam &
Eva prævaricatione damnabilis mortalisque facta est, non
h conditione divina, [h] generaliter ex debito pœna cruciatusque
gehennæ debetur; venia verò non merito, sed Dei justi
i judicis misericordiæ largitate. [i] Quia verò justus & mise-
k ricors Deus præsciusque [k] est futurorum, ex hac damna-
bili massa non personarum acceptione, sed judicio æquita-
l tis suæ irreprehensibili, [l] immo incomprehensibili, quos
misericordiâ gratuitâ præscit præparat, id est, prædestinat
ad æternam vitam: ceteros autem pœnâ, ut prædixi, de-
bitâ punit; quos ideo punit, quia quid essent futuri præ-
scivit, non tamen puniendos ipse fecit vel prædestinavit,
sed tantùm, ut dixi, in damnabili massa præscivit.

Caput III.

m Quod si à me quæris scire, cur [m] duos ita differentes
Deus fecit, si personarum acceptor non est, quia genera-
liter punire debet justitia, aut misericordia liberare: con-
tende cum Paulo; immo si audes, argue Paulum, qui di-
Rom. 9. 20. xit Christo in se loquente, O homo tu quis es qui respon-
„ deas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, ut

A quid me sic fecisti? An non habet potestatem figulus lu- „
ti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, „
aliud verò in contumeliam? Ego autem hoc dico quod di- „
xi, quia quidquid Deus agit, misericorditer, justè, sanctè-
que facit, quia solus ipse præsciendo scit, quod homo ne-
sciendo nescit. Quis enim cognovit sensum Domini, [n] qui „ Rom. 11. 34.
instruat eum? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis „ n
prior dedit illi, & retribuetur ei? Aut quis dicit ei, Quid „
fecisti? Non potest tantùm dici justus Deus, aut solùm
misericors, sed justus & misericors. Sic legimus, sic cre- Psal. 100. 1.
dimus. Propterea [o] quando illi cum David misericordiam o
& judicium cantamus, cantamus metuentes: non interro- p
B gamus quæ sit voluntas ejus [p] de judicio & misericordia
conquirentes.

Quòd si adhuc animositati tuæ, qua contentionis curru
raptus per quæstionum campos inanis efferreris, hæc mini-
mè responsa sufficiunt: audi & alia quæ de altitudine divi-
tiarum sapientiæ & scientiæ Dei, expavescentes incompre-
hensibilia judicia ejus & investigabiles vias ejus, sola tan-
tùm fidei consideratione proferimus: quia si scrutari vo-
luerimus secretum Dei, quod justitiæ ipsius solius notum
est, comprehendere non valemus, & impletur in nobis Psal. 63. 7.
quod scriptum est, Defecerunt scrutantes [q] scrutationem. q
C Quare? Quia accedit, inquit, homo [r] & cor altum, & r
exaltabitur Deus. Si fortè cùm sitis reprehensibiles, ju-
diciorum Dei esse vos comprehensibiles jactitatis, me-
liùs scilicet Deo placentes quàm Paulus apostolus, qui s
esse incomprehensibilia per [s] Spiritum-sanctum judicia
prædicavit. Pandite itaque quo judicio, ut dictum est
à Paulo & Barnaba prædicantibus verbum Dei in Ly- Act. 14. 15.
stris, in præteritis generationibus dimisit omnes gentes in-
gredi vias suas, ut idololatriâ simulacrorum perirent; &
unam tantùm gentem, id est, Jacob elegit sibi Dominus & Psal. 134. 4.
Israël in possessionem sibi; cui soli utique legem ad cogno-
scendum se, postpositis, ut dixi, ceteris generationibus dedit:
D vel cur iterum amissio facta est Judæorum, ut mundi fieret
reconciliatio, id est, omnium gentium, sicut dicit Aposto- Rom. 11. 15.
lus, Si enim amissio eorum reconciliatio mundi est, quæ
assumtio nisi vita ex mortuis? Quasi impossibile erat Deo
omnipotenti uno tempore universo mundo legem dare, sa- t
lutem gratiæ Christi conferre, vel, [t] ut citò dicam, ab
initio lapsûs Adæ id agere, quod diversitate temporum
fieri ejus arbitrio sedit. Docete etiam, quare misso à Spi-
ritu-sancto Paulo & Barnaba portare nomen Domini salu-
tis caussa in gentibus, cùm transirent prædicantes Phry- Act. 16. 6.
giam & Galatiæ regionem, vetiti sunt à Spiritu-sancto
loqui verbum Dei in Asia? Et cùm venissent in Mysiam,
E volentes ire Bithyniam, non permisit eos, inquit, Spiri-
tus Jesu.

Caput IV.

Sciebat, inquies, *Deus, quia credituri non essent, &* u
ideo non eos ire permisit ad loquendum verbum [u]. Stulte, Deus
est qui justificat impium, non præventus humana volun-
tate, sed ipse præveniens hominis voluntatem misericordiâ Psal. 58. 11.
suâ. Deus enim, inquit, meus, misericordia ejus præve- Jer. 31. 18.
niet me. Audi & alium Prophetam dicentem, Converte Jer. 17. 14.
me Domine, & convertar; sana me Domine, & sanabor. Rom. 3. 24.
Unde Apostolus, Justificati, inquit, gratìs per gratiam ip-
sius, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu. Audi,
F gratìs; & tace de meritis. Numquid prohibitio ista sancti
Spiritus aliud ostendit, quàm verbum Domini Jesu dicen- Johan. 3. 8.
tis in Evangelio, Spiritus ubi vult spirat? Hinc cogita,
hinc pande aliquid, quare ubi vult, & non ubique. Dicite x
etiam, quare prædicantibus prædictis Paulo & Barnaba
[x] apud Antiochiam Pisidiæ Judæis ac gentibus salutem,
nullus crediderit, nisi quos exinde Dominus præordinavit Act. 13. 48.
ut crederent. Sic enim de ipsis pagina sancta testatur: Et

a Editi, *suggillatis.* At nostri omnes MSS. *flagitatis*, id est, *infamatis* sive *accusatis*, ut in Tacit. lib. 17. *ut peculatorem flagitari jussit.* & Cic. 3. de Orat. *Admonitum te, non flagitatum venimus.* Ipsum verbum suprà lib. 3. cap. 3. idem quod *jactitatis* sonare videtur in eo loco: *Illud quod flagitatis voce superba, Si volo sanctus sum.*

b Sic MSS. At editi, *prædestinavit in gehennam.*

c Am. & MSS. *falsatos.*

d MSS. omittunt, *vel agnoscere.*

e In MSS. *à præmittendo.*

f Apud Lov. *sed essentia, fuit semper & est. Quicumque ante quàm sit, sic præscit prædestinat; & propterea prædestinat,* &c. Loci hujus in aliis etiam editis Am. & Er. depravati correctio hîc tentatur ex MSS.

g Editi, *erga humanum genus præscientiâ suâ & prædestinatione Deus generaliter.* At MSS. carent & adverbio *generaliter*, & præpositione *erga*: ut Deum intelligamus per suam præscientiam & prædestinationem uti humano genere. Verbum cum accusativo jungit rursum infrà, cap. 5. pag. 45. F.

h Sic MSS. Editi verò, *non conditione divina generaliter, sed ex debito,* &c.

i Hîc editi addunt, *confertur.* Abest à MSS.

k Editi, *præsciusque futurorum: omissio est*, quod ex MSS. restituitur.

l In editis omissum & hîc fuerat, *immo incomprehensibili.* Habebant omnes MSS. Ex his Colbertinus, pro *quos misericordiâ*, ferebat *quosdam misericordiâ.*

m In MSS. *cur duo ista differenter Deus fecit.*

n Editi, *quis instruxit eum.* At MSS. *qui instruat eum*: ut suprà lib. 3. c. 7.

o In MSS. deest, *quando.*

p MSS. *in judicio.*

q Sic MSS. At editi, *scrutantes scrutinio.*

r Editi, *ad cor altum.* At MSS. *& cor altum*: juxta Græc. LXX.

s Sic MSS. At editi, *per spiritum ejus judicia prædicavit. Perpendite itaque quo judicio dictum est à Paulo,* &c. *ut in idololatria,* &c.

t Sic MSS. At editi, *ut ita dicam.* Et infrà, *arbitrio cedit.*

u In editis additur, *Dei.*

x In MSS. deest *apud.*

crediderunt, inquit, quotquot erant præordinati ad vitam æternam, hoc est, prædestinati. Ecce in omnibus quæ ex auctoritate divina protulimus, habes misericordiam & judicium: & certum est, quia personarum acceptor non est Deus, nec cujusquam personam reveretur. (Rom. 2, 11.) Descende ergo, si vales, in profundum misericordiæ Dei: adscende, si sufficis, in altitudinem justitiæ judicii ejus: [a] distendere in longitudinem & latitudinem investigabilium viarum ejus: (Rom. 11, 33.) & si liquidò penetraveris, hæc nobis tam metuenda & incomprehensibilia secreta, de quibus Paulus expavit, ipse intrepidus pande.

Si autem, ut superiùs dixi, jactatus curru inanium quæstionum cadis in fluctus vanæ contentionis, & veluti navis deserta gubernaculo per diversa & incognita littora volveris, nec prorsus ibi prospere navigare potes: revertere & sede in portu fidei catholicæ, ubi te nulla possit [b] fluctuosæ curiositatis tempestas turbare vel mergere. Quantumlibet enim scire coneris, judicia Dei comprehendere non vales, nec valebis: (1 Cor. 2, 11.) quia sicut nemo scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus qui in eo est; ita & quæ Dei sunt, nemo scit nisi Spiritus Dei. Si qua ergo adtingere valuerimus, non nostrâ sollertiâ, sed dono Spiritûs-sancti revelata esse debemus agnoscere. Si autem scire non datur quod supra nos est, nec à nostra [c] pusillitate quæratur. Præceptum est enim ab scriptura sancta: (Eccli. 3, 22.) Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris in vanitate. & (Rom. 11, 20.), Altum sapere noli, sed time. Timendum est enim prorsus & venerandum profundum Dei, quod nos ritè fatemur investigare non posse. (Sap. 11, 21.) Omnia, inquit, in mensura & numero & pondere constituisti Domine. Quis igitur hanc mensuram, hunc numerum, & hoc pondus Dei sufficit comprehendere, ut constitutiones ejus universas in his tribus definitionibus valeat enarrare? In mensura puto quòd constet qualitas, in numero quantitas, in pondere ratio peræquata. Sed hæc tria, id est, qualitas & quantitas & ratio peræquata, in judicio & misericordia Dei constant: quia in his duobus terminis sanctis conclusa sunt, in quibus per hæc mundum constituit, gubernat, & judicaturus est. In his Deus judex justus comprehendi non potest, non potest reprehendi. Omnia ergo quæ superiùs diximus, vel dicemus, in claustro horum trium nobis nunc abscondita latent: quæ solis clavibus judicii & misericordiæ Dei tunc referabuntur, ut sciantur, quando ad adventum Domini (1 Cor. 4, 5.) illuminabuntur abscondita tenebrarum, & revelabuntur consilia cordium, ut sit laus unicuique à Deo vel pœna. Oportet igitur ut ad ea quæ superiùs disputare cœpimus, revertamur.

Caput V.

Diximus namque de damnabili humani generis massa Deum præscisse misericordiâ, non meritis, quos electione gratiæ prædestinavit ad vitam: ceteros verò, qui judicio justitiæ ejus ab hac gratia efficiuntur expertes, præscisse tantùm vitio proprio perituros, non ut perirent prædestinasse. Sed, ut dixi, quos in operibus impietatis & mortis præscivit, non præordinavit, nec impulit: in quibus Deum ad iracundiam provocantes, salutis fidem aut prædicatam sibi accipere nolunt, aut Deo judice non possunt, vel accepta malè utuntur, & ob hoc traduntur in reprobum sensum, ut [d] faciant ea quæ non conveniunt; his pœnam prædestinatam esse ritè fatemur. Quod ut probare valeamus, solum reor in exemplum sufficere Judam. Hunc enim Deus cùm præscisset in vitiis propriæ voluntatis pessimum fore, id est, electionem discipulatûs sui bene à Christo conferendam malè usurum, & avaritiâ ardentem pretio Judæis Dominum traditurum: pœnam ei prædestinavit ex merito, dicente per David Spiritu-sancto, (Psal. 108, 2.) Deus, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & dolosi super me apertum est: id est, Judæ vel Judæorum in Christum. (Matth. 26, 15.) Judæ, cùm dicit, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Et post pecuniæ sponsionem dans signum traditionis: Quemcumque, inquit, osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Ideo, super me, ait, apertum est. Cùm enim signum dedit, ore doloso aperuit quem tenerent. Judæorum quoque, cùm eum volentes dolo perdere, ut Evangelium pandit, clamaverunt dicen-
A tes: Crucifige, crucifige. (Johan. 19, 6.) Et post pusillum sequitur: Constitue super eum peccatorem, id est, super Judam, & diabolus stet à dexteris ejus. (Psal. 108, 6.) Cùm judicatur, exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies ejus pauci, & episcopatum ejus accipiat alius. Et post cetera quæ de eo sequuntur: Pro eo quod, inquit, non est recordatus facere misericordiam; & persecutus est hominem pauperem & egenum, & compunctum corde morti [e] tradidit; & sequentia reliqua, quæ in ejus prædicta sunt [f] persona. Nam sicut narrat liber Actuum Apostolorum, de eo prædicta & in ipso completa esse, sanctus probat apostolus Petrus, cùm loco ejus unum ex his qui cum Apostolis
B congregati erant, propter testimonium resurrectionis Jesu subrogari oportere denuntiat, dicens, (Act. 1, 16.) Viri fratres, oportet impleri Scripturam hanc, quam Spiritus-sanctus prædixit per os David de Juda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum, qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus. Notum autem factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Acheldemach, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum, Fiat
C commoratio ejus deserta, & non sit qui inhabitet in ea, & episcopatum ejus accipiat alius. Et post pauca sequentia: Statuerunt, inquit, duos, Joseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, & Matthiam: (Act. 1, 23.) & orantes dixerunt, Tu Domine qui corda omnium nosti, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus & apostolatûs, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum, & cetera. Ubi ergo commemoratio operum ejus malorum à sancto fit Spiritu in Psalmis; priùs quàm esset, præscitus est, non factus, quòd talis adversùs Filium Dei futurus esset. Si enim factus esset, inculpabilis esset, & Dei opificio reputaretur, non
D Judæ: injustè etiam in eum prolata damnatio esset. Sed absit hoc à summè bono judice, auctore omnium bonorum Deo, damnatore verò cunctorum malorum; quia mala Judæ, ut prædixi, præscivit, non fecit: & tamen in quibus præscivit, judicio justo tradens eum in reprobum sensum, ut impleret permisit. Et ideo permisit, quia per Spiritum-sanctum periturum antè prædixit. Quia sicut Christum oportebat pati per Judam, præcanente per Prophetam sancto Spiritu: ita oportebat perire Judam, eodem sancto Spiritu prædicente: de eo enim dictum est, (Johan. 17, 12.) Nemo periit, nisi filius perditionis. Nam pœnam illi prædestinatam pro
E malis suis, in quibus, ut sæpe dixi, præscitus est tantùm, non prædestinatus, illic [g] planè agnoscimus, ubi de eo dicitur ab apostolo Petro, (Act. 1, 25.) Ut iret in locum suum: translato scilicet in alterum honore episcopatûs ejus. Vel certè ubi legitur, quòd damnatus sit ante quàm natus, secundùm id quod disputatione prædiximus. Talis ergo periturorum omnium caussa est, licèt culpa sit à culpa dissimilis.

Caput VI.

Verum autem esse quod diximus, licèt planè sit disputatum, id est, perituris pœnam esse prædestinatam, audi apostolum Petrum, cùm futuros esse pseudoprophetas & magistros mendaces & apostatas in Ecclesia dicit, sicut fue-
F runt in populo veteri, (2 Petri 2, 3.) Quibus judicium, inquit, jam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Item Judas apostolus: (Judæ 4.) Subintroierunt, ait, quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc judicium, impii, gratiam Dei transferentes in luxuriam, & solum dominatorem & Dominum Jesum negantes Christum. Et Dominus in Evangelio peccatoribus: (Matth. 25, 41.) Ite in ignem æternum, quem paravit Pater meus diabolo & angelis ejus. Prædestinatis autem: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum paratum vobis ab origine mundi, id est, prædestinatum. Tenenda est igitur inconcussè hujus disputationis regula, quæ divinis testimoniis claruit, peccatores in malis propriis ante quàm
G essent in mundo, præscitos esse tantùm, non prædestinatos; pœnam autem eis esse prædestinatam secundùm quod præsciti sunt. Parvulos quoque non renatos ex aqua & Spiritu-sancto, prædestinatæ pœnæ esse obnoxios, qui præsciti sunt non in propriis voluntatibus, quorum nullæ sunt vel

[a] Editi, *descende in longitudinem.* Castigantur ex MSS.
[b] MSS. habent, *infructuosæ.*
[c] Editi, *à pusillanimitate*, &c. MSS. verò, *à nostra pusillitate quæratur. Prædictum est enim.*
[d] MSS. *ut non faciant ea quæ conveniunt.*
[e] In MSS. *tradere.*
[f] MSS. *in ejus prædicta sunt pœna.*
[g] In MSS. *plenè.*

bonæ vel malæ, nisi tantùm in Adæ peccato, quod traxe-
runt nascentes, & in hoc manentes, solverunt tempus vi-
tæ præsentis. Quid enim de his judicium justitiæ faciat,
quibus misericordia non subvenit, qui pura fide credit di-
Johan. 6. 54. centi Domino, Qui non manducat carnem meam, nec bi-
bit sanguinem meum, non habebit in se vitam; intelligit,
& à contentione recedit.

Qui verò secundùm propositum Dei vivunt, præscitos
esse & prædestinatos electione gratuitæ gratiæ ejus, & re-
gnum eis cælorum esse prædestinatum, sine dubitatione di-
cendum est. Hoc enim apostolus Paulus probat, cùm antè
eos prædestinatos & electos esse, quàm mundus constitue-
Ephes. 1. 4. retur, scribens Ephesiis dicit: Sicut elegit nos in ipso,
» id est, in Christo, ante mundi constitutionem, ut esse-
» mus sancti & immaculati in conspectu ejus in caritate,
» qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum
Christum in ipsum. Taceat humana lingua, nec prorsus in
prædestinatione de meritis extollatur. Adtende dictum:
ante mundi constitutionem. Divinæ voluntatis est hoc do-
num, non humanæ fragilitatis meritum. Denique adtende
» quid sequatur. In quo habemus, ait, redemtionem per san-
» guinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias
» gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis in omni sapien-
» tia & prudentia, ut notum faceret nobis sacramentum vo-
» luntatis suæ, secundùm beneplacitum ejus quod proposuit
» in eo, in dispensationem plenitudinis temporum instaurare
» omnia in Christo quæ in cælis & quæ in terra sunt in ipso.
a » In quo etiam [a] sorte vocati sumus, prædestinati secundùm
» propositum ejus, qui omnia operatur secundùm consilium
» voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus, qui antè
» speravimus in Christo. Audi, Secundùm divitias, inquit,
gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis, id est, qua præ-
venit nos, inquit, ut notum faceret nobis sacramentum
voluntatis suæ. Audi, Qui omnia operatur secundùm con-
silium voluntatis suæ: numquid meæ, vel tuæ, aut alterius,
b ut meritis constet? Absit: sed suæ, qua etiam [b] his quos
prædestinat, opera bona præparat voluntatis, ut in his am-
Ephes. 2. 8. bulent, secundùm quod in eadem epistola dicit, Gratiâ
» enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei
» donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius
» enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bo-
» nis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus. Audi, In
operibus bonis quæ præparavit Deus. Et si quid te boni
posse vides, age gratias præparanti quod potes, non pro-
priæ voluntati, qua omnino sine illo nihil potes, qui dixit,
Johan. 15. 5. Sine me nihil potestis facere.

CAPUT VII. NOLITE itaque putare, quòd hæc & hujusmodi dicen-
tes, liberum voluntatis amputemus arbitrium, cùm tamen
c constet ea quæ loquimur, ex auctoritate divina [c] pendere;
d velut nobis calumniam objicitis, [d] quòd operari bona, &
oportere esse in Dei proposito sollicitos prohibeamus.
Quin potiùs, qui se dono gratiæ ad Dei misericordiam
e sentiunt [e] pertinere, hortamur oportere incumbere oratio-
nibus, obsecrationibus, jejuniis, vigiliis, omnique operi
f voluntatis divinæ. Prædestinatis enim [f] dicitur Apostolis;
cùm tamen generale sit quod illis dicitur à Christo præde-
stinato secundùm carnem ex semine David, prædestinante
autem secundùm potentiam Dei Patris cum Patre & Spiri-
Matth. 26. 41. tu-sancto: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.
Lucæ 21. 36. Item, Vigilate in omni tempore orantes, ut digni habea-
mini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante fi-
Lucæ 13. 24. lium hominis. Item, Contendite intrare per angustam
Johan. 15. 14. portam. Item, Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego
præcipio vobis. Et multa alia, quæ longum est enarrare.
Ibidem 5. Sed, ut superiùs memoravi, qui eis dixit, Sine me nihil
potestis facere; per ipsum quæ jubentur facere possunt.
Hujusmodi in Christo esse electos Dei, ait Apostolus, in
quo prædestinati sunt secundùm propositum ejus qui om-
nia operatur. Intellige dictum, qui omnia operatur: &
crede esse opus Dei, opera eorum qui ambulant secundùm
propositum Dei.

Qui verò absque prædestinationis gratia sunt, id est,
alieni à proposito Dei, & perdurant in operibus malis, si
etiam ex hac migraverint vita, non eos dicimus, ut vos pu-

A tatis, *Ita à Deo [g] omnium opifice ordinatos ut perirent,*
tamquam ipse illis mores malæ vitæ creaverit, ipse ad om-
ne opus mortis invitos præcipitaverit. Absit hoc à divino
proposito. Non enim volens est iniquitatem Deus: nec Psal. 5. 5.
mandavit cuiquam impiè agere, nec alicui dedit laxamen- Eccli. 15. 21.
tum peccandi. Fecit enim ut essent omnia, & sanabiles Sap. 1. 14.
nationes orbis terrarùm. Invidiâ autem diaboli mors in- Sap. 2. 24.
travit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum qui sunt
ex parte illius. Nec dicimus, ut fingitis, *Etsi credere ve-*
lint, vel bonis operibus Dei vacare, Deum hoc illis nolle præ-
stare: cùm hujusmodi velle Dei sit donum. Si ergo ex
B Deo est quod volunt, vult Deus perfectum fieri quod do-
navit: si autem ex Deo non est, sed est de jactantia propriæ
voluntatis, qua se meritis Deum æstimant promereri, ma-
nifestè quod volunt capere non possunt; quia non volen-
tis, inquit Apostolus, neque currentis, sed miserentis est Rom. 9. 16.
Dei. Et quia non potest homo à se facere quidquam, nisi Johan. 3. 27.
datum illi fuerit desuper. Non hoc agit Deus summè bo-
nus malitiâ, sed justitiâ; nec personarum acceptione, sed
caussarum secretarum discretione. Novimus nonnumquam
quosdam volentes æternæ vitæ fidem accipere, & eam adi-
pisci; quosdam autem non. Aliquos etiam nolentes con-
C sequi, cùm in eis divina gratia, ut velint, mutaverit volun-
tatem, aliquos non. Novimus aliquos etiam perfectos ex
labore multorum annorum prolapsos in ultimo vitæ suæ,
& periisse. Aliquos verò ab ineunte ætate sua in omni
scelere & damnabilitate usque ad decrepitam ætatem per-
durasse, & repentè cælitus inspirata salute, raptos esse ad
requiem regni cælorum. Novimus etiam parvulos, quibus
usus liberi arbitrii non est, ut de bonis aut malis eorum me-
ritis judicemus, parentum manibus ad gratiam sacri baptis-
matis deportatos, & cùm in uno eorum per manus sacer-
dotis mysterium fidei adimpleretur, aliquotiens alterum in
D parentum manibus factum exanimem, fraudatum gratiâ
Salvatoris. Quis sapiens, & intelliget hæc? Aut quis ido-
neus erit horum reddere rationem? Dicamus cum David,
Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omni- Psal. 144. 17.
bus operibus suis. &, Quàm magnificata sunt opera tua, Psal. 91. 6.
Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Di-
camus etiam cum Paulo, O altitudo divitiarum sapientiæ Rom. 11. 33.
& scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus,
& investigabiles viæ ejus!

SED si adhuc hac reddita ratione vultis esse contentiosi, CAPUT VIII.
nec adquiescere [h] veritati; nobis tamen, eo quòd malè de
Deo justo ac misericordissimo sentiamus, calumniari desi-
E nite: sed ipsum potiùs Dominum Christum, cujus Evan-
gelium sequimur, si audetis arguite: cum illo jurgium su-
mite litigandi; illi, quod absit, malè sensisse de Deo Pa-
tre suo calumniamini, qui ait, Multi quidem vocati, pauci Matth. 22. 14.
autem electi. &, Nemo potest venire ad me, nisi Pater Johan. 6. 44.
qui misit me, adtraxerit eum. &, Nemo potest venire ad Ibid. 66.
me, nisi datum ei fuerit à Patre meo. &, Non omnes ca- Matth. 19. 11.
piunt verbum [i] hoc, nisi quibus datum est. Cetera etiam
quàm plura.

Falsum est ergo, inquies, *quod ait Apostolus de Deo, Qui* 1. Tim. 2. 4.
vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis suæ
F *venire?* Omnino non est falsum: quia omne quod vult
Deus, facere potest, nec prorsus humana voluntate præ-
peditur quod vult. Sed quæro à vobis ut dicatis, quare
Deus qui vult omnes homines salvos fieri, quorumdam,
ut dicit Isaias propheta, excæcat oculos ne videant, & ob- Isai. 6. 10.
durat cor ne intelligant, ne convertantur & sanentur?
Quod verum esse evangelista Johannes confirmat, dicens Johan. 12. 39.
de Judæis, Propterea non poterant credere, quia dixit
Isaias, Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, «
ut non videant oculis, & intelligant corde, & convertan- «
tur, & sanem eos. Item in Evangelio secundùm Marcum, «
cùm Jesum interrogarent discipuli sui de parabola seminis: Marci 4. 11.
G Vobis, inquit, datum est nosse mysterium regni Dei; illis «
autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, ut viden- «
tes videant & non videant, & audientes audiant & non «
intelligant, ne quando convertantur & dimittantur eis pec- «
cata. Dicite igitur, quare Deus, qui acceptor personarum
non est, & vult omnes homines salvos fieri, aliorum corda

a Editi omittunt, *sorte vocati.* Habetur in MSS. sed in his deest, *prædestinati.*
b Sic MSS. At editi, *etiam in his quos prædestinavit.*
c In MSS. *pandere.*
d MSS. omittunt, *quòd:* & habent, *operandi bona.*
e Editi, *pervenire.* Castigantur ex MSS.
f Editi, *dicit Apostolus:* mendosè & dissentientibus MSS.
g In MSS. *à Deo hominum opifice.*
h MSS. *adquiescere rationi.*
i In MSS. deest, *hoc,*

referat

referat ad credendum, oculos illuminat ad videndum & A ad sciendum mysterium regni cælorum, quo scilicet salvi fieri possint; aliorum verò, ut lectionis [a] textu prædixi, involvens in parabolis veritatem, obtundit cor, excæcat oculos, claudit aures, ne Evangelium salutis agnoscant, ne remissionem accipiant peccatorum? Dicite, quæso, qualiter hæc loca evangelica accipitis? Docete, quid hîc de Deo, qui vult omnes homines salvos fieri, sentitis? Ecce jam omnes generaliter salvi non sunt, cùm aliis datur viam nosse salutis, aliis non datur. Hæc itaque cùm facit Deus, non personarum acceptione facit, non injustitiâ; sed justitiâ inenarrabili, & misericordiâ indebitâ. Quoniam verò hinc liquidò utraque pars dicere nihil valemus, B credamus tantùm reum mortis ex judicis voluntate pendere. Ne quisquam autem putaret divino [b] vitio fieri, non
1. Tim. 2. 4. omnes homines salvari: dixit Apostolus, Qui vult omnes homines salvos fieri. Quapropter omnes homines qui salvantur, Deo volente salvantur. Deus enim noster Deus salvos faciendi, & Domini exitus mortis. &, Quia ira in furore ejus, & vita in voluntate ipsius. Intelligite itaque in furore justitiam, in voluntate misericordiam.

Psal. 67. 21. Psal. 29. 6.

Prædestinationem igitur negare, quam apud Deum esse breviter probavimus, [c] immane blasphemium est; quam non tantùm, sicut soletis dicere, in Apostolis debemus accipere; sed & in Patriarchis & Prophetis, in martyribus & confessoribus, in omnibus sanctis & dignè servientibus Deo. Hinc nemo glorietur, nemo desperet. Solus enim Dominus scit qui sunt ejus. In quantum autem possumus, omnes homines ad bonum opus exhortemur, nulli desperationem demus, pro invicem oremus, in conspectu Dei nos humiliemus, dicentes, Fiat voluntas tua. Ipsius erit potestatis, judicium in nobis debitum mutare damnationis, & gratiam prædestinationis indebitam prærogare.

2. Tim. 2. 19. Matth. 6. 10.

[a] Sic MSS. At editi, *ut lectionis textus dixit.*
[b] Sic MSS. At editi, *divino judicio.*
[c] Ita in omnibus MSS. In editis autem, *immanis blasphemia est.*

ADMONITIO
IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

OPUSCULUM *de prædestinatione & gratia, cujus initium est,* CùM in sacrarum voluminibus litterarum, *inter Augustiniana opera locum obtinuit in antiquis editionibus. At in illa editione quam postea Lovanienses Theologi adornarunt, tomo 7. rejectus est in Appendicem, inter subdititia opuscula, tamquam* suspecti auctoris *liber. Non esse Augustini vel ipsa dicendi ratio arguit, & evincit. Mittimus proinde argumenta alia, quibus eruditi facilè constituunt non adsignandum sancto Doctori. Sed præterire non licet, quod observatu dignum Bellarminus, Possevinus, aliique existimarunt, nimirum in eo libro quædam reperiri doctrinæ Augustini contraria, quæ Cassiani sensus redolere videantur. Nam ubi auctor explicare studet, quid ad bona opera gratia Dei conducat, quid verò pro sua parte conferat liberum hominis arbitrium, in capite 9. sic totum inter Deum & hominem partitur, ut Deo primùm tribuat vocare ac illuminare, homini deinde liberoque ipsius arbitrio eligere vias mandatorum Dei, tum Deo rursus in fine obedientiam coronare. In cap. 11. dicit ideo nos habere à Deo velle, quia vocat & illuminat, ideo ab ipso & perficere, quoniam ad nos pertinet conari bona, quæ & velle donavit. Item quòd Dei sit vocare seu jubere, hominis autem aperire & dilatare os, Dei postremò illud implere, seu promissum effectum adjungere. In cap. 12. proposito quodam pro Pelagianis argumento, non aliam (Bellarmini judicio) responsionem affert, quàm quæ ab ipso Cassiano redderetur. Cap. 15. quæstionem tractans cur Dei flagellis Pharao durior effectus, Nabuchodonosor verò ad pænitentiam adductus est, hunc nempe quia manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, finem diversum sortitum esse dicit; quasi pænitenti bonæ voluntatis initium, Deo perfectionem tantùm adsignari velit. Cap. 16. sentit homines aliquos, etiam si non essent peccato obnoxii, potuisse à Deo damnari: contra Augustini sententiam in lib. 3. adversùs Julianum cap. 18.* Bonus est Deus, *inquit*, justus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est. *Et in epist. 186. ad Paulinum cap. 6. num. 20.* Quemquam verò immeritum & nulli obnoxium peccato si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.

Fulgentio quoque episcopo Ruspensi suppositum erat hoc ipsum opusculum: injuriâ quidem, cùm Fulgentius Augustino ejusque placitis tamquam discipulus semper addictus fuerit. Is præterea hoc idem argumentum luculentissimè ac secundùm Augustini mentem tractat, tum in primo ad Monimum de duplici prædestinatione libro, tum in tribus libris quos ad Johannem & Venerium de veritate prædestinationis & gratiæ Dei inscripsit. Denique solet Fulgentius libros suos alicui nuncupare, exemplo & more Augustini: at iste liber nullius nomini inscriptus est, ut merito jure non modò catholicis illis doctoribus abjudicandus, sed scriptori cuipiam suspectæ fidei tribuendus existimetur.

DE PRÆDESTINATIONE ET GRATIA,
SUSPECTI AUCTORIS LIBER.

Caput I.

CUM in sacrarum voluminibus litterarum, seu futurorum quid prophetico spiritu prænuntiantibus, seu præteritorum historica veritate narrantibus, seu vitæ monita apostolicâ auctoritate tradentibus, aliqua veluti diversum sonante sententiâ vel movetur lector, vel sollicitatur auditor, certa & inconcussa fide cognitum tenere debet, unius atque ejusdem spiritûs, & ejus præter quem nihil est veritatis, apertiùs alibi, paulò occultiùs alibi sonare mysteria: ac proinde si quid occulta significatione suspensum, aut à conscribente brevi- C ter indicatum, minúsque quàm humani cordis obtunsio poscebat, expositum est, hîc lucidiùs apparere, ibi altiùs latere, nusquam deesse noverit veritatem. Quòd si etiam pro magnitudine rei, de qua quæritur, non facilè intellectus sensibus quærentis occurrit, maximè si de incommutabili voluntate omnipotentis Dei diversum sonet canonicæ auctoritatis utraque sententia: ita sunt omnia ad pietatis regulam dirigenda, ut nec injustum Deum esse, nec merita singulorum [a] confusa quadam personarum acceptione taxantem, nec infirmum, qui quod voluerit non valuerit explicare, inconcussa definitione teneatur.

[a] Victorini codices omittunt, *confusa.*

CAPUT II.

SUB hujus igitur definitionis jugo, ne in sacrilegam temeritatem malè libera colla luxurient, quæstionis hujus, quantum Deo donante possumus, occulta memoremus, quam beatus apostolus Paulus diversis in locis, non parum etiam discrepantibus verbis studiosis proponit scrutatoribus, eisque per ipsam loquitur veritatem. Sententiam si quidem in Dei gratia, præcedente latissima & robustissima disputatione confectam, ita concludens, ait,

Rom. 9. 18.

Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat. Cùm in alia epistola de divina

1. Tim. 2. 4.

benevolentia ipse sic dicat, *Qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Occurrit enim, cur pereant ex his aliqui, cùm omnipotens Deus omnes homines salvos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire: deinde cur rursus induret alios, misertus aliorum; aut quomodo omnes salvos fieri velit homines, cùm ipse nonnullos ne salventur induret. Hoc quantum ad humanam justitiam videtur injustum. Sed quis ita desipiat, vel potiùs quis ita blasphemet, ut dicat de justitia Dei, lege humanæ justitiæ disputandum? quæ profectò si justitiæ Dei adversatur, injusta est. Ab illo enim qui summè justus est, omne quod qualitercumque justum est, manare manifestum est. Quis ergo erit qui incommutabiliter manentem, & omnia quæ sunt condentem, regentem atque servantem Dei sapientiam, humanæ sapientiæ pendat arbitrio? De qua idem Apostolus dicit,

Rom. 8. 7.

Quia sapientia carnis inimica est Deo. Et alibi:

1. Cor. 3. 19.

Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Non est ergo de illa majestate divinæ sapientiæ humanæ vanitatis arbitrio disputandum.

CAPUT III.

SI quis autem peccata sua ita nutriendo, figurâ, vel umbrâ, vel typho superbiæ blandiente decipitur, ut dicat, quod nonnullos esse dicturos statim vidit beatus Apostolus: subjunxit enim,

Rom. 9. 18.

Dicet aliquis, Si cujus vult miseretur, & quem vult indurat, quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit? Noverit hac plus nos ad humilitatem ac pietatem cogi artarique sententiâ. Cùm enim totum ad Deum referens, humanis viribus neget doctor amplissimus, quid aliud quàm ut in Deum toto corde suspensi, ab eo salutis auxilium postulemus, hortatur? Quem ergo movet hæc in divinæ gratiæ dispensatione diversitas, & injustum putat negari alteri quod alter acceperit; intelligat quemadmodum divinitus dixerit Psalmista,

Psal. 24. 10.

Universæ viæ Domini misericordia & veritas: atque agnoscat tali Deum agitare res humanas judicio, ut debitas pœnas aut justè reddat aut misericorditer donet. Vitiatæ enim radicis macula ita propaginis traduce per generationum sarmenta diffusa est, ut

Job. 14. secundùm LXX.

nec infans quidem unius diei à culpa sit primæ prævaricationis alienus, nisi per indebitam Salvatoris gratiam fuerit liberatus. Quòd si nec hic quidem sine peccato est, qui proprium adhuc habere non potuit; conficitur ut illud traxerit alienum, de quo Apostolus dicit,

Rom. 5. 12.

Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Quod qui negat, negat profectò primùm nos esse mortales. Si enim, ut dicit Apostolus, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors:* mors intrare non potuit, nisi intrante peccato. Et quoniam mors non naturæ conditio, sed pœna peccati est, sequatur necesse est pœna peccatum. Quia verò in omnes homines mors pertransiit, in omnes necesse est pertransisse peccatum. Peccatum quomodo cum parvulis originale nascatur, carnis oculis videre non possumus. Quia verò omnes ex Adam carnaliter natos, etsi illi jam etiam [a] in Christo renati sunt, videmus mortis lege constringi: per hoc quod videmus illud quod non videmus cogimur confiteri. Faciliùs enim fieri posset, ut quamvis [b] transeunte peccato, pœna minimè sequeretur, quàm ut nulla communicatione peccati partem sumat pœnæ, qui non habet culpæ. Si ergo, ut apparuit, de prævaricatoris semine omnes nascimur debitores; (quoniam

Ibidem.

in ipso omnes, ut ait Apostolus, *peccaverunt*) & ipsa jam à principio unde descendimus, massa damnata est: nullus de duritia sua, nullus de pœna conqueri audeat, quæ etiam non exsistentibus peccatis propriis, sola nascendi conditione debetur. Quòd verò Deus aliis gratuita vocatione conversis, misericordiam largitur indebitam, non ad dispensatoris injustitiam, sed ad donantis misericordissimam

A [c] largitatem, veritatis ratione referendum est. An audebit debitor creditorem iniquitatis arguere, si alteri donans, ab eo quod debebat exegerit? Si ergo inter contractus hominum, nullus ex hoc præscriptionis locus est, ut à se dicat debitor injustè exigi, quia scit alii debitori ab eodem quod debebat creditore donatum: quis in tantam insaniam profanæ vocis erumpat, ut injustitiæ Deum arguat, si uni indebitam donaverit gratiam, alteri reddiderit debitam pœnam?

CAPUT IV.

Rom. 9. 18.

ITAQUE ex superiore hujus parte sententiæ, quæ dicit, *Cujus vult miseretur:* puto quòd nullus nisi indignus misericordiâ audeat disputare. Quod verò sequitur, *Quem vult* **B** *indurat:* ibi paululùm humanæ mentis intentio verbi novitate confunditur. Sed non ita intelligendum est, quasi Deus in homine ipsam, quæ non esset, duritiam cordis operetur.

Duritia cordis quid sit.

Quid enim aliud est duritia, quàm Dei obviare mandatis? Unde illud beatus Stephanus dicebat ad populum,

Act. 7. 51.

Dura cervice, & non circumciso corde & auribus, vos semper Spiritui-sancto restitistis. Quam qui à Deo fieri putat, propterea quod dictum est, *Quem vult indurat:* ipsum prævaricationis intueatur exordium, & Deo dante mandatum, qui transgressionis culpam in [d] corde fuerit operatus adtendat: quamvis ne ab ipso quidem, si negaret assensum, potuit tentatore compelli. Ergo quidquid post illam **C** prævaricationem natus supplicii homo patitur, justè reddi meritòque fateatur.

Quo sensu indurare, excæcare, repellere dicitur Deus.

Indurare enim Deus dicitur eum, quem mollire noluerit. Sic etiam excæcare dicendus est eum, quem illuminare noluerit. Sic etiam repellere eum, quem vocare noluerit.

Rom. 8. 30.

Quos enim prædestinavit, illos & vocavit: & quos vocavit, illos & justificavit. Ipse dedit ut simus, ipse ut boni esse possimus.

CAPUT V.

PRÆSCIVIT nos ejus divinitas, sapientia condidit, justitia damnavit, gratia liberavit. Mundus enim quamvis pro tempore ex quo factus est cœperit, in illa divinæ præscientiæ luce faciendus nullum potuit habere **D** principium: & quanticumque vel ex Adam usque in hodiernum diem homines nati sunt, vel post nostram ætatem generationis sunt propagine nascituri, apud Deum & jam nati sunt, & decurso totius vitæ tempore transierunt, in illo nihilo minùs divini obtutûs lumine permanentes. Deus enim qui nec loco clauditur, nec tempore prævenitur, omnium rerum tam præteritarum memoriâ, quàm imminentium scientiâ plenus est, nec reminiscens volvitur in præteritum, nec sperans tenditur in futurum. Et quæcumque omnino sunt, quæ temporum motibus agitantur, ab eo

Johan. 1. 1.

principio in quo erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, usque in finem omnium sæculorum:

Exod. 15. 18.

E (De quo fine cùm diceret beatus Moyses, *Domine*, inquit, *qui regnas in sæculum & sæculum, & adhuc:*) nec sperantur futura, nec præterita transierunt, sed in præsentia divinitatis præsente semper luce cernuntur. Ab illo ergò quia æternus & præscius, quia & justus & pius est, qui exercet debitam severitatem, & exhibet indebitam pietatem, & habet in creandis atque eligendis hominibus, sicut in luto figulus, potestatem, facta sunt alia quidem vasa in honorem, alia verò in contumeliam. Ante quàm faceret nos, præscivit nos, & in ipsa nos præscientia, cùm nondum fecisset, elegit. Sed à quo hoc fieri potuit, nisi

Rom. 4. 17.

ab eo *qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt?*

Ephes. 1. 4.

F Apostolus enim dicit, *Qui elegit nos ante mundi constitutionem.* Intra mundum facti sumus, & ante mundum electi sumus: atque ita uno eodemque, nec transeunte, nec futuro, sed continuo tempore, vel si quo alio modo dici potest, si tamen potest, apud Deum est & præscire, & facere, & eligere, & præscientiâ suâ incommutabiliter permanente eligere faciendos, quos facturus fuerat eligendos. Hæc quidem quantum ad fidei regulam, Deo illuminante [e] prædicta sint.

CAPUT VI.

Rom. 8. 30.

SED jam video quid etiam hinc calumniosa pravitas possit opponere. Sequitur enim, ut si eos quos prædestinavit, illos & vocavit; & si eos quos vocavit, illos & **G** justificavit; qui nec prædestinati, nec vocati, ac per hoc nec justificati sunt, ab omni culpa debeant esse innocentes, injustèque ab eis pro vitæ pravitate transactæ, in illo agnitionis die sint poscenda supplicia. Dicat istis Paulus apostolus:

Rom. 9. 14.

Numquid iniquitas apud Deum? Statim ipse respondeat: *Absit.* Cúmque hoc fuerit in hominis mente sana

a Fulgentiana editio hîc addit, *qui.* Et paulò pòst habet sic: *per hoc quod videmus semper parvulos mori, cogimur confiteri semper parvulos nasci cum peccato originali.*
b In MSS. *manente peccato.*

c In MSS. *libertatem.*
d MSS. *in vecorde.*
e Corbeiensis MS. *piè dicta sint.*

Ibid. 18. pietate fundatum, quòd nulla ſit iniquitas apud Deum: ita intelligat, *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat;* quaſi diceretur, Cujus vult miſeretur, & cujus non vult, non miſeretur. Itemque hoc ipſum rurſus intelligat, quaſi diceretur, Ibid. 20. Cui vult donat, & a quo vult debitum poſcit. Quod qui dicere perſeverat injuſtum, ab Apoſtolo audiat, *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?* Congruè ſi quidem hujuſmodi impietatem apoſtolica reprehendit auctoritas, tantum de exaggeratione nominum pondus incutiens, cùm dicit, *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?* homo Deo, lutum figulo. Subjunxit enim idem Apoſtolus, *Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, Quare ſic me feciſti? Aut non habet* B *poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Si ergo habet, immo quia habet poteſtatem figulus luti facere ex eadem maſſa aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam: O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo, quia cujus vult miſeretur, & quem vult indurat?

Sed priùs quàm ad hujuſmodi concluſionem beatus Apoſtolus diſputationis ordine perveniret, hoc potiſſimùm de veteribus litteris ſumſit exemplum, in quo indurationem Ibid. 17. Exod. 9. 16. quæ à Deo fieri dicitur, edoceret. *Dicit*, inquit, *Scriptura Pharaoni, Quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te* C *virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra.* Induraſſe autem cor ejus Deus in eadem Scriptura apertiſſimè dicitur, cùm Moyſi de ſignis quæ in Ægyptios Exod. 4. 21. per eum facienda fuerant loqueretur. Sic enim dicit: *Ego autem indurabo cor Pharaonis ne dimittat populum.* Hinc jam per aperta ſe jactans calumniator aſtutus, juſtitiam Dei ad ſuum libret arbitrium, & quanta poteſt vociferatione reſpondeat, Rom. 9. 19. Si cujus vult miſeretur, & quem vult indurat, *Quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Hujus elationi Apoſtolus dicat, *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?* Qui autem piè quærens aliquid deſiderat invenire, D illum locum ejuſdem Scripturæ relegat, ubi primò Moyſi in rubo ignis apparuit, atque ita cor ejus ardore divinæ Pſal. 118. 46. caritatis ignivit, ut in conſpectu regum, ſicut David dicit, teſtimonia ejus ſine confuſione loqueretur; & ibi inveniet totum hoc, quòd induraſſe Deus cor Pharaonis præmittit, non ad operationem Dei, ſed ad præſcientiam perExod. 3. 19. tinere. Loquens enim Dominus de rubo, ſic dicit: *Ego autem ſcio quòd non dimittet vos Pharao rex Ægypti, niſi per manum magnam. Sed extendens manum meam, percutiam Ægyptios in omnibus mirabilibus quæ faciam, & poſtea dimittet vos.* Hæc prima vox Dei eſt, qua futuram voluntatem E Pharaonis, ſicut præviderat, indicabat. Poſtea jam inter Exod. 4. 21. ipſos miraculorum imbres dixiſſe legitur, *Ego autem indurabo cor Pharaonis, ne dimittat populum.* Ubi jam apertè intelligitur primam iteraſſe ſententiam. Quid eſt enim, *indurabo*, niſi, non molliam? Apparet enim in alios [a] manante juſtitiâ, in alios gratiâ profluente, Scripturæ illius ſenten-Rom. 9. 17. Exod. 9. 16. tiam fuiſſe completam, *Qua dicit Deus Pharaoni, In hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra.* Utente enim Deo bene etiam malis, induratione Pharaonis, flagellis Ægypti, & tot ac tantis in illa gente miraculis pariter acervatimque F peractis, quid aliud geſtum eſt, quàm ut Dei virtus apud ſe magna, in ſe plena, ad humani generis notitiam perveniret, non Deo, ſed ipſis relegentibus & credentibus profutura? Pharaonem non eſſe mutandum, & illam omnem gentem, quæ poſt tot verbera vix ſibi erutum populum Dei armis etiam inſectari conabatur & bello, altâ illâ Deus providentiæ ſuæ luce præſcivit. Sed periturorum interitum prædeſtinatis à ſe vaſis miſericordiæ ſalutis eſſe voluit argumentum, & aliorum perditione ad ſalutem uſus eſt aliorum: quia poteſtatem habet figulus luti ex eadem maſſa aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam facere.

Caput VII. G Hoc etiam divinæ poteſtatis in hominum electione judicium paulò antè commemorans beatus Apoſtolus, robuſtiſſimis monſtravit exemplis, cùm de Rebeccæ partu adhuc intra uterum conſtituto, totum ad Dei gratiam refe-Rom. 9. 10. rens, loqueretur. Sic enim ait: *Sed & Rebecca ex uno concubitu habens Iſaac patris noſtri, cùm nondum nati fuiſſent, nec aliquid egiſſent boni aut mali, ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum* A *eſt, quia major ſerviet minori: ſicut ſcriptum eſt, Jacob dilexi,* Malach. 1. 2. *Eſau autem odio habui.* Statimque ſubjecit, *Quid dicemus? Numquid iniquitas apud Deum?* Neganſque reſpondit, *Abſit.* Ut jam cetera quæ ſequuntur, ad hanc ſententiam ſuſpenſa referantur, & relata ſolvantur, qua negavit apud Deum eſſe iniquitatem. Sed hîc quid egerit apoſtolicæ diſputationis intentio, ſatis admodum claret. Non ſolùm enim fratres, ſed & geminos; nec ſolùm geminos, ſed uno etiam concubitu fuſos in utero comparavit: ut quoniam in nondum natis nondumque aliquid operatis nulla eſſe poterant momenta meritorum, ne ex parentum quidem meB ritis, quæ diverſo tempore varia eſſe potuerunt, aliquid contra gratiam relinqueretur obſtaculi. Quæ utique parentum merita, etiam ſi permittamus divinum parvulis vel avertiſſe vel conciliaſſe præſidium, ſeu bona, ſeu mala, circa geminam prolem, quæ eodem concepta concubitu, eodemque in lucem projecta momento eſt, paria eſſe debuerunt. Quòd ſi futuros eorum mores dicitur divinum diſcreviſſe judicium, profectò illud evacuabitur quod præmiſit Apoſtolus dicens, *Non ex operibus, ſed ex vocante di-* Rom. 9. 12. *ctum eſt, quia major ſerviet minori.* Non enim ait, ex præteritis operibus: ſed cùm generaliter dixerit, *Non ex operibus;* ibi & præterita intelligi voluit, & futura; præterita C ſcilicet quæ nulla erant, futura quæ nondum erant. Prædeſtinatus eſt ergo Jacob vas in honorem, ſed non ex operibus: quia *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, Major ſerviet minori.*

Caput VIII. Et ne fortè vaſa in honorem prædeſtinata, ſuis aliquid viribus tribuendo, negarent [b] gloriam Creatori; alio ea loco Apoſtolus vaſa miſericordiæ nominavit, ut totum quidquid eſſent, ſecundùm miſericordiam ſe eſſe cognoſcerent. Sic enim & alibi dicit idem Apoſtolus: *Et hoc non ex vo-* Epheſ. 2. 8. *bis, ſed Dei donum eſt.* Beatus etiam Moyſes in Deuteronomio dicit ad populum, *Et ne dicas in corde tuo, Fortitu-* Deut. 8. 17. D *do mea & potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc: ſed memoraberis Domini Dei tui, quia ipſe tibi dat fortitudinem, facere virtutem, ut ſtatuat teſtamentum ſuum quod juravit patribus veſtris.* Item paulò pòſt ibidem ad eos: *Ne dicas*, inquit, *in corde tuo, cùm conſumſerit Dominus* Deut. 9. 4. *Deus tuus gentes iſtas ante faciem tuam, dicens, Propter juſtitias meas induxit me dominus hereditare terram bonam iſtam. Non propter juſtitiam tuam, neque propter ſanctitatem cordis tui intras hereditare terram eorum, ſed propter iniquitatem gentium iſtarum Dominus diſperdet eas à facie tua.* Ecce quàm antiquum Spiritus-ſancti dogma, non ſolùm in apoſtolicis E litteris prædicatum, ſed etiam in propheticis atque in ipſis Iſraëlitici populi exordiis ſancti Spiritus voce firmatum, novellæ præſumtionis [c] impietas conatur evertere. Clarè ſi quidem in uno atque eodem Scripturæ loco, bonitatem & ſeveritatem Dei Propheta beatus oſtendit, dicens, non propter juſtitias ſuas populo hereditatem terræ illius reddi, ſed tantùm gratiâ [d] miſerante donari, illos autem propter injuſtitias ſuas pelli. Ecce in illis juſtè punitur iniquitas, in iſtis gratìs nulla juſtitia muneratur. Nec ſuffecit beato Moyſi quod dixerat, non propter merita ipſorum hereditatem terræ illius Iſraëlitico populo fuiſſe conceſſam, niſi F etiam adderet quod adjunxit, unde eos omni bono monſtraret indignos. Sequitur enim poſt illud quod ſuprà memoravimus: *Et ſcies hodie, quia non propter juſtitias tuas* Ibidem 6. *Dominus Deus tuus dat tibi terram iſtam bonam hereditare; quoniam populus duræ cervicis es tu.* Quis hîc ſecundùm debitum præcedentium meritorum mercedem redditam dicat? Quis non gratiam fateatur indebitam? Quotiens ait Propheta, *Tentaverunt eum in deſerto?* Quotiens iracundiam Pſal. 94. 9. Dei cordis averſione meruerunt, & ſalvavit eos propter Pſal. 105. 8. miſericordiam ſuam, ut notam faceret potentiam ſuam? Hoc iterum Apoſtolus dicit: *Suſtinuit in multa patientia* Rom. 9. 22. *vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias ſuas in vaſa* G *miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

Caput IX. Ne verò rurſus homo in ultimam fæcem deſidiæ reſolutus, arduum virtutis iter, & quamvis adjuvante gratiâ Dei, non niſi labore gradiendum, inerti ſibi crederet poſſe deferri, & nullius laboris induſtriam ſtudio ſui profectûs adhiberet, ita inter ſe atque homines Deus tempora officiaque diſtribuens ordinavit, ut vocatione ipſius bonorum principia ſumeremus; vocati autem atque illuminati, vias

[a] In MSS. *manente.*
[b] Sic MSS. At editi, *gratiam Creatoris.*
[c] Editio Fulgentiana, *impetus.*
[d] Eadem edit. Fulg. *miſerantis.*

mandatorum ejus [a] rationis ingenitæ intelligentiâ noſceremus, & eas libero vel eligeremus vel relinqueremus arbitrio. Quas tamen ſi ipſius fulti adjutorio continua devotione ſequeremur, in fine rurſus non repugnantem mandatis ſuis, ſubjectam in nobis obedientiam coronaret. (Liberum arbitrium ad peccandum ſibi ſufficit.) Liberum verò quod ab eo habemus arbitrium, prono ad nequitiam lapſu fluit; & cùm ad virtutis indolem Dei auxilio deſerente nihil poſſit, ad genus omne peccati idonea fultum virtute ſubſiſtit. Trahit enim lex in membris nata peccati, & Deus à leni jugo mandatorum ſuorum levique ſarcina recedentes, atque in peccati duriſſimam ſervitutem libero à juſtitia voluntatis arbitrio defluentes, ſecundùm ſuam juſtitiam derelinquit. Eos verò qui vocationis munus congrua pietate ſuſceperint, qui carnalibus non ſubjugantur illecebris, qui jactantiæ vitio, avaritiæ facibus, vento ſuperbiæ caruerunt, & quantum in homine eſt, Dei in ſe dona ſervantes ad ſpiritalia exercitia omne ſtudium contulerunt, & in agone hujus vitæ certantes adjuvat, & coronas vincentibus largitur æternas: ipſe rurſus delinquentes deſerit, reſiſtentes indurat, contemnentes condemnat.

Caput X. De horum graduum diſtributione, qua vel in nobis Deus operatur, vel nos jubet aliquid operari, ipſum interrogemus de cujus verbis orta eſt quæſtio, quam, ſi Dominus adſit, enodare conamur, ut ejus ſenſibus per diverſa volumina, variâ quidem locutione, ſed unâ atque eadem intentione digeſtis, ſi quid in hoc loco latet, alterius ſententiæ collatione referetur. Vocatum à Deo apoſtolum Paulum vel in eo libro legimus, ubi ejus geſta [b] canonica veritate narrantur, vel ipſe in epiſtola ſua confitetur, dicens, (Rom. 1. 1.) *Paulus ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus.* Secundo autem loco vocationem ſecutus, & totum quod in homine fuerat operatus, ipſe ſic dicit: (1. Cor. 15. 10.) *Plus omnibus illis laboravi.* Sed ne hoc ipſum quidem ſibi tribuens, ſollicita pietate ſubjunxit, *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Jam ergo & vocato & vocationem per opera juſtitiæ ſubſecuto, quid ſupererat aliud, niſi ut liberatus de corpore mortis hujus, ad illius alterius vitæ, quæ ſanctis omnibus Veritatis ore promiſſa eſt, beatitudinem perveniret? Quod nullis humanis meritis reddi, ſed Dei docens gratiâ largiente donari, ſibi ipſe reſpondet, poſt gemitus quibus dixerat, (Rom. 7. 24.) *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore hujus mortis? Gratia Dei*, inquit, *per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Hanc itaque diſtributionem, qua diximus à Deo homines nullis exſiſtentibus meritis vocari, & vocatos ut boni aliquid operentur Dei adminiculis adjuvari, ſumto de veteribus litteris Apoſtolus monſtrat exemplo: poſt quàm illam de duobus geminis electionem, omni repulſa laude meritorum, ad Dei gratiam judiciumque retulerat, videns quid impia poſſet blaſphemare garrulitas, dixit, (Rom. 9. 14.) *Numquid iniquitas eſt apud Deum?* Et ſequitur, *Abſit.* Et quaſi diceretur ei, Unde probas? Parum putavit auctoritatem ſuæ valere doctrinæ, niſi ſententiam ſuam etiam legis doceret exemplo. Sic enim intelligi voluit quod Moyſes dixerat, (Exod. 33. 19.) *Miſereor cujus miſerebor, & miſericordiam præſtabo cui miſericors fuero:* ut primam à Deo miſericordiam vocatione credamus hominibus prærogari, quæ ſola ad rectè vivendum non ſufficit, ſi deſerat qui vocavit. Ideoque additum eſt, *Et miſericordiam præſtabo cui miſericors fuero:* ut à Deo accipi manifeſtum ſit etiam ipſa miſericordiæ opera, quæ cùm videmur impendere, Dei miſericordiam promeremur. Sic enim in Evangelio dicit: (Matth. 5. 7.) *Beati miſericordes, quoniam ipſis miſerebitur Deus.* Quod niſi ſic intellexiſſet Apoſtolus, numquam [c] probationis gratiâ, diſputationi ſuæ hoc teſtimonium curaſſet inſerere.

Caput XI. Si quem verò movet, quòd non omnes etiam de his qui jam vocati ſunt, ad ſecundam gratiam, id eſt, ad rectè vivendi donum pervenire mereantur, ſicut Dominus in Evangelio dicit, (Matth. 20. 16.) *Multi ſunt vocati, pauci verò electi:* hinc intelligat, quale ſit quod contra Dei gratiam defenſare molitur, qui de libero ſibi blanditur arbitrio. Quicumque enim divinæ vocationis munere derelicto, ad impiam rurſus defluxere perfidiam, ipſis, Dei [d] gratia deſerente, ad implendum quod voluerant ſuffecit arbitrium. Vide enim

A quemadmodum Pſalmiſta, miſericordiarum Dei ordinem, quem ex Moyſi ſenſu interpretatur Apoſtolus, prophetici ſpiritûs veritate decantet. *Audi*, inquit, *popule meus, & teſtificabor tibi.* (Pſal. 80. 9.) Quid eos volebat audire, quibus cum teſtificatione loquebatur? Quid utique, niſi mandata vitæ? Sed ſicut alius Propheta dicit, *Audi Iſraël mandata vitæ.* (Baruch. 3. 9.) Sed quæ ſint iſta mandata vitæ, Pſalmiſta ſubjungit, & ſequitur, *Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* (Pſal. 80. 11.) Et hæc eſſe mandata vitæ, in oratione qua diſcipulos ſuos Patri Dominus commendabat, oſtendit dicens, *Hæc eſt enim vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum,* (Johan. 17. 3.) B *& quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Poſt hanc vocationem illud ſequitur, quod & vult ad conatus hominum pertinere, & oſtendit ſine ſe non poſſe compleri: hoc eſt enim quod dicit Apoſtolus, *Quoniam ab ipſo habemus velle & perficere,* (Philip. 2. 13.) *pro bona voluntate.* Ab ipſo habemus velle, quia vocat & illuminat: ab ipſo perficere, quoniam ad nos pertinet conari bona, quæ & velle donavit. Nec incautè ab Apoſtolo, cùm dixiſſet, *Quia ab ipſo habemus & velle & perficere*; additum eſt, *pro bona voluntate:* ut etiam atque etiam videant, ubi habeant à Dei juſtitia liberum, de quo gloriantur, arbitrium. Sed illum ordinem, quo miſericordias diverſa Dominus temporum diſpenſatione diſtribuit, C ſicut Moyſen dixiſſe ſenſit Apoſtolus, etiam in [e] continua Pſalmi hujus oratione videamus. Quid enim ait, poſt quàm vocatos docuerat dicens, *Ego enim ſum Dominus Deus tuus,* (Pſal. 80. 11.) *qui eduxi te de terra Ægypti? Dilata*, inquit, *os tuum, &* (Confer Aug. lib. 2. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 9.) *ego adimplebo illud.* Hîc aliquid rurſus apparet homini fuiſſe ſervatum, quod per liberum facere deberet arbitrium. Dilatare enim jubetur os ſuum, ſed Deus ſe implere promittit. Sicut etiam diſcipulis ſuis in Evangelio dixerat, *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; non enim* (Matth. 10. 19.) *vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Hoc ſolum ad illos retulit, ut omnem tribulationis neceſſitatem libenter pro veritate ſuſciperent: pe- D nes ſe autem [f] promiſit effectum. Libero ergo qui locus reſervatur arbitrio, ubi ſine Dei adjutorio ad complendum quod voluerit rationali dignitate ſuffulta ſibi [g] ſufficiat ipſa humana natura, continuò Pſalmus oſtendit, *Et non* (Pſal. 80. 12.) *audivit populus meus vocem meam, & Iſraël non intendit mihi.* Quid dixerat, cùm vocaret: *Audi popule meus, & loquar; Iſraël, & teſtificabor tibi.* Quid teſtificans commendaverat mentibus audientium? *Dominus Deus tuus ego ſum.* Quid etiam ab ipſis fieri juſſerat, quos de terra Ægypti & ignorantiæ tenebris liberatos, in luce mandatorum ſuorum ſplendore vocationis eduxerat? *Dilata*, inquit, *os* E *tuum.* Statimque quaſi diceret, Sed dilatare te deſerente me, nihil proderit; ita addidit, *& adimplebo illud.* Quid ergo ille qui vocaverat, & vocatos docuerat, querula de iiſdem voce ſubjungit? *Et non audivit*, inquit, *populus meus vocem meam, & Iſraël non intendit mihi.*

Exeat nunc liberi contra [h] Dei gratiam defenſor arbitrii; audiat dicentem Apoſtolum, cùm de bonis ſuis laboribus loqueretur, *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* (1. Cor. 15. 10.) Audiat Dei vocem in Pſalmo, de his quos deſeruerat dicentem, *Et dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt* (Pſal. 80. 13.) *in voluntatibus ſuis.* Audiat unum eumdemque Apoſtolum, de vitæ ſuæ variis temporibus ſibi tantùm mala, gratiæ F autem Dei bona omnia tribuentem: *Qui priùs fui blaſphemus*, inquit, *& perſecutor.* (1. Tim. 1. 13.) Et alio loco: *Gratia Dei ſum,* (1. Cor. 15. 10.) *id quod ſum.* Cùm diceret, *Qui priùs fui blaſphemus & perſecutor,* nulla gratiæ mentio iniquo operi copulabatur: quia ſufficit ſibi, ſicut dictum eſt, ad nequitiam natura libertatis humanæ. Cùm verò de præſentis vitæ beatitudine loqueretur, *Gratia*, inquit, *Dei ſum, id quod ſum.* Et illum ordinem quo miſeretur Deus vocando, miſeretur deinceps incœptis conatibus adjuvando, ſicut ſerie Pſalmi narratum atque digeſtum eſt, beatus etiam apoſtolus Paulus continua narratione ſervavit. Si enim in ordine, quæ paſſim G excerpta memoravi, teſtimonia relegantur, ita ſequuntur: *Gratia Dei*, inquit, *ſum id quod ſum.* Hæc eſt prima miſericordia, quam liberæ voluntatis opera conſequuntur. Sed ut apoſtoli Pauli vocationem bona opera ſequerentur, quid ait? *Et gratia ejus in me vacua non fuit.* Quid enim

a In editione Fulg. *ejus boni ingenii intelligentia.*
b MSS. *eorum geſta.* Editio Fulg. *geſta cum omni veritate.* Corbeienſis MS. *canonica auctoritate.*
c Item Fulg. *numquam pro bonis gratia.*
d Fulg. *Dei gratiam deſerentibus.*
e Fulg. *continuata.*
f Sic Fulg. & MSS. At apud Lov. *promiſſi effectum.* Paulò pòſt cùm MSS. habeant, *ubi ſine:* in editis legebatur, *ut ſine.*
g Fulg. *ſibi ipſi ſi ſufficiat humana natura.*
h Fulg. *contra Deum defenſor arbitrii.*

feciſti?

fecisti? *Plus*, inquit, *omnibus laboravi*. Ne multùm superbias, ô liberi defensor arbitrii, audiens Paulum de suis laboribus gloriantem: adtende quod sequitur: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*. Puto sanè, quòd nullus de his Prov. 16. 18. qui contra Dei gratiam *exaltato ante ruinam*, sicut scriptum est, *corde* blasphemant, tantum arrogantiæ impudentis assumat, ut beati prophetæ David meritis aut æquandum se, aut etiam existimet præferendum. Cujus, ut de illa prima remuneratione, quam nullus non fateatur ut indebitam, delati scilicet regni, interim taceam, orationum & confessionum ejus intentiones affectusque pensemus. Ipse si qui- Ps. 93. 12. dem definit in Psalmo, *Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum*. Sed videamus utrùm ipsi jam erudito, & omni legis scientiâ secundùm institutionem Judaïcam sufficienter instructo, ad beatitudinem res hæc sola suffecerit. Cur ergo rursus idem clamat ad Psal. 118. 34. Dominum, *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo?* Parum erat quòd ad scrutandam legem poposcerat intellectum; nisi etiam ad custodiendam necessarium significaret auxilium, dicens, *Et custodiam illam in toto corde meo*: quasi diceret, Tunc custodiam illam in toto corde meo, si tu dederis intellectum.

Caput XII. Adhuc superbus ille propriæ voluntatis defensor ad ista respondeat, quòd Propheta ad intelligenda tantùm mandata divina, quæ tamen propriâ virtute impleturus fuerat, opem divini postulaverit auxilii. Quæ si ita sunt, à te paululùm libet, beate David, sensuum tuorum occulta perquirere. Unde, rogo, tibi pugna carnis & spiritûs? Unde Apostolicum, sicut ipse fateris, certamen? Etiam utique illuminatus atque eruditus intelligentiæ munere, quam di- Psal. 118. 37. vinitus postulaveras, clamas & dicis, *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*. Nam intellectu certè discernendæ vanitatis à veritate, sicut poscebas, accepto, cur oculos tuos à vanitate quæ displicet, non avertis? Si avaritiam reprehendis, cur non ab ea proprio separatus arbitrio, cor tuum ad mandata salutis inclinas, sed tamquam infirmus in omnibus clamas ad Deum, *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam?* Nisi quia suggerit avaritiam in membris nata lex peccati; & ab hac vult oculos suos, nec per Galat. 5. 17. se potest vir sanctus avertere: ac sic *caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem*, ex qua lite non liberat, nisi gratia, quæ per Dominum nostrum Jesum Rom. 7. 18. Christum parvis magnisque donatur. *Velle enim adjacet,* Philipp. 2. 13. *perficere autem non:* quamvis & ipsum velle non ex nobis, sed Dei donum est: quoniam ab ipso habemus *& velle & perficere, pro bona voluntate*. Beatus ergo es, quoniam cum Apostolis Christi, & doctrinæ & pugnæ æqualitate concordas: quia & in scriptis tuis Apostolorum bella cognoscimus; & tua certamina in Apostolicis litteris invenimus.

Caput XIII. Unde ista in uno eodemque homine, qui ex anima & corpore constat, rerum voluntatumque diversitas; nisi quia [a] justo divinitatis judicio, contemnens homo Deum, creatura Creatorem, infimus summum, intra semetipsum inobedientiæ pœnas [b] ex contumacia inferioris invenit? Qua enim justitiâ, quamvis meliori deterior, creaturæ tamen creatura serviret, si ipsi qualiscumque creatura servire noluit Creatori? Sed ne hoc quidem sufficit ad pœnam, ut pars illa deterior melioribus repugnaret cordis affectibus, nisi etiam plerumque superaret, in captivitatem duceret, possideret, non solùm natos in Adam homines lex illa peccati ad motûs sui ministerium vindicaret, nisi etiam renatos in Christo, manente suggestione, pulsaret: quia re vera per illud regenerationis munus reatus dimissus est, non soluta conditio gratiæ est, veterum delens chirographa debitorum, non à passione carnali jam separans adhuc hominem in carne viventem, ut omnis homo futuro tempore divinum per singulos dies imploret auxilium. Et quoniam lex non tam auferre potuit, quàm monstrare peccatum, quod peccatum in se nascentes passim sibi homines vindicabat, & concupiscentiæ consensione possessos in æternum Philipp. 2. 6. mergebat interitum: Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, Verbum Patris, æquale & coæternum Patri, *semet-* Rom. 8. 3. *ipsum exinanivit, formam servi accipiens:* & cùm peccatum ipse non esset, factus assumta carne peccatum, ut à pec- Luc. 19. 10. cato carnis homine sanato, peccatum damnaret in carne, venit *quærere quod perierat*, sanare quæ ægrotabat, erigere quæ jacebat, potestatem habens dimittere peccata; quod non debebat donare, quod ei debebatur dimittere, deletisque omnibus veteris culpæ maculis, quam fecerat reparare naturam. De his quibus pœnam severitas justa decreverat, secundùm ineffabilem dispositionis occultæ misericordiam, elegit vasa quæ faceret in honorem: & alios à ventura ira dono gratuitæ vocationis absolvit; alios derelinquens ad æqualitatis judicium reservavit; nulli tamen agnoscendæ veritatis abstulit facultatem: & ita plenitudo divinæ præscientiæ in alios [c] manante justitiâ, in alios gratiâ profluente completa est; ut pereuntibus quos præscierat Deus esse perituros, & salvatis quos in illa secreta electione præscierat esse salvandos, toto orbe diffusa multiplicaretur Ecclesia.

Gratulare igitur, ô quicumque illuminatus es, Caput XIV. & gratiam quam non merebaris agnosce: geme quicumque induratus es, & justitiam confitere. Dic quicumque ab originali contagio lavacro gratiæ te gratularis ablutum: *Misericors & miserator Dominus, patiens & multæ misericordiæ.* Psal. 144. 8. *Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.* Psal. 102. 10. Dic quicumque damnaris: *Justus es Domine in omnibus quæ fecisti nobis, & omnia judicia tua vera, quia in veritate & judicio superinduxisti omnia hæc, propter peccata nostra:* Dan. 3. 27. & noli injustitiæ Dei culpam tuæ indurationis adscribere. Quia *omnes viæ Domini misericordia & veritas:* Psal. 24. 10. ut nec hi qui misericordiam fuerint consecuti à Deo, judicio veritatis de meritis suis aliquid glorientur, nec hi qui indurati atque damnati sunt, excusationem culpæ ex hoc habere posse se credant, quòd nullam qua converterentur, sint misericordiam consecuti. Hanc ergo Pharao misericordiam non accepit, & ideo ei ad pereundum liberum suffecit arbitrium: quem quidem nullus ita ignarus divinarum scripturarum erit, qui audeat dicere illa omnia injustè esse perpessum. An fortè si piè de Deo sicut expedit sentiamus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperiemus? Patientia enim Dei valere ei debuit ad salutem, qua differens justum meritumque supplicium, miraculorum verbera crebra densabat. Numquid non potuit, sicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens Deum tantæ virtutis agnoscere? Si dicitur jam Pharaonem non potuisse mutari, quia eum præsciverat Deus non esse mutandum: Respondetur Dei præscientiam non cogere hominem ut talis sit, qualem præscivit Deus; sed præscire talem futurum, qualis futurus est, quamvis eum non sic fecerit Deus. Quem si cogeret esse, hoc utique cogeret quod non est. Porrò si hoc præscierat futurum esse quod non est, præscientia non est. Quod de Deo quàm impiè dicatur, advertit quisque qui peccatis suis inde blanditur, quòd Deus eum peccatorem futurum esse præscierit.

Exsistere nihilo minùs fortasse aliquem reor, qui Caput XV. dicat, minùs idoneam ad salutem viam, si nulla intrinsecùs vocatione pulsatus, tantùm quispiam flagelletur. Unde Daniel. 4. 33. Nabuchodonosor pænitentiam meruit fructuosam? Nonne post innumeras impietates flagellatus pænituit, & regnum quod perdiderat, rursus accepit? Pharao autem ipsis flagellis est durior effectus, & periit. Exod. 14. 27. Hîc mihi rationem reddat, qui divinum consilium nimiùm altum sapienti corde dijudicat, cur medicamentum unius medici confectum, alii ad interitum, alii valuerit ad salutem: nisi quia *Christi bonus odor, aliis est odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem?* 2. Cor. 2. 15. Quantum ad naturam, ambo homines erant: quantum ad dignitatem, ambo reges: quantum ad caussam, ambo captivum populum Dei possidentes: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diversos, nisi quòd unus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio? Hîc quicumque respondet, illi ut mutaretur affuisse divinum, huic ut induraretur defuisse præsidium, & hoc contendit injustum, propter quod rerum ipsarum fines in Dei voluntate constituens, dixit Apostolus, *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat:* Rom. 9. 18. dicente Domino, *Sine me nihil potestis facere:* Johan. 15. 5. intelligat illa omnia, vel adjuvante Domino perfici, vel deserente permitti; ut noverit tamen, nolente Domino nihil prorsus admitti.

[a] Editio Fulg. *quia justa Dei judicia contemnens, homo Deum*, &c.
[b] Fulg. & MSS. *& contumaciam.*

[c] In MSS. *manante*; ut suprà cap. 6.

Caput XVI. Sed reditur ad parvulos, reditur ad geminos: parum eſt quod dixi, reditur ad necdum natos, qui & eodem concubitu ſeminati, & eodem momento in lucem fuerant proferendi. Eis diſcrepans diverſumque judicium divinæ voluntatis apparens, ſenſus hominum de voluntate Dei ſuperbè nimiùm diſputantes, magnitudo quæſtionis obturbat. Exalta jam viribus vocem tuam, ô injuſte accuſator juſti; & dic mihi, quid ille mali commiſit, quid boni ille meruit? Et reſpondet tibi, non ego, ſed Paulus apoſtolus, Rom. 9. 21. Nihil quidem ambo meruerunt, ſed *habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Dicturus es, Quare? quæ eſt judicii hujus tam confuſa diverſitas? Rurſus hanc præſumtionem ille confutet, & dicat, *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Maximè quia ad illam humanorum actuum comparationem rurſus intentio converſa reſpondet, injuſtitiæ non poſſe argui creditorem, qui de duobus debitoribus tale voluerit habere judicium, ut uni donet, ab alio exigat, quod ab utriſque debetur. Et certè in omnibus humanæ converſationis actibus atque contractibus ad diſcernendum aliquid, ac dijudicandum, hanc [a] qua videmur aliquid probare juſtitiam, ex ineffabili divinæ juſtitiæ plenitudine in humilitatis noſtræ corda manare manifeſtum eſt, beato Johan. 1. 16. Johanne hoc in Evangelio ſuo confirmante: *Quoniam omnes de plenitudine ejus accepimus.* Quod ſi ita eſt, qua tandem impudentiâ homo de Deo, lutum de figulo judicabit, non ſolùm dicens, Quid me feciſti ſic? ſed etiam de aliis damnabili curioſitate perſcrutans & dicens, Quare de eadem maſſa feciſti alium quidem ſic, alium verò ſic? Si humanum genus, quod creatum primitus conſtat ex nihilo, non cum debito mortis & peccati origine naſceretur, & tamen ex eis Creator omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet interitum; quis omnipotenti Creatori diceret, Quare feciſti ſic? Qui enim, cùm non eſſent, eſſe donaverat, quo fine eſſent, habuit poteſtatem: nec dicerent ceteri, cur paribus omnium meritis divinum diſcreparet arbitrium: quia *poteſtatem habet figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Nunc autem cùm damnatis pœna juſta reddatur, ſalvatis autem gratia donetur indebita; quis uſque adeo humanæ conditionis oblitus, divini ſenſûs arcana diſcutiat, ut cùm

Dura ſententia, & aliena ab Auguſtini doctrina.

A ipſe pœnam meritò fuerit conſecutus, [b] queratur cur alius gratiam quæ non debebatur ei, acceperit?

Hanc itaque divinam electionem non meritis reddi, ſed ſola volentis munificentiâ donari hominibus, Moyſes cùm jam tunc quamvis carnalem populum doceret, oſtendit. Sic enim evidenter in Deuteronomio dicit ad populum: *Ecce* Deut. 10.14. *Domini Dei tui cælum eſt, & cælum cæli, terra & omnia quæ ſunt in ea: verumtamen patres veſtros elegit Dominus diligere eos, & elegit ſemen eorum poſt ipſos, vos præ omnibus gentibus.* Et adjecit, *Circumcidimini ergo à duritia cordis veſtri, & cervicem veſtram ne induretis ampliùs.* Sed hanc in eis manſiſſe B duritiam cordis, ſicut ſuprà jam diximus, beatus Stephanus cùm Judæos increparet, oſtendit. In Actibus enim Apoſtolorum ipſe ſic dicit: *Dura cervice & incircumciſi* Act. 7. 51. *corde & auribus, vos ſemper Spiritui-ſancto reſtitiſtis.* Unde dura cervix in illo populo, qui ex omni mundo electus eſt, qui de ſervitute decem miraculis meruit liberari, cui lex data eſt, cujus ſaluti ora Prophetarum omnium militarunt, ex quo factus ſecundùm carnem & ad quos miſſus eſt Chriſtus; niſi quia cæcitas ex parte in Iſraël facta eſt, Rom. 11. 25. donec Iſraël adoptatus ex plenitudine gentium, intraret in regnum; & concluſit in incredulitate omnes Dominus, ut omnes indigerent miſericordiâ ſalvatoris? Cujus C divini conſilii ſacramenta perſtringens, & majeſtatis myſterium, quæ quamvis magnitudine revelationum noverat, tamen pro humana infirmitate ſuccumbens etiam ille qui [c] priùs perſecutor & blaſphemus, vas electionis meruit nominari, miratus exclamat, *O altitudo divitiarum ſapientiæ* Ibid. 33. *& ſcientiæ Dei!* & inſcrutabiles vias ejus, & inſcrutabilia confitens Dei eſſe judicia. Cum illo ergo, quando de talibus quæritur, admiremur; & manente ſententiâ, quòd non ſit iniquitas apud Deum, ſi quidem illud quod quæritur, modum noſtri ſenſûs exceſſerit, & intellectûs noſtri non dignatur anguſtias, in illa juſtitiæ, miſericor- D diæ, præſcientiæque divinæ plenitudine permanere inconcuſſa æquitate fateamur: ne de ſuperioribus divinæ voluntatis arcanis aliter quàm modus conditionis noſtræ patitur diſputantes, Dei juſtitiam relinquamus, & noſtram ſtatuere cupientes, Rom. 10. 3. in imam contumaciæ voraginem decidamus.

a Victorini MSS. *quidam videntur.* Editi, *qua videmur aliquam:* Emendantur ex MSS.

b Fulg. *quærat.*
c Fulg. & MSS. Victorini, *qui pro perſecutionibus & blaſphemiis.*

DE PRÆDESTINATIONE DEI,

LIBELLUS IGNOTI AUCTORIS.

Caput I. DE prædeſtinatione Dei locuturi, anxietatibus quibuſdam involvimur: quia dum conſcientiam noſtræ ſtoliditatis perſcrutamur, ab appetitu tam arduæ diſputationis reprimimur. Sed dum ad omnipotentiam illius, Num. 22. 28. qui per os aſinæ irrationalis, rationali ſeſſori verba voluntatis ſuæ monſtravit, mentem reducimus, ſub ſpe ſuperni adjutorii, ad audendum vires accipimus; ſcientes quia quidquid boni loquimur vel facimus, non ex nobis hoc, ſed ex Deo accipimus.

Caput II. In primis nefas eſt dicere, Deum aliquid niſi bonum prædeſtinare. Sed prædeſtinationum aliæ ſunt alligationis, aliæ conditionis; iſtæ ſunt juſtitiæ, illæ potentiæ. Ut lucidius fiat quod dicitur, quæ ſunt alligationis & potentiæ, quæ conditionis & juſtitiæ, demonſtretur. Creavit Deus cælum & terram, ſolem & lunam, diem & noctem; prædeſtinavit inſuper ut cælum ſemper volveretur, terra immobilis circumvolventi cælo loco centri haberetur; ſol & luna diei noctique præeſſent; dies & nox certis temporibus viciſſim ſuccederent. Hæ prædeſtinationes potentiæ ſunt & alligationis. Unumquodque enim eorum quæ prædiximus, ſic alligatum eſt ſuo operi per prædeſtinationem Dei, ut ab eo dimoveri non poſſit. Creavit Deus hominem, & prædeſtinavit ut ſi obediens eſſet, ac à guE ſtu vetiti pomi ſe abſtineret, in vita permaneret; ſin autem inobediens eſſet, ſententiam mortis ſubiret. Hæc prædeſtinatio conditionis eſt & juſtitiæ. Non enim Deus ante caſum hominis ſic eum per potentiam alligationis prædeſtinavit mori, ut neceſſe eſſet eum mori; ſed ſub ea conditione, ſi peccaret. Quia igitur peccavit homo, juſtum erat ut moreretur; ſi non peccaret, nullo vinculo prædeſtinationis divinæ morti alligaretur.

Caput III. Mortis itaque prædeſtinatio ſub conditione fixa fuit in Deo, propter caſûs humani præſcientiam: non tamen vim faciens in homine per potentiam, ut duceret eum ad mortis ſententiam. Ergo prædeſtinatio hujuſmodi non ab- F ſolutè eſt cauſſa mortis, ſed peccatum cauſſa prædeſtinationis & mortis. Non enim ſic dicitur de hominis morte, ut de cæli volubilitate. Interroganti enim alicui, quare cælum volvitur: reſpondemus, quia Deus prædeſtinavit. Hæc reſponſio abſoluta eſt, nec aliam quærit. Si autem aliquis quærit, quare homo moritur: non abſolutè reſpondere poſſumus, quia Deus prædeſtinavit; non enim prædeſtinaret, niſi eum peccaturum præſciret. Peccatum quippe in homine, in Deo incitat zelum juſtitiæ; zelus verò juſtitiæ prædeſtinationem; prædeſtinatio autem adtrahit mortem. Et hujus concatenationis initium & finis in homine eſt. Quare enim homo moritur? quia Deus prædeſtinavit.

Quare Deus prædestinavit? quia justus est, & justè facit. Quare justè facit? quia homo peccavit. Ecce ex homine peccatum, & in homine mors.

Est qui dicat: Quomodo possit esse peccatum caussa prædestinationis, cùm esset prædestinatio ante quàm peccaret homo? Ille audiat, quia omnia ante quàm fiant, Deus quasi jam facta pertractat, & sive sint punienda, sive muneranda, in præscientia sua dijudicat. Ecce homo infelix alligatur morti, non per Dei prædestinationem, sed per suam offensionem. Quamvis enim prædestinatio offensionem præcurrat tempore, offensio tamen prædestinationem præcedit effectione. Nam prædestinatio non fieret, nisi offensio futura esset: quam offensionem qui præscivit esse, offensionis ultionem ut justus judex prædestinavit. Ex præscientia igitur offensionis, prædestinatio emanavit ultionis: sicut ex præscientia virtutis, prædestinatio fieri solet remunerationis. Unde Apostolus ad Romanos, *Quos præscivit, hos & prædestinavit.*

Rom. 8. 29.

Caput IV.

Fortassis est qui dubitet ultionem offensionis à Deo esse, quia gravis est & mala; virtutis autem remunerationem à Deo esse manifestè fateatur, quia dulcis est & bona: cùm Deus nullius mali, sed totius boni sit auctor. Huic dicendum est, quia ultio offensionis etsi homini est mala, dum pœnam ingerit; apud Deum est justa, dum peccata punit. Quod autem justum est, bonum est. Prædestinatio igitur ultionis, quia justa est, & bona. Unde fons & origo boni per Isaiam sic loquitur: *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras, pacem faciens, & creans malum.* Quasi dicat, Ego Dominus faciens pacem ex me, creans malum ex te tibi. Pro peccatis enim tuis bellum tibi tribuo, quod mereris: quod etsi apud me sit justum, ex te tamen tibi fit malum; quia non ex me, sed ex te peccasti; & pro peccato pœnam tibi creo, quæ apud me est justa, tibi autem mala. Hujusmodi ergo malum creat Deus, quod per se sibi sit justum, ex homine fit homini malum. Una eademque res aliter atque aliter inter homines etiam accepta, bona est & mala: ut bellum de quo suprà diximus, victis est malum, vincentibus bonum. Quapropter & mors, quæ est ultio prævaricationis, & justa est & mala: justa quidem ex justo judice, mala autem ex misero peccatore. Hæc etiam eademque mors quibusdam hominibus est mala, quibusdam autem bona: quia hos de ignominia ducit ad gloriam, illos verò de gloria ad ignominiam. Ignis quoque lignis, stipulis, vestimentis est nocivus, cupro autem & argento & auro proficuus: quia hæc excoquit & puriora reddit, illa verò inflammat & penitus consumit. Cùm hæc ita sint, non vereamur dicere, mortem esse prædestinatam à Deo: quia etsi nobis est mala, à Deo tamen propter præscientiam prævaricationis prædestinata est justa. Unde & Psalmista, *Quia tu reddis unicuique juxta opera sua.* Unde enim & bonis gloria perennis, & malis mors infelix, nisi ab eo qui reddit unicuique secundùm opera sua? Non tamen purè à Deo mors, sed fit ex hominis prævaricatione per justitiam Dei in hominis pœnam. Hoc ideo, quia sunt nonnulli qui diabolum sic ponunt mortis auctorem, quasi ultionis judicem. Auctor est quidem mortis per suggestionem peccati; sed per potentiam retributionis nec auctor, nec creator. Est & pœnarum custos & exhibitor; nec tamen ex propria potentia, sed ex concessione divina.

Isai. 45. 7.

Psal. 61. 13.

Mortis auctor aliter diabolus, aliter Deus.

Caput. V.

Sed iis quæ præscripsimus quidam opponunt quod scriptum est, *Mortem Deus non fecit umquam.* Quibus non surda aure prætereundum est, quod aliàs scriptum est, *Mors & vita à Deo est.* Nam opponenti, *Mortem Deus non fecit umquam:* oppono, *Mors & vita à Deo est.* His quippe oppositionibus in litteratura nulla reconciliatio est, in intelligentia nulla repugnantia. Mors enim sicut & vita, non tantùm dupliciter, sed etiam tripliciter intelligi potest. In primo namque homine & animam & carnem Deus creavit immortalem. Ante peccatum ergo vixit anima, vixit caro, non sub interitûs timore, sed sub immortalitatis conditione. At dum homo peccavit, anima obiit. Hæc est mors quam Deus non fecit. Caro tamen vixit post mortem animæ, sed sub mortis exspectatione. Mors ergo animæ peccatum, mors carnis dissolutio elementorum; mors animæ & carnis, pœna infernalis. Sic & vita, alia est carnis & animæ ante peccatum, alia carnis post peccatum, alia animæ & carnis post dissolutionem elementorum. Vita quidem omnis à Deo est; sicut & mors carnis, quæ est dissolutio elementorum; & mors animæ & carnis, quæ est ultio offensionis. Mortem autem animæ, quæ est ceterarum principium & caussa, numquam fecit Deus: quia scriptum est, *Qui peccatum non fecit.* Sed mortem animæ non sic intelligas, ut mortem carnis. Moritur namque caro, solutionem sui patiendo: moritur autem anima non sic, sed vitam mutando.

Sap. 1. 13.

Eccli. 11. 14.

Mors & vita tripliciter dicuntur.

1. Pet. 2. 22.

Jam quæ sint prædestinationes alligationis, quæ conditionis; satis, ut reor, dictum est: sed earum quæ conditionis sunt, aliæ ad gloriam, aliæ ad pœnam. Quos enim Deus suos fidei opere futuros esse prænovit, hos prædestinavit ad gloriam: quos absque correctione diabolicæ persuasioni militaturos esse præscivit, hos pro certo prædestinavit ad pœnam. Navis mentis nostræ, nisi exercitio bonæ meditationis regatur, ventis vanarum cogitationum afflantibus, per diversa fluctuabit, & demum sub periculo demersionis conquatietur.

DE LIBRO CUJUS INSCRIPTIO ERAT, SANCTI AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, AD ARTICULOS SIBI FALSO IMPOSITOS RESPONSIONES.

Iste liber, *incipiens in hæc verba*, Quidam Christianæ ac fraternæ caritatis obliti, in tantum existimationem nostram quoquo modo student lædere, ut suam se evertere nocendi cupiditate non videant, *nomen Augustini in veteribus aliquot MSS. codicibus præferebat. Hinc errandi occasio data primis Augustinianorum operum editoribus, Amerbachio & Erasmo, qui eum librum inter Augustini polemica opera contra Pelagianos, ejusdem sancti Doctoris nomine prænotatum retulerunt. Ipse omnino est liber Prosperi refellentis objectiones Vincentianas, qui suo loco in tertia parte hujus Appendicis exhibetur.*

APPENDICIS PARS SECUNDA,

CONTINENS VARIA SCRIPTA ET MONUMENTA AD PELAGIANORUM HISTORIAM PERTINENTIA:

Quorum comparatione polemicæ in eoſdem hæreticos Auguſtini lucubrationes illuſtrantur.

Gennadius in libro ſcriptorum eccleſiaſticorum.

a PELAGIUS [a] Brito hæreſiarches, ante quàm prodderetur hæreticus ſcripſit ſtudioſis neceſſaria, libros tres de fide Trinitatis, & pro actuali converſatione Eulogiarum ex divinis ſcripturis librum unum, capitulorum indiciis in modum Cypriani martyris præſignatum. Poſt quàm verò hæreticus publicatus eſt, ſcripſit hæreſi ſuæ faventia.

Idem ibidem.

CÆLESTIUS ante quàm ad Pelagium concurreret, immo adhuc adoleſcens, ſcripſit ad parentes ſuos de monaſterio epiſtolas in modum libellorum tres, omni Deum deſideranti neceſſarias. Moralis ſi quidem in eis dictio nihil ibi vitii poſtmodum proditi, ſed totum ad virtutis incitamentum tenuit.

Incipit COMMONITORIUM *adversùs hæreſim Pelagii & Cæleſtii vel etiam ſcripta Iuliani à* MARIO MERCATORE *ſervo Chriſti.*

QUÆSTIO contra catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, & præcipuè in Cilicia à Theodoro quondam epiſcopo oppidi [b] Manſiſteni jam dudum (b) mota, nunc uſque penes paucos eorum admodum roditur, nec ea palàm profertur; ſed ab ipſis qui de ea * fornicantur, velut catholicis, intra Eccleſias interim retinetur: *Progenitores videlicet humani generis Adam & Evam mortales à Deo creatos, nec quemquam poſterorum ſui prævaricatione tranſgreſſi læſiſſe, ſed ſibi tantùm nocuiſſe, ſeque mandati reos apud Deum feciſſe, alterum penitus nullum.*

Garnerius ex conjectura emendat, cornicantur.

Hanc ineptam & non minùs inimicam rectæ fidei quæſtionem, sub ſanctæ recordationis Anaſtaſio [c] Romanæ Eccleſiæ (c) ſummo Pontifice * Rufinus quondam natione Syrus Romam primus invexit; &, ut erat argutus, ſe quidem ab ejus invidia muniens, per ſe proferre non auſus, Pelagium gente Britannum monachum tunc decepit, eumque ad prædictam apprime imbuit atque inſtituit impiam vanitatem. Qui que mox auſus in apoſtolum Paulum commentarios condere, cùm ad illum locum notiſſimum ad Romanos veniſſet epiſtolæ, ubi ita continetur: Propterea ſicut
Rom. 5. 12. » per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, » & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertranſ» iit, &c. ibidem *eos tantùm reos* dixit, *atque obnoxios illâ prævaricatione teneri, qui hunc in prævaricandis Dei manda-*

V. ſuprà lib. de peccato origin. c. 3. & hîc infrà ad excerpta ex Hieronymo.

A *tis voluerint imitari; non omnes qui ex ejus ſunt per ſucceſſionum ſeriem ſemine generati.* Atque hinc latiùs de ſequentibus locis hujus epiſtolæ diſputat; & pronuntiat, *Nullum hominum prorſus per generationem læſum fuiſſe, nec lædi Adæ peccati tranſgreſſione, ſed imitatione,* inquit, *quia prior ille in genere humano peccavit; & illum reum & obnoxium fieri, qui hunc propria voluntate, non naſcendo, ſed peccando fuerit imitatus.*

Huic Pelagio adhæſit Cæleſtius, nobilis natu quidem, illius temporis [d] auditorialis ſcholaſticus, ſed naturæ vitio (d) eunuchus matris utero editus. Hic à Pelagio prædicto in-
B ſtitutus, ſenſum iſtum impiiſſimum meraciùs imbibit, ac multos incredibili loquacitate amentiæ hujus ſuæ participes & complices fecit; auſuſque palàm publicéque his verborum ſententiis ejuſdem ſenſum paſſim diſſeminare per populos, id eſt, *Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, fuiſſet moriturus. Quoniam peccatum Adæ ipſum ſolum læſit, & non genus humanum. Quoniam infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu ſunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quoniam neque per mortem Adæ omne genus hominum moriatur, quia nec per reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgit. Quoniam infantes, etiam ſi non bapti-*
C *zentur, habeant vitam æternam.* Quæ quinque capitula unam impiiſſimam & nefandam ſententiam generant. Adjecit præterea, *Poſſe eſſe hominem ſine peccato, & facilè Dei mandata ſervare: quia & ante Chriſti adventum fuerunt homines ſine peccato: & quoniam lex ſic mittit ad regnum cælorum, ſicut Evangelium.*

Hæc atque hujuſmodi etiam Juliano & ceteris ejus commanipularibus placuere, * &c.

Sequentia reperies infrà, ubi de Iuliano.

D *Ex libro de hæreſibus vulgato per Sirmondum ſub titulo* PRÆDESTINATI.

OCTOGESIMAM & octavam hæreſim in Pelagio ſe inveniſſe ſedes Apoſtolica ſub Papa ſancto Innocentio docuit, dum Cæleſtius Pelagii diſcipulus apud Carthaginem doceret, *Poſſe homines ſine peccato eſſe, naturâ ſibi ſufficiente ſolâ humanâ.* Reſtitit ei quidam Paulinus diaconus, defenſor & procurator eccleſiæ Mediolanenſis: cuique in conventu ſacerdotum multa capitula objecit contra fidem catholicam; quæ Cæleſtius damnare neglexit, dicens, *Non ad me pertinet de his quæ objicitis, ubi meum nomen eſt,*
E *& crimen alienum.* Tunc illi obtulerunt ei libros ſuos, ubi dicebat, *Ipſam ſibi hominis naturam ad perfectionem poſſe ſufficere:* hoc eſt, *Tantam poteſt homo exercere juſtitiam, ut etiam ſine peccato poſſit eſſe ſi velit. Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, eſſet moriturus. Sic lex miſit ad regnum, ſicut Evangelia. Infantes in remiſſionem pec-*

catorum

[a] In Gennadii editis deerat *Brito.* Exſtat in antiquiſſimo Corbeienſi exemplari, ſed geminatâ litterâ tt *Britto.*

[b] Legendum, *Mopſueſteni.* Photius in biblioth. cod. 177. memorat quinque libros Theodori *contra aſſerentes peccare hominem naturâ, non voluntate:* re ipſa autem ſcriptos contra peccati originalis aſſertores, Hieronymum & Auguſtinum aliosque catholicos. Nam in adverſariis ſuis Theodorus quinque hæc capitula ut errores reprehendit. I. *Homines naturâ, non voluntate peccare, naturâ, inquam, non eâ qua conditus eſt Adam, ſed eâ quam poſt peccatum adeptus ſit, quando per prævaricationem atque peccatum, malam pro bona, mortalemque pro immortali commutavit.* II. *Infantes tametſi recèns natos, peccati immunes non eſſe, cùm propter Adæ prævaricationem natura in peccatis conſtituta ad omnes ejus poſteros peccatrix, ut ipſi loquuntur, natura propagetur.* III. *Sanctum baptiſma ſacrique Corporis communionem in peccatorum remiſſionem, quin etiam ipſis infantibus allata hæc præbere.* IV. *Neminem præterea mortalium eſſe juſtum.* V. *Nuptias & concupiſcentiam, quibus genus humanum propagatur, perverſæ naturæ opera eſſe aſſerunt; in quam quidem per peccatum Adam delapſus naturæ vitio mox malorum omnium examen ſuſceperit.*

[c] Anaſtaſius Innocentii præceſſor creatus Romanæ eccleſiæ epiſcopus anno 398. obiit anno 402.

[d] *Auditorialis ſcholaſticus,* idem ac *forenſis:* ut intelligitur ex Auguſtino lib. 2. contra Julianum cap. 10. & lib. 6. cap. 11.

catorum baptiZandos esse ideo confitemur, propter regulam universalis Ecclesiæ. Nihil obfuisse generi humano peccatum Adæ. Omnia hæc oppositionum genera ad damnandum objiciebantur Cælestio. Sed ille dicebat, multa esse in his quæ teneret fides ejus, & propter ipsa cetera damnare non posse. Tunc ad relationem penè omnium Afrorum Episcoporum, Papa Innocentius damnationem & Pelagio & Cælestio conscripsit. Illi autem, sive ante quàm damnarentur ab universali Ecclesia, sive postea quàm damnati sunt, non cessaverunt scribere, *Posse hominem sine peccato esse*, & *nihil obfuisse Adam humano generi*, & *infantes non ideo baptizandos, quia habere possint originale peccatum*, & *naturam tam bene factam à Deo, ut sibi sola sufficiat ad hoc ut possit carere peccato.*

Contra hos suscepit sine scriptura quidam Constantius tractator. Post hunc autem, scripsit contra hos & Augustinus Hipponiensis episcopus, & Hieronymus presbyter Bethleemites. Pelagiani tamen, seu Cælestiani, catholicæ plebi permixti sunt, quia Ecclesiam aliam non habent: & ideo ubi eis evenerit, communionem non renuunt. Dicunt enim unius confessionis se esse in hac parte, in qua Eucharistia conficitur: *De quæstione enim*, aiunt, *non de communione discernimur.* Pro hoc ausu, & à nostris, si deprehendantur, periculis subjacent, & à suis exsecrationi habentur. Habent enim & presbyteros, & episcopos suos.

Ipse autem Pelagius ita in commentario suo ad Romanos scribit, dum ageret illum locum quo ait Apostolus, Quoniam per unum hominem in hunc mundum peccatum » intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines » pertransiit, in quo omnes peccaverunt: tangens Cælestium, qui contra traducem peccati primus scripsit, his verbis ait: *Hi*, inquit, *qui contra traducem veniunt, ita illam impugnare nituntur: Si Adæ peccatum etiam non peccantibus obfuit, ergo & Christi gratia etiam non credentibus prodest.* Addunt etiam hoc: *Si baptismus tollit originale illud peccatum, de duobus baptiZatis nati debent hoc carere peccato. Quomodo enim mittunt ad posteros quod ipsi in se minimè habuerunt?* Hæc sicut ab ipso Pelagio sunt scripta posuimus.

De hoc itaque quod dictum est, *Posse hominem sine peccato esse*, objectum est illis ita: Aut potest, & adjutorium non quærit; aut non potest, & adjutorium quærit. A quocumque enim auxilium quæritur, dicit se id quod vult facere implere non posse: alioquin irrisoriè poscit, qui potest hoc solus, pro quo adjutorium postulat, adimplere. Verbi gratiâ, decem pondo cujuscumque rei si levare voluerim, & adjutorium quæram, ridiculum videor exhibere dum posco. At verò si ducentas aut amplius velim levare libras, quia id implere non possum, auxilium flagito, & immensis precibus adjutorium quæro: præcipuè si status vitæ meæ in hoc videtur pondere positus, ut si pondus quod memoravi non levavero, ad vitam pervenire non possim.

De duobus autem baptizatis natum nihil habere de fide parentum, hæc nos ratio docet: quoniam hi qui baptizati sunt duas habent nativitates; unam qua eos generavit caro, aliam qua eos generavit Spiritus-sanctus: & ex his duabus generationibus nati, duas generationes ad posteros mittunt; unam de carne, conjugii ministerio, aliam de spiritu, baptismate consecrando. Hic ergo qui de baptizatis natus est, interrogo de qua re natus est: de carne, id est, de prima generatione, an de spiritu, id est, de secunda generatione. Si de spiritu natus est, baptizari non debet. Quare? quia Spiritus-sanctus eum fecit nasci, non libido conjugii. Sin autem de conjugio carnali, id est, de masculo & femina, restat ut unde sunt regenerati de Christo & Ecclesia, suam iterum regenerent prolem. De primo enim est Adam quòd nascimur; de secundo autem Adam quòd iterum recreamur: dicente sancto Apostolo, Factus est primus homo Adam in animam viventem, no- » vissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non priùs » quod spiritale est, sed quod animale est, deinde quod spi- » ritale est. Primus homo de terra terrenus, secundus homo » de cælo cælestis. Ergo sicut portavimus imaginem terreni, » id est, sicut creavimus filios carnaliter; portemus & imaginem cælestis, id est, quos creavimus carnaliter, spiritaliter recreemus: aut ipsi qui carnaliter creati sumus nutu Creatoris, iterum ejus gratiâ spiritaliter recreemur. Hoc autem dico, dixit Apostolus, quia caro & sanguis, id est, *Ibid. 50.* prima tantùm generatione homines nati, nisi gratiam divinam meruerint adipisci, regnum Dei invenire non pos- » sunt, neque corruptio incorruptionem possidebit. »

Timotheus [a] Presb. Cp. in opusculo de receptione hæreticorum.

DE PELAGIO ET CÆLESTIO.

Isti idem senserunt cum Nestorio vani sensûs viro: quando quidem & in synodo Ephesina plura de ipsis mala protulerunt, quasi vellet impius Nestorius Pelagii & Cælestii dogma renovare. Fertur de illis, quòd temporibus Theophili [b] episcopi Alexandrini Innocentiique Romani insurrexerint in Ecclesiam, quòd prædicti antistites multa certamina adversùs eos susceperint, quódque scripto fuerint condemnati. Porrò hi duo hæretici, Pelagius & Cælestius, quemadmodum aiunt, nec episcopi, * nec clerici, ** Vide lib. de gestis Pelagii cap. 35. n. 62.* nec omnino ex ordine sacro fuerunt; at velut monachi vagabantur, conspirantes adversùs veritatem: sed & dogmata tenebant impiorum Manichæorum.

Photius in Biblioth. cod. 54.

Lectus est liber contra Pelagianam & Cælestianam hæresim, cujus hæc inscriptio: Exemplar actorum ab Occidentis episcopis adversùs Nestoriana dogmata. Hic refert eamdem esse Nestorianam & Cælestianam hæresim: testemque laudat Cyrillum Alexandrinum episcopum Theodosio imperatori quòd Nestoriana & Cælestiana hæresis eadem sit scribentem. Planum id est, inquit. Cælestiani enim de corpore seu membris Christi, hoc est, de Ecclesia petulanter ista jactant: *Non Deum ipsum, id est, Spiritum-sanctum, fidem ipsis, omniaque ad vitam, pietatem & salutem necessaria privatim distribuere unicuique, prout velit, sed constitutam hominis naturam*, (quæ per transgressionem & peccatum beatitudine excidit, atque à Deo separata morti tradita est,) *pro merito voluntatis uniuscujusque Spiritum-sanctum & advocare & repellere.* Nestoriani verò de ipso etiam corporis capite Christo eadem sentire & affirmare audent. Asserunt enim, quando quidem nostræ Christus naturæ sit particeps factus, & Deus omnes homines similiter salvos fieri velit, unumquemque etiam per arbitrii sui libertatem proprium peccatum corrigere, & Deo dignum se facere. Quapropter non ipsum Verbum esse ex Maria editum, sed qui ex ea genitus est, ob naturalis voluntatis dignitatem Verbum habere concomitans, & solâ cum Verbo communicare filiationis dignitate & appellatione.

Porrò hæc quidem Pelagiana seu Cælestiana hæresis, in Oriente viguit, sed in Occidente quoque propagata est, & Carthagine in Africa ab Aurelio atque Augustino deprehensa & convicta variisque publicè conciliis damnata. Qui verò sic sentirent, ejecti tamquam hæretici extra Ecclesiam, temporibus episcoporum * Theophili Alexandriæ, **Verius, Theodoti Antiochiæ.* & Innocentii urbis Romæ, tam à Romanis, quàm Africanis, ceterisque Occidentis episcopis.

Ipse quidem Pelagius in Palæstina synodo, cui episcopi quatuordecim aderant, absolutus fuit, cùm alia quidem objectorum capitum, ut stulta, omnino abnegasset atque damnasset; alia verò à se quidem dicta confessus esset, non eo tamen sensu, quo accusatores illa interpretarentur, at prout cum Ecclesia catholica concordarent. Accusatores erant * Neporus & Lazarus, Gallicani episcopi, qui quæ- ** Heros.* stioni de illo habitæ non interfuere, ob alterius eorum invaletudinem veniam precati, ne se sisterent. Sic * in iis ** Lib. de gestis Pelagii.* quæ ad Aurelium Carthaginis episcopum scripsit Augustinus, prodit.

Post sancti Augustini mortem cœperunt quidam in clero

---

[a] Ex Johannis Bap. Cotelerii editione, in Ecclesf. Græc. monum. tomo 3. qui eumdem Timotheum ante Monotheliticam hæresim, quia eam silentio præterit, vixisse arbitratur.

[b] Veriùs, si diceret, *Theodoti Antiocheni.* Quia re ipsa Theodotus, teste Mercatore in commonitorio super Cælestii nomine, synodum Antiochiæ in caussa Pelagii habuit circiter annum 417. postque eam Pelagius, detecta ejus hæresi, ab illis partibus ejectus est. At verò Theophili Alexandrini tempore ignota erat Pelagiana hæresis, quæ circiter initium anni 412. quo ille obiit, è latebris erumpere cœpit Carthagine. Corrigendus etiam Photius, Timothei errorem secutus infrà in Bib. cod. 54.

impium illud dogma asserere, malè etiam loqui de Augustino, atque adeo conviciis incessere, tamquam arbitrii libertatem ablatam docuisset. Verùm Cælestinus pontifex Romanus de sancto viro, & contra eos qui hanc hæresim exsuscitarent, ejus regionis episcopis scribens, errorem nuper revocatum cohibuit. Cùm temporis deinde progressu sectæ hujus homines per hæresis suæ abjurationem Ecclesiæ restituti essent, iterum malum ab illis renovatum fuit. a At [a] Septimus episcopus pestis renascentis cursum repressit, datis ad Leonem, Romæ tum sedem Apostolicam tenentem, litteris: qui Leo ferventi zelo contra impios depugnavit. Post non diu rursum veluti exsistere atque enasci è mala radice impudenter cùm cœpisset, Romæ etiam quidam pro hæresi liberè locuti sunt: quos Prosper homo sanè divinus libris adversùs eos in vulgus editis facilè dissipavit; Leone, quem diximus, etiam tum Romanam sedem occupante.

Hæc eadem hæresis anathemate iterum damnata est in sacra Ephesina synodo. Damnavit & Johannes Alexandrinus episcopus in apologia ad Gelasium Romanum episcopum, non solùm Pelagianam hæresim, verùm etiam Pelagium ipsum, atque Cælestium, unà cum Juliano, qui ipsorum sectator deprehensus est. *

* Photii codex alius de Pelagianis exhibetur infrà ad synod. Carthag. an. 418.

Prosper in libro de ingratis.

Caput I.

DOGMA quod antiqui satiatum felle draconis,
Pestifero vomuit coluber sermone Britannus:
Hac primos homines cretos ditione ferebat
Ut seu præscriptum mandatum transgrederentur,
Sive inculpati servata lege manerent,
Mortem istam prorsus, qua carnem vita relinquit,
Oppeterent: quæ non peccato parta, sed ipso
Instituente Deo comes esset fixa creatis.
Progenitos igitur nullum traxisse reatum
De patribus: neque dissimiles nunc nascier illo
Ortu primorum, qui libertate malè usi
Peccarunt, formâ nocui, non semine, proli.
Posse autem insontes omnes virtutis in arce
Vitam agere, & menti ingenitum servare decorem:
Arbitrio quoniam subsistat recta volentis
Naturalis honos, lexque insita cordibus intus
Hoc moneat, quod scripta foris. Cui gratia Christi
Addita, perfugium lapsis generaliter in se
Condiderit, sacro si vellent fonte novari:
Ut sponte adtractum veniâ solvente reatum
Sponte sua in vires proprias natura rediret:
Quóque per errores esset spoliata vigore
Hunc servare semel posset purgata receptum.
Tam dives verò hoc donum baptismatis esse,
Et tam multa homini conferri fœdere in isto
Ut parvis etiam, vitioque carentibus omni
Congruat, ut qui sunt geniti bene, sint meliores,
Naturæque bonum adjecto illustretur honore.
Nullum autem ex cunctis exsortem muneris hujus
Judicio genitum esse Dei: sed quemque mereri
Libertate sua, ut capiat promissa vocantis.
Quæ sint aversis indebita, debita rectis.

Caput II.

TALIA cùm demens latè diffunderet error,
Commentisque rudes traheret lethalibus aures,
Adfuit exhortante Deo provisa per orbem
Sanctorum pia cura patrum, non dispare motu
Conficiens diros jaculis cælestibus hostes.
Hisdem namque simul decretis Spiritus unus
Intonuit. Pestem subeuntem PRIMA recidit (Prima sedes Romana.)
SEDES ROMA PETRI: quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
Relligione tenet. Non segnior inde ORIENTIS
RECTORUM cura emicuit: captumque nefandi (Diospolitana synodus.)
Dogmatis auctorem constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum, nisi corpore Christi
Abjungi, & sancto mallet grege dissociari.
Lene quidem hoc, nimiúmque malos tolerasse videtur
Judicium: sed sancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de semine prolem.
Prospectum namque est, divino & munere cautum,
A Ut licèt instantem declinans bestia pœnam,
Perfidiæ secum sensus tenuisset eosdem,
Ipsa tamen proprium germen damnando necaret,
Ore malam exstinguens sobolem, quam protulit ore.
Tunc etiam Bethlei præclari nominis hospes,
Hebræo simul & Graio, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique magister
HIERONYMUS libris valde excellentibus hostem
Dissecuit: noscique dedit, quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obscurare tenebræ.
Quid loquar & curam, magna quam gessit in urbe
B CONSTANTINOPOLI docto bonus ore sacerdos
ATTICUS, antiqua legatos hæreticorum
Confutando fide; de qua tunc impia corda
Quamvis se obductâ tegerent velamine formâ
Judicii & tacitæ tulerant tormenta repulsæ?
Prætereo quanto fuerit bene mota tumultu
Clara EPHESOS, non passa suis consistere tectis
Vasa iræ, & morbi flatus, & semina mortis.
Quaque fide tellus etiam TRINACRIA fervens
Agmen vipereum propriis exegerit oris.
Tu caussam fidei flagrantiùs AFRICA nostræ
Exsequeris, tecumque suum jungente vigorem
C JURIS APOSTOLICI SOLIO, fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, GEMINOQUE senum celeberrima COETU,
Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur.
Nec sola est illic Synodorum exserta potestas,
Ceu quos non possent ratione evincere nostri,
Vi premerent: discussæ artes, virusque retectum est
Hæretici sensûs: nullumque omnino relictum,
Docta fides quod non dissolveret argumentum.
Condita sunt, & scripta manent, quæ de cataractis
Æterni fontis fluxere undante meatu,
D Et ter centenis procerum sunt edita linguis:
Sic moderante suam legem bonitate severa,
Ut qui damnato vellent de errore reverti,
Acciperent pacem, pulsis qui prava tenerent.
An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui dux AURELIUS, ingeniumque
AUGUSTINUS erat: quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo,
Accensum vero de lumine. Nam cibus illi,
Et vita, & requies, Deus est; omnisque voluptas
Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi:
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
E Omnia, & in sancto regnat sapientia templo.
ISTIUS ergo inter cunctos, qui de grege sancto Caput. III.
Insanas pepulere feras, industria major,
Majus opus, totum præstantiùs imbuit orbem.
Nam quocumque gradum convertit callidus hostis,
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occursu est præventus, mille viarum
Insidiis aditum non repperientibus ullum.
Cúmque foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
F Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore veri fecit Deus: istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Quæ mites humilesque bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

Ex eodem Prospero,

Epitaphium hæresis PELAGIANÆ *&* NESTORIANÆ.

NESTORIANA lues successi PELAGIANÆ,
Quæ tamen est utero prægenerata meo.
G Infelix miseræ genitrix & filia natæ,
Prodivi ex ipso germine quod peperi.
Nam fundare arcem meritis prior orsa superbis,
De capite ad corpus ducere opus volui.
Sed mea dum proles in summa armatur ab imis,
Congrua bellandi tempora non habui.

a Regius codex, Σίπτιμος.

Et consanguineæ post tristia vulnera fraudis
 Aspera conserui prœlia fine pari.
Me tamen una dedit victam sententia letho,
 Illa volens iterum surgere, bis cecidit.
Mecum oritur, mecum moritur, mecumque sepulcrum
 Intrat, & inferni carceris ima subit:
Quò nos præcipites insana superbia mersit,
 Exutas donis, & tumidas meritis.
Nam Christum pietate operum & mercede, volentes
 Esse Deum, in capitis fœdere non stetimus:
Sperantesque animi de libertate coronam,
 Perdidimus quam dat gratia justitiam.
Quique igitur geminæ miseraris busta ruinæ,
 Ne nostro exitio consociare cave.
Nam si, quæ Domini data munera serò fatemur,
 Hæc homini credis debita, noster eris.

COMMONITORIUM *aliud* MERCATORIS *contra* PELAGIANOS.

EXEMPLUM COMMONITORII, quod super nomine CÆLESTII Græco sermone à MERCATORE datum est, non solùm Ecclesiæ Constantinopolitanæ, sed etiam plurimis religiosissimis viris; oblatum quoque piissimo principi Theodosio semper Augusto; idipsum ex Græco in Latinum translatum per eumdem MARIUM MERCATOREM Christi servum, in consulatu * FLORENTII & DIONYSII VV. CC. per quod commonitorium cognito funestissimo errore, imperiali præcepto tam JULIANUS defensor & sequax ejus cum ceteris sociis & participibus suis, quàm postea idem CÆLESTIUS de Constantinopolitana urbe detrusi, in synodo quoque Ephesiensi ducentorum septuaginta quinque episcoporum sententiâ postmodum in præsenti damnati sunt.

CÆLESTIUS quidam eunuchus matris utero editus, ante viginti plus minùs annos [a] discipulus & auditor Pelagii egressus ex urbe Romana Carthaginem Africæ totius metropolim venit, ibique de infrà scriptis capitulis apud Aurelium episcopum memoratæ urbis per libellum à quodam Paulino diacono sanctæ memoriæ Ambrosii Mediolanensis episcopi est accusatus, sicut gestorum confectio se habet, quibus idem libellus insertus est. (quorum gestorum exemplaria habemus in manibus,) tamquam hæc non solùm ipse doceret, sed & per provincias conspirantes sibi diversos, qui hæc per populos disseminarent, misisset, id est, *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus fuisset.* Quoniam *peccatum Adæ ipsum solum læsit, & non genus humanum.* Quoniam *parvuli qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Quoniam *neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne hominum genus resurgat.* Quoniam *lex sic mittit ad regnum cælorum quomodo & Evangelium.* Quoniam *& ante adventum Domini fuerunt homines impeccabiles, id est, sine peccato.* De quibus omnibus capitulis suprà scriptis [b] septem paribus synodalium gestorum patres & episcopi regionis illius restiterunt Cælestio, & jusserunt ut eadem condemnaret, quia essent hæretici sensus. Sed Cælestius nullo modo adquiescens, quin immo resistens actis iisdem quibus frequenter auditus est, ecclesiastica communione privatus est.

A qua sententia ad Romani episcopi examen credidit appellandum. Qua mox idem ipse appellatione neglectâ, Ephesum Asiæ urbem contendit, ibique ausus est per obreptionem locum presbyterii petere. Inde post aliquantos annos, sub sanctæ memoriæ Attico episcopo, urbem Constantinopolitanam petiit; ubi in similibus detectus magno studio sancti illius viri, ex prædicta alma urbe detrusus est, litteris super ejus nomine & in Asiam & Thessalonicam & Carthaginem ad episcopos missis, quarum exemplaria habentes proferre sumus parati.

A Prædictus tamen Cælestius etiam hinc ejectus, ad urbem Romanam sub sanctæ memoriæ Zosimo episcopo tota festinatione perrexit: ubi actis, quorum exemplaria habemus, interrogatus, cùm ab illo cognitore aliquatenus terreretur, crebris responsionibus & prosecutionibus suis spem præseminavit, condemnare se illa capitula, de quibus apud Carthaginem fuerat accusatus, promittens. Id enim & instantiùs jubebatur, ab eoque vehementiùs ut id faceret exspectabatur, atque ob hoc ipsum nonnulla illius sancti sacerdotis humanitate dignus est habitus; & sic epistolam quamdam benignitatis plenam ad Afros episcopos meruit; qua ille abusus est, vel adhuc abutitur ad B multorum ignorantium deceptionem. *Acta contra ipsum Romæ sub Zosimo.*

Episcopis verò ex Africa rescribentibus, omnemque caussam quæ apud eos facta fuerat exponentibus, missis etiam gestis exinde, quæ fuerant tunc cum illo vel de illo confecta; vocatus ad audientiam pleniorem, ut quæ promiserat festinaret implere, id est, ut damnatis prædictis capitulis, sententiâ Afrorum pontificum, quâ fuerat communione privatus, absolveretur, non solùm non adfuit, sed etiam ex memorata Romana urbe profugit: atque ob hoc à beatæ memoriæ prædicto Zosimo episcopo scriptis amplissimis vel longissimis perdamnatus est, in quibus & ipsa capitula de quibus accusatus fuerat continentur, & C omnis caussa tam de Cælestio suprà scripto, quàm de Pelagio magistro ejus praviore, videtur esse narrata: quorum scriptorum & nos hîc habemus exemplaria, & ad Orientales Ecclesias, Ægypti diœcesim, & Constantinopolim, & Thessalonicam, & Jerosolyma, similia eademque scripta ad episcopos transmissa esse suggerimus. *V. lib. 2. contra duas epistolas Pelag. cap. 3.*

Ut autem & Pelagius cum isto pariter damnaretur, istud in caussa est. Ausus est memoratus ante vastationem [c] urbis Romæ in apostolum Paulum commentarios condere, & his edere de quorum amicitia præsumebat. Explanare autem se putavit singula Apostoli verba vel sen- D sus. In epistola igitur quæ est ad Romanos, cùm ad illa loca venisset, ubi vas electionis ita loquitur, Propterea « sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum in- « travit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines « mors pertransiit; hactenus credidit exponendum: quem « librum ejus habemus, & proferimus ad convincendum ini- « micum ejus errorem. Ita ergo idem ait: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: *Exemplo,* inquit, *seu imagine usus est: quia sicut cùm non esset peccatum, per Adam subintravit; sic & cùm non remansisset justitia apud aliquem, vita per Christum reparata est.* Et in omnes homines mors pertransiit: *Cùm sic,* inquit, E *qui peccant, similiter & moriuntur. Neque enim aut in Abraham aut Isaac aut Jacob mors pertransiit, de quibus Dominus ait, Hi omnes vivunt. Hic autem,* inquit, *propterea dicit omnes mortuos, quoniam multitudine peccatorum non excipiuntur pauci: justi sicut & ibi,* inquit, *Non est qui faciat bonitatem, non est usque ad unum. Et iterum illud,* inquit, *Omnis homo mendax. Aut certè in illos omnes pertransiit,* inquit, *qui humano ritu, non cælesti sunt conversati.* Et post pauca: Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem « etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem præva- « F ricationis Adæ: *Sive cùm non esset,* inquit, *qui inter justum & injustum discerneret, putabat mors se omnium dominari; sive in eos qui mandatum tamquam Adam prævaricati sunt, hoc est, de filiis Noë, quibus præceptum est ut animam in sanguine non manducarent, & de filiis Abraham, quibus circumcisio mandata est: sed & in eos qui præter mandatum legem contemserant naturalem.* Qui est forma futuri: *Quoniam,* inquit, *sicut Adam præter coitum à Deo formatus est, sic & Christus ex virgine fabricante Spiritu-sancto processit: sive, sicut quidam dicunt, forma à contrario, hoc est, ut sicut caput ille peccati, sic iste caput justitiæ est.* Sed non sicut delictum, G ita & donum: *Ne in forma,* inquit, *æqualitas putaretur.* Si enim in unius prævaricatione multi mortui sunt, multo magis donum & gratia Dei per unum hominem Christum in multos abundavit: *Plus valuit, inquit Apostolus, gratia*

Marginal references: [c] *Vide lib. 3. de peccatorum meritis cap. 1. & seq. & lib. de pecc. orig. c. 21.* — *Rom. 5. 12.* — *Lucæ 20. 38.* — *Psal. 52. 2.* — *Psal. 115. 11.* — *Rom. 5. 14.* — *Ibidem.* — *Ibidem 15.* — *Ibidem.*

[a] Id est, circiter annum Christi 410. quando quidem datum prænotatur commonitorium *in consulatu Florentii & Dionysii*, qui incidit in annum 429.
[b] Iste locus mendosus creditus est, atque à viris eruditis, qui Mercatoris commonitorium primi vulgarunt, variè editus. Veterum librorum lectionem, quia hîc inter se consentiunt, reddidit Clarissimus Baluzius. Nihil, opinamur, voluit aliud Mercator, nisi ut intelligeremus, de septem capitulis Cælestii alia fuisse contra ipsum pari numero condita: sicuti factum videbis contra Pelagium, in ea scriptione quam hîc post Diospolitanam synodum subjicimus. Certè capitula Cælestii septem in altero commonitorio Mercatoris referuntur suprà pag. 64. Ex iis unum hîc omissum à librariis, scilicet, *Quoniam infantes, etiam si non baptizentur, habent vitam æternam.*
[c] Vastationem Urbis eam indicat, quæ ab Alarico Gothorum rege facta est anno Christi 410.

in vivificando, quàm peccatum in occidendo; quia Adam se solum & suos posteros interfecit, Christus verò & eos qui tunc erant in corpore, & eos qui postea futuri erant liberavit.

Hîc sollicitus catholicus lector notet quid dicat, *Adam non sibi soli, sed & posteris suis nocuisse.* Tene superiorem definitionem ejus. Posteros enim hîc dicit, non omnes omnino & ubique totos homines læsos illius peccato; sed illos tantùm qui per imitationem similiter suis peccatis & propriis facti sunt rei prævaricationis, sicut Adam; qui sine dubio ii ipsi pronepotes ejus & posteri esse inveniuntur.

Hi autem, inquit, *qui contra traducem peccati sentiunt*, * *aliter eos qui defendunt traducem impugnare conantur. Si peccatum*, inquiunt, *Adæ etiam non peccantibus nocuit, ergo & Christi justitia non credentibus prodest; quoniam similiter, immo plus dicit Apostolus per unum liberari, quàm per unum antè perierunt. Deinde dicunt*, inquit, *Si baptismus mundat antiquum illud veternosumque peccatum, qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato: non enim potuerunt ad posteros transmittere, quod ipsi minimè habuerunt. In hoc addunt*, inquit, *Quoniam * si anima non est ex traduce, sicut nec est, sed sola caro habet traducem peccati, sola & pœnam meretur. Injustum est enim, ut hodie nata anima non ex massa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum: quia nec rationabile est, ut Deus, qui propria peccata dimittit, unum imputet alienum.*

* Garnerius, scriter.

* Vide Aug. epist. 190. ad Optat. n. 22.

Et iterum in alio sermone suo idem Pelagius. *Si peccator*, inquit, *genuit peccatorem, ut parvulo ejus peccatum originale in baptismi acceptione solvatur; justus ergo justum gignere debuit. Si parentes*, inquit, *post conversionem propria peccata non lædunt, multo magis filiis eorum per eos nocere non potuerunt. Si priorem hominem contigit caussam mortis fecisse, ergo per Christi adventum mori jam non oportebat. Si per peccatum Adæ mors orta esset, numquam post remissionem peccatorum, quam nobis liberator donavit, moreremur. Plus ergo valuit peccatum Adæ omnes omnino homines occidendo, quàm Christi gratia in salvando, quæ non omnibus, sed tantum credentibus profuit. Neque enim omnes qui nascuntur ex Adam, ii etiam renascuntur in Christo:* & reliqua.

Quæ omnia suprà scripta capitula, ut jam superiùs dictum est, continet illa beatæ memoriæ episcopi Zosimi epistola, quæ Tractoria dicitur, qua Cælestius Pelagiusque damnati sunt; quæ & Constantinopolim, & per totum orbem missa subscriptionibus sanctorum Patrum est roborata: cui Julianus & reliqui complices ejus subscribere detrectantes, consentaneosque se nolentes iisdem patribus facere non solùm imperialibus legibus, sed & sacerdotalibus statutis depositi atque exauctorati, ex omni Italia deturbati sunt; ex quibus plurimi resipiscentes, & à prædicto errore correcti, regressi sunt supplices ad sedem Apostolicam, & suscepti suas Ecclesias receperunt.

Prædicti sanè Cælestius & Pelagius non tunc primò à sanctæ memoriæ Zosimo videntur esse damnati, sed ab ejus decessore sanctæ recordationis Innocentio, à quo & Julianus fuerat ordinatus, quique post illorum damnationem usque ad prædicti Innocentii episcopi excessum è vita in ejus communione permanens & perseverans in sincera sententia, & communicans damnatori prædictorum, ipse quoque sine dubio Pelagium Cælestiumque damnavit; & quid nunc desiderat, aut de quo queritur ignoramus.

Ut autem à sanctæ recordationis Innocentio damnarentur, talis exstitit caussa. Post Romanæ urbis vastationem in Palæstina degebat Pelagius. Inventi sunt à quibusdam studiosis * episcopis libri ejus, in quibus multa & varia adversùs fidem catholicam conscripta esse videntur. Hi cum litteris in Africam Patribus & Episcopis missi sunt; ubi tribus conciliis [a] congregatis, memorati lecti sunt libri. Exinde relationibus Romam missis, ipsis quoque libris pariter destinatis, Apostolica sententia rescribentis ad prædicta concilia emanavit, quæ eosdem ipsos, Cælestium Pelagiumque ecclesiastica communione privavit: quorum scriptorum exemplaria habemus in manibus. Adhuc etiam Jerosolymis constitutus Pelagius accusatus fuit apud * synodum. Et primò quidem tergiversando, ambiguis quibus-

* Herote & Lazaro.

* Diospolitanam.

A dam se professionibus tegens, & prosequens dubia vel respondens, illam tunc videtur episcoporum audientiam delusisse. Sed postmodum evidenter deprehensus, insistentibus accusatoribus à posteriore synodo, cui sanctæ memoriæ [b] Theodotus Antiochiæ præsedit episcopus, atque detectus, à sanctis quoque ac venerabilibus Jerosolymorum locis est deturbatus: ejusdemque sancti Theodoti ad reverentissimum urbis Romæ episcopum, & sanctæ recordationis [c] Praylii Jerosolymitani episcopi missa scripta testantur; quorum exemplaria ad documentum habemus in manibus.

In ipsa autem accusatione capitulorum, quæ eidem tunc
B Pelagio objecta sunt, etiam hoc continebatur, cum aliis exsecrandis quæ Cælestius tamquam ejus discipulus sentiebat, id est, *Infantes, etiam si non baptizentur, habere vitam æternam.* Illud quoque quod superiùs positum est capitulum sentiri à Cælestio, & esse consentaneum magistri sui doctrinæ memoravimus, id est, *Legem sic mittere ad regnum cælorum sicut Evangelium*, Pelagius quibusdam scriptis suis apertè confirmat atque pronuntiat. Denique libellus est ejus, quem habemus in manibus ad quamdam [d] Livaniam viduam sermonem continens exhortatorium, in quo ita habetur. *Simplicitatem*, inquit, *sequi Christi famulam decet, non hanc quæ stultitia magis est quàm simplici-*
C *tas, sed illam de qua Scriptura dicit, Benedicta anima omnis simplex: dicente alibi Scripturâ, Maledictus omnis homo qui non permanet in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Hinc*, inquit, *ostenditur hanc esse simplicitatem veram, quæ Dei mandata non insensatâ securitate contemnit; sed eam quæ legis præcepta sapienti timore custodit. Dicendo enim maledictum eum esse, qui non permanet in his quæ scripta sunt, à contrario benedictum esse non vult qui non omnia præcepta servaverit; & si omnis simplex benedictus est, ergo simplex ille est qui omnia præcepta legis impleverit.*

Prov. 11. 25. sec. LXX. Deut. 27. 26.

Asserere hunc illud, quod totiens jam superiùs dictum
D est, *Ad regnum cælorum libros Moysi sicut Evangelium mittere*, nullus catholicorum, qui hoc capitulum legerit, dubitat, nec intelligendo difficultatem aliquam poterit sustinere. Et quia indiscretè legem in eodem impiissimo capitulo nominavit, si Mosaicam, cujus testimonium maledicti posuit, apertè nos in Judaismum adtrahere tentat. Quòd si ad tegendum se per fallaciam, legis nomine Evangelium se dixerit nominasse, in eo quidem quod legem Evangelium appellat, non errat; sed in eo est impius, in quo sub [e] simili & æquali nos maledicto qui sub Evangelio sumus constituere non pertimescit, exæquans legi circumcisionis & omni Judaismo Evangelicam gratiam. Unde etiam di-
E scipulus ejus Cælestius apertè ausus est pronuntiare, *Legem sic mittere ad regna cælorum, sicut Evangelium.* Manifestum est enim, secundùm Pelagium, quia si sub eodem vel simili adhuc sumus vinculo, etiam sub Evangelii tempore, ut si quid tamquam homines erraverimus, aut unum de præceptis Evangelii non impleverimus, esse nos maledictos. Quòd si ita est, quod absit, tamen ut ille vult sit dictum, exæquatum est legi veteri Evangelium: & ubi erit dictum Pauli apostoli, Christus nos redemit de maledicto legis, « factus pro nobis maledictum; quia scriptum est, Maledi- « ctus omnis homo qui non permanet in omnibus quæ scri- « pta sunt in libro legis, ut faciat ea? Quin etiam subde- «
F scendens hunc ipsum sensum latiùs in eodem sermone libelli hujus exsequitur, & latiùs eum commendat. Post multa enim ibi ait: *Odisse, maledicere, & invidere, mentiri, detrahere, & detrahentibus credere, leve aut nullum putatur esse peccatum: sed hi qui hoc putant obliti sunt, quoniam & levis præcepti obnoxios gehennæ legimus esse mancipandos. Dixisse enim*, inquit, *Dominum manifestum est, Quicumque dixerit fratri suo, Fatue, vel Racha, reus erit gehennæ.*

Galat. 3. 13.

Matth. 5. 22.

Hos igitur in ejusmodi impiissimis erroribus deprehensos, Pelagium scilicet & Cælestium, ad satisfactionem Ecclesiæ Julianus & ceteri sui participes vel modò condem-
G nent: & si quos confidunt adversùs catholicam fidem non rectè sentire, nominatim designare non dubitent; & ecclesiastico ordine à nobis accipient pro nostra possibilitate responsum, aut ab eo certè quem [f] dicunt à sensu ca-

a Tres inde ad Innocentium scriptæ synodicæ epistolæ, quæ inter Augustinianas sunt ordine 175. 176. & 177.

b Theodotus Antiochiæ post Alexandrum creatus episcopus anno Christi 411. & mortuus anno 427.

c Johanni Praylius in Jerosolymitana sede successit sub initium anni 417.

d Sunt qui loco *Julianæ*, positum putent *Livaniæ* nomen, sive amanuensium errore, sive certo quodam auctoris consilio.

e Vir clarissimus Baluzius veteres codices secutus edidit, *similitate quali.*

f Substitutum fuerat, *dicent*: proque hac lectione citabatur Bellovacensis codex: sed falsò, teste V. C. Baluzio, qui in eo ipso codice reperit, *dicunt.*

tholico

tholico deviare. Sicut enim in supernis præfati sumus, jam multi qui Cælestium & Pelagium cum eo fuerant secuti, Juliani quoque participes & socii facti, derelicto eo, Pelagioque damnato, sedi Apostolicæ se submittentes, & pænitere super his quæ malè senserant profitentes, à sanctis Patribus digni habiti miseratione suscepti sunt.

DE PELAGIANA HÆRESI EJUSQUE AUCTORE AC DEFENSORIBUS.

Prosper in Chronico ad annum Christi 414.

HAC tempestate Pelagius Brito dogma nominis sui contra gratiam Christi, Cælestio & Juliano adjutoribus exserit, multosque in suum errorem trahit: prædicans *unumquemque ad justitiam voluntate propria regi: tantumque accipere gratiæ, quantum meruerit: quia Adæ peccatum ipsum solum læserit, non etiam posteros ejus obstrinxerit: unde & volentibus possibile sit omni carere peccato: omnesque tam insontes nasci quàm primus homo ante prævaricationem fuit: nec ideo baptizandos ut peccato exuantur, sed ut sacramento adoptionis honorentur.*

PELAGII HÆRESIS IN AUGUSTINI NOTITIAM VENIT.

Augustinus in libro de dono perseverantiæ, cap. 20.

CUM & ipsos (libros Confessionum mearum) ediderim * ante quàm Pelagiana hæresis exstitisset; in eis certè dixi Deo nostro, & sæpe dixi, DA QUOD JUBES, ET JUBE QUOD VIS. Quæ mea verba Pelagius Romæ, cùm à quodam fratre coëpiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquantò commotiùs, penè cum eo qui illa commemoraverat litigavit.

* [illegible]citer an[illegible] Christi [illegible]

Idem in libro de Gestis Pelagii, cap. 22.

PRIUS absentis & Romæ constituti Pelagii nomen cum magna ejus laude cognovi. Postea cœpit ad nos fama perferre, quòd adversùs Dei gratiam disputaret. Quod licèt dolerem, & ab eis mihi diceretur, quibus crederem: ab ipso tamen tale aliquid, vel in ejus aliquo libro, nosse cupiebam; ut si inciperem redarguere, negare non posset. Postea verò quàm in Africam venit, me absente, nostro, id est, Hipponensi littore exceptus est; ubi omnino, sicut nostis, nihil ab illo hujusmodi auditum est: quia & citiùs quàm putabatur, inde profectus est. Postmodum ejus faciem Carthagine, quantum recolo, semel vel iterum vidi, quando curâ collationis, quam cum hæreticis Donatistis habituri * eramus, occupatissimus fui. Ille verò etiam ad transmarina properavit. Interea per ora eorum, qui ejus discipuli ferebantur, dogmata ista fervebant: ita ut Cælestius ad ecclesiasticum judicium perveniret, & reportaret dignam sua perversitate sententiam.

* [illegible] 411. [illegible] alio.

DE SYNODO CARTHAGINENSI CONTRA Cælestium circa initium [a] anni 412. habita.

Augustinus in eodem libro de Gestis Pelagii, cap. 35.

ISTA hæresis cùm plurimos decepisset, & fratres quos non deceperat conturbaret; Cælestius quidam talia sentiens ad judicium Carthaginensis Ecclesiæ perductus, episcoporum sententiâ condemnatus est.

A *Idem in epistola 157. ad Hilarium, cap. 3. n. 22.*

CÆLESTIUS in ejusdem civitatis (Carthaginensis) Ecclesia jam ad presbyterii honorem subrepere cœperat, sed fidelissima libertate fratrum propter has ipsas contra Christi gratiam disputationes ad judicium episcopale perductus est. Tamen coactus est confiteri, propter baptizandos parvulos, quòd & ipsis redemtio sit necessaria, &c. Sed quia magis convictus & ab Ecclesia detestatus, quàm correctus & pacatus abscessit, &c.

B *Idem in libro de peccato originali, cap. 3.*

DE Gestis ecclesiasticis Carthaginensibus hæc ejus verba descripsimus.

AURELIUS episcopus dixit: Sequentia recitentur. Et recitatum est, *quòd peccatum Adæ ipsi soli obfuerit, & non generi humano.* Et cùm recitatum esset, Cælestius dixit: *Dixi de traduce peccati me dubium esse; ita tamen ut cui donavit Deus gratiam peritiæ consentiam: quia diversa ab eis audivi, qui utique in Ecclesia catholica constituti sunt presbyteri.* Paulinus diaconus dixit: * &c.

* *Sequentia vide in lib. de peccat. orig. c. 3. & 4.*

C *Idem in libro de Gestis Pelagii, cap. 11.*

HÆC ita objecta sunt, ut etiam apud Carthaginem à sanctitate * tua & ab aliis tecum episcopis dicerentur audita atque damnata. Ubi quidem, ut recolis, ipse non fui: sed postea cùm venissem Carthaginem, eadem gesta recensui.

* Aurelium episcopum Carthag. alloquitur.

PELAGIANA DOGMATA CUM EORUM REFUTATIONE.

D *Ex Hieronymi epistola ad [b] Ctesiphontem.*

NON audacter, ut falsò putas, sed amanter studioséque fecisti, ut novam mihi ex veteri mitteres quæstionem, quæ ante litteras tuas plerosque in Oriente decepit, ut per simulatam humilitatem superbiam discerent, & dicerent cum diabolo, In cælum adscendam, supra cæli sidera ponam thronum meum, ero similis Altissimo. Quæ enim potest admissa major esse temeritas, quàm Dei sibi, non dicam similitudinem, sed æqualitatem vindicare, & brevi sententiâ omnium hæreticorum venena complecti, quæ de Philosophorum, & maximè Pythagoræ & Zenonis principis Stoicorum fonte manarunt? Illi enim quæ Græci appellant πάθη, nos perturbationes possumus dicere, ægritudinem videlicet & gaudium, spem & metum, quorum duo præsentia, & duo futura sunt, asserunt exstirpari posse de mentibus, & nullam fibram radicemque vitiorum in homine omnino residere, meditatione & assidua exercitatione virtutum, &c. Pulcrè quidam * nostrorum ait, Philosophi patriarchæ hæreticorum, Ecclesiæ puritatem perversa maculavere doctrinâ: ut nesciant illud dictum de humana fragilitate, Quid gloriaris terra & cinis? Præsertim cùm illud quidem Apostolus dicat, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & ducentem me in captivitatem. Et iterum, Non enim quod volo hoc ago, sed quod nolo id operor. Si quod non vult operatur, quomodo stare potest hoc quod dicitur, *Posse hominem sine peccato esse, si velit?* Quâ ratione potest esse quod velit, cùm Apostolus asserat, se quod cupiat implere non posse. Cúmque ab eis quærimus, qui sint illi quos *absque peccato* putent: novâ strophâ eludere cupiunt veritatem, *se non eos dicere qui sint vel fuerint, sed qui esse possint:* &c. David dicit, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, &c. Et in alio Psalmo, Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Quod testimonium sub nòmine pietatis nova argumentatione eludunt: aiunt enim *ad comparationem Dei nullum esse perfectum:* &c.

Isai. 14. 13. — * *Tertullianus libro contra Hermog. & lib. de anima.* — *Eccli. 10. 9.* — *Rom. 7. 23.* — *Ibid. 19.* — *Psal. 50. 7.* — *Psal. 142. 2.*

[a] Primæ istius contra Pelagianam hæresim synodi tempus habemus ex alterius synodi Carthaginensis ad Innocentium epistola, inter Augustinianas ordine 90. illis videlicet verbis: *Unde factum est, ut recensendum peteremus quid ante ferme quinquennium super Cælestii nomine hîc fuerit agitatum:* &c. Scripta fuit hæc synodica anno 416. Synodus ergo contra Cælestium quæ ferme quinquennio præcesserat, aut anni est exeuntis 411. aut ineuntis anni 412.

[b] In antiquissimo Colbertino codice prænotatur, *ad Atesiphontem Urbicum.* Orosius verò in Jerosolymitano conventu anno 415. celebrato eam *a! Ctesiphontem*, seu *Tesiphontem* datam dicit, & *nuper* editam ab Hieronymo.

Nihil novi aſſerunt, qui in hujuſcemodi applaudentes ſibi perfidia ſimplices quidem & indoctos decipiunt, ſed eccleſiaſticos viros, qui in lege Dei die ac nocte meditantur, decipere non valent. Pudeat ergo eos principum & ſociorum ſuorum, qui aiunt, *Poſſe hominem ſine peccato eſſe, ſi velit*, quod Græci dicunt ἀναμάρτητον. Et quia hoc Eccleſiarum per Orientem aures ferre non poſſunt, ſimulant ſe, *ſine peccato quidem dicere, ſed ἀναμάρτητον dicere non audere*: quaſi aliud ſit *ſine peccato*, aliud ἀναμάρτητον, & non Græcum ſermonem, qui apud illos compoſitus eſt, duobus verbis ſermo Latinus expreſſerit. Si *abſque peccato* dicis, & ἀναμάρτητον dicere te diffiteris, damna eos ergo qui ἀναμάρτητον prædicant. Sed non facis. Noſti enim quid intrinſecùs diſcipulos tuos doceas, aliud ore commemorans & aliud celans conſcientiâ; nobiſque alienis & indoctis loqueris per parabolas, tuis autem myſteria confiteris; & hoc juxta Scripturam te facere jactas, quia dictum eſt, Turbis Jeſus in parabolis loquebatur: & ad diſcipulos in domo dicit, Vobis datum eſt ſcire myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum. *Matth.13,10. & 11.* Sed ut dicere cœperam, exponam breviter principum & ſociorum tuorum nomina, ut animadvertas qualium conſortio glorieris. Manichæus Electos ſuos, quos inter [a] apſidas Platonis in cæleſtibus collocat, dicit omni carere peccato, nec ſi velint, poſſe peccare. Ad tanta enim eos virtutum culmina tranſſcendiſſe, ut carnis operibus illudant. Priſcillianus in Hiſpania pars Manichæi, de turpitudine cujus te diſcipuli diligunt plurimùm, verbum perfectionis & ſcientiæ ſibi temere vindicantes, &c. Unde & vos aſſeritis, *Eos qui abſque legis ſcientia ſint, peccata vitare non poſſe*: &c. Evagrius [b] Iberita &c. edidit librum & ſententias περὶ ἀπαθείας, quam nos impaſſibilitatem vel imperturbationem poſſumus dicere, &c. Hujus libros per Orientem græcos, & interpretante diſcipulo ejus Rufino latinos plerique in Occidente lectitant, &c. Vis adhuc & alium noſſe tui erroris principem? Doctrina tua Origenis ramuſculus eſt: &c. Nec erubeſcas de ſocietate talium, renuens eorum nomina quorum blaſphemiis jungeris. Joviniani ſecunda quæſtio, tui ingenii diſciplina eſt. Quidquid illi reſponſum eſt, tibi reſponſum credito: &c.

Illud verò quod ad decipiendos homines quoſque poſtea huic ſententiæ coaptarunt, *Non abſque Dei gratia*, cùm primâ legentes fronte decipiat, introſpectum & diligentiſſimè ventilatum, decipere non poteſt. *Ita* enim *Dei gratiam* ponunt, *ut non per ſingula opera ejus nitamur & regamur auxilio, ſed ad liberum referant arbitrium, & ad præcepta legis*: ponentes illud Iſaiæ, *Legem enim in adjutorium dedit eis Deus: ut in eo Deo referendæ ſint gratiæ, quòd tales nos condiderit, qui noſtro arbitrio poſſimus & eligere bona & vitare mala.* *Iſai. 8. 20. sec. LXX.* Et non intelligunt iſta dicentes, quòd per os eorum intolerabilem blaſphemiam diabolus ſibilet: &c. Unus * diſcipulorum ejus, immo jam magiſter & totius ductor exercitûs, & contra Apoſtolum vas perditionis, per ſolœciſmorum, & non ut ſui jactitant ſyllogiſmorum, ſpineta decurrens, ſic philoſophatur & diſputat. *Si nihil ago abſque Dei auxilio, & per ſingula opera ejus eſt omne quod geſſero; ergo non ego qui laboro, ſed Dei in me coronabitur auxilium; fruſtraque dedit arbitrii poteſtatem, quam implere non poſſum, niſi ipſe me ſemper adjuverit. Deſtruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit, niſi fecero quod voluero. Ac per hoc, aut utor ſemel poteſtate quæ mihi data eſt, ut liberum ſervetur arbitrium: aut ſi alterius ope indigeo, libertas in me arbitrii deſtruetur.* Qui hæc dicit, quam non excedit blaſphemiam? quæ hæreticorum venena non ſuperat? Aſſerunt ſe per arbitrii libertatem nequaquam ultrà neceſſarium habere Deum: &c.

** fortè Cæleſtius.*

Quod autem ſurſum deorſum jactitant, *Liberum à nobis arbitrium deſtrui*: audiant è contrario, eos arbitrii libertatem deſtruere, qui malè eo abutuntur adversùm beneficium largitoris: &c. Audite quæſo, audite ſacrilegum. *Si* inquit, *voluero curvare digitum, movere manum, ſedere, ſtare, ambulare, diſcurrere, ſputa jacere, duobus digitulis narium purgamenta decutere, relevare alvum, urinam digerere; ſemper mihi auxilium Dei erit neceſſarium?* &c. Injuriam tibi fieri putas & deſtrui arbitrii libertatem, ſi ad Deum ſemper

A auctorem recurras, ſi ex illius pendeas voluntate, & dicas, Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos? *Pſal. 24.15.* Unde & audes linguâ proferre temerariâ, *Unumquemque ſuo arbitrio regi.* Si ſuo regitur arbitrio, ubi eſt auxilium Dei? Si Chriſto rectore non indiget, quomodo ſcribit Jeremias, Non eſt in homine via ejus: &, A Domino greſſus hominis diriguntur? *Jerem.10.23. Pſal. 36.23.*

Facilia dicis *Dei eſſe mandata.* Et tamen nullum proferre potes, qui univerſa compleverit: &c. Soletis & hoc dicere: *Aut poſſibilia eſſe mandata, & rectè à Deo data; aut impoſſibilia, & non in iis eſſe culpam qui accepere mandata, ſed*
B *in eo qui dedit impoſſibilia.* Numquid præcepit mihi Deus, ut eſſem quod Deus eſt; ut nihil inter me eſſet & Dominum creatorem, ut major eſſe angelorum faſtigio, ut haberem quod angeli non habent? De illo ſcriptum eſt quaſi proprium, Qui peccatum non fecit, &c. *1.Petr.2.22.* Alioquin per ſe tua ſententia deſtruetur. Aſſeris, *Poſſe hominem eſſe ſine peccato, ſi velit*: & poſt graviſſimum ſomnum ad decipiendas rudes animas fruſtra conaris adjungere, *non abſque Dei gratia.* Si enim ſemel per ſe homo poteſt eſſe ſine peccato, quid neceſſaria eſt Dei gratia? Sin autem ſine illius gratia nihil poteſt facere, quid neceſſe fuit dicere poſſe
C quod non poteſt? *Poteſt*, inquit, *eſſe ſine peccato, poteſt eſſe perfectus, ſi voluerit.* Quis enim Chriſtianorum non vult eſſe ſine peccato, aut quis perfectionem recuſat, &c. *Poſſibilia*, inquit, *mandata dedit Deus.* Et quis hoc negat? Sed quomodo hæc intelligenda ſit ſententia, vas electionis apertiſſimè docet: &c.

Reclamabis & dices, *Manichæorum dogma nos ſequi, & eorum qui de diverſis naturis Eccleſiæ bella concinnant, aſſerentium malam eſſe naturam, quæ immutari nullo modo poſſit.* Et hoc non mihi, ſed Apoſtolo imputa, qui novit aliud eſſe Deum, aliud hominem; aliam carnis fragilitatem, aliam
D ſpiritûs fortitudinem. Caro enim deſiderat contra ſpiritum, & ſpiritus contra carnem; & hæc invicem ſibi adverſantur, ut non quæ volumus illa faciamus. *Galat.5.17.* A me numquam audies, malam eſſe naturam: ſed quomodo ſit carnis fragilitas diſſerenda, ipſo qui ſcripſit docente diſcamus: &c.

Fruſtra blaſphemas, & ignorantium auribus ingeris, *nos liberum arbitrium condemnare.* Damnetur ille qui damnat. Ceterùm nos ex eo differimus à brutis animalibus, quòd liberi arbitrii conditi ſumus: ſed ipſum liberum, ut diximus, arbitrium Dei nititur auxilio, illiuſque per ſingula ope indiget: quod vos non vultis; ut qui ſemel ha-
E bet liberum arbitrium, Deo adjutore non egeat.

Illud quoque argumentum veſtrum ferre quis poſſit? Dicitis his verbis: *Aliud eſt eſſe, aliud eſſe poſſe. Eſſe non eſt in noſtra poſitum poteſtate: eſſe autem poſſe generaliter dici; quòd licèt alius non fuerit, tamen poſſit eſſe qui eſſe voluerit.* Rogo quæ eſt iſta argumentatio, poſſe eſſe quod numquam fuerit? &c.

Loquere quod credis, publicè prædica quod ſecretò diſcipulis loqueris. Qui dicis te habere arbitrii libertatem, quare non liberè quod ſentis loqueris? Aliud audiunt cubiculorum tuorum ſecreta, aliud roſtrorum populi: etenim vulgus indoctum non poteſt arcanorum tuorum onera ſu-
F ſtentare, nec capere ſolidum cibum, quod infantiæ lacte contentum eſt. Necdum ſcripſi, & comminaris mihi reſcriptorum tuorum fulmina; ut ſcilicet hoc timore perterritus non audeam ora reſerare: & non animadvertis, idcirco nos ſcribere, ut vos reſpondere cogamini, & apertè aliquando dicere, quod pro tempore, perſonis, & locis, vel loquimini, vel tacetis. Nolo vobis liberum eſſe, negare quod ſemel ſcripſeritis. ECCLESIÆ VICTORIA EST, vos apertè dicere quod ſentitis. Aut enim idem reſponſuri eſtis, quod & nos loquimur; & nequaquam eritis adverſarii, ſed amici: aut ſi contraria noſtro dogmati dixeritis, in eo vincemus, quòd omnes cognoſcent Eccle-
G ſiæ quid ſentiatis. Sententias veſtras prodidiſſe, ſuperaſſe eſt. Patet primâ fronte blaſphemia: non neceſſe habet convinci, quod ſua ſtatim profeſſione blaſphemum eſt: &c. Eunomiani, Ariani, Macedoniani, nominibus ſeparati, impietate concordes, nullum nobis laborem faciunt: loquuntur enim quod ſentiunt. Sola hæc hæreſis eſt, quæ publicè erubeſcit loqui, quod ſecretò docere non metuit. Magiſtrorum ſilentia profert rabies diſcipulorum: quod

[a] Editi, *inter animas.* At nonnulli vetuſtiſſimi codices, *inter apſidas*: quo nomine circulos in ſtellis appellatos à Græcis teſtatur Plinius lib. 2. cap. 15.

[b] Quidam MS. *Hebionita.* Alius, *Iberita.* Editio Er. *Hyperborita.*

audierunt in cubiculis, in tectis prædicant; ut si placuerit auditoribus quod dixerint, referatur ad gloriam magistrorum; si displicuerit, culpa sit discipuli, non magistri: &c.

Nullius in hoc opusculo nomen propriè tangitur: adversùs magistrum perversi dogmatis locuti sumus. Qui si iratus fuerit atque rescripserit, suo quasi mus prodetur indicio, ampliora in vero certamine vulnera suscepturus: &c. Ergo doctor egregie, aut defende quod locutus es, & sententiarum acumina adstrue eloquio subsequenti; ne, quando tibi placuerit, neges quod locutus es: aut si certè errasti quasi homo, liberè confitere, & discordantium inter se redde concordiam. In mentem tibi veniat, tunicam Salvatoris nec à militibus fuisse conscissam. Fratrum inter se cernis jurgia: & rides atque lætaris, quòd alii tuo nomine, alii Christi appellentur. Imitare Jonam, & dicito, Si propter me ista tempestas, tollite me,& mittite in mare: &c. Jon. 1. 12.

Quòd autem *in scripturis sanctis justi appellantur, ut Zacharias, & Elizabeth, Job, Josaphat, & Josias*, & multi quorum nominibus sacra scriptura contexta est: quamquam in promisso opere pleniùs, si gratiam Dominus dederit, dicturus sim; tamen in præsenti epistola hoc breviter perstrinxisse sufficiat, quòd justi appellentur, non quòd omni vitio careant, sed ex majori parte virtutum: &c.

Illud quod te per sanctæ & illustris domûs conciliabulum precor atque commoneo, ne per unum, aut ut multùm, tres homunculos suscipiant tantarum fæces hæreseon, aut ut parum dicam, infamiam: ut ubi primùm virtus & sanctitas laudabatur, ibi præsumtionis diabolicæ & sordidissimæ societatis turpitudo versetur. Sciantque qui hujuscemodi hominibus opes suggerunt, hæreticorum multitudinem congregare, & Christi hostes facere, & enutrire adversarios ejus, frustraque aliud linguâ prætendere, cùm manu aliud sentire comprobetur.

De Pelagio,

Hieronymus in præfatione libri 1. in Ieremiam.

Nuper indoctus calumniator erupit, qui commentarios meos in epistolam Pauli ad Ephesios reprehendendos putat. Nec intelligit, nimiâ stertens vecordiâ, leges commentariorum; in quibus multæ diversorum ponuntur opiniones, vel tacitis, vel expressis auctorum nominibus; ut lectoris arbitrium sit, quid potissimùm eligere debeat, decernere. Quamquam & in primo ejusdem operis libro præfatus sim, me vel propria vel aliena dicturum, & ipsos commentarios tam veterum scriptorum esse, quàm nostros. Quod non videns præcursor ejus [a] Grunnius, olim nisus est carpere. Cui duobus respondi libris, quæ iste quasi sua profert, & alio jam calumniante purgata sunt: ut præteream contra Jovinianum volumina, in quibus dolet virginitatem nuptiis, & nuptias digamiæ, digamiam polygamiæ esse prælatam. Nec recordatur stolidissimus & Scotorum [b] pultibus prægravatus, nos in ipso dixisse opere: Non damno digamos, immo nec trigamos, & si fieri potest, octogamos: plus aliquid inferam, etiam scortatorem recipio pænitentem: quidquid æqualiter licet, æquali lance pensandum est. Legat ejusdem operis apologiam, quam ante annos plurimos adversùs magistrum ejus gaudens Roma suscepit: & tunc animadvertet alienis se vocibus blasphemare, & in tantum esse imperitum, ut ne maledicta quidem habeat propria, sed inimicorum etiam olim sepultorum contra nos utatur rabie.

Ejusdem præfatio libri 2. in Ieremiam.

Secundum, frater Eusebi, in Jeremiam librum celeri sermone dictamus, avertentes parumper aures, ne audiamus judicium sanguinis, & interfectorum animas deploremus: qui opinione virtutum quotidie corruunt in superbiam, & Deo se similes arbitrantur: ut æqualitatem, quam impia Arianorum hæresis in Filio negat, cunctis hominibus tribuant; & ponant in cælum os suum; & nihil futuræ sanctorum beatitudini ampliùs derelinquant. Quorum furori respondimus, ut potuimus: & si Dominus vitam dederit, pleniùs responsuri sumus.

Idem in præfatione lib. 3. in Ierem.

Non est passus diabolus, me optata quiete contentum, scripturarum sanctarum explanationi insistere, & hominibus linguæ meæ, Hebræorum Græcorumque eruditionem tradere: sed id agit diebus & noctibus, & apertè & per insidias, veris falsa miscendo, immo universa mendacia subdolo melle circumliniens; ut qui audit verborum dulcedinem, venena pectoris non formidet. Pacem pollicetur, ut graviora bella exerceat: ridet, ut mordeat: manum offert, ut ex improviso simplicem interficiat Abner. Nimirum hoc illud est quod & Apostolus loquebatur: Non enim ejus ignoramus astutias. 2. Cor. 2. 11. Hîc tacet, alibi criminatur, mittit in universum orbem epistolas biblinas, priùs auriferas, nunc maledicas, & patientiam nostram de Christi humilitate venientem, malæ conscientiæ signum interpretatur: ipseque mutus, latrat per [c] Albinum canem, grandem & corpulentum, & qui calcibus magis possit sævire quàm dentibus: habet enim progeniem Scoticæ gentis, de Britannorum vicinia: qui juxta fabulas poëtarum, instar Cerberi, spiritali percutiendus est clavâ, ut æterno cum suo magistro Plutone silentio conticescat.

Ejusdem Hieronymi præfatio lib. 4. in Ieremiam.

Semper diabolus bono operi imminet, ubique gradientibus ponit laqueos: &c. Multis & de toto huc orbe confluentium turbis, & sanctorum fratrum monasteriique curis occupatus, commentarios in Jeremiam per intervalla dictabam; ut quod deerat otio, superesset industriæ: cùm subitò hæresis Pythagoræ & Zenonis ἀπαθείας ἢ ἀναμαρτησίας, id est, impassibilitatis & impeccantiæ, quæ olim in Origene, & dudum in discipulis ejus, Grunnio, Evagrioque Pontico, & Joviniano jugulata est, cœpit reviviscere, & non solùm in Occidentis, sed & in Orientis partibus sibilare, & in quibusdam insulis, præcipuéque Siciliæ & Rhodi, maculare plerosque, & crescere per dies singulos, dum secretò docent, & publicè negant. Cui respondere, diu tacens & dolorem silentio devorans, crebra fratrum expostulatione compulsus sum: nec tamen huc usque prorupi, ut auctorum nomina ponerem; malens eos corrigi quàm infamari. Nec enim hominum, sed erroris inimicus sum: qui mihi ut vicem talionis & genuinum sui doloris illiderent, veteres magistrorum suorum calumnias concinnantes, in tantum elingues & miseri demonstrati sunt, ut ne maledicere quidem suis verbis potuerint. Quorum tunc temporis, editis adversùs eos libris, næniæ confutatæ sunt: quos qui legere voluerint, liquidò pervidebunt canes eos juxta Isaiam esse mutos, qui latrare nesciant; Isai. 56. 10. habentes quidem voluntatem & rabiem mentiendi, sed artem fingendi & latrandi non habentes. Quibus loquar compendio: Aut bona sunt quæ docetis, aut mala. Si bona, defendite liberè: si mala, quid occultè miseros errore jugulatis, rectaque fidei ad decipiendos simplices quosque [d] lactatis expositione? quæ si vera est, cur absconditur? si falsa, cur scribitur? Rogo, quæ est ista insania? Præcipiente Apostolo, ut parati simus ad satisfaciendum omni poscenti nos rationem de ea quæ in nobis est spe: 1. Pet. 3. 15. & Propheta clamante, Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar: Psal. 118. 46. isti publicum fugiunt, & susurrant in angulis perditorum; dolentque quasi pro suis, quæ sua metuunt confiteri. Cúmque generaliter adversùm vitia quid & hæreticos dixerimus, se petiquerunt: malumque conscientiæ dissimulata diu indignatione pronuntiant. Quòd si cavendum nobis est, ne veterem lædere videamur necessitudinem, si superbissimam hæresim spiritali mucrone truncemus: ergo sustinendæ erunt no-

[a] Rufinum Aquileiensem hoc vocabulo notare solet Hieronymus, diversum à Rufino Syro, quem etiam præcursorem fuisse Pelagii, prodit Mercator in commonitorio suprà pag. 63.

[b] Pelagius scilicet, quem infrà dicit, *habere progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia.* In eum Paulus Orosius in Apolog. c. 27. *Balneis*, inquit, *epulisque nutritus, latos humeros gestas robustamque cervicem, præferens etiam in fronte pinguedinem.*

[c] Editi, *Alpinum.* Vetus codex Sigiramnensis, *Albinum:* idem fortè quod Britannum; quia Britannia insula ex albis rupibus olim Albion appellata est.

[d] Sic MSS. At editi, *rectæque fidei...... jactatis expositionem.*

Psal. 31. 4. bis cruces proditæ fidei, & dicendum cum Propheta: Versatus sum in miseria, dum mihi infigitur spina. Quin po-
Act. 5. 29. tiùs audiant illud Apostolicum: Obedire Deo magis oportet, quàm hominibus. Et iterum: Si hominibus placerem,
Gal. 1. 10. Christi servus non essem. Verùm hæc in proprio, nisi tacuerint, opere pleniùs exsequemur.

De Jerosolymitano conventu [a] in caussa Pelagii per Johannem episcopum habito in fine Julii, anno Christi 415.

Ex Pauli Orosii apologetico libro, cap. 2. 3. & 4.

Mihi necessitas est injuriam manifestare, quam passus sum, cunctis pateat quid fecerunt. Dei enim & voluntas & ordinatio est, ut malum quod per patientiam tolerabatur, necessariè proderetur, & per contentionem furoris eorum ipsis dignam mercedem quam oportuit erroris sui recipientibus non solùm pessimorum denotatio fieret dogmatum, sed corripiendarum manifestatio personarum.
* f. confessores. Patres enim & qui jam quieverunt martyres & * concordes, Cyprianus, Hilarius, & Ambrosius, & quibus etiam nunc permanere adhuc in carne necessarium est, qui sunt columnæ & firmamenta Ecclesiæ catholicæ, Aurelius, Augustinus, & Hieronymus, multa jam adversùs hanc nefariam hæresim absque designatione nominum hæreticorum scriptis probatissimis ediderunt; quamquam & hæc venenatissimorum dogmatum abominatio habet etiam nunc viventes mortuos, mortuosque viventes. Nam Origenes & Priscillianus & Jovinianus olim apud se mortui, in his vivunt; & non solùm vivunt, verùm etiam loquuntur. Nunc verò Pelagius & Cælestius, si in his perseveraverint, viventes mortui: ecce adversùs Ecclesiam, quod miserum est, & quod multo miserius est, in Ecclesia palàm sibilant, impiique serpentes vibrantibus infecta linguis ora lambentes, dum sanctam & munitissimam sedem, cui subtiliter irrepsere obsident; cunctos fideles, ne ad illud firmissimum quondam in Sion refugium convolemus, exterrent. Fœtor si quidem oris eorum longè latéque diffusum virus, omnium, quibus odor vitæ in vitam erat, odorem vertit in mortem. Contra hunc serpentem suffocantemque halitum multa utique beatissimi, quos suprà memoravimus, viri, & multifaria suaveolentia Scripturarum unguenta conficiunt, & ad reficienda æstuantium corda populorum, fragrantissimum thymiama cum oblatione orationis incendunt. Sed hoc parum est, incerto propemodum auctore contendere, & contraria substituendo contrariis, infectum pestifero halitu aërem temperare, nisi ipsi in medium protrahantur proterantúrque serpentes. Qui cùm tuendi solius capitis caussâ reliquum concisioni atque injuriæ corpus exponunt, nihil damni arbitrantur, ea tantùm sui parte à periculo libera, quæ multimodas venenatasque in se obtinet linguas, si etiam membris omnibus amputentur: nobis sufficere videtur, temperando saltem putori satisfacere, ipsos autem à penetralibus non movere, quasi ullus exhalationis fœtidæ finis sit, nisi auctore finito. Et inter hæc illud Salomonis testimonium nunc oc-
Eccli. 34. 28. currit: Unus ædificans, alius destruens, quis eorum proficiet nisi labor? Stat etiam immanissimus superbiâ Goliath, carnali potentiâ tumidus, omnia se per se posse confidens: caput, manus, totum insuper corpus plurimo apparatu vestitus, habens post se armigerum suum: qui & si ipse non dimicat, cuncta tamen æris & ferri suffragia subministrat. Et non mirum est, si competenter hunc lo-
1. Reg. 17. 3. cum providens Scriptura pronuntiat, ubi ait, Philisthiim stabant super montem ex hac parte. Ab Ecclesia si quidem hæreseos impugnator expellitur, & nutriri in sinu Ecclesiæ hæreticus invenitur: & propter hoc per Spiritum-sanctum inde Israël stare pronuntiatur, hinc hostis. Et hoc sæpe. Nam & rex David usque ad impium filium pius pater ab Jerusalem deposito regis habitu fugatur: ubi protinus Absalon tyrannus ingreditur. Stat ergo Goliath, proh dolor! ex hac parte, id est, in Ecclesiâ: & non solùm stat, verùm & provocat; simulque per dies plurimos sanctum Israël manifesti timoris exprobrat.

Ne, quæso, beatissimi sacerdotes, quisquam me arbitretur sub prætextu speciei Goliath, David nomine gloriari. Vos me participem certaminis vestri esse voluistis, ut auxiliator, non auctor accederem. Latebam si quidem in Bethleem, ignotus, advena, pauper. Quid miser ego sic loquor, iterum forsitan jactantiæ notandus? Quoniam quidem & ipse David, & talis, & inde processit. Latebam ergo in Bethleem traditus à patre Augustino, ut timorem Domini discerem, sedens ad pedes Hieronymi: inde Jerusalem vobis accersientibus vocatus adveni. Dehinc in conventum vestrum unà vobiscum, Johanne episcopo præcipiente, consedi. Illico à pusillitate mea postulastis universi, ut si quid super hac hæresi, quam Pelagius & Cælestius seminarunt, in Africa gestum esse cognoscerem, fideliter ac simpliciter indicarem. Exposui coronæ vestræ breviter, ut potui, Cælestium jam ad honorem presbyterii subrepentem, apud Carthaginem plurimis episcopis judicantibus proditum, auditum, convictum, confessum, detestatumque ab Ecclesia, ex Africa profugisse: contra librum verò Pelagii beatum Augustinum, discipulis ipsius
* Timasio & Jacobo. Pelagii * prodentibus ac petentibus plenissimè respondere.
* Augustini epist. 157. ad Hilarium Siracusanum. Exstare etiam in manibus meis * epistolam suprà memorati episcopi, quam nuper ad Siciliam ordinasset, in qua multas quæstiones hæreticorum retulit: quam etiam ibidem ut legerem præcepistis; & legi. Ad hæc Johannes episcopus, ut Pelagius coram intromitteretur expetiit. Cui & propter paternitatis ipsius reverentiam, & propter actionis utilitatem, dum præsentem ab episcopo rectiùs crederetis confutandum, intromittendi conniventia præstita est. Intromissum Pelagium unanimiter omnes interrogastis, an hæc quibus Augustinus episcopus respondisset, se docuisse cognosceret. Illico ille respondit, *Et quis est mihi Augustinus?* Cúmque universi acclamarent, blasphemantem in episcopum, ex cujus ore Dominus universæ Africæ
Donatistarum schisma procurante Augustino sublatum. unitatis indulserit sanitatem, non solùm à conventu illo, verùm ab omni Ecclesia pellendum: episcopus Johannes illico eum, hominem videlicet laïcum in consessu presbyterorum, reum hæreseos manifestæ in medio catholicorum sedere præcepit; & deinde ait, Augustinus ego sum: ut scilicet personâ quasi præsentis assumtâ, liberiùs ex auctoritate ejus qui lædebatur ignosceret, & dolentium animos temperaret. Cui mox à nobis dictum est: Si Augustini personam sumis, Augustini sequere sententiam. Tunc idem episcopus nobis omnibus ait, Hæc quæ leguntur, in alios dicta sunt, aut de Pelagio suggerendum putatis? In ipsum ergo Pelagium quid dicatis expromite. Ego autem vobis annuentibus dixi: Pelagius mihi dixit, docere se, *Hominem posse esse sine peccato, & mandata Dei facilè custodire, si velit.* Respondit Pelagius audientibus vobis: *Hoc & dixisse me & dicere, negare non possum.* Ego illico prosecutus sum: Hoc in Cælestio Africana synodus detestata est; hoc Augustinus episcopus scriptis suis, sicut audistis, exhorruit; hoc in ipsius nunc Pelagii scriptis sua responsione condemnat; hoc & beatus Hieronymus, cujus eloquium universus Occidens, sicut ros in vellus, exspectat, (multi enim jam hæretici cum dogmatibus suis ipso oppugnante supplosi sunt,) in epistola sua, quam nuper ad [b] Ctesiphontem edidit, condemnavit. Similiter & in libro quem nunc scribit, collatâ in modum dialogi altercatione, confutat. Hoc est enim lubricum in ancistro draconem tenere, ne possit effugere. Job 40. 19. sec. LXX.

Porrò autem episcopus Johannes nihil horum audiens, à nobis exigere conabatur, ut accusatores nos ipso judice fateremur. Responsum sæpissime est ab universis: Nos accusatores hujus non sumus, sed quid fratres tui patres nostri senserint & decreverint super hac hæresi, quam nunc laïcus vulgo prædicat, intimamus; ne Ecclesiam tuam te ignorante præsertim, ad cujus sinum convolavimus, conturbet. At ille cùm sæpe nos docendi simulatione in aliquam professionis speciem tentaret inducere, dicens quia ad Abraham dictum esset à Domino, Ambula coram me, & Gen. 17. 1.

[a] Hujus conventûs, qui apud Johannem Jerosolymitanum episcopum ante Diospolitanam synodum habitus fuit, mentionem facit Augustinus, in libro de gestis Pelagii, cap. 14. 15. 16. & 30. Pertinet conventus ille ad annum 415. quo videlicet anno Paulus Orosius, qui ad ipsum conventum vocatus est, in Palæstinam verna tempestate appulerat. Diem conventûs infrà notat Orosius, quadragesimum septimum ante primum Encæniorum diem; qui quidem Encæniorum dies erat Septembris quartus decimus, teste Nicephoro lib. 8. hist. cap. 50.

[b] In Germanensi MS. *ad Tesiphontem.*

esto

[Luca 1, 6.] esto sine macula: & Zachariam & Elizabeth pronuntiatos esse justos ambos ante Dominum, incedentes in omnibus justificationibus Domini sine querela: quod quidem ab Origene dictum, ab eo proferri compluribus nobis notum erat. Cui responsum per me est: Nos filii Ecclesiæ catholicæ sumus; non exigas à nobis pater, ut doctores super doctores esse audeamus, aut judices super judices. Patres quos universa per orbem Ecclesia probat, quorum communioni * nos adhærere gaudetis, damnabilia hæc esse dogmata decreverunt: illis probantibus, nos obedire dignum est. Cur interrogas filios quid sentiant, cùm patres audias quid decernant? Ad quod ille diu disputans, & nostris propter imperitiam ignoti nobis interpretis, quem sæpissime viri primarii & religiosi Passerius & Avitus presbyteri & Dominus ex duce, vel pravè interpretantem, vel plura supprimentem, vel alia ex aliis suggerentem confutaverunt; nostris, ut dixi, actionibus vel interpolatis plerumque vel tacitis: episcopus Johannes ait, Si sine adjutorio Dei hoc hominem posse diceret, pessimum & damnabile erat: nunc autem cùm adjiciat, *Posse hominem esse sine peccato, non sine adjutorio Dei*, vos quid dicitis? An fortè vos Dei adjutorium denegatis? Cui respondi ego: Testibus & testificantibus etiam nunc vobis & suprà memoratis viris, anathema ei qui negat adjutorium Dei. Ego certè non nego: præcipuè cùm è contrario in hæreticos confutarim. Deinde cùm intellecto judice, & interprete prodito, clamaremus Latinum esse hæreticum, nos Latinos, hæresim Latinis magis partibus notam Latinis judicibus differendam: ac se penè impudenter ad judicandum, cùm quidem nos accusatores non essemus, & unus esset suspectus, ingereret; dici à pluribus necessarium fuit, Non potest quisquam idem & hæreticus esse, & advocatus, & judex. Multisque aliis actiratis, Johannes episcopus novissimam sententiam protulit, confirmans tandem postulationem intentionemque nostram, ut ad beatum Innocentium papam Romanum fratres & epistolæ mitterentur, universi quod ille decerneret secuturi. Sed ut hæreticus Pelagius imposito sibi catenus silentio conticesceret, & ut nostri ab insultatione convicti Johannis confusique temperarent, universi in hanc sententiam consensimus: gratiarum actione celebrata, pace facta, & consummata ad pacis testimonium oratione discessimus.

[* f. vos, vel, adhærere gaudemus.]

Nunc autem post dies quadraginta & septem, cùm primo Encæniorum die, ut solitus eram, quando aderam, ad obsequium Johannis episcopi cucurrissem, statim ab eo notam falsi criminis pro gratia [a] salutationis accepi. Ait enim mihi, Quare ad me venis, homo qui blasphemasti? Volens, ut credo, intelligi, Noli me tangere, quia mundus sum & absque peccato. [Isai. 65, 5.] At ego nihil mihi conscius, interrogavi quando aut quo audiente, aut cujusmodi illud est dictum, quod blasphemiæ possit adscribi? Episcopus respondit, Ego te audivi dixisse, quia nec cum Dei adjutorio possit esse homo sine peccato. Ego quidem, beatissimi sacerdotes, sicut & vos testes estis, & universa fraternitas, & præterea sancti viri qui huic testimonio amore veritatis assistunt, statim testificatus sum, dicens, quia ejusmodi verbum, quod nunc à me dictum episcopus intenderit, numquam de ore meo antea processisset: quamquam hanc incontinentiam miseræ falsitatis ruminare sæpius crebra expositione, non tam probasse me, quàm alium videar prodidisse. Concedo enim, ut qualecumque dictum illud est dixerim; quomodo Latinum expers latinitatis Græcus audivit? Aut si audivit sacrilegum verbum, cur non statim coarguit blasphemantem, vel ut leniùs ageret quasi incautum filium pius pater de cohibenda licentia periculosi sermonis admonuit? Sed contrariò post plurimam magni temporis oblivionem ipse per se accusationem intulit, ipse testimonium perhibuit, ipse judicium promulgavit, omnium scelerum officia in suæ personæ auctoritatem suscipiens: præsertim Evangelica lectione diligenter instructus, Dominum nostrum Jesum nisi testimonio principis non fuisse damnatum. Ex alio mihi latere fratres mei assistebant, ex alio falsi fratres. Deinde in consessu eodem, ex una mecum parte consederant Avitus & Vitalis presbyteri, ex alia nescio quis ignotus interpres, & deinde probati & sæculo & Deo viri Passerius presbyter & Dominus ex duce: qui ambo ut pro experientia ac fide sua adesse interpretes dignarentur; ipso conveniente episcopo Johanne à corona vestra conrogati deductique convenerant. Medius quoque vobis ipse fuit; quem in illa tunc circumstantia non minùs audisse, quàm vidisse mirandum est, quomodo sermo dimissus tantos adversarios, collegas, auditoresque prætererit, & inscias aures gnari auditoris intraverit. Sed ego calore [b] veritatis impulsus satis urgeor: excedo professionis modum. Concedendum est magis, ut interpres errasse dicendo, quàm episcopus audiendo finxisse videatur, & nunc ad vicem mercedis quam hæreticis præstitit exigendæ, falsos in adjutorium sui testes quærere.

[a] Germanensis MS. *pro gratia Salvatoris accepi.*
[b] Idem cod. omittit, *veritatis.*

PELAGII DOGMATA sub CRETOBOLI nomine proferuntur, & ab ATTICO Catholicorum caussam agente discutiuntur.

Ex Hieronymi dialogo [c] contra Pelagianos primo.

ATTICUS. Dic mihi Cretobole, verum est quod à te scriptum audio, * *Posse hominem sine peccato esse, si velit, & facilia Dei esse præcepta?* CRETOBOLUS. *Verum: &c. Dixi, hominem posse absque peccato esse, si velit: non, ut quidam maledici calumniantur, absque Dei gratia, quod etiam cogitare sacrilegium est; sed simpliciter posse, si velit, ut subaudiatur, cum Dei gratia: &c. Qui Dei tollit gratiam errat: quin potiùs arbitrandus est impius; cùm Dei nutu omnia gubernentur, & hoc quod sumus & habemus appetitum propriæ voluntatis, Dei conditoris sit beneficium. Ut enim liberum possideamus arbitrium, & vel ad bonam vel ad malam partem declinemus propria voluntate, ejus est gratiæ, qui nos ad imaginem & similitudinem sui tales condidit.* ATTIC. Sed quæro, hoc ipsum quod Dei asseris gratiæ, utrùm ad conditionis referas beneficium, an in singulis rebus putes esse quas gerimus: &c. CRETOB. *A me utrumque dicitur, ut & Dei gratiæ sit quòd tales conditi sumus, & per singula opera illius adminiculo * fulciamur.* ATTIC. Malè ergo sentiunt, qui per singulas res quas agimus, Dei auferunt adjutorium: &c. CRETOB. *Si in singulis rebus quas gerimus, Dei utendum est adjutorio: ergo & calamum temperare ad scribendum, & temperatum pumicè terere, manumque aptare litteris, tacere, loqui, sedere, stare, ambulare, currere, comedere, jejunare, flere, ridere, & cetera istiusmodi, nisi Deus juverit, non poterimus: &c. In quo igitur liberum habemus arbitrium, & Dei in nos gratia custoditur, si ne hoc quidem absque Deo possumus facere?* ATTIC. Numquid sic donata est liberi arbitrii gratia, ut Dei per singula tollatur adminiculum? CRETOB. *Non tollitur Dei adjutorium, cùm * creaturæ hæc semel dati liberi arbitrii gratia conservetur. Si enim absque Deo, & nisi per singula ille me juverit, nihil possum agere; nec pro bonis me justè operibus coronabit, nec affliget pro malis, sed in utroque suum vel recipiet vel damnabit auxilium: &c. Quomodo in ceteris creaturis conditionis ordo servatur: sic concessâ semel liberi arbitrii potestate, nostræ voluntati omnia derelicta sunt. &c.*

[* V. lib. de gestu Pelagii c. 6. n. 16.]
[V. ibid. c. 10. n. 22. & c. 14. n. 30.]
[* quo scilicet Deus custodit conditionis beneficium.]
[* al. creatura ex.... gratia conserventur.]

ATTIC. Dic mihi, si *tibi videtur, hoc quod cum Dei adjutorio* paulò antè dicebas, *posse hominem non peccare, si velit*, in perpetuum dicas, an ad tempus breve. CRETOB. *Ego hoc assero, qui potest uno die abstinere à peccato, posse & altero; qui duobus, posse & tribus; qui tribus, posse & triginta, atque hoc ordine posse trecentis, & tribus millibus, & quamdiucumque se voluerit * observare.* ATTIC. Quomodo cùm velim & satis cupiam non peccare, delinquo? CRETOB. *Quia voluntas imperfecta est. Si enim verè velles, verè utique non peccares.* ATTIC. Ergo qui me arguis non verè cupere, sine peccato es, quia verè cupis? CRETOB. *Quasi ego de me dicam, quem peccatorem esse confiteor, & non de paucis & raris, si qui voluerint non peccare.* ATTIC. Quomodo igitur quod uterque volumus, uterque non possumus? CRETOB. *Quia plenè non volumus.* ATTIC. Da ergo qui majorum nostrorum plenè voluerint, & potuerint. CRETOB. *Hoc quidem non facile est ostendere. Neque enim quando dico, posse hominem sine peccato esse si velit, aliquos*

[* al. abstinere.]

[c] Orosius in Apologia suprà pag. 80. f. Hieronymum laudat huic operi scribendo tunc temporis incumbentem, id est anno Christi 415.

fuisse contendo: sed simpliciter, posse esse si velit. Aliud namque est esse posse, quod Græcè dicitur δύναμις; *aliud est esse, quod ipsi appellant* ἐνέργειαν. *Possum esse medicus, sed interim non sum: possum esse faber, sed necdum didici. Quidquid igitur possum, licèt necdum sim, tamen ero si voluero: &c. Oro te, hoc mihi respondeas: Possibilia Deus mandata dederit, an impossibilia?*
Matth. 19.21 *&c. Quando dicit* [*Dominus,*] *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, ostendit, hominem, si voluerit & fecerit quæ præcepta sunt, posse esse perfectum: &c. Nonne in his duobus testimoniis tibi imponetur silentium, in quibus Job & Zacharias Elizabethque*
Job 1. 1. *que laudantur? &c. Si* [*Job*] *verus Dei cultor est, & im-*
Luca 1. 6. *maculatus ac sine crimine; &* [*Zacharias & Elizabeth*] *qui ambulant in cunctis justificationibus Domini, justi sunt in conspectu ejus; puto quòd peccato careant, & nulla re indigeant, quæ ad justitiam pertinet: &c. Quid respondebis ad illud*
1 Johan. 5.18. *exemplum quod ponit Evangelista Johannes? Scimus quoniam omnis qui natus est ex Deo, non peccat: &c. Moyses loquitur*
Deut. 18.13. *ad populum: Perfecti estote in conspectu Domini Dei vestri. Et*
Matth. 5.48. *Salvator ad Apostolos: Estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est. Aut enim possibile est audientibus facere quod Moyses & Dominus præceperunt; aut si impossibile, non est culpa eorum qui obedire non possunt, sed ejus qui impossibilia præcepit: &c. Neque ego hominem Deo comparo, sed aliis hominibus, quorum collatione, qui studium dederit, potest esse perfectus. Ac per hoc, quando dicitur, Homo potest esse sine peccato, si voluerit; juxta mensuram hominis, non juxta Dei dicitur majestatem, cujus comparatione nulla creatura potest esse perfecta.*

Attic. Et ego hoc sentio, nullam creaturam, secundùm veram consummatamque justitiam, posse esse perfe-
* al. ab alio. ctam. Ceterùm alium differre * alio, & diversas esse in hominibus justitias, nulli dubium est: &c. Cretob. *Et quomodo, Attice, ad perfectionem divinus sermo provocat?* Attic. Hac ratione qua dixi, ut secundùm vires nostras
* al. add. nostrorum. unusquisque * quantum valuerit extendatur; si quo modo possit pervenire & comprehendere bravium supernæ vocationis: &c. Quamdiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, & fragili carne circumdamur, immo mortali & corruptibili, beatos esse nos credimus, si in singulis virtutibus partibusque virtutum Deo subjecti sumus. Cùm autem mortale hoc indutum fuerit immortalitate, &c. tunc Deus erit omnia in omnibus; ut non sit tantùm in Salomone sapientia, in David animi mansuetudo, in Elia & Phinees zelus, in Abraham fides, in Petro cui dictum est,
Johan. 21.15. Simon Johannis amas me? perfecta dilectio, in electionis vase studium prædicandi, & in ceteris vel bina, vel terna; sed ut totus in cunctis sit, & omni virtutum choro sanctorum numerus glorietur, & sit Deus omnia in
* V. lib. de gestis Pelagii c. 14. n. 32. omnibus. Cretob. *Nullus ergo sanctorum, quamdiu in isto corpusculo est,* * *cunctas potest habere virtutes? &c. Et quomodo legimus, Qui unam habuerit, omnes habere virtutes?* Attic. Participatione, non proprietate. Necesse est enim ut singuli excellant in quibusdam. Et tamen hoc quod legisse te dicis, ubi scriptum sit nescio. Cretob. *Ignoras hanc philosophorum esse sententiam?* Attic. Sed non Apostolorum. Neque enim curæ mihi est quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat. Cretob. *Obsecro te, nonne Jacobus*
Jacob. 2. 10. *apostolus scribit, Qui in uno offenderit, esse omnium reum? &c. Esto, ut nullus sanctorum omnes virtutes habeat: hoc certè dabis, in eo quod potest facere, si fecerit, esse perfectum.* Attic. Non tenes quid suprà dixerim? Cretob. *Quidnam illud est?* Attic. Perfectum esse in eo quod fecit, & imperfectum in eo quod facere non potuit. Cretob. *Sed sicut perfectus est in eo quod fecit, quia facere voluit: ita & in eo per quod imperfectus est, quia non fecit, perfectum esse potuisse, si facere voluisset: &c. Nimius es in una atque eadem quæstione, ut persuadere coneris, hominem universa simul habere non posse, quasi aut inviderit, aut non potuerit Deus præstare imagini & similitudini suæ, ut in omnibus suo respondeat Creatori: &c.*

Attic. Nisi fallor, de possibilibus mandatis dilata responsio est. Pone igitur ut volueris. Cretob. *Aut possibilia Deus mandata dedit, aut impossibilia. Si possibilia, in nostra est potestate ea facere si volumus: si impossibilia, nec in hoc rei sumus, si non facimus quod implere non possumus.*

A *Ac per hoc, sive possibilia dedit Deus mandata, sive impossibilia, potest homo sine peccato esse, si velit: &c. Si non potest homo esse sine peccato, quomodo Judas scribit apostolus, Ei au-* Jud. 24.
tem qui potens est vos conservare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos? &c. Non dico, hominem esse sine peccato, quod tibi forsitan impossibile videatur; sed posse esse, si velit. Aliud est enim esse, aliud posse. Esse quærit exemplum, posse ostendit imperii veritatem: &c.

Attic. Libet sententias tuas parumper discutere: ut Sententiæ Pelagii ex ejus libro capitulorum seu testimoniorum & eulogiarum appellato.
intelligant sectatores tui, quàm divinum in te mirentur ingenium. Dicis, * *Sine peccato esse non posse, nisi qui scien-* * V. lib. de gestis Pelagii c. 1. n. 2.
B *tiam legis habuerit.* Per quod magnam partem Christianorum excludis à justitia; & qui prædicator es impeccantiæ, omnes propè peccatores esse pronuntias: &c. Verùm tu tantæ es liberalitatis, ut favorem tibi apud Amazonas tuas concilies, ut in alio loco scripseris, *Scientiam legis etiam feminas habere debere:* cùm Apostolus dicat, tacendum esse 1. Tim. 2.12.
mulieribus in Ecclesia: &c. Nec sufficit tibi dedisse agmini tuo scientiam Scripturarum, nisi earum voce & canticis delecteris. Jungis enim & ponis in titulo, *Quòd & feminæ Deo psallere debeant.* Quis enim ignorat, psallendum esse feminis in cubiculis suis, & absque virorum frequentia & congregatione turbarum? &c. [a] Addis præterea, *Servum* a
C *Dei nihil amarum de ore suo, sed semper quod dulce & suave est debere proferre.* Et quasi alius sit servus Dei, alius doctor & sacerdos Ecclesiæ, oblitus prioris sententiæ ponis in alio titulo, * *Sacerdotem sive doctorem omnium actus speculari* * Editi addunt, XXII.
debere, & fiducialiter corripere peccantes; ne pro iisdem rationem reddat, & eorum sanguis de suis manibus requiratur. Nec semel dixisse contentus, idipsum replicas & inculcas: * *Sa-* * Hîc editi, XXXI. titulo.
cerdotem sive doctorem nemini adulari debere, sed audenter omnes corripere, ne & se & eos qui eum audiunt perdat: &c. * V. ibid. c. 3. n. 5. & 6. &c.
Illud verò quod in alio ponis loco, * *Omnes voluntate propriâ regi:* quis Christianorum possit audire? &c. Quâ sententiæ temeritate aufers Dei omne præsidium; & quod in
D alio loco frustra conaris adjungere, *non absque Dei gratia,* quomodo sentire velis, ex hoc loco intelligitur, dum gratiam ejus non ad singula refers operâ, sed ad conditionis ac legis & liberi arbitrii potestatem. * Illud verò quod in * Hîc ed. add. LXXII. titulo.
consequenti ponis capitulo, * *In die judicii iniquis & pec-* * V. ibid. cap. 3. n. 9.
catoribus non parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos, quis ferre possit, & interdicere te misericordiam Dei, & ante diem judicii de sententia judicis judicare, ut si voluerit iniquis & peccatoribus parcere, te præscribente non possit? Dicis enim: *Scriptum est in centesimo tertio Psalmo,* Psal. 103.35.
Deficiant peccatores à terra & iniqui, ita ut non sint. Et in Isai. 1. 28.
Isaia, Comburentur iniqui & peccatores simul, & qui reli-
E *querunt Dominum consummabuntur.* Et non intelligis, comminationem Dei interdum sonare clementiam? Non enim dicit eos æternis ignibus exurendos, sed à terra deficere & iniquos esse cessare: &c. Si autem * Origenes omnes * V. ibid. n. 10.
rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, & diabolo tribuit pænitentiam; quid ad nos, qui & diabolum & satellites ejus omnesque impios & prævaricatores dicimus perire perpetuò; & Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas? * Jungis præterea duo * Editi add. XXI. titulo.
capitula inter se discrepantia, quæ si vera sunt, os aperire non poteris: *Sapientiam & intellectum Scripturarum, nisi* * Editi add. XX. titulo.
F *qui didicerit, scire non posse.* * Et iterum, *Scientiam legis non* usurpare debere indoctum: &c. Nec hoc sufficit: sed repentè mutaris in Stoicum, & de Zenonis nobis tonas supercilio: * *Christianum illius debere esse patientiæ, ut si quis sua* * Editi add. LXXIII. tit.
auferre voluerit, gratanter amittat: &c. Adjungis, *Gloriam vestium & ornamentorum Deo esse contrariam.* Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem? si episcopus, presbyter, diaconus, & reliquus ordo ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerint? &c. * Audiamus & cetera. *Inimi-* * Editi hîc addunt, CLXIV. titulo.
cos ut proximos diligendos: statimque oppressus gravissimo * Editi add. CLXI. titulo.
G lethargo ponis ac dicis, * *Inimico numquam esse credendum:* quod sibi esse contrarium, etiam me silente, perspicuum est: &c. * Addis præterea, * *Regnum cælorum etiam in* * Hîc editi, CXIII. titulo.
Testamento veteri repromitti; ponisque testimonia de apocryphis: cùm perspicuum sit regnum cælorum primùm in * V. lib. de gestis Pelagii cap. 5.
Evangelio prædicari per Johannem Baptistam, & Dominum Salvatorem, & Apostolos: &c. Tu autem nos Ma-

a Hîc editi addunt, *Decimo quarto titulo:* addunt & alios infrà certis locis numeros titulorum, quos ad marginem remisimus, quia absunt ab antiquissimo codice Corbeiensi.

nichæos vocas, quia legi Evangelium præferentes, in illa umbram, in hoc veritatem esse dicamus: &c. Centesimus titulus est, *Posse hominem sine peccato esse, & Dei mandata facilè custodire, si velit:* (de quo abundè dictum est:) cúmque se imitatorem, immo expletorem operis beati martyris Cypriani scribentis ad Quirinum esse fateatur, non intelligit in eo opere ei dixisse contraria. Ille enim in quinquagesimo quarto titulo tertii libri ponit, Neminem sine sorde & sine peccato [a] esse: &c. Tu è diverso asseris, *Posse hominem sine peccato esse:* &c. Atque ut hoc augeas, & magnitudinem tuæ virtutis ostendas, quò scilicet de bono conscientiæ thesauro eructuare credaris, ponis in titulo, * *Ne leviter quidem esse peccandum.* Et quid sit hoc *leviter*, ne fortè in opere te aliquis dixisse æstimaret, adnectis, * *Malum nec cogitandum.* Neque illius sententiæ recordaris, Delicta quis intelligit, Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo. Cùm Ecclesia etiam ea quæ per ignorantiam delinquimus, & sola cogitatione peccamus, delicta esse fateatur, in tantum ut hostias pro errore jubeat offerri, &c. Cretob. *Obsecro te, nonne legisti, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo? Non ergo solus aspectus & incentiva vitiorum reputantur in peccatum: sed & quibus tribuimus assensum. Aut enim vitare possumus malam cogitationem, & consequenter possumus carere peccato: aut si vitare non possumus, non reputatur in peccatum quod caveri non potest.*

* Editi add. cxiii.
* Editi add. cxxi. titulo. P. lib. de gestis Pelagii c. 4. Psal. 18. 13.

Ex Dialogo Hieronymi contra Pelagianos secundo.

Cretobolus. *Multa quidem de scripturis sanctis memoriter copiosèque dixisti: &c. Sed quid ad rem? His enim cunctis testimoniis videris hominum accusare naturam, ac per hoc invidiam referre ad Deum, si tales homines condidit, ut oblivione & ignorantia & peccato carere non possint. Ex quo perspicuum est, hominem posse, si voluerit, non peccare. Id enim fecit, quod vitare non potuit. Ubi autem aufertur possibilitas, aufertur & vitium. Nemo enim in eo condemnatur, quod facere non potuit: &c. Da testimonium novi Instrumenti, ubi error & ignorantia & impossibilitas mandati teneatur in crimine.* Attic. Vas electionis perspicuè loquitur: Consentio enim legi Dei juxta interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Cretob. *Protulisti testimonium quod pro me facit. Liberati ergo de corpore hujus mortis per gratiam Domini nostri Jesu Christi, nequaquam ultrà peccare debemus.* Attic. Liberati quidem sumus baptismo [b] Salvatoris: sed mihi edissere quare dixerit, Video aliam legem in membris meis, &c. Audi eumdem Apostolum apertissimè prædicantem: Quod enim operor non cognosco: non enim quod volo hoc operor, sed quod odi illud facio: &c. Cretob. *Miror te hominem prudentem sic intelligere Apostolum, ut eum ex persona sua, & non ex aliorum hæc dicere sentias, &c. Ergo non ex sua persona hæc dicit, sed ex persona generis humani, quæ vitiis subjacet ob carnis fragilitatem &c. ex persona peccatoris.* Attic. Et quis tibi hoc concedet, ut ex persona peccatoris hæc loquatur Apostolus? &c.

Rom. 7. 22.

Cretob. *Saltem hoc mihi concedes, justos in Scripturis plurimos appellari.* Attic. Non solùm plurimos, sed & innumerabiles. Cretob. *Si innumerabiles justi sunt, & hoc negari non potest, quid mali locutus sum, posse hominem sine peccato esse si velit? &c.* Attic. Justos esse concedo; sine omni autem omnino peccato, non assentior. Etenim absque vitio, quod Græcè dicitur [c] κακία, hominem posse esse aio: ἀναμάρτητον, id est, sine peccato esse nego. Id enim soli Deo competit, omnisque creatura peccato subjacet, & indiget misericordiâ Dei, Scripturâ dicente, Misericordiâ Domini plena est terra: &c. Ridiculam illam expositionem Demosthenis vestri, *non dixisse Job, Quis erit mundus à peccato; sed, quis mundus à sorde,* prætereo: qua probare conatur, *sordes pannorum significari in infantia, non vitia peccatorum.* Aut certè si non sic intelligit, dicite vos quid

Psal. 32. 5. Job 14. 4. sec. LXX.

A sentiat. Tam enim involutus dictor est, & nimio verborum squalore coopertus, ut suspicionem magis quàm intelligentiam lectori præbeat: &c. Responde quæso, ubi sunt facilia mandata? Nolite, inquit, esse solliciti de crastino: &c. Vos de crastino non cogitatis, & instar avium præsentibus contenti estis? quorum epistolæ biblinæ volitant trans flumina Æthiopiæ, ut inter simias & pavos nova de Ophir Salomoni dona mittantur: &c. Jesus filius Josedech, quod interpretatur justus Domini, sacerdos magnus, indutus describitur vestibus sordidis, &c. diciturque ad eum post pugnam atque victoriam, Auferte vestimenta sordida ab eo: &, Ecce abstuli à te iniquitatem B tuam. Et heres Joviniani loquitur: Sine omni omnino peccato sum, sordida vestimenta non habeo, proprio regor arbitrio, major Apostolo sum. Ille facit quod non vult, & quod vult non facit: ego facio quod volo, & quod nolo non facio. Præparata sunt mihi regna cælorum: immo ipse ea mihi meis virtutibus præparavi. In quo Adam tenetur obnoxius, & alii qui reos se putant in similitudinem prævaricationis Adæ, ego solus cum mea caterva non teneor. Alii clausis cellulis & feminas non videntes, quia miseri sunt & verba mea non audiunt, torquentur desideriis: ego etiamsi mulierum valler agminibus, nullam habeo concupiscentiam. De me enim dictum est, Lapides C sancti volvuntur super terram. Et idcirco non sentio, quia liberi arbitrii potestate Christi trophæa circumfero: &c. Illud autem quod Daniel in oratione sua loquitur, Peccavimus, iniquè egimus, injustè gessimus, & recessimus à mandatis & justitiis tuis, & cetera istiusmodi, soletis dicere, *quod, & Daniel, & omnes prophetæ, non pro se qui sancti erant, sed ex persona populi sint locuti.* Adversùs quam opinionem ipse respondebit & dicet, Cùm adhuc orarem, & confiterer peccata mea & peccata populi mei Israël: &c. Quæris *ubi Abel, ubi Enoch, ubi Jesus filius Nave, ubi* D *Elisæus, ceterique sanctorum peccaverint.* Non necesse est nodum in scirpo quærere: utinam possem & manifesta reticere peccata: &c.

Matth. 6. 34. Pelagius heres Joviniani. Zach. 9. 16. sec. LXX. Daniel. 9. 5. Ibid. 20.

Ex Dialogo ejusdem tertio.

Cretob. *Certè hoc fateberis, eos qui Christi baptisma consecuti sunt, non habere peccatum: & si absque peccato sunt, justos esse: cúmque semel justi fuerint, si egerint sollicitè, posse in sempiternum justitiam custodire, ac per hoc omne vitare peccatum.* Attic. Non erubescis, explosam atque damnatam Joviniani sententiam loqui? Et ille enim his testimoniis tuisque nititur argumentis: immo tu illius inventa E sectaris, in Oriente docere desiderans, quæ olim Romæ, & dudum in Africa condemnata sunt: &c. Cretob. *Frustra ergo dantur præcepta, si ea implere non possumus: &c. Argumentare ut libet, numquam mihi liberum extorquebis arbitrium, quod semel concessit Deus; nec valebis auferre, quod mihi tribuit posse si voluero: &c. Omnis disputatio tua illuc delabitur, ut naturam accuses, & culpam referas ad Deum, qui talem condidit: &c. Hoc doleo, cur viri ecclesiastici, & qui magistrorum sibi usurpant vocabulum, tollant liberum arbitrium, quo sublato Manichæi secta construitur: &c.* Attic. Hoc longa disputatione conclusum est, ut gratiâ suâ Do- F minus, qua nobis liberum concessit arbitrium, in singulis operibus juvet atque sustentet: &c. Cretob. *Ergo si non fecimus quod præcepit, aut voluit nos adjuvare Deus, aut noluit. Si voluit & adjuvit, & tamen fecimus quod noluimus, non nos, sed ille superatus est. Sin autem noluit adjuvare, non est culpa ejus qui voluit facere, sed illius qui adjuvare potuit, & noluit facere.* Attic. Non intelligis dilemma tuum in grande blasphemiarum decidere barathrum, ut ex utraque parte aut invalidus sit Deus aut invidus, & non tantum ei laudis sit quòd bonorum auctor est & adjutor, quantum vituperationis quòd mala non coërcuit? &c. Cretob. *Tota argumentatio tua huc tendit, ut quod Græci dicunt αὐτε-* G *ξούσιον, & nos liberum appellamus arbitrium, vocabulo tribuas, re auferas. Tu enim auctorem peccatorum facis Deum, dum asseris nihil hominem per se posse facere, sed adminiculo Dei, cui imputetur omne quod facimus: &c.* Attic. Hoc modo etiam si ipse non adjuvat, tamen juxta te auctor erit malorum; quia potuit prohibere, & non prohibuit: &c.

[a] Editi, *posse esse*, Abest *posse*, à Corbeiensi MS.
[b] MS. Corbeiensis, *salutari.*
[c] Idem Corbeiensis cod. *quod Græcè dicitur,* ἀναμάρτητον, *soli Deo competit* omissis verbis intermediis.

CRETOB. *Apparet disputationem tuam non ex fontibus veritatis & Christiana simplicitate, sed ex philosophorum minutiis & arte descendere.* ATTIC. Vis igitur me Scripturarum uti rursum testimoniis? Et quomodo jactant discipuli tui, nullum argumentationi tuæ posse & problematibus respondere? &c.

CRETOB. *Esto, ut nullus potuerit omne vitare peccatum in pueritia, adolescentia, juventute: numquid negare potes plurimos justos & sanctos viros post vitia omni se ad virtutes animo contulisse, & per has caruisse peccato? &c. Et quare in scripturis sanctis ad perfectam justitiam provocamur? &c.* ATTIC. Si immaculatus est ille atque perfectus qui adhuc ambulat in via & graditur in lege, quid plus habebit ille qui ad terminum viæ legisque pervenerit? &c. Audire meremini cum Corinthiis: Jam perfecti estis, jam divites facti estis, &c. De hoc superbiæ tumore & illa orandi prorumpit audacia, qua scribens ad viduam quomodo sancti debeant orare pronuntias. *Ille enim*, inquis, *ad Deum meritò extollit manus, ille preces bonâ conscientiâ fundit, qui potest dicere, Tu enim nosti Domine, quàm sanctæ, quàm innocentes, quàm puræ sint ab omni fraude & injuria & rapina, quas ad te expando manus; quàm justa, quàm immaculata labia & ab omni mendacio libera, quibus tibi, ut mihi miserearis, preces fundo.* Christiani hæc est, an Pharisæi superbientis oratio? &c. Eidem adulans viduæ non erubescis dicere, pietatem quæ nusquam reperiatur in terra, & veritatem quæ ubique peregrina sit, in illa potissimùm commorari: &c. Laudasque eam Dei vocibus, & dicis: *O te felicem nimium, ô beatam, si justitia quæ esse jam nonnisi in cælo creditur apud te solam inveniatur in terris.* Docere est hoc, an occidere? &c. Quæ duo capitula orationis & laudis, soles cum tuis jurare discipulis, non esse tua: cùm perspicuè in eis stili tui splendor eluceat, & tanta sit venustas eloquii Tulliani, ut testudineo incedens gradu, quæ secretò doces, mittisque venalia, publicè non audeas profiteri. O te felicem, cujus præter discipulos nemo describit libros, ut quidquid videris displicere, non tuum, sed alienum esse contendas. Et quis ille tanti erit ingenii, ut leporem sermonis tui possit imitari? &c.

Confer lib. de gestis Pelagii cap. 6.

CRETOB. *Oro te, quid infantuli peccaverunt? Nec conscientia eis delicti imputari potest, nec ignorantia: qui juxta Jonam prophetam, manum dexteram nesciunt & sinistram. Peccare non possunt, & possunt perire? Genua labant, vagitus verba non explicant, balbutiens lingua videtur, & æterni cruciatus miseris præparantur.* ATTIC. Nimiùm disertus esse cœpisti, ut non dicam eloquens, post quàm discipuli tui versi sunt in magistros: &c. Noli igitur mihi Oratorum & non tuis floribus ludere: &c. CRETOB. *Concede mihi, saltem eos esse absque peccato, qui peccare non possunt.* ATTIC. Concedam, si in Christo fuerint baptizati: &c. CRETOB. *Cogis me ut ad invidiosum illud veniam, & dicam tibi, Quid enim peccaverunt? ut statim in me populorum lapides conjicias, & quem viribus non potes, voluntate interficias: &c. Si nos scitis hæreticos, cur non accusatis?* ATTIC. Quia Apostolus me docet, hæreticum post unam & secundam correptionem devitare, non accusare: &c. CRETOB. *Dic quæso, & me omni libera quæstione, quare infantuli baptizentur.* ATTIC. Ut eis peccata in baptismate dimittantur: &c. Scripsit dudum VIR SANCTUS ET ELOQUENS EPISCOPUS AUGUSTINUS ad Marcellinum, qui postea sub invidia tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis * innocens cæsus est, duos libros de infantibus baptizandis contra hæresem vestram, per quam vultis asserere, *baptizari infantes, non in remissionem peccatorum, sed in regna cælorum; juxta illud quod scriptum est in Evangelio, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regna cælorum.* Tertium quoque ad eumdem Marcellinum, contra eos qui dicunt, * id est vos, *Posse hominem sine peccato esse, si velit, absque Dei gratia.* Et quartum nuper ad Hilarium contra doctrinam tuam multa perversa fingentem. Alios quoque specialiter tuo nomine cudere dicitur, qui nondum in nostras venere manus. Unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii, In silvam ne ligna feras. Aut

Jon. 4. 11.

Tit. 3. 10.

* Donatistis.

* *Locus ad cod. Corbeiens. restitutus.*

Horat. lib. 1. ser. sat. 10.

A enim eadem diceremus ex superfluo: aut si nova voluerimus dicere, à CLARISSIMO INGENIO occupata sunt meliora.

DE PALÆSTINA SYNODO APUD [a] Diospolim in caussa PELAGII celebrata mense Decembri, anno Christi 415.

Augustinus in libro 2. Retractationum, cap. 47.

B IN Oriente, hoc est, in Syria Palæstina Pelagius à quibusdam catholicis fratribus ad episcopalia gesta perductus, eisque absentibus qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem synodi non potuerunt occurrere, ab episcopis quatuordecim auditus est, ubi eum dogmata ipsa damnantem, quæ inimica gratiæ Dei adversùs eum de libello legebantur, catholicum pronuntiaverunt.

Idem in libro de Gestis Pelagii, cap. 1. & seq.

C DENIQUE in his quæ de libello quem dederant sancti fratres Heros & Lazarus, qui propter gravem (sicut postea probabiliùs comperimus) unius eorum ægritudinem præsentes esse minimè potuerunt, recitata sunt objecta Pelagio, illud est primum, quod in libro suo quodam scribit, *Non posse esse sine peccato, nisi qui legis scientiam habuerit.* Quo recitato Synodus dixit, Tu hoc edidisti Pelagi? At ille respondit, *Ego quidem dixi, sed non sicut illi intelligunt. Non dixi, non posse peccare qui scientiam legis habuerit, sed adjuvari per legis scientiam ad non peccandum, sicut scriptum est, Legem in adjutorium dedit illis.* Hoc audito Synodus dixit, Non sunt aliena ab Ecclesia quæ dicta sunt à Pelagio. Legatur aliud capitulum. Et lectum est in eodem libro suo posuisse Pelagium, *Omnes voluntate propria regi,* * *&c.* D

Isai. 8. 20. sec. LXX.

* *Reliqua vide supra in lib. de gestis Pelagii.*

Idem in libro contra Iulianum primo, cap. 5. n. 19.

HABEMUS alios Orientales episcopos quatuordecim, Eulogium, Johannem, Ammonianum, Porphyrium, Eutonium, Porphyrium, Fidum, Zoninum, Zoboennum, Nymphidium, Chromatium, Jovinum, Eleutherium, Clematium, quos in uno loco simul inventos in istum consessum introducere valeamus, illos ipsos qui Pelagio judices præsederunt, eumque ut homines, nullo ex altera parte urgente adversario putantes catholicum, tamquam catholicum pronuntiarunt. E Nisi enim in eorum conspectu audituque damnasset eos qui dicunt, *quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum; & quòd infantes nuper nati in eo statu sint, in quo Adam fuit ante peccatum; & infantes etiam si non baptizentur, habere vitam æternam,* nullo modo inde nisi damnatus exisset.

SCRIPTIO CONTRA PELAGII ERRORES,

Ex Augustini epistola 186. ad Paulinum decerpta, nec non à Jacobo Sirmondo vulgata ex Corbeiensi codice, ubi exstat sub hocce titulo: F

CAPITULA EXCERPTA EX GESTIS HABITIS CONTRA PELAGIUM HÆRETICUM, & alia de libellis ejus, quæ in PALÆSTINA SYNODO sibi objecta ipse damnare compulsus est.

QUOD ad Jerusalem nolentem colligi filios suos Dominus clamabat, hoc nos clamamus adversùs eos qui filios Ecclesiæ colligi nolunt, nec saltem post judicium G quod de ipso Pelagio in Palæstina factum est corriguntur: de quo damnatus exisset, nisi objecta sibi contra gratiam Dei

[a] Locum tempusque habitæ synodi prodit Lucianus presbyter in epistola de revelatione & translatione corporis Stephani martyris, quam in Tomi 7. appendice dedimus. Ibi n. 2. *Sextâ feriâ*, inquit, *quæ est tertio nonas Decembris, consulatu Honorii decies & Theodosii sexies Augustorum, adveniente nocte dormiens, &c. quasi in exstasi effectus semivigilans vidi virum, &c.* Postea n. 8. *Statim ergo renuntiavi episcopo* (Johanni Jerosolymitano,) *cùm esset in Lidda, quæ est Diospolis, synodum agens.* Tandem n. 9. scribit, *Transf. Qui assumsit secum duos alios episcopos, Eleutherium* (veriùs *Eutonium*) *de Sebaste & Eleutherium de Jericho, & venerunt ad locum, &c.* Tandem n. 9. scribit, *Translata sunt autem reliquiæ ipsius Martyris septimo Kalendas Januarias.* In aliis autem exemplaribus ejusdem epistolæ n. 8. *Aderant enim tunc in illo tempore episcopi, Johannes Jerosolymitanus, & Eustonius episcopus de Sebasti civitate, & Eleutherius Jerichontinus cum omni clero.*

Dei dicta, quæ obscurare non potuit, ipse damnasset. Præter illa enim quæ quomodo potuit, ausus est qualicumque ratione defendere, objecta sunt quædam, quæ nisi remotâ omni tergiversatione anathematizasset, ipse anathema factus esset.

Objectum est enim eum dicere, 1. *Adam mortalem factum, qui sive peccasset, sive non peccasset, moriturus esset.* 2. *Et quòd peccatum ejus ipsum solum læserit, & non genus humanum.* 3. *Et quòd infantes nuper nati in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* 4. *Et quòd neque per mortem vel per prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat.* 5. *Et infantes, etiam si non baptizentur, habere vitam æternam.* 6. *Et divites baptizatos, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere posse regnum Dei.* 7. *Et gratiam Dei atque adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina.* 8. *Et Dei gratiam secundùm merita nostra dari.* 9. *Et filios Dei non posse vocari, nisi omni modo absque peccato fuerint effecti.* 10. *Et non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio; quoniam in propria voluntate habet unusquisque facere aliquid aut non facere.* 11. *Et victoriam nostram non esse ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio.* 12. *Et quòd pænitentibus venia non detur secundùm gratiam & misericordiam Dei, sed secundùm meritum & laborem eorum, qui per pænitentiam fuerint digni misericordiâ.*

Hæc omnia Pelagius sic anathematizavit, quod satis Gesta ipsa testantur, ut nihil ad ea quoquo modo defendenda disputationis adtulerit. Unde fit consequens, ut quisquis sequitur illius episcopalis auctoritatem judicii & ipsius Pelagii confessionem, hæc tenere debeat, quæ semper tenuit catholica Ecclesia. 1. Quòd Adam, nisi peccasset, non fuisset moriturus. 2. Quod peccatum ejus non ipsum solum læserit, sed & genus humanum. 3. Quòd infantes nuper nati non sint in illo statu, in quo Adam fuit ante prævaricationem. 4. Ut ad ipsos etiam pertineat quod beatus ait Apostolus, Per unum hominem mors, & per unum hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificantur. (1. Cor. 15. 21.) 5. Unde fit ut infantes non baptizati, non solùm regnum cælorum, verùm etiam vitam æternam habere non possint. 6. Ut confiteatur divites baptizatos, etiam si divitiis suis non careant, & sint tales quales ad Timotheum describit Apostolus dicens, Præcipe divitibus hujus mundi, non superbè sapere, neque sperare in incerto divitiarum suarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum, divites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, & apprehendant veram vitam: non eos regno Dei posse privari. (1. Tim. 6. 17.) 7. Ut fateatur gratiam Dei & adjutorium etiam ad singulos actus dari. 8. Eamque non dari secundùm merita nostra, ut vera sit gratia, id est, gratìs data, per ejus misericordiam qui dicit, Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero. (Rom. 9. 15. Exod. 33. 19.) 9. Ut fateatur filios Dei vocari posse illos qui quotidie dicunt, Dimitte nobis debita nostra. (Matth. 6. 12.) Quod utique non veraciter dicerent, si essent omnino absque peccato. 10. Ut fateatur esse liberum arbitrium, etiamsi divino indiget auxilio. 11. Ut fateatur, quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis illic habeamus & propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adjutorio Dei nostram provenire victoriam. Non enim aliter verum erit quod Apostolus ait, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. (Rom. 9. 16.) 12. Ut fateatur secundùm gratiam & misericordiam Dei veniam pænitentibus dari, non secundùm meritum eorum, Quando quidem etiam ipsam pænitentiam donum Dei dixit Apostolus, ubi ait de quibusdam, Ne fortè det illis Deus pænitentiam. (2. Tim. 2. 25.)

Hæc omnia simpliciter sine ullis fateatur ambagibus, si quis in auctoritatem catholicam & in ipsius Pelagii expressa ex ecclesiasticis gestis verba consentit. Neque enim illa, quæ his sunt contraria, veraciter anathematizata esse credendum est, nisi hæc quibus sunt contraria fide & corde teneantur, & aperta confessione promantur.

DE CATHOLICORUM, QUI SUB CURA Hieronymi vivebant vexatione incredibili, à Pelagii fautoribus, post illius in judicio Palæstino damnationem facta.

Augustinus in fine libri de Gestis Pelagii.

B De his autem quæ post hoc judicium ibi à nescio quo cuneo perditorum, qui valde in perversum perhibentur Pelagio suffragari, incredibili audaciâ perpetrata dicuntur, ut Dei servi & ancillæ ad curam sancti Hieronymi presbyteri pertinentes sceleratissima cæde afficerentur, Diaconus occideretur, ædificia monasteriorum incenderentur, vix ipsum ab hoc impetu atque incursu impiorum in Dei misericordia turris munitior tueretur; tacendum nobis potiùs video, & exspectandum quid illic fratres nostri episcopi de his tantis malis agendum existiment: à quibus eos dissimulare posse quis credat? Impia quippe dogmata hujuscemodi hominum à quibuslibet catholicis, C etiam qui ab illis terris longè absunt, redarguenda sunt; ne ubicumque nocere possint, quò pervenire potuerint: impia verò facta, quorum coercitio ad episcopalem pertinet disciplinam, ubi committuntur, ibi potissimùm à præsentibus vel in proximo constitutis, diligentiâ pastorali & piâ severitate plectenda sunt.

De eadem, ut creditur, vexatione Catholicorum à Pelagianis.

D *Innocentius Papa Iohanni episcopo Ierosolymitano.*

Direptiones, cædes, incendia, omne facinus extremæ dementiæ, generosissimæ sanctæ virgines Eustochium & Paula deploraverunt in locis Ecclesiæ tuæ perpetrasse diabolum: nomen enim hominis, caussamque reticuerunt. Quod etsi ambiguum non sit à quo commissum, oportuit tamen custodire germanitatem tuam, & gregi illius sollicitiùs providere, ne quid hujusmodi orietur, quod cum aliorum periculo tua lacessit negligentia admittere in gregem Domini, & tales agnas incendio, armis E & persecutionibus nudas, debiles, post suorum cædes & mortes vix vivere audivimus. Nihil movet pietatem illam sacerdotii tui de tanta diaboli in te atque in tuos potestate admissa: in te, inquam; prorsus enim sacerdotis gravitatem condemnat tantum nefas in Ecclesia fuisse completum. Ubi provisiones tuæ? ubi certè, si casus evenerant, auxilia vel consolationes? Cùm plus se adhuc metuere dicant, quàm conqueruntur esse perpessas. Altiùs censerem, si essent aliquid de hac re mecum apertiùs collocutæ. Vide, frater, antiqui hostis insidias; & spiritu boni rectoris pervigila, ut hæc, quæ ad nos opinione F magis quàm accusatione manifestâ delata sunt, vel corrigantur, vel retundantur; ne jus ecclesiasticum de labefactatis caussis eum qui non defenderit, præstare compellat.

Idem Hieronymo presbytero.

Numquam boni aliquid contentionem fecisse in Ecclesia testatur Apostolus: & ideo hæreticorum correptiones primùm fieri jubet, magisque diuturna duci collatione. Quæ regula dum negligenter adspicitur, malum non vitatur, quod cavendum est; sed augetur. Tamen G quoniam dolor gemitusque tuus ita quatit viscera nostra, ut ratio non tractandi consulendique sit: primùm constantiæ tuæ alloquor fidem. Pro veritate quisque injuriâ, aut, ut dicis, periculo percelletur, qui exspectat beatitudinem, multis sæpe narrastis, & tuæ verbis prædicationis bene memorem commonemus. Itaque excitati tantâ malorum scenâ, arripere auctoritatem sedis Apostolicæ ad omne comprimendum nefas festinavimus: sed in quem insurgeremus, nec nomine appellatum legimus, nec criminis aliqua ratione taxatum. Quod ergo possumus, condolemus. Si deposueris autem apertam manifestamque in homines

aliquos accuſationem, aut judices competentes tribuam; A aut ſi aliquid urgentius ſollicitiuſque à nobis fieri poteſt, non retardabo, fili dilectiſſime: tamen epiſcopo fratri meo Johanni ſcripſi, ut circumſpectiùs agat, ne quid circa Eccleſiam ſibi creditam adhuc tale aliquid fiat, quale prævidere & propellere ne accideret, vel ne accidat, etiam ipſi ſit & poſtea moleſtiſſimum.

SYNODI CARTHAGINENSIS,

Contra PELAGII ac CÆLESTII errores ab B epiſcopis plus 69. AURELIO, NUMIDIO, &c. celebratæ, * epiſtola ad INNOCENTIUM ſcripta [a] anno 416.

* Epiſt. 175. inter Auguſtinianas.

CUM ex more ad Carthaginenſem Eccleſiam ſollemniter veniſſemus, atque ex diverſis cauſſis congregata ex nobis ſynodus haberetur, compreſbyter noſter Oroſius nobis litteras ſanctorum fratrum & conſacerdotum noſtrorum dedit, Herotis & Lazari, quarum formam his conſtituimus eſſe ſubdendam. His ergo lectis Pelagium & Cæleſtium auctores argui nefarii prorſus & ab omnibus C nobis anathemandi erroris advertimus. Unde factum eſt, ut recenſendum peteremus, quid ante ferme quinquennium ſuper Cæleſtii nomine hîc apud Carthaginem fuerit agitatum. Quo recitato, ſicut ex ſubditis advertere poterit ſanctitas tua, quamvis & judicatio manifeſta conſtaret, qua illo tempore epiſcopali judicio exciſum hoc tantum vulnus ab Eccleſia videretur: nihilo minùs tamen id communi deliberatione cenſuimus, hujuſmodi perſuaſionis auctores, quamvis & ad preſbyterium idem Cæleſtius poſtea perveniſſe dicatur, niſi hæc apertiſſimè anathemaverint, ipſos anathemari oportere; ut ſi ipſorum non potuerit, ſaltem eorum qui ab eis decepti ſunt, vel decipi poſſunt, D cognitâ ſententiâ quæ in eos lata eſt, ſanitas procuretur.

Hoc itaque geſtum, Domine frater, ſanctæ caritati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda ſalute multorum, & quorumdam perverſitate etiam corrigenda. Id enim agunt iſti damnabilibus diſputationibus ſuis, ut non defendendo, ſed potiùs in ſuperbiam ſacrilegam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei, qua Chriſtiani ſumus, qua & ipſum noſtræ voluntatis arbitrium verè fit liberum, dum à carnalium concupiſcentiarum dominatione liberatur: &c. E Crebriùs eos patimur in nos, & audaciùs inſurgentes.

Si ergo Pelagius epiſcopalibus geſtis, quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ venerationi juſtè viſus fuerit abſolutus; error tamen ipſe & impietas, quæ jam multos aſſertores habet per diverſa diſperſos, etiam auctoritate Apoſtolicæ ſedis anathemanda eſt: &c.

Parvulos etiam, propter ſalutem quæ per ſalvatorem Chriſtum datur, baptizandos negant: ac ſic eos mortiferâ iſtâ doctrinâ in æternum necant: &c. Quamquam per baptiſmum Chriſti etiam parvulorum fieri redemtionem, libello ſuo Cæleſtius in Carthaginenſi Eccleſia jam confeſſus eſt. Sed multi qui eorum perhibentur eſſe vel F fuiſſe diſcipuli, hæc mala, quibus fidei Chriſtianæ fundamenta evertuntur, quacumque poſſunt, affirmare non ceſſant.

Unde etiamſi Pelagius Cæleſtiuſque correcti ſunt, vel ſe iſta numquam ſenſiſſe dicunt, & quæcumque ſcripta contra eos prolata fuerint ſua eſſe negant, nec eſt quemadmodum de mendacio convincantur: generaliter tamen quicumque dogmatizat & affirmat, humanam ſibi ad vitanda peccata & Dei mandata facienda ſufficere poſſe naturam, & eo modo gratiæ Dei, quæ ſanctorum evidentiùs orationibus declaratur, adverſarius invenitur; & quicumque negat parvulos per baptiſmum Chriſti à perditione liberari, & ſalutem percipere ſempiternam, anathema ſit.

SYNODI MILEVITANÆ,

Contra eamdem Pelagii & Cæleſtii hæreſim eodem anno 416. habitæ, à 61. epiſcopis, SILVANO, VALENTINO, &c.

* Epiſtola ad INNOCENTIUM Papam.

* Epiſt. 176. inter Auguſtinianas.

QUIA te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in ſede Apoſtolica collocavit, talemque noſtris temporibus præſtitit, ut nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem, quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt tacuerimus, quàm ea tu poſſis vel faſtidiosè vel negligenter accipere; magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris. Nova quippe hæreſis & nimiùm perniciosâ tentat aſſurgere inimicorum gratiæ Chriſti, &c.

Hujus autem pernicioſiſſimi erroris auctores eſſe perhibentur Pelagius & Cæleſtius: quos quidem in Eccleſia ſanari malumus, quàm deſperatâ ſalute ab Eccleſia reſecari, ſi neceſſitas nulla compellat. Quorum unus, id eſt Cæleſtius, etiam ad presbyterium in Aſia * dicitur perveniſſe: &c. Pelagius verò, ſicut à quibuſdam fratribus noſtris miſſæ loquuntur * epiſtolæ, Jeroſolymis conſtitutus nonnullos fallere aſſeritur; verumtamen multo plures qui ejus ſenſus diligentiùs indagare potuerunt, adversùs eum confligunt; pro gratia Chriſti & catholicæ fidei veritate conſligunt; & compreſbyter noſter Hieronymus.

* Apud Epheſum, ex Mercat. commonit. ſuprà pag. 69. f.
* Herotis & Lazari.

Hæc ad ſanctitatem tuam de concilio Numidiæ ſcripta dixerimus, imitantes Carthaginenſis Eccleſiæ & Carthaginenſis provinciæ coëpiſcopos noſtros, quos ad ſedem Apoſtolicam, quam beatus illuſtras, de hac cauſſa ſcripſiſſe comperimus: &c.

QUINQUE EPISCOPORUM, AURELII, ALYPII, AUGUSTINI, EVODII, & POSSIDII,

* Epiſtola ad eumdem INNOCENTIUM, ſcripta eodem tempore.

* Epiſt. 177. inter Auguſtinianas.

DE conciliis duobus, provinciæ Carthaginenſis atque Numidiæ, ad tuam ſanctitatem à non parvo epiſcoporum numero ſubſcriptas litteras miſimus contra inimicos gratiæ Chriſti, qui confidunt in virtute ſua, & Creatori noſtro quodam modo dicunt, Tu nos feciſti homines, juſtos autem ipſi nos fecimus &c. Familia ergo Chriſti quæ dicit, Quando infirmor tunc fortis ſum; & cui dicit Dominus ejus, Salus tua ego ſum; ſuſpenſo corde, cum timore & tremore, adjutorium Domini etiam per caritatem tuæ venerationis exſpectat.

2. Cor. 12. 10
Pſal. 34. 3

Audivimus enim eſſe in urbe Roma, ubi ille * diu vixit, nonnullos qui diverſis cauſſis ei faveant; quidam ſcilicet quia eis talia perſuaſiſſe perhibetur; plures verò qui eum talia ſentire non credunt; præſertim quia in Oriente, ubi degit, geſta eccleſiaſtica facta eſſe jactantur, quibus putatur eſſe purgatus: ubi quidem ſi epiſcopi eum catholicum pronuntiarunt, non ob aliud factum eſſe credendum eſt, niſi quia ſe dixit Dei gratiam confiteri: &c.

* Pelagius.

Non agitur de uno Pelagio, qui jam fortè correctus eſt, quod utinam ita ſit: ſed de tam multis, quibus loquaciter contendentibus, & infirmas atque ineruditas animas velut vinctas trahentibus, firmas autem & in fide ſtabiles ipſa contentione fatigantibus, uſquequaque jam plena ſunt omnia. Aut ergo à tua veneratione acciendus eſt Romam, & diligenter interrogandus, quam dicat gratiam, quâ fateatur, (ſi tamen jam fateatur,) ad non peccandum juſtèque vivendum homines adjuvari; aut hoc ipſum cum eo G per litteras agendum: & cùm inventus fuerit hanc dicere, quam docet eccleſiaſtica & apoſtolica veritas, tunc ſine ullo ſcrupulo Eccleſiæ, ſine latibulo ambiguitatis ul-

[a] Anno 416. adſcribitur hæc Synodus, tum quia Oroſius presbyter, per quem epiſcopis Carthagine ad eam congregatis litteræ Herotis & Lazari contra Pelagium allatæ ſunt, rediit ex Palæſtina hoc ipſo anno 416. verna tempeſtate: tum quia Innocentii epiſtola, ad eamdem Carthaginenſem ſynodum reſpondentis, conſignatur *VI. Kal. Febr. poſt conſulatum Theodoſii Auguſti VII. & Junii Quarti V. C.* id eſt, die 27. Januar. an. 417. Ad idem tempus revocandæ ſubſequentes epiſtolæ ſynodi Milevitanæ, & quinque epiſcoporum per eumdem perlatorem Julium epiſcopum ſimul Innocentio redditæ, quibus ipſe Innocentius eodem die 27. Januar. dicti anni 417, reſponſum dedit.

lius absolvendus est, tunc est re vera de ejus purgatione gaudendum: &c.

Misimus reverentiæ tuæ librum, quem dederunt quidam religiosi & honesti adolescentes servi Dei, quorum etiam nomina non tacemus; nam Timasius & Jacobus vocantur: qui, sicut audivimus, & etiam nosse dignaris, ipsius Pelagii exhortatione, spem quam habebant in sæculo reliquerunt, & nunc continentes Deo serviunt. Qui cùm eodem errore tandem aliquando per qualemcumque operam nostram Domino inspirante caruissent, protulerunt eumdem librum, Pelagii esse dicentes; & ut ei responderetur, impendio rogaverunt. Factum est; ad eosdem rescripta est ipsa responsio: agentes gratias rescripserunt. Utrumque misimus, & cui responsum est, & quod responsum est: & ne nimiùm essemus onerosi, signa fecimus his locis, ubi petimus inspicere non graveris, quemadmodum sibi objecta quæstione, quòd gratiam Dei negaret, ita respondit, ut eam esse non diceret, nisi naturam in qua nos condidit Deus. &c.

Unde & ad ipsum scriptam ab uno nostrûm epistolam, ad quem per quemdam Orientalem diaconum, civem autem Hipponensem, tamquam purgationis suæ quædam scripta transmisit, tuæ beatitudini potiùs credidimus dirigendam, melius judicantes & petentes, ut eam ei mittere ipse digneris. Sic enim eam legere potiùs non dedignabitur, magis in illa eum qui misit, quàm qui scripsit adtendens.

Illud verò quod dicunt, *posse hominem esse sine peccato, & mandata Dei facilè custodire si velit*: &c. quoquo modo se habeat ista quæstio, quia etsi non invenitur homo in hac vita sine peccato, id tamen dicitur posse fieri per adjutorium gratiæ & Spiritûs Dei, quod ut fiat conandum atque poscendum est: tolerabiliter in eo quisque fallitur; nec diabolica impietas, sed error humanus est, elaboranda & optanda affirmare, etiam si quod affirmat non possit ostendere. Id enim credit fieri posse, quod certè laudabile est velle. &c.

---

* Epist. 181. inter Augustinianas.

INNOCENTII * EPISTOLA

AURELIO ET CETERIS EPISCOPIS Carthaginensis concilii rescripta die 27. Januarii, anno 417.

IN requirendo de his rebus, quas omni cum sollicitudine decet à sacerdotibus, maximéque à vero justoque & catholico tractari concilio, antiquæ traditionis exempla servastis, & ecclesiasticæ memores disciplinæ, nostræ religionis vigorem non minùs nunc in consulendo, quàm antea cùm pronuntiaretis, vera ratione firmastis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium, scientes quid Apostolicæ sedi, cùm omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, à quo ipse episcopatus & tota auctoritas nominis hujus emersit. &c.

Gratulor igitur, fratres carissimi, quòd per fratrem & coëpiscopum nostrum Julium litteras ad nos destinastis, &c.

Quisquis ergo huic assentiens videtur esse sententiæ, qua dicat adjutorio nobis non opus esse divino, inimicum se catholicæ fidei & Dei beneficiis profitetur ingratum: nam nec nostra communione sunt digni, quam prædicando taliter polluerunt: &c. Qui avellendi sunt longiùs, & ab Ecclesiæ procul removendi visceribus, ne diu inultus multa occupans, insanabilis pòst error increscat: &c. Separetur ergo à sano corpore vulnus insanum: &c.

Bene valete fratres. Data VI. Kalend. Februarii, * post consulatum Theodosii Augusti VII. & Junii Quarti V. C.

* Anno Christi 417.

* Epist. 182. inter Augustinianas.

EJUSDEM * EPISTOLA RESCRIPTA SILVANO seni, VALENTINO, & ceteris episcopis Milevitanæ synodi.

INTER ceteras Romanæ Ecclesiæ curas & Apostolicæ sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus, frater & coëpiscopus noster Julius dilectionis vestræ litteras, quas ex Milevi-
A tano concilio curâ fidei propensiore misistis, mihi inopinanter ingessit; Carthaginensis etiam synodi querelæ parilis scripta subjungens: &c.

Novæ hæreseos nimirùm fugiantur auctores. Quid enim acerbius in Deum fingere potuerunt, quàm cùm adjutoria divina cassarent, caussamque quotidianæ precationis auferrent? Hoc est dicere, Quid mihi opus est Deo? &c.

Illud verò quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis & biberint sanguinem ejus, non ha- *Johan. 6. 54.*
B bebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptisma velle cassare, cùm prædicant hos habere, quod in eos credunt nonnisi baptismate conferendum: &c.

Quare Pelagium Cælestiumque, id est, inventores vocum novarum, quæ, sicut dixit Apostolus, ædificationis nihil, sed magis vanissimas consueverunt parere quæstiones, ecclesiastica communione privari, Apostolici vigoris auctoritate censemus: &c. Simul autem præcipimus, ut quicumque id pertinaciâ simili defensare nituntur, par eos vindicta constringat: &c. Hæc igitur, fratres carissi- *1. Tim. 1. 13.*
C mi, in suprà dictos maneat fixa sententia: &c.

Bene valete fratres. Datum VI. Kal. Febr. * Honorio & Constantio Viris clarissimis consulibus.

* Anno Christi 417.

* Epist. 183. inter Augustinianas.

* EJUSDEM QUINQUE EPISCOPIS, AURELIO, ALYPIO, AUGUSTINO, EVODIO & POSSIDIO.

FRATERNITATIS vestræ litteras plenas fidei, totoque religionis catholicæ vigore firmatas, à duobus missas conciliis per fratrem & coëpiscopum nostrum Ju-
D lium pergrato suscepimus animo: quòd earum tenor omnisque contextio in consideratione quotidianæ gratiæ Dei, & in eorum correctione qui contrà sentiunt, integra ratione consistit; ut & illis omnem tollere possit errorem, & idoneum dato quovis nostræ legis exemplo, quem sequi debeant, dignum possint præbere doctorem: &c.

Nam si Pelagius, quocumque restitit loco, eorum animos, qui facilè vel simpliciter crederent disputanti, hac affirmatione decepit; seu hac illi in urbe sint, (quos nescientes nec manifestare possumus, nec negare; cùm & si sunt lateant, nec aliquando audeant vel illum prædicantem ista defendere, vel talia aliquo nostrorum præsente
E jactare, nec in tanta populi multitudine deprehendi aliquis facilè, nec alicubi possit agnosci;) sive in quovis terrarum loco degant, Dei nostri misericordiâ gratiâque credimus quòd facilè corrigantur, audita ejus damnatione qui fuerit pertinax & resistens hujus dogmatis auctor inventus: &c.

Nobis tamen nec persuaderi potest, eum esse purgatum; quamvis ad nos à nescio quibus laïcis sint gesta perlata, quibus ille & auditum se crederet & absolutum: quæ utrùm vera sint dubitamus: &c. Verùm cùm sint aliqua in ipsis posita gestis, quæ objecta partim ille vitando sup-
F pressit, partim multa in se verba retorquendo tota obscuritate confudit, aliqua magis falsis argumentis quàm vera ratione, ut ad tempus poterat videri, purgavit, negando alia, alia falsâ interpretatione vertendo: &c. Unde non possumus illorum, nec culpare, nec approbare judicium; cùm nesciamus utrùm vera sint gesta, aut si vera sunt, illum constet magis subterfugisse, quàm se tota veritate purgasse: &c.

Librum sanè, qui ejus esse diceretur, nobis à vestra caritate transmissum, evolvimus: in quo multa contra Dei
G gratiam legimus esse conscripta, multa blasphema, nihil quod placeret, & nihil penè quod non penitus displiceret, à quovis damnandum atque calcandum: cujus similia, nisi qui ista scripserat, nemo alter in mentem reciperet atque sentiret: &c. Anathematizet ergo ista quæ sensit: &c.

Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi. Data VI. Kal. Febr. * post consulatum gloriosissimi Theodosii Augusti VII. & Junii Quarti Palladii V. C.

* Anno Christi 417.

A

De Pelagianis ab Apostolica sede damnatis,

Gennadius in libro de Scriptoribus ecclesiasticis.

Innocentius urbis Romæ episcopus scripsit decretum Occidentalium & Orientalium Ecclesiis adversùs Pelagium datum. Post quem successor ejus papa Zosimus latius promulgavit.

a *Prosper in Chronico ad annum* [a] *416.*

Romanæ Ecclesiæ episcopatum trigesimus nonus suscipit Zosimus, anno uno, mensibus novem, diebus novem. Quo tempore Pelagianis jam à papa Innocentio prædamnatis, Afrorum vigore & maximè Augustini episcopi * scientiâ resistebatur.

* al. industriâ.

De Pelagii litteris cum libello fidei ad Innocentium papam ab ipso missis, sed Zosimo redditis.

Augustinus in libro de gratia Christi, cap. 30. 32. & 33.

b Pelagius & litteras nuper & libellum Romam fidei suæ misit, scribens ad beatæ memoriæ papam Innocentium, quem defunctum [b] esse nesciebat. In his ergo litteris dicit, *esse de quibus eum homines infamare conantur. Unum, quòd neget parvulis baptismi sacramentum, & absque redemtione Christi aliquibus cælorum regna promittat: aliud, quòd ita dicat posse hominem vitare peccatum, ut Dei excludat auxilium; & in tantum libero confidat arbitrio, ut gratiæ repudiet adjutorium:* &c. Sed ab his litteris Pelagius ad fidei suæ librum vult transire lectorem. In quo ea de quibus non interrogabatur, multa disseruit. Cùm enim ab unitate Trinitatis usque ad resurrectionem carnis, quod ab illo nemo quærebat, disputationem quantam voluit terminasset: *Et baptisma*, inquit, *unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus dicimus esse celebrandum.*, &c. Sed de adjutorio gratiæ potiùs, etiam in libello fidei suæ quem Romam misit, quid Pelagius senserit adtendamus. *Liberum*, inquit, *sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos indigere Dei semper auxilio.*

Idem in lib. de peccato originali, cap. 17. & 21.

Quomodo autem Pelagius tentaverit obrepere ad fallendum etiam Apostolicæ sedis episcopale judicium in hac ipsa quæstione de baptismate parvulorum, diligenter adtendite. In litteris enim, quas Romam misit ad beatæ memoriæ papam Innocentium, quæ in corpore eum non invenerunt, & sancto papæ Zosimo datæ sunt, atque ad nos inde directæ, dicit *se ab hominibus infamari, quòd neget parvulis baptismi sacramentum, & absque redemtione Christi aliquibus cælorum regna promittat.* &c. Jam verò in libro fidei suæ, quem Romam cum ipsis litteris misit ad eumdem papam Innocentium, ad quem etiam epistolam scripserat, multo evidentiùs se ipsum tegendo nudavit, dicens, *Baptisma unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus dicimus esse celebrandum: &c.* tamquam infantibus remissio peccatorum verborum sonitu diceretur, non rerum ageretur effectu. Visus est tamen ad tempus, aliquid dicere quod fidei catholicæ conveniret: sed illam Sedem usque in finem fallere non prævaluit.

Libellus [c] fidei Pelagii, ad Innocentium ab ipso missus, Zosimo redditus.

Credimus in Deum Patrem omnipotentem, cunctorum visibilium & invisibilium conditorem.

Credimus & in Dominum nostrum Jesum Christum,
per quem creata sunt omnia, verum Deum, unigenitum, & ve-
rum Dei Filium, non factum, non adoptivum, sed genitum,
& unius cum Patre substantiæ, quod Græci dicunt ὁμοούσιον;
B *atque ita per omnia æqualem Deo Patri, ut nec tempore, nec*
gradu, nec potestate possit esse inferior: tantumque confitemur
esse illum qui est genitus, quantus est ille qui genuit. Non au-
tem quia dicimus genitum à Patre Filium divinâ & ineffabili
generatione, aliquod ei tempus adscribimus; sed nec Patrem ali-
quando cœpisse, nec Filium. Nec enim aliter confiteri possumus
æternum Patrem, nisi confiteamur etiam coæternum Filium: ex
Filio enim Pater dicitur, & qui semper pater fuit, semper fi-
lium habuit.

Credimus & in Spiritum-sanctum, verum Deum ex Patre
procedentem, æqualem per omnia Patri & Filio, voluntate,
C *potestate, æternitate, substantiâ. Nec est prorsus aliquis in*
Trinitate gradus; nihil quod inferius superiusve dici possit:
sed tota Deitas sui perfectione æqualis est; ut exceptis vocabulis
quæ proprietatem personarum indicant, quidquid de una per-
sona dicitur, de tribus dignissimè possit intelligi. Atque ut con-
futantes Arium unam eamdemque dicimus Trinitatis esse sub-
stantiam, & unum in tribus personis confitemur Deum; ita im-
pietatem Sabellii declinantes, tres personas expressâ sui proprietate
distinguimus, non ipsum sibi Patrem, ipsum sibi Filium, ipsum sibi
Spiritum-sanctum esse dicentes; sed aliam Patris, aliam Filii,
aliam Spiritus-sancti esse personam: non enim nomina tantum-
D *modo, sed etiam nominum proprietates, id est, personas, vel ut*
Græci exprimunt, ὑποστάσεις, *hoc est, subsistentias, confitemur.*
Nec Pater Filii aut Spiritus-sancti personam aliquando excludit;
nec rursus Filius aut Spiritus-sanctus Patris nomen personamque
suscipit: sed Pater semper Pater est, Filius semper Filius est, Spi-
ritus-sanctus semper Spiritus-sanctus est. Itaque substantiâ unum
sunt, personis ac nominibus distinguuntur.

Ipsum autem Dei Filium, qui absque initio æternitatem cum
Patre & Spiritu-sancto possedit, dicimus in fine sæculorum per-
fectum nostræ naturæ hominem suscepisse ex Mariâ semper vir-
gine, & Verbum carnem esse factum, assumendo hominem, non
E *permutando Deitatem: nec ut quidam sceleratissimè opinantur,*
Spiritum-sanctum dicimus fuisse pro semine sed potentiâ ac vir-
tute Creatoris operatum. Sic autem confitemur in Christo unam
Filii esse personam, ut dicamus duas esse perfectas atque integras
substantias, id est, Deitatis & humanitatis, quæ ex anima
continetur & corpore. Atque ut condemnamus Photinum, qui
solum & nudum in Christo hominem confitetur: ita anathema-
tizamus Apollinarem & ejus similes, qui dicunt Dei Filium mi-
nus aliquid de humana suscepisse natura, & vel in carne, vel
in anima, vel in sensu assumtum hominem his, propter quos
aßumtus est, fuisse dissimilem: quem absque sola peccati macula,
quæ naturalis non est, nobis confitemur esse conformem.

F *Illorum quoque similiter exsecramur blasphemiam, qui novo*
sensu asserere conantur, à tempore susceptæ carnis omnia quæ
erant Deitatis in hominem demigrasse, & rursum quæ erant
humanitatis in Deum esse transfusa; ut (quod nulla umquam
hæresis dicere ausa est) videatur hac confusione utraque
exinanita substantia, Deitatis scilicet & humanitatis, & à
proprio statu in aliud esse mutata: qui tam Deum imperfectum
in Filio, quàm hominem confitentur; ut nec Deum verum, nec
hominem tenere credantur. Nos autem dicimus susceptum ita à
Deo Filio passibile nostrum, ut Deitas impassibilis permaneret.
Passus est enim Dei Filius non putativè, sed verè, omnia quæ
Scriptura testatur, id est, esuriem, sitim, lassitudinem, dolo-
G *rem, mortem, & cetera hujusmodi. Secundùm illud, passus*
est, quod pati poterat, id est, non secundùm illam substantiam
quæ assumsit, sed secundùm illam quæ assumta est. Ipse enim
Dei Filius secundùm Divinitatem impassibilis est ut Pater, in-
comprehensibilis ut Pater, invisibilis ut Pater, inconvertibilis
ut Pater. Et quamvis propria persona Filii, id est, Dei Ver-

bum

a Lapsus hîc est librarius, id in annum 416. transferens, quod ad annum 417. manifestè pertinebat: aliàs non uno tantùm anno, vel ferme duobus, ut notatur, sed tribus annis Romanam Ecclesiam rexisset Zosimus.

b Defunctus est Innocentius die 12. Martii, anno Christi 417.

c In vetere codice Vaticano repertus est cum sequentibus litteris Zosimi, & à Baronio relatus in Annales ad annum 417. Jam antè exstabat in sermone inter Augustinianos olim centesimo nonagesimo primo de tempore, nunc autem Appendicis 136. nec non inter Hieronymi opera sub hoc titulo: *Symboli explanatio ad Damasum.*

bum ſuſcepit paſſibilem hominem: ita tamen ejus habitatione ſecundùm ſuam ſubſtantiam Deitas Verbi nihil paſſa eſt, ut tota Trinitas, quam impaſſibilem confiteri neceſse eſt. Mortuus eſt ergo Dei Filius ſecundùm Scripturas, ſecundùm id quod mori poterat. Reſurrexit tertiâ die. Adſcendit in cælum. Sedet ad dexteram Dei Patris, manente eâdem naturâ carnis in qua natus & paſſus eſt, in qua etiam reſurrexit: non enim exinanita eſt humanitatis ſubſtantia, ſed glorificata, & in æternum cum Deitate manſura. Acceptâ ergo à Patre omnium poteſtate quæ in cælo ſunt & in terra, venturus eſt ad judicium vivorum ac mortuorum, ut & juſtos remuneret, & puniat peccatores.

Reſurrectionem etiam carnis confitemur & credimus: ut dicamus, nos in eadem in qua nunc ſumus veritate membrorum eſse reparandos, qualeſque ſemel poſt reſurrectionem fuerimus affecti, in perpetuum permanſuros. Unam eſse vitam ſanctorum omnium, ſed præmia pro labore diverſa: è contrario pro modo delictorum, peccatorum quoque eſse ſupplicia.

Baptiſma unum tenemus, quod iiſdem ſacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, aſserimus eſse celebrandum. Hominem, ſi poſt baptiſmum lapſus fuerit, per pœnitentiam credimus poſse ſalvari.

Novum & vetus Teſtamentum recipimus in eo librorum numero, quem ſancta catholicæ Eccleſiæ tradit auctoritas.

Animas à Deo dari credimus, quas ab ipſo factas dicimus; anathematizantes eos qui animas quaſi partem divinæ dicunt eſse ſubſtantiæ. Eorum quoque condemnamus errorem, qui eas antè peccaſse vel in cælis converſatas fuiſse dicunt, quàm in corpora mitterentur.

Exſecramus etiam eorum blaſphemiam, qui dicunt impoſſibile aliquid homini à Deo præceptum eſse, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in commune poſse ſervari: vel qui primas nuptias cum Manichæo, vel ſecundas cum Cataphrygis damnant.

[Lib. 3. ... duas ... Pelag. ... 6.] *Anathematizamus etiam illos qui Dei Filium neceſſitate carnis mentitum eſse dicunt, & eum propter aſsumtum hominem non omnia facere potuiſse quæ voluit.*

Joviniani quoque damnamus hæreſim, qui dicit nullam in futuro meritorum eſse diſtantiam, noſque eas ibi habituros eſse virtutes, quas hîc habere neglexerimus.

Liberum ſic confitemur arbitrium, ut dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio; & tam illos errare qui cum Manichæis dicunt hominem peccatum vitare non poſse, quàm illos qui cum Joviniano aſserunt hominem non poſse peccare: uterque enim tollit libertatem arbitrii. Nos verò dicimus, hominem ſemper & peccare, & non peccare poſse; ut ſemper nos liberi confiteamur eſse arbitrii.

Hæc eſt fides, Papa beatiſſime, quam in Eccleſia catholica didicimus, quamque ſemper tenuimus & tenemus. In qua ſi minùs peritè, aut parum cautè aliquid fortè poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & ſedem tenes. Sin autem hæc noſtra confeſſio Apoſtolatûs tui judicio comprobatur; quicumque me maculare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit.

De Cælestii libello, quem Romæ Zoſimo dedit.

Auguſtinus in libro de peccato originali, cap. 5. 6. & 23.

[Ex cap. 23.] In libello quem Romæ dedit, cùm fidem ſuam à Trinitate unius Deitatis uſque ad reſurrectionem qualis futura eſt mortuorum, de quibus eum nullus interrogaverat, & unde illi nulla quæſtio movebatur, quantum dicere libuit, explicaſſet; ubi ad id quod agebatur ejus ſermo pervenit: *Si quæ verò*, inquit, *præter fidem quæſtiones natæ ſunt, de quibus eſſet inter pleroſque contentio: non ego quaſi auctor alicujus dogmatis definitâ hac auctoritate ſtatui: ſed ea quæ de Prophetarum & Apoſtolorum fonte ſuſcepi, veſtri Apoſtolatûs offerimus probanda eſſe judicio: ut ſi fortè ut hominibus quiſpiam ignorantiæ error obrepſit, veſtrâ ſententiâ corrigatur.* Nempe perſpicitis id eum egiſſe hac prælocutione præmiſsâ, ut ſi quid in illo apparuiſſet erroris, non in fide, ſed in quæſtionibus quæ ſunt præter fidem, videretur erraſſe.

In libello autem quem Romæ edidit, qui geſtis ibi eccleſiaſticis allegatus eſt, verba ejus iſta ſunt. [Ex cap. 5.] *Infantes autem*, inquit, *debere baptizari in remiſſionem peccatorum, ſecundùm regulam univerſalis Eccleſiæ & ſecundùm Evangelii ſententiam confitemur: quia Dominus ſtatuit regnum cælorum nonniſi baptizatis poſſe conferri; quod quia vires naturæ non habent, conferri neceſſe eſt per gratiæ largitatem.*

Cæleſtius adjungit & dicit. [Ex cap. 6.] *In remiſſionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur: quod longè à catholico ſenſu alienum eſt. Quia peccatum non cum homine naſcitur, quod poſtmodum exercetur ab homine: quia non naturæ delictum, ſed voluntatis eſſe monſtratur. Et illud ergo confiteri congruum, ne diverſa baptiſmatis genera facere videamur; & hoc præmunire neceſſarium eſt, ne per myſterii occaſionem ad Creatoris injuriam malum, ante quàm fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam.* &c. Sed multùm miſericors memoratæ (Romanæ) ſedis * antiſtes, ubi eum vidit ferri tantâ præſumtione præcipitem, tamquam furentem, donec ſi fieri poſſet reſipiſceret, maluit eum ſenſim ſuis interrogationibus & illius reſponſionibus colligare, quàm diſtrictâ feriendo ſententiâ in illud abruptum, quò jam propendere videbatur, impellere. Ideo autem non dixi apertè ceciderat, ſed propendere videbatur; quia ſuperiùs in eodem libello ſuo de hujuſmodi quæſtionibus locuturus antè prædixerat, *Si fortè ut hominibus quiſpiam ignorantiæ error obrepſit, veſtrâ ſententiâ corrigatur.*

[* Zoſimus.]

Zosimi Papæ

Epiſtola ad Africanos epiſc. de cauſſa Cæleſtii.

Zosimus Aurelio & univerſis epiſcopis per Africam conſtitutis dilectiſſimis fratribus in Domino ſalutem.

Magnum pondus examinis magna deſiderant, ut non ſit rebus ipſis quæ geruntur, inferior libra judicii. His accedit Apoſtolicæ ſedis auctoritas, cui in honorem beatiſſimi Petri Patrum decreta peculiarem quamdam ſanxere reverentiam. Orandum igitur, & inceſſanter orandum, ut continuâ gratiâ perennique adjutorio Dei, ex hoc fonte in totum orbem pax fidei & catholicæ ſocietatis nullis nubibus interfuſcata mittatur: caritas enim, quæ, ſicut ſcriptum eſt, Deus eſt [1 Johan. 4.8.], perfectâ plenitudinis abundantiâ gratulatur, cùm, ſi quid ſuſpicionis habuerit, vel fidei intentione ſollicita, vel in longum producta contentione, aut emendatione corrigitur.

Cæleſtius preſbyter noſtro ſe ingeſſit examini, expetens ea quæ de ſe Apoſtolicæ ſedi aliter quàm oportuit eſſent inculcata, purgari. Et licèt multæ occupationes majoribus vinculis eccleſiaſticorum negotiorum curam noſtram ſollicitudinemque diſtraherent: tamen ne * fraternitatis veſtræ de adventu ac diſcuſſione prædicti diutius penderet exſpectatio, poſthabitis omnibus, die cognitionis reſedimus in ſancti Clementis baſilica, (quippe qui imbutus beati Petri apoſtoli diſciplinis tali magiſterio veteres emendaſſet errores, tantoſque profectus habuiſſet, ut fidem, quam didicerat & docuerat, etiam martyrio conſecraret,) ſcilicet ut ad ſalutiferam caſtigationem, tanti ſacerdotis auctoritas præſenti cognitioni eſſet exemplo.

[* al. paternitatis.]

Omnia igitur, quæ priùs fuerant acta diſcuſſimus, ſicut geſtorum huic epiſtolæ cohærentium inſtructione diſcetis. Intromiſſo Cæleſtio, libellum ejus, quem dederat, fecimus recitari: nec hoc contenti, utrùm hæc quæ ſcripſiſſet, corde loqueretur, an labiis, ſæpenumero exploravimus: cùm de occultis animorum ſolius Dei noſtri poſſit eſſe judicium, cui non tantùm cogitata, ſed cogitanda jam præſtò ſunt. Quid voces ejus contineant, compendioſiùs duximus à ſanctitate veſtra legendo cognoſci. Unum ſanè movet nos, ut cùm in præſenti ibi Cæleſtium habueritis, nihil liquidò judicatum ſit. Ad litteras Herotis & Lazari priori relatione deſtinatas, equidem ob fervorem fidei, præfeſtinatum eſſe, promtiſſimum eſt. Sed cùm de his interrogaretur, aſſeruit nullum ſibi de talibus contentionibus umquam cùm antè dictis fuiſſe ſermonem;

nec ántè sibi, quàm de se scriberent, visu fuisse compertos; Lazarum sanè in transitu cognitum; Herotem verò, etiam satisfactione interposita, quòd secus de ignoto & absente sensisset, cum gratia recessisse. Tam caduco ac nullo fundamine criminationis ignotæ, procul dubio * iræ fuit, ut de persona talium, quæ tam ventosa & levis exstiterat, quæreretur, si saltem illis loci sui ratio vitæque constaret, ut fides absentibus in * absentes debuerit adhiberi, tantumque pondus in litteris eorum esset, ut auctoritatem testimonii mererentur. Patuit hos inobservatis ordinationibus, plebe cleroque contradicente, ignotos, alienigenas, intra Gallias sacerdotia vindicasse, quibus se ipsi propriâ abdicavere sententiâ; nosque, licèt & alia, tamen eorum de se pænitudinem secuti sacerdotali eos loco & omni communione submovimus. Satis urget caussam à talibus processisse per litteras, in absentis ejus accusationem, qui se præsens tuetur, qui exponit fidem, qui provocat accusantem.

* f. justitiæ.
* f. absentem.

Numquam piguit in melius retorsisse judicium. Adolescens & sancti Spiritûs exsecutor, Susannam seniorum falsitate damnatam invenit innocentem: reducitur à suppliciis casta per puerum, quæ per grandævos fingitur impudica. Non ergo omni, sicut cautum est, spiritui credendum: sed diu appensiùs examinandum est, præsertim de fide hominis, ubi status ejus & vita perpetua est. Nec Salomonem fefellit in puerperii rixamentis indago: non enim duabus feminis inter se jurgantibus, * unum pignus induxit; sed ibi * arbiter fide cunctabundus invenit, ubi veræ pietatis affectum intellexit. Per quàm rarum sit, ut longa & castigata cunctatio non ad veri cubile perveniat. Optimæ mentis indicium est, prava difficiliùs credere: nam plerique quorum de se bonæ confessioni pigriùs adhibetur fides, in illius erroris abruptum necessitate coguntur, & irremediabile vulnus efficitur, quod desperatur sanari.

Dan. 13. 46.
1. Johan. 4. 1.
3. Reg. 3. 23.
* f. matrem.

Unde in præsenti caussa nihil præcox immaturumque censuimus, sed innotescere sanctitati vestræ, super absoluta Cælestii fide, nostrum examen: cui etiam prior libellus ab eo intra Africam * testimonio apud vos esse debuisset, ne inexploratis famâque jactantibus tam facilè crederetur. Quare intra secundum mensem aut veniant, qui præsentem redarguant aliter sentire, quàm libellis & confessione contexuit; aut nihil, post hæc tam aperta & manifesta quæ protulit, dubii sanctitas vestra resedisse cognoscat. Ipsum sanè Cælestium, & quoscumque qui eo tempore ex diversis regionibus aderant sacerdotes, admonui, has tendiculas quæstionum & inepta certamina, quæ non ædificant, sed magis destruunt, ex illa curiositatis contagione profluere, dum unusquisque ingenio suo & intemperanti eloquentiâ, seu scripturâ abutitur; cùm in hoc etiam magnorum virorum nonnumquam, cum ipsis auctoribus, scripta periclitentur post permultam temporum seriem interpretantis arbitrio, ut divinè prædictum sit, Ex multiloquio non vitari peccatum: & sanctus David postularet circumstantiam labiis suis, orique custodiam.

* f. addend. datus.
Prov. 10. 19.
Psal. 140. 3.

Caritatem vestram tam Apostolicæ sedis auctoritate, quàm mutua amoris affectione commoneo, ut jam ingenia vestra se sanctarum omnium scripturarum quæ secundùm traditionem Patrum atque majorum præscriptæ sunt, præceptis observationibusque subjiciant. Quid illic non abundans? quid non Dei spiritu & vocibus plenum sit? nisi libet unumquemque plus sibi credere, suoque de seuti judicio. Data... * Honorio Augusto XI. & Flavio Constant. consulibus.

* Anno Christi 417.

Ejusdem ad Africanos epistola de caussa Pelagii.

Zosimus episcopus Aurelio & universis episcopis per Africam constitutis, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

Post quàm à nobis Cælestius presbyter auditus est, & quid de fide sentiret evidenter expressit, eademque, quæ in libello contulerat repetitis crebrò professionibus roboravit, de ejus nomine pleniùs ad dilectionem vestram scripta direximus. Ecce epistolam Jerosolymitani episcopi * Praylii, qui in locum quondam * S. Johannis episcopus est ordinatus, accepimus, qui caussæ Pelagii enixiùs adstipulator intervenit. Litteras quoque suas idem Pelagius purgationem continentes abundantissimè misit, quibus & professionis suæ fidem quid sequeretur, quidve damnaret, sine aliquo fuco, ut cessarent totius interpretationis insidiæ, cumulavit. Harum recitatio publica fuit: omnia quidem paria, & eodem sensu sententiisque formata, quæ Cælestius antè protulerat, continebant. Utinam ullus vestrûm, dilectissimi fratres, recitationi litterarum interesse potuisset. Quod sanctorum virorum qui aderant gaudium fuit? quæ admiratio singulorum? Vix fletu quidam se & lacrymis temperabant: tales etiam absolutæ fidei infamari potuisse. Est-ne ullus locus, in quo Dei gratia vel adjutorium prætermissum sit? quod quisquis potest præterea dicere, vel mente concipere; nec illi supernæ sententiæ subjectus, quæ de sancto Spiritu lata est, quòd neque hîc, neque in futuro veniâ vel remissione donetur.

* V. suprà in Mercatoris commonitorio pag. 71. a.
* Obiit Johannes initio anni 417.
Matth. 12. 32.

Video etiam hunc Pelagium, Herote & Lazaro scribentibus, infamari. Itane, fratres dilectissimi, ad aures vestras, qui sint isti turbines Ecclesiæ vel procellæ, nec opinione pervenit? Itane vos latuit vita horum atque damnatio? Sed quamquam specialis illos Apostolicæ sedis auctoritas omni communione submoverit, discite & in hac epistola, licèt strictim, hominum mores. Vetus Lazaro consuetudo est innocentiam criminandi. Per multa concilia in sanctum Britium coëpiscopum nostrum Turonicæ civitatis diabolicus accusator inventus est. A Proculo Massiliensi in synodo Taurini oppidi sententiam calumniatoris excepit. Ab eodem Proculo fit post multos annos sacerdos tyrannici judicii defensor civitatis Aquensium, cùm contrairet * afflicto, in ipsum penetrale & sacerdotale solium sanguine innocentis penè respersum irrupit: stetitque in eo hactenus umbra sacerdotii donec in * tyranno imago staret imperii: quo loco post internecionem patroni sponte se exuit & propria cessione damnavit. De Herote [a] verò omnia similia, idem * tyrannus patronus, cædes turbæ, presbyterorum contradicentium vincula & custodiæ, & totius civitatis * afflictio, similis pænitentia de abdicatione sacerdotii.

* f. afflictâ civitas.
* Constantino, qui imperium in Galliis invaserat.
* Constantinus.
* al. addictio.

Mirum est, si isti laicum virum ad bonam frugem longa erga Deum servitute nitentem falsis litteris percellere noluerunt, qui in fratres & coëpiscopos tanta machinati sunt, qui tot tempestates Ecclesiæ reddiderunt. Non decet episcopalem auctoritatem & præcipuè prudentiam vestram ad levium susurronum scripta pendere. Ecce Pelagius Cælestiusque Apostolicæ sedi in litteris suis & confessionibus suis præstò sunt. Ubi Heros? ubi Lazarus? [b] erubescenda factis & damnationibus nomina. Ubi illi adolescentes, Timasius & Jacobus, qui scripta quædam, ut asserebatur, protulerunt? Vos conjicite, si qui talia in sede Apostolica confitentur, illa quæ de iisdem à pravis ac levibus auctoribus, ac dubio rumore jactata sunt, oporteat credi. Amate pacem, diligite caritatem, studete concordiæ. Nam scriptum est: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Qui magis alter alteri proximi sumus, quàm omnes qui in Christo unum esse debemus? Non omnis qui aures vestras ventus ingreditur, nuntius est veri. Ideoque animo præsule & in excubiis constituto semper opus est, ne totum famæ, totum testibus liceat. Recensete sacras litteras & divina tabularia: maximam partem falsi testes occupavere, ubi sanctorum aut accusationem aut pericula reperimus: maximam dico, immo totam, cùm in ipsum Dominum nostrum Salvatorem, totius mundi hostiam & pontificem salutarem, falsi testes insurrexerint, qui se ejus blasphemiam audisse confingerent. Æstimate quid jam possit præterire fallacia, quæ in Deum fidei, immo in ipsam fidem ac veritatem perjuriis impetum fecit.

Matth. 19. 19.

Hæc ideo scripsimus, ut de cetero, si qui absentes minùsque noti de quolibet talia ex libidine mentientur, fixi sint pedes vestri adversùs arietem fraudulentiæ. Unde & lucernam pedibus suis ac lumen semitis suis vir sanctus exorat; scilicet ne inter fallaces tenebras sint cæca nobis

Psal. 118. 105.

[a] Prosper in Chronico ad annum Christi 412. scribit: *Eodem tempore Heros vir sanctus & B. Martini discipulus, cùm Arelatensi oppido episcopus præsideret, à populo ipsius civitatis insons & nullis insimulationibus obnoxius pulsus est, inque ejus locum Patroclus ordinatur amicus & familiaris Constantii Magistri militum, cujus per ipsum gratia quærebatur: eaque res inter episcopos regionis illius magnarum discordiarum materia fuit.*

[b] Hos tamen *bonos fratres* vocat Augustinus in libro de gestis Pelagii, cap. 29.

Joann. 7.51. & errabunda vestigia. Et in Evangelio, Numquid lex nostra judicat hominem, nisi ab ipso audierit priùs, & co-
Exod. 23.1. gitaverit. Etiam in veteri Testamento: Non credas auditui vano, & non consenseris cum iniquo fieri testis injustus. Et ne fortè multitudini detrahentium ante examina-
Ibidem. tionem judicii crederetur, addit dicens, Non eris cum pluribus in malitia, & non accipies per eos peccatum. Et
Eccli. 11.7. iterum alibi: Priùs quàm interroges, ne vituperes quemquam; & cùm interrogaveris, corripe justè. Et iterum:
Prov. 25.8. sec. LXX. Quæ viderint oculi tui loquere. Et in Actibus Apostolorum adversùs principes Sacerdotum & seniores Judæorum postulantes absentis Pauli apostoli damnationem, justissimam sententiam gentilis Festus tribunus protulit, quam convenit etiam nos in faciem credentium objicere ad ve-
Act. 25.16. recundiam, dicens, Non est consuetudo Romanis, damnare » aliquem hominem, priùs quàm is qui accusatur, præsen- » tes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad » abluenda crimina. Si hanc igitur moderationem extra septum fidei nostræ positus tenuit: contra sacerdotalem pudorem, indigna omnino credulitas est absentibus in absentes. Quotus quisque immunis invenietur à vulnere, si ad omnem ferientis ictum credulum pectus aperitur? Doceat nos terrena moderatio, quæ sæcularibus arbitriis & caussis primùm de ipsis judicibus eligendis repudiandisque sit & quanta cunctatio? quot interpositæ dilationes? quoties adhibita comperendinatio, etiam sub ipso fine certaminis ampliare judicia concessit innocenti reo? Confugitur ad mare & extramarina documenta, ut fides quæ in præsenti plerumque artioribus strangulatur angustiis, saltem eminus veniat. Hæc omnia mentior, nisi in patrocinium tuendæ innocentiæ reperta sint. Tolerabilius est enim innocentem quemlibet tardiùs inveniri, quàm citò pro nocente damnari.

Grave fuit Lazaro & Heroti, litterarum suarum pedissequos esse. An nesciebant dilectionem vestram ad sedem Apostolicam relaturam? Huc certo calumniæ compendio navigassent. Ubi de episcopatu abdicando agitur, maria terraque lustrantur, nec ulla suffragia prætermittunt. Ubi verò innocentium fama percellitur, otiosi & delicati, sive accusatores, sive testes, (in utroque enim fallentibus nomen infame est,) in cubilibus & lectulis suis litteris abutuntur; & totam Africam, universumque tranquillum catholicæ serenitatis innubilant ad libidines suas duæ pestes. Ante tribunal Christi omnes stabimus: nemo illic abesse poterit, nec Domini, cujus immensitas omnibus locis ac rebus intervenit, declinare judicium.

Si Deo nostro cordi fuit, propter oves perditas, Verbum carnem fieri, & ex Domino formam servientis induere, ut diu interceptam redderet libertatem: sit vobis gaudium, eos quos falsi judices criminabantur, agnoscere a nostro corpore & catholica veritate numquam fuisse divulsos. Certè hoc quod nostra exspectatio desiderabat elu-
Luc. 15.32. xit, ut damnanda damnarent & sequenda sequerentur. Si pater-familias reditu filii gratulabatur, qui mortuus fuerat & revixit, perierat & inventus est; & jubebat in usum ejus stolam mundam, hoc est, insigne candidæ mentis afferri & vitulum saginatum: quantum hæc uberior exsultatio est fidei, non mortuos esse, nec periisse, de quibus falsa vulgata sunt? Misimus igitur ad dilectionem vestram exemplaria scripturarum, quas Pelagius misit: quarum lectionem non ambigimus parituram esse vobis in Domino de absoluta ejus fide lætitiam. Data XI. Kal. Octobris.

De errore Palæstinorum episcoporum, & ipsius Zosimi papæ in judicio Pelagii sive Cælestii.

Facundus episcopus Hermianensis lib. 7. cap. 3. G

INVENIENT etiam Pelagium hæresiarcham, à quo Pelagiani dicuntur, in judicio Palæstinorum episcoporum, quæ contra Christi gratiam sentiebat operientem, pravasque sententias suas versutiâ interpretantem, per eamdem ignorantiam absolutum. Invenient postremò beatum quo- A que Zosimum Apostolicæ sedis antistitem, contra sancti Innocentii decessoris sui sententiam, qui primus Pelagianam hæresim condemnavit, fidem ipsius Pelagii, ejusque complicis Cælestii, quem in Ecclesia Carthaginensi convictum, atque appellantem Apostolicam sedem, & ipse gestis discusserat, tamquam veram & catholicam laudantem, insuper etiam Africanos culpantem episcopos, quòd ab illis hæretici crederentur: cùm, necdum ipsis Africanis episcopis dolos eorum multo manifestiùs detegentibus, memoratos Pelagium & Cælestium putaret orthodoxos. Et tamen.... nec illos Palæstinos episcopos & Zosimum hæreticos B credit Ecclesia, quia de hæreticis bene senserunt; sed potiùs pro merito suæ fidei catholicos judicat & honorat: quoniam non debet crimini deputari simplicium non intellecta versutia malignorum.

De Africano [a] concilio

Ducentorum quatuordecim episcoporum contra hæresim Pelagii & Cælestii, habito, ut creditur, sub finem Autumni anni 417.

C *Prosper in libro responsionum ad objecta Gallorum ad object. 8.*

ET cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum constitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus est, veraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus, GRATIAM DEI per Jesum Christum Dominum, non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam, nos per actus singulos adjuvare; ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis D habere, cogitare, dicere, agere valeamus.

Idem in libro contra Collatorem, cap. 10.

ERRAVERUNT (secundùm te) ducenti quatuordecim sacerdotes, qui in epistola quam suis constitutionibus prætulerunt, ita Apostolicæ sedis antistitem beatum Zosimum sunt allocuti: Constituimus in Pelagium atque Cælestium per venerabilem episcopum Innocentium de beatissimi apostoli Petri sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur, Gratiâ Dei per Jesum Christum E Dominum nostrum non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam, nos per actus singulos adjuvari; ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.

Prosper in Chronico ad annum 418.

HOC tempore [b] Constantius servus Christi ex vicario Romæ habitans & pro gratia Dei devotissimè Pelagianis resistens, factione eorumdem multa pertulit, quæ illum sanctis confessoribus sociaverunt.

F Concilio apud Carthaginem habito ducentorum quatuordecim episcoporum ad papam Zosimum synodalia decreta perlata: quibus probatis [c] per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.

Paulini diaconi libellus Zosimo papæ oblatus * contra Cælestium.

* Anno Christi 417.

BEATITUDINIS tuæ justitiam obsecro, Domine Zosime papa venerabilis. Numquam fides vera turbatur, & maximè in Ecclesia apostolica, in qua pravæ fidei doctores, ut deprehenduntur facilè, ita veraciter puniuntur, ut moriantur in illis, nisi correxerint, quod deterius perpetrarant; ut in illis vera sit fides, quam Apostoli docuerunt & Romana cum omnibus catholicæ fidei doctoribus tenet Ecclesia. Quòd si, ut ceteri auctores hæreseos, qui jam dudum ab Apostolica sede vel à

[a] Carthagine quidem habitum est, sed Africanum vocare solet Augustinus, in epist. 215. n. 2. in lib. de peccato orig. cap. 7. & 8. & 21.

[b] In Lausiaca historia laudatur à Palladio, *Constantius assessor præfectorum Italiæ.*

[c] Probata quidem à Zosimo decreta anno 418. sed anno, ut putant, 417. condita in Africano 214. episcoporum concilio Carthagine celebrato.

Patribus judicati, & extra sinum matris catholicæ Ecclesiæ effecti, perpetua morte pereunt; etiam hi qui nunc deprehensi sunt vel deprehendentur, in perfidia sua permanent; spiritali gladio, quo interimantur, tradantur: ut nunc Pelagius Cælestiusque, qui à beatæ memoriæ præcessore tuæ beatitudinis papa Innocentio, (si rectam respuant fidem, & in sua perversa doctrina perdurent,) damnati sunt.

Confer lib. de peccato originali cap. 6. & 7. & lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 4.

Cujus sententiam secuta beatitudo tua, Cælestio, cùm à sede Apostolicâ audiretur, inter cetera præcepit his verbis: Damnas ergo illa omnia quæ in libello Paulini continentur, hoc est, de quæstionibus? Et in alio loco: Cognovisti quales litteras dederit sedes Apostolica ad fratres & coepiscopos Africanæ provinciæ? Et adjectum: Damnas illa omnia quæ damnavimus, & tenes quæ tenemus? Et iterum: Illa omnia damnas, quæ jactata sunt de nomine tuo? Et iterum: Vel ea quæ in libello suo exposuit Paulinus? Et cùm me, diceret, posse ex his quæ illi objecta sunt, hæreticum approbari: sancto repletus Spiritu, Apostolica auctoritate respuisti insanientis & calumniantis verba, hujusmodi proferendo sententiam, quâ ipse catholicus approbaret, illum si sanari vellet, curares; quæ hujusmodi est: Nolo nos circuitu ducas: damnas ea omnia quæ tibi objecta à Paulino, sive per famam jactata sunt? Cui non sufficit ista sententia? Quis hanc tam salubrem, tam amplectibilem, tam piam respueret alius, nisi qui à fide devius est? Et ille qui superiùs professus fuerat, se quæcumque illi objecta fuerant, si contra fidem * vindicares, esse damnaturum; audit, Damna: & non solùm non damnat, sed ad injuriam tantam sedis contendit. Unde non ignorat jam Ecclesia Romana reum suum, qui tam audaci spiritu ausus est contradicere, & non damnare quæ beatitudo tua damnari decrevit.

** f. judicares esse,*

Ego tamen Deo & Christo Domino gratias ago, quòd Ecclesiæ suæ caussam ita agi voluit, ut sedes Apostolica, à qua oportuit ore duorum Pontificum hæresim condemnari, ea damnanda præcepit, quæ à me Cælestio fuerant objecta: cujus ego non damnationem, sed correctionem semper optavi & opto: cui nunc jam non mecum, sed cum universa Dei Ecclesia caussa est, sicut data ad beatitudinem tuam scripta testantur; cùm contra Apostolicam sententiam venire nititur, negando originale peccatum, quod in omnes homines pertransiit, & usque ad finem mundi tenet hæreditatem Adæ illius, qui primus peccavit: quod in infantibus nisi per sacramentum baptismi dimittitur, vitam æternam & regnum cælorum habere non possunt. Contra quæ etiam magister suus litigat Pelagius, qui illa ipsa damnavit in judicio Orientali, quæ iste in sedis Apostolicæ cœtu conatur adstruere. Habet adversùm se etiam veteres Ecclesiarum doctores catholicos plurimos, Orientales & Occidentales, Meridianæ partis & Septemtrionalis, qui in libris suis illum de originali peccato (si sanari desiderat) possunt docere. Habet beatum Cyprianum martyrem, beatum Ambrosium confessorem, Gregorium Nazianzenum, beatum papam Innocentium. Habet etiam nunc, qui in corpore sibi colluctentur, si ille tamen hos tanto certamini habiles judicat, aut certè qui vos sequi debeat, si vult magis recta discere, quàm prava docere, habet, (quod primum est,) beatitudinem tuam, cujus illum oportuerat obedire sententiæ, cùm audiret, Damna. Habet postremò ipsos lactentes, quibus misereri debeat, si sibi non vult; quibus (ut verbis Martyris utar,) non propria, sed aliena dimittuntur peccata.

Cyprian. epist. 64. ad Fidum.

Unde oro beatum Apostolatum tuum, ut hunc meum libellum suscipi jubeas, quo gratias referam tantæ sedi, & sententiis justissimis pro parte mea latis: quem idcirco direxi, quia me licèt sermone Basiliscus subdiaconus à tua beatitudine cum Gestis sedis Apostolicæ directis, Carthagine convenit quarto Nonas Novembris die, ut adessem ad Apostolicam sedem, & tuæ judicio sanctitatis: ad quam me fugisse, suggestum est; nec defuturum fore, * promittere, si adversùm me & non pro me fuisset lata sententia. Ubi tunc igitur nihil agere potui, quia is qui ad sedem Apostolicam provocaverat, defuit, quem oportuerat utique merita suæ appellationis adstruere: maximè cùm nihil agente appellatore, secundùm etiam humanas leges, superior est semper ille qui vicit. Quid enim jam mea intererat, ut etiam apud vestram reverentiam pravæ ejus doctrinæ adstipulator exsisteret, de quo congaudere possem, si damnatis his quæ illi à me objecta fuerant, sic ea per Apostolicæ sedis judicium roborari, meruisset absolvi, nec priùs se ordinari quàm purgari pateretur? Sed vulpecula fraudibus fuit semper studens, ingenium suum mutare nescit. Non se credidit posse deprehendi; quoniam confidentiam semper in foveis habuit, in quibus demersum caput conscientiæ suæ nititur occultare. Quod jam diutius latere non potuit; sed manifestiùs publicatum, spiritali per tuam beatitudinem gladio resecatur, ne ampliùs ferinis dentibus grex Domini secetur in partes, quem pastor bonus sollicitâ & pervigili cautelâ custodis. Hunc autem libellum direxi beatitudini tuæ per Marcellinum subdiaconum Ecclesiæ Carthaginensis. Dat. sexto Id. Novembris.

** f. promittere.*

ZOSIMI AD AFRICANOS EPISCOPOS epistola in caussa Cælestii.

ZOSIMUS AURELIO ac ceteris qui in concilio Carthaginensi adfuerunt, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

QUAMVIS Patrum traditio Apostolicæ sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper regulasque servaverit, & currens adhuc suis legibus Ecclesiastica disciplina Petri nomini, à quo ipsa quoque descendit, reverentiam quam debet exsolvat: tantam enim huic Apostolo canonica antiquitas * per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut & ligata solveret, & soluta vinciret; * par potestatis data conditio in eos qui Sedis hereditatem, ipso annuente, meruissent. Habet enim ipse, cùm omnium Ecclesiarum, tum hujus maximè ubi sederat, curam, nec patitur aliquid privilegii aut aliquâ titubare aurâ sententiæ, cui ipsa sui nominis firma & nullis hebetata motibus constituit fundamenta, & quæ sine suo periculo temere nullus incesset. Cùm ergo tantæ auctoritatis Petrus caput sit, & sequentia omnium majorum studia firmaverit, ut tam humanis quàm divinis legibus & disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia, cujus locum nos regere & potestatem nominis obtinere non latet vos, sed nostis, fratres carissimi, & quemadmodum sacerdotes, scire debetis: tamen cùm tantum nobis esset auctoritatis ut nullus de nostrâ possit retractare sententia; nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus; dantes hæc fraternitati, ut in commune consulentes, non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid quod contra utilitatem Ecclesiæ veniens displiceret; sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo qui apud vos (sicut ipsi per litteras dicitis) fuerit accusatus, & ad nostram qui se assereret innocentem, non refugiens judicium ex appellatione pristinâ, venerit sedem; accusatores suos ultro deposcens, & quæ in se crimina per rumorem falsò dicebat illata condemnans. Omnem ejus petitionem prioribus litteris, quas vobis misimus, putavimus ac novimus explicatam; satisque illis scriptis, quæ ad illa rescripseratis, credimus esse responsum.

** Garnerius, super.*

** f. pari ... conditione iis.*

Sed pòst missæ per Marcellinum subdiaconum vestrum epistolæ omne volumen volvimus: quo aliquando perlecto, ita totum litterarum comprehendistis textum, quasi nos Cælestio commodaverimus in omnibus fidem, verbisque ejus non discussis, ad omnem, ut ita dicam, syllabam præbuerimus assensum. Numquam temere, quæ sunt diu tractanda, finuntur; nec sine magnâ deliberatione statuendum est, quod summo debet disceptari judicio. Idcirco noverit vestra fraternitas, nihil nos post illas quas superiùs vel litteras vestras accepimus immutasse, sed in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudum fuerant, cùm hoc nostris litteris vestræ indicavimus sanctitati, ut illa quæ à vobis ad nos missa erat obtestatio, remaneret. Subscripsi. Bene valete. Dat. XII. Kalend. April. * Honorio Augusto XII. Cons. Accepta tertio Kalend. Maias.

** Anno Christi 418.*

SACRUM

SACRUM [a] RESCRIPTUM
Contra Pelagium & Cælestium.

Imperatores HONORIUS & THEODOSIUS Augusti Palladio præfecto prætorio.

AD conturbandam catholicæ simplicitatis lucem puro semper splendore radiantem, dolosæ artis ingenio novam subitò * emersisse versutiam pervulgata opinione cognovimus: quæ fallacis scientiæ obumbrata mendaciis & furioso tantum debacchata est luctamine, ut stabilem quietem cælestis adtrectaret fidei, dum * novi criminis commenta invenit, insignem notam plebeiæ æstimans vilitatis sentire cum cunctis, ac prudentiæ singularis palmam fore, communiter approbata destruere. Cujus impiæ commentationis auctores Pelagium Cælestiumque percrebuit exstitisse. Hi parenti cunctarum rerum Deo præcipuæque semper majestati, interminè potenti, & ultra omne principium transeunti, tam trucem inclementiam scævæ voluntatis assignant, ut cùm formandi mundi opificem curam sumeret, qualitatemque hominis struendi profunda spiritûs conceptione libraret, fundati muneris * fœdum anteferret exordium & mortem promitteret nascituro. Non hanc insidiis vetiti fluxisse peccati, sed egisse penitus legem immutabilis constituti: ad declinandum lethi exitialis incursum nihil prodesse abstinentiam delinquendi, cujus vis ita putaretur adscripta, ut non possit aboleri deinceps. Primitivi hominis errorem, in quem captæ mentis inops rationis cæcitas irruisset, delapsum ad posteros non fuisse; tantumque apud eum, quem malesuadæ gratiæ infelix rapuisset illecebra, transgressionem interdicti exstitisse discriminis: cùm evidens catholicæ legis omnifaria testetur auctoritas, illum interitûs omnium fuisse vestibulum, quem divinæ præceptionis sedulum liquet corrupisse mandatum; aliaque quàm plurima, quæ sermo respuit, lex refutat, quæ pertæsum sit recordari, etiam sub dispositione plectendi. Quæ maturato remedio & celeritate festina oportet intercipi; ne corroborato usu nequitiæ adolescentes vix valeant coërceri. Si quidem aures mansuetudinis nostræ recens fama perstrinxerit, intra sanctissimam urbem nostram, aliaque loca, ita pestiferum virus quorumdam inolevisse pectoribus, ut interrupto directæ credulitatis tramite, scissis in partes studiis asserendi, materia impacatæ dissensionis inducta sit; novoque scandali fomite concitato, beatissimæ Ecclesiæ * nutet adtentata tranquillitas, aliis id, aliis aliud ancipiti interpretatione sectantibus: & absoluta sanctorum apicum claritas, ac dilucidè quid sequi universitas debeat explanans, pro captu versipellis ingenii conturbat, quibusdam novorum auctorum profanam moventibus quæstionem: Palladi parens carissime atque amantissime.

* al. emicuisse.

* al. novi acuminis commendata vento insignem notam plebeiæ æstimat vilitatis.

* al. finem anteferret exordio, & mortem præmitteret nascituro.

* al. Ecclesiæ nutet & adtentata, &c.

Ob quam rem illustris auctoritas tua, victurâ in omne ævum lege nos statuisse cognoscat, ut pulsis ex urbe primitus capitibus dogmatis exsecrandi, Cælestio atque Pelagio, si qui hujusce de cetero sacrilegii sectatores quibuscumque locis potuerint reperiri, aut de pravitate damnata aliquem proferre sermonem; à quocumque correpti ad competentem judicem protrahantur. Quos, sive clericus, sive laïcus fuerit, deferendi habeat potestatem, & sine proscriptione aliqua perurgendi, quos relicta communis scientiæ luce novæ disputationis tenebras introferre deprehenderit contra Apostolicam scilicet disciplinam Evangelicamque claram & sine errore sententiam, vafrâ rudis sectæ calliditate pugnantes, involventesque splendentem fidem veri ambagibus disserendo. Hos ergo repertos ubicumque de hoc tam nefando scelere conferente, à quibuscumque jubemus corripi, deductosque ad audientiam pu-

A blicam promiscuè ab omnibus accusari; ita ut probationem convicti criminis stilus publicus insequatur, ipsis inexorati exsilii deportatione damnatis. Decet enim originem vitii à conventu publico sequestrari, nec in communi eos celebritate consistere, qui non solùm facto nefario detestandi, verùm etiam exemplo venenati spiritûs sunt cavendi. Juvat autem per * omne imperium nostrum, quà mundus extenditur, hujusmodi promulgata diffundi: ne scientiæ fortasse dissimulatio pastum præstet errori; atque impunè se quisquam putet audere, quod condemnatum vigore publico se finxerit ignorare. Datum pridie
B Kalendas Maias, Ravennæ D. D. N. N. Honorio XII. & Theodosio VIII. Augustis consulibus.

* al. per omnem penè mundum, quà imperium nostrum extenditur.

Anno 418. die 30. April.

EXEMPLAR EDICTI JUNII QUARTI PALLADII.

JUNIUS Quartus Palladius, Monaxius, [b] & Agricola iterum præfecti prætorio edixerunt. IN Pelagium atque Cælestium catholici dogmatis fidem scævis tractatibus destruentes sententia principalis * incaluit, ut venerabili urbe submoti bonorum concilio multarentur. Hoc igitur omnes admoneri oportet edicto, ne quis sinistræ persuasionis erroribus credulum præstet assensum. Et si sit ille plebeius
C ac clericus, qui in caliginis hujus obscœna reciderit, à quocumque tractus ad judicem sine accusatricis discretione personæ, facultatum publicatione nudatus, irrevocabile patietur exsilium. Nam superna majestas, ut colligit ex secreti ignoratione reverentiam, ita ex ineptæ disputationis præsumtione injuriam.

* al. invaluit.

CONCILIUM AFRICÆ UNIVERSALE
Carthagine habitum anno 418. contra hæresim Pelagii & Cælestii.

D

GLORIOSISSIMIS Imperatoribus Honorio XII. & Theodosio VIII. Consulibus, Kalendis Maiis, [c] Carthagine in secretario basilicæ Fausti, cùm Aurelius episcopus in universali concilio consedisset, adstantibus diaconis, placuit omnibus episcopis, quorum nomina & subscriptiones indictæ sunt, in sancta synodo Carthaginensis Ecclesiæ constitutis. (Anno 418.)

E I. Ut quicumque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.

II. Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, unde fit consequens ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod
F ait Apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt, nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. (Rom. 5. 12.)

III. [d] Item placuit, ut siquis dicit, ideo dixisse Dominum, In domo Patris mei mansiones multæ sunt, ut intelligatur, quia in regno cælorum erit aliquis medius, aut ullus alicubi locus, ubi beatè vivant parvuli, qui sine baptismo
G ex hac vita migrarunt, sine quo in regnum cælorum, quod est vita æterna, intrare non possunt, anathema sit. Nam cùm Dominus dicat, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & (Johan. 14. 2.) (Johan. 3. 5.)

[a] In codice canonum Ecclesiæ Romanæ inscribitur, *Sacrum Rescriptum acceptis Synodi suprà dictæ gestis*. Et quidem propriè Rescriptum esse, non nudam Constitutionem minimè postulatam, intelligitur ex his Augustini verbis lib. 3. contra Julianum, cap. 1. *Sanè, ut dicis, si pro vobis potiùs ab Imperatore responsum est*. Gesta verò illa quibus acceptis redditum est, synodi Africanæ esse videntur, non illius quæ anno 418. die 1. Maii habita est, quando quidem ipsum Rescriptum die 30. Aprilis consignatur, sed superioris quæ ad finem Autumni anni 417. pertinet.

[b] Monaxius præfectus erat prætorio Orientis ex cod. Theod. lib. 16. l. de episcopis, ecclesiis, &c. Agricola autem præfectus prætorio Galliarum, ex litteris Honorii ad ipsum datis xv. Kal. Maii de agendo singulis annis Arelate conventu VII. provinciarum, uti observat Henric. Norisius lib. 1. hist. Pelag. c. 13.

[c] In codice Gandavensi Ecclesiæ S. Bavonis legitur: *Carthagine in basilica Fausti, cùm Aurelius episcopus simul cum Donatiano Teleptensi primæ sedis episcopo provinciæ Byzacenæ, & aliis ducentis tribus coëpiscopis suis tam ex provincia Byzacena quàm Mauritania Sitifensi, Tripolitana, Numidia, Mauritania Cæsariensi & Hispania in concilio consedisset.* Sic etiam in codice canonum Ecclesiæ Romanæ.

[d] Hoc canone carent nonnulli codices. Eum verò & habent alii plures, & ipse tertio loco recenset Photius. Augustinus etiam in lib. 2. de origine animæ cap. 12. scribit, *Novellos hæreticos Pelagianos justissimè conciliorum catholicorum & sedis Apostolicæ damnavit auctoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis & salutis locum etiam præter regnum cælorum.*

Spiritu-ſancto, non intrabit in regnum cælorum; quis catholicus dubitet, participem fieri diaboli eum, qui coheres eſſe non meruit Chriſti? Qui enim dexterâ caret, ſiniſtram procul dubio partem incurret.

IV. Item placuit, ut quicumque dixerit, gratiam Dei, qua juſtificamur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur, anathema ſit.

V. Item quiſquis dixerit, eamdem gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, & quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit. Cùm enim dicat Apoſtolus, Scientia inflat, caritas verò ædificat; valde impium eſt, ut credamus, ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Chriſti, & ad eam quæ ædificat, non habere; cùm ſit utrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus, ut ædificante caritate ſcientia non poſſit inflare. Sicut autem de Deo ſcriptum eſt, Qui docet hominem ſcientiam: ita etiam ſcriptum eſt, Caritas ex Deo eſt.

1. Cor. 8. 1. — Pſal. 93. 10. — 1 Johan. 4. 7.

VI. Item placuit, ut quicumque dixerit, ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs poſſimus implere per gratiam, tamquam & ſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſine illâ implere divina mandata, anathema ſit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, Sine me difficiliùs poteſtis facere: ſed ait, Sine me nihil poteſtis facere.

Johan. 15. 5.

VII. Item placuit, quod ait S. Johannes apoſtolus, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem non oportere dici, nos non habere peccatum, non quia verè ita eſt, anathema ſit. Sequitur enim Apoſtolus, & adjungit, Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Ubi ſatis apparet, hoc non tantùm humiliter, ſed etiam veraciter dici. Poterat enim Apoſtolus dicere, Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipſos extollimus, & humilitas in nobis non eſt: ſed cùm ait, Nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt; ſatis oſtendit eum qui dixerit, ſe non habere peccatum, non verum loqui, ſed falſum.

1 Johan. 1. 8. — Ibidem 9.

VIII. Item placuit, ut quicumque dixerit, in oratione Dominica ideo dicere ſanctos, Dimitte nobis debita noſtra, ut non pro ſe ipſis hoc dicant, quia non eſt eis jam neceſſaria iſta petitio, ſed pro aliis, qui ſunt in ſuo populo peccatores; & ideo non dicere unumquemque ſanctorum, Dimitte mihi debita mea, ſed Dimitte nobis debita noſtra; ut hoc pro aliis potiùs, quàm pro ſe juſtus petere intelligatur; anathema ſit. Sanctus enim, & juſtus erat apoſtolus Jacobus, cùm dicebat, In multis enim offendimus omnes. Nam quare additum eſt, omnes? niſi ut iſta ſententia conveniret & Pſalmo, ubi legitur, Non intres in judicium cum ſervo tuo, quoniam non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Et in oratione ſapientiſſimi Salomonis, Non eſt homo, qui non peccet. Et in libro Job, In manu omnis hominis ſignat, ut ſciat omnis homo infirmitatem ſuam. Unde etiam Daniel ſanctus & juſtus, cùm in oratione pluraliter diceret, Peccavimus, iniquitatem fecimus: & cetera, quæ ibi veraciter, & humiliter confitetur, ne putaretur, (quemadmodum quidam ſentiunt,) hæc non de ſuis, ſed de populi ſui potiùs dixiſſe peccatis, poſtea dixit, Cùm orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo meo: noluit dicere, peccata noſtra, ſed populi ſui dixit, & ſua, quia futuros iſtos, qui tam malè intelligunt, tamquam propheta prævidit.

Matth. 6. 12. — Jacob. 3. 2. — Pſal. 142. 2. — Eccli. 7. 21. — Job 37. 7. — Daniel. 9. 5. — Ibidem 20.

IX. Item placuit, ut quicumque ipſa verba Dominicæ orationis, ubi dicimus, Dimitte nobis debita noſtra, ita volunt à ſanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema ſit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labiis ſibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ ſibi dimittantur, debita non habere?

Matth. 6. 12.

De eodem Carthaginensi concilio,

Photius in Bibliotheca, cod. 53.

Lectus liber ſeu Synodus adversùs Pelagium & Cæleſtium Carthagine in magna eccleſia Fauſti habita, Honorio Occidentis imperii clavum tenente. Præſedit in ea Aurelius epiſcopus & * Dotianus Ptenteſii primæ ſedis Byzacenæ provinciæ: quibus adfuerunt variis è provinciis epiſcopi numero ducenti quatuor & viginti. Damnat hæc ſynodus anathemate eos qui aſſererent, Adamum mortalem eſſe conditum, non autem prævaricationis cauſsâ morte multatum. Similiter & eos qui recèns natos infantes baptiſmo non indigere dicerent, quòd illos peccato originis ex Adamo non putarent obnoxios. Eos quoque qui affirmarent medio quodam loco paradiſum inter & inferos non baptizatos infantes beatè vivere. Sex item alia his affinia capita, quæ Pelagianis & Cæleſtianis favent, anathematizat.

* leg. Donatianus Telepteníis.

Scripſerunt verò & Theodoſius & Honorius imperatores contra eoſdem hæreticos ad Aurelium epiſcopum. Poſt hæc etiam * Conſtantinus, Placidiæ conjux, Valentiniani minoris pater, de Cæleſtio hæretico in exſilium pellendo ſcripſit decretum ad Voluſianum urbis præfectum. Qui quidem Voluſianus ſanctæ * Melenæ patruus, cum gentibus quidem tunc ſentiebat, ſed dum eum mors legatum Conſtantinopoli agentem invaderet, ad orthodoxam fidem tranſiit, baptizatuſque eſt à B. Proclo Conſtantinopolitano: quo item tempore illam ſanctam mulierem forte convenit, cùm ipſa ex Jeroſolymis in reginam urbium adveniſſet.

* leg. Conſtantius. — * leg. Melaniæ.

Scripſit & Leo Romanorum pontifex de Pelagianiſtis converſis, oportere, ſi jam redeuntes recipi velint, ſcriptis tabulis errorem ſuum deteſtari. In epiſtola quoque Cæleſtini Romani pontificis ad Neſtorium, iidem hæretici reprehenduntur. Scripſit idem & ad Galliarum epiſcopos de fide B. Auguſtini, & contra eos qui hæreſis licentiâ nimis elati inſoleſcerent. Scripſit etiam Hieronymus preſbyter ad Cteſiphontem contra aſſerentes ἀπάθειαν, (id eſt, impaſſibilitatem vel imperturbationem,) ſeu contra Pelagium. Hic autem Pelagius monachus fuit, Cæleſtium diſcipulum nactus.

De Zosimi sententia atque * Tractoria contra Pelagium & Cæleſtium.

* Vide ſuprà Mercatoris commonitorium pag. 70. b. c. & pag. 71. d. e.

Auguſtinus in epiſt. 190. ad Optatum, cap. 6. n. 23.

Nam ut jam verbis utar, quæ in ipſa epiſtola beatiſſimi antiſtitis Zoſimi leguntur: Fidelis Dominus « in verbis ſuis, ejuſque baptiſmus re ac verbis, id eſt, « opere, confeſſione, & remiſſione vera peccatorum, in « omni ſexu, ætate, conditione generis humani eamdem « plenitudinem tenet. Nullus enim, niſi qui peccati ſervus » eſt, liber efficitur; nec redemtus dici poteſt, niſi qui ve- « rè per peccatum fuerit antè captivus, ſicut ſcriptum eſt, « Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis. Per ipſum enim « renaſcimur ſpiritaliter, per ipſum crucifigimur mundo; ip- « ſius morte mortis ab Adamo omnibus nobis introductæ « atque tranſmiſſæ univerſæ animæ illud propagine contra- « ctum chirographum rumpitur, in quo nullus omnino na- « torum, ante quàm per baptiſmum liberetur, non tenetur « obnoxius. In his verbis Apoſtolicæ ſedis tam antiqua atque fundata, certa & clara eſt catholica fides, ut nefas ſit de illa dubitare Chriſtiano.

Iohan. 8. 36.

*Proſper in libro * contra Collatorem, cap. 10.*

* Vide infrà epiſtolam Cæleſtini ad epiſcopos Galliæ.

Sacroſancta beati Petri ſedes ad univerſum orbem papæ Zoſimi ſic ore loquitur: Nos tamen inſtin- « ctu Dei, (omnia enim bona ad auctorem ſuum referenda « ſunt, unde naſcuntur,) ad fratrum & coëpiſcoporum no- « ſtrorum conſcientiam omnia retulimus. Africani epiſcopi « ad eumdem papam Zoſimum reſcribentes, eumque in ſen-

» tentiæ hujus salubritate laudantes, aiunt: Illud verò quod » in litteris tuis, quas ad universos curasti esse mittendas, » posuisti, dicens, Nos tamen instinctu Dei, (omnia enim » bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur,) » ad fratrum & coëpiscoporum nostrorum conscientiam uni- » versa retulimus; sic accepimus dictum, ut illos qui contra » Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, di- » stricto gladio veritatis velut cursim transiens amputares. » Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quàm quòd uni- » versa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? Et ta- » men instinctu Dei factum esse, fideliter sapienterque vi- » disti, veraciter fidenterque dixisti. Ideo utique, quia præ- » paratur voluntas à Domino; & ut boni aliquid agant, » paternis inspirationibus suorum tangit ipse corda filiorum. » Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei: ut » nec nostrum sentiamus deesse arbitrium, & in bonis qui- » busque ac voluntatis humanæ singulis motibus magis illius » valere non dubitemus auxilium.

Prov. 8. sec. LXX. — Rom. 8. 14.

Ibidem, cap. 41.

AFRICANORUM conciliorum decretis beatæ recordationis papa Zosimus sententiæ robur adtexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit antistitum.

* EPISTOLA IMPERIALIS ad AURELIUM Carthaginensem episcopum.

* Epist. 201. al. inter Augustinianas tom. 2.

Imperatores HONORIUS & THEODOSIUS, AURELIO episcopo salutem.

DUDUM quidem fuerat constitutum, ut Pelagius atque Cælestius nefandi dogmatis repertores ab urbe Roma, veluti quædam catholicæ * veritatis contagia pellerentur; ne ignorantium mentes scæva persuasione perverterent. In quo secuta est clementia nostra judicium sanctitatis tuæ, quo constat eos ab universis justâ sententiæ examinatione esse damnatos: &c. Data V. Iduum Juniarum Ravennæ, * Monaxio & Plintâ consulibus. Eodem tenore etiam ad sanctum AUGUSTINUM episcopum data.

* al. militaris. * Anno Christi 419.

EPISTOLA AURELII Carthaginensis episcopi ad universos episcopos per Byzacenam & Arzugitanam provinciam constitutos, de damnatione Pelagii & Cælestii.

Dilectissimis ac desiderabilibus fratribus & consacerdotibus, DONATIANO primæ sedis, JANUARIO, FELICI, PALATINO, PRIMIANO, GAIANO, & alii GAIANO, JANUARIO, VICTORINO, & ceteris per tractum provinciæ Byzacenæ & Arzugitanæ constitutis, AURELIUS episcopus.

SUPER Cælestii & Pelagii damnatione, eorumque dogmatibus, participem se sancta dilectio vestra in plenario concilio fuisse commeminit, dilectissimi ac desiderabiles fratres. Sed quoniam pro honore Dei, in cujus manu cor regis est constitutum, gloriosissimorum principum Christianorum fidem rectam & catholicam custodientium accessit auctoritas, quam per humilitatem meam universis meis coëpiscopis voluit intimari: idcirco honorabilem fraternitatem vestram missis exemplaribus instruere festinavi; ne in aliqua parte provinciæ, suprà dictorum serpentina persuasio, ab universali Ecclesia totius orbis exclusa, fortasse subrepat. Ad hoc ergo tam necessaria constitutio Christianorum principum caritatem vestram latere non debuit, & ad me ab eis datæ litteræ vobis mitti debuere: quarum simul exemplaribus lectis, quemadmodum subscribere unusquisque vestrûm debeat, dilectio vestra cognoscat, sive quorum in synodalibus gestis subscriptio jam tenetur, sive qui non potuistis eidem plenario totius Africæ concilio interesse: quo cùm de suprà dictorum hæreticorum damnatione omnium vestrûm fuerit integrata subscriptio, nihil omnino sit, unde ullius dissimulationis, vel negligentiæ, vel occultæ forsitan pravitatis aliqua videatur meritò remansisse suspicio. Et aliâ manu: Opto, fratres, bene vivatis mei memores. Data Kalend. Augusti Carthagine, * Monaxio & Plintâ consulibus.

Prov. 21. 1. — * Anno Christi 419.

LIBELLUS FIDEI [a] S. J. C.

Scriptus, ut videtur, à Juliano & ad Apostolicam sedem missus * nomine episcoporum qui Pelagii ac Cælestii damnationi subscribere detrectantes provocant ad plenariam synodum.

* Fortè sub finem anni 418.

CREDIMUS *in Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium conditorem.*

Et in Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei vivi, per quem creata sunt omnia; non extrinsecùs natum aut factum, sed de Patris substantia generatum, ex Deo verum Deum: ut hoc sit ille qui genitus est, quod est ille qui genuit. Et quia Pater Deus sine ullo sibi patre, idcirco Filius de hoc Patre progenitus Patre inferior esse non potuit; non habens initium Filius, quia nec Pater profectum.

Credimus & in Spiritum-sanctum, Deum verum, ex Patre procedentem, æqualem per omnia Patri & Filio, voluntate, operatione, perpetuitate, substantiâ. Et distinguentes personas in proprietatibus nominum, Deitatem tamen Trinitatis inseparabilem confitemur: nihilque esse in Trinitate credimus, quod superius inferiusve dicatur; quia tota Trinitas potestate Deitatis & substantiæ unitate conjuncta est.

*In plenitudine verò temporum missus Filius Dei, non majoris imperio potestatis, sed communione voluntatis, fit Verbum caro: non ut per conversionem Deus esse desineret, sed per assumtionem carnis inciperet homo esse, quod non erat; & ut adscenderet ad Deum homo, Deus descendit ad hominem. Nascitur ergo nobis ex Spiritu-sancto & Maria semper virgine, qui secundùm Divinitatem numquam defuit Patri. Ex duabus igitur substantiis plenissimis atque perfectis, Dei & hominis, Jesum Christum Filium Dei accepimus, quem tam secundùm Deitatem Patri, quàm secundùm humanitatem nobis confitemur fuisse conformem, absque sola peccati macula, quæ naturalis non est. Illa videlicet ratione, ut universum mundum à peccatis, & * exemplo revocaret, & patiendo redimeret: dum peccatum, & quasi Deus ignoscendo aufert, & quasi homo per naturæ similitudinem quemadmodum de cetero vinci possit, ostendit.*

* Vide lib. de gratia Christi cap. 2. 25. 37. & 38.

*Incipiens à baptismate Johannis, quo baptizatus est, dandi exempli gratiâ, non sui, sicut quidam * volunt, caussâ peccati, sicut ipse ait ad Johannem, Sine modò, sic enim oportet implere omnem justitiam: subjecit se omnibus passionibus carnis, ferendo esuriem, sitim, lassitudinem, dolorem, mortem, & cetera hujusmodi: factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Secundùm quod nos beatus Petrus edocuit dicens, Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus; qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus.*

* Vide lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 12. Matth. 3. 15. — Philip. 2. 8. — 1. Petr. 2. 21.

Hunc igitur credimus ob nostram salutem secundùm carnem passum & sepultum, tertia die resurrexisse, & ut mortem destrueret, & ut nobis viam resurrectionis aperiret. Adscendens in cælos sedet ad dexteram Patris, humanitatis manente substantiâ, quæ non est exinanita, sed glorificata, & in æternum cum Deitate mansura. Quem venturum credimus ad vivos & mortuos judicandos. Cujus virtute & exemplo omnem humanam carnem in eadem membrorum veritate, quâ à Deo facta est, credimus suscitandam, ut & peccatores pœnas, & justi gloriam consequantur. Unam vitam sanctorum omnium fore; sed præmia pro labore diversa, & è contrario pro modo delictorum peccantium quoque esse supplicia.

Baptisma secundùm exemplum Ecclesiæ & præceptum Dei, unum fatemur, quod omnibus simul ætatibus necessarium veraciter & tradimus, & tenemus; & veniam peccatorum, ac

[a] In Veronensi codice, unde libellum Sirmondus eruit, nihil supererat tituli loco, præter quasdam evanescentium litterarum figuras, quas ille sic expressit I V L I. fortè pro *incipit libellus fidei:* quando quidem in fine legebatur, *Explicit libellus fidei S. J. C.* Hosce verò tres characteres postremos Garnerius interpretatur, *Siculorum:* fortè meliùs interpreteris, *Sacerdotum Jesu Christi.* Haud quaquam enim credere par est, Pelagianos antistites, quorum princeps Julianus fuisset, Italus nimirum episcopus, Siculos se dixisse.

regnum cælorum dicimus invenire neminem posse, nisi qui bap-
tismum fuerit consecutus. Eum qui post baptismum peccaverit,
per pœnitentiam credimus posse salvari.

Novum & vetus Testamentum recipimus in illo librorum
numero, quem catholicæ Ecclesiæ tradit auctoritas.

Divinæ legis mandata, ob Dei justitiam, possibilia dicimus;
& fatemur universa posse compleri per gratiam Christi, quæ
omnibus bonis actibus adjutrix semper & comes est, & per li-
berum arbitrium hominis, quod & ipsum donum Dei est.
Quam tamen gratiam Dei ita accipimus, ut nec sequatur no-
lentem, nec destituat obsequentem. Ut verò alter sit justus, al-
ter injustus, hoc non divina voluntate, sed vitio fieri arbitra-
mur humano. Diversitatem enim hanc negavit ex Deo esse,
1. Tim. 2. 4. qui dixit, quia Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad
agnitionem veritatis venire. Si ergo Deus vult omnes salvare,
Rom. 2. 11. & non est personarum acceptio apud Deum; justissimè per libe-
rum arbitrium imputabitur unicuique peccatum, secundum quod
Eccli. 15. 18. scriptum est, Ante hominem bonum & malum, vita & mors;
quod placuerit ei, dabitur illi. Consequens ergo est, ut confi-
teamur quòd peccatores ideo sumus, non quia non valemus, sed
quia negligimus vitare peccatum. Ideoque statuta judicii dies
est, ut & bonus de labore præmium capiat, & de contemtu
malus supplicium non evadat.

Naturam hominis bonam & integram, utpote à bono Deo
factam, esse testamur. Et omnem hominem à Deo fieri confi-
Genes. 30. 2. temur, dicente Patriarcha, Numquid pro Deo ego sum, ut dem
Isai. 64. 8. tibi filios? & sic Propheta nihilo minùs contestante: Et nunc
Domine Abraham, nescimus; tu enim es pater noster, & opera
manuum tuarum nos omnes. Unde & Deus ad Jeremiam dicit,
Jerem. 1. 5. Priùs quàm te formarem in utero matris tuæ, novi te. Item in
2. Mach. 7. 22. libro Machabæorum: Nescio, inquit, qualiter in utero meo ap-
» paruistis; neque enim ego spiritum donavi vobis, sed & singulo-
» rum membraturam non ipsa compegi. Job quoque & ipsum con-
Job 10. 10. cepti hominis exordium ad Deum refert, & sic ait: Nonne si-
» cut lac me mulsisti, & sicut caseum me coagulasti, ossibus &
» nervis inseruisti me, cute desuper operuisti me, vitam & mi-
» sericordiam dedisti mihi? Sed & omnes divinæ scripturæ hu-
jusmodi testimoniis sunt refertæ, quæ nunc causâ brevitatis omi-
simus. Ad imaginem quoque Dei non solùm factum hominem,
Gen. 9. 6. sed & fieri confitemur, dicente Domino ad Noë: Qui effuderit
» sanguinem hominis, pro sanguine illius effundetur sanguis ejus,
» quia ad imaginem Dei fecit hominem. Et Paulo apostolo simi-
1. Cor. 11. 7. liter asserente: Vir autem non debet velare caput, quoniam
imago & gloria Dei est. Jacobo quoque apostolo proclamante:
Jacob. 3. 9. In ipsa lingua benedicimus Deum, & in ipsa maledicimus ho-
mines, qui ad imaginem & similitudinem Dei facti sunt.

Nuptias Deo auctore dicimus esse conditas atque conjunctas,
Genes. 9. 7. dicente Deo ad Noë: Vos autem crescite, & multiplicamini, &
» implete terram. Et ne quis allegoriæ nebulis simplicem obum-
brare velit historiam, adjecit, Et multi estote super eam. Un-
de & Dominus in Evangelio Judæis de repudio interrogantibus
Matth. 19. 8. respondit: Moyses propter duritiem cordis vestri scripsit vobis
» præceptum hoc: ab initio autem non fuit sic. Qui enim fecit,
Marci 10. 5. » masculum & feminam fecit eos, & dixit, Propter hoc relinquet
» homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt
» duo in carne una. Et ne quis errantium diceret, Usurpandum
id prædixit potiùs, quàm præcepit; addidit, Quod ergo Deus
conjunxit, homo non separet. Sanctus quoque Apostolus Chri-
Hebr. 13. 4. sti magisterium sequens dicit, Honorabile connubium & thorus
immaculatus; fornicatores autem & adulteros judicabit Domi-
1. Cor. 7. 38. nus. Et alibi: Qui dat virginem suam nuptum, bene facit; &
qui non dat, meliùs facit. Hinc enim laudanda virginitas est,
quia nuptiis, quæ bonæ sunt, præfertur: propria enim dignitate
caret quidquid mali comparatione laudatur.

Quoniam igitur præmisimus de bono naturæ, & benedictio-
ne, & honore conjugii, consequenter renuimus naturale pecca-
tum, vel si quo alio vocabulo nuncupatur; ne creatori Deo om-
nium irrogemus injuriam, dum aliquid ab illo cum peccato fieri
potuisse contendimus; & testimonia Scripturarum ejus falsita-
Jerem. 31. 30. tis arguamus, quæ dicunt in veteri Testamento: Non morientur
» patres pro filiis, & filii non morientur pro patribus; singuli
Ezech. 18. 2. pro suo delicto morientur. Et alius Propheta: Quid vobis pa-
» rabola ista in terra Israël, dicentibus, Patres manducaverunt
» uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt? Vivo ego, di-
» cit Dominus, si ampliùs dicetur parabola hæc in Israël, quo-
» niam omnes animæ meæ sunt; quemadmodum anima patris,
» ita & anima filii, omnes meæ sunt; anima quæ peccaverit,
Ibidem 20. » ipsa morietur. Item illic: Filius non accipiet injustitiam patris

A sui, nec pater accipiet injustitiam filii sui, justitia justi super «
ipsum erit. Item illic: Unumquemque secundum viam ipsius ju- Ibid. 30.
dicabo vos, domus Israël, dicit Dominus. Et Apostolus: Om- 2. Cor. 5. 10.
nes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat «
unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive «
malum. Item idem: unusquisque nostrûm pro se rationem red- Rom. 14. 12.
det Deo. Et alibi: Unusquisque nostrûm suum onus portabit. Gal. 6. 5.

Sanctos autem veteris Testamenti à Deo justificatos, & ejus
judicio sæpe laudatos accusare non possumus, dicente Apostolo:
Quis accusabit adversùs electos Dei? Deus qui justificat, quis Rom. 8. 33.
est qui condemnat? & Domino in Evangelio contestante: Ex- « Matth. 23. 35.
B quiretur à vobis omnis sanguis justus, qui effusus est super ter- Lucæ 11. 50.
ram, à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ. Un-
de & in alio loco ipse Dominus cùm Prophetarum exemplo
Apostolos ad patientiam roboraret: Gaudete, ait, & exsultate, Matth. 5. 12.
quia merces vestra magna est in cælis; sic enim persecuti sunt «
& Prophetas, qui fuerunt ante vos. Quodque his majus est, «
deos illos à David propheta dictos suo testimonio comprobavit,
dicens, Ergo si illos dixit deos ad quos sermo fiebat Dei, & Johan. 10. 35.
non potest solvi scriptura; quem Pater sanctificavit, & misit «
in hunc mundum, vos dicitis, Blasphemas; quia dixi, Filius «
Dei sum. Constat namque eos per laborem proprium & Christi «
C fidem justificatos, si quidem præviderunt Deum in carne esse
venturum; sicut Dominus ipse asserit dicens, Abraham pater Johan. 8. 56.
vester exsultavit ut videret diem meum, & vidit, & gavisus
est. Et Apostolus ait: Et hi omnes testimonio fidei probati Hebr. 11. 39.
sunt. Et iterum: Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium Ibid. 24.
filiæ Pharaonis, eligens affligi cum populo Dei, quàm tempo- «
ralis peccati habere jocunditatem, majores existimans divitias «
thesauro Ægyptiorum improperium Christi, adspiciebat enim «
in remunerationem. Unde & alius Apostolus: De qua, in- 1. Petr. 1. 11.
quit, salute inquisierunt, qui ante nos fuerunt, quæ Prophetæ «
scrutantes, in quod vel quale tempus annuntiaret eis Spiritus «
D Christi eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias. «
Regnum quoque illos adepturos cælorum ipse Dominus probat,
cùm dicit: Multi venient ab Oriente & Occidente, & recum- Matth. 8. 11.
bent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cælorum; filii «
autem regni hujus mittentur in tenebras exteriores. Igitur eli- «
gimus dicere cum Propheta, Mihi autem nimis honorificati sunt Psal. 138. 17.
amici tui, Deus, nimis confortati sunt principatus eorum: quàm «
cum errantibus, & sanctorum meritis & testimonio Dei ore te-
merario derogare.

His omnibus secundùm regulam fidei catholicæ, & auctorita-
tem divinarum scripturarum rite confessis, consequenter omnes
E hæreticos condemnamus: & præcipuè qui apud Latinos tam no-
mine proprio quàm errore comperti sunt, quosque impietate suæ
assertionis horremus, id est, Arianos divinam substantiam im-
piè dividentes. Sabellianos personarum proprietatem sceleratiùs
confundentes: Eunomianos Filium Dei factum ex nullis exstan-
tibus asserentes: Macedonianos Deitatem sancto Spiritui dene-
gantes: Apollinaristas, eorumque similes, qui dicunt Dei Fi-
lium minùs aliquid humanæ suscepisse naturæ: Novatianos lapsis
pœnitentiam denegantes: Jovinianistas, qui dicunt hominem
post baptismum nullo modo posse peccare: Manichæos etiam duo
principia asserentes, id est, boni & mali; quique ex bono di-
cunt esse animam, ex malo verò carnem, & ob hoc compugnan-
F tia semper esse in utramque naturam. Eorum quoque similes,
qui sub assertione naturalis peccati asserunt, nuptias ab auctore
diabolo exstitisse, & illarum filios diabolicæ esse arboris fructus.
Quique dicunt usque ad passionem Domini omnes, propter id,
quod matrimonii voluptate suscepti sunt, à diabolo jure æquis-
simo esse possessos. Vel qui Filium Dei à tempore passionis tan-
tummodo generi humano dicunt cœpisse prodesse. Quique asse-
runt in baptismo non penitus peccata deleri. Vel sanctos vete-
ris Testamenti cum peccato de hac luce migrasse confirmant. Qui
etiam dicunt, hominem in peccatum necessitate præcipitari. Sed
& illud similiter exsecramur, Salvatorem * necessitate carnis * Vide lib. 5. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 6.
fuisse mentitum; & quòd propter impedimentum carnis non om-
G nia potuerit facere, quæ volebat. Quique primas nuptias cum
Manichæis, secundas cum Cataphrygis damnant. Qui etiam,
nec cum gratia Dei dicunt peccata posse vitari.

Sed & si quis dicit homines sine Dei gratia vel adjutorio
posse peccata vitare, graviter detestamur. Vel qui negat par-
vulos baptismo indigere, aut aliis sacramenti verbis asserit,
quàm in majoribus, debere celebrari. Si quis etiam dicit de
duobus baptizatis natum, vel de muliere baptizata pronatum
baptismatis gratiâ non egere. Vel quicumque asserit, quod ne-
que per Adam omne genus hominum moriatur, neque per Chri-
stum

stum omne genus resurgat. Vel si qua sunt alia, quæ vel contra fidem catholicam veniant, vel ad indisciplinatas pertineant quæstiones, simili exsecratione damnamus. Hæc autem omnia de quibus nunc agitur, id est, quæ in fine damnavimus, ipsi etiam de quibus ista jactantur, falsò sibi objecta testantes, libellis propriis damnaverunt.

*Hæc, ut nobis secundùm catholicam regulam visum est, vestræ sanctitati conscripta transmisimus: quæ si aliter putatis tenenda, rescribite: sin autem contradici istis non potest, & tamen aliquis voluerit contra nos scandalum concitare, certa sit sanctitas vestra nos ad * audientiam plenariæ synodi provocare.*

* Vide lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8.

Illud autem sanctitatem vestram specialiter admonemus, ne ad vestram reprehensionem factum putetis, quòd sic absentum damnationem ob Dei timorem subscribere non audemus, docti per Scripturas, humanam voluntatem præceptis Dei non debere præferri, dicentis: Non credes auditui vano, nec consenties cum iniquo fieri testis injustus. Et ne multitudini quis credendum putaret adjunxit: Non eris cum pluribus in malitia. Et iterum: Priùs quàm interroges, ne vituperes quemquam. Et iterum: Quæ viderunt oculi tui loquere. Item in Evangelio: Nolite judicare, ut non judicemini; nolite condemnare, ut non » condemnemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabitur » de vobis; & qua mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis. Item in alio Evangelista etiam Judæi fatentur, quòd lex nostra non judicet hominem, nisi ab ipso audierit & cognoverit quid faciat. Et in Actibus Apostolorum per gentiles Festi similes prolata sententia est, quòd non sit consuetudo Romanis damnare aliquem, priùs quàm qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluendum crimina. Unde & sanctus apostolus Paulus judicandi regulam episcopis sanciens ait, Adversùs presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. His igitur & ceteris testimoniis confirmati metuimus in absentum & nobis inauditorum capita dictare sententiam, nisi cùm præsentes fuerint confutati. Quamvis igitur sacerdotalis officii sit, & Christianæ caritatis, eos qui se libellis purgant, catholicos confitentur, & damnabilia sibi objecta condemnant, libera auctoritate defendere, & in dubiis rebus de unoquoque meliora sentire: tamen dudum promissam æqualitatis libram mediam inter utrumque servantes, nec damnamus inauditos, nec defensamus absentes. Certum sit igitur apud sanctitatem vestram, quia quantumlibet hoc mare ventis flantibus intumescat, & amaris in nos fluctibus efferatur, numquam integri judicii domum, quæ supra justitiam Christi fundata est, poterit commovere.

Exod. 23. 1. sec. LXX. — Ibidem. — Eccli. 11. 7. — Matth. 7. 1. — Joan. 7. 51. — Act. 25. 16. — 1 Tim. 5. 19.

*Illud etiam, sancte ac venerabilis frater & pater * Augustine, necessariò repetendum putavimus, quod beatæ memoriæ episcopum Johannem in epistola sanctitatis tuæ rectissimè collaudasti, non solùm non destruxisse Ecclesias, sed etiam confirmasse. Is namque ad Neophytos in libello quid de baptismate infantium sentiret, ipsius verbis subdidimus; ut etiam vos, ô * sancte frater, prædicti viri super hac re sententiam cognoscatis. Bene- » dictus Deus, inquit, iterum dicamus, qui fecit mirabilia solus; » qui fecit universa & convertit universa. Ecce libertatis sereni- » tate perfruuntur, qui tenebantur paulò antè captivi; & cives » Ecclesiæ sunt, qui fuerant in peregrinationis errore; & justitiæ » in sorte versantur, qui fuerant * in confusione peccati. Non enim » tantùm sunt liberi, sed & sancti; non tantum sancti, sed & » justi; non solùm justi, sed & filii; non solùm filii, sed & » heredes; non solùm heredes, sed & fratres Christi; non tantùm » fratres Christi, sed & coheredes; non tantùm coheredes, sed & » membra; non membra tantùm, sed & templum; non tantùm » templum, sed & organa spiritûs. Benedictus Deus, qui fecit » mirabilia solus. Vides quot sint baptismatis largitates. Et non- » nullis quidem videtur cælestem gratiam in peccatorum tantùm » remissione consistere: nos autem honores computamus decem. » Hac de caussa etiam infantulos baptizamus, cùm non sint coin- » quinati peccatis; ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, » hereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint, ut Spiri- » tûs inhabitatio fiant.*

* Videtur corrig. Zosime.

* al. ô sancti fratres.

Joan. Chrysostom. homil. ad Neophytos.

* al. confessione.

Hæc igitur divinis & sacerdotalibus exemplis edocti, vestræ suggessimus sanctitati. Vestrum est, considerato judicio Dei, omnia diligenti examinatione perpendere: ut pax, quam nos à Christo Domino commendatam servare suscepimus, nullo scandalo interveniente solvatur.

A

De Juliano episcopo Eclanensi, Pelagianæ hæresis defensore,

Gennadius in libro de scriptoribus Ecclesiasticis, ad veterem codicem Corbeiensem castigatus.

Julianus vir acer ingenio, in divinis scripturis doctus, Græcâ & Latinâ linguâ scholasticus. Priùs ergo
B quàm impietatem Pelagii in se aperiret, clarus in doctoribus Ecclesiæ fuit: postea verò cùm hæresim Pelagii defenderet, scripsit adversùs beatum Augustinum impugnatorem illius libros quatuor: & iterum libros octo. Est & * liber altercationis amborum partes suas defendentium. Hic Julianus eleemosynam tempore famis & angustiæ indigentibus prærogans, multos miserationis specie, præcipuè religiosorum, inliciens, hæresi suæ sociavit. Moritur Valentiniano Constantii filio imperante.

* *Ipsum est Augustini opus imperfectum, quo refellit sex priores ex suprà dictis libris octo Juliani.*

C *Mercator in commonitorio * subnotationum in scripta Juliani.*

* *Vide exordium suprà pag. 63.*

Hæc atque ejusmodi [capitula Pelagiana] etiam Juliano, & ceteris ejus commanipularibus placuere: quæ cùm cognita atque detecta, ecclesiasticâ fuissent cum præfatis personis [Pelagio & Cælestio] auctoritate damnata, librorum quoque numerositate ab eodem Juliano defensa sunt, placuitque ei cum Pelagio & Cælestio in damnatione tertium numerari.

Tunc contra pueriles ausus ejus sanctæ recordationis Augustinus episcopus diversis temporibus diversos condi-
D dit libros, ex quibus omnibus Julianus unum * de duobus primo tempore ad Valerium editis elegit, cui quatuor libris à se ad Turbantium absolutis contradiceret: sequenti verò uni octo * ultimis voluminibus ad Florum emissis respondisse se jactat; fingens multos ejus sancti viri super hac re alios elaboratos penitus ignorare. Quibus octo ultimis horrida loquacitate evagatus, disertum se magis ostentare & sciolum volens, post innumerabilia conviciorum probra, quæ in sanctum suprà dictum virum est jaculatus, hæc impudenter, immo jam impiè defendere ausus est, quæ à Pelagio Cælestioque eum in perniciem suam didi-
E cisse superiùs memoravimus: quamquam, sicut jam prioribus quatuor libris, eadem & semper eadem volvens, & nullum prudenter inveniens exitum, injuriis & contumeliis magis membranas seu chartas, quàm ullâ fidei rectâ ratione complevit. Et cùm hæc summâ brevitate & scripturarum sanctarum atque divinarum auctoritate esset quæstio pertractanda, plurimam sibi distortam & omnino non necessariam loquacitatis conscripsit materiam, de qua & impia cuderet, & prorsus ageret nihil. Nihil enim agit, qui impietati operam navat.

* Juliani opus primum libros quatuor continens scriptos contra librum 1. de nuptiis & concupiscentia.

* Opus ejusdem postremum librorum octo contra librum 2. de nuptiis.

Sanctus tamen sæpe dictus episcopus Augustinus * sex
F suis libris quatuor illius priores evertit, octo quoque posteriores singulis * responsionibus suis ad singula capitula subjectis, ac sic vanos ejus ac plumbeos pugiones malleo catholicæ veritatis obtudit, immo confregit. Quod utriusque opus cùm in nostras manus venisset, quia tota summa inepti & magis impii Juliani laboris ad unam pravam redigi videtur sententiam, *Adæ videlicet & Evæ transgressionem eos non fecisse mortales; nec noxam eorum ad posteros originaria successione transisse, sola autem imitatione illorum qui divina mandata contempserit, effici reum*: hoc ergo, ut dixi, totum opus cùm studiosiùs perlegissem, breviter pro nostrarum virium facultate subnotationibus ex libris ejus,
G ubi ubi oportunitas exegit, appositis, ego quoque respondi: quò lector post tanti patris & magistri tubam, nostram etiam palearem fistulam non aspernatus assumere, totâ intelligat brevitate Julianum in elaborandis numerosissimis libris inanem & plenam potiùs jactantiæ cum summa impietate operam impendisse: &c.

* Augustini opus primum contra Julianum.

* Opus secundum contra eumdem, quod reliquit imperfectum.

Tune sanctæ ac beatæ recordationis Memoris episcopi filius? Tu Julianæ primariæ feminæ, & qua nihil honestius inter reverentissimas matronas invenias, utero editus? Absit, absit, ut tibi istud credere ausim. Vernulatum te

eorum potiùs crediderim filium, suppositumque illis, ut sæpe dicitur factum, & quod tu potiùs tantâ oris tui petulantiâ & obscænitate approbas: aut si id non erit, degenerasse illos in te, nulli dubium erit, qui sanctos illorum hominum mores, sanctam vitam, institutumque noverunt, tuumque sermonem in scriptis hisce prudenter inspexerint. Quorum sanè post obitum sanctorum hominum meritò tu duas sorores tuas talibus disciplinis tui oris erudisti. Novimus, novimus quid tibi una earum, cùm tu nimis severus in ejus ruinam pudoris insurgeres, objecerit, vel exprobraverit; atque tu mutus illico non ausus es ulteriùs censuræ tuæ ullas dolori ejus inferre molestias. &c.

Audi nunc & tu, & qui me & te dignanter habuerint legere, quid contra hunc sensum tuum impiissimum, pravissimum, impudentissimum, petulantissimum, quæ olim ipse pronuntiaveris, in epistola videlicet tua, quam ad sedem Apostolicam illo tempore ausus es mittere, quando conventus detrectasti cum universa Ecclesia per totum orbem Pelagium Cælestiumque damnare; quæ ante quàm in manus sanctæ illius Romanæ Ecclesiæ veniret antistitis, te agente à nonnullis à te deceptis per totam penè Italiam circumlata est, & tamquam magnum aliquid multorum auribus insinuata cognoscitur. Ibi namque inter cetera ita ais: *Qui est igitur assertor, quòd neque per mortem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat, contra Apostolum sentit dicentem, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* Hîc qua fraude & quo dolo quos *omnes* dicas & sentias, novimus & tenemus, videlicet non omnes omnino homines, hoc est, totum genus humanum, sed hos omnes qui imitatores Adæ esse voluerint: & *per resurrectionem Christi*, quod ille Apostolus dixit, *omnes resurrecturos*, similiter sine dubio dicas necesse est, non omne prorsus genus humanum resurrecturum esse, sed tantummodo justos & sanctos, qui Christi justitiam & sanctitatem fuerint imitati; cùm constet omnes omnino resurrecturos esse per Christum, quamvis alios ad regnum, alios ad judicium.

Epistola Juliani ad sedem Apostolicam missa post Pelagii & Cælestii damnationem toto orbe receptam anno Christi 418.

Et addis: *Jure igitur improbatur, qui huic sententiæ contradicit, quæ ait, Per hominem mors & per hominem resurrectio mortuorum. Item, Quòd peccatum Adæ ipsum solum læsit, & non genus humanum. Et hæc sententia*, inquis, *à nobis meritò refellitur. Non enim soli ipsi, sed generi humano obfuisse credendum est.* Et hîc quid agas, salvo tibi, ut putas, sensu tuo pravissimo & tortuosissimo, latere nos non potuisti: quia ipsi, ut vis docere, quamvis pauci in comparatione totius generis, humanum sunt genus.

Item, *Quòd infantes*, inquis, *in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem, inter indisciplinatas*, ais, *reputo quæstiones. Non enim per omnia in eo statu sunt, qui nascuntur hodie, in quo Adam fuit ante peccatum; quamvis & istos opus Dei esse, sicut & ille, negari non possit.* Quem & hîc statum dicas & sentias, salvo ut arbitraris tibi sensu tuo optimè novimus, non Adæ videlicet ante peccatum, sed exiguitatis & parvitatis in qua nascuntur infantes. &c.

Item subnectis, *Adam etiam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus: nec hoc esse* dixisti *ratione subnixum. Credendum est enim*, inquis, *immortalem quidem factum, sed qui si non peccasset, per gustum ligni vitæ virtutem posset immortalitatis adipisci.* Malè igitur dictum est, *sive peccaret, sive non peccaret, fuisse moriturum.* &c.

Meminimus enim, tempore quo præsens in urbe Roma cum * principibus hujus amentissimi erroris tui in nonnullis simplicioribus Ecclesiam ventilabas, qualiter interrogabas: *Quid est peccatum*, inquiens, *malumne aliquid, an bonum?* Malum utique, respondebatur tibi. Ad hæc addebas: *Deusne hujus mali auctor & opifex?* Absit, absit, exclamatur tibi; longè, quàm longè sit ista dementia: hoc nec impiissimus profiteri ausus est Manichæus, qui mali auctorem Deum non sentit nec profitetur, sed id proprium habere à sempiterno principium, propriam essentiam, propriamque naturam scelestissimè flagitat; ubi mox tunc ipse quærendum esse dicebas, utrùm peccatum substantia esset, an natura, an res aliqua accidens. Ubi cùm paululùm hæreret Christiana simplicitas, taliter inferebas: *Peccatum nullo modo posse esse substantiam vel naturam: quia si hoc est*, aiebas, *Deum habet opificem & auctorem. Nulla enim est natura, quam non condidit Deus. Sed quia suprà constitit aucto-*

* *Rigberius*, participibus.

A *rem Deum mali non esse; non est ergo substantia vel natura peccatum, quod malum esse apertissimè claruit. Et quod substantia non est*, inquis, *in substantiam seu naturam, quod homo est, transire nullo jure, nulla ratione credendum est.* Atque concludebas: *Malè igitur & stultè traducianum ex Adam creditur esse peccatum.* &c.

In epistola tua, quæ, ut memoravimus, ad sanctæ memoriæ papam Zosimum missa est, displicet tibi, eumque condemnas, qui sentit, *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus*; & ais, *nec hoc esse ratione subnixum. Credo enim esse*, inquis, *immortalem*
B *quidem factum, sed qui si non peccasset, per gustum ligni vitæ posset virtutem immortalitatis adipisci.* Adjungis etiam, *jure improbandum, qui prædicanti Apostolo contradicit dicenti, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita omnes in Christo vivificabuntur.* Moxque hoc aliud testimonium subdis, *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Quæ cùm simplex Christianus audit, nihil doli, nihil credens afferri fallaciæ, more quo ab Apostolis doceri solita est Ecclesia, optimum & suum arbitratur magistrum, intentusque ad reliqua ejusdem Apostoli, quæ in hac caussa prosequeris, audienda decernit. At tu aliud clausum in pectore, aliud
C promtum habens in lingua, novus atque egregius disputator, id nunc in isto opere tuo post tam longum tempus elaborato in Cilicia ingeris. Necessaria igitur capituli repetitione, quid mari exarato & Oriente lustrato novum inauditumque inde adtuleris, denuo perscrutemur. * *Intravit igitur*, inquis, *secundùm Apostolum, per unum hominem peccatum in hunc mundum, & per peccatum mors: quoniam illum & reum, & damnationi mortis perpetuæ destinatum mundus adspexit.* &c. Legentibus te igitur, sed Christianis & prudentibus, quid de vanitate tua sentire debeant permittamus. Quis enim te in superiore sententia tua vel suspicari posset aliud sentire, quàm illi omnes, qui sanctæ
D memoriæ papa Zosimo præsidente Dei sacerdotes Pelagium Cælestiumque, teque damnarunt, super his omnibus de Adam capitulis, quæ à te antea improbata sunt & condemnata, & nunc tamquam recollecta & recondita, in fidem tuam recipi meruerunt. &c.

* *Vide lib.* 2 *operis imperf. cap.* 66.

Ejusdem Mercatoris præfatio ad refutationem symboli à Theodoro Mopsuesteno editi.

E GRæcus sermo Theodori est, quondam episcopi
oppidi Mopsuesteni, provinciæ Ciliciæ. Hunc ergo,
pro facultate qua valeo, in latinum sermonem verbum de
verbo transferre conatus sum; pravum ejus de dispensa-
tione Dominica & à fide catholica alienum ac satis ex-
torrem sensum, quo Nestorium Constantinopolitanæ urbis
quondam episcopum secum malè decepit, latinis volens
auribus insinuare, cavendum modis omnibus, non sequen-
dum. Simul admonere volens, Julianum exepiscopum op-
pidi Eclanensis, hæreticum Pelagianum seu Cælestianum,
hunc secutum esse Theodorum, ad quem peragratis terris
& exarato mari atque Oriente lustrato, cum sociis & par-
F ticipibus & συνταλαιπώροις suis, magno nisu, tamquam ad
Christianorum dogmatum prædicatum magistrum tetendit,
ut de hæresi Pelagiana seu Cælestiana, quam defenden-
dam & sequendam suscepit, ab ipso confirmaretur; atque
inde velut instructior, octo contra fidem catholicam po-
tiùs, quàm contra sanctæ memoriæ Augustinum, volumina
illa, ut putat, prudentissima conderet. Agnoscat igitur su-
prà dictus Julianus ex hac translatione, si legere non fastidie-
rit, manente apud memoratum Theodorum illa, qua eum
diximus mala fide secum Nestorium decepisse, etiam sibi ma-
gis suoque dogmati, de quo malè turgidus & malè sanus
libros confecit, esse contrarium; seque etiam post de Ci-
G licia abscessum ab eo in episcoporum provinciæ suæ con-
ventu anathemate esse damnatum. Non itaque irascatur
vel succenseat nobis, si eum cum Theodoro, cujus in li-
bris suis infinitas laudes exsequitur, cujusque se niti au-
ctoritate sententiæ in suo errore gloriatur, alienum à fide
catholica esse justéque damnatum detegimus, convincimus
atque deflemus; quia magis deflendus est, quàm ullo odio
persequendus.

Juliani sententiæ
Expressæ ex ejus opusculis, cum illarum refutatione.

Venerabilis Beda *presbyter in præfatione libri 1. in Cantica canticorum.*

Caput I.

Scripturus, juvante gratiâ supernâ, in Cantica canticorum, primò admonendum putavi lectorem, ut opuscula Juliani * Celanensis episcopi à Campania, quæ in eumdem librum confecit, cautissimè legat: ne per copiam eloquentiæ blandientis, in cœnum incidat doctrinæ nocentis: sed, ut dici solet, ita carpat botrum, ut & spinam caveat, id est, in dictis ejus sanos sensus scrutetur & eligat, ut non minùs vitet insanos. Vel potiùs illud faciat Maronis, Qui legitis flores, & humi nascentia fraga, Frigidus, ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba. Hoc est, ab ejus se per omnia lectione compescat, cùm habet eos, qui eumdem librum & sanis sensibus, & simplicioribus verbis exposuerunt. Est enim homo, ut rhetor peritissimus, ita gratiæ Dei post Pelagium impugnator acerrimus: ut apertiùs scripta ejus, quibus contra strenuissimum ejusdem gratiæ propugnatorem Augustinum insanivit, ostendunt. Cujus caussâ duelli, primùm *de amore* libellum composuit, sub obtentu, quasi hunc à fœdissima foret voluptate secreturus, re autem vera suam confirmaturus hæresim: qua (ut breviter plura constringantur) docet, *nos per arbitrium liberæ voluntatis, posse bona facere quæ volumus, quamvis per auxilium gratiæ Dei faciliùs ea perficere queamus:* quomodo viantes, iter & pedibus quidem peragere valemus, sed minore (absque dubio) labore cùm nobis equi quibus vehamur adfuerint. Immemor apostolicæ admonitionis, qua dicit: Cum metu & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in nobis & velle & perficere. Et quod est gravius, impugnator ejus, qui non ait, Sine me modicum quid potestis: sed, Sine me, inquit, nihil potestis facere.

* Eclanensis.

Philip. 2. 12. & 13. — Joan. 15. 5.

Docet, *Clausa legis sacramenta solos intueri posse eos, quos oculatos & eruditio reddidisset, & pietas:* oblitus gratiæ Dei, quæ etiam illitteratis & idiotis Scripturarum arcana revelavit: dicente Evangelista, Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. Quos idiotas fuisse testatur idem Evangelista, cùm ait, Videntes autem Petri constantiam & Johannis, & comperto quòd homines essent sine litteris & idiotæ, admirabantur.

Luc. 24. 45. — Act. 4. 13.

Dicit, *Sanctum nobis ac generosum amorem, ab ipso lucis exordio, naturâ conciliante insitum, & ad ultimam usque senectutem solis viribus animi innixum, sine ullo damno sui persistere vigoris:* incredulus profectò Domini sententiæ, Quia sine illo nihil possumus facere: sed & apostolici sermonis, Quia in multis offendimus Deum omnes. Et mirum, ubi didicerit Julianus, *Sanctum nobis ac generosum amorem, ab ipso lucis exordio naturâ conciliante insitum:* cùm natus de Patriarcharum stirpe Apostolus dicat, Fuimus & nos aliquando naturâ filii iræ. Quomodo autem naturâ, nisi quia peccante primo homine ac sanctum deserente amorem, vitium pro natura adolevit? Mirum, ubi invenerit, vel inveniri posse putaverit Julianus hominem, saltem unum, in quo *amor sanctus, solis animi viribus innixus, usque ad senium sine damno sui persisteret vigoris:* cùm ille qui præ amore præcipuo dignus erat in sui Conditoris sinu recumbere, inter eos qui ejus gratiâ fruuntur, invenire potuit nullum; quin potiùs humili confessione testatus sit, Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

Joan. 15. 5. — Jacob. 3. 2. — Ephes. 2. 3. — 1. Johan. 1. 8.

Dicit, *Amorem nostrum, sicut de corpore trahere quod est perturbatus & rapidus, ita de animo, quòd sit sublimis atque continuus.* Quod etiam utrumque veritati probatur esse contrarium. Si autem *amor noster de corpore* & non de animo potiùs *traheret, quòd est perturbatus & rapidus;* non diceret Dominus, Ab intus enim de corde hominum cogitationes malæ procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. Omnia autem

Matth. 15. 19. & Marc. 7. 21.

A mala abintus procedunt, & coinquinant hominem. Et rursùm, si noster amor, non de quotidiana Dei gratia, sed de *natura* vel *viribus animi haberet ut esset sublimis atque continuus*, non diceret Apostolus de suis sanctis laboribus, quibus utique per amorem sublimem atque continuum insistebat, Sed abundantiùs illis omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum. Et iterum, Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Sed etsi non à Domino, verùm à se ipso bona sua opera, in quibus absque ulla contradictione amor sublimis atque continuus arcem B tenet, habebat, frustra Domino pro his, quæ non dedit, gratias egit, dicens, Deo autem gratias, qui nos semper triumphat in Christo Jesu.

1. Cor. 15. 10. — 2. Cor. 3. 5. — 2. Cor. 2. 14.

Dicit, *Eumdem, quamdiu nihil de genitalitatis voluptate desiderat, quasi ad solius animi moveri arbitrium, & in actibus suis habere jocunditatem, ut perturbationis immunem, ita etiam libertate gaudentem.* Quod est apertè dicere, quia exceptis quæ ad carnis stimulos pertinent, in arbitrio sit animi nostri situm, cui se amori, vel quantum subdiderit, quódque idem amor, solo animi motu dispensante, id est, nullâ Dei gratiâ actus, operum quoque bonorum perfe- C ctionem liberam, & nulli obnoxiam perturbationi possideat. Quod quantum à vero distet, patenter quisque prudens intelligit. Quare enim tanta multitudo fidelium diligere quærens Conditorem, ex toto corde, tota anima, tota virtute, & proximum quemque ut se ipsum, non semper hoc quod cupit obtinet, nisi quia amor idem non ad animi movetur arbitrium, ut Julianus existimavit, sed ut novit Paulus, caritas Dei diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis? Ideoque non æqualis est in omnibus, quia habemus singuli donationes gratiæ, quæ datæ sunt, differentes. Quare autem tantis sæpe, non solùm de foris, sed & de ipsa mente nascentibus D præpedimur adversis, nec omnia quæ desideramus bona valemus perficere, nisi quia fallitur, qui dicit, *Amorem nostrum pro solo animi arbitrio, in actibus suis habere jocunditatem ut perturbationis immunem, ita etiam libertate gaudentem?* Verum canit Psalmista, qui ait, A Domino gressus hominis dirigitur, & viam ejus cupit nimis. Cùm ceciderit justus non conturbabitur, quia Dominus confirmat « manum ejus. Ubi apertè designat, quia nec intra crebra « Dominicæ protectionis auxilia à perturbatione vitiorum esse valemus immunes; neque in omnibus actuum nostrorum gressibus, de naturæ libertate, sed de divina debemus directione gaudere. Frustra autem Julianus, *genitalem* E vult exceptam *voluptatem, quæ sola ad animi nostri non moveatur arbitrium:* quasi non iracundiæ, vel superbiæ, philargiriæ, gastrimargiæ, cenodoxiæ, ceteraque hujusmodi rabies, multo laboriosiùs quàm libidinis incentiva devincantur. Quæ & ante tempora pubertatis nostrum animum perturbatura adveniunt; & edomitâ sæpe vel per naturam cessante libidine nihilo minùs ipsa nos impugnare non cessant.

Amor Dei est ex Deo. Matth. 22. 37. & 39. — Rom. 5. 5. — Psal. 36. 23. & 24.

Caput II.

Dicit, *Adjutorium sancti Spiritus præcedentibus nostris studiis ac meritis dari, atque ad hoc dari, ut genus humanum artiùs diligamus.* Quod ipsius verbis ponere per ordinem li- F buit. *Cùm igitur,* inquit, *sapientis animus, qui voluptatem subjicit dignitati amoris, & incitat & ordinat appetitum, numquam fines transit officii, sed ad eam magnitudinem atque pulcritudinem studiis procedit ac meritis, ut generosum ejus ignem gratia sancti Spiritus incipiat ventilare: tunc fit illa caritas, quæ non propinquos solùm aut cives, sed ipsum genus humanum gremio suo conatur amplecti.* In qua una sententia quot & quantæ sint blasphemiæ, facilè catholicus lector animadvertit. Patet enim quid humanæ arbitrio libertatis, quid gratiæ tribuat spiritali: quia animum hominis per G se sapientem fieri, per se dignitatem sancti & generosi amoris habere, per se huic amori voluptatem subjicere carnis, per sese & incitare ad virtutes, & ordinare appetitum posse testatur; in tantum, ut numquam fines transeat officii illius, quo idem amor excolendus est. Qui ipsum animum suis studiis ac meritis, ad eam magnitudinem ac pulcritudinem procedere dicit, ut sancti Spiritus sit dignus auxilio. Cujus videlicet Spiritûs adventu, non ita ait juvari animum, quomodo flamma vel fax, cùm accenditur, caliginosam juvat domum quam illustrat; sed ita potiùs, quomodo ardentem, sive lucentem ventus juvat ignem

ut ampliùs clareſcat: qui quidem & ſine afflatu venti accendi atque ardere, ac magnam conſumere ſilvam poterat: ſed tamen vento impellente, magis magiſque flammeſcit. Hoc enim ſignificat dicendo, *ut generoſum ejus ignem gratia ſancti Spiritus incipiat ventilare.* Tanta animi bona præmiſerat, & poſt omnia hæc, incipere in ea gratiam ſancti Spiritus dicit quaſi ſupervenientem auxiliatricem, & non prævenientem inſpiratricem, atque auctorem in nobis ſtudiorum meritorumque bonorum. Qua tamen ejus ventilatione, quid in generoſo animi ſapientis igne agi credat, intuere. *Tum fit illa*, inquit, *caritas quæ non propinquos ſolùm aut cives, ſed & ipſum genus humanum gremio ſuo conatur amplecti.* Vides ergo, qui tantum virium noſtro animo tribuit, quid ſpiritui gratiæ tribuat, quam & ſerò in auxilium ipſi animo advenire, & tunc ei non illam caritatem qua Deus, ſed illam ſolummodo qua genus humanum diligatur, infundere dicit: oblitus vel incurioſus apoſtolicæ fidei, quæ dicit, Quia caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum-ſanctum qui datus eſt nobis. Prolixi eſt operis cunctas ejus, quas in libro hoc poſuit, ineptias in medium proferre, ac teſtimoniis refellere veritatis. Sufficiant hæc pauca exempli gratiâ poſuiſſe, ex quibus poſſunt cetera quàm ſint deteſtanda conjici.

Rom. 5. 5.

CAPUT III.

POST hæc autem & hujuſmodi innumera, quibus primum librum contra gratiam Dei diſputando complevit, non minore ſecundum librum ejuſdem hæreſis peſte commaculavit. Denique exponens quod dictum eſt, *Quia meliora ſunt ubera tua vino*, de natura lactis fœdiſſimè philoſophatus eſt: moxque fœdiùs multo, qualitatem naturæ illius ad confirmationem ſui erroris transferre conatus. Quod quia totum ponere, & horrori & nimis longum eſt, partem ponere ſatis duximus. Inſerens ſe ergo perſonis eorum, contra quos ſub nomine Manichæorum pugnabat, ait inter cetera: *Aſſerebat namque opiniones noſtras ad hos prorſus ſpumantium æſtus errorum ducere, ut calumniam verteremus in ipſum auctorem: & levandi reatûs gratiâ, quem crimina nimirum voluntatis urebant, ipſam naturam corporis ſubdebamus infamiæ, incapaces bonitatis, & plenos iniquitatis in lucem iſtam nos venire jurando: denique nullum ferè ad juſtitiam, quid dico ratione, ſed ne ſacræ quidem legis inſtitutione perduci. Depretiabat nempe hæc opinio naturam carnis & ſanguinis. Sed poſt quàm ſalutare myſterium Dei & hominum Mediator arripuit, ut conſummatiſſimæ virtutis daturus exemplum naturam hominis mortalis aſſumeret, oſtendit omnia crimina morum fuiſſe, non ſeminum. Denique voluntatibus ad meliora converſis, non ſolùm legis, ſed etiam evangelica præcepta poſſe compleri.* Quibus ſermonibus ejus breviter reſpondendum. Quia nequaquam in auctorem naturæ noſtræ calumniam vertimus, cùm nos in iniquitatibus conceptos, & eſſe in delictis natos dicimus: ſed fatemur, quia in primis naturæ noſtræ parentibus ad ejus ſimilitudinem facti ſumus, ut immortales & ſine peccato, in deliciis paradiſi juvante gratiâ ejus viveremus: quam videlicet beatiſſimam vitæ primitivæ munditiam, ſi cuſtodire curarent ipſi protoplaſti, & non magis hoſti crederent quàm auctori, uſque hodie progenies ex eis ſancta & impolluta, delicias paradiſi, mortis ſimul & peccati neſcia, incoleret. At dum nulla neceſſitate naturæ, verùm ſolâ vagæ mentis incuriâ peccato conſenſêre, moxque juſto Conditoris judicio de loco paradiſi voluptatis excluſi, ac morte multati, peccati quod temere contraxerant, ſtirpi generique ſuo reliquêre contagium; factum eſt ut peccati, quod ipſi ſponte commiſerunt, nos etiam nolentes reatu conſtringeremur: ita ut ne parvuli quidem qui nil boni vel mali velle poſſunt, ab hoc poſſint immunes exſiſtere, niſi donante gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Unde probatur falli Julianus, cùm dicit, *Reatum nobis ſolo crimine voluntatis accenſum*: & ſicut pòſt apertiùs ſuum ſenſum aperuit dicens, *Omnia crimina morum eſſe, non ſeminum.* Seminum ſunt namque, quæ ex Adam originalia traximus: morum verò, ſive voluntatum, ſeu fragilitatis & ignorantiæ, quæ ipſi per nos crimina addimus. Probatur falli, cùm reprehendit eos, qui naturam noſtri corporis, non eam quæ protoplaſti ſancta & immortalis creata eſt, ſed illam quæ poſt eorum prævaricationem vitioſa effecta eſt, ſubdunt infamiæ, dicentes, Scio quod non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum. Et quod idem Apoſtolus ait: Caro concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus autem adversùs car-

Cant. 1. 1.

Primus ſtatus hominis.

Peccatum originale.

Rom. 7. 18.
Gal. 5. 17.

A nem: hæc tantum ſibi invicem adverſantur, ut non quæ vultis, illa faciatis. Probatur falli, cùm vituperat eos, qui *nos in lucem iſtam incapaces bonitatis, & plenos iniquitatis venire teſtantur.* Verè enim profitemur omnes homines in lucem iſtam plenos iniquitatis ex reatu primæ prævaricationis venire: incapaces autem bonitatis, abſit ut nos naſci juremus. Sed hæreticus, ut artificioſiùs deciperet infirmos, junxit mendacio perfidiæ veritatem catholicæ profeſſionis. Probatur falli, cùm *jurare nos* dicit, *nullum ad juſtitiam, non ſolùm ratione, ſed ne ſacræ quidem legis inſtitutione perduci.* Quin immo fatemur, & ratione, & doctrinâ B ſanctæ legis, ad juſtitiam nos auxiliante Domino perduci: abſque gratia verò illius nec per naturalis ſubſidia rationis, nec per divinæ legis ſcita, nos poſſe juſtificari; Apoſtolo teſte, Quia littera occidit, Spiritus autem vivificat. Id eſt, Littera præcipiens occidit, ſi non adſit Spiritus, qui præcepta litteræ donet impleri: & Spiritus vivificat, donando ut perfici littera poſſit. Quod autem ait de Domino, *ut conſummatiſſimæ virtutis daturus exemplum naturam hominis mortalis aſſumeret*: ſecretiùs hæreſis ſuæ virus evomuit, quia dicit, venientem in carne Dominum non dona nobis, ſed exempla contuliſſe virtutis. Unde dicit poſt C modicum, *De ipſius*, inquam, *ſuſceptione carnis, morum peccata damnavit: non naturam videlicet carnis, ſed opera commutando, ut juſtificatio legis ſub exemplo ipſius compleretur in nobis.*

Gratiæ neceſſitas.
2. Cor. 3. 6.

CAPUT IV.
Cant. 1. 9.

ITEM in expoſitione verſiculi, *Collum tuum ſicut monilia. Cùm pulcra*, inquit, *per naturam cervix gemmarum inſignitur ornatu, felicitatem ſine dubio auget induſtria; & quaſi ſe digna conveniunt, honor videlicet monilium & cervicum venuſtas. Sic ergo & in te, cujus generoſitatem doctrina componit, ut virtutes quas natura inchoet, diſciplina conſummet.* Pro eo ut diceret, Gratia inchoet, gratia conſummet, gratia coronet. Item poſt innumera hujuſmodi, quæ in ipſis ejus D opuſculis pius lector facillimè deprehendet, in explanatione verſiculi, quo dictum eſt, *Apprehendam te, & inducam in domum matris meæ, ibi me docebis*; patentiùs quæ contra fidem veſana ſentiret, intimavit, dicens de Domino: *Jam in ipſa infantia multa quæ diſcere debeamus oſtendit. Primò ipſum eſſe opificem univerſorum ex maſculi & feminæ conjunctione naſcentium, qui ſibi ſine miniſterio viri corpus ex virgine fabricaſſet. Deinde nullum peccatum eſſe homini congenitum: quando quidem ille & carnis veritate circumdatus, & maculæ immunis exſtiterit. Poſtremò originem noſtram non poſſe niſi impiè diaboli operibus adſcribi, quæ Deo vero non* E *ſolùm conditore, ſed etiam habitatore congauderet.* Non ſolùm autem hæc dicendo errorem ſtruit, ſed hoc ipſum etiam interveniente agit exemplo. Nam peccatum eſſe homini congenitum teſtatur Scriptura, quæ dicit, Grave jugum ſuper filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum, " uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. Immo hoc " ab ipſa conceptione eſſe homini coævum teſtatur beatus Job, cùm Domino ſupplicans ait, Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es? Et quæ poterit eſſe conſequentia, ut ideo dicatur nullum peccatum hominibus ex maſculi & feminæ conjun- F ctione naſcentibus eſſe congenitum, quoniam Filius Dei qui ſibi ſine miniſterio viri corpus ex virgine fabricavit, & carnis veritate circumdatus, & maculæ immunis exſtitit? Quæ eſt ratio conſequens, ut homo purus innocentiam ſuæ nativitatis adſtruat exemplo nati in carne Mediatoris Dei & hominum, cùm de illius nativitate dixerit virgini matri Archangelus, Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; ideoque & quod " naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei: noſtræ au- " tem parenti poſt reatum prævaricationis dixerit juſtus judex, Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos; in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris. Sed neque G hoc quod dicit, *originem noſtram non poſſe niſi impiè diaboli operibus adſcribi, quæ Deo vero non ſolùm conditore, ſed etiam habitatore gauderet*, aut catholicè aut conſequenter fecit. Quia nimirum diabolus etſi peccatum protoplaſtis intulit, nec tamen eis naturalis procurſum benedictionis abſtulit, qua audierant, Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Non ergo illa impietate decipimur, quam nobis improperat Julianus, ut originem noſtram diaboli operibus adſcribamus, quam primordialis opere benedictionis à Deo conditam ſcimus. Abſit autem ut originem noſtram poſt

Cant. 8. 2.

Eccli. 40. 1.

Job 14. 4.

Lucæ 1. 35.

Geneſ. 3. 16.

Geneſ. 1. 28.

post prævaricationis malum, Deo dicamus esse gavisam, ante remedium secundæ regenerationis quæ fit ex aqua & Spiritu-sancto, donante gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

CAPUT V.

PAUCA hæc de pluribus, ex præfato opere Juliani ad cautelam legentium annotasse necessarium duximus: quorum admoniti exemplis, vigilantiùs in reliqua ejus lectione, quæ non minùs noxia sæpe salutaribus dicta interserit, circumspiciant. Nam & in aliis opusculis eamdem suam hæresim, quamvis multùm reclamante sanctissimo ac doctissimo antistite Augustino, affirmare non dubitat. Denique in libro, quem *de bono constantiæ* scripsit, bonum naturæ libertatemque nostri arbitrii, ut ipse autumat, contra perfidiam Manichæi magnâ instantiâ defendit; ut autem veritas probat, magnâ pervicaciâ contra fidem cælestis gratiæ durat. *Hæc namque est*, inquit idem, *constantia, quæ maximè asserit arbitrii potestatem ac bonum, ejusque naturæ & humani animi motus liberos, dum ostendit omne mentis bonum voluntarium, nec ulli umquam casui obnoxium.* Motus autem me non solùm carnis, sed nec animi habere liberos docent, non apostolicæ tantùm litteræ, verùm etiam ipsæ meæ cogitationes, quæ volentem me sæpissime, conantemque (ut de ceteris taceam) fixa mente ac desiderio infatigabili, devotioni orationis incumbere non sinunt. Qui, si motus animi liberos haberem, ita vellem continuè tempore orationis animum precibus intentum retinere, quomodo membra corporis facillimè soleo quotiens volo, quocumque vel situ vel loco orationis componere. Et paulò pòst: *Ipsa enim armat*, inquit idem, *egregium cujusque, & accendit animum, dum illum libertatis suæ semper admonet, dumque omnes ab eo repellit metus.* Quanto enim meliùs expugnaret Manichæum, si diceret, Quia gratia Dei fecit egregium cujusque electi animum, & accendit ad studia virtutum, dum illum infirmitatis suæ semper admonet, & quia sine ipsa nihil facere potest; dumque omnem ab eo fiduciam suæ repellit virtutis, ac Deo canere suadet, Fortitudinem meam ad te custodiam. [Psal. 58. 10.] Et iterum post multa, quibus libertatem nostræ voluntatis prædicat, ait: *Etenim, si ut præclarè à doctissimis atque orthodoxis disputatum est, nemini verè umquam noceri nisi à se ipso potest, nec est prorsus aliquid quo quisquam invitus fiat miser; quid tandem virtus timebit, nisi defectum sui, quo homini in æternum nocetur?* Quæ nequaquam stare sententia nisi apud hæreticos potest: quia constat nimirum, quòd peccatum Adæ cunctis hominibus nocet: non quidem à se ipsis, verùm ab illo qui primi facinore reatûs totum genus humanum, nisi quem gratia Christi liberat, perpetuò damnavit. Nocet hæreticorum malitia illis, quos catholicam scire ac tenere fidem desiderantes, in interitum nescientes nolentesque detrahit. Verùm timens Julianus, ne si in tanto hoc volumine totum quod rectè viveremus, libertati nostræ voluntatis tribueret, quasi apertus gratiæ Dei hostis detestaretur atque anathematizaretur ab omnibus, fecit & hujus hoc in loco mentionem: & hoc ita occultè, ut non omnes eam virtutes dare, sed unam in nobis solummodo juvare diceret & firmare constantiam. *Divinæ enim gratiæ est*, inquiens, *juvare & firmare constantiam, quæ ceteras possit custodire virtutes, & contra omnia quæ resistunt, defendere virtutem.* Ubi & cautissimo usus est verbo, ut non diceret eam donare, quasi antea non habitam, nobis constantiam: sed potiùs, *juvare ac firmare*, quasi à nobis jam exortam; ut ventus flammam ignis, quam non ipse accendit, sed aliunde accensam, ut clariùs flammescat, adjuvat, & ne exstingui debeat, flando confirmat: sicut in ipso libro *de amore* plenius sensum suum dilucidasse monstravimus. Circa hujus autem libelli finem manifestè prodit ipse Julianus, qua intentione in hujusmodi assertionibus per cuncta quæ considerat opuscula laboraret: *Scandalum*, inquiens, *Manichæo est, eo quod commentitum, id est, abnegantes Dominum nostrum, qui est verus, fatemur*, * *offendit, quia naturam bonam, quia liberum hominis asserimus arbitrium.*

Sed & in libro, * quem ad Demetriadem virginem Christi de institutione virginis scripsit, hæc eadem de potentiâ liberi arbitrii, quomodo sentiat pandit. Quem videlicet librum nonnulli nostrûm studiosè legentes, sancti & catholici doctoris Hieronymi esse temere arbitrantur: minimè pervidentes, quòd & suavitas eloquentiæ demulcentis, & hæreseos perversitas seducentis manifestè probat hoc illius opusculum non esse. Quin potiùs ipse fidem ejus, vel magis perfidiam in dialogo Attici & Critobuli, quem vivente Pelagio edidit, cùm adhuc Julianus ab eo puerulus, quasi in caverna colubri, nutriebatur regulus, divinis expugnarit ac protriverit eloquiis. In hoc ergo Julianus libro, & in aliis se opusculis eamdem suam hæresim confirmasse declarat, ita scribens. *Quotiens mihi de institutione morum & sanctæ vitæ conversatione dicendum est, soleo priùs humanæ naturæ vim qualitatemque monstrare, & quid efficere possit ostendere.* [Epistol. ad Demetriadem c. 2.] Et paulò pòst, *Quem ergo*, inquit, *exhortationis ordinem, cùm in aliis quoque opusculis tenuerim, tum hic maximè servandum puto, ubi eo pleniùs bonum naturæ declarari debet, quo vita instituenda perfectior.* [Ibidem.] Item in processu libri ejusdem, *Quam enim*, inquit, *multos philosophorum & audivimus, & legimus, & ipsi vidimus castos, patientes, modestos, liberales, abstinentes, benignos, honores simul mundi ac delicias respuentes, & amatores justitiæ non minùs, quàm sapientiæ. Unde quæso hominibus alienis à Deo ista, quæ Deo placent? Unde hæc illis bona, nisi de naturæ bono? Et cùm ista, quæ dixi, vel unum simul omnia, vel singula singulos habere videamus, cùmque omnium una natura sit, exemplo suo invicem ostendunt omnia in omnibus esse posse, quæ vel singula inveniuntur in singulis. Quòd si etiam sine Deo homines ostendunt quales à Deo facti sunt; vide quid Christiani possint, quorum in melius in Christo instaurata natura est, & qui divinæ gratiæ juvantur auxilio.* [Caput 3.] Et post multa hujusmodi loquens de B. Job: *O virum*, inquit, *ante Evangelia evangelicum, & Apostolorum ante apostolica præcepta discipulum! qui aperiens occultas naturæ divitias, & in medium proferens; ex se, quid omnes possemus, ostendit.* [Caput 6.] Item post pauca, *Neque nos*, inquit, *ita defendimus naturæ bonum, ut eam dicamus malum facere non posse; quam utique boni ac mali capacem etiam profitemur: sed ab hac eam tantummodo injuria vindicamus, ne ejus vitio ad malum videamur impelli, qui nec bonum sine voluntate, nec malum faciamus; & quibus liberum est unum semper agere, cùm semper utrumque possumus. Unde enim alii judicaturi sunt, alii judicandi, nisi quia in eadem natura dispar voluntas est; & quia cùm omnes idem possimus, diversa faciamus?* [Caput 8.] Et paulò pòst, *Adam de paradiso ejectum, Enoch raptum de mundo* esse commemorans, adjecit, *Nec enim à justo Deo, aut ille puniri meruisset aut hic eligi, nisi uterque utrumque potuisset. Hoc de Cain & Abel fratribus, hoc etiam de Esaü & Jacob geminis intelligendum est, ac sciendum solam voluntatis esse caussam, cùm in eadem natura merita diversa sunt.* [Ibidem.] [Ibidem.] Et rursùm post pauca, *Neque verò*, inquit, *alia caussa nobis quoque difficultatem bene vivendi facit, quàm longa vitiorum consuetudo, quæ nos cùm inficit à parvo, paulatimque per multos corrumpit annos, ita postea obligatos sibi & addictos tenet, ut vim quamdam videatur habere naturæ.* [Ibidem.] Item post multa, quibus optimè virginem Deo dicatam instituit, (& re vera multùm utile ac salubre opus perficeret, si eam divinæ gratiæ in omnia suffragia flagitare, & non animi sui libertate viribusque fidere doceret; quomodo etiam in illo, quem de *bono constantiæ* scriptum ab eo diximus librum, multùm prodesset virtutum studiosis, si non virulenta intermisceret vitia errorum: sed si modicum fermentum, Apostolo teste, totam massam corrumpit, quanto magis venenum quàm maximum?) *Adscribimus*, inquit, *iniquitatem justo, pio crudelitatem, dum eum primò impossibile aliquid præcepisse conquerimur. Proinde pro his damnandum ab eo putamus hominem, quæ vitare non potuit.* [Caput 16.] Et paulò pòst, *Nec impossibile aliquid potuit imperare qui justus est; nec damnaturus est hominem ob ea quæ non potuit vitare, qui pius est.* [Ibidem.]

IN his singulis, quas ex uno ejus excerpsi libello, sententiis, quanti sint errores facilè cuivis docto patet. Quia ideo tam multas coacervatim posui, ut pluribus errorum probamentis convincerentur hi, qui hunc librum à catholico beati Hieronymi calamo scriptum contendunt; cautioresque erga ejus lectionem redderentur, quem hæreticum esse didicissent. Quibus etiam sententiis pariter omnibus strictim respondere commodum duxi, ut pote quæ cunctis, ut dixi, clariùs luce quàm sint nefandæ patescant. Quod ergo dicit, *Multos philosophorum patientiam, castitatem, modestiam, aliasque de naturæ bono habere virtutes*, constat, quia quicumque philosophorum Christum Dei virtutem & Dei sapientiam nescierunt, hi nullam veram virtutem, nec ullam veram sapientiam habere potuerunt. [Caput 3. Nulla vera virtus, aut sapientia sine gratia Dei.] In quantum verò vel gustum aliquem sapientiæ cujuslibet,

vel virtutis imaginem habebant, totum hoc deſuper acceperunt, non ſolùm munere primæ conditionis, verùm etiam quotidianâ ejus gratiâ, qui creaturam ſuam nec ſe deſerentem deſerens, dona ſua, prout ipſe judicaverit, hominibus, & magna magnis, & parva largitur parvulis. Quod verò

Ibidem. dicit, *Omnia in omnibus poſſe eſſe, quæ vel ſingula inveniuntur in ſingulis:* contradicit Scripturæ quæ ait, Omnia au-

Rom. 12. 4. &c. » tem membra non eumdem actum habent, & multi unum » corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius mem- » bra, habentes donationes ſecundùm gratiam quæ data eſt » nobis differentes. At cùm mortale hoc induerit immorta-

1. Cor. 15. 54. litatem, tunc demum poſſunt eſſe omnia in omnibus bona virtutum: & ne tunc quidem de naturæ bono, ſed per

Ibid. 28. gratiam ejus, de quo ſcriptum eſt, Ut ſit Deus omnia in omnibus. Sed & quotidiana noſtræ fragilitatis documenta probant, non omnia in omnibus eſſe poſſe: ubi tam multi inveniuntur, qui ſummâ nitentes inſtantiâ, nequaquam ad eas quas alios vident habere, poſſunt pervenire virtutes. Quod *homines ſine Deo* dicit *oſtendere, quales à Deo facti ſunt:* adeo longè à veritate abeſt, ut nec homines Deo proximi valeant oſtendere in hac dumtaxat vita quales à Deo protoplaſto facti ſunt. Quis enim ſapientiâ vel vitâ major eſſe poterit, eo qui priùs quàm carnis debitum ſolveret,

2. Cor. 12. 4. uſque in paradiſum, vel tertii cæli ad adyta raptus, civium ſupernorum & converſationem contemplatus eſt, & audi-

Rom. 7. 22. & 23. vit colloquia? Qui tamen dicit, Condelector enim legi » Dei ſecundùm interiorem hominem, video autem aliam » legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Quod parentes generis humani, quàm diu naturæ bonum intemeratum cuſtodiere, conſtat dicere non potuiſſe. Quod *Chriſtianorum naturam in melius* dicit *inſtauratam eſſe per Chriſtum; & eos divinæ gratiæ juvari auxilio:* ſi de his ſolummodo, quæ in remiſſione peccatorum per baptiſma nobis donata ſunt, vult intelligi, hæreticum eſt: ſi autem & de quotidianâ ejus gratiâ, quâ nos in mente & corpore inſtaurare & juvare non ceſſat, catholicum eſt. Quod dicit, *Beatum Job aperuiſſe in virtutibus ſuis eximiis occultas naturæ divitias, & ex ſe quid omnes poſſemus oſtendere:* quanto meliùs diceret, quòd aperuit ineffabiles divinæ gratiæ divitias, & in ſe, quia hæc omnibus quibuſcumque vellet, dare poſſet, oſtenderet. Quod dicit, *Nos vitio naturæ ad malum non impelli, qui nec bonum ſine voluntate nec malum*

Rom. 7. 18. & 19. *faciamus:* repugnat Apoſtolo dicenti, Scio quia non habi- » tat in me, hoc eſt, in carne mea bonum: nam velle ad- » jacet, mihi perficere autem bonum non invenio: non enim » quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc » ago. Quod dicit, *Liberum nobis eſſe unum ſemper agere, cùm ſemper utrumque poſſimus:* contradicit Prophetæ, qui Deo

Jerem. 10. 23. ſupplex loquitur dicens, Scio, Domine, quia non ſit ho- » minis via ejus, nec viri eſt ut ambulet & dirigat greſſus

Rom. 7. 25. ſuos. Sed & Apoſtolo majorem ſe facit, qui dixit, Ego » igitur ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati. Quod dicit, *Non aliunde alios judicare, alios judicari, niſi quia in eadem natura diſpar voluntas ſit, & quia, cùm omnes idem poſſimus, diverſa faciamus:* contradicit catholicæ fidei, quæ etiam parvulos eſſe judicandos confitetur eos, qui in eadem natura poſiti, priùs quàm aliquid boni malive facere aut velle aut ſaltem noſſe poterant, ſine baptiſmo rapti ſunt. Quod *Eſaü & Jacob, ceteroſque tales, ſolâ voluntatis cauſſâ* dicit *eſſe diſcretos, ut in eadem natura merita haberent diverſa:* contradicit Apoſtolo, qui de eiſdem lo-

Rom. 9. 11. 12. & 13. quens ait, Cùm enim necdum nati fuiſſent, aut aliquid » egiſſent bonum aut malum, ut ſecundùm electionem pro- » poſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante

Malach. 1. 2. » dictum eſt ei, Quia major ſerviet minori: ſicut ſcriptum » eſt, Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui. Quod dicit, *Non aliam cauſſam nobis difficultatem bene vivendi facere, quàm longam vitiorum conſuetudinem:* contradicit Scripturæ,

Eccl. 40. 1. quæ dicit, Grave jugum ſuper filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum. Quod dicit, *Dominum non impoſſibile aliquid præcepiſſe, qui juſtus eſt:* verum profectò dicit, ſi ad ejus reſpicit auxilium, cui catholica vox ſup-

Pſal. 118. 35. plicat, Deduc me in ſemita mandatorum tuorum. Si verò viribus animi ſui fidit, refellit eum veridica ejuſdem

A juſti Conditoris ſententia, qua dicit, Sine me nihil poteſtis *Johan. 15. 5.* facere. Quod dicit, *Eum qui pius eſt, non damnaturum eſſe hominem pro eo quod vitare non potuit:* contradicit ejuſdem pii Redemtoris & juſti Judicis ſententiæ, qua etiam de parvulis ait, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non *Johan. 3. 5.* poteſt videre regnum Dei. Quamvis, ut ſanctus Auguſti- *Lib. 5. contra Julian. c. 11.* nus ait, mitiſſima prorſus pœna vel damnatio erit omnium, qui præter peccatum quod originale traxerunt, nullum inſuper addiderunt. Nec tamen tales à damnatione prorſus eſſe poſſunt immunes, cùm manifeſtè dicat Apoſtolus, Quia *Rom. 5. 14.* regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos

B qui non peccaverunt. Et quaſi quæreretur, quare regnaverat in omnes qui non peccaverunt: mox rationem reddit adjungens, In ſimilitudinem prævaricationis Adæ, id eſt, non propter ſua propria peccata, ſed quia ſui ſimiles genuit prævaricator Adam. Dicendum ergo nobis in hac parte quæſtionis, quod dixiſſe audivimus eumdem apoſtolum Paulum, qui de Eſaü & Jacob geminorum ex uno concubitu naſcentium diſpari ſorte diſputans ait, Quid *Rom. 9. 14. 15. & 16.* ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Abſit. « Moyſes enim dicit, Miſerebor, cui miſerebor, & miſeri- « cordiam præſtabo cui miſertus fuero. Igitur non volentis « neque currentis, ſed miſerentis Dei eſt, &c. uſque dum «

C plurimùm hac quæſtione laſſatus ita concluſit: O altitudo *Rom. 11. 33.* divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei? quàm incomprehen- « ſibilia ſunt judicia ejus: & inveſtigabiles viæ ejus? Hæc « de opuſculis Juliani ad cautelam legentium prælibare, commodum rati ſumus.

De Anniano pseudo-diacono Celedensi,

*Hieronymus Auguſtino & Alypio * ſcribens ſub finem anni 419.* ** Epiſt. 202. inter Auguſtinianas.*

D

Cooperatoribus & auctoribus vobis hæreſis Cæleſtiana jugulata eſt: quæ ita infecit corda multorum, ut cùm ſuperatos damnatoſque eſſe ſe ſentiant, tamen venena mentium non omittant; & quod ſolum poſſunt, nos oderint, per quos putant ſe libertatem docendæ hæreſeos perdidiſſe.

Quod autem quæritis, utrùm reſcripſerim contra libros Anniani pſeudo-diaconi Celedenſis, qui copioſiſſimè paſcitur, ut alienæ [a] blaſphemiæ verba frivola ſubminiſtret:

E ſciatis me ipſos libros in ſchedulis miſſos à ſancto fratre Euſebio preſbytero ſuſcepiſſe non ante multum temporis; & exinde vel ingruentibus morbis, vel dormitione ſanctæ & venerabilis filiæ veſtræ Euſtochii, ita doluiſſe, ut propemodum contemnendos putarem. In eodem enim luto hæſitat, & exceptis verbis tinnulis atque emendicatis, nihil aliud loquitur. Tamen multum egimus, ut dum epiſtolæ meæ reſpondere conatur, apertiùs ſe proderet, & blaſphemias ſuas omnibus patefaceret. Quidquid enim in illa miſerabili ſynodo * Dioſpolitana dixiſſe ſe deregat, in hoc opere profitetur; nec grande eſt ineptiſſimis næniis reſpondere. Si autem Dominus vitam tribuerit, & notario- ** In qua Pelagius errores ſuos tegens abſolutus eſt, anno Chriſti 415.*

F rum habuerimus copiam, paucis lucubratiunculis reſpondebimus: non ut convincamus hæreſim emortuam; ſed ut imperitiam atque blaſphemiam ejus noſtris ſermonibus confutemus: meliúſque hoc faceret ſanctitas veſtra; ne compellamur contra hæreticum noſtra laudare.

Ejusdem Anniani dicta,

Ex illius ad Orontium epiſcopum epiſtola, quæ homiliis Johannis Chryſoſtomi in Matthæum præfixa eſt.

G

Piissimi *patris affectum & ſapientiſſimi artem magiſtri in me pariter exerces, quem inter has quas pro fidei * vo-* ** Orontius*

[a] Pelagii nimirum hæretici, cujus armigerum propterea dictum putant illum ipſum Annianum, in Apologia Oroſii ſuprà pag. 79. f. Porrò apologiam ſcribente Oroſio, ſcribebat Hieronymus dialogorum opus contra Pelagianos: tunc verò temporis (teſte Bedâ *ſuprà pag.* 122. *a.*) jam inhærebat Pelagio Julianus. In hunc etiam Auguſtinus lib. 2. oper. imp. num. 51. dixit, *A deceptis miſeris paſceris otioſus.* Et ſimilia quædam lib. 3. num. 1. & 44. Præterea Julianus dicendi ratione convenit planè cum eo qui ſubjectas hîc epiſtolas Orontio & Evangelo ſcripſit: atque ut Orontium Annianus *patrem ac beatiſſimum*, ita Julianus Florum in libris ipſi nuncupatis, quamquam tunc epiſcopus, ſolet *beatiſſimum patrem* appellare, non fratrem.

cum Anniano Pelagianæ hæresis caussâ exagitatus.

*biscum amore perpetimur, tentationum procellas, & à mærore simul & à torpore subducis, animumque anxietate marcentem ad studium Scripturarum remittis. Jubes enim beatissime, ut commentarium sancti Johannis Constantinopolitani episcopi, quem in Matthæo Evangelista nonaginta & uno libro explicuit, in Latinam linguam, quo possim sermone, transfundam. Quod utinam tam à nobis commodè fieri possit, quàm à te & opportunè & utiliter imperatur. Quid enim vel ad prudentiam eruditius, vel ad exercitationem ignitius, vel ad dogma purgatius nostrorum auribus offeratur, quàm præclara hæc tam insignis animi ingeniique monumenta. Et hoc maximè tempore, quo per occasionem quarumdam nimis difficilium quæstionum, ædificationi morum atque ecclesiasticæ disciplinæ satis insolenter obstrepitur: pro qua certè beatus Johannes, cùm in aliis operibus, tum in hoc quoque tantus ferè ubique, tamque alacer assurgit, ut Evangelistæ dicta interpretando pro evangelica perfectione nobiscum pugnare videatur. Quid enim ille magis hominibus inculcat, quàm naturæ suæ nobilitatem, quæ adversùs Manichæi rabiem omnium recta sapientium consensu concentuque laudatur? Laudatur autem vel in admirabilis gloriam Conditoris, vel ob concitanda studia virtutis, vel ad castiganda vitia voluptatis. Quid, inquam, pressius ille commendat, quàm ingenitæ nobis à Deo libertatis decus; cujus confessio præcipuum inter nos gentilesque discrimen est, qui hominem ad imaginem Dei conditum tam infeliciter fati violentiâ & peccandi putant necessitate devinctum, ut is etiam pecoribus invidere cogatur? Quid ille adversùs eosdem magistros potiùs insinuat, quàm Dei esse possibilia mandata, & hominem totius, vel quæ jubetur, vel quæ suadetur à Deo, capacem esse virtutis? Quo quidem solo & iniquitas ab imperante propellitur, & prævaricanti reatus * affigitur. Jam verò iste eruditorum decus, cùm de Dei gratia disserit, quantâ illam ubertate, quantâ etiam cautione concelebrat? Non enim est in alterutro aut incautus aut nimius, sed in utroque moderatus. Sic liberas ostendit hominum voluntates, ut ad Dei tamen mandata facienda divinæ gratiæ necessarium ubique fateatur auxilium: sic continuum divinæ gratiæ auxilium commendat, ut nec studia voluntatis interimat, &c.*

* Vide lib. 3. oper. imperf. num. 69.

Ex ejusdem Anniani ad Evangelum presbyterum epistola, homiliis Johannis Chrysostomi de laudibus Pauli præfixa.

*Beatus Johannes Paulum altiùs intuendo, dilucidéque in medium proferendo, ipsas mihi videtur inspexisse venas, ac medullas virtutum expressisse: quæ ita omnes in ista laudatione vivunt, ita floribus suis decorantur & fructibus, ut eas propè non minùs ab hoc tam sublimiter explicatas, quàm ab Apostolo fortasse miremur. Quod quidem opus eo esse apud te amabilius debet & gratius, quo de sanctarum scripturarum luce rutilans, clarissimi sideris vice noctem Manichæi * erroris exagitat. Quantum enim nobis consolationis exoritur, cùm cernimus tam erudito, tamque illustri Orientis magistro, eam quam in nobis * Traducianus oppugnat, adstrui veritatem? quam certè beatus Johannes, ut in omnibus libris suis, ita hic quoque ab omni munitam latere custodit; armat, accendit, ut videatur non tam præsentes informasse discipulos, quàm nobis contra veræ fidei oppugnatorem auxilia præparasse. Quantus enim ille adversus necessitatem? quantus pro libero surgit arbitrio? Quàm nostrorum libris ubique concinens, voluntatis jure servato, divinæ gratiæ præsidia commendat? Quàm contra omnium vitiorum tenebras, quàm pro cunctarum speculo virtutum splendidissimum vas electionis opponit? Primò, beatum Paulum libello & omnibus præferendo sanctis, & angelis conferendo. Secundò, ex virtutibus ejus atque sententiis bonum asserendo naturæ, &c. Sextò, solvendo omnes illas quæstiones, quibus Traducianus obnitens beatum Paulum vitiorum obfuscatione commaculat; ut scilicet fidelibus suis apostolico exemplo peccata concilient. Septimò, ignem Zeli ejus in Christum, & ante honorem quoque apostolatus fervorem docendi supra ceteros efferendo; ut satis liquidò clareat, exstinctam esse peccandi necessitatem, quam adversùs * Manichæos & doctrina Apostoli * depræliatur & vita, &c.*

* Catholicum dogma de … & origine peccato … Manichæorum errorem.
* Augustinus … passim appellatus a Julian. V. lib. oper. imp. num. 93.
* Confer lib. 3. contra Julian. cap. 26.
* Catholicos … V. lib. 2. oper. imp. n. 154.

Decretum Constantii Imperatoris,

Patris Valentiniani Augusti III. ad Volusianum P. V. datum [a] anno Christi 421.

Imperator Fl. * Constantius Pius Felix Augustus Victor, Volusiano Præfecto Urbi.

* Meminit Photius in biblior. cod. 53. V. supra pag. 108. cap.

Quæ cùm præteritæ superstitionis, tum recentis plena vanitatis jam dudum corrigi jusseramus, quotidianis insinuationibus majora fieri nuntiantur. Et quoniam discordia animos commovet populorum; ea quæ jam dudum jusseramus, præcipimus iterari. Unde his lectis, Eximietas tua, omnes qui Dei invident pietati, diligenter inquirat, & eos faciat statim è muris Urbis expelli; ita tamen, ut ne intra centesimum quidem lapidem habeant licentiam consistendi. Cælestium quoque magis ac magis ex Urbe pelli mandamus. Constat enim, iisdem è medio sublatis, gratiam & concordiam tenere veterem firmitatem. Sanè deinceps si tale quidquam fuerit nuntiatum, Officium præstantiæ tuæ capitali sententiæ subdendum esse cognosce. Non enim patimur impunitum esse, præcepta nostra exsecutionis negligentiâ protelari. Vale parens carissime atque amantissime. *Et adjecta subscriptio.* Impleatur quod jussimus; quia hoc famæ tuæ expedit.

Edictum propositum à Volusiano Præfecto Urbi.

Volusianus Præfectus Urbi edixit:

Hactenus Cælestium divinæ fidei & quietis publicæ turbatorem judiciis, amica reis secreta subduxerunt. Jam leges & jam edicta persequentur absentem. Cui, quod primum est, æternæ Urbis negatur habitatio; ut si vel in proximis fuerit diversatus, debitum non evadat exitium. Pro merito etiam temeritatis atque ausûs sui cunctos hujus edicti cautione præmonemus, ne quis iniquus noxio latebram putet esse præbendam: ne cùm hujusmodi sit posita pœna, supplicium ac stilum necesse sit proscriptionis incurrere, quisquis reum divinis humanisque legibus apud se putaverit occultandum.

Constitutio Valentiniani III. ad Amacium PP. Galliarum, de conveniendis per Patroclum Arelatensem episcopis quibusdam Pelagianis.

Impp. Theodosius & Valentinianus Cæsar, Amacio V. inl. PP. Galliarum.

Privilegia Ecclesiarum, vel clericorum omnium, quæ sæculo nostro tyrannus inviderat, pronâ devotione revocamus, &c.

Diversos verò episcopos nefarium Pelagiani & Cælestiani dogmatis errorem sequentes, per Patroclum sacrosanctæ legis antistitem præcipimus conveniri: quos quia confidimus emendari, nisi intra viginti dies ex conventionis tempore, intra quos deliberandi tribuimus facultatem, errata correxerint, seseque catholicæ fidei reddiderint, Gallicanis regionibus expelli, atque in eorum loco sacerdotium fidelius subrogari: quatenus præsentis erroris macula de populorum animis tergeatur, & futuræ bonum disciplinæ justioris instituatur.

Sanè quia religiosos populos nullis decet superstitionibus depravari, Manichæos omnesque hæreticos vel schismaticos sive Mathematicos omnemque sectam Catholicis inimicam ab ipso adspectu urbium diversarum exterminari debere præcipimus, ut nec præsentiæ quidem crimino-

[a] Ipso anno Christi 421. die 8. Februarii Constantium Valentiniani patrem imperium obtinuisse, ex Theophane discimus, neque eo potitum nisi sex menses, quem videlicet pleuritide exstinctum septimo imperii mense Olympiodorus prodit.

sorum contagione fœdentur. Judæis quoque vel Paganis A caussas agendi, vel militandi licentiam denegamus; quibus Christianæ legis nolumus servire personas, ne occasione dominii sectam venerandæ religionis immutent. Omnes igitur personas erroris infausti jubemus excludi, nisi his emendatio matura subvenerit. Data * VII. Id. Jul. Aquileiæ Coss. Theodosio Augusto XI. & Valentiniano Cæsare.

* Anno Christi 425. die 9. Julii.

De hæresi apud Beligarum urbem ex Pelagiano errore derivata.

Cassianus in libro de Incarnatione 1. cap. 2. & 3.

NUPER quoque, id est, in diebus nostris emersisse hæresim venenosam, * & maximè Beligarum urbe conspeximus, certi erroris, incerti nominis, &c. * Illud sanè unum prætereundum non arbitramur, quod peculiare ac proprium supradictæ illius hæreseos, quæ ex Pelagiano errore descenderat, fuit: quòd dicentes quidam solitarium hominem Jesum Christum sine ulla peccati contagione vixisse, eò progressi sunt, ut assererent, homines, si velint, sine peccato esse posse. Consequens enim existimabant, ut si homo solitarius Jesus Christus sine peccato fuisset, omnes quoque homines sine Dei adjutorio esse possint, quidquid ille homo solitarius sine consortio Dei esse potuisset. Ac sic nullam facerent inter omnem hominem ac Dominum nostrum Jesum Christum esse distantiam: cùm idem utique homo nisu atque industriâ suâ mereri possit, quod Christus studio ac labore meruisset. Quo factum est, ut in majorem quoque ac monstruosiorem insaniam prorumpentes, dicerent Dominum nostrum Jesum Christum hunc in mundum non ad præstandam humano generi redemtionem, sed ad præbenda bonorum actuum exempla venisse; videlicet ut disciplinam ejus sequentes homines, dum per eamdem virtutis viam incederent, ad eadem virtutum præmia pervenirent: evacuantes, quantum in ipsis fuit, omne sacri adventûs donum, & omnem divinæ redemtionis gratiam; cùm idem dicerent homines consequi posse vivendo, quod præstitisset Deus pro humana salute moriendo.

* al. ex maxima Veligarum urbe.
* Cap. 3.

De Leporio.

Cassian. ibid. cap. 4.

LEPORIUS tunc monachus, modò presbyter, qui ex Pelagii, ut suprà diximus, institutione, vel potiùs pravitate descendens, apud Gallias assertor prædictæ hæreseos, aut inter primos, aut inter maximos fuit, à nobis admonitus, à Deo emendatus, ita malè conceptam persuasionem magnificè condemnavit, ut non minùs penè admiranda sit correctio illius, quàm illæsa multorum fides: quia primum est, errorem penitus non incurrere; secundum, bene repudiare. Is ergo in se reversus, non solùm in Africa, ubi tunc * erat, atque nunc est, tam errorem suum cum dolore, quàm sine pudore confessus est; sed etiam ad omnes admodum Galliæ civitates, flebiles confessionis ac planctûs sui litteras dedit, scilicet ut ubi deviatio ejus priùs cognita erat, illic etiam emendatio nosceretur; & qui testes erroris antea fuerant, iidem postea correctionis essent.

* Circiter annum Christi 425. aut 426.

De eodem Gennadius lib. de script. eccles. cap. 59.

LEPORIUS adhuc monachus, postea presbyter, præsumens de puritate vitæ, quam arbitrio tantùm & conatu proprio, non Dei se adjutorio obtinuisse crediderat, Pelagianum dogma cœperat sequi: sed à Gallicanis doctoribus admonitus, & in Africa per * AUGUSTINUM à Deo emendatus, scripsit emendationis suæ libellum, in quo & satisfacit de errore, & gratias agit de emendatione.

* Confer Aug. epist. 219. tom. 2.

De se ipse Leporius in libello emendationis.

ILLUD etiam minimè reticendum censeo, quod in eadem epistola simili devians errore subjunxi, Christum Dominum nostrum sic omnia quæ erant passionum implesse, ut in nullo quasi perfectus homo, à divinitatis auxilio juvaretur: volens scilicet, ita in Christo hominem adsignare perfectum, quò & alienum ab his passionibus Verbum Patris adsererem, & solum per se hominem egisse hæc omnia possibilitate naturæ mortalis sine aliquo B deitatis adjutorio probare conabar.

De Pelagianis Italia ejectis, & de Britanniis eorum errore liberatis &c. curâ Cælestini papæ.

Prosper in libro contra Collatorem cap. 41. & 42.

VENERABILIS memoriæ pontifex * Cælestinus, cui ad catholicæ Ecclesiæ præsidium multa Domi- C nus gratiæ suæ dona largitus est; sciens damnatis non examen judicii, sed solum pænitentiæ remedium esse præstandum, Cælestium, quasi non discusso negotio, audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit * extrudi: adeo & præcessorum suorum statuta & decreta synodalia inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari.

* Circiter annum Christi 425.

Nec verò segniore curâ ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, quando quosdam inimicos gratiæ solum suæ originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit Oceani; & ordinato Scotis episcopo, dum Romanam insulam studet servare catholicam, fecit etiam barbaram Christianam.

D Per hunc virum intra Gallias istis ipsis, qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt, maleloquentiæ est ademta libertas, quando consultantium actione suscepta, & librorum qui errantibus displicebant pietate laudata, quid oporteret de eorum auctoritate sentiri, sancto manifestavit eloquio, evidenter pronuntians, quantum sibi præsumtionis istius novitas displiceret, qua auderent quidam adversùs antiquos magistros insolenter insurgere, & indisciplinatâ calumniâ prædicationi veritatis obstrepere.

* Cap. 42.

Prosper in Chronico ad annum Christi 429.

E AGRICOLA Pelagianus Severiani Pelagiani filius Ecclesias Hiberniæ dogmatis sui insinuatione corrupit. Sed actione Palladii diaconi papa Cælestinus Germanum Antisiodorensem episcopum vice sua mittit, ut deturbatis hæreticis Britannos ad catholicam fidem dirigat.

Constantius in vita Germani episcopi Antisiodorensis, lib. 1. cap. 19. 23. & 24.

EODEM tempore ex Britanniis directa legatio Gallicanis episcopis nuntiavit Pelagianam perversitatem in F locis suis latè populos occupasse, & quàm primùm fidei catholicæ debere succurri. Ob quam caussam synodus numerosa collecta est, omniumque judicio duo præclara religionis lumina universorum precibus ambiuntur, Germanus ac Lupus, apostolici sacerdotes, terram corporibus, cælum meritis possidentes. Et quanto laboriosior necessitas apparebat, tanto eam promtiùs heroës devotissimi susceperunt, celeritatem negotii fidei stimulis maturantes.

Latebant abditi sinistræ persuasionis auctores, & more maligni spiritûs gemebant perire sibi populos evadentes. G Ad extremum diuturna meditatione concepta præsumunt inire conflictum, &c. Aderat populus spectator & futurus judex, adstabant partes dispari conditione dissimiles: hinc divina auctoritas, inde humana præsumtio; hinc fides, inde perfidia; hinc Christus, inde Pelagius auctor. Primo in loco beatissimi sacerdotes præbuerunt adversariis copiam disputandi, quæ sola verborum ruditate diu inaniter & aures occupavit & tempora. Deinde antistites

* Bonifacio Cælestinus successit anno Christi 423. creatus Romanus pontifex die 3. Novembris, obiit verò anno 432. die 6. Aprilis.

venerandi

venerandi torrentes eloquii sui cum apostolicis & evangelicis tonitruis profuderunt. Miscebatur sermo proprius cum divino, & assertiones violentissimas lectionum testimonia sequebantur. Convincitur vanitas, perfidia confutatur, ita ut ad singulas verborum objectiones reos se, cùm respondere nequeunt, faterentur. Populus arbiter vix manus continet: judicium cum clamore testatur.

Cùm subitò vir tribunitiæ potestatis cum conjuge procedit in medium, decem annorum filiam cæcam sinibus ingerens sacerdotum: quam illi offerri adversariis præceperunt. Sed illi conscientiâ puniente deterriti, jungunt cum parentibus preces, & curationem parvulæ à sacerdotibus precantur. Qui exspectationem populi & inclinatos adversarios intuentes, orationem breviter fundunt. Ac deinde Germanus plenus Spiritu-sancto, sanctam invocat Trinitatem, & protinus adhærentem lateri suo capsulam, cum sanctorum reliquiis collo avulsam manibus comprehendit, eamque in conspectu omnium puellæ oculis applicavit. Quos statim evacuatos tenebris, lumine veritatis implevit.

Auctor vitæ sancti Lupi episcopi Trecensis, apud Surium, ad diem 29. Iulii.

Cum esset pollens ingenio, clarus eloquio, sanctitate præcipuus, cum S. Germano totius perfectionis & gratiæ spiritalis pleno, contra hæresim Pelagianam, quæ sanam oppugnabat fidem, in Britanniam profectus est. Qui uno spiritu juncti & pari voluntate concordes, terribiles oceani fluctus temporibus hibernis inexplorato mari se committentes, orationum gubernaculis mitigarunt, &c. Denique omnes ad sanæ fidei confessionem ab errore revocarunt, cùm jam totam ferè Britanniam Pelagiana pestis occupasset.

Constantius in vita S. Germani episcopi Antisiodorensis, lib. 2. cap. 1. 3. & 4.

Interea ex Britanniis nuntiatur Pelagianam perversitatem iteratò paucis auctoribus dilatari. Rursumque ad beatissimum Germanum preces omnium deferuntur, ut caussam Dei, quam priùs obtinuerat, tutaretur. Quorum petitioni festinus occurrit, dum & laboribus delectatur, & Christo se gratanter impendit. Cessit tandem inimici invidia victa virtutibus, nec tentare ausus est, quem Dei amicum jam senserat. Adjuncto itaque Severo episcopo, totius sanctitatis viro, qui tunc Treviris ordinatus episcopus, &c. Prædicatio ad plebem de prævaricationis emendatione convertitur, omniumque sententiâ pravitatis auctores expulsi ab Insula, sacerdotibus adducuntur, ad mediterranea deferendi; ut & regio absolutione, & illi emendatione fruerentur.

De Pelagianis expostulantibus de sua ex Occidentali Ecclesia ejectione,

Nestorius in epistola ad Cælestinum.

Julianus quidam, & Florus, & Orontius, & Fabius, dicentes se occidentalium partium episcopos, sæpe & piissimum & prædicatissimum * Imperatorem adierunt, ac suas caussas defleverunt, tamquam orthodoxi temporibus orthodoxis persecutionem passi, sæpe eadem & apud nos lamentantes, ac sæpe rejecti, eadem facere non desierunt: sed insistunt per dies singulos, implentes aures omnium vocibus lacrymosis. His quidem ad eos sermonibus, quibus oportuit, usi sumus, cùm negotii eorum veram fidem nesciremus. Sed quoniam apertiore nobis de caussis eorum notitiâ opus est, ne piissimus & Christianissimus imperator noster molestiam sæpe ab his sustineat; ne nos ignorantes eorum caussas circa negotii definitionem dividamur; dignare notitiam nobis de his largiri, ne vel quidem ignorando justitiam veritatis, importuna miseratione conturbentur; vel canonicam indignationem

A Beatitudinis tuæ, quæ contra eos pro sectis religionis fortè probata est, aliud quiddam quàm hoc æstiment, &c.

Idem in altera ad eumdem epistola.

Sæpe scripsi Beatitudini tuæ propter Julianum, Orontium, & ceteros, qui sibi usurpant episcopalem dignitatem, & creberrimam aditionem apud piissimum & prædicatissimum Imperatorem faciunt, nosque concidunt frequentibus lamentationibus, tamquam temporibus orthodoxis de Occidente projecti. At huc usque scripta de B his à tua veneratione non suscepimus: quæ si haberem, possem eis respondere, daremque compendiosum responsum luctibus eorum. Nunc enim ab incertis dictis eorum non habet quis ad quod se convertat, aliis hæreticos eos vocantibus, & ideo de occidentalibus partibus projectos esse dicentibus; ipsis verò jurantibus calumniam se sustinuisse, & periculum pro orthodoxa fide ex subreptione perpessos. Quorum utrùm certum sit, nobis gravis est ignorantia. Nam condolere eis, si verè hæretici sunt, crimen est: & iterum non condolere, si calumniam sustinent, durum & impium est. Dignetur igitur amantissima C Dei anima tua informare nos, qui ad utrumque momentum huc usque dividimur, id est, & ad odium, & ad miserationem eorum. Doceri autem volumus, quam de his sententiam teneamus. Detinemus enim eosdem viros per dies singulos dissimulantes spe & exspectatione Beatitudinis tuæ.

Cælestinus in epistola ad Nestorium rescripta.

Aliquantis diebus vitæ nostræ, post nefandum & sæpe damnatum dogma Pelagii atque Cælestii, D catholica fides quietem habuit, quando eos cum suæ opinionis sequacibus telis unitæ sententiæ Oriens Occidensque percussit. Denique sanctæ recordationis Atticus, catholicæ magister fidei, & verè beati Johannis etiam ad ista successor, eos ita persecutus est pro rege communi, ut nec standi quidem illic copia præstaretur, &c.

Hos quoque hæreticos, de quibus nos, velut eorum quæ gesta sunt nescius, consulere voluisti, sedibus suis, injusta dicentes, expulit justa damnatio. Quos illic invenisse requiem non putamus esse mirandum. Invenerunt enim impiam prædicationem, cujus comparatione se æstiE ment innocentes. Hoc loco, quia opportunitas sermonis exposcit, tacere non possumus quod stupemus. Legimus quàm bene teneas originale peccatum, qualiter ipsam naturam asseris debitricem, & eum debitum merito reddere, qui descendit de genere debitoris: quid tecum faciunt, qui sunt hæc negando damnati? Numquam sine suspicione, ea quæ sibi sunt adversa, conveniunt. Ejicerentur denique, si tibi quoque similiter displicerent. Cur tamen ea, quæ in hos tunc sunt acta quæruntur, cùm certum sit, illinc ad nos à catholico tunc antistite Attico gesta directa? Cur non sanctæ memoriæ Sisinius ista quæsivit? Quia utique sub decessore suo probaverat eos jure damnatos. F Defleant infelices, spe se hominum fuisse deceptos, quibus jam potuit propter communionem sola pænitentia subvenire. Ecce scire de his incipis, si qua antè nescivisti, &c. Data III. Idus Augusti, * Theodosio XIII. & Valentiniano III. Augg. Coss.

* Anno Christi 430. die 11. August.

De Augustini obitu,

Prosper in Chronico ad annum Christi 430.

G Augustinus episcopus per omnia excellentissimus moritur quinto Kalendas Septembris, libris Juliani inter impetus obsidentium Vandalorum, in ipso dierum suorum fine * respondens, & gloriosè in defensione Christianæ gratiæ perseverans.

* Responsio est contra Julianum secunda, vulgò imperfectum opus.

* Hoc ipso tempore, anno scilicet Christi 429. Marius Mercator eidem Imperatori Theodosio & Constantinopolitanæ Ecclesiæ dedit contrà Julianum ejusque socios Commonitorium, quod exhibetur suprà pag. 69.

CÆLESTINI PAPÆ,

PRO PROSPERO ET HILARIO, SEU pro ipso Augustino, de gratia Dei,

[a] EPISTOLA,

Ad Galliarum episcopos.

[a] Scripta post Augustini obitum, fortè anno Christi 431.

Dilectissimis fratribus VENERIO, [b] MARINO, LEONTIO, AUXONIO, ARCADIO, FILTANIO, & ceteris Galliarum episcopis CÆLESTINUS.

1. Cor. 10. 32.

APOSTOLICI verba præcepti sunt, apud Judæos atque gentiles sine offensione nos esse debere: hoc quisquis Christianus est, tota animi virtute custodit. Quod cùm ita sit, non parum periculi illum manere poterit ante Deum, qui hoc detrectat etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter nos qui neminem perire volumus, ista contristent, quæ auctoribus Christianis percellunt animos Christianos, Dominicus in Evangelio sermo testatur. Ait enim ipse Salvator, quòd expediat scandalizanti unum de pusillis, in maris profunda demergi: & ideo quæ sit ejus jam pœna quæramus, cui tale supplicium legimus expedire.

Matth. 18. 6.

CAPUT I.

FILII nostri præsentes Prosper & Hilarius, quorum circa Deum nostrum sollicitudo laudanda est, tantum nescio quibus presbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum studeant, sunt apud nos prosecuti, ut indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adversantia veritati. Sed vestræ dilectioni justiùs imputamus, quando illi supra vos habent copiam disputandi. Legimus, supra magistrum non esse discipulum, hoc est, non sibi debere quemquam in injuriam doctorum vindicare doctrinam. Nam & hos ipsos à Domino nostro positos novimus ad docendum; cùm sit, dicente Apostolo, eis tertius locus intra Ecclesiam deputandus. Quid illic spei est, ubi magistris tacentibus hi loquuntur, qui, si ita est, eorum discipuli non fuerunt? Timeo ne connivere, sit hoc tacere: timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus caussis non caret suspicione taciturnitas: quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Meritò namque caussa nos respicit, si cum silentio faveamus errori. Ergo corripiantur hujusmodi: non sit his liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat, [c] si ita res sunt, incessere novitas vetustatem; desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare. Conantur sæpe naufragio mergere, quos intra portum stantes statio facit fida securos. Fida quippe est omnium statio, quorum perfectis gressibus vestigia non moventur. Recurrerunt ad Apostolicam prædicti sedem, hæc ipsa nobis quæ tentat perturbatio, conquerentes. Habetote fratres carissimi pro catholicæ plebis pace tractatum: sciant se, si tamen censentur presbyteri, dignitate vobis esse subjectos: sciant quòd sibi, omnes qui malè docent, discere magis ac magis competat, quàm docere. Nam quid in Ecclesiis vos agitis, si illi summam teneant prædicandi? Nisi fortè illud obsistat, quod non auctoritate, non adhuc ratione colligitur, ut aliqui è fratrum numero, nuper de laicorum consortio in collegium nostrum fortassis admissi, nesciant quid sibi debeant vindicare? Super his multa jam dicta sunt eo tempore, quo ad fratris Tuentii dedimus scripta responsum: nunc tamen repetentes sæpius admonemus, ut vitentur hujusmodi, qui laborant per terram aliud, quàm ille noster jussit agricola, seminare. Nec tamen mirari possumus, si hæc erga viventes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare.

Luca 6. 40.

Episcoporum officium est docere.

1. Cor. 12. 28.

CAPUT II. Augustini ac doctrinæ ejus commendatio.

A AUGUSTINUM sanctæ recordationis virum, pro vita sua atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec umquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor adspersit: quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros [d] optimos etiam à meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, ut pote qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori. Unde resistatur talibus, quos malè crescere videmus. Nefas est hæc pati religiosas animas: quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari; quamvis maneat hos beatitudo promissa, quicumque probantur persecutionem propter justitiam sustinere; quibus quid promittat Dominus in futurum, sequens sermo declarat. Non est agentium caussa solorum: universalis Ecclesia quacumque novitate pulsatur. Intelligamus hæc ipsa vobis, quæ nobis non placent, displicere. Quod ita demum probare poterimus, si imposito improbis silentio, de tali re in posterum querela cessabit. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

Matth. 5. 10.

CAPUT III.

QUIA nonnulli qui catholico nomine gloriantur, in damnatis hæreticorum sensibus seu pravitate sive imperitiâ demorantes, piissimis disputatoribus obviare præsumunt, & cùm Pelagium atque Cælestium anathematizare non C dubitent, magistris tamen nostris, tamquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, eaque tantummodo sequi & probare profitentur, quæ sacratissima beati apostoli Petri sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium præsulum suorum sanxit, & docuit: necessarium fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicarint, & contra nocentissimos liberi arbitrii defensores quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint; ita ut etiam Africanorum conciliorum quasdam sententias jungeremus, quas utique suas fecerunt Apostolici antistites, cùm probarunt. Ut D ergo pleniùs, qui in aliquo dubitant, instruantur, constitutiones sanctorum patrum compendioso manifestamus indiculo, quo si quis non nimiùm est contentiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere, nullamque sibi contradictionis superesse rationem, si cum catholicis credat, & dicat.

CAPUT IV.

IN prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit, pronuntiante beatæ memoriæ papa Innocentio, atque dicente in episto-E la sua ad Carthaginense concilium: *Liberum enim arbitrium ille perpessus, dum suis inconsultiùs utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus est; & nihil, quemadmodum exinde surgere posset invenit; suaque in æternum libertate deceptus hujus* [e] *ruinæ latuisset oppressu, nisi eum post Christi pro sua gratia relevasset adventus, qui per novæ regenerationis purificationem omne* [f] *præteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit.*

Innocentii papæ epist. 181. apud August. num. 7.

CAPUT V.

NEMINEM esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus: quod in eisdem scriptis ejusdem pontificis sententia protestatur, di-F cens, *Nam quid nos de eorum posthac rectum mentibus æstimemus, qui sibi se putant debere quòd boni sunt, nec illum considerant, cujus quotidie gratiam consequuntur, qui sine illo tantum se adsequi posse confidunt?*

Idem ibid. n. 4.

CAPUT VI.

NEMINEM etiam baptismatis gratiâ renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit: quod ejusdem antistitis in iisdem paginis doctrina confirmat di-G cens, *Nam quamvis hominem redemerit à præteritis ille peccatis; tamen sciens illum iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum & post ista corrigere, multa servavit: quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti*

Idem ibid. n. 7.

a Recognita per nos ad Corbeienses duos veteres codices canonum collectionis à Dionysio Exiguo concinnatæ: qui collector ex ipsa epistola & annexis de gratia constitutionibus fecit priora tredecim *Cælestini Papæ decreta.* Primo decreto titulum inscripsit, *De Prospero & Hilario qui quosdam Galliæ presbyteros accusant Pelagii sectatores.* Secundo: *De sancto episcopo Augustino mira laudis adsertio.* Tertio: *Præteritorum sedis Apostolicæ episcoporum auctoritates de gratia Dei.* Quarto: *Quòd Adam omnes homines læserit; nec quemquam nisi Christi gratiâ posse salvari*, &c. Eamdem epistolam citans Petrus diaconus in libello de Incarnatione & gratia, cap. 8. infrà pag. 148. dicit terminari ad illa verba: *quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.*

b Editi quidam, *Mario.* At MSS. *Marino*: quorum item auctoritate infrà pro *Philtatio*, restituimus *Filtanio.*

c Hunc locum Vincentius Lirinensis sub Commonitorii finem sic à vero sensu contra Prosperum & Hilarium detorquet, ut ipse haud injuriâ in erroris semipelagiani suspicionem veniat: *Sequitur enim*, ait, *Desinat, si ita res est, id est, si ita est, ut apud me quidam urbes & provincias vestras criminantur.*

d Veteres libri non habent, *optimos.*

e Sic MSS. & editio anni 1524. Aliæ quædam edit: *ruinâ jacuisset oppressus.*

f In MSS. *præteriti vitium.*

confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur. A

CAPUT VII.

QUOD nemo, nisi per Christum, libero bene utatur arbitrio, idem magister iu epistola ad Milevitanum concilium data prædicat, dicens, *Adverte tandem ô pravissimarum mentium perversa doctrina, quòd primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut dum indulgentiùs frenis ejus utitur, in prævaricationem præsumtione concideret; nec ex hac potuit erui, nisi ei providentiâ regenerationis statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset adventus.*

Innocentius epistola 182. inter August. num. 3.

CAPUT VIII.

QUOD omnia studia & omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint; quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo quod ipse donaverit: in quam nos sententiam dirigit beatæ recordationis papæ Zosimi regularis auctoritas, cùm scribens ad totius orbis episcopos ait, *Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad fratrum & coëpiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus.* Hunc autem sermonem sincerissimæ veritatis luce radiantem tanto Afri episcopi honore venerati sunt, ut ita ad eumdem virum scriberent: *Illud verò quod in litteris, quas in universas provincias curasti esse mittendas, posuisti dicens, Nos tamen instinctu Dei, &c. sic accepimus dictum, ut illos qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens, amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quàm quòd universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti, & tamen instinctu Dei factum esse fideliter sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti? Ideo utique quia præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda* [a] *filiorum. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt: ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.* B C D

Zosimus papa ad totius orbis episcopos: sed non exstat epistola.

Neque hæc epistola exstat.

Prov. 8. sec. LXX.

Rom. 8. 14.

CAPUT IX.

QUOD ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Ad hanc enim nos professionem idem doctor instituit, qui cùm ad totius orbis episcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur: *Quod ergo*, ait, *tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, caussisque, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo, Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem, sed contra principes & potestates aëris hujus, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Et sicut ipse iterum dicit, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Et iterum, Gratiâ Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* E

Zosimus ibidem.

Ephes. 6. 12.

Rom. 7. 24.

1. Cor. 15. 10.

CAPUT X. Carthaginense concilium. Vide supra pag. 107.

ILLUD etiam, quod intra Carthaginensis synodi decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicæ sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitum est: *Ut quicumque dixerit, gratiam Dei, qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit.* Et iterum quarto capitulo: *Ut quisquis dixerit, gratiam Dei per Jesum Christum propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per* * *ipsum nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum Dei, ut sciamus quid appetere, & quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. Cùm enim dicat Apostolus, Scientia inflat, caritas verò ædificat, valde impium est, ut credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Christi, & ad eam quæ ædificat non habere; cùm sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus, ut ædificante caritate scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est, Qui docet hominem scientiam, ita etiam scriptum est, Caritas ex Deo est.* Item quinto capitulo: *Ut quisquis dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs possimus implere per gratiam; tamquam & si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possemus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, Sine me difficiliùs potestis facere; sed ait, Sine me nihil potestis facere.* F G A

* Carth. conc. ipsum.

1. Cor. 8. 1.

Psal. 93. 10.

1. Joan. 4. 7.

Johan. 15. 5.

CAPUT XI. Catholicæ Ecclesiæ orationes ad Deum.

PRÆTER beatissimæ & Apostolicæ sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi patres pestiferæ novitatis elatione dejectâ, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt, obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni catholica Ecclesia uniformiter celebrantur; ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cùm enim sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione fungantur apud divinam clementiam, humani generis agunt caussam, & totâ secum Ecclesiâ congemiscente postulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici catholicæ fidei [b] perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivæ caritatis accipiant, ut lapsis pænitentiæ remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis cælestis misericordiæ aula reseretur. Hæc autem non perfunctoriè neque inaniter à Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus: quando quidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur adtrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum Filii caritatis suæ, & ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ. Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referantur. B C

b

Coloss. 1. 13.

Rom. 9. 22.

CAPUT XII. Exorcismi & exsufflationes in baptismo.

ILLUD etiam quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu, cùm sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non priùs fontem vitæ adeunt, quàm exorcismis & exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur; ut tunc verè appareat, quomodo princeps mundi hujus mittatur foras, & quomodo priùs alligetur fortis, & deinceps vasa ejus diripiantur, in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem & dat dona hominibus. D

Johan. 12. 31.

Matth. 12. 29.

Marci 3. 27.

Psal. 67. 19.

Ephes. 4. 8.

His ergo ecclesiasticis regulis, & ex divina sumtis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino * conformati sumus, ut omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente fit providum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, ut quod vult, & velimus, & agamus: nec otiosa esse in nobis patitur, quæ exercenda, non negligenda donavit; ut & nos cooperatores simus gratiæ Dei; ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum sollicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & redimit de interitu vitam nostram. Et cui quotidie dicimus, Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo. E F

* f. confirmati.

Psal. 102. 3.

Matth. 6. 13.

CAPUT XIII.

PROFUNDIORES verò difficilioresque partes incurrentium quæstionum quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere. Quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium. G

[a] Editi, *fidelium*. Aptiùs MSS. *filiorum*.

[b] In MSS. *perfectione*.

A

De synodi Ephesinæ sententia in Pelagianos.

*Ex actione quinta habita post * consulatum Theodosii XIII. & Valentiniani III. decimo sexto Kalendas Augusti.*

* Anno Christi 431. die 17. Julii.

Anathematizamus autem & Apollinarium, & Arium, &c. Et præter hos insuper novarum blasphemiarum inventorem Nestorium, & qui ei communicant & consentiunt; & eos qui Cælestii vel Pelagii placita sequuntur, quorum dogmata numquam suscepimus.

B

Ex epistola synodica ad Cælestium, in ead. act. 5.

Johannes episcopus Antiochenus..... congregatis quibusdam, qui cum Nestorio simul recesserant, &c. ac veluti collecto collegio hominum circiter triginta numero, qui nomen habebant episcoporum, ex quibus alii erant extorres, otiosi, Ecclesiisque carentes; alii quoque ante multos annos ob graves culpas à suis metropolitanis depositi; cum ipsis etiam [a] Pelagiani & Cælestiani, ac nonnulli de iis qui ex Thessalia ejecti fuerunt; rem ausus est impiam, &c.

Porrò autem perlectis in sancta synodo commentariis actorum in depositione impiorum Pelagianorum & Cælestianorum, Cælestii, Pelagii, Juliani, Persidii, Flori, Marcellini, Orontii, & eadem cum illis sentientium, quæ à pietate tua de ipsis decreta & constituta sunt, judicavimus & nos ea solida firmaque permanere debere, & idem tecum omnes statuimus, eos pro depositis habentes.

C

Ex actione 7.

Can. I. Si quispiam metropolita provinciæ derelictâ sanctâ & œcumenicâ synodo, aut accessit ad illorum defectionis consessum, aut accedet in posterum, sive cum Cælestio sensit aut sentiet, ipse.... à synodo totius ecclesiasticæ communionis expers sit factus, &c.

Can. 4. Si qui autem clericorum defecerint, & ausi fuerint vel privatim, vel publicè, quæ sunt Nestorii aut Cælestii sapere, sancitum est à sancta synodo istos quoque depositos esse.

D

In eosdem hæreticos Pelagianos.

*Cælestinus papa in epistola ad synodum Ephesinam post Nestorii damnationem scripta * Idibus Martiis, Aëtio & Valerio Coss.*

* Die 15. Martii anno 432.

De his autem qui cum Nestorio videntur pari impietate sensisse, quique se socios ejus sceleribus addiderunt, quamquam legatur in eos vestra sententia, tamen nos quoque decernimus quod videtur. Multa * perspicienda sunt in talibus caussis, quæ Apostolica sedes semper adspexit. Quod loquimur, Cælestianorum testantur exempla, quod spem de synodo huc usque gesserunt.

* al. prospicienda.

E

Idem in epistola Maximiano in Nestorii locum suffecto data eodem die 15. Mart. an. 432.

Locum impietas novella non habeat, & compresso olim per totum orbem suâ damnatione noto Cælestiano errori à tua vigilantia resistatur; ut quicumque hujus dogmatis sunt sequaces, ab omni societate hominum repellantur. Obsistat illis per te Spiritus sanctus his in omnibus, qui ad has quascumque conantur provincias pervenire, ne eorum impia prædicatio resurgat; obsiste eis. Ita enim, ut damnentur, quocumque perveniunt, innotescunt; & tamquam non illis sententia totiens repetita sufficiat, longinquas terras remotasque provincias inquietant: sed eos ille persequitur, cujus fidem sua pravitate persequi nitebantur, & quò se abscondant, ad quas latebras confugiant, suâ se impietate prodentes invenire non possunt.

F

Idem in epistola ad Constantinopolitanos eodem die data.

Audivimus hunc (Nestorium) agentem contra legem & iniquum quæ sint solatia prosecuta: adfuerunt inter alios, nec deseruerunt eum Cælestiani iniquitatis operarii, quos Hymnidici nostri persequitur manifesta sententia: jam dudum quippe inimici Dei dispergentur & pereunt qui operantur iniquitatem: * sicut idem dicit, velut cibum panis plebem dominicam devorabant. Habuit ergo secum sui magistros exsilii, habuit hujusce rei perfectos tyro doctores. Nam separare difficile est, quos scelera sola junxerunt; quia majore ligantur glutino fœdera vitiorum.

Psal. 91.
* f. qui sicut.
Psal. 13.

De Juliano fraudulenter in Ecclesiæ communionem irrepere moliente,

Prosper in Chronico ad annum 439.

Hac tempestate Julianus Eclanensis jactantissimus Pelagiani erroris adsertor, quem dudum amissi episcopatûs intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis speciem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. Sed his insidiis Xystus papa diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit: & ita omnes catholicos de rejectione fallacis bestiæ gaudere fecit, quasi tunc primùm superbissimam hæresim Apostolicus gladius detruncavisset.

G

De Pelagianis in communionem, nisi facta ab iis erroris abjuratione, non recipiendis,

Epistola * Leonis papæ,

Ad Aquileiensem episcopum.

* Inter Leonis epistolas olim 86. nunc 6. Scripta circiter ann. Christi 444.

Caput I.

Relatione sancti fratris & coëpiscopi nostri Septimii, quæ in subditis habetur, agnovimus quosdam presbyteros, diaconos, ac diversi ordinis clericos, quos Pelagiana sive Cælestiana hæresis habuit implicatos, ita in vestra provincia ad communionem catholicam pervenisse, ut nulla ab eis damnatio proprii exigeretur erroris, & pastoralibus excubiis nimiùm dormitantibus, lupos ovium pellibus tectos in ovile dominicum, non depositis bestialibus animis, introisse: & quod per auctoritatem canonum decretorumque nostrorum ne insontibus quidem conceditur, usurpasse, ut relictis Ecclesiis, in quibus clericatum aut acceperant, aut receperant, instabilitate sua per diversa circumferantur, amantes semper errare, & numquam in fundamento apostolico permanere. Quoniam qui nullo discussi examine, nullo sunt præjudicio suæ professionis obstricti, hunc maximè expetunt fructum, ut sub velamento communionis plures domos adeant, & per falsi nominis scientiam, multorum corda corrumpant. Quod utique efficere non possent, si Ecclesiarum præsules necessariam diligentiam in talium receptione servassent, ne cuiquam eorum evagari in diversa licuisset.

Matth. 13. 25.
Matth. 7. 15.

Caput II.

Ne ergo hoc ulteriùs audeatur, neve per quorumdam negligentiam introducta pernicies, ad eversionem multarum tendat animarum, hac nostri auctoritate præcepti, industriæ tuæ fraternitatis indicimus, ut congregata apud vos synodo provincialium sacerdotum, omnes sive presbyteri, sive diaconi, sive cujusque ordinis clerici, qui de Pelagianorum Cælestianorumque consortio, in communionem catholicam eâ imprudentiâ sunt recepti, ut non priùs ad damnationem sui coartarentur erroris, nunc saltem, postea quàm hypocrisis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ & ipsis prodesse, & nullis possit nocere, cogantur. Damnent apertis professionibus suis superbi erroris auctores, & quidquid in doctrina eorum

[a] Eamdem verò, quod ad Pelagianos ad communionem admissos pertinet, criminationem Cyrillo & sociis vicissim intendebant episcopi Johanni Antiocheno adhærentes, qui ad Rufum Thessalonicensem scribunt: *Nam qui à diversis diœcesibus atque provinciis excommunicatione perculsi fuerunt, illos ipsi statim in communionem receperunt. Alios præterea de diversis etiam hæresibus accusatos, eademque sentientes cum Cælestio & Pelagio.... & ob id à suo diœcesano vel metropolitano excommunicatos, ecclesiasticâ disciplinâ contemtâ, communioni restituerunt.* Exstat epistola in conciliabulo Ephesino.

universalis

universalis Ecclesia exhorruit, detestentur: omniaque decreta synodalia, quæ ad excisionem hujus hæreseos Apostolicæ sedis confirmavit auctoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, plenis, & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum. Quoniam novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacumque particula dogmatis exsecrandi, quam à damnandorum soliditate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum. *Versutia Pelagianorum.*

Cúmque omnes definitiones suas ad subrependi facilitatem improbare se simulent atque deponere, hac ibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt, ut *gratia Dei secundùm meritum dari accipientium* sentiatur. Quæ utique nisi gratis detur, non est gratia, sed merces, retributioque meritorum, dicente beato Apostolo: *Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Omnis itaque bonorum operum donatio, divina præparatio est: * nec propria quisquam justificatur virtute, quoniam gratia unicuique principium justitiæ, & bonorum fons, atque origo meritorum est. Sed ab istis ideo per naturalem industriam dicitur præveniri, ut quæ ante gratiam proprio clara sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata: falsumque sit quod Veritas ait, *Quoniam filius hominis venit quærere & salvare quod perierat.* *Caput III. De gratia Christi quid sentiendum.* *Ephes. 2. 8. 9. 10.* ** al. quia non propria quisquam justificatur virtute, quàm gratia, quæ unicuique.* *Luc. 19. 10.*

Caput IV. Cavendum ergo dilectioni tuæ est, magnâque diligentiâ providendum, ne per hujusmodi homines exstincta dudum scandala suscitentur: & de exciso olim dogmate aliquod in provincia tua ejusdem mali germen oriatur: quod non solùm in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ Ecclesiæ sobolem veneno sui odoris inficiat. Qui correctos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent; & obediendo nobis, probent se esse nostros. Quorum si quisquam salubribus præceptis satisfacere detrectarit, sive ille clericus, sive sit laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur, ne perditor animæ suæ, saluti insidietur alienæ.

Caput V. Disciplina Ecclesiæ est, ut ne liceat transire de Ecclesia ad Ecclesiam. Illam quoque partem ecclesiasticæ disciplinæ, qua olim à sanctis patribus, & à nobis sæpe decretum est, ut nec in presbyteratûs gradu, nec in diaconatûs ordine, nec in subsequenti officio clericorum ab Ecclesia ad Ecclesiam cuiquam transire sit liberum, ut in integrum revoces, admonemus. Et unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ubi ordinatus est, perseveret: ita ut si quis *sua quærens, non quæ Jesu Christi*, ad plebem & Ecclesiam suam redire neglexerit; & ab honoris privilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus. Non autem dubitet dilectio tua, nos, si (quod non arbitramur) neglecta fuerint, quæ pro custodia canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementiùs commovendos: quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesque Rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam. *Philip. 2. 21.* *Excommunicatio.* *Prælatorum desidia.*

Epistola * ejusdem,

ad Septimium *episcopum Altinum.*

** Olim ordine 15. nunc 7. Scripta circiter annum Christi 444.*

Leo episcopus Septimio episcopo salutem.

Lectis fraternitatis tuæ litteris, vigorem fidei tuæ, quam olim noveramus, agnovimus: congratulantes tibi, quòd ad custodiam gregum Christi pastoralem curam vigilanter exsequeris, ne lupi, qui sub specie ovium subintrarunt, bestiali sævitiâ simplices quosque dilacerent; & non solùm ipsi nulla correctione proficiant, sed etiam ea, quæ sunt sana, corrumpant. Quod ne viperea possit obtinere fallacia, ad metropolitanum Episcopum provinciæ Venetiæ scripta direximus: quibus ad status sui periculum cognosceret pertinere, si quisquam de Pelagianorum & Cælestianorum consortio veniens, in communione catholica sine professione legitimæ satisfactionis habeatur. Saluberrimum enim est, & spiritualis medicinæ utilitate plenissimum, ut sive presbyteri, sive diaconi, sive alii cujuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri *Matth. 7. 15.*

A volunt, errorem suum, & ipsos erroris auctores damnari à se sine ambiguitate fateantur: ut sensibus pravis & dudum peremtis, nulla * spirandi supersit occasio, ne ullum membrum Ecclesiæ talium possit societate violari, cùm per omnia illis professio propria cœperit obviare. Circa quos etiam illam canonum constitutionem præcipimus custodiri, ne ab his Ecclesiis, ad quas propriè pertinent, sinantur abscedere, & pro suo arbitrio ad loca sibi non deputata transire. Quod cùm rectè non permittitur inculpatis, multò minùs debet licere suspectis. Proinde dilectio tua, cujus devotione gaudemus, jungat curam B suam dispositionibus nostris, & cum supradicto metropolitano det operam, ut circunspectè ac velociter impleantur ea, quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem & laudabiliter sunt * gesta, & salubriter ordinata. ** al. sperandi.* ** al. sunt suggesta.*

Contra Pelagianam hæresim in Dalmatia renascentem,

Epistola * Gelasii papæ,

Ad Honorium *episcopum Dalmatiæ.*

** Inter Gelasii epistolas ord. ne 5.*

C Dilectissimo fratri Honorio, Gelasius.

Licet inter varias temporum difficultates continuis occupationibus implicati, vix respirare valeamus: pro sedis tamen Apostolicæ moderamine totius ovilis dominici curam sine cessatione tractantes, quæ beato Petro Salvatoris ipsius nostri voce delegata est, *Et tu conversus confirma fratres tuos:* & item, *Petre amas me? pasce oves meas:* dissimulare nec possumus, nec debemus, quæ nostram sollicitudinem forma perstringat; cum beato Paulo apostolo sentientes atque dicentes, *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* *Lucæ 22. 32.* *Johan. 21. 17.* *2. Cor. 11. 29.*

D Ita quippe nos repentè tristis, horrenda, & vix credibilis confecit opinio, ut mentem nostram confunderet, sauciaret, affligeret. Nuntiatum nobis est enim, in regionibus Dalmatiarum quosdam recidiva Pelagianæ pestis zizania seminasse; tantumque illic eorum prævalere blasphemiam, ut simplices quosque mortiferi furoris insinuatione decipiant. Est quidem error ipse nefarius tanto perniciosior ad subrependum, quanto ad fallendum veri similitudinis colore versutior: * præstante Domino, adest fidei catholicæ pura veritas concordibus universorum Patrum depromta sententia, quæ & subtile virus funestæ pravitatis E exponat, & humano generi salvando conferat de Scripturarum confectione medicinam. Nullatenus igitur discretionem rerum nondum abundantia corda conturbet, donec & occultum vulnus appareat, & salvatio singularis eluceat: quoniam quantalibet arte fallaciæ spiritus perditionis armetur; sancto gladio Spiritûs principalis & detegitur & necatur. *Quàm periculosus & vigilanter cavendus error Pelagianus.* ** fortè addendum, sed.*

Quapropter per dilectionem tuam cunctos ibidem Domini sacerdotes fraterno commonemus affectu, ut qui cum erudiente vos Domino contra novitios pugnetis errores, olim perversitatem toto orbe damnatam, nec ipsos reci- F pere debeatis: aut quod temere putatur esse faciendum, quæ non hæresis majoribus nostris convenienter exstincta rursus provocare nos audeat, & palam novis resumtis viribus apertéque confligat? Numquid nam licet nobis à venerandis patribus damnata dissolvere, & ab illis excisa nefaria dogmata retractare? Quid est ergo, quod magnopere præcavemus, ne cujuslibet hæresis semel dejecta pernicies ad examen denuo venire contendat; si quæ antiquitus à nostris majoribus cognita, discussa, refutata sunt, restauranda nitamur? nonne ipsi nos (quod absit, & quod numquam catholica patietur Ecclesia) adversariis veritatis universis contra nos resurgendi proponimus exemplum? G Ubi est, quod scriptum est, *Terminos patrum tuorum non transgredieris:* &, *Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi; & seniores tuos, & dicent tibi?* Quid ergo tendimus ultra definita majorum; aut cur nobis non sufficit, si quid ignorantes discere cupiamus, qualiter ab orthodoxis patribus & senioribus singula quæque vel vitanda præcepta sunt, vel aptanda catholicæ veritati; cur non his probantur esse decreta? Numquid aut sapientiores illis sumus, aut poterimus firmâ stabilitate constare, si ea quæ ab illis constituta sunt subruamus? *Decisa à majoribus non sunt retractanda.* *Prov. 22. 28.* *Deut. 32. 7.*

Pelagiani Romanorum Pontificum ſententiis, & Imperatorum ſanctionibus damnati.

An fortaſſe neſcitis hanc hæreſim, de qua loquimur, & ab Apoſtolica dudum ſede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zoſimum, Bonifacium, Cæleſtinum, Sixtum, Leonem, continuis & inceſſabilibus ſententiis fuiſſe proſtratam; nec tantùm Eccleſiæ catholicæ legibus, ſed principum quoque Romanorum eo * tenore damnatam, ut nec uſquam terrarum vivendi locum ſectatores ejus habere ſinerentur? Quæ omnia tam geſtis Eccleſiæ per ſingulas quaſque regiones de eorum pravitate confectis, quàm cenſuræ publicæ ſanctionibus edocentur. Ecce quorum libet aures catholicas audire doctrinam, quæſtiones accipere, tractare tendiculas, & blaſphemias patienter admittere. O ſi ſtuderent adversùs eos majorum noſtrorum libros reſponſaque cognoſcere! illic modis omnibus cerneretur, nihil eſſe prorſus, quod non & ab iſtis fuerit ventilatum, & ab illis magnifica veritate contritum: ſicque de cunctis eorum nequitiis refutandis fideles quique redderentur inſtructi, ut nihil amplius quæreretur. Sed ſi forſitan ineruditos animos quædam de eorum ſenſibus propoſita commoverunt; ita venerabilium patrum doctrinis, & omnis eorum publicatur inſania, & quibus remediis curetur, oſtenditur, ut ex his Deo præſtante prævifis, cuncta quæ de eorum ſerie texuerunt, & periculoſa ſectantibus, & ſtulta deprehendentibus eſſe videantur: ita ut ſi quis exiſtimet reluctandum, non tamen veterum ſententiis contradictor exſiſtat; ſed humanæ ſaluti, catholicæque doctrinæ palàm ſe apertéque profiteatur inimicum; quò magis adtentiùs pervigil cura paſtorum à ſacris gregibus luporum debet arcere ſævitiam. Nam quidquid ovibus ſanctis acciderit detrimenti, præſulum (quod abſit) damnet incuriam; ſicut à regeneratis agminibus nocentium depulſio beſtiarum, cuſtodum præmiis perpetuum procurabit augmentum. Certè ſi, ut magis optamus, falſis hæc rumoribus ſint relata, quantocius deſideramus agnoſcere; ut qui membrorum Chriſti vexatione trepidamus, multo magis de eorum ſtabilitate lætemur. Data * v. Kalendas Auguſti, Albino fauſto V. C. conſule.

* al. tempore.

* Die 28. Jul. an Chriſti 493.

EPISTOLA * EJUSDEM ALTERA,

Ad eumdem HONORIUM.

* Inter Gelaſii epiſtolas ordine 6.

Dilectiſſimo fratri HONORIO, GELASIUS.

MIRAMUR dilectionem tuam fuiſſe miratam, curam ſedis Apoſtolicæ, quæ more majorum cunctis per mundum debetur Eccleſiis, pro veſtræ quoque regionis fide fuiſſe ſollicitam: cúmque ad eam perlatum eſſet, quòd quidam per Dalmatias integritatem catholicam vitiare niterentur, & divinis humaniſque legibus antè damnatum Pelagianæ peſtilentiæ denuo virus inferre; non putaverimus ullatenus differendum, quo minùs hæc diligentiùs inquirentes, aut ſi fortaſſe ſubrepſerant, de proximo ſanarentur, aut anxietatem noſtram, ſi falsò probarentur jactata, relevarent; æſtimantes melius nos videri impatientiùs talia inveſtigare voluiſſe, quàm creſcere diſſimulando perniciem. Neque enim vel ſilentio premere cauſſas hujuſmodi, vel differendo fovere deberemus: cùm dicente magiſtro gentium, *ſollicitudine non pigri*: atque iterum, *qui præeſt in ſollicitudine*: reos procul dubio nos, niſi continuò quæreremus, etiam ſi inaniter eſſent vulgata, convincerent. Nec intereſt per quos ad aures noſtras eadem perveniſſent, dum quomodolibet iſta referentibus, poſt quàm noſtram conſcientiam penetrarent, in his veraciter indagandis paſtorales excubias eſſe non oportuerit negligentes; quatenus vel è veſtigio poſſet lupis inhiantibus obviari, vel nullis exſiſtentibus feris, ovium cuſtodia ſecura perſiſteret. Ab his qui eſſent Chloes, Corinthiorum ſe diſſenſiones agnoviſſe teſtatur Apoſtolus, confeſtimque ſcribere non omittit; ut vel naſcentibus jurgiis pius medicator occurreret, vel de eorum comperta mox incolumitate gauderet: quod nos quoque litteris, quæ ſuper hac parte directæ ſunt, indicaſſe reminiſcimur; ut ſcilicet aut inrepentibus obſiſteremus inſaniis, aut ſi nihil horum penitus accidiſſet, de catholicæ veritatis integritate lætaremur. Quapropter non ſolùm dilectio tua noſtrâ non debet vigilantiâ permoveri; ſed præſentis colloquii ſalutatione percepta, nobiſcum potiùs induſtriam propriæ ſociare ſollertiæ: quatenus vel ſive tentata ſint talia, protinus corrigantur, vel ne qualibet obreptione tententur, adtentiùs præcavendo, ſubintrare non valeant.

Rom. 12. 11. & 8.

1. Cor. 1. 11.

De quibus autem ii, quos tua caritas deſtinavit, ſi pleniùs inſtrui voluerint, ſequentes tituli cum ſuis reſponſionibus intimabunt: & quoniam ſe his adquieſcere præfati eatenus ſunt profeſſi, ut eadem ſe & primitus tenuiſſe firmarent, ſed ante ullius in quæſtionem vocata vellent manifeſtiùs expediri: ſtuduimus, quantum inter occupationes fieri potuit, quæ nos minimè reſpirare patiuntur, largiente Domino, ſequentes paterna veſtigia, de talibus, quæ * cepimus non ſilere: quam regulam ſobriè ſentiendi quiſquis fideli corde ſectatur, inter orthodoxos meritò debeat æſtimari. Quiſquis verò putaverit abnuenda, ab apoſtolicis ſeſe non ambigat exſulare doctrinis. Certè ſi quid eſt quod valeat animum permovere, fraternitas tua conſulere fiducialiter * omittat, ut Domini gratiâ miniſtrante, totius diſcutiat obſcuritatis ambiguum fraterna collatio.

* f. accepimus.

* f. add. non.

DE SENE, NOMINE SENECA, IN Pelagianam hæreſim lapſo, cum refutatione trium errorum quos ille præſertim ſuſceperat à Pelagianis,

EPISTOLA * EJUSDEM GELASII,

* Inter ipſius epiſtolas 7.

Ad omnes epiſcopos per Picenum.

GELASIUS epiſcopus univerſis Epiſcopis per Picenum in Domino ſalutem.

BARBARICIS hactenus dolebamus incurſibus, maximè vicinas urbi provincias, & bellorum ſæva tempeſtate vaſtari: ſed quantum inter ipſa recentium calamitatum ferventia pericula comperimus, perniciosiorem diabolus Chriſtianorum mentibus labem, quàm corporibus hoſtilis feritas irrogavit. Quod malum principaliter illarum regionum reſpicit ſacerdotes, qui tantâ ſegnitie, tantâque miniſterii diſſimulatione ſuſcepti, commiſſarum ſibi negligunt regimen animarum, ut eas etiam ab exiguis quibuſque beſtiolis lacerari ſub conſpectibus ſuis impunè patiantur: quin immo ſubrepentes nequitias confovendo, & depravatoribus adquieſcendo fidelium, non ſolùm eas minimè retrahant, ſed ipſi magis præbeant propria nutrimenta perditionis exemplo. Quid autem tales eſſent acturi pontifices, ſi (quod abſit) vel aliqua nova peſtis & primitus ignorata prorumperet, vel ingeniis acrioribus ſenſibuſque verſutis aut aliquâ ſæcularium doctrinarum peritiâ callidis, ſacrilega blaſphemiarum dicta promerentur, qui tam veteris erroris detrita commenta, tamque majoribus Eccleſiarum magiſtris, quàm etiam noſtrâ ætate convicta non recolunt, nec refutant, atque ab imperitis ſtultiſque prolata non reſpuunt. Gratias omnipotenti Deo agimus, quoniam ſuorum corda per hujuſmodi perſonas examinat; qui hoc ipſum virus neſciunt, quod loquantur. Nam quid facerent populorum præſules ſub aſtutioribus inimicis, qui ſe ſubjiciunt libenter indoctis? Quando utique etiam ſi tanta erat in rectoribus dominici gregis prorſus ignavia, ut ne tam vilem hebetemque perſonam poſſint vel intelligere vel frænare, potiùs paſtorali curâ debuerint à nobis cognoſcenda perquirere, quàm ſuaſionibus inconſideranter abſurdis facilem ſubmittere voluntatem.

Pelagianæ hæreſis jam olim contrita.

Oblatus eſt enim nobis miſerabilis ſenex Seneca nomine, qui non modò totius eſt eruditionis alienus, ſed ipſius quoque intelligentiæ communis prorſus extraneus, in Pelagianæ voraginis cœno, ſicut de quibuſdam in Apocalypſi legimus, velut una ranarum impudenter immerſus, inque illa fæce horribiliter volutatus, nullatenus inde qualiter emergere poſſet inveniens; quia puritatem relinquens catholicæ veritatis, quanto ſe per lubricum falſitatis conatur adtollere, tanto magis ejus lutoſis foveis circumcluſus obruitur: de illis unus exſiſtens, de quibus Petrus dicit apoſtolus, *Hi verò velut irrationabilia pecora*

Seneca Pelagianus, vir nullius notæ, ac hebes.

Apoc. 16. 13.

2. Petr. 2. 12.

naturaliter in captionem & in perniciem, in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt, recipientes mercedem injustitiæ. Re vera enim sic ejus stolidus & obtunsus est animus, ut de his venenis, quæ malè hausit & vomuit, nullam rationem vel accipere valeat omnino, vel reddere: sed induratus obcæcatione diabolica, sibique jam traditus, cordis sui funesta sit obstinatione damnatus; nihilque superest ei, nisi ut Deus noster, qui dixit, quæ hominibus impossibilia videntur, apud se esse facilia, hujusmodi mentem potenti compunctione transfigat; ut secundùm beatum apostolum Paulum, resipiscat à diaboli laqueis, quibus captivus detinetur sententiâ divini judicii. Multa illi quæ de Pelagianis sensibus nec in somnis omnino contigerant, nos magis patefacta prodidimus, eaque dudum convicta esse monstravimus. Hæc etiam ipsa, quæ idem proferre videbatur, olim & ab hæreticis Pelagianis in medium producta docuimus, & à catholicis prædicatoribus competenter elisa: Pelagium, Cælestium, Julianum, ceterosque complures oratoriæ facundiæ viros in hac assertione probavimus fuisse convictos, & tam Ecclesiasticis constitutis, quam Imperialibus etiam percussos fuisse præceptis: proinde istum ferre non posse firmavimus, in quibus illi tales tantique prostrati sunt, qui nec ipsa quæ ab illis sunt disputata vel intellecta capere, vel eloquio simili possit adstruere. Sed, ut dictum est, diabolicâ mens inspiratione possessa, in profundum veniens jam malorum, ad remedia nulla consentit.

Luc. 18. 27.

2. Tim. 2. 26.

Auctores Pelagianæ hæresis facundi.

Error negans originale peccatum.

Quapropter de innumeris blasphemiarum generibus, quas auctores Pelagianæ hæresis ediderunt, tria, quæ sibi præcipuè hic senex lugendus adscivit, credidimus non tacenda; ut reserata manifestiùs panderentur, & Deo destruente faciliùs viderentur eversa: *In uteris*, inquiunt, *matrum opere divino creantur infantes; propterea justum videri non putant, quòd factura Dei sine ullis propriis actionibus cuiquam peccato gignatur obstricta; injustumque Deum faciunt, si rei efficiantur, ante quàm nati.* Hoc velut acutissimum sui dogmatis exserunt argumentum, non advertentes quia primi illi parentes generis humani de nullis utique genitoribus, sed de innoxia limi materia procreati, & purè atque sincerè potenter * arte divina compacti, factique rationales, propria voluntate seductorem sequuti diabolum, pravis cupiditatibus per excessum prævaricationis infecti sunt. In quibus utique humana natura peccavit, & humana est facta natura vitiosa, receptrix sine dubio mali, quod ante nescierat, quæ à bono rectoque deficiens, in affectum mali pravique recidere, ipso rerum consequentium tramite manifestum est. Tales igitur effecti principes nostræ substantiæ, semetipsos passibiles & corruptibiles reddiderunt; in tantum conditionis divinæ dona violantes, ut mortis fuerint ultione puniti. Hac enim die fuisse mortuos, qua mortales effecti sunt, ambiguum non habetur. Proinde quidquid isti genitores de suo germine protulerunt, opus quidem Dei est, secundùm institutionem naturæ; sed non absque contagio illius mali, quod sua prævaricatione traxerunt: & utique hoc idem ipsius mali contagium, certum est opus non esse divinum. Itaque non ex creatione Dei est vitium, quod voluntario motu natura collegit; sed etiam de vitiata per semetipsam natura Deus institutionem suam quidem suæ creationis exsequitur: sed creatio profert vitium, quod non ex institutione Creatoris accepit, sed quod ipsa per lapsum transgressionis suæ assumsit. Nam si ipsi primi homines ex nullis, ut dictum est, parentibus nati, & sine ullo formati contagio, per ambitum præsumtionis illicitæ semetipsos depravare potuerunt, & in opere Dei opus diabolicæ fraudis annectere; quid mirum, si iidem depravati protulerunt sobolem depravatam? Nonne etiam cùm Deus utique liberam condiderit humanam sua creatione substantiam, etiam apud humanas tamen leges extrinsecùs accedens servitus naturaliter eam reddit obstrictam & obnoxiam? Origine generantur obnoxii, & ex conditione servili gignuntur addicti; & nascendo fiunt priùs obligati, quàm geniti. Si hoc agitur de rebus extra naturam positis, quanto magis de his provenire non mirum est, quibus ipsa humana substantia depravata cognoscitur? Ac per hoc, sicut se ipsa humana substantia de institutione sincera actuum reproborum reâ fecit voluntate pollutam, sic edidit sobolem atque progeniem naturæ suæ ex actuum

Præcipuum argumentum Pelagianæ hæresis, contra peccatum originale.

Prov. 18, 3.

* f. potentia, vel divinâ.

Quâ die mortui primi parentes.

A suorum reâ voluntate maculosam; quia hujusmodi genuit prolem, cujusmodi se ipsa reddidit prævaricationis excessu. Ideo non solùm de se profert quod bene Deus instituit, sed etiam quod malè ipsa inconsequenter adjecit. Quemadmodum autem qualitas interior appetendi valet immutare naturam, divinæ lectionis auctoritate firmatur: sic denique pascenti Jacob commissus ille grex ovium, suppositâ canalibus varietate virgarum dum potat, illectus affectionali delectatione, concepit quod non habuit in natura, & * molitum sensibus transfudit in prolem, quod in creatione non sumsit: quod tunc utique figuraliter gestum, & in ecclesiasticis significavit gregibus hoc futu-
B rum, & Pelagianorum Deus prævidens calumnias, & excitandas fidelibus suis decertationes, intelligentiam præparavit.

Genes. 30. 38. & 39.

* fortè, inolitum.

Docent divina testimonia, & ipsa ecclesiastica sacramenta, & ab ipso Domino Salvatore catholicorum traditio magistrorum, humanæ generationis decolorata primordia. Hinc est quod clamat Propheta, *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum esse à peccatis? Nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Hinc est, quod item dicit Scriptura, *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Et alibi, *Quia*
C *semen*, inquit, *erat maledictum.* Necnon etiam David propheta testatur, *In iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Et si hoc ille dicit, quis aliter se asserat procreatum? Beatus apostolus quoque Paulus asserit, *Et nos aliquando eramus naturâ filii iræ, sicut & ceteri.* De qua ira in Evangelio dicit, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, habebit vitam æternam; qui autem non crediderit, jam judicatus est, & ira Dei manet super eum.* Illa utique, de qua dictum est, *Morte morieris.* Ipse Dominus Jesus Christus cælesti voce pronuntiat, *Qui non manducaverit carnem filii hominis, & biberit sanguinem ejus, non habebit*
D *vitam in semetipso:* ubi utique neminem videmus exceptum; nec ausus est aliquis dicere, parvulum sine hoc sacramento salutari ad æternam vitam posse perduci: sine illa autem vita, in perpetua futurum morte non dubium est. Cur igitur infans hac sorte concluditur, si nullum habet omnino peccatum? Magisque videbitur (quod absit) injustus Deus, si illic infligatur pœna, ubi nulla sit culpa. Unde cùm de propriis actibus nullo reatu teneatur obstrictus; nihil restat, nisi ut sola sit vitiosa nativitate pollutus; & si non fuerit mysterii Christiani participatione mundatus, ad vitam non potest pervenire perpetuam. Hinc est quod exsufflantur, & catechizantur infantes: &
E quia in opere Dei, * quod in auctore suo bene sunt instituti, opus diabolicæ malignitatis accessit, eruti de potestate tenebrarum, (sicut docet Apostolus,) ad filii Dei sortem purgationemque legitimam transferuntur. Nisi autem prima generatio, quam bonam Deus instituit, prævaricatione venisset in culpam, & reprobabilis esset effecta; secunda generatio subroganda non fuerat. Propter quod dicit beatus Paulus apostolus, *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransiit; in quo omnes peccaverunt.* Et paulò pòst, *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in*
F *condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Sicut autem *omnes in condemnationem* dicit, utique qui de Adam parente sunt geniti, sic *omnes in justificationem vitæ* non nisi illos adstruit, qui in Christi mysterio sunt renati. Innumeris talibus instrumentis hæresis Pelagianæ doctrina mortifera, & à nostris est convicta majoribus, & nunc eorum copiosa potest eruditione convinci: nec debent simplices animos ista turbare, quibus, quæ non intelligunt, secundùm ecclesiasticam formam credidisse sufficiet; aut si quis nosse desiderat, interrogare conveniet.

Prov. 20, 9.

Job 14. 4. juxta 70.

Ibidem juxta Vulgatam.

Sap. 12. 11.

Psal. 50. 7.

Ephes. 2. 3.

Johan. 3. 36. & 18.

Genes. 2. 17.

Johan. 6. 54.

Injustum ut illic infligatur pœna, ubi non est culpa.

Infantes cur exsufflantur & catechizantur.

* fortè, quo.

Coloss. 1. 13. & 12.

Rom. 5. 12.

Ibid. 18.

G De parvulis autem quod asserit, *sine sacro baptismate pro solo originali peccato non posse damnari*; satis impia, satis profana propositio est. Quamvis enim recentes ab utero matrum, in remissionem peccatorum baptizari nullus Christianus ignorat: quod utique non fallaciter, sed veraciter catholica celebrat Ecclesia, ne in sacramentis cælestibus (quod absit) mentita videatur: proinde quia propria non habeant ulla peccata, constat eis sola prorsus originalia relaxari. Itaque omnibus etiam solis remissis vitam per baptismum consequuntur æternam; consequens est, ut solis

Secundum caput Pelagianæ doctrinæ.

etiam non remissis, ad æternam vitam pervenire non pos-
sint. Unde & Dominus, sicut superiùs diximus, ait,
Johan. 6. 54. (quod utique nisi baptizatis non convenit,) *Qui non man-
ducaverit carnem filii hominis, & biberit sanguinem ejus, non
habebit vitam in semetipso.* Sine vita autem esse perpetua
* forte addendum, Et. quid est, nisi in sempiterna morte constitui? * Quamvis
idem sit regnum cælorum quod æterna vita: tamen ut
providentia Dei omnes Pelagianorum nequitias amputaret,
Johan. 3. 5. non solùm dictum est, *Qui non fuerit renatus ex aqua &
Spiritu-sancto, non intrabit in regnum cælorum:* sed etiam pa-
riter dictum est, *Qui non manducaverit carnem filii hominis,
& biberit sanguinem ejus, non habebit vitam in semetipso.* De
vita autem æterna hoc dictum nullus addubitat; quoniam
multi non manducantes hoc sacramentum, vitam habere
videantur præsentem. Nihil est ergo quod non renati in-
fantes tantummodò in regnum cælorum ire non valeant,
non autem perpetua damnatione puniantur; dum sine ba-
ptismate corpus & sanguinem Christi nec edere valeant,
nec potare: sine autem hoc, vitam in semetipsis habere
non possint; sine vita verò non nisi mortui sint futuri. Di-
cant, igitur in morte perpetua constituti, si non æstimen-
Tertius locus inter dextram & sinistram non datur. tur esse damnati. Tollant ergo de medio nescio quem ipsi
tertium, quem decipiendis parvulis faciunt locum. Et quia
non nisi dextram partem legimus & sinistram, non illos fa-
Matth. 25. 33. ciant in sinistra regione sine baptismate remanere, sed ba-
ptizatos sinant ad dextram salutarem sacra regeneratione
transferri.

Tertium caput doctrinæ Pelagianæ. Tertio capitulo jam toto mundo cognita atque convicta
Pelagianorum deliramenta * circumferre, quibus dicunt,
* Forté, circumfert. *quòd homo per liberum arbitrium*, quod corrupit, fœdavit,
ac perdidit, *bono suffragante naturæ beatus efficiatur:* cùm de
beatitudine paradisi, ubi bona fuerat constituta substantia,
nisi suo amisso bono nullatenus potuisset expelli; unde
mortalis effecta, quia de bono utique prævaricatione trans-
isset ad malum, & à participatione divina ad diabolica
semet facinora contulisset; ideo deceptori suo, cui volens
assenserat, competenter addictus; ideo de felicitatis suæ
Genes. 3. 18. caritate seclusus, atque ad spinas & tribulos miseriasque
multiplices cælesti voce damnatus est: quæ utique pœna
Miseriæ humani generis ex peccato. justi judicii tam gravis & aspera in bono perseveranti nul-
latenus esset inflicta, & nisi malo non convenienter illata
probaretur. Ecce sine divino suffragio, (quod in illa bea-
titudine positus numquam legitur expetisse,) non solùm
homini naturale bonum prodesse non potuit, non solùm
non effecit beatum; sed cum hoc solo confidit, atque ad
ejus non revertitur largitorem, & beatitudinem potiùs
amisit, & malorum omnium sumsit exordium. Quòd au-
tem libero arbitrio beatitudinem consequatur, quo malè
usus in perpetuam recidit servitutem, sicut scriptum est,
Johan. 8. 34. 2. Petr. 2. 19. *Qui facit peccatum, servus est peccati; à quo quis superatur,
huic & servus addicitur:* nonne hæc est illa præsumtio na-
turalis, quæ ad detestandæ captivitatis jura descendit;
Eccles. 40. 1. quam scriptura sancta sic memorat: *Grave jugum super filios
Adam à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem se-
pulturæ in matrem omnium:* de qua genus humanum non
nisi solus Dominus noster Jesus Christus commercio suæ
redemit passionis, & mutata nativitate nos eruit? Solus
Luca 19. 10. utique *venit quærere & salvare quod perierat*, ut libertas,
quæ per temerariam fuerat dejecta superbiam, instauretur
reparata per gratiam; mutuaque vice, humanæ voluntatis
arbitrium, sicut sequendo diabolum, captivitatem merue-
rat sempiternam, sic reformatæ subsequendo libertatis au-
ctorem, amissum rediret ad præmium. Hinc est quòd ipse
Johan. 8. 36. Dominus ait, *Cùm vos Filius liberaverit, tunc verè liberi
Rom. 6. 20. eritis.* Et apostolus beatus Paulus exsequitur, *Cùm servi
essetis peccati, liberi fuistis justitiæ*, id est alieni à justitia:
Ibidem 18. *liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ.* Et iterum
Galat. 4. 31. idem ipse, *Libertate*, inquit, *quâ vos Christus liberavit.*
Philip. 2. 13. Nonne ipse vas electionis affirmat & dicit, *Deus est qui
Deus in mala voluntate non operatur velle operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate* ne
etiam in mala voluntate, & velle & perficere Deus puta-
retur operari?

Illud autem Pelagianorum peculiare virus est, olimque
detritum; quo putant *gratiam Dei secundùm merita hominum
posse conferri:* quod absit à mentibus Christianis, cùm
Rom. 11. 6. testetur Apostolus: gratia est quæ gratìs datur: *alioquin si
ex operibus gratia jam non est gratia;* quia merces redditur,
non gratìs, unde gratia nomen accepit, impenditur. Quis

A autem audeat dicere Christianus, aliquid habere boni si-
ne gratia? quando magister gentium clamat, cuncta bre- 1. Cor. 15. 10.
viter in se dona concludens, *Gratia Dei sum id quod sum,
& gratia ejus in me vacua non fuit:* ut ostenderet, quia
donum gratiæ non ipse præcesserit, sed fuerit subsequutus:
utque monstraret cooperatorem se esse gratiæ subsequendo, Gratia præcedit, nos subsequimur.
Sed plus omnibus, inquit, *illis laboravi.* Ac rursus, veritus
ne de se præsumere videretur, adjunxit, *non ego, sed gratia* Ibidem.
Dei mecum. Non dixit, ego & gratia Dei mecum, sed
præposuit gratiam præcedentem se, atque subjunxit. Quid
autem haberi possit sine gratia, cùm sit fides ipsa per gra- 1. Cor. 7. 25.
tiam? eodem Apostolo nos docente, *Misericordiam consecu-
B tus sum ut fidelis essem.* Nec aliud est misericordia divina
quàm gratia. Audiamus etiam quemadmodum informat
Ecclesiam: *Gratiâ*, inquit, *salvi facti estis per fidem:* ut Ephes. 2. 8.
principium salutis & fidei à gratia cœpisse dissereret: si-
cut secutus annectit, *Et hoc non ex vobis, sed Dei donum* Ibid.
est; non ex operibus, ne quis extollatur. Idem ipse alibi ge-
neraliter & absolutè pronuntiat, dicens, *Quid enim habes* 1. Cor. 4. 7.
*quod non accepisti? Aut si accepisti, quid gloriaris quasi non
acceperis?* Quis sufficiet singula recensere? Quibus eviden-
ter apparet, non naturalis libertatis arbitrium gratiam pro-
mereri, sed potiùs per gratiam recipere, ut à servitute,
C quam peccando meruerat, misericorditer absolutum esset,
hujus sacramenti redemtione ante mundi principium sem-
piternâ providentiâ præparati, sive nondum prolatâ lege,
seu sub observatione legali, figuralibus signis atque sacri-
ficiis omnium sanctorum virorum feminarumque sancta-
rum vetus origo mundata est, universisque justis per gratiæ
spiritum hoc de longè adorando mysterio salutis æternæ
remedia contigerunt, cujus in Christo manifestata genti-
bus plenitudo, mundum purgat, & renovat, beatitudi-
nisque perpetuæ verè facit esse participes.

Quapropter nimis incusamus fratres & coëpiscopos
nostros, maximè per Piceni provincias Ecclesiam Domini
D gubernantes, qui non solùm ineptissimi senis abjectæque
personæ pravum non deterruere colloquium, verùm & suo
nutrivere consensu. Quis audiat? quis ferat, passos esse
pontifices, ut cadaver nescio quod indignum, presbyterum * f. auderet communione privare.
sibi non adquiescentem * audire, communione privaret?
Quomodo talis vel susceptus ab aliquo, vel patienter au-
ditus est? Qui insuper leges dedit, libenter exceptus, ut
servi Dei cum puellis sacris congregatione dedecorissima
miscerentur. Nam cùm spirituales animi, etiam cùm de-
sint ista consortia, imaginariis infestentur illecebris; quem-
admodum alterni sexus intuitu, qui illicitè nolentes non
E vehementiùs incitentur? Adhuc majus scelus accrescit,
ut sub conspectu & præsentia sacerdotum, beatæ memo-
riæ Hieronymum atque Augustinum, ecclesiasticorum lu- Eccles. 10. 1.
mina magistrorum, *musca moritura*, sicut scriptum est, *ex-
terminans oleum suavitatis*, lacerare contenderet. Sed quid
miremur Ecclesiarum præsules ista negligere, quos, sicut
à multis audivimus, contra canones omnia gerere, & con-
tra apostolicam disciplinam passim cuncta miscere, mani-
festum est; non servatis regulis ordinare, licitéque non
solùm monachos, sed etiam ministros Ecclesiæ cum femi-
nis ad peregrina migrantes remeare rursus, & ab aliis epi-
F scopis in militiam provehi clericalem? Quæ cùm singula
toleranda non sint, quis sustineat tot & talia facinora per-
petrari, quibus spectaculum gentilibus, Judæis, & hære-
ticis non immeritò præbentes, in ipsum (quod absit) Isai. 52. 5. Rom. 2. 24.
tendere videatur religionis excidium? Dignéque ista fa-
cientibus aptabitur illa sententia dicentis Apostoli: *No-
men enim Dei per vos blasphematur in gentibus.*

Sufficiat igitur hactenus fuisse hæc commissa, & ut pla-
cetur Deus humanis rebus, sollicitiùs divina curentur.
Nusquam loci prorsus inveniatur præfatæ pestis assertor,
nec accessum prorsus Ecclesiæ, vel usquam participationem
catholicæ communionis inveniat, qui hæreticorum mavult
G subsequi nefaria professione consortium; & hi cum qui-
bus antea probabitur noxium miscuisse colloquium, nisi
resipiscunt, & ab ejus societate discedunt, ab ecclesia- * f. debita
stico remoti servitio, * devota ultione plectantur, quâ ce-
teris cavendi ministretur exemplum; nullum adeat, nec
usquam loqui damnatæ olim blasphemiæ jam sinantur. Dis-
creta suis habitationibus virorum atque feminarum sicut
sanctum propositum decet, exerceatur circumspecta de-
votio. Contra canonum constituta nullus ad ecclesiasti-
cum

næ in templis separandi.

cum permittatur officium: non ignoraturis provinciæ uniuscujusque rectoribus, nec de præteritis se veniam reperturos erroribus, si deinceps dissimulaverint vitare patefactos: nec excusationis de cetero relinquetur occasio, si post præcepta præsentia, quæ per Romulum diaconum, cujus sollertiam pro fide catholica & pro religione vigilantiam gratissimè comprobamus, duximus destinanda, quisquis super his omnibus aut contemtor aut negligens deprehendetur Antistes. Sicut enim ad sedis Apostolicæ moderamina pertinet, cunctis sollicitudinem debitam ministrare congruenter Ecclesiis: ita necesse est, ut in contumaces & desides traditam sibi divinitus non dissimulet potestatem. Dat. * Kal. Novemb. Albino V. C. Cons.

* Die 1. Novembris anno Chr. 493.

Scytharum Monachorum de gratia Dei professio contra Pelagianos.

Ex libello nomine Johannis Maxentii *& sociorum dato* legatis Hormisdæ *papæ apud Constantinopolim anno Christi 519.*

His ita se habentibus, Beatissimi, nunc quid jam de gratia Dei, non qua creamur, sed de ea qua recreamur & renovamur, sentiamus, breviter exponentes, sanctitati vestræ necessariò credimus facere debere manifestum: eo quòd etiam in hac parte inimici gratiæ Dei, id est, Pelagii & Cælestii sectatores nimiùm nobis infesti esse videntur.

Igitur confitemur rectum in omnibus à Deo creatum Adam, non mortalem, nec immortalem, sed utriusque capacem; habentem in proprii facultate arbitrii, & velle & posse ad omnia, hoc est, & ad bonum & ad malum. Hunc callidi serpentis deceptum astutiâ, propriâ sponte prævaricatorem exstitisse divini præcepti; atque ob hoc justo judicio Dei, non solùm morti corporis, verùm etiam animæ effectum obnoxium; & pristino honore nudatum, jumentis similem factum: non quòd irrationabilis sit effectus, sed quia rationalis vigor ejus carnali delectatione est obligatus. Sensit denique mox inobedientiæ merito legem contrariam in propriis membris, repugnantem legi mentis suæ, captivantem se in lege peccati. (Rom. 7. 23.) Quod malum & pœnam mali in universum credimus transisse genus humanum: nec enim mortem corporis tantùm, quæ pœna peccati est, sicut quidam dicere volunt; sed & aculeum mortis, hoc est, peccatum ingressum in mundum. Quia non istis, sed Apostolo potiùs adquiescimus, qui & peccatum & mortem in omnes homines pertransisse testatur dicens, (Rom. 5. 12.) *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransivit, in quo omnes peccaverunt.* Propterea recentes ab utero parvulos, non tantùm ut adoptionem mereantur filiorum, aut propter regnum cælorum, sicut Pelagii, & Cælestii, sive Theodori Mopsuesteni discipuli, qui unum & idem naturale & originale peccatum esse affirmare conantur; sed in remissionem peccatorum eos credimus baptizari, ne pereant in æternum.

Inarmatus igitur naturæ vigor per malum prævaricationis, nullatenus valuit per semetipsum inde resurgere, quò per propriam voluntatem erat lapsus. Quapropter nullum ab Adam nunc usque per naturæ vigorem credimus esse salvatum, nisi dono gratiæ Spiritus-sancti, in fide nominis Jesu. (Act. 4. 12.) *Quia non est aliud nomen datum hominibus sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri*, nisi in nomine Jesu Christi. Liberum autem naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus, nisi ad discernenda tantùm & desideranda carnalia, sive sæcularia, quæ non apud Deum, sed apud homines possunt fortassis videri gloriosa: ad ea verò quæ ad vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, nec desiderare, nec perficere posse, nisi per infusionem & inoperationem intrinsecùs Spiritus-sancti, qui est etiam Spiritus Christi. (Rom. 8. 9.) *Spiritum enim Christi qui non habet, hic non est ejus.* Quòd si quis credit in Christo, jam Christi est: sicut & verum est, non utique per donum naturæ, sed per Spiritum-sanctum est, qui Christi est. Qui jam *credit in eum, qui justificat impium*, (Rom. 4. 5.) ut confiteatur quia *Dominus est Jesus*; (Rom. 10. 9.) quod *nemo potest dicere nisi in Spiritu-sancto.* (1. Cor. 12. 3.) Quapropter anathematizamus eos, qui naturale aut substantiam aliquam dicunt esse peccatum. Abominantes etiam eos, qui contra vocem Apostoli audent dicere, Nostrum est velle, Dei verò perficere. Cùm idem doctor & velle & perficere donum testetur esse divinum, ipso dicente: *Deus enim est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* (Philip. 2. 13.) Credentes etiam omnes ab Abel usque ad Christum, si qui salvati sunt, eâ gratiâ, qua & nos, esse salvatos; secundùm vocem beati apostoli Petri dicentis, *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus, sed per gratiam Domini Jesu credimus salvari, quemadmodum illi.* (Act. 15. 10. & 11.)

Ex epistola Petri diaconi et sociorum, qui ob quæstiones fidei ex Oriente Romam missi fuerunt, scripta * ad episcopos Africanos in Sardinia exsules.

* Circiter annum Christi 520.

De gratia Christi quid cum ipsis universæ Orientis Ecclesiæ sentiant, & contra hæreticos defendant.

Dominis sanctissimis & cum omni veneratione nominandis, Datiano, Fortunato, Albano, Orontio, Boetho, Fulgentio, Januario, & ceteris episcopis & in Christi confessione decoratis, exigui Petrus diaconus, Johannes, Leontius, alius Johannes, & ceteri fratres in caussa fidei Romam directi.

Caput I.

Utile & pernecessarium sanctisque Dei Ecclesiis specialiter credimus profuturum, ea quæ de Incarnatione & dispensatione divina nobiscum universæ sanctæ Ecclesiæ Orientalium contra hæreticos defendunt, (qui pravis & iniquis argumentis antiquam Ecclesiæ fidem inquietare non cessant,) sanctitati vestræ suggerere, atque de his consensum vestræ beatitudinis suppliciter promereri. Quia in nullo sanctam gloriosamque confessionem vestram credimus dissentire: præsertim cùm uno ubique Spiritu sanctam Dei Ecclesiam vegetari minimè dubitemus. Non enim parvâ, immo potiùs magnâ lætitiâ universi replebuntur Orientales, si sanctitatem vestram suis, immo magis catholicis noverint in omnibus consentire dogmatibus. Unde suppliciter petimus & obsecramus beatitudinem vestram, quatenus diligenti examinatione, ea quæ inferiùs continentur discutientes, ut decet verissimos & intrepidos Christi prædicatores, scriptis [a] sententiam vestram nobis patefieri jubeatis: ut si Deo præstante catholicæ fidei conveniens, & apostolicis traditionibus nostra apud vos (sicut non diffidimus) fuerit expositio comprobata, & facilè tantorum virorum probatissimorumque sacerdotum auctoritate muniti, iniqua loquentium ora obstruere valeamus, & in fide sanctorum Patrum perseverantes, Deo qui vos sanctimonii sui confessione glorificavit, gratias referamus, Domini sanctissimi & Deo dignissimi. Nunc ea quæ sequuntur, diligentiùs petimus exploretis, * &c.

* Omittuntur quatuor capita de Incarnatione.

Caput VI.

Post hæc consequens est, etiam qualiter de Christi gratia sentiamus, qua nos eruit de potestate satanæ, secundùm quod nobis est traditum, vestræ beatitudini declarare: quia etiam in hac parte auctoritas vestra nobis valde est necessaria. (Coloss. 1. 13.) Credimus itaque bonum & sine ulla carnis impugnatione à Deo Creatore omnium factum Adam, magnaque præditum libertate, ita ut & bonum facere in propria facultate haberet, & malum si vellet posset admittere. Eratque mors & immortalitas in ejus posita quodam modo arbitrii libertate. Capax enim erat utriusque rei, ut si servaret præceptum, sine experientia mortis fieret immortalis: si verò contemneret, mors continuò subsequeretur. Itaque serpentis astutiâ depravatus, sponte divi-

Qualis Adam sit creatus.

[a] Respondit Fulgentius nomine episcoporum cum ipso quindecim, scripto libro de Incarnatione & Gratia, cujus exordium est: Beatus *frater noster Johannes diaconus à vestra societate directus, litteras nobis quas misistis exhibuit: quibus recensitis, vestram simul alacres & fidem cognovimus, & salutem: immo in agnitione fidei vestra nobis salus innotuit.*

næ legis prævaricator effectus eſt: & ideo ſecundùm quod ei prædictum fuerat, juſto judicio Dei, mortis pœnâ damnatur, totuſque, id eſt, ſecundùm corpus & ſecundùm animam in deterius commutatus, amiſſa libertate propria, ſub peccati ſervitio mancipatur. Ex hoc nullus eſt hominum, qui non hujus peccati vinculo naſcatur adſtrictus, præter eum qui ad hoc vinculum peccati ſolvendum novo generationis modo natus eſt, Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus. Quid enim aliud potuit aut poteſt naſci ex ſervo, niſi ſervus? Neque enim cùm eſſet liber Adam filios procreavit, ſed poſt quàm ſervus peccati factus eſt. Ideo ſicut omnis homo ab illo eſt, ita & omnis homo ſervus peccati per ipſum eſt. Hinc & Apoſtolus: *Ex uno,* inquit, *in omnes homines in condemnationem.* Et rurſus: *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Falluntur ergo omni modo, qui dicunt mortem ſolam, non etiam peccatum tranſiiſſe in genus humanum: cùm Apoſtolus & peccatum & mortem mundo per eum teſtetur illatum.

Per peccatum totus homo factus eſt deterior.
1. Tim. 2. 5.
Rom. 5. 18.
Ibid. 12.

Ab hac igitur damnatione & morte nullus omnino liberatur, niſi gratiâ Redemtoris. Qui cùm eſſet Dominus, ut pote Deus, ut nos à ſervitute perpetua, & poteſtate diaboli liberaret, atque ad veram libertatem reduceret, factus eſt ſervus, accipiens formam ſervi. Hinc eſt, quod dicit ad Judæos, *Tunc verè liberi eritis, ſi vos Filius liberaverit.* Putabant enim ſe verè liberos, qui humanis occupationibus intentione vaniſſima ſerviebant. Ut ergo falſa libertas fieret vera libertas, id eſt, ut humana libertas fieret Chriſtiana libertas, eadem libertas liberatore indiguit, quò poſſet per ejus gratiam ab occupationibus humanis averſa, ea cogitare & deſiderare quæ pertinent ad vitam æternam. Sine hac igitur gratia poteſt quidem cogitare & deſiderare humana; non autem poteſt cogitare aut velle ſeu deſiderare divina. Quorum primum eſt & præcipuum fundamentum, & crepido quodam modo ſive omnium bonorum origo, credere in Dominum gloriæ crucifixum. Quod utique non eſt ex naturalis arbitrii libertate; quia non hoc caro & ſanguis, ſed Pater cæleſtis revelat cui voluerit, ad veram eum adtrahens libertatem, non violenta neceſſitate, ſed infundendo ſuavitatem per Spiritum-ſanctum, ut mox credentes dicamus, quia *Dominus eſt Jeſus:* quod *nemo* per naturalem arbitrii libertatem *poteſt dicere niſi in Spiritu-ſancto.* Fruſtra ergo garriunt, qui dicunt, Meum eſt velle credere, Dei autem gratiæ eſt adjuvare; cùm etiam ipſum credere, quod eſt conſenſum præbere veritati, nobis à Deo dari teſtetur Apoſtolus, dicens, *Vobis enim datum eſt à Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, verùm etiam ut pro illo patiamini.*

Philip. 2. 7.
Johan. 8. 36.
Sine gratia, non niſi humana cogitamus.
Matth. 16. 17.
1. Cor. 12. 3.
Quid ſit credere.
Philip. 1. 29.

CAPUT VII. *Objectio.*

SED dicunt, Si nolentes Deus facit ut velint credere, nullus autem eſt qui naturaliter, ut dicitis, poſſit credere aut aliquid boni velle, quod pertinet ad vitam æternam; cur ergo non facit omnes velle, cùm non ſit perſonarum acceptio apud Deum, præſertim cùm de ipſo ſcriptum ſit, *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire?* Aut enim vult & non poteſt, aut mentitur ſcriptura divina. Quòd ſi horum quodlibet ſentire eſt impium; reſtat ut non ille excitet voluntatem humanam, ſed eam exſpectet ab homine, ut æquum ſit in volentibus præmium, in nolentibus autem juſta damnatio. Hæc ſi ita ſunt, ut hæretici jactitant, comprehenſa ſunt ab ipſis inſcrutabilia, & incomprehenſibilia Dei judicia. Si enim, ut ipſi volunt, nolentes damnat, ſalvat autem volentes; nihil eſt omnino quod quæratur ulteriùs. Et quantum ad ipſos, fallit ſcriptura divina, quæ incomprehenſibilia Dei teſtatur judicia. Nos autem incomprehenſibilia credentes & demonſtrantes judicia Dei, ex una maſſa perditionis alios ſalvari dicimus bonitate & gratiâ Dei, alios juſto & occulto judicio derelinqui. Alioquin dicant, ſi poſſunt, hi qui hoc divinæ juſtitiæ & bonitati contrarium æſtimant, cur is *qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire,* tam multas virtutes fecit in Corozaim & Bethſaida, & nullam harum in Tyro & Sidone facere voluit, ubi *ſi factæ fuiſſent* (ſicut ipſe teſtatur) *forſitan in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent?* Aut cur in Aſia & Bithinia Apoſtolum vetuit verbum ſalutis annuntiare? Quòd ſi iſta nequeunt comprehendi; redeant ad ſe, & invenientes ſe homines, deſinant quærere, cur alios ſalvet gratuito dono, alios derelinquat juſto & occulto judicio, qui po-
teſtatem habet ex eadem maſſa aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam: & clament unà nobiſcum, immo juxta Apoſtolum, *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quàm inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.* Manifeſtè ergo non nobis, ſed Apoſtolo omnino reſiſtit, qui dicit, *Niſi ego priùs voluero, gratia ad me non venit.* Quod omnino nihil aliud eſt dicere, niſi priùs dare Deo, ut retribuatur illi.

Rom. 2. 11.
1. Tim. 2. 4.
Rom. 11. 33.
Solutio, alios ſalvari bonitate & gratia Dei, alios juſto judicio derelinqui.
Matth. 11. 21.
Act. 16. 6. & 7.
Rom. 9. 21.
Rom. 11. 33. & ſeq.

CAPUT VIII. *Omnis pia cogitatio & bona voluntas ex Deo.*

SED nos ſequentes eumdem Apoſtolum, omnem bonarum cogitationum originem conſenſionemque earum & voluntatem ex Deo, & per Deum, & in Deo dicimus, qui pravas hominum voluntates & terrenis actibus implicatas, per infuſionem & inoperationem intrinſecùs ſancti Spiritus abſolvit, & corrigit, ſicut ſcriptum eſt, *Præparatur voluntas à Domino.* Hinc etiam beatus Baſilius Cæſarienſis epiſcopus in oratione ſacri altaris, quam penè univerſus frequentat Oriens, inter cetera: *Dona,* inquit, *Domine virtutem ac tutamentum, malos quæſumus bonos facito, bonos in bonitate conſerva; omnia enim potes, & non eſt qui contradicat tibi; cùm enim volueris ſalvas, & nullus reſiſtit voluntati tuæ.* Ecce quàm breviter, quámque diſtrictè, doctor egregius olim huic controverſiæ finem poſuit, docens per hanc precem, non à ſe ipſis, ſed à Deo malos homines bonos fieri, nec ſua virtute, ſed divinæ gratiæ adjutorio in ipſa bonitate perſeverare.

Prov. 8. 35. juxta 70.

Similiter beatus [a] Innocentius Apoſtolicæ ſedis antiſtes, in epiſtola ad concilium Milevitanum: *Omnia,* inquit, *ſtudia & omnia opera ac merita ſanctorum, ad Dei gloriam laudemque referenda ſunt; quia nemo aliunde ei placet, niſi ex eo quod ipſe donaverit.* Quod diligentiùs manifeſtiúſque in epiſtola ſua ad Papam Zoſimum replicando, ipſius Papæ ſententiam explicant Africana concilia dicendo, *Illud autem quod in litteris, quas ad univerſas provincias curaſti eſſe mittendas, poſuiſti dicens, Nos tamen inſtinctu Dei, (omnia enim « bona ad auctorem ſuum referenda ſunt unde naſcuntur,) ad « fratrum & coëpiſcoporum noſtrorum conſcientiam univerſa retu- « limus: ſic accipimus dictum, ut illos qui contra Dei adjutorium « extollunt arbitrii libertatem, diſtricto gladio veritatis, velut curſim tranſiens, amputares. Quid enim tam libero feciſti arbitrio, quàm quòd univerſa in humilitatis noſtræ conſcientiam retuliſti? Et tamen inſtinctu Dei factum fideliter ſapienterque vidiſti, veraciter fidenterque dixiſti; ideo utique quia præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda filiorum. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei: ut nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus magis illius * prævenire non dubitemus gratiam: * quòd ita Deus in cordibus hominum atque in ipſo libero operetur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit; quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus.*

Prov. 8. 35. juxta 70.
Rom. 8. 14.
** Cæleſt. valere.*
** Epiſt. Cæleſt. cap. 9.*

His congruè beatiſſimus Cæleſtinus in epiſtola ad Gallos data: *Cùm enim,* inquit, *ſanctarum plebium præſules mandata ſibi legatione funguntur apud divinam clementiam, humani generis agunt cauſſam, & totâ ſecum Eccleſiâ congemiſcente poſtulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab infidelitatis ſuæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici catholicæ fidei perceptione reſipiſcant, ut ſchiſmatici ſpiritum redivivæ caritatis accipiant, ut lapſis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis ſacramenta perductis cæleſtis miſericordiæ aula reſeretur. Hæc autem non perfunctoriè neque inaniter à Domino peti, rerum ipſarum monſtrat effectus; quando quidem ex omni errorum genere plurimos dignatur adtrahere, quos eruens de poteſtate tenebrarum transfert in regnum Filii caritatis ſuæ, & ex vaſis iræ facit vaſa miſericordiæ: quod adeo totum divini operis eſſe ſentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio laudiſque confeſſio pro illuminatione talium vel correctione referatur.* Ruríus poſt pauca: *His ergo,* inquit, *eccleſiaſticis regulis & ex divina ſumtis auctoritate documentis*

Epiſt. Cæleſt. cap. 11
Coloſſ. 1. 13.

[a] Legitur ſententia in capitulo 8. epiſtolæ Cæleſtini, ſuprà pag. 133. proximo quidem loco poſt Innocentii verba, ſed minimè tamen ad ipſum pertinens. Rurſum infrà ſimili prorſus errore initium capituli 9. pro verbis Africanorum antiſtitum acceperunt.

mentis, ita adjuvante Domino Deo confirmati sumus, & omnium bonorum effectuum atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem; & non dubitemus ab ipsius gratia omnis hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Terminat autem idem magister hanc ipsam epistolam, atque concludit ita dicens: *Quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ sedis nos scripta docuerunt; ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.*

Hæc, sanctissimi, non quasi ignorantibus suggerere necessarium æstimavimus; sed ad confutandam eorum amentiam, qui ea ut nova dogmata, & penitus Ecclesiis inaudita refugiunt, huic parvitatis nostræ libello inserere utile consideravimus. Quorum omnium sanctorum Patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium & Cælestium, (* Al. Eclanensem.) simulque etiam Julianum * Eclanensem, & qui illis similia sapiunt, præcipuè libros Fausti Galliarum episcopi, qui de monasterio Lirinensi provectus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est. In quibus non solùm contra horum omnium sanctorum Patrum, verùm etiam contra ipsius Apostoli traditionem veniens, humano labori subjungit gratiæ adjutorium, atque totam (Act. 15. 11.) omnino Christi evacuans gratiam, antiquos sanctos non eâ gratiâ quâ & nos, secundùm quod docet beatissimus Petrus apostolus, sed naturæ possibilitate salvatos impiè profitetur.

PETRUS misericordiâ Dei diaconus subscripsit.
JOHANNES misericordiâ Dei monachus subscripsit.
LEONTIUS misericordiâ Dei monachus subscripsit.
JOHANNES lector misericordiâ Dei subscripsit.

Anathematismi contra Pelagianos à Scythis Monachis ad Hormisdam papam legatione missis, Romæ (ut putant) editi anno 520.

(Rom. 5. 12.) SI quis non confitetur originale peccatum per prævaricationem Adæ ingressum in mundum, secundùm Apostoli vocem dicentis, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*, &c. anathema sit.

Item anathematizamus omnem sensum Pelagii & Cælestii, & omnium qui illis similia sapiunt, suscipientes omnia quæ in diversis locis contra ipsos acta sunt & scripta à præsulibus Apostolicæ sedis, id est, Innocentio, Bonifacio, Zosimo, Cælestino, Leone, Attico etiam Constantinopolitano, Augustino & Africanæ provinciæ episcopis.

DE LIBRIS FAUSTI EPISCOPI Reiensis in Gallia.

EPISTOLA POSSESSORIS *episcopi Africani ex Constantinopolitana urbe ad Hormisdam papam missa.*

Domino beatissimo.... papæ HORMISDÆ, POSSESSOR episcopus, in Domino æternam salutem.

DEGET & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quotiens agitur de sanitate membrorum. Quis enim majorem circa subjectos sollicitudinem gerit, aut à quo magis est nutantis fidei stabilitas exspectanda, quàm ab ejus sedis præside, cujus primus à Christo rector audivit, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?* Arbitror vestram beatitudinem non latere, quantis in Constantinopolitana urbe Ecclesia laboret insi-
A diis, & ad morem veteris morbi in saniem vulnus iterum quærat erumpere, quod obductum creditur cicatrice. Unde cùm quorumdam fratrum animus de codice Fausti cujusdam natione [a] Galli, Reginæ civitatis episcopi, qui de diversis rebus & frequentiùs de gratia Dei diserte visus est disputare, in scandalum moveretur; aliis, ut se habent humana studia, in contrarium renitentibus; me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem ea, quæ à tractoribus pro captu proprii ingenii disputantur, non ut canonica recipi, aut ad synodalium vicem pro lege servari: sed habere nos certa, scilicet quæ veteri lege vel novâ conscripta, & generalibus sunt Patrum decreta judiciis ad
B fundamentum fidei ac religionis integram firmitatem: hæc autem quæ antistites diversi conscripserunt, pro qualitate sui sine præjudicio fidei solere censeri. Sed cùm hæc, quantum in eorum frequenti postulatione persensimus, magis eis excusatio videretur: vel pro eorum prece, vel pro obsequii occasione reddendi apostolatui vestro, per Justinum diaconum meum præsumsi apices parvitatis meæ ingerere, quibus principaliter orationum vestrarum munimen exposcens, quæso ut consulentes quid de præfati auctoris dictis videatur, auctoritate apostolicæ responsionis agnoscant: maximè quòd filii quoque magistri militum Vi-
C talianus & Justinianus præcipuè super hac re rescripto beatitudinis vestræ similiter informari desiderant, &c. Accepta * XV. Kalend. Augusti, Rustico viro clarissimo consule. (* Die 18. Julii anno Christi 520.)

EPISTOLA * HORMISDÆ PAPÆ AD POSSESSOREM. (* Inter illius epistolas ordine 70.)

D SICUT rationi congruit, ut consulant ambigentes: ita par est respondere consultos; quia ipse impellit in errorem, qui non instruit ignorantem, &c.

Ubi non variæ tentationis aculei? Quales per hunc ferè jugem annum quorumdam Scytharum, qui monachos præ se ferebant, specie, non veritate, professione, non opere, subtili tectas calliditate versutias, & sub religionis obtentu famulantia odiis suis venena pertulimus; studentes eos ab interno vulnere medicabilis patientiæ moderamine sanare, beati Pauli monita non tacentes: *Noli verbis contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium*, &c. Hæc ideo dilectioni vestræ (2. Tim. 2. 14.)
E indicanda sub occasione credidimus, ne si illuc fuerint fortè delati, ignorantes quemadmodum se in urbe Romana tractaverint, sub aliqua verborum simulatione deciperent.

Hi verò, quos vos de Fausti cujusdam Galli antistitis dictis consuluisse, litteris indicastis, id sibi responsum habeant: neque illum [b] recipi; neque quemquam quos in auctoritate patrum non recipit examen catholicæ fidei, aut ecclesiasticæ disciplinæ ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præjudicium comparare. Fixa sunt à patribus quæ fideles sectari debeant instituta: sive interpretatio,
F sive prædicatio, seu verbum populi ædificationi compositum, si cum fide recta & doctrina sana concordat, admittitur; si discordat, aboletur. Unum est fundamentum, extra quod quælibet fabrica si consurgit, infirma est: super illud quisquis ædificat, sive vilia, sive pretiosa, consideret. Errat autem à via, qui ab eo quod Patrum electio monstravit exorbitat. Nec tamen improbatur diligentia per multa discurrens, sed animus à veritate declinans. Sæpe de his necessaria providetur, de quibus ipsi æmuli convincantur, instructio. Nec vitio dari potest, nosse quod fugias: atque ideo, non legentes incongrua in culpam veniunt, sed sequentes. Quòd si ita non esset, numquam doctor ille
G gentium adquievisset nuntiare fidelibus, *Omnia probate; quod bonum est tenete*, &c. Non improvidè veneranda patrum sapientia fideli potestate quæ essent catholica dogmata definiit; certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda, sancto Spiritu instruente præfigens; ne opinioni suæ lector indulgens, non quod ædificationi eccle- (1. Thessal. 5. 21.)

[a] Fallitur Possessor: nam Faustus se natione Britannum prodit multis locis.
[b] Respicit ad Gelasii papæ Decretum in Romana synodo anno 494. confectum, quo ipsa *Opuscula Fausti Rhegiensis Galliarum apocrypha* censentur, sub hoc simul cum hæreticorum libris titulo comprehensa: *Cetera quæ ab hereticis sive schismaticis conscripta vel prædicata sunt*, NULLATENUS RECIPIT *catholica & apostolica Romana Ecclesia, è quibus pauca....: credimus esse subdenda.* De quibus etiam in Decreti fine pronuntiatur: *Non solùm repudiata, verùm etiam.... sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.*

siasticæ conveniret, sed quod voluptas sua concepisset, A
assereret. Quid ergo calumniantibus opus erat extra constitutos Ecclesiæ terminos porrigere quæstiones, & de his quæ habentur dicta, quasi dicta non sint, movere certamina? cùm Christiana fides canonicis libris, & synodalibus præceptis, & patrum regularibus constitutis, stabili & inconcusso termino limitetur. De arbitrio tamen libero & gratia Dei, quid Romana, hoc est, catholica sequatur & asseveret Ecclesia, licèt in variis libris beati [a] AUGUSTINI, & maximè ad Hilarium * & Prosperum, possit cognosci; tamen in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur, quæ si tibi desunt, & necessaria creditis, destinabimus. Quamquam qui diligenter B Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, evidenter cognoscat. Data * Idibus Augusti.

[a] * De prædestinatione sanctorum & de dono perseverantiæ.

* Die 13. Augusti, anno suprà notato.

EX JOHANNIS MAXENTII CONTRA superiorem epistolam scriptione.

QUONIAM quædam fertur ab inimicis ubique epistola, quasi à Romano episcopo destinata, in qua multa inaniter contra Scytharum monachos digesta reperiuntur: necessariò consideravi ipsius epistolæ dictis respondere, eosdemque monachos omni hujusmodi culpâ liberos approbare, &c. Non est facilè credendum hanc ejus esse epistolam, cujus fertur nomine titulata, præsertim cùm in ea nihil, ut diximus, rationis aut consequentiæ reperiatur; sed tota criminationibus obtrectationibusque vanis, quæ solent ex rancore adversantis procedere animi, videatur referta, &c.

An fortè non est catholicum, Christum Filium Dei vivi unum confiteri ex sancta & individua Trinitate? Pro hac etenim sola sententia Scytharum monachos constat ad Romanum fuisse profectos episcopum, sicut omnibus penè, non solùm in hac regia * urbe, verùm etiam in universa Italia catholicis notum est. Nam & ipsi hæretici, ut superiùs dictum est, ad hoc ubique hanc ipsam, cui respondemus, epistolam proferunt, quatenus & sæpe dictis monachis invidiam concitent, & omnes quasi ex auctoritate ejusdem Romani episcopi prohibeantur Christum Filium Dei unum confiteri ex Trinitate, &c. Sed absit ut ex qualibet parte catholicæ professioni Romanus episcopus contradicat. Numquam etenim Scytharum monachos, quos non simplici sermone, sed etiam scriptis, Christum Filium Dei unum ex Trinitate noverat confiteri, per quatuordecim penè menses, quamdiu eos ibi detinuit, sibi communicare permisisset, si (ut hæretici volunt) hanc prædicationem catholicæ fidei contrariam judicaret, &c. Unde quis facilè credere audeat, hanc à memorato viro, ut sæpe diximus, directam epistolam: nisi fortè, quod de tanto antistite credere importunum est, à memorato Dioscoro postea depravatus contra suam ipsius sententiam hæc scripsisse credendus est, &c.

* Constantinopolitana.

Multa & non necessaria de libris Fausti cujusdam Galli episcopi in consequentibus loquitur, &c. Verumtamen quia eos libros, quos B. Augustinus episcopus ad Hilarium scripsit & Prosperum in fine hujus epistolæ Romanam testatur suscipere Ecclesiam, & quid de gratia Dei & libero humano arbitrio eadem teneat & servet Ecclesia, ex ipsis libris abundè posse sciri asserit; omittentes ea quæ superfluè & prolixè in ipsa digesta probantur epistola, conveniens credidi aliqua, tam de Fausti quàm de antedictis libris ejusdem sancti Augustini, certa capitula decerpere, & huic nostro opusculo inserere, ut cùm in brevi collata ad invicem, contraria sibi reperta fuerint, evidenter clareat LIBROS FAUSTI ESSE HÆRETICOS: sicque confundantur omnes, qui eos hactenus defendunt catholicos: quorum princeps & auctor est Possessor Africanus episcopus, &c.

EPISCOPORUM AFRICANORUM IN Sardinia exsulum ad Johannem, & Venerium, & alios.

EPISTOLA * SYNODICA,

* Scripta anno Christi 523.

De gratia Dei & humano arbitrio.

Dei gratiâ plurimùm amplectendis sanctis fratribus, [b] JOHANNI presbytero & archimandritæ, & VENERIO diacono, & fidelibus viris, quorum in vestra epistola subscriptio continetur, DATIANUS, FORTUNATUS, BOETHUS, VICTOR, SCHOLASTICUS, ORONTIUS, VINDICIANUS, VICTOR, JANUARIUS, VICTORIANUS, PHOTINUS, QUOTVULTDEUS, famuli Christi, in Domino salutem.

CAPUT I.

QUANTUM membra ecclesiastici corporis per Christi gratiam in unitate fidei compages retinet caritatis, tantum necesse est ut pro invicem sollicita sint membra, ut repulso cujuslibet pravi dogmatis C morbo, non solùm servandæ, verùm etiam reparandæ sanitati jugis atque indefessa tam sermonis quàm orationis impendatur instantia. Sic enim fit, ut dum sollicitudo fraternæ puritatis invigilat, ipse Spiritus-sanctus, per quem caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, diligentibus Deum & in Deo proximum, omnia cooperetur in bonum. Quia sicut ipsam dilectionem dono gratiæ spiritualis accipimus; ita dum pro fratribus solliciti sumus, non solùm [c] divinam inesse nobis gratiam demonstramus, verùm etiam, quanto magis à nobis puritas caritatis impenditur, tanto magis gratia nobis divinæ retributionis D augetur.

CAPUT II.

Accepimus itaque vestræ caritatis epistolam, quæ nostrum ex parte relevavit, ex parte verò mæstificavit [d] exsilium. Gaudemus enim, quia rectam tenetis de gratia Dei sententiam, cujus * munere illuminatur, & juvamine gubernatur liberum humanæ mentis arbitrium. Sed quâdam sumus nebulâ mæroris affecti, quia significastis quosdam fratres in quæstione de gratiâ Dei & humano arbitrio non rectum tenere fidei catholicæ tramitem, sed adversùs Dei gratiam elevare velle humani arbitrii libertatem. Ubi primùm, dilectissimi fratres, debetis agnoscere, immo vos non ambigimus agnovisse, ad hoc divinitus ista permitti, E ut hinc divinæ gratiæ virtus documento possit indicii manifestioris intelligi. Quando quidem ipsa gratia nullatenus agnoscitur, nisi detur: quæ quamdiu non est in homine, tamdiu necesse est ut ei aut sermone repugnet aut opere. Nam sermone repugnat gratiæ Dei, qui sensum gerit fidei Christianæ contrarium: repugnat autem opere, qui in moribus suis Christianæ vitæ non tenet institutum. Hoc quippe agit in homine gratia divinitus data, ut animus dono fidei caritatisque percepto, & sermonem bonum proferat, & studio bonæ operationis insistat. Quod fide- F libus divinitus dari beatus & ostendit, & poposcit Apostolus, dicens, *Ipse autem Dominus noster Jesus Christus & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere bono & sermone.*

* al. lumine.

Gratia illuminat & gubernat.

Quid homini præstat gratia.

2. Thessal. 2. 15. & 16.

CAPUT III.

A Deo itaque nobis est omnis gratia boni sermonis & operis, à quo nobis etiam ipsius cogitationis bonæ manifestum est sufficientiam tribui: ut discat homo non in se, sed in Domino gloriari. Divinæ quippe gratiæ bonam cogitationem hominis beatus assignabat Apostolus, quando dicebat, *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad* G *Deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Ex gratia omne bonum, operis, sermonis, & cogitationis.

2. Cor. 3. 5.

CAPUT IV.

Proinde, etsi quidam gratiam necdum habentes, non se intelligunt non habere: illi tamen qui gratiam divinitus acceperunt, eo magis debent in ipsius gratiæ assertione firmari, quo eam vident non omnibus tribui. NECESSE EST

Gratia non omnibus datur.

[a] Præclara doctrinæ Augustini confirmatio, nec obscura ipsius Fausti, qui ab illa in suis libris discessit, condemnatio.

[b] Johannes archimandrita idem est, ut putant, cum Maxentio abbate, cujus sunt opuscula suprà in exceptis exhibita.

[c] In MSS. *divinæ lectionis inesse nobis gratiam.*

[d] In exsilio receperunt epistolam Johannis & Venerii: hanc verò iis responsionem non nisi post finitum exsilium reddiderunt. Nam cap. 18. laudant tres libros de veritate prædestinationis & gratiæ, quos Fulgentius, ut in ipsius vita cap. 29. legitur, *jam reversus de exsilio confecit.* Ab exsilio eos Hildericus, successurus Trasamundo regi, qui die 28. Maii anno Christi 523. obiit, sacramento à decessore suo Trasamundo obstrictus, ne catholicis in regno suo aut ecclesias aperiret, aut privilegia restitueret; priùs quàm regnaret, ne sacramenti terminos prateriret, præcepit & sacerdotes catholicos ab exsilio redire, & ecclesias aperiri. curavit statim revocandos. *Hic enim*, ut Turonensis scribit,

EST autem, UT AB EIS QUIBUS NON TRIBUITUR, IGNORETUR; & ab eis agnoscatur, quibus divina largitate donatur. Testatur enim Apostolus, dona Spiritus-sancti ejusdem Spiritus-sancti acceptione cognosci. Ideo ait: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis: quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritûs, spiritalibus spiritalia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei; stultitia est enim illi, & non potest intelligere, quia spiritaliter dijudicantur: spiritalis autem judicat omnia, & ipse à nemine judicatur.* Per sanctum ergo Spiritum gratiam accipimus, quo Spiritu accepto fit in nobis, ut quod accepimus noverimus.

1. Cor. 2. 12. & seq.

CAPUT V.

Proinde scienda est, dilectissimi fratres, & recto tenore veræ fidei profitenda, tam humani arbitrii egena paupertas, quàm divinæ gratiæ indeficiens largitas. *Quid enim habes*, ait Apostolus, *quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ante largitatem quippe gratiæ est in homine quidem liberum arbitrium, sed non bonum, quia non illuminatum. Proinde, nisi gratia detur, bonum ipsum arbitrium non habetur. Sic namque est ipsum liberum hominis arbitrium absque dono gratiæ, sicut est oculus sine lumine. Nam & oculus ad videndum factus est: sed nisi lumen acceperit, non videbit. Illa autem est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* illuminat autem hominem, se ipsam dando per gratiam. Sicut ergo corporis oculus semper indiget lumen accipere, ut ipsum lumen possit adspicere: sic & libero arbitrio hominis nulla potest gratiæ suffragari cognitio, nisi detur ipsius gratiæ spiritalis infusio. Proinde ut de iis quæ vestris litteris indidistis, quid habeat catholici dogmatis veritas intimemus, singula breviter definire curavimus, sequentes donum ejusdem gratiæ, quod sanctorum Patrum cordibus & linguis ipsa de se dicendum dignata est infundere.

1. Cor. 4. 7.

Liberum arbitrium sine dono gratiæ sic ut oculus sine luce.

Johan. 1. 9.

CAPUT VI.

Dixistis itaque, quòd vobis dicentibus, quòd Esaü & Jacob necdum natis, Jacob per misericordiam gratuitam eligitur, Esaü autem originali peccato detentus justo judicio Dei est odio habitus: illi è contrario dicunt, in Esaü figuram esse populi Judæorum, ex futuris malis operibus condemnandi; in Jacob verò figuram esse populi gentium, ex futuris operibus bonis salvandi. Hæc duo, quæ singuli proponitis, bonum est ut catholica consensione jungatis: sic enim & ab illis Dei gratia competenter agnoscitur, & à vobis propheticum mysterium non negatur. In illis namque duobus fratribus dignè accipitur duorum significatio populorum: præsertim cùm ipsi Rebeccæ Dominum consulenti duo prænuntientur populi, ab ejus utero separandi. Verumtamen agnoscenda est in illa discretione, & gratuita bonitas, & justa severitas. Nam quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum;* & gratiâ discernuntur, quicumque salvantur: profectò non sunt electa neque dilecta in Jacob humana opera, sed dona divina. Rursus quia *iniquitas nostra justitiam Dei commendat;* procul dubio in Esaü humanæ iniquitatis est damnata nequitia. In eo quippe gratuitum in Jacob Deus ostendit beneficium misericordiæ suæ, in quo eum gratiâ gratìs dignatus est adoptare; nec eum pro meritis futuræ cujusquam bonæ operationis elegit, cui se ipsum, & fidem, & bona opera donaturum esse præscivit. Inde est quòd seminì Abrahæ, cujus in Jacob figura præcessit, beatus Apostolus dicit, *Gratiâ salvi facti estis per fidem.* Ut ostenderet fidem non aliquibus bonis meritis dari, sed ipsius fidei dono omne bonum meritum inchoari, ipsamque donum Dei esse, secutus adjunxit, *Et hoc non ex vobis, sed donum Dei est.* Ac ne quisquam sibi quorumlibet bonorum operum audeat meritum vindicare, & pro quibuscumque operibus fidem se æstimet accepisse, subjecit, *Non ex operibus, ne quis glorietur.* Ut autem ostenderet non solùm fidem, sed etiam bona opera divinitus tribui, continuò subdidit, *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Jesu, in operibus bonis:* quæ non solùm à Deo donata, sed ab ipso etiam præparata testatur dicens, *quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Gratiâ itaque Jacob salvus factus est per fidem, gratiâ consecutus est bonorum operum facultatem.

Rom. 9. 11. Malach. 1. 2. & 3. Gen. 25. 23.

In electione Jacob, bonitas Dei gratuita; in reprobatione Esaü, severitas justa.

Gen. 25. 22. & 23.

Jacob. 1. 17.

Rom. 3. 5.

Ephes. 2. 8. Fidei dono inchoatur omne bonum meritum.

Ibidem.

Ibidem 9.

Ibidem 10.

A Quocirca, quia certum est Esaü fuisse vas iræ, Jacob autem vas misericordiæ; certissimè tenendum est, quòd & ille ut damnaretur, iram justè meruit; *Non enim injustus Deus, qui iram infert:* & iste ut salvaretur, gratìs donum misericordiæ prævenientis accepit. Jacob itaque justificatus gratìs per gratiam Dei, factus est vas misericordiæ per indebitam gratiam, & per ipsam misericorditer est præparatus ad gloriam: Esaü verò per iram justam justè est præparatus ad pœnam. *Iniquitas* autem *nostra justitiam Dei commendat.* Deus ergo in Jacob misericordiam gratuitæ bonitatis, in Esaü verò judicium justæ severitatis B ostendit. Qui sacramento quidem circumcisionis octavo die secundùm tenorem divinæ constitutionis accepto, reatu peccati originalis caruit: sed per nequitiam cordis in hominis terreni vetustate permansit; illius ibi judicio derelictus, qui gratìs salvat, justéque condemnat. In cujus persona significati sunt, non illi tantùm qui fidem negant; sed & illi qui usque in finem vitæ suæ intra Ecclesiam positi, in malis operibus perseverant, de quibus Apostolus ait, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Nam sicut ille circumcisus periit, quia dilexit tenebras magis quàm lucem: sic omnis qui non deposuerit veterem C hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris, condemnabitur in judicio; quia non condignè usus est baptismatis sacramento. Ad eumdem quippe veterem hominem pertinent non solùm illi, qui ignorant Deum; sed etiam illi de quibus dicit Apostolus, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

CAPUT VII. Jacob misericorditer præparatus ad gloriam, Esaü præparatus ad pœnam.

Rom. 3. 5.

Ibidem.

Genes. 17. 12.

Galat. 5. 21.

Johan. 3. 19.

Ephes. 4. 22.

Baptismo non condignè utitur, qui veterem hominem non deponit.

Tit. 1. 16.

De parvulis verò indubitanter tenenda catholicæ regula veritatis: Quia parvulus qui baptizatur, gratuitâ Dei bonitate salvatur: qui verò sine baptismate moritur, propter peccatum originale damnatur. Nec aliquo dicendus est Dei beneficio futuræ impietati præreptus, qui absque justificationis gratia mortuus est, impiorum consortio de- D putatus: à qua impietate sive parvulus, sive majoris ætatis, solo quisque remedio eripitur, si Christi sanguine redimatur.

CAPUT VIII. Parvulus sine baptismo moriens damnatur.

DE GRATIA verò NON DIGNE SENTIT, quisquis eam putat omnibus hominibus dari: cùm non solùm *non omnium sit fides*, sed adhuc nonnullæ gentes inveniantur, ad quas fidei prædicatio non pervenit: Beatus autem Apostolus dicit, *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* Non itaque gratia omnibus datur: quando quidem ipsius gratiæ participes esse non possunt; qui fideles non sunt; nec possunt credere, ad quos E invenitur ipse fidei auditus minimè pervenisse. Ipsa verò *gratia* quibuscumque datur, non æqualiter *datur, sed secundùm mensuram donationis Christi, & unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei:* qui non hominum personas accipit, *sed omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria singulis prout vult.*

CAPUT IX. Gratia non omnibus datur.

2. Thess. 3. 2.

Rom. 10. 14.

Nec æqualiter datur, quibus datur.

Ephes. 4. 7.

Rom. 12. 3.

1. Cor. 12. 11.

Quod autem vos dicitis, solâ Dei misericordiâ salvari hominem; illi autem dicunt, nisi quis propria voluntate cucurrerit, & elaboraverit, salvus esse non poterit: dignè utrumque tenetur, si rectus ordo servetur divinæ miseri- F cordiæ & voluntatis humanæ, ut illa præveniat, hæc sequatur; sola Dei misericordia initium salutis conferat, cui deinde voluntas hominis cooperatrix suæ salutis exsistat: ut misericordia Dei præveniens, voluntatis humanæ dirigat cursum; & humana voluntas obediens, eadem misericordia subsequente, secundùm intentionem currat ad bravium. Ac per hoc humana voluntas, in eo quod currit utiliter & laborat, ex Dei misericordia sibi esse donum cursûs ac laboris agnoscat, nec fit ingrata misericordiæ, per quam salutis accipit initium, ut per ipsam perveniat G ad plenum sempiternæ salutis effectum: quia tunc erit bona, si Dei præveniatur dono; & tunc permanebit bona, si ejus non destituatur auxilio. Errat autem, quisquis putat sic à Deo tribui gratiam, velut si quis accepto idoneo pignore pecuniam det: cùm Dominus utique & pignus Spiritus-sancti ipse quibus vult conferat, & pecuniam suam nummulariis expendendam, sicut ipse loquitur in Evangelio, servorum suorum curæ officioque distribuat.

CAPUT X.

Rectus ordo inter gratiam & voluntatem est, quòd illa præveniat, hæc sequatur.

1. Cor. 9. 23.

2. Cor. 5. 5.

Matth. 25. 27.

Illa verò Apostoli sententia, qua dicitur, *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult obdurat*, meliùs quidem ex persona confirmantis accipitur: quam si quis non vult ex persona confirmantis accipere, illud sine contentione adten-

CAPUT XI. Rom. 9. 18.

V

Rom. 9. 21. dat, quod subsequenter dicitur, *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Et cùm in utroque vase faciendo figuli cognoverit potestatem, in vase honoris indebitam gratiam Dei miserantis intelligat, & in vase contumeliæ debitum judicium Dei obdurantis, id est, deserentis agnoscat.
Quomodo Deus obdurat. Deus autem obdurare dicitur, non quia ad iniquitatem compellit, sed cùm ab iniquitate non eripit: quod, quia justus est, justè facit. Deo ergo miserante, sine suis meritis homo salvatur; obdurante autem, justè recipit quod meretur. Deus quippe dono bonitatis salvat, judicio severitatis obdurat.

CAPUT XII. Philip. 2. 13. Illud etiam quod vos dicitis, *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate:* illi autem dicunt,
Isai. 1. 19. Bonum velle & operari hominis est volentis & operantis, sed in eo Deus hoc ipsum operatur. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis:* si utrumque, sicut oportet, animus in fide tranquillus acceperit, nulla de gratia Dei & humano arbitrio quæstio remanebit. Jubet enim Deus homini, ut velit; sed Deus in homine operatur & velle: jubet, ut faciat; sed operatur & facere. Ideo utrumque jungit beatus Apostolus, dicens,
Philip. 2. 12. & 13. *Cum timore & tremore salutem vestram operamini; Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Ut ergo cum timore & tremore suam quisque operetur salutem, opus est volentis hominis: sed hoc ipsum Dominus operatur in suis. Ac per hoc, quoniam habet homo liberum arbitrium, audit præcepta, quæ faciat: sed ad implenda præcepta liberum arbitrium idoneum nullatenus efficitur, nisi divinitus adjuvetur. Ita fit, ut se operari debere homo cognoscat, dum præceptum accipit; & Deo se sciat semper omne bonum debere, quod vult ac facit, quem teste Apostolo cognoscit operari in homine & velle & perficere pro bona voluntate: qui suis fidelibus hanc dignatus est gratiam promittere per
Ezech. 36. 27. Prophetam dicens, *Spiritum meum dabo in vobis, & faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis.* Cùm ergo Deus in homine operari cœperit velle, tunc homo ad Deum convertitur, & eodem in se operante, unde ipsi placeat, operatur. De Deo enim dicit Apostolus,
Hebr. 13. 21. a *Aptet vos in omni* [a] *bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis, quod placeat coram se.* Ad vitam quoque in tantum potest homo manum porrigere, in quantum habuerit Dominum
Psal. 120. 5. protectionem suam super manum dexteram suam.

CAPUT XIII. Vasa misericordiæ, & vasa contumeliæ, quinam intelligendi. Nimis autem absurdum est, illos putare vasa misericordiæ, qui vel sæcularem habent, vel ecclesiasticam dignitatem; vasa verò contumeliæ, clericos ac monachos & laicos æstimare: cùm utique Apostolus vasa misericordiæ illa dicat,
Rom. 9. 23. quæ præparavit Deus in gloriam, non præsentem utique,
Coloss. 3. 4. sed futuram; quibus dicit, *Cùm Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Ideo paulò
Ibidem 2. superiùs eis ait, *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super*
Matth. 25. 34. *terram.* Vasa quippe misericordiæ sunt quibus dicitur, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* Vasa verò contu-
Ibidem 41. meliæ sunt, quibus dicitur, *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis ejus.* Vasa itaque misericordiæ non ecclesiastica, vel sæcularis dignitas, sed in Ecclesia spiritalis caritas facit. Quapropter in quacumque
Gal. 5. 6. professione tenuerit homo fidem, quæ per caritatem ope-
2. Tim. 2. 21. ratur, *erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.*

CAPUT XIV. Prædestinatio sanctorum confitenda. Contra prædestinationem verò sanctorum magnæ pervicaciæ est aliquem vel parare vel habere conflictum; cùm apostolicæ prædicationi nullus audeat refragari, qua non
Rom. 8. 29. solùm dicitur de Deo, *Quos autem præscivit & præde-*
Ephes. 1. 5. *stinavit conformes fieri imaginis filii ejus:* & alio loco, *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum:* verùm etiam ipsum caput nostrum, ipsum *primogenitum in multis fratribus* beatus Paulus prædestinatum
Rom. 1. 3. & 4. confidenter prædicat dicens, *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundùm Spiritum sanctificationis.* Quisquis ergo prædestinatum Christum & sanctos ejus negat, apostolicam fi-
1. Tim. 2. 4. dem perversus oppugnat. *Omnes* autem prædestinati ipsi sunt, *quos vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

A Qui propterea *omnes* dicuntur, quia in utroque sexu ex omni hominum genere, gradu, ætate, & conditione salvantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur: (Voluntas Dei semper impletur.) quia potestas ejus nullatenus vincitur. Ipse est enim qui *omnia quæcumque voluit fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis:* (Psal. 134. 6.) & *cujus voluntati nemo resistit.* (Rom. 9. 19.) Verum namque est, quod de se testatus est Filius, quia *quos vult vivificat:* (Johan. 5. 21.) quia in vivificandis nullum initium humanæ voluntatis exspectat; sed ipsam voluntatem bona faciendo vivificat. Hoc in majoribus: parvulos autem, in quibus necdum potest bona voluntas fieri, solius gratiæ facit operatione salvari.

B (CAPUT XV. Liberum arbitrium in Adamo sanum, nunc infirmũ, majore gratiâ juvatur.) Liberum verò arbitrium, quod fuit in primo homine sanum ante peccatum, nunc in filiis Dei, propriâ quidem infirmitate concutitur, sed majore divini muneris gratiâ sublevatur.

(CAPUT XVI. De animarum origine dubitatio.) Quæstionem verò animarum aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare: quia sive ex propagine veniant, sive novæ singulis corporibus fiant; quod sanctarum scripturarum auctoritas non manifestè pronuntiat, cum cautelâ debet inquiri; maximè quod sine fidei detrimento potest à fidelibus ignorari. Illud præcipuè observandum est & tenendum, nascentium parvulorum animas C nexu peccati originalis obstrictas; omnibusque necessarium esse sancti baptismatis sacramentum, quo disrumpitur peccati originalis vinculum, & amissa in primo homine, per secundum hominem recipitur adoptio filiorum.

(CAPUT XVII.) Vos itaque, dilectissimi fratres, per gratiam Dei estote stabiles & immobiles; ac tenentes veram fidem, exhibete fratribus aliter sentientibus caritatem: nec de aliquo desperetis; quia qui hodie veritatem in aliquo non agnoscit, potest cras Deo revelante cognoscere. Deo enim *subest, cùm volet, posse.* (Sap. 12. 18.) Oremus ergo pro eis, ut Deus operetur in eis. Exhibeamus eis bonam voluntatem, de qua D nos possumus habere mercedem: scientes quoniam in conspectu Dei quisquis de numero prædestinatorum fuerit, non peribit; & in omnibus voluntas omnipotentis implebitur, ut per gratiam salvi fiant, & agnitionem veritatis Deo illuminante percipiant. Præ omnibus studium gerite libros sancti AUGUSTINI, quos ad Prosperum & Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormisda sedis apostolicæ gloriosus antistes in epistola, quam consulenti se sancto fratri consacerdotique nostro Possessori rescripsit, E cum magno præconio catholicæ laudis inseruit. Cujus hæc verba sunt: *De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc est, catholica sequatur & servet Ecclesia, licèt in variis libris beati* AUGUSTINI, *& maximè ad Prosperum & Hilarium abundè possit agnosci, tamen & in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur.*

(CAP. XVIII.) Hæc itaque, dilectissimi fratres, interrogantibus vobis breviter communi voluimus respondere rescripto. Ceterùm unus [b] ex nobis, in quantum Dominus servis suis recti gratiam dignatur donare sermonis, illis omnibus, quæ memoratos fratres adversùs gratiam & prædestinationem intimastis vel sentire, vel dicere, tribus libris vestro F nomine dedicatis, sufficienti disputatione respondit: quique adversùs duos libros Fausti Galli [c] septem libros edidit: quos cùm recensueritis, agnoscetis protinus quemadmodum memorati Fausti commenta veritati contraria, catholicæ fidei penitus inimica, discussio prodidit, ratio manifesta convicit, auctoritas divina compressit, & præcedentium Patrum consona prorsus adtestatio confutavit. Speramus autem in Domino, quoniam gratiæ suæ ita subsidium largietur, ut & bene sentientibus [d] tribuat augmentum, & aliter quàm oportet credentibus donet veritatis agnoscendæ * subsidium. (* al. intuitum.) Ipse enim facit gratiæ suæ participes, quos prædestinavit ad vitam: ut in omnibus G bonis suis humanæ arbitrium voluntatis gratiæ Dei subjiciant, & ab ipso sibi cognoscant descendere omne datum optimum, & omne donum perfectum: (Jacob. 1. 17.) sciant etiam ab ipso exspectandum semper auxilium, qui prædestinatis suis & gratiam & perseverantiam donat: ut gratiam pro gratia donum vitæ perennis accipiant. (Johan. 1. 16.)

a Aliquot MSS. *in omni opere bono:* juxta Græc.

b Fulgentius videlicet episcopus Ruspensis; qui opus illud, *de veritate prædestinationis & gratiæ Dei* prænotatum, à verbis istis inchoavit: DEO *gratias ago, sancti fratres, Johannes presbyter, & Veneri diacone, cujus ope tales estis, ut pro gratia qua salvamur, magno spiritu ac fervore certetis.*

c Hæc adversùs Faustum lucubratio Fulgentii magnopere laudatur ab auctore vitæ ipsius cap. 28. qui eum plus laborasse dicit, ut exponeret, quàm ut convinceret: *quia dubios*, inquit, *sermones ejus exponere, hoc erat deliramenta convincere.* Additque continenter: *Magnus planè hujus operis labor mercedem debitam cito suscepit: mox enim ut est dictatio ipsius finita, protinus est longissimæ captivitatis catena disrupta.*

d Quidam MSS. *sanctæ scientiæ tribuat augmentum.*

[a] CONCILIUM ARAUSICANUM II.

De gratia & libero arbitrio,

In dedicatione basilicæ à Liberio Patricio constructæ celebratum V. Nonas Iulias, Decio Iuniore V. C. Consule, id est, anno Christi 529. Felicis IV. papæ anno 3.

PRÆFATIO.

CUM ad dedicationem basilicæ, quam illustrissimus Præfectus & Patricius filius noster Liberius in Arausica civitate fidelissima devotione construxit, Deo propitiante & ipso invitante convenissemus, & de rebus quæ ad ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos fuisset spiritualis oborta collatio, pervenit ad nos, esse aliquos, qui de gratia & libero arbitrio per simplicitatem minùs cautè, & non secundùm fidei catholicæ regulam sentire velint. Unde id nobis secundùm auctoritatem & admonitionem sedis Apostolicæ justum & rationabile visum est, ut pauca capitula, ab Apostolica nobis sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de sanctarum scripturarum voluminibus in hac præcipuè caussa collata sunt, ad docendos eos, qui aliter quàm oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus. Quibus lectis, qui huc usque non sicut oportebat, de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat.

Quòd per peccatum Adæ non solùm corpus, sed anima etiam læsa fuerit.

Vide lib. 2. de nupt. & conc. cap. 34. I. Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est, secundùm corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum; sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium: Pelagii errore deceptus, adversatur Scripturæ dicenti, *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* & , *Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis?* &, *A quo quis superatur, ejus & servus addicitur.* (Ezech. 18. 20. Rom. 6. 16. 2. Petr. 2. 19.)

Quòd peccatum Adæ non ipsi solùm nocuit, sed ad posteros quoque transiit.

Ex lib. 4. contra duas epist. Pelag. cap. 4. II. Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & ejus propagini, asserit nocuisse; aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur; injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* (Rom. 5. 12.)

Quòd gratia Dei non ad invocationem detur, sed ipsa faciat ut invocetur.

III. Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri; non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis; contradicit Isaiæ prophetæ, vel Apostolo idem dicenti, *Inventus sum à non quærentibus me, palàm apparui his qui me non interrogabant.* (Isai. 65. 1. Rom. 10. 20.)

Quòd Deus ut à peccato purgemur voluntatem nostram non exspectet, sed præparet.

IV. Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fieri confitetur; resistit ipsi Spiritui-sancto, per Salomonem dicenti, *Præparatur voluntas à Domino:* & Apostolo salubriter prædicanti, *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* (Prov. 8. secundùm LXX. Philip. 2. 13.)

Quòd initium fidei non ex nobis, sed ex gratia Dei sit.

Vide lib. de prædest. SS. à cap. 1. usque ad 9. V. Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, & ad regenerationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus-sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit; apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente, *Confidimus quia qui cœpit* (Philip. 1. 6.)

A *in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi.* & illud, *Vobis datum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* &, *Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodam modo fideles esse definiunt. (Ibid. 29. Ephes. 2. 8.)

Quòd sine gratia Dei credentibus & petentibus misericordia non conferatur, cùm gratia ipsa faciat ut credamus & petamus.

VI. Si quis sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, B studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur; & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes & humiles simus ipsius gratiæ donum esse consentit; resistit Apostolo dicenti, *Quid habes quod non accepisti?* &, *Gratia Dei sum id quod sum.* (Vide lib. de dono persever. cap. 23. Prosper contr. Collat. cap. 6. 1. Cor. 4. 7. Ibid. 15. 10.)

Quòd viribus naturæ bonum aliquod, quod ad salutem pertineat, cogitare aut eligere sine gratia non possimus.

VII. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod C ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus-sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati; hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis, *Sine me nihil potestis facere.* & illud Apostoli, *Non quòd idonei simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* (Vide lib. de gratia Christi cap. 26. Johan. 15. 5. 2. Cor. 3. 5.)

Quòd per liberum arbitrium ad gratiam baptismi pervenire nullus possit.

D VIII. Si quis alios misericordiâ, alios verò per liberum arbitrium, (quod in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum,) ad gratiam baptismi posse venire contendit; à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum: aut certè ita læsum putat, ut tamen quidam valeant, sine revelatione Dei, mysterium salutis æternæ per semetipsos conquirere: quod quàm sit contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se venire posse testatur, nisi quem Pater adtraxerit. Sicut & Petro dicit, E *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.* & Apostolus, *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu-sancto.* (Prosper contra Collat. cap. 13. 38. & respons. ad defin. 6. Cassiani. Johan. 6. 44. Matth. 16. 17. 1. Cor. 12. 3.)

De adjutorio Dei per quod bona operamur.

IX. Divini est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia continemus. Quotiens enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur. (Prosper sent. 22. Philip. 2. 13.)

De adjutorio Dei omnibus semper implorando.

X. Adjutorium Dei etiam renatis [b] ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono F possint opere perdurare. (Prosper contra Collat. cap. 24.)

De obligatione votorum.

XI. Nemo quidquam Domino rectè voveret, nisi ab illo acciperet quod voveret, sicut legitur, *Quæ de manu tua accepimus, damus tibi.* (Ex lib. 17. de civit. Dei, c. 4. Prosp. sent. 54. 1. Paral. 29. 14.)

Quales nos diligat Deus.

XII. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito. (Prosper sentent. 56.)

De reparatione liberi arbitrii.

XIII. Arbitrium [c] voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari: quod G amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Unde ipsa veritas dicit, *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* (Lib. 14. de civit. Dei, c. 11. & Prosp. sent. 152. Johan. 8. 36.)

Quòd ut liberemur à miseria, misericordiâ Dei præveniamur.

XIV. Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordiâ prævenitur, sicut dicit Psalmista: *Citò anticipet nos misericordia tua, Domine.* & illud, *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* (Prosp. sent. 211. Psal. 78. 8. Psal. 58. 11.)

Quòd per gratiam Dei in melius mutetur fidelis.

XV. Ab eo quod formavit Deus, mutatus est Adam, (Ex serm. in ti-)

[a] In vetere codice Lugdunensi inscriptio est: *Constitutio Episcoporum in civitate Arausicana, de gratia & libero arbitrio.*

[b] Duo MSS. scilicet Lugdunensis & Remensis, ac sanatis.

[c] Nonnulli MSS. *Arbitrium libertatis.*

(tulum Psalm. 68.) sed in pejus, per iniquitatem suam: ab eo quod operata est iniquitas, mutatur fidelis, sed in melius, per gratiam Dei. Illa ergo mutatio, fuit prævaricatoris primi; hæc, *(Psal. 76. 11.)* secundùm Psalmistam, *mutatio est dexteræ Excelsi.*

Quòd ex eo quod habemus non sit gloriandum, cùm ex Deo sit.

(Lib. de spirit. & litt. c. 28. & Prosp. sent. 259.) XVI. Nemo ex eo, quod videtur habere, glorietur, tamquam non acceperit; aut ideo se putet accepisse, quia littera extrinsecùs vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur insonuit. *(Galat. 2. 21.)* Nam sicut Apostolus dicit, *Si per legem justitia, ergo Christus gratìs mortuus est.* Porrò autem si non gratìs mortuus est, *(Ephes. 4. 8. Psal. 67. 19.)* *adscendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Inde habet, quicumque habet. Quisquis autem inde se habere negat, aut verè non habet, *(Matth. 25. 29.)* aut id quod habet, auferetur ab eo.

De fortitudine Christiana.

(Lib. 1. oper. imp. num. 83. & Prosp. sent. 295. Rom. 5. 5.) XVII. Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei caritas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium quod est à nobis, sed per Spiritum-sanctum qui datus est nobis.

Nullis meritis gratiam præveniri.

(Lib. 1. oper. imper. n. 133. Prosper sent. 297.) XVIII. Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.

Neminem nisi Deo miserante salvari.

(August. epist. 186. num. 37. & Prosp. sentent. 308.) XIX. Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cùm sine gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare quam perdidit?

Nihil boni hominem posse sine Deo.

(Ex lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 8. Prosper sent. 312.) XX. Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstat, ut faciat homo.

De natura & gratia.

(Lib. de gratia & liber. arbit. cap. 13. & Prosper sent. 315. Galat. 2. 21.) XXI. Sicut eis qui volentes in lege justificari, à gratia exciderunt, verissimè dicit Apostolus, *Si ex lege justitia est, ergo Christus gratìs mortuus est:* sic & his qui gratiam quam commendat & percipit fides Christi, putant esse naturam, verissimè dicitur, Si ex natura justitia, ergo Christus gratìs mortuus est. Jam hîc enim erat lex, & non justificabat; jam hîc erat & natura, & non justificabat. Ideo Christus non gratìs mortuus est, ut & lex per illum impleretur, *(Matth. 5. 17.)* qui dixit, *Non veni legem solvere, sed adimplere;* & natura per Adam perdita, per illum repararetur, *(Lucæ 19. 10.)* qui dixit, *venisse se quærere & salvare quod perierat.*

De his quæ hominum propria sunt.

(Tract. 5. in Johan. & Prosper sent. 323.) XXII. Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam inrorati, non deficiamus in via.

De voluntate Dei & hominis.

(Tract. 19. in Johannem, & Prosper sent. 336.) XXIII. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet: quando autem ita faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est, à quo & præparatur & jubetur quod volunt.

De palmitibus vitis.

(Tract. 81. in Johannem, & Prosper sent. 364.) XXIV. Ita sunt in vite palmites, ut viti nihil conferant, sed inde accipiant unde vivant. Sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest utrumque, non Christo. Nam præciso palmite, potest de viva radice alius pullulare: qui autem præcisus est, non potest sine radice vivere.

De dilectione qua diligimus Deum.

(Tract. 102. in Johannem & Prosper sent. 368.) XXV. Prorsus donum Dei est, diligere Deum. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit. Displicentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffundit enim caritatem in cordibus nostris Spiritus Patris & Filii, quem cum Patre amamus & Filio.

Ac sic secundùm suprà scriptas sanctarum scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc, Deo propitiante, & prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit. Unde Abel justo, & Noë, & Abrahæ, & Isaac, & Jacob, omnique antiquorum sanctorum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laude prædicat apostolus Paulus, non per bonum naturæ, quod priùs in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam: quam gratiam etiam post adventum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio haberi, sed Christi novimus simul & credimus largitate conferri, secundùm illud quod jam suprà dictum est, & prædicat apostolus Paulus: *(Philip. 1. 29.)* *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* & illud: *(Ibid. 6.)* *Deus qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi.* & illud: *(Ephes. 2. 8.)* *Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* & quod de se ipso ait Apostolus: *(1. Cor. 7. 25.)* *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem:* non dixit, quia eram; sed *ut essem.* & illud: *(1. Cor. 4. 7.)* *Quid habes quod non accepisti?* & illud: *(Jacob. 1. 17.)* *Omne datum bonum & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* & illud: *(Johan. 3. 27.)* *Nemo habet quidquam* boni, *nisi illi datum fuerit de super.* Innumerabilia sunt sanctarum scripturarum testimonia, quæ possunt ad probandam gratiam proferri, sed brevitatis studio prætermissa sunt; quia & re vera cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt.

Hoc etiam secundùm fidem catholicam credimus, quòd accepta [a] per baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono, non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur; sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui priùs inspirat, ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adjutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus. *(Contra Cassianum, infra lib. contra Collator. cap. 7.)* Unde manifestissimè credendum est, quòd & illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zacchæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, [b] sed divinæ largitatis donum.

Et quia definitionem antiquorum Patrum, nostramque, quæ suprà scripta est, non solùm religiosis, sed etiam laicis, medicamentum esse, & desideramus, & cupimus: placuit ut eam etiam illustres ac magnifici viri, qui nobiscum ad præfatam festivitatem convenerunt, propria manu subscriberent.

CÆSARIUS in Christi nomine Episcopus, constitutionem nostram relegi, & subnotans subscripsi, quinto nonas Julii, Decio Juniore viro clarissimo Consule.

JULIANUS AMARTOLUS Episcopus relegi & subscripsi.

CONSTANTIUS in Christi nomine Episcopus consensi & subscripsi.

CYPRIANUS.... Episcopus.... subscripsi.

EUCHERIUS.... Episcopus.... subscripsi.

Item EUCHERIUS.... Episcopus.... subscripsi.

HERACLIUS.... Episcopus.... subscripsi.

PRINCIPIUS.... Episcopus.... subscripsi.

PHILAGRIUS.... Episcopus.... subscripsi.

MAXIMUS.... Episcopus.... subscripsi.

PRÆTEXTATUS.... Episcopus.... subscripsi.

ALETHIUS.... Episcopus.... subscripsi.

LUPERCIANUS.... Episcopus.... subscripsi.

VINDEMIALIS.... Episcopus.... subscripsi.

PETRUS MARCELLINUS FELIX LIBERIUS vir clarissimus & illustris Præfectus Prætorii Galliarum atque Patricius, consentiens subscripsi.

SYAGRIUS vir illustris consentiens subscripsi.

OPILIO vir illustris cons. subscripsi.

PANTAGATHUS vir illustris cons. subscripsi.

DEODATUS vir illustris cons. subscripsi.

CARIATTHO vir illustris cons. subscripsi.

MARCELLUS vir illustris cons. subscripsi.

NAMATIUS vir illustris cons. subscripsi.

a Lugdunensis cod. *post acceptam baptismi gratiam.*
b Codex Lugdunensis, *sed gratiæ largitate donata.* Remensis & Bellovacensis, *sed de divinæ largitatis dono.*

BONIFACII II. PAPÆ

EPISTOLA,

Ad Cæsarium Arelatensem, cujus rogatu confirmat ea, quæ in synodo Arausicana II. fuerunt definita.

EPISTOLA ista in codicibus manuscriptis Fossatensi & Laudunensi, quibus usus est Jacobus Sirmondus, præponebatur concilio Arausicano; epistolæ verò præfixa erat hæc adnotatio: *In hoc codice continetur synodus Arausicana, quam per auctoritatem sanctus papa Bonifacius confirmavit. Et ideo quicumque aliter de gratia & libero arbitrio crediderit, quàm vel ista auctoritas continet, vel in illa synodo constitutum est, contrarium se Sedi apostolicæ, & universæ per totum mundum Ecclesiæ esse cognoscat.*

Dilectissimo fratri CÆSARIO BONIFACIUS.

PER filium nostrum Armenium presbyterum & abbatem, litteras tuæ fraternitatis accepimus, quas ad nos [a] sub ea qua in Deo tenemur caritate direxeras: quibus credideras postulandum, ut id quod à beatæ recordationis decessore nostro papa Felice pro catholicæ fidei popósceras firmitate, meâ explicaretur instantiâ. Sed quia id voluntas superna disposuit, ut quod per nos ab illo speraveras, à nobis potiùs impetrares; petitioni tuæ, quam laudabili fidei sollicitudine concepisti, catholicum non distulimus dare responsum. Indicas enim quod aliqui Episcopi Galliarum, cùm cetera jam bona ex Dei adquieverint gratia provenire, fidem tantùm, qua in Christo credimus, naturæ esse velint, non gratiæ; & hominibus ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse, non etiam nunc in singulis misericordiæ divinæ largitate conferri: postulans ut pro ambiguitate tollenda, confessionem vestram, qua vos è diverso fidem rectam in Christo, totiusque bonæ voluntatis initium, juxta catholicam veritatem per prævenientem Dei gratiam singulorum definitis sensibus inspirari, auctoritate Sedis apostolicæ firmaremus.

Atque ideo, cùm de hac re multi Patres, & præ ceteris beatæ recordationis AUGUSTINUS episcopus, sed & majores nostri apostolicæ Sedis Antistites, ita ratione probentur disseruisse latissima, ut nulli ulteriùs deberet esse ambiguum, fidem quoque nobis ipsam venire de gratia: E supersedendum duximus responsione multiplici; maximè cùm secundùm eas, quas ex Apostolo direxisti sententias, (1. Cor. 7. 25.) quibus dicit, *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem*; (Philipp. 1. 29.) & alibi, *Vobis datum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, verùm etiam ut pro eo patiamini*; evidenter appareat, fidem qua in Christo credimus, sicut & omnia bona, singulis hominibus ex dono supernæ venire gratiæ, non ex humanæ potestate naturæ. Quod etiam fraternitatem tuam, habita collatione cum quibusdam sacerdotibus Galliarum, juxta fidem gaudemus sensisse catholicam: in his scilicet, in quibus uno, sicut indicasti, consensu definierunt fidem, qua in Christo credimus, gratiâ divinitatis F præveniente conferri: adjicientes etiam, nihil esse prorsus secundùm Deum boni, quod sine Dei quis gratia aut velle, aut incipere, aut perficere possit, dicente ipso Salvatore (Johan. 15. 5.) nostro, *Sine me nihil potestis facere.* Certum est enim atque catholicum, quia in omnibus bonis quorum caput est fides, nolentes nos misericordia divina præveniat, ut in fide duremus, (Psal. 58. 11.) sicut David propheta dicit, *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* (Psal. 88. 25.) & iterum, *Misericordia mea cum ipso est.* & (Psal. 22. 6.) alibi, *Misericordia ejus subsequitur me.* Similiter & beatus (Rom. 11. 35. & 36.) Paulus dicit, *Aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Unde G nimis eos qui contra sentiunt, admiramur, usque eò vetusti erroris adhuc reliquiis prægravari, ut ad Christum non credant Dei beneficio, sed naturæ veniri; & ipsius naturæ bonum, quod Adæ peccato noscitur depravatum, auctorem nostræ fidei dicant magis esse quàm Christum; nec intelligant se Dominicæ reclamare sententiæ dicenti, (Johan. 6. 44.) *Nemo venit ad me, nisi datum fuerit illi à Patre meo.* Sed A & beato Paulo simul obsistere clamanti ad Hebræos, (Hebr. 12. 1. & 2.) *Curramus ad propositum nobis certamen, adspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum Christum.* Quæ cùm ita sint, invenire non possumus, quid ad credendum in Christo, sine Dei gratia, humanæ deputent voluntati; cùm Christus auctor consummatorque sit fidei.

Quapropter affectu congruo salutantes, suprà scriptam confessionem vestram consentaneam catholicis Patrum regulis adprobamus. Illos autem qui præcedente fide, cetera, sicut indicas, volunt gratiæ deputare; sua professione constringimus, ut multo magis dono gratiæ etiam fidem cogantur adscribere; præter quam nihil est boni, B quod secundùm Deum quilibet valeat operari, sicut beatus Apostolus dicit, *Omne quod ex fide non est, peccatum est.* (Rom. 14. 23.) Quod cùm ita sit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, si ei fidem subtrahere moliuntur; aut si quod bonum esse dicunt de gratia, ipsa necessariò fides erit gratiæ deputanda. Si enim nihil boni est sine fide, fides autem ipsa venire negetur ex gratia; nullum, quod absit, bonum erit gratiæ deputandum. Ait enim Jacobus apostolus, *Omne donum bonum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* (Jacob. 1. 17.) Et ipsi fatentur, ut dicis, dona cetera donari per gratiam; ipsa autem bona fide C subsistere non ambigunt. Universa ergo necessariò fides erit gratiæ deputanda, à qua bonum quod gratiæ tribuunt, separare non possunt.

His itaque breviter adsignatis, contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur epistola continere, quam à quodam tibi mandasti sacerdote transmissam, respondendum non duximus: quia speramus de misericordia divina, quòd ita per ministerium tuæ fraternitatis atque doctrinam, in omnium, quos dissentire mandasti, dignabitur cordibus operari, ut ex hoc omnem bonam voluntatem non ex se, sed ex divina credant gratia proficisci, D cùm se senserint id jam velle defendere, quod nitebantur pertinaciter impugnare. Scriptum est enim, *Præparatur voluntas à Domino.* (Prover. 8. juxta 70.) & alibi, *Scio quia non possum esse continens, nisi Deus dederit; & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset donum.* (Sap. 8. 21.) Deus te incolumem custodiat frater carissime. Data * VIII. Kalendas Februarias, Lampadio & Oreste VV. CC. consulibus.

* Die 25. Januarii, anno Christi 530.

Cyprianus in Cæsarii vita, lib. 1. num. 35.

MULTI quidem æmuli surrexerunt, qui ejus resistE erent doctrinæ de gratia. Sed ô felicitas æmulanda! Etenim susurris & mala interpretatione quorumdam oboritur in Galliarum partibus contra prædicationem hominis Dei frustra sinistra suspicio. Ob hoc Antistites Christi ultra Iseram consistentes caritatis amore collecti in Valentina civitate conveniunt. Ubi etiam beatus Cæsarius, infirmitatis solitæ caussâ, sicut disposuerat, properare non potuit. Misit tamen præstantissimos viros de Episcopis, cum presbyteris & diaconibus. Inter quos etiam sanctus Cyprianus Tolonensis Antistes magnus & clarus enituit, omnia quæ dicebat de divinis utique scripturis firmans, & F de antiquissimis Patrum institutionibus probans, nihil per se in divinis profectibus quemquam arripere posse, nisi fuerit primitus Dei gratiâ præveniente vocatus. Sed dum suam justitiam quærebant statuere, justitiæ Dei non erant subjecti: non reminiscentes Dominum dixisse, *Sine me nihil potestis facere.* (Johan. 15. 5.) &, *Ego vos elegi, non vos me.* (Ibidem 16.) &, *Nemo habet quidquam, nisi illi datum fuerit de super.* (Johan. 19. 11.) & apostolum Paulum, *Gratiâ Dei sum id quod sum.* (1. Cor. 15. 10.) & alium, *Omne datum optimum de sursum est.* (Jacob. 1. 17.) & Prophetam, *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* (Psal. 83. 12.) Et quòd tunc verè liberum homo resumet arbitrium, cùm fuerit Christi liberatione redemtus, sub qua absolutione G valeat consequi perfectionis effectum. Quorum intentionibus homo Dei dedit veram & evidentem ex traditione Apostolica rationem. Nam & beatæ memoriæ Bonifacius Romanæ Ecclesiæ papa, eadem colluctatione comperta, calcata intentione jurgantium, prosecutionem sancti Cæsarii Apostolica auctoritate firmavit. Ita, donante Christo, paulatim Ecclesiarum Antistites receperunt quod optaverat diabolus repentina animositate cessare.

[a] Vetus exemplar Vaticanum, quod à se visum Holstenius in notis ad synodum Bonifacii II. testatur, hoc loco addit, *ut apparet insciu adhuc sacerdotii mihi commissi.*

APPENDICIS
PARS TERTIA.
PROSPERI AQUITANI PRO AUGUSTINO,
Contra iniquos doctrinæ illius de gratia & prædestinatione reprehensores,
APOLOGETICA OPUSCULA EXHIBENTUR:
nec non ejusdem Prosperi liber sententiarum ex Augustino.

PROSPERI AQUITANI
AD RUFINUM * EPISTOLA,
De gratia & libero arbitrio.

* Scripta vivente Augustino, circiter annum Christi 429.

a Domino a fratri dilectissimo in Christo, & meritò venerabili RUFINO, PROSPER æternam salutem dicit.

PROLOGUS.

ACCEPI per communem amicum fraternæ erga me sollicitudinis tuæ signa, & curam sincerissimæ caritatis gratulanter agnovi. Ac ne quid maligni rumores, in quantum se auribus tuis subtrahere nequeunt, formidinis tibi aut anxietatis inferrent; absolvere te ab omni scrupulo, B quantum epistolari licuit sermone, curavi in tantum: studens omnia plenissimâ veritate tibi pandere, ut quia non potuisti in totum, quæ ab adversantibus disseminantur, audire; per me ipsum queas quidquid de nobis ad inanem invidiam fertur referturque cognoscere. Sed insinuanda priùs sanctitati tuæ est qualitas quæstionis, de qua ista nascuntur: quò tibi magis pateat falsitas obloquentium; & videas quam lucem quibus tenebris conentur obducere.

CAPUT I.

Pelagianorum omnium errorum nequissimus & subtilissimus.

Pelagiana igitur hæresis, quo dogmate catholicam fidem destruere adorta sit, & quibus impietatum venenis viscera Ecclesiæ, atque ipsa vitalia corporis Christi voluerit occupare, notiora sunt, quàm ut opere narrationis indigeant. C Ex his tamen una est blasphemia, nequissimum & subtilissimum germen aliarum, qua dicunt, Gratiam Dei secundùm merita hominum dari. Cùm enim primùm tantam naturæ humanæ vellent adstruere sanitatem, ut per solum liberum arbitrium posset assequi Dei regnum: eo quòd tam plenè ipso conditionis suæ præsidio juvaretur, ut habens naturaliter rationalem intellectum, facilè bonum eligeret, malumque vitaret: & ubi in utraque parte libera essent opera voluntatis, non facultatem his qui mali sunt ad bonum deesse, sed studium. Cùm ergo, ut dixi, totam justitiam hominis ex naturali vellent rectitudine ac possibilitate subsistere, atque hanc definitionem doctrina sana

A respueret; damnatum à catholicis sensum, & multis postea hæreticæ fraudis varietatibus coloratum, hoc apud se ingenio servaverunt, ut ad incipiendum, & ad proficiendum, & ad perseverandum in bono necessariam homini Dei gratiam profiterentur.

CAPUT II. Gratia Pelagiana.

Sed in hac professione, b quòd dolo vasa iræ molirentur irrepere, ipsa Dei gratia vasis misericordiæ revelavit. Intellectum est enim, saluberriméque perspectum, hoc tantùm eos de gratia confiteri, quod quædam libero arbitrio sit magistra, seque per cohortationes, per legem, per doctrinam, per c creaturarum contemplationem, per B miracula, perque terrores extrinsecùs judicio ejus d ostendet, quò unusquisque secundùm voluntatis suæ motum si quæsierit, inveniat; si petierit, recipiat; si pulsaverit, introeat. Quia scilicet gratiæ ipsius vocatio, hoc primùm circa nos agat, ut nostræ facultatis arbitrium admoneat; nec aliud sit gratia, quàm lex, quàm propheta, quàm doctor, cui circa omnes homines per universum mundum commune & generale sit studium, ut qui voluerint credant, & qui crediderint, justificationem merito fidei & bonæ voluntatis accipiant: ac sic gratia Dei secundùm hominum meritum tribuatur: atque hoc modo gratia non sit gratia: quia si meritis redditur, & non ipsa est bonorum creatrix; frustra gratia nominatur.

CAPUT III. Pelagianorum versutia deprehensa & debellata.

C Has autem versutias, quibus se filii tenebrarum in similitudinem filiorum lucis transfigurare voluerunt, cùm & Orientalium Episcoporum judicia, & Apostolicæ sedis auctoritas, & Africanorum conciliorum vigilantia deprehenderit: beatissimus quoque AUGUSTINUS, præcipua nostique in hoc tempore portio Domini sacerdotum, e copiosè & pulcrè, in multis voluminum disputationibus destruxit; utpote inter multa Dei dona, quibus illum abundantissimè Spiritus veritatis implevit, habens etiam hanc scientiæ & sapientiæ ex Dei caritate virtutem, ut non solùm istam adhuc in suis detruncationibus palpitantem, sed etiam multas priùs hæreses invicto verbi gladio debellaret. Cui

a Epistola per nos recognita est ad antiquissimum exemplar Remensis abbatiæ sancti Remigii, quod hoc loco præterit *fratri:* sed sub finem tamen cum editis conveniens habet, *venerantissime mihi frater.*
b Sic Remigianus codex. Editi autem, *quomodo.*
c Editi, *per creaturam, per contemplationem.*
d Editi, *ostendat.*
e Remigianus codex, *copiosa & pulcra in multis voluminum disputatione destruxit.*

A inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas, ad illuminationem Ecclesiæ, & ad gloriam Christi, qua ipse illustratus est, perfulgenti, quidam nostrorum (quod de ipsis multùm dolendum est) occultis, sed non incognitis susurrationibus obloquuntur: & prout sibi obnoxias aliquorum aures opportunasque repererint, scripta ejus, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant, dicentes, eum liberum arbitrium penitus submovere, & sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem. Adjicientes etiam, duas illum humani generis massas, & duas credi velle naturas: ut scilicet tantæ pietatis viro Paganorum & Manichæorum adscribatur impietas. Quæ si vera sunt, B cur ipsi tam negligentes, ne dicam, tam impii sunt, ut tam abruptam perniciem ab Ecclesia non repellant, tam insanis prædicationibus non resistant, nec saltem aliquibus scriptis eum, à quo talis emanat doctrina, conveniant? Magnâ enim gloriâ suâ humano generi consuluerint, si Augustinum ab errore revocaverint. Nisi fortè modesti homines novique censores, magnorum priùs meritorum seni honorabiliter ac misericorditer parcunt, & securi quia libros ejus nemo usquam recipiat, conquiescunt: atque ignoverint, immo noverint, non solùm Romanam Africanamque Ecclesiam, & per omnes mundi partes universos promissionis filios cum doctrina hujus viri, sicut in to- C ta fide, ita in gratiæ confessione congruere: sed etiam in his ipsis locis, in quibus adversùs eum querimonia concitatur, esse, propitio Deo, plurimos, qui ad perceptionem evangelicæ apostolicæque doctrinæ saluberrimis ejus disputationibus imbuuntur, & quotidie in membris corporis Christi, in quantum ea ipse multiplicat, dilatantur. Si rectè reprehendimur, cur non constanter arguimur? Si arguendi non sumus, cur occulta obtrectatione mordemur?

Augustini obtrectatores occulti.

Caput IV.

Collationes Cassiani. a

Sed quis nescit, cur ista privatim de stomacho garriant, & publicè de consilio conticescant? Volentes enim in sua justitia magis, quàm in Dei gratia gloriari, molestè fe- D runt, quòd his quæ adversùm excellentissimæ auctoritatis virum inter multas [a] collationes asseruere, resistimus. Nec dubitant, si quam hinc moverint quæstionem, in qualibet frequentia sacerdotum, in qualibet congregatione populorum, centenis sibi beatissimi Augustini voluminibus obviandum. Quæ cùm cordibus audientium manifestare cœperint potentissimam Christianæ fidei veritatem, & de fontibus divini eloquii præsentium animos inundare; quis fidelium, quis piorum, recognitis & commendatis sibi salutis suæ caussis, amaritudinem istam volet fumosæ recipere vanitatis? Ego quidem etiam hoc de divitiis miseri- E cordiæ Dei spero, quòd quos nunc libero falli arbitrio suo, & ab humilitatis via patitur evagari, non usquequaque neque in finem sit intelligentiâ fraudaturus: sed hunc ipsum in longinquiora progressum, ideo ab eo tardiùs revocari, ut opus gratiæ ejus majore gloriâ celebretur, cùm sibi etiam adversantium corda subdiderit, quibus de virtutum studio exortum est periculum, & de morum probitate discrimen. Non quia quisquam carere his debeat: sed quia miserrimus eorum usus est, cùm ex naturali putantur facultate prodisse; aut ex largitate quidem gratiæ, sed aliquo vel boni operis, vel bonæ voluntatis merito F præcedente venisse.

Caput V. Auctoritates Scripturarum, quibus abutuntur Pelagiani.

Asserunt quidem hæc quibusdam sanctarum scripturarum testimoniis, sed non rationabiliter adsumtis. Ad defensionem enim alicujus definitionis ea promenda sunt, quæ alteri intellectui, à quo videtur definitio dissonare, non cedant, & eam regulam, cui sunt aptata, non deserant. Dictum ergo aiunt libero arbitrio utentibus: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam: tollite jugum meum super vos, & discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, & onus leve.* Quod ad omnes homines volunt pertinere, laborantes in incerto istius vi- G tæ oneratosque peccatis, ut qui voluerint mansuetudinem & humilitatem Salvatoris imitari, & jugum mandatorum ejus subire, inveniant requiem animabus suis, in spem vitæ æternæ: qui autem hæc facere noluerint, suâ culpâ careant salute; quam si voluissent, potuerant obtinere. Sed

Matth. 11. 28.

audiant & dictum à Domino libero arbitrio utentibus: *Sine me nihil potestis facere.* &, *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, adtraxerit eum.* &, *Nemo potest venire ad me, nisi datum ei fuerit à Patre meo.* &, *Sicut Pater vivificat mortuos, ita & Filius quos vult vivificat.* &, *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Quæ omnia cùm sint immutabilia, & nequeant ullâ interpretatione in sensum alium detorqueri; quis ambigat tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cùm in illo gratia Dei affectum credendi obediendique generaverit? Alioquin sufficeret moneri hominem, non etiam in ipso novam fieri voluntatem; sicut scriptum est, *Præparatur voluntas à Domino.* & sicut ait Apostolus, *Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Pro qua bona voluntate, nisi quam in ipsis operatus est Deus; ut quod donaverat velle, donaret & facere?

Auctoritates pro gratia. Johan. 15. 5. Johan. 6. 44. Ibidem 66. Johan. 5. 21. Luc. 10. 22. Prov. 8. 35. juxta 70. Philip. 2. 13.

Caput VI. Exemplum Cornelii ab adversariis allatum. Act. 10. 2.

Dicunt etiam ad demonstrandam liberi arbitrii facultatem, magnum in centurione Cornelio exstare documentum: eo quòd ante gratiæ perceptionem *timens atque orans Deum, eleemosynis, & jejuniis, & orationi,* spontaneo studio *fuerit intentus*; atque ob hoc divino testimonio laudatus, donum regenerationis acceperit. Neque intelligunt, omnem illam præparationem Cornelii per Dei gratiam fuisse collatam. Si quidem cùm sanctus Petrus per visionem omne genus animalium, de baptizando Cornelio, ac perinde de omnibus gentibus doceretur, atque ille immundum & indiscretum cibum Judaicâ observantiâ recusaret, trina ad eum vox facta sit dicens, *Quæ Deus mundavit, tu ne commune dixeris.* Quo satis apertè ostenditur, omnia bona opera quæ in Cornelio præcesserunt, Dei gratiam ad emundationem ipsius inchoasse: ut cui Dominus jam impertierat hoc donum, non dubitaret Apostolus conferre sacramentum: ne novæ & necdum revelatæ vocationis vacillaret exordium, nisi per ipsa indicia præcedentium studiorum, Deum in adsumendis constaret operatum. *Non enim omnium est fides; nec omnes credunt Evangelio.* Sed qui credunt, Dei aguntur Spiritu: qui non credunt, libero avertuntur arbitrio. Conversio ergo nostra ad Deum non ex nobis, sed ex Deo est: sicut Apostolus dicit, *Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne quis glorietur.*

Vide suprà synodum Arausicanam pag. 160. d.

Act. 10. 15.

2. Thess. 3. 2. Rom. 10. 16.

Ephes. 2. 8.

Caput VII. Justitia hominis vera non nisi per Christum.

Agnoscat se humana debilitas, & in primo homine universarum generationum damnata successio: & cùm mortui vivificantur, cùm cæci illuminantur, cùm impii justificantur, confiteantur vitam, & lumen, & justitiam suam Jesum Christum: & *qui gloriatur, in Domino glorietur,* non in se: qui cùm esset impius, & cæcus, & mortuus, à liberatore suo gratìs accepit & justitiam, & lumen, & vitam. Non enim [b] justè agebat, & aucta est justitia ejus; nec ad Deum gradiebatur, & confirmatus est cursus ejus; nec diligebat Deum, & inflammata est caritas ejus: sed cùm esset sine fide, ac proinde impius, accepit spiritum fidei, & factus est justus: *Justus autem ex fide vivit.* &, *Sine fide nemo potest placere Deo.* &, *Omne quod non est ex fide, peccatum est:* ut scilicet intelligat, justitiam infidelium non esse justitiam; quia sordet natura sine gratia.

1. Cor. 1. 31. Rom. 1. 17. Heb. 11. 6. Rom. 14. 23. Justitia infidelium falsa.

Caput VIII. Caritas & fides dona Dei.

Amissâ quippe naturali innocentiâ homo exsul ac perditus, ambulans sine via, profundiores intrabat errores: sed quæsitus, & inventus, & reportatus est, & in via quæ veritas & vita est introductus; [c] ad dilectione in Deum, qui illum non diligentem prior dilexit, ignitus est: sicut dicit beatus apostolus Johannes, *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos.* & iterum, *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* & idem dicit, *Carissimi diligamus invicem, quoniam caritas ex Deo est: & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum: quia Deus caritas est.* Cui beatus Paulus congruit, dicens, *In Christo Jesu, neque circumcisio, neque præputium valet aliquid; sed fides quæ per dilectionem operatur.* Unde habetur hæc fides connexa caritati, nisi unde eam ipse monstrat acceptam, dicens, *Quia vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini?* Quod utique fieri sine ma-

1. Johan. 4. 10. 1. Johan. 4. 19. 1. Johan. 4. 7. & 8. Galat. 5. 6. Philip. 1. 29.

[a] Collationes Patrum intelligit, à Johanne Cassiano presbytero editas anno ferè 426. Earum scilicet ille classem secundam, quæ ab undecima Collatione incipit, Honorato & Eucherio inscripsit nondum episcopis; quando quidem eos in præfatione fratres appellat: ipse autem Honoratus Arelatensem episcopatum dicto anno 426. obtinuit. Definitionibus porrò tertiæ decimæ Collationis Augustino contrariis Prosper voce ac sermone primùm; deinde verò post Augustini obitum scripto volumine, quod *contra Collatorem* vocant, resistendum existimavit.

[b] In codice MS. deest, *justè*.

[c] Editi, *introductus ad dilectionem in Deum.*

Rom. 5. 5.

gna caritate non poterat. Et iterum: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis.* Sine qua caritate Apostolus quantam fidem, quantamque scientiam, quas virtutes, quæ studia, quos labores, nihil prodesse testatur? Quia scilicet multa laudabilia atque miranda possunt in homine reperiri, quæ sine caritatis medullis habent quidem pietatis similitudinem, sed non habent veritatem.

CAPUT IX. Nemo dignus dono caritatis inventus.

Coloss. 1. 3.

Hoc ergo tanto & tam ineffabili bono, nemo inventus est dignus: sed quicumque electus est à Deo, factus est dignus: sicut dicit Apostolus, *Gratias agentes Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.*

2. Tim. 1. 8.

Et idem ad Timotheum: *Conlabora*, inquit, *Evangelio secundùm virtutem Dei, qui nos liberavit & vocavit vocatione sanctâ: non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propositum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia.*

Tit. 3. 3.

Et ad Titum: *Eramus*, inquit, *& nos aliquando insipientes & increduli, errantes, & servientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem: cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri, non ex operibus justitiæ quæ fecimus, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.*

Gratia justificans non ex bonis meliores, sed ex malis bonos facit.

Gratia igitur Dei quoscumque justificat, non ex bonis meliores, sed ex malis bonos facit; postea per profectum, ex bonis factura meliores; non ademto libero arbitrio, sed liberato: quod donec sine Deo solum fuit, mortuum fuit justitiæ, vixitque peccato: ubi autem ipsum illuminavit misericordia Christi, erutum est à regno diaboli, & factum est regnum Dei: in quo ut permanere possit, ne ea quidem facultate sufficit sibi, nisi inde accipiat perseverantiam, unde accepit * industriam.

* f. justitiam.

CAPUT X. Perseverantia donum Dei.

Luc. 22. 31.

Quoniam & ipsius sancti Petri ardentissima fides in tentationibus defecisset, nisi pro eo Dominus supplicasset: sicut Evangelista manifestat, dicens, *Dixit autem Jesus Petro, Simon, Simon, ecce satanas postulavit, ut vos cribraret velut triticum: ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua: & tu tandem conversus, confirma fratres tuos: & roga, ne intretis in tentationem.*

Ibidem 32.

Et ut magis probaretur liberum arbitrium nihil posse sine gratiâ: cui dictum fuerat, *Confirma fratres tuos, & roga, ne intretis in tentationem:* quique responderat, utique ex libero arbitrio, *Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire:*

Ibidem 34.

eidem prædicitur, quòd *priùs quàm gallus cantet, ter Dominum negaturus sit.* Quod quid est aliud, quàm quòd in fide defecturus sit? Certè rogaverat pro eo Dominus, ne deficeret fides ipsius: nec utique frustra rogaverat, cujus una erat cum eo quem rogaverat operatio. Sed ne libero arbitrio videretur stare, qui de se magna promiserat, permittitur periclitari; ut conturbatum ac deficientem ille respiciat & reficiat, sine quo nemo consistit, nemo persistit.

CAPUT XI. Occasio erroris de gratia, horror prædestinationis fixæ & gratuitæ.

Ab hac autem confessione gratiæ Dei ideo quidam resiliunt, ne cùm eam talem confessi fuerint, qualis divino eloquio prædicatur, & qualis opere suæ potestatis agnoscitur, etiam hoc necesse habeant confiteri, quòd ex omni numero hominum per sæcula cuncta natorum, certus apud Deum definitusque sit numerus prædestinati in vitam æternam populi, & secundùm propositum Dei vocantis electi. Quod quidem tam impium est negare, quàm ipsi gratiæ contraire. Neque enim remotum est ab inspectione communi, quot sæculis, quàm innumera hominum millia, erroribus suis impietatibusque dimissa, sine ulla veri Dei [a] cognitione defecerint. Sicut etiam in Actibus Apostolorum Pauli & Barnabæ verba declarant, dicentium [b] Licaoniis:

Act. 14. 14.

Viri fratres, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, adnuntiantes vobis, ut ab his vanis convertamini ad Deum vivum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt; qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem [c] non sine testimonio semetipsum relinquens, benefaciens eis, de cælo dans pluviam, & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda [d] vestra. Cùm utique si eis vel naturalis intelligentia, vel usus beneficiorum Dei ad capessendam vitam æternam sufficere potuisset, nostro etiam tempore rationalis nos contemplatio, & temperies aëris, & fructuum

A copia ciborumque salvaret: quia scilicet meliùs naturâ utentes, Creatorem nostrum propter quotidiana ipsius dona coleremus.

CAPUT XII. Nemo salvatur, nisi per gratiam Christi.

Sed absit ab animis piorum & Christi sanguine redemtorum, stulta nimiùm & perniciosa persuasio. Naturam humanam [e] natura humana non liberat; extra unum mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum, nemini salus est.

Act. 4. 13. Psal. 99. 3.

Sicut *ipse fecit nos, & non ipsi nos:* ita ipse reficit nos, & non ipsi nos. Ac ne sibi facultas hominis per pretium reparationis hujus, vel post restitutionem sui, opera videretur justitiæ repensare; effuderunt se divitiæ B bonitatis Dei in ipsa quorumdam primordia parvulorum, in quibus nec præcedens eligitur, nec secutura devotio; non obedientia, non discretio, non voluntas. De his enim loquor, qui mox ut nati sunt, renascuntur, & rapti ab hac vita æternæ beatitudini deputantur. Cùm tamen innumerabilis multitudo, ejusdem naturæ, ejusdem conditionis infantium, sine regeneratione decedat; de qua dubitari non potest, quòd partem in Dei civitate non habeat.

CAPUT XIII. Quomodo dicitur Deus velle omnes salvos fieri.

1. Tim. 2. 4.

Et ubi est illud, quod nobis quasi contrarium, à non intelligentibus semper opponitur; quòd *Deus omnes homines velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire?* Numquid non sunt de omnibus hominibus, qui à præteritis generationibus C usque in hoc tempus sine Dei cognitione perierunt? Et si majoribus natu (quod non rectè dicitur) mala opera, quæ libero arbitrio commiserant, obfuerunt; quasi boni, non mali gratiâ liberentur: inter salvatos parvulos & non salvatos parvulos quæ meritorum potuit esse discretio? quid istos introduxit in regnum Dei? quid istos exclusit à Dei regno? Equidem si meritum consideres, non una pars salvari meruit, sed utraque damnari: quia omnibus in Adæ prævaricatione prostratis, nisi quosdam adsumeret misericors gratia, maneret super universos inculpata justitia. Quæ autem sit discretionis istius in secreto consilio Dei caussa vel ratio, & supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, & sine fidei diminu D tione nescitur: modò confiteamur neminem immeritò perdi, neminem meritò liberari; & omnipotentissimam Domini bonitatem omnes salvare, & omnes ad agnitionem veritatis imbuere, quos *vult omnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.*

Deus omnes salvat, quos vult omnes salvos fieri.

Nisi enim ipso vocante, docente, salvante, nemo venit, nemo eruditur, nemo salvatur. Quia etsi indifferenter omnibus hominibus jubentur prædicare doctores, & semen verbi ubique disserere: tamen *neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.*

1. Cor. 3. 7.

CAPUT XIV. Fidei & evangelicæ prædicationis gratia quibusdam denegata.

Act. 13. 48.

Unde cùm Apostoli gentibus Evangelium prædicare cœpissent, de parte quadam eorum qui audierant, Scriptura E commemorat, dicens, *Audientes autem gentes gavisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*

Act. 16. 14.

Et alibi, cùm multæ mulieres audirent Paulum docentem: *Quædam*, inquit, *mulier nomine Lydia purpuraria civitatis Thyatirorum, colens Deum, audivit, cujus Dominus aperuit cor ut intenderet his, quæ dicebantur à Paulo.* Et rursum eo ipso tempore, quo ad omnes gentes prædicatio Evangelii mittebatur, quædam loca Apostoli adire prohibentur ab eo, *qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* multis utique in illa * retardatis atque aversis Evangelii mora sine F agnitione veritatis & sine regenerationis consecratione morituris. Dicat ergo Scriptura quod gestum est: *Transeuntes autem*, inquit, *Phrygiam & Galatiæ regionem vetiti sunt à sancto Spiritu loqui verbum in Asia. Cùm venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit illos Spiritus Jesu.* Quid autem mirum, si inter ipsa Evangelicæ prædicationis exordia, non poterant ire Apostoli, nisi quò eos Spiritus Dei ire voluisset; cùm videamus plerasque gentes modò primùm Christianæ gratiæ fieri cœpisse participes, alias autem nullum adhuc odorem boni istius adtigisse?

* f. retardati atque aversi.

CAPUT XV. Adversariorum effugium præcluditur.

G An dicendum est, voluntati Dei humanas obsistere voluntates, & tam feros tamque intractabiles horum hominum esse mores, ut Evangelium ideo non audiant, quia prædicationi impia corda non pateant? Et quis istis corda mutavit, nisi *qui finxit singillatim corda eorum?* Quis hujus

Psal. 32. 15.

a Remigianus codex, *cognitione.*
b Editi, *Iconii.*
c Remigianus codex, *Et quidem sine testimonio:* omisso, *non.*
d Editi, *corda eorum.*
e In editis deerat, *natura humana.*

rigoris

rigoris duritiem ad obediendi mollivit affectum, nisi qui *potens est de lapidibus Abrahæ filios excitare?* Et quis dabit prædicantibus intrepidam illæsamque constantiam, nisi ille qui ait Paulo, *Noli timere, sed loquere, & ne taceas; propter quod ego sum tecum, & nemo apponetur tibi ut noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac civitate?* Puto autem quòd nemo audeat dicere ullam mundi gentem, ullam terræ prætermittendam esse regionem, in qua non sint Ecclesiæ tabernacula dilatanda, dicente Deo ad Filium, *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ:* & iterum, *Reminiscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus omnes patriæ gentium:* dicente quoque ipso Domino, *Prædicabitur hoc Evangelium in universo mundo in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis.* Quæcumque ergo gentes nondum audierunt, audient Evangelium; & *credent quotquot ex eis præordinati sunt in vitam æternam.* Non enim alii venient in consortium hereditatis Christi, quàm qui antè constitutionem mundi electi sunt, & prædestinati atque præsciti, *secundùm propositum ejus qui omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ.*

Matth. 3. 9. — Act. 18. 9. — Psal. 2. 8. — Psal. 21. 28. — Matth. 24. 14. — Act. 13. 48. — Ephes. 1. 11.

CAPUT XVI. Confiteamur igitur opera Domini, & glorificemus misericordias ejus: nec impatienter feramus, quòd, quæ aut quanta sint electionis vasa, non novimus. Quia & in anterioribus sæculis, quando de unius gentis populo dicebatur, *Notus in Judæa Deus, in Israël magnum nomen ejus:* futura gentium latebat electio; & postmodum innotuit, quod revelatum antè non fuerat: sicut dicit Apostolus, *Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus, & Prophetis in Spiritu, esse gentes coheredes, & concorporales, & comparticipes promissionis in Christo Jesu.* Et in Actibus Apostolorum: *Obstupuerunt*, inquit, *ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus-sancti effusa est.* Si enim hoc consilium vocationis suæ Dominus, quamdiu voluit, abscondit ac distulit; & quando voluit, revelavit; sanctisque ejus ignorantia ista non nocuit: cur spei nostræ obesse credimus, si in quo numero, quibusve hominibus vasa misericordiæ in gloriam præparantur, occulitur? Cùm tamen constet, regnum cælorum omnes ingressuros bonos, hoc eis donante Dei gratiâ; & nullos ingressuros malos, hoc ipsorum merente nequitiâ.

Psal. 75. 2. — Ephes. 3. 5. — Act. 10. 45.

CAPUT XVII. Nimiùm verò ineptè, nimiúmque inconsideratè ab adversantibus dicitur, quòd per hanc Dei gratiam libero nihil relinquatur arbitrio. Quamvis enim in parvulis baptismum transeuntibus, manifestissimè nullum opus nullusque appetitus eorum voluntatis exsistat; & plerosque utentes quidem libero arbitrio, sed aversos à vero Deo, vitamque in flagitiis exigentes, liberatrix regeneratio in ipso exhalandi spiritûs fine sanctificet: tamen si eam filiorum Dei partem, quæ ad pietatis opera reservatur, pio consideremus intuitu, nonne in eis non peremtum invenìemus liberum arbitrium, sed renatum? Quod utique cùm solum esset, sibique permissum, non nisi in suam perniciem movebatur. Ipsum enim se excæcaverat, & ipsum se illuminare non poterat. Nunc autem idem arbitrium conversum est, non eversum: & donatum est ei [a] aliter velle, aliter sapere, aliter agere, & incolumitatem suam non in se, sed in medico collocare: quia necdum tam perfecta utitur sanitate, ut ea quæ ei nocuerant, nequeant jam nocere; aut ab insalubribus possit jam, viribus suis, temperare. Proinde homo, qui in libero arbitrio fuit malus, in ipso libero arbitrio factus est bonus: sed per se malus, per Deum bonus; qui eum ita in illum initialem honorem alio initio reformavit, ut ei non solùm culpam malæ voluntatis & actionis remitteret, sed etiam bene velle, bene agere, atque in his permanere donaret. *Omne enim*, inquit apostolus Jacobus, *datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Qui quale sit liberum arbitrium quod humano spiritu agitur, & quale sit quod à Deo regitur, evidenter ostendit, dicens: *Quòd si Zelum amarum habetis & contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari adversùm veritatem, & mendaces esse: non est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim Zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus pravum. Quæ autem de sursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordiâ & fructibus bonis, non dijudicans, sine simulatione.* Quicumque ergo his virtutibus student atque inhærent, non suâ, sed supernâ sapientiâ illustrati sunt: *Quoniam Dominus dat sapientiam, & à facie ejus scientia & intellectus.* Et hæc eorum verissima gloria est, si non in se, sed in Domino gloriantur.

Iacob. 1. 17. — Iacob. 3. 14. — Prov. 2. 6.

CAP. XVIII. Calumnia in Augustinum. [b] Ea autem quæ de fato, & de duabus massis, duabusque naturis stultissimo mendacio, [b] in tanti viri injuriam jactitantur, neque ipsum quidem onerant, in cujus libris copiosissimè hujusmodi destruuntur errores; nec nos perturbant, qui tales opiniones cum suis auctoribus exsecramur. Sed videant quomodo se à dedecore istius exuant falsitatis, qui possunt tam inepta confingere, si hi quorum abutuntur auribus, aliquantulum diligentiæ ad cognoscenda ea quæ præstantissimus minister gratiæ disputavit intenderint: licèt omnem istius inquisitionis moram ipsi, qui hæc loquuntur, prævenire deberent, proferendo atque explicando libros, ullamve eorum particulam demonstrando, quam per dubium saltem intellectum tali interpretationi obnoxium Vir sanctus ediderit. Sed prorsus nihil apud nos tale audierunt, nihil tale legerunt. Quia non fato quidquam geri, sed omnia Dei judicio novimus ordinari. Nec ex duabus massis, duabusve naturis; sed ex una massa, quæ est cato primi hominis, unam scimus omnium hominum creatam, crearique naturam, & eamdem per ipsius primi hominis liberum arbitrium, *in quo omnes peccaverunt*, esse prostratam: nec ullo modo ab æternæ mortis debito liberam, nisi eam ad imaginem Dei secundæ creationis Christi gratia reformaverit, liberumque ejus arbitrium agendo, [c] spirando, auxiliando, & usque in finem præeundo servaverit.

Vide Aug. lib. 2. contra duas epistol. Pelag. cap. 6. & 7. ac lib. 4. contra Iulian. cap. 8. — Rom. 5. 12.

EPILOGUS. Unde quia perspicit sanctitas tua, (si tamen sermonis mei non obsistit obscuritas,) frustra quosdam de nobis conqueri, & omnes illas ineptas criminationes, ad exasperandos avertendosque animos eorum, quibus aliud volunt persuadere, contexi: confido ego in virtute misericordiæ Dei, quoniam hæc contradictio, sicut in aliis mundi partibus, ita & in his regionibus conquiescet: ut prædicatio summi hoc tempore in Ecclesia viri, etiam ab his à quibus ad præsens [d] repellitur, adjuvetur. Tu autem dilectissime & venerandissime mihi frater, si verè de his quæstionibus instrui desideras, sicut desiderare te convenit; ipsis beati Augustini disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confitenda Dei gratia defecatissimam ac saluberrimam evangelicæ apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequaris. Gratia Dei, & pax Domini nostri Jesu Christi custodiat te in omni tempore, & per viam veritatis dirigat in vitam æternam.

[a] Ex vetere codice addidimus, *aliter velle.*
[b] Editi, *tanti viri injuriæ jactitant.* Emendantur ad veterem codicem, nisi quòd *jacitantur* habet, pro *jactitantur.*

[c] Sic MS. Editi autem, *sperando.*
[d] Editi, *revellitur.* MS. *repellitur.*

PROSPERI [a] AQUITANI PRO AUGUSTINO,

LIBER * CONTRA COLLATOREM.

* Scriptus circiter annum Christi 432.

Excutit duodecim definitiones Iohannis Cassiani de gratia & libero arbitrio, contentas Collatione ipsius tertia-decima, easque, unâ exceptâ primâ, omnino à catholica veritate dissidere docet: demonstrans Augustini reprehensores, & vana objicere, & recta impugnare, & prava defendere, ipsisque Pelagianorum jam peremtorum armis intestinum bellum moventes, Scripturis divinis simul & Ecclesiasticis Imperatoriisque constitutionibus rebellare.

CAPUT I. Calumniatores Augustinianæ doctrinæ eò ducunt ut inimici gratiæ credantur ab Ecclesia injustè damnati.

GRATIAM Dei qua Christiani sumus, quidam dicere audent à sanctæ memoriæ Augustino episcopo non rectè esse defensam; librosque ejus contra errorem Pelagianum conditos, immoderatis calumniis impetere non quiescunt. Quorum intus interstrepens domestica malignitas non minùs spernenda esset, quàm foris latrans hæretica loquacitas, nisi ejectis extra ovile dominicum lupis qui sub nomine ovium sunt suffragarentur, essentque ejusmodi, ut nec ordo eorum in Ecclesia, nec ingenia despicienda videantur. Si quidem habentes speciem pietatis in studio, cujus virtutem diffitentur in sensu, trahunt ad se multos ineruditos, & non habentia [b] spirituum discretiones corda conturbant: atque in eum statum deducere caussam Ecclesiæ moliuntur, ut dum nostros affirmant non veraciter pro gratia fuisse locutos, inimicos gratiæ persuadeant injustè esse damnatos. Non ergo negligendum est hoc malum, quod ab occultis parvisque seminibus augetur quotidie, & ab ortu suo latiùs longiúsque distenditur: sed studendum est, in quantum Dominus adjuvat, ut fallacium calumniatorum hypocrisis detegatur, qui ex ipsa injuriæ magnitudine, quam in uno cunctis, ac præcipuè Apostolicæ sedis pontificibus intulerunt, ab indoctis & parum cautis excellentioris scientiæ judicantur, & misero perversoque successu [c] facilem mendacio consensum eliciunt, quia reverentiam sibi præsumtione pepererunt. Nec enim, cùm sint bonæ opinionis viri, creduntur ullo modo tarditate intelligentiæ, aut temeritate judicii, in superfluæ querelæ conclamationem potuisse prorumpere; ac non potiùs magno ingenio & vehementi studio laborasse, ut subtilissimi tractatoris disputationibus comprehensis, censura nunc districtior & inspectio sagacior inveniret, quod antea securus favor & benignitas incuriosa non viderat.

Augustini ductu catholica acies Pelagianos vicit.

2. Unde ergo hæc diligentia tam severi emersit examinis? Unde in hanc austeritatem supercilium se tetricæ frontis armavit, ut mensuras sensuum, pondera locutionum, numeros syllabarum insidiosus scrutator eventilet, magnumque se aliquid conficere præsumat, si catholico prædicatori notam erroris affigat? Quasi incognitum aliquod opus, & quod hactenus latuerit, impetatur: ac non illa his morsibus doctrina lanietur, quæ novorum hæreticorum commenta disjecit, & diabolicum tumorem Pelagianæ elationis elisit? Viginti ampliùs [d] anni sunt, quòd contra inimicos gratiæ Dei catholica acies hujus viri ductu pugnat & vincit. Et vincit, dico, quia non patitur respirare, quos vicit, & in quorum excidium unam cunctorum sacerdotum manu sententiam scripsit. [e] Pulsi pontificio, & communione privati, querantur de nostræ felicitate victoriæ, & arment in nos linguas suas, qui exsulare à veritate, quàm cives esse Ecclesiæ maluerunt: nostri autem concorporales, & comparticipes gratiæ Christi, cur de his armis, quibus communis fides est defensa, causantur? Cur bellum confectum retractant, & munitiones securæ dudum pacis infirmant? An victores displicent, & victi placent; tantâque insolentiâ damnati foventur errores, ut pravitatis invidiâ & auctores nostri pulsentur, & judices? An verò ita se novorum censorum norma exactior temperavit, ut & nulla eorum quæ excisa sunt asserat, & quædam ex his quæ defensa sunt respuat? Ecce salva catholicæ pace victoriæ, salvâ indissolubilium reverentiâ decretorum, parati sumus patronos doctrinæ emendatioris audire, & circumcisas ab omni errore lineas subtilissimæ discretionis agnoscere: constituatur in medio, quod de novis [f] emersit ingeniis.

Episcopi Pelagiani depulsi episcopatu & excommunicati. *V. constitutionem Valentiniani supra pag.* 126.

CAPUT II. Cur aggrediatur unius Cassiani potissimùm definitiones.

3. ET ne ad obscurandam scientiam doctiorum, ea exagitare videamur, quæ vulgus ignobile, & procax ineptorum loquacitas intemperanter effundit; unius potissimùm definitiones, quem non dubium est illis omnibus in sanctarum scripturarum studio præstare, referemus. [g] Quas etiam ob hoc solas interim in disceptationem oportet adsumi, quia utrùm ita se habeant, non potest dubitari. Scriptæ enim sunt, & auctoris sui editione [h] publicatæ: nec jam, an sint, quærendum est; sed quid doceant, demonstrandum. Igitur in libro cujus prænotatio est, DE PROTECTIONE DEI, vir * quidam sacerdotalis [i], qui disputandi usu inter eos, quibus cum degit, excellit, abbatem * quemdam introducit de gratia Dei & de libero arbitrio disserentem, cujus se per omnia probasse ac suscepisse ostendit sententiam: ut jam non cum illo nobis sit negotium, qui fortè tales opiniones suas aut negando refutaret, aut corrigendo dilueret; sed cum isto, qui ad instrumentum inimicorum gratiæ Dei talem studuit proferre doctrinam.

* Cassianus presbyter, Collat. 13.

* Chæremonem.

Cassiani definitio prima catholica.

4. Qui tamen inter initia disputationis à veritatis pietate non dissonat, & justo honorari præconio mereretur, nisi præcipiti lævoque progressu ab inchoata rectitudine deviaret. Nam post comparationem agricolæ, cui formam sub gratia ac fide viventis aptavit, & cujus infructuosum esse dixit laborem, nisi per omnia Dei auxilio juvaretur, intulit definitionem catholicissimam, dicens: *Quibus manifestè colligitur, non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium: qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum bonum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum: qui & incipit quæ bona sunt, & exsequitur, & consummat in nobis, dicente Apostolo, Qui dat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & crescere faciet fructus justitiæ vestræ.* Hîc ne quis putaret, nihil superesse quod per liberum ageretur arbitrium, non irrationabiliter adjecit quo probaret, non auferri illud his donis, sed potiùs roborari, nisi revolutum ad iniquitates suas ab auxilio Dei se mallet avertere. *Nostrum verò est,* inquit, *quotidie adtrahentem nos gratiam Dei ut humiliter subsequamur, vel certè dura cervice & incircumcisis, ut scriptum est, auribus eidem resistentes, per Jeremiam mereamur audire, Numquid qui cadit, non resurget? aut qui aversus est, non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione conten-*

Collat. 13. c. 3. — Iacob. 1. 17. — 2. Cor. 9. 10. — Act. 7. 51. — Ierem. 8. 4.

a In antiquissimo Corbeiensi codice ante annos ferè nongentos scripto, titulus opusculi hujus est, *Liber sancti Prosperi pro prædicatoribus gratiæ Dei contra librum Cassiani presbyteri, qui prænotatur de protectione Dei*: id est, contra Collationem tertiam decimam, habitam cum abbate Chæremone.

b Lovaniensis editio & Antuerpiensis, *spiritum discretionis*. At Moguntiensis omnium prima, quæ anno 1524. ex MS. exemplari Benedictinorum montis S. Jacobi prodiit, habet *spirituum discretiones*: nec aliter MS. Corb. Alludit Prosper ad 1. Cor. 12. 10.

c MS. Corb. & editio Mog. *facilem*.

d Ita Corb. & Mog. At posteriores editiones habent, *annis*; & omittunt, *sunt quòd*. Augustinus porrò contra Pelagianam hæresim pugnare anno Christi 412. cœpit, scriptis ad Marcellinum libris de peccatorum meritis ac de baptismo parvulorum. Iste ergo Prosperi liber viginti & ampliùs ab hinc annis editus, meritò refertur in annum circiter 432.

e Editio Mog. sequentem sententiam cum præcedente, ceu duo unius sententiæ membra connectit, & loco *querantur, arment*; habet *queruntur, armant*.

f Jam tum fortè emerserant variæ contra Augustinum quæstiones: sed quia solo eas auditu acceperat, ut mox n. 3. & infrà n. 55. significare videtur, idcirco illis interim dissimulatis, refellendas suscipit Cassiani potissimùm definitiones, quæ stilo editæ in vulgus erant.

g In editione Mog. *Cujus decreta ob hoc solum interim oportet in medium adduci*. Hoc ipsum est etiam in MS. Corb. sed insertum post, *oportet adsumi*: alibi: in eoque codice ante, *Quas etiam ob hoc solas*, præfixa est particula, qua indicatur alterum ex illis duobus dictis aliunde adscitum fuisse.

h MS. Corb. *purgatæ*. Editio Mog. *purgata*: referendo ad *decreta*.

i Posteriores editiones addunt, *ordinis*. Aberat à Corb. & Mog.

tiosâ; induraverunt cervices suas, & noluerunt reverti? Item infrà, cùm omnia virtutum studia Dei gratiâ indigere docuisset, probabiliter addidit, dicens: *Quæ omnia, sicut desiderari à nobis jugiter absque divina inspiratione non possunt, ita ne perfici quidem sine ejus auxilio ullatenus queunt.* Collat. 13. c. 6.

5. In septimo * autem capitulo, generalem volens ostendere gratiam Christi, quæ nullum usquequaque hominem prætermittat, & rebelles quoque [a] adversosque non deserat: *Adest igitur*, inquit, *inseparabiliter nobis divina protectio, tantaque est erga creaturam suam pietas Creatoris, ut non solùm comitetur eam, sed etiam præcedat jugiter providentia.* In quo potest videri, ob hoc comitem dixisse providentiam, quia etiam deserentes se plerumque non deserat; vel quia omnes quos prævenit, eosdem subsequatur. Sequitur autem, dicens: *Qui cùm in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam [b] confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Et hîc potest adhuc dicere, illius se ortum bonæ voluntatis significasse, cujus à Deo sint plantata vel inspirata principia: quia ab illuminatis jam cordibus possint salubres prodire conatus, qui ideo ipsius hominis proprii esse dicuntur, quia jam bonorum conatuum acceperit facultatem, eorumque semina ad suum referantur auctorem.

* Nunc est cap. 8.

Definitio secunda.

6. Sed in capitulo nono subdit, & dicit: *Unde non facilè humana ratione discernitur, quemadmodum Dominus petentibus tribuat, à quærentibus inveniatur, aperiatque pulsantibus: & rursus inveniatur à non quærentibus se, palàm appareat inter illos qui illum non interrogabant; tota die expandat manus suas ad populum non credentem sibi & contradicentem, resistentes ac longè positos vocet, invitos adtrahat ad salutem, peccare cupientibus explendæ copiam subtrahat [c] voluntatis, ad nequitiam properantibus benignus obsistat.* Jam hîc quasi per inscrutabilem diversitatem introducitur definitio, qua docetur multos ad gratiam venire sine gratia, & hunc affectum petendi, quærendi, pulsandi, habere quosdam de vigilantia liberæ voluntatis: quæ tamen in aliis tantâ aversione obcæcata perhibetur, ut nullis cohortationibus sit revocabilis, nisi per vim trahentis invita ducatur. Quasi non toto multiformis gratiæ opere hoc in omnium agatur animis, ut ex nolentibus fiant volentes; aut quisquam ex his qui jam judicio rationis utuntur, possit fidem nisi voluntate suscipere. Unde tam ineptum est dicere, quòd quisquam ad participationem gratiæ tendat invitus, quàm asserere quòd ullus ad eam non Spiritu Dei veniat incitatus.

Incipit à Cassiano introduci definitio qua docetur [multos] ad gratiam venire sine gratia. Isai. 65. 1.

7. Citò ergo hic disputator præmissæ definitionis oblitus est, citò à sententia sua [d] instabili levitate dissensit. Dixerat enim regulariter, *Non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium.* Et ne hoc de doctrina extrinsecùs adhibita deberet intelligi, vigilanter addiderat: *Qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum bonum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum: qui & incipit quæ bona sunt, & exsequitur, & consummat in nobis.* Doctor catholice, cur professionem tuam deseris? cur ad [e] fumosam falsitatis caliginem relictâ serenissimæ veritatis luce devolveris? Quod in petentibus, quærentibus, pulsantibusque miraris, cur non eidem gratiæ, quæ desideratur adscribis? Vides bonos conatus, pia studia, & dubitas esse Dei dona? Latuerit opus gratiæ, donec fides insita cogitationis claudebatur arcano: at ubi supplex oratio, ubi diligens inquisitio, ubi apparet crebra pulsatio; quare non ex qualitate operis subministrationem intelligis incitantis?

d Vide suprà n.

8. Et satis te [f] armas contra Pelagianorum calumnias, si quod in universitate vocatorum sentiendum est, id nobis in portione concedas: * sed nec cum hæreticis tibi, nec cum catholicis plena concordia est. Illi in omnibus justis hominum operibus liberæ voluntatis tuentur exordia: nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia: tu informe nescio quid tertium, & utique parti inconveniens reperisti, quo nec inimicorum

Cassianus nec cum Pelagianis, nec cum catholicis plene concordat. * Caput III.

A consensum adquireres, nec in nostrorum intelligentia permaneres. Quomodo autem non advertis, te in illud damnatum incidere, quod velis nolis convinceris dicere, *Gratiam Dei secundùm merita nostra dari*; cùm aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia: præcipuè cùm omnes hujusmodi & accipere, & invenire, & intrare dicantur. In quo superfluum, immo impium est, sic velle meritis ante gratiam exsistentibus locum facere, ut non ex toto verum sit quod ait Dominus, Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, adtraxerit B eum; si cujusquam hominis sine Dei illuminatione esset credenda conversio, aut ullo modo se voluntas hominis ad Deum sine Deo posset extendere: qui eum vocatum ad Filium trahit; non resistentem invitumque compellit: sed ex invito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat, ut cor audientis, obediendi in se delectatione generata, ibi surgat, ubi premebatur; ibi discat, ubi ignorabat; inde fidat, unde diffidebat; inde velit, unde nolebat. Etenim Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.

Matth. 7. 7.

Meritis nullus locus ante gratiam.

Johan. 6. 44.

Gratia facit ex invito volentem.

Psal. 84. 13.

9. Sed videamus qualia subsequantur: *Cui autem facilè* C *pateat, quomodo salutis summa nostro tribuatur arbitrio? De quo dicitur, Si volueritis, & audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis. Et quomodo non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei? Quid etiam sit illud, quòd Deus reddet unicuique secundùm opera ejus. Et, Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate [g] vestra: & hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Et cetera quæ collecta de Scripturis, quasi alterno sibi sensu adversa collegit, ut donis gratiæ studium humanæ committat industriæ; & hominum omnium divisione facta, alii sint quos gratia Dei salvet, alii D quos lex & natura justificet. Sed lex potest, ne quid mali fiat, jubere: à malo autem non potest liberare. Notum facit mandatum, sed obediendi non præstat affectum: nisi quod est occidens per imperium litteræ, fiat vivificans per spiritum gratiæ.

Collat. 13. c. 9.

Isai. 1. 19.

Rom. 9. 16.

Matth. 16. 27.

Philip. 2. 13.

Error Cassiani, alios per gratiam salvari, alios per legem & naturam justificari.

10. Post hæc concludit, dicens: *Nisi quòd in his omnibus & gratia Dei, & libertas nostri declaratur arbitrii; [h] quia etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, semper verò à Domino indigeat adjuvari.* Et ubi est, quod regulari definitione præmissum est, *Non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium; qui & incipit quæ bona sunt, & exsequitur, & consummat* E *in nobis?* Ecce hîc etiamsi bonis cœptis necessarium Dei fateris auxilium: ipsos tamen laudabiles motus appetitusque virtutum, remotâ gratiâ Dei nudæ libertati adscribis arbitrii: ut boni salubresque conatus nequeant quidem proficere, nisi Deus adjuvet; possint tamen, etiam si non à Deo inspirentur, incipere.

Ibidem. Definitio 3. Cassiani, Appetitum virtutum habere hominem à se ipso.

h Vide suprà n. 4.

11. Deinde, ut evidentiùs definias, quid homo ex libero arbitrio habeat, quid sumat ex gratia, addis, & dicis: *Nec enim cùm voluerit quis, sanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo pro arbitrii sui desiderio liberatur.* Doces F ergo, non posse quidem hominem per semetipsum apprehendere sanitatem, sed habere eum à semetipso desiderium sanitatis; & sua tantùm sponte venire ad medicum, non etiam hoc ipsum medici esse, quòd veniat. Quasi verò anima ipsa non langueat, & corpori suo remedium sana prospiciat. Atqui totus homo ex ipsa & cum ipsa in profundum miseriæ suæ decidit, ubi eam, priùs quàm à medico notitiam suæ calamitatis accipiat, jacere delectat, amantem semper errores suos, & amplectentem falsa pro veris. Cujus prima salus est, ut sibi incipiat displicere, & vetustatem suæ debilitatis odisse: sequens verò est, ut & G sanari desideret, & à quo sananda sit noverit. Quæ curationem ipsius sic præcedunt, ut ei ab illo, qui ægram sanaturus est, inserantur: ne, cùm ei [i] nullo modo hæc frustra inesse possint, merito videatur salvata, non gratiâ.

Caput IV.

Collat. 13. c. 9. Contra Cassianum, nec desiderium sanitatis haberi sine gratia.

Vide respons. ad 6. object. Gallorum.

12. Deinde adjicis: *Ut autem evidentiùs clareat, etiam per natura bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, non-*

Ibidem. 4. Definitio

[a] MS. Corb. *aversosque.* Editio Mog. *perversosque.*
[b] Corb. & Mog. *illuminat eam, atque confortat, ac dirigit ad salutem.*
[c] Corb. & Mog. *voluptatis.*
[d] Posteriores editiones, *instabilitate & levitate discessit.*
[e] Sic MS. Corb. At editiones, *famosam.*
[f] Sic MS. Corb. & editio Mog. At posteriores editiones, *Et satis te contra Pelagianorum calumnias præcaveri existimas, si*, &c.
[g] Hîc *vestra* addidimus auctoritate MS. Corb. & editionis Mog.
[h] Posteriores editiones, *& quia.* Abest, *&*, ab antiquiore editione Mog. & MS. Corb.
[i] Ita MS. Corb. & editio Mog. Posteriores verò editiones, *cùm ei nullo modo hæc inesse possint.*

Cassiani, Per naturæ bonum aliquando bonarum voluntatum prodire principia.

Rom. 7. 18.

numquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen, nisi à Deo dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est, dicens, Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Falsò ergo secundùm hanc definitionem antè dixisti, *Non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium; qui & incipit quæ bona sunt, & exsequitur, & consummat in nobis.* Sed hoc nullo modo ex aliqua parte potest esse falsum: cui nequaquam inferri contraria debuerunt, ut quod rectè professus es ex gratiâ incipere, id postea confirmares per naturæ bonum & per liberum arbitrium nos habere. Dixit quidem beatus Apostolus, Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Sed idem dixit, Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et idem dixit, Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & [a] operari, pro bona voluntate. Non ergo Apostolus sibi contrarius est. Sed cùm donatum nobis fuerit bonum velle, non statim invenimus & facere, nisi petentibus, quærentibus, atque pulsantibus, qui dedit desiderium, præstet effectum. Vox ista dicentis, Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio; vocati est, & jam sub gratia constituti, qui condelectatur quidem legi Dei secundùm interiorem hominem, sed videt aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & captivantem se in lege peccati: & quamvis acceperit scientiam rectè volendi, virtutem tamen in se non invenit eorum quæ optat operandi; donec pro bona voluntate quam sumsit, [b] virtutum mereatur facultatem invenire quam quærit.

2. Cor. 3. 5.

Philip. 2. 13.

Rom. 7. 18.

CAPUT V.

13. Post hæc ponis plurima testimonia, quibus nunc validum, nunc infirmum liberum arbitrium demonstretur: quasi quidam sint, qui propriis viribus impleant, quod alii facere nisi Deo adjuvante non possunt; aut ob aliud homo accipiat præceptum, nisi ut divinum quærat auxilium. Concludis ergo, & dicis: *Et ita sunt hæc quodammodo indiscretè permista atque confusa, ut quid ex quo pendeat, inter multos magna quæstione volvatur: id est, utrùm, quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus; an quia Deus misereatur, consequamur bonæ voluntatis initium. Multi enim singula hæc credentes, ac justo ampliùs asserentes, variis sibique contrariis sunt erroribus involuti.* Ecce, ut tibi videtur, quæ erant permista, discreta sunt; & quæ explicari non poterant, absoluta. Duos enim esse sibi contrarios definis errores, quibus qui inter liberum arbitrium & gratiam quid tenendum sit nesciunt, implicentur. Et in uno constituis eos qui dicunt, ideo nostri misereri Deum, quia ex nobis præbita sint bonæ initia voluntatis; significans sine dubio Pelagiani dogmatis sectatores, qui dicunt gratiam Dei secundùm merita nostra dari: in alio autem illos ponis, qui dicunt, ex misericordia Dei bonarum voluntatum prodire principia, eos intelligi volens, qui inimicos gratiæ debellarunt. Si ergo error est, initia bonæ voluntatis non adjuto divinitus homini adscribere, & error est confiteri quoniam præparatur voluntas à Domino; quò dirigendi sumus, ut utrumque vitemus?

Collat. 13. c. 11. Definitio 5. Cassiani, simul suscipiendas esse sententias contrarias, & illam quæ bonam voluntatem nasci ex gratia, & illam quæ ex bona voluntate gratiam pendere dicit.

14. *Si utrumque*, inquis, *sequamur, nos nulli errori adquiescimus.* Tu nos subdis duobus, & geminas, sicut intelligis, pravitates dividendo damnas, miscendo justificas. Hac lege, hac regulâ poteris prædicare, quòd tam errent qui dicunt, semper esse fallendum, quàm qui definiunt, numquam esse fallendum; sed ut in neutro peccetur, utrumque sectandum; quia nec semper declinanda falsitas, nec semper negligenda sit veritas. Fallit te prorsus opinio tua: de duobus malis unum fieri bonum non potest: unam virtutem duo vitia non gignunt: unum verum duo falsa non faciunt. Quæ enim merito paria sunt, non minuuntur coëundo, sed crescunt. Non itaque oportuit eos, qui bonarum voluntatum initia ex Dei asserunt inspiratione generari, eâ sententiâ reprehendi, quâ arguuntur, qui ad hæc liberum arbitrium putant sibi sine ope gratiæ posse sufficere. Harum enim definitionum una ab Ecclesia expugnata est, alia defensa: nec eis ullo modo hujus novi fœderis congruit pactum, quo catholica sit corruptior, quàm Pelagiana correctior.

Opinio Cassiani catholicis perinde atque Pelagianis errorem affingit.

15. *Multi*, inquis, *singula hæc credentes, ac justo ampliùs asserentes, variis sibique contrariis sunt erroribus involuti.* Placet igitur tibi, cum hæreticis catholicos, cum victis damnare victores; & eos erroris notâ adurere, qui errorem ab Ecclesia depulerunt? Secundùm tuam quippe censuram, qua sanctarum & fidelium voluntatum non in omnibus hominibus ex Deo vis esse principium, (quasi multum gratiæ tribuas, si hoc eam in quorumdam operari mentibus adquiescas,) erravit beatus papa Innocentius & Petri sede dignissimus, qui cùm de istis loqueretur, qui in libero arbitrio gloriantur: « Nam quid, inquit, nos de eorum posthac rectum mentibus æstimemus, qui sibi se putant debere quòd boni sunt? Et iterum, cùm de primi hominis scriberet lapsu: « Liberum enim, inquit, arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultiùs utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus, nihil quemadmodum exinde surgere posset, invenit; suaque in æternum libertate deceptus, hujus ruinæ [c] latuisset oppressu, nisi eum pòst Christi pro sua gratia relevasset adventus. » Erraverunt Orientales episcopi, in quorum * judicio Pelagius, eos qui dicunt gratiam Dei secundùm merita nostra dari, ut catholicus posset videri, anathematizare compulsus est. Erraverunt Africana episcoporum concilia, quæ decretis suis constituerunt, « utrumque Dei donum esse, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus: ut ædificante caritate, scientia non possit inflare: quia sicut de Deo scriptum est, Ille est qui docet hominem scientiam; ita scriptum est, Caritas ex Deo est. » Erraverunt ducenti quatuordecim sacerdotes, qui in epistola, quam suis constitutionibus [d] prætulerunt, ita ad Apostolicæ sedis antistitem beatum Zosimum sunt locuti: « Constituimus, in Pelagium atque Cælestium per venerabilem episcopum Innocentium de beatissimi apostoli Petri sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur, gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam, nos per actus singulos adjuvari; ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus. » Erravit sacrosancta beati Petri sedes, quæ ad universum orbem papæ Zosimi ore sic loquitur: « Nos tamen instinctu Dei, (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur,) ad fratrum & coëpiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus. » Erraverunt Afri episcopi ad eumdem papam Zosimum rescribentes, eumque in sententiæ suæ hujus salubritate laudantes, cùm aiunt: « Illud verò, quod in litteris tuis, quas ad universas provincias curasti esse mittendas, posuisti, dicens, Nos tamen instinctu Dei, (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur,) ad fratrum & coëpiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus: sic accepimus dictum, ut illos qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens, amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quàm quòd universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? Et tamen instinctu Dei factum esse, fideliter sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti. Ideo utique, quoniam præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque [e] voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium. » Vidésne regulas tuas invictarum constitutionum soliditate confractas, & in fidei structura pravas [f] ruinosasque juncturas, velut Jerichontinos muros ad sacerdotalium tubarum ruisse concentum?

« Epist. 181. inter Augustinian. n. 7.

* Vide lib. de gestis Pelagi cap. 11. 33. & 35.

« Carthaginensis can. 4. seu 5.

« Psal. 93. 10.

« 1. Johan. 4. 7.

« Rom. 8. 14.

Josue 6. 20.

CAPUT VI.

16. Cum enim de sanctarum origine voluntatum, & fidei caritatisque principiis, inter nostros & Pelagianos quæstio versaretur, non ancipiti victoriâ, nec dubio diremtum est fine certamen; ut adhuc nobis de nequissima hujus fœderis tui pace tractandum sit. Prostrata est inimica acies, bellum confectum est, victores sumus per illum qui fecit potentiam in brachio suo, qui dissipavit superbos

a Posteriores editiones, *perficere* habent, loco *operari*.
b Sic MS. Corb. & editio Mog. Posteriores autem edit. post, *quam sumsit*, ferebant, *mereatur invenire qui faciat*.
c Sic in MS. Corb. At in edit. Mog. *jacuisset oppressu*. In posterioribus editionibus, *jacuisset oppressus*.
d MS. Corb. *protulerunt*.
e Editiones, *ac voluntatis*. Particulam *ac* non habet MS. Corb.
f Corb. & Mog. *ruinosasque*.

mente

Luc. 1. 52. & 53. mente cordis ipsorum; deposuit potentes de sede, & exal- A
tavit humiles; esurientes implevit bonis, & divites dimi-
sit inanes: per illum qui faciens misericordiam cum patri-
bus nostris, memor fuit testamenti sancti sui, & jurisju-
Ibid. 72. &c. randi quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum
se nobis, ut sine timore de manu inimicorum liberati,
serviamus illi in sanctitate & justitia in conspectu ejus om-
1 Cor. 15. 57. nibus diebus nostris: per illum qui dedit nobis victoriam
per Jesum Christum Dominum nostrum: per illum à quo
1 Cor. 2. 12. non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex
Liberum arbitrium non aufertur per gratiam, sed firmatur, regitur, & ordinatur. Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Quid
de elisarum argumentationum ratiunculis fracta studes ar- B
ma colligere? Quid cineres exstincti dogmatis refovendo,
deficientis fumi nidorem in redivivam flammam conaris
accendere? Non est periculum liberi arbitrii ex gratia Dei,
nec voluntas aufertur, cùm in ipsa bene velle generatur.
Nam si ideo non putanda est nostra, quia formatur, re-
gitur, ordinatur, imbuitur: spoliantur libertate filii Dei,
Rom. 8. 14. qui aguntur Spiritu Dei; perdunt vigorem rationalis ani-
Isai. 11. 2. mi & omni voluntariæ devotionis laude privantur, quibus
1 Cor. 12. 8. datur Spiritus sapientiæ & intellectûs, consilii & fortitu-
dinis, scientiæ ac pietatis, & timoris Domini. Prorsus qui
his reformationibus se non putant indigere, de veteris
morbi consuetudine in phrenesim transierunt; respuunt re- C
medium, clamant, insaniunt, reluctantur. Sed si promis-
sionis sunt filii, quiescent, & sanabuntur.

Caput VII. 17. Sed jam videamus quid inferat sobrietas disputantis:
qui ut vitium vitio pelleret, & errorem errore curaret,
contrarias sibi definitiones nova arte confudit; utque hoc
compositionis suæ poculum securis auditoribus propina-
Collat. 13. c. 11. ret, exemplis voluit colorare quod miscuit. Ait enim: *Si
enim dixerimus, nostrum esse bonæ principium voluntatis; quid
fuit in persecutore Paulo? quid in publicano Matthæo? Quo-
rum unus cruori ac suppliciis innocentum, alius violentiis ac
rapinis publicis incubans adtrahitur ad salutem? Sin verò gra-* D
*tiâ Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus;
quid de Zacchæi fide? quid de illius in cruce latronis pietate
dicimus? qui desiderio suo vim quamdam regnis cælestibus in-
ferentes, specialia vocationis monita prævenerunt.*

18. Per istam ergo [a] bonorum principiorum dissimili-
tudinem probare nititur, hoc posse quosdam per liberum
arbitrium sine adjutorio Dei, quod quidam nisi Deo coo-
perante non possint: & hoc vult de quorumdam tardiore
obedientia & quorumdam sequaciore consensu intelligi.
Quasi ubi dura infidelitas Deo subditur, & Evangelio,
Psal. 76. 11. quod diu impugnavit, repentè succumbit, ibi mutationem E
hominis dextera operetur Excelsi: ubi autem [b] tranquil-
lam cohortationem solumve rumorem sine hæsitatione dif-
fidentiæ docilis auditor amplectitur, bonum talis conver-
Omnes qui ad Christum veniunt, trahi à Patre. sionis humanæ sit tantummodo voluntatis. Quasi verò po-
tentia [c] Dei eos tantùm ad Filium trahat, quos aut voce
increpaverit, aut pœnâ obtriverit, aut terrore tremefece-
rit; illorum autem mentibus nihil suæ virtutis admoveat,
qui ad promissiones Redemtoris sui spe alacri & avido de-
Johan. 6. 44. siderio cucurrerunt. Sed veritas dicit, Nemo venit ad me,
nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Si ergo nemo venit,
nisi adtractus: omnes qui quocumque modo veniunt, ad- F
Variæ trahendi rationes. trahuntur. Trahit itaque ad Deum contemplatio elemen-
torum, omniumque quæ in eis sunt, ordinatissima pulcri-
Rom. 1. 20. tudo. Invisibilia enim ejus, à creatura mundi per ea quæ
facta sunt, intellecta conspiciuntur. [d] Trahunt rerum ge-
starum relatores; animum audientis inflammant narrantes
Psal. 77. 4. laudes Domini & virtutes ejus, & mirabilia ejus quæ fe-
Prov. 1. 7. Psal. 110. 10. cit. Trahit timor: Principium enim sapientiæ, timor Do-
Psal. 121. 1. mini. Trahit lætitia: quoniam, Lætatus sum in his quæ
dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Trahit de-
Psal. 83. 3. siderium: quoniam, Concupiscit & defecit anima in atria
Psal. 118. 103. Domini. [e] Trahunt delectationes: Quàm dulcia enim fau- G
cibus meis eloquia tua, super mel & favum ori meo. Et
quis perspicere aut enarrare possit, per quos affectus vi-
sitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat se-
quatur; quæ oderat, diligat; quæ fastidiebat, esuriat; ac
subitò commutatione mirabili, quæ clausa ei fuerant,
fiant aperta; quæ onerosa, sint levia; quæ amara, sint
dulcia; quæ obscura, sint lucida? Hæc autem omnia ope- 1. Cor. 12. 11.
ratur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout
vult. Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendes- 2. Cor. 4. 6.
cere, illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scien-
tiæ claritatis Dei, in [f] facie Christi Jesu: id est, in ma-
nifestatione Filii sui, qui est in [g] gloria Patris.

19. Qui ergo illuxit in corde Matthæi publicani, & Ut Matthæi & Pauli, sic Zacchæi & latronis in cruce conversio pariter ex gratia.
Pauli tunc Ecclesiam persequentis, ipse & in corde Zac-
chæi, & in corde crucifixi cum Domino latronis illuxit:
nisi fortè otiosa Domini vox fuit, cùm Zacchæum, qui
quærebat videre Jesum quis esset, compellare dignatus est,
dicens, Zacchæe festina, descende, quoniam hodie in do- Luca 19. 5.
mo tua me oportet manere; & non sibi præparavit ejus
animum, cujus elegit hospitium. Denique cùm murmura-
rent omnes, cur ad virum peccatorem introisset hospita-
ri; & Zacchæus jam pænitentiam agens, dimidio bonorum
suorum in pauperes erogato, redditurum se in quadruplum
fraudata promitteret, Dominus ait, Hodie salus huic do-
mui facta est, quia & hic est filius Abrahæ. Et ne late-
ret caussa hujus salutis, adjecit, Venit autem filius ho-
minis salvum facere & quærere quod perierat. Ut quem
agnoscebamus salvum factum, sciremus à quærente præ-
ventum. In latronis quoque justificatione, etiam si nulla
operantis gratiæ intelligerentur indicia, nonne cum omni-
bus credentibus etiam ipsum acciperemus adtractum, di-
cente Domino, Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: Luca 10. 22.
&, Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me? Johan. 12. 32.
Inter omnia autem, hunc vel traditum esse, vel tractum,
etiam ipsius confessio docet: qui cùm aliquamdiu blasphe-
masset in Jesum Christum, repentè est mutatus, & dixit,
Domine memor esto mei, cùm veneris in regnum tuum. Luca 23. 42.
Sed unde in uno homine tanta compugnantium vocum sit
orta diversitas, instruat nos beatus apostolus Paulus, &
dicat, Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Je- 1. Cor. 12. 3.
su; & nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spi-
ritu-sancto. Ut non dubitemus in ejusdem hominis vo-
luntate, & de proprio fuisse quòd blasphemavit, & de
Spiritu-sancto fuisse quòd credidit. Frustra igitur disputator
iste ad inscrutabilem unius gratiæ varietatem argumentum
definitionis suæ voluit aptare, ut portio justificatorum solius
voluntatis suæ motibus ad Christum venire credatur; por-
tio autem reluctans trahi, & invita compelli: cùm Deus
sit qui operatur omnia in omnibus, sive alios sic, alios 1. Cor. 12. 6.
autem sic adtrahere velit: ad quem nemo, nisi aliquo Nemo ad Christum nisi adtrahatur venit.
modo adtrahatur, venit.

20. Post hæc subjecit testimonia sacræ historiæ, qui- Caput VIII.
bus ostendit, *observantiam mandatorum Dei, consummatio-* Collat. 13. c. 11.
nemque virtutum divinæ gratiæ deputandam: quod & nos
promtissimè confitemur. Et commemoratis exemplis de
Balaam, quem volentem Israëli maledicere, Deus in be- Num. 23.
nedictionis verba transtulerit; & de Abimelech, qui pec- Gen. 26.
care non permissus sit [h] in Rebeccam; & de Joseph à fra-
tribus vendito, quorum malam voluntatem in bonum Gen. 37.
Deus verterit: recurrit ad confirmationem definitionis suæ,
ut liberum arbitrium, quod gratiæ se dicit jungere, à parte Definitio 6. Cass. Liberum arbitrium & gratiâ pariter suscipi debere, id est, ita ut pari modo conferre ad salutem credantur.
quadam humani generis, quantum in ipso est auferat, &
in quadam parte constituat, dicens: *Hæc enim duo, id est,
vel gratia, vel liberum arbitrium, sibi quidem invicem videntur
adversa, sed utraque concordant: & utraque nos pariter debere
suscipere, pietatis ratione colligimus; ne unum horum homini
subtrahentes, ecclesiasticæ fidei regulam excessisse videamur.*

21. [i] Ecclesiasticæ fidei regula est prædicante Apostolo: Divinæ auctoritates de gratia.
Nemo potest dicere Dominum Jesum Christum, nisi in Spi- 1. Cor. 12. 3.
ritu-sancto. Ecclesiastica regula est: Quid autem habes, 1. Cor. 4. 7.
quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi 1. Cor. 15. 10.
non acceperis? Ecclesiastica regula est: Gratiâ Dei sum id
quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus
omnibus illis laboravi; non autem ego, sed gratia Dei
mecum. &, Misericordiam consecutus sum, ut fidelis es- 1. Cor. 7. 25.
sem. Ecclesiastica regula est: Habemus thesaurum istum 2. Cor. 4. 7.
in vasis fictilibus, ut sublimitas virtutis sit Dei, & non ex
nobis. Ecclesiastica regula est: Gratiâ salvati estis per fi- Ephes. 2. 8.

[a] Loco *bonorum*, posteriores editiones habent *quorumdam.*
[b] Sic MS. Corb. & editio Mog. At posteriores editiones, *post tranquillam cohortationem solùm veros mores sine ulla hæsitatione*, &c.
[c] Posteriores edit. *potentia gratiæ Dei*. Abest, *gratiæ* à MS. Corb. & edit. Mog.
[d] Sic vetus codex Corb. nec dissentit editio Mog. nisi quòd *relationes* habet, non *relatores*. At posteriores editiones ferebant, *Trahit rerum gestarum cognitio, & divinorum operum relaturæ animum audientis inflammant*, &c.
[e] Posteriores editiones, *Trahit delectatio lectionis.*
[f] MS. Corb. & editio Mog. *in faciem.*
[g] Posteriores editiones, *in sinu Patris.*
[h] Posteriores editiones, *in Saram.*
[i] Posteriores editiones, *Ecclesiastica regula est.*

dem; & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ecclesiastica regula
Philip. 1. 28. est: In nullo terreamini ab adversariis, quæ est illis caussa perditionis, vobis autem salutis; & hoc à Deo: quia vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut patiamini pro eo. Ecclesiastica regula
Philip. 2. 12. est: Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini; Deus enim est qui operatur in nobis & velle &
2. Cor. 3. 5. operari pro bona voluntate. Ecclesiastica regula est: Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Hanc regulam fir-
Iohan. 6. 66. mat Dominus dicens, Nemo potest venire ad me, nisi
Ibid. 37. datum fuerit ei à Patre meo. &, Omne quod dat mihi
Johan. 15. 5. & 16. Pater, venit ad me. &, Sine me nihil potestis facere. &,
Lucæ 10. 22. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. &, Nemo no-
Matth. 11. 27. vit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius,
Iohan. 5. 21. & cui voluerit Filius revelare. &, Sicut Pater vivificat
Matth. 16. 17. mortuos, ita & Filius quos vult vivificat. &, Beatus es Simon Barjona, quoniam caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.

Voluntas non aufertur per gratiam.

22. Hac regulâ nulli hominum aufertur voluntas: quia virtus gratiæ non hoc in voluntatibus operatur ut non sint, sed ut ex malis bonæ, & ex infidelibus sint fideles; & quæ in semetipsis erant tenebræ, lux efficiantur in Domino: quod mortuum erat, vivificatur; quod jacebat, erigitur; quod perierat, invenitur. Hoc in omnibus prorsus hominibus, qui eruuntur de potestate tenebrarum, & transferuntur in regnum Filii dilectionis Dei, sine cujusquam exceptione personæ, agere credimus gratiam Salvatoris. Quia, sicut hic idem probabiliter, sed non stabiliter definivit, dicimus atque defendimus, *Non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium; qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi.*
Iacob. 1. 17. *Omne enim datum bonum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum; qui & incipit quæ bona sunt, & exsequitur & consummat in nobis.* In qua sententia si auctor ipsius permaneret, ecclesiasticam regulam non excederet; neque simul & libero arbitrio[a] infensus, & gratiæ Dei esset ingratus: quorum duorum dum unum in Paulo & Matthæo, aliud in Zacchæo & latrone dicit operatum, non intelligit in illis se liberum arbitrium, in istis gratiam sustulisse.

CAPUT IX.

23. DEINDE adjecit: *Nam cùm viderit nos ad bonum velle*[b] *flectere, occurrit, dirigit, atque confortat. Ad vocem*
Isai. 30. 19. *enim clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi. &, Invoca*
Psal. 49. 15. *me, inquit, in die tribulationis tuæ, & eripiam te, &*[c] *glorificabis me.* Quis non videat, quòd hæc doctrina meritum libero assignat arbitrio, quo præveniatur gratiâ, quæ ei famuletur reddens debitum, non conferens donum? Quæ definitio in Episcoporum Palæstinæ synodo, etiam Pelagio
Initium bonæ voluntatis ex gratia. anathematizante, damnata est. In eo enim qui bonum incipit velle, & cupit ab iniquitate atque errore discedere, gratiam Dei hoc ipsum profitemur operari. Quoniam
Psal. 36. 23. à Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet.
Prov. 21. 2. &, Omnis vir videtur sibi justus, dirigit autem corda
Prov. 20. 24. Dominus. &, A Domino diriguntur gressus viri; mortalis autem quomodo intelligit vias suas? Et quod ait Aposto-
Rom. 8. 15. lus: Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in [d] timorem; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.
Collat. 13. c. 12.

24. Post hæc sequitur, & dicit: *Nec enim talem Deus hominem fecisse credendus est, qui nec velit umquam, nec possit bonum. Alioquin nec liberum ei permisit arbitrium, si ei tantummodo malum ut velit & possit, bonum verò nec velle nec posse concessit. Et quomodo stabit illa Domini post prævarica-*
Gen. 3. 22. *tionem primi hominis lata sententia, Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis, sciens bonum & malum? Non enim talis antè fuisse putandus est, qui boni esset prorsus ignarus. Alioquin velut quoddam irrationabile atque insensatum animal eum fatendum est fuisse formatum: quod satis absurdum, atque à catholica fide omnimodis alienum est. Quin immo secundùm sententiam*
Eccli. 7. 30. *sapientissimi Salomonis, fecit Deus hominem rectum: id est, ut tantùm boni scientiâ jugiter frueretur: sed ipsi quæsierunt cogitationes multas. Facti enim sunt, ut dictum est, scientes bonum* A *& malum. Concepit ergo Adam post prævaricationem, quam non habuerat, scientiam mali; boni verò, quam acceperat, scientiam non amisit.*

Primus homo creatus absque vitio, & potens in bono perseverare si vellet, libero arbitrio discessit à bono.

25. Rectum atque omni vitio carentem creatum esse primum hominem, in quo omnium hominum concreata natura est, dubitare fas non est; eumque tale accepisse liberum arbitrium, ut si auxiliantem sibi Deum non desereret, posset in bonis quæ naturaliter acceperat perseverare quia vellet; & merito voluntariæ perseverantiæ in eam beatitudinem pervenire, ut nec vellet decidere in deteriora, nec posset. Sed ipso libero arbitrio, quo quam- B diu voluit bonus mansit, à proposita sibi lege discessit; nec denuntiatæ sibi mortis supplicium formidavit, deserens Deum, & sequens diabolum, rebellis Domino servatori, & inimico obediens peremtori.* Fuit ergo Adam, & in illo fuimus omnes; periit Adam, & in illo perierunt omnes. (* Ambros. lib. 7. in 15. cap. Lucæ.) Quod ita non falsò dixit beatus Ambrosius, sicut non falsò etiam ipsa Veritas ait, Venit filius hominis quærere (Luca 19. 10.) & salvare quod perierat. Naturæ enim humanæ, in illa universalis prævaricationis ruina, nec substantia erepta est, nec voluntas; sed lumen decusque virtutum, quibus fraude invidentis exuta est. Perditis autem per quæ ad æter- C nam atque inamissibilem corporis animique incorruptionem poterat pervenire, quid ei remansit, nisi quod ad temporalem pertinet vitam, quæ tota est damnationis & pœnæ? (Adamo post peccatum nihil remansit, nisi quod ad temporalem pertinet vitam.) Propter quod natos in Adam renasci oportet in Christo; ne in illa quis inveniatur generatione, quæ periit. Nam si posteri Adæ in illis virtutibus naturaliter agerent, in quibus Adam fuit ante peccatum; non essent naturâ filii iræ; non essent tenebræ, nec sub potestate tenebrarum: (Ephes. 2. 3. Ephes. 5. 8. Coloss. 1. 13.) Salvatoris denique gratiâ non egerent; quia non frustra boni essent, nec justitiæ præmio fraudarentur, habentes ea bona, quorum amissione primi patres de paradiso exsulare meruerunt. Nunc autem, cùm sine sacramento re- D generationis æternam mortem nemo possit evadere; nonne ex ipsius remedii singularitate apertissimè patet, in quàm profundum malum totius humani generis natura demersa sit, illius prævaricatione, in quo omnes peccaverunt, & quidquid ille perdidit perdiderunt? (Natura humana Adæ lapsu in profundum malum demersa.) Perdidit autem primitus fidem, perdidit continentiam, perdidit caritatem, spoliatus est sapientiâ & intellectu, caruit consilio & fortitudine, & impiè altiora sectando, à veritatis scientia & ab obedientiæ pietate dejectus est: nec ipso saltem timore sibi reliquo, ut ab interdictis vel metu caveret pœnæ, qui [e] non abstineret amore justitiæ. Liberum ergo arbi- E trium, id est, rei sibi placitæ spontaneus appetitus, ubi usum bonorum quæ acceperat fastidivit, & vilescentibus sibi felicitatis suæ præsidiis insanam cupiditatem ad experientiam prævaricationis intendit, bibit omnium vitiorum venenum, & totam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate madefecit. (Liberum arbitrium sine gratia nullo modo idoneũ ad eligendum bonum.) Inde, priùs quàm edendo carnem filii hominis & bibendo sanguinem ejus lethalem digerat cruditatem,* labat memoria, errat judicio, nutat incessu; (* al. labitur.) neque ullo modo idoneus est ad illud bonum eligendum & concupiscendum, quo se sponte privavit: quia non sicut potuit Deo non impellente corruere, ita potest Deo non F erigente consurgere.

26. Non igitur rectè dictum est: *Nec enim talem Deus hominem fecisse credendus est, qui nec velit umquam, nec possit bonum.* Quasi nos istam hominis debilitatem à Creatore dicamus conditam, & non peccati merito ab homine contractam. (Liberum arbitrium peccato læsum.) Qui ergo putat consequens esse, ut si liberum arbitrium obcæcatum esse dicatur, obcæcatio ipsa ad naturæ referatur auctorem; vult persuadere, quòd tam sanum sit in Adæ posteris liberum arbitrium, quàm in Adam fuit ante peccatum: quod satis alienum à catholica fide ducimus. Quid enim peccato læsum est, si id læsum non est, G unde peccatum est? Nisi fortè dicatur in Adæ posteros pœnam transisse, non culpam: quod omnino falsum dicitur, & ob hoc fortè non dicitur. Nimis enim impium est, hoc de Dei sentire justitia, quòd à prævaricatione liberos cum reis voluerit esse damnatos. Patet ergo culpa ubi non latet pœna, & societas peccati convincitur de communione supplicii; ut quod est humanæ miseriæ, non de in-

a Posteriores editiones, *offensus*. Meliùs Corb. & Mog. *infensus*: qui videlicet liberum arbitrium, quantum in ipso est, auferre videatur.
b Ita Corb. & editio Mog. At posteriores editiones, *deflectere*.
c MS. Corb. *magnificabis*.

d Editiones, *in timore*. At MS. Corb. *in timorem*: juxta Græc. εἰς φόβον.
e Ita Corb. & editio Mog. At posteriores editiones, *qui abstinebat amore justitiæ*: absque negante particula.

ſtitutione Creatoris, ſed de retributione ſit judicis.

27. Illud etiam ineptè poſitum eſt, & contra ſenſum omnium tractatorum, quod ad probandam liberi arbitrii incolumitatem connexuit, dicens: *Et quo modo ſtabit illa Domini poſt prævaricationem primi hominis lata ſententia; Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis, ſciens bonum & malum?* Gen. 3. 22. Quaſi diabolus Adæ vera promiſerit, & Adam tranſgrediendo mandatum Dei profecerit in ſimilitudinem Dei, & hoc ei fuiſſe collatum pronuntiaverit Deus: cùm in his verbis ſignificatum ſit potiùs quid non fuerit aſſecutus, qui ſuperbiæ ingreſſus viam, quod habebat amiſit, dum quod non acceperat concupivit. Non minùs autem in ipſa hujus ſenſûs concluſione peccatum eſt, dum dicitur: *Concepit ergo Adam poſt prævaricationem, quam non habuerat, ſcientiam mali; boni verò, quam acceperat, ſcientiam non amiſit.* Scientiam boni Adam tunc habebat, quando bonum ſanctumque mandatum Dei fideli corde ſervabat, & erat juſtus manens in imagine Creatoris ſui, legiſque ejus non obliviſcens. Poſt quam autem ſe, hoc eſt, imaginem & templum Dei deceptori ſuo [a] vendidit, perdidit boni ſcientiam, quia perdidit bonam conſcientiam. Juſtitiam enim iniquitas depulit, humilitatem ſuperbia deſtruxit, continentiam concupiſcentia eliſit, infidelitas rapuit fidem, captivitas abſtulit libertatem: nec potuit ulla illic portio reſidere virtutum, quò tanta irruperat turba vitiorum. Nemo enim poteſt duobus dominis ſervire. &, Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. &, A quo quis ſuperatus eſt, ei & ſervus addictus eſt. Nemo autem ſervit, niſi cum aliqua libertate; & nemo [b] liber eſt, niſi cum aliqua ſervitute: dicente Apoſtolo, Cùm enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. Nunc verò liberati à peccato, ſervi autem facti Dei, habetis fructum in ſanctificatione, finem verò vitam æternam. Qui itaque ſervit diabolo, liber eſt Deo: qui autem liberatus ſervit Deo, liber eſt diabolo. Ut appareat malam libertatem potuiſſe haberi ex humanæ voluntatis defectu: bonam autem [c] libertatem non potuiſſe recipi ſine liberatoris auxilio.

(Margin: Definitio Collat. Adam poſt prævaricationem accepiſſe ſcientiam mali, boni amiſiſſe ſcientiam. — Matth. 6. 24. Joan. 8. 34. 2 Petr. 2. 19. Rom. 6. 20. — Mala libertas ex voluntatis defectu, bona non niſi ex auxilio gratiæ.)

CAPUT X.

28. Sed ne hæc primi hominis calamitas in progeniem ejus tranſiſſe videatur, quàm integro ſit omnium hominum natura judicio, exemplo gentium probaturus hic doctor addit, & dicit: *Denique non amiſiſſe genus humanum poſt prævaricationem Adæ ſcientiam boni, etiam Apoſtoli ſententiâ evidentiſſimè declaratur, qui dicit, Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt; hi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente eis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus, in die quo judicabit Deus occulta hominum.* (Collat. 13. cap. 12. Rom. 2. 14.)

29. Si de his Apoſtolus loquitur, qui ex præputio ſunt vocati, & cùm eſſent longè, facti ſunt propè, credentes in eum, qui quorum aliquando non miſertus eſt, nunc autem miſeretur, & juſtificans circumciſionem ex fide, & præputium per fidem, duos condidit in ſemetipſo, deſtructoque pariete inimicitiæ Judæorum & gentium, in uno novo homine fecit pacem; concludens omnia in incredulitate, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus: ſi, inquam, de his Apoſtolus loquitur, in quorum cordibus Deus digito ſuo, id eſt, Spiritu-ſancto ſcribit novum teſtamentum, ut legis plenitudinem & opera caritatis naturaliter exſequantur, reformatâ ſcilicet renovatâque naturâ: quid hinc ſuperbiſſimi ſenſûs novitas adjuvatur, cùm reconciliatio inimicorum non poſſit niſi gratiæ Mediatoris adſcribi? Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei, juſtificati gratis per gratiam ipſius. Ergo gratia gloria Dei eſt, non meritum liberati. Quis enim prior dedit ei, ut retribueretur illi? Nihil boni operis ex mortuis, nihil juſtitiæ procedit ex impiis: omnis ipſorum ſalus gratuita eſt: & ideo gloria Dei eſt, ut qui gloriatur, in illo cujus gloriâ eguit, glorietur.

(Margin: De gentibus quæ legis ſunt facientibus. — Rom. 11. 13. Epheſ. 2. 10. Gal. 3. 22. Rom. 3. 23. Gratia gloria Dei. Rom. 11. 35.)

30. Sin autem (quod magis vult hic diſputator intelligi) de illis iſta dicuntur, qui alieni à gratia Chriſtiana, A quædam ad ſimilitudinem legalium mandatorum proprio judicio ſanciebant, intelligentes mores civitatum concordiamque populorum non poſſe aliter contineri, niſi & rectè factis præmia, & peccatis pœnæ decernerentur: [d] ſicut dictum eſt ab ipſa Sapientia Deo, Ego ex ore Altiſſimi prodivi, & in omni gente primatum tenui; requiem quæſivi in Jacob, & inveni. (Eccli. 24. 7. &c.) Ergo quis ambigat, hanc ſapientiam humano generi ad temporalis vitæ utilitatem, ex naturæ à Deo conditæ ſupereſſe reliquiis? Si enim nec ad iſta terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata eſſet, ſed exſtincta natura. Quæ tamen etiamſi B excellentiſſimis artibus, & cunctis mortalium eruditionum polleat diſciplinis, juſtificari ex ſe non poteſt: quia bonis ſuis malè utitur, in quibus ſine cultu veri Dei impietatis immunditiæque convincitur, & unde ſe defendi æſtimat, accuſatur. Cùm ergo Apoſtolus definiat, quòd ex operibus legis non juſtificatur omnis caro; (Rom. 3. 20.) & quoniam in Chriſto Jeſu neque circumciſio, neque præputium valeat aliquid, ſed nova creatura: (Gal. 5. 6.) quid iſte impiam infidelium libertatem naturalibus inſtruit bonis, & propriis vult juſtificare principiis? Quid ad renovationem [e] laceſſitæ vetuſtatis idoneam definit prævaricatricis ſcientiæ nuditatem? C Quaſi iſta ſcientia vel ex naturæ opibus reſidua [f] conſecuta, vel ex legalis doctrinæ eruditione quæſita, poſſit ſui perceptione præſtare, ut quod faciendum noverimus, etiam facere diligamus: aut ullus ſit bonæ voluntatis motus, niſi quem creaverit diffuſæ per Spiritum-ſanctum caritatis afflatus. (Nullus bonæ voluntatis motus niſi ex Spiritu-ſancto.) Sine fide enim impoſſibile eſt placere. [g] &, Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. &, In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides quæ per dilectionem operatur. (Hebr. 11. 6. Rom. 14. 23. Gal. 5. 6.)

CAPUT XI.

31. Post hæc in concluſione teſtimoniorum, quibus probare voluit, quòd hi qui per increpationem propheticam ſurdi appellantur & cæci, poſſint ex facultate natu- D ræ & aures ſuas aperire ad audiendum, & oculos ſuos ad videndum, (quaſi non de iiſdem dicat Dominus, Dabo eis cor aliud, & ſpiritum novum dabo eis; & evellam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum; ut in præceptis meis ambulent, & juſtificationes meas obſervent, & faciant eas;) (Ezech. 11. 19. Ibid. 36. 26.) addit, & dicit: *Denique ut poſſibilitatem boni eis ineſſe ſignificaret, increpans Phariſæos, Quid autem, inquit, etiam ex vobiſmetipſis non judicatis quod [h] bonum eſt? Quod utique non eis dixiſſet, niſi eos judicio naturali quod æquum eſt ſciſſet poſſe diſcernere.* (Collat. 13. cap. 12. Lucæ 12. 57.) Jam non ſolùm voluntatem boni, ſed etiam poſſibilitatem libero adſcribit E arbitrio: tamquam ideo ab eis exigatur intelligentia, ideo juſtitia repoſcatur, quia poſſint hæc ſine Dei donis de naturæ proferre bonis. (Liberum arbitrium nec voluntatem boni, nec poſſibilitatem habet niſi per gratiam.) Imperantur autem iſta homini, ut ex ipſo præcepto, quo ei hoc quod accepit indicitur, agnoſcat ſe ipſum id ſuo vitio perdidiſſe: & non ideo iniquam eſſe exactionem, quia à reddendum quod debet idoneus non eſt; ſed à littera occidente confugiat ad ſpiritum vivificantem, & facultatem quam [i] non invenit in natura, quærat ex gratia. (Cur homini imperâtur ea, quorum facultatem non invenit in ſua natura.) Quod ſi facit, magna eſt miſericordia Dei: ſi non facit, juſta eſt pœna peccati.

32. Denique ad plenitudinem præmiſſæ diſputationis, regulari ſententiâ pronuntiat, dicens: F *Unde cavendum nobis eſt, ne ita ad Deum omnia ſanctorum merita referamus, ut nihil niſi id quod malum atque perverſum eſt, humanæ adſcribamus naturæ.* (Collat. 13. c. 12. Definitio 8. Caſſ. Naturæ humanæ non id ſolum adſcribendum quod malum eſt.) Quid evidentius, quid expreſſius ſecundùm Pelagii Cæleſtiique commentum ab ullo eorum diſcipulo potuit definiri? Illi dicunt, *Gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari*; & iidem dicunt, *Gratiam Dei non ad ſingulos actus dari:* hic intra unam ſententiam blaſphemiam utramque concluſit, dicens, *Cavendum nobis eſſe, ne ita ad Deum omnia ſanctorum merita referamus, ut nihil niſi quod malum atque perverſum eſt, humanæ adſcribamus naturæ.* Vult ergo eſſe multa propria hominum merita, quæ non G ſint gratiæ largitate collata, quibus ad augendas naturales divitias quædam de ſurſum munera debeantur. (Merita hominum nulla niſi ex gratia.) Vult nos gratiam Dei non ad ſingulos actus accipere: ac perinde non pro omni opere bono ſemper orare. Atque ita conſequens erit, ut in Dei muneribus nullum meritum

---

[a] Poſteriores editiones, *ſubdidit*.
[b] MS. Corb. & editio Mog. *libertate liber eſt*.
[c] Corb. & Mog. *voluntatem*.
[d] Auctoritatem ex Eccleſiaſtici libro hîc allatam prætereunt poſteriores editiones. Habent Corb. & Mog.
[e] Poſteriores editiones, *miſeræ vetuſtatis*.

[f] Verbum *conſecuta*, hîc adjicitur ex MS. Corb. & editione Mog.
[g] Poſteriores editiones, *placere Deo*. Abeſt, *Deo*, à MS. Corb. & edit. Mog. ſoletque interdum ab Auguſtino præteriri, nec eſt Græcæ dictionis Apoſtoli.
[h] Corb. & Mog. *quod juſtum eſt*.
[i] Hoc loco poſteriores editiones addunt *ante*: ſed hac particulâ carent Corb. & Mog.

esse credendum sit; quando quidem sine merito sit, quem Deus semper in omnibus adjuverit: aut si etiam in his quæ Deus tribuit, aliqua merita collocantur, constet etiam ipsa propriâ adquiri facultate potuisse; & ideo in aliquibus oporteat nos adjuvari, ut possibilius fiat per gratiam, quod non erat impossibile per naturam. Ecce jam in ista paucorum brevitate verborum, non duarum tantùm, sed multarum impietatum numerosa connexio est: quæ si scrupulosioris diligentiæ discretione tractetur, in nullo à damnati erroris catena absoluta monstrabitur.

CAPUT XII.

33. SED ne suspicionibus agere videamur, & latebras sensuum ultra verba rimari, quid adcrescat cognitis, doceant quæ sequuntur. Qui ergo inter principia disputationis suæ dixerat, *Non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium; qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi:* nunc volens probare, quòd religiosæ cogitationes & sancta consilia nullâ Dei inspiratione concepta de naturali possint prodire sapientia, ponit verba Salomonis, dicentis: [3. Reg. 8. 17.] *Voluitque David pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israël: & ait Dominus ad David patrem meum, Quòd cogitasti in corde tuo, ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente pertractans; verumtamen non tu ædificabis domum nomini meo.* Deinde ut ostendat, quomodo hoc intelligendum sit, [Collat. 13. c. 12.] infert ipse tractator: *Hæc ergo cogitatio, atque iste tractatus regis David, utrùmne bonus & ex Deo, an malus & ab homine fuisse dicendus est? Si enim bona & ex Deo fuit illa cogitatio, cur ab eo à quo inspirata est, eidem negatur effectus? Si autem mala, & ex homine fuit, cur laudatur à Domino? Restat ergo ut & bona, & ex homine fuisse credatur. In quem modum etiam nostras quotidie cogitationes possumus judicare: neque enim aut soli David bonum ex semetipso cogitare concessum est, aut nobis ne quid boni umquam sapere aut cogitare possimus naturaliter, denegatur.*

[Cogitationes pias ex libero arbitrio sine Dei inspiratione non oriri.] 34. Nullo modo hoc testimonio atque argumento probari potest, quòd piæ cogitationes ex solo libero arbitrio, & non ex Dei inspiratione nascantur. Non enim ideo voluntas David, quæ utique bona erat, non ex Deo fuisse credenda est, quia templum sibi Dominus non ab eo ædificari, sed à filio ipsius voluit. Quærendum ergo est, de quo spiritu processerit affectus istius voluntatis, nempe de [Psal. 131. 3.] illo Dei, in quo dicebat, Si introiero in tabernaculum domûs meæ, si adscendero in lectum stratûs mei; si dedero somnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem, aut requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Quod cùm Propheta concupisceret, non ignorabat verum illud perfectumque templum ab illo esse condendum, qui cùm esset Filius Dei, factus est etiam filius David; quique cùm videret [Johan. 2. 19.] templum à Salomone constructum, dicebat, Solvite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Dicebat autem de templo corporis sui. Ut ergo hoc templum præfiguraretur, quod in Christo & in Ecclesia disponebatur, meritò ad [a] instructionem ejus non David eligitur, sed filius David: ut per filium hominis significaretur filius Dei & hominis; & per templum dissolubile indicaretur tabernaculum incorruptibile; ad cujus condendam imaginem & voluntas David probata est, & opus in eum translatum est, cujus persona magis eidem imagini congruebat. Atque ita & ex Deo erat hoc velle David, & ex Deo erat hoc facere Salomonem.

35. Quod ut exemplis magis elucescat, requiramus ubi fieri Deus noluerit, quod homines facere Deo volente [Matth. 28. 19.] voluerunt. Dominus Apostolis præcepit, dicens, Euntes ite, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, & docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Quod cùm Apostoli audirent, sine dubio non verba nuda per corporales sonos exterioribus tantùm auribus acceperunt, sed virtute [b] viventis verbi accensa est in cordibus eorum inexstinguibilis flamma caritatis, qua ardentissimè vellent Evangelium Christi omnibus gentibus prædicare. Sed cùm vetiti sunt loqui verbum in Asia, & [c] cùm tentarent ire in Bithyniam, [Act. 16. 6. & 7.] prohibiti sunt ab Spiritu Jesu; numquid non ex Deo hanc voluntatem habebant, quòd etiam istorum optabant ad fidem corda convertere, quos occulto judicio Deus Evangelium tunc nolebat audire? Aut quòd Ecclesia quotidie pro inimicis suis orat, id est, pro his qui necdum Deo crediderunt, numquid non ex Spiritu Dei facit? Quis hoc dixerit, nisi qui hoc non facit, aut qui putat fidem non esse Dei donum? Et tamen quod pro omnibus petitur, non pro omnibus obtinetur. Nec est iniquitas apud Deum, qui sæpe postulata non tribuit, quæ postulare donavit.

36. Bonam igitur voluntatem, eam scilicet qua adhæretur Deo, nec negandum est hominis esse propriam, & [Bona voluntas hominis sic ejus propria est, ut non nisi Deo inspirante cócepta sit.] confitendum est Deo inspirante conceptam. Nam cùm nemo sit bonus, nisi solus Deus; quale erit bonum, quod [Luca 18. 19.] auctorem non habet bonum? Naturæ quippe humanæ, cujus creator est Deus, etiam post prævaricationem manet substantia, manet forma, manet vita, & sensus, & ratio, ceteraque corporis atque animi bona, quæ etiam malis vitiosisque non desunt: sed non in his habet veri boni perceptionem, quæ mortalem vitam honestare possunt, æternam autem conferre non possunt. Neque enim ignotum est, [d] quantum Græcæ scholæ, Romana eloquentia & totius mundi inquisitio circa inveniendum summum bonum, acerrimis studiis, excellentissimis ingeniis laborando nihil egerint, nisi ut evanescerent in cogitationibus suis, & obscuraretur cor insipiens eorum, qui [Rom. 1. 21.] ad cognoscendam veritatem semetipsis ducibus utebantur. Si ergo quis de ærumnosis vanitatibus & insaniis fallacibus erubescens, tenebras esse & mortem quidquid pro lumine ac vita amplectebatur intelligit, & ab his se conatur abstrahere; non est ab ipso, quamvis non sine ipso sit ista conversio; [Conversio hominis licèt non sine ipso, non tamen ab ipso.] nec propriâ virtute ad principia salutis enititur: sed agit hæc occulta & potens gratia Dei, quæ remotis terrenarum opinionum & operum mortuorum favillis, torrem obruti cordis exagitat, & desiderio veritatis inflammat; non ut invitum hominem subigat, sed ut subjectionis cupidum faciat; nec ut ignorantem trahat, sed ut intelligentem sequentemque præcedat. Manens enim liberum arbitrium, quod [e] utique cum ipso homine Deus condidit, à vanitatibus & cupiditatibus suis, in quas neglecta Dei lege defluxit, non à se ipso, sed à Creatore mutatur; ut quidquid in eo in melius reficitur, nec sine illo sit qui sanatur, nec nisi ab illo sit qui medetur; cujus sumus nova creatura novumque figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut [Ephes. 2. 10.] in illis ambulemus.

CAPUT XIII. [Collat. 13. c. 12. Definitio 9. Cass. Omni animæ inesse naturaliter virtutum semina à Creatore inserta.]

37. NUNC jam videamus, quò disputantis progrediatur intentio: *Dubitari ergo*, inquit, *non potest, inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio Creatoris inserta: sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire; quia secundùm beatum Apostolum, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Adjacere autem homini in quamlibet partem arbitrii libertatem, etiam liber ille qui dicitur Pastoris, apertissimè docet, in quo duo angeli unicuique nostrûm adhærere dicuntur, id est, bonus ac malus: in hominis verò optione consistere, ut eligat quem sequatur. Et idcirco manet in homine liberum semper arbitrium, quod gratiam Dei possit vel negligere, vel amare.* Si dubitari non potest, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio Creatoris inserta: solus Adam prævaricatus est, & in peccato ejus [Rom. 5. 12.] nemo peccavit; in nullis iniquitatibus concepti sumus, & [Psal. 50. 7.] in nullis nos matres nostræ peperere delictis; non fuimus [Ephes. 2. 3.] naturâ filii iræ, nec fuimus sub potestate tenebrarum; qui [Coloss. 1. 13.] manentibus in nobis naturaliter virtutibus, filii potiùs nati sumus pacis & lucis. Absit ab animis piorum fallacis doctrinæ insidiosa deceptio. Virtutes cum vitiis habitare [Virtutes cum vitiis non simul consistere.] non possunt. Quæ enim participatio, inquit Apostolus, justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? [2. Cor. 6. 14.] Virtus namque principaliter Deus est: cui non aliud est habere virtutem, quàm esse virtutem. Hujus cùm participes sumus, habitat Christus in nobis, qui est Dei virtus [1. Cor. 1. 24.] & Dei sapientia: habitat fides, spes, caritas, continentia, intellectus, consilium, fortitudo, ceteræque virtutes. Cùm verò ab hoc bono recedimus, omnia nobis è contrario

a Posteriores editiones, *ad exstructionem*. Corbeiensis MS. & editio Mog. *ad instructionem*.
b Ita Corb. & Mog. At posteriores edit. *jubentis verbi*.
c Corb. omittit, *cùm tentarent*.
d Mog. *quod Græcæ*. Corb. *quantum Græciæ*.
e Corb. & Mog. *quod unicuique*.

oriuntur

oriuntur ex nobis. Diſcedente enim pulcritudine, quid ſuccedat niſi deformitas? abeunte ſapientiâ, quid reſideat niſi inſipientia? non regnante juſtitiâ, quid dominetur niſi iniquitas?

Virtutum ſemina in homine peccato everſa.

38. Virtutum itaque ſemina, quæ beneficio Creatoris inſerta ſunt, prævaricatione primi parentis everſa ſunt; nec haberi queunt, niſi eo reſtituente qui dederat. Reformabilis enim eſt natura humana formatori ſuo, & eorum bonorum quæ habuit capax eſt: ut per mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Jeſum, in eo ipſo quod ei remanſit, poſſit recuperare quod perdidit. Remanſit autem ei rationalis animus, qui non virtus, ſed virtutis habitaculum eſt. Ex participatione enim ſapientiæ & juſtitiæ & miſericordiæ, non ſapientia neque juſtitia neque miſericordia, ſed ſapientes & juſti & miſericordes ſumus. Quæ bona, quamvis rationale noſtrum vitiis occupatum ſit, & prævaricantibus nobis Dei templum ſpiritus immundus invaſerit, poſſunt tamen rurſus in ipſum rationale confluere, per eum qui mundi principem foras mittit, & ligans fortem, vaſa ejus rapit, fugatoque mundi hujus ſpiritu, dat Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Qui autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.

Johan. 12. 31. Marc. 3. 27. 1. Cor. 2. 12. Rom. 8. 9.

Virtutes in impiis veras non eſſe.

39. Puto autem iſtum veri ſimilitudine decipi, & in ſpecie falſarum errare virtutum, dum ea bona, quæ non poſſunt niſi ex Dei munere haberi, etiam in impiorum animis æſtimat reperiri; ideo ſcilicet, quia multi eorum ſint juſtitiæ, temperantiæ, continentiæ, & benevolentiæ ſectatores: quæ omnia non fruſtra quidem, neque [a] inutiliter habent, multumque ex eis in hac vita honoris & gloriæ conſequuntur: ſed quia in iis ſtudiis non Deo, ſed diabolo ſerviunt, licèt habeant temporalem de vana laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem. Et ita manifeſtiſſimè patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem: ſed omnia opera eorum immunda eſſe atque polluta, habentium ſapientiam non ſpiritalem, ſed animalem, non cæleſtem, ſed terrenam, non Chriſtianam, ſed diabolicam, non à Patre luminum, ſed à principe tenebrarum; dum [b] & ipſa quæ non haberent niſi dante Deo, ſubdunt ei qui primus receſſit à Deo.

Opera eorum omnia immunda.

Virtutum ſive meritorum principia nulla in nobis ante gratiam.

40. Qui ergo dicit, *ſine ullo opere gratiæ naturaliter omni animæ ſemina ineſſe virtutum*; quid laborat oſtendere, niſi de iſtis ſeminibus quædam [c] germina præcedentium Dei gratiam pullulare meritorum? Denique ut videretur aliquid gratiæ tribuiſſe, *Ad perfectionis*, ait, *incrementum ſemina hæc pervenire non poterunt, niſi opitulatione Dei fuerint excitata*: ut ſcilicet opitulatio Dei ſit cohortatio atque doctrina, mens autem, quæ virtutum eſt opulenta ſeminibus, utatur facultate quam poſſidet; ad hoc tantùm juvanda, ut earum virtutum adprehendat culmina, quarum ſibi ſcit ineſſe principia. Igitur ſecundùm iſtum humana anima ſic ædificabitur in Dei templum, ut non accipiat fundamentum præter quod aliud nemo poteſt ponere, quod eſt Chriſtus Jeſus. Quando autem hoc fundamentum [d] incipitur, niſi quando fides in audientis corde generatur? Quæ ſi naturaliter inerat, non cœptum ibi eſt aliquid, ſed ſuperſtructum. Superfluè ergo infidelis videbatur, qui fidem habebat ante quàm crederet. Hoc autem & de aliarum virtutum principiis poteſt dici, quas gratia augere debeat quia ſunt, non donare quia deſunt. Sed aliud nos omnia ſanctarum ſcripturarum eloquia docent. Legimus principium eſſe ſapientiæ timorem Domini: & legimus donum Dei hanc eſſe virtutem. Timor, inquit, Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit: beatus homo cui donatum eſt habere timorem Dei. Cùm ergo timor Dei principium ſit ſapientiæ; quæ virtus haberi poteſt ſine ſapientia, cui ex timore principium eſt? Beatus apoſtolus Petrus, Gratia vobis, inquit, & pax adimpleatur in recognitione Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui nunc omnia nobis divina virtute ſua, quæ ad vitam & pietatem pertinent, donavit. Numquid ait, Qui virtutum ſemina, quæ naturaliter ha-

1. Cor. 3. 11. Prov. 1. 7. Eccli. 9. 10. Eccli. 25. 14. 2. Petr. 1. 2.

A bebamus inſerta, opitulatione ſua excitavit in nobis? Sed ait, Qui nunc omnia nobis quæ ad vitam & pietatem pertinent donavit. Quod dicendo, cujus virtutis initium in natura poſuit, quod non ab eo collatum ſit, qui cuncta donavit? Propter quod & beatus Paulus, Quid enim habes, inquit, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? 1. Cor. 4. 7.

In ingeniis impiorū licèt multa laudabilia, non tamen veræ virtutes.

41. Ergo omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent, non per naturam, quæ vitiata eſt, habemus; ſed per gratiam, qua natura reparatur, accepimus. Nec ideo æſtimare debemus, in naturalibus theſauris principia eſſe virtu-
B tum, quia multa laudabilia reperiuntur etiam in ingeniis impiorum: quæ ex natura quidem prodeunt, ſed quoniam ab eo qui naturam condidit receſſerunt, virtutes eſſe non poſſunt. Quod enim vero illuminatum eſt lumine, lumen eſt: & quod eodem lumine caret, nox eſt. Quia ſapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum. Ac ſic vitium eſt, quod putatur eſſe virtus: quando quidem ſtultitia eſt, quod putatur eſſe ſapientia. Quando autem fieri poteſt, ut [e] qui in naturalium virtutum ſeminibus, quæ iſte magnificat, gloriantur, ipſas virtutes ſuas ei doctrinæ ſubjiciant provehendas, quæ dicit, Si quis videtur inter vos
C ſapiens eſſe, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens? &, Quia in ſapientia Dei non cognovit hic mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Quid illa ſcientiæ ſapientiæque præſumtio magis ineptum eſſe cenſeat, magiſque ridendum, niſi Spiritus Dei aſpernationem ſubegerit ſuperborum, rationeſque illas, quæ ignotæ veritati caninâ facundiâ repugnabant, gratiæ ſuæ virtute deſtruxerit; ut ſemen verbi [f] præſulcata cordis terra concipiat, & dignos æternis horreis fructus Dei agri cultura producat?

1. Cor. 3. 19. 1. Cor. 3. 18. 1. Cor. 1. 21.

Paſtoris liber nullius auctoritatis.

42. Poſt illud autem nullius auctoritatis teſtimonium, quod diſputationi ſuæ de libello Paſtoris inſeruit, ex quo
D oſtendere voluit, inter boni & mali [g] angeli contrarias ſuaſiones, ita omnem hominem naturali judicio & propriæ diſcretioni eſſe commiſſum, ut ei non plus à Deo præſidii, quàm à diabolo ſit periculi, addidit definitioni ſuæ regulam, dicens, *Et idcirco manet in homine liberum ſemper arbitrium, quod gratiam Dei poſſit vel negligere, vel amare.* In qua ſententia etiam hoc quod ait, *in homine remanere ſemper liberum arbitrium*, ex aliqua parte non conſtat: ſi quidem multa millia infantium in regnum Dei aſſumtorum, aut à regno Dei extraneorum, ſine ullius ſuæ voluntatis arbitrio gratiam Dei aut accipiant, aut amit-
E tant; multique excordes ad omnia prorſus & fatui, per ſacramentum regenerationis ab æternæ mortis vinculis eruantur. Accipiamus tamen ita hoc dictum, ut ad eos propriè pertineat hæc definitio, qui uti poſſunt libera voluntate. Itáne libera eſt iſta libertas, ut [h] tantum ex ſe habeat faſtidii, ut negligat gratiam Dei; tantum ex ſe habeat delectationis, ut diligat? Itáne illum vetuſtæ infidelitatis glacialem rigorem nullus meridiani caloris ſpiritus relaxavit, & torpor mentis obſtrictæ de ſuo algore concaluit; & dicente Domino, Ignem veni mittere in terram, nulla ad cor frigidum ſcintilla pervenit, & cinis mortuus
F ex ſemetipſo in flammam caritatis exarſit? Nihil tale in iſtius gratiæ [i] amatoribus factum eſt, quale illi experti ſunt, qui dicebant, Nonne cor noſtrum erat ardens, cùm eſſemus cum illo in via, & aperiret nobis Scripturas? Sed nec illud in eiſdem actum eſt, quod de Lydia, civitatis Thyatirorum purpuraria, quæ inter mulieres, quibus illic Apoſtolus prædicabat, ſola tunc oſtenditur crediſſe; cujus, inquit, cor aperuit Deus, ut intenderet his quæ à Paulo dicebantur? Et tanta eſt ſecundùm iſtum liberi arbitrii incolumitas & facultas, ut caritatem, quæ in omnium arce virtutum eſt, non ex Dei munere, ſed ex
G ſola [k] habeant voluntate? Quid ergo in anima à ſuo ædificatore [l] reparatur? aut qua largitate gratiæ fiet ornatior, ſi illa ſunt ei propria, ſine quibus non poſſunt prodeſſe donata? Sed Apoſtolus, qui profitetur, ſine caritate non operationes miraculorum, non ſcientiam, non fidem, non pro-

Caritas ex Dei munere. Luc. 12. 49. Luc. 24. 32. Act. 16. 14. 1. Cor. 13. 2. & 3.

[a] Poſteriores editiones, *neque utiliter*. Caſtigantur ad MS. Corb. & edit. Mog.
[b] Sic MS. Corb. & editio Mog. At poſteriores edit. *dum per ea ipſa quæ non haberent niſi dante Deo, ſubduntur ei*, &c.
[c] Corb. & Mog. *ſemina*.
[d] Editio Mog. *accipitur*.
[e] Sic MS. Corb. & editio Mog. At poſteriores editiones, *ut is qui in naturalium virtutum ſeminibus exuberare ſe putat, quas ipſe magnificas eſſe gloriatur.*

[f] Corb. & Mog. *præſulcati*.
[g] Addimus *angeli* ex Corb. & Mog. Vide ſuprà num. 37.
[h] Ita Corb. & Mog. Poſteriores autem editiones, *ut quantum ex ſe habeat.*
[i] Poſteriores editiones, *damnatoribus*. At Corb. & Mog. *in iſtis gratiæ amatoribus*: ut hanc ſententiam & proximè ſequentes, non ſimpliciter, ſed figuratè dictas accipiamus per interrogationem.
[k] Poſteriores editiones, *habeat*.
[l] Ita Corb. & Mog. At poſteriores editiones, *parabitur*.

phetiam, non erogationes divitiarum, non ipsam sævissimorum suppliciorum prodesse tolerantiam; unde habeatur ipsa caritas non tacet: Quoniam caritas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. &, Pax, inquit, fratribus cum caritate & fide à Deo Patre & Domino Jesu Christo. Sanctus etiam Johannes apostolus instruat nos, unde hujus boni cœperimus esse participes. Carissimi, inquit, diligamus nos invicem, quia dilectio ex Deo est. Et ne possemus opinari, ideo dilectionem dictam ex Deo, quia in natura hominis hic [a] satus esset affectus: paulò pòst ait, Non quòd nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos. Et iterum, Nos diligamus Deum, quia prior dilexit nos. Agnoscat ergo humana egestas, hoc quod de quibuslibet bonis rectè dicitur, multo rectiùs sibi dici de eo, sine quo bona cuncta non prosunt: Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Rom. 5. 5. — Ephes. 6. 23. — 1. Johan. 4. 7. — 1. Cor. 4. 7.

Caput XIV. Cassianus liberi arbitrii vigorem demonstrare aggressus.

43. Post hæc autem, cùm tantum homini tribuisset ante gratiam, quantum ei fructuosissimum est habere per gratiam; addidit quædam perplexa atque confusa; ad vigorem liberi arbitrii demonstrandum; & de his quæ jam donatis sibi [b] viribus facit, vult illa munire quæ ei naturaliter inesse definit; ut quod est per adjutorium Dei perfecisse, hoc sit ex arbitrii libertate cœpisse. Verùm hæc ut tolerabilia transeamus; quia & nos ideo liberum arbitrium dicimus, bonæ voluntatis affectum fideique principium operante gratiâ concepisse, ut per hæc quæ illi nullo merito præeunte donata sunt, ea quæ operaturo sunt promissa mereatur; ab illo semper petens posse aliquid boni facere, qui ait, Sine me nihil potestis facere: his itaque prætermissis, id quod de sancti Job passionibus posuit, retractemus. Ait enim: *Quòd etiam in Job probatissimo athleta suo, cùm eum diabolus expetisset ad singulare certamen, divinam legimus providisse justitiam. Si enim contra inimicum non sua virtute, sed Dei solius fuisset gratiâ protegente congressus, & absque ulla virtute patientiæ suæ divina tantùm opitulatione suffultus, multiplices illas ac tota inimici crudelitate quæsitas tentationum moles & exitia pertulisset: quomodo non illam calumniosam diabolus, quam priùs emiserat vocem, adversùs eum justiùs iterasset? Numquid Job gratìs colit Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, & universam substantiam ejus per circuitum? Sed aufer manum tuam, hoc est, sine eum suis mecum viribus decertare: nisi in faciem tuam benedixerit tibi. Sed cùm nullam hujuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare; non Dei, sed illius se victum viribus confitetur. Licèt etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tribuit potestatem, quantam & illum resistendi noverat habere virtutem: non eum ab illius impugnatione sic protegens, ut nullum virtuti humanæ relinqueret locum; sed hoc tantùm procurans, ne violentissimus inimicus animam ejus amentem faciens & impotem sensu, impari eum atque iniquo certaminis pondere prægravaret.*

Johan. 15. 5. — Definitio 10. Cassiani, Job suis viribus vicisse diabolum, non auxilio gratiæ, nisi quatenus Deus non majorem tentatori dedit potestatem, quàm illi noverat inesse virtutem. — Collat 13. c. 14. — Job 1. 9.

Cassiani fraus: catholicam sententiam de gratia in disputationis principio prædicat, & eamdem postea impugnat.

44. Quis hæc prædicari à catholicis inter catholicos crederet, nisi quæ in [c] collocutionibus domesticis sæpe defensa sunt, etiam scripta legerentur? Itáne in omnibus hominibus intelligentiæ caligat obtutus, & à cunctis Ecclesiæ filiis spiritus scientiæ & pietatis abscessit, ut non [d] erubescant ingerere se judiciis legentium [e] tam inanes fabulas, tam inhonesta mendacia? Vir gravis, doctor sapiens, verax magister, redde nobis catholicam definitionem, qua inter initia disputationis tuæ aures nostras mentesque cepisti. Pronuntiaveras fidem [f] Christiana voce ecclesiasticam, *Non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium: qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus tribuit peragendi. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum, qui & inspirat quæ bona sunt, & exsequitur & consummat in nobis:* & hujus sententiæ soliditate omnia hostilium reliquiarum machinamenta confregeras. Cur professione mutata, quod destruxisti ædificas; quod tuebaris, impugnas? Cur invictissimæ veritatis arce desertâ, gradatim ad præcipitia Pelagiana decurris? Qui enim definieras, neque sanctarum cogitationum, neque piarum voluntatum, neque bonorum actuum ex nobis esse principia; sed inspiratione Dei gratiæque ejus auxilio bona in nobis cuncta generari, & ad profectum perfectionemque perduci: paulò pòst cœpisti donis gratiæ liberi arbitrii æquare conatus; ut principia quæ Deo adsignaveras, posse hominem à semetipso habere monstrares, dicendo, *Quia etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, semper verò à Domino indigeat adjuvari.* & iterum dicendo, *Etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnumquam bonarum voluntatum prodire principia: quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possint.* Et post hæc, ut quosdam præveniri à gratia ostenderes, in quorumdam autem præeuntibus meritis caussam percipiendæ gratiæ collocares, dixisti, *Quid ex quo pendeat dubitari, id est, utrùm quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus; an quia Deus misereatur, consequamur bonæ voluntatis initium.* Quas duas regulas ne in ambiguo relinqueres, utramque exemplis, ut tibi visum est idoneis, munire curasti; unam de Pauli & Matthæi coactitia conversione confirmans; aliam de Zacchæi & Latronis voluntaria fide roborans: quorum desiderium tam violentum dicis fuisse, *ut ad invadendum regnum cælorum specialia vocationis monita prævenirent.* Deinde progressu disputationis, ut incolumitatem interioris hominis patefacias; ipsum *Adam concepisse quidem, quam non habebat scientiam mali; sed quam acceperat boni scientiam, non amisisse* confirmas. Cúmque hoc etiam ex comparatione impiorum probare voluisses; in id usque prolapsus es, ut proclamares, *Cavendum nobis esse, ne ita ad Dominum omnia sanctorum merita referamus, ut nihil nisi quod malum est, humanæ adscribamus naturæ.* Et ne hanc naturam ullas in prævaricatione Adæ crederemus amisisse virtutes, definisti tam incolumes esse omnium hominum animas naturaliter, quàm fuit primi hominis ante peccatum, dicendo, *Dubitari ergo non potest, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta.* Consideratis ergo his definitionibus tuis, non est occultum, quantum ab illius sententiæ sanitate desciveris, in qua quod tribuendum erat gratiæ, fallaciter prædicando, catholicarum tibi aurium judicia conciliare voluisti; quibus de præmissæ [g] professionis fronte securis, facilè sequentia irreperent, si prima placuissent.

Ad præcipitia Pelagiana gradatim decurrit. — Suprà num. 4. — Jacob. 1. 17. — Suprà n. 10. — Num. 12. — Num. 13. — Num. 17. — Num. 24. — Num. 32. — Num. 37.

Caput XV. Libero arbitrio quantas vires tribuat Cassianus.

45. Sed hactenus ne in totum videreris à præfixa regula discrepare, ita virtutum meritorumque principia [h] à libero arbitrio ad gratiam transtulisti, ut ipsorum bonorum desideriorum voluntarios motus sine auxilio Dei nec provehi [i] fatereris posse, nec perfici: nunc verò remoto longiùs Deo, & à sustentatione hominis separato, tantam libero arbitrio potentiam tribuis, ut non solùm amissionem multiplicium facultatum & totius simul familiæ ac necessitudinum acerbissimum finem constanter æquanimiterque suscipiat; sed ipsius quoque corporis proprii ineffabiles cruciatus proposito nudæ voluntatis evincat. Et ut dubitari hinc disputante te nequeat, sancti Job constituis exemplum, qui adversùm illam insignem diabolicæ sævitiæ crudelitatem sine Dei præsidio decertarit: & argumento probare niteris, quòd ipse cruentissimus inimicus confessus sit, non Domini, sed Job se virtute superatum, in eo quòd sibi in graviore conflictu gratiam Dei obstitisse non dixit: quasi vir ille in damnis atque orbitatibus debuerit superna protectione circumtegi, in carnis autem suæ animæque tormentis non eguerit adjuvari. Si ergo hac magnitudine animi, quam illata per singulos omnesque artus tot mortium pœna non superat, nihil [k] inter sanctorum palmas memorabilius, nihil invenitur illustrius; eamque adseris, ex humana tantùm virtute subsistere: quid erit laudis ac meriti, quod inter studia quietis & pacis nequeat arbitrii obtinere libertas, quam in tanti fine certaminis de suis viribus coronasti?

Job in conflictu cum diabolo sua ipsius virtute vicisse Cassianus putat.

46. Quæro igitur abs te, videaturne tibi vir iste, cùm illis quæ legimus suppliciis probaretur, habuisse in se Spiritum-sanctum? Si habuisse dicis: certum est quia Deus,

Contrà probatur Job vicisse auxilio Dei.

---

a Corb. *saltus.*
b Editio Mog. *virtutibus.*
c Ita Corb. & Mog. Posteriores verò editiones, *colluctationibus.*
d Editio Mog. *erubescat ingerere judicio legentium. ... mendacia vir gravis,* &c.
e In posterioribus editionibus omissum est, *tam inanes fabulas.*
f Ita Corb. & Mog. At posteriores editiones, *fidem Christianam voce ecclesiastica.*
g Corb. & Mog. *præmissæ promissionis.*
h Ita Corb. & Mog. Posteriores autem editiones, *ad liberum arbitrium à gratia transtulisti, ut ipsos,* &c.
i Posteriores editiones, *patereris.*
k Codex Corb. *nihil plus intra sanctorum palmas,* &c.

quem non deseruit, adjuvit. Si autem recessisse ab eo Spiritum-sanctum dixeris: propheticus te ejusdem sermo convincit, dicens, [Job 19, 25.] Scio enim quòd Redemtor meus vivat, & in novissimo die de terra surrecturus sim; & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo. Quod si de incarnatione Domini nostri Jesu Christi, ac resurrectione ejus qui est primitiæ dormientium, & de spe redemtionis quæ in ipso reposita est omnibus sanctis, rectè intelligitur prophetatum; manifestè apparet, non discessisse à templo suo gratiam Dei; & fecisse jam tunc Dominum in hoc sancto suo, quod postea in Apostolis & Martyribus suis spondebat esse faciendum, dicens, [Matth. 10, 19.] Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Quid cùm idem sanctus ineptis consolatoribus responderet, nonne in Dei fidebat auxilio, dicens, [Job 12, 4.] Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, invocabit Dominum, & exaudiet eum? Aut nesciebat ex illo se habere quod habebat, de quo ait, [Ibid. 13.] Apud ipsum est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam. [Ibid. 10.] & de quo dicit, In cujus manu anima omnis viventis, & spiritus universæ carnis hominis. [Ibid. 14, 14.] & iterum, Exspecto, inquit, donec veniat immutatio mea: vocabis, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram: tu quidem gressus meos dinumerasti, sed [a] parcis peccatis meis: signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam. Non ergo deseruerat Dominus, quem curabat; neque opem suam abstulerat ab eo, cui purificatoria remedia, quibus clariùs nitesceret, admovebat.

47. Ad hanc passionum tolerantiam, in qua hic sanctus emicuit, etiam ille erat præparatus à Domino, qui dicebat, [Psal. 22. 4.] Nam etsi ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. [Psal. 36. 39.] & illud, Salus justorum à Domino, & protector eorum est in tempore tribulationis. Ad hanc tolerantiam etiam ille erat præparatus à Domino, qui & credere in Christum, & pro Christo pati referebat ad Christum, dicens, [Rom. 5. 1.] Justificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum; per quem & accessum habemus [b] in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus; scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. [Rom. 8. 35.] Et iterum, Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? [Psal. 43. 22.] an periculum? an gladius? Sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis: sed in his omnibus superamus, per eum qui dilexit nos. Hujus tolerantiæ fortitudo unde descenderit, [Luc. 22. 31.] beatus Petrus, & in illo omnis Ecclesia, Veritatis ipsius voce discebat, dicentis, Ecce satanas postulavit ut cerneret vos velut triticum: ego autem rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua. [Qui non deficit, à Deo se non dubitet adjuvari.] Quisquis igitur in tribulationibus non deficit, ab illo se non dubitet adjuvari, ad quem [Matth. 6. 13.] quotidie corda universorum fidelium clamant: Ne inferas nos in tentationem, sed libera nos à malo. [Psal. 96. 10.] Quoniam custodit Dominus animas servorum suorum, de manu peccatorum liberabit eos.

[Cassiani error, Job autem resistendi habuisse virtutem ex libero arbitrio, non ex gratia.] 48. Quod autem dicis, *Gratiam Dei ab Job ex eo intelligendam non penitus recessisse, quòd tentatori ejus tantam Deus tentandi dederit potestatem, quantam & illum resistendi noverat habere virtutem:* nonne rectiùs veraciúsque loquereris, si ubi dixisti, *quantam & illum resistendi noverat habere virtutem;* diceres potiùs, quantam & illi resistendi noverat se dedisse virtutem? [c] Unius enim verbi correctio, totam istam gloriam, quam humanis viribus adsignare voluisti, sobrietate aliqua temperasset, ut illa mirabilis in tanta afflictione patientia, & Dei adjutorio & libero hominis adscriberetur arbitrio. Sed veritus es naturæ humanæ minuere laudem, si ei profiteris à Deo datam esse virtutem: ideo conflictûs illius atque victoriæ non vis credi cooperatorem Deum fuisse, sed tantummodo spectatorem: ut cui persuadere potueris, per naturalem liberi arbitrii facultatem tam arduum certamen victum, dubitare non audeat in levioribus caussis multo liberiores esse bonæ voluntatis effectus: atque ita in [d] illius damnatæ sententiæ foveam cadat, qua dicitur, Ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs possimus implere per gratiam; tamquam & si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possemus etiam sine illa implere divina mandata. Quod quia catholici Pontifices dignum anathemate censuerunt, utendum nobis est eo, quo usi sunt testimonio, dicentes, [Carthag. concil. can. 5. seu 6. suprà pag. 107.] De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, Sine me difficiliùs potestis facere: sed ait, [Iohan. 15. 5.] Sine me nihil potestis facere.

[Caput XVI.] 49. His autem definitionibus tuis, quas credidisti idonea auctoritate munitas, tamquam de consensu legentium securus adjungis, Solere interdum Deum ad fidem nostram probandam plus offerre quàm sufficit, ut quàm [e] firma sit credentium fides, possit agnosci. Et hoc exemplo illius Centurionis ostendis, qui cùm pueri sui posceret curationem, Dominusque se ad domum ejus iturum esse promitteret, respondérit, [Matth. 8. 8.] Non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed dic tantùm verbo, & sanabitur puer meus. In quo eum Dominus tali admiratione laudaverit, ut pronuntiaret, non se invenisse tantam fidem in Israël. [Definitio undecima Cassiani. Collat. 13. c. 14.] Et exigua conclusione penè totum Pelagianum dogma confirmas, dicendo, *Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Christus, quod ipse donaverat, prætulisset.* Falsò ergo scriptum est, [Sap. 8. 21.] Quia nemo potest esse continens, nisi Deus det. Falsò prædicavit Apostolus, cùm de eadem virtute loqueretur, dicens, [1. Cor. 7. 7.] Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum; sed unusquisque proprium habet donum à Deo, alius sic, alius verò sic. Falsò docuit & ille qui dixit, [Jacob. 1. 5.] Si quis indiget sapientiâ, postulet à Deo, & dabitur ei. Nec secundùm veritatem dictum est, [Ibidem 17.] Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum. [Iohan. 3. 27.] &, Nemo potest accipere quidquam, nisi ei datum fuerit de cælo. [Laus & meritum per gratiam non aufertur.] An dicendum est, omnes quidem virtutes inter Dei dona numerandas; sed in illis hominem, quas de proprio habuerit, esse laudabilem; & ibi esse merita, ubi Dei dona non fuerint? Igitur secundùm regulam tuam, quibus donatum est, ut non solùm crederent in Christum, sed etiam ut paterentur pro ipso, & laudem & meritum perdiderunt; nec habent veram gloriam, qui non in se, sed in Domino gloriantur. Sed rectiùs audimus Prophetam dicentem, [Jerem. 17. 5.] Maledictus homo qui spem habet in homine, & firmat carnem brachii sui, & à Domino discedit cor ejus. [Psal. 53. 3.] & illum qui ait, Diligam te, Domine virtus mea. [Psal. 17. 1.] &, In Domino laudabitur anima mea. [Psal. 117. 14.] &, Fortitudo mea & laudatio mea Dominus. Ut manifestissimè noverimus, nec laudem eos ullam habere, nec meritum, in quibus non inveniuntur, quæ nisi Dominus dederit non habentur.

[Fidei & bonis operibus laudem ac meritum tribui sine præjudicio gratiæ.] 50. Sic autem putasti de testimonio laudatæ fidei præjudicium donis gratiæ posse generari, quasi fides, ubi ostenderetur laudata, non doceretur esse donata. Laudat Apostolus Romanorum fidem, & pro hoc bono eorum agit gratias Deo, dicens, [Rom. 1. 8.] Primùm quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. Ad Corinthios quoque simili scribit affectu, dicens, [1. Cor. 1. 4.] Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu; quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia. Numquid agendo gratias Deo, credentibus sustulit laudem? aut laudando credentes, meriti negavit auctorem? De Ephesiorum etiam fide quid sentiat, audiamus: [Ephes. 1. 15.] Propterea, inquit, & ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Jesu, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu Christi pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis, in agnitione ejus illuminatos oculos cordis vestri. Habebant ergo isti fidem,

[a] Corb. & Mog. *parcens.*
[b] Hîc editio Mog. addit, *per fidem.*
[c] Corb. & Mog. *In ejus enim verbi correctione.... temperasses.*
[d] Mog. *in illius damnatam sententiam cadat.*
[e] Posteriores editiones, *infirma.* Castigantur ex Corb. & Mog.

habebant & opera caritatis, quæ nec laude poterant carere, nec merito: sed pro his virtutibus Apostolus gratias Deo agere non cessat, sciens à Patre luminum hæc dona venisse; à quo se etiam petere protestatur, ut quibus dedit fidem, quæ per dilectionem operatur, det Spiritum sapientiæ & intellectûs: & inde se Ephesii noverint accepisse quod habent, à quo discunt sperare quod non habent. Pro Philippensibus quoque similes Deo gratias agit,

Philip. 1. 3.

& meritum eorum laudemque non supprimit, dicens, Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens super communicatione vestra in Evangelio, à prima die usque nunc, confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi. Cujus hîc humanæ laudis ac meriti [a] nunc in Deo caussa suspensa est? Quid virtutis aut pietatis exceptum est, quod non ex gratiæ fonte profluxerit, ubi ab initio usque ad finem & inchoatio & perfectio boni operis Domino deputatur? Cui canitur de sanctis suis, Domine, in lumine vultûs tui ambulabunt, & in nomine tuo exsultabunt [b] tota die, & in tua justitia exaltabuntur; quoniam gloria virtutis eorum tu es.

Psal. 88. 16. & 17.

CAP. XVII. Cassianus sibimetipsi contrarius.

51. CONSIDERANDUM sanè est, in hac sententia tua quantum adjuves eos qui dicunt, *Gratiam Dei secundùm merita nostra dari:* quos tamen, ut catholicæ fidei defendaris umbraculo, profanæ opinionis esse profiteris, dicens, *Nemo autem æstimet hæc à nobis ob hoc fuisse prolata, ut nitamur adstruere, summam salutis in nostræ fidei ditione consistere, secundùm quorumdam profanam opinionem, qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei dispensari secundùm meritum uniuscujusque definiunt.* Sed miror valde, quomodo non vides, aut ab aliis æstimas non videri, quòd te ipsum tuo ore condemnas. Dicendo enim quòd *Centurio, cujus fides Domini voce laudata est, nullius laudis esset ac meriti, si id in eo Deus, quod ipse donaverat, prætulisset:* definisti Centurionem illum non donatam fidem habuisse, sed propriam, ac perinde nihil ejus principiis collatum fuisse per gratiam; in eadem autem fide caussam fuisse & laudis & meriti, quorum neutrum haberet, si id, cui & laus debetur & meritum, Dominus contulisset. Frustra ergo, ut invidiam damnati erroris evadas, summam salutis negas in fidei nostræ ditione consistere: cùm omni modo salus nisi ex fide esse non possit. Justus enim ex fide vivit. Quoniam veritas dicit, Amen, amen dico vobis, quoniam qui audit verbum meum, & credit in eum qui me misit, habet vitam æternam, & in judicium non veniet, sed transibit de morte in vitam. Et iterum, Hæc est autem voluntas Patris mei, ut omnis qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitem eum in novissimo die. Et iterum, Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Cùm itaque huic fidei, quam ideo meritis & laudibus honorasti, quia mavis eam inter liberi arbitrii bona, quàm inter Dei dona numerari, æternam beatamque vitam constet esse præparatam: quomodo hoc vulnus declinabis, quo te ipse configis, pronuntiando eos profanos, qui gratiam dispensari secundùm merita humana definiant; & asserendo quòd nec laudem constet habere nec meritum eos, qui ex dono gratiæ sint fideles? Quoquoversum ergo te conferas, à temetipso & vinceris, & vinciris. Si enim gratiam merita non præcedunt, & fides non potest esse sine meritis: fides gratiam non præcedit, & omni modo [c] ex gratia habetur, quidquid illud est ex quo meritum nascitur, quod ante gratiam non habetur.

Salus non nisi ex fide. Rom. 1. 17. Johan. 5. 24.

Johan. 6. 40.

Johan. 17. 3.

CAP. XVIII.

52. UT igitur definitionum tuarum absurditas non sibi repugnare videatur, inconvenientia miscere conaris, & unitatem membrorum corporis Christi in duobus generibus fidelium nova præsumtione constituis: in uno scilicet, ad quod pertineat illud, quod in principio dixisti, *Non solùm actuum, sed etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui & incipit quæ bona sunt, & exsequitur & consummat in nobis:* in alio autem, cui congruat regula ista, qua dicis, *Centurionem nec laudem ullam habiturum fuisse, nec meritum, si id in eo Dominus, quod ipse donaverat, prætulisset.* Et licèt totum disputationis tuæ textum ad has

A duas formulas, quæ nullo modo conformes possunt esse, produxeris; nunc tamen distinctiùs atque expressiùs quid volueris firmare pronuntias, dicens, *Per hæc igitur exempla, quæ de evangelicis protulimus monumentis, evidentissimè poterimus advertere, diversis atque innumeris modis & inscrutabilibus viis Deum salutem humani generis procurare: & quorumdam quidem volentium ac sitientium cursum ad majorem incitare flagrantiam; quosdam verò etiam nolentes invitosque compellere: & nunc quidem, ut impleantur ea, quæ utiliter à nobis desiderata conspexerit, adjuvare; nunc verò etiam ipsius sancti desiderii inspirare principia, & vel initium boni operis, vel perseverantiam donare. Inde est quòd orantes,*

Duodecima Cassiani definitio, Deum in salutis negotio aliis esse salvatorem, aliis tantùm susceptorem.

B *non solùm protectorem ac salvatorem, sed etiam adjutorem ac susceptorem Dominum proclamamus. In eo enim quòd prior advocat, & ignorantes nos atque invitos adtrahit ad salutem; protector atque salvator est: in eo autem quòd adnitentibus nobis opem ferre, refugientesque suscipere ac munire consuevit, susceptor ac refugium nominatur.*

Omnium qui salvátur Christus salvator est. Matth. 1. 21. Luc. 1. 32. Act. 4. 12.

53. Hac ergo discretione præscripta erit, ut definis, in una Ecclesia ista diversitas, ut Dominus noster Jesus Christus, de quo dictum est, Et vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum; & de quo dictum est, Nec enim est aliud nomen sub cæ-

C lo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri; non omnium Christianorum, sed quorumdam salvator, quorumdam verò susceptor sit: ut hi tantùm salvati, quos ad suscipiendam gratiam Deus [d] aversos reluctantesque compulerit; hi autem suscepti sint, qui vocationem spontanei cursûs fervore prævenerint: & illis quidem conferatur gratuitum donum, istis verò debitum præmium rependatur: illi nullius sint laudis ac meriti, qui nihil boni habeant nisi quod acceperint; isti autem & gloriâ abundent, & remuneratione ditescant, qui propria facultate devoti, quod non acceperant obtulerunt. Atque ita Jesus Christus alios [e] liberatos invenerit, alios liberarit: & non ad om-

D nes pertineat quod ait, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos; si sunt à quibus, cùm eos non elegisset, electus est: non ad omnes pertineat, Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei à Patre meo; si sunt qui non dante Patre ad Filium venire potuerunt: non ad omnes pertineat, quod ait Evangelista, Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; si sunt qui aut ita in hunc mundum venerunt, ut non essent tenebræ; aut ita lux esse cœperunt, ut illuminatione veri luminis non egeant: nec de omnibus adoptatis accipiendum sit, quod ait Apostolus, Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in re-

Johan. 15. 16. Johan. 6. 66. Johan. 1. 9. Coloss. 1. 13.

E gnum Filii dilectionis suæ; siquidem ipsi rumpant vincula sua, & jugo veteris captivitatis excusso, à dominatione diaboli in regnum Dei libera alacritate transcurrant. Hæc si possunt intra unam Ecclesiam prædicari, ut neutra opinio alteri cedat, sed invicem sibi utraque succumbat; potest fieri, ut recipiamus quod Pelagiani tenent, & Pelagiani recipiant quod tenemus. Sed hoc modo non tam illi catholici, quàm nos erimus (quod absit) Pelagiani. Contrariorum enim permixtio meliorum defectio est: quia cùm virtus vitium recipit, non à vitio, sed à virtute disceditur.

54. Nullo igitur modo Christiana corda suscipiunt, quod

F persuadere conatus es, eos qui gratiâ Dei sunt quod sunt, nec laudem ullam habere, nec meritum; & ab eo, qui venit salvare quod perierat, partem Christianorum salvatam, partem verò esse susceptam: quoniam discipuli evangelicæ apostolicæque doctrinæ, non alta sapientes, sed humilibus consentientes, insaniam istam superbæ elationis horrescunt. In toto quippe Ecclesiæ corpore, atque in singulis membris, quod mortuum erat, vivificatum est; quod captivum erat, redemtum est; quod cæcatum erat, illuminatum est; quod perierat, quæsitum est; quod errabat, inventum est. Nec secundùm novam istam partitionem aliorum salvator,

Placita Cassiani de gratia & libero arbitrio horrescunt evangelicæ apostolicæque doctrinæ discipuli.

G aliorum susceptor: sed omnium usquequaque fidelium & salvator & susceptor est Christus. Nec merito ac laude privantur, qui unde æterna bona mereantur accipiunt: tantoque beatiores fiunt, quanto pauciora habuerint quæ ipsorum sunt, & quanto plura quæ Dei sunt. Non enim conturbat nos superbientium inepta querimonia, qua liberum arbitrium causantur auferri, si & principia, & profectus,

a Sic MS. Corb. & editio Mog. At posteriores editiones, *cujus humanæ laudis ac meriti non hîc caussa suspensa est.*
b Corb. & Mog. omittunt, *tota die.*

c Corb. & Mog. *pro gratia habetur.*
d Corb. & Mog. *adversos.*
e Ita Corb. & Mog. At posteriores editiones, *liberos.*

fectus, & perseverantia in bonis usque in finem, Dei dona esse dicantur: quoniam OPITULATIONES DIVINÆ GRATIÆ, STABILIMENTA SUNT VOLUNTATIS HUMANÆ. Volentes oramus: & tamen misit Deus Spiritum in corda nostra clamantem, Abba, Pater. Volentes loquimur: & tamen si pium est quod loquimur, non sumus nos loquentes, sed Spiritus Patris nostri qui loquitur in nobis. Volentes operamur salutem nostram: & tamen id ipsum velle atque operari Deus est qui operatur in nobis. Volentes diligimus Deum, & proximum: & tamen caritas ex Deo est, diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hoc de fide, hoc de tolerantia passionum, hoc de pudicitia conjugali, hoc de continentia virginali omnibusque virtutibus sine exceptione profitemur; quod nisi donatæ essent nobis, non invenirentur in nobis. Et quod liberum arbitrium, naturaliter homini inditum, maneat in natura, sed qualitate & conditione mutata per mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum, qui ipsam voluntatem ab eo quod perversè volebat, avertit, & in id quod ei bonum esset velle, convertit: ut delectatione affecta, fide mundata, spe erecta, caritate accensa, liberalem susciperet servitutem, & servilem [a] abjiceret libertatem.

Gal. 4. 6. Matth. 10. 20. Marci 13. 11. Philip. 2. 13. 1 Johan. 4. 7. Rom. 5. 5.

Caput XIX. 55. Ex his igitur definitionibus, quas hactenus quædam prætermittendo discussimus, non obscurum atque ambiguum est, [b] quid de gratia Dei sentiant, qui sincerissimis ejus defensoribus obloquuntur; & pacem victricis Ecclesiæ, resumtis de damnatorum schola quæstiunculis, inquietant; quas si, ut audivimus, retexamus, fiet sermonis nostri immoderata prolixitas: cùm de his quæ [c] de ipsorum stilo innotuerunt, facilè pius lector intelligat, ad quæ præcipitia perveniatur his callibus, & in istam lutulentorum rivorum cœnosam uliginem cujus voraginis humor exsudet. Necessarium sanè æstimo, ante conclusionem voluminis, ea quæ ostendimus non congruere catholicæ veritati, breviter conjunctimque digerere: ut quæ interjectis responsionibus nostris possint recordationem legentis effugere, fideliùs simul decursa recolantur.

Prima ergo definitione dictum est: *Non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium; qui vobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum: qui & incipit quæ bona sunt, & exsequitur, & consummat in nobis.* Quod & nos valde amplectimur catholicumque esse profitemur.

Secunda definitione dictum est: *Adest igitur inseparabiliter nobis divina protectio; tantaque est erga creaturam suam pietas Creatoris, ut non solùm comitetur eam, sed etiam præcedat jugiter providentia: quam expertus Propheta confitetur, dicens, Deus meus, misericordia ejus præveniet me. Qui cùm in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Jam hîc à præmissa definitione disceditur, & quod totum gratiæ datum fuerat, ex parte nunc libero arbitrio deputatur.

Psal. 58. 11.

Tertia definitione dictum est: *Nisi quòd in his omnibus, & gratia Dei, & libertas declaratur arbitrii, qua etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, semper verò à Domino indigeat adjuvari. Nec enim cùm voluerit quis, sanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo pro arbitrii sui desiderio liberatur.* Quasi medicus noster non etiam hoc donet morbidis, ut & veram desiderent sanitatem.

Quarta definitione dictum est: *Ut autem evidentiùs clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnumquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est, dicens, Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non [d] invenio.* Quasi Apostolus ex naturali affectu, & non ex gratiæ dono bonam habeat voluntatem, qui profitetur ex Deo sibi esse sufficientiam etiam cogitandi.

Rom. 7. 18. 2 Cor. 3. 5.

Quinta definitione dictum est: *Et ita sunt hæc quodam modo indiscretè permixta atque confusa, ut quid ex quo pendeat, inter multos magna quæstione volvatur: id est, utrùm quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus; an quia Deus miseretur, consequamur bonæ voluntatis initium. Multi enim singula hæc credentes, ac justo ampliùs asserentes, variis sibique contrariis sunt erroribus involuti. Si enim dixerimus, nostrum esse bonæ principium voluntatis: quid fuit in persecutore Paulo? quid in publicano Matthæo? quorum unus cruori ac suppliciis innocentum, alius violentiis ac rapinis publicis incubans, adtrahitur ad salutem. Sin verò gratiâ Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus: quid de Zacchæi fide? quid de illius in cruce latronis pietate dicemus? qui desiderio suo vim quamdam regnis cælestibus inferentes, specialia vocationis monita prævenerunt.* In errore esse dicitur, & is qui ex gratia nasci bonam voluntatem, & is qui dicit gratiam ex bona voluntate pendere: & tamen utraque sententia suscipienda decernitur, dum unius in Paulo & Matthæo, alterius in Zacchæo & latrone forma præfigitur.

Sexta definitione dictum est: *Hæc ergo duo, id est, gratia vel liberum arbitrium, sibi quidem invicem videntur adversa, sed utraque concordant, & utraque nos pariter debere suscipere pietatis ratione colligimus; ne unum horum homini subtrahentes, ecclesiasticæ fidei regulam excessisse videamur.* Quasi ita utrumque recipiendum sit, ut in aliis hominibus voluntas gratiam, in aliis gratia præveniat voluntatem; & non ita ut in omnibus voluntas gratiam subsequatur. Quoniam secundùm ipsos, si aufertur liberum arbitrium cùm gratiâ prævenitur, aufertur gratia cùm libero arbitrio prævenitur.

Septima definitione dictum est: *Concepit ergo Adam post prævaricationem, quam non habuerat, scientiam mali: boni verò, quam acceperat, scientiam non amisit.* Cùm utrumque sit falsum; quia & à quanto malo Adam cavere deberet, Deo monente prædidicit; & in quanto bono esset constitutus, dum diabolo credidit, oblitus est. Sicut autem pessima scientia mali est, malum esse: ita pessima ignorantia boni est, bonum non esse.

Octava definitione dictum est: *Unde cavendum nobis est, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, ut nihil nisi id quod malum est, humanæ adscribamus naturæ.* Quasi natura ante gratiam non sit in damnatione, non sit in cæcitate, non sit in vulnere: aut non gratìs justificati sint, quorum inde sunt merita, unde justitia.

Nona definitione dictum est: *Dubitari ergo non potest, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio Creatoris inserta: sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire.* Quasi de spiritalibus [e] bonis nihil Adam prævaricando perdiderit; & virtus non ut habeatur danda, sed ut faciliùs perfectionem apprehendat, hortanda sit.

Decima definitione dictum est: *Quod etiam in Job probatissimo athleta suo, cùm eum diabolus expetiisset ad singulare certamen, divinam legimus providisse justitiam. Si enim contra inimicum non sua virtute, sed Dei solius fuisset gratiâ protegente congressus; & absque ulla virtute patientiæ suæ, divina tantùm opitulatione suffultus, multiplices illas, ac tota inimici crudelitate quæsitas tentationum moles, & exitia pertulisset; quomodo non illam calumniosam diabolus, quam priùs emiserat, vocem adversùs eum justiùs iterasset? Numquid Job gratis colit Deum? Nonne tu vallasti eum & universam substantiam ejus per circuitum? Sed aufer manum tuam, id est, Sine eum suis mecum viribus decertare, nisi in faciem tuam benedixerit tibi. Sed cùm nullam hujuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare; non Dei, sed illius se victum viribus confitetur. Licèt etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tentandi tribuit potestatem, quantam & illum resistendi noverat habere virtutem.* Si Deus scivit tantummodo quid Job posset, non etiam donavit ut posset; testis patientiæ ejus, non auxiliator fuit. Et in quo erit necessarium gratiæ adjutorium, si humanis solis viribus tanta illa est parta victoria?

Undecima definitione dictum est de Centurionis fide: *Miratur eum Dominus atque collaudat, cunctisque illis, qui ex Israëlis populo crediderant, præfert dicens, Amen dico vobis,*

[a] Ita Corb. & Mog. At posteriores editiones, *amitteret libertatem.*
[b] Corb. & Mog. *quod de gratia dissentiant*
[c] Posteriores editiones, *quæ ipsorum schola innotuerunt.* At Corb. & Mog. *quæ de ipsorum stilo* (id est scriptæ) *innotuerunt.*
[d] Corb. & Mog. *non possum.*
[e] Hîc *bonis* restituimus ex Corb. & Mog.

non inveni tantam fidem in Israël. Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Dominus, quod ipse donaverat, prætulisset. Impius sensus, qui putat beatiorem esse hominem, cui Deus nihil dederit, quàm cui universa contulerit.

Duodecima definitione dictum est: *Inde est, quòd orantes, non solùm protectorem, sed etiam susceptorem Dominum proclamamus. In eo enim quòd prior advocat, & ignorantes nos atque invitos adtrahit ad salutem, protector atque salvator est: in eo autem quòd adnitentibus nobis opem ferre, refugientesque suscipere ac munire consuevit, susceptor ac refugium nominatur.* Huic sententiæ is potest præbere consensum, qui se à Christo non vult esse salvatum.

CAPUT XX. Errores in Cassiani definitionibus contenti.

56. HIS itaque definitionibus hoc docetur, hoc scribitur, hoc editis disputationibus prædicatur: Quòd Adam peccante, anima ejus læsa non fuerit, sanumque in eo manserit unde peccavit. Si quidem scientiam boni, quam acceperat, non amiserit; nec potuerint posteri ejus id perdere, cujus damnum nec ille pertulerit. Inesse autem omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta, ut possit qui voluerit, judicio naturali Dei gratiam prævenire, & adjutorium ejus, quo faciliùs ad perfectionem perveniat, promereri. Quia nullius sit laudis ac meriti, qui donatis bonis, non propriis adornatur. Cavendum quoque esse, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referantur, quasi per se nihil boni possit agere ipsa humana natura: cùm tanta sit virium ejus integritas, ut contra ipsum diabolum sævitiamque ejus usque ad extrema supplicia sine auxilio Dei valeat dimicare. Hanc autem possibilitatem in omnibus esse hominibus naturalem, sed non omnes ingeneratis sibi uti velle virtutibus. Tantam autem circa universos homines bonitatem esse Creatoris, ut alii ab eo, quia sponte veniant, suscipiantur laudati; alii quia resistunt, adtrahantur inviti: atque ideo volentium susceptor, nolentium verò salvator sit. Et cùm pars Ecclesiæ ex gratia, pars autem ex libero justificetur arbitrio; gloriosiores sint, quos natura provexerit, quàm quos gratia liberarit: quia ad omne opus bonum tam libera sit voluntas in Adæ posteris, quàm in Adam fuerit ante peccatum.

CAPUT XXI. Redit ad Augustini defensionem initio susceptam.

57. EN cujus dogmatis sunt magistri, qui ut catholicarum mentium castitatem gratiæ defensoribus calumniando corrumpant, præcipuum in nostro tempore in doctrina ecclesiastica virum rabido ore [a] discerpunt, creduntque se omnia auctoritatum munimina posse convellere, si hanc pastoralis speculæ validissimam turrem crebra Pelagiani arietis illisione pulsaverint. Firmum quidem fundamentum Dei stat: sed congruenter isti non desunt patribus suis. (2.Tim.2.19.) Dignum quippe est, ut quorum sequuntur sententiam, imitentur insaniam. Nec enim possunt alia dicere, quàm quæ damnatorum querelis, & procacissimi Juliani sunt vulgata conviciis. Paria sunt unius seminis germina, & quod latebat in radicibus, manifestatur in fructibus. Non ergo cum istis nova acie dimicandum est; nec quasi contra ignotos hostes specialia sunt ineunda certamina: tunc istorum machinæ fractæ sunt, tunc in superbiæ suæ sociis ac principibus corruerunt, quando beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit: quando Pelagium ad proferendam in se suosque sententiam, Palæstinorum Episcoporum synodus coartavit: quando Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis papa Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit antistitum: quando sanctæ memoriæ papa Bonifacius piissimorum Imperatorum catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei non solùm apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis; & quando idem, cùm esset doctissimus, adversùm libros tamen Pelagianorum beati Augustini episcopi responsa poscebat.

Augustini adversarios damnatione Pelagianorum prostravit Innocentius.

Palæstina synodus.

Africana concilia.

Zosimus.

Bonifacius.

Cælestinus.

58. Unde & venerabilis memoriæ pontifex Cælestinus, cui ad catholicæ Ecclesiæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est, sciens damnatis non examen judicii, sed solum [b] pænitentiæ remedium esse præstandum, Cælestium, quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi: adeo & præcessorum suorum statuta, & decreta synodalia inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscidi, nequaquam admitteret retractari. Nec verò segniore curâ ab hoc eodem morbo Brittannias liberavit, quando quosdam inimicos gratiæ solum suæ originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit Oceani, & ordinato Scottis * episcopo, dum Romanam insulam studet servare catholicam, fecit etiam barbaram Christianam. Per hunc virum etiam Orientales ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandrinæ urbis antistiti, gloriosissimo fidei catholicæ defensori, ad exsecandam Nestorianam impietatem, apostolico auxiliatus est gladio: quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum prosternerentur. Per hunc virum intra Gallias istis ipsis, qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt, maleloquentiæ est ademta libertas, quando consulentium actione suscepta, & librorum, qui errantibus displicebant, pietate laudata, quid oporteret de eorum auctoritate sentiri, sancto manifestavit eloquio; evidenter pronuntians, quantum sibi præsumtionis istius novitas displiceret, qua auderent quidam adversùm antiquos magistros insolenter insurgere, & indisciplinatâ calumniâ prædicationi veritatis obstrepere: « AUGUSTINUM, inquiens, sanctæ recordationis virum, pro « vita sua, atque pro meritis, in nostra semper communio- « ne habuimus; nec umquam hunc sinistræ suspicionis fal- « tem rumor adspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse me- « minimus, ut inter magistros optimos etiam à meis semper « decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in com- « mune senserunt; ut pote qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori. »

* scilicet Palladio.

Epist. Cælest. cap. 2. suprà pag. 132.

59. Contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem, audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere, & perspicuæ sincerissimæque sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere? ut scilicet, quia in epistola Papæ librorum, pro quibus actum est, non expressus est titulus, hinc eos appareat non probatos, & istam in sanctum Augustinum laudationem pro anteriorum scriptorum meritis fuisse collatam. Maneat planè, maneat ista conditio, ut horum librorum novitas repudiata videatur, si in eadem caussa ejusdem viri dissentit antiquitas; & aut inutile aut incongruum judicetur, quod ab his, quæ contra Pelagianos condidit, dissonans invenitur. Ut itaque omittamus ea volumina, in quibus ab exordio episcopatûs sui multo priùs quàm impugnatores gratiæ exsurgerent, pro gratia disputavit: legantur tres ad Marcellinum [c] ipsius libri. Ad sanctum Paulinum Nolanum episcopum [d] epistola retractetur. Ad beatissimum quoque Apostolicæ sedis tunc presbyterum Sixtum, nunc verò pontificem, [e] emissæ paginæ recurrantur. Ad sanctum [f] Pinianum, ad Valerium [g] Comitem, ad servos Christi [h] Timasium & Jacobum, distinctim edita volumina revolvantur. Sex libri priores contra Julianum: unus ad sanctum [i] Aurelium Carthaginis episcopum de gestis Palæstinis: alius ad Paulum & Eutropium sacerdotes, [k] contra Pelagii & Cælestii quæstiones: & ad beatæ memoriæ papam Bonifacium [l] quatuor volumina recenseantur. Et si in his omnibus operibus multisque aliis quæ enumerare longum est, idem doctrinæ spiritus, eadem prædicationis forma præcessit; agnoscant calumniatores, superfluò se objicere, quòd his libris non speciale neque discretum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apostolica enim sedes, quod à præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat; & quod judicio jungit, laude non dividit. Qui ergo hos proximè editos libros refutant, anterioribus adquiescant, & iis quæ pro gratia Christiana priùs sunt conscripta consentiant. Sed non faciunt: sciunt enim omnia [m] Pelagianis esse contraria, & nihil sibi posse competere ad consequentium resolutionem, si confiteantur in præcedentibus consistere veritatem.

Quorumdam adversùs Cælestini testimonium cavillatio refellitur.

c De peccatorum meritis.

d Epist. 186.

e Epist. 194.

f De gratia Christi & de peccato orig.

g De nuptiis & concupiscentia.

h De natura & gratia.

i De gestis Pelagii.

k De perfectione justitiæ.

l Contra duas epistolas Pelagianorum.

60. Igitur hujusmodi hominum pravitati, non tam disputationum studio, quàm auctoritatum privilegio resistendum est: ut de prostrati dudum dogmatis corpore nullum membrum sinatur assurgere. Quia notum est, ita [n] falsitatis istius haberi versutias, ut si ei liceat prætenta correctionis imagine aliquod sibi faventium radicis suæ germen excipere, totam se possit in exigua sui parte reparare. Ubi

n Vide Leonis epistolam ad Aquileiensem episcop. cap. 1. suprà p. 137.

a Corb. & Mog. *concerpunt.*

b Iidem libri, *sententiæ remedium*: & in sequente versu, *non discussi negotii.*

m Posteriores editiones, *Pelagiana sibi esse contraria.* Emendantur ex Corb. & Mog.

n Ita Corb. & Mog. At posteriores editiones, *ita se falsitatis istius habere versutias, ut si eis liceat prætenta*, &c.

enim non aliud habet summa quàm portio, non est devotionis dedisse propè totum, sed fraudis retinuisse vel minimum. Quod ne hypocritarum obtineatur insidiis, confidimus Domini protectione præstandum; ut quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cælestino, operetur & in [a] Sixto; & in custodia dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic servata pastori, ut sicut illi lupos abegêre manifestos, ita hic depellat occultos: illo auribus suis doctissimi senis insonante sermone, quo collaborantem secum hortatus est, dicens, Sunt enim quidam, qui justissimè damnatas impietates adhuc liberiùs defendendas putant: & sunt qui occultiùs penetrant domos, & quod in aperto clamare jam metuunt, in secreto seminare non quiescunt. Sunt autem qui omnino siluerunt, magno timore compressi, sed adhuc corde retinentes, quod ore jam proferre non audent; qui tamen esse fratribus possunt ex priore ipsius dogmatis defensione notissimi. Proinde alii severiùs coërcendi, alii vigilantiùs vestigandi; alii tractandi quidem leniùs, sed non segniùs sunt docendi, ut si non [b] timentur, ne perdant, non tamen negligantur, ne pereant. (August. epist. 194. ad Sixtum, cap. 1. num. 2.)

61. SUFFICIENTER, ut arbitror, demonstratum est, reprehensores sancti Augustini & vana objicere, & recta impugnare, & prava defendere, peremtoriumque armis intestinum bellum moventes, dictis divinis atque humanis constitutionibus rebellare. Quorum tamen, dum adhuc non sunt à fraterna societate divisi, toleranda magis est intentio, quàm desperanda correctio: ut donec Dominus per Ecclesiæ principes & legitimos judiciorum suorum ministros, hæc quæ per paucorum superbiam & quorumdam imperitiam sunt turbata, componat; nobis Deo adjuvante sit studium, quietâ modestâque patientiâ odiis dilectionem reddere, & ineptorum vitare conflictus, veritatem non deserere, nec cum falsitate certare, semperque à Deo petere, ut in omnibus cogitationibus, in omnibus voluntatibus, in omnibus sermonibus atque actionibus nostris, ipse teneat primatum, qui dixit se esse principium. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula, Amen. [c]

CAPUT XXII. Conclusio.

Johan. 8. 25. Rom. 11. 36.

[a] Sixtus Cælestino successit anno Christi 431. die 26. Aprilis.
[b] Posteriores editiones, *non timent*, vel *non timeant*. Castigantur ad Corb. Mog. & ad epistolam 194. August.
[c] In vetere Corbeiensi exemplari subjicitur: *Explicit liber sancti Prosperi contra librum abbatis quondam Cassiani, qui prænotatur, De protectione Dei; sive adversùs dogma Pelagii & Cælestii, nefandi dogmatis repertores ac defensores, & inimicos gratiæ Dei & Domini nostri Jesu Christi, & in defensionem sanctorum Romanorum episcoporum, & sancti episcopi Augustini, asserens veritatem de libris ejus contra suprà dictos hæreticos. Deo gratias.*

PROSPERI AQUITANI
PRO AUGUSTINO RESPONSIONES
AD CAPITULA [a] CALUMNIANTIUM GALLORUM:
LIBER UNUS.

PRÆFATIO.

DOCTRINAM, quam sanctæ memoriæ AUGUSTINUS episcopus contra Pelagianos, inimicos gratiæ Christi & liberi arbitrii [b] decomtores, per multos annos apostolicè asseruit, litterisque mandavit, quibusdam visum est, aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere: & hoc quasi compendium cognitionis his, qui judicio eorum ducebantur, afferre; ut quæ in libris prædicti viri damnabilia se reperisse jactabant, brevium capitulorum indiculis publicarent: talique commento & detestationem ejus, quem impeterent, obtinerent; & ab his quæ infamassent, curam exterriti lectoris averterent. Ne ergo hanc persuasionem temere quis recipiat, & talem putet sensum scriptis catholici inesse Doctoris, qualem eum, qui frustra calumniantur, ostentant; singulis capitulis, quæ [c] damnationis titulo prænotarunt, brevi & absoluta professione respondeo; in nullo recedens à tramite earum definitionum, quæ in sancti viri disputationibus continentur: ut facilè vel tenuis diligentiæ advertat inspector, quàm injustis opprobriis catholici prædicatoris memoria carpatur; & in quod peccatum cadant, qui aliena instigatione commoti, scriptorem celeberrimi nominis promtius habeant culpare, quàm nosse.

OBJECTIO I.

Quòd ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate, homines ad peccata compulsi, cogantur in mortem.

RESPONSIO.

PRÆDESTINATIONEM Dei nullus catholicus negat: fatalem autem necessitatem multi etiam non Christiani refutant. Peccatum ergo ad mortem trahit: sed ad peccandum neminem Deus cogit. Nemini enim mandavit impiè agere: &, Odisti Domine omnes qui operantur iniquitatem; perdes eos qui loquuntur mendacium. Proinde qui prædestinationis nomine fatum prædicat, tam non est probandus, quàm qui fati nomine veritatem prædestinationis infamat. Fati enim opinio vana est, & de falsitate concepta: prædestinationis autem fides, multa sanctarum auctoritate scripturarum munita est; cui nullo modo fas est ea, quæ ab hominibus malè aguntur, adscribi: qui in proclivitatem cadendi non ex conditione Dei, sed ex primi patris prævaricatione venerunt. De cujus pœna nemo liberatur, nisi per gratiam Domini nostri Jesu Christi, præparatam & prædestinatam in æterno consilio Dei ante constitutionem mundi.

Eccli. 15. 21. Psal. 5. 7.

OBJECTIO II.

Quòd ab eis, qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum.

RESPONSIO.

OMNIS homo qui credens in Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum regeneratur in baptismo, tam à propriis peccatis quæ malâ voluntate & actione contraxit, quàm ab originali quod à parentibus traxit, absolvitur. Sed relapsum post baptismum ad infidelitatem & impios mores, qui negat originali peccato fuisse purgatum, tam falsa opinatur, quàm qui eumdem asserit non æterna morte esse damnandum. Qui enim recedit à Christo, & [d] alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in quod remissum est, recidit, nec in originali

[a] Titulo (CALUMNIANTIUM) addimus ex vetere codice Remensis abbatiæ S. Remigii, ante annos ferè nongentos scripto.
[b] Vetus codex Remigianus, *deceptores*, à prima manu habuit; à secunda verò, *defensores*.
[c] Ita codex Remigianus. At editi, *rationis titulo*.
[d] In eodem codice Rem. antiqua manu correctum est, *alienatus*.

peccato damnabitur: qui tamen propter postrema crimina eâ morte afficietur, quæ ei propter illa quæ remissa sunt debebatur. Quod quia Dei præscientiam nec latuit, nec fefellit; sine dubio talem numquam elegit, numquam prædestinavit, & periturum numquam ab æterna perditione discrevit.

Objectio III.

Quòd non prædestinati ad vitam, etiam si fuerint in Christo per baptismum regenerati, & piè justéque vixerint, nihil eis prosit; sed tamdiu reserventur, donec ruant & pereant; nec antè eos ex hac vita, quàm hoc eis contingat, auferri.

Responsio.

A sanctitate ad immunditiam, à justitia ad iniquitatem, à fide ad impietatem plerosque transire non dubium est: & tales ad prædestinationem filiorum Dei, coheredum Christi, non pertinere, certissimum est. Quòd ergo hujusmodi in hæc prolapsi mala, sine correctione pænitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt: sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt. Quòd autem illos non eo tempore, quo in fide recta & bonis moribus erant, ab hac vita Deus abstulit: ad occulta ejus judicia, quæ tamen numquam sunt injusta, referendum est. Quis enim nesciat intra unam conditionem mortalitatis humanæ, ab unius horæ infantia, usque ad annosissimam senectutem, exitus morientium impari ætatis fine variari? neque cujusquam animam vel citiùs vel tardiùs quàm Deus voluerit, à corpore quod vivificat, abscedere. Si ergo aliquis in vitæ suæ longitudine deseruit Deum; bono, quod erat ex Deo, malè usus est. Nam longævitas non est nisi ex Deo. Et quod ex Deo est, non nisi bonum est: & quod bonum est, mali caussa non est. Non itaque rectè opinatur, qui putat prorogatorem vitæ, lapsuris auctorem esse peccati: cùm utique non peccatum sit diu vivere, sed malè vivere: quod etiam in paucorum annorum ætate fieri potest. Igitur sicut bona opera ad inspiratorem eorum Deum, ita mala ad eos sunt referenda qui peccant. Non enim relicti sunt à Deo, ut relinquerent Deum: sed reliquerunt, & relicti sunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati sunt: atque ab hoc licèt fuerint renati, fuerint justificati; ab eo tamen qui illos tales præscivit, non sunt prædestinati.

Objectio IV.

Quòd non omnes homines vocentur ad gratiam.

Responsio.

Non omnes vocari ad gratiam eos, quibus omnibus Evangelium prædicatur, non rectè dicitur; etiam si sint qui Evangelio non obaudiant: nisi ad eos respicitur, quibus nondum sacramentum crucis Christi, & redemtio sanguinis ejus innotuit. Quia etiamsi constaret, quòd jam in universis nationibus & omnibus finibus terræ totus mundus Evangelium recepisset, (quod utique futurum verissimè prænuntiatum est;) non esset tamen dubium, à tempore resurrectionis Domini usque ad præsentem ætatem fuisse homines, qui ab hac vita sine Evangelii cognitione transierint; de quibus dici possit, quòd vocati non sint, quia nec spem vocationis audierint. Quòd si quisquam hanc vocationis plenariam generalitatem ita semper asserit celebratam, ut ab adscensione Domini in cælum, ne unus quidem annus effluxerit, intra quem non ad omnes prædicatio missa pervenerit: videat quomodo tunc Asianos vocatos probet, quando Apostoli, sicut scriptum est,
Act. 16. 7. vetiti sunt à Spiritu-sancto, loqui verbum Dei in Asia; aut Bithynios, ad quos iidem Apostoli tentabant ire, & non permisit eos Spiritus Jesu. Videat etiam quomodo
Matth. 24. 14. tueatur denuntiationem ipsius veritatis, dicentis, Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Nutat namque (quod dici nefas est) fides verbi, si ante quadringentos annos Evangelio impletus est mundus, & adhuc Domini differtur adventus. Postremò respiciantur etiam inter Christianos populos tot millia parvulorum, qui ab hac vita sine baptismo transierunt; & aliquo modo probentur vocati, quibus nec plantator prædicare, nec rigator potuit subvenire.

Objectio V.

Quòd qui vocati sunt, non æqualiter sint vocati; sed alii ut crederent, alii ut non crederent.

Responsio.

Si vocatio in Evangelii tantùm prædicatione intelligatur, non veraciter dicitur, quòd aliis atque aliis, aliter atque aliter prædicetur: cùm unus sit Deus, una fides, una regeneratio, una promissio. Si autem ad effectum plantationis & rigationis adspicitur, aliud actum est cum eis, quorum exteriores aures corporali voce pulsatæ sunt; & aliud in eis, quorum interiorem sensum Deus aperuit, & in quorum corde posuit fidei fundamentum dilectionisque fervorem. Quosdam autem ideo vocatos dicere, ut non crederent, nimis absurdum est, quasi vocatio eis caussa infidelitatis exstiterit, & prædicatio fidei fecerit infideles. 2. Cor. 2. 16.
Quamvis enim dispensatores verbi Dei quibusdam sint, sicut scriptum est, [a] odor mortis ad mortem: Deo tamen bonus Christi sunt odor, qui prædicant Christum crucifixum, 1. Cor. 1. 23.
Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis & Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Quòd ergo prædicatus Christus crucifixus, Judæis erat scandalum, & Gentibus stultitia, humanæ voluntatis faciebat aversio: quòd verò ipsis vocatis Judæis & Græcis Christus erat Dei virtus & Dei sapientia, divinæ gratiæ præstabat operatio.

Objectio VI.

Quòd liberum arbitrium in homine nihil sit: sed sive ad bonum, sive ad malum, prædestinatio Dei in hominibus operetur.

Responsio.

Liberum arbitrium nihil esse, vel non esse, perperam dicitur: sed ante illuminationem fidei in tenebris illud & in umbra mortis agere, non rectè negatur. Quoniam priùs quàm à dominatione diaboli per Dei gratiam liberetur, in illo profundo jacet, in quod se sua libertate demersit. Amat ergo languores suos, & pro sanitate habet, quòd ægrotare se nescit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat nosse quòd langueat, & possit opem medici desiderare qua surgat. Justificatus itaque homo, id est, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito accipit donum, quo [b] dono adquirat & meritum: ut quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrii; numquam remoto adjutorio Dei, sine quo nec proficere, nec permanere in bono quisquam potest. Prædestinationem autem Dei sive ad bonum, sive ad malum, in hominibus operari, ineptissimè dicitur, ut ad utrumque homines quædam necessitas videatur impellere: cùm in bonis voluntas sit intelligenda de gratia, in malis autem voluntas intelligenda sine gratia.

Objectio VII.

Quòd Deus quibusdam filiis suis, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc non det perseverantiam, quia non sunt à massa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti.

Responsio.

Ex regeneratis in Christo Jesu, quosdam relicta fide & piis moribus apostatare à Deo, & impiam vitam in

a In MS. Remigiano antiquâ manu adjicitur, *odor vitæ ad vitam, quibusdam autem.*

b Sic MS. Remigianus. At editi, *quo medio.*

sua

sua aversione finire, multis (quod dolendum est) probatur exemplis. Sed horum lapsum Deo adscribere, immodicæ pravitatis est: quasi ideo ruinæ ipsorum impulsor atque auctor sit, quia illos ruituros propria ipsorum voluntate præscivit, & ob hoc à filiis perditionis nulla prædestinatione discrevit. Nam quomodo eos haberet præordinata in Christo electio, [a] quos discedentes à Christo habitura erat justa damnatio? Cùm autem dubium non sit, donum Dei esse perseverantiam in bono usque ad finem, quam istos ex eo ipso, quòd non perseveraverunt, non habuisse manifestum est: non est calumniandum Deo, quare istis non dederit, quod aliis dedit; sed confitendum est, & misericorditer eum dedisse quod dedit, & justè non dedisse quod non dedit: ne quemadmodum ex libero arbitrio oritur caussa labendi, ita ex ipso oriri videatur & standi; cùm illud humano fiat opere, hoc divino impleatur ex munere.

OBJECTIO VIII.

Quòd non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum.

RESPONSIO.

SI circa universitatem generis humani salvandam & in agnitionem veritatis vocandam, ita indifferens per omnia sæcula asserenda est voluntas Dei, ut usquequaque neminem hominum prætermisisse monstretur; impenetrabilis judiciorum Dei altitudo pulsatur. Quare enim in præteritis sæculis dimiserit Deus omnes gentes ingredi vias suas, quando
Psal. 134. 4. Jacob elegit sibi Dominus; & non fecit taliter omni nationi,
Psal. 147. 20. & judicia sua non manifestavit eis: & cur qui aliquando non
1 Petr. 2. 10. populus, nunc autem populus Dei sit; & quorum aliquando
Osee 1. 14. non misertus est, nunc autem misereatur; & ubi dictum
Rom. 9. 26. est, Non plebs mea vos, ibi vocentur filii Dei vivi: &,
Rom. 11. 7. quare quod quærebat Israël non sit consecutus, electio autem consecuta est, ceteri verò excæcati sunt: impossibile est comprehendere, & periculosæ curiositatis est quærere:
Rom. 9. 7. cùm tamen, quòd nulla sit apud Deum iniquitas, nemini liceat ignorare: nec aliâ gratiâ, aut aliâ fide, quemquam hominum, sive ante legem, sive legis tempore, justificatum esse credendum sit, quàm hac eadem, per quam Dominus noster Jesus Christus secundùm consilium voluntatis suæ, in fine sæculorum venit quærere & salvare quod perierat. Caussas verò operum & judiciorum Dei, qui ex toto ad humanas voluntates & actiones refert, quas tamen in parvulorum adoptione aut abdicatione non invenit, & dispensationes Dei ex liberi arbitrii vult mutabilitate variari, profitetur sibi scrutabilia judicia Dei & vestigabiles vias ejus:
Rom. 11. 33. & quod doctor gentium Paulus non audebat adtingere, hic se existimat reseratum posse vulgare: quodque non minoris impietatis est, ipsam gratiam, qua salvamur, aut bonis meritis docet rependi, aut malis affirmat arceri. Remoto ergo obscurarum turbine quæstionum, ad revelatæ nos gratiæ latitudinem conferamus; di-
1 Tim. 2. 4. camusque cum Apostolo, Quoniam Deus vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Et
1 Tim. 4. 10. iterum dicamus cum Apostolo, Qui est salvator omnium, maximè fidelium. Et audiamus Dominum dicentem Apo-
Matth. 28. 19. stolis suis, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, docen-
Gen. 22. 18. tes eos [b] quæcumque mandavi vobis. Audiamus quoque ad Abraham promissionem Dei dicentis, In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ. Et si filii promissionis
Rom. 4. 20. sumus, non hæsitemus diffidentiâ, sed cum patre nostro Abraham demus gloriam Deo, & plenissimè credamus, quoniam quod promisit, potens est & facere. Audiamus
Psal. 21. 28. David prophetantem, Commemorabuntur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in
Psal. 71. 17. conspectu ejus omnes patriæ gentium. Et alibi, Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magni-
Psal. 85. 9. ficabunt eum. Et alibi, Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te, Domine, & glorificabunt nomen tuum. Quæ promissiones, quia verissimæ sunt, nec possunt ex ulla parte nutare, in his implentur qui salvi fiunt per universos fines terræ: quoniam quod promisit potens est & facere. Rom. 4. 21.
Hæc ergo est illa totius humani generis assumtio, hæc filiorum Dei adoptio, hæc gentium plenitudo, præscita & prædestinata in Christo ante constitutionem mundi. Hæc est Jerusalem, quæ ab initio us- 1. Petr. 2. 5.
que in finem lapidibus vivis & electis ædificatur, ut civitas fundata in ipso angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino. De his lapidibus nihil ejicitur, nihil minuitur, nihil rapitur. Veritas enim dicit, Omne quod dat Iohan. 6. 37.
mihi Pater, ad me veniet; & eum qui venerit ad me, non ejiciam foras. Et iterum, Non creditis, quia non Iohan. 10. 26.
estis de ovibus meis: oves meæ vocem meam audiunt, & ego novi illas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do illis; & non peribunt in æternum, nec quisquam rapiet eas de manu mea. Omnium ergo hominum cura est Deo: & nemo est, quem non aut evangelica prædicatio, aut legis testificatio, aut ipsa etiam natura conveniat. Sed infidelitatem hominum, ipsis adscribamus hominibus: fidem autem hominum, donum Dei esse fateamur, sine cujus gratia nemo currit ad gratiam. Et cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum constitutionem contra V. suprà pag.
inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus est, veraci 176.
professione, quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus, „Gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum, non so„lùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justi„tiam nos per actus singulos adjuvari; ita ut sine illa nihil „veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere „valeamus. Neque hæc dona ita ex Deo esse opinemur, ut quia ipse naturæ nostræ auctor est, per conditionem jam hæc contulisse videatur. Quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem: sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccavimus. Unde alia creatione alioque principio renovari egemus in Christo: in quo sumus nova creatura novumque figmentum; & per quem nobis, nullis bonis, & multis malis meritis præcedentibus, donatur ut simus ex vasis iræ, vasa misericordiæ.

OBJECTIO IX.

Quòd non pro totius mundi redemtione Salvator sit crucifixus.

RESPONSIO.

NULLUS omnino est ex omnibus hominibus, cujus natura in Christo Domino nostro suscepta non fuerit: quamvis ille natus sit in similitudine carnis peccati, omnis au- Rom. 8. 3.
tem homo nascatur in carne peccati. Deus ergo Dei filius mortalitatis humanæ particeps factus absque peccato, hoc peccatoribus & mortalibus contulit, ut qui nativitatis ejus consortes fuissent, vinculum peccati & mortis evaderent. Sicut itaque non sufficit hominum renovationi, natum esse hominem Jesum Christum, nisi in ipso eodem, de quo ipse ortus est, Spiritu renascantur: sic non sufficit hominum redemtioni, crucifixum esse Dominum Christum, nisi commoriantur ei & consepeliantur in baptismo. Alioquin nato Salvatore in carne substantiæ nostræ, & crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat necessarium ut renasceremur, & similitudini mortis ejus complantaremur. Sed cùm sine hoc sacramento nemo hominum consequatur vitam æternam; non est salvatus cruce Christi, qui non est crucifixus in Christo. Non est autem crucifixus in Christo, qui non est membrum corporis Christi; [c] nec est membrum corporis Christi, qui non per aquam & Spiritumsanctum induit Christum. Qui ideo in infirmitate nostra communionem subiit mortis, ut nos in virtute ejus haberemus consortium resurrectionis. Cùm itaque rectissimè dicatur Salvator pro totius mundi redemtione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit. Dicit enim Evangelista, Quia Jesus moriturus Iohan. 11. 51.
erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum. In sua enim ve- Iohan. 1. 11.
nit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem recepe-

[a] Editi, *prædestinata in Christo electio; cùm dubium non sit*: omissis verbis *quos discedentes*, &c. Locus redintegratur ex fide Remigiani MS. ubi tamen codex ille caruit primùm voce *justa*: quæ postea recognitoris antiqui stilo adjecta est.

[b] Hîc in Remigiano MS. additum est à secunda manu; *servare omnia*.

[c] Remigiani codicis auctoritate addimus, *nec est membrum corporis Christi*.

runt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Diversa ergo ab istis sors eorum est, qui inter illos censentur, de quibus dicitur, [a] Mundus eum non cognovit. Ut possit secundùm hoc dici redemtor mundi: dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit; quia lucem tenebræ non receperunt, & tenebræ receperunt, quibus dicit Apostolus, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. (Ephes. 5. 8.) Ipse verò Dominus Jesus, qui dixit se venisse quærere & salvare quod perierat: (Luc. 19. 10.) Non veni, inquit, nisi ad oves quæ perierant domûs Israël. (Matth. 15. 24.) Sed quæ sint istæ oves domûs Israël, apostolus Paulus exponat, dicens: Non omnes qui ex Israël, hi sunt Israël; neque quia sunt semen Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen: (Gen. 21. 12.) id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii promissionis, æstimantur in semine. (Rom. 9. 7.) In istis ergo sunt illi, de quibus dictum suprà memoravimus: Quia Jesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum. Quia non solùm ex Judæis, sed etiam ex gentibus, per eum qui vocat quæ non sunt, tamquam quæ sunt, & qui dispersos Israël congregat, filii Dei filii promissionis in unam Ecclesiam congregantur: ut impleatur quod promissum est Abrahæ, cui dictum est, quòd in semine ejus benedicendæ essent omnes tribus terræ. (Gen. 22. 3.)

Objectio X.

Quòd quibusdam Evangelii prædicatio à Domino subtrahatur, ne percepta Evangelii prædicatione salventur.

Responsio.

Si probari potest, quòd ex quo Evangelium prædicatur, nemo prorsus fuerit, cui Christiana gratia annuntiata non fuerit; non rectè dicitur tacitum, quod ostenditur prædicatum. Si autem [b] aliquo modo inveniuntur homines, quibus Evangelium non fuerit prædicatum; non potest dici sine judicio Dei factum: quod nefas est ideo reprehendi, quia non potest comprehendi.

Objectio XI.

Quòd per potentiam Deus homines ad peccata compellat.

Responsio.

Nullus catholicorum dixit aut dicit, quòd Deus homines piè rectéque viventes, per potentiam in peccata compellat, & innocentiæ humanæ potestas divina vim faciat, ut eam à proposito bonæ conversationis excutiat. Non sunt Dei opera ista, sed diaboli; cujus gaudium est ruina sanctorum: sed allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos: (Psal. 144. 14.) quibus dat pœnitentiam, ut resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenebantur ad ipsius voluntatem. (2. Tim. 2. 25. & 26.) Cùm verò aliquos à Deo aut traditos desideriis suis, aut obduratos legimus, aut relictos; (Rom. 1. 24.) magnis peccatis suis hoc ipsos meruisse profitemur: quia talia eorum crimina præcesserunt, ut ipsi sibi [c] pœnas debuerint, quæ eis etiam supplicium verterent in reatum. Atque ita nec de judicio Dei querimur, quo deserit meritos deseri; & misericordiæ ejus gratias agimus, qua liberat non meritos liberari.

Objectio XII.

Quòd quibusdam vocatis, & piè justéque viventibus obedientia subtrahatur, ut obedire desistant.

Responsio.

Si Deus hominem sibi obedientem à pietate deturbat, & bene currentem cadere facit: ergo pro bonis mala retribuit, & injustè punit, quod ut fiat impellit. Quid tam perversum, quid tam insanum dici aut cogitari potest? Sed in talem sensum trahuntur, qui putant in omnibus hoc esse præscientiam Dei, quod & voluntatem: cùm voluntas ejus numquam velit nisi bona; præscientia autem & bona noverit & mala: sed bona, quæ aut ipse faciat, aut etiam ut nos faciamus, [d] impertit; mala autem, quæ omnino ipse non fecit, neque fieri suasit, aut impulit. Vires itaque obedientiæ non ideo cuiquam subtraxit, quia eum non prædestinavit: sed ideo eum non prædestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse prævidit.

Objectio XIII.

Quòd quidam homines non ad hoc à Deo creati sunt, ut vitam adipiscerentur æternam; sed ut habitum tantummodo sæculi præsentis ornarent, & ad utilitatem nascerentur aliorum.

Responsio.

Universos homines non ignoramus à Deo singillatim creari, & de hac universitate alios damnandos cum diabolo, alios regnaturos esse cum Christo. Quòd ergo etiam hi creantur, qui æternæ vitæ participes non erunt, nulla est culpa Creatoris, qui naturæ auctor est, non vitii quod natura contraxit. Ornari autem etiam talium conditione mundi hujus varietatem, quis non intelligat, qui videat studiis & operibus quorumdam impiorum tot commoda vitæ præsentis instructa in inventione artium, in exstructione urbium, in constitutione legum, in confœderatione populorum? Quòd si quæritur, an de istis, quos à vera religione impius error avertit, aliquid boni profectibus sanctorum & incrementis Ecclesiæ providentia divina contulerit: inspiciatur primùm ipsa crux Christi, in qua magno scelere Judæorum misericors voluntas Dei, ut pro redemtione nostra unicus Filius ejus occideretur, impleta est. Inspiciatur Apostolorum gloriosa tolerantia, inter persequentium fremitus [e] unianimi ad Deum voce clamantium: Convenerunt enim verè in civitate ista, adversùs sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israël, ut facerent quæ manus tua & consilium prædestinavit fieri. (Act. 4. 27.) Inspiciantur denique innumerabilium Martyrum palmæ, quibus de crudelissima infidelium sævitia felix est collata victoria. Audiatur etiam Apostolus Ecclesiam Dei ad perseverantiam pietatis instituens: In nullo, inquit, terreamini ab adversariis, quæ est illis caussa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo. (Philip. 1. 28.) Vobis enim donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. De illis quoque erroribus consulens nobis Dei bonitas sentiatur, quos Deus in Ecclesia contra Ecclesiam permisit exsurgere: non utique eos creans aut fovens, sed per ipsos diligentiam filiorum suorum ad inquisitionem & custodiam veritatis exercens: dicente Apostolo, Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis. (1. Cor. 11. 19.) Quis autem respiciens ad tenebras impiorum, & ad illuminationem filiorum, non ad gratias agendas Deo, ex ipsa fiat collatione ferventior; & in ruina pereuntium discat, in quæ mala per liberum arbitrium rueret, nisi ei per Dominum nostrum Jesum Christum Dei gratia subveniret?

Objectio XIV.

Quòd qui evangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credant: & quòd Deus ita definierit, ut quicumque non credunt, ex ipsius constitutione non credant.

Responsio.

Infidelitas non credentium Evangelio, nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum enim Deus auctor est, non malorum. Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem justitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ. Universæ enim viæ Domini misericordia & veritas. (Psal. 24. 10.) Proinde infidelitas non credentium, non ad constitutionem Dei, sed ad præscientiam referenda est. Quæ non ideo necessitatem non credendi intulit, quia

[a] In Remigiano MS. loco, *Mundus eum non cognovit*; verba hæc leguntur, *Lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt.*
[b] Remigianus MS. ab antiqua manu correctus, *aliquando.*
[c] Idem codex correctus, *pœna fieri debuerint.*
[d] Editi, *imperat.* Castigantur ad MS. Remig.
[e] Editi, *hac animi.* Meliùs Remig. MS. *unianimi.*

falli de ea, quæ futura erat, infidelitate non potuit. Fides autem & caritatis opera, atque in eis usque in finem perseverantia, quia homini per Dei gratiam conferuntur, rectè & ipsa, & quæ eis retribuenda sunt, prædestinata dicuntur, ex auctoritate Apostoli, qui ait, Gratiâ Dei salvi facti estis per fidem; & hoc non ex vobis, sed Dei donum est: non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Tam ergo in errore est, qui infidelitatem impiorum ad Dei constitutionem refert; quàm qui fidei justitiæque sanctorum, non Deum profitetur auctorem. Qui enim quod acceperat perdidit, non inde id recipit unde perdidit; sed ab illo recipit quod habeat, à quo quod amisit acceperat. [Ephes. 2. 8.]

Objectio XV.

Quòd idem sit præscientia, quod prædestinatio.

Responsio.

Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur adscribere. Sed cùm bona ad largitorem cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sint: dubium non est, sine ulla temporali differentia Deum & præscisse simul, & prædestinasse, quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis justo erant judicio retribuenda; præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant caussam operationis habitura. Potest itaque sine prædestinatione esse præscientia: prædestinatio autem sine præscientia esse non potest.

[[illegible]ulis obje[illegible]um capi[illegible] singulas [illegible] sen[illegible]] Quamvis ergo ad omnes objectiones seu querulæ imperitiæ, seu fallacis invidiæ, planissimè ac plenissimè, quantum Dominus dedit, existimem esse responsum: professionem tamen sensûs nostri etiam in brevia coartemus; ut sub paucorum verborum simplicitate magisque appareat, nos quod de suprà scriptis capitulis intelligimus, nulla circumloquendi arte prætexere, sed absolutè ac liberè & prava respuere, & consensum probabilibus non negare.

I. Quisquis igitur ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate, homines in peccata compulsos cogi dicit in mortem, non est catholicus. Nullo enim modo prædestinatio Dei iniquos facit, neque cujusquam omnino est caussa peccati.

II. Item qui dicit, quòd ab his qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum, non est catholicus. Sacramentum enim baptismatis, quo omnia prorsus peccata delentur, etiam in eis verum est, qui non sunt in veritate mansuri, & ob hoc ad vitam veram non sunt prædestinati.

III. Item qui dicit, quòd non prædestinati ad vitam, etiam si fuerint in Christo per baptismum regenerati, & piè justéque vixerint, nihil eis prosit, sed tamdiu reserventur, donec ruant; nec antè eos ex hac vita, quàm hoc eis contingat, auferri, tamquam ad constitutionem Dei talium hominum ruina referenda sit: non est catholicus. Quia non ideo Deus tempus ætatis cuiquam prolongavit, ut diu vivendo corrueret, & à fide recta in sua longævitate deficeret: cùm inter beneficia Dei numeranda sit ipsa longævitas, qua homo melior debuit esse, non pejor.

IV. Item qui dicit, quòd non omnes vocentur ad gratiam, si de his loquitur quibus Christus annuntiatus non est, non potest reprehendi. Quia scimus quidem in omnes fines terræ Evangelium destinatum; sed non putamus jam in omnibus terræ finibus prædicatum: nec possumus dicere, quòd ibi sit gratiæ vocatio, ubi matris Ecclesiæ adhuc nulla est regeneratio.

V. Item qui dicit, quòd qui vocati sunt, non æqualiter vocati sunt, sed alii ut crederent, alii ut non crederent, quasi cuiquam vocatio caussa fuerit non credendi; non rectè dicit. Quamvis enim fides non sit nisi ex Dei dono, & hominis voluntate: infidelitas tamen non est nisi ex sola hominis voluntate.

VI. Item qui dicit, quòd liberum arbitrium in homine nihil sit, sed sive ad bonum sive ad malum prædestinatio Dei in hominibus operetur; non est catholicus. Arbitrium enim hominis gratia Dei non abolet, sed adolet; & ab errore in viam revocat ac reducit: ut quod sua libertate erat pravum, Spiritu Dei agente fit rectum. Prædestinatio quoque Dei semper in bono est: quæ peccatum, sola hominis voluntate commissum, aut remittendum novit cum laude misericordiæ, aut plectendum cum laude justitiæ.

VII. Item qui dicit, quòd Deus quibusdam filiis suis quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc non dederit perseverantiam, quia non sunt à massa perditionis præscientiâ Dei & prædestinatione discreti: si hoc vult firmare, quòd Deus hujusmodi homines in bonis quæ donaverat noluerit permanere, & ipse eis caussa aversionis exstiterit; contra justitiam Dei sentit. Quamvis enim omnipotentia Dei potuerit vires standi præbere lapsuris: gratia tamen ejus non priùs eos deseruit, quàm ab eis desereretur. Et quia hoc ipsos voluntaria facturos defectione prævidit, ideo in prædestinationis electione illos non habuit.

VIII. Item qui dicit, quòd non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum; duriùs loquitur, quàm loquendum est, de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei: qui & omnes vult salvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire; & voluntatis suæ propositum in eis implet, quos præscitos prædestinavit, prædestinatos vocavit, vocatos justificavit, justificatos glorificavit: nihil amittens de plenitudine gentium, & de omni semine Israël, cui præparatum est in Christo regnum æternum ante constitutionem mundi. Ex toto enim mundo totus mundus eligitur, & ex omnibus hominibus omnes homines adoptantur. Nec potest ullo modo per infidelitatem atque inobedientiam multorum, Dei promissio vacillare, dicentis ad Abraham, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quod autem promisit Deus, potens est & facere: ut & qui salvantur, ideo salvi sint, quia illos voluit Deus salvos fieri; & qui pereunt, ideo pereant, quia perire meruerunt. [1. Tim. 2. 4.] [Gen. 22. 18.] [Rom. 4. 21.]

IX. Item qui dicit, quòd non pro totius mundi redemtione Salvator sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem: cùm sanguis Domini nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit: à quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate, redimi noluerunt, aut post redemtionem ad eamdem sunt servitutem reversi. Non autem excidit verbum Domini, neque evacuata est mundi redemtio. Quia etsi non cognovit mundus Deum in vasis iræ, cognovit tamen mundus Deum in vasis misericordiæ: quæ Deus nullis eorum bonis meritis præcedentibus, eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.

X. Item qui dicit, quòd quibusdam Evangelii prædicatio à Domino subtrahatur, ne percepta Evangelii prædicatione salventur; potest objectionis invidiam declinare patrocinio ipsius Salvatoris, qui apud quosdam, quos ait fuisse credituros, si mirabilium ejus signa vidissent, noluit operari; & quibusdam populis vetuit Apostolos evangelizare; & nunc aliquas adhuc gentes patitur extra gratiam suam degere: cùm tamen constantissima fide perceptum habeamus, in omnes mundi partes Ecclesiam dilatandam; nec antè esse hoc sæculum finiendum, quàm in universos fines terræ Evangelium dirigatur, & omnis lingua confiteatur, quoniam Jesus in gloria Dei Patris est. [Matth. 11. 21.] [Philip. 2. 11.]

XI. Item qui dicit, quòd per potentiam Deus homines in peccata compellat, meritò reprehenditur. Nec enim Deus, qui justitiæ & bonitatis auctor est, & cujus omnia statuta & mandata contra peccatum sunt, quemquam ad peccandum cogere, & ab innocentia in facinora præcipitare credendus est. Si qui autem tam profundæ impietatis sunt, ut extra remedium correctionis habeantur; non à Deo incrementa iniquitatis accipiunt, sed per semetipsos deteriores fiunt: quia relinqui à Deo, & sibi ac deceptoribus suis tradi propter præcedentia peccata meruerunt, ut eis peccatum sit ipsa etiam pœna peccati.

XII. Item qui dicit, quòd quibusdam vocatis, & piè justéque viventibus, obedientia subtrahatur, ut obedire desistant; malè opinatur de bonitate Dei atque justitia, ut videatur ad impietatem pios cogere, & innocentiam bonis adimere: cùm ipse sit pietatis atque innocentiæ & largitor & custos. Qui ergo Deo adhæret, Spiritu Dei

agitur: qui autem à Deo recedit, propria voluntate obedire deſiſtit.

XIII. Item qui dicit, quòd quidam homines non ad hoc à Deo creati ſunt, ut vitam adipiſcerentur æternam, ſed ut habitum tantummodo ſæculi præſentis ornarent, & ad utilitatem naſcerentur aliorum; meliùs loqueretur dicens, quòd Deus, qui creator eſt omnium, non fruſtra etiam eos condat, quos prævidit vitæ æternæ participes non futuros: quia etiam in malis hominibus bonum Dei opus eſt ipſa natura, & laudabilis eſt in impiorum damnatione juſtitia. Non poteſt autem meritò reprehendi, qui dicit, quòd etiam talium conditione mundus ornetur; & quòd hi, qui ſibi ſua iniquitate nocituri ſunt, ad utilitatem naſcantur aliorum. Neque enim quamlibet innumerabilis multitudo impiorum indecora eſt mundo, aut inutilis Dei regno: cùm etiam per ipſorum veniat propaginem regeneranda generatio, & in eis tolerandis ac diligendis populus Dei fiat illuſtrior; [a] diſcens bonitatem & patientiam ab illo, qui pluit ſuper juſtos & injuſtos, & ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. [a Matth. 5. 45.]

A XIV. Item qui dicit, quòd qui evangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædeſtinatione non credant; & quòd Deus ita definierit, ut quicumque non credunt, ex ipſius conſtitutione non credant; non eſt catholicus. Sicut enim fides, quæ per dilectionem operatur, Dei donum eſt; ita infidelitas conſtitutio Dei non eſt. Quia Deus pœnas criminum novit ordinare, non crimina: non conſequens eſt, ut quod non remiſerit, ipſe commiſerit. Prædeſtinatus itaque vivit ex fide ſibi donata: non prædeſtinatus perit infidelitate voluntaria, non coacta.

XV. Item qui dicit, quòd idem ſit præſcientia quod prædeſtinatio, in bonis ſine dubio operibus noſtris duo B iſta permiſcet. Quæ enim ex Dei munere habemus, & quæ præſcita dicuntur, non poſſunt non eſſe prædeſtinata: & quæ prædeſtinata appellantur, non poſſunt non eſſe præſcita. In malis autem operibus noſtris ſola præſcientia Dei intelligenda eſt. Quia ſicut præſcivit & prædeſtinavit quæ ipſe facit, & ut faceremus dedit: ita præſcivit tantùm, non etiam prædeſtinavit, quæ nec ipſe fecit, nec ut faceremus exegit.

a Sic Remigianus MS. At editi, *ducens*.

PROSPERI AQUITANI

PRO AUGUSTINI DOCTRINA

RESPONSIONES AD CAPITULA

OBJECTIONUM [a] VINCENTIANARUM:

LIBER UNUS.

PRÆFATIO.

QUIDAM Chriſtianæ ac fraternæ caritatis obliti, in tantum exiſtimationem noſtram quoquo modo ſtudent lædere, ut ſuam ſe evertere nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim, & qualibus poſſunt ſententiis comprehendunt ineptiſſimarum quarumdam blaſphemiarum prodigioſa mendacia; eaque oſtendenda & ingerenda multis publicè privatimque circumferunt; aſſerentes talia in noſtro ſenſu eſſe, qualia diabolico continentur indiculo: quæ falsò in nos ad excitandam invidiam jactitari, facilè & ſufficienter ſubſcriptione unius probaremus anathematis; niſi malignitas eorum, qui ſe gravari putant, ſi de nobis bene ſentiatur, ipſam ſubſcriptionis noſtræ brevitatem ſuſpectam eſſet habitura. Unde ne hujus querelæ inveniretur occaſio, neceſſarium convenienſque credidimus, ut ſive ad calumniantium animos mitigandos, ſive ad eos quorum auribus tale aliquid inſonuit inſtruendos, quantum adjuvante Domino fieri potuerit, plenè dilucidéque pandamus, quid de perverſis definitionibus judicemus. Propoſitis igitur ſingillatim ſedecim capitulis, ſub unoquoque eorum, ſenſûs noſtri & fidei quam contra Pelagianos ex Apoſtolicæ ſedis auctoritate defendimus, verba ponemus: ut qui paululùm ſe ad legenda hæc dignati fuerint occupare, evidenter agnoſcant, impiarum profanarumque opinionum nullum cordibus noſtris inhæſiſſe veſtigium: & blaſphemias quas perſpexerint noſtra profeſſione damnari, in earumdem repertoribus cenſeant debere puniri.

OBJECTIO I.

Quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus non pro omnium hominum ſalute & redemtione ſit paſſus.

C RESPONSIO.

CONTRA vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata natura eſt, & unde omnium concupiſcentiarum morbus inolevit, verum & potens ac ſingulare remedium eſt mors Filii Dei Domini noſtri Jeſu Chriſti: qui liber à mortis debito, & ſolus abſque peccato, pro peccatoribus & debitoribus [b] mortis eſt mortuus. Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet cauſſam generis humani, ſanguis Chriſti redemtio eſt totius mundi. Sed qui hoc D ſæculum ſine fide Chriſti & ſine regenerationis ſacramento pertranſeunt, redemtionis alieni ſunt. Cùm itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium cauſſam à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, rectè omnes dicantur redemti, & tamen non omnes à captivitate ſint eruti; redemtionis proprietas haud dubiè penes illos eſt, de quibus princeps mundi miſſus eſt foras, & jam non vaſa diaboli, ſed membra ſunt Chriſti. Cujus mors non ita impenſa eſt humano generi, ut ad redemtionem ejus etiam qui regenerandi non erant pertinerent: ſed ita, ut quod per unicum exemplum geſtum eſt pro univerſis, per ſingulare ſacramentum celebraretur in ſingulis. Poculum E quippe immortalitatis, quod confectum eſt de infirmitate noſtra & virtute divina, habet quidem in ſe ut omnibus proſit; ſed ſi non bibitur, non medetur.

OBJECTIO II.

Quia Deus nolit omnes ſalvare, etiam ſi omnes ſalvari velint.

RESPONSIO.

CUM Veritas dicat, Si vos cùm ſitis mali, noſtis bona data [Matth. 7. 11.]

a Remigianus codex, ante annos plus minùs octingentos ſcriptus, habuit à prima manu, *Vincentiarum*: à ſecunda verò jam olim correctus, præfert (ut in fine libri abſque correctione legitur) *Vincentianarum*. Lovanienſes obſervant, eſſe qui arbitrentur, objectionum ſcriptorem Vincentium Lerinenſem illum fuiſſe, cujus exſtat adverſùs profanas hæreſum novitates Commonitorium, ſcriptum circiter annum Chriſti 434. ſeu, ut ipſe auctor in capite 42. teſtatur, poſt triennium ferme à celebrato contra Neſtorium concilio Epheſino.

b Hic *mortis* addimus ex Remigiano codice.

data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cælestis dabit bona petentibus se? qui fieri potest, ut Deus, qui etiam illos salvat, de quibus dici non potest quòd salvari velint, nolit aliquos salvare, etiam si salvari velint; nisi aliquæ caussæ exsistant, de quibus, quamvis sint nobis incognoscibiles, ille tamen bene judicat, de quo dici non potest, aliter eum quidquam facere debuisse, quàm fecerit? Remota ergo hac discretione, quam divina scientia intra secretum justitiæ suæ continet, sincerissimè credendum atque profitendum est, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant. (1.Tim. 2. 4.) Si quidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissimè præcipit, quod in omnibus ecclesiis piissimè custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium est meritum; quòd multi salvantur, salvantis est donum. Ut enim reus damnetur, inculpabilis Dei justitia est: ut autem reus justificetur, ineffabilis Dei gratia est.

Objectio III.

Quia Deus majorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternum.

Responsio.

Omnium quidem hominum creator est Deus: sed nemo ab eo ideo creatus est, ut periret. Quia alia est caussa nascendi, & alia est caussa pereundi. Ut enim nascantur homines, Conditoris est beneficium: ut autem pereant, prævaricatoris est meritum. (Rom. 5. 12.) In Adam quippe, in quo omnium hominum præformata natura est, omnes peccaverunt; eâdemque sententiâ, quam ille excepit, obstricti sunt. Neque ab hoc vinculo, etiam si propriis peccatis careant, resolvuntur, nisi in sacramento mortis & resurrectionis Christi per Spiritum-sanctum renascantur. Nimis ergo impius & indoctus est, qui vitium naturæ non discernit ab auctore naturæ: à quo prorsus alienum est, quidquid in unoquoque damnandum est. Creat enim homines, ut sint homines: nec multiplicandis generationum successionibus opificium suum subtrahit, secundùm consilium bonæ voluntatis suæ reparaturus in multis quod ipse fecit, (Ibidem 19.) puniturus in multis quod ipse non fecit. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius hominis obedientiam justi constituuntur multi.

Objectio IV.

Quia major pars generis humani ad hoc creetur à Deo, ut non Dei, sed diaboli faciat voluntatem.

Responsio.

Insanum omnino & contra rationem est, dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri; & damnatorem diaboli ejusque famulorum, velle ut diabolo serviatur. Sed hoc catholicis Pelagiani consequenter se objicere existimant, qui Adæ peccatum transiisse in omnes diffitentur: quoniam si primam nativitatem originalis culpa non obliget, non sint obnoxii diabolo parvuli; nec indigeant erui de potestate tenebrarum, qui numquam à suo auctore discesserint. Nos autem, qui omnes in Adam periisse profitemur, (Luc. 19. 10.) (Venit enim Filius hominis quærere & salvare quod perierat,) nec ideo dicimus creari quemquam hominem, ut diaboli faciat voluntatem; & agnoscimus omnem hominem non redemtum, diaboli esse captivum. Prævaricatio enim hominum, dispositæ à sæculis creationis ordinem turbare non potuit, & meritò creatura peccatrix pœnalem dominationem illius patitur, cui, relicto vero Domino, sponte se vendidit. Hæc quippe servitus non institutio est Dei, sed judicium; quo fraus deceptoris diaboli facta est decepto & malè credulo homini pœna peccati. De qua nemo eruitur, nisi per mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum; cujus gratuita gratia & multorum malis meritis non tribuitur, & nullorum bonis meritis prævenitur.

Objectio V.

Quia peccatorum nostrorum auctor sit Deus, eo quòd malam faciat voluntatem hominum, plasmet substantiam quæ naturali motu nihil possit nisi peccare.

Responsio.

Hujus quoque objectionis vanitas de illa procedit schola, in qua natura humana immunis à peccato Adæ, & illæsa defenditur; ut quia omnes homines prævaricationis reos & damnationi obnoxios nasci, perituros que nisi in Christo renascantur asserimus, eumdem videamur dicere auctorem culpæ, quem profitemur conditorem esse naturæ. Quod nos à sensu nostro penitus abdicamus, qui Deum justum & bonum sic humanæ substantiæ & interiorum exteriorumque sensuum novimus creatorem, ut prorsus ab illo sit quidquid pertinet ad naturam, & prorsus ab illo non sit quidquid contra naturam est. Peccatum autem contra naturam est, de quo mors & omnia quæ sunt mortis oriuntur. Quibus malis tunc se homo induit, quando illum fide obedientiâque privatum, in suas promissiones diabolus à Dei lege traduxit, omniaque sibi posteritatis ejus germina, per conditionem depravatæ stirpis, obstrinxit. Unde si qua in Christo nova creatura est, libera fit à diabolo, & subjicitur Deo, reformata à deformitate sua ad imaginem ejus qui creavit eam. Quod nisi fiat, remanet in illo in quo omnes moriuntur, non habens sortem in eo in quo omnes vivificabuntur. Non igitur cujusquam peccati auctor Deus, sed naturæ creator est. Quæ cùm potestatem habuerit non delinquendi, sponte deliquit, & deceptori suo propria voluntate se subdidit. Nec naturali, sed captivo motu versatur in vitio, donec moriatur peccato & vivat Deo: quod sine gratia Dei facere non potest: quia libertatem quam libertate perdidit, nisi Christo liberante non recipit. Non est enim aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri. (Act. 4. 12.)

Objectio VI.

Quia Deus tale in hominibus plasmet arbitrium, quale est dæmonum, quod proprio motu nihil aliud possit velle, nisi malum.

Responsio.

Totus quidem mundus, sicut ait Johannes apostolus, in maligno positus est: (1.Johan. 5. 19.) & multorum hominum talis est malitia, qualis & dæmonum. Qualibus dicebat Dominus: Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? (Matth. 12. 34.) &, Vos de diabolo patre nati estis, & concupiscentias patris vestri facere vultis. (Iohan. 8. 44.) Sed hoc inter malos homines distat & dæmones, quòd hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio: dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio. Sicut ergo prævaricatoribus angelis non Deus indidit illam, quæ in veritate non stetit, voluntatem: ita nec hominibus hunc affectum, quo diabolum imitarentur, inseruit. (Ibidem.) Mendax enim de proprio loquitur; & liber à mendacio non erit, nisi eum veritas liberaverit.

Objectio VII.

Quia hæc sit voluntas Dei, ut magna pars Christianorum salva esse nec velit, nec possit.

Responsio.

Si de his hoc dicitur, qui pietatem Christianæ conversationis & fidei deserentes, in profanos errores, aut in damnabiles mores irrevocabiliter transierunt; non dubium est, quòd talem voluntatem habentes salvi esse nolunt; & quamdiu salvi esse nolunt, salvi esse non possunt. Sed nullo modo credendum est, hujusmodi homines in hanc desperationem ex Dei voluntate cecidisse; cùm potiùs allevet Dominus omnes qui corruunt, & erigat omnes elisos. (Psal. 144. 14.) Nemo enim nisi illius gratiâ erigitur, nemo nisi illius gratiâ stabilitur. Dei ergo voluntas est, ut in bona voluntate maneatur: qui & priùs quàm deseratur, neminem deserit; & multos desertores sæpe convertit.

Objectio VIII.

Quia nolit Deus, ut omnes catholici in fide catholica perseverent, sed velit ut magna exinde pars apostatet.

Responsio.

Non est dissimilis blasphemiæ hujus impietas, à præ-

cedente sententia: quod ergo ad illam, hoc etiam ad istam, quæ in nullo est diversa, responsum sit.

OBJECTIO IX.

Quia velit Deus, ut magna pars sanctorum à sanctitatis proposito ruat.

RESPONSIO.

NEC hujus definitionis insania aliud sonat, quàm gemina objectio prælocuta est. Unde mirandum est, objicientem tertiò repetiisse, quod semel dixisse suffecerat: sed, ut res est, numerum criminationis augere voluit, quia sensum variare non potuit.

OBJECTIO X.

Quia adulteria & corruptelæ virginum sacrarum ideo contingant, quia illas Deus ad hoc prædestinavit ut caderent.

RESPONSIO.

DETESTANDA & abominanda opinio, quæ Deum cujusquam malæ voluntatis aut malæ actionis credit auctorem: cujus prædestinatio numquam extra bonitatem, numquam extra justitiam est: Universæ enim viæ Domini misericordia & veritas. Adulteria igitur [a] maritatarum, & corruptelas virginum non instituere novit sancta divinitas, sed damnare; nec disponere, sed punire. Quæ mala homines cùm admittunt, suis concupiscentiis & cupiditatibus serviunt, quas ab illa prima voluntariæ prævaricationis labe traxerunt: cùm autem declinant à malo, & faciunt bonum, à Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet. Propter quod dicit Apostolus, Oramus autem ad Deum, ut nihil mali faciatis; non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis. Non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitavit, aut suasit, aut impulit: sed planè prædestinavit judicium suum, quo unicuique retributurus est prout gessit, sive bonum, sive malum. Quod judicium futurum omnino non esset, si homines Dei voluntate peccarent. Erit autem manifestissimè: & omnis homo quem discretio divinæ scientiæ in sinistra constituerit parte, damnabitur; quia non Dei, sed suam exsecutus est voluntatem.

Psal. 24. 10.

Psal. 36. 27. & 23.

2. Cor. 13. 7.

OBJECTIO XI.

Quia quando incestant patres filias, & matres filios, vel quando servi dominos occidunt, ideo fiat, quia ita Deus prædestinavit ut fieret.

RESPONSIO.

SI diabolo objiceretur, quòd talium facinorum ipse auctor, ipse esset incentor; puto quòd aliqua ratione exonerare se hac posset invidiâ, & talium scelerum patratores de ipsorum voluntate convinceret; quia etsi delectatus est furore peccantum, probaret tamen se non intulisse vim criminum. Quâ ergo insipientiâ, quâve dementiâ definitur, ad Dei referendum esse consilium, quod nec diabolo in totum adscribi potest, qui in peccantum flagitiis illecebrarum adjutor, non voluntatum credendus est esse generator? Nihil ergo talium negotiorum Deus prædestinavit ut fieret: nec illam animam nequiter turpiterque victuram, ad hoc ut taliter viveret, præparavit; sed talem futuram non ignoravit, & de tali justè se judicaturum esse præscivit. Atque ita ad prædestinationem ejus nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam justitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.

OBJECTIO XII.

Quia Dei prædestinatione efficiantur de filiis Dei filii diaboli, & de templo sancti Spiritûs templa dæmonum, & de membris Christi membra meretricis.

RESPONSIO.

PRÆDESTINATIO Dei, etsi apud nos, dum in præsentis vitæ periculis versamur, incerta est; apud illum tamen, qui fecit quæ futura sunt, incommutabilis permanet. Nec quæ illuminavit, obcæcat; nec quæ ædificavit, destruit; nec quæ plantavit, evellit. Sine pænitentia enim sunt dona & vocatio Dei: & firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc; cognovit Dominus qui sunt ejus. Nullo igitur modo Dei prædestinatio facit, ut aliqui ex filiis Dei filii sint diaboli, aut ex templo sancti Spiritûs templa sint dæmonum, aut ex membris Christi fiant membra meretricis: sed potiùs prædestinatio facit, ut ex filiis diaboli fiant filii Dei, & ex templo dæmonum templum sint Spiritus-sancti, & ex membris meretricis membra sint Christi. Quia ipse alligat fortem, & vasa ejus rapit, eruens ea de potestate tenebrarum, & transferens de contumelia in gloriam. Hi autem de quibus dicitur, Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum: voluntate exierunt, voluntate ceciderunt. Et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati. Essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in sanctitate ac veritate mansuri. Ac per hoc prædestinatio Dei, multis est caussa standi, nemini est caussa labendi.

Rom. 11. 29.
2. Tim. 2. 19.

Marci 3. 27.
Coloss. 1. 13.
1. Johan. 2. 19.

OBJECTIO XIII.

Quia omnes illi fideles & sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum suum relabuntur, vitio quidem suo hoc facere videntur; sed ipsius vitii caussa est divina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates.

RESPONSIO.

IDEM blasphemiarum spiritus perseverat, & à præcedentibus mendaciis subsequens impietas non recedit: quam prorsus vera ratio reprobat, & incunctanter sana doctrina condemnat. Quia omnibus quidem à fide ad infidelitatem, à sanctitate ad turpitudinem relapsis, & ante finem vitæ nulla emendatione purgatis, nihil aliud quàm mors æterna debetur: sed nefas est Deo adscribere caussas talium ruinarum; qui etsi ex æterna scientia præcognitum habet, quid uniuscujusque meritis retributurus sit; nemini tamen per hoc quòd falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo à justitia & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, suâ concupiscentiâ trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil agit Spiritus-sanctus: nec tali negotio quidquam divinæ voluntatis intervenit: cujus opere multos scimus, ne laberentur, retentos; nullos autem, ut laberentur, impulsos.

OBJECTIO XIV.

Quia magna pars illa Christianorum catholicorum, fidelium atque sanctorum, quæ ad ruinam & perditionem prædestinata est, etiamsi petat à Deo sanctitatis perseverantiam, non impetrabit: eo quòd mutari non potest divina prædestinatio, quæ illos præordinavit, præparavit, præaptavit ut caderent.

RESPONSIO.

AD prævaricationem legis, ad neglectum religionis, ad corruptelam disciplinæ, ad desertionem fidei, ad perpetrationem qualiscumque peccati, nulla omnino est prædestinatio Dei: nec fieri potest, ut per quem à talibus malis surgitur, per eum in talia decidatur. Si ergo in sanctitate vivitur, si in virtute proficitur, si in bonis studiis permanetur; manifestum munus est Dei, sine quo nullius boni operis fructus adquiritur: si autem ab iis receditur, & ad vitia ac peccata transitur; nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & recessurum non deserit ante quàm deserat; & facit plerumque, ne deserat, aut etiam, si discessit, ut redeat. Cur autem illum retineat, illum non retineat; nec possibile est comprehendere, nec licitum vestigare; cùm scire sufficiat, & ab illo esse quòd statur, & non ab illo esse quòd ruitur.

a Remigianus MS. *maritorum*.

OBJECTIO XV.

A

Quia omnes illi fideles & sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, postea quàm ceciderint, sic à Deo dispensentur, ne possint vel velint per pœnitentiam liberari.

RESPONSIO.

NON veraciter, nec sapienter hoc dicitur. Qui enim à fide & sanctitate exciderunt, sicut voluntate prolapsi sunt, ita voluntate non surgunt; & dominatum concupiscentiarum, quibus succubuerunt, sponte patiuntur. Si qui autem captivitatem suam gemunt, & judicantes semetipsos, ad misericordiam Dei mutato corde confugiunt, non sine spiritu divinæ visitationis hæc faciunt. Hæc enim mutatio dexteræ Excelsi: qui innumeris lapsis dat pœnitentiam, ut resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenebantur ad ipsius voluntatem. Nemini autem Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat. Quia qui se à Deo avertit, ipse & velle quod bonum est, & posse sibi sustulit. Non est ergo consequens, sicut putant qui talia objiciunt, ut Deus, quibus pœnitentiam non dederit, resipiscentiam abstulerit; & quos non levarit, allserit: cùm aliud sit insontem in crimen egisse, quod alienum est à Deo; aliud criminoso veniam non dedisse, quod de peccatoris est merito.

Psal. 76. 11.

2. Tim. 2. 26.

B

OBJECTIO XVI.

Quia magna pars illa fidelium atque sanctorum, quæ ad æternam mortem prædestinata est, quando dicit Deo in oratione Dominica, Fiat voluntas tua; nihil aliud quàm contra se petat, id est, ut cadant & ruant; quia voluntas Dei hæc est, ut æterna morte pereant.

RESPONSIO.

NON hoc veritas dicit, quòd hæc sit voluntas Dei, ut fideles & sancti à fide atque innocentia ruant, & pereant in æternum: sed veritas dicit, Hæc est voluntas ejus qui me misit Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quidquam, sed resuscitem illud in novissimo die. Quod ergo Pater Filio dedit, Filius omnino non perdit. Idem enim dicit, Omne quod dat mihi Pater, venit ad me, & non ejiciam foras. Quòd si per generalitatem vocationis, & per abundantiam bonitatis Dei, etiam non perseveraturi perseveraturis admixti sunt; hi cùm à pietate deficiunt, non ex Dei opere, sed ex sua voluntate deficiunt; nec impelluntur ut cadant, nec ejiciuntur ut deserant: casuri tamen & recessuri ab eo qui falli non potest præsciuntur. Quamdiu itaque in oratione Dominica dicunt, Fiat voluntas tua; non hoc contra se petunt, quod Deus nullo modo ulla ratione facturus est, id est, ut cadant & ruant: ipsorum enim hoc nequitia, ipsorum est consummatura libertas. Sed planè illud contra se petunt, quod divinæ voluntatis esse non dubium est; ut scilicet, cùm venerit filius hominis in majestate sua, & sederit super thronum gloriæ suæ, congregentur ante eum omnes gentes, & separet eos ab invicem, alios ad dexteram, alios statuens ad sinistram, & audiant eum dextri dicentem, Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: audiant & sinistri, Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem paravit Pater meus diabolo & angelis ejus. Igitur qui facturi non sunt voluntatem Dei, & petunt ut fiat voluntas Dei, in eo quod Dei voluntate faciendum est, audiuntur, ut imitatores diaboli cum diabolo judicentur. Qui enim voluntatem Dei spreverunt invitantem, voluntatem Dei sentient vindicantem.

Iohan. 6. 39.

Ibid. 37.

C

Matth. 25. 34.

Ibid. 41.

PROSPERI AQUITANI
PRO AUGUSTINO
RESPONSIONES AD EXCERPTA
QUÆ DE GENUENSI CIVITATE SUNT MISSA:
LIBER UNUS.

CAMILLO & [a] THEODORO venerabilibus presbyteris, PROSPER.

D

IN libris beatæ memoriæ Augustini episcopi, quorum titulus est, *De prædestinatione sanctorum*, quædam sanctitatem vestram vel insolita aut minùs clara moverunt, quæ ad humilitatem meam de contextu disputationis excerpta misistis; ut quo intellectu, quove judicio ea acciperem, nosceretis: quasi plus in me, quàm in vobis ad hæc introspicienda esset ingenii; ac non magis in hoc examine vestræ facultatis debueritis exercere mensuram, & si aliqua vos morabatur obscuritas, decurrere ad Patrem luminum, à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, & à quo datur Spiritus sapientiæ & intellectûs. Verumtamen præceptis vestris obsequium meum non subtraham, & adjuvante Domino, qui sapientiam præstat parvulis, de capitulis istis, quid cum sanctis & eruditis fratribus sentiam, breviter indicabo; petens, ne ubi est simplicitas obedientiæ, præsumtionem putetis esse doctrinæ. De excerptis itaque hæc prima proposuistis, in quibus verba sunt sancti Augustini episcopi.

Iacob. 1. 17.

Psal. 18. 8.

E

EXCERPTUM I.

Iacob dilexi, Esaü odio habui. Ad hoc perduxi ratiocinationem, ut dicerem: Non ergo elegit Deus opera cujusquam quæ ipse daturus sit, sed fidem elegit in præscientia; ut quem sibi crediturum esse præsciret, ipsum elegerit, cui sanctum Spiritum daret; ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur. Nondum diligentiùs quæsieram, nec adhuc inveneram, qualis esset electio gratiæ.

August. lib. 1. de prædestinatione sanctorum cap. 3.

EXCERPTUM II.

Ac deinde subjunxi: Quòd ergo credimus, nostrum est; quòd autem bona operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum-sanctum. Quod profectò non dicerem, si jam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ datur in eodem Spiritu. Vtrumque nostrum est, propter arbitrium voluntatis: utrumque tamen datum est, propter spiritum fidei & caritatis.

Ibidem.

[a] Remensis codex Remigianus, THEUDULO.

EXCERPTUM III.

Ibidem.

Ac per hoc, quod etiam postea dixi, Quia neque velle possumus, nisi vocemur, & cùm post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra & cursus noster, nisi Deus & vires credentibus præbeat, & ducat quò vocat: ac deinde subjunxi, Manifestum est ergo, non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei esse quòd bene operamur: omnino verissimum est; sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundùm propositum Dei: non enim omnium qui vocantur talis est, sed tantùm electorum.

RESPONSIO.

IN his tribus capitulis, licèt divisa sint à disputationis corpore, & eo ipso obscuriora sint facta, quòd & præcedentibus, & mediis, & subsequentibus non cohærent: intelligo tamen quòd unam atque eamdem caussam scriptor exsequitur, de eis loquens, qui dicebant eum primo conversionis suæ tempore meliora sensisse, quando æstimabat, quòd fides qua Christiani sumus, non esset ex gratia, nec ex dono haberetur Dei, sed esset ex ipso homine, & ex arbitrii libertate; modò autem errare eum, qui assereret ipsam etiam fidem, Dei esse donum, & ad hanc quoque pertinere quod dictum est, Quid autem habes quod non accepisti? (1. Cor. 4. 7.) Neque rectè eum nunc electionem Jacob ad propositum Dei referre, quam priùs ad præscientiam retulisset. Ad hanc ergo objectionem respondet, se ante quàm cognosceret gratiæ veritatem, & ante quàm regendæ præponeretur Ecclesiæ, in hac opinione ignoranter errasse: sed in ipso episcopatûs sui exordio, à sanctæ memoriæ Simpliciano Mediolanensi antistite de Jacob electione & de Esaü rejectione consultum, totam quæstionem ad hos geminos pertinentem sagaciore diligentiâ ventilasse; & omnibus ratiocinandi viribus hoc indubitanter agnovisse, quòd electionem gratiæ nulla merita humana præcedant; & quòd fides, unde incipiunt omnia merita, donum sit Dei: ne gratia non sit gratia, si aliquid eam, propter quod tribuatur, antevenit. (Rom. 11. 6. Rom. 9. 13.) Itaque in eo quod dictum est, Jacob dilexi, ostensum esse quid homini donaretur: & in eo quod dictum est, Esaü autem odio habui, ostensum esse quid homini deberetur. Hoc autem se in libro Retractationum secundo suo opere studiosè recoluisse (Retract. lib. 1. cap. 1.); & cùm omnes opiniones suas censoria gravitate discuteret, istam, quam obtrectatores ejus eligunt, improbasse, quam ante Pelagianæ hæresis ortum futuro errori amicam esse prævidit, & revelatâ sibi gratiæ veritate rejecit. Quæ igitur ratio est, ut hanc viri hujus professionem non approbemus, qua nos ad castigandas opiniones nostras, si quas fortè imprudenter incidimus, exemplo suæ correctionis instituit; & qua docet à Deo nos accipere, quod ut accipiamus jubemur orare?

Si enim consideremus Pelagianæ argumenta perfidiæ, quid magis nititur obtinere, quàm ut videatur gratia Dei secundùm merita nostrâ dari, ut in eo ipso, in quo gratiam necessariam confitetur, meritis eam humanæ voluntatis enervet? Quam perversitatem omnino incurrit, qui fidem ad Dei munera non putat pertinere: aut ideo eam se jactitat ad Deum referre, quia ab ipso sit creata natura, cui rationabilem inseruerit libertatem, per quam unusquisque & credere & non credere in sua habeat potestate; & de hoc naturali bono quod nullis præcedentibus meritis, cùm crearetur, accepit, cetera dona mereatur. Hoc autem qui asserit, fatetur, credo, nobiscum, quòd in primo Adam omnium hominum natura vitiata sit; nec negat eam in illo lapsu suas amisisse virtutes, quas nisi per gratiam recipiat, habere non possit. (Fidem in Adamo perditam non recuperari nisi per gratiam Dei.) Quid est autem, quòd eidem naturæ solam fidem non vult esse præreptam, quam nisi primam amisisset, ceteris bonis omnibus non careret? Credendo enim Adam diabolo, non credidit Deo: & cùm spiritu superbiæ inebriatus esset, discessit à Domino cor ejus; & factus est servus apostatæ, dum liber vult esse justitiæ. Cùm itaque non haberemus continentiam, nisi Deus daret (Sap. 8. 21.); nec haberemus dilectionem sanctam, nisi caritas Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis (Rom. 5. 5.); cùm postremò nemo haberet sapientiam & (Isai. 11. 2.)

A intellectum, consilium & fortitudinem, scientiam & pietatem ac timorem Domini, nisi has virtutes Spiritus-sanctus daret; quomodo fides in Adam perdita, in quoquam filiorum ejus inveniretur, nisi eam idem Spiritus, qui omnia in omnibus operatur, infunderet? (1. Cor. 12. 6.) Unde si quod Adam perdidit, posteritas non amisit; ipsum solum læsit peccatum ejus, & non genus humanum. Sed omnes in uno peccaverunt (Rom. 5. 12.), & prævaricationis merito tota ejus propago damnata est. Omnes igitur quod Adam perdidit, perdiderunt. Perdidit autem primitus fidem; quam omnes, quia primam potuimus amittere, primam egemus accipere. Placeat ergo B nobis hæc gratiæ prædicatio, qua fides donum Dei esse defenditur; & in nullo nobis poterit Pelagianus error illudere, qui ut gratiam persuadeat debitam, fidem non vult esse donatam. Quia ergo nec justa, nec rationabilis intelligitur eorum fuisse persuasio, qui hujus viri scientiam tot incrementorum profectibus ædificatam, tot annorum studiis expolitam, ad adolescentiæ rudimenta revocabant, ut magis suffragaretur hæreticis, quod inter initia conversionis suæ imperitè senserat, quàm prodesset catholicis, quod pontificali diligentiæ veritas revelarat: meritò illos hoc præjudicio utentes, & in his quæ dudum abdicata fue- C rant immorantes, pii doctoris gravitas notat; quòd qui curaverunt omnes sensus ipsius indagare, noluerint cum ejus eruditione proficere. Sed jam consideremus quale sit, quod de subsequentibus adnotastis.

EXCERPTUM IV.

Non quia credere vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Domino. (Ex lib. de prædestinat. sanct. c. 5. n. 10.)

RESPONSIO.

D JUNGAMUS quod sequitur, ut quod propositum est, de connexo sermone fit clarius. (Ibidem cap. 5. & 6.) *Ideo ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est, pertinet, Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti?* (1. Cor. 4. 7.) *Multi audiunt verbum veritatis: sed alii credunt, alii contradicunt. Volunt isti ergo credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino; discernendum est utique, quid veniat de misericordia, quid de judicio. Quod quærebat Israël, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est, ceteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est,* (Rom. 11. 7.) *Dedit illis spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque in hodiernum diem.* (Isai. 6. 9.) E *Et David dicit, Fiat mensa eorum in laqueum, & in venationem, & in scandalum, & in retributionem illis: obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva.* (Psal. 68. 23.) *Ecce misericordiam & judicium: misericordia in electionem, quæ consecuta est justitiam Dei; judicium verò in ceteros, qui excæcati sunt: & tamen illi quia voluerunt, crediderunt; illi quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur & judicium in ipsis voluntatibus facta sunt. Electio quippe ista gratiæ est, non utique meritorum. Superiùs enim dixerat, Sic enim in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* (Rom. 11. 5.) F *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia, jam non est gratia. Gratia ergo consecuta est, quod consecuta est electio. Non præcessit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis: pro nihilo salvos fecit eos.* (Psal. 55. 8.) *Ceteris autem qui excæcati sunt, sicut ibi non tacitum est, in retributione factum est. Universæ viæ Domini misericordia & veritas.* (Psal. 24. 10.) *Investigabiles sunt autem viæ ipsius.* (Rom. 11. 33.) *Investigabilis igitur & misericordia qua gratis liberat, & veritas qua justè judicat.*

Hæc omnia apud pium catholicumque lectorem, quid offensionis pariunt? quid contradictionis incurrunt? Numquid falsum est, quòd præparatur voluntas à Domino? (Prov. 8. sec. LXX.) G Numquid non quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei? (Rom. 8. 14.) Numquid hominem ab homine natura discernit, ac non potiùs gratia ab infideli fidelem? Numquid potest ullus dicere habere se, quod non accepit? aut quasi de non accepto, sed proprio gloriari; quod si non accepisset, utique non haberet? Numquid dubium est, cùm verbum veritatis prædicatur, alios voluntate credere, alios voluntate non credere? Sed cùm illorum cor Deus aperuerit, illorum autem non aperuerit, discernendum est quid veniat de misericordia, quid de judicio. Post commemorationem autem apostolicæ sententiæ, quam propheticis testimoniis adstruit,

adstruit, quòd justitiam Dei, quam Israël quærens consecutus non est, electio sit consecuta per gratiam, ceteris ex retributione cæcatis, numquid non verissimè dictum est: *Ecce misericordia & judicium: misericordia in electionem, quæ consecuta est justitiam Dei; judicium verò in ceteros, qui excæcati sunt?* Et paulò pòst: *Gratìs ergo consecuta est, quod consecuta est electio. Non præcessit aliquid eorum, quod priores darent, & retribueretur illis: pro nihilo salvos fecit eos. Ceteris autem, qui excæcati sunt, sicut ibi non tacitum est, in retributione factum est.* Quis hìc locus querimoniæ, nisi apud inimicos gratiæ: qui nisi ad retributionem referatur quod gratìs datur, ad iniquitatem volunt pertinere quod redditur? Deinde quod de propheticis intulit verbis, *Universæ viæ Domini misericordia & veritas*, quis negavit? Aut quod de apostolico adnexuit sensu. *Investigabiles sunt autem viæ ipsius. Investigabiles igitur sunt, & misericordia qua gratìs liberat, & veritas qua justè judicat.* Non est ergo sanarum mentium, ista reprehendere: & investigabiles vias Domini, hoc est dona misericordiæ & judicia veritatis, Pelagianorum elationi penetrabilia deputare. Quia secundùm ipsos non latet consilium Dei, nec in occulto est divinæ ratio voluntatis, si erga omnem hominem tam gratia Dei, quàm & ira de merito est.

Post hæc posuistis quod infrà dictum est.

EXCERPTUM V.

Fides igitur & inchoata, & perfecta, donum Dei est: & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare.

RESPONSIO.

Hoc qui non recipit, cujus videtur esse sententiæ, nisi dicentis: Fides per quam justificor, ex me est; & hoc bonum ex quo justus vivit, non accepi per gratiam, sed habeo per naturam? Si ergo fides donum Dei non est, frustra Ecclesia pro non credentibus orat ut credant, & sufficit impiis magisterium legis adhiberi, de qua dictum est, Si ex lege est justitia, ergo Christus gratìs mortuus est: quod similiter dici potest etiam de natura. Frustra etiam Apostolus gratias agit Deo pro his qui Evangelium receperunt: cùm hoc secundùm Pelagianos non Dei sit præstitum munere, sed ex sola habeatur hominum voluntate: & frustra quibusdam precatur idem Apostolus, ut sit eis pax & caritas cum fide à Deo Patre & Domino Jesu Christo: ut jam non solùm de fide, sed etiam pace & caritate, superbia hæreticorum convincatur dicere de proprio se has habere virtutes. Quòd si hæc ex homine sunt; quid obest, ut non ex semetipso habeat & cetera bona quæ inferiora sunt; cùm audeat sibi deputare quæ summa sunt, & sine quibus alia, quamvis multa & clara, non prosunt? Non potest itaque meritò refutari quod dictum est, *Fides igitur & inchoata, & perfecta, donum Dei est*: quia eadem & Apostoli vox est, dicentis, Gratiâ salvi facti estis per fidem; & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Et, Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut patiamini pro eo. Et iterum, Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, adspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum. Quibus & plurimis aliis testimoniis divinarum scripturarum indubitanter agnoscitur, quoniam, sicut ab hoc viro definitum est, *Fides & inchoata, & perfecta, donum est Dei: & hoc donum*, inquit, *quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitat, qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare.* Non putemus hoc veraciter dictum, si omnes homines fideles sunt: sed cùm alii credant, alii verò non credant; dicatque Apostolus, Non enim omnium est fides: quis non videat fidem, quam acceperunt qui habent, non accepisse qui non habent?

EXCERPTUM VI.

DEINDE ait: *Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes*

A *isse in condemnationem, sine dubitatione justissimam; ita ut nulla esset Dei justa reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Unde constat, magnam esse gratiam, quòd plurimi liberantur; & quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur agnoscunt: ut qui gloriatur, non in suis meritis, quæ paria videt esse damnatis, sed in Domino glorietur. Cur autem istum potiùs quàm istum liberet; inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ipsius. Meliùs enim*
B *& hìc audimus, aut dicimus, O homo, tu quis es qui respondeas Deo? quàm dicere audeamus, quasi noverimus, quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid injustum velle non potuit.* Rom. 9. 20.

RESPONSIO.

HÆC omnia si non rectè dicta sunt, scrutabilia sunt judicia Dei, & vestigabiles viæ ejus; nec occultum est, quare ille potiùs quàm iste salvatur; & in se non in Domino gloriabitur, qui aliis vitio suo pereuntibus electione
C dignus inventus est. Ac sic justitia quidem erit, quòd plurimi damnantur: sed non erit gratia, quòd plurimi liberantur. Absit hæc à catholicis cordibus, absit talis impietas, ut quemquam putemus meritis suis erui de potestate tenebrarum, & in regnum Filii Dei debita, non gratuita adoptione transferri. Magno peccato periit Adam, & in illo omnes perierunt. Quia omni homini damnata nativitate genito, hoc in Adam debetur, ut pereat. Et sicut non possumus conqueri de eo quòd in præteritis sæculis dimisit omnes gentes ingredi vias suas: ita justam non haberemus querelam, si cum eis, cum quibus nobis
D fuit caussa communis, cessante adhuc gratiâ periremus. Quæ tamen sicut tunc de omni mundo eruit paucos; ita nunc de universo genere hominum salvat innumeros; non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora æterna. 2. Tim. 1. 9.

Subnexuistis etiam quod post multa differens ait:

EXCERPTUM VII.

Est ergo in malorum potestate peccare: ut autem peccando hoc vel hoc illâ malitiâ faciant, non est Ex lib. de præd. sanct. cap. 16. n. 33.
E *in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras, & ordinantis eas: ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.*

RESPONSIO.

QUOD cùm sit apertissimæ veritatis, miror inter obscura decerptum: quasi non ex cohærentibus potuerit omnis hæsitatio lectoris absolvi. Inspicite ergò quod sequitur. *Legimus*, inquit, *in Actibus Apostolorum, quòd cùm dimissi à Judæis Apostoli venissent ad suos, & indicassent* Ibidem. Act. 4. 23. & seq.
F *quanta eis sacerdotes & seniores fecerunt, levaverunt illi vocem unianimes omnes ad Dominum, & dixerunt, Domine, tu es qui fecisti cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, qui per os patris nostri David sancti pueri tui dixisti, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, adstiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversùs Dominum & adversùs Christum ejus? Convenerunt enim in veritate, in civitate ista, adversùs sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pilatus & populus Israël, facere quanta manus tua & consilium prædestinavit fieri.* Si ergo quæ per os patris nostri David sanctus Spiritus prophetavit, aliter intelligi Psal. 2. 1.
G ullo modo, quàm ab Apostolis sunt intellecta, non possunt, & Herodes ac Pilatus & populus Israël fecerunt quanta manus Dei & consilium prædestinavit fieri; quid inconveniens ait admirabilis disputator? *Est*, inquiens, *in malorum potestate peccare, ut autem peccando hoc vel hoc illâ malitiâ faciant, non est in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras & ordinantis eas: ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.* Malè enim velle facillimum est malis: & eorum damnabilem voluntatem non dubium est à Dei potestate concludi, ut effectum cupiditatis suæ, nisi ille permiserit, habere non pos-

A sint. Uti autem sapientiam & justitiam Dei etiam malorum operibus, quæ ex ipsorum prodeunt appetitu, ad implenda consilia & judicia sua, nullus vel tenuiter secundùm pietatem doctus ignorat, qui videt Dei Patris optimam voluntatem, non parcentis Filio suo, sed pro nobis omnibus tradentis eum, pessima [a] traditoris Judæ & Judæorum voluntate completam: & qui in evangelicis paginis legit, dicente Pilato ad Jesum, Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittendi te? respondisse Dominum, Non haberes in me potestatem ullam, nisi esset tibi datum desuper. (Iohan. 19.10.) B Dividit itaque Deus inter lucem & tenebras: nec ideo inculpabiles sunt tenebræ, quia eis bene utitur Deus, qui etiam de opere ipsarum, quod filiis lucis in bonum procederet, ordinavit: tantum progredi sinens malitiam nocere cupientium, quantum eam sanctis suis vel castigandis novit utilem, vel probandis: ut hinc etiam, quòd faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.

Sequitur deinceps quod in libro invenitur secundo.

Excerptum VIII.

C *An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique si præscivit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit. Hæc prædestinatio sanctorum, nihil aliud est quàm præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Ceteri autem ubi, nisi in massa perditionis, justo divino judicio relinquuntur: ubi Tyrii relicti sunt &* D *Sidonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent: sed quoniam ut crederent non eis erat datum, etiam unde crederent est negatum.* (Ex libro de dono perseverantiæ, cap. 14. n. 35. Iohan. 18.9. Matth. 11. 21.)

Responsio.

Qui istis resistunt, hoc sentire apertissimè probantur, quòd fides non sit donum Dei; & quod gratia non præveniat liberum arbitrium, sed sequatur; & quòd gratia Dei secundùm merita nostra detur. Nam si aliquid conferri homini per gratiam confitentur, & id non accipit nisi fides, quæ accepta non est; in ipsa est meritum, cui E non donum datur, sed debitum redditur. In hac sententia positi, consequenter sapiunt, eos esse prædestinatos in vitam æternam, quos per liberæ voluntatis arbitrium fideles futuros præscierit Deus; ut ipsa electorum prædestinatio non sit nisi retributio: atque ita, in his qui prædestinati sunt secundùm propositum ejus qui universa operatur, non operetur Deus fidem; nec ulla sint hominis merita, si Deus operatur universa. Verè qui ita sentiunt, fidem non acceperunt, aut quam acceperant perdiderunt, sequendo vanissimam Pelagianorum superbiam, & in se, non in Domino gloriando, qui operatur omnia in omnibus, bona profectò, non mala: & si omnia bona, utique F & fidem, sine qua nemo placere potest, & quæ est virtutum omnium fundamentum. (Hebr. 11. 6.) Quale est autem, ut cùm Dei sit ædificatio, & nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborent qui ædificant eam, aut nolint isti fundamentum ad ædificium pertinere, aut se velint inchoare, quod Dominus possit exstruere? (Psal. 126. 1.) Non erit ergo illis principium Filius Dei, non fundabuntur in ipso angulari lapide Christo Jesu, nec de eis dictum est, Firmum autem fundamentum Dei stat: (2. Tim. 2. 19.) quia totam [b] electionem suam solubili arenæ & succiduo cineri superponunt.

G Agnoscamus itaque sapienter, piéque fateamur, præscisse incommutabiliter Deum quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam: & si hæc præscivit, beneficia sua illum, quibus nos dignatur liberare, præscisse: & hanc esse prædestinationem sanctorum, præscientiam scilicet & præparationem gratiæ Dei, qua certissimè liberantur *. Ceteros autem quicumque non liberantur, quos à generali perditione humani generis gratia non exemit, justo noverimus judicio non exemtos: & quid nobis remissum sit, in eis discamus, de quorum queri damnatione non possumus. Non est enim iniquitas apud Deum, neque quisquam sub judicio ejus innocens perit. (2. Par. 19. 7.) Sicut enim hic ipse insignis gratiæ prædicator alibi ait: *Reddit omnino Deus & mala pro malis, quoniam justus est; & bona pro malis, quoniam bonus est; & bona pro bonis, quoniam justus & bonus est: tantummodo mala pro bonis non reddit, quoniam injustus non est. Reddit ergo mala pro malis, pœnam pro injustitia; & reddit bona pro malis, gratiam pro injustitia; & reddit bona pro bonis, gratiam pro gratia.* (Lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 23.) Cùm aliqui pereunt, non dubitemus ipsorum meritis deputari quòd pereunt; quos utique posset Deus misericorditer liberare, si vellet. Et cùm aliqui liberantur, non audeamus definire, quòd digni fuerint liberari; quos utique posset Deus justè damnare, si vellet. Quare autem non omnes, aut quare illos potiùs quàm illos liberet, nec necessarium est quærere, nec possibile reperire: cùm omissis discretionis istius caussis scire sufficiat, quòd nec misericordia justitiam, nec justitia auferat misericordiam apud eum, à quo nemo nisi justè damnatur, nemo nisi misericorditer liberatur.

De Tyriis verò & Sidoniis quid aliud possumus dicere, quàm non esse eis datum ut crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa Veritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, virtutum signa vidissent? (Matth. 11. 21. Luc. 10. 13.) Quare autem hoc eis negatum fuerit, dicant, si possunt, qui calumniantur: & ostendant, cur apud eos Dominus mirabilia, quibus profutura non erant, fecerit, & apud eos quibus erant profutura, non fecerit. Nos etiamsi rationem facti & profunditatem judicii ejus penetrare non possumus, manifestissimè tamen scimus, & verum esse quod dixit, & justum esse quod fecit. Et non solùm Tyrios & Sidonios, sed etiam Corozain & Bethsaida potuisse converti, & fideles ex infidelibus fieri, si hoc in eis Dominus voluisset operari. Neque enim ulli falsum videri potest quod Veritas ait, Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo: (Iohan. 6. 66.) &, Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum: (Luc. 8. 10.) &, Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare: (Matth. 11. 27.) &, Sicut Pater vivificat mortuos, ita & Filius quos vult vivificat: (Iohan. 5. 21.) &, Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu-sancto. (1. Cor. 12. 3.) His divinarum vocum auctoritatibus eruditi gratias agamus Deo, qui dedit nobis spiritum fidei & virtutis, continentiæ & caritatis, sapientiæ & intellectûs, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis, ac timoris sui. Quæ bona si non dedisset nobis, qui omnia operatur in omnibus, prorsus non haberemus in nobis: (Ibidem.) & cum his, qui non cognoverunt Deum, aut cùm cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed hoc ipsum suæ sapientiæ deputantes, stulti facti & obscurato corde evanuerunt in cogitationibus suis: (Rom. 1. 21.) cum his, inquam, sederemus in tenebris & in umbra mortis, nec querelam habentes de pœna, nec excusationem de ignorantia, nec præsidium de natura.

Nunc jam quod sequitur quale sit videamus.

Excerptum IX.

Sed aiunt, ut scribitis, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiæ audientibus multis: Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate, veneritis ad fidem, vel acceptâ perseverantiâ permaneatis in fide: ceteri verò qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adjutorium gratiæ miserantis erexit. Verumtamen si qui estis nondum vocati, quos gratiâ suâ prædestinaverit eligendos, accipietis eamdem gratiam qua velitis, & sitis electi: & si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis. (Ex libro de dono perseverantiæ, cap. 15.)

* f. add. quicumque liberantur,

[a] Editi, traditorum. Meliùs Remigianus cod. traditoris.

[b] In Remigiano. MS. elationem.

RESPONSIO.

STUPEO sanctitatem vestram, objectionem calumniantium, à persona defensoris gratiæ non potuisse discernere; & verba obtrectantium ei ipsi, qui obtrectatoribus suis respondet, aptasse. Hæc enim de doctrina catholici viri quidam nequiter & nugatoriè jactitabant, quòd qui talem Dei gratiam prædicaret, ut fides & obedientia ceteræque virtutes, & in eis usque in finem perseverantia, non nisi ex dono Dei haberi posse credantur, consequens esse, ut talibus verbis uteretur ad populum, & hujusmodi denuntiationibus omnem liberi arbitrii evitaret industriam. B Quod quia piissimus doctor litteris eorum, ad quos scribit, agnoverat, ideo ait, *Sed aiunt, ut scribitis:* & postea, *Ista cùm dicunt.* Ex hoc ergo potuistis advertere, non ipsum hæc dicere; sed eos, de quibus dixit, *Sed aiunt, ut scribitis:* &, *Ista cùm dicunt.* [Rom. 3. 8.] Quod similiter Apostolus ait, Sicut aiunt nos quidam dicere, Faciamus mala, ut veniant bona. Inferiùs autem ubi pleniùs ad ista respondet, multo manifestiùs patet, quàm hæc ab ipso numquam taliter dicta sint; & quantum ei hujusmodi prædicationis forma displiceat; quam corrigens & mundans atque emendans, tolerabiliorem audientibus facit, C quæ vera sunt temperans, quæ falsa sunt resecans, & post multa adjiciens: [Lib. de dono perseverantiæ. cap. 22.] *Jam verò quod illis verbis connectitur, miror si ullo modo potest in populo Christiano quisquam infirmus patienter audire, cùm dicitur eis, Et si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obedientiæ vires, ut obedire cessetis. Hoc enim dicere, quid videtur aliud esse, quàm maledicere, aut mala quodam modo prophetare.* Et post hæc cùm diceret, qualiter de his loquendum esset in populo, [Ibidem.] proprii sensûs verba connexuit, dicens: *Illum etiam modum, quo utendum esse in prædestinationis prædicatione nos diximus, loquenti ad populum non existimo debere sufficere, nisi hoc, vel aliquid hujusmodi addat, ut dicat,* D *Vos itaque etiam* [Jacobi 1. 17.] *ipsam obediendi perseverantiam à Patre luminum, à quo descendit omne datum optimum & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere: atque hoc faciendo confidere, non vos esse à prædestinatione populi ejus alienos; quia etiam hoc, ut faciatis, ipse largitur. Absit autem à vobis ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere* [Jerem. 17. 5.] *jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis qui spem ha-* [Psal. 117. 8.] *bet in homine: &, Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine: quoniam beati omnes qui confidunt in eum.* [Psal. 2. 11.] *Hanc spem tenentes, servite Domino in timore, & exsultate ei in tremore.* E *Quoniam de vita æterna, quam filiis promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram: sed faciet nos perseverare in se usque ad hujus vitæ* [Matth. 6. 13.] *finem, cui quotidie dicimus, Ne nos inferas in tentationem.*

Videtisne obsecro, quantum distet hic sermo ab eo quem composuit malignitas obloquentium; qui studuerunt etiam ea quæ rectè dicit, exquisitâ verborum fraude corrumpere? De quo idem doctor rectissimè ait: [Lib. de dono perseverantiæ. cap. 22.] *Dolosi autem vel imperiti medici est, etiam utile medicamentum sic alligare, ut aut non prosit, aut obsit.* [Ibidem.] Et iterum de simili ineptia: F *Nempe, inquit, hoc verissimum est, ita sanè, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum: non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis apposito.*

A Non igitur necesse est de his rationem reddere, quæ & ab aliis dicta, & ab ipso ostendimus improbata: ita tamen, ut nihil sibi per falsorum admixtionem præripi pateretur ex veris. Quamvis enim numquam tam insipienter locutus sit ad populum Christianum, & id quod mendax obtrectatio ineptissimè finxit, horruerit: piâ tamen constantique doctrinâ abundanter probavit, prædicandam esse Ecclesiæ & prædestinationem, in qua est gratiæ præparatio; & gratiam, in qua est prædestinationis effectus; & præscientiam Dei, qua ante sæcula æterna quibus esset collaturus sua dona præscivit. Cujus prædicationis quisquis est impugnator, B apertissimus est Pelagianæ elationis adjutor.

HOC autem quod in fine posuistis, superiori capitulo, ubi Tyriorum & Sidoniorum mentio facta est, debuit copulari: quia etiam in libri corpore, eidem caussæ, sine cujusquam diversæ disputationis interjectione, connexum est. Unde & responsio, quam præcedentibus subdidi, potest etiam ad ista sufficere: in quibus nulla est obscuritas, si de fide prædestinationis & gratiæ Dei, ex qua est omnium bonorum origo perseverantiaque meritorum, hoc teneatur, quod habet veritas.

C

PROSPERI AQUITANI IN AUGUSTINI OBTRECTATOREM

EPIGRAMMA.

CONTRA Augustinum narratur serpere quidam
  Scriptor, quem dudum livor adussit edax:
Qui caput obscuris contectum utcumque cavernis,
D Tollere humo miserum perpulit anguiculum.
Aut hunc fruge sua æquorei pavere * Britanni,
  Aut huic Campano * gramine corda tument.
Quæ concepta fovet, promat; quæ parturit, edat:
  Seu vetere armatur dogmate, sive novo.
In quoscumque sinus spirarum torqueat orbes,
  Et fallax multa contegat arte caput;
Currentem adtritos super aspidas & basiliscos
  Declinare senem vipera non poterit.

* Pelagius Brito.
* Juliani à Campania.

In eumdem, aut alium quempiam obtrectatorem.

E QUIDAM dictiloqui libros senis Augustini
  Carpere, & adversum condere fertur opus.
Usqueadeòne bonum ingenium, & facundia dives
  Ostentare artem non aliter potuit,
In nova prostratas acies nisi bella cieret,
  Impiaque exstinctis hostibus arma daret?
Hæc pugna, incentor, mors est tua; te stilus iste
  Conficit, & verbis perderis ipse tuis.
Dumque doces quantum valeat mens libera, monstras
  Velle tuum tibimet sufficere ut pereas.
Verte gradum, fuge perniciem, stratosque rebelles
F Oris apostolici fulmine ubique vide.
Nec te mutato defendi nomine credas:
  Si pastorem ovium lædere vis, lupus es.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

SEntentias in editis codicibus trecentas & nonaginta complectitur. Priores triginta septem, aliaque inter subsequentes perpauca, decerptæ sunt ex ipsius Prosperi commentariis in Psalmos: ceteræ autem ex operibus Augustini; cujus sancti Doctoris cùm verba nonnumquam mutata esse deprehendamus, eam ob caussam optimum factu judicamus, si moneamus ut inspiciantur ea loca, è quibus mens Augustini magis est expressa quàm dictio. Id verò præstamus, è regione hujus generis sententiarum adscripto verbo, Vide. Colbertinus codex notatus 393. (quod unum istius libri exemplar manu scriptum reperire nobis licuit, nec ipsum admodum vetus) sententias septuaginta sex, non plures, repræsentat, scilicet octodecim primas, & omissâ decimâ-nonâ, vigesimam, vicesimam primam, & alias ex subsequentium serie selectas; cum hacce ad illas prævia annotatione: Prosper iste Equitaneus fuit Tolonensis civis, qui relictis rebus sæcularibus ad divina se omnino negotia transtulit, & quasdam ex beati Augustini sententiis carpens, istum librum composuit, *&c. Plures ex hoc libro sententiæ inter Arausicani secundi concilii canones relatæ sunt: & permultæ sub nomine Prosperi citantur à Floro seu Beda vulgato in Paulum. Quibusdam etiam ex his sententiis usus est ille, qui Zephyrini, Callisti I. & aliorum Romanorum Pontificum decretales epistolas confinxit.*

PROSPERI AQUITANI
SENTENTIÆ EX AUGUSTINO DELIBATÆ.
LIBER UNUS.

I. *Quæ sit vera innocentia.*

Ex Prosperi expositione in Psal. 100. v. 2. Vide Aug. in eumd. Psal. n. 4.

INNOCENTIA vera est, quæ nec sibi, nec alteri nocet. Quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Et nemo non priùs in se, quàm in alterum peccat.

II. *De hominibus diligendis.*

Prosperi in eumd. Psal. v. 3. V. Aug. ibid. n. 5.

Sic diligendi sunt homines, ut eorum non diligantur errores: quia aliud est amare quod facti sunt, aliud odisse quod faciunt.

III. *De vera æternitate.*

Prosperi in Psal. 101. v. 28.

Vera æternitas & vera immutabilitas non est nisi in deitate Trinitatis, cui quod est esse, perpetuum est: quia natura initio carens, incremento non indigens, sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Creaturæ autem illæ, quibus Deus æternitatem dedit, vel daturus est, non penitus omnis finis alienæ sunt; quia non sunt extra commutationem, dum finis illis est & temporalis institutio, & localis motio, & ipsa in augmentum sui facta mutatio.

IV. *De patientia Dei.*

Ejusdem in Psal. 102. v. 8. V. Aug. in eumd. Psal. n. 16.

Patientia Dei, qua parcit contemtus, parcit etiam negatus, & magis vult vitam peccatoris quàm mortem, eruditio est pænitudinis & oblatio correctionis: nec ulla ipsius opera misericordiâ vacant; quando homini & indulgentiâ consulit, & flagello.

V. *De ultione Dei.*

Prosp. ibid. v. 9.

Divina bonitas ideo maximè irascitur in hoc sæculo, ne irascatur in futuro; & misericorditer adhibet temporalem severitatem, ne æternam justè inferat ultionem.

VI. *De vera Dei laudatione.*

Ibid. v. 21.

Vera est confessio benedicentis, cùm idem sonus est & oris & cordis. Bene autem loqui, & malè vivere, nihil aliud est, quàm sua se voce damnare.

VII. *De virtute caritatis.*

Ejusdem in Psal. 103. v. 3. V. Aug. in eumd. Psal. ser. 1. n. 9.

Dilectio Dei & proximi propria & specialis virtus est piorum atque sanctorum; cùm ceteræ virtutes & bonis & malis possint esse communes.

VIII. *De doctrina apostolica.*

Prosp. ibid. v. 11.

Doctrina apostolica salubris atque vitalis est, ut pro capacitate utentium neminem sui relinquat exsortem: quia sive parvuli sive magni, sive infirmi sive fortes, habent in ea & unde alantur, & unde satientur.

IX. *De quærendo Deo.*

Ejusdem in Psal. 104. v. 4.

Deum quærens, gaudium quærit. Sic ergo quærat, ut non in se, sed in Domino gaudeat. Accedendo enim ad Deum, illuminatur ignorantia ipsius, & corroboratur infirmitas, datâ sibi & intelligentiâ qua videat, & caritate qua ferveat.

X. *De fastidio spiritali.*

Ejusd. in Psal. 106. v. 18.

Sicut corpori noxium est, corpoream escam non posse percipere: ita animæ periculosum est, spiritales delicias fastidire.

XI. *De bonorum & malorum finibus.*

Ibid. v. 39.

Numquam multi sunt, qui ad non esse tendunt. Quid enim tam est obnoxium paucitati, quàm quod est debitum perditioni?

XII. *De tranquillitate ultionis Dei.*

Ejusd. in Psal. 108. v. 5.

Non concupiscit Deus pœnam reorum, tamquam saturari ultione desiderans: sed quod justum est, cum tranquillitate decernit, & recta voluntate disponit; ut etiam mali non sint inordinati.

XIII. *De bono intellectu.*

Ejusd. in Psal. 110. v. 10.

Bonum intellectum habet, qui quod faciendum rectè intelligit, facit. Alioqui talis est sine opere intelligentia,
A qualis sine timore sapientia: cùm scriptum sit, Initium sapientiæ timor Domini.

XIV. *De requie adhuc in carne viventis.*

Ejusd. in Psal. 114. v. 8.

Habet & in hac vita requiem suam anima, quæ de morte infidelitatis exemta est: & non ab operibus justitiæ, sed ab iniquitatis se abstinet actione: ut vivens Deo, & mortua mundo, in humilitatis & mansuetudinis placida tranquillitate requiescat.

XV. *De vovendo Deo.*

Ejusd. in Psal. 115. v. 18.

Quisquis bene cogitat, quid voveat Deo, & quæ vota persolvat, se ipsum voveat & reddat. Hoc exigitur, hoc
B debetur. Imago Cæsaris reddatur Cæsari; imago Dei reddatur Deo. Sed sicut videndum est, quid offeras, & cui offeras; ita etiam considerandum est, ubi offeras: quia veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam locus non est.

XVI. *De justitia & gratia.*

Ejusd. in Psal. 118. v. 17. ex Aug. serm. 7. in eumd. Psal. n. 1.

Duæ sunt retributiones justitiæ, cùm aut bona pro bonis, aut mala redduntur pro malis. Tertia est retributio gratiæ, cùm per regenerationem remittuntur mala, & retribuuntur bona. Atque ita manifestatur, quia universæ viæ Domini misericordia & veritas. Illam autem retributionem impiorum, qua pro bonis mala retribuuntur,
C Deus nescit: qui nisi retribueret bona pro malis, non essent quibus retribueret bona pro bonis.

XVII. *De supernæ patriæ civibus.*

Vide ibid. v. 19.

Omnis qui ad supernam pertinet civitatem, peregrinus est mundi; & dum temporali utitur vitâ, in patria vivit aliena: ubi inter multa illecebrosa & multa fallacia Deum nosse & amare paucorum est, quibus præceptum Domini sit lucidum, illuminans oculos, ut nec in Dei, nec in proximi fallantur dilectione.

XVIII. *De carnis cupiditate vincenda.*

Ibid. v. 28.

Nemo est cujus animam corruptibile corpus & inhabi-
D tatio terrena non aggravet. Sed adnitendum est, ut carnis cupiditates spiritûs vigore superentur; & interior homo, qui semper sibi sentit resisti, semper se divino auxilio exspectet adjuvari.

XIX. *De angusta vitæ via.*

Ibid. v. 32.

Angusta est via, quæ ducit ad vitam: & tamen per ipsam nisi dilatato corde non curritur. Quia iter virtutum, quo gradiuntur pauperes Christi, amplum est fidelium spei, etiam si artum sit infidelium vanitati.

XX. *De præmio Christianæ religionis.*

Ibid. v. 36. V. Aug. in eumd. Psal. 118. ser. 11. n. 6.

Hoc affectu & desiderio colendus est Deus, ut sui
E cultûs ipse sit merces. Nam qui Deum ideo colit, ut aliud magis quàm ipsum promereatur; non Deum colit, sed illud quod assequi concupiscit.

XXI. *De occultis non judicandis.*

Prosp. ibid. v. 39. & legitur in epist. 1. Zephyrini papæ.

De occultis cordis alieni temere judicare peccatum est; & eum, cujus non videntur opera nisi bona, iniquum est ex suspicione reprehendere: cùm eorum, quæ homini sunt abscondita, solus Deus judex sit justus, qui & inspector est verus.

XXII. *De adjutorio Dei.*

Prosp. ibid. v. 59. & est canon 9. concilii Arausic. 2.

Divini est muneris, cùm & recta cogitamus, & pedes
F nostros à falsitate & injustitia continemus. Quotiens enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.

XXIII. *De passionibus sanctorum.*

Prosp. ibid. v. 62.

Justo judicio Dei datur plerumque peccatoribus potestas, qua sanctos ipsius persequantur: ut illi qui Spiritu Dei juvantur & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores.

XXIV. *De scientia boni.*

Ibid. v. 76. & 77.

Non est vera scientia boni, nisi ad hoc comprehendatur, ut

A ut agatur. Non enim utiliter meditatur legem Dei, qui laborat ut memoriâ teneat, quod actione non implet.

XXV. *De amore legis.*

Ibid. v. 113. Qui legem Dei diligit, probat se in hominibus iniquis id quod contra legem est odisse, non homines.

XXVI. *De scrutandis mandatis Dei.*

Ibid. v. 115. Mandata Dei scrutari, nisi quieta mens, non potest. Ut ergo religiosum exerceatur studium, abigenda sunt jurgia malignorum.

XXVII. *De proficiendo.*

Ibid. v. 125. Nemo tam eruditus, nemo tam doctus est, qui superna illustratione non egeat. Non enim ita ulla divinorum B bonorum augmenta sufficiunt, ut non semper supersit quod mens rationalis & intelligendum desideret, & gerendum.

XXVIII. *De duplici opere Dei.*

Ibid. v. 151. Si omnes homines simul consideremus, quorum alii misericordiâ salvi fiunt, alii veritate damnantur; universæ viæ Domini, id est, misericordia & veritas, suo fine distinctæ sunt. Si autem solos sanctos intueamur, non discernuntur hæ viæ Domini: individua enim ibi est & à misericordia veritas, & à veritate misericordia; quia beatitudo sanctorum & de munere gratiæ est, & C de retributione justitiæ.

XXIX. *De observantia pacis.*

Ejusd. Prosp. in Psal. 119. v. 7. Christianæ perfectionis est, pacificum esse etiam cum pacis inimicis, spe correctionis, non consensu malignitatis: ut si nec exemplum, nec cohortationem dilectionis sequantur; caussas tamen non habeant, quibus odisse nos debeant.

XXX. *De custodia Dei.*

Ejusd. in Psal. 1[illegible], v. 7. Custodit nos Dominus ab omni malo, non ut nihil patiamur adversi, sed ut ipsis adversitatibus anima non lædatur. Cùm enim tentatio adest, fit quidam in id quod nos impugnat, introitus: & cùm bono fine, id est, sine D vulnere animæ, tentatio consummatur; ad æternam requiem de profundo temporalis laboris exitur.

XXXI. *De adjutorio Dei.*

Ejusd. in Psal. 1[illegible], v. 4. Ad cælestis Jerusalem non adscendunt consortium, nisi qui toto corde profitentur, non proprii operis, sed divini esse muneris quòd adscendunt.

XXXII. *De odiis mundi in Christianos.*

Ejusd. in Psal. 1[illegible], v. 3. Omnes qui in Christo piè volunt vivere, necesse est ut ab impiis & dissimilibus patiantur opprobria; & despiciantur tamquam stulti & insani, qui præsentia bona perdant, & invisibilia sibi ac futura promittant. Sed hæc E despectio & irrisio in impios retorquebitur, cùm & abundantia eorum in egestatem, & superbia transierit in confusionem.

XXXIII. *De patientia fidelium.*

Ejusd. in Psal. 1[illegible]3. v. 3. Tota fidelium salus, tota patientiæ fortitudo, ad eum qui in sanctis suis est mirabilis, referenda est: quia nisi in illis Dominus esset, furori impiorum fragilitas humana succumberet.

XXXIV. *De obsequiis debitis.*

Ejusd. in Psal. 124. v. 3. Ita & à plebibus principes, & à servis domini sunt ferendi, ut sub exercitatione tolerantiæ sustineantur temporalia, & sperentur æterna. Auget enim meritum virtutis, quod propositum non violat religionis. F

XXXV. *De toleranda varietate mundana.*

Ibid. v. 4. Recti corde de præceptis Dei & constitutionibus non queruntur: quia justum est omnia æquanimiter accipi, quæ judicaturus voluit tolerari.

XXXVI. *De ædificatione domûs Dei.*

Ejusd. in Psal. 126. v. 1. Omnis sancti ædificii status, sicut Deo [a] operante proficit, ita Deo custodiente consistit. Quoniam tunc utilis præpositorum custodia est, cùm Spiritus Dei populo suo præsidet, & non solùm greges, sed etiam ipsos dignatur custodire pastores.

XXXVII. *De æternis gaudiis.*

Ejusd. in Psal. 127. v. 5. G Æternæ civitatis æterna sunt gaudia, & stantium dierum perpes infinitas nec variabitur, nec labetur: quia incommutabili pace potientur, quorum omnium erit bonum, quod fuerit etiam singulorum.

XXXVIII. *De lege caritatis.*

Ejusd. in Psal. 129. v. 4. Lex Christi perfectio caritatis est, qua Deus proximusque diligitur, & per quam dicitur Conditori legis, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Bene enim exspectat promissionem Dei, qui mandata ejus exsequitur: nec frustra sperat parcendum peccatis suis, qui ignoscit alienis.

XXXIX. *De jussionibus Dei.*

Nihil Deus jubet quod sibi prosit, sed illi cui jubet. Ideo verus est Dominus, qui servo non indiget, & quo servus indiget. Ex Aug. epist. 138. ad Marcellinum, n. 6.

XL. *De temporali scientia.*

Id quod in tempore novum est, non est novum apud Deum, qui condidit tempora, & sine tempore habet omnia, quæ suis quibusque temporibus pro eorum varietate distribuit. Ibid. n. 7.

XLI. *De providentia Dei.*

Mutabilium dispositionem immutabilis ratio continet, ubi sine tempore simul sunt, quæ in temporibus non simul fiunt, quia tempora non simul currunt. Ibid. n. 8.

XLII. *De impunitate peccantium.*

Nihil infelicius est felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur. Ibid. n. 14.

XLIII. *De legis littera.*

Legis littera, quæ docet non esse peccandum, si spiritus vivificans desit, occidit: scire enim peccatum facit potiùs quàm caveri; & ideo magis augeri quàm minui, quia malæ concupiscentiæ etiam prævaricatio legis accedit. Ex lib. de spiritu & littera. cap. 5. & 14.

XLIV. *De lege & gratia.*

Lex data est, ut gratia quæreretur: gratia data est, ut lex impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur, sed vitio prudentiæ carnis: quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit. Ibid. cap. 19.

XLV. *De promissione Dei.*

Hoc promittit Deus, quod ipse facit. Non enim ipse promittit, & alius facit: quod jam non est promittere, sed prædicere. Ideo non ex operibus, sed ex vocante: ne ipsorum sit, non Dei; & merces non imputetur secundùm gratiam, sed secundùm debitum; atque ita gratia jam non sit gratia. Ibid. cap. 24.

XLVI. *De fidelium culpis, & infidelium bonis.*

Sicut non impediunt ab æterna vita justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. Ibid. cap. 27.

XLVII. *De malæ voluntatis effectu.*

Cùm voluntas mala potestatem accipit, ut efficiat quod cupit; ex judicio Dei venit, apud quem non est iniquitas. Punit enim etiam isto modo: nec ideo injustè, quia occultè. Ceterùm iniquus puniri se ignorat, nisi cùm manifesto supplicio senserit nolens, quantum mali sit quod perpetravit volens. Ibid. cap. 30.

XLVIII. *De superbia.*

Omnia vitia in malefactis tantummodo valent: sola superbia etiam in rectè factis cavenda est. Ex Aug. lib. de natura & gratia cap. 27.

XLIX. *De impare usu fortunæ.*

Interest plurimum qualis sit usus, vel earum rerum quæ prosperæ, vel earum quæ dicuntur adversæ. Nam bonus temporalibus nec bonis extollitur, nec malis frangitur: malus autem ideo hujusmodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Ex lib. 1. de civitate Dei cap. 8.

L. *De morte sanctorum.*

Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit. Non enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multùm curandum necessariò morituris quid accidat ut moriantur, sed moriendo quò ire cogantur. Ibid. cap. 11.

LI. *De puritate quam non perdit invitus.*

Ita non amittitur corporis sanctitas manente animi sanctitate, etiam corpore oppresso; sicut amittitur sanctitas corporis violata animi puritate, etiam corpore intacto. Ibid. cap. 18.

LII. *De fortitudine tolerantiæ.*

Major animus meritò dicendus est, qui vitam ærumnosam magis eligit ferre quàm fugere; & humanum judicium, maximéque vulgare, quod plerumque caligine erroris involvitur, præ conscientiæ luce ac puritate contemnere. Ibid. cap. 22.

[a] Colbertinus codex MS. *cooperante*: ac infrà loco, *custodia est* habet, *ordo est*.

LIII. *De humilitate justorum.*

Ex lib. 4. de civitate Dei. cap. 3. Justis quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non pœna est criminis, sed virtutis examen. Nam bonus etiam si serviat, liber est: malus autem, & si regnet, servus est; nec unius hominis, sed, quod gravius, tot dominorum, quot vitiorum.

LIV. *De oblatione votorum.*

Ex lib. 17. de civitate Dei cap. 4. & est canon 11. concilii secundi Arausic. Nemo quidquam Domino rectè voveret, nisi ab ipso acciperet quod voveret.

LV. *De essentia Deitatis.*

Ex lib. 14. de civitate Dei c. 11. & est can. 12. concil. Arausicani. Omnis substantia quæ Deus non est, creatura est; & quæ creatura non est, Deus est. Nulla ergo differentia est in deitate Trinitatis: quoniam quod Deo minus est, Deus non est.

LVI. *Quales nos diligat Deus.*

Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono; non quales sumus nostro merito.

LVII. *De temporali opere Dei.*

Ordo temporum in æterna Dei sapientia sine tempore est, nec aliqua sunt apud illum nova, qui fecit quæ futura sunt.

LVIII. *De principali rerum omnium caussa.*

Ex lib. 3. de Trinit. cap. 4. Voluntas Dei est prima & summa caussa omnium corporalium spiritaliumque motionum. Nihil enim fit visibiliter & sensibiliter, quod non de invisibili & intelligibili summi imperatoris aula aut jubeatur, aut permittatur, secundùm ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica.

a [a] LIX. *De superbia diaboli, & Christi humilitate.*

Ex lib. 4. de Trinit. cap. 10. Diabolus superbus hominem superbientem perduxit ad mortem: Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam: quia sicut ille elatus cecidit, & dejecit consentientem; sic iste humiliatus surrexit, & erexit credentem.

LX. *De spiritalibus augmentis.*

Ex lib. 6. de Trinit. cap. 8. In rebus spiritalibus cùm minor majori adhæret, sicut Creatori creatura, illa fit major quàm erat, non ille: & hoc est majus esse, quod est melius esse: quia adhærens creatura Creatori, non mole auctior, sed virtute fit major.

LXI. *De ineffabili excellentia Deitatis.*

Ex lib. 8. de Trinit. cap. 2. Excedit supereminentia deitatis non solùm usitati eloquii nostri, sed etiam intelligentiæ facultatem. Veriùs enim cogitatur Deus, quàm dicitur; & veriùs est, quàm cogitatur. Non parva autem notitiæ pars est, si ante quàm scire possumus quid sit Deus, possimus scire quid non sit.

LXII. *De vera beatitudine.*

Ex lib. 13. de Trinit. cap. 5. Omnes beati habent quod volunt; quamvis non omnes qui habent quod volunt, continuò sint beati. Continuò autem sunt miseri, qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non rectè volunt. Propior ergo beatitudini voluntas recta, etiam non adepta quod cupit, quàm prava, etiam si quod cupit obtinuit.

LXIII. *Quid sit esse cum Deo.*

Ex lib. 14. de Trinit. cap. 12. Magna hominis miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo est enim, sine dubio sine illo non est: & tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit, neque diligit, cum eo non est.

LXIV. *De incarnatione Verbi Dei.*

V. Aug. in Psal. 118. ser. 16. n. 6. & ser. 19. n. 6. Divinitas Verbi æqualis Patri, facta est particeps mortalitatis nostræ, non de suo, sed de nostro: ut & nos efficeremur participes divinitatis ejus, non de nostro, sed de ipsius.

LXV. *Qui odio odiendi sunt mali.*

Prosp. in Psal. 138. v. 22. Confer. lib. 14. de civit. Dei c. 6. Perfectum odium est, quod nec justitiâ, nec scientiâ caret: id est, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Rectè ergo in malis odimus malitiam, & diligimus creaturam: ut nec propter vitium natura damnetur, nec propter naturam vitium diligatur.

LXVI. *De labore fingentium mendacia.*

V. Aug. in Psal. 139. n. 13. Difficilia & laboriosa sunt figmenta mendacii. Qui autem verum vult dicere, non laborat: quietiores enim sunt boni, quàm mali; & absolutiora sunt verba veridicorum, quàm commenta fallacium.

LXVII. *De divinis scripturis.*

Bonæ sunt in scripturis sanctis mysteriorum profunditates, quæ ob hoc teguntur, ne vilescant; ob hoc quæruntur, ut exerceant; ob hoc autem aperiuntur, ut pascant. *Aug. in Psal. 140. n. 1.*

LXVIII. *De oratione Domini.*

Orans cum sudore sanguineo Dominus Jesus Christus, significabat de toto corpore, quod est Ecclesia, emanaturas Martyrum passiones. *Vide ibid. n. 4. & in Psal. 85. n. 1.*

LXIX. *De sacramentorum perceptione.*

Sacramentum pietatis in judicium sibi sumit indignus. Bene enim esse non potest malè accipienti quod bonum est. *Aug. in Psal. 142. n. 16.*

LXX. *De laudando Deum.*

Qui laudat Deum in miraculis beneficiorum, laudet etiam in terroribus ultionum. Nam & blanditur, & minatur. Si non blandiretur, nulla esset exhortatio: si non minaretur, nulla esset correctio. *Prosp. in Psal. 144. v. 5. ex Aug. in eumd. Psal. n. 8.*

LXXI. *De acceleranda conversione.*

Remedia conversionis ad Deum, nullis sunt cunctationibus differenda; ne tempus correctionis pereat tarditate. Qui enim pænitenti promisit indulgentiam, dissimulanti diem crastinum non spopondit. *Vide Aug. ibid. n. 11.*

LXXII. *De humilitate orandi.*

Rectus est, & bene invocat Deum, qui in omnibus malis quæ patitur, se accusat, non Deum; & in bonis quæ facit, non se laudat, sed Deum. Sicut enim repellit Deus peccata sua defendentem, sic recipit confitentem. *Vide ibid. n. 22.*

LXXIII. *De admiratione creaturarum.*

Mirabilis est fabrica mundi, sed mirabilior fabricator. Et malè occupatur creatis, qui à Creatore discedit: qui si hæserit superiori, inferiora calcabit; ne quod dilexerit contra naturam, convertatur in pœnam. *V. Aug. in Psal. 145. n. 5.*

LXXIV. *De anima inordinata.*

Anima rationalis superioribus inferiora præponens, non potest regere quod regebat: quia regi noluit, à quo regebatur. *Aug. ibid. n. 5.*

LXXV. *De pœna peccati.*

Corpus carnis nostræ ornamentum nobis fuit: peccavimus, & compedes inde accepimus, ut vinculis mortalitatis omnis humanarum actionum cursus præpediretur. *Ibid. n. 17.*

LXXVI. *De ratione psallentium.*

Rectè in Dei laudem psallit, cujus opera cum voce concordant. Nam finito carmine, vox tacet: vita autem in bonis actibus permanens, numquam reticet ejus gloriam, quem in se gaudet operari. *Vide Aug. in Psal. 146. n. 2.*

LXXVII. *De timore.*

Omnia quæ timentur, rationabiliter declinantur: Deus [b] sic timendus est, ut ab ipso ad ipsum confugiatur. *Vide ibid. n. 10.*

LXXVIII. *De recta sollicitudine.*

Sicut præpostera securitas in periculum impellit: ita ordinata sollicitudo securitatem parit. *Ex Aug. in Psal. 147. n. 3.*

LXXIX. *De virginitate.*

Virginitas, carnis corpus intactum: virginitas animæ, fides incorrupta. *Ibid. n. 10.*

LXXX. *De modo habendi.*

Multa nos in facultatibus nostris superflua habere probabimur, si necessaria sola retineamus. Nam vana quærentibus nihil sufficit, & alienorum quodam modo retentor est, qui profutura pauperibus inutiliter habet. *Prosp. in Psal. 147. v. 5. hausit ex Aug. serm. in Psal. 147. n. 12.*

LXXXI. *De cogitationibus.*

Quomodo aures nostræ ad voces nostras, sic aures Dei ad cogitationes nostras. Non potest autem fieri, ut in mala opera exeant cogitationes bonæ: quoniam hoc actione promitur, quod corde concipitur. *Ex Aug. in Psal. 148. n. 2.*

LXXXII. *De cantico novo.*

Sicut veteris hominis vetus canticum ad temporalia, sic novi hominis novum canticum pertinet ad æterna; & ita unusquisque cantat, ut vivit. Novum autem canticum, carmen est fidei quæ per dilectionem operatur. *Vide eumd. in Psal. 149. n. 1.*

LXXXIII. *De vera humilitate.*

Vera fidelium humilitas est, in nullo superbire, in nullo murmurare; nec ingratum esse, nec querulum; sed in omnibus Dei judiciis gratias Deo agere, Deumque laudare, cujus omnia opera aut justa sunt, aut benigna.

LXXXIV. *De desperantibus.*

Nimis miser est, qui non sperat in Deo, & de se sibi *V. Aug. in*

[a] Hoc loco MS. cod. Colbertinus sententiam illam addit: *De finibus malorum & bonorum. Scire volens in qua rerum sis parte locandus, Discute quid timeas, quidve sit id quod amas.* Sumta est ex libro epigrammatum Prosperi c. 59.

[b] Colbertinus cod. addit, *Vere prudentis est, mundanis adversa cavere.* Initium est Prosperiani epigrammatis 73.

Pſal. 33. Enarrat. 2. n. 13. ſecunda promittit: cùm ex eo ipſo quòd non quærat Dei auxilium, ab omni ſpe veræ ſalutis exciderit.

LXXXV. *De divitiis.*

V. ibid. n. 15. In magna egeſtate ſunt, qui de iniquitate ſunt divites, juſtitiæ opes & ſapientiæ theſauros non habent: qui autem Domino ſerviunt, ea bona adquirunt, quæ perire non poſſunt.

LXXXVI. *De vera bonitate.*

V. ibid. n. 19. Non ſufficit abſtinere à malo, niſi fiat quod bonum eſt; & parum eſt nemini nocere, niſi ſtudeas multis prodeſſe.

LXXXVII. *De mali impunitate.*

V. ibid. n. 21. Peccator qui peccat, non ideo à Domino non videtur, quia malè agentis pœna differtur: graviùs autem in eum decernitur, cui etiam ipſa correctio denegatur.

LXXXVIII. *De bono humilitatis.*

V. ibid. n. 23. Non acceditur ad altitudinem Dei, niſi per humilitatem: & cui propinquat ſubditus, longè ab eo recedit elatus.

LXXXIX. *De ſepultura.*

V. ibid. n. 25. Sicut peccatoribus divitibus nihil proſunt exſequiæ ſumtuoſæ: ita nihil nocent aut viles, aut nullæ ſanctorum pauperum ſepulturæ.

XC. *De gaudio recto.*

Non poteſt umquam fraudari delectationibus ſuis, cui Chriſtus eſt gaudium. Æterna enim exſultatio eſt, quæ bono lætatur æterno.

XCI. *Quid hominem Deo jungat.*

V. Aug. in Pſal. 34. ſerm. 2. n. 6. Deo, qui ubique eſt, non locis, ſed actionibus, aut longinqui, aut proximi ſumus: quia ſicut ſeparat diſſimilitudo, ita nos illi conjungit imitatio.

XCII. *De bono prœlio.*

V. Aug in Pſal. 35. n. 6. Humanæ ægritudinis eſt, in carne mortali delectationem habere peccandi: ſed diſcipulus amatorque virtutum, non pacem huic concupiſcentiæ tribuere, ſed bellum debet indicere.

XCIII. *De ſpe fidelium.*

Non te terreat, Chriſtiane, quòd credita differuntur: licèt in abſcondito ſit promiſſio, in ſpe tamen perſeveret oratio. Exercere operibus, creſce virtutibus. Dum fidei conſtantia probatur, gloria retributionis augetur.

XCIV. *De temporibus.*

Omne tempus malorum puſillum eſt. Quid enim tam exiguum, quàm quod in hoc tendit, ut non ſit?

XCV *De caritatis augmento.*

Creſcit ſemper caritatis facultas, dum uſu major, & largitate fit ditior.

XCVI. *De defectu malorum.*

Malorum impietatem perire neceſſe eſt, aut proprio judicio, aut ſententiâ Dei. Nulla enim iniquitas permanet, cui finem aut correctio, aut damnatio facit.

XCVII. *Unde adhæreatur Deo.*

Adhærens Deo & ſemper ejus faciens voluntatem, numquam à ſuo habitatore deſeritur: & ſi quædam dura atque adverſa patiatur, non relinquitur, ſed probatur.

XCVIII. *De juſtitia.*

Tota juſtitiæ ratio eſt, ut declinentur mala, & fiant bona: cujus obſervantiæ inter quaſlibet adverſitates forma ſervanda eſt: quia hoc ſolum numquam amittitur, quod operi pietatis impenditur.

XCIX. *De tolerantia.*

V. Aug. ſerm. 3. in Pſal. 36. n. 17. Tolerentur præſentia mala, donec veniat beatitudo promiſſa. Suſtineantur à fidelibus infideles, & exortorum inter frumenta zizaniorum avulſio differatur. Quantumlibet ſæviant impii, melior eſt etiam in hoc tempore cauſſa juſtorum, qui quanto acriùs impetuntur, tanto glorioſiùs coronantur.

C. *Quid ſit clamor ad Deum.*

V. Aug. in Pſal. 37. n. 14. Clamor ad Deum eſt intentio cordis, & flagrantia dilectionis: quia ſemper petitur, quod ſemper optatur. Hoc autem Deo abſconditum non eſt; quoniam ad ipſum redit, quod ab ipſo proceſſit.

CI. *De confitendo peccato.*

V. ibid n. 24. Bona eſt peccati confeſſio, ſi & curatio conſequatur. Nam quid prodeſt detegere plagam, & non adhibere medicinam?

CII. *De perfectione.*

In hac vita, quæ tota tentatio eſt, etiam in ſublimiſſimis ſanctis non apprehenditur illa perfectio, cui non

A ſuperſit adſcenſio.

CIII. *De laboribus præſentis vitæ.*

Dum præſentis vitæ curſus agitur, etiam ſi valde proficiat cujus exterior homo corrumpitur, & interior renovatur; neceſſe eſt tamen, ut dum conditioni ſubjacet mortis, labores toleret vetuſtatis. *V. Aug. in Pſal. 38. n. 8. & 9.*

CIV. *Quòd imago Dei homo ſit nunc obnoxia vanitati.*

Imago quidem Dei eſt homo, & qui per juſtitiæ ambulat vias, ad ſimilitudinem ſui tendit auctoris: & tamen dum in hac vita degit, conturbationes vanitatis incurrit. *V. ibid. n. 11.*

CV. *De eruditione divina.*

B Prima divini muneris gratia eſt, ut erudiat nos ad noſtræ humilitatis confeſſionem, & agnoſcere faciat, quòd ſi quid boni agimus, per illum poſſumus, ſine quo nihil poſſumus. *Aug. ibid. n. 18.*

CVI. *Quòd tota infidelium vita peccatum ſit.*

Omnis infidelium vita peccatum eſt; & nihil eſt bonum ſine ſummo bono. Ubi enim deeſt agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falſa virtus eſt, etiam in optimis moribus.

CVII. *De fundamento ſpiritali.*

Sicut fundamentum corporeæ fabricæ in imo eſt; ita C fundamentum fabricæ ſpiritalis in ſummo eſt. Terrena ædificatio à terra incipit, cæleſtis exſtructio à ſuperno creſcit exordio.

CVIII. *Quòd recordatio vel oblivio non cadant in Deum.*

Tunc dicitur Deus meminiſſe, quando facit: tunc oblivviſci, quando non facit. Nam neque oblivio cadit in Deum, quia nullo modo mutatur; neque recordatio, quia nihil obliviſcitur. *Ex Enar. in Pſal. 87. n. 5.*

CIX. *Qui Dei miracula videant.*

Hi vident mirabilia Dei, quibus proſunt. Nam quod non intelligitur, vel unde non proficitur, non videtur. *Vide ibid. n. 10.*

CX. *De miſericordia & veritate jungendis.*

D Non auferat veritas miſericordiam, nec miſericordia impediat veritatem. Si enim pro miſericordia judicaveris contra veritatem, aut quaſi rigida veritate oblitus fueris miſericordiam, non ambulabis in via Domini, in qua miſericordia & veritas obviaverunt ſibi. *Ex ſer. 1. in Pſal. 88. n. 25.*

CXI. *De tentatione & imitatione Chriſti.*

Tentatio Chriſti, eruditio Chriſtiani eſt. Imitatores enim magiſtri debent eſſe diſcipuli; non in faciendis miraculis, quæ nemo exigit; ſed in cuſtodienda humilitate atque patientia, ad quæ nos Dominus ſuo invitavit exemplo. *Vide ſer. 1. in Pſal. 90. n. 1.*

CXII. *De cupiditate & caritate.*

E Quomodo radix omnium malorum cupiditas eſt, ſic radix omnium bonorum eſt caritas. *Ibid. n. 8.*

CXIII. *De gaudio Chriſtiani.*

Chriſtiano rectè gaudendi cauſſa non præſens ſæculum, ſed futurum eſt: & ita eſt utendum temporalibus, ne obſint æternis; ut in via, qua peregrini ambulant, hoc placeat quod ducit ad patriam.

CXIV. *De ſabbato.*

Malè celebrat ſabbatum, qui ab operibus bonis vacat. Otium autem ab iniquitate debet eſſe perpetuum: quia bona conſcientia non inquietum, ſed tranquillum F facit. *Vide Enar. in Pſal. 91. n. 2.*

CXV. *Bonum cum gaudio eſt faciendum.*

Cùm bonum operaris, hilaris operare. Nam ſi quid boni triſtis feceris, fit de te magis, quàm facis. *Aug. ibid. n. 5.*

CXVI. *Quòd non homines, ſed hominum ſit fugienda perverſitas.*

Si in mores malorum non tranſeant boni, etiam inter cohabitantes magna diviſio eſt. Non ergo homines, qui meliorum exemplo corrigi queunt, ſed hominum eſt fugienda iniquitas.

CXVII. *Quòd ſint vitanda peccata non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ.*

G Eam Deus innocentiam probat, qua homo non metu pœnæ fit innocens, ſed amore juſtitiæ. Nam qui timore non peccat, quamvis non noceat cui vult nocere, ſibi tamen plurimùm nocet; & abſtinens ab iniquo opere, ſola tamen reus eſt voluntate. *Ex Enar. in Pſal. 93. n. 1.*

CXVIII. *De phariſæo & publicano.*

Melior eſt in malis factis humilis confeſſio, quàm in bonis ſuperba gloriatio. *Ibid. n. 15.*

CXIX. *Quòd iniqui malitia prosit bonis.*

Ibid. n. 25. De malitia mali flagellatur bonus; & de servo emendatur filius.

CXX. *De mundana iniquitate.*

Ibid. n. 29. & legitur in epist. 1. Zephyrini papæ. Sicut stellas cæli non exstinguit nox: sic mentes fidelium, adhærentes firmamento sanctæ scripturæ, non obscurat mundana iniquitas.

CXXI. *De propria facultate.*

Ex Enar. in Psal. 98. n. 7. Ad peccandum homo abundat propria facultate: ad agendum autem bonum non sibi sufficit, nisi ab illo justificetur, qui solus justus est.

CXXII. *De contrariis moribus.*

Ibid. n. 11. Magnus bonorum labor est, mores tolerare contrarios: quibus qui non offenditur, parum proficit. Tantum enim torquet justum iniquitas aliena, quantum recedit à sua.

CXXIII. *Qualiter accedatur ad Deum, vel recedatur à Deo.*

Ex Enar. in Psal. 99. n. 5. Non locorum intervallis acceditur ad Deum, vel receditur ab eo: sed similitudo facit proximum, dissimilitudo longinquum. Et nimia miseria est, ab eo bono longè esse, quod ubique est.

CXXIV. *De vera libertate.*

Ibid. n. 7. Libera semper est servitus apud Deum, cui non necessitas servit, sed caritas.

CXXV. *De tolerantia.*

Ibid. n. 9. Qui ideo neminem vult hominem pati, quia multùm, ut arbitratur; proficit per hoc ipsum quòd alios non tolerat, ostendit quòd potiùs non proficit.

CXXVI. *De artifice summo.*

Ibid. n. 15. Totum bonum quod habemus, ab artifice nostro habemus. Sed si hoc in nobis est quod ipsi fecimus, inde damnabimur: si autem hoc quod Deus fecit, inde coronabimur.

CXXVII. *De Verbo Dei.*

Ex epist. 137. cap. 3. n. 10. Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, tempus præordinavit, quo susciperet carnem: non tempori cessit, quo verteretur in carnem. Homo quippe Deo accessit, non Deus à se recessit.

CXXVIII. *De fide & intellectu.*

Ibid. cap. 4. n. 15. Intellectui fides viam aperit, infidelitas claudit.

CXXIX. *De homine victo.*

Ex Enar. in Psal. 7. n. 4. Quo primùm vitio superatus est homo, hoc ultimum vincit. Cùm enim omnia peccata superaverit, manet periculum, ne bene sibi mens conscia, in se potiùs, quàm in Domino glorietur.

CXXX. *De perfectione desideriorum.*

Ibid. n. 9. Finis curarum perfectio est desideriorum; & in id quisque tendit ac nititur, ut ad illud perveniat quo delectatur. Sapientis ergo est, hoc appetere, quod bonum facit; non id amare, quod decipit.

CXXXI. *De duobus donis gratiæ.*

Ibid. n. 10. Sicut duo sunt officia medicinæ, unum quo sanatur infirmitas, aliud quo custoditur sanitas: ita duo sunt dona gratiæ, unum quod aufert carnis cupiditatem, aliud quod facit animi perseverare virtutem.

CXXXII. *De laboris fine.*

Ibid. n. 16. Non poterit hominis labor finiri, nisi hoc diligat, quod ei non possit auferri.

CXXXIII. *De iniquitatis læsione.*

Ibid. n. 17. Impossibile est, ut iniquitas priùs lædat hominem justum in quem tendit, quàm cor injustum unde procedit.

CXXXIV. *De miraculis.*

Ex Enar. in Psal. 9. n. 2. Visibile miraculum ad illuminationem vocat: invisibile autem, eum, qui vocatus venit, illuminat. Omnia ergo narrat mirabilia Dei, qui credens visibilibus ad intelligenda invisibilia transitum facit.

CXXXV. *De fugientibus diabolum.*

Ibid. n. 4. Melior caussa est eorum, qui diabolum persequentem fugiunt, quàm qui præeuntem sequuntur: quia utilius est, eum hostem habere, quàm principem.

CXXXVI. *De pravis cupiditatibus.*

Ibid. n. 14. Omnes pravæ cupiditates sunt portæ inferi, per quas itur in mortem: cujus dominatum subit, qui adeptum se ad perfruendum lætatur, quod perditè concupivit.

CXXXVII. *De adulatione.*

Ibid. n. 21. Adulantium linguæ alligant animas in peccatis: delectat enim ea facere, in quibus non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam laudatur auditor.

A CXXXVIII. *De malè conscio animo.*

Animus malè sibi conscius dum videtur sibi nullam pœnam pati, credit quia non judicet Deus: cùm abuti patientiâ Dei, & non intelligere parcentis benignitatem, jam sit magna damnatio. *Ibid. n. 23.*

CXXXIX. *Quòd prior sit natura, quàm vitium.*

In creatura, quæ arbitrio suo peccat, prior est natura quàm vitium: quod ita contra naturam est, ut non possit nisi nocere naturæ. Non itaque esset vitium recedere à Deo, nisi naturæ, cujus hoc vitium est, potiùs competeret esse cum Deo. *Ex lib. 11. de civitate Dei, cap. 17.*

CXL. *De angelis & hominibus.*

B Nullum Deus vel angelorum, vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum usibus commodaret: atque ita ordinem sæculorum, quasi pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam antithetis honestaret. *Ex eod. lib. cap. 18.*

CXLI. *De conditione creaturæ.*

Tria quædam nobis maximè scienda de conditione creaturæ oportuit intimari: quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit. Dixit Deus, inquit, Fiat lux, & facta est lux; & vidit Deus lucem quòd bona esset. Si ergo quærimus, quis fecerit: Deus est. Si, per quid fecerit: Dixit, C & facta est. Si, quare fecerit: quia bona est. Nec auctor excellentior est Deo, nec ars efficacior Dei verbo; nec caussa melior, quàm ut bonum crearetur à bono. *Ex eod. lib. cap. 21.*

CXLII. *De bono & malo amore.*

Est amor, quo amatur & quod amandum non est: & istum amorem odit in se, qui illum diligit, quo amatur quod amandum est. Possunt enim ambo esse in uno homine: & hoc bonum est homini, ut illo proficiente quo bene vivimus, iste deficiat quo malè vivimus; donec ad perfectum sanetur, & in bonum commutetur omne quod vivimus. *Ex eod. lib. cap. 28.*

CXLIII. *De bono creaturæ.*

D Creaturæ rationalis vel intellectualis bonum, quo beata sit, non est nisi Deus: quod ei non ex se ipsa est; quia ex nihilo creata est: sed ex illo, à quo creata est. Hoc enim adepto fit beata, quo amisso misera. *Ex lib. 12. de civitate Dei, cap. 1.*

CXLIV. *De vitio naturæ.*

Vitium esse nec in summo potest bono, nec nisi in aliquo bono. Sola ergo bona alicubi esse possunt; sola autem mala nusquam. Quoniam naturæ etiam illæ, quæ ex malæ voluntatis initio vitiatæ sunt, in quantum vitiosæ sunt, malæ sunt: in quantum autem naturæ sunt, bonæ sunt. *Ex eod. lib. cap. 3.*

CXLV. *Quid credi debeat.*

E Non est fas credere, aliter affici Deum cùm vacat, aliter cùm operatur: quia nec affici dicendus est, tamquam in ejus natura fiat aliquid, quod antè non fuerit. Patitur quippe qui afficitur; & mutabile est omne quod patitur. Non ergo in Deo aut pigra vacatio, aut laboriosa cogitetur industria: quia novit & quiescens agere, & agens quiescere: & quod in operibus prius quidem est, aut posterius, non ad facientem, sed ad facta referendum est. Æterna enim est & incommutabilis voluntas ejus, nec consilio alternante variatur: in qua simul est quidquid in rebus creandis vel ordinandis, aut præcessit, F aut sequitur. *Ibid. cap. 17.*

CXLVI. *Quòd Deus tantùm est creator.*

Nullius, quamvis minimæ naturæ, nisi Deum creatorem credi aut dici licet ab aliquo. Quia etiam si angeli jussi vel permissi adhibeant operationem suam rebus, quæ gignuntur in mundo, tam non sunt creatores animalium, quàm nec agricolæ frugum atque arborum. *Ex eod. lib. cap. 24.*

CXLVII. *De prima conditione mortis.*

De prima corporis morte dici potest, quòd bonis bona sit, malis mala. Secunda verò sine dubio, sicut nullorum bonorum est, ita nulli bona. *Ex lib. 13. de civitate Dei, cap. 2.*

CXLVIII. *De morte piorum.*

G Mors etiam piorum, pœna peccati est: sed ideo bona ipsis dicitur, quia illâ bene utuntur, quibus finis est ad mala temporalia, & transitus ad vitam æternam. Sicut enim injustitia malè utitur non tantùm malis, verùm etiam bonis; ita etiam justitia bene utitur non tantùm bonis, verùm etiam malis. *Ibid. cap. 5.*

CXLIX. *De martyribus non baptizatis.*

Qui nondum percepto regenerationis lavacro pro Christi *Ibid. cap. 7.*

confessione

confessione moriuntur, tantum eis valet ad abolenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis.

Vide lib. 14. de civit. Dei cap. 4.

CL. *Quòd omne peccatum sit mendacium.*

Cùm homo secundùm se vivit, non secundùm Deum, similis est diabolo : quia nec angelo secundùm angelum, sed secundùm Deum vivendum fuit, ut staret in veritate, & veritatem de illius, non de suo mendacio loqueretur. Unde non frustra dicitur, omne peccatum esse mendacium.: quia non peccatur, nisi ea voluntate, quæ contraria est veritati, id est, Deo.

Ex lib. 14. de civitate Dei. cap. 6.

CLI. *De diversa voluntate affectionum.*

Diversitas humanæ affectionis, ex diversitate est voluntatis: quæ si prava est, perversis erit moribus inquieta; si autem recta, non solùm non culpabilis affectio hominis, sed etiam laudabilis erit.

Ibid. cap. 11.

CLII. *De arbitrii libertate vera.*

Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cùm vitiis peccatisque non servit. Tale datum est à Deo, quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Unde Veritas dicit, Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.

Ibid. cap. 13.

CLIII. *Quòd cor ad Deum sit habendum.*

Bonum est sursum habere cor, non tamen ad se ipsum, quod est superbiæ; sed ad Deum, quod est obedientiæ. Plus autem appetendo minus est, qui dum se sibi sufficere confidit, ab eo qui verè ei sufficit deficit.

Ibid. cap. 25.

CLIV. *De vita beata.*

Beata vita si non amatur, non habetur. Porrò si amatur, & habetur; ceteris omnibus rebus necesse est ut excellentiùs diligatur : quoniam propter hoc amandum est, quidquid aliud est amandum. Quia verò beatus esse non potest, nisi qui eam, ut dignum est, amat : consequens est, ut eam æternam velit; quæ tunc verè beata erit, quando terminum non habebit.

Ex lib. 15. de civitate Dei cap. 1.

CLV. *Solus Deus bonus.*

Non omnes quidem mali in hoc proficiunt ut sint boni: nemo tamen est, nisi ex malo, bonus.

Ibid. cap. 2.

CLVI. *De civibus terrenis.*

Cives terrenæ civitatis parit peccato vitiata natura, qui sunt vasa iræ. Cives verò cælestis patriæ parit à peccato naturam liberans gratia, qui sunt vasa misericordiæ.

Ibid. cap. 25.

CLVII. *De ira Dei.*

Ira Dei non perturbatio est ejus, sed judicium quo irrogatur pœna peccato. Cogitatio verò ipsius, & recogitatio, mutandarum rerum est incommutabilis ratio. Neque enim sicut hominem, ita Deum cujusquam facti sui pænitet, cujus de omnibus rebus tam fixa sententia, quàm certa est præscientia.

Ex lib. 18. de civitate Dei. c. 51.

CLVIII. *De persequentibus Ecclesiam.*

Inimici Ecclesiæ quolibet errore cæcentur, vel malitiâ depraventur, si accipiant potestatem corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam : si tantummodo malè sentiendo adversantur, exercent ejus sapientiam : & ut etiam inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam : quia Deus his, qui eum diligunt, omnia cooperatur in bonum.

Ex libro 19. de civitate Dei cap. 1.

CLIX. *De fine boni & mali.*

Finis boni est, non quo consumatur ut non sit, sed quo perficiatur ut plenum sit. Et finis mali est, non quo esse desinat, sed quò usque nocendo perducat. Unde unum est summum bonum, aliud autem summum malum: illud, propter quod appetenda sunt bona cetera, ipsum autem propter se ipsum; hoc, propter quod declinanda sunt mala cetera, ipsum autem propter summum.

Ex eodem lib. cap. 13.

CLX. *De natura.*

Est natura in qua nullum malum est, vel etiam nullum malum esse potest. Esse autem natura, in qua nullum bonum sit, non potest.

Ibidem.

CLXI. *De animi æquitate.*

Melior est animi æquitas, quàm corporis sanitas : & convenientiùs injustus dolet in supplicio, quàm lætatus est in delicto.

Ibid. cap. 14.

CLXII. *De præcepto caritatis.*

In præcepto caritatis tria invenit homo quæ diligat; Deum, & se, & proximum. Et quia ille in sui dilectione non errat, qui Deum diligit: consequens est, ut proximo ad diligendum Deum consulat, quem jubetur diligere sicut se ipsum.

CLXIII. *De concordia & obedientia.* *Ibidem.*

Pax domestica, est ordinata cohabitantium imperandi obediendique concordia. Imperant enim qui consulunt; sicut vir uxori, parentes filiis, domini servis. Obediunt autem quibus consulitur; sicut mulieres maritis, filii parentibus, servi dominis. Sed in domo justi viventis ex fide, & ab illa adhuc civitate peregrinantis, etiam qui imperant, serviunt eis quibus videntur imperare : quia non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbiâ, sed providendi beneficentiâ.

CLXIV. *De conditione servitutis.* *Ibid. cap. 15.*

Nomen, & conditionem servitutis culpa genuit, non natura; & prima hujus subjectionis caussa peccatum est, quia sicut scriptum est, Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Unde melior ejus status est, qui famulatur homini, quàm qui suæ servit cupiditati.

CLXV. *De prælatis.* *Ibid. cap. 16.*

Veri patres-familias subditis suis, tamquam filiis, ad colendum & promerendum Deum consulunt, desiderantes venire ad cælestem domum, ubi imperandi necessarium non sit officium : quò donec veniatur, magis debent patres quòd dominantur, quàm servi tolerare quòd serviunt.

CLXVI. *De regimine populi.* *Ibid. cap. 19.*

Locus superior, sine quo regi populus non potest, etiamsi ita sit tenendus, atque administrandus, ut decet : tamen indecenter appetitur. Unde otium sanctum quærit dilectio veritatis : negotium justum suscipiat necessitas dilectionis.

CLXVII. *De vita animæ.* *Ibid. cap. 25.*

Sicut non est à carne, sed supra carnem, quod eam facit vivere; sic non est ab anima, sed supra animam, quod eam facit beatè vivere : quia ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est.

CLXVIII. *De venia.* *Ibid. cap. 27.*

Justitia nostra quamvis vera sit, propter verum boni finem, ad quem refertur; tamen tanta est in hac vita, ut potiùs remissione peccatorum constet, quàm perfectione virtutum.

CLXIX. *De plena pace.* *Ibidem.*

Quamdiu vitiis repugnatur, plena pax non est: quia & illa quæ resistunt, periculoso debellantur prœlio; & illa quæ victa sunt, nondum securo triumphantur otio, sed adhuc sollicito premuntur imperio.

CLXX. *De prima & secunda morte.* *Ex lib. 21. de civitate Dei cap. 3.*

Prima mors animam nolentem pellit è corpore, secunda animam nolentem tenet in corpore. Ab utraque morte communiter id habetur, ut quod non vult anima, de suo corpore patiatur.

CLXXI. *De caussis incognitis.* *Ex eod. lib. cap. 5.*

Incognitis caussis operum divinorum, nonnihil novimus, cùm scimus non sine ratione Omnipotentem facere, unde infirmus humanus animus rationem non potest reddere.

CLXXII. *De negligentiis.* *V. Enchirid. cap. 110.* ** Ex lib. 1. Confess. cap. 12.*

Frustra sibi homo post hoc corpus promittit, quod in hoc corpore comparare neglexit. * Nemo invitus bene facit, etiam si bonum est quod facit: quia nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus caritatis.

CLXXIII. *De humana societate.* *Ex lib. 3. Confess. cap. 8.*

Sicut in potestatibus societatis humanæ major potestas minori ad obediendum præponitur; ita Deus omnibus.

CLXXIV. *De diligendo Deo.* *Ex lib. 4. Confess. cap. 6.*

Beatus qui diligit Deum, & amicum in Deo, & inimicum propter Deum. Solus enim nullum carum amittit, cui omnes in illo cari sunt, qui numquam à non dimittente amittitur.

CLXXV. *De non corrumpendis.* *Ex lib. 7. Confess. cap. 12.*

Manifestum est, quoniam bona sunt quæ corrumpuntur; quæ neque, si summa bona essent, corrumpi possent : quia si summa bona essent, incorruptibilia essent; si autem nulla bona essent, quid in eis corrumperetur non esset.

CLXXVI. *De incommutabili Deo.* *Vide ibid.*

Cùm Deus incommutabiliter bonus omnes creaturas fecerit bonas, nec ulla omnino nisi ab ipso sit creata natura; nulla est substantia mali: quia quod auctorem Deum non habet, non est : ita vitium corruptionis nihil est aliud, quàm inordinatæ vel desiderium vel actio voluntatis.

CLXXVII. *Quòd justitia iniquis odiosa sit.*

Ibid. cap. 16.

Sicut palato non sano pœna est cibus, qui sano suavis est; & oculis ægris odiosa lux, qua incolumis gaudet obtutus: ita displicet iniquis justitia Dei, cui si subjicerentur, non * conturbarentur.

** al. minuerentur.*

CLXXVIII. *De ægritudine animi.*

Ex lib. 8. Confess. cap. 9.

Ægritudo animi rationalis est, cùm bonis inferioribus delectatus, superiora ex parte appetit, & ex parte non appetit. Ideoque in duas dividitur voluntates: cùmque una est, tota non est; & hoc adest uni, quod deest alteri.

CLXXIX. *De homine religioso.*

Ex lib. 9. Conf. cap. 9. n. 21. & legitur in epist. 1. Calisti 1. papæ.

Homini benigno parum esse debet inimicitias aliorum non excitare vel augere malè loquendo, nisi eas etiam exstinguere bene loquendo studeat.

CLXXX. *De veritate odiosa.*

Ex lib. 10. Conf. cap. 23.

Beata vita est gaudium de veritate, quod Deus est: sed multis veritas odiosa est, quam audire nolunt docentem; & nolentes falli, volunt mendacia sua veritatem videri. Quibus justè retribuitur, ut ipsi veritatem non lateant, ipsos autem lateat veritas.

CLXXXI. *De forti patientia.*

Ibid. cap. 28.

Nemo quod tolerat amat, etiam si tolerare amat: quia aliud est fortis patientia, aliud secura felicitas: nec ejusdem est temporis labor pugnæ, & beatitudo victoriæ.

CLXXXII. *De copiosa egestate.*

Ex lib. 12. Conf. cap. 1.

Ideo plerumque in sermone copiosa est egestas humanæ intelligentiæ, quia plus loquitur inquisitio, quàm inventio; & longior est petitio, quàm impetratio.

CLXXXIII. *De æternitate.*

Ibid. cap. 11.

Vera æternitas Dei est, qui solus habet immortalitatem: quoniam ex nulla specie motuve mutatur, nec temporalis est voluntatis. Non enim immortalis est voluntas, quæ alia, & alia est.

CLXXXIV. *De non desperandis peccatoribus.*

Ex Enarratione in Psal. 39. n. 8.

Non est desperandum de malis; sed pro ipsis, ut boni fiant, studiosiùs supplicandum: quia numerus sanctorum de numero semper est auctus impiorum.

CLXXXV. *Qualiter pax à Deo quæratur.*

Ibid. n. 16.

Quærens à Deo pacem, sit sibi ipse pacatus; ne aliud in professione oris, aliud sit in cordis arcano. Nihil enim prodest hoc esse in corde quod verum est, si hoc dicitur voce quod falsum est: quia veritas & credenda est, & loquenda.

CLXXXVI. *Ne justè flagellatus doleat.*

Ex Enar. in Psal. 40. n. 5.

Non conqueratur homo, quando in his quæ justè habet, patitur aliquas adversitates: per amaritudinem enim inferiorum docetur amare meliora; ne viator tendens ad patriam, stabulum pro domo diligat.

CLXXXVII. *Ut peccator sibi displiceat.*

Ex Enar. in Psal. 41. n. 12.

Bene currit ad remissionem peccatorum, qui displicet sibi. Apud judicem enim justum & misericordem qui se accusat, excusat.

CLXXXVIII. *De quærendis præsidiis.*

Vide ibid. n. 16.

In tranquillitate pacis comprehendenda est doctrina sapientiæ, quæ inter tribulationum turbines difficulter agnoscitur: nec facilè inveniuntur in adversitate præsidia, quæ non fuerint in pace quæsita.

CLXXXIX. *De altari Dei.*

Ex Enar. in Psal. 42. n. 5.

Ad altare Dei invisibile, quò non accedit injustus, ille pervenit, qui ad hoc præsens justificatus accedit. Inveniet enim illic vitam suam, qui hîc discreverit caussam suam.

CXC. *De lege.*

V. Enar. in Psal. 45. n. 1.

Finis legis Christus est, in quo lex justitiæ non consumitur, sed impletur. Omnis enim perfectio in ipso est: ultra quem non est, quò se spes fidei & caritatis extendat.

CXCI. *De mala conscientia.*

V. ibid. n. 2.

Nullæ pœnæ graviores sunt, quàm malæ conscientiæ: in qua cùm Deus non habetur, consolatio non invenitur: & ideo invocandus est liberator, ut quem tribulatio exercuit ad confessionem, confessio perducat ad veniam.

CXCII. *De ægro.*

Ibid. n. 4.

Quod gravius peccatum ægri, quàm medici interfectio? Sed cùm in baptismo hoc dimittitur, quid non dimittitur?

CXCIII. *De ruminante verbum Dei.*

Ex Enar. in Psal. 46. n. 1.

Auditor verbi similis debet esse animalibus, quæ ob hoc quia ruminant, munda esse dicuntur: ut non sit piger de his cogitare, quæ in alvo cordis accepit: & cùm audit, sit similis edenti; cùm verò audita in memoriam revocat, sit similis ruminanti.

CXCIV. *De anima rationali.*

V. ibid. n. 10.

Rationalis anima domina est corporis sui; quæ inferiori non bene imperabit, nisi superiori se Deo tota caritatis subjectione servierit.

CXCV. *De misericordia Dei.*

Ibid. n. 13.

Sicut terra de cælo exspectat pluviam, & lucem: sic homo ex Deo debet exspectare misericordiam, & veritatem.

CXCVI. *De bonis Ecclesiæ filiis.*

Ex Enar. in Psal. 47. n. 13.

Gaudendum est bonis Ecclesiæ filiis, quòd in discretione eorum non fallitur divina justitia. Sed non temere dividant congregatos: quia ipsorum est velle colligere, Domini separare.

CXCVII. *De terreno amore.*

Ex Enar. in Psal. 48. serm. 1. n. 2.

Dominus est rerum quas habet, qui nulla cupiditate irretitur. Nam qui terrenorum amore obstringitur, non possidet, sed possidetur.

CXCVIII. *De hereditate Christi.*

Ex Enar. in Psal. 49. n. 2.

Hereditas, in qua coheredes Christi sumus, non minuitur multitudine filiorum, nec fit angustior numerositate coheredum: sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus.

CXCIX. *De felicitate.*

Ex Enar. in Psal. 50. n. 4.

Numquam debet secura esse felicitas; quia periculosiora sunt animo secunda, quàm corpori adversa: priùs enim corrumpunt prospera, ut inveniant adversa quod frangant.

CC. *De remediis pænitentiæ.*

Vide ibid. n. 5.

Prima salus est, declinare peccatum: secunda est, non desperare de venia. Nam ipse se in æternum perimit, qui apud misericordem judicem ad pænitentiæ remedia non recurrit.

CCI. *De bonis occultis sanctorum.*

V. Enar. in Psal. 53. n. 3.

Boni latent, quia bonum ipsorum in occulto est: nec visibile enim est, nec corporale, quod diligunt; & tam merita eorum sunt in abscondito constituta, quàm præmia.

CCII. *De inimicis bonorum.*

Ex Enar. in Psal. 54. n. 4. & legitur in epist. 1. Calisti 1. papæ.

Nullus bonorum inimicum habet, nisi malum: qui ideo esse permittitur, ut aut corrigatur, aut per ipsum bonus exerceatur. Orandum est ergo pro inimicis, ut aut obtineatur eorum conversio, aut in nobis divinæ bonitatis inveniatur imitatio.

CCIII. *De vigore fidei Christianæ.*

Vide ibid. n. 18.

Vigor fidei Christianæ tribus temporibus initiatur: vespere, manè, & meridie. Vespere enim Dominus in cruce, manè in resurrectione, meridie in adscensione. Unum ad patientiam occisi, aliud ad vitam resuscitati, tertium ad gloriam pertinet majestatis in Patris dextera consedentis.

CCIV. *De purgandis electis.*

Ex Enar. in Psal. 55. n. 13.

Ad hoc exagitantur homines tribulationibus, ut vasa electionis evacuentur nequitiâ, & impleantur gratiâ.

CCV. *De bonis, quæ nemo amittit invitus.*

Vide ibid. n. 19.

Potest homo invitus amittere temporalia bona: numquam verò, nisi volens, perdit æterna.

CCVI. *De fine fidelium.*

Vide Enar. in Psal. 56. n. 3.

Finis fidelium Christus est, ad quem cùm pervenerit currentis intentio, non habet quod possit ampliùs invenire, sed habet in quo debeat permanere.

CCVII. *De tristitia.*

Ex Enar. in eumdem Psal. 56. n. 14.

Melior est tristitia iniqua patientis, quàm lætitia iniqua facientis.

CCVIII. *De peccatis præteritis.*

In Psal. 57. n. 10.

Revocandus est animus à recordandis cum quadam delectatione præteritis, ne subrepente concupiscentiâ recedamus corde in Ægyptum.

CCIX. *De veritate.*

Ibid. n. 20.

Bonum est à veritate vinci. Ad correptionem superet veritas volentem: nam & invitum ipsa superabit.

CCX. *De impunitate peccatorum.*

V. Enar. in Psal. 58. serm. 1. n. 13.

Peccata sive parva, sive magna, impunita esse non possunt: quia aut homine pænitente, aut Deo judicante plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere; & eos, qui semetipsos judicant, non judicare.

A

CCXI. *De miſero.*

V. ſer. 11. in eumd. Pſal. n. 11. Eſt Arauſicani concil. canon 14.

Nullus miſer de quantacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordiâ prævenitur.

CCXII. *De remediis tribulationum.*

Vide Enar. in Pſal. 59. n. 7.

Fideliter ſupplicans Deo pro neceſſitatibus hujus vitæ, & miſericorditer auditur, & miſericorditer non auditur. Quid enim infirmo ſit utile, magis novit medicus quàm ægrotus. Si autem id poſtulat, quod Deus & præcipit & promittit, fiet omnino quod poſcit: quia accipit caritas, quod parat veritas.

CCXIII. *De provectu bonorum.*

Ex Enar. in Pſal. 59. n. 2.

B

Provectus fidelium ſine tentatione non evenit; nec ſibi quiſquam innoteſcit, niſi probationis examine: nec coronabitur, niſi qui vicerit; nec vincet, niſi qui certaverit. Quis autem certat, niſi inimicum habens, & tentationi reſiſtens?

CCXIV. *De propheiis implendis.*

Ex Enar. in Pſal. 62. n. 1.

Stultus eſt, qui non credit denuntiationibus Prophetarum in paucis quæ reſtant; cùm videat tam multa completa, quæ tunc non erant, quando prædicebantur implenda.

CCXV. *De idolis.*

Ibid. n. 4.

Sic ſunt qui colunt idola, quomodo qui in ſomnis vident vana. Si autem evigilet anima ipſorum, intelligit à quo facta ſit, & non colit quod ipſa fecit.

CCXVI. *De corporibus humanis.*

Vide ibid. n. 6.

C

Omnia corporis noſtri, quæ diſcerpta, vel putrefacta, vel etiam concremata, in quaſdam diſſolvuntur favillas, Deo perire non poſſunt. In illa enim elementa mundi eunt, unde ſumta ſunt illa manu, quæ tenet omnia.

CCXVII. *De ſiti bona.*

Ibid. n. 7.

Qui Deo ſitiunt, totâ ſuâ debent ſitire ſubſtantiâ, id eſt, & animâ & carne: quia & animæ Deus dat panem ſuum, id eſt, verbum veritatis; & carni neceſſaria Deus præbet: quia utraque ipſe facit, qui utraque fecit.

CCXVIII. *De meditatione fidelium.*

V. ibid. n. 15.

Qui otioſus & quietus non cogitat Deum; quomodo inter actus multos & laborioſa negotia de illo poterit cogi- D tare? Meditetur ergo quæ Dei ſunt fidelis, cùm vacat: & bene operandi ſubſtantiam quærat, ne in actione deficiat.

CCXIX. *De ſimulata innocentia.*

Ex Enar. in Pſal. 63. n. 11.

Simulata innocentia, non eſt innocentia; ſimulata æquitas, non eſt æquitas: ſed duplicatur peccatum, in quo eſt & iniquitas, & ſimulatio.

CCXX. *De lumine.*

Ibidem.

Anima recedens à luce juſtitiæ, quanto magis quærit quod inveniat contra juſtitiam, tanto plus repellitur à lumine veritatis, & in tenebroſa demergitur.

CCXXI. *De duabus civitatibus.*

Ex Enar. in Pſal. 64. n. 2.

E

Duas in toto mundo civitates faciunt duo amores: Jeruſalem facit amor Dei; Babyloniam, amor ſæculi. Interroget ergo ſe quiſque quid amet, & inveniet unde ſit civis.

CCXXII. *De præcepto Dei.*

Ex Enar. in Pſal. 67. n. 18.

Omne præceptum Dei leve eſt amanti: nec ob aliud intelligitur dictum, Onus meum leve eſt, niſi quia dat Spiritum-ſanctum, per quem diffunditur caritas in cordibus noſtris, ut diligendo liberaliter faciamus, quod qui timendo facit, ſerviliter facit: nec eſt amicus recti, quando mallet, ſi fieri poſſet, id quod rectum eſt, non juberi.

CCXXIII. *De caritate.*

Ibid. n. 24.

F

Plenitudo legis caritas eſt; quia per caritatem lex impletur, non per timorem. In tantum enim fiunt mandata juſtitiæ, in quantum adjuvat ſpiritus gratiæ.

CCXXIV. *De operibus bonis.*

Vide ibid. n. 41. & lib. de Gratia Chriſti cap. 26.

Non ſunt bona opera, niſi quæ per fidem & dilectionem fiunt: quia alterum ſine altero nullius virtutis fructum parit.

CCXXV. *De lapſu Adam.*

Ex Enar. in Pſal. 68. ſer. 1. n. 2. & eſt Arauſicani conc. canon 15.

Ab eo quod formavit Deus, mutatus eſt Adam; ſed in pejus, per iniquitatem ſuam: ab eo quod operata eſt iniquitas, mutantur fideles; ſed in melius, per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit prævaricatoris primi, hæc mutatio dexteræ eſt Excelſi.

G

CCXXVI. *De temporalibus deliciis.*

Aug. in eod. ſer. n. 3.

In præſenti vita & deliciæ temporales dulces ſunt, & tribulationes temporales amaræ ſunt: ſed quis non bibat tribulationis poculum, metuens ignem gehennarum; & quis non contemnat dulcedinem ſæculi, inhians bonis æternæ vitæ?

CCXXVII. *De Trinitate.*

In Trinitate divina tanta eſt ſubſtantiæ unitas, ut æqualitatem teneat, pluralitatem non recipiat. *Ibid. n. 5.*

CCXXVIII. *Nullam mali eſſe naturam.*

Omnia per Verbum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. *Ibidem.* Cùm itaque univerſæ naturæ per Verbum Dei factæ ſunt, iniquitas per ipſum facta non eſt, quia iniquitas nulla ſubſtantia eſt: & peccatum non natura eſt, ſed vitium naturæ, id appetentis quod non eſt ordinis ſui.

CCXXIX. *De iniquitate diaboli.*

Sublatum eſt diabolo iniquitate ſua victo, non quod habebat proprium, ſed quod rapuerat alienum. *Ibid. n. 9.* Auferendo enim Chriſtus quæ de magna ejus domo perierant, non furtum fecit, ſed furtum recepit.

CCXXX. *De profunditate iniquitatis.*

Tunc hominem concludit profunditas iniquitatis, quando non ſolùm immerſus peccatis jacet, ſed etiam volens ea defendere, perdit aditum confeſſionis. *Ex Enar. in eumd. Pſal. 68. ſer. 2. n. 18.*

CCXXXI. *De auxilio Dei.*

Cùm Deus permittit, aut facit, ut aliqua tribulatione vexemur, etiam tunc miſericors eſt: quia excitans fidem, & differens opem, non auxilium negat, ſed deſiderium movet. *Ibidem.*

CCXXXII. *De Chriſtianis.*

Divites Chriſtiani, ſi veri Chriſtiani ſunt, prorſus pauperes ſunt; & in comparationem cæleſtium bonorum, quæ ſperant, omne aurum ſuum arenam deputant: quia ibi quiſque habet divitias ſuas, ubi delectationem. *Ibid. n. 14.*

CCXXXIII. *De fide Abrahæ.*

Fides Abrahæ, ſemen eſt Abrahæ. Proinde qui pertinent ad credulitatis ſimilitudinem, ipſi pertinent ad heredum promiſſionem. *Vide ibid. n. 21.*

CCXXXIV. *De perſeverantia in bono.*

Nemo fidelium, quamvis multùm profecerit, dicat, Sufficit mihi. Qui enim dixerit, remanſit, & hæſit in via ante finem, qui non perſeverabit uſque in finem. *Ex Enar. in Pſal. 69. n. 8.*

CCXXXV. *De Deo.*

Nullus in Deo locus eſt, nec eſt quò fugiatur ab ipſo, niſi ad ipſum. Qui vult evadere offenſum, confugiat ad placatum. *Ex Enar. in Pſal. 70. ſer. 1. n. 5.*

CCXXXVI. *De duabus vitis.*

Duæ vitæ ſunt, una eſt corporis, altera animæ. Sicut vita corporis, anima; ita vita animæ, Deus: & quomodo ſi anima deſerat, moritur corpus; ſic anima moritur, ſi deſerat Deus. *In eumd. Pſal. ſer. 2. n. 3.*

CCXXXVII. *De homine.*

A quo habet homo ut ſit, apud illum habet ut ei bene ſit. *Ibid. n. 6.*

CCXXXVIII. *De obedientia.*

Perfectè Deus evidenterque monſtravit, quantum ſit bonum obedientia: cùm hominem in paradiſo poſitum ab ea re prohibuit, quæ non erat mala. *Ibid. n. 7.* Sola ibi obedientia potuit tenere palmam: ſola inobedientia * incidit pœnam.

** Aug. invenit.*

CCXXXIX. *Quomodo erudiantur boni.*

Interdum Deus per malos erudit bonos, & per temporalem potentiam damnandorum exercet diſciplinam liberandorum. *Ex Enar. in Pſal. 73. n. 8.*

CCXL. *De confeſſione.*

Apud miſericordiam Dei plurimùm valet confeſſio pænitentis, quem facit peccator confitendo propitium, quem negando non facit neſcium. *Ex Enar. in Pſal. 74. n. 3.*

CCXLI. *De ſcientia.*

Humilium virtus eſt, de ſcientia non gloriari: quia communis eſt omnibus, ſicut lucis, ita participatio veritatis. *Vide Enar. in Pſal. 75. n. 17.*

CCXLII. *Qualiter regantur corpora.*

Non caret regia poteſtate, qui corpori ſuo noverit rationabiliter imperare. Verè dominator eſt terræ, qui carnem ſuam regit legibus diſciplinæ. *Vide ibid. n. 18.*

CCXLIII. *De pœna & juſtitia.*

Quantum ad opera adtinet quæ forinſecus aguntur, & qui timet pœnam, & qui amat juſtitiam, non facit contra mandatum: & ideo pares quidem ſunt manu, ſed diſpares corde; ſimiles actione, diſſimiles voluntate. *Ex Enar. in Pſal. 77. n. 11.*

CCXLIV. *Quid diligatur.*

Hoc ab homine colitur, quod diligit. Unde quia Deus omnibus rebus major & melior invenitur, plus omnibus diligendus eſt, ut colatur. *Ibid. n. 20.*

CCXLV. *De corde.*

Rectum cor cum Deo eſt, quando propter Deum quæritur Deus. *Ibid. n. 21.*

A

CCXLVI. *De benevolentia.*

Ex Enar. in Psal. 78. n. 14. De benevolentia est, non de malitia, cùm lætatur justus in impios processisse vindictam: quia non peccatoris exitium placet, quem voluit corrigi; sed justitia Dei, qua scit multos posse converti.

CCXLVII. *De simulatione.*

Ibidem. Non vincit in bono malum, qui in superficie bonus est, & in alto malus; opere parcens, corde sæviens; manu mitis, voluntate crudelis.

CCXLVIII. *De amore & timore.*

Ex Enar. in Psal. 79. n. 13. Ad omne opus bonum amor ducit & timor Dei: ad omne peccatum amor ducit & timor mundi. Ut ergo apprehendatur bonum, & declinetur malum; discernendum est, quid & diligi debeat, & timeri.

CCXLIX. *De felicitate.*

Ex Enar. in Psal. 85. n. 3. Nulla infelicitas frangit, quem felicitas nulla corrumpit.

CCL. *De divite paupere.*

Ex Enar. in Psal. 85. n. 3. Dives qui talis est, ut contemnat in se quidquid illud est, unde inflari superbia solet, pauper est Dei.

CCLI. *De gradibus pietatis.*

Ibid. n. 6. Adscensionum ad Deum sunt gradus, pietatis affectus. Iter tuum voluntas tua est: amando accedis, negligendo recedis: constitutus in terra Deo jungeris, quia quæ Deo cara sunt diligis.

CCLII. *De petitionibus contrariis Deo.*

Vide ibid. n. 8. & 9. Deus cùm aliquid malè poscitur, dando irascitur, non dando miseretur.

CCLIII. *De mendacio.*

Ex lib. contra mendacium cap. 4. Incredibile est, non mentiri hominem, ne capiatur; qui mentitur, ut capiat.

CCLIV. *Item de mendacio.*

Ibid. cap. 10. Quamvis omnis qui mentitur, velit celare quod verum est: non tamen omnis qui vult celare verum, mentitur. Plerumque enim verum non fallendo occulimus, sed tacendo. Neque enim mentitus est Dominus, cùm ait, Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò. *Iohan. 16. 12.*

CCLV. *De libero arbitrio.*

Ex Aug. epist. 187. ad Dardanum cap. 9. n. 30. In primo homine patuit, quid hominis arbitrium valeret ad mortem: in secundo autem, quid Dei adjutorium valeret ad vitam. Primus enim homo, non nisi homo: secundus verò homo, Deus & homo. Peccatum ergo factum est relicto Deo: justitia non fit sine Deo.

CCLVI. *De lege & peccato.*

Ex lib. de spiritu & littera cap. 5. Legis littera quæ docet non esse peccandum, si spiritus vivificator desit, occidit. Scire enim peccatum potiùs facit, quàm cavere; & ideo magis augeri, quàm minui: quia malæ concupiscentiæ etiam prævaricatio legis accedit.

CCLVII. *De mandato Dei & timore.*

Ibid. cap. 14. Mandatum Dei si timore fit pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter; & ideo nec fit. Non enim bonus fructus est, qui non de caritatis radice procedit.

CCLVIII. *De lege.*

Vide ibid. cap. 27. Lex Dei secundùm naturam est, & cùm homines quæ legis sunt faciunt, naturaliter faciunt, superato vitio, quod nec præsidium legis abstulerat. Cùm itaque per gratiam lex Dei in cordibus scribitur, quæ legis sunt naturaliter fiunt: non quia per naturam præventa sit gratia, sed quia per gratiam reparata natura.

CCLIX. *De gloria non habenda nisi in Deo.*

Ex eod. lib. cap. 29. & est canon 16. concil. 2. Arausi. Nemo ex eo quod videtur habere glorietur, tamquam non acceperit; aut ideo putet se accepisse, quia littera extrinsecùs, vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur insonuit. Nam si per legem justitia, ergo Christus gratìs mortuus est. Porrò autem si non gratìs mortuus est, adscendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicumque habet. Quisquis autem inde habere se negat, aut non habet, aut id quod habet, auferetur ab eo.

CCLX. *De homine & superbia.*

Homo factus erat immortalis. Deus esse voluit: non perdidit quòd homo erat, sed perdidit quòd immortalis erat; & de inobedientiæ superbia contracta est pœna naturæ.

CCLXI. *De laude fidei.*

Laus fidei est, non visa credere: præmium erit, creditorum adeptione gaudere.

CCLXII. *De sapientia.*

Sicut lac non transit nisi per carnem, ut parvulum pascat qui panem edere non potest: sic nisi sapientia Dei, quæ panis est Angelorum, ad homines dignaretur venire per carnem, nemo ad Verbi contemplandam divinitatem posset accedere. Quia ergo lux à tenebris non poterat comprehendi, ipsa lux mortalitatem subiit tenebrarum, & per similitudinem carnis peccati, participationem dedit luminis veri. *Vide ser. 1. in Psal. 33. n. 6.*

CCLXIII. *De bona fama.*

B

Odor bonus fama bona est, quam quisque bonæ vitæ operibus haurit: dum Christi vestigia sequitur, pedes quodam modo ejus pretiosi unguenti odore perfundit. *Ex lib. 3. de doctrina Christiana cap. 12.*

CCLXIV. *De cupiditate.*

Non est in carendo difficultas, nisi cùm est in habendo cupiditas: & ideo solum rectè diligitur, quod numquam bene amittitur. *Ibid. cap. 37.*

CCLXV. *De eloquentia insipientis.*

Qui affluit insipienti eloquentia, tanto magis cavendus est, quanto magis ab eo, in his quæ audire inutile est, delectatur auditor; & eum quem ornatè dicere audit, etiam verè dicere existimat. *Ex lib. 4. de doctrin. Christia cap. 5.*

CCLXVI. *De ingenio.*

C

Bonorum ingeniorum clara est indoles, in verbis dissentium verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est. *Ibid. cap. 11.*

CCLXVII. *De homine peccatore.*

Omnis peccator in quantum peccator, non est diligendus: & omnis homo in quantum homo diligendus est propter Deum: Deus verò propter se ipsum, à quo habent omnes qui eum diligunt, & quòd sunt, & quòd eum diligunt. *Ex lib. 1. de doctrin. Christia cap. 27.*

CCLXVIII. *De incommutabili bono.*

D

Dominus ait, Ego sum via, veritas, & vita. Hoc est, Per me venitur, ad me pervenitur, in me manetur. Cùm enim ad ipsum pervenitur, etiam ad Patrem pervenitur: quia per æqualem, ille cui æqualis est, cognoscitur; vinciente atque glutinante nos Spiritu-sancto, ut in summo atque incommutabili bono sine fine maneamus. *Ibid. cap. 34.*

CCLXIX. *De mendacio & fallacia.*

Multos invenimus, qui fallere velint: qui autem falli, neminem. Cùm verò hoc alius sciens faciat, alius nesciens patiatur: satis apparet, in una eademque re, illum qui fallitur, eo qui mentitur esse meliorem; quando quidem pati melius est iniquitatem, quàm facere. *Ibid. cap. 36.*

E

CCLXX. *De dilectione æternorum bonorum.*

Inter temporalia atque æterna hoc interest, quòd temporale plus diligitur ante quàm habetur, vilescit autem cùm advenerit; non enim satiat animum, nisi incorruptibilis gaudii vera & certa æternitas: æternum verò ardentiùs diligitur adeptum, quàm desideratum. Nemo enim plus de illo æstimat quàm de se habet, ut fiat vilius, quia speratum est amplius: sed tanta est ibi excellentia, ut multo plus adeptura sit caritas, quàm vel fides credidit, vel spes desideravit. *Ibid. cap. 38.*

CCLXXI. *De fame & inedia spiritali.*

Qui in scripturis sanctis non inveniunt veritatem quam quærunt, fame laborant: qui autem non quærunt quod in promtu habent, fastidii languore marcescunt, & par utrorumque periculum est, dum sapientiæ cibum & illis obcæcatio, & his inedia subtrahit. *Ex lib. 2. de doctrin. Christia cap. 6.*

F

CCLXXII. *De laboribus peccatorum.*

Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Sæviat & fremat mundus, increpet linguis, coruscet armis: quid-quid fecerit, quantillum erit ad illud quod accepturi sumus? Appendo quod patior contra id quod spero: hoc quidem sentio, illud spero: & tamen incomparabiliter majus est quod speratur, quàm quod infertur. Quidquid est quod contra Christi nomen sævit, si potest vinci, tolerabile est: si non potest, proficit præmio citiùs consequendo, & finis temporalis mali transit in perceptionem æterni boni. *Ex Aug. ser. 279. de Paulo apost. n. 4.*

G

CCLXXIII. *De caritate.*

Cùm duobus præceptis caritatis tota lex pendeat & Prophetæ, quanto magis est Evangelium, quo lex non solvitur,

solvitur, sed adimpletur; & de quo Dominus dicit, Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis? Caritas enim innovat homines; & sicut malignitas veteres, ita dilectio novos facit.

CCLXXIV. *De flagello.*

Quando corripit Deus genus humanum, & flagellis piæ castigationis exagitat, exercet ante judicium disciplinam, & plerumque * diligit quem flagellat, nolens invenire quem damnet. Flagellat autem simul & justos & injustos; quia nemo est qui possit gloriari castum se habere cor, aut mundum se esse à peccato. Ita de gratia misericordiæ ejus veniunt etiam coronæ justorum.

** al. non eligit.*

CCLXXV. *De passionibus fidelium.*

Labor piorum exercitatio est, non damnatio. Nec enim conturbari debemus, cùm aliquis sanctus gravia & indigna perpetitur, si obliti non sumus, quæ pertulerit justus justorum sanctusque sanctorum; cujus passio omnes superat passiones: quia cum auctore universitatis nulla cujusquam est comparatio creaturæ.

CCLXXVI. *De originali peccato.*

Ex lib. 1. operis imperf. n. 3.

Miseria generis humani, cujus nullum hominum ab exortu usque ad obitum videmus alienum, non pertineret ad justum Omnipotentis judicium, si non esset originale peccatum.

CCLXXVII. *De providentia Dei semper operantis.*

Ex lib. 4. de genesi ad litteram cap. 12.

Creatoris omnitenentis omnipotentia caussa est subsistendi omni creaturæ: quæ virtus si ab eis, quæ condidit, regendis aliquando cessaret, simul omnium rerum species & natura concideret. Proinde quod Dominus ait, Pater meus usque nunc operatur: continuationem quamdam operis ejus, qua simul omnia continet atque administrat, ostendit. In quo opere etiam sapientia ejus perseverat, de qua dicitur, Pertingit à fine usque in finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Idem etiam Apostolus sentit, cùm Atheniensibus prædicans ait, In quo vivimus, movemur, & sumus. Qui si opus suum rebus creatis subtraheret, nec vivere, nec moveri, nec esse possemus. Et ideo sic Deus intelligendus est requievisse ab omnibus operibus suis, ut jàm nullam novam conderet creaturam; non ut conditas continere & gubernare cessaret.

CCLXXVIII. *De vero sabbato.*

Ibid. cap. 13.

Observatione sabbati, quæ vacatione unius diei figurabatur, ablatâ, perpetuum sabbatum observat, qui spe futuræ quietis sanctis est operibus intentus; nec ipsis bonis actibus suis quasi de propriis & de his quæ non acceperit, gloriatur; illum in se operari cognoscens, qui simul operatur & quietus est.

CCLXXIX. *De requie Dei.*

Ibid. cap. 16.

Requies Dei rectè intelligentibus ea est, quæ nullius indiget bono. Et ideo certa requies nobis in illo est, quia beatificamur bono quod ipse est: non ipse eo quod nos sumus. Nam & nos aliquid bonum ab ipso sumus, qui fecit omnia bona valde, in quibus fecit & nos. Porrò alia res bona præter ipsum nulla est, quam ipse non fecit: ac per hoc nullo bono alieno eget, qui bono quod fecit non eget.

CCLXXX. *De initio temporum.*

Ex lib. 5. de genesi ad lit. cap. 5.

Factæ creaturæ motibus cœperunt currere tempora. Unde ante creaturam frustra tempora requiruntur, quasi possint inveniri ante tempora. Motus enim si nullus esset vel spiritalis, vel corporalis creaturæ, quo per præsens præteritis futura succederent, tempus nullum omnino esset. Moveri autem creatura utique non posset, si non esset. Potiùs ergo tempus à creatura, quàm creatura cœpit à tempore. Utrumque autem ex Deo. Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.

CCLXXXI. *Omnia Dei arbitrio regi.*

Ibid. cap. 21. & 22.

Cùm Salvator dicit, unum passerem non cadere in terram sine voluntate Dei, & quòd fœnum agri, quod post paululùm mittendum est in clibanum, ipse tamen formet, ac vestiat: nonne confirmat, non solùm istam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verùm etiam vilissimas ejus abjectissimasque particulas divinâ providentiâ regi; ne fortuitis perturbari motibus ea, quorum caussas comprehendere non possumus, æstimemus?

CCLXXXII. *De anima rationali.*

Ex lib. 6. de

Anima rationalis in ea debet erigi, quæ in spiritualium natura maximè excellunt; ut quæ sursum sunt sapiant, non quæ super terram.

genesi ad lit. cap. 12.

CCLXXXIII. *De miraculis naturalibus.*

Ibid. cap. 13.

Naturarum conditor Deus nihil in miraculis contra naturam facit, nec quod novum est consuetudine, repugnans est rationi. Nobis ergo videntur contra naturam insolita, quibus aliter naturæ cursus innotuit; non autem Deo, cui hoc est natura quod fecerit.

CCLXXXIV. *De incommutabili ratione operum Dei.*

Ex lib. 7. de genesi ad lit. cap. 12. & 20.

Omne corpus in omne corpus posse mutari credibile est: quodlibet autem corpus in animam rationalem posse converti, credere absurdum est. Quoniam Deus sic est omnipotens, ut numquàm suæ rationis instituta convellat.

CCLXXXV. *De merito voluntatis.*

Ex lib. 8. de genesi ad lit. cap. 12.

Sicut aër ex præsente lumine non factus est lucidus, sed fit; quia si factus esset, non autem fieret, etiam absente lumine lucidus permaneret: sic homo Deo præsente illuminatur, absente autem tenebratur; à quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur.

CCLXXXVI. *Deo obediendum.*

Ibid. cap. 13.

Magna est utilitas hominis, jubenti Deo, etiam incognita jussionis ratione, servire. Jubendo enim Deus utile facit, quidquid jubere voluerit: de quo metuendum non est, ne non profutura præcipiat: nec fieri potest, ut voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat.

CCLXXXVII. *De bono humanæ naturæ.*

Ibid. cap. 14.

Quàm excellens bonum sit natura humana, hoc maximè apparet, quòd datum ipsi sit ut possit summi & incommutabilis boni adhærere naturæ. Quòd si noluerit, bono se privat, & hoc ei malum est: unde per justitiam Dei etiam cruciatus consequitur. Quid enim tam iniquum, quàm ut bene sit desertori boni? Aliquando autem amissi superioris boni non sentitur malum, dum habetur quod est amatum inferius bonum. Sed divina justitia est, ut qui voluntate amisit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit, & naturarum creator ubique laudetur. Adhuc enim bonum est, quod dolet amissum bonum. Nam nisi aliquid bonum remansisset in natura, nullius amissi boni dolor esset in pœna.

CCLXXXVIII. *De potestate nocendi.*

Ex lib. 11. de genesi ad lit. cap. 4.

Nocendi cupiditas potest esse à suo cuique animo prava. Non est autem potestas nisi à Deo, & hæc abdita altaque ejus judicia; quoniam non est iniquitas apud Deum.

CCLXXXIX. *Quale bonum sit Deus.*

Ibid. cap. 5.

Quantum & quale bonum sit Deus, etiam ex hoc evidenter ostenditur, quòd nulli ab eo recedenti bene est: quia & qui gaudent in mortiferis voluptatibus, sine doloris timore esse non possunt: & qui omnino malum desertionis suæ majore superbiæ stupore non sentiunt, aliis, qui hæc discernere noverunt, quantâ miseriâ premantur apparet: ut si nolint recipere medicinam talia devitandi, valeant ad exemplum quo possint talia devitari.

CCXC. *Quòd nulla creatura mala sit in natura.*

Ibid. cap. 7.

Sicut vera ratio docet, meliorem esse creaturam, quam prorsus nihil delectat illicitum: ita eadem ratio docet, etiam illam bonam esse, quæ in potestate habet illicitam delectationem ita cohibere, ut non solùm de ceteris licitis rectèque factis, verùm etiam de ipsius pravæ delectationis coërcitione lætetur.

CCXCI. *De magnis operibus Domini.*

Ibid. cap. 11.

Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus. Prævidet bonos futuros, & creat: prævidet futuros malos, & creat: se ipsum ad fruendum præbens bonis, multa munerum suorum largiens etiam malis; misericorditer ignoscens, justè ulciscens; itemque misericorditer ulciscens, justè ignoscens; nihil metuens de cujusquam malitia, nihil indigens de cujusquam justitia; nihil sibi consulens de operibus bonorum, & bonis consulens etiam de pœnis malorum.

CCXCII. *De superbia.*

Ibid. cap. 14.

Cùm superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidentia verò sit odium felicitatis alienæ; quid unde nascatur in promtu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quòd ei coæquentur, vel inferioribus, ne sibi coæquentur, vel superioribus, quòd eis non coæquetur. Superbiendo ergo quisque invidus, non invidendo superbus est.

CCXCIII. *De plenitudine divinitatis in Christo.*

Ex lib. 12. de genesi ad lit. cap. 7.

Plenitudo divinitatis in Christo dicta est corporaliter habitare, non quia divinitas corpus est: sed quia sacramenta veteris Testamenti appellantur umbræ futuri, propter umbrarum comparationem corporaliter dicta est in Christo plenitudo divinitatis habitare, quòd in illo impleantur omnia, quæ illis umbris figurata sunt; ac sic quodam modo umbrarum præcedentium ipse sit corpus, hoc est, figurarum & significationum illarum ipse sit veritas.

CCXCIV. *De vitiis expugnandis.*

Ex libro 1. operis imperfecti contra Iulianum n. 70.

Actio in hac vita pia est, Deum colere, & in ejus gratia contra vitia interna pugnare, eisque usque ad illicita instigantibus cogentibusve non cedere; & ubi ceditur, indulgentiam, atque ut non cedatur, adjutorium Dei, affectu religiosæ pietatis exposcere. In paradiso autem, si nemo peccasset, non esset actio pietatis expugnare vitia; quia felicitatis esset permansio, vitia non habere.

CCXCV. *De fortitudine Christiana & gentilium.*

Ibid. n. 83. & est canon 17. Arausic. concilii.

Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei caritas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, quod est à nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

CCXCVI. *Vitium nisi in aliquo bono esse non potest.*

Ibid. n. 114.

Non potest esse ullum malum, nisi in aliquo bono: quia non potest esse nisi in aliqua natura; omnis autem natura in quantum natura, bona est.

CCXCVII. *Nullis meritis gratiam præveniri.*

Ibid. n. 133. estque canon 18. Arausic. concil.

Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.

CCXCVIII. *De circumcisione & baptismo.*

Ex lib. 2. operis imperfecti n. 73.

Circumcisio carnis lege præcepta est; quia non posset meliùs per Christum significari regenerationis auctorem tolli originale peccatum. Cum præputio quippe omnis homo nascitur, quemadmodum cum originali peccato. Et octavo die lex circumcidi carnem præcepit: quia Christus die Dominico resurrexit, qui post septimum sabbati octavus est. Et circumcisus præputiatum gignit, trajiciens in illum, quo ipse jam caruit: sicut baptizatus in filium quem generat carne, reatum tamen trajicit originis, à quo ipse jam liber est.

CCXCIX. *De Adam primo & secundo.*

Ibid. n. 163.

Primus homo Adam sic olim defunctus est, ut tamen post illum secundus homo sit Christus, cùm tot hominum millia inter illum & hunc orta sint: & ideo manifestum est, pertinere ad illum omnem, qui ex illa successione propagatus nascitur; sicut ad istum pertinet omnis, qui gratiæ largitate in illo renascitur. Unde fit, ut totum genus humanum quodam modo sint homines duo, primus & secundus.

CCC. *De judiciis Dei.*

Ex lib. 3. operis imperfecti n. 24.

Nullo modo judiciis hominum comparanda sunt judicia Dei: quem non dubitandum est esse justum, etiam quando facit quod hominibus videtur injustum.

CCCI. *De nativitate justorum.*

*Ibid. n. 51. * al. regenerati.*

Justus ex Deo, non ex hominibus nascitur: quoniam renascendo, non nascendo fit justus. Unde etiam * renati filii Dei vocantur.

CCCII. *De naturæ humanæ qualitate.*

Ibid. n. 206.

Natura humana etsi mala est, quia vitiata est; non tamen malum est, quia natura est. Nulla enim natura, in quantum natura est, malum est: sed prorsus bonum, sine quo bono ullum esse non potest vitium; quamvis sine vitio possit esse vel numquam vitiata, vel sanata natura.

CCCIII. *De morte peccatorum.*

Ex lib. 4. operis imperfecti n. 32.

Justum Dei judicium est, ut peccato suo quisque pereat, cùm peccatum Deus non faciat: sicut mortem non fecit, & tamen quem morte dignum sensit, occidit; unde legitur, Mors & vita à Deo est. Quæ duo inter se non esse contraria profectò videt, quisquis ab operibus divinis judicia divina discernit: quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud judicando plectere peccatorem.

CCCIV. *De pœna peccati.*

Ibid. n. 67.

Deus quidem mundum fecit, & corpora prorsus omnia. Sed ut corpus corruptibile aggravet animam, & caro concupiscat adversùs spiritum, non est præcedens natura hominis instituti, sed consequens pœna damnati.

CCCV. *De opere in quacumque natura.*

Ibid. n. 115.

Quantislibet vitiis turpetur quæcumque natura, institutio ejus semper est bona. Nam sicut institutio corporis bona est, etiam quando nascitur morbidus; & institutio animi bona est, etiam quando nascitur fatuus: sic institutio ipsius hominis bona est, quando nascitur peccati originalis obnoxius.

CCCVI. *De abolitione peccati.*

Ibid. n. 131.

Sicut quidam parentes aggravant originale peccatum, ita quidam relevant: sed nullus tollit, nisi ille de quo dictum est, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: cui nullum bonum hominis impossibile, nullum malum est insanabile.

CCCVII. *De gratia Dei.*

Ex epist. Augustini 186. ad Paulinum cap. 6. n. 16.

Non ad merita hominum, sed ad Dei misericordiam pertinet, cùm ex illa massa primi hominis, cui meritò mors debetur, quisque liberatur. Non est enim iniquitas apud Deum: quia neque remittendo, neque exigendo quod debetur, injustus est: & ibi gratuita est indulgentia, ubi justa posset esse vindicta.

CCCVIII. *Neminem, nisi Deo miserante, salvari.*

Ibid. cap. 11. n. 37. estque Arausicani conc. canon 19.

Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cùm sine Dei gratia salutem non posset custodire quam accepit; quomodo sine Dei gratia potest recuperare quam perdidit?

CCCIX. *Nihil excusationis competere peccatori.*

Ex epist. 194. ad Sixtum cap. 6. n. 27.

Inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis: sive qui novit, sive qui ignorat; sive qui judicat, sive qui non judicat. Quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utrisque non est excusatio, sed justa damnatio.

CCCX. *De his qui spiritu Dei aguntur.*

Ex libro de gestis Pelag. cap. 3.

Plus est procul dubio agi, quàm regi. Qui enim regitur, aliquid agit; & ideo regitur, ut rectè agat: qui autem agitur, agere ipse aliquid vix intelligitur. Et tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere, Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quàm ut illi se commendet, qui mala agere non potest.

CCCXI. *De resurrectione.*

Ex lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 11.

Liberari à corpore mortis hujus, omni sanato languore concupiscentiæ carnis, est non ad pœnam corpus recipere, sed ad gloriam.

CCCXII. *Nihil hominem posse sine Deo.*

Ex lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 8. & est can. 20. Arausic. conc.

Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ non Deus facit ut faciat homo.

CCCXIII. *De vera justitia.*

Ex lib. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 7.

Justitia secundùm quam justus ex fide vivit, quoniam per spiritum gratiæ homini ex Deo est, vera justitia est: quæ licèt non immeritò in aliquibus justis pro hujus vitæ capacitate perfecta dicatur; parva tamen est ad illam magnam, quam capit æqualitas Angelorum: quam qui nondum habebat, & propter illam quæ jam inerat, perfectum; & propter istam quæ adhuc deerat, imperfectum se esse dicebat. Sed planè minor ista justitia facit meritum: major illa facit præmium. Unde qui istam non sequitur, illam non assequetur.

CCCXIV. *De mortalitate Christi secundùm carnem.*

Ex lib. 4. contra duas epist. Pelag. cap. 4. & est canon 21. Arausicani concil.

De uno solo mediatore Dei & hominum homine Christo Jesu fides catholica novit, quòd pro nobis mortem, id est, peccati pœnam sine peccato subire dignatus est. Sicut enim solus ideo factus est hominis filius, ut nos per illum Dei filii fieremus: ita solus suscepit sine malis meritis pœnam, sicut nos per illum sine meritis gratiam. Quia sicut nobis non debebatur aliquid boni, ita nec illi aliquid mali. Commendans ergo dilectionem suam in eos, quibus daturus erat indebitam vitam, pati pro eis indebitam mortem voluit.

CCCXV. *De natura & gratia.*

Ex lib. de gratia & libero arb. cap. 13. & est canon

Sicut eis, qui volentes in lege justificari, à gratia exciderunt, verissimè dicit Apostolus, Si ex lege justitia est, ergo Christus gratis mortuus est: sic eis, qui gratiam

21. Arausicani concilii. quam commendat & percipit fides Christi, putant esse naturam, verissimè dicitur, Si per naturam justitia est, ergo Christus gratis mortuus est. Jam hìc enim erat lex, & non justificabat: jam hìc erat & natura, & non justificabat. Ideo Christus non gratis mortuus est, ut & lex per illum impleretur, qui dixit, Non veni solvere legem, sed adimplere: & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit, venisse se quærere & salvare quod perierat.

CCCXVI. *De misericordia & judicio.*

Ex lib. 1. de prædest. sanctorum cap. 5. & cap. 6. Posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratiæ est fidelium. Sed cùm voluntas credendi aliis præparetur, aliis non præparetur à Domino; discernendum est, quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio. Universæ enim viæ Domini misericordia & veritas. Investigabiles autem sunt viæ ipsius. Investigabiles igitur sunt, & misericordia qua gratis liberat, & veritas qua justè judicat.

CCCXVII. *De auxiliando.*

Ex epist. 11. ... Nemo erigit quidquam ad id in quo ipse est, nisi aliquantùm ad id in quo est ille, descendat.

CCCXVIII. *De contemnenda mundi gloria.*

Ex epist. 22. ad Aurelium ... n. 8. Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non sentit, nisi qui ei bellum indixerit. Quia etsi cuiquam facile est laudem non cupere, dum negatur: difficile est eâ non delectari, cùm offertur.

CCCXIX. *De temporalibus bonis relinquendis.*

Ex epist. 31. ad Paulinum ... Omnes mundi opes contemnit, qui non solùm quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere contemnit. In quo cavendum est, ne subrepat elatio. Utiliùs enim terrena opulentia humiliter tenetur, quàm superbè relinquitur.

CCCXX. *De cohibenda ira.*

Vide epist. 38. ... Nulli irascenti ira sua videtur injusta. Unde ab omni indignatione citò redeundum est ad mansuetudinis lenitatem. Nam pertinax motus facilè in ejus odium transit, cui non celeriter ignoscitur.

CCCXXI. *De lege & gratia.*

Ex Tract. 3. in Iohan. ... n. 2. Qui dedit legem, ipse dedit & gratiam: sed legem per servum misit, cum gratia ipse descendit: ut quia lex ostendit peccata, non tollit; volentes legem suis viribus exsequi, nec valentes, cogantur ad gratiam, quæ & impossibilitatis morbum, & inobedientiæ aufert reatum.

CCCXXII. *De sabbato.*

Ibid. n. 19. Verum sabbatum Christianus observat, abstinens ab opere servili, id est, à peccato: quoniam qui facit peccatum, servus est peccati.

CCCXXIII. *De his quæ hominum propria sunt.*

Ex Tract. 5. in Iohan. n. 1. ... 22. ... Arausic. ... Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo; ut ex eo quasi quibusdam guttis irrorati, non deficiamus in via.

CCCXXIV. *De inseparabili opere Patris & Filii.*

Ibidem. Quod Pater cum Christo facit, Christus facit: & quod Christus cum Patre facit, Pater facit: nec seorsum aliquid agit inseparabilis caritas, majestas, potestas: sicut ipse Dominus dicit, Ego & Pater unum sumus.

CCCXXV. *Cui prosit baptismi sacramentum.*

Vide ibid. n. ... Regenerationis gratiam ita etiam hi non minuunt, qui ejus dona non servant; sicut lucis nitorem loca immunda non polluunt. Qui ergo gaudes baptismi perceptione, vive in novi hominis sanctitate; & tenens fidem quæ per dilectionem operatur, habe bonum quod nondum habes, ut prosit tibi bonum quod habes.

CCCXXVI. *De veritate.*

Ex Tract. 8. in Iohan. n. 5. Sic est veritas Christus, ut totum verum accipiatur in Christo: verum Verbum Dei, Deus æqualis Patri; vera anima, vera caro, verus homo, verus Deus, vera nativitas, vera passio, vera mors, vera resurrectio. Si aliquid horum dixeris falsum, intrat putredo: de veneno serpentis nascuntur vermes mendaciorum, & nihil integrum remanebit: quia ubi fuerit falsi alicujus corruptio, ibi veritatis integritas non erit.

CCCXXVII. *De caritate.*

Ex Tract. 9. in Iohan. n. 8. Quanta est caritas? quæ si desit, frustra habentur cetera; si adsit, habentur omnia.

A CCCXXVIII. *Quomodo Christus reliquerit patrem & matrem.*

Reliquit Christus Patrem; quia cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Hoc est enim, Reliquit Patrem; non quia deseruit, & recessit à Patre: sed quia non in ea forma apparuit hominibus, in qua æqualis est Patri. Reliquit autem matrem, relinquendo synagogam Judæorum, de qua secundùm carnem natus est; & inhærendo Ecclesiæ, quam ex omnibus gentibus congregavit. Ibid. n. 10.

CCCXXIX. *De comparatione primi Adam & secundi.*

Dormit Adam, ut fiat Eva: moritur Christus, ut fiat Ibidem.
B Ecclesia. Dormiente Adam, fit Eva de latere: mortuo Christo, lanceâ perforatur latus; ut profluant sacramenta, quibus formetur Ecclesia. Unde meritò Apostolus ipsum Adam dicit formam futuri. Quia sicut omnes in Adam moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.

CCCXXX. *De incarnatione Verbi.*

Deus homo factus est: quid futurus est homo, propter quem Deus factus est homo? Ex Tract. 10. in Iohan. n. 1.

CCCXXXI. *De duabus nativitatibus hominum.*

Una est nativitas de terra, alia de cælo; una est de carne, alia de spiritu; una est de æternitate, alia de morta- Ex Tract. 11. in Iohan. n. 6.
C litate; una est de masculo & femina, alia de Deo & Ecclesia. Sed ipsæ duæ singulares sunt: quomodo enim uterus non potest repeti, sic nec baptismus iterari.

CCCXXXII. *De diversitate bonorum.*

Si visibilia adtendas, nec panis est Deus, nec aqua est Deus, nec lux ista est Deus, nec vestis est Deus, nec domus ista est Deus: omnia enim hæc visibilia sunt, & singula sunt. Quod enim est panis, non hoc est aqua; & quod est vestis, non hoc est domus; & quod sunt ista, non hoc est Deus: visibilia enim sunt. Deus autem totum tibi est, quod rectè desideras; & omnium bonorum varietas uno fonte profunditur. Quoniam cùm sua tribuit, se Ex Tract. 13. in Iohan. n. 5.
D ipsum sub diversis munerum suorum nominibus impertit.

CCCXXXIII. *De intellectu.*

Anima carnalia appetens feminæ comparatur non habenti rectorem virum, qui est intellectus, cujus eam oportet sapientiâ gubernari: non quasi aliud sit quàm anima; sed quia obtutus quidam occultus sit animæ. Sicut enim exteriores oculi quiddam sunt carnis: ita mens quiddam est animi, quod in eo secundùm participationem divinæ rationis excellit. Et tunc omnibus motibus suis bene præsidet, cùm supernâ luce radiatur, ut sit in ea lumen verum, quod illuminat omnem hominem venien- Vide Tract. 15. in Iohan. n. 19.
E tem in hunc mundum.

CCCXXXIV. *De loco orationis.*

Qui supplicaturus Deo locum aptum & sanctum requiris, interiora tua munda, & omni inde malâ cupiditate depulsâ, præpara tibi in cordis tui pace secretum. Volens in templo orare, in te ora: & ita age semper, ut Dei templum sis. Ibi enim Deus exaudit, ubi habitat. Ibid. n. 25.

CCCXXXV. *De homine interiore.*

Sensus corporis corporalia nuntiant cordi. Et non omnium facultas eadem: quia non inde videtur, unde auditur; nec unde sapor, inde & odor capitur: nec hi ministri sine tactu ad lævia & aspera, calida & frigida, humida & sicca, discernenda sufficiunt. Incorporea verò animus Vide Tract. 18. in Iohan. n. 9. & 10.
F suo tantùm sensu dijudicat, & omnes varietates uno motu adtingit, & quidquid discretionis inter bona & mala, justa & injusta rationabiliter invenit, unus est intentionis affectus: ut ibi imago Dei appareat, ubi unum idemque est quod mens potest quantum potest.

CCCXXXVI. *De vita Filii Dei.*

Dei Filius Deus vitam habere in semetipso, sicut habet Pater, non participando adeptus est, sed nascendo. Vitam enim genuit Pater vitæ; nec differt in aliquo essentia gignentis & geniti; cùm sic ex Patre sit Filius, ut consempiternæ æqualitatis non una quidem persona, sed una sit deitas. Vide Tract. 19. in Iohan. n. 12. & 13.

G CCCXXXVII. *De judicio.*

Quamvis numquam recedat à Filio Pater; ad judicandos tamen vivos & mortuos non ipse dicitur, sed Filius adfuturus: quia ibi nec Patris, nec Filii deitas, sed illa forma videbitur Filii, quam sibi per sacramentum incarnationis univit. Ipsa ergo erit judex, quæ sub judice stetit: ipsa judicabit, quæ judicata est; ut videant impii ejus Ibid. n. 16.

gloriam, in cujus mansuetudinem * fremuerunt. Talis ergo apparebit judex, qualis videri possit, & ab eis quos coronaturus, & ab eis quos damnaturus est. Pater autem non apparebit; quia formâ servi non est indutus: sed Filio, qui etiam homo factus est, dedit judicii potestatem.

* al. fævierunt.

CCCXXXVIII. *De voluntate Dei & hominis. al.* CCCXXXVI.

Ibid. n. 19. & est can. 23. Arausic. concil.

Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati: quamvis volentes agant quod agunt; illius tamen voluntas est, à quo & præparatur, & jubetur quod volunt.

CCCXXXIX. *De doctrina Patris per Verbum. al.* CCCXXXVII.

Ex Tract. 26. in Iohan. n. 8.

Si illum docet Pater, qui audit Verbum ejus: quære quid sit Christus, & invenies Verbum ejus; In principio erat Verbum: non autem; In principio Deus fecit Verbum: sicut, In principio Deus fecit cælum & terram. Verbum enim Dei Deus est, non creatura: nec factum inter omnia, sed per quod facta sunt omnia. Ut ergo ad talis Verbi doctrinam homo in carne constitutus posset accedere; Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.

CCCXL. *De corpore Christi. al.* CCCXXXVIII.

Ibid. n. 13.

Caro Christi fidelium vita est, si corpus ipsius esse non negligant. Fiant ergo corpus Christi, si volunt vivere de spiritu Christi; de quo non vivit, nisi corpus Christi.

CCCXLI. *Qui edunt corpus Christi. al.* CCCXXXIX.

Vide ibid. n. 18.

Escam vitæ accipit, & æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, & cujus Christus habitator est. Nam qui discordat à Christo, nec carnem ejus manducat, nec sanguinem bibit: etiam si tantæ rei sacramentum ad judicium suæ præsumtionis quotidie indifferenter accipiat.

CCCXLII. *De malorum felicitate. al.* CCCXL.

Vide Tract. 28. in Iohan. n. 7.

Vellet mundana sapientia, ut numquam permitteret Deus eos qui mali sunt esse felices: quod utique non sinet; sed ideo mali cùm habent quod volunt, felices putantur, quia quid sit felicitas * ignorant.

* f. ignoratur.

CCCXLIII. *De mutatione cordis. al.* CCCXLI.

Ex Tract. 32. in Iohan. n. 1.

Aliud est migrare corpore, aliud corde. Migrat corpore, qui motu corporis mutat locum: migrat corde, qui motu cordis mutat affectum. Si aliud amas, aliud amabas; non ibi es, ubi eras.

CCCXLIV. *De chrismate. al.* CCCXLII.

Vide Tract. 33. in Iohan. n. 3.

Christi nomen à chrismate est, id est, ab unctione. Quia ideo omnis Christianus sanctificatur, ut intelligat, se non solùm sacerdotalis & regiæ dignitatis esse consortem, sed etiam contra diabolum fieri luctatorem.

CCCXLV. *De lumine. al.* CCCXLIII.

Ex Tract. 35. in Iohan. n. 1.

Sequamur Christum lumen verum, ne ambulemus in tenebris. Tenebræ autem metuendæ sunt morum, non oculorum: & si oculorum, non exteriorum, unde discernitur, non album & nigrum, sed justum & injustum.

CCCXLVI. *De incarnatione Verbi. al.* CCCXLIV.

Ex Tract. 36. in Iohan. n. 2.

Catholica fides Dominum Jesum Christum & verum Deum & verum hominem credit, & prædicat. Utrumque enim scriptum est, & utrumque verum est. Qui Deum tantummodo asserit Christum, medicinam negat qua sanatus est: qui hominem tantummodo asserit Christum, potentiam negat, qua creatus est. Utrumque ergo anima fidelis ac recta suscipe: & Deus Christus est, & homo Christus est. Qualis Deus Christus? æqualis Patri, unum cum Patre. Qualis homo Christus? virginis filius, trahens de homine mortalitatem, non trahens iniquitatem.

CCCXLVII. *De missione Verbi. al.* CCCXLV.

Ibid. n. 7.

Missus est Dominus Christus à Patre, non recessit à Patre. Missio ejus incarnatio fuit, & invisibili deitati hoc fuit in hunc mundum venire, quod apparere. Quod si citò caperetur, non opus erat ut crederetur. Credendo ergo capitur, quod nisi credatur, numquam intelligitur.

CCCXLVIII. *De Patre & Filio. al.* CCCXLVI.

Ibid. n. 9.

Ut rectè credatur Pater & Filius, ipse Filius audiendus est, dicens, Ego & Pater unum sumus. Duobus enim verbis duæ simul hæreses detruncantur. Nam per id quod ait, unum, Arium perculit: per illud quod ait, sumus, Sabellium stravit: quia nec, sumus, de uno; nec, unum, diceret de diverso.

CCCXLIX. *De Deo & homine Jesu Christo. al.* CCCXLVII.

Ex Tract. 17. in Iohan. n. 10.

Utrumque oportet noverimus in Christo, & unde æqualis Patri est, & unde illo major est Pater. Illud Verbum est, illud caro; illud Deus est, illud homo: sed unus est Christus Deus & homo.

CCCL. *De unitate divinæ Trinitatis. al.* CCCXLVIII.

Ex Tract. 39. in Iohan. n. 5.

Multorum hominum multæ sine dubio animæ, & multa sunt corda: sed ubi per dilectionem fidemque adhæreant Deo, fiunt omnes una anima, & cor unum. Si ergo caritas Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis, tantam unitatem multarum animarum & multorum cordium facit: quanto magis certiúsque in Patre & Filio & Spiritu-sancto æterna & incommutabilis unitas manet, ubi indifferens Trinitas unus Deus est, unum lumen, unumque principium?

CCCLI. *De doctrina Patris ad Filium. al.* CCCXLIX.

Ex Tract. 40. in Iohan. n. 5.

Non sic docuit Pater Filium, quasi indoctum genuerit, & scientiam contulerit nescienti: sed temporalis doctrina est intemporalis essentia; & hoc est à Patre doceri, quod est à Patre generari: quia simplici veritatis naturæ esse & nosse, non est aliud atque aliud, sed ipsum.

CCCLII. *De fide & veritate. al.* CCCL.

Ibid. n. 9.

Fides semper prævenit visionem. Credimus enim, ut cognoscamus: non cognoscimus, ut credamus. Fides ergo est, quod non vides, credere: veritas, quod credidisti, videre.

CCCLIII. *De bono odore Christi. al.* CCCLI.

Vide Tract. 50. in Iohan. n. 8.

Bonus Christi odor est prædicatio veritatis: quo odore vitam capit, qui Evangelio bonis * operibus servit & congruit; mortem autem incurrit, cujus ab his quæ bene loquitur, vita dissentit. Quæ conditio etiam auditores obstringit, cùm recta prædicatio ab aliis per incredulitatem auditur in mortem, ab aliis per fidem suscipitur in salutem.

* al. moribus.

CCCLIV. *De facultate credendi. al.* CCCLII.

Ex Tract. 53. in Iohan. n. 10.

Fides Christi est, credere in eum qui justificat impium: credere in Mediatorem sine quo nullus reconciliatur Deo, credere in Salvatorem qui venit quærere & salvare quod perierat, credere in eum qui dixit, Sine me nihil potestis facere. Sed hanc fidem non apprehendit, qui ignorans Dei justitiam qua justificatur impius, suam vult constituere qua convincatur superbus. Talia enim sentientes sua elatione obdurantur, & excæcantur: quia negando Dei gratiam non adjuvantur.

CCCLV. *De vera dilectione. al.* CCCLIII.

Vide Tract. 87. in Iohan. n. 1. 2.

Caritatem habens, quæ est de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, diligit Deum & proximum sicut se ipsum. Amator enim Dei, amator est sui: & non diligens Deum, non diligit proximum; quia non diligit se ipsum. Pro hac autem dilectione patienter etiam mundi odia sunt toleranda: necesse est enim ut nos oderit, quos videt odisse quod diligit.

CCCLVI. *De bipartita mundi significatione. al.* CCCLIV.

Ibid. n. 4.

Duo hominum genera sub uno mundi nomine nuncupantur. Sicut enim dicitur mundus in impiis, ita dicitur mundus in sanctis. Unde cùm totus à semetipso & in odio & in amore discordet, nos eum & odisse jubemur & amare, cùm dicitur nobis, Nolite diligere mundum: & cùm dicitur, Diligite inimicos vestros: ut quorum execramur iniquitatem, optemus salutem.

CCCLVII. *De vitanda scientiæ gloria. al.* CCCLV.

Ex Tract. 17. in Iohan. n. 1.

Ad vitandam tentationem vanæ gloriæ, melior est discentis conditio, quàm docentis. Tutiùs enim auditur veritas, quàm prædicatur. Quoniam cùm doctrina recipitur, humilitas custoditur: cùm autem disputatio placet, vix est ut differentem non pulset quantulacumque jactantia.

CCCLVIII. *De laude qua se prædicat Deus. al.* CCCLVI.

Ex Tract. 58. in Iohan. n. 3.

Periculosum est homini sibi placere, cui cavendum est superbire. Deus autem quantumcumque se laudet, non se extollit excelsus, nec vult se sua videri majestate majorem. Sed cùm homini loquitur potentiam suam, non hoc agit, ut gloriosior ipse, sed ut ille melior fiat & doctior. Nobis enim prodest auctorem nostrum agnoscere, & ei qui est super omnia, subjacere: ne de quo non possumus comprehendere quid est, possumus sentire quod non est.

CCCLIX. *De remittendis peccatis. al.* CCCLVII.

Ibid. n. 5.

Christiana observantia ad perfectæ pietatis profectum per mutuam maximè pervenit indulgentiam peccatorum, dante

dante nobis Domino suæ bonitatis exemplum. Nam si ille, in quo nullum omnino fuit peccatum, interpellat pro peccatis nostris; quanto magis nos invicem pro propriis orare debemus? Amplectenda quippe est homini, qui non omni potest carere peccato, tam benigna conditio; ut dimittendo delicta aliena, diluat sua.

CCCLX. *De æternitate sanctorum. al.* CCCLVIII.

Vide Tract. 65. in Iohan. n. 1.

Justorum desideriorum societati tunc nihil deerit, quando Deus omnia in illis omnibus erit. Ad quam beatitudinem hi perveniunt, qui huic sæculo ante separationem animæ carne moriuntur, nec in eis inveniuntur cupiditatibus, quas sola superat dilectio Dei: ut & id patiatur iniquitas, quod elegit; & eo bono fruatur justitia, quod amavit.

CCCLXI. *De confitendo homine Jesu Christo. al.* CCCLIX.

Ex Tract. 66. in Iohan. n. 2.

Qui sic confitetur Christum Deum, ut eumdem hominem neget verum, habentem scilicet unitam sibi nostræ carnis animæque naturam: non est pro illo mortuus Christus; quia secundùm hominem mortuus est Christus. Non reconciliatur per mediatorem Deo: Unus enim Deus & unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus. Non justificatur per ipsum: Quia sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam unius hominis justi constituentur multi. Non resurget in resurrectione vitæ: Quia per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum; sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Nec ullus se beati Petri defendat exemplo, qui se multis lacrymis & accusavit, & lavit: ut principem suum Ecclesia, non negationis, sed pænitentiæ imitatione sequeretur.

CCCLXII. *De æternitate. al.* CCCLX.

Ex Tract. 67. in Iohan. n. 2.

In quibusdam æternis potest aliqua esse distantia: ipsa autem æternitas absque diversitate mensuræ est. Multæ quippe mansiones in una vita varias meritorum significant dignitates. Sed ut Deus omnia in omnibus erit, fiet etiam in dispari claritate per gaudium, ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Quoniam per connexionem dilectionis, à gloria capitis nulla erit aliena pars corporis.

CCCLXIII. *De fide. al.* CCCLXI.

Ex Tract. 68. in Iohan. n. 3. * al. intelligi-tur.

Fides eorum qui Deum visuri sunt, quod non videt credit: nam si videt, non est fides. Credenti * pollicetur meritum: videnti redditur præmium.

CCCLXIV. *De petitione contraria. al.* CCCLXII.

Ex Tract. 73. in Iohan. n. 1.

Malè usurus eo quod vult accipere, Deo potiùs miserante non accipit. Proinde si hoc ab eo petitur, unde homo exauditus lædatur: magis metuendum est, ne quod possit Deus non dare propitius, det iratus.

CCCLXV. *De dilectione. al.* CCCLXIII.

Ex Tract. 75. in Iohan. n. 5.

Qui diligit me, inquit Dominus, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum. Quid est, diligam? tamquam tunc dilecturus sit, & nunc non diligat? Absit. Quomodo enim nos Pater sine Filio, aut Filius sine Patre diligeret? cùm inseparabiliter operentur, quomodo separabiliter diligunt? Sed ad hoc diligam eum, ad quod sequitur: Et manifestabo ei me ipsum. Diligam, & manifestabo, id est, ad hoc diligam, ut manifestem. Nunc enim ad hoc dilexit, ut credamus, & * mandatum ejus teneamus: tunc ad hoc diliget, ut videamus, & ipsam visionem mercedem fidei capiamus. Quia & nos nunc diligimus credendo quod videbimus: tunc autem diligemus videndo quod credidimus.

* al. mandatum fidei.

CCCLXVI. *De palmitibus vitis. al.* CCCLXIV.

Ex Tract. 81. in Iohan. n. 1. & que canon 25. Arausicani concil.

Ita sunt in vite palmites, ut viti nihil conferant, sed inde accipiant unde vivant. Sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest utrumque, non Christo. Nam præciso palmite potest de viva radice alius pullulare: qui autem præcisus est, sine radice non potest vivere.

CCCLXVII. *De humanæ justitiæ modo. al.* CCCLXV.

Ex Tract. 95. in Iohan. n. 2.

Divinitus dictum est: Noli esse justus multùm. Quo notata non est justitia sapientis, sed superbia præsumentis. Qui ergo fit nimis justus, ipso nimio fit injustus. Quis est autem qui se facit justum, nisi qui dicit se non habere peccatum?

CCCLXVIII. *De simplicitate. al.* CCCLXVI.

Ex Tract. 99. in Iohan. n. 4.

Nullius, etiam incorporeæ creaturæ, verè simplex substantia est, cui non hoc est esse, quod nosse; potest enim esse, nec nosse: at illa divina non potest, quia idipsum est quod habet. Ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud sit illi scientia qua scit, aliud essentia qua est, sed utrumque unum: quamvis non utrumque dicendum sit, quod verissimè simplex & unum est. Habet enim Pater vitam in semetipso, nec aliud est ipse quàm vita quæ in illo est: & dedit Filio habere vitam in semetipso, hoc est, genuit filium qui & ipse vita est. Sic itaque debemus accipere, quod de Spiritu-sancto dictum est: Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audierit loquetur; ut intelligamus, non eum esse à semetipso. Pater quippe solus de alio non est. Nam & Filius de Patre natus est; & Spiritus-sanctus de Patre procedit. Pater autem nec natus est de alio, nec procedit. Nec ideo sanè aliqua disparilitas in summa illa Trinitate cogitationi occurrat humanæ: quia & Filius ei de quo natus est, & Spiritus-sanctus ei de quo procedit, æqualis est.

CCCLXIX. *De intemporalitate deitatis. al.* CCCLXVII.

Ibid. n. 5.

Quamvis natura incommutabilis non accipiat fuit & erit, sed tantùm, est: ipsa enim veraciter est, quia aliter quàm est, esse non potest: tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas & nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, & fuit, & est, & erit: fuit in præterito, est in præsentibus, erit in futuris. Fuit quippe, quia numquam defuit: erit, quia numquam deerit: est, quia semper est. Neque enim velut qui jam non sit, cum præteritis occidit; aut cum præsentibus, tamquam non maneat, labitur; aut cum futuris tamquam non fuerit, orietur. Proinde cùm secundùm volumina temporum locutio humana variatur: qui per nulla esse potuit aut potest aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cujuslibet temporis verba. Semper itaque audit Spiritus-sanctus, quia semper scit: & scire, & audire, hoc illi est, quod semper esse. Semper verò illi est esse, de Patre procedere. * Nemo autem potest dicere, quòd non sit vita Spiritus-sanctus: cùm vita Pater, vita sit Filius. Ac per hoc sicut Pater, cùm habeat vitam in semetipso, dedit & Filio habere vitam in semetipso: sic Spiritui-sancto dedit vitam procedere de illo, sicut procedit & de ipso.

* Ibid. n. 9.

CCCLXX. *De dilectione qua diligimus Deum. al.* CCCLXVIII.

Ex Tract. 102. in Iohan. n. 5. est & canon 25. Arausicani concilii.

Prorsus donum Dei est, diligere Deum. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit: displicentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffudit enim caritatem in cordibus nostris Spiritus Patris & Filii, quem cum Patre amamus & Filio.

CCCLXXI. *De pace Christi. al.* CCCLXIX.

Ex Tract. 104. in Iohan. n. 1.

Pax Christi finem temporis non habet, & ipsa est omnis piæ intentionis actionisque perfectio. Propter hanc sacramentis ejus imbuimur: propter hanc mirabilibus ejus operibus & sermonibus erudimur: propter hanc Spiritus-sancti pignus accepimus: propter hanc in eum credimus & speramus, & amore ipsius, quantum donat, accendimur: propter hanc denique omnem tribulationem fortiter toleramus, ut in ea feliciter sine tribulatione regnemus. Vera enim pax unitatem facit: quoniam qui adhæret Deo, unus spiritus est.

CCCLXXII. *De temporibus. al.* CCCLXX.

Ibid. n. 2.

Omne tempus ab illo est dispositum, qui tempori subditus non est. Quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia habent * efficaces caussas, in qua nulla sunt tempora. Non ergo credatur hora passionis Domini fato urgente venisse, sed Deo potiùs ordinante. Non enim siderea necessitas Christo intulit crucem; nec sidera coëgerunt mori siderum conditorem: qui intemporalis cum Patre, sic tempus quo carne moreretur, quemadmodum & quo de matre nasceretur, elegit.

* al. efficientes.

CCCLXIII. *De unitate Trinitatis. al.* CCCLXXI.

Ex Tract. 105. in Iohan. n. 3.

In eo quod dicitur, Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum: ordo verborum est, Ut te, & quem misisti Jesum Christum, cognoscant solum Deum verum. Consequenter enim intelligitur & Spiritus-sanctus: quia Spiritus est Patris & Filii, tamquam caritas substantialis & consubstantialis amborum. Quoniam non duo dii, Pater & Filius; nec tres dii, Pater & Filius & Spiritus-sanctus:

sed ipsa Trinitas unus solus verus Deus. Nec idem tamen Pater, qui Filius; nec idem Filius, qui Pater; nec idem Spiritus-sanctus, qui Pater aut Filius: quoniam tres sunt, Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus: sed ipsa Trinitas unus est Deus.

CCCLXXIV. *Quid dedit Pater Filio. al.* CCCLXXII.

Ex Tractatu 106. in Iohan. n. 7. Quidquid Deus Pater Deo Filio dedit, gignendo dedit. Ita enim dedit Filio Pater, sine quibus Filius esse non posset, sicut ei dedit ut esset. Nam quomodo Verbo verba daret aliqua, in quo ineffabiliter dixit omnia?

CCCLXXV. *De custodia Dei, qua suos servat. al.* CCCLXXIII.

Ex Tractatu 107. in Iohan. n. 6. Custodiam circa nos Dei, non tam carnaliter debemus accipere, velut vicissim nos servent Pater & Filius, amborum in nobis servandi alternante custodiâ, quasi alius alio discedente succedat. Simul enim custodiunt Pater & Filius & Spiritus-sanctus, qui est unus verus Deus. Sed Scriptura nos non levat, nisi descendat ad nos. Sicut Verbum caro factum descendit, ut levaret: non cecidit, ut jaceret. Si descendentem cognovimus, cum levante surgamus: & intelligamus, cùm ita loquitur, personas eum distinguere, non separare naturas.

CCCLXXVI. *De gratia Dei, qua omne hominis meritum prævenitur. al.* CCCLXXIV.

Ex Tractatu 115. in Iohan. n. 4. Si naturam cogitemus, in qua creati sumus; cùm omnes veritas creaverit, quis non est ex veritate? Sed non omnes sunt, quibus, ut audiant veritatem & credant, ex ipsa veritate præstatur, nullis procul dubio præcedentibus meritis, ne gratia non sit gratia. Si enim dixisset, Omnis qui audit vocem meam, ex veritate est: ideo dictus ex veritate putaretur, quia obtemperat veritati. Non autem hoc ait: sed, Omnis, inquit, qui est ex veritate, audit vocem meam. Ac per hoc, non ideo est ex veritate, quia ejus audit vocem: sed ideo audit, quia ex veritate est; id est, quia hoc illi donum ex veritate collatum est: quod quid est aliud, quàm, donante Christo credit in Christum?

CCCLXXVII. *De amore, quo Deum amare debemus. al.* CCCLXXV.

Ex Tractatu 123. in Iohan. n. 5. Quisquis se ipsum, non Deum amat, non se amat: & quisquis Deum, non se ipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se. Cùm vero ille diligitur, de quo vivitur; non se diligendo magis diligit, qui propterea se non diligit, ut eum diligat de quo vivit.

CCCLXXVIII. *De indiviso Patris & Filii opere. al.* CCCLXXVI.

Vide lib. 1. de Trinit. cap. 7. Quidquid illud est quod oportet Patrem agere ad Filium, non fit nisi per eumdem Filium: ad ipsum scilicet, quia filius hominis est, & factus est inter omnia: per ipsum autem, quia Filius Dei est, & per illum fiunt à Patre omnia.

CCCLXXIX. *De subjectione Filii. al.* CCCLXXVII.

Vide ibid. cap. 8. Non est mirum dicere Apostolum, etiam in futuro sæculo Patri Filium subjectum futurum, ubi ait, Tunc & ipse subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia. Quando quidem in Filio forma humana mansura est, qua semper major est Pater. Quamvis non defuerint, qui illam tunc Filii subjectionem ipsius humanæ formæ in divinam substantiam commutationem intelligendam putarunt, tamquam hoc cuique rei subjiciatur, quod in eam vertitur & mutatur. Sed intelligi potest, ideo magis dixisse Apostolum, etiam tunc Patri Filium subjectum futurum, ne quis in eo putaret spiritum & corpus humanum conversione aliqua consumendum: ut sit Deus omnia, non tantùm in illius forma hominis, sed in omnibus, quando capitis gloria universum corpus implebit.

CCCLXXX. *Nihil in quibuscumque creaturis à Creatore inordinatum relinqui. al.* CCCLXXVIII.

Ex lib. 2. de libero arbitrio cap. 17. Quantacumque bona, quamvis magna, quamvis minima, nisi ex Deo esse non possunt. Quid enim majus in creaturis, quàm vita intelligens; aut quid minus potest esse, quàm corpus? Quæ quantumlibet deficiant, & in id tendant ut non sint; tamen aliquid formæ illis remanet, ut quoquo modo sint. Quidquid autem formæ cujuspiam rei deficientis remanet, ex illa forma est quæ nescit deficere; motusque ipsos rerum deficientium vel proficientium excedere numerorum suorum leges non finit. Quidquid igitur laudabile advertitur in rerum natura, sive exigua, sive ampla, quod laude dignum judicetur, ad excellentissimam & ineffabilem laudem referendum est Conditoris.

A

CCCLXXXI. *Quòd præscientia Dei neminem peccare compellat. al.* CCCLXXIX.

Neminem Deus ad peccandum cogit: prævidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet justus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim nemo memoriâ suâ cogit facta esse, quæ præterierunt: sic Deus præscientiâ suâ non cogit facienda, quæ futura sunt. Et sicut homo quædam quæ fecit meminit, nec tamen omnia quæ meminit fecit: ita Deus omnia quorum ipse auctor est, præscit, nec tamen omnium quæ præscit, ipse auctor est. Quorum autem non est malus auctor, justus est ultor. *Ex lib. 3. de libero arbitrio cap. 4.*

B

CCCLXXXII. *De cognoscendis creaturis quæ non videntur. al.* CCCLXXX.

Humana anima naturaliter divinis ex quibus pendet connexa rationibus, cùm dicit, Meliùs fieret hoc quàm illud: si verum dicit, & videt quod dicit, in illis supernis rationibus videt. Credat ergo Deum fecisse, quod recto intellectu ab eo faciendum fuisse cognoscit, etiam si hoc in rebus factis non videt. Quia etiam si cælum oculis videre non posset, & tamen ratione vera tale aliquid faciendum fuisse colligeret, credere debuit factum fuisse, quamvis id oculis non viderit. Non enim cogitatione cerneret factum fuisse, nisi his rationibus, in quibus facta sunt omnia. Quod autem ibi non est, tam nemo potest vera cogitatione videre, quàm non est. *Ibid. cap. 5.*

C

CCCLXXXIII. *Quo remedio vulnera humana curentur. al.* CCCLXXXI.

Quid tam dignum misericordiâ, quàm miser; & quid tam indignum misericordiâ, quàm superbus miser? Ex quo factum est, ut illud Dei Verbum, per quod facta sunt omnia, & quo fruitur omnis Angelica beatitudo, usque ad miseriam nostram porrigeret clementiam suam; & Verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Sic enim posset panem Angelorum homo manducare nondum Angelis adæquatus, si panis ipse Angelorum hominibus dignaretur æquari. Nec sic descendit ad nos, ut illos desereret: sed simul integer illis, integer nobis; illos intrinsecùs pascens, per id quod Deus est; nos forinsecus admonens, per id quod nos sumus: & idoneos facit per fidem, quos per speciem pascat æqualiter. *Ibid. cap. 10.*

D

CCCLXXXIV. *Nullum naturæ vitium ab auctore esse. al.* CCCLXXXII.

Dubium non est, contra naturam esse omne vitium, etiam ejus rei cujus est vitium. Quapropter quoniam in quacumque re non vituperatur nisi vitium, ideo autem vitium est, quia contra naturam ejus rei est, [cujus est vitium,] nullius rei rectè vituperatur vitium, nisi cujus natura laudatur. Non enim in vitio displicet, nisi quod corrumpit quod in natura placet. *Ibid. cap. 13.*

E

CCCLXXXV. *De pœna peccati. al.* CCCLXXXIII.

Omni peccanti animæ duo sunt pœnalia, ignorantia, & difficultas. Ex ignorantia * depravat error: ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente repugnatione carnalis vinculi, non posse ab illicitis operibus temperare; non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. *Ibid. cap. 18.* ** al. dehonestat.*

F

CCCLXXXVI. *De varietate remediorum. al.* CCCLXXXIV.

Ut ars medicinæ, cùm eadem maneat, neque ullo modo ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: ita divina providentia, cùm sit ipsa omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ variè subvenit; & pro diversitate morborum aliis alia jubet, aut vetat: ut à vitio, unde mors incipit, & ab ipsa morte, ad naturam suam & essentiam ea quæ deficiunt, id est, ad nihilum tendunt, reducat & firmet. *Ex lib. de vera religione cap. 17.*

G

CCCLXXXVII. *De prima hominis prævaricatione. al.* CCCLXXXV.

Primum animæ rationalis vitium est, voluntas ea faciendi quæ vetat summa & intima veritas. Ita homo de paradiso in hoc sæculum depulsus est, id est, ab æternis ad temporalia, à copiosis ad egena, à firmitate ad infirma. Non ergo à bono substantiali ad malum substantiale, quia nulla substantia malum est: sed à bono æterno, ad bonum temporale; à bono spiritali, ad bonum carnale; à bono intelligibili, ad bonum sensibile; à bono summo, ad bo- *Ibid. cap. 20.*

num infimum. Eſt igitur quoddam bonum, quod ſi diligit anima rationalis, peccat, quia infra illam ordinatum eſt. Quare ipſum peccatum malum eſt, non ea ſubſtantia, quæ peccando diligitur.

CCCLXXXVIII. *De magiſtra omnium artium veritate.* *al.* CCCLXXXVI.

Lib. cap. 30. & 31. Lex omnium artium cùm ſit omnino incommutabilis, mens verò humana, cui talem legem videre conceſſum eſt, mutabilitatem pati poſſit erroris, ſatis apparet ſupra mentem noſtram eſſe legem, quæ veritas dicitur. Nec jam illud ambigendum eſt, incommutabilem naturam, quæ ſupra animam rationalem ſit, Deum eſſe: & ibi eſſe primam vitam, & primam eſſentiam, ubi eſt prima ſapientia. Nam hæc eſt illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis. Itaque cùm ſe anima ſentiat nec corporum ſpeciem motumque judicare ſecundùm ſe ipſam: ſimul oportet cognoſcat, præſtare ſuam naturam ei naturæ, de qua judicat; præſtare autem ſibi eam naturam, ſecundùm quam judicat, & de qua nullo modo judicare poteſt.

CCCLXXXIX. *Quo incitetur cor ad diſcendum.* *al.* CCCLXXXVII.

Lib. 2. de Ord. cap. 9. Ad diſcendum neceſſariò dupliciter ducimur, auctoritate atque ratione. Tempore auctoritas, re autem ratio prior eſt. Aliud eſt enim quod in agendo anteponitur, aliud quod pluris in appetendo æſtimatur. Quia ergo principium ſapientiæ timor Domini, & per humilitatem ad ſublimia gradus eſt; incedat humana ignorantia per fidem, ut mereatur fides videre quod credit.

CCCXC. *De divitiis.* *al.* CCCLXXXVIII.

Divitiis flores, & majorum nobilitate te jactas, & exſultas de patria & pulcritudine corporis & honoribus qui tibi ab hominibus deferuntur: reſpice te ipſum, quia mortalis es; & quia terra es, & in terram ibis. Circumſpice eos, qui ante te ſimilibus ſplendoribus fulſere. Ubi ſunt quos ambiebant civium potentatus? ubi inſuperabiles imperatores? ubi qui conventus diſponebant, & feſta? ubi equorum ſplendidi * invectores, exercituum duces? ſatrapæ, tyranni? Non omnia pulvis? non omnia favillæ? non in paucis oſſibus eorum vitæ memoria eſt? Reſpice ſepulcra, & vide quis ſervus, quis dominus, quis pauper, quis dives. Diſcerne, ſi potes, vinctum à rege, fortem à debili, pulcrum à deformi. Memor itaque naturæ, non extollaris aliquando. Memor autem eris, ſi te ipſum reſpexeris.

* *al.* nutritores?

APPENDICIS FINIS.

ADDENDA

AD APPENDICEM TOMI II.

EPISTOLA CONSOLATORIA S. AUGUSTINI ad PROBUM.

Hanc inscriptionem in veteri codice Cassinensis abbatiæ gerit: sed stilus clamat non esse Augustini.

CARITATIS tuæ scripta percepi, quibus animum tuum ad dolorem commotum de filiæ dormitione cognovi. Non aliud principaliter admiratus sum, quàm Christiani pectoris in te jactatam fuisse virtutem, ut animum flecteres ad dolorem. Stupeo murum fidei penetratum vulneribus orbitatis, quem sopire debuerat spes resurrectionis & regni cælestis. Numquam spes cum dolore concordat, nec fides sentiet aliquando quamcumque jacturam. Resurgere credimus nostros, & plangimus? Quid faceremus, si mori tantummodo sine resurrectione præciperet Deus? Voluntas utique ejus sufficeret ad solatium, cui nullum præponendum scimus affectum. Quod dederat tulit, qui creavit: quis * erat alius plangere? Quod ad tempus acceperas, commodaverat ut haberes, quantocumque tempore voluisset, & cùm vellet rursus auferret. Nihil abstulit tuum, cùm suum recipere dignatus est: & proprium creditum suum recipere decuerat creditorem, & nihilo minùs creditori suo gratias agere mutuantem. In Job legimus, quam sequamur, devotissimam vocem: *Dominus dedit*, inquit, *Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Job 1. 21.

* *forte*, curat alienam.

Patris ergo non erat sola consolatio, quod contra lucrum nemo plangere debeat, cùm alienis reddiderit alienum; quia fas non erat apud alium retineri, quod domino suo fuerat necessarium: additur consolationis alia providentia, quæ jaculis orbitatis occurreret. Invidere deberemus de sæculo recedentibus, si sæculi contrarias inimicitias sentiremus. Plangimus Domini beneficia, qui novit infirmitati nostræ dare quod præstet. Adhuc videre volebas miseram laborare? Ad quid Christianam & fidelem animam putas intra carcerem mundi diu remorari; cui totus mundus naufragio est, tantas totque impugnationes diaboli, tot corporis bella, tot sæculi clades evasisse? Lacrymas fundis, quasi nescieris quid in te ipso quotidie patiaris. Contra lacrymas ejus pugnant lacrymæ tuæ; & amor tuus amori ejus fletum non habet parem. Non deseruit, sed præcessit: & ne doleret excedentem patrem, suscipere festinavit.

ADDENDA AD TOMUM V.

Possidius in indice operum Augustini recenset habitos ab ipso in quorumdam episcoporum depositione sermones, qui hactenus desiderantur. Hujus porrò argumenti est sermo subsequens, qui antea inter Fulgentii subdititios relatus fuerat, sed eruditorum fortè judicio inter germanos Augustini sermones collocandus.

SERMO CONSOLATORIUS IN ASSUMTIONE EPISCOPI.

VOS, quidem, Fratres, consolatorem quæritis: sed etiam nos consolandi sumus: & consolatio nostra nullus hominum est, sed qui facit hominem; quoniam qui fecit reficit, & recreat qui creavit. Non possumus per infirmitatem nisi contristari: sed per spem debemus consolari. Omnes bonos diutius nobiscum vivere volumus, & in hac asperrima vita deseri à comitibus nolumus: sed prævenientes nos qui bene vixerunt, hortantur exemplo suo, ut sive diu hîc vivamus, sive citò hinc eamus, sic vivamus, ut ad ipsos veniamus. Quia id ipsum hîc diu vivere, nihil est aliud, quàm diu molestias sustinere. Cum Deo autem vivere & apud Deum, sine ulla molestia est vivere, & sine ullo timore ne pereat felicitas, quæ non habet finem. Nec debemus arbitrari episcopum vestrum, fratrem nostrum, citò hinc isse, & parum vixisse. Rectè enim ibi non parum vivitur, ubi cùm multum dicitur, non finitur. Nam hîc etiam quod multum est, cùm finitum fuerit, pro nihilo deputabitur. Nec tamen parum hîc vixit, si ejus opera cogitemus, non annos numeremus. Quanti alii fortasse quod per multos annos non dimidiarunt, ille paucis annis implevit? Nihil ergo aliud erat, hîc eum velle tenere, nisi ejus felicitati invidere.

In hoc enim habemus tristitiam de homine sicut homines. Quid ergo faciemus, ut non simus homines? Homines ergo de hominis abscessu humaniter contristamur: sed quomodo audivimus lectionem divinam, quòd *consummatus in brevi replevit tempora longa*. Ergo illic tempora computemus, sicut computatur dies. Quidquid ergo vobiscum egit hortando, loquendo, se ipsum proponendo ad imitandum, ad Deum laudandum & colendum, tenete; & Memoria ipsius ornatissima vos eritis. Non enim hoc illi magnum est, recondi tumulis marmoratis; sed condi in cordibus vestris. Vivat sepultus in vivis sepulcris. Sepultura enim ejus memoria vestra est. Apud Deum vivit, ut felix sit: apud vos vivat, ut felices sitis. Exhortari vos ad fidelem prudentiam multis verbis fortasse possemus, nisi & nos dolore humano vix loqui sineremur. Proinde quia donavit nobis Deus, ut morienti ad tempus præsentes essemus; quoniam donavit nobis, ut funus ejus deduceremus: deductio quæ debetur caritati, nihil addit felicitati: donavit etiam, ut sanctitatem vestram videremus, vosque alloqueremur, ut pro modulo nostro consolandi vos consolaremur: quidquid nos dolor dicere non permittit, cogitando supplete, & noster animus in recordatione tanti viri, etsi habet humanum mærorem, non habet infidelem desperationem. Sap. 4. 13.

SANCTI

SANCTI AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI VITA,

AUCTORE POSSIDIO CALAMENSI EPISCOPO, IPSIUS DISCIPULO,

*Qui cum eodem annis ferme quadraginta * familiariter vixit.*

* *Vide in fine cap.* 31.

Præfatio.

INSPIRANTE rerum omnium factore & gubernatore Deo, mei memor propositi, quo per gratiam Salvatoris omnipotenti ac divinæ per fidem Trinitati servire decrevi, & antea in vita laicorum, & nunc in officio episcoporum, studens ex qualicumque accepto ingenio & sermone [a] ædificationi prodesse sanctæ ac veræ Christi Domini catholicæ Ecclesiæ, de vita & moribus prædestinati, & suo tempore præsentati sacerdotis optimi Augustini, quæ in eodem vidi, ab eoque audivi, minimè reticere debeo. Id enim etiam ante nos factitatum fuisse à religiosissimis sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ viris legimus & comperimus, qui divino afflati Spiritu, sermone proprio atque stilo, & auribus & oculis scire volentium, dicendo & scribendo similia studiosorum notitiæ intulerunt, quales quantique viri [b] ex communi Domini gratia in rebus humanis, & vivere, & usque in finem obitûs perseverare meruerunt. Idcirco ipse quoque dispensatorum omnium minimus, fide non ficta, qua Domino dominantium omnibusque bonis serviendum & placendum est fidelibus, de prædicti venerabilis viri & exortu, & procursu, & [c] debito fine, quæ per eum didici, & expertus sum, quàm plurimis annis ejus inhærens caritati, ut Dominus donaverit, explicandum suscepi. Verùm summam quæso majestatem, quò munus hujusmodi à me arreptum ita geram & peragam, ut nec Patris luminum offendam veritatem, nec bonorum Ecclesiæ filiorum ulla ex parte fraudare videar caritatem. Nec adtingam ea omnia insinuare, quæ idem beatissimus Augustinus in suis Confessionum libris de semetipso, qualis ante perceptam gratiam fuerit, qualisque jam sumtâ viveret, designavit. Hoc enim facere voluit, ut ait Apostolus, ne de se quisquam hominum supra quàm se esse noverat, aut de se auditum fuisset, crederet vel putaret, humilitatis sanctæ [d] more utens, & jam nullum fallens, sed laudem non suam, sed sui Domini, de propria liberatione ac munere quærens, ex iis videlicet quæ jam perceperat; & fraternas preces poscens, de iis quæ accipere cupiebat. *Sacramentum* igitur *regis*, ut angelica auctoritate prolatum est, *bonum est abscondere: opera autem Domini revelare & confiteri, honorificum est.*

Confessionum libros cur Augustinus scripserit. 2. *Cor.* 12. 6.

Tobiæ 12. 7.

CAPUT I. Augustini ortus, conversio, & baptismus.

Ex provincia ergo Africana, civitate Thagastensi, de numero curialium parentibus honestis & Christianis progenitus erat; alitusque ac nutritus eorum curâ, & diligentiâ impensisque, sæcularibus litteris eruditus apprime, omnibus videlicet disciplinis imbutus, quas liberales vocant. Nam & grammaticam priùs in sua civitate, & rhetoricam in Africæ capite Carthagine postea docuit. Consequenti etiam tempore trans mare in urbe Roma, & apud Mediolanum, ubi tunc Imperatoris Valentiniani minoris comitatus fuerat constitutus. In qua urbe tunc episcopatum administrabat acceptissimus Deo, & in optimis viris præclarissimus sacerdos Ambrosius. Hujus interea verbi Dei prædica-

Ambrosii doctrinâ revocatur ab errore Manichæorum.

[a] Veteres codices, Germanensis, Fossatensis, & Cisterciensis habent, *ædificationis.*
[b] Vedastinus codex & unus ex duobus Floriacensibus MSS. *per communis Domini gratiam.*
[c] Ulimmeriana editio, *& vita fine:* corruptè. Alludit hîc Possidius ad Augustini verba lib. 11. de Civitate Dei cap. 1.
[d] Tres MSS. *mere utique nihilo fallens.*

toris frequentissimis in ecclesia disputationibus adstans in populo, intendebat suspensus atque affixus. Verùm aliquando Manichæorum apud Carthaginem adolescens fuerat errore seductus: & ideo ceteris suspensior aderat, ne quid vel pro ipsa, vel contra ipsam hæresim diceretur. Et [a] prævenit Dei liberatoris clementia sui sacerdotis cor pertractantis, ut contra illum errorem incidentes Legis solverentur quæstiones: atque ita edoctus, sensim atque paulatim hæresis illa miseratione divinâ ejus ex animo pulsa est: protinusque ipse in fide catholica confirmatus, proficiendi in religione eidem amoris ardor innatus est, quò propinquantibus diebus sanctis Paschæ salutis aquam perciperet. Et factum est divina præstante opitulatione, ut per illum talem ac tantum antistitem Ambrosium, & doctrinam salutarem Ecclesiæ catholicæ, & divina perciperet sacramenta.

Baptizatur ab eodem.

CAPUT II. Relictis omnibus suscipit propositum serviendi Deo, jam annis major triginta.

MOXQUE ex intimis cordis medullis spem omnem, quam habebat in sæculo, dereliquit; jam non uxorem, non filios carnis, non divitias, non honores sæculi quærens: sed [b] Deo cum suis servire statuit, & in illo, & ex illo pusillo grege esse studens, quem Dominus alloquitur, dicens, *Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam: facite vobis sacculos non veterascentes, thesaurum non deficientem in cælis*, & cetera. Et illud quod dicit iterum Dominus, idem vir sanctus facere cupiens, *Si vis esse perfectus, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni sequere me.* Et super fidei fundamentum ædificare desiderans, non ligna, fœnum, & stipulam, sed aurum, argentum, & lapides pretiosos. Et erat tunc annis major triginta, sola superstite matre, sibique adhærente, & de suscepto ejus proposito serviendi Deo ampliùs quàm de carnis nepotibus exsultante. Nam ejus pater antea defunctus erat. Renuntiavit etiam scholasticis, quos rhetoricam docebat, ut sibi magistrum alium providerent, eo quòd servire Deo ipse decrevisset.

Luc. 12. 32. — *Matth. 19. 21.*

CAPUT III. Secessus Augustini.

AC placuit ei perceptâ [c] gratiâ cum aliis civibus & amicis suis Deo pariter servientibus ad Africam & propriam domum agrosque remeare. Ad quos veniens, & in quibus constitutus, ferme triennio, & à se jam alienatis [d] curis sæcularibus, cum iis qui eidem adhærebant, Deo vivebat, jejuniis, orationibus, bonisque operibus, in Lege Domini meditans die ac nocte. Et de iis quæ sibi Deus cogitanti atque oranti intellecta revelabat, & præsentes & absentes sermonibus ac libris docebat. Contigit fortè eodem tempore, ut quidam ex iis quos dicunt Agentes in rebus, apud Hipponem-regium constitutus, bene Christianus, Deumque timens, compertâ ejus bonâ famâ atque doctrinâ, desideraret atque optaret eum videre, promittens se posse mundi hujus omnes contemnere cupiditates atque illecebras, si aliquando ex ejus ore Dei verbum audire meruisset. Quod cùm ad se

Quidam ab Augustino conversus.

A fideli fuisset relatione delatum, liberare animam cupiens ab hujus vitæ periculis morteque æterna, ad memoratam ultro atque confestim venit civitatem, & hominem visum allocutus frequentiùs atque exhortatus est, quantum Deus donabat, ut quod Deo voverat reddidisset. Ac se ille de die in diem facturum pollicebatur, nec tamen in ejus tunc hoc implevit præsentia: sed [e] vacare utique & inane esse non potuit, quod per tale vas mundum & in honore, uti- B le Domino, & ad omne opus bonum paratum, in omni loco divina gerebat providentia.

2. Tim. 2. 21.

CAPUT IV. Capitur ad presbyterii gradum.

EODEM itaque tempore in Ecclesia Hipponensi catholica Valerius sanctus episcopatum gerebat. Qui cùm, flagitante ecclesiastica necessitate, de providendo & ordinando presbytero civitati plebem Dei alloqueretur, & exhortaretur; jam scientes catholici sancti Augustini propositum & doctrinam, manu injecta, (quoniam & idem in populo securus & ignarus quid futu- C rum esset adstabat: solebat autem laicus, ut nobis dicebat, ab eis tantùm ecclesiis, quæ non haberent episcopos, suam abstinere præsentiam:) eum ergo tenuerunt, &, ut in talibus consuetum est, episcopo ordinandum intulerunt, omnibus id uno consensu & desiderio fieri perficique petentibus, magnoque studio & clamore flagitantibus, ubertim eo flente: nonnullis quidem lacrymas ejus, ut nobis ipse retulit, tunc superbè interpretantibus, & tamquam eum con- D solantibus ac dicentibus, quia & locus presbyterii, licèt ipse majore dignus esset, appropinquaret tamen episcopatui: cùm ille homo Dei, ut nobis retulit, majori consideratione intelligeret & gemeret, quàm multa & magna suæ vitæ pericula de regimine & gubernatione Ecclesiæ impendere jam ac provenire [f] spectaret, atque ideo fleret. Et eorum, ut voluerunt, completum est desiderium.

CAPUT V. Monasterium instituit. *Act. 4. 32.*

FACTUS ergo presbyter monasterium intra E ecclesiam mox instituit: & cum Dei servis vivere cœpit secundùm modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam: maximè ut nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia, & distribueretur unicuique sicut opus erat: quod jam ipse prior fecerat, dum de transinarinis ad sua remeasset. Sanctus verò Valerius ordinator ejus, ut erat vir pius & Deum timens, exsultabat, & Deo gratias agebat, suas exauditas à Domino F fuisse preces, quas se frequentissimè fudisse narrabat, ut sibi divinitus homo concederetur talis, qui posset verbo Dei & doctrinâ salubri Ecclesiam Domini ædificare: cui rei se homo naturâ Græcus, minusque Latinâ linguâ & litteris instructus, minùs utilem pervidebat. Et eidem presbytero potestatem dedit coram se in ecclesia Evangelium prædicandi, ac frequentissimè tractandi; contra usum quidem & consuetudinem Africanarum Ecclesiarum: unde etiam ei non- G nulli episcopi detrahebant. Sed ille vir venerabilis ac providus in Orientalibus Ecclesiis id ex more fieri sciens [g] & certus, & utilitati Ecclesiæ con-

Valerius episcopus Augustino presbytero dat potestatem coram se prædicandi verbum Dei.

[a] Plures MSS. *Et provenit.*
[b] In editis, *soli Deo.* Abest *soli* à MSS.
[c] Editi addunt hîc, *baptismi.* Sed eam vocem non habent MSS.
[d] Omnes MSS. omittunt, *curis sæcularibus:* & ex his unus Floriacensis pro *alienatis*, præfert *alienatus.*
[e] Editi, *vacuum.*
[f] MSS. *speraret.*
[g] Ex MSS. addidimus, *& certus.*

sulens, obtrectantium non curabat linguas, dummodo factitaretur à presbytero, quod à se episcopo impleri minimè posse cernebat. Unde accensa & ardens elevata super candelabrum lucerna, omnibus qui in domo erant lucebat. Et postea currente & volante hujusmodi famâ, bono præcedente exemplo, accepta ab episcopis potestate, presbyteri nonnulli coram episcopis populis tractare cœperunt verbum Dei.

Matth. 5. 15.

CAPUT VI. Conflictus Augustini cum Fortunato Manichæo.

SANE in illa tunc Hipponensi urbe Manichæorum pestilentia quàm plurimos [a] vel cives vel peregrinos & infecerat & penetraverat, seducente & decipiente ejusdem hæresis quodam presbytero nomine Fortunato, ibidem conversante atque manente. Interea Hipponenses cives & peregrini Christiani tam catholici quàm etiam Donatistæ adeunt [b] Presbyterum, ac deposcunt, ut illum hominem Manichæorum presbyterum, quem doctum credebant, videret, & cum eodem de Lege tractaret. Quod idem, ut scriptum est, *paratus ad responsionem omni poscenti se rationem de fide & spe quæ in Deum est, potensque exhortari in doctrina sana, & contradicentes redarguere*, minimè renuit. Sed utrùm etiam ille hoc fieri vellet, sciscitatus est. At illi confestim ad ipsum Fortunatum id detulerunt, petentes & exhortantes ac flagitantes, quòd id minimè recusaret. Sanè quoniam idem Fortunatus jam apud Carthaginem sanctum noverat Augustinum adhuc in eodem secum errore constitutum; cum eodem congredi pavitabat. Verumtamen suorum maximè instantiâ coactus ac verecundatus, promisit in cominus se esse venturum, certamenque disputandi subiturum. Unde condicto die & loco convenerunt in unum, concurrentibus quàm plurimis studiosis turbisque curiosis, & apertis [c] notariorum tabulis, disputatio cœpta primo, & secundo finita est die. In qua ille Manichæus præceptor, ut gestorum continet fides, nec catholicam assertionem potuit vacuare, nec Manichæorum sectam veritate subnixam valuit comprobare: sed responsione deficiens, ultimò collaturum se cum suis majoribus ea, quæ refellere non potuit, prosecutus est; & si sibi fortè de his satis minimè fecissent, suæ animæ consulturum: atque ita ab omnibus, apud quos magnus & doctus videbatur, nihil valuisse in suæ sectæ assertione judicatus est. Qua ille confusione affectus, & sequenti tempore de Hipponensi civitate profectus, ad eam ampliùs non remeavit: ac sic per memoratum Dei hominem omnium cordibus, vel qui aderant, vel qui absentes illa quæ gesta sunt cognoverant, error ille ablatus, catholica est intimata ac retenta sincera religio.

1. Petri 3. 15.

Tit. 1. 9.

CAP. VII. Libri & tractatus Augustini contra fidei hostes ab ipsis etiam hæreticis ingenti ardore excepti.

ET docebat ac prædicabat ille privatim & publicè, in domo & in ecclesia, salutis verbum cum omni fiducia adversùs Africanas hæreses, maximéque contra Donatistas, Manichæos & A [d] Paganos, libris confectis, [e] & repentinis sermonibus, ineffabiliter admirantibus Christianis & [f] collætantibus, & hoc ipsum ubi poterant non tacentibus, sed diffamantibus. [g] Sicque, adjuvante Domino, levare in Africa Ecclesia catholica exorsa est caput, quæ multo tempore [h] illic convalescentibus hæreticis, præcipuéque rebaptizante Donati parte majorem multitudinem Afrorum, seducta & oppressa jacebat. Et hos ejus libros sive tractatus mirabili Dei gratiâ B procedentes ac profluentes, instructos rationis copiâ, atque auctoritate sanctarum scripturarum, ipsi quoque hæretici concurrentes cum catholicis ingenti ardore audiebant: & quisquis, ut voluit, & potuit, notarios adhibens, etiam ea quæ dicebantur excepta descripsit. Et inde jam per totum Africæ corpus præclara doctrina odorque suavissimus Christi diffusus & manifestatus est, congaudente quoque, eo comperto, Ecclesiâ Dei transmarinâ. Quoniam sicut *dum patitur unum* C *membrum, compatiuntur omnia membra*: ita etiam *cùm glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra*. [i]

1. Cor. 12. 26.

CAPUT VIII. Designatur episcopus vivo Valerio, & à Megalio primate ordinatur.

ILLE verò beatus senex Valerius ceteris ex hoc ampliùs exsultans, & Deo gratias agens de concesso sibi speciali beneficio, metuere cœpit, ut est humanus animus, ne ab alia Ecclesia sacerdote privata, ad episcopatum quæreretur, & sibi auferretur: nam & id provenisset, nisi & hoc idem episcopus cognito, ad locum secretum eum D transire curasset, atque occultatum à quærentibus minimè inveniri fecisset. Unde ampliùs formidans idem venerabilis senex, & sciens se corpore & ætate infirmissimum, egit secretis litteris apud primatem [k] episcoporum Carthaginensem, allegans imbecillitatem corporis sui ætatisque gravitatem, & obsecrans ut Hipponensi Ecclesiæ ordinaretur episcopus, quò suæ cathedræ non tam succederet, sed consacerdos accederet Augustinus. Et quæ optavit & rogavit satagens, E rescripto impetravit. [l] Et postea petito ad visitandum & adveniente ad Ecclesiam Hipponensem tunc primate Numidiæ Megalio Calamensi episcopo, & Valerius antistes episcopis qui fortè tunc aderant, & clericis omnibus Hipponensibus, & universæ plebi inopinatam cunctis suam insinuat tunc voluntatem: omnibusque audientibus gratulantibus, atque id fieri perficique ingenti desiderio clamantibus, episcopatum suscipere contra morem Ecclesiæ suo vivente episcopo presbyter recusabat. Dumque illi fieri solere, F ab omnibus suaderetur, atque id ignaro transmarinis & Africanis Ecclesiæ exemplis probaretur, compulsus atque coactus succubuit, [m] & episcopatûs curam & majoris loci ordinationem suscepit. Quod in se postea fieri non debuisse, ut vivo suo episcopo ordinaretur, * & dixit, & scripsit, propter concilii * universalis vetitum, quod jam ordinatus didicit: nec quod sibi factum esse

** V. Acta in designatione Eraclii, seu epist. 213. n. 4.*
** Conc. Nicani.*

[a] Sic MSS. Editi verò, *quàm plurimos cives & peregrinos infecerat.*
[b] Hîc in editis additum nomen Augustini: sed abest à MSS.
[c] In MSS. *notarii.*
[d] Editi, *& Pelagianos*: reluctantibus MSS. & meritò quidem. Augustino enim presbytero nondum orti erant Pelagiani.
[e] Editi, *& repetitis.* At MSS. *& repentinis*, id est, extemporaneis.
[f] MSS. *& conlaudantibus.*
[g] MSS. *atque Dei dono levare.*
[h] MSS. *illis convalescentibus.*

[i] In editis additur: *Per idem tempus coram episcopis hoc illi jubentibus, qui plenarium totius Africæ concilium Hippone agebant, de fide & symbolo presbyter adhuc Augustinus disputavit.* Verba ex libro 1. Retractat. c. 17. temere huc translata; nam absunt omnino à MSS.
[k] Duo MSS. *primatem episcopum.*
[l] Sic MSS. Editi verò, *Post quam petitionem ad visitandum adveniente.*
[m] Veteres codices prætereunt, *& episcopatûs curam.*

*In concilio Carthag. 3. an. 397. c. 3.

doluit, aliis fieri voluit. Unde etiam * sategit, ut conciliis constitueretur episcoporum, ab ordinatoribus deberi ordinandis vel ordinatis omnium statuta sacerdotum in notitiam esse deferenda.

CAPUT IX. Pugnat cum Donatistis.

ATQUE ita factum est, ut episcopus multo instantiùs ac ferventiùs majore auctoritate, non adhuc in una tantùm regione, sed ubicumque rogatus venisset, verbum salutis æternæ alacriter ac [a] gnaviter pullulante atque crescente Domini Ecclesia prædicaret, paratus semper poscentibus reddere rationem de fide & spe, quæ in Deum est. Et ejus dicta atque excepta, maximè Donatistæ in eadem Hipponensi vel vicina manentes civitate, ad suos episcopos deferebant. Quæ cùm audissent, & contrà fortè aliquid dicerent, aut à suis refellebantur, aut eadem responsa ad sanctum Augustinum deferebantur, eisque compertis, patienter ac leniter, & ut scriptum est, *cum timore & tremore salutem* [b] omnium *operabatur*: ostendens, quàm nihil illi refellere voluerint ac valuerint, quámque verum manifestumque sit quod Ecclesiæ Dei fides tenet ac docet. Et hæc diebus ac noctibus ab eodem jugiter agebantur. Nam & epistolas privatas ad quosque ejusdem erroris episcopos, & eminentes scilicet laicos dedit, ratione reddita admonens atque exhortans, ut vel ab illa se pravitate corrigerent, vel certè ad disputationem venirent. At illi caussâ diffidentiæ ne quidem umquam rescribere voluerunt: sed irati furiosa loquebantur, atque seductorem & deceptorem animarum Augustinum esse, & privatim & publicè conclamabant; & ut lupum occidendum esse in defensionem gregis sui, dicebant & tractabant; omniaque peccata à Deo indubitanter esse credendum posse dimitti iis qui hoc facere ac perficere potuissent, nec Deum timentes, nec homines erubescentes. Et ut eorum [c] caussæ diffidentia cunctis innotesceret elaboravit: & publicis gestis conventi, non sunt ausi conferre.

b Philip. 2. 12.

CAPUT X. Circumcellionum furor.

HABEBANT etiam iidem Donatistæ per suas penè omnes Ecclesias inauditum hominum genus perversum ac violentum, velut sub professione continentium ambulantes, qui [d] Circumcelliones dicebantur. Et erant in ingenti numero & turbis per omnes penè Africanas regiones constituti. Qui malis imbuti doctoribus, audaciâ superbâ & temeritate illicita, nec suis, nec alienis aliquando parcebant, contra jus fasque [e] incautis interdicentes hominibus: & nisi obedissent, damnis gravissimis & cædibus afficiebant, armati diversis telis, bacchantes per agros villasque, usque ad sanguinis effusionem accedere non metuentes. Sed dum verbum Dei sedulò prædicaretur, & cum his qui oderant pacem, pacis ratio haberetur; illi loquentem debellabant gratis. Et cùm adversùs eorum dogma veritas innotesceret, qui volebant & poterant, se se inde vel eripiebant vel subducebant, & paci atque unitati Ecclesiæ cum suis quibus poterant cohærebant. Unde illi sui erroris congregationes minui videntes, atque augmentis

A Ecclesiæ invidentes, accensi exardescebant irâ [f] gravissimâ, & intolerabiles persecutiones unitati Ecclesiæ compacti faciebant; ipsisque sacerdotibus catholicis & ministris aggressiones diurnas atque nocturnas, direptionesque rerum omnium inferebant. Nam & multos Dei servos cædibus debilitaverunt. Aliquibus etiam * calcem cum aceto in oculos miserunt, aliosque occiderunt. Unde etiam suis iidem Donatistæ rebaptizatores in odium veniebant.

*V. Aug. epist. III. n. 1.

CAPUT XI. Profectus Ecclesiæ per Augustinum.

B PROFICIENTE porrò doctrinâ divinâ, sub sancto & cum sancto Augustino in monasterio Deo servientes, Ecclesiæ Hipponensi clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innotescente & clarescente de die in diem [g] Ecclesiæ catholicæ prædicationis veritate, sanctorumque servorum Dei proposito, [h] continentiâ, & paupertate profunda, ex monasterio quod per illum memorabilem virum & esse & crescere cœperat, magno desiderio poscere atque accipere episcopos & C clericos pax Ecclesiæ atque unitas & cœpit primò, & postea consecuta est. Nam ferme decem, quos ipse novi, sanctos ac venerabiles viros continentes & doctissimos, beatus Augustinus diversis Ecclesiis, nonnullis quoque eminentioribus, rogatus dedit. Similiterque & ipsi ex illorum sanctorum proposito venientes, Domini Ecclesiis propagatis, & monasteria instituerunt; & studio crescente ædificationis verbi Dei, ceteris Ecclesiis promotos fratres ad suscipiendum D sacerdotium præstiterunt. Unde per multos & in multis salubris fidei, spei, & caritatis Ecclesiæ innotescente doctrinâ, non solùm per omnes Africæ partes, verùm etiam in transmarinis, & per libros editos atque in græcum sermonem translatos, ab illo uno homine, & per illum multis, favente Deo, multa innotescere meruerunt. Atque hinc, ut scriptum est, *peccator videns irascebatur, dentibus suis frendebat, & tabescebat*: servi autem Dei, ut dictum est, *cum his* E *qui oderant pacem, erant pacifici, & cùm loquerentur, debellabantur gratis* ab eis.

Monasteria per ejus alumnos instituta.

Psal. 111. 10.

Psal. 119. 7.

CAPUT XII. Augustinus paratas sibi insidias errore ductoris devitat. V. Enchiridion cap. 17.

ALIQUOTIENS verò etiam vias armati iidem Circumcelliones contra famulum Dei Augustinum obsederunt, dum fortè iret rogatus ad visitandas, instruendas & exhortandas catholicas plebes, quod ipse frequentissimè faciebat. Et aliquando contigit, ut illi succenturiati hactenus perderent captionem: evenit enim Dei quidem providentia, sed [i] ducatoris hominis F errore, ut per aliam viam cum suis comitibus sacerdos quò tendebat venisset, atque per hunc quem postea cognovit errorem, manus impias evasisset. Et cùm in omnibus liberatori Deo gratias egisset, omnino suo more illi nec laicis nec clericis pepercerunt, sicut publica contestantur gesta.

Inter ea silendum non est, quod ad laudem Dei per illius tam egregii in Ecclesia viri studium domûsque Dei zelum adversùs prædi- G ctos rebaptizatores Donatistas gestum & perfectum est. Cùm fortè unus ex iis quos de suo

a Editi, *ac suaviter*.
b Unus è MSS. Floriac. *hominum*.
c Editio Lov. *caussa diffidentia*.
d Aliquot MSS. *Circelliones*.
e Veteres codices, *in causis*: & ex iisdem MSS. quidam loco *interdicentes*, habent *intercedentes*; alii, *intercidentes*.

f Plerique MSS. *gravissimas & intolerabiles*.
g Cisterciensis codex, *Ecclesiâ catholicâ*. Vox autem *prædicationis* ab uno ex Floriacensibus MSS. abest.
h Duo MSS. *continentia*. Cisterciensis cod. *continente paupertatem profundam*.
i Sic MSS. Editi verò, *ductoris*.

monasterio & clero episcopos Ecclesiæ propagaverat, ad suam curam pertinentem Calamensis Ecclesiæ diœcesim visitaret, & quæ didicerat pro pace Ecclesiæ contra illam hæresim prædicaret, factum est, ut medio itinere eorum insidias incurrisset, & pervasum cum omnibus illi comitantibus, sublatis animalibus & rebus, injuriis & cæde eum gravissima affecissent. De qua re, ne pacis Ecclesiæ ampliùs impediretur profectus, defensor Ecclesiæ inter leges non siluit.

Multa auraria hæreticis indicta. Vide Aug. epist. 88. n. 7.

Et præceptus est Crispinus, qui eisdem Donatistis in Calamensi civitate & regione episcopus fuit, prædicatus scilicet & multi temporis, & doctus, ad multam teneri aurariam publicis legibus contra hæreticos constitutam. Qui resultans legibus præsentatus cùm apud Proconsulem se negaret hæreticum, oborta est necessitas, ut illi, recedente Ecclesiæ defensore, à [a] catholico Episcopo resisteretur, & convinceretur eum esse, quod se fuisse negaverat: quoniam si ab eodem dissimularetur, fortè catholicus Episcopus ab ignorantibus [b] hæreticus crederetur, illo se quod erat negante, atque ita ex hac desidia infirmis scandalum nasceretur. Et memorabili Augustino antistite omnimodis instante, ad controversiam ambo illi Calamenses episcopi venerunt, & de ipsa diversa communione tertiò conflictum secum egerunt, magna populorum Christianorum multitudine caussæ exitum, & apud Carthaginem, & per totam Africam exspectante: atque ille Crispinus proconsulari & libellari sententiâ est pronuntiatus hæreticus. Pro quo ille apud Cognitorem catholicus Episcopus intercessit, ne auraria multa exigeretur; & ei est beneficium impetratum. Unde cùm ingratus ad piissimum Principem provocasset, & ab Imperatore relationi debitum est responsum solutum, & consecutum est præceptum, nullo prorsus loco hæreticos Donatistas esse debere, & eos ad vim legum omnium contra hæreticos latarum ubique teneri debere. Ex quo & Judex, & [c] Officium, & idem Crispinus, quòd minimè fuerit exactus, præcepti sunt denas auri libras fisci juribus inferre. Sed protinus opera data est per catholicos Episcopos, præcipuè per sanctæ memoriæ Augustinum, ut illa omnium condemnatio principis dimitteretur indulgentiâ: & Domino adjuvante perfectum est. Qua diligentiâ & sancto studio multùm crevit Ecclesia.

Caput XIII. Pax Ecclesiæ per Augustinum.

Et de his omnibus pro pace Ecclesiæ gestis, Augustino Dominus & hîc palmam dedit, & apud se justitiæ coronam reservavit: ac magis magisque, juvante Christo, de die in diem augebatur & multiplicabatur pacis unitas, & Ecclesiæ Dei fraternitas. Et id maximè factum est [d] post collationem, quæ ab universis episcopis catholicis apud Carthaginem cum eisdem Donatistarum episcopis postmodum facta est, id jubente gloriosissimo & religiosissimo imperatore Honorio; propter quod perficiendum etiam à suo latere tribunum & notarium Marcellinum ad Africam judicem miserat. In qua controversia illi omnimodis confutati, atque de errore à Catholicis convicti, sententiâ Cognitoris notati sunt; & post eorum appellationem, piissimi regis responso [e] justè inter hæreticos condemnati sunt. Ex qua ratione solito ampliùs eorum episcopi cum suis clericis & plebibus communicaverunt, & pacem tenentes catholicam, multas eorum persecutiones usque ad membrorum amputationem & internecionem pertulerunt. Et totum illud bonum, ut dixi, per sanctum illum hominem, consentientibus nostris episcopis & pariter satagentibus, & cœptum & perfectum est.

Caput XIV. Emeritus episcopus Donatista superatus.

Porro autem quoniam post illam, quæ cum Donatistis facta est, collationem, non defuerunt qui dicerent, permissos non fuisse eosdem episcopos apud potestatem, quæ caussam audivit, dicere omnia pro suis partibus, quoniam catholicæ communionis Cognitor suæ favebat Ecclesiæ: licèt hoc deficientes & victi ad excusationem jactarent, quando quidem & ante controversiam iidem hæretici catholicæ communionis eumdem esse noverant, & cùm ab eodem convenirentur publicis gestis, quòd ad collationem occurrerent, se esse facturos prosecuti sunt. Poterant utique suspectum eum habentes, recusare congressum. Tamen omnipotentis Dei præstitit auxilium, ut postea in Cæsariensi Mauritaniæ civitate constitutus venerabilis memoriæ Augustinus, quò eum venire cum aliis ejus coëpiscopis sedis apostolicæ litteræ * compulerant, ob terminandas videlicet alias Ecclesiæ necessitates: hac ergo occasione provenit, ut Emeritum ejusdem loci Donatistarum episcopum, quem suæ sectæ præcipuum in illa collatione habuerunt defensorem, videret, & cum eodem publicè in ecclesia populo adstante diversæ communionis, ex hoc ipso disputaret, & provocaret gestis ecclesiasticis, ut quod fortè, sicut dicebant, prosequi potuit in collatione, sed permissus non erat, in præsenti sine alicujus potestatis prohibitione aut potentia securus dicere minimè dubitaret, & in sua civitate suis omnibus præsentibus civibus fiducialiter propriam defendere communionem non denegaret. Ille neque hac hortatione, nec suorum parentum & civium instanti petitione id facere voluit, qui ei pollicebantur, se ad ejus redituros communionem, etiam cum discrimine patrimoniorum salutisque suæ temporalis, si modò catholicam superaret assertionem. At ille ampliùs dicere illis gestis nihil voluit, nec valuit, nisi tantùm: „Jam illa, inquit, gesta continent apud Carthaginem „inter episcopos confecta, utrùm vicerimus, an victi fuerimus. Et alio loco, dum à notario, ut responderet, admoneretur, & reticeret, ejus cunctis manifestatâ diffidentiâ, Ecclesiæ Dei augmenta ac firmamenta provenerunt. Quisquis ergo diligentiam & operam beatissimæ memoriæ

** Zosimi papæ. Vide Aug. epist. 190. n. 1. & 193. n. 1.*

[a] Catholicus ille Episcopus ipse est qui rem narrat Possidius, nomen suum præ modestiâ silentio tegens, sed ab Augustino proditus in epistola 105. n. 4. & libro 3. contra Cresconium c. 46. & 47.

[b] Lovanienses vocem *hæreticus* expunxerant renitentibus MSS.

[c] *Officium* hoc loco ponitur pro rei forensis administris, quales sunt exceptores qui judici operam suam præstant, ut in lib. 3. contra Crescon. c. 29. & Breviculo collat. die 1. c. 8. & die 3. c. 1. & c. 17. n. 32. & lib. post collationem c. 24. n. 41. & 42. & lib. de unitate Ecclesiæ c. 20. n. 54. nec non in actis collationis Carthaginensis passim. Quare malè correctum hîc à Lovaniensibus, *& judex propter officium*. Et pejùs ab Ulimmerio sic: *Ex quo & idem Crispinus, & ceteri sibi compares hæretici præcepti sunt denas* &c.

[d] Editio Lov. *per collationem*. Et infrà pro *id jubente*, substituit *adjuvante*.

[e] In MSS. *injusti inter hæreticos* &c.

Augustini pro Ecclesiæ Dei statu cognoscere plenius voluerit, etiam illa percurrat * gesta: & inveniet quæ vel qualia protulerit, quibus illum doctum, eloquentem, & prædicatum hominem provocarit, hortatusque fuerit ut pro suæ defensione partis quod vellet ediceret; illumque victum cognoscet.

* Tom. 9.

CAPUT XV. Digressione concionantis conversus negotiator, nomine Firmus.

SCIO item non solus ipse, verùm etiam alii fratres & conservi, qui nobiscum tunc intra Hipponensem Ecclesiam cum eodem sancto viro vivebant, nobis pariter ad mensam constitutis eum dixisse: Advertistis hodie in ecclesia meum sermonem, ejusque initium & finem contra meam consuetudinem processisse, quoniam non eam rem terminatam explicuerim quam proposueram, sed pendentem reliquerim? Cui respondimus: Ita nos in tempore miratos fuisse scimus & recognoscimus. At ille: Credo, ait, quòd fortè aliquem errantem in populo Dominus per nostram oblivionem & errorem doceri & curari voluerit, in cujus manu sunt & nos & sermones nostri. Nam cùm propositæ quæstionis [a] latebras pertractarem, in aliud sermonis excursu perrexi; atque ita non conclusa vel explicata quæstione, disputationem terminavi, magis adversùm Manichæorum errorem, unde nihil dicere decreveram, disputans, quàm de iis quæ asserere proposueram. Et post hæc, nisi fallor, ecce alia die vel post biduum venit quidam Firmus nomine, negotiator, & intra monasterium sedente sancto Augustino, nobis coram, ad pedes ejus genibus provolutus sese jactavit, lacrymas fundens, & rogans ut pro suis delictis sacerdos cum [b] sanctis Dominum precaretur, confitens quòd Manichæorum sectam secutus fuisset, & in ea quàm plurimis annis vixisset, & propterea pecuniam multam ipsis Manichæis, vel eis quos dicunt electos, incassum erogasset: ac se in ecclesia, Dei misericordiâ, fuisse ejus tractatibus nuper correctum atque catholicum factum. Quod & ipse venerabilis Augustinus, & nos qui tunc aderamus, ab eodem diligenter inquirentes, ex qua re potissimùm in illo tractatu sibi fuerit satisfactum, & referente eo, nobisque omnibus sermonis seriem recognoscentibus, profundum consilium Dei pro salute animarum admirantes & stupentes, glorificavimus sanctum ejus nomen, & benediximus; qui cùm voluerit, & unde voluerit, & quomodo voluerit, & per scientes & per nescientes salutem operatur animarum. Et ex eo ille homo proposito servorum Dei adhærens, negotiatoris dimisit actionem, & proficiens in Ecclesiæ membris, in alia regione ad presbyterii quoque Dei voluntate petitus & coactus accessit officium, tenens atque custodiens propositi sanctitatem: & fortè adhuc usque in rebus humanis vivit trans mare constitutus.

Psal. 7. 16.

CAPUT XVI. Manichæorum exsecrandæ turpitudines detectæ.

APUD Carthaginem quoque, dum per quemdam domûs regiæ procuratorem, nomine Ursum, fidei catholicæ hominem, ad quosdam Manichæorum, quos electos vel electas dicunt, præsentes perveniretur, atque ad ecclesiam ab eodem deducerentur & perducerentur, ab episcopis ad [c] tabulas auditi sunt. Inter quos etiam sanctæ memoriæ Augustinus fuit, qui præ ceteris illam exsecrabilem sectam noverat, & eorum prodens ejusmodi damnabiles blasphemias ex locis librorum, quos illi accipiunt Manichæi, usque ad confessionem earumdem blasphemiarum eos perduxit: & quæ inter se illi suo more malo indigna & turpia facere consueverant, feminarum illarum velut electarum proditione, illis ecclesiasticis gestis declaratum est. Atque ita pastorum diligentiâ, Dominico gregi & augmentum accessit, & adversùs fures atque latrones defensio competens procurata est. Cum quodam etiam Felice, de numero eorum quos electos dicunt Manichæi, [d] publicè in Hipponensi Ecclesia notariis excipientibus disputavit populo adstante: & post secundam vel tertiam collationem ille Manichæus frustrata vanitate & errore suæ sectæ, ad nostram conversus est fidem atque Ecclesiam, sicut * eadem relecta docere poterit scriptura.

Felix Manichæus conversus.

* Acta cum Felice, Tom. 8.

CAPUT XVII. Pascentius Comes Arianus in collatione revincitur. V. August. epist. 238. 239. & 241.

PRÆTEREA cum quodam etiam Pascentio Comite domûs regiæ Ariano, qui per auctoritatem suæ personæ fisci vehementissimus exactor, fidem catholicam atrociter ac jugiter oppugnabat, & quàm plurimos sacerdotes Dei simpliciori fide viventes, dicacitate ac potestate exagitabat & perturbabat, [e] interpositis honoratis & nobilibus viris, apud Carthaginem ab illo provocatus, coràm contulit. Sed idem hæreticus tabulas atque stilum, quod [f] magister noster & ante congressum & in congressu instantissimè fieri volebat, ne adessent omni modo recusabat. Et dum id pernegasset, dicens quòd metu legum publicarum periclitari tabulis scriptis nollet; atque interpositis id placere Augustinus episcopus cum suis qui aderant consacerdotibus videret, ut absque ulla scriptura privatim disputarent, collationem suscepit: prædicens, ut postmodum contigit, quòd post solutum conventum esse cuiquam posset liberum [g] fortè dicere, nullo scripturæ documento, se dixisse quod fortè non dixerit, vel non dixisse quod dixerit. Et miscuit cum eodem sermonem, atque asseruit quid crederet, & ab illo quid teneret audivit, & vera ratione atque auctoritate Scripturarum [h] probata docuit, & ostendit nostræ fidei firmamenta: illius autem asserta nulla veritate, nulla Scripturarum sanctarum auctoritate suffulta docuit, & frustravit. Et ut à se invicem partes digressæ sunt, ille magis magisque iratus & furens, mendacia multa pro fide sua falsa jactabat, victum esse à se ipso proclamans, multorum ore laudatum Augustinum. Quæ cùm [i] minimè laterent, coactus est ad ipsum scribere Pascentium, propter illius metum omissis nominibus conferentium, & in eis litteris quidquid inter partes dictum vel gestum fuerat, fideliter intimavit; ad ea, si negarentur, probanda magnam testium

[a] In MSS. *latera*.

[b] Sic MSS. At editi, *cum suis*.

[c] *ad tabulas*, id est, notariis excipientibus & in tabulas inferentibus interrogata & responsa: sicque notariorum opere confecta sunt illa gesta, quæ hîc *ecclesiastica* dicuntur, & in libro de hæresibus hær. 46. *episcopalia*.

[d] Hîc editi addunt, *quippe Hipponem venerat eumdem seminaturus errorem.* Verba sunt Augustini in libro Retractationum 2. c. 8.

[e] Editi loco *interpositis*, substituunt *præsentibus*.

[f] Floriacenses duo MSS. *magis noster*.

[g] Editio Lov. addit, *arbitrium*.

[h] Plerique MSS. *prolata*.

[i] Hic editi adjiciunt, *illum venerabilem virum*.

habens copiam, clarissimos scilicet atque honorabiles, qui tunc aderant, viros. Atque ille ad duo sibi directa scripta, unum vix reddidit rescriptum, in quo magis injuriam facere, quàm suæ sectæ rationem valuit declarare. Quod à volentibus & à valentibus legere comprobatur.

Collatio cum Maximino episcopo Ariano.

Cum ipsorum quoque Arianorum episcopo quodam Maximino cum Gotthis ad Africam veniente, apud Hipponem quàm plurimis volentibus atque petentibus, & præclaris interpositis viris contulit: & quid singulæ asseruerint partes, scriptum est. Quæ si studiosi diligenter legere curaverint, procul dubio indagabunt, vel quid callida & irrationabilis hæresis ad seducendum & decipiendum profiteatur, vel quid Ecclesia catholica de divina teneat & prædicet Trinitate. Sed quoniam ille hæreticus de Hippone rediens ad Carthaginem, de sua multa in collatione loquacitate victorem se de ipsa collatione recessisse jactavit, & mentitus est; quæ utique non facilè à divinæ legis ignaris examinari & dijudicari possent: à venerabili Augustino sequentis temporis stilo, & illius totius collationis de singulis objectis & responsis facta est recapitulatio, & quàm nihil ille objectis referre potuerit, nihilo minùs demonstratum est, additis supplementis, quæ in tempore collationis angusto cuncta inferri & scribi minimè potuerunt. Id enim egerat nequitia hominis; ut sua novissima prosecutione multò longissima, totum quod remanserat diei spatium occuparet.

CAPUT XVIII. Pelagianistæ novi hæretici, expugnati & condemnati.

ADVERSUS Pelagianistas quoque novos nostrorum temporum hæreticos & disputatores callidos, arte magis subtili [a] & noxia scribentes, & ubicumque poterant publicè & per domos loquentes, per annos ferme [b] decem laboravit, librorum multa condens & edens, & in ecclesia populis ex eodem errore frequentissimè disputans. Et quoniam iidem perversi sedi Apostolicæ per suam ambitionem eamdem perfidiam persuadere conabantur, instantissimè etiam conciliis Africanis sanctorum episcoporum gestum est, ut sancto papæ Urbis [c], & priùs venerabili Innocentio, & postea sancto Zosimo ejus successori persuaderetur, quàm illa secta à fide catholicâ & abominanda & damnanda fuisset. At illi tantæ sedis antistites, suis diversis temporibus eosdem notantes, atque à membris Ecclesiæ præcidentes, datis litteris [d] & ad Africanas Occidentis, & ad Orientis partis Ecclesias, eos anathemandos & devitandos ab omnibus catholicis censuerunt. Et tale de illis Ecclesiæ Dei catholicæ prolatum judicium, etiam piissimus Imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere constituit. Unde nonnulli ex eis ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium, unde resilierant, redierunt, & adhuc alii redeunt, innotescente & prævalescente adversùs illum detestabilem errorem rectæ fidei veritate.

Ecclesiæ catholicæ quantum profuerint labores Augustini.

Et erat ille memorabilis vir, præcipuum Dominici corporis membrum, circa universalis Ecclesiæ utilitatem sollicitus semper ac pervigil. Et illi divinitus donatum est, ut de suorum laborum fructu, etiam in hac vita gaudere provenisset, priùs quidem in [e] Hipponensi Ecclesia & regione, cui maximè præsidebat, unitate ac pace perfecta; deinde in aliis Africæ partibus, sive per se ipsum, sive per alios, & quos ipse dederat sacerdotes, pullulasse, & multiplicatam fuisse Domini Ecclesiam pervidens, illosque Manichæos, Donatistas, Pelagianistas, & Paganos ex magna parte defecisse, & Ecclesiæ Dei sociatos esse congaudens; profectibus quoque & studiis favens erat & exsultans bonorum omnium; indisciplinationes piè ac sanctè tolerans fratrum, ingemiscensque de iniquitatibus malorum, sive eorum qui intra Ecclesiam, sive eorum qui extra Ecclesiam sunt constituti, Dominicis, ut dixi, lucris semper gaudens, & damnis mærens.

Hæretici & Pagani deficiunt.

Augustini Operum quàm ingens copia.

Tanta autem ab eodem dictata & edita sunt, tantaque in Ecclesia disputata, excepta atque emendata, vel adversùs hæreticos conscripta, vel ex canonicis libris exposita ad ædificationem sanctorum Ecclesiæ filiorum, ut ea omnia vix quisquam studiosorum perlegere & nosse sufficiat. Verumtamen ne veritatis [f] verbi avidissimos in aliquo fraudare videamur, statui, Deo præstante, in hujus opusculi fine etiam eorumdem librorum, tractatuum, & epistolarum indiculum adjungere: quo lecto qui magis Dei veritatem quàm temporales amant divitias, sibi quisque quod voluerit ad legendum & cognoscendum eligat, & id ad describendum, vel de bibliotheca Hipponensis Ecclesiæ petat, ubi emendatiora exemplaria fortè poterunt inveniri, vel unde valuerit inquirat, & inventa describat & habeat, & petenti ad describendum, sine invidia etiam ipse tribuat.

Indiculus eorumdem Operum in fine adjungendus.

CAPUT XIX. In caussis audiendis quomodo se gesserit Augustinus.

SECUNDUM Apostoli quoque sententiam, dicentis, *Audet quisquam vestrûm adversùs alterum negotium habens judicari ab iniquis, & non apud sanctos? An nescitis quia sancti mundum judicabunt? Et si in vobis judicatur mundus, indigni estis judiciorum* [g] *minimorum? Nescitis quia angelos judicabimus, nedum sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis inter vos, eos qui contemtibiles sunt in Ecclesia, hos collocate* [h] *ad judicandum. Ad reverentiam vobis loquor: sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum dijudicare; sed frater cum fratre dijudicatur, & hoc apud infideles.* Interpellatus ergo à Christianis, vel à cujusque sectæ hominibus, caussas audiebat diligenter ac piè: cujusdam sententiam ante oculos habens, dicentis se malle inter incognitos, quàm inter amicos caussas audire: eo quòd de incognitis, pro quo [i] arbitra æquitate judicaretur, amicum

[a] Particulam & restituimus ex MSS.

[b] Annos à Pelagiani erroris exortu ad illius per Zosimum condemnationem computat. Nam alioqui contra eum errorem disputavit scripsitque S. Doctor ab anno Christi circiter 411. aut 412. quo anno 412. libros de peccatorum meritis & remissione confecit, cùm eumdem errorem sermonibus priùs aggressus esset; usque ad annum 430. quo morte occupatus est scribens ultimum opus in Julianum. Hinc Prosper in libro quem anno 433. contra Collatorem edidit, cap. 1. *Viginti ampliùs annis*, inquit, *contra inimicos gratiæ Dei catholica acies hujus Viri ductu pugnat & vincit.*

[c] In editis additur, *Romæ.*

[d] Sic MSS. Editi verò, *datis litteris ad Africanas Orientis & Occidentis Ecclesias*: corruptè.

[e] Carnotensis codex, *in Hipponensis Ecclesiæ regione.*

[f] Apud Lov. hîc omissum est, *verbi.* Apud Ulim. legitur, *veritatis & verbi Dei.*

[g] Fossatensis MS. *minorum.*

[h] Germanensis codex non habebat, *ad judicandum*: neque Græcus textus id præfert.

[i] Editi, *arbitratû.* Veteres autem codices, *arbitrâ.*

possset adquirere; de amicis verò unum esset, contra quem sententia proferretur, perditurus. Et eas aliquando usque ad horam refectionis, aliquando autem tota die jejunans, semper tamen noscebat & dirimebat: intendens in eis Christianorum momenta animorum, quantum quisque vel in fide bonisque [a] moribus proficeret, vel ab iis deficeret; atque compertis rerum opportunitatibus, divinæ legis veritatem partes docebat, eamque illis inculcabat, & eas quo adipiscerentur vitam æternam edocebat & admonebat: nihil aliud quærens ab iis quibus ad hoc vacabat, nisi tantùm obedientiam & devotionem Christianam, quæ & Deo debetur & hominibus: peccantes coram omnibus arguens, ut ceteri timorem haberent: & faciebat hoc tamquam speculator à Domino constitutus domui Israël, prædicans verbum atque instans opportunè, importunè, arguens, hortans, increpans, in omni longanimitate & doctrina; præcipuèque operam dans instruere eos, qui essent idonei & alios docere. Rogatus quoque à nonnullis in eorum temporalibus caussis, epistolas ad diversos dabat. Sed hanc suam à melioribus rebus occupationem tamquam angariam deputabat, suavem semper habens de iis quæ Dei sunt vel allocutionem vel collocutionem fraternæ ac domesticæ familiaritatis.

[a] Partes facta opportunitate docet quæ ad æternam vitam spectant. Merces, operæ judiciariæ. 1. Tim. 5. 20. 2. Tim. 4. 2.

CAPUT XX. Pro reis quomodo intercesserit.

NOVIMUS quoque eum à suis carissimis litterarum intercessum apud sæculi potestates postulatum non dedisse, dicentem cujusdam sapientis servandam esse sententiam, de quo scriptum esset, quòd multa suæ famæ contemplatione amicis non præstitisset: & illud nihilo minùs suum addens, quoniam plerumque potestas quæ præstat, premit. Cùm verò intercedendum esse rogatus videbat, tam id honestè ac temperatè agebat, ut non solùm onerosus aut molestus non videretur, verùm etiam mirabilis exsisteret. Nam dum exorta necessitate suo more apud quemdam Africæ vicarium, Macedonium nomine, pro supplici litteris interveniret, atque ille paruisset, hoc modo rescriptum misit: MIRO modo afficior sapientiâ tuâ, & in illis quæ edidisti, & in iis quæ interveniens pro [b] sollicitis mittere non gravaris. Nam & illa tantum habent acuminis, scientiæ, sanctitatis, ut nihil suprà sit: & hæc tantum verecundiæ, ut nisi faciam quod mandas, culpam penes me remanere, non in negotio esse, dijudicem, domine meritò venerabilis & suscipiende pater. Non enim instas, quod plerique homines istius loci [c] faciunt, ut quodcumque [d] sollicitus petitor voluerit, extorqueas: sed quod tibi à judice tot curis obstricto petibile visum fuerit, admones [e] subserviente verecundiâ, quæ maxima difficilium inter bonos efficacia est. Proinde statim commendatis effectum desiderii tribui: nam sperandi viam antè patefeceram.

Macedonius in epistola inter Aug. 254.

CAPUT XXI. Conciliis quo animo interesse solebat. In ordinandis sacerdotibus majoris consensus & Ecclesiæ consuetudo sequenda.

SANCTORUM concilia sacerdotum per diversas provincias celebrata, cùm potuit, frequentavit; non in eis quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærens; ut vel fides sanctæ Ecclesiæ catholicæ inviolata maneret, vel nonnulli sacerdotes & clerici, sive per fas sive per nefas excommunicati, vel absolverentur vel abjicerentur. In ordinandis verò sacerdotibus & clericis consensum [f] majorem Christianorum, & consuetudinem Ecclesiæ sequendam arbitrabatur.

CAPUT XXII. In vestitu & victu qualis fuerit Augustinus.

VESTES ejus & calceamenta vel lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimiùm, nec abjecta plurimùm: quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere; ex utroque non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt iidem quærentes: at iste, ut dixi, medium tenebat, neque in dexteram, neque in sinistram declinans. Mensâ usus est frugali & parcâ, quæ quidem inter olera & legumina, etiam carnes aliquando propter hospites, vel quosque infirmiores, [g] semper autem vinum habebat. Quia noverat, & docebat, ut Apostolus dicit, quòd *omnis creatura Dei bona sit, & nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Et, ut idem Augustinus sanctus in suis Confessionum libris posuit, dicens, "Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio Noë omne genus carnis quod cibo esset usui, manducare permissum; Eliam cibo carnis refectum; Johannem mirabili abstinentiâ præditum, animalibus, hoc est, locustis in escam cedentibus, non fuisse pollutum: scio & Esaü lenticulæ concupiscentiâ deceptum; & David propter aquæ desiderium à se ipso reprehensum; & regem nostrum, non de carne, sed de pane esse tentatum. Ideoque & populus in eremo, non quia carnes desideravit, sed quia escæ desiderio contra Deum murmuravit, meruit improbari." De vino autem sumendo Apostoli exstat sententia ad Timotheum scribentis, ac dicentis, *Noli usque adhuc aquam bibere, sed vino modico utere propter stomachum & frequentes tuas infirmitates.* Cochlearibus tantùm argenteis utens, cetera vasa quibus mensæ inferebantur cibi, vel testea, vel lignea, vel marmorea fuerunt: non tamen necessitatis inopiâ, sed proposito voluntatis. Sed & hospitalitatem semper exhibuit. Et in ipsa mensa magis lectionem vel disputationem, quàm epulationem potationemque diligebat. Et contra pestilentiam humanæ consuetudinis in ea scriptum ita habebat:

1. Tim. 4. 4. Lib. 10. cap. 31. 1. Tim. 5. 23.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
[h] *Hanc mensam indignam noverit esse sibi.*

Et ideo omnem convivam à superfluis & noxiis fabulis.

[a] Editi, *bonisque operibus.* MSS. *moribus.*
[b] Sic MSS. At editi, *pro reis.*
[c] Lov. *istius loci vi faciunt.*
[d] Veteres codices quidam omittunt, *petitor:* & plerique pro *sollicitus*, ferunt *sollicitius.*
[e] Hîc editi addunt, *& rogas.* Abest à MSS.
[f] Tres MSS. Fossatensis, Vedastinus & Cisterciensis, *majorum.* De sacerdotum ordinatione Cyprianus in epistola ad clerum & plebem Hispaniarum scripta, quæ novæ editionis est ordine 67. *Sit ordinatio*, inquit, *justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata.* Et ibidem Sabini episcopi ordinationem laudat *de universa fraternitatis suffragio* factam.
[g] Johannes Ulimmerius ex Augustinensi ordine canonicus Lovaniensis locum hunc sic edidit: *propter hospites habebat, vel quosque infirmiores. Semper autem vinum bibebat, quamvis modicè & temperanter, quia noverat* &c. Eum Lovanienses Theologi castigarunt hoc pacto: *propter hospites vel quosque infirmiores continebat. Semper autem vinum habebat, quia noverat* &c. Attamen nostri omnes MSS. carent verbo *continebat*; uno fortè excepto Vedastino, qui postea loco *vinum habebat*, præfert *vinum bibebat*.
[h] Tres MSS. *Hac mensâ indignam noverit esse suam.* Ulimmerius, *Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.*

fabulis [a] & detractionibus ſe ſe abſtinere debere admonebat. Nam & quoſdam ſuos familiariſſimos coëpiſcopos illius ſcripturæ oblitos, & contra eam loquentes, tam aſperè aliquando reprehendit, commotus ut diceret, aut delendos eſſe illos de menſa verſus, aut ſe de media refectione ad ſuum cubiculum ſurrecturum. Quod ego & alii, qui illi menſæ interfuimus, experti ſumus.

CAPUT XXIII. In uſu rerum eccleſiaſticorum qualis.

[b] COMPAUPERUM verò ſemper memor erat, eiſque inde erogabat, unde & ſibi ſuiſque omnibus ſecum habitantibus [c], hoc eſt, vel ex reditibus poſſeſſionum Eccleſiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum fortè (ut adſolet) de poſſeſſionibus ipſis invidia clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle ſe ex collationibus magis plebis Dei vivere, quàm illarum poſſeſſionum curam vel gubernationem pati; & paratum ſe eſſe illis cedere, ut eo modo omnes Dei ſervi & miniſtri viverent, quo in vetere Teſtamento leguntur, altari deſervientes de eodem [d] comparticipari. Sed numquam id laici ſuſcipere voluerunt.

V. Ser. 355. & 356.

1. Cor. 9. 13.

CAPUT XXIV. In re domeſtica qualis.

DOMÛS Eccleſiæ curam omnemque ſubſtantiam ad vices valentioribus clericis delegabat & credebat. Numquam clavem, numquam anulum in manu habens: ſed ab eiſdem domûs præpoſitis cuncta & accepta & erogata notabantur: quæ anno completo eidem recitabantur, quò ſciretur quantum acceptum, quantumque diſpenſatum fuiſſet, vel [e] quid diſpenſandum remanſiſſet; & in multis titulis magis illius præpoſiti domûs fidem ſequens, quàm probatum manifeſtatumque cognoſcens. Domum, agrum, ſeu villam numquam emere voluit. Verùm ſi fortè Eccleſiæ à quoquam ſponte tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, non reſpuebat, ſed ſuſcipi jubebat. Nam & aliquas eum hereditates recuſaſſe novimus, non quia pauperibus inutiles eſſe poſſent, ſed quoniam juſtum & æquum eſſe videbat, ut à mortuorum vel filiis vel parentibus vel affinibus magis poſſiderentur, quibus ea deficientes dimittere noluerunt. Quidam etiam ex honoratis Hipponenſium apud Carthaginem vivens Eccleſiæ Hipponenſi poſſeſſionem donare voluit, & confectas tabulas, ſibi uſu fructu retento, ultro eidem ſanctæ memoriæ Auguſtino miſit: cujus ille oblationem libenter accepit, congratulans ei quòd æternæ ſuæ memor eſſet ſalutis. Verùm poſt aliquot annos nobis fortè cum eodem cominus conſtitutis, ecce ille donator litteras per ſuum filium mittens, rogavit ut illæ donationum tabulæ ſuo redderentur filio; pauperibus verò erogandos direxit ſolidos centum: quo ille ſanctus cognito, ingemuit, hominem vel finxiſſe donationem, vel eum de bono opere pænituiſſe, & quanta potuit Deo ſuggerente cordi ejus [f] cum dolore animi ex eadem refragatione dixit, in illius ſcilicet increpationem & correctionem: & tabulas quas ille ſponte miſerat, nec deſideratas, nec exactas, confeſtim reddidit, pecuniamque illam reſpuit; atque reſcriptis eumdem, ſicut oportuit, & arguit & corripuit, admonens ut de ſua ſimulatione vel iniquitate cum pænitentiæ humilitate Deo ſatisfaceret, ne cum tam gravi delicto de ſæculo exiret.

Donata & legata Eccleſiæ quætam ſuſcipiebat aut recuſabat.

A rerum temporalium curis liberum ſemper animum habere volebat.

Frequentiùs quoque dicebat, magis ſecuriùs & tutiùs Eccleſiam legata à defunctis dimiſſa debere ſuſcipere, quàm hereditates fortè ſollicitas & damnoſas; ipſaque legata magis offerenda eſſe, quàm exigenda. Commendata verò quæque ipſe non ſuſcipiebat, ſed volentes ſuſcipere clericos non prohibebat. In iis quoque quæ Eccleſia habebat & poſſidebat, intentus amore vel implicatus [g] non erat: ſed majoribus magis [h] & ſpiritalibus ſuſpenſus & inhærens rebus, vix aliquando ſe ipſum ad illa temporalia ab æternorum cogitatione relaxabat & deponebat. Quibus ille diſpoſitis & ordinatis, tamquam à rebus mordacibus ac moleſtis, animi recurſum ad interiora mentis & ſuperiora faciebat; quò vel de inveniendis divinis rebus cogitaret, vel de jam inventis aliquid dictaret, aut certè ex jam dictatis atque tranſſcriptis aliquid emendaret. Et id agebat in die laborans, & in nocte lucubrans. Et erat tamquam illa religioſiſſima Maria, typum geſtans ſupernæ Eccleſiæ, de qua ſcriptum eſt, quòd ſederet ad pedes Domini atque intenta ejus verbum audiret: de qua ſoror conqueſta, quòd ab eadem circa multum miniſterium occupata non adjuvaretur, audivit: *Martha, Martha, meliorem partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea.* Nam fabricarum novarum numquam ſtudium habuit, devitans in eis implicationem ſui animi, quem ſemper liberum habere volebat ab omni moleſtia temporali: non tamen illa volentes & ædificantes prohibebat, niſi tantùm immoderatos. Interea dum Eccleſiæ pecunia deficeret, hoc ipſum populo Chriſtiano denuntiabat, non ſe habere quod indigentibus erogaret. Nam & de vaſis Dominicis, propter captivos & quàm [i] plurimos indigentes, frangi & conflari jubebat, & indigentibus diſpenſari. Quod non commemoraſſem, niſi contra carnalem ſenſum quorumdam fieri perviderem. Et hoc ipſum etiam venerabilis memoriæ Ambroſius in talibus neceſſitatibus indubitanter eſſe faciendum, & dixit, & ſcripſit. Sed & de neglecto à fidelibus gazophylacio & & ſecretario, unde altari neceſſaria inferuntur, aliquando in eccleſia loquens admonebat: quod etiam beatiſſimum Ambroſium ſe præſente in eccleſia tractaviſſe, nobis aliquando retulerat.

Lucæ 10. 39.

Ambroſius lib. 2. offic. cap. 18.

CAPUT XXV. Diſciplina domeſtica.

CUM ipſo ſemper clerici, unâ etiam domo ac menſâ ſumtibuſque communibus alebantur & veſtiebantur. Et ne quiſquam facili juratione etiam ad perjurium decidiſſet, & in eccleſia populo prædicabat, & ſuos inſtituerat, ne quis juraret, ne ad [k] menſam quidem. Quòd ſi prolap-

Pœna jurantis.

---

[a] In MSS. deeſt, *& detractionibus.*
[b] Sic MSS. At editi, *Pauperum.*
[c] Hîc editi addunt, *erogabatur.*
[d] In MSS. *compartiri.*
[e] Sic MSS. Editi verò, *vel quidquid indiſpenſatum vel diſpenſandum remanſiſſet.*

[f] Editi, *condolenti animo.*
[g] Hîc in editis additur, *cupiditate*: ſed abeſt à MSS.
[h] Editi, *magis ſpiritalibus*: omiſſo, *ac.*
[i] Duo MSS. *& plurimùm indigentes* Unus ex Floriacenſibus, *Nam & vaſa dominica quàm plurima frangi & conflari jubebat.*
[k] Editi, *ad modicum.* At omnes MSS. *ad menſam.*

[a] sus [a] fuisset, unam de statutis perdebat potionem: A
numerus enim erat suis secum commorantibus &
convivantibus poculorum præfixus. Indiscipli-
nationes quoque & transgressiones suorum à re-
gula recta & honestate, arguebat, & tolerabat
quantum decebat & oportebat: in talibus præ-
Psal. 140. 4. cipuè docens, ne cujusquam cor declinaretur in
verba maligna ad excusandas excusationes in pec-
Matth. 5. 23. catis. Et dum quisque offerret munus suum ad
altare, & illic recordatus fuisset quòd frater
suus haberet aliquid adversùs illum, relinquen- B
[b] dum esse munus ante altare, atque [b] eundum
quò fratri reconcilietur, & tunc veniendum, &
munus ad altare offerendum. Si verò ipse ad-
Matth. 18. 15. versùs fratrem suum aliquid haberet, corripere
eum debere in parte; & si eum audisset, lucra-
tus esset suum fratrem: sin minùs, adhibendum
esse unum aut duos: quòd si & ipsos contem-
neret, Ecclesiam adhibendam: sin verò & huic
non obediret, esset illi ut ethnicus & publica-
nus. Et illud addens, ut fratri peccanti & veniam C
Ibid. 22. petenti, non septies, sed septuagies septies de-
lictum relaxetur, sicut quisque à Domino quo-
tidie sibi postulat relaxari.

CAPUT XXVI. De convictu feminarum.

FEMINARUM intra domum ejus nulla um-
quam conversata est, nulla mansit, ne quidem
germana soror, quæ vidua Deo serviens multo
tempore usque in diem obitûs sui præposita an-
[c] cillarum Dei vixit. Sed nec [c] patrui sui filiæ, &
fratris sui filiæ, quæ pariter Deo serviebant: quas
personas sanctorum episcoporum concilia in ex- D
ceptis posuerunt. Dicebat verò, quia etsi de so-
rore & neptibus secum commorantibus nulla
nasci posset mala suspicio; tamen quoniam illæ
personæ sine aliis necessariis secumque manenti-
bus feminis esse non possent, & quòd ad eas aliæ
etiam à foris intrarent, de his posse offendicu-
lum aut scandalum infirmioribus nasci, & illos
qui cum episcopo vel quolibet clerico fortè ma-
nerent, ex illis omnibus feminarum personis pos-
[d] se unà commorantibus [d] vel adventantibus, E
aut tentationibus humanis perire, aut certè ma-
lis hominum suspicionibus pessimè diffamari. Ob
hoc ergo dicebat, numquam debere feminas
cum servis Dei, etiam castissimis, unà manere
domo, ne (ut dictum est) aliquod scandalum
aut offendiculum tali exemplo poneretur infir-
mioribus: & si fortè ab aliquibus feminis ut vide-
retur vel salutaretur, rogabatur; numquam sine
[e] clericis testibus ad [e] eum intrabant, vel solus
cum solis umquam est locutus, nec si secretorum F
aliquid interesset.

CAPUT XXVII. Officium erga destitutos & ægrotantes.

IN visitationibus verò modum tenebat ab
Apostolo definitum, ut non nisi pupillos & vi-
Jacobi 1. 27. duas in tribulationibus [f] constitutas visitaret. Et
[f] si fortè ab ægrotantibus ob hoc peteretur, ut
pro eis in præsenti Dominum rogaret, eisque
manus imponeret; sine mora pergebat. Femina-
rum autem monasteria non nisi urgentibus ne-
cessitatibus visitabat.

Servandum quoque in vita & moribus homi- G
nis Dei referebat, quod in [g] instituto sanctæ [g]
memoriæ Ambrosii compererat, ut uxorem cui-
quam numquam posceret, neque militare volen-
tem ad hoc commendaret, neque in sua patria
petitus iret ad convivium. De singulis rebus red-
dens caussas, scilicet ne dum inter se conjugati
casu jurgarent, ei maledicerent per quem con-
juncti essent: sed planè ad hoc sibi jam illis con-
sentientibus petitum interesse debere sacerdo-
tem, ut vel eorum jam [h] pacta & placita firma- [h]
rentur, vel benedicerentur. Et ne militiæ com-
mendatus [i] ac malè agens, ejus culpa suffraga- [i]
tori tribueretur. Et ne per frequentiam in pa-
triæ conviviis constitutus temperantiæ amittere-
tur modus.

Indicaverat quoque nobis se prædicti beatæ *Ambrosii in extremis præclarum dictum.*
memoriæ viri in ultimo vitæ constituti audisse
sapientissimum & piissimum responsum, & mul-
tùm laudabat ac prædicabat. Nam * cùm ille ** Idem in Ambrosii vita narrat Paulinus presbyter.*
venerabilis ultima jaceret ægritudine, & à fide-
libus honoratis lecto ejus adstantibus, & viden-
tibus eum de sæculo ad Deum migraturum, &
ob hoc mærentibus tanti ac talis antistitis Ec-
clesiam posse privari verbi & sacramenti Dei
dispensatione, rogaretur cum lacrymis, ut sibi à
Domino vitæ posceret commeatum, eum illis
dixisse: *Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vive-
re; sed nec mori timeo, quia bonum Dominum ha-
bemus.* Et in his noster Augustinus senex eli-
mata ac librata admirabatur & laudabat verba.
Ideo enim eum dixisse intelligendum esse, Nec
mori timeo, quia bonum Dominum habemus;
ne crederetur præfidens de suis purgatissimis mo-
ribus [k] præsumsisse, Non sic vixi, ut me pudeat [k]
inter vos vivere. Hoc enim dixerat ad illud quod
homines de homine nosse poterant. Nam [l] sciens [l]
examen æquitatis divinæ, de bono se dixit Do-
mino magis [m] confidere: cui etiam in oratione [m] *Matth. 6. 12.*
quotidiana Dominica dicebat, *Dimitte nobis de-
bita nostra.*

Cujusdam quoque coëpiscopi, & familiarissi- *Altera episcopi morti propinquantis eximia sententia contra vitæ hîc prolixioris cupiditatem.*
mi sui amici, in extremis vitæ de talibus fre-
quentissimè referebat dictum: ad quem cùm
visitandum jam morti propinquantem ventitas-
set, & ille manûs gestu se de sæculo exiturum si-
gnificaret, atque à se illi esset responsum, adhuc
eum Ecclesiæ necessarium vivere posse; illum,
ne putaretur hujus vitæ teneri cupiditate, ei
respondisse: *Si numquam, bene; si aliquando, qua-
re non modo?* Et talem sententiam mirabatur &
laudabat hominem protulisse, Deum quidem ti-
mentem, verumtamen in villa natum & nutri-
tum, sed non multâ lectionis eruditum scientiâ:
contra illum scilicet sensum ægrotantis episcopi,
de quo sanctus in epistola sua quam de mortali- *Cyprianus serm. de mortalitate.*
tate scripsit martyr Cyprianus, ita retulit, di-
cens: Cùm quidam de collegis & consacerdoti- «
bus nostris infirmitate defessus, & de appropin- «
quante morte sollicitus, commeatum sibi preca- «
retur, adstitit deprecanti & jam penè morien- «
ti juvenis honore & majestate venerabilis, staturâ «

[a] In MSS. *fecisset.*
[b] Editi, *atque eumdem fratrem esse reconciliandum.* Castig. ex MSS.
[c] Nostri MSS. non habent, *patrui sui filiæ &c.*
[d] Vetustissimus codex Fossatensis *aut adventantibus pessimè diffamari:* & præterit, *aut tentationibus &c.*
[e] Editio Lov. *ad eas intrabat:* dissentientibus MSS. & Ulim.
[f] Ulim. & MSS. *constitutos.*
[g] Editi, *in institutis.*
[h] Veteres codices, *jam facta placita.*
[i] Sic omnino MSS. At editi, *suam culpam malè agens suffragatori tribueret.*
[k] Tres MSS. *præmisisse.*
[l] Aliquot MSS. *Nam ad examen.*
[m] Hîc editi addunt, *quàm de meritis suis:* sed abest à MSS.

» celsus, & clarus adspectu, & quem adstantem sibi vix posset humanus adspectus oculis carnalibus intueri, nisi quòd talem videre jam poterat de sæculo recessurus: atque ille non sine quadam animi & vocis indignatione infremuit, & dixit, Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?

Caput XXVIII. Quæ proximè ante mortem ab Augustino edita.

Ante proximum verò diem obitûs sui à se dictatos & editos recensuit libros, sive eos quos primo tempore conversionis suæ adhuc laicus, sive quos presbyter, sive quos episcopus dictaverat: & quæcumque in his recognovit aliter quàm sese habet ecclesiastica regula à se fuisse dictata & scripta, cùm adhuc ecclesiasticum usum minùs sciret, minúsque [a] sapuisset, à semetipso & reprehensa & correcta sunt. Unde etiam duo conscripsit volumina, quorum est titulus, *De recensione librorum*. Præreptos etiam sibi quosdam * libros ante diligentiorem emendationem à nonnullis fratribus conquerebatur, licèt eos postmodum emendasset. Imperfecta etiam quædam suorum librorum præventus morte dereliquit. Quique prodesse omnibus volens, & [b] valentibus multa librorum legere, & non valentibus, ex utroque divino Testamento, vetere & novo, præmissâ præfatione præcepta divina seu vetita ad vitæ regulam pertinentia excerpsit, atque ex his unum codicem fecit: ut qui vellet legeret, atque in eo vel quàm obediens Deo inobediensve esset, agnosceret: & hoc opus voluit *Speculum* appellari.

Retractationum libri.
** De Trinitate.*

Barbarorũ irruptio.

Verùm brevi consequenti tempore divina voluntate & potestate provenit, ut manus ingens diversis telis armata & bellis exercitata, immanium hostium Wandalorum & Alanorum commixtam secum habens Gotthorum gentem, aliarumque diversarum personas, ex Hispaniæ partibus transmarinis, navibus Africæ influxisset & irruisset: universaque per loca Mauritaniarum etiam ad alias nostras transiens provincias & regiones, omni sæviens crudelitate & atrocitate, cuncta quæ potuit, exspoliatione, cædibus, diversisque tormentis, incendiis, aliisque innumerabilibus & infandis malis depopulata est, nulli sexui, nulli parcens ætati, nec ipsis Dei sacerdotibus vel ministris, nec ipsis ecclesiarum ornamentis seu instrumentis vel ædificiis. Et hanc ferocissimam hostium grassationem & vastationem, ille Dei homo, & factam fuisse & fieri, non ut ceteri hominum sentiebat & cogitabat: sed altiùs & profundiùs ea considerans, & in his animarum præcipuè vel pericula vel mortes prævidens, solito ampliùs, (quoniam, ut scriptum est, *Qui apponit scientiam, apponit dolorem: & cor intelligens, tinea ossibus:*) fuerunt ei lacrymæ panes die ac nocte, amarissimamque & lugubrem præ ceteris suæ senectutis jam penè extremam ducebat ac tolerabat vitam. Videbat enim ille homo Dei civitates excidio perditas, pariterque cum ædificiis villarum habitatores, alios hostili nece exstinctos, alios effugatos atque dispersos; Ecclesias sacerdotibus ac ministris destitutas, virginesque sacras & quosque continentes ubique dissipatos; & in his alios tormentis defecisse, alios gladio interemtos esse, alios in captivitate, perdita animi & corporis integritate ac fidei, malo more ac duro hostibus deservire; hymnos Dei & laudes de ecclesiis deperisse, ædificia ecclesiarum quàm plurimis locis ignibus concremata, sollemnia quæ Deo debentur de propriis locis desiisse sacrificia [c], sacramenta divina vel non quæri, vel quærenti qui tradat non facilè reperiri; in ipsas montium silvas & cavernas petrarum & speluncas confugientes, vel ad quasque munitiones, alios fuisse expugnatos & [d] interfectos, alios ita necessariis sustentaculis evolutos atque privatos, ut fame contabescerent; ipsosque Ecclesiarum præpositos & clericos, qui fortè Dei beneficio vel eos non incurrerant, vel incurrentes evaserant, rebus omnibus exspoliatos atque nudatos egentissimos mendicare, nec eis omnibus ad omnia quibus fulciendi essent subveniri posse: vix tres superstites ex innumerabilibus Ecclesias, hoc est, Carthaginensem, Hipponensem, & Cirtensem, quæ Dei beneficio excisæ non sunt, & earum permanent civitates, & divino & humano fultæ præsidio; licèt post ejus obitum urbs Hipponensis incolis destituta ab hostibus fuerit concremata. Et se inter hæc mala cujusdam sapientis sententiâ consolabatur, dicentis. Non erit magnus [e] magnum putans, quòd cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales.

Eccle. 1. 18.
Psal. 41. 4.

Hipponis obsidio.

Hæc ergo omnia ille, ut erat altè sapiens, quotidie ubertim plangebat. Accrevitque mæroribus & lamentationibus ejus, ut etiam adhuc in suo statu consistentem ad eamdem Hipponensium [f] regiorum civitatem ab iisdem hostibus veniretur obsidendam: quoniam in ejus tunc fuerat defensione constitutus Comes [g] quondam Bonifacius cum Gotthorum fœderatorum exercitu, quam urbem ferme quatuordecim mensibus conclusam obsederunt: nam & litus illi [h] marinum interclusione abstulerunt. Quò etiam ipsi nos de vicino cum aliis nostris coëpiscopis confugeramus, in eademque omni ejus obsidionis tempore fuimus. Unde nobiscum sæpissimè colloquebamur, & Dei tremenda judicia præ oculis nostris posita considerabamus, dicentes, *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum.* Pariterque dolentes, gementes, & flentes orabamus miserationum patrem & Deum omnis consolationis, ut in eadem nos tribulatione sublevare dignaretur.

Psal. 118. 137.
2. Cor. 1. 3.

Caput XXIX. Morbus extremus Augustini.

Et fortè provenit, ut unà cum eodem ad mensam constitutis, & inde confabulantibus nobis diceret: Noveritis me hoc tempore nostræ calamitatis id Deum rogare, ut aut hanc civitatem ab hostibus circumdatam liberare dignetur, aut si aliud ei videtur, suos servos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat, aut certè ut me de hoc sæculo ad se accipiat. Quæ ille dicens, nosque instruens, deinceps cum eodem & nos, & nostri omnes, & ipsi qui in eadem fuerant civitate, à summo Deo similiter petebamus. Et ecce tertio illius obsidionis mense decu-

[a] Sic MSS. At editi, *minúsque intelligeret.*
[b] Editi, *& volentibus.* Contrà MSS. *& valentibus.*
[c] Sic aliquot probæ notæ MSS. At editi, *defecisse, sacrificia &* &c.
[d] Tres MSS. *& interceptos:* atque ex istis unus prosequitur, *alios sic à necessariis* &c.
[e] Sola editio Lov. *Non erit magnum, quòd cadunt* &c.

[f] Editi, *regionum:* corruptè. Notum est, civitatem hanc Hipponem regium dictam, ut suprà cap. 3. quò videlicet ab Hippone diarrytho, alia in Africa civitate, secerneretur.
[g] Sic nostri omnes MSS. Editi autem, *Comes quidam Bonifacius cum Gotthorum quondam fœderatus exercitu.*
[h] Unus ex Floriacensibus MSS. *marina.*

buit febribus fatigatus, & illa ultima exercebatur ægritudine. Nec ſuum ſanè Dominus famulum fructu ſuæ precis fraudavit. Nam & ſibi ipſi & eidem civitati, quod lacrymoſis depopoſcit precibus, in tempore impetravit. Novi quoque eumdem & presbyterum, & epiſcopum, pro quibuſdam energumenis patientibus ut oraret rogatum, eumque in oratione lacrymas fundentem Deum rogaſſe, & dæmones ab hominibus receſſiſſe. Itemque ad ægrotantem & lecto vacantem quemdam cum ſuo ægroto veniſſe, & rogaviſſe ut eidem manum imponeret, quò ſanus eſſe poſſet: eumque reſpondiſſe, ſi aliquid in his poſſet, ſibi hoc utique primitus præſtitiſſet: & illum dixiſſe viſitatum ſe fuiſſe, ſibique per ſomnium dictum eſſe, Vade ad Auguſtinum epiſcopum, ut eidem manum imponat, & ſalvus erit. Quod dum comperiſſet, facere non diſtulit, & illum infirmum continuò Dominus ſanum ab eodem diſcedere fecit.

CAPUT XXX. Conſilium, an hoſtibus adventantibus ex Eccleſiis epiſcopis recedendum ſit.

INTEREA reticendum minimè eſt, cùm memorati impenderent hoſtes, à ſancto viro quoque noſtro coëpiſcopo [a] Thiabenſis Eccleſiæ Honorato, litteris fuiſſe conſultum, utrúmnam illis adventantibus ex Eccleſiis epiſcopis vel clericis recedendum eſſet, necne: eique reſcriptis inſinuaſſe quid magis ab illis Romaniæ everſoribus eſſet metuendum. Quam ejus epiſtolam huic ſcripturæ inſerere volui: eſt enim ſacerdotum Dei & miniſtrorum moribus valde utilis & neceſſaria. Iſto modo reſcriptum eſt ad eumdem ab eodem. Sancto fratri & coëpiſcopo Honorato, Auguſtinus in Domino ſalutem. CARITATI tuæ miſſo exemplo epiſtolæ, quam fratri Quodvultdeo noſtro coëpiſcopo ſcripſi, putabam me hoc onere caruiſſe quod mihi impoſuiſti, quærendo conſilium quid in his periculis quæ [b] tempora noſtra invenerunt, facere debeatis: quamvis enim epiſtolam &c.

CAPUT XXXI. Mors & ſepultura.

SANE ille ſanctus in vita ſua prolixa pro utilitate ac felicitate ſanctæ Eccleſiæ catholicæ divinitus condonata, [c] vixit annis LXXVI. in clericatu autem vel epiſcopatu annis ferme XL. Dicere autem nobis inter familiaria colloquia conſueverat, poſt perceptum baptiſmum, etiam laudatos Chriſtianos & ſacerdotes abſque digna & competenti pænitentia exire de corpore non debere. Quod & ipſe fecit, ultima qua defunctus eſt ægritudine: nam ſibi juſſerat Pſalmos Davidicos, qui ſunt pauciſſimi de pænitentia, ſcribi, ipſoſque quaterniones jacens in lecto contra parietem poſitos diebus ſuæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & jugiter ac ubertim flebat: & ne intentio ejus à quoquam impediretur, ante dies ferme decem quàm exiret de corpore, à nobis poſtulavit præſentibus, ne quis ad eum ingrederetur, niſi iis tantùm horis, quibus medici ad inſpiciendum intrarent, vel cùm ei refectio inferretur. Et ita obſervatum ac factum eſt: & omni illo tempore orationi vacabat. Verbum Dei uſque ad ipſam ſuam extremam ægritudinem imprætermiſſè, alacriter, & fortiter, ſana mente, ſanoque conſilio in eccleſia prædicavit. Membris omnibus ſui corporis incolumis, integro adſpectu atque auditu, &, ut ſcriptum eſt, nobis adſtantibus, & videntibus, & [d] cum eo pariter orantibus, obdormivit [e] cum patribus ſuis, [f] enutritus in bona ſenectute: & nobis coram pro ejus commendanda corporis depoſitione ſacrificium Deo oblatum eſt, & ſepultus eſt. Teſtamentum nullum fecit, quia unde faceret pauper Dei non habuit. Eccleſiæ bibliothecam, omneſque codices diligenter poſteris cuſtodiendos ſemper jubebat. Si quid verò Eccleſia, vel in ſumtibus, vel in ornamentis habuit, [g] fidei presbyteri, qui ſub eodem domûs Eccleſiæ curam gerebat, dimiſit. Nec ſuos conſanguineos, vel in propoſito vel extrà conſtitutos, in ſua vita & morte vulgi more tractavit: quibus, dum adhuc ſupereſſet, id ſi opus fuit, quod & ceteris, erogavit, non ut divitias haberent, ſed ut aut non, aut minùs egerent. Clerum ſufficientiſſimum, & monaſteria virorum ac feminarum, [h] continentibus cum ſuis præpoſitis plena, Eccleſiæ dimiſit, unà cum bibliothecis, libros & tractatus vel ſuos vel aliorum ſanctorum habentibus, in quibus dono Dei qualis quantuſque in Eccleſia fuerit noſcitur, & in his ſemper vivere à fidelibus invenitur. Juxta quod etiam ſæcularium quidam poëtarum, ſuis jubens quo ſibi tumulum mortuo in aggere publico collocarent, [i] programmate finxit, dicens,

Vivere poſt obitum vatem vis noſſe viator?
Quod legis ecce loquor, vox tua nempe mea eſt.

Et in ſuis quidem ſcriptis ille Deo acceptus & carus ſacerdos, quantum lucente veritate videre conceditur, rectè ac ſanè, fidei, ſpei, & caritatis catholicæ Eccleſiæ vixiſſe manifeſtatur: quod agnoſcunt qui eum de divinis ſcribentem legentes proficiunt. Sed ego arbitror plus ex eo proficere potuiſſe, qui eum & loquentem in eccleſia [k] præſentem audire & videre potuerunt, & ejus præſertim inter homines converſationem non ignoraverunt. Erat enim non ſolùm eruditus ſcriba in regno cælorum, de theſauro ſuo proferens nova & vetera, & unus negotiatorum, qui inventam pretioſam margaritam, quæ habebat venditis, comparavit: verùm etiam ex iis ad quos ſcriptum eſt, *Sic loquimini, & ſic facite*: & de quibus Salvator dicit, *Qui fecerit & docuerit ſic homines, hic magnus vocabitur in regno cælorum.*

Peto autem impendio veſtram caritatem, qui hæc ſcripta legitis, ut mecum omnipotenti Deo gratias agatis, Dominumque benedicatis, qui tribuit mihi intellectum, ut hæc in notitiam & præſentium & abſentium præſentis temporis & futuri hominum, & vellem deferre, & valuiſſem; & mecum ac pro me oretis, ut illius quondam viri, cum quo ferme annis quadraginta Dei [l] dono abſque amara ulla diſſenſione familiariter ac dulciter vixi, & in hoc ſæculo æmulator & imitator exſiſtam, & in futuro omnipotentis Dei promiſſis cum eodem perfruar. Amen.

Pſalmi pænitentiales. — Sacrificiũ pro mortuo oblatum. — Bibliotheca. — Monaſteria. — Epitaphiũ poëtæ cujuſdam. — Matth. 13. 52. — Jacobi 2. 12. — Matth. 5. 19.

[a] Editi, *Thabennenſis*. At MSS. *Thiabenſis*, aut *Thiavenſis*.
[b] Lov. *qua in tempora noſtra venerunt*. Epiſtolam hîc prætermus; quia eamdem integram dedimus in Tomo 2. numero 228.
[c] MSS. *nam vixit annis. . . . . dicere nobis*: omiſſo, *autem*.
[d] Noſtri omnes MSS. omittunt, *cum eo pariter*.
[e] Hîc editio Lov. addit, *in pace*.
[f] Germanenſis codex præterit, *enutritus*: & infrà loco *& nobis coram pro ejus*, præfert *& à nobis pro ejus*.
[g] Sic MSS. At editi, *fideli presbytero*.
[h] Editi, *continentium*.
[i] Editi, *pro epigrammate*. Omnes MSS. *programmate*: & ex iis plerique, *fixit dicens*.
[k] Germanenſis MS. *audire præſentialiter & videre*.
[l] Foſſatenſis MS. *Dei domo*.

INDICULUS LIBRORUM, TRACTATUUM, ET EPISTOLARUM S. AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, EDITUS CURA POSSIDII EPISCOPI CALAMENSIS.

CAPUT I.

CONTRA PAGANOS.

Tom. 1. DE Academicis, libri tres.
Ibid. De Ordine, libri duo.
Tom. 8. De utilitate credendi, liber unus.
Tom. 1. De vera religione, liber unus.
Ibid. De animæ immortalitate, liber unus.
Tom. 6. in lib. 83 quæstionum, q. 1. Quæstio, Utrùm anima à se ipsa sit.
q. 3. Quæstio alia, Utrùm à Deo auctore sit homo deterior.
q. 9. Item alia quæstio, Utrùm corporeis sensibus percipi veritas possit.
q. 11. Item alia quæstio, Quare Christus de femina natus sit.
q. 16. Item alia quæstio, De Filio Dei.
q. 19. Item alia quæstio, De Deo & creatura.
q. 23. Item alia quæstio, De Patre & Filio.
q. 27. Item alia quæstio, De providentia.
q. 28. Item alia quæstio, Quare Deus mundum facere voluerit.
q. 29. Item alia quæstio, Utrùm aliquid sit sursum aut deorsum in universo.
q. 32. Item alia quæstio, Utrùm rem ullam alius alio magis intelligat: atque ita ejusdem rei per infinitum eat intelligentia.
q. 42. Item alia quæstio, Quemadmodum Dei Sapientia Dominus Jesus Christus, & in utero matris fuerit, & in cælis.
q. 44. Item alia quæstio, Quare tanto pòst venit Dominus Jesus Christus.
q. 48. Item alia quæstio, De credibilibus.
Tom. 3. part. 2. De consensu Evangelistarum, libri quatuor.
Tom. 2. in Epist. 102. Quæstiones contra Porphyrium expositæ sex, id est, De resurrectione, De tempore Christianæ religionis, De sacrificiorum distinctione, Ex eo quod Dominus dicit, *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*: De Filio Dei secundùm Salomonem, De Jona propheta.
Tom. 6. De divinatione dæmonum, liber unus.
Tom. 7. De civitate Dei, libri viginti duo.

Epistolæ contra quos suprà.

Tom. 2. Epist. 17. Maximo Madaurensi.
Epist. 232. Fratribus Carthaginensibus.
Epist. 118. Madaurensibus.
Ep. 132. & 137. Dioscoro.
Ep. 138. & 143. Volusiano.
Marcellino.
Epist. 153. Macedonio, de intercessionibus episcoporum.
Epist. 155. Item ipsi, de veris virtutibus.
Epist. 233. & 235. Longiniano, duæ.

Tractatus adversùs quos suprà.

Exhortatio ad fidem.
De timore Dei. Ser. 348.
De parentalibus.
De defectu Solis.
De Epiphania, duo. Ser. 199. &c. necnon fortè Ser. 374.
Item de Epiphania contra quos suprà, duo.
De Kalendis Januarii, contra quos suprà, duo. Ser. 197. & 198.
De resurrectione, tractatus duo. Ser. 240. 241. &c. vel 361. & 362.
De lectione Actuum Apostolorum, ubi Epicurei & Stoici philosophi cum apostolo Paulo contulerunt. Ser. 150.
De testimoniis Scripturarum contra Donatistas & idola.

CONTRA MATHEMATICOS.

Quæstio adversùs quos suprà. Tom. 6. in lib. 83. quæstionum, q. 45.
Epistola ad Lampadium. Tom. 2. Ep. 246.

CONTRA JUDÆOS.

Quæstio de [a] Judæis.
Item alia quæstio, De annis quadraginta sex ædificati templi. Tom. 6. in lib. 83. qq. q. 56.
Epistola ad Asellicum episcopum, de cavendo Judaismo. Tom. 2. Ep. 196.
Adversùs quos suprà, tractatus duo.

CAPUT II.

CONTRA MANICHÆOS.

De moribus Ecclesiæ catholicæ, & de moribus eorum, libri duo. Tom. 1.
De duabus animabus, liber unus. Tom. 8.
Unde malum, & de libero arbitrio, libri tres. Tom. 1.
Acta contra Fortunatum Manichæum, liber unus. Tom. 8.
In Genesin contra Manichæos, libri duo. Tom. 1.
Contra epistolam Fundamenti, liber unus. Tom. 8.
Contra Adimanti calumnias, quæstiones diversæ, numero viginti octo. Ibid.
Quæstio de libero arbitrio. Tom. 6. in lib. 83. q. 2.
Item quæstio de malo. q. 6.
Item alia quæstio, Utrùm corpus à Deo sit. q. 10.
Item alia quæstio, Non fuisse corpus Domini nostri Jesu Christi phantasma. q. 14.
Item quæstio, Utrùm Deus mali auctor non sit. q. 21.
Item quæstio, Deum non pati necessitatem. q. 22.
Item quæstio, Utrùm & peccatum & rectè factum in libero sit voluntatis arbitrio; quod ita esse, omnino verissimum est. q. 24.
Item quæstio, De cruce Christi. q. 25.
Item quæstio, Cùm animarum natura una sit, unde hominum diversæ voluntates? q. 40.
Item quæstio, Quare Filius Dei apparuit in ho- q. 43.

[a] Hic fortè lapsus est auctor Indiculi. Nam in libro octoginta trium quæstionum exstat quædam *de idolis* quæstio, quæ in hoc indiculo sola prætermittitur: nulla verò est *de Judæis*.

mine, & Spiritus-sanctus in columba?
q. 47. Item quæstio, Quare filii Israël sacrificabant visibiliter pecorum victimis.
q. 51. Item alia quæstio, De homine facto ad imaginem & similitudinem Dei.
q. 52. Item alia quæstio, De eo quod dictum est, *Pœnitet me hominem fecisse.*
q. 53. Item quæstio, De auro & argento quod ab Ægyptiis Israëlitæ acceperunt.
q. 55. Item quæstio, De eo quod scriptum est, *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentulæ quarum non est numerus.*
q. 73. Item quæstio, De eo quod scriptum est, *Et habitu inventus ut homo.*
Tom. 8. Contra epistolam Secundini Manichæi, liber unus.
Ibid. Acta habita cum Felice Manichæo, libri duo.
Ibid. De natura boni, liber unus.
Ibid. Contra Faustum Manichæum quæstiones diversæ, libri triginta tres.
Tom. 2. Epist. 140. Epistola ad Honoratum.

Tractatus adversus memoratos.

Tom. 5. Ser. 1. De, *In principio fecit Deus cælum & terram*; &, *In principio erat Verbum.*
Ser. 50. Ex eo quod in Aggæo propheta scriptum est, *Meum est aurum, & meum est argentum.*
Contra quos suprà, Quæstio de sacrificiis spiritualibus.
Contra quos suprà, de die Domini secundùm Sophoniam prophetam.
Ser. 12. Contra quos suprà, ex eo quod scriptum est in Job, *Venerunt Angeli in conspectu Dei, & diabolus in medio eorum*: & ex Evangelio, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Contra Priscillianistas.

Tom. 8. Ad Orosium, liber unus.
Tom. 2. Epist. 190. Ad Optatum episcopum, de anima, epistolæ duæ.

CAPUT III.

Adversus Donatistas.

Tom. 9. Psalmus A b c darius.
1. Retract. 21. Contra epistolam Donati hæretici, liber unus.
2. Retract. 5. Ibid. Contra suprà scriptos, libri duo.
Tom. 9. Contra epistolam Parmeniani episcopi, libri tres.
Ibid. De Baptismo contra suprà scriptos, libri septem.
Ibid. Contra partem epistolæ Petiliani, liber unus.
Ibid. Item contra plenariam ejusdem epistolam, liber unus.
Ibid. Contra secundam epistolam ejusdem, liber unus.
Tom. 2. Epist. 93. Contra epistolam Vincentii Donatistæ & Rogatistæ, liber unus.
a Contra [a] quo clàm hoc sermonis sumtum est à suprà scriptis, liber unus.
Tom. 9. Contra epistolam Cresconii grammatici, libri quatuor.
2. Retract. 19. Contra quod adtulit Centurius à suprà scriptis, liber unus.
Tom. 9. De unico baptismo contra Petilianum, ad Constantinum, liber unus.
2. Retract. 35. * leg. liber unus. De Maximianistis, contra suprà scriptos,* libri tres.

[b] Breviationes gestorum de collatione facta, contra suprà scriptos Donatistas, libri tres. Tom. 9. b
Post collationem, contra suprà scriptos Donatistas, liber unus. Ibid.
De correctione Donatistarum, liber unus. Tom. 2. Epist. 185.
Ad Emeritum episcopum Donatistarum, liber unus. 2. Retract. 46.
Responsionum contra epistolas duas Gaudentii episcopi Donatistarum, liber unus. Tom. 9.
Epistola contra quos suprà, ad catholicos fratres, liber unus. Ibid. vulgò De unitate Ecclesiæ.
[c] Januario, primati partis Donati. c Tom. 2. Ep. 88.
Primiano commonitorium.
Macrobio epistolæ duæ. Ibid. Ep. 106. & 108.
Vincentio, una. Epist. 93.
Ad Proculeianum, quatuor. Epist. 33.
Ad Emeritum, duæ. Epist. 87.
Ad Crispinum, quatuor. Ep. 51. & 66.
Ad Eusebium, duæ. Ep. 34. & 35.
[d] Thiavensibus, duæ. d
Constantiniensibus, una.
Donato Mutugennensi. Ep. 173.
Cresconio Grammatico.
Festo commonitorium contra suprà scriptos. Epist. 89.
Epistola ad Maximinum eorum episcopum. Epist. 23.
Clericis qui ex parte Donati sunt conversi. Epist. 142.
Ad Dulcitium tribunum, epistola contra suprà scriptos. Epist. 204.
Ad Gaudentium Donatistarum episcopum, epistola una.

Tractatus contra Donatistas.

Tractatus tres de traditione in persecutionibus, & falso baptismate.
Item contra suprà scriptos, unus de iis qui se cogi ad unitatem conqueruntur.
De bono unitatis Ecclesiæ. Ser. 10.
Item de duabus mulieribus de parvulo disceptantibus, contra suprà scriptos, Siniti habitus. Jam suprà cap. 1.
De testimoniis Scripturarum, contra suprà scriptos, & contra idola. e
Contra suprà scriptos per natalem sancti [e] Salvii martyris.
Contra suprà scriptos, quia non homines baptizant, sed Christus.
De baptismo contra suprà scriptos brevissimus, liber unus. CAPUT IV.

Contra Pelagianistas.

De baptismo parvulorum ad Marcellinum, libri duo, & epistola ad ipsum, de peccatorum meritis & remissione. Tom. 10.
De spiritu & littera ad Marcellinum, liber unus. Ibid.
De natura & gratia, liber unus. Ibid.
Ad episcopos Eutropium & Paulum, de perfectione justitiæ hominis, liber unus. Ibid.
Contra gesta Pelagii, liber unus. Ibid.
Contra Pelagium & Cælestium, de gratia Christi, & de peccato originali, libri duo, ad Pinianum, Albinam, & Melaniam. Ibid.
[f] Contra quæstiones Pelagianistarum, liber unus. f

a Duo MSS. *Contra quosdam, à quibus* (vel, *à quo*) *responsum est suprà scripto libro, liber* 1. Unus è Carnotensibus MSS. *Contra quosdam oxor missum est ad suprà scriptos, liber* 1. Fossatensis codex, *Contra quosdam horsor missum est à suprà scripto libro* 1. Viderit lector, num verius aliquid elicere possit ex his veterum librorum lectionibus.

b Vulgò, *Breviculus collationis*, tres in dies distinctus.

c Veteres quidam codices, *Januariano.*

d Editi, *Thiavensibus.* At MSS. *Thiavensibus*, vel *v* mutato in *b*, *Thiabensibus.*

e Tres MSS. *Silvii.* Alii, *Salvii*, aut *Salvi*, ut in vetere Kalendario Carthaginensi III. Idus Januar. De hoc martyre Ado in martyrologio: *In Africa natalis sancti Salvii. In hujus natali sanctus Augustinus verbum fecit ad populum Carthaginensem*; recensita ad Hilarium, epistola 157.

f Istud opusculum vel ipse est liber seu epistola 157. ad Hilarium, recensita rursus infrà, cap. 6. vel non aliud fortè à libro de perfectione justitiæ hominis. Nam illud ipsum nonnullis in MSS. notatum reperitur, non hoc loco, sed paulò suprà, ante Opus contra Gesta Pelagii, proximo videlicet loco post prædictum librum de perfectione justitiæ, cujus quidem libri titulus à Prospero in lib. contra Collatorem c. 21. n. 59. profertur hunc in modum; *Ad Paulum & Eutropium sacerdotes, contra Pelagii & Cælestii quæstiones.*

Ibid. ¹ leg. libri duo. Ad Valerium, de nuptiis & concupiscentia, * liber unus.
Ibid. Ad papam Bonifacium, contra suprà scriptos, libri quatuor.
Ibid. Contra Julianum, libri sex.
Tom. 2. Epist. 191. & 154. Epistolæ ad Sixtum presbyterum, contra suprà scriptos, duæ.
Epist. 193. Ad Mercatorem ᵃ epistola, contra eosdem, una.
Tom. 5. ser. 294. Tractatus de baptismo parvulorum.
Tom. 10. Ad Valentinum monachum, de gratia & libero arbitrio, liber unus.
Ibid. Item ad quem suprà, de gratia & correptione, liber unus.
Ibid. Item contra secundam Juliani responsionem, imperfectum opus.

CAPUT V.

ADVERSUS ARIANOS.

Tom. 6. in lib. 83. qq. q. 18. Quæstio, De Trinitate.
q. 37. Quæstio, De semper nato.
q. 50. Quæstio, De æqualitate Filii.
q. 69. Item alia, De eo quod scriptum est, *Tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia.*
Tom. 8. De Trinitate, libri quindecim.
Tom. 2. Epist. 238. Contra suprà scriptos Arianos, ad Pascentium, liber unus.
Ep. 239. & 241. Epistola ad eumdem contra quæstiones diversas,
Epist. 242. Contra suprà scriptos, epistola ad ᵇ Helpidium.
Epist. 170. Ad ᶜ Therentianum, una.
Ad Maximum, una.

Tractatus diversi adversùs suprà scriptos, qui Filium inæqualem Patri esse contendunt.

Tom. 5. Ser. 126. Ex Evangelio Johannis, *Non potest Filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.*
Ex eodem Johanne, *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei.*
Ser. 52. Item de Trinitate.
Ser. 117. De, *In principio erat Verbum.*
Tom. 8. Collatio cum Maximino Arianorum episcopo.
Ibid. Item ad quem suprà, libri duo.
Ibid. De hæresibus ᵈ ad Quodvultdeum diaconum, imperfectum opus.
Tom. 6. in lib. 83. qq. q. 80. ADVERSÙS APOLLINARISTAS, quæstio.

CAPUT VI.

DIVERSI LIBRI VEL TRACTATUS, VEL EPISTOLÆ, *ad utilitatem omnium studiosorum conscriptæ.*

Tom. 1. De beata vita, ad Theodorum, liber unus.
Ibid. Soliloquiorum, libri duo.
1. Retract. 6. De Grammatica, liber unus.
Tom. 1. De Musica, libri sex.
1. Retract. 6. Ceterarum disciplinarum principia, libri quinque, id est, de Dialectica, de Rhetorica, de Geometrica, de Arithmetica, de Philosophia.
Tom. 1. De animæ quantitate, liber unus.
Tom. 6. De agone Christiano, liber unus.
Tom. 1. De magistro, liber unus.
Tom. 6. De fide vel symbolo, liber unus.
Tom. 3. part. 2. De sermone Evangelii in monte, libri duo.
Ibid. Quædam expositio epistolæ omnis ad Galatas, liber unus.
Tom. 6. in lib. 83. qq. q. 4. Quæstio, Quæ sit caussa ut sit homo deterior.

Item quæstio, Utrùm animal irrationale beatum esse possit. q. 5.
Item quæstio, Quæ propriè in animante anima dicatur. q. 7.
Item quædam expositio in epistolam ad Romanos, libri duo. Tom. 3. part. 2.
Item quæstio, Utrùm anima per se moveatur. q. 8.
Item quæstio, De mente mundanda ad videndum Deum. q. 12.
Item quæstio, Quo documento constet homines bestiis excellere. q. 13.
Item quæstio, De intellectu. q. 15.
Item quæstio, De scientia Dei. q. 17.
Item quæstio, De loco Dei. ᵉ q. 20.
Item quæstio, De differentia peccatorum. q. 26.
Item quæstio, Utrùm omnia in utilitatem hominis creata sunt. q. 30.
Item quæstio, Quemadmodum virtutes animæ à Cicerone divisæ ac definitæ sunt. q. 31.
Item quæstio, De metu. q. 33.
Item quæstio, Utrùm non aliud amandum sit quàm metu carere. q. 34.
Item quæstio, Quid amandum sit. q. 35.
Item quæstio, De nutrienda caritate. q. 36.
Item quæstio, De conformatione animæ. q. 38.
Item quæstio, De alimentis. q. 39.
Item quæstio, Cùm omnia Deus fecerit, quare non æqualiter fecerit. q. 41.
Item quæstio, Utrùm aliquando cogitationes nostras videre possimus. q. 47.
Item quæstio, De eo quod scriptum est, *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* q. 54.
Item quæstio, De centum-quinquaginta-tribus piscibus. q. 57.
Item quæstio, De Johanne Baptista. q. 58.
Item quæstio, De decem virginibus. q. 59.
Item quæstio, *De die autem & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, neque Filius hominis, nisi Pater solus.* q. 60.
Item quæstio, De eo quod scriptum est in Evangelio, turbam Dominum in monte pavisse de panibus quinque. q. 61.
Item quæstio, Ad id quod scriptum est in Evangelio, quòd *baptizabat Iesus plures, quàm Johannes, quamquam non ipse baptizabat, sed discipuli ejus.* q. 62.
Item quæstio, De Verbo. q. 63.
Item quæstio, De muliere Samaritana. q. 64.
Item quæstio, De resurrectione Lazari. q. 65.
Item quæstio, De eo quod scriptum est, *An ignoratis, fratres, (scientibus enim legem loquor,) quia lex dominatur homini, in quantum tempus vivit;* usque ad eum locum in quo scriptum est, *Vivificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* q. 66.
Item quæstio, De eo quod scriptum est, *Existimo enim quòd indignæ sint passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis;* usque ad id quod dictum est, *Spe enim salvi facti sumus.* q. 67.
Item quæstio, De eo quod scriptum est, *O homo tu quis es, qui respondeas Deo?* q. 68.

ᵃ Editi & nonnulli è MSS. pro *epistola*, quam huc vocem ex Beccensi & duobus Carnotensibus exemplaribus revocamus, substituerant *episcopum*. At Augustinus Mercatorem & in hacce ad ipsum epistola, & in libro quæstionum Dulcitii, filium suum semper appellat, tamquam inferioris ordinis Christianum.
ᵇ Sic tres MSS. Alii duo, *ad Ellidium*. Fossatensis codex & editio Lov. *ad Helvidium*.
ᶜ Duo MSS. *Ad Terrentianum*. Beccensis, *ad Terentium*.
ᵈ In Fossatensi MS. *De hæresibus X C. ad Quodvultdeum* &c. Althelmo quoque abbati *liber de nonaginta hæresibus* dicitur, in epistola ad Geruntium regem, inter Bonifacianas à Nicolao Serario publicatas ordine quadragesimâ-quartâ.
ᵉ Hîc apud Lov. subsequitur, *Item quæstio, De ira Dei.* Sed abest à MSS.

q. 70. Item quæſtio, De eo quod Apoſtolus dicit, *Abſorpta eſt mors in victoria, ubi eſt mors contentio tua? ubi eſt mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum eſt, virtus autem peccati lex.*

q. 71. Item quæſtio, De eo quod ſcriptum eſt, *Invicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.*

q. 72. Item quæſtio, De temporibus æternis.

q. 74. Item quæſtio, De eo quod ſcriptum eſt in epiſtola Pauli ad Coloſſenſes, *In quo habemus redemtionem, remiſſionem peccatorum, qui eſt imago Dei inviſibilis.*

q. 75. Item quæſtio, De hereditate Dei.

q. 76. Item quæſtio, De eo quod apoſtolus Jacobus dicit, *Vis autem ſcire, ô homo inanis, quia fides ſine operibus otioſa eſt?*

q. 77. Item quæſtio, De timore, utrùm peccatum ſit.

q. 78. Item quæſtio, De pulcritudine ſimulacrorum.

q. 79. Item quæſtio, Quare magi Pharaonis fecerunt quædam miracula, ſicuti Moyſes famulus Dei.

q. 81. Item quæſtio, De Quadrageſima & Quinquageſima.

q. 82. Item quæſtio, De eo quod ſcriptum eſt, *Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit.*

q. 83. Item quæſtio, De conjugio.

Tom. 3. part. 1. De doctrina Chriſtiana, libri quatuor.

Tom. 6. Ad Simplicianum, de diverſis quæſtionibus, libri duo.

Tom. 2. Epiſt. 117. Reſponſio objectis Hilarii, liber unus.

Tom. 3. part. 2. Annotationes Evangeliorum, libri duo.

Tom. 3. part. 1. Annotationes in Job, liber unus.

Tom. 2. Epiſt. 54. & 55. Ad inquiſitiones Januarii reſponſio, libri duo.

Tom. 1. Confeſſionum, libri tredecim.

* ſ. de catechizandis rudibus, Tom. 6. * Catechiſmi, liber unus.

Ibid. De opere monachorum, ad Aurelium epiſcopum, liber unus.

2. Retract. 32. Epiſtola Jacobi expoſita non tota, liber unus.

* ſ. Quæſt. in heptat. Tom. 3. * De vetere Teſtamento aliqua expoſita.

Tom. 6. De ſancta virginitate, liber unus.

Ibid. De bono conjugali, liber unus.

Tom. 3. part. 1. De Geneſi ad litteram, libri duodecim.

Quaternio unus, quem propria manu ſanctus epiſcopus Auguſtinus initiavit.

Tom. 8 contra Fauſtum Manich. Quæſtiones diverſæ de vetere Teſtamento, in libris triginta tribus.

* leg. Hilarum. 2. Retract. 11. Contra * Hilarium, de canticis ad altare, liber unus.

Tom. 2. Epiſt. 140. De gratia novi Teſtamenti, ad Honoratum, liber unus.

Tom. 6. De fide & operibus, liber unus.

Tom. 2. Epiſt. 147. De videndo Deo, ad Paulinam, liber unus.

Iam ſuprà cap. 4. De perfectione juſtitiæ hominis, liber unus.

Tom. 2. Epiſt. 166. De origine animæ, ad ſanctum Hieronymum, liber unus.

Ibid. Epiſt. 167. De ſententia Jacobi apoſtoli, ad eumdem, liber unus.

Epiſt. 187. De præſentia Dei, ad Dardanum, liber unus.

Epiſt. 36. Ad Caſulanum, de jejunio ſabbati.

Tom. 10. Ad Victorem, de natura animæ & ejus origine, libri quatuor.

Ad Pollentium, de incompetentibus nuptiis, libri duo. Tom. 6.

Contra adverſarium Legis & Prophetarum, libri duo. Tom. 8.

Adversùs mendacium, liber unus. Tom. 6.

Ad Laurentium, de ſpe, fide, & caritate, liber unus. Ibid.

Pſalmi expoſiti, à primo uſque ad trigeſimum-ſecundum. Ex his in populo tractati ſunt, Decimus-quartus, decimus-quintus, vigeſimus-primus, vigeſimus-ſextus, trigeſimus, trigeſimus-primus, trigeſimus-ſecundus, trigeſimus-[a] tertius. Tom. 4.

Item alii dictati, id eſt, ſexageſimus [b] octavus, ſeptuageſimus-primus, ſeptuageſimus-ſeptimus, ſeptuageſimus-octavus, [c] octuageſimus-ſecundus, octuageſimus [d] ſextus, octuageſimus-octavus, centeſimus-quartus, centeſimus-quintus, centeſimus-ſeptimus, centeſimus-octavus, centeſimus-decimus, centeſimus-undecimus, centeſimus-duodecimus, centeſimus-decimus-tertius, centeſimus-decimus-quartus, centeſimus-decimus-quintus, conjunctis ſibi centeſimo-decimo-ſexto, centeſimo-decimo-ſeptimo, centeſimo-trigeſimo-quinto, centeſimo-quinquageſimo.

Reliqui omnes, excepto centeſimo-[e] decimo-octavo, in populo diſputati ſunt, numero nonaginta-ſeptem. Fiunt ergo omnes tractatus Pſalmorum in populo habiti, numero centum-viginti-tres, quia centeſimus-viceſimus-primus [f] bis eſt expoſitus.

Tractatus de Evangelio Johannis, à capite uſque ad finem, in codicibus ſex. Tom. 3. part. 2.

CAPUT VII.

EPISTOLÆ.

Ad Nebridium, decem. Tom. 2. Epiſt. 3. 4. &c.

Ad Hermogenianum. Epiſt. 1.

Ad Zenobium. Epiſt. 2.

Ad [g] Firminum.

Ad Cæleſtinum. Epiſt. 18.

[h] Antonino. Epiſt. 20.

Saturnino. Epiſt. 149.

Thalaſio & Valentino.

[i] Eumatio.

Gaio. Epiſt. 19.

Licentio. Epiſt. 26.

* Deſiderio. * ſ. Dario Ep. 229. & 231.

Valerio epiſcopo. Epiſt. 21.

Donato. Epiſt. 100. & 112.

Læto. Epiſt. 243.

Cratoni & aliis Carthaginenſibus.

[k] Maximo epiſcopo. Epiſt. 39.

Profuturo. Epiſt. 74.

Præſidio.

[l] Victori preſbytero de campo Bullenſi. Epiſt. 145.

Anaſtaſio. Epiſt. 148.

Sebaſtiano Monacho. Epiſt. 120. & 205.

Conſentio. Epiſt. 95.

Bonifacio epiſcopo. Epiſt. 15.

Romaniano. Epiſt. 32.

Item ipſi.

[a] Foſſatenſis codex *trigeſimum-octavum* habet, loco *trigeſimi tertii.*

[b] MSS. *id eſt, ſexageſimus ſeptimus.*

[c] Unus Carnotenſis codex addit *ſeptuageſimum-nonum.* Hunc etiam Foſſatenſis habet, ſed præterit *ſeptuageſimum-octavum.*

[d] In MSS. *octuageſimus-ſeptimus, octuageſimus nonus;* omiſſo *octuageſimo-ſexto & octuageſimo-octavo.*

[e] Foſſatenſis MS. *excepto centeſimo-vigeſimo-octavo.*

[f] Sic in uno ex Carnotenſibus MSS. At in editis, *ibi eſt.*

[g] Unus Carnotenſis MS. *Ad Firmianum.*

[h] Duo MSS. *Antonio.*

[i] Sic Ulimmeriana editio & quatuor melioris notæ MSS. At Lov. *Rumachio* Duo MSS. *Hermatio.*

[k] Foſſatenſis codex, *Maximino epiſcopo*

[l] Duo MSS. *Victorino epiſcopo de campo &c.*

Paulo

Epist. 85. Paulo episcopo.
Epist. 268. Plebi propriæ.
Epist. 78. Item ipsi.
Epist. 22. Aurelio episcopo.
Epist. 41. Item ipsi.
Epist. 60. Item ipsi.
Epist. 29. Alypio episcopo.
Epist. 83. Item ipsi.
Epist. 102. Deo gratias presbytero.
Ep. 28. 40. &c. Ad sanctum Hieronymum, sex.
Ep. 27. 149. &c. Ad Paulinum, octo.
Epist. 52. Severino.
Epist. 53. Generoso.
Epist. 127. Armentario & Paulinæ.
a Jovino & [a] Joviniano & ceteris.
b Evodio, [b] epistolæ tres.
Ep. 159. 162. 164. & 169. Probæ, de orando Deo.
Epist. 130. Item ipsi, duæ.
Epist. 131. Item ipsi & Julianæ, de velatione Demetriadis.
Epist. 150. Julianæ, de sancta viduitate.
Tom. 6. Honorato, tres.
Epist. 49. vel 140. vel 228. Flactiano.
c [c] Nectario, quatuor.
Epist. 91. & 104. Cæciliano.
Epist. 86. Publicolæ, duæ.
Epist. 47. Orontio.
Epist. 257. Olympio.
Ep. 96. & 97. Cornelio.
Epist. 259. Donato.
Epist. 173. d [d] Item Olympio.
Iam suprà. Plebi propriæ, duæ.
Suprà. Paulo episcopo.
Suprà. Item Paulo suprà scripto.
e Epist. 61. Theodoro [e] præsidi.
Epist. 59. Victorino.
f Ep. 56. & 57. [f] Celeri.
Epist. 151. Cæciliano.
Epist. 62. Severo episcopo.
g Epist. 84. Novato episcopo.
Epist. 252. Felici.
Adeodato.
Catulino.
Epist. 34. & 35. Eusebio.
Fausto & Pelagiæ.
Aurelio episcopo.
Placentino episcopo.
Epist. 265. Seleucianæ.
Severo.
h Epist. 101. [h] Memori episcopo.
* forte, Aselico, Ep. 196. * Asello.
Æmilio.
Theodoro & Felicissimo.
i Aproniano & [i] Avitæ.
Epist. 266. Florentinæ.
Marinianæ.
Epist. 175. Innocentio episcopo.
Imperatoribus.
Stiliconi.

Præfectis [k] Italiæ. k
Crescenti [l] episcopo. l
Alypio episcopo. Epist. 125.
Restituto diacono. [m] m Epist. 249.
* Macario. * fortè, Macrobio, Epist. 106.
Domnioni.
Viventio presbytero.
Delfino.
Item Innocentio episcopo. [n] n Ep. 176.
[o] Pammachio. o Ep. 58.
Agrippino.
Plebi Cataquensi.
Item Aurelio episcopo. Epist. 174.
* Maximiano. * fortè, Maximino, Epist. 23.
Item Severo episcopo. Epist. 63.
Felici & [p] Hilarino. p Epist. 77.
Item plebi propriæ. Iam suprà.
Item ipsi.
Item ipsi.
Item Innocentio episcopo. Epist. 177.
[q] Maximo. q Epist. 17. vel 170.
[r] Burnio. r
Presbyteris propriis.
Item * Macario. * fortè, Macrobio, Epist. 108.
Theodolo.
Concordio.
Item [s] Memorio episcopo. s
Item Cratoni.
Item Severo episcopo. Epist. 110.
Novato. Iam suprà.
Mercurio diacono.
Romano.
Item Æmilio presbytero.
Theodoro & Felicissimo, duæ.
[t] Oratori. t
Item Aurelio episcopo, duæ.
Firmo.
Muneri.
Repentino.
Lauritio.
[u] Pelagasio & Vagulo. u
Ampelio episcopo.
Item Repentino.
Maximo.
Samsucio.
Possidio episcopo. Epist. 245.
Protogeni & Thalasio.
Item Protogeni.
Item Thalasio.
Item Protogeni, duæ.
Item Aurelio episcopo.
Clericis Carthaginis.
Sebastiano monacho. Suprà.
[x] Cristino. Epist. 256. x
Anisio.
Felici. Epist. 258.
Geminiano.

a Fossatens. cod. *& Iohanno*. Alii quidam MSS. *& Ioviano*.
b Aliquot MSS. *Evodio episcopo, tres*.
c Sic tres MSS. Alii verò cum editis, *Flactiano exnotario*.
d Ex MSS. addimus, *Item Olympio*.
e In tribus MSS. omissum, *præsidi*. Hoc tres optimæ notæ MSS. habent: cujus loco in uno Carnotensi codice substitutum *Cresimi*: apud Lov. *Crescenti*: in editione Ulim. *episcopo*. Huic autem Theodoro duo MSS. præmittunt, *Crisimo*.
f Alter ex duobus Carnot. MSS. *Celerino*.
g Hîc duo MSS. addunt, *Item ipsi*.
h Duo MSS. *Memorio*: ut infrà.
i Fossatensis cod. *& Avitatæ*. Alii duo MSS. *& Habitatæ*.
k Tres MSS. *Præfectis Italicæ*. Alii tres, *Præfecto Italiæ*.
l Tres MSS. omittunt, *episcopo*. Et mox pro *Alypio*, Unus Carnot. cod. habet, *Olympio*.

m Duo MSS. *Restituto episcopo*. Unus Carnot. *Restituto diacono & Restituto episcopo*. Fossatensis, *Restito diacono*, *Restuto*, *Marario*, *Domnioni* &c.
n Duo MSS. hîc addunt, *Item ipsi*.
o Fossatensis cod. *Pammatico*.
p Sic duo MSS. Alii tamen probæ notæ, cum editis, *Hilariano*.
q Unus è Carnotensibus MSS. *Maximino*. Colbertinus & Cassaniensis, *Maximo & Burnio* (vel *Burino*) *presbyteris propriis*.
r Duo MSS. *Burnioni*.
s Duo MSS. *Memori*: ut suprà.
t Fossatensis cod. *Oratorio*. Unus ex Carnot. *Aratori*.
u Tres MSS. *Pegasio*. Tres alii, *Pelgasio*: unus ex istis, qui est Fossat, *& Valgulo*.
x Editi & plerique MSS. *Pristino*. Carnotenses duo libri, *Cristino*. Videtur verius: nam infrà rursum, *Item Cristino*.

Item Firmo ſuprà ſcripto.
Epiſt. 261. [a] Audaci Grammatico.
[b] Acatio.
Epiſt. 113. Creſconio.
Epiſt. 227. Item Alypio epiſcopo.
Jam ſuprà. Item Alypio.
Epiſt. 126. Albinæ.
Epiſt. 134. Apringio proconſuli.
Jam ſuprà. Item Criſtino.
Epiſt. 124. Albinæ, Piniano, & Melaniæ.
Epiſt. 247. Romulo.
Epiſt. 251. Panchario.
Epiſt. 114. Florentino.
Jam ſuprà. Creſconio.
Epiſt. 115. Fortunato epiſcopo.
Epiſt. 116. Item Generoſo.
Epiſt. 253. & 254. Benenato epiſcopo, duæ.
Epiſt. 255. Ruſtico.
Epiſt. 64. [c] Quintiano preſbytero.
Epiſt. 65. Xantippo.
Suprà. Item Aurelio epiſcopo.
Epiſt. 78. & 122. Item [d] Clero.
Epiſt. 69. Caſtorio.
Suprà. Item Alypio epiſcopo.
Suprà. Item Severo epiſcopo, duæ.
Epiſt. 92. & 99. Italicæ.
Epiſt. 246. Lampadio.
Epiſt. 267. Fabiolæ.
Epiſt. 70. Naucellioni.
Fratribus à Carthagine.
Redempto.
Fratribus Carthaginis.
Item plebi propriæ.
Epiſt. 264. Maximæ.
Epiſt. 262. Ad Ecdiciam, epiſtola una.
Ad Petrum & Abraham, una.

CAPUT VIII.

Tractatus diverſi.

De caritate & timore caſto.
De ſpe.
De eo quod ſcriptum eſt, *Jugum meum ſuave eſt, & ſarcina mea levis eſt.*
Ser. 54. De placendo & non placendo hominibus.
Ser. 144. De eo quod ſcriptum eſt, *Ille arguet mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio.*
Tractatus de Pſalmo trigeſimo-quarto, non toto.
Ser. 51. De generationibus ſecundùm Matthæum & Lucam.
Ser. 4. De Jacob & Eſaü.
Ser. 88. De duobus cæcis.
Ser. 2. De filio Abrahæ ducto ad ſacrificium.
forte, Ser. 3. Item de Abraham, vel ejus filiis duobus.
De tribus virgis Jacob, & de Pſalmo vigeſimo-primo, non toto.
Ser. 9. De decem chordis.
Ser. 351. De utilitate agendæ pœnitentiæ.
Ser. 32. De Goliath & David, & de contemtu mundi.
Ser. 346. De peregrinatione Chriſtianorum, quæ in hac vita eſt.
Ser. 248. 249. &c. De centum-quinquaginta-tribus piſcibus, ex Evangelio Johannis.
De judicio Salomonis inter duas mulieres meretrices.

Ad juvenes, de die octavarum infantium, duo. Ser. 259. 260. 353. & forte. 391.
De verſu Pſalmi, *Deus, canticum novum cantabo tibi.* Ser. 33.
De cantico Iſaiæ.
De cantico Exodi. Ser. 363.
De Pſalmo decimo-ſeptimo, & Johannis apoſtoli epiſtola.
De Pſalmo [e] vigeſimo-primo, & epiſtola beati Petri apoſtoli.
De reſponſorio Pſalmi, *Da nobis auxilium de tribulatione; & vana ſalus hominis.*
Sermo in quo multæ propoſitæ ſunt quæſtiones, ſed una ſoluta eſt.
Alius in quo quæſtiones propoſitæ ex Actibus Apoſtolorum & Evangelio ſolvuntur. Ser. 149.
De vocatione apoſtoli Pauli, & commendatione Dominicæ orationis. Ser. 278.
De eo quòd Petrus in mari titubavit. Ser. 76.
De Pſalmo [f] quadrageſimo-quarto, non toto.
De depoſitione [g] Cyri epiſcopi Carthaginis.
De noviſſimo die. Ser. 97.
De Pſalmo ſeptuageſimo-primo, non toto. Ser. 288.
De natali ſancti Johannis, de voce & verbo.
De Apoſtolo, *Finis enim legis Chriſtus:* & de verſu Pſalmi [h] nonageſimi.
De Evangelio, *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.*
De venatoribus Dei & ſæculi.
De verſu Pſalmi centeſimi-tertii.
De muliere curva, decem & octo annos habente in infirmitate. Ser. 110.
De eo quod ait in Eccleſiaſtico, *Omne animal diligit ſimile ſibi, & omnis caro ad ſimilem ſibi conjungitur; & ſi communicabit lupus agno aliquando, ſic peccator juſto.*
De Apoſtolo, ubi ait, *Credenti in eum qui juſtificat impium:* &, *Lex ſpiritalis eſt, ego autem carnalis ſum*, &c.
De verſu Pſalmi [i] quinquageſimi-ſecundi, in natali Martyrum.
De verſu Pſalmi ſexageſimi-ſeptimi, *Sicut deficit fumus, deficiant*, &c. Ser. 22.
Ex eo quod Apoſtolus ait, *Secundùm juſtitiam quæ ex lege eſt, qui fuerim ſine querela:* & de verſu Pſalmi centeſimi-quadrageſimi-ſecundi. Ser. 170.
De verſu Pſalmi vigeſimi-quarti, *Vias tuas Domine oſtende mihi*, &c.
De verſu Pſalmi quadrageſimi-primi, *Quemadmodum cervus deſiderat ad fontes aquarum*, &c.
De verſu Pſalmi centeſimi-noni, ubi ait, *Tecum principium in die virtutis tuæ:* & de Melchiſedech.
De Apoſtolo, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*
De muliere quæ fluxum ſanguinis patiebatur: & de Jeremia, ubi ait, *Accepit lumbare lineum, & abſcondit eum in petra.*
De Apoſtolo, *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto.*
De depoſitione Reſtituti epiſcopi Carthaginis. Ser. 64.
De Evangelio, *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum*, &c.
De obedientia. Tom. 6.
De utilitate jejunii.

a Foſſatenſis liber, *Adaci.* Unus Carnotenſis, *Saddaci.* Et hunc puncto interpoſito ſecernunt à ſubſequente, *Grammatico.*
b Apud Lov. *Agatio.*
c Quatuor MSS. *Quintiliano presbytero.*
d Unus è Caront. MSS. *Item Celeri.*
e Idem Carnotenſis cod. *vigeſimo-ſecundo non toto.*

f Tres MSS. *quadrageſimo-tertio.* Unus Carnot. *quadrageſimo-quinto.* Beccenſis, *quadrageſimo-ſexto.*
g Beccenſis cod. *Quirini.* Duo Carnotenſes, *Quiri.*
h Lov. *nonageſimi-primi.*
i Duo MSS. *Pſalmi ſexti.*

Tom. 5. forte ser. 352. Item de utilitate agendæ pænitentiæ, & de versu Psalmi quinquagesimi, *Miserere mei Deus.*

Ser. 125. De quinque porticibus, ubi multitudo languentium jacebat; & de piscina Siloë.

Ex eo quod scriptum est in Genesi fecisse Deum tertio die.

Item alius, de die quarto.

Alius, de die quinto.

Alius, de die sexto.

Alius, de die septimo.

De ebrietate Noë, & nudatione femorum ejus.

Ser. 5. De luctatione Jacob cum Angelo.

De virga conversa in serpentem, & manu colorata, & aqua in sanguinem.

Ser. 45. a Ex eo quod ait Isaias, *Qui autem* [a] *dediti mihi erunt, possidebunt terram, & hereditabunt montem sanctum meum*: & de Apostolo, *Has ergo promissiones habentes, carissimi*, &c.

Ser. 137. Ex Evangelio, de pastore, mercenario, & fure.

Ser. 368. De Apostolo, *Nemo umquam carnem suam odio habuit*: & ex Evangelio, *Qui amat animam suam, perdet eam.*

Ser. 177. Ex eo quod Apostolus ait, *Nihil intulimus in hunc mundum*: & de versu Psalmi quinquagesimi, *Miserere mei Deus.*

Ex Evangelio, *Agite pænitentiam.*

b De [b] regnorum, ex eo quòd David intravit ad Bersabee, & maritum ejus occidendum curavit.

De versu Psalmi trigesimi-tertii, *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos*: & de muliere in adulterio deprehensa, quæ Domino oblata est.

Ser. 141. Ex Evangelio, *Ego sum via, veritas, & vita*: Sermo habitus cùm pagani ingrederentur.

De Apostolo, *O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei!* & de versu Psalmi quinquagesimi-noni, *Deus repulisti nos, & destruxisti nos*: & de versu Psalmi centesimi-decimi-octavi, *Bonum mihi quòd humiliasti me, ut discam justificationes tuas.*

De versu Psalmi trigesimi, *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.*

De operibus misericordiæ.

Ex Evangelio Johannis, ubi regulum increpavit.

De caritate inquieta.

c De [c] responsorio Psalmi centesimi-trigesimi-primi, *Paravi lucernam Christo meo*, &c.

De responsorio Psalmi centesimi-tertii, *Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus magnificatus es nimis.*

De responsorio Psalmi quinquagesimi-primi, *Speravi in misericordia Dei.*

Ser. 37. De lectione Proverbiorum Salomonis, ab eo loco ubi dictum est, *Mulierem fortem quis inveniet*: usque ad finem libri, hoc est, *Et laudetur in portis vir ejus.*

Ser. 36. * Lov. efficiunt. Ab eo quod scriptum est in Proverbiis Salomonis, *Sunt qui divites se * affectant, nihil habentes; & sunt qui se humiliant, cùm sint divites*: &, *Redemtio animæ viri divitiæ ejus, pauper autem non suffert minas.*

Ser. 35. Item de eo quod scriptum est in Proverbiis, *Fili, si sapiens fueris, tibi sapiens eris, & proximis tuis; si autem malus evaseris, solus hauries mala.*

De eo quod scriptum est in Evangelio, *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum*: & in Salomone, *Annuens oculis cum dolo, congregat hominibus mæstitiam; qui autem arguit palàm, pacem facit.* Ser. 82.

De Evangelio, ubi Dominus interrogat Judæos, cujus dicerent Christum esse filium: & de vidua illa, quæ misit duo minuta in gazophylacium. Ser. 91.

Ex Evangelio Matthæi, de thesauro in agro, & pretiosa margarita, & de reti misso in mare.

Ex Evangelio, ubi Dominus tangi se noluit à Maria, eo quòd nondum adscenderat ad Patrem. Ser. 243. &c.

Ex Evangelio, ubi Dominus oves suas Petro commendat. Ser. 146.

De responsorio Psalmi quinquagesimi-sexti, *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.*

Ex Evangelio, ubi de divite, qui induebatur purpurâ & bysso, scriptum est.

De quadragesima Adscensionis Domini. Ser. 261. 262. &c.

De quinquagesima per vigilias, ex eo quod scriptum est, *In principio fecit Deus cælum & terram.*

Item alius ejusdem diei, de responsorio Psalmi centesimi-quadragesimi, *Pone Domine custodiam ori meo.*

De octo sententiis beatitudinum, ex Evangelio. fortè, Ser. 53.

Item de die Pentecostes, ex eo quod scriptum est in Tobia, *A die Pentecostes, qui est sancta septimanarum.*

De Evangelio, ubi scriptum est, *Concorda cum adversario tuo, cùm es cum illo in via.* Ser. 109.

Ex Apostolo, de homine vetere exuendo, & novo induendo; & de versu Psalmi vigesimi quinti.

Ex Evangelio, *Videbo vos iterum, & gaudebit cor vestrum*, &c.

CAPUT IX.

DE NATALI Domini. Ser. 184. 185. &c.

De die quadragesima Adscensionis Domini. Ser. 261. &c. suprà.

Ex Evangelio, quod scriptum est, *Messis multa*; usque ad id quod ait, *Pax vestra ad vos revertetur.* Ser. 101.

Ex Evangelio, de thesauro in cælo condendo. Ser. 60.

Ex Evangelio, ubi Jesus dicit discipulis suis, *Usque nunc nihil petistis in nomine meo.* Ser. 145.

De die natali martyrum Casti & Æmilii. Ser. 285.

De die Pentecostes, de versu Psalmi centesimi-quadragesimi, *Emendabit me justus in misericordia.* Ser. 266.

Item de eodem die, de versu Psalmi centesimi-decimi-septimi, *Confitemini Domino, quoniam* [d] *bonus est.* Ser. 29. d

De flamma in rubo in Exodo, eo quòd non comburebatur. Ser. 7.

Per jejunium quinquagesimæ, de versu Psalmi centesimi-quarti, *Lætetur cor quærentium Dominum.* Ser. 28.

Item de versu per jejunium quinquagesimæ Psalmi centesimi-decimi-quinti, *Ego dixi in pavore meo, Omnis homo mendax.*

Ex Evangelio, ubi Jesus non se adscensurum ad diem festum dixerat, & tamen adscendit. Ser. 133.

Ex epistola ad Galatas, ubi Paulus Petrum reprehendit.

Ex Evangelio, ubi Jesus arborem arefecit; & de illo, ubi se finxit longiùs ire. Ser. 89.

De avaritia.

[a] Sic MSS. At Lov. *serviunt mihi, erunt possidentes.*
[b] Lov. *De regno cælorum.* Veriùs Fossatensis vetustissimus liber, *De regnorum*, subaudi, libro. Sic enim priscis citari solet.

[c] Sic quinque MSS. At editi hîc & infrà, *De responsione*: tametsi habeant suprà, *De responsorio Psalmi, Da nobis auxilium* &c.
[d] In MSS. hîc & infrà, *quoniam bonum est.*

Ser. 160. De Apostolo, ubi ait, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*: & de versu Psalmi septuagesimi, *In tua justitia erue me & exime me.*

Ser. 103. & 104. De Evangelio, ubi Domino Martha ministrabat.

Ser. 287. 288. &c. De natali Johannis Baptistæ.

Ser. 295. 296. &c. De natali sanctorum apostolorum Petri & Pauli.

Ex Evangelio, de dilectione Dei & proximi.

Ex Evangelio, ubi Pharisæi Dominum interrogant, *Si licet uxorem quacumque ex caussa dimittere.*

De Apostolo, ubi ait, *Quis nos separabit à caritate Christi?*

Ex Evangelio, *Qui non odit patrem & matrem*, &c.

Per natalem Catulini.

Per natalem sanctorum martyrum Scillitanorum, [a] tractatus duo.

Ex Evangelio, ubi ait Jesus, *Impleta sunt tempora, & appropinquavit regnum Dei, pœnitemini, & credite Evangelio.*

Ser. 72. Ex Evangelio, *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum.*

Ser. 302. 303. &c. Per natalem sancti martyris Laurentii.

Ex Evangelio, de muliere quæ decem & octo annos curvata erat, & de his super quos turris ceciderat.

Ser. 306. Per natalem martyrum Massæ candidæ.

Per natalem martyris Quadrati.

Ex Evangelio, *Ego sum panis qui de cælo descendi*: &, *Operamini escam, non quæ perit, sed quæ permanet in æternum.*

De versu Psalmi decimi-septimi, *Disciplina tua me direxit in finem, & disciplina tua ipsa me docebit.*

De versu Psalmi decimi-noni, *Mittat tibi auxilium de sancto.*

Ser. 65. De Evangelio, ubi ait, *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, &c.

Ser. 53. Ex Evangelio, de beatitudinibus.

Ser. 274. &c. De natali sancti Vincentii.

De versu Psalmi quadragesimi-tertii, *Quoniam propter te morte afficimur*, &c.

Per natalem sancti [b] Agilæi.

Ser. 69. De Evangelio, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam.*

fortè Ser. 70. Item ex eadem lectione, per natalem [c] Carthæriensium.

fortè Ser. 344. De amore Dei.

Ser. 75. De evangelica lectione, ubi Domino jubente Petrus super mare ambulavit.

De ordinatione [d] diei, & depositione episcopi Florentii.

De episcopo eligendo & ordinando in locum memorati.

De versu Psalmi septimi, *Justum auxilium meum à Domino, qui salvos facit rectos corde.*

De versu Psalmi septuagesimi-tertii, *Exsurge Domine, judica caussam tuam, commemorare opprobriorum tuorum.*

De versu Psalmi centesimi, *Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine.*

Tom. 3. part. 2. De epistola Johannis ad Parthos, sermones decem.

De versu Psalmi octuagesimi-secundi, *Deus quis similis erit tibi? ne taceas, neque mitescas Deus.* Tom. 5. Ser. 24.

De natali sancti Johannis Baptistæ. Suprà.

De decem plagis & decem præceptis. Ser. 8.

De lectione Evangelica.

De die natali Martyrum. Ser. 326. 327. &c.

Ex Evangelio Lucæ, & de Actibus Apostolorum.

De versu Psalmi centesimi-quadragesimi-tertii, *Deus, canticum novum cantabo tibi*, &c.

De lectione Isaiæ, *Domine, quis credidit auditui nostro?* Ser. 44.

Ex Evangelio, *Qui amat animam suam, perdet eam.* Ser. 330. 331. & 368.

De natali sancti Johannis, tractatus duo.

De natali apostolorum Petri & Pauli. Ser. 295. 296. &c.

De Evangelio, ubi Centurio Dominum rogat pro puero suo.

De adolescentium luxuria. Ser. 98.

De tribus mortuis à Domino resuscitatis.

Ex Evangelio, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ser. 126. jam suprà cap. 5.

De eo quod scriptum est, *Quod oculus non vidit*, &c. Ser. 127.

De die Pentecostes per vigilias, ex eo quod scriptum est, *In principio fecit Deus cælum & terram.*

De caritate, tractatus duo.

De versu Psalmi septuagesimi, *Libera me de manu peccatoris*, &c.

De versu Psalmi septuagesimi-quarti, *Confitebimur tibi, Deus, confitebimur tibi*,

De versu Psalmi centesimi-decimi-septimi, *Confitemini Domino, quoniam bonus est.*

De retenta unitate ad senem [e] Maximum.

CAPUT X.

DE NATALI Domini, tractatus septem. Ser. 184. &c. suprà cap. 9.

De Epiphania, tractatus septem. Ser. 199. 200. &c.

De Quadragesima ante Pascha, tractatus quinque. Ser. 205. 206. &c.

De Domini passione, tractatus duo. Ser. 218.

Per vigilias Paschæ, tractatus viginti tres. Ser. 119. &c. 219. &c.

De Symbolo, tractatus tres. Ser. 212. 213. &c.

De oratione Dominica, unus. Ser. 56. 57. &c.

Exhortatorius ad Competentes, tractatus unus. Ser. 216.

De octavis infantium, tractatus duo. Ser. 259. &c. suprà cap. 8.

De Adscensione Domini, tractatus duo. Ser. 26. &c. suprà cap. 8. & 9.

De Eucharistia, tractatus unus. Ser. 267. &c.

De adventu Spiritus-sancti, tractatus unus.

De natali Apostolorum, tractatus unus. Ser. 274. 275. &c.

De natali sancti Vincentii, tractatus duo. Ser. 339.

De natali episcopi, tractatus unus. Suprà.

De natali sancti Johannis, tractatus unus. Ser. 309. 310. &c.

De natali sancti Cypriani, tractatus quatuor. Ser. 280. 281. & 282.

De natali Perpetuæ & Felicitatis, tractatus tres.

De natali sancti Salvii, tractatus unus. Suprà.

De natali sancti Vincentii, tractatus duo. Ser. 340.

De natali episcopi, tractatus unus.

De versu Psalmi centesimi-trigesimi-octavi, *Imperfectum meum viderunt oculi tui.*

De eleemosynis rerum spiritalium.

De ministerio rerum carnalium, quod fit in sanctos.

De eleemosynis quæ fiunt in omnes.

De Samson, & de versu Psalmi quinquagesimi-septimi, *Si verè ergo justitiam loquimini.* Ser. 364.

a Sic plures MSS. Editi autem omissa voce *duo*, nomen *Tractatus* transferunt ad sequentis sermonis titulum, hoc pacto, *Tractatus ex Evangelio* &c.

b Colbertinus MS. *Aquillei*. Cassaniensis, *Achillei*. Fossatensis, *Agelei*: & sic vetus Kalendarium Carthaginense VIII. Kal. Feb.

c Fossatensis codex, *Cathariensium*. At in vetere Kalendario Carthaginensi *Carterienses* nominantur ad diem IV. Non. Feb.

d Duo MSS. *Dei*.

e Fossatensis MS. & unus Carnot. *Maximinum*.

De natali ſancti Victoris, & de verſu Pſalmi centeſimi-decimi-quinti, *Pretioſa in conſpectu Domini.*

Ser. 343. De Suſanna & Joſeph.

De verſu Pſalmi centeſimi-trigeſimi-primi, *Sacerdotes tui induantur juſtitiam.*

Ser. 336. 337. &c. De dedicatione eccleſiæ, tractatus duo.

Ser. 71. De blaſphemia Spiritus-ſancti.

Tom. 6. De cura pro mortuis gerenda.

Ad Dulcitium, liber unus. Ibid.

De continentia, ſermo unus. Ibid.

Fient ſimul, *..... Ac per hoc, quòd memoratus ſanctus Auguſtinus epiſcopus ſpiritu divino actus, in ſancta Eccleſia catholica, ad inſtructionem animarum fecit libros, tractatus, epiſtolas, numero mille triginta, exceptis iis qui numerari non poſſunt, quia nec numerum deſignavit ipſorum.

* Locus mendoſus in exemplaribus MSS.

Explicit indicium librorum omnium venerabilis Auguſtini epiſcopi.

ERRATA IN TOMO X.

PAg. 37. *not. c.* ſic habet. *leg.* ſic habent.
190. *lin.* 17. die 30. *leg.* die circiter 30.
Ibid. lin. 39. libro c. 3. *leg.* libro c. 2. & 3.
Ibid. lin. 52. Collat. c. 43. *adde*, vel 21. n. 59.
Ibid. in margine lin. 10. tom. 7. p. *adde*, 3.
705. Caput XXIII. *leg.* Caput XXIV.
819. *lin.* 27. *poſt*, de prædeſtinatione ſanctorum, *adde*, Pratellenſis quoque ac Metenſis MSS. in annotatione poſt Retractationes, quam Tom. 1. pag. 63. reperies, libros de prædeſtinatione ſanctorum duos recenſent.
821. *lin.* 25. dicari. *leg.* prædicari.
868. *lin.* 21. *poſt*, libros emitteret; *adde*, ſi non ante aliquot annos editi erant.

ERRATA IN APPENDICE.

PAg. 66. *not. b.* circiter annum 417. *leg.* 420.
71. *not. a.* & 177. *adde*, quamquam hæc non propriè ſynodica, ſed familiaris eſt epiſtola.
Ibid. not. b. anno Chriſti 411. *leg.* fortè anno Chriſti 411.
73. *lin.* 9. ad annum Chriſti 414. *leg.* 413.
88. *lin.* 48. nec non à Jacobo. *leg.* nec non à Nicolao Carbacchio ex Moguntienſi MS. anno 1523. póſtque à Jacobo.
104. *lin.* 54. ad illa. *leg.* ad illas.
Ibid. lin. 65. vel litteras. *ſcribe in margine*, * al. vel nunc litteras.
135. *lin.* 11. ad Cæleſtium. *leg.* ad Cæleſtinum.

INDEX
IN DECIMUM TOMUM
OPERUM S. AUGUSTINI.

INDEX

spiritalis

IN DECIMUM TOMUM.

quanto

E

F

***

L

M

IN DECIMUM TOMUM.

IN DECIMUM TOMUM.

INDEX

per

IN DECIMUM TOMUM.

INDEX

Pelagianorum

IN DECIMUM TOMUM.

IN DECIMUM TOMUM.

LOCA SCRIPTURÆ

QUÆ EXPLICANTUR,

Sive ab Augustino & Catholicis, sive ab Hæreticis.

INDEX IN DECIMUM TOMUM.

FINIS.

211

SANCTI
AUGUSTINI
OPERA

TOM.
. X .


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm